S. BERNARDI
OPERA
EDIT. MAURI

TOM. I. II. III. IV.

CENTRALE V. E. II

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
14
18
G
1

Digitized by Google

14
18 G
1/1

SANCTI

BERNARDI

ABBATIS PRIMI

CLARÆ-VALLENSIS

OPERA OMNIA

CÚM GENUINA, TUM SPURIA, DUBIAQUE,
ſex tomis in duplici volumine comprehenſa.

24

SANCTI
BERNARDI
ABBATIS PRIMI
CLARÆ-VALLENSIS
VOLUMEN I.

GENUINA SANCTI DOCTORIS OPERA
Quatuor prioribus tomis complectens.

Poſt HORSTIUM *denuo recognita, aucta, & in meliorem digeſta ordinem, necnon novis Præfationibus, Admonitionibus, Notis & Obſervationibus, Indicibuſque copioſiſſimis locupletata & illuſtrata, ſecundis curis* DOMNI JOHANNIS MABILLON, *Preſbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.*

PARISIIS,

Sumptibus { PETRI AUBOUYN, Bibliopolæ & Typogr. Sereniſſimi Burgundiæ Principis, PETRI EMERY, CAROLI CLOUSIER, } Ad ripam PP. Auguſtinianorum, ſub ſigno Scuti Franciæ, & Crucis aureæ.

M. DC. LXXXX.

Cum Privilegio Regis, & Facultate Superiorum.



Petrus le Pautre Sculpsit

SANCTISSIMO PATRI
ALEXANDRO VIII.
PONTIFICI MAXIMO.

AD tuæ Sanctitatis veſtigia, BEATISSIME PATER, venerabundi, at ſecuri accedimus, quo tua non minus dignitas, quàm dignatio nos vocat. Summus es, ſed omnium Pater; idem ipſe qui olim fuiſti, natura facilis ac benignus adverſus omnes, qualem nos nuper & verbis toties, & factis coram experti ſumus. Majeſtate itaque cedente, quidni cedat pudor: ut tantæ dignationis, atque ejus, qua noſtram dudum Congregationem proſecutus es, benevo-

lentiæ memores, jucunda tui Pontificatus initia obſequiorum noſtrorum publica profeſſione celebremus? Et ecce nobis id animo agitantibus ultro ſe ſe obtulit ſanctus BERNARDUS, *magnus ille Abbas Claræ-vallenſis, qui feſtinantibus prelis quaſi exaltationi tuæ præcurrens, in novam lucem ſub* TUÆ SANCTITATIS *auſpiciis prodire geſtiebat. Quin etiam ille quondam honorum ac dignitatum oſor, nunc ſummæ tuæ poteſtatis conſortium ambit, non auctoritatem ut minuat tuam, ſed ut fulciat, ut paſtoralis regiminis curas & ſollicitudines levet, ac ſacræ doctrinæ miniſterium in ſe ſuſcipiat.*

Neque vero eſt, BEATISSIME PATER, *quod tam celebri & eximio Doctori vices ſuas committere vereatur* SANCTITAS TUA. *Nemo quippe illo melius de ſancta apoſtolica Sede meruit, nemo rectius de ea ſentit, nemo de* Bernard. lib. 2. de Conſid. cap. 8. *ſummo Pontifice magnificentius loquitur. Te quippe principem Epiſcoporum, te heredem Apoſtolorum, te poteſtate Petrum, unctione Chriſtum agnoſcit, & prædicat. Parumne hoc?* Lib. 4. cap. 7. *Etiam aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, refugium oppreſſorum, ultorem ſcelerum, regum patrem, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, &, ut cetera uno comprehendat, Vicarium Chriſti, & Chriſtum Domini confitetur, & aſſerit. Denique in te ſuſpicit plenitudinem poteſtatis, ſed quæ maximam curam & ſollicitudinem exigat: adeo ut ei cenſeat* Lib. 2. cap. 1. *orbe exeundum, qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam.*

Te vero, SANCTISSIME PATER, *ad tantum pondus ſuſtinendum finxit divina providentia, cum ingenium facile, ſublime, ampliſſimum, judicium exquiſitiſſimum, prudentiam & ſagacitatem incredibilem tibi liberaliter conceſſit. Innatam prudentiam confirmavit longus rerum agendarum uſus, cum per ſingulos honorum gradus deductus, non prius ex inferioribus provectus es, quam congruis meritis aditum tibi paraſ-*

ſes ad altiores. In actuoſa vita ſemper compos tui, in privata numquam remiſſus aut otioſus. In maximis & arduis rebus, ubi alii ſub ſarcina gemunt, tu ipſe, quaſi nihil agendo, omnia tranquillus exſequeris: & quæ aliis laboris impatientiam, quietis ac inertis otii amorem afferre ſolet provecta ætas; tuæ Sanctitati contrà quietis & otii impatientiam, laboris amorem ac diligentiam inſpirat, augetque. Iſti ſedulitati non dies toti ſufficiunt. Ipſius etiam noctis inducias tuæ requieti ſubducis, dictitare ſolitus, diligentia & feſtinatione opus eſſe in iſta ætate, cui multa, & quidem maxima, agenda incumbunt: ratus cum Bernardo, non eſſe locum otio, ubi ſedula urget ſollicitudo omnium eccleſiarum. *Ibidem cap. 6.* Sic exemplo tuo jubes faceſſere leges, quæ majorem annis ſexaginta otio reddunt. *Plin. lib. 4. epiſt. 23.*

Cum ſic à natura, à gratia, ab ipſa rerum experientia ſis comparatus, PATER SANCTISSIME, in iſta tamen ſuprema dignitate procuranda non tam tuis te credis conſiliis, quàm alienis. Hinc iſta ad Cardinales vox, maximo certe Pontifice digna, nihil è re Chriſtiana te moliturum umquam aut facturum, quod ad eorum conſilium prius non relatum fuerit. Quod ſi quem alium inſuper conſiliarium maxime prudentem, expertumque in iſtum ſacrum Senatum adhibere volet SANCTITAS TUA, nullum magis idoneum incorruptumque inveniet, quàm Bernardum: cujus vel ſoli de Conſideratione libri, plane cedro digni, tot oraculis referti ſunt, ut ad dirigendos ſummos Pontifices, immo ad regendam univerſam Eccleſiam, quaſi divinitus dictati eſſe videantur. Id ſane pro comperto jam dudum habuere ſanctiſſimi deceſſores tui, non modo Eugenius III. ad quem ſcripti ſunt, ſed præ ceteris Pius V. & Gregorius XIII. qui ſacros illos libros tanti faciebant, ut eorum lectionem etiam menſæ adhiberent. In eiſdem porro libris, atque in aliis ejuſdem ſancti

Doctoris ſcriptis, invenient omnes quid fugiant, quid ſequantur, cardinales, epiſcopi, aliique inferiorum ordinum miniſtri. Ab eiſdem etiam reges & principes diſcent leges regnandi, ipſique plebeii homines, nedum ingenui ac nobiles, Chriſtianæ vitæ pro ſuo quique ſtatu documenta haurient. Hoc auctore per te plebes clericis, clerici ſacerdotibus, ſacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubjecti erunt. In monaſteriis & locis religioſis ſervabitur ordo, diſciplina vigilabit. Super prava opera & dogmata cenſura eccleſiaſtica vigebit, & veſtra ipſorum apoſtolica mandata & inſtituta ea, qua dignum eſt, ſollicitudine obſervabuntur. Hoc duce increduli convertentur ad fidem, perverſi ordinabuntur ad rectitudinem; ſubverſi ad veritatem revocabuntur, ſubverſores invictis rationibus convincentur, ut vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt; ſin minus, perdant auctoritatem alios ſubvertendi. Denique hoc doctore ceſſabit ambitio, dominandi libido, cupiditas: nec dignitates honoribus, ſed virtutibus, ſed cura & ſollicitudine æſtimabuntur. Atque ita demum Eccleſia in eum reſtoreſcet ſtatum, qui ſanctiſſimum Pontificem, qui Alexandrum, qui Petrum, immo qui & Chriſtum ejus ſponſum deceat.

Lib. 3. de Conſid. cap. 5.

Ibid. c. 2.

Id fere perfectum & abſolutum Bernardo vivente, ſatagente, collaborante: nec dubium quin modo ſimile quid contingat, ſi Bernardo vocem & auctoritatem integram reſtituat ALEXANDER. *Hanc vocem Bernardo tribuerunt Patres ſynodi Stampenſis, cùm dubio Pontifice invicem diſſidentes, voces univerſim ſuas & ſua quique ſuffragia in ejus ore ac ſententia repoſuerunt. Eamdem mox vocem ſibi propitiam ſenſit Innocentius II. qui ſancti Patris prædicatione & auctoritate ab omnibus tandem pro legitimo Pontifice agnitus, ejuſdem lingua & calamo uſus eſt adverſus ſchiſmatis reliquias, adverſus naſcentes hæreſes atque errores. Inde Bernardus evaſit oraculum ac interpres Conciliorum, Senonenſis,*

Remenſis,

Remenſis, & aliorum: adeo ut ex ejus ore penderent fere omnia, nihilque in Eccleſia, aut in aulis regum ac principum, immo nec in privatis fere familiis, abſque ejus conſilio & ſententia gereretur. Vidit illum Roma non ſemel: quæ quantum ei tribuerit, vel ex hoc ſolo conjici poteſt, quod Anacleto exſtincto, cum Victorem pſeudo-pontificem, uſurpatis inſignibus nudatum, ad Innocentii pedes adduxiſſet; tanta apud Romanos in reverentia deinceps habitus eſt, ut ab omnibus AUCTOR PACIS & PATER PATRIÆ *prædicaretur. Denique exeuntem Roma proſequitur, deducit clerus,* “ *Vita lib. 2. cap. 7.*
“ *honorat populus, univerſa nobilitas comitatur. Neque enim*
“ *poterat ſine communi mærore dimitti, qui colebatur amore*
“ *communi. O ſi eodem honore, eadem reverentia modo tracta*-
rentur, legerenturque ſanctiſſimi Doctoris libri! Quantus inde fructus, quanta utilitas in rempublicam Chriſtianam redundaret! Certe, quoad in nobis fuit, ſacris ejus ſcriptis nativæ formæ gratiam & integritatem, ut gratius, fructuoſiuſque lectitarentur, reſtituere conati ſumus. Tuum eſt, BEATISSIME PATER, *eidem reddere vocem virtutis, quam illi nec ipſa mors adhuc penitus eripere potuit. Viget etiam nunc apud pios quoſque, immo etiam apud hæreticos ipſos, ejus auctoritas; vigebitque amplius in poſterum, ſi tuæ vocis oraculo denuo confirmetur. Si tua Sanctitate probante, monente, jubente, omnibus legendus, terendus, ſequenduſque proponatur Bernardus, erit vox ejus tamquam vox Domini confringentis cedros, intercidentis flammam ignis. Nulla Bernardo vitia, nulla adverſa poteſtas aut vis reſiſtere, Deo ſuffragante, valebunt. Et confringentur ſub* ALEXANDRO *cedri, id eſt capita ſuperborum & tyrannorum; & intercidetur flamma diſcordiarum atque bellorum. Et jam* ſuſcitavit Deus ſpiritum VICINI REGIS, qui repletus zelo, miſeranſque *optimi* Regis dejectionem, ferat opem,

ut à ſuis pulſum, deſertumque à ceteris Regem, regno reſtituat ſuo, quemadmodum ſuo tempore factum Bernardus ſcribit de piiſſimo illo Hiberniæ Rege, qui à germano exturbatus, dedit locum iræ, ut ſuorum ſanguini parceret. Funeſtiſſimam hanc ſcenam noſtris oculis renovatam conſpicimus: ſimilem ejus exitum à MAXIMO PONTIFICE, *à* MAXIMO REGE, *ſuſpenſis interim animis, exſpectamus & exoptamus. Sic fiet, ut quem Ottobono quondam cardinali & legato, qui poſtmodum Hadrianus V. fuit, honoris cauſa ceſſit Henricus III. eumdem thronum alterius* OTTOBONI, *id eſt Alexandri VIII. curis & ſubſidiis poſtliminio acceptum referat Iacobus II. Sed longius abripit nos impetus votorum noſtrorum pro gloria tui pontificatus,* BEATISSIME PATER, *cui non alio ad res magnas aggrediendas monitore, non alio incentore opus eſt quam* ALEXANDRO, *ubi in cauſa Deus eſt, & Eccleſia. Tantum ſanctiſſimis conſiliis tuis propitius ſit ille, cujus vicem geris, tuoſque de noſtris, ſi liceat, annos augere velit ad omnia illa gerenda & efficienda, quæ in Dei gloriam, in Eccleſiæ utilitatem à tua Sanctitate agitantur, & ſperantur. Nos vero prorſus felices ac fortunatos reputabimus, ſi hoc votorum noſtrorum pignus, hoc perennis obſervantiæ in ſe monumentum benignis, uti alias ſolet, oculis accipiat* SANCTITAS TUA, *noſque omnes paterna ſua benevolentia & apoſtolica benedictione dignetur.*

Vita S. Malachiæ c. 4.

Offerebat ſupplex nomine ſuæ Congregationis
F. JOHANNES MABILLON M. B.

IN
S. BERNARDI ABBATIS
NOVAM EDITIONEM
PRÆFATIO GENERALIS.

I. POSTEAQUAM ſtudiorum meorum primitias in S. BERNARDI Opera impenderam, non ita primæ illius editionis curam abjicere viſum eſt, ut de ea expolienda & exornanda, immo etiam, ſi neceſſarium eſſet, penitus reformanda nequaquam cogitarem. Cum enim eam juvenis ac pæne rudis tiro aggreſſus eſſem, non ſic rem à me perfectam, numeriſque omnibus abſolutam fuiſſe exiſtimavi, quin multa in Bernardo & reſtituendo, & illuſtrando limatius & accuratius elaborari poſſent, ubi litterarum major uſus, & experientia diuturnior acceſſiſſet. Quapropter etſi proceſſu temporis in aliena prorſus à tanto Doctore ſtudia longius abductus eſſem, ita nihilo minus ſanctiſſimi viri recordatio & amor pectori meo ſemper inhæſit, ut ſi qua in evolvendis, verſandiſque aliis auctoribus, quæ ad ipſius Opera vel emendanda, vel illuſtranda conferre poſſent, mihi occurrerent; hæc omnia diligenter adnotare, & in opportunum tempus ad ſecundam editionem ſeponere non omitterem. Atque ita demum accidit, ut cum tempus pæne nullum huic meditationi vacuum mihi ob alias lucubrationes antea concederetur; jam tepeſcente & refrigerato per has bellorum tempeſtates aliarum litterarum cultu, unus mihi fere in manibus relictus ſit Bernardus, qui ut juventutis, ſic ingraveſcentis ætatis otium occuparet. Libenter itaque hoc otio, ex Superiorum noſtrorum indulgentia, uſus ſum ad novam lucem dandam Auctori optime de omnibus merito; nec diſſimulare poſſum, me non parum laboris ac diligentiæ, una cum collegis ac ſociis meis, in id operis poſuiſſe, ut non tam ſecunda, quàm nova prorſus, &, quoad in nobis erat, elaborata editio haberetur.

II. Erunt fortaſſe, qui tot editionum repetitiones improbaturi ſunt, eaſque in litteratorum incommodum verti cauſabuntur. Nec diffiteor ſane longe optabilius fore, ſi prima ſtatim editione auctores quique in eum ſtatum, qui ad perfectionem quàm proxime accedat, omnino reſtitui poſſent. Verum qui in ejuſmodi ſtudiis verſati ſunt, næ illi optime norunt, quam operoſum ſit, ne dicam impoſſibile, id aſſequi in tanta veterum librorum copia hinc inde diſſipata, in tanta etiam eorumdem diſcrepantia: ut multo ac longo labore, atque etiam aliquando Oedipo & interprete opus ſit, tum ad faciendam non tam voluminum, quàm foliorum hac illacque diſperſorum collectionem, ac variantium lectionum delectum; tum ad ſanandos locos male affectos & ad obſcura penetranda; tum denique ad inſtruendam genuinorum operum cenſuram. Quæ omnia, aliaque id genus permulta, ut prima ſtatim recognitione ad amuſſim comparentur, neceſſarius eſt felicior genius,

quam ut eum mihi tribuere liceat, nec ſcio an quiſquam ſibi arrogare poſſit. Ut ut eſt, malim primæ, ſi qua eſt, temeritatis culpam deprecari, quàm fortaſſe augere excuſando, aut priorem editionem relinquere imperfectam. Aliam itaque caſtigatiorem, politioremque adornare viſum eſt operæ pretium: atque adeo poſt novam ſancti Doctoris Operum recognitionem & collationem ad vetera exemplaria factam, typographici denuo piſtrini importunis ſervitiis me cum meis ſociis mancipavi, certa quadam animatus fiducia, hoc conſilium novumque laborem noſtrum non ingratum fore cordatis viris, cum facti noſtri rationes, atque novæ hujus editionis, quas quidem ſperamus, utilitates penitus intellexerint.

§. I. De variis S. Bernardi Operum editionibus: ubi noviſſimæ hujus editionis tum cauſæ, & rationes, tum commoda, utilitateſque explicantur.

III. IN primis nihil magis Bernardi meritum & pretium arguit, quàm adeo frequentes & toties repetitæ ejus Operum editiones, ſive ante, ſeu poſt inventam artem typographicam. Quippe multiplex illa editio argumento eſt, quàm comparetur Bernardus à multis, quàm avide legatur, quàm denique ab omnibus ametur. Neque id ſane mirandum. In ejus enim ſcriptis elucet ingenium natura nobile, generoſum, excelſum: ſed humanum, civile, & honeſtum. Eloquentia quaſi congenita, ſine fuco, non ſine ornamento, ſed nativo. Stilus preſſus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus ſublimes, affectus pii, lepores ſponte naſcentes, totus ſermo unum Deum ac cæleſtia ſpirans. Ardet, non urens, ſed inflammans. Pungit & ſtimulat, non ut irritet, ſed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detrahat, ſed ut attrahat. Arguit, minatur, terret: ſed amando, non indignando. Blanditur, ſed non adulatur: laudat, ſed non extollit. Urget blande, præſtringit abſque moleſtia; delectat, recreat, placet. Quippe oratio ejus, inquit Sixtus Senenſis, ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, ut ſuaviſſima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentiſſimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Jam vero doctrinam habet minime vulgarem, Scripturæ ſacræ verbis ac ſucco refertam; ſic autem Patrum ſententiis inhærentem, ut tamen propria ejus eſſe ſentiatur. Ita quippe ſcribit de rebus divinis, de gratia & libero arbitrio, de moribus & officio pontificum, clericorum, monachorum, laïcorum: ut fontem hæc indicent, non rivum aut canalem. Et miramur ſi vir tantus amatur? Si ejus ſcripta comparantur, leguntur, teruntur ab omnibus? Si editiones eorum ſine numero fiant? Si viri docti & eruditi illis augendis, illuſtrandis, emendandis, & ad nativam integritatem revocandis operam adhibeant ſuam? Si Roma ipſa, orbis domina & magiſtra, quæ Bernardum quondam docentem, immo & redarguentem venerata eſt; ſi Roma, inquam, ipſa libros de Conſideratione, Eugenio III. primum oblatos, tum Nicolai V. juſſu elegantiſſime deſcriptos, demum pontificiis typis ſub Clemente VIII. publicari paſſa eſt, totum Bernardum editura in lucem, ſi Gerardus Voſſius operam itidem ſuam in totum Bernardum contuliſſet. Quo minus mirandum eſt, ſi in metropoli Galliarum tantum Galliæ lumen regiis typis meruit honorari.

IV. Quamquam quod tot Bernardi editiones & recognitiones factæ ſunt, aliæ etiam fuerunt cauſæ, & quidem non improbandæ, immo neceſſariæ. Prima eſt, quod cum in variis plurimiſque codicibus ſcriptis hinc inde diſperſa fuerint ſancti Doctoris opera, non potuerunt prima ſtatim editione ſimul prodire omnia, ſed per particulas, quatenus in hominum ſtudioſorum manus & cognitionem veniebant.

Prima quippe editio videtur fuiſſe illa, quæ Moguntiæ à Petro Schoyffero facta eſt anno M CCCC LXXV. complectens Sermones de Tempore & de Sanctis, necnon etiam de diverſis, atque librum ad Milites Templi, cum aliis nonnullis Bernardo perperam adſcriptis.

Eodem tempore Rotomagi abſque anni deſignatione vulgata ſunt tria beati Patris Opuſcula, nempe libri de Conſideratione, Apologia ad Guillelmum abbatem, & liber de Præcepto & Diſpenſatione.

Acceſſit anno M CCCC LXXXI. editio Bruxellenſis, quæ Sermones de Tempore & de Sanctis, atque prima vice Epiſtolas ſuppeditavit, editoris uti & typographi nomine prætermiſſo. Deinde Pariſienſis anni M CCCC XCIV. Epiſtolas CCC X. exhibens cum Sermonibus in Cantica, per magiſtrum *Rouauld* ſacræ theologiæ doctorem caſtigatis & emendatis.

Hanc excepit editio Spirenſis anno M D I. & poſt annos duos Veneta, ſed abſque Epiſtolis; ceterum ſpuriis & alienis ſcriptis media ex parte jam infarta. Brixienſem item anni M CCCC XCV. ſuggerit Poſſevinus, quæ Homilias in *Miſſus eſt*, cum aliis quibuſdam opuſculis continebat.

Prima, quæ Bernardi Opera fere omnia in unum corpus redegit, eſt editio Pariſienſis anni M D VIII. *Seraphica*, uti præfertur, melliflui devotique Doctoris ſancti Bernardi ſcripta complectens, diligentiſſime cum archetypis bibliothecæ Claræ-vallenſis tunc demum in optimam unius codicis formam redacta, cura & induſtria magiſtri Johannis Bocardi, impenſis autem Johannis Parvi bibliopolæ jurati Univerſitatis Pariſienſis.

Poſt annos ſex, & quidem anno M D XV. Jodocus Clictoveus Neoportuenſis eadem Opera denuo recognovit, ac typis Johannis *Cleyn* Alemanni vulgavit Lugduni, adjectis Gilleberti de Hoylandia Sermonibus in Cantica: quæ recognitio multoties Luteciæ Pariſiorum, uti & Lugduni recuſa fuit.

Interim anno M D XX. alia prodiit editio Lugdunenſis, per duos monachos Claræ-vallenſes, Lambertum Campeſttem & Laurentium Dantiſcenum, adornata: quæ ſane omnium emendatiſſima eſt.

Secundum hos recognitores (nam varias editiones mitto) Franciſcus Comeſtor Arneduceus, ſocius collegii Sorbonici, aliam ſancti Doctoris recognitionem adortus eſt, præfixa Ludovico *De Rie* epiſcopo Genevenſi nuncupatoria epiſtola, in qua teſtatur, ſe revolvendo vetera exemplaria, quæ refertiſſima collegii Sorbonici bibliotheca tum ſuppeditabat, incidiſſe in epilogum libri de diligendo Deo, in editis prætermiſſum; deinde in opuſculum de Amore Dei ac dignitate amoris: quos libros viduæ Claudii Chevallonii cum aliis edendos ſuppeditavit anno M D XLVII.

Non una hujuſce recognitionis editio facta eſt: cum interim Antonius Marcellinus aliam editionem Baſileæ apud Johannem Hervagium adornari curavit anno M D LII. ſollerti, quod ipſe aſſerit, ad vetuſtiorum exemplarium fidem collatione facta, cum nova cenſura, novoque ordine Operum: ut primum locum tenerent Sermones, ſubſequentem Epiſtolæ, tertium Tractatus, poſtremum ſpuria & aliena.

Hanc editionem antevertit Veneta, cujus meminit Johannes Gillotius Campanus in Præfatione ad editionem Nivellianam, apud Pariſios anno M D LXXII. procuratam: ubi etiam mentionem injicit recognitionis factæ à Theologis Pariſienſibus, qui poſtremas editiones tam ſuo privato conatu, quàm ex collatione veterum codicum, quos in Galliarum bibliothecis corrogate licuit, reſtituerunt: ut qui poſt tot, tantoſque viros, ait ille, redintegrata inſtaurare, & ſanatis iterum mederi tentaret, labefacere, malumque inferre videretur. Quamquam idem Gillotius ſubdit, ſe adjeciſſe quaſdam correctiones non pœnitendas, & argumenta ſive diſtinctiones capitum in libros V. de Conſideratione ad Eugenium, & in libellum de Præcepto & diſpenſatione: quos Henricus Cuycius Cutemburgenſis ad ſeptem manuſcripta exemplaria correxerat. Exponit deinde operam ſuam, tum in ſecernendis Bernardi Operibus nativis à ſpuriis, tum in nativis ad rectum & commodum ordinem redigendis. tametſi inter genuina Gillotius ſpuria nonnulla vel jam edita reliquit, vel de novo adjecit, cum Floribus ex S. Bernardi Operibus collectis.

Verum ante ſex annos, videlicet anno M D LXVI. alia editio Pariſiis prodierat apud Guillelmum Merlinum & Sebaſtianum Nivellium, præmiſſa epiſtola Franciſci Comeſtoris mox laudati ad epiſcopum Genevenſem: cui editioni adjecta eſt Appendix Hervagiana, Baſileæ apud heredes Johannis Hervagii vulgata, opera ac ſtudio Jacobi Pamelii Brugenſis, qui Bernardi parvos Sermones numero ſexdecim, tum

parabolam de Chriſto & Eccleſia, item Soliloquiorum librum, & alia nonnulla Bernardo ſuppoſita protulit in lucem. Eodem anno Ludovicus Miræus Roſetanus aliam Bernardo Appendicem, à Franciſco Comeſtore acceptam, Lutetiæ itidem apud Carolam Guillard adjici curavit.

Mitto alias ejuſdem ſæculi editiones pæne innumeras: ut nullus fere annus abierit, qui non aliqua Bernardi Operum editione fuerit inſignis. Omnium elegantiſſima fuit illa, quæ anno M D LXXXVI. ſub ſymbolo Navis facta eſt, cum epiſtola nuncupatoria Johannis Gillotii ad R. P. Guidonem Cornuatium abbatem Vallis-claræ, ejuſdemque Præfatione ad Lectorem.

Quin etiam eodem ſæculo plerique Bernardi Sermones cum Opuſculis in Gallicum idioma tranſlati ſunt, nempe anno M D LXXV. per Hubertum Leſcotum canonicum regularem, ſed abſque epiſtolis: quæ in verſione item gallica anni M DC XXII. per Philippum *Le Bel* doctorem Pariſienſem adjectæ ſunt, uti & in noviſſima verſione R. P. Gabrielis à S. Malachia Fulienſis.

V. Jam vero quod attinet ad varias editiones ſæculo noſtro factas, omnes percenſere res fuerit pæne infinita, nec minime neceſſaria. Duas tantum notare juvat, unam Edmundi Tiraquelli monachi Ciſtercienſis anni M DC I. alteram Johannis Picardi anni M DC IX. cum Notis & aliquot Epiſtolarum acceſſione, & cum epiſtola nuncupatoria Tiraquelli ad R. P. Edmundum à Cruce abbatem Ciſtercienſem; atque etiam cum epiſtola & præfatione Gillotii.

Hæc Picardi editio eodem anno Antverpiæ apud Johannem Keerbergium recuſa eſt; atque inde multoties repetita: donec tandem optima omnium & accuratiſſima prodiit anno M DC XLI. Jacobi Merloni Horſtii, viri piiſſimi ac doctiſſimi, recenſio, quæ alias omnes obſcuravit, ſæpiſſime deinceps ad prelum revocata.

VI. Quid ab erudito viro in illa editione præſtitum ſit, paucis obſervare juvat. Principio mirari ſe dicit, quod cum inter omnia ſanctorum Patrum Opera, nullus frequentius verſetur in manibus, quàm Bernardus; unus tamen adeo hactenus neglectus ſit, ut frequentiſſime quidem, ſemper tamen idem, immo ſubinde deformior, corruptiorque prodiret, tamquam vel indignus, vel non indigens curatione. Id in cauſa fuiſſe, cur ipſe medicam adhibuerit manum. Et primo quidem omnia Bernardi Opera in ſex tomos diſtribuiſſe, ut primus Epiſtolas; ſecundus Sermones de Tempore & de Sanctis; tertius Sermones in Cantica; quartus Tractatus varios; quintus aliena; ſextus denique duorum ſancti Doctoris diſcipulorum, Gilleberti & Guerrici, Opera complecterentur, adhibita pro loco trutina ac cenſura. Deinde ſe Tractatus in capita & ſectiones diſtinxiſſe; tum Epiſtolis ſingulis ac Tractatibus argumenta ſeu ſummaria præfixiſſe. Ad hæc non pepercisse diligentiæ neque ſumtibus, quo minus ex variis variarum regionum bibliothecis Bernardinam editionem augeret. tametſi multa, quæ à nonnullis indicantur, puta à Poſſevino, aliiſque, conſequi non potuerit. Præter ea, præambula complura adjecta; Vitam S. Bernardi ſeptem libris cum diverſis Elogiis, & Chronologia præmiſſam. Denique adjectas Annotationes prolixas, præter alias breviores ſparſim per totum opus inſertas ad marginem, cum Indicibus uberioribus locorum Scripturæ, rerum, & verborum. Ceterum ſe conſcium eſſe immenſi laboris, quo editionem omnino correctiſſimam reddere conatus ſit: etſi typographorum diligentia votis ſuis non plane reſponderit. Aliam quidem editionem, & auctiorem, & accuratiorem, parabat vir doctus: ſed huic propoſito immortuus eſt die XX. Aprilis, anno M DC XLIV.

VII. Primam nihilo minus editionem illam, quantum homini docto, diligenti, ac Bernardi perquam ſtudioſo, ſed privato, licuit, feliciter exſecutus eſt Horſtius: ita ut ejus editio ambabus, ut aiunt, manibus accepta fuerit ab omnibus & probata, & in variis provinciis ac locis ſæpiſſime recuſa. Verum cum Bernardi textum Horſtianum ad Gallicanos codices complures Præfectorum noſtrorum juſſu exegiſſet noſter Claudius Cantelovius; quoſdam nihilo minus in illo textu deprehendit nævos, qui horum codicum ope ſanari poſtulabant. Et Bernardi quidem Sermones de Tempore

ac de Sanctis in ſecunda forma emendatiſſimos emiſit in lucem. Verum cum aliis eadem diligentia evulgandis daret operam, hanc ipſe mihi provinciam morte reſignavit, adoleſcenti in re litteraria novo & inexperto, cui numquam veniſſet in mentem cum doctiſſimo Horſtio laborem & induſtriam conferre, niſi renitentem ac cunctabundum ad perſequendum demortui Cantelovii opus Præfectus noſter generalis piæ memoriæ, reverendiſſimus Bernardus Audebertus, me compuliſſet. Parui itaque vel invitus, & ſymbolam in primis ex Ciſtercienſis bibliothecæ exemplaribus conferente religioſo viro Jacobo Lannoyo ejus præfecto, editus tandem Bernardus eſt in majori & in minori forma, non eo quidem modo quo decebat, ſed qualem ferre potuit rudis mea ætas, aut vero qualem à librario, ſuæ magis, quàm publicæ rei addicto, impetrare licuit.

VIII. Cum vero ejuſmodi ſtudiorum continuo uſu multa in dies obſervaſſem, quæ ad limandam & illuſtrandam Bernardi editionem conferre poterant; hæc omnia, ut jam dixi, diligenter notare ſtudui: ut ſi quando tempus & otium mihi ſuppeterent, aliam emendatiorem, politiorem, perfectioremque adornarem. Verum cum ad id operis me accingerem, in alium ſcopulum me conjecit miſera typographicarum legum conditio, ex qua tandem, tamquam tempeſtate quadam, in hunc qualemcumque portum delatus ſum, ea ſane fortuna, quam nihil attinet modo commemorare.

IX. Etſi vero à moribus meis & ab inſtituto noſtro prorſus alienum eſſe debeat propriam venditare operam, intereſt tamen hoc in limine demonſtrare, quibus in rebus noviſſima hæc editio tum ab Horſtiana, tum etiam à priori noſtra differat. Et primo quidem in conferendis vetuſtis codicibus antea mihi non viſis, iis maxime, quos vel in variis provinciis à nobis ſubinde perluſtratis conſulere & revolvere licuit, vel quos in bibliothecam Colbertinam magno rei litterariæ commodo poſt noſtram editionem congeſſit vir bonis litteris juvandis & illuſtrandis natus Stephanus Baluzius, ſecundas curas adhibui: tum ex variis lectionibus eas ſeligere, & in textum reſtituere curavi, quæ Bernardi ſententiæ accommodatiores videbantur. quæ res uſum veterum librorum pæne aſſiduum, guſtum uſu acquiſitum, maturiuſque judicium exigit, quàm litteratorum vulgus opinatur, qui aranearum telas captare nos exiſtimant, dum has, quas putant, minutias conſectamur. Verum ſentiant id genus homines de nobis quicquid volent: modo noſtram operam approbet non hominum plauſus, ſed publica Eccleſiæ, reique litterariæ utilitas.

X. Neque tantum in textu reſtituendo cenſura à me adhibita eſt, ſed etiam in ſecernendis Bernardi genuinis ſcriptis à ſuppoſiticiis & falſis, quæ in editione Horſtiana & noſtra priori inter Bernardina adhuc deliteſcebant. Hinc expunctæ epiſtolæ duæ, ex Bernardi Brito Annalibus ab Horſtio Bernardinis inſertæ: rejecti Sermones quatuor aut quinque ex Sermonibus de Tempore & de Sanctis; rejectus etiam liber Declamationum; & alia nonnulla, quæ Bernardi non eſſe ex certis argumentis & indiciis manifeſtum eſt.

XI. Ad hanc cenſuram faciendam adjumento fuere non modo Vitæ Bernardinæ ſcriptores, in primis Gaufridus, qui præcipuorum ſancti Doctoris Operum indicem exhibent; ſed etiam veteres codices, veterumque auctorum citationes, præ ceteris vero antiqua Collectio ex Bernardi ſcriptis, quæ LIBER FLORUM, FLORILEGIUM, & BERNARDINUM appellatur, primum edita Pariſiis anno M D III. multo probabilior alia collectione, quæ anno M D LXXI. ab Huberto Scuteputæo canonico regulari facta eſt, in Bernardi editos à Johanne Picardo intruſa. Longe vero antiquior eſt prima illa collectio, cujus auctorem nobis ſuggeſſit vetus codex Ciſtercienſis, in quo hæc habetur cum ſequenti inſcriptione: *Incipit prologus domni* WILLERMI, *monachi ſancti Martini Tornacenſis, in* BERNARDINO, *quem idem excepit & compilavit de libris & dictis ſancti Bernardi abbatis Claræ-vallis.* Prologus ita incipit, *Cum non eſſem alicui exercitio magnopere occupatus* &c. ut in editis, in quibus deſideratur auctoris nomen, quem ſæculo tertio-decimo vixiſſe facile colligitur ex antiquitate codicum, in quibus

hæc Collectio reperitur. Porro etſi quædam opuſcula, quæ Bernardum auctorem non habent, laudet Collector iſte, utputa Epiſtolam ad Fratres de Monte-Dei, Meditationes, librum Declamationum; in ceteris tamen non levis eſt momenti ad internoſcendos maxime Bernardi Sermones. quod in cauſa fuit, ut ſicubi de quibuſdam dubitandi ratio occurrit, ut in Sermonibus de Diverſis, has ex Bernardino citationes adnotare viſum ſit. Nec vero mirum, quod tum Epiſtola ad Fratres de Monte-Dei, tum Declamationes & Meditationes in illa Collectione ſub Bernardi nomine adducantur: cum & ſanctus Bonaventura idem peccet in laudata epiſtola; & libri Declamationum & Meditationum ex Bernardi centonibus conſtent, ut ſuis locis dicturi ſumus.

XII. Præter cenſuram Operum, aliquid etiam mutatum in ordine Horſtiano, nempe in diſpoſitione cum Tomorum, tum Opuſculorum. Nam ubi Horſtius Epiſtolis ſecundo loco ſubjecit Sermones de Tempore àc de Sanctis; tertio loco Sermones in Cantica; quarto vero Opuſcula ſeu Tractatus: conſultius viſum eſt Epiſtolis ſubjicere Opuſcula ſeu Tractatus, qui plerique vel epiſtolari modo ſcripti ſunt, vel ex epiſtolarum claſſe in Tractatuum ordinem redacti. Ex hoc ordine conſequitur, ut tertio loco ſuccedant Sermones de Tempore & de Sanctis; quarto Sermones in Cantica: quibus in quinto ſubſequitur eorumdem Sermonum Continuatio, id eſt Gilleberti Sermones in eadem Cantica. De ordine duorum reliquorum tomorum, quinti nimirum ac ſexti, in Præfatione ad tomum quintum uberius dicendum erit: uti etiam de prioribus in ſingulis ad eos Præfationibus agendum.

XIII. Atque ut genuina omnia Bernardi Opera uno volumine continerentur; libros de ejus vita & geſtis, quos Horſtius in primo volumine præmiſerat, rejecimus in finem tomi ſexti ſeu ſecundi voluminis: ne vel germana Bernardi Opera à ſeſe divellerentur, vel nimium inæqualis eſſet voluminum magnitudo. Porro in fine prioris voluminis, uti & ſecundi, proprios Indices copioſiſſimos collocavimus, ut priores Indices omnia genuina Opera; poſteriores aliena complecterentur.

XIV. Denique præter uberiores Notas & Obſervationes, quæ ab Horſtio vel à me quondam in Epiſtolas & alia Opuſcula conditæ ſunt, breviores in margine inferiori Notas appoſuimus, maxime in Epiſtolas: ut Lectorum ſtudiis conſuleremus, qui uno conſpectu, quæ ad locorum obſcuriorum illuſtrationem neceſſaria ſunt, advertere poterunt. Ceterum Notis fuſioribus, quæ ad calcem primi voluminis rejectæ ſunt, brevis Chronologia præmiſſa eſt, quod ipſarum Notarum veluti fax quædam, & quaſi commune quoddam ſit fundamentum. Ad hæc ſingulis fere Opuſculis in tomo ſecundo contentis Admonitiones præpoſuimus ad argumentum cujuſque libri explicandum, aliaſque circumſtantias ad id pertinentes. Hæc fere ſunt, quæ univerſim in hac noviſſima Bernardi editione præſtitimus.

XV. Verum ut ad examen Tomi primi, qui Bernardinas Epiſtolas complectitur, deſcendamus; non mediocrem operam denuo adhibuimus in iis emendandis, illuſtrandis, ordinandis, & augendis. Ad emendationem quod attinet, varios variarum bibliothecarum codices conſuluimus, Vaticanos, Colbertinos, Belgicos ſancti Petri apud Gandavum, & Aureæ-vallis, præter eos, quibus in priori editione uſi fuimus. Ex uno codice Corbeienſi quaſdam aliquanti momenti inſcriptiones reſtituimus, variaque loca tum ex eodem codice, tum ex duobus Colbertinis bonæ notæ, quorum unus ſignatus eſt num. 1410. alter num. 2476. Bernardi etiam Opuſcula continens, cum quo eadem Opuſcula contulimus. Ad hæc Notæ marginales ſingulis fere epiſtolis appoſitæ ſunt ad hiſtorica maxime facta paucis explicanda.

XVI. De ordine Epiſtolarum diu anceps fuit cogitatio, an ordinem receptum ſervaremus, an potius novum inſtitueremus. Variæ in utramque partem rationes ſeſe offerebant. Ad ſervandum antiquum ordinem movebat primo antiquitas illius ordinis, quem ipſo Bernardo adhuc vivente inſtitutum fuiſſe conſtat, nimirum pro trecentis illis ac decem epiſtolis, quarum ultima eſt ea, quæ ad Arnoldum Bonævallis abbatem à Bernardo extrema ſcripta fuit. nam ceteræ, ſparſim hinc inde

diſperſæ,

diſperſæ, à poſteris deinde in corpus epiſtolarum in editis libris redactæ ſunt, non ſemel, ſed per varia intervalla, prout ſeſe vel collectoribus, vel editoribus obtulerunt. Deinde antiquo ordini favebat temporis ratio, in veteri illa epiſtolarum collectione utcumque ſervata: cum alias timendum eſſet, ne plus incommodi ex illius recepti ordinis mutatione, quam utilitatis conſequeretur, ob receptas nimirum epiſtolarum citationes, ne quid dicam de ſollemni ordine veterum exemplarium. In contrarium pugnabat epiſtolarum quarumdam confuſio intolerabilis, ubi ordine præpoſtero aliquando reſponſio, ad quaſdam litteras facta, longo intervallo eas præcedebat. Accedebat aliud ex eo conſequens incommodum, quod ejuſdem argumenti tractatio perturbate relata, à ſe ipſa divulſa & diſtracta erat. In his anguſtiis mediam inire viam ſatius viſum eſt, vulgatum ſcilicet ordinem retinendo in prioribus trecentis ac decem epiſtolis: in aliis vero quæ ſubinde adjectæ ſunt, eas ad rationes temporis revocando, appoſito ad marginem ordine, quem unaquæque epiſtola antea obtinebat. Ubi vero quædam ex novo hoc ordine epiſtolæ præcedentibus cohærere debuerant, illarum lectionem præmittendam aut ſubjungendam eſſe monuimus. Sic antiquo ordini ſervatus eſt honos, & è novo ſublata confuſio. Sed ne veterem illum ordinem vivente ipſo Bernardo concinnatum gratis dixiſſe videamur, teſtem appellamus Guillelmum, S. Theoderici quondam abbatem, qui ante Bernardum vivere deſiit. Is enim in libro primo de vita ſancti Doctoris, ipſo ſuperſtite ſcripto, tradit num. 50. Bernardi ad Robertum conſanguineum ſuum epiſtolam, quæ in medio imbre non fuerat madefacta, *ob tam grande miraculum in codice epiſtolarum ejus*, ſcilicet Bernardi, *à fratribus non immerito primam fuiſſe ordinatam.* Ceterum id à ſe factum memorat tertiæ Vitæ ſcriptor à nobis editus, quem Gaufridum ſancti Viri notarium eſſe exiſtimamus.

XVII. In omnibus tamen antiquis libris non omnino conſtans eſt epiſtolarum ordo, tametſi in pleriſque cum vulgato conſentit uſque ad epiſtolam CCCX. qui numerus in omnibus item codicibus non habetur. Ex quo intelligitur, non unam, ſed plures factas fuiſſe Bernardinarum Epiſtolarum compilationes. In tribus codicibus Vaticanis habentur illæ Epiſtolæ, & in primo quidem elegantiſſimo, ſignato num. 662. continentur epiſtolæ CCXCVI. eodem fere ordine atque in editis: quarum poſtrema eſt ad Hibernienſes de tranſitu beati Malachiæ. In alio codice num. 664. idem etiam ordo in epiſtolis CCLII. ex quibus ultima eſt ad Hugonem militem Templi. Verum in tertio, qui num. 663. præditus eſt, exſtant epiſtolæ CCXL. quarum ordo ab editis penitus diverſus eſt: ita ut prima ſit illa, quæ in antehac editis CCCXIII. ad Haimericum cardinalem: extrema CCLXXV. ad Eugenium papam de electione Autiſiodorenſi. In aliis codicibus idem fere ordo ſervatur atque in editis: niſi quod in Gandavenſi monaſterii ſancti Petri hæc epiſtolarum compilatio dividitur in tres partes: quarum prima continet epiſtolas centum: altera epiſtolas ſexaginta quatuor ſupra centum: tertia epiſtolas ſeptuaginta ſex: quarum pænultima eſt Bernardi ad Rorgonem de Abbatis-villa; ultima Johannis Caſæ-Marii ad Bernardum. Et fortaſſe in nullo alio codice plures ſimul habentur Bernardi epiſtolæ, quam in iſto Gandavenſi: quo codice; vel certe ſimili, uſus eſt Willermus Tornacenſis monachus in ſuo Bernardino ſuperius laudato, ubi epiſtolas ex prima, ſecunda, & tertia parte adducit. Ceterum in codice Vallis-claræ Ordinis Ciſtercienſis exſtant epiſtolæ CCCVII. in Aureæ-vallenſi CCCVI. utrobique poſtrema ad Arnoldum abbatem, quæ certe Bernardi extrema eſt. Primam illam haud dubie collectionem ad ſe mitti petebat Johannes Sareſberienſis in epiſtola XCVI. ad Petrum Cellenſem: cui in epiſtola ſequenti *pro epiſtolis beati Bernardi* gratias agit.

XVIII. Jam vero ut de epiſtolarum acceſſione in hac editione facta (quod poſtremo loco tractandum erat) agamus; præmittendum eſt, in prima Bernardinarum epiſtolarum editione Bruxellenſi anni MCCCCLXXXI. atque in Pariſienſi anni MCCCCXCIV. exhiberi trecentas decem epiſtolas, quarum antepænultima eſt ad Arnoldum Carnotenſem abbatem; pænultima ad Fratres Hibernienſes in obitu ſancti

Malachiæ epiſcopi, ultima ad Guidonem abbatem Arremarenſem. In editione vero anni MDXX. per duos Claræ-vallenſes monachos, ut diximus, adornata, exſtant epiſtolæ omnino CCCLI. quarum extrema eſt ad Hugonem novitium, poſtea Bonæ-vallis abbatem. At epiſtola ad Arnoldum trecenteſima decima eſt; epiſtola vero ad Hibernienſes CCCXI. Hujus diſcriminis ratio eſt, quod in priori illa editione deſunt epiſtolæ duæ, nempe epiſtola LXXXIV. quæ eſt ſecunda ad Simonem abbatem ſancti Nicolai; & epiſtola CXLVII. ad Petrum abbatem Cluniacenſem. Jodocus Clictoveus in ſua editione anni MDXV. & in conſequentibus habet epiſtolas tantum CCCL. omiſſa epiſtola ad Hugonem novitium, quæ in editione Baſileenſi anni MDLII. ab Antonio Marcellino reſtituta fuit, uti & in ſequentibus uſque ad Johannem Picardum. Is epiſtolas ſeptem-decim jam vulgatis adjecit, ſed abſque ordine diſpoſitas: quarum duas extra ordinem editis præmiſit ex codice Pithœano: ceteras longo poſt vulgatas intervallo protulit ex bibliotheca ſua Victorina. Detractis itaque quibuſdam epiſtolis perperam repetitis, Horſtius vulgatum earum numerum redegit ad CCCLXVI. quibus duas ex Bernardo Brito ſpurias; & ex codicibus Anglicanis ſeptemdecim genuinas addidit, una cum epiſtola Faſtredi abbatis coronidis loco adjecta, quæ numerum CCCLXXXVI. abſolvebat. Denique in priori noſtra editione epiſtolæ undecim additæ ſunt: & in hac noviſſima epiſtolarum numerus ad CCCCXLIV. accrevit, tum ex viginti octo Bernardi epiſtolis recens in Germania repertis, & appendicis inſtar Horſtio Coloniæ adjectis; tum ex quibuſdam alibi inventis, tum denique ex aliis, ſive ad Bernardum, ſive in Bernardi cauſa ſcriptis, quæ ad Bernardinas illuſtrandas neceſſariæ viſæ fuerunt. Omnes porro iſtas epiſtolas redigimus in tres claſſes: quarum prima, quæ priores epiſtolas CCCX. exhibet, antiquum ac vulgatum retinet ordinem: ſecunda ad epiſtolam CCCCXVII. reliquas Bernardi genuinas epiſtolas: tertia dubias, ſpurias, & alienas complectitur. Hæc fere ſunt, quæ in primi tomi recognitione præſtitimus: cetera diligens Lector facile obſervabit. Reliquis tomis ſingulis præfixa eſt ſua Præfatio, in qua quid in unoquoque præſtitum ſit, abunde docetur.

XIX. Poſtremo quæ Bernardi Opera in variis bibliothecis deliteſcere cauſatus eſt Horſtius, ea non eſſe Bernardi jam olim obſervavimus. Quippe *liber in Hexaëmeron*, eſt Arnoldi abbatis Bonæ-vallis in agro Carnutenſi; *Commentarius in Pſalmos pænitentiales*, Innocentii tertii; *Expoſitio in Pſalmum Afferte*, Richardi Victorini; alia *in pſalmum L.* Urbani II. *Commentarius in Pauli epiſtolas*, Bernardi Clavonenſis Auguſtiniani, teſte Poſſevino. *Commentarius in Apocalypſim* à Caramuële falſo tributus Bernardo eſt: qui commentarius cum quædam Bernardi opuſcula in codice ſubſequeretur ſub titulo *cujuſdam*, Caramuel legit *ejuſdem*, atque hunc Bernardo, uti & præcedentia, adſcripſit. Sane nulla ſupereſſe Bernardi Opuſcula, ſaltem alicujus momenti, haud edita exiſtimo, præter nonnullas epiſtolas, quæ hactenus deſiderantur. Sunt autem ſequentes, videlicet,

Epiſtola una ad Hugonem Pontiniaci abbatem, ut patet ex epiſtola XXXIII. ad eumdem num. I.

Epiſtolæ duæ ad Innocentium II. adverſus Petrum Biſuntinum, ex epiſtola CXCVIII. Una item ad eumdem pro Petro Piſano, ex fine epiſtolæ CCXIII. Plures item ad eumdem pro introductione Præmonſtratenſium in Virdunenſe monaſterium ſancti Pauli, ex epiſtola CCLIII. num. I.

Una ad Anſellum ſubdiaconum Trecenſem indicatur in epiſtola CCIII. ad Attonem.

Una excuſatoria ad Sugerium, in epiſtola CCXXIII. ad Joſlenum num. I.

Duæ ad Johannem de Buzaio, in epiſtola CCXXXIII. ad eumdem.

Una ad Eugenium III. in gratiam epiſcopi Clari-montis, ex fine epiſtolæ CCLXXXIV. ad ipſum Eugenium. Item altera ad eumdem Eugenium pro eccleſia Tornacenſi, ex Herimanno monacho Tornacenſi, num. 115. Spicil. tomo 12. p. 483.

Una encyclica contra duella ad Remenſem & Senonenſem archiepiſcopos, ad epiſ-

copos Sueſſionenſem & Autiſiodorenſem, & ad Theobaldum & Radulfum Comites, ex epiſtola alias CCC LVIII nunc CCC LXXVI.

Ad hæc Petrus Venerabilis in quadam epiſtola, quæ modo inter Bernardinas exſtat ordine CCCLXXXVIII. refert fragmentum cujuſdam ſancti Doctoris epiſtolæ pro Anglico quodam abbate in hæc verba num. 4. *Quaſi ſubverſum ſit judicium*, &c. quæ quidem in nullis Bernardi litteris legere memini.

XX. Meminit etiam Ordericus Vitalis unius Bernardi epiſtolæ ad Natalem abbatem Reſbacenſem pro Uticenſibus monachis, qui S. Ebrulfi reliquias petebant, Guarino eorum abbate in primis id curante, & poſtulante à Natali abbate. *Gaufridus Claræ-valles ſe ire velle intimavit: & ſi ſecum ire vellet. Annuit. Ambo itaque cum ſuis famulis Claras-valles abierunt: benignè à fratribus illius cœnobii ſuſcepti ſunt, qui Regulam ſancti Benedicti omnino ad litteram obſervare ſatagunt. Dominum vero Bernardum, illius monaſterii patrem, quæſierunt: cum eo locuti ſunt, & plurima ſciſcitantes, magnam in eodem ſapientiam invenerunt. De ſanctis enim Scripturis luculenter tractavit, & votis eorum & interrogationibus ſatisfecit. Cauſam quoque Uticenſium ut audivit, Guarinum abbatem benignè adjuvit, litteraſque exhortatorias Reſbacenſi conventui deſtinavit... Guarinus ergo abbas epiſtolam venerabilis Bernardi protulit, quam Reſbacenſis conventus libenter ſuſcepit, & audita libentius complere decrevit.* Ita Ordericus in libro VI.

XXI. Præterea Ademarus Ecoliſmenſis monachus in Chronico, ubi de origine Cartuſienſium agit: *Hic Ordo*, inquit, *teſte Bernardo, inter omnes eccleſiaſticos Ordines primatum tenet, non ratione temporis, ſed vigore ſanctitatis. Unde ipſe vocat eum ſpecioſiſſimam columnam Eccleſiæ.* quod in editis non invenitur.

XXII. Denique Johannes Picardus, ex Johanne Mauburno in tractatu de habitu Canonicorum regularium, laudat quamdam epiſtolam ad Fulconem, ex qua hæc verba Mauburnus delibat: *Non comperies nigras aut griſeas à collo dependentes: ſed alias à mulierculis mutuantur à collo dependentes, rubricatas murium pelles.* quaſi hæc verba ex quadam epiſtola nondum edita referantur. Verum ad ſenſum exſtant in epiſtola ſecunda ad Fulconem num. XI. Item quæ idem Picardus ex eodem Mauburno tamquam haud vulgata refert de dotibus Cardinalis, hæc habentur in lib. IV. de Conſideratione num. II. Hæc ſunt quæ de hac Epiſtolarum editione præmittere viſum eſt operæ pretium.

§. II. *De Bernardi ſanctitate, doctrina, & auctoritate in Eccleſia.*

XXIII. Antequam ulterius procedamus, juvat expendere duos, qui Bernardo tribui ſolent, titulos, nempe quod ſit *inter Doctores* MELLIFLUUS; atque ULTIMUS *inter Patres*, ſed primis certe non impar. Doctoris nomen Eccleſia his tribuit, quorum doctrina publico ipſius ſuffragio approbata eſt, maxime ubi ſanctitatis concentus accedit. Patres vocat eos, quos ſanctitas, doctrina, & antiquitas commendat; doctrina, inquam, Scripturæ & Traditioni potius, quam rationibus philoſophicis inhærens. Itaque Doctores appellari poſſunt ſtatim à morte viri ſancti doctrina illuſtres: Patres vero nonniſi quos recepta jam dudum auctoritas venerabiles fecit, & modus tractandi res, à philoſophica ratione alienus. Utrumque elogium merito ſortitus eſt Bernardus. Et primum quidem in ipſa ejus canonizatione eidem tribuit Alexander tertius in Miſſa, quam de eo tunc celebravit, dicto Evangelio, quod ſolis Doctoribus ſanctis aſſignatur, ex Matthæi cap. V. *Vos eſtis ſal terræ.* Diſerte vero Innocentius tertius idem elogium confirmavit in Collecta à ſe compoſita, in qua *beatus Bernardus abbas &* DOCTOR *egregius* appellatur. MELLIFLUI adjectivum, quod recentius eſt, ſancto Doctori aſſeruit Theophilus Raynaudus libello ſingulari, qui APIS GALLICANA inſcribitur. Primi inter editores hoc epitheton in fronte appoſuerunt, Lugdunenſis quidem anno MDVIII. tum Jodocus Clictoveus anno MDXV. atque etiam duo illi monachi Claræ-vallenſes jam ſuperius laudati; idemque ab aliis ſubinde poſtea neglectum reſtituit Horſtius. Verum inter elogia illud referre præſtat: eum nudum ſancti Bernardi nomen ſatis ipſius Ope-

rum titulum commendet, quod auctoris implet elogium. Sane ſi quod aliud epitheton Bernardo convenit, maxime Θεοδιδάκτου, ab aliis editoribus eidem tributum: propterea quod doctrina non tam humanis viribus acquiſita, quàm cælitus infuſa præditus fuiſſe videatur.

XXIV. Quamquam ei non defuit labor & induſtria in legendis verſandiſque auctoribus, non modo ſacris, ſed etiam profanis, ut ex horum verbis ſubinde adductis manifeſtum eſt. Verum haud dubie in ſæculo hæc didicerat juvenis, quæ etiam ſeni in memoriam aliquando recurrebant. At rebus theologicis accurare operam dederat monachus: quarum rerum cognitio quàm profunda & ſublimis in eo eſſet, docent in primis Sermones duo in Cantica, nempe LXXX. & LXXXI. ubi de imagine Dei, quæ in Verbo & in anima eſt, & de ſimplicitate Dei tam alte & apte diſſerit, ut nemo melius ante vel poſt eum. Idem etiam dicendum de Chriſti pro nobis patientis ſatisfactione, quæ miro ſane modo in epiſtola CXC. ad Innocentium explicatur. Ad hæc quid in Canonum ſcientia eximiis ejus de Conſideratione libris comparari poteſt? Hinc confirmatur iſtud Leonis Magni effatum: *Verus recti amor in ſemetipſo habet & apoſtolicas auctoritates, & canonicas ſanctiones.* Denique Doctor ſanctus quantum in Scripturæ ſacræ lectione verſatus fuerit, ubique clamant ejus ſcripta,
» quæ nihil aliud quàm centones divinorum voluminum, ut Sixti Senenſis verbis
» utar, dici poſſunt, quippe undecumque veteris ac novi Teſtamenti ſententiis ita
» diſtincta, ceu gemmeis emblematibus, hiſque adeo commode & apte inſertis,
» ut ibi nata eſſe credantur. Qui quidem ſcribendi modus ſicut in quovis argumento promiſcue uſurpari non decet; ita in rebus ſacris non debet improbari. Huc enim adduci poteſt quod Apoſtolus ait: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Quod vero Bernardus quoſdam Scripturæ locos in ſenſum improprium ac minime litteralem quandoque detorquet, adeo ut ludere potius in verbis, quàm verba ipſa exponere videatur: id ſane ea ratione excuſare licet, quod in Scriptura multiplicem ſenſum, qui ad mores informandos conducat, accommode erui poſſe crediderit vir ſanctus, præſertim ubi non de fide agitur, ſed de pio quodam argumento exornando, ad excitandam ſcilicet auditorum attentionem ac delectationem.

XXV. Jam vero ſanctiſſimum virum non tantum in Scripturæ ſacræ, ſed etiam in ſanctorum Patrum lectione apprime, quantum ferebant variæ ipſius occupationes, verſatum fuiſſe, nemo infitiabitur, qui ejus ſcripta diligenter lectitarit. Nam & Patres aliquando, eorumque ſententiæ in his laudantur, & doctrina eorum per
Vita lib. 1. num. 13. omnia ejus opera reſperſa eſt. Unde cum *quercus & fagos* ſe magiſtros habuiſſe dicit, id eo modo interpretandum eſt, quem Cardinalibus ipſe ſuggerit in lib. IV. de Conſideratione num. 12. nempe *in omni re orationi plus fidendum, quam propriæ induſ-*
Vita lib. 1. num. 1. *triæ vel labori.* quod Bernardo re quidem vera Gaufridus aptavit. Ceterum quantum ex lectione Patrum, præſertim ſancti Auguſtini, profecerit, probat in primis liber de Gratia & libero arbitrio, quod Auguſtinianæ doctrinæ eruditum quoddam ſummarium eſt. Ambroſium Auguſtino adjungit in epiſtola ſeu Opuſculo XI. ad Hugonem Victorinum; additque, ab his duabus Eccleſiæ columnis non facile ſe avelli. Athanaſium item laudat in Opuſculo X. contra Petrum Abaëlardum; aliquando etiam Gregorium Magnum. Denique in clauſula homiliarum de laudibus Virginis, multa *à Patribus* accepiſſe ſe fatetur. Mirum vero eſt, hominem ſanctum, tot morbis & infirmitatibus obnoxium, tot curis diſtractum, negotiiſque non modo domeſticis, (quæ ſane nec levia, nec pauca erant in tam numeroſo monachorum cœtu) ſed maxime publicis interpellatum, parem fuiſſe, aut tot libris legendis, aut tam diſertis eruditiſque ſcriptis elaborandis: adeo ut præter naturale ingenium, quod in eo excellentiſſimum & ſublimiſſimum erat, divinam quamdam ipſi loquenti, agen-
Vita lib. 1. num. 7. ti, docenti, ac ſcribenti ſapientiam adfuiſſe nemo dubitare poſſit. Unde *confeſſus eſt aliquando*, ait Gaufridus, *ſibi meditanti vel oranti ſacram omnem, velut ſub ſe poſitam & expoſitam, apparuiſſe Scripturam.* Etſi vero fateri ſolitus erat, ſe melius Scriptura-
Vita lib. 1. num. 24. rum ſenſum aſſequi *in primæ originis ſuæ fonte, quàm in decurrentibus expoſitionum rivulis*

ſanctos tamen & orthodoxos earum expoſitores humiliter legens, nequaquam eorum ſenſibus ſuos ſenſus æquabat, ſed ſubjiciebat formandos: & veſtigiis eorum fideliter inhærens, ſæpe de fonte, unde illi hauſerant, & ipſe bibebat. Hæc ſancti Doctoris erga ſanctos Patres reverentia paſſim elucet in ejus ſcriptis, ut in epiſtola XCVIII. num. 1. Sermone V. in Cantica num. 6. & alibi. Ad eos porro legendos otium ipſi conceſſit diutina illa infirmitas, quæ primis præfecturæ ſuæ annis ipſum à cœtu fratrum abeſſe, & quaſi privatum ſeorſim in monaſterio degere coëgit, primo quidem *ex præcepto* Guillelmi *epiſcopi* Catalaunenſis, *& abbatum* ſui Ordinis, teſtante altero Guillelmo abbate: *Ibid. num 33. & 40.* deinde vero ex vi ingraveſcentis infirmitatis. Vidit illum Guillelmus abbas *feriatum ab omni ſollicitudine domus, tam interiori, quam exteriori, vacantem Deo & ſibi, & quaſi in deliciis paradiſi exſultantem.* Tunc vir ſanctus diſſeruit illi *de Cantico canticorum*, ut fuſius ille proſequitur. Acceſſit Bernardo convaleſcenti ad impetrandam in ſacra ſtudia feriationem procuratio Girardi germani ſui, qui ejus vices in monaſterio ita ſupplebat, ut Bernardus Sermone XXVI. in Cantica ei adſcribat ſpiritualium ſtudiorum ſuorum profectum. Hæc vero ſtudia erant, orare, legere, ſcribere, meditari, & ſimilia, ex Sermone LI. in Cantica num. 3. Sic beatus Pater vixit per annos quindecim, id eſt à condito monaſterio Claræ-vallenſi ad ſchiſma Petri Leonis: quo tempore magnis arduiſque rebus adhibitus, talis demum evaſit, qualem poſtea tota Europa, ne dicam orbis univerſus, admirata eſt.

XXVI. Non immerito itaque magnus ille Nicolaus Faber, Ludovici Juſti præceptor, teſte Franciſco Balbo in ejus vita, cum Patres omnes ſummopere venerari ſolitus erat, tum maxime divum Auguſtinum, cujus lectioni aſſidue inhærebat, & ex recentioribus *divum Bernardum, quem* ULTIMUM PATRUM *nominabat.* Et certe hoc elogium nullus veterum melius meruerit ſecundum Auguſtinum, quam Bernardus, nullus ita poſt eum: cum nulli aut ſanctitas miraculis & factis illuſtrior, aut doctrina purior, Traditioniſve tenacior, aut dicendi, ſcribendive modus divinior, aut denique major fuerit auctoritas. *Cujus enim*, ut Guillelmi verbis utar, *voluntati ſic detulit, cujus* *Vita lib. 2. num. 70.* *conſilio ſic ſe humiliavit omnis tam ſæcularis, quam eccleſiaſticæ dignitatis altitudo? Reges ſuperbi, principes & tyranni, milites & raptores ſic eum timebant, ut videatur in eis impletum, quod in Evangelio legitur Dominus dixiſſe diſcipulis ſuis:* ECCE, *inquit,* DEDI VOBIS POTESTATEM CALCANDI SUPER SERPENTES *&c. Porro inter ſpirituales... longe ei alia auctoritas erat. Sicut enim dicitur per Prophetam de ſanctis animalibus, quia cum fieret vox ſupra firmamentum, quod imminebat capiti eorum,* STABANT, ET SUBMITTEBANT ALAS SUAS: *ſic hodie, inquit, ubique terrarum ſpirituales quique, loquente eo ſeu tractante, ſtant cedendo præcedenti, & ſenſibus ejus vel intelligentiis ſubmittunt ſenſus vel intelligentias ſuas. Teſtantur hoc ſcripta ejus* &c. Merito proinde Cæſarius Heiſter- *Cæſar lib. 14. de mirac. c. 17.* bacenſis monachus ait tantam fuiſſe ejus auctoritatem, *ut per unius os Bernardi purpurati patres, reges, principeſque terrarum, quaſi per* COMMUNE MUNDI ORACULUM, *loquerentur.* Hæc ſancti Doctoris exiſtimatio ad noſtram uſque ætatem propagata eſt, ut fidem faciunt illuſtrium virorum de eo teſtimonia: in quibus Bartholomæus à Martyribus, piiſſimus ille Bracarenſis antiſtes, Bernardi cultor & admirator, non inferiorem locum obtinere debet.

XXVII. Hanc porro auctoritatem cum multa ei viventi conciliabant, tum ma- *Bern. in Hom 4 de laud. Virg. n 9.* xime eximia ejus in honoribus ipſis humilitas, quo nihil, ipſius Bernardi judicio, ſublimius. Audi Ernaldum. *Plurima autem in eum probabilia & laude digna concurrunt.* *Vita lib. 2. n. 25.* *Alii namque doctrinam, alii mores, alii mirantur miracula. Ego quidem*, ait ille, *his omnibus honorem defero: ſed præ omnibus, quantum in me eſt, hoc ſublimius duco, hoc propenſius prædico, quod cum eſſet vas electionis, & nomen Chriſti coram gentibus & regibus ferret intrepidus; cum obedirent ei principes mundi, & ad nutum ejus in omni natione ſtarent epiſcopi; cum ipſa Romana eccleſia ſingulari privilegio ejus veneraretur conſilia, & quaſi generali legatione conceſſa, ſubjeceſſet ei gentes & regna; cum etiam, quod glorioſius judicatur, facta ejus & verba confirmarentur miraculis: numquam exceſſit, numquam ſupra ſe in mirabilibus ambulavit: ſed de ſe ſemper humiliter ſentiens, venerabilium operum non*

ſe auctorem credidit, ſed miniſtrum; & cum eſſet omnium judicio ſummus, ſuo ſibi judicio [Vita lib. 3. num. 22.] *conſtituit infimus.* Quippe *vincebat ſublimitatem nominis humilitas cordis: nec tantum poterat univerſus eum mundus erigere, quantum ſe ipſe dejicere ſolus.* Neque vero tanta ſui demiſſio & abjectio profectum ejus apud alios minuebat, immo amplius angebat. [Ibid. n. 8.] *Nimirum quo humilior, eo ſemper utilior fuit populo Dei in omni doctrina ſalutari.*

XXVIII. Patris ſanctitati ex æquo reſpondebat ſanctimonia filiorum, quæ in Patris etiam gloriam redundabat. Teſtis ipſa Romana curia, quæ Innocentium ad [Vita lib. 2. num. 6.] Claram-vallem comitata eſt. *Flebant epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex; & omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam ſollemni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur; ſed complosis palpebris, ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in eccleſia illa vidit Romanus quod cuperet. Nulla ibi ſupellex eorum ſollicitavit aſpectum; nihil in oratorio, niſi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnoſa poterat eſſe fratribus hujuſmodi præda, cum minui non poſſet aſportata religio.* His columnis ac præſidiis fulta erat [Vita lib. 3. num. 21.] Bernardi auctoritas: adeo ut *auſteritatem ſuavitas morum tolleret, auctoritatem ſancti-* [lib. 1. n. 28.] *tas conſervaret: quaſi de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquiſitæ apud Deum pluſquam humanæ puritatis.* Porro ſanctitatem illam ac puritatem atteſtabantur miracula, quæ adeo clara & illuſtria fuerunt, ut etiam ejus adverſarii ea fa- [lib. 3. n. 10.] terentur: tam crebra & frequentia, ut Bernardus ipſe obſtupeſceret, apud Gaufridum.

XXIX. Non mirum proinde; ſi tantum potuit ejus auctoritas, primum quidem [Guill. lib. 1. num 42.] *circa reſuſcitandum*, ut Guillelmus loquitur, *in monaſtico ordine antiquæ religionis fervorem*: deinde, ex Gaufrido, [Gaufrid lib. 3. n. 12.] *in catholicorum moribus corrigendis, in ſchiſmaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis.* Quod tum ex ejus Vita, tum ex ejuſdem ſcriptis, maxime ex epiſtolis manifeſtum eſt.

§. *III. De Bernardi profectu in emendandis moribus clericorum, monachorum, & laïcorum.*

XXX. Corruptos ſui ſæculi mores paſſim luget ac deplorat vir ſanctus, maxime in Eccleſiæ miniſtris, quorum pleroſque ad meliorem frugem adduxit: adeo ut tota Eccleſiæ ac Cleri, in primis Gallicani, facies ſuis monitis ac ſermonibus penitus immutata fuerit, & in antiquum decus reſtituta. Quippe Eugenium, virum ſanctiſſimum, Romanæ ſedi ſuppeditavit, atque in eo Romanos Pontifices omnes ad rectam & legitimam ſuæ dignitatis adminiſtrationem erudivit & accendit, libris editis de Conſideratione, plane divinis. In epiſcopis Henricum Senonenſem, Stephanum Pariſienſem, alioſque permultos ab aulico vivendi genere ad mores epiſcopali ordine dignos revocavit: multos etiam è ſuis in aliorum [* Vita lib. 3, num 49.] exemplum epiſcopos* protulit. Clericis omnibus ſalutaria monita dedit in Sermone de converſione ad clericos. Quæ omnia ſi quis accurate videre cupit, legat librum ſextum de vita ſancti Bernardi gallice edita, cujus vitæ tres libri poſteriores ex ejus ſcriptis magna cum pietate & cum inſigni delectu contexti ſunt. De moribus & officio Epiſcoporum legenda in primis epiſtola XLII. ad Henricum Senonenſem, quæ in Tractatuum claſſem modo tomo ſecundo relata eſt. Merito itaque [Spicil. tomo 12. p. 31.] in libro de epiſcopis Virdunenſibus dicitur eſſe Bernardus, *cujus conſiliis regna & eccleſiæ Gallicanæ hodie*, inquit auctor, *innituntur.*

[Vita lib. 3. num. 7.] XXXI. Erat in eo mirifica dicendi gratia, *ut non poſſet ne ipſius quidem ſtilus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Quippe placabilem, & perſuaſibilem, & eruditam linguam dederat ei Deus, ut ſciret, quem & quando deberet proferre ſermonem: quibus videlicet conſolatio vel obſecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio: ut noſſe poterunt aliquatenus qui ejus legerint ſcripta, etſi longe minus ab eis, qui verba ejus ſæpius audierunt.* Quod ſi ejus ſcripta legendo ita accendimur: quanto magis illi, qui loquentem audiebant? Non itaque mirum, quod Deus tot & tanta in ſui temporis hominum ſalutem per eum operatus eſt.

XXXII. Quis vero explicet, quæ & quanta ab eodem patrata ſint ad monaſtici inſtituti primigenium fervorem denuo ſuſcitandum? Teſtantur hoc eximiæ ejus hac de re epiſtolæ ac ſcriptiones, liber de Præcepto & diſpenſatione, Apologia ad Guillelmum abbatem, variique Sermones: in quibus monachos ad retinendum revocandumque veterum Patrum primarium inſtitutum animavit, id eſt ad pænitentiæ labores, auſteritates, modeſtiam & humilitatem, paupertatem, mundi contemtum, amorem ſolitudinis ac ſilentii, & ad continuum profectum: in quibus totius rei monaſticæ cardinem verſari intelligebat. Hinc non immerito Petrus Venerabilis in epiſtola, quæ eſt inter Bernardinas CCXXVIII. vocat eum num. 30. *lacteam fortemque columnam, cui innititur monaſtici Ordinis ædificium; ac rutilum ſidus*, quod *exemplo, verboque non ſolum monachis, ſed & toti Latinæ eccleſiæ ſuo tempore inſigniter lucem donavit.*

XXXIII. Laurentius de Leodio in libro de Epiſcopis Virdunenſibus, duos Ordines, Ciſtercienſem & Præmonſtratenſem, comparat cum duobus Cherubin propitiatorium obumbrantibus: *quorum unus Ciſtercienſis, duce Bernardo ſanctiſſimi nominis* Spicil. tomo 12. p 325. *abbate, monaſticum Ordinem, jam pæne lapſum, ad primam apoſtolicæ vitæ normam reparavit.* Et *Ciſtercienſis quidem, per iſtud temporis*, inquit, *triennium, jam in ducentas circiter abbatias magni nominis, meriti, & numeri accrevit; & uſque in barbaros Sarmatas & extremos Scythas jam diffundi cœpit.* Tantum potuit Bernardi fama & opinio ſanctitatis, ejuſque diſcipulorum! Inde factum eſt, ut Ordinis Ciſtercienſis, qui Bernardum alumnum habuit, quaſi fundator habitus ſit ipſe Bernardus, ab ejuſque monaſterio Claræ-vallenſi dictus Ordo Claræ-vallenſis ſuo tempore; immo poſtea & S. Bernardi. etſi id vetuit Innocentius VIII. in litteris unionis monaſterii Claræ-vallenſis cum Ciſtercienſi. Hinc in litteris Alberonis epiſcopi Virdunenſis apud Laurentium mox laudatum, abbates Trium-fontium & de Caladia dicuntur *de Ordine Claræ-vallenſi.* Ibid. p. 385. & à Petro Cellenſi *Ciſtercienſis ſive Claræ-vallis Ordo* vocatur in lib. 1. epiſtola XXIV. Sic in epiſtola Samſonis Remenſis antiſtitis, quæ eſt ordine CCCCXXXV. inter Bernardinas, *Ordinis Claræ-vallenſis* mentio non ſemel habetur. Quamquam dici poteſt, Ordinis Claræ-vallenſis nomine lineam tantum Claræ-vallenſem, non totum Ordinem, ſæpius deſignari.

XXXIV. Qualis ac quanta fuerit ſive Ciſtercienſium, ſive Claræ-vallenſium ſub Bernardo diſtrictio & rigiditas, non eſt neceſſe hoc loco exponere, quando id ſatis ſuperque patet tum ex Bernardi litteris ac ſcriptis, tum ex ipſius Vita, maxime ex lib. I. cap. V. ubi primi Claræ-vallis incolæ Deo ſerviſſe memorantur *in paupertate ſpiritus, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria ſæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis ex hordeo, & vicia, & milio erat.* Ita Guillelmus teſtis oculatus. Bernardo in epiſtola 1. ad Robertum, *olus, faba, pultes, paniſque cibarius cum aqua*, Ciſtercienſium deliciæ perhibentur. Nec aliæ apud Faſtredum in epiſtola ſua inter Bernardinas. *Tanta in cibo parſimonia*, inquit Stephanus Tornacenſis in epiſtola LXXII. *ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert. Ipſi piſce ſanto rarius utuntur, quanto frequenſius apud eos audiri ſolet, quam videri.* Plura vide ſis apud eumdem auctorem, & apud Petrum Cellenſem. Perſeveravit hic Ordinis vigor non modo ad finem ſæculi XII. quod patet ex Petri Bleſenſis epiſtola LXXXII. ſed etiam ultra medium ſæculum XIII. teſtante Jacobo à Vitriaco in Hiſtoriæ occidentalis cap. XIII. *Carnes*, inquit, *niſi in gravi infirmitate non manducant. Piſcibus, ovis, lacte, & caſeo non veſcuntur communiter* &c. Eamdem vitæ ſeveritatem nos Galli etiam nunc refloreſcere conſpicimus in piiſſimis monachis beatæ Mariæ de Trapa, aliiſque nonnullis eorum imitatoribus: qui vitæ ſuæ puritate, auſteritate, ſolitudinis amore, ſilentio, labore, aliiſque religioſis virtutibus, id factu poſſibile adſtruunt, quod de Bernardo, ejuſque diſcipulis legebamus, nec fere credebamus.

XXXV. Subjungit idem Jacobus à Vitriaco in capite ſequenti, feminarum ſexum fragiliorem *à principio Ordinis ad tantæ diſtrictionis ſeveritatem* adſpirare auſum

non fuiſſe ; ſed id demum in morem poſtea veniſſe. Verum tamen vivente ipſo Bernardo non fuit omnino expers iſtius inſtituti femineus ſexus. Id probat Hermannus Laudunenſis monachus in lib. III. de miraculis ſanctæ Mariæ cap. XVII. ubi agit de Monſteriolo, Ciſtercienſium virginum ad Laudunum parthenone, à Bartholomæo epiſcopo conſtructo : in quo ſanctimoniales ſub Guiburge abbatiſſa, *depoſitis omnibus lineis indumentis atque pelliciis, ſolis tunicis laneis utebantur ; & non ſolum nendo vel texendo, ſed etiam in agris fodiendo, & cum ſecuri & ligone ſilvam ſuccisam exſtirpando, ſpinas & vepres evellendo, manibus propriis aſſidue laborantes, cum ſilentio victum ſibi quærebant, vitamque Claræ-vallenſium monachorum per omnia imitabantur.*

XXXVI. Longius progrederetur orario, ſi quotquot Bernardus ad monaſticam vitam pertraxit, illuſtriores utriuſque ſexus homines, quos ſcilicet novimus, in medium adduceremus : quales fuere Henricus, Ludovici VI. Francorum regis filius, Ermengardis Britanniæ duciſſa, Adelaïs Lotharingiæ, & alii, aliæque innumeræ. Verum illud paullo minus prædicandum & mirandum, quod hominibus in

Vita lib. 2. num. 52. ſæculo remanentibus piiſſimam & rectiſſimam vivendi rationem perſuaſit. *Adhæſit ei præ omnibus quidem ex principibus Comes Theobaldus, & ſe, & ſua in ſubſidia Claræ-vallis expoſuit, & in manibus Abbatis poſuit animam ſuam, depoſita altitudine principali, ſe inter ſervos Dei conſervum exhibens, non dominum, ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi poſtulaſſent.* Quid tantus Princeps monente & hortante Bernardo præſtiterit, tum in conſtruendis, dotandis, juvandiſque monaſteriis, tum in egenis ſublevandis, tum denique in exercendo optimi Principis officio, teſtis eſt Ernaldus abbas, ex quo præmiſſa retulimus : teſtes etiam Bernardi epiſtolæ de eodem. Theobaldi pium ſtudium æmulabatur nobilis & illuſtris femina Beatrix, ut diſcimus ex epiſtola CXVIII. Denique quantum Bernardi auctoritas in corrigendis

Ibid. n. 37. & ſeq. hominum moribus valuerit, exemplo eſt converſio Guillelmi Aquitaniæ ducis, quem ex pertinaciſſimo ſchiſmatico obſequentiſſimum & piiſſimum principem effe-

Vita lib 3. num. 29. cit. Ut paucis cum Gaufrido abſolvam, *quæ ſcelera non arguit ? quæ odia non exſtinxit ? quæ ſcandala non compeſcuit ? quæ ſchiſmata non compeſcuit ? quas hæreſes non confutavit ?* Verum hæc duo poſtrema, nempe quæ ad ſchiſmata & hæreſes pertinent, peculiarem exigunt tractationem.

§. *IV. De Schiſmate Anacleti per ſanctum Bernardum compreſſo.*

XXXVII. ETſi Baronius, aliique ſcriptores eccleſiaſtici, de ſchiſmate, poſt Honorii II. obitum anno MCXXX. Innocentium inter & Anacletum conflato, multa ſcripſere ; nonnulla tamen ampliori explicatione egent, quæ ex veterum monumentorum lectione ſupplere conabimur, ad illuſtrandas Bernardi hoc de argumento epiſtolas. Atque ut ordine procedat orario, primò quidem inquirendum, quales Gregorius de ſancto Angelo cardinalis, & Petrus Leonis (nam hæc Innocentii & Anacleti prima nomina erant) ante ſchiſma fuerint. Deinde propius conſideranda Innocentii electio, ejuſque accidentia & conditiones, atque Anacleti oppoſitio. Poſtremo quid exinde conſecutum ſit, inveſtigandum.

XXXVIII. Petrus Leonis, ex gente Leonina Romanus, ex monacho Cluniacenſi creatus eſt primum (ſi Onuphrio credimus) à Paſchali II. diaconus cardinalis tit. ſanctorum Coſmæ & Damiani : dein à Calliſto II. presbyter cardinalis ſanctæ Mariæ trans-Tiberim, tit. Calliſti, anno MCXX. *Fuit hic Petrus*, uti ex Chronico Mauriniacenſi diſcimus, *Petri filius, filii Leonis. Leo vero à Judaïſmo paſcha*, id eſt tranſitum, *faciens ad Chriſtum, à Leone baptizari, & ejus nomine meruit inſigniri.* Leonem IX. interpretare. *Hic vir*, ſcilicet Leo ex Judæis, *quia ſcientiſſimus erat, in curia Romana magnificus effectus, genuit filium nomine Petrum, magnæ famæ, magnæque potentiæ poſt futurum. Ea tempeſtate inter Regem Teutonicorum, qui ex ſucceſſione Karoli Magni Romanorum patricius erat, & eccleſiam Romanam illa turbulentiſſima de inveſtituris orta eſt ſeditio. In qua vir ille in tantum armis ſtrenuus, conſilio providus, & eccleſiæ Romanæ fidelis exſtitit, ut ei cum ceteris munitionibus, quæ Romæ ſunt, illam quoque, quæ*

illius

illius urbis videtur obtinere ſimilitudinem , turrim dico Creſcentii , quæ à parte Galliarum in parte Tiberini pontis ſita eſt , Papa committeret , & eum præ ceteris familiarem haberet. Hac occaſione mirabiliter excreſcens , quotidie ſui melior efficiebatur , & divitiis , poſſeſſionibus , honoribus augmentabatur. Hæc præmittenda fuerunt , quoniam ex Petri genere , Judaïſmo , potentia , turre Creſcentii , (arcem ſancti Angeli appellant) quâ Anacletus ſe tutabatur , pendet rei geſtæ notitia. Pergit Chronographus Mauriniacenſis. *Inter ceteram ſobolem , cujus plurima multitudine ſexus utriuſque à quibuſdam antichriſtus gloriabatur , genuit hunc Petrum , de quo ſermo nunc eſt : qui litteris traditus , à quibuſdam Antichriſti præambulus appellabatur.* Hoc convicium ex conſequentibus ſeu ex eventu ei impoſitum exiſtimem. *Iſte ſtudii gratia Gallias atque Pariſius adiit : & cum repatriaret , apud Cluniacum , ditiſſimum atque ſanctiſſimum cœnobium , monachilem habitum induit. Aliquantiſper inibi regularibus inſtitutionibus imbutus , à papa Paſchali II. patris admonitione retrahitur ad curiam ; & cardinalis effectus tempore Calliſti papæ , cum eodem Gregorio , qui poſtea Innocentius II. miſſus ad Gallias , Carnoti , Belvacique Concilia celebravit.* Nulla hic mentio de titulo diaconi cardinalis , quem titulum Petro Leonis à Paſchale conceſſum fuiſſe Onuphrius tradit. qua in re potior eſt auctoritas Chronographi Mauriniacenſis , ejus temporis æqualis.

XXXIX. Gregorius diaconus cardinalis tit. ſancti Angeli ab Urbano II. creatus dicitur ; ac deinde legatus à Calliſto II. in Galliam miſſus cum Petro Leonis , anno M C XXIV. Sagium Neuſtriæ civitatem cum eo acceſſit , teſte Orderico in lib. XII. De hac legatione ita ſcribit Vincentius in libro ſecundo de vita Stephani Grandimontenſis cap. XLIX. *Excellentiſſimi quoque cardinales , Gregorius & Petrus Leonis , inter quos poſtmodum de papatu ſchiſma fuit , cum in Galliam miſſi , in partibus Lemovicis legatione ſua fungerentur , ad hunc virum Dei* Stephanum *pariter convenerunt.* Et quidem conſtitutioni Sugerii abbatis anno M C XXV. ſubſcripſerunt ambo ut legati apud Cheſnium. *Ego* PETRUS *Sedis apoſtolicæ preſbyter cardinalis & legatus laudo & confirmo. Ego* GREGORIUS *ſancti Angeli diaconus cardinalis & apoſtolicæ Sedis legatus* &c. Eodem tempore Bernardus quaſdam epiſtolas ſcripſit Petro diacono cardinali legato , nimirum epiſtolas XVII. & ſequentes : quem ipſum eſſe Petrum Leonis aliquando cum Manrico opinatus ſum. At cum Petrum illum , cui Bernardus ſcribit , diaconum , non preſbyterum cardinalem fuiſſe conſtet ; epiſtolæ illæ Petro Leonis convenire non poſſunt , qui tunc ſine dubio preſbyter cardinalis erat , ut probat non ſolùm Onuphrius cum aliis , ſed etiam præmiſſa ipſius Petri ſubſcriptio , atque Sugerii teſtimonium , quod mox adducemus. Itaque Petrus ille diaconus cardinalis ac legatus , cui Bernardi ſuperiores epiſtolæ inſcriptæ ſunt , fortaſſis is ipſe fuerit , qui adverſus Pontium abbatem Cluniacenſem exauctoratum , ejuſque fautores Pontianos , in Galliam acceſſit ex mandato Honorii papæ : cujus rei auctorem habemus Petrum Venerabilem in lib. II. de miraculis cap. XIII. *Deceſſerat jam è vita ſupra ſcriptus venerandus papa Calixtus , nec ſe inferiorem papam Honorium acceperat ſucceſſorem. Hic tantæ eccleſiæ* Cluniacenſis *tantos tumultus audiens , miſſo de latere ſuo legato , domino ſcilicet Petro cardinali , Pontium & Pontianos , qui tunc ſic vocabantur , omnes , adjuncto ſibi Lugdunenſi primate Hubaldo , terribili anathemate condemnavit.* Cujus vero tituli is cardinalis fuerit , non facile eſt definire. nam plures tunc temporis erant , præter Petrum Leonis , eo nomine cardinales ; nimirum Petrus epiſcopus Portuenſis , Petrus Piſanus tit. ſanctæ Suſannæ , Petrus Burgundus tit. ſancti Marcelli , Petrus tit. ſancti Æquitii , qui prima Honorii creatione promotus eſt anno M C XXV. Petrus preſbyter cardinalis tit. ſanctæ Anaſtaſiæ anno ſequente , ac demum biennio poſt Petrus diaconus tit. S. Hadriani. Sed ante horum duorum creationem Bernardi epiſtolæ ſcriptæ videntur.

XL. Interea moritur Honorius Pontifex medio Februario anni M C XXX. Præcedentem aſſignat Chronographus Mauriniacenſis de more Gallicano , quo novi anni initium à Paſchate deducebatur. Tum *Cardinales* , ait idem Chronographus , *qui cum cancellario* Haimerico *inibi aderant , & Honorio infirmanti aſſederant* , GREGO-

Orderic. p. 877.

Cheſn. tomo 4. pag. 547.

RIUM *quemdam*, cum ſcilicet quem modò laudabamus, *ſcientia ac religione præclarum, ſibi præficiunt, & nimis feſtinanter, ut à quibuſdam dicitur, pontificalibus induunt inſignibus. Id illius gratia diſpenſationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui ſæculariter ad papatum videbatur adſpirare, ſpe ſua fruſtrarentur. Fuit hic Petrus Petri filius, filii Leonis*, & cetera, quæ ſuperius de eo retulimus. Factum clarius exprimit Sugerius in libro de vita Ludovici Groſſi, ubi ait, *Romanæ eccleſiæ majores & ſapientiores*, exſtincto Honorio, *ad removendum Eccleſiæ tumultum* conſenſiſſe, *apud ſanctum Marcum, & non alibi, & nonniſi communiter Romano more celebrem fieri electionem. at qui aſſiduitate & familiaritate propinquiores Apoſtolici fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc convenire non audentes, antequam publicaretur domini Papæ deceſſus, perſonam venerabilem, cardinalem de ſancto Angelo diaconum Gregorium, ſummum elegiſſe Pontificem. qui autem Petri Leonis parti favebant, apud ſanctum Marcum pro pacto alios invitantes conveniſſe; dominique Papæ morte comperta, ipſum eumdem Petrum Leonis, cardinalem preſbyterum, multorum, & epiſcoporum, & cardinalium, & clericorum, & Romanorum nobilium conſenſu votive elegiſſe:* ſicque ſchiſma pernicioſum conflatum fuiſſe. Prior itaque erat Innocentii electio: ſed præpropera, nec ab univerſo eligentium cœtu facta. *Cum autem Petri Leonis pars tum parentum ſuffragio*, addit Sugerius, *tum Romanæ nobilitatis præſidio prævaleret*; Innocentius Urbem deſerit, & ad partes Galliarum navigio deſcendit, *nuntiiſque ad regem Ludovicum deſtinatis*, ejus opem efflagitat. Quam ob rem Ludovicus Stampas indicit *concilium archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum & religioſorum virorum; & eorum conſilio magis de perſona, quàm de electione inveſtigans*, Innocentio dat manus, auctore Bernardo, in cujus ſuffragium totius Concilii vota convenerant, teſte Ernaldo in libro ſecundo de ejus vita, cap. 1. Sub hæc Sugerius, uti ipſe perſequitur, mandato Regis obviam Innocentio miſſus Cluniacum uſque: cujus loci abbas Petrus Venerabilis & monachi Anacleto, monacho quondam ſuo, Innocentium prætulerant, ut poſtea notabimus ad epiſtolam CXXVI. Rex ipſe uſque ad Floriacenſe ſancti Benedicti monaſterium cum regina & filiis ſuis Papæ occurrit, & regium verticem, *tamquam ad ſepulcrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit.* Ejus exemplo rex Angliæ Henricus, itidem Innocentio *Carnotum occurrens, devotiſſime pedibus ejus proſtratus*, ſuam ſuorumque obedientiam ei promittit. Innocentius vero *viſitando Gallicanam eccleſiam, ad partes ſe transfert Lotharingorum. Cui cum imperator Lotharius civitate Leodii cum magno archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & Teutonici regni optimatum collegio celeberrime occurriſſet; in platea ante epiſcopalem eccleſiam humillime ſeipſum ſtratorem offerens, pedes per medium ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tamquam dominum deducebat. Deſcendente vero tota ſtatione, eum ſuppodiando deportans, celſitudinem paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit.* Hæc anno MCXXX. geſta: ubi Sugerius ſilet de Bernardo, quem aſſiduum Innocentii comitem itineris per Galliam fuiſſe ex Ernaldo diſcimus.

XLI. Antequam cetera perſequamur, non ab re fuerit obſervare, quid tunc temporis Leodii actum ſit. Id explicant Annales Magdeburgenſes ſeu Saxonici mſſ. ad annum MCXXXI. *Dominica ante mediam Quadrageſimam*, XI. *Kal. Aprilis, celeberrimus conventus* XXXVI. *epiſcoporum & principum fit Leodii, domno Apoſtolico Innocentio & rege Lothario ac regina præſentibus: ubi multa tam de eccleſiaſticis, quàm de regni utilitatibus provide ordinata ſunt. Ibidem Halberſtadenſis epiſcopus Otto, ab Honorio papa jam triennio epiſcopatu privatus, interventu regis & principum, officii ſui reſtitutionem promeruit.* Ernaldus tradit, eo in conventu actum de inveſtituris, quas tandem Lotharius, agente Bernardo, Eccleſiæ remiſerit. Hoc concilium præceſſerat ſynodus Wirceburgenſis; uti habent iidem Annales, ab auctore æquali ſcripti. *Concilium* XVI. *epiſcoporum menſe Octobri à rege Wirceburg congregatur, cui affuit archiepiſcopus Ravennæ, apoſtolicæ Sedis legatus: ubi Gregorius, qui & Innocentius, qui Petro Leoni in electione prævaluit, à Lothario rege & omnibus ibi congregatis eligitur, & confirmatur.*

XLII. Poſt conventum Leodienſem Innocentius, teſte Sugerio, remeat in Franciam, Paſchæ feſtum apud ſanctum Dionyſium tranſigit, & *tranſactis tribus poſt Paſcha diebus*, Pariſios accedit. *Exinde Galliarum eccleſias viſitando, & de earum copia inopiæ ſuæ defectum ſupplendo, cùm per terram aliquantiſper deambulaſſet, Compendii demorari elegit.* Subindę concilio Remis habito, ut tradit Sugerius, & quidem XIV. *Kal. Novembris*, teſtante Dodechino, ibidem Ludovicus Junior regia inſignia ab Innocentio accepit VIII. Kalendàs eaſdem, prout notavit Robertus Sigeberti continuator. Annales Saxonici mſſ. ad annum MCXXXI. *Innocentius Papa, iterum collectis eccleſiaſticis viris*, id eſt poſt ſynodum Leodienſem, *& fidelium turbis, apud Remenſem urbem in feſto ſancti Lucæ grandi ſynodo per aliquot dies præſidebat.* Addit Sugerius, Papam *ſoluto Concilio*, Autiſiodori moras egiſſe; ac demum cum Lothario repetiiſſe Italiam. Autiſiodori moram Chronographus concilio Remenſi poſtponit.

XLIII. Ernaldus in libro ſecundo de vita Bernardi cap. I. concilium Remenſe ante Leodienſe collocat, atque Innocentium Leodio Claram-vallem; ac deinde, poſt brevem in Gallia moram, cum Lothario Romam contendiſſe ſcribit. At ſynodum Remenſem Leodienſi poſteriorem eſſe conſtat, tum ex Sugerii narratione, tum ex Annalibus Saxonicis, ſed maxime ex Chronico Mauriniacenſi, in quo Innocentii iter accurate deſcribitur. Tradit quippe Chronographus, poſt agnitum Carnoti ab Henrico Anglorum rege Innocentium, *ſtatutum fuiſſe in curia ad patricium Romanorum & Teutonicorum regem iter dirigere, & de Carnoto ſtatione prima apud Mauriniacum hoſpitari.* quod Benedictinorum monaſterium eſt in ſuburbio Stampenſi. In illo vero comitatu, præter epiſcopos & cardinales, adfuiſſe *Bernardum abbatem Clararum-vallium, qui tunc temporis in Gallia divini verbi famoſiſſimus prædicator erat*, & Petrum Abaëlardum monachum & abbatem, qui *vir religioſus, & excellentiſſimarum*, id eſt theologicarum, *rector ſcholarum* dicitur. Mauriniacenſis eccleſiæ dedicatione facta, *luce tertia dominus Papa cum ſuo comitatu diſceſſit, & ad ſuum colloquium, quod apud Leodium fuit, profectus eſt... Exinde rediens Innocentius ad Galliam, diuque Autiſiodori commoratus, cum tempus convocati Concilii, quod in feſtivitate beati Lucæ Evangeliſtæ Remis celebraturus erat, appropinquaret; conciliato prius apud Turonum Gaufrido Martello... rurſus per Aurelianenſem, Stampenſemque rediens provinciam, ſua præſentia Pariſius illuſtravit.* Interea Philippi regis deſignati mors accidit. *Mortis hujus audito nuntio, Papa præcordialiter permotus, mittit à latere ſuo ad conſolandum regem venerabiles epiſcopos, Gaufridum Catalaunenſem, & Matthæum Albanenſem.* Tum Remos profectus, in frequenti ſynodo Ludovicum regem ſollemniter inungit. Litteræ obedientiæ & fidei indices ei mittuntur à Lothario Alamannorum, & ab Henrico Anglorum, itidemque ab Hildefonſo ſeniore citerioris, & juniore interioris Hiſpaniæ regibus. Ad hæc ingenti gaudio Pontificem recrearunt *excellentiſſimorum eremitarum Cartuſienſium litteræ, quæ per quemdam venerabilem abbatem de Ordine Ciſtellenſi delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotenſem epiſcopum recitatæ ſunt.* Abbas iſte erat Pontiniacenſis, nempe Hugo, ut teſtantur litteræ, quas idem Chronographus refert in fine libri ſecundi. Addit initio tertii, Innocentium paullo poſt concilium Remenſe Romam repetiiſſe. *Sed quia Petrus, injuſtus convicarius, maximam partem ſibi ſociaverat civitatis, Innocentius eccleſiam beati Petri, in qua divini ſacerdotii dignitas pendebat, ſolus per ſe obtinuit: Petrus verò Lateranenſis palatii ſedem, ad quam imperialis celſitudo pertinet, occupavit.* Exſtant hac de re litteræ Lotharii imperatoris in tomo VI. Spicilegii, in quibus Norbertus archiepiſcopus Magdeburgenſis cancellarii titulo afficitur, nempe vices agens Brunonis Colonienſis, ut legitur in Chronico Saxonico, qui Bruno in Italiam cum Imperatore profectus non fuerat. Verùm Innocentius civitati conſulens, Piſas ſe contulit, ibique ad mortem uſque Petri demoratus eſt, id eſt ad annum MCXXXVIII.

XLIV. Petrus interea temporis, ſeu Anacletus, nihil non molitur, ut quôſcumque inſigniores viros ad partes ſuas adjungat. Ex epiſcopis ei adhæſit Girardus Engoliſmenſis, qui cum legati munus ſub Pontificibus proximis geſſiſſet, illud idem vel ab Anacleto impetrare in votis habuit. Idem Guillelmum Pictavorum comitem

ad Anacletum pertraxit. Præter ea Rogerium Apuliæ ducem ut ſibi conciliaret Anacletus, ſororem ſuam ei tradidit uxorem, eumque Siciliæ regem coronavit, teſte Orderico in lib. XII. In epiſtolis Anacleti Pontificem ſe ferentis, quæ omnes in codice Caſinenſi habentur, partim apud Baronium editæ, una eſt, in qua vehementer conqueritur de Abbate Farfenſi, quem, quia ſibi contrarius erat, *Eccleſia funda percuſſit*, id eſt, *excommunicationis ſententia condemnavit.*

Orderic. p. 498.

XLV. Tot tantæque turbæ, quas fuſius fortaſſe quàm locus pateretur, hic deſcripſimus, multum negotii Bernardo faceſſerunt, qui varias epiſtolas circumquaque ſcripſit ad conciliandos Innocentio ſchiſmaticos, & continendos in officio fideles; varia item itinera ejuſdem rei cauſa ſuſcepit, ut ex ſequentibus epiſtolis, & ex Vitæ lib. II. cap. VI. & VII. intelligitur.

XLVI. Supereſt hîc agendum de Girardo Engoliſmenſi epiſcopo, cujus mores egregie deſcripſit Arnulfus, tum Sagienſis archidiaconus, dein epiſcopus Lexovienſis, in tractatu adverſus eum edito, quem Acherius noſter in tomo ſecundo Spicilegii typis vulgavit. Ait eum patriâ Nortmannum, ob paternæ domus familiarem inopiam inde profectum, & *caſu* tandem electum antiſtitem Engoliſmenſis eccleſiæ, ut *exitum qualemcumque* eligentium diſcordia conſequeretur. Tum nepotibus ſuis, *obſcuro loco* natis, dignitates eccleſiæ ſuæ conferre, crimina impunita relinquere, Legati munus à ſummo Pontifice quærere & impetrare, in ſingulos graſſari, concilia & ſynodos convocare ad faſtum. Addit Arnulfus, eum electo Innocentio primum faviſſe: ſed cum legati munus ab ipſo impetrare non potuiſſet, ad Petri Leonis partes conceſſiſſe: à quo ipſi nova legatio conceſſa eſt, ut quicquid ab Alpibus uſque ad fines Occidentis interjacet, ejus ditioni ſubjectum eſſet; adjectumque, ut *ubicumque calcaret pes* ejus, ibi etiam *eſſet legatio.* Hac vero dignitate accepta ſatis egiſſe, ut Anglorum & Hiſpanorum reges ad Anacleti partes pertraheret: ſed fruſtra. Pictavienſis ac Lemovicenſis eccleſiarum epiſcopis ejectis alios nefarios ſubſtituiſſe: ipſum etiam Girardum eccleſiæ Burdegalenſi incubaſſe, epiſcopum ſimul & archiepiſcopum. quod etiam Ernaldus in lib. II. de vita S. Bernardi cap. V. tradit. Deinde Anacleti fautores Arnulfus enumerans, ita ſubdit. *Infidelis univerſitas illa, quam ſequeris, Petri Leonis eſt, nondum fermento Judaicæ corruptionis penitus expiata: & tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia ſuſtinet... Huic numero ſolus Pictavienſis Comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana ſpiritualium non attingens, ob repulſam petitionis illicitæ mancipatus errori.* Hi Anacleti fautores. *Partem vero noſtram*, inquit Arnulfus, *omnis imperator, omnis rex, omnis princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Chriſtiani nominis inſignitur honore.* Sed *horum in hoc mihi conſenſus præcipuus eſt, horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei, quorum in cælis eſſe jam ex parte converſatio perhibetur: quales re vera ſunt, qui Cartuſiæ perpetuas nives inhabitant; & qui à Ciſtercienſi vel Cluniacenſi monaſterio profluentes, lucis ſuæ radios undique diffuderunt.* Hæc Arnulfus in Girardum, quem tamen alii nonnulli laudant: ſed Arnulfi prævalere debet auctoritas. *Nihil enim ſcripſi*, inquit, *quod non vel ipſe cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod ſaltem fama publica non affirmet.* De eo plura in fuſioribus Notis ad epiſtolam CXXVI. Interea moritur Girardus anno MCXXXVI. Tunc Gaufridus Carnotenſis epiſcopus mandato Innocentii *omnem Galliæ regionem, ipſius quoque Aquitaniæ, ſtudioſe circuiens, omnia ſanctarum eccleſiarum altaria, quæ vel Girardus ille ſeditionis auctor & obtentor, vel Gilo Tuſculanenſis epiſcopus, aut eorum complices, chriſmalis unctionis benedictione ſchiſmatis tempore conſecraverant, propriis manibus diſſipavit*, ut legitur in Chronici Mauriniacenſis lib. III. Sed diutius his immoramur. Plura qui de Innocentii & Anacleti profeſſione, vita & moribus ſcire voluerit, legat Arnulfi tractatum mox laudatum. Paſchalis ſecundi litteræ de legatione Girardo commiſſa exſtant in Spicilegii tomo tertio: Synodus Loſdunenſis ſub eo habita anno MCIX: tomo quarto.

XLVII. Per funeſta ac diuturna ſchiſmatis illius tempora quantos Bernardus labores ſuſtinuerit, quot itinera confecerit, ex ejus Vita & epiſtolis (ut jam dixi-

mus) intelligitur. Hujus rei cauſa ter in Italiam profectus eſt, ejuſque tandem opera ſchiſma compreſſum, mortuo Anacleto anno MCXXXVIII. cui ſchiſmatici Victorem antipapam ſubſtituerunt, *non tam pertinacia ſchiſmatis, quàm ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur.* Et re quidem ipſa Victor *ad virum ſanctum*, id eſt Bernardum, *nocte ſe contulit; & ille eum, nudatum quidem uſurpatis inſignibus, ad domini Innocentii pedes adduxit.* Et hic funeſti ac diuturni ſchiſmatis finis. *Vit. l. 2. num. 47.*

XLVIII. Tanti beneficii, maxime per Bernardum accepti, memor Innocentius, Ciſtercienſibus decimas ex omnibus quas habebant poſſeſſionibus propria auctoritate relaxavit, inconſultis iis, ad quos ejuſmodi decimæ pertinebant. Et hæc nova diſcidiorum cauſa, quæ non parum moleſtiæ Bernardo accerſivit. Conqueſti ſunt potiſſimum hac de re Cluniacenſes, quibus magna rei familiaris jactura ex gratuita illa Innocentii liberalitate afferebatur: eoque progreſſa eſt eorum indignatio, ut monachi Gigniacenſes vicinum ſibi Ciſtercienſium monaſterium, Miratorium dictum, ſuſque deque verterint. Totam hujus tragœdiæ hiſtoriam explicant epiſtolæ potiſſimum duæ, una Petri Venerabilis, altera S. Bernardi, quæ ſunt inter Bernardinas epiſtolæ CCXXVIII. & CCLXXXII. & Notæ noſtræ uberiores ad eaſdem. Neque vero ſtatim exſtincta eſt lis illa, ſed proceſſu temporis ad alias etiam regiones permanavit.

XLIX. Id patet ex epiſtola LXXXII. quam Richardi archiepiſcopi Cantuarienſis nomine, Petrus Bleſenſis *Abbati & conventui Ciſtercienſi* ſcripſit. In ea enim epiſtola, præmiſſis Ciſtercienſium laudibus, ſubdit in uno eorum famam decolorari, quod *monachis & clericis decimas auferrent. Et quæ eſt*, ait, *hæc injurioſa immunitas, ut exempti ſitis à decimarum ſolutione, quibus obnoxiæ terræ erant, antequam veſtræ eſſent; & quæ ſolutæ ſunt hactenus, non perſonarum obtentu, ſed territorii ratione? Si in veſtram poſſeſſionem terræ devolutæ ſunt, quare in hoc periclitatur alienum jus? nam ad vos terræ, juxta communem æquitatem, cum ſuo onere tranſierunt.* Ex objecto ſibi Papæ, id eſt Innocentii, privilegio, reponit, id potuiſſe *tolerari ad tempus, quod cauſa neceſſitatis fuerat introductum: dum* ſcilicet Ciſtercienſis *Ordo in paupertate gaudebat, dum in uſus egentium ſuæ tenuitatis viſcera liberaliter effundebat.* Verum, multiplicatis poſſeſſionibus *etiam in immenſum, privilegia hæc potius ambitionis, quàm religionis inſtrumenta cenſeri.* Ceterum *quicquid indulgeant privilegia Romanæ eccleſiæ, non expedire, contra conſcientiam quod alienum eſt uſurpare.* Ad extremum, ſi pertinaces & inflexibiles hac in re ſe exhibebunt, interminatur Richardus, ſe *vinculo anathematis innodaturum univerſos*, qui aliquid Ciſtercienſibus dederint, aut vendiderint, *unde jus decimationis obveniat*; & ad thronum ſummi Judicis appellaturum, *ne quis hujus vinculum excommunicationis abſolvat.* Quin etiam ſe Principum favorem obtenturum, *ut gladio ſpirituali manus civilis aſſiſtat; & quicquid contra principale oraculum, venditum, aut donatum* ipſis Ciſtercienſibus fuerit, *confiſcetur.* Hæc ex genio Petri Bleſenſis.

L. De eadem re itidem conqueſtus eſt Gaufredus Prior Voſienſis in Chronico: *Labbe tomo 2. Bibl. p. 328.* ubi poſtquam Ciſtercienſes laudavit, quod eleemoſynas de labore ſuo multas tribuerent; quod in choro pſallerent ordinate, pluraque peragerent honeſta: in eis tamen id notat, quod ceteris terras & decimas auferrent: ad hæc quod quorumdam Sanctorum memoriam indiſcrete abraderent. Hæc auctor ille exeunte ſæculo XII. ſcribebat: quo tempore tempeſtas illa de decimarum relaxatione, ab Innocentio in gratiam Ciſtercienſium facta, nondum ſedata erat.

§. V. *De erroribus Petri Abaëlardi, & Gilberti Porretani à S. Bernardo refutatis.*

LI. Illud non parum confert ad Bernardi gloriam, quod non alios habuit adverſarios, quam homines erroneos aut hæreticos; immo non homines ipſos, ſed eorum errores. Inter errantes cenſendi ſunt in primis Petrus Abaëlardus, & Gilbertus ſeu Giſlebertus Porretanus: inter hæreticos nequiſſimus Henricus, ejuſque aſſeclæ,

ab ipſo dicti Henriciani. De duobus primis hoc loco, de Henrico ejuſque ſequacibus in proximo capite agendum.

LII. Petrus Abaëlardus vivis coloribus ſe ipſe depingit in Hiſtoria calamitatum ſuarum, eumdemque poſtea Otto Friſingenſis epiſcopus benigno penicillo expreſſit. Ejus vitæ compendium habes in noſtris fuſioribus Notis ad Bernardi epiſtolam CLXXXVII. ubi Abaëlardi defenſores ac patroni refutantur. Hic tantum ſummam eorum, quæ Bernardus contra eum geſſit, exhibere juvat: ac deinde ex ipſis ejus defenſorum verbis oſtendere, quàm iniqui ſint in veritatem, qui Abaëlardo favent præ ſancto Bernardo.

LIII. In primis obſervare licet, Abaëlardum, longe ante quam cum Bernardo quicquam commercii habuiſſet, à Conone apoſtolicæ Sedis legato provocatum fuiſſe ad concilium Sueſſione anno MCXXI. celebratum: atque in eo librum ejus de Theologia, in quo erronea capitula continebantur, flammis traditum fuiſſe, auctore in monaſterium ſancti Medardi retruſo. Inde vero egreſſus, per varios hinc inde diſcurſus, prima ſua dogmata diſſeminare pergit. Hinc hæreticus audit apud pleroſque. quod nomen graviter ferens, Bernardum, quem hujuſce convicii auctorem exiſtimabat, ad concilium Senonenſe anno MCXL. invitum ac renitentem pertraxit. Hic coram epiſcopis & aliis ſecundi ordinis illuſtribus viris iterum auditus Abaëlardus ipſe, atque à Bernardo confutatus; examinata, iterumque proſcripta ejus doctrina, intacto auctore, qui ad Sedem apoſtolicam appellavit. Verum intellecto, Synodi ſententiam ab Innocentio ſecundo fuiſſe approbatam; ab appellatione deſtitit, atque hortante Petro Venerabili in Cluniacenſe monaſterium ſe recepit, & tandem apud Cabilonem in cœnobio S. Marcelli laudabili fine quievit.

LIV. Varias Bernardus contra Abaëlardum epiſtolas ſcripſit, quarum præcipua eſt ad Innocentium epiſtola CXC. quæ inter Opuſcula undecimo loco relata eſt. In hac epiſtola Bernardus præcipua errorum capita, quæ in Abaëlardi ſcriptis animadverſa fuerant, ſummatim refert, ac valide revincit. In hac editione eidem epiſtolæ ſeu opuſculo ex codice Vaticano præmittimus XIV. capitula ex Abaëlardi ſcriptis à Bernardo excerpta, quæ una cum dicta epiſtola Innocentio ſubmiſſa ſunt. De tota hac controverſia fuſe agemus in Admonitione eidem Opuſculo XI. præmiſſa. Hic tantum quædam de Abaëlardi defenſoribus delibamus.

LV. Primus adducitur Abaëlardus ipſe, qui in Apologia ſua conqueritur, ſibi quædam *per malitiam* impoſita fuiſſe: in primis quod *Pater ſit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus-ſanctus nulla potentia.* quæ verba *non tam hæretica, quam diabolica* abhorret, nec in ſuis ſcriptis poſſe reperiri affirmat. Verum de hoc, aliiſque capitulis agendum in Obſervationibus ad Bernardi Opuſculum XI. Interim in eadem Apologia ſua fatetur Abaëlardus, ſe aliqua ſcripſiſſe *per errorem, quæ non oportuit*; at *nil per malitiam, aut per ſuperbiam*: additque, ſe, ſi qua per multiloquium exceſſit, paratum ſemper eſſe *ad ſatisfactionem de male dictis* ſuis *corrigendis ſive delendis*: ac demum ſe Eccleſiæ filium, *cuncta quæ recipit recipere, quæ vero reſpuit reſpuere.* Bene. Nolumus Abaëlardum hæreticum: ſufficit pro Bernardi cauſa eum fuiſſe in quibuſdam errantem. quod Abaëlardus ipſe non diffitetur.

Otto Friſ. lib. 1. c. 47. LVI. Quid vero contra ſanctum Doctorem, aut pro Abaëlardo Otto Friſingenſis? Nimirum Bernardum *ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypum, & ex habituali manſuetudine credulum: adeo ut magiſtros, qui humanis rationibus & ſæculari ſapientiæ confidenter nimium inhærebant, abhorreret, & ſi quicquam ei chriſtianæ fidei abſonum de talibus diceretur, facile aurem præberet.* Verum hæc ipſa in ſancti Doctoris gloriam cedunt: cùm nihil magis ad Doctorem catholicum pertineat, quàm ejuſmodi homines, philoſophicis ratiunculis plus juſto tribuentes, maxime ubi nova cudunt vocabula, quæ in errorem inducere poſſunt incautos, quam primum reprimere. *Porro*, ut cum Guillelmo loquar, *ſi nimietas in eo reprehenditur ſancti fervoris; habet certe apud pias mentes exceſſus iſte reverentiam ſuam... Felix cui ſolum reputatur ad culpam, quod ceteri ſibi ſolent præſumere ad gloriam.* Verum Otto ipſe, quantumvis Abaëlardo

Vita lib. 1. num. 41.

ſavens, fatetur tamen, ipſum tres ſanctæ Trinitatis perſonas *nimis attenuaſſe, non bonis uſum exemplis;* atque ob hoc apud Sueſſionem in provinciali ſynodo, *Sabellianum hæreticum judicatum.* Quid ergo mirum, ſi eadem iterum recantans, male audit apud ſanæ Fidei amatores?

LVII. De Berengario Pictavienſi, qui Apologiam pro Abaëlardo præceptore ſuo contra Synodum Senonenſem & Bernardum ſcripſit, non eſt quod multum curemus: tum quia homo flocci fuit ac nullius auctoritatis: tum quia idem, ad ſaniorem mentem reverſus, noluit amplius eſſe *patronus capitulorum objectorum Abaëlardo, quia etſi ſanum ſaperent, non* tamen *ſane ſonabant:* librum ſuum ſuppreſſurus, ſi potuiſſet, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Epiſcopum Mimatenſem. Ceterum etſi Abaëlardi opera, in quibus errata ſua reſperſerat, modo non habeamus omnia; in iis tamen quæ reſtant, multa ſunt *ſalebroſa*, ut notarunt Theologi Pariſienſes, qui *ſingulis periculoſioribus dictis amuletum* in limine ejus Operum adhibuerunt: ex quibus optandum quidem eſſet, ut Præfatio apologetica expungeretur. Sed de Abaëlardo ſatis.

LVIII. Non minorem Bernardo invidiam conflavit Gilberti Porretani epiſcopi Pictavienſis damnatio, quàm Abaëlardi. Is *Pictavis oriundus*, ait Otto Friſingenſis, *Otto lib. 1. de Frid. c. 46.* ex diſcipulo magiſter, ex magiſtro tandem ejuſdem civitatis epiſcopus evaſit. *Ab adoleſcentia magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubjiciens, magiſque illorum ponderi, quàm ſuo credens ingenio, non levem ab eis, ſed gravem doctrinam hauſerat*, cum ſcientiæ laude morum gravitate conjuncta. Magiſtri illi fuerunt *primo Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad ultimum Anſelmus & Radulfus Laudunenſes, germani fratres.* Hilarium hunc non alium eſſe exiſtimo ab illo magno Hilario Pictavienſi epiſcopo, cujus auctoritate Gilbertus abutebatur, teſte Gaufrido. Bernardus Carnotenſis non aliunde, quàm ex Ottonis teſtimonio mihi notus: Radulfus Laudunenſis ex Guiberto & Hermanno Laudunenſi monacho, & ex Gaufrido S. Bernardi notario* notiſſimus, uti & Anſelmus ejus frater, Laudunenſis eccleſiæ decanus. Commentarios in Pſalmos & in Pauli Epiſtolas, atque in Boëtium dum condit Gilbertus, ** Vide hic tomo 6 col. 1338.* nonnulla ſecus quam licebat de divinitate, aliiſque religionis capitibus philoſophatur. *Erant inter cetera, quæ illi objiciebantur, de divina majeſtate*, ait Otto, *quatuor capitula*, *Ibid c. 50.* nempe, *Divinam eſſentiam non eſſe Deum: Proprietates perſonarum non eſſe ipſas perſonas: Theologicas perſonas in nulla prædicari propoſitione: Divinam naturam non eſſe incarnatam.* Hæc clarius in conſequentibus exponemus. *Minora* capitula item alia jactitabat, videlicet, *Nullum mereri præter Chriſtum: Nullum baptizari niſi ſalvandum*, & alia id genus, quæ Gaufridus commemorat.

LIX. Cum vero in frequenti ſuorum clericorum conventu ſermonem habuiſſet epiſcopus, eoſdemque errores diſſeminaſſet; duo ejus archidiaconi, Arnaldus & Calo, rem ad Eugenium tertium, tunc ad Gallias venientem, apud Senas in Tuſcia deferunt. Pontifex cauſæ examen in Gallias remittit. Archidiaconi interim Bernardum in partes ſuas pertrahunt. Examen factum Autiſiodori & Pariſiis, judicium prolatum in concilio Remenſi anni MCXLVIII. Quid in ſingulis conventibus actum ſit, paucis Otto commemorat, pluribus Gaufridus Bernardi notarius, qui & opuſculum de rebus in concilio Remenſi hac de re geſtis, & poſt annos inde quadraginta epiſtolam ſcripſit ad Henricum cardinalem epiſcopum Albanenſem. Utramque ſcriptionem hic habes in fine tomi ſexti.

LX. De conventu Autiſiodorenſi, qui ab uno memoratur Ottone, nihil ſingulare comperimus: ſed contra non pauca de Pariſienſi. Habitum fuiſſe *in ſollemnitate paſchali* tradit Gaufridus, ac proinde anno MCXLVII. quandoquidem concilium Remenſe *mediana Quadrageſima* anni ſequentis fuit celebratum, ex Ottone, & quidem XI. *Kal. Aprilis*, ex Appendice ad Sigebertum. Itaque coram Pontifice apud Pariſios coram cardinalibus, epiſcopis, aliiſque venerabilibus & eruditis viris ſiſti- *Otto ibid. cap. 51.* tur Gilbertus, *de his capitulis* reſponſurus. Id actum *per aliquot dies.* Producuntur contra eum duo magiſtri, Adam de Parvo-ponte, vir ſubtilis, & Pariſienſis eccleſiæ

„ canonicus recenter factus ; & Hugo *de Campo-florido*, *cancellarius regis*, ſancte affir-
Ibid. c. 51. „ mantes, ſe aliqua eorum ex proprio ejus ore audiſſe. Interim dum hinc inde
„ multa ſibi objicerentur, inter cetera dixiſſe traditur : *Confiteor Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum; nec tamen eſſe hoc, & hoc.* Dictum indigne tulit Joſlenus Sueſſionenſis epiſcopus. Hæc prima die contigerunt. Alia die accuſatus, quod in proſa de „ Trinitate *tres perſonas tria ſingularia* vocaſſet ; Rotomagenſis archiepiſcopus (Hugo „ tertius is erat) *cauſam aggravavit*, dicens, *Deum potius debere dici unum ſingulare.* Ita fere Otto epiſcopus Friſingenſis de conventu Pariſienſi.

LXI. Paullo aliter Gaufridus de eo agit, cui ſynodum Viterbienſem in eadem cauſa habitam præmittit. Gilberti ad Pontificem delatorem unum memorat archidiaconum Arnaldum, cui cognomen tribuit *Qui-non-ridet*. In conventu vero Pariſienſi unum Gilberto adverſarium opponit Bernardum, *cui omne negotium Christi, ubi-„ cumque eum contigiſſet adeſſe, tamquam omnino proprium, protinus incumbebat.* Requiſitus „ epiſcopus ut ſuam ipſius in Boëtium expoſitionem, in qua ſuſpecta continebantur ca-„ pitula, proferret : *ad manus ſe non habere reſpondit.* Negabat autem Epiſcopus, do-„ cuiſſe vel credidiſſe aliquando ſe, vel litteris commendaſſe, *quod divinitas non eſſet* „ *Deus* &c. Huc teſtes producebat è diſcipulis ſuis potiſſimum duos, Rotoldum ſcilicet „ Ebroïcenſem epiſcopum, poſtea Rotomagenſem ; & magiſtrum Ivonem Carnoten-„ ſem, alium ſine dubio ab illuſtri illo Ivone epiſcopo Carnotenſi. Exiſtimo hunc eſſe magiſtrum Ivonem, canonicum regularem abbatiæ S. Victoris apud Pariſios, deinde cardinalem ab Innocentio II. creatum, ad quem Bernardi epiſtola CXCIII. In his altercationibus Pontifex jubet, prædictum librum afferri ad futurum concilium, *quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat* : tametſi dilatum eſt in mediam Quadrageſimam anni inſequentis, ſed intra unum annum à conventu Pariſienſi, quem in feſto paſchali præcedente habitum diximus.

„ LXII. Interim miſſam ab auctore expoſitionem in Boëtium Godeſcalcus, tunc „ in Monte ſancti Eligii prope Atrebates abbas, poſtmodum ejuſdem urbis epiſcopus, „ Eugenii mandato examinat, & ex ea capitula ſuſpecta elicit, atque ex libris ſancto-„ rum Patrum auctoritates ipſis contrarias notat. Plura in Gilberti vitam & doctrinam „ attuliſſet Albericus Oſtienſis epiſcopus & in Aquitania legatus, niſi eum paullo ante „ mors præmatura è medio ſuſtuliſſet. Demum in concilio Remenſi *ventum eſt ad diſcuſ-„ ſionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godeſcalcus notaverat : ſed quia ipſe nimis erat elin-„ guis, liber ille cum ſanctorum teſtimoniis ei contrariis à domino Papa traditus eſt ſancto* „ *Bernardo.* Concilium conſtabat ex *quatuor regnorum epiſcopis, Galliæ, Germaniæ, An-„ gliæ, & Hiſpaniæ.* In his *aderant viri magni*, nec mediocriter litterati, Gaufredus „ de Oratorio Burdigalenſis archiepiſcopus, cujus ſuffraganeus erat Gilbertus ; Milo „ Morinorum epiſcopus, Joſlenus Sueſſionenſis, & Sugerius abbas ſancti Dionyſii, cui „ Francorum rex Ludovicus, Jeroſolymam proficiſcens, totius regni commiſerat ad-
Ibid. c. 55 „ miniſtrationem, & quidem, addit Otto, *juxta illius cœnobii prærogativam.* Gaufredus „ de Oratorio, etſi Gilberti doctrinam non probabat, ſed homini favebat.

„ LXIII. Prima die conſiſtorium ingreſſis, Gilbertus *magnorum voluminum corpora* „ per clericos ſuos afferri curavit, cauſatus, decurtata tantum teſtimonia ab adverſariis „ proferri. Et, *Quid neceſſe eſt*, ait Bernardus, *circa hujuſmodi verba diutius immorari ?* „ *Non aliunde procedit ſcandali hujus origo, niſi quod plures credere vos credunt, & docere,* „ *quod divina eſſentia vel natura, divinitas ejus, ſapientia, bonitas, magnitudo, non eſt* „ *Deus, ſed eſt forma, qua eſt Deus. Hoc ſi creditis, palam dicite : aut negate.* Ille auſus eſt „ dicere, formam hanc Deum non eſſe. Tum Bernardus : *Ecce, ait, tenemus quod quæ-„ rebamus : ſcribatur iſta confeſſio.* Ita præcepit ſummus Pontifex ; & domnus Henricus „ Piſanus, tunc Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus, futurus poſtea Clara-vallenſis mona-„ chus, & ex abbate ſancti Anaſtaſii ſanctorum Nerei & Achillei preſbyter cardina-„ lis, ad ejus mandatum perrexit & attulit chartam, calamum, & incauſtum. Cum „ autem ſcriberet iſtam confeſſionem : *Et vos*, inſit ad Bernardum Gilbertus, *ſcribite,* „ *quod divinitas eſt Deus.* Ad hoc Bernardus : *Scribatur*, inquit, *ſtilo ferreo in ungue adamantino.*

adamantino. Cum multis ultro, citroque diſputatum eſſet, dixerunt cardinales, ſe » deinceps rem definituros. Commoti hoc dicto epiſcopi; quod cardinales ſibi ſolis » cauſæ definitionem reſervarent, Bernardum interpellant, ut Gilberti capitulis alia » contraria cum ſymbolo fidei conderentur: ne (quod Gilberti plurimi ex cardinali- » bus fautores volebant) re infecta concilium ſolveretur. Itaque Bernardus id præſtitit: » tumque Epiſcopi confeſſionem ab ſe ſubſcriptam per Hugonem Autiſiodorenſem, » Milonem Morinenſem epiſcopos, ac Sugerium abbatem Pontifici obtulerunt con- » firmandam; id quod facile obtinuerunt. Vocatus demum in conventum Gilber- » tus, *in inſigni palatio, cui nomen eſt Tau*, (ſic Remenſis archiepiſcopi ædes appella- » bantur ob formam græci elementi) *capitulis ſingulis* à ſe prolatis *libere renuntiavit*; » eademque Pontifex damnavit cum libro auctoris, diſtricte præcipiens, ne eumdem » librum legere, vel tranſſcribere quis auderet, *niſi prius eum Romana eccleſia correxiſſet.* » Dicente Gilberto, ſe ad nutum Pontificis correcturum; Pontifex negavit. Hæc car- » ptim ex Gaufrido.

LXIV. Quædam ſingularia habet Otto, quædam item à Gaufrido diſcrepantia. *Otto cap. 56.* Et primo quidem tradit, Gilberti examen *finita ſynodo, & promulgatis decretis* initum fuiſſe: tum *decurſa medianæ Quadrageſimæ hebdomada, ſacroque dominicæ Paſſionis tempore inchoante*, Gilbertum in medium vocatum ad judicium. Deinde lectis ab eo orthodoxorum Patrum libris in ſui defenſionem, Eugenium tædio affectum intuliſſe; quod Gaufridus Bernardo tribuit, ſimpliciter diceret Gilbertus, *anne illam ſummam eſſentiam crederet eſſe Deum*? Hunc vero diutina collatione fatigatum, inconſiderate reſpondiſſe, *Non.* Quod dictum, mox ab ejus ore raptum notarius exceperit. Sub hæc conventu dimiſſo, totum quod ſuperfuit illius diei ſpatium cum nocte ſequente, amicis ſuis cardinalibus, quos habuit non paucos, prenſandis Gilbertum adhibuiſſe.

LXV. Die ſubſequente recitatum ipſius ſcriptum, ejuſque rationem ab Epiſcopo exactam: eum vero ita demum ſententiam ſuam expoſuiſſe, ut ſi Dei nomen pro natura ipſa ſumatur, Deum quidem eſſe concederet; ſecus ſi pro perſona: ne, ſi id *indeterminate* profiteretur, eo adduceretur, ut quicquid de qualibet perſona dicitur, & de eſſentia pariter eſſet aſſerendum: atque adeo *ſicut perſonam Filii, ita divinam eſſentiam indeterminate incarnatam, paſſamque* confiteri cogeretur. Hanc porro diſtinctionem ab eo aſſertam teſtimoniis Patrum, Theodoriti & Hilarii, atque auctoritate concilii Toletani: *quam auctoritatem cum determinare vellet Clara-vallenſis Abbas, & aliqua verba protuliſſet, quæ cardinalibus diſplicerent*; Gilbertum petiiſſe, ut id ſcriberetur: Bernardum vero, quod Gaufridus notat, reſpondiſſe: *Scribatur ſtilo ferreo, ungue adamantino.* Demum Abbatem ſanctum epiſcopos conveniſſe, ſimulque cum eis fidem ſuam contra Gilberti capitula expoſuiſſe. Quod Gallicanæ eccleſiæ factum tam graviter ſacer cardinalium ſenatus acceperit, ut hac *Ibid. cap. 57.* de re ad Pontificem conqueſti ſint, tum contra epiſcopos, tum contra Bernardum ipſum, quod *tamquam finituræ ſententiæ ultimam manum apponendo*, ipſis inconſultis, fidem ſuam ſcribere auſi fuiſſent. quæ res ad Romanam ſedem pertineret. Tandem Bernardum juſſu Pontificis, ut cardinales placaret, accerſitum, humiliter & cum reverentia reſpondiſſe: *Se, vel dominos epiſcopos nihil de præfatis capitulis diffiniſſe: ſed quia ab eodem Epiſcopo Pictavino audierat, ut fides ſua ſcriberetur; idcirco, quia ſolus nollet, illorum auctoritate ac teſtimonio ſimpliciter ſe quod ſentiret expoſuiſſe.* Quo humili ac modeſto reſponſo accepto, prædicta cardinalium indignatio conquieverit, *ita tamen ut præfatum ſcriptum, tamquam inconſulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro ſymbolo in Eccleſia non haberetur.* Atque ita *de tribus capitulis propter præmiſſam tumultuationem nihil diffiniri potuerit.* quod mirum non eſſe ait Otto, qui & addit, Gilbertum in quarto ab aliis diſcordaſſe epiſcopis, *cum illi profiterentur naturam incarnatam, ſed in Filio*: Gilbertus vero *perſonam Filii incarnatam non ſine ſua natura. De primo tantum Romanus Pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam & perſonam divideret, neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantum, ſed etiam nominativi.* Quam ſummi Pontificis ſententiam Gilbertus reverenter

exceperit, atque archidiaconis ſuis in gratiam receptis, *eum Ordinis integritate & honoris plenitudine* ad propriam diœceſim remeaverit.

LXVI. In his omnibus apparet, Ottonem Gilberto admodum faviſſe; nec proinde mirandum, quod in conſequentibus addubitet, *utrum prædictus Abbas Clara-vallenſis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tamquam homo, deceptus fuerit: vel Epiſcopus, tamquam vir litteratiſſimus, propoſitum aſtute celando, Eccleſiæ judicium evaſerit.* Verum Otto morti proximus, teſte Radevico, librum ſuum, in quo hæc Radev. lib. 1. cap. 11. ſcripſerat, ſibi afferri præcepit, & religioſis viris tradidit: *ut ſi quid pro ſententia magiſtri Gilleberti dixiſſe viſus eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigeretur.* De tota hac diſputatione merito Gaufridus lectores ad Bernardi Sermones in Cantica remittit, nempe ad Sermonem LXXX. in quo vir ſanctus, eos, qui Gilberti ſententiam propugnare pergebant, hæreticos pronuntiare non dubitat: tametſi auctoris nomini ob reſipiſcentiam parcit.

§. VI. De Henricianis, aliiſque hæreticis à Bernardo repreſſis.

LXVII. Gilbertum & Abaëlardum, qui ex perverſo philoſophiæ uſu Theologiam deformabant, ratione & auctoritate revicit Bernardus: at hæreticos factis etiam & exemplis ſuperavit. Variæ id genus peſtes varias Galliæ provincias ævo illo infeſtabant, Tanchelmus in Flandria, Petrus Bruſius in Provincia, à quo dicti Petrobruſiani; Henricus in Aquitania, alii ſine certo duce in Lotharingia & in locis Coloniæ Agrippinæ vicinis, quos ob id Colonienſes appellabimus. His omnibus Arnaldiſtas adjungere licet.

LXVIII. Tanchelmum, ejuſque ſequaces aggreſſus eſt beatus Norbertus, ut ex ejus vita conſtat; atque eorumdem *curſum & impetum retardavit* in Trajectenſi diœceſi Fridericus Colonienſis antiſtes. qua de re exſtat apud Tengnagelum epiſtola Trajectenſis eccleſiæ ad eumdem Fridericum *de Tanchelmo ſeductore*, ubi iſtius hæreſis origo & ſumma deſcribitur. Quid in Petrobruſianos egerit Petrus Venerabilis, tractatus contra illos ab eo editus docet. Bernardi in rem Chriſtianam ſtudium exercuit in primis Henriciana hæreſis, quam factis & ſcriptis ſtrenue exagitavit. Legendæ hac de re epiſtolæ CCXL. & ſubſequens, cum capite ſexto libri tertii de vita Bernardi auctore Gaufrido, quæ omnia ex aliis monumentis illuſtrare juvat.

LXIX. Henricus, quem vir ſanctus *monachum apoſtatam*, & poſt eum Gaufridus appellat, *pſeudo-eremita* vocatur in actis Epiſcoporum Cenomannenſium, tomo tertio Analectorum, ubi ejus mores & perverſi actus accurate deſcribuntur. Quo ex loco ortus ſit, non ſatis indicant hæc verba. *Per idem fere tempus*, nempe ſub Hildeberto epiſcopo, *in adjacentium finibus regionum ſurrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perverſi, dogma deteſtabile ſcorpionibus & parricidalibus dignum proteſtantur ſupplicii.* Is ſub ementito *ſanctitatis & ſcientiæ* nomine turpia flagitia exercens, omnium mortalium *exceſſus, ceteris incognitos*, ex ſolo aſpectu ſe cognoſcere jactitabat. Miſſi ad Cenomannos duo ejus diſcipuli, *die Cineris ſuburbia civitatis* attigerunt. *Gerebant ex ſui Doctoris conſuetudine baculos ac vexillum crucis, colore & exteriori converſatione habitum prætendentes pœnitentium.* Hac ſpecie deluſi Cenomanni, eos *tamquam angelos ſuſceperunt.* Eoſdem etiam *blande* excepit Hildebertus epiſcopus, qui *Romanum iter* aggreſſurus, *inter cetera ſuis injunxit archidiaconis, ut illi pſeudo-eremitæ Henrico pacificum ingreſſum & licentiam ſermocinandi ad populum permitterent.* cujus rei poſtmodum ipſum abunde pœnituit. Ex his forte quis inferat, Henricum fuiſſe ortum ex proxima Cenomannis regione, quibus primum ſuæ perverſæ doctrinæ virus propinavit. Si enim jam aliunde notus fuiſſet, eum in ſuam civitatem non tam facile admiſiſſet Hildebertus antiſtes doctus & oculatus. Verum ex longinqua regione iſtuc accedere potuit, & fortaſſe ex Italia, ut poſtea dicturi ſumus.

LXX. Henrico civitatem ingreſſo, *vulgus ſolito more applauſit novitati.* Quin etiam *plerique clericorum eidem alimenta miniſtrabant, tribunalque præparabant, unde con-*

cionator ille turbas alloqueretur, qui *mirum ad modum facundus erat.* Eo audito, *plebs in clericos verſa eſt in furorem*, eos habens *ſicut ethnicos & publicanos* : adeo ut *famulis eorum minaretur cruciatus*, *nec eis aliquid vendere*, *vel ab eis emere vellent.* Immo *non tantum eorum ædes obruere*, *& bona diſſipare*, *ſed illos lapidare*, *aut affigere patibulo decreverant*, *niſi Princeps & optimates nefandis auſibus reſtitiſſent.*

LXXI. Hoc ſerius licet comperto, clerus Cenomannenſis Henrico, ejuſque ſociis prædicationem edito libello interdixit. Quare Henricus, Hildeberti reditu intellecto, *ſeceſſit in caſtrum ſancti Carileſi*, nequaquam ab incœptis deſiſtens, ſed ad pejora prorumpens in dies. Interim cum Hildebertus, ex Romano itinere reverſus, populo benedictionem impertiri vellet, indigne habitus eſt à populo, hæretici ſermonibus corrupto. Tum ille ſeductorem adiit, ſciſcitatus, *cujus Ordinis fungeretur officio.* Hic vero ſe diaconum eſſe reſpondit. qui ex illa provincia diſcedere juſſus, *clam aufugit*, *ceteras regiones*, *niſi ocior eſſet fama*, *ſimili modo perturbaturus*, & viperino flatu ſuo infecturus. Hactenus ex actis Hildeberti.

LXXII. Inter hæc duo Henrici diſcipuli, Cyprianus & Petrus, ab ejus præſtigiis reſipuerunt, ut fidem facit encyclica Hildeberti epiſtola LXXVIII. in qua ita eorum magiſter depingitur. *Henricus is erat*, *magnus diaboli laqueus*, *& celebris armiger antichriſti. Huic & habitu religionem*, *& verbis litteraturam ſimulanti*, *tamdiu præſcripti fratres adhæſerunt*, *donec eis & turpitudo in vita*, *& error innotuit in doctrina. Ubi enim cognoverunt vias ejus vias eſſe non rectas*, *prius ad ſe reverſi ſunt*; *dehinc ad nos tranſierunt*, *cujus diœceſim ſic infecerat*, *ut renitens ei clerus vix inter pa ietes eccleſiæ ſuam tueretur libertatem.* Ita Hildebertus ſerius agnovit, quantum periculi immineat ex incauta approbatione novorum doctorum, qui ſub ſpecie pietatis animos auditorum corrumpunt.

LXXIII. Ex his patet, Henricum illum longe prius Cenomannos infeciſſe, quàm ad partes Toloſanas, unde eum expulit Bernardus, ſubiret : quippe cum Romanum iter, quod Hildebertus adhuc Cenomannenſis epiſcopus aggreſſus eſt, quo tempore infamis ille præſtigiator zizania ſua ſeminavit apud Cenomannos, contigerit ante annum MCXXV. quo anno Hildebertus in metropolim Turonicam migravit. At vero Bernardus non niſi anno MCXLVII. ad Toloſanas partes profectus eſt. Et certe in epiſtola CCXLI. quam in partibus Toloſanis conſtitutus ſcripſit ad Hildefonſum Comitem, id ſatis innuit vir ſanctus his verbis. *Inquire*, *ſi placet*, *quomodo de Lauſana civitate exierit*, *quomodo de Cenomannis*, *quomodo de Pictavi*, *quomodo de Burdegali.* Hæc quippe videtur eſſe ſeries itineris illius apoſtatæ, qui à Lauſana, deinde à Cenomannis prædicandi exordium ſumſit. Et fortaſſe Lauſanam venerat ex Italia, ex qua ejuſmodi fæces in partes Gallicanas tranſmigrarunt, reliquiæ Manichæorum, uti & illi Cameracenſes hæretici ex Italia advecti, qui anno MCXXV. damnati ſunt in ſynodo Atrebatenſi, quo etiam tempore ſimiles ejuſmodi peſtes apud Aurelianos igni perierunt. Et quidem Henricianos appellat Manichæos Exordium Ciſtercienſe in libro VII. de vita S. Bernardi cap. XVII. ubi legatus Papæ, aliique epiſcopi, *pro confutanda hæreſi Manichæorum*, ad partes Toloſanas cum viro ſancto acceſſiſſe memorantur. Jam vero quo pacto ejuſmodi hæreticis, eorumque ſequacibus, Manichæorum nomen & errores competant, illuſtriſſimus Meldorum Epiſcopus in eximio opere ſuo, quod de variationibus hæreticorum ſcripſit, luculenter oſtendit libro XI.

LXXIV. Iidem Henriciani hæretici in Petrocorios effuſi, Pontio duce & anteſignano, uti docet Heriberti epiſtola in tomo tertio noſtrorum Analectorum: ubi peculiaria Pontianorum illorum commenta referuntur. Inde eſt, quod Bernardus ad Petrocorios ſeu Petragoricos populos ſe contulit, ut patet ex tertia parte libri VI. qui eſt de ejus miraculis, num. 4. ubi Arianos plurimos apud Tolotates inveniſſe, eoſque, uti & Henricum hæreticum, fugaſſe memoratur. Quin etiam idem Henricus, in Piſano Concilio antea damnatus, & Bernardo, ut monachus in Clara-valle fieret, commiſſus dicitur. Verum ille acceptis à Bernardo ad Claræ-vallenſes litteris,

in ſuſcepto ſemel errore obfirmate perſiſtere maluit, quàm ad ſalutis viam hoc compendio redire.

LXXV. Henricum vivis coloribus depingit Bernardus in prædicta epiſtola CCXLI. ubi eum litteratum, ſpeciem habentem pietatis, ſed aleis & meretricibus deditum ſcribit. Impia ejus dogmata hæc fere commemorat. Sacerdotum & clericorum reſpectus nullus; Sacramentorum atque feſtorum abolitio; baptiſmus parvulis negatus. Alterius claſſis erat apud Hildebertum in epiſtola LI. hæreticus ille, qui Sanctorum interceſſiones rejiciebat, ipſum Hildebertum in ſuæ ſectæ patrocinium traducere perperam conatus. An vero iidem cum Henricianis fuerint hæretici illi, quos Bernardus in Sermonibus LXV. & LXVI. ſuper Cantica impugnat, modo inquirendum.

LXXVI. Et quidem non alios fuiſſe aliquando mihi fuit perſuaſum: at reperta Evervini abbatis Steinfeldenſis epiſtola, quæ prædictis Sermonibus occaſionem dedit, mutanda eſt ſententia. Colonienſes quippe fuerunt iſti hæretici, in nonnullis quidem conſentientes cum Henricianis, ſed ab his in multis diſcrepantes. Colonienſes in duas claſſes diſtinguit Evervinus. Uni dicebant, Eccleſiam apud ſe tantum eſſe, quaſi ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhærerent. In cibis vetabant lactis uſum, & quidquid inde conficitur. In ſacramentis ſuis velo ſe tegebant, & quotidie cibum & potum ſuum in Chriſti corpus & ſanguinem ſe conſecrare aſſerebant: ceteros in ſacramentis procul à veritate abeſſe. Præter baptiſmum aquæ, alium admittebant in igne & ſpiritu per ſolam manuum impoſitionem. Baptiſmum vero noſtrum cum nuptiis reſpuebant. Denique aiebant, quemlibet è ſuis Electum ſeu baptizatum habere poteſtatem alios, qui digni fuiſſent, baptizandi; & in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conficiendi.

LXXVII. Alii vero ſacerdotibus Eccleſiæ, utpote ſæculari more viventibus, conſecrandi poteſtatem abjudicabant, aliaque ſacramenta conferendi, excepto baptiſmo, quem ſolis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud, quod inter virgines maſculum & feminam contrahitur, fornicationem reputabant. Poſtremo ſuffragia Sanctorum, jejunia, ceteraſque corporis macerationes reſpuebant, uti & purgatorium, & ſuffragia pro mortuis.

LXXVIII. Itaque Henricianis & Colonienſibus hæreticis communis fuit genius, odium in Eccleſiæ miniſtros, ſacramenta, baptiſmum parvulorum, & nuptias: pauca peculiaria, quæ non ſectæ genus, ſed quamdam tantum capitum diverſitatem arguunt. Uno verbo, diverſi fuerunt rami, ſed ex eadem radice prodeuntes. Nec dubitem, Colonienſes illos hæreticos ex Tanchelmi officina prodiiſſe. Is *laïcus in Flandria*, teſte Abaëlardo, maxime apud Antverpiam, errores ſuos diſſeminans, *in* Abaëlard. pag. 1066. *tantam ſe erexit dementiam, ut ſe Dei Filium vocitari, & à ſeducto populo, ut dicitur, templum ædificari ſibi faceret.* Ob id Antverpiæ in eccleſia ſancti Michaëlis ab epiſcopo Tornacenſi, cujus ditioni tunc locus ſubjacebat, inſtitutus eſt cœtus duodecim clericorum, qui ſe impiis dogmatibus opponerent: quæ eccleſia poſtmodum ſancto Norberto tradita eſt. Quæ fuerint Tanchelmi perverſa dogmata, diſcimus ex epiſtola Trajectenſis eccleſiæ ad Fridericum antiſtitem Colonienſem *de Tanchelmo ſeductore*. Is quippe aiebat, *eccleſias Dei lupanaria eſſe reputanda; nihil eſſe quod ſacerdotum officio in menſa dominica conficeretur; pollutiones, non ſacramenta nominanda: ex meritis & ſanctitate miniſtrorum virtutem ſacramentis accedere.* quæ omnia bellè præmiſſorum hæreticorum deliriis conveniunt. Preſbyter quidam, Evervacherus nomine, *à ſacerdotali dignitate apoſtatans, nefandi hominis magiſterio adhæſit, & illum Romam profecutus* eſt, idemque poſtea multa damna intulit eccleſiæ Trajectenſi. Porro Friderico gratias agit clerus Trajectenſis, quod Tanchelmi *curſum & impetum retardavit.* Ex quo intelligitur, ejus errores uſque in Trajectenſem, immo & in Colonienſem (ut ex Evervini epiſtola patet) diœceſim penetraſſe, atque ab eodem auctore Colonienſes illos hæreticos ortos fuiſſe.

LXXIX. Hugo Metellus, tunc apud Tullum-Leucorum canonicus regularis,

teſtis eſt in epiſtola ad Henricum ejuſdem urbis epiſcopum, ejuſmodi peſtes in ſolum Tullenſe irrepſiſſe. *Latent in epiſcopatu tuo*, inquit, *immo jam apparent peſtilentes homines, qui veriori nomine beſtiæ appellari poſſunt, quia beſtialiter vivunt. Conjugium enim deteſtantur, baptiſmum abominantur, ſacramenta Eccleſiæ derident, nomen Chriſtianum abhorrent.* Hæc ſine dubio Colonienſium hæreticorum infeſta & infauſta ſoboles erat.

LXXX. Henricianis ſucceſſere, ſeu acceſſere ejuſdem farinæ homines, qui ſe Catharos, id eſt ſolos mundos, jactitabant: quorum errores, qui Mediolani quondam eorum magiſter fuerat, Bonacurſus detexit, confutavitque libro edito, in Spicilegii tomo XIII. ex quo eos Manichæorum erroribus, uti & ſuperiores illos, infectos fuiſſe manifeſtum eſt. Catharos inſectari videtur Gillebertus de Hoilandia in Sermone XXXVI. in Cantica num. 6. *Erumpunt*, inquit, *his diebus ligna quædam, quæ non plantavit Pater cæleſtis; ligna, quæ non ſunt plantata ex Libano noſtro. Fortitudinem prætendunt operis, injuriarum inſenſibilitatem, parſimoniæ tolerantiam. Cedrina videntur, ſed Libani non ſunt: quia immunda eſt eorum mens & conſcientia.* Adverſus Catharos item exſtant Sermones Ecberti abbatis Schonaugienſis.

LXXXI. Paſſagios & Arnaldiſtas Catharis adjungit Bonacurſus: quorum illi Moſaïcæ legis ritus omnes obſervandos eſſe dicebant, Filii & Spiritus-ſancti æqualitatem negantes, & Eccleſiæ univerſæ Doctores omnes, Romanæque in primis auctoritatem abjicientes: hi vero, id eſt Arnaldiſtæ, *pro malitia clericorum ſacramenta Eccleſiæ eſſe vitanda* cenſebant.

LXXXII. Ita dictos exiſtimo ab Arnaldo illo factioſo homine, qui ſpecie libertatis ac reipublicæ in Urbe reſtituendæ, omnia Pontifici temporalia jura abrogari volebat, ſola ſacrorum poteſtate eum decimis & oblationibus ipſi relicta. Is ex Italiæ civitate Brixia oriundus, ejuſdemque eccleſiæ clericus, Petrum Abaëlardum præceptorem habuerat, ſingularitatis amator, teſtante Ottone Friſingenſi, *Otto lib. 2. de Frid. cap. 20.* novitatis cupidus, qui à Gallicano ſtudio in Italiam reverſus, religioſum habitum, quo melius incautos deciperet, induit, monachorum nihilo minus oſor, & maxime clericorum; ſed laïcorum adulator. *Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſalvari poſſe: cuncta hæc Principis eſſe. Præter hæc de Sacramento altaris, de baptiſmo parvulorum non ſane dicitur ſenſiſſe.* Atque adeo Petrobuſianorum & Henricianorum erroribus affrictus erat. Innocentius II. hominem ex Italia fugavit, & Turegum * apud Helvetos ſecedere ** Zurich.* compulit. Comperta morte Innocentii, circa principia pontificatus Eugenii Romam ingreſſus, cum eam in Pontificem commotam vidiſſet, ſeditionis ignem excitavit. Res vero eo tandem progreſſa eſt, ut cardinales male habiti, pars etiam ſauciati; ipſe Eugenius Urbe pulſus ſit. Pontificis cauſam tuendam ſuſcepit Bernardus, ſcripſitque egregiam hac de re epiſtolam ad Romanos, quæ eſt CCXLII. Ei ſuccedit alia ejuſdem argumenti ad Conradum regem Romanorum, quem litteris ſuis, ab Ottone relatis, Romani ad ſuas partes pertrahere fruſtra moliti ſunt. Sic nulli eccleſiæ negotio, nulli neceſſitati deerat vir ſanctus, qui ad communem reipublicæ *Idem lib. 1. cap. 29.* Chriſtianæ utilitatem natus erat. Ad extremum Arnaldus comprehenſus, atque à præfecto Urbis, cui tantopere aſſentatus fuerat, ligno adactus eſt, cadavere in favillas redacto, *ne à ſtolida plebe corpus ejus venerationi haberetur.* Plura de eo vide ſis apud Ottonem, & ex eo in Notis ad Bernardi epiſtolam CXCV.

§. VII. *De expeditionis ſacræ prædicatione per S. Bernardum facta, ejuſque infelici ſucceſſu.*

LXXXIII. INter extremos Bernardi labores cenſenda eſt prædicatio ſacræ expeditionis in terram ſanctam: quæ res quantum ſudoris, quantum moleſtiæ ipſi attulerit, ex ejus vita & ſcriptis facile intelligere licet. Hujus expeditionis occaſio, ut ex Ottone Friſingenſi diſcimus, nata eſt per Ludovicum Juniorem *Otto l. 1. de Frid. c. 34. & ſeqq.* Francorum regem; qui ad loca ſacra pergendi deſiderio preſſus, quod germanus

ſuus Philippus, *eodem voto adſtrictus*, morte intercedente exſequi non potuerat, conſilium ſuum regni principibus aperit. Hi Bernardum conſulendum decernunt. Accerſitus Abbas ſanctus, tanti momenti negotium *ad Romani Pontificis examen referendum* cenſet. Id magnopere laudavit probavitque Eugenius, *auctoritate prædicandi, animoſque cunctorum ad hoc commovendi prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut propheta vel apoſtolus habebatur, conceſſa.* Paret tandem apoſtolicis litteris Bernardus, *& excitatis ad tranſmarinam expeditionem multorum animis*, Ludovicum regem apud Vizeliacum cruce ſignat *cum Theodorico Flandrenſi, & Henrico Theobaldi Bleſenſis filio, Comitibus*, aliiſque Baronibus & nobilibus.

LXXXIV. Interim Radulfus quidam monachus crucem itidem dum in Germania prædicat, Chriſtianos in Judæorum necem accendit. Hominem litteris repreſſit Bernardus, atque ipſemet ſacræ expeditionis prædicationem aggreſſus eſt in orientali Francorum regno, hoc eſt in ea Germaniæ regione, quæ ad Rhenum ſita eſt. Hinc Conradus imperator generalem conventum Spiræ indixit: quo Bernardus profectus, *Principi cum Friderico fratris ſui filio, aliiſque principibus & viris illuſtribus crucem ſumere perſuaſit, plurima in publico vel occulto faciendo miracula.* Fridericum Sueviæ ducem, qui filium ſuum cruce ſignatum indigne ferebat, Bernardus emollivit; Radulfum monachum in clauſtrum ſuum retrudi juſſit; & loco ſui Adamum Eberacenſem abbatem Conrado, in Bajoariam pergenti, ad urgendum itineris negotium dedit ſocium. Extſtat Bernardi hac de re epiſtola ad Francos Orientales, quæ modo eſt ordine CCCLXIII. quam proxime ſubſequitur alia ad Henricum archiepiſcopum Moguntinum ad reprimendum Radulfum. *Igitur non ſolum ex Romano imperio*, ait Otto, *ſed etiam ex vicinis regnis, id eſt occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad ſumendam crucem commotis, repente ſic totus pæne Occidens ſiluit, ut non ſolum bella movere, ſed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.*

LXXXV. Tanta porro totius Occidentis commotio Bernardi prædicationi tributa eſt: verum cum hæc expeditio non bene pro votis ſucceſſiſſet, tota etiam mali eventus invidia in eum rejecta, pro communi more mortalium, qui ex eventis res æſtimare ſolent. Neque fere ulla alia res fuit, quæ Bernardi animum majori dolore affecerit, quàm iſta, non tam ſui, quàm Dei cauſa. Unde ipſe initio libri ſecundi de Conſideratione: *Si neceſſe ſit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum eſſe. Bonum mihi, ſi dignetur me uti pro clypeo. Libens in me recipio detrahentium linguas maledicas* &c. Adeo porro omnium fere animi hoc eventu turbati ſunt, ut ſanctus Doctor beatum pronuntiet eum, *qui non fuiſſet ſcandalizatus in eo.* Quanta denique fuerit Bernardi ſuper hoc triſtitia, patet tum ex epiſtola CCLXXXVIII. quam in lecto, forſan ex animi ægritudine, decumbens hac de re ſcripſit: tum ex epiſtola Johannis abbatis Caſæ-Marii ad Bernardum ipſum, quæ modo eſt inter Bernardinas CCCLXXXVI. in qua virum ſanctum, quem ob ſiniſtrum expeditionis eventum audierat afflictum, conſolatur.

LXXXVI. Non defuere tamen, qui Bernardi partes defendendas ſuſceperint: quos inter non ultimo loco numerandus eſt Otto epiſcopus Friſingenſis, Bernardo non admodum favere ſolitus. Is in libro de geſtis Friderici cap. LX. excurſum facit ad excuſandum eventum illius expeditionis, cui & ipſe interfuit. In fine excurſus philoſophici potius quàm hiſtorici, ita concludit in gratiam Bernardi. *Quamvis ſi dicamus, ſanctum illum Abbatem ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam laſciviamque noſtram ſalubria mandata non obſervantes, merito rerum perſonarumque diſpendium reportaſſe, non ſit ab antiquis rationibus vel exemplis diſſonum.* Unum tamen addit, nempe *ſpiritum prophetarum non ſemper ſubeſſe prophetis*: ut nempe innuat incertum eſſe, an Bernardus ex ſpiritu divino de hac expeditione, ejuſque eventu conjecerit.

LXXXVII. Attamen Bernardus ipſe initio libri ſecundi de Conſideratione ad Eugenium, ubi factum à calumnia tuetur, ſe ad id divinitus impulſum eſſe non diffitetur. *Diximus, Pax, inquit, & non eſt pax: promiſimus bona, & ecce turbatio.*

Tum hæc ſubdit ad ſui defenſionem. *Quaſi vero temeritate in opere iſto, aut levitate uſi ſimus. Cucurrimus plane in eo, non quaſi in incertum, ſed jubente te, immo per te Deo.* Et inferius, objectis ſibi hominum improperiis: *Unde ſcimus, quod à Domino ſermo egreſſus ſit? Quæ ſigna tu facis, ut credamus tibi?* ita reponit Eugenium alloquens: *Non eſt quod ad iſta ipſe reſpondeam: parcendum verecundiæ meæ. Reſponde tu pro me & pro te ipſo ſecundum ea, quæ audiſti & vidiſti.* quibus verbis miracula, ab ſe in prædicationis confirmationem facta, ſine dubio modeſte inſinuat.

LXXXVIII. Verum omnium optime Gaufridus ſanctum parentem ſuum à calumnia vindicat in lib. III. de ejus vita cap. IV. Primo quod illius expeditionis primum propoſitum ab eo non ſit profectum. *Cum enim multorum jam animos permoviſſet audita neceſſitas, à Rege Francorum ſemel & iterum propter hoc expetitus, apoſtolicis etiam litteris monitus, nec ſic acquievit ſuper hoc loqui, vel conſilium dare, donec per ipſius tandem Pontificis generalem epiſtolam juſſus ab eo eſt, tamquam Romanæ eccleſiæ lingua, exponere populis atque principibus.* Deinde quod prædicandi officium, ab eo ex obedientia ſuſceptum, divinitus confirmatum ſit tot tantiſque miraculis ac ſignis, *quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret.* Denique quod ſi ex illa profectione Orientalis eccleſia liberari non meruit, certe cæleſtis meruit impleri & lætari, nempe ob eorum mortem, *qui in fructibus pænitentiæ purgatas variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt.* Et quidem hoc ipſum eſt, quod Johannes, Caſæ-Marii abbas ſanctus, ſibi ex revelatione compertum Bernardo ſignificavit.

LXXXIX. Sed quid moramur in vindicando Bernardo? cujus tanta auctoritas id jam dudum obtinuit apud omnes, etiam heterodoxos, ut ejus vita, eximia ſanctitas, & doctrina communi omnium ſuffragio & exiſtimatione ſint approbatæ.

XC. Hæc ſunt quæ præfari viſum eſt de nova hac ſancti Bernardi Operum editione: quæ ſi viris ſtudioſis accurata videbitur, gratiam habebunt ſtudiorum meorum ſociis, Domno Michaëli Germano & D. Theoderico Ruinarto, atque etiam D. Edmundo Martenio, qui operam ſuam in hanc editionem ſtrenue & peramanter impenderunt. Mihi vero hæc una ſit gratia, qui unus ſcopus fuit, ſancti Bernardi cultoribus, Eccleſiæ, & rei publicæ Chriſtianæ vel tantillum qualicumque labore meo profuiſſe.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAR grace & privilege de SA MAJESTE' donné à S. Germain en Laye le 27. jour de Mars 1677. ſigné par le Roy en ſon Conſeil DESVIEUX, regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires de Paris le 3. Septembre 1677. ſigné COUTEROT Syndic, il eſt permis au Sieur FREDERIC LEONARD Imprimeur ordinaire du Roy, d'imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé *Sancti Bernardi opera cum notis* HORSTII *&* MABILLONII, & ce durant le temps & eſpace de TRENTE ANNE'ES, & défenſes ſont faites à tous Libraires, Imprimeurs & autres, de quelque qualité qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Livre ſur les peines portées à l'Original dudit Privilege:

Et ledit Sieur LEONARD *a cedé & transporté le preſent Privilege aux Sieurs* JEAN GUIGNARD, THOMAS MOËTTE, PIERRE AUBOÜYN, & PIERRE DE LAUNAY, *Libraires à Paris.*

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos Amez & Feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Grand Conſeil, Requeſtes de noſtre Hoſtel, & de nnſtre Palais à Paris, Baillifs, Senechaux, Prevoſts, ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra: SALUT. Nôtre cher & bien Amé D. JEAN MABILLON Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur, Nous ayant remontré qu'ayant déja fait imprimer il y a quelques années *les Oeuvres de Saint Bernard Abbé de Clairvaux*, reveuës & corrigées par luy ſur pluſieurs manuſcrits, augmentées de quelques Epitres, & Traitez du meſme Saint, non encore imprimées, & collationnées ſur les Editions precedentes, où il a corrigé quantité de fautes, ſuppleé & reparé pluſieurs notables manquemens, & de fautes qui s'y trouvoient, verifié quelques Traitez fauſſement attribuez cy-devant à ce ſaint Docteur, & remis ſes vrais & legitimes Ouvrages en meilleur eſtat; & que cette edition ayant été ſi bien reçûë du public qu'il n'en reſtoit plus d'Exemplaires, il ſeroit neceſſaire d'en faire une ſeconde impreſſion, ſuivant les corrections precedentes: mais que comme il en avoit fait une nouvelle revûë ſur quelques Manuſcrits qu'il avoit recouvrez depuis, & avoit trouvé encore de nouvelles pieces, & fait des obſervations & remarques aſſez importantes pour illuſtrer encore davantage les Ouvrages de ce Pere, il ſouhaitoit de faire rimprimer le tout en plus beau papier & caractere que par le paſſé, ſi nous luy voulions accorder ſur cela nos Lettres de Privilege, pour empêcher la concurrence de ceux, qui au préjudice de tels Imprimeurs ou Libraires qu'il employeroit pour cette ſeconde Edition, voudroient entreprendre de rimprimer les Oeuvres de S. Bernard, enrrigées par luy en la maniere ſuſdite: A CES CAUSES deſirant favorablement traitter ledit Expoſant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces Preſentes de faire imprimer par tels Libraires ou Imprimeurs qu'il voudra, en tel volume & caractere qu'il jugera à propos les Oeuvres de S. Bernard en latin, revûes, corrigées & augmentées par luy en la maniere que deſſus, pour eſtre leſdits imprimez vendus & debitez dans toutes les terres & ſeigneuries de noſtre obeïſſance, & ce pendant le temps & eſpace de VINGT ANNE'ES, à compter du jour que leſdites Oeuvres ſeront achevées d'imprimer: Faiſant deffenſes à toute ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient d'imprimer, vendre ny debiter ledit Livre, ny contrefaire le titre ſous pretexte de quelques privileges accordez cy-devant pour la reimpreſſion des precedentes Editions, auſquelles nous derogeons en ce cas ſeulement, à peine de ſix mil livres d'amende, applicables un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu de noſtre bonne ville de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, avec les Exemplaires contrefaits, & de tous dépens dommages & intereſts; & s'il ſe trouve aucun de nos ſujets ſaiſi d'un ou pluſieurs Exemplaires contrefaits dedans ou dehors noſtre Royaume, ſera l'amende encouruë contre luy comme s'il l'avoit imprimé & contrefait; à la charge par l'Expoſant de mettre deux exemplaires dudit Livre en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur le Tellier Chevalier, Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. SI VOUS MANDONS & enjoignons de faire regiſtrer ces Preſentes, & du contenu en icelles joüir & uſer ledit Expoſant pleinement & paiſiblement: Voulons en outre qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre un extrait ou copie d'icelles, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées à tous qu'il appartiendra: Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Actes, Exploits, & ſaiſies neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & ſans qu'il ſoit beſoin d'autres Arreſts, CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Verſailles le ſixiéme jour d'Aouſt l'an de grace mil ſix cens quatre-vingt-deux, & de noſtre Regne le quarante-deuxiéme. Par le Roy en ſon Conſeil. BULTEAU.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le vingtiéme jour d'Aouſt mil ſix cens quatre-vingt-deux, ſuivant l'Arreſt du Parlement du huitiéme Avril mil ſix cens cinquante-trois, & celuy du Conſeil Privé du Roy du vingt-deuxiéme Février mil ſix cens ſeixante-cinq. Signé, ANGOT, Syndic.

Le R. P. Dom JEAN MABILLON a cedé le preſent Privilege aux Sieurs JEAN GUIGNARD, THOMAS MOETTE, PIERRE AUBOUYN, & PIERRE DE LAUNAY, Libraires à Paris.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois, en vertu du preſent Privilége, le quinziéme Juin mil ſix cens quatre-vingt-dix.

GENERALIS

GENERALIS DISPOSITIO
TOTIUS OPERIS.

VOLUMEN I. CONTINET QUATUOR PRIORES TOMOS,
ſeu genuina S. Bernardi Opera omnia.

TOMUS I. exhibet EPISTOLAS, numero CCCC XLIV. diſtinctas in tres claſſes.
In prima claſſe exſtant Epiſtolæ CCC X. ſub veteri ordine.
In ſecunda claſſe Epiſtolæ CVI. nimirum ad CCCC XVI. partim novæ, partim antehac editæ, ſed ordine mutato pro ratione temporis quo ſcriptæ ſunt.
In tertia claſſe ſunt Epiſtolæ reliquæ ab Epiſtola CCCC XVII. dubiæ, ſpuriæ, atque alienæ ad Bernardum ſcriptæ.
Collata ſunt Epiſtola ad tres codices Colbertinos, Ciſtercienſes duos, Corbeïenſem unum, unum item Compendienſem. Conſulti etiam codices Vaticani, Sorbonicus, Regia Navarra, Gandavenſis S. Petri, Clara-vallenſis, Vallis-clara, Aurea-vallis, &c.
TOMUS II. continet OPUSCULA numero XII. inferius recenſenda cum ſuis capitulationibus.
Collata ad codices Colbertinum, Dionyſianum, Ciſtercienſes, S. Germani, Majoris-monaſterii, Gemeticenſem, S. Theoderici Remenſis, & Compendienſem.
TOMUS III. SERMONES de Tempore, de Sanctis, ac de diverſis complectitur, quorum elenchus infra.
Collati ſunt ad codices Dionyſianos, Ciſtercienſes, Majoris-monaſterii, Alborum-mantellorum, Caleſtinorum, Fulienſium Pariſienſium.
TOMUS IV. totus conſtat ex SERMONIBUS IN CANTICA, numero LXXXVI. quorum index ac ſeries eidem tomo præmittitur.
Collati ſunt ad codices S. Germani Pariſ. Gemeticenſem, Ciſtercienſes, S. Victoris Pariſ. Caleſtinorum Pariſ. S. Theoderici Remenſ. S. Ebrulſi, &c.
TOMO IV. ſubjiciuntur FLORES ex S. Bernardo, Gloſſarium, atque CHRONOLOGIA BERNARDINA.
NOTÆ FUSIORES in S. Bernardum, cum INDICIBUS neceſſariis in volumen I. nempe Notarum, locorum ſacræ Scripturæ, rerum & verborum.

VOLUMEN II. CONTINET DUOS TOMOS POSTERIORES.

TOMUS V. continet GILLEBERTI abbatis continuationem in Cantica, & OPERA Bernardo perperam adſcripta.
TOMUS VI. ſeu Appendix GUERRICI abbatis Sermones, tum GUIGONIS Cartuſiæ Prioris quaſdam Epiſtolas; necnon varios libros de S. Bernardi vita & miraculis; denique GAUFRIDI abbatis quædam Opuſcula, cum tribus INDICIBUS, uno Scripturæ ſacræ locorum, altero rerum & verborum, tertio Vitæ & miraculorum hiſtorico.

ORDO ET SERIES
EPISTOLARUM S. BERNARDI, ET ALIORUM,
quæ in Tomo I. continentur.

PRIMA CLASSIS ORDINE NON MUTATO.

1. *AD Robertum nepotem ſuum,* col. 1
2. *Ad Fulconem puerum, qui poſtea fuit archidiaconus Langonenſis,* 8
3. *Ad canonicos regulares de Aildicurte,* 13
4. *Ad Arnoldum abbatem Morimundi,* 14
5. *Ad Adam monachum,* 16
6. *Ad Brunonem Colonienſem,* ibid.
7. *Ad Adam monachum,* 17
8. *Ad Brunonem Colonienſem electum,* 26
9. *Ad eumdem jam archiepiſcopum Colonienſem,* 27
10. *Ad eumdem,* 28
11. *Ad Guigonem priorem & ceteros Cartuſiæ majoris religioſos,* ibid.
12. *Ad eoſdem,* 33
13. *Ad dominum papam Honorium,* ibid.
14. *Ad eumdem,* 34
15. *Ad Haimericum cancellarium,* ibid.
16. *Ad Petrum Presbyterum cardinalem,* 35
17. *Ad Petrum diaconum cardinalem,* ibid.
18. *Ad eumdem,* ibid.
19. *Ad eumdem,* 38
20. *Ad Haimericum cancellarium,* ibid.
21. *Ad Matthæum legatum,* ibid.

22. *Ad Humbaldum Lugdunenſem archiepiſcopum & legatum*, 39
23. *Ad Attonem Trecenſem epiſcopum*. ibid.
24. *Ad magiſtrum Gilleberium Univerſalem, epiſcopum Londonienſem*. 41
25. *Ad Hugonem Rotomagenſem archiepiſcopum*, ibid.
26. *Ad Guidonem Lauſannenſem epiſcopum*, 42
27. *Ad Arduitionem Gebennenſem electum*, ibid.
28. *Ad eumdem jam epiſcopum*, 43
29. *Ad Stephanum Metenſem epiſcopum*, ibid.
30. *Ad Alberonem primicerium Metenſem*, 44
31. *Ad Hugonem Comitem Campaniæ, militem Templi factum*. 45
32. *Ad abbatem S. Nicaſii Remenſis*, ibid.
33. *Ad Hugonem Pontiniacenſem abbatem*. 46
34. *Ad Drogonem monachum*, 47
35. *Ad magiſtrum Hugonem Farſitum*, 48
36. *Ad eumdem*, ibid.
37. *Ad Theobaldum Comitem Campaniæ*, 49
38. *Ad eumdem unde ſupra*. 50
39. *Ad eumdem*, 51
40. *Ad eumdem*. 52
41. *Ad eumdem*. ibid.
42. *Ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum*. Vide to. 2. col. 461.
43. *Ad eumdem*, 52
44. *Ad eumdem unde ſupra*, ibid.
45. *Ad Ludovicum regem Francorum*, 53
46. *Ad dominum papam Honorium unde ſupra*, 54
47. *Ad eumdem ex perſona Gaufridi Carnotenſis epiſc*. ibid.
48. *Ad Haimericum cancellarium unde ſupra & contra obtrectatores*, 55
49. *Ad dominum papam Honorium pro Henrico Senonenſi archiepiſcopo*. 57
50. *Ad eumdem unde ſupra*, ibid.
51. *Ad Haimericum cancellarium, unde ſupra*, 58
52. *Ad eumdem*. ibid.
53. *Ad eumdem*, 59
54. *Ad eumdem*. ibid.
55. *Ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum*. ibid.
56. *Ad eumdem*, 60
57. *Ad eumdem*, ibid.
58. *Ad Ebalum Catalaunenſem epiſcopum*, 61
59. *Ad Guilencum Lingonenſem epiſcopum*, 62.
60. *Ad eumdem*. ibid.
61. *Ad Ricuinum Tullenſem epiſcopum*, 63
62. *Ad Henricum Virdunenſem epiſcopum*, ibid.
63. *Ad eumdem*. 64
64. *Ad Alexandrum Lincolnienſem epiſcopum*, ibid.
65. *Ad Alviſum abbatem Aquicincti*, 65
66. *Ad Gaufridum abbatem S. Medardi*, 67
67. *Ad Monachos Flaviacenſes*, ibid.
68. *Ad eoſdem unde ſupra*, 69
69. *Ad Guidonem abbatem de Tribus-fontibus*, 70
70. *Ad eumdem*, 72
71. *Ad Monachos ejuſdem loci*, ibid.
72. *Ad Rainaldum Fuſniacenſem abbatem*, 73
73. *Ad eumdem*, 75
74. *Ad eumdem*, 76
75. *Ad Artaldum Pruliacenſem abbatem*, ibid.
76. *Ad Abbatem canonicorum Regularium S. Petri de Monte*, 77
77. *Ad Magiſtrum Hugonem de S. Victore*, Vide tomo 2. col. 615.
78. *Ad Sugerium abbatem S. Dionyſii*. 77
79 *Ad abbatem Lucam*. 83
80. *Ad Guidonem abbatem Moliſmenſem*. 84
81. *Ad Gerardum abbatem Pultarienſem*, ibid.
82. *Ad abbatem S. Johannis Carnotenſis*, 85
83. *Ad Simonem abbatem S. Nicolai*. 86
84. *Ad eumdem*. 87
Ad Guillelmum abbatem S. Theoderici. V. To. 2. col. 325
85. *Ad eumdem Guillelmum*. 87
86. *Ad eumdem*. 89
87. *Ad Ogerium canonicum regularem*, 90
88. *Ad eumdem*, 94
89. *Ad eumdem*. 95
90. *Ad eumdem*, 96
91. *Ad Abbates Sueſſione congregatos*, 97
92. *Ad Henricum regem Anglorum*, 98
93. *Ad Henricum Wintonienſem epiſcopum*, 99
94. *Ad Abbatem cujuſdam monaſterii Eboracenſis, unde exierat Prior cum aliquantis fratribus*, ibid.
95. *Ad Turſtinum archiepiſcopum Eboracenſem*. 100
96. *Ad Richardum Fontanenſem abbatem & ſocios ejus, qui de alio Ordine ad Ciſtercienſem tranſierant*, 101
97. *Ad Ducem Conradum*, ibid.
98. *De Macchabæis, ſed ad quem ſcripta ſit ignoratur*, 102
99. *Ad Monachum quemdam*, 105
100. *Ad Epiſcopum quemdam*. ibid.
101. *Ad Religioſos*, 106
102. *Ad quemdam Abbatem*, ibid.
103. *Ad Fratrem Willelmi monachi Clara-vallenſis*, 107
104. *Ad Magiſtrum Gualterum de Calvo monte*, 108
105. *Ad Romanum Romanæ curiæ ſubdiaconum*, 109
106. *Ad Magiſtrum Henricum Murdach*, 110
107. *Ad Thomam præpoſitum de Beverla*. 111
108. *Ad Thomam de S. Audomaro poſt tranſgreſſionem promiſſionis ſuæ veniendi ad converſionem*. 115
109. *Ad illuſtrem juvenem Gaufridum de Perrona & ſocios ejus*, 117
110. *Ad parentes ejuſdem Gaufridi conſolatoria*, 118
111. *Ex perſona Eliæ monachi ad parentes ſuos*, 119
112. *Ad Gaufridum Lexovienſem*, 120
113. *Ad Sophiam virginem*. ibid.
114. *Ad alteram Sanctimonialem*, 123
115. *Ad aliam Sanctimonialem de monaſterio S. Mariæ Trecenſis*. 124
116. *Ad Ermengardem quondam Comitiſſam Britanniæ*, 125
117. *Ad eamdem*, ibid.
118. *Ad Beatricem nobilem & religioſam matronam*, 126
119. *Ad Ducem & Duciſſam Lotharingiæ*, ibid.
120. *Ad Duciſſam Lotharingiæ*, 127
121. *Ad Duciſſam Burgundiæ*. ibid.
122. *Hildeberti archiepiſcopi Turonenſis ad Bernardum abbatem*, 128
123. *Reſcriptum abbatis Bernardi ad Hildebertum Turonenſem archiepiſcopum*. 129
124. *Ad eumdem Hildebertum, qui nondum receperat Dominum Innocentium Papam*, ibid.
125. *Ad Magiſtrum Gaufridum de Loratorio*, 130
126. *Ad Epiſcopos Aquitaniæ contra Gerardum Engoliſmenſem*. 131
127. *Ad Guillelmum comitem Pictavorum Ducem Aquitaniæ, ex perſona Hugonis ducis Burgundiæ*. 137
128. *Ad eumdem*, 138
129. *Ad Jannenſes*, ibid.
130. *Ad Piſanos*, 140
131. *Ad Mediolanenſes*. ibid.
132. *Ad Clerum Mediolanenſem*, 142
133. *Ad univerſos cives Mediolanenſium*, ibid.
134. *Ad Novitios apud Mediolanum converſos*, ibid.
135. *Ad Petrum Papienſem epiſcopum*, 143
136. *Ad Innocentium papam*, ibid.
137 *Ad Imperatricem Romanorum*. 144
138. *Ad Henricum regem Anglorum*. ibid.
139. *Ad Lotharium imperatorem*, 145
140. *Ad eumdem*. ibid.
141. *Ad Humbertum abbatem Igniacenſem*, 146
142. *Ad Monachos Alpenſes*, 147
143. *Ad ſuos Clara-vallenſes*, 148
144. *Ad eoſdem*. 149
145. *Ad abbates Ciſtercii congregatos*, 150
146. *Ad Burchardum Balernenſem abbatem*, 151
147. *Ad Petrum abbatem Cluniacenſem*, 152
148. *Ad eumdem*, ibid.
149. *Ad eumdem*, 153
150. *Ad dominum papam Innocentium*, ibid.
151. *Ad Philippum Turonenſis eccleſiæ invaſorem*, 154
152. *Ad dom. papam Innocentium pro Trecenſi epiſc*. 155
153. *Ad Bernardum de Portis de Ordine Carthuſienſi*, 156
154. *Ad eumdem*, ibid.

155. *Ad D. Papam Innocentium pro eodem quando electus eſt.* 157
156. *Ad eumdem pro clericis Aurelianenſibus,* ibid.
157. *Ad Haimericum pro eiſdem,* 158
158. *Ad Innocentium ſuper interfectione Thomæ Prioris S. Victoris Pariſ.* ibid.
159. *Ad eumdem in perſona Stephani epiſc. Pariſ. unde ſupra,* 159
160. *Ad Haimericum cancellarium in ejuſdem perſona, unde ſupra,* 160
161. *Ad Innocentium de cæde Archembaldi ſubdecani Aurelianenſis,* ibid.
162. *Ad Haimericum cancellarium de eodem,* 161
163. *Ad Johannem Cremenſem cardinalem presbyterum de eodem.* ibid.
164. *ad Innocentium de electione Lingonenſi,* ibid.
165. *Ad Falconem decanum & Guidonem theſaurarium eccleſiæ Lugdun. unde ſupra,* 163
166. *Ad Innocentium unde ſupra.* 164
167. *Ad eumdem pro eodem negotio,* 165
168. *Ad epiſc. & card. Romanæ curiæ unde ſupra,* ibid.
169 *Ad Innocentium unde ſupra,* 166
170 *Ad Ludovicum Juniorem regem Francorum de eodem,* ibid.
171. *Ad Innocentium pro Falcone Lugdunenſi archiepiſc. electo,* 168
172. *Ad eumdem in perſona Godefridi Lingonenſis epiſcopi.* ibid.
173. *Ad ipſum Falconem.* ibid.
174 *Ad Canonicos Lugdunenſes de Conceptione S. Mariæ,* 169
175. *Ad Patriarcham Jeroſolymorum,* 172
176. *Ad Innocentium in perſona Alberonis Trevirenſis archiepiſcopi,* ibid.
177. *Ad eumdem in perſona ejuſdem,* 173
178. *Ad eumdem pro eodem,* 174
179. *Ad eumdem pro eodem.* 176
180. *Ad eumdem pro eodem,* ibid.
181. *Ad Haimericum cancellarium,* 177
182. *Ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum.* ibid.
183. *Ad Conradum regem Romanorum.* 178
184. *Ad Innocentium.* ibid.
185. *Ad Euſtachium occupatorem Valentinæ ſedis,* ibid.
186. *Ad Simonem filium Caſtellani Cameracenſis.* 180
187. *Ad Epiſcopos Senonas convocandos contra P. Abælardum,* ibid.
188. *Ad Epiſcopos & Cardinales curiæ unde ſupra,* 181
189 *Ad Innocentium de eodem,* 182
190. *Ad eumdem de eodem tomo 2. col. 643.*
191. *Ad eumdem in perſona archiepiſcopi Remenſis de eodem.* 184
192. *Ad Mag. Guidonem de Caſtello de eodem,* 185
193. *Ad Ivonem cardinalem de eodem.* ibid
194. *Reſcriptum Innocentii Papæ contra errores P. Abælardi,* 186
195. *Ad Epiſcopum Conſtantienſem contra Arnaldum de Brixia,* 187
196. *Ad Guidonem legatum de eodem.* 188
197. *Ad Petrum Biſuntinum decanum,* 189
198. *Ad Innocentium pro Guidone abbate Cari-loci,* ibid.
199. *Ad eumdem de eodem.* 190
200. *Ad Ulgerium Andegavenſem epiſc in cauſa Abbatiſſæ Fontis-Ebraldi.* 191
201. *Ad Balduinum abbatem Reatinum,* 192
202. *Ad Clerum Senonenſem.* 193
203. *Ad Attonem epiſcopum & Clerum Trecenſem,* 194
204. *Ab abbatem S. Albini,* ibid.
205. *Ad Epiſcopum Roffenſem,* ibid.
206. *Ad Reginam Jeroſolymorum.* 195
207. *Ad Rogerium regem Siciliæ,* ibid.
208. *Ad eumdem.* 196
209. *Ad eumdem,* ibid.
210. *Ad Innocentium pro archiepiſcopo Remenſi,* 197
211. *Ad eumdem pro Cantuarienſi,* Ibid.
212. *Ad eumdem pro Epiſcopo Salamanticenſi,* ibid.
213. *Ad eumdem pro Petro Piſano.* 198
214. *Ad eumdem pro Epiſcopo Cameracenſi,* 199
215. *Ad eumdem pro Epiſcopo & decano Autiſiodorenſi,* ibid.
216. *Ad eumdem in Comitem Radulfum,* 200
217. *Ad eumdem pro Theobaldo Comite.* ibid.
218. *Ad eumdem excuſatoria & noviſſima,* 201
219. *Ad tres Epiſcopos curiæ Albericum Oſtienſem &c.* 202
220. *Ad Ludovicum regem Franc. in cauſa Radulfi comitis,* 203
221. *Ad eumdem unde ſupra,* 204
222. *Ad Joſlenum Sueſſionenſem epiſcopum & Sugerium abbatem S. Dionyſii,* 205
223. *Ad eumdem Joſlenum,* 207
224. *Ad Stephanum Præneſtinum epiſcopum,* 208
225. *Ad Joſlenum epiſcopum Sueſſionenſem,* 209
226. *Ad Ludovicum Juniorem regem Francorum,* 210
227. *Ad Joſlenum epiſcopum Sueſſionenſem,* ibid.
228. *Ad Petrum Cluniacenſem abbatem, conquerentem quod ei non reſcriberet.* 211
229. *Petri abb. Cluniacenſis ad Bernardum reſponſio,* 212
230. *Ad tres Epiſcopos, Oſtienſem, Tuſculanum, Præneſtinum,* 225
231. *Ad eoſdem pro abbate Latiniacenſi,* 226
232. *Ad eoſdem pro abbate S. Theofredi.* 227
233. *Ad abbatem Johannem de Buzaio, qui abbatiam ſuam reliquerat,* ibid.
234. *Ad Herbertum abbatem S. Stephani Divionenſis,* 229
235 *Ad Cæleſtinum II de intruſo Eboracenſi,* ibid.
236. *Ad totam Curiam Romanam unde ſupra,* 230
237 *Ad totam Curiam Romanam, quando elegerunt abbatem S. Anaſtaſii in papam Eugenium.* 232
238. *Ad dominum papam Eugenium primo,* 233
239. *Ad eumdem de Eboracenſi intruſo,* 235
240. *Ad eumdem de eodem,* 236
241. *Ad Hildefonſum comitem S. Ægidii de Henrico hæretico,* 237
242. *Ad Toloſanos poſt reditum ſuum,* 238
243. *Ad Romanos, quando receſſerant à domino papa Eugenio.* 240
144. *Ad Conradum regem Romanorum,* 242
245 *Ad Eugenium Papam pro Aurelianenſi epiſcopo,* 243
246. *Ad eumdem pro eodem,* 244
247. *Ad eumdem pro Remenſi archiepiſcopo,* 245
248. *Ad eumdem contra epiſcopum Sagienſem,* 246
249. *Ad eumdem pro Priore Caſæ-Dei, electo epiſcopo Valentinenſi,* 247
250. *Ad Bernardum priorem Portarum,* ibid.
251. *Ad Eugenium pro monachis Balmenſibus,* 248
252. *Ad eumdem pro Eboracenſi.* 249
253. *Ab abbatem de Præmonſtrato,* 250
254. *ad Guarinum abbatem Alpenſem,* 254
255. *Ad Ludovicum Juniorem regem Franc. pro convocando Concilio,* 256
256. *Ad Eugenium pro Eccleſia Orientali,* 257
257. *Ad eumdem pro fratre Philippo,* 258
258. *Ad eumdem pro fratre Rualeno,* 259
259. *Ad eumdem unde ſupra,* ibid.
260. *Ad Rualenum abbatem.* 260
261. *Ad Eugenium pro abbate S. Urbani,* ibid.
262. *Ad eumdem pro monachis Mozomenſibus,* 261
263. *Ad Epiſcopum Sueſſionenſem pro abbate Caziacenſi,* ibid.
264. *Petri abbatis Clun. ad S Bernardum.* ibid.
265. *Reſcriptum Bernardi,* 262
266. *Ad Sugerium abbatem de ejus morte,* ibid.
267. *Ad abbatem Cluniacenſem,* 263
268. *Ad Eugenium papam,* ibid.
269. *Ad eumdem.* 264
270. *Ad eumdem pro Priore Carthuſiæ, & de morte abbatis Ciſtercienſis,* ibid.
271. *Ad Theobaldum comitem Campaniæ,* 265
272. *Ad Epiſcopum Laudunenſem,* ibid.
* *Eugenii papæ epiſtola ad Capitulum Ciſtercienſe.* 266
273. *Ad Eugenium reſponſio,* 267
274. *Ad Hugonem abbatem Trium-fontium, quando erat Romæ,* 268

275. Ad Eugenium pro Autiſiodorenſi electione, ibid.
276. Ad eumdem poſt obitum Epiſcopi Autiſiodorenſis, 269.
277. Ad eumdem pro abbate Cluniacenſi. 270
278. Ad eumdem pro Epiſcopo Belvacenſi. ibid.
279. Ad Henricum comitem Campaniæ, 271
280. Ad Eugenium pro negotio Autiſiodorenſi, ibid.
281. Ad Brunonem abbatem Caræ-vallis, 273
282. Ad Ludovicum Juniorem pro electione Autiſiodorenſi. ibid.
283. Ad Eugenium pro fratribus Meratorii. 274
284. Ad eumdem pro Archiepiſcopo Remenſi, & aliis. ibid.
285. Ad eumdem pro Odone abbate S. Dionyſii. 275
286. Ad eumdem pro eodem, 276
287. Ad dominum Oſtienſem pro eodem, ibid.
288. Ad Andream avunculum ſuum militem Templi. 277
289. Ad Reginam Jeroſolymorum. 278
290. Ad dominum Oſtienſem de Jordano cardinale. 279
291. Ad Eugenium pro eccleſia S. Eugendi Jurenſis, ibid.
292. Ad quemdam ſæcularem, 280
293. Ad Petrum Cellenſem abbatem pro monacho Caziacenſi, ibid.
294. Ad Eugenium pro Epiſcopo Cenomannenſi, 281
295. Ad Henricum cardinalem pro eodem. ibid.
296. Ad dominum Oſtienſem pro eodem, ibid.
297. Ad abbatem Arremarenſem, 282
298. Ad Eugenium de Nicolao Claræ-vallenſi, ibid.
299. Ad Comitem Engoliſmenſem pro fratribus de Buxia. ibid.
300. Ad Bleſenſem comitiſſam. 283
301. Ad Sanciam ſororem imperatoris Hiſpaniæ. ibid.
302. Ad Legatos apoſtolicos pro archiep. Moguntino, 284
303. Ad Ludovicum Juniorem regem Francorum. ibid.
304. Ad eumdem, 285
305. Ad Eugenium pro Epiſcopo Belvacenſi, ibid.
306. Ad dominum Oſtienſem pro electione abbatis Turoldi de Tribus-fontibus, 286
307. Ad eumdem pro Epiſcopo Belvacenſi, 288
308. Ad Alfonſum Portugalliæ regem, 289
309. Ad Eugenium pro Sugerio abbate, ibid.
310. Ad Arnoldum Carnotenſem abb. Bonæ-vallis, 290

SECUNDA CLASSIS ORDINE MUTATO.

Littera N. novum, A. antiquum ordinem, * Aſteriſcus novas epiſtolas in hac editione adjectas deſignat.

N. A.
311. 313. Ad Haimericum cancellarium, 289
312. * Ad Rainaldum archiepiſcopum Remenſem. 292
313. 371. Ad Gaufridum abbatem S. Mariæ Eboracenſis. ibid.
314. 318. Ad Innocentium papam pro Cremonenſibus, 294
315. 344. Ad Mathildem reginam Anglorum, 295
316. 375. Ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum & Haimericum cancellarium. ibid.
317. 320. Ad Priorem ſuum Godefridum, 296
318. 329. Ad Innocentium papam pro eccleſia Remenſi. ibid.
319. 372. Ad Turſtinum archiepiſcopum Eboracenſem, 297
320. 381. Ad Alexandrum priorem de Fontibus & fratres ejuſdem loci, ibid.
321. 382. Ad Henricum de Murdach abb. Vallis-claræ. 298
322. 331. Ad Hugonem novitium, poſtea Bonæ-vallis abbatem. 299
323. * Ad Innocentium papam pro archiepiſcopo Trevirenſi, 300
324. 336. Ad Robertum abbatem de Dunis. 301
325. 337. Ad eumdem de Iderio novitio. ibid.
326. 391. Guillelmi abbatis S. Theoderici ad Gaufridum Carnotenſem & Bernardum abbatem de P. Abaelardo, ibid.
327. 392. Reſcriptum ad Guillelmum abbatem, 303
328. * Ad Romanum Pontificem de electo Rutenenſi, ibid.
329. * Ad Epiſcopum Lemovicenſem de eodem. 304
330. * Ad Innocentium contra P. Abaelardum, ibid.
331. * Ad Stephanum card. & epiſc. Præneſtinum de eodem, 305
332. * Ad G. cardinalem de eodem, 306
333. * Ad G. cardinalem de eodem, 307
334. * Ad Guidonem Piſanum de eodem. ibid.
335. * Ad quemdam presbyterum cardin. de eodem, ibid.
336. * Ad quemdam abbatem de eodem, 308
337. 370. Ad Innocentium in perſona Franciæ epiſcoporum de eodem, ibid.
338. 369. Ad Haimericum card. & cancellarium de eodem. 310.
339. 327. Ad Innocentium pro Alviſo epiſcopo Atrebatenſi. 311.
340. * Ad eumdem pro epiſcopo Andegavenſi, 312
341. 315. Ad Malachiam Hiberniæ archiepiſcopum, ibid.
342. * Ad Joſlenum epiſcopum Sueſſionenſem, 313
343. * Bernardi abbatis Italiæ ad Innocentium papam. 314
344. * Ejuſdem ad S. Bernardum, ibid.
345. 321. Ad fratres de S. Anaſtaſio, 315
346. 377. Ad Innocentium papam de arch. Eboracenſi, 316
N. A.
347. 378. Ad eumdem de eodem. 317
348. 388. Ad eumdem pro Arnulfo epiſcopo Lexovienſi, ibid.
349. 330. Ad eumdem pro amico, 318
350. 332. Ad eumdem pro propinquo, ibid.
351. * Ad eumdem pro quibuſdam pauperibus, 319
352. * Innocentii papæ privilegium, ibid.
353. 379. Ad Vuillelmum abbatem Rievalles. 320
354. * Ad Reginam Jeroſolymorum, 321
355. 376. Ad eamdem. ibid.
356. 316. Ad Malachiam Hiberniæ archiepiſc. 322
357. 317. Ad eumdem. ibid.
358. 374. Ad Caleſtinum papam. 323
359. * Claræ-vallenſium ad eumdem. ibid.
360. 380. Ad Vuillelmum abbatem Rievalles, 324
361. 383. Ad Theobaldum archiepiſcopum pro Johanne Saleſberienſi. 325
362. 334. Ad Robertum Pullum card. & cancell. ibid.
363. 322. Ad Orientalis Franciæ clerum & populum, 325
364. 355. Ad Petrum abbatem Cluniacenſem, 329
365. 323. Ad Henricum Moguntinum archiepiſc. ibid.
366. 386. Ad Hildegardem abbatiſſam. 331
367. 332. Ad G. cancellarium, ibid.
368. 333. Ad G. cardinalem, ibid.
369. 356. Ad Sugerium abbatem. 332
370. 357. Ad eumdem. 333
371. 363. Ad eumdem, ibid.
372. * Ad P. epiſcopum Palentinum, 334
373. * Abbatis Sp. ad S. Bernardum, 333
374. 311. Ad fratres de Hibernia de tranſitu S. Malachiæ, 336
375. 390. Ad Idam comitiſſam Nivernenſem. 337
376. 338. Ad Sugerium abbatem, ibid.
377. 339. Ad eumdem, 338
378. 360. Ad eumdem, 339
379. 361. Ad eumdem, ibid.
380. 362. Ad eumdem. ibid.
381. 364. Ad eumdem. 340
382. 324. Ad Leonium abbatem S. Bertini. ibid.
383. 342. Ad eumdem, 341
384. 343. Ad monachos S. Bertini, 342
385. 341. Ad eoſdem. ibid.
386. 333. Johannis abbatis Caſæ-Marii ad S. Bern. 344
387. 352. Ad Petrum abbatem Cluniacenſem, 345
388. 353. Ejuſdem ad S. Bernardum, ibid.
389. 354. Ad eumdem Petrum abbatem, 348
390. 314. Ad Eskilum Lundenſem archiepiſcopum & Legatum, ibid.

INDEX EPISTOLARUM S. BERNARDI.

N. A.

391. 347. *Ad abbatiſſam Fabernaceaſem,* 349
392. * *Ad Radulfum patriarcham Antiochenum,* 350
393. * *Ad Vo. patriarcham Jeroſolymorum.* 351
394. * *Ad archiepiſcopum Lugdunenſem.* 352
395. 315. *Ad Alviſum Atrebatenſem epiſcopum.* 353
396. 365. *Ad Ricuinum epiſcopum Tullenſem,* 354
397. 387. *Ad Odonem abbatem Majoris-monaſterii.* 355
398. 312. *Ad Gaudonem abbatem & fratres Arremarenſes.* 357.
399. 319. *Ad Lelbertum abbatem S. Michaelis,* 358
400. 326. *Ad abbatem Laetienſem.* ibid.
401. 338. *Ad Balduinum abbatem de Caſtellione,* 359
402. 339. *Ad eumdem epiſcopum Noviomenſem,* ibid.
403. 340. *Ad Henricum archidiaconum,* ibid.
404. 345. *Ad Albertum incluſum,* 360

N. A.

405. 346. *Ad G. abbatem,* ibid.
406. * *Ad abbatem S. Nicolai,* 361
407. 348. *Ad Odonem abbatem Belli-loci,* ibid.
408. 349. *Ad Vuillelmum abbatem Trecenſem.* ibid.
409. 350. *Ad Rorgonem de Abbatis-villa,* 362
410. 356. *Ad Geldwinum abbatem S. Victoris.* ibid.
411. 373. *Ad Thomam præpoſitum Beverlacenſem,* 363
412. * *Ad T. adoleſcentem, qui vitam monaſticam voverat,* 364
413. 389. *Ad Rainaldum abbatem.* ibid.
414. 328. *Ad Alardum monachum unde ſupra.* 365
415. 393. *Ad quemdam pacti ſui prævaricatorem.* ibid.
416. * *Ad incognitum,* 366
417 * *Ad abbatem de Trunco-Berengarii,* ibid.
Bernardi charta pro eadem abbatia. 368

TERTIA CLASSIS EPISTOLARUM,

Dubias, ſpurias, & alienas complectens.

418. 385 *Ad quoſdam noviter converſos.* 367
419. 317 *Ad Alfonſum regem Portugalliæ.* 371
420. 368 *Ad Johannem Ciritam,* 372
421 *Ad abbatem S. Benedicti,* ibid.
422 *Ad Ludovicum regem,* ibid.
423. *Nicolai Claræ-vallenſis ad Comitem & barones Britanniæ in perſona S. Bernardi,* 373
424. *Ejuſdem ad Manuelem Comnenum in perſona ejuſdem,* ibid.
425. *Ejuſdem ad Lucanum epiſcopum in perſona ejuſdem,* 374.
426. *S. Bernardi charta ſeu compoſitio facta inter Hugonem epiſcopum & Vuillelmum comitem Autiſſiodorenſem,* 375
427. *Gaufridi epiſcopi Carnotenſis ad Stephanum Pariſienſem,* 377
428. *Bernardi abbatis Itali ad S. Bernardum,* ibid.
429. *Hugonis Metelli ad S. Bernardum,* 378
430. *Ejuſdem ad eumdem,* 380
431. *Ejuſdem ad eumdem in perſona Guillelmi abbatis,* 381
432. *Hatmonis archidiaconi Catalaunenſis ad S. Bernardum,* 382
433. *Ejuſdem ad eumdem,* ibid.
434. *G. ad S. Bernardum pro epiſcopo Ambianenſi,* ibid.
435. *Samſonis archiep. Remenſis ad S. Bernardum,* 383
436. *Henrici epiſcopi Trecenſis ad S. Bernardum de Buleacuria abbatia,* ibid.
437. *Hugonis epiſcopi Oſtienſis ad Capitulum Ciſtercienſe de morte Eugenii papæ,* 384
438. *Bartholomæi ex epiſcopo monachi ad Samſonem arch. Remenſem,* 385
439. *Turſtini archiepiſcopi Eboracenſis ad Vuillelmum Cantuarienſem,* 386
440. *Faſtredi abbatis ad quemdam abbatem ſui Ord.* 392
441. *Petri de Roya novitii Claræ-vallenſis ad C. præpoſitum Novionenſem,* 393
442. *Capituli generalis Nigrorum monachorum ad Adrianum IV.* 398
443. *Eorumdem ad Alexandrum III.* ibid.
444. *Ad abbatem Reatinenſem,* 400

II. INDEX ALPHABETICUS EPISTOLARUM S. BERNARDI.

A

Abbati S. Albini Andegavenſis, epiſtola 204.
Abbati S. Benedicti, epiſt. 421.
Abbati Canonicorum regularium S. Petri de Monte, epiſt. 76.
Abbati cuidam, epiſt. 102.
Abbati item cuidam, forte Bernardo Italo, epiſt. 336.
Abbati Eboracenſi, epiſt. 94. 313.
Abbati S. Nicaſii Remenſis, epiſt. 32.
Abbati Trium fontium, epiſt. 274. *Vide* Guidoni.
Abbati de Trunco-Berengarii, epiſt. 417. *Vide chartam ſequent.*
Abbatibus Ciſtercii congregatis, epiſt. 145. & epiſtola præmiſſa epiſt. 275.
Abbatibus Sueſſione congregatis, epiſt. 91.
Abbatiſſæ Faberniacenſi, epiſt. 391.
Adamo monacho Morimundi, epiſt. 5. 7.
Adelaïdi ducitiſſæ Lotharingiæ, epiſt. 119. 120.
Aildicurtis canonicis regularibus, epiſt. 4.
Alardo monacho Ciſtercienſi, epiſt. 414.
Alberico cardinali epiſcopo Oſtienſi, epiſt. 219. 230. 231. 232.
Alberico primicerio Metenſi, epiſt. 30.
Alberto incluſo, epiſt. 404.
S. Albini abbati, epiſt. 204.
Alexandro epiſcopo Lincolnienſi, epiſt. 64.
Alexandro Priori de Fontibus, epiſt. 320.
Alfonſo regi Portugalliæ, epiſt. 308. 419.
Alpenſibus monachis, epiſt. 142.
Alviſo abbati Aquis-cincti, epiſt. 65. Eidem epiſcopo Atrebatenſi, epiſt. 395.
S. Anaſtaſii monachis, epiſt. 345.
Andreæ avunculo ſuo, militi Templi, epiſt. 288.
Angelberto comiti Engoliſmenſi, epiſt. 299.
Aquitaniæ epiſcopis, epiſt. 126.
Arduitioni Gebennenſi electo, epiſt. 27. Eidem jam epiſcopo, epiſt. 28.
Arnoldo abbati Bonæ-vallis, epiſt. 310.
Arnoldo abbati Morimundi, epiſt. 4.
Arraldo abbati Prulliacenſi, epiſt. 75.
Aſcelino ſeu Anſelmo epiſcopo Roffenſi, epiſt. 205.
Attoni epiſc. Trecenſi, ep. 23. Eidem & clero Trecenſi, epiſt. 203.

B

Balduino abbati de Caſtellione, epiſt. 401. Eidem jam epiſcopo Noviomenſi, epiſt. 402.
Balduino abbati Reatino, epiſt. 201.
Beatrici nobili & religioſæ matronæ, epiſt. 118.
S. Benedicti abbati, epiſt. 421.
Bernardo legato apoſtolico, epiſt. 302.
Bernardo priori Portarum, epiſt. 250.
Bernardo de Portis Cartuſienſi, epiſt. 153. 154.
S. Bertini monachis, epiſt. 384. 385. Leonio abbati. *Vide* Leonio.

Bleſenſi comitiſſæ (Mathildi) epiſt. 300.
Brunoni abbati de Cara-valle, epiſt. 281.
Brunoni Colonienſi, epiſt. 6. Eidem Colonienſi electo, epiſt. 8. Eidem jam archiepiſcopo Colonienſi, epiſt. 9. 10.
Burchardo abbati Balernenſi, epiſt. 146.
Burgundiæ Duciſſæ, epiſt. 121.

C

Capitulo Ciſtercienſi epiſt. 145. & ante epiſt. 273.
Capitulo nigrorum monachorum, epiſt. 91.
Cæleſtino papæ II. epiſt. 135. 358. 359.
Canonicis regularibus de Aildicurte, epiſt. 3.
Cardinali presbytero, epiſt. 335.
Cardinalibus Romanæ curiæ, epiſt. 168. 188. 230. 231. 2.23. 236. 237.
Claræ-vallenſibus monachis, epiſt. 143. 144.
Ciſtercienſi capitulo, epiſt. 145. & ante epiſt. 273.
Clero Mediolanenſi, epiſt. 132.
Clero & populo Franciæ orientalis, epiſt. 363.
Conrado duci Zeringenſi, epiſt. 97.
Conrado regi Romanorum, epiſt. 183. 244.
Conſtantienſi epiſcopo, epiſt. 195.
Converſis quibuſdam, epiſt. 418.

D

Drogoni monacho S. Nicaſii Remenſis, epiſt. 34.
Duci & Duciſſæ Lotharingiæ, epiſt. 119.
Duciſſæ Burgundiæ (Mathildi) epiſt. 121.
Duciſſæ Lotharingiæ (Adelaidi) epiſt. 119. & 120.

E

Ebalo epiſcopo Catalaunenſi, epiſt. 58.
Eboracenſi archiepiſcopo, epiſt. 95.
Eliæ cardinali, epiſt. 295.
Eliæ monachi parentibus, epiſt. 111.
Engoliſmenſi Comiti, epiſt. 299.
Epiſcopo cuidam, epiſt. 100.
Epiſcopis Aquitaniæ, epiſt. 126.
Epiſcopis & cardinalibus Romanæ curiæ, epiſt. 168. 188. *V.* Cardinalibus.
Epiſcopis Senonas convocandis contra P. Abaëlardum, epiſt. 187.
Ermengardi quondam comitiſſæ Britanniæ, epiſt. 116. 117.
Eskilo archiepiſcopo Lundenſi, epiſt. 390.
Eugenio papæ III. epiſt. 238. 239. 240. 245. 246. 247. 248. 249. 251. 252. 256. 257. 258. 259. 261. 262. 263. 268. 269. 270. 271. 273. 276. 277. 278. 280. 283. 284. 285. 286. 291. 294. 298. 305. 309.
Euſtachio occupatori Valentinæ Sedis, epiſt. 185.
Engoliſmenſi comiti (Angelberto) epiſt. 299.

F

Faberniacenſi abbatiſſæ, epiſt. 391.
Falconi decano eccleſiæ Lugdunenſis, epiſt. 165. Eidem electo archiepiſcopo, epiſt. 173.
Flaviacenſibus monachis, epiſt. 67. 68.
Franciæ orientalis clero & populo, epiſt. 363.
Fulconi adoleſcenti, epiſt. 2.

G

G. Abbati, epiſt. 405.
G. cardinali, epiſt. 332.
G. cardinali diacono, epiſt. 358.
Galtero epiſcopo Laudunenſi, epiſt. 272.
Gaufrido abbati S. Mariæ Eboracenſis, epiſt. 94. 313.
Gaufrido abbati S. Medardi, epiſt. 66.
Gaufrido epiſcopo Carnotenſi, epiſt. 55. 56. 57.
Gaufrido Lexovienſi, epiſt. 112.
Gaufrido de Loratorio, epiſt. 115.
Gaufrido de Perrona & ſociis ejus, epiſt. 109. Parentibus ejuſdem, epiſt. 110.
Genuenſibus. *V.* Januenſibus.
Gerardo abbati Pultarienſi, epiſt. 81.
Gerardo cancellario S. R. E. epiſt. 219.
Gilduino abbati S. Victoris Pariſ. epiſt. 410.
Gilleberto Univerſali epiſcopo Londonienſi, epiſt. 24.
Godefrido Priori Claræ-vallenſi, epiſt. 317.
Gregorio legato apoſtolico, epiſt. 302.
Gregorio Tarquinio card. epiſt. 333.
Gualtero de Calvo-monte, epiſt. 104.
Guarino abbati Alpenſi, epiſt. 254.
Guidoni abbati Arremarenſi, epiſt. 297. 398.
Guidoni abbati Moliſmenſi, epiſt. 80.
Guidoni abbati Trium-fontium, epiſt. 69. 70.
Guidoni cardinali & cancellario, epiſt. 367.
Guidoni cardinali Piſano, epiſt. 334.
Guidoni de Caſtello, epiſt. 192.
Guidoni epiſcopo Lauſannenſi, epiſt. 26.
Guidoni legato S. R. E. epiſt. 196.
Guidoni theſaurario eccleſiæ Lugdunenſis, epiſt. 165.
Guidoni Priori & ceteris Cartuſiæ majoris religioſis, epiſt. 11. 12.
Guilenco epiſcopo Lingonenſi, epiſt. 59. 60.
Guillelmo abbati S. Theoderici, epiſt. 85. 86. 327. *V.* aliam tomo 2. col. 603.
Guillelmo comiti Pictavorum & duci Aquitaniæ, epiſt. 127. 128.

H

Haimerico cancellario S. R. E. epiſt. 15. 20. 48. 51. 52. 53. 54. 157. 160. 162. 182. 311. 316. 338. *Vide aliam tomo 2. col.* 583.
Henrico abbati Vallis-claræ, dicto de Murdach, epiſt. 321.
Heliæ cardinali, epiſt. 295.
Heliæ monachi parentibus, epiſt. 111.
Henrico archidiacono, epiſt. 403.
Henrico archiepiſcopo Moguntino, epiſt. 365.
Henrico archiepiſcopo Senonenſi, epiſt. 42. 43. 182. 316.
Henrico cardinali, epiſt. 295.
Henrico de Murdach, abbati de Valle-clara, epiſt. 321.
Henrico Murdach, epiſt. 106.
Henrico comiti Campaniæ, epiſt. 279.
Henrico epiſcopo Virdunenſi, epiſt. 62. 63.
Henrico epiſcopo Vvintonenſi, epiſt. 93.
Henrico regi Anglorum, epiſt. 92. 138.
Herberto abbati S. Stephani Divionenſis, epiſt. 234.
Hiberniæ fratribus, epiſt. 374.
Hildeberto archiepiſcopo Turonenſi, epiſt. 123. 124.
Hildefonſo comiti S. Ægidii, epiſt. 241.
Hildegardi abbatiſſæ, epiſt. 366.
Hildegario abbati Flaviacenſi, epiſt. 67. 68.
Honorio papæ II. epiſt. 13. 14. 46. 47. 49. 50.
Hugoni abbati Pontiniacenſi, epiſt. 33.
Hugoni abbati Præmonſtratenſi, epiſt. 253.
Hugoni abbati Trium-fontium, epiſt. 274.
Hugoni archiepiſcopo Rotomagenſi, epiſt. 25.
Hugoni card. epiſcopo Oſtienſi, epiſt. 287. 290. 296. 306. 307
Hugoni comiti Campaniæ, Templi militi facto, epiſt. 31.
Hugoni comiti Nivernenſi, epiſt. 416.
Hugoni epiſcopo Autiſiodorenſi, epiſt. 416.
Hugoni Farſito, epiſt. 35. 36.
Hugoni novitio, poſtea Bonæ-vallis abbati, epiſt. 322.
Hugoni de S. Victore, epiſt. 77. *inter Opuſcula tomo* 2. col. 625. *Vide* epiſt. 98.
Humbaldo archiepiſcopo Lugdunenſi, epiſt. 22.
Humberto abbati Igniacenſi, epiſt. 141.

I

Januenſibus civibus, epiſt. 129.
Idæ comitiſſæ Nivernenſi, epiſt. 375.
Jeroſolymorum patriarchæ (Vvillelmo) epiſt. 175. 393.
Jeroſolymorum reginæ (Meliſendi) epiſt. 206. 289. 354. 355.

Igmaro card. epiſcopo Tuſculano, epiſt. 219. 230. 231. 232.
Ignotis quibuſdam, epiſt. 98. 101. 102. 103. 292. 415. 416.
Imperatrici Romanorum (Richeræ) epiſt. 137.
Innocentio papæ II. epiſt. 136. 150. 152 155. 156. 158. 159. 161. 164. 166. 167. 169. 171. 172. 176. 177. 178. 179. 180. 184. 189. 190. *Tomo IV.* 191. 198. 199. 210. 211. 212. 213 214. 215. 216. 217. 218. 314. 318. 323. 330. 337. 339. 340. 343. 346. 347. 348. 349. 350. 351.
Johanni abbati de Buzaio, epiſt. 235.
Johanni Citiræ abbati, epiſt. 420.
Johanni Cremenſi card. presbytero epiſt. 163.
Joranno abbati S. Nicaſii Remenſis, epiſt. 32.
Joſleno epiſcopo Sueſſionenſi, epiſt. 222. 223. 225. 227. 263. 342
Ivoni cardinali, epiſt. 193.

L

LÆtienſi abbati, epiſt. 400.
Laudunenſi epiſcopo (Galtero) epiſt. 178.
Legatis apoſtolicis (Bernardo & Gregorio) epiſt. 302.
Leiberto abbati S. Michaëlis, epiſt. 399.
Lemovicenſi epiſcopo, epiſt. 329.
Leonio abbati S. Bertini, epiſt. 382. 383.
Lotharingiæ duci & ducissæ, epiſt. 119. Ducissæ, epiſt. 120.
Lothario imperatori, epiſt. 129. 140.
Lucæ abbati Cuiſſiacenſi, epiſt. 79.
Ludovico Groſſo regi Francorum, epiſt. 45. 255.
Ludovico Juniori, regi Francorum, epiſt. 170. 220. 221. 225. 281. 303. 304.
Ludovico regi Francorum, epiſt. 422.
Lugdunenſi archiepiſcopo (Petro) epiſt. 394.
Lugdunenſibus canonicis, epiſt. 174.

M

MAlachiæ archiepiſcopo Hiberniæ, epiſt. 341. 356. 357.
S. Mariæ Trecenſis ſanctimoniali cuidam, epiſt. 115.
Mathildi comitiſſæ Bleſenſi, epiſt. 300.
Mathildi duciſſæ Burgundiæ, epiſt. 121.
Mathildi reginæ Anglorum, epiſt. 315.
Matthæo legato S. R. E. epiſt. 21.
Mediolanenſibus civibus, epiſt. 131. 133. Mediolanenſi Clero, epiſt. 132. Novitiis apud Mediolanum converſis, epiſt. 134.
Miliſendi Jeroſolymorum reginæ, epiſt. 206. 289. 354. 355.
Monacho cuidam, epiſt. 99.
Monachis de S. Anaſtaſio, epiſt. 345.
Monachis Trium-fontium, epiſt. 71.

N

SAncti Nicaſii Remenſis abbati, epiſt. 32.
Novitiis Mediolanenſibus, epiſt. 134.
Novitiis quibuſdam, epiſt. 418.

O

ODoni abbati Belli-loci, epiſt. 407.
Odoni abbati Majoris-monaſterii, epiſt. 397.
Ogerio canonico regulari, epiſt. 87. 88. 89. 90.
Oſtienſi epiſcopo, *Vide* Hugoni.

P

PAtriarchæ Jeroſolymitano, epiſt. 175. 393.
Petro abbati Cellenſi. epiſt. 293.
Petro abbati Cluniacenſi, epiſt. 147. 148. 149. 228. 265. 267. 364. 387. 389.
S. Petri de Monte abbati, epiſt. 76.
Petro decano Biſuntino, epiſt. 197.
Petro diacono cardinali, epiſt. 17. 18. 19.
Petro epiſcopo Palentino, epiſt. 372.
Petro epiſcopo Papienſi, epiſt. 133.
Petro presbytero cardinali, epiſt. 16.
Philippo Turonenſis eccleſiæ invaſori, epiſt. 151.
Piſanis civibus, epiſt. 130.
Præmonſtratenſi abbati (Hugoni) epiſt. 253.

R

RAinaldo abbati Fuſniacenſi, epiſtola 72. 73. 74. 413.
Rainaldo archiepiſcopo Remenſi, epiſt. 312.
Reginæ Jeroſolymorum, *Vide* Miliſendi.
Religioſis quibuſdam, epiſt. 101.
Richardo abbati Fontanenſi in Anglia, epiſt. 96.
Richeræ imperatrici Romanorum, epiſt. 137.
Ricuino epiſcopo Tullenſi, epiſt. 61. 396.
Roberto abbati de Dunis, epiſt. 324. 325.
Roberto nepoti ſuo, epiſt. 1.
Roberto Pullo cardinali cancellario, epiſt. 362.
Roffenſi epiſcopo (Aſcelino ſeu Anſelmo) epiſt. 205.
Rogerio regi Siciliæ, epiſt. 207. 208. 209.
Rolando card. & cancellario falſo inſcripta, epiſt. 362.
Romanæ curiæ cardinalibus & epiſcopis, epiſt. 236. 237.
Romanæ curiæ tribus Epiſcopis, epiſt. 229. 230. 231. 232.
Romano Pontifici, epiſt. 328.
Romano ſubdiacono S. R. E. epiſt. 105.
Romanis, ſive ſenatui populoque Romano, epiſt. 243.
Rorgoni de Abbatis-villa, epiſt. 409.
Rualeno abbati S. Anaſtaſii, epiſt. 260.

S

SÆculari cuidam, epiſt. 292.
Sanciæ ſorori imperatoris Hiſpaniæ, epiſt. 301.
Sanctimoniali cuidam, epiſt. 114.
Sanctimoniali de monaſterio S. Mariæ Trecenſis, epiſt. 115.
Senonenſi clero, epiſt. 202.
Simoni abbati ſancti Nicolai de Saltu, epiſtola 83. 84. 406.
Simoni duci Lotharingiæ, epiſt. 119.
Simoni, filio Caſtellani Cameracenſis, epiſt. 186.
Sophiæ virgini, epiſt. 113.
Spirenſi populo, epiſt. 363.
Stephano abbati S. Johannis Carnotenſis, epiſt. 82.
Stephano card. epiſcopo Præneſtino, epiſt. 219. 224. 230. 131. 232. 331.
Stephano epiſcopo Metenſi, epiſt. 19.
Sugerio abbati, epiſt. 78. 222. 266. 369. 370. 371. 376. 377. 378. 379. 380. 381.

T

T. Adoleſcenti, qui vitam monaſticam voverat, epiſt. 412.
Theobaldo archiepiſcopo Cantuarienſi, epiſt. 368.
Theobaldo comiti Campaniæ, epiſt. 37. 38. 39. 40. 41. 271.
Thomæ de S. Audomaro, epiſt. 108.
Thomæ præpoſito de Beverla, epiſt. 107. 411.
Toloſanis civibus, epiſt. 242.
Trecenſi clero, epiſt. 203.
Trium-fontium monachis, epiſt. 71.
Trunei-Berengarii abbati, epiſt. 417.
Turſtino archiepiſcopo Eboracenſi, epiſt. 95. 319.

V

ULgerio epiſcopo Andegavenſi, epiſt. 100.
Wilenco, *V.* Guilenco.
Willelmo abbati de Rievalle, epiſt. 353. 360.
Willelmo abbati Trecenſi, epiſt. 408.

Willelmi monachi Claræ-vallenſis fratri, epiſt. 103.
Willelmo Patriarchæ Jeroſolymorum, epiſtolæ 175. 393.

Y

Ymario. V. Igmaro.
Yvoni. Vide Ivoni.

ALIORUM EPISTOLÆ AD BERNARDUM ET ALIOS.

Abbatis Spinæ ad S. Bernardum, epiſt. 373.
Adriano papæ IV. Capituli generalis Nigrorum monachorum, epiſt 442
Alexandro papæ III. Capituli generalis Nigrorum monachorum, epiſt. 443.
Bartholomæi epiſcopi Laudunenſis, ad Samſonem Remenſem, epiſt. 438.
Bernardo abbati Claræ-vallenſi, epiſt. 122. 229. 364. 326. 344. 332. 373 386. 388. 428 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. *Vide aliam Tomo* 4. *col.* 1487.
Bernardi abbatis Itali ad Innocentium, epiſt. 343. Ejuſdem ad S. Bernardum, epiſt. 344. 418.
Britanniæ Comiti & baronibus, Nicolai Claræ-vallenſis, epiſt. 423.
Cælestino papæ II. Claræ-vallenſium, epiſt. 359.
Capituli generalis Nigrorum monachorum ad Adrianum IV. epiſt. 442. ad Alexandrum III. 443.
Ciſtercienſi capitulo Eugenii ante epiſt. 273. alia Hugonis epiſcopi Oſtienſis, 437.
Claræ-vallenſium epiſt. ad Cæleſtinum papam II. epiſt. 359.
Epiſcopis apud Senones congregatis Innocentii, epiſt. 194
Evervini abbatis Steinfeldenſis ad S. Bernardum, epiſt. tomo 4. col. 1487.
Eugenii papæ III. ad Capitulum Ciſtercienſe, præmiſſa epiſtolæ 273.
Faſtredi abbatis Claræ-vallenſis ad quemdam abbatem, epiſt. 440.
G. Ad S. Bernardum, epiſt. 434.
Gaufridi epiſcopi Carnotenſis ad Stephanum Pariſienſ. epiſt. 427.
Gaufrido epiſc. Carnotenſi Willelmi abbatis epiſt. 326.
Guillelmi abbatis S. Theoderici ad Gaufridum Carnotenſem & Bernardum, epiſt. 326.
Henrici epiſcopi Trecenſis ad S. Bernardum, epiſt. 436.
Hildeberti archiepiſcopi Turonenſis ad S. Bernardum, epiſt. 121.
Hugonis archidiaconi Catalaunenſis ad S. Bernardum, epiſt. 432. 433.
Hugonis epiſcopi Oſtienſis ad Capitulum Ciſtercienſe, epiſt. 437.
Hugonis Metelli ad S. Bernardum, epiſt. 429. 430. 431.
Innocentii papæ II. reſcriptum ad Epiſcopos Senonis congregatos contra P. Abaëlardum, epiſt. 194. Ejuſdem Privilegium S. Bernardo conceſſum, epiſt. 352.
Innocentio papæ II. Guillelmi abbatis, epiſt. 343.
Johannis abbatis Caſæ-Marii ad S. Bernardum, epiſt. 386.
Lucano epiſcopo Nicolai Claræ-vallenſis, epiſt. 425.
Manueli Comneno imp. CP. Nicolai Claræ-vallenſis, epiſt. 424.
Nicolai Claræ-vallenſis ad Comitem & Barones Britanniæ, in perſona Bernardi, epiſt. 423. Ejuſdem ad Manuelem Comnenum Imp. CP. epiſt. 424. Ejuſdem item ad Lucanum epiſcopum, epiſt. 425.
Noviomenſi præpoſito C. Petri de Roya, epiſt. 441.
Petri abbatis Cluniacenſis ad S. Bernardum, epiſt. 229. 264. 388.
Petri de Roya novitii Claræ-vallenſis ad C. præpoſitum Noviomenſem, epiſt. 441.
Reatinenſi abbati cujuſdam A. epiſt. 444.
Samſonis archiepiſcopi Remenſis ad S. Bernardum, epiſt. 435.
Stephano epiſcopo Pariſienſi Gaufridi Carnotenſis, epiſt. 427.
Turſtini archiepiſcopi Eboracenſis ad Willelmum Cantuarienſem, epiſt. 439.
Willelmo archiepiſcopo Cant. Turſtini Eboracenſis, epiſt. 439.

III. INDEX EPISTOLARUM
PRO ARGUMENTI QUALITATE DISPOSITUS.

ECCLESIASTICÆ.

De rebus theologicis, & de diſciplina eccleſiaſtica.

De tempore quo cœpit obligare Baptiſmus, epiſt. 77. modo Tractatus XI. tomo 2.
De forma Baptiſmi, epiſt. 403.
Contra errores Petri Abaëlardi, epiſt. 187. & ſeqq. ad 195. 326. 327. 330. & ſeqq. ad 338.
Contra errores Arnaldi Brixienſis, 195. 196.
Contra Henricum hæreticum, epiſt. 241. 242.
Contra ſchiſma, epiſt. 219.
Judæos non eſſe perſequendos, epiſt. 365.
De bello contra hoſtes Eccleſiæ, epiſt. 236. 363.
De ejus ſucceſſu, epiſt. 288. 386.
De pœnitentia ob defectum in Miſſa commiſſum, ep. 69.
De prœſentiis ob crimina imponendis, epiſt. 61. 62.
De impedimento matrimonii ob conſanguinitatem, epiſt. 371.
Contra divortium & nuptias poſt ipſum, ep. 216. 220. 221.
De qualitate divinorum officiorum, epiſt. 398.
De conceptione B. Mariæ, epiſt. 174.
De feſto Macchabæorum, epiſt. 98.
Adverſus clericum conjugatum & militem, epiſt. 203.
Adverſus eos qui beneficia pueris conferunt, epiſt. 271.
Contra turbas eccleſiarum, epiſt. 156 157. 230. 318.
Contra occiſores clericorum, epiſt. 158. & ſeqq. ad 165.
Pro diverſis cauſis eccleſiaſticis, epiſt. 19. 20. 22. 30. 59. 251. 261. 262. 270. 283. 285. & 314.
Pro juribus eccleſiarum ſeu monaſteriorum, epiſt. 14. 15. 16. 43. 44. 60. 263. 291 352.
De exemtionibus monaſteriorum, epiſt. 179. 188. 323.

De ſummo Pontifice & curia Romana.

Hortatoriæ ad ſuſcipiendum Innocentium, epiſt. 124. & ſeqq. uſque ad 134. item 138. 139. 140.
Congratulatoriæ de Eugenii electione, epiſt. 237. 238.
Pro reconciliatione Romanorum cum Eugenio, epiſt. 243. 244.
De morte ejuſdem Eugenii, epiſt. 437.
Pro reverentia erga Pontificem, epiſt. 176. 183.
Parænericæ ad Pontificem pro defenſione oppreſſorum, epiſt. 198. 199. 217.
Pro pace procuranda, epiſt. 358.
Pro monaſteriis, epiſt. 273.
Admonitoriæ ad Cancellarium S. R. E. epiſt. 311. 362.
Contra quemdam Legatum, epiſt. 290.

De Epiſcopis.

Pro electione Epiſcopi, epiſt. 202.
Pro confirmatione Epiſcoporum, epiſt. 13. 170. 171. 172. 149. 348.
Deliberativa, an acceptandus epiſcopatus, epiſt. 8.
Contra quaſdam electiones, epiſt. 155. 164. & ſeqq. ad 170. 250. 275. 280. 328. 329.
De recta epiſcopalis dignitatis adminiſtratione, epiſt. 9. 10. 25. 26. 27. 28. 42.

Exhortatoriæ ad humilitatem, epiſt. 392. 393.
Congratulatoriæ ob pacem procuratam, epiſt. 29.
Ob amorem pauperum & paupertatis, epiſt. 23. 24.
Commendatoriæ pro Remenſi archiepiſcopo, epiſt. 247. 284.
Pro aliis epiſcopis, epiſt. 294. & ſeqq. 302. 305. 307. 339. 340. 342. 428.
Pro Epiſcopis depoſitis, epiſt. 212. 246. 257.
Apologeticæ epiſcoporum apud reges, epiſt. 45. 46. 47.
Apud Papam, epiſt. 49. 50. 51. 152. 213.
Pro juribus epiſcoporum, epiſt. 177. 178. 179. 180.
Contra quoſdam epiſcopos, epiſt. 182. 248. 252. 268.
Contra intruſos, epiſt. 150. 151. 185. 235. 236. 239. 240. 346. 347.
Quomodo ſe gerendum erga epiſcopum intruſum, epiſt. 353. 360.
Contra teſtamentum epiſcopi, epiſt. 276.
Deliberativa, an abdicandus epiſcopatus, epiſt. 319.
Reddita ratio adminiſtrationis, epiſt. 438.

EPISTOLÆ MORALES.

De virtutibus & vitiis.

De caritate & compaſſione, epiſt. 11. 12.
De eleemoſynis, epiſt. 23. 24. 95. 100. 207. 416.
De eleemoſynis in monaſteria, epiſt. 316.
De reſtitutione, epiſt. 279. 285.
De reddendo depoſito, epiſt. 407.
De vera amicitia, epiſt. 272. 324. 409.
Contra avaritiam, epiſt. 103.
Contra duella, epiſt. 376.

Ad Reges & principes.

De reverentia Papæ & epiſcopis ab eis exhibenda, epiſt. 45. 183.
Pro pace cum Eccleſia, epiſt. 220. ad 226.
Pro concilio celebrando, epiſt. 255.
Pro confirmatione epiſcoporum, epiſt. 282.
Pro vitando excommunicato, epiſt. 303.
De caritate & eleemoſyna, epiſt. 207. 208. 209.
Contra Eccleſiæ vexationes, epiſt. 224.
Contra exactiones, epiſt. 299.
Dehortatoria à bello, epiſt. 97.

Ad regios miniſtros.

Pro pace, epiſt. 222. ad 227.
Hortatoria ad zelum, epiſt. 377.
Ad ſtudium bonæ famæ, epiſt. 381.

Ad viduas nobiles.

De modo vivendi in viduitate, epiſt. 289.
Quomodo ſe gerat regina vidua, epiſt. 354.
Conſolatoria de filii vita degeneri, epiſt. 300.

EPISTOLÆ ASCETICÆ.

De vocatione, ſtatu, & virtutibus religioſis.

Paræneticæ ad ingreſſum in Religionem, epiſt. 104. 105. 106. 107. 108. 411. 412.
Ad profectum, epiſt. 254. 345. 385.
Ad ſtudium diſciplinæ regularis, nunc præmiſſa epiſt. 273.
De capitulis generalibus monachorum, epiſt. 91. 442. & ſeqq.
De moribus primorum Ciſtercienſium, epiſt. 440. 441.
Congratulatoriæ de electione vitæ religioſæ, epiſt. 32. 34. 109. 134. 322.
De reformatione monaſterii, epiſt. 439.
Ad revocandos eos, qui in laxiora deſciveraņt, epiſt. 1.
Ad revocandos apoſtatas, epiſt. 2. 112. 415.
Ad revocandos errantes, epiſt. 4. 5. 6. 7.
Contra eos, qui alios à vita religioſa avocant, epiſt. 292.
Excuſatoriæ ad parentes eorum, qui ad vitam monaſticam confugerant, epiſt. 64. 111.
De amore ſolitudinis & ſilentii, epiſt. 21. 48. 52. 69.
De vitanda monachis peregrinatione, epiſt. 57. 399.
De uſu pharmacorum, epiſt. 345.
De conſortio mulierum monachis vitando, epiſt. 79. 405.
Pro pace inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes, epiſt. 229.
De brevitate & parcitate litterarum, epiſt. 88. 90.
De religioſo, qui aufugerat, epiſt. 76.
De tranſitu ad aliam religionem, epiſt. 94. 313.
Apologeticæ de admiſſione alienorum Religioſorum, epiſt. 3. 31. 33. 65. 66. 67. 68 253. 293. 382. 395. 396.

Ad Sanctimoniales.

De virginitatis prærogativa, epiſt. 113.
An eremi propoſitum ſanctimoniali conveniat, epiſt. 115.
Congratulatio ad Sanctimonialem, quæ ad meliorem frugem ſe receperat, epiſt. 114.

Pro Abbatibus & ſuperioribus.

De abbatis electione, epiſt. 320. 321.
Paſtoralis officii munia deſcribuntur, epiſt. 201.
Hortatoria ad curam animarum, epiſt. 54.
Ad onera prælaturæ patienter toleranda, epiſt. 73. 260.
Querela de impoſita præfectura, epiſt. 344. 373.
Ad leniter recipiendos errantes, epiſt. 55. 70. 80. 84. 101. 297. 400. 414. 417.
De ejectione incorrigibilium, epiſt. 102.
De monacho indiſciplinato, epiſt. 428.
De novitio dyſcolo, epiſt. 325.
De fundatione monaſteriorum, epiſt. 75. 342.
Pro reformatione monaſteriorum, epiſt. 58. 91. 96. 391.
Congratulatoriæ de ipſa reformatione, epiſt. 78. 142. 254. 369.
Conſolatoria de conatu reformationis fruſtrato, epiſt. 83.
Reſponſoriæ de abdicando onere paſtorali, epiſt. 82. 86. 87.
De amovendo abbate indiſciplinato, epiſt. 444.
Contra eos, qui curam paſtoralem temere abjecerant, epiſt. 141. 233.
Commendatoria pro abbate, epiſt. 394.

EPISTOLÆ VARIÆ.

Pro ſeipſo.

Apologeticæ pro ſeipſo, epiſt. 48. 81. 205. 218. 223. 250. 306. 397.
Retractatoriæ, epiſt. 269. 274.
Urbanæ ſeu familiares, epiſt. 74. 85. 116. 118. 143. 144. 145. 147. 148. 204. 228.
Ad agendas gratiarum actiones, epiſt. 220. 147. 181. 304. 312. 341. 368. 384. 390.
Modeſtæ, epiſt. 18. 72. 123. 135. 146. 153. 218. 223. 265.

Pro aliis.

Pacificæ, epiſt. 36. 97. 121. 136. 157. 148. 200. 253. 301. 397.
Commendatoriæ pro afflictis & pauperibus, epiſt. 35. 37. 38. 39. 40. 56. 227. 352.
Pro amicis, epiſt. 53. 258. 277. 278. 309.
Pro conſanguineo, epiſt. 206.
Pro abbate vexato, epiſt. 231.
Pro alio abbate inope, epiſt. 379.
Pro Religioſis, epiſt. 41. 53. 173. 175. 186. 198. 208. 355. 357. 383.
Conſolatoria de morte amici, epiſt. 374.
Increpatoria, epiſt. 281.

INDEX TRACTATUUM
SEU OPUSCULORUM TOMI II.

I. DE CONSIDERATIONE ad Eugenium Papam, Libri V.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I. *Pontifici tam variis occupationibus preſſo condolet.* 407
II. *Vis conſuetudinis ad inducendos pravos mores & duritiam cordis.* 408
III. *Indignum proceribus Eccleſiæ, continuo cauſis litigantium audiendis & decidendis incumbere.* 409
IV. *Quæ ſervitus digna ſervo ſervorum Dei.* 410
V. *Non gerendam aliorum curam cum ſui ipſius incuria & neglectu.* 411
VI. *Non tam Epiſcopis quàm Principibus judiciariam poteſtatem competere.* ibid.
VII. *Pietati & rerum æternarum conſiderationi in primis vacandum eſſe.* 412
VIII. *Ex pietate & contemplatione pulcherrimam quatuor primarum virtutum harmoniam & connexionem oriri.* 413.
IX. *Veteres Pontifices potius eccleſiaſtica quam ſæcularia munia tractaſſe; neque temere ab eorum inſtitutis & exemplis recedendum.* 414
X. *Abuſus Advocatorum, Judicum, Procuratorum, eorumque fraudes graviter praſtringit.* ibid.
XI. *In Advocatos & Procuratores, qui ex iniquitate quæſtum faciunt, ſevere animadvertendum.* 416

LIBRI II.

CAP. I. *Calamitoſum temporis ſui ſtatum deplorat, & contra maledicos apologiam inſtituit, ob infelicem ſucceſſum expeditionis in terram ſanctam ſuſceptæ.* 415
II. *Conſiderationis à contemplatione diſtinctio.* 417
III. *Conſiderationis quatuor puncta deſignat.* ibid.
IV. *Notitiam ſui ipſius triplici conſideratione ſui complectitur: & primum quidem conſiderationis membrum hic exſequitur.* 418
V. *Alterum membrum conſiderationis ſui proponit: nempe, quis ſit, & unde.* ibid.
VI. *Quale debeat eſſe procerum Eccleſiæ ſtudium: non cogitent dominium ſibi traditum, ſed potius miniſterium.* ibid.
VII. *Reſumens priorem quæſtionem, quis ſit, diligentius expendit* 419
VIII. *De pontificiæ dignitatis & poteſtatis excellentia diſſerit.* 420
IX. *Propria natura conſiderationem, veluti modeſtiæ & omnis virtutis magiſtram, unice commendat.* ibid.
X. *Tertium membrum conſiderationis ſui, nempe qualis ſit, exponit.* 423
XI. *Serium examen ſui Pontifici ſerio commendat.* 424
XII. *Neque in proſperis animum nimis laxandum, neque in adverſis dejiciendum.* ibid.
XIII. *Ab otio & nugis, vaniſque ſermonibus Pontificem dehortatur.* 425
XIV. *Perſonarum acceptionem in judiciis ſummopere vitandam,* 426

LIBRI III.

CAP. I. *Pontificis eſſe, non tam ut omnes ſuo dominio ſubjiciat, ſed ut omnes, quantum fieri poteſt, ad Eccleſiæ gremium perducat* 425
II. *Quis modus in appellationibus ad Sedem apoſtolicam adhibendus ſit.* 428
III. *Præſules Eccleſiæ, non tam ut præſint, ac ſemetipſos paſcant, quam ut aliis proſint, conſtitutos eſſe.* 430
IV. *Gradus ordinum ac dignitatum, quæ in Eccleſia ſunt, non temere confundendos ac perturbandos: hinc abuſum quærendi privilegia ac exemptiones praſtringit.* 431
V. *Summo Pontifici incumbere curam de apoſtolicis decretis, & majorum inſtitutis per totum orbem ſervandis.* 434

LIBRI IV.

CAP. I. *Orditur tractationem de his quæ circa Pontificem ſunt.* 435
II. *De cleri & populi Romani moribus agit: veterum paſtorum curam ac vigilantiam, qui ſe totos ovibus paſcendis impendebant, commendat.* ibid.
III. *Graviter hortatur ad officium veri Paſtoris. Non tam externo ſplendore, quam invicto animi robore contra duros & contumaces gerendum.* 437
IV. *Quales collaterales & coadjutores à Pontifice adhibendi. Præclare hic deſcribit virtutes & mores in Prælatis requiſitos.* 438
V. *Exemplis commendatur abſtinentia munerum: & arrogantia miniſtrorum Papæ praſtringitur.* 440
VI. *Pontifici non convenire, utpote gravioribus intento, rei domeſticæ curam: proindeque alteri potius Œconomo committendam.* 442
VII. *Epilogus ſeu ſumma eorum, quæ in Pontifice requiruntur.* 444

LIBRI V.

CAP. I. *De his quæ ſupra nos ſunt, id eſt, de Deo rebuſque divinis conſiderationem inſtituit: quæ in re totus hic liber conſumitur.* 445
II. *Ponit varios hujus conſiderationis gradus ac ſpecies.* ibid.
III. *Ea quæ ſupra nos ſunt, Deum ſcilicet & Angelos, inveſtigari opinione, fide & intellectu.* 446
IV. *Beati ſpiritus cæli cives, quomodo à nobis conſiderandi & intelligendi.* 447
V. *Gratias ac dotes Angelorum à Deo in ipſos derivari.* 449.
VI. *Principii & eſſentiæ rationem propriè ſoli Deo convenire.* 450
VII. *Deum & ſimplicem, & trinum eſſe.* 254
VIII. *Perſonarum pluralitatem in Deo conſurgere ex proprietatibus; eſſentiam tamen unam & ſimplicem eſſe.* 452
IX. *Ut in Deo ſimplex natura in perſonis tribus eſt, ſic contra in Chriſto plures naturas in unam perſonam coaleſcere.* 453
X. *Parabola, quæ eſt apud Matthæum de tribus ſatis, Chriſti perſonæ accommodatur.* 454
XI. *Continuatio conſiderationis de Deo.* 455
XII. *Deum & bonorum operum pium remuneratorem, & ſcelerum æquiſſimum vindicem eſſe.* ibid.
XIII. *De longitudine, latitudine, profunditate & ſublimitate Dei profunde & eleganter diſcurrit.* 456
XIV. *Modum quo prædicta ſecundum Apoſtolum comprehendere poſſimus, oſtendit.* 457

II. TRACTATUS DE MORIBUS & Officio Epiſcoporum,

Ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum.

ADMONITIO. 459
CAP. I. *Arduum ac periculoſum eſſe munus Epiſcopi, ideoque ei bonis conſiliariis opus.* 461
II. *Honorem & decus dignitatis eccleſiaſticæ non conſiſtere in externo ſplendore, ſed in morum & virtutum decore.* 463
III. *Præſulum potiſſima & digniſſima ornamenta, Caſtitas, Caritas, Humilitas.* 464

IV. *Cura ſinceræ fidei, & caritatis non fictæ Præſuli maxime neceſſaria.* 466
V. *De virtute humilitatis omnibus quidem, ſed prælatis in primis neceſſaria.* 468
VI. *Laus & vera gloria in conſcientia cujuſque repetenda, attamen non ſine formidine, quia Deus eſt ſcrutator & judex cordium.* 469
VII. *Ambitionem eccleſiaſticorum, promotionem juniorum, pluralitatem beneficiorum, & inſatiabilem aſcendendi cupiditatem perſtringit.* 471
VIII. *Humilitatem & modeſtiam Epiſcopo commendat.* 473
IX. *Abbates exemptionibus prepoſtere ſtudentes arguuntur.* 475

III. TRACTATUS DE CONVERSIONE ad Clericos.

Admonitio. 477
Cap. I. *Converſionem vitæ ad ingreſſum vitæ beatæ requiri.* ibid.
II. *Vocem Domini omnibus eſſe obviam, & ad conſcientiæ tribunal etiam invitos pertrahi.* 479
III. *Inſpectione ſui facile deprehendi latentia vitia, & poſt brevem voluptatem, longam ſubſequi amaritudinem animi.* ibid.
IV. *Peccatores tantum animas, ſed & corpora ſua odiſſe, idque non tum primum agnoſcere, cum ſera eſt pœnitentia.* 480
V. *Vermem conſcientiæ utiliter in hac vita ſentiri, dum adhuc poteſt ſuffocari.* 481
VI. *Difficultatem converſionis & luctum peccatoris reſipiſcere patentis pulcherrima hypotypoſi graphicè repræſentat.* ibid.
VII. *Conſolatio animæ agnoſcentis miſeriam ſuam.* 483
VIII. *Carnalis vitæ illecebras & voluptates eſſe omnino vanas, fallaces & momentaneas.* ibid.
IX. *Fruſtra à peccantibus quæri latebras aut ſecretum: cum ubique inſpectores habeant, dæmones accuſatores, Angelos teſtes, Deum judicem.* 485
X. *Non ſolum declinando à malo, ſed & faciendo bonum, ſalutem obtineri.* 486
XI. *Converſi molientes acrius à ſolitis vitiis tentari, non ſine periculo exitii: cui ſalutaris luctus remedio occurrendum.* 487
XII. *Quomodo voluntas ſuaviter inducenda ad amandum & deſiderandum cæleſtia.* ibid.
XIII. *Converſos mira ſuavitate ac deliciis vitæ piæ ac ſpiritualis refici.* 488
XIV. *In terrenis non eſſe ullam ſatietatem niſi faſtidio conjunctam, ac cæleſtium deſideria experiendo ſemper creſcere.* ibid.
XV. *Quomodo purganda memoria à peccatorum ſordibus, nempe fiducia divinæ miſericordiæ.* 489
XVI. *Miſericordiam divinam obtineri, miſerendo ſibi ipſi primum, deinde proximo.* 490
XVII. *Oculos cordis continuo mundandos, ut Deus videri poſſit.* ibid.
XVIII. *Pacificos merito beatificari nomine Filiorum Dei.* 491
XIX. *Graviter perſtringit ambitioſos, qui temere & indigne ſacras Eccleſiæ functiones uſurpant.* ibid.
XX. *Incontinentiam & abominandam libidinem quorumdam in Clero gravi oratione perſtringit.* 492
XXI. *Serio cohortatur ad pœnitentiam.* 493
XXII. *Bonorum Paſtorum eſt, docere, nec fugere perſecutiones propter juſtitiam.* 494

IV. TRACTATUS DE PRÆCEPTO & diſpenſatione.

Admonitio. 495
Epiſtola ad Abbatem Columbenſem de opere ſequenti. 496
Cap. I. *An monaſticæ Regulæ inſtituta præcepta ſint, an conſilia dumtaxat.* 500
II. *In conſtitutionibus majorum non temere, nec niſi majoris utilitatis & caritatis cauſa diſpenſandum, idque à ſolis Prælatis.* 501
III. *Diſpenſationem in lege divina ſoli Deo reſervatam eſſe. At quæ ſunt leges æternæ, omnino etiam Deo eſſe immutabilia.* 502
IV. *Quid Prælatis circa diſpenſationem Regulæ liceat, ſive quam cauti & moderati meminerint diſpenſationibus.* 503
V. *Legem Obedientiæ non eſſe extendendam a Prælatis ultra limites profeſſionis, neque citra contrahendam.* 504
VI. *Religioſum profeſſionis cupidum non debere obedientiam intra certos profeſſionis limites conſtringere.* 505
VII. *Obedientiæ gradus & inobedientiæ gravitas quomodo noſcenda.* ibid.
VIII. *Gravius peccari legum contemptu, quàm neglectu.* 508
IX. *Prælato mandanti tamquam Deo obediendum eſſe.* ibid.
X. *Obedientiam non eſſe gravem & moleſtam, niſi imperfectis, invitis & carnalibus; ceteris ſuavem & facilem.* 509
XI. *Præcepta eſſe imparia, adeoque tranſgreſſione non parem contrahi culpam.* 510
XII. *In Regula æque ac lege divina diſparitatem inobedientiæ, ſive graviorem ac leviorem culpam agnoſcendam.* 511
XIII. *Refellit monachos, difficultatem vel etiam impoſſibilitatem obedientiæ religioſæ nimium exaggerantes.* 512
XIV. *Cur conſcientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.* 514
XV. *An quantum obedientia valet ad meritum, tantum inobedientia valeat ad demeritum.* 515
XVI. *Loci ſtabilitas profeſſione firmata quatenus tenenda, ſeu tranſitus, & mutatio monaſterii quando probanda.* ibid.
XVII. *Ad dubia quædam ex Patribus reſpondet.* 520
XVIII. *Morte Abbatis nihil libertatis accedere profeſſis ad mutandum locum.* 521
XIX. *Ad alia quædam dubia paucis reſpondet.* 522
XX. *Binas Pauli ſententias in ſpeciem pugnantes conciliat.* ibid.

V. APOLOGIA DE VITA & moribus Religioſorum.

Admonitio. 523
Præfatio *ad Guillelmum abbatem S. Theoderici.* 526

I. Pars Contra Ciſtercienſium obtrectationes.

Cap. I. *Profitetur ſe ſuoſque ab obtrectatione religioſi Ordinis prorſus alienos.* 527
II. *Purgat ſeſe S. Bernardus, & Ordinem Cluniacenſium commendat.* 528
III. *Varietas religioſorum Ordinum in Eccleſia non improbatur; ſed ſi vinculo caritatis uniantur.* 529
IV. *Se ceteros omnes Ordines caritate, unum profeſſione tenere.* 530
V. *Religioſos aliorum Ordinum æmulos & obtrectatores acri ſtilo aggreditur.* 531
VI. *Arguit temere judicantes & calumniantes modum vivendi Cluniacenſium.* 532
VII. *Spiritualis exercitatio fructuoſior corporali.* 533

II. Pars Contra Cluniac. ſuperfluitates.

VIII. *Mollem & diſſolutam Religioſorum vitam acriter inſectatur.* 534
IX. *De zelo antiquorum Monachorum: quantum ab eo deflexerint plerique poſterorum, delapſi ad curam ventris, carniſque delicias.* 535
X. *Veſtium ornatum luxumque in Religioſis perſequitur.* 537.
XI. *De cauſa cur ſubditorum vitia ſuperiores non corrigant.* 538
XII. *Luxum & abuſum in Templis & Oratoriis extruendis & ornandis perſtringit.* ibid.
XIII. *Concludens Apolog. modos & media mutuæ caritatis & pacis fovendæ ſummatim colligit, denique tranſfugas inſtabilitatis notat.* 540

VI. TRACTATUS DE LAUDE novæ militiæ, ad Milites Templi.

Admonitio. 541
Prologus *ad Hugonem Magiſtrum militiæ.* 543

Cap. I. *Novum militiæ genus deprædicat, & ſimul egregia militibus omnibus monita ſuggerit.* ibid.
II. *Militiam ſæculi abuſum, ac vanitatem præſtringit.* 545
III. *Encomia ſacræ militiæ novos Milites incitat, & accendit adverſus infideles.* 546
IV. *Formam vivendi Militum, id eſt, quales domi militiæque, deſcribit.* 547
V. *Novi templi gloriam veteris magnificentia præcellere, & improbos paſſim ex toto orbe ad ſe quaſi ad pœnitentiæ aſylum allicere.* 548
VI. *De Bethleem.* 550
VII. *De Nazareth.* ibid.
VIII. *De Monte Oliveti & valle Joſaphat.* 551
IX. *De Jordane.* ibid.
X. *De loco Calvariæ.* 552
XI. *De Sepulcro* ibid.
XII. *De Bethphage.* 556
XIII. *De Bethania.* 557

VII. TRACTATUS DE GRADIBUS Humilitatis & Superbiæ.

Admonitio & Retractatio. 557
Præfatio *ad Godefridum Priorem ſuum.* 559

I. Pars De Gradibus Humilitatis.

Cap. I. *Chriſtum eſſe viam Humilitatis, qua pervenitur ad veritatem.* ibid.
II. *Quo fructu aſcendantur Gradus Humilitatis.* 560
III. *Quo ordine gradus humilitatis ad propoſitum bravium veritatis perducant, &c. quomodo Chriſtus per paſſionem didicit miſericordiam.* 561
IV. *Primus veritatis Gradus eſt, primum ſe ipſum attendere, ſeu propriam miſeriam & infirmitatem agnoſcere.* 564
V. *Secundus Gradus veritatis eſt, ex agnitione propriæ infirmitatis, compati miſeriæ proximi.* 566
VI. *Tertius Gradus veritatis eſt, mundare oculum cordis ad contemplanda cæleſtia & divina.* ibid.
VII. *Tres Gradus veritatis jam expoſiti in operatione Sanctiſſimæ Trinitatis adumbrantur.* 567
VIII. *Gradus iidem in raptu S. Pauli declarantur.* 568
IX. *Gemitus & ſuſpiria S. Bernardi, ad aſcenſum per gradus veritatis anhelantis.* 569

II. Pars De XII. gradibus Superbiæ.

X. *De primo Superbiæ gradu, qui eſt Curioſitas.* 571
XI. *De ſecundo, qui eſt Levitas animi.* 575
XII. *De tertio, Inepta lætitia.* ibid.
XIII. *De quarto, Jactantia.* 576
XIV. *De quinto, Singularitate.* ibid.
XV. *De ſexto, Arrogantia.* 577
XVI. *De ſeptimo, Præſumptione.* ibid.
XVII. *De octavo, Defenſione peccatorum.* ibid.
XVIII. *De nono, ſimulata Confeſſione.* ibid.
XIX. *De decimo, Rebellione.* 578
XX. *De undecimo, Libertate peccandi.* 579
XXI. *De duodecimo, Conſuetudine peccandi.* Ibid.
XXII. *An & quomodo orandum pro deſperatis & mortuis ſecundum animam.* ibid.

VIII. TRACTATUS DE DILIGENDO Deo.

Admonitio. 581
Ad Haimericum Cardinalem, 583
Cap. I. *Quare & quomodo diligendus ſit Deus.* ibid.
II. *Deus quantopere ab homine mereatur amari, ob bona tum corporis, tum animæ. Quomodo ea agnoſcenda & habenda citra donantis injuriam.* 585
III. *Chriſtiani quantos habeant ſtimulos amandi Deum præ infidelibus.* 586
IV. *Quinam hominum ex Dei recordatione conſolationem capiant; quive magis ad ejus amorem idonei.* 588
V. *Chriſtiano quantum incumbat debitum amoris.* 589
VI. *Brevis anacephalæoſis & ſumma prædictorum.* 590
VII. *Non ſine fructu & præmio diligi Deum, & terrenis non ſatiari humani cordis appetitum.* 591
VIII. *Unde incipiat amor noſter, ſeu de primo gradu amoris, quo diligit homo ſe propter ſe.* 593
IX. *De ſecundo & tertio gradu Amoris.* 594
X. *De quarto gradu Amoris, cum nec ſe ipſum diligit homo, niſi propter Deum.* 595
XI. *Quod perfecta felicitas animarum reſurrectioni reſervetur.* 596
XII. *De caritate, ex Epiſt. ad Carthuſianos ſcripta.* 598
XIII. *De lege propriæ voluntatis & cupiditatis ſervorum & mercenariorum.* 599
XIV. *De lege caritatis filiorum.* 600
XV. *De quatuor gradibus Amoris & felici ſtatu Patriæ cæleſtis.* ibid.

IX. TRACTATUS DE GRATIA & libero arbitrio.

Admonitio. 601
Præfatio *ad Guillelmum abbatem S. Theoderici.* 603
Cap. I. *Ad boni operis meritum, una cum gratia Dei concurrere liberi arbitrii conſenſum.* ibid.
II. *Quid liberum arbitrium, ſeu qua in re libertas conſiſtat.* 604.
III. *Triplicem eſſe libertatem. Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.* 605
IV. *Qualis libertas competat animabus ſanctis carne ſolutis: Qua Deo & omni creaturæ rationali indifferenter.* 607
V. *An libertas a miſeria, quæ etiam vocatur complacitis, detur in hoc ſæculo* 608
VI. *Ad velle bonum gratiam omnino eſſe neceſſariam.* 609
VII. *Utrum primi homines in paradiſo trina illa libertate potiti fuerint.* 611
VIII. *Libertatem arbitrii remanere poſt peccatum.* 612
IX. *Imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam conditi ſumus, in triplici libertate conſiſtere.* 614
X. *Similitudinem divinæ imaginis in nobis reformari per Chriſtum.* 615
XI. *Libero arbitrio nihil derogare ſive per gratiam trahentem ad bonum, ſive per tentationem impellentem ad malum.* 617
XII. *An negans fidem metu mortis ac pœnarum excuſetur à culpa, vel deſtituatur libero arbitrio. Ubi negatio Petri diſcutitur.* ibid.
XIII. *Merita hominis eſſe mera munera Dei.* 619
XIV. *Quid gratiæ, quid libero arbitrio in negotio ſalutis attribuendum.* 621

X. TRACTATUS AD HUGONEM DE S. Victore, De quæſtionibus ab ipſo propoſitis.

Admonitio. 623
Cap. I *Duram nimis, & à ratione alienam eſſe ſententiam, qua aſſeritur, actualem Baptiſmi ſuſceptionem ſimpliciter eſſe ad ſalutem neceſſariam.* 625
II. *Baptiſmi obligationem cœpiſſe primùm poſt ſufficientem ejus promulgationem.* 627
III. *Juſtos vet. Teſt. non tam claram habuiſſe notitiam futurorum myſteriorum fidei, quam nos habemus præteritorum.* 630
IV. *Oſtendit dari peccatum per ignorantiam, contra aſſertionem contrariæ opinionis.* 632
V. *Sententiam quamdam ſuam male acceptam, à calumnia vindicat.* 633

XI. TRACTATUS DE ERRORIBUS PETRI Abaëlardi in Synodo Senonenſi damnatis,

Ad Innocentium II. Pontificem.

Admonitio. 635
Capitula hæreſum Petri Abaëlardi. 639
Cap. I. *Impia Abaëlardi dogmata de SS. Trinitate recenſet, &c.* 644
II. *In Trinitate non eſſe admittendam ullam diſparitatem, ſed omnimodam æqualitatem.* 646
III. *Abſurdum dogma Abaëlardi de nominibus abſolutis & eſſentialibus in Trinitate oppugnat.* 647
IV. *Refellit definitionem fidei qua docet Abaël. Fidem eſſe æſtimationem.* 649

INDEX TRACTATUUM S. BERNARDI.

V. *Arguit Abælardum ſua ſenſa aut ſomnia unanimi Patrum ſententiæ præferentem.* 650
VI. *Deum in opere liberationis humanæ non ſolum miſericordia, ſed & juſtitia uſum.* 652
VII. *Abælardum perſtringit, impie ac temere Dei ſecreta ſcrutantem & extenuantem* 653
VIII. *Quare Chriſtus tam gravem ac laborioſum nos liberandi modum ſuſceperit.* 654
IX. *Chriſtum veniſſe in mundum non ſolius inſtructionis noſtræ, ſed & liberationis cauſa.* 656

XII. TRACTATUS DE VITA ET REBUS Geſtis S. Malachiæ Hiberniæ epiſcopi.

PRÆFATIO *ad Congannum abbatem Suriensem*, 657
CAP. I. *Pueritia & adoleſcentia S. Malachiæ.* 659
II. *Religioſæ vitæ tirocinium.* 660
III. *Ordinibus initiatus vices gerit Epiſcopi.* 651
IV. *Malcho epiſcopo plenius inſtituendus adhæret.* 652
V. *Sorori defunctæ ſacrificii oblatione ſuccurrit* 663
VI. *Monaſterium Benchorenſe deſolatum reſtaurat.* 664
VII. *Diſenteria laborantium curae.* 665
VIII. *Epiſcopatum Conretenſem, licet invitus, ſuſcipit* ibid.
IX. *Monaſterium Ibracenſe conſtruit.* 666
X. *Fit archiepiſcopus ſeu primas Hiberniæ.* 667
XI. *Inſidias evadit incolumis, auctoribus male perditis.* 668
XII. *Hoſtes ſeu æmulos, in ipſum armatos, virtute animi & conſtantia in Domini fide lenit, ſibique conciliat.* 669
XIII. *Deus Malachiæ detractores punit.* 671
XIV. *Sedem metropolitanam paci redditam reſignat.* ibid.
XV. *Romam proficiſci deſiderat, pallium à Pontifice petiturus* 672
XVI. *Romam tendens, & inde rediens, Claram-vallem viſitat.* 673
XVII. *Diverſa beneficia ſanitatum per eum collata.* 674
XVIII. *Reverſus in patriam, totus iura paſtorali & reformationi incumbit.* 675
XIX. *Virtutum ejus inſignia, & mores vero præſule digni.* 676
XX. *Energumenos vexatos à dæmonibus liberat.* 677
XXI. *Beneficia moribundis & parturientibus præſtita* 678
XXII. *Concubinario obſtinato exitium denuntiat.* ibid.
XXIII. *Varia ſanitatum beneficia variis præſtita.* 679
XXIV. *Feminam ſine ſacramento Extremæ-unctionis defunctam reſuſcitat.* 680
XXV. *Alia diverſa beneficia in diverſos collata.* 681
XXVI. *Veritatem corporis Chriſti in euchariſtia propugnat.* 682
XXVII. *Pacem & concordiam inter diſſidentes mirabiliter conciliat.* 683
XXVIII. *Sacrum ædificium moliens, adverſarium patitur, ſed mox ultione divina correptum.* 684
XXIX. *Claret prophetiæ ſpiritu, & omni miraculorum gratia.* 686
XXX. *Locum & diem mortis ſuæ prædicit, & cauſa pallii denuo iter ad papam Eugenium ſuſcipit.* 687
XXXI. *Rurſum Claram-vallem venit, moriturus loco & tempore quo deſideraverat* 689

XIII. TRACTATUS DE RATIONE CANTUS.

ADMONITIO. 691
JOHANNIS BONÆ *epiſtola.* 693
S. Bernardi epiſtola Tractatui præmiſſa. ibid.
TRACTATUS. 693

INDEX SERMONUM TOMI TERTII.

SERMONES DE TEMPORE.

In Adventu Domini.

I. *DE adventu Domini & ſex circumſtantiis ejus.* 717
II. *De verbis Iſaiæ ad Achaz*, Pete tibi ſignum à Domino, *&c.* 721
III. *De triplici Domini adventu, & de ſeptem columnis, quas in nobis erigere debemus.* 723
IV. *De duplici adventu, & ſtudio verarum virtutum.* 725
V. *De medio adventu, & triplici innovatione.* 728
VI. *De triplici adventu, & carnis reſurrectione.* 729
VII. *De triplici utilitate adventus Domini.* 731
HOMILIÆ IV. *in* Miſſus eſt. 732. & ſeqq.

In vigilia Nativitatis Domini.

I. *De pronuntiatione Martyrologii.* 755
II. *De eo quod ſcriptum eſt*, O Juda & Jeruſalem, *&c* 757
III. *In illud*, Hodie ſcietis *&c.* 760
IV. *De medicina lævæ, & deliciis dexteræ Excelſi.* 765
V. *In illud*, Sanctificamini hodie, *&c.* 769
VI. *De annuntiatione ipſius.* 771

In Nativitate Domini.

I. *De fontibus Salvatoris.* 776
II. *De tribus præcipuis Dei operibus, & triplici commixtione.* 779
III. *De loco, tempore & aliis circumſtantiis nativit.* 781
IV. *De eo quod paſtores invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.* 784
V. *De verbis Apoſtoli*, Benedictus Deus, *&c.* 785

In nativitate Innocentium.

I. *De quatuor ſollemnitatibus Nativitatis Domini, ac SS. Stephani, Johannis & Innocentium.* 787

In Circumciſione Domini.

I. *De lectione Evangelica*, Poſtquam conſummati ſunt, *&c.* 788
II. *De variis ejus nominibus.* 790
III. *De die octavo* 792

In Epiphania Domini.

I. *De verbis Apoſtoli*, Apparuit benignitas, *&c.* 795
II. *De Magis, ubi exponitur illud de Canticis*. Egredimini filiæ Sion, *&c.* 799
III. *De lectione evangelica*, Ubi eſt qui natus eſt, *&c.* 807

In octava Epiphaniæ.

I. *De circumciſione, baptiſmo & verbo Domini ad Johannem*, Nos decet implere, *&c.* 804

Dominica I. poſt octavam Epiphaniæ.

I. *De miraculo facto in nuptiis, & de eo quod Dominus ait*. Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus, *&c.* 805
II. *De ſpiritualibus nuptiis in evangelica hiſtoria deſignatis.* 807

In Septuageſima.

Sermo I. 810
II. *De eo quod ſcriptum eſt*, Immiſit Dominus ſoporem in Adam, *&c.* 813

In capite Jejunii & Quadrageſima.

I. *Quid ſit ungere caput, & faciem lavare.* 814
II. *Quomodo debemus converti ad Dominum.* 816
III. *De jejunio Quadrageſimæ.* 819
IV. *De oratione & jejunio.* 820
V. *De triplici modo orationis.* 822
VI. *De oratione Dominica.* 824
VII. *De peregrino, mortuo & Crucifixo.* 826
IN PSALMUM Qui habitat *Sermones XVII.* 827. & ſeqq.

Dominica Palmarum.

I. *De tribus ordinibus obſequentium Chriſto.* 878
II. *De paſſione, & proceſſione, & quatuor ordinibus proceſſionis.* 879

INDEX SERMONUM S. BERNARDI.

III. *De quinque diebus, proceſſionis, refectionis, paſſionis, requietionis, & reſurrectionis.* 882

Feria IV. hebdomadæ ſanctæ.

I. *De paſſione Domini.* 884

In cœna Domini.

I. *De baptiſmo, ſacramento altaris, & ablutione pedum.* 890

In die ſancto Paſchæ.

I. *De ſeptem ſignaculis, quæ ſolvit Agnus.* 892

In tempore Reſurrectionis ad Abbates.

II. *De lectione evangelica*, Maria Magdalene, *&c.* 899
III. *De miſſione Naaman ſepties in Jordane.* 902

In octava Paſchæ.

I. *De fide vivente, & tribus teſtimoniis in cælo & in terra.* 905.
II. *De tribus teſtimoniis.* 908

In Rogationibus.

De tribus panibus. 910

In Aſcenſione Domini.

I. *De evangelica lectione*, Recumbentibus undecim diſcipulis, *&c.* 910
II. *Quomodo aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia.* 912
III. *De intellectu & affectu* 914
IV. *De duabus malis aſcenſionibus, dæmonis & primi hominis; & ſex bonis, Chriſti, & noſtris.* 917
V. *De intellectu & affectu.* 923

In feſto Pentecoſtes.

I. *Quomodo Spiritus-ſanctus tria operatur in nobis.* 928
II. *De operibus Trinitatis ſuper nos, & de triplici gratia Spiritus-ſancti.* 930
III. *De multiplici operatione Spiritus-ſancti in nobis.* 933

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

I. *De David & Golia, & quinque lapidibus.* 936

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

I. *De evangelica lectione, ubi turba triduo ſuſtinens Dominum ſeptem panibus reficitur.* 938
II. *De ſeptem miſericordiis.* 939
III. *De fragmentis ſeptem miſericordiarum.* 942

Dominica I. Novembris.

I. *De verbis Iſaiæ*, Vidi Dominum, *&c.* 943
II. *De verbis Iſaiæ Prophetæ*, Plena erat, *&c.* 945
III. *De aliis verbis Iſaiæ*, Seraphin ſtabant, *&c.* 946
IV. *Item in eadem verba.* 948
V. *Item de verbis Iſaiæ.* 950

SERMONES DE SANCTIS.

In Converſione S. Pauli.

I. *Quomodo ad exemplum ejus converti debemus.* 955
Sermo II. 958

In Purificatione B. Mariæ.

I. *De triplici miſericordia.* 959
II. *De ordine & modo proceſſionis Chriſti in templum.* 961
III. *De Patre, Maria & Joſeph.* 962

In natali S. Victoris Confeſſoris.

Sermo I. 963
Sermo II. 965

In natali S. Benedicti.

Sermo unicus. 967

In feſto Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

I. *De verbis Pſalmi*, Ut inhabitet gloria, *&c.* 971
II. *De ſeptiformi Spiritu in Chriſto.* 977
III. *De Suſanna & B. Maria.* 979

In nativitate S. Johannis.

Sermo unicus. 983

In vigilia SS. Petri & Pauli.

Sermo unicus. 987

In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

I. *De triplici cuſtodia, quam Apoſtoli habent ſuper nos; & de tribus gradibus converſationis noſtræ.* 988
II. *Item de eiſdem* 991
III. *De lectione Sapientiæ*. Iſti ſunt viri miſericordiæ, *&c* 993

In aſſumptione B. Mariæ.

I. *De gemina ſuſceptione, Chriſti ſcilicet & Mariæ.* 995
II. *De anima mundanda, ornanda, implenda.* 997
III. *De Maria, Martha & Lazaro.* 1000
IV. *De quatriduo Lazari, & præconio Virginis.* 1003

Dominica infra octavam Aſſumptionis.

I. *De duodecim prærogativis B. Mariæ ex verbis Apocalypſis*, Signum magnum apparuit in cælo, *&c.* 1006

In nativitate B. V. Mariæ.

I. *De aquæ-ductu.* 1012

In feſto S. Michaëlis.

I. *De Angelorum erga nos cuſtodia, & de noſtra erga ipſos reverentia.* 1019
II. *In illud*, Qui ſcandalizaverit unum de puſillis, *&c.* 1024.

In feſto omnium Sanctorum.

I. *De lectione Evangelica*, Videns Jeſus turbas, *&c.* 1025
II. *De ſtatu Sanctorum ante reſurrectionem.* 1030
III. *Quomodo animæ ſanctæ erunt ſine macula & ruga.* 1033
IV. *De ſinu Abrahæ, &c.* 1035
V. *De eodem feſto.* 1038

In tranſitu S. Malachiæ Epiſcopi.

Sermo I. 1043
Sermo II. 1046

In feſto S. Martini.

I. *De exemplis obedientiæ.* 1049

De S. Clemente Papa & Martyre.

I. *De tribus aquis.* 1055

In Vigilia S. Andreæ.

I. *Quomodo jejuniis prævenire debeamus feſtivitates ſanctorum.* 1058

In feſto S. Andreæ.

I. *De tribus generibus piſcium, qui ſunt in mari, in flumine, in ſtagno.* 1060
II. *De quatuor cornibus crucis.* 1063

In obitu domni Humberti.

Sermo unicus. 1066

In dedicatione Eccleſiæ.

I. *De quinque ſacramentis Dedicationis.* 1070
II. *Quomodo & nobis, & aliis cohærere debeamus.* 1072
III. *De triplici apparatu, quem habemus ad cuſtodiam Dei.* 1074
IV. *De triplici manſione.* 1075
V. *De gemina conſideratione ſui.* 1078
VI. *De reverentia ſacris locis debita.* 1081

SERMONES DE DIVERSIS.

I. *De fallacia & brevitate vitæ præſentis.* 1082
II. *De obedientia, patientia, & ſapientia, &c.* 1087

INDEX SERMONUM S. BERNARDI.

III. *De cantico Ezechiæ regis:* Ego dixi in dimidio dierum meorum, *&c.* 1090
IV. *De quærendo Deo, & de triplici vinculo, quo cohæremus Deo.* 1094
V. *De verbis Abacuc,* Super cuſtodiam meam ſtabo, *&c.* 1096.
VI. *De cute, carne, & oſſibus animæ.* 1098
VII. *De triplici gloria, in illud Apoſtoli:* Qui gloriatur, *&c.* 1099
VIII. *De diverſis affectionibus vel ſtatibus, quibus anima eſt ſub Deo.* 1101
IX. *De verbis Apoſtoli,* Inviſibilia Dei à creatura mundi, *&c.* 1104
X. *De vita, & quinque ſenſibus animæ.* 1106
XI. *De duplici baptiſmo, & de relinquenda propria voluntate.* 1107
XII. *De primordiis, mediis, & noviſſimis, in illud Eccleſiaſtici,* Memorare noviſſima tua, *&c.* 1108
XIII. *De triplici miſericordia & quatuor miſerationibus.* 1110.
XIV. *De ſeptem donis Spiritus-ſancti contra ſeptem vitia.* 1111
XV. *De quærenda ſapientia.* 1113
XVI. *De triplici genere bonorum, & vigilantia ſuper cogitationibus.* 1115
XVII. *De triplici cuſtodia, manus, linguæ, & cordis.* 1118.
XVIII. *De gaudio ſpirituali ſeu de verbis Apoſtoli,* Non eſt regnum Dei eſca & potus, *&c.* 1121
XIX. *Item de eodem.* 1122
XX. *De verbis Domini,* Omnis qui ſe exaltat, *&c.* 1124
XXI. *De verbis ſapientiæ,* Juſtum deduxit Dominus, *&c.* 1126
XXII. *De quadruplici debito.* 1127
XXIII. *De diſcretione ſpirituum.* 1130
XXIV. *De multiplici utilitate verbi Dei.* 1133
XXV. *De verbis Apoſtoli,* Volo primum fieri obſecrationes, *&c.* 1134
XXVI. *De voluntate noſtra divinæ voluntati ſubjicienda.* 1137.
XXVII. *Contra peſſimum vitium ingratitudinis.* 1139
XXVIII. *De eo quod legitur in Job,* In ſex tribulationibus liberabit te, *&c.* 1142
XXIX. *De triplici dilectione Dei.* 1145
XXX. *De ligno, fœno, & ſtipula.* 1147
XXXI. *De ſollicita cura cogitationum,* ibid.
XXXII. *De triplici judicio, proprio, humano, & divino.* 1148.
XXXIII. *De verbis pſalmi,* Quis aſcendet in montem Domini, *&c.* 1150
XXXIV. *De verbis Origenis.* 1151
XXXV. *De tribus ordinibus Eccleſiæ, ad Patres in Capitulo habitus.* 1153
XXXVI. *De altitudine & baſſitudine cordis.* 1158
XXXVII. *I. In labore meſſis de verbis Pſalmi,* Hæc eſt generatio quærentium Dominum, *&c.* 1160
XXXVIII. *II. In labore meſſis in illud Apoſtoli,* Diligentibus Deum, *&c.* 1163
XXXIX. *III. In labore meſſis, de duabus menſis ſeu de ſuperiori & inferiori irriguo.* 1164
XL. *De ſeptem gradibus Confeſſionis.* 1165
XLI. *De virtute obedientiæ, & ſeptem ejus gradibus.* 1170.
XLII. *De quinque negotiationibus, & quinque regionibus.* 1075
XLIII. *De magnanimitate, longanimitate, unanimitate.* 1178.
XLIV. *De his in quibus myſteria Chriſti necdum videntur impleta.* 1179
XLV. *De varia Trinitate, Dei ſcilicet & hominis.* 1180
XLVI. *De virginitatis & humilitatis connexione.* 1081
XLVII. *De quadruplici ſuperbia.* 1082
XLVIII. *De paupertate voluntaria.* 1083
XLIX. *De triplici verbo.* ibid.
L. *De affectionibus rectè ordinandis.* ibid.
LI. *De Mariæ Purificat. & Chriſti Circumciſione.* 1185
LII. *De domo divinæ ſapientiæ, id eſt Virgine Maria.* 1186.
LIII. *De nominibus Salvatoris.* 1181
LIV. *De apparitione Chriſti.* 1187
LV. *De ſex hydriis ſpiritualibus.* ibid.
LVI. *De hydriis myſticis implendis triplici timore.* 1189
LVII. *De ſeptem donis ſignaculis per Chriſtum ſolutis.* 1190
LVIII. *De tribus mulieribus mortuum ungentibus, id eſt mente, manu, lingua ſalutem proximi curantibus* ibid.
LIX. *De tribus partibus hominis ſpiritualis.* 1191
LX. *De Chriſti, utroque noſtro deſcenſu & aſcenſu.* ibid.
LXI. *De quatuor montibus aſcendendis.* 1193
LXII. *De varia & vera ſequela Chriſti.* 1194
LXIII. *De tribus modis recuperandæ beatitudinis à Chriſto præſcriptis, in illud,* Qui vult venire poſt me, *&c.* ibid.
LXIV. *De pretioſa vita & morte ſanctorum.* ibid.
LXV. *De connexione triplicis parabolæ apud Matthæum.* Simile eſt regnum cælorum theſauro, *&c.* 1195
LXVI. *De octo beatitudines oppoſitis totidem peccatis.* ibid.
LXVII. *De duplicibus legis præceptis, moralibus & figuralibus.* 96
LXVIII. Idem cum xxxii. de diverſis. ibid.
LXIX. *De triplici renovatione triplicis vetuſtatis.* 1197
LXX. *De vigilantia & ſollicitudine curanda ſalutis.* ibid.
LXXI. *Ex parvis uti & ſequentes.* 1198
LXXII. ibid.
LXXIII. 1200
LXXIV. 1201
LXXV. ibid.
LXXVI. ibid.
LXXVII. 1203
LXXVIII. Ibid.
LXXIX. 1203
LXXX. ibid.
LXXXI. ibid.
LXXXII. 1204
LXXXIII. Ibid.
LXXXIV. 1205
LXXXV. ibid.
LXXXVI. 1206
LXXXVII. *De oſculo ſponſi ſeu gratia contemplationis.* ibid.
LXXXVIII. *De recto uſu donorum Dei.* 1208
LXXXIX. *De oſculo a ſponſa deſiderato, id eſt Spiritu-ſancto.* 1209
XC. *De triplici unguento, compunctionis, devotionis, pietatis.* ibid.
XCI. *De tribus emiſſionibus.* 1211
XCII. *De triplici introductione, in hortum, in cellarium, & in cubiculum.* 1214
XCIII. *In illud,* Dentes tui ſicut greges tonſarum. 1215
XCIV. *De proceſſu vitæ Chriſtianæ ſeu ſpiritualis juxta tropologiam Eliæ, Jeſabel fugientis.* 1216
XCV. *De doctrinæ amaritudine per prædicatores temperanda.* 1217
XCVI. *De quatuor fontibus Salvatoris, & aquis inde hauriendis.* 1218
XCVII. *De ſuavitate verbi ac jugi Chriſti, foris quidem duri, ſed intus dulciſſimi.* 1220
XCVIII. *De filiis pacis, in quibus habitat Deus.* 1222
XCIX. *De quatuor generibus hominum cælum obtinentium.* ibid.
C. *De diſcrimine inter plebem & præſulem.* 1223
CI. *De quatuor modis diligendi.* ibid.
CII. *De modo redeundi ad Deum.* 1224
CIII. *De quatuor gradibus, quibus electorum profectus diſtinguitur.* ibid.
CIV. *De quatuor impedimentis Confeſſionis.* 1226
CV. *De requiſitis ad juſtificationem & ſalutem.* ibid.
CVI. *De tribus ad agendam pœnitentiam neceſſariis.* 1227.
CVII. *De affectionibus orantium.* 1228
CVIII. *De ſpirituali minutione ſanguinis.* 1229
CIX. *De inani ſplendore virtutum cavendo.* ibid.

CX. *De allocutione hominis ad ſeipſum vel animam ſuam.* 1229.
CXI. *De fide, vita & moribus conteſtandis, ſeu de ſex teſtimoniis Deo perhibendis.* 1230
CXII. & ſeqq. ſexdecim ſermones ex editione Pamelii. 1232. & ſeqq.
S. Bernardi Sententiæ. 1238
Alia Sententia. 1241
Parabolæ S. Bernardo adſcriptæ.
I. *De pugna ſpirituali.* 1245
II. *De fide, ſpe, & caritate.* 1254
Confessionis privatæ formula. 1256
Officium *de S. Victore Confeſſore.* 1257

Tomus IV. *continet Sermones in Cantica, numero* LXXXVI. *quorum Index ſuo loco præmittitur.*
In Appendice *Chronologia Bernardina.* I
Cenſura Stephani abbatis Ciſtercienſis ſecundi de aliquot locis bibliorum. XL
Decretum Capituli generalis Ciſtercienſis de emendatione lectionis Evangelii in Dominica Palmarum. XII
Notæ fusiores *in S. Bernardum.* XIII
Index Notarum.
Index locorum ſacræ Scripturæ voluminis primi.
Index copioſiſſimus rerum & verborum, quæ in volumine primo continentur.

FINIS CONTENTORUM IN VOLUMINE PRIMO.

SANCTI
BERNARDI
ABBATIS
CLARÆ-VALLENSIS
OPERUM
TOMUS PRIMUS

EPISTOLAS NUMERO CCCC XLIV·
Complectens.

S. BERNARDI

SANCTI BERNARDI ABBATIS CLARÆVALLENSIS EPISTOLÆ.

Ad Robertum nepotem [a] ſuum, qui de Ordine Ciſtercienſi tranſierat ad Cluniacenſem.

EPISTOLA I.

Robertum conſanguineum, qui vel horrore ſtrictioris regulæ, ſeu vitæ laxioris illecebrâ, vel etiam blanditiis & ſubdolis aliorum ſuſurriis inductus à Ciſtercienſibus ad Cluniacenſes tranſierat, mirâ caritate & affectu pluſquam paterno revocat.

1. Satis [b] & pluſquam ſatis ſuſtinui, dilectiſſime fili Roberte, ſi fortè Dei pietas, & tuam per ſe, & meam per te animam dignaretur inviſere: tibi ſcilicet inſpirando ſalutarem compunctionem, mihique de tua ſalute lætitiam. Sed quoniam uſque adhuc fruſtratum me cerno ab exſpectatione mea: jam non valeo tegere dolorem meum, anxietatem reprimere, diſſimulare triſtitiam. Unde & contra juris ordinem cogor revocare læſus eum qui me læſit; ſpretus requirere contemptorem; injuriam paſſus, injuriatori ſatisfacere; rogare denique, à quo rogari debueram. Dolor quippe nimius non deliberat, non verecundatur, non conſulit rationem, non metuit dignitatis damnum, legi non obtemperat, judicio non acquieſcit, modum ignorat & ordinem: id omnimodo & ſolummodo ſatagente animo, quo vel careat, quod ſe dolet habere; vel habeat, quo ſe dolet carere. At, inquis, nec læſi quempiam, nec ſprevi: ſed ſpretus potiùs ego, ac multifarie læſus, tantum fugi malefactorem meum. Cui injuriam feci, ſi injurias fugi? Annon expedit cedere perſecutori, quàm reſiſtere? fugere ferientem, quam referire? Recte: aſſentio. Non ut contenderem cœpi hæc, ſed ut contentionem dirimerem. Fugere perſecutionem non eſt culpa fugientis, ſed perſequentis. Non contradico. Omitto quod factum eſt, non requiro cur, vel quomodo factum eſt: culpas non diſcutio, non retracto cauſas, non recordor injurias. Solent enim hæc magis inſtigare, quàm mitigare diſcordias. Solum quod mihi magis eſt cordi, loquor. Me miſerum, quòd te careo, quòd te non video, quòd ſine te vivo, pro quo mori, mihi vivere eſt; ſine quo vivere, mori. Non igitur quæro cur abieris, ſed quòd jam non redieris, queror; non cauſas diſceſſionis, ſed moras cauſor regreſſionis. Veni tantùm, & pax erit: revertere, & ſatisfactum eſt. Redi, inquam, redi, & lætus cantabo: *Mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt.* (Luc. 15. 32.)

2. Fuerit certè meæ culpæ quòd diſceſſiſti. Delicato quippe adoleſcentulo auſterus exſtiteram, & tenerum durus nimis inhumanè tractavi. Hinc enim & præſens quondam adversùm me (quantum memini) murmurare ſolebas; hinc & nunc (ſicut audivi) etiam abſenti derogare non ceſſas. Non tibi imputetur. Poſſem forſitan excuſare & dicere, quia ſic laſcivi pueritiæ motus coercendi erant; ac rudibus annis debebantur aſpera illa diſciplinæ diſtrictioris initia, Scriptura atteſtante, quæ ait: *Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam ejus à morte.* (Prov. 23. 13.) & rurſum: *Quos enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* (Heb. 12. 6.) & illud: *Utiliora ſunt verbera amici, quàm oſcula inimici.* (Prov. 27. 6.) Sed fuerit (ut dixi) meæ culpæ quod diſceſſiſti: ne dum de reatûs perpetratione contenditur, emendatio retardetur. At vero hinc vel proculdubio incipiet eſſe & tuæ, ſi non parcas pœnitenti, indulgeas confitenti: quia potui quidem aliquando in aliquibus fuiſſe erga te indiſcretus, ſed certe non malevolus. Quod ſi & in futuro hanc ipſam indiſcretionem meam ſuſpectam habes; noveris me jam non eſſe qui fueram, quia nec te puto fore qui fuiſti. Mutatus mutatum invenies, & quem ante metuebas magiſtrum, comitem amplectêre ſecurus. Itaque ſive meâ culpâ receſſeris, ut tu putas, & ego non excuſo: ſive tuâ, ut multi putant, etſi ego non accuſo: ſive meâ ſimul & tuâ, quod ego magis puto: ex hoc jam ſi redire renueris, ſolus profecto inexcuſabilis eris. Vis ab omni culpâ liber eſſe? revertere. Si tuam agnoſcis, ignoſco: ignoſce & tu mihi, ubi meam agnoſco. Alioquin aut tibi nimis indulges, qui tuam culpam & agnoſcis, & diſſimulas: aut mihi nimis immiſericors es, cui nec ſatisfacienti ignoſcendum putas.

3. Jam ſi redire recuſas, aliam quære occaſionem unde falſo blandiaris conſcientiæ tuæ: quia non erit ultra quod formidare debeas de rigore diſtrictionis meæ. (Severitatis metum depellit.) Neque enim formidandum eſt, quod futurus ſim præſenti formidoloſus, cui adhuc abſenti jam totum ſum corde * proſtratus, totis adſtrictus viſceribus. (* al. corpore.) Humilitatem exhibeo, caritatem promitto: & tu times? Intrepidus veni quo te vocat humilitas, pertrahit caritas. Securus accede, talibus præventus obſidibus. Fugiſti ſævum, revertere ad manſuetum: revocet te mea lenitas, cujus ſeveritas effugavit. Vide, fili, quàm te cupiam duci, non ſpiritu ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritu adoptionis filiorum, in quo clamare & tu non confundaris, Abba pater: cauſam utique tanti doloris mei non minis apud te, ſed blandimentis; precibus, non terroribus agens. Alius forſitan aliter tentaret. Et vere quis alius non magis diſcuteret reatum, & incuteret metum; non opponeret votum, & proponeret judicium; non argueret inobedientiæ, non indignaretur apoſtaſiæ; quòd de tunicis ad pelliceas, de oleribus ad delicias, quod denique ad divitias de paupertate tranſieris? Sed ego novi animum tuum, qui facilius poſſit amore flecti, quàm timore compelli. Denique quid neceſſe eſt bis pungere non recalcitrantem, valde timidum magis exterrere, per ſe ſatis

[a] Ita ſcripti fere omnes: in uno S. Germani, *Incipit epiſtola B. Bernardi abbatis ad dominum Robertum monachum & cognatum ſuum, qui Ordinem Ciſterciensem poſt profeſſionem dimiſerat, & ad Cluniacum ſe tranſtulerat.* Is Bernardi *carne propinquus* vocatur infra num. 9. & in epiſt. 32. num. 3. ubi & in lib. 1. de vita cap. 11. & quidem Alaydis Bernardi matris ex ſorore *nepos*, teſte Johanne Eremita in lib. 2. de vita ejuſdem Bernardi num. 5. Ibidem Robertus ad Claravall. uſes reverſus, *ſexaginta ſeptem annis* ſub jugo diſciplinæ regularis vixiſſe dicitur.

[b] Nulla hujus epiſtolæ inſcriptio, præterquam in duobus S. Germani codd. *Bernardus abbas Roberto adoleſcenti*, an genuina, incertum. Scripta eſt hæc epiſtola *extra clauſtrum, in medio imbre ſine imbre*, ex Vitæ lib. 1 cap. 11. ob id miraculi ceteris epiſtolis præpoſita. Locus, ubi id contigit, prope Claramvallem, oratoriolo ſpectabilis eſt ob facti memoriam.

erubeſcentem confundere amplius: cui ſua ratio magiſter, cui propria conſcientia virga, & ingenita verecundia lex diſciplinæ eſt? Quod ſi cui mirum videtur, quomodo puer verecundus, ſimplex, timoratus,

Roberti culpam. [illegible]

auſus fuerit contra voluntatem fratrum, magiſtri imperium, regulare decretum, ſuum deſerere & votum, & locum: miretur etiam quod & David ſanctitati ſubreptum ſit, quod ſapientiæ Salomonis illuſum, quod Samſon fortitudini obviatum. Qui Protoplaſtum dolo captum expulit de patria felicitatis, quid mirum ſi tenero ſubripuit adoleſcentulo in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis? Huc accedit quod nec, ſicut illos Babylonicos ſenes, ſpecies decepit eum; nec, ſicut

Dan. 13. 8. 4. Reg. 5. 20.

Giezi, pecuniæ amor; nec honoris ambitio, ſicut Julianum apoſtatam: ſed fefellit illum ſanctitas, ſeduxit religio, perdidit auctoritas ſeniorum. Quæris quomodo?

4. Primo quidem miſſus eſt magnus quidam Prior ab ipſo principe Priorum: foris quidem apparens in veſtimentis ovium, intrinſecus autem lupus rapax: deceptiſque cuſtodibus, æſtimantibus quippe ovem eſſe, væ, væ, admiſſus eſt ſolos ad ſolam lupus oviculam. Nec refugit ovicula lupum, quem & ipſa putabat ovem. Quid plura? attrahit, allicit, blanditur, & novi Evangelii prædicator commendat crapulam, parſimoniam damnat; voluntariam paupertatem, miſeriam dicit; jejunia, vigilias, ſilentium, manuumque laborem, vocat inſaniam: è contrario otioſitatem, contemplationem nuncupat; edacitatem, loquacitatem, curioſitatem, cunctam denique intemperantiam nominat diſcretionem. Quando, inquit, delectatur Deus cruciatibus noſtris? ubi præcipit Scriptura quempiam ſeſe interficere? Qualis vero religio eſt fodere terram, ſilvam excidere, ſtercora comportare? Numquid non ſententia Veritatis eſt, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium?* &, *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat?* &, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur?* Utquid vero Deus cibos creavit, ſi non liceat manducare? utquid nobis corpora dedit, ſi prohibeat ſuſtentare? Denique *qui ſibi nequam, cui bonus?* Quis umquam ſanum ſapiens, carnem ſuam odio habuit?

Narrat modum diſceſſus.

Mat. 9. 13. Ezech. 18. 32. Matth. 5. 7. Eccli. 14. 5.

5. Talibus tandem allegationibus male credulus puer circumventus ſeducitur, ſeductorem ſequitur, Cluniacum ducitur; tondetur, raditur, lavatur; exuitur ruſticanis, vetuſtis, ſordidis; induitur pretioſis, novis ac nitidis; & ita in conventum ſuſcipitur. Sed cum quali putas honore, cum quo triumpho, cum quanta reverentia? Defertur ei ſuper omnes coætaneos ſuos, & tamquam victor rediens à pugna, ſic laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Suſtollitur in altum, ſtatu non mediocri collocatur, ita ut multis ſenioribus prælatus ſit adoleſcens: favet, blanditur, congratulatur ei univerſa fraternitas, exultant omnes, tamquam victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia. O Jeſu bone! quàm multa facta ſunt pro unius animulæ perditione! Cujus ad hæc quantumlibet robuſtum pectus non emolleſceret? cujus interior, quantumvis ſpiritualis, oculus non turbaretur? cui inter talia ad ſuam liceat recurrere conſcientiam? quis denique in tanta pompa vel veritatem valeat agnoſcere, vel obtinere humilitatem?

6. Mittitur interea pro eo Romam. Apoſtolica compellatur auctoritas; & ut Papa non neget aſſenſum, ſuggeritur ei infantem olim à parentibus oblatum fuiſſe monaſterio. Non fuit qui refelleret, (nec enim contradictor eſt exſpectatus) judicatum eſt de parte, abjudicatum abſentibus. Juſtificati ſunt qui injuriam fecerunt, exciderunt à cauſâ qui paſſi ſunt, abſque ſatisfactione abſolvitur reus. Firmatur privilegio crudeli nimium clemens ſententia abſolutionis; quo reportato

Conſenſum Ponti[illegible] ſubreptitium [illegible].

A confirmaretur fluctuanti maleſuaſa ſtabilitas, ſecuritas dubitanti. Et hic tenor litterarum, hæc judicii ſumma, hæc totius cauſæ diffinitio, ut teneant qui tulerunt, ſileant qui amiſerunt: inter hæc autem pereat anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, & hoc, quia Cluniacenſes volunt. Fit profeſſio ſuper profeſſionem, vovetur quod non ſolvetur; proponitur quod non tenebitur: & cum primum pactum irritum factum ſit, in ſecundo geminatur prævaricatio, & fit ſupra modum peccans peccatum.

7. Veniet, veniet qui male judicata rejudicabit, illicitè jurata confutabit; qui faciet judicium injuriam patientibus, qui judicabit in juſtitia pauperes, & arB guet in æquitate pro manſuetis terræ. Veniet pro certo, qui per Prophetam minatur in pſalmo dicens: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Quid faciet de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque juſtitias judicabit? Veniet, inquam, veniet dies judicii: ubi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba; & conſcientia bona, quàm marſupia plena: quandoquidem Judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Tuum, Domine Jeſu, tribunal appello: tuo me judicio ſervo, tibi committo cauſam meam, Domine Deus Sabaoth, qui judicas juſte, & probas renes & corda; cujus oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non poſſunt: tu vides qui tua, vides qui quærunt & ſua. Tu noſti quibus ei viſceribus C in cunctis tentationibus ſuis ſemper affuerim, quantis pro eo gemitibus aures tuæ pietatis pulſaverim, qualiter ad quæque illius ſcandala, perturbationes, moleſtias ego urebar, torquebar, affligebar. Et nunc timeo nec fruſtra. Puto enim, quantum expertus ſum, adoleſcentis per ſe ſatis ferventis & inſoleſcentis nec corpori talia expedire fomenta, nec menti illa gloriæ tentamenta. Itaque arbiter meus Domine Jeſu, de vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.

Iſa. 11. 4. Pſal. 145. 7.

Pſal. 74. 3.

Appellat ad divinum tribunal.

Vide & mirare amorem veri Patris in filium, paſtoris in ovi[c]ulam.

Pſal. 16. 2.

8. Videant & judicent, quid potius ſtare debuerit, an votum patris de filio, an filii de ſe ipſo, præſertim cum filius aliquid majus devoverit. Videat & famulus tuus Legiſlator noſter Benedictus, quid regularius fueD rit, utrum quod factum eſt de infantulo, neſciente ipſo: an quod ipſe per ſe poſtmodum prudens & ſciens fecit, cum jam ætatem haberet ut de ſe loqueretur. Quamquam dubium non ſit, promiſſum [a] illum fuiſſe, non donatum. Nec enim petitio quam Regula præcipit, pro eo facta fuit à parentibus: nec manus illius cum ipſa petitione involuta pallâ altaris, ut ſic offerretur coram teſtibus. Oſtenditur deinde terra, quæ cum illo, & pro illo dicitur data fuiſſe. Sed ſi cum terra eum receperunt, cur non & cum terra eum retinuerunt? an forte requirebant magis datum quàm fructum, & pluris æſtimata eſt terra quàm anima? AlioE quin oblatus monaſterio, quid quærebat in ſæculo? nutriendus Deo, cur expoſitus erat diabolo? Ovis Chriſti cur inventa eſt patêre morſibus lupi? De ſæculo quippe, non de Cluniaco, te teſte, Roberte, veniſti Ciſtercium. Quæſiſti, petiſti, pulſaſti; ſed pro tui adhuc teneritudine, te licet invito, dilatus es per biennium. Quo tempore patienter expleto, & abſque calumnia, tuis demum precibus, multiſque (ſi meminiſti) lacrymis, diu exſpectatam impetraſti miſericordiam; & quem ſatis deſideraveras ingreſſum, obtinuiſti. Poſt hæc per annum juxta Regulam in omni patientia probatus, perſeveranter & ſine querela converſatus, poſt annum ſponte profeſſus; tunc primum ſæculari veſte [b] rejecta, religionis habitum ſuſcepiſti.

An oblatio parentum voto filii præferenda.

F 9. O inſenſate puer! quis te faſcinavit non ſolvere vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua? annon vel ex ore tuo juſtificaberis, vel ex ore tuo condemnaberis? Quid de parentis voto ſollicitus es, negligens tui; cum ex ore tuo, non illius, habeas judicari; tuorum, non illius, vota labiorum exigendus ſis? Et quid tibi

Fruſtra ſibi blandiri de abſolutione apoſtolica.

[a] Promiſſio votum parentum ſpectat, donatio pueri oblationem per eoſdem factam, cujus forma præcipitur à S. Benedicto in Regulæ cap. 59. quæ oblatio pueros olim ligabat.

[b] Nimirum pueri Deo oblati ſtatim monaſticis veſtibus induebantur: adulti vero nonniſi poſt annuam probationem ex Regulæ cap. 58. 59. qui mos initio ſervatus apud Ciſtercienſes ex hac epiſtola, poſtea mutatus eſt exemplo Cluniacenſium, apud quos Novitiorum habitus Profeſſorum veſti *omnino ſimilis* erat, uti modo apud omnes, *præterquam quod, quamdiu erant abſque benedictione,* (ſic profeſſionem vocabant) *ſola cuculla carebant*, ex Udalrico in lib. 2. cap. 1. Quo tempore Ciſtercienſes hunc morem admiſerint, vide lib. 7. de vita S. Bernardi cap. 13.

A frustra quiſpiam blanditur de abſolutione apoſtolica, cujus conſcientiam divina ligatam tenet ſententia? *Luc. 9.* *Nemo*, inquit, *mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Numquid & hoc perſuadebunt non eſſe retro reſpicere, qui dicunt tibi: *Prov. 1. 1 Joan. 4. 1 Cor. 4.* Euge, euge? Filiole, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Noli credere omni ſpiritui. Sint tibi multi neceſſarii, unus autem ſit tibi conſiliarius de mille. Tolle occaſiones, reſpue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te melius noſti quam alius. Attende cor tuum, diſcute intentionem, conſule veritatem: tua tibi conſcientia reſpondeat, cur abieris, cur Ordinem [a] tuum, cur Fratres, cur locum, cur me, qui & tibi propinquus B carne, & propinquior ſpiritu ſum, deſerueris. Si ut arctius, ut rectius, ut perfectius viveres; ſecurus eſto, quia non retro aſpexiſti: ſed & gloriare cum Apoſtolo *Philip. 3.* dicens, *Quæ retro oblitus, & ad ea quæ ante ſunt extentus, ſequor ad palmam gloriæ.* Sin alias, noli altum ſapere, ſed time: quoniam, ut cum venia tui dixerim, quicquid tibi amplius indulges in victu, veſtituque ſuperfluo, in verbis otioſis, in vagatione licentioſa & curioſa, quam videlicet promiſiſti, quàm apud nos tenuiſti: hoc proculdubio retro aſpicere eſt, prævaricari eſt, apoſtatare eſt [b].

10. Et hæc dico, fili, non ut te confundam, ſed ut tamquam filium cariſſimum moneam: quia etſi mulC tos habeas in Chriſto pædagogos, ſed non multos patres. Nam ſi dignaris, & verbo, & exemplo meo in religionem ego te genui. Nutrivi deinde lacte, quod ſolum adhuc parvulus capere poteras; daturus & panem, ſi exſpectares ut grandeſceres. Sed heu quàm præpropere & intempeſtive ablactatus es! Et vereor ne totum quod foveram blandimentis, roboraveram adhortationibus, orationibus ſolidaveram; jamjámque evaneſcat, deficiat, pereat: & lugeam miſer, non tam caſſi laboris damnum, quam damnatæ ſobolis miſerabilem caſum. Placetne tibi quod alius nunc glorietur de te, qui nihil utique laboravit in te? Simile mihi *3 Reg. 3. 20.* contigit, quod & illi meretrici apud Salomonem: cui D videlicet parvulus ſuus ab altera, quæ ſuum a ſe oppreſſum exſtinxerat, furtim ſublatus eſt. Tu quoque de ſinu mihi, & utero abſciſſus es. Ablatum gemo, repeto violenter avulſum. Non poſſum oblivisci viſcera mea; quorum nimirum parte detracta non modica, non poteſt niſi torqueri pars reliqua.

11. Verumtamen quo tuo commodo, qua tui neceſſitate hoc nobis moliti ſunt amici noſtri? quorum manus ſanguine plenæ ſunt, quorum animam meam pertranſivit gladius, quorum dentes arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nam utique mihi, ſi in A aliquo umquam eos offenderam, (quod utique mihi conſcius non ſum) plenam prorſus rependêre vicem. Mirum vero ſi non plus talione recepi: ſi videlicet tale aliquid in eos deliquiſſe potui, quale nunc ab eis pertuli. Nam, ut verum fatear, non os de oſſibus meis, vel carnem de carne mea; ſed tulerunt mihi gaudium cordis mei, fructum ſpiritus mei, coronam ſpei meæ, & (velut mihi ſentire videor) animæ meæ dimidium. Utquid hoc? forte miſerti ſunt tui: & cæco cæcum ducenti indignantes, ne perires poſt me, in ſuum te tranſtulêre ducatum. O moleſta caritas! ô dura neceſſitudo! Tantum tuam dilexêre ſalutem, ut in meam impingerent. Niſi me perempto, tu ſalvari non poteB ras? Et utinam ipſi te abſque me ſalvent. Utinam & ſi ego moriar, vel tu vivas. Sed quid? Salus ergo magis in cultu veſtium, & ciborum eſt opulentia, quàm in ſobrio victu veſtitúque moderato? Si pelliciæ lenes & calidæ, ſi panni ſubtiles & pretioſi, ſi longæ manicæ & amplum caputium, ſi opertorium ſilveſtre [c] & molle ſtamineum, ſanctum faciunt: quid moror & ego quod te non ſequor? Sed hæc infirmantium ſunt fomenta, non arma pugnantium. Ecce enim qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. *Mat. 11. 8. Carnis deliciæ, ſpiritûs corruptelæ.* Vinum & ſimila, mulſum & pinguia corpori militant, non ſpiritui. Frixuris non anima ſaginatur, ſed caro. Multi in Ægypto fratres, multo tempore Deo ſine piſcibus [d] ſerC vierunt. Piper, gingiber, cuminum, ſalvia, & mille hujuſmodi ſpecies ſalſamentorum, palatum quidem delectant, ſed libidinem accendunt. Et tu mihi in his ſecuritatem pones? tu cum hujuſmodi tutam duces adoleſcentiam? Prudenter ſobriéque converſanti ſatis eſt ad omne condimentum ſal cum fame: quâ ſolâ non exſpectata, neceſſe eſt alias atque alias de neſcio quibus ſuccis extraneis confici permixtiones, quæ videlicet palatum reparent, gulam provocent, excitent appetitum.

12. Sed quid faciet, inquis, qui aliud non poteſt? Bene. Scio quia delicatus es, & quod his aſſuetus modo, duriora non poſſis. Sed quid ſi potes facere ut poſſis? Quæris quomodo? Surge, præcingere, tolle otium, *Exercitio viles quæque cibi redduntur homini ſuaves & jucundi.* D exere vires, move brachia, comploſa explica manus, exercitare in aliquo: & ſtatim ſenties ſola te appetere quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe ſapores rebus exercitium, quos tulit inertia. Multa quæ reſpuis otioſus, poſt laborem ſumes cum deſiderio. Siquidem otium parit faſtidium, exercitium famem; fames autem miro modo dulcia reddit, quæ faſtidium facit inſipida. Olus, faba, pultes, paniſque cibarius [e] cum aqua, quieſcenti quidem faſtidio ſunt, ſed exercitato magnæ videntur deliciæ. Jam forte tunicis [f] diſſuetus exhorres nimium eas, tam propter hiemis frigus, quam propter æſtatis ardorem. Sed

[a] Sic Bernardus in libro de vita ſancti Malachiæ num. 36. Mailros *Ordinis noſtri* monaſterium vocat: & in epiſtola 2. num 9. *Ordinem aut diſciplinam*, quaſi ſynonyma videtur uſurpare. Confer epiſtulam 4 num. 2. & epiſtulam 198 num. 2. Petrus Venerabilis nihilo minus Cluniacenſes & Ciſtercienſes *ejuſdem Ordinis viros* appellat in ſequente epiſtola 229 num. 10 & num. 30 *unius nominis Ordinis maximas Congregationes*. Denique Bernardus ipſe Guillelmum abbatem S. Theoderici *Ordinis noſtri* virum appellat in epiſtola 75 & in epiſtola 42. *Ordinis noſtri* Abbates vocat etiam nigrorum (quos vocant) monachorum num. 33 Diverſum Ordinem dicit Nicolaus Clarævallenſis in ſua epiſtola 21.

[b] Formidoloſa ſententia in monachos, qui laxiora quærentes, regulares inſtitutiones pro minimo habent: quibus *ſi pudor negat apoſtaſiam corporis, timendum eſt ne tepor ipſe paulatim ingerat apoſtaſiam cordis*, ut loquatur Bernardus Sermone 3. in Pſalmum 90. Confer epiſtolam 382. maximè 313.

[c] Hic notat Bernardus veſtium genera, quæ Ciſtercienſes abjecerant, tamquam Regulæ contraria, cum in uſu eſſent apud Cluniacenſes. Quippe illi rejecerant *froccos, pelliceas, ſtamina, caputia quoque & femoralia, pectinem & coopertoria lectorum*, ut legitur in parvo Exordio Ciſtercienſi. Hinc in libro Inſtitutorum *cucullæ deſuper floccatæ* rejiciuntur cap. 15. Cluniacenſibus apud Bernardum Cluniacenſem in codice mſ. Conſuetudinum Cluniacenſium cap 30. inter alia conceduntur ad amictum *duo frocci & duæ cucullæ, ſtamina duo, tres pellicia*, & ad lectum *capitale, coopertorium, ſupercoopertorium, lodex, & ſtragula*. Frocci a cucullis differebant materiâ & formâ: quod cucullæ abſque ullis, aut certe cum ſtrictis manicis & anguſto caputio: Frocci amplis & manicis, & caputiis, & quidem ex pretioſo panno, quem froccum ſeu floccum (unde inditum froccis nomen) appellabant. Cucullis hæſit vetus flocci nomen vulgare apud noſtros: Ciſtercienſibus cucullæ vocabulum, vulgo *coulle*, ob innatum odium froccorum. Coopertorium ſilveſtre ſancto Bernardo eſt primum ſtragulum ex pellibus animalium ferarumve ſilveſtrium. *Cattinum* redarguit Apologia ad Guillelmum num. 24. Bernardus Cluniacenſis jam dicto loco: *Coopertoria, quæ non licet eſſe diſcooperta, aut agnina ſive pulina, ſeu leporina generis, & numquam de ullo genere majoris pretii.* Confer vitæ lib. 4. num 36

[d] Hinc patet, Ciſtercienſibus piſces in uſu tunc non fuiſſe (niſi rarius, & in itinere, ut vitæ lib 7 cap. 20.) immo neque ova, neque vinum ex num. ſequenti. De ovis id colligitur ex epiſtola Faſtredi Abbatis, edita hic poſt Bernardinas, ubi Novitius inter extremi morbi nauſeam, *ovo cocti deſiderio affectus*, abſtinentiam ad finem uſque ſervavit. Ibidem *herba ſine oleo & abdomine cocta* dicuntur & Bernardus ipſe *pultes ex farina* confectas, *addito oleo & melle*, non butyro, *cum ſcrupulo* comedit ad ſtomachum calefaciendum. Hanc epiſtulam perlege cum ſequente epiſtola Petri de Roya, in qua Claræ vallenſes cereviſiâ, ejuſque loco aquâ ſimplici uſos legimus, *raro vino*, & quidem *mixto aquâ plurimâ*, quali ob infirmitates vix ex obedientia utebatur Humbertus, de quo Bernardus in Sermonibus de Sanctis num 4 item Bernardus ipſe ex lib 1 de ejus vita num. 46. vide Serm 30. in Cant De vinea Claræ vallenſi maledicta vide Johannem Eremitam in lib 2. de vita Bernardi num 10.

[e] Quali pane utererentur eo tempore Claræ vallenſes, docet lib. 1. de vita S. Bernardi num 6. & Faſtredi epiſtola mox laudata panem *ex avena* confectum habes.

[f] Nempe tunicas corpori adhærentes gerebant Ciſtercienſes abſque intermedia interula, lanea ſeu ſtaminea ex dictis: non tamen cilicium ex lib. 1 de vita Bernardi num 39 Vide Præfat. in tom 2.

Job 6. 16. numquid legiſti, *Qui timet pruinam, veniet ſuper eum nix?* Vigilias times & jejunia, manuumque laborem: ſed hæc levia ſunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere ſolitudinem. Si futuram cogitas de verbis otioſis *Matt. 12. 36.* diſcuſſionem, non valde diſplicebit ſilentium. Fletus æternus & ſtridor ille dentium, ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet mattam & culcitram. Denique ſi totum de nocte, quod Regula præcipit, bene *Reg. S. Ben. c. 9 & ſeqq.* ad pſalmos vigilaveris; nimis durus erit lectus, in quo quiete non dormias. Si tantum in die, quantum profeſſus es, manibus laboraveris; durus erit cibus quem libenter non comedas.

13. Surge miles Chriſti, ſurge, excutere de pulvere, revertere ad prœlium unde fugiſti, fortius poſt fugam prœliaturus, glorioſius triumphaturus. Habet quidem Chriſtus multos milites qui fortiſſime cœperunt, ſteterunt, vicerunt: paucos autem qui de fuga converſi, rurſus ſe periculo ingeſſerint quod declinaverant; rurſus fugarint hoſtes quos fugiebant. Et quia omne rarum pretioſum; gaudeo te de illis poſſe eſſe, qui quanto rariores, tanto apparebunt glorioſiores. Alias autem ſi multum timidus es, cur vel times ubi non eſt timor, non autem times ubi magis eſt timendum? An quia fugiſti ex acie, putas te manus hoſtium evaſiſſe? Libentius te inſequitur adverſarius fugientem, quàm ſuſtineat repugnantem; & audacius inſiſtit à tergo, quàm reſiſtat in faciem. Securus nunc projectis armis capis matutinos ſomnos, cum illâ horâ Chriſtus reſurrexerit: & ignoras quod exarmatus, & tu timidior, & hoſtibus minus timendus ſis? Armatorum multitudo circumvallaverunt domum, & tu dormis? Jam aſcendunt aggerem, jam diſſipant ſepem, jam irruunt per poſticum. Tutiúſne eſt ergo tibi ut te inveniant ſolum, quàm cum aliis; nudum in lectulo, quàm armatum in campo? Expergiſcere, ſume arma, & fuge ad commilitones tuos, quos fugiens deſerueras: ut qui te ab eis disjunxerat, ipſe te denuo timor jungat. Quid armorum refugis pondus & aſperitatem, delicate miles? Adverſarius inſtans & circumvolantia ſpicula facient clypeum non eſſe oneri, loricam non ſentiri vel galeam. Et quidem ſubitò procedenti de umbra ad ſolem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit: ſed poſtquam ab his diſſueſcere, & ad illa ſe pauliſper aſſueſcere cœperit; uſus tollit difficultatem, invenitque facile eſſe quod impoſſibile ante putavit. Solent etiam fortiſſimi milites auditâ buccinâ ante congreſſum trepidare: at ubi ad prœlium ventum fuerit; ſpes victoriæ, & timor ne vincantur, reddit intrepidos. Quid vero tu trepidas, quem fratrum unanimitas armatorum circummuniet, cui Angeli aſſiſtent à latere, quem dux belli Chriſtus præibit, ſuos animans ad victoriam, & dicens: *Confidite ego vici mundum?* Si Chriſtus pro nobis, quis contra nos? Securus potes pugnare, ubi ſecurus es de victoria. O vere tuta cum Chriſto, & pro Chriſto pugna! in qua nec vulneratus, nec proſtratus, nec conculcatus, nec millies (ſi fieri poſſit) occiſus, fraudaberis à victoria, tantum ne fugias. Sola cauſa, quâ perdere poſſis victoriam, fuga eſt. Fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes: & beatus ſi pugnando moriaris, quia mortuus, mox coronaberis. Væ autem tibi, ſi declinando pugnam, perdis & victoriam ſimul & coronam. Quod ipſe avertat à te, fili dilectiſſime, qui in judicio de his meis litteris majorem tibi habet inferre damnationem, ſi nullam ex eis in te repererit emendationem.

Hortatur ad reſipiſcentiam & reditum.

Pernicioſa inter media pericula ſecuritas.

Inſueta difficilia, ſed uſus & conſuetudo mollit omnia.

Joan. 16. 33. Rom. 8. 31.

In militia Chriſti ſolâ fugâ perditur victoria.

Ad FULCONEM [a] puerum, qui poſtea fuit Lingonenſis archidiaconus.

EPISTOLA II.

Circ. ann. MCXX.

FULCONEM Canonicum Regularem, quem avunculus blanditiis & promiſſis ad ſæculum retraxerat, graviter & ſerio monet, ut potius Deo quam avunculo obediat & adhæreat.

Bonæ indolis adoleſcenti FULCONI, frater Bernardus peccator, inde lætari in adoleſcentia, unde in ſenectute non pœniteat.

1. NOn miror ſi mireris, ſed miror ſi non mireris, unde mihi ut ad te ſcribere vellem, civem ruſticus, ſcholaſticum [b] monachus, cum nulla hinc tibi occaſio neceſſaria occurrat, nulla ſe ratio patens oſtendat. At ſi attenderis quod ſcriptum legis, *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*; & illud, *Caritas non quærit quæ ſua ſunt*: forſitan intelliges quicquid illa juſſerit, non eſſe præſumptum. Caritas enim ad te objurgandum me compulit, quæ tibi condolet, quamvis non dolenti; quæ tibi miſeretur, licet non miſerabili. Et inde magis dolet, quod cum ſis dolendus, non doles: & inde magis miſeretur, quod cum miſer ſis, miſerabilis non es. Nec fruſtra forſitan tibi compatitur, dummodo patienter tu audias unde compatiatur. Vult te tuum ſentire dolorem, ut jam non habeas unde dolere: vult te tuam ſcire miſeriam, ut incipias miſer non eſſe. O bona mater caritas, quæ ſive foveat infirmos, ſive exerceat provectos, ſive arguat inquietos; diverſis diverſa exhibens, ſicut filios diligit univerſos. Cum te arguit, mitis eſt; cum blanditur, ſimplex eſt. Pie ſolet ſævire, ſine dolo mulcere: patienter novit iraſci, humiliter indignari. Ipſa eſt quæ hominum mater & Angelorum, non ſolum quæ in terris, ſed etiam quæ in cælo ſunt, pacificavit. Ipſa eſt quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliavit. Ipſa eſt, mi Fulco, quæ fratres illos, cum quibus olim dulces capiebas cibos, habitare facit unius moris in domo. Hæc talis tàmque honorabilis mater à te ſe queritur offenſam, expoſtulat læſam. Læſa tamen non provocat: ſed ſpreta te revocat, oſtendens tibi in te de ſe veraciter ſcriptum eſſe: *Caritas patiens eſt, benigna eſt.* Licet læſa, licet offenſa, ſi converſus fueris ad illam, obviabit tibi quaſi mater honorificata. Contemptûs oblita ſui, ruet in amplexum tui; gaudens quem perdiderat, eſſe inventum; qui mortuus fuerat, vivum.

Rom. 1. 14. 1. Cor. 13. 5.

Veræ caritatis indoles & officium.

1. Cor. 13. 4.

2. Sed in quo, inquis, læſi? in quo contempſi? Audi. In eo, proculdubio, quod te quem ſinu ſuo lacte nutriendum materno ſuſceperat, ante tempus ablactaſti: quod expertam lactis dulcedinem, in quo poſſes creſcere in ſalutem, tam leviter, tam celeriter exſufflaſti. O puer inſenſate! ô puer magis ſenſu quàm ætate! quis te faſcinavit à bene incœpto itinere tam citò diſcedere? Avunculus, inquies. Sic Adam quondam uxorem, uxor ſerpentem ad excuſandas excuſationes in peccatis prætendebant; uterque tamen ſuæ culpæ dignam excepit ſententiam. Nolo Decanum accuſes, nolo te per illum excuſes: inexcuſabilis enim es. Illius culpa tuam non excuſat. Quidnam ille fecit? Numquid te rapuit? numquid vim intulit? Rogavit, non ligavit; blandiendo attraxit, non violenter traxit. Quis te cogebat credere blandienti, aſſentire attrahenti? Ille ſua nondum reliquerat: quid mirum ſi te qui ſuus eras, requirebat? Si agnum de grege, vitulum de armento cum perdit, requirit; & nemo cauſatur: te quoque, qui multis ovibus vel vitulis apud eum pluris es, ademptum ſi repetit, quis inde miretur? Siquidem non uſurpat illam ſibi perfectionem, de qua dicitur: *Si quis abſtulerit tua, ne repetas.* Repetebat ergo ſuum, qui ſua adhuc tenebat. At tu qui jam ſæculum ſpreveras, ſæcularem ſequi debebas? Fugit ovis tremebunda, ve-

Gen. 3. 12. Excuſatio inanis refellitur.

Luc. 6. 30.

a Sic titulus in mſſ. ex quo patet Fulconem Bernardi monitis non obtemperaſſe, ſed in ſæculo remanſiſſe.

b *Scholarem puerum*, infra num. 8. id eſt adoleſcentem.

niente lupo; abſcondit ſe columba tremens, accipitre viſo; de cavernula ſua mus eſuriens exire non audet, ambiente cato: & tu eum videbas furem, currebas cum eo? Nam quid aliud quam furem dixerim, qui pretioſam Chriſti margaritam, id eſt animam tuam, furari non dubitaverit?

3. Volebam, ſi poſſem, illius errorem diſſimulare, ne odium & nullum fructum conſequerer ex veritate. Sed non potui, fateor, intactum tranſire, quem uſque ad hanc diem comperi Spiritui-ſancto pro viribus reſtitiſſe. Nam qui manum non retinet à malo quo* (*al. quod.*) poteſt; licet quandoque fruſtretur effectus, non minus culpatur affectus. In me certe fervorem novitium exſtinguere voluit; ſed, Deo gratias, non valuit. Alteri quoque nepoti ſuo Guirrico, cognato tuo, multum reſtitit: ſed quid nocuit? Immo plurimum præſtitit. Deſtitit invitus tandem ſenex avunculus à perſecutione: exſtitit invictus puer nepos, glorioſior de tentatione. Sed heu! quomodo te vicit, qui illum vincere non potuit? Aut quomodo qui te vicit, ab illo ſuperatus eſt? Numquid te fortior ille? numquid prudentior? Certe qui anteà utrumque noverant, Guirrico Fulconem præferebant. At poſtquam ventum eſt ad bellum, exitus indicavit hominum erraſſe judicium. Ibi, prô pudor! fugit qui præferebatur, ubi fortiter vicit qui inferior credebatur.

4. Sed quid de avunculi dicam malitia, qui à Chriſti militia retrahit nepotes ſuos, ut ſecum trahat ad inferos? Itane ſolet beare amicos? Quos Chriſtus vocat ſecum in æternum manſuros; avunculus revocat ſecum in æternum arſuros. Miror ſi jam Chriſtus ei *Matt. 23. 37.* non iraſcatur, & dicat: *Quoties volui congregare* nepotes tuos: *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur tibi domus tua deſerta.* *Matt. 19. 14.* Chriſtus dicit: *Sinite parvulos venire ad me: talium enim eſt regnum cælorum.* Avunculus ait, Sinite nepotes meos ut ardeant mecum. Chriſtus dicit: Mei ſunt, mihi debent ſervire: ſed oportet, inquit avunculus, eos mecum perire. Chriſtus dicit: Mei ſunt, ego illos redemi: ſed ego, inquit avunculus, eos nutrivi. Tu quidem, ait Chriſtus, illos nutriſti, ſed pane meo, non tuo; ego vero redemi non ſanguine tuo, ſed meo. Sic carnalis avunculus contra Patrem ſpirituum pro nepotibus certat: quos dum bonis cupit onerare terrenis, cæleſtibus exheredat. Chriſtus tamen non rapinam arbitratus, ſi ſuos quos fecit & redemit ſanguine proprio, ad ſe venientes collegerit, juxta quod ante *Joan. 6. 37.* promiſerat, *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras;* Fulconi primo pulſanti lætus aperuit, lætis amplexibus lætum excepit. Quid plura? veterem hominem exuitur, & novum induitur: quodque ſolo nomine exſtiterat, moribus & vita Canonicum profitetur. Fama volat, bonus odor Chriſto: rei novitas circumquaque diffuſa pervenit ad aures avunculi.

5. Quid ergo faceret carnalis nutricius, qui carnis, quam nutrierat, quam carnaliter amabat, ſolatium perdebat? Etſi aliis fuit res illa odor vitæ ad vitam, *1. Cor. 2. 14.* ſed non illi. Quare? quia *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim illi videtur.* Nam ſi ſpiritum Chriſti haberet, non tam de carne doleret, quàm gauderet de ſpiritu. Sed quia terrena, non quæ ſurſum ſunt, ſapiebat: turbatus & triſtis tale aliquid ſecum volvebat. Quid audio? væ mihi! à quanta ſpe cecidi! Sed quid? debétne ſtare quicquid abſque meo conſilio, abſque mea licentia fecerit? Quod jus, quæ lex, quæ juſtitia, quæ ratio, ut quem ex utero nutriendum ſuſcepi, alius fruatur adulto? Jam caput aſperſus canis, heu! vitæ meæ reliquum expendam cum mœrore, quia me deſeruit baculus ſenectutis meæ. Heu mihi! ſi hac nocte expetitur à me anima mea, quæ paravi, cujus erunt? Promptuaria mea plena, eructantia ex hoc in illud: oves meæ fetoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis; boves meæ craſſæ cui remanebunt? Prædia, prata, domus, argentea vaſa & aurea, cui congregata ſunt? Ditiores quoſque ac quæſtuoſiores eccleſiæ meæ honores acquiſieram mihi: reliquos, etſi non licebat habere, ſpe tamen in Fulcone tenebam. Quid igitur faciam? Propter illum unum tot & tanta perdam? Nam quicquid ſine illo poſſederim, amiſiſſe me judico. Quin potius & iſta retinebo, & alium revocabo ſi potero. Sed quomodo? Factum eſt, auditum eſt. Quod factum eſt, non poteſt non fieri: quod auditum eſt, celatum eſſe non poterit. Fulco Canonicus eſt regularis: ſi revertitur ad ſæculum, notabilis erit & infamis. Sed tolerabilius eſt hoc audire de illo, quàm vivere ſine illo. Cedat ergo nunc honeſtas utilitati, pudor neceſſitati. Malo non parcere verecundiæ pueri, quàm miſerabili ſubjacere triſtitiæ.

6. Acquieſcens itaque conſilio carnis, rationis oblitus & legis, tamquam leo paratus ad prædam, & ſicut leæna rapto catulo rapiens & rugiens, ſacra non veritus, ſanctorum irrupit habitaculum, in quo tirunculum ſuum Chriſtus abſconderat à contradictione linguarum, poſtmodum admixturus conſortio Angelorum. Quærit ac flagitat reddi ſibi nepotem ſuum; queritur & clamat injuſte ſe ab illo relictum, Chriſto reclamante & dicente: Quid agis miſer? quid furis? quid me perſequeris? Non ſufficit tibi, quòd tuam, tuoque exemplo multorum mihi animas tuleris, ſi non etiam hunc auſu ſacrilego rapias de manu mea? Non times tu futurum judicium? An contemnis terrorem meum? Cui hoc facis? cui bellum indicis? Terribili utique, & ei qui aufert ſpiritum principum. *Pſal. 75. 13.* Inſane, redi ad cor tuum, memorare noviſſima tua, *Eccl. 7. 40.* & non peccabis: memorare quæ tua ſubſtantia, & utiliter timebis. Et tu puer, inquit, ſi aſſenſeris, ſi acquieveris, morte [a] morieris. Memento uxoris Loth *Geneſ. 19. 26.* de Sodoma quidem ereptæ, quia Deo credidit: ſed in via mutatæ, quia retro aſpexit. Diſce in Evangelio quod non liceat retro aſpicere ei, qui ſemel manum ad aratrum miſit. Avunculus tuus quærit animam tuam, qui jam perdidit ſuam. Verba oris ejus, iniquitas & dolus. Noli intelligere, fili mi, ut malè *Pſal. 35. 4.* agas: noli intendere in vanitates & inſanias falſas. Ecce in via quâ ambulas, abſcondit laqueos, tetendit retia. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi *Pſal. 54. 22.* ſunt jacula. Vide fili mi, ne capiaris à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Configat carnes tuas divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Blanditur, ſed ſub lingua ejus labor & dolor: lacrymatur, ſed inſidiatur: inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere paupe- *Pſal. 9. 7.* rem dum attrahit eum. Cave, inquam, fili mi, ne *Ibidem. 9.* *Gal. 1. 6.* acquieſcas carni & ſanguini: nam gladius meus de- *Deut. 32. 42.* vorabit carnes. Sperne blandimenta, contemne promiſſiones. Promittit magna, ſed ego majora; offert plura, ſed ego plurima. Dimittes ergo pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus æterna? Alioquin oportet te ſolvere vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua. Juſte exigitur ad ſolvendum, qui non cogitur ad vovendum. nam etſi cùm pulſares, non repuli; tamen ut intrares, non compuli. Non licet ergo dimittere quod ſponte promiſiſti: non eſt fas requirere quæ per te dimiſiſti. En utrumque veſtrûm præmoneo, utrique ſalubriter conſulo. Tu, inquit ad avunculum, Regularem ne reducas ad ſæculum: quia ſi reducis, ſeducis quem apoſtatare facis. Tu Regularis, ſæcularem ne ſequaris: quia ſi illum ſequeris, me perſequeris, cui de teipſo injuriam facis. Tu ſi ſeduxeris animam pro qua mortuus ſum, crucis meæ te conſtituis inimicum. Qui enim non colligit mecum, diſpergit: quanto *Matt. 12. 30.* magis qui collectos diſpergit? Tu verò ſi ei conſentis, à me diſſentis: quia qui non eſt mecum, contra me eſt. Quanto magis qui mecum fuit, ſi me deſerit, contra me eſt? Tu ſi circumvenis parvulum qui ad me venit, ſeductor ac ſacrilegus judicaberis: tu verò ſi quod ædificaveras, iterum deſtruis; prævaricatorem te conſtituis. Ambos vos neceſſe eſt meo judicio præſentari, ambos aſſiſtere meo tribunali: alter de propria præva-

a Solet Bernardus de ſalute eorum dubitare, qui ad religionem vocati, Deo vocanti non acquieverant, nedum qui ingreſſi, ſed non profeſſi, in ſæculum redierint. Confer epiſtolas 107 & 108. At Fulco religionem profeſſus erat, infra.

ricatione, alter de alterius ſeductione judicabitur: & unde alter in iniquitate ſua morietur, inde morientis ſanguis de manu alterius requiretur. Hæc & his ſimilia, utriuſque teſte conſcientia, utrique, Chriſte, inviſibiliter, ſed terribiliter intonabas: his ſacris monitis amborum mentes piè terrendo pulſabas. Quis ad hæc non timeret, timendo reſipiſceret, niſi qui more aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, vocem venefici incantantis ſapienter, aut non audiret, aut ſe audite diſſimularet?

Pſal. 57. 5.

7. Sed uſquequo jam ſatis vel nimis longam protrahimus epiſtolam, dum inviti loquimur rem ſilentio dignam? Cur tantis circuitionibus ad veritatem ambimus, dum pudenda revelare timemus? Dicam tamen, dicam cum pudore, quod multis cognitum, occultare etſi volo, non valeo. Sed quare cum pudore? Utquid me ſcribere pudeat, quod illos non puduit facere? Si pudeat audire quod impudenter egerunt; non pudeat emendare quod libenter non audiunt. Prò dolor! neutrum illorum revocare potuit, aut illum à ſeductione timor & ratio; aut hunc à prævaricatione pudor & profeſſio. Quid plura? verba præcipitationis concinnat lingua doloſa: concepit dolorem, & perſuaſit iniquitatem. Subvertit perverſus converſum: revertitur canis ad vomitum. Eccleſia veſtra ſuum recepit alumnum, quem meliùs habebat amiſſum. Sic Lugdunum olim, ſtudio ſimiliter & induſtriâ ſui Decani, ejuſdem Decani nepotem, ſuum Canonicum, quem bene perdiderat, male recuperavit. Sicut ille Fulconem beato Auguſtino, ſic Othbertum iſte ſancto Benedicto ſubripuit. O quàm ordinatiùs ipſe cum ſancto ſanctus efficeretur, quàm cum perverſo ſanctus perverteretur! ô quàm pulcriùs ſenem ſæcularem puer religioſus ad ſe traheret, & ſic vinceret uterque, quàm religioſum ſæcularis ad ſe retraheret, in quo victus eſt uterque! O ſenem infelicem, ô avunculum crudelem! qui jam decrepitus, ſtatim moriturus, nepotis animam priùs interfecit: quem ut peccatorum ſuorum haberet heredem, à Chriſti ſorte privavit! Sed qui ſibi nequam eſt, cui bonus? Maluit in ſuis facultatibus habere ſucceſſorem, quàm pro iniquitatibus interceſſorem.

Eccli. 14. 5.

8. Sed quid ad me de Decanis magiſtris noſtris, qui principatum meruerunt in eccleſiis? Clavem ſcientiæ tenent, & primas cathedras in conventibus poſſident. Viderint ipſi qualiter ſubditos judicent, fugitivos revocent, revocatos, ſi ita voluerint, iterum effugent, diſperſos colligant, collectos diſpergant. quid ad me? Fateor, aliquantum in illos propter te, mi Fulco, modum noſtræ parvitatis exceſſi; dum tuam de illis cupio palliare verecundiam, temperare culpam. Omitto ergo illos, ne non tam reprehenſioni, quàm reprehenſori juſtè indignentur: nec tam de ſua correctione cogitent, quàm mihi de præſumptione calumnientur. Non Eccleſiæ principem, ſed puerum ſcholarem objurgare ſuſcepi, qui neſciat indignari, non norit iraſci. niſi forte & tu ſenſu non malitia parvulus, idipſum mihi calumnieris, & dicas: Immo quid mihi & ipſi? quid ad illum de peccato meo? Numquid ego ſum monachus? Et ad hoc fateor quod reſpondeam non habeo: niſi quòd confiſus ſum tum de tua, quam in te credidi, ingenita manſuetudine, tum de Dei caritate, qua & in principio epiſtolæ excuſaſſe me memini. Ejus zelo tantum tui erroris miſertus, tantum tuæ miſeriæ compaſſus ſum, quatenus ſupra modum & morem meum de te non meo [a] me intromiſerim. Gravis lapſus tuus ac miſerabilis caſus provocavit me ut hoc præſumpſerim. Quem enim coætaneorum tuorum me vidiſti arguere? Cui vel breviſſimas aliquando litteras direxiſſe? Non tamen quòd omnes ceteros ſanctos putaverim, aut nihil in eis reprehenſione dignum invenerim.

Cur Fulconem non ſuum præ ceteris reprehendat.

9. Cur ergo, inquis, ſingulariter me reprehendis, cùm & in aliis videas quod juſtiùs forſitan reprehendere poſſis? Ad quod ego: Propter ſingularitatem erroris tui, propter immanitatem peccati tui. Nam etſi plerique alii perditè vivunt, etſi inordinati & indiſciplinati ſunt; nondum tamen Ordinem aut diſciplinam profeſſi ſunt. Sunt quidem peccatores, ſed non prævaricatores. Tu verò quantumlibet modeſte & honeſte vivas; ſi caſte, ſi ſobriè, ſi omnino religioſè te habeas: Deo tamen minùs accepta eſt tua religio, quam deturpat voti prævaricatio. Idcirco, cariſſime, ne te tuis coætaneis compares, à quibus profeſſio te ſeparat: nec reſpectu ſæcularium de tua tibi fortè paulo graviori continentia blandiaris, cùm tibi Dominus dicat: *Utinam te calidum aut frigidum inveniſſem.* Hic oſtenditur apertè, quia minùs Deo tepidus places, quàm ſi vel quales illi ſunt, frigidus eſſes. Illos utique Deus patienter exſpectat de frigore quandoque ad calorem proficere: te verò indignans advertit de calore jam in teporem defeciſſe. Et quia tepidum te inveni; *incipiam*, inquit, *te evomere ex ore meo.* Et meritò, quia tu ad tuum vomitum rediſti, quia tu ejus gratiam evomuiſti.

Monachus relicto monaſterio moderatè vivens, peior diſſoluto in illo remanente.

Apoc. 3. 15.

Ibid.

10. Heu quomodo Chriſtum tam citò faſtidis, de quo ſcriptum eſt: *Mel & lac ſub lingua ejus?* Miror, quòd ad guſtum cibi dulciſſimi nauſearis: ſi tamen guſtaſti quam dulcis eſt Dominus. Aut certè nondum guſtaſti, & neſcis quid ſapit Chriſtus; ideoque non appetis inexpertum: aut ſi guſtaſti, & dulce non ſapuit, ſanum non habes palatum. Ipſe quippe Dei eſt ſapientia, quæ ait: *Qui comedit me, adhuc eſuriet: & qui bibet me, adhuc ſitiet.* Sed quomodo poteſt eſurire vel ſitire Chriſtum, plenus quotidie ſiliquis porcorum? Non potes bibere ſimul calicem Chriſti, & calicem dæmoniorum. Calix dæmoniorum ſuperbia eſt, calix dæmoniorum detractio & invidia eſt; calix dæmoniorum crapula & ebrietas eſt: quæ cùm impleverint vel mentem vel ventrem tuum, Chriſtus in te non invenit locum. Non mireris quod dico. In domo avunculi tui non potes inebriari ab ubertate domûs Dei. Cur inquis? quia domus deliciarum eſt. Quomodo ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt, ſic ſpirituales & carnales deliciæ in eodem ſe non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus; vina ſua, dulciora ſuper mel & favum, menti propinare non dignatur. Ubi curioſa ciborum diverſitas, ubi divitis ſupellectilis diſcolor varietas oculos pariter paſcit & ventrem, cæleſtis panis jejunam deſerit mentem. Eia lætare juvenis in adoleſcentia tua, ut decedente pariter cum ætate temporali lætitia, ſuccedat quæ te abſorbeat æterna triſtitia. Sed abſit hoc ab adoleſcentulo noſtro, avertat hoc Deus à puero ſuo. Quin potiùs diſperdat Dominus univerſa labia doloſa eorum, qui tibi tale conſilium donant, qui dicunt tibi quotidie, Euge, euge; & quærunt animam tuam. Hi ſunt cum quibus habitas, quorum prava colloquia [*] adoleſcentis bonos mores corrumpunt.

Cant. 4. 11.

Deus non ſapit carnalibus.

Eccli 24. 29.

1. Cor. 10. 20

Nec ſpirituales deliciæ.

Eccle 11. 9

* al. conſilia.

11. Sed quamdiu jam non exis de medio eorum? Quid facis in urbe, qui clauſtrum elegeras? quid tibi cum ſæculo, qui ſæculum ſpreveras? Funes ceciderunt tibi in præclaris, & tu opibus inhias terrenis? Si vis habere ſimul & hæc & illa, breviter tibi reſpondebitur: *Memento fili, quia recepiſti bona in vita tua. Recepiſti* dixit, non rapuiſti: ne etiam de hoc tibi fruſtra blandiaris, quòd tuis contentus, aliena non rapias. Verumtamen quæ ſunt illa tua? Beneficia eccleſiæ? Rectè. Quia ſurgis ad vigilias, vadis ad Miſſas, horis chorum nocturnis diurniſque frequentas; bene facis. Sic eccleſiæ præbendam gratis non accipis. Dignum eſt ut qui altario deſervit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut ſi bene deſervis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario ſuperbias, ut inde compares tibi frena aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diverſificata. Denique quicquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt: rapina eſt, ſacrilegium eſt. Orabat quidem Sapiens tantùm victui ſuo tribui neceſſaria, non ſuperflua.

Luc. 16. 25.

Quomodo utendum beneficiis eccleſiaſticis.

[a] Id eſt de te qui meus monachus non es.

[illegible] *Habentes* ait Apoſtolus, *victum & veſtitum*, non vic- A
[illegible] tum & ornatum. Et quidam alius Sanctus: *Si dederit*, inquit, *mihi Dominus panem ad manducandum, & veſtimentum quo operiar.* Nota, *quo operiar.* Sic ergo & nos contenti ſimus veſtimentis quibus operiamur, non quibus laſciviamus, non quibus ſuperbiamus, non quibus mulierculis vel ſimilari, vel placere ſtudeamus. Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito: ſi non facio quod ceteri, de ſingularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum.

11. Quid agis in urbe delicate miles? Commilitones B tui quos fugiens deſeruiſti, pugnant & vincunt; pulſant & intrant; cælum rapiunt & regnant: & tu ſedens ſuper ambulatorem tuum, indutus purpura & byſſo, circuis plateas, vicos perambulas? Hæc ſunt pacis ornamenta,
[illegible] non belli munimenta. An dicis *Pax, & non eſt pax!* Purpura non propulſat libidinem, non ſuperbiam, non avaritiam repellit; & ſi qua ſunt alia ignea inimici jacula, non extinguit. Denique, quod magis metuis, fe-
[illegible] brem non prohibet, mortem non arcet. Ubi ſunt arma
[illegible] bellica? ubi ſcutum fidei? ubi galea ſalutis? ubi patientiæ lorica? Quid trepidas? Plures ſunt nobiſcum, quàm cum illis. Sume arma, reſume vires, dum adhuc prœ- C lium durat. Adſunt Angeli ſpectatores & protectores: adeſt ipſe Dominus adjutor & ſuſceptor, qui doceat manus tuas ad prœlium, & digitos tuos ad bellum. Procedamus in adjutorium fratrum, ne ſi fortè ſine nobis pugnent, ſine nobis vincant, ſine nobis ingrediantur; noviſſimè cùm clauſa fuerit janua, ſerò pulſantibus, no-
[illegible] bis de intus reſpondeatur: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Fac, quæſo, te priùs ſciri, fac te priùs videri: ne tunc neſciaris ad gloriam, ſciaris autem ad pœnam. Si te Chriſtus agnoſcit in bello, recognoſcet in cælo; & ſicut
[illegible] promiſit, manifeſtabit tibi ſeipſum; ſi tamen & tu pœnitendo & reſipiſcendo talem te exhibueris, ut cum
[illegible] fiducia dicere poſſis: *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus* D *ſum.* His interim admonitionibus verecundum adoleſcentis animum pulſatum eſſe ſufficiat. Jam enim noſtris etiam precibus pro eo divina pulſanda eſt pietas: quæ ſi ad ictus noſtrarum invectionum ejus mentem vel parum mollitam invenerit, confido de ipſa, quod citiùs nos de ipſo lætificabit.

Ad Canonicos regulares de Aildicurte.

EPISTOLA III.

[illegible] C. 8. 22.

Laudibus ſuis ſe terreri magis, quàm demulceri. Deinde quoſdam ex Canonicis S. Auguſtini, a ſe ſuſceptos non eſſe impediendos.

Clericorum qui ſunt in loco, qui dicitur Aildicurtis, [a] Deo ſervientium ſancto Conventui, Magiſtro S. & diſcipulis, puſillus grex Claræ-vallenſium Fratrum, & eorum qualiſcumque miniſter Fr. Bernardus, in ſpiritu ambulare, & ſpiritualiter omnia examinare.

EXhortatio illa in litteris veſtris tam ſalubris, tam compendioſa, magna quidem ſcientiæ, mira caritatis veſtræ indicia, mirantibus nobis & congratulantibus præfert. Sed quod de laudibus noſtris pro veſtra devotione, quæ tamen non probaſtis, tam excellentia præmiſiſtis; etſi ad humilitatis quoque formam (quantum ex vobis eſt) non mediocriter inſtruere nos po- F tuit, conſcientias tamen noſtras multo inferiùs jacentes, quantum in nobis eſt, vehementer exterruit. Quis enim noſtrûm ſuam attendens converſationem, tanta de ſe & tam indebita, ſine magno vel metu, vel periculo poſſit audire? De hujuſmodi quippe alieno, ſeu etiam proprio ſe judicio committere, ſecurum non eſt. *Qui* 1. Cor. 4. 4.
enim *judicat nos, Dominus eſt.* Ceterùm de fratribus, de quorum ſalute veſtram nimirum caritatem ſollicitam eſſe cognovimus, ut ſecuros vos reddamus; noveritis multorum illuſtrium virorum, & maxime clariſſimi viri VVillelmi Catalaunenſis epiſcopi, [b] hortatu & conſilio ad nos declinaſſe, ſeque à nobis ſuſcipi multis precibus ac ſupplicationibus impetraſſe: ea videlicet intentione, ut ob tenorem arctioris vitæ, ab inſtitutionibus beati Auguſtini ad obſervantias ſancti Benedicti Dei adjutorio ſic tranſeant, ut tamen ab ejus magiſterio, qui unus eſt omnibus Magiſter in cælo & Matt. 23. 8.
in terra, non diſcedant; illamque primam fidem, quam apud vos, immo quam primùm in baptiſmo promiſerunt, non irritam faciant, ſed ſalvam integramque cuſtodiant. Talibus itaque taliter ſuſceptis, abſit ut ſinceritatem veſtram, aut in ſuſcipiendo læſam, aut in retinendo lædendam eſſe credamus: dum tamen illos, ſi forte infra annum probationis, qui regulariter conſtitutus eſt, cœpta deſerere, & ad vos redire velle contigerit, invitos non detineamus. Alioquin, ſanctiſſimi fratres, veſtra non refert, ut ſpiritum libertatis qui in eis eſt, anathemate inconſulto fruſtra impedire nitamini: niſi fortè (quod Deus avertat) quæ veſtra, non quæ Jeſu-Chriſti ſunt, quærere ſtudeatis.

Ad ARNOLDUM abbatem Morimundi. [c]

EPISTOLA IV.

Circ. an. MCXXVII. V. Nota.

Arnoldum abbatem, temere relicto monaſterio peregrinantem, ad monaſterii curam revocat, fratrum ſcandala & gregis pericula exponens.

Domno Abbati ARNOLDO, frater Bernardus de Clara-valle, ſpiritum compunctionis & conſilii.

1. PRimo ſcire te volo, domnum Ciſtercienſem, necdum quando tuus nuntius ad nos venit, de Flandria, quo paulo ante per nos tranſierat, remeaſſe; & ob hoc nec litteras accepiſſe, quas ei juſſiſti præſentari, & adhuc eſſe tantæ à te præſumptæ novitatis ignarum. Felix interim, cui tam triſtes rumores, vel ad tempus liceat ignorare. Deinde quod de tui, deſperando nos, revocatione interdicis, ne quod quaſi inconcuſſe apud te fixum eſt, fruſtra tibi litteras dirigendo diſſuadere conarer: in hoc tibi obedire fortaſſe quidem pro ratione non debui; revera autem præ dolore, fateor, non potui: cum etſi pro certo ſcirem,
E ubi te opportune inveniſſem, ipſe potius veniſſem, quàm has miſiſſem, effecturus fortaſſe per me ipſum, quod nullis litteris poſſum. Rides forſitan meam hujuſmodi tanquam caſſam fiduciam, utpote propriæ pertinaciæ conſcius: ad quam utique flectendam, nullam vim, nullam precem, nullam ſperas prævalere induſtriam. At verò ego de illius potentia non diffidens qui dixit, *Omnia ſunt poſſibilia credenti*; fidenter Marc. 9. 22.
uſurpans & mihi illam ſententiam, *Omnia poſſum in eo* Phil. 4. 13.
qui me confortat: quamvis in magna parte lapidei cordis tui obſtinationem & ipſe non ignorem, utinam nunc tamen, ſive fructuoſe, ſive fruſtra, tuo lateri adhærerem. Quanta quæ me movent adversùm te, fruſtra
F neſcio an fructuosè, jacerem tibi in faciem; non ſolùm verbis, ſed & vultu & oculis. Tuis deinde provolutus veſtigiis, tenerem pedes; amplecterer genua; totuſque à collo pendens, illud mihi dulciſſi-

a Hunc titulum ſic reſtituimus ex Codice Corbeienſi. Quinam ſint iſti Canonici regulares, non liquet.

b Heic dictus de Campellis, mortuus anno 1121. Bernardi in primis amicus, in ejus vita laudatus non ſemel. Ante epiſcopatum, abdicato docendi munere, ſeceſſerat ad monaſterium S. Victoris Pariſienſe. Hildebertus, Cenomannenſis tunc epiſcopus, ei de hoc facto gratulatur epiſtola prima, quæ ſine titulo in editis, in codice S. Tauriani Ebroicenſis inſcripta eſt *ad VVillelmum de Campellis.* Conon Card. & Legatus in Mauriniacenſe prope Stampas cœnobium acceſſit anno 1120. *habens ſecum velut auxiliatorem magnum VVillelmum Catalaunenſem epiſcopum, qui ſublimes ſcholam, id eſt Theologicas, tenuerat, & tunc zelum Dei habens, ſuper omnes epiſcopos totius Galliæ divinarum ſcripturarum ſcientia fulgebat*, ex Chronico Mauriniacenſi. Unde redarguas eos, qui ejus obitum reponunt anno 1119. Hugo Metellus in epiſtola 4 ad Innocentium, occaſione Abælardi, qui Guillelmi diſcipulus & adverſarius fuerat: *Mortuo*, inquit, *Anſelmo Laudunenſi & Guillelmo Catalaunenſi, ignis verbi Dei in terra defecit.* Vide alias Notas.

c Morimundus, *Morimond*, tertia Ciſtercii filia, in diœceſi Lingonenſi conditur anno 1115. Abbas primus Arnoldus, Colonienſium illuſtri familia ortus: qui à vicinis exagitatus, teſte Bernardo in epiſtola 142, monaſterium ſuum, inconſulto Ciſtercienſi Abbate Stephano, deſeruit cum aliquot monachis, quorum unus Adam, ad quem epiſtola ſequens. Vide alias Notas.

mum caput deoſcularer, quod ſub uno mecum poſito, ſuavi jugo Chriſti jam pluribus annis attritum eſt. Flerem quoque, quantum valerem, rogarem & obſecrarem per Dominum Jeſum; quatenus parceres, primò quidem ejus cruci, qua utique redemit quos tu, quantum in te eſt, perimis; collegit quos tu diſpergis. Perimis, inquam, & diſpergis, ſive quos tecum ducis, ſive quos hic deſeris: quibus utique etſi diverſum, non diſpar tamen utriſque metuimus periculum. Deinde etiam parceres & nobis amicis tuis: quibus licet immeritis, non niſi fletum & lacrymas reliquiſti. O ſi hoc mihi licuiſſet, flexiſſem forſitan affectione, quem ratione non poſſum: pectuſque illud ferreum, quod nec Chriſti timore in hac redumtaxat cedere acquieſcit, fraterna forte pietas emolliſſet. Sed heu! & hanc nobis copiam ſubtraxiſti.

2. O magna noſtri Ordinis columna! Patienter, quæſo, audi amicum vel abſentem, tuæ penitus diſceſſionis impatientem, tuo medullitus & labori, & periculo compatientem. O, inquam, magna noſtri Ordinis columna! non metuis te ruente magnam mox proculdubio ruinam ſecuturam? At ego, ioquies, non ruo: ſcio quod facio: bonam conſcientiam habeo. Eſto: credimus tibi de te. Sed numquid de nobis, qui jam & gravia tuo ex diſceſſu gementes ſuſtinemus ſcandala, & graviora paventes exſpectamus pericula? An & tu quoque non ignoras iſta, ſed diſſimulas? Qua ratione ergo multorum faciendo ruinam, te ruere non præſumis: qui in hoc videlicet poſitus eras, ut non quod tibi eſt utile, ſed magis quod aliis; nec quæ tua, ſed quæ Jeſu-Chriſti ſunt, quærere debeas? Quomodo, inquam, ſecurus abis, qui gregi tibi commiſſo omnem de ſe ſecuritatem in perpetuum aufers? Quis occurret lupis incurſantibus, quis conſolabitur in tribulationibus, quis providebit in tentationibus, quis denique leoni reſiſtet rugienti, & quærenti quem devoret? Patebunt ſine dubio morſibus malignantium, qui devorant plebem Chriſti ſicut eſcam panis. Heu! quid facient novellæ plantatiooes Chriſti, quæ per manus tuas conſitæ fuerant diverſis in locis, & locis horroris, & vaſtæ ſolitudinis? Quis circumfodiet? quis impinguabit fimo? quis ſepem circumdabit? quis ſuccreſcentes ſollicitus erit reſcindere ſurculos? Aut flante profecto tentatioonm vento, tenerrimæ adhuc, heu! facile eradicabuntur: aut inter frutecta certe ſimul exorientia, cum non erit qui purget, ſuffocatæ nullum afferent fructum.

3. Quæ cum ita ſint, judica tu quale hoc tuum bonum erit, aut ſi vel eſſe poterit bonum cum tantis malis. Quantumlibet dignos facturum te fructus pœnitentiæ confidas, nonne hujuſcemodi ſpinis neceſſe erit ſuffocari? Nonne denique *ſi rectè offers, & non rectè dividis, peccas?* Quid enim? Rectene forte dividere eſſe dices, ſoli animæ tuæ conſulere; & filios tuos quos orphanos relinquis, conſilio paterno deſtituere? O miſeros & miſerabiles, & eo miſerabiliores, quo vivo ſe conſpiciunt orbari patre! Quamquam dubitare te quoque oportuerit, an vel tibi rectè conſulas, in eo videlicet, quod abſque conſilio Fratrum & Coabbatum tuorum, abſque Patris & Magiſtri tui licentia, rem tam novam præſumis. Illud etiam multos permaxime movet, quod pueros imbecilles & delicatos juvenes tecum ducis. Alioquin ſi boni & robuſti ſunt, deſolatæ domui fuerant neceſſarii: ſi delicati (ut dixi) & imbecilles, duræ ac laborioſæ peregrinationi noo erunt idonei. Sed & regendis animabus eorum nequaquam te ultra credimus velle præeſſe: quippe cujus cognovimus eſſe propoſitum, paſtoralem abjicere ſarcinam dumtaxat tuorum, & ſoli deinceps vivere tibi. Valde enim incongruum eſſet, ut alibi præſumptuosè non vocatus reſumeres, quod alibi prohibitus inconſulte relinquis. Sed jam ne omnia ſcienti multa ſuperfluo ingeram: in fine & in fide tibi polliceor, ſi opportunitatem loquendi tecum mihi dederis, datu-

Gen. 4. 7. juxta LXX

A rum me operam, quatenus idipſum quod inordinate & periculoſe aggreſſus es, licite & ob hoc ſecure peragas. Vale.

Ad ADAM monachum.

EPISTOLA V.

AN. CHR. MCXXV.

Dehortatur, ne Arnoldo abbati Morimundi adhæreat, nec ſe peregrinationis, aut potius vagationis ejus ſocium præbeat.

1. TUa mihi ſatis comperta humilitas, & inſtantis periculi neceſſitas præbet mihi fiduciam con-
B veniendi te acrius, & arguendi liberius. O inſenſate! quis te facinavit tam cito recedere ab illo ſaluberrimo conſilio, in quo dudum tibi pariter & mihi, Deo ſolo teſte, conventum eſt? Cogita inſipiens vias tuas, & converte pedes tuos in teſtimonia Domini. Non recordaris, quod primo in Majori-monaſterio [a] tuæ converſionis initia dedicaſti; ſecundo apud Fuſniacum, noſtræ te qualicumque providentiæ commendaſti; tertio in Morimundo ſtabilitatem tuam firmaſti; quarto mecum rurſus inito conſilio, ſuggeſtæ tibi ab abbate Arnoldo peregrinationi, immo vagationi, ingenuè abrenuntiaſti; ipſius quoque tibi conſortium, ſi non ipſe licite poſſet abire, illicitum judicaſti? Quid enim?
C Licitene dices illum recedere, qui & ſibi commiſſis lacrymabile ſcandalum reliquit, nec commiſſoris licentiam exſpectavit?

2. Sed quorſum, inquies, tendunt hæc, quæ ſic retractare voluiſti? Ut te manifeſtæ levitatis arguam, ut EST & NON eſſe apud te evidenter oſtendam: ſicque errorem tuum jam tandem agnoſcens & erubeſcens, vel ſero diſcas ab Apoſtolo, non omni ſpiritui 1. Joan. 4. 1.
credere; diſcas à Salomone multos quidem amicos, Eccli. 6. 6.
unum autem habere conſiliarium de mille; diſcas Præcurſoris Domini exemplo, non ſolum mollibus non Mat. 11. 8.
veſtiri, ſed nec in modum vento agitatæ arundinis circumferri omni vento doctrinæ; diſcas ex Evangelio Mat. 7. 24.
D domum tuam ſupra petram fundare; diſcas & cum Mat. 10. 16.
Diſcipulis ſerpentis non obliviſci prudentiam cum ſimplicitate columbæ: & tam ex his, quàm ex aliis atque aliis Scripturarum teſtimoniis hanc colligas ſummam, quantum ſibi videlicet uſque modo milleformis ille ſeductor illuſit, qui cum in te boni initium non valuit præpedire, invidit perſeverantiæ: hoc nimirum ſuæ poſſe ſufficere malitiæ judicans, ſi hanc poſſet auferre tibi, quam ſolam virtutum noverat coronari. Obſecro te per viſcera miſericordiæ Chriſti, ut nullatenus abeas, aut vel non prius quàm ad nos loco quidem opportuno venias loqui, ſi quod forte tantis malis, quæ jam nobis ex veſtra diſceſſione, aut
E veniſſe ſentimus, aut ventura metuimus, queat remedium inveniri. Vale.

Ad BRUNONEM Colonienſem.

EPISTOLA VI.

AN. CHR. MCXXV.

Monachos quoſdam Abbatis Morimundi vagabundos opera Brunonis reduci cupit ad monaſterium.

Domino BRUNONI viro [b] illuſtri, & dilecto ſuo, frater Bernardus abbas dictus de Clara-valle, ſalutem, & ſi quid poteſt peccatoris oratio.

1. EX quo dudum Remis noſtri invicem utrique gra-
F tam cepimus notitiam, non puto vos noſtræ penitus fuiſſe parvitatis oblitum. Et ob hoc non timidè tamquam ad extraneum, ſed fidentiſſime ſcribo ad vos quæcumque volo, ut ad ootum & familiarem noſtrum. Arnoldus abbas Morimundenſis, in grave totius noſtri Ordinis ſcandalum, ſuum noper monaſterium ſatis inordinate deſeruit: quippe qui nec Coabbatum ſuorum in tam ſcrupuloſo facto exſpectavit conſilium; nec ipſius, cui præcipuam debebat ſubjectionem, Abbatis

a De Majori-monaſterio prope Turonos lege epiſtolam 397. de Fuſniaco, Foigny, diœceſis Laudunenſis, epiſtolam 72.

b Is poſtea Colonienſis archiepiſcopus, ad quem epiſtola 8. & 9?

ſcilicet

[illegible] [illegible]tercienſis, licentiam vel aſſenſum: ſed [illegible]o ſub poteſtate, habens & ipſe ſub ſe [illegible]latis impatiens ſuperioris, alienum qui-[illegible] propria cervice ſuperbus abjecit, ſuum autem [illegible]ior in ſubjectos retinuit. Siquidem de ma[illegible]dine monachorum, quos circuiens mare & [illegible]maniter congregarat, non Chriſto, ſed ſibi; p[illegible]odium, hiſque ſimplicioribus ac remiſſioribus [illegible] celulatis, meliores quoſque & perfectiores ſui [illegible] erroris aſſumpſit. Inter quos, tres quorum nos [illegible]one ablatione turbavit, auſus eſt etiam ſeducere, & [illegible]cum ducere ſtatuit; Evrardum videlicet fratrem noſtrum *, & Adam quem bene noſtis, nobilémque illum puerum Conradum, quem & pridem non ſine ſcandalo tulerat de Colonia. Quos tamen, ſi operam dare volueritis, veſtrâ confidimus poſſe revocari induſtria.

Al. veſtrum.

2. Nam de ipſius Arnoldi revocatione, quia jam in pluribus ejus inflexibilis animi obſtinationem probavimus, incaſſum laborare vos nolumus. Audivimus autem Evrardum & Adam, & nonnullos ejuſdem conſortii alios fratres, in veſtris adhuc partibus demorari. Quod ſi verum eſt, oportet vos eos per vos interim, ſi dignamini, convenire, flectere precibus, ratione convincere, & columbinam eorum ſimplicitatem prudentiâ inſtruere ſerpentinâ; ne putent obedientiam inobedienti adhærere, ne licite ſequi ſe poſſe confidant vagantem illicite, ne ſeducantur deſerere profeſſum Ordinem propter inordinatum hominem; cùm ᵃ ipſum quoque Angelum de cælo, ſi aliud eis evangelizaverit, dubitare non oporteat apoſtolica auctoritate anathema dicere: & ab ipſo doceantur Apoſtolo, ſe ab omni fratre inquiete ambulante debere ſubtrahere. Qui vos quoque doceat, non ſuperbe ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, donec omnibus abrenuntiantem, probatum ſibi Chriſtus vindicet diſcipulum. Valete.

Gal. 1. 2 Theſſ. 3. 6. 1 Tim. 6. 17.

Ad ADAM monachum ᵇ.

Ad Chr. MCXXVI.

EPISTOLA VII.

Adamum ut ad monaſterium vel nunc tandem Abbate mortuo redeat, hortatur: oſtendit, in tali cauſa nullum fuiſſe obedientiæ vinculum. Demum reſpondet, cur aliorum Ordinum religioſos recipiat.

1. SI maneres in caritate, quam in te olim aut novimus, aut putavimus, caritatis profectò damna ſentires, quæ utique ſunt ſcandala puſillorum. Nec enim caritas caritatem offenderet, aut contemneret, cùm ſentiret offenſam. Nam ſeipſam non poteſt negare, nec enim in ſe diviſa eſt. Novit potiùs in ſe diviſa conjungere: conjuncta dividere neſcit. Proinde, ut dixi, ſi maneret in te, non ſileret, non quieſceret, non diſſimularet, gemens & æſtuans, & intra pium pectus tuum proculdubio ſubmurmurans illud: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Siquidem benigna eſt, pacem diligit, congaudet unitati. Sola quippe eſt quæ illam generat, colligat, ſolidat, & conſervat ubicumque ſervari cognoſcitur in vinculo pacis. Infenſâ ergo vobis hac tam honorabili matre unitatis & pacis, quo pacto quæſo veſtrum quodcumque ſacrificium Deo fore acceptum præſumitis, cùm abſque illa nec martyrium quidem aliquid eſſe putet Apoſtolus? Aut qua ratione vobis fore infenſam non eſſe confiditis *, cujus caſtis viſceribus, cujus caris pignoribus tam inhumane agendo non pepercistis nec parcitis, ſcindentes unitatem, rumpentes vinculum pacis? Ponendum eſt ergo munus quodcumque offerre paratis; & prius habenti adverſùm vos, non fratri, ſed fratrum multitudini reconciliandum. Ecce nimirum univerſæ fraternitatis unitas adverſùm veſtram paucitatem, quodam veluti veſtri diceſſus gladio ſauciata conqueritur, quaſi quæ plangens miſerabiliter dicat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et merito. Qui enim non eſt cum illa, contra illam eſt. Putas ſine gemitu tam juſtum filiæ gemitum pia poſſit mater caritas audire? Ideo & ipſa noſtris lacrymis jungens ſuas, ait de vobis: *Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.* Caritas ipſe Deus eſt. *Pax noſtra* Chriſtus, *qui fecit utraque unum.* In trinitate unitas maximè commendatur. Cui ergo caritas, pax & unitas irata cognoſcitur, quid habet in regno Chriſti & Dei?

*Vera caritas in ſe diviſa non eſt. 2 Cor. 11. 29. 1 Cor. 13. 3. * al. confiditis. Cant. 1. 5. Iſa. 1. 2. Eph. 2. 14.*

2. Sed forſitan dicis: Abbas noſter abduxit nos, & ſecum ire præcepit: num inobedientes eſſe debuimus? Scis quidem, niſi fortè oblitus ſis, quid quadam die, communicato mecum jam conſpirati ſcandali conſilio, ac diligenter mutua collatione diſcuſſo, inter nos convenerit. In quo ſi permanſiſſes, & de te illud non incongruè diceretur: *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum.* Sed eſto. Debuiſtis obedire filii patri, magiſtrum ſequi diſcipuli. Licuerit certè Abbati monachos ſuos ducere quò libuerit, & docere quod voluerit: ſed quamdiu vixit. Nunc verò mortuo illo, quem vel audire doctorem, vel ſequi ducem cogimini, quò adhuc tam grave ſcandalum emendare cunctemini? Quis jam prohibet, non dico me, ſed Deum noſtrum per os Jeremiæ benignè vos revocantem audire? Ait enim: *Numquid qui cecidit, non reſurget; aut qui averſus eſt, non revertetur?* An & ille moriens interdixit, ne vel poſt caſum tentetis reſurgere, poſt averſionem mutire audeatis de reverſione? Itáne etiam defuncto neceſſe eſt vos obedire, & obedire contra caritatem, obedire in veſtræ ipſorum ſalutis periculum? Sed arbitror quòd nequaquam firmius ſeu tenacius dices eſſe vinculum Abbatum ad ſubditos, quàm conjugum ad ſeipſos, quorum quippe Deus copulam, & non homo, inviolabili ligavit ſacramento, loquente Salvatore; *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Apoſtolo autem aſſerente, ſolutam eſſe mulierem à lege viri mortuo illo; tu te Abbatis exiſtimas defuncti lege teneri, & hoc contra legem quæ ſanctior eſt, legem videlicet caritatis?

Pſal. 1. 1. Jerem. 8. 4. Mat. 19. 6. Rom. 7. 2.

3. Et hæc dixi, non quòd putem vos vel viventi in hoc paruiſſe debere, aut vel dicendam eſſe obedientiam ſic paruiſſe. Alioquin generalis de hujuſmodi illa ſententia eſt: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* At ne fortè quis Abbatum etiam in malo obedientiam ab hoc maledicto liberam eſſe contendat, audi alibi apertiùs: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Ex his ergo liquidò apparet, mala imperantibus non eſſe parendum, præſertim dum pravis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo planè, qui omne quod perperam agitur interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem perverſum eſt profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, id eſt divinam propter humanam ſolvere obedientiam. Quid enim? Quod jubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem ſurdus Deo? Non ſic Apoſtoli. Clamant quippe dicentes: *Melius eſt obedire Deo, quàm hominibus.* Hinc Dominus in Evangelio Phariſæos increpans: *Quare & vos,* inquit, *tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Et per Iſaiam: *Sine cauſa autem,* ait, *colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes.* & item ad Protoplaſtum: *Pro eo quod obediſti voci uxoris tuæ pluſquam mei, maledicta terra in opere tuo.* Igitur facere malum, quolibet etiam jubente, conſtat non eſſe obedientiam, ſed potiùs inobedientiam.

Abbati non obediendum in malo. Pſal. 124. 5. Ezech. 18. Deo potiùs obediendum quàm homini. Act. 5. 29. Mat. 15. 3. Iſa. 29. 13. Geneſ. 3. 17.

4. Sanè hoc advertendum, quòd quædam ſunt pura bona: quædam pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda ſunt, etiam cùm prohibentur; nec iſta, vel cùm jubentur, committenda. Porro inter hæc ſunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona: & in his lex poſita eſt

Bona pura & media. Obedientiæ lex in quibus valeat.

ᵃ Ita in ſcriptis omnibus, & rectè ad ſenſum Apoſtoli, *ipſum Angelum dicere anathema,* id eſt reprobatum.

ᵇ In codice regio inſcribitur, *de aſcriptione obedientiæ.* Hæc epiſtola ſcripta fuit poſt mortem Arnoldi Abbatis, quæ in Belgio contigit anno 1126.

obedientiæ, tamquam in ligno ſcientiæ boni & mali, quod erat in medio paradiſi. In his profectò fas non eſt noſtrum ſenſum ſententiæ præſcribere magiſtrorum: in his omnino prælatorum nec juſſio, nec prohibitio contemnenda. Videamus ne fortè tale fuerit quod arguimus in vobis: & ob hoc fortſitan argui non debuerit. Quod evidentiùs elucebit, ſi præmiſſæ diviſionis exempla ſubjecero. Fides, ſpes, caritas, & cetera hujuſmodi, pura ſunt bona: quæ quia malè non poſſunt vel juberi vel teneri, bene non poſſunt vel prohiberi vel non teneri. Pura mala ſunt furtum, ſacrilegium, adulterium, & cetera talia, quæ utique nec vel bene præcipi vel perfici poſſunt, nec malè prohiberi vel non fieri. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. Nullius quippe prohibitio valet obviare præceptis: nullius juſſio præjudicare prohibitis. Sunt deinde media, quæ quidem per ſe nec bona eſſe noſcuntur, nec mala: poſſunt tamen indifferenter & bene pariter & malè vel prohiberi, vel juberi, ſed malè nullatenus in his à ſubditis obediri. Ex his ſunt, ut exempli gratiâ ponam, jejunare, vigilare, legere, & quæque talia. Sciendum verò quia media quædam in purorum plerumque bonorum ſeu malorum tranſeunt rationem. Nam conjugium cùm & fieri liceat, & non fieri, factum jam ſolvi non licet. Quod ergo ante nuptias medium eſſe liquebat, in jam conjugatis puri boni vim obtinet. Item propria poſſidere, ſæculari quidem homini medium eſt, quoniam & non poſſidere licet: monacho verò quia poſſidere non licet, purum malum eſt.

Mala pura & media.

5. Vidéſne jam, frater, veſtrum factum cui potiſſimùm membro diviſionis conveniat? Si puris aptandum bonis, probabile eſt: ſi puris malis deputandum, vituperabile eſt: ſin verò collocandum inter media; via quidem excuſari forſitan poteſt propter obedientiam, mora verò penitus non poteſt, quæ non fit per obedientiam. Nam mortuo jam Abbati, ſi quid antè juſſit quod non debuit, nequaquam eſſe parendum, ſuperior patefecit diſputatio. Et ſi res per ſe jam ſatis eluceſcat, tamen propter quoſdam qui quærunt occaſionem, ubi ratio non ſuppeditat, clarum faciam breviter, & ita clarum ut omnis dubietatis umbra diſpareat: quòd nec purum, nec medium bonum, ſed planè purum fuerit malum ſic obediſſe, ſic veſtrum monaſterium reliquiſſe. Et quidem taceo de mortuo, qui ſuum & ſolum jam judicem habet Deum, & vere nunc ſuo domino aut ſtat aut cadit: ne fortè indignans, & merito indignans dicat Deus: *Tulerunt homines à me judicium.* Tamen ad correctionem viventium, non quidem quod geſſit, ſed quod juſſit diſcutio, utrum videlicet illa juſſio vim habere debuerit, quatenus in ſcandalum multorum ei fuerit obſequendum. Et præmittendum, quòd ſi qui ſimpliciter, nihilque ſuſpicantes mali, malè licet proficiſcentem ſecuti ſunt, putantes eum Epiſcopi Lingonenſis & Abbatis Ciſtercienſis (nam utrique debitor erat) licentiâ proficiſci; (quod utique nonnullos de illo comitatu ſic crediſiſſe incredibile non eſt:) noſtra hæc illos non tangit reprehenſio, dummodo ubi compererint, ſine mora regrediantur.

Adami factū eſſe inexcuſabile.

6. Igitur adverſus illos tantùm, immo pro illis ſermo eſt nobis, qui ſcientes & prudentes miſerunt manus in ignem, qui conſcii præſumptionis ſecuti ſunt præſumptorem; non audientes Apoſtolum prohibentem & denuntiantem, ut ſe ab omni fratre ambulante inordinate ſubtraherent; contemnentes & ipſius Domini vocem dicentis: *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Vos fratres, vos, inquam, apertè & ſpecialiter notat illud apud Jeremiam, quod cum dolore quidem reminiſcor, opprobrium: *Hæc eſt*, inquit, *gens quæ non audivit vocem Dei ſui.* Dei enim propriè vox eſt iſta, hoſtem ſuum proprio deſignantis ex officio, & tamquam digito demonſtrantis, ut ſimplices ab ejus impio deterreat conſectatu: *Qui non eſt*, inquit, *mecum, diſpergit.* ac ſi dicat: In hoc te jam mecum non eſſe intelligas, ſi ſequeris diſperſorem. Deo ergo clamante, *Qui non colligit mecum, diſpergit:* ſequi vos oportuit diſperſorem? Deo, inquam, vos invitante ad colligendum, homini potiùs ad diſpergendum obſequi debebatis? Magiſtros contemnebat, ſubditos exponebat, ſocios conturbabat; & vos videntes furem currebatis cum eo? Silere de mortuo ſtatueram: ſed compulſus ſum, fateor, aliquantulum prætergredi, dum non potuit improbari obeditio, ſi non reproba monſtraretur & juſſio. Porro juſſio & actio hominis cùm diverſa non fuerint, impoſſibile viſum eſt unam ſine altera vel approbari, vel reſpui. Liquet tamen hujuſcemodi juſſioni non fuiſſe obtemperandum, Deo quippe imperante contraria. Item majorum inſtitutis, minorum non eſſe præponenda, aut communibus privata non præjudicare imperia quis dubitat? Nam ex Regula ſancti Benedicti * hoc habemus.

1. Theſſ. 3. 6
1 Mat. 12. 30
Jerem. 7. 28
** Reg. S. Bened. cap. 71.*

7. Poſſem quidem Abbatem Ciſtercienſem ad medium deducere, qui utique ſuperior illo, quantum pater filio, quantum magiſter diſcipulo, quantum denique Abbas commiſſo ſibi monacho, meritò ſe à vobis propter ipſum queritur fuiſſe contemptum. Poſſem & Epiſcopum, cujus nihilominus quia non fuit expectatus conſenſus, inexcuſabilis eſt & contemptus, cùm ad ipſos & de ipſis Dominus dicat: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sed quoniam his poſſet ambobus opponi & anteponi Romani Pontificis tamquam gravior auctoritas, cujus quippe vos aiunt præmunitos fuiſſe licentiâ, (quæ & ipſa licentia ſuo quidem loco * erit diſcutienda;) talis potiùs proferatur, cujus omnino fas non ſit auctoritati contradicere. Certè ſummus ille Pontifex, qui *per ſanguinem proprium* ſolus & *ſemel introivit in ſancta, æterna redemptione inventa*, terrifica voce denuntiat in Evangelio, ne quis unum de puſillis ejus audeat ſcandalizare. Vobis autem unius donetur ſcandalum, ſi non ultra proceſſit malum. Facilis ſequatur venia culpam, ex qua grave damnum non oritur. Nunc verò quod dubium non eſt, pluribus ſcandalizatis, quis apertè non videat quàm inhumanè humanam juſſionem divinæ prætuleritis? Quod quidem audere, quis niſi amens dicere audeat bonum eſſe aut bonum fieri poſſe, quantælibet dignitatis homine præcipiente? Quod autem nec bonum eſt, nec bene fieri poteſt, purum proculdubio malum eſt. Unde conſequenter advertitur, quòd iter veſtrum in multorum uſurpatum ſcandalum, ac per hoc & contra Dei mandatum; non purum bonum aut medium, ſed purum omnino fuerit malum: quoniam quidem & purum bonum ſemper bonum eſt, & medium bene fieri poteſt.

Luc. 10. 16.
** Infr. n. 9.*
Heb. 9. 12.
Matt. 18. 6.
Malum fieri bonum nulla poteſtas vel auctoritas facit.

8. Quomodo ergo vel Abbatis juſſio, vel Papæ permiſſio licitum facere valuit, quod purum (ſicut irrefutabiliter probatum eſt) malum fuit: cùm ſuperiùs nihilominus allegatum ſit, ea quæ hujuſcemodi ſunt, id eſt pura mala, ut numquam juſte juberi, ſic nec licite poſſe fieri? Vides quàm inanis excuſatio de humana obedientia, ubi in Deum convincitur facta tranſgreſſio? Nec timendum mihi arbitror, quòd ad illud Domini reſponſum de ſibi nuntiato ſcandalo Phariſæorum refugias, ut quomodo ille nihili pendebat dicens, *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*; ita & noſtra vobis ſcandala non eſſe timenda exiſtimes. Vides nempe quàm nil ſimile habeat in hac parte proportio. Nam ſi compares perſonas, illic Phariſæi ſuperbi, hic pauperes Chriſti ſcandalizantur. Si cauſas, hic levitas, ibi veritas in cauſa eſſe dignoſcitur. Rurſus, quod & ſuperiùs propoſitum eſt, vos non ſolùm divinis humana, ſed & communibus privata prætuliſſe imperia, hoc ſolum ad probationem ſufficiat, quòd veſtræ illi & novitati inſolitæ, & inſolenti præſumptioni, non tantùm noſtri Ordinis univerſitas, ſed etiam omnium monaſteriorum & conſuetudo, & inſtitutio reclamare videtur.

Matth. 15. 14. Quæ ſcandala contemnenda.

9. Quod & vos quoque non immeritò timentes, nec ſatis de propria cauſa confidentes, remorſas ac remordentes conſcientias apoſtolicâ conati eſtis delinire licentiâ. O frivolum ſatis remedium! quod non eſt aliud, niſi more Protoplaſtorum cauteriatis con-

Urget diſceſſum non fuiſſe licitum, etiam accedente Papæ licentiâ.

ſcientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apoſtolicam, inquiunt, licentiam quæſivimus, impetravimus. Utinam non licentiam quæſiſſetis, ſed conſilium; id eſt, non ut liceret, ſed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat. Niſi fortè tale hoc fuiſſe dicatur, quod abſque licentia quidem non liceret, liceret autem ſi cum licentia fieret. Verùm id jam ſuperiùs invincibili excluſum eſt ratione. Nec
(Matt. 18. 10.) enim Deus ubi ait, *Nolite contemnere unum ex his puſillis qui in me credunt*, addidit etiam, niſi cum licentia; aut dicens, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis meis*, & cetera; determinavit ſubjungens, ſine licentia. Conſtat igitur ubi veritas, & veritas neceſſaria in cauſa non eſt, nec licite ſcandalum quodlibet poſſe à quolibet committi, nec juſte præcipi, nec innoxie conſentiri. Hujus tamen patrandi mali quærendam putaſtis eſſe licentiam. Sed ad quid? An ut quanto licentiùs, tanto ſecuriùs; & quo ſecuriùs, eo & periculoſiùs peccaretis? Mira cautela, & ſtupenda providentia! Malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerunt non implere niſi cum licentia. Conceperunt dolorem, ſed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuiſſet aſſenſum. Quo lucro? quóve ſaltem compendio mali? Numquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut vel minoratum eſt, quia Papa conceſſit? Quis verò malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. Quando etenim aliter hujuſcemodi vobis licentiam indulgeret, ſeminandi videlicet ſcandala, ſchiſmata ſuſcitandi, amicos contriſtandi, fratrum conturbandi pacem, & confundendi unitatem, propriùmque inſuper contemnendi Epiſcopum? Et hæc qua neceſſitate, neceſſe non habeo dicere, cùm rei exitus ſatis indicet. Profectos nempe plangimus, profectum non cernimus.

10. His ergo talibus & tam gravibus malis dare aſſenſum, exhibere obſequium, impendere adjutorium, tu mihi obedientiam nominas, modeſtiam nuncupas, appellas manſuetudinem? Tu, inquam, conaris peſſima vitia virtutum palliare nominibus? An te putas hoc ſine injuria facere Domini virtutum, quòd virtutibus facis injuriam? Vaniſſimam præſumptionem, turpiſſimam levitatem, crudeliſſimam diſſenſionem, obedientiæ, modeſtiæ, manſuetudinis nominibus velas, & velatis ſordibus ſacra illa vocabula maculas.
(Vitia virtutum nominibus non palliandis.)
Hanc ego numquam æmuler obedientiam: talem mihi numquam libeat modeſtiam, vel potiùs moleſtiam imitari: hujuſcemodi manſuetudo ſemper longe fiat à me. Talis ſiquidem obedientia omni eſt contemptu deterior: talis quoque modeſtia ultra omnem modum extenditur. Ultra dicam, an citra? Sed veriùs forſitan & utroque competentiùs dixerim, extra. Qualis denique illa eſt manſuetudo, quæ ipſo etiam auditu omnium aures exaſperat? Volo tamen eam ipſam ut & mihi modò exhibeas. Cùm tam patiens ſis, ut à quolibet etiam quò non licet, pertrahi non contendas; liceat & me, obſecro, paulò nunc confidentiùs agere tecum. Alioquin male multùm merui de te, ſi (quod nemini ſoles) ſoli mihi indignandum putaveris.

11. Igitur tuam convenio conſcientiam. Volens,
(Falſam Adami patientiam & obedientiam exagitat.)
an invitus profectus es? Sed ſi ex voluntate, jam non ex obedientia. Si autem invitus, ſuſpectum videris habuiſſe imperium, cui obſequi gravabaris. Ubi verò ſuſpicio, ibi diſcuſſio neceſſaria. Verùm tu ut tuæ patientiæ dares vel caperes experimentum; nihil diſcutiens, trahi te paſſus es, non ſolùm præter voluntatem tuam, ſed & contra conſcientiam. O patientia omni digna impatientia! Non poſſum, fateor, non iraſci huic contentioſiſſimæ patientiæ. Videbas diſpergentem, & ſequebaris: ſcandala dictantem audiebas, & obſequebaris. Vera patientia eſt, pati vel agere contra quod libeat: ſed non præter quod liceat.

A Mirum verò quòd hominem audiebas furtive ſuſurrantem, Deum non audiebas aperte reclamantem, tali quaſi cælitus emiſſo tonitru: *Væ illi per quem ſcandalum venit*. (Matth. 18. 7.) Non tantùm autem Dominus, ſed & ſanguis ipſius clamore nihilominus vehementi, ſurdis licet, terribiliter irrugiebat. Clamor ejus, ejus effuſio.
(Clamor & virtus ſanguinis Chriſti pulcre expenditur.)
Effuſus quippe pro diſperſis filiis Dei ut eos congregaret in unum, juſte fremebat in diſperſores. Odit nimirum diſperſores, qui non novit niſi colligere. Magnus ejus clamor, & vehemens, qui corpora de ſepulcris, animas ab inferis excitavit. Terram cælóſque tuba illa convocavit in unum, quippe quæ in terra & quæ in cælis ſunt, pacificans. In omnem terB ram exivit ſonus ille, & veſtram non valuit rumpere ſurditatem? Vox nempe illa in virtute: vox illa in magnificentia. Et quid clamat? *Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus*. (Pſal. 67. 2.) Et iterum: *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine*. (Pſal. 58. 12.) Sanguis Chriſti eſt, frater Adam, ſanguis Chriſti eſt, qui pro piis congregatis adverſus impios diſperſores quaſi tuba exaltat vocem ſuam. Minatur autem ſe diſperſores diſpergere, qui pro diſperſis colligendis effuſus eſt. Et ſi ejus vocem tu non audis, audit eam de cujus latere manavit. Quomodo namque proprium non audit, qui Abel ſanguinem audiebat? (Geneſ. 4. 10.)

12. Sed quid ad me? inquis. Ille viderit cui mihi C contradicere fas non erat. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorem auditor. O iſtorum temporum Paule ſimplex*, ſi tamen & ille alterum ſe tibi exhibuiſſet Antonium, ut quicquid vel leviter de labiis ejus procederet, neceſſe non haberes diſcutere, ſed ſine cunctatione ad omnia nihil hæſitans obedires! O monachum obedientiſſimum, cui ex quibuſlibet ſeniorum verbulis ne unum quidem iota prætervolet! Non attendit quale ſit quod præcipitur, hoc ſolo contentus quia præcipitur*. Et hæc eſt obedientia ſine mora. Si ita oportet, ſine cauſa legitur in Eccleſia: *Omnia probate, quod bonum eſt* (1. Theſſ. 5. 21.) D *tenete*. Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes* (Matth. 10. 16.), ſufficiente quippe quod ſequitur, *& ſimplices ſicut columbæ*. Nec dico à ſubditis mandata præpoſitorum eſſe dijudicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis contrarium inſtitutis: ſed neceſſariam aſſero & prudentiam, quâ advertatur, ſi quid adverſatur; & libertatem, quâ & ingenue contemnatur.
(Mandata prælatorum an à ſubditis examinanda.)
Ceterum iſte, Nihil, inquit, habeo interrogare: viderit ille quid juſſerit. Dic quæſo, ſi dato in manus gladio, ſuum te armari juſſiſſet in jugulum, acquieviſſes? Aut ſi ſe tuo voluiſſet impulſu in ignem vel in aquam præcipitem dari, obtemperaſſes? Nonne etiam ab his non prohibere cùm poſſis, E in crimen tibi reputatur homicidii? Age ergo, vide ne forte ſub prætextu obedientiæ in quippiam ei gravius inſervieris.
(Præcipienti illicita non parendum.)
Non ignoras certe quis dixerit (nam mihi hinc fortaſſe non crederes) expedire ſcandala facientibus *demergi* potiùs *in profundum maris*. (Matt. 18. 6.) Cur hoc dixit, niſi quia ſignificare voluit tam gravia illos in poſterum manere tormenta, ut eis comparata mors temporalis, nec pœnalis eſſe videatur, ſed commoda? Quid ergo eum ſcandala facere juviſti? (juviſti enim ſequendo illum, obſequendo illi.) nonne utilius, juxta præmiſſam Veritatis ſententiam, molam aſinariam collo ejus ſuſpenderes, & ſic eum demergeres F in profundum maris? Quid ergo? Tu ille obedientiſſimus diſcipulus, illum patrem & præceptorem tuum, quem ne puncto quidem temporis, vel tranſverſo, ut dicitur, pedis, à te, quamdiu vixit, paſſus es elongari, ita ut in foveam quoque poſt eum, non quidem cæcis, ſed apertis, more Balaam, oculis cadere non cunctatus ſis: tune, inquam illum tuo ita beandum putaſti obſequio, ut morte illi graviorem exhibueris obedientiam? Revera nunc experior, quàm vera ſit illa ſententia: *Inimici hominis, domeſtici illius*. (Mich. 7. 6.) Sic itaque ſentiens, ſic conſcius ipſe tibi, nonne, ſi ſapis, gemis; & ſi non deſipis, tremis? Quippe cujus obedientia non

* v. Vitas PP.

* al. deeſt hoc membrum.

meo, ſed Veritatis judicio, pejor inventa eſt homicidio.

13. Si hæc non ignoras, quomodo non trepidas?
Timorem judicii incutit. Quod ſi trepidas, quomodo non emendare feſtinas? Alioquin qualem hunc ad illud tribunal terrificum conſcientiam portas, ubi judex teſte non indiget, ubi veritas diſcutit intentiones, ubi inquiſitio culparum pertingit ad abdita cordis, ubi denique ſecretiſſimos receſſus mentium divinus ille inveſtigat intuitus, & ad ſubitum illum Solis juſtitiæ fulgorem, animarum expanſi ſinus, cuncta ſive bona, ſive mala evomunt quæ celabant? Ibi, frater Adam, facientes & conſentientes pari pœna punientur. Ibi fures & ſocii furum ſimilem B ſunt excepturi ſententiam. Ibi par ſubibunt judicium & qui lactant, & qui lactantur peccatores. Perge igitur
Pravorum conſortia quantopere vitanda. jam dicere; Quid ad me? ille viderit. Tange picem, & dic; Non ſum inquinatus ab ea. Abſconde ignem in ſinu tuo, & te jactato non aduri. Pone denique portionem tuam cum adulteris, nihilque tua intereſſe putato. Non ita Iſaias: redarguit enim ſeipſum, non ſo-
Iſai. 6. 5. lùm quia ipſe immundus, ſed & quòd ſocius ſit immundorum. *Quia*, inquiens, *vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi immunda labia habentis ego habito.* Redarguit autem ſe dixerim, non quia cum malis habitaret, ſed quia mala non redarguerit. Sic namque ait: *Væ mihi, quia tacui.* *Ibid.* Quando verò ipſe malum facere acquieſceret, quod ſe in aliis non redarguiſſe C redarguit? Quid enim etiam David? Nonne alieni contagione peccati ſe ſenſerat inquinari poſſe, cùm diceret: *Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non*
Pſal. 140. 4. *communicabo cum electis eorum?* denique & orat dicens:
Ibid. 18. 13. *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Unde etiam malorum, quorum noluit participare malum, ſtuduit declinare conſortium. Ait
Pſal. 25. 4. etenim: *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Huic verſiculo concinit & ſub-
Ibidem 5. ſequens: *Odivi*, inquit, *eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Audi denique & Sapientis con-
Prov. 1. 10. ſilium: *Fili mi*, ait, *ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.*

14. Tu ergo adversùs hæc atque alia in hunc modum innumera veritatis teſtimonia, putaſti cuipiam obediendum? O odioſa perverſitas! Obedientiæ virtus quæ ſemper militat veritati, adverſus veritatem accingitur? Felicem ego dixerim fratris Henrici inobedientiam, cui citò reſipiſcenti ab errore, & revertenti ex itinere, talem contigit non experiri obe-
Scandalum pejus inobedientiâ. dientiam. Quam potiorem nunc & dulciorem ſuæ hujuſmodi inobedientiæ carpit, jamjamque deguſtat fructum, bonam habens conſcientiam, quòd ceteris collegis ſuis fraterna corda gravi ſcandalo concutientibus, ipſe inter fratres in propoſito & Ordine ſuo ſine querela converſetur. Cujus ego, ſi optio detur, pigram potiùs elegerim inobedientiam cum ipſius conſcientia, quàm horum ſtudioſam obedientiam cum ſcandalo. Æſtimo enim, quia meliùs agit iſte ſic inobediens Abbati, ſed non caritati, ſervando unitatem in vinculo pacis; quàm illi qui ita obtemperant homini uni, ut unum præferant unitati. Fidenter & hæc addiderim, expedire magis cuilibet ſolâ unius hominis periclitari obedientiâ, quàm reliquis omnibus pietatis bonis, & votis propriæ profeſſionis.

15. Siquidem, ut cetera taceam, duo præcipua nobis
Duo præcipue obſervanda in monaſterio, ſubjectio & ſtabilitas. in monaſterio converſantibus obſervanda traduntur; ſubjectio Abbati, & ſtabilitas in loco: & ita obſervanda, quòd neutrum præpediat alterum, nec alterutrum ſibi præjudicent. Ut, verbi gratia, ſic te ſtabilem in loco exhibeas, ut Abbati ſubjici non contemnas: ſic obedias ſubjectus Abbati, ut ſtabilitatem non amittas. Porrò ſi deteſtaris in loco licèt perſeverantem, qui Abbati fortè ſubdi contemnit imperiis: miraris ſi reprehendimus obedientiam, quæ vobis veſtrum deſerendi locum vel cauſa exſtitit, vel occaſio? præſertim cùm in profeſſione regulari ſic promittatur ſtabilitas, ut de ſubjectione Abbati exhibenda nulla penitus mentio fiat.

16. Sed quæris forſitan, inquiens mihi: Quid ergo tu de ſtabilitate tua facis, quam apud Ciſtercium A firmaſti; & nunc alibi habitas? Ad quod reſpondeo: Ego quidem Ciſtercienſis monachus ibidem profeſſus, ab Abbate meo ubi nunc habito, miſſus ſum, ſed miſſus in pace, miſſus ſine ſcandalo, ſine diſcordia, miſſus juxta conſuetudinem & communem inſtitutionem. Quamdiu ergo in eadem qua miſſus ſum, pace & concordia
perſevero; quandiu in unitate ſto; communibus privata non præfero, quietus & ſubditus in quo poſitus ſum permaneo, ſecura dico conſcientia, quod promiſi, firmiter teneo. *Voto ſtabilitatis non adverſatur miſſio ſuperiorum.* Quomodo enim ſtabilitatis prævaricor votum, qui unanimitatis non rumpo vinculum, pacis firmamentum non deſero? Et ſi corpus abſentavit obedientia, ſed ſpiritum ſemper ibidem præſentem tenet concors devotio, & in nullo diſſimilis converſatio. Qua die autem (quod quidem Deus avertat) aliis incipiam vivere legibus, aliis moribus converſari, diverſis deſervire obſervantiis, adinvenire nova, extraneas uſurpare conſuetudines: tranſgreſſor profeſſionis, promiſſam ſtabilitatem jam non me tenere confido. Dico ergo Abbati per omnia obtemperandum, ſed ſalva profeſſione. Verùm tu profeſſus ſecundùm Regulam ſancti Benedicti, ubi promiſiſti obedientiam, promiſiſti & ſtabilitatem. Quòd ſi obedieris quidem, ſtabilis autem non fueris; dum offendis in uno, factus es omnium reus: ſi omnium, & ipſius obedientiæ.

17. Vides itaque pondus tuæ obedientiæ? Quomodo nempe ſtabilitatis tranſgreſſionem ſufficit excuſare, quæ nec ſibi quidem valet patrocinari? Idem notum eſt ſollemniter ac regulariter profiteri quemque in præſentia Abbatis. In præſentia ergo tantùm, non etiam ad nutum ipſius fit cujuſque profeſſio. Teſtis proinde adhibetur Abbas, non dictator profeſſionis; adjutor, non fraudator adimpletionis; vindex, non auctor prævaricationis. Quid igitur? Ponam in manu Abbatis quod abſque ulla exceptione coram Deo & Sanctis ejus propria manu & ore firmavi, audiens ex Regula*, ſi ** Reg. S. Bened. cap. 58.* D quando aliter fecero, à Deo me eſſe damnandum, quem irrideo? Si Abbas meus, aut etiam Angelus de cælo contraria juſſerit; libere recuſabo hujuſmodi obedientiam, quæ me tranſgreſſorem voti proprii, & pejerare faciat nomen Dei mei. Scio enim me juxta Scripturæ veritatem ex ore meo vel condemnandum; vel ju- *Lu. 19. 22.* ſtificandum; & quia *os quod mentitur, occidit animam*; & *Sapien. 1. 11.* quod Deo veraciter canitur: *Perdes omnes qui loquuntur* *Pſal. 5. 7.* *mendacium*; & quia *unuſquiſque onus ſuum portabit*; & *Gal. 6. 5.* *unuſquiſque pro ſe rationem reddet.* Alioquin qua fronte pſallam mentiens in conſpectu Dei & Angelorum il- *Rom. 14. 12.* lud de pſalmo: *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt la-* *Pſal. 65. 14.* E *bia mea?* Viderit denique Abbas meus, quid ſibi faciendum putet de eo quod ex Regula ad ipſum ſpecialiter dirigitur, * *ut præſentem regulam in omnibus conſervet.* ** Reg. S. Bened. c. 64.* Et item, quod univerſaliter præcipitur, & nemo excipitur: *ut omnes* ſcilicet *per omnia magiſtram ſe-* *cap. 3.* *quantur regulam; nec ab ea temerè devietur a quoquam.* Ego ſic ipſum ſequi decrevi ſemper & ubique magiſtrum, ut nequaquam à Regulæ, quam teſte ipſo juravi & ſtatui cuſtodire, deviem magiſterio.

18. Occuramus breviter quæſtioni, quæ à latere nobis ſurgere poſſe videtur, & ſic jam nimis longam finiamus epiſtolam. *Satisfacit querelis de admiſſione alienorum monachorū.* Videor nempe contraria loqui rei quam facio. Quæri etenim à me poteſt: Si hos damno, F qui Abbatis ſui non ſolùm conſenſu, ſed & juſſu ſuum monaſterium deſeruerunt; quo pacto illos & recipiam, & retineam, qui de aliis monaſteriis, fracto ſtabilitatis voto, & contempto ſeniorum imperio, ad noſtrum Ordinem veniunt? Ad quod quidem brevis reſponſio, ſed periculoſa. Vereor namque diſplicere quibuſdam quod dicturus ſum. Ceterùm mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem, illum verſiculum non veraciter cantem: *Juſtitiam tuam non abſcondi* *Pſal. 39. 11.* *in corde meo; veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.* Hac ergo illos ratione ſuſcipimus, quoniam non putamus *Tranſitus ad alium Ordinem quando licitus.* eſſe malum, ſi vota labiorum ſuorum, quæ in locis ſuis potuerunt quidem promittere, ſed nequaquam

perſolvere ; Deo qui ubique eſt , ubicumque pote- runt , reddant ; & ſolius ruptæ ſtabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integrâ obſervatione compenſent. Si cui diſplicet hoc , & murmurat adversùs hominem quærentem ſalutem ſuam ; reſpon-
Mat. 20. 15. debit pro eo ſalutis auctor : *Nonne oculus tuus nequam eſt , quia ille bonus ?* O quiſquis es qui ſaluti invides alienæ , parcito vel tuæ. An neſcis quod *invidiâ diaboli*
Sap. 2. 24. *introivit mors in orbem terrarum ?* Attende itaque tibi. Si enim ubi invidia , ibi mors ; profectò non potes ſimul & invidere , & vivere. Quid moleſtus es fratri tuo , quoniam ſatagit quemadmodum quæ proceſſerunt de labiis ſuis , non faciat irrita ? Si quærat homo , ubi & quomodo perſolvat quod pollicitus eſt Deo : quid tu perdis ? Fortaſſis ſi aliquantæ pecuniæ tu eum debitorem teneres , circuire cogeres mare & aridam , donec uſque ad noviſſimum quadrantem debitum redderet univerſum. Quid igitur meruit de te Deus tuus , quoniam non vis ut & ipſe à ſuo quod ſuum eſt , debitore recipiat ? Immo uni invidens , duos tibi reddis infenſos : dum & dominum ſervi obſequio , & domini gratiâ ſervum fraudare conaris. Tu quare illum potiùs non imitaris , & ipſe videlicet perſolvendo quod debes ? Putaſne & tuum non requiretur debitum ? An potiùs propter hoc magis irritas impie Deum , quia dicis in corde tuo , Non requiret ?

19. Quid inquis ? Omnes ergo damnas qui ſimiliter non faciunt ? Non , ſed audi quid & de ipſis ſentiam ; & noli fruſtrà calumniari. Quid me vis odioſum facere multis millibus Sanctorum , qui ſub noſtra profeſſione non noſtro converſantes more , tamen aut ſanctè vivunt , aut beate defuncti ſunt ? Non ignoro quod reliquerit ſibi Deus ſeptem millia virorum , qui non curvaverunt genua ſua ante Baal. Audi
3. Reg. 19. 18. ergo æmule , calumniator auſculta. Dixi cur de aliis monaſteriis ad noſtra venientes , recipiendos cenſuerim. Numquid non venientes damnavi ? Excuſo illos , non iſtos accuſo. Soli ſunt invidi , quos excuſare nec volo , nec valeo. Quibus exceptis , ſi quis cæterorum ad Regulæ cupiat tranſire puritatem , ſed propter ſcandalum non audeat , aut certè etiam ob certam corporis infirmitatem : puto quia non peccat , dum tamen in ſuo ſtudeat loco ſobrie , & juſte , & pie converſari. Nam ſi qua ex more monaſterii minùs forte diſtricte , quam Regula conſtituiſſe videtur , obſervare compellitur ; excuſabit hoc forſitan aut illa caritas , quâ cunctatur migrare ad melius propter
Jac. 5. 20. ſcandalum , juxta illud , *Caritas operit multitudinem peccatorum* ; aut illa humilitas , quâ propriæ conſcius in-
Jac. 4. 6. firmitatis ſe reputat imperfectum : ſiquidem & de ipſa ſcriptum eſt , *Deus humilibus dat gratiam.*

20. Multa quidem tibi cariſſime locutus ſum , cùm multis opus non habeas : quippe cui ſit & ingenium velox ad intelligendum quod dicitur , & voluntas agilis ad eligendum quod utiliter ſuadetur. Sed licet ſpecialiter quidem ad te , non tamen tam multa propter te ſcribenda putavi. Hæc itaque , quibus Deus providit fore neceſſaria. Te autem , ut meum jam olim familiariſſimum , paucis & cum omni fiducia moneo , ne jam diutiùs animas deſiderantium te , in tuæ quidem animæ horrendum periculum , tui exſpectatione ſuſpendas. En tua eorúmque (ni fallor) qui tecum ſunt , & mors , & vita in manu tua eſt. Arbitramur enim quicquid feceris tu , aut volueris , illos eſſe facturos. Alioquin aperte denuntia illis , quia juxta omnium Abbatum noſtrorum non contemnendam ſententiam , quæ meritò proceſſit in vos : Qui redierint vivent ; qui renuerint morientur.

Ad BRUNONEM a Colonienſem electum.

EPISTOLA VIII.

Ann. CHR. MCXXXI.

Bernardus a Brunone conſultus de accaptando Epiſcopatu Colonienſi , ita reſpondet , ut ſuſpenſum eum teneat , immo terreat mole tanti muneris , monens per orationes conſulere Deum.

1. QUæris à me conſilium , vir illuſtris Bruno , an volentibus te promovere ad Epiſcopatum acquieſcere debeas. Quis hoc mortalium definire præſumat ? Deus forſitan vocat : quis audeat diſſuadere ? Forte non vocat : quis appropinquare conſulat ? Utrum verò vocatio Dei ſit , an non ſit ; quis ſcire poſſit , excepto Spiritu qui ſcrutatur etiam alta Dei , vel ſi cui forte revelaverit ipſe ? Magis quoque dubium reddit conſilium illa in litteris tuis humilis , ſed terribilis confeſſio : quâ vitam tuam tam graviter , & (ut credo) non niſi veraciter accuſas. Nec enim negandum eſt , hujuſcemodi vitam eſſe indignam tam ſacri dignitate miniſterii. Sed rurſum non immeritò e regione times , (nam & nos idipſum metuimus) ſi ob malum conſcientiæ de commiſſo ſcientiæ talento non facis lucrum : niſi quod alio forte negotiandi genere , etſi minùs copioſe , minùs tamen periculoſe fructificare valeres. Horreo , fateor , (ſic enim tibi , ut mihi loqui debeo quod ſentio :) horreo , inquam , conſiderans , unde , quò vocaris : præſertim cùm nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus , per quod utcumque hujuſcemodi periculoſiſſimus tranſitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit , ut prius propriam , deinde alienas curare ſtudeas conſcientias. Primus quippe pietatis gradus eſt , de quo ſcriptum eſt : *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Ex hoc autem ad miſerandum proximum recto jam tramite caritas ordinata procedit : quippe quem ad ſui quiſque menſuram amare præcipitur. Quod ſi in hunc modum quo te hactenus ipſe amaſti , & tibi committendos amaturus es ; malo ego quidem tibi non committi , quàm ſic diligi. Si autem priùs te diligere didiciſſes , & me forſitan ſcires amare.

Propria prius quàm aliena ſalus cuique curanda
V. lib. 1. de conſid. c. 5.
Eccl. 30. 24.

2. Sed quid ſi ſuam Deus acceleret tibi gratiam , & multiplicet miſericordiam : & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clementia , quàm diuturna pœnitentia ? *Beatus* ſiquidem , *cui non imputabit Dominus peccatum.* Nam quis accuſabit adverſus electum Dei ? Si Deus juſtificat , quis eſt qui condemnet ? Hoc ſalutis compendium ſanctus ille Latro conſecutus eſt : uno eodémque die ſimul & confeſſus latrocinia , & introductus in gloriam , brevi quodam contentus ponte Crucis ad tranſigendum * de regione diſſimilitudinis in terram viventium , & de luto fæcis in paradiſum voluptatis. Hoc ſubitum pietatis remedium percepit felix illa Peccatrix , cùm repente ubi ſuperabundaverant delicta , abundare cœpit & gratia. Abſque multo pœnitentiæ labore dimiſſa ſunt ei peccata multa , quoniam dilexit multùm : & in brevi meruit caritatis accipere latitudinem , quæ (ut ſcriptum eſt) *cooperit multitudinem peccatorum.* Hoc & ille paralyticus in Evangelio duplex atque celerrimum potentiſſimæ bonitatis perſenſit beneficium , priùs mente , quàm carne curatus.

Pſal. 31.
Luc. 23. 2. Latro uno die pœnitent & beatus
* al. tranſcundum
Luc. 7. 47.
Jac. 5. 20.
Matt. 9. 2.

3. Sed aliud eſt celerem adipiſci veniam peccatorum : & aliud de ipſis ſceleribus ad infulas mox provehi dignitatum. Video tamen Matthæum de telonio ad Apoſtolatûs culmen aſſumptum : ſed hoc me rurſum conturbat , quod non priùs audierit cum ceteris Coapoſtolis ſuis , *Ite in orbem univerſum , prædicate Evangelium omni creaturæ* , quàm egerit pœnitentiam , multo tempore ac labore ſequendo Dominum quocumque iret , permanens cum eo in tentationibus ſuis. Sed &

Ibid. 9.
Mar. 16. 15.

a Ad eumdem epiſtola 6. Friderico ſub finem anni 1131. mortuo ſucceſſit in ſedem Colonienſem. Anno 1136. cum Lothario Imperatore in Italiam profectus , in pervigilio Pentec. ſive anni inſequentis ex minutione ſanguinis exſtinctus , Bari ſepultus eſt , Hugone Decano ipſi ſuffecto , qui & ipſe anno proximo ibidem ex minutione deceſſit. Hæc ex Chronographo Saxonico inedito.

ſi occurrat de Ambroſio, quod de tribunalibus ad A ſacerdotium raptus fuerit *; non me valde confortat, cùm à puero mundam in mundo duxerit vitam, & ſic etiam fugâ & latebris multiſque diſſimulationum modis declinare conatus ſit. Si de Saulo quoque factus repente Paulus repente vas electionis, repente Doctor gentium, in exemplum adducitur; hoc exempli evacuat ſimilitudinem, quòd ille ideo miſericordiam conſecutus ſit, quia ignorans ipſo teſte peccavit, manens in incredulitate. Quamquam ſi tale quippiam quandoque bene & utiliter factum fuiſſe agnoſcitur, de quo dici veraciter poſſit, *Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi*; non tam exemplum, quàm miraculum afferri debeat.

* v. Theodoret. lib. 4. hiſt. cap. 6. S. Ambr. de tribunalibus ad Epiſcopatum raptus.

1. Tim. 1. 13

Pſal. 76. 11.

B

4. Hæc interim à me ad id quod quæritis, ſuſpenſive reſponſa ſufficiant. Neque enim poſſum, unde certus non ſum, certam proferre ſententiam. Sic contingere debet quærenti rem ubi non ſit ſermo à Propheta. Conſilium à ſapiente quærendum eſt. Numquid enim de luto limpidum quippiam haurire poteſtis? Unum tamen eſt quod amico abſque periculo, & nequaquam ſine fructu impendere poſſumus, noſtræ videlicet pro hac re orationis ad Deum qualecumque ſuffragium. Deo ergo relinquentes ſui, quod ignoramus, ſecretum conſilii, ipſum ſupplici devotione & devota ſupplicatione precamur, ut in vobis & de vobis operetur, quod & ſe deceat, & vobis expediat. C Habetis autem dominum Norbertum *, quem meliùs præſentem præſens de talibus interrogare poteſtis. Nam tanto vir ille in divinis aperiendis myſteriis nobis promptior, quanto & Deo propior eſſe cognoſcitur.

Quomodo in dubiis & periculoſis ſanctus ille ſuſpendit ſententiam.

* Præmonſtr. Ord. Fundator de quo epiſt. 56.

Ad Eumdem jam archiepiſcopum Colonienſem.

EPISTOLA IX.

Ann. CHR. MCXXXII.

BRUNONEM recens creatum archiepiſcopum Colonienſem ad timorem inducit.

Dignationis veſtræ ſuſcepi ſcripta devotus, & ad injuncta ſollicitus fui: & ſi profui, vos probabitis. Sed de hoc ſatis. Porrò in eadem caritate audeo quæ ſequuntur. Si cunctos qui vocantur ad miniſterium, conſtat eligi & ad regnum; profectò ſecurus eſt Colonienſis Archiepiſcopus. Quòd ſi etiam & Saulem in regno, & Judam in ſacerdotio legitur elegiſſe non alius quàm ipſe Deus; & non poteſt ſolvi Scriptura quæ hoc aſſerit; timeat neceſſe eſt & Colonienſis Archiepiſcopus. Si verò (quod verum eſt) & illa ſententia hodie quoque viget, quia non multos nobiles, non multos potentes, non multos ſapientes elegit Deus; numquid non triplicem quoque habet timendi cauſam Colonienſis Archiepiſcopus? Curemus ergo in alto poſiti, non altum ſapere, ſed timere, ſed humilibus conſentire. *Principem*, inquit, *te conſtituerunt? eſto in illis tamquam unus ex illis.* & iterum: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus.* Sapiens eſt qui hoc conſulit, quippe haud ſecus ſentiens ab ipſa Sapientia quæ ait: *Qui major eſt veſtrûm, fiat ſicut minor.* Alioquin judicium durum his qui præſunt: timeat poteſtas. Servus quoque ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna, vapulabit multis: timeat qui cognovit litteraturam. Timeat nobilis, quia judex omnium non eſt acceptor perſonarum. Iſte profectò neceſſarii timoris funiculus triplex difficile rumpitur. Duruſne videor, quia non blandior, quod metum incutio, quòd amico cupio initium ſapientiæ? Sic mihi contingat ſemper beare amicos, id eſt, terrendo ſalubriter, non adulando fallaciter. Ad illud me provocat qui dicit: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Ab hoc revocat qui ait: *Popule meus, qui te beatificant, in errorem inducunt.*

Timendi triplex cauſa Epiſcopo.

1. Cor. 1. 26.

E

Eccli. 32. 1.

Eccli. 3. 20.

Luc. 22. 26.

Eccli. 6. 6.

Luc. 12. 47.

Amici officiũ terrere ſalubriter

Prov. 28. 14.

Iſa. 3. 12.

a Prior fuit Cartuſiæ majoris quintus, Statutorum primus ſcriptor. Petro Venerabili infra in epiſtola 388. dicitur *ſingularis ſuo tempore & præclariſſimus religionis flos*. Idem in lib. 6. epiſt. 40. ad Baſilium, Guigonis in Cartuſiæ majoris regimine ſucceſſorem: *Decreveram renovare tecum*, inquit, *antiquas illas & ſanctas felicis memoriæ domini Guigonis prædeceſſoris tui mecum ſæpe habitas collationes, quibus velut ſcintillis ab ejus ore prodeuntibus accendebar, & omnium pene humanarum rerum oblivisci cogebar.* Aliquot ejus ſcripta vide in tom. 5. & 6. & hic Notas fuſiores.

Ad Eumdem.

EPISTOLA X.

Ann. CHR. MCXXXII.

BRUNONEM ad juſtum corripiendi zelum excitat.

Horrendum punire nefas, etſi duplici ratione incumbat vobis, tum videlicet pro debito officii, tum quia & apoſtolica injungit auctoritas: puto tamen quòd non ſupervacua in re tanta etiam amici commonitio accedit. Hoc autem eſt quod amicum & patrem cupimus eſſe admonitum, ut hæc ipſa ultio quæ facienda eſt, eo quoque zelo quo facienda eſt, fiat: quatenus non ſolum præſens facinus mulctatum eſſe videatur, ſed etiam à ſimili temeritate audiens omnis malignitas compeſcatur.

Ad Guigonem a Priorem, & ceteros Cartuſiæ majoris religioſos.

EPISTOLA XI.

Circ. Ann. MCXXV.

De vera & ſincera CARITATIS lege, ſignis, effectis, gradibus, perfectione Patria reſervata, multa pie diſſerit.

Inter patres reverendiſſimis *, & inter amicos cariſſimis, Guigoni Priori Cartuſienſi, ceteriſque ſanctis qui cum eo ſunt, frater Bernardus de Claravalle ſalutem æternam.

* al. reverentiſſimis.

1. Sanctitatis veſtræ litteras tam lætus accepi, quam avidus & olim deſideraveram. Legi eas, & quas volvebam in ore litteras, ſcintillas ſentiebam in pectore: quibus & concaluit cor meum intra me, tamquam ex illo igne, quem Dominus miſit in terram. O quantus in illis meditationibus exardeſcit ignis, è quibus hujuſmodi evolant ſcintillæ! Veſtra illa ſuccenſa & ſuccendens ſalutatio ſic mihi, ut verum fatear, accepta fuit, & eſt, quaſi non ab homine, ſed certiſſime ab illo qui mandat ſalutes Jacob, deſcendere videretur. Non me ſane arbitror ſalutatum in via, non in tranſitu, non veluti ex occaſione, ut aſſolet, D conſuetudinis; ſed plane ex viſceribus, ut ſentio, caritatis prodiit hæc tam grata & inopinata benedictio. Benedicti vos à Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire curaſtis, ut daretur puero veſtro, vobis primum ſcribentibus, fiducia reſcribendi; ſcribere quidem ad vos jam pridem geſtienti, ſed non præſumenti. Verebar nimirum ſanctam, quam in Domino habetis, importunis ſcriptitationibus infeſtare quietem, juge illud veſtrum ſacrúmque ſilentium à ſæculo, ſuſurrium cum Deo, vel ad modicum interrumpere, noſtraque ingerere auribus ſecretis penitus occupatis ſuperniſque eulogiis. Timebam omnino moleſtus fieri vel Moyſi in monte, E vel Eliæ in deſerto, aut certe excubanti in templo Samueli, ſi divinis intentiſſimos confabulationibus aliquatenus avocare tentaſſem. Clamat Samuel, *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus*: & ego me audiri præſumerem? Timebam, inquam, ne ſi & David elonganti ſe & fugienti, manentique in ſolitudine, importunus inſiſterem, indignans excuſaret & diceret: Sine me, non audio te modo; audiam potius quod dulcius auſculto. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.* Aut certe illud: *Declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Quid enim? Egone tam temerarius eſſem, ut inter ſponſi brachia ſuaviter quieſcentem auderem ſuſcitare dilectam, quouſque vellet ipſa? Putarem ilico auditurum me ab illa: Noli mihi moleſtus eſſe; *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.*

Luc. 12. 49.

Revereri cauſam intermiſſæ hactenus ſcriptionis.

1. Reg. 3. 10.

Pſal. 84. 9.

Pſal. 118. 115.

Cant. 2. 16.

2. Verum quod non audeo ego, audet caritas, & cum omni fiducia pulſat ad oſtium amici, nequaquam putans pati ſe debere repulſam, quæ amicitiarum matrem ſe novit: nec veretur veſtrum, etſi graniſſimum, pauliſper inquietare otium, propter ſuum negotium. Ipſa profecto, ipſa cum vult, facit vos excedere Deo; ipſa & cum voluit, fecit ſobrios nobis: adeo ut minime duceretis indignum, non modo ſuſtinere loquentem, ſed tacentem inſuper benigne provocare. Amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo & veneror puritatem, qua de noſtris profectibus, quos putatis, tanta in Domino exultatione gloriamini. Glorior & ego plurimum tanto teſtimonio, & ſervorum Dei tam grata, quàm gratuita admodum familiaritate delector. Hæc jam gloria mea, hoc gaudium meum, hæ deliciæ cordis mei, quòd non fruſtra levarim oculos meos in montes, unde quippe jam non mediocre venit auxilium mihi. Hi jam nobis ſtillarunt montes dulcedinem; & adhuc ſpero quia ſtillabunt, quouſque valles noſtræ abundabunt frumento. Feſtivus enim erit mihi dies ille ducendus, & memoriale ſempiternum, in quo virum illum videre ac ſuſcipere merui, per quem ſactum eſt, ut in cordibus veſtris ego reciperer. Et quidem jam ante receperatis, ut apparet in litteris veſtris: ſed nunc arctius, ut comperi, & familiarius, cum ille vobis retulit de me quædam, quæ etſi non probaverit, putavit tamen. Fidelis quippe & religioſus, abſit ut aliter loqueretur, quam credidit. En revera in me experior quod ait Salvator: *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Mercedem quippe juſti dixerim, quod juſtus reputor, non ob aliud, niſi quòd juſtum recepi. Nam ſi qua ſuperaddita ſunt, ea juſtus non tam ex veritate rei, quam ex puritate ſui locutus eſt. Audiſtis, credidiſtis, exultaſtis, ſcripſiſtis, & me non parum lætificaſtis, non ſolum quod aliquem locum gratiæ, & locum non mediocrem apud veſtram meruit ſanctitatem, ſed & quod nobis veſtrorum non parva ex parte puritas animorum innotuit. Paucis pro certo aperuiſtis, cujus ſpiritus eſtis.

Matt. 10. 41.

3. Gaudeo proinde mihi, gaudeo & vobis; meæ utilitati, & veſtræ ſinceritati. Illa ſiquidem vera & ſincera eſt caritas, & omnino de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta judicanda procedere, qua proximi bonum æque ut noſtrum diligimus. Nam qui magis, aut certe ſolum diligit ſuum: convincitur non caſte diligere bonum, quod utique propter ſe diligit, non propter ipſum. Et hic talis non poteſt obedire Prophetæ, qui ait: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Confitetur quidem qua fortaſſe bonus eſt ſibi, non autem quoniam bonus eſt in ſe. Quapropter noverit in ſe dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Eſt qui confitetur Domino, quoniam potens eſt; & eſt qui confitetur, quoniam ſibi bonus eſt: & item qui confitetur, quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi: ſecundus mercenarius, & cupit ſibi: tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro ſe agunt: ſola quæ in filio eſt caritas, non quærit quæ ſua ſunt. Quam ob rem puto de illa dictum: *Lex Domini immaculata, convertens animas;* quod ſola videlicet ſit, quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem etiam ſervus nonnumquam opus Dei: ſed quia non ſponte, in ſua adhuc duritia permanere convincitur. Facit & mercenarius; ſed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoſcitur. Porrò ubi proprietas, ibi ſingularitas: ubi autem ſingularitas, ibi angulus: ubi vero angulus, ibi ſine dubio ſordes ſive rubigo. Sit itaque ſervo ſua lex timor ipſe, quo conſtringitur: ſit mercenario ſua cupiditas, qua & ipſe arctatur, quando ab ipſa tentatur abſtractus & illectus. Sed harum nulla aut ſine macula eſt, aut animas convertere poteſt. Caritas vero convertit animas, quas facit & voluntarias.

Pſal. 43. 19.

Confitentium Domino alii ſervi, alii mercenarii, alii filii.

Pſal. 18. 8.

Sola caritas lex eſt convertens animas.

4. Porro in eo eam dixerim immaculatam, quod nil ſibi de ſuo retinere conſuevit. Cui nempe de proprio nihil eſt, totum profecto quod habet, Dei eſt: quod autem Dei eſt, immundum eſſe non poteſt. Lex ergo Domini immaculata, caritas eſt, quæ non quod ſibi utile eſt quærit, ſed quod multis. Lex autem Domini dicitur, ſive quod ipſe ex ea vivat, ſive quod eam nullus niſi ejus dono poſſideat. Nec abſurdum videatur quod dixi etiam Deum vivere ex lege, cum non alia dixerim quàm caritate. Quid verò in ſumma & beata illa Trinitate ſummam & ineffabilem illam conſervat unitatem, niſi caritas? Lex eſt ergo, & lex Domini caritas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, & colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me exiſtimet caritatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens; alioquin in Deo dicerem (quod abſit) eſſe aliquid quod Deus non eſt; ſed ſubſtantiam illam divinam. quod utique nec novum nec inſolitum eſt, dicente Johanne: *Deus caritas eſt.* Dicitur ergo recte caritas & Deus, & Dei donum. Itaque Caritas dat caritatem, ſubſtantiva * accidentalem. Ubi dantem ſignificat, nomen eſt ſubſtantiæ: ubi donum, qualitatis. Hæc eſt lex æterna, creatrix & gubernatrix univerſitatis. Siquidem in pondere, & menſura, & numero per eam facta ſunt univerſa: & nihil ſine lege relinquitur, cum ipſa quoque lex omnium ſine lege non ſit: non tamen alia quàm ſeipſa, qua & ſeipſam etſi non creavit, regit tamen.

Sola immaculata.

Lex Dei caritas, quomodo.

1. Joan. 4. 16.

*al. ſubſtantia.

5. Ceterum ſervus & mercenarius habent legem non à Domino, ſed quam ipſi ſibi fecerunt, ille Deum non amando, iſte plus aliud amando. Habent, inquam, legem non Domini, ſed ſuam: illi tamen quæ Domini eſt ſubjectam. Et quidem ſuam ſibi quiſque legem facere potuerunt: non tamen eam incommutabili æternæ legis ordini ſubducere potuerunt. Tunc autem dixerim quemque ſibi ſuam feciſſe legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatem, perverſe utique volens ſuum imitari Creatorem: ut ſicut ipſe ſibi lex, ſuique juris eſt, ita is quoque ſe ipſum regeret, & legem ſibi ſuam faceret voluntatem, grave utique & importabile jugum ſuper omnes filios Adam, heu! inclinans & incurvans cervices noſtras, adeo ut vita noſtra inferno appropinquaverit. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* quo utique ſic premor, ut niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Sub hoc onere gravatus gemebat qui dicebat: *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Ubi dixit, *Factus ſum mihimetipſi gravis*, oſtendit quod lex ipſe ſibi eſſet, nec alius hoc quàm ipſe ſibi feciſſet. Quod autem Deo loquens præmiſit, *Poſuiſti me contrarium tibi*; Dei ſe tamen non effugiſſe legem indicavit. Hoc quippe ad æternam juſtamque legem Dei pertinuit, ut qui à Deo noluit ſuaviter regi, pœnaliter a ſe ipſo regeretur: quique ſponte jugum ſuave & onus leve caritatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus.

Qualis lex ſervi & mercenarii.

Rom. 7. 24.

Job. 7. 20.

6. Miro itaque modo æterna lex fugitivum ſuum, & poſuit ſibi contrarium, & retinuit ſubjectum: dum videlicet nec juſtitiæ pro meritis legem evaſit, nec tamen cum Deo in ſua luce, in ſua requie, in ſua gloria remanſit: ſubjectus poteſtati, & ſubmotus felicitati. Domine Deus meus, cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam, ut abjecta gravi ſarcina propriæ voluntatis, ſub levi onere caritatis reſpirem, nec jam ſervili timore coërcear, nec mercenaria cupiditate illiciar, ſed agar ſpiritu tuo, ſpiritu libertatis, quo aguntur filii tui: qui teſtimonium reddat ſpiritui meo, quod & ego ſim unus ex filiis, dum eadem mihi lex fuerit quæ & tibi: & ſicut tu es, ita & ipſe ſim in hoc mundo? Hi ſiquidem qui hoc faciunt, quod ait Apoſtolus, *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; proculdubio ſicut Deus eſt, & ipſi ſunt in hoc mundo: nec ſervi aut mercena-

Job. 7. 21.

Rom. 13. 8.

ru ſunt, ſed filii. Itaque nec filii ſunt ſine lege, niſi A ſorte aliquis aliter ſentiat propter hoc quod ſcriptum eſt: *Juſto non eſt lex poſita.* Sed ſciendum quod alia [1. Tim. 1. 9. Juſtis quomodo non ſit lex poſita] eſt lex promulgata à ſpiritu ſervitutis in timore, alia à ſpiritu libertatis data in ſuavitate. Nec ſub illa coguntur eſſe filii, nec ſine iſta patiuntur. Vis audire quia juſtis non eſt lex poſita? [Rom. 8. 15] *Non accepiſtis*, inquit, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore.* Vis audire quod tamen ſine lege caritatis non ſint? *ſed accepiſtis*, ait, *ſpiritum adoptionis filiorum.* Denique audi juſtum utrumque de ſe fatentem, & quod non ſit ſub lege, nec tamen [1. Cor. 9. 21.] ſit ſine lege. *Factus ſum*, inquit, *his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege: his qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei* B *non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.* Unde apte non dicitur: Juſti non habent legem, aut juſti ſunt ſine lege; ſed, *Juſtis non eſt lex poſita*, hoc eſt non tamquam invitis impoſita, ſed voluntariis eo liberaliter data, quo ſuaviter inſpirata. Unde & pulcre Dominus: [Matth. 11. 29.] *Tollite*, ait, *jugum meum ſuper vos.* Ac ſi diceret: Non impono invitis, ſed vos tollite ſi vultis. Alioquin non requiem, ſed laborem invenietis animabus veſtris.

[Caritas omnia levia reddit] 7. Bona itaque lex caritas & ſuavis, quæ non ſolum leviter ſuaviterque portatur, ſed etiam ſervorum & mercenariorum leges portabiles ac leves reddit, quas utique non deſtruit, ſed facit ut impleantur, C [Matth. 5. 17] dicente Domino: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Illam temperat, iſtam ordinat, utramque levigat. Numquam erit caritas ſine timore, ſed caſto; [Caritas nunquam ſit ſine timore & cupiditate.] numquam ſine cupiditate, ſed ordinata. Implet ergo caritas legem ſervi, cum infundit devotionem; implet & mercenarii, cum ordinat cupiditatem. Porrò timori permixta devotio ipſum non annullat, ſed caſtificat. Pœna tantum tollitur, ſine qua eſſe non potuit dum fuit ſervilis; & timor manet in ſæculum [Pſal. 18. 10] ſæculi caſtus & filialis. Nam quod legitur, [1. Joan. 4. 18] *Perfecta caritas foras mittit timorem*; pœna intelligenda eſt, quæ ſervili, ut diximus, numquam deeſt timori, illo ſcilicet genere locutionis, quo ſæpè cauſa ponitur pro D effectu. Deinde cupiditas tunc rectè à ſuperveniente caritate ordinatur, cum mala quidem penitus reſpuuntur, bonis verò meliora præferuntur, nec bona niſi propter meliora appetuntur. Quod cum plene per Dei gratiam aſſecutum fuerit, diligetur corpus, & univerſa corporis bona tantum propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter ſeipſum.

[Amor ſpiritualis incipit à carne] 8. Verumtamen quia carnales ſumus, & de carnis concupiſcentia naſcimur; neceſſe eſt cupiditas vel amor noſter à carne incipiat. quæ ſi recto ordine dirigitur, quibuſdam ſuis gradibus duce gratia proficiens, [1. Cor. 15. 46] ſpiritu tandem conſummabitur: quia non prius quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale: & prius neceſſe eſt portemus imaginem terreſtris, deinde cæleſtis. In primis ergo diligit ſeipſum homo propter ſe. Caro quippe eſt, & nil ſapere valet præter ſe. Cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum ſibi quaſi neceſſarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque in ſecundo [Quatuor gradus Amoris, quorum ultimus eſt patriæ.] gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. At verò cum ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam hujuſcemodi familiaritate paulatim ſenſimque Deus innoteſcit, conſequenter & dulceſcit: & ſic guſtato quàm ſuavis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter ſe, ſed propter ipſum. Sane in hoc gradu ſtatur, & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut ſe ſcilicet homo diligat tantum propter Deum. Aſſerant hoc ſi qui experti ſunt: mihi, fateor, impoſſible videtur. Erit autem proculdubio cum introductus fuerit ſervus bonus & fidelis in gaudium Domini ſui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quaſi enim ebrius, miro quodam modo oblitus ſui, & à ſe penitus velut deficiens, totus perget in Deum, & deinceps adhærens ei unus ſpiritus erit.

9. Arbitror hoc Prophetam ſenſiſſe cum diceret: *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* [Pſal. 70. 16.] Sciebat profectò cum introiret in ſpirituales potentias Domini, exutum ſe iri univerſis infirmitatibus carnis, ut jam nil de carne haberet cogitare, ſed totus in ſpiritu memoraretur juſtitiæ Dei ſolius. [Status caritatis in patria] Tunc pro certo ſingula Chriſti membra dicere poterunt de ſe, quod Paulus aiebat de capite: [2. Cor. 5. 16.] *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus.* Nemo ibi ſe cognoſcit ſecundum carnem, quia [1. Cor. 15. 50.] caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Non B quod carnis ſubſtantia illic futura non ſit; ſed quod carnalis omnis neceſſitudo ſit defutura, carniſque amor amore ſpiritus abſorbendus, & infirmæ quæ nunc ſunt humanæ affectiones in divinas quaſdam potentias habeant commutari. Tunc ſagena caritatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum & ſpatioſum, ex omni genere piſcium congregare non deſinit, cum perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos ſolummodo retinebit. Siquidem in hac vita ex omni genere piſcium, intra ſinum ſuæ latitudinis, caritatis rete concludit: ubi ſe pro tempore omnibus conformans, omniumque in ſe ſive proſpera, ſive adverſa trajiciens, ſuaque quodammodo faciens, non ſolum gaudere cum C gaudentibus, ſed etiam flere cum flentibus conſuevit. Sed cum pervenerit ad littus, velut malos piſces omne quod triſte patitur, foras mittens, ſola quæ placere & jucunda eſſe poterunt, retinebit. Numquid enim tunc, verbi gratiâ, Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut uretur pro ſcandalizatis, ubi ſcandala & infirmitas procul erunt? Aut certe lugebit eos, qui ante non egerunt pœnitentiam, ubi certum eſt, ſic neminem ſane fore qui pœniteat, quomodo qui peccet non erit? Abſit autem ut vel eos qui ignibus æternis cum diabolo & angelis ejus deputandi ſunt, plangat & defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat, cujus diligit Dominus portas ſuper omnia ta- [Pſalm. 86. 3.] D bernacula Jacob; quod videlicet in tabernaculis etſi quandoque gaudetur de victoria, laboratur tamen in pugna, & plerumque periclitatur de vita: in illa autem patria nulla prorſus admittitur adverſitas ſive triſtitia, quemadmodum de illa canitur: *Sicut lætantium omnium habitatio in te.* Et rurſum: *Lætitia ſempiterna erit eis.* [Pſal. 86. 7. Iſa. 61. 7.] Denique quomodo miſericordiæ recordabitur, ubi memorabitur juſtitiæ Dei ſolius? Proinde ubi jam non erit miſeriæ locus, aut miſericordiæ tempus, nullus profectò eſſe poterit miſerationis affectus.

10. Longum quidem adhuc texere ſermonem inſatiabili colloquendi ad vos deſiderio pulſor, fratres E mei cariſſimi & deſideratiſſimi: ſed tria ſunt quæ finem indicunt. Primum quidem, quod maxime vereor, ne fiam oneroſus vobis: ſecundum, quia pudet loquacitatis: tertium, quod domeſticis urgeor curis. In fine precor, miſeremini mei: & ſi exultaſtis in bonis de me tantum auditis, certis quæſo compatimini malis. Vidit fortaſſis qui vobis ea narravit, aliqua parva, & de parvis grandia æſtimavit: [Modeſtia S. Bernardi & humilitas.] veſtra autem ſinceritas facile credidit quod libenter audivit. Gratulor quidem de caritate, quæ omnia credit: ſed confundor pro veritate, quæ omnia novit. Volo vos mihi credere de me magis quàm alteri, qui tantum [1. Cor. 2. 11.] videt in facie. *Nemo quippe ſcit quæ ſunt in homine, niſi* F *ſpiritus hominis qui in eo eſt.* Dico vobis ego qui de me loquor non ex conjectura, ſed ex ſententia: Non ſum talis qualis putor vel dicor. Quod quidem tam ſecurus fateor, quàm certus experior: ita ut nil malim veſtris orationibus ſpecialiter obtinere, quàm ut talis fiam, qualem litteræ veſtræ prædicant.

Ad

Ad Eosdem.

EPISTOLA XII.

Orationibus eorum ſe commendat.

Amantiſſimo Domino, & reverendiſſimo Patri Guigoni Priori Cartuſienſi, & ſanctis Fratribus adhærentibus ei; frater Bernardus de Clara-valle, modicum id quod eſt.

PRimum quod accedens ad partes illas non adjeci pervenire uſque ad vos videre facies veſtras, rememorari iniquitates & neceſſitates meas: etſi vobis forſitan ſatisfacere poſſum, mihi fateor non poſſum. Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non ut neglexerim, ſed ut nequiverim. Hoc frequenter patior, & ideo frequenter iraſcor: dignus utinam, cui omnis ſanctus condoleat. Alioquin dupliciter miſer ſum, ſi nec miſerabilis ſum. Ego verò fraternæ pietati locum in me oſtendo, non meritum. *Vera miſericordia efficax.* Miſeremini mei, non quia dignus, ſed quoniam inops & pauper ſum ego. Juſtitia meritum quærit: miſericordia miſeriam intuetur. Vera miſericordia non judicat, ſed afficit: non nititur diſcuſſione, occaſione contenta. Non enim exſpectatur ratio, ubi affectio trahit. *1. Reg. 15.* Lugebat Samuël Saul, miſerans, non deliberans. *2. Reg. 18. 33.* Fundebat lacrymas David filio parricidæ, etſi non profuturas, pias tamen. Ita & vos miſeremini mei, non quia merui, ſed quia egeo. Miſeremini tamquam miſericordiam conſecuti à Domino, ut ſine timore à mundi tumultibus liberati ſerviatis ei. Felices, quos abſcondit in tabernaculo ſuo in die malorum, in umbra alarum ſuarum ſperantes, donec tranſeat iniquitas. Ceterum ego infelix, pauper & nudus, homo natus ad laborem, implumis avicula pæne omni tempore nidulo exulans, vento expoſita & turbini; turbatus ſum & motus ſum ſicut ebrius, & omnis conſcientia mea devorata eſt. Miſeremini proinde, etſi nil meriti, certe ſic affecti.

Ad Dominum Papam Honorium.

EPISTOLA XIII.

Circ. ann. MCXXVI.

Alberici electionem ad Epiſcopatum Catalaunenſem ratam haberi petit.

Summo Pontifici Honorio, Frater quidam profeſſione monachus, converſatione peccator, ſeipſum quantillus eſt.

AIunt apud vos plus valere pauperis precem, quam potentis vultum. De qua veſtra ſingulari dignatione tam ſancta opinio facit me dignitatis celſitudinem non vereri, quo minus audeam loqui ad vos, id præſertim quod caritas ſuggerit. De eccleſia dico, Domine, Catalaunenſi; cujus, quantum in me eſt, nec valeo, nec debeo diſſimulare periculum. Videmus nimirum, jamjamque imminere ſentimus nos qui vicini ſumus, pacem videlicet memoratæ eccleſiæ graviter mox eſſe turbandam; ſi electioni illuſtris illius viri, id eſt, Magiſtri [a] Alberici, in quam utique totus tam clerus, quàm populus pari voto & voce convenerant & conveniunt, veſtræ pietatis aſſenſum impetrare nequiverint. De qua re ſi & noſtra quæritur aut curatur ſententia, novimus hominem ſanæ fidei & doctrinæ hactenus exſtitiſſe; in divinis pariter & humanis prudentem eſſe, & ſperamus in domo Dei (ſi tamen ipſe elegit eum) fore vas in honorem, & utilem futurum non ſolum illi, ſed & omni Gallicanæ Eccleſiæ. Veſtræ jam diſcretionis eſt judicare, an merito flagitetur à vobis facienda diſpenſatio, unde talis poteſt ſperari recompenſatio.

Ad Eumdem Honorium Papam.

EPISTOLA XIV.

Circ. ann. MCXXVI.

Cauſam eccleſiæ Divionenſis ſummo Pontifici commendat.

Summo Pontifici Honorio, frater Bernardus vocatus Abbas Claræ-vallis, ſalutem, & ſi quid poteſt peccatoris oratio.

QUanto ad vos timore ſcribam, novit ipſe quem timemus in vobis. Sed ut audeam, domina caritas facit: quippe quæ imperat & vobis. Pro eccleſia Divionenſi [b] rogatus, ſuſcepi facere precem: ſed quid potiſſimum precari debeam, pæne dubito. Nam ſicut tentare aliquid vel prece vel pretio adverſus juſtitiam iniquum eſt: ſic pro juſtitia multum laborare apud juſtitiæ amatorem ſuperfluum. Verum etſi nos quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: confidimus tamen quod veſtra benignitas, præſertim in cauſa Religioſorum [c], otioſa eſſe non poterit. Et quidem ſanctitatis veſtræ prudentia ſollicitaque diſcuſſio quid inventura ſit, ego neſcio: ſed hoc dico quod audivi & frequenter audio, quia videlicet longo & inconcuſſo tenore fertur Divionenſis eccleſia poſſediſſe ea [d], de quibus adverſus eam cauſantur Luxovienſes; ita ut hi qui videntur antiquiores de vicinis, mirentur & indignentur, novam abominantes calumniam.

Ad Haimericum [e] Cancellarium, Unde ſuprà.

EPISTOLA XV.

Eodem an.

Viro illuſtri domino Haimerico apoſtolicæ ſedis Cancellario, Bernardus de Clara-valle, quæ retro ſunt obliviſci, & ad ea quæ ante ſunt, Apoſtolum ſequi.

NOn latet amicos noſtros quod me familiari affectu diligitis, & tantæ mihi felicitatis fructum invident, ſi ſolus habere voluero. Monachi Divionenſes ob antiquam illius eccleſiæ religionem mihi cariſſimi ſunt. Sentiant, ſi placet, quod non ſit amor otioſus, ſive veſter ad nos, ſive noſter ad illos, ſalvâ tamen in omnibus juſtitiâ, contra quam ne amicum quidem reſpicere fas eſt. *Amicus uſque ad aras.*

a Albericus, eccleſiæ Remenſis Scholarum magiſter, *ſcientia litterarum & quo conſilii prudentiâ clariſſimus*, teſte Roberto de Monte. *Remenſis* origine dicitur à Petro Abaelardo ejus adverſario in Hiſtoria calamitatum cap. 5 & diſcipulus Guillelmi de Campellis, *condiſcipulus* Abaelardi ab Heloiſſa in epiſtola 2. Ad eum de Chriſti timore Gualterus epiſcopus Laudunenſis ſcribit epiſtolam 4. quæ exſtat in Spicilegii tomo 2. pag. 469. Fallor ſi non ipſe eſt *Magiſter in Francia*, quem tacito nomine ſuggillat Abaelardus in Theologiæ introductione pag. 1066. Is poſt Ebalum Catalaunenſem epiſcopum electus anno 1126, ſed ordinatione infecta, demum creatus eſt archiepiſcopus Bituricenſis anno 1139. Obiit anno 1141. Confer epiſtolam 58, quæ ante hanc ſcripta eſt ad Ebalum, & lege ſis Marlotum in tomo 2. Metropolis Remenſis pag. 285. cum noſtris fuſioribus Notis. Fuit alter *Albericus Remenſis*, dictus *de Porta-veneris*, de quo Johannes Sareſberienſis epiſtola 182.

b Id eſt monaſterio Divionenſium S. Benigni monachorum, quos ob antiquam religionem ſibi cariſſimos in epiſtola ſequente dicit Bernardus, cujus pater & mater in eorum eccleſia ſepulti ſunt, inde poſtea tranſlati Claram-vallem. Bernardo, aliiſque ejuſdem ævi ſcriptoribus familiare *eccleſiæ* nomine ſignificare monaſteria, infra in epiſtol 350, 60, 319, 382, 384, 395, &c. cum aliàs eccleſiæ quævis non raro monaſteria dicta ſint. Nota hic S. Benigni eccleſiam ſimpliciter vocari *Divionenſem*, quod primaria ſit urbis eccleſia.

c Hoc nomine non raro Bernardus aliique utuntur ad monachos deſignandos, ut in epiſtolis 45. & 102. & in ſermone 26. de diverſis num. 2. ſed & longe ante eum Gregorius M. in lib. 1. epiſtola 19.

d Lis iſta vertebatur de duabus cellis, Clarimontis & Vangionis-rivi, anno tandem 1129. deciſa per Stephanum archiepiſcopum Viennenſem & alios, apud Perardum in Burgundicis monumentis pag. 224. & 228.

e Haimericus, natione Gallus, Bernardi in paucis amicus, quem litterarum officio prævenit, ut patet ex epiſtola eſt 311, quæ ante hanc ſcripta eſt. Vide hic Horſtii Notas.

AD PETRUM PRESBYTERUM CARDINALEM.
Unde ſuprà.

EPISTOLA XVI.

Circ. ann. [illegible]

Cariſſimo domino ſuo PETRO Presbytero Cardinali, frater Bernardus abbas Claræ-vallis ſalutem, & non in via.

EGo cauſam non habeo; cauſam tamen Divionenſium monachorum, quia viri religioſi ſunt, meam facio. Manu-tenete eam ut meam; ſic tamen meam, ut & juſtitiæ ſit. Quod utique & nos confidimus, & B tota fere patria teſtatur.

AD PETRUM DIACONUM a CARDINALEM.

EPISTOLA XVII.

Circ. ann. MCXXVII.

Excuſat ſe, quòd vocatus non venerit: De ſcriptis poſtulatis reſpondet.

Domino venerabili PETRO Romanæ eccleſiæ diacono cardinali & legato, frater Bernardus ſeipſum quantum poteſt.

QUod ad vos non veni ut mandaſtis, non mea pigritia, ſed cauſa fuit non contemnenda. Siquidem ſalvâ veſtrâ omniumque bonorum reverentiâ, mihi propoſitum eſt nequaquam egredi de monaſterio, niſi certis ex cauſis, quarum utique nulla modo ſe obtulit, ut licite poſſem veſtræ in hoc, immo & noſtræ ſatisfacere voluntati. Verum vos quid facitis de eo quod jamdudum veſtrarum priorum litterarum promiſſione tenemus, veſtro ſcilicet, quem adhuc ſuſtinemus, adventu? Quæ illa deinde ſcripta ſunt, quæ & ante vobis * fieri juſſiſtis, & nunc requiritis, omnino neſcimus: ideoque nihil paravimus. Ego enim neſcio me quippiam quandoque ſcriptitaſſe de moralibus, quod veſtræ excellentiæ b ſtudio dignum putem. Aliqui Fratres nonnulla ex his quæ me coram audiere loquentem, ſtilo ſuo excepere. Quorum unus vobis præſto eſt, Præcentor videlicet Trecenſis & Archidiaconus Gebuinus c: & facile poteſtis habere, ſi qua placent, quæ ab illo excepta ſunt. Tamen ſi curæ vobis, aut curis quandoque veſtris vacuum fuerit, & ita dignum judicatis, dignitatis videlicet veſtræ promiſſam præſentiam exſpectantibus exhibere filiolis; tunc ſi quid in manibus inventum, aut noſtro poſſe adhuc elaborari ſtudio viſum fuerit quod forte delectet, veſtræ omnino pro viribus non deero voluntati. Diligimus enim bonam famam veſtram; reveremur quam in vobis audivimus, circa E res Dei ſollicitudinem & ſinceritatem: & ideo valde gratum habemus, ſi noſtra vobis forte in aliquo eſſe poſſit officioſa ruſticitas.

* al. nobis

AD EUMDEM d.

EPISTOLA XVIII.

Circ. ann. MCXXVII.

Opinionem ſanctitatis à ſe amoliri nititur, & promittit ſe quos ſcripſerat libellos communicaturum.

1. CUm totum me dedero vobis, parum eſt, ut digne mihi videar recompenſaſſe vel dimidium benevolentiæ, quam erga noſtram humilitatem habere vos aiunt. Gaudeo quidem de gratia: ſed temperat, fateor, pro tanto favore lætitiam, quod eumdem mihi favorem non opus, ſed opinio acquiſierit. Pudet nimirum granditer exultare, cum ſentio in me

Bernardi modeſtia.

A venerari vel diligi, non quidem quod ſum, ſed quod putor. Neque enim ego tunc diligor, quando ſic diligor: ſed neſcio quid in me pro me, quod non ſum ego e. Immo ut verius loquar, non neſcio: nam certiſſime ſcio quod nihil. Nihil enim proculdubio eſt, quicquid putatur & non eſt. Porro cum amatur quod non eſt, ſed eſſe putatur: non amor vel amans nihil eſt, ſed quod amatur. Mirandum, ſed magis dolendum quam mirandum, quod id quod nihil eſt, amari poteſt. Hinc plane ſentimus unde, quo venimus: quid perdidimus, quid invenimus. Adhærendo ei qui B ſemper & beate eſt; ſemper & nos eſſe, & beate eſſe poteramus. Adhærendo autem dixerim, non ſolum per cognitionem, ſed per amorem. Nam quidam ex filiis Adam *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Merito proinde obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: quia cum veritatem cognoſcerent & contemnerent, jure receperunt in pœnam ut nec cognoſcerent. Heu ſic adhærendo veritati per cognitionem, ſed ab illa defluendo per amorem, amando pro illa ſcilicet vanitatem, homo vanitati ſimilis factus eſt. Et quid vanius quàm diligere vanitatem; C & quid iniquius, quàm contemnere veritatem? Quid vero juſtius quàm contemptoribus ſubtrahi & ipſam cognitionem? Quid, inquam, juſtius, quàm ut jam de ejus cognitione gloriari non poſſit, qui cognitam non glorificavit? Itaque APPETITUS vanitatis eſt contemptus veritatis, contemptus veritatis cauſa noſtræ cæcitatis. *Et quia non probaverunt*, inquit, *Deum habere in notitiam, tradidit illos in reprobum ſenſum.*

Amor boni apparentis.

Cognoſcentium Deum nec amantium pœna cæcitas.

* Rom. 1. 21.

Ibid. 28.

2. Ex hac ergo cæcitate deſcendit, quod plerumque pro eo quod eſt, amamus vel approbamus quod non eſt: quoniam dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur ab eo qui ſumme eſt. Et quid eſt homo ô Deus, niſi quod innotuiſti ei? Itaque ſi notitia Dei cauſa eſt D ut homo aliquid ſit, ignorantia facit ut nihil ſit. Sed qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, miſeratus quodammodo redactos in nihil; manna illud abſconditum (de quo Apoſtolus, *Et vita*, inquit, *veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*) quia necdum poſſumus contemplari per ſpeciem, vel plene amplecti per amorem, dedit interim nobis & ſapere per fidem, & quærere per deſiderium: per quæ utique duo ad eſſe de non eſſe ſecundo reducti, fieri incipiamus initium aliquod creaturæ ejus, tranſituri quandoque in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quod proculdubio erit, cum juſtitia convertetur in judicium, hoc eſt, fides in intellectum, E juſtitia videlicet quæ ex fide eſt, in judicium plenæ cognitionis, & item deſiderium peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionis. Si enim adhuc abſentes initiat fides, & deſiderium; præſentes profectò conſummat intellectus & amor. Sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, ſic deſiderium ad perfectam dilectionem. Et ſicut dicitur, *Niſi credideritis, non intelligetis*; ſic dici æque non abſurde poteſt: Si non deſideraveritis, non perfecte amabitis. Intellectus igitur eſt fructus fidei, perfecta caritas deſiderii. Interim *Juſtus ex fide vivit*, nam beatus ex F intellectu. Interim juſtus deſiderat ad Deum ſicut cervus ad fontes aquarum: nam beatus haurit jam in gaudio de fontibus Salvatoris, hoc eſt, delectatur in plenitudine caritatis.

Ignorans Deum homo nihil eſt.

Coloſſ. 3. 3.

Reformatio hominis quomodo perficitur.

Iſa. 7. 9.

Abac. 2. 4.

3. His igitur fortaſſis quaſi duobus animæ brachiis, intellectu videlicet & amore, id eſt cognitione & di-

a Petrus iſte alius ſine dubio eſt à Petro Leonis itidem Legato, ſed presbytero cardinale, ut probavimus in Præfatione ad hunc tomum. Videtur eſſe Petrus, quem *Legatum de latere ſuo* Honorius ſecundus initio ſui pontificatus in Galliam miſit contra Pontium & Pontianos, teſte Petro Venerabili in lib. 2. de miraculis cap. 13. An Petrus de Fontanis, Bernardi conterraneus, cardinalis tit. S. Marcelli à Calliſto creatus anno 1120.

b *Excellentiæ* nomine Bernardus cardinales compellare ſolet, ut in epiſtolis 306 & 311. aliquando *Sanctitatis*, epiſtola 304. *Excellentiæ* titulum tribuit etiam regibus epiſtola 45. num. 2. item Papæ epiſtola 349. immo epiſcopis epiſtola 13.

c Gebuinum *moribus & litteratura conſpicuum* vocat Hildebertus in epiſtola 53. Ejuſdem eloquentiam & ſapientiam prædicat Nicolaus Claravallenſis in epiſtola 5 ubi ejus ſermonem memorat in illud Evangelii, *Si filius vos liberaverit*, &c. Sermonum ipſius volumen exſtat in Bibliotheca Victorina. Hic eſt ille cantor Trecenſis, cujus flores petit Johannes Sareſberienſis epiſtola 96. Confer Petrum Venerabilem in lib. 2. epiſtolis 14. & 15.

d Variant in hoc titulo mſſ. Colbertinus num. 1410. & Compendienſis habent, *ad eumdem Aimericum*: alii tres Colbertini, *ad eumdem*, ut id referatur *ad Petrum Diaconum*. quod præferendum, ob libros petitos in ſuperiori epiſtola num. 1. & in hac num. 5.

e Ita fere Auguſtinus in epiſtola quondam 7. nunc 143. num. 3.

[illegible] . amplectitur & comprehenditur A
[illegible] longitudo,latitudo,ſublimitas & [illegible] æternitas,caritas, virtus & ſapien[illegible] Chriſtus. Æternitas eſt, quia *hæc [illegible] cognoſcant te verum Deum, & quem [illegible] Jeſum-Chriſtum.* Caritas eſt, quia Deus eſt: [illegible] enim *caritas eſt.* Eſt & *Dei virtus.* & *Dei* [illegible] Sed quando hæc erunt? quando videbi[illegible] ſicuti eſt? Quando amabimus eum [illegible] ſicut eſt? Nam *exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens.* De qua univerſali vanitate ineſt nobis & velle laudari, cum ſimus vituperabiles; & nolle laudare quos ſcimus eſſe laudabiles. Sed & hoc B vanum eſt, quod noſtra plerumque ignorantia & [illegible]tur quod eſt, & prædicatur quod non eſt. Quid ad [illegible]la dicemus, niſi quia *vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum?* Laudamus * mendaciter, delectamur inaniter, ut & vani ſint qui laudantur, & mendaces qui laudant. Alii adulantur, & ficti ſunt; alii laudant quod putant, & falſi ſunt; alii utrorumque præconiis gloriantur, & vani ſunt. Solus ſapiens qui cum Apoſtolo dicit: *Parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.*

4. Hæc interim vobis nimis feſtine, & ob hoc minus feſtive exaravi potius quàm dictavi, ac fortaſſis C loquacius quam debui, ſed omnino veracius non potui, prout ſapui. Sed ut inde ſumat epiſtola finem, unde ſumpſit exordium; nolo vos de me incertæ famæ nimis credulum eſſe: quæ, ut optime noſtis, ſæpe in ſua ſolet utrobique falli ſententia; & de laude videlicet, & de vituperatione. Probate, ſi placet, & æſtimate, quatenus amor vel favor veſter & juſtus, & eo ſit amplius amico gratus, quo pro meritis moderatus: ut cum laus de gravitate judicii, non mendacio proceſſerit vulgi, & ſi minus honoris, minus quoque conferat & oneris. Eſt certe quod me magis, quantuluſcumque ſum, facit eſſe veſtrum; quod videlicet in rebus Dei ſtrenue ſincereque (ut aiunt) pro veſtra D vice verſamini. Hoc ut ſemper de vobis vere dicatur, ſemper in vobis vere inveniatur.

5. Librum quem quæſiſtis ad tranſcribendum, habetis. Opuſcula noſtra quæ requiritis, & pauca ſunt, & nihil eſt in eis omnino, quod veſtro ſtudio dignum putem. Tamen quia melius judico mihi, noſtrum culpari ingeniolum, quam voluntatem; & periclitari apud vos potius imperitiam, quàm obedientiam: quæ horum, & quo vobis placet ut mittam, ſcripto nobis per præſentem nuntium ſignificate: ut quæ modo penes me non ſunt, ab his qui habent ea requiram, & dirigam quocumque mandaveritis. Et ut ſciatis quid petatis, ſcio me ſcripſiſſe libellum, qui in- E ſcribitur, de Humilitate: & quatuor homilias in laudibus Virginis Matris (nam hunc habet titulum) ſuper illum videlicet locum Evangelii apud Lucam,
Luc. 1. 26. ubi dicitur, *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* necnon & Apologiam ad quemdam amicum noſtrum [a]: ubi aliqua diſſerui de Cluniacenſibus, & noſtris, id eſt Ciſtercienſibus, obſervantiis. Sed & paucas ad diverſos epiſtolas dictavi. Aliqui fratres ex his qui me coram audiere loquentem, ſuo ſtilo exceperunt, & penes ſe retinent. Utinam, quod minime ſpero, noſtra vobis in aliquo poſſit eſſe officioſa ruſticitas.

a Guillelmum ſcilicet S. Theoderici abbatem, quæ Apologia legitur hic in tomo 4.

b De hac legatione nihil lego apud Marlotum. Fortè directa eſt Honorio ad obtinendum pallium pro Rainaldo de Martiniaco, qui ad ſedem Remenſem ex Andegavenſi tranſlatus eſt anno 1124. Sed aliud negotium innuit epiſtola ſequens.

Ad Eumdem.

EPISTOLA XIX.

Circa ann. MCXXVII.

Commendat Remenſes legatos.

TEmpus eſt, ut promiſſum exigam: utque probem ne forte fruſtra de vobis ſemper confiſus ſim, ex quo veſtram & notitiam merui, & amicitiam. Mihi ſiquidem vos præſtitiſſe confidite, quicquid opis veſtræ iſti Remenſes legati [b] præſto ſibi eſſe perſenſerint. Non quia me tanti putem, hæc audeo, ſed quia vos promiſiſtis: utrumne digne, vos videritis.

Ad Haimericum cancellarium, Unde ſupra.

EPISTOLA XX.

Circa ann. MCXXVII.

Viro illuſtri domino Haimerico ſanctæ Romanæ Sedis Cancellario, frater Bernardus de Claravalle ſalutem & orationem.

QUia ſemel cœpi, loquar, & loquar ad vos: eroque importunus, ſed importunus caritatis, ſed veritatis, ſed juſtitiæ. Nam etſi tanti non ſum, ut Romæ habeam propria negotia; nulla tamen quæ Dei eſſe conſtiterit, à me duco aliena. Quapropter ſi veræ id mihi gratiæ apud vos manet quod multorum habet opinio, liceat illud obſecro Legatis domini Archiepiſcopi Remenſis in præſenti negotio experiri. Nil quippe eos, niſi quod juſtum eſt, perferre vel quærere ſuſpicamur.

Ad Matthæum [c] Legatum.

EPISTOLA XXI.

Sub finem Anni MCXXVII.

Excuſat ſe perbelle, quod vocatus ad negotia tractanda, non acceſſerit.

1. FUit quidem parere paratum cor meum, ſed non æque & corpus meum. Sævientis ſiquidem acutæ febris exuſta ardoribus, & exhauſta ſudoribus, non valuit ſufficere ſpiritui prompto caro infirma. Volui ergo, ſed prævolanti voluntati obſtitit ea quam dixi occaſio. Quæ an juſta ſit, ipſi judicent amici noſtri, qui me omni excluſa excuſatione, obedientiæ retibus circumcluſum, quotidie de clauſtro ad civitates pertrahere moliuntur; ſimulque attendant iſtam me occaſionem non fallaciter adinveniſſe, ſed graviter pertuliſſe: ut vel nunc experiantur, quia non eſt conſilium contra conſilium Domini. Quibus ſi ego reſpondiſſem, *Exui tunicam meam, quomodo induam illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* profecto indignarentur. Nunc autem divino aut ſuccenſeant, aut acquieſcant judicio, quo factum eſt, ut etſi velim, non valeam proficiſci. Cant. 5. 3.

2. Sed grandis, inquiunt, fuit cauſa, graviſque neceſſitas. Quærendus ergo fuerat qui grandibus diffiniendis fuiſſet idoneus. Si me talem putant, ego me talem non eſſe nequaquam puto, ſed ſcio. Denique ſive grandia ſint, ſive parva, ad quæ me ita perurgent; ego cauſam non habeo. Quæro ſiquidem: Facilia ſunt an difficilia, quæ ad perturbandum amicum ſilentium tantopere imponere curatis amico? Si facilia, abſque me poſſunt fieri; ſi difficilia, per me non poſſunt effici. Niſi forte tanti æſtimor, cui grandia & impoſſibilia reſerventur, tamquam ea ego poſſim, quæ nemo alius facere poteſt. Quod ſi ita eſt: Domine Deus meus quomodo tuum de me ſolo fruſtratum eſt judicium, ponens ſub modio lucernam, quæ poterat lucere ſuper candelabrum; &, ut apertius loquar, tentans me facere monachum, & vo- Bernardi modeſtia & ſilentii amor.

c Matthæus, ex canonico Remenſi monachus Cluniacenſis apud S. Martinum de Campis, dein Cardinalis & epiſcopus Albanenſis, vir miræ ſanctitatis ex Petro Venerabili, is eſt ad quem hæc epiſtola ſcripta eſt inſtante Concilio Trecenſi anni 1128, ex ſuperioribus Notis.

lens abſcondere in tabernaculo tuo in die malorum, A hominem neceſſarium mundo, ſine quo Epiſcopi non poſſunt ſua pertractare negotia? Sed & hoc mei mihi neceſſarii præſtiterunt, ut nunc quoque videar loqui turbatus homini, cujus numquam niſi ſerenus & cum omni jucunditate ſoleo recordari. Vos tamen, (vobis dico Pater,) noveritis, quia paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata veſtra. Veſtræ autem indulgentiæ erit parcere mihi, ubi parcendum decreveritis.

* al. Humbaudum.

Ad HUMBALDUM * Lugdunenſem archiepiſcopum & Legatum.

Ante ann. MCXXVIII.

EPISTOLA XXII.

Cauſam Epiſcopi Meldenſis commendat.

Reverendiſſimo Domino & Patri ſuo HUMBALDO Lugdunenſi archiepiſcopo, Romanæ Sedis legato, frater Bernardus Claræ-vallis abbas, ſi quid poteſt peccatoris oratio.

* Burchardus V. Notas.

DOminus Epiſcopus Meldenſis * cum accepit litteras veſtras, forte tunc ad nos viſitandi gratiâ veniebat. Cumque jam è domo noſtra reſcribere pararet, ſuis noſtras tamquam veſtri familiaris litteras jungere curavit, ſuo ſperans negotio profuturas. Cui cum non poſſem negare quod vellet, id ſolum veſtræ re- C verentiæ familiariter breviterque intimandum putavi: quia ſi adverſus Epiſcopum quærentem quæ ſunt Jeſu Chriſti, homines ſeipſos amantes, & quæ ſua ſunt quærentes audieritis, hoc nec veſtræ congruit dignitati, nec officio.

* al. Hatonem. V. Notas.

Ad ATTONEM * Trecenſem epiſcopum.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA XXIII.

Attonem Epiſcopum, qui in morbo mortem cogitans, omnia ſua diſtribuerat in pauperes, reſtitutum valetudini ſolatur, & laudat.

Pauperi Epiſcopo pauper Abbas, paupertatis conſequi D præmium, quod eſt regnum cælorum.

Eccli. 11. 30

1. LAudarem vos, & jure laudarem, ſi non me revocaret illa ſententia, *Neminem laudaveris in vita ſua.* ſiquidem rem laude dignam egiſtis; ſed ei laus adſcribenda eſt, à quo accepiſtis & velle, & perficere, quod merito laudaretur. Deum ergo per vos, & in vobis operantem glorificamus, qui tantum ad hoc in vobis voluit glorificari, ut & vos redderet glorioſum. Qui nimirum cum ſit mirabilis in majeſtate ſua, etiam in Sanctis ſuis glorioſus apparere dignatur, ne ſolus habeat gloriam. Ipſe nempe licet ſit ſibi ſufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam & in Sanctis, non ut augeat E ſibi, ſed ut ſuis communicet. Novit autem qui ſunt ejus: ſed nobis non facile innoteſcunt, niſi cum ipſe revelare dignabitur. Scimus ſane de qualibus ſcriptum eſt: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Et quia vobis hæc ipſa ſententia non congruat, nihilominus modo cognoſcimus. Scriptum quoque eſt: *Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Flagellatum video & emendatum, & aliud ſuſpicer quàm unum eſſe ex filiis? Porro correctionis veſtræ clarum ſatis inſigne tenemus, ipſam nunc paupertatem veſtram. F Nobilis revera titulus paupertatis, quam ipſe Deus ore commendans prophetico: *Ego ſum*, ait, *vir videns paupertatem meam.* Super omnes regios theſauros hic vos titulus nobilitat amplius, & reddit illuſtrem.

Deus in Sanctis glorioſus.

Pſal. 72. 5.

Prov. 3. 12. Flagella amoris Dei indicia.

Inſigne correctionum Paupertatis.

Thren. 3. 1.

Paupertatis elogium.

2. Scio me ex Scriptura commemoraſſe ſuperius, non eſſe laudandum hominem in vita ſua. Verum quomodo me poſſum cohibere à laude illius, qui poſt aurum abire jam deſiit, & ſperare contempſit in pecuniæ theſauris? De quali nimirum viro Scriptura ſic loquitur: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* An fortaſſe non eſt quidem laudandus homo in vita ſua, quæ tentatio eſt ſuper terram: nec ideo tamen laudandus non eſt, cum mortuus peccato vivit Deo? Vana quidem laus & ſeductoria, quâ laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit: ſed non idcirco prædicanda, & multum commendanda non erit illius vita, qui dicere poteſt: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Cum ergo laudatur homo in quo jam vivit non ipſe, ſed Chriſtus; non in ſua laudatur, ſed in Chriſti vita: ac per hoc non laudatur contra ſententiam, quæ pro- B hibet hominem laudari in vita ſua.

VI.

Eccleſ. 31. 9.

An quis in vita laudandus.

Galat. 2. 20.

3. Cur denique dignus meis laudibus non erit, quem ſui quoque nominis Deus laude dignatur, dicente David: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum?* Laudatur Job, quod ſua patienter amiſit: & non laudabitur Epiſcopus, qui & libenter dimiſit, & liberaliter diſtribuit? Non exſpectavit mortem, quando jam nec dare, nec retinere in ſua haberet poteſtate: quod utique multi faciunt, quorum videlicet teſtamentum non niſi in mortuis confirmatur: ſed adhuc inter ſpem vitæ metumque poſitus mortis, vivens libenſque diſperſit & dedit pauperibus, ut juſtitia ejus maneret in ſæculum ſæculi. Numquid & pecunia manſura ſimiliter erat C in ſæculum ſæculi? Bona ergo recompenſatio juſtitiæ pro pecunia, quando pro eo quod teneri non poterat, id reſtitutum eſt quod feliciter maneat in æternum. Melior eſt enim incomparabiliter juſtitia, quàm pecunia, quod illa ditet & repleat arcam, hæc animam. Denique ſacerdotes Dei induuntur juſtitiâ, & multo utique decentius & ditius, quam auro vel ſerico.

Pſal. 73. 21.

Laudabilior in vivis quam a morte eleemoſyna.

Pſal. 111. 9.

Eleemoſynæ fructus, juſtitia.

4. Sed gratias Deo, qui jam harum rerum in vobis gloriæ tranſitoriæ glorioſum eſt operatus contemptum, dum de animæ periculo ſaluberrimum incuſſit metum. O mira circa vos divina clementia! Mortem intentavit, ne inferret: formidare vos voluit, quam vos noluit experiri. Cum hoc fecit, quid effecit, niſi ne D veſtra vobis eſſent cariora quàm vos? Inter medullas artuum febris acuta ſæviebat, & tardante ſudore, cruciatus vehemens in dies ingraveſcebat. Cumque jam foris membris frigeſcentibus calor moleſtiſſimus introrſum ſe colligens, exhauſta longa inedia viſcera depaſceret, pallidæ interim mortis ante oculos triſtis verſabatur imago. Et ecce tamquam de ſupernis vox emiſſa divinitus inſonuerit, *Ego ſum, ego ſum qui deleo,* non te, ſed *iniquitates tuas*; mox ubi ſacerdos Dei, ut pauper moreretur, ſua omnia pauperibus erogavit, cœperunt ſubito de intimis deſperati jam ſudoris inopinati fontes erumpere; ſicque animæ pariter & corporis ſuo ordine ſalus utraque procedens, li- E quido monſtravit in vobis adimpletum quod in Scriptura ſua pollicetur Deus: *Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Percuſſit carnem, ut anima ſanaretur: occidit avaritiam, ut juſtitiæ viveretis. Sic vivificato & ſanato, quid ſperandum eſt, niſi ut jam non ſit qui vos de manu Dei poſſit eruere? ſi tamen evangelicum illud conſilium obſervare non negligitis: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Quod videlicet idcirco præmonet pius Pater, quia non vult ut contingat: quippe qui F non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Et merito. Quæ enim utilitas in ſanguine peccatoris? non enim infernus confitebitur Deo, neque mors laudabit eum: ſed vos qui vivitis, benedicitis Domino, & dicitis, *Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.* & illud: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

Cur Deus ſæpe immittat morbos, &c.

Iſai. 43. 25.

Deut. 32. 39.

Joan 5. 14.

Pſal. 117. 17.

Ibidem 13.

... Gi... *Univerſalem, ... opum Londonienſem *.

EPISTOLA XXIV.

... Gilbertum, quod factus epiſcopus paupertatem colat.

LOnge ... latis exiit ſermo quem feciſti, & magnum dedit ſuavitatis odorem, ad quoſcumque potuit pervenire. Extincta eſt avaritia; cui non ſuave redolat? Caritas regnat; cui dulce non ſapiat? quando hoc cognoſcunt omnes, quia vere ſapiens ſis, qui ſapientiæ hoſtem maximum contriviſti: hoc certe & B tuo ſacerdotio dignum, & nomine. Tali profecto decebat ſpecialem * tuam philoſophiam clareſcere teſtimonio, hoc præclara illa tua ſtudia fine compleri. Vera & indubitata ſapientia eſt, quæ turpia lucra contemnit, & indignum ſibi judicat eodem cum idolorum ſervitute contubernio frui. Non magnum fuit Magiſtrum Gillebertum epiſcopum fieri: ſed epiſcopum Londonienſem pauperem [b] vivere, id plane magnificum. Nec enim tanto nomini quicquam augere gloriæ potuit ſublimitas dignitatis: auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ eſt: ſponte appetere, ſapientiæ laus eſt. Laudatur denique & admirabilis prædicatur, qui C poſt aurum non abiit: qui vero & abjecit, plus nihil merebitur? Niſi quod vigil ratio mirandum minime ducit, ſi ſapiens ſapienter agit, & ille ſapiens qui in cunctis hujus mundi ſapientium litteris & ſtudiis ludens, omnem quoque ſtuduit & potuit divinam quodammodo revocare & renovare ſcripturam. Quid enim? Diſperſiſti, dediſti pauperibus, ſed pecuniam. Quid vero pecunia eſt ad illam quam pro ea commutaſti juſtitiam? *Juſtitia*, inquit, *ejus manet in ſæculum ſæculi.* Num ita & pecunia? Quæſtuoſum ſane honeſtumque commercium, illam quæ præterit, pro illa dare quæ permanet. Sic ſemper tibi negotiari detur, bone & omni laude proſequende Magiſter. Supereſt D ut laudabile principium condignum conſequatur finem, & cauda hoſtiæ [c] capiti conjungatur. Benedictionem tuam libenter accepimus, præſertim quod tanta tuæ hujus perfectionis fuerit cumulata jucunditate. Latorem epiſtolæ, etſi pro ſeipſo ſatis commendabilem, tamen etiam pro me veſtræ magnificentiæ eſſe cupio commendatum. Eſt ſiquidem mihi pro ſua honeſtate & religioſitate cariſſimus.

Ad HUGONEM [d] Rotomagenſem archiepiſcopum.

EPISTOLA XXV.

Hortatur Hugonem, ut apud ſuos Rotomagenſes patiens ſimul ac pacificus eſſe ſtudeat: zelum quoque diſcretione moderetur.

1. SI dici malitia invaleſcit, non prævaleat; ſi turbat, non perturbet. Mirabiles elationes maris, ſed mirabilior in altis Dominus. Benigne, ſi non diſſimulas, egit tecum uſque adhuc ſuperna miſeratio, Pater illuſtris. Provida namque diſpenſatione, non prius præfectus es malis, quàm ſociatus bonis, quo- A rum conſortio & exemplo bonus fieres, & ſic poſtmodum etiam inter malos vivere bonus poſſes. Et quidem inter bonos bonum eſſe, ſalutem habet; inter malos vero, & laudem. Illud tantæ facilitatis eſt, quantæ & ſecuritatis: hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Quale nempe eſt illud, tangere picem, & non inquinari ex ea; in igne ſine læſione verſari, & in tenebris abſque caligine? Palpabant quondam tenebras Ægyptii, cum tamen de populo Dei Scriptura dicat: *Ubicumque Iſraël erat, lux erat.* Erat David verus Iſraelita, & ideo caute dicebat ſe habitare non in Cedar, ſed *cum habitantibus Cedar*, tamquam qui ſemper habitaret in lumine, licet ipſi fuerit cum B habitantibus Cedar corporalis cohabitatio. Unde & arguit quoſdam non veros Iſraelitas, quod commixti inter gentes didicerint opera eorum, & factum ſit illis in ſcandalum.

2. Dico ergo: ſufficiebat tibi apud Cluniacenſes cuſtodire innocentiam, ſicut ſcriptum eſt, *Cum viro innocente innocens eris.* Porro apud Rotomagenſes * opus eſt patientia, quemadmodum docet Apoſtolus: *Servum Dei*, inquiens, *non oportet litigare, ſed magis patientem eſſe ad omnes*; nec ſolum patientem, qui nolit vinci à malo, ſed & pacificum, qui vincat in bono malum: alterum, ut malos portes; alterum, ut & quos ſuſtines, ſanes. In patientia tua poſſides animam C tuam: ſed ſis etiam pacificus, ut & commiſſas tibi poſſideas. Quæ tanta gloria quàm dicere poſſe: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Eſto ergo patiens, quia es cum malis: eſto pacificus, quia præes malis. Habeat caritas zelum, ſed adhibeat pro tempore modum ſeveritas. Cenſura quidem numquam remiſſa, intermiſſa tamen plerumque plus proficit. Vigor juſtitiæ ſemper fervidus, ſed numquam præceps. Sicut non omne quod libet, licet: ſic non omne quod licet, ſtatim etiam expedit. Hæc melius me ipſe noſti, ideoque ſuperſedeo. Orari pro me inſtanter poſtulo, quia inceſſanter pecco.

Ad GUIDONEM Lauſannenſem * epiſcopum.

EPISTOLA XXVI.

MAnum [e] veſtram miſiſtis ad fortia; opus eſt fortitudine. Speculator domui Iſraël factus eſtis; opus eſt prudentia. Sapientibus & inſipientibus debitor eſtis, opus eſt juſtitia. Poſtremo maxime temperantia opus eſt: ne qui aliis prædicat, ipſe (quod abſit) reprobus fiat.

Ad ARDUTIONEM † Gebennenſem * electum.

EPISTOLA XXVII.

E Monet, ut electionem ſuam divina gratia tribuat, eique ſedulo deinceps cooperari ſtudeat.

CRedimus electionem tuam eſſe à Deo, quam tanto cleri populique conſenſu fuiſſe celebratam accepimus. Gratulamur gratiæ ejus, ne dicam meritis tuis: quoniam ne tibi pluſquam oportet, blandiamur, non ex operibus juſtitiæ, quæ feciſti, ſed ſecundum ſuam miſericordiam hoc fecit tibi. Si ſecus tu (quod abſit) ſapis; erit exaltatio in ruinam. Si

Marginalia: Ps. 111. 9. — Circ. Ann. MCXXX. — Inter malos bonum eſſe ut ... laudabile. — Exod. 10. — Pſal. 119. 5. — Pſal. 105. 35. — Pſal. 17. 26. — * al. Rotomagum. — 2. Tim. 2. 24. — Luc 21. 19. — Pſal. 119. 7. — * al. Lauſanenſem. Lauſanne apud Helvetios. — Circ. Ann. MCXXX. — † al. Ardutio de Faucigny. * Geneve. — Circ. Ann. MCXXXV.

[a] Sic dictus, quòd *in cunctis hujus mundi ſapientium litteris luderet*, ſeu excelleret, ut hoc loco ſcribit Bernardus. Fuit ante pontificum dignitatem canonicus Autiſſiodorenſis, de quo Necrologium ejus eccleſiæ: *II. Id. Auguſti obiit venerabilis memoriæ magiſter Giſlebertus, veteris & novi Teſtamenti gloſſator eximius, hujus eccleſiæ canonicus, poſtmodum verò Londonienſis epiſcopus factus: qui præter cetera quæ eccleſiæ noſtræ ex Anglia tranſmiſerat ornamenta, octoginta duas libras eidem eccleſiæ contulit*, &c. Londonienſi eccleſiæ præfuit ab anno 1128. ad 1135.

[b] Avaritiam (ſic ſunt hominum judicia) id in Giſleberto imputavit Henricus Huntindonienſis in epiſtola de contemtu mundi, edita in Spicilegii tomo 8.

[c] Paræmia Bernardo familiaris ad ſignificandam perſeverantiam, ex Levitici 3. 7. Notæ fuſiores ad epiſtolam 78. Petrus Cellenſis in lib. 5 epiſtola 8 *Cave caudam, cùm tam omnis laus, quam omne vituperium in cauda, id eſt in fine terminatur.*

[d] De ejus electione, quæ anno 1130. facta eſt, extat Cleri Rotomagenſis epiſtola ad Honorium Papam II. in Spicilegii tomo 3. pag. 151. ubi hæc verba: *Elegimus electione communi fratrem noſtrum Hugonem, abbatem Radingenſem, nobis in Pontificem.* Fuerat is monachus primum Cluniaci, dein abbas primus Radingæ in Anglia, diœceſis Saleſberienſis. Unde in iiſdem litteris ſubditur: *Super hoc quæſivimus aſſenſum domini noſtri Henrici Regis Anglorum, & obtinuimus, ab epiſcopo quidem Saleſberienſi, ſub cujus manu abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum & abſolutum quæſivimus, & cum libertate ſuſcepimus*, &c. Ejus electionem ad annum 1130. refert Ordericus, in fine libri 12. his verbis. *Eodem anno Hugo Ambianenſis, monachus Cluniacenſis, abbas Radingenſis, factus eſt archiepiſcopus Rotomagenſis.* Quantum ſedulitatis Innocentio II. exhibuerit, docet idem auctor in lib. 13. pag. 900.

[e] Eadem verba leguntur in epiſtola tertia Nicolai Claravallenſis in perſona Bernardi ad Epiſcopum Lucanum, infra poſt epiſtolas Bernardinas.

autem cognoſcis gratiam, vide ne in vacuum acceperis. Bonas fac de cetero vias tuas, & ſtudia tua, & miniſterium ſanctum: ſi vitæ ſanctitas non præceſſit, ſequatur ſaltem. Tunc vere fatebimur te præventum in benedictionibus dulcedinis, tibi de bonis meliora ſperantes. Exultabimus & lætabimur, quod fidelis ſervus & prudens conſtitutus ſit ſuper familiam Domini: futurus ex hoc filius felix & potens, ſuper omnia bona Patris conſtituendus. Alioquin ſi altiorem quàm meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium exſpectamus. Optamus & oramus ne hoc contingat, parati, ſi opus eſt, obvias manus apponere; & pro noſtro exiguo poſſe, juvare ad id potius quod decet & expedit.

Ad EUMDEM jam epiſcopum.

Ann. CHR. MCXXXV.

EPISTOLA XXVIII.

Interim hortatur, ut dignitatem, quam ſine meritis præcedentibus obtinuit, ſaltem ſubſequentibus ornet.

1. PRæbet audaciam caritas, ut fiducialius loquar tibi. Cathedra, cariſſime, quam nuper ſortitus es, hominem multorum expetit meritorum: quæ in te aut nulla, aut non quantum ſatis eſt, præceſſiſſe dolemus. Siquidem & facta tua, & ſtudia tua præterita in nullo prorſus viſa ſunt epiſcopali convenire officio. Quid tamen? Non poteſt Deus de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ? non poteſt facere Deus, ut quem præire debuerant bona, vel ſubſequantur? quod utique & libentius accipimus, ſi contingat. Neſcio enim quo pacto plus placebit ſubita hæc mutatio dexteræ Excelſi, quam ſi vitæ prioris merita ſuffragarentur. Dicemus nempe, quia à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Sic Paulus ex perſecutore doctor gentium factus eſt; ſic Matthæus de telonio vocatus, ſic Ambroſius de palatio aſſumptus eſt; iſte ad epiſcopatum, ille ad apoſtolatum. Sic alios quam plures novimus de vita & habitu ſæculari utiliter extitiſſe promotos. Denique nonne multoties ubi ſuperabundaverunt delicta, videtur ſuperabundare & gratia?

Mutatio de malo in bonum jucunda.

2. Et tu igitur, cariſſime, his atque hujuſmodi animatus exemplis, præcinge ſicut vir lumbos tuos, bonas facito deinceps vias tuas, & ſtudia tua: quatenus noviſſima tua antiqua ſopiant, & delicta juventutis tuæ deleat veſpertina correctio. Paulum imitari curato in honorificando miniſterium tuum. Honorificabis autem gravitate morum, maturitate conſiliorum, actuum honeſtate. Hæc ſunt quæ officium epiſcopale maxime nobilitant & ornant. Omnia fac cum conſilio, nec tamen omnium aut quorumcumque, ſed tantum bonorum. Bonos in conſilio, bonos in obſequio, bonos habeas contubernales, qui vitæ & honeſtatis tuæ & cuſtodes ſint, & teſtes. In hoc enim te bonum probabis, ſi teſtimonium à bonis habueris. Sint pietati veſtræ commendati pauperes fratres noſtri, qui circa vos ſunt. Alpenſes, illi de Bono-monte *, & illi de Altacumba †. In his experiemur quanta vobis de nobis cura ſit.

Rom. 11. 13. Epiſcopalis officii ornamenta & familiares.

* Bonmont, Ord. Ciſt. diœc. Gebennenſ. fund. ann. 1131. † Haute-combe, ejuſd. Ord. in ead. diœc.

Ad STEPHANUM Metenſem epiſcopum.

Circ. ann. MCXXVI. a

EPISTOLA XXIX.

Congratulatur Stephano de pace eccleſiæ reddita, idque non niſi unius Dei beneficio tribuendum.

STEPHANO [a] Metenſis eccleſiæ Dei gratia ſtrenuo miniſtro; ejus in Chriſto humiles fratres de Clara-valle, ſalutem, & orationem.

EX quo dudum, ſi recolitis, noſtræ vos fraternitati dignanter ſociaſtis, noſtris vos orationibus humiliter commendaſtis; ſemper ſolliciti fuimus (ut debuimus) aliquid ſcire de eſſe veſtro, & eventus veſtros crebro ſciſcitari ſtuduimus à quibus potuimus, deſiderantes jugiter & orantes vos proſperari in Dei opere ad quod aſſumptus fueratis, & greſſus veſtros dirigi in ſemitam mandatorum ipſius. Benedictus itaque Deus, qui non amovit orationem noſtram, & miſericordiam ſuam à vobis; lætificans utique nos per hunc venerabilem fratrem Guillelmum: cujus profecto nos non minus verbis, quam noſtris credimus oculis de veſtra ſoſpitate & proſperitate ac pace per vos Eccleſiæ reddita. Congratulamur vobis: ſed damus gloriam Deo, ſcientes quod eſtis, & quod poteſtis, ipſius non veſtrum eſſe. Quod & vos ſemper ſentire in vobis amicabiliter admonemus: ne nihil & eſſe, & poſſe incipiatis ſiquid aliter ſapitis, & veſtris (quod abſit) meritis vel viribus quippiam horum adſcribitis. Alioquin verendum, ne convertatur pax veſtra in perturbationem, & proſperitas in adverſitatem, ſic nimirum illo juſte judicante, qui ut humilibus gratiam dare, ita & ſuperbis reſiſtere conſuevit: qui & non ſolum cum ſancto ſanctus, ſed & cum perverſo perverſus, in Pſalmo legitur; nec tantum faciens pacem, ſed & creans malum, per Prophetam deſcribitur.

Gratiam Dei ſubtrahi ingratis & de ſe præſumentibus.

Pſal. 17. 26.

Iſa. 45. 7.

Ad ALBERONEM primicerium [b] Metenſem *

b * V. Notas

Circ. ann. MCXXVI.

EPISTOLA XXX.

Negotium quoddam, quod Albero urgebat, ex Dei beneplacito perficiendum monet, non tam requirens datum, quàm fructum.

Honorabili viro ALBERONI, Dei gratia Metenſis eccleſiæ Primicerio, Fratres qui in Claravalle qualicumque obſequio ſerviunt Deo, ſalutem & orationem.

FIdelem curam veſtram in his quæ Dei ſunt, etſi jam olim & audieramus & videramus; ſed nunc in nobis ipſi experiendo perſenſimus. Ceterum cum in his quæ nuper a nobis miſſi fratres, veſtro quidem conſilio, ſuggeſſerunt Epiſcopo, & veſtram benevolentiam, & ipſius Epiſcopi promptum teneamus aſſenſum: quia tamen Dei quoque beneplacitum in omnibus, & his maxime quæ ad eum pertinent, ante omnia & ſuper omnia neceſſe eſt nos & inquirere, & cuſtodire; idcirco ad comprobandum certius quid ipſe de hac re potius velit, rem ſicut inter Epiſcopum monachoſque convenerat, veſtra utique induſtria mediante & ordinante qualiter fieri deberet, & hortante ut celeriter, & juvante ut honorabiliter fieret; non quidem omittendam, ſed uſque poſt meſſionem, tum pro veſtra, tum pro temporis opportunitate exſpectanda, neceſſario intermittendam eſſe putavimus. Jam vero tunc, ſi & Epiſcopi voluntas in eodem perſtiterit, & vobis nihilominus idipſum æque ut modo placuerit: tali conjectura Dei quoque eſſe conſilium ſecurius confidentes, ſperamus nos veſtræ utriuſque devotioni juxta quod diffinitum erat, ſatis eſſe facturos. Arbitramur enim acceptum eſſe Deo, ſi quantum in nobis eſt, nemini oneri eſſe ſtuduerimus: ne non tam fructum, quàm datum in hoc ejus negotio requirere (quod abſit) videamur; & præcipue veſtris nos majoribus atque inſtantioribus occupationibus ſub hujus rei occaſione importunius ingerere, & moleſtos, cum neceſſe non eſt, vobis exhibere; & hoc gratum non eſſe Deo, & noſtris ſcimus moribus non congruere.

a Hic anno 1120. ejecto Adalberone, ejus nominis quarto Metenſium Epiſcopo, ſubrogatus eſt, ut lego in brevibus Annalibus cœnob. S. Vincentii Metenſis ad cyclos Paſchales adjunctis, in quibus Stephanus anno 1163. obiiſſe memoratur, 3. Kal. Januarii. De ea graves Bernardi querelæ in ſolis 177 & 178. De pace, cujus hic mentio, lege hiſtoriam Laurentii de Leodio, Spicilegii tomo: 12. pag. 318. & 319.

b Quatuor hujus nominis invenio hac dignitate per ea tempora præditos: hæc epiſtola videtur directa ſecundo, qui poſtea archiepiſcopus Trevirenſis, Bernardi amicus, in cujus gratiam Bernardus ſcripſit epiſtolas 176. & ſeqq. Vide alias Notas.

Ad HUGONEM Comitem [a] Campaniæ, Militem Templi factum.

EPISTOLA XXXI.

Hugoni gratulatur ob ſusceptam militiam ſacram; & beneficiorum memoriam promittit.

SI cauſa Dei factus es ex Comite miles, & pauper ex divite; in hoc profecto tibi, ut juſtum eſt, gratulamur, & in te Deum glorificamus, ſcientes quia hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi. Ceterum quod tua jucunda præſentia nobis ita neſcio quo Dei eſt ſubtracta judicio, ut ne interdum quidem videre te valeamus, ſine quo numquam, ſi fieri poſſet, eſſe vellemus: æquanimiter, fateor, non portamus. Quid enim? Poſſumuſne oblivisci antiqui amoris, & beneficiorum quæ domui noſtræ tam largiter contuliſti? Utinam ipſe pro cujus amore feciſti, in æternum non obliviſcatur Deus. Nam nos, quantum in nobis eſt, minime prorſus ingrati, memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ mente retinemus, & ſi liceret, opere monſtraremus. O quàm libenti animo & corpori tuo pariter & animæ providiſſemus, ſi datum fuiſſet, ut ſimul fuiſſemus! Quod quia non eſt, reſtat ut quem præſentem habere non poſſumus, pro abſente ſemper oremus.

Ad ABBATEM [*] ſancti Nicaſii Remenſis †.

EPISTOLA XXXII.

Abbatem ob diſceſſum & tranſitum Drogonis monachi ad aliud monaſterium, conſolatur, & ad patientiam hortatur.

1. QUanto affectu tibi condoleam, ſcit ille qui noſtros omnium dolores in corpore ſuo tulit. Quam libenter tibi, ſi ſcirem, conſulerem; ſi poſſem, ſuccurrerem: tam efficaciter ipſe mihi qui omnia ſcit, & omnia poteſt, in cunctis meis neceſſitatibus conſulat & ſuccurrat. Si frater Drogo de ſua diſceſſione me conſuluiſſet, abſit ut conſentirem: ſi poſt diſceſſionem ad nos divertiſſet, abſit ut ſuſciperem. Denique, quod ſolum potui, ad Abbatem qui eum ſuſcepit, noſtras mox (ſicut ſcis) pro eo litteras [b] miſi. Et nunc ſuper hoc quid tibi ultra poſſum facere, Pater? Jam vero quantum ad te pertinet, optime mecum novit ſanctitas tua, perfectos ſolere viros non ſolum in ſpe, ſed & in tribulationibus gloriari, conſolante eos Scriptura, & ſic loquente: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio. Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* &. *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cælorum.* &. *Omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Nec idcirco tamen immerito his quos in anxietate poſitos videmus, amicis noſtris comparimur. quibus utique dum exitum ignoramus, defectum metuimus: quoniam quidem ſicut ſanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit: ſic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit.

2. Ne ergo hæc te tam horrenda (quod Deus avertat) demergat tempeſtas aquæ, ne hujus tam tremendæ abyſſi abſorbeat profundum, neve urgeat ſuper te tam inexplebilis puteus os ſuum: ſollicite ſtudeat humilis prudentia tua non vinci à malo, ſed vincere in bono malum. Vinces autem, ſpem tuam in Deo fortiter figendo, & rei finem longanimiter exſpectando. Et ſi quidem ille reſipuerit, ſive ob tui timorem, ſive ob ſuum laborem; bene: ſin autem, bonum eſt tibi humiliari ſub potenti manu Dei, & nequaquam velle reſiſtere ſupernæ diſpoſitioni: quia ſi ex Deo eſt, non poterit diſſolvi. Conandum eſt potius tibi, tuæ licet juſtæ indignationis ſtimulos illa reprimere ſententia, quam quidam Sanctorum in ſimili fertur cauſa protuliſſe. Siquidem inſtigantibus eum quibuſdam fratribus atque increpantibus, cur ſuum in ſui injuriam ab alia ſuſceptum eccleſia fugitivum non requireret? Nequaquam, inquit. Ubicumque enim eſt, ſi bonus eſt, meus eſt.

3. Fraudulenter tibi & non fideliter conſulo, ſi idipſum à meipſo non exigo. Nam cum unus noſter non ſolum religione profeſſus, ſed & carne propinquus [*], Cluniaci me invito & ſuſceptus ſit, & detineatur: doleo quidem, ſed ſileo, orans & pro illis ut velint ablatum reddere; & pro illo ut velit ſponte redire: ſin vero, ſervans ei vindictam qui facturus eſt judicium injuriam patientibus, & arguere habet in æquitate pro manſuetis terræ. Fratrem Hugonem de Lauſanna ore tuo, & noſtro ſpiritu commonemus non omni ſpiritui credere, & ne cito moveatur certa pro incertis deſerere, ſciens diabolum ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiari, quam ſolam virtutum novit coronari: tutiuſque eſſe in ea vocatione qua vocatus eſt, ſimpliciter perſeverare, quàm ſub ſpecie quaſi melioris boni, id quidem quod jam cœpit, dimittere, nec ad id quod præſumit, fortaſſis ſufficere.

Ad HUGONEM Pontiniacenſem [*] abbatem.

EPISTOLA XXXIII.

Planius mentem ſuam perſcribit de ſuſceptione Drogonis, & omnem à ſe ſiniſtram ſuſpicionem depellit.

Dilectiſſimo ſuo Domno HUGONI abbati, frater Bernardus de Clara-valle, idem quod ſibi.

1. IN noſtris prioribus litteris [*] aut ego, quantum ex veſtris perpenditur, minus aperte ſcripſi quod volui; aut vos aliter illas intellexiſtis quam debuiſtis. Siquidem quæ vobis de monachi illius ſuſceptione eventura denuntiavi, veraciter ita timui, & adhuc timeo, ut ſcripſi. Non tamen ad hoc illa vobis prædicere ſtudui, quo vel ſuaderem, vel conſulerem; vel certe ut ſcribitis, cenſerem illum debere reddi: quippe qui ipſius jamdudum ferventiſſimum deſiderium novi, & ei potius, quod nunc illud adimpleverit, debeo congratulari. Sed cum à familiariſſimo nobis Abbate ejus, & ab Archiepiſcopo Remenſi [*], noſtræ litteræ ad requirendum illum vehementer exigerentur; ut à me, ſi fieri poſſet, omnem depellerem ſuſpicionem, tales, prout ſcivi, dictare curavi, quibus & ipſis ſatisfacerem, & vos contra eorumdem imminentes calumnias, vobis illas non tacendo, præmunirem. Hæc me ita in illis litteris ſenſiſſe veſtram ſagacitatem vel ex eo advertere poſſe credidi, quod in fine illarum poſuiſſe me memini, ſi tamen eo à vobis oculo legeretur, quo à me ſcriptum fuit. Nam cum denuntiatis malis quæ non immerito vobis metuebam, tandem inferrem; Quod ſi hæc omnia pati melius ducitis, quàm illum amittere; mea nihil intereſt, vos videritis. Aut enim ipſa mea verba ſunt hæc, aut proprie ipſa. Cum itaque hoc in fine dixi, quid aliud vobis quàm illa ſuperiora diſpenſatorie (ut non dicam, ſimulatorie) à me ita ſcripta fuiſſe latenter intimavi?

2. Quod vero ſcripſiſtis, me per nuntium eidem monacho de quærenda, ſi ad nos divertiſſet, ipſius abſolutione privatim inſinuaſſe: veritatem teſtor, hoc verum non eſſe. Egone de notiſſimo mihi monaſterio vel jactarem, vel ſperarem monachum me poſſe ſuſcipere, quem nec vos quidem puto ſine grandi ſcandalo poſſe retinere? Sed eſto. Invidebam illum vobis, & mihi attrahere geſtiens, aliquid de ejus obtinenda abſolutione machinari me poſſe ſperabam ſive

Margin notes: Iſai. 1. 4. — 13. 20. — 14. 21. — 2. Tim. 3. 12. — Rom. 5. 4. — Tribulatio in bonis & in malis diſpar effectus. — Quomodo vincenda injuria. — [*] Robertus, ad quem epiſt. 1. — Æquanimitas Bern. in ſuſtinendis injuriis. — Conſilium de non mutando facile cœnobio. — [*] Pontigny, Ord. Ciſt. in diœc. Autiſſiod. fundat. 1114. — Circ. Ann. MCXX. — [*] exciderunt hæ litteræ. — [*] n. Radulfo Viridi. — Iniquam ſuſpicionem diluit.

a Theobaldi tertii filium: qui Hugo alius cenſendus eſt ab Hugone militiæ Templi Magiſtro, ad quem Bernardi liber de laude novæ militiæ tomo 4. Adi fuſiores Notas.

b Priores iſtæ litteræ exciderunt, ut patet ex epiſtola ſequente, in qua earum quædam verba referuntur.

fingebam. Sed numquid credendum fuit, me hoc A meum conſilium ipſi nuntio, quod utique contra ſuum monaſterium excogitaveram, voluiſſe pateface-re? Sed jam, ne quod de noſtra erga vos dilectione hucuſque credidiſtis, falſo vos credidiſſe inveniatis; pro veſtra (ut video) cauſa, non ſaltem æque ut pro mea, immo multo amplius laborandum eſt mihi, & hoc non quomodo hucuſque ſolebam, ut videlicet noſtra unanimitas fortius ſolidetur, ſed ne penitus diſſolvatur. Quid dicam vobis? Ego certe nec vobis, nec de vobis tale aliquid credere poſſem, quale vos ſola de me ſuſpicione divinaſtis. De cetero noverit veſtra benignitas, Comitem Theobaldum * noſtras pro Humberto litteras jam recepiſſe, ſed necdum ſuo mi- B hi reſcripto quicquam reſpondiſſe. Quid ſuper hoc vobis agendum ſit, ipſa vos melius pietas docebit, ſi pie hominis injuſte exulantis miſeriam penſare non negligitis.

* Theobaldus Comes Campaniæ, v. inf. Epiſt. 37. & ſeqq.

Ad Drogonem [a] monachum.

EPISTOLA XXXIV.

Circ. ann. MCXXX.

Congratulatur Drogoni, quod ad ſtrictiorem obſervantiam tranſierit: hortaturque ad perſeverantiam.

1. Quàm non immeritò tui jamdudum non mediocri fueram affectus amore, nunc apparet, C dilectiſſime Drogo. Et ante quidem totum pulcrum, totum erat amabile quod cernebaris: ſed ego neſcio quid aliud de te ſupra id quod videbam aut audiebam ex te, excellentiori dignum veneratione præſenſeram. Numquid forte cæleſtis Sponſi, cujus nunc arctius caſtis te amplexibus impreſſiſti, jam tunc vocem audieras dicentis ad pudiciſſimam turturem ſuam animam tuam: *Tota pulcra es amica mea, tota pulcra, abſque eo quod intrinſecus latet?* (Cant. 4. 7.) Quid feciſti? Quis hoc crederet? Sanctum te ac religioſiſſimum tota civitas perſonabat, ita ut nihil tibi addi poſſe crederetur ex omnibus bonis: & tu velut e ſæcularibus unus, monaſterium tamquam ſæculum deſerens, jam attritum Chriſti ſarcina collum novæ rurſum obſervantiis diſ- D ciplinæ ſubmittere non erubeſcis? In te nunc, frater, veram probamus illam eſſe ſententiam, qua dicitur: *Cum conſummaverit fuerit homo, tunc incipit.* (Eccl. 18. 6.) Indicium ergo tuæ conſummationis eſt quod nunc cœpiſti; & in quo arbitrabaris te non comprehendiſſe, jam comprehenderas. Nemo quippe perfectus, qui perfectior eſſe non appetit; & in eo quiſque perfectiorem ſe probat, quo * ad majorem tendit perfectionem.

* al. quod

2. Sed ecce, cariſſime, is cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, arcum ſuum tetendit, & paravit illum: & quia pulſus de corde tuo intus poteſtatem amiſit, foris ſæviet quantum poterit. Et ut apertius loquar, neſcis quia Phariſæi ſcandalizati E ſunt in hoc verbo quod feciſti? Sed memento non omnium ſcandalum magnopere eſſe curandum, juxta reſponſionem Domini dicentis: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum.* (Matth. 15. 14.) * Melius eſt enim, ut ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Memento, qui natus fuerit in ruinam & reſurrectionem multorum (Luc. 2. 34.); & non mireris, ſi tu quoque aliis quidem ſis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Si maledictiones intentaverint, ſi anathematum intorſerint ſpicula, audi Iſaac pro te reſpondentem: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* (Geneſ. 27. 29.) Sed & tu muro inexpugnabili conſcientiæ tuæ circummunitus, de intus reſponde, & dic: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum; ſi exſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* (Pſal. 26. 3.) Non enim confunderis cum ſic loqueris inimicis tuis in porta. Confido autem in Domino, quod ſi ad primos ictus fortiter ſteteris, & nec minis eorum ceſſeris nec blandimentis, cito conteres ſatanam ſub pedibus tuis: & tunc videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

* Greg. Hom. 7. in Ezech.

Ad Magiſtrum Hugonem Farſitum [b].

EPISTOLA XXXV.

Ann. CHR. MCXXVIII.

Humberti cujuſdam cauſam ei commendat, monetque ut in ſententia quadam erronea corrigi non erubeſcat.

Cariſſimo fratri & Coabbati ſuo Hugoni, frater Bernardus debitum ſinceriſſimæ dilectionis affectum.

Humbertum iſtum, injuſte (ut aiunt) exheredatum, cujus nos pro Dei amore apud veſtrum Comitem cauſam tueri ſuſcepimus, de veſtra confidentes caritate veſtro patrocinio committimus, per C vos (ut fideliter ſperamus) terræ Principi, cæli Domino cooperante, reconciliandum, patriæ, uxori, filiis, rebus & amicis ſuis reſtituendum. Hoc autem ſatagendo, & egenum de manu peccatoris liberabitis, & oppreſſoris ipſius nihilominus ſaluti conſuletis: nobis quoque vos non mediocriter officioſum exhibebitis; ſed & officium implendo pacificorum, vobis inter filios Dei ſedem in excelſo collocabitis. De cetero, epiſtolam illam, quam ad me jam olim ſcribere ſanctitas veſtra dignata eſt, non me (ſicut vos audiſſe audivi) incendio tradidiſſe, ſed penes me adhuc ſervare noveritis. Quid enim hoc livoris, immo furoris fuiſſet, opus utile & laudabile, ubi nihil niſi quod ſanæ Fidei, quod doctrinæ ſaluberrimæ, quod ædificatio- D nis ſpiritualis eſt deprehendi, temerario damnare judicio? excepto, quia inter amicos contra veritatem nulla debet eſſe meticuloſa, cum ſit periculoſa, palpatio, quod hoc me, fateor, movit & movet, quod illam inter nos jam ante habitam de Sacramentis [c] collationem, in principio prædicti opuſculi defendere & adſtruere conati eſtis. In qua utique collatione, ſi veſtræ ſummam ſententiæ bene meminiſtis, an ſenſui conveniat * eccleſiaſtico, vos videritis. Veſtræ autem ingenuæ humilitatis eſt non erubeſcere corrigi, ſi quid aliquando aliter ſapuiſtis. Valete.

* al. congruat.

Ad Eundem.

EPISTOLA XXXVI.

Ann. CHR. MCXXVIII.

Reſpondet litteris Hugonis, ſuadetque ut ab impugnanda Epiſcopi jam defuncti ſententia deſiſtat.

Dilectiſſimo ſuo, & olim, & modo, Dei gratiâ ſancto abbati Hugoni, frater Bernardus de Claravalle irreverberatum ſinceræ dilectionis affectum.

Ad litteras veſtræ dignationis, licet quidem breviores quàm cupierim, longiores tamen quàm meruerim, reſcribere largius & debui, & volui: ſed

a In Colbertino 1410. & in Compendienſi, ad Hugo-Dogonem, tametſi in contextu epiſtolæ legatur Drogo. Nomen eſt compoſitum ex vocabulo Hugonis abbatis Pontiniacenſis, cui acceptiſſimus erat Drogo.

b Plures invenio per id tempus Hugones Farſitos. Duos monachos; alterum Latiniacenſem, laudatum in lib. 6. de Re diplomatica pag. 585. alterum S. Luciani apud Bellovacos, de quo Necrologium VI. Kal. Aprilis: *Obiit Hugo Farſitus monachus noſter.* An qui in hiſtoria Louveti pag. 555 Tertium lego Hugonem Farſitum, Canonicum regularem, S. Johannis de Vineis, laudatum in Necrologio eccleſiæ Sueſſionenſis. Quartum ſuggerit Farſitum Abælardus in ſermone de S. Johanne Baptiſta pag. 967. ubi *Norbertum cum coapoſtolo ſuo Farſito* memorat, forſan Hugonem Præmonſtrati abbatem, Ordiniſque præpoſitum poſt Norbertum, cujus primus ac præcipuus diſcipulus fuit, ad quem epiſtola 253. Exiſtimo eum, cui directa eſt præſens epiſtola, eſſe illum ad quem Hugo Metellus per id tempus canonicus regularis apud Tullum Leucorum, epiſtolam 34. mſ. inſcripſit *Hugoni Carnotenſi Magiſtro venerabili.* Farſitus quippe, de quo hic Bernardus, Abbas erat intra ditionem Theobaldi Comitis Campaniæ, Bleſenſis & Carnotenſis, ut in aliis Notis. An Hugo iſte in regimen abbatiæ ſancti Johannis apud Carnutes ſucceſſit Stephano, qui anno 1128. electus Patriarcha Jeroſolymitanus, ad quem epiſtola 82.

c Conjiciebam eumdem eſſe Hugonem Farſitum, cujus ſententiam impugnat Bernardus in epiſtola 77. quæ inter Tractatus relata eſt, ad Hugonem Victorinum; quod tamen nolim aſſerere.

feſtinans

feſtinans nuntius non permiſit. Ne tamen vacuus omnino recederet, pro tantis, quarum me debitorem agnoſco, has tantillas, quas & vix exſpectavit, velociſſime reddidi. Ubi primùm breviter ac veraciter inſinuo, antiquum noſtrum & dilectorem, & dilectum, totis me caritatis viſceribus & ſuſpicere ut catholicum, & * ſuſcipere ut ſanctum, & amplecti ut cariſſimum. Siquidem de integritate fidei, credo veſtræ confeſſioni; famæ & opinioni, de ſanctitate; de affectu, quem erga vos me habere proteſtatus ſum, propriæ conſcientiæ. Nam quod illius ſententiæ, quæ meæ ſimplicitati merito, ut mihi videbatur, ſcrupulum movebat, oblitum vos eſſe fatemini, tam libenter accipio, quam lætus compendioſam puriſſimæ B veritatis aſſertionem in litteris veſtris noviſſimis lego: ita ut me potius ſenſa veſtra non intellexiſſe, quàm vos quippiam mali ſenſiſſe pæne crediderim. Deinde modeſtiæ veſtræ fraterna præſumptione conſulo, quatenus Epiſcopum [a] ſanctum & doctum, quem quiete vivere permiſiſtis, mortuum inquietare deſinatis: ne dum non valentem pro ſe reſpondere reprehenditis, magis hoc ex caritatis inopia, quàm veritatis fiducia deſcendere, totam pro eo reſpondentem Eccleſiam audiatis. Pro Humberto, ſicut rogavi vos, iterum rogo; ut veſtrum ei, cum poteritis, nec conſilium deſit, nec patrocinium. Valete.

* al. venerari.

Ad THEOBALDUM Comitem Campaniæ. *

* Nov. al.

EPISTOLA XXXVII.

An. CHR. MCXXVIII.

Miratur ſe in cauſa Humberti juſta & æqua petentem pati repulſam: monet [...] intuitu ſupremi Judicis miſero non neg[...]em & miſericordiam.

Laudabili Principi THEOBALDO, Bernardus eorum qui in Clara-valle ſunt, ſervorum Dei inutilis ſervus, ſoſpitatem & pacem.

1. QUod de noſtra infirmitate vos audivi fuiſſe ſollicitum, non mediocriter gratum habeo. In hoc quippe dum veſtram erga me agnoſco dignationem, D Deum quoque vos diligere non dubito. Quando enim tantillum tantus vel noſſe dignaremini, niſi propter Deum? Cum ergo conſtet quod diligitis Deum, & me propter ipſum; miror quomodo ad unam Dei fiducia præſumptam petitiunculam, nec injuſtam, ut puto, nec irrationabilem, à vobis tamen repulſus ſum. Si aurum, ſi argentum, vel quodcumque hujuſmodi quæſiſſem; vere (prout de vobis confido) ſine dubio accepiſſem. * Sed quid dico, quæſiſſem? Nam etiam non quærens, jam plurima veſtræ largitatis beneficia ſuſcepi. Hoc autem unum, quod non mei, ſed Dei cauſa, nec tam mihi, quàm vobis à vobis poſtulavi, [b] quid cauſæ exſtitit, quod accipere non merui? E Quid enim? Ergone judicatis indignum vel mihi ad petendum, vel vobis ad præbendum, ut homini Chriſtiano, quantolibet apud vos crimine accuſato, poſtquam ſe purgavit, faciatis miſericordiam? Aut certe, ſi non creditis quod plene ſe purgaverit, quia hoc in curia veſtra non fecit; ejuſdem rurſus vos in veſtri præſentiâ recipiatis ſatisfactionem, & ſic conſequatur indulgentiam.

* in mſs. d. Gem.

Zelus Bernardi pro miſero.

2. An ignoratis quis minetur, *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo?* Quod ſi juſtitias, quanto magis injurias? Annon timetis quod rurſum ſcriptum eſt, *Qua in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis?* F An neſcitis quia quàm facile vos Humbertum, tam facile, immo incomparabiliter facilius Deus Theobaldum (quod abſit) exheredare poſſit? Et quidem in talibus, ubi culpa tam aperta atque inexcuſabilis eſſe videtur: quatenus nulla niſi cum juſtitiæ periculo miſericordiæ occaſio relinquatur, etiam tunc tremens & dolens vindicem vos exhibere debetis, A magis videlicet officii compulſus neceſſitate, quàm vindicandi libidine. Ubi autem objectum crimen, aut minus certum eſſe cognoſcitur, aut excuſandum ſuſcipitur; hoc non ſolum non renuere, ſed & libentiſſime debetis amplecti, lætus nimirum quod ſalva juſtitia, pietas veſtra locum invenerit. Ecce hoc ſecundo veſtræ ſupplico eximietati, ut ſicut Deum vobis vultis miſereri, ita vos Humberto miſereamini; ſive illa vobis promiſſione Dominica blandiente, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* ſive illa vos comminatione terrente, *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Valete.

Pſal. 74. 3.

Matth. 7. 2.

Vide indelebus conſilii.

Matt. 5. 7.

Jacob. 2. 13.

B Ad EUNDEM, unde ſupra.

EPISTOLA XXXVIII.

An. CHR. MCXXVIII.

Pio Principi THEOBALDO, Bernardus abbas de Clara-valle, ſalutem & orationes.

1. VAlde timeo ne occupatiſſimis auribus veſtris, crebris interpellationibus meis præſumptuoſius me ingerendo moleſtus fiam. Sed quid faciam? Si vos offendere timeo, ſæpius ad vos ſcriptitando; quanto magis Deum, cui utique magis timoris debeo, timendum eſt mihi, ne offendam non interpellando pro miſero? Alias autem indulgeat mihi beni-C gnitas veſtra, quia non poſſum non miſereri illius miſeri, pro quo jam en & alia vice importunus forſitan precator acceſſi, Humberti videlicet mendici & pauperis, & hoc facti de divite, quod eſt infelicius. Non poſſum non compati viduæ & orphanis, ſed vivo orbatis patre, quod eſt miſerabilius. Gratias ago vobis pro gratia, quam de hac re in oculis veſtris invenire merui, & quod ipſius Humberti pro ſe dignanter acquieviſtis veram ſuſcipere defenſionem, & quod falſam adverſus ipſum juſtiſſime repuliſtis accuſationem. Illud autem quod ad conſummandum pietatis opus, reddendam uxori & liberis ejus ſuam hereditatem benigniſſime diſpoſueratis; ſatis mirari non poſſum D quid impedierit, ut tam pium verbum veſtrum necdum factum conſecutum ſit.

2. Et quidem in aliis Principibus ſi quando verbum levitatis, aut etiam falſitatis deprehendimus, nec novum, nec mirum reputamus. At vero apud Comitem Theobaldum EST & NON nequaquam omnino patienter audimus: cui, ut dicitur, ſimpliciter dicere, jurare eſt; & leve mendacium, grave perjurium imputatur. Inter plurima quippe virtutum inſignia, quæ veſtram plurimum nobilitant dignitatem, & veſtrum per orbem clarum reddunt & celebre nomen, præcipue laudatur in vobis veritatis conſtantia. Quis ergo ſuo vel hortatu, vel conſilio tantum robur firmiſſimi pe-E ctoris veſtri enervare tentavit? Quis, inquam, veritatis in vobis tam ſanctum, tam eximium, tam omnibus imitabile Principibus propoſitum evellere ſua fraude conatus eſt? Fallaciter, non veraciter vos diligit, fraudulenter & non fideliter vobis conſulit, qui tam glorioſam de veritate famam veſtram obnubilare ſua cupiditate contendit: dum verbum quod os veſtrum locutum eſt, & verbum Deo placitum, vobis dignum, pie juſtum, ac juſte pium, evacuare, neſcio qua malitia, nocendo pauperi ſatagit. Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut eamdem vos conſe-F quamini, cavete ne ſuperbiat impius, unde incenditur pauper: & hoc potius agite, quatenus promiſſionis veſtræ veritas compleatur: qua primum quidem domino * Norberto, deinde etiam nobis pollicitus eſtis, reſtituturum vos Humberti hereditatem ejus & uxori, & filiis. Valete.

Theobaldi laus a veracitate.

* al. Domno.
* epiſt. 50.

a Fallor ſi non is eſt Guillelmus de Campellis, epiſcopus Catalaunenſis, Bernardo cariſſimus, ex dictis ad epiſtolam 3. cujus Guillelmi varia Theologiæ opuſcula in codice Cheminionenſi diœceſis Catalaunenſis memorantur in libro dicto *Panchryſo*, in quo multa eorum fragmenta referuntur.

b Hinc patet non eſſe hanc primam pro Humberto epiſtolam, ſed priorem eſſe tempore epiſtolam 39. ex qua diſcimus Humberti patriam & ſupplicia genus.

A

Ad Eundem.

Ann. Chr. MCXXVII.

EPISTOLA XXXIX.

Diverſorum cauſas Theobaldo commendat. Denique ut erga Epiſcopos, Concilii cauſa in ejus civitate conſtitutos, honorifice & reverenter ſe gerat, hortatur.

1. CUm multa mihi veſtræ erga me dignationis indicia præbeatis, hoc me maxime toto vobis affectu dilectionis adſtringit; quod cum ſciam me veſtram jam pro multis auſum fuiſſe interpellare dignitatem, in nullo tamen repulſum me memini. Hinc non immerito factus fidentior, rurſus pro Canonicis de Larzicurte [a] non dubius precator accedo. Non quidem pro ipſorum jure nunc precor, in tantum quippe de veſtra juſtitia & legalitate confidens, ut nec hoſti veſtro in veſtra curia placitanti * de ſuo jure timendum eſſe exiſtimem: ſed hoc eſt quod pro ipſis & cum ipſis omni, qua poſſum, abſens ſupplicatione depoſco, & quod eis omnino eſſe cognovi neceſſarium, ut videlicet ad veſtræ Serenitatis vultum, ſolito illis clementiorem atque promptiorem indulgeatis acceſſum, quatenus vicini eorum religioni debitam diſcant exhibere reverentiam, cum vos eis benevolum eſſe cognoverint: & ſi quis forte militum ſeu miniſtrorum veſtrorum res illorum injuſte contingere, aut quietem, quam in Deo habere debent, infeſtare in aliquo tentaverit; pro certo ſe ſciat veſtram ſibi ob hanc rem gratiam graviſſime redditurum infenſam.

* id eſt, litiganti, unde Gallice plaider.

2. Item aliud eſt quod ſupplex exoro. Nuper forte per Barrum tranſeunti occurrit mihi mulier ſatis miſeranda, (anima quippe ejus in amaritudine erat) & mea ſuper ſuis doloribus commovit viſcera, ſatiſque egit ſuis precibus ac lacrymis, quatenus pro ipſa apud vos intercedere deberem. Ipſa eſt uxor Belini illius hominis veſtri, in quem dudum juxta malum quod ipſe commiſerat, multa & gravia reddidiſtis. Facite cum ea miſericordiam, ut & vos apud Deum eam inveniatis.

Duelli pœna.

3. Et quia ſemel cœpi, loquar adhuc cum domino meo. In manu Barrenſis Præpoſiti dudum facto duello, qui victus [b] fuit, ſtatim ex veſtra juſſione oculos * amiſit. Inſuper quoque, quaſi parva hæc mala eſſent, quod & victus, & oculis orbatus fuerat, res ei omnes ſuæ à miniſtris veſtris, ſicut ipſe conqueritur, ablatæ ſunt. Juſtum eſt, ſi vobis placet, ut ei veſtra pietate reſtituatur, unde miſera ejus vita poſſit utcumque ſuſtentari. Sed & filiis ejus innocentibus patris iniquitas non debet imputari: quo minus paterna, ſi qua ſunt, hereditent ædificia.

* V. Notas.

Concilium Trecenſe.

4. In fine volumus vos ſanctos Epiſcopos, qui pro his quæ ad Deum pertinent, in veſtra civitate convenerunt, omni habere acceptione dignos. Sed & ipſi Legato, qui vos veſtramque civitatem tanti celebratione Concilii [c] voluit honorare, per omnia, quantum in vobis eſt, devotus & obediens aſſiſtatis; roborare & confirmare bona quæque ab eo juſſa & inſtituta, curetis. Noſtrum quoque ac veſtrum pariter epiſcopum, id eſt Lingonenſem, abundantiori, ut decet, honore ſuſcipiatis; & de caſamento [d] quod tenetis, hominium * quod debetis, reverenter ei & humiliter offeratis. Valete.

* al. homagium.

Ad Eundem.

Circ. ann. MCXXVII.

EPISTOLA XL.

Pauperem religioſum Theobaldo commendat.

DUo vobis commendamus in homine iſto quem videtis, paupertatem & religionem, ut ſi uni non compatimini, alterum in eo revereamini: quo nullatenus id ei negare poſſitis, propter quod vos cum tanto labore de longe requirere curavit. Itaque etſi non propter ipſum, certe propter vos ei ſuccurrite: quia quantum vos illi ſua paupertas, tantum, immo amplius, vobis illum neceſſarium facit ſua æque religioſitas. Denique de multis quos eadem de cauſa jam ad vos miſimus, nullum fuiſſe recolimus, de quo magis Deo placere ſciamus, quàm ſi huic benefeceritis. Valete.

Ad Eundem.

Circ. ann. MCXXVII.

EPISTOLA XLI.

Senem religioſum commendat.

TImeo vos gravari in tam crebris ſcriptitationibus noſtris. Sed in hanc importunitatem urget me Chriſti caritas, & amicorum neceſſitas. Hunc itaque & ſenem, ut videtis, & de domo, ut nos ſcimus, religioſa ad vos miſſum non remitti vacuum ſupplicamus: & inſuper ut veſtris litteris ad avunculum [e] veſtrum Regem iturum munire dignemini, rogamus. Vellem omnes ſervos Dei, ſi fieri poſſet, veſtros fieri debitores, qui pro mammona iniquitatis quandoque vos reciperent in æterna tabernacula. Valete.

Ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum.

EPISTOLA XLII.

Hæc epiſtola potius juſti tractatus nomen & locum merebatur: itaque e ſede ſua ſubmotam ad Tomum IV. inter TRACTATUS *remiſimus.*

Ad Eundem Henricum

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA XLIII.

Scribit pro libertate eccleſiæ Moliſmenſis.

PRioris precis noſtræ benigna ſuſceptio præbet ampliora ſperandi fiduciam. Præmiſſa itaque devotiſſimarum gratiarum actione pro experta benevolentia, iterum audeo petere quod iterandis gratiis ſecundò me faciat debitorem: quatenus videlicet Moliſmenſi eccleſiæ [f] ipſam eccleſiam, pro qua ſe veſtram ſerenitatem quoquo modo obnubilaſſe dolebat, eadem libertate tenere concedatis, qua prædeceſſorum veſtrorum temporibus eam certum eſt tenuiſſe. Valete.

Ad Eundem, unde ſupra.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA XLIV.

VIderis certe quantum præſumam de veſtra benevolentia: ut nec crebra impetratio preces finiat, & toties exauditus, rurſum accedere precator importunus non verear. Magna quidem præſumptio; ſed non meretur indignationem, quoniam de caritate, non de temeritate deſcendit. Meminit (niſi fallor)

a Canonici de Larzicurte regulares Ord S Auguſtini, diœceſis Catalaunenſis in decanatu Partenſi, ubi modo Prioratus poſſidetur à Patribus Soc. Jeſu.

b Nempe Humbertus, pro quo prima hæc epiſtola ſcripta eſt ante epiſtolam 37.

c Trecenſis ineunte anno 1128 celebrati, de quo in Notis fuſioribus ad epiſtolam 21. ad Matthæum Legatum, cujus hic mentio.

d Caſamentum, feudum quod à caſa dominica pendet.

e Henricum I. ſcilicet Anglorum regem, qui Theobaldi avunculus erat, teſte Ernaldo in lib. 2. de vita Bernardi ſub finem, & Roberto de Monte ad annum 1151. nimirum quod Theobaldus matrem habuerit Adelam, Guillelmi Conquæſtoris filiam, Henrici ſororem.

f Monaſterium Ord S. Bened. diœceſis Lingonenſis, vulgo *Moleſme*, auctorem habuit Robertum Abbatem, qui primus itidem Ciſtercii Abbas. Unde Moliſmenſium cauſam ſæpe agit Bernardus in epiſtolis 44. & 60. V. Epiſtolam 80. Petrus Cellenſis in lib. 7. epiſtola 14. ad Moliſmenſes. *Gallina illa Moliſmenſis, plena plumis, & bene pennata, quot & quales de utero ſuo fœtus produxit, dum ex ſe Collegium Ciſtercienſe originario germine pullulavit!* Hic agitur de eccleſia Senoina, de *Senan*, ut in epiſt. ſeq. quæ hactenus Prioratus diœceſis Senonenſis in decanatu Curtiniacenſi.

veſtra paternitas, quod dudum Trecis querelas uni- A verſas, quas pro eccleſia Senoina * adverſus Moliſmenſes monachos ante habueratis, pro amore Dei & noſtro penitus omiſiſtis. Et ecce iidem monachi conqueruntur, quod neſcio quas novas, & (ut ipſi aiunt) indebitas vobis conſuetudines in prædicta eccleſia vindiceris. Obſecro ergo & ipſas dimitti, confidens me, ne hac quidem vice paſſurum repulſam: ut qui jam de majoribus meruí non repelli, in obtinendis minoribus non confundar. Valete. B

a de Sanct.

Hoc mſ. codices repetunt epiſtolam XV.

Ad Ludovicum regem Francorum. *

a Cognomento Craſſum

EPISTOLA XLV.

Ann. CHR. MCXXVII.

Ciſtercienſes Ludovicum regem, Pariſienſi Epiſcopo infenſum ac imperioſum, graviter ac libere redarguunt, cauſam illius apud Pontificem Romanum aſturi, ſi Rex à male cœptis non deſtiterit.

Eximio Regi Francorum Ludovico, Stephanus Abbas Ciſtercienſis, totuſque conventus Abbatum & fratrum Ciſtercienſium, ſalutem, ſoſpitatem, & pacem in Chriſto Jeſu.

1. Rex cæli & terræ regnum vobis in terra donavit, donaturus & in cælo, ſi id quod accepiſtis, juſte & ſapienter adminiſtrare ſtudueritis. Hoc eſt quod vobis optamus, & pro vobis oramus: ut & hic fideliter, & illic feliciter regnetis. Ceterum vos quonam conſilio eaſdem noſtris pro vobis orationibus (quas, ſi recolitis, olim tam humiliter requiſiſtis) modo tam acriter repugnatis? Qua enim jam fiducia manus pro vobis levare præſumimus ad Sponſum Eccleſiæ, quam ita, & ſine cauſa (ut putamus) auſu inconſulto contriſtatis? Gravem ſiquidem adverſum vos apud eumdem Sponſum & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attenditis jam cui ex hoc infenſum vos redditis? Non utique Epiſcopo ª Pariſienſi, ſed Domino paradiſi; & quidem *terribili, & ei*
Pſal 75 12. *qui aufert ſpiritum principum.* Ipſe quippe eſt qui ad
Luc 10 16. Epiſcopos dicit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

2. Hæc ita vobis & pro vobis audacter quidem, ſed amanter intimare curavimus: monentes & rogantes per illam invicem amicitiam noſtram & fraternitatem, cui vos ſatis dignanter ſociaſtis, ſed nunc ipſam graviter læſiſtis, quatenus à tanto malo citius deſiſtatis. Alioquin ſi non meremur exaudiri, ſed contemnimur, & nos fratres, & amici veſtri, & qui quotidie oramus pro vobis & filiis veſtris & regno; ex hoc jam noveritis parvitatem noſtram, in quibus valuerit, non poſſe deeſſe Eccleſiæ Dei, & miniſtro ejus, venerabili videlicet Patri & amico noſtro Epiſcopo Pariſienſi: qui noſtram adverſus vos humilitatem interpellans, noſtras pro ſe ad dominum Papam jure fraternitatis ᵇ litteras requiſivit. Verum nos juſtum ducentes his prius litteris veſtram excellentiam convenire, præſertim quia idem Epiſcopus per manum omnium Religioſorum ſe ad juſtitiam offert, ſi tamen prius (quod quidem eadem ipſa juſtitia videtur exigere) res ei ſuæ injuſte ablatæ reſtituantur: ejus interim petitioni differendo ſuperſedimus. Et ſiquidem Deo inſpirante placuerit vobis noſtris precibus aurem inclinare, noſtro conſilio ſtudioque pacem cum Epiſcopo, immo cum Deo reformare; parati ſumus hujus rei gratia fatigari uſque ad vos, quocumque vobis placuerit: ſin autem, nos amicum audire, & Dei ſacerdoti obedire neceſſe eſt. Valete.

A Ad dominum Papam Honorium II. unde ſupra.

EPISTOLA XLVI.

Ann. CHR. MCXXVII.

Conqueruntur apud Pontificem, quod relaxatione interdicti ſubreptione obtenta, Rex Gallus jam pridem pronus ad pacem, factus ſit obſtinatior.

Summo Pontifici Honorio, pauperum Chriſti Abbates, Hugo de Pontiniaco, & Bernardus de Claravalle, quicquid poteſt peccatorum oratio.

B

Lacrymabilem Epiſcoporum, immo totius Eccleſiæ querimoniam, nos quoque ejus filii, ſi tamen digni, diſſimulare non poſſumus. Quæ vidimus loquimur. Magna ſiquidem nos neceſſitas de clauſtris ad publicum traxit: ubi & quod loquimur vidimus. Triſtes vidimus, triſtes & loquimur: honorem Eccleſiæ, Honorii tempore non minime læſum. Jam Regis flexerat iram humilitas, vel potius conſtantia Epiſcoporum: cum ecce à Summo Pontifice ſumma ſuperveniens auctoritas, heu! dejecit conſtantiam, ſuperbiam ᶜ ſtatuit. Scimus quidem id à vobis per mendacium fuiſſe ſubreptum, (quod ex veſtris litteris palam C datur adverti) ut everti tam juſtum tamque neceſſarium interdictum juberetis. Sed numquid non vel tandem deprehenſo mendacio, mentitam ſe ſentiet iniquitas ſibi, & non tantæ utique majeſtati? Eſt autem quod miramur, quanam ratione judicatum ſit de parte, adjudicatum abſenti. Quod quidem non temeraria præſumptione reprehendimus, ſed filiali amore paterno cordi ſuggerimus, quantum ex hoc & ſuperbit impius, & incenditur pauper. Ceterum quamdiu illum pati, quantumve huic compati debeatis; non eſt noſtrum præſcribere vobis: vos veſtra hinc potius, dulciſſime Pater, viſcera conſulite. Valete.

D Ad Eumdem ex perſona Gaufridi Carnotenſis epiſcopi.

EPISTOLA XLVII.

Ann. CHR. MCXXVII.

Exponit Pontifici cauſam Epiſcopi Pariſienſis à Rege Ludovico inique oppreſſi, qui interdicto ab epiſcopis Gallicanis compulſus reſtitutionem promiſerat, ſed abſolutione ab Honorio obtenta contumacior factus non præſtitit.

Triſtiſſimæ hiſtoriæ ſeriem vobis & cauſam replicare ſuperfluum eſt; qua jam quippe Paternitatis veſtræ viſcera, ſcribente religioſo Pariſienſi E Epiſcopo, commota eſſe non ambigo. Ne tamen fratri & coëpiſcopo etiam noſtrum deeſſet teſtimonium; quæ vidi ego & audivi, neceſſarium duxi breviter intimare. Accepta ſiquidem tam modeſta prædicti epiſcopi querimonia, Senonenſis diœceſis univerſi epiſcopi una cum venerabili Metropolitano noſtro; adſcitis etiam nobiſcum quibuſdam aliis religioſis perſonis. Regem ſuper gravi injuria per noſipſos humiliter, ut debuimus, convenimus: ut epiſcopo, nil quidem tale merito, ſua quæ tulerat, reſtitueret, rogavimus; nec impetravimus. Sentiens tandem nos ad arma Eccleſiæ pro eccleſia velle confugere, ti- F muit, annuitque ſeſe omnia redditurum. Sed in eadem forte hora ſupervenientibus litteris veſtris, quibus ejus terram ab interdicto abſolvi præcepiſtis, male in malo confortatus, quod bene promiſerat, minime exſecutus eſt. Die tamen nominata, qua id ſe rurſum promiſit exſecuturum, ejus nos conſpectui præſentantes, ſuſtinuimus pacem, & non venit: quæſivimus bona, & ecce turbatio. Hoc denique litte-

a Stephano, qui ab anno 1124 ad 1144. Pariſienſem eccleſiam rexit, alius a Stephano de Garlanda Dapifero. Cauſa hujus infeſtationis ſeceſſus Stephani à curia, eccleſiæ libertas: ex aliis Notis Hesdem forsan, eaſdem fere ob cauſas, contigit Henrico Senonenſi ex epiſtola 49. His litteris non flexus eſt Regis animus, cujus filium Philippum, jam regem deſignatum, ob id morte à Deo multatum ferunt. Mirum eſt eo mortuo Proceres & Epiſcopos de impedienda Ludovici Junioris ſucceſſione cogitaſſe, teſte Orderico in lib 13 pag. 895. & ſeqq

b Fratres quippe cenſebantur qui in ſocietatem ſuffragiorum admiſſi erant. Ita Caſæ-Dei monachi Ludovicum Juniorem *fratrem* vocant in epiſtola 308. inter Cheſnianas tomo 4.

c Relaxando ſcilicet interdictum, quod a comprovincialibus Epiſcopis *in terram* Regis illatum fuerat ob infeſtationem Epiſcopi Pariſienſis, ex epiſtola ſequente.

ris veſtris factum eſt, ut male ablata pejus teneantur, & reliqua paſſim in dies rapiantur, eo utique ſecure, quo impune illa retinentur. Soluto nempe ad veſtrum imperium epiſcopi juſtn (ut putamus) interdicto, noſtroque (quod parabamus & quo ſperabamus pacem conſequi) veſtro æque timore ſuſpenſo, facti interim ſumus opprobrium vicinis noſtris. quouſque? veſtræ viderit pietatis compaſſio.

Ad HAIMERICUM cancellarium, unde ſupra, & contra obtrectatores.

Circ. ann. MCXXX.

EPISTOLA XLVIII.

Bernardus querelas in ſe factas diluit, & ſolitudinis ſilentiique facultatem precatur.

Viro illuſtri HAIMERICO, ſanctæ Romanæ Sedis cancellario, frater Bernardus abbas dictus Claræ-vallis, ſalutem & non in via.

1. ETiamne pauperi & inopi veritas odium parit, & ne ipſa quidem miſeria declinare invidiam poteſt? Querar, an glorier, quod factus ſum & ipſe inimicus vera dicens? Vera dicens, an recta agens? Sed hoc viderint Fratres veſtri *, qui contra legem maledicunt ſurdo, & maledictum propheticum non verentes, *dicunt bonum malum, & malum bonum.* Quid in me, ô boni viri, diſplicuit fraternitati [a] veſtræ? Utrumne quod apud Catalaunum amotus [b] eſt à villicatione ſibi credita homo uſquequaque diffamatus, quia in eccleſia Virdunenſi, cui præfuerat, diſſipaſſet bona domini ſui? An quod in urbe Cameracenſi monaſterii ſui manifeſtus deſtructor Fulbertus cedere compulſus eſt [c] Parvino, qui omnium teſtimonio fidelis eſt ſervus & prudens? An certe quod Lauduni [d] de proſtibulo Veneris ſuum Deo ſanctuarium reſtitutum eſt? Propter quod horum me, non dico, lapidatis, ſed laceratis, ut minus aliquid recipiam à domino meo? Et hoc merito atque cum omni gloria reſponderem, ſi quid in eis meum cognoſcerem. Nunc autem ut quid judicnr ego de factis alienis? aut ſi meis, cur tamquam de malis? cum cuncta hæc juſte atque præclare geſta fuiſſe nulla imprudentia dubitare, nulla negare impudentia poſſit. Eligite nunc utrumlibet: aut negate certe, aut fatemini me horum auctorem. Si feci; laude dignum eſt laudabilia peregiſſe, & inique redarguor, unde laudari merueram. Si non feci; ut laudem non merui, ſic profecto nec vituperationem. Novum genus detractionis, & re vera ſimile aliquid habens operi Balaam, qui ductus & cnnductus ad maledicendum populo, magis benedictionibus cumulabat. Quid juſtius, quid jucundius, quàm ut quem reprehendere intendis, plus cnmmendes; ut præconiis pro conviciis utaris neſcius; & volens detrahere, laudes invitus? Quaſi vero nulla mea mala inveniant, nt pro malis mihi bona objiciant, vel potins adjiciant aliena.

* al. noſtri. Levit. 19. 14.
Iſa. 5. 20.
Num. 24. 1

2. At ego nec indignis vituperationibus mnveor, nec indebitas recipio laudes: nil mea refert de his, quorum auctnr non exſtiti. Laudent ſi volunt, vel vituperent, ſi audent; de primo quidem dominum Albanenſem *, de ſecundo vero dominum Remenſem; porro de tertin eumdem æque Archiepiſcopum ſimul & epiſcopum Laudunenſem, cum Rege pariter & A multis aliis reverendis perſnnis, qui ſe utique auctores in his & principes exſtitiſſe minime diffitentur. Si bene egerunt, quid ad me? ſi aliter, quid æque ad me? An tota & ſola culpa mea eſt quod affui, homo ſolis latebris dignus; ſoli mihi judex, ſoli accuſator & arbiter conſtitutus, quatenus monſtret actio quod habet profeſſio, & nomen monachi ſolitaria mihi converſatio interpretetur? Affui enim, negare non poſſum: ſed vocatus, ſed tractus. Si hoc amicis diſplicuit, fateor & mihi. Utinam non iſſem ad illa, utinam non irem ad ſimilia. Utinam & nuper non iſſem, ubi vidiſſem adverſum Eccleſiam apoſtolica (prô dolor) auctoritate * violentam armari tyrannidem, quaſi non ſatis per ſe inſaniſſet. Tum demum B ſenſi juxta Prophetam adhæreſcere linguam meam palato meo: cum ſubito pondus ſuperjectum eſt noſtris cervicibus, atque irrefragabilis auctoritas litterarum. Heu obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt, quando vidi repente ad illas litteras impleri facies innocentium ignominia, & lætari amplius impios quod malefecerint, & exultare in rebus peſſimis. Miſertum eſt impio, ut juxta dictum propheticum, non diſceret facere juſtitiam: & qui in terra ſanctorum iniqua geſſit, ipſius terra juſtiſſimo quo tenebatur, abſoluta eſt interdicto.

* V. Notas.
Invitus prodit foras ad negotia.
* Vide ſup. epiſt. 44. & 45.
Pſal. 136. 6.
Pſal. 38 5.
Iſa. 26 10.

3. Propter hujuſmodi, etſi aliud non ſit, gravor interesse C cauſis: quarum præſertim mea non intereſſe cognoſco. Gravor, ſed trahor. At vero ab hac neceſſitate per quem melius retrahi poſſe ſperaverim, quam per vos, vir optime? cui in hac re, nec poteſtas deeſt, nec voluntas, ut comperi. Gaudeo nempe, quod & veſtræ prudentiæ noſtram in talibus occupationem diſplicere cognovi. Et quidem juſtiſſime, & amiciſſime. Age ergo ſi ita vultis, immo quia ſic cernitis ac decernitis, & amico expedire, & monacho convenire: date quæſo operam, quatenus una utriuſque voluntas citius impleatur, quo & vobis videlicet ſatisfiat ad juſtitiam, & mihi ad ſalutem animæ conſulatur. Indicatur, ſi placet, clamoſis & importunis ranis de D cavernis non egredi, ſed ſuis contentas eſſe paludibus. Non audiantur in conciliis, in palatiis non inveniantur: ad cauſas, ad negotia nulla neceſſitas, nulla trahere poſſit auctoritas. Sic forſitan veſter poſſet amicus declinare præſumptionis notam. Nam noxam unde contrahere potuerim, ignoro: cum ſciam mihi conſilium eſſe & propoſitum, numquam (ſi cauſa dumtaxat noſtri Ordinis non fuerit) exire de monaſterio, niſi aut apoſtolicæ Sedis Legato, aut certe proprio vocante epiſcopo: quibus noſtræ humilitati, ſicut optime noſtis, contradicere omnino fas non eſt, niſi ex quocumque ſuperioris auctoritatis privilegio. Quod utique ſi umquam per manum E veſtram, ut ſpero, mihi in manus venerit, tunc proculdubio & pax mihi, & pax erit de me. Non tamen idcirco etiam me latente & tacente ceſſare puto murmur eccleſiarum, ſi non ceſſet Romana curia pro voluntate aſſiſtentium facere præjudicium in abſentes. Valete.

a Ita conſtanter omnes ſcripti, aut fere omnes, & recte. nam Cardinales olim abſolute dicebantur *Fratres*. in lib. 2. de vita S. Bernardi num. 42. & in Chronico Andrenſi tom. 9. Spicilegii pag. 481 Petrus abbas *tam dominum Papam, quàm Fratres ex more viſitaſſe* perhibetur. & initio hujus epiſtolæ *Fratres veſtri*, mendoſe quibuſdam *noſtri*. & apud VVillelmum Tyrenſem in lib. 13. cap 23. *Fratres vero tam epiſcopi, quàm presbyteri & diaconi Cardinales* &c. Confer librum de Converſione ad Clericos tomo 4.

b Henricus ſcilicet, ad quem epiſtolæ 62. 63. de cujus depoſitione agitur apud Laurentium de Leodio in Hiſtoria Virdunenſi tomo 12 Spicilegii pag. 321. ubi ejus cauſa ab Honorio commiſſa dicitur Matthæo Albanenſi epiſcopo & in Galliis Legato, qui Catalaunum hac de re Synodum indixit. *Henricus primo caput conſilium a Bernardo piæ memoriæ abbate Claravallenſi, cujus conſiliis regna & eccleſiæ Galliarum hodieque*, ait Laurentius, *muniuntur. Ille conſulit graviſſimum eſſe invitis violenter præeſſe. ideoque priuſquam ignominioſa in eum accuſatio ad publicam tantorum virorum audientiam veniat, ſolus omnibus cedat, epiſcopatui abrenuntiet. Credidit ſe conſilio ejus ille, baculum reddidit, & abrenuntiavit epiſcopatui, ac receſſit anno XIII. ex qua ſuſceperat eum de manu Cæſaris*, nempe anno 1129. ex Notis fuſioribus ad epiſtolam 13.

c Parvinus ex monacho S. Vincentii Laudunenſis factus eſt abbas S. Sepulcri apud Cameracum, expulſo Fulberto. Notæ fuſiores.

d Nempe in monaſterio S. Johannis Baptiſtæ, ex quo ejectæ monachæ ſolutiores, ſubſtituti anno 1128. monachi, quibus præfectus Drogo abbas ex monacho S. Nicaſii Remenſis, ſupra in Notis fuſioribus ad epiſtolam 34. & ad iſtam.

Ad dominum Papam Honorium, pro Henrico Senonenſi archiepiſcopo.

An. Chr. MCXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Summo Pontifici Honorio, ſervi, & (ſi digni judicamur) filii, Stephanus Ciſtercienſis, Hugo Pontiniacenſis, B. de Clara-valle, quod reverendiſſimo Domino, quod benigniſſimo Patri.

DEgentes in monaſteriis, ad quæ nos noſtra peccata compulerunt, non ceſſamus orare pro vobis, & pro commiſſa vobis Dei Eccleſia: congaudentes & ſponſæ Domini ſuper tam fido cuſtode, & ſponſi amico ſuper labore tam fructuoſo. Fidenter proinde atque fideliter veſtræ paternitati ſuggerimus, quæ in regno noſtro eidem matri noſtræ dolentes cernimus adverſari. Quantum quidem nos ſentimus qui vicini ſumus, Rex Ludovicus non tam Epiſcopos, quam in Epiſcopis juſtitiæ perſequitur zelum, pietatis cultum, habitumque ipſum religionis. Quod veſtræ quoque prudentia ſanctitatis vel ex eo facile advertere poteſt, quod qui ante in habitu actuque ſæculari honorati ſunt ſublimes, judicati fideles, habiti familiares; modo inimici facti ſunt, digne ſuo ſacerdotio converſantes, & per omnia honorificantes miniſterium ſuum. Hinc gravibus contumeliis & injuriis Epiſcopi Pariſienſis innocentia pulſata eſt, ſed non quaſſata; quia Dominus ſuppoſuit manum ſuam, cum veſtram oppoſuit. Hinc & nunc domini hujus Senonenſis conſtantiam concutere & labefactare conatur: ut Metropolitano (quod abſit) dejecto, facile, prout voluerit, graſſetur in Suffraganeos. Poſtremo quis ambigit non aliud eum quam oppugnare religionem, quam nimirum aperte ſui regni deſtructionem, ſuæ coronæ pronuntiat inimicam? Et alter Herodes [a] Chriſtum non jam in cunabulis habet ſuſpectum, ſed in eccleſiis invidet exaltatum. Nec aliud ſane credimus eum habere adverſus Archiepiſcopum, niſi quod ſpiritum in ipſo, ſicut in ceteris, laborat exſtinguere. Denique ſi fallere de his quæ atteſtamur, fallive putamur; veſtræ citius inveniet examinationis diſcuſſio: ſi tamen (quod & vehementer optamus, & ſuppliciter oramus) de vultu tuo, Pater ſanctiſſime, judicium prodeat, de quo profecto confidimus, quod cuſtodias innocentiam, & videas æquitatem. Alioquin reduci cauſam in Regis præſentia atque potentia, non plane eſt aliud quam tradi (heu!) hominem in animam inimicorum ejus.

Regis ſubreptus & moliminis expone Pontifici.

Ad Eumdem, unde ſupra.

An. Chr. MCXXVIII.

EPISTOLA L.

Poſtulat ut Archiepiſcopo liceat ad Sedem apoſtolicam appellare.

OPortebat quidem, ſi ita veſtræ viſum fuiſſet auctoritati, ut in veſtri præſentia cauſa domini Senonenſis diſcuteretur; ne infenſius videlicet Regi, in Regis præſentia & potentia ſuis pro ſe adverſariis reſponſurus, traditus homo videretur in animam inimicorum ejus. Sed quoniam, ut tenendum irrefragabiliter quicquid præcipitis, ſic ſperandum indubitanter bonum de omni re quam decernitis: id ſolum à veſtra, Pater, pietate depoſcit omnium, qui apud nos eſſe videntur, Religioſorum humilitas, ut ſi ſe ad vultum forte potentis (ut aſſolet) ſenſerit prægravari, confugere ſibi liceat ad viſcera Patris, quod utique hactenus oppreſſo nemini negatum audivimus. Alioquin videat Joſeph vir juſtus, quid ſibi etiam nunc faciendum ſit de puero & matre ejus, quia ecce etiam nunc in Senonenſi provincia Chriſtus quæritur ad perdendum. Nam, ut quod verum eſt, manifeſtius proferamus, Rex in Archiepiſcopo ex eo aperte novam perſequi religionem dignoſcitur, quod eum in antiqua ſæculari converſatione & habitu, ſicut promoveri omnimode [*] voluit, ſic ab omni penitus ſecurum infeſtatione dimiſit.

Sedes Petri perregrinum oppreſſis.

[*] al. commode

Ad Haimericum cancellarium, unde ſupra.

An. Chr. MCXXVIII.

EPISTOLA LI.

Viro illuſtri Haimerico, ſanctæ Romanæ Sedis cancellario, B. Abbas dictus de Clara-valle ſalutem, & ſi quid valet peccatoris oratio.

QUouſque durat illa ſententia: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur?* Quouſque relinquitur virga peccatorum ſuper ſortem juſtorum? Quis det ut ſtare incipiant juſti [*] adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt? Quis jam ferat tantam inter cælum terramque diſcordiam, ut exultantibus Angelis ſuper emendatione malorum, filii Adam fremant & tabeſcant? Quaſi non ſit paſſus Jeſus pacificans in ſanguine ſuo quæ in terra ſunt, & quæ in cælo; aut in ipſo Deus non fuerit mundum reconcilians ſibi. Laudabatur quondam Archiepiſcopus in deſideriis animæ ſuæ, & in ſæculari vita & habitu benedicebatur. At nunc ſub pannis infantiæ Jeſu quæritur ſimonia, & inter naſcentes virtutes emortuorum vel cadavera vitiorum ſcrutatur curioſa malitia. Videtis & nunc ſtare Jeſum in ſignum cui contradicitur. Per ipſum vos obſecro, pro ipſo ſupplico vobis. Habet ſiquidem & unde illum revereamini, & unde illi miſereamini. State pro ipſo nunc in defenſione Archiepiſcopi, cui quandoque & vos adſtare habetis in examinatione veſtri. Valete.

2. Tim. 3. 12.

[*] Add. al in magna conſtantia, ſed deeſt mſſ.

Ad Eumdem.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA LII.

Epiſcopum Carnotenſem non affectaſſe profectionem Jeroſolymitanam. Cauſis & negotiis publicis abſolvi ſe rogat.

AMicus veſter & noſter dominus Carnotenſis Epiſcopus [*] voluit vobis etiam per me certum fieri, quia id quod de ipſo à quibuſdam domino Papæ perſuaſum fuiſſe cognovimus, ut eum videlicet Jeroſolymam permitteret proficiſci, nec ſui fuerit ſtudii, nec voluntatis. Quod etſi multum voluiſſet, proficiſci tamen non poterat niſi cum gravi ſcandalo omnium qui apud nos ſunt bonorum, metuentium quippe ne plus mali ejus abſentia faceret ſuis, quàm boni alienis præſentia. Hæc pro Epiſcopo. Ceterum ut & pro me aliquid loquar ſecundum quod Scriptura admonet, *Miſerere*, inquiens, *animæ tuæ placens Deo*; placetne vobis ut cauſis onerer, occuperque negotiis, nihilque proſit exoccupari propriis, cum totus implicer alienis? Si inveni gratiam in oculis veſtris, date operam ut prorſus amovear ab hujuſmodi, quatenus liceat mihi pro meis atque veſtris orare delictis. Et quidem nihil mihi ſecurius judico, quàm obedire domini Papæ voluntati; ſed ſi dignetur attendere ipſe quid poſſim. Utinam nempe noverit quàm iſta non poſſim, aut quàm difficile poſſim. Et de hoc ſatis dictum ſit ſapienti. Quæſivit à me præfatus Epiſcopus aliqua ex noſtris Opuſculis, quæ vobis mitteret; ſed non fuit ad manum, quod veſtro dignum crederem ſtudio. Libellum tamen DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO nuper edidi: illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognovero. Valete.

[*] Gaufridus, infra epiſt. 55.

Eccli. 30. 24.

Negotiis abſolvi poſtulat.

Liber Bern. de Gratia & Lib. arbitrio.

[a] Hæc non abſolute dicta in Regem, quem alioqui minime malum fuiſſe conſtat, ſed quod in eis *juſtitiæ zelum* perſequi videretur, primigeniis converſionis motus in Senonenſi & Pariſienſi antiſtitibus, quaſi in ipſis novæ vitæ cunabulis, extinguere volendo. Ceterum quàm pie vitæ ſupremos dies exegerit Ludovicus, docent Notæ fuſiores in epiſtolam 45. quicquid pinguedinem ipſi objiciat Henricus Huntindonienſis, Spicilegii tomo 8.

Ad Eumdem.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA LIII.

Duos religioſos, & in his ſeipſum Haimerico repræſentat.

PRo multis & per multos memini me ſcripſiſſe ad vos; ſed nunc ipſe qui loquebar, ecce adſum. Tres in duobus conſpicitis, quoniam abſque me eſſe non poſſunt, in quorum jugiter pectoribus requieſco, & quidem ſecurius atque ſuavius quàm in proprio. Mentiri videor, ſed ei qui amicitiæ vim numquam ſenſit, qui virtutem caritatis ignorat, 'qui non credit multitudinis credentium fuiſſe cor unum, & animam unam. Qui ergo videt eos, videt & me, etſi non in meo corpore: & quod loquuntur ipſi, ego pariter loquor, ſed eorum linguis. Corpore, fateor, abſum: ſed hæc eſt exigua portio mei. Porrò qui vidit faciem meam tantum, ſine culpa & ſine nota mendacii aſſerit ſe vidiſſe non partem mei, ſed me: cum tamen non niſi partem, & partem modicam viderit. Quanto itaque verius eſſe me dixerim, etiam ſine præſentia corporis, ubi meam ſentio voluntatem, meum ſpiritum & amorem, quæ utique eſt pars potior digniorque mei? Tribus ergo in corporibus unum nos eſſe noveritis, non pari ſanctitate, qua ambobus ego inferior ſum, ſed eadem voluntate, & ſumma concordia animorum. Cur enim unitatem hanc inter diverſos non faciat compago caritatis in uno ſpiritu, ſi carnalis copula efficit, ut ſint duo in carne una? Quartum vos addi velim, ſi dignum judicatis & in eamdem concurrere unitatem dilectionis. Quod facile, ſi non contemnitis, obtinebitis: tantum id vos nequaquam contemnere eis cognitum faciatis. Valete.

Act. 4. 32. Amicus alter ego.

Ad Eumdem.

Circ. ann. MCXXXVI.

EPISTOLA LIV.

Vivianum abbatem commendat, monetque de cura animæ ſerio gerenda.

VOlo & precor ut harum lator venerabilis Altæcumbæ a abbas Vivianus, mihi ob ſuam religioſitatem admodum familiaris amicus, amicum vos pro Dei amore & noſtro, in ſuo negotio experiatur. Et hæc pro illo, reliqua autem vobis. *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Nec totus mundus ſufficeret. Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt. Gravis animæ caſus, quæ non niſi Chriſti cruce potuit reparari. Si rurſum corruerit peccato dumtaxat ad mortem, unde jam reparabitur? Numquid aut alter Chriſtus, aut idem iterum crucifigi habet pro illa? Super hoc vellem vos numquam oblivisci illud Sapientis conſilium: *Fili, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Matt. 16. 26. Monitum ſalubre. Eccl. 7. 4.

Ad Gaufridum Carnotenſem * epiſcopum.

* Chartres.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA LV.

Monachum quemdam recluſum deſertorem inſtituti, ſed jam reſipiſcentem, a Gaufrido ſuſcipi & juvari poſtulat.

Fideliſſimo ac prudentiſſimo ſervo Dei Gaufrido b Carnotenſi epiſcopo, B. pauperum Chriſti de Claravalle ſervus, claritate perfundi montium æternorum.

QUantum vobis honoris veſtra laudabilis vita, tantum affert & oneris laudans fama. Ecce enim is per quem & pro quo præſentes litteras accipitis, exemplo ceterorum, quos ſæpe tales non paucos experimini, motus & ipſe bono odore veſtri, quem de longe ſenſit, tam communem cum fiducia pietatem requirit, ſpe utique ductus inveniendi non ſolum conſilium quid agere debeat, ſed & auxilium quo perficere valeat. Eſt autem hæc cauſa ejus. Quadam ſe cella pro amore Dei ex propoſito incluſerat. Egreſſionis atque tranſgreſſionis c ſuæ vobis ipſe cauſas exponet. Et quidem ad propoſitum redire cupit: ſed per vos implere propoſuit, ſi tamen noſtris hoc precibus, quibus ſe præmunire curavit, obtinere potuerit. Facite ergo morem veſtrum: ferte opem miſero; immo quia vos ſapientibus & inſipientibus debitorem agnoſcitis, erroneam Chriſti oviculam de faucibus lupi feſtinate eripere; & ad paſtum reducendo priorem, juxta aliquod ovilium veſtrorum quacumque in cellula jubete recludi. niſi forte aliud quid ei magis expedire perſpexeritis, & licere judicaveritis, & perſuadere potueritis.

Ad Eumdem.

EPISTOLA LVI.

De peregrinatione Jeroſolymitana Norberti ſe incertum eſſe. Sententiæ ejuſdem de Antichriſto ſe non aſſentiri. Cauſam quoque Humberti commendat.

QUod à me de domino Norberto ſciſcitamini, ſi videlicet iturus ſit Jeroſolymam, ego neſcio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cæleſti fiſtula d, ore videlicet ipſius, plurima haurire meruerim; hoc tamen ab ipſo non audivi. Verum de Antichriſto * cum inquirerem quid ſentiret, durante adhuc ea, quæ nunc eſt, generatione revelandum illum eſſe ſe certiſſime ſcire proteſtatus eſt. At eum eamdem certitudinem unde haberet, ſciſcitanti mihi exponere vellet; audito quod reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi prius videat generalem in Eccleſia perſecutionem. De cetero memorari veſtram pietatem volo illius pauperis & exſulis Humberti * nomine: qui dudum, cum Trecis eſſetis, vobis ſupplicabat, quatenus ad Comitem Theobaldum, qui eum exheredaverat, intercederetis. Quod & ego nunc pro ipſo, & eum ipſo itidem à veſtra flagito pietate. Nam noſtras litteras de hac re precatorias jam ad prædictum Principem miſi: ſed gratiam non inveniens nihil effeci. Jam quod libenter auditis, libenter debeo dicere vobis. Stephanus veſter ſic currit, non quaſi in incertum: ſic pugnat, non quaſi aerem verberans. Orate, quatenus ſic currat ut comprehendat; ſic pugnet ut vincat.

Ad Eumdem.

EPISTOLA LVII.

Per minora vota non debere impediri majora bona. Videtur hoc, niſi fallor, ſcribere in cauſa Monachi, de quo ſupra epiſt. 55.

SIcut is à veſtra mihi parte reportavit, idcirco ipſius deſiderio & petitioni uſque adhuc ſatisfacere diſtuliſtis; quia primum votum, pergendi videlicet Jeroſolymam, irritum vobis feciſſe videtur. Super quo ſi noſtram requiritis ſententiam, ego non arbitror minora vota impedire debere majora: nec Deum exigere quodcumque ſibi promiſſum bonum, ſi pro eo melius aliquid fuerit perſolutum. Enimvero alicui for-

a Altæcumba, *Hautecombe*, in Alpibus, cujus abbas primus Vivianus, Ord. Ciſtercienſis, condita eſt anno 1135. Vivianus anno 1139 abbatia cedens, Amedeo locum fecit.

b Gaufridus epiſcopus Carnotenſis, vir piiſſimus, apoſtolicæ Sedis legatus, Bernardi ſingularis amicus, de quo in ſuſioribus Notis.

c Incluſis quippe ſollemni more non licebat egredi è cella, teſte Grimlaico in Regula ſolitariorum.

d Illuſtre Norberti elogium à tanto viro: ſed non minus inſignis rerum divinarum diſcretio in Bernardo, qui non facile quibuſvis piis illuſtrationibus fidem accommodabat. ex epiſtola 174. num. 6. Norbertus jam ſupra laudatus in epiſtola 38. auctor Præmonſtratenſis Ordinis, qui *per viginti annos in abbatias pene LXX adolevit* teſte Laurentio Leodienſi in Spicilegii tomo 12. pag. 315. Vide epiſt. 253.

A ce debenti vobis duodecim nummos, numquid ſi pro eis die conſtituto marcam ſolveret argenti, juſte iraſceremini. Jam ſi & ab hujus epiſcopo aliquid timetis, ſecurum vos reddo, quia non ſolum ei, ſi quod huic auxilium impenderitis, non diſplicebit, ſed etiam valde gratum habebit. Valete.

Ad Ebalum Catalaunenſem [a] epiſcopum.

Circa ann. MCXXVI.

EPISTOLA LVIII.

Hortatur Ebalum, ut monaſterio ſeu eccleſiæ Omnium Sanctorum virum idoneum præfici curet.

Domino Ebalo venerabili ſanctæ Catalaunenſis B eccleſiæ Dei gratia epiſcopo, Frater B. Abbas de Clara-valle, ſi quid poteſt peccatoris oratio.

1. NAviculæ illius (de eccleſia loquor Omnium [b] Sanctorum, quæ ſub oculis veſtris gubernatore deſtituta fluctuat) non eſt bonum vobis negligere vel diſſimulare periculum. Res quippe veſtræ curæ eſt. Unde miror, qua ratione, quave ſecuritate à clerico illo, qui à religioſis perſonis vir (ut aiunt) religioſus eidem eccleſiæ electus eſt, requirendo deſtitutis, etiamſi hoc quorumdam, qui in ipſa eccleſia ſunt, incuria vel deſidia non mereatur: qui, ut audivimus, illum qui electus eſt nolentes, nec aliud niſi quod religioſus eſt *, afferentes, de eligendo alio veſtram C quoque auſi ſunt compellare gravitatem: quaſi qui videatur eſſe communior & affabilior, qui non ſit extraneus: ſed civibus tam gratus quàm cognitus, morum patriæ gnarus, rebus eccleſiæ tractandis idoneus: revera (ut ad iſtos cautiſſimos conſiliatores me vertam) qui vitia veſtra non redarguat, qui miſeræ converſationi veſtræ, aut conſentiat, aut contradicere non audeat. Non ſunt audiendi: ſed potius, velint nolint, omnimodo ſatagendum eſt vobis, ut is qui boni teſtimonii eſt, eccleſiæ deſolatæ quantocius perquiratur: quoniam ſi talis eſt qualis prædicatur, Deus proculdubio cum ipſo erit, qui ſuam ei gratiam miniſtrabit, placentem omnibus, efficacem in omnibus. D

* al. [illegible]

2. Quod ſi hunc, iſtis fortaſſe non merentibus, nullo modo haberi poſſe contigerit; alius de alia qualicumque domo religioſa qui videatur idoneus, provideatur: non qualem iſti volunt, qui niſi quod ſuæ carnalitati blanditur, volunt: ſed qui ſic ſciat negotia diſponere rerum exteriorum, ut norit per omnia præponere curam animarum. Certe duobus [c] monaſteriis, ſancti videlicet Petri, & ſancti Urbani, paſtorali aliquando ſolatio ſimiliter deſtitutis, bonæ memoriæ prædeceſſor veſter domnus Guillelmus non longi itineris laborem, non hiemis reputans aſperitatem, bis (niſi fallor) Cluniacum, ſemel Divionem per ſeipſum adiit: hincque virum bonum domnum Hugonem, qui poſt defunctus eſt; illinc virum venerabilem, qui adhuc ſupereſt, domnum Radulfum vix E multis precibus impetratos abducens, ſingulum ſingulo præpoſuit monaſterio, tutum videlicet non arbitrans cuiquam monachorum domeſticorum illam committere curam. Quod ideo vobis in exemplum A adduxi, ut veſtram caritatem commonefaciam, qualiter & in hoc quod nunc in manibus eſt, oporteat eam eſſe non minus cautam, quam ſollicitam.

Ad Guilencum Lingonenſem [*] epiſcopum. * Langres.

Ann. Chr. MCXXIX.

EPISTOLA LIX.

Hortatur, ut res quaſdam eccleſiæ S. Stephani Divionenſis, per obitum Garnerii vacantes, ad tollendam ſcandalis & calumniis anſam, eidem eccleſiæ cedat.

Domino ſuo & Patri Guilenco [d], Dei gratia Lingonenſi epiſcopo, frater Bernardus Claræ-vallis B Abbas ſeipſum.

AUdito obitu domini Garnerii [e] archidiaconi, neceſſarium duximus veſtram paternitatem precibus prævenire, immo præmunire conſilio, ſi tamen dignum putatis monitis noſtræ acquieſcere parvitatis: quatenus videlicet de rebus ſancti Stephani Divionenſis, quas tenebat, placeat liberalitati veſtræ miſericordiam ſuperexaltare judicio. Siquidem non ignoramus, quod in manum veſtram debeant redire, juxta quod in Capitulo Lingonenſi diſpoſitum, & ſcripto firmatum fuiſſe etiam nos meminimus, quando filius veſter Harbertus in eccleſia illa primus Abbas regularis conſtitutus eſt. Sed quia Canonicis gravis ſcandali, & C Abbati magni improperii occaſionem fore cognovimus, ſi ad ea quæ diu tenuit illa eccleſia, quacumque occaſione manum veſtram extenderitis; conquerentibus quippe illis de illo, quaſi qui malum principium dederit adveniens, cum ejus cauſa & ad ejus introitum tam grande eccleſia damnum incurrerit: pietati veſtræ ſupplicamus, & ſupplicando conſulimus, ut & tot puſillis Chriſti à tanto ſcandalo parcatis, & hunc vicarium Chriſti à tanto improperio ſimul liberare curetis, concedendo eccleſiæ [f] utique, quod hactenus juris eccleſiæ fuiſſe cognoſcitur.

Ad Eumdem.

Circ. Ann. MCXXVIII.

EPISTOLA LX. D

Supplicat pro eccleſia Moliſmenſi.

PRo eccleſia Moliſmenſi ſupplex, non, ut arbitror, importunus interventor, accedo. Multa quippe ſunt quæ me confortant, ut repulſam non metuat hæc noſtra petitio. Primum quia non pro qualibet extranea, ſed pro veſtra vobis eccleſia ſupplicamus. Deinde quod eamdem eccleſiam non alienum uſurpare, ſed ſuum jus tantum à veſtra æquitate requirere credimus. Tertio quod idipſum talis nobiſcum poſtulat, qui ſolus ad impetrandum etiam majus aliquid a vobis ſufficere E poſſit; videlicet Comes Theobaldus. Quartum quoque ſi addidero, non temere id me præſumere putaverim. Neque enim vel ipſi de noſtra adeo humilitate diffidimus, quin audacter, ſi opus ſit, per noſmetipſos ad veſtræ celſitudinis nobis jam ſatis expertam benevolentiam, petituri quod rationabile viſum fuerit, accedamus. Valete.

a Fuit is nepos Hilduini Comitis Roceienſis, filius Andreæ Comitis de Ramerneo, teſte Hermanno monacho Laudunenſi in lib. 1. de miraculis B. Mariæ cap. 2. anno 1113. creatus epiſcopus Catalaunenſis poſt Guillelmum Campellenſem, de quo in epiſtola 3. ſucceſſorem ſortitus Elbertum ſeu Robertum anno 1126 & poſt eum Gaufridum ex S. Medardi abbate, ad quem epiſtola 66. Itaque hæc ſcripta eſt ſub annum 1126. & quidem ante epiſtolam 13 ſcriptam in gratiam Alberici, qui poſt Ebalum electus, ſedem tamen ejus non obtinuit.

b Abbatia canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini apud Catalaunum, cujus abbati Petro, forſan à reformatione primo, epiſtolam ſcripſit ineditam Hugo Metellus canonicus ejuſdem regularis S. Leonis apud Tullum Leucorum.

c Monaſteria hæc Ord. S. Benedicti, modo ſub congregatione S. Vitoni, primum in ipſa urbe, alterum in diœceſi Catalaunenſi: quæ Guillelmus de Campellis ad meliorem frugem revocaverat.

d VVilencus, aliis & Guillelmus, ex archidiacono Lingonenſi, apud Perardum in Burgundicis monumentis pag 87.

e Is etiam abbas fuerat eccleſiæ S. Stephani Divionenſis, antequam eo inducerentur canonici regulares. quod fieri cœptum anno 1113. quo anno quatuor canonici ex ea eccleſia in villam Quintiniacum ſeceſſerunt, ut ibi vitam regularem profiterentur. Anno 1116 duodecim jam numero exiſtentes, ad ſuam eccleſiam reverſi ſunt. Interim a Prioribus Arnulfo & poſtea Galone eccleſia iſta gubernata fuit uſque ad annum 1125. quo domnus Esbertus ſeu Harbertus abbas inſtitutus eſt, præſentibus Humbaldo Lugdunenſi archiepiſcopo, Stephano epiſcopo Æduenſi, Goceranno ſeu Joceranno Lingonenſi, aliiſque perſonis. Hæc fuſius apud Perardum pag. 86 & 87. ubi vita Garnerii legitur.

f Id è Guilenco præſtitum docet ejus charta apud Perardum pag. 97. edita, cui ſubſcribunt inter alios *Abbates Ciſtercienſis & Claravallenſis* apud Lingonas anno 1129. Eodem anno controverſia, quæ erat inter eamdem eccleſiam & S. Sequani monachos, compoſita eſt ab eodem Joceranno, judicio & conſilio Galterii Cabilonenſis, abbatumque *Ciſtercienſis, Beʒuenſis, Claravallis*, ibid. pag. 100. Res ad Innocentium poſtea delata Stephano *Ciſtellenſi & B. Clara-vallenſi* à Pontifice commiſſa eſt, pag. 103. Sic unus omnia præſtabat Bernardus, unus omnes lites & controverſias finiebat.

Ad Ricuinum Tullenſem epiſcopum.

Circ. ann. MCXXV.

EPISTOLA LXI.

Hominem qui pœnitentiam ſubiturus, juſſu Epiſcopi Tullenſis venerat, ad eumdem remittit curandum.

Reverendo Patri domino [a] Ricuino, gratia Dei Tullenſi epiſcopo, frater Bernardus dictus Abbas de Clara-valle, ſalutem & orationes.

PEccatori huic, quem ad nos peccatores ob animæ ſuæ conſilium veſtra, ut ipſe perhibuit, dirigere curavit dignatio; nihil ad præſens ſanius conſulere in promptu habuimus, quàm ut ad ſinum paternæ pietatis rediret, & ex ore Sacerdotis legem requireret. Nos enim noſtræ parvitatis & officii menſuram attendentes, nec nos ultra nos extendentes, dare pœnitentiam, maxime in criminalibus, nulli hominum præſumere omnino ſolemus, niſi ſolis, quos in noſtram curam ſuſcepimus. Qua namque temeritate tractanda Epiſcoporum negotia, & hujuſmodi negotia, peccatores & imperiti ſuſcipiemus, qui ipſi quoque, ſicut & ceteri hominum, quoties gravior aliqua cauſa inter nos oboritur, quam per nos diffinire aut neſcimus, aut nequimus, aut non audemus; epiſcopali, ut dignum eſt, ſententiæ reſervamus: & niſi ſummi prius Sacerdotis vel judicio vel conſilio confirmati, ſecuri non ſumus? Provideatur igitur morbidæ ovi à proprio paſtore, & tali paſtore, qui canones non ignorat, congrua pœnitentiæ medicina: ne ſi in peccato, quod abſit, anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, moriatur; ſanguinem ejus de manu veſtra ſummus Paſtor requirat. Verum nos Deo illi inſpirante mundum relinquere perſuaſimus: ſi tamen homo ſenex & pauper in aliquo ſe recipi intra diœceſim veſtram ſanctorum conventu, veſtro obtinere potuerit interventu. Plenum vos dierum ſuſcipiat dies una illa melior in atriis Domini ſuper millia, ſancte ac venerabilis Pater.

Ad Henricum [b] Virdunenſem epiſcopum.

Ante ann. MCXXIX

EPISTOLA LXII.

Feminam multis obſtrictam peccatis, ſed jam pœnitentem commendat Epiſcopo.

Domino Henrico, Dei gratia Virdunenſi epiſcopo, frater Bernardus dictus Abbas de Clara-valle, ſalutem & orationem.

HÆc muliercula, quam ecce jam multis annis, multis & perplexis peccatorum nodis ſatanas alligavit, ſuper ſtatu ſalutis ſuæ, noſtræ parvitatis conſilium expetiit: & tale accepit, ut poſt multum videlicet ac diuturnum erratum, ad proprii paſtoris ſinum profuga ovicula fidenter recurreret: qui utique eo citius ac ſollicitius inopi ferret opem, quo ſe certius ſcit atque diſtrictius de ſibi commiſſa, Agno qui pro ipſa mortuus eſt, redditurum rationem. Noſtrum fuit deviantem corrigere: veſtrum ſit peccatricem non deſpicere, immo pœnitentem ſuſcipere: & ſi vera eſt ſuæ, quam nobis expoſuit, infelicitatis hiſtoria; aut viro ſuo priori, ſi adhuc vivit, reconciliare; aut, ſi ille noluerit, ſicut hanc innuptam, ſic illum cogere abſque uxore manere. Valete.

Ad Eumdem.

Circ. ann. MCXXVIII.

EPISTOLA LXIII.

Purgat ſe de facto temerario, cujus inſimulatus fuerat: ejus notitiam cupit: Guidonem eidem commendat.

SUper his, quæ à nobis veſtræ excellentiæ placuit ſciſcitari, aut nos fallimur, aut ille qui ea vobis retulit, fallit. Si quid tamen fuit (ſuſpectam quippe habeo meam, quam novi, labilem memoriam) ne tantam in fratre qui hæc loquitur, ſuſpicer falſitatem; hoc me certiſſime ſcire confido, & vos indubitanter credere volo, nemini me ſuper nomine veſtro reprehenſionis aliquando vel accuſationis verba feciſſe, vel injunxiſſe. Abſit hæc à noſtra puſillitate temeritas, ut contra epiſcopos, & abſentes, loqui quæ ad nos non attinent, audeamus, præſertim quæ non probavimus. Deinde quod noſtri notitiam dignanter expetitis, gratanter accipimus, abundantius nos & innoteſcere vobis, & vos noſcere cupientes. Quâ jam ſane fiducia præſtantiæ veſtræ ſupplicamus, immo veſtram fidenter commonemus benevolentiam, de loco illo [c] quem ſub tutela veſtra, veſtro (ut aiunt) hortatu, frater reverendus & coabbas noſter domnus Guido de Tribus-fontibus conſtruere ſuſcepit. In illo nobis quantum nos curatis, oſtendite; & quicquid ei feceritis, nobis factum reputate. Valete.

Ad Alexandrum [d] Lincolnienſem epiſcopum.

Circ. ann. MCXXIX.

EPISTOLA LXIV.

Philippus volens proficiſci Jeroſolymam, ad Claram-vallem forte divertens, illic manere decrevit. Alexandri ad hoc conſenſum requirit. Negotium cum creditoribus Philippi illi commendat. Denique hortatur eumdem, ne gloria mundana nimium fidat.

Viro honorabili domino Alexandro, Dei gratia Lincolnienſi epiſcopo; Bernardus abbas Claræ-vallis, velle honorari magis in Chriſto, quam in ſæculo.

1. PHilippus veſter volens proficiſci Jeroſolymam, compendium viæ invenit, & cito pervenit quo volebat. Transfretavit in brevi hoc mare magnum & ſpatioſum, & proſpere navigans attigit jam littus optatum, atque ad portum tandem ſalutis applicuit. Stantes ſunt jam pedes ejus in atriis Jeruſalem; & quem audierat in Ephrata, inventum in campis ſilvæ libenter adorat in loco ubi ſteterunt pedes ejus. Ingreſſus eſt ſanctam civitatem, ſortitus eſt cum illis hereditatem, quibus merito dicitur: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei.* (Epheſ. 2. 19.) Cum quibus intrans & exiens, tamquam unus è ſanctis, gloriatur & ipſe cum ceteris dicens: *Converſatio noſtra in cælis eſt.* (Philip. 3. 20.) Factus eſt ergo non curioſus tantum ſpectator, ſed & devotus habitator, & civis conſcriptus Jeruſalem, non autem terrenæ hujus, cui Arabiæ mons Sina conjunctus eſt, quæ ſervit cum filiis ſuis; (Gal. 4. 25.) ſed liberæ illius, quæ eſt ſurſum mater noſtra.

2. Et, ſi vultis ſcire, Clara-vallis eſt. Ipſa eſt Jeruſalem, ei quæ in cælis eſt, tota mentis devotione, & converſationis imitatione, & cognatione quadam ſpiritus ſociata. (Claravallis & Jeruſalem comparatio.) Hæc requies ejus, ſicut ipſe promittit, in ſæculum ſæculi: elegit eam in habitationem ſibi; quod apud eam ſit, etſi nondum viſio, certe exſpectatio veræ pacis, illius utique de qua dicitur: *Pax* (Philip. 4. 7.)

a Ricuinus anno 1126. obiit, uti ex Alberico probant Sancta-Marthani. Unde hæc epiſtola poſt hunc annum differri non poteſt: certe ante annum 1124. ſcribi vix potuit, cum ſcilicet Bernardi fama & doctrina jam celebris erat. Ad eumdem Ricuinum epiſtola 396.

b De eo vide epiſtolam 48. ubi eum ſuadente Bernardo epiſcopatu ceſſiſſe notavimus, & quidem anno 1129.

c Caladia ſcilicet, *la Chalade*, diœceſis Virdunenſis, anno 1128 fundari cœpta ſub Henrico, ab Adalberone ejus ſucceſſore conſecrata, *ubi nunc*, inquit Laurentius de Leodio, *ſub abbate ſanctæ memoriæ Guntero, militant regno cælorum fere trecenti ſervorum Dei.* Cœpit autem ſub Henrico præſule, *quando ibi Robertus, venerabilis noſtri cœnobii S. Vitoni Virdunenſis monachus, cum duobus ſociis primum eremitavit, eccleſiola & quibuſdam manſiunculis fabricatis. Sed eo ad eccleſiam vallis loci aſſumpto, cum locus vacuus remanſiſſet, à viro nobili VValtero nepote, cujus erat, data eſt venerabili Guidoni abbati de Tribus-fontibus, Henrico Pontifice annuente & monente, & maxime Herveo viro nobili, hoc totum annuente & hortante, qui Herveus ſe cœtibus eorum aſſociavit exemplo mirabili*, nempe uxore dimiſſa, & laqueo circum gulam alligato, ex Spicilegii tomo 12. pag. 327.

d Alexander Lincolnienſis ſeu Lincolienſis apud Anglos eccleſiæ præfuit ab anno 1123. ad annum 1147.

Dei

Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Verum hoc ſuum bonum etſi deſuper accepit, in veſtro tamen beneplacito [illegible] cupit, immo ſe fe[ci]ſſe confidit, ſciens vos Sapientis non ignorare ſententiam: quod *filius* utique [a] *ſapiens ſit gloria patris.* Rogat autem paternitatem veſtram, rogamus & nos cum illo & pro illo, quatenus de præbenda ſua quod ipſe ſuis creditoribus [b] conſtituit, immobiliter ſtare faciatis: ne in aliquo fraudator (quod abſit) debiti, & prævaricator pacti inveniatur. & ita munus contriti cordis quod offert quotidie, non recipiatur, dum frater quiſpiam habet aliquid adverſus eum. Precatur deinde, ut domus quam ipſe matri ſuæ in terra eccleſiæ conſtruxit, cum terra quam ibi delegavit, eidem matri, quamdiu vixerit, concedatur. Hæc pro Philippo.

[illegible]. Reliqua hæc pauca pro vobis, ipſo quidem intimante, immo vero inſpirante Deo, adjicienda putavimus, hortari vos in caritate præſumentes, ne caſuri gloriam mundi quaſi ſtantem aſpiciatis, & vere ſtantem amittatis: ne plus vobis aut pro vobis veſtra diligatis, & ſic vos & veſtra perdatis: ne blandiens præſens proſperitas ſui vobis finem abſcondat, & adverſitas ſine fine ſuccedat; ne lætitia temporalis luctum vobis æternum & operiat quem parit, & pariat quem operit: ne mors longe eſſe putetur, & præoccupet improvidum; & vita dum longa exſpectatur, cito deſerat male conſcium, ſicut ſcriptum eſt: *Cum dixerint, Pax & ſecuritas; tunc ſubitaneus ſuperveniet eis interitus, tamquam in utero habenti, & non effugient.* Valete.

Ad ALVISUM abbatem Aquiſcincti.

EPISTOLA LXV.

Laudat in Alviſo paternam erga Goduinum manſuetudinem. De admiſſione ſe excuſat, & veniam precatur.

ALVISO abbati Aquiſcincti [c] monaſterii, Bernardus ſalutem ex corde.

1. RETribuat vobis Deus miſericordiam, quam feciſtis ſancto filio veſtro Goduino. Audivimus enim quod audito ejus obitu, mox velut immemor priſtinæ calumniæ, ſed non amicitiæ, conſolatorem potius, quam ultorem vos exhibuiſtis. Patrem quippe vos cognoviſtis, ut res exigebat, non judicem. Ideoque quod pietatis, quod caritatis eſt, ut vere filio pater impendere ſtuduiſtis. Quid melius, quid laudabilius, quid vobis dignius agere poteratis? Sed quis hoc crederet? Vere *nemo ſcit quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in eo eſt.* Ubi eſt nunc illa auſteritas, illa ſeveritas, illa indignatio, quæ olim in illum lingua, vultus, oculi, terribiliter oſtentare & intentare ſolebant? Ad unum nempe nuntium de morte filii, paterna viſcera commota ſunt; ſubitoque hæc omnia, quæ ſimulatoria, ſed diſpenſatoria, ac per hoc tranſitoria erant, diſparuerunt: illa vero quæ vera erant, ſed latebant, caritas, pietas, benignitas apparuerunt. Siquidem in religioſo animo veſtro miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: & quia nimirum miſericordia ſuperabundavit judicio, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Nam quantum mihi videor conjiciendo videre, quid animi tunc habueritis, cum ad ulciſcendam illam, quæ vobis videbatur facta, injuriam, juſtitiæ zelo accenſa veritas ſe accingeret; illa quæ exemplo Joſeph prudenter antea diſſimulabatur miſericordia, ultra jam latere non ferens, ne in hoc quidem diſſimiliter ab Joſeph, ex abdito celatæ pietatis erupit, ſeque veritati adjungens repreſſit motum, temperavit zelum, pacem cum juſtitia fecit.

2. Tunc de puriſſimo placidi pectoris fonte talium credo limpidiſſimi cogitationum rivuli ebullierunt: Quid opus eſt indignari? miſereri potius oportet, & non oblviſci quod ſcriptum eſt, *Miſericordiam volo & non ſacrificium*: & implere quod juſſum eſt, *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*; & exſpectare quod promiſſum eſt, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Alioquin num filius meus erat iſte. Quis vero iraſci filio poteſt. Niſi forte tunc tantum filius fuit, dum mecum fuit, & non etiam cum me deſeruit. Sed numquid quia corpore ad tempus receſſit, etiam animo recedere potuit? aut forte vel ipſa mors eum mihi poterit auferre? Itane localis corporaliſve neceſſitas animorum ſeſe amantium libertatem anguſtat? Certus ſum quia nec locorum diſtantia, nec corporum vel mors, vel abſentia disjungere poterit, quos unus ſpiritus vegetat, una caritas ligat. Denique ſi *juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, profecto & qui jam in ipſa depoſita carne quieſcunt, & qui ipſi adhuc in carne non ſecundum carnem militamus, ſimul proculdubio ſumus. Meus ergo erat vivus, meus erit defunctus, meum in patria recognoſcam. Si quis eſt qui de manu Dei poſſit eruere; & à me illum ſeparare valebit.

3. Itaque pro filio quidem veſtra vobis affectio ſatisfecit: ſed de nobis, Pater, quid erit? Quæ, inquam, de nobis digna vobis ſatisfactio placebit, quibus utique pro grandi injuria imponitis, quod à vobis recedens, à nobis receptus ſit? Quid dicam? ſi dixero, Non recepimus, (quod utinam ſine peccato dicere poſſem) mentior plane: ſi dixero, Recepimus quidem, ſed juſte; excuſare me velle videor. Sed tutius reſpondebo, Peccavimus. Verumtamen quantum? Non ad defenſionem dico: à quo enim ille non reciperetur? Quis, inquam, ſanctum illum, aut pulſantem repelleret, aut ſuſceptum expelleret? Quis verò ſcit, ſi de veſtra abundantia noſtram Deus voluerit ſupplere inopiam, ut ſcilicet unum de multis, qui forte apud vos religioſi tunc erant, ad nos dirigeret, nobis quidem ad ſolatium, ſed nihilominus vobis ad gloriam? *Filius* quippe *ſapiens gloria eſt patris.* Denique non eum prævenimus ſollicitando; non circumvenimus attrahendo, quo vos deſereret, vel ad nos veniret: quin potius rogantem, pulſantem, ſupplicantem non prius (Deus ſcit) conſenſimus recipere, quàm remittere ad vos tentavimus. Non autem eo acquieſcente, ejus nos importunitati vix tandem acquievimus. Hominem ergo religioſum, peregrinum, ſolum, ſi culpa eſt quod ſuſcepimus, & ita ſuſcepimus, non erit vobis indignum ſemel tantum commiſſam culpam, talemque culpam dimittere: cui etiam fas non eſt, ne uſque quidem ſeptuagies ſepties peccantibus in vos veniam negare.

4. Ut tamen noveritis quàm non leviter ſeu negligenter, immo quàm non impune feramus quod umquam reverentiam veſtram quoquo modo offendimus: ſæpe Deum teſtor, quod corpore non poſſum, mente ad vos ſupplici tranſeo, ſæpe genibus flexis humiliter ſatisfaciens, vobis adſtare me video. Utinam ipſe qui id mihi fortaſſe inſpirat, vobis quoque Spiritus ſentire faciat, quàm flebilis, quàm miſerabilis, tamquam præſens, ad genua uſque veſtra deſcendo! quàm frequenter nudus humeros virgaſque in manibus geſtans, & quaſi ad veſtram juſſionem vapulare paratus, peto veniam, gratiam tremebundus exſpecto! Hæc qualiter vobis, Pater, accepta ſint, veſtro, ſi vos non gravat, citius ſcire flagitamus reſcripto: ut ſi ſatis, jam ſecuri de indulgentia conſolemur; ſi quo minus, magis (ut dignum eſt) humiliemur, & amplius aliquid à nobis ſi poſſumus, exigamus, quo dignius ſatisfacere debeamus. Valete.

a Ita Bernardus paſſim hunc locum citat: Vulgata, *Filius ſapiens lætificat patrem.*

b Ejuſdem argumenti eſt Philippi abbatis epiſtola 18. ad Alexandrum III. rogantis, ut bona archidiaconi Aurelianenſis, qui religionem ingreſſus fuerat, creditoribus concedantur, in tomo 3. Bibliothecæ Ciſterc. pag. 246.

c Alviſus, de quo item mentio infra in epiſtola 66 abbas monaſterii Aquiſcinctenſis, vulgo *Anchin* in Belgio ad Scarpum, ab anno 1131 Atrebatenſem eccleſiam, cui paret Aquiſcinctum, epiſcopus rexit. Ad eum hoc nomine ſcripta eſt epiſtola 395. Vide hic Notas Horſtii.

Ad GAUFRIDUM abbatem ſancti Medardi. a

Circ. ann. MCXXIX

EPISTOLA LXVI.

Operam ejus requirit in reconciliando ſibi abbate Alviſo: ſolatur eumdem in tribulationibus.

Domno GAUFRIDO abbati ſancti Medardi, Frater Bernardus eccleſiæ Claræ-vallis Ordinator incompoſitus, ſalutem & non in via.

Bern. zelus ad tollendum ſcandalum.

PRimo precor, ut præſentes litteras domno Abbati Aquiſcincti monaſterii dirigere non graveris. Deinde ut ad id quod portant, pro abſente amico præſens ſatagas cum venerit locus. Neque enim cujuſlibet, ne-
B
dum tanti Patris, juſtum injuſtumve adverſum me debeo ſcandalum diſſimulare: quod quàm non faciam, loquens potius quàm ſcribens, ei aperire forſitan potuiſſem. Nam ſolet in talibus acceptior eſſe ſermo vivus quàm ſcriptus, & efficacior lingua quàm littera.

Vultus & vivæ vocis vis.

Oculi quippe loquentis fidem faciunt dictis; nec ita poteſt affectum exprimere digitus, quomodo vultus. Nunc autem quia abſens per me non poſſum, per te ſatisfacio quantum poſſum. Rogo ergo te, & iterum rogo, ut de regno Dei, quod eſt videlicet intra nos, ſcandalum auferas, dum ſalubriter potes: ne ſi (quod abſit) uſque ad Angelos, qui utique in fine ſæculi in id miniſterii deputandi ſunt, perduraverit rancor,
C
neceſſe ſit irrevocabiliter aut ambos, aut alterum à nobis de medio tolli. Unde autem ad me tu jam dudum ſcripſiſti, conquerendo ſuper tribulationibus veſtris; ſcitis quia *juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* De ipſo confidite, quia ipſe vicit mundum. Ipſe ſcit inter quos habitatis, & in conſpectu ejus ſunt omnes qui tribulant vos. Ipſe exaudiet vos in abſcondito tempeſtatis, qui nunc probat ad aquas contradictionis. Valete.

Scandali pena

Matt. 13. 39

Ad MONACHOS Flaviacenſes.

Circ. ann. MCXXV.

EPISTOLA LXVII.

Suſceptionem B. monachi tuetur, tamquam de ignoto ſibi hactenus monaſterio, & juſtas ob cauſas diſcedentis.

b

Domino H. Patri Flaviacenſis b eccleſiæ, & Fratribus qui cum eo ſunt, Fratres qui in Clara-valle ſunt ſalutem.

1. LEctis litteris veſtris, veſtram reverentiam propter quemdam monachum qui apud nos eſt, contriſtatam cognovimus. De qua veſtra triſtitia nos quoque contriſtati ſumus, timentes ne non ſit illa triſtitia, de qua quibuſdam dicebat Apoſtolus: *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum.* Nam ſi ſecundum Deum eſſet, non uſque adeo vos commoviſſet, ut nos, etſi vobis ignotos, fratres tamen veſtros, & ſi placet amicos, quos necdum vel præſentes verbo conveneratis, vel abſentes ſcripto præmonueratis, hac prima vice tam ſubito, tam acriter argueretis. Miramini (ut ſcribitis) quod fratrem Benedictum c ſuſcepimus; minamini niſi eum vobis cito reſtituerimus. Proponitis nobis de Regula*, de noto monaſterio monachum non ſuſcipiendum, pro conſtanti ſcilicet habentes veſtrum non eſſe ignotum. Sed quid ſi aliis notum, dummodo nobis ignotum ſit? Etſi enim, ut verba ipſa

2. Cor 7. 9

c

* Reg. S. Benedicti cap. 61.

Monachus extraneus an & ubi admittendus.

A
veſtra ponam, religionis veſtræ ſe adeo fama effuderit, ut etiam Romæ eccleſiæ veſtræ habeatur notitia: nos tamen, qui utique multum citra Romam politi ſumus, neſcio quo pacto ita præteriit, ut ne unius quidem veſtrum, Abbatis ſcilicet vel monachorum, non ipſius veſtræ habitationis, non religionis ac converſationis, uſque ad hoc tempus vel tenuem notitiam habuerimus: ſed nec aliquam aliquando mentionem nobis de vobis factam fuiſſe meminimus. Nec tamen mirum, quia & multis terrarum ſpatiis, & diverſis provinciis, & diſſimilibus linguis ab invicem diſtamus: nec ſolum Epiſcopatibus propriis abſumus, ſed etiam in eodem Archiepiſcopatu non degimus. Pu-
B
tamus autem quod non de cuicumque notis, ſed tantum de nobis notis monaſteriis monachos ſuſcipere prohibemur. alioquin cum nullum monaſterium ſit quod alicui notum non ſit, nullum nobis relinquitur de quo quis regulariter ſuſcipiatur. Quomodo ergo illud implebitur, quod à beato Benedicto vel præcipitur*, vel permittitur, peregrinum videlicet monachum non ſolum debere ſuſcipi ad habitandum pro hoſpite, quanto cupit tempore, ſed etiam inventum utilem ſuaderi ad manendum omni tempore?

* Ibidem.

2. Quamquam tamen nos aliter erga prædictum fratrem egerimus. Nam cum veniens ſe ſuſcipi à nobis humiliter poſtularet, primo quidem repulſus, dein-
C
de admonitus eſt ut ad monaſterium ſuum rediret. Sed ille non acquieſcens, in vicinam nobis eremum ſe contulit, ibique ſeptem ferme menſes, nullam interim calumniam paſſus, quiete habitavit. Sed cum ſibi tutum non crederet quod ſolus degeret; poſt primam repulſam idipſum, quod prius, à nobis requirere non erubuit. Rurſus nos admonentes eum de reditu, cum cauſam ſuæ ab eo diſceſſionis inquireremus: Abbas, inquit, meus habebat me non monachum, ſed medicum d. Cogebat ſervire, immo ipſe ſerviebat per me, non Deo, ſed ſæculo, quando ne ſæcularium malevolentiam incurreret Principum, mederi me compellebat etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis.
D
Quod animæ meæ periculum cum ei, nunc privatim, nunc palam ſuggeſſiſſem, nec profeciſſem; quorumdam tandem ſapientium virorum conſilio fretus, fugio meam damnationem, non congregationem; perditionem, non religionem. Conſulite ſalutem quærenti, aperite pulſanti. Cujus nos videntes conſtantiam, audientes cauſam, & nullam contra eum calumniam; annuimus introitum, probavimus ſuſceptum, adſtrinximus probatum, tenemus profeſſum. Nec intrare compulimus, nec exire cogemus. Quamvis ſi eum ejiceremus, ad vos (ut ipſe aſſerit) non rediret, ſed magis ſe adhuc à vobis elongaret. Definite ergo, fratres, deſinite tam indebitis innoxios laceſſere jurgiis, & caſ-
E
ſis ſcriptitationibus inquietare: quia nec cumulatis etiam contumeliis provocari poterimus, ut vobis, niſi quod reverentiæ eſt, reſpondeamus; nec minis exterreri, quominus monachum teneamus, quem regulariter ſuſcepiſſe nos credimus.

Monachos agere medicos indecorum & periculoſum.

d

Humilitas Bernardi & concordiæ amor.

a Editi ac ſcripti præter unum (quos quidem viderimus) omnes habent, *S. Theoderici*: at legendum *S. Medardi*, ut in codice Corbeienſi, ex quo ſequentem inſcriptionem (quæ alias deeſt, præterquam in Spicilegii tomo 3.) reſtituimus. Et quidem licet utrique cœnobio, nempe S. Medardi apud Sueſſionas, & S. Theoderici prope Remos, ſucceſſive præfuerit Gaufridus, abbas tamen S. Medardi erat tum, cum hæc epiſtola ſcripta eſt. Scripta eſt autem (ut ex epiſtolarum ſerie intelligitur) ante annum 1131 quo evectus eſt Gaufridus in epiſcopatum Catalaunenſem ex abbatia S. Medardi, cui ab anno 1119 præfuerat poſt annos octo regiminis apud S. Theodericum. Sub eo apud Sueſſionas habitum eſt generale monachorum Ordinis noſtri Capitulum, de quo in epiſtola 91. Hac vide alias Notas.

b Ita legendum eſſe conſtat, non *Flaviniacenſis*. Eſt autem Flaviacenſe monaſterium à S. Geremaro conditum in diœceſi Belvacenſi: cui loco tum præerat Hildegarius abbas, qui ad annum 1125. vel 1126. pervenit. De eo fuſius in aliis Notis.

c In editis G. ac in ſcriptis non paucis B. Nomen integrum *Benedictum* exhibet codex Corbeienſis optimæ notæ, ex quo etiam ſequentis epiſtolæ inſcriptionem præter alias reſtituimus.

d Medicos olim agebant & clerici, & monachi. De Clericis id probat Chriſtianus Lupus in Notis ad varias epiſtolas Conciliorum Epheſini, tum Chalcedonenſis, pag. 100. & ſeq. Monachorum item varia exempla ſuppetunt, quorum unum inſigne eſt apud Lupum Ferrarienſem in epiſtola 72. de Didone abbate Senonenſi. Utriſque medicinas recentiori jure interdicta.

Ad EOSDEM unde ſupra.

EPISTOLA LXVIII.

Reverendis Fratribus Flaviacenſibus, Abbati H. ceteriſque omnibus fratribus, Fr. Bernardus ſalutem.

1. MOdeſtiæ quidem veſtræ erat, ô boni Fratres, ſuper querimonia veſtra priori noſtra ſatisfactione contentos eſſe debere, & jam ab immeritorum infeſtatione quieſcere. Sed quia prioribus malis pejora junxiſtis, & rurſum nobis jurgiorum ſeminaria tranſmiſiſtis (quæ abſit ut germinent, ſicut nec priora germinarunt in nobis;) ne tamen non reſpondendo, culpam quæ non eſt, agnoſcere videamur, hoc etiam ſecundo ad ea quæ procaciter objicitis, veraciter reſpondemus. Hæc tota noſtra culpa eſt, quantum æſtimamus; hæc grandis illa injuria quam vobis fecimus, quod monachum, ſolum, peregrinum, pauperem, miſerabilem, animæ ſuæ periculum fugitantem, ſalutem ſuam ſollicite quærentem, pulſantem, ſupplicantem ſuſcepimus: ſeu quod talem, taliter à nobis ſuſceptum, denuo ſine cauſa non ejicimus, ut quod ædificavimus iterum deſtruentes, prævaricatores nos conſtituamus. Hinc Regulæ, hinc Canonum, hinc ipſius naturalis legis tranſgreſſores judicamur. Opponitis enim indignantes, cur veſtrum & à vobis excommunicatum nobis ſociare præſumpſimus, quod utique ab alio pati nolumus. Sed de excommunicatione quid reſpondebimus? quando vos inde vobis ſatisfacitis pro nobis, ſcientes proculdubio prius à nobis fuiſſe receptum, quàm à vobis excommunicatum. Cum autem prius ſuſceptus, dum tamen regulariter, fuerit; profecto non jam in veſtrum, ſed in noſtrum veſtræ maledictionis ſententiam intorſiſtis. quod ſi recte factum ſit, vos videritis.

2. Reſtat igitur ſciendum, & hoc tantum quæritur inter nos, an rationabiliter ſuſceptus fuerit. Et vos quidem, quoniam de ignoto monaſterio monachum regulariter poſſe ſuſcipi negare non poteſtis, veſtrum nobis notum eſſe contenditis. Negamus, & non creditis. Verum ſi non creditis ſimpliciter negantibus, credite vel jurantibus. In veritate quæ Deus eſt, vobis dicimus, nec novimus vos, nec noſcimus: ignotorum ſcripta ſuſcepimus, ad ignotos reſcripſimus. Senſimus quidem ſtimulationes & inquietationes veſtras, ſed needum ſtimulatores & inquietatores ipſos agnovimus. Vos tamen ad convincendum nos de ſimulata ignorantia invictiſſimum argumentum inducitis, non poſſe videlicet ignotos eſſe nobis, quorum & abbatis ſcilicet, & ipſius monaſterii nomen in noſtris poſuimus litteris. quaſi mox ut rerum vocabula ſcimus, etiam res ipſas noverimus. Multum ergo valet mihi Michaëlis, Gabriëlis, Raphaelis nomina noſſe: quando ex ſolo auditu vocabulorum, etiam de ipſorum beatorum ſpirituum cognitione jam beatus ſum. Non mediocriter, inquam, profeci, quia didici ab Apoſtolo paradiſum & tertium cælum nominare, ſi etiam non raptus cum Apoſtolo, ſolis ex nominibus ſecreta cæleſtia jam novi, & audivi ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Stultus ego, qui jam ſciens nomen Dei mei, neſcio quid adhuc ſuperflue quotidie gemo, fruſtra ſuſpirans & dicens cum Propheta: *Vultum tuum Domine requiram.* & illud: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* &, *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.*

Pſal. 26. 8. Pſal. 41. 3. Pſal. 79. 4.

3. Sed quid eſt quod vobis facimus, quod nobis fieri nolumus? Hoc nos utique nolle putatis, ut quis à noſtro monaſterio diſcedens monachus, in alio ſuſcipiatur. Utinam omnes nobis commiſſos, ſine nobis ſalvare poſſetis. Si quis de noſtris ad vos majoris perfectionis gratia, & arctioris vitæ deſiderio convolaverit? non ſolum non cauſamur, ſi ei in tali ſtudio conſulitis; ſed & multum precamur ut hoc faciatis: nec offenſos nos conqueremur, ſed valde in hoc adjutos eſſe fatebimur. Negatis deinde quod de vobis audieramus, veſtro ſcilicet juſſu vel aſſenſu fratrem B. quamdiu fuit apud vos, in medicinali arte ſæcularibus deſerviſſe; ipſumque qui hoc dixit, falſitatis arguitis. Si mentitus ſit, neſcimus, ipſe viderit: ſed hoc ſcimus, quia ſive per ſeipſum, ut vos fatemini; ſive per vos, ut ipſe teſtatur, hæc fecerit, in magno interim periculo fuit. Quis vero tam inhumanus, qui ſic periclitanti non ſuccurreret ſi poſſet, non conſuleret ſi noſſet? Attamen ſi, ut aſſeritis, non compulſus obedientia, ſed proprii quæſtus cupiditate, ac vagandi curioſitate, hac illacque artem ſuam venditans diſcurrebat; quid cauſæ extitit quod à vobis diſceſſit? An quia jam tandem cenſuræ paſtoralis diſtrictione non ei licebat quod ante licuerat? Cur igitur cum jam apud nos eſſet, volentes eum revocare, ad perſuadendum de reditu promiſiſtis ei quietem in clauſtro: niſi quia hoc velle hominem noveratis, hoc quæſiſſe memineratis? At ille jam adepto apud alienos, quod non potuit inter ſuos; ne certa pro incertis desereret, tenuit quo jam fruebatur, ſpernens quod ſero ſibi offerebatur.

Medicinam agere non convenit monacho.

4. Deſinite itaque, fratres, deſinite fratrem ſollicitare, de quo non valde neceſſe eſt vos ſollicitos eſſe: niſi forte, quod abſit, quæ veſtra, non quæ Jeſu-Chriſti ſunt, quæratis; & magis veſtrum de illo ſolatium, quàm ejus ſalutem diligatis. Nam cum ſemper apud vos gyrovagus fuiſſet, &, ut ſcribitis, contra ſuum propoſitum, & Abbatis imperium, in proprios uſus quod de arte ſua conquirebat, expenderet: gaudeat qui eum diligit, quod apud nos Deo miſerante ſanatus ſit. Teſtimonium enim ei perhibemus, quod nuſquam modo aliqua occaſione vagatur: ſed quiete perſeverans in monaſterio, pauper inter pauperes ſine querela converſatur, primam fidem quam quidem apud vos promiſit, ſed non tenuit; non irritam, ut dicitis, faciens, ſed ratam, integramque cuſtodiens, morum utique converſione, & obedientiſſima converſatione, ſine qua ſeſe fallit qui de loci ſtabilitate confidit. Rogamus vos, fratres, ut quieſcat jam indignatio veſtra, & deſinat inquietatio noſtra. Sin autem, facite quod vultis, ſcribite ut vultis, perſequimini quantum vultis: caritas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Nobis autem decretum eſt ex hoc jam vos pure diligere, reverenter ſuſpicere, familiariter colere.

Monachi probi dotes. Stabilitas ſine converſione monachatus nulla.

Ad GUIDONEM[a] abbatem de Tribus-Fontibus.

EPISTOLA LXIX.

Guidonem, qui incuria miniſtrantium in conſecratione Calicis erraverat ob defectum vini, inſtruit.

1. UNde te contriſtatum cognovimus, contriſtatum quidem te eſſe laudamus, ſed ſi non nimis. Contriſtatus enim (niſi fallor) quomodo ait Apoſtolus, ſecundum Deum; nec dubium eſt hujuſmodi triſtitiam tuam converti quandoque in gaudium. Itaque, dilectiſſime, iraſcere, & noli peccare. Peccabis autem non minus nimis iraſcendo, quam omnino non iraſcendo. Siquidem non iraſci ubi iraſcendum ſit, nolle emendare peccatum eſt: plus vero iraſci quàm iraſcendum ſit, peccatum peccato addere eſt. Quod ſi malum eſt peccatum non emendare, quomodo malum non erit augmentare? Si ex rerum eventibus reatuum penderet judicium, non foret culpanda tua etiam ingens triſtitia, ubi nimirum contigiſſet quod ingens fuiſſet & culpa. Tanto quippe culpa gravior, quanto res ſacrior appareret. Nunc vero quia rerum cauſa, non materia; nec exitus actuum, ſed intentionis propoſitum culpas diſcernit & merita, dicente

2. Cor. 7. 9. Ira bona & mala quæ. Peccati gravitas non ex eventu ſed ex intentione.

a Fuit is ſecundus abbas Trium-fontium, in diœceſi Catalaunenſi, filiæ Claræ-vallis, jam laudatus in epiſtola 63. ſed amplius in ſuperioribus Notis. Anno 1139. ſucceſſerat Rogerio primo abbati, de cujus obitu in epiſtola 71. Alia eſt abbatia Trium-fontium ſeu Sanctorum Vincentii & Anaſtaſii ad Tres fontes prope Romam, ad quam abbatiam ſpectat electio Turoldi abbatis, de quo in epiſt. 3c 6

Matt. 6. 22.

Domino, *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſi nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit:* in tui quoque examinatione commiſſi, non tam (ut arbitror) ſacrorum eſt attendenda majeſtas, quàm propria intentio diſcutienda. Porro ego & Prior noſter multum rem ipſam & intra nos penſantes, & inter nos conferentes, tuam quidem ibi deprehendimus ignorantiam, miniſtrantium quoque negligentiam; ſed plane nullius malitiam. Et certe optime noſti, nullum eſſe bonum, niſi fuerit ſpontaneum. Malum ergo poterit eſſe magnum, quod conſtat voluntarium non fuiſſe? Alioquin ſi quod fit, à non volente; bonum quidem nullam gratiam, malum autem multam conſequitur pœnam: hoc eſt ſi circa unam eamdemque cauſam, & malum imputatur, & bonum non ſuſcipitur: quiſquis ita ſentit, aſſerat ſi vult, quod non ſapientia malitiam, ſed malitia vincit ſapientiam.

Peccatum non eſt, niſi ſit voluntarium.

2. Ut tamen faciamus ſatis inquietiori conſcientiæ tuæ, & ne forte malum hoc mali cujuſpiam gravioris latentis adhuc in monaſterio fuerit commonitio: pro pœnitentia tibi injungimus ſeptem Pſalmos pœnitentiales quotidie uſque ad Paſcha, ſepties proſternendo te, decantare [a], ſeptem diſciplinas accipere. In hunc modum ſatisfaciat & ille qui tibi ad illam Miſſam miniſtravit. De illo autem qui ſibi ante apparuerat [b], & oblitus eſt mittere vinum in calicem, cujus & majorem in hoc æſtimamus culpam, ſi tamen & tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus. Sane ſi ſermo exiit inter fratres, & ipſi omnes ſinguli ſingulas accipiant diſciplinas, ut fiat quod legitur, *Alter alterius onera portate.* Deinde quod comperta, ſero licet, negligentia, vinum fudiſti in calicem ſuper hoſtiæ ſacratæ particulam; laudamus, nec ſub tanto articulo melius fieri potuiſſe putamus: arbitrantes liquorem, etſi non ex conſecratione propria atque ſollemni in Sanguinem Chriſti mutatum, ſacrum tamen fuiſſe ex contactu [c] corporis ſacri. Aiunt tamen neſcio quem alium aliud ſenſiſſe Scriptorem, non poſſe videlicet abſque tribus, id eſt pane, vino, & aqua, hoc ſacrificium eſſe, ita ut ſi quodlibet horum deeſſe contigerit, reliqua non ſanctificentur. Sed de hujuſmodi unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.

Diſciplinæ uſus.

Miſſæ defectus quam ſevere olim expiati.

Galat. 6. 2.

3. Ego autem pro meo fatuo ſenſu, ſi mihi idem contigiſſet quod tibi, vellem ad remedium mali unum è duobus egiſſe: aut ipſum quod feciſti, aut certe ab illo loco ubi dicitur, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, verba ſancta iteraſſe: & ſic compleſſe quod reſtabat de ſacrificio. Neque enim dubitaverim de Corpore jam conſecrato, qui utique juxta ritum Eccleſiæ didici ab ipſa quod & ipſa accepit à Domino, panem ſcilicet ac vinum, & ſimul apponere, non ſimul tamen ex his ſacra conficere. Cum ergo prius de pane Corpus, quàm de vino Sanguis more eccleſiaſtico conficiatur: ſi per oblivionem tardius quod poſterius ſacrandum eſt, apponatur; non video quid ſacris præcedentibus tarditas poſſit præripere conſequentium. Puto enim quod ſi Domino poſt factum de pane ſuum Corpus, vini conſecrationem placuiſſet aliquamdiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilo minus Corpus manſiſſet quod * fecerat, nec factis facienda præſcriberent. Nec nego panem & vinum, aqua quidem mixtum, ſimul debere apponi: quin potius aſſero haud aliter debere fieri: ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, eſt quod cauſamur non bene quippiam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri. Hæc interim de hac re dixerim & ſenſerim, abſque præjudicio vel tuæ ſententiæ, ſi quid melius ſapis, vel cujuſlibet ſanius ſapientis.

An conſecratio unius ſpeciei ſine alia ſit valida ſeu efficax.

* al. fuerat.

Bernardi modeſtia.

Ad Eundem.

EPISTOLA LXX.

Docet qualis miſericordia in Paſtore eſſe debeat, monetque ut ſententiam in monachum tranſgreſſorem latam retractet.

Domno [d] abbati Guidoni, Frater Bernardus ſpiritum ſcientiæ & pietatis.

CONſiderans miſeri hujus miſerabilem conditionem, miſereor quidem, ſed vereor ne fruſtra. Neque enim non ideo mihi videor fruſtra miſereri, quod ipſo licet remanente in ſua miſeria, mea tamen vel mihi non ſit infructuoſa miſericordia. In quam utique miſericordiam, non propria utilitas inclinavit, ſed intimis, eam viſceribus proximi miſeria & fraternus dolor inflixit. Miſericordia quippe affectio eſt, quæ nec voluntate coërcetur, nec rationi ſubjicitur: quando non eam in ſe quiſque pertrahit voluntario motu *, ſed ipſa pias mentes ad compaſſionem dolentium neceſſario cogit affectu: ita ut etiam ſi peccatum eſſet miſereri, etſi multum vellem, non poſſem non miſereri. Poteſt quidem ratio vel voluntas affectui effectum ſubtrahere: ſed numquid ipſum affectum evellere? Diſcedant à me qui me conſolantur, & dicunt quia oratio mea in ſinu meo revertetur, dum is pro quo emiſſa eſt, nondum convertitur. Nec audio illos qui mihi blandientes afferunt, *Juſtitia juſti ſuper eum erit*, dum impius in ſua adhuc impietate remoratur. Non, inquam, recipio conſolationem, ubi fratris video deſolationem. Si ergo, dulciſſime fili, tua quoque pia mens ſimiliter affecta eſt, immo quia aliter affecta non eſt: quamquam tibi infelix iſte cunctas ſuæ egreſſionis de monaſterio, & denuo regreſſionis regulares vices infeliciter percurriſſe videtur; quia tamen ipſe aliter putat, non ſolum patienter, ſed etiam libenter audiendum eſt quod humiliter calumniatur, ſi forte tam deſperatæ ſalutis reparandæ rationabilis ulla occaſio inveniatur, quam (ut bene mecum tua intelligit experientia) difficile quidem in congregatione, ſed multo difficilius foris poterit obtinere. Inito itaque omnium fratrum conſilio, omnia quæ in eum feciſti judicia diligenter retractare non dedigneris: quatenus tua humilitate ejus contumacia ſanetur, ſi vel ſic videlicet adinveniri poterit, quomodo adhuc ſemel regulariter ſuſcipiatur. Nec timendum eſt in hac retractatione quod diſpliceat juſto ac miſericordi Deo, ſi miſericordia ſuperexaltetur judicio [e]. Valete.

* al. nutu.

Ezech. 18. 20.

Ad Monachos ejuſdem loci.

EPISTOLA LXXI.

Ann. CHR. MCXXVII.

Se diſtuliſſe hactenus viſitationem, non incuria, ſed exſpectatione opportunitatis: de Rogerii abbatis obitu eos conſolatur.

QUod nondum veni ad vos, non putetur incuria. Curamus ſiquidem vos tamquam viſcera noſtra. Si mater poteſt filii uteri ſui negligere curam, poſſum & ego forſan in ſuſpicionem duci & argui negligentiæ. Itaque opportunitatem exſpectavimus & exſpectamus, ut cum venerimus, viſitatio noſtra non ſit ſine fructu. Interim de abſceſſu Patris veſtri * non turbetur cor veſtrum. Deus vobis providebit alium, ſicut ſperamus, pro eo idoneum: ſed nec iſtum perdetis. Nam etſi tranſlatus eſt, non tamen ablatus. Tantum qui vobis fuerat ſpecialis, erit communis & nobis. Donec ergo venio, viriliter agite,

* ſcil. de morte Rogerii Abbatis.

a Id eſt recitare, quo ſenſu *decantare* paſſim uſurpatur apud Veteres. Sanctus Antiſtes Ambroſius, inquit Beda in epiſtola ad Egbertum apud VVareum, *hoc de Fide loquens admonet, ut verbo ſymboli matutinis ſemper horis Fideles quique decantent.*

b Quidam codices, *apparaverat*. at præferendum puto cum pleriſque, *apparuerat*, id eſt qui adverterat, gallice *qui s'en étoit apperçu*.

c Idem cenſet præter Scholaſticos Jacobus à Vitriaco in Hiſtoria occidentali pag. 427. qui auctor præſentem caſum proponit pag. 444. Vide Commentarium noſtrum in Ordinem Romanum, & noſtrum Edmundum *Martene* lib. 2. de ritibus monaſticis cap. 7.

d Et hæc inſcriptio reſtituta ex codice Corbeienſi num. 553.

e Hic codices nonnulli adſuunt factum quoddam, quod ita videtur à Bernardo alienum, ut illud ablegare ſatius ſit in Notas fuſiores, ſi prorſus rejicere non licet.

& confortetur cor veſtrum, & omnia veſtra in caritate fiant. Valete.

Ad Rainaldum Fuſniacenſem [a] abbatem.

EPISTOLA LXXII.

Oſtendit quàm ſit alienus à laudibus. Jugum Chriſti leve eſſe. Patris *nomen detrectat*, Frater *vocari contentus.*

Dilectiſſimo ſuo Rainaldo, Bernardus ejus, non Pater aut dominus, ſed Frater & conſervus, quod fratri cariſſimo, & fideli conſervo.

Nomina dignitatis fugit. 1. PRimo ne mireris ſi terrear dignitatis nominibus, cum me ipſis rebus ſentiam indignum. Et te quidem decet ut facis, ſed mihi aſſentire non expedit.
Rom. 12. 10. Nam ſi tibi obſervandum putas illud, *Honore invicem prævenientes*, &, *ſubjecti invicem in timore Chriſti*: ſi non
Epheſ. 5. 21. fruſtra utrobique poſitum eſt *invicem*, intelligis & mihi æque utrumque congruere. Quod ſi cogitas tibi il-
S. Reg. c. 63. lam Regulæ ſententiam obſervandam †, *Juniores priores*
Matt. 20. 16. *ſuos honorent*: mihi e regione in mentem venit ex regula Veritatis: *Erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi*;
Luc. 22. 26. &. *Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut junior*, &, *Quanto ma-*
Eccli. 3. 20. *jor es, tanto humilia te in omnibus*; &, *Principem te con-*
Eccli. 32. 1. *ſtituerunt? eſto inter illos quaſi unus ex illis*; &, *Non*
2. Cor. 1. 23. *quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii*
Matt. 23. 8. *veſtri*; &. *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*; &, *Patrem*
9. *nolite vocare vobis ſuper terram.* Quantum itaque tuis attollor favoribus, tantum his molibus premor. Unde
Pſal. 87. 16. merito in pſalmo non canto, ſed plango: *Exaltatus*
Pſal. 101. 11. *autem humiliatus ſum & conturbatus*, &, *Quia elevans alliſiſti me.* Sed verius fortaſſe proferrem quod ſentio; quia videlicet qui me exaltat, humiliat; & qui me humiliat, exaltat. Tu me ergo potius exaltando dejicis, & extollendo premis. Sed ne ita premas ut opprimas, conſolantur me hæc & his ſimilia Veritatis teſtimonia, quæ miro modo, dum reprimunt, erigunt; dum dejiciunt, erudiunt: ita ut unde projectus, inde & pro-
Pſal. 118. 71. vectus, tota cum hilaritate decantem: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.* Et hoc miraculum agit ſermo Dei vivus & efficax; hoc illud Verbum per quod facta ſunt omnia, benigniſſi-
Matth. 11. 30. me & potentiſſime operatur; hoc denique facit jugum Chriſti ſuave, & onus leve.

2. Libet admirari quàm leve ſit onus Veritatis. Num vere leve eſt, quod portantem non gravat, ſed levat? Quid eo levius onere, quod non ſolum non onerat, ſed & portat omnem, cui portandum impo-
Onus Chriſti quomodo leve. nitur? Hoc onus potuit uterum gravidare virgineum, gravare non potuit. Hoc onus ipſa, quibus ſe præbuit ſuſtentandum, ſenis Simeonis brachia ſubſtentabat. Hoc etiam Paulum, in gravi licet & corruptibili corpore poſitum, rapiebat uſque ad tertium cælum. Quæro in rebus ſi quid forte huic exoneranti oneri ſimile inveniam, & occurrit mihi de pennis avium, quod ei utcumque coaptem: quæ quodam videlicet ſingulari modo, & corpulentiorem reddunt ſubſtantiam, & agiliorem. Mirum opus naturæ! Unde groſſeſcit materia, inde ſarcina levigatur; & quantum creſcit in maſſa, tantum decreſcit in pondere. Hoc plane in pennis, Chriſti oneris exprimit ſimilitudinem, quod & ipſæ ferunt à quibus feruntur. Quid & de quadriga dicam? Hæc nimirum admota jumento, ſarcinam quæ ab ipſo moveri non poterat, auget quidem, ſed portabiliorem facit. Onus oneri additur, & minus onerat. Sic & oneri graviſſimo Legis accedens quadriga Evangelii, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.
Pſal. 147. 15. *Velociter*, ait, *currit ſermo ejus.* Sermo utique ante notus in Judæa tantum, nec ſe præ ſui quidem gravedine valens ultra extendere; quippe qui & ipſius
A Moyſi manus ſuo pondere prægravatas demitteret: levigatus per gratiam, & rotis evangelicis ſuperpoſitus, velociter in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ celerrime pervolavit. Sed longe nimis digredior.

3. Tu itaque, dilectiſſime, ceſſa jam indebitis me honoribus magis obruere, quàm attollere. alioquin cœtui te inimicantium mihi, amica licet voluntate, commiſces. Ipſi ſunt, de quibus ſoleo ſoli Deo ita conqueri in orationibus: *Et qui laudabant me, adver-* Pſal. 101. 9.
ſum me jurabant. Ad quam meam querimoniam Deum
B audio reſpondentem mox, & atteſtantem quod verax ſit: *Vere*, inquit, *qui te beatificant, in errorem te mittunt.* Pſal. 3. 10.
Et ego: *Avertantur* ergo, inquam, *ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Quod tamen ne pu- Pſal. 69. 4.
tetur in quoſcumque adverſarios à me quandoque in- Quomodo ſe
torta maledictio vel imprecatio, exponere debeo qua- gerat erga laudatores
liter intelligam. Precor nimirum, ut quicumque exi- ſuos.
ſtimant de me ſupra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me; avertantur, id eſt à laudibus meis in quas ignari nimie feruntur, reſiliant, & pedem retrahant. Quomodo? Quandoque videlicet cognoſcentes plenius quem immoderatius laudant, &
C conſequenter erubeſcentes vel errorem ſuum, vel amici deprehenſam inutilitatem. Et hoc modo utrumque nocentium genus, & illi ſcilicet qui volunt mihi mala, & me adulatorie commendant; & hi qui licet innocenter, tamen nocent, dum benevole quidem, ſed nimie laudant; avertantur retrorſum, & erubeſcant: hoc eſt tam vilis & abjectus eis appaream, quatenus pudeat eos talem ita laudaſſe, & ſic deſinant jam indiſcrete laudare. Igitur adverſus utroſque laudatores illis me duobus munire conſuevi verſiculis: contra malevolos quidem priorem, *Avertantur retrorſum* Pſal. 69. 4.
& erubeſcant qui volunt mihi mala; contra benevolos autem proferens ſequentem, *Avertantur ſtatim erubeſ-* Ibidem.
D *centes qui dicunt mihi, Euge, euge.*

4. Cum ergo, ut ad te revertar, exemplo Apoſtoli 2. Cor. 1. 23.
tuæ religioſitati non dominari, ſed congratulari tan- Matth. 23. 9.
tum debeam; & juxta verbum Domini unus ſit pater noſter in cælis, nos autem omnes fratres ſimus: non immerito domini, Patriſque celſa nomina, quibus me Dominus & Pater non
honorandum, ſed non onerandum putaſti; ſcuto à me vult dici.
veritatis repuli, congruentius pro his me Fratrem nominans & Conſervum, tum propter eamdem hereditatem, tum propter æquam conditionem; & ne, ſi forte quod Dei eſt, uſurpavero mihi, audiam ab ipſo: *Si* Malach. 1. 6.
ego Dominus, ubi eſt timor meus? ſi pater, ubi eſt honor meus? Et patris quidem habere me erga te affectum
E non nego, ſed auctoritatem renuo. Nec enim te minore (ut exiſtimo) quàm paterno complector affectu. Hæc ergo pro tituli cauſa.

5. Jam vero ut ad reliqua epiſtolæ tuæ reſpondeam, Abſentia
eamdem, quam tu de mei, poſſem & ego viciſſim de amici ut fe-
tui abſentia non immerito facere querimoniam: niſi renda.
quia noſtris (quod ipſe non negas) & affectibus & profectibus Dei eſt præponenda voluntas. Alioquin quando ego te comitem mihi cariſſimum valdeque neceſſarium, quippe obedientiſſimum in agendis, ſtudioſiſſimum in inquirendis, in conferendis utiliſſimum,
F promptiſſimum in rememorandis, paterer longe fieri à me, ſi non eſſet Chriſtus in cauſa? Beati ſi ſic permanſerimus uſque in finem, ſemper & ubique quærentes non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti.

[a] Fuſniacum, *Foigny*, diœceſis Laudunenſis, filia Claræ-vallis, a Bartholomæo epiſcopo anno 1121. fundari cœptum, ex Charta in Notis ad Guibertum relata pag. 619. ubi Fibertus ſeu Eilbertus, ſancti Michaelis in Teraſcia abbas è noſtris, locum monaſterio condendo ceſſiſſe perhibetur. Primus Fuſniaci abbas Rainaldus, cui hæc epiſtola inſcripta eſt. De Fuſniaco vide epiſtolam 5. & lib. 1. de vita S. Bernardi num. 52 & Notas fuſiores.

Ad Eundem.

EPISTOLA LXXIII.

Rainaldum de commiſſo ſibi prælationis munere nimis anxium & querulum inſtruit; monetque opem & ſolatium ſuis potius impendendum, quàm ab eis requirendum.

Dilectiſſimo [a] filio ſuo Fuſniacenſi abbati ſpiritum fortitudinis.

a Sic cod. Corb.

Querelas ejus amice reprimit.

1. PLangis, dilectiſſime fili Rainalde, ſuper multis tribulationibus tuis, piiſque querimoniis me quoque excitas ad plangendum. Nec enim te dolente poſſum non dolere, nec niſi moleſtus & anxius tuas moleſtias & anxietates audire. Verum quia hæc ipſa mala quæ te inveniſſe cauſaris, & ego prævideram, & tibi, ſi recordaris, prædixeram; puto te levius præſcita portare debere, & mihi unde parcere potes, moleſtum non eſſe. Satis namque & pluſquam ſatis crucior te carendo, te non videndo, te dulciſſimo mihi ſolatio non fruendo: ita ut pæne pœniteat me, quod te elongaverim à me. Et licet caritas hoc cogeret, quacumque tamen neceſſitate, quo te non videam, miſſum, plango te tamquam amiſſum. Cum ergo ſuper hoc etiam velut quodam tuæ puſillanimitatis baculo me percellis, qui mihi debueras eſſe baculus ſuſtentationis; triſtitiam ſuper triſtitiam ingeris, & cruciatum cruciatibus addis: & ſi mihi pium eſt nullas tuas anguſtias diſſimulare, tibi tamen durum eſt ſic affecto cunctas indicare. Quid enim neceſſe eſt ſatis ſollicitum amplius ſollicitare, & abſentia filii ſaucia patris viſcera gravioribus torquere doloribus? Onus meum tibi partitus ſum ut filio, ut neceſſario, ut fideli coadjutori meo. Vide quomodo te oporteat paternam portare ſarcinam. Si enim ſic portas, ut me non alleves, ſed magis premas; tu quidem es oneratus, ſed ego non ſum exoneratus.

Infirmorum cura Prælato magis competit quàm ſanorum.

2. Hoc autem onus animarum eſt, & infirmarum. nam quæ ſanæ ſunt, portari non indigent; ac per hoc, nec onus ſunt. Quoſcumque igitur de tuis inveneris triſtes, puſillanimes, murmuroſos; ipſorum te patrem, ipſorum te noveris eſſe Abbatem. Conſolando, exhortando, increpando agis opus tuum, portas onus tuum, & portando ſanas, quos ſanando portas. Si quis vero ita ſanus eſt, ut magis juvet te, quàm juvetur à te: hujus te non patrem, ſed parem; comitem, non Abbatem agnoſcas. Quid igitur cauſaris, te aliquorum qui tecum ſunt, magis gravari conſortio, quam frui ſolatio? cum ſolus omnium omnibus datus ſis ſolatium, tamquam omnibus ſanior, omnibus fortior, qui omnibus ſufficias per Dei gratiam ſolatiari, & à nemine omnium indigeas confortari? Denique in quantum gravaris, in tantum lucraris; & in quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis. Elige ergo quos eligas, an qui gravando juvant, an qui juvando gravant. Hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum exſiſtunt. Nam qui ſocii laboris, proculdubio & mercedis participes erunt. Sciens ergo te miſſum juvare, non juvari; illius te agnoſce vicarium qui venit miniſtrare, non miniſtrari. Plura tibi ad tui conſolationem ſcribere volebam: ſed non fuit neceſſarium. Nam quid opus eſt verbis ſuperfluis mortuam chartam implere, ubi viva præſens loquitur? Viſo ſiquidem Priore, puto quod iſta tibi ſufficiant, & ad ejus præſentiam ſpiritus tuus revixerit, ita ut jam conſolationem ſcriptorum non requiras, cui interim licet verborum illius ſolatio relevari: in quo & per quem meum quoque ſpiritum, quem tibi in tuis litteris mitti poſtulaſti, ſi quo modo tamen mittere potui, miſſum eſſe non dubites: cui quippe, ut bene noſti, idem mecum conſilium, eadem ſolet eſſe voluntas.

Inſirmi majoris meriti materia.

Ad Eundem.

EPISTOLA LXXIV.

Optaverat Bernardus Rainaldum moleſtis abſtinere querimoniis: nunc jubet de rebus ejus ſe reddi certiorem.

SPerabam, cariſſime, aliquod me percepturum meæ pro te ſollicitudinis remedium, ſi tua te non indicante neſcirem incommoda. Unde & in alia epiſtola [a] memini me ad te ſic inter cetera ſcripſiſſe. "Etſi inquam, mihi pium eſt nullas tuas anguſtias diſſimulare; tibi tamen durum eſt ſic affecto cunctas indicare." Sed ecce unde meas mihi curas credidi levigari, inde fateor amplius gravari me ſentio. Nam ante quidem ſola, quæ te innoteſcente perceperam, aut dolebam, aut metuebam. Nunc autem quid umquam mali evenire poteſt, quod ego non metuam? Immo juxta tuum Ovidium,

Bernardi tener amor in ſuos.

a Epiſt. præcedente.

Quando ego non timui graviora pericula veris?

Ovidius in epiſt.

eo quippe ſuſpectus omnia, quo incertus de omnibus, veram ſæpe de falſis triſtitiam contrahere cogor. Mens ſiquidem quàm ſemel affecerit caritas, ſui juris eſſe non ſinitur. Metuit quod neſcit; dolet quod non oportet; ſollicitatur pluſquam voluerit, & unde noluerit, compatitur nolens, miſeretur invita. Et quia vides, fili, nec meam meticuloſam induſtriam, nec tuam piam prudentiam in hac parte prodeſſe mihi; jam, quæſo, noli celare quæ circa te aguntur: ne unde te mihi parcere putas, magis affligas. Opuſcula mea quæ habes, da operam, cum opportune potueris, ut habeam.

Vis & natura caritatis.

Ad ARTALDUM Pruliacenſem [a] abbatem.

EPISTOLA LXXV.

Ann. CHR. MCXXVII.

Diſſuadet monaſterii conditionem in Hiſpania.

Dulciſſimo amico & confratri ſuo ARTALDO abbati, Fr. B. ſalutem.

QUicquid gratiæ & dilectionis impendere ſibi poſſunt abſentes amici, puto & me debere tibi, & mihi deberi à te, non ſolum ob conſortium propoſiti & profeſſionis, ſed etiam ex debito noſtræ invicem priſtinæ ſocietatis. quæ tam grata utrique, tamque debita devotio, quantum in unoquoque noſtrum ferveat, in nullo evidentius agnoſcere ſeu innoteſcere poſſumus, quàm ſi alterutrum non celemus, ſi quid forte de alterutro quod non deceat, audimus. Audivi autem ego de te, quod de ſancto conventu tuo abbatiam in Hiſpania conſtruere velis. Quod mihi nimirum in magnam admirationem venit, quid cauſæ videlicet ſit, quid conſilii, quidve utilitatis, quod filios tuos exſulare cupis, in locum utique tam longinquum, tanto ſumptu & labore & quærendum, & ædificandum: cum prope te habere poſſis, ubi eos colloces, jam ædificatum & bene præparatum. Nec enim (ut reor) hinc te excuſare potes, quod locus ille tuus non ſit; cum certiſſime ſciam, quod facillime, ſi vis, tuus eſſe poſſit. Numquidnam domnus Abbas Pontiniacenſis [b], qui illum tenet, tibi requirenti negaret? Immo ſi velles accipere, gratiſſimum haberet: non quia bonus non eſt, ſed quia ſibi, ut ſcis, opus non eſt. Timendum valde tibi pariter & mihi, ne ſi ſollicite in operibus noſtris non ſervamus quod Apoſtolus dicit, *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*: citius, quia juvenes ſumus, de levitate notemur. Sed confido quia tu conſultius ages, & locum qui vicinior & jam conſtructus eſt, eliges: quem amico quidem tenenti noſti oneri eſſe, tibi autem neceſſarium fore. Vale.

1 Tim 4. 12.

a Hanc inſcriptionem, uti & plures alias, reſtituit codex Corbeienſis. Artaldus iſte ſeu Artaudus abbas fuit Pruliacenſis (male in veteri editione *Pulcarienſis*) Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Senonenſi, vulgo *Pruly*, ex aliis Notis.

b Sic codex Corbeienſis, in aliis P. Locus de quo hic agitur, eſt Vallis-lucenſis, in quo Artaldus conſilio Bernardi monaſterium conſtruxit anno 1127 (quæ hujus epiſtolæ epocha) duodecim monachis eo miſſis ſub Norpaldo abbate.

Ad Abbatem [a] Canonicorum S. Petri de Monte.

EPISTOLA LXXVI.

Quid agendum cum viro, qui poſt diuturnam in domo & habitu religioſo converſationem, ad ſæculum & ſecundas nuptias tranſierat.

Reverendiſſimo Patri Canonicorum ſancti Petri de Monte, Frater BERNARDUS, debitæ dilectionis officium.

UNde placuit tuæ dignationi fratrem hunc noſtram parvitatem conſulere; ſic nos quod nobis viſum fuit, noveris conſilium dediſſe, ut ſaniori non præjudicaverimus. Ne ergo rerum quas ſcis, ſuperflua narratione te gravemus, hæc eſt ſumma conſilii. Periculoſum quidem eſt, & fortaſſis illicitum, hominem poſt diutinam in domo & habitu religionis converſationem ad ſæculum rediſſe: quique prius, & adhuc priore uxore ſua vivente ac conſentiente, fortiſſime ac diutiſſime continentiam tenuit, ſecundis rurſus amplexibus ſe ineptiſſime atque inhoneſtiſſime implicuiſſe. Quia tamen publice ac ſollemniter juxta morem ceterorum hominum, & ſine querela vel calumnia ipſum qualecumque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum, illum illam non conſentientem dimittere, niſi prius epiſcopalis auctoritatis vel conſilio fretum, vel imperio, aut certe eccleſiaſtico canonicoque judicio. Quoniam vero hoc tam grande hominis periculum ad te nimirum non minima ex parte reſpicere credimus; (ex eo quippe quod volentem ac flagitantem ſuum confirmare propoſitum, nimis ſuſcipere diſtuliſti, occaſione ſumptâ, diabolus in hæc eum mala præcipitavit) omnino ex caritate ſuademus & conſulimus, ut quacumque induſtria, quocumque ſumptu vel labore potes, miſerum omni modo ſatagas liberare: conveniendo ſcilicet aut mulierem, ut illum ſponte dimittat, & continentiam promittat; aut Epiſcopum ut ambos vocari jubeat, &, quod recto poſſe fieri credimus judicio, ſeparet.

Ad Magiſtrum HUGONEM de S. Victore.

EPISTOLA LXXVII.

Hæc quoque Epiſtola hoc loco ſublata, inter Tractatus Tomo IV. locum meruit.

Ad SUGERIUM abbatem ſancti Dionyſii.

EPISTOLA LXXVIII.

Circa MCXXVII.

Laudat Sugerium, miſſo faſtu & externo ſplendore, ad modeſtiæ & religioſæ diſciplinæ curam inopinato converſum. Clericum aulæ potius, quàm Dei miniſterio deditum acriter perſtringit.

1. EXiit ſermo [b] bonus in terram noſtram, in bonum ſine dubio bonis cooperaturus, ad quoſcumque pervenerit. Enimvero audientes omnes qui timent Deum, quanta fecit animæ tuæ, gaudent & ſtupent ſuper tanta & tam ſubita mutatione dexteræ Excelſi. Ubique in Domino laudatur anima tua, audiunt manſueti & lætantur; & mirantur etiam qui te non * noverunt, ſed tantum audiunt, qualis de quali factus es; atque in te Deum glorificant. Auget vero gaudium & miraculum pariter, quod ſalutis conſilium, cælitus infuſum tibi, protinus tuis refundere, atque ita implere ſategiſti quod legitur: *Qui audit, dicat. Veni.* & illud: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Sic ſtrenuus in bello miles, immo ſic pius ac fortis militum dux, ubi ſuos forte conſpexerit in fugam verſos, jamque hoſtili paſſim gladio trucidari, etſi ſe vel ſolum videat evadere poſſe, libet tamen mori magis cum illis, ſine quibus vivere pudet. Proinde ſtat in prœlio, fortiter dimicat & inter cruentos gladios per medias acies hac illacque diſcurrens, voce & enſe terret quantum valet adverſarios, animat ſuos. Ubi acrius inſiſtere hoſtem, ſociiſque gravius comperit imminere periculum; ibi adeſt. Occurrit ferienti, pereunti ſuccurrit: eo quippe mori paratus pro ſingulis, quo deſperatus de univerſis. At vero dum pauliſper retentare & retardare nititur inſequentes; ſuos vero quos valet, erigit corruentes, revocat fugientes: fit plerumque ut in manu forti tam gratam, quàm inopinatam obtineat ſalutem ſuis, hoſtibus confuſionem. Fugant tandem quos fugiebant, ſuperant quos pæne ſuſtinebant victores: & qui prius periclitabantur de vita, poſtmodum exultant de victoria.

al. videant. — *Apoc. 22. 17.* — *Matt. 10. 27.* — *Strenui ducis munus.*

2. Sed quid nos tam religioſum, tam forte factum ſæcularibus comparamus, quaſi exempla nobis de ipſa deſint religione? Annon liquido certus erat Deo pollicente Moyſes, ſiquidem periſſet populus cui præerat, ſe non ſolum pariter periturum non eſſe, ſed inſuper & miſſum iri in gentem magnam? Et tamen quo affectu, quo ſtudio, quibus pietatis viſceribus irritantibus ſubvenit, obviat iraſcenti? Denique & ſe objiciens pro delinquentibus ait: *Si dimittis, dimitte; ſin autem, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Fidelis advocatus, qui quoniam non quærit quæ ſua ſunt, facile obtinet omne quod quærit. Plane benignus, qui tamquam caput unitum membris, genti ſuæ firma caritate cohærens, aut illam ſalvabit ſecum, aut non poteſt niſi idem cum illis ſubire periculum. Jeremias quoque vinctus * & ipſe inſeparabiliter ſuis, ſed affectu compaſſionis, non contentionis aſſenſu, præ communi exſilio & ſervitute contempſit natale ſolum ac propriam libertatem *. Quippe cui ceteris migrantibus libere manere in patria liberum fuit: ſed maluit captivus abduci cum populo, cui ſe fore * & in ipſa captivitate noverat neceſſarium. Paulus eodem proculdubio ſpiritu optans anathema eſſe ab ipſo etiam Chriſto pro fratribus, proprio experitur affectu, quam vera ſit illa ſententia: *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Videtis quorum vos imitatorem probaveritis? Sed addo adhuc (quem pæne prætermiſeram) & ſanctum David, qui cernens dolenſque populi ſtragem, Angelo percutienti feſtinus occurrit, & in ſe potius domumque patris ſui divinam transferri flagitat ultionem.

Miræ erga proximum caritatis exempla. — *Exod. 32. 32.* — * *al. junctus.* — * *al. voluntatem.* — * *al. forte.* — *Rom. 9. 3.* — *Cant. 8. 6.* — *2. Reg. 24. 17.*

3. Quis hanc tibi perfectionem proponebat? Ego tanta fateor audire de te, etſi deſiderabam, non tamen ſperabam. Quis nempe te crederet ſaltu (ut ita dicam) repentino ſumma occupare virtutum, ſublimia meritorum attingere? Sed abſit, ut pro noſtræ fidei ſpeive anguſtiis immenſa Dei pietas æſtimetur, qui quod vult, in quo vult operatur, accelerans opus, & allevans onus. Quid enim? tua certe, non & tuorum errata, ſanctorum carpebat zelus: tuis, non ipſorum exceſſibus ſuccenſebant: ſolamque in perſonam tuam, non etiam in abbatiam fraternum ſuſurrium immurmurabat. Solum denique te in cauſam vocaverant. Tu te corrigeres, & nil reſiduum quod pateret calumniæ. Te, inquam, mutato, mox omnis tumultus concideret, quieſceret ſtrepitus. Solumque ac totum erat quod

Sugerii priſtinos exceſſus memorat.

a Inſcribitur hactenus, *ad eumdem.* Sed veram inſcriptionem, ac proinde titulum, reſtituimus ex ſæpe laudato Corbeienſi mſ. Eſt autem abbatia S. Petri de Monte, *S. Pierre-mont*, diœceſis Tullenſis, Ord. S. Auguſtini, non procul à Mortana fluviolo, qui in Mortam influit. Hæc epiſtola explicat dubium ipſi Bernardo propoſitum in Opuſculo 4. de Præcepto & Diſpenſ. cap. 17.

b Nempe de ejus converſione, haud dubie Bernardi monitis concepta ſub annum 1127. tametſi monaſterii S. Dionyſii reformatio per Sugerium anno 1125. forſan anticipato, refertur in Chronico Nangiano: in quo Sugerii electio ita deſcribitur. *Sugerius ancti Dionyſii monachus, utpote in ſcientia clarus, cum ſolummodo eſſet ad diaconatus ordinem promotus, à Roma regrediens, quo fuerat à rege Franciæ Ludovico miſſus, abbate ſuo Adam defuncto eligitur in abbatem qui reverſus primo Presbyter ordinatur, & poſt præſente Rege à Bituricenſi archiepiſcopo in ſua ſancti Dionyſii eccleſia in abbatem benedicitur.* Alia Horſtii Notæ.

nos movebat, tuus ille ſcilicet habitus & apparatus cum procederes, quod paulo inſolentior [a] appareret. Denique deponeres faſtum, habitumque mutares, & facile omnium quieſcere poterat indignatio. Ceterum tu & feciſti ſatis cauſantibus, & adjeciſti quod merito collaudemus. Quid enim jam in humanis operibus jure laudabitur, ſi hoc ſumma admiratione & laude digniſſimum non habetur? Quamquam non humanum, ſed divinum profecto ſit opus, tantorum ſimul & tam repentina immutatio. In cæleſtibus magnum ſuſcitat gaudium unius peccatoris converſio: quid totius congregationis? quid & iſtius?

Monaſterii S. Dionyſii laudes ſtatus

4. Locus quippe ab antiquo nobilis, & regiæ dignitatis extiterat; palatii cauſis regumque exercitibus deſervire ſolebat. Sine cunctatione & fraude, ſua Cæſari reddebantur: ſed non etiam Deo [b] quæ Dei ſunt, perſolvebantur æque fideliter. Quod audivimus, non quod vidimus, loquimur: clauſtrum ipſum monaſterii frequenter (ut aiunt) ſtipari militibus, urgeri negotiis, jurgiis perſonare, patere interdum & feminis. Quid inter hæc cæleſte, quid divinum, quid ſpirituale poterat cogitari? Nunc vero vacatur inibi Deo, ſtudetur continentiæ, diſciplinæ invigilatur, lectionibus ſanctis intenditur. Juge quippe ſilentium, & ab omni ſtrepitu ſæcularium perpetua quies cogit cæleſtia meditari. Porro continentiæ labor, & rigor diſciplinæ, pſalmorum hymnorumque dulcedine relevantur. Pudor de præteritis novæ converſationis temperat auſteritatem. Is autem qui in præſenti per patientiam capitur bonæ conſcientiæ fructus, futurorum quoque bonorum operatur deſiderium, quod non fruſtrabitur; & ſpem, quæ non confundit. Venturi timor judicii pio cedit fraternæ caritatis exercitio: *Caritas* quippe *foras mittit timorem*. Tædium & acediam procul pellit ſanctarum varietas obſervationum. Et hæc reteximus ad laudem & gloriam Dei, tamquam omnium auctoris; non tamen ſine veſtra, tamquam ipſius coadjutoris in omnibus. Potuit quidem ea ipſe agere ſine vobis; ſed maluit vos operum habere conſortem, ut haberet & gloriæ. Increpabat Salvator quoſdam, quod orationis domum ſpeluncam latronum facerent. Habebit ergo ſine dubio commendatum, qui è regione operam dedit vindicare ſanctum à canibus, à porcis margaritam; cujus ſtudio & induſtria Vulcani officina ſtudiis videtur mancipata cæleſtibus, immo ſua Deo habitatio reddita; & in id potiùs quod ante fuit, ex ſynagoga ſatanæ reſtituta.

Regularis obſervantiæ reſtauratio

Matth. 21. 13.

5. Sane non ad confuſionem cujuſpiam ſive improperium præterita mala reteximus: ſed ut ex comparatione veterum, novitatis decus gravius venuſtiuſque appareat. quia tunc recentia jucundius bona clareſcunt, cum fuerint malis comparata prioribus. Similia ex ſimilibus innoteſcunt: ſed ex contrariis contraria aut placent amplius, aut diſplicent. Junge nigra candidis; & mutua collatione in proprio quæque colore diſtinctius eniteſcunt. Sic fœda admota pulcris, pulcriora reddunt, magis fœda redduntur. Ne qua tamen offenſionis vel confuſionis ſubrepat occaſio, replicamus & nos vobis illud Apoſtoli: *Et hoc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Jam nullis ſæcularibus in domum Dei patet aditus, nullus ad ſancta curioſis acceſſus. Nulla jam cum otioſis confabulatio permiſcetur, ſolitus puerorum aut puellarum ſtrepitus non auditur. Solis pueris Chriſti, de quibus dicitur, *Ecce ego & pueri mei mecum*, locus ſanctus pervius & expoſitus, divinis tantum laudibus ac ſacris ſolvendis votis, debita ſollicitudine & reverentia cuſtoditur. Quàm læta Martyres aure, quorum permaxima locum ipſum turba nobilitat, horum clamores puerorum ſtrepituſque percipiunt! quibus & viciſſim non minori utique ſuæ affectionis clamore reſpondent: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*; & rurſum; *Pſallite Deo noſtro, pſallite; pſallite regi noſtro, pſallite.*

1. Cor. 6. 11

Iſa. 8. 18

Martyribus congratulantibus

Pſal. 112. 1.

Pſal. 46. 7.

6. Dum manibus pectora, genubus pavimenta tunduntur, votis & devotis precibus altaria cumulantur, ſordent genæ lacrymis, gemitibus atque ſuſpiriis mugiunt diverſoria; & pro forenſibus cauſis, canticis ſpiritualibus ſacra tecta reſultant: nil ſupernis civibus magis ſpectare libet, nil Regi ſummo jucundius exhibetur. Quid enim aliud eſt quod ait, *Sacrificium laudis honorificabit me*? O ſi quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta [*] puero revelavit! videret proculdubio, quemadmodum *præveniunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum*. Videret, inquam, qua cura, quove tripudio interſunt cantantibus, adſunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, ordinantibus & procurantibus præſunt. Agnoſcunt nimirum ſupernæ poteſtates concives ſuos; & pro his qui hereditatem capiunt ſalutis, ſollicite congaudent, confortant, inſtruunt, protegunt, providentque omnibus omnes in omnibus. Felicem ego me dixerim qui adhuc vivam, iſta etſi non videre, quoniam abſens ſum, certe vel audire. Ceterum vos fratres longe feliciores, quibus ea datum eſt & actitare. Porro ſuper omnes benedictus, quem tanti primatu boni, totius auctor boni dignatus eſt: de qua merito prærogativa tibi præcipue, cariſſime, congratulamur, per quem utique totum eſt quod miramur.

Pſal. 49. 23.

* ſcil. Eliſæus 4 Reg. 6. 17.

Pſal. 67. 26.

Angelici ſpiritus ſe miſcent pſallentibus.

7. Gravaris forſitan laudibus noſtris: ſed non oportet. Nil quippe ſimile habet quod loquimur, illorum blanditiis, *qui dicunt bonum malum, & malum bonum*: atque ita quemcumque beatificant, in errorem inducunt. Blanda, ſed periculoſa laus, cum *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Noſter qualiſcumque favor de caritate procedit, & veritatis limitem, prout ſapimus, non excedit. Securus gloriatur, qui in Domino gloriatur, hoc eſt in veritate. Nos non malum bonum, ſed malum diximus quod malum erat. Verum ſi malis audacter [c] cum vidimus, oblatravimus: nunc cum ad bona ventum eſt, ſilere debemus, & non magis teſtimonium perhibere bono? Alioquin corroſores fuiſſe convincimur, non correctores: & mordere, quàm emendarè maluimus, ſi bonis obmuteſcimus, qui in tantum reclamavimus malis. Juſtus corripit in miſericordia, peccator adulatur in impietate; ille ut curet, iſte ut occultet quod erat curandum. Nihil tibi apud eos qui timentes Dominum glorificant, ſuſpicandum eſt de oleo peccatoris, quo tuum quondam caput impinguare ſolebant. Laudamus te, quoniam tu facis unde. Non nos ſane adulamur, ſed in te Dei munere adimpletur quod pſallis: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verbo tuo ſuperſperavi.* & item: *Collaudabunt multi ſapientiam ejus.* En tuam quamplures prædicant ſapientiam, ſed qui priorem deteſtati ſunt inſipientiam.

Iſai 5. 20.

Pſal. 9. 3.

Laus periculoſa quæ.

Pſ. 118 74.

Eccl. 39. 12.

8. Volo te talium præconiis delectari, qui tam timeant palpare vitia, quàm detractare virtutibus. Væ! iſti ſunt laudatores, qui ita bona laudare ſoleant, ut lactare in malis non noverint. Sunt enim ficti laudatores, veri autem detractores, quos Scriptura commemorat, dicens: *Vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Hi plane ſunt devitandi, juxta conſilium Sapientis dicentis: *Fili ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Habent ergo & lac & oleum peccatores, ſuave quidem, ſed venenoſum, ſed mortiferum. *Molliti ſunt*, inquit, *ſermones ejus*, hoc eſt adulatoris, *ſuper oleum*,

Adulatorum oleum venenoſum.

Pſal. 61. 10.

Prov. 1. 10.

Pſal. 54. 22.

Illorum contra.

a Forte de ipſo intelligendum quod Bernardus ait in Apologiæ cap. 10. *Mentior ſi non vidi Abbatem, ſexaginta equos, & eo amplius, in ſuo ducere comitatu*, &c.

b Id confirmat Guillelmus Nangius ad annum 1123. *Nam per Abbatum negligentiam, qui ante ipſum fuerant, & quorumdam illius monaſterii monachorum, regularia inſtituta ita ab eodem loco abjecta fuerant, quòd vix ſpeciem religionis monachi prætendebant.*

c Hinc apparet, Bernardum in laxiores ejus cœnobii monachorum mores antea ſcripſiſſe, forſan in Apologia, ut mox notatum.

& ipſi

& ipſi ſunt jacula. Habet oleum & juſtus: ſed miſericordiæ, ſed ſanctificationis, ſed lætitiæ ſpiritualis. Habet etiam & vinum, quod animæ inſolentis infundat vulneribus. Siquidem dolentis, & quem * corde viderit eſſe contrito, oleo miſericordiæ conſuevit delinire triſtitiam. Ubi corripit, vinum infundit; oleum, cum blanditur: & quidem vinum abſque odio, oleum ſine dolo. Proinde non omnis laus, adulatio; ſicut nec omnis reprehenſio de animi rancore deſcendit. Beatus qui dicere poteſt: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* quod ubi longe feciſti a te, dignum te probaſti oleo & lacte ſanctorum.

al. quem. — *Non omnis laus adulatio.* — *Pſal. 140.*

9. Quærant ſibi jam in parvulis Babylonis dulces, ſed truces matres, quibus lac mortis emulgeant, quos blandis mulceant favoribus, ac flammis nutriant ſempiternis. Nam Eccleſiæ alumnus ex uberibus ſapientiæ, lactis melioris expertus dulcedinem, jam in eo cœpit creſcere in ſalutem; jam & ex eo ſatiatus eructat dicens, *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et hoc ad matrem. Verum item guſtato, ac probato quam ſuavis eſt Dominus, ut vere patrem dulciſſimum, ait ad ipſum: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Impletum eſt profecto deſiderium noſtrum. Olim enim cum dolens cernerem tanta te aviditate de labiis adulantium, mortis eſcam, peccati ſugere [a] fomitem; optans tibi & gemens, intra me aiebam: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ?* Sint procul à te jam blandi ac fraudulenti lactatores, qui cum in faciem te benedicerent, probris omnium atque ludibriis exponebant; & eorum præſens *Euge*, orbis tibi fabulam pariebat, immo te fabulam orbi. Si muſſitant etiam nunc, dicito illis: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Quibus in malis placuimus, æque & in bonis placere non poſſumus: niſi forte mutati, prius incipiant & ipſi odiſſe quod fuimus, & ſic demum quod ſumus diligere.

Cant. 1. 1. — *Pſal. 30. 20.* — *Cant. 8. 1.* — *Galat. 1. 10.*

10. Duæ noſtris temporibus ortæ ſunt in Eccleſia novæ & exſecrandæ præſumptiones, quarum una (ut pace tua commemorem) tua eſt illa priſtinæ converſationis inſolentia. Sed hæc auctore Deo emendata eſt, ipſi ad gloriam, tibi ad coronam, ad gaudium nobis, omnibus ad exemplum. Poteſt etiam facere Deus, ut citius & ſuper altera conſolemur. Quam ſane odioſam admodum novitatem & vereor proferre in medium, & prætermittere gravor. Urget quippe linguam in verba dolor, ſed timor ligat. Timor duntaxat, ne quem offendam, ſi palam fecero, quod me movet, quoniam veritas nonnumquam odium parit. Verumtamen de hujuſmodi odio, ipſam quæ parit illud, ita me audio conſolantem: *Neceſſe eſt*, ait, *ut veniant ſcandala.* Nec me, ut æſtimo, tangit omnino quod ſequitur: *Væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit.* Cum enim carpuntur vitia, & inde ſcandalum oritur; ipſe ſibi ſcandali cauſa eſt, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. Denique nec cautior ſum in verbo, nec circumſpectior in ſenſu, illo qui ait *: *Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur.* Quamquam neſcio quid proſit, ſi quod mundus clamat, ego tacuero; omniumque paſſim naribus injecto fœtore ſolus diſſimulo peſtem, nec audeo naſum contra peſſimum putorem propria munire manu.

Duæ in Eccleſia deteſtandæ præſumptiones. — *Matt. 18. 7.* — *Scandali non auctor qui arguit vitium.* — ** S. Greg. M. Hom. 7 in Ezech.*

11. Cujus enim cor non indignatur, cujus vel clam lingua non ſubmurmurat, Diaconum [b] contra Evangelium Deo & mammonæ pariter miniſtrantem, ſic quippe ſublimatum honoribus eccleſiaſticis, ut nec Epiſcopis inferior videatur; ſic implicatum militaribus officiis, ut præferatur & Ducibus? Rogo quid hoc eſt monſtri, ut cum & clericus, & miles ſimul videri velit, neutrum ſit? Par ſatis utrobique abuſio, ſive quod Diaconus menſæ regiæ deputetur miniſterio, ſive quod Regis Dapifer myſteriis altaris inſerviat. Quis ſane non miretur, immo & deteſtetur, unius eſſe perſonæ, & armatum armatam ducere militiam, & albâ ſtolâque indutum, in medio eccleſiæ pronuntiare Evangelium; tubâ indicere bellum militibus, & juſſa epiſcopi populis intimare? Niſi forte (quod intolerabilius eſt) erubeſcit Evangelium, de quo Vas electionis admodum gloriatur; & confunditur videri clericus, magiſque honorabile ducit putari ſe militem: curiam Eccleſiæ præfert, Regis menſam altari Chriſti, & calici Domini calicem dæmoniorum. Quod plane credibilius ex eo videtur, quia cum honores non paucos, ſed quantos nec canones niſi inviti patiuntur †, teneat in Eccleſia; unius tamen, quem & in palatio aſſecutus eſt, magis (ut aiunt) gloriatur ex nomine, quam ceterorum quolibet appellari. Cumque ſit Archidiaconus, Decanus, Præpoſitusque in diverſis eccleſiis; nihil horum tamen tam eum, quàm Regis delectat vocitari Dapiferum. O nova & exoſa perverſitas! itane plus decet hominis, quàm Dei famulum nominari? ac terreni, quam cæleſtis Regis dici Officialem, altioris ducitur dignitatis? Qui clero militiam, forum antepoMnit Eccleſiæ; divinis profecto humana, cæleſtibus præferre terrena convincitur. Ergo pulcrius eſt vocari Dapiferum, quam Decanum, quam Archidiaconum? Eſt equidem, ſed laico, non clerico; militi, non Diacono.

Diaconus menſis Principum famulari indignum. — *Rom. 1. 16. 2 Tim. 1. 8. & alibi.* — *† V. Notas.* — *Iniqua Clericalis dignitatis æſtimatio.*

12. Mira, ſed cæca ambitio, magis imis quàm ſummis delectari; & cui funes ceciderant in præclaris, inſatiabili deſiderio amplexari ſtercora, & pro nihilo habere terram deſiderabilem. Confundit penitus ordines, & utroque officio delicate ſatis abutitur: dum & hinc eum delectat pompa, non militia ſæcularis; & illinc quæſtus, non cultus religionis. In quo quis facile non advertat quantum ſit dedecoris, non minus utique regno, quàm ſacerdotio? Ut enim clericalis conſtat non eſſe dignitatis, Regum ſtipendiis militare: ſic nec regiæ majeſtatis, rem fortium adminiſtrare per clericos †. Denique quiſnam Regum ſuæ umquam militiæ clericum præfecit imbellem, & non magis quempiam fortiſſimum ex militibus? Quis item clericorum aliquando æque ſibi non judicavit indignum, laicæ cujuſcumque perſonæ mancipari obſequiis? Ipſum certe quod geſtat in capite ſignum, plus regius decet faſtus, quam famulatus; itemque regale faſtigium magis armis, quam pſalmis innititur. Sane ſi alteri forte (ut aſſolet) acceſſiſſet, quod detrahitur alteri, quo vel Regis videlicet humiliatio clericum amplius ſublimaſſet, aut clerici certe dejectio regio contuliſſet honori, (ut verbi gratia, ſi nobilis aliqua mulier viro nubat plebeio, illa quidem minuitur ex illo, ſed ex illa creſcit ille.) ſi ita, inquam, vel Rex ex clerico, vel clericus ex Rege proficeret; malum quod ex parte fuiſſet, utcumque forſitan tolerari debuerat. Nunc autem cum utriuſlibet diminutio neutrum provehat, ſed ſuæ potius alterutrum plurimum detrahant dignitatis, quando nec clericum decet Regis (ut dictum eſt) eſſe vocarive Dapiferum, & nihilo minus Regem, niſi in manu utique fortium, regni gubernacula poſſidere: mirum valde quomodo utraque poteſtas hoc patitur, quod vel Eccleſia non abjicit Diaconum militarem *, vel curia clericum principem non contemnit.

† V. Notas. — *Corona clericalis inſignia.* — ** al. militem.*

13. Et acrius iſta & multiplicius inculcare volueram, ac fortaſſis debueram, niſi epiſtolaris brevitas ſuperſedendum indiceret: maximeque quia te offendere veritus ſum, peperci homini, quippe quem tibi aiunt familiaribus jam olim amicitiis eſſe devinctum. Sed nollem te habere contra veritatem amicum. Si tamen perſiſtis, verum te amicum proba: & da operam, quomodo & ipſe amicus ſit veritatis. Tunc demum veræ erunt amicitiæ, ſi veritatis fuerint fœderatæ conſortio. Quod ſi ille non acquieverit tibi; tene quod tenes, hoſtiæque caudam junge capiti †, ac tunicam, Dei gratia jam polymitam,

Amicitia vera. — *Hortatio ad perſeverantiam.* — *† V. Notas.*

a Alludit Bernardus hoc loco ad Sugerii nomen.
b Nempe Stephanum de Garlanda, Ludovici VI. Regis Dapiferum, de quo vide Notas prolixiores. Ambos, id eſt Sugerium & Stephanum, Deo lucratus eſt Bernardus.

cura facere & talarem: quoniam cœpiſſe nil prodeſt, ſi (quod abſit) non perſeverare contigerit. Et hic ſit epiſtolæ finis, ubi tu de fine boni commonitus es.

Ad abbatem [a] Lucam.

EPISTOLA LXXIX.

Circ. ann. MCXXX.

Feminarum contubernium fugiendum monet. Et quid de Fratre in crimen lapſo faciendum.

1. BOnum nobis de te, cariſſime, & bonum valde rarum oſtendiſti, dum minoris te, non ſolum non contempſeris monita, ſed gratias inſuper retuleris monitori: prudenter utique non à quo, ſed quid monereris attendens. Gratias ago & ipſe Deo, quod mea præſumptio gratiam egit magis, quàm indignationem meruerit. Tenentes itaque tuæ tantæ humilitatis inſigne, ampliori jam fiducia monemus quod & prius monuimus. Obſecramus per ſanguinem illum qui pro animabus fuſus eſt, ne tanti emptarum parvipendatur periculum, quod maxime ex virorum & feminarum cohabitatione non immerito timetur ab his, qui in ſchola Dei diu jam contra diaboli tentamenta luctati, propria experientia edocti dicere poſſunt cum Apoſtolo: *Nos enim ignoramus aſtutias ejus.* Denique quàm non negligenter te oporteat audire non meum, ſed ipſius Apoſtoli de hac re conſilium, immo præceptum aperte clamantis, *Fugite fornicationem*; ipſius nunc tam turpiter lapſi fratris (ſuper quo & noſtram dignatus es conſulere parvitatem) te doceat experimentum. De quo quidem miror, quid tibi viſum fuerit, me tam remotum expetere conſultorem, cum prope habeas virum ſapientem noſtri Ordinis, & tuæ præcipue domus amatorem, Guillelmum ſcilicet abbatem ſancti Theoderici *. Sed & apud Præmonſtratum non ambigo viros eſſe conſilii, qui in rebus dubiis enodandis & prudentes ſint & fideles.

Mulierum cohabitatio viris noxia.

2. Cor. 2.

1. Cor. 6. 18.

* de quo ep. 85. & 86.

2. Verumtamen quia ſic tibi placuit, videris tu cur ita placuerit, ego labia mea non prohibebo. Si frater caſum ſuum, quantumlibet gravem, quantumlibet turpem, prior ipſe confeſſus fuiſſet; & curandus foret, & non effugandus. Nunc autem quoniam tanti mali aliunde fœtor emerſit; nihilominus quidem ejus, ſi fieri poteſt, curationi operam dare neceſſe eſt, ſed aliter. Fortaſſis enim non expedit, ut ulterius apud vos remorari ſinatur: ne forte (quod te non immerito quidem timere ſcripſiſti) puſillus & novellus grex hujuſmodi tabe contaminetur. Nec tamen filio, quantumlibet peccatori, paterna omnino claudenda ſunt viſcera. Arbitror autem & patri pium, & filio tutum eſſe conſilium, ſi quæras ei quomodo in aliqua e remotioribus domini Norberti domibus recipiatur, ubi ſub diſtrictiori diſciplina, mutato loco, non propoſito, pœnitentiam agat, donec quandoque, cum tibi viſum fuerit, ad locum proprium revocetur. Nam ad noſtrum Ordinem ut tranſeat, veſtro fortaſſis non expedit. Et quidem quod ſcripſiſti, illum ſæpe dixiſſe, noſtra ſe promiſſione tenere, quia eum, ſi cum licentia veniret, ſuſciperemus; hoc in noſtra præſentia etiam ipſe negavit. Sane ſi tibi non placet uſquam eum illorum quæ dixi locorum mittere ad habitandum, aut te volente iſte forſitan non conſentit, aut cum utrique complaceat, forte non inveniatur qui eum recipere velit: tunc oportet ut aut urgente neceſſitatis cauſa, quocumque ad ſalvandam animam ſuam ire voluerit, cum litteris dimittatur; aut diſpenſante pietatis gratia, in ſuo loco retineatur: ſi tamen perſentiri potuerit, quomodo ibidem omnis ei occaſio iterandi aut ſeminandi hanc turpitudinem penitus ſubtrahatur. Et de iſto iſta ſufficiant.

Quid agendum in religioſum lapſum.

Norbertus Ord. Præmonſt. inſtitutor.

3. Eſt aliud apud vos de quo ea præſumptione, qua ſoleo, non cunctabor dicere quod ſentio. De molendino illo dico, quod Converſi [b] cuſtodientes, feminarum pati coguntur frequentiam. Si mihi creditur, unum è tribus fiet: aut videlicet feminarum acceſſus omnimodis à molendino prohibebitur; aut molendinum cuicumque extraneo, & non Converſis cuſtodiendum committetur; aut idem omnino molendinum relinquetur.

Conſilium pro cautela Converſorum.

Ad GUIDONEM [c] abbatem Moliſmenſem.

EPISTOLA LXXX.

Circ. ann. MCXXX.

Conſolatur afflictum ex gravi injuria: vindictam vero miſericordia temperandam.

QUanto tibi in hac, quam audivi, tua adverſitate affectu condoleam, novit affectuum Deus omnium cognitor, bonorum immiſſor. Sed rurſum cum conſidero, non per quem, ſed à quo immiſſa ſit hæc tribulatio; quantum tibi de præſenti moleſtia compatior, tantum de proſperitate mox futura ſpero congratulari: ſi tamen & tu conſilium in perturbatione non amittendo, idipſum mecum ſapias, & de manu Domini mala, ſicut & bona, cum ſancto Job æquanimiter ſuſcipias: immo exemplo ſancti David, non tam his, etſi ſervis tuis, pro tantis malis indignari, quàm ſub potenti manu Dei (qui proculdubio illos miſit ad malefaciendum tibi) humiliari te oportere ſcias. Verum quia & ad te conſtat pertinere correctionem illorum, utpote ſervorum eccleſiæ tibi commiſſæ, dignum eſt ut pro tam nefaria præſumptione ſervi nequam corripiantur, ac de rebus eorum damnum monaſterii aliqua ex parte recompenſetur. Sed ne tuam magis in hoc ulciſci injuriam, quàm illorum ferire culpam videaris; rogo, rogansque conſulo, ne tam quod illi digni ſunt, penſes, ut quod tibi dignum eſt non conſideres: ut videlicet miſericordia judicio ſuperexaltetur, & in tua modeſtia Deus glorificetur. Porro illum filium tuum, mihi quoque propter te & propter ſeipſum ſatis carum, ore tuo & noſtro ſpiritu commonemus, ut non eatenus ſua, etſi juſta, indignatione debrietur, quatenus dominici illius præcepti obliviſcatur: quo percutienti unam maxillam, præbere jubemur & alteram.

Job 1. 10.

2. Reg. 16. 10.

Servorum injuria ut ulciſcenda.

Matt. 5. 39.

Ad GERARDUM [d] abbatem Pultarienſem.

EPISTOLA LXXXI.

Circ. ann. MCXXX.

Purgat ſe adverſus iniquam criminationem.

SCripſiſſe me aliquid ad Comitem Nivernenſem in tuæ perſonæ accuſationem, nec recordor, nec verum eſt. Ceterum ſi pro eccleſia tua ad eumdem principem litteras miſi; hoc non adverſum te, ſed pro te egiſſe me arbitror. Siquidem audieram ipſum tuo & aſſenſu, & conſilio propoſuiſſe venire ad viſitandum vos; ad probandum de tantis malis quæ de domo veſtra divulgabantur, an vera eſſent, aut cujus culpa eſſent: ut quod forte ſiniſtrum reperiret, ibidem ejus & ſtudio [e] & ſollicitudine corrigeretur. Cujus tam juſtum & tam pium propoſitum ſi hortatu noſtro roborare curavi; cur te inde læſum jure conquereris, non video. Puto enim me recte feciſſe, ſi de domo Dei zelum Dei habens, ejus providentiam qui emendaturus erat, commonui. Quod autem ex auctoritate Scripturæ arguis me peccaſſe, quaſi qui

a Cuiſſiacenſis monaſterii Ord. Præmonſtratenſis, diœceſis Laudunenſis, de quo in aliis Notis.

b De Converſis infra ad epiſtolam 143. Similis epiſtola 404. de fugiendo conſortio mulierum.

c Guido ſecundus poſt S. Robertum abbas cœnobii Moliſmenſis, de quo in epiſtolis 43. 44. & 60.

d Pultariæ, *Potiéres*, diœceſis Lingonenſis Ord. S. Benedicti ſub Congregatione S. Vitoni: cujus loci abbas Gerardus in editis catalogis omiſſus, ex aliis Notis.

e Nempe is in jus ſucceſſerat Gerardi Comitis, Pultarienſis monaſterii fundatoris.

prius te non corripuerim : ſcito me nullam de perſona tua querelam habere : ſed ſolum ut pax fiat in eccleſia tua, ex caritate procurare. Denique ipſius rei veritatem plenius cognoſces, ſi ad nos cauſam ipſam (ut dicis) attuleris. Poteris autem hic me invenire, quacumque inſtantis hebdomadæ die libuerit.

Ad Abbatem [a] ſancti Johannis Carnotenſis.

EPISTOLA LXXXII.

Circ. ann. MCXXVIII.

Abdicationem curæ paſtoralis, & peregrinationem Jeroſolymitanam diſſuadet.

1. AD ea de quibus noſtram curaſti conſulere parvitatem, primum quidem non reſpondere ſtatueram, non quod dubitaverim quid reſpondere deberem, ſed quia viro conſilii conſilium dare aut præſumptuoſum judicabam, aut ſuperfluum. Ceterum cogitans quod pleriſque, immo cunctis pæne contingere ſapientibus ſolet, in rebus videlicet dubiis plus alieno ſe, quam proprio credere judicio ; & qui aliorum facile ambigua quæque elucidant, in ſuis conſueverunt ſcrupuloſius hæſitare : ſtatutum non (ut arbitror) irrationabiliter frango, ſed ſimpliciter pando quod viſum eſt mihi, non præjudicans ſanius ſapienti. Significaſti mihi (niſi fallor) per virum religioſum Urſium [b] abbatem ſancti Dionyſii, ſuggeri tibi a C cogitationibus tuis, deſerere patriam, domumque, cui Deo auctore præes ; & pergere Jeroſolymam, vacare deinceps Deo, vivere tibi. Et quidem tendenti ad perfectionem, patriam relinquere fortaſſis expediat, dicente Deo, *Exi de terra tua & de cognatione tua* [Gen. 12. 1.] : ſed qua ratione curam tibi creditam animarum exponere debeas, omnino non video. Quid enim? Blanditur depoſitæ ſarcinæ libertas ? Sed caritas non quærit quæ ſua ſunt. Forte quietis provocat & otii guſtus ſuavior? Sed evacuatur diſpendio pacis. [Lucrum non eſt cum ſcandalo quærendum.] Libenter carebo quantolibet etiam ſpirituali quæſtu, qui non poſſit acquiri niſi cum ſcandalo. Ubi enim ſcandalum, ibi proculdubio caritatis eſt detrimentum : ubi autem diminutio D caritatis, miror quod vel quale poſſit ſpiritalis exercitii ſperari lucrum. Denique ſi propriam quiſque quietem communi prætulerit utilitati, quis jam veraciter dicere poterit : *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum* [Phil. 1. 21.] ? Ubi erit quod item dicit Apoſtolus, *Nemo ſibi vivit, & nemo ſibi moritur* [Rom. 14. 7.] ? &, *Non quod mihi utile eſt, ſed quod multis* [1. Cor. 10. 33.] ? &, *Ut qui vivit, non jam ſibi vivat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt* [2. Cor. 5. 15.] ?

2. Sed dicis : Unde ergo mihi tantum deſiderium, ſi ex Deo non eſt ? Pace tua dixerim quod ſentio. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt* [Prov. 9. 17.], & hujuſcemodi omni (ut ita loquar) abſinthio amariorem dulcedinem ab angelo ſatanæ ſub prætextu Angeli lucis, ſitienti cordi E tuo infundi non dubitat, quiſquis ejus aſtutias non ignorat. [Scandalorum auctor diabolus.] Et revera quis alius poſſit ſcandalorum eſſe ſuggeſtor, diſcidii auctor, turbator unitatis & pacis ; niſi veritatis adverſarius, caritatis æmulus, hoſtis antiquus generis noſtri, & inimicus crucis Chriſti diabolus ? Siquidem is cujus invidia mors intravit in orA bem terrarum, etiam nunc bonis quæ te facere videt, invidet : & cum ſit mendax ab initio, mentitur & nunc, meliora pollicens quæ non videt. Quando namque veritas fideliſſimæ illi ſententiæ obviaret, *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem* [1. Cor. 7. 27.] ? Aut quando caritas ſcandalum ſuaderet, quæ ad omnium ſcandala uri ſe perhibet [2. Cor. 11. 29.] ? Ille ergo, ille, inquam, nequiſſimus, & caritati per livorem, & per mendacium veritati contrarius, falſum mel cum vero felle permiſcens, dum promittit dubia pro certis, immittit etiam vera pro falſis : non ut conferat quod fruſtra ſperas, ſed ut auferat quod fructuoſe tenes. Circuit B & quærit, qualiter ovibus curam paſtoris ſubripiat, proculdubio perituris, dum non erit qui eripiat : & nihilominus paſtorem horrendo illi maledicto ſubjiciat : *Væ illi per quem ſcandalum venit* [Mat. 18. 7.]. Sed confido de ſapientia tibi à Deo data, quod nullis maligni verſutiis abduci vel ſeduci poteris, ſpe incerti boni certum inire malum, & æque certum deſerere bonum.

Ad Simonem [c] abbatem ſancti Nicolai.

EPISTOLA LXXXIII.

Circ. ann. MCXXIX.

Eum in perſecutione ſolatur. Pios conatus non ſemper optatos habere ſucceſſus. Prælato auſterioris diſciplinæ C ſtudioſo quid agendum cum ſubditis.

1. PErſecutionem [d] quam propter juſtitiam pateris, per litteras tuas non ſine compaſſione cognoſcentes, licet Chriſti conſolatio de promiſſione regni tibi ſufficiat ; tamen nos quod noſtrum eſt, & conſolationem quam poſſumus, & conſilium quod intelligimus ſanum, fideliter exhibemus. Quis enim ſine anxietate videat Petrum de mediis fluctibus brachia tendentem ? ſine dolore audiat columbam Chriſti non cantantem, ſed gementem, tamquam quæ dicat, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* [Pſal. 136. 4.] ? Quis, inquam, ſine lacrymis lacrymas ipſius Chriſti, de limo profundi etiam nunc levantis oculos ſuos in D montes, unde veniat auxilium ſibi, reſpiciat ? Verumtamen nos, ad quos pro humilitate tua reſpicere te dicis, montes non ſumus, ſed & ipſi de convalle lacrymarum laborioſis conatibus enitentes adverſus renitentis inimici inſidias, ac mundialis malitiæ violentiam, tecum clamamus : *Auxilium noſtrum a Domino, qui fecit cælum & terram* [Pſal. 120. 2.].

2. *Omnes* quippe, *qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur* [2. Tim. 3. 12.] : ita ut cum eis numquam deſit pie velle [e] [e al. vivere.], non ſemper tamen adſit & perficere pro bona voluntate. [Piorum deſideria non ſemper perficiuntur.] Sicut enim impiorum eſt piis bonorum propoſitis aſſidue reluctari : ſic contra pietatem non eſt, propter multitudinem adverſantium, quamE vis juſta & ſancta deſideria paucorum plerumque non perfici. Sic Aaron ſceleratis tumultuantis populi contra voluntatem ſuam clamoribus ceſſit [Exod. 32.]. Sic Samuel eidem populo, inordinate regem petenti, invitus Saülem inunxit [1. Reg. 10.]. Sic David cum vellet conſtruere templum ; propter infeſtantium tamen bella inimicorum, quia vir bellicoſus erat, prohibitus eſt facere [2. Reg. 7. 5.]

a Indubie Stephanum, qui ex abbate ſancti Johannis apud Carnutenſes Ord. ſancti Auguſtini, factus eſt patriarcha Jeroſolymorum ineunte anno 1128. poſt Germundum, teſte Orderico Vitali ſub finem libri 12. Idem epiſtolas Fulconi Andegavorum Comiti per VVillelmum de Buris miſiſſe perhibetur in tom. 3. Analectorum pag. 315. Confer epiſtolas 55. & 82. atque Papebrochii Præfationem de Patriarchis Jeroſolymitanis ad Maii tomum 3.

b Urſus ſeu Urſio, abbas quintus ſancti Dionyſii apud Remos canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini, epiſcopus poſtea Virdunenſis, de quo in Spicilegii tomo 12. pag. 312. Hic ad Virdunenſem cathedram provectus, anno 1129. ſucceſſorem apud S. Dionyſium habuit Gillebertum : ſed abjecta dignitate ad ſuos tandem reverſus, abbatiæ regimen denuo reſumſit, apud Marlotum in Metropoli Remenſis tomo 2. pag. 132. In Necrologio Abbatiæ ſuæ *Urſio piæ memoriæ Abbas* laudatur IV. Kal. Maii.

c Is ex monacho ſancti Nicaſii apud Remos, factus eſt abbas ſancti Nicolai in ſilva Vedogii, vulgo *S. Nicolas aux bois* diœceſis Laudunenſis, de quo Hermannus monachus Laudunenſis in lib. 3. de miraculis B. Mariæ cap. 18. Frater erat Guillelmi abbatis S. Theoderici, de quo ſupra in epiſtola 85. & 86. Vide hic tom. 5. col. 98.

d Huc etiam ſpectat illa perſecutio, quam paſſus eſt Simon a monachis ſuis propterea quod altaria quædam (ſic parochiarum curas appellabant) epiſcopo Atrebatenſi ob ſimoniæ notam reſignaſſet. Legimus hac de re litteras Samſonis Remenſis & Joſleni Sueſſionenſis Pontificum ad Innocentium II. qui eos iſtius cauſæ arbitros deſignaverat : legimus & alias Eugenii III ad Bartholomæum Laudunenſem, quibus ſignificat ſe cauſam litis inter Alviſum epiſcopum Atrebatenſem & G. abbatem S. Nicolai motæ velle cognoſcere. In litteris Samſonis ad Innocentium dicitur abbas Simon, *quia monachi ſui cum eo non conſentiebant ut altaria illa redderet, aliquanto tempore abbatiam dimiſiſſe, & in longinquam regionem abiiſſe* ; ſed tandem à ſuis revocatum, *magis eligentibus, altaribus illis quàm abbate ſuo velle carere*. Unde colligitur tum integritas & probitas Simonis, ſub quo monaſterium *religione & multitudine poſſeſſione* floruiſſe dicitur ab Hermanno : tum tempus ſcriptæ epiſtolæ, haud dubie ante Innocentii Pontificatum, id eſt ante annum 1130. De Gillebe to Simonis ſucceſſore vide ad epiſtolam nunc 399.

quod ſancte propoſuit. Simili forma tibi, Pater venerande, conſulimus, ut tamen ſapientiorum conſilio non præjudicemus, quatenus ad tempus propoſiti tui tibique conſentientium rigorem ſic temperes, ut infirmorum ſalutem non negligas. Invitandi quippe ſunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique ſemel in Ordine illo Cluniacenſi præciſe conſenſiſti. Illis autem qui arctius vivere deſiderant, aut condeſcendere imbecillioribus ex caritate (quantum ſine peccato poſſunt) ſuadendum eſt, aut ibidem tenere quod cupiunt permittendum, ſi abſque utrarumque partium ſcandalo fieri poteſt; aut certe de congregatione liberos dimitti, fratribuſque aliis ſecundum eorum propoſitum viventibus ſociari oportet.

Quid agendum cum imperfectis

Ad Eundem.

EPISTOLA LXXXIV.

Monachum erroneum remittit, ſed reducem leniter & mitius tractari ſuadet.

PRovide (ut videtis) & non fruſtra erronea ovicula [a] veſtra contra morem noſtrum à nobis, non nobis, ſed ſibi & vobis detenta eſt, cum tali circumventione, immo utili ſubventione, ut fratri pro arctioris vitæ deſiderio, & pro fratris reditu veſtræ tandem nihilominus voluntati ſatisfactum ſit. Hæc autem dico, non ut noſtram erga vos in hoc velim commendare benevolentiam, quam per quicquid facere poſſum, vix ſufficerem, ſicut eſt, demonſtrare: ſed ut certum nunc habeatis, quod & ante vobis dixiſſe me memini, quia ſæpe inquietos animos, quibus ſua, in qua ſunt, vita non ſufficit, diſtrictior experta compeſcit. Conſilium noſtrum ſuper ipſo fratre reconciliato velle vos ſcripſiſtis audire: ſed non putavi neceſſe fore, cum paratus veniat non ſuam, ut ſolet, à vobis extorquere, ſed veſtræ, ut decet, in omnibus voluntati acquieſcere. Difficultatem ingreſſus, quam valde timet, pro ipſo & cum ipſo ſupplicamus pie temperari, & aliquanto mitius cum eo agi, quàm cum ceteris ſolet fugitivis. In ſimilibus enim factis cauſa diſſimilis ſimile recuſat judicium. Multum quippe differunt à ſe, qui timore aut odio religionis de monaſterio fugit, & qui ejuſdem amore & deſiderio tranſit ad aliud.

Inquietos ſæpe compeſcit diſtrictior vita

In ſimilibus factis diſpar culpa & pœna.

Ad Guillelmum abbatem S. Theoderici.

** Hic inſeritur ab aliis Epiſtola ad Guillelmum S. Theoderici abbatem, quam vice Præfationis Apologiæ ad eundem ſcriptæ præfixam vide Tomo IV.*

Ad Eundem Guillelmum.

Suaviter perſtringit Guillelmum, conquerentem ſibi à Bernardo paribus amoris officiis non reſponderi.

Circ. Ann. MCXXV. [b]

EPISTOLA LXXXV.

Domno abbati Guillelmo [b] Fr. Bernardus, caritatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

1\. SI nemo ſcit quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; ſi ſola in facie videt homo, quia ſolus Deus intuetur cor: miror, nec ſatis mirari poſſum, quomodo, quave ratione ſic tuam atque meam ad invicem dilectionem penſare & diſtinguere potuiſti, quatenus non ſolum de proprio, ſed & de alieno ſententiam corde proferres. Error ſiquidem eſt humanæ mentis, non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falſum, & è converſo: ſed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Forte verum eſt quod dicis, minus ſcilicet à me amari te, quàm me diligis: ſed certe certus ſum, certum non eſſe tibi. Quomodo ergo pro certo affirmas, de quo certum eſt, quia certus minime ſis? Mirum! Paulus ſe ſuo judicio non credit, *ſed neque*, inquiens, *meipſum judico*. Petrus luget ſuam qua ſe fefellerat præſumptionem, cum de ſuo loqueretur, dicens: *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Diſcipuli de proditione Domini, nec in ſuis fidentes conſcientiis, ſinguli reſpondebant: *Numquid ego ſum Domine?* David ſuam de ſe ignorantiam fatetur orans & clamans: *et ignorantias meas ne memineris.* Tu vero neſcio qua fiducia, non ſolum de tuo, ſed & de meo corde tam aperte declamas: ut plus amans, inquiens, minus diligar.

1\. Cor. 2. 11.

Error facilis de corde alieno.

1\. Cor. 4. 3.

Matt. 26. 35.

Ibid. 22.

Pſal. 24. 7.

2\. Hæc quippe ſunt verba tua, quæ nollem fuiſſe tua, quia neſcio ſi ſunt vera. Sed & tu, ſi ſcis, unde ſcis? unde, inquam, probaſti magis nos à te diligi, quàm te à nobis? An ex hoc quod in tuis litteris ſubjunxiſti, quia videlicet qui vadunt & veniunt per te de noſtris, nullum tibi à nobis deferunt monimentum gratiæ vel amoris? Quod vero monimentum, quod amoris experimentum a nobis requiris? Numquid forte ſcrupulum movet tibi, quod ad plura jam tua ad nos ſcripta, necdum vel ſemel [c] reſcripſi? Sed quando ego maturitatem ſapientiæ tuæ delectari poſſe putarem ſcriptitationibus imperitiæ meæ? Sciebam enim qui dixit: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Quando vero unquam opere meo opus tibi fuit, & defuit? O ſcrutans renes & corda Deus! qui unus ſol juſtitiæ diverſa ſervorum tuorum corda diverſis gratiis, velut radiis, illuſtras; quod diligam illum ex dono tuo, & ſuo merito, tu ſcis, & ego ſentio: quatenus autem diligam, tu ſcis, ego neſcio. Tu, inquam, Domine, qui dediſti, ſcis quantum dediſti vel illi me, vel mihi illum amare. Et quomodo aliquis noſtrum, cui tu non dixiſti, audet dicere: Plus amans, minus diligor: niſi forte qui jam in lumine tuo videat lumen ſuum, id eſt, in lumine tuæ veritatis agnoſcat, quanto ardeat igne caritatis?

1\. Joan. 3. 18.

3\. Ego autem, Domine, interim contentus videre in lumine tuo tenebras meas, quoadusque viſites ſedentem in tenebris & umbra mortis, & per te revelentur cogitationes cordium, & manifeſta fiant abſcondita tenebrarum, fugatiſque tenebris jam non videatur in lumine tuo niſi lumen: ſentio quidem de munere tuo quod eum diligam; ſed necdum video in lumine tuo, ſi vel ſatis diligam. Neque enim ſcio ſi jam pervenerim ad illam, qua nemo majorem habet, dilectionem, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Nam quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, nedum perfectum? O Domine, qui illuminas lucernam meam, qua jam video & horreo tenebras meas; Deus meus, illumina ipſas quoque tenebras meas, ut videam & gaudeam ordinatam in me caritatem, ſciens & diligens quæ diligenda ſunt; & quantum, & ad quid diligenda ſunt; me quoque nolens diligi niſi in te, & quantum diligendus ſum. Væ etenim mihi, ſi (quod valde vereor) aut ego plus ab illo quam merui, aut ille a me minus quàm dignus ſit, diligatur. Veruntamen ſi meliores magis diligendi ſunt (ſunt autem meliores, qui magis diligunt;) quid aliud dixerim, quàm illum plus me diligere, quem meliorem eſſe non dubito: me vero minus illum quàm debeo, quia minus valeo?

Amoris optima regula.

4\. Sed quanto in te (tibi Pater dico) major eſt caritas, tanto minus contemnenda eſt à te noſtra poſſibilitas: quia etſi plus diligis, quoniam plus vales; non tamen plus diligis quàm vales. Nos autem, etſi minus diligimus quàm debemus, diligimus tamen quantum valemus: tantum autem valemus, quantum accepimus. Trahe nos poſt te, ut te apprehendamus, & tecum amplius accipiamus, unde largius diligamus. Quid ergo tu niteris nos apprehendere, &

Bernardi modeſtia.

a Nicolaum vocat Bernardus ipſe in Apologia ad Guillelmum, tom 4.

b Inſcriptio ex codice item Corbeienſi. De Guillelmo abbate S. Theoderici prope Remos, poſtea Signiaci apud Ciſtercienſes monacho, lege Notas prolixiores.

c Hæc ergo prima eſt Bernardi ad Guillelmum epiſtola, quæ proinde ſub annum 1125. ſcripta eſt.

quereris non poſſe? quos apprehendiſti, ſi ar ndiſti; & adhuc facere poteris, cum volueris, quales quidem ſumus, non quales ſperabas. Neſcio quippe quid aliud intueris in nobis, qood non habemus; & ſequeris pro nobis, quod non ſumus. Ideoque non conſequeris, quia non ſufficimus: & ut denique in epiſtola tua juſte cauſaris: Deus tibi in nobis, non nos deficimus. Nunc vero ſi talia placent, qualia modo nugatus ſum, mandaro, & adjiciam: ut cum obedicro, præſumptionis non timeam notam. Præfatiunculam [a] quam tibi mitti juſſiſti, noo habui modo ad manum: neque enim adhuc dictaveram, quia nec neceſſariam eſſe putabam. Quicquid vel tibi, vel amicis tuis recte vis; qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate, omni mihi amicitiæ jure colende, pie ac reverendiſſime Pater.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA LXXXVI.

Circ. ann. MCXXXI.

Monachum fugitivum dure increpatum & increpandum remittit. Ipſi vero Guillelmo, mutationem aut vitam privatam meditanti, perſeverare ſuadet.

Frater B. de Clara-valle, ſuo illi quod ſuo.

HAnc mihi tu ſalutationis formulam tradidiſti, ſcribendo, *Suus ille quod ſuus.* Accipe quod tuum eſt, & agnoſce uſurpationem unanimitatis eſſe indicium; & cum quo eſt mihi commune verbum, animum non diſtare. Jam ad tuas litteras breviter pro tempore reſpondendum eſt. quæ cum mihi in manus venerunt, Natalis Dominæ [b] noſtræ dies feſtus illuxerat, cujus me totum jure ſibi devotio vindicans, nihil aliud cogitare ſinebat. Sed & nontius repedare feſtinans, vix uſque in craſtinum, ut hæc jam feſto exoccupatus qualiacumque reſcriberem, exſpectavit. Fugitivum itaque fratrem dure à me, utpote durum corde, increpatum, nihil melius interim potui, quàm ad locum remittere unde fugerat *: quippe quem juxta noſtras conſuetudines domi abſque conſenſu Abbatis ſui retinere non debui. Oportet autem & à te eum ſimiliter aſpere increpari, & ad humilem provocari ſatisfactionem; deinde tuis confortari litteris, ad Abbatem pro eo directis.

b Vera devotio erga B. Virgin.

* al. mans.

2. De infirmitate noſtra nihil certius modo ſciſcitanti tibi indicare poſſum, niſi quod infirmus & fui, & ſum; nec minus ſolito, nec multum plus. Quod vero non miſi quem miſſurus eram, cauſa eſt, plus me animarum ſcandalum, quàm unius corporis periculum timuiſſe. Jam ne quid horum, de quibus mandaſti, omnino prætermittam, venio etiam ad te. Velle te audire ſcripſiſti, quid te ego (tamquam qui omnia tua norim) facere velim. Sed hoc (niſi fallor) ſi modo dicerem, nec tu poſſes, nec ego conſulerem. Volo enim & ipſe quod te velle de te jam olim non latet [c] me. Ceterum mea atque tua æque, ut æquum eſt, voluntate poſtpoſita, magis quod velle Deum de te puto, & mihi ut tibi ſuadeam, tutum duco; & tibi ſi perſuadeam, non incommodum. Tene itaque meo conſilio quod tenes, mane in quo es, & ſtude prodeſſe quibus præes; nec præeſſe refuge, dum prodeſſe potes: quia væ quidem tibi ſi præes, & non prodes: ſed væ gravius, ſi quia præeſſe metuis, prodeſſe refugis.

Ad OGERIUM [d] canonicum regularem.

EPISTOLA LXXXVII.

Circ. Ann. MCXXVI.

Improbat abdicationem curæ paſtoralis, etſi pia quietis amore factam. Inſtruit nihilominus, quomodo deinceps privatus in cœnobio vivere debeat.

Totis viſceribus caritatis amplectendo fratri OGERIO canonico, Frater Bernardus monachus, ſed peccator, digne Deo converſari uſque in finem.

1. SI tibi ad tuas litteras tardius videor reſcripſiſſe, noveris potius opportunitatem nuntii defuiſſe. Quas enim nunc primum legis, jamdudum crede dictatas: ſed, ut dixi, propter latoris inopiam tardavi mittere, quod ſcibere non tardavi. Legi itaque in tuis litteris, te illam, quam graviter ferebas, curæ paſtoralis ſarcinam depoſuiſſe, licentia ſiquidem ab Epiſcopo vix impetrata, immo extorta tua importunitate: & hoc non aliter, niſi ut in ejus epiſcopatu, quocumque alibi manens, ab ejus ſubjectione non recederes. Tu vero cum tibi hoc non placeret, Archiepiſcopum adiens, & ab ipſo tamquam ſuperiori auctoritate ſecuritatem accipiens, ad priorem locum, & ad tuum Abbatem reverſus es. Ubi qualiter poſt hæc vivere debeas, à me doceri flagitas, egregio utique doctore & magiſtro incomparabili, qui cum cœpero docere quod neſcio, vel tunc incipiet ſciri quàm nihil ſcio. Itane lanam quærit ovis à capra, aquam molendinum à furno, verbum ſapiens à ſtulto? Præterea per totam ſeriem litterarum attollens me ſupra me, multum de me laudabilia intermiſces: quorum quia ipſe mihi conſcius non ſum; & tuæ hæc benevolentiæ adſcribo, & ignoſco ignorantiæ. Tu enim vides in facie, Deus autem in corde: ſub cujus tremendo aſpectu ſi ſollicite me circumſpicio, certum eſt, quod eo ipſe mihi notior ſum quàm tibi, quo propinquior. Ideoque magis credo mihi de me videnti me, quam tibi opinanti de me quod non vides in me. Quod ſi quid forte à me audiſti quod poſſet prodeſſe tibi, gratias Deo age, in cujus manu ſumus nos & ſermones noſtri.

Bernardi modeſtia.

Laudes refugit.

2. Satisfacis etiam mihi pro eo, quod conſilium meum non tenueris, confortantis te & monentis animo non frangi, puſillanimitate non vinci, ſed portare patienter onus impoſitum, quod ſemel ſuſceptum deponere non licebat. de qua re ipſe mihi, ſicut poſtulas, ſatisfacio pro te. Agnoſcens ſiquidem ſapientiæ meæ ſiccitatem, immo inſipientiæ meæ ſemper ſuſpectam habens temeritatem; cum non fit quod fieri laudo, nec audeo, nec debeo indignari, deſiderans quemque conſultius agere, quàm à me acceperit. Quoties vero mea ſententia eligitur ac tenetur, gravi, fateor, onere me premi ſentio, rei finem ſemper pavidus & numquam ſecurus exſpectans. Videris tu tamen, ſi conſulte meum de hac re conſilium mutaveris*. Viderint hi quorum ſaniori, ſi quorum tamen, ſuper hoc fretus es conſilio, an rationabiliter egeris. Viderint, inquam, ſi liceat Chriſtiano injunctam ſibi dimittere obedientiam ante mortem, cum Chriſtus factus ſit obediens Patri uſque ad mortem. Etiam, inquis, per licentiam. nam quæſivi eam ab Epiſcopo, & accepi. Bene, licentiam quidem quæſiſti, ſed quomodo non licebat; ac per hoc non accepiſti, ſed extorſiſti. EXTORTA autem ſeu coacta licentia, licentia non eſt, ſed violentia. Quod ergo tua importunitate victus

Bernardus ut ſe gerit dato conſilio.

* V. Not. 46.

Extorta licentia eſt violentia.

a Epiſtola ſcilicet quæ præfigitur Apologiæ ad eumdem Guillelmum, quæ huic epiſtolæ in pleriſque præmittitur mſſ. Confer. epiſtolam 88. num. 3. & alias ad Guillelmum.

b Ciſtercienſium (ut puto) exemplo, quorum omnia monaſteria beatiſſimæ Virgini dedicata ſunt, Domina noſtra vocari cœpit. Hinc Petrus Cellenſis de Bernardo in lib. 6. epiſtola 23. *Alumnus enim familiariſſimus fuit Dominæ noſtræ, cui non unam tantum baſilicam, ſed totius Ordinis Ciſtercienſis baſilicas dedicavit.*

c Cupiebat nimirum Guillelmus abdicata abbatis dignitate ſe recipere ad Claram-vallem: ſed, Bernardo non ſinente, Signiacum ſeceſſit, ex aliis Notis.

d Cujus loci abbas fuerit Ogerius, diſcimus ex hiſtoria reſtaurationis monaſterii S. Martini Tornacenſis autore Hermanno monacho Tornacenſi, ubi Oggerus religioſus canonicus de Monte S. Eligii prope Attrebatum, à Simone epiſcopo Tornacum evocatus memoratur, ut eccleſiæ S. Medardi præeſſet; ibique *ſuper planitiem Scaldi fluminis eccleſiam lapideam in honorem S. Nicolai cum officinis congruentibus conſtruxiſſe, pluresque tam clericos, quàm laicos, necnon & mulieres ibidem congregaſſe, ipſamque abbatiam appellari feciſſe S. Nicolai de Prato.* Hæc in Spicilegii tomo 12. pag. 469. Novæ eccleſiæ dedicatio facta eſt anno 1125.

Epiſcopus fecit invitus, non fuit abſolvere, ſed abrumpere.

3. Congratulor quidem tibi, quod ſis exoneratus: ſed vereor ne Deus a te, quantum in te eſt, exhonoratus ſit; cujus proculdubio ordinationi reſiſtis, dum promotus ab illo tu te dejicis. Quod ſi excuſans paupertatis prætendis neceſſitatem; neceſſitas parit coronam: ſi difficultatem, ſi impoſſibilitatem; omnia poſſibilia ſunt credenti. Sed reſponde quod verius eſt, quia ſcilicet placuit tibi magis quies tua, quàm utilitas aliena. Nec mirum: placet fateor & mihi, quod hæc quies placeat tibi, ſi tamen non nimis. QUODCUMQUE autem bonum ita placet, ut ſi recte fieri non poſſit, placeat tamen fieri eo etiam modo quo fas non eſt, nimis eſt: ac per hoc jam quia bene non fit, non eſt bonum. Scriptum eſt enim: *Si recte offers, & non recte dividis, peccaſti* *. Aut ergo oportuit te gregem Dominicum minime ſervandum ſuſcipere, aut ſuſceptum nequaquam relinquere, juxta illud: *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem.*

Amore quietis curam paſtoralem deponi improbat

*Geneſ. 4. 7. * Ita legunt LXX item Ambroſ. Auguſt. Eucherius, Gregor. &c.*

1. Cor. 7. 7.

4. Sed ad quid nitor his ratiocinationibus? Numquid ſuadeo tibi redire ad onus regiminis, cum jam non pateat locus recuperationis? aut deſperare te intendo, quaſi qui te tali ligaveris culpa, quam jam ſolvere non poſſis? abſit: ſed tantum nolo te illud, tamquam nullum vel parvum malum, negligere; immo ſemper timere, ſemper pœnitere, ſemper ſecurum non eſſe, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Vides certe quem timorem tibi incutere nitor, non qui tibi ſit laqueus deſperationis, ſed qui ſpem acquirat beatitudinis. Eſt ſiquidem timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non conſequitur. Eſt & timor pius, humilis, fructuoſus, qui cuilibet, quantumlibet peccatori, facile miſericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & ſervat humilitatem, ſed manſuetudinem, ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectet tam inclyta proles? Alterius vero miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus & deſperatio. Non hoc ergo qui deſperationem, ſed illo qui generat ſpem, timens ne non timeres, vel parum timeres; tuam tibi culpam ſic rememorandam eſſe putavi.

Inducit ad timendum.

Prov. 28. 14.

Timor duplex, pius & inutilis: utriuſque effectus.

5. Eſt etiam adhuc, quod magis timeo tibi, ne forte, ſicut de quibuſdam ſcriptum eſt, quod *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*: tu quoque deceptus, non ſolum hoc putes culpam non eſſe, ſed inſuper (quod abſit) in corde tuo glorieris, te magnum aliquid, & quod à paucis ſolet fieri, feciſſe: dum qui emancipatus etiam aliis præeras, contemnens prælationem rurſus ſubdi prælato malueris. Falſa humilitas, veram inducens ſuperbiam in cor talia cogitantis. Quid namque ſuperbius, quàm ſpontaneæ & tamquam liberæ adſcribere voluntati, quod vel cogit neceſſitatis vis, vel puſillanimitatis infirmitas? Quod ſi nec labore victus, nec neceſſitate compulſus, ſed volens hoc feciſti; nihil hoc quoque ſuperbius. Dei quippe conſilio tuum prætuliſti, magis eligens tibi quieſcere, quàm ejus operi deſervire, ad quod te ipſe aſſumpſerat. Si ergo unde Deum contempſiſti, inde ad majorem ejus gloriaris contemptum, non eſt bona gloriatio tua. Sed cave gloriationem, tolle & ſecuritatem: quatenus utiliter ſemper ſollicitus ſis, ſemper humiliter pavidus, non illo ſcilicet timore, qui, ſicut jam dixi, provocat iram, ſed illo qui mitigat.

Prov. 2. 14.

Humilitas falſa, inducens ſuperbiam

6. Qui horribilis timor ſi quando terrendo tuum pulſaverit animum, tacite ſuggerens tuum obſequium Deo eſſe non poſſe acceptum, & quod tua ſit infructuoſa pœnitentia, quia videlicet unde Deus à te offenſus eſt, per te emendari non poteſt: ne ad momentum quidem recipias, ſed fidenter reſponde & dic: Male quidem egi, ſed factum eſt, & jam non poteſt non fieri. Quis ſcit ſi hoc mihi Deus expedire providerit, & de malo meo ipſe qui bonus eſt, bonum mihi operari voluerit? Malum ergo puniat quod ego feci, bonum autem maneat quod ipſe providit. NOSTRIS quippe inordinatis ſeu voluntatibus, ſeu actionibus novit bonitas Dei uti, ſemper quidem recte in ſui ordinis pulcritudinem; ſæpe etiam pie in noſtram utilitatem. O clementiſſima circa filios Adam divinæ pietatis recordatio! quæ ſua non deſinit largiri beneficia, non ſolum ubi nullum invenit meritum, ſed plerumque etiam ubi totum videt contrarium. Sed ad te redeamus. Secundum ergo duos timores qui ſupra diſtincti ſunt, volo te timere, & non timere; præſumere, & non præſumere. Timere ut pœniteas; non timere, ut præſumas: porro præſumere, ne diffidas; non præſumere, ne torpeſcas.

In male actis ut ſe gerendum

Deus malis uti novit in bonum.

7. Agnoſce, frater, quantum de te confiſus ſum, qui te tam acriter increpare; tuum factum, nec mihi ſatis probatum, tam audacter dijudicare non dubitaverim, cum id forſitan rationabilius à te actum fuerit, quàm mihi hucuſque notum ſit. Neque enim tu in tuis litteris fortaſſe rationes omnes illas, quibus excuſari poſſet hoc factum, ponere voluiſti, vel propter tuam humilitatem, vel propter litterarum brevitatem. De re ergo quam plene non novi, ſuſpenſam relinquens ſententiam, unum quod feciſti irretractabiliter laudo, quod videlicet depoſito jugo regiminis, ſine jugo tamen eſſe noluiſti: ſed amicam repetens diſciplinam, de magiſtro fieri denuo diſcipulus non erubuiſti. Nam cum paſtorali vinculo ſolutus poſſes tui remanere juris, (ſiquidem promotio Abbatis, emancipatio filii [a] eſt:) tu tamen hac poteſtate tui non utens, ſicut aliis dominari renueras, ſic tibi quoque præeſſe timuiſti: quique ut magiſter eſſes aliorum, minus te judicabas idoneum; nec te quidem tibi credens, tuus fieri diſcipulus contempſiſti. Et merito: QUIA qui ſe ſibi magiſtrum † conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit. Et quidem quid alii de ſe ſentiant, ignoro: ego de me expertus * ſum quod dico: & facilius imperare, & ſecurius poſſum præeſſe aliis multis, quàm ſoli mihi. Prudens ergo humilitas humiliſque prudentia fuit, quod nequaquam credens ad ſalutem te poſſe ſufficere tibi, alieno potius arbitrio deinceps vivere propoſuiſti.

Ogerius laudatur ob repetitam ſubjectionem.

Difficile & periculoſum ſibi ipſi præeſſe

*† ſ. NOTAS. * al. ſentio.*

8. Laudo etiam, quod non novum vel magiſtrum, vel locum requiſiſti, ſed ad clauſtrum de quo exieras, & ad patrem ſub quo profeceras, familiariter rediiſti. Rectius quippe fuit, ut domus quæ te nutrierat, ſed pro fraterna caritate dimiſerat, exoccupatum reciperet, quàm de ejus deſolatione aliena gauderet. Quod tamen in hoc Epiſcopi licentiam non habueris, nolo ut negligenter ducas: ſed aut per te, aut per mediam perſonam, quantum in te eſt, ſatisfacere non differas. Poſt hæc converſare ſimpliciter inter fratres, devotus Deo, magiſtro ſubditus, ſenioribus obediens, junioribus contemperans *, Angelis placens, verbo utilis, humilis corde, manſuetus ad omnes. Cave autem, ne, quia olim in honore poſitus fuiſti, etiam nunc te putes præ ceteris honorandum: ſed magis humilem omnibus exhibeas, tamquam de ceteris unum. Nec enim dignum eſt, ut unde exigas honorem, unde refugis laborem.

Epiſcopo facienda ſatisfactio.

** al. obtemperans.*

Abbati exonerato pium conſilium

9. Poteſt hinc etiam naſci aliud periculum, ad quod te præmonitum & præmunitum eſſe volo. Nam ſicut omnes ita mutabiles ſumus, ut plerumque quod heri volebamus, hodie recuſemus; & quod hodie nolumus, cras deſideremus: ſic quandoque diabolo ſuggerente poterit contingere, ut ex memoria relicti honoris tuum animum pulſet cupiditas; ita ut omnia quæ viriliter contempſiſti, pueriliter deſiderare incipias. Dulceſcent animo quæ prius amara fuerunt, ſublimitas loci, domus cura, rerum diſpenſatio, obſequia famulorum, libertas tui, poteſtas in alios: in tantum ut prope reliquiſſe te pœniteat, quod prius tenere gravabat. cui peſſimæ tentationi ſi vel ad horam (quod abſit) aſſenſum præbueris, non mediocre damnum incurres tuæ converſationis.

Præmonitus contra deſiderium relicti honoris.

10. En, tota illius elegantiſſimi & eloquentiſſimi

[a] Nimirum qui ex monacho fit abbas, eximitur à jure & ſubjectione ſui abbatis.

doctoris ſapientia, à quo doceri de tam longinquo poſtulaſti: en illud exſpectatum ac deſideratum eulogium, quod audire tantopere ſtuduiſti: hæc ſumma noſtræ eruditionis. An adhuc aliquid magnum exſpectas? totum audiſti. Quid amplius requiris? exhauſtus eſt fons, & tu quæris aquam in ſicco? Exemplo illius evangelicæ viduæ, de paupertate mea totum quod habui, miſi. Quid verecundaris? quid vultum dimittis? Tu me coëgiſti. Sermonem quæſiſti: ſermonem habes. Sermonem, inquam, habes jam ſatis longum, ſed mutum; verbis plenum, ſenſibus vacuum: non quo, ut petieras, in corde tua caritas ordinetur, B ſed quo mea inſcitia publicetur. Nam unde jam poterit excuſari? Poſſem forſitan dicere, quod febre tertiana laborans, quod pro officio meo curis occupatus hæc dictaverim, cum ſcriptum ſit: *Sapientiam ſcribe in otio.* Sed hæc recte prætenderem, ſi grande aliquod atque operoſum opus aggreſſus fuiſſem. Nunc autem in tantillo opuſculo, ut occaſionibus me non excuſem, nihil horum certius prætendere poſſum, quam (ut ſæpe jam dixi) ſcientiæ paupertatem.

Luc. 21. 2. Humilis Bernardi excuſatio.

Bernardi febre tertiana. Eccleſ. 38. 25.

11. Sed habeo nonnullam meæ confuſionis conſolationem. Nam etſi non feci ut petieras, ſi non miſi quod ſperaveras; agnoſcis certe quia volui. Sufficiet autem voluntas, ubi deeſſe vides facultatem explendi. C Denique etſi tibi nullam conferat utilitatem, vel mihi proficiet ad humilitatem. *Stultus* quippe *dum non loquitur, ſapiens putatur.* nam quod non loquitur, non ſenſus inopia, ſed humilitatis eſſe cuſtodia creditur. Ego itaque ſi adhuc ſiluiſſem, ſapiens dicerer, ſed non eſſem. Nunc autem alii inſipientem me ridebunt, alii ſubſannabunt idiotam, alii præſumptori indignabuntur. Putaſne parum hoc mihi conferat religionis emolumentum, cum humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius ſit ſpiritualis fabricæ fundamentum? Siquidem HUMILIATIO via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si vir- D tutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam ſi non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. Prodeſt itaque mihi meam inſipientiam ſciri, & à ſcientibus * jure confundi, cui ſæpe contigit à neſcientibus injuſte laudari. Terret me Apoſtolus, qui & ipſe territus dicit: *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Quàm pulcre dixit, *parco.* NON parcit ſibi arrogans, non parcit ſibi ſuperbus, non cupidus vanæ gloriæ, & jactator actuum ſuorum, qui vel ſibi arrogat quod eſt, vel mentitur de ſe quod non eſt. Solus qui vere humilis eſt, parcit animæ ſuæ: qui ne putetur, quod non eſt, ſemper quantum in ſe eſt, vult E neſciri quod eſt.

Prov. 17. 28.

Humiliatio via ad humilitatem.

** al. ſapientibus*

2. Cor. 12. 6. Arrogantia & humilitas in ſe ſita.

12. Grande revera periculum, audire quemquam de ſe ſupra quàm ſentit in ſe. Quis dabit mihi apud homines tantum de veris digne humiliari, quantum vel de falſis datum eſt indigne exaltari? Illam mihi vocem propheticam jure aſſumerem: *Exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus.* & illud: *Ludam, & vilior fiam.* Ludam ſcilicet ut illudar. Bonus ludus, quo Michol iraſcitur, & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, ſed Angelis pulcherrimum ſpectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Nam revera quid aliud ſæcularibus F quàm ludere videmur, cum, quod ipſi appetunt in hoc ſæculo, nos per contrarium fugimus; & quod ipſi fugiunt, nos appetimus? More ſcilicet joculatorum & ſaltatorum, qui capite miſſo deorſum, pedibuſque ſurſum erectis, præter humanum uſum ſtant manibus vel incedunt, & ſic in ſe omnium oculos defigunt. Non eſt hic ludus puerilis, non eſt de theatro, qui femineis fœdiſque anfractibus provocet libidinem, actus ſordidos repræſentet: ſed eſt ludus jucundus, honeſtus, gravis, ſpectabilis, qui cæleſtium ſpectatorum delectare poſſit aſpectus. Hoc caſto & religioſo ludo ludebat qui dicebat: *Spectaculum facti ſumus Angelis & hominibus.* Hoc ludo & nos inte- A rim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui potentes deponit, & exaltat humiles; qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet.

Bernardus ejus humilitas.

Pſal. 87. 16. 2. Reg. 6. 22.

Religioſorum vita ſæcularibus ludus videtur.

1. Cor. 4. 9.

Ad EUMDEM,

EPISTOLA LXXXVIII.

Circ. Ann. MCXXVII.

Se multis occupationibus impeditum, hactenus non potuiſſe votis ejus ſatisfacere; cogique etiam modo parcius ſcribere. Opuſculum quoddam ſuum edi in publicum vetat, niſi recognitum.

1. OMitto nunc imperitiam meam, taceo profeſſionis humilitatem, ſeu humilitatis profeſſionem; nec jam obtendo vel loci, vel nominis mei non dico abjectionem, ſed mediocritatem: quia quicquid tale dixero, tu hoc non neceſſariam excuſationem, ſed dilatoriam occaſionem nominabis, qui meam (ut mihi videbatur) juſtam verecundiam, pro tuo libitu nunc indiſcretionem, nunc falſam humilitatem, nunc etiam veram ſuperbiam interpretaris. Horum itaque, quia tibi in dubium venire poſſunt, nihil aſſero. Illud autem ſimpliciter tuæ dilectioni intimo, quod indubitanter te credere volo. toto ſcilicet hoc tempore, ex quo tuus nuntius, non is, ſed alius receſſit à me, nullum mihi omnino fuiſſe otium ad id quod poſcis idoneum, tum propter dierum malitiam, tum propter noctium brevitatem. Sed & nunc quoque ita me noviſſimæ tuæ litteræ occupatiſſimum invenerunt, ut ipſas etiam occupationum cauſas pro mei excuſatione longum fuerit mihi ſcribere tibi. Vix quippe illas tuas inter prandendum (nam illa horâ mihi primum redditæ ſunt) perlegere potui. Vix has meas quantulaſcumque furtim, raptim, anticipatis horis, breviter ſuccinctéque reſcripſi. Quarum quidem brevitatem an æquo animo feras, tu videris.

2. Ego enim, ut verum fatear, propter te, mi Ogeri, ipſis curis meis compellor iraſci, quamquam in his teſte conſcientia, ſoli caritati cupiam deſervire: cujus profecto imperio, quia ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, ipſa ſola facere potuit, ut necdum tibi potuerim ſatisfacere. Quid ergo? caritas tibi denegat quod tu petis ex caritate? Petiſti, quæſiſti, pulſaſti; & caritas te fruſtrata eſt. Quid mihi indignaris? Si vis, ſi audes, iraſcere caritati. De qua namque præſumis impetrare quod poſtulas, ipſa prohibente fit ne impetres. Et ecce jam longum cauſatur ſermonem, & tibi indignatur qui cogis. Non quod ſibi diſpliceat zelus quo id facis, quippe quem & ipſa donavit tibi: ſed vult te illum habere ſecundum ſcientiam, ut cautus ſis majora minoribus non impedire. Vides quàm invitus avellor à longiori epiſtola, dum ductus delectatione tibi colloquendi, & deſiderio ſatisfaciendi, dominæ caritati moleſtus fio, qua jam dudum imperante finem fieri, necdum taceo. O quàm lata in tuis litteris patet materia reſpondendi. Quòd ſi digne licuiſſet ut libuiſſet; & tibi forſitan ſatis eſſet & mihi. Sed quæ aliud præcipit, domina eſt, immo dominus eſt. *Deus* enim *caritas eſt*: & ſatis agit pro imperio, quatenus debeam potius obtemperare ſibi, quam vel mihi, vel tibi. Et quoniam oportet caritati Deo magis obedire quàm hominibus; nolens dolenſque, non quidem nego quod poſtulas, ſed interim differo: nedum tuæ cupio humiliter ſatisfacere voluntati, ſub prætextu falſæ humilitatis per veram ſuperbiam, arcem tantæ poteſtatis, quæ, te veraciter atteſtante, etiam Angelis imperat in cælis, terrenus vermiculus in terris videar impugnare.

Caritatis negotia non interturbanda.

1. Johan. 4. 16.

3. Libellum quem quæris, ipſe quoque antequam tuus nuntius ad nos veniret, ab eo cui commendaveram, requiſivi: ſed necdum recepi. Dabo autem operam, ut vel cum veneris (ſi tamen umquam aliquando veneris) illum invenias, videas, & legas; non autem transſcribas. Nam illum alium quem te ſignificas transſcripſiſſe, ego quidem legendum tibi miſeram, non transſcribendum: videris tu, qua vel quorum utilitate transſcripſeris. Quod autem te mittente eum nunc habet Abbas de

Libros ſuos transſcribi non vult.

ſancto Theoderico, ego quidem non [a] juſſeram, nec tamen diſplicet mihi. Ut quid enim libellus meus oculos ejus formidaret, cui ſe videndum animus quoque meus totum, ſi poſſet, expanderet? Sed heu! in quanta ſermonis anguſtia mentio ſe ingeſſit de tali viro, ne liceat, ut dignum erat, in tam dulciſſima nobis memoria aliquamdiu immorari, quando jamjamque deſiderat epiſtola finem. Obſecro te ne graveris opportunitatem quærere quomodo ad eum pergas, prædictumque opuſculum non prius cuiquam ſcribendum vel legendum exponas, quàm cum eo totum pervideas; pariterque conferatis, & corrigatis quæ corrigenda ſunt, ut in ore duorum teſtium ſtet omne verbum. Et tunc demum an paſſim cuilibet, an paucis tantum, an vel cuiquam, an forte etiam nulli expediat demonſtrari: & ſi illa quoque præfatiuncula [b], quam de noſtris aliis litteris eidem coaptaſti, apte ſedeat, an vero aptior quæri debeat, veſtro utriuſque judicio derelinquo.

Eos examinari poſtulat

4. Sed jam pæne mihi exciderat quod in principio epiſtolæ tuæ queſtus es, quod te arguerim mendacii. Hoc aliquando me locutum fuiſſe, non ſatis recolo. Si quid tamen fuerit (nam magis me oblitum, quàm tuum nuntium mentitum crediderim) jocando potius quàm ſerio dictum fuiſſe non dubites. Ego-ne levitate te uſum putaverim, aut apud te eſſe EST & NON? Abſit à me hæc ſuſpicio de te, qui jugo veritatis beatus quod portas ab adoleſcentia, laſcivos annos morum ſuperas gravitate. Nec tam ſimplex ſum, ut ſimplicem oris prolationem in ſine cordis duplicitate mendacium putem: nec tam incurioſus tui, ut oblitus ſim, vel quod jam dudum conceperis in affectu, vel quid ab effectu impedierit.

Ad EUNDEM.

EPISTOLA LXXXIX.

Circ. ann. MCXXVII.

Scriptionis brevitatem excuſat prætextu ſacri temporis, cui potius ſilentium competat: item profeſſionis, & ruditatis, ut docendi munus uſurpare non audeat.

1. INdignaris forſitan, vel, ut temperantius dicam, miraris, quod pro longiori epiſtola, quam à nobis ſperaveras, tam brevem chartulam receperis. Sed memento juxta virum Sapientem, *omnia ſub cælo tempus habere: & tempus quidem loquendi, & tempus eſſe tacendi.* Quando autem ſuum tempus ſilentium habebit, ſi hos etiam ſacros dies Quadrageſimæ noſtra ſibi vindicat confabulatio? Eaque ipſa tanto occupatior, quanto laborioſior; dum non quidem præſentes alterutrum dicere leviter valemus quæ volumus, ſed abſentibus neceſſe eſt nobis invicem diligenter dictare, quæ vel petimus ab invicem, vel petimur. Dum vero abſens cogito, dictito, ſcriptito, mittoque quod præſens legas; rogo ubi otium, ubi ſilentii * quies? Sed hæc inquies, omnia facere potes in ſilentio. Mirum ſi ex ſententia hoc reſpondeas. Quantus enim tumultus eſt in mente dictantium, ubi multitudo perſtrepit dictionum, ubi orationum varietas, & diverſitas ſenſuum concurrit? ubi ſæpe reſpuitur quod occurrit, & requiritur quod excidit? Ubi quid pulcrius ſecundum litteram, quid conſequentius juxta ſententiam, quid planius propter intelligentiam, quid utilius ad conſcientiam, quid denique, cui, vel poſt, vel ante ponatur, intentiſſime attenditur; multaque alia quæ a doctis in hujuſmodi curioſius obſervantur? Et tu in hoc mihi dices eſſe quietem? tu hoc, etiamſi lingua ſileat, ſilentium nominabis?

Eccleſ. 3. 7.

Quadrageſimæ tempus ſilentii.

* V. NOTAS. Scriptio epiſtolarum turbat animum.

2. Quamquam non ſolum temporis, ſed nec meæ profeſſionis eſt, huic rei operam dare quam poſtulas, nec poſſibilitatis adimplere quod optas. Siquidem vel monachi quod eſſe videor, vel peccatoris quod ſum, officium * non eſt docere, ſed lugere. Indoctus quoque (quod & vere me fateor eſſe) ſi præſumat docere quod neſcit, nihil indoctius agit. Docere itaque nec indocto eſt in promptu, nec monacho in auſu, nec pœnitenti in affectu. Sed & propter hoc elongavi fugiens, & maneo in ſolitudine, & cum Propheta propoſui *cuſtodire vias meas, ut non delinquam in lingua mea:* quoniam juxta eumdem Prophetam, *Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram;* & ſecundum aliam ſcripturam, *Mors & vita in manibus linguæ.* Silentium autem, dicente Iſaia, *cultus juſtitiæ eſt;* &, *Bonum eſt*, ut docet Jeremias, *exſpectare ſalutare Dei cum ſilentio.* Ad hunc ergo juſtitiæ cultum, hanc omnium virtutum matrem, nutricem, cuſtodem, ne penitus videar negare quod petiiſti; & te, & quicumque tui ſimiles proficere cupiunt in virtutibus, invito & provoco, etſi non verbo doctrinæ, certe mei ſilentii exemplo, ut vel ſilendo doceam te ſilere, qui loquendo compellis me docere quod neſcio.

* S. Hieron. adv. Vigilant. cap. 6. V. NOTAS.

Pſal. 38. 2.

Pſal. 139. 12. Prov. 18. 21. Iſa. 32. 18. Thren. 3. 26.

3. Sed quid ego facio? Mirum ſi non rides, quod ego qui multiloquium tantopere damnare videor, in tam multa verba tam loquaciter jam progredior; & dum cupio tibi commendare ſilentium, contra ſilentium per multiloquium pugno. Guerricum [c] noſtrum, de cujus converſatione & pœnitentia conſolari deſideras, quantum ex fructibus ejus perpendimus, noveris Deo digne converſari, dignoſque pœnitentiæ facere fructus. Libellum autem, quem à me exigis, penes me modo non habeo. Quidam enim amicus noſter eodem zelo, quo tu flagitas, diu eſt, quod apud ſe illum detinet. Sed ne tuæ pietatis * petitionem abire patiar omnino fruſtratam, alium nuper à me editum, in laudibus Virginis Matris *, tibi tranſmitto, quem, quia ejus exemplar non teneo, rogo ut quantocius ad me remittas: vel, ſi maturius adveneris, ipſe deferas tecum.

* al. benignitatis.

* Sic inſcribit Homilias ſuper Miſſus eſt.

Ad EUNDEM.

EPISTOLA XC.

Circ. ann. MCXXVII.

Amori ſincero non opus eſſe prolixis litteris, aut multis verbis: ſeque è valetudine propemodum deſperata convaleſcere.

1. BReves brevibus reddidi litteras, occaſionem utique breviter reſcribendi de tuarum brevitate libenter accipiens. Et vere quid juvat veras, &, ut veraciter loqueris, æternas amicitias vanis atque tranſitoriis jactitare verbulis? Quantalibet verſuum diverſitate, verborum multiplicitate, ſcriptorum varietate tuam mihi caritatem oſtentare ſeu commendare coneris, minus certe ſcotio te exprimere quàm diligis: idemque tu de me ſentiendo non falleris. Cum tuæ litteræ in manus noſtras venerunt, te in corde noſtro qui eas miſeras, invenerunt. Has quoque noſtras nec me ſine te ſcribere certus ſum, nec te ſine me confido lecturum. Laboramus quidem uterque ad alterutrum ſcriptitando, fatigantur & nuntii alterius ad alterum ſcripta portando: ſed numquid ſpiritus gravantur amando? Ceſſent igitur quæ abſque labore non poſſunt actitari; & illud frequentetur, quod quanto attentius ſatagitur, tanto minus conſtat laborari. Quieſcant, inquam, à dictando ingenia, labia a confabulando, à ſcribendo digiti, à diſcurrendo nuntii: non autem quieſcant [d] corda die ac

Amicis prolixæ epiſtolæ inutiles.

Dehortatur à ſcribendis litteris, ad vacandum Deo.

a Opuſculum iſtud procul dubio non aliud eſt, quam Apologia ad Guillelmum abbatem, quam Ogerius exſpectabat urgebatque apud Claram-vallem, dum eam Bernardus perficiebat, ut patet ex ultimis ejuſdem Apologiæ verbis. Sed cum eam needum accurate deſcriptam ante diſceſſum obtinere potuiſſet Ogerius, eam poſtea à Bernardo miſſam accepit examinandam, atque eo inconſulto communicavit Guillelmo abbati, cui inſcripta eſt, quam Bernardus emendatam ipſe tranſmiſſurus erat.

b Præfatiuncula hæc epiſtola eſt ad eumdem Guillelmum, quæ inter Bernardinas cenſeri ſolet, ordine 85. in capite Apologiæ relata.

c Guerricus iſte anno 1138. factus eſt abbas Igniacenſis, cujus Sermones in tom. 6. De eodem rurſus in epiſtola ſequente.

d Hujuſmodi ſcriptitationes devotioni & orationi impedimento eſſe dicit in epiſtola præfixa Apologiæ ad Guillelmum abbatem, & ſupra in epiſtola 89.

nocte

nocte meditari in lege Domini, quæ eſt caritas. A quo negotio quanto quietiores ſumus, tanto minus quieſcimus: quantoque occupatiores ſumus in illo, tanto nos quietiores ſentimus ex illo. Amemus, & amemur; in altero nobis, in altero noſtris conſulentes. Nam quos amamus, in ipſis profecto requieſcimus: à quibus autem amamur, ipſis nos in nobis requiem paramus. Porro amare in Deo, caritatem habere eſt: ſtudere vero propter Deum amari, caritati ſervire eſt.

2. Sed quid ego facio? Ego promiſſor brevitatis, jam tenebor prolixitatis exhibitor. Si de fratre Guerrico deſideras, immo quia deſideras ſcire, ſic currit non quaſi in incertum, ſic pugnat non quaſi aërem verberans. Sed quoniam ſcit neque pugnantis eſſe, neque currentis, ſed miſerentis Dei; ipſum rogat à te orari pro ſe, quatenus qui jam donavit ei & pugnare & currere, det & vincere & pervenire. Abbatem veſtrum mihi, non tantum propter te, ſed & propter ſuam bonam famam cariſſimum, corde meo & ore tuo ſaluto, gratantiſſime eum viſurus illo & tempore & loco quo promiſiſti. Notifico etiam tibi, quod & nunc paulisper aggravata manu Domini ſuper me, impulſus everſus ſum ut caderem, ita ut ſecuri ad radicem infructuoſæ arboris corporis mei appoſita, jamjamque ſuccidi metuerem: cum ecce tuis ceterorumque amicorum noſtrorum orationibus & hac vice pius Dominus pepercit mihi, ſub ſpe tamen promiſſi fructus in futuro.

Bernardi ex morbo convaleſcentia.

Ad ABBATES Sueſſione [a] congregatos.

EPISTOLA XCI.

Circa ann. MCXXX.

Abbates excitat ad ſtrenue curandum negotium, cujus cauſa convenerunt. Studium profectus ſerio commendat: nil morandum, ſi tepidi quidam & diſſoluti forſan detrectent & obmurmurent.

Reverendis ABBATIBUS apud Sueſſionem in nomine Domini congregatis, ſervus ſanctitatis eorum frater Bernardus abbas dictus de Clara-valle, quæ recta ſunt videre, conſtituere, & tenere.

1. IRaſcor occupationibus meis, quibus impedior intereſſe conventui veſtro, corpore tamen dumtaxat. Nam ſpiritum nec ſpatia terrarum, nec turba curarum abſentare queunt: quippe orantem pro vobis, congratulantem vobis, atque in vobis quieſcentem. Non me, inquam, ſanctorum poteſt carere conventus, nec loci corporiſve diſtantia privat prorſus à conſilio juſtorum, & congregatione: illo præſertim conſilio, in quo non hominum traditiones [b] obſtinatius defenſantur, aut ſuperſtitioſius obſervantur: ſed diligenter humiliterque inquiritur, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Illuc toto deſiderio feror, devotione immoror, condelector amore, inhæreo conſenſu, æmulatione perſiſto.

2. Ne ergo in vacuum vos (quod abſit) conveniſſe ſubſannent qui dicunt vobis, Euge, euge; contendite, obſecro, bonas facere vias veſtras & ſtudia veſtra, quæ profecto nimis bona eſſe non poſſunt. Eſto quod poſſis nimium fortaſſis eſſe juſtus, poſſis & nimium ſapiens: ſed plane bonus ultra modum eſſe non potes. Et quidem lego, *Noli eſſe nimium juſtus*; lego, *Non plus ſapere quam oportet ſapere*: numquid autem, aut ne ſis nimium bonus, aut non plus bonus quàm oportet? NEMO eſſe bonus pluſquam oportet poteſt. Bonus

Eccle. 7. 17. Rom. 12. 3.

Nemo nimis bonus.

erat jam Paulus: & tamen nequaquam contentus, libenter ſe ad ea quæ ante ſunt, extendebat, poſteriora obliviſcens, & ſeipſo ſemper melior effici ſtudens. Solus Deus melior ſeipſo eſſe idcirco non vult, quia non valet.

Philip. 3. 13.

3. Recedant à me & à vobis qui dicunt: Nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri, tepidorum & diſſolutorum ſe filios proteſtantes. Quorum memoria in maledictione eſt, quia manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obſtupuerunt. Aut ſi ſanctis & bonæ memoriæ patribus gloriantur; imitentur certe ſanctitatem, quorum indulgentias diſpenſationeſque pro lege defendunt. Quamquam ſanctus Elias, *Non ſum*, inquit, *melior quam patres mei*: & non dixit, ſe nolle patribus eſſe meliorem. Vidit Jacob in ſcala Angelos aſcendentes & deſcendentes: numquid ſtantem quempiam, ſive ſedentem? Non eſt ſtare omnino in pendulo fragilis ſcalæ; neque in incerto hujus mortalis vitæ quicquam in eodem ſtatu permanet. Non habemus hic manentem civitatem, nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. AUT aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas: ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. Minime pro certo eſt bonus, qui melior eſſe non vult: & ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam deſinis eſſe bonus.

Proficiendi voluntas neceſſaria.

3. Reg. 19. 4.

Gen. 28. 12.

4. Recedant etiam à me & à vobis qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Qui dicunt cultum juſtitiæ malum, quodnam bonum jam bonum reputaturi ſunt? Unum verbum olim locutus eſt Dominus, & Phariſæi ſcandalizati ſunt. At novos nunc Phariſæos non verbum, ſed ſilentium ſcandalizat. In hoc uno certe advertitis, quod occaſionem quærunt adverſum vos. Sed ſinite illos: cæci ſunt, duces cæcorum. Intendite ſaluti parvulorum, non murmuri malevolorum. Non valde illorum vobis curandum eſt ſcandalum, qui non ſanantur, niſi vos infirmemini. Sed nec ut veſtris ipſis omnia in omnibus placeant quæ ſtatuitis, exſpectandum. Alioquin aut nullum, aut rarum bonum conſtituitis. Satius vero ipſorum profectibus, quam voluntatibus providetis; fideliuſque invitos trahitis ad Deum, quam deſideriis cordis eorum relinquitis. Commendo me ſanctis orationibus veſtris.

Matt. 15. 12.

Quale ſcandalum negligendum.

Ad HENRICUM regem Anglorum.

EPISTOLA XCII.

Ann. CHR. MCXXXII.

Monachos à ſe miſſos ad conſtruendum monaſterium, Regis favorem poſtulat.

HENRICO illuſtri Anglorum regi, Bernardus abbas dictus de Clara-valle, cælorum Regi de terreno regno ſervire fideliter, & humiliter obedire.

IN terra veſtra tenetur præda [c] Domini mei atque veſtri, & illa præda, pro qua maluit mori, quàm carere illa. Ego eam ſequi diſpoſui, & mittere de noſtra militia, qui in manu valida, ſi vobis non diſplicet, requirant, recuperent & reducant. Et nunc hujus rei gratia præmiſi hos quos præſentes cernitis exploratores, qui eſſe [d] rei indagent ſagaciter, renuntientque fideliter. Aſſiſtite eis tamquam nuntiis Domini veſtri, & in ipſis feudum [e] veſtrum deſervite. Ipſe vero ad honorem ſuum, ad ſalutem veſtram, ad patriæ ſoſpitatem & pacem, lætum vos & inclytum perducat in bonum ac placidum finem.

a Hoc unum eſt ex primis Capitulis generalibus nigrorum (ut vocant) monachorum ex provincia Remenſi. Cauſa ejus & occaſio videtur Apologia Bernardi ad VVillelmum, qui auctor fuerit, Cluniacenſium & Ciſtercienſium exemplo, convocandi hunc cœtum, ut regularis obſervantiæ labenti ſuccurreretur. Habitum eſt indubie apud S. Medardum ſub abbate Gaufrido, ad quem epiſtola 66. Hunc jam epiſcopum Catalaunenſem Petrus Venerabilis in lib. 2. epiſt. 43. laudat, veluti *Cluniacenſis, divini Ordinis per totam Franciam primum diſſeminatorem, auctorem, promotorem*, immo inveterati draconis de tot monaſteriorum cubilibus *expulſorem, & monaſtici torporis excitatorem*. quæ verba huc forſan referenda. Innocentius II. ejuſmodi Capitula generalia per nigros monachos quotannis in poſterum fieri voluit, ex Actis in Appendice hujus tomi relatis.

b Hoc loco hominum traditiones appellantur indulgentiæ & relaxationes vitæ regularis, de quibus infra, & in epiſtola 154. num. 1.

c Nempe viri religioſæ candidati, quibus inſtituendis Bernardus mittit qui Rievallenſe monaſterium Ordinis Ciſtercienſis in Anglia conſtruant, ex aliis Notis.

d Familiaris Bernardo hæc vox *eſſe* ad ſignificandum rei aut hominis ſtatum, in epiſt. 118. & 304.

e Quippe reges & principes ſunt tamquam Dei vaſſalli.

a Ad HENRICUM VVintonenſem a epiſcopum.

Circ. ann. MCXXXII.

EPISTOLA XCIII.

Officioſe eum ſalutat.

Viro illuſtri domino HENRICO, Dei gratia VVintonenſi epiſcopo, Bernardus abbas dictus de Claravalle, in Domino ſalutem.

MUltorum jam relatione lætabundus accepi, locum gratiæ non infimum humilitatem noſtram apud B veſtram celſitudinem obtinere. Non ſum meritus, ſed eo non ingratus. Itaque refero gratiam pro gratia, etſi non condignam, certe quam poſſum. Nec vereor, quantula ſit, oblatam, vel potius relatam à vobis ſperni, quam & amanter promereri, & dignanter prævenire curaſtis. Verum modo plura ſcribere ſuperſedi, donec veſtro, ſi dignum judicatis, agnoſcam reſcripto, hæc pauca qualiter accipiatis. Quæ autem reſcribere vel injungere verbo placuerit, abbati Ogerio * committere bene poteſtis, per quem & hæc noſtra recepiſtis. Pro quo etiam veſtram excellentiam compellamus, quatenus eum & notum ex hoc habeatis, & commendatum, utpote hominem honeſtate, ſcientia, religioneque commendabilem.

* ad quem Epiſt. 17. & ſeqq.

b Ad Abbatem b cujuſdam monaſterii Eboracenſis, unde exierat Prior cum aliquantis fratribus. C

Ann. Chr. MCXXXII.

EPISTOLA XCIV.

1. COnſiliom expetitis à me litteris transmarinis, quod utinam ab alio potius quæſiſſetis. Coarctor ſiquidem è duobus. Si enim non reſpondero, taciturnitas contemptum quodammodo ſonare videbitur. Reſpondere autem ſine periculo me poſſe non video, cum quicquid reſpondero, neceſſe ſit aut ſcandalum cuipiam generare, aut reddere ſecurum quemquam plus quàm oportet, aut certe in quo non oportet. Quod à vobis receſſerunt fratres veſtri, nec noſtro, nec noſtrorum fa- D ctum eſt, me ſciente, conſilio vel hortatu. Credimus autem ex Deo fuiſſe, quod nec tantis potuit diſſolvi conatibus. Credimus hoc idem & ipſos ſentire fratres, qui noſtrum tantopere de ſeipſis conſilium flagitant, credo remordente eos conſcientia quod retro abierint. Alioquin beati ſunt ſecundum Apoſtolum, ſi ſe non judicant in eo quod probant. Ceterum quid faciam, ut interrogatus nec ſilendo, nec reſpondendo moleſtus ſim cuiquam? Ita fortaſſis expediar, ſi miſero eos, qui me interrogant, ad doctiorem, & cujus reverentior ſanctiorque auctoritas ſit. Sanctus Papa

Retro abire non licet.

Rom. 14. 23

S. Greg. 3. parte paſtor. cap. 28.

Gregorius in libro Paſtorali: Quiſquis bonum majus
» ſubire, inquit, propoſuit, bonum minus quod potuit, E
» ſibi illicitum fecit. Ad quod probandum ſubjicit teſtimonium de Evangelio, dicens: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno*
» *cælorum* & infert: Qui igitur fortiori ſtudio intende-
» rat, retro reſpicere convincitur, ſi relictis bonis am-
» plioribus ad minima retorquetur. Item ipſe in homilia tertia ſuper Ezechielem: Sunt nonnulli, qui bona
» quidem quæ noverunt, operantur, atque hæc operan-
» tes meliora deliberant; ſed retractantes, meliora quæ
» deliberaverant, immutant. Et quidem bona agunt quæ
» cœperant: ſed à melioribus quæ deliberaverant, ſuc-
» cumbunt. Hi nimirum ante humana judicia ſtare vi- F
» dentur in opere: ſed ante omnipotentis Dei oculos
» ceciderunt in deliberatione.

Luc. 9. 62.

Homil. 3. in Ezech.

2. En ſpeculum. In hoc non vultum nativitatis,

A ſed factum reverſionis ſuæ conſiderent: hic ſe diſcutiant, hic ſe dijudicent, cogitationibus ſuis accuſantibus ſive defendentibus, & quidem apud ſpiritualem qui omnia dijudicat, & ipſe à nemine judicatur. Quidnam vero majus aut minus, ſuperius aut inferius, arctius ſive remiſſius ſit, quod videlicet reliquerunt, an ad quod redierunt; ego quidem haud temere diffinierim, ipſi viderint. Et hoc illis Gregorius. Tibi vero, Pater reverende, tam tuta certitudine, quam nuda veritate ego dixerim, omnino non expedire ſpiritum velle ex- B ſtinguere. *Noli*, inquit, *prohibere eum qui poteſt bene facere; ſed, ſi vales, & ipſe bene fac.* Gloriari autem magis oportet in profectibus filiorum, quoniam filius ſapiens gloria eſt patris. De cetero nemo mihi moleſtus ſit, quod juſtitiam Dei non abſcondi in corde meo: niſi quod minus fortaſſe, ob vitandum ſcandalum, quam debui, dixi.

Prov. 3. 27.

Prov. 10. 1.

Ad TURSTINUM archiepiſcopum Eboracenſem *. * Tork in Anglia

EPISTOLA XCV.

Ann. Chr. MCXXXII.

Caritatem & beneficentiam ejus erga Religioſos laudat.

Patri cariſſimo & domino reverendo TURSTINO, Dei gratia Eboracenſi archiepiſcopo, Bernardus abbas Claræ-vallis, ſalutem plurimam dicit.

SPlendor operis, & opinionis odor bene (ut comperi) in gloria veſtra convenerunt. Opinionem opus probat nec falſam fuiſſe, nec vacuam, cum quod ante ſparſerat ubique fama volans, res ipſa faciat manifeſtum. Quomodo nunc vel maxime claruit zelus juſtitiæ, eminuit & invaluit ſacerdotalis vigor, in defenſione c videlicet pauperum, & pauperum, quibus non erat adjutor! Olim quidem opera miſericordiæ & eleëmoſynas veſtras enarrabat omnis eccleſia ſanctorum: ſed hoc vobis commune cum pluribus, quippe quod & à cunctis ſubſtantiam hujus mundi habentibus exigitur. Verum hoc opus epiſcopale, hoc paternæ pietatis tam egregium ſpecimen, hic vere divinus fervor, quo pro tuendis ſuis pauperibus ille proculdubio ze- D lum veſtrum accendit & accinxit, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem; hoc totum, inquam, ſpeciale acceſſit, veſtræ dignitatis decus, inſigne officii, ornamentum coronæ. Aliud eſt reficere ventrem eſurientis, & aliud ſanctam zelare paupertatem †. Ibi enim ſervitur naturæ, hic gratiæ. *Viſitabis*, inquit, *ſpeciem tuam, & non peccabis.* Ergo qui alienam carnem fovet, facit ne peccet: qui autem alienam ſanctitatem honorat, fructificat ſibi. Ideo ait: Deſudet eleemoſyna in manu tua, donec invenias * juſtum cui des. Quo fructu? *Quoniam qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Solva- E mus proinde naturæ debitum, ne peccemus: ſimus gratiæ coadjutores, ut & participes fieri mereamur. Sane utrumque ita in vobis admiramur, ut utrumque datum vobis deſuper fateamur: quatenus divinis laudibus æternaliter miſceatur, quicquid ex vobis temporaliter neceſſitatibus noſtris impenditur, merito reverende & omni amoris ſinceritate colende atque amplectende Pater.

Pauperes, ſed pii & religioſi in primis iuvandi.

† V. novali

Iob 5. 24.

* al. videas.

Matt. 10. 41.

F

a Henricus epiſcopus VVintonienſis, *VVincheſter*, in Anglia, ex abbate Glaſtonienſi, Guillelmo Giffardo ſuffectus VVintoniæ anno 1128. laudatur ab Anglicis hiſtoricis, præterquam ab Henrico Huntindonenſi in Spicilegii tomo 8. pag. 190. ubi Henrici Regis nepos dicitur, *novum quoddam monſtrum, ſcilicet monachus & miles.* Vide alias Notas.

b Gaufridum ſcilicet, abbatem monaſterii ſanctæ Mariæ in diœceſi Eboracenſi Ord. S. Benedicti, quo ex loco monachi duodecim cum Priore egreſſi, cum ad Ciſtercienſes convolare eis non liceret, confugium fecerunt ad Turſtinum archiepiſcopum Eboracenſem, quem ob præſidium eis impenſum laudat Bernardus epiſtola ſequente. Confer Notas uberiores & epiſtolam 313. ad eumdem Gaufridum.

c Quid Turſtinus præſtiterit in defenſionem prædictorum monachorum, qui ſtudio majoris perfectionis ad eum confugerant, docet ipſius epiſtola ex Monaſtico Anglicano referenda poſt Bernardinas.

Ad RICHARDUM [a] Fontanenſem [b] abbatem, & ſocios ejus, qui de alio Ordine ad Ciſtercienſem tranſierant.

EPISTOLA XCVI.

Laudat eos ob renovationem religioſæ diſciplinæ.

Quanta audivimus & cognovimus ea, & fratres noſtri uterque Gaufridus annuntiaverunt nobis, quemadmodum noviter recaluiſtis igne Dei; convaluiſtis de infirmitate, refloruiſtis in novitate ſancta. Digitus Dei eſt iſte, ſubtiliter operans, ſuaviter renovans, ſalubriter mutans, non quidem de malis bonos, ſed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi ut tranſeam, & videam viſionem hanc magnam? Nec enim minus mira minuſve jucunda iſta promotio eſt, quam illa mutatio: niſi quod MULTO FACILIUS reperias multos ſæculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de religioſis tranſire ad melius. RARISSIMA avis in terris eſt, qui de gradu, quem forte in religione ſemel attigerit, vel parum aſcendat †. Veſtrum proinde, dilectiſſimi, tam inſigne, quàm ſalubre factum non ſolum nos, qui ſervi veſtræ ſanctitatis eſſe percupimus, ſed & univerſam merito lætificat civitatem Dei: quippe quo rarius, eo & clarius. Erat autem & neceſſarium ad cautelam, proximam defectui mediocritatem tranſcendere, & declinare teporem, qui Deo vomitum provocat; ſed & ſic oportebat propter conſcientiam. PROFESSIS ſiquidem SANCTAM REGULAM, an citra ejus puritatem ſiſtere gradum tutum ſit, ipſi ſenſiſtis. Dolens doleo, quod urgente diei malitia, & nuntio feſtinante, plenum affectum exili cogor deſignare ſtilo, & brevi chartula latam comprehendere caritatem. Si quid deeſt, frater Gaufridus [c] viva voce ſupplebit.

Ad Ducem CONRADUM*.

EPISTOLA XCVII.

Dehortatur eum à bello Comiti Gebennenſi inferendo, ne contra ſe ultorem Deum provocet.

1. OMnis poteſtas ab ipſo eſt, cui dicit Propheta: *Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine, tu es ſuper omnes gentes.* Hinc ergo dignum duxi tuam, ô illuſtris Princeps, commonere excellentiam, quantum te oporteat deferre terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum. Comes Gebennenſis *, ut accepimus per os ejus, ad juſtitiam ſe obtulit, & offert de omnibus quæ te dicis habere adverſus eum. Si ſuper hoc alienam pergis invadere terram, eccleſias deſtruere, incendere domos, exſulare pauperes, homicidia perpetrare, & humanum fundere ſanguinem; non eſt dubium, quin graviter irrites adverſum te Patrem orphanorum & Judicem viduarum. Eo certe irato, non expedit tibi dimicare in quantalibet multitudine vel fortitudine. Nihil enim intererit apud omnipotentem Dominum Sabaoth, in multis an in paucis, cui volet dare victoriam. Ipſe nimirum cum voluit fecit, ut unus mille, & duo fugarent decem millia.

2. Hæc pauper ego, pauperum permotus clamoribus, tuæ magnificentiæ ſcribere volui, ſciens tibi honorificentius humilibus conſentire, quàm hoſtibus cedere: non quod putem hoſtem te fortiorem, ſed quod noverim Deum omnipotentem potentiorem, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hujus rei gratia tuam, vir nobilis, præſentiam adiſſem, ſi licuiſſet. Nunc autem pro me hos de fratribus noſtris deſtinare curavi, ſi forte ſuis & noſtris precibus à tua dignitate obtineant vel perfectam concordiam, ſi fieri poteſt, aut certe inducias, uſquedum liceat nobis firmam quærere pacem, ad Dei voluntatem, & honorem tuum, & patriæ ſalutem. Alioquin ſi nec oblatam juſtitiam recipis, nec nos precantes reſpicis, immo Deum in nobis de tua te ſalute commonentem non attendis, videat ipſe & judicet. Scimus autem, quod merito formidamus, difficile poſſe congredi tantos exercitus abſque utriuſque partis graviſſima ſtrage.

De MACCHABÆIS, ſed ad quem [d] ſcripta ſit ignoratur.

EPISTOLA XCVIII.

Reſpondet ad quæſtionem, cur ex Juſtis antiquæ legis, ſolis Macchabæis Eccleſia diem feſtum decreverit.

QUod per fratrem Heſcelinum [e] tua caritas à mea parvitate quæſivit, inde jam ad me ſcripſerat Fulco Sparnacenſis [f] abbas. Cui ego nil reſcripſi; volens ſi quam forte ſuper hoc repeiiſſem Patrum ſententiam, ipſam potius ei tranſmittere, quàm novum vel noſtrum quippiam reſpondere: qua non facile occurrente, jam quod ſentio ego, ſic interim utrique reſpondeo, ut quodcumque forte rationabilius quilibet veſtrum ſuper eadem quæſtiuncula quandoque vel legerit, vel audierit, vel certe ipſe ſenſerit, mihi viciſſim impartiri non negligat. Quæris itaque, quidnam viſum Patribus fuerit, ut ſolis ex omnibus antiquis Juſtis ſingulari quodam privilegio Macchabæis annuam celebritatem pari cum noſtris Martyribus veneratione decernerent in Eccleſia ſollemniter exhibendam? Si dixero dignos merito Martyrum gloria judicatos, quibus non impar fuit in martyrio virtus; erit forſitan ſolutum, cur ipſos, ſed necdum plane cur ſolos: cum & alios nonnullos ex veteribus pari conſtet zelo pietatis occubuiſſe, non tamen pari & tripudio recoli meruiſſe. Quod ſi illis non immerito hujuſcemodi negatur ſollemnis celebritas, quia nimirum quod præbuit virtus, præripuit tempus: cur non & eadem fuit in Macchabæis conſideratio? ſiquidem & ipſi pro tempore, non ad cæli mox gaudia, ſed ad inferni tenebras deſcenderunt: ne tunc quippe apparente Primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cælorum, Agno videlicet de tribu Juda, qui aperit, & nemo claudit, ad cujus introitum cum omni auctoritate ſupernis poteſtatibus diceretur: *Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* (Pſal. 23. 7.) Proinde ſi incongruum videtur cum gaudio recolere tranſitum qui gaudii non fuit, caveatur & in iſtis: aut ſi iſtos ob ſuæ virtutis meri-

[a] Is Prior fuerat in monaſterio Eboracenſi S. Mariæ, inde egreſſus cum duodecim (ut dictum eſt) monachis, Romæ mortuus ex tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 744. Huic ſuffectus Richardus alter, ſacriſtus quondam in prædicto cœnobio Eboracenſi, mortuus apud Claram-vallem, ut legitur in ejuſdem tomi pag. 745. de quo in epiſtola 320.

[b] Monaſterium Fontanenſe diœceſis Eboracenſis ad Ciſtercienſe inſtitutum commigravit anno 1132. Mira ſunt quæ de horum monachorum fervore leguntur in tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 731. & ſeqq. Confer epiſtolam mox 313. & epiſtolam 320. ubi de morte Richardi abbatis, nomine & ordine ſecundi.

[c] Hic eſt Galfridus, *vir ſanctus & religioſus, multorum monaſteriorum ordinator & inſtitutor*, quem ſanctus Bernardus ad Fontanenſes miſit, ut eos formam Ordinis doceret ex tomo 1 Monaſtici Anglicani pag. 741. dictus de Amajo, de quo in lib. 4 de vita S. Bernardi num. 10.

[d] Hunc titulum habent ſcripti fere omnes. In uno tamen Ciſtercienſi, *ad Brunonem Colonienſem, ut putatur, de martyrio Macchabæorum.* In veteri editione: *Putatur ſcripta ad Hugonem de ſancto Victore.* Conjectura pro Brunone Colonienſi antiſtite inde nata videtur, quod in ea urbe aſſerventur ſanctorum Macchabæorum reliquiæ: at iſtæ poſt Bernardi obitum Mediolano allatæ à Reinoldo antiſtite, qui eas a Frederico I. Imperatore obtinuit. In quibuſdam mſſ. hanc epiſtolam proxime antecedit epiſtola 77. ad Hugonem de S. Victore.

[e] Heſcelinus, cujus hic mentio, videtur eſſe Canonicus Inſulanus, de quo in tomo 1. Analectorum pag. 189.

[f] Fulco abbas S. Martini Sparnacenſis, *Eſpernay*, ad Matronam, diœceſis Remenſis, is eſt cui inſcribitur epiſtola 13. Hugonis Metelli, *Fulconi reverendo & in Chriſto benedicto abbati Sparnacenſi*, de repetitione cujuſdam Canonici Sparnacenſis ab abbate VVillelmo. Abbas primus ejus loci fuit Fulco poſt inductum conſilio Bernardi & Guidonis ejus fratris Ordinem canonicorum regularium, anno 1128. eo adductus ex Tullenſi ſancti Leonis abbatia. Litteras ejus rei habes in Spicilegii tomo 13. pag. 305 & ſeqq. Baſilicæ S. Martini fundatio per Odonem Comitem pag. 281.

tum feſtivo proſequi favore placet, cur non itidem deferetur & illis?

2. An dicendum eſt, utroſque quidem in morte communem habuiſſe cum Martyribus pietatis cauſam, ſed non etiam utroſque pariter eamdem cum illis adeptos fuiſſe martyrii formam? Univerſis nempe tam veteris, quàm novi Teſtamenti Martyribus æque convenit pro juſtitia occubuiſſe: ſed intereſt quod iſti paſſi ſunt, quia illam tenebant; illi, quia non tenentes reprehendebant: iſti quod eam non deſererent, illi quod deſerentes perituros eſſe aſſererent. Et ut breviter totum in quo differunt, proferamus: hos cultus, illos zelus juſtitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Macchabæi, quia non ſolum cauſam, ſed & formam (ut dixi) novi martyrii tenuerunt; jure fortaſſe in Eccleſia cum novis eccleſiæ Martyribus eamdem conſuetæ celebritatis gloriam aſſecuti ſunt. Inſtar quippe Martyrum noſtrorum libare & ipſi diis alienis, patriamque deſerere legem, immo mandata Dei tranſgredi cogebantur; renuebant, & moriebantur.

Diſcrimen Martyrum v. t. & novi Teſtamenti.

3. Non ſic Iſaias, non ſic Zacharias, non denique vel magnus ille Johannes Baptiſta ita mortuus eſt: quorum primus ſerra fertur ſciſſus fuiſſe: ſecundus inter templum & altare legitur occiſus: tertius in carcere decollatus. Si quæritur, à quibus? ab injuſtis & impiis. Si qua cauſa? pro juſtitia & pietate. Si quomodo? non tam eas confitendo, quàm proponendo. Proponebant veritatem odientibus * eam: veritas pariebat eis odium, & odium mortem. Licet injuſti & impii, non tam tamen in illis pietatem perſequebantur, quàm à ſe repellebant: nec tam in illorum juſtitiam ferebantur, quàm propriam tuebantur injuſtitiam. Aliud eſt aliena invadere, aliud defendere ſua. Non eſt idipſum nolle ſequi veritatem, & perſequi; invidere credentibus, & increpantibus indignari: obturare os confitentium, & redarguentium ſtimulos non ferre patienter. Denique *miſit Herodes, & tenuit Johannem.* Quam ob rem? quia Chriſtum prædicabat? quia vir bonus erat & juſtus? immo propter hoc magis reverebatur illum, *& audito eo multa faciebat.* Sed quoniam arguebat Herodem Johannes *propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui*: ideo vinctus, ideo & decollatus eſt, paſſus quidem & ipſe pro veritate, ſed quam zelare videretur, non negare cogeretur. Hinc eſt, quod hæc ipſa tanti Martyris paſſio, multorum, etiam longe minorum, feſtivitatibus minus feſtive recolitur.

Matt. 23. 35.

* al. audientibus.

Marc. 6. 17. Johannes cur occiſus ab Herode.

4. Profecto ſi tali ratione & ordine paſſi fuiſſent Macchabæi, ne ulla quidem fieret de eis mentio. Nunc autem quoniam ſimiles illos fecit Martyribus Chriſtianis non diſſimilis veritatis confeſſio: meritò eos ſimilis proſequitur & veneratio. Nec moveat ſane, quod, quemadmodum Martyres, nominatim & ipſi pro Chriſto minime paſſi ſunt: quia non intereſt, ſive ſub Lege pro legalibus obſervantiis, ſive ſub Gratia pro mandatis evangelicis quis patiatur. Uterque enim æque pro veritate, ac per hoc pro Chriſto, qui dixit, *Ego ſum veritas*, pati cognoſcitur. Itaque plus contulit Macchabæis in hac parte martyrii genus, quàm virtus: quando ne hos quidem ex Patribus, quos pari conſtat virtute illo in tempore pro juſtitia decertaſſe, pari etiam honore concelebrat præſens dumtaxat Eccleſia. Puto quod arbitretur indignum, quantumlibet laudabili morti, quæ Chriſti mortem præcederet, diem feſtum impendere: præſertim cum ante illam ſalutiferam paſſionem, non feſtiva gaudia, ſed clauſtra tenebroſa quoſque morientes exciperent. Sane Macchabæos ideo (ut dictum eſt) excipiendos judicavit Eccleſia, quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrii genus.

Joan. 14. 6.

Cur Martyribus vet. Teſtam. Eccleſia non decernat dies feſtos.

5. Nec ſolum ipſos, ſed & qui forte Vitæ jam in carne manifeſtatæ mortem ſua morte prævenerunt, ſive morientes in ipſa, ſicut Simeon & Johannes Baptiſta; ſive etiam pro ipſa, ſicut Innocentes, quos alia ratione, licet ad inferos & ipſi deſcenderint, ritu nihilominus ſollemni veneramur. Et Innocentes quidem: quoniam injuſtum profecto fuit innocentiam pro juſtitia morientem ulla vel præſenti gloria defraudari. Johannes quoque, ſciens quod à diebus ſuis regnum cælorum vim patitur, unde & clamat: *Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cælorum*; ſimulque videns vitam ſe protinus ſecuturam, mortem lætus excepit. quod utique ab ipſo Domino moriturus ſciſcitari ſollicitus fuit, ac certificari meruit. Nam cum per Diſcipulos eum interrogaſſet, *Tu es*, inquiens, *qui venturus es, an alium exſpectamus?* poſt enarrata plura miracula audivit: *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* In quo nimirum verbo ſignificavit ſe Dominus moriturum, & tali morte, quæ poſſet Judæis eſſe ſcandalum, Gentibus ſtultitia. Ad hanc vocem ſponſi gaudens amicus ſponſi alacri animo præceſſit, quo & illum in proximo eſſe venturum, jam dubitare non potuit. Porro qui lætus, & tam lætus potuit mori, potuit & lætam ſibi memoriam promereri. Sed & ſenex ille tam plenus virtutum, quam dierum, morte jam propinqua Vitam bajulans in manibus, aiebat: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, ac ſi diceret: Securus deſcendo in carcerem, qui tam præſto meam ſentio redemptionem. Et hic ergo qui cum tam ſecura jucunditate, & jucunda ſecuritate moritur, merito in Eccleſia celebrari cum gaudio memoratur.

Simeonis, Johannis & SS. Innocentum feſtivitas.

Matt. 3. 2.

Matth. 11. 3.

Sanctis novæ legis mors cur optabilis, antiquis exoſa.

Luc. 2. 29.

6. Ceterum illa qua ratione mors feſtiva reputabitur, quam nulla gaudiorum feſtivitas comitatur? aut unde gaudium ſumeret moriturus, qui ſe & ad infernales deſcendere tenebras certus erat, nec certi quippiam ſecum ferebat, unde in proximo de ſui liberatore conſolaretur? Inde eſt, quod unus ſanctorum cum audiret, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; convertit ſe ad parietem, & flevit fletu magno, atque ita impetravit exoſæ mortis aliquam dilationem. Hoc denique & miſerabiliter plangebat, dicens: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* & paulo poſt: *Non videbo*, inquit, *Dominum Deum in terra viventium, non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.* Hinc & alius quidam: *Quis mihi hoc tribuat*, ait, *ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus; & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Iſrael quoque ad filios aiebat: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Quid in his ſollemnis lætitiæ, quid feſtivæ celebritatis apparet?

Iſa. 38. 1.

Ibidem 10.

Job 14. 13.

Geneſ. 42. 38.

7. Noſtri autem Martyres cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; certi, ubicumque eſt corpus, illo ſine mora congregatum iri & aquilas. Mox, inquam, ibi exultant juſti in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia. Ibi, ibi, benigniſſime Jeſu, ibi ſtatim, ut de hoc ſæculo nequam ſanctus quiſque eripitur, adimpletur lætitia cum vultu tuo. Una ibi vox jubilo reſonat ſempiterno, vox una exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Numquid hoc decantare libebat apud inferos ſedentibus in tenebris & umbra mortis, dum non erat qui redimeret, neque qui ſalvum faceret: quando necdum viſitaverat nos oriens ex alto, primitiæ ſcilicet dormientium Chriſtus? Merito igitur Eccleſia, quæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus novit; quos pares judicat in virtute, diſcernit tamen ex tempore: nec pari putat proſequendum obſequio, & tranſitum ad vitam, & deſcenſum ad inferos.

Pſal. 123. 7.

8. Itaque martyrium facit cauſa, tempus genuſque diſcernunt. Tempus quippe Macchabæos à novis Martyribus disjungit, conjungit antiquis. Genus vero novis aggregat, ſegregat à veteribus. Et hæ quidem in Eccleſia præmiſſis ex cauſis differentiæ obſervantur. Ceterum apud Deum univerſo cœtui ſanctorum commune eſt quod ſanctus ait Propheta: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Unde autem pretioſam dixerit, exponat nobis. *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum. ecce hereditas Domini filii, merces fructus ventris.* Nec putemus ſolos Martyres eſſe dilectos, cum recolamus dictum de Lazaro: *Lazarus amicus noſter dormit.*

Quid commune, quid diverſum utriuſque teſtamenti Martyribus.

Pſal. 115. 15.

Pſal. 126. 2.

Joan. 11. 11.

Denique, *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Non ſoli qui pro Domino, ſicut Martyres; ſed & qui in Domino moriuntur, ſicut Confeſſores, profectò beati ſunt. Duæ proinde res mihi videntur mortem facere pretioſam, vita & cauſa, ſed amplius cauſa, quàm vita. Porro illa erit pretioſiſſima, quam & cauſa commendat & vita.

Duo mortem ... pretioſam

Ad MONACHUM [a] quemdam.

EPISTOLA XCIX.

Ob Monachi cujuſdam à ſuo cœnobio diſceſſum anxius, ejuſdem litteris ſiniſtra ſe ſuſpicione liberatum ſcribit.

NUntium quo te dicis fuiſſe turbatum, frater VVillelmus non ſua, ſed mea neceſſitate putavit ad te dirigendum. Siquidem ipſe ſuo more Dei gratia fortiter agit, alienam à ſe interim adhuc faciens illam ſententiam: *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Vias quippe Domini ſimpliciter, ac per hoc confidenter ambulans, non ſentit illud Væ, de quo dicitur: *Væ terram ingredienti duabus viis.* Te autem audieramus in diſcordia verſari, domum veſtram non ſine gravi ſcandalo Abbatis & fratrum deſeruiſſe, ſolumque habitare in neſcio quo ſatis inconvenienti loco. Quo rumore nobis permotis, anxieque quærentibus, ſi quo modo tibi à nobis poſſet conſultum iri; nihil paratius occurrere potuit, quàm ut te vocato ad nos, per te de te certiores prius effici curaremus: ſicque quod in promptu eſſet, præſentes præſenti conſuleremus. Sed jam tuo ſcripto, noſtroque reſcripto, utrorumque ab alterutro falſæ ſuſpicionis timore depulſo, pariter quieſcamus. Verum hac falſitate quàm vera ſit ad nos invicem dilectio, comprobatum eſt: quam quidem dilectionem per hanc mutuam noſtri ſollicitudinem, non infructuoſe nunc renovatam eſſe putaverim. cujus fructum tunc nos quidem copioſum ſperaremus accipere, ſi tui nobis copia cum opportunitate daretur. Alioquin opportunius dicimus nos noſtra contentos eſſe inopia, quam importuna copia abundare.

Jacob. 1. 8.

Eccli. 2. 14

Ad EPISCOPUM quemdam.

EPISTOLA C.

Ejus erga religioſos pauperes favorem, & beneficentiam laudat.

SI minus vos pro tanti operis ſuſceptione fervere comperiſſemus, hortandus nobis ſuper hoc & obſecrandus eſſetis. Nunc vero cum prima invitaverit nos veſtra præcurrens devotio, reſtat ut ei à quo bona cuncta procedunt, & referamus grates pro bono quod dedit velle; & fundamus preces, ut adjiciat & perficere pro bona voluntate. Tamen gaudium meum non tacebo vobis. Quas nempe putatis delicias cordi meo afferat veſtra hujuſcemodi intentio? Delectabitur in craſſitudine anima mea, ſi infatigabilem cognovero vos in ſtudiis ſalutaribus & honeſtis. Gaudeo enim, non quia quæro donum, ſed requiro fructum. Libenter accipio beneficium, quod prodit danti. alioquin non ambulo in caritate illa, quæ non quærit quæ ſua ſunt. Et quidem nobis in hoc bene facitis, ſed vobis melius: niſi forte excidit vobis illa ſententia, *Beatius eſt dare quam accipere.* Hoc plane decet Epiſcopum, hoc ſacerdotium veſtrum commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, ſi quem miniſterium prohibet eſſe pauperem, adminiſtratio probet pauperum amatorem. Non enim paupertas virtus reputa-

1. Cor. 13. 5

Act. 20. 35.

Paupertas non eſt virtus, ſed paupertatis amor.

A tur, ſed paupertatis amor. Denique *beati pauperes*, non rebus, ſed *ſpiritu*.

Matt. 5. 3.

Ad RELIGIOSOS.

EPISTOLA CI.

Monachum qui ſine licentia diſceſſerat, redeuntem benigne ſuſcipi poſtulat.

FRatrem Lambertum, quem in aliquibus forte fluctuantem ſuſcepimus, orantibus quidem vobis pro ipſo conſtantem remiſimus, & nulla jam (ut opinamur) ſcrupuloſitate priſtina laborantem. Cauſam quip-
B pe adventus ejus, necnon & diſceſſionis modum & intentionem ſollicite nobis perſcrutantibus, intentionem quidem viſus eſt habere inculpabilem, ſed cauſam plane non ſufficientem, ut tali modo, id eſt ſine licentia, diſcedere debuiſſet. Unde & ſumpta juſtæ in eum invectionis occaſione, increpato ut oportebat, & confirmato in quibus nutabat, reditum ei perſuaſimus. Et pro redeunte rogamus, dilectiſſimi fratres, eſſe vos videlicet præſtabiles ſuper fratris præſumptione, ſed præſumptione (ut videtis) ſatis ſimplici, & non malitioſa: quandoquidem neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinavit: ſed directo ad nos tramite venit, quos utique pro certo ſciebat veſtræ eſſe ſanctitatis ſervos,
C veſtræ religionis amatores ſinceriſſimos, & æmulatores fideliſſimos. Suſcipite ergo eum vos, qui ſpirituales eſtis, in ſpiritu lenitatis; confirmeturque in eo caritas, & excuſet malum factum intentio bona. Immo recuperate cum gaudio, quem dolebatis amiſſum; contractamque de fratris egreſſione ac tranſgreſſione triſtitiam effuget citiſſima de regreſſione lætitia. Confido autem de Omnipotentis miſericordia, quia quicquid exaſperavit inordinata diſceſſio, poſtmodum deliniet emendata converſatio.

Ad quemdam ABBATEM.

EPISTOLA CII.

D *Monachi cujuſdam dyſcoli emendationem omni modo tentandam: ſed incorrigibilem ejiciendum, ne plures ejus conſortio depraventur.*

1. SUper fratre turbato, & turbante fratres, & contemnente magiſtrum, breve tibi, ſed fidele damus conſilium. Diaboli ſtudium eſt circuire in domo Dei, & quærere quem devoret: tuæ econtra vigilantiæ, in quantum potes, numquam locum dare diabolo. Quanto igitur ille acrius inſiſtit, quomodo à grege infirmam ſeparet oviculam, quatenus eo licentius rapiat, quo jam non fuerit qui eripiat; tanto enixius tibi, quantum in te eſt, reſiſtendum eſt, ne de manu
E tua poſſit eam eruere, ne quando dicat inimicus, Prævalui adverſus eum. Itaque aggredere fratrem omni officio caritatis, videlicet beneficiis, ſalutaribus monitis, ſecretis increpationibus, publicis inhortationibus, duris etiam & verborum, & verberum correptionibus; quodque efficacius eſſe ſolet, tuis ad Deum pro eo fratrumque piis orationibus.

Monachi correctio quomodo inſtituenda.

2. Quod ſi jam hæc omnia feciſti, nec profeciſti; ad Apoſtoli conſilium confugiendum eſt, dicentis: *Auferte malum ex vobis.* Auferatur ergo malus, ne malos generet. Neque enim poteſt arbor mala fru-
F ctus, niſi malos facere. Auferatur autem dico, ſed non quomodo ipſe vult; ut videlicet tamquam ex tua licentia, cum male ſecura conſcientia extra [b] congregationem, contra profeſſionem, devitans ſubjectionem, ſui juris eſſe, ſua permittatur vivere

1. Cor. 5. 13.

Incorrigibilis reſcindendus, non ejiciendus.

b

a In ſcriptis non paucis ſequentes quatuor epiſtolæ nullum habent titulum præter iſtum, *de eodem*, id eſt Macchabæis quod falſum. VVillelmus, cujus mentio initio epiſtolæ, erat monachus ille Claræ-vallenſis, de quo in ſequente epiſtola 103.

b Varia fuit pro temporibus & locis circa monachos incorrigibiles diſciplina. Ejiciendos præcipit Regula ſancti Benedicti in capp. 28 & 29. Concilium Cloveshovienſe anni 747. nonniſi ex Synodi decreto fieri cavet can. 24. Alia ratio eſt de Sanctimonialibus, quarum una cum ex monaſterio Mettenſi S. Petri detracto velo ejecta fuiſſet, recipi juſſa eſt, & *intra monaſterium in ergaſtulo poni* decreto Synodi Mettenſis anno 888 can 9. Canonici regulares ſæculo 12. projiciebantur ex epiſtola 38. Stephani Tornacenſis. Lege Horſtii Notas.

lege: ſed abſcindatur, ut ovis morbida à grege, ut putridum membrum à corpore: qui jam exinde ſe pro certo noverit à te haberi tamquam ethnicum & publicanum. Et ne timeas eſſe contra caritatem, ſi unius * ſcandalum multorum recompenſaveris pace: quippe qui ſua forte malitia, fratrum cohabitantium turbare facile poterat unanimitatem. Conſoletur te illa Salomonis ſententia: *Quem Deus neglegit, nemo poteſt corrigere.* & illa Salvatoris: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* & illa beati Johannis Evangeliſtæ de ſchiſmaticis: *A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* & rurſus apud Apoſtolum: *Infidelis ſi diſcedit, diſcedat.* Alioquin non eſt relinquenda virga peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas. Melius eſt enim ut pereat unus, quàm unitas.

[Margin: * add. edit. ejectione: ſed deeſt mſſ. — Eccl. 7. 14. — Matth. 15. 13. — 1. Johan. 2. 19. — 1. Cor. 7. 15.]

Ad Fratrem [a] Willelmi monachi Claræ-vallenſis.

EPISTOLA CIII.

Inſigni paupertatis religioſæ commendatione prævia, perſtringit in eo nimium in res terrenas affectum, cum dum ſe pauperum, immo ſuo ipſius conjunctum, ut qui mallet ſua morte, quam amori Chriſti cedere.

1. ETſi facie ignotus nobis, etſi corpore remotus à nobis, amicus tamen es; & amicitia notum jam nobis, & præſentem te facit. Hanc tibi, te neſciente, comparavit non caro & ſanguis, ſed ſpiritus Dei, qui Willelmum fratrem tuum æterna nobis ſocietate & ſpirituali caritate devinxit, ac per eum te quoque, ſi dignum judicas. At ſi ſapis, non contemnes eorum amicitiam, quos Veritas beatos clamat, & reges pronuntiat cælorum. Quam quidem beatitudinem non invidemus tibi. nec enim communicata tibi, nobis minuitur: nec noſtri proinde termini reſtringuntur, ſi & tu regnaveris. Quænam vero invidiæ cauſa poteſt eſſe, ubi fortium magnitudini conſortium multitudo nil detrahit? Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium eſt, hic perfectorum. Amicitia pauperum, regum amicos conſtituit; amor paupertatis, reges. Regnum denique cælorum pauperum eſt; & eſt regiæ poteſtatis beare pro voluntate amicos. *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vides quia magna dignitas, ſancta paupertas ſit: ut non modo patrocinium ipſa ſibi non quærat, ſed & ferat indigentibus. Quale eſt hoc, abſque interventu cujuſpiam Angelorum vel hominum, ſola divinæ gratiæ confidentia, accedere per temetipſum ad vultum gloriæ, capeſſere ſumma rerum, attingere totius magnificentiæ culmen?

[Margin: Pauperum dignitas. — Matth. 5. 3. — Pauperum amor & imitatio commendatur. — Pauperes reges. — Luc. 16. 9.]

2. Verum qualibus iſta tu tibi impedias rebus, utinam ſine diſſimulatione attendas. Væ, væ, vapor eſt ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis incircumſcriptam claritatem abſcondit, quod univerſitatis ſcientia fraudat, quod ſummæ privat dignitatis honore. Quouſque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, carnem dico & ejus gloriam? Siquidem *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni.* Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, deſine jam ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt. Beatus, qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. An non ea ſatius cum honore ſpernis, quàm cum dolore perdis? An non ea prudentius Chriſti cedis amori, quàm morti? Eſt in inſidiis prædo, cujus manibus nec te, nec tua potes ſubducere. Non poterit prævideri, quia tamquam fur in nocte ita veniet. Nihil intuliſti in hunc mundum, haud dubium quia nec quicquam auferes. Dormies ſomnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis. Sed noſti hæc: non eſt in docendo te ſuperflue laborandum. Orandum potius, ut quod tibi jam noſſe datum eſt, detur & implere prout oportet.

[Margin: Terrenorum amor abjiciendus. — Iſa. 40. 6. 1. Pet. 1. 24. — Exhortatio ad contemptum terrenorum. — 1. Tim. 6. 7.]

Ad Magiſtrum [b] Gualterum de Calvomonte.

EPISTOLA CIV.

Hortatur eum ad fugam ſeculi; monens potiorem eſſe cauſam Chriſti, & animæ, quam parentum.

1. SÆpe meum animum dulciſſima tui ſubeunte memoria, doleo ſuper te, Gualtere cariſſime, cogitans nimirum illud tuæ juventutis decus, & ingenii acumen, ſcientiæ & eruditionis ornatum, quodque his omnibus excellentius eſt in Chriſtiano, tuos illos mores ingenuos quàm inanibus ſtudiis atteras, dum de tantis muneribus, non auctori Chriſto, ſed rebus deſervias tranſitoriis. O ſi (quod avertat Deus) mors inopinata ſubripiens iſta concuſſerit! heu! ſubito cuncta velut ad impulſum urentis & furentis venti, tamquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Quid ergo tecum tolles de omni labore tuo, quem operatus fueris ſuper terram? quid retribues Domino pro omnibus quæ tribuit tibi? quid, inquam, lucri pro tot tibi creditis talentis referes creditori? O ſi vacuam manum invenerit ille, ille donorum promptus quidem auctor, ſed importunus exactor! Veniet enim, veniet, & non tardabit, ad requirendum utique quod ſuum eſt cum uſura. Suum nempe aſſerit omne, quod te in tua patria pomposis, ſed periculoſis favoribus nobilitare videtur. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis utilitas, & honeſtas morum, glorioſa quidem ſunt, ſed ei à quo ſunt. Si tibi uſurpas, eſt qui quærat & judicet.

[Margin: Stimulus vehemens ad fugam mundi.]

2. Eſto tamen: liceat tibi hæc interim adſcribere nomini tuo, & gloriari in laude tua, & vocari ab hominibus Rabbi, & facere tibi nomen grande dumtaxat ſuper terram: quid tibi poſt mortem de his omnibus, niſi ſola fortaſſe memoria relinquetur? & hoc quoque ſolummodo ſuper terram. Scriptum quippe eſt: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Quod ſi hic eſt finis omnium laborum tuorum, ut pace tua dixerim, quid habes amplius jumento? Siquidem & de tuo palefrido [c], cum mortuus fuerit, perhibebitur, quia bonus fuit. Simul vide, quid tibi ante tribunal illud terrificum reſpondendum ſit de eo, quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem: ſi tamen inveniaris nil egiſſe amplius de immortali & rationali ſpiritu tuo, quàm quodvis pecus de ſuo: cum brutus utique ſpiritus non vivat, niſi quamdiu vivificat, & uno eodemque momento & vivificare pariter deſinat, & vivere. Quid, quæſo, dignum te judicabis, qui factus ad imaginem factoris, tantæ in te majeſtatis non defendis dignitatem; & tu homo cum [d] eſſes, honorem tuum non intelligens, comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſis illis? dum nil ſpirituale videlicet aut æternum elaboraveris, ſed inſtar belluini ſpiritus, qui ut à corpore, ita cum corpore diſſolvitur, ſolis fueris contentus corporalibus ac temporalibus bonis, evangelici illius ſurdus auditor conſilii: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Scriptum eſt autem, quod non aſcendit in montem Domini, niſi *qui non accepit in vano animam ſuam.* Sed ne is quidem, niſi etiam fuerit innocens manibus, & mundo corde. Videris tu, an de tuis hoc

[Margin: Pſal. 75. 6. — 4 — Johan. 6. 27. — Pſal. 23. 4.]

a Sic titulus in duobus Vaticanis & in quibuſdam noſtris. In mſſ. Ciſtercienſibus inſcribitur, *ad Amicum exhortatoria*. Ex fine vero epiſtolæ 106 conjicimus eſſe Ivonem, qui ſimul cum Willelmo ſcribit.

b Hoc nomine Doctores & litterarum præceptores appellare ſolet, ut in epiſtola 77 & 106. &c. Ita Thomas Stampenſis aliquando ſe *Magiſtrum*, aliquando *Doctorem* Cadumenſem dicit in Spicilegii tomo 1. pag. 137. & 140. In uno codice Vaticano legitur, *ad M. Walcherum.*

c Palefridus, equus magnus & inſignis, qui per frenum ducitur.

d Editi addunt, *in honore*, ex Pſalmo 48. ſed deeſt mſſ. & certe redundat hoc loco.

operibus ſimul & cogitationibus præſumere audeas. Sin autem, ATTENDE quid mereatur iniquitas, ſi ſola ſufficit inutilitas ad damnationem. Et revera ſecura non erit ſpina vel tribulus, ubi ſecuris infructuoſæ arbori poni videbitur: nec parcet pungenti, qui minatur & ſterili. Væ, igitur & væ iterum de quo dicetur: *Exſpectavi ut faceret uvas; & fecit labruſcas.*

Iſa. 5. 4.

3. Sed novi ego quàm liquido & copioſe hæc me quoque tacente cogitare ſufficias: materno vero devinctus amore, necdum poſſis abjicere quod jam contemnere noris. Et quid ego ad hæc reſpondebo tibi? Ut matrem deſeras? ſed inhumanum videtur. ut cum ipſa maneas? ſed nec ipſi expedit, ut ſit filio cauſa perditionis. Forte ut & mundo ſimul milites, & Chriſto? ſed nemo poteſt duobus dominis ſervire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc & ſuæ ipſius ſaluti. Elige ergo tu è duobus quod vis, aut unius videlicet ſatisfacere voluntati, aut utriuſque ſaluti. Verum ſi multum eam diligis, deſere potius ipſam propter ipſam: ne ſi Chriſtum deſeras, ut maneas cum ipſa, propter te pereat & ipſa. Alioquin male meruit de te quæ te peperit, ſi propter te perit. Quomodo enim non perit, quæ ipſum quem peperit, perimit? Et hæc dixerim, ut tuo aliquo modo carnali condeſcendam conſulamque affectui. Ceterum fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: etſi impium eſt contemnere matrem, contemnere tamen propter Chriſtum, piiſſimum eſt [a]. Nam qui dixit, *Honora patrem & matrem*; ipſe etiam dixit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.*

Parentum amor ut ordinandus. — *Matth. 10. 37.*

Ad ROMANUM Romanæ curiæ ſubdiaconum.

EPISTOLA CV.

Vitæ religioſæ propoſitum urget, mortis memoriam inculcans.

Bernardus abbas Claræ-vallis ROMANO ſuo, quod ſuo.

BEne feciſti, cariſſime, tui nobis per litteras & renovans dulcem memoriam, & excuſans moleſtiſſimam moram. Minime quidem deſiderantium te cordibus ulla potuit ſubrepere quandoque oblivio tuæ dilectionis: ſed te tui, fateor, pæne oblitum eſſe putavimus, priuſquam illas litteras videremus. Nunc itaque rumpe moras, fac cito quod ſcripſiſti: & ſi veraciter ſtilus expreſſit affectum, efficaciter opus ſtilum teſtificetur. Quid tardas ipſum, quem jamdudum conceptiſti, ſpiritum parturire ſalutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis: ſiquidem tamquam fur in nocte, ita veniet. Væ prægnantibus in illa die. Si ſupervenerit & prævenerit hunc tam ſalutiferum partum, heu! perfodiet domum, ſanctum germen extinguet. *Cùm enim dixerint, Pax & ſecuritas; tunc repentinus ſuperveniet eis interitus, ſicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Volo te mortem, etſi non effugere, certe vel non timere. Juſtus quippe mortem, etſi non cavet, tamen non pavet. Denique ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & juſtus, ſed ſecure: quippe cujus mors ut præſentis eſt exitus vitæ, ita introitus melioris. BONA mors ſi peccato moriaris, ut juſtitiæ vivas. Hæc mors neceſſe eſt ut præcurrat, ut ſequatur illa ſecura. In hac vita, quamdiu durat, compara tibi illam quæ ſemper durat. DUM vivis in carne, morere mundo, ut poſt mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim ſi conſciderit mors ſaccum corporis tui, dum te ſubinde circumdet lætitia? O quàm *beati mortui qui in Domino moriuntur*, audientes à ſpiritu, *ut requieſcant jam à laboribus ſuis*! Non ſolum autem, ſed & ſuccedit jucunditas de novitate, ac de æternitate ſecuritas. BONA proinde mors juſti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem. Econtra, *Mors peccatorum peſſima.* Et audi unde *peſſima*. MALA ſiquidem eſt in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque duplici contritione. Eia ergo feſtina, exi, recede: moriatur anima tua morte juſtorum, quo fiant & noviſſima tua horum ſimilia. O quàm pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus! Fuge quæſo, in via peccatorum ne ſteteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Cum panibus [a] occurrere fugienti paratos nos eſſe confidito.

Moriendi hora incerta. — *1. Theſſ. 5. 3.* — *Sap. 4. 7.* — *Apoc. 14. 13.* — *Pſal. 33. 22.* — *Malorum contra.* — *Pſal. 115. 15.*

Ad Magiſtrum [b] HENRICUM MURDACH.

EPISTOLA CVI.

Ad capeſſendum religioſæ vitæ ſtatum excitat, ejus delicias breviter inſinuans.

Dilecto ſuo HENRICO MURDACH, Bernardus. Abbas dictus de Clara-valle ſalutem, & non in via.

1. QUid mirum ſi inter proſpera fluctuas & adverſa, qui necdum ſtatuiſti ſupra petram pedes tuos? At ſi jures & ſtatuas cuſtodire judicia juſtitiæ Domini, quid horum te poterit ſeparare à caritate Chriſti? O ſi ſcires & quid dicam! *Oculus, Deus, non vidit abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.* Sed tu frater, qui, ut audivi, Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? Nam ſi intelligis, ſentis utique ſenſum propheticæ lectionis eſſe Chriſtum. Quem videlicet ſi apprehendere cupis, citius illum ſequendo, quàm legendo conſequi potes. Quid quæris verbum in Verbo, quod jam caro factum præſto eſt oculis? Jam enim de latibulo Prophetarum egreſſus eſt ad oculos Piſcatorum: jam de monte umbroſo & condenſo, tamquam ſponſus de thalamo ſuo, proſilivit in campum Evangelii. Jam qui habet aures audiendi, audiat illum clamantem in templo: *Qui ſitit, veniat ad me, & bibat.* &, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Tu ergo times deficere, ubi ſe Veritas reficere te promittit? Certe ſi tantum te delectat tenebroſa aqua de nubibus aëris, quanto jucundius haurias de ſereniſſimis fontibus Salvatoris?

Iſa. 64. 4. — *Propheticus ſenſus Chriſtus.* — *Apprehenditur ſequendo.* — *Johan. 7. 37.* — *Matt. 11. 28.* — *Sequenti nil timendum.*

2. O ſi ſemel paululum quid de adipe frumenti, unde ſatiatur Jeruſalem, deguſtares! quàm libenter ſuas cruſtas rodendas litteratoribus Judæis relinqueres! O ſi te umquam in ſchola pietatis ſub magiſtro Jeſu merear habere ſodalem! O ſi mihi liceat purificatum prius tui pectoris vaſculum ſupponere unctioni quæ docet de omnibus! O quàm libens tibi pariter calidos panes, quos utique adhuc fumigantes, & quaſi modo de furno, ut aiunt, recens tractos, de cæleſti largitate crebro Chriſtus ſuis pauperibus frangit! Utinam ſi quam mihi guttam quandoque de pluvia voluntaria, quam ſegregavit hereditati ſuæ, ſtillare dignetur in dulcedine ſua pauperi Deus, mox eam tibi poſſem refundere, & rurſus à te viciſſim recipere quod ſenſeris! EXPERTO crede: aliquid amplius invenies in ſilvis, quam in libris. Ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. An non putas poſſe te ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo? An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundant frumento? Multis occurrentibus mihi dicendis tibi, vix me teneo. Sed quia non lectionem, ſed orationem petis; adaperiat Dominus cor tuum in lege ſua & in præceptis ſuis. Vale.

Silva & ſolitudo plus docent quam libri.

3. Idipſum ipſi Willelmus & Ivo. Quid ſuper hoc

[a] Modus loquendi Bernardo familiaris, ut in epiſtolis 107. num. 3. 124. num. 2. &c.

[b] Scholis apud Anglos præfectus erat Henricus iſte, natione Anglus, cujus diſcipulos fuiſſe VVillelmum & Ivonem patet ex fine epiſtolæ. Bernardi monitis tandem acquievit Henricus, factus monachus Claræ-vallenſis, dein abbas Vallis-claræ, tum tertius abbas Fontanenſis in Anglia, ex epiſtolis nunc ordine 320. & 321. ac demum, depoſito per Eugenium III Guillelmo theſaurario archiepiſcopus Eboracenſis: quo de re variæ epiſtolæ infra. Lege Guillelmum Neubrigenſem in lib. 1. cap. 7. Rogerium Hovedenum ad annum 1140 & Roberti de Monte Appendicem ad Sigebertum.

vobis dicemus: Quod vos videre, & ad quid deſideremus, ſcitis: quantum vero, nec nos dicere, nec vos ſcire poteſtis. Oramus ergo Deum, ut vobis quo nos præiſſe debueratis, tribuat vel ſequi: quatenus & in hoc tantæ vos humilitatis magiſtrum teneamus, cum videlicet non deſpexeritis magiſter ſequi diſcipulos.

a al. Beverlaco, diœceſis Eboracenſis in Anglia V epiſt. 411.

Ad Thomam Præpoſitum de Beverla *.

EPISTOLA CVII.

Thomas iſte Ordini Ciſtercienſi in Clara-valle ſeſe devoverat, ſed procraſtinantem Bernardus hortatur ſerio ad promiſſa ſeu vota perſolvenda. At ſurdo cantatum ſequens docebit epiſtola, ubi infelicem Thomæ exitum commemorat. In hac vero tota ſalutis œconomia profundiſſime deſcribitur.

Thomæ dilecto filio Bernardus, quod filio.

1. Quid opus eſt verbis? Fervens ſpiritus & vehemens deſiderium aperiri ſolâ linguâ non ſufficit. Loquantur nobis affectum tuum & reliqua membra. Præſens melius & innoteſces nobis, & uos cognoſces. Jamdudum ab invicem tenemur alterutrum debitores; ego fidelis curæ, tu humilis obedientiæ. Probet utrumque, ſi placet, opus, non calamus. Volo te & tibi uſurpare, & in me ptobare illam Unigeniti vocem: *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Sic revera, ſic unici Filii ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus & nos, cum ſuſcitans ex operibus mortuis largitur opera vitæ. Non ex foliis, non ex floribus, ſed ex fructu arbor bona, malave dignuſcitur. Denique *à fructibus*, ait, *cognoſcetis eos.* Opera ergo, & non verba diſcernunt inter filios Dei & filios diffidentiæ. Operibus proinde deſiderium & aperi tuum, & experire noſtrum.

Johan. 5. 36.

Matth. 7. 20.

2. Deſideramus præſentiam tuam, quærimus optatam, immo promiſſam exigimus. Cur tanto? Nil in ea ſane expetimus de carne & ſanguine. Aut proficere ex te cupimus, aut prodeſſe tibi. Generoſitas ſanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, immenſa ſupellex, inſulæque dignitatum; adde & mundi ſapientiam: de mundo ſunt hæc; & mundus quod ſuum eſt, diligit. Sed quouſque? Nun ſolum enim non ſemper, utpote qui non ſemper erit, verum nec diu quidem. Diu ſiquidem iſta in te mundus habere non poterit; & te quippe ipſum in brevi non habiturus. nam breves dies hominis ſunt. Mundus quidem cum ſuis concupiſcentiis tranſit; ſed te prius emittit, quàm ipſe pertranſit. Quid te ſine fine delectat amor mox finiendus? Nos vero te, non tua diligimus: tua ſint, à quo ſunt. Tu tuæ promiſſionis memor, tui nobis copiam diutius non negaris, amantibus te ſinceriter, & amaturis perenniter. Pure ſiquidem nos amantes in vita noſtra, in morte quoque non erimus ſeparati. Nam ea quæ in te, vel potius tibi appetimus, non hujus corporis ſunt, nec hujus temporis tantum. ideoque nec cum corpore deficiunt, nec cum tempore prætereunt: quinimmo poſito corpore plus delectant, poſt tempora durant. Nil ſimile habent cum ſupra enumeratis eorumve ſimilibus, quæ utique inſunt tibi, non ex Patre, ſed ex mundo. Quid horum enim vel non prævenit mortem, vel non invenit?

Corporis & mundi bona vana & caduca.

Bernardi amor purus.

3. At vero iſta optima pars eſt, quæ non auferetur in æternum. Quid iſtud? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Qui homo eſt, & ſecundum hominem ambulat, qui videlicet (ut manifeſtius dicam) carni adhuc acquieſcit & ſanguini, quid illud ſit, penitus neſcit: quia caro & ſanguis non revelabunt, quæ ſolus revelat Deus per Spiritum ſuum. Animalis ergo homo ad hoc ſecretum nequaquam admittitur: ſiquidem non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Beati qui audiunt: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* O ſæculum nequam, quod ſolos tuos ſic ſoles beare amicos, ut Dei facias inimicos, conſequenter & indignos conſilio Beatorum! Plane enim qui amicus vult eſſe tuus, inimicus Dei conſtituitur. Quod ſi ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus, quanto minus inimicus? Porro autem amicus ſponſi ſtat, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. unde & loquitur: *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.* Amicus itaque mundi excluditur à conſilio amicorum Dei, qui non ſpiritum hujus mundi acceperunt, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciant quæ à Deo donata ſunt ſibi. Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita, Pater, quia ſic fuit placitum coram te, non quia ſic meritum vel ab ipſis. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria tua: ut gratis mittas Spiritum Filii tui clamantem in cordibus filiorum adoptionis, Abba, pater. Hoc quippe ſpiritu qui aguntur, hi filii ſunt, nec paterno prorſus arcendi conſilio. Habent nempe in ſe manentem ſpiritum, qui ſcrutatur etiam profunda Dei. Denique quid ignorent, quos unctio docet de omnibus?

Res divinas filii hujus ſæculi non percipiunt.

1. Cor. 2. 14. Johan. 15. 15.

Cant. 5. 6.

Matth. 11. 26.

4. Væ vobis, filii hujus ſæculi, à veſtra inſipiente prudentia, ignorantes ſpiritum ſalutarem, nec participantes conſilio, quod ſolus ſoli Pater eructat Filio, excepto cui voluerit Filius revelare. Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Non equidem nullus, ſed rarus: ſoli ſane qui veraciter dicere poſſunt: *Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis.* Væ mundo à ſtrepitu. Clamat in populis idem Unigenitus, tamquam magni conſilii angelus: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Et quoniam dignos non invenit ſenſus, quibus Patris committat arcanum, texit parabolas turbis, ut audientes non audiant, & videntes non intelligant. Ceterum amici ſeorſum audiunt: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.* quibus & loquitur: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Qui ſunt hi? Utique *quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Magnum ſecretumque innotuit conſilium. Novit Dominus qui ſunt ejus: ſed quod notum erat Dei, manifeſtatum eſt hominibus. Nec alios ſane dignatur tanti participatione myſterii, niſi eos ipſos, quos ſuos præſcivit & prædeſtinavit. Nam quos prædeſtinavit, hos & vocavit. Quis enim ſane, niſi vocatus, ad Dei accedat conſilium? *Quos* autem *vocavit, hos & juſtificavit.* Oritur quippe Sol, non is qui quotidie oriri cernitur ſuper bonos & malos, ſiquidem ſolis ad conſilium vocatis [a] prophetica pronuntiatione promittitur: *Vobis*, inquit, *qui timetis Deum, orietur ſol juſtitiæ.* Manentibus igitur in tenebris filius diffidentiæ, evadit in novam hanc lucem lucis filius de poteſtate tenebrarum, ſi tamen jam fidenter Deo dicere poteſt: *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Vides quia præcedit timor, ut ſequatur juſtificatio? Forſitan ergo timore vocamur, amore juſtificamur. Denique *juſtus ex fide vivit*, illa procul dubio quæ operatur ex dilectione.

Filiorum hujus ſæculi infelicitas.

Rom. 11. 34.

Johan. 1. 18.

Matth. 13. 9; Luc. 8. 8.

Ibidem. 10.

Luc. 12. 32.

Rom. 8. 29. Secretum Dei filiis & amicis panditur.

Rom. 8. 30.

Ibidem.

Malach. 4. 2.

Pſal. 118. 63. Timor ſalutis initium.

Rom. 1. 17.

5. Audiat itaque in ſui vocatione peccator quod timeat: & ſic accedens ad Solem juſtitiæ, videat illuminatus quod diligat. Quidnam eſt illud? *Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum, ſuper timentes eum.* Ab *æterno* propter prædeſtinationem, *in æternum* propter beatificationem. Altera carens principio, altera neſciens finem. Siquidem quos ab æterno prædeſtinat, in æternum beatificat, intercedente ſane media vocatione una cum juſtificatione, dumtaxat in adultis. Sic ad ortum Solis juſtitiæ ſacramentum abſconditum à ſæculis de prædeſtinatis & beatificandis, emergere quodammodo incipit ex abyſſo

Pſal. 102. 17. Amor juſtificat.

Prædeſtinationis œconomia.

a Ita ſcripti omnes, niſi quod in nonnullis legitur, *Siquidem ſolis ad conſilium*, &c. In primis editis & poſterioribus pleriſque, poſt *bonos & malos, ſed qui timentibus Deum prophetica pronuntiatione promittitur ſolis ad conſilium vocatis: Vobis inquit*, &c.

æternitatis

æternitatis, dum quiſque vocatus per timorem, juſtificatus per amorem, præſumit ſe quoque eſſe de numero beatorum, ſciens nimirum quia quos juſtificavit, illos & magnificavit. Quid enim? audit ſe vocari, cum timore concutitur: ſentit & juſtificari, cum amore perfunditur: & de magnificatione diffidet? Initiatur, provehitur: & de ſola conſummatione deſperabit? Nempe ſi initium ſapientiæ timor Domini, in quo dicta eſt eſſe noſtra vocatio; quid niſi provectus in ſapientia eſt amor Dei, is dumtaxat qui interim ex fide eſt, ex quo & noſtra fit juſtificatio? Quid item niſi conſummatio in ſapientia eſt ipſa, quam in fine ſperamus, de divina illa & deifica viſione glorificatio? Sic abyſſus abyſſum B invocat in voce cataractarum ſuarum, cum in terrore judiciorum ſuorum immenſa illa æternitas, & æterna immenſitas, cujus ſapientiæ non eſt numerus, cor hominis pravum & inſcrutabile mira ſua bonitate & potentia educit in admirabile lumen ſuum.

Vermo peccatum.

6. Verbi gratia, ponamus hominem in ſæculo, ſæculi adhuc & ſuæ carnis amore retentum, & cum terreſtris hominis imaginem portet, incubantem terrenis, nil de cæleſtibus cogitantem. Quis hunc non videat horrendis circumfuſum tenebris, niſi qui in eadem mortis umbra ſedet? quippe cui nullum adhuc ſuæ ſalutis ſignum eluxerit; cui necdum in aliquo in- C ternam teſtetur inſpiratio, an boni de ſe quippiam æterna teneat prædeſtinatio. At vero ſi ſuperna eum miſeratio dignanter quandoque reſpexerit, immiſeritque ſpiritum compunctionis, quatenus ingemiſcat & reſipiſcat, mutet vitam, domet carnem, amet proximum, clamet ad Deum, proponatque de cetero vivere Deo, non ſæculo: ex qua deinde ſuperni luminis gratuita viſitatione, & ſubita mutatione dexteræ Excelſi, agnoſcat ſe merito quidem non jam iræ, ſed gratiæ filium; quippe qui paternum erga ſe divinæ bonitatis experitur affectum: quod ſe utique hactenus ita tantum latuerat, ut non ſolum neſciret, utrumnam dignus foret amore an odio, verum etiam odium magis, & non D amorem propria converſatio teſtaretur: erant enim tenebræ adhuc ſuper faciem abyſſi: nonne is tibi videtur quaſi de abyſſo profundiſſima & tenebroſiſſima horrendæ ignorantiæ, in aliam quamdam quoque trahi abyſſum e regione amœnam & lucidam claritatis æternæ?

Homo...

7. Et tunc demum quaſi dividit Deus lucem à tenebris, cum peccator, Sole illuceſcente juſtitiæ, abjectis operibus tenebrarum, induitur arma lucis; & is quem prior vita ac propria conſcientia, tamquam revera filium gehennæ, deputaverat ardoribus ſempiternis; ad tantam viſitantis ſe Orientis ex alto dignationem reſpirans, gloriari etiam incipit præter ſpem E in ſpe gloriæ filiorum Dei, quam jam, nimirum e vicino revelata facie exultans, novo in lumine ſpeculatur, & dicit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; dediſti lætitiam in corde meo.* O Domine, quid eſt homo quia innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum? Jam ſe, ô bone Pater, vermis viliſſimus & odio digniſſimus ſempiterno, tamen confidit amari, quoniam ſe ſentit amare: immo quia ſe amari præſentit, non redamare confunditur. Jam apparet in lumine tuo, ô inacceſſibilis Lux, quid boni penes te, etiam cum malus eſſet, miſerum maneret homunculum. Amat proinde non immerito, quia amatus eſt ſine merito: amat ſine fine, quia ſine principio ſe cognoſcit amatum. Prodit in lucem ad miſeri F conſolationem magnum conſilium, quod ab æterno latuerat in ſinu æternitatis: quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Habes, homo, hujus arcani indicem ſpiritum juſtificantem, eoque ipſo teſtificantem ſpiritui tuo, quod filius Dei & ipſe ſis. Agnoſce conſilium Dei in juſtificatione tui: confitere & dic, *Conſilium meum juſtificationes tuæ.* Præſens namque juſtificatio tui, & divini eſt conſilii revelatio, & quædam ad futuram

Pſal. 4.
Pſal. 143. 3.
Amor Dei, non videtur...
Pſal. 118. 24.

gloriam præparatio. Aut certe prædeſtinatio ipſa potius præparatio eſt, juſtificatio autem magis jam appropinquatio. Denique ait: *Agite pœnitentiam, quia appropinquat regnum cælorum.* Audi & de prædeſtinatione, quod ipſa ſit præparatio. *Percipite*, inquit, *regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Matth. 3. 2.
Matth. 25. 34.

8. Nemo itaque ſe amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor noſtrum, quem prævenit, ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes? Amavit, inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus Spiritum, habes & teſtem fidelem Jeſum, & hunc crucifixum. O ... minum, ipſumque firmiſſimum Dei erga nos amoris argumentum! Chriſtus moritur, & meretur amari. Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iſte ut ametur. Ille ſuam multam dilectionem in nobis commendat, iſte & dat. In illo cernimus quod amemus: ab iſto ſumimus unde amemus. Caritatis igitur ab illo occaſio, ex iſto affectio. Quanta confuſio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem! quod quidem facile contingit, ſi deſit Spiritus. Nunc autem quia *caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis*: amati amamus, amantes amplius meremur amari. Si enim cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. Quid enim? qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, non etiam omnia cum ipſo daturus eſt nobis?

Rom. 8. 32.

9. Cum ergo geminum teneamus noſtræ ſalutis indicium, geminam Sanguinis & Spiritus effuſionem; neutra ſine altera prodeſt. Nam nec Spiritus datur niſi credentibus in Crucifixum: nec fides valet, ſi non operatur ex dilectione. Dilectio autem donum Spiritus eſt. Quod ſi ſecundus homo (Chriſtum loquor) factus eſt non ſolum in animam viventem, ſed etiam in ſpiritum vivificantem, ex uno videlicet moriens, ex altero mortuos ſuſcitans: quid mihi prodeſſe poteſt quod in ipſo moritur, abſque eo quod vivificat? Denique ipſe ait: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quid eſt autem, *vivificat*, niſi juſtificat? Cum enim mors animæ peccatum ſit, (*anima* quippe *quæ peccaverit ipſa morietur*:) vita ejus ſine dubio juſtitia eſt, quoniam *juſtus ex fide vivit.* Juſtus autem quis eſt, niſi qui amanti ſe Deo vicem rependit amoris? quod non fit niſi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propoſitum ſuper ſua ſalute futura. Quæ ſane REVELATIO non eſt aliud, quàm infuſio gratiæ ſpiritalis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & ſanguis non poſſident; ſimul accipiens in uno Spiritu, & unde ſe præſumat amatum, & unde redamet, ne gratis amatus ſit.

Fides otioſa inutilis.
Joan. 6. 64.
Ezech. 18. 4.
Rom. 1. 17.

10. Hoc itaque eſt illud ſacrum ſecretumque conſilium, quod à Patre Filius in Spiritu-ſancto accipiens, ſuis quos novit, per eumdem Spiritum, juſtificando eos, communicat, & communicando juſtificat: quando id quiſque accipit in ſui juſtificatione, ut incipiat & ipſe cognoſcere, ſicut & cognitus eſt: cum videlicet datur & ipſi præſentire aliquid de ſua ipſius futura beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in prædeſtinante, plenius appariturum in beatificante. De qua tamen jam percepta ſumet ex parte notitia, interim quidem glorietur in ſpe, nondum tamen in ſecuritate. Quàm miſerandi, qui ad tam jucundum juſtorum conſilium, nullum adhuc tenent ſuæ vocationis teſtimonium! Domine, quis credidit auditui noſtro? O utinam ſaperent & intelligerent! Verum niſi crediderint, non intelligent.

11. Sed habetis & vos, ô infelices ſæculi male ſecuri amatores, veſtrum ſeorſum à juſtis conſilium. Squama ſquamæ conjungitur, & non eſt ſpiraculum in vobis. Habetis, inquam, & vos, ô impii, communicatum adinvicem conſilium, ſed plane adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Etenim ſi, dicente

Conſilium juſtorum & peccatorum ſicut & finis.

Scriptura [a], *Pietas eſt cultus Dei*; profecto quiſquis plus amat mundum quàm Deum, impius atque idololatra eſſe convincitur, colens & ſerviens creaturæ potius quàm Creatori. Habeotibus autem (ut dictum eſt) ſanctis atque impiis ſuum ad ſe quibuſque conſilium, magnum proculdubio inter utroſque chaos firmatum eſt. Nam quomodo juſtus longe ſe facit à conſilio & concilio malignantium: ita nec reſurgunt omnino impii in judicio, neque peccatores in conſilio [b] juſtorum. Eſt quippe juſtorum conſilium, pluvia voluntaria, quam ſegregavit Deus hereditati ſuæ: eſt conſilium vere ſecretum, deſcendens nimirum ſicut pluvia in vellus: eſt fons ſignatus, cui alienus non communicat: eſt ſol juſtitiæ, qui timentibus Deum tantum oritur.

Pſal. 1. 5.

12. Porro ceteros advertens Propheta in ſui ſiccitate & cæcitate remanentes, juſtorum ſiquidem imbris & lucis expertes; infœcundos ac tenebroſos, confuſos & averſos, ſubſannat & notat: *Hæc eſt*, inquiens, *gens, quæ non audivit vocem Dei ſui*. Non vultis, ô miſeri, dicere cum David, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. utique foris fuſi in vanitates & inſanias falſas, intimum optimumque non requiritis veritatis auditum. *Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Surdi ad vocem veritatis, ignorantes conſilium cogitantis cogitationes pacis, ſed & loquentis pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor. *Jam vos*, inquit, *mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Ergo qui hunc ſermonem non audiunt, immundi ſunt.

Jerem. 7. 28. — Pſal. 84. 9. — Pſal. 4. 3. — Johan. 15. 3.

13. Ceterum tu, ô cariſſime, huic voci Dei tui, dulciori ſuper mel & favum, ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus*. Vox hæc non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico. Secretum conſilium ſecretum quærit & auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit & lætitiam, ſi ſobria aure perceperis. Abrahæ præcipitur exire de terra & de cognatione ſua, ut videre & poſſidere mereretur terram viventium. Jacob relicto fratre & patria Jordanem tranſit in baculo, & excipitur Rachelis amplexibus. Joſeph dominatur Ægypto, mercatiooe furtiva patri ſublatus & patriæ. Eccleſia jubetur, ut concupiſcat Rex decorem ejus, oblivisci populum ſuum, & domum patris ſui. Puer Jeſus inter cognatos & notos à parentibus quæritur, nec tamen invenitur. Fuge fratres tuos & tu, ſi tuam vis invenire ſalutem. Fuge, inquam, de medio Babylonis, fuge à facie gladii Aquilonis. Parati ſumus cum panibus occurrere fugienti. Abbatem tuum me nominas: non renuo interim propter obſequium. Obſequium dico, non quod exigam, ſed quod exhibeam: ſicut *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare in redemptionem pro multis*. Verum tamen ſi dignum judicas, accipe condiſcipulum, quem magiſtrum eligis. Unus ſit ambobus magiſter Chriſtus: & ipſe ſit epiſtolæ finis, qui finis eſt ad juſtitiam omni credenti.

1. Reg. 3. 10. — Dei vox in ſecreto, non in publico audiri poteſt. — Geneſ. 12. 1. — Geneſ. 29. 11. — Geneſ. 39. 1. — Pſal. 44. 11. — Luc. 2. 44. — Fuga neceſſaria.

Ad Thomam de ſancto Audomaro*, poſt tranſgreſſionem promiſſionis ſuæ veniendi ad converſionem.

** in epiſt. 382.*

EPISTOLA CVIII.

Hunc relictis ſtudiis religionem ingredi hortatur, propoſito Thomæ de Beverla exitu infelici.

Cariſſimo filio ſuo Thomæ, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, in ſpiritu timoris ambulare.

1. Bene facis agnoſcens debitum [c] tuæ promiſſionis, & dilatæ reatum ſolutionis non diffitens: ſed volo te non ſolum quid, ſed & cui promiſeris, cogitare. nam ego mihi nihil uſurpo ex eo quod me coram, & non mihi promiſſum ipſe mecum recolis. Fruſtra proinde times exprobratum tibi iri à me ſuper fruſtratoria dilatione, qui teſtis accitus ſum, & non dominus voti. Vidi, & gaviſus ſum; & hoc oro, ut gaudium meum plenum ſit. quod non erit, niſi cum fuerit impleta promiſſio. Terminum poſuiſti, quem non oportuit tranſgredi. Tranſgreſſus es; quid ad me? tuo domino ſtas, aut cadis. Mihi ſane decretum eſt pro imminenti periculo non probris, non minis agere tecum, ſed monitis; idque quatenus æquo admiſeris animo. Si me audieris, bene: ſi non; ego non judico quemquam: eſt qui quærat & judicet. qui enim judicat nos, Dominus eſt. Et hinc tibi plus timendum arbitror ac dolendum, quia non homini, ſed Deo mentitus es. Etſi ego tuæ (ut vis) verecundiæ parco coram hominibus; num illa, quæ coram Deo eſt, impudentia impunita relinquitur? Quid quæſo rationis habet verecunda.... diem hominis, & vultum Dei non vereri? *Nam vultus Domini ſuper facientes mala*. Tu ergo plus times opprobria, quam tormenta; & qui trepidas ad linguam carnis, contemnis gladium qui devorat carnes? Hæccine eſt illa morum pulcherrima compoſitio, qua informari te ſcribis ſcientiæ hujus apprehenſione, cujus ſtudio & amore ſic ferves, ut non verearis ſancto propoſito præjudicium facere?

Voti debitori aut ſtultenti [?] tu, Deo injurius, non homini. — 1. Cor. 4. 4. — Verecundia mala quæ. — Pſal. 33. 17.

2. Sed quæſo te, quod memoriale virtutis, quæ laus diſciplinæ, quis ſcientiæ profectus, vel artis fructus, trepidare timore ubi non eſt timor, & timorem Domini relinquere? Quàm ſalubrius diſceres Jeſum, & hunc crucifixum! quam utique ſcientiam haud facile, niſi qui mundo crucifixus eſt, apprehendit. Falleris, fili, falleris, ſi te putas invenire apud mundi magiſtros, quam ſoli Chriſti diſcipuli, id eſt mundi contemptores, Dei munere aſſequuntur. Nec enim hanc lectio docet, ſed unctio; non littera, ſed ſpiritus; non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini. *Seminate*, inquit, *vobis juſtitiam, metite ſpem vitæ, illuminate vobis lumen ſcientiæ*. Vides quia non recte proditur ad lumen ſcientiæ, niſi juſtitiæ germen procedat* ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? Nondum tibi ad juſtitiam ſeminaſti, nondum ſpei manipulos meſſuiſti; & veram te præſumis ſectari ſcientiam? niſi forte pro vera ſupponitur illa quæ inflat. Et ſtultius erras appendens argentum tuum non in panibus, & labores tuos non in ſaturitate. Obſecro, redi ad cor, & adverte hunc annum*, terminum quem tu tibi indulſiſti in injuriam Dei, non eſſe annum placabilem Domino, ſed diſcordiæ ſeminarium, iræ fomitem, nutrimentum apoſtaſiæ, qui ſpiritum exſtinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum, qui Deo ſolet vomitum provocare.

*Scientia ſaluberrima ſcire Jeſum. Quinam ejus capaces. — Oſeæ 10. 12. — * al. præcedat. — Præpoſterum ejus deſiderium. — * Edit. annuum. Dilatio voti periculoſa.*

3. Heu heu, videris mihi uno ſpiritu ambulare, ſicut & uno cenſeri nomine, cum altero illo Thoma, olim ſcilicet præpoſito de Beverla*, qui cum ſe ſimiliter noſtro Ordini & noſtræ domui toto deſiderio devoviſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubita & horrenda morte præreptus, factus de medio eſt ſæcularis & prævaricator, & duplo filius gehennæ. quod ab eo, ſi fieri poteſt, avertat miſericors & miſerator Dominus. Exſtat epiſtola, quam ad eum fruſtra ſcripſi: niſi quod meam ipſius animam liberavi, denuntians, quod in me fuit, quæ oportuit fieri cito. Beatus foret, ſi me audiſſet. Diſſimulavit: mundus ego ſum à ſanguine ejus. Verum id non ſufficit mihi: quia etſi ſim in facto iſto ſecurus de me, illa tamen quæ non quærit quæ ſua ſunt, caritas urget me lugere illum, qui ſecurus non exiit, quoniam male ſecurus vixit. O judiciorum Dei abyſſus multa! ô ter-

** de quo præced. Epiſt. — Thomæ de Beverla infelix procraſtinatio & prævaricatio.*

a Locus eſt Jobi cap. 28. verſu 28. ſecundum LXX Interpretes ἰδοὺ ἡ θεοσέβειά ἐστι σοφία. Ecce cultus Dei eſt ſapientia. Vulgata Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia.

b Ita ſcribendum, non concilium, ut in Pſalmo 1. Conſilium enim exigit ſenſus, & ſic habent mſſ.

c Votum appellat Bernardus ejuſmodi promiſſum, quo quis ſe in religionem ingredi coram eo ſtatuerat. Confer epiſtolam 395 & ſermonem 63. in Cantica num. 6. ubi Noviciorum lapſum & caſum luget.

A nibilis in conſiliis Deus ſuper filios hominum! Spiritum donavit, quem erat denuo ablaturus, ut eſſet ſupra modum peccans peccatum, & gratia ſubintravit, ut abundaret delictum. quod tamen non fuit culpa dantis, ſed addentis prævaricationem. Sui nimirum arbitrii erat, quo male liber liberum habuit contriſtare ſpiritum, contemnere gratiam, nec mancipare effectui ſuggeſtum Dei, ut poſſet dicere: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* (1. Cor. 15. 10.)

4. Tu ſi ſapis, illius inſipientia proderit tibi, & lavabis manus tuas in ſanguine peccatoris, & curabis cito abſolvere te à laqueo perditionis, me à timore B horribili. Ego enim haud ſecus fero, fateor, averſionem tuam, quam eviſcerationem meam: quoniam cariſſimus factus es mihi, & paterno te amplector affectu. Ea propter ad omnem recordationem tui, animam meam tranſverberat gladius iſte timoris, tanto acerbius, quanto te minus timentem conſidero. Scio nempe, ubi de talibus legerim: *Cum dixerint, Pax & ſecuritas, tunc ſubitaneus eis ſuperveniet interitus, tamquam in utero habenti, & non effugient.* (1. Theſſ. 5. 3.) Multa autem præſentio imminere tibi pavenda tardanti reſipiſcere, tamquam multa expertus, quæ ô ſi cognoviſſes & tu! Crede ergo experto, crede amanti: cui ex altero non falli, ex altero non fallere ineſſe cognoſcis.

Ad illuſtrem juvenem GAUFRIDUM de Perrona[a], & ſocios ejus.

EPISTOLA CIX.

Nobiles juvenes ob religioſæ vitæ propoſitum prædicat, & ad perſeverantiam hortatur.

Dilectis filiis GAUFRIDO & ſociis ejus, Bernardus Abbas dictus Claræ-vallis, ſpiritum conſilii & fortitudinis.

1. SErmo qui inſonuit, ædificat multos, immo univerſam lætificat civitatem Dei, ita ut lætentur cæli, & exultet terra, & omnis lingua glorificet Deum de veſtra converſione. Terra mota eſt, quia cæli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, pluentes iſtis diebus ſolito abundantius pluviam voluntariam, quam ſegregavit Deus hereditati ſuæ. Non apparebit ultra vacua in vobis crux Chriſti, quemadmodum in multis filiis diffidentiæ, qui tardantes converti ad Dominum de die in diem, improviſa morte ſubtracti, in puncto deſcendunt ad inferos. Omnino refloruit & nunc quaſi de novo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus eſt, non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ipſe, ipſe colligit vos, qui diligit vos tamquam viſcera ſua, tamquam fructum pretioſiſſimum crucis ſuæ, tamquam digniſſimam recompenſationem effuſi ſanguinis ſui. (Luc. 15. 10.) Si ergo gaudent Angeli ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; quid in tam multis, & illis peccatoribus? qui quanto illuſtriores videbantur in ſæculo, ſcientia, genere, juventute; tanto pluribus erant perditionis exemplum. (1. Cor. 1. 26.) Legeram, *Non multos nobiles, non multos ſapientes, non multos potentes elegit Deus:* at nunc præter regulam mira Dei potentia talium convertitur multitudo. Viloſcit gloria præſens, juventutis flos conculcatur, non reputatur generoſitas; ſapientia mundi ſtultitia judicatur; non acquieſcitur carni & ſanguini; parentum & carorum renuntiatur affectibus; favores, & honores, & dignitates reputantur ut ſtercora, ut Chriſtus lucrifiat. Laudarem vos, ſi vobis hæc accidiſſe ex vobis cognoſcerem: ceterum digitus Dei eſt iſte, mutatio plane dexteræ Excelſi. Datum optimum eſt, & donum perfectum, A nec dubium quin deſcendens à Patre luminum. Idcirco in ipſum omne præconium jure referimus, qui facit mirabilia ſolus, qui fecit ne in vobis otioſa jam eſſet ea, quæ apud ſe eſt, copioſa redemptio.

2. Quid igitur opus eſt facto, dilectiſſimi, niſi ut ſatagatur, quomodo laudabile propoſitum dignum conſequatur effectum? Studete proinde perſeverantiæ, quæ ſola virtutum coronatur. Non inveniatur apud vos, EST & NON, ut ſitis filii Patris veſtri qui eſt in cælis, apud quem nimirum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. (Sola perſeverantia coronatur.) Vos quoque, fratres, B in eamdem imaginem transformamini a claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu, curantes omni vigilantia & ipſi non inveniri leves, inſtabiles, fluctuantes. Scriptum eſt enim: *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* (Jacob. 1. 8.) & rurſum: *Væ ingredienti terram duabus viis.* (Eccli. 2. 14.) Et ego, cariſſimi, quantum congratulor vobis, tantum gratulor & mihi, qui, ut accepi, dignus habitus ſum miniſter eligi conſilii hujus. Et conſilium do, & auxilium ſpondeo. Si videor neceſſarius, aut certe ſi dignus judicor; non recuſo laborem, non deero pro viribus. Devotus ſuppono humeros, etſi jam[b] feſſos, ſarcinæ huic, ſi mihi cælitus imponatur. Lætus & obviis (ut dicitur) mani- C bus excipio cives ſanctorum, & domeſticos Dei. Quàm libens, juxta mandatum propheticum, occurro cum panibus fugientibus à facie gladii, aquam fero ſitientibus. (Iſa. 21. 14.) Reliqua poſui in ore noſtri, immo & veſtri Gaufridi. Quicquid vobis vice noſtra dixerit ille, noſtrum non dubitetis eſſe conſilium.

Ad PARENTES ejuſdem Gaufridi conſolatoria.

EPISTOLA CX.

Non eſſe cur filium religioſum tamquam perditum lugeant; vel etiam cur delicatulo metuant.

D 1. SI filium veſtrum Deus facit & ſuum, quid vos perditis, aut ipſe quid perdit? Fit de divite ditior, de nobili generoſior, clarior de illuſtri; & (quod his omnibus majus eſt) ſanctus de peccatore. (Filios religioſos non amittunt parentes.) Oportet autem eum præparari regno, quod ſibi paratum eſt ab origine mundi; atque hujus rei gratia modicum tempus, quod vivere habet, manere nobiſcum: donec abraſa ſpurcitia vitæ ſæcularis, ac terreno deterſo pulvere, cæleſti manſioni fiat idoneus. Si diligitis eum, gaudebitis utique, quia vadit ad Patrem, & talem Patrem. Ipſe quidem vadit ad Deum; ſed vos non perditis eum, quin potius multos per eum acquiritis vobis fi- E lios. Quotquot ſumus in Clara-valle vel de Clara-valle, ipſum in fratrem, vos in parentes ſuſcipimus.

2. At fortaſſis metuitis corpori ejus vitæ aſperitatem, quod nimirum tenerum noſtis eſſe ac delicatum. Ceterum de hujuſmodi timore dicitur: *Ibi trepidaverunt timore, ubi non fuit timor.* (Pſal. 13. 5.) Confidite, conſolamini: ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, quouſque de meis manibus excipiat eum Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis. (Vitæ aſperitas ei non timenda.) Nolite ergo lugere, & nolite flere: quia Gaufridus veſter feſtinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi pater, ego mater, ego frater & ſoror. Ego faciam ei prava in directa, & aſpera in vias planas: ego ei om- F nia ſic temperabo, & ſic diſpenſabo, ut & ſpiritus proficiat, & corpus non deficiat. Denique ſerviet Domino in lætitia & exultatione, & cantabit in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

*

a In veſtuſtiori editione, *de Parrona*, vulgo *Peronne*, quæ urbs eſt munitiſſima ad Somenam. Inde ergo nomen traxit Gaufridus, & originem. Ex iis erat, quos Bernardus in Belgio ad religionem converſiſſe memoratur in lib. 4. de ipſius vita cap. 3. Socius converſionis fuit Gaufridus alter, poſtea Prior Clar.-vallenſis. De his intelligendus eſt Hermannus monachus Tornacenſis in Spicilegii tomo 12. pag. 479. ubi de S. Bernardo, quem *tam ex eccleſia ſanctæ Mariæ Tornacenſis, quàm ex ipſa diœceſi, clerici* videlicet *multi famoſi dominum Bernardum Abbatem Clara-vallenſem converſionis gratia ſecuti ſunt*. Hoc factum refert Hermannus pag. 476 poſt annum XXIV. pontificatus Simonis Noviomenſis, qui ſedere cœpit anno 1122. Non ergo hæc epiſtola, ut Manriquez cenſet, ad annum 1131 referri poteſt. Gaufridum Peronenſem laudat Petrus de Roya Novitius Claræ-vallenſis in epiſtola ſua poſt Bernardinas. Aliæ Notæ.

b Hinc patet Bernardum jam ſenectæ proximum tunc fuiſſe.

Ex perſona Eliæ monachi ad parentes ſuos.

EPISTOLA CXI.

Hortatur eos, ne ſe Deo ſervire volentem impedire aut retrahere conentur: indignum id fore & fruſtraneum.

a Caris [a] parentibus ſuis, Ingorranno & Ivetæ, Helias monachus, ſed peccator, quotidianas orationes.

1. SOla cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis; ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis: quid me Patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere attentatis? Vere nunc cognoſco, quia *inimici hominis domeſtici ejus.* In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum atque veſtrum, immo univerſorum Patrem. Alioquin quid mihi & vobis? quid à vobis habeo, niſi peccatum & miſeriam? Hoc ſolum, quod geſto, corruptibile corpus de veſtro me habere fateor & agnoſco. Non ſufficit vobis quod me in hanc ſæculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis; quod in peccato veſtro peccatores peccatorem genuiſtis; quod & in peccato natum, de peccato nutriſtis: niſi etiam invidendo mihi miſericordiam, quam conſecutus ſum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis?

Acris objurgatio Parentum filios à religione abſtrahentium.

Mich. 7. 6. & Matt. 10. 36.

B

C

2. O durum patrem, ô ſævam matrem, ô parentes crudeles & impios; immo non parentes, ſed peremptores: quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio, mors filii eſt! qui me malunt perire cum eis, quàm regnare ſine eis! qui me rurſus ad naufragium, unde tandem nudus evaſi; rurſus ad ignem, unde vix ſemiuſtus exivi; rurſus ad latrones, à quibus ſemivivus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano jam aliquantulum convalui, revocare conantur: & militem Chriſti prope jam rapto cælo triumphantem (quod non in me glorior, ſed in eo qui vicit mundum) ab ipſo jam introitu gloriæ, tamquam canem ad vomitum, tamquam ſuem ad lutum, ad ſæculum reducere moliuntur. Mira abuſio! domus ardet, ignis inſtat à tergo; & fugienti prohibetur egredi, evadenti ſuadetur regredi! & hoc ab his qui in incendio poſiti ſunt, & obſtinatiſſima dementia ac dementiſſima obſtinatione fugere periculum nolunt. Prô furor! ſi vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis ſalutem veſtram, quid juvat etiam perſequi meam? Quare vos non potius ſequimini me fugientem, ut non ardeatis? An hoc eſt veſtri cruciatus levamen, ſi me etiam perimatis: & hoc ſolum timetis, ne ſoli pereatis? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare poterit? Quæ, inquam, conſolatio damnatis, ſocios habere ſuæ damnationis? quodve remedium morientibus, alios videre morientes? Non hoc mihi perſuadet dives ille, qui in tormentis deſperatus de ſui liberatione, rogabat nuntiari fratribus ſuis, ne & ipſi venirent in locum eumdem tormentorum, timens proculdubio ex ſuorum cruciatu augeri ſuum.

D

E

Luc. 16. 28.

3. Quid ergo? ibo & conſolabor lugentem matrem meam mei ad tempus viſitatione, ut in æternum lugeam, & me, & ipſam ſine conſolatione? Ibo, inquam, & ſatisfaciam patri meo iraſcenti pro mei ad tempus abſentia, conſolandus & ipſe ad tempus de ejus præſentia, ut poſtmodum & quiſque pro ſe, & uterque pro alterutro inconſolabili deſoletur triſtitia? An potius exemplo Apoſtoli non acquieſcens carni & ſanguini,

V. epiſt. 104 n. 1 & ibid. Notas.

F

Gal. 1. 16.

A vocem audiam Domini jubentis, *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*; & cantabo cum David, *Renuit conſolari anima mea*; & cum Jeremia, *Diem hominis non concupivi, Domine, tu ſcis?* Quid enim? Funes ceciderunt mihi in præclaris, & cæleſtis hereditas præclara eſt mihi: & terrena adulatur promiſſio, blanditur conſolatio carnis? Gustato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere carnem; affectanti cæleſtia, terrena non ſapiunt; æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria. Deſinite igitur, parentes mei, deſinite & vos fruſtra plorando affligere, & me gratis revocando inquietare: ne, ſi adjeceritis nuntios ultra mittere pro me, plus me elongare cogatis. Si autem dimittitis, Claram-vallem in perpetuum non dimittam. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Ibi pro meis atque veſtris peccatis jugiter orabo; ibi precibus aſſiduis (quod & vos cupitis) impetrabo, ſi potero, ut qui ejus amore hoc modico tempore ab invicem ſeparamur, in alio ſæculo ſimul felici & inſeparabili ſocietate, in ejus amore vivamus per omnia ſæcula ſæculorum. amen.

Matt. 8. 22. Pſal. 76. 4. Jerem. 17. 16. Pſal. 15. 6.

Sapienti cæleſtia deſipiunt terrena.

B

Ad Gaufridum Lexovienſem [b].

EPISTOLA CXII.

Dolet eum deſerto religionis propoſito rediſſe ad ſæculum; & ad reſipiſcentiam hortatur.

C

1. DOleo ſuper te, fili mi Gaufride, doleo ſuper te. Et merito. Quis enim non doleat florem juventutis tuæ, quem lætantibus Angelis Deo illibatum obtuleras in odorem ſuavitatis, nunc à dæmonibus conculcari, vitiorum ſpurcitiis, & ſæculi ſordibus inquinari? Quomodo qui vocatus eras à Deo, revocantem diabolum ſequeris; & quem Chriſtus trahere cœperat poſt ſe, repente pedem ab ipſo introitu gloriæ retraxiſti? In te experior nunc veritatem ſermonis Domini, quem dixit: *Inimici hominis, domeſtici ejus.* Amici tui & proximi tui adverſum te appropinquaverunt, & ſteterunt. Revocaverunt te in fauces leonis, & in portis mortis iterum collocaverunt te. Collocaverunt te in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi: & jam parum eſt, ut deſcendas in ventrem inferi; jam te deglutire feſtinat, ac rugientibus præparatis ad eſcam tradere devorandum.

Mich. 7. 6. & Matth. 10. 36.

D

2. Revertere quæſo, revertere, priuſquam te abſorbeat profundum, & urgeat ſuper te puteus os ſuum: priuſquam demergaris, unde ulterius non emergas; priuſquam ligatis manibus & pedibus projiciaris in tenebras exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium: priuſquam detrudaris in locum tenebroſum, & opertum mortis caligine. Erubeſcis forte redire, quia ad horam ceſſiſti. Erubeſce fugam, & non poſt fugam reverti in prœlium, & rurſum pugnare. Necdum finis pugnæ, necdum ab invicem dimicantes acies diſceſſerunt: adhuc victoria præ manibus eſt. Si vis, nolumus vincere ſine te, nec tuam tibi invidemus gloriæ portionem. Læti occurremus tibi, lætis te recipiemus amplexibus, dicemuſque: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius noſter mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt.*

E

Luc. 15. 32.

Ad Sophiam virginem.

EPISTOLA CXIII.

Eam prædicat ob ſpretam mundi gloriam: & expoſitis Religioſarum virginum elogiis, privilegiis, præmiis ac ornamentis, ad perſeverantiam hortatur.

F Bernardus abbas de Clara-valle, Sophiæ virgini, virginitatis ſervare titulum, apprehendere fructum. a

1. FAllax gratia, & vana eſt pulcritudo: mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Condelector, filia, gloriæ virtutis tuæ, qua fallacem mundi gloriam reſpuiſſe narraris. Ipſa quippe digne reſpuitur: ſed quia multi

Prov. 31. 30.

a Hæc inſcriptio nunc primum reſtituta eſt ex codice Corbeienſi ſæpe laudato. An epiſtola hæc una eſt ex illis, quas ſcriptoribus componendas præſcribebat aliquando vir ſanctus, ex epiſtola nunc 389. Vide Horſtii Notas.

b *Luxovienſem* alii habent. Quo vocabulo etiam Ordericus uti ſolet ad deſignandos Lexovienſes, *de Liſieux*, in Neuſtria: ut nulla ſit paſſim nominis diſtinctio inter Luxovienſes in Burgundiæ Comitatu apud illius temporis ſcriptores.

aliter ſapiente in ejus æſtimatione deſipiunt, tu jure laudari quia non falleris. Flos fœni eſt, vapor eſt ad modicum parens. Ipſe ejus qualiſcumque ſtatus, nonne plus anxietatis, quàm jucunditatis habet? Dum vindicas, dum defendis, dum invides, dum ſuſpicaris, dum ſemper ambis quæ non habes; & nonnullis adeptis, acquirendi non tepeſcit ardor: quæ requies in gloria tua? Si qua tamen eſt, præterit jucunditas non reditura, & manet anxietas non relictura. Ceterum videas eam quamplurimos non apprehendere, contemnere perpaucos. Cur hoc? profecto quia neceſſitas multorum eſt, virtus paucorum. Paucorum, inquam, paucorum, præſertim nobilium. Denique *non multos nobiles: ſed ignobilia mundi elegit Deus.* Proinde B benedicta tu in nobilibus, quæ pro gloria certantibus ceteris, de contemptu gloriæ glorioſius ſublimaris, & ſublimius gloriaris. Inſignior plane atque illuſtrior; quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis. Illud namque Dei munere tuum eſt, hoc tuorum. Porro quod rarum eſt, tanto carius eſt, quanto rarius. Nam ſi in viris virtus, rara eſt avis in terris: quanto magis in femina fragili & nobili? Denique *mulierem fortem quis inveniet?* Multo magis quis fortem & nobilem? Minime quidem Deus eſt acceptor perſonarum: neſcio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet. An forte quia plus claret? ſiquidem ignobilis, cum caret gloria, non facile liquet, utrum quia nolit, an quia non poſ- C ſit habere. Laudo factam de neceſſitate virtutem: ſed plus illam quam eligit libertas, non indicit neceſſitas.

Nobilium ... [margin] — Prov. 31. 10. — & pauca.

2. Certent ergo ceteræ, quæ ſpem non habent, pro rerum fugacium atque fallacium vili brevique gloriola: tu ſpei, quæ non confundit, innitere. Tu te, inquam, ei quod breve hoc ac momentaneum tribulationis tuæ ſupra modum in ſublime operatur, ponderi gloriæ reſervato. Quod ſi tibi exprobraverint filiæ Belial, illæ quæ extento collo, fractis incedunt greſſibus, compoſitæ & circumornatæ ut ſimilitudo templi; reſponde Regnum meum non eſt de hoc mundo: reſponde, Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum D ſemper eſt paratum: reſponde, Gloria mea abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cum autem Chriſtus apparuerit vita mea, tunc & ego apparebo cum ipſo in gloria. Quamquam & ſi gloriari oportet, potes tu quoque ingenue, potes ſecure, tantum in Domino. Omitto ſane coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. Sileo repromiſſiones, quæ te in poſterum manent: quod felix ſponſa admittenda es revelata facie ſpeculari gloriam Sponſi tui: quod te ſibi exhibiturus eſt glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi: quod æternis excepturus amplexibus, ponet lævam ſub capite tuo, & dextera illius amplexabitur te. Prætereo locum nominatum, quem virginita- E tis prærogativa ſingularem à filiis & filiabus in regno es proculdubio ſortitura. Sileo & canticum illud novum, quod virgo cum virginibus ſingulari nihilominus, dulcique modulamine canitura *, lætaberis in ipſo, & lætificabis civitatem Dei, cantans, & curſitans, & ſequens Agnum quocumque ierit. Illud ſiquidem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod tibi præparatum eſt, & cui te præparari oportet.

Coloſſ. 3. 4. — Prærogativa ... — * Ita uſſ. & ... — Immo in præſenti.

3. Hæc ergo prætermitto, quæ in futuro repoſita ſunt tibi: præſentia tantum loquor, ea loquor quæ de primitiis ſpiritus jam tenes, ſponſi xenia, arrhas ſpon- F ſalitias, benedictiones dulcedinis, in quibus te prævenit, quem & ſubſecuturum, atque quod deeſt completurum exſpectas. Ille, ille in medium veniat ſummo decore ſpectabilis, ipſis quoque Angelis admirandus ornatus: & proferant ſi quid ſimile habent filiæ Babylonis quarum vere gloria in confuſione. Induuntur purpura & byſſo, & ſubinde conſcientia pannoſa jacet: fulgent monilibus, moribus ſordent. Econtra tu foris pannoſa, intus ſpecioſa reſplendes, ſed divinis aſpectibus, non humanis. INTUS eſt quod delectat, quia intus eſt quem delectat. niſi forte tu dubitas habitare Chriſtum per fidem in corde tuo. Denique *omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Jucundare, filia Sion, & exulta ſatis, filia Jeruſalem, quia concupivit Rex ſpeciem tuam: ſi tamen confeſſionem & decorem induis, amicta lumine ſicut veſtimento. Nempe *confeſſio & pulcritudo in conſpectu ejus.* Cujus? Specioſi forma præ filiis hominum; ipſius in quem deſiderant Angeli proſpicere.

De ... Virginum quam...

Pſal. 44. 14. — Pſal. 95. 6.

4. Audis cui places: ama unde places, ama confeſſionem, ob quam amaris: ama confeſſionem, ſi affectas decorem. Confeſſioni jungitur decor, jungitur pulcritudo. Habes utrumque, *Confeſſionem & decorem induiſti;* &. *Confeſſio & pulcritudo in conſpectu ejus.* Re- B vera ubi confeſſio, ibi pulcritudo, ibi decor. Si peccata ſunt, in confeſſione lavantur: ſi bona opera, confeſſione commendantur. Cum mala tua confiteris, ſacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo ſacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. *A mortuo* quippe, *tamquam qui non ſit, perit confeſſio.* Confeſſio igitur, peccatoris eſt vita, juſti gloria: & neceſſaria eſt peccatori, & juſtum nihilominus decet. Denique *rectos decet laudatio.* Serica, & purpura, & tincturarum fucus decorem habent, ſed non C præbent. Quicquid tale applices corpori, exponit ſpeciem ſuam, non deponit. Secum denique tollit, cum tollitur ipſum. Porro decor qui cum veſte induitur, & cum veſte deponitur, veſtis proculdubio eſt, non veſtiti.

Decor in confeſſione. — Pſal. 103. 1. — Pſal. 95. 6. — Confeſſio duplex. — Eccli. 17. 26. — Pſal. 32. 1. — Decor veſtium, & fucus aliena.

5. Tu ergo noli æmulari in malignantibus, & mendicantibus pulcritudinem alienam, ubi perdiderint ſuam. NATIVO quippe & interno ſe produnt decore nudas, quæ tanto ſtudio & pretio de diverſis & variis ſpeciebus ejus quæ præterit figuræ mundi, foris ſibi conficere ſatagunt, unde oculis inſipientium appareant ſpecioſæ. Indignum tibi judica, formam à pellibus murium, & operibus vermium mutuari: tua D tibi ſufficiat. ILLE eſt verus propriuſque cujuſque rei decor, qui nulla interjacente materia per ſe ineſt. O quàm decenti rubore genas ſuffundit virgineas ingenita gemma pudoris! quæ inaures reginarum huic comparabuntur? Nec inferioris inſigne decoris diſciplina præfert. O quam compoſitum reddit omnem puellaris corporis ſtatum, nedum * & mentis habitum, diſciplina? Cervicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram ſedat, format inceſſum. Talibus decet pudicitiæ veſtem diſtingui margaritis. Iſtiuſmodi circumdata varietate virginitas, cui gloriæ merito non præfertur? Angelicæ? An- E gelus habet virginitatem, ſed non carnem: ſane felicior, quàm fortior in hac parte. Optimus & optabilis valde ornatus iſte, qui & Angelis poſſit eſſe invidioſus.

Virginum verus ornatus modeſtia & diſciplina. — * al. necnon. — Prærogativa ſuper Angelos.

6. Sed adverte & aliud de eodem. Profecto tanto tibi manet tutus, quanto & proprius. Vides nempe auro, argento, lapidibus pretioſis, & omni denique cultu regio non tam ornatas quam oneratas. Vides longas poſt ſe trahentes fimbrias, ipſaſque pretioſiſſimas, & denſas pulveris nubes excitantes in aera. Non te moveant hæc. Illæ illa vel in morte deponent: te tua ſanctitas non relinquet. Non ſunt ſua quæ portant. Cum interierint, non ſument omnia, neque deſ- F cendet cum eis gloria hæc. Mundus, cujus ſunt, nudis illis exeuntibus retinebit, eiſdem vanis vanas ſimiliter alias ſeducturus. At vero tuus ille ornatus non ſic. Firmiſſime tibi (ut dixi) manet, propterea tutus, quia tuus. Nullius facile aut cedit injuriis, aut patet inſidiis. Adverſus hujuſmodi nil furis calliditas, nil furentis crudelitas poteſt. Nec à tineis roditur, nec vetuſtate corrumpitur, nec conſumitur uſu. In morte vivit. Nimirum animæ res eſt, non corporis: & ob hoc ſimul cum anima de corpore abit, non obit cum corpore. Porro animæ non habent quid faciant, etiam qui corpus occidunt.

Cultus filiarum ſeculi inanis & caducus. — At Virginum perpetuus.

Ad alteram SANCTIMONIALEM.

EPISTOLA CXIV.

Quæ ſub habitu religioſo animum geſſerat mundo deditum, eam jam reſipiſcentem prædicat, & ne gratiam negligat, hortatur.

1. MAgnum eſt mihi gaudium, quod te ad verum & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non eſt de terra, ſed de cælo; id eſt, non de hac convalle plorationis, ſed de illa quam fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Et revera ILLUD VERUM & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, B ſed de Creatore concipitur: & quod cum poſſederis, nemo tollet à te. cui comparata omnis aliunde jucunditas, mæror eſt; omnis ſuavitas, dolor eſt; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne poſtremo quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum. Denique tu mihi teſtis es in hac re: teipſam interroga, quia tu tibi familiarius credes. Numquid non hoc ipſum clamat in corde tuo Spiritus-ſanctus? Annon tibi jam ab ipſo, priuſquam à me, hujus rei veritas perſuaſa eſt? Quando enim tu femina & juvencula, formoſa & ingenua, ſic fragilem & ſexum vinceres, & ætatem; ſic ſpectabilem & formam, & generoſitatem contemneres, niſi cuncta quæ corporis C ſenſibus ſubjacent, in illorum jam tibi comparatione vileſcerent, quæ te interius & confortant ut vincas, & delectant ut præferas?

Gaudium verum & ſolidum quod?

2. Nec immerito. Modica, tranſitoria, terrena ſunt quæ deſpicis: maxima, æterna, cæleſtia ſunt quæ appetis. Plus dicam, & verum dicam: tenebras deſeris, & lucem ingrederis. De profundo fluctuum emergis ad portum; de miſera ſervitute in felicem libertatem reſpiras; de morte denique tranſis ad vitam. ſiquidem uſque modo tua non Dei voluntate, tua vivens non Dei lege, vivens mortua eras: vivens mundo, mortua Deo; ſive, ut verius loquar, nec mundo vivens, nec Deo. D Volens quippe ſub habitu & nomine religionis inſtar unius de ſæculo converſari, ſola Deum à te voluntate repuleras: non autem valens quod ſtulte volebas, non tu quidem mundum, ſed te mundus repulerat. Deum ergo repellens, & à ſæculo [a] repulſa, inter duas, ut dicitur ſellas, corrueras. Nec Deo itaque vivebas, quia nolebas; nec ſæculo, quia non poteras: alteri quidem volens, alteri invita; ſed tamen utrique mortua. Sic debet contingere his qui vovent, & non ſolvunt*; qui aliud foris oſtentant, & intus aliud appetunt. At vero nunc per Dei miſericordiam incipis reviviſcere, non peccato, ſed juſtitiæ; non ſæculo, ſed Chriſto: ſciens quia & ſæculo vivere, mors eſt; & in Chriſto etiam mori, vita. *Beati* nempe *mortui, qui in Domino moriuntur.* E

Deo & mundo partes ſervire impoſſibile.

** al. reddunt.*

3. Ex hoc jam nec votum tuum irritum, nec caſſam profeſſionem cauſabimur: ex hoc jam nec corporis integritas animi corruptione infirmabitur, nec morum pravitate virginitatis titulus obſcurabitur: ex hoc jam nec falſum nomen, nec vacuum velamen portabis. Ut quid enim hactenus Nonna [b] & Sanctimonialis vocitata es, quæ ſub ſanctitatis nomine, non tamen ſancte converſata es? Cur velum in capite mentiebatur reverentiam, & ſub velo petulans oculus exhibebat impudentiam? Caput ſiquidem gerebas velatum, ſed elatum: ſub ſigno verecundiæ ſermo reſonabat inverecundus. Riſus immoderatior, inceſſus F laſcivior, veſtitus ornatior, Wimplatæ [c] magis quàm velatæ congruerent. Sed ecce jam vetera Chriſto auctore tranſierunt, & nova fieri incipiunt omnia: dum cultum exteriorem interiore commutas; & magis vitam, quàm veſtem appetis habere ornatam. Facis

Religioſæ hypocritæ deſcriptio.

A quod debes, immo quod jam olim feciſſe debueras. nam olim jam voveras. Sed Spiritus, qui, ſicut ubi vult, ita & quando vult, ſpirat, necdum ſpiraverat. Et idcirco forſitan quod hucuſque egiſti, excuſationem habet. Ceterum ſi flammantem ſpiritum, quo nunc recaluit ſine dubio cor tuum intra te, & in meditationibus tuis exardeſcentem ignem divinum jam exſtingui permiſeris; quid reſtat, niſi ut te illi ſervandam noveris igni, qui non poſſit exſtingui? Sed exſtinguat potius idem Spiritus in te concupiſcentias carnales, ne forte ab his præfocato (quod abſit) nuper concepto ſancto deſiderio, in flammas contingat incidere gehennales.

B Ad aliam SANCTIMONIALEM de monaſterio [d] ſanctæ Mariæ Trecenſis.

EPISTOLA CXV.

Diſſuadet ei eremum, quam temere & imprudenter appetebat.

1. RElatum eſt mihi, te quaſi aſperioris vitæ deſiderio tuum monaſterium velle deſerere. Quam rem diſſuadentibus tibi atque omnimodis prohibentibus ſpirituali matri tuæ, ſive ſororibus, cum acquieſcere nolles, placuiſſe tandem noſtrum ſuper hoc conſilium eligere: ut quicquid ego laudaverim, id tibi C credas expedire. Debueras quidem doctiorem ad hoc conſilium eligere: quia tamen ſic tibi viſum eſt; quod hinc mihi rectius videtur, non celo. Hoc itaque tuum deſiderium ex quo cognitum habui, cogitans atque recogitans quo quidem ſpiritu conceperis, facile judicare non audeo. Potes namque in hac re zelum Dei habere, ut excuſabilis ſit tua intentio: ſed quomodo ſecundum ſcientiam tua talis voluntas impleatur, omnino non video. Cur, inquis? Non eſt ſapere, ut opulentiam, ut urbis frequentiam, ut pinguia fugiam & delicias? An non mea mihi pudicitia tutior erit in eremo, ubi in pace cum paucis, aut ſola converſans, ſoli placeam cui me probavi? Nequaquam. D Nam volenti perperam agere, & deſertum abundantiam habet, & nemus umbram, & ſilentium ſolitudo. Malum quippe quod nemo videt, nemo arguit. Ubi autem non timetur reprehenſor, ſecurius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero bona ſi qua facis, nemo prohibet: malum autem facere ſi vis, non licet. Mox etenim à pluribus comperitur, arguitur, emendatur: ſicut e contrario bonum cum vident, omnes mirantur, venerantur, imitantur. Vides ergo, filia, quod & tua merita immanior in conventu gloria ſequitur, & citior culparum correctio: quando ibi ſunt, & quibus de bonis exemplum præbeas, & quas de malis offendas.

Dubia de eſſi eremiticæ vitæ (?) eremiticæ.

Vitæ eremiticæ incommoda.

Cœnobiticæ commoda.

E 2. Denique ut ex illa evangelica partitione omnem tibi auferam tui excuſationem erroris; aut de fatuis virginibus una es, (ſi tamen virgo es) aut de prudentibus. Si de fatuis, congregatio tibi neceſſaria eſt: ſi de prudentibus, tu congregationi. Nam ſi ſapiens & probata es; religio certe quæ illo in loco noviter innovata nunc ubique laudatur, multum tua diſceſſione infamabitur, & infirmabitur, ut timemus. Dicetur quippe, quod bona cum ſis, bonum ordinem [e] nequaquam deſereres. Quod ſi fatua cognita es, & recedis; dicemus quod quia cum bonis male vivere non licet; bonas mala non ferens, quæris ubi vivere liceat F ut libet. Et merito. Nam ante Ordinis emendationem numquam (ut aiunt) inde locuta es: at ubi religio crevit, ſanctior ſubito facta, fervore repentino cogitare cœpiſti de eremo. Agnoſco, filia, agnoſco, utinam & tu mecum agnoſcas, ſerpentinum virus, fraudulenti dolum, verſipellis aſtutiam. In nemore lupus habitat.

Eremi deſiderium ſuſpectum.

a Apte hoc loco liber 1. de Imitatione Chriſti cap. 25. *Religioſus negligens & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur.* Lege ſermones 3. & 5. in Aſcenſione.

b Vox ex Regula S. Benedicti effecta, in qua juniores Priores ſuos Nonnos appellare jubentur in cap. 61.

c Editi plerique habebant, *ut inflata*. at mss codices & primæ duæ editiones, *wimplatæ*, & ſic legendum. nam *wimpla*, gallice *guimpe*, feminarum ſecularium quondam ornamentum. Vide alias Notas.

d Hactenus ſuperſtat apud Trecas iſtud monaſterium ſub Regula S. Benedicti: ubi religio tum *innovata* erat, teſte Bernardo.

e Vulgo *le bon Ordre*, id eſt accuratam vitæ monaſticæ diſciplinam.

Si ſola o[illegible] umbras n[illegible]moris penetras, præda vis eſſe lup[illegible] audi me, fil[illegible], fidele audi conſilium. Sive pec[illegible], ſive ſancta ſis, noli te ſeparare à grege: nequand[illegible] rapiat, & non ſit qui eripiat. Sancta es? ſtude tuo [illegible] ploexemplo tuæ ſocias acquirere ſanctitatis. Peccatrix [illegible] noli addere peccata peccatis, ſed age pœnitentiam [illegible] ubi es: ne diſcedens cum tui quidem periculo, ut [illegible] oſtenſum eſt, & ſororibus ſcandalum relinquas, & multorum in te provoces detrahentium linguas.

Ad [illegible] quondam Comitiſſam Britanniæ.

EPISTOLA CXVI.

[illegible] um ſui cordis & vim religioſæ dilectionis ſuaviter & familiariter inſinuat.

Dilectæ in Chriſto filiæ ſuæ Ermengardi, quondam [illegible] Comitiſſæ, nunc humili Chriſti [a] ancillæ, Bernardus Abbas Claræ-vallis, pium ſanctæ dilectionis affectum.

Utinam ſicut chartam nunc præſentem, ita & meam tibi mentem expandere poſſem! O ſi legere poſſes in corde meo, quod ibi de amore tuo, ſuo digito Deus ſcribere dignatus eſt! certe agnoſceres quam nulla lingua vel penna ſufficiat exprimere, quod in intimis mihi medullis Dei ſpiritus imprimere potuit. Et nunc quidem præſens ſum ſpiritu, licet corpore abſens: ſed nec mihi, nec tibi eſt unde appaream. Eſt tamen penes te, unde poſſis de me utcumque conjicere, etſi nondum cognoſcere, quod dico. Intra ergo cor tuum, & inſpice meum: & vel tantum mihi tribue amoris erga te, quantum tibi erga me ineſſe ſentis: ne ſi nos quidem minus, te vero amplius amare præſumpſeris, eo te nobis præferre puteris, quo & vincere nos caritate putaveris. Ceterum tuæ modeſtiæ eſt, id potius ſentire de nobis, ut qui te afficit ita me diligere & eligere ad conſilium tuæ ſalutis, æque afficerit & me in obſequium tuæ dilectionis. Tu ergo videris quomodo me tecum retinueris: ego (ut verum fatear) D nuſquam abs te abſque te recedo. Hæc tibi interim de via breviter in tranſitu ſcribere volui: ſperans me majori otio majora miſſurum, ſi Deus annuerit.

Ad Eamdem.

EPISTOLA CXVII.

Laudat ejus in divino ſervitio alacritatem, ſuumque illius videndæ deſiderium indicat.

a accipi. Recepi [a] delicias cordis mei, pacem tui. Lætus ſum, quia tu læta nuntiaris; meque admodum animo reddit incolumem tua innoteſcens alacritas. Hæc nimirum lætitia nil habet de carne & ſanguine, cum humilis ex ſublimi, ex ingenua ignobilis, pauper ex divite vivas: fratris, filii, patriæque deſtituta ſolatio. Sine dubio ergo quod in te alacritatis natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt. Quippe jamdudum à timore Dei concipiens, parturiſti tandem ſpiritum ſalutis, foras utique mittente caritate timorem. O quam libentius iſta præſens colloquerer, quàm ſcribo abſens! Crede mihi, iraſcor occupationibus, quibus frequenter impediri videor ne te videam: & delector occaſionibus, quibus vel interdum expediri videor, ut te videam. Rara quidem datur hujuſmodi opportunitas: ſed cara, F fateor, eſt mihi vel ipſa raritas. Eſt enim ſane melius videre te vel nonnumquam, quàm numquam omnino.

A no. Spero me in proximo venturum ad te, jam nunc prælibans gaudium proxime pleneque futurum.

Ad Beatricem nobilem & religioſam matronam.

EPISTOLA CXVIII.

Officioſam ejus caritatem & ſollicitudinem commendat.

Miror tuæ devotionis ſtudium, tuæ erga nos dilectionis affectum. O bona domina, quid tibi & nobis? unde tanta tibi ſollicitudo de nobis? Si filii, ſi nepotes, ſi vel aliqua extrema propinquitatis linea tibi juncti eſſemus; tua crebra beneficia, frequentes B ſalutationes, innumera denique tui amoris inſignia, quæ quotidie experimur, non tam nobis miranda viderentur, quam ex debito ſuſcipienda. Nunc autem eum genere tantum dominam, non matrem te cognoſcamus; non mirum ſi miramur, ſed mirum ſi ſatis mirari poſſumus. Quis enim notorum vel cognatorum noſtrorum curam habet de nobis? quis umquam de noſtra ſalute interrogat? quis, inquam, non dico ſollicitus, ſed vel memor noſtri eſt in ſæculo? Amicis, propinquis, vicinis noſtris facti ſumus tamquam vas perditum: ſola nos oblivisci non potes. Inquiris de eſſe & ſtatu ſalutis noſtræ, de via quam nuper egimus, de monachis, quos ad alium locum tranſtuli- C mus. De quibus breviter reſpondeo, quod de terra deſerta, & de loco horroris & vaſtæ ſolitudinis introducti ſunt in abundantiam rerum, ædium, & amicorum; in terram denique fertilem, & locum amœnæ habitationis. Lætos itaque & in pace reliquimus, læti nos & in pace reverſi ſumus: præter quod ego paucis diebus, ſed non parum, febre redeunte, ita ut mori timerem, aggravatus fui. Sed rurſum, Deo miſerante, cito convalui, ita ut nunc fortiorem ſanioremque me ſentiam poſt viam peractam, quam ante inchoatam.

Ad Ducem & Ducissam Lotharingiæ.

EPISTOLA CXIX.

Gratias agit pro condonatis hactenus vectigalibus: ſed caveri cupit, ne gratia Principum opera miniſtrorum intervertatur.

Duci [b] & Ducissæ Lotharingiæ, Bernardus abbas de Clara-valle, ſic ſuis adinvicem caris & caſtis delectari amplexibus, ut ſolus amor Chriſti ſuperet in ambobus. b

Ex quo cœpimus mittere pro noſtra neceſſitate in terram veſtram, multam ſemper invenimus in oculis veſtræ dignitatis familiaritatem & gratiam. Benedictionem largitatis veſtræ noſtris hominibus, cum E neceſſe fuit, liberaliter exhibuiſtis. Paſſagium [c] tranſeuntibus, & ſi quod eſt aliud juris veſtri debitum, mercantibus libenter dimiſiſtis. De quibus omnibus ſine dubio merces veſtra multa eſt in cælis, ſi tamen verum eſſe credimus quod Dominus in Evangelio promittit: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis meis, hoc mihi feciſtis.* Sed quid eſt quod miniſtros veſtros, quæ vos donaſtis, exigere rurſum permittitis? Dignum eſt vobis & honorificum, ut quod vobis pro ſalute animarum veſtrarum placuit donare, nemo veſtrorum repetere audeat. Si ergo vos (quod abſit) beneficiorum veſtrorum non pœnitet, donumque quod in beneplacito veſtro à vobis ſæpe recepimus, æque adhuc ut habeamus, utrique veſtrum complacet; jubete ita firmiter & inconcuſſe teneri, quatenus ultra fratres noſtri à nul- c Matth. 25 40.

a Id eſt Sanctimoniali, qualis erat Ermengardis jam tempore Gaufridi abbatis Vindocinenſis, qui in lib. 5. epiſtola 23. eam arguit, quod mundo, à quo ſemel receſſerat, iterum ſe ſociaſſet. Ab eodem in epiſtola ſequente regia proles appellatur. Hæc Ciſtercienſibus monaſterium Buſaium condidit juxta Namnetum, ex lib. 2. de vita Bernardi cap. 6. & quidem anno 1135. ex Chronologia noſtra.

b Simoni videlicet & Adelaidi, non Gertrudi, ut plerique ſcribunt. De hujus Duciſſæ converſione per Bernardum facta, lege lib. 2. Vitæ, cap. 24. Quippe Sanctimonialis velum in parthenone Tartenſi, qui Divioni olim proximus erat, ſuſcepit, ut patet ex autographis litteris Matthæi Ducis ejus filii, qui matrem ſuam Athelesdem vocat. Has litteras refert Petrus Franciſcus Chifflerius poſt Opuſcula quatuor Pariſiis edita anno 1679. Faceſſant igitur Gertrudis ad Bernardum, & Bernardi ad Gertrudem epiſtolæ, à Bernardo Britone ex gallico idiomate in Luſitanum, ac deinde in latinum verſæ.

c Cenſus à tranſeuntibus perſolvi ſolitus, vulgo *droit de paſſage.*

lo miniſtrorum veſtrorum timeant propter hoc diſturbari. Alioquin non renuimus Domini noſtri ſequi exemplum, qui pro ſe non dedignatus eſt ſolvere cenſum, parati & nos libenter quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddere, & vectigal cui vectigal, & tributum cui tributum: præſertim quia juxta Apoſtolum non tam debemus requirere datum noſtrum, quam veſtrum lucrum.

Matth. 17. 26. *Philip. 4. 17.*

Ad Ducissam Lotharingiæ.

EPISTOLA CXX.

Pro beneficiis oblatis gratias agit. & ab iniquo bello eam deterret.

GRatias agimus Deo pro tam devota voluntate, quam erga ipſum & ſervos ejus vos habere cognovimus. Quotiens enim ut corde carnali, terrenis dignitatibus alto, ulla vel minima ſcintillula cæleſtis amoris accenſa videtur, divinum ſine dubio eſt munus, non hominis virtus. Et nos quidem largitatis veſtræ veſtris in litteris nobis oblata beneficia gratanter amplectimur: ſed cogniita illa ſubita & grandi ſatis occupatione, quâ vos nunc detineri neceſſe eſt; convenienS duximus veſtram, quantum vobis placuerit, exſpectare opportunitatem. Nemini etenim, quantum in nobis eſt, vellemus eſſe oneri, præſertim in iis quæ ad Deum pertinent: ubi non dati lucrum, ſed dantis fructum magis requirere debemus. Diem itaque nobis, ſi placet, atque locum reſcribendo per hunc nuntium nominate: quo, juvante Deo, præſenti expedita inſtantia, noſtris partibus appropinquare debeatis, & fratre Widone ª vobis obviam facto, ſi quid in terra veſtra invenerit quod aptum ſit Ordini noſtro, promiſſa veſtra expeditius atque alacrius compleatis. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Aut ſi forte non placet vobis dilatio, & hoc notificate: quia parati ſumus in hac re, quantum ratio patitur, veſtræ obtemperare voluntati. Ore veſtro Ducem ſalutamus: & tam ipſum quàm vos admonemus, ut ſi caſtrum, pro quo guerram facturi eſtis, veſtri juris non eſſe noveritis, pro Dei amore relinquatis. Scriptum quippe eſt: *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat?*

Amor Dei à Deo. *a* *2. Cor. 9. 7.* *Matth. 16. 26.*

Ad Ducissam ᵇ Burgundiæ.

EPISTOLA CXXI.

Offenſam Hugonis placare nititur. & aſſenſum in conjugium quoddam ab ea expoſcit.

VEſtræ dignationis ſpecialis familiaritas, quam erga nos pauperes homines habere videmini *, eouſque progreſſa eſt, ut quiſquis dignitatem veſtram ſe habere ſentit infenſam, per nullum facilius quam per nos confidat redire in gratiam. Hinc eſt quod dudum Divione cum eſſem, Hugo de Beſua multis me precibus ad placandam ſibi veſtram, quam meruerat, indignationem applicavit: & ut conjugio de filio ſuo, quod vobis quidem non placitum, ſed ſibi (ut putat) commodum irretractabiliter facere ſtatuerat, amore Dei & noſtro aſſenſum præberetis. cujus rei cauſa ecce nunc rurſus tam ſuis, quam ſuorum precibus aures noſtras pulſare curavit. Et nos quidem utilitates illius terrenas non valde curamus: verumtamen, quia res (ut ipſe dicit) ita in arcto poſita eſſe videtur, quatenus niſi cum ipſius perjurio nequaquam poſſit obviari conjugio: hoc vobis intimare convenienS duximus, quia grandis debet eſſe utilitas, quam Chriſtiani & veſtri hominis legalitati ᶜ præponere debeatis. Neque enim & perjurus eſſe, & legalis ſimul manere poterit. Quamquam etiam vobis non ſolum nullum lucrum, ſed & multum videamus ingruere periculum: ſi quos fortaſſis Deus conjungere diſpoſuit, per vos diſturbari contigerit. Suam gratiam adjiciat Dominus ſuper vos & ſuper filios veſtros, nobiliſſima, nobiſque in Chriſto dilectiſſima domina. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: erogate veſtrum frumentum pauperibus Chriſti, ut in æternum cum uſura recipiatis.

** al. dignamini.* *Matrimonium Duciſſ... ſſu... à ... lat.* *c*

Hildeberti ᵈ Turonenſis archiepiſcopi ad Bernardum abbatem.

EPISTOLA CXXII.

Bernardi fama nominis & ſanctitatis permotus, familiaritatem ejus expetit.

Circa ann. MCXXX *d*

1. BAlſamum ex odore ſuo, & arborem ex fructu cognoſci, paucos credimus ignorare. Sic & nobis ex opinione tua, cariſſime frater, innotuit, quam ſis & ad ſanctimoniam compoſitus, & integer ad doctrinam. Cum enim locorum interſtitio longius a te ſeparemur: ad nos tamen uſque pervenit, quam jucundas noctes cum tua Rachele ducas, quæ progenies ex Lia tibi exuberet, quam totum te exhibeas & cultorem virtutis, & hoſtem carnis. Non alium loquuntur te, quicumque loquuntur nobis de te. Talis eſt odor olei effuſi nominis tui, talia jam tuorum præmia meritorum. Has ex agro tuo ſpicas ante ſupremam colligis meſſionem. In hac enim vita quædam merces virtutis eſt conſpicuum & immortale teſtimonium. Hoc ipſa ſibi comparat, hoc ſibi ipſa cuſtodit. Hujus ſplendor non minuitur invidia, non exterioribus ſtudiis adjuvatur. Quippe bonorum exiſtimatio, ſicut falſis delationibus auferri non poteſt, ita nec adulatoriis favoribus acquiri. Penes ipſos eſt, eam vel ubertate virtutum proficere, vel defectu minorari. Sane de celeberrima opinione tua ſpes in ſinu Eccleſiæ repoſita eſt, eam minime caſuram, quoniam fundata creditur ſupra firmam petram.

Bern contemplativæ pariter & a... vitæ æmulatus. *Bonum nomen eſt merces quædam virtutis.*

2. Ex ea nos tuam edocti devotionem, deſiderio deſideravimus in ſacrarium familiaritatis tuæ recipi; ibique recordatione tecum eſſe, ubi te ipſum furatus colloquiis mortalium, pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum. Porro huic deſiderio noſtro N. † Trecenſis archidiaconus plurimum adjecit, vir moribus & litteratura conſpicuus. Eum tibi cenſeremus commendandum, niſi conſtaret illos, quos tua dignaris gratia, commendatione alia non egere. Si neſcis, illius etiam atteſtatione didicimus te in Eccleſia eſſe, qui ad eruditionem virtutis & exemplo ſufficias, & verbo. Ceterum ne litteris prolixioribus onereris, ſcripto ponimus finem, ſupradictæ petitioni, donec

† Gebuinus. V. Notas. ad Epiſt. 17.

a Exiſtimamus hunc eſſe VVidonem Trium-Fontium abbatem, qui in Lotharingiam profectus non ſemel, de quo ad epiſtolas 65. & 69.

b Mathildem, Hugonis I. Burgundiæ ducis uxorem, itas conquerentem in Hugonem de Beſua, *Beſe*. qui locus ſitus eſt quatuor leucis à Divione, monaſterio Beſuenſi Ord. S. Benedicti inſignis. De Hugone illo vide Perardum pag. 221 & 222.

c Legalitati, id eſt bonæ fidei, quæ conſiſtit in exſequendis promiſſis.

d In ſcriptis non paucis hæc epiſtola cum ſequenti reſcripto refertur poſt epiſtolam 127. in quibuſdam vero poſt epiſtolam 152. Hildebertus, hujus epiſtolæ auctor, Cenomannenſem eccleſiam rexit ab anno 1098 ad annum 1125 quo in metropolim Turonenſem mortuo Gilleberto ſuffectus eſt. Id conſtat tum ex Orderico Vitali in libro 10 ad annum 1098. tum ex actis Epiſcoporum Cenomannenſium, in tomo 3 Analectorum editis, ubi Guido, ejus in ſede Cenomannica ſucceſſor, poſt longas altercationes, anno 1126 conſecratus memoratur. Turones rexit annos tantum ſex cum totidem menſibus Sic enim habent acta prædicta, quibus apographum Cheſnianum conſentit, atque Johannes Maanus in Metropoli Turonenſi, immo etiam Ordericus ad annum 1125. pag. 882. ubi Hildeberto *fere VII annos* archiepiſcopatus tribuit. Non ergo pervenit Hildebertus ad annum 1136 ut in Gallia Chriſtiana legitur: ſed mortuus eſt anno 1132. quo anno utique Johannes Maanus ejus obitum reponit Horſtius in Notis ad hanc epiſtolam retulit aliam Hildeberti, ordine 24 quam Bernardo itidem ſcriptam exiſtimavit. At epiſtola hæc, quæ in editis ſine nomine ejus, ad quem directa eſt, reperitur, in duobus mſſ. inſcripta eſt H. abbati Cluniacenſi, cui eam reſtituimus. qua ex epiſtola intelligimus, Hildeberto conſilium fuiſſe ſecedendi Cluniacum, ſi per ſummum Pontificem ei licuiſſet. Petrus Bleſenſis ejus epiſtolas laudat in epiſtola 101.

exaudiri

exaudiri mereamur, ſine minime poſituri. Quid autem de hoc animo geras, doceri deprecamur tuarum recurſu litterarum.

Reſcriptum abbatis Bernardi ad HILDEBERTUM Turonenſem archiepiſcopum.

EPISTOLA CXXIII.

Laudes laudibus rependit.

BOnus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum. Scripta gloriæ tuæ, immo & meæ, ſatis libenter accepi, vir totius reverentiæ, tenens in illis unde te non immerito glorificem, & ipſe non immerito glorier. Siquidem gloria noſtra hæc eſt, tuæ ſublimitatis dignatio, tua noſtræ reputatio parvitatis. Nempe in alto non altum ſapere, ſed humilibus conſentire, nil Deo carius, nil rarius apud homines. Quis ſapiens, niſi qui Sapientiæ conſiliis acquieſcit? ait autem: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus.* Hoc tu mihi exhibuiſti, minori major, ſenior juniori. Poſſem proinde & ego tuam probatam ſapientiam non indebitis efferre laudibus, & forte juſtioribus his, quibus me dignata eſt ipſa. Quippe intereſt ad dandam rerum certitudinem, quid incerta jactet opinio, quidque opus evidens reddat indubitatum. Quod autem certius probamus, hoc & prædicamus ſecurius. Quæ ergo ad me de me tibi ſcribere placuit, videris tu unde probaveris: ego laudum tuarum argumentum teneo minime dubium ipſas mei laudatrices litteras tuas: in quibus alium fortaſſe delectet eruditionis inſigne, ſermo ſuavis & purus, oratio luculenta, gratum laudabileque compendium: mihi vero præ his illa ducitur miranda humilitas, qua tantillum tantus prævenire curaſti, & obſequio ſalutandi, & præconio prædicandi, & precandi reverentia. Sane quod ad me attinet, lego de me in litteris tuis, non quod ſum, ſed quod eſſe vellem, & quod non eſſe pudet. Verumtamen quod ſum, tuum eſt: & ſi quid melius Dei umquam munere ſuero, tuum fore confidito, reverendiſſime atque amantiſſime Pater.

Ad eumdem HILDEBERTUM, qui nondum receperat dominum Innocentium Papam.

EPISTOLA CXXIV.

Hortatur ut Innocentium in Gallia ob ſchiſma Petri Leonis exſulem, uti legitimum Pontificem agnoſcat.

Magno Sacerdoti, & excelſo in verbo gloriæ HILDEBERTO, Dei gratia Turonenſium archiepiſcopo Bernardus Claræ-vallis abbas dictus, in ſpiritu ambulare, & ſpiritualiter omnia examinare.

1. UT verbis vos propheticis alloquar, *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis *, quia mors dividit inter fratres.* Quidam enim juxta Iſaiam videntur fœdus percuſſiſſe cum morte, & cum inferno feciſſe pactum. Ecce namque chriſtus Domini iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum. Nam qui Dei ſunt, libenter junguntur ei: qui autem ex adverſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus. Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto, quem ut obtineret, incendit ignis ſanctuarium Dei. Perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam. Fugit ille nimirum à facie Leonis, ſicut dicit Propheta: *Leo rugiet, quis non timebit?* Fugit ſecundum præceptum Domini dicentis: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Fugit, & in hoc vere virum ſe apoſtolicum probans, quod apoſtolica ſeſe forma inſignierit. Nec enim Paulus erubuit in ſporta demitti per murum, & ſic effugere manus quærentium animam ſuam. Suffugit autem non parcens vitæ ſuæ, ſed dans locum iræ: non ut mortem evaderet, ſed ut vitam acquireret. Merito Eccleſia Innocentio concedit ipſius vicem, quem per eadem veſtigia gradientem cernit.

2. Nec ſane otioſa fuga Innocentii. Laborat quidem, ſed honeſtatur in laboribus ſuis. Pulſus urbe, ab orbe ſuſcipitur. A finibus terræ occurritur cum panibus fugienti, etſi furor Semei, Gerardi Engoliſmenſis, nondum ex toto quieſcat maledicere David. Velit, nolit peccator qui videt, & iraſcitur: magnificatur in conſpectu Regum, portans coronam gloriæ. Numquid non omnes Principes cognoverunt, quia ipſe eſt vere Dei electus? Francorum, Anglorum, Hiſpanorum, & poſtremo Romanorum Rex, Innocentium in Papam ſuſcipiunt, & recognoſcunt ſingularem Epiſcopum animarum ſuarum. Solus adhuc ignorat Achitophel ſuum jam patefactum ac diſſipatum conſilium. Fruſtra molitur miſer ſuper populum Dei malignare conſilium, & cogitare adverſus ſanctos ſancto firmiſſime adhærentes, & contemnentes curvare genua ante Baal. Nulla fraude prævalebit parricidæ ſuo obtinere regnum ſuper Iſrael & ſuper civitatem ſanctam, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, columna fidei, & firmamentum veritatis. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Electio meliorum, approbatio plurium, & (quod his efficacius eſt) morum atteſtatio, Innocentium apud omnes commendant, ſummum confirmant Pontificem.

3. Ad quod ſane & veſtra, Pater, exſpectatur, ſicut pluvia in vellus, vel ſera ſententia. Non improbamus tarditatem, quæ gravitatem redolet, levitatis abolet notam. Nam & Maria non ſtatim reſpondit Angelo ſalutanti, prius cogitans, qualis eſſet illa ſalutatio: & Timotheo præcipitur nemini cito manum imponere. Dico tamen ego notus Pontifici: Ne quid nimis. dico ut familiaris & notus: *Non plus ſapere quàm oportet ſapere.* Pudet, fateor, quod ſerpens vetuſtiſſimus nova audacia, relictis inſipientibus mulieribus, etiam robur pectoris veſtri viſus eſt attentare, & tantam Eccleſiæ columnam auſus concutere. Confidimus autem, quia etſi concutit, non dejicit: quoniam amicus ſponſi ſtat, & gaudet ad vocem ſponſi, vocem exultationis & ſalutis, vocem unitatis & pacis.

Ad Magiſtrum GAUFRIDUM [a] de Loratorio.

EPISTOLA CXXV.

Ann. Chr. MCXXXI.

Operam ejus requirit in aſſerendo pontificatu Innocentii adverſus ſchiſma Petri Leonis.

1. ODor in flore, in fructu ſapor requiritur. Odore provocati, cariſſime frater, olei effuſi nominis tui, cupimus & ex fructu operis cognoſcere te. Non enim nos tantum, ſed ipſe quoque qui nullius eget Deus, opus tamen habet hoc in tempore opere tuo, ſi non diſſimulas. Glorioſum tibi eſt Dei eſſe poſſe coadjutorem: poſſe, & non eſſe, damnoſum. Porro autem gratias habes apud Deum & homines, habes ſcientiam, habes ſpiritum libertatis, habes verbum vivum & efficax, & ſale conditum: nec oportet te pro tantis viribus ſponſæ Chriſti deeſſe in tanto diſcrimine, cum ſis amicus ſponſi. Amicus ſiquidem in neceſſitate probatur. Quid enim? tu tibi quieſcis, & mater tua Eccleſia graviter conturbatur? Habuit ſua tempora quies, & ſanctum otium hactenus ſua negotia licenter, libenterque exercuit. Tempus faciendi nunc, quia diſſipaverunt legem. Beſtia * illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum ſanctis, Petri cathedram occupat, tamquam leo paratus ad prædam. Altera quoque beſtia * juxta vos ſubſibilat, ſicut catulus habitans in abditis. Illa ferocior, iſta callidior, pariter convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus. Demus operam cito dirumpere vincula eorum, & projicere à nobis jugum ipſorum.

Marginal references: Job. 1. 6. (Eccli. 3. 20); Oſee 13. 14.; Iſai. 28. 15.; * id eſt Innocentio; Amos 3. 8.; Matth. 10. 23.; Act. 9. 25.; 2. Reg. 17. 7.; Eccl. 4. 12. Electio Innocentii prærogativa; Luc. 1. 29.; 1. Tim. 5. 22.; Rom. 12. 3.; Joban. 3. 29.; Apoc. 13. 5.; * Anacletus.; * Gerardus Engoliſmenſis.

a Gaufridus de Loratorio, Doctor nominatiſſimus, poſtea archiepiſcopus Burdegalenſis, ſic dictus a Loratorio, *Loroux*, qui locus eſt in diœceſi Turonenſi, Pictonibus adjacens, Prioratu quondam inſignis, Majori monaſterio ſubjectus. Hinc Gerardus Engoliſmenſis *fera vicina* Gaufrido dicitur hac in epiſtola. Aliud eſt Oratorium, *le Loroux*, cœnobium Ciſtercienſium in diœceſi Andegavenſi.

2. Nos in noſtris partibus, una cum aliis Dei ſervis divino igne accenſis, Deo cooperante laboravimus in conveniendo populos in unum, & reges ad dirumpendum * pravorum conſenſum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Nec infructuoſe. Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Jeroſolymorum Reges, cum univerſo Clero & populis, favent & adhærent domino Innocentio, tamquam filii patri, tamquam capiti membra, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Merito autem illum recipit Eccleſia, cujus & opinio clarior, & electio ſanior inventa eſt, nimirum eligentium & numero vincens, & merito. At tu, frater, quid adhuc negligis? quouſque vicino ſerpente tua male ſecura dormitat induſtria? Scimus quidem te filium pacis nulla poſſe ratione induci deſerere unitatem: ſed profecto non ſufficit, niſi & defenſare, atque ipſius quoque turbatores totis viribus debellare ſtudueris. Nec quietis timeas detrimentum, quod non parvo tuæ gloriæ incremento recompenſabitur, ſi fera illa vicina vobis tuo ſtudio manſueſcat, vel obmuteſcat, & tantam Eccleſiæ prædam, Comitem dico Pictavenſem *, in manu tua Dei pietas de ore Leonis eripiat.

* al. diripiendum.

Reges Innocentio adhærentes

* Guillelmũ.

Ad Episcopos Aquitaniæ contra Gerardum Engoliſmenſem *.

* al. Egoliſmenſem. Engouleſme. V Notas.

EPISTOLA CXXVI.

Circ. ann. MCXXXII.

Cauſam Innocentii, ut legitimi Pontificis, egregie tuetur adverſus Gerardum Engoliſmenſem, Schiſmaticæ partes agentem, cujus mores depingit, & ſubterfugia eludit.

Dominis & Patribus honorandis, Lemovicenſi, Pictavenſi, Petragoricenſi, & Santonenſi, Dei gratia epiſcopis ſanctis, frater Bernardus abbas dictus de Clara-valle, conſtantiam in adverſis.

1. VIRTUS in pace acquiritur, in preſſura probatur, approbatur in victoria. Tempus eſt quo veſtra, ſi qua eſt, nec latere jam, nec torpere ſinatur, reverendi & merito ſuſpiciendi Patres. Hoſtilis ſiquidem gladius, qui univerſo Chriſti corpori mortem denuo nunc temporis intentare videtur, veſtris potiſſimum cervicibus imminet, & in vos eo acrius, quo comminus debacchatur: ita ut quotidianis aſſultibus, aut reſiſtere fortiter, aut turpiter (quod abſit) cedere compellamini. Nam is qui amat primatum gerere inter vos Diotrephes [a], non recipit vos, nec enim agnoſcit eum, quem tota vobiſcum amplectitur Eccleſia venientem in nomine Domini. Non hunc, inquam, ſed qui venit in nomine ſuo, illum recipit. Nec mirum. Et ipſe nempe infatigabilis ad nomen grande multum anhelat, etiam in hac ætate. Nec ſane falſa vel incerta opinione dicor notare hominem ſuper vanitate iſtiuſmodi, ſed de ore ſuo ipſius eum judico. In litteris ſiquidem, quas nuper ad Cancellarium ſcripſit familiares, nonne legationis ſeſe & onere [b], & nomine honorari tanto indignius ſupplicat, quanto humilius? utinam tamen obtinuiſſet. Minus forſan nocuiſſet potita votis ambitio, quàm fruſtrata. Tunc quippe ſoli, aut pæne ſoli obeſſet ſibi: nunc vero ſævit in orbem. Vides quid facit amor gloriæ? Legatio, ſarcina gravis, humeris præſertim ſenilibus. Quis neſciat? Et tamen homini ſeniſſimo gravior videtur pœna, reliquum id breve dierum ſuorum vivere ſine hac pœna.

Gerardi ambitio.

2. Sed forte cauſabitur ſe de ſuſpicione judicari, & nos temeritatis arguet, qui de occultis ſuis reprehendimus quod non probavimus. Fateor, ſuſpicioſus ſum in hac parte: & neſcio an vel ſimpliciſſimus quis ſecus ſentire poſſit, quippe in tam manifeſta conjectura. Ut enim ſimplicem referam breviter actionem; primus, aut inter primos ſcribit Papæ Innocen-

Ambitionis indicia.

A tio: legationem poſtulat, non obtinet. Indignatur, reſilit ab illo, tranſit ad alium, ipſius ſe eſſe Legatum gloriatur. Quod ſi aut ab illo ante non popoſciſſet, aut poſtmodum non accepiſſet ab iſto; credi poterat alium quemcumque habuiſſe in prævaricatione intuitum, etſi non rectum aliquem: nunc autem excuſationem non habet de ambitione ſua. Denique ponat etiam nunc Legàti vel vacuum nomen, (nam opus amiſit:) & ego quidem hac ſuſpicione carebo, ſi potero. Si non; ſuſpicabor invitus, & me intemperantiæ reprehendam. Verum difficile perſuadebitur ei, ego ſcio. Nimirum homo, diu magnus habitus inter ſuos, videri ſeipſo inferior erubeſcit. Agnoſcitur is,
B quem Scriptura loquitur, *pudor adducens peccatum.* An non grande peccatum & delictum maximum, ſuperba iſta verecundia, qua terram & cinerem pudet, non dico ſubjici, ſed non dominari?

Eccli. 4. 25.

3. Propter hoc ergo reliquit homo ſuum illum Patrem ſanctum Innocentium, (ſic enim nominabat) & matrem ſuam ſanctam Eccleſiam catholicam: & adhæret ſchiſmatiarchæ ſuo, & ſunt duo in vanitate una. Percuſſerunt fœdus ad invicem, & ſuper populum Dei malignaverunt conſilium. *Squama ſquamæ conjungitur, & ſpiraculum non eſt in eis.* Iſte illum Papam, ille hunc viciſſim Legatum ſcriptitat, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Invicem ſe conſolantur, tuen-
C tur, commendant; quiſque tamen pro ſe, non pro invicem. Nimirum homines ſunt ſe ipſos amantes. Pari quidem ſtudio convenerunt adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus; ſed plane intentionibus non cohærent. Quærit magis ex alterutro uterque profecto quæ ſua ſunt, idque (quod audere nefarium eſt) in hereditate Chriſti. Quid niſi ante oculos veſtros conantur, ſi patimini, proſcribere Chriſtum? Jam novos [c] apud vos ſuo Papæ cudit Legatus Epiſcopos, ne ſoli ſit ſibi Papa. Nec mortuis ſucceſſores, ſed vivis invaſores tyrannica fretus potentia ſuperintrudit, nactus ſcilicet de malitia Principum occaſionem, qui ſuarum civitatum Epiſcopos odio perſequuntur ini-
D quo. Sic ſedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentes. Per tale oſtium intrat in ovile ovium.

Job 41. 7.

Conſenſus pravorum qualis.

4. Numquid autem gratis talia Legatus actitat pro Papa ſuo? En ille totam, ut is gloriatur, Franciam atque Burgundiam legationi ejus antiquæ ſuperaddidit. Poteſt & adjungere, ſi vult, Medos & Perſas, & medios fines Decapoleos. Quare non & ultra Sauromatas, & quemcumque denique locum calcaverit pes ſuus, ſuus ſit, quo vel vacuis nominibus glorietur? O homo non minus ſine fronte, quàm ſine mente; nec Dei memor timoris, nec ſuæ honeſtatis! Putat ſe non videri, cum ſit ſubſannatio & illuſio omnibus qui
E in circuitu ejus ſunt. Merito quidem. Certe enim pro foro, ſacrario utitur: & inſtar hominis negotiatoris quæritantis lucra ſua, & modo hunc, modo illum explorantis venditorem, ut ab illo demum emat quod amat, à quo vilius impetrare valuerit: ita iſte ſollicite ſibi eccleſiaſticam dignitatem hinc inde perquirens, cum tandem pro ſuo arbitrio delegit habere Papam, qui ſe Legatum eſſe conſenſerit. Ergo niſi Legatus tu fueris, Roma Papam habere non poterit? Unde hoc tibi privilegium in Eccleſia Dei? Quiſnam tibi hanc conceſſit in Chriſti hereditate prærogativam? Numquid tu hereditate poſſides ſanctuarium Dei? Do-
F nec enim in obtinenda pudenda & impudenti petitione ſpes tibi ulla promerendi domini Innocentii gratiam eſſe potuit, ſanctus ille, te ſcribente, & Papa fuit. Quomodo ergo nunc ſchiſmaticum criminaris? Numquid cum eadem vana ſpe tua, illius ſimul & ſanctitas evanuit, & papatus? Mirum quod potuit ita in brevi dulce & amarum ex eodem fonte procedere. Heri catholicus, & ſanctus, & ſummus Pontifex: hodie nequam, ſchiſmaticus, & turbator. Heri pater

a Gerardus, qui *primatum*, id eſt Legati munus, affectabat. Alluſio ad locum Johannis in epiſtola 3. ver. 9.

b Editi habent, *onere gravari, & nomine honorari*: ſed *gravari* deeſt mſſ.

c Sic Rannulfum Dotatenſem abbatem in ſedem Lemovicenſem intruſit, ut ea lib. 2. de vita Bernardi num. 33.

Innocentius, hodie Gregorius diaconus ſancti Angeli. Itaque uno quidem ex ore, ſed corde profecto duplici contraria proceſſere. Labia doloſa in corde, & corde locuta ſunt. Sed enim homo, cui cor & cor diverberat conſcientiam, & EST & NON divaricat linguam, putas quia timor ei in mente ſit, aut in fronte pudor? Male autem, juxta Apoſtolum, providet bona coram Deo & hominibus, qui more illius iniqui judicis, nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Luc. 18. 4.

5. Et certe ambitio, cum prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit: & cum improbus affectus ſe aperit, perit effectus. AMBITIO, mater hypocriſis, latebras amat & tenebras; lucis impatiens eſt. Ambitio, ſpurcum vitium, in imo jacet: videt tamen omne ſublime, ſed videri ipſa refugit. Nec mirum. Optato namque neceſſe eſt careat, niſi caveat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. QUID denique tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi, præſertim inter Epiſcopos? Nec ſimplicem ſane Chriſtianum gloriari oportet, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Inclytus erit ambitioſus, quamdiu in nocte verſabitur; & donec turpis lucri negotium perambulabit in tenebris, poterit hypocrita juſtus ſanctuſque videri, ſed oculo qui videt in facie. At ubi forte foras mittit impudentia * vel imprudentia, quod latet in conſcientia; nonne intemperans appetitus apparet ad confuſionem procacior, quàm promptior ad gloriam? Sic revera, ſic probatur quod legitur: *Gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt.* & illud: *Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt.* impleturque in illo qui ejuſmodi eſt, quod Propheta ſanctus imprecatur (niſi fallor) hypocritis: *Fiant*, inquiens, *ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit.* NON adeo periit pudor à mortalibus, ut nuda impudenſque vel ab ipſis honoretur ambitio, præſertim in ſene & ſacerdote, quem eo magis profecto puerilis iſta dedecet vanitas, quo eum major gravitas, majorque decet ſanctitudo: & ſi in facie benedicitur ab adulante, ſed à tergo ſubſannatur ab omnibus. Eſt ſobria quædam, & quodammodo oculata * ambitio, moliens ſaltem caute, etſi non caſte. Si valet proficere, clam negotia ſua curat. Sin vero, manet in ſe, & pudoris umbram non deſerit. Equidem talis, etſi Deum nondum metuit ad ſalutem, pro ingenita tamen verecundia honeſtatem interim retinet, quod homines reveretur, & publicum erubeſcit.

Gloriæ cupidum eſſe inglorium.

Phil. 3. 19.

Joan. 8. 50.

Pſal. 128. 5.

6. Ceterum quænam iſta præceps eſt, & frontoſa libido dominandi, ut pro obtentu vix annuæ (quod certe palam eſt) legationis, primo quidem ſuo nec parcat ſenio, nec deferat ſacerdotio: deinde nec lateri Salvatoris, quod in aqua & ſanguine colligendi in fidei unitate populi protulit redemptionem, ut quiſquis tentaret dividere quos ille colligeret, & inde redimeret; probaret ſeſe non Chriſtianum, ſed Antichriſtum, reus mortis & crucis Chriſti? O impatiens, & effrenis turpis quæſtus cupiditas! ô ardor intemperans! ô cæca & pudenda ambitio! Aperte prius frontoſeque, ut jam dixi, & ipſe (prô pudor) non diffitetur, addit indigna ſatis petitione tentare Catholicum: dolenſque repulſam, incunctanter ad Schiſmaticum refugit; & accepta de manu ſacrilega male cupita poteſtate, latus denuo Domini gloriæ crudeliter confodere non veretur. Dividit nempe Eccleſiam, pro qua illud eſt in cruce diviſum, viſurus proculdubio & ipſe in quem transfixerit. Cognoſcetur profecto Dominus judicia faciens, qui nunc injuriam patiens ignoratur. Cum enim cœperit facere judicium omnibus injuriam patientibus, & arguere in æquitate pro manſuetis terræ; putas avertere poterit aurem à cariſſima ſponſa ſua, cum clamaverit ſtans adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt? Non: omnino non poterit non audire plangentem: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt, & qui juxta me erant, de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Quomodo namque non recognoſcet os de oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua, immo vero jam quodammodo ſpiritum de ſpiritu ſuo? Quaſi non ipſa ſit dilecta illa, cujus concupivit decorem, cujus formam induit, cui ſe mirabili dignatione caſtis atque individuis devinxit amplexibus, ita ut eſſent duo in carne una; unum in uno ſpiritu quandoque futuri? Nam etſi cognoverat ſecundum carnem Chriſtum, ſed tunc jam non recognoſcet: quia ſpiritus ante faciem ejus Chriſtus Dominus, cui adhærens unus ſpiritus erit, cum abſorpta morte in victoria, quod infirmum de carne eſt, in virtute ſpiritus convaluerit; cum exhibuerit eam ſibi Sponſus gloriæ glorioſam columbam ſuam, perfectam ſuam, formoſam ſuam, non habentem maculam peccati, neque rugam corruptionis, aut aliquid hujuſmodi.

Pſal. 37. 12.

Chriſtus ſponſæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ, vindex futurus.

7. Dum libenter in his immoror, pæne cœpti immemor factus ſum, ita cupiens redimere tempus, quoniam dies mali ſunt. Excedentem devotio levat, ſed revocat zelus: & ubi rapior, ibi & cogor recidere, & plangere dolorem meum. Audet (quod & flens dico) inimicus crucis Chriſti ſuis ſedibus pellere ſanctos, qui nolunt beſtiam adorare, quæ aperuit os ſuum in blaſphemias, blaſphemare nomen Dei, & tabernaculum ejus. Altare contra altare erigere tentat, confundere faſque nefaſque non confunditur. Abbates [a] Abbatibus, Epiſcopos Epiſcopis ſuperintrudere nititur; amovere catholicos, ſchiſmaticos promovere. Miſeri & miſerandi, qui ita promoveri, & ab iſto, conſentiunt. Siquidem circuit mare & aridam, ut faciat unum epiſcopum: & cum fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quàm ſe. Quænam vero putas eſt tanti cauſa furoris? Non alia ſane, niſi quod diſplicet mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur; & dum gloriam uſurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia ſolus, ſicut dicit Apoſtolus: *Soli Deo honor & gloria.* Porro autem cum noſtro genere bene agitur, ſi datur frui pace Dei, pace cum Deo, & quidem feliciter & miſericorditer. Quonam ergo modo ſtabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, ſi Deo non poteſt apud homines eſſe tuta ſua gloria? O ſtulti filii Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam! Ob hoc denique & nunc Deus ultionum commovit terram, & conturbavit eam: oſtendit populo ſuo dura, potavit nos vino compunctionis.

Apoc. 13. 5.

a Gerardus novos creat Prælatos.

Ambitio paci inimica.

1. Tim. 1. 17.

Gloria, Dei; Pax, hominum portio.

Pax perditur cum Dei gloria ſpernitur.

8. Velimus, nolimus, impleri quandoque neceſſe eſt veritatem Spiritus-ſancti, fierique illam quæ prophetico ſpiritu prænuntiata legitur in Scripturis diſceſſio: ſed væ homini per quem venit. Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Quis vero ille, niſi homo peccati, qui ſuper electum à catholicis catholicum, & canonice, locum ſanctum invaſit, quem tamen, non quia ſanctus, ſed quia ſummus eſt, affectavit? Invaſit, inquam, invaſit armis, igne, pecunia, non vitæ merito vel virtutum: pervenit in quo ſtat, & ſtat in quo pervenit. Nam illa quam jactat jutatorum ſuorum, non electio, ſed factio, umbra tantum fuit, & occaſio, & velamentum malitiæ. Dici poteſt electio, ſed impudenter, ſed mendaciter. Stat quippe ſententia eccleſiaſtica & authentica, poſt primam electionem non eſſe ſecundam. Celebrata proinde prima, quæ ſecundo præſumpta eſt, non eſt ſecunda, ſed nulla. Nam etſi quid minus forte ſollemniter, minuſve ordinabiliter proceſſit in ea quæ præceſſit, ut hoſtes unitatis contendunt: numquid tamen præſumi altera debuit, niſi ſane priore prius diſcuſſa ratione, caſſata judicio? Eapropter qui ſe ſuper ingerere feſtinant, quique temerarii temere manus imponere nihilominus acceleraverunt, Apoſtolo prohibente, *Nemini cito manum imponas*; ipſi proculdubio majus peccatum habent, ipſi aucto-

2. Theſſ. 2. 3.

Electio ſecunda fieri non debet, niſi primam conſtet eſſe invalidam.

c Conſideravimus. 10 extr. de elect. c. Auditis. 29. &c.

a Ordericus in libro 13 pag. 895. *In pleriſque cœnobiis duo Abbates ſurrexerunt, & in epiſcopatis duo Præſules de pontificatu certaverunt: quorum unus adhærebat Petro Anacleto, alter vero favebat Gregorio Innocentio.* Ita etiam in Actis Epiſcoporum Cenomannenſium tomo 3. Analectorum pag. 338. ubi de Philippo in Turonenſem eccleſiam intruſo, de quo epiſtolæ 150. & 151.

res ſchiſmatis, ipſi grandis malitiæ hujus principes exſtitere.

9. Ceterum nunc judicium expetunt, quod ante exſpectaſſe * debuerant: & quam ſuo loco oblatam tenuerant, tandem juſtitiam offerunt, ut videlicet ſi recuſetur, juſti [a] vos videamini: ſi recipiatur, litigantibus inter ſe partibus, dilatio redimat tempus, & interim fiat aliquid. An de veſtra juſtitia deſperatis, & damnum jam creſcere non timetis, quemcumque cauſa exitum ſortiatur? Quicquid, inquiunt, hactenus factum ſit, modo quærimus audientiam: judicium ſumus ſubire parati. Tergiverſatio eſt. Quid in omni impio conatu veſtro vobis relinquitur aliud, quod afferre queatis ad ſeducendum ſimplices, ad armandum malevolos, ad veſtram ipſorum palliandam malitiam? Si hoc non diceretis, quid diceretis? Ceterum jam Deus judicavit quod ſero repetit homo: judicavit autem operis evidentia, non decreti ſententia. Numquid Dei judicium audeat humana temeritas retractare? Quid ſi cauſetur & clamet per prophetam * Deus, *Tulerunt homines à me judicium?* Non eſt conſilium contra conſilium Domini: velociter currit ſermo ejus, in conveniendo populos in unum & reges, ut domino Papæ Innocentio ſerviant & obediant. Quis revocabit? Dei eſſe judicium ſenſerunt & conſenſerunt Galterius Ravennas, Hildegarius [b] Terraconenſis, Norbertus Magdeburgenſis, Conradus Salteburgenſis, archiepiſcopi. Dei eſſe judicium cognoverunt & acquieverunt epiſcopi, Equipertus Monaſterienſis, Hildebrannus Piſtorienſis, Bernardus Papienſis, Landulfus Aſtenſis, Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmenſis [c]. Horum gloria ſpecialis & præcipua ſanctitas, & auctoritas etiam hoſtibus reverenda, facile nobis, qui minorem & meriti & officii tenemus locum, aut errare ſecum, aut ſapere perſuaſit. Taceo multitudinem ceterorum, Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hiſpaniarum omnium, necnon & univerſæ Orientalis Eccleſiæ, tam Archiepiſcoporum, quam Epiſcoporum, quorum nomina ſunt in libro vitæ, ſed epiſtolæ brevitas non admittit [d].

ai expectiſſe

Enumerantur qui Innocentium receperunt.

Prælati

* *Hoc apud nullum reperitur Prophetam, ſed habetur in Dedis SS. PP lib. contra judic. temer. n. 7.*

10. Hi omnes unanimes, non conducti pecunia, non ſeducti fallacia, non illecti privato carnis vel cognationis amore, non timore compulſi potentiæ ſæcularis, ſed Dei proculdubio voluntatem, ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis ingenue refutaverunt, ac ſecure Gregorium in Papam Innocentium ſuſceperunt. Noſtratum ſane nemo ex nomine in his expreſſus eſt litteris: quia & omnes compendium non fert, & aliquorum invidioſa deſignatio adulationis notam non effugit. Non autem debeo prætermittere ſanctos, qui mundo mortui, Deo melius vivunt: quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in gloria, ubi certe ſtudioſe inquirunt, & non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui ſolliciti ſunt quomodo placeant ei. Itaque Camaudulienſes [e], Vallambroſani, Cartuſienſes, Cluniacenſes [f], & qui de Majori-monaſterio ſunt, mei quoque Ciſtercienſes [g], Cadumenſes [h], Tironenſes [i], & Saviniacenſes; univerſitas denique & unanimitas fratrum, tam clericorum, quàm monachorum regularis vitæ probatæque converſationis, ſequentes Epiſcopos, tamquam greges paſtores ſuos, Innocentio firmiter adhærent, ſincere favent, humiliter parent, verum Apoſtolorum ſucceſſorem fideliter recognoſcunt.

Religioſi.

11. Quid reges & principes terræ? Nonne in eodem ſpiritu, una cum ſubjectis ſibi plebibus, Innocentium pariter amplectuntur, confitentes & ipſi Papam & Epiſcopum animarum ſuarum? quis poſtremo in quocumque ordine vitæ illuſtris & boni nominis homo idipſum non ſapit? Et tamen adhuc iſti, neſcio qua contentioſa importunitate & importuna contentione, reclamant. Vocant in cauſam orbem, & cum ſua paucitate univerſitatem flagitant judicari: & qui præjudicaverunt in electione, de confirmatione rejudicare contendunt, tunc præpropere agentes, modo præpoſtere retractantes. Quis tantos, quæſo, in unum cogere queat exercitus utriuſque ordinis principum, ne dicam plebium, & adducere in examinationem? Quis tot ſanctorum millibus perſuadere ſufficiat, quod prius ædificaverunt, iterum deſtruere, & abducere ſemetipſos in prævaricationem? Quis deinde locus omnibus tantus, omnibus tutus? Univerſæ quippe Eccleſiæ negotium eſt, non unius cauſa perſonæ. Videtis quod de impoſſibili calumniam ſtruitis matri veſtræ: immo vobis foveam foditis, in quam præcipitemini; & laqueum nectitis, quo teneamini, ne ad gremium revertamini matris veſtræ. Occaſio numquam deerit ei qui vult recedere ab amico.

Reges & principes.

12. Sed eſto. Mutet conſilium ſuum Deus, (ſecundum hominem dico) revocet ſententiam, convocet a finibus terræ concilium; judicari bis in idipſum, quod ipſe non facit, patiatur: quoſnam, quæſo, dabunt judices ſibi? Omnes quippe in parte ſunt, & partibus de judicio haud facile conveniet: atque ita ad litem magis quàm ad pacem tantus conventus fatigabitur. Deinde velim ſcire, cui ille interim vellet credere Romam, quam tanto amore ex longo tempore concupivit, tanto labore & ſumptibus acquiſivit, tanto faſtu poſſidet, tanto pudore timet amittere? ne fruſtra conveniſſe ſæculum omne cernatur, ſi cum ille cadet à cauſa, non tamen cadat à Roma. Alioquin quis cauſam ſpoliatus ingreditur? Nec leges profecto cogunt, nec canones. Et hæc dicimus, non de noſtra juſtitia diffidentes, ſed à veſtra caventes verſutia. Jam enim Deus eduxit tamquam lumen juſtitiam ſuam, & judicium ſuum tamquam meridiem, etſi cæco nec lumen appareat, nec meridies luceat: quoniam ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

a Ita veteres libri & editi plerique pro *injuſti*, per antiphraſin aut ironiam. In uno tamen codice Colbertino num. 1410 legitur utrumque, *injuſti juſti vos videamini*. optimo ſenſu, nempe *ut vos, qui juſti eſtis, injuſti videamini*. In uno Bellovacenſi ſimpliciter, *injuſti*.

b Is ſucceſſerat Odelrico, quem *eruditiſſimum ſenem* vocat Ordericus in lib. 13. pag. 891 & 892.

c Bernardus Parmenſis in quibuſdam codicibus locum habet poſt Bernardum Papienſem, idemque nonnullis deeſt, ut in duobus Colbertinis. Ughellus eum ſub finem pontificatus Paſchalis II. obiiſſe dicit.

d Hæc verba, *ſed epiſtolæ brevitas non admittit*, deſunt in duobus Colbertinis, in tertio leguntur.

e Ita fere codices veteres, quidam *Camaudulienſes*. Notiores ſunt Camaldulenſes & Vallumbroſanæ Ordinis S. Benedicti Congregationes in Italia duæ, quàm ut illuſtrari hoc loco debeant.

f Quo ritu Innocentium exceperint noſtri Cluniacenſes, deſcribit ejus temporis auctor Ordericus in lib. 13. pag 895. *Porro Cluniacenſes ut ejus adventum in Franciam cognoverunt, LX. equos ſeu mulos cum omni apparatu congruo Papæ & Cardinalibus electes deſtinaverunt. Tunc ibidem XI. diebus Papam cum ſuis detinuerunt, eccleſiamque novam in honore S. Petri Apoſtolorum principis ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud Occiduos promeruit, quod à Cluniacenſibus Petro prapoſitus fuerit. Ab eiſdem quippe Petrus in pueritia nutritus ſivaluit, & eorum habitu & profeſſione monachus exſtitit.*

g *Ciſtellenſes* in duobus Colbertinis & uno Sorbonico. unde effectum in editis fere omnibus, *Ciſtemblenſes*, qui & altero errore additi ſunt poſt *Ciſtercienſes*. quaſi diverſi eſſent, qui in quibuſdam codicibus *Ciſtercienſes*, in aliis *Ciſtellenſes* dicebantur, vulgari tunc vocabulo. Ciſtercienſes quippe dicti ſunt *Ciſtellenſes* ab Hermanno monacho in lib. 3. de miraculis B. Mariæ Laudunenſis cap. 7. apud Perardum pag. 103. apud Robertum de Moore ad annum 1140. *Monachi de Ciſtelth*. *Ciſtell* in Monaſtici Anglicani tomo 1. pag. 701. col. 1.

h Cadumenſes ſunt monachi cœnobii S. Stephani Cadumenſis, à Guillelmo Conquæſtore conditi & egregie dotati, in Neuſtria ſeu Normannia, diœceſi Bajocenſi. in Abrincenſi Saviniacenſe inſigne tunc monaſterium, *de quo jam plurima*, inquit Peregrinus in Hiſtoria Fuſtanenſi tomo 10. Spicilegii pag. 372. *proceſſere monaſteria, ex quibus Abbates conveniunt ad Capitulum, & floret ibi Ordo, & eorum ubique dulcis redolet opinio*. Hoc cœnobium cum triginta aliis ſibi ſubjectis Serlo abbas Ciſtercienſibus adjunxit anno 1148 ibidem pag. 374.

i Tironenſes tunc etiam florebant in pago Perticenſi, *le Perche*, diœceſis Carnutenſis, inſtituti à venerabili Bernardo abbate, de quibus Johannes a Vitriaco in Hiſtoriæ occidentalis capite 20. In Monaſtici Anglicani tomo 1. pag. 704. Saviniacenſes ante ſuam cum Ciſtercienſibus unionem dicuntur fuiſſe *de Ordine Tironenſi*, quo ex monaſterio plures tum abbatiæ pendebant. His omnibus Religioſis, qui Innocentium agnoverunt, Grandimontenſes addit Ernaldus in lib. 2. de vita S. Bernardi num. 45.

13. Duo itaque ſunt de quibus contenditur, quiſnam eorum rectius videatur eſſe Papa. Quorum primo quidem, ſi perſonas compares, ut neutri ſane vel derogare videar vel adulari, dicam quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri: quia videlicet Innocentii noſtri vita vel fama nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta ſit. Dehinc ſi electiones diſcutias, noſtri itidem mox occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore conſtat: reliqua duo merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem ſaniorem invenies, tam Epiſcopos, quàm Cardinales diacones ſive presbyteros, & quorum maxime intereſt de electione ſummi Pontificis, & quanti in eligendo juxta Patrum ſcita ſufficiant. Quid & in conſecratione? Nonne Oſtienſem, ad quem ſpecialiter utique ſpectat, habemus? Cum igitur & electus dignior, & electio ſanior, & actio ordinabilior teneatur; qua iſti ratione, immo qua contentione, contra jus & fas & vota omnium bonorum, invitæ & renitenti Dei Eccleſiæ præficere alium, & illum deponere tentant?

14. Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario, totis certe viribus renitendum eſſe videtis, reverendiſſimi & illuſtriſſimi Patres. Quod cum omni familiæ Dei, tum vobis maxime veſtriſque convenit, ſi tamen zelus domus Dei comedit animas veſtras. Vobis, inquam, & veſtris maxime vigilandum eſt & orandum, ne intretis in tentationem. In ea ſane parte majore opus eſt fortitudine & cautela, unde acrior inſiſtit adverſarius, & vis belli major incumbit. Quàm ſævus & callidus hoſtis inſurrexerit in vos, proprio certe agnoſcitis experimento. Heu, quàm multum jam malitia illius in illis partibus pro accepta poteſtate proceſſit, utroque ſæviens genere malignandi, vi & dolo! Numquid autem malitia vincet tandem ſapientiam? ſed hæc eſt hora ipſius, & poteſtas tenebrarum. Ceterum hora noviſſima eſt, & poteſtas cito tranſit. Ne terreamini, ne ſeducamini. Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus vobiſcum eſt, qui & in cauſa eſt. Confidite, ipſe vicit mundum: fidelis eſt, non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Videtis ſtultum firma radice? ſine dubio ſtatim maledicetur pulcritudini ejus. Non enim diu derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Verum veſtræ interim vigilantiæ eſt, veſtris pro veſtro officio ſollicite providere, ſicut & provideris, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas. Oratio pro Catholicis: *Benefac, Domine, bonis & rectis corde.* Pro ſchiſmaticis: *Imple, Domine, facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum.*

Ad GUILLELMUM [a] Comitem Pictavorum, Ducem Aquitaniæ, ex perſona HUGONIS Ducis Burgundiæ.

Circ. ann. MCXXXII.

EPISTOLA CXXVII.

Guillelmum, antipapæ Anacleto faventem, hortatur ad Innocentium verum Pontificem recipiendum.

GUILLELMO Dei gratiâ egregio Comiti Pictavorum, & Duci Aquitanorum, HUGO eadem gratiâ Burgundiæ Dux, timere terribilem, & eum qui aufert ſpiritum principum.

1. ERrorem veſtrum ultra diſſimulare non fero, quippe carne propinquus, & corde amicus. Si quis de populo deviat, ſolus perit: verum Principis error multos involvit, & tantis obeſt, quantis præeſt ipſe. Nec præſumus, ſicut ſcitis, ut perdamus, ſed ut regamus ſubjectos. Per quem reges regnant, ipſe nos præfecit populis ſuis, à nobis tuendis, non ſubvertendis; plane ſanctæ ſuæ Eccleſiæ miniſtros, non dominos. Cui vos miniſterio cum digne alias pro veſtri magnitudine potentatus, & laudabiliter deſerviſſe noſ camini; miror quanam verſutia modo veſtra illa prudentia circumventa fuerit, eamdem matrem veſtram & dominam deſerere in tempore malo. niſi forte & hoc vobis veſtri illi conſiliarii perſuadere conentur, ad ſolam Petri Leonis domum, univerſalem Eccleſiam eſſe redactam. Viri mendaces, quos Veritas, ſicut & caput eorum Antichriſtum, deſtruit ſpiritu oris ſui, affirmans eam per os David ad univerſos fines terræ, & ad univerſas familias gentium dilatari.

2. Habent tamen Ducem * Apuliæ, ſed ſolum ex principibus, ipſumque uſurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum †. Denique quid boni, quid virtutis, quid honeſtatis afferunt de ſummo pontifice ſuo, ut & nos provocent ad favorem? Si vera ſunt quæ ubique divulgat opinio, nec unius dignus eſt viculi poteſtate: ſi vera non ſunt, decet nihilominus caput Eccleſiæ, non ſolum vitæ habere ſanitatem, ſed & famæ decorem. Tutius proinde vobis eſt, mi cognate cariſſime, ut in ſuſceptione univerſalis Papæ, ab univerſitatis conſenſu & conſilio non recedatis. quem omnis religio, quem regum univerſitas receperunt, vobis quoque & honorificum & ſalutiferum eſt ut recipiatis. Domini Papæ Innocentii & innocens vita, & integra fama, & electio canonica prædicatur. Priora duo nec hoſtes diffitentur: tertium calumniam habuit, ſed per chriſtianiſſimum Lotharium * nuper falſi calumniatores in ſuo ſunt mendacio deprehenſi.

Margin notes: Principis error periculoſus ſubditis. — Officium. — Pſal. 21. 28. — * Rogerium. — † V. Notas. — * Imperatorem Rom. v. inf. ep. 139.

Ad EUMDEM.

Ann. CHR. MCXXXII.

EPISTOLA CXXVIII.

Serio eum hortatur de reducendis ad Eccleſiam clericis quos expulerat.

IN eo animo & in ea voluntate memini me diſceſſiſſe dudum à te, Princeps eximie, ut totis affectibus bene tibi tuiſque cuperem, totis niſibus ſalutem veſtram & honorem veſtrum, ubicumque poſſem, juvarem; eo quod non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos, ſed lætus præter ſpem multorum reportarem mecum pacem Eccleſiæ, cum exultatione univerſæ terræ. Miror autem quo, cujuſve conſilio mira illa mutatio dexteræ Excelſi tam ſubito in deterius eſt mutata; ut rurſum ad injuriam Eccleſiæ clericos ſancti Hilarii de civitate expelleres, & iram Dei in te gravius, quàm primum excitares. Quis te faſcinavit tam cito recedere a via veritatis & ſalutis? Profecto judicium portabit quicumque eſt ille. Utinam & abſcindantur qui vos conturbant. Revertere, quæſo, revertere, ne & tu (quod abſit) abſcindaris. Revertere, inquam, & revoca amicos tuos ad pacem, & clericos ad eccleſiam, antequam irrecuperabiliter reddas tibi averſum terribilem, & eum qui aufert ſpiritum principum, terribilem apud reges terræ.

Ad JANUENSES *.

* les Genois.

Ann. CHR. MCXXXIII.

EPISTOLA CXXIX.

Pacem quam aliquando coram conciliaverat, conſtanter retinendam & tuendam hortatur.

JANUENSIBUS ſuis Conſulibus cum Conſiliariis & civibus univerſis, Bernardus abbas dictus de Claravalle, pacem, & ſalutem, & vitam æternam.

1. QUod adventus noſter ad vos anno præterito non fuerit otioſus, Eccleſia paulo poſt in ſua neceſſitate probavit, à qua miſſi & fueramus. Honorifice nos & ſuſcepiſtis, & tenuiſtis exiguum quod apud vos fuimus, & quidem digne vobis, ſed ſupra noſtræ humilitatis modum. Profecto ut non immemores, ſic non ingrati ſumus. Vicem rependat qui poteſt, & qui in cauſa fuit Deus. Nos enim unde illum recompenſe-

Gratias agit de eorum officiis.

a De eo f. ſe in libro 2. de vita Bernardi cap. 6. ubi ejus converſio per Bernardum facta memoratur. Multa de eo fabulantur. Certum eſt, teſtante Orderico ejus æquali, cui alii auctores compares ſuffragantur, Guillelmum pœnitentiâ motum ad S. Jacobum peregre profectum eſſe, & *feria ſexta Paraſceves, v. Idus Aprilis ſacra communione munitum, ante aram beati Apoſtoli defunctum* eſſe ſub annum 1137. quo hæc ab Orderico memorantur. Vide alias Notas.

mus venerationis cultum, ſed obſequium, ſed affectum, plenum amoris & gratiæ? Non quod noſtro delectemur favore: ſed veſtræ devotioni collætamur. O mihi dies illos feſtivos, ſed paucos! In æternum non oblivifcar tui [a], plebs devota, honorabilis gens, civitas illuſtris. (Pſal. 54. 18) Veſpere & mane & meridie, more utique Prophetæ, narrabam & annuntiabam, & erat tanta audiendi aviditas, quanta audientium caritas. Portabamus verbum pacis: cumque inveniſſemus filios pacis, requievit ſuper eos pax noſtra. Exieram plane ſeminare ſemen, non meum, ſed Dei: & cadens in terram bonam ſemen bonum, fructum fecit centuplum & tempeſtivum. Mira celeritas, quia magna neceſſitas. Nec tarditatem paſſus ſum, nec difficultatem, una pæne die & ſerens, & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis. Hæc quippe meſſis quam meſſui. Exſulibus, captivis, compeditis & incarceratis, evadendi atque repatriandi lætam reportavimus ſpem, metum hoſtibus, confuſionem ſchiſmaticis, gloriam Eccleſiæ, orbi lætitiam.

Perſeverantiæ elogia.

2. Et nunc quid reſtat, cariſſimi, niſi ut admoneamini de perſeverantia, quæ ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorſus abſque perſeverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. (Matt. 10. 22.) Denique non qui cœperit, ſed *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. (1 Reg. 15. 1.) Saul cum eſſet parvulus in oculis ſuis, rex eſt ſuper Iſrael conſtitutus: non perſeverans in humilitate, & regnum amiſit, & vitam. Si cautela Samſonis, ſi Salomonis devotio perſeverantiam retinuiſſent; nec is profecto privaretur ſapientia, nec ille viribus. Hoc ſummæ honeſtatis inſigne, hanc totius probitatis unicam fidamque cuſtodem, cuſtodiri a vobis firmiter hortor & precor. Cuſtodite diligenter quod libenter audiſtis. Mementote ſcriptum, quia *metuebat Herodes Johannem, & libenter eum audiebat*. (Marc. 6. 20.) Sed beatus foret, ſi audita libenter æque ſervaſſet. Denique non qui audiunt, ſed *beati*, inquit, *qui audiunt, & cuſtodiunt verbum Dei*. (Luc. 11. 28.)

Saül, Samſon, Salomon perierunt defectu perſeverantiæ.

3. Servate proinde vos pacem fratribus veſtris Piſanis, fidem domino Papæ, fidelitatem Regi, vobis honorem. Hoc enim expedit, hoc decet, hoc juſtitia exigit. Audivimus veniſſe ad vos nuntios ducis Rogerii *: quid attulerint, quidve retulerint, nos neſcimus. Verum ego juxta illud Poetæ, ut verum fatear, ſemper timui Danaos, & dona ferentes. (Virg. 2. Æneid.) Si quis forte in vobis (quod Deus avertat) rem tam fœdam committere deprehendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrum; hunc protinus notate, & judicate hoſtem nominis veſtri, civium proditorem, ac venditorem communis honoris & honeſtatis. Si quis item ſuſurro in populo, diaboli ſibi aſſumens vicem, jurgia ſeminare, & pacem turbare velle reperiatur, quemadmodum ille diſcordiæ ſemper eſt amator & auctor; huic rigidæ cenſuræ remedio citius obvietur, eo quippe peſſimæ, quo intimæ peſti. Hoſtilis exercitus vaſtat agros, domoſque ſpoliat: prava autem conſilia corrumpunt bonos mores, & modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Serite, plantate, negotiamini, ut antiqua mala non ſolum non iteretis, ſed etiam de juſtis laboribus veſtris expiare & delere poſſitis. Scriptum quippe eſt: (Prov. 13. 8.) *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ*. & rurſum: (Luc. 11. 41.) *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*. Quod ſi militare placet, & veſtræ fortitudinis ac ſtrenuitatis iterum experiri vires, arma probare delectat; non equidem id præſumendum adverſus vicinos & amicos: cum magis Eccleſiæ inimicos expugnare deceret, ſed & regni veſtri invaſam à Siculis defenſare coronam. Super illos ſane & honeſtius acquiretis, & juſtius poſſidebitis acquiſita. Deus pacis & dilectionis maneat ſemper cum omnibus vobis. Amen.

*A Rogerio cavendum monet. * de quo epiſt. 127.*

Diaboli vices gerit qui jurgia ſeminat.

Ad Pisanos.

EPISTOLA CXXX.

Ann. Chr. MCXXXIII.

Piſanos laudat ob ſtudium & favorem erga Innocentium Papam, qui Româ per antipapam Anacletum occupata exſul Piſas conceſſerat.

V. Vitam lib. 2. num. 8.

Pisanis noſtris Conſulibus cum Conſiliariis & civibus, Bernardus abbas dictus de Clara-valle, univerſis ſalutem, & pacem, & vitam æternam.

BEnefaciat vobis Deus, & meminerit fidelis ſervitii & piæ compaſſionis & conſolationis & honoris, quæ ſponſæ filii ejus in tempore malo & in diebus afflictionis ſuæ exhibuiſtis & exhibetis. Et quidem hoc jam impletur ex parte, & orationis hujus nonnullus capitur fructus. Digna plane retributio celeri jam compenſatur effectu. Jam pro meritis tecum actitat Deus, populus, quem elegit in hereditatem ſibi, omnino populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Aſſumitur Piſa in locum Romæ, & de cunctis urbibus terræ ad apoſtolicæ ſedis culmen eligitur. Nec fortuitu ſive humano contigit iſtud conſilio: ſed cæleſti providentia, & Dei benigno favore fit, qui diligentes ſe diligit, qui dixit Chriſto ſuo Innocentio: Piſam inhabita, & ego benedicens benedicam ei. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore tyranni Siculi * malitiæ Piſana conſtantia non cedit: nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis. O Piſani, Piſani, magnificavit Dominus facere vobiſcum, facti ſumus lætantes. Quæ civitas non invidet? Serva depoſitum, urbs fidelis, agnoſce gratiam, ſtude prærogativæ non inveniri ingrata. Honora tuum & univerſitatis Patrem, honora mundi principes, qui in te ſunt, & judices terræ: quorum te præſentia reddit illuſtrem, glorioſam, famoſam. Alioquin ſi ignoras te, ô pulcra inter civitates, egredieris poſt greges ſodalium tuorum paſcere hœdos tuos. Sapientibus ſat dictum eſt. Commendo vobis marchionem [b] Engelbertum, qui domino Papæ & amicis ejus miſſus eſt in adjutorium: juvenis fortis & ſtrenuus, &, ſi non fallor, fidelis. Habetote eum noſtris precibus magis commendatum, quia & ego ei vos amplius commendare curavi, monuique ut veſtris potiſſimum conſiliis innitatur.

** Rogerii, de quo epiſt. 127.*

Ad Mediolanenses.

EPISTOLA CXXXI.

Ann. Chr. MCXXXV.

Cum Mediolanenſes Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio & obedientia viderentur, eos ad retinendam conſtantiam incitat, recenſita Romana Eccleſia erga illos beneficia memorans.

Suis Mediolanensibus, univerſo videlicet Clero & Populo, Bernardus abbas dictus de Claravalle, ſalutem in Domino.

Beneficia accepta ab Eccleſia.

1. BEne vobiſcum facit Deus: bene vobiſcum facit Romana Eccleſia. Facit ille quod pater: facit illa quod mater. Et revera quid vobis debuit facere, & non fecit? Si poſtulaſtis mitti vobis de curia honora-

a Id experti ſunt Genuenſes anno 1625. Bernardo in auxilium vocato in bello contra Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, in aliis Notis.

b Quis ille Engelbertus marchio? Exiſtimamus hunc eſſe, qui in libro de vita S. Norberti cap. 16. dicitur frater Epiſcopi Ratiſponenſis: cujus Engelberti una filia Theobaldo Comiti deſponſa eſt. En lotus. *Aſſumptis itaque Legatis Comitis* Theobaldi, *Ratiſponam*, *quo eos adduxit* Norbertus. *Erat enim Epiſcopus ejus civitatis nobiliſſimi ſtemmatis, & habebat fratrem* Engelbertum *potentiſſimum marchionem, cui erant nubilis ætatis filiæ: e quibus una expedita Comiti Theobaldo deſponſa eſt. Reverſi ſunt legati iſtuc nuntii* *eos* *ejus*. Mathildis vocabatur, teſte Orderico Vitali ſub finem libri 13. *Mathildem vero Ingelberti Ducis filiam uxorem duxit.* Engelbertus porro ſeu Ingelbertus Dux erat Carinthiæ, Marchio Forojulienſis. Confer notationem ad epiſtolam 199.

[illegible] ad [illegible] & veſtrum [illegible] ta- A [illegible] quos unanimitas [illegible] ris veſtri electione firmave- [illegible] voluiſti, licuiſſe vobis quod illici- [illegible] quidem neceſſitate, ſacri Canones [illegible] Epiſcopii ſcilicet in Archie- [illegible] illum eſt. Si rogaſtis erui cives ve- [illegible] Placentinorum [d], quod utique ego pr[illegible]ttere nec volo, nec valeo: & hoc factum eſt. In quo poſtremo quæcunque rationabilis petitio filiæ, non [illegible] pulſam, ſed vel moram paſſa eſt apud piam B matrem [illegible] ad complementum pallium præſto eſt, plenitudo honoris. Nunc vero audi me inclyta plebs, [illegible] nobilis, civitas glorioſa. Audi, inquam, me (veraciter dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem ſalutis tuæ. Romana eccleſia valde clemens eſt: ſed nihilominus potens. Fidele conſilium, & omni acceptione dignum: Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris.

[illegible] aliquis: Debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius. Eſto, fac quod dicis: quia ſi exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis eccleſias, ſingulari prærogativâ apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare epiſcopatus, C ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio tibi dictaverit, ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e converſo, ſi neceſſe viſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas eccleſiaſticas evocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel aut bis, ſed quoties expedire videbit. Porro in prumptu eſt ei omnem ulciſci inobedientiam, ſi quis forte reluctari conatus fuerit. Denique probaſti & tu. Quid enim contulit tibi vetus tua rebellio & recalcitratio male ſuaſa à pſeudoprophetis tuis? quem fructum habuiſti, in quibus nunc erubeſcis? Agnoſce potius in qua poteſtate, gloria & honore Suffraganeorum tuorum tam diu privata extitiſti. Quis pro te valuit obviare apo- D ſtolicæ auctoritatis juſtiſſimæ ſeveritati, cum provocata tuis exceſſibus, decrevit te tuis illis antiquis ac præclaris ornamentis nudare, mutilare membris? Et hodie confuſa & truncata jaceres, ſi non benignius quàm potentius tecum actum fuiſſet. Quis eam prohibere valebit etiam à gravioribus, ſi rurſum (quod abſit) adjeceris provocare? Vide ne patiaris recidivum: quia pro certo (niſi fallor) non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Si quis itaque dixerit tibi, Partim oportet obedire, partim non oportet: cum tu in te experta ſis plenitudinem apoſtolicæ poteſtatis, auctoritatis integritatem; nonne hujuſmodi aut ſeductus eſt, aut ſeducere vult? Sed fac quod di- E co. nam ego te non ſeduco. Convertere magis ad humilitatem, ad manſuetudinem. ſiquidem & humilibus dat Deus gratiam, & manſueti hereditabunt terram. Iſto cauta dominæ & matris tuæ recuperatam ſervare gratiam: & ſic ei placere ſtudeas de reliquo, quatenus placeat ei non ſolum ſervare tibi quæ reddidit, ſed etiam adjicere quæ nondum dedit.

Item c.

in apoſtolicis.

*

a Miſſi fuere cum Bernardo Guido Piſanus, Matthæus Albanenſis, Gaufridus Carnotenſis epiſcopi, ex vitæ lib. 2. num. 9. nempe ad reconciliandos eccleſiæ Romanæ Mediolanenſes, qui ſchiſma conflaverant ob depoſitum Anſelmum archiepiſcopum ab ipſis electum.

b Ribaldi videlicet, qui ab eis electus eſt in locum Anſelmi rejecti.

c Intellige reſtitutionem dignitatis archiepiſcopalis, quæ iſti eccleſiæ ob ſchiſma à Pontifice abrogata fuerat. V. alias Notas.

d Quippe utriſque bello in ſeſe contendentibus, multi ex Mediolanenſibus captivi abducti fuerant à Placentinis.

e Ex hoc titulo Baronius infert, jam ante Bernardi adventum Mediolanum, id eſt ante annum 1134. Ciſtercienſium familiam eo fuiſſe tranſmiſſam, conditumque aliquod monaſterium, cui ſe Novitii iſti mancipaſſent. At Ughellus in tomo 4. Italiæ ſacræ exiſtimat, primum Ciſtercienſium in illa urbe cœnobium eſſe Claram-vallem, quam ſecundo ab urbe lapide non ante annum 1135. conditam probat: proindeque hac in epiſtola Novitiorum nomine intelligendos eſſe eos, qui Bernardi operâ ad Piſanum Concilium pergentis recens converſi, ejus ſe magiſterio ex animo jam devoviſſent. Ughelli epocha de conditu monaſterii conſtat ex veteri inſcriptione & ex primis loci inſtrumentis, in quibus conſtanter Cara-vallis, non Clara-vallis appellatur. Vide epiſtolam 281.

Ad C[illegible]rum Mediolanenſem.

EPISTOLA CXXXII.

Ann. Chr. MCXXXI.

Gratulatur Clero Mediolanenſi, cujus opera civitas, relicto ſchiſmate Anacleti, ad unitatem Eccleſiæ redierat.

BEnedicti vos à Domino, quorum ſtudio & induſtria civitas veſtra liberata eſt aberrore, & relicto ſchiſmate ad catholicam rediit unitatem. Exiit ſermo B iſte inter Catholicos: audivit & lætata eſt Sion, & eſt vobis gloria coram Deo & omni populo. Quam lætis amplexibus mater Eccleſia colligit tot & tantorum multitudinem filiorum, quos ſe amiſiſſe dolebat? quam læto & ſereno vultu Deus pater recipit hoc ſacrificium de manibus veſtris? Quod autem & paci terræ intenditis, facitis quod filii pacis. Et ego, fratres, particeps & ſocius gaudii veſtri fieri cupiens, juxta petitionem veſtram ad vos cum dilectis fratribus noſtris, nuntiis veſtris, veniebam: de quibus mihi ſcripſiſtis, plenius ſecundum rationem in beneplacito Dei ſatisfacturus. Sed quia tempus breve eſt quo ad Concilium * feſtinamus; non gravet vos uſque ad reditum noſtrum ſuſtinere.

* Piſanum an. 1134. Vita lib. 2. num. 8.

Ad univerſos Cives Mediolanenſium.

EPISTOLA CXXXIII.

Scripta eod. anno.

Invitatus ad componendam pacem, lætatur ad hoc opus ſuam operam requiri.

V. Epiſt. 137.

UT ex ſcriptis veſtris percipio, nonnullus mihi locus gratiæ apud vos eſt. Et quoniam meum non invenio meritum, divinitus credo datum. Non recuſo favorem ingentis inſignisque populi. Amplector oblatam gratiam, & obviis manibus glorioſæ civitatis devotionem devotus excipio: præſertim hoc tempore, quo abjecto errore ſchiſmaticorum, ad ſinum matris Eccleſiæ cum gaudio totius orbis reverſa eſt. Arbitror tamen non ſolum mihi gloriandum, D quod invitor ad pacem quærendam; & à famoſiſſima urbe, cum ſim pauper ignobiliſque perſona, tanti boni mediator atque miniſter aſſumor: ſed vobis quoque per talem nihilominus honor eſt flecti ad pacem & concordiam vicinorum veſtrorum, quos nec multarum civitatum hoſtilis impetus, ut bene notum eſt mundo, cedere aliquando compulit. Itaque feſtinans ad Concilium *, ſpero me rediturum per vos, & probaturum de gratia quam promittitis. Qui autem gratiam dedit, faciat ne in me vacua ſit.

* Piſanum.

Ad Novitios [e] apud Mediolanum converſos.

EPISTOLA CXXXIV.

Eod. anno.

Novitiis Mediolanenſibus gratulatur de converſione, ſeque peracto Concilio illos inviſurum ſpondet.

Cariſſimis fratribus de Mediolano, nuper converſis ad Deum, Bernardus abbas dictus de Clara-valle, in ſpiritu conſilii & fortitudinis, quod bene cœptum eſt, digno exitu conſummare.

BEnedictus Deus, qui fecit vobis viloſcere mundi gloriam, largiturus ſuam. O quam vani filii hominum, quam mendaces filii hominum in ſtateris, qui ſecundum illud Evangelii, *gloriam ab invicem quærunt, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, nolunt*; plane in hoc ipſi de- Johan. 5. 44.

cipientes de vanitate in idipſum. Vos autem non ſic. Ab hoc vos opprobrio liberavit nunc divina miſericordia, ut eſſetis Chriſti bonus odor Deo in omni loco, ipſi ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus ad exemplum. ſiquidem gaudium eſt in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: quanto magis ſuper tot & talibus viris, & de tali urbe converſis? Et ego, fratres, tanta lætitia provocatus, ſed & vocatus à vobis, per cariſſimos fratres Ottonem & Ambroſium, quos ad hoc ipſum direxiſtis, decreveram ſimul cum ipſis venire ad vos. Ceterum melius exiſtimans, non in articulo temporis, neque in tranſitu vos videre, diſtuli uſque ad reditum noſtrum. Properamus
* Piſanum. quippe ad Concilium *, per vos Deo auxiliante reverſuri, conſilium & auxilium, quod ſecundum rationem poterimus, veſtro ſancto propoſito præbituri.

a Ad Petrum * Papienſem * epiſcopum.

* de Pavie

EPISTOLA CXXXV.

Circ. ann. MC XXV.

Delatas ſibi laudes in Deum refundit. Epiſcopum ab operibus miſericordia laudat.

Bernardi modeſtia de ſuis laudis.
SI ſemen bonum, jactum in terram bonam, fructum attuliſſe videtur, ipſius eſt gloria qui dedit ſemen ferenti, fœcunditatem terræ, ſemini incrementum. Quid in his nos capimus? Ego ſane gloriam Chriſti alteri non dabo, multo vero ſcrupuloſius uſurpabo mi-
Pſal. 18. 8. hi. Profecto lex Domini convertit animas, & non ego: teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtat parvulis, & non ego. Laudatur de bona litteræ tornatura manus, non calamus. Fateor, ut multum tribuam mi-
Pſal. 44. 2. hi, lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Sibi ergo, inquis, quid afferunt boni ſpecioſi pedes evangelizantium bona? Multum per omnem modum.
Prædicatorum merces. Primum quidem, quia filii ſunt Patris ſui qui in cælis eſt; & gloriam, quam deferunt Patri, nequaquam à ſe ducunt alienam. Nam ſi filii, & heredes. Deinde vero quod proximorum ſalutem, ſuam nihilominus arbitrantur, quippe quos tamquam ſeipſos diligunt. Tertio quoque, quod labor labiorum ipſorum ſibi peni-
1 Cor. 3. 8. tus perire non poterit. *Unuſquiſque* enim *mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Ego labia mea non prohibui: tu aperuiſti & viſcera, ideo proculdubio plus recepturus, quoniam plus laboraſti. Certus ſum enim, quia non vacat tibi, quod ſitienti tuliſti aquam, & cum panibus occurriſti fugientibus. Non, inquam, vacant officia humanitatis, non hortamenta ſalutis, quibus Chriſti vere viſcera in illis pauperibus refoviſti. Ambo tamen collaboratores, ambo coadjutores Dei ſumus: ambo pariter ſperemus fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Quis mihi det memoriam tui numquam deſerere, numquam ab ipſa deſeri?

b Ad Innocentium b Papam.

EPISTOLA CXXXVI.

An. Chr. MCXXXIV.

Dalfinum, de illatis injuriis ſatisfacere paratum, mitius tractare cupit.

Viciſſitudo proſperitatis & adverſitatis utilis.
SI triſtia ſemper acciderent, quis ſuſtineret? ſi ſemper proſpera, quis non contemneret? Sed rerum cauta gubernatrix Sapientia, horum pernecessaria viciſſitudine eo moderamine electis ſuis curſum vitæ temporalis alternat, ut nec adverſa frangant, nec læta diſſolvant: cum potius & iſta ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. Benedictus per omnia Deus: triſtitia noſtra verſa eſt in gaudium, acceperunt oleum poſt vinum vulnera noſtra. Raptores & prædones compuncti humiliantur: Sacerdotem Domini, in quem auſi ſunt mittere manus, cum honore remittunt: ſpolia quæ diripuerant, & ſine deſidia recolligunt, & ſine fraude reſtituunt. Si quid horum eſt quod inveniri non poſſit, Dalfinus pro eo ſatisfaciet ad beneplacitum veſtrum. hoc quippe manu ſua in noſtra affirmavit. Pro qua ſua promiſſione adimplenda ſi venerit ad pedes veſtræ majeſtatis c, quod & propoſuit; mitius quàm meruit, ſupplicamus agi cum juvene. non quod velimus impunitum eſſe tam grande facinus, ſed ut Eccleſia (ſi fieri poteſt) debita ſatisfactione honoretur: ut is qui ſatisfacit, ſupra vires patientiæ ſuæ non exaſperetur, & d pœniteat hominem noſtris acquieviſſe conſiliis.

Ad Imperatricem * Romanorum.

* Richeram. al. Imperatricem. monaſt.

EPISTOLA CXXXVII.

Ann. Chr. MCXXXIV.

Mediolanenſes non ante receptos in gratiam a Pontifice, quàm ipſi Lotharium Imperatorem reciperent. Hinc tot clementia Imperatricis commendat.

IN reconciliatione Mediolanenſium non obliti ſumus unde à veſtra excellentia præmoniti fueramus. Quod etſi non monuiſſetis, nihilominus honori veſtro & regni utilitatibus intenderemus, ſicut ubique & ſemper fideliter, quantum poſſumus, facimus. Non ante ſane Mediolanenſes in gratiam domini Papæ & Eccleſiæ unitatem recepti ſunt, quouſque palam Conrado * refuta- * V. Notas.
to & abnegato, dominum noſtrum Lotharium in ſuum regem & dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem auguſtum una cum toto orbe confeſſi ſunt: & de injuria tranſacta, juxta conſilium & mandatum domini Papæ, digne vobis ſeſe ſatisfacturos eſſe tacto ſacroſancto Evangelio ſpoponderunt. Unde magnas agentes gratias divinæ bonitati, quæ abſque bellorum periculis, abſque humani ſanguinis effuſione, inimicos veſtros ſic humiliavit; rogamus veſtram ſatis nobis expertam clementiam, ut tempore ſuo, cum requiſierint prædicti Mediolanenſes, per dominum Papam; utique mediatorem ſuæ reconciliationis, gratiam veſtram, benignos vos atque placabiles inveniamus: quatenus nec eos pœniteat ſanis paruiſſe conſiliis, & vos de eis debitum habeatis ſervitium & honorem. Non enim decet, ut fideles veſtri, qui pro honore veſtro laborant, apud vos confundantur. Confundentur autem, ſi qui de benignitate veſtra ſpem indulgentiæ promiſerunt; cum pro ipſis intervenerint, invenerint vos (quod abſit) inexorabiles.

Ad Henricum regem Anglorum.

EPISTOLA CXXXVIII.

Ann. Chr. MCXXXIII.

A Rege ſuppetias petit pro Innocentio Papa.

Henrico illuſtriſſimo Anglorum regi, Bernardus Abbas dictus de Clara-valle, honorem, ſoſpitatem & pacem.

VElle vos inſtruere, de his præſertim quæ ſpectant ad honeſtatem, aut inſipientis eſt, aut vos penitus ignorantis. Ea propter rem ſimpliciter intimare ſufficit, & hoc paucis: quoniam facile omnia tenenti, multa ſuperflue ingeruntur. In ingreſſu urbis ſumus, ſalus eſt in januis, juſtitia nobiſcum eſt: ſed Romanis militibus cibus iſte non ſapit. Itaque juſtitia placamus Deum, militia terremus hoſtes: ſolis neceſſariis ne-

a Duos hujus nominis Papienſes epiſcopos habet Ughellus, unum electum anno 1130. vel 1131. alterum, Alfonſo & Conrado intermediis, anno 1148 cui has litteras aptat. quæ melius priori conveniunt ſiquidem hæ proxime ſequebantur epiſtolam 134 quæ ſcripta eſt anno 1134.

b In prioribus editis, *Ad eumdem*, quod ad Petrum epiſcopum Papienſem, cui præcedens epiſtola inſcripta erat, referebant. At in libris Ciſterc. & in totidem Colbertinis inſcribitur epiſtola 178 ad Innocentium Papam. Scripta eſt autem hæc epiſtola occaſione prædonum, qui epiſcopos ex Piſano Concilio anni 1134. revertentes ſpoliarunt. Vide Notas fuſiores ad epiſtolam 23.

c Inde colligitur, hanc epiſtolam ſummo Pontifici directam eſſe, qui *majeſtatis* vocabulo non raro compellatur ab aliis, ut a Bernardo in epiſtolis 46. 150. n. 3. 166, &c. item ab Odone de Diogilo, & aliis. Quamquam hic titulus inferioribus etiam quandoque prælatis tribuitur ex Notis ad epiſtolam 370.

d Supple *non* ex ſuperiori membro, ut in fine epiſtolæ ſeq.

ceſſaria non habemus. Quid opus ſit facto, ut opus veſtrum compleatur, quod de domini Papæ Innocentii magnifica & honorifica illa ſuſceptione [a] feciſtis, vos melius noſtis.

Ad Lotharium imperatorem.

EPISTOLA CXXXIX.

Circ. ann. MCXXXV.

Excitat Imperatorem ad reprimendos ſchiſmaticos. Cauſam cujuſdam eccleſiæ apud Tullum ſitæ commendat.

Lothario Dei gratia Romano Imperatori Auguſto, Bernardus abbas dictus de Clara-valle, ſi quid poteſt peccatoris oratio.

1. Benedictus Deus, qui vos elegit *, & erexit cornu ſalutis nobis, ad laudem & gloriam nominis ſui, & reparandum Imperii decus, ad ſubveniendum Eccleſiæ ſuæ in tempore malo, poſtremo ad operandum etiam nunc ſalutem in medio terræ. Ipſius eſt enim opus, quod corona gloriæ veſtræ ita in dies ampliatur & ſublimatur, mirabiliter creſcens ac proficiens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Ipſius profecto nuper opus & virtus fuit, quod iter ſatis laborioſum & meticuloſum, pro pace regni & Eccleſiæ liberatione ſuſceptum, in tanta proſperitate [b] peregiſtis. Romæ ſiquidem imperialis culminis plenitudinem glorioſiſſime aſſecutus, idque (quod majus fuit) in manu non magna, ut animi fideique magnitudo clarius emineret. Quod ſi ante tantillum exercitum terra tremuit & quievit: quantus putamus horror hoſtium corda invadere habeat, cum cœperit rex procedere in magnitudine brachii ſui? Animabit inſuper honeſtas cauſæ; immo duplex provocabit neceſſitas. Non eſt meum hortari ad pugnam: eſt tamen (ſecurus dico) advocati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione ſchiſmaticorum rabiem: eſt Cæſaris propriam vindicare coronam ab uſurpatore * Siculo. Ut enim conſtat Judaicam [c] ſobolem ſedem Petri in Chriſti occupaſſe injuriam: ſic proculdubio omnis qui in Sicilia regem ſe facit, contradicit Cæſari.

2. Si autem utrumque incumbit Cæſari, reſtituere ſcilicet quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei Deo: cur apud Tullum * res Dei minuitur, cum Cæſar nihil ibi lucretur? Verendum, eſt ne minimorum neglectus, impedimentum ſit maximorum. Hoc eſt quod dico. Eccleſia ſancti Gengulfi [d] graviter injuſteque (ut dicitur) in illa civitate opprimitur: & aiunt veſtræ prudentiæ neſcio qua fraude ſubreptum, ut domino Papæ, per juſtitiam ſubvenire paranti, veſtræ interventu precis obviaretis. Obſecro & conſulo conſultius agi, noxiam revocari precem, dari locum juſtitiæ, antequam eccleſia illa funditus deſtruatur. Pauper ſum ego: fidelis tamen veſter, & ſi videor importunus, fortaſſis inde eſt. Dominam Imperatricem in Chriſti caritate oppido ſalutamus.

* Tullum Leucorum.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CXL.

Circ. ann. MCXXXV.

Piſanos Pontificis ſtudioſos apud Lotharium commendat.

Miror cujus inſtinctu vel conſilio vigilantiæ veſtræ ſubripi potuerit, ut homines, digni certe duplici honore & gratia, contraria à vobis audirent. Piſanos dico, qui primi & ſoli interim adhuc erexere vexillum A adverſus invaſorem * Imperii. Quàm juſtius in eos regia incanduiſſet indignatio, qui populum ſtrenuum & devotum qoacumque occaſione offendere auſi ſunt, eo præcipue tempore, quo accincti in multis millibus ſuis exierant oppugnare tyrannum, ulciſci injuriam domini ſui, & imperialem defenſare coronam. Ut enim congruentiſſime aſſignem huic genti quod olim de ſancto David dicebatur; quænam, quæſo, in omnibus civitatibus, ſicut Piſa, fidelis, egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium regis? Nonne hi ſunt, qui nuper regni illum unicum ac potentiſſimum hoſtem ab obſidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi B ſunt, qui etiam (quod pæne incredibile dictu eſt) in uno impetu ſuo expugnaverunt Amalfiam, & Rebellem *, & Scalam, atque Atturniam, civitates utique opulentiſſimas & munitiſſimas; omnibuſque qui antehac tentaverunt, uſque ad hoc tempus (ut aiunt) inexpugnabiles? Quàm dignum, quàm æquum, quàm plenum ratione & juſtitia fuerat, ut fidelium terra, interim ſaltem dum hæc actitarent, ab omni hoſte ſecura conſiſteret: tum pro præſentia ſummi Pontificis, quem jam dudum exſulem Piſani apud ſe cum ſummo honore ſervabant & ſervant: tum pro ſervitio Imperatoris, pro quo & ipſi tunc temporis exſulabant. Factum eſt autem per contrarium, ut gratiam, qui offenderunt; & qui ſervierunt, iram mererentur. Sed vos forC taſſis adhuc iſta neſciebatis. Oportet ergo nunc, quando res eſt nota vobis, immo & decet & expedit, mutare vos & verbum, & animum: ut viri regiis magis favoribus & muneribus honorandi, à veſtra parte de cetero audiant & recipiant prout meriti ſunt. O quantum meruere Piſani, quantum adhuc mereri poſſunt! Sat eſt dictum ſapienti.

* Rogerium.

* 1. Reg. 2.

* al. Rivellum.

Ad Humbertum [e] abbatem Igniacenſem.

EPISTOLA CXLI.

Ann. Chr. MCXXXVIII.

Graviter eum perſtringit, ob munus prælationis inconſulto ac temere dimiſſum.

D 1. Parcat tibi omnipotens Deus: quid voluiſti facere? Quis te crederet ad tantum prorumpere malum, hominem tantis præditum bonis? Quomodo potuit arbor bona peſſimum hunc ex ſe producere fructum? O quam terribilis Deus in judiciis ſuper filios hominum! Non miror quod diabolus iſtud potuit, ſed quod Deus permiſit, quippe cui jam tot annis pure, ſicut credimus, & devote ſerviiſti. Quid faciet de me, utique pigro & negligenti ſervo, qui fidelem famulum ſuum ſic vel ad tempus tradidit in animam inimicorum ejus? Quid quæſo rationis, immo quid non impietatis habet hæc fuga tua, de qua filii lugent, adverſarii rident? Miror quod te non terruit Arnoldi abbatis * exemplum: cujus ſimiE lis præſumptio digno, ſed pavendo fine (ut bene meminiſti) in brevi eſt vindicata. Et quidem ille qualemcumque (ut bene novi ego) habuit cauſam, tu nullam. Numquid enim aut monachi tuis erant inobedientes imperiis, aut converſi ſegnes in operibus, aut vicini forte tibi tuiſve rebus infeſti, aut certe modica & non ſufficiens ſubſtantia mundi, quatenus relinquere cogereris, quos vel regere, vel paſcere non ſufficeres?

* ſcil. Morimundi ad quem epiſt. 4.

2. Vide ne & te tangat vox illa Dei: quia *odio habuerunt me gratis*. Quid enim debuit tibi facere, & non fecit? Vineam tibi plantavit electam & ſpecioſiſſimam. Sepem ei circumdedit votivæ continentiæ, torcular

Johan. 15. 25.

Religio vinea.

a Agnoſcendo ſcilicet Innocentium in conventu Carnotenſi, ex aliis Notis, & ex Vitæ lib. 2. num. 4.

b Et tamen Ordericus in lib. 13 pag. 896. ubi Lotharii Romanum iter anno 1133. ſuſceptum deſcribit, ait mandaſſe Petro, *ut aliis cederet, aut judicium de ordinatione ſua ſubiret*. idemque Innocentio mandaſſe. Et Petrum quidem acquieviſſe, non vero Innocentium. Unde Lotharium contra eum indignatum Petro quæ poſſidebat dimiſiſſe, & *negotio imperfecto* receſſiſſe. Confer alias Notas.

c Hoc ipſum eſt quod ex Actis Cenomannenſium Epiſcoporum notavimus in Præfatione ad hunc tomum, nempe Anacletum ex *Judaiſmo duxiſſe originem*.

d Aliis *S. Gangulfi* ſeu *Sanguiſi*, vulgo *S. Jangoulf*, quæ inſignis eſt eccleſia collegiata apud Tullum Leucorum, à S. Gerardo condita ſub annum 1065. Vide alias Notas & epiſtolam 178.

e Humbertus, ex Caſæ-Dei monacho factus Claræ-vallenſis à deio à Bernardo primus abbas anno 1127. præficitur monaſterio Igniacenſi, *Igny*, diœc ſis Remenſis. Vitæ privatæ ſtudio regimen abdicavit anno 1138 quo anno ſcripta hæc epiſtola ex Italia. Perſtitit nihilominus in ſua abdicatione Humbertus, ſuffecto in ejus locum Guerrico: mortuus apud Claram-vallem anno 1148. ut in tomo ſecundo dicemus, referendo egregium ſermonem, quem Bernardus in ejus obitu habuit. Hujus epiſtolæ occaſione Horſtius prolixam edidit Digreſſionem de Commendis & Commendatariis. Similis argumenti eſt Hildeberti epiſtola 46.

diſtrictiſſimæ diſciplinæ fodit in ea, & ædificavit ſanctæ A pauptertatis turrim, ad cælos uſque pertingentem. Te culturem atque cuſtodem conſtituit: honeſtavit te in laboribus tuis, & complebit illos, ſi permittis. Sed tu, prô nefas! deſtruis maceriam ejus, & racemis optimis plenam exponis omnibus qui prætergrediuntur viam. Heu! quis prohibebit aprum de ſilva, ut non exterminet; & ſingularem ferum, ne depaſcat eam? Mirum vero ſi in hoc morti te bene præparare putas, quod quidem ad me ſcripſiſti, ut in tanto ſcandalo, & in anathemate domini Papæ mori velle non timeas. Deinde, ſi ita neceſſarium erat, non potuit aliud tempus conſiderari, niſi cum neceſſitatibus univerſalis Eccleſiæ detineor, ut illi miſeræ, quam exponis, non liceat B ſubvenire? Obſecro te per eum, qui pro te crucifixus eſt, ut ſatis afflictos amplius cruciare pareas, & triſtitiam ſuper triſtitiam addere deſiſtas: quia, ut verum fatear, ſic pro hac Eccleſiæ generali gravique ſciſſura affectus ſum, ut tædeat animam meam vitæ meæ, etiam te & tuis in pace degentibus.

Ad Monachos Alpenses.

EPISTOLA CXLII.

Ann. Chr. MCXXXVIII.

Monachos Alpenſes, qui ſe ſub Ordine Ciſtercienſi Claravallenſibus aggregaverant, commendat & conſolatur de abſentia Patris ad altiorem gradum aſſumpti. Hinc de C *novo Abbate eligendo eos monet.*

1. BOnus Pater veſter atque noſter, auctore Deo, ad altiorem gradum [a] aſſumptus eſt. Faciamus ergo
Habac. 3. 11. cariſſimi, quod dicit Propheta: *Elevatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo.* Sol eſt ille, per quem Alpenſis congregatio illuſtris ubique redditur, tamquam luna per ſolem. Elevato itaque illo, ſtemus nos in ordine no-
Pſal 83. 11. ſtro, quicumque elegimus abjecti eſſe in domo Dei no-
Ordo religioſus in quo conſiſtat. ſtri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noſter abjectio eſt, humilitas eſt, voluntaria paupertas eſt, obedientia, pax, gaudium in Spiritu-ſancto. Ordo noſter eſt eſſe ſub magiſtro, ſub Abbate, D ſub regula, ſub diſciplina. Ordo noſter eſt ſtudere ſilentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum; & ſuper omnia, excellentiorem viam tenere, quæ eſt caritas: porro in his omnibus proficere de die in diem, & in ipſis perſeverare uſque ad ultimum diem. Et hæc quidem aſſidue vos confidimus actitare.

Laudat eos à tranſitu ad Ordinem Ciſtercienſem. 2. Ceterum unum opus feciſtis, & omnes mirantur: quod cum ſancti eſſetis, non reputantes veſtram ſanctitatem, alienam participare curaſtis, ut eſſetis ſanctiores. Impletum eſt quod legitur in Evangelio:
Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia quæ mandata vobis fuerint, dicite, Servi inutiles ſumus.* Inutiles vos reputatis, & humiles inventi eſtis. Recta facere, & inutilem ſe repu- E tare, apud paucos invenitur, & ideo multi admi-
Humilitatis commendatio rantur. Hoc, inquam, hoc prorſus vos de illuſtribus reddit illuſtriores, ſanctiores de ſanctis. Et ubicumque divulgatus eſt ſermo iſte, replevit omnia odore ſuavitatis. Hæc virtus, me judice, præfertur etiam protractis jejuniis & anticipatis vigiliis, omni denique
1. Tim. 4. 8. corporali exercitio; tamquam vere pietas quæ ad omnia valet. Quàm læto ſinu collegit vos multitudo Ciſtercienſis, quàm alacri vultu ſpectavit hoc angelica celſitudo! Noverunt ſiquidem illi ſpiritus omnipotenti Deo placere ſuper omnia fraternam ſocietatem & confœderationem, cum dicat per Prophetam: F
Iſa. 41. 7. *Glutino bonum eſt.* & per alium: *Ecce quam bonum &*
Pſal. 132. 1.
Prov. 18. 19. *quàm jucundum, habitare fratres in unum.* item, *Frater fratrem adjuvans, ambo conſolabuntur.*

3. Advertitur etiam hoc factum humilitatem redolere. quæ quàm accepta ſit divinæ majeſtati, docet ille qui dicit: *Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Jacob. 4. 6.
Oſtendit & ipſe humilitatis Magiſter per ſemetipſum dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. 29.
Quid dicam de noſtro puſillo grege Claræ-vallis, cui ſpecialius adhæſiſtis, quanto vos & quàm ſpeciali complectatur affectu? Non poteſt dici verbo, quod de mutua caritate inter nos & vos ſpiritualis infuſio mirabiliter operatur. Supereſt, Fratres, ut invocato Spiritu-ſancto, maturetis vobis eligere Patrem. Nam ſi me exſpectaretis, vereor ne adventus noſter B differatur in longum, & illa dilatio eſſet periculoſa. Sed vocate ad vos fratrem noſtrum cariſſimum Godefridum * Priorem Claræ-vallis, qui & in hoc, ſicut * V. epiſt. 117.
in aliis, impleat vicem noſtram: ut conſilio ejus, vel forte illorum, quos ipſe pro ſe miſerit, ſi venire non poterit, nec non & patris veſtri Goarini, talem perſonam eligatis, de qua & Deus honorem habeat, & vos ſalutem. Memores mei eſtote, fratres.

Ad ſuos Claræ-vallenſes.

EPISTOLA CXLIII.

Circ. ann. MCXXXV.

Diuturnam ſui abſentiam excuſat, ſibi non minus, immo C *magis gravem, quam ſuis. Interim breviter eos officii admonet.*

Cariſſimis fratribus Claræ-vallis Monachis, Converſis [b], Novitiis, frater Bernardus, gaudere in Domino ſemper.

1. EX vobis perpendite quid patiar ego. Si vobis moleſta eſt abſentia mea, nemo dubitet mihi eſſe moleſtiorem. Non enim paris jacturæ, nec ejuſdem Bernardi affectus in ſuos.
gravaminis eſt, me uno carere vos, meque veſtra univerſitate deſtitui. Tot me neceſſe eſt affici curis, quot vos eſtis: & ad ſingulos quoſque veſtrum dolere abſentiam, timere pericula. Duplex contritio iſta non D me deſeret, quouſque meis viſceribus ego reddar. quod quidem & vos ſentire pro me non ambigo; ſed ego unus ſum. Vobis ergo una, mihi multiplex incumbit triſtandi ratio, utpote pro omnibus vobis. Nec ſolum cruciat, quod abſque vobis vel ad tempus vivere cogor, ſine quibus & regnare miſeram mihi reputo ſervitutem: ſed etiam quod verſari compellor in his, quæ amicam quietem omnino perturbant, & meo propoſito minus fortaſſe conveniunt.

2. Hæc ſcientes, moræ meæ, quæ meæ non eſt voluntatis, ſed eccleſiaſticæ neceſſitatis, non oportet vos indignari, ſed compati. Spero autem, quod non erit longa: vos orate ut non ſit infructuoſa. Detrimenta E quæ interim forte contingent, emolumenta reputentur, quoniam Deus in cauſa eſt. qui cum ſit benignus, & omnia poſſit, facile damna reſarciet, non ſolum integre, ſed etiam cumulate. Propterea bono animo ſimus, Deum habentes nobiſcum, in quo & vobis præſentes ſumus, quantiſlibet terrarum ſpatiis diviſi à nobis videamur. Quicumque in vobis bene officioſum Notæ boni religioſi.
ſeipſum exhibet, humilem, timoratum, ſtudioſum lectionis, orationibus vigilem, fraternæ caritatis ſollicitum; non me putet abſentem ſibi. Nam quomodo ei præſens ſpiritu non ſum, cum quo eſt mihi cor unum, & anima una? Si quis autem ſuſurro (quod abſit) ex- Mali.
F ſiſtit inter vos, aut bilinguis, aut murmurans, aut contumax, aut impatiens diſciplinæ, aut inquietus & vagus, & qui panem otioſus comedere non eru-

a Guarinus ſcilicet, ex abbate Alpenſi diœceſis Genevenſis aſſumtus in cathedram Sedunenſem, ex aliis Notis. De monaſterio Alpenſi lege librum 2. de vita S. Bernardi num. 67.

b Converſi olim dicebantur, qui ex adultis converſi ad religionem. quo nomine diſtinguebantur à pueris oblatis. Hic Converſi dicuntur Fratres laici ſeu barbati, de quibus ſupra in epiſtola 141 num. 1. Io abbatum electione aderant ex epiſtola 56. num. 2. nimirum ut olim populus cum Clero in electione Epiſcoporum. Hic ante Novitios nominati. contra in Sermone 22. de diverſis num 2. in chorum non admiſſi. Bernardus eos diſtinguit à monachis. Tunc enim apud Ciſtercienſes monachi proprie non cenſebantur, ut probat Exordii Ciſtercienſis caput 15. tametſi quamdam faciebant profeſſionem. Unde Innocentius II. in quodam privilegio ſeu in epiſtola hic 352. *Converſos veſtros, qui monachi non ſunt, poſt factam in veſtris cœnobiis profeſſionem, nullus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum vel Abbatum, ſine grata veſtra licentia ſuſcipere, aut ſuſceptam retinere præſumat.* Et in concilio Remenſi ſub Eugenio III. *Converſi profeſſi* dicuntur can. 7. & ſiquidem ad ſæculi vota redierint, matrimonio inhabiles declarantur, uti & monachi, à quibus tamen diſtinguuntur. De Claræ-vallis primordiis lege Notas in epiſt. 31.

beſcat ; huic etiam ſi corpore præſens eſſem, longe eſſet ab eo anima mea, eo quod ipſe longe fecerit à ſe Deum, morum, non locorum diſtantia.

3. Interim, fratres, dum venio, ſervite Domino in timore, ut ſine timore quandoque de manu inimicorum veſtrorum liberati ſerviatis illi. Servite in ſpe, quoniam fidelis eſt in promiſſis: ſervite ex merito, quia multus in meritis eſt. Nam etſi cetera taceam, hoc ſolo certe non immerito vitam ſibi vindicat noſtram, quod pro ea præbuit ſuam. Nemo igitur ſibi vivat, ſed ei qui pro ſe mortuus eſt. Cui enim juſtius vivam, quàm ei, qui ſi non moreretur, ego non viverem? cui commodius, quàm promittenti vitam æternam? cui magis ex neceſſitate, quam flammas perpetuas minitanti? Sed ſervio voluntarie, quia caritas libertatem donat. Huc provoco viſcera mea. Servite in caritate illa, quæ timorem expellit, labores non ſentit, meritum non intuetur, præmium non requirit; & tamen plus omnibus urget. Nullus terror ſic ſollicitat, nulla præmia ſic invitant, nulla juſtitia ſic exigit. Ipſa vos mihi inſeparabiliter jungat, ipſa me vobis jugiter repræſentet, horis maxime quibus oratis, cariſſimi & deſideratiſſimi fratres.

Christo vivendum.

2. Cor. 5. 15.

Coloss. 3. 14.

Ad Eosdem.

EPISTOLA CXLIV.

Anno Christi MCXXXVII.

Moleſtiam longioris abſentiæ ſuæ à dilecta Clara-valle, & tenerrimum erga filios ſuos affectum ac deſiderium exprimit. Solatium nihilominus ſummis tantis pro Eccleſia laboribus indicat.

1. TRiſtis eſt anima mea uſque dum redeam, & non vult conſolari uſque ad vos. Quæ enim eſt mihi conſolatio in tempore malo, & in loco peregrinationis meæ? nonne vos in Domino? Minime quidem deſerit me, quocumque iero, dulcis memoria veſtri: ſed quanto memoria dulcior, tanto abſentia moleſtior. Heu mihi quia incolatus meus non ſolum prolongatus eſt, ſed & cumulatus! & revera, juxta Prophetam, ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt, qui me à vobis aliquando vel corpore ſeparant. Eſt commune exſilium ipſumque moleſtum ſatis, quod quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Huic acceſſit & ſpeciale, quod pæne impatientem me reddit, ut cogar vivere ſine vobis. Longa moleſtia, & tædioſa exſpectatio, vanitati huic occupanti omnia tamdiu manere ſubjectum, fæculenti corporis horrido circumdari carcere, & mortis vinculis, funibuſque peccatorum necdum abſolvi, & tanto tempore non eſſe cum Chriſto. Ceterum adverſus hæc omnia unum mihi remedium qualecumque erat, & vere datum deſuper, pro vultu videlicet gloriæ, qui abſconditus eſt uſque adhuc, videre interim templum Dei ſanctum, quod eſtis vos. Ex hoc templo facilis mihi videbatur tranſitus ad illud glorioſum, ad quod Propheta ſuſpirat, dicens: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluntatem Domini, & viſitem templum ejus.*

Psal. 119. 5.

[illegible]

Psal. 26. 4.

2. Quid dicam? quoties id ſolatium interpolatum eſt mihi? Ecce hoc tertio [a], niſi fallor, avulſa ſunt à me viſcera mea. Parvuli ablactati ſunt ante tempus: ipſos quos per Evangelium genui, non licet educare. Propria denique deſerere, & aliena curare cogor: & dubito pæne quid magis ægre feram, an ſubtrahi illis, aut intricari iſtis. Itane, bone Jeſu, tota deficiet in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus! Bonum mihi, Domine, magis mori quam vivere eſt, non tamen niſi inter fratres, inter domeſticos, inter cariſſimos.

A Id ſiquidem dulcius, humanius, tutiuſque eſſe conſtat. Immo vero pium eſt, ut in hoc remittas mihi, ut refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero. Si placet Domino meo, ut oculi patris qualiſcumque, qui non ſum dignus vocari pater, claudantur manibus filiorum, ut extrema videant, exitum conſolentur, ſpiritum ſuis deſideriis levent ad conſortium, ſi dignum judicas, beatorum, cum pauperum corporibus pauperis corpus ſepeliant: hoc prorſus, ſi inveni gratiam in oculis tuis, precibus & meritis eorumdem fratrum meorum obtinere toto affectu deſidero. Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Nec mihi vivere volo, nec mori.

B 3. Sed dignum eſt, ut qui dolorem meum audiſtis, etiam conſolationem non ignoretis, ſi qua eſt. Primum quidem omni labore & calamitate, quam patior, ſolum arbitror eſſe in cauſa cum cui omnia vivunt. Velim, nolim, neceſſe eſt me vivere illi, qui meam ſibi propriæ vitæ poſitione acquiſivit; qui & potens eſt, ſi quid patimur pro ipſo, recompenſare nobis in illa die miſericors & juſtus judex. Quod ſi invitus militavero ei, diſpenſatio mihi tantum credita eſt, & ero ſervus nequam: ſi autem volens, gloria eſt mihi. In hac ergo aliquantulum conſideratione reſpiro. Deinde quod ſæpe non meis meritis ſuperna gratia honeſtavit me in laboribus meis, & gratia illa in me vacua non C fuit, ſicut in multis expertus ſum, & vos ex parte non latuit. Sed & hac vice quàm neceſſaria Eccleſiæ Dei ſit vel fuerit præſentia parvitatis noſtræ, dicerem ad conſolationem veſtram, ſi non gloriam redoleret. Nunc autem melius eſt, ut hoc per alios cognoſcatis.

Vide unde ſe conſoletur in laboribus.

4. Inſtantiſſima poſtulatione Imperatoris, apoſtolicoque mandato, necnon Eccleſiæ ac principum precibus flexi, dolentes & nolentes, debiles atque infirmi, &, ut verum fatear, pavidæ mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliam. Rogate quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, rogate quæ ad ſalutem ſunt nobis, ut iterum vos videamus, vobiſcum & vivamus, & moriamur: & ſic vivite, ut obtineatis. Infir- D mus in arcto temporis, certe cum lacrymis & ſingultibus iſta dictavi, teſte cariſſimo fratre noſtro Balduino [b], qui ſtilo ea excepit: quem Eccleſia vocavit ad aliud officium & ad aliam dignitatem. Orate & pro ipſo, tamquam unico ſolatio meo, & in quo ſpiritus meus plurimum requieſcit. Orate pro domino Papa, qui me pariter atque univerſitatem veſtram paterno fovet affectu. Orate & pro domino Cancellario [a], qui mihi pro matre eſt; & pro ipſis qui cum eo ſunt domino Luca [c], & domino Chryſogono, magiſtro Yvone, qui ſe nobis exhibent fratres uterinos. Qui mecum ſunt frater Bruno [d], & frater Girardus, ſalutant vos, ſupplicantes & ipſi pro ſe orari. E

Infirmitas B. Bernardi.

b

a Halmerico.

c

d

Ad Abbates Ciſtercii congregatos.

EPISTOLA CXLV.

Circ. ann. MCXXXVII.

Hos laborum & dolorum ſuorum conſcios eſſe deſiderat, excuſans forte hoc pacto abſentiam ſuam. Optat ſane non peregre, ſed inter ſuos mori.

IN multa infirmitate corporis & cordis anxietate (Deus ſcit) dictavi iſta ad vos, homo miſer, homo natus ad laborem, frater tamen veſter. Utinam nunc ipſum Spiritum, in quo congregati eſtis, merear habe- F re interpellatorem ad veſtram unanimitatem, qui imprimat pectoribus veſtris calamitatem quam patior; qui imaginem mei triſtem ac ſupplicem, ſicut eſt, fraternis affectibus repræſentet. Non hoc oro, ut creet in vobis novam miſericordiam, quia novi ego, quàm

a Hinc patet, Bernardum ter in Italiam profectum eſſe. Vide Chronologiam noſtram.

b Balduinus, primus ex Ciſtercienſi familia cardinalis, creatus ab Innocentio anno 1130. in Concilio Claromontano, poſtea archiepiſcopus Piſanus, de quo in lib. 2. Vitæ S. Bernardi num. 49. *in Tuſcia Piſis natalis gloria tel*, *& magnum Eccleſiæ lumen Balduinus effulſit*. Vir tamen ſcribæ officium Bernardo impendere non duxit indignum, laudatus in epiſtola 245. Confer epiſtolam 201.

c Hi omnes cardinales, Lucas tit. ſanctorum Johannis & Pauli creatus anno 1132. Chryſogonus anno 1134. tit. S. Mariæ de Porticu: Ivo ex canonico regulari S. Victoris Pariſienſis anno 1130. tit. S. Laurentii in Damaſo, ad quem epiſtola 193.

d Bruno *multorum diſcipulorum in Sicilia Pater* dictus in epiſtola 209. Girardus videtur eſſe Bernardi frater. De Brunone iterum epiſtola 165. num. 4.

familiaris univerſitati veſtræ ſit illa virtus: ſed hoc A oro, ut in intimo ſentiatis, quo & quanto affectu oporteat miſereri. Certus ſum enim, quia ſi id datum fuerit, continuo lacrymæ de theſauro pietatis erumpent, ſingultus & gemitus & ſuſpiria hinc inde pulſabunt cælos, & audiet Deus, & placabitur mihi, & dicet: Reddidi te fratribus tuis, non morieris inter extraneos, ſed inter tuos. Tantis ſiquidem laboribus & doloribus affectus ſum, ut ſæpe tædeat me etiam vivere. Humanum autem dico propter infirmitatem noſtram: deſidero differri uſquedum revertar ad vos, ut non moriar niſi inter vos. De cetero, fratres, bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, quæ recta, quæ honeſta, quæ ſalubria ſunt conſtituentes & tenentes: ante omnia ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis; & Deus pacis erit vobiſcum. B

Pacem ante omnia ſuadet.

Ad BURCHARDUM Balernenſem [a] abbatem,

EPISTOLA CXLVI.

Gaudet ſuos in eo formando labores non eſſe irritos: felicem tamen ſucceſſum uni Deo tribuendum.

1. IGnitum eloquium tuum vehementer, & ignitum illo igne, quem Dominus miſit in terram. Legi illud, & concaluit cor meum intra me: benedixi illi fornaci, de qua hujuſmodi ſcintillæ evolaſſent. Non- C ne cor tuum ardens erat in te, cum iſta dictabas? Bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona. Si laboravi in te, uti tu humiliter memoras, non me piget. Aravi in ſpem profecto percipiendi fructus, & ſpes non confundit. En de fructu operum meorum ſatiantur viſcera mea in terra aliena: & ſentio ipſo meo experimento ſemen meum, non ſecus viam, non ſuper lapides, non inter ſpinas, ſed in terram bonam & optimam cecidiſſe. Et ſi, cum parerem, triſtitiam habui; jam non memini preſſuræ præ gaudio, quia natus eſt infans in mundo. Infans dixerim malitia, non ſenſu: quem poſſet Salvator præponere ſenibus imitandum, dicens, *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Infans qui dicat, *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi*: qui dicat, *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, juſtificationes tuas non ſum oblitus.* D

Matth. 18. 3. — *Pſal. 118. 100.* — *Ibidem.*

2. Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita, Pater, quia ſic placitum eſt ante te. Tuo placito ſunt id quod ſunt, non ſuo merito. Nec enim invenis merita, ſed prævenis. Omnes peccavimus, & egemus præveniri. Tu ergo, frater, agnoſce te præventum, & præventum in benedictionibus dulcedinis, non à me qui nihil ſum, ſed ab illo qui me, ut de tua te ſalute monerem, adſpirando prævenit. Nam ut multum mihi tribuas, plantator ſum, rigator ſum: abſque illo tamen qui incrementum dat, quid ſum? Ipſi te in omni humilitate ſubjicias, ipſi tota devotione inhæreas. Me vero utere ejus ſervo, conſervo tuo, comite in via, coherede futuro in patria: ſi tamen ſtudioſiſſime implevero miniſterium ad quod tibi miſſus ſum; idque quantum in me eſt effecero, ut hereditatem capias ſalutis. Ad ea de quibus queſtus es, ita reſpondeo. Neceſſitates tuas ut meas portabo, cum venero. E

Matth 11. 25 — *Homini quid tribuendum in ſalute aliena.*

Ad PETRUM abbatem Cluniacenſem.

EPISTOLA [b] CXLVII.

Petrus Bernardum, peregre inter varios & difficiles pro Eccleſia labores agentem, miſſo Gobuino archidiacono Trecenſi conſolatus fuerat. Ejus itaque benevolum animum ſuaviſſime recolit, & feliciorem extincto jam ſchiſmate Eccleſiæ ſtatum prædicat.

Domino & Patri reverendiſſimo PETRO Cluniacenſi abbati, ſuus Bernardus, quod ſuus.

1. VIſitet te Oriens ex alto, ô bone vir, quia viſitaſti me in terra aliena, & in loco peregrinationis meæ conſolatus es me. Bene feciſti, intelligens ſuper egenum & pauperem. Abſens eram, & abſens etiam longo tempore; & recordatus es nominis mei, homo magnus, occupatus in magnis. Benedictus ſanctus Angelus tuus, qui pio pectori tuo id ſuggeſſit: benedictus Deus noſter, qui perſuaſit. En teneo, unde glorier apud extraneos, litteras tuas, & illas litteras, in quibus tuam mihi animam effudiſti. Glorior quod habeas me non modo in memoria, ſed & in gratia. Glorior privilegio amoris tui, refectus ſum de abundantia ſuavitatis pectoris tui. Non ſolum autem, ſed & glorior in tribulationibus, ſi quas dignus habitus ſum C pro Eccleſia pati. Hæc plane gloria mea & exaltans caput meum, Eccleſiæ triumphus. Nam ſi ſocii fuimus laboris, erimus & conſolationis. Collaborandum fuit & compatiendum matri, ne & de nobis quereretur, dicens: *Qui juxta me erant, de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.*

2. Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honeſtavit eam in laboribus, & complevit labores illius. Triſtitia noſtra in gaudium, & luctus noſter in citharam verſus eſt. Hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit, amputatum eſt ſarmentum inutile, putre membrum. Ille, ille iniquus qui peccare fecit Iſraël, D morte [c] abſorptus eſt, & traductus in ventrem inferi. Fecerat quippe ſecundum Prophetam pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat. ideoque, juxta Ezechielem, factus eſt perditio, & non ſubſiſtit in æternum. Alius quoque omnium ſicut maximus, ita & peſſimus inimicus, abſciſſus [d] nihilominus eſt. Et is erat unus ex amicis Eccleſiæ, ſed illis, de quibus ſolet queri, & dicere: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt.* Si qui reſtant, cito ſperamus de ſimilibus idem judicium. Prope eſt ut revertar ad fratres meos, ſi vita comes fuerit, per vos, ſicut intendo, tranſiturus. Interim commendo me ſanctis orationibus veſtris. Salutamus fratrem Hugonem E Camerarium, & omnes qui circa vos ſunt, cum reliqua ſancta multitudine.

Ad EUNDEM.

EPISTOLA CXLVIII.

Paucis Petro reſpondet, plura in aliam occaſionem reſervans.

Domino PETRO abbati Cluniacenſi, Bernardus humile dilectionis obſequium.

LEctis litteris veſtris lætatus ſum in eis, quod tantillum videlicet tantus in benedictionibus dul- F cedinis prævenire curaſtis. Ceterum videndi nos invicem, & colloquendi pariter, quoniam dignum judicatis, quando ſe offeret illa opportunitas, quando conveniens locus, quando juſta occaſio? Hæc interim

[a] Balerna Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Veſontionenſi condita anno 1136. Abbas primus Burchardus, cujus cenſuram habes in fine lib. 2. de Vita S. Bernardi.

b Hæc epiſtola duabus Petri epiſtolis reſpondet, quarum una eſt in lib. 2. epiſt. 29. altera 37. Hæc refertur in fuſioribus Notis. Iſtud Bernardi reſponſum deeſt in mſſ. non paucis, in primis editis locatum poſt epiſtolam 307.

c Antipapa Anacletus, mortuus anno 1138. Mortis genus deſcribit Ernaldus lib. 2. de vita S. Bernardi cap. 7. Ordericus pag. 915. Anacletum *ſubita morte* deceſſiſſe tradit. Victor ab æmulis Innocentii ſubrogatus, ex Vita Bernardi.

d Videtur is eſſe Gerardus epiſcopus Engoliſmenſis, mortuus anno 1136. ex Notis fuſioribus ad epiſt. 126. De ejus morte Ordericus pag. 908. ubi eum *eruditiſſimum* vocat, & virum *magni nominis & poteſtatis in Romano Senatu tempore Paſchalis Papæ & Gelaſii, Calixti, & Honorii.*

paucis veſtris pauca reddidimus, ampliora libenter donaturi, cum ea vobis oneroſa non fore cognoverimus. Alioquin quando hoc ipſum auderet noſtra puſillitas, niſi daret ad dignitatem acceſſum veſtræ dignationis humilitas?

Ad Eumdam.

Ann. Chr. MCXXXVIII.

EPISTOLA CXLIX.

Monet ut à monaſterio S. Bertini tam operoſè ſibi vindicando deſiſtat.

QUam nolim fieri quod veſtræ putem obviare reverentiæ, credo ſinceritatem veſtram non latere. Ea fiducia ſuggerere vobis non dubito, quod ſuggerendum videtur. De monaſterio ſancti Bertini [a] vellem vos moderatius agere, quam cœpiſtis. Nam etſi hoc vobis in pace ſubjicere, & abſque omni contradictione poſſetis; ne tunc quid veſtra referre quidem video. Neque enim crediderim vos delectari honore, cum tanto onere. Nunc vero cum nec abſque magno labore vindicare vobis præfatum monaſterium, nec in pace, ut aiunt, queatis poſſidere; honeſta vobis (ut mihi videtur) præbetur quieſcendi occaſio, timor inquietandi.

Ad dominum Papam Innocentium.

Ann. Chr. MCXXXIII.

EPISTOLA CL.

Laudat Pontificem ex variis rectè factis, ejuſque zelum excitat adverſus ambitionem Philippi, qui modis illegitimis ſedem Turonenſem invadere tentabat.

1. SAnitas capitis redundet in membra. Unguentum quod deſcendit in barbam de capite, extrema quoque fimbria veſtimenti participet. Si percuſſo paſtore diffugerant oves; valente & incolumi ſecure revertantur ad paſtum. Quod dicimus, hoc eſt. De gloriæ veſtræ crebris ſucceſſibus creber nuntius lætificat civitatem Dei. Juſtum proinde eſt, ut veſtra proſperatio, Eccleſiæ roboratio ſit: & cum exaltat Deus electum de plebe ſua, ipſa quoque ſe ſentiat exaltari, ac de roboris incremento fortiorem agnoſcat. Nam ſi compaſſa eſt, & conregnare debet. Sic dignum vobis, ſic nobis neceſſarium. Quid enim? ſi in timore & anguſtia æquitatis vigor non languit, non tepuit fervor; modo cedimus cum appropinquamus ad palmam? quæ eminuit in infirmitate, in ſublimitate virtus ſuccumbet?

2. Quàm nempe in manu valida ordinatum eſt nobile illud monaſterium Virziliacenſe [b]? Nec inſanis profecto tumultibus armatæ plebis, nec effreni furentium atque obſtrepentium veſaniæ monachorum, nec (quod his fortius fuit) copiis mammonæ cedendum putavit vel ad modicum apoſtolica celſitudo. Quid apud ſanctum Benedictum? Numquid regia indignatio prohibere potuit ſpiritum libertatis, accenſum atque accinctum adverſus carnem & ſanguinem? Sic ſancti Memmii, ſic ſancti Satyri, miro modo eccleſiæ immutatæ ſunt, & de ſynagoga ſatanæ reſtitutæ ſunt in ſanctuarium Dei, vellent, nollent omnes iniqua agentes ſupervacue. Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquieſcere importunis improbiſque poſtulationibus iracundi atque iraſcentis Regis [c]. Quis vero dignis efferat laudibus, quod noviſſime diebus iſtis de manu potentis, eminus licet, emiſſum eſt in turbatores [d] eccleſiæ Aurelianenſis? Revera nunc ſagitta Jonathæ non abiit retrorſum, & haſta ejus non eſt averſa. In quo tamen verbo Rex quidem turbatus eſt: ſed non omnis Jeroſolyma cum illo. Magis autem mitigavit omnem iram ſuam & ipſe tandem. Erubuit ſiquidem, & timuit armari fruſtra adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus. Hinc prorſus elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos: tantum ut laudabile principium condigno exitu perornetur [e]. Quod quidem univerſi qui vos amant, vehementer exſpectant: idque flagitant maturari.

3. Sane ſimili zelo, & in manu æque potenti, eccleſiæ Turonenſi jamjamque ſubvenire neceſſe eſt. Alioquin prope interitum eſt & ipſa, niſi cito feratis auxilium. Revixit, ut aiunt, Giſleberti [f] ſpiritus in Philippo, ipſius plane & nepote carnis, & herede ambitionis. Quanta nempe dominandi cupiditate & iſte juvenis inardeſcat, indicat matris ſuæ eccleſiæ diuturnus & miſerabilis cruciatus, quo pæne eam eviſcerat miſer, ut ſe parturiat in honorem. Eſt tamen auctore Deo ejus tergiverſationibus finis tandem impoſitus: ſi tamen, quod dictante juſtitia, & compellente malitia, & pace provocante in eum actum eſt, apoſtolicæ auctoritati ratum habere placuerit. Abſit autem ut confundat fideles ſuos benigna majeſtas, quibus idem negotium dignum duxit committere terminandum. Abſit, abſit, ut ſæva ambitio refugium habeat apud innocentiæ defenſorem. Hoc ipſum quantæ audaciæ eſt quod tentat, quantæ dementiæ quod ſperat? Semel & ſecundo jam apoſtolici contemptor mandati, juſtitiam ſubterfugit: & nunc impudentiori temeritate audet denuo nihilominus tantæ æquitatis vultibus præſentari? Cui obſcurum eſt quàm impie cogitet in mammonæ viribus turrim fortitudinis oppugnare, homo qui de juſtitia penitus non præſumit? Sed ſecuri ſumus: ſiquidem qui tentatur, Innocentius eſt, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

4. De cetero memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ, dulciſſime Pater, dum ſuſpiramus præſentiam, dulciter invicem eructamus: quia caremus illâ, in iſta conſolamur. Hæc ſedula cordibus, hæc oribus frequens, ſal eſt in omni ſermone, aures mulcet, dulcorat ora, corda recreat & inflammat: celeberrima eſt in conventibus ſanctorum, colloquia condit, impinguat preces, ad orandum ſollicitat. Oramus & nunc ſolliciti pro vobis & veſtris, ut æterna memoria dignos vos ipſa æternitas habeat, cui & pro qua temporaliter laboratis. amen.

Ad Philippum Turonenſis eccleſiæ invaſorem [*].

[*] al. electum.

Ann. Chr. MCXXXIII.

EPISTOLA CLI.

Gravem animi ſui dolorem exprimit ſuper Philippo, Turonenſis eccleſiæ præſulatum indebitis modis ambiente.

DOleo ſuper te, Philippe cariſſime: ſed quæſo te ne rideas dolorem meum, nam ſi tibi minime videris forſitan eſſe dolendus, ideo magis dolendus. Tu videris quid de te ſentias: ego te arbitror omni lacry-

a Monaſterium S. Bertini apud Audomaropolim, aliis Sithienſe, cum ad extremam inopiam deveniſſet, a Lamberto abbate Hugoni abbati Cluniacenſi commiſſum, anno 1101. ita demum refloruit tum facultatibus, tum religione, tum etiam numero monachorum, ut cum ibi vix duodecim antea monachi vivere poſſent, ibidem accreverit numerus ad centum & quinquaginta, ex quibus multa Belgii & Franciæ monaſteria regularem diſciplinam receperunt, teſte Hermanno monacho in Spicilegii tomo 12. pag. 443. cui Iperius conſentit. Hugone Cluniacenſi abbate mortuo, jugum excuſſere Sithienſes, qui abbatem ſuum, inconſultis Cluniacenſibus, in litem vocarunt. Lis denique perducta eſt, ut duos jam abbates, Johannem videlicet ac Simonem, dejeciſſet Innocentius II. agente Petro Venerabili, qui tandem urgente Bernardo jure ſuo ceſſit, & Bertinenſes ſui juris eſſe permiſit. Vide Notas ad Apologiam tomo 4.

b Quæ hic dicuntur à Bernardo de reformatione monaſteriorum, Vizeliacenſis, *Vezelay*, diœceſis Æduenſis. S. Benedicti ad Padum, S. Satyri apud Bituriges Canonicorum regularium, illuſtrantur ex fuſioribus Notis.

c Nempe Lotharii, qui ab Innocentio inveſtituras repoſcebat, ut in aliis Notis, & ex lib. 2. de vita S. Bernardi num. 5.

d Clerici erant, qui Johanni in archidiaconi dignitatem intruſo favebant contra Archembaldum ob id necatum, ut docent fuſiores Notæ.

e Hic quidam editi interponunt duos verſus contra fidem mſſ.

f Giſlebertus ſeu Gilbertus deceſſor Hildeberti, qui anno 1125. ex cathedra Cenomanenſi in Turonicam tranſlatus eſt, eamque tenuit annis ſex cum totidem menſibus, ut ad epiſtulam 182. notavimus. Eo mortuo Philippus Giſleberti nepos malis artibus ſedem invadens favente Anacleto, huic epiſtolæ occaſionem dedit, & ſequenti, quæ prior ſcripta eſt. Philippo cedere coacto, Hugo canonice ſuffectus. Lege Analectorum tomum 3. pag. 338.

marum fonte plangendum. Dolor meus non eſt dignus A ſubſannatione, ſed compaſſione: quia dolor meus non eſt de carne & ſanguine; non de amiſſione rerum periturarum, ſed de te, ô Philippe. Non potui expreſſius demonſtrare magnitudinem cauſæ doloris: Philippus eſt in cauſa. Cum hoc dico, gravem Eccleſiæ pronuntio luctum, quæ te aliquando ſuo gremio confovebat, germinantem ſicut lilium, florentem donis cæleſtibus*. Quis tunc temporis non clamabat, bonæ ſpei juvenem, bonæ indolis adoleſcentem? Sed heu! mutatus eſt color optimus. A quanta ſpe decidit Francia, quæ te genuit & nutrivit! O ſi cognoviſſes & tu. Tu, inquam, ſi apponeres ſcientiam, apponeres & dolorem, & dolor tuus faceret, ne noſter omnium eſſet infructuoſus. B Procederem ſi ſequerer ſpiritum meum: ſed nolo proferre plurima in incertum, & eſſe quaſi aërem verberans. Sed hæc ſcripſi, ut noſtrum utcumque erga te affectum cognoſceres, & ut nos ſcires eſſe in proximo, ſi forte Deus inſpiraret tibi noſtrum curare colloquium, & optatam nobis tui velles exhibere præſentiam. Sumus enim Viterbii[a], & te morari in Urbe audivimus. Dignare reſcribere nobis quicquid illud ſit quod de his litteris noſtris corde conceperis, ut ſciamus quid faciendum ſit nobis, plus videlicet minuſve dolendum. Quod ſi omnia contemnis, & in nullo nos andis: ego quidem fructum non perdam litterarum, quæ ex caritate procedunt; ſed tu de contemptu ante tribunal C terrificum reſpondebis.

Perſtringit à primæva indole degenerem.
* al. innumeris.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM pro Trecenſi Epiſcopo.

Circ. ann. MCXXXV.

EPISTOLA CLII.

Inſolentiam clericorum nutriri ignaviâ Epiſcoporum: Trecenſem vero ob clericos correptos gravari.

INſolentia clericorum, cujus mater eſt negligentia Epiſcoporum, ubique terrarum turbat & moleſtat Eccleſiam. Dant Epiſcopi ſanctum canibus, & margaritam porcis: & illi converſi conculcant eos. Merito D quales fovent, tales & ſuſtinent. Quos ditant Eccleſiæ bonis, non corrigunt eorum mala, maloſque gravati portant. Alienis nimirum laboribus locupletantur clerici, comedunt fructum terræ abſque pecunia: & prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Quos proprie hodieque reſpicit vetus illa ſcriptura: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Mens quippe aſſueta deliciis, nec exculta diſciplinæ ſarculo, multas contrahit ſordes. Porro inveteratam rubiginem ſi tentes abradere, nec ſummis ſaltem digitis contingi patientur, ſed ſicut ſcriptum eſt: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit.* Inſurrexerunt teſtes iniqui, homines quos delectat vitam ſemper alienam rodere, negli- E gere ſuam. Supplicat puer veſter pro eo, cujus in hac diſcordia (ſi non fallor) tota culpa eſt, quod culpas redarguerit clericorum. Hæc pro Epiſcopo*. In reliquo pro me ſatisfacio. Scripta dignationis veſtræ, quibus me venire ad vos, cum jubere poſſetis, rogare dignantiſſime maluiſtis, norit paternitas veſtra ad me ante Nativitatem beatæ Mariæ minime perveniſſe. Itaque non dico, Juga boum emi quinque, aut villam emi, aut uxorem duxi: ſed plane (quod & vos non ignoratis) parvulos lactare me fateor: & ideo quomodo ſine gravi ſcandalo ac periculo ipſorum venire poſſim, non video.

Clericorum inſolentia ex Epiſcoporum negligentia.
Exod. 32. 6.
Deut. 32. 15.
* non Trecenſi, nomine Attone

Ad BERNARDUM[b] de Portis, de Ordine Cartuſienſi.

Ann. CHR. MCXXXV.

EPISTOLA CLIII.

Petenti Expoſitionem in Cantica Salomonis, prætendit tenuitatem ſuam, tanto ſcilicet operi, & aliorum exſpectationi imparem.

1. PEtis inſtanter, & ego conſtanter abnuo, ſed parcens mihi, non te ſpernens. O utinam tuo ſtudio ingenioque dignum aliquid elaborare poſſem! Lumen oculorum meorum, & ipſam quoque animam, ſi fieri poſſet, pariter tibi, amice cariſſime, & in Chriſti viſ- B ceribus mihi potiſſimum in omni plenitudine dilectionis ſpiritualiter* amplectende frater. Ceterum ubi ingenium, aut quando otium mihi ſufficiens ad id quod petis? Neque enim leve quid aut vile, & quod nos poſſumus, poſtulare videris. Minime quippe pro minimis ſic inſtares. Nam voluntatem tuam & curam in hoc ſatis produnt crebræ epiſtolæ tuæ, & vehementior ſpiritus eas animans. Nimirum proinde quanto id curioſius velle te ſentio, tanto, crede mihi, ſcrupuloſius acquieſco. Cur hoc? ne magna videlicet exſpectanti, ridiculum producam murem. Hoc vereor, & hæc cauſa cunctationis meæ. Et quid mirum ſi vereor dare, quod edere verecundor? Invitus, fateor, præ- C beo, quod me exiſtimem non tam edere profuturum, quàm prodere contemnendum. Quis ſane date velit, quod dediſſe dedeceat, accepiſſe non proſit? Libens do, invitus perdo. Scimus quoniam ſperanti grandia, modica minus grata venire ſolent. Quod autem non venit gratum, perditum eſt, non datum.

* al. ſpeciali ter.

2. Tibi ſtudii eſt, utpote otioſo & vacanti, undecumque perquirere incentiva igni quo ardes, ut ardeas magis, & impleas voluntatem Domini tui dicentis: *Et quid volo niſi ut ardeat?* Laudo, ſed ſi illic ea quæras, ubi te fruſtratum poſtmodum non queraris. Erras ſi apud nos quæris. Ego potius illa abs te mendicare debuerim. Scio quidem dare quàm accipere beatius eſ- D ſe; ſed ſi detur quod danti honeſtum, accipienti utile ſit: quale utique penes me quicquam eſſe penitus neſcio. Quod autem habeo, vereor ſi in medium venerit, ne te quoque optaſſe illud pudeat, pœniteat poſtulaſſe. Sed quid? non melius nos apud te tuipſe excuſabis? Tui tibi certe fidem oculi faciant. Cedo importunitati tuæ, ut vel exhibitio tollat ſuſpicionem. Res eſt cum amico. Non pareo jam verecundiæ: prorſus dum fiat quod tu vis, inſipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis, recens dictatos, en facio transſcribi: & tibi, cum necdum ediderim, quàm citius mitto. In quo opere cum accepero tempus, Chriſto imperante curis, tentabo E procedere: ſi tamen me inde confortes. Domnum & patrem noſtrum Priorem veſtrum, cum ceteris Fratribus, per te devote ſaluto, & propitios habere apud Deum corde humili ſupplico.

Luc. 12. 49.
Act. 20. 35.

Ad EUNDEM.

Circ. Ann. MCXXXVI.

EPISTOLA CLIV.

Non licuiſſe per negotia ſtare promiſſioni de inviſendis Cartuſienſibus. Mittit petitos ſermones in Cantica.

DIſſimulare non valeo triſtitiam cordis mei, nec patior ultra latere te cruciatum quem patior, Bernarde cariſſime. Memor antiquæ meæ promiſſionis,

a Ergo tum Bernardus Viterbii in Etruria verſabatur, & quidem anno 1133. quo in Germaniam ad Lotharium ab Innocentio miſſus eſt: quo ea loco præcedens ad Innocentium epiſtola ſcripta videtur. De alia apud Viterbium ejus mora vide ſermonem 24. in Cantica, num. 14.

b In codice Ciſtercienſi hæc obſervatio legitur. *Sciendum eſt duos extitiſſe Bernardos in domo Portarum, unum Priorem, alterum ſub Priore qui & poſtea Cardinalis fuit.* Prior ex monacho Ambroniacenſi, Cartuſiæ Portarum originem dedit anno 1115. de quo in Necrologio: *Prid. Idus Februarii obiit Bernardus primus Prior Portarum* MCLII. Longe ante id tempus regimen abdicaverat, ſucceſſorem ſortitus alterum Bernardum iiſdem Portarum Priorem, poſt abdicatum Bellicenſem epiſcopatum, ut cenſet Petrus Franciſcus Chiffletius in Præfatione ad Manuale ſolitariorum, qui huic Bernardo ſecundo hanc & ſequentem epiſtolam directam putat: additque tertium per id tempus Bernardum poſt beatum Nanthelmum ejuſdem loci Priorem, poſtea epiſcopum Dienſem. Certe Bernardum, cui hæc epiſtola cum ſequente inſcripta eſt, Priorem non fuiſſe anno 1135. quo hæc epiſtola exarata eſt, conſtat ex num. 2. ubi Bernardus *domnum Priorem* ſalutat, hoc eſt Bernardum primum incolam ac Priorem Portarum, qui locus eſt in Baugeſio diœceſis Lugdunenſis, prope Rhodanum, tribus leucis à Bellicio urbe epiſcopali, *Bellay*. Confer epiſtolam 250.

propoſitum habui & deſiderium magnum tranſire per vos, reviſere quos diligit anima mea, itineri meo ſolatium, laboribus levamen, peccatis remedium poſtulare: & culpis meis exigentibus factum eſt, non ut nollem, ſed ut non poſſem. Pœnam ſiquidem hoc agnoſco culparum, non culpam. Certus ſis, homo Dei, minime prorſus amici fuiſſe incuriam, non pigritiam, non negligentiam: ſed cauſam obſtitiſſe plane non negligendam, & cauſam Dei. Nihilominus tamen vermis iſte continue rodit me, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Et quidem alias ſatis tribulor: ſed, ut verum fatear, in nullo æque. Vincit labores itineris, caloris incommodum, curarum anxietates. B Ecce aperui vulnus amico: tua, frater, intereſt compati mihi, hoc eſt portare mecum quod patior, ut relever ego. Tuas & per te ſanctorum, cum quibus es, orationes ſupplex flagito. Sermones ſuper principia Canticorum, quos tu petiiſti, & ego promiſeram, tranſmitto tibi. quibus lectis peto, ut quam citius opportune poteris, tuo reſcripto moneamur vel ad procedendum, vel ad ſuperſedendum.

a Ad dominum Papam INNOCENTIUM, pro eodem quando electus eſt [a].

Cir. ann. MCXXXV.

EPISTOLA CLV.

C *Bernardum de Portis, in Lombardia deſtinatum epiſcopum, dignum quidem eo honore, ſed tali loco minus idoneum, adeoque alteri convenientius reſervandum.*

DIlectum Deo & hominibus Bernardum de Portis, Pater venerande, vocatione veſtra cogi ad opus & onus epiſcopale audivimus. Probabilis res, ac digna plane veſtro apoſtolatu, ponere in lumine lumen abſconditum; ne ſibi ſoli vivat, qui & alios ad vitam trahere poſſit. Uſquequo namque latet & ardet tantummodo, qui & lucere valet? Levetur, ſi placet, ſuper candelabrum, ut ſit lucerna ardens & lucens: ſed ſane ubi non prævaleat vis ventorum, ne forte (quod abſit) exſtinguatur. D Siquidem inſolentia Lombardorum & inquietudo eorum cui non eſt nota? aut cui magis quam vobis? Nobis melius noſtis, quàm ſit ille Epiſcopatus diſſipatus, quàmque domus exaſperans. (Lombardi de [illegible]) Quid putamus eſſe factorum juvenem, viribus corporis fractum, & quieti eremi aſſuetum, in populo barbaro, tumultuoſo, procelloſo? Quando poterit convenire tantæ ſanctitati, & tantæ perverſitati; tantæ ſimplicitati, & tantæ doloſitati? Reſervetur, ſi placet, congruentiori loco, atque alteri populo: cui ſic præſit, ut proſit; & feſtinatione non pereat fructus, quem poterit dare in tempore ſuo.

Ad EUNDEM pro clericis Aurelianenſibus.

Ann. Chr. MCXXXV. vel ſequent.

EPISTOLA CLVI.

USquequo miſera illa Aurelianenſis eccleſia incaſſum viſcera pulſat Patris orphanorum, & judicis viduarum? Quippe jacet jam olim in pulvere virgo b nobilis Iſrael, non ſolum viduata [b] viro, ſed & caris orbata pignoribus. Prô dolor! non eſt qui ſublevet eam. Quouſque & filios non dimittitis cum matre miſera clamantes poſt vos? illos dico, qui amiſſis rebus & domibus, capitibus ſuis refugium ſolum invenere diffugium. Quid tardat intrepida manus, nullis hactenus vel negata oppreſſis, vel remiſſa præſumptoribus? Quid tardat, inquam, afflictos eripere de manu fortium, & reddere retributionem ſuperbis? Et ſi tardat, A non derelinquat uſquequaque. Oportet magis dilatum auxilium tandem venire validius, & ſubvenire perfectius. Illa ſit, ſi placet, moleſtæ tarditatis recompenſatio, ut & qui apoſtolica patientia ſuperbe abuſi ſunt, nihil inde in fine lucrentur: & qui in verbo veſtro patienter paſſi ſunt, minime eos ſuæ quandoque pigeat patientiæ.

AD HAIMERICUM, pro eiſdem.

EPISTOLA CLVII.

Ann. Chr. MCXXXV.

B Speciali amico ſuo HAIMERICO, Dei gratiâ diacono cardinali, & apoſtolicæ Sedis cancellario, frater Bernardus de Clara-valle, luce ſapientiæ & virtutis clareſcere.

NIſi quia veſtram novi & circa afflictos compaſſionem, & contra protervos indignationem; opportune, importune inſtarem vobis pro magiſtro Willelmo Maudunenſi [c] & ſociis ejus: compellarem vos adverſus oppreſſores & calumniatores eorum. Nunc autem ſufficiat memoraſſe: veſtrum eſt opere probare cito quod revera ſufficiat. c

Ad dominum Papam INNOCENTIUM, ſuper interfectione Magiſtri [d] Thomæ Prioris S. Victoris Pariſienſis. d

EPISTOLA CLVIII.

Ann. Chr. MCXXXIII.

Amantiſſimo Patri & Domino INNOCENTIO ſummo Pontifici, Bernardus Claræ-vallis abbas indignus, minimum id quod eſt, & quod poteſt in Domino.

1. FEra peſſima quæ devoravit Joſeph, canum noſtrorum importunitatem non ferens, ad veſtræ dicitur defenſionis auxilium confugiſſe. In quantam miſera devenit amentiam, ut vaga & profuga & tremens ſuper terram, illuc potiſſimum fugam inierit, D ubi plus timere oportuit? Sceleratiſſime, tu ſummæ æquitatis ſedem putas eſſe ſpeluncam latronum, aut cubile leonum? (Sedes apoſtolica non debet eſſe refugium ſceleratis.) tu filii recentem adhuc cruorem ore rabido ac ferali ſpumans & maſticans, fugis ad ſinum matris, patris audes apparere conſpectibus? Tamen ſi pœnitentiam petit, neganda ei non eſt. quod ſi audientiam; accipiat illam ſi placet, quam vel Moyſes indulſit populo ante conflatile curvanti genu; (Exod. 32. 25.) vel Phinees fornicanti Iſraëlitæ; (Num. 25. 8.) vel Mathathias dæmonibus immolanti; (1 Mach. 2. 24.) vel certe, ut vobis de veſtris aliquem proponamus, quam à beato Petro Ananias & Sapphira meruerunt: (Act. 5. 1.) quam denique audientiam dedit negotiantibus in templo Salvator. (Matth. 21. 12.) An ignoramus quorumdam E peccata præcedere ad judicium? (1. Tim. 5. 24.) nonne vox ſanguinis fratris tui clamat adverſum te de terra? Credimus & noſtri Martyris ſpiritum, quem noviſſime diebus iſtis tua crudelitas morti dedit, cum ceteris animabus interfectorum, voce valida ſub altari clamare, & flagitare vindictam, eoque inſtantius, quo recentius ipſius ſanguis effuſus eſt ſuper terram.

2. Sed numquid ego, inquit, occidi eum? Non utique tu, ſed tui, & propter te. An & per te, videat Deus & judicet. (Qui conſilia vel conſenſum crimini dedit, par eſt perpetranti.) Si excuſabilis tu es, cujus dentes, arma & ſagittæ, cujus lingua gladius acutus; proinde nec Judæi Chriſti de morte culpandi ſunt: quippe & ipſi manus continuere cauti. Ob illicitas exactiones, quas ſibi occaſione archidiaconatus in presbyteros minime jam, ut conſueverat, uſurpare liceret; beati uti-

a Forte in eccleſia Papienſi. quæ per id tempus mortuo Petro vacabat. Non obtinuit hæc electio, ſed prævaluit S. Bernardi conſilium, electo Bernardo Portarum in epiſcopum Bellicenſem, ex dictis, cui dignitati jam ceſſerat anno 1147. tum Portarum Prior, ex charta authentica apud Chiffletium.

b Scilicet poſt Johannis epiſcopi obitum, qui contigit anno 1133. vacavit ſedes quatuor annis ex Carolo Sauſſayo in Annalibus Aurelianenſibus: cum Hugo decanus, qui electus fuerat, ex curia Regis rediens, a temerariis hominibus in via percuſſus eſt, teſte Orderico Vitali ad annum 1134. Hæc vero epiſtola ſcripta eſt a Bernardo, uti & ſequens, ante Romanam ejus tertiam profectionem anni 1137.

c Maudunum ſeu Magdunum, *Meun*, opidum eſt infra Aurelianos ad Ligerim, ubi eccleſia S. Liſardi collegiata, & ædes Epiſcopi Aurelianenſis.

d Thomæ Prioris S. Victoris necem apud Gornacum *die Dominica* ex epiſtola ſequenti, & quidem *XIII. Kal. Septembris*, ac proinde anno 1133, non anno 1143. (uti ejus lapidi ſepulcrali nuper inſcriptum eſt) accidiſſe patet ex fuſioribus Notis, ubi aliæ epiſtolæ hac de re ſcriptæ referuntur.

que Thomæ obviante zelo atque induſtria, utpote juſtitiæ amatoris & defenſoris, oderat illum, & mortem ei jam ipſo odio homicida minitari ſolebat. Multi ſe audiviſſe nunc perhibent, quibus diſcredendum non eſt. Poſtremo nepotes ejus, ut impias manus in ſanctum Domini mitterent, quid aliud umquam adverſus eum habuerint, ipſe certe dicat, ſi poteſt. Si ergo iſte qui cauſa, qui incentor, qui etiam (ut omnium pæne ſuſpicio eſt) exſtitit & dictator facinoris: ſi is, inquam, impune ferat, (quod utique mira impudentia de veſtra apoſtolica auctoritate præſumit:) quanta putamus impunitas iſta in Eccleſia parturiet punienda? Unum è duobus fore neceſſe eſt: aut nullos ex nobilibus ſive potentibus ſecundum hoc ſæculum admitti deinceps ad honores eccleſiaſticos: aut paſſim ad omne illicitum permitti libere clericos ſacris abuti officiis: ne forte, ſi quiſpiam zelo Dei accenſus prohibere tentaverit, ferro ilico militari reus juſtitiæ trucidetur. Atque ita quid ſpirituali gladio, quid cenſuræ eccleſiaſticæ, quid Chriſtianæ legi & diſciplinæ, quid reverentiæ ſacerdotali, quid denique divino timori relinquitur, ſi metu potentiæ ſæcularis, nullus mutire jam audeat contra inſolentiam clericorum? Quid enim inſolentius, quidve indignius in Eccleſia eſſe poteſt, quam ut ſibi quiſque eccleſiaſticas vindicet dignitates feritate armorum, non morum probitate? Quamobrem, domine Pater, aliquid, ut videtis, prorſus decernendum eſt in hominem, quod Eccleſiæ proſit, ut ſalus facta hoc tempore per vos tranſfundatur in poſteros; & cognoſcat generatio altera, non ſolum quod fuit præſumptum, ſed & qualiter ultum. Alioquin ſi ſerpat venenum, nec ſequatur pariter & antidotum; multos (quod abſit) habet perimere.

Urget ad vindictam.

Ad EUMDEM, in perſona Stephani Pariſienſis Epiſcopi, unde ſupra.

Ann. Chr. MCXXXIII

EPISTOLA CLIX.

Piiſſimo Patri INNOCENTIO ſummo Pontifici, Stephanus miſerandus epiſcopus eccleſiæ Pariſienſis, miſericordiam & judicium.

1. VIr religioſus, Prior ſancti Victoris, magiſter Thomas in obſequio caritatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere ſancto, in ſanctorum comitatu, in dominico die, certe in ſinu meo & inter manus meas crudeliter ab impiis pro juſtitia excerebratus eſt, factus obediens uſque ad mortem. Non opus eſt prece, ubi pietatem melius in ſilentio lacrymæ provocant, & ſingultus qui interrumpit precem, exprimit affectionem. Hæc plane compaſſionem veram, etſi non poſtulant, merentur tamen: utpote quæ verum indicant prodùntque dolorem, & ſimulationis fugant ambiguum. Puto proinde ſufficere mihi ad incutiendam paternis viſceribus calamitatem quam patior, rem, ut eſt, ſimpliciter intimaſſe. Triſtis flebiliſque hiſtoria ſatis pro ſe agit, præſertim apud vos, & ſuaſoriis fucari non indiget. Exitus aquarum deducite oculi mei, quoniam dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Nec enim illum lugeo, ſed me. Nam ille quo pacto lugeatur, qui mortis pretioſæ compendio tranſivit ad vitam?

2. Quis illum non magis laudibus, quàm fletibus proſequatur, cui vivere Chriſtus fuit, & mori eſt lucrum? Epiſcopi nomen ego gerebam, ille exercebat opus. Honore ſpreto, onus totis viribus ſupportabat. Idcirco ille revera mortuus ad vitam, ego vivus in morte. Ille mortis vincula non incidit, ſed evaſit: & ecce circumdant me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbant me. Ego igitur, ego miſer, ego miſerandus in morte tua, mi frater dulciſſime Thoma, blando heu! ablactatus ſolatio, cauto privatus conſilio, & certe tuto patrocinio deſtitutus. Expediebat me magis mori pro te, quàm poſt te vivere. Propter hoc defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Condolet mihi Eccleſia, ſed dolet & pro ſe. Commune damnum, communis deſolatio eſt: mecum omnis religio plorat, paternam pariter implorat conſolationem. Si Theobaldus Noterius [a] adierit vos, ſentiat in ſe, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Nepotes ipſius auctores * exſtitere ſceleris, ipſe cauſa: utrum & dictator, in quæſtione eſt. Non attendatis ad verba ejus, donec veniat qui mittendus eſt; qui vobis plenius inſinuans veritatem, cautum faciat à labiis iniquis & à lingua doloſa.

Ad HAIMERICUM cancellarium in perſona ejuſdem Epiſcopi, unde ſupra.

EPISTOLA CLX.

Domino HAIMERICO cariſſimo, venerabili ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono cardinali & cancellario, ſuus Stephanus Pariſienſis, quod domino & amico.

AMicus in neceſſitate probatur. Quod dico, non quia de ſanctitate dilectionis veſtræ dubitem, ſed ne contingat ut dubitem. Continget autem proculdubio, ſi zelum illum veſtrum modo (quod abſit) diſſimulare compereo. Porro diſſimulationis id mihi argumentum inexcuſabile fore noveritis, ſi Theobaldum Noterium non recipere pro meritis quacumque occaſione contigerit, qui dimidium animæ meæ nepotum ſuorum manibus crudeli ambitione præcidit, ſoli cruciatui parte reliqua reſervata.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM.

EPISTOLA CLXI.

Adverſus auctores cædis Archembaldi ſubdecani Aurelianenſis.

VOx ſanguinis Archembaldi [b] ſubdecani Aurelianenſis invaluit. Nam ecce, prô dolor! juxta Prophetam, *Sanguis ſanguinem tangit*, *& ſimul juncti* fortius clamant ad vos de Francia. Clamat, inquam, & vociferatur uterque ſanguis clamore tam valido, ut valeat ipſum quoque palatium cæleſte concutere; tam pio, ut & ſaxea pectora debeat emollire. Quid facis amice ſponſi, cuſtos ſponſæ Chriſti, paſtor ovium Chriſti? Putaſne ſufficies excogitare remedium, quod huic obviet peſti tam nefandæ, tam inauditæ? Id ſane neceſſe eſt inveniri, quod & recenti Eccleſiæ vulneri inpræſentiarum medelam afferat, & poſteris valeat ad cautelam. Ergo accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Si non ſteterit & nunc Phinees & placaverit, non ceſſabit quaſſatio. Si, inquam, vigor eccleſiaſticus pepercerit iſtis, Johanni dico, & Theobaldo Noterio: quorum etſi non manu, aſſenſu certe, forte & inſtinctu ſanguis innoxius effuſus eſt ſuper terram, quis non videat quid ſequatur? Quantos in clero horum impunitas contra jus & fas faciet promoveri, metu utique ſuorum, non ſuæ merito ſanctitatis? Novis morbis novis obviandum eſt medicamentis. Utiliſſime, ut multis videtur, juſtiſſimeque eos apoſtolica falce ab omni ſucciderès eccleſiaſtica dignitate, ita ut & habitis careant, & de cetero ad alias non aſſurgant.

a Hic codices variant. Quidam habent ſolum *Noterius*, alii *Theobaldus Noterius*, qui archidiaconus fuit Pariſienſis, teſte epiſtola Stephani epiſcopi Pariſienſis, in Notis relata, quæ neſcio an ab ipſo Bernardo, nomine Stephani, ſcripta eſt ad Gaufridum Carnotenſem, tunc Legatum.

b De iſtis interfectoribus lege fuſiores Notas ad epiſtolam 150. ubi Innocentii reſcriptum habetur. De nece Archembaldi item conqueritur Petrus Venerabilis in lib. 1 epiſtola 17. inſinuans eum de medio ſublatum ante Thomam Victorinum, his verbis. *Quorum impunitas ſceleris arma miniſtrat furoris: ut ſicut poſt Aurelianenſem Subdecanum ad dominum Thomam Pariſienſem, quia prior inultus remanſerat, perſecutorum gladius ſe converterit.* Contrarium tamen ex hac Bernardi epiſtola non obſcure colligitur. Ceterum Johannes, qui Archembaldi necis auctor, forſan is ipſe fuerit Johannes decanus Aurelianenſis, qui ſimilem ſortitus finem, de cujus interfectione legitur Planctus ejuſdem eccleſiæ apud Stephanum Tornacenſem.

Ad

Ad HAIMERICUM [a] cancellarium, de eodem.

EPISTOLA CLXII.

F Requentem & amicabilem recordationem, qua dominum Epiſcopum Pariſienſem commendare ſoletis, ego poſtmodum ipſi frequenter teſtatus ſum. En à vobis exigitur non verbo aut lingua, ſed opere & veritate probare, nec me fuiſſe fallacem, nec vos mendacem. Sic veſtra intereſt, non ſolum propter Epiſcopum, ſed & propter alios amicos veſtros, qui pro vobis certe graviter, ſi quo modo præter ſpem procedere cauſam contingeret, turbarentur.

Ad JOHANNEM Cremenſem cardinalem presbyterum [b] de eodem.

EPISTOLA CLXIII.

MCXXXIII

D Ilectionem & dignationem, qua me amplecti à vobis nullius dignitatis homuncio ſenſi, in æternum non obliviſcar. Pœnitentiam & converſionem veſtram, de qua jam Angelis collætatus ſum, & condelectatus, dignos facere fructus opto jugiter, & oro frequenter. Et nunc maxime ipſos noſtra iſta Gallicana Eccleſia mecum exſpectat, credo non intempeſtivos. C Intereſt veſtræ pariter & meæ famæ, ut non confundar in vobis. Sic ergo clareat omnibus, zelum apud vos veritatis juſtitiæque fervere contra interfectores clericorum, & inſtigatores eorum, ut non me pigeat gloriatum fuiſſe de vobis.

Actio [c] cauſæ Lingonenſis eccleſiæ ad dominum INNOCENTIUM Papam.

EPISTOLA CLXIV.

ANN. CHR. MCXXXIII.

Conqueritur Bernardus, quod ſubdole & contra datam fidem tentata ſit electio Epiſcopi eccleſiæ Lingonenſis. D

1. D Um adhuc Romæ eſſemus, contigit illo venire dominum Archiepiſcopum Lugdunenſem. Venerunt & cum eo Robertus decanus eccleſiæ Lingonenſis & Olricus canonicus, quærentes licere ſibi & Capitulo Lingonenſi eligere ſibi Epiſcopum. Mandatum ſiquidem à domino Papa acceperant, nequaquam præſumere hoc, niſi ad conſilium religioſorum virorum. Quod dum per me cuperent & peterent obtinere: Abſit, inquam, niſi ſciam & certus ſim, quod bonam idoneamque perſonam intendatis eligere. Reſponderunt propoſitum ſuum atque intentionem de noſtro pendere arbitrio, nec aliud ſe facturos, niſi quod ego conſulerem. E Et ſpoponderunt. Verum me non ſatis fidem accommodante, acceſſit ad perſuadendum Archiepiſcopus, pollicens firmiter idipſum. Et addidit, quod ſi ſecus clerici agere molirentur, quicquid aliud facerent, minime ſe confirmaturum, nec ratum habiturum. Adductus eſt & dominus Cancellarius in teſtimonium. Nec contenti, adivimus etiam præſentiam domini Papæ, ut ejus favore & auctoritate quod inter nos convenerat, confirmaretur: prius tamen habita inter nos collatione mutua ac diuturna ſuper facienda electione, & de multis perſonis, quarum ibi mentio facta eſt, duabus tandem nominatis, à quibus nullus noſtrum penitus diſſentiret, quamlibet illarum eligi placuiſſet. Itaque quod nobis complacuit, dominus Papa immutabiliter obſervari præcepit: & tam Archiepiſcopus, quàm clerici firmiter pro- A miſerunt. Illis abeuntibus, ego poſt diſceſſum eorum dies paucos in Urbe faciens, ubi à domino meo impetrare potui facultatem redeundi, ad fratres iter arripuimus.

2. Et tranſalpinantes comperimus inſtare diem, qua foret ſacrandus homo in Epiſcopum Lingonenſem: de quo utinam meliora atque honeſtiora audiviſſemus. Nolo autem dicere quæ invitus audivi. Quid plura? A religioſis viris non paucis, qui nobis ſalutandi gratia occurrerant, perſuaſi ſumus divertere per Lugdunum, quatenus, ſi fieri poſſet, rem nefariam ne fieret prohi- B beremus. Nam ego aliunde ob viæ compendium ire ſtatueram, conſulens valetudini & laſſitudini corporis, præſertim quod non liquido, fateor, credebam rumoribus. Quis enim crederet tantum virum tanta uti levitate, ut poſtpoſita tam recente promiſſione ſua, inſuper domini ſui mandato, perſonæ notabili manum imponere non timeret? Itaque conſilio religioſorum acquieſcentes, Lugdunum iter direximus, & pervenientes, omnino ſicut audivimus, ſic vidimus. Parabantur illa, non feſta, ſed infauſta ſollemnia. Decanus tamen, & maxima (ni fallor) pars Lugdunenſium Canonicorum conſtanter apertèque contradicebant. Sed & rumor pudendus dolenduſque paſſim crebreſ- C cens & invaleſcens civitatem repleverat.

3. Quid facerem? Conveni Archiepiſcopum, reverenter quidem, ſuper pacto quod fecerat, & ſuper mandato quod acceperat: & nihil horum negavit. Cauſam vero prævaricationis referens in filium [d] Ducis, qui à conſtituto reſilierat; ne ille turbaretur, in id ſe mutabilitatis inciſiſſe dicebat, pacis videlicet intuitu. Et intulit, quia quicquid hactenus egerit, jam pro noſtro deinceps arbitrio ſe facturum. Tum ego gratias agens: Abſit, inquam: tamen non noſtra, ſed Dei potius voluntas fiat. quæ ita forſitan cognoſcetur, ſi res ponatur in conſilio Epiſcoporum, aliarumque religioſarum perſonarum, quæ hic ad veſtram ipſius vo- D cationem convenerunt, vel adhuc venturæ ſunt. Quod ſi invocato ſancto Spiritu conſenſus omnium vos ad procedendum in cœpto opere animaverit, procedite ut cœpiſti: ſin autem, acquieſcendum Apoſtolo dicenti: *Nemini cito manum imponas.* (1 Tim. 5. 22.) Viſum eſt conſilium placuiſſe. Interim homo ille veniſſe nuntiatur, ſed in hoſpitium, non in palatium. Veſpere ſextæ feriæ venit; ſabbato mane receſſit. Non eſt meum dicere, cur nec in curia apparere voluerit, ad quam ei curæ fuit longo itinere pervenire: niſi quod verecundia monachalis, honoriſque contemptus forſan putari poſſet, ſi non aliud alia, quæ ſecuta ſunt, indicarent. Et reve- E ra quid aliud tunc ſuſpicari debuimus: quando Archiepiſcopus rediens ab illo teſtatus eſt coram omnibus, nullo modo eum voluiſſe acquieſcere, ſed quicquid de eo factum fuerat, penitus refutare?

4. Denique & mandavit mox electionem fieri. Hoc per quoſdam Lingonenſes Canonicos tunc præſentes, hoc & per litteras, quæ adhuc exſtant. Quibus in Capitulo Lingonenſi oblatis & lectis, prò pudor! incontinenti leguntur aliæ per omnia contrariæ illis, aſſerentes utique conſecrationem dilatam, non dimiſſam; aſſignantes diem & locum ad cauſam decidendam, quam litteræ priores nuntiabant deciſam. Putares in litteris non modo diverſas, ſed & adverſas ſibi loquentes perſonas, adverſum ſe invicem contendentes: niſi quod una eademque imago [e] impreſſa ceris, unum idemque nomen præſignatum in ſchedulis, manifeſte de uno fonte dulce & amarum illud manare cunctis qui aderant

a In Colbertino num. 1018. & in editione antiquiori tribuitur *Johanni Cremenſi*, ſequens Haimerico. At quæ in poſterioti leguntur de ejus, cui directa eſt, converſione, potius Johanni conveniunt.

b Tituli S. Chryſogoni, qui Johannes Henricum Virdunenſem, ad quem epiſtola 62. ab excommunicatione abſolvit, teſte Laurentio Leodienſi in Spicilegii tomo 12. pag. 307.

c Sic titulus hujus epiſtolæ in mſſ. Actio hæc contigit non poſt mortem Guilenci ſeu VVilenci epiſcopi Lingonenſis, ad quem epiſtolæ 59. & 60. ſed poſt mortem VVillelmi de Sabramo ejus ſucceſſoris. Guilenci obitus contigit anno 1135 Kalendis Auguſti: Guillelmi anno 1138. Hinc lites de futuro ſucceſſore. Petrus archiepiſcopus Lugdunenſis, Hugo Burgundiæ Princeps, poſtea Dux, electionem cuidam monacho Cluniacenſi deferebant: repugnabant Robertus decanus Lingonenſis, Pontius archidiaconus, Odolricus, aliique canonici. Arbiter litis delectus Bernardus: ac tandem excluſo monacho Cluniacenſi, electus Godefridus Prior Claræ-vallenſis, Bernardi conſanguineus. Vide alias Notas.

d Hugonem ſcilicet, filium Odonis Burgundiæ Ducis ex Maria filia Theobaldi Campaniæ Comitis.

e Nempe Petri archiepiſcopi imago impreſſa ſigillo cereo de more illorum temporum. De Petri hujus obitu infra in epiſtola 172. Ad eum epiſtola 194.

mirantibus declarabant. Tenentur in manibus contradictoriæ litteræ : utrislibet obedire decreveris, inobediens neceſſe eſt tenearis. Aut enim priorem te recipientem epiſtolam poſterior condemnabit : aut ſi poſteriorem ſequi eligas, prior murmurabit. Et utinam ſecunda epiſtola, ſicut potuit evertere primam, ita poſſet ſeſe vel ipſa tueri adverſus tertiam. Sed ecce litteræ contra litteras, mandatum adverſus mandatum : ita ut non jam, quemadmodum in Propheta, *Manda, remanda*, ſed, Manda, demanda, potius inculcetur.

Iſai. 28. 10. & 13.

5. Interim nempe homo qui & conſecrationem fugerat, & electionem refutarat, feſtinavit ad Regem. Regalium [a] inveſtituram obtinuit, quibus meritis, ipſe viderit. Mox directis epiſtolis, & locus qui aſſignatus fuerat, eſt mutatus, & dies anticipatus : ut loci temporiſque opportunitate ſubtracta, & copia agendi pariter ſubtrahatur contradicturis, & conſecrationis dies ſubripiatur appellaturis. Ceterum non eſt conſilium contra conſilium Domini, cujus providentia factum eſt, ut nec contradictores defuerint, nec appellatores. Appellatum eſt à Falcone * decano Lugdunenſis eccleſiæ ; appellatum & a Pontio archidiacono Lingonenſi ; appellatum à Bono-amico ſacerdote & canonico æque Lingonenſi ; appellatum & à fratribus noſtris Brunone [b] atque Gaufrido, ignorantibus quidem omnibus his præparationem cordis eorum, ſed caſu ſupervenientibus, haud dubium quin Dei provida voluntate. Tanta ſiquidem fuit brevitas termini, ut vix, ex quo reſcivimus diem, ſpatio quatuor dierum nuntius noſter cum litteris accurrere potuerit, quatenus præveniret quod parabatur, non ſacramentum, ſed ſacrilegium. Et is quoque nihilominus contradixit, & tam conſecrandum quam conſecraturos ad Sedem apoſtolicam appellavit. Et ipſe erat Lingonenſis canonicus. Veritatem dico, non mentior : nihil à me hic dictum perſonæ odio, ſed ſolo veritatis amore veraciter omnia poſita, teſte ipſa Veritate.

** ad quem epiſt. 171.*

Ad FALCONEM [c] decanum, & GUIDONEM theſaurarium Lugdunenſis eccleſiæ, unde ſupra.

EPISTOLA CLXV.

Ann. CHR. MCXXXVIII

PLaga, ut videtis cariſſimi, eccleſiæ noſtræ magna eſt, & multa eget cura ; nec modo multa, ſed cita, ita ut aſſidue cum lacrymis Medico cæleſti inſtemus dicentes : Domine, deſcende priuſquàm moriatur. Unum eſt quod magis exacerbat dolorem, & pæne deſperat curationem : quia nimirum inde eſt orta tribulatio, unde conſolatio ſperari debuerat. Quiſnam enim, ô miſera, malum hoc quod plangis, induxit ſuper te ? Profecto non inimicus, non is qui oderat te : ſed homo unanimis, dux tuus & metropolitanus tuus. Quomodo ab auſtro, & non jam ab aquilone panditur omne malum ? Merito proinde non eſt dolor ſicut dolor meus, quoniam de quibus potiſſimum præſumebamus, ab ipſis paſſi ſumus, & non ab aliis. O Lugdunenſis pia mater eccleſia ! cujuſmodi non ſponſum, ſed monſtrum tuæ filiæ procuraſti nunc! non plane matrem te in hoc, ſed novercam ſenſimus. Gener hic tuus quàm longe à nobili illa tua antiqua honeſtate, gravitate, probitate degenerat ! Quid enim ? Egone id dixerim honorabile connubium, & thorum immaculatum, quod de tali & taliter factum eſt ? Sine lege, ſine ordine, ſine ratione ſic confuſa ſunt omnia, immo ita cuncta in fraude & temeritate præcepta & præſumpta fuiſſe conſtat, ut non dico Epiſcopum, ſed ne villicum quidem, aut teloniarium quempiam in hunc modum decuerit ordinari. Quibus vos laudibus efferam, dilectiſſimi, qui ſoli condoluiſtis afflictæ, & tam in prima, quàm in ſecunda ſua defenſione oppreſſæ adſtitiſtis, aſcendentes ex adverſo, & opponentes vos murum pro domo Iſrael ? Non eſt inventus ſimilis vobis in illo conventu, qui conſervaret legem Excelſi, qui ſactis obtemperaret canonibus : qui denique ſe indueret zelum Phinees, & linguæ mucrone confoderet fornicantes. Quæ cum ita de vobis ad Dei & veſtram ipſorum gloriam ubique clareſcant, reſtat ut principio tam laudabili condignum exitum dare, & hoſtiæ capiti caudam jungere ſatagatis.

Joann. 4. 49.

In indignam electionem Epiſcopi.

Num. 25. 8.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM, unde ſupra.

EPISTOLA CLXVI.

Ann. CHR. MCXXXVIII.

1. ITerum clamo, iterum pulſo, etſi non clamoſis vocibus, certe lacrymoſis gemitibus. Cogit iterare clamores iterata in nos injuria perditorum, & prolongantium iniquitatem ſuam. Confortati ſunt addentes prævaricationem. Apponunt iniquitatem ſuper iniquitatem, & ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Invaluit furor, pudor evanuit, & timor Dei. Quem contra tuam, Pater, cautam * juſtamque diſpoſitionem non timuerunt eligere, etiam poſt appellationem tui nominis auſi ſunt exſecrare. Et hoc præſumpſerunt Lugdunenſis, Æduenſis, Matiſconenſis, amici Cluniacenſes. In fraude & temeritate iſtorum, heu! quàm ingens multitudo ſanctorum turbabitur, ſi angariati fuerint tale portare jugum, taliterque impoſitum. Prô nefas ! hoc ita accepturi ſunt, ac ſi cogantur genua curvare ante Baal, aut certe juxta Prophetam pactum facere cum morte, & cum inferno fœdus inire. Rogo ubi jus, ubi lex, ubi ſacrorum auctoritas canonum, ubi denique reverentia majeſtatis ? Illa, illa quæ nulli negatur oppreſſo, ſoli mihi non profuit appellatio. Ubi nimirum imperabat aurum, judicabat argentum ; leges canoneſque ſilebant, locum ratio & æquitas non habebant. Eidem telis (quod intolerabilius eſt) arcem quoque apoſtolici culminis oppugnare minantur. Id vero ridicule ; fundata eſt enim ſupra firmam petram.

** al. cautam, ſed male.*

Iſa. 28. 15.

2. Sed quid ago ? exceſſi, fateor : non eſt meum accuſare quemquam aut reprehendere : ſufficit mihi ut plangam dolorem meum. Poſt longam moram multoſque labores, quos pro ſervitio Romanæ eccleſiæ pertuli, cum tandem placuit ſerenitati veſtræ reditum annuere ad fratres meos, etſi fractus viribus corporis, tamquam male operans ; lætus tamen ob manipulos pacis quos reportabam, ad monaſterium cum proſperitate perveni. Credidi me de labore evaſiſſe ad requiem ; licere mihi utcumque reſarcire ſpiritualium damna ſtudiorum, ac ſanctæ quietis detrimenta, quæ foris incurreram ; & ecce tribulatio & anguſtia invenerunt me. En lectulo recubantem plus cordis, quàm corporis dolor excruciat. Nec enim ego deploro temporale incommodum ullum. Anima mea in manibus meis : ſalus ejus in cauſa eſt. Placet vobis, ut illi homini credam animam meam, qui perdidit ſuam ? Scio quia non placet. Quamobrem dixi animæ meæ expedire magis inire fugam, quàm & mærore conſumere reſiduum dierum meorum, & nihilominus in periculum ſalutis incidere. At Deus vobis potius inſpiret quod potius eſt : reducere videlicet ad memoriam (ſi dignum judicatis) qualiter vobiſcum egerim, & ponere oculos pietatis ſuper puerum veſtrum, & liberare afflictum de anguſtia. quin potius non oblviſci quanta Deus ipſe fecerit vobis, & in quantulæcumque vicem recompenſationis, ad ipſius gloriam, quod tam perperam factum eſt, revocare.

Non credenda illi anima qui ſuam perdidit.

a Regalium inveſtitura eſt temporalis dominii ac prædiorum eccleſiæ traditio per Regem facta novo epiſcopo poſt ſacramentum fidelitatis ab eo præſtitum. De Regalibus vide item epiſtolam 170. Sagerii epiſtolas maxime 19. & 20. atque Gloſſarium Cangianum.

b De Brunone actum ſupra ad epiſtolam 144. Gaufridus videtur eſſe is qui poſtea Bernardi notarius.

c Falco dein electus eſt archiepiſcopus Lugdunenſis, de cujus electione epiſtola 171. & 172. Ad eumdem epiſtola 173.

Ad EUNDEM, pro eodem negotio.

EPISTOLA CLXVII.

An. CHR.

CLementiſſime Pater, nonne præcipiendo præcepiſti in Lingonenſi eccleſia perſonam eligi religioſam atque idoneam, & ad conſilium pueri tui? Nonne dominus Lugdunenſis hoc ipſum mandatum ex apoſtolico ore tuo præſens excepit tam fideliter exſecuturum, quàm firmiter injunctum, ac frequenter inculcatum? Nonne denique & ſpopondit? quid ergo viſum eſt ei, mutare voluiſſe quod utiliſſime & conſultiſſime ſtatutum fuerat, aliudque ſua præſumptione moliri quod non conveniebat, in veſtræ ipſius majeſtatis contemptum, & in noſtræ puſillanimitatis ſcandalum? Quomodo non erubuit bonus ille vir apud ſe EST & NON inveniri, tentans imponere tam indignum jugum cervicibus tam numeroſæ multitudinis religioſorum virorum ſervorum tuorum, adverſus ſtatutum tuum, & promiſſum ſuum? Inquire, Pater, inquire diligenter, qualc homo ille, cui feſtinat manum imponere, teſtimonium habeat, & ab his qui prope ſunt, & ab his qui longe. Mihi enim interdicit dicere pudor quod publica fama de eo dicit, immo infamatio celeberrima divulgavit. Et quid dicam? Triſtis eſt anima mea uſque ad fugam. Et jam forſitan fugiſſem, niſi me retinuiſſet conſolationis ſpes, quam de viſceribus veſtris exſpecto. Volebam ſcribere per ordinem perlacrymabilem miſeriæ noſtræ hiſtoriam: ſed præ triſtitia languet manus, ſenſus hebeſcit, horret lingua eloqui malignam fraudem, ſed ſubreptionem, ſed circumventionem, ſed temeritatem, ſed perfidiam. Quid ergo? Filius tuus Pontius archidiaconus, qui & in hac cauſa conſtanter fideliterque ſe habuit, cuncta tibi, Pater, narrabit, & quid factum doleamus, & quid faciendum flagitemus. Ipſi crede tamquam mihi. Ego autem hoc unum ut parturiens loquor: niſi iſti à tam ſcelerato tamque temerario auſu deficiant; ut meipſum nunc ſentio, deficiet in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Ad EPISCOPOS & CARDINALES Romanæ curiæ, unde ſupra.

EPISTOLA CLXVIII.

An. CHR.

1. VOs ſcitis, ſi dignum ducitis recordari, qualiter vobiſcum in tempore malo converſatus ſim, egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium regis, perſiſtens ac permanens vobiſcum in tentationibus veſtris, ita ut conſumptis pæne viribus corporis, vix poſt redditam cælitus pacem Eccleſiæ repatriare potuerim. Et recolo hoc, non glorians aut improperans, ſed provocans & efflagitans, monens & repoſcens debitum veſtræ miſerationis affectum. Urget neceſſitas modo omnes repetere debitores. Ego vero ſi feci quod facere debui, haud aliud me ex eo quàm ſervum inutilem reputo, juxta ſermonem Domini. Luc. 17. 10. Verumtamen ſi feci quod oportuit, aut quod faciendum fuit, numquid merui vapulare? Et ecce rediens à vobis, tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi, ſed non profuit: invocavi & veſtrum, & non valuit. ſiquidem dii fortes terræ vehementer elevati ſunt, Lugdunenſis ſcilicet Archiepiſcopus, & Cluniacenſis Abbas *. Hi confidentes in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantes, adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt. Et non adverſum me tantum, ſed adverſum magnam multitudinem ſervorum Dei, adverſum vos quoque, adverſum ſeipſos, contra Deum, contra omnem æquitatem & honeſtatem.

* 27, notas.

2. Denique impoſuerunt hominem ſuper capita noſtra, quem, prò pudor! & boni horrent, & mali rident. Quo ordine, immo quam extraordinarie, videat Deus & judicet; videat & Romana curia: videat & doleat, miſereatur & accingatur ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quid enim? placet tibi, domina mundi, univerſitati conſtituta vindex in iram, judex in miſericordiam; placet, inquam, tibi, quod dum ſuperbit impius, incenditur pauper, & ille pauper, qui pro tuo ſervitio, cum non haberet cenſum quem effunderet, ſanguini non pepercit? Dignumne tibi videtur tua perfrui pace, & noſtram non curare, nec recipere in ſortem conſolationis, quos habuiſti conſortes laboris? Si inveni gratiam in oculis veſtris, eripite inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem a diripientibus eum. Alioquin ego quidem, ut potero, laborabo in gemitu meo, & erunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; vobis autem legam illum verſiculum: *Qui tollit ab amico miſericordiam, timorem Domini dereliquit.* Job 6. 14. & illud: *Omnes neceſſarii mei receſſerunt à me.* Ibid. illud quoque: *Qui juxta me erant, de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Pſal. 37. 12.

Ad dominum Papam Innocentium, unde ſupra.

EPISTOLA CLXIX.

An. CHR. MCXXXVIII.

Cur clericos eccleſiæ Lingonenſis vocatos detinuerit; & quibus munus eligendi committendum.

DIgnatio veſtra fecit me familiarem, familiaritas præſumptorem. Adſit ſolita cordi veſtro benignitas, ne forte præſumptio pariat indignationem. Audite tamen patienter, non ſolum quid egerim, ſed & cur egerim: ſi forte cauſa factum poſſit vel aliquatenus excuſare. Auſus ſum retinere clericos Lingonenſes qui vocati erant, compoſita tamen pace inter eos: ipſiſque perſuaſis ſtare deinceps de facienda electione in beneplacito veſtro & conſilio bonorum, ſicut in litteris eorum continetur. Erat autem pernecesſarium eos hac vice remanere, propter terras & poſſeſſiones eccleſiæ, quæ datæ ſunt prædæ & direptioni, dum non eſt qui cuſtodiat aut defendat. Itaque perſonis quæ non ſunt ſuſpectæ, quæ non quærant quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti, injungatur, ſi placet, cura eligendi qui Deo placeat, & finem tandem accipiat eccleſiæ tam diuturna & miſeranda vexatio. Reliqua vero dicenda committimus domino Herberto * abbati ſancti Stephani Divionenſis, & Archidiacono Lingonenſi, ſociiſque eorum. Adjicimus etiam, ut Archidiaconum Lingonenſem, & Bonum-amicum ejuſdem eccleſiæ presbyterum, quoniam fideles in cauſa Dei exſtiterunt, eos & res eorum in defenſione veſtra recipiatis. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Luc. 10. 7.

* de quo ad epiſt. 59.

Ad Ludovicum [a] Juniorem regem Francorum.

EPISTOLA CLXX.

An. CHR. MCXXXVIII.

Electionem Godefredi Prioris ſui in Epiſcopum Lingonenſem, cui Rex adverſari viſus eſt, vindicare nititur.

1. SI totus orbis adverſum me conjuraret, ut quippiam molirer adverſus regiam majeſtatem; ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro ubi legerim: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. 2. Sed nec me latet, quàm omni Chriſtiano, quàm meæ præcipue profeſſioni mentiri contrarium ſit. Veritatem dico, non mentior: quod Lingonis de Priore noſtro [b] factum eſt, præter ſpem, præter intentionem Epiſcoporum, & meam factum eſt. Sed eſt qui nolentium quodam

[a] Florum abſolute vocat Ordericus in lib. 11. pag. 813 Ludovicum-Florum non ſemel, item que in lib. 13. pag. 901 & 911. In priori hoc loco Ludovicus Groſſus Tedbaldum Bleſenſem atque Radulfum Paronenſem, *qui diſcordes erant, pacificaſſe, & filio ſuo Ludovico-Floro, quem ante triennium regem Remis conſtituerat, regnum Galliæ commiſiſſe* memoratur, & quidem anno 1135. In poſteriori loco ad annum 1137. idem Ludovicus, morti proximus, *Ludovicum-Florum, filium ſuum, Tedbaldi palatini Comitis, & Radulfi de Parrona comitum ſui tutelæ commiſiſſe.*

[b] Godefrido ſcilicet, Bernardi conſanguineo, cujus electio tandem rata fuit anno 1139. ut colligitur ex quodam inſtrumento apud Perardum pag. 134. ubi eccleſia S. Stephani Divionenſis ab eo conſecrata dicitur anno Chriſti 1141. *epiſcopatus ejus anno ſecundo.*

modo extorquet aſſenſum, & ſuo arbitrio etiam adverſas hominum voluntates, prout vult, ſubſervire compellit. Quando enim ego periculum, quod mihi timui, illi æque non metuerem, quem diligo tamquam meipſum? Quando ego illorum conſortium non horrerem, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere? Factum eſt tamen quod factum eſt: contra vos nihil, contra me plurimum. Mihi baculus imbecillitatis meæ ſublatus eſt, mihi lumen oculorum meorum ereptum eſt, mihi abſciſſum dextrum brachium meum. Omnia excelſa iſta & fluctus iſti ſuper me tranſierunt. In me tranſierunt iræ: mihi evadendi nulla ex parte patet via. Unde onera fugio, inde & ſubeo invitus & ingratus. Durum mihi ſentio contra ſtimulum calcitrare. Tolerabilius fortaſſe ſpontaneo, quàm nolenti & renuenti fuiſſet. Nam ſi quid virium in me eſt, nonne id facilius meis, quàm alienis humeris exercerem?

Godefridus quam Bernardo carus & neceſſarius.

2. Sed acquieſco aliter diſponenti, cum quo utique aut judicio, aut viribus contendere, nec cautum mihi omnino, nec poſſibile eſt, ſed nec Regi. Siquidem terribilis eſt etiam apud reges terræ. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, etiam tibi, ô Rex. O quàm moleſtis auribus audimus contraria tam bonis principiis veſtris! ô quam amarior Eccleſiæ mæror poſt tanta prælibata gaudia, ſi fruſtrari (quod abſit) contigerit tam jucunda ſpe ſingularis clypei ſui veſtræ indolis, ſicut hactenus eſt experta! Heu corruit virgo Remenſis eccleſia [a]; non eſt qui ſublevet eam: corruit & Lingonenſis; non eſt qui porrigat manum. Avertat divina clementia à corde & conſilio veſtro ſuper dolorem noſtrum adjicere, cumulare triſtitiam ſuper triſtitiam. Quis mihi tribuat mori, ne videam Regem bonæ opinionis, ſed ſpei melioris, conari Dei conſilio obviare, irritare adverſus ſemetipſum ſummi Judicis iram, pedes Patris orphanorum madefacere lacrymis afflictorum, pulſare cælos clamoribus pauperum, ſanctorum precibus, juſtiſque querimoniis cariſſimæ ſponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia Dei viventis? Abſit, abſit: meliora ſperamus, exſpectamus jucundiora. Non obliviſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Non contriſtabit per illum & de illo Eccleſiam ſuam, per quem & de quo in tantis jam lætificavit. Quem ſuo munere contulit, ſua longanimitate ſervabit: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc ipſum vobis revelabit, & erudiet corde in ſapientia. Hoc optamus, hoc oramus die ac nocte. Hoc ſentite de nobis, hoc ſentite de noſtris. Non infringetur veritas hæc in nobis, non imminuetur honor Regis, regni utilitas per nos.

Pſal. 75. 13.
Heb. 10. 31.

3. Gratias autem agimus veſtræ clementiæ pro benigno reſponſo, quod à veſtra dignatione meruimus. Verumtamen dilatio terret nos, qui videmus terram datam prædæ & direptioni. Terra veſtra eſt: & in hoc plane cognoſcimus & dolemus dedecus regni veſtri, quod vos jure abhorrere mandaſtis, ſi non fuerit qui defendat. Nam in quo alio regia majeſtas recte in en quod factum eſt, imminuta dicatur? Electio rite celebrata eſt, electus fidelis eſt. Non autem eſſet fidelis, ſi veſtra, & non per vos habere vellet. Necdum ad veſtra manum extendit, necdum civitatem veſtram ingreſſus eſt: necdum prorſus ſe intromiſit de aliquo, quamquam invitatio cleri & populi, & oppreſſorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementiſſime flagitarint. Quæ cum ita ſint, opus eſt, ut videtis, maturatione conſilii, non minus veſtro honori, quàm noſtræ neceſſitati. Et niſi per præſentes nuntios exſpectanti populo, qui veſter eſt, ſerenitas veſtra pro voto reſponderit; multorum religioſorum adverſum vos (quod non expedit) devota vobis nunc corda turbabitis, & regalibus veſtris ipſis, quæ ad Eccleſiam pertinent, non parvum (ut veremur) incommodum acquiretis.

Ad dominum Papam Innocentium.

EPISTOLA CLXXI.

Ann. CHR. MCXXXIX.
V. epiſt. 165.

Pro Falcone Lugdunenſi archiepiſcopo electo.

QUi in aliorum negotiis toties exauditus ſum, puto in proprio non confundar. Ego, domine mi, cauſam Archiepiſcopi mei meam duco, utpote membrum, quod nil à ſe ducat alienum quod capitis ſit. quod tamen non dicerem, ſi homo ipſe ſibi aſſumpſiſſet honorem, & non magis à Deo vocatus tamquam Aaron. Nec enim ab alio æſtimaverim factum, quod vota tot hominum tam facile convenerunt in eum: ut non dico contradictio, ſed nec cunctatio ulla fuerit. Et merito. Eſt quippe illuſtris, non minus mentis generoſitate, quam ſanguinis; eſt ſcientia, eſt vitæ honeſtate. Denique famæ ejus integritas nec inimici quidem dentem veretur. Quod ergo de tali & tali modo factum eſt, dignum profecto eſt, ut favor apoſtolicæ gratiæ proſequatur; & honoris plenitudine, quæ ſola deeſt, gaudia plebis ſuæ conſueta benignitate, immo debita liberalitate accumulet. Hoc univerſa Eccleſia inſtantiſſima ſupplicatione depoſcit: hoc puer veſter ſolita præſumptione efflagitat.

Ad Eumdem in perſona Godefridi Lingonenſis epiſcopi.

EPISTOLA CLXXII.

Ann. CHR. MCXXXIX.

Ejuſdem cum ſuperiore argumenti.

INter crebra mala quæ his diebus in eccleſiis videntur accidere occaſione electionum, Dominus de cælo proſpexit ſuper matrem noſtram Lugdunenſem eccleſiam, qui decedenti piæ memoriæ Petro archiepiſcopo, virum optimum, Falconem decanum, in omni pace ſubſtituit. Peto, domine, ut qui à ſuis concorditer eſt electus, utiliter promotus, rite conſecratus; à vobis honoris ſui officiique plenitudinem conſequatur. Quod utique audere me facit non meriti conſcientia, ſed debiti. Debiti dico, non ſolum quo id à me illa eccleſia jure metropolitico exigit, ſed quia in hoc poſitus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati.

Ad ipſum Falconem.

EPISTOLA CLXXIII.

Ann. CHR. MCXXXIX.

Religioſorum quorumdam cauſam commendat.

SCripſimus ad dominum Papam dominus Epiſcopus [a] & ego pro vobis, prout oportere putavimus: & habetis exemplar litterarum. Habemus autem in voluntate in æternum non deficere vobis pro viribus, propter bonum quod de vobis confidimus. Veſtra autem intereſt facere, ut non confundamur ſic confidentes. De cetero ſi inveni gratiam in oculis veſtris, intelligite ſuper egenos & pauperes illos, qui ſunt apud Benedictionem Dei [b]. Quod enim uni ex illis feceritis, mihi, immo Chriſto, facietis. Nam & pauperes ſunt, & habitant inter pauperes. Hoc precipue obſecramus, ut Saviniacenſes monachos prohibeatis ab infeſtatione eorum: quoniam calumniantur eos injuſte, ut

[a] nim. Godefridus Lingonenſis.

a Quippe poſt mortem Reginaldi archiepiſcopi, quæ contigit anno 1139 Idibus Januarii, Remenſis eccleſia fere per biennium paſtore viduata manſit, non tam clericorum eligentium diſſidio, quam civium tumultu pro communiæ (quam vocant) inſtitutione, & innato Ludovici VII odio in Theobaldum Campaniæ Comitem, quod partes in Comites viemaſque eccleſias ſe effudit, ex Marlotus in tomo 2 Metropolis Remenſis pag 328. Hac de re rurſus conqueritur Bernardus in epiſtola 318. Tandem Bernardo dignitatem recuſante, electus eſt anno 1140. Samſon, cujus electio aliquamdiu turbata fuit, ex epiſtola 222 Confer epiſtolas 210. & 224.

b Benedictio-Dei, *Benisſon-Dieu*, Ord. Ciſtercienſis, filia Claræ-vallis in diœceſi Lugdunenſi, fundata eſt anno 1138. Abbas primus Albericus. Ab ea non longe diſtat Saviniacenſe monaſterium, *Savigny*, Ord S. Benedicti, ejuſdem diœceſis cujus loci tum abbas Iterius, de quo Bernardus alibi queritur.

putamus. Aut ſi ſe confidunt habere juſtitiam, judicate inter illos. Filius noſter abbas Albericus, etſi ſuis meritis commendabilior, noſtris tamen precibus vobis ut commendatior ſit, obſecramus. Tenere quippe diligo eum, tamquam mater unicum filium: & diliget eum qui diligit me. Denique in eo experiar ſi me curatis. Quo enim longe à me poſitus eſt, eo magis neceſſariam habet paternam veſtram conſolationem.

Ad CANONICOS Lugdunenſes de Conceptione [a] S. Mariæ.

EPISTOLA CLXXIV.

Circ. ann. MCXL.

Conceptionis feſtum novum eſſe: nullo nisi legitimo fundamento: ceterum non fuiſſe inſtituendum inconſulta Sede apoſtolica, cui ſententiam ſuam ſubjicit.

1 INter eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem hactenus præeminuiſſe, ſicut dignitate Sedis, ſic honeſtis ſtudiis, & laudabilibus inſtitutis. Ubi etenim æque viguit diſciplinæ cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis inſigne? Præſertim in officiis eccleſiaſticis haud facile unquam repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, nec ſe aliquando juvenili paſſa eſt decolorari levitate eccleſia plena judicii. Unde miramur ſatis, quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus [b] doctiores, aut devotiores ſumus? Periculoſe præſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriiſſe.

Nova celebritas sine fundamento.

2. At valde honoranda eſt, inquis, Mater Domini. Bene admones: ſed honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora ſane integritatem carnis, vitæ ſanctitatem: mirare fœcunditatem in Virgine, Prolem venerare divinam. Extolle neſcientem vel in concipiendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, deſideratam Gentibus, Patriarchis, Prophetiſque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inventricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſeculorum: exalta denique exaltatam ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna. Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare. Ego vero quod ab illa accepi, ſecurus & teneo, & trado: quod non; ſcrupuloſius, fateor, admiſerim.

Mater Virgo falsis non eget honoribus.

[illegible]

3. Accepi ſane ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione recolendum, quo aſſumpta de ſeculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtivum atque ſanctum; firmiſſime cum Eccleſia ſentiens, in utero eam accepiſſe ut ſancta prodiret. Et de Jeremia ſiquidem lego, quod, priuſquàm de ventre *exiret, ſanctificatus ſit: & de Johanne Baptiſta non ſecus ſentio, qui ex utero Dominum in utero ſenſit. Videris etiam tu, an de ſancto David idipſum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: *In te*, ait, *confirmatus ſum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.* item, *De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.* Et Jeremiæ quidem ſic dictum eſt: *Priuſquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, ſanctificavi te.* Quàm pulcre inter figurationem in utero, & parturitionem ex utero divinum diſtinxit oraculum! ut illam tantum præcognitam, iſtam & ſanctitatis munere prærornatam oſtenderet: ne quis Prophetæ prærogativam de ſola præſcientia ſeu prædeſtinatione putaverit æſtimandam.

Assumptionis & Nativitatis B. Mariæ festa recepta. *Jerem. 1. 5.* **al. vulva.* *Luc. 1. 41.* *Psal. 70. 6.* *Psal. 21. 11.* *Jerem. 1. 5.* *Jeremiæ & Johannis ſanctificatio in utero.*

4. Eſto tamen ut hoc de Jeremia concedamus. Quid reſpondebitur de Johanne Baptiſta, quem Angelus prænuntiavit Spiritu-ſancto repletum iri adhuc in utero matris ſuæ? Prorſus hoc ad prædeſtinationem præſcientiamve referri poſſe non arbitror. Verba nempe Angeli, ſicut ipſe prædixit, completa abſque dubio ſunt in tempore ſuo: & quem prælocutus eſt Spiritu-ſancto replendum, non eſt fas credere non repletum; idque loco & tempore quo prædixit. Certiſſime autem ſanctus Spiritus quem replevit, ſanctificavit. Ceterum quatenus adverſus originale peccatum hæc ipſa ſanctificatio valuerit, ſive pro iſto, ſive pro illo Propheta, vel ſi quis alius ſimili præventus gratia fuerit; non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus ſanctificavit, & cum eadem ſanctificatione prodiiſſe ex utero, quam acceperunt in utero: nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuiſſe ullatenus horum natali jam donatam præpedire ſeu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu-ſancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ; &, ſi mori in utero contigiſſet cum hac plenitudine ſpiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum eſt. Minime tamen auſim hinc quippiam mea ſententia diffinire. Sed quicquid de hoc ſit, merito Eccleſia, quæ ceterorum non nativitatem, ſed mortem Sanctorum judicat & prædicat pretioſam; ſingulari quadam exceptione feſtis præfert gaudiis, veneraturque illius natalem, de quo nuntiante Angelo ſingulariter legit: *Et multi in nativitate ejus gaudebunt.* Cur enim non ſit illius exitus ſanctus, ac proinde feſtivus & lætus, qui potuit exſultare & in utero?

Luc. 1. 15. *Luc. 1. 14.*

5. Quod itaque vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certe non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit proculdubio & Mater Domini ante ſancta, quàm nata: nec fallitur omnino ſancta Eccleſia, ſanctum reputans ipſum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exſultatione univerſæ terræ votiva celebritate ſuſcipiens. Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem. quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam virginum ſingularis privilegio ſanctitatis, abſque omni peccato ducere vitam: quæ dum peccati mortiſque pareret peremptorem, munus vitæ & juſtitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immenſa prodiens ex utero ſanctitas ſanctum fecit illum.

Mariæ Nativitas ſancta. *Peccati actualis expers.*

6. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præivit partum: quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet qui honoratur. Quid ſi alius, propter eamdem cauſam, etiam utrique parenti ejus feſtos honores aſſerat deferendos? Sed de avis & proavis idipſum poſſet pari ſimili cauſa quilibet flagitare: & ſic tenderetur in infinitum, & feſtorum non eſſet numerus. Patriæ eſt, non exſilii frequentia hæc gaudiorum: & numeroſitas feſtivitatum cives decet, non exſules. Sed profertur ſcriptum [c] ſupernæ (ut aiunt) revelationis. quaſi & quivis non queat ſcriptum æque producere, in quo Virgo videatur idipſum mandare & de parentibus ſuis, juxta Domini mandatum, dicentis: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ipſe mihi facile perſuadeo ſcriptis talibus non moveri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas. Nam quid conſequentiæ habet, ut quoniam ſanctum præceſſit natalem conceptus, propterea reputetur & ipſe ſanctus? Numquid quoniam præceſſit eum, fecit & ſanctum? Etſi præceſſit ut eſſet, non tamen ut ſanctus eſſet. Unde etenim illa ipſi ſanctitas, quam ſecuturo tranſmitteret? Annon potius quia præceſſit

Rationes colendæ Conceptionis refellit. *c Revelationibus quantum tribuit Bern.* *Exod. 20. 12.*

a De origine hujus feſti vide novas noſtras prolixiores Notas. Potho presbyter & monachus Prumienſis, Bernardi æqualis, ejuſdem feſti inſtitutionem eiſdem improbavit, ex iiſdem Notis.

b Eadem verba habet Potho in lib. 3. de Statu domus Dei.

c Hujuſmodi ſcriptum Elſino abbati Anglo tribuitur apud Anſelmum pag. 505. & 507. novæ editionis.

abſque ſanctitate conceptus, oporteit nimirum ſanctificari conceptam, ut ſanctus ſequeretur jam partus? an forte mutuatus eſt ſanctitatem à poſteriori prior? Potuit ſane illa, quæ in jam concepta facta eſt ſanctificatio, ad ipſum qui ſequebatur tranſire natalem: redire vero retrorſum ad conceptum qui præceſſerat, jam omnino non potuit.

7. Unde ergo conceptionis ſanctitas? An dicitur ſanctificatione præventa, quatenus jam ſancta conciperetur, ac per hoc ſanctus fuerit & conceptus: quemadmodum ſanctificata jam in utero dicitur, ut ſanctus conſequeretur & ortus? Sed non valuit ante ſancta eſſe, quam eſſe: ſiquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales ſanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit, ut ſimul & ſanctificata fuerit, & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut ſanctitas abſque Spiritu ſanctificante, aut ſancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido [a] non defuit? Niſi forte quis dicat de Spiritu-ſancto eam, & non de viro conceptam fuiſſe, ſed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum-ſanctum in eam, non cum ea veniſſe, dicente Angelo: *Spiritus-ſanctus ſupervenict in te.* (Luc. 1. 35.) Et ſi licet loqui quod Eccleſia ſentit, & verum ipſa ſentit: dico glorioſam de Spiritu-ſancto concepiſſe, non autem & conceptam fuiſſe: dico peperiſſe virginem, non tamen & partam à virgine. Alioquin ubi erit prærogativa Matris Domini, qua ſingulariter creditur exſultare & munere prolis, & integritate carnis, ſi tantumdem dederis & matri ipſius? Non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori detrahere. Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari minime potuit, quoniam non erat; ſed nec in ipſo quidem conceptu, propter peccatum quod inerat: reſtat ut poſt conceptum in utero jam exſiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem.

8. Quamobrem etſi quibus vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci; non tamen & concipi: ut uni ſane ſervaretur ſancti prærogativa conceptus, qui omnes ſanctificaret, ſoluſque abſque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. (Cõceptionis ſanctitas ſoli Chriſto reſervata.) Solus itaque Dominus Jeſus de Spiritu-ſancto conceptus, quia ſolus & ante conceptum ſanctus. Quo excepto, de cetero univerſos reſpicit ex Adam natos, quod unus humiliter de ſemetipſo ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus*, inquiens, *conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* (Pſal. 50. 6)

9. Cum hæc ita ſe habeant, quænam jam erit feſtivæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut ſanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu-ſancto non eſt, ne dicam de peccato eſt: aut feſtus habebitur, qui minime ſanctus eſt? Libenter glorioſa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur ſanctitas. (Novitas ſuſpecta.) Alioquin nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis. Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat prius apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. (Nova feſta non temere & inconſulta Sede Apoſt. inſtituenda) Et ante quidem apud aliquos errorem compereram: ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ de ſimplici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud ſapientes, atque in famoſa nobilique eccleſia, & cujus ſpecialiter filius [b] ſum, ſuperſtitione deprehenſa; neſcio an ſine gravi offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim. Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut & cetera quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.

Ad PATRIARCHAM [c] Jeroſolymorum.

EPISTOLA CLXXV.

Præventus ejus litteris familiariter reſpondet, & Milites Templi commendat.

PAtriarchalibus ſcriptis ſæpius viſitatus, ingratus jam videbor, ſi non reſcripſero. At ſi ſaluto eum qui me ſalutavit, quid amplius feci? Tu enim me prævenisti in benedictionibus dulcedinis; tu me prior dignatus es tuis tranſmarinis epiſtolis viſitare; tu mihi primas humilitatis caritatiſque præripuiſti partes. Quid condignum jam referam? Nihil mihi denique reliquiſti, quod pari queam rependere vice: qui etiam de theſauro ſæculorum mihi impertire curaſti, id eſt de ligno [d] Domini. Quid tamen? debeone omittere quod poſſum, quoniam quod debeo minime poſſum? Affectum ſaltem voluntatemque aperio, reſcribendo dumtaxat atque reſalutando, quod ſolum interim per tot utique ſpatia terræ & maris licet. Oſtendam autem, ſi umquam accepero tempus, me nequaquam diligere verbo ſive lingua, ſed opere & veritate. Super Milites Templi ponite quæſo oculos veſtros, & tantæ pietatis viſcera tam ſtrenuis Eccleſiæ propugnatoribus aperite. Hoc ſiquidem acceptum erit Deo & gratum hominibus, ſi fovetis eos, qui ſuas animas pro fratribus poſuerunt. De loco autem ad quem nos invitatis, frater Andreas [e] dicet vobis voluntatem noſtram.

Ad dominum Papam Innocentium, ex perſona Alberonis [f] Treverenſis archiepiſcopi.

EPISTOLA CLXXVI.

Suum erga Innocentium, citramontanæque Eccleſiæ ſtudium & obedientiam declarat.

1. VOluntas cordis mei & deſiderium ſatis inquietum adeundi & videndi deſideratam beatitudinis veſtræ præſentiam; ſed & cognoſcendi certius quæ circa vos ſunt, rurſumque qualiter ſe habeant noſtra vobis viciſſim diligentius intimandi; jamdudum itineris me admonet, atque indeſinenter ſollicitat. Ceterum terræ ac diei malitia, & præter inſtantiam meam quotidianam etiam nonnulla veſtræ neceſſitatis cauſa impeditus, voto facere ſatis non potui uſque adhuc, ſed necdum poſſum. Sed quid? ſanum juſtumque propoſitum numquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto adimpleri non potuit? Fuit ergo conſilii, per hunc venerabilem Hugonem *, Tullenſis eccleſiæ archidiaconem, interim ſaltem aliquatenus conſolari conceptum jam olim deſiderium, curamque relevare quam patior. Nec enim fidelior, ſtudioſior, cautiorve illo

a Similia habet, ſed univerſim dicta, ſanctus Odo abbas Cluniacenſis in Collationum lib. 2 cap. 24.

b Lugdunenſis nempe eccleſia Bernardi mater *metropolis jure*, ut ipſe loquitur in epiſtola 172 quippe Fontanæ, natalis ejus locus prope Divionem, & monaſterii ſedes Claræ-vallis, erant ſub metropoli Lugdunenſi, diœceſis Lingonenſis.

c Is eſt VVillelmus Gallo Belga, ex eremita Turonenſi patriarcha Jeroſolymitanus ab anno 1130 ad annum 1145. De eo in hiſtoria beatæ Mariæ de Fontanis tomo 10. Spicilegii pag. 369. ubi mentio de reliquiis ab eo miſſis Fontanas per Lambertum ejus loci eremitam. Ordericus etiam ſub finem libri 13. de eo ita habet. *Anno ab Inc. Domini 1128. Indict. VI. Gormundus patriarcha Jeruſalem obiit. Stephanus autem Carnotenſis poſt illum ſanctam Sion duobus annis rexit quo migrante Guillelmus Flandrenſis ſucceſſit.* Idem auctor ad annum 1137. pag. 912 memorat Radulfum *Jeroſolymorum præſulem*, qui a Papebrochio in Tractatu præliminari tomi 3. Maii omiſſus eſt. Et ſane teſte Guillelmo Tyrenſi, VVillelmus anno 1142. Balduinum regem tumolavit, idemque anno 1145 Fulcherium habuit ſucceſſorem An binominis VVillelmus? an hic Orderici lapſus? Ad VVillelmum item exſtat inferius epiſtola 393.

d Eadem ligni Dominici particula inſignis etiam nunc viſitur in theſauro Claræ-vallenſi.

e Num Andreas Bernardi avunculus, miles Templi, ad quem epiſtola 288. an potius Andreas Bernardi frater, monachus Claræ-vallenſis, idemne qui in epiſtola 284. ous Andreas de Baldemento, in epiſtola 226. num. 2. Locus hic indicatus neſcio an is ſit, quem Bernardus Præmonſtratenſibus conceſſit, ex epiſtola 252.

f Is ex primicerio Metenſi, ad quem epiſtola 30 archiepiſcopus Treverenſis, cui Hugo Metellus inſcribit epiſtolam 6 *Alberoni venerabili Trevirorum epiſcopo. Legatio beati Petri tibi commiſſa eſt, quæ aliquid dignitatis & poteſtatis addit tibi.* Eumdem in epiſtola 30. *Treverorum Archangelum* vocat.

ad manum [illegible] potuit ſive in per[illegible]rendo ad vos quæ nos illi injun[illegible], ſive in [illegible] ndo ad nos, ſi qua veſtræ dignat[illegible] ſcire. Itaque de beneplacito veſ[illegible] curiæ, ac veſtræ ſoſpitate perſonæ, & ſi q[illegible] aura ſecundior à divina clementia re[illegible] Eccleſiæ, adverſus ſchiſmatico[illegible], ſed ineſficacem rabiem deſudanti; de [illegible] plenius inſtrui cupimus, & ſupplicamus. [illegible] noſtram citramontanam Eccleſiam tam in [illegible] quàm in Francorum regno noveritis fortem [illegible] Catholicam in unitate, devotam in veſtra obe[illegible] promptam ad ſervitium. Nequaquam nos Be[illegible] non Capuæ *, non ipſius Romæ terret, Deo [illegible] ante, auſſio; ſcientes Eccleſiæ ſtatum non ar[illegible] ari, ſed meritis. Ipſius quippe, non alterius agnoſcimus voces illas in Pſalmo: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Propterea & nos quia de Eccleſia ſumus, non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Glorietur tyrannus Siculus * quantum vult, glorietur in malitia quod potens eſt in iniquitate: noſtra autem virtus in infirmitate perficitur. Eccleſia quando infirmatur, Pauli magiſterio didicit eſſe potentior. Didicit e regione & à Salomone, quod proſperitas ſtultorum occidit eos: didicit & ſtultum firma radice cum viderit, ſtatim maledicere pulcritudini ejus. Ideo cum ſancto David ſeſe in utroque conſolatur, & hoſtium videlicet caſu, & liberatione ſui. ait ſiquidem, *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.* Hæc pauca vobis conſolandi gratia, de quibus certus fui, fideli atteſtatione intimanda eſſe putavi, ad relevandam vel ex aliqua parte eam, quæ veſtra viſcera inceſſanter affligit, ſollicitudo omnium eccleſiarum. Hoc quoque addo, dominum Regem *, Deo eum confortante, fervere & accingi ad liberationem Eccleſiæ, & parare ſibi exercitum multum nimis: nos quoque fideliter ad hoc ipſum pro viribus laborare, exhortari, & ſollicitare quos poſſumus: & cum tempus advenerit, non expenſis, non perſonæ propriæ parciturum.

Ad EUMDEM in perſona ejuſdem.

EPISTOLA CLXXVII.

Ann. CHR. MCXXXI.

Queritur impoſitum ſibi paſtorale munus; ſed in exſequendis quæ ſui ſunt muneris, impediri æmulatione aliorum, non ſine ipſius culpa Pontificis.

1. NUmquid petivi epiſcopatum à Domino meo? Et ſi forte cathedram affectavi, ſed non Treverenſem. Sciebam quippe domum exaſperantem, populumque duræ cervicis. Oderam illos, quod ſemper in fæce diſcordiæ jacuiſſent, Eccleſiæ reſiſtentes. Pro qua ſi quos labores quandoque ſuſtinui, non me piget: ſed hunc inde fructum nec ſperavi, nec volui. Laboravi ſuſtinens, libens quidem, ſed non hac ſpe præmii. Duram provinciam nactus ſum, peccatis meis exigentibus. Inter cetera quibus angor, Suffraganeos [a] accepi juvenes & nobiles. Adjutores eſſe deberent, & utinam non adverſarentur. Sed ſuperſedeo: per alium malo, ut innoteſcant vobis mores eorum & ſtudia, ſi neſcitis. Dico tamen: Jus, fas, honeſtas, religio in noſtris epiſcopatibus perierunt. Malum quod pro debito officii diſſimulare non audeo, breviter ſimpliciterque intimavi: ut quod non placet providentiæ veſtræ per me corrigi, per me ſaltem vobis, qui corrigere poteſtis, innoteſcat, ne omnino vacuum videar portare nomen Archiepiſcopi. Et mihi melius quidem eſſet non aſcendiſſe, quàm ſic deſcendere cum rubore.

2. Sed de me quæ cura? Bene quod dignus ſum, patiar, tamquam male operans. Sint certe opprobrio etiam meis, ſua ſpe nimirum fruſtratis, quam de me, ut ſibi me præeſſe vellent, conceperant: dum comperiant eccleſiæ ſuæ per me magis imminui dignitatem, cujus per me etiam antiqua damna reſtitui poſſe putaverant. Hæc omnia ſuſtineo, etſi non libenter, certe patienter, ne umquam videar recalcitrare obedientiæ, pro qua etiam dare animam, ſi neceſſe ſit, debere me fateor. Verum hoc ſollicitudinem veſtram attendere velim, creationis injuriam reſpicere ad creantem; & vires quas mihi ſubtrahitis, vobis minuitis; & contemptus meus, & dejectio mea redundat in vos. Multa habeo conqueri vobis de vobis: ſed reſervo ea pandenda nuntio, quem novi ad hoc ſatis induſtrium & fidelem. Significo etiam vobis ſuſtinere nos periculum in falſis fratribus. Legati quippe ſchiſmaticorum intrant & exeunt ad quoſdam de noſtris liberius quam ſolebant, & verba tyranni Siculi familiariter admittuntur.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM pro Alberone Treverenſi archiepiſcopo.

EPISTOLA CLXXVIII.

Ann. CHR. MCXXXI. ex incerto.

Queritur perverſos quoſdam & Eccleſiæ pernicioſos homines in exſequendis pravis conſiliis pontificia auctoritate muniri: alios interim Præſules, zelum Dei habentes, deſtitui, & contemni.

Amantiſſimo Patri & domino INNOCENTIO ſummo Pontifici, ſuus Bernardus quod ſuus.

1. FIdenter loquor, quia fideliter amo. Nec enim ſincerus eſt amor, ubi dubietatis ſcrupulus ſuſpicionis fæcem retinet. Querimonia domini Treverenſis non eſt ejus ſolius, ſed communis multorum, eorumque præcipue, qui ſinceriori affectu vos diligunt. Vox una omnium, qui fideli apud nos cura populis præſunt, juſtitiam in Eccleſia deperire, annullari Eccleſiæ claves, epiſcopalem omnino vileſcere auctoritatem, dum nemo Epiſcoporum in promptu habeat ulciſci injurias Dei, nulli liceat illicita quævis, ne in propria quidem parochia [b], caſtigare. Cauſam referunt in vos, curiamque Romanam. Recte geſta ab ipſis (ut aiunt) deſtruitis, juſte deſtructa ſtatuitis. Quique flagitioſi & contentioſi de populo, ſive de clero, aut etiam ex monaſteriis pulſati, currunt ad vos: redeuntes jactant & geſtiunt ſe obtinuiſſe tutores, quos magis ultores ſenſiſſe debuerant. An non gladius Phinees promptiſſime atque juſtiſſime eductus fuerat ad condemnandum inceſtuoſum concubitum Drogonis & Milis? Sed confuſus atque retuſus abiit retrorſum, ſcuto nimirum apoſtolicæ defenſionis oppoſito. Prô pudor! quos cachinnos res iſta movit & movet Eccleſiæ inimicis, eiſque etiam ipſis, quorum fortaſſe metu aut favore à recto tramite abducti ſumus. Amici confunduntur, fidelibus inſultatur, Epiſcopi ubique in opprobrium veniunt & contemptum: quorum dum recta judicia contemnuntur, veſtræ quoque plurimum derogatur auctoritati.

Querela de abuſu appellationum.

2. Ipſi ſunt enim qui honorem veſtrum zelant, qui veſtra pro pace & exaltatione laborant fideliter quidem, ſed vereor ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? quid robur veſtrum deprimitis? quouſque retunditis arma fidelia militantia vobis, humiliatis cornua erecta veſtræ virtutis & ſalutis? Plorans plorat deſolationem ſuam apud Tullum Eccleſia ſancti Gengulfi *; nec eſt qui conſoletur eam. Quis enim ſe opponat brachio excelſo, torrentis impetui, ſummæ ar-

Eccleſiæ Tullenſis & Virdun querelæ
* V. epiſt. 119.

a Stephanum ſcilicet Metenſem, Calliſti Papæ II. ex ſorore nepotem, ab anno 1120. Alberonem Virdunenſem, filium Arnulfi Comitis Chiſnenſis, ab anno 1126. & Henricum Tullenſem, Theoderici Lotharingiæ Ducis filium, ab anno 1124. de quibus tamen multa laudabilia prædicantur. De Stephano vide Chronicon Metenſium Epiſcoporum in Spicilegii tomo 6. de Alberone tomum 12. ubi uterque tamen bellis gerendis nimis deditus perhibetur. Alberonis querelæ explicantur in epiſtola ſequente.

b Parochiæ nomine (quod omnibus notum) intelligebant veteres diœceſim epiſcopi. In frequentem etiam uſum ſeu abuſum appellationum Hildebertus Cenomanenſis antiſtes epiſtolam 82. ſcripſit ad Honorium II. Vide lib. 3. de Conſideratione cap. 2. & hic Horſtii Notas.

bitrio poteſtatis? Eamdem ſe ſuſtinere beatus Paulus A violentiam apud Virdunum [a] conqueritur, Archiepiſcopo jam non valente eum defendere ab inſania monachorum, quippe apoſtolicis ſuſtentationibus amplius confortata, quaſi non ſatis per ſe inſanirent. Quid quæſo novæ rationis tandem inventum eſt, ut quod ſemel bonæ famæ & vitæ Canonicis veſtra fuerat provida & neceſſaria diſpenſatione conceſſum, ſecundo confirmatum, tertio (ut aiunt) roboratum, rurſum veniat in jus, revocetur in diſcuſſionem? ſiquidem & duo illa ſupra memorata, per vos nihilominus ſancita, per vos & convulſa dicuntur. Talibus hoſtiis non promeretur Deus, heu! non placatur ira, non conciliatur gratia, non provocatur miſericordia. Pro his atque ſimilibus B necdum avertitur furor Domini, ſed adhuc brachium ejus extentum, & virga illa apud Jeremiam vigilans ſuper peccata noſtra.

Eccleſiæ Metenſis & Tul.[illegible] pe[illegible]lū

** al. nobis.*

3. Et quidem iratus eſt Deus ſchiſmaticis: ſed catholicis nequaquam propitius. Eccleſia quoque Metenſis gravi (quod vobis [*] bene compertum eſt) Epiſcopi & clericorum contentione periclitatur. Super quo quid decernere vobis placuerit, vos ſcitis: ſed pax nondum eſt, nec proxime futura ſperatur. Ego (ut quod ſuper his meæ viſum eſt parvitati non taceam) & hoc, & duo illa alia, Tullenſe dico ac Virdunenſe, terminanda negotia ſecurius Metropolitano, atque convenientius poſſe committi putaverim, qui & omnia novit, & in C multis probatus, Eccleſiæ teſtimonio fidelis inventus eſt. Alioquin videte quid illis epiſcopatibus [*] faciatis, Metenſi ſcilicet atque Tullenſi: quia, ut verum fatear, videntur eſſe abſque Epiſcopis. & utinam abſque tyrannis. Tales cum defenſantur, ſuſtentantur, honorantur, foventur; mirantur nimirum & ſcandalizantur multi, qui illa in moribus & vita eorum certiſſime ſciunt, quæ magis eſſent, non dico in epiſcopis, ſed etiam in quibuslibet ſæcularibus damnanda penitus & exſecranda. quæ quidem & me ſcribere pudet, nec vos decuiſſet audire. Eſto quod nemine accuſante non poſſint deponi: numquid tamen quos paſſim accuſat fama, apoſtolicæ Sedis eſſent familiaritate ſpeciali donandi, vel D amplius exaltandi?

Per Metropolitanum ſuffraganeorum cauſæ decidendæ.

** V. Notas.*

4. Quonam enim merito ſuæ vel ſacerdotalis ſanctitatis, vel epiſcopalis honeſtatis, obtinuit Metenſis, ut & electio facta à Canonicis, ad nutum ejus una cum eccleſiæ libertate caſſetur, & Primicerius ad conſilium ejus contra illius eccleſiæ privilegia eligatur? Quam juſtius honeſtiuſque, ſi veſtræ placuiſſet diſcretioni, homo majori dignus honore, debito proprioque non privaretur? Treverenſem dico, quem & ab hoc, & à ceteris diœceſis ſuæ terminandis negotiis, quaſi ſuſpectum aut minus expertum, non ſine murmure multorum Deum timentium excluſiſtis. Credite fideli veſtro, quia provinciæ illi, quantum comperi, omnino E non expedit.

5. Hæc ſcribens, præſumptionis metuerem notam, ſi neſcirem cui, & neſcirer qui ſcribam. Sed novi ingenitam manſuetudinem veſtram: novi & me notum vobis, & affectum quo hæc audeam apud vos, dulciſſime atque amantiſſime Pater. Iterum de Treverenſi, ut ſciatis, qualiter nuntium ejus ſuſcipi oporteat, & verba quæ portat: dico vobis quod magnum locum tenet in regno illo, vobis & Eccleſiæ Dei homo fidelis, & conſtans, & nullatenus malevolis & ſubverſoribus aſſenſum præbens, à quibus non deeſt ei frequens & ſatis importuna tentatio; nec deerit inſultatio, ſi quo minus à vobis eum exaudiri contigerit. Nuntium in fine F commendare volui: ſed ſatis eum ſuæ honeſtatis commendant merita, præcipueque amor ſpecialis & fidelis devotio, qua ipſum vobis firmiter inhærere, ſi non crederem, nequaquam per eum tam familiaria ſcriberem.

Ad EUMDEM pro eodem.

EPISTOLA CLXXIX.

ANN. CHR. MCXXXIX.

Cauſam Alberonis archiepiſcopi Trevirenſis agit adverſum Abbatem S. Maximini & monachos rebelles & contumaces.

QUomodo malitia vincit ſapientiam? Noſti, pie domine, noſti Treverenſem Archiepiſcopum? ſcio quia noſti. Noſti & illum ſancti Maximini non ſanctum Abbatem? puto quia non noſti. Quis dignior honore illo priori? ſic nemo confuſione dignior iſto B ſequenti. & tamen iſte honoratus eſt, ille opprobrio datus. Quid peccavit Archiepiſcopus? Prædam eccleſiæ ſuæ recuperavit, captivam eccleſiam de manu laica [b] liberavit. Numquid pro bono redditur malum, & odium pro dilectione? Hic, quæſo, hic evigilet oculus pietatis, & ſemotis pauliſper occupationibus conſideret, quantum ſubreptum ſit ei, ut talis, qualem pudet dicere, talem qualem tu ipſe noſti, faciat opprobrium vicinis ſuis, inimicis tuis. Piiſſime Pater, affectus filialis loquitur. Huc uſque condoluimus miſero & miſerabili Archiepiſcopo. Verum ex hoc jam ſi non fuerit emendatum, dolor cordis noſtri & compaſſio ex intimis medullis, tota tranſibit ad illum, per quem C potuit emendari. Sunt & aliæ læſiones præfati viri, quas cum ei alleviaveritis, vobis proculdubio laborabitis. Quicquid dulciſſimi domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat.

Ad EUMDEM pro eodem.

EPISTOLA CLXXX.

ANN. CHR. MCXXXVI.

Iterum commendat Pontifici negotium Archiepiſcopi Trevirenſis, ut ſententiam, ſubreptitie obtentam, prævia meliore cauſa cognitione, revocet.

D ITerum ſupplicatio, iterum preces, & decies repetitæ non deſinent. Non deſiſtimus, quia non diffidimus. Bonam cauſam habemus, & æquum judicem, qui non cunctabitur evacuare quod ſubreptum eſt, cum apparebit quod verum eſt; nec poterit inde ridere, qui voluit irridere: ſed, ut ſcriptum eſt, *mentita eſt iniquitas ſibi*. HOC SOLET habere præcipuum apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præſertim apud ſanctam & ſummam Sedem. Hæc ſciens puer veſter ſecure ſupplicat pro Treverenſi, & ſic inſtat non quaſi in incertum. Ego quippe, ego hominis illius novi merita, cauſam, E intentionem. Propter quod horum eum volunt monachi lapidare? Quia male meruit? ſed fideliter adſtitit, & multum ſervivit. Ob cauſæ injuſtitiam? ſed injuſtum nemo, niſi injuſtus, cauſabitur. Quod de manu laica vindicavit? immo recuperavit ſedi epiſcopali monaſterium, tamquam clavam de manu Herculis extorquens in manu fortiori. Ob pravitatem intentionis? ſed pium eſt reformare religionem in monaſterio: quod ille intendit. Adſit Dominus cordi domini mei, ne iterum poſſit ei ſubripi à monachis, non tam (ut ſimulant) appetentibus libertatem, quàm fugitantibus diſciplinam.

Pſal. 26. 12.

Apoſtolicæ Sedis proprium decreta apoſtolica ſubreptitia revocare.

a Quid contulerit epiſcopus ipſe Adalbero in reformando S. Pauli monaſterio, tunc Ord. S. Benedicti, docet ejus epiſtola ad Inn[illegible]centium II in Spi[illegible]legii tomo 12 pag. 320. ubi ait, VVal-f[illegible]m præd[illegible]ceſſorem ſuum, ſæculo 2 clericis apud S. Paulum Virdun ſubſtituiſſe monachos, quos tandem prolapſos emendare non valuerit, nec ad hoc monachos ex Cluniacenſi monaſterio obtinere. Confer alias Notas.

b Nimirum monaſterium S. Maximini Ord. S. Benedicti inſigne apud Treviros ex manibus Henrici Comitis Lucilburgenſis, qui illud ſibi Advocati jure vexabat, ex aliis Notis. De eodem in epiſtola ſequente & in epiſt. 323.

A

Ad Haimericum cancellarium.

EPISTOLA CLXXXI.

Ann MCXXXVI.

Profitetur ſe beneficiis imparem, nonniſi voluntatis affectu gratum eſſe poſſe.

SI verbis contendere velim ad beneficia quibus me obruitis, idem erit ac ſi imperitus ſagittis, feſtucis dimicem: niſi quod hoc jocus videbitur, illud dolus. Facta factis compenſari oportet. Verum id quidem multum eſt ad me. Nam unde ſufficerem pauper & mo- B dicus? ſed rebus pauper & viribus, non voluntate. Æquabo ergo beneficia votis, quæ factis non poſſum. Deſideriis dives ſum, affectibus abundo. Et certe verus beneficus amplius non requirit. Nam quomodo beneficus, qui non & benevolus ſit? Porro benevolus nil ſibi carius ipſa æſtimat benevolentia, qua & benevolus nominatur, & beneficus eſt. Denique benevolentia fructus eſt beneficii. niſi quis forte beneficium putet quod in ſpe ſeverit, aut timore dimiſerit. Sed quis non videat hoc relictum, illud venditum, neutrum datum? Oportet autem beneficium, ut vere ſit, eſſe gratuitum. Danti itaque rependi quicquam gratius ab acci- C piente non poteſt, quàm ſi gratum habuerit, quod gratis accepit. Et hæc benevolentia creatur de benevolentia dantis in animo accipientis, beneficio quidem interveniente. Hac me fateor locupletem: hanc de corde pleno dignam profecto offero remunerationem meo benefactori: hanc devotus immolo ſacrificium laudis factori omnium pro ſalute mei benefactoris.

Ad Henricum [a] Senonenſem archiepiſcopum.

EPISTOLA CLXXXII.

Ann MCXXXVI.

Hunc acriter perſtringit, utpote durum, ut qui archidiaconum non recte depoſuiſſet; & ad æqua poſtulata ac pacis conſilia difficilem.

PRo multis viſus ſum multoties ſcribere, fateor, propter vos, & ſtatueram non facere ob veſtram odibilem duritiam: ſed caritas prævalebit. Volo vobis amicos veſtros retinere, & non dignamini: volo reconciliare inimicos, & non patimini. Non vultis habere pacem: manibus ac pedibus accerſitis veſtram conturbationem, ſed confuſionem, ſed depoſitionem [b]. Multiplicatis vobis accuſatores: defenſores ſubtrahitis. Excitatis iterum in vos olim ſopita diſcrimina, provocatis adverſarios, patronos offenditis. E Ubique apud vos pro ratione voluntas; totum pro imperio, nihil ex timore Dei. Qui de vobis non rident inimici, non conqueruntur amici? Quomodo deveſtiſtis hominem, non dico judicio non convictum, ſed nec verbo conventum? Quantos hoc verbum ſcandalizabit? quot ora ad ſubſannandum, quot corda ad ſuccencendum movebit? Itane putatis periiſſe juſtitiam de toto orbe, ſicut de veſtro corde, ut homo ſic ablatum perdat archidiaconatum? Sed vos forſitan plus amatis reddere, & perdere, quàm gratiam de beneficio retinere. Nolite quæſo, nolite facere hanc rem: quam qui F audierint, omnes mirabuntur, nemo laudabit. Hæc vobis mordacius audaciuſque quàm velletis audire, ſcripſi: ſed non ad inſipientiam vobis, ſi velletis corrigere.

Ad Conradum regem Romanorum.

EPISTOLA CLXXXIII.

Ann CHR MCXXXIX.

Reverentiam Sedis apoſtolicæ eidem commendat.

SCripta veſtra & ſalutationes tam devotus ſuſcipio, quam modicus ſum ad illa. Modicus dixerim dignitate, ſed non devotione. Querimoniæ [c] Regis noſtræ ſunt, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de invaſione Imperii. Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui: volentes odit anima mea. Legi quippe, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* &, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire, in exhibenda reverentia ſummæ & apoſtolicæ Sedi, & beati Petri Vicario [d], ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari imperio. Sunt quæ non putavi ſcribenda: præſens ea fortaſſis opportunius intimarem.

Rom 13. 1. Ibidem.

Ad dominum Papam Innocentium.

EPISTOLA CLXXXIV.

Ann CHR MCXL.

Non poſſe mitti quos Pontifex petierat monachos.

FRatrem Andream [e] lætum incolumemque ſuſcepimus*, & læta nuntiantem de veſtra incolumitate & gloria, de pace & proſperitate Eccleſiæ, de curiæ ſtatu florente & valente, poſtremo de gratia & benevolentia, quæ nobis apud vos perſeverat. Bene ſua miſericordia Deus dignatus eſt facere nobiſcum: facti ſumus lætantes. Verum quod vobis de mittendis ad vos Fratribus placet, difficile adimplebitur, præſertim cum non ſit copia perſonarum quæ eſſe ſolebat. Siquidem præter illos qui bini, aut terni* ad diverſa deſtinati ſunt D loca; tria [f] ex eis nova monaſteria, ex quo à vobis diſceſſimus, integre ordinata ſunt; & adhuc reſtant alia proxime ordinanda. Curamus tamen undecumque evocare, quos vobis [g] mittamus; cupientes per omnia veſtris obedire mandatis.

* al. recepimus.

* al. trini.

Ad Eustachium occupatorem Valentinæ ſedis *.

EPISTOLA CLXXXV.

* Valence. Galliæ ſcil Narbon. alia nempe eſt in Hiſpania

Ann CHR MCXXXVIII.

Hortatur, ut memor ætatis ſuæ, & mortis imminentis, divinique judicii, reſipiſcat, nec pravis adulatorum conſiliis pareat.

Viro illuſtri Eustachio frater Bernardus.

1. SAlutem tibi, vir illuſtriſſime, etſi non ſcribo, opto tamen. Optare quis prohibet? Affectui nec leges imperant, nec principes dominantur. Liber eſt, & maxime ſi ſpiritu ducitur: quia *ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Inde eſt ſane auſus iſte meus de præſenti, quo ad tuam magnitudinem præſumo ſcribere, tamquam aliquis magnus fateor, nec juſſus à te, nec rogatus, nec invitatus. Sed quid ſi caritas jubet? Alius aliter fortaſſis accipiat: ego virum nobilem, quod in me eſt, in vera caritate decrevi his litteris ſuæ ipſius commonere ſalutis, excitare à ſomno, revocare ad cor, provocare ad gratiam. Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Immo quis

2 Cor. 3. 17.

Miſericordia Dei in peccatores.

a Acris eſt hæc epiſtola in Epiſcopum, cui tam ſalutaria monita dedit in epiſtola 42. Hæc ſcripta eſt ſub annum 1140 certe ante annum 1144. quo anno mortuus Henricus Hugonem habuit ſucceſſorem, ex Chronico S. Petri Vivi in Spicilegii tomo 2. De ejus obitu epiſtola 112.

b Suſpenſum fuiſſe anno 1136. patet ex eo, quod Hugo ex Pontiniacenſi abbate Autiſſiodorenſis epiſcopus apud Ferrarias à Gaufrido Carnotenſi epiſcopo conſecratus eſt *propter ſuſpenſionem domini Henrici metropolitani*, ex Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap 51 apud Labbeum.

c Scilicet querebatur Conradus, quod Bernardus Lothario faviſſet contra ipſum.

d Sic *Vicarius Petri* dicitur ſummus Pontifex in epiſtola modo 346. Vicarius Petri & Pauli in epiſtola 243. Confer epiſtolam Cuiguani hic in tomo ſexto & Notas hac de re noſtras in Sæculi 2. parte 1. pag. 562. Bernardus tamen Papam vocat Vicarium Chriſti in epiſtolis 42 num. 31. & 251. num. 1. & in fin. lib. 4 de Conſideratione. Confer lib. 2 de Conſid. num. 16. *Jeſu-Chriſti Vicarius* à Jacobo cardinale in epiſtola 246. ad Ludovicum Juniorem inter Cheſnianas appellatur.

e An Andreas frater Bernardi, monachus Ciſtercienſis, ex lib. 1. de hujus vita num. 30. an idem, de quo in epiſtola 276. aut Andreas de Baldemento, in epiſtola 226.

f Videlicet Benedictio-Dei in diœceſi Lugdunenſi, de quo ſupra in epiſtola 173 Dunenſe, & Claromariſcenſe in Belgio.

g Volebat ſiquidem Pontifex Ciſtercienſes Romæ collocare in eccleſia S. Anaſtaſii ad Aquas-Salvias: qui coloniam alteram altero Bernardo duce, qui poſtea Eugenius III. ad Farfenſem abbatem directam occupavit, & ad Aquas-Salvias poſuit anno 1140, ex lib. 3. Vitæ num. 23. Vide hic epiſtolas 343 & 345.

neſcit, quas & quantas jam divitias ſuæ bonitatis & A
longanimitatis theſaurizavit ſuper eum miſericors &
miſerator Dominus? Denique miſeretur, parcit, ex-
ſpectat, diſſimulatque uſque adhuc, factus ſicut ho-
mo non audiens, & non habens in ore ſuo redargu-
tiones, tardans ferire, paratus ignoſcere. Sed tu, do-
mine, uſquequo? Tu, inquam, ô bone vir, quouſque
Act. 9. 5. diſſimulas? quouſque contemnis? Durum tibi eſt con-
Rom. 2. 4. tra ſtimulum calcitrare. An ignoras quia benignitas
Dei ad pœnitentiam te adducit? Quamdiu autem tu
ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſau-
rizas tibi iram in die iræ?

Vitioſa & intempeſtiva verecundia. 2. An non ſecundum duritiam quidem, ſed ſecundum
verecundiam? Quid refert ſecundum quid pereas? B
O verecundia expers rationis, inimica ſalutis, to-
tius ignara honoris & honeſtatis! Hæc plane illa,
Eccli. 4. 25. quam Sapiens loquitur, confuſio adducens peccatum.
ITANE verecundum eſt homini vinci à Deo, & pro-
bro ducitur humiliari ſub potenti manu Altiſſimi?
Pſal. 50. 5. Non ita rex ille glorioſus David: *Tibi ſoli*, inquit,
peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſer-
Summa victoria, ſumma gloria, quæ *monibus tuis & vincas cum judicaris.* SUMMUM VICTO-
RIÆ GENUS, divinæ cedere majeſtati: & auctorita-
ti matris Eccleſiæ non reluctari, ſummus honor &
gloria. O perverſitas! Non pudet inquinari, & ablui
Eccli. 4. 25. pudet! *Eſt pudor*, juxta Sapientem, *adducens gloriam*;
ſi videlicet peccare pudeat, ſi non pudeat vel peccaſſe: C
& ita vel ſera gloria non carebis, reducente nimi-
rum pudore quam culpa fugaverat. Secundum tenent
Pſal. 31. 1. beatitudinis locum, quorum remiſſæ ſunt iniquitates,
& quorum tecta ſunt peccata. Honorabile tegumen-
Pſal. 95. 6. tum, de quo legitur: *Confeſſio & pulcritudo in conſpectu*
ejus. Quis mihi tribuat videre te in veſtitu deaurato,
Pſal. 103. 1. ut dicamus & tibi: *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus*
Cant. 6. 12. *lumine ſicut veſtimento?* Revertere, Sunamitis, re-
Iſai. 52. 1. vertere, ut intueamur te. Conſurge, conſurge, in-
Epheſ. 5. 14. duere fortitudine, induere veſtimento ſalutis. Surge
qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit
Eccli. 17. 26. te Chriſtus. A mortuo tamquam qui non eſt, pe-
rit confeſſio. D

3. Uſquequo obliviſceris te in finem? uſquequo dor-
mis in morte, decus nobilium, fidelium fletus? Quam-
diu contra morem tuum pertinax, contra honorem
tuum ſequeſtris, contra ſalutem tuam rebellis? quid
illos egregios mores, actuſque tuos tam diſſimili per-
gis exitu conſummare? Quomodo ætas iſta, quam in
miſericordia uberi requieſcere oportebat, omnium
præteritorum dierum tuorum pœnas luit, nec diluit
culpas? Cur, prô dolor! ſola veneranda canities ſoli-
ta veneratione fraudatur, ſola ſine honore marceſ-
Eccli. 30. 24. cit, quam vel maxime decuit honorari? Miſerere ani-
Pſal. 52. 9. mæ tuæ placens Deo. Etenim qui hominibus placent,
Job 14. 5. confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos. Breves dies E
hominis ſunt: ſeni mors in januis eſt. Modicum ha-
bes, prorſus modicum tempus cum his qui dicunt ti-
bi, Euge, euge. Sit etiam pro modico tibi judicari ab
Judicium Dei intentat. ipſis, aut ab humano die, qui angelico examini jam-
jamque es præſentandus, qui ad tribunal terrificum
Chriſti ipſo jam defectu naturæ miſerandus urgeris. Illi
te oportet præparare judicio, illi ſæculo conformare,
illius curiæ affectare favorem, formidare repulſam.
Quid illorum ſententia conturbaris, quorum nec laude
probatus, nec vituperatione reprobus inveniris? De-
Pſal. 61. 10. nique vani filii hominum, mendaces filii hominum
in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum. F

Aſſentatores cavendi. 4. Propterea qui te beatificant, in errorem te indu-
cunt, dantes verba, munera reportantes. Vana hæc, at-
que illa: ſed verba amplius. Et decipitis de vanitate in
idipſum: ſed tu magis deciperis, illi minus. Das quip-
pe quod utcumque pluris eſt: & das ingratis, das im-
meritis. ſiquidem tua, non te diligunt. Immo nec te, A
nec tua: ſed quæ ſua ſunt, quærunt. Tua, quoad po-
terunt, venabuntur adulationibus vanis & falſis. Mol- Pſal. 54. 22.
liti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, & ipſi ſunt ja- Pſal. 140. 5.
cula. Et ideo dicebat David: *Oleum autem peccatoris* Pſal. 9. 25.
non impinguet caput meum. Ab his laudatur peccator in
deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Ab his
ergo cavere non ego, ſed Sapiens doceat. *Fili*, ait, Prov. 1. 10.
ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Attende po-
tius illi qui judicat in æquitate pro manſuetis terræ,
quos tua non paſtoralis diligentia paſcit, ſed ſæcularis
premit potentia: quam non haberes ſuper eos ullam,
niſi data eſſet tibi deſuper. Sed hæc eſt hora veſtra, &
poteſtas tenebrarum. Attende autem: *Judicium grave*
B *his qui præſunt, & potentes potenter tormenta patientur.*
Hoc ſi paves, caves; ſi negligis, incidis. Et, *Horren-* Sap. 6. 7.
dum eſt incidere in manus Dei viventis. Avertat hoc Hebr. 10. 31. Ezech. 8. 31.
unus & verus Deus, qui non vult mortem peccatoris,
ſed ut magis convertatur & vivat. Plura adhuc loqui
fert animus, ſed non fert forte auditus. Nec placent Aſpera verba non placent.
aſpera, quamvis recta; & ſalubria, quia ſunt ama-
ra, non ſapiunt. Ponam itaque digitum ſuper os
meum, donec ſciam iſta qualiter acceptentur. Place-
bo autem ſi potero, non ſtilo, neque lingua, ſed opere
& veritate.

Ad SIMONEM filium Caſtellani Cameracenſis. [a]

EPISTOLA CLXXXVI.

Circ. ann. MCXL.

Ejus tutela Valcellenſes monachos commendat, patris donationem ab eo ratam haberi rogans.

COgnoſcens, dilectiſſime, nuntiante abbate Ra-
dulfo [b] de Valcellis, deſiderare te noſtri præſen-
tiam atque colloquium, delectatus ſum admodum tan-
ta tui erga me devotione; nec certe ingratus benevo-
lentiæ. Noveris & meæ eſſe voluntatis, tuo ſatisface-
re deſiderio: ſed corporali moleſtia impediri tam ab
hujus voluntatis effectu, quàm & ab aliis plurimis,
plurimumque neceſſariis negotiis. Sed licet abſens
D corpore, ſum tamen præſens ſpiritu, donec quando-
que fiam, Deo volente, & corpore, & ſpiritu: ſi ta-
men non ore tantum & lingua, ſed opere diligamus
& veritate. Igitur in exhibitione operis liquebit ve-
ritas dilectionis. Hoc eſt itaque quod rogo, ut quod
de meo apud te eſt, fratres dico Valcellenſes, & eorum
eccleſiam mei gratia diligas, foveas, & manuteneas
ubi neceſſe fuerit: ut in hoc & tuæ liberalitatis inſigne
præbeas documentum, & ejus quam mihi promittis,
caritatis clareſcat indicium. Quam nunc caritatem in
eo vel primum cupio experiri, ſi Ligecurtem, quam
mihi pater tuus præſenti contulit ad opus illius mona-
ſterii, tu quoque conceſſeris, & donum patris tui non
E feceris irritum. Nos quoque quod noſtrum eſt, de
præteritis gratias agentes, & in reliquum ſimilia ſpe-
rantes, pro te tuiſque illi preces fundimus, qui vo- Pſal. 144. 19.
luntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum
exaudit. Oramus te & uxorem tuam, & omnes qui ad
vos pertinent, bene valere.

Ad EPISCOPOS Senonas convocandos, contra Petrum Abaelardum.

EPISTOLA CLXXXVII.

Ann. CHR. MCXL.

Excitat Epiſcopos ad cauſam Religionis contra Abaelardum ſtrenue agendam.

EXiit ſermo inter multos, & credimus ad vos per-
veniſſe: quomodo videlicet apud Senonas in octa-
vis Pentecoſtes vocamur, & provocamur [c] ad litem
pro defenſione fidei: cum *ſervum Dei non oporteat liti-* 2. Tim. 2. 24.
gare, ſed magis patientem eſſe ad omnes. Si mea propria

a In omnibus ſcriptis deeſt, *Cameracenſis*: quidam habent, *de Oiſy.* Utrumque recte nam in hac epiſtola mentio eſt de monachis Valcellianum, *Vaucelli*, Ordinis Ciſtercienſis, quod cœnobium anno 1132 conditum eſt prope Cameracum *Simone de Oiſiaco* laudat auctor vitæ S. Goſvini abbatis Aquicinctenſis in lib. 2. cap. 19. Simonis pater Hugo de Mercorio, de quo in contextu epiſtolæ.

b In vetuſtis libris abbreviatum eſt R. nomen.

c Hinc patet Bernardum ad hanc Synodum veniſſe invitum, non provocantem, ut quidam falſo criminantur. Conſer epiſtolam 189. & alias Notas.

[illegible] p[illegible] no[illegible] im ne[illegible]o fortaſſis puer ſan-[illegible] n veſtro patrocinio gloriari. Nunc [illegible] & veſtra eſt, immo plus veſtra: ſiden-[illegible] & obnixius rogo, ut amicos vos in ne-[illegible]etis. Amicos dixerim, non noſtros, ſed [illegible]jus ſponſa clamat ad vos in ſilva hære-[illegible]te errorum, quibus ſub tutela & cu-[illegible]pullulantibus, pæne jam ſuffocatur. Ami-[illegible] non deſeret eam in opportunitatibus in [illegible]e. Nec miremini, quod ita de ſubito, & in [illegible]oris vos invitamus: quoniam hoc quoque [illegible] pars in ſua verſutia & calliditate providit, [illegible]vidos invaderet, & congredi cogeret im-A viis de divinis; qui loquuntur mala in cordibus ſuis, & in codicibus ſuis ſcribunt: & ſic obſtruatur os loquentium iniqua.

[illegible]ros & CARDINALES Curiæ, de eodem.

[E]PISTOLA CLXXXVIII.

[M]onet ad vigilandum adverſus Petri Abaëlardi errores.

[D]om[in]is & Patribus reverendis EPISCOPIS & C[AR]DINALIBUS qui ſunt de Curia, Puer ſanctitatis eorum.

N[UL]LI dubium, quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas. Sic enim præcepit Moy- [Exod. 24. 14.] ſes cum montem ſubiit: *Habetis*, inquiens, *Aaron* C *& Hur vobiſcum. ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad ipſos.* Illum loquor Moyſen, qui venit per aquam, & non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ideo pluſquam Moyſes, quia & in ſanguine venit. Et quoniam pro Hur & Aaron ſtat zelus & auctoritas Romanæ eccleſiæ ſuper populum Dei; ad ipſam merito referimus, non quæſtiones, ſed læſiones fidei, & injurias Chriſti; Patrum probra atque contemptus; præſentium ſcandala, pericula poſterorum. Irridetur ſimplicium fides, eviſcerantur arcana Dei, quæſtiones de altiſſimis rebus temerarie ventilantur, inſultatur Patribus, quod eas magis ſopiendas, quàm [illegible] ſolvendas cenſuerint. Inde fit, quod Agnus paſcha- D lis, contra Dei ſtatutum, aut aqua coquitur, aut [illegible] crudus diſcerpitur, more & ore beſtiali. Quod reſiduum eſt, non igne comburitur, ſed conculcatur. Ita omnia uſurpat ſibi humanum ingenium, fidei nil reſervans. Tentat altiora ſe, fortiora ſcrutatur, irruit in divina, ſancta temerat magis quàm reſerat; clauſa & ſignata non aperit, ſed diripit: & quicquid ſibi non invenit pervium, id putat nihilum, credere dedignatur.

2. Legite, ſi placet, librum Petri Abaëlardi, quem dicit THEOLOGIÆ: ad manum eſt enim: cum, ſicut gloriatur, à pluribus lectitetur in Curia: & videte qualia ibi de ſancta Trinitate dicantur, de genitura filii, & de E proceſſione Spiritus-ſancti, & alia innumera, catholicis prorſus auribus & mentibus diſſueta. Legite & alium, quem dicunt SENTENTIARUM ejus; necnon & il- [Errores con[illegible]idem.] lum qui inſcribitur, SCITO TEIPSUM; & animadvertite quanta & ipſi ſilveſcant ſegete [a] ſacrilegiorum atque errorum: quid ſentiat de anima Chriſti, de perſona Chriſti, de deſcenſu Chriſti ad inferos, de Sacramento altaris; de poteſtate ligandi atque ſolvendi, de originali peccato, de concupiſcentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et ſiquidem judicatis me juſte moveri, movemini & vos: F ac ne fruſtra moveamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro poteſtate quam accepiſtis; quomodo qui aſcendit uſque ad cælos, deſcendat uſque ad inferos: & opera tenebrarum, auſa prodire in lucem arguantur à luce in lucem: ut dum qui publice peccat, publice arguetur; comprimant ſeſe etiam alii, ponentes tenebras lucem, diſputantes in triviis de divinis; ...

Ad dominum Papam INNOCENTIUM, de eodem.

EPISTOLA CLXXXIX.

[Ann. Chr. MCXL.]

Animi dolorem indicat ob errores Abaëlardi poſt Schiſma ſtatim exſurgentes, quibus Pontificem occurrere monet.

Amantiſſimo Patri & domino INNOCENTIO, Dei gratia ſummo Pontifici, F. Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

B 1. NEceſſe eſt ut veniant ſcandala: neceſſe eſt, ſed non ſuave. Et ideo dicit Propheta: *Quis dabit mihi* [Pſal. 54. 7.] *pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* & Apoſtolus cupit diſſolvi, & cum Chriſto quieſcere. Et [Philip. 1. 23.] alius quidam [*] ſanctorum: *Sufficit mihi Domine*, ait, [* Elias 3 Reg. 19. 4.] *tolle animam meam; neque enim melior ſum quam patres mei.* Eſt & mihi nunc aliquid commune cum ſanctis, in voluntate dumtaxat, non in merito. Nam vellem & ipſe modo de medio fieri, victus, fateor, à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate: vereor autem, ne non [Tædium vitæ in ſanctis quale.] ſicut pariter affectus, ita pariter & paratus inveniar. Tædet vivere, & an mori expediat, neſcio; & ideo forte etiam in votis diſtem à ſanctis, quod ipſi provocen- C tur deſiderio meliorum, cum ego ſcandalis & ærumnis compellar exire. Denique ait, *Diſſolvi & cum* [Philip. 1. 23.] *Chriſto eſſe, multo melius.* Ergo & in ſancto appetitus, & in me prævalet ſenſus: ſed in hac miſerrima vita nec ille habere quod appetit bonum; nec ego quod moleſtum patior, non habere valemus. Et ob hoc exire quidem ambo pari cupimus voluntate, ſed non pari intentione.

2. Stulte mihi dudum requiem promittebam, ſiquidem Leonina [*] rabies quieviſſet, & pax Eccleſiæ [* Id eſt ſchiſma Petri Leonis.] redderetur. Nam ecce illa quievit, ſed non ego. Neſciebam me eſſe in valle lacrymarum, aut oblitus fueram habitare me in terra oblivionis. Non attendebam D terram, in qua habito, ſpinas & tribulos germinare mihi; ſuccisis ſuccedere novas, & rurſum illis alias ſine fine, ſine intermiſſione ſuccreſcere. Audieram hoc: ſed melius, ut nunc experior, ipſa vexatio dat intellectum auditui. Innovatus eſt dolor, non exterminatus; lacrymæ inundaverunt, quia invaluerunt mala; & expertis pruinam, irruit ſuper eos nix. Ante faciem frigoris hujus quis ſuſtinebit? Hoc frigore refrigeſcit caritas, ut abundet iniquitas. Leonem evaſimus, ſed incidimus in draconem [*], qui non minus forſan noceat [* Petrum Abaëlardum] ſedens in inſidiis, quam ille rugiens de excelſo. Quamquam non jam in inſidiis; cujus virulenta folia utinam adhuc laterent in ſcriniis, & non in triviis legerentur. Volant libri: & qui oderant lucem, quoniam E mali ſunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Urbibus & caſtellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur Fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter, de arcano ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter nec ſobrie diſputatur: ſed cuncta nobis in perverſum, cuncta præter ſolitum, & præterquam accepimus, miniſtrantur.

F 3. Procedit Golias procero corpore, nobili illo ſuo [Arnaldus de Brixia hæreticus.] bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ipſum ejus armigero Arnaldo de Brixia. Squama ſquamæ conjungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilavit apis quæ erat in Francia, api [b] de Italia: & venerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Intenderunt arcum, parave-

a Ita mſſ emendatiores: in editis, *quanta & ibi ſilveſcant ſegetes*

b Ita genuina lectio, quæ alludit ad verſum 18 capitis ſeptimi Iſaiæ, *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur.* Apis de Francia Abaëlardus: apis de Italia Arnoldus de Brixia, urbe Italiæ, de quo vide Notas in epiſtolam 195.

runt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. In victu autem & habitu habentes formam pietatis, ſed virtutem ejus abnegantes, eo decipiunt plures, quo transfigurant ſe in angelos lucis, cum ſint ſatanæ. Stans ergo Golias una cum armigero ſuo inter utraſque acies, clamat adverſus phalangas Iſraël, exprobratque agminibus Sanctorum, eo nimirum audacius, quo ſentit David non adeſſe. Denique in ſuggillationem Doctorum Eccleſiæ, magnis effert laudibus philoſophos, adinventiones illorum & ſuas novitates catholicorum Patrum doctrinæ & fidei præfert: & cum omnes fugiant à facie ejus, me omnium minimum expetit ad ſingulare certamen.

Hæretici contemptores Patrum.

4. Denique ſcripſit mihi, ſollicitante quidem ipſo, Archiepiſcopus Senonenſis, diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia ejus & coepiſcoporum ſuorum deberet, ſi poſſet, ſtatuere prava dogmata ſua, contra quæ ego auſus mutire fuiſſem. Abnui, tum quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia: tum quia judicarem indignum, rationem Fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac ſtabili veritate conſtat eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta ejus ad accuſandum eum; nec mea referre, ſed Epiſcoporum, quorum eſſet miniſterii de dogmatibus judicare. Ille nihilo minus, immo eo amplius levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices. Quæ de me ad diſcipulos ſuos ſcripſerit, dicere non curo. Diſſeminavit ubique, ſe mihi die ſtatuta apud Senonas reſponſurum. Exiit ſermo ad omnes, & non potuit me latere. Diſſimulavi primum: nec enim ſatis rumore populari movebar. Cedens tamen (licet vix, ita ut flerem) conſilio amicorum, qui videntes quomodo ſe quaſi ad ſpectaculum omnes pararent, timebant ne de noſtra abſentia & ſcandalum populo, & cornua creſcerent adverſario; & quia error magis confirmaretur, cum non eſſet qui reſponderet aut contradiceret; occurri ad locum & diem, imparatus quidem & immunitus, niſi quod illud mente volvebam: *Nolite præmeditari, qualiter reſpondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* & illud: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Convenerunt autem præter Epiſcopos & Abbates plurimi viri religioſi, & de civitatibus magiſtri ſcholarum, & clerici litterati multi; & Rex præſens erat. Itaque in præſentia omnium, adverſario ſtante ex adverſo, producta ſunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cum cœpiſſent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis Judicibus, quod non putamus licere. Porro capitula judicio omnium examinata, inventa ſunt Fidei adverſantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne levitate, aut certe temeritate uſus in tanto negotio putarer.

Matth 10 19.
Pſal. 117. 6

5. Verum tu, ô ſucceſſor Petri, judicabis, an debeat habere refugium ſedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice ſponſi, providebis, quomodo liberes ſponſam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Sed ut paulo audacius loquar cum domino meo, attende etiam tibi ipſi, amantiſſime Pater, & gratiæ Dei quæ in te eſt. Nonne cum eſſes parvulus in oculis tuis, ipſe te conſtituit ſuper gentes & regna? Ad quid, niſi ut evellas, & deſtruas, & ædifices & plantes? Qui ergo tulit te de domo patris tui, & unxit te unctione miſericordiæ ſuæ, attende, quæſo, extunc & deinceps, quanta fecit animæ tuæ; quanta per te Eccleſiæ ſuæ, quanta in agro dominico, cælo & terra teſtibus, tam potenter quàm ſalubriter evulſa ſunt & deſtructa; quanta rurſum bene ædificata, plantata, propagata. Suſcitavit Deus furorem ſchiſmaticorum in tuo tempore, ut tuo opere contererentur. Vidi ſtultum firma radice, & ſtatim maledictum eſt pulcritudini ejus. Vidi, inquam, vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat. *Oportet autem*, ait, *hæreſes* & ſchiſmata eſſe, *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Et in ſchiſmate quidem jam, ut dictum eſt, Dominus probavit te, & cognovit te. Sed ne quid deſit coronæ tuæ, en hæreſes ſurrexerunt. Itaque ad conſummationem virtutum, & ne quid minus feciſſe inveniamini à magnis Epiſcopis anteceſſoribus veſtris; capite nobis, Pater amantiſſime, vulpes quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulæ ſunt: ne, ſi creſcant & multiplicentur, quicquid talium per vos non fuerit exterminatum, à poſteris deſperetur. Quamquam non jam parvulæ nec pauculæ, ſed certe grandiuſculæ & multæ ſint, nec niſi in manu forti vel à vobis exterminabuntur. Jacinctus multa mala oſtendit nobis: nec enim quæ voluit, fecit, vel potuit. Sed viſus eſt mihi patienter ferendus de me, qui nec perſonæ veſtræ, nec curiæ in curia illa pepercit. quod melius Nicolaus [a] iſte meus, immo & veſter, viva referet voce.

Pontificem monet officii.
1. Cor 11 19.
Jam eſt naſcentes hæreſes promptius extinguere.

EPISTOLA CXC.

Ann. CHR. MCXL.

Ad INNOCENTIUM Pontificem, de erroribus quibuſdam Petri Abaëlardi.

*HANC *epiſtolam ob prolixitatem inter* TRACTATUS *relatam habes Tomo II*

EPISTOLA CXCI.

Ann. CHR. MCXL.

Ad INNOCENTIUM ex perſona domini Archiepiſcopi Remenſis, &c.

Abaelardum, vana ſcientiæ opinione tumidum, & de favore curiæ Romanæ glorsantem, auctoritate Pontificia mature reprimendum.

Reverendiſſimo domino & cariſſimo Patri, Dei gratia ſummo Pontifici INNOCENTIO, SAMSON Remorum archiepiſcopus, JOSLENUS Sueſſionenſis, GAUFRIDUS Catalaunenſis, ALVISUS Atrebatenſis, voluntarium debitæ ſubjectionis obſequium.

1. AURIBUS occupatis ad plurima, ſermonem facimus abbreviatum de prolixo negotio, pro eo maxime, quia idipſum diffuſius ac plenius continetur in litteris domini Senonenſis. Petrus Abaelardus Chriſtianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus eſt, humana ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere. Aſcendit uſque ad cælos, & deſcendit uſque ad abyſſos. Nihil eſt quod lateat eum, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. Homo eſt magnus in oculis ſuis, de Fide contra fidem diſputans, ambulans in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, ſcrutator majeſtatis, hæreſum fabricator. Jamdudum fecerat librum de ſua Trinitate, ſed ſub Legato [b] Romanæ Eccleſiæ igne examinatus eſt, quia inventa eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificavit ruinas Jerico. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes quæ dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Jamjam extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber ſuus in curia Romana habet, ubi caput ſuum reclinet. Hinc confirmatus & confortatus eſt furor ejus.

Liber Abaëlardi de Trinitate.

2. Propterea cum in conſpectu Epiſcoporum ſuper his argueret eum Abbas Claræ-vallis, zelo fidei & juſtitiæ armatus; nec confeſſus eſt, nec negavit: ſed à loco & judice quem ſibi ipſe elegerat, ſine læſione, ſine gravamine, ut ſuam prolongaret iniquitatem, Sedem apoſtolicam appellavit. Epiſcopi autem, qui propter hoc in unum convenerant, veſtræ reverentiæ deferentes, nihil in perſonam ejus egerunt: ſed tantummodo capi-

a Eadem verba leguntur in fine epiſtolæ nunc 338. ad Haimericum. Quis ſit iſte J[illegible]nctus ſeu Hyacinthus, incertum. An is qui poſtea creatus cardinalis à L[illegible] II. cognomento Bobo, tit. S. Mariæ in Coſmedin. De eo mentio facta videtur in epiſtola 508. apud C[illegible]um tomo 4. Nicolaus erat [illegible] Claræ-vallenſis monachus, poſtea S. Bernardi notarius, de quo ad epiſtolam 298.

b Conone, & quidem in Synodo Sueſſionenſi anni 1121 ex fuſioribus Notis ad epiſtolam 187. & ex Præfatione in tomum primum, ubi de Schiſmate Anacleti.

[illegible]orum [illegible], a ſanctis Patribus condemnata, ne [illegible] ſerperet medicinali neceſſitate abjudicaverunt. Q[illegible]ia [illegible]o homo ille multitudinem trahit poſt [illegible] & [illegible]pulum qui ſibi credat, habet: neceſſe eſt ut [illegible]ntagio cel[illegible] remedio occurratis. Sero enim [illegible]na paratur, cum mala per longas invaluere mo[illegible] [illegible]xeſſimus in hoc negotio quouſque auſi ſumus: [illegible] de cætero, beatiſſime Pater, providere, ne in [illegible] aliqua hæreticæ pravitatis macula decor [illegible] maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti, [illegible] ſponſi: tuum eſt tandem uni viro virginem ca[illegible] exhibere Chriſto.

Ad Magiſtrum GUIDONEM de Caſtello [a].

EPISTOLA CXCII.

[illegible]onet eum ita diligere & fovere Abaelardum, ut tamen errores ejus non foveat.

Venerabili Domino, & cariſſimo Patri, magiſtro GUIDONI, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Dei gratia presbytero cardinali, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, non declinare ad dexteram, nec ad ſiniſtram.

INjuriam facio vobis, ſi aliquem à vobis ita diligi credam, ut cum eo pariter ejus errores diligatis. Quiſquis enim ſic aliquem diligit, nondum novit, quemadmodum oporteat eum diligere. Talis namque dilectio terrena eſt, animalis, diabolica, nocens æque diligenti atque dilecto. Exiſtiment alii de aliis prout volunt: ego adhuc de vobis æſtimare non poſſum, niſi quod vicinum eſt rationi, quod ad lineam pertinet æquitatis. Quidam prius judicant, & poſtea probant: ego de potione, utrum dulcis ſit an amara, ante guſtum non judicabo. Magiſter Petrus in libris ſuis profanas vocum novitates inducit & ſenſuum: diſputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat. Nihil videt per ſpeculum & in ænigmate; ſed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis & in mirabilibus ſuper ſe. Melius illi erat, ſi juxta titulum libri ſui *, ſeipſum cognoſceret, [* Scito te ipſum.] nec egrederetur menſuram ſuam, ſed ſaperet ad ſobrietatem. Ego non eum accuſo apud Patrem: eſt qui eum accuſet liber ſuus, in quo ſibi male complacuit. Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium: cum de Gratia, ſapit Pelagium: cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium. Minus de veſtra æquitate præſumo, ſi diu vos rogavero, ut in cauſa Chriſti nullum Chriſto præponatis. Illud autem ſcitote, quia expedit vobis, quibus poteſtas data eſt à Domino; expedit Eccleſiæ Chriſti, expedit illi etiam homini, ut ei ſilentium imponatur, cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo.

Ad magiſtrum IVONEM [b] cardinalem, de eodem.

EPISTOLA CXCIII.

[Ann. Chr. MCXL.]

Indignum eſſe ut Abaelardus in Romana curia fautores inveniat.

Dilectiſſimo ſuo IVONI, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Dei gratia presbytero cardinali, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, diligere juſtitiam, & odire iniquitatem.

MAgiſter Petrus Abaëlardus, ſine regula monachus, ſine ſollicitudine prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. Homo ſibi diſſimilis eſt, intus Herodes, foris Johannes; totus ambiguus, nihil habens de monacho præter nomen & habitum. Sed quid ad me? Unuſquiſque onus ſuum portabit. Aliud eſt quod diſſimulare non poſſum, quod pertinet ad omnes qui diligunt nomen Chriſti. Iniquitatem in excelſo loquitur: integritatem fidei, caſtitatem Eccleſiæ corrumpit. Tranſgreditur terminos, quos poſuerunt Patres noſtri: de Fide, de Sacramentis, de ſancta Trinitate diſputans & ſcribens, ſingula pro ſua voluntate mutat, auget, & minuit. In libris & in operibus ſuis oſtendit ſe fabricatorem mendacii & cultorem perverſorum dogmatum, hæreticum ſe probans, non tam in errore, quam in pertinacia & defenſione erroris. Homo eſt egrediens menſuram ſuam, in ſapientia verbi evacuans virtutem crucis Chriſti. Nihil neſcit omnium quæ in cælo & quæ in terra ſunt, præter ſeipſum. Damnatus eſt Sueſſione [c] cum opere ſuo coram Legato Romanæ Eccleſiæ. Sed quaſi non ſufficeret ei illa damnatio; iterum facit, unde iterum damnetur: & jam noviſſimus error pejor eſt priore. Securus eſt tamen, quoniam Cardinales & clericos curiæ ſe diſcipulos habuiſſe gloriatur, & eos in defenſione præteriti & præſentis erroris aſſumit, à quibus judicari timere debuit & damnari. Si quis ſpiritum Dei habet, illius verſiculi recordetur: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* [Pſal. 138. 21.] Liberet Deus per vos, & per ceteros filios ſuos, Eccleſiam ſuam a labiis iniquis & à lingua doloſa.

Reſcriptum domini INNOCENTII Papæ contra hæreſes Petri Abaelardi.

EPISTOLA CXCIV.

[Ann. Chr. MCXL.]

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, HENRICO Senonenſi, SAMSONI Remenſi, archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis, & cariſſimo in Chriſto filio BERNARDO Claræ-vallis abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

1. TEſtante Apoſtolo, ſicut unus Dominus, ita una fides eſſe dignoſcitur, [Epheſ. 4. 5.] in qua tanquam in immobili fundamento, præter quod nemo poteſt aliud ponere, firmitas catholicæ Eccleſiæ inviolata conſiſtit. Inde eſt quod beatus Petrus Apoſtolorum princeps, pro eximia hujus fidei confeſſione, à Domino ac Salvatore noſtro audire meruit: *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:* [Matth. 16. 18.] petram utique firmitatem fidei, & catholicæ unitatis ſoliditatem manifeſte deſignans. Hæc ſiquidem eſt inconſutilis tunica Redemptoris noſtri, ſuper qua milites ſortiti ſunt, ſed eam dividere minime potuerunt: contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania; adſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum. [Pſal. 2. 1. & 2.] Verum Apoſtoli, duces dominici gregis, & eorum ſucceſſores apoſtolici viri, ardore caritatis & zelo rectitudinis ſuccenſi, fidem defendere, & eam in cordibus aliorum proprii ſanguinis effuſione plantare non dubitarunt. Demum ceſſante perſecutorum rabie, imperavit Dominus ventis, & facta eſt in Eccleſia tranquillitas magna.

2. Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit quærens quem devoret, [Hæretici in ſynodis damnati.] ad impugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam ſubinduxit. Contra quos viri eccleſiarum paſtores viriliter inſurgentes, eorum prava dogmata cum ipſorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicæna ſynodo Arius hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana ſynodus Manichæum hæreticum debita ſententia condemnavit. In Epheſina ſynodo Neſtorius condignam ſui erroris damnationem excepit. Chalcedonenſis quoque ſynodus Neſtorianam hæreſim, & Eutychianam [Decreta in Conciliis non amplius in diſputationem trahenda.] cum Dioſcoro & ejus complicibus juſtiſſima ſententia confutavit. Marcianus præterea, licet laicus, chriſtianiſſimus tamen Imperator, catholicæ fidei amore ſuccenſus, prædeceſſori noſtro ſanctiſſimo Papæ Johanni [d] ſcribens adverſus eos qui ſacra myſteria profanare contendunt, inter cetera ſic loquitur, dicens: Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuſlibet

a In tribus mſſ. Colbertinis: *Ad magiſtrum Guidonem de Caſtello, qui Petri diſcipulus fuerat, & de quo potiſſimum præſumebat, qui poſtea Papa Cæleſtinus fuit*, nempe eo nomine ſecundus anno 1143. Ad eumdem epiſtola 169. poſt quam hæc ponitur in quibuſdam mſſ. uti & ſequens.

b Is ex canonico S. Victoris Pariſienſis cardinalis S. Laurentii in Damaſo creatus anno 1130. de quo in epiſtola 144. In Galliam legatus Radulfum Viromanduorum Comitem excommunicavit, infra ad epiſtolam 216. De ejus teſtamento lege epiſtolam 218.

c Nimirum ſub annum 1121. ut probatur in ſuſioribus Notis.

d Immo civibus Conſtantinopolitanis, & quidem Leone Papa, ex aliis Notis.

„ conditionis, de fide Chriſtiana publice tractare cone„ tur in poſterum. Nam injuriam facit judicio reverendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel judicata & recte diſpoſita „ revolvere, & iterum diſputare contendit: & in con„ temptores hujus legis, tamquam in ſacrilegos, pœna „ non deerit. Igitur ſi clericus erit, qui publice tractare „ de religione auſus fuerit, conſortio clericorum remo„ vebitur.

3 Dolemus autem, quoniam, ſicut litterarum veſtrarum inſpectione, & miſſis à veſtra fraternitate nobis errorum capitulis * cognovimus, in noviſſimis diebus, quando inſtant periculoſa tempora, in Petri Abaelardi pernicioſa doctrina & prædictorum hæreſes, & alia perverſa dogmata catholicæ fidei obviantia pullulare cœperunt. Verum in hoc maxime conſolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus veſtris pro Patribus tales filios ſuſcitavit, & tempore apoſtolatus noſtri in Eccleſia ſua tam præclaros voluit eſſe paſtores, qui novi hæretici calumniis ſtudeant obviare, & immaculatam ſponſam uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Nos itaque qui in beati Petri cathedra, cui à Domino eſt dictum, *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, licet indigni reſidere conſpicimur: communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & univerſa ipſius Petri perverſa dogmata ſanctorum canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tamquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Univerſos quoque erroris ſui ſectatores & defenſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani decimoſeptimo Kalendas Auguſti.

* Hæc habes epist. ad Orig.[?] 41 — Luc 22. 32

Ad Episcopum Conſtantienſem [b].

Ann. CHR. MCXL.

EPISTOLA CXCV.

Monet ut Arnaldum de Brixia, Italia & Gallia pulſum, & jam apud ipſum delitescentem expellat, aut potius ad cavenda majora damna vinctum teneat.

Matt 24. 43

1. SI ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Scitis quia fur de nocte irruperit domum, non veſtram, ſed Domini; vobis tamen commiſſam? Sed dubium eſſe non poteſt, ſcire vos, quod apud vos fit, quando id uſque ad nos utique tam remotos potuit pervenire. Nec mirum, ſi non horam prævidere, aut nocturnum furis ingreſſum obſervare quiviſtis. Mirum autem, ſi deprehenſum jam non agnoſcitis, non tenetis, non prohibetis exportare ſpolia veſtra, immo pretioſiſſimas Chriſti exuvias, animas videlicet, quas ſua imagine præſignivit, ſuo cruore redemit. Adhuc forſan hæretis, & miramini, quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia, qui utinam tam ſanæ eſſet doctrinæ, quam diſtrictæ eſt vitæ. Et ſi vultis ſcire, homo eſt neque manducans, neque bibens, ſolo cum diabolo eſuriens & ſitiens ſanguinem animarum. Unus de numero illorum, quos apoſtolica vigilantia notat, habentes formam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes. & ipſe Dominus: *Venient*, inquiens, *ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Is ergo uſque ad hanc ætatem, ubicumque converſatus eſt, tam fœda poſt ſe, & tam ſæva reliquit veſtigia, ut ubi ſemel fixerit pedem, illuc ultra redire omnino non audeat. Denique ipſam, in qua natus eſt, valde atrociter commovit terram, & conturbavit eam. Unde & accuſatus apud dominum Papam ſchiſmate peſſimo, natali ſolo pulſus eſt: etiam & abjurare compulſus reverſionem, niſi ad ipſius Apoſtolici permiſſionem. Pro ſimili deinde causa & à regno Francorum exturbatus eſt ſchiſmaticus inſignis. Execratus quippe à Petro Apoſtolo, adhæſerat Petro Abaëlardo: cujus omnes errores, ab Eccleſia jam deprehenſos atque damnatos, cum illo etiam & præ illo defendere acriter & pertinaciter conabatur.

Arnaldus de Brixia hæreticus, qualis. — 2 Tim 3. 5. Matth 7. 15. — Proſcribitur Italia — t Gallia.

2. Et in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta. Nam etiam ita vagus & profugus ſuper terram, quod jam non licet inter ſuos, non ceſſat apud alienos, tamquam leo rugiens, circuiens & quærens quem devoret. Et nunc apud vos, ſicut accepimus, operatur iniquitatem, & devorat plebem veſtram, ſicut eſcam panis. Cujus maledictione & amaritudine os plenum eſt, veloces pedes ejus ad effundendum ſanguinem: contritio & infelicitas in viis ejus: & viam pacis non cognovit. Inimicus crucis Chriſti, ſeminator diſcordiæ, fabricator ſchiſmatum, turbator pacis, unitatis diviſor: cujus dentes arma & ſagittæ, & lingua ejus gladius acutus. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. Unde & ſolet ſibi allicere blandis ſermonibus & ſimulatione virtutum divites & potentes, juxta illud: *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Demum cum fuerit de illorum captata benevolentia & familiaritate ſecurus, videbitis hominem aperte inſurgere in clerum, fretum tyrannide militari, inſurgere in ipſos Epiſcopos, & in omnem paſſim eccleſiaſticum ordinem * deſævire. Hoc ſcientes, neſcio an melius ſalubriuſve in tanto diſcrimine rerum agere valeatis, quàm juxta Apoſtoli monitum, auferre malum ex vobis. Quamquam amicus ſponſi ligare potius, quàm fugare curabit: ne jam diſcurrere, & eo nocere plus poſſit. Hoc enim & dominus Papa, dum adhuc eſſet apud nos, ob mala quæ de illo audiebat, fieri ſcribendo mandavit: ſed non fuit qui faceret bonum. Denique ſi capi vulpes puſillas demolientes vineam Scriptura ſalubriter monet: num multo magis lupus magnus & ferus religandus eſt, ne Chriſti irrumpat ovilia, oves mactet & perdat?

Pſal 9. 29. — * V Not 41. — 1 Cor 5. 13 — Cant 2. 15.

Ad Guidonem legatum, de eodem.

EPISTOLA CXCVI.

Ann. CHR. MCXL.

Cavendam ei familiaritatem Arnaldi de Brixia, ne ſub ejus auctoritate ſecurius errores ſuos diſſeminet.

1. ARnaldus de Brixia, cujus converſatio mel, & doctrina venenum: cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt; quem Brixia * evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere; fertur eſſe vobiſcum. Videte, quæſo, ne veſtra auctoritate plus noceat. Nam cum & artem habeat, & voluntatem nocendi; ſi acceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ſupra modum (ut vereor) nociturus. Et unum exiſtimo de duobus, (ſi tamen verum eſt quod vobiſcum hominem habeatis) aut minus ſcilicet notum vobis eſſe illum, aut vos (quod eſt credibilius) de ejus correctione confidere. Et utinam id non fruſtra. Quis det de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ? Quam gratum munus ſuſciperet mater Eccleſia de manibus veſtris vas in honorem, quod tamdiu paſſa eſt in contumeliam? Licet tentare: ſed vir prudens cautus erit non tranſgredi præfinitum numerum ab Apoſtolo, qui ait: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus.* Alioquin familiarem habere, & frequenter admittere ad colloquendum, ne dicam ad convivandum, ſuſpicio favoris eſt, & inimici hominis fortis armatura. Secure annuntiabit & facil: perſuadebit quæ volet domeſticus & contubernalis legati apoſtolicæ Sedis. Quis enim a latere domini Papæ mali quippiam ſuſpicetur? Sed & ſi in manifeſto

* Breſſe in Italia. — Tit. 3. 10. — Familiaritas & converſatio hæreticorum cavenda

b An de Conſtantienſi Galliæ, vulgo *Coutance*, an vero de Conſta[illegible] ad Rhenum intelligenda ſit hæc epiſtola, incertum. Ad poſteriorem potius inclinat animus, quod Arnaldus *à regno Francorum exturbatus* apud hunc, cui directa eſt epiſtola, delitescere refertur. Huic ſedi tum præerat Hermannus de Arbona, qui Bernardum Francofurti adiit, ex lib. 6. de miraculis Bernardi cap. 2. ipſumque Bernardum Conſtantiam adduxit. Eadem Gaufridus dicat miracula ejuſdem ſancti, a lib. 6. cap 10.

perverſa loquitur, quis ſe facile opponere audeat veſtro collaterali?

2. Deinde videtis qualia poſt ſe, ubicumque habitavit, reliquit veſtigia. Non ſine cauſa vigor apoſtolicus hominem Italia ortum tranſalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis vero extraneorum, ad quos ejectus eſt, non eum omnimodis cuperet ſuis reddidiſſe? Et certe ſic ſe habere ad omnes, ut omnibus odio habeatur, approbatio judicii eſt quod portat: ne quis dicat ſubreptum fuiſſe domino Papæ. Quale eſt ergo ſummi Pontificis ſuggillare ſententiam, & illam ſententiam, cujus rectitudinem ejus ipſius, in quem data eſt, etſi lingua diſſimulat, vita clamat? Itaque favere huic, domino Papæ contradicere eſt, etiam & Domino Deo. Per quemcumque enim juſta ſententia juſte detur, ab illo certum eſt proceſſiſſe, qui loquitur in Propheta: *Ego qui loquor juſtitiam.* Confido autem de veſtra prudentia & honeſtate, quia viſis his litteris de veritate certus, non abducemini amodo quippiam adſentire in hac re, niſi quod vos deceat, & Eccleſiæ Dei expediat, pro qua legatione fungimini. Diligimus vos, & ad veſtrum obſequium parati ſumus.

Ad PETRUM Biſuntinum [a] decanum.

EPISTOLA CXCVII.

Ann. CHR. MCXLI.

Increpat eum ob injurias Abbati Cariloci illatas.

PEregrinationem Abbatis [b] Cariloci ſic accipimus, quaſi jam mortuum eum videamus. Vobis maxime (quod vehementer doleo) imputatur quicquid illi periculi imminet, quicquid laboris incumbit. Non hoc à vobis exſpectavimus, quia nec meruimus. Alium vos putavimus, & alium experimur. Teſtimonium perhibent vobis qui interfuerunt actioni, quod nec ſincere, nec ſecundum juſtitiam in ea vos habuiſtis. Et credo ex parte. Nam & venerabilis Abbas Bellævallis non multum ſibi complacet in vobis. Nolite, quæſo, nolite perſequi ſervos Dei, quibus ab ipſo dictum legitis: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* (Zach. 2.) Nolite radicitus evellere de cordibus noſtris, ſi quid aliquando bene ſenſimus de vobis. Et hæc ita dicimus vobis, non quia vos non diligimus, ſed ut de medio fiat, quo poteſt contingere, ut non diligamus. Dico autem tamquam amicus: non expedit vobis, neque eccleſiæ veſtræ, ut domino Papæ quod actum eſt, ſicut actum eſt, innoteſcat.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM.

EPISTOLA CXCVIII.

Ann. CHR. MCXLI.

Guidonem a vi & injuriis oppreſſoris vindicari rogat. Nihil æque decere ſummum Eccleſiæ Præſulem ac zelum juſtitiæ.

1. IN cauſæ actione, quæ per cariſſimum fratrem noſtrum Guidonem Cariloci abbatem veſtro conſpectui præſentatur, puto ſatis apparet & laceſſentis injuria, & innocentia patientis, & incuria judicis. Denique violentia calumniantis, & inopia juſtitiæ compulſus eſt pauper confugere ad veſtram præſentiam, non reputans laborem viæ, non expenſas, non periculum temporis. Dedit manos morti, ne vivat in perturbatione, quietis amator. Clementer, quæſo, reſpicite ſuper egenum & pauperem: ne fruſtra veſtris paternis auribus intimatus ſit tantillarum virium tantus labor & dolor. Olim per epiſtolas ſemel & ſecundo teſtificatus ſum vobis de homine illo, qui huic modo calumniatur, quod ſui eſſet & prævaricator propoſiti, & monaſterii [c] diſſipator. Nunc autem & flens dico inimicum crucis Chriſti, ſanctorum qui in circuitu ejus ſunt, violentiſſimum oppreſſorem, & calumniatorem pauperum: qui propria jam pæne non habens quæ devoraret, in proxima paſſim more tyrannico debacchatur. (Ejus deſcriptio.) Monachum habitu mentiens, re exhibet unum de prædonibus, omnino immemor regularium obſervationum, legum canonumque contemptor. Frontoſus ad verecundiam, inſenſatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad injurias. Et miror quomodo vir religioſus Abbas Caſæ-Dei in monacho ſuo tot & tanta vitia aut ignorare poſſit, aut diſſimulare.

2. Sed de hoc quid ad nos? ipſe viderit: ipſe ſuo domino ſtat aut cadit. Nobis ſufficit liberari de manibus ejus. A vobis id omnimodis flagitamus, quod aliunde fruſtra tentatum eſt. Circumſpeximus, & non erat auxiliator. Ventum eſt ad commune refugium: illo confugimus, ibi confidimus liberari. Tantum adſit pietas, nam facultas non deeſt. Et quidem ex privilegio Sedis apoſtolicæ conſtat, ſummam rerum ad veſtram potiſſimum reſpicere ſummam auctoritatem & plenariam poteſtatem. (Sedem apoſtolicam nihil magis decet, quàm oppreſſis ſuccurrere.) Verum hoc inter cetera veſtri ſingularis primatus inſignia, ſpecialius nobiliuſque nobilitat veſtrum, & inclytum reddit apoſtolatum, ſi eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla meo judicio in corona veſtra pretioſior gemma zelo illo veſtro, quo æmulari conſueviſtis oppreſſos, nec relinquitis virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: nimirum propter illud quod ſequitur, *Ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas*; (Pſal. 124. 3.) vel propter illud quod alibi dicitur, *Quia dum ſuperbit impius, incenditur pauper*: (Pſal. 9. 29.) & unde alter torquetur in corpore, inde alter gravius in anima perit.

3. Eſt item monaſterium de noſtro Ordine vicinum huic, quod malorum ſimiliter hominum gravi infeſtatione vexatur, & non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Et pro hoc quoque puer veſter paterna veſtra viſcera lacrymoſis precibus concutere non veretur. Qui illi ſint homines, quæve occaſio calumniandi, præſentium lator Abbas veraci & viva voce referet vobis. Deus omnipotens vos nobis conſervet longis temporibus, ad noſtram omnium protectionem, qui in habitu & propoſito pœnitentiæ pauperem vitam ducimus: ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi. (Luc. 1. 74.)

Ad EUMDEM, unde ſupra.

EPISTOLA CXCIX.

Ann. CHR. MCXLI.

Rogat ſententiam pro Religioſis inique oppreſſis latam confirmari, nec ulterius aures præberi calumniis.

USquequo & ſuperbit impius, & incenditur pauper? uſquequo à tanta impudentia innocentia tanta vexatur, & hoc vivo Innocentio? Peccata ſine dubio noſtra hoc faciunt, quod dominus meus tam ſero advertit mentientes ſibi, tam lente exaudit clamantes ad ſe in hac cauſa dumtaxat. nam alias quidem ſcimus familiare eſſe domino meo, & cito intelligere, & facile miſereri. Propter eum qui elegit vos, & poſuit vos refugium oppreſſorum, ponite jam tandem finem & malitiæ oppreſſoris, & laboribus afflictorum: quia ſatis utraque res venit in lucem & manifeſtatio-

a In duobus Colbertinis, *ad Petrum Biſumptinum*, nullo addito titulo. in tertio, *Biſuntinum*, in quarto, *Biſupinum*: in primis editis, *ad Petrum Biſuntinum*: poſteriores addiderunt, *Decanum*, quidam, *Archidiaconum*. Monachum Caſæ-Dei, (quod eſt inſigne Ord S. Benedict. cœnobium apud Arvernos) fuiſſe conjiciebamus aliquando ex duabus ſequentibus epiſtolis, quæ de eodem ſcriptæ videbantur. At diverſos fuiſſe colligimus ex charta Anſerici archiepiſcopi Biſuntinenſis de Faverniaco, cui chartæ anno 1132. *Petrus de Trevia decanus S. Stephani* ſubſcribit cum Hugone archidiacono Faverniacenſi. Stat autem eccleſia S. Stephani cathedralis apud Veſontionem, uti & alia ſancti Johannis Evangeliſtæ, quæ ſola modo ſupereſt, alia nuper exciſa.

b Cariloctus, *Charlieu*, Claræ-vallis filia, cui tunc præfectus Guido abbas, laudatus in epiſtola ſequente, qui & ipſe prædicto Anſerici inſtrumento ſubſcripſit, ſitus eſt in diœceſi Biſuntina: Bellavallis, de linea Morimundi, prope urbem. De Cariloco in lib. 4. de vita Bernardi num. 40. de Bellavalle num. 7.

c Non aliud videtur iſtud monaſterium, quàm abbatia B. Mariæ de Faverniaco, quam Anſericus Biſuntinenſis archiepiſcopus Stephano de Mercorio, Caſæ-Dei tunc abbati, regendam conceſſit anno 1133. Hunc Stephanum merito *virum religioſum* vocat Bernardus, cum is miraculis fulſiſſe dicatur, mortuus IV. Kal. Aprilis anno 1146. De abbatia Faberniacenſi infra in epiſtola modo 391.

nem. Denique ad mandatum beneplaciti domini mei cauſa diſcuſſa, & terminata eſt: ſupereſt ut ipſius auctoritate data ſententia confirmetur. Ergone ſi venerit homo mendax adverſus tantorum virorum teſtimonium (Valentinum loquor, & Granopolitanum) * audietur? Iterum ſupplico, & ad pedes domini mei ea qua poſſum mente anxia deſcendo, ne ab homine iniquo & doloſo religioſum monaſterium deſtrui patiatur. Etenim non parcet noſtro, qui ſuum pæne deſtruxit. Unde addo ſolita præſumptione: Si puero veſtro crederetis, hominem hunc, qui beneficio pietatis veſtræ abutitur, in clauſtrum ſuum remitteretis, & domino Abbati Caſæ-Dei mandaretis, ut in monaſterio, quod ille inutiliter occupat, virum religioſum promoveret, & regularem ordinaret conventum. Hoc plane dignum apoſtolatu veſtro, hoc beneplacitum Deo, hoc honor domino Abbati Caſæ-Dei, ſuoque monaſterio. Sic etiam liberaretis animam prædicti hominis, & ipſum, cui incubat, monaſterium.

* ſ. Novas ad epiſt. 197.

Ad magiſtrum ULGERIUM Andegavenſem epiſcopum, pro gravi querela, quæ erat inter ipſum & Abbatiſſam [a] Fontis-Ebraldi.

EPISTOLA CC.

Circ. ann. MCXL

1. LAcrymas magis quàm litteras dare libet. Sed quoniam ad neutrum inops eſt caritas; & has oportet dare, & illas non omittere: has vobis, illas mihi, & puſillis multis mei ſimilibus, qui ſcandalizantur. Dicitis forſitan ſcandalum non eſſe per vos. Numquid propter vos eſſe negabitis? Facile cetera portarem, tantum vos non eſſetis in cauſa. Nam in culpa dicere non audeo. Non eſt meum diſcutere hoc: eſt qui quærat & judicet. Væ homini illi per quem ſcandalum venit; judicium profecto portabit quiſquis eſt ille, vel illa. Ceterum ad vos mihi nunc ſermo: ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ. Quia ſemel cœpi, loquar ad dominum meum: faciam ſatis vel ex parte zelo & affectui qui loquitur. Non verebor ætatem, dignitate non terrebor, non cunctabor ad nomen grande magiſtri Ulgerii. Nam quo grandius nomen, eo grandius ſcandalum. Propterea meipſum tranſgrediar, & ero inſipiens. Seniorem increpabo, Epiſcopum arguam, magiſtrum conabor docere, conſilium dare ſapienti. Nullum præſumptionis genus prætereat caritas & æmulatio, quam olim pro ſanctitate & gloria nominis veſtri conceperam. Cujus gloriæ diffuſum circumquaque ſpiritualem odorem, invidia diaboli interpolatum eſſe vel modice, mihi pro modico non eſt, ſed neque Eccleſiæ Dei, quæ ubique tam celebri gaudio in hoc meridiano lumine exultare ſolebat.

Correptio à caritate imperata non attendit perſonam.

2. Verum vos quantum propriam gloriam contemnatis, ſatis apparet. Laudo, ſed ſi non uſque ad injuriam Dei. Laudo & conſtantiam, qua nec ſummis poteſtatibus ceditis de jure veſtro, quod putatis: ſed ſi non pertinacius, quàm conſtantius id agi à vobis videretur. Quàm glorioſius, & certe ſanctius vobis, illatam injuriam fortiter ſuſtineretis, & famam veſtram ad gloriam Dei cuſtodiretis? quamquam neſcio quomodo vel conſcientiam veſtram eſſe in tuto confiditis ſub hoc ſcandalo. Nec enim excuſat vos, etiamſi in quempiam alterum jure culpam refunditis. Eſto quod alius moverit ſcandalum: profecto compeſcere vos poteſtis. Nolle compeſcere, ſine culpa erit: aut vero compeſcere, ſine gloria erit? Malum ſi comprimas tuum, reputabitur tibi ad juſtitiam; ſi alienum, ad gloriam. Quicumque auctor ſit ſcandali, à vobis omnimodis exigitur tolli: & in eo loco excuſatum dicimus, ſi non poteſtis. An non denique miniſterium eſt Angelorum, tollere ſcandala de regno Dei? Si dixeritis, quid ad nos? arguet vos illa ſententia: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore ejus; angelus enim Domini eſt.* Si ergo hoc ſcandalum cum poſſitis, non tollitis; plane non impletis miniſterium veſtrum. quod quidem an nulla ſit culpa, vos judicabitis. Ego vero nec hoc ſufficere dixerim, ſi non & honorificatis.

Scandalum qui poteſt, tollere tenetur.

Matth. 13. 41.

Malac. 2. 7.

3. Eſt quoque quod adhuc addam, niſi quia timidior ſum, fateor, quàm promiſi. Sed tutius adduco Magiſtrum, qui non vereatur Epiſcopus Epiſcopo nudam dicere veritatem. *Hoc ipſum*, inquit, *delictum eſt in vobis, quod cauſas habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini?* Oppoſuit ſpeculum, refulſit juſtitiæ ſol, emicuit veritas, nævus apparuit. Quanti eſt igitur neſcio quæ illa poſſeſſiuncula maledicta, ut ulterius jam poſſit aut obumbrare tam manifeſtam veritatem, aut impedire tam optatam correptionem? Inſpiret Deus vobis acquieſcere conſilio, ut non dicam noſtro, ſed omnium qui æmulantur vos Dei æmulatione, reverende & omni gloria proſequende Pater.

1. Cor. 6. 7.

Ad BALDUINUM abbatem Reatini [b] monaſterii.

EPISTOLA CCI.

Hortatur ut ſtrenue incumbat officio ſuo: huic vero requirit verbum prædicationis, exemplum operis, & præcipue ſtudium orationis.

1. EPiſtola quam miſiſti, affectum tuum redolet, movet meum. Et doleo quod prout moveor, non poſſum reſcribere. Nec immoror in excuſandis excuſationibus, ſciens quod ſcienti me loquor. Noſti, inquam, ſub qua ſarcina gemo: & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Tu vero pro ſchedulæ brevitate affectum non æſtimes, quem nulla ſui prolixitate explicare poſſet oratio. Et malitia quidem occupationum poteſt facere, ut paucis ſcribam, ſed non ut parum diligam. Actum ſane excludat, vel impediat actus: ſed numquid affectum? Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam, hærentem lateri meo, placentem cordi meo. Diligam & abſentem, ne ſolatium meum ex te, & non te videar dilexiſſe. Eras perneceſſarius mihi. Atque hinc vel maxime claret, quam ſincere te diligam. Hodie nempe non te caruiſſem, ſi quæſiſſem quæ mea ſunt. Nunc autem vides, quod ſpretis utilitatibus meis, tuis compendiis non invidi, ponens te utique ibi, unde aliquando tranſponaris ſuper omnia bona Domini tui.

2. Tu autem cura inveniri fidelis ſervus & prudens, conſervis tuis cæleſte triticum communicare abſque invidia, & abſque deſidia erogare; & noli fruſtra aſſumere excuſationem, quaſi de tui novitate aut de imperitia, quod putas forte, vel ſimulas. Nam nec ſterilis verecundia grata eſt, nec humilitas præter veritatem laudabilis. Officium ergo tuum attende. Pelle pudorem conſideratione officii, age ut magiſter. Novus es, ſed debitor: & ex tunc te noveris debitorem, ex quo te alligaſti. Numquid novitas excuſabit apud creditorem * damna lucrorum? Numquid prima tempora vacua præterire patitur fœnerator? Sed non ſum, inquies, ad iſta ſufficiens. Quaſi vero devotio tua accepta non ſit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes. De ſolo tibi credito talento reſpondere tibi para,

Prælati pudor noxius.

Humilitas præter veritatem non laudabilis.

* al. conditorem.

Talento utendum

a Petronillam ſcilicet abbatiſſam primam, cui anno 1150. ſucceſſit Mathildis. Petronillæ obitus in Necrologio ponitur VIII. Kal. Maii, ubi conſtituta dicitur abbatiſſa a magiſtro Roberto Ordinis Fontis-Ebraldi auctore, quod inſigne virginum cœnobium eſt in diœceſi Pictavenſi, haud procul à finibus Turonum & Andegavorum. Gravis fuit controverſia ejus loci ſanctimonialibus intentata ab Ulgerio epiſcopo Andegavenſi, cujus religionem & ſcientiam prædicat Ordericus in lib. 12. pag. 882. ad annum 1124. quo anno is Rainaldo ad Remorum ſedem tranſlato ſuffectus eſt, ſapientia, moribus, ſanctitate ceteris epiſcopis ſui temporis præcellens, ex actis Epiſcoporum Cenomanenſium tomo 3. Analectorum pag. 313. Is hujuſce litis gratia Romam non ſemel ſe contulit ad Innocentium & Lucium, qui Sanctimonialium patrocinium ſuſcepere, ut patet ex eorum bullis editis, tum in Hiſtoria Fontis-Ebraldi, tum in diſſertatione ſecunda pro B. Roberto de Arbriſſellis. Vide epiſtolam 340.

b Alius hic fuit à Balduino cardinale, Bernardi itidem diſcipulo, de quo ad epiſtolam 144 & 145. Hic enim cardinalis tum erat, cum Balduinus alter regebat Reatinum monaſterium Ciſtercienſe, quod duplex eſt, alterum S. Matthæi, alterum ſancti Paſtoris, cui præfectus Balduinus. Lege Ughelli additiones ad Ciaconium ſub Innocentio II. & aliam epiſtolam ad Reatinum abbatem poſt Bernardinas.

ſecurus

ſecurus de reliquo. Si multum accepiſti da multum: quod ſi modicum eſt, & id tribue. Etenim qui in modico fidelis non eſt, nec in maximo. Totum da, quia totum repetendus es uſque ad noviſſimum quadrantem: ſed ſane quod habes, non quod non habes.

Memento etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? Ut opera tua verbis concinant, imo verba operibus, ut cures videlicet prius facere quam docere. PULCHERRIMUS ORDO eſt & ſaluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior: & ex te diſcas, qualiter oporteat aliis moderari. Alioquin ſubſannabit te Sapiens, utpote pigrum illum, cui labor ſit manum porrigere ad os: arguet te & Apoſtolus dicens: *Tu qui alios doces, teipſum non doces.* Sed & notaberis vitio Phariſæorum, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. SERMO quidem vivus & efficax, exemplum eſt operis, facile faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur *. Ergo in his duobus mandatis, verbi ſcilicet, atque exempli, ſummam tui officii ad conſcientiæ ſecuritatem pendere intellige. Tu tamen, ſi ſapis, junges & tertium, ſtudium videlicet orationis, ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de paſcendis ovibus. IN HOC noveris illius trinitatis ſacramentum in nullo fruſtratum à te, ſi paſcas verbo, paſcas exemplo, paſcas & ſanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc: verbum, exemplum, oratio: major autem his eſt oratio. Nam etſi, ut dictum eſt, vocis virtus ſit opus: & operi tamen, & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. Heu avellor, abripior! non licet ultra. Illud tamen breviter admonitus ſis, ut quam citius poteris, gravi me cures ſolvere cura; & quid ſibi vult, quod inter alia queſtus es, vulnus à quo non ſperabas te pertuliſſe, non negligas manifeſtius aperire: id enim anxie me ſollicitat.

Ad CLERUM Senonenſem a.

EPISTOLA CCII.

Ann. CHR. MCLIV

Electionem novi Præſulis non inconſulte & præcipitanter inſtituendam.

DEſtituti benedicto paſtore veſtro a, opus eſt, cariſſimi, ut de ſubſtituendo alio ſollicite ſatagatis. Sed ſane id non præcipitanter agendum, non tumultuoſe, aut inconſulte: ne forte vacuetur, quod præter rationem & ordinem præſumetur; & vos intrare incipiatis circuitum quorumdam, qui in circuitu veſtro ſunt. De vicinis, ſi placet, eccleſiis b ſumite experimentum; & illarum vexatio det intellectum auditui in cauſa præſenti. Grandis quippe res eſt in manibus, nobili Senonenſi eccleſiæ inſtaurare paſtorem. Grandis prorſus, nec ſine grandi adorienda conſilio. Exſpectandum proinde Suffraganeorum conſilium Epiſcoporum, exſpectandus aſſenſus Religioſorum qui ſunt in epiſcopatu, atque in commune tractandum commune negotium. Alioquin, dilectiſſimi, moleſte, credite, intuebimur tribulationem eccleſiæ veſtræ, moleſte veſtram ipſorum confuſionem. Quod utrumque continget facile, ſi illud contingat effici, quod oporteat revocari. Ergo indicatur jejunium, convocentur Epiſcopi, Religioſi adſciſcantur: nec ſua (quod abſit) ſollemnitate fraudetur tanti Sacerdotis rite celebranda electio. Aderit, ut confidimus, Spiritus-ſanctus votis veſtris, & honor erit vo-

A bis honorificantibus miniſterium veſtrum, dum pari voto & conſilio ſtudueritis quod gloria ſit Dei, & ſalus populi.

Ad ATTONEM epiſcopum & Clerum Trecenſem.

EPISTOLA CCIII.

Circ. ann. MCXL.

Monet ut Anſellum clericum Trecenſem ab armis & conjugio revocent.

LEgimus, *Si erraverit quis ex vobis à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam* (Jac. 5.) B *ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Errat Anſellus noſter, errat. cui dubium? Si dimittimus eum ſic, non ſolus errabit. Quantos trahet poſt ſe ſuo exemplo illuſtriſſimus juvenis? Nec modo ſequaces, ſed & omnes qui poterunt eum revocare, nec revocabunt, eodem errore judicamus involvi. Mundus ego ſum à ſanguine ejus. Et ei prædixi per epiſtolam, & vobis nunc dico, quia rem illicitam præſumit. Nec clerici eſt pugnare armis militaribus, nec ſubdiaconi c uxorem ducere. Annuntiate peccatori opus ejus, ne ille in peccato ſuo moriatur, ſanguinem vero ejus de manu veſtra requirat, qui ſuo eum redemit ſanguine pretioſo. En de cælo clamat: B Virgo Iſraël corruit, & non eſt qui ſublevet eam. (Amos 5. 2.) Quouſque in luto aurum jacet? Tollite margaritam, tollite, levate ſplendidiſſimam atque pretioſiſſimam gemmam de ſterquilinio: levate eam, antequam porcorum, id eſt ſpurcorum ſpirituum, pedibus conculcetur, & jam non ſit vas in honorem, ſed in contumeliam.

c Clerico pugnare non licet, nec Subdiacono nubere.

Ad ABBATEM ſancti Albini d.

EPISTOLA CCIV.

Circ. ann. MCXL.

Suum erga eum affectum aperit: mutuum vero conſpectum, ſi præſens vita non permittat, futuræ reſervari.

C ETſi facie ignotus es mihi, ſed non fama: nec parum aut vile quid tui gratulor me tenere munere illius. Nam talis fateor per eam inſinuatus es meo pectori, ut licet in multis occupatum, ipſa tamen ſereniſſima recordatio tui, mi dilectiſſime * frater, facile me plerumque ex omnibus vindicet ſibi, ita ut in ea libenter immorer, & ſuaviter requieſcam. Ceterum quo memoriam plus accepto, eo avidius ſuſpiro præſentiam. Sed quando iſtud, aut ſi quando iſtud? Utique etſi non ante, profecto in civitate Dei noſtri: ſi tamen non habemus hic manentem civitatem, ſed D illam inquirimus. Ibi, ibi videbimus nos, & gaudebit cor noſtrum. Interim vero delectabor & lætabor nihilominus in his quæ dicta ſunt mihi, ſperans & exſpectans quod reliquum eſt de viſione corporali in die Domini; ut gaudium meum plenum ſit. Adde obſecro ad ea bona quæ abs te & de te nobis aſſidue veniunt, tuas tuorumque pro nobis orationes, Pater cariſſime & deſideratiſſime.

* al. dulciſſime.

Ad EPISCOPUM Roffenſem e.

EPISTOLA CCV.

Circ. ann. MCXL.

Durius ſe litteris ejus, ſed citra culpam, perſtringi.

E DUre ſcribitis non merenti. Quid peccavi? Si monui magiſtrum Robertum Pullum f aliquan-

a Henrico ſcilicet, cui ſucceſſit anno 1144. Hugo ex abbate Pontiniacenſi, teſtante Chronico Hugonis monachi S. Mariani, & alio S. Petri Vivi. Confer epiſtolam 182.

b Intellige eccleſias Aurelianenſem, de qua epiſtola 156. Catalaunenſem ex epiſtola 224 & Lingonenſem, de qua ſupra in epiſtolis 164 & ſequentibus.

c De cœlibatu ſubdiaconorum lege Gregorii M. epiſtolam 42. lib. 1. &c.

d Alii *S. Albani*, quod nobile monaſterium erat apud Anglos Mercios, ab Offa rege conſtructum. Sed præferenda lectio noſtra de monaſterio S. Albini apud Andegavos, ex quo Guillelmus tranſiens, *ſuſceptus eſt à Bernardo abbate, tanta gratia virtutum radiavit, ut in omni ſanctitate mirabilis appareret etiam quibuſcumque perfectis*, Exord. Ciſterc. lib. 3. cap. 14.

e Alii *Roverenſem* ſeu *Rovrenſem*, ſed rectius Roffenſem, *Rocheſter* in Anglia, cui ſedi tunc præſidebat Aſcelinus ſeu Anſelmus, qui anno 1137 Johanni ſucceſſit in annos decem.

f Robertus Pullus, tunc celebris Doctor, poſtea cardinalis. Notæ in fine.

tum tempus facere Pariſius, ob ſanam doctrinam quæ A apud illum eſſe dignoſcitur; id putavi neceſſarium, & adhuc puto. Si rogavi ſublimitatem veſtram ut permitteretis, etiam nunc idipſum rogarem, niſi eam de priori prece indignatam ſenſiſſem. Si dixi hominem fultum gratia amicorum, quorum in curia [a] non minima auctoritas eſt: id dixi, quod vobis formidavi, & adhuc formido. Nam quod poſt appellationem factam extendiſtis manum (ut accepimus) ad res appellantis; nec laudavi, nec laudo. Verumtamen voluntati veſtræ in aliquo contradicere nec conſului ei, nec conſulo. De cetero veſtri ſumus, coronam [b] veſtram ſuſcipere, & colere ſemper digna & debita veneratione parati. Hujus teſtimonio conſcientiæ audemus adhuc ad B vos, prece dumtaxat atque conſilio, ut magiſter Robertus cum integritate gratiæ veſtræ per aliquantum tempus poſſit Pariſius demorari. Retribuat vobis Dominus in vita æterna, quod viſcera noſtra refoviſtis: filios noſtros loquor, quos miſimus in Hiberniam.

Ad Reginam [c] Jeroſolymorum.

EPISTOLA CCVI.

Commendat quemdam conſanguineum ſuum, & paucis monet Reginam ita vivere, ut regnet perpetuo.

AUdierunt homines, quod locum gratiæ habeam apud vos: & multi profecturi Jeroſolymam petunt ſe veſtræ excellentiæ per me commendari. Ex quibus eſt iſte juvenis conſanguineus meus, juvenis, ut aiunt, ſtrenuus in armis, ſuavis in moribus. Et gaudeo quod ad tempus elegit militare Deo magis quàm ſæculo. Itaque facite morem veſtrum, & bene ſit huic propter me: ſicut ceteris omnibus propinquis meis fuit, qui per me vobis innoteſcere potuerunt. De cetero cavete, ne voluptas carnis & gloria temporalis impediant vobis iter regni cæleſtis. Nam quid prodeſt paucis diebus regnare ſuper terram, & regno cælorum æterno privari? Sed confido in Domino, quod melius facietis: & ſi verum eſt teſtimonium quod de vobis perhibet cariſſimus avunculus meus Andreas [*], cui multum credimus; & hic, & in æternum Deo miſerante regnabitis. Peregrinis, egenis, & maxime incluſis curam impendite: quia talibus hoſtiis promeretur Deus. Scribite nobis frequentius: quia & vobis non oberit, & nobis proderit, ſi eſſe [*] veſtrum, & bona ſtudia plenius certiuſque noverimus.

(Margin: Exprimenta monitum ad Reginam. — * ad quem epiſt. 288. — * id eſt ſtatum.)

Ad Rogerium regem Siciliæ.

EPISTOLA CCVII.

(Margin: Ann. CHR. MCXXXIX.)

Hortatur ut ſe pauperibus Religioſis benignum & beneficum exhibeat.

LOnge lateque ſatis dilatata eſt magnificentia veſtra ſuper terram †. Etenim gloria nominis veſtri quos fines non attigit? Sed audite conſilium diligentis vos. Studete, quod in vobis eſt, hanc ipſam gloriam referre ad illum à quo eſt, ſi non vultis eam perdere, aut certe perdi ab ea. Hoc autem ſic fiet, ſi inter eos, quos regiæ magnificentiæ celebris opinio evocat de longinquo, diſcretionis oculum aperitis, manumque extenditis non tam cupidis, quàm egenis. Et vere *beatus qui intelligit*, non ſuper cupidum, *ſed ſuper egenum & pauperem*. F Illum, inquam, pauperem qui invitus petit, & verecunde accipit, & accipiens glorificat Patrem ſuum qui in cælis eſt. Cum autem Deo ſua gloria de veſtro munere ex ore egentium ita fideliter reſignabitur; uberiori proculdubio rivo fluat vobis neceſſe eſt ille fons gloriæ, qui diligentes ſe diligit, & glorificat glorificantes ſe: ut qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metat. Pro hujuſmodi obſecro vos ponere oculos veſtros ſuper latorem præſentium, quem pro certo ad veſtram regiam præſentiam non cupiditas traxit, ſed coëgit neceſſitas. Neceſſitas dico non ſua, ſed ſuorum, multorum videlicet, à quibus miſſus eſt, ſervorum Dei fidelium. Audite patienter quid patiantur, audite, & compatimini, quia ſi compatimini & conregnabitis. Nec contemnendum Regi regnare cum talibus: ipſorum eſt enim regnum cælorum, qui contempſerunt vitam mundi. Facite vobis illos amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis à terreno regno veſtro, recipiant vos in ſuum regnum æternum. Luc. 16. 9.

(Margin: † V. Notas. — Principis gloria ex eleemoſyna. — Pſal. 40. 1. — 2. Cor. 6.)

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCVIII.

(Margin: Ann. CHR. MCXXXIX.)

Deſideratus à Rege mittit ex ſuis, quos ut viſcera ſua benigne ſuſcipi & foveri rogat.

SI me quæritis, ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas inveniſſe gratiam apud regiam majeſtatem, ita ut quærat videre me. Et quis ego ſum, ut diſſimulem beneplacitum Regis? Accurro, & qui quærebar, ecce adſum: non in præſentia corporis infirma, in qua deſpexit Dominum Herodes: attamen in viſceribus meis. Luc. 23. 11. C Nam quis me ſeparabit ab his? Sequar eos quocumque ierint: & ſi habitaverint in extremis maris, non erunt abſque me. Habes, Rex, lumen oculorum meorum, habes cor meum, & animam meam. Quid ſi modicum noſtri abeſt? Corpuſculum loquor, vile iſtud mancipium, quod etſi voluntas exponeret, ſed retineret neceſſitas. Non valet ſequi volantem animum, quoniam infirmum eſt, & ſolum pene illi ſupereſt ſepulcrum. Sed quæ cura? Anima mea in bonis demorabitur, cum ſemen meum hereditabit terram. Semen meum, ſemen bonum. Germinabit, ſi tamen in terram bonam ceciderit. Lætabitur & delectabitur in craſſitudine anima mea, quippe (ut confido) dabitur illi de fru- D ctu manuum ſuarum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, ut patienter feram ab his vel corpore ſeparari. Non mireris, Rex. Ante elegiſſem à corpore peregrinari, quàm iſtos emittere, ſi ſolus cauſæ deeſſet Deus. Suſcipe illos tamquam advenas & peregrinos, verumtamen cives ſanctorum, & domeſticos Dei. Parum dixi cives: reges ſunt. Ipſorum eſt enim regnum cælorum, jure & merito paupertatis. Non decet fruſtra è longinquo eſſe vocatos, & ſuis ſedibus exſules inutili peregrinatione vagari. Putas poterunt cantare canticum Domini in terra aliena? Sed non recte forte dixerim alienam, quæ ſemini bono ſpontaneum expandit ſinum, & pretioſum depoſitum jam læto in gremio pie E fovere ſuſcepit. Cecidit, ut video, cecidit granum bonum in terram bonam & optimam: ſpero in Domino quod radicabit, germinabit, multiplicabitur, & referet fructum in patientia. Luc. 13. 23. Porro hunc cum Rege partibor, & unuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet. 1. Cor. 3. 8.

(Margin: Vide tenerum Sancti erga ſuos affectum. — Religioſi pauperes reges ſunt.)

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCIX.

Prædicat regiam ejus munificentiam in ſuſcipiendis & fovendis Religioſis à ſe miſſis.

HAbetis quod petiiſtis, feciſtis quod promiſiſtis. Quos in verbo veſtro expoſuimus, & miſimus, peregrinari, regia ſunt liberalitate ſuſcepti. Occurriſtis eis cum panibus, eduxiſtis eos in refrigerium, conſtituiſtis eos ſuper excelſam terram, ut comedant fructus agrorum, ut ſugant mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo; butyrum de armento, & lac de ovibus, & ficus cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ

a Curiæ nomine Bernardus ſolet intelligere Romanam, ut in titulo epiſtolæ 219. & alibi paſſim.

b Coronæ elogio vir ſanctus, more veterum, non raro compellat epiſcopos, uti & reges, infra epiſtola 221 num. 3. & 5.

c Hæc vocabatur Meliſendis, ad quam epiſtola 289. 354. & 355.

bibant meraciſſimum. Et hæc quidem terrena ſunt, ſed cæleſtia mercantur. Sic itur ad aſtra: talibus hoſtiis promeretur Deus. Iſtorum eſt enim regnum cælorum, qui regi terræ in terra viventium reddere poterunt pro his terrenis vitam & gloriam ſempiternam. Miſimus vobis magiſtrum Brunonem, olim mihi per dies multos individuum comitem, nunc autem patrem multarum quidem animarum lætantium in Chriſto, ſed egentium in ſæculo. Experiatur & ipſe munificam manum regis, ut augeatur numerus amicorum, qui ipſum recipiant in æterna tabernacula. Quod illi facitis, mihi facitis: quia quod illi deeſt, à me exigitur. At quia marſupium noſtrum minus ſufficiens eſt; ad veſtrum ſane, quod aliquanto groſſius eſſe liquet, pauperem Chriſti merito deſtinare curavi.

Ad dominum Papam INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCX.

Circ. ann. MCXXIX.

Remenſem Præſulem Pontifici commendat.

DOminum Remenſem [a] gloriæ veſtræ commendamus, non tamquam de ceteris, ſed vere præ ceteris unum: idque tam ſecure, quàm ſecuri ſumus de ſua erga vos fideli devotione, ſincera dilectione, voluntate ſubdita atque obedientiſſima. Honoretur, quoniam vas eſt in honorem. Sentiat, quod in vobis eſt, non fruſtra ſe honorificare miniſterium ſuum: non fruſtra pollere his moribus, quibus honoretur Deus, ornetur Eccleſia, qui denique deceant Domini ſacerdotem.

[a] Sanſonem.

Ad EUNDEM.

EPISTOLA CCXI.

Circ. ann. MCXXXIX.

Cauſam Cantuarienſis Archiepiſcopi, necnon Londinenſis Epiſcopi commendat.

DOminus Cantuarienſis *, vir bonus, & teſtimonium habens à bonis, injuſte in cauſam trahitur, & ab agendo violenter retrahitur. Parabat iter: nam in veſtra præſentia fuerat terminanda: & ecce intercipitur à turbine & tempeſtate bellorum. Sit excuſatus apud vos, cui moleſta eſt excuſandi neceſſitas: tum quia præſumit de juſtitia, tum quia deſiderio deſiderabat videre faciem veſtram. Addit & hoc puer veſter, ut ſi qua alia petitio eſt venerabilis Sacerdotis [a], tanto citius admittatur, quanto dignior eſt qui petit. Audeo adhuc, & quia ſemel cœpi, loquar ad dominum meum. Ille, ille antiquus amicus, fidelis ſervus, devotus filius (Robertum loquor Londonenſem epiſcopum) clamat ad vos, quod occupator ille, qui eum prævenit in ſedem, quam Deo auctore ipſe ſortitus eſt, ipſius eccleſiæ vadia * terraſque diſtraxerit, & diſtracta reſtituere nolit. Quod quàm ſit injurioſum, & qualiter corrigendum, meæ humilitatis non eſt tantæ ſapientiæ prædictare.

* Theobaldus, antea Beccenſis Abbas.

* i. pignora ſeu hypothecas.

Ad EUNDEM.

EPISTOLA CCXII.

An. CHR. MCXXXIX.

Cauſam Salamanticenſis Epiſcopi pathetice agit apud Pontificem, inſignem ejus humilitatem commendans.

VIr illuſtris, Salamanticenſis quondam epiſcopus [b], rediens ab Urbe, non pigritavit divertere ad puerum veſtrum, & auxilium ab homunculo flagitare non deſpexit. Quo audito, recordatus ſum prophetiæ dicentis: *Montes & colles coram Deo humiliabuntur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.* (Iſa. 40. 4.) Sic vos ludere noſtis, alta comprimere, ſedare tumentia, & A enormia redigere in menſuram. Verumtamen cum tragœdiæ ſuæ hiſtoriam in auribus meis homo ſeriatim expoſuiſſet, laudavi judicem, judicium approbavi; ſed, dico vobis, compaſſus ſum judicato. Sic quippe totam ſuam lacrymoſam illam orationem concluſit, tamquam in calce ipſius diceret cum Propheta: *Exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus* (Pſal. 87. 16.); &, *Quia elevans alliſiſti me.* (Pſal. 101. 11.) Cumque memorarer juſtitiæ veſtræ, & virilis animi quem ſciebam; cœpi tamen ſimul cogitare divitias miſerationum veſtrarum, quas in plurimis expertus ſum, & dixi: Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat dominus, & relinquat poſt ſe B benedictionem? Certe, inquam, in omnibus & per omnia inſtructus eſt & æmulari, & ignoſcere, & debellare ſuperbos, & parcere nihilominus ſubjectis: niſi quod magiſtrum ſeqoens, etiam conſuevit miſericordiam ſuperexaltare judicio. Et acquievi ſolita illa mea præſumptione loqui ad dominum meum, cum ſim pulvis & cinis. Et miniſtrabat materiam ſpei, preci fiduciam, pietati rationem, quod adverterem hominem, non, ut aſſolet, verſum in furorem cum indignatione recedere, & repetere natale ſolum, moliri ſcandala, tentare ſeditiones: ſed dedit locum iræ, & induit ſpiritum manſuetudinis, & declinavit ad veC ſtros Cluniacenſes, & inclinavit ſe humilium genibus, humilium precibus communivit, armis potentibus à Deo. His telis ſtatuit adverſum vos dimicare, & rigoris veſtri murum oppoſitum ſibi talibus, ut jactat, pietatis machinis labefactare conabitur. Confidit autem quod reſpicietis in orationem humilium, nec ſpernetis precem eorum; & vincet pietas, quem tremunt poteſtates. Ego quoque ſecurus cum talibus tendo manus, flecto genua, ſupplico pro ſupplici: audacter pronuntians, debere miſero ſuam prodeſſe humilitatem, cui adeo inſolentia ſua nocuit; nec decere virtutem vinci à vitio in retributione.

D

Ad EUNDEM.

EPISTOLA CCXIII.

Ann. CHR. MCXXXIX.

Expoſtulat cum Pontifice, quod reconciliatio Petri Piſani opera ſua, & auctoritate ipſius Papa facta irritetur.

QUis mihi faciet juſtitiam de vobis? Si haberem judicem ad quem vos trahere poſſem, jam nunc oſtenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Exſtat quidem tribunal Chriſti: ſed abſit, ut ad illud appellem vos, qui illic (ſi vobis neceſſarium, & mihi poſſibile eſſet) vellem magis totis viribus ſtare, & reſpondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui E in præſenti datum eſt judicare de univerſis, hoc eſt ad vos. Vos appello ad vos: vos judicate inter me & vos. In quo, quæſo, puer veſter tam male meruit de veſtra paternitate, ut eum inurere & inſignire placeret nota & nomine proditoris? Numquid non me veſtrum vicarium dignatio veſtra conſtituit in reconciliatione petri Piſani *, ſi forte illum Deus per me revocare à fæce ſchiſmatis dignaretur? Si negatis, probabo tot teſtibus, quot in curia tunc temporis fuerunt. Numquid non denique poſt hæc, juxta verbum domini mei, homo in ſuo ordine & honore receptus eſt? Quiſnam ergo conſtantiæ veſtræ ſuo conſilio, vel magis ſuo dolo F ſubripuit indulta repetere, & quæ proceſſere de labiis veſtris, facere irrita? Et hoc ego dixerim, non ut apoſtolicum reprehendam rigorem, & zelum igne Dei ſuccenſum contra ſchiſmaticos, qui in ſpiritu vehementi conterat naves Tharſis, & inſtar Phinees confodiat fornicantes, juxta illud: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* (Pſal. 138. 21.) ſed ubi non eſt par culpa, par plane non debet procedere

* V. vitam S. Bern. lib. 2. cap. 7.

a Retinet Bernardus antiqua paſſim vocabula, antiquitatis ſciens & ſtudioſus, ut hic *Sacerdotis*, quo nomine Sacerdotes etiam primi Ordinis antiquitus appellari ſolebant, ſupra in epiſtolis 61. 202 &c.

b Petrus nempe, qui cum Salamanticenſis eccleſia diuturno ſchiſmate ſubtriplici capite laboraret, ipſe poſſeſſionis jure gaudens Romam vocatus eſt ab Innocentio, qui Petrum alioſque contendentes a dignitate amovit. Petrus vero ad Cluniacenſes ſe conferens, tum ad Bernardum, reſtitutionem fortaſſe obtinuiſſet, niſi Toletanus, Zamorenſis, & Segovienſis præſules, ab Alfonſo rege miſſi, interceſſiſſent, & electionem Berengarii ipſius Alfonſi cancellarii promoviſſent. Hæc ex Manrique ad annum 1139.

Pœna peccati ut moderanda.

pœna : nec convenit eadem involvi ſententia eum A qui peccatum, cum his quos magis peccatum deſeruit. Propter eum qui ut peccatoribus parceret, ſibi ipſi non pepercit, auferte opprobrium meum, & reſtituendo quem ſtatuiſtis, veſtræ etiam tam ſanæ & integræ opinioni conſulite. Super hoc jam alia vice ſcripſeram vobis : ſed quia non eſt reſponſum mihi, puto non pervenit ad vos hoc ipſum, quod ſcripſeram.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCXIV.

Circ. Ann. MCXL.

Epiſcopum Cameracenſem & abbatem Godeſcalcum commendat.

B

SI cura, ſi memoria quantulacumque mei exſtat adhuc in corde domini mei, & ſi qua portiuncula antiquæ gratiæ invenitur etiam nunc in oculis ejus à puero ejus; liceat hanc experiri viro nobili & humili Nicolao [a] Cameracenſi epiſcopo. Fateor me obnoxium illi, & omnium quæ pro eo facere valeo debitorem : non ſolum quia ubicumque poteſt, honorat nos & noſtros, ſed & propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, quæ eum etiam apud vos commendabilem reddere poſſunt. Et (niſi fallor) qui eum tribulant, falſi ſunt, & non eſt in ore eorum C veritas. Denique vos probabitis, & non eſt mihi verbis laborandum ſuper hoc. Eſt præterea cum eo vir religioſus & ſanctus Godeſcalcus abbas [b], pro quo ſimiliter ſi quid ad merita ejus noſtra interventio addere poteſt, obnixe oro, ut in ſuis petitionibus exaudiatur. Arbitror enim nullam illum facere, quæ non digna ſit exaudiri.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCXV.

Circ. Ann. MCXL.

Pro Epiſcopo & Decano Autiſiodorenſi.

D

SCribo vobis frequentiſſime vilis vermiculus, & in hanc impellor audaciam precibus amicorum. Fateor audax ſum, ſed non mendax. Non ſuſpicetur dominus meus in ore pueri ſui inventum iri mendacium in omnibus quæ ad ipſum ſcripſerit. Volo amicis gerere morem, non tamen in meam mortem. Nec (Sapien. 1. 11.) enim ignoro ubi legerim : *Os quod mentitur, occidit animam.* Falſitatem proinde nego, importunitatem non excuſo : ipſa inveniat veniam, cetera non timemus. (* Hugo.) Amicus eſt dominus Autiſiodorenſis * Epiſcopus, & præcipuus : quis neſciat ? Habet quam communicet amico anxietatem, non falſitatem. Fidelem pro Decano ipſius aſſerimus excuſationem, abſolutio- E nem exigimus. Filii ſumus unius patris (quod ſolita (Pſal. 144. 19.) præſumptione loquor) qui eſtis vos. Confidimus, quia non repellet filios pater, ſed voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & lætos faciet illos.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCXVI.

Ann. Chr. MCXLII.

Comitem Radulfum, qui repudiata uxore ſua aliam duxerat, patronos in curia reperire queritur.

SCriptum eſt, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* (Matth. 19. 9.) Surrexerunt viri audaces [c], qui non timuerunt conjunctos à Deo contra Deum disjungere. Neque id ſolum, inſuper & adjecerunt conjungere non conjungendos, addentes prævaricationem. Lacerantur ſacra Eccleſiæ, ſcinduntur, pro dolor ! veſtes Chriſti, idque ad cumulum doloris, ab his à quibus reſarciri debuerant. Amici tui, Deus, & proximi tui adverſum te (Pſal. 37. 12.) appropinquaverunt, & ſteterunt. Nam qui mandatum tuum tranſgrediuntur, non ſunt alieni, non ſunt extranei à ſanctuario tuo, ſed eorum hodie locum tenent, quibus dixiſti : *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* (Johan. 4. 15.) Comitem Radulfum & uxorem ejus Deus conjunxerat per miniſtros Eccleſiæ, & Eccleſia per Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Quomodo quos Eccleſia conjunxit, disjunxit camera ? In quo facto illud ſolum convenienter proviſum eſt, quod in tenebris facta ſunt opera tenebrarum. Qui enim male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus à luce. Quid meruit Comes Theobaldus ? Quid peccavit homo ille ? Si peccatum eſt quod diligit juſtitiam, & odit iniquitatem; non poteſt excuſari. Si peccatum eſt, quod reddidit Regi quæ regis ſunt, & quæ ſunt Dei Deo; non poteſt excuſari. Si Archiepiſcopum [d] Bituricenſem ſuſcepit ad imperium veſtrum; hoc eſt maximum & primum peccatum. En ſanguis iſte de manu ejus exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniam ſequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde ſuo, ut injuria filii veſtri & oppreſſionem Eccleſiæ digna animadverſione vindicetis, & artifices hujus ſceleris cum ipſo eorum capite, cui quicquid libuit, licuit, apoſtolico vigore coërceatis, ut in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCXVII.

Ann. Chr. MCXLII.

Theobaldum cauſa juſtitiæ, & fidelitatis erga Sedem apoſtolicam, premi queritur : ſed ad iniqua promiſſa compulſum ope Pontificis expediri rogat.

TRibulatio & anguſtia invenerunt nos. Commota eſt & contremuit terra in mortibus hominum, in exſiliis pauperum, divitum quoque vinculis & carceribus. Ipſa religio venit in opprobrium & contemptum. Probro ducitur apud nos ſaltem mentionem facere pacis. Nuſquam fides, nuſquam innocentia tuta. Amator innocentiæ & pietatis cultor Comes Theobaldus pæne traditus eſt in animam inimicorum ejus. Impulſus eſt ut caderet, ſed Dominus ſuſcepit eum, & gaudet quod juſtitia, & veſtra obedientia in cauſa ſit, Apoſtolo acquieſcenre, qui ait : *Si quid patimini propter juſtitiam, beati.* (1. Petr. 3. 14.) & in Evangelio : *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* (Matth. 5. 10.) Væ nobis ! hæc

a In pleriſque mſſ. deeſt. Nicolai nomen, nequidem primâ litterâ de more deſignatum. Ex quatuor Colbertinis unus tantum codex in margine habet, *Nicolao*, cui ſane hæc recte conveniunt, ſed intereſt in his monere lectorem. Cameracenſi eccleſiæ præfuit Nicolaus ab anno 1140. ad annum 1167.

b Vulgati addunt, *Montis ſancti Martini*, ſed hæc verba in ſcriptis omnibus deſiderantur, immo etiam in nonnullis *Godeſcalcus*, aliis G. litterâ expreſſus. Et hic tamen abbas fuit Montis S. Martini apud Atrebates, Ord. Præmonſtratenſis, laudatus in epiſtola 253. num. 4. poſtea epiſcopus Atrebatenſis, in epiſtola 284.

c Hic notati epiſcopi, qui Radulfi Veromanduorum Comitis divortium probarunt, nempe Simon Tornacenſis ejus frater, Bartholomæus Laudunenſis, & Petrus Silvanectenſis. Factum accurate narrat Hermannus monachus Tornacenſis aut ejus continuator in Spicilegii tomo 12. pag. 480 ex quo vel paucis accipe. *Radulfus Comes volens in matrimonium ſibi copulare germanam Alienoræ reginæ Francorum*, nomine Petronillam, *uxorem ſuam legitimam*, quæ Theobaldi Campaniæ Comitis neptis erat, conſanguinitatis ſpecie repudiavit, probantibus tribus epiſcopis ſupra dictis. Delata hac de re querimonia eſt *per Comitem Theobaldum Burgundiorum Principem* ad aures Papæ, qui *Comitem vinculo anathematis ligavit, & epiſcopos* ab officio per aliquod tempus ſuſpendit. Confer Appendicem Sigeberti & epiſtolas ſequentes.

d Et hæc magna in Theobaldum invidiæ cauſa, de qua ita Herimannus mox laudatus. *Papa clericum quemdam, cognatum cancellarii ſui*, nomine Petrum, *in Bituricenſem archiepiſcopum conſecravit, quod quia rex concedere noluit, chriſtianitate privatus eſt.* Id contigit anno 1144. poſt mortem Alberici archiepiſcopi. Cetera accipies ex Notis fuſioribus ad epiſtolam 219. ubi Theobaldum, quod Petrum archiepiſcopum admiſiſſet, male à rege habitum leges. Confer epiſtolam 219. & librum 4. de vita Bernardi num. 12.

omnia præſentire, ſed minime præcavere potuimus. Quid plura? Ut non penitus deſolaretur terra, & omne regnum in ſeipſum diviſum concideret, compulſus eſt ille devotiſſimus filius veſter, & eccleſiaſticæ libertatis amator & defenſor, ſub jurejurando promittere, quatenus ſententiam excommunicationis à Legato veſtro bonæ memoriæ magiſtro Ivone datam in terram & perſonam adulteri tyranni *, qui caput & auctor exſtitit horum omnium malorum & dolorum, atque in ipſam adulteram, faceret amoveri. quod ſane tamen præfatus Princeps fecit prece & conſilio nonnullorum fidelium ſapientiumque virorum. Dicebant namque id a vobis facile, & abſque læſione Eccleſiæ impetrari, dum in manu veſtra ſit, eamdem denuo ſententiam, quæ juſte data fuit, incontinenti ſtatuere, & irretractabiliter confirmare: quatenus & ars arte deludatur, & pax proinde obtineatur; & qui gloriatur in malitia, & potens eſt in iniquitate, nihil inde lucretur. Multa habeo dicere vobis, ſed non eſt opus de omnibus ſcribere, cum præſens ſit qui omnia ſcit, & viva voce planius poteſt & plenius aperire.

* Radulfi de par pend. [?]

3. Nam quod item comperi diſplicuiſſe me in multis ſcriptitationibus meis, hoc me jam metuere non oportebit: quoniam facile emendabo. Scio, ſcio, præſumpſi pluſquam oportuit, parum attendens quis cui ſcripeſtare præſumerem: & ad id quidem audendum veſtra me armarat benignitas, non negabitis. Urgebat deinde caritas amicorum: etenim perpauca pro me ſcripſi, ſi bene memini. Sed ne quid nimis. Dabo, ſi potero, zelo meo de cetero temperamentum, ſcientiam; & ponam digitum meum ſuper os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quàm multis precibus defatigem chriſtum domini. Et nunc quoque non ſum auſus ſcribere vobis de imminentibus Eccleſiæ periculis, & gravi ſchiſmate quod timemus, ac plurimis quæ ſuſtinemus incommodis. Scripſi autem ſanctis Epiſcopis veſtro lateri adhærentibus: ab ipſis audire poteritis, ſi ſcire placuerit, quæ ſcripſerim ego.

Excuſat ſe de frequentia ſcriptionis.

Ad Eundem excuſatoria, & noviſſima.

EPISTOLA CCXVIII.

Solitâ ſe apud Innocentium gratiâ excidiſſe animadvertens, cauſas offenſæ occaſione teſtamenti Ivonis Cardinalis natas modeſte diluit.

Domino & Patri reverendiſſimo Innocentio, Bernardus nihilum id quod eſt.

1. PUtabam me aliquando aliquid vel modicum eſſe: ſed nunc, ut ſentio, prorſus ad nihilum redactus ſum, dum neſcivi. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuiſſe, cum oculi domini mei ſuper puerum ſuum eſſent, & aures ejus ad preces meas: cum omne quod ſcriberem, obviis manibus accepiſſet, & vultu hilari perlegiſſet, benigniſſime atque pleniſſime ad omnia poſtulata reſpondens. Modo autem me memento non modicum dico, ſed nihilum: quoniam ab heri & nudiuſtertius avertit faciem ſuam à me. Cur hoc? quid peccavi? Multum fateor, ſi pecunia Cardinalis Ivonis * bonæ memoriæ meo arbitrio diſtributa fuit, & non ad nutum ipſius: quod utique ad aures domini mei fuiſſe perlatum, mihi relatum eſt. Sed confido, quia nunc hujus rei veritatem cognoſcetis, & veritas liberabit me. Non ſum tam hebes, ut ignorem Eccleſiæ eſſe, quicquid ille rerum ſuarum non dederit.

* epiſt. 144. & 153.

2. Sed jam audite ſimpliciter veritatem. Si inventum fuerit in ore meo mendacium, ipſum os meum condemnabit me. Quando homo exuit hominem, abſens eram, immo & valde remotus. Audivi autem ab his qui affuerunt, quod ipſe fecerit ſuum teſtamentum: & quod fecit, fecit & ſcribi: & de rebus ſuis quæ voluit, quibus voluit, ipſe diviſit: quod reſiduum fuit, duobus Abbatibus aſſiſtentibus tunc ſibi, & mihi pariter qui abſens eram, dividendum commiſit: eo quod nobis nota eſſent loca pauperiora ſanctorum. Porro Abbates illi domum venientes, & non invenientes me, (detinebar enim tunc temporis ex veſtro mandato pacis quærendæ negotiis) nihilominus pecuniam, ſicut eis viſum eſt, diviſerunt, me non ſolum non connivente, ſed & neſciente quid fecerint. Cedat jam, ſi placet, manifeſtæ indignatio veritati, nec mihi deinceps frons rugetur, aut ſupercilium deponatur: ſed ſolita redeat ſerenitas blando & benigno vultui, ac ſuo denuo ſole læta facies induatur.

Purgat ſe de teſtamento Ivonis Card.

Ad tres a epiſcopos curiæ, Albericum b Oſtienſem, Stephanum Præneſtinum, Igmarum c Tuſculanum, & Gerardum cancellarium.

EPISTOLA CCXIX.

Ann. CHR. MCXLIII

Pro interdicto quod erat in terra Regis propter Archiepiſcopum Bituricenſem.

1. QUantum malum ſchiſma in Eccleſia ſit, & quàm ſit deteſtandum, & omnimodis devitandum, evidenter quondam oſtendit famoſa & horrenda mors virorum illorum, quos ob iſtiuſmodi peſtem terra deglutiens, vivos tranſmiſit ad inferos *. Oſtendit & illa perſecutio Guibertina d, ſive Burdini temeritas, quos noſtra jam tempora experta ſunt, inter Regnum & Sacerdotium dividentes plaga pæne incurabili, & caſtigatione crudeli. Oſtendit & illa quæ nuper adhuc poſt multam & multifariam Eccleſiæ vexationem & vaſtationem, tandem Deo miſerante finem accepit rabies Leonina *. Merito proinde Salvator in Evangelio: *Væ*, inquit, *homini illi per quem ſcandalum venit*. Væ nobis qui vivimus, plangere quæ pertulimus, dolere quæ ſentimus, tremere quæ exſpectamus. Et, quod pejus eſt, ad tam malum habitum humanæ res devenerunt, ut nec rei humiliari velint, nec judices miſereri. Dicimus iniquis: Nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu; & non audiunt nos, quia domus exaſperans eſt. Supplicamus his, quorum eſt peccata arguere, peccantes ſervare, ne calamum quaſſatum conterant, & linum fumigans non exſtinguant: & magis in ſpiritu vehementi conterunt naves Tharſis.

* Core, Dathan & Abiron. Num 16. 33.

* Schiſma Petri Leonis. Luc. 17. 1.

Pſal. 74. 5.

Ezech. 2. 5. Sæculi corruptela.

2. Si denuntiamus filiis cum Apoſtolo, ut obediant patribus per omnia; quaſi aërem verberamus. Si patribus loquimur, ne ad indignationem provocent filios; in nos potius eorum indignationem provocamus. Nec delinquentes ſatisfacere, nec rectores ſeu correctores condeſcendere ullatenus acquieſcunt. Omnes ſuum ſtomachum ſequuntur; & totis viribus funem in diverſa trahentes, rumpunt. Heu necdum recenti Eccleſiæ plagæ * cicatrix occalluit, & rurſum ſcindere parant, rurſus corpus Chriſti affigere cruci, rurſus fodere latus innoxium, rurſus veſtimenta dividere, atque ipſam, quod in ipſis eſt, tunicam inconſutilem, quamvis fruſtra, dirumpere ſatagunt. Si qua in vobis ſunt viſcera pietatis, tantis vos opponite malis: ne in illa præcipue terra ſciſſura fiat, in qua ſolent (ſicut optime noſtis) ſciſſuræ aliæ reſarciri. Nam ſi auctor ſcandali, ore ſingulariter Judicis, tremendo addicitur maledicto; qui-

Eph. 6. 1.

* Schiſmatis Anacleti.

Gallia ſchiſmatum curatrix.

a In ſcriptis nonnullis, *quatuor*. at lectio vulgata melior. Siquidem epiſcopus non erat Gerardus cancellarius, qui hic quarto loco memoratur, poſtea Pontifex creatus, dictuſque Lucius II.

b Albericus Viziliaci in Francia mortuus eſt, ad cujus tumulum Bernardus *Sacriſicium laudis* obtuliſſe perhibetur in lib. 4. vitæ num. 21. Ejuſdem mentio in epiſtola 141. De Stephano in epiſtola 224.

c Igmarus ſeu Ymarus, ex monacho Cluniacenſi S. Martini à Campis Prior Caritatis ad Ligerim, dein abbas Monaſterii novi apud Pictavos, (quo nomine intereſt pactioni inter Ludovicum Juniorem & Argrimum archidiaconum Aurelianenſem initæ, apud Cheſnium tomo 4. pag. 764.) demum cardinalis ab Innocentio creatus, vir magnæ integritatis, ex Chronico Cluniacenſi, ſub Pontio abbate. Ad hos cardinales item epiſtola 230. & duæ ſequentes

d Sic dicta à Guiberto Ravennate epiſcopo, quem Henricus IV. Imperator antipapam Gregorio VII. & tribus ſequentibus legitimis Pontificibus objecit. Mauricius Burdinus item Bracarenſis archiepiſcopus ab Henrico V. intruſus in Sedem Romanam, à Calliſto II. tandem in Cavenſe monaſterium retruſus: cujus vitam eleganter ſcripſit V. C. Stephanus Baluzius in tomo 3. Miſcellaneorum.

bus putamus benedictionibus dignos hujus nequitiæ fugatores & propugnatores [a]?

Francorum abuſus in juramentis [b]

3. De duobus non excuſamus Regem. Nam & juravit [b] illicite, & perſeverat injuſte. Verum id non voluntate, ſed verecundia. Nam probro ducitur, ſicut optime noſtis, apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet male publice juratum ſit, quamvis nemo ſapiens dubitet illicita juramenta non eſſe tenenda. Verumtamen ne in hoc quidem excuſari poſſe fatemur. Neque enim excuſare nos, ſed veniam poſtulare ſuſcepimus. Vos videte, an excuſare aliquatenus eum poſſit ira, ætas, majeſtas. Poterit ſine dubio, ſi miſericordiam judicio ſuperexaltandam decernatis: quatenus videlicet talis aliqua conſideratio in Rege & puero habeatur, ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cetero non præſumat. Parcatur ſane dixerim, ſi fieri poſſit, ſalva in omnibus Eccleſiæ libertate, ſimul & Archiepiſcopo * debita veneratione ſervata, quem manus apoſtolica conſecravit. Hoc ipſe Rex humiliter petit, hoc noſtra univerſa citramontana nimium jam afflicta Eccleſia ſuppliciter deprecatur. Alioquin damus manus morti, tabeſcentes & areſcentes præ timore & exſpectatione, quæ ſupervenerunt univerſo urbi. Siquidem deprecatio mea ſuper hoc ab anno priore, & peccatis meis exigentibus deprecationem meam non exauditio, ſed indignatio; indignationem autem deſolatio pæne univerſæ terræ ſecuta eſt. Si quid zelo urgente erupit quod non fuit, aut ſecus quam fuit dicendum; ſit quæſo apud vos quaſi non dictum: ubi vero dixi quod oportuit, & ubi oportuit dici; ſit non fruſtra dictum.

** Petro Bituricenſi.*

Ad Lodovicum regem Francorum.

Ann. Chr. MCXLII.

EPISTOLA CCXX.

Iniquam regis poſtulationem in cauſa Radulfi rejicit, monens eumdem non premere innocentes, & irritare contra ſe Regem ſupremum.

1. Libenter quidem, ſicut ipſe fateri dignamini, etiam propria atteſtante conſcientia, quæ ad honorem veſtrum & regni veſtri utilitatem ſpectant, pro noſtro exiguo poſſe, & quærimus, & quæremus. Ceterum quod noſtræ humilitati querimini ſuper anathemate mox innovando in Comitem Radulfum, & vultis me dare operam omnimodis, ut non fiat, ob multa mala quæ ſecutura inde putatis; prorſus non video quomodo implere poſſim, & mandato obviare apoſtolico. quod etſi poſſem, non video quod rationabiliter poſſem. Doleo quidem de malis, ſi inde proveniant: ſed non ideo tamen debemus facere mala, ut veniant bona. Satius tutiuſque hoc totum profecto omnipotentis Dei judicio & diſpoſitioni relinquimus, qui poteſt facere, ut & bona quæ ipſe vult fieri, fiant & maneant; & mala quæ mali moliuntur, non veniant; aut certe in eos ipſos potius, qui ea volunt & quærunt, veniant.

Peccati juſta pœna non avertenda ob mala eventus.

2. Valde autem contriſtat me unum quod in litteris veſtræ celſitudinis continetur, quod videlicet debeat obviare res iſta paci factæ inter vos & Comitem Theobaldum. An neſcitis vos graviter offendiſſe in eo quod Comes Theobaldus violentia guerræ veſtræ contra Deum & juſtitiam jurare compulſus eſt, non ſolum quia quæreret, ſed etiam quia efficeret, ut prædictus Comes Radulfus & terra ejus tam indebite, immo tam illicite abſolveretur? Quid iterum vultis peccatum peccato addere, & iram Dei ſuper vos (quod abſit) accumulare? Quid peccavit Comes Theobaldus, ut iram veſtram rurſum incurrere mereatur, qui & abſolutionem Comitis Radulfi, licet injuſtam, ſicut ſcitis, tanto labore & difficultate obtinuit; & redivivam excommunicationem, quamvis juſtiſſime redeuntem, nec quæſivit, nec quærit, utpote quod timore veſtro etiam abjuravit? Nolite, quæſo, nolite, domine mi Rex, Regi veſtro, immo omnium Conditori, tam evidenter in ſuo regno & in ſua poſſeſſione audere reſiſtere, & manum extendere tam frequenti & temerario auſu adverſum terribilem, & eum qui aufert ſpiritum principum, terribilem apud reges terræ. Acriter loquor, quia acriora vobis formido: quod non ita vehementer timerem, niſi vos vehementer diligerem.

Ad Eumdem, unde ſupra.

Ann. Chr. MCXLII.

EPISTOLA CCXXI.

Graviter Ludovicum regem arguit, quod pravis conſiliis adhæreſcens, pacis conſilia reſpuat. Se quidem hactenus regii nominis ſtudioſum, deinceps ſolius veritatis patronum, nec non malefactorum ejus teſtem fore.

1. Scit Deus quantum vos ex quo novi, dilexi, & veſtrum honorem volui: ſcitis vos quanto labore, quantaque ſollicitudine toto anno præterito quærendæ paci veſtræ intendi, una cum aliis fidelibus veſtris. Timeo autem ne ſine cauſa laboraverimus in vobis. Vos namque, ut manifeſtum eſt, à bono & ſano conſilio quod acceperatis, nimium cito nimiumque leviter reſilitis: & ad mala priora, quæ dudum non immerito perpetraſſe vos plangebatis, adhuc recentibus illis plagis, rurſum, ut audio, neſcio quo diabolico conſilio, feſtinatis. A quo enim niſi à diabolo procedere hoc conſilium dixerim, per quod fit ut incendiis [d] incendia, homicidiis homicidia addantur: clamor denuo pauperum, & gemitus compeditorum, & ſanguis interfectorum auribus perſonent Patris orphanorum, & Judicis viduarum? Plane his hoſtiis hoſtis ille antiquus noſtri generis oblectatur: quoniam ipſe homicida eſt ab initio. Et nolite fruſtra occaſionem ſumere de Comite Theobaldo ad excuſandas excuſationes in peccatis: cum vir ille paratum ſe dicat, & hoc omnimodis deprecetur, venire ad conventiones quæ inter vos cucurrerunt, quando facta eſt pax, & ſecundum judicium diligentium nomen veſtrum, eorum ſcilicet qui mediatores inter vos exſtiterunt, per omnia ſatisfacere velit: ut ſi prævaricationis forte ab ipſis argui poterit (quod non exiſtimat) continuo ad honorem veſtrum corrigere non cunctetur.

Severa, ſed juſta correptio Regis.

Pſal. 67. 6.

Johan. 8. 44.

Pſal. 140. 4.

2. Verum vos nec verba pacis recipitis, nec pacta veſtra tenetis, nec ſanis conſiliis acquieſcitis: ſed neſcio quo Dei judicio, omnia vobis ita vertitis in perverſum, ut probra honorem, honorem probra ducatis; tuta timeatis, timenda contemnatis: & quod olim ſancto & glorioſo regi David Joab legitur exprobraſſe, diligitis eos qui vos oderunt, & odio habetis eos qui vos diligere volunt. Neque enim qui vos inſtigant priorem iterare malitiam adverſus non merentem, quærunt in hoc honorem veſtrum, ſed ſuum commodum; immo nec ſuum commodum, ſed diaboli voluntatem: ut Regis (quod abſit) potentiam concepti furoris habeant effectricem, quem ſuis ſe poſſe adimplere viribus non confidunt, inimici coronæ veſtræ, regni manifeſtiſſimi turbatores.

2. Reg. 19. 6.

Quid mali Conſiliarii apud Reges & Principes moliantur.

3. At quicquid vobis de regno veſtro, de anima & corona veſtra facere placeat; nos Eccleſiæ filii, matris injurias, contemptum, & conculcationem omnino diſſimulare non poſſumus, quæ illi præter illa quæ in eam jam præceſſiſſe miſerabiliter plangimus, iterum de novo partim inferri, partim imminere ſentimus. Profecto ſtabimus & pugnabimus uſque ad mortem, ſi ita oportuerit, pro matre noſtra, armis quibus licet, non ſcutis & gladiis, ſed precibus fletibuſque ad Deum. Et ego quidem, qui me memini præter quotidianas preces, quas pro pace & ſalute veſtra atque regno coram

[a] In uno Colbertino, *pugnatores*, bene ad ſenſum, melius *expugnatores*.

[b] Nempe ſe non recepturum Petrum archiepiſcopum Bituricenſem à Papa conſecratum, ex fuſioribus Notis.

[c] Duabus ex cauſis indignatus eſt rex ob anathema Radulfo inflictum, nimirum & quod Radulfus ejus cognatus erat, teſte Herimanno monacho Tornacenſi, & quod ſororem reginæ ſuperduxerat, ex dictis.

[d] Huc ſpectant quæ de caſtro Vitriaco, una cum promiſcua multitudine incenſo, dicentur in fuſioribus Notis ad epiſtolam 224. unde Vitriaco Incenſo nomen, vulgo *Vitry le Brûlé*, ad Matronam, in pago Partenſi.

domino ſupplex ipſo teſte fundebam, etiam apud Sedem apoſtolicam litteris & nuntiis cauſam veſtram egiſſe fateor, uſque pæne ad propriæ conſcientiæ læſionem, & ipſius ſummi Pontificis juſtam (quod diffiteri non debeo) contra me indignationem. Ego, inquam, aſſiduis veſtris, quos innovare quotidie non ceſſatis, exceſſibus provocatus, dico vobis, incipio pœnitere ſuper inſipientia mea priori: qua plus juſto veſtræ adoleſcentiæ hucuſque favi, & de cetero pro mea exiguitate non deero veritati.

4. Non tacebo quod cum excommunicatis iterato fœdus & ſocietatem inire ſatagitis: quod in necem hominum, combuſtionem domorum, deſtructionem eccleſiarum, diſperſionem pauperum, raptoribus & prædonibus (ſicut dicitur) adhæretis, juxta illud Prophetæ: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* quaſi non ſatis per vos mala facere valeatis. Non ſilebo, quod illicitum illud maledictumque juramentum inconſultiſſime uſurpatum à vobis contra Bituricenſem eccleſiam (pro quo, heu, tot & tanta mala jam nunc merito provenerunt) nunc ita tandem corrigitis, ut Chriſti ovibus apud Catalaunum paſtorem præfici non ſinatis: inſuper & fratri [a] veſtro, ejuſque militibus, ſagittariis, balliſtariiſque domos epiſcopales contra jus & fas habitandas, & res eccleſiæ in hujuſmodi nefarios uſus profligandas audacter nimium exponatis. Dico vobis, non erit diu inultum, ſi hæc ita facere pergitis. Et ideo, domine mi rex, amicabiliter moneo vos, & fideliter conſulo vobis, ut citius ab hac malitia deſiſtatis: ſi forte jam ferire parantis manum Ninivitæ Regis exemplo, pœnitentia & humilitate prævenire poſſitis. Dure loquor, quia duriora vobis formido: ſed mementote à Sapiente dictum, *Meliora eſſe verbera amici, quam fraudulenta oſcula inimici.*

Pſal. 49. 18. Prov. 27. 6.

Ad JOSLENUM [b] Sueſſionenſem epiſcopum, & SUGERIUM abbatem ſancti Dionyſii.

EPISTOLA CCXXII.

Queritur apud eos, uti Regis conſiliarios, de iniquis ejus contra Theobaldum molitionibus, contra pactum & pacem initam.

1. SCripſeram Regi, arguens eum ſuper malis quæ fiunt in regno ejus, ipſius (ſicut dicitur) aſſenſu: & quod reſcripſit, dignum duxi vobis, qui de conſilio ejus eſtis, inſinuandum. Miror enim ſi ita credit, ut loquitur: & ſi non credit, quomodo conſcio mihi utique omnium (ſicut ſcitis) quæ ad pacem reformandam facta fuerunt, iſta perſuadere conatur. Ait enim, ſicut poteſtis videre in litteris ejus, cum male ſervata in parte Comitis pacta conaretur oſtendere: Adhuc ſuſpenſi manent Epiſcopi noſtri: adhuc terra noſtra interdicta eſt. Quaſi vero cujuſquam eccleſiaſtici abſolutio interdicti ad Comitem Theobaldum pertineat, aut hoc ipſe aliquo modo pepigerit ſe facturum. Illuſus eſt, ait, Comes Radulfus, & iterum relegatus eſt. Et hoc quid ad Comitem Theobaldum? Nonne quicquid de hac re promiſit, fideliter elaboravit, & efficaciter adimplevit? Ille vero deprehenſus eſt in aſtutia ſua, & cecidit in foveam quam fecit. En eſt hoc totum cur irrita faceret rex pacta ſua, quæ diſtinxerunt labia veſtra? An propter hoc decuit incandeſcere iram regis contra Deum & Eccleſiam ejus, contra ſeipſum & regnum ſuum? Itane propter hoc debuit oblivíſci honoris ſui, ut ad debellandum hominem ſuum, quem non dico diffidaverat [c], ſed nec ſubmonuerat, vel poſuerat ad rationem; mitteret fratrem ſuum, idque per Catalaunum, de qua potiſſimum civitate ſcitis quid Rex cum Comite Theobaldo pepigerit?

2. Sed Rex adhuc aliud addit, quod matrimoniis ſibi moliatur conjungere, contra ejus fidelitatem, Comitem [d] Flandrenſem & Sueſſionenſem. Et de fidelitate quidem ſuſpicio eſt, non certitudo. Porro inanes ſuſpiciones certis pactionibus præjudicare, quale ſit, vos videritis. Quamquam id omnino credendum non fuerit de tali viro. Numquid enim hoſtes ſunt regis, quibus alligatur Comes, & non magis homines ejus & ejus amici? Nonne conſanguineus regis, &, ſicut fatetur, baculus regni Comes Flandrenſis eſt? Quid ergo contra regis fidelitatem facit ejus homo, & fidelis ipſius, ſi aliis ejus amicis, ſuorum matrimoniis copulatur? Nonne ſi quis ſimplici oculo rem, ut eſt, conſideraret; magna potius pax regni, magnumque robur, & magna poſſet putari ſecuritas?

A pactis non reſiliendum ob inanes præſumptiones.

2. Illud autem miror, quomodo Rex dicere non timuerit, cognoſcere ſe, quia noverim ego, Comitem Theobaldum in partem ſuam, contra regem, Comitem Radulfum trahere attentaſſe. Nam & viva voce nuntio noſtro plus dixit quàm ſcripſerit, quod mandaverim ſæpius dicto Radulfo maximam partem peccatorum ejus me ſuſcipere, ſi vellet Comiti Theobaldo adhærere. Si natus eſt homo ille per quem iſta mandaverim, veniat & arguat me palam: ſi ſcripſi litteras, proferantur in medium. Viderit ipſe cui crediderit: certus ego ſum, quia numquam noverim quod imponit. Idem arbitror & de Comite Theobaldo, quia & ipſe omnimodis diffitetur. Videat proinde Deus & judicet, quod nunc de ſuſpicione Comes Theobaldus arguitur ab eo, qui manifeſte contra pactiones ſuas ipſum ſibi attraxit Comitem Radulfum, contra Dei præcepta, contra ſententiam ſummi Pontificis adultero & excommunicato communicans.

Purgat ſe à calumnia regis.

3. Ait quoque Rex: Pæne habuimus duos graviſſimos oppugnatores. Et Propheta ſubſannans reſpondet: *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ecce, inquit, oppugnamur, qui non oppugnavimus: perſecutionem patimur, qui non perſecuti fuimus. Quis oppugnat, obſecro? quis oppugnat, quiſve perſequitur? Nonne Comes obſecrat & humiliatur, honorare paratus ut Regem, ſervire & obſequi tamquam domino ſuo, obnixe pro pace ſupplicans, & bonam regis (quod in ſe eſt) ſibi conciliare ſatagens voluntatem? Eſto quod non ſit ita, ſed magis Comes Regi mala omnia moliatur: nonne ad id quod ſtatutum fuiſſe ſcitis, fuerat recurrendum? Sic enim inter ſe pepigerunt, ut ſi qua de conventionibus illis controverſia aut diſſenſio naſceretur, nihil mali ſibi invicem facerent aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter, & domino Autiſiodorenſi * ventilata res eſſet atque diſcuſſa, qui & tunc mediatores fuimus: & ſi quid emergeret controverſiæ, debuimus eſſe reconciliatores. At id modo omnimodis Comes flagitat: ſed Rex abnuit.

Pſal. 13. 5.

* Hugone, cujus epiſtola 26.

4. Denique eſto quod omnino male meruit Comes: ſed Eccleſia Dei quid meruit? Quid, inquam, meruit, non jam ſola Bituricenſis eccleſia, ſed & Catalaunenſis [e], etiam & Remenſis, etiam & Pariſienſis? Habeat Rex adverſus Comitem jus: ſed de quo jure, obſecro, de quo jure præſumit, ut eccleſiarum poſſeſſiones & terras devaſtet, ut Chriſti ovibus paſtores præfici non permittat: ut his quidem electorum promotionem prohibeat; aliis vero (quod hactenus inauditum eſt) dilationem electionis indicat, donec univerſa conſumpſerit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus deſoletur terra? An vos ei conſulitis talia? Mirum valde, ſi contra veſtrum conſilium fiunt hæc:

Eccleſiæ damno ſuas perſequi indignum.

a Roberto ſcilicet, de quo in epiſt ſeq. in 224. num. 2 & in 304. In epiſt. 293. inter Cheſnianas, quæ eſt Ciſtercienſis Capituli ad Ludovicum Juniorem, conqueruntur Patres, quod Robertus Comes, ejus germanus, *comederet carnes in ſuis ipſorum grangiis* contra Ordinis interdictum. De Catalaunenſi eccleſia vide infra ad epiſtolam 224.

b Rufum cognominat Ordericus pag 889 Ad eum epiſtolæ 342. præter tres ſequentes.

c Diffidare, eſt de fide, quam quis alicui debet, vel pollicitus eſt, recedere, & ſe hoſtem declarare.

d Barones Regis vocat Bernardus in epiſtola 224. num. 3. Hunc locum explicat Herimannus Tornacenſis pag 394. ubi de Theoderico Flandrenſi Comite, qui *filiam ſuam promiſerat Henrico, Comitis Theobaldi filio, licet Rex Francorum conjugium niteretur diſſolvere, tertio gradu conſanguinitatis dicens eos invicem propinquos eſſe.* Aliud item matrimonium Theobaldus cogitabat, nempe filiæ ſuæ cum Comite Sueſſionenſi, infra in epiſtola 224. num 4.

e De Bituricenſi id patet ex Notatione ad epiſtolam 216. de aliis intelligitur ex epiſtola 224.

mirum magis & malom, ſi veſtro conſilio fiunt. Etenim conſulere talia, manifeſte ſchiſma fabricare eſt, Deo reſiſtere, Eccleſiam ancillare, & novam in ſervitutem eccleſiaſticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, ſi quis Eccleſiæ filius eſt, profecto ſtabit & opponet ſe, quoad poterit, murum pro domo Dei. Nam & vos ipſi, ſi pacem deſideratis Eccleſiæ, ſicut oportet filios pacis, quomodo non dicam tractatis ea, ſed vel intereſtis conſiliis tam malignis? Quicquid enim mali fecerit, merito non regi juveni, ſed conſiliariis ſenibus imputatur.

Ad Joslenum epiſcopum Sueſſionenſem.

EPISTOLA CCXXIII.

Ann. CHR. MCXLIII. V. vitam S. Bern. lib 3. num. 23.

Satisfacit Epiſcopo, cujus litteris præfixa talis erat ſalutatio, Salutem in Domino, & non ſpiritum blaſphemiæ. *Requirit nihilominus in eo majorem zelum ad vindicandas Chriſti & Eccleſiæ injurias.*

Bernardi reverentia in Epiſcopos.

1. MInime quidem ego ſpiritum blaſphemiæ habere me arbitror, ſed nec cuiquam maledixiſſe, aut maledicere velle me ſcio, Principi præſertim populi mei. Ceterum quicquid illud ſit, quo ſe læſam veſtra dignitas judicat, peto veniam. Scio enim qui dixit: *Blaſphemamur, & obſecramus.* Dico ergo cum beato Job, *Qua locutus ſum, utinam non dixiſſem: & ultra non addam.* Jam domino Abbati ſancti Dionyſii pro communi querimonia ſcribens, utrique veſtrum reſponderam, & putaveram me feciſſe ſatis. Et quoniam, ut video, nondum quievit indignatio veſtra, quæ forſitan adverſus Eccleſiæ conculcatores juſtius incanduiſſet; etiam vobis dico, ſchiſmaticos vos, aut fomitem eſſe ſcandali, nec dixi, nec ſcripſi, nec credidi, & dico ſecurus: nec vereor quod me mea pagina arguat mendacii. Scrutamini eam, ſi placet: & ſi ita inveneritis, reum me fatebor grandis ſacrilegii, & revera, ſicut notatis, ſpiritu blaſphemiæ agitatum illa ſcripſiſſe.

1. Cor 4. 13. Job 39. 35

C

2. Ne tamen humilis ſatisfactio ſpiritum videatur excludere libertatis; dolui fateor, & doleo, quod nondum ea vos libertate, qua deceret, comperimus Chriſti ulciſci injurias, Eccleſiæ defendere libertatem. Dolor iſte compulit me ſcribere dura, non tamen illa quæ impingitis. Putaveram ſiquidem, (& adhuc putarem, niſi timerem vobis in hoc eſſe moleſtus) nequaquam ſufficere, quod ſchiſmatis non eſtis auctores, niſi & eos qui ſunt, cujuſcumque dignitatis ſint, tota libertate pro viribus coërceatis, & eorum conſilium atque conſortium exſecretis. Putarem, inquam, gloriam vobis eſſe, ſi dicere poſſetis & vos: *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Numquid ſolum decebat zelus ille Prophetam, & non hodie quoque à Domini Sacerdote requiritur, de quo dicebat: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Optarem ſane (ut ſalva veſtra ſerenitate [a] id quoque eloquar) hunc zelum vos exercuiſſe in puerum [b] Regem, qui non tam pueriliter, quam crudeliter, ſine cauſa irrita fecit & veſtra ſane conſilia, & ſua pacta. Sine cauſa regnum ſuum conturbat: bella ubique cælis terriſque ſuſcitat: eccleſias vaſtat, ſacra temerat, exaltat iniquos, bonos perſequitur, perimit innocentes. Hæc, inquam, vellem vos dolere, his contradicere & reſiſtere, quod in vobis eſt. Sed meum non eſt magiſtrum docere Joſlenum, minus autem reprehendere Epiſcopum, qui magis me & alios peccantes redarguere, & errantes corrigere debet. En

D

Schiſmaticos coërcere debent conſiliarii.

Pſal. 25. 5

Pſal. 138. 21.

E

a Vide quem zelum in Prælatis Eccleſia requirat.

b

a Serenitatis titulum quem ſuperius Regi Francorum tribuit in epiſtola 170. num. 3. hic tribuit Epiſcopo, ſed in aula Regis conſiliario, quo nomine etiam Innocentium ſalutat in epiſtola nunc 337. num. 1.

b Scriptura more *puerum* vocat Ludovicum Juniorem, qui tum conjugatus erat, & quidem duos ſupra viginti annos natus. Eadem voce eodem ſenſu in epiſtola 170. & alibi paſſim.

c Hinc in epiſtola 304. *Sigillum non erat ad manum.* Idem in epiſtola 402. Bernardi nomen & effigies ſigillo impreſſa erant, ex epiſtola 284

d Stephanus Præneſtinus, ad quem etiam epiſtola 219. ex Ordine Ciſtercienſi cardinalis ab anno 1140. mortuus anno 1144. Ernaldus *Stephanum, totius modeſtiæ virum* appellat in lib. 2. de vita Bernardi num 49. Eumdem laudat præter alios Johannes Sariſberienſis in Polycratici lib 6 cap. 24. Catalaunenſem fuiſſe conjicimus ex hujus epiſtolæ num. 2.

e Gaufridus Catalaunenſis epiſcopus, de quo in epiſtola 66 mortuus anno 1142. in cujus locum electus Guido, de quo hic. Samſonem Remenſem archiepiſcopum, quod Theobaldo faveret, expulerant regis miniſtri, qui urbis eccleſias S. Mariæ, S. Remigii, S. Nicaſii deprædabantur, & ſuburbanum S Theoderici monaſterium. Nulla hic mentio (ut in epiſtola 222. num 4.) de Pariſienſi epiſcopatu, in quo jam Stephano mortuo ſubrogatus erat Theobaldus.

A quantum vos timeo. Clauſam habetis epiſtolam, qui de priore aperta male ſuſpicatus eſtis. Nam ego quidem nihil in hoc aliud cogitavi, niſi quod ad diverſos ſcribentem neceſſe eſt, juxta conſuetudinem, epiſtolam cera [c] non claudere. Jam & pro hoc quoque veniam peto.

c

Ad Stephanum [d] Præneſtinum epiſcopum.

d

EPISTOLA CCXXIV.

Ann. CHR. MCXLIII.

Malefacta Ludovici regis & injurias in Eccleſiam, Epiſcopos, aliosque exponit.

B 1. LOquitur Jeremias ad Deum pro adverſariis ſuis, ita dicens: *Recordare Domine, quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* & infert: *Propterea*, inquit, *da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii.* Et adhuc alia in hunc modum æque gravia imprecatur illis. Quod propterea nunc apud veſtram reverentiam memorandum putavi, quoniam ſimile mihi aliquid cum Propheta video accidiſſe. Vos enim ſcitis, quomodo ego quoque pro rege ſteterim in conſpectu domini mei, corpore quidem abſens, ſed præſens ſpiritu, ut loquerer pro eo bonum. Bona ſiquidem pollicebatur. Nunc autem ipſo reddente pro bono malum, cogor contraria ſcribere. Pudet erroris, & falſæ ſpei quam de eo conceperam: & gratias ago, quod pro eo ſimpliciter ſupplicans non fuerim exauditus. Putabam me deferre regi * pacifico: & ecce invenior graviſſimo hoſti Eccleſiæ aſſentaſſe. Conculcantur apud nos ſancta, Eccleſia turpiter ancillatur. Nam & electiones epiſcoporum prohibentur fieri: & ſicubi id præſumptum à clericis fuerit, electus epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitia eccleſia Pariſienſis, proprio deſtituta paſtore: & nemo eſt, qui de ſubſtituendo alio mutire audeat.

Jerem. 18. 20.

* V. Novar.

Ludovici exceſſus.

2. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus domos epiſcopales: etiam in terras, & in homines manus ſacrilega circumquaque deſævit, totius inſuper anni ex eis ſibi reditus vindicando. Veſtra Catalaunenſis fecit quidem electionem; ſed qui electus eſt [e], ecce jam diebus multis debito honore fruſtratur, & ſcitis, quàm non abſque gravi gregis dominici detrimento. Commiſit rex germano ſuo Roberto * vices epiſcopi: & ille in cunctis terris rebuſque eccleſiæ poteſtative verſans, & pro vice ſua ubique haud ſegniter agens, infert cælis quotidianas hoſtias, non plane pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, ſanguinem interfectorum. Verum anguſtus eſt malitiæ ejus ille epiſcopatus. Remenſem invadit, atque in terra ſanctorum iniqua gerit, non clericis, non monachis, non ſanctimonialibus parcens. Denique ſanctæ Mariæ, ſancti Remigii, ſancti Nicaſii, ſancti Theoderici terras fructiferas, & villas populoſas, ita in ore gladii devaſtavit, ut pæne in ſolitudinem redegerit univerſas. Frequens in omnium auribus vox: *Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Sic rex emendat, quod in eccleſiam Bituricenſem Herodiano juramento commiſit.

e

* V. epiſt. 222. num. 1

Pſal. 82.

3. Præterea rex, nobis quidem non parum laborantibus, pacem cum Comite Theobaldo fecerat, firmæ (ut putavimus) amicitiæ fœdus inierat: & ecce occaſiones quærit, quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen quod impingitur Comiti, quia cum baronibus * regis de liberis ſuis contrahit matrimonia.

* V. epiſt. 222.

Suſpecta

[illegible] natis, nec ſe paratrecon[illegible]. A [illegible] Conjiciat prudentia veſtra, [illegible] tubſtros gerat, qui de odio atque di[illegible] ſe æſtimat fortiorem. Videat [illegible] à Deo, qui in ſuorum ma[illegible] ſimultate quam caritate confidit, cum cari[illegible] Deus. quod minime [illegible], ſi ſapientiam illius [illegible] et qui ait: *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut in[illegible] æmulatio.* Propterea ergo pacis conventiones & conſtitutiones manifeſte tranſgreditur: nec tenet pacta ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Denique revocavit in domum ſuam, & ad conſilium ſuum virum adulterum & excommunicatum [a], quem ex conſtituto ejecerat; & pro exercenda majori malitia, aliis multis B æquam æque excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis, Rex & advocatus Eccleſiæ adverſus Eccleſiæ (quod non eſt dubium) amatorem & defenſorem denuo ſociatur, juxta illud Prophetæ: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.*

4. Ad hæc cogit ſuo more epiſcopos ad maledicendum benedicendis, & iterum benedicendum maledicendis: & quoniam non obtemperatur pro ſuo libitu [illegible], circuit mare & aridam, ut inveniat juratores, quoniam perjuris, quos fortaſſis Deus conjungit, per homines ſeparentur. Qua fronte, obſecro, tantopere aliis præſcribere de conſanguinitate laborat, homo cum ſua (quod palam eſt) tertio ferme conſanguinitatis gradu C permanens conſobrina? Et quidem inter filium Comitis Theobaldi, & Comitis Flandrenſis filiam; & item inter Comitem Sueſſionenſem, & filiam Comitis Theobaldi, ſi conſanguinitas ſit, neſcio, (ſcienter enim illicita matrimonia, nec laudavi umquam, nec laudo:) ſed ſciatis vos, & ſciat dominus meus, prohibere horum nuptias, ſi quo modo conjungi fas fuerit, exarmare Eccleſiam eſt, & multam illi ſubtrahere fortitudinem. Nec aliam puto adverſantium ipſis nuptiis intentionem, niſi ut in terris præfatorum Principum non poſſint habere refugium, quicumque andebunt contradicere ſchiſmati quod minantur. Hucuſque zelus meus. Non poſſum enim ego emendare quod potui redarguere: potui & commonere eum qui poſſit. Zelus D domini mei faciet hoc. Ipſum duxi neceſſarium in magno Eccleſiæ labore atque periculo compellandum; & per nullum dignius quàm per vos, qui ejus lateri & ſpiritui adhæretis. Apud quem quæſo, habete me excuſatum, quod rege mutato mutaverim ſtilum, qui ad Matth 16. ipſum Deum Dei Prophetam dixiſſe ſciris: *Cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris.*

Ad dominum Epiſcopum Sueſſionenſem *.

* Joslenum.

EPISTOLA CCXXV.

Ann. CHR. MCXLIII.

Hortatur ad ſtudium pacis.

LAboravimus: ſed de profectu adhuc quæſtio eſt. Seminavimus multum, ſed intulimus parum. Fatemur nos eguiſſe veſtra opera & præſentia. Verum quod eam non requiſivimus in tanta neceſſitate, per amicum communem ſancti Dionyſii Abbatem docebimini. Nunc itaque ne de cetero diſſimuletis, ſed ſecundum ſapientiam vobis à Deo datam ſtudeatis quæ ad E pacem ſunt, monemus ſanctam ſollicitudinem veſtram. Nam rogandus non eſtis pro tali re, qua utique conſtat non modo valde honorificari miniſterium veſtrum, ſed & turpari admodum ſi negligitis. In indicta [b] celebritate apud ſanctum Dionyſium ſperamus videre vos.

Ad [illegible] regem Francorum.

EPISTOLA CCXXVI.

Ann. CHR. MCXLIII.

Bernardus & Hugo queruntur de pertinacia Regis in male cœptis [illegible] esse ſuos in conciliandа pace labores non ſine regni ejus exitio dolent.

Luodovico Dei gratia illuſtri regi Francorum, & duci Aquitanorum, Hugo Antiſiodorenſis qualiſcumque miniſter, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, diligere juſtitiam, & judicare terram ſapienter.

1. DIu eſt quod egreſſi de domibus noſtris, expoſitis propriis utilitatibus pro pace veſtra & regni, fideliter (ſicut nobis Deus eſt teſtis) laboramus. Triſtamur autem, quod aut nullum, aut exiguum noſtri laboris fructum adhuc tenemus. Adhuc pauperes clamant poſt nos, adhuc terra vadit quotidie in deſolationem. Quæritis quæ terra? Veſtra, non alia. Intra regnum enim, & contra regnum veſtrum, iſta omnia mala perpetrantur. Nam ſive amici, ſive inimici veſtri ſint qui de guerra iſta pauperantur, captivantur, conteruntur; non aliunde quam de regno veſtro ſunt. In quo manifeſte imminere jam jamque videtur ſermo Salvatoris dicentis: *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.* Huc accedit, quod ipſi diviſores & deſolatores vos conſtituerunt ſibi hujus nequitiæ caput & principem, quem præcipue debuerant metuere defenſorem, & ſentire ultorem. Nos autem credebamus vos tactum à Deo & illuminatum tantam illorum nequitiam advertiſſe, & errorem veſtrum agnoviſſe; & cupere omnino conſiliis ſanioribus à laqueo iſto retrahere pedem.

Bellum & hoſtibus & amicis, ſed ſubditis maxime damnoſum.

Luc 11. 17.

2. Ceterum ab hac ſpe pæne dejecit nos colloquium illud habitum nuper inter nos apud Corbolium *. Sciris enim quomodo, & quàm irrationabiliter (ut pace veſtra dixerimus) à nobis tunc receſſiſtis. Unde factum eſt, quod ſermonis illius, qui vobis in dicto noſtro diſplicuit, reddere ad liquidum rationem pro veſtra nobis turbatione non licuit. quam ſi exſpectare placito corde dignaremini, forſitan cognoviſſetis & vos, quod nil vobis indecens aut importabile dictum fuiſſet, ſecundum quod jam res veſtra proceſſit. Nunc autem ſine cauſa turbatus, turbatos nos & confuſos, & quid faciamus dubios anxioſque tenetis, homines qui vobis bona cupiunt & quærunt. Quod non eſt aliud, niſi quia fraus iniquorum, & rumuſculi parum ſcientium hominum, dicentium malum bonum, & bonum malum, conturbant vos. Verum nos, etſi conturbati, non tamen omnino deſperati de auxilio Spiritus, quem veſtrum animum ſalubriter ſuper malis prætentis concuſſiſſe perſenſimus, adhuc ſtamus & exſpectamus ut redeatis ad cor, & quod prudenter cœpiſtis, efficaciter compleatis. Hujus rei gratia miſimus fratrem cariſſimum nobis Andream [c] de Baldemento, qui vobis iſta plenius viva voce inſinuet, & quicquid ad hæc reſpondere placuerit, fideliter renuntiet nobis. Si autem perſiſtitis (quod abſit) non acquieſcere ſanis conſiliis, nundi nos ſumus à ſanguine veſtro: Deus non permittet Eccleſiam ſuam, ſive à vobis, ſive à veſtris diutius conculcari.

* Corbeil. ſupra Pariſios.

Ad Epiſcopum * Sueſſionenſem.

* Joslenum, de quo ſupra.

EPISTOLA CCXXVII.

Ann. CHR. MCXLIII.

Opem Epiſcopi perquam ſollicite & ardenter implorat.

SEmper quidem egui officiis amicorum, homo nimirum mente ſemper & corpore miſerandus: ſed nunc

a Hunc gradum Johannes Beſlius in Hiſtoria Comitum Pictavenſium pag. 145. ita explicat, ut Alienora, Ludovici Junioris conjux, Guillelmi Aquitaniæ Comitis filia, proaviam habuerit Aldeardem, ſororem uxoris Humberti II Comitis Maurianenſis, proneptem maternam Adelæ, quæ fuit mater Ludovici Junioris.

b An indictus regni Optimatum conventus? an Indicta celebritas, quæ menſe Februario in feſto dedicationis apud S Dionyſium colitur, ipſo die ſancti Mathiæ.

c Andreas iſte celebris fuit, variiſque negotiis adhibitus. Subſcribit primatiis litteris abbatiæ Coricampi in tomo II. Spicilegii pag. 329. & cum Bernardo teſtis habetur concordiæ inter Ludovicum Juniorem & Algrinum Aurelianenſem archidiaconum initæ tomo 4 Cheſnii pag. 764. In traditione eccleſiæ de Veteri Crecio, per Burchardum Meldenſem epiſcopum anno 1122. factâ monaſterio S Martini de Campis, fit aliarum etiam rerum donatio per Stephanum Roricii filium, *Theobaldo Comite præſente, domno Andrea de Baudimento laudante ea qua ad eum pertinebant.* Idem Andreas interfuit Concilio Trecenſi anno 1128. ex prologo Regulæ Templariorum. Confer epiſtolam 284.

maxime opus & tempus miſerendi, cum urgente conſcientia & aggravata manu Domini ſuper me, duro me carceri [a] mancipavi, durus judex in memetipſum. Si adhuc pater eſtis, (nam fuiſſe vos fateor:) ſentiat filius, & ille filius, in quo uſque ad hanc diem filialis erga vos affectus non tepuit. Scio, ſcio, difficile poſſe extorqueri clavam de manu Herculis: & ideo multum inſto, quia rem peto difficilem. At quanto difficilior, tanto violentior ad promerendam redhibitionem. Grandis me fatebor beneficii debitorem, grandis prorſus, ſi obtinuero. Nec ignoro dare quàm accipere beatius eſſe: ſed cedo neceſſitati, occurro periculis, anguſtiis conſulo, honeſti plane nunc aut diſſimulator, aut immemor. Cedens itaque honorabiliorem vobis, ut dignum eſt, partem, mihi verecundiorem aſſumo, non modo ad accipiendum inverecundior, ſed & importunior ad petendum. Peto ergo ſuppliciter, peto inſtanter, peto opportune, importune. Nec enim illud peto, quod vos non deceat dare, aut me poſtmodum pœniteat accepiſſe: etſi ita petere modo minus me deceat. Nam ſi liberatis pauperem à potente, in hoc nobis multum præſtabitis, vobis plurimum. Eia monſtravimus affectum, rem vos ſcitis, fructum præſtolantur afflicti.

Act. 20. 35.

Ad PETRUM Cluniacenſem abbatem, conquerentem [b] quod ei non reſcriberet.

EPISTOLA CCXXVIII.

ANN. CHR. MCXLIII.

Reverendo patri & domino PETRO, Dei gratia Cluniacenſium abbati, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſeipſum quantulus eſt.

1. ITane jocari libet? Dignanter ſane atque amicabiliter: ſed ſi ita luditis, ut non illudatis. Nolite mirari hoc. Nam ſuſpectum id mihi facit veſtra ipſa tam ſubita & inopinata dignatio. Non enim multum temporis eſt, quod ſcribens ad vos debita reverentia veſtram magnitudinem ſalutavi, & non reſpondiſtis mihi verbum. Nec multo ante rurſum ſcripſeram ad vos ex urbe Roma, & nec tunc quidem vel unum iota recepi. Modo miramini, quod revertenti nuper de Hiſpania, nugas meas denuo ingerere non præſumpſi? Quod ſi culpa eſt, quacumque ex cauſa non ſcripſiſſe; ſine culpa profecto non erit noluiſſe, ne dicam contempſiſſe reſcribere. En in quo pro me faceret juſtitia, (quia id à me flagitatis) niſi mallem occurrere gratiæ redeunti, quàm retardare eam mihi, dum vel me inutiliter excuſare volo, vel alium accuſare. Sed hoc dixi, ne quid clauſum in mente retinerem, quod ore non promerem, quod id vera recuſet amicitia. De cetero quia caritas omnia credit, jam omnis ſuſpicio de medio fiat. Gaudeo quod recaluiſtis priſcæ amicitiæ recordari, & vel læſum revocare amicum. Libenter redeo revocatus. Felix qui revocor. Nullarum jam memor ſum injuriarum [c]. En ego, qui fueram veſtræ profecto ſanctitatis ſervus, & nunc, & ante. Gratias ago, optime locatus ſum, intimus vobis denuo factus, ſicut dignamini ſcribere. Si forte intepueram, ut arguitis, hauddubium quin velociter recaleſcam, fotus veſtræ viſceribus caritatis.

1 Cor. 13. 7.

2. Et nunc quod placuit ſcribere, obviis manibus ſuſcepi. Legi avide, libenter relego, & placet ſæpius repetitum. Placet fateor jocus. Eſt enim & jucunditate gratus, & ſerius gravitate. Neſcio ſiquidem quo modo inter jocandum ita diſponitis ſermones veſtros in judicio, ut & jocus levitatem non redoleat, & auctoritas conſervata hilaritatis non minuat gratiam. Porro auctoritas ita ſervatur, ut illud ſancti viri merito vobis poſſit aptari: *Si quando ridebam, non credebant mihi.* Eia reſcripſimus vobis, & puto jam jure exigimus ampliora quàm promiſiſtis. Dignum eſt, ut ſciatis quæ penes nos ſunt. Decretum eſt mihi ultra non egredi * monaſterio, niſi ad conventum Abbatum Ciſtercium ſemel in anno. Hic fultus orationibus veſtris, & benedictionibus conſolatus, paucis diebus, quibus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea. Propitius ſit mihi Deus, ut non amoveat orationem veſtram & miſericordiam ſuam à me. Fractus ſum viribus, & legitimam habeo excuſationem, ut jam non poſſim diſcurrere ut ſolebam. Sedebo & ſilebo, ſi forte experiar quod de plenitudine intimæ ſuavitatis ſanctus Propheta eructat: *Bonum eſt*, inquiens, *exſpectare Dominum in ſilentio.* Et ne ſolus videamini mihi luſiſſe, puto jam non audebitis me de hoc ſilentio meo reprehendere, & more veſtro appellare ſoporem. quod, ut puto, congruentius ac magis proprie ſanctus Iſaias cultum juſtitiæ nominat, & de quo legitis in hoc ipſo Propheta, dicente Domino: *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Commendate me orationibus ſancti conventus Cluniacenſis, ſalutato prius ex me ſervo omnium, ſi dignum judicatis.

Quis jocandi modus etiam inter pios.

Job 29. 24.

Statuit Bernardus ejus non prodire. V. Epiſt. 127. & 245.

Thren. 3. 26.

Iſa. 32. 17.

Iſa 30. 15.

PETRI VENERABILIS ad BERNARDUM abbatem

EPISTOLA [d] CCXXIX.

Bernardi litteris humaniſſime reſpondet, ſimulque cauſas diſſenſionum inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes exponit.

AN. CHR. MCXLIII.

Singulari veneratione colendo, totis caritatis brachiis amplectendo, individuo cordis mei hoſpiti, domno BERNARDO Claræ-vallis abbati, Frater Petrus humilis Cluniacenſium abbas, ſalutem, ad quam ſuſpirat, æternam.

1. QUoniam tam dulcibus & jocundis amici litteris, quibus & ipſe jocundus & citus occurrere debuiſſem, tardus reſcriptor occurro: mirabitur fortaſſis ſollers ſanctitas veſtra, & ſegnitiei vel contemptui, ut timeo, deputabit. Sed abſit utrumque, nec abſit tantum, ſed prorſus utrumque abeſt: cum fere nihil umquam, quantum ad litteras pertinet, vel libentius ſuſceperim, vel ſtudioſius legerim. Tarditatis cauſa ex parte exſtitit lator earum, qui Cluniacum veniens, nec me ibi inveniens, cum ipſe non valde remotus, hoc eſt Marciniaci [e] eſſem, litteras quas ferebat mihi nec detulit, nec miſit, ſed Cluniaci dimiſit. Et ne velut accuſare bonum virum videar; credo eum aut quibuſlibet negotiis retractum, aut acerrimæ, quæ tunc incumbebat, hiemis auſteritate, ne me conaretur adire, deterritum. Moratus ſum & ego ibidem, tam nivibus, quàm negotiis detentus per menſem: & vix in initio Quadrageſimæ domum redii. Suſcepi tandem à Subpriore, cui traditæ fuerant, litteras illas veſtras. Tractus eſt ſtatim animus; & cum in affectum veſtri multum ante caleret, longe amplius per eaſdem litteras flatu pectoris veſtri ſuccenſus, nihil ultra frigidum tepidumve ſibi ineſſe permiſit. Tractus inquam, ſicque tractus eſt, ut quod numquam, niſi ſacrorum reverentia librorum me feciſſe memini, perlectam epiſtolam mox exoſculatus ſim. Et ut eos quos poteram, quia tunc non omnes poteram, in veſtræ caritatis affectum, more mihi ſolito, excitarem; circumpoſitis quibuſque quod mihi ſoli legeram, relegi, eoſque erga vos in majorem dilectionis affectum pro viribus commovi. Recondi ſtatim eas, & argenteis ſive aureis, quos pro more mihi à Patribus relicto, ad opus eleemoſynæ mecum ferre ſoleo, adjunxi. Nec incongrue. Nam ſuper omne aurum & argentum veſtra mihi gratia, bona veſtra caritas eſt pretioſa.

Bernardi litteras avide legit & exoſculatur.

a Id eſt monaſticæ recluſioni & ſolitudini, de qua in epiſtola ſeq. num. 2.

b Petri epiſtola, quæ huic occaſionem dedit, excidiſſe videtur. Nulla enim in editis huic Bernardinæ reſpondet. Vide alias Notas de anno, quo hæc epiſtola ſcripta eſt.

c Feſtive hoc dicit Bernardus, & nativo lepore in ſale. Injurias dicit occaſiones ſimultatis, ortas tum ex electione Lingonenſi, de qua ſupra in epiſtola 164. tum ex decimarum relaxatione Ciſtercienſibus ab Innocentio facta, de qua in epiſtola 283. His adde rituum monaſticorum diverſitatem, quæ cum aliis capitibus notatur in epiſtola ſequente, & in Apologia ad Guillelmum. Vide Notas fuſiores, & confer breves Notas ad epiſtolam 1.

d Hæc eſt epiſtola 27 libri 4. Exſtat alia ejuſdem argumenti in lib. 1. nempe epiſtola 28.

e Marciniacum, *Marcigny*, Virginum cœnobium ad Ligerim, a ſancto Hugone abbate Cluniacenſi fundatum.

2. Reſcribere quod animo inſederat, ſequenti die ſtatim volui : ſed à quotidiano, immo pæne continuo exactore alia repoſcente prohibitus, conticui. Imperavit mihi plane ſilentium, cui reſiſtere non poteram, duriſſimus imperator, & cura multiplex infinitarum cauſarum, non uno tantum, ſed multis me diebus ſilere coëgit. Tranſibant quandoque quindecim dies, quandoque integer menſis, quandoque continui menſes, quibus ſcribere ſemper nitebar ; nec imperatore jam dicto permittebar. Rupi tandem importunum vinculum : & licet ægre, jugum oneris & ſceptrum exactoris furtum ſcriptitando ſuperavi. Ac ne ſuperfluus videar, tantopere excuſans tarditatem reſcribendi, ipſe excuſare coëgiſtis, dum dixiſtis : Non multum temporis eſt, ex quo ſcribens ad vos, coronam [a] veſtram debita veneratione ſalutavi, & non reſpondiſtis mihi verbum : nec multo ante rurſum ex urbe Roma vobis ſcripſeram, & nec tunc quidem vel unum iota recepi. Modo miramini, quod reverteuti nuper de Hiſpaniis nugas meas denuo vobis ingerere non præſumpſi ? Quod ſi culpa eſt quacumque ex cauſa non ſcripſiſſe : ſine culpa profecto non erit noluiſſe, ne dicam contempſiſſe reſcribere. Hoc quidem vos.

3. Sed quid ego ? Iſtud plane. Negare, inquam, culpam, quam imponitis, nullo modo poſſem, ſi tanto amico primo ſcribenti reſcribere contempſiſſem. Fateor enim, quod primum ſcribenti vere reſcribere debuiſſem : ſed, prout recolere poſſum, dum in Urbe moraremini *, ſcripſi ego prior, reſcripſiſtis poſterior vos. Non ergo ad me pertinuit reſcribere, qui prior ſcripſeram : ſed veſtrum fuit reſcribere, quia prior ſcripſeram. Et potuiſſem quidem ſcribere etiam reſcribenti : ſed plena, ſcriptoque meo ad unguem ſatisfaciens reſponſio veſtra ſilentium mihi impoſuit reſpondendi. Quod ſi ita eſt, culpa mihi impoſita me deſerens, vos incipit intueri : quia inculpabilem culpare, & ſarcina aliena, ne dicam veſtra, aggravare humeros fratris innocentis voluiſtis. Quod vero vice alia idem à me factum dicitis ; quia rei memoria menti non ineſt, reſponſio deeſt. Quæ ſi forte adeſſe potuerit, aut probabilis excuſatio, aut humilis ſatisfactio deeſſe non poterit. Sed addidiſtis : En in quo pro me faceret juſtitia. Et ego : Interim juxta cauſas præmiſſas pro me facit juſtitia, quia apud me non invenitur culpa. Jam, ſi non parcerem, & læſum, quod de vobis dixiſtis, amicum me vocare potuiſſem ; & læſionis vel injuriarum pœnam merito exigerem. Sed parco more meo, ſed cuncta etiam non rogatus remitto. Nullarum, ut dixiſtis, memor ſum injuriarum. Nam & hoc ad ſequentem materiam pertinet, ut qui notas ſimultates de multorum cordibus, non ludo, ſed ſerio excludere ſatago, & ad excludendum vos incitare intendo ; prior ipſe omnibus indulgeam, & quod ut alii faciant, laboro, ante ipſe faciam.

4. Sed rurſum forte dicetis : Itane jocari libet ? Libet equidem, ſed vobiſcum. Vobiſcum certe, ſed non ita cum aliis. Nam cum quibuſdam aliis gravitatem excedere, vanitatem incurrere formidarem : at vobiſcum vanitatem non vereor ; caritatem, ne labatur, perſequor. Unde dulce mihi eſt ſemper vobiſcum loqui, & melleam inter nos caritatis dulcedinem jocundis ſermonibus conſervare. Caveo enim, quantum poſſum, de illorum fratrum numero eſſe, qui oderant Joſeph in corde ſuo, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Utinam & ſic, (quod non glorians dico,) omnes noſtri veſtrique Fratres facerent, & à linea caritatis, qua ſola poſt Fidem, & Baptiſmatis ſacramentum fratres dicuntur, & qua ſpeciali conſanguinitate ſibi junguntur, non degenerarent, metuerentque quod ait Apoſtolus : *Periculum in falſis fratribus.* Utinam plane hoc omnes facerent, & cor à cogitatu doloſo ; linguam, juxta Pſalmum quem frequentant, à verbo aſpero cuſtodirent. Videntur iſta, quæ præmiſi, magna promittere, & velut ad peragenda maxima ſe præparare. Sed ne de his illud uſitatum dicatur,

Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu ?

fateor me non tantum maximam, ſed nec magnam, nec modicam habere cauſam vobis ſcribendi : earum tamen rerum, quas magnas vel maximas ſæculares æſtimant, & de quibus ſe magnos vel maximos fieri poſſe filii ſæculi ſperant. Eſt tamen magna, & in tantum cauſas omnes præcellens, ut excellentior omnibus ab Apoſtolo dicatur : & ſi ejus nomen quæritur, ab eo caritas nominatur.

5. Hæc mihi tota, & ſola cauſa ſcribendi fuit ; quam me perſonæ veſtræ integram ſervare confido : quamque noſtros veſtroſque ſibi ad invicem melius ſolito ſervaturos, veſtro maxime ſtudio, non deſpero. Nam quantum ad eam caritatem ſpectat, quam vobis in abdito cordis mei jam ab antiquo reſervo ; videtur mihi quod aquæ multæ, ut ſcriptum eſt, non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. Hoc in quibuſdam caſibus mihi ſæpe expertus videor, quod aquæ multæ non poterunt eam exſtinguere, nec flumina obruere. Quando enim extingui vel obrui poterit ſincerus erga vos, & ignitus mei pectoris affectus quibuſlibet ſiniſtri rumoris rivulis : cum nec aquæ multæ decimarum [b] potuerint eum exſtinguere, nec impetus Lingonenſium fluminum obruere ? Noſtis quod dico, nec ob aliud dico, niſi ut conſtantis in amoris propoſito erga vos animi mei inſignia recolens, ſtabilem de cetero me eſſe poſſe, prudentia veſtra præſumat. Præſumo & ego hoc idem de vobis, nec a cordis veſtri penetralibus me cujuſlibet impulſu poſſe excludi confido. Sed cum uterque noſtrum Paſtor dicatur ; cum ovilia noſtra non parva Chriſti multitudine ſint referta ; cum utrique præcipiatur, *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui :* videndum eſt, ſi pecus noſtrum nobis notum eſt, ſi valet, ſi languet, ſi debile, ſi robuſtum, ſi mortuum certe vel vivum. Nam cum dilectus ille Diſcipulus dicat, *Qui non diligit, manet in morte :* quid ego de languore pecudis meæ ſollicitor, cum eam jam mortuam eſſe cognoſcam ? Si enim in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui odit ? Si in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui detrahit ? Ad quid hoc dico ?

6. Cerno aliquos, tam de noſtris ovilibus, quàm de veſtris, adverſum ſe invicem jurata bella ſuſcepiſſe : & eos, qui in domo Domini habitare unanimes debuerant, à caritate mutua deſciviſſe. Video eos de ejuſdem Domini eſſe familia, de ejuſdem Regis eſſe militia : eodem nomine Chriſtianos, eodem & Monachos nuncupari. Intueor non ſolum communis Fidei vinculo, ſed inſuper ejuſdem monaſticæ Regulæ jugo ſubmiſſos dominicum agrum multis, ſed diverſis ſudoribus excolere : & cum eos, ut dixi, Chriſtianum nomen conjungat, cum monaſtica profeſſio uniat ; ſola eos mentium neſcio quæ occulta & nefanda varietas ſeparat, & ab illa ſincera cordium unitate, in quam videntur congregati, diſgregat. Et, ô res plena lamentis, nec ullis lacrymarum fontibus digne deflenda ! ſuperbum Archangelum de cælis projectum rurſum cæleſtia occupaſſe, & qui in aquilone ſedem ſuam ſtabilire non potuit, in meridiana, hoc eſt in ſplendidiore cæli parte, eam firmaſſe. Vere ita plane, ita ſe feciſſe gloriatur, quando expulſo eo, qui habitat in cælis, & cujus locus non in mutuo rancore, ſed in fraterna pace factus eſt ; mentibus hominum profeſſione cæleſtium, exemplo ſplendentium, jure tyrannico principatur. Cumque, fortem illum, atrium ſuum diuturna pace cuſtodientem, fortior ſuperveniens vicerit ; cum mundi principem foras ejecerit ; cum ſolium ejus, qui rex eſt filiorum ſuperbiæ, etiam in laicis Chriſtianis everterit : quibus putas planctibus erit dolendum, ſi everſum in aliis nequitiæ ſuæ thronum ſatan in monachorum cordibus erexerit ? Abſit, abſit, ut ille qui ſic à Salvatore enervatus dicitur, ut ipſius etiam ancillis ligetur, ut ipſi à ſervis ejus velut avi illudatur ; in tantum ipſe ſervis ejus & an-

a In ſuperiori epiſtola legitur, *veſtram magnitudinem.*
b Hæc illa injuriarum capita, de quibus Bernardus in epiſtola ſuperiori.

cillis illudat, eiſque ut vilibus mancipiis dominetur.

Diſcidiorum cauſas proponit. 7. Sed cur ſibi adverſantur? cur ſibi detrahunt? cur ab invicem conſumuntur? Veniat, rogo, veniat materies litis in medium: & ſi quid juſtæ querelæ adverſum ſe invicem afferre potuerint, æquis decernentibus arbitris terminetur. Quid exigis, quæſo, frater à fratre? & ut in duobus nominatis omnium diſſidentium varietas comprehendatur, quid exigis, inquam, frater Cluniacenſis, à fratre Ciſtercienſi, vel e converſo? Si urbes ſunt, ſi caſtra, ſi villæ, ſi fundus, ſi poſſeſſio aliqua terrena vel parva, vel magna; ſi denique aurum, ſi argentum, ſi quælibet quantitas vel qualitas pecuniæ; dic, age, propone. Adſunt judices, non iniquitatis, ſed æquitatis, omnes hujuſmodi lites ſtatim dirimere præparati. Facile pax reformabitur, læſa caritas curabitur: poſtquam pro talibus vel ſimilibus ortum fuiſſe tantum cordium diſcidium cognoſcetur. Sed video utrumque veſtrum omnia iſta abjeciſſe, nihil vobis in terris reſidui feciſſe; pauperem Chriſtum beata paupertate ditatos vos ſeqoi propoſuiſſe. Non eſt ergo hic materies quam quærebam. Sed non deſiſtam, non fatigabor, non quieſcam: donec ad fundum inquiſitæ veritatis perveniam.

2. Radix, diverſitas conſuetudinum. 8. Eſt fortaſſe inter vos litis hujus cauſa, diverſa conſuetudo, varia monaſtici ordinis obſervatio. Sed ſi hæc, cariſſimi, tanti mali cauſa eſt; valde irrationabilis, & quod ſalva utriuſque veſtrum gratia loquor, valde puerilis & ſtulta eſt. An non videtur vobis irrationabilis, puerilis, & ſtulta, quam omnis ratio deſtituit, & cui omnis ſanum ſapiens contradicit? Nam ſi varia conſuetudo, ſi multiplex rerum infinitarum varietas, Chriſti ſervos à mutua caritate divellere debet; quid jam pacis, quid concordiæ, quid unitatis, quid tandem de lege Chriſti non ſolum monachis, ſed & omnibus Chriſtianis reſiduum erit, de qua à magno Apoſtolo dictum eſt: *Alter alterius onera portate. & ſic adimplebitis legem Chriſti?* (*Gal. 6. 2.*) Si, inquam, lex Chriſti, id eſt caritas, ab omnibus diverſos uſus ſequentibus relinquenda eſt: nuſquam plane ultra quærenda eſt. Nuſquam enim inveniri poterit, poſtquam ab omnibus morem diverſum ſequentibus excluſa fuerit. Nonne, cariſſimi, totus orbis terrarum Chriſti eccleſiis jam ab antiquo refertus eſt? Cumque omnem pæne numerum excedat multiplicitas eccleſiarum, ſub una fide & eadem caritate Deo famulantium; tanta pæne apud eas invenitur varietas uſuum, quanta infinitas eſt locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus eccleſiaſticis officiis, hoc in veſtitu vario; hoc, præter authentica quæ mutari non poſſunt jejunia, in jejuniis diverſis; hoc in univerſis ſimilibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, à prælatis eccleſiarum, quibus, ſecundum Apoſtolum, quantum ad talia pertinet, in ſuo ſenſu licet abundare, inſtituta ſunt. *Eccleſiarum diverſitates.* Relinquent ergo omnes iſtæ eccleſiæ caritatem, quia mutaverunt conſuetudinem? Ceſſabunt eſſe Chriſtiani, quia videntur in diverſis uſibus varii? Peribit ab his omnibus ſummum pacis bonum, quia unuſquiſque modo vario operatur bonum? Non ita ſenſit vita & verbo Doctor Eccleſiæ Ambroſius, qui de jejunio ſabbati loquens, quod Romæ ſervari viderat, & Mediolani Epiſcopus factus ſervari non invenerat, ait: Quando Romæ ſum, jejunium à Romana eccleſia ſervatum cuſtodio: quando Mediolani, morem ejuſdem eccleſiæ ſequens non jejuno. (*apud Auguſt. epiſt. 54. nova edit. al. 118.*) Hinc & pater Auguſtinus bonæ matris ſuæ devotionem deſcribens, narrat eam juxta morem, quem apud Africanas eccleſias teneri viderat, oblationes ſuas contra eccleſiarum Italiæ obſervantiam Mediolani voluiſſe offerre, ſed ab Ambroſio prohibitam fuiſſe. (*Auguſt. lib. 6. Conf. cap. 2.*)

9. Sed quid in iſtis laboro? Fruſtra rem patentem multiplicibus teſtimoniis vel exemplis cingerem: maxime cum nec apud antiquos ipſius paſchalis temporis diſſonantia, nec apud modernos ipſius ſacrificii Chriſtiani inter Græcos & Latinos nota varietas, caritatem lædere, vel ſchiſma aliquod unitatis gignere potuerit. Teſtes ſunt præcedentis rei Patres ſancti, & eorum, quos eccleſiæ reliquerunt, approbati libri, quod alio temporte Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britanniæ inſula Angli, alio Scoti Chriſtiani, ſcilicet antiquiores, Paſcha Domini celebrabant. Teſtes ſumus & nos temporis noſtri, qui Romanam eccleſiam, & totam Latinam linguam offerre Deo ſalutare ſacrificium azymi panis videmus; cum Græca eccleſia, & maxima Orientis pars, ac barbaræ, ſed Chriſtianæ gentes, ſacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita ſit; nec antiqui, nec moderni propter tam celebres & famoſas uſuum diſſonantias à caritate mutua deſciverunt: quia nihil quod fidem vel caritatem læderet, in his omnibus invenerunt. Ad quid iſtud? Ut ſi propter varios uſus veſtri, ô fratres, animi variati ſunt, ſi propter diverſitatem conſuetudinum diverſificati ſunt; ſi propter alium & alium morem ab eccleſiarum inſtitutoribus vobis traditum, à pacis vel unitatis caritate languerunt: tantorum Patrum tam venerandis exemplis in unum redeant, & more ſanctorum, qui convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, à caritatis ſuper omnem morbum formidando languore convaleſcant.

10. Sed dicetis: Aliter uſuum varietas accipienda eſt in diverſis eccleſiis, aliter in ejuſdem Ordinis viris. Si eccleſiarum multarum uſus ſalva fide & caritate variantur, mirum non eſt: ſed ſi ejuſdem propoſiti & profeſſionis homines non eumdem inſtitutionum morem ſervaverint, mirum eſt. Eſtne, inquam, hoc totum, quod vos, cariſſimi, ab invicem dividit? eſt hoc totum, qood caritatem in vobis lædit? eſt hoc totum, quod filios pacis inter ſe pacificos eſſe non ſinit? Si laicus homo cum his qui oderant pacem, pacificus erar; monachus homo cum monacho homine, nefando duello certabit? Filius lucis filios tenebrarum, ne pacis bonum turbetur, diligit: filius lucis filium lucis, quod ad propoſitum, non ad monachum refero, impugnabit? Si hæc certe tota eſt animorum veſtrorum indignatio, ſi hæc tota caritatis læſio; facile curabitur, ſed ſi abfuerit obſtinatio. Attendite ergo, ne lucem ſenſuum veſtrorum propriæ ſententiæ amor obnubilet: quia unitatem aſſequi non meretur, quiſquis non ipſam, ſed quod vult ipſe, tuetur. Unde rogo, ut abſque ſtudio partium & propriæ ſententiæ defenſandæ, utrum hæc juſta diſcidii cauſa ſit, diſcutiatis; & cum injuſtam eſſe cognoveritis, diſcuſſos animos uniatis. Nam ecce ſub eadem Regula urerque veſtrum militat, qua ſpeciali militia ſalutem æternam ſe quiſque veſtrum poſſe conſequi ſperat. Quod ſi neuter veſtrum ſpe ſua fruſtratur, neſcio quis locus diſcordiæ, quis diſcidio, quis oblocutioni ſupereſſe jam poſſit.

11. Dixiſtis enim mirum eſſe, ſi ejuſdem propoſiti & profeſſionis homines non eumdem inſtitutionum ſervaverint morem. Ad quod ego: ſi ejuſdem propoſiti & profeſſionis homines, non eumdem inſtitutionum morem ſervaverint, & tamen obſervationibus diverſis ad eamdem ſalutem & æternam vitam pervenerint, quid refert? Quid plane refert, quid obeſt, ſi vario tramite ad eamdem regionem, ſi multiplici via ad eamdem vitam, ſi multiplici itinere ad eamdem, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem pervenitur, quæ eſt mater noſtra? Si enim tu, ô Cluniacenſis, Ciſtercienſem, aut tu Ciſtercienſis Cluniacenſem in aſſumpto propoſito errare cognoſceres, & juxta Scripturam per viam, quæ videtur hominibus recta, ad interitum tendere prævideres; juſta, fateor, tibi eſſet cauſa fratrem corrigendi, revocandi; aut, ſi audire te nollet, objurgandi & deteſtandi. Tunc certe ſi obloquereris, ſi contradiceres, ſi & odires; te juſte judicare, te recte agere confiterer, maxime cum de talibus audiam magnum Prophetam Deo dicentem: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam. & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* (*Pſal. 138. 21.*) Gratularer inſuper, te non ſurdum eſſe auditorem Scripturæ dicentis: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum; ne des ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* (*Prov. 6. 4.*) & illius: *Maledic-* (*Jerem. 48. 10.*)

tui qui prohibet gladium ſuum a ſanguine. Tunc juſtas plane odiorum tibi cauſas eſſe fateter, & ad debellandos hoſtes Dei, & eos qui ſecundum Apoſtolum in hypocriſi faciunt mendacium, greſſus tuos & ego accinctus zeli gladio comes individuus comitarer. At nunc cum ſub eadem * variis, ſed ſacris inſtitutis utrumque veſtrum de terris ad cælos tendere videam, & per diverſas ſemitas ad idem bravium tendentes ſic currere, ut comprehendatis: non ſupereſt tibi, ut mihi videtur, cauſa aliqua indignandi, non odiendi, non obloquendi.

1 Tim. 4. 2

* Suppl. Regula

12. Sed exigis adhuc, ut quod dixi probem, & quomodo ſub eadem Regula vel ejuſdem Regulæ profeſſione, per diverſos tramites tuto monachus incedere poſſit, oſtendam. Ad quod mihi perfacilis patet reſponſio, & auctoritas juncta rationi non deeſt: poſſe & te Cluniacenſem tuo uſu, & te Ciſtercienſem tuo more, & feliciter per viam mandatorum Dei currere, & felicius ad finem curſus debitum pervenire. Et quia eam, quæ ſemper in talibus præmittenda eſt, auctoritatem præmiſi; præmittatur & in hac ſerie ipſa, nec ratio modico ſaltem intervallo disjungatur ab ipſa.

13. Sed quid objicis, frater? Dico ejuſdem Regulæ profeſſus, ejuſdem Regulæ mandata non ſimiliter obſervare. Verum eſt, inquam, quod dicis, ejuſdem Regulæ mandata in quibuſdam capitulis ab ejuſdem Regulæ profeſſis diſſimiliter obſervari. Sed ne hujuſmodi monachos propter iſta reos exiſtimes, ne hac de cauſa prævaricationis arguere audeas; audi cæleſtem, immo Regis cælorum auctoritatem. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Audi & Apoſtolum: *Omnia veſtra in caritate fiant.* Audi & Patrem Auguſtinum: Habe caritatem, & fac quicquid vis. Audi & ipſum Regulæ ſcriptorem, immo ipſius Regulæ dictatorem Spiritum-ſanctum: Sic, inquit *, Abbas omnia temperet atque diſponat, ut animæ ſalventur; & quod faciunt fratres, abſque murmuratione faciant. Et quid clarius, quid apertius, quid lucidius? Nonne ipſa verborum ſerenitas abſque omni prorſus nubilo ſe eſſe oſtendit, & clariſſimam veritatis lucem, remoto omnium nubium velamine, mortalibus manifeſtat? Ecce Magiſter cæleſtis totum corpus tuum, ô frater, ſimplicitate oculi, hoc eſt univerſa opera tua, puritatis intentione, lucida eſſe docet: ecce poſt ipſum ſummus Eccleſiæ Doctor omnia tua in caritate fieri præcipit: ecce maximus poſt Apoſtolos eccleſiarum inſtructor, omnem tibi quæ volueris faciendi poteſtatem, caritate manente, concedit: ecce ipſe, cui inniteris, Benedictus Pater, Abbatem ſic omnia temperare jubet, ut animæ ſalventur, & murmur abſit: & ſaluti ſub eadem Regula diverſa ſequentium metuis? Nonne cernis tutiſſimos ab omni periculo, quorum (& quod majus eſt) præcepta à qualibet varietatis mobilitate vel culpa, intentio ſalvandi animas juxta ipſam Regulam excuſat?

Luc. 11. 34. 1 Cor. 16. 14. Unum opus diverſimode obſervari poſſe.

* Reg. S. Bened. c. 41.

14. Sed jam, ut & ipſa ratio auctoritatibus præmiſſis in omnibus famulari intelligatur, eique indiviſibiliter cohærere; ſubjungantur aliqua de inſtanti quæſtione capitula, in quibus ſimplici oculo, ſincera caritate, ſalvandarum animarum intentione, quædam mutata monſtrentur. Nam his demonſtratis, nihil, ut arbitror, quantum ad præſens negotium pertinet, tibi quærendum relinquam. Simplici namque oculo tu uteris, qui non ipſi poſt annum novitio aditum clauſtri aperis: quia juxta Apoſtolum & Regulæ verba *, ſpiritum noviter venientis, utrum ex Deo ſit, per totius anni ſpatium perſcrutaris. Simplici oculo & tu uteris, qui advenientem infra ejuſdem anni metam ſuſcipis: quia eum per tantum temporis dilatum, ad priſtinas fæces, & ad prioris vitæ deteſtanda mala redire formidas. Simplici oculo tu uteris, qui duabus tunicis, & duabus cucullis, vel ejuſdem generis paucis additis veſtibus contentus es: quia etſi non præceptum *, conſilium tamen vel exiſtimationem ſcriptoris Regulæ ſequi, quam alterius generis veſtes addere vel aſſumere maluiſti. Simplici oculo & tu uteris, qui uſum

Capitula quædam in quibus illicita.

Novitiorum admiſſio

1 Johan. 4.

* Reg. S. Bened. cap. 58.

Veſtes.

* Ibid. c. 55

mediocrium pelliciarum admiſiſti: quia debilibus, quia infirmis, quia delicatis, quia omnibus, quantum ad frigidiores terrarum partes pertinet, ne murmurarent, ne languerent, ne rationabili neceſſitate ſubtracta & aliqui à propoſito recederent, providiſti. Simplici oculo tu uteris, qui non niſi tertio fugitivos revertentes recipis: quia & ipſa Regulæ * verba conſervare, & à frequenti fuga ſtultos vel inſtabiles monachos ſtudes, negato demum reverſionis aditu, deterrere. Simplici oculo & tu uteris, qui pluſquam tertio monachum redeuntem recipis: quia times, ne venia denegata, expoſitus hoſtibus pereat, & ovem vagabundam lupus, qui & clauſas rapere ac diſpergere ſolet, interimat.

Transfugarum receptio. * Reg. c. 29

15. Simplici oculo tu uteris, qui abſque exceptione aliqua regularia jejunia, tam æſtatis, quam hiemis, obſervas: quia & prout ea tradita ſunt, vis conſervare, & prolixioris abſtinentiæ cumulatiorem fructum recipere. Sed, quod puro caritatis animo loquor, octo diebus Natalis Domini, Epiphania, Purificatione, qui vere per omnia dies Dominici ſunt, jejunia à quibuſlibet obſervari non ſatis approbo. Simplici oculo & tu uteris, qui & hos dies, quos prædixi, & omnem authenticam duodecim lectionum ſollemnitatem ab hac regularium jejuniorum conſuetudine excipis: quia ipſum Dominum, quia Apoſtolos, quia quoſdam alios Sanctorum, & ſic honorare conaris, & omnium pæne Religioſorum ſic jejunantium morem imitari propoſuis. Simplici oculo tu uteris, qui opus manuum ſecundum Regulæ præceptum obſervas: quia & Regulæ * obedire, & otioſitatem inimicam animæ, ſecundum ejuſdem Regulæ dicta, talibus exercitiis, tam ſacris non ſolum monachicis, ſed & apoſtolicis inſtitutionibus vis cavere, &, in quantum facultas datur, juxta Patres antiquos, & vitæ neceſſaria providere. Simplici oculo & tu uteris, qui hoc opus manuum ex parte poſtpoſuiſti: quia non in ſilvis, nec in deſertis, ſed in medio urbium & caſtrorum conſtitutus & undique populis circumſæptus, nec toties, & toties ire ac redire horum cauſa operum, per promiſcuam utriuſque ſexûs multitudinem, abſque aliquo vel plurimo periculo potes: nec inſuper opportuna loca, ubi talibus exerceri operibus poſſis, plerumque poſſides. Sed ne inimica religioſis otioſitas te vacante locum tibi nocendi inveniat; aut ubi, & quando potes manibus operaris; aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compenſas: ſicque ne domum pectoris tui vacantem nequam ſpiritus ſibi vindicet, quibus potes ſacris ſtudiis totum vitæ tuæ tempus occupas.

Jejunia.

Labor manuum.

* Ibid. c. 48

16. Simplici oculo tu uteris, qui in omnibus advenientibus vel diſcedentibus hoſpitibus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terram, Chriſtum adoras, eiſque univerſis pedes abluis: quia præcipuum hoſpitalitatis bonum, ſecundum Evangelii & Regulæ decreta *, ſummo excolere ſtudio, ut decet, ſatagis, & tam ſanctæ humanitatis exhibitione condignam mercedem tibi vindicare contendis. Simplici oculo & tu uteris, qui non ante omnes hoſpites proſterneris, qui non omnibus pedes abluis: quia impoſſibile omnino tibi eſſet ante tantam hoſpitum multitudinem aſſidue advenientem ſemper in terram proſterni, omnibus pedes abluere: in tantum ut ſi ad iſta continue vacare velles, cunctis aliis Ordinis tui exercitiis omiſſis, nec iſtud ſolum explere valeres. Et quia quod impoſſibile tibi eſſe perſpicis, omittis; quod hoſpitum ſuſceptioni neceſſarium eſt, pro viribus exhibes, eoſque quo potes honore proſequeris: à jam dictis, quæ explere non vales, ſimplicitate oculi excuſaris. Simplici oculo tu uteris, qui menſam Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſemper eſſe vis: quia & Regulæ obedire *, & hoſpitibus tibi humanius deſervire videris. Simplici oculo & tu uteris, qui menſam Abbatis non ſemper cum hoſpitibus, ſed ſemper cum fratribus eſſe decernis: quia multorum Abbatum (ut mitius loquar) profuſioni, qui hoſpitum occaſione

Hoſpitum ſuſceptio.

* Reg. c. 53.

* Reg. c. 56.

ſibi propitii, ſuis impii eſſe ſolebant, eum ad menſam communem revocando mederis.

Auſteritates.

17. Simplici oculo tu uteris, qui velut Eſdras legem, qui velut Maccabæi ruinas templi Dei, ſic tu monaſtici Ordinis plurima detrimenta, multaſque in multis multorum monaſteriorum morumque ruinas reparare laboras: & delicatis magis, quàm neceſſariis condeſcenſionibus exploſis, ad antiqui & primi fervoris morem, noſtrorum temporum teporem revocare contendis. Simplici oculo & tu uteris, qui ita & Regulæ & Ordinis mandata moderaris, ut, ſecundum ejuſdem Regulæ verba *, ſit & quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant: ut qui pane non poteſt, lacte ſaltem, ne vitam perdat, alatur: & qui anhelis curſibus propoſitum bravium comprehendere non valet, lento ſaltem pede ad illud pertingere doceatur: quia non minus patriæ inhabitator dicitur, qui ad eam poſt annum, quàm qui poſt menſem revertitur. Quod tamen ſalvo itinerantium diverſo labore dico: quia juxta apoſtolicam vocem, unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Habes tu hujus propoſiti tui Benedictum auctorem, cujus licet ſcripta, ubi caritas jubet, ipſo teſte minime ſequi cogaris: ſequi tamen, quia tanto viro congrua viſa ſunt, devotione laudabili delectaris. Habes & tu inſtitutionum tuarum eumdem Benedictum auctorem, qui ad finem caritatis univerſa ſcripta ſua redigi præcipit, & animarum ſaluti quoquo modo, iſto vel illo ordine inſervire. Habes & Maurum præcipuum inter ejus diſcipulos diſcipulum, qui ab eo miſſus ad Gallias, aliqua vel multa de ejus Regula, eo quem ſupra ſcripſi oculo legitur immutaſſe. Habes & plurimos poſt ipſum monaſteriorum Patres, quos Spiritu Dei pro temporibus, pro locis, pro perſonis, ad moderanda ſæpe dictæ Regulæ ſcripta actos eſſe, & vita præcellens, & innumera tam in vita, quàm poſt mortem a Deo per ipſos facta miracula, luce clarius manifeſtant.

* Reg. c. 64.

1. Cor. 3. 8.

Regula S. Bened. regulæ caritatis ſubjicitur.

18. Et quid ultra dicam? Simili ratione per reliqua omnia quæ videntur diverſa capitula currente, ſimplicem oculum, quem alius caritatem, alius ſalvandarum animarum intentionem nuncupat, ubique reperies; & hoc modo nihil diverſum, nihil diſſonum: quia per caritatem fiunt omnia unum, in his quæ varie ſervari videntur, invenies. Iſtis adjicio, quod tamen omnibus patet, nihil pæne talium in Regula præceptum, ſed cum conditionis additamento, & Abbatis temperamento prolatum. Quod etiam ſi imperative dictum fuiſſet, nequaquam ſimplici oculo, id eſt caritati evangelicæ, præjudicare potuiſſet. Talia enim, ut noſti, de numero præceptorum mobilium ſunt: & quando caritas imperat, abſque aliquo tranſgreſſionis timore movenda ſunt. Nec ſuſpecta eſſe debet hoc reſpectu Regulam profeſſis Regulæ prævaricatio: quia Regula illa illius ſancti Patris ex illa ſublimi & generali caritatis regula pendet, ex qua & in qua, juxta Veritatis verba, *univerſa lex pendet. & Propheta.* Quod ſi univerſa lex, tunc & illius Regulæ lex. Monachus ergo Regulam Patris Benedicti profitens, tunc eam vere ſervat, quando in ſervatis vel mutatis quibuſlibet ejus capitulis, caritatis legem ubique conſervat.

19. Quid igitur? Si hæc certe, ô fratres, tota mutui erat cauſa diſcidii, nonne jam vobis prorſus excluſa videtur? nonne jam fraterna pace uniri debent corda monachorum, cum varia illa, propter quæ diſſciſſa fuerant, ſimplex fecerit caritas unum? Nonne multa unum facit, quæ ſub uno monaſtici Ordinis, vel unius Regulæ propoſito diverſa, ſed bona ſequentes, ad unum ſummi boni vel ſempiternæ vitæ debitum finem perducit? Fiat ergo pax, ô Jeruſalem, in virtute tua, ut ſequatur & abundantia in turribus tuis. Sed ne forte inveniamur de illis eſſe, qui dicunt, Pax, pax, & non eſt pax: ſcrutemur ſi qua adhuc divortii cauſa ſuperſit, ne forte nobis dormientibus ac ſecuris, repentinus de caverna ſua anguis exſiliat, & aliquem ex noſtris vel veſtris incautius quieſcentem mordeat.

20. Fortaſſis enim veſtes iſtæ coloris diverſi incentivum diſcordiæ præſtant, & multiformis varietas veſtium varietatem quoque parit & mentium. Nam, ut pæne aſſidue cerno, & omnibus ipſis quoque negligenter intuentibus advertere perfacile eſt, niger (ut ſic dicam) monachus album fortuitu occurrentem obliquo ſidere reſpicit: albus nigrum vix media oculi parte & quando ſe ingerit, contuetur. Vidi plurimos, non recordor quoties, de nigrorum numero, occurrentem quempiam album, quaſi monſtrum ridentes, & velut ſi chimæra vel centaurus, vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce vel geſtu corporis ſe ſtupere ſignificantes. Vidi e converſo loquaces prius, & multa paſſim occurrentia ad invicem conferentes albos, nigro quolibet adveniente ſubito obmutuiſſe, & velut ab hoſtibus hoſtium ſecreta rimantibus, ſilentii ſibi remedio præcaviſſe. Intuitus ſum utriuſque generis hominum linguas tacentes; oculos, manus, pedeſque loquentes: & quod voce, ne proderentur, indicare nolebant, geſtuum ſuffragio clarius inclamaſſe. Vocem mutam, membra loquacia; & perverſo naturæ ordine, lapidibus clamoſos, homines hominibus taciturnos. Recordatus ſum ſæpe, talia videns, illius Salomonici verbi, quo de ſimili hominum genere fatetur: *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum. & in omni tempore jurgia concitat.* Et, ô peſſimi Angeli & à Deo projecti pravum & pertinax conſilium! qui nolens ſe ſolum æternæ paci periiſſe, ſocios ſibi ſuæ perditionis undecumque acquirit: & ut glorioſiore palma lætetur, cedros vel abietes paradiſi Dei, cujus ipſe olim colonus exſtitit, violento nequitiæ ſuæ impulſu ſubruere conatur. Dolet ſibi periiſſe hæreſum palmam, qua priſcis temporibus Eccleſiam Dei ſcindere conſueverat: & videns ſe fidem nullo jam pacto lædere poſſe, Spiritu Dei eadem fide replente orbem terrarum; ad caritatis mutuæ læſionem totum conatum convertit. Nam quia, ut infideles ſint, hominibus Chriſtianis jam perſuadere non poteſt: toto conamine, ne ſe invicem diligant, elaborat. Jam Arii, jam Sabellii, jam Novati, jam Donati, jam Pelagii, jam antiquioris horum exſecrandi Manichæi ſecta periit; jam innumerabilium hæreticorum nebulæ lucem fidei obumbrantes, Dei flante ſpiritu, evanuerunt, & meram nobis diem, omni remota caligine, reliquerunt: ſed his ſuccedens africus turbo, omnia ſubito turbare contendit: & quia fidem prævaluiſſe cognoſcit, læſione caritatis priſtina damna recompenſare molitur.

a Radix diſcidiorum diſcrimen veſtium.

Prov. 6. 13.

Dæmon in oppugnanda fide fruſtratus caritatem aggreditur.

21. Sed ut deploratione omiſſa, ad ea quæ cœperam, ſtilum reducam: cur tibi, ô albe monache, nigredo fratris tui non mentis, ſed veſtis, exſecranda videtur? Cur tibi, ô niger monache, albedo fratris tui, non mentis, ſed veſtis admiranda creditur? Nonne uterque veſtrum de ovibus Paſtoris illius eſt, qui dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt. & ego Dominus agnoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis. & non peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea?* Et quis umquam paſtor, non dicam Deus, ſed vel homo, de velleribus ovium ſuarum diſcoloribus diſputavit? quis umquam cauſatus eſt? quis umquam magis albas, quam nigras; nigras, quàm albas, ſuas eſſe oves judicavit? quis umquam non utrum nigræ vel albæ, ſed utrum nigræ vel albæ de eodem ſuo grege eſſent, attendit? Et, ô malitia hominum! &, ô innocentia pecudum! ô conſtans in ſua origine creata in brutis animalibus ſubſtantia! ô perverſa in rationali animante natura! quis umquam albus aries nigrum dedignatus eſt? quæ umquam ovis nigra albam deteſtata eſt? Nonne communiter, nonne pacifice, nonne omnino tranquille, ſine omni multiplicis coloris quæſtione, abſque omni inquietudine, caulas paſtorales replent? Et quidem aliquando aries arietem cornibus impetit, ovis ovem crebris pulſibus tundit: ſed hos vel has non varietas coloris ad pugnam excitat, ſed innata cunctis animalibus ac modo quolibet ira excita provocat. At nunc, ut video, ſtolidior pecude homo, in honore poſitus non intelligit: & (quod magis de-

Joan. 10. 27

[illegible] homo a [illegible]aritatis unitate va- [illegible] dijungit. Noli, noli, oro te frater, [illegible] upis, vario de vellere cauſari. quia [illegible] ovili ſuo Paſtor ille projicit, niſi q[illegible]m non [illegible] varietas, ſed fidei vel caritatis læſio ab [illegible]uarum grege ſecernit. Non, inquam, [illegible] quempiam ab ovili ſuo propter colorem, qu[illegible] regionibus, de tam diverſis religionibus, in uno Chriſtianæ fidei ovili Judæum congrega[illegible] [illegible]ter & Gentilem.

Gen. 31. [illegible] Hoc fortaſſis docuit & patientia illius ſancti Pa[illegible]chæ Jacob, qui decies à Laban immutatam mercedem æquo animo tulit: & nihil differre inter album & nigrum, vel varium pecus, eodem boni paſtoris animo & cura multicolorem gregem paſcendo monſtravit. Et cum dicat Apoſtolus, *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*, & alio loco, *Ubi non eſt Gentilis & Judæus, circumciſio [illegible] præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus*. quis puerilis animus in tantum deſipere potuit, ut vel variarum veſtium colorem, vel diverſum conſuetudinum morem, ſervata nova creatura in Chriſto aliquid, quantum ad ſalutem, differre putaret? Quod ſi quantum ad ſalutem nil refert, cur varius veſtium color monachos ſeparat? cur ſchiſma generat? cur animos dividit? cur caritatem lædit? Non eſt, non eſt cauſa aliqua, non ratio ulla, non dico audiendi, non dico dividendi, ſed nec grunniendi in iſtis. Habes tu idoneum defenſorem albedinis tuæ, ſimplicem, ut ſupra dixi, oculum conſcientiæ tuæ: quo, ne longo temporis uſu niger inductus, putaret non niſi ſub atro colore ſuo monachum eſſe poſſe, albam cucullam & tunicam induiſti: & quia ſub nigrorum habitu innumerabiles hujus Ordinis tepefactos à propoſito cernebas, ad majorem & novum monaſticæ religionis fervorem hoc hactenus inuſitato veſtium candore excitare arte laudabili voluiſti. Habes & tu non diſſimiliter probabilem auctorem nigredinis tuæ, longiſſimum à Patribus traditum conſuetudinis morem: quo tutior tibi videris ſequendo vetera, quàm adinveniendo nova. Habes uterque utriuſque coloris tui inexpugnabilem

Reg. S. Bened. 55. propugnatricem ipſius communis Regulæ vocem: quæ præcipit, ut de veſtium colore aut groſſitudine non cauſentur monachi, ſed illius coloris aut qualitatis veſtibus utantur, quæ in provincia, qua habitant, vel facilius inveniri, vel levius comparari potuerint. Tutatur ergo albedinem tuam ratio ſupradicta, vel fortaſſe major, quàm nondum novi, aliqua: tuetur & nigredinem tuam paterna auctoritas, quæ omni rationi æquipollet, & quam inferiorem judicari ab aliquo ſanum ſapiente non decet.

Veſtimenta nigra Patribus uſitata. 23. Et cujus Patris exemplum ad hoc aſſerendum afferre potero? & quem majorem magno Martino reperire valebo? Ille, inquam, ille magnus Martinus monachus & epiſcopus, nigrarum colorem veſtium ſuis veſtibus dedicavit, de qua re ſic in ejus vita legitur: Quem cum nigro ac pendulo pallio circumtectum contigua de latere jumenta vidiſſent, paululum in partem alteram pavefacta ceſſerunt. Quod vero monachus fuerit, monaſterium quod non longe ab oppido Pictavienſi, monaſterium quod Mediolani, monaſterium quod ſibi Turonis conſtruxit, teſtantur. Ecce monachus Martinus, ecce nigris veſtibus contectus Martinus. Sed quid & de his Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum miſſa ſcribit? Veſtes, ait, pullas æque ut candidas devita. Monens eum ſcilicet ut faſtum vel jactantiam caveret, non ſolum in candidis veſtibus, quibus tunc magis ſæculares utebantur, ſed etiam in pullis, quibus illius temporis religionis profeſſores uti conſueverant. De his admirandus ille Nolanus epiſcopus Paulinus, jam dicti Martini, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi contemporaneus ac familiaris, multiſque ſæpe ab ipſis, ſed & à magno Papa Gregorio laudibus prædicatus, iter cujuſdam nobiliſſimæ, ſed ad religionis monaſticæ propoſitum nuper converſæ feminæ deſcribens, ſic in epiſtola Sulpicio Severo directa loquitur. Vidimus gloriam Domini in illo matris & filiorum itinere, uno quidem, ſed longe diſpari cultu. Macro illam & viliore aſellis burico ſedentem, tota hujus ſæculi pompa, qua honorati & opulenti poterant, circumflui Senatores proſequebantur: carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente. Sed ſplendoribus vanitatis prælucebat Chriſtianæ humilitatis gratia. Admirabantur divites pauperiem ſanctam, at illos noſtra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo hujus mundi confuſionem, purpuream, ſericam, auratamque ſupellectilem, pannis veteribus & nigris ſervientem. Benediximus Dominum, qui humiles excelſos facit, eſurientes implet bonis, & divites dimittit inanes. Ecce non ſolum viri antiquæ religionis, ſed etiam mulieres, ſanctitatis propoſitum aſſumentes, veſtibus nigris uſæ ſcribuntur.

24. Nam ut quod ſentio fatear, viſum eſt, ut mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire. quibus ſtudiis, quia totam monachi vitam maxime invigilare oportet, decreverunt, ut color moribus, veſtes virtutibus, qua poſſent cognatione jungerentur. Veſtes enim candidas magis gloriam quàm abjectionem, magis gaudium quàm mærorem antiquitus deſignaſſe; magis etiam Eccleſiæ, ut omnibus notum eſt, ſic interpretantibus; & Angelus reſurgentis, & Angeli aſcendentis Domini præcones indicarunt, ipſeque Salvator in illa transformationis ſuæ gloria veſtibus niveis præclarus apparens, oſtendit. Inde bonus & doctus vir Sidonius Arvernus epiſcopus, quorumdam vitia mordaci reprehenſione irridens, inter alia quibus in eos invehitur: Procedunt, inquit, albati ad exſequias, pullati ad nuptias. oſtendens eos in tantum moribus & actu confuſos, ut apparatum funereum nuptiali, nuptialem funereo, perverſo ordine permutarent. Nam qui morem communem temporis illius ſervabant, non albati ad exſequias, pullati ad nuptias; ſed albati ad nuptias, pullati ad exſequias procedebant: ut albati nuptiali gaudio, pullati luctui funereo concordarent. Vidi nuper ipſe in Hiſpaniis conſtitutus, & admiratus ſum, antiquum hunc morem ab Hiſpanis adhuc omnibus obſervari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito conjunx, mortuis filiis patres, mortuis patribus filii, defunctis quibuſlibet cognatis cognati, exſtinctis quolibet caſu amicis amici, ſtatim arma deponunt, ſericas veſtes, peregrinarum pellium tegmina abjiciunt, totumque penitus multicolorem ac pretioſum habitum abdicantes, nigris tantum vilibuſque indumentis ſe contegunt. Sic crinibus propriis, ſic jumentorum ſuorum caudis decurtatis, ſeque & ipſa atro prorſus colore denigrant. Talibus luctus doloriſve inſignibus ſubtractos cariſſimos deflent: & integri ad minus ſpatium anni, in tali mærore publica lege conſummant.

Veſtes nigræ Monachos magis decent

Hiſpani nigris uſi in funere.

25. Hac tanta auctoritate vel ratione tibi colorique tuo, niger monache, ſatisfacio; nec tamen ideo albi albedinem condemno. Laudaris tu, quia Patrum morum ſanctum non vis excedere morem: laudatur & ille, quia veſtium inſolito candore, ſui magis ac magis animi in ſancto propoſito excitat etiam hoc modo fervorem. Diſtinguit ſe quodammodo tali colore, non à communi (quod nefas eſſet) caritate; ſed à multorum hujus ordinis nota omnibus tepiditate. Cum ſis igitur ſub uno paſtore Jeſu-Chriſto, cum habites in uno ovili Eccleſiæ, cum ex una vivas æternorum fide & ſpe, tam tu albe, quàm tu niger monache, quid de variis velleribus, ut parum auſterius loquar, ſtultiſſimæ oves cauſamini? Quid tam nulla, immo tam ſtulta de cauſa, contra vos ad invicem movemini? cur tam puerili occaſione primam illam ſtolam caritatis ſcinditis? cur ipſa habitacula ſeparatis? cur vos ipſos non jam ovino, ſed lupino dente mordetis? cur detrahitis? cur laceratis? Videte, cavete, ne hoc nomen innocentiæ, quo oves nuncupamini, non de

illis vos faciat, quas poſiturus eſt ſummus Paſtor à A dextris, & de quibus ipſe ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus agnoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*: ſed, quod abſit, inter illas vos conſtituat, de quibus legitur & cantatur, *Sicut oves inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*. Cernitis adhuc ſtultam eſſe cauſam, de colore diſputare? damnabilem, fratrem pro colore odire? peſſimam, fratri pro colore detrahere? Si tota hæc mutui cauſa erat diſcidii, ſi ſola tanti materia divortii, ſi, inquam, ſchiſmatis monaſtici hæc ſola & tota erat occaſio; nonne hac tam multis rationibus exploſa, cordium veſtrorum jam vetus ſciſſura unietur? B nonne læſa caritas curabitur? nonne ad pacis filios evangelica pax revertetur? Satisfacite igitur paci, filii pacis, & cum ea perpetuum fœdus inite: ne forte, ſi aliter fiat, proferatur quandoque etiam contra vos diriſſima illa Prophetæ ſententia: *Non eſt pax, dicit Deus meus, impiis*. Et jam, Deo gratias, æſtimo me quorumdam noſtri Ordinis virorum antiquas odiorum cauſas & latebras penetraſſe, nec jam ad quærendum etiam ſollicito cogitatui aliquid ſupereſſe. Quod ſi res ita ſe habet, neque tu albe nigrum, neque tu niger monache album, ſi præſcripta ſervare volueritis, infeſtabis: neque adverſus fratrem pro diverſo conſuetudinum more, vel pro vario tam ſæ- C pe nominato colore, à ſtatu altiſſimæ caritatis moveberis.

Johan. 10. 27.
Pſal. 48. 16.
Iſa. 48. 22.

26. Sed quid dixi? quomodo mente exceſſi? ubi intellectus animi? unde acies obſcurata videndi? Putabam me omnem ſcandalorum materiam inveniſſe, arbitrabar me omnes odiorum latebras detexiſſe. Suſpicabar, ut dixi, ſolam diverſitatem conſuetudinum, ſolam varietatem colorum, qualitatem aut quantitatem veſtium, aut eſcarum, caritatem inter monachos vulneraſſe, & tanti mali iſtam tantummodo cauſam exſiſtere. Cernebam feſtucam in oculo fratris: ſed trabem permaximam, & quercum prævalidam in meo vel ipſius oculo videre non poteram. At nunc clarificato oculo, ſerenata die, & ſole meridiano jam nil D latere permittente, video, video, inquam, quod liceat mihi dicere pace omnium, unde tamen certus ſum, quod licebit mihi omnium pace bonorum. Nam qui indignabitur, de ſe, ut ait Hieronymus, dictum fatebitur. Non refugit manum medentis pars ſoſpes corporis: ſed quæ ſe palpantis digitis tremens ſubducit, peſtem ſine dubio intrinſecus latere oſtendit. Quid eſt ergo quod exciderat?

27. Dic, dic, inquam, tu, ut mei propoſiti prius hominem alloquar, dic ô niger monache, da gloriam Deo; & quod in imis cordis tui contra fratrem adhuc latet, denuda. Quis, inquis, pati poteſt novos homines ve- E teribus anteferri; eorum ſtudia noſtrorum actibus præponi; noſtros viliores, illos cariores videri? Quis æquo oculo aſpicere poteſt, mundum ex plurima ſui parte à noſtro veteri Ordine averti, ad ipſorum novum propoſitum converti? relinqui tritas à ſæculis vias, concurſus fieri ad ignotas hactenus ſemitas? Quis patiatur novos veteribus, juniores ſenioribus, albos nigris monachis anteferri? Hoc tu, inquam, niger dicis. Sed tu albe quid proponis? Felices nos, inquis, quos longe probabilior inſtitutio commendat, quos beatiores aliis monachis mundus prædicat, quorum opinio, aliorum exiſtimationem; quorum dies, aliorum lucernam; quorum ſol, aliorum ſidus obſcurat. Nos religionis perditæ reſtauratores, nos emortui Ordinis reſuſcita- F tores; nos languentium, tepentium, ſordentium monachorum juſtiſſimi condemnatores: nos moribus, nos actibus, nos uſibus, nos veſtibus à ceteris diviſi, & veterum teporem oſtentui fecimus, & novum noſtrorum fervorem præcellere approbamus. Ecce, ecce, vera illa occultior, ſed longe aliis caritati infeſtior cauſa, quæ mentium veſtrarum unitatem ſcindebat, quæ ipſas domos ab invicem ſecernebat, quæ ad verba detractoria vel maledica linguas veſtras perſæpe, juxta Prophetam, ut gladium acuebat.

Radix diſſidiorum, ſuperbia & invidia.
Pſal. 139. 4.

A 28. Sed retundatur letalis gladius gladio verbi divini, & ne levi inanis gloriæ vento tantis ſudoribus fruges collectæ diſpergantur, ſi ſapientes eſtis, ſatagite. Et, ô infelix nimiumque deflenda jactura! ſi longiſſimi ævi tui mundiſſimam continentiam, ſi invincibilem obedientiam, ſi jejunia infracta, ſi perpetuas vigilias, ſi tam grave jugum diſciplinæ, ſi tot palmas patientiæ; ſi, ut breviter multa concludam, tantos tamque innumeros, non jam terrenæ, ſed cæleſtis vitæ labores, per tanta tempora ad ſtipendium æternitatis, à te per Dei gratiam congregatos, unus nequam ſerpentis ſibilus diſperſerit, & te ſolo flatu evacuans, inanem in con- B ſpectu ſummi Judicis draco veternus effecerit: & ubi eſt, quid Salvator hoc morbo adhuc laborantibus diſcipulis ait, *Videbam ſatanam quaſi fulgur de cælo cadentem*? Ubi eſt, quod facta huic ſimili contentione inter eos, quis eorum videretur eſſe major, alibi dicit: *Vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut junior; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*? Ubi latet abſconditum ab oculis memoriæ, quod excelſus ille & magnus, *cujus*, juxta Pſalmum, *magnitudinis non eſt finis*; & qui, juxta Apoſtolum, *eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, ſervis ſuis non ſe præferens vel conferens, ſed ſubmittens, ſequitur & dicit: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*? Corripitur Apoſtolus, C ne ſe præferat Apoſtolo: & non corripietur monachus, ne ſe præferat monacho? Supponitur à Chriſto magiſtro minori diſcipulo major, inferiori ſuperior: & ſuper Ciſtercienſem ego Cluniacenſis elevari conabor? Submittit ſe ſuis diſcipulis ipſe Chriſtus: & ſuper fratrem, longe forſitan meliorem, tumentem ſuperbia levabit cervicem Chriſtianus, & monachus? Dejicit ſe majeſtas, & jactat ſe infirmitas? Humiliat ſe celſitudo, extollitur putredo? Servit Deus, & imperare nititur limus? Et quomodo cecidiſti, frater, de gradu Regulæ tuæ, quo te conſcendiſſe gloriabaris, ut „ monachus omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolum „ ſua lingua pronuntiet, ſed & intimo cordis credat af- „ fectu? Et quid ultra laboro? Non eſt neceſſe religio- D ſis, ſapientibus, litteratis, acrius inſtare, nec (ut vulgo dicitur) Minervam docere, vel ligna ad ſilvam, vel aquam ad flumina ſive mare deferre. Intelligit, agnoſcit utriuſque veſtrum ſapientia, ſicut ſine fide, ſic & ſine caritate impoſſibile Deo placere: nec aliquem humilitate abjecta, poſſe eamdem caritatem niſu quolibet retinere. Unde enim humilitas recedit, ibi neceſſario ſuperbia ſuccedit: ubi ſuperbia ſuccedit, ibi ſtatim & invidia accedit: ubi invidia oritur, confeſtim caritas moritur. Nam neque eum, cui invidet invidus, poteſt diligere, nec in non diligente caritas aliquo modo permanere.

Vana gloria diſſipat omne lucrum ſpirituale.
Luc. 10. 18.
Luc. 22. 25.
Pſal. 144. 3.
Rom. 9. 5.
Luc. 22. 27.
Reg. cap. 7.

29. Propter iſta, unde abeſt caritas, abeſt humilitas: E & unde abeſt humilitas, abeſt & caritas. Hoc docet clare & Apoſtolus, cum dicit: *Caritas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa*. Et quia nec etiam alienarum rerum cupida, ſubdit: *non quærit quæ ſua ſunt*. Inflationem ergo omnem, ambitionem omnem, cupiditatem omnem, avaritiam omnem excludit caritas: immo per caritatem, juxta ſequentia Apoſtoli, expellitur tota ſimul iniquitas. Jam ſi hanc caritatem, quam legem Chriſti idem Apoſtolus vocat, vis frater Cluniacenſis, frater Ciſtercienſis, integram conſervare; ſi per ipſam maximos tibi theſauros in cælo recondere, ſi reconditos conſervare; da totam quam potueris operam, & cauſas, non dico eam fugantes, non F dico eam perimentes, ſed vel parum eam lædentes, à te abige: ſi expulſæ redire voluerint, firmi pectoris redeuntibus oſtium claude, & cohabitatricem ſempiternam totis ſanctæ animæ tuæ amplexibus retine. Sublevabit te caritas ipſa firmiter retenta ad regna cælorum, quæ nimia ac dulci vi ſua inclinavit uſque ad terras Regem cælorum. Fidelis inde teſtis eſt Apoſtolus, dicens, quod propter nimiam caritatem filium ſuum miſerit Deus in ſimilitudinem carnis peccati. Gaudebis perenniter coram Deo caritate, & gaudium tuum, ſicut ipſe promiſit, nemo tollet à te, quando

1. Cor. 13. 4.
Gal. 6. 2.
Rom. 8. 3.
Johan. 16. 22.

quando erit Deus omnia in omnibus, quando ſatiaberis a longinqua eſurie tua, cum manifeſta fuerit gloria ejus; quando, cum apparuerit, ſimilis ei eris; & per hanc caritatem ei ſempiterne unitus, videbis eum ſicuti eſt.

30 Jam tandem ad vos, mi cariſſime, cui præſens epiſtola mittitur, ſtilus recurrat: ut à quo ſumpſit initium, in ipſo ſuam fortaſſis importunam prolixitatem finiat. Cauſa mihi ſcribendi, ut ſuperius profeſſus ſum, teſte conſcientia, ſola vere caritas fuit: ut, quantum ad utrumque noſtrum attinet, flatu collocutionis eam recaleſcere, & in mutui affectus ſolitas vel majores flammas erumpere cogerem. Reſtat ut vos, quem lectam fortemque columnam, cui innititur monaſtici Ordinis ædificium, ſumma providentia præparavit, & velut rutilum ſidus exemplo verboque non ſolum monachis, ſed & toti Latinæ Eccleſiæ noſtro tempore inſigniter lucem donavit: reſtat, inquam, ut totam, quam potueritis, huic divino operi detis operam, & unius nominis & Ordinis maximas Congregationes nequaquam ultra diſſidere patiamini. Studui ego ſemper, ut ſanctos illos Congregationis veſtræ monachos noſtris fratribus commendarem, & ipſos illis perfectæ unione caritatis, ſi fieri poſſet, etiam inviſcerarem. Hoc publice, hoc privatim, hoc in magnis * noſtrorum Conventibus facere non neglexi; & ut rubiginem illam livoris & zeli contrarii, quæ interiora viſcerum latenter rodere ſolet, eraderem, modis quibus potui, laboravi.

S. Bernardi elogium.

* al. Capitulis.

31. Inſtate & vos, pro magna illa gratia à Deo vobis collata, agro communi: ut ſicut nullus poſt vos noſtris diebus plura utilia in illo plantaſſe probatur, ita laudabili ſtudio & induſtria, omne ſatis utilibus contrarium avellatur. Expellite ſublimi illo & ex Spiritu Dei flammante eloquio ab eorum cordibus, ut mitius loquar, puerilem illam æmulationem, à lingua ſuſurrationem: & loco iſtorum, velint, nolint, fraternam ingerite dilectionem. Non ſegreget ultra greges veſtros à noſtris gregibus uſuum diverſitas, colorum varietas: ſed a ſumma unitate derivata, corrupta reparans, diſſciſſa redintegrans, diviſa vivificans, univerſa uniat caritas. Sic plane, ſic decet, ut quibus eſt unus Dominus, una fides, unum baptiſma; quos continet una Eccleſia, quos manet una perennis & beata vita; eis quoque, juxta Scripturam, ſit cor unum, & anima una. Miſi gemmeo amico ſalis gemmam, cujus corporalem uſum vobis utilem olim audivi, & cujus ſpecialem intellectum ſupraſcriptis neceſſarium eſſe putavi. Nam quàmlibet multos & pretioſos apparatus virtutum ſuarum æterni Regis menſæ ſi ſine fraterni amoris ſale intulerint, ut inſulſi rejicientur: ſi hoc ſale eos condierint, epulæ jam placentes cum offerentibus admittentur. Nam qui in lege ſua nullum ſacrificium ſine ſale ſuſcipit, nullius munus virtutis ſine tali condimento ſibi placere oſtendit, &c.

Bernardus hortatur ad concordiam inter ſuos & ...

Act. 4. 32.

Ad tres epiſcopos [a], Oſtienſem, Tuſculanum, Præneſtinum.

EPISTOLA CCXXX.

Monet illos officii, ut à Chriſti grege in epiſcopatu Metenſi lupos arceant.

AD hoc vos Deus in ſublimitate poſuit, ut tanto majori Eccleſiæ ſuæ utilitati vivatis, quanto in ea eminentiori auctoritate præeſtis. Alioquin deponet ille Paterfamilias potentes de ſede, qui pro accepta poteſtate inventi fuerint ſuis utilitatibus defuiſſe. Quanta ſuſtineat ſponſa Chriſti damna in epiſcopatu Metenſi *, etſi nos amplius horremus, quia viciniores ſumus, tamen & vos arbitror non latere. En quantus lupus illud ovile Chriſti tum inſidiis, tum manifeſtis aſſultibus quotidie molitur irrumpere, & diſperdere oves Chriſti ſanguine congregatas. Idque non ab heri & nudiuſtertius, ſed ex quo adhuc fuerat lupicellus, non ceſſat illum dominicum gregem quibus poteſt viribus infeſtare, & vaſtare rapinis, incendiis, homicidiis. Ego itaque, quod in me eſt, demonſtro lupum, inſtigo canes: jam quid interſit veſtra, vos videritis: meum non eſt docere doctores.

* V. ep. 178.

Ad Eosdem pro Abbate Latiniacenſi [b].

EPISTOLA CCXXXI.

Innocentiam Abbatis aſſerit ac tuetur, & capita accuſationum in eum producta diluit. Denique talium diſciplina religioſa in ipſis requirit.

1. VObis audeo loqui quicquid in buccam venerit. Nam etſi oporteret ſuſtineri modicum quid inſipientiæ meæ, geret mihi proculdubio morem benevolentia veſtra, quæ ſapientibus & inſipientibus debitrix eſt. Et hoc dico, non quia cogitem præcipitare verbum quod ad rem non pertinet, aut levitate uti intendam, aut nugari delectet, præſertim apud vos, qui videmini columnæ Eccleſiæ: ſed ex abundantia cordis os loquitur, & veritas, dolore urgente intrinſeco, taciturnitatis impatiens, prorumpit in medium. Mei enim, dico vobis, pæne moti ſunt pedes, pæne effuſi ſunt greſſus mei, quod exſecranda (ut videtur) converſione tam frequenter ſapientiam vincit malitia. Adduntur ubique cornua impiis, & exarmatur juſtitiæ zelus: & non eſt qui facere bonum, non dico velit, ſed poſſit. Superbi inique agunt uſquequaque, & nemo audet mutire contra. Et utinam vel innocentia tuta eſſet, & juſtitia ipſa ſuimet ſufficeret defenſioni. Quid peccavit Abbas [c] Latiniacenſis? An quod bonus monachus, & melior abbas? quod bonæ opinionis, & melioris eſt vitæ? An quia monaſterium, cui præeſt, & decoravit religione, & bonis temporalibus ampliavit, & bonorum fratrum numero cumulavit? En ſanguis iſte de manu ejus exquiritur. Si crimen eſt, acceptum eſſe Deo & hominibus; tollatur, & crucifigatur. Negari enim non poteſt hoc illum eſſe, cælo & terra teſtibus. Si crimen eſt, eſſe hoſpitalem, benignum, ſobrium, caſtum, humilem; decidat merito ab inimicis ſuis inanis. Revera namque & in his excuſari non poteſt, convincentibus ſe propriæ vitæ ſanctitate, & famæ gloria.

Querela Bern. de corruptela morum ſui temporis.

Abbatis Latiniaci elogium.

2. At imponitur ei, noluiſſe ſuſcipere nuntium domini mei. Prorſus gravis offenſa, ſi ita eſt. Non negat Abbas, hominem qui mittebatur in Angliam, cum eſſet honorifice ſuſceptus hoſpitio, quærere loqui cum eo; ſed paranti exire intervenit Humbertus præpoſitus, dicens ſe potius exiturum, & homini vice ipſius ſatisfacturum. Si quo minus quod oportuit, actum fuit cum viro; cujus culpa fuerit, vobis relinquimus judicandum. Accuſatur item, quod litteras domini Papæ prædicto Humberto violenter abſtulerit, & diruperit. Sed exſtant litteræ integræ & bullatæ: nec vi eas, ſicut mentitur, amiſit, ſed ſponte dimiſit, conſilio

Accuſationes diluuntur.

a Nomina habet titulus epiſtolæ 219. Albericum, Stephanum, & Ignatium. In paucis mſſ. hæc epiſtola reperitur, ut in Compendienſi.

b Latiniacum, *Lagny*, diœceſis Pariſienſis ad Matronam, ubi monaſterium a ſancto Furſeo abbate, juvante Erchinoaldo, conditum, reſtauratumque ab Heriberto II. Campaniæ Comite, qua de re diploma Rotberti regis exſtat in lib. 6. de re diplomatica num. 151. Eccleſia Latiniacenſis *celebris & famoſa, olim ſanctitate & religione florens* dicitur in litteris Capituli generalis noſtrorum monachorum, de quibus mox agemus.

c In Chartario ſancti Martini de Campis invenimus Gaufridum Abbatem Latiniacenſem anno 1122. Arnulfi abbatis, qui anno 1106. obiit, ſucceſſorem. Anno 1124. ut in Romano cod. Vallicellanæ bibliothecæ legimus, Radulfus abbas Latiniaci factus eſt: de quo Hermannus monachus Laudunenſis in lib. 3. de miraculis B. Mariæ cap. 18. ubi *Comes Campaniæ Theobaldus, conſilio domni Norberti, quemdam cœnobii S. Nicolai in ſilva Vedogo* (forte Voago, rectius Vedogio, *de Voas*, diœceſis Laudunenſis) *monachum, nomine Radulfum, Latiniacenſi ditiſſimo monaſterio præfeciſſe abbatem*: cui hæc convenire non dubitamus. Obiit anno 1148. ex codice Vallicellano, eique Godefridus ſucceſſit, Galfridus dictus in Chartario S. Martini de Campis, mortuus anno 1162. Contra hunc duas habet litteras Capituli generalis nigrorum monachorum: unas ad Hadrianum tertium, alteras ad Alexandrum itidem tertium, in hujuſce tomi Appendice relatas.

a utique Comitis[a] Theobaldi, & noſtro. Dicitur quoque quod quoſdam monachos in captionem poſuerit. Atque id quidem falſum. Sed ſi quoſdam turbatores & conſpiratores in diverſa clauſtra diviſit, ne ſimul poſiti plus nocerent, quis hoc recte judicans reprehendat? Jam de terris & bonis eccleſiæ quaſi diſtractis & alienatis, & datis ab eo cognatis ſuis, coram venerabilibus Epiſcopis Sueſſionenſi & Autiſiodorenſi, Comiteque Theobaldo, Advocato utique monaſterii, ſatis reſponſum eſt, & adhuc reſpondetur, ſic illum dediſſe ſuis, quomodo alienis, id eſt ad eumdem cenſum vel conſuetudinem.

Privilegium libertatis, monacho contumaci datum, improbat.

3. Porro autem à ſæculo non eſt auditum, quod monachus rebellis, ſuperbus, ambitioſus, privilegium propriæ libertatis ex apoſtolica auctoritate meruerit. A tempore Judæ Iſcariotis non eſt inventus ſimilis illi, qui ſic inſurgeret in magiſtrum, & traderet ſanguinem juſtum. Felix magiſter, cui cum magiſtro omnium communis prophetica illa vox eſt: *Homo pacis meæ in quo ſperabam, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* (Pſal. 40. 10) Et olim quidem eratis, contra Apoſtolum Petrum, dominantes in clerum (1. Pet. 5. 3.); immo &, contra coapoſtolum ejus Paulum, dominabamini fidei totius orbis (2. Cor. 1. 23.): at nunc novum aliquid addidiſtis, uſurpantes amplius & in ipſam religionem. Quid reſtat, niſi ut adjiciatis & ipſis Angelis ſanctis dominari? Niſi quod in hoc poſterior Judas priorem viciſſe verſutia & fraude videtur: quod cum illius facinus condiſcipuli horruerint univerſi; iſte callidior potuit ad connivendum, immo ad favendum ſuæ malitiæ, non quoſlibet, ſed ipſos Apoſtolorum principes circumvenire. Non imputo domino meo[a], cui, tamquam homini, ſubripi potuit; & hoc oro, ne Deus imputet. Abſit autem, ubi veritatem agnoverit, ut prævaleat tam exſecrabilis maligni hujus ſacrileguſque conatus. Et ego de hac re ad ipſum quoque ſolito auſu ſcripſiſſem, ſi non ſenſiſſem ipſum, quicquid ſcribimus, minus ſolito acceptare[a]. Quæſo dolete vos, qui monachi[b] eſtis, vicem magiſtri veſtri beati Benedicti: cui jam, ut videtis, prope eſt, ut ubique contradicatur, & pereat omnis vigor monaſticæ diſciplinæ, monachis adverſus Abbates ſuos cornua ſumentibus de manu forti.

a Innocentio Papæ.

a V. epiſt. 218.

b

Ad Eosdem.

EPISTOLA CCXXXII.

Contra Abbatem S. Theofredi.

Si vera ſunt quæ audiſtis de Abbate ſancti Theofredi[a], non poteſtis ea diſſimulare ſine periculo veſtro, & propter officium, & propter conſcientiam. Conſcientiam dico non tantum veſtram, ſed etiam aliorum. Sunt autem veri ſimilia, credo quod & vera. Verax eſt enim, qui teſtimonium perhibet de his, præſentium lator. Unde hoc quoque ſciam quæritis? Faſcem teneo litterarum miſſarum à viris ſanctis, quos ego novi quia ſancti & veridici ſunt: & omnes illæ pariter continent tam laudes & præconia hujus, quam illius horrendas blaſphemias, quem accuſat.

a S. Chaffre, Ord. S. Bened. in diœc. Podienſi. de Puy.

Ad abbatem Johannem de Buſaio[a], qui abbatiam ſuam reliquerat, & abierat in ſolitudinem.

a Buzay, Ord. Ciſterc. in Britannia min. diœc. Namnetenſ. filia Claræ-vallis, fundat. an. 1135. V. epiſt. 216.

EPISTOLA CCXXII.

Blande eum revocat à ſolitudine, ad quam, dimiſſo monaſterii regimine, ſe contulerat.

Filio cariſſimo Johanni, frater Bernardus, in ſpiritu ambulare, & timorem Domini non derelinquere.

1. Dicere non poſſum, in quanta amaritudine animæ meæ & triſtitia cordis ſcribam ad te, Johannes cariſſime, pro eo quod me video in tot ſcriptitationibus meis proficere nihil, quia non capit in te ſermo meus. Scripſi ſemel & denuo, niſi fallor[a]: & exigentibus peccatis meis in nullo adhuc reſpondet mihi labor meus. Ecce tertio jacto ſemen, Deum omnipotentem deprecans, ut non revertatur ad me vacuum, ſed proſperetur, & faciat ad quod illud mitto, lætificans nos tandem aliquando de fructu tuæ obedientiæ & ſalutis. Si audieris me, immo ſi exaudierit me Deus, lucratus ſum filium meum: ſi non, convertam me denuo ad arma conſueta, orationes videlicet & lacrymas, non quidem contra te, ſed pro te. Luxi, & lugebo, & anxia traham ſuſpiria ex imis viſceribus pro meis viſceribus. Quis det te mihi fratrem meum ſugentem ubera matris meæ? quis revocet te mihi in illam quietem animi, concordiam morum, ſocietatem ſpiritus, ſerenitatem conſcientiæ, in qua te aliquando tenui & poſſedi?

a Non exſtant hæ litteræ.

Orationes & lacrymæ arma Bern.

2. Et ne quod ex me detrimentum in aliquo patiaris ſeu impedimentum, illud falſum eſſe non dubites, quod tibi à neſcio quo vel quibus falſiloquis perſuaſum audivimus, quia ego videlicet cogitarem ſine ratione & judicio te à regimine fraternarum animarum, quod tibi credideram, ſubmovere. Non eſt hoc verum: ſed audi potius de hac re paucis quod verum eſt. Hoc etſi voluiſſem, non licuiſſet: & ſi licuiſſet, (ut de propria conſcientia loquar) ego nullatenus voluiſſem. Hæc veritas. Si ergo hoc totum fuit quod avertit cor tuum; veritate comperta quid reſtat, niſi ut reſipiſcas, redeas ad te, redeas ad nos, arguas inſuper teipſum levitatis & credulitatis incautæ? Si enim tantum potuit una maledicta ſuſpicio ad te alienandum & præcipitandum: quanto magis nunc abſoluta certitudo valere debet ad erigendum & revocandum te? Turpe eſt tibi, falſitate poſſe ſeduci, & veritate reduci non poſſe. Habeat ſane veniam acquieviſſe ad tempus palliatæ falſitati: at vero deprehenſæ jam & nudatæ acquieſcere adhuc, immo etiam non multum iraſci, quantum confuſionis habet? Quamobrem iraſcere, & noli peccare, ſi vis nos, vel Deum potius non iraſci. Nam quod ſubreptum eſt tibi, miſerationem magis quàm indignationem meretur. Nimirum homo es, navigans, ſicut & omne humanum genus, in hoc mari magno & ſpatioſo manibus, ubi reptilia, quorum non eſt numerus. Quis ſe jactet in eo aſſiduis non impelli ventis, non jactari fluctibus? Noveris te naufragaſſe in eis, periculum in falſis fratribus incidiſſe. Iterum dico: hæc veritas. Deceptus fuiſti, & ſpiritus mendax in ore pſeudoprophetarum ſupplantavit te.

Falſam illi ſuſpicionem eximit.

Blande & prudenter eum revocat.

3. Sed ecce evanuit falſitas, luce veritatis oborta. Si adhuc (quod abſit) pergis in tua obſtinatione perſiſtere; ego te interim non judicabo, eſt qui quærat & judicet. Ego autem parco tibi, diſſimulans & differens interim in virga venire ad te. Porro in miſericordia & ſpiritu manſuetudinis allicere te nobis curabo, ſi potero. nam id mihi ſentio familiarius eſſe, & tibi perſuaſibilius fore non dubito. Illum ſane evaginare ſuper te gladium non cunctabor, qui in materno meo pectore jacet reconditus, continuus utique dolor cordi meo, & creberrimi ad Deum gemitus pro te, donec venias. Quod ſi omnes hujus tam pie ferientis enſis, ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, fruſtraveris ictus, nec poſſit quandoque dicere anima tua, quia vulnerata caritate ego ſum: tu de te videris. nam non ſolum jam veritas, ſed & caritas liberabit nos. Sed quid dixi? Quomodo, miſer, quomodo liberabor, effuſis viſceribus, filio pereunte? Non quieſcet affectus, etſi non ſequatur effectus: non ſedabitur dolor, non ceſſabunt lacrymæ. Exhibebo tibi, quamdiu vixero, alterum Samuëlem: tu utinam non alterum Saülem mihi. Rogabo te, rogabo pro te, ut venias. Veni, veni, priuſquam moriamur: ut qui diliximus nos in vita, in morte non ſeparemur.

Bernardi manſuetudo & caritas erga delinquentes.

Caritas non quieſcit, niſi effectus ſequatur.

a Theobaldus Magnus, Campaniæ Comes, Latiniaci Advocatus, ibidem ſepultus, ad cujus tumulum Henricus Comes ejus filius lampadem inſtituit, ex lib. 6. de re diplomatica num. 206. Henricus ibi verſabatur aliquando, ut patet ex Augerii epiſtola 120. De Theobaldo ut ſuſioribus Notis ad epiſtolam 37. & apud Balduinum de Avesnis in tomo 7 Spicilegii pag. 584. ubi Latiniaci jacere dicitur.

b Quippe Albericus Oſtienſis, & Ymarus Tuſculanus Cluniacenſes erant, Stephanus Præneſtinus Claræ-vallenſis.

Ad Herbertum abbatem ſancti Stephani Divionenſis.

EPISTOLA CCXXXIV.

Temerariæ ſcriptionis culpam Johanni condonari rogat.

SI frater Johannes [a] dixit in nos, vel ſcripſit quod non decuit, vel quomodo non decuit; non tam nos læſit, quàm ſeipſum. Magis namque ita ſcribendo ſuam prodidit levitatem, quàm noſtrum deprehendit errorem. Quamquam etſi læſiſſet in aliquo, noſtrum tamen non erat reponere malum. Attendens proinde non quod ille meretur, ſed quod me decet; donari juveni etiam à vobis hanc culpam rogo & ſupplico, quæ magis gloriolam, quàm malitiam redolere videtur: ita tamen, ut manum deinceps inhibeat à ſcribendis tractandiſve, quæ ſupra ipſum eſſe conſtiterit. Nam ut liquido ſatis apparet, in hoc exiguo quod præſumpſit, opus erat ſtilo & animo maturiori. Certum enim ſit vobis, hominem, licet in brevi pagina, aut non ſcripſiſſe ut ſenſit, aut non ſenſiſſe ut debuit.

Bernardi mansuetudo & placabilitas.

* *Hic prælegenda epiſtola* CCCXLVI. *& ſequentes de negotio eccleſiæ Eboracenſis.*

Ad dominum Papam Cælestinum, pro [b] intruſo Eboracenſi.

EPISTOLA CCXXXV.

Ann. Chr. MCXLIII.

Auctoritatem Sedis apoſtolicæ adverſus infamem & ſimoniacum Eboracenſis eccleſiæ invaſorem implorat.

1. OPortet vos ſecundum juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſuſcitare ſemen fratris veſtri defuncti. Quod digne implebitur, ſi Papæ Innocentio, cui in hereditate Domini ſucceſſiſtis, & defenditis bene geſta, & minus adimpleta perficitis. Præ manibus eſt in quo id liceat experiri. Cauſam Eboracenſis eccleſiæ per eum fuiſſe deciſam quis neſciat? At quomodo exſecutioni mandatum ſit quod egreſſum eſt de labiis D tanti viri, utinam neſciretur. Quis det ut non annuntietur in Geth, neque in compitis Aſcalonis? Sed ut verbum abbreviatum faciam auribus occupatis, audiat paucis dominus meus, quid dictum fuerit, & quid factum teneamus. Cum in multis accuſaretur is, qui ſibi vindicare electionem in præfata eccleſia impie cupiebat; tandem omnis controverſia ad teſtimonium viri illuſtris Willelmi [c], ipſius eccleſiæ tunc decani, conquieſcere juſſa eſt: ut niſi capitulum intruſionis, quod huic inter cetera impingebatur, ille propriæ manus juramento amoveret, ſuis omnino conatibus tanta fruſtraretur ambitio. Hoc autem non ex judicio, ſed ex E miſericordia. ſic enim rogaverat ipſe. Mitiſſima plane ſententia: quippe cum de plurimis & peſſimis pulſaretur, quæ nullatenus propulſare valebat. Sed utinam vel ipſa ſtet. Quid enim ſi non ſufficit juri, dummodo ſufficiat eccleſiæ liberationi? Non cauſamur ſententiæ remiſſionem, quæ nil nocuit. Neque enim profuit adverſario etſi largior indulgentia, qui ne ipſum quod ultro ſpoponderat, implere prævaluit. Nam de quo præſumere viſus eſt, defecit ei, ne ſibi ipſi deficeret pejerans. Quando enim vir bonus atteſtaretur homini, quem rumor publicæ opinionis & operis veritas deteſtatur? Quid ergo? Ille non juravit, & iſte Epiſcopus eſt.

2 Reg. 1. 20.

2. O rem ignorantia omnium dignam, & perpetuo, A ſi fieri poſſet, ſilentio comprimendam! Verum id fero. Heu! notus eſt orbi triumphus diaboli. Ubique pertonat plauſus incircumciſorum & planctus bonorum, pro eo quod videatur ſapientiam viciſſe malitia. Monſtratur digito matris Eccleſiæ turpitudo: patris Innocentii verenda irridentur, denudata à ſervo nequam, quoniam mortuum putat: ſed vivit in vobis. Si is exitus imminebat, cur è longinquo Romam eſt pertracta cauſa ſpurciſſima, umbra magis & angulo digna? cur tanta mari terraque à multis aſſumpta fatigatio? cur à finibus terræ evocati viri religioſi, qui eum accuſarent, & pauperum Chriſti marſupia longi itineris expenſis exhauſta ſunt? Non poterat epiſcopari turpis infamiſque perB ſona, (quod invitus dolenſque loquor) niſi quæ in illo horrebat Anglia, Francia abominabatur, etiam Roma cognoſceret? Quàm melius in Romana curia cauſa ejus minime ventilata fuiſſet, & non tangeret vel ſacra limina generalis atque horribilis fœtor! Quàm tolerabilius ignoraſſet apoſtolica Sedes tam intolerabile malum, quàm tolerat manifeſtum! Quid iſtud temeritatis fuit? Publice infamatus, ante judicem accuſatus, nec purgatus, immo & convictus, & ſic conſecratus eſt. Viderit qui huic manum poſt iſta impoſuit, an magis exſecratus [d] dicere debuerim. Non enim negabit ſic ſe iſta habere, non negabit ſic ſe ex litteris apoſtolicis ad ſe pro hoc ipſo directis eadem comperiſſe. Di- C cat forte aliquis, quia non eſt datum judicium, non fuiſſe convictum. Ego dico & confeſſum. Nam qui ut judicium evaderet, ultro elegit ad teſtimonium Willelmi decani confugere: illo ſibi deficiente, quid niſi judicio ſuo à cauſa decidit, ore proprio condemnatus?

Queritur de cauſæ appellatione.

3. Quæ cum ita ſint, videte, domine Pater, ne declinet cor veſtrum in opus malitiæ, quoniam, ſecundum Prophetam, *declinantes in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Alioquin quod conſilium datis miſeris Abbatibus illis, quos ad accuſandum eum vocatio apoſtolica Romam traxit; ſed & aliis quam pluribus ex illo epiſcopatu viris religioſis, ſintne obediturí huic, & ſacramenta accepturi ab homine bis intruſo, primo quidem per Regem, deinde per Legatum? Quippe qui illum in ſanctuarium Dei, contra jus & fas, contra mandatum ſummi Pontificis, in injuriam ſummæ Sedis & totius Romanæ curiæ, cum non potuit per oſtium, fodit argenteo (ut aiunt) ſarculo, unde impudenter intruſit. Ante (niſi fallor) ſuis ſedibus exſulabunt, quàm dare acquieſcant manus idolo huic, niſi veſtra violenta auctoritas obviarit. Ceterum quàm ſanctiori veſtroque apoſtolatu digniori zelo gladium Phinees in confuſionem duorum tam turpiter fornicantium ſtringeretis, quàm tot ſanctos aut de ſuis fugere locis permittitis, aut contra conſcientias ſuas cogitis remanere.

Pſal. 124. 5.

Ad totam Curiam Romanam, unde ſupra.

EPISTOLA CCXXXVI.

Ann. Chr. MCXLIII.

Dominis & Patribus reverendis, Episcopis & Cardinalibus curiæ, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & noſtras qualeſcumque orationes.

1. OMnibus ſcribendum fuit de eo quod ſpectat ad omnes. Nec vereor, ne forte præſumptionis arguar: quippe qui licet omnium minimus, tamen

a Johannes iſte Canonicus erat regularis in eccleſia ſancti Stephani Divionenſi, ubi Herbertus abbas, de quo in epiſtola 59. Quid ſit illud de quo ſcripſerit contra Bernardum, non liquet. Neque enim putamus eum eſſe Johannem Cornubienſem, Abaëlardi diſcipulum, de quo Cheſnius in Notis ad Abaëlardum pag. 1159. An hic de Conceptione ſcripſit?

b Id eſt contra Willelmum, Stephani regis nepotem, de quo Monaſticon Anglicanum in tomo 1. pag. 745. col 1. cujus hæc ſumma. Anno 1140. mortuo Turſtino archiepiſcopo Eboracenſi, pars major Willelmum theſaurarium elegit epiſcopum, pars ſanior reclamavit, quos inter Richardus abbas Fontanenſis. *Ipſe tamen Willelmus ad tempus obtinuit, amicitia fultus potentum, fretus regia poteſtate, favente epiſcopo Wintonienſi Henrico, qui ei manus impoſuit, & eum epiſcopum conſecravit.* Hinc graves Bernardi epiſtolæ ad Innocentium II. Willelmo tandem amoto electus eſt Henricus de Murdach ex abbate Fontanenſi: cui mortuo *ſucceſſit venerabilis archiepiſcopus Willelmus, reſtitutus in cathedram, unde prius ejectus fuerat.* Hæc ex Serlone monacho æquali in Hiſtoria monaſterii Fontanenſis. Adi Horſtii Notas, & confer epiſtolas 238, 239. 240, 252. & ſeqq. 346.

c Vocabatur is Willelmus à ſancta Barbara, decanus eccleſiæ Eboracenſis, poſtea epiſcopus Dunelmenſis.

d Eodem ſenſu *exſecrare*, prout legitimæ conſecrationi opponitur, occurrit in epiſtolis 166. num. 1. & in 223. num. 2. & in epiſtola 300. inter Cheſnianas tomo 4. quæ epiſtola eſt Drogonis Lugdunenſis electi ad Ludovicum Juniorem.

Romanæ curiæ injuriam à me non judico alienam. Urimur aſſidue, dico vobis, urimur graviter nimis, ita ut nos tædeat etiam vivere. In domo Dei videmus horrenda. Et quia corrigere nos non poſſumus, ſaltem ſuggerimus his ad quos ſpectat. Si quidem emendaverint, bene: ſin autem, nos animas noſtras liberavimus: vos excuſationem non habebitis de peccato. Non ignoratis prolatam eſſe ſententiam à domino Papa bonæ memoriæ Innocentio, cum veſtro & Romanæ curiæ generali aſſenſu, irritam eſſe Willelmi Eboracenſis electionem, immo intruſionem, niſi Willelmus alter, tunc decanus, quod objectum ei fuerat, propriæ manus juramento repelleret. Nec vos latuit quàm plena eſſet ſententia, non judicii, ſed miſericordiæ: nimirum cum hoc Willelmus ipſe quæſiſſet. Sed utinam vel ipſa ſtet, & quod adverſus eam factum eſt, ſtare non poſſit. Quid enim? Non juravit ille, & iſte in cathedra peſtilentiæ ſedet. Quis tribuat ut adverſus fornicationem hanc Phinees cum pugione procedat, aut vivat in ſede ſua Petrus, qui ſpiritu labiorum ſuorum interficiat impios? Multi clamant ad vos in toto corde ſuo, ut ſacrilegium hoc digna animadverſione vindicare ſtudeatis. Alioquin, dico vobis, ſcandalum magnum nimis erit in Eccleſia Dei: & timeo ne Romanæ Sedis auctoritas gravem admodum jacturam & detrimentum grande ſuſcipiat, niſi in eum, qui pervertit generalem ejus ſententiam, vindicta proceſſerit, & taliter, ut ceteri metum habeant.

Bernardi zelus pro Eccleſia.

2. Quid enim de eo dicam, quod occultas & vere tenebroſas litteras habuiſſe ſe gloriatur Willelmus ille? utinam à principibus tenebrarum, non à principibus Apoſtolorum. Et ecce audierunt filii incircumciſorum: ſubſannant Romanam curiam, à qua poſt datam tam manifeſtam ſententiam, furtim datas eſſe aiunt contrarias litteras. Quid dicam vobis? Si non vos urit ſcandalum grave, quo ſcandalizantur non puſilli, ſed magni & perfecti viri; ſi non compatimini pauperibus Abbatibus, quos à finibus terræ vocatio apoſtolica Romam traxit; ſi non miſeremini magnis & religioſis monaſteriis, quibus omnino ſub incubatore illo deſtructio imminet; ſi (quod primum dicere debui) zelus domus Dei non comedit vos: numquid uſque adeo inimici hominis verſutia prævalebit, ut proprium quoque contemptum, & infamiam hanc peſſimam Eccleſiæ principes æquanimiter ferant? Quid enim ſi ſacrilegam homo ille conſecrationem recepit? Profecto longe glorioſius erit jam elevatum dejicere Simonem, quam prohibere conantem. Alioquin quid facietis religioſis viris, qui omnino non inveniunt, ſalva conſcientia, vel ipſa communia ſacramenta de leproſa manu ſuſcipere? Ante (ni fallor) eligent fugere, quàm dare manus morti: & exſulare prius, quàm veſci idolothytis. Quod ſi contra conſcientias ſuas coëgerit eos Romana curia curvare genua ante Baal, videat Deus & judicet: videat curia illa cæleſtis, in qua nulla poterit ambitione ſubverti judicium. In fine omnium obſecrat vos puer veſter per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ſi quis in vobis eſt zelus Dei, miſeremini Eccleſiæ ſanctæ ſaltem vos amici ejus, & quantum poteſtis, date operam, ne tam deteſtabili facto detur aſſenſus.

Romanæ curiæ judex curia cæleſtis.

Ad totam Curiam Romanam, quando elegerunt [a] Abbatem S. Anaſtaſii in Papam Eugenium.

EPISTOLA CCXXXVII.

Ann. Chr. MCXLV.

Miratur Bernardum abbatem S. Anaſtaſii, abſtractum ab otio & ſolitudine, ad totius Eccleſiæ curam rapi: timetque hominem, quieti aſſuetum, & rebus gerendis minus exercitatum, tanto oneri haud parem fore: unde fideli Cardinalium ope eum ſublevari rogat.

Dominis & Patribus reverendis, CARDINALIBUS & EPISCOPIS omnibus qui ſunt de Curia, puer ſanctitatis eorum.

1. PArcat vobis Deus, quid feciſtis? Sepultum hominem revocaſtis ad homines; fugitantem curas & turbas curis denuo implicuiſtis, & immiſcuiſtis turbis. Feciſtis noviſſimum primum, & ecce noviſſima illius perículoſiora prioribus. Crucifixus mundo per vos revixit mundo: & qui elegerat abjectus eſſe in domo Dei ſui, ipſum vos in dominum omnium elegiſtis. Cur conſilium inopis confudiſtis? cur pauperis hominis, & mendici, & compuncti corde judicium perturbaſtis? Currebat bene: quid vobis viſum eſt ſæpire vias ejus, avertere ſemitas, greſſus involvere? Quaſi deſcenderet de Jeruſalem, & non magis aſcenderet de Jericho, ſic incidit in latrones: & qui ſe tamquam violentis quibuſdam diaboli manibus, carnis illecebris, & gloria ſæculi potenter excuſſerat; non tamen valuit effugere manus veſtras. Num idcirco Piſam [b] deſeruit, ut reciperet Romam? Num qui in una eccleſia non ſuſtinuit vicedominatum, dominatum in omni eccleſia requirebat?

2. Quid igitur rationis ſeu conſilii habuit, defuncto ſummo Pontifice repente irruere in hominem ruſticanum, latenti injicere manus, & excuſſa è manibus ſecuri & aſcia vel ligone, in palatium trahere, levare in cathedram, induere purpura [c] & byſſo, accingere gladio ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos ſapiens & exercitatus, cui potius iſta convenirent? Ridiculum profecto videtur, pannoſum homuncionem aſſumi ad præſidendum Principibus, ad imperandum Epiſcopis, ad regna & imperia diſponenda. Ridiculum, an miraculum? Plane unum horum. Non nego, non diffido poſſe fuiſſe hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna ſolus: præſertim cum audiam uſquequaque ex ore multorum, quoniam à Domino factum eſt iſtud. Sed nec ego oblitus ſum judiciorum Dei antiquorum, & Scripturæ plurimos recenſentis ex privata ſeu etiam ruſticana vita olim aſſumptos in voluntate Domini ad regendum populum ejus. Denique nonne (ut unum è pluribus memorem) tali quodam modo elegit David ſervum ſuum, & ſuſcepit eum de gregibus ovium, de poſt fetantes accepit eum? Ita, inquam, ita & de noſtro Eugenio in beneplacito Domini potuit contigiſſe.

Papæ præeminentia.

Pſal. 77. 71.

3. Non ſum ſecurus tamen, quoniam filius delicatus eſt, & tenera verecundia ejus, aſſueta potius otio & quieti, quàm tractandis quæ foris ſunt: timendumque ne non ea auctoritate, qua oportuerit, ſui apoſtolatus officia exſequatur. Quid putatis gerere animi nunc hominem illum, qui de ſecreto internæ contemplationis & amica ſolitudine cordis, tamquam infans è gremio & ſinu matris ſubito perturbatus, tractum ſe ad medium videt, & quaſi ovem ad victimam ductum ad tam inſueta & inſuavia? Niſi Dominus ſupponat manum ſuam, heu! neceſſe eſt obruatur & opprimatur onere inſueto & nimio, quod & gigantinis (ut aiunt) vel ipſis quoque angelicis humeris formidabile

Vide quis Bernardo ſenſus de ſummi Pontificatus honore.

a Anno 1145. defuncto Lucio II. Pontifice, Cæleſtini ſucceſſore, electus eſt Bernardus abbas Romæ ad S. Anaſtaſium, S. Bernardi diſcipulus, dictus Eugenius III. ad quem libri de Conſideratione. Ejuſdem tum abbatis epiſtolam ad Bernardum habes hic ordine 344. item 15 ſuas jam Papæ aliam epiſtolæ 273. penultimam, denique epiſtolam de ejus obitu in Appendice, id eſt 428.

b Eugenius quippe ante monachatum fuerat vicedominus eccleſiæ Piſanæ, ex aliis Notis.

c Jam tunc Pontifices induti erant cappa rubea, de qua Petrus Damiani in lib. 2. epiſt. 20.

videatur. Verumramen quia ſic factum eſt, &c, ſicut multi dicunt, à Domino factum eſt: veſtra intereſt, cariſſimi, veſtris ferventibus ſtudiis fidelibuſque obſequiis ſollicite confoveri, quod veſtris manibus conſtat elaboratum. Si qua ergn conſolatio in vobis, ſi qua virtus caritatis in Domino, ſi qua miſeratio pietatis, ſi qua compaſſionis viſcera; aſſiſtite & collaborate illi in opere, ad quod aſſumptus eſt per vos a Domino. Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; hæc ei ſuggerite, hæc ſuadete, hæc agite; & Deus pacis erit vobiſcum.

Conſilium eſt cum eo & auxilio aſſiſtere ſummo Pontifici.

Ad dominum Papam EUGENIUM prima.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Ann. CHR. MCXLV

Bernardus Eugenio, recens in Pontificem aſſumpto, gratulatur ac condolet: ipſum ad munus apoſtolicum fortiter obeundum animat, ut concepta de ſe multorum exſpectationi reſpondeat.

Amantiſſimo Patri & dominn, Dei gratia ſummo pontifici EUGENIO, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

1. AUditum eſt in terra noſtra, & celebri ſermone vulgatum verbum hoc, quod factum eſt de vobis à Domino. Preſſeram ſtilum hactenus, rem tacitus conſiderabam. Exſpectabam enim litteras veſtras, & præveniri a vobis in benedictionibus dulcedinis. Exſpectabam virum fidelem, qui veniret à latere tuo, qui diceret cuncta per ordinem: quid, quomodo, vel qualiter actum eſſet. Exſpectabam ſi quis forte de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem patris, qui diceret: *Joſeph filius tuus vivit: & ipſe dominatur in tota terra Ægypti.* (Gen. 45. 26.) Hinc eſt quod litteræ iſtæ non ſunt voluntatis, ſed neceſſitatis, & amicorum extortæ precibus, quibus negare non poſſum modicum illud quicquid reſiduum eſt vitæ meæ. ([a] Jam enim de reliquo breves erunt dies mei, & ſolum mihi supereſt ſepulcrum.) Quia tamen ſemel cœpi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius [b] in patrem, pater mutatus eſt in filium. Qui poſt me venit, ante me factus eſt: ſed non invideo, quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non ſolum poſt me, ſed etiam per me venit. Nam ſi dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quæ eſt ergo ſpes noſtra, & gaudium noſtrum, & corona gloriæ? nonne vos ante Deum? (Prov. 10 & 15.) Denique filius ſapiens gloria eſt patris. Amodo tamen non vocaberis filius, ſed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. (Iſa. 62. 2.) Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi, & multi in mutatione iſta gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham, Jacob in Iſraël; & ut de tuis magis prædeceſſoribus tibi proponam, ſicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum: ſic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorſus & utili, ut ſperamus, tranſlatione promotus eſt. (Gen. 17. 5. Gen. 32. 28. Johan. 1. 42. Act. 13. 9.) Digitus Dei eſt iſte, ſuſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.

2. Supereſt ut facta hac mutatione tui, ipſa quoque quæ tibi commiſſa eſt, Domini tui ſponſa mutetur in melius, & jam nequaquam Sarai, ſed Sara de cetero nominetur. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus ſponſi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, ſed principem: nil tuum in ea vindicans, niſi quod pro ea, ſi oportuerit, etiam animam dare debes. Si Chriſtus te miſit, æſtimabis te non miniſtrari, ſed miniſtrare veniſſe: & miniſtrare non ſolum ſubſtantiam, ſed ipſam quoque animam, ſicut præfatus ſum. Verus ſucceſſor Pauli dicet cum Paulo: *Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri.* (2. Cor. 1. 23.) Petri heres audiet Petrum dicentem: *Neque ut dominantes in clerum, ſed forma facti gregis.* (1. Petr. 5. 3.) Sic enim jam non ancilla, ſed libera etiam & formoſa ſpecioſiſſimi ſponſi per te in deſideratos adſciſcetur amplexus. Alioquin per quem alium hæc tam debita libertas ſperabitur, ſi & tu (quod abſit) in Chriſti hereditare quæras quæ tua ſunt, qui jam & ante didiceras; non dico tua non retinere, ſed nec tuus eſſe?

3. Ergo fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædeceſſorum tuorum à multis retro temporibus viſa eſt habuiſſe, exſultat merito ubique & gloriatur in Domino omnis Eccleſia ſanctorum: ſed ſpecialiter illa [c], cujus uterus te portavit, & cujus ubera tu ſuxiſti. Quid ergo? Nonne & mihi licet gaudere cum gaudentibus? Numquid non ero unus de numero lætantium? Exſultavi, fateor, ſed cum tremore: exſultavi, ſed in ipſo exſultationis meæ articulo timor & tremor venerunt ſuper me. Ego enim etſi nomen patris depoſui, ſed non timorem, ſed non anxietatem, poſtremo nec affectum, nec viſcera patris. Conſidero gradum, & caſum vereor: conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum. Attendo celſitudinem honoris, & e vicino periculum reformido, pro eo quod ſcriptum eſt: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* (Pſal. 48. 15. & 21.) Quod quidem ad cauſam magis, quàm ad tempus arbitror eſſe referendum: ut ſic intelligatur dictum, *cum in honore eſſet, non intellexit*, ac ſi diceretur, honor abſorbuit intellectum.

Gaudet ac gratulatur, ſed timet quoque ac terret.

4. Et quidem elegeras abjectus eſſe in domo Dei tui, & recumbere in noviſſimo loco in convivio ejus; ſed placuit dicere ei qui te invitavit: *Amice, aſcende ſuperius.* (Luc. 14. 10.) Itaque aſcendiſti in altum: noli altum ſapere, ſed time, ne forte contingat ſero miſerabilem illam emittere vocem: *A facie iræ & indignationis tuæ, elevans alliſiſti me.* (Pſal. 101. 11.) Altiorem quippe locum ſortitus es, ſed non tutiorem; ſublimiorem, non ſecuriorem. Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte. Locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Si forte declinaveris à via Domini; ſepultus eſt in eodem loco, ut ſit tibi contra te in teſtimonium. Merito tali paſtori, tali nutricio commiſſa eſt Eccleſia, cum adhuc tenera, cum adhuc in cunabulis eſſet; cujus edocta magiſterio, & exemplo educata, omnia terrena calcaret: utpote qui excuſſerat manus ſuas ab omni munere, qui dicebat de corde puro & conſcientia bona: *Argentum & aurum non eſt mihi.* (Act 3. 6.) Hæc hactenus.

Periculoſa dignitas.

5. Ceterum cauſa, quare ante tempus ſcripſerim vobis, hæc eſt. Wintonienſis [d] Epiſcopus, & Eboracenſis Archiepiſcopus, non gradiuntur uno ſpiritu cum Cantuarienſi Archiepiſcopo: ſed incedunt ſibi ex adverſo, & hæc vetus eſt de legatione querela. Verumtamen quis eſt ille, & qui ſunt illi? Nonne Eboracenſis [e] ipſe eſt, cui te præſente, cum adhuc eſſes quaſi unus ex nobis, fratres tui reſtiterunt in faciem, eo quod reprehenſibilis erat? Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Certum eſt tamen quod non intravit per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde. Si paſtor fuiſſet, diligendus erat; ſi mercenarius, tolerandus: nunc autem cavendus & repellendus, utpote fur &

a Anſulis incluſa, in duobus tantum reperimus codicibus, Compendienſi & S. Theoderici.

b Infra num. 3. *Ego enim etſi nomen patris depoſui, ſed non timorem, &c.* Eadem in Prologo ad libros de Conſideratione.

c Nempe Claræ-vallenſis ſeu Ciſtercienſis, ſed potius Claræ-vallenſis, quæ iterum mater dicitur num. 6.

d Is erat Henricus Bleſenſis ex abbate Glaſtonienſi, epiſcopus Wintonienſis, nepos Henrici regis, atque adeo fautor Willelmi ejus conſanguinei. Theobaldus ex abbate Beccenſi erat antiſtes Cantuarienſis, ad quem epiſtola 361.

e Cauſa Eboracenſis Willelmi, de qua in epiſtola 235. necdum compoſita erat hoc anno. nam teſte Setlone in Monaſtici Anglicani tomo 1. pag. 747. *ipſe cathedra præſidebat, uſus regia poteſtate in eos qui reſiſtebant.* Henricus abbas Fontanenſis cum aliis cum perrexit ad Eugenium, à quo amotus eſt Willelmus. Ejus fautores Fontanenſe monaſterium diripuerunt. De Henrici electione infra ad epiſtolam 252.

latro. Quid dicam de domino Wintonienſi? Opera A quæ ipſe facit, teſtimonium perhibent de eo. Porro Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui adverſantur, vir religioſus eſt, & ſuaveolentis opinionis. Pro ipſo petimus, ut reſpondeat ei juſtitia ſua. Verum illorum iniquitas ſuper eos, ut ſit ſicut ſcriptum eſt: *Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.* (Ezech. 18. 20.) Cum acceperis tempus, ſecundum opera manuum illorum retribues illis, ut ſciant prophetam eſſe in Iſraël.

Quid optet Eccleſiæ & Eugenio.

6. Quis mihi det, antequam moriar, videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis: quando Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum? Quàm cupio illius te hereditare vocem, cujus adeptus es ſedem! B *Pecunia*, inquit, *tua tecum ſit in perditionem.* (Act. 8. 20.) O vox tonitrui! ô vox magnificentiæ & virtutis! ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Hoc vehementer exſpectat & omnino expetit à te mater tua; hoc filii matris tuæ, puſilli cum majoribus deſiderant, hoc ſuſpirant: ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater cæleſtis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim conſtitutus es ſuper gentes & regna, ut evellas, & deſtruas; & ædifices, & plantes. Multi audito hoc verbo dixerunt apud ſe: Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Multi dicunt in corde ſuo: Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit, in quo ſarmenta C ſterilia recidentur, ut ea quæ prævalent, uberius fructum afferant.

7. Confortare igitur, & eſto robuſtus: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi conſtantia & vigore ſpititus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo. In omnibus tamen operibus tuis memento te eſſe hominem, & timor ejus qui aufert ſpiritum principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes *tuis oculis aſpexiſti! Ipſi te prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum D paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus tranſeuntis gloriæ blandimenta, memorare noviſſima tua: quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.

Pontifices brevis vitæ.
* V. Novas.
Mortis memoria.

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCXXXIX.

Ann. Chr. MCXLV.

Depoſitionem Gullelmi Eboracenſis urget apud Pontificem, cui ſoli ea poteſtas competat.

IMportunus ſum, ſed habeo excuſationem: Eugenii apoſtolatus excuſat me. Aiunt non vos eſſe Papam, E ſed me: & undique ad me confluunt, qui habent negotia. Nec deſunt in tanta multitudine amicorum, quibus officium negare non poſſum, non ſolum abſque ſcandalo, ſed etiam abſque peccato. Et nunc eſt etiam alia excuſatio non minus idonea, quia cauſa * honeſtiſſima eſt. Contra idolum illud Eboracenſe iterato ſtilus dirigitur: ea ſcilicet neceſſitate, quod ſæpenumero hoc telo impetitum à nobis, necdum confoſſum eſt. Cur hoc? quia nil forte à nobis tale directum eſt, qualis fuit gladius Jonathæ, qui numquam rediit retrorſum. Nec ſane fuit culpa jaculi, ſed dirigentis jaculum. Patet enim quod non in ea, qua oportuit, fortitudine miſſum eſt. Nec mirum. Quis enim in ma- F nu forti ſagittas mittere poteſt, niſi filius excuſſorum? Qui locum Petri tenet, poteſt uno ictu exſtinguere Ananiam, uno Simonem Magum: &, ut planius quod loquimur fiat, peremptoriam dare ſententiam ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius Romani Pontificis noA ſcitur eſſe, pro eo nimirum, quod etſi alii multi vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſolus ipſe plenitudinem habeat poteſtatis. Solus proinde, ſi dicere audeam, in culpa eſt, ſi culpa non feritur, quæ ferienda eſt: & eo impetu, quo fuerit ferienda. Quo autem impetu, non dico ferienda, ſed fulminanda fuerit prædicti Eboracenſis culpa, veſtræ conſcientiæ derelinquo. Ceterum quod factum non eſt, vobis credimus reſervatum, ut in eo experiatur Eccleſia Dei, cui ipſo auctore præeſtis, fervorem zeli veſtri, potentiam brachii veſtri, & animi ſapientiam: & timeat omnis populus ſacerdotem Domini, audiens ſapientiam Dei eſſe in illo ad faciendum judicium.

* al. cura.
Epiſcoporum depoſitio ſolius eſt Rom. Pontificis.

Ad Eumdem, de Eboracenſi intruſo.

EPISTOLA CCXL.

Ann. Chr. MCXLVI.

Laudat zelum Eugenii. Porro eum nunc oſtendi vult in deponendo Eboracenſi, illam ſedem fraudulenter occupantis.

1. QUàm cupio ſemper illa de vobis audire, in quibus glorificetur Deus, honoretur miniſterium veſtrum, & anima mea lætificetur! Inde eſt quod audita reſponſione veſtra de quibuſdam, qui ad officium legationis nimium videbantur & ambitioſe adſpirare, C & impudenter ſperare, ſupra quam dicere poſſumus, facti ſumus lætantes. Non autem nos tantum, ſed & omnes qui diligunt nomen veſtrum, gaviſi ſunt gaudio magno. Porro viſis litteris veſtris, quas pro cauſa Rutinenſis [a] eccleſiæ deſtinaſtis, tunc prorſus, tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exſultatione. Hæc atque hujuſmodi digna ſunt veſtro apoſtolatu, ſummam ſedem nobilitant, decent plane orbis Epiſcopum. Unde & flecto genua mea ad ipſum unici hujus veſtri primatus auctorem, ut det vobis ſic ſapere, & ſic agere ſemper, in evellendo, & plantando; in deſtruendo, & ædificando. ſiquidem in ruinam & reſurrectionem multorum aſcendiſtis hanc cathe- D dram. Ruant, ruant qui noxie ſtant; erigantur digni. Ponatur ſecuris ad radicem ſterilium plantationum, purgentur fructiferæ, ut fructum plus afferant. Præſidente, inquam, humili Eugenio, deponantur ſuperbi de ſede, & exaltentur humiles: eſurientes impleantur bonis, & divites dimittantur inanes. Nuper nempe exſultatione univerſæ terræ ita factum eſt in cauſa cujuſdam pauperis Epiſcopi [b].

Papa Orbis Epiſcopus.
Hortatur, ut ſuperbos deiciat, humiles exaltet.

2. Age ergo, tranſeat jam ſanctus hic pietatis zelus & ad miſeram illam eccleſiam tranſmarinam, quia tempus miſerendi ejus. Vinea Domini Sabaoth eſt, vinea electa, vinea ſpecioſiſſima: ſed, heu! in deſertum pæne redacta, quia ſingularis ferus depaſcitur eam. Cur dicunt inter gentes, Ubi eſt Deus ejus? ubi quem poſuerunt cuſtodem in vineis? ubi manus putans, ubi ſarculus excolentis? Quouſque ſarmento inutili occupatur tellus, ſuffocatur fructus? Et certe tempus putationis advenit. Siquidem homo [c] pacis ejus, in quo ſperavit, quod ſe purgare deberet; non purgatione, ſed amputatione opus eſſe teſtatur. Exſtant denique litteræ ipſius de eo ad apoſtolicæ Sedis Legatum, in quibus manifeſte manifeſtam aſſerit intruſionem, electionem negat. Ita ergo quem ſibi paraverat defenſorem, accuſatorem ſuſtinet. Ad hæc quæ ubique de eo publica fama concelebrat, etiam virum militarem poſſent omni jure ſpoliare cingulo F militari.

3. Quomodo jam poterit ſtare, ubi multiplex vobis ſubeſt ratio dejiciendi? Et voluntas non deeſt. Legi ſiquidem zelum veſtrum pro eccleſia illa in litteris veſtris, & jam exigo de manibus veſtris. Quanam via procedendum ſit ad ejus dejectionem, (neque enim una

a Abjiciendo ſcilicet hominem indignum, ad illam Sedem electum vel promotum, de quo vide epiſtolas 318. & 319.

b De hoc epiſcopo, ſuppreſſo nomine, agitur in lib. 5. de Conſideratione cap. 5. ubi Eugenius laudatur quòd epiſcopo dediſſe, quod daret, *ne immunificus notaretur*. Ibidem notatur epiſcopus *de tranſmarinis partibus*, qui epiſcopatum emiſſe Romæ voluerit. quod forſan de VVillelmo intelligendum.

c Nempe VVillelmus decanus Eboracenſis, cujus ſacramento ſe purgare voluerat VVillelmus intruſus, ſupra in epiſtolis 235. & 236.

mihi eſſe videtur) non eſt meum dictare ſapienti. Nec A depaſcitur, dum non eſt qui reſiſtat, neque qui ſalvum multum noſtra intereſt, qua parte arbor infructuoſa cadat, dummodo cadat. Dico tamen, qui ſibi poſſeſſionem vindicat furtivarum commercio litterarum, nonne fur eſt & latro? Denique ubi aſſerit habuiſſe ſe clandeſtinas litteras exſecrationis ſuæ, aut verum eſt, aut falſum quod loquitur. Si verum; reus eſt furti, & ſummi Pontificis criminator: ſi falſum; debet audire, Occidiſti, & poſſediſti. Os enim quod mentitur, occidit animam. [Sapien. 1. 11] Sed abſit ut tanta de tali viro credatur duplicitas, quanta ab iſto ei imponitur. Nempe Innocentius hic erat: cui ſi pro ſe reſpondere liceret, proculdubio diceret huic, quia ego palam in te dedi ſententiam; & in occulto locutus ſum nihil.

Ad HILDEFONSUM Comitem ſancti Ægidii [a], de Henrico hæretico.

EPISTOLA CCXLI.

[Ann. CHR. MCXLVII.]

Henricum, Petri Bruſii hæretici ſucceſſorem, ejuſque impia dogmata, & impura facinora deſcribit, pungens Comitem, quod talem in ſua ditione ſineret impune graſſari.

1. QUanta audivimus & cognovimus mala, quæ in eccleſiis Dei fecit, & facit quotidie Henricus [b] hæreticus? [Matth. 7. 15] Verſatur in terra veſtra ſub veſtimentis ovium lupus rapax: ſed ad Domini deſignationem, à fructibus ejus cognoſcimus illum. Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reverentia ſunt, & ſine Chriſto denique Chriſtiani. Eccleſiæ ſynagogæ reputantur: ſanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur: ſacramenta non ſacra cenſentur: dies feſtivis fruſtrantur ſollemniis. Moriuntur homines in peccatis ſuis; rapiuntur animæ paſſim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia reconciliati, nec ſancta * communione muniti. [* Pœnit.] Parvulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia: nec ſaluti propinqua reſinuntur, Salvatore licet pie clamante pro eis: [Matth. 19. 14] *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me.* Ergone qui homines & jumenta ſalvavit, quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam Deus, ad ſolos tamen innocentes non patitur eamdem tam multam miſericordiam pervenire? Quid, quæſo, quid invidet parvulis Salvatorem parvulum, qui natus eſt eis? Invidia hæc diabolica eſt: invidia hac mors intravit in orbem terrarum. An putat parvulos Salvatore non egere, quia parvuli ſunt? Si ita eſt, ergo gratis magnus Dominus factus eſt parvus: ut omittam, quod flagellatus eſt, quod ſputis illitus, quod cruci affixus, quod denique mortuus eſt.

2. Non eſt hic homo à Deo, qui ſic contraria Deo & facit, & loquitur. Prô dolor! auditur tamen à pluribus; & populum qui ſibi credat, habet. O infeliciſſimum populum! Ad vocem unius hæretici ſiluerunt in eo omnes propheticæ & apoſtolicæ voces, quæ de convocanda in una Chriſti fide è cunctis nationibus Eccleſia, uno veritatis ſpiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt divina oracula, falluntur omnium oculi & animi: qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quam certe manifeſtam omnibus veritatem ſolus iſte ſtupenda, & prorſus Judaica cæcitate, aut non videns, aut invidens adimpletam, ſimul neſcio qua arte diabolica perſuaſit populo ſtulto & inſipienti, de re manifeſta nec ſuis credere oculis: fefelliſſe priores, errare poſteros: totum mundum etiam poſt effuſum Chriſti ſanguinem perditum iri: & ad ſolos, quos decipit, totas miſerationum Dei divitias, & univerſitatis gratiam perveniſſe. Et nunc hujus rei gratia, licet in multa corporis infirmitate, iter arripui ad has partes *, quas potiſſimum ſingularis ferus [* V. lib. 3. Vitæ cap. 6.] depaſcitur, dum non eſt qui reſiſtat, neque qui ſalvum faciat. Quippe de tota Francia pro ſimili effugatus malitia, has ſolas ſibi invenit expoſitas: in quibus fiducialiter ſub tuo dominatu in gregem Chriſti toto furore bacchatur. quod tuone honori congruat, Princeps illuſtris, ipſe judicato. Nec mirum tamen, ſi ſerpens ille callidus decepit te, quippe ſpeciem pietatis habens, cujus virtutem penitus abnegavit.

3. Sed nunc audi quis ille ſit. Homo apoſtata eſt: [Henricus hæreticus deſcribitur.] qui relicto religionis habitu (nam monachus [c] exſtitit) ad ſpurcitias carnis & ſæculi, tamquam canis ad ſuum vomitum, eſt reverſus. Præ confuſione autem habitare inter cognatos & notos non ſuſtinens, vel B potius non permiſſus ob magnitudinem criminis; ſuccinxit lumbos ſuos, & iter qua neſciebat, arripuit, factus gyrovagus & profugus ſuper terram. Cumque mendicare cœpiſſet, poſuit in ſumptu Evangelium, (nam litteratus erat) & venale diſtrahens verbum Dei, evangelizabat ut manducaret. Si quid ſupra victum elicere poterat à ſimplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum; id ludendo aleis, aut certe in uſus turpiores turpiter effundebat. Frequenter ſiquidem poſt diurnum populi plauſum, nocte inſecuta cum meretricibus inventus eſt prædicator inſignis, & interdum etiam cum conjugatis. Inquire, ſi placet, vir nobilis, quomodo de Lauſana civitate exierit: quo- C modo de Cenomannis, quomodo de Pictavi: quomodo de Burdegali: nec patet ei uſpiam reverſionis aditus, utpote qui fœda poſt ſe ubique reliquerit veſtigia. Tu de tali arbore tandem bonos ſperabas fructus? [Matth. 7. 18.] Terræ profecto in qua eſt, fecit fœtere odorem in univerſa terra: quia non poteſt, juxta ſermonem Domini, arbor mala fructus bonos facere.

4. Hæc ergo, ut dixi, cauſa adventus mei. Nec à meipſo nunc venio, ſed vocatione pariter & miſeratione Eccleſiæ trahor: ſi forte ſpina illa, & prava ipſius, dum adhuc parva ſunt, germina de agro dominico exſtirpari queant, non mea, qui nullus ſum, ſed ſanctorum, cum quibus ſum, Epiſcoporum manu, tua D quoque potenti dextera cooperante. In quibus præcipuus eſt venerabilis Oſtienſis Epiſcopus [d], ab apoſtolica Sede ad hoc ipſum directus, homo qui magna fecit in Iſraël, & victoriam dedit Eccleſiæ ſuæ in multis per illum Dominus omnipotens. Tua intereſt, vir inclyte, honorifice ſuſcipere illum, & eos qui cum ipſo ſunt; ac ne tantus labor tantorum virorum, pro tua potiſſimum tuorumque ſalute ſuſceptus, inefficax ſit, ſecundum poteſtatem deſuper datam tibi operam dare.

Ad TOLOSANOS, poſt reditum ſuum.

EPISTOLA CCXLII.

[ANN. CHR. MCXLVII.]

E *Sollicite fugiendos, immo & fugandos hæreticos. Exercendam hoſpitalitatem. Nec quoſvis prædicatores admittendos.*

1. IN adventu cariſſimi fratris & coabbatis noſtri Bernardi de Grandi-ſilva, exſultavimus, & delectati ſumus in his quæ dicta ſunt nobis ab illo de conſtantia & ſinceritate fidei veſtræ in Deum, de perſeverantia dilectionis & devotionis in nos, de zelo & odio adverſus hæreticos, ita ut quiſque veſtrum merito dicere poſſit: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* [Pſal. 138. 21. & 22.] Gratias F agimus Deo, quia non fuit otioſus adventus noſter ad vos. Et mora quidem brevis apud vos, ſed non infructuoſa. Veritate nimirum per nos manifeſtata, manifeſtata autem non ſolum in ſermone, ſed etiam

a Adde etiam Toloſæ. Illefonſum ſe dicit in quodam pacto anno 1125. inter ipſum & Raymundum Comitem Barcinonenſem inito, ubi ejus uxor Faidida vocatur. Vide alias Notas.

b De Henrico, Henricianiſque hæreticis fuſe egimus in Præfatione hujus tomi.

c Henricum itidem *monachum* vocat Gaufridus in lib. 1. de vita Bernardi num. 16. & Exordium Ciſtercienſe relatum lib. 3. ejuſdem vitæ cap. 17. *Eremitam* acta Hildeberti epiſcopi Cenomannenſis in tomo 3. Analectorum pag. 314. ubi plura de Henrico.

d Albericus, de quo in lib. 3. de vita Bernardi num. 17. Bellovaci natus, Cluniaci monachus, cardinalis ab Innocentio creatus anno 1138. legatus in Angliam, tum in Syriam, deinum in Galliam, ad quem epiſtola 219.

in virtute [a], deprehenſi ſunt lupi, qui venientes ad vos in vêſtimentis ovium, devorabant plebem veſtram ſicut eſcam panis, ſicut oves occiſionis: deprehenſæ vulpes, quæ demoliebantur pretioſiſſimam vineam Domini, civitatem veſtram; deprehenſæ, ſed non comprehenſæ. Propterea, dilectiſſimi, perſequimini & comprehendite eos, & nolite deſiſtere, donec penitus depereant, & diffugiant de cunctis finibus veſtris, quia non eſt tutum dormire vicinis ſerpentibus. Sedent in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentes. [Johan. 10. 8.] Fures ſunt & latrones, quales in Evangelio Dominus notat. Subverſi ſunt, & parati ad ſubvertendum, plane maculatores famæ veſtræ, corruptores fidei veſtræ. [1. Cor. 15. 33.] *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*: præſertim talium *ſermo*, [2. Tim. 2. 17.] ſicut dicit beatus Apoſtolus, *ſerpit ut cancer.*

2. Quis dabit mihi, ut habeam opportunitatem ſemel adhuc veniendi ad vos? Nam voluntatem habeo, ſi quo modo poſſim in voluntate Domini ſecundo videre vos, laborem non reputaturus, quamvis corpore infirmus & debilis, pro veſtra exhortatione & ſalute. Interim autem ſic ſtate in Domino, cariſſimi, ſicut cœpiſtis & accepiſtis à nobis. Obedite Epiſcopo, ceteriſque præpoſitis veſtris, magiſtris Eccleſiæ. Habete diligentiam hoſpitalitati, quia per hanc multi placuerunt Deo. Abraham pater veſter pro ſtudio ſancto, quod in ſuſcipiendis peregrinis habere ſolitus erat, [Gen. 19. 3.] Angelos hoſpites ſuſcipere meruit. Similiter & Loth nepos ejus pro ſimili devotione & pia conſuetudine de eorum ſuſceptione exſultavit. Et vos itaque ſimili forma non Angelos, ſed Dominum Angelorum ſuſcipite in peregrinis, paſcite in egenis, operite in nudis, viſitate in languentibus, redimite in captivis. Talibus hoſtiis promeretur Deus, qui in judicio dicturus eſt: [Matth. 25. 40.] *Quod uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

3. Hoc etiam moneo vos, cariſſimi, quod & dicebam vobis cum præſens eſſem, ut nullum extraneum ſive ignotum prædicatorem recipiatis, niſi qui miſſus à ſummo, ſeu à veſtro permiſſus Pontifice prædicaverit. [Rom. 10. Extranei & ignoti Prædicatores cavendi.] *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Ipſi ſunt, qui induentes ſibi formam pietatis, & virtutem ejus penitus abnegantes, profanas novitates vocum & ſenſuum, tamquam melli venenum, verbis cæleſtibus intermiſcent. Cavete proinde eos, tamquam veneficos; & cognoſcite in veſtimentis ovium lupos rapaces. Sit vobis commendatus lator epiſtolæ venerabilis Abbas [b] Grandis-ſilvæ, & domus ejus, quæ & noſtra eſt, nuper nobis, & noſtro Ordini ab ipſo tradita, & eccleſiæ Claræ-vallis ſpecialiter aſſociata. Oſtendite nobis in ipſo, & in ſanctis qui cum eo ſunt, quantum profeceritis ex noſtra admonitione in operibus miſericordiæ; & date in eis experimentum veſtræ caritatis & devotionis, quam habetis erga nos. Quicquid illis feceritis, mihi factum reputate. Gratia Dei & pax ſit vobiſcum, amen.

Ad ROMANOS, quando receſſerunt [c] à domino Papa Eugenio.

EPISTOLA CCXLIII.

ANN. CHR. MCXLVI.

Romani, Arnaldo hæretico factionem inflammante, antiquæ Reipublicæ ac libertatis formam reſtituere nitebantur, ſola ſacrorum cura Pontifici relicta. Itaque veſtigalia Pontificum ſibi vindicant, jubentes Pontificem decimis, & oblationibus tantum more priſco contentum vivere. Hinc nata rebellio, & in Eugenium acrius concitata. Cujus occaſione Bernardus aſpere, ſed juſte increpat Romanos tam iniquos in Pontificem, cujus injuria in Sanctos & omnes Catholicos redundet, non evaſuros Dei vindictam, niſi mox reſipiſcant.

Nobilibus, & optimatibus, atque univerſo populo Romano, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas, declinare à malo, & facere quod bonum eſt.

1. SErmo mihi eſt ad te, popule ſublimis & illuſtris, cum ſim vilis exiguaque perſona, ac nullius pæne momenti homuncio. Id quidem verecundum atque oneroſum mihi, conſideranti, quis, quibus ſcribam, ſimulque quàm aliter hoc alius judicare poſſit. Sed levius reor verecundia apud homines periclitari, quàm condemnari apud Deum ſilentio, veri taciturnitate, & abſconſione juſtitiæ. Ipſe enim dicit: *Annuntia populo meo ſcelera eorum.* [Iſa. 58. 1.] Erit mihi etiam in teſtimonium ante faciem Domini, ſi dicere potero: *Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.* [Pſal. 39. 11.] Pro hujuſmodi ſane non vereor, quamvis verecundia reluctante, pro mea ignobilitate ſcribere de longinquo ad populum glorioſum, atque his litteris tranſmontanis ſui ipſorum periculi atque peccati commonere Romanos, ſi forte audiant, & quieſcant. Quis ſcit ſi convertantur ad precem pauperis, qui non cedunt potentium minis, non omni armaturæ fortium? Nonne quondam in Babylone, ad vocem pueri junioris unius, [Dan. 13. 45.] omnis ille populus, qui à ſenibus iniquis judicibus ſeductus fuerat, reverſus eſt ad judicium, & ſic ſervatus eſt ſanguis innoxius in die illa? Ita nunc quoque, etſi adoleſcentulus ſum ego & contemptus, (adoleſcentulus dico, non annorum paucitate, ſed meritorum;) potens eſt tamen Deus dare etiam voci meæ vocem virtutis, per quam fiat, ut & is populus, quem nihilo minus conſtat eſſe ſeductum, ad judicium revertatur. Mea ergo defenſio ad eos, qui mihi hinc forte ſuccenſendum indignandumve putaverint, hæc ſit.

2. Si neque hoc ſatis eſt: etiam iſtud adjicio. Communis eſt cauſa, & non eſt diſtinctio puſilli & magni. [Pontificis læſio omnes Catholicos tangit.] Dolor nempe in capite eſt, ac per hoc minime alienus ne à minimis quidem vel extremis quibuſque corporis partibus. Nec à me ergo. Pervenit profecto uſque ad me, quamvis omnium minimum, dolor maximus iſte, quia maximus eſt; & quia cum ſit capitis, non poteſt non eſſe & corporis, cujus membrum ſum ego. Numquid non dolente capite clamat lingua pro omnibus corporis membris, in capite ſe dolere, & omnia per ipſam ſuum caput, ſuumque capitis fatentur incommodum? Dimittite proinde, quæſo, dimittite, ut plangam paululum apud vos dolorem meum; nec meum tantum, ſed & totius Eccleſiæ. Nonne ipſius vox eſt hodie per univerſum mundum: Caput meum doleo, caput meum doleo? Quis namque vel noviſſimus Chriſtianorum in toto ſit orbe, qui non glorietur hoc capite, quod ambo illi glorioſi Principes terræ, alter amiſſo, alter ſubmiſſo in cruce capite, ſuo triumpho extulerunt, ſuo ſanguine ornaverunt? Ad omnem itaque

a Miraculis ſcilicet illuſtribus ab ipſo factis, de quibus in lib. 3. vitæ cap. 6. Ipſa agnoſcit etiam Berengarius in apologia pro Abælardo. *Jam dudum ſanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama diſperſit, præconizavit merita, miracula declamavit &c.*

b Bernardus ſupra, ſola littera initiali B. ſignatus in mſſ. qui abbatiam Grandis-ſilvæ Ordinis S. Benedicti in pago Toloſano Ciſtercienſibus adjecit.

c Confer lib. 4. de Conſideratione cap. 2. Othonis Friſingenſis Chronicon lib. 7. cap. 31. & hiſtoriam Friderici lib. 2. cap. 20. Arnaldiſtæ dicuntur hæretici a Bonaccurſo, junguntur que Catharis & Paſſaginis, accuſati, quod per malos miniſtros ſacramenta irrita eſſe dicerent, in Spicilegii tomo 13. pag. 85.

ſpectat

... iſtianum injuria Apoſtolorum, & ſicut *in* A *unguentum ... ... extrem... ſ... eorum*, ſic læſio eorumdem ab ... nibus uſquequaque ſentitur, uſquequaque plangitur & doletur.

3. Quid vobis viſum eſt, ô Romani, offendere principes mundi, veſtros autem ſpeciales patronos? Cur Regem terræ, cur Dominum cæli, furore tam intolerabili quàm irrationabili in vos pariter provocatis, dum ſacram & apoſtolicam Sedem, divinis regalibuſque privilegiis ſingulariter ſublimatam, auſu ſacrilego inceſſere, ſuoque minuere honore contenditis, quam vel ſoli contra omnes, ſi oportuiſſet, defendere debuiſtis? Sic fatui Romani, non judicantes, neque quod honeſtum eſt diſcernentes, caput veſtrum atque omnium, quod in vobis eſt, deturpatis? pro quo magis nec veſtris ipſis cervicibus parcendum à vobis foret, ſi neceſſitas exegiſſet. Patres veſtri Urbi orbem ſubjugaverunt: vos Urbem properatis orbi facere fabulam. En Petri heres Petri ſede & urbe à vobis expulſus eſt: en rebus & domibus ſuis, veſtris manibus ſpoliati ſunt Cardinales, atque Epiſcopi miniſtri Domini. O popule ſtulte & inſipiens, ô columba ſeducta non habens cor. Nonne ille caput, & illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma, niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis frons effoſſa, facies tenebroſa? Aperi, gens miſera, aperi oculos tuos, & vide deſolationem tuam jamjamque imminentem. Quomodo in brevi mutatus eſt color optimus, facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps provinciarum?

4. Verum initia malorum ſunt hæc: graviora timemus. Numquid non prope interitum es, ſi perſiſtis? Revertere, revertere, Sunamitis, revertere ad cor tuum: agnoſce jam vel ſero, quæ, quanta, à quibus patiaris, vel paſſa ſis. Recordare qua cauſa, quo fine, per quos, & in quos uſus, non longe ante hos dies cunctarum, quæ in te ſunt, eccleſiarum omnis ornatus & cenſus profligatus eſt [a]. Quicquid in altaribus & in altarium vaſis, quicquid in ipſis ſacris imaginibus auri & argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum & aſportatum eſt. Quid ex his omnibus tu in tuis nunc marſupiis invenis? Porro decor domus Domini irrecuperabiliter periit. Et nunc quid tibi viſum eſt iterare malitiam, innovare denuo ſuper te dies malos? Quid modo vel lucri amplioris, vel certioris ſpei arridet tibi? niſi quod in eo noviſſima tua cernuntur incautiora prioribus, quod tunc quidem non ſolum multi de plebe, ſed etiam de clero, & de principibus nonnulli per orbem in ſchiſmate illo faverunt tibi: nunc vero ſicut manus tuæ contra omnes, ſic manus omnium contra te. Mundus eſt à ſanguine tuo mundus omnis, præter te ſolam, & filios tuos qui in te ſunt. Væ ergo nunc tibi, popule miſerande, & væ duplo quàm ante, non ab exteris nationibus, non à feritate barbarorum, non à millibus armatorum. Væ tantum à facie tuorum tibi; væ a domeſticis & amicis, à clade inteſtina, à cruciatu præcordiorum, à tortionibus viſcerum.

5. Agnoſciſne jam, quia non omnes pacifici qui domeſtici, nec omnes amici qui videntur? Et ſi alias noveramus, ſed nunc per te manifeſtius edocemur omnem veritatem illius ſermonis Domini, quem dixit: *Quoniam inimici hominis domeſtici ejus.* (Mich 7. 6. & Matth 10. 36.) Væ fratri à fratre in medio tui, & filiis à parentibus! væ non à gladiis, ſed à labiis iniquis & a lingua doloſa! Uſquequo male in malo vos alterutrum confortatis, & gladiis labiorum invicem ſternitis, invicem perditis, ut ab invicem conſumamini? (Objurgatione revocat à deſolatione.) Congregamini, oves diſperſæ, redite ad paſcua, redite ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. Redite prævaricatores ad cor. Quod loquor, non quaſi hoſtis convicians, ſed quaſi amicus objurgans. HABET vera amicitia nonnumquam objurgationem, adulationem numquam.

6. Sed jungimus & obſecrationem. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo, reconciliamini principibus veſtris, Petrum loquor & Paulum, quos utique in Vicario & ſucceſſore ſuo Eugenio ſuis ſedibus & ædibus effugaſtis. Reconciliamini, inquam, orbis principibus, ne forte incipiat pro eis pugnare orbis terræ contra inſenſatos. An neſcitis, quia his offenſis nihil omnino valetis, his propitiis nihil omnino timetis? Non, inquam, non timebis ſub horum tutela millia populi circumdantis te, urbs inclyta, civitas fortium. Reconciliare proinde illis, ſimul & millibus Martyrum, B qui quidem apud te, ſed contra te ſunt propter grande peccatum, quod peccaſti, in quo & periiſtis. Reconciliare etiam omni Eccleſiæ ſanctorum, qui ubique terrarum audito hoc verbo ſcandalizati ſunt. Alioquin pagina iſta contra te in teſtimonium erit: ſed & ipſi Apoſtoli & Martyres tui ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Sed jam finem loquendi omnes pariter audiamus. Annuntiavi juſtitiam, prænuntiavi periculum, veritatem non tacui, hortatus ſum ad meliora: ſupereſt, ut aut de veſtra citius correctione lætemur; aut de juſta imminenti damnatione certi, in- C conſolabiliter lugeamus, areſcentes & tabeſcentes præ timore & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſæ urbi.

Ad CONRADUM regem Romanorum.

EPISTOLA CCXLIV.

Ann. CHR. MCXLVI.

Hortatur Regem ad defenſionem auctoritatis pontificiæ adverſus rebelles Romanos.

1. NEc dulcius, nec amicabilius, ſed nec arctius omnino Regnum Sacerdotiumque conjungi ſeu complantari in invicem potuerunt, quàm ut in per- D ſona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus eſt nobis ex utraque tribu ſecundum carnem ſummus & Sacerdos, & Rex. (Regnum & ſacerdotium in Chriſto unita.) Non ſolum autem, ſed & commiſcuit ea nihilominus ac confœderavit in ſuo corpore [b], quod eſt populus Chriſtianus, ipſe caput illius: ita ut hoc genus hominum apoſtolica voce *genus electum, regale ſacerdotium* appelletur. (1. Petr. 2. 9.) In alia quoque ſcriptura quotquot ſunt prædeſtinati ad vitam, nonne omnes *reges & ſacerdotes* nominantur? (Apoc 1. 6. & 5. 10.) Ergo quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. Magis autem quod divina ſanxit auctoritas, humana ſtudeat adimplere voluntas; & jungant ſe animis, qui juncti ſunt inſtitutis. E Invicem ſe foveant, invicem ſe defendant, invicem onera ſua portent. Ait Sapiens: *Frater adjuvans fratrem, ambo conſolabuntur.* (Prov 18. 19.) Quod ſi alterutrum ſe (quod abſit) corroſerint & momorderint, nonne ambo deſolabuntur? Non veniat anima mea in conſilium eorum qui dicunt, vel imperio pacem & libertatem eccleſiarum, vel eccleſiis proſperitatem & exaltationem imperii nocituram. (Non nocent invicem.) Non enim utriuſque inſtitutor Deus in deſtructionem ea connexuit, ſed in ædificationem.

2. Si hoc ſcitis, quouſque vos communem contumeliam, communem diſſimulatis injuriam? Nonne ut apoſtolica Sedes, ita & caput imperii Roma eſt? Ut er- F go de Eccleſia taceam, num honor Regi eſt truncum in manibus tenere imperium? Et quidem ignoro quid vobis ſuper hoc conſulant ſapientes veſtri & principes regni: ſed ego, in inſipientia mea loquens, quod ſentio non tacebo. Eccleſia Dei ab exortu ſui uſque ad hæc tempora pluries tribulata eſt, & pluries liberata eſt. Denique audite quid ipſa de ſe loquatur in Pſalmo. Ipſius enim vox eſt: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum* (Pſal. 128. 1. & 3.)

a Per Anacletum antipapam, quæ res deſcribitur ab Ernaldo abbate in lib. 2. de vita Bernardi num. 1. & apud Baronium anno 1130.

b Recte ad hunc locum Sugerius in epiſtola 74. *Cum gloria corporis Chriſti, videlicet Eccleſiæ Dei, regni & ſacerdotii indiſſolubili unitate conſiſtat, conſtat profecto, quia qui alteri providet, alteri ſuffragatur: quoniam & temporale Regnum per Eccleſiam Dei ſtare, & Eccleſiam Dei per temporale Regnum proficere, omnibus diſcretis evidenter agnoſcitur.* Vide Johannis Sariſberienſis epiſt. 44.

mum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam. Certus eſto, ô Rex, quoniam nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Non eſt abbreviata manus Domini, nec facta impotens ad ſalvandum. Liberabit & hoc tempore abſque dubio ſponſam ſuam, qui ſuo ſanguine redemit eam, ſuo ſpiritu dotavit, donis cæleſtibus exornavit, ditavit nihilo minus & terrenis. Liberabit, inquam, liberabit: ſed ſi in manu alterius; viderint regni principes, idne honor Regis, regnive utilitas ſit. Non eſt utique.

Eccleſia dotata à Chriſto conceſſa.

3. Quamobrem accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime, & reſtituat ſibi Cæſar quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Utrumque intereſſe Cæſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defenſare. Alterum Regi, alterum convenit Eccleſiæ advocato. Victoria, ſicut in Domino confidimus, præ manibus eſt. Superbia & arrogantia Romanorum pluſquam fortitudo eorum. Quid enim? Numquid quiſpiam magnus vel potens, verbi gratia, imperator, aut rex, fœdam rem iſtam in imperium pariter ſacerdotiumque præſumit? Sed populus hic maledictus & tumultuoſus, qui ſuas neſcit metiri vires, cogitare finem, conſiderare proventum; in inſipientia ſua & in furore ſuo auſus eſt hoc grande ſacrilegium attentare. Abſit, ut vel ad momentum ſtare poſſit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Factus ſum inſipiens, qui cum ſim vilis, ignobiliſque perſona, tamquam aliquis magnus, conſiliis tantæ magnitudinis tantæque ſapientiæ me ingeſſi, & de re magna. At quo ignobilior atque abjectior, tanto liberior ſum ad loquendum quod caritas ſuggerit. Unde & adhuc addo in eadem inſipientia mea: Si quis aliud, quam locutus ſum vobis (quod non credimus) ſuadere conabitur, is profecto aut non diligit Regem, aut parum intelligit, quid regiam deceat majeſtatem: aut certe quæ ſua ſunt quærit, & non valde quæ vel Dei, vel Regis ſunt, curare convincitur.

Imperatoris officium eccleſiam defendere.

Ad dominum papam EUGENIUM, pro Aurelianenſi Epiſcopo.

Ann. Chr. MCXLVI

EPISTOLA CCXLV.

Gaudet ob zelum Pontificis in cauſa Aurelianenſis Epiſcopi, &c.

ITa quæſo, ita facite. Semper conſideretur non à quo, ſed quid petatur. Pro Aurelianenſi Epiſcopo[a] non eſt exauditus Rex, minime tamen offenſus, quia cor ejus in manu Dei eſt. Quod etſi contigiſſet, ſuſtinendum fuerat, ne Deus offenderetur: qui utique ex hoc magis propitiabitur, & citius reſpirare faciet a tribulatione malorum & dolore, ſi juſtitia teneatur, ſi non relinquatur veritas. Hæc & his ſimilia, quæ de vobis per orbem celebri in dies jucunditate crebreſcunt, quanta cor meum ſuavitate repleant, non eſt facile dictu. Hæc pro his. De cetero ſi ſuggeſtum vobis à quopiam fuerit de me amplius onerando, ſcitote mihi vires non ſuppetere ad ea quæ porto. Quantum mihi, tantum parcetis & vobis. Propoſitum meum monaſterium * non egrediendi credo non latere vos. De fratre Baldicio, quamvis dilecto, quamvis neceſſario, obeditum eſt ſine mora. De Abbate[b] mittendo ad ſanctum Anaſtaſium, ſi factum non eſt, fiet ſtatim, ut factum non eſſe ſciemus. Porro de alia mittenda perſona, quia in ultimis litteris veſtris nihil ſcripſiſtis, nihil præſumpſimus. Ceterum & hoc tam celeriter fiet, quam vobis accelerare placuerit. Plenius vobis & manifeſtius de his omnibus reſpondebunt dominus Autiſiodorenſis *, & frater Baldicius. Quod ſanctæ memoriæ Balduinus * Piſanus Archiepiſcopus fecit in Sardinia de excommunicatione Arvorenſis judicis; quia nonniſi juſte hoc virum bonum feciſſe credimus, veſtra auctoritate ratum & inconcuſſum manere rogamus. Porro Turritanus[c] judex, quia bonus dicitur eſſe princeps, ſit vobis commendatus, & a vobis manuteneatur.

Detrectat honores.

* V. epiſt. 227. & 228. num. 2.

b Hugo.

* V. epiſt. 144 & 201.

Ad EUMDEM pro eodem, quando prædictus Aurelianenſis depoſitus eſt.

Ann. Chr. MCXLVI.

EPISTOLA CCXLVI.

Aurelianenſem, ſponte ſe epiſcopatu abdicantem, Pontifici commendat, ut honori ejus cautum eſſe velit, id humilitatem ejus, & Pontificis clementiam decere.

1. TEmpus eſt, ut & ego ſcribam, non jam pro epiſcopo, ſed pro paupere & humili monacho[d]; idque, quod miſerabilius eſt, facto de divite & ſublimi. Hic jam non habet adulatio locum, habet miſeratio. Multi pro eo ſcripſerunt, ut remaneret Epiſcopus: ſed multum hoc erat: non potui adduci ego, ut id auderem. Nunc vero, ſi res humanius æſtimetur, ipſa nunc exigit quod ante vitabam. Spes erat homini adhuc, nam ſperandi ratio ſuberat talis. Dicebat: Valde immutatus eſt rerum ſtatus, ex quo mihi ſententia purgationis impoſita fuit. Et quidem gravem illam ſatis accepi, & quæ vel ab innocentiſſimo difficile impleri poſſet. Quid nunc, cum cuncta pæne in impoſſibile verſa ſunt? Nivernis * non eſt epiſcopus, ſed nec Trecis quidem. Autiſiodorenſis * tranſalpinavit. Comprovincialium ſane Epiſcoporum, per quos me purgari oportuit, pars multa hæc eſt. Non certe purgatores deficiunt mihi, ſed Epiſcopi vel deſunt, vel abſunt. Quid ergo? rectene à me exigi poteſt, quod inveniri non poteſt? Si res ita Judici comperta fuerit, mirum ſi de impoſſibili ſententiam ferat: aut ſi non ex toto impoſſibile, nimium * quod forte minus eſt, leviter effugiet ultro negligentius perſcrutantem. nempe miſericordiam vult, non ſacrificium. Quæ enim utilitas in ſanguine meo, ut quærat iniquitatem meam, & peccatum meum ſcrutetur? Magis autem, quia benignus & miſericors eſt, aliquid obliviſcetur, aliquid diſſimulabit, aliquid & de ſuo addet. Dominus eſt. An non licet ei quod vult facere? Etiamſi non, quantum ſat eſt, rationem mihi ſuppeditare adverterit; quidni tota tamen libertate utetur, prompteque miſericordiam ſuperexaltabit judicio, vir apoſtolicæ manſuetudinis & auctoritatis?

* V. epiſt. 275.

* Hugo.

* al. minimum.

2. Ergo cum ſic liceret ſperare timenti, nec fruſtra, ut ſibi ſuiſque videbatur; ceſſit tamen, & noſtro ſe totum commiſit arbitrio. Ac ne occaſione ipſius diutius eccleſia fatigaretur, conſulente me anticipans terminum, & ſecuris ictum, ultro Epiſcopum exuit. Unum eſt, clementiſſime Pater, unde homini generoſo ac verecundo in tam miſeranda fortuna poſſet non parum conſolationis afferri. Quæritis quid? Profecto non ambulat in magnis, nec in mirabilibus ſuper ſe. Sufficit, ſi veſtra indulgentia poſſit retinere ſacerdotem, qui Epiſcopus fuit: tantum à nota infamiæ & perpetuæ inuſtionis cauterio, ſcuto bonæ voluntatis veſtræ obumbretur ſibi. O dignam omni exauditu precem! Non rogat ut glorioſus, ſed ne inglorius ſit, qui exſtitit glorioſus. Quicquid illud ſit quod medium eſt, eo contentus eſt. Liceat cadenti à gloria, honeſto quo poterit mediocritatis ſeſe excipere gradu, ſolamque non devenire in extremitatem opprobrii. Juvenis eſt, nobilis genere eſt, in ſublimitate poſitus fuit: nec tamen humilem refugit locum, ſed probrum. Nihilne merebitur vel iſta humilitas? Humiliatus eſt impius Achab, profuit ei: & in viro fideli ac nobili humilitas pretium non habebit? Abſit à ſumma

3. Reg 21 27. 28. & 29.

a Nempe Helia, qui gravium criminum accuſatus, cum neque per ſe, neque per regem aut amicos, Eugenium flectere potuiſſet, anno 1146 epiſcopatu ſponte ceſſit, ex aliis Notis & epiſtola ſequente.

b Miſſus eſt Rualenus, de quo epiſtola 258. & duæ ſequentes.

c Is videtur eſſe Gunnarius, quondam *Judex & dominus Sardiniæ tetrarchalis*, qui ad S. Martini tumulum accedens, rediit per Claram-vallem: ubi a Bernardo ſuſceptus, poſtmodum ibidem monachus factus eſt, teſte Heriberto in lib. 2. de miraculis S. Bernardi cap. 13.

d Ex Abbate S. Sulpicii apud Bituriges epiſcopus, ex epiſcopo denuo monachus.

Sede, abſit à ſancta mente veſtra, cor contritum & humiliatum deſpicere.

3. Si diceremus, humiliavit ſe, exaltetur: nihil in hoc temere à nobis præſumptum. Poſſemus forſitan excuſare, nimirum ex regula [a] quam optime noſtis. Nunc autem non dicimus, exaltetur; ſed ne conculcetur, & confundamur ab exſpectatione noſtra. Immo vero ſi mala ſuſcepimus de manu domini, bona quare non ſuſcipiamus? Numquid enim poteſtatem habetis deponere potentes de ſede, & exaltare humiles non habetis! Porro POTESTATE accepta malle in malo, quam in bono uti, abuti eſt. Præterea angitur debitis multis, cum ſit pauper & inops. Jubeat auctoritas veſtra de rebus epiſcopalibus ea ſolvi. Durum eſt enim ſimul & honore privari, & onere premi debitorum.

Ad EUMDEM pro Remenſi archiepiſcopo *.

EPISTOLA CCXLVII.

Diſplicet ei præceps & ſeverior in Samſonem archiepiſcopum Remenſem ſententia, de Pallii uſu ſublato.

Amantiſſimo Patri & Domino EUGENIO, Dei gratia ſummo Pontifici, Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

1. PArcat vobis Deus: quid feciſtis? Faciem hominis verecundiſſimi confudiſtis; & cujus laus eſt in Eccleſia, ipſum in facie eccleſiæ humiliaſtis. Lætificaſtis omnes inimicos ejus: ſed quantos vos contriſtaſſe putatis? Non eſt modus condolendi, quia amicorum non eſt numerus. Dilectus à Deo & hominibus, grandis criminis luit pœnas, nullius convictus, nullius confeſſus. Tenemus Phinees, ſentimus zelum; Iſraelites perfoditur, ſed non cum Madianitide. Imponitur ei quod Regem [b] coronavit: ſed in hoc non exiſtimat exceſſiſſe ſe tenorem privilegiorum ſuorum. Objicitur quod ſcienter divina præſumpſerit celebrare in eccleſia interdicta: negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur iſtud. Eſto tamen: putemus omnia cunſtare, quæcumque in abſentem adverſariis ejus licuit, aut libuit loqui. Debuitne hoc ſolo exceſſu, cujus cetera laudabilia exſtiterunt, tam dure feriri, tam ſevere animadverti? Semel exceſſiſſe, etiam virtus poterat reputari, ſi de veſtro, non de vultu inimicorum ejus judicium prodiiſſet. Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, ſollemnis curia, juvenis Rex; & (quod his majus eſt) Dei negotium, de Jeroſolymitana ſcilicet expeditione, propter quod omnes convenerant. Prorſus hæc omnia Miſſarum, & coronæ regiæ ſollemnis debitique honoris fruſtrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipſi Bituricenſi Archiepiſcopo omnino expediebat, ut honor Regis per eum impediretur.

2. Quæ cum ita ſe habuerint, æſtimamus locum miſericordiæ non deeſſe, ubi tanta neceſſitas typhum [c] excuſat contumaciæ. Numquid poteſtatem habetis tantum percutere, & nequaquam ſanare? Noſtis qui dixerit: *Percutiam, & ego ſanabo.* Abſit ut cujus tenetis vicem, non uſurpetis & vocem, vocem præcipue pietatis. Ergo ſola hac vice redeat ſagitta Jonathæ retrorſum, &, ſi neceſſe fuerit, in me magis mittatur. Tolerabilius, fateor, habuiſſem, interdici mihi Miſſarum celebrationem, quàm Archiepiſcopo Pallii uſum. Eſt etiam quod non mediocriter veſtro pio rigori obviat in hac parte, quod filio veſtro regi Ludovico poſſit hinc non parvæ offenſionis & irritationis occaſio dari, cum ipſe ſibi tota mali hujus videatur eſſe occaſio. Quod plane tempore iſto non expedit: ne bonum, quod veſtro hortatu bono & magno animo cœpit, dignum (quod abſit) non habeat exitum, ſi in ſcandalo & animi perturbatione hoc egerit. De cetero mandaſtis, & obedivi, & fœcundavit obedientiam præcipientis auctoritas. Siquidem annuntiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Vacuantur urbes & caſtella, & pæne jam non inveniunt quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris.

Deut. 32. 39.

Semel deliquiſſe tamen.

Prædicatio expeditionis ſacræ ſucceſſus.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA CCXLVIII.

Circ. ann. MCXLVI.

Præmonet Pontificem, ne Sagienſi, quantumvis ſupplici, reditum in epiſcopatum molienti, faciles aures præbeat.

1. NOn eſt mihi, more multorum, procemiis uti ad vos, ambituve verborum: à re ipſa incipio. Homo [d] fallax venit ad vos, credo ut fallat; ſed abſit ut vos. Hoc enim non niſi in multorum diſcrimen, idque maximum, poſſet accidere. Semper quidem, ſicut fallere malum, ita falli à malo eſt plerumque & malum. Sed intereſt quis, & in quo fallatur. Quanto veſtra poteſtas & dignitas major, tanto ea quæ vobis forte ſubreptio fit, non modo periculoſior, ſed & turpior eſt, præſertim in eccleſiaſticis cauſis. Si, verbi gratia, Sagienſis * hæc vulpecula fraudulenta, concinnans dolos vobis, ſicut callide cogitat illudere, poterit & ad vineam Domini Sabaoth, quam brevi tempore parte non modica demolita eſt, veſtra auctoritate redire; quanta putatis malignitate de cetero ſævituram? Heu! quod reliquum eſt, devorabit. Nempe qui venit vulpecula, redibit leæna: & in quoſque, tam cleri, quàm populi, non jam calliditate utetur, ſed crudelitate. Vigilandum itaque adverſus aſtutiam, ne ad tantam ſævitiam denuo prorumpere poſſit.

Fallere & falli malum. V. epiſt. 139.

* de Sak.

2. Non ergo vos moveat hominis facies miſeranda, vilis habitus, vultus ſupplex, demiſſa ſupercilia, verborum humilitas: ſed nec ipſæ quidem lacrymulæ, currentes, ut aiunt, ad nutum ejus, doctæ mentiri. Hæc omnia in facie ſunt, & ſcitis qui dixerit: *Nolite ſecundum faciem judicare.* In his atque ſimilibus forma pietatis exſiſtit, ſed non ſemper & virtus. Veſtimenta ovium ſunt hæc, frequenter (ſicut deſignavit Dominus) uſurpata à lupis in ſtragem maximam ovium, dum non ſe abſcondunt, quoniam illi abſcondite veniunt. Inde eſt, quod aliqui etiam ex noſtris pro eo ſcripſerunt, talibus circumventi mendaciis, parum advertentes, quod à Sapiente ſapienter ac veraciter dicitur: *Eſt qui ſe humiliat nequiter, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Vos ergo non attendatis ad verba ejus, neque ad corporis geſtus: opera interrogate. A fructibus ejus cognoſcetis eum. Multa & gravia dicuntur de eo: dicentur & in eum, ſi eſt qui quærat & judicet. Nolo dicere omnia quæ audivi. Nec enim omnibus credendum eſt, ſed nec omnibus decredendum. Unam pono breviter meam conjecturam: certine aliquid habeat, vos judicabitis. Cur datos ſibi judices declinavit? Si perſonas cauſatur, non erant ſuſpecti. Si loci importunitatem; erat hoc in terra ſua, & in cognatione ſua, ubi & expenſis paucis, & itinere non longo, facile & abſque labore totum negotium poterat explicari. Reſtat proinde nihil aliud ſuſpicandum, quàm fugiſſe hominem ſubdolum accuſantium multitudinem, qui extra patriam eum minime præ inopia ſequi poſſent. Gratias agimus domino Lexovienſi [e], qui zelo domus Domini tactus, nec marſupio pepercit, nec corpori. Bo-

Johan 7. 24.

Matth 7. 15.

Eccli. 19. 23.

Judices datos declinare an liceat.

a Scilicet ex regula evangelica, *Qui ſe humiliat exaltabitur.*

b Sollemne quondam erat, ut reges in præcipuis feſtis coronam acciperent feſtivo ritu, ut hic apud Bituriges ante Jeroſolymitanam expeditionem. Bituricenſis archiepiſcopus id ſibi in ſua eccleſia deberi contendebat. Quare cum id Samſon præſtitiſſet apud Bituriges, reclamante Petro archiepiſcopo, Eugenius uſum pallii eidem Samſoni interdixit. Pontificias hac de re litteras habes in Patriarchio Bituricenſi, ex aliis Notis.

c In ſcriptis *typum*. Et prorſus ita ſcribebant veteres illi pro *typho*, id eſt ſuperbia

d Mortuo Johanne, Sagienſi in Normannia epiſcopo, Arnulfi Lexovienſis fratre, Girardus canonicus ſecularis in ejus locum ſuffectus, canonicos regulares ex ea eccleſia expellere cogitabat, qua de re hic arguitur. Adi alias Notas.

e Arnulfo, doctrina & pietate claro, de quo epiſtola modo 348.

tuus frater, cui ſtudium eſt ſemen defuncti fratris ſuſci-tare. Gratias & vos agite illi, quia veſtro quoque nomini hæc ejus cura non parum conferre videtur: qua fit ut convincatur malignus, & ſic dejiciatur, quæ eſt gloria veſtra.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA CCXLIX.

Ann. CHR. MCXLV.

Priorem Caſæ-Dei, electum in epiſcopum Valentinenſem, ut dignum commendat.

Dignus ad Ecclesiæ curam trahendi.

SI rebus raritas pretium facit, nil in Eccleſia pretioſius, nil optabilius bono utilique Paſtore. Nempe rara avis eſt iſta. Proinde ſicubi talis interdum reperiatur, & occaſio detur; confeſtim injiciendæ ſunt manus, & totis niſibus ſatagendum, ne qua vi, ne qua arte malitiæ fructuoſa promotio valeat præpediri. Audivimus in eccleſia Valentina [a] pari voto cleri & populi electum eſſe Priorem Caſæ-Dei. Mirum ſi bonus non fuerit ad opus ad quod aſſumitur. Scire vultis unde id ſperem? Boni hoc volunt, nec poteſt bonus non eſſe qui bonis placet. Nec minus validum argumentum mihi videtur quod bonus ſit, ſi malis è regione diſpliceat. Decet ſanctitatem veſtram votis aſſentire bonorum: ne ſi ab iſto forte reſilire contingat, alium quem nolletis, ſtudio & conſenſu pravorum contingat recipere.

Boni argumentum eſt, bonis placere, non malis.

Ad BERNARDUM [b] Priorem Portarum.

EPISTOLA CCL.

Repulſam fr. Natalis in epiſcopum electi non debuiſſe tam moleſte ferre à Religioſis. Id ſua opera factum non eſſe. Veritum forte Papam, ne juvenilis ætatis vitia nunc demum calumnia paterent.

Reverendiſſimis Patribus & dominis amantiſſimis, BERNARDO Priori Portarum, & ſanctis qui cum eo ſunt, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem in Domino.

1. EX quodam beatitudinis veſtræ reſcripto comperi, ſcripſiſſe me aliquid, quod me indicaret commotum, voſque iſtud non parum metuere. Verum id fruſtra. Non eſt quod à puero veſtro timendum ſit vobis, reverendiſſimi Patres, qui vos in veritate diligo ut amicos, & ſuſpicio ut ſanctos. Niſi forte non me, ſed mihi paterno timuiſtis affectu, quod motus vobis viderer non ex ratione; aut ſi ex ratione, forte plus quàm oporteret. Motus fateor fui, ſed pro vobis, non contra vos; atque id tenuiter ſatis. Si & hoc temere; ſed non temere confiteor adverſum me injuſtitiam meam, & vos remittetis temeritatem peccati mei. Ignoſcite mihi: ſic ſum, zelus domus veſtræ comedit me. Non patior plane, quod in me eſt, decolorari tantæ ſpecimen ſanctitatis. nam corrumpi poſſe, abſit ut verear. Prorſus autem diſplicet in pulcherrimo corpore, non ſolum morbus, ſed & nævus. Non plane bonus color, ſi ſanctorum quiſpiam anxie ferre abjectionem ſuam videatur, de qua etiam & non gaudere, & non gloriari, minus eſt à perfecto. Porro in propoſito perfectionis apparere imperfectum, nævus eſt. Ergo hic color mihi in fratre Natali diſplicuit. Quid enim, etſi caſtum id fuerit coram Deo? Nempe oportet providere bona etiam coram hominibus.

Nævus in pulcro corpore anxie ferre abjectionem.

2. Sed dicitis: Non ipſe graviter tulit, ſed nos. Ad idem revertitur. Iterum dico quod ſentio. Cur vobis grave fuerit, non video, niſi quia ipſi grave eſſe ſenſiſtis. Vos judicate, an hoc eum decuerit, præſertim in novitate vitæ. Nam ante hanc (ut ſalva ejus pace dixerim) non caruit hac nota: an vero nec culpa, ſuæ ipſius conſcientiæ relinquendum eſt. Et quid ſi forte hoc cogitavit [*] dominus Papa: cum, ſicut dicitis, electioni ejus aſſentire renuerit? Veritus quippe, ut æſtimo, linguas obtrectatorum, veluti feſtinatam novi Eremitæ promotionem: ne, ut dixi, lingua maliloqua dicere poſſet, hunc eſſe, quem ſemper optaverat, eremi fructum. Veruntamen quicquid dominus Papa intenderit, ſive hoc, ſive aliud; me ignoraſſe ſciatis illud ejus conſilium: ne quis dicat quod meo inſtinctu id fecerit. Nam quod ad me pertinet, mihi decretum eſt, ubi opportune poſſem, non ſolum non impedire, ſed etiam totis viribus, & ambabus, ut dicitur, trahere manibus, ubi de gratia, quæ in eo eſt, Deo fructificare valeret. Quis dabit mihi homines litteratos, & ſanctos, in eccleſiis Dei præeſſe paſtores, ſi non in omnibus, certe in pluribus, certe in aliquibus ſaltem? Quid enim ſi juvenis aliqua olim juveniliter egiſſe memoratur? Vetera tranſierunt, nova facta ſunt omnia. Conſepultus eſt iterum Chriſto per eremi baptiſmum [c]: ego olim ſepulta vitia retractabo?

* al. judicavit.

Quales oporteat in eccleſia præeſſe.

3. Jam quod Abbas Caziacenſis [d] ſive Trecenſis dure dicuntur ſcripſiſſe vobis; omnino, cum audivi, dure accepi, & cum accepero tempus, non diſſimulabo, quantum quidem caritas poſtulabit, & familiaritas, quæ mihi pro eorum religioſitate ad ipſos eſt. Deo autem gratias, qui dedit vobis non vinci à malo, ſed vincere in bono malum, quia non reſpondiſtis eis malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Porro illas, quas ad me adverſus præfatos Abbates ante ſcripſeratis litteras, nec ſtudio, nec voluntate mea ad ipſorum notitiam perveniſſe ſciatis. Et de his ſatis.

4. Tempus eſt ut non obliviſcar mei. Clamat ad vos mea monſtruoſa vita, mea ærumnoſa conſcientia. Ego enim quædam chimæra mei ſæculi, nec clericum gero, nec laicum. Nam monachi jam dudum exui converſationem, non habitum. Nolo ſcribere de me quod vos per alios audiſſe exiſtimo, quid actitem, quid ſtudeam, per quæ diſcrimina verſer in mundo, immo per quæ jactet præcipitia. Si quo minus audiſtis, precor ut inquiratis, & ſecundum quod audieritis, & conſilium impendatis, & orationum ſuffragia.

Bernardi humilis de ſe ipſo ſenſus.

Ad dominum EUGENIUM Papam.

EPISTOLA CCLI.

Ann. CHR. MCXLVII.

Balmenſes monachos pro merito punitos in gratiam recipi cupit, & cum Æduenſibus conciliari.

Amantiſſimo Patri & Domino EUGENIO, Dei gratia ſummo Pontifici, Fr. Bernardus Claræ-vallis dictus Abbas, modicum id quod eſt.

BAlmenſes monachi [e] graviter deliquerunt, ſed non impune. Vobis pro hoc ipſo laus & gratiarum actio ab univerſa debetur Eccleſia, quia non ſiluiſtis, non diſſimulaſtis, non quieviſtis. Efferbuiſtis ut

[a] Mortuo ſancto Johanne epiſcopo Valentiæ in Delphinatu, *de Valence*, anno 1145. electus eſt Prior Caſæ-Dei, nomine Oribertus, in cujus gratiam hæc epiſtola ſcripta eſt cum epiſtola 270.

[b] Ejus nominis ſecundum, qui ſede Bellicenſi anno 1142. relicta, ſe intra Cartuſiam Portarum, ibi ſeu ante annum 1147. Bernardo Priori primo ſe abdicanti ſuffectus, ex Notatione ad epiſtolam 153. Natalem, de quo hic quæſtio, in regimen eccleſiæ Bellicenſis poſt eum poſtulatum non auſim affirmare. Bernardo ſane ſucceſſit Guillelmus, Guillelmo poſt Pontium Antelmus ſeu Nantelmus, ex Priore iiſdem Portarum, cujus eſſe videtur epiſtola ad Ludovicum Juniorem de ſua promotione, quæ eſt epiſtola 134. inter Cheſnianas.

[c] Exiſtimabat quippe cum aliis Patribus Bernardus, vitæ religioſæ profeſſionem eſſe alterum veluti Baptiſmum, ut diſerte in libro de Præcepto & diſpenſatione cap 17.

[d] In tribus Colbertinis, *Caziacenſis*. An is Caziacenſis abbas Simon, cui ſcripta eſt epiſtola 263. Ejus ſucceſſor Ter. (ſic breviatum legimus) de quo in lib 2 epiſtola 14. Petrus Cellenſis abbas apud Trecas, hoc loco deſignatus tameſi nullæ ejus contra Cartuſianos epiſtolæ, multæ pro eis reperiantur.

[e] Crimen hoc Balmenſium in diœceſi Biſuntina monachorum intelligimus tum ex duobus reſcriptis Eugenii Papæ, uno ad Humbertum archiepiſcopum Biſuntinum, altero ad VVillelmum ſeu Guidonem Comitem Matiſconenſem, quibus reſcriptis Balmenſem abbatiam in Prioratum redigit *ob exſecrabile & horrendum facinus, & inauditum ſanctæ Romanæ eccleſiæ contemptum, commiſſum in dilectum ſibi magiſtrum Oſbertum*: tum ex litteris VVillelmi Comitis Matiſconenſis id annuentis. Eugenii litteræ datæ ſunt IV Kalendas *Junii Pariſius*, id eſt anno 1147. Extant in archivo Cluniacenſi. Poſtea tamen abbatiæ titulus Balmæ reſtitutus eſt.

... buiſti : percuſſiſtis, ſed ut ſanaretis. Quod ſi obli-viſcitur miſereri dominus, & contineat in ira ſua miſericordias ſuas, unde ſanitas ? Fiducialiter proinde poſt judicium miſericordiam præſtolamur, ut miſericordiam & judicium cantemus Domino. Scimus, ſcimus, non deviabit Vicarius [a] à veſtigiis ejus, cujus vicarius eſt, omnimum cum ille dicat : *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Dicit autem de illo propheta : *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem.* Hanc de veſtris quoque poſterioribus audacter exigimus. Alioquin non decet ut perdatis innocentem cum impio. Etenim qui malum fecerunt, facti de medio ſunt. Quid reſtat, niſi ut reliquiæ ſalvæ fiant ? B Quidni ſalventur qui obedierunt vobis, qui obedierunt prædeceſſori veſtro ? Paulum loquor, qui aiebat : *Auferte malum ex vobis.* Itaque miſeremini illis, & non præjudicet iniquitas ſceleratorum juſtitiæ innocentium. Hæc dico, quia cauſa eſt eis cum Æduenſibus * in præſentia veſtræ majeſtatis, & timent ne noceat ſibi iniquitas aliorum. Sane id præcipue obſecramus, ut concordiæ & paci ipſorum operam detis. Utriſque ſiquidem bene volumus, atque ita utriſque credimus expedire.

Ad EUGENIUM, pro Eboracenſi.

EPISTOLA CCLII.

Ann. CHR. MCLI.

Sententiam, contra Eboracenſem jam olim ab Innocentio latam, tandem exſecutioni mandari poſtulat, ne mala ejus opera diſſimulanti Pontifici imputentur.

SÆvit fruſtrata ambitio, immo deſperata furit. Currit ad laqueum homo perditionis, & debitam jam olim in ſe ſententiam damnationis accelerat. Vel nunc manifeſta ſunt peccata ejus, præcedentia ad judicium. Anticipat manum ſucciſoris arbor maledicta & ſpinoſa, & cunctantem ſecurim in ſemet provocat. Heu ! quàm juſtius illa jam dudum cecidiſſet *, quàm ſancti illi, quos contra jus & fas male ſtando dejecit? Etenim ſi non ſtaret, ſtantes minime dejeciſſet. Et illi D quidem in innocentia ſua, & pro innocentia [b] corruerunt, multo melius ſtantes : ſed ſanguis innoxius de manu illorum proculdubio requiretur, qui vires furtivas tam noxiæ arbori, ne ſtatim corrueret, miniſtraverunt. Clamat contra eorum capita ſanguis ſanctorum de terra, quorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum malitiæ. Verumtamen viſcera mea erant : effuſa ſunt ; non recipio de verbis conſolationem. Etſi poſſent eſſe qualicumque ſolatio ſive

*a. cecidiſſet.

A remedio, deficiunt tamen præ dolore, mœrore præcluduntur, interrumpuntur ſingultibus. Unum tamen, ipſumque extremum, quod utique magis ſcribere, quam proloqui poſſum, adhuc audite, vel potius legite. Si adhuc ſteterit ; prô dolor ! verendum, ne ipſius ſtatus ſit veſter caſus : dum quicquid adjecerit, utpote mala arbor, quæ non poteſt niſi malos fructus facere, non, illi jam, ſed vobis merito imputetur. Matth. 7. 18.

Ad ABBATEM [c] de Præmonſtrato.

EPISTOLA CCLIII.

Ann. CHR. MCLI.

B *Aſperioribus Præmonſtratenſium litteris placide reſpondet. recenſens ſua in eos beneficia. Refellit quoque ſingula querelarum capita, conſtantem ſe ipſis amicum fore profeſſus.*

1. AUdivi auditionem veſtram, & timui. Scribitis enim contra me amaritudines : abſit autem, ut tam rationabiliter, quàm terribiliter. Quid peccavi ? an quod veſtram perſonam ſemper amavi, veſtrum Ordinem fovi, & promovi ſemper, quod in me fuit ? Fidem, ſi verbis non habetur, opera faciunt. Ut quidem mea mihi conſcientia reſpondet, ego à vobis debui commendari. Sed quia contraria potius loqui & ſcribere libet ; dabo ego voci meæ vocem virtutis ex factorum teſtimonio. Id quidem grave. Videar improperare beneficia, quod utique non decuerat. Ut minus ſapiens faciam : vos me cogitis. Cui umquam veſtrum, ſive veſtrorum noſtra opera opus fuit, & defuit ? Primo quidem locus ipſe Præmonſtrati [d], in quo degitis, noſter fuit, & noſtro munere habuiſtis. Nam nobis frater Wido [e] (hoc nomen primi incolæ loci) per manum Epiſcopi ante donaverat. Deinde quod hi de Belloloco [f] vobis ſe aſſociaverunt, noſtri potiſſimum ſtudii fuit. Apud Jeroſolymam rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum ſancti Samuelis [g] donavit nobis, & mille aureos ſimul, de quibus ædificaretur : vos dono noſtro & locum habetis, & aureos habuiſtis. Apud Virdunum pro eccleſia beati Pauli, ut eam vos haberetis, quantum laboraverim, multi norunt : & quantum profecerim, ipſi ſentitis. Si quo minus recognoſcitis vos, extant epiſtolæ noſtræ ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, hujus rei veri judices, & quaſi vivi teſtes. Illis de Septem-fontibus [h] locum quem primum inhabitaverunt (*Francevals* nomen ei) nos contulimus.

Recenſet ſua erga Præmonſtratenſes beneficia.

2. Propter quod horum vultis recedere ab amicis ? Numquid redditur pro bono malum, quia minamini violare pactum [i], valedicere paci, ſocietatem deſerere,

a Hic non obſcure Papa Chriſti Vicarius dicitur, cum alias S. Petri Vicarius apud veteres illos appellari ſoleret, ut alias oſtendimus.

b Hic intelligit Bernardus ſtragem in Fontanenſe Ordinis ſui in Anglia monaſterium, factam à fautoribus Willelmi intruſi. Eam diſerte narrat Serlo monachus in hiſtoria ejus monaſterii, tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 747. ubi amoto per Eugenium Willelmo, ejus fautores dicuntur concurriſſe in cœnobium, cujus abbas Henricus ipſis adverſus erat ; tum omnia diripuiſſe, incendiſſe, profligaſſe, ſalvis nihilominus monachis cum Abbate : ex quibus tamen aliquos fuiſſe necatos hic innuit Bernardus. Serlo addit, Henricum abbatem in Archiepiſcopatum electum, ſtatim Claram-vallem adiiſſe ad S. Bernardum ; & inde Treverim conveniſſe Eugenium Papam, a quo conſecratus ac pallio donatus, non ſine multa contradictione a ſuis tandem admiſſus fit.

c Hugonem ſcilicet, Norberti primum diſcipulum ex Capellano Epiſcopi Cameracenſis, ac ſucceſſorem in regimine Præmonſtrati. Hugo iſte mirifice laudatur, non ſolum in libro de vita S. Norberti, ſed etiam apud cognominem ſuum Hugonem Chronographum Autiſiodorenſem S. Mariani, & apud Hermannum monachum Laudunenſem in lib. 3. de miraculis S. Mariæ capitibus 6. 8. & 10. Norbertus etiam paſſim apud eumdem prædicatur auctorem, maxime cap. 7. ubi ipſi Bernardo præponitur, tum quia primus Ordinis ſui fundator, tum quia Sanctimonialium ejuſdem Ordinis inſtitutor, quæ jam tum numerum decem millium excedebant. De eodem Norberto plura ad epiſtolas 51. & 56. In ſcriptis non paucis (nam & id notare convenit) hujus epiſtolæ loco ponitur epiſtola 253. cum reſcripto Bernardi. hæc autem locatur poſt epiſtolam 296. Ita duæ ſequentes etiam loco non conſtant in mſſ.

d Nonnulli hic hærent in explicando Bernardo, quod certum ſit, Præmonſtrati primam eccleſiam, ſancto Johanni Baptiſtæ ſacram, à Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo conceſſam fuiſſe Norberto ex commutatione facta cum monachis S. Vincentii Laudunenſibus, ad quos pertinebat, teſte Hermanno mox laudato in lib. 3. cap. 4. At in cap. 10. tradit idem auctor, teſtis oculatus, *ex altera montis parte majorem eccleſiam* poſtea ædificatam ab Hugone abbate, cum adjuncto inſigni monaſterio : cujus locus, aut certe ejus portio, a Bernardo ſeu Ciſtercienſibus, qui eam à Widone eremita acceperant, indubie Præmonſtratenſibus obvenerat. Quid Bartholomæus ipſe contulerit, docet ejus epiſtola in Appendice hujus tomi. Vide Notas fuſiores.

e Widonem legimus in hiſtoria cœnobii Viconienſis prope Valentianas, quæ extat in tomo 12. Spicilegii pag. 534. ubi Wido ſeu Guido, *Britonum gente progenitus*, *ſacerdos officio*, eo tempore quo Norbertus Præmonſtratum acceſſit, ibi degiſſe dicitur, & locum majori ceſſiſſe, ſecedendo Viconium, ubi fundamenta jecit cœnobii, quod Walterio S. Martini apud Laudunum abbati ſubjecit.

f Bellus-locus Ord. Præmonſtratenſis, *Beaulieu*, diœceſis Trecenſis, ubi canonicis regularibus ſucceſſere Præmonſtratenſes anno 1140. Ad Odonem hujus Belli-loci abbatem epiſtola 407.

g De hoc loco Gaufridus in lib. 3. de vita Bernardi num. 22. *Poſtremo quaſi vitis abundantiſſima ſuos undique palmites propagavit, excepto quod in terram Jeroſolymitanam, quamvis locus eſſet à rege paratus, ob incurſus paganorum & aeris intemperiem non acquievit mittere fratres ſuos.* Confer epiſtolam 175. ad Patriarcham Jeroſolymorum qui locum offerebat, epiſtolam 355. qua reginæ Jeroſolymorum Præmonſtratenſes commendat. De monaſterio S. Pauli vide Notas ad epiſtolam 178.

h *Septfontaines* diœceſis Lingonenſis ad Montem-clarum.

i Pactum hoc deſcribit Manrique, initum anno 1142. inter Ciſtercienſes & Præmonſtratenſes concordiæ cauſa, ut inter utrorumque monaſteria leucæ duæ ; inter grangias ſeu villas una intercederet. Hinc Bernardus domum Baſſi-fontis ait fuiſſe *extra ſtatutos terminos* conſtitutam. Erat autem ſita in diœceſi Trecenſi, fundata anno 1143.

ſcindere unitatem? Sed eſto. De bono opere non me A lapidatis, ſed de injuria, quod fratrem Robertum, cum eſſet de veſtra profeſſione, ſuſceperim, habitum ei monachicum tradens. Non inficior, apud nos eſt. Putaveram autem me ſuper hoc ſatisfeciſſe vobis, cum ſuſceptionis illius rationem, ordinem, neceſſitatem, viva & veridica voce expoſui, idque non ſemel. Quia vero necdum quieſcitis, non erit mihi pigrum reſcribere quod reſponderam, quando vobis durum non eſt repetere quod excuſaveram.

Purgat ſe de ſuſcepto Roberto, & aliis.

3. Minime ergo prædictum fratrem Robertum aliquando, ut à vobis exiret, ſollicitavi: magis autem à multis annis id cupientem, non ſemel, ſed ſæpe compreſſi. Quonam denique modo ſuſpectus haberi poſ- B ſum, quod fratrem Robertum ſubduxerim vobis, cujus conſilio & hortatu magiſtrum Othonem habetis? Si neſcitis, ipſum interrogate: ſi bene novi hominem, non negabit. Poſſem & alios forſitan non paucos nominare, ſive converſos ad vos, ſive reverſos: quos hodie non haberetis, niſi à nobis ſuaſi fuiſſent, vel coacti. Parco autem, non inops materiæ, ſed verecundiæ ſatisfaciens dives. Inveni ego in clauſtris veſtris, qui ad verbum prædicationis noſtræ compuncti & converſi ad nos veſtire diſpoſuerant: cum ecce ſollicitantibus veſtris retrahentes pedem, recepti & retenti ſunt in Ordine & habitu veſtro. Poſtmodum vero, remordente eos conſcientia, exire voluerunt: &, C ni fallor, exiiſſent, niſi noſtro firmarentur non aſſenſu tantum, ſed & hortatu.

Probat ſe non æmulum aliorum Ordinum, ſed fautorem & patronum.

4. Sed jam audite (quia iterum vultis audire) quomodo tandem fratrem Robertum receperim. Dominus Papa præcepit: nempe rogatus ab illo, & ejus amicis. Dicebat veſtrum ſeſe & Abbatis ejus aſſenſum prece ſua obtinuiſſe, ne quis dicat quod præcepto extorſit. Negatis: quid ad nos? ipſe viderit. Si vobis ſummum & ſanctum Pontificem falſitatis arguere libet, ignoſcite nobis: quia nos tantæ ſanctitati non credere, & tantæ majeſtati non obedire nefas ducimus. Quamquam & venerabilis abbas Godeſcalcus *, qui de veſtris eſt, (nam is a domino Papa ad vos hujus D rei gratia fuerat deſtinatus) non plane negaverit reportaſſe ſe à vobis, & liberam fratris emancipationem, & veſtram ipſius ſpontaneam conceſſionem *.

* de eo vide epiſt. 14.

* al. male conceſſionem.

5. Jam de fratre Fromundo non eſt quod nos laceſſatis, cum nequaquam eum ſine voluntaria Abbatis ſui conceſſione receperim. quod quidem nec vos latuiſſe amara illa epiſtola demonſtrat, in qua nobis de ſola Capituli non exſpectata conniventia calumniam ſtruitis. Quaſi vero vel in mutua noſtra conventione id prohibitum fuerit: vel emancipatio filii ad Capitulum, & non potius ad ſolum ſpectet Abbatem.

6. Adjicitis & de domo quadam fratrum veſtrorum de Baſſo-fonte, quod eam nos de medio tulimus, licet E extra ſtatutos terminos conſtitutam. Atque utinam priuſquam nos argueretis, eoſdem interrogaſſetis fratres, non ſolum quis eam de medio tulerit, ſed etiam qua de cauſa. Neque enim celaſſent vobis (ut confidimus) hujus rei veritatem. Ceterum audite eam nunc vel à nobis, ac deinde (ſi ita placet) eos interrogate. Cœperant ædificare locum, ubi aliquas e ſororibus ſuis conſtituerent, longe quidem ab abbatia ſua, in confinio autem duarum grangiarum domus noſtræ, & prope paſcua ovium noſtrarum. Rogavimus eos tamquam amicos, & quibus forte non inutiles fuiſſemus, ne ſeminarium ſcandali, & diſſenſionum fomi- F tem ſuis pariter & noſtris pararent, poſteris relinquendum. At illi nihilominus ædificabant. Hæc fuit tota violentia noſtra: ſic nos de medio tulimus domum illam. Inexcuſabiles ſumus, ſi rogare, vim irrogare eſt.

7. Revera Epiſcopus (quod negandum non eſt) indignatus, non modo quod Oratorium in ſuo epiſcopatu, ſed & quod domum in fundo eccleſiæ & terra feudi ſui ædificare ſe inconſulto præſumpſiſſent, cœpto intervenit operi, quamvis fruſtra. nam nec vetati ab eo deſtiterunt. Exinde tranſeunti mihi per terram illam, is qui tunc erat Abbas Baſſifontis occurrens, indicavit quod ab ædificatione ceſſaſſent. Verumtamen non tam propter nos, ſicut ex ejus relatione cognovi, quam propter militem illum, qui terram eis uſus dediſſe, gravabat eos in multis, ita ut de eo plurimum quererentur. Quamquam etſi pro ſola caritate noſtra id voluntarie dimiſiſſent, nec religionem eorum dedecuiſſet, nec immeritis forſitan præſtitiſſe beneficium viderentur. Miror ſane unde hæc tandem querela emerſerit, cum & Abbas ille in bona (niſi fallor) & devota erga nos voluntate præſentem finierit vitam: & qui ſubſtitutus eſt ei, frequenter & familiariter conveniens nos in neceſſitatibus ſuis, nullam nobis querimoniæ hujus aliquando fecerit mentionem. Denique & in eadem poſtea domo humaniſſime ſuſceptus hoſpitio, nihil hinc vel ab ipſo Abbate, vel alio quoquam audivi. Sed & vobiſcum in Clara-valle poſtmodum præſens fuit Abbas, & nuperrime Barri, jam inſtante Capitulo veſtro, unde litteræ illæ querulæ, ne dicam calumnioſæ, venerunt: & nec hic, nec ibi ſuper hoc, ſive ab eo, ſive à vobis, vel tenuiter quidem memini me fuiſſe conventum.

8. Præterea cauſamini, quod domunculam fratrum veſtrorum de Brena [a] Converſus Igniacenſis combuſſit. O domunculam! nempe umbraculum quoddam ramorum erat, ubi ſederet frater, qui ſtantes adhuc in agro ſegetes cuſtodiret. Neque hoc combuſtum malitia, ſicut fideli relatione cognovimus: ſed quod poſitum in agro quodam fratrum Igniacenſium, terram occuparet, quam excoli oportebat. Denique vix uno taxata eſt nummulo domuncula hæc, & Abbati de Brena ita jam, niſi fallimur, ſuper hoc ſatisfactum, ut omnino nec queratur, nec habeat unde queratur. Si quo minus, ubi id nos reſcire feceritis, parati ſumus ad omnem ſatisfactionem. Sic & de Abbate Longipontis [b], ubi primo querelam veſtram accepimus, quod inter terminos veſtros domum vellet ædificare, prohibuimus eum: & jam credimus deſtitiſſe. Sin autem; & id fiet, ubi factum non eſſe noverimus.

9. Super omnia plangitis, quod eccleſiam ſancti Foillani, quæ de Ordine veſtro eſt, Abbas noſter de Villari fecerit imbanniri *. At forte juſtius vobis fratris & coabbatis veſtri de prædicta domo ſancti Foillani [c] incredibilis obſtinatio, quàm ſummi Pontificis juſtiſſima * animadverſio diſpliceret. Novi ſiquidem, quod multis veſtrorum ipſius Abbatis animoſitas diſpliceat graviter: mirum valde, ſi non etiam vobis. Ita ergo dico vobis, huic indignamini. ſiquidem ipſe eſt, cujus aut cupiditas, aut contumacia fratribus veſtris divina fecerit officia interdici. Et quidem prolixum eſt hoc negotium, & difficile eſſet univerſa ejus ſubterfugia epiſtolari brevitate concludi: cauſam tamen interdicti quàm breviter intimabo. Poſt duas aut plures conventiones pacis, poſt diffinitivam ſententiam judicii, juxta mandatum Capituli veſtri per veſtros & noſtros Abbates promulgatam, accitus demum Epiſcopus Cameracenſis, ad cujus parochiam locus ſancti Foillani pertinere cognoſcitur, cum videret Abbatem obſtinato animo omnia violare, etiam ſententia eum eccleſiaſtica cogere voluit, ut dicebat. Ille vero, ut redimeret tempus, ſummi Pontificis audientiam appellavit. Ventum eſt ante eum. qui poſtquam teſtimonio tam veſtrorum Abbatum, quam aliorum Re-

* id eſt interdici.

* al. reprehenſibilis.

a Brenæ ſeu Branæ, *Braine*, quod oppidum eſt ad Axonam, quatuor leucis ſupra Sueſſiones, inſignis exſtat abbatia Præmonſtratenſium, S. Evodio ſacra: a qua non longe diſtat Igniacum, *Igny*, Ord. Ciſtercienſis in diœceſi Remenſi. Abbas Igniaci Humbertus, ad quem epiſtola 141.

b Abbatia Longi-pontis, *Longpont*, duobus leucis prope Sueſſiones, Ordinis item Ciſtercienſis, uti & Villaris, *Villers*, in Brabantia diœceſis Namurcenſis, ubi tunc abbas Faſtredus, cujus eſt epiſtola in Appendice relata.

c Abbatia S. Foillani Hiberni, prope Rodium Hannoniæ oppidum in ejus martyrii loco ſita, hactenus eſt Ord. Præmonſtratenſis. His omnibus Bernardi in Præmonſtratenſes beneficiis adde donationem loci in ſilva de Orta, à Ludovico Juniori factam *interveniente domno Bernardo pia memoria Clara-vallenſi abbate*, ut S. Mariani Abbas Autiſſiodorenſis agnoſcit in epiſtola, inter Gheſquianas numero 282.

h… rum ind… anter agnovit, Abbatem ſancti Foillani non ſolum reſilire à compoſitionibus, ſed & judicio contraire, eccleſiam ejus imbanniri juſſit, donec ſatisfeciſſet. Demum rogaſtis tam vos, quam ipſe domnum Ciſtercienſem, & nos; multiſque tam veſtris, quam veſtrorum precibus extorſiſtis, præſente etiam ipſo Epiſcopo, qui promulgandæ ſententiæ interdicti mandatum acceperat, ut provideretur adhuc forma aliqua pacis. Abſente Abbate de Villari, tractata compoſitio, dictumque Epiſcopo eſt, ut ſi vel ipſam obſervaret Abbas ſancti Foillani, abſtineret ab interdicto. Diſcedens autem nec illam tenuit, ſed domum, quam & judicii ſententia, & compoſitiones omnes diruendam eſſe diffinierant, ita ut ſemel etiam diruta jam fuiſſet, atque interim contra conventionem & judicium reædificata; hanc, inquam, & tenuit, & tenet, & alteram quoque ſuperædificavit. Quidni exſequeretur Epiſcopus mandatum apoſtolicum, quod acceperat de promulganda ſententia interdicti, præſertim addita prævaricatione? Ego tamen ſperans tandem aliquando vincere in bono malum, eamdem ſententiam differri feci uſque ad octavas Epiphaniæ, ſi forte interim vir ille recogitaret, ut vel formam judicii exſequeretur, vel compoſitionem aliquam obſervaret. Atque utinam ſic contingat, & faciat Deus pacis, ut requieſcat ſuper illum pax noſtra.

10. Cum hæc ita ſe habeant, non eſt quod de nobis queri debeatis: cum juſtius nos de vobis, ut apparet, queri poſſimus. Reliquum eſt, ut diligentes vos diligatis, præſertim ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis: illo, inquam, vinculo, quod inter nos & vos cauſa pacis caritatiſque firmatum eſt, utiliter quidem, & non minus forſitan vobis quàm nobis. Si rumpendum decernitis, non expedit quidem; ſed nec licere ullatenus puto. *Irrumpendus amicitia … nota.* Nempe ubi communis eſt cauſa, perſonæ reatus præjudicare non deberet, etſi vera eſſent quæ in nos dicitis. Ego autem, fratres, quicquid faciatis, decrevi ſemper diligere vos, etiam non dilectus. Occaſiones quærat, qui vult recedere ab amico: mihi ſtudii eſt, & erit, nec cuiquam amicorum juſtam in me diſceſſionis cauſam dare, nec ſcrutari in alio: quod hoc quidem fictæ, illud vero neglectæ amicitiæ ſit. Et quia ſecundum Prophetam *Iſa. 41. 7.* glutino bonum eſt: ſolvere, vel potius abrumpere vos poteritis, ſed non me. Adhærebo vobis, etſi nolitis: adhærebo, etſi nolim ipſe. Olim me alligavi forti vinculo, caritate non ficta, illa quæ numquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obſequiis. Invitis præſtabo, ingratis adjiciam, honorabo & contemnentes me. Et nunc triſtis eſt anima mea, quod quacumque occaſione offenderim vos; eritque triſtis, uſquedum veſtra indulgentia relevetur. Si tardaveritis, ibo, & excubabo pro foribus; perſeverabo pulſans, inſtabo opportune, importune, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem. Pluſquam medium hiemis tranſiit jam, & tunicam noſtram [a] uſque adhuc fruſtratus exſpecto. *a Id eſt cucullam.*

Ad abbatem Guari…um Alpenſem.

EPISTOLA CCLIV.

Ann. Ch. MCXXXVI.

Laudat in ſene Abbate ſtudium reformandi Ordinis. Temporis brevitatem non obſiſtere ſtudio perfectionis. In vita ſpirituali ſemper proficiendum, numquam ſtandum.

Reverendo Patri, & omni veneratione digno, domno abbati Alpenſi Guarino, & univerſis ejuſdem loci fratribus, frater Bernardus, veſtræ ſanctitatis ſervus, de bono in melius ſemper proficere.

1. Revera nunc in te, Pater, experior quod in ſacris litteris legiſſe me memini: *Cum conſummaverit homo, tunc incipit.* *Eccli. 18. 6.* Jam ſeni requies, jam corona debebatur emerito: & ecce tamquam novus in Chriſto miles, nova iterum tibi excitas bella, provocas adverſarium; & rem fortium præſumis feſſus ſenex, dum ad iterandum certamen, antiquum hoſtem, etiam quodammodo invitum compellis. Enimvero dum præter morem tuum, tuorumque prædeceſſorum traditiones [b], divinitus inſpiratus eccleſias & eccleſiaſtica beneficia relinquis; *Reformationis idea.* ſynagogas ſatanæ, id eſt cellulas [c] extra cœnobium, in quibus tres, vel quatuor fratres ſine ordine, ſine diſciplina habitare ſolent, deſtruis; feminas à monaſterio [d] arces, ceteriſque pietatis ac diſciplinæ bonis ſtudioſius invigilas ſolito: quid aliud primus & maximus ille peccator, niſi videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet? Sed quæ cura? Econtra tu in ejus confuſione & tua conſolatione cantabis Deo tuo: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſuperſperavi.* *Pſal. 118. 74. Senis zelus laudatur.* Nec timendum quod ſuccumbat hoſti, qui nec cedit ætati. Vincit annos animus, & frigente jam corpore fervet ſanctum in corde deſiderium; artubuſque faticentibus, durat tamen incolumis propoſiti vigor, nec ſentit rugoſæ carnis infirma ſpiritus promptus. Nec mirum. Utquid enim metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam ſpiritualem videt in dies in ſublime conſurgere, proficere in æternitatem? Certus namque eſt, ſi terreſtris domus iſta diſſolvitur, quod ædificationem habet ex Deo, domum non manu factam, æternam in cælis. *2. Cor. 5. 1.*

2. Sed dicet aliquis: Quid ſi morte præventus fuerit homo, necdum videlicet ſpiritali ædificio conſummato? *Moriens inſiſtendo perfectioni perfectus cenſetur.* Perfectus quippe non habet quo proficiat: & qui proficit, eo ipſo quo proficit, perfectus non eſſe convincitur. Eſt quod ſecuri de illo plena fide reſpondeamus. *V. ſerm. 48. in Cant. n. 7.* Dicemus nempe: *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa.* *Sapien. 4. 13.* Bene multa, qui univerſa complectitur. Quomodo enim non explevit omnia tempora, qui tranſiit ad æternitatem? Quanta ſane tempora non longævitate, ſed longanimitate, hoc eſt non annorum ſerie, vel dierum numero; ſed mentis devotione, & inexſtinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis non immerito vindicavit. Retinet quippe virtute, quod amiſit in tempore. Porro vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. *Perfectionis ſtudium finem neſcit.* Unde eſt illud: *Caritas numquam excidit.* & item: *Patientia pauperum non peribit in finem.* &, *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.* *1. Cor. 13. 8. Pſal. 9. 19. Pſal. 18. 10. Philip. 3. 13.* Numquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe: numquam, dicit, Satis eſt; ſed ſemper eſurit ſititque juſtitiam: ita ut ſi ſemper viveret, ſemper, quantum in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, inſtar mercenarii, ſed in æternum divino ſe mancipat famulatui. Audi denique vocem juſti: *In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas, quia in ipſis vivificaſti me.* *Pſal. 118. 93.* &

a Hæc epiſtola ſcripta eſt anno 1136. quo natum eſt Ciſtercio Alpenſe monaſterium, de quo epiſtola 142.

b Id eſt remiſſiones diſciplinæ regularis, à majoribus inductas, ut in epiſtola 91.

c Nempe ejuſmodi cellulæ paſſim exitiales ſunt obſervantiæ regulari, quæ in tam exiguo numero ſervari vix poteſt. Obedientias vocat epiſtola 400. Eiſdem verbis uſus eſt ſupra in epiſtola 250. num. 2.

d Id eſt ab eccleſia. nam & id in Ordine noſtro olim receptum, ut apud Ciſtercienſes, qui nequidem monachos alienos in eccleſias ſuas admittebant, teſte Orderico Vitali in lib. 8 pag. 714. Cartuſienſes *hoſpites tantum religioſi in chorum*, apud Guigonem in cap. 10. Statutorum. De interdicto quondam mulieribus in noſtras eccleſias ingreſſu lege Præfationem ad Sæculum primum num. 115. & ad Sæculum ſecundum num. 53.

rurſum : *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes* A *tuas in æternum*. Non igitur ad tempus. Proinde *juſtitia ejus manet*, non aliquanto tempore, ſed *in ſæculum ſæculi*. Sempiterna itaque juſti eſuries ſempiternam meretur refectionem : & licet in brevi conſummetur pro tempore, judicatur tamen expleſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate.

Pſal. 118. 3.

3. Quomodo denique temporis brevitas bonorum præjudicet perpetuæ devotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excuſare non ſufficit ? Ob hoc enim proculdubio inflexibilis & obſtinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate : ita ut, ſi num- B quam moreretur, numquam velle peccare deſineret; immo ſemper vivere vellet, ut ſemper peccare poſſet. Proinde poteſt & de iſto per contrarium itidem dici, *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa* : quod merito multorum, immo omnium temporum recceperit vicem, qui nullo tempore malam voluerit mutare intentionem *. Itaque indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.

Cur peccatum puniatur pœna æterna.

Perfectio in quo.

* *al. voluntatem.*

4. Quod ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt; profecto nolle proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt qui dicere ſolent : Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri ? O monache, non vis profi- C cere ? Non. Vis ergo deficere ? Nequaquam. Quid ergo ? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſæculo ? Et certe de homine ſpecialiter dictum eſt : *Fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Ipſe denique hominis ſæculique auctor, quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, numquam * ſtetit. Et quidem, teſte Scriptura, *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes*. Pertranſiit autem, ſicut non infructuoſe, ita non remiſſe, non pigre, non lento greſſo; ſed, quemadmodum item de ipſo ſcriptum eſt, *Exſultavit ut gigas ad currendam viam.* D Porro currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi ? Ideo Paulus aiebat : *Sic currite ut comprehendatis*. Ibi tu, Chriſtiane, fige tui curſus profectuſque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Factus eſt*, inquit, *obediens uſque ad mortem*. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Chriſtus eſt. Quod ſi illo currente tu gradum ſiſtis; non Chriſto appropias, ſed te magis elongas : timendumque tibi eſt, quod ait David : *Ecce qui elongant ſe a te, Domine, peribunt*. Itaque ſi proficere currere eſt : ubi proficere, ibi & currere deſinis : ubi vero * non currere, ibi & deficere incipis. Hinc plane E colligitur, quia nolle proficere, nonniſi deficere eſt.

In vita ſpirituali ſtare non licet V. epiſt. 385

Job 14. 2.

* *al. numquid*

Act. 10. 38

Pſal. 18. 6

1. Cor. 9. 24.

Philip. 2. 8

Pſal. 72. 27

* *al. ergo.*

5. Vidit ſcalam Jacob, & in ſcala Angelos, ubi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit; ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur univerſi : quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inveniri : ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continue aut creſcere conſtat, aut decreſcere; ſic neceſſe ſit & ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere. Intereſt tamen, quod nequaquam juxta ordinem corporalium viciſſitudinum etiam ſpiritus ſua vel incrementa capit, vel patitur detrimenta. Nam ſemper in robuſto & vegeto F corpore animus mollior atque tepidior jacet; & rurſum in corpore debili & infirmo fortior viget promptiorque ſpiritus. Quod ſe utique in ſe expertum conteſtans Apoſtolus, *Quando infirmor*, inquit, *tunc fortior ſum.* Sed & libenter gloriatur in infirmitatibus ſuis, *ut inhabitet in me*, ait, *virtus Chriſti.*

Gen. 28. 12.

Inter profectum & defectum nihil medium.

2. Cor. 12. 10

Ibid. 9.

6. Quod quidem ſic adſtruimus exemplis, ut probemus & oculis, dum in te, Pater, manifeſtum ſit nobis quod dicitur : cujus quippe etſi homo exterior corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem. Unde etenim tantus ardor innovandi Ordinis, niſi ex renovatione mentis ? Sic bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona, ſic arbor bona fructus bonos facit. Primi & puriſſimi fructus tui. Sed quænam arbor hos protulit, niſi puritas cordis ? Alioquin quando impurus animus tanto ſtudio, Regulæ inquireret eligeretque puritatem ? Nec de turbido fonte limpidus emanat rivus, nec de ſordida mente munda cogitatio. Intus eſt proculdubio, intus eſt quod delectat : & ex B illa plenitudine intrinſeca erumpit totum, quod foris exuberat; atque in mente fulget, quod ſic placet in opere.

2. Cor. 4. 16.

Matth. 12. 35.

Obſervantiæ regul. propoſitum venit ex corde puro.

7. Sequimini, filii, patrem : imitatores ejus eſtote, ſicut & ipſe Chriſti. Dicite, *In odore* [a] *unguentorum tuorum curremus* : ſiquidem bonus odor Chriſti eſt in omni loco. Nam ut taceam de vobis, qui præſentes comminus percipitis fragrantiam; tanta ad nos uſque, qui longe abiimus, ex ſtudiis ejus bonis pervenit hujus ſuaviſſimæ reſperſionis ubertas, ut nobis certiſſime fiat odor vitæ ad vitam. Puto quod & in cæleſtibus jam perſenſerint odorem ſuavitatis, & quadam ſolito feſtiviori exſultatione decantent : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit* C *per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii ?* & illud : *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Quicumque inter vos hunc in cælis jubilum non audit, invidet. Quiſquis hunc non ſentit odorem, ut omnium pace dixerim, putet.

Cant. 1. 3.

2. Cor. 2. 15.

Cant. 3. 6.

Ibidem 4. 13.

Ad Ludovicum [b] regem Francorum.

EPISTOLA CCLV.

Anno CHR. MCXXXIV.

Monet Regem, ut Concilium hoc tempore Eccleſiæ & Regno tam neceſſarium, ipſiuſque Regis honori ceſſurum, impediat.

Ludovico, Dei gratia excellentiſſimo regi Francorum, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, fidelis ſuus, ſalutem à Rege regum, & Domino dominantium, ipſi & dilectæ ejus, & filiis ejus.

1. Regna terræ & jura regnorum tunc ſane ſana ſuis dominis atque illæſa perſiſtunt, ſi divinis ordinationibus ac diſpoſitionibus non reſiſtunt. Cur, domine, iraſcitur furor tuus contra Dei electum, quem tua quoque ſublimitas ſuſcepit, & prælegit, tibi quidem in patrem, filio autem tuo etiam in Samuelem ? Armatur regia indignatio, non plane in extraneos, ſed in ſemetipſam & ſuos. Non mirum ſi, E juxta Scripturam, *Ira viri juſtitiam Dei non operatur*, quæ propriæ quoque utilitatis, ſed dignitatis, ſed ſalutis facit ſæpe ut nec manifeſtum omnibus advertas periculum, ſentias damnum. Colligitur Concilium [c]. Quid in hoc detrahitur regiæ gloriæ, regni utilitatibus ? Ibi univerſæ Eccleſiæ commendabitur ac rememorabitur excellentiæ veſtræ prompta & ſpecialis devotio, quod Regum primus, aut certe inter primos, rabiei perſequentium eamdem matrem veſtram ſtrenuiſſime & chriſtianiſſime defendendo obviaſtis. Ibi glorioſe ab ingenti illa multitudine debitæ gratiæ referentur vobis : ibi à millibus ſanctorum orabitur pro vobis & veſtris.

Jac. 1. 20.

2. Alias autem quàm ſit hoc tempore neceſſarius F conventus Epiſcoporum, nullus ignorat, niſi qui durus corde matris Eccleſiæ anguſtias non attendit. At calor, inquiunt, nimius eſt. Quaſi nos glacialia corpora habeamus. An corda nobis magis congelata ſunt, & nemo eſt qui, juxta Prophetam, compatiatur ſuper

Amos 6. 6.

a Sic cum Bernardo veteres paſſim, non *in odorem*. Neque enim Sponſa in odorem currit, ſed in odore currit ad Sponſum. Petrus Venerabilis infra in epiſtola 264 *tractus odore unguentorum morum*.

b Id eſt Groſſum, quod intelligitur tum ex codicibus mſſ. in quibus hæc epiſtola collocatur poſt epiſtolam 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ : tum ex ipſo contextu, cum dicitur *filio ſuo elegiſſe Papam in Samuelem*, quod de Innocentio II. intelligendum, qui Ludovicum Juniorem Remis unxerit anno 1131.

c Piſanum intellige anno 1134. celebratum, ad quod Rex Præſules Gallicanos accedere prohibebat obtentu caloris immodici

contritione

[illegible] hæc alias. Nunc autem ego [illegible], ſed dignitate, non fideli[illegible] o vobis [illegible] n expedit velle impedire tantum & [illegible] eſſarium bonum. Nec deſunt evidentes cauſæ, [illegible] manifeſtum facere poſſem, quas & nunc [illegible] in medium ad manum mihi eſt, niſi quod ſat [illegible] dictum ſapienti. Tamen ſi quid ex apoſtolicæ [illegible] tis rigore proceſſit, unde ſe merito eſſe turbatam celſitudinis veſtræ ſerenitas arbitretur, qualiter [illegible] ipſum revocetur, aut temperetur, prout oportet [illegible] honorem veſtrum, fideles veſtri qui aderunt *, toviribus enitentur. Inter quos nos quoque, ſi quid [illegible] us, non diſſimulabimus.

A tota [illegible] Chriſtum diligi [illegible] bis [illegible] abis [illegible] quicquid [illegible] virium, quicquid zel[illegible] ſol[illegible] udinis, quicquid aucto[illegible] ſtat s, impendes. Singulare periculum [illegible] git op[illegible] Fundamentum conc[illegible] & [illegible] imminet [illegible] ruinæ totis [illegible] viribus occur[illegible]. Et hæc propter vos [illegible] denter quidem, ſed [illegible] dicta.

4. De cetero verbum illud quod jam, ni fallor, [illegible] diſtis: quomodo videlicet in Carnotenſi [b] conventu (quonam judicio ſatis miror) me quaſi in ducem & principem militiæ elegerunt: certum ſit vobis nec con- B ſilii mei, nec voluntatis meæ fuiſſe vel eſſe: ſed nec poſſibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire uſque illuc. Quis ſum ego, ut diſponam caſtrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum a profeſſione me[illegible], etiam ſi vires ſuppeterent, etiam ſi peritia non deeſſet? Sed neque hoc meum eſt veſtram docere ſapientiam: noſtis hæc omnia. Tantum obſecro per illam caritatem, qua mihi ſpecialiter debitores eſtis, ne me humanis voluntatibus exponatis; ſed, ſicut ſingulariter vobis incumbit, divinum conſilium perquiratis; & operam detis, ut ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.

Ad dominum Papam EUGENIUM.

EPISTOLA CCLVI.

Excitat Eugenium ad ſuppetias Orientali Eccleſiæ ferendas [illegible] abjectum animum ob acceptam cladem in amiſſione civitatis Edeſſa. Miratur vero ſe Carnoti in ducem belli electum.

NOn eſt leve verbum quod ſonuit: triſte ſatis & grave eſt. Et cui triſte? Immo cui non triſte? Soli filii iræ iram non ſentiunt, nec triſtantur triſtibus, ſed lætantur & exſultant in rebus peſſimis. De cetero communis triſtitia eſt, quia communis eſt cauſa. Bene feciſtis juſtiſſimum zelum noſtræ Gallicanæ Eccleſiæ collaudando, & corroborando auctoritate litterarum veſtrarum. Non eſt (dico vobis) in cauſa tam generali & tam gravi tepide agendum, ſed ne timide quidem. Legi apud quemdam Sapientem *: Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate. Ego autem dico, fideli homini magis & inter flagella fidendum. Intraverunt aquæ uſque ad animam Chriſti, tacta eſt pupilla oculi ejus Exſerendus eſt nunc uterque [a] gladius in paſſione Domini, Chriſto denuo patiente, ubi * & altera vice paſſus eſt. Per quem autem niſi per vos? Petri uterque eſt, alter ſuo nutu, alter ſua manu, quoties neceſſe eſt, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipſo ad Petrum dictum eſt: *Converte gladium tuum in vaginam.* Ergo ſuus erat & ille, ſed non ſua manu utique educendus.

2. Tempus & opus eſſe exiſtimo ambos edoci in defenſionem Orientalis Eccleſiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale eſt hoc, principatum tenere, & miniſterium declinare? Vox clamantis: Venio Jeroſolymam iterum crucifigi *. Ad quam vocem etſi alii tepidi, alii & ſurdi ſint: ſucceſſori Petri diſſimulare non licet. Loquetur & ipſe: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego.* nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis reſarciendis operam dabit. Numquid ideo non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego vero pro tantis malis, tamquam Chriſtianus & fidelis, meliora ſperabo, & omne gaudium æſtimabo, quod in varias tentationes incidimus. Revera panem doloris comedimus, & potati ſumus vino compunctionis. Quid diffidis, amice ſponſi, quaſi non more ſuo vinum bonum ſervaverit uſque adhuc benignus & ſapicos ſponſus? Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Et certe ſic operari, ſic judicare ſuperna divinitas ſolet: ſcienti loquor. Quando magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerint mala? Nam, ut cetera taceam, nonne illud unicum & ſingulare beneficium noſtræ ſalutis præceſſit mors Salvatoris?

3. Tu ergo, amice ſponſi, amicum te in neceſſitate probato. Si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus eſt prædeceſſor, tu quoque toto corde, tota anima,

Ad EUMDEM, pro fratre Philippo.

EPISTOLA CCLVII.

Ann. Chr. MCXLVI. [c]

1. EſT negotium quod ceteris * non miſcemus, quoniam ceteris amplius tangit & angit nos, & eget ſingulari propriæ precis inſtantia. Philippus noſter cum ſe exaltavit, humiliatus eſt: ſed cum ſe humiliavit, non eſt exaltatus, quaſi utrumque pariter Dominus non dixiſſet. (Matth. 13 12.) Rigor eſt, ſed ſine diſpenſatione; judicium, ſed ſine miſericordia. Multi (quod negandum non eſt) ſic menſuraverunt: ſed nullus ita ſibi voluit menſurari. Si autem in qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis; (Matth. 7 2. Clementia zelus temperandus.) erit profecto judicium ſine miſe- D ricordia ei, qui non fecerit miſericordiam. Capax eſt veſter apoſtolatus rei utriuſque, & zeli ſcilicet, & miſerationis. Et honor quidem majeſtatis judicium diligit: ſed abſit, ut ad præjudicium manſuetudinis. Quamquam diſpenſator ille, cujus laus eſt in Evangelio, (Luc. 16 8.) elegit potius fraudem facere ſuo domino, quàm proximo non miſereri. Denique pro centum nunc quidem octoginta, nunc vero quinquaginta redhibuit. Juſte laudatus eſt, qui domino ſuo rerum maluit, quàm perſonarum jacturam facere. Et quia dignus eſt qui ſic operatur, mercede ſua; uno tali opere quos ille retinuit ſervos, iſte ſibi fecit amicos.

2. Quid facimus? Videmur intraſſe cauſam, non porrigere precem. Non expedit ita. Si pergimus iſta dicere, judicium provocamus, non miſericordiam. Nulla mihi fiducia in argumentationibus iſtis, non plus quàm in telis aranearum. Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. (Prov. 1. 17.) Novi quàm validiora valeant mihi reſponderi, præſertim à tali ingenio. Quamobrem arma mea preces pauperum ſunt, (Preces arma Bernardi.) & abundamus in genere iſto. His cedat neceſſe eſt machinis turris fortitudinis, etſi alias inexpugnabilis. Non repellet pauperum preces pauperum pater, paupertatis amator. Quinam iſti? Non ſum ſolus: & ſi ſolus, fortaſſe præſumere poſſem. Omnes filii veſtri qui mecum ſunt; & qui mecum non ſunt, mecum tamen ſunt F in hac ſupplicatione. Quis numeret eos? Solus ſane frater Philippus excipitur, qui nec poſtulat, nec petit poſtulari, & an velit, ignoro: magis, quod in ſe eſt, elegit abjectus eſſe in domo Dei ſui. Sed nec nos quidem pro homine, ſed pro Ordine poſtulamus, cui

a De duplici hoc gladio legeſis librum 4. de Conſideratione cap. 3. & ad Milites Templi cap. 2.

b De hoc conventu, qui anno 1146. coactus eſt, legendæ Petri Venerabilis & Sugerii epiſtolæ.

c Hinc colligitur hanc epiſtolam eodem tempore miſſam cum ſuperiori in gratiam Philippi, de quo hæc leguntur in catalogo Priorum Claræ-vallenſium: *Philippus, qui fuerat epiſcopus Tarentinus, & tempore ſchiſmatis degradatus*, nempe quod Anacleto adhæſiſſet, *venit ad Claram-Vallem. cui de miſericordia conceſſum eſt eſſe in officio D[illegible]ni.* Hæc iſtius epiſtolæ cauſa. *Prior erat quando obiit beatus Bernardus.*

diſpenſationem in eo factam non parum profuturam A conſulimus.

Ad EUMDEM, pro fratre Rualeno a.

EPISTOLA CCLVIII.

Ann. CHR. MCXLV

Rualenum, juſſu Pontificis Abbatem S. Anaſtaſii conſtitutum, ſed invitum admodum ac renitentem, remitti ad ſe rogat.

IN veritate comperimus, Rualenum noſtrum nedum ferre quiſcere in quo poſitus eſt, ſed nec aliquando requieturum confidimus. Quamobrem opus eſt maturato remedio non ſolum illi, ſed & mihi. Uror, B dico vobis quamdiu ille in ſcandalo eſt. Nolite mirari hoc una anima ſumus, niſi quod ego mater, ille filius. nam patris in eo ceſſi vobis & nomen, & auctoritatem. Solus qui transfundi non potuit, mihi remanſit affectus, qui me excruciat. Mater autem non poteſt oblivisci filii uteri ſui. Id me fuiſſe quis dixerit? ego adhuc eſſe ſentio. Clamat matrem pectus triſte, & continuus dolor cordis mei pro eo. Quæritis de quo querar? De me. De vobis nihil queror, ſed vobis. Ego, ego ſæva & pia mater propriis viſceribus non peperci, ut caſtificarem cor meum in obedientia caritatis. Immolavi de ſinu meo cari pignoris hoſtiam: & non in angaria, fateor, ſed in voluntate mea parui C voluntati, quæ quos vult, angariat. At ille non ita. Renitebatur, quamvis fruſtra, plane angariatus tam à me, quam a vobis. Numquid ego timere potui tanta obſtinatione ſemper reniſurum? Pii cordis eſt cedere importunitati, quæ ad id quod oportet, adduci non patitur. Alioquin invitum tenere ad quod invitus tractus eſt, durum pro illo, fructuoſum nemini eſt. Porro occupare locum, & non facere fructum, nec loco expedit, nec vos decet, nec nos. Nemo, ut ait beatus Ambroſius, invitus bene facit, etiam ſi bonum eſt quod facit: quia nihil prodeſt ſpiritus timoris, ubi non eſt ſpiritus caritatis. Obſecramus itaque per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, exhibete viſcera patris; D & infantem, dum adhuc vivit, remittite ad ubera matris, cujus fortaſſis hic totus languor eſt, quod ſit præpropere ablactatus. Melius enim vivere ſinitur, quàm dividitur. Quæ utilitas in ſanguine ejus? Unum ſcio: non patris, non matris illa vox erit: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur.* Hoc vos forte non timetis, quia non creditis proventurum. Sed ſcriptitationes & muſſitationes frequentiſſime venientes in manus noſtras, plenæ ſunt timore iſto, minitantes hominis fugam & diviſionem, vel potius diruptionem, non modo à vobis, ſed & a nobis.

Bernardi maternus affectus. Iſa. 49. 15.

Ambr. in Pſalm. Invitus nemo bene facit.

3 Reg. 3. 26.

Ad EUMDEM, unde ſupra.

EPISTOLA CCLIX.

Ann. CHR. MCXLV.

Se eadem velle, & eadem nolle cum Pontifice; adeoque Rualenum ſuum libenter ſiſtere jubenti Pontifici ad abbatiam S. Anaſtaſii.

ETſi quid aliquando volui, quod velle me noluiſtis; manſuetudinis veſtræ dignatio eo me provocat, ut quod vultis, non modo velim, ſed & avide velim. Placet vobis, ut frater Rualenus abbas ſit apud ſanctum Anaſtaſium? & mihi placuerat & ante: ſed quia nimis ille nolebat, placitum in non placitum venit. Porro veſtro beneplacito non connivente, rurſum, ut F juſtum eſt, non placitum in placitum redit. Experiri licet. Factum eſt quod præcepiſtis, non quia præcepiſtis, ſed quia voluiſtis. Ex voluntate ergo, & non quaſi ex triſtitia, vel ex neceſſitate. Exſecutio maturata man- A dati obedientiam probat: de voluntate filius interrogetur. Si contentus forem mandatum facere, nonne juxta verbum Domini ſervus inutilis eſſem, ſolvens debitum? Nunc autem quia adjeci velle; jam non ſervus, ſed filius.

Luc. 17. 10.

Ad RUALENUM abbatem.

EPISTOLA CCLX.

Ann. CHR. MCXLV.

Compatitur Rualeno in demandata ſibi præfectura, cui tandem acquieſcendum monet.

SAtis ſuperque afflixit nos abſentia tua, Rualene cariſſime: ſed longe magis comperta tua triſtitia turbati ſumus. Etenim juſtius te, quam noſtram de te deſolationem ſeu deſtitutionem plangere nobis videmur. Et deſolatio quidem non parum damnoſa, & non parum moleſta, nempe tam dulci filio, tam utili fratre, tam neceſſario adjutore. Verum quo verius iſta de tua amabilitate memoramus, affectuoſius compatimur mœrori tuo, pluris multo habentes tuum incommodum, & longe ægrius ferentes, quàm noſtrum damnum. Denique non diſſimulavimus, non quievimus, non ſiluimus, tentantes ſuper hoc Deum pæne uſque ad irritandum ſummum & ſanctum Pontificem, ut quomodocumque, vel cum noſtro periculo te revocaremus. Sed quia adhuc fruſtrati ſumus in cunctis molitionibus & conatibus noſtris; ſupernis tandem judiciis vel fatigati cedentes, & dantes potentiæ manus, quoniam quod volumus non valemus, id velle cogimur, quod poſſumus. Tu igitur, frater cariſſime & deſideratiſſime, confortare in Domino, & noli jam contra ſtimulum calcitrare: ne dum pungeris tu, plurimi qui te in Domino plurimum amant, pariter compungantur. Parce tibi & nobis, qui tui amore nec ipſi nobis pepercimus: magis autem induere fortitudine, confidens & ſciens, quia gaudium Domini fortitudo tua. Induere lætitia ſalutari, ut & nos de tua jucunditate lætantes, hilarem datorem diligenti Deo, tum pro tua pace, tum pro noſtra conſolatione laudes & gratias referamus.

Ad dominum Papam EUGENIUM.

EPISTOLA CCLXI.

Abbatem S. Urbani, ob ſuſceptum Militem Templi cenſuris ſubjectum, abſolvi petit.

UNus de Militibus Templi voluit monachari in Ordine noſtro: nec defuerunt de noſtris, qui ei in tali voluntate aſſentirent. Sed cum non auderent eum in ſuis clauſtris recipere, quoniam non licebat; E occulte eum duxerunt ad quamdam abbatiam, quæ dicitur Vallis b, mandantes & ſuggerentes Abbati, ut nigrum habitum de alio Ordine monachorum faceret ei tradi; & ſic eum reciperent, noſtrumque illi darent. Et factum eſt ita. Res nobis innotuit, & per nos delata ad Capitulum eſt. Capituli decreto frater ille foras miſſus eſt. At fratres de Templo minime hoc contenti, litteras nihilominus à veſtra majeſtate Epiſcopo Catalaunenſi attulerunt, quibus Abbatem ſancti Urbani (nam is eſt qui militi habitum tradiderat) ab introitu eccleſiæ ſuſpenderet, donec ſe veſtro conſpectui præſentaret. Inde eſt quod Abbas de Vallibus, quo rogante ille hoc fecit, nil mali ſuſpicatus, compulſus eſt in magna anxietate animi fratrem latorem præſentium mittere ad pedes miſericordiæ veſtræ, ut qui per eum intricatus eſt, per eum expediatur: ſi tamen hoc tam ipſe, quàm etiam nos alii filii veſtri, à veſtra ſancta paternitate potuerimus promereri.

a Is ex Priore Claræ-vallis poſt electionem Eugenii Pontificis creatus abbas Romæ apud S. Anaſtaſium, ut in epiſtola 245. cujus abſentiam luget in epiſtola ſua 63. Nicolaus Claræ-vallenſis, ejus præcipue ſuffragio in Claram-vallem ... illius, qui poſtea ejuſdem nomine varias epiſtolas ſcripſit ... in his 23. & 25. quæ perperam titulum loco Rualeni præferunt.

b Incertum quæ iſta abbatia, quæ erat Ordinis Ciſtercienſis, ſita vel in ipſa, vel non longe a diœceſi Catalaunenſi, ubi monaſterium S. Urbani, cujus mentio infra, quod Herchenraus Catalaunorum epiſcopus anno 865. conſtruxit, teſte Herico monacho in lib. de miraculis S. Germani Autiſſiodorenſis cap. 14.

Ad Eundem pro monachis Moſomenſibus [a].

EPISTOLA CCLXII.

NOn poſſum deeſſe * domino Remenſi in petitione ſua, præſertim cum digna ſit exauditu. Rogamus proinde, & omni inſtantia ſupplicamus pro pauperibus monachis Moſomenſibus, ut ab oppreſſione quam ſuſtinent, ſicut per latorem præſentium noſſe poteritis, citius liberentur, & ab eis injuriæ ſive calumniæ malignantium in manu veſtra valida propulſentur. Hoc enim eſt pro quo pauperes de longe miſerunt clamantes ad vos. Jam quale reſponſum à vobis oporteat reportari, doceat vos amantium tam juſtitia, quàm paupertas, & præfati viri, qui pro eis intervenit, & vos non parum diligit, reverentia.

Epiſcopo Sueſſionenſi pro abbate [b] Caziacenſi.

EPISTOLA CCLXIII.

POrrexeram preces, cum poſſem forte jubere, & me putaveram exauditum. Sed quia comperi non ita eſſe, mihi videor non jam ſimpliciter fore communiterque petendum, ſed clamandum in vociferatione. neque enim tenuiter ſeu æquanimiter fero repulſam, quam hactenus expertus non ſum. Facite itaque quod debetis, facite quod ſoletis. nam conſuetudo debitorem vos fecit. Facite, inquam, etſi non quia rogamini, certe quia jubemini. Itaque revertimini ad judicium. nec enim juſtitiæ videtur eſſe, ut vir religioſus, & amicus noſter & filius veſter, Abbas Caziacenſis, quod juris eſt monaſterii ſui perdat propter verbum incaute à ſe inconſulteque prolatum, & abſque eccleſiæ ſuæ aſſenſu. Quamquam etſi illi verbo omnino pertinaciter adhæreat adverſarius, utpote juſtitiæ non confidens; juſto, ut putamus, judicio prædicto Abbati non debebit obeſſe: cum viri illi, in quorum conniventia * res poſita eſt, non concordaſſe, ſed potius diſſenſiſſe ſciantur. Ex hoc credimus, quia non contriſtabitis nos, neque conturbabitis. Sic Deus lætificet animam veſtram, ſic vos ab omni perturbatione conſervet, Pater amande & honorande, & ſi omnibus ſervis Chriſti, ſed nobis ſpecialiter.

* ab uno

Petri Cluniac. abbatis ad Bernardum abbatem.

EPISTOLA CCLXIV.

An. Chr. MCXLIX.

Suum erga Bernardum deſiderium indicat. *& in ſolatium abſentia dilectum ſibi Nicolaum mitti obnixe poſtulat.*

Forti ac ſplendidæ monaſtici Ordinis, immo totius Eccleſiæ Dei columnæ, domino Bernardo Claræ-vallis abbati, Petrus humilis Cluniacenſis abbas, ſalutem quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

SI liceret, ſi Dei diſpoſitio non obſtaret, ſi in hominis poteſtate eſſet via ejus; maluiſſem cariſſimæ beatitudini tuæ nexu indiſſolubili adhærere, quàm principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non ſolum hominibus, ſed & Angelis ipſis cohabitatio tua? Concivem te illorum ſi dixero, licet nondum ſpes in rem tranſierit, per miſericordis Dei gratiam mendax non ero. Si plane mihi datum fuiſſet uſque ad ultimum ſpiritum tecum hic eſſe, daretur fortaſſis poſthac & ubi eſſes etiam perpetuo eſſe. Quo enim currerem niſi poſt te, tractus odore unguentorum tuorum à te? Quod quia ſemper non datur, utinam vel ſæpe daretur! Et quia nec illud eſt, utinam ſaltem frequenter videam miſſos à te! Et hoc quoque quia raro
A contingit, volo ut vel in proximo ſanctitas tua amantem ſe per ſuum Nicolaum * uſque ad Octavas Domini mecum manſurum viſitet, in quo tuus, ut mihi videtur, ex parte, & meus ex toto ſpiritus requieſcit. Videbo te, ſancte frater, in illo: audiam te per illum, & quædam, quæ ſecreto nota fieri volo ſapientiæ tuæ, mandabo per ipſum. Sanctæ animæ tuæ, ſanctiſque ſub regimine tuo omnipotenti Domino ſervientibus, me noſtroſque, quantis poſſum precibus, quanta poſſum devotione commendo.

Reſcriptum Bernardi abbatis ad eumdem.

EPISTOLA CCLXV.

Ann. Chr. MCXLIX.

Laudari detrectat, velut indignus: viciſſim tamen laudes præconi ſuo rependit.

QUid facis, ô bone vir? Laudas peccatorem, miſerum beatificas! Reſtat ut ores, ne inducar in errorem. Inducor autem, ſi tantis delectatus præconiis, ignorare me cœpero. Propemodum id mihi contigerat viſis litteris beatitudinis tuæ, & beatificationis meæ. Quam beatus nunc eſſem, ſi verbis beari poſſem! Beatum tamen me dixerim, ſed favore tuo, non meis laudibus. Beatum, quod diligor à te, quod diligo te. Quamquam & hanc mihi, dulcem licet, buccellam liquandam arbitror, nec omnino plenis (ut aiunt) buccis admittendam. Miraris cur hoc? Nempe non video in me, unde tantum diligi meruerim, præſertim à tanto. Scio autem quia plus juſto velle diligi, minus eſt à juſto. Quis mihi det tantæ humilitatis inſigne tam imitari poſſe, quam admirari? Quis mihi tribuat ſancta & deſiderata præſentia tua, non dico ſemper, non dico ſæpe, ſed vel ſemel in anno frui? Puto quia nulla vice reverterer vacuus. Non, inquam, fruſtra conſpicerem virtutis exemplar, diſciplinæ ſummam, ſpeculum ſanctitatis: quodque minus uſque adhuc à Chriſto didiciſſe me fateor, non incaſſum fide oculata perciperem, quàm ſis & tu mitis, & humilis corde. Verum ſi tibi pergo facere, quod à te mihi factum queror; etſi veritatem dicam, veritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Itaque jam reſpondeamus petitiunculæ veſtræ, qua epiſtolam concluſiſtis. Is quem mitti vobis jubetis, modo mecum non eſt, ſed cum domino Autiſiodorenſi: & ita infirmus, ut ſine nimio incommodo nec ad nos uſque poſſe adhuc venire dicatur.

Petri Venerabilis elogium.

Tob. 4. 16. Matt. 7. 12.

Ad Sugerium abbatem ſancti Dionyſii.

EPISTOLA CCLXVI.

Ann. Chr. MCLI.

Animat eum, ut mortem intrepidus excipiat. Deſiderium ſuum ejus ante mortem viſendi ſignificat.

Cariſſimo & intimo amico ſuo Sugerio, Dei gratia Abbati ſancti Dionyſii, frater Bernardus, gloriam quæ ab intus eſt, & gratiam quæ deſuper venit.

1. HOmo Dei, ne trepides exuere hominem [c] illum qui de terra eſt, illum qui te deprimit uſque ad terram, & conatur deprimere uſque ad inferos. Iſte eſt qui vexat, qui onerat, qui oppugnat. Quid tibi & terrenis exuviis, qui ad cælum iturus, ſtola gloriæ mox indui habes? Præſto eſt, ſed veſtito non dabitur: veſtire novit illa, non ſuperveſtire. Suſtine ergo patienter, immo libenter accipe nudus & non veſtitus inveniri. Denique & Deus ipſe vult veſtiri: ſed cum nudus, non cum veſtitus eſt. Homo Dei non revertetur ad Deum, niſi is qui de terra eſt, & terra eſt, in terram ierit. Hi enim duo homines ſibi invicem adverſan-

a In codice Ciſtercienſi, *pro Samſone Remenſi archiepiſcopo*. Sed perinde eſt, cum epiſtola ſcripta ſit rogatu Samſonis in gratiam monachorum Moſomenſium, quod monaſterium eſt inſigne beatæ Mariæ ad Moſam, diœceſis Remenſis, ſub Benedictina Congregatione S. Vitoni. Ceterum nihil de hoc negotio legitur in Chronico Moſomenſi, Spicilegii tomo 7.

b Simone ſcilicet, de quo epiſtola 293. Inſcripta eſt hæc epiſtola in antehac editis & quibuſdam mſſ. *Ad eumdem*, id eſt ad Eugenium. At lectionem noſtram præferunt codices Ciſtercienſes & Vallis-claræ præter alios, & quidem meo judicio rectius inſcripta eſt *Epiſcopo Sueſſionenſi* Joſleno, in cujus diœceſi Caziacum, *Chezy*, Ord. S. Benedicti ad Matronam. Forſan de Simonis hujus dejectione intelligenda eſt Petri Cellenſis lib. 2. epiſtola 14.

c Hæc epiſtola ſcripta eſt inſtante Sugerii obitu, qui accidit anno 1151. ex aliis Notis. Eum egregie laudat Robertus Herefordenſis in epiſtola 26. inter Sugerianas.

ſandum, ut proinde potentis viri ſervitium & auxilium habereti. Alioquin non eſt conſilium humilis fidelis veſtri concedi ullatenus aut terram extraneo, aut veſtri favorem dominii excommunicato & inceſtuoſo: ne (quod Deus avertat) quandoque & vos audiatis: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Nec tamen verbum præcipitanter, & quaſi ex abrupto rumpere conſuluerim. Agendum autem per fidelem & prudentem nuntium, quatenus, ſi fieri poteſt, inducietur, & tempus redimatur. Quod ſi & hoc ille renuerit, & malignari maluerit; fidendum in Domino, quia non prævalebit: quoniam quidem juſtitia, quæ cum Rege eſt, erit pro Rege. Neſcio autem an Epiſcopus [a] ad hoc conveniens, ſatiſque idoneus ſit: non quia fidelis non ſit, & quidem fideliſſimus: ſed quia odit illum, nec ſuum, ut vereor, conſilium credet ei. Ipſe tamen paratus eſt pro veſtra voluntate ad omne, quod cum Dei voluntate facere potent. Si quid eſt quod quaſi ex parte mea vobis ſecreti ſuggerat, à me hoc illud accepiſſe ſciatis. & tamquam ex ore meo id accipiatis. Homo eſt enim quem multum diligo, & ſatis credo ei: voſque illi, ni fallor, credere quod volueritis, ſecure poteſtis.

EIDEM.

An. Chr. MCLIII.

EPISTOLA CCCIV.

Gaudet valetudinem ſuam Regi eſſe curæ; Robertum Regis germanum commendat.

IN litteris, quas miſit dignatio veſtra, lætificaſtis animam meam: lætificet vos ipſe, qui in cauſa eſt, Deus. Quis ſum ego, aut quæ domus patris mei, ut de morte, vel vita mea majeſtas regia cogitet? Et nunc quia tanti habitus ſum, ut de meo eſſe ſcire curetis; ſciatis me aliquantulum convaluiſſe *, &, ut me ſentio, mortis interim ereptum periculo, debilem tamen, & debilem valde. De cetero ſcire vos volo, dominum Robertum *, germanum veſtrum, dignanter nos & devote ſatis viſitaſſe in infirmitate noſtra. Sed & ſic locutum in auribus noſtris, ut gaudium nobis & ſpem de ſe meliorem reliquerit. Diligite eum; quia ſi dictis facta compenſet, complacebit vobis in illo: &, ſi dignum judicatis, ſciat vobis placere quod noſtro & bonorum conſiliis de cetero ſe acquieturum promiſit. Sigillum non erat ad manum: ſed qui legit, agnoſcat ſtilum, quia ipſe dictavi [b].

Ad dominum Papam EUGENIUM.

An. Chr. MCLIII.

EPISTOLA CCCV.

Epiſcopum Belvacenſem à Romano itinere juſtis ex cauſis detentum. Itaque cauſam ejus Pontificis conſilio totam committit.

FIlius veſter ille Belvacenſis [c] (quem dicerem & noſtrum, niſi inſolentiam redoleret) appellatus ad veſtram præſentiam veniebat, & libens, utpote de ſua juſtitia ſecurus, & de veſtro paterno favore non dubius. Sed obſtiti ego, & vix eum potui retinere, quippe cupidum videndi faciem veſtram. Quod autem retinere volui, cum multæ occurrerent cauſæ, illud præcipuum fuit, quod de veſtra dubitavimus voluntate. Deinde præter alias incommoditates non paucas, quæ obviare viderentur, ipſe & frater ſuus Rex non ambulant in uno ſpiritu, & non erat ſatis tutum diu abſentari à ſuis. Nolo à me quæratis, cujus ſit culpa: non eſt meum inculpare quemquam. Sufficit mihi excuſare Epiſcopum. Quicquid humilitatis, quicquid obſequii pro ſua perſona potuit, vidimus exhibentem,

A & nihil proficientem. Scitote tamen, quicquid tinteæ, quicquid accidere debeat: ſine mora venturum, ubi vobis placiturum cognoverit. Perſona ejus, & cauſa ejus in manu veſtra. Nec enim in ſibi credito ita agit, vel ita converſatur, ut ſe tali indignum putet prærogativa. Itaque pro ſe direxit iſtum, ſciens quod ad Patrem dirigeret. Scire placet quid injunctum ſit ei? Nihil ex injuncto agere, ſed totum committere veſtro conſilio, de quo totus pendet ipſe. Nempe fiduciam habet, non modo judicari cauſam ſuam à vobis, ſed juvari, ſed foveri, ſed manu-teneri. Si placet eam committere domino Remenſi Archiepiſcopo, maturum poſſe ſortiri finem Domino auxiliante confidimus, ſi B tamen appellandi ſuffugium parti utrique ſubtrahatur.

Domino OSTIENSI [d] pro electione abbatis Turoldi de Tribus-fontibus.

An. Chr. MCLI.

EPISTOLA CCCVI.

Purgat ſe adverſus calumniam Hugonis epiſcopi Oſtienſis, qui promotionem Turoldi in abbatem Trium fontium indigne ferebat. nam alium ipſe, Nicolaum ſcilicet, deſignaverat. Roberti electionem in novo monaſterio abbatem excuſat.

1. VÆ mundo à ſcandalis. Ego vos ſcandalizo? Ego vobis ſcandalo ſum? Quis hoc crederet C poſſe contingere, niſi cui nota non eſſet noſtra unanimitas, noſtra mutua caritas, & quomodo in domo Dei ambulavimus cum conſenſu? Subita & dolenda mihi mutatio! Qui me portabat, nunc parat opprimere; qui me defenſabat, nunc terret minis, blaſphemiis impetit, arguit prævaricationis! Protoplaſti ſuper gravi & ſingulari peccato confeſſionem requiſiti ſunt: Ninivitæ ad pœnitentiam exſpectati ſunt: Sodomitæ non de auditu, ſed magis de viſu puniti ſunt. Mecum eo differentius, quo contemptibilius actum eſt. Non ſum reputatus qui ponerer ad rationem, qui invitarer ad ſatisfactionem, qui cauſam requirerer, qui D pro me reſpondendi facultatem acciperem. Non conventus judicatus ſum; non convictus condemnatus ſum.

2. Et nunc audite, ſi dignamini, excuſationem noſtram; & ſi forte minime ſufficientem vobis, veram tamen. Voluiſtis loco veſtri ſubſtitui fratrem Nicolaum; & ego memini, non diffiteor. Ita convenit vobis pariter & mihi: fore credidi, propter quod locutus ſum. Quod ita non eſt factum, neceſſitas fecit, non duplicitas. Res in diſcordiam verſa eſt. Quid dico, in diſcordiam? Concordia magis fuit. Tam concorditer diſcordes ab hac noſtra conniventia omnes inventi ſunt, ut nec unus quidem monachus, ſive converſus, præter duos aut tres, qui veſtrates erant, E acquieverit aſſentire. Tentavimus nihilo minus tamen in multis argumentis, nunc blandiendo, nunc terrendo, quomodo res effectum ſortiretur: ſed ut unanimiter, ita & pertinaciter obſtiterunt. Poſſemus vim facere: ſed ſic mihi parcat Deus, quomodo parcendo illi omiſimus, ne homo verecundus & puſillus corde (ut noſtis) & fugitans onus, in hoc tanto turbine remaneret. Nam præter ea quæ extrinſecus ſunt, quæ probaſtis & vos, ſupra vires ejus eſſe omnia videbantur. Itaque tollentes eum cum ſuis, impoſuimus onus, quod eo levius ferret, quo à noſtris pariter portaretur. Eſt enim locus noviter ordinatus de fratribus noſtris, & F vicinior nobis, ut poſſit à nobis facilius frequentari. De Abbatibus ad locum pertinentibus, quia aſſenſum veſtrum non tenebamus, nihil auſi, fratrem Robertum, quo nemo magis idoneus ad manum eſſe tunc viſus eſt, dare voluimus: cum reſponſum eſt nobis,

Margin notes: Matth. 18. 7. — Geneſ. 3. 5. — Jonæ 3. 10. Gen. 16. — V. epiſt. 307. num. 2. — V. epiſt. 213. 304. & 376.

a Forſan Johannes, Aletenſis ſeu S. Maclovii epiſcopus ex monacho Ord. Ciſtercienſis, ad quem plures epiſtolæ Petri Cellenſis lib. 2. epiſtolæ 15. & ſequentes.

b Id eſt *ſcripſi*, ut ex ipſis verbis intelligitur quo ſenſu etiam alibi in epiſtolis hoc verbum ſumitur, in epiſtolis 55. num. 4. 307. & 31. Differt tamen *dicto* à *ſcribo* in aliis 89. & 90. num. 1.

c Henricus, Ludovici Junioris germanus, de quo epiſtola 278. Confer epiſtolam 307. *Noſtrum* dicit Bernardus, itemque in epiſtola ſequente, *Frater veſter*. nam Henricus monachus Claræ-vallenſis fuerat, ut in vitæ lib. 4. num. 15. Vide Notas fuſiores ad epiſtolam 307.

d Hugoni, antea Trium-fontium in Campania Galliæ provincia abbati, ex epiſtolis, 273. & 274. Unde etiam cardinalis præcipuam ejus loci curam gerebat.

à veſtra diſcretione fuiſſe prohibitum. Quid plura? A Acceperunt hominem, qui veſtræ, ſicut accepimus, diſplicet ſanctitati.

3. Nec latet cauſa. Inhoneſtum (ut aiunt) publice prædicatis, & ob turpitudinis notam è priori [a] monaſterio truſum, cui ante præfuerat. Poteſt ita extitiſſe: me (quantum recordari valeo) uſque ad hoc tempus non audiſſe hujuſcemodi verbum de illo, Deum teſtor & Angelos ejus. Sed neque ipſe Archiepiſcopus [b], cum eum amovere omnimodis niteretur, tale aliquid vel ſcripto, vel nuntio nobis aliquando ſignificavit. Egone turpitudinis aſſentator * forem, aut inhoneſti? Si (* al. fautor.) ita de me ſentitis, videte ne veſtram quoque excellen- B tiam pariter involvat hoc nubilum. Quippe qui cum ejuſmodi tam notam omnibus familiaritatem atque amicitiam ſemel initam, tanto ſtudio hucuſque foviſtis. Et de Archiepiſcopo quid dicitis? quid ſentitis? an & ipſe quem talem ſciret (nec enim poterat neſcire, cum notus eſſet ex longo) prior promoveret, & in loco, cui ipſe præfuerat? Minime ego vel tenuiter ſuſpicer illud de tali viro, & tanto amatore honeſtatis. Et quidem qui promovit, ipſe & amovit: non negaverim. qua ratione hoc fecerit, viderit ipſe. Nam multis diſplicuiſſe factum cognoſcitur, nempe nec rationem, nec ordinem, nec conſuetudinem in ejus amotione cernentibus. Tantum Archiepiſcopus ſic voluit; C & ne contriſtaremus eum, noſtro hortatu iſte in pace ceſſit, & dedit locum iræ.

4. Unum dico: ex quo ad nos [c] intravit (ſicut teſtimonium habet ab omnibus) nihil in eo quod promotioni huic obviaret, compertum eſt. Sic querela converſatus eſt. Adhuc non deeſt homini litteratura congruens, non doctrina, non affabilitas, non gratia in vultu & ſermone. Sed ſuſpecta eſt vobis brevitas temporis, quod nobiſcum fuit: fateor & mihi. Fortaſſis bene faciet: fortaſſis male. Vereor omnia opera mea, & quod operor non intelligo. Unde certus non ſum, certum vos facere minime poſſum. Factum eſt; & quod factum eſt, non poteſt non fieri. Si propheta fuiſſem, D non profecto feciſſem unde amicum offenderem, ſanctum turbarem, Epiſcopum ſcandalizarem. Quid vultis ut faciam? ſic factum eſt tali neceſſitate, talique ordine.

5. Hæc excuſatio mea. Si ſufficit, tollatur de medio ſcandalum: ſi minus, ego judicium poſtem, quod & quale decreveritis. Nam ſi quod ædificavi, tam cito (Bernardi modeſtia.) iterum deſtruam, grave: niſi forte cauſa conveniens ſupervenerit. quod fortaſſe proceſſu temporis accidere poteſt. Si vultis vos amovere eum, poteſtatem habetis. Non obſiſto, non me oppono torrenti. Inique non egi. Si inſipienter videor; in promptu eſt vobis inſipientiam meam corrigere; aut, ſi hoc dignius judicatis, etiam & punire. Dico tamen, ſi pie, ſi chriſtiane E mecum agitur; corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, non in ira apud alios diffamabit. Habetis formam meam hic, niſi & hoc indignamini præſentibus litteris. Nempe comperta per alios, & non per vos veſtra indignatione, cautum habui non rependere vicem: ſed mox vobis de vobis per præſentia ſcripta conqueri. De cetero benedictus Deus, qui & hoc quod dederat, & de quo mihi forte immoderatius blandiebar, ſolatium ante exitum tulit: veſtram ſcilicet & domini mei [d] gratiam, ut vel proprio experimento diſcam, non ponere ſpem meam in homine. F

Ad Eumdem.

EPISTOLA CCCVII.

(Ann. Chr. MCLIII.)

Belvacenſem Epiſcopum contra ſiniſtros rumores tuetur. Valetudinem ſuam extreme afflictam indicat: & quod Archiepiſcopo Lugdunenſi acciderit.

1. FEſtinc iſta dicto, & ob hoc minus feſtive: ſiquidem viator tranſire feſtinans urget. Res mira, ſed magis læta. Frater G. Fulcherius cum litteris domini mei pariter & veſtris, ſimulque præſentium lator peregrinus, uno pæne momento adfuerunt. Deo ita ſi- B ne dubio providente, ut haberem per quem feſtinanter reſcriberem: quod utique cupienti mihi non poterat ſatis eſſe feſtinum. Inde eſt, quod hæc in infirmitate mea ipſe dictavi, quod non eſſet tunc alter ad manum. De domino Belvacenſi quod primum poſuiſtis, primum ita reſpondeo. Sui juris eſt: jam non eſt in mea poteſtate, ſed in civitate vita ejus & converſatio. Si ſecus quàm debet, vel decet, interdum agit, dolere poſſum; ſed emendare, prout volo, non valeo. Verumtamen quod vobis ſuggeſtum eſt de vagatione ejus, nimium extitiſſe in ea; uſque adhuc nos non comperimus, nec inde notatum apud nos quandoque audivimus. Ex quo ad eum venit frater Robertus, qui cum C eo eſt; turpe & grave aliquid perpetraſſe, aut Epiſcopo perſuaſiſſe, ad aures noſtras nondum omnino pervenit: & mirum ſi ad vos potuit pervenire, quod latere nos potuit. Dabo tamen operam facere quod vultis de revocatione ejus, ſi quando honeſte & opportune potuero. Jamque feciſſem, ſi cum pace Epiſcopi potuiſſem, & non timuiſſem inutiliorem huic ſubrogandum. In Quadrageſima venit ad nos ipſe Epiſcopus, paratus ire ad curiam cauſa cujuſdam appellationis: & veniſſet, niſi nos diſſuaſiſſemus. Porro diſſuaſionis intentio fuit, quod non ita videretur eſſe paratus, ſive in conſilio, ſive in comitatu, ut juvenis Epiſcopi perſonam decuiſſet. Propoſitum tamen ejus eſt proficiſci tempore opportu- D no. Frater veſter eſt: facite cum illo miſericordiam, ut adverſarii ejus non prævaleant adverſus eum. Vellem vos ad ipſum potius, quam ad nos ſcripſiſſe, & fraterne monuiſſe ſuper his quæ de eo audiſtis.

2. Deinde ſuper ſtatu corporis mei cognovi vos eſſe (S. Bernardi gravis infirmitas.) ſollicitum. Verum eſt quod audiſtis: infirmatus ſum [e] uſque ad mortem, ſed interim revocatus ad mortem: atque hoc (ut me ſentio) non diu. Longe enim ſum debilior quàm credi poſſit. Quod tamen dixerim abſque præjudicio divinæ providentiæ, quæ & mortuos ſuſcitare poteſt. Et in hoc ſit reſponſum non modo vobis, ſed & domino meo: cui volo & oro, ut in quantacumque devotione poteritis, accito vobis pari- E ter domino [f] Tuſculano, pleniſſimas grates referatis pro tanta dignatione, & ſollicitudine tam pia.

3. Jam de domino Lugdunenſi * audite quod verum (* Heraclio.) eſt, & quod certum ſit vobis. Vir ille aggreſſus eſt iter cum multa pecunia & honorabili comitatu, prout decebat tantum Archiepiſcopum: & ecce undique in ipſo pæne procinctu inſidiæ inimicorum. Quid faceret vir deſiderii? Progredi non licebat, & deſiſtere à propoſito ſibi gravius omni captivitate judicabat. Comites ſuos partim remiſit, partim diſperſit. Maſſa pecuniæ ſe exoneravit, modicum retinens, unde cum paucis poſſet F perficere viam. Quid plura? venit cum tribus aut quatuor miniſtris, ipſe nihilo minus in habitu miniſtran-

a Id eſt ex Fontanenſi in Anglia, cui poſt Mauricium Toroldus ſeu Turoldus *duobus annis præfuit, multa pro poteſtate agens, quædam etiam contra conſilium & voluntatem Archiepiſcopi venerabilis præſumens. Unde etiam orta inter eos ſimultate, de mandato ſancti Patris Bernardi reſignato officio Rievallem reverſus, ex quo aſſumptus fuerat*, teſte Serlone in hiſtoria Fontanenſi, tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 745.

b Eboracenſis, nomine Henricus de *Murdach*, & ipſe Anglus, & monachus antea Claræ-vallenſis, ad quem epiſtola 106. qui & ipſe fuerat abbas Fontanenſis, tum ex hac epiſtola, tum ex Notis ad epiſtolam, quæ nunc eſt 321.

c Tempore electus Rievallis acceſſerat ad Claram-vallem. Quod ſubditur de ejus litteratura, probat Serlo his verbis: *Homo in ſcripturis ſacris non mediocriter eruditus, & in liberalibus artibus ſufficienter edoctus.*

d Nempe Eugenii. Ita Innocentii II. offenſam incurrerat Bernardus vera dicens, ex epiſtola 218. adeo ſummorum hominum gratiam retinere difficile eſt, quantumvis bene merens, citra diſpendium veritatis.

e Hæc verba a Gaufrido referuntur in lib. 5. de vita Bernardi num 3.

f Ymaro ſeu Igmaro epiſcopo Tuſculano ex monacho Cluniacenſi, ad quem epiſtola 219. Litteris Giliberti Pariſienſis epiſcopi pro concordia inter Drogonem de Claciaco & monachos S. Martini de Campis ſubſcripſit Ymarus tum monachus, nempe anno 1186.

... meo, qui de utraque certius actione ... neque certificaret. Qui intrans ... omnibus diligenter explorans, testimonium omnium qui convenerant, inveni nullum Presbyterorum præter unum, fratrem ſcilicet ipſius ... Hugonem, nullum de Diaconibus præter ... phanum ſolum, ... parte illa eſſe: exceptis his, qui ... ores exſtiterant, ... ecclesiæ, Cantore, ... Diacono, & ut dicebatur Theſaurario. neque ... ipſe præſens tunc aſtuit. Porro in parte altera, ... hos inferioris ordinis, Diaconos novem, & ... ros undecim conſentire. Duodecimus, qui & Archipresbyter ..., pro neutra parte; velle ſe ſubſcribere ... ſcripſiſſe teſtabatur: quamquam priorem B ... Sigillum eccleſiæ prætatus Hugo tenebat, ... ſed partis alienæ: nec conſideravit in ... quid debuit, ſed quod voluit. Sic ſe res habet ... go ... ta præſumptione unum infero: nec ... gloriari oportet, nec ſapientiam decipi decet, ... ſuſpendi diutius expedit.

Ad EUMDEM post obitum Epiſcopi Autiſiodorenſis.

EPISTOLA CCLXXVI.

... irreligioſo Epiſcopi Autiſiodorenſis teſtamento, non ſine fraude Stephani diaconi facto, monet Pontificem: illudque ſcandali cauſa irritare debere.

1. ADhuc ſuggero aliquid, quod ante non tacuiſſem, ſi ante mihi compertum fuiſſet, ſicut nunc eſt. Adeſt homo qui peccare fecit Iſraël, ſanctum loquor Epiſcopum [c]: qui cum in morte aliquamtum ſtupidus eſſet & turbatus, iſte eum fecit mori pæne inteſtatum. Cum enim pauperibus & eccleſiis aut nihil, aut parum daret; nepoti ſuo carnali adoleſcentulo, ſæculari inutili, totum pæne quod acquieſierat menſæ epiſcopali, Stephano ſuggerente & ſollicitante, dimiſit. Aiunt ſeptem eccleſias, & decimas, & prata in propria ſilva Epiſcopi; inſuper (quod pudor eſt omni religioni) de mobilibus aureos ſuos, D & proprias equitaturas; &, cum minus illæ ſufficerent ad conficiendum iter, ut pro his firmandis ad vos veniret, juſſiſſe tradi etiam monaſterii equitaturas. Quamquam quidam exiſtimant, Epiſcopum donationes iſtas neſciſſe, ſed Stephanum feciſſe, & ſigillaſſe quæ voluit: & credendum. Nempe & anno præterito in articulo (ut putabatur) mortis poſitum, eccleſiam quamdam eidem nepoti donare fecerunt: quod donum poſtea convaleſcens, ſicut certiſſime comperimus, feciſſe ſe minime recognovit. Quis denique credat, virum ſanctum, ſpiritualem, ſi ſapuit, ſi compos ſui fuit, teſtamentum tale feciſſe? Quis vel ſæcularium iſtimus hoc E dixerit teſtamentum ſacerdotis? Hæccine diſpoſitio hominis ſobrii & ſpiritualis, illius qui omnia dijudicat, & ipſe à nemine judicatur? A quo enim, ſi ita remanſerit, ſive in cælo, ſive in terra, iſte non judicabitur?

2. Tu ergo, ſerve Dei, qui tenes gladium Petri, amputa confuſionem opprobrii à religione, ſcandalum ab Eccleſia, crimen a perſona, à ſpiritualium omnium, qui eum in ſpiritu & non carnaliter diligebant, & tuo ipſius corde amaritudinem & dolorem. Exſurge Phinees: ſta & placa, ut ſanetur quaſſatio. Sta, inquam, inflexibilis adverſus carnem & ſanguinem, quo ... ari ... curum in ... tantiæ ... hujus ... procul dubio ... abuntur. Vera pietas eſt in avunculum, ſi ... per hujuſmodi ... ſtitue ... impius ... potens.

3. Et hoc ſcitote, quod viros religioſos Decanum ſancti ... Autiſiodorenſis, & ... tam pro ..., quam pro Abbate ſancti Laurentii ob primam Autiſiodorenſis eccleſiæ electionem par... venire ad vos, par... adverſi per Comitem [d] Nivernenſem detinuit, & deterruit ne venirent. Siquidem ... nes ipſe vocatis ad ſe denuntiavit, ne ſe intromitterent, & minis graviſſimis ac manifeſtis prohibuit ... ſicut Prior ipſe a prædicto Abbate ſuo & fratre ſuo carnali, & a Decano miſſus ad nos propter hoc ipſum, confeſſus & conqueſtus eſt nobis, rogans etiam per nos hoc ipſum innoteſcere vobis. Dixi, & iterum dico: mementote quod factum eſt Nivernis. Ordinatiſſimum eſt, minus interdum ordinate aliquid fieri. Claves veſtras, qui ſanum ſapiunt, alteram in diſcretione, alteram in poteſtate conſtituunt.

Ad EUMDEM, pro Abbate Cluniacenſi.

EPISTOLA CCLXXVII.

Abbatem Cluniacenſem benevole excipi, & honorifice tractari petit.

C STultum videtur ſcribere ad vos pro domino Cluniacenſi, & ei quaſi velle patrocinium ferre, quem omnes ſibi patronum habere deſiderant. Sed ſcribo, etſi non neceſſarie illi, ſatisfaciens tamen affectui: affectui dico meo, non alterius. Ipſo enim, quia corpore non poſſum, proſequor amicum peregrinantem. Quis nos ſeparabit? nec altitudo Alpium, nec nivium frigora, nec longitudo itineris. Et nunc præſens ſum, in litteris his aſſiſtens illi. Sine me praterit eſſe nuſquam. Debitor ſum dignationi ejus, per quam dignus habitus ſum aſſimi in id gratiæ. Sed debito ipſa abſolvit gratia, quia neceſſitas in voluntatem tranſiit. Honorate virum, ut vere honorabile membrum in Chriſti corpore. Vas D eſt in honorem (ni fallor) plenum gratiæ & veritatis, refertum plurimis bonis. Remittite eum cum lætitia, quàm plurimos ſub reditu lætificaturum. Dignemini eum ampliori, ut dignum eſt, gratia, & ita ut de plenitudine ejus omnes, cum redierit, accipiamus. Sane ſi quid petierit in nomine Domini Jeſu, non debet apud vos pati difficultatem. Nam ſi neſcitis, iſte eſt qui manus ſuas extendit ad pauperes Ordinis noſtri: iſte eſt, qui de poſſeſſionibus eccleſiæ ſuæ, quantum cum pace poteſt ſuorum, libenter frequenterque largitur ad victum. In nomine Jeſu cur dixerim, audite. Si enim petierit (quod ſuſpicor vereorque) dimitti [e] à regimine monaſterii, quis illum noſcens in nomine E Jeſu petere putet? Fallor, ſi non ſolito timoratior, ſi non ſeipſo melior factus ſit, ex quo vidiſtis eum. Quamquam pæne ab introitu ſuo in multis [f] Ordinem illum melioraſſe cognoſcitur: verbi gratia, in obſervantia jejuniorum, ſilentii, indumentorum pretioſorum & curioſorum.

Ad EUMDEM, pro Epiſcopo Belvacenſi.

EPISTOLA CCLXXVIII.

PEtitiones filii veſtri Epiſcopi Belvacenſis [g] quàm dignæ ſint exauditu, non eſt quod vos doceamus: ipſæ ſatis per ſe paternis viſceribus veſtris quod di-

a Hic videtur a tumultuantibus electus: ſed tandem prævaluit electio Alani ex abbate Ripatorii Ord. Ciſtercienſis, diœceſis Trecenſis qui vitam S. Bernardi in compendium redegit. In actis Epiſcoporum Autiſiodorenſium epiſcopatus *per annum* vacaſſe dicitur. Vide epiſtolas 280. & 282. &c. V. Notas fuſiores, atque lib. 3. de Conſideratione num. 11.

b Hinc intelligitur, eccleſiam Autiſiodorenſem proprium ſigillum extunc habuiſſe præter epiſcopale.

c Hugonem, quem Bernardus ibidem Sanctum vocat in lib. 3. de Conſid. num 11. De ejus teſtamento fuſe diſſerit Horſtius in Notis. Is nepoti ſuo Præpoſituram, quæ juris erat Canonicorum, donaſſe dicitur in actis Epiſcoporum cap. 55.

d VVillelmum IV. qui patri VVillelmo in Carthuſiam ſecedenti ſucceſſit ab anno 1147. Confer epiſtolam 280. num. 3.

e Forſan cogitabat Petrus dimiſſo regimine ad S. Bernardum ſe recipere, ut quidem ipſe profitetur in epiſtola hic 264.

f Hæc omnia teſtantur præclara ejus Statuta in Bibliotheca Cluniacenſi. Confer Orderici librum 13. ad annum 1132.

g Henricus, qui germanus erat Ludovici Junioris, poſt archiepiſcopus Remenſis. Confer epiſtolas 269. 305. & 307. Eum à Ludovico patre divinis ſervitiis mancipatum Honorius II. in ſuam tutelam ſuſcepit, teſte ejus epiſtola in Spicilegii tomo 3. pag. 150. ubi alia ſuccedit Ludovici regis ad Legatum apoſtolicum, de concedenda eidem Henrico præbenda in eccleſia Pontiſarenſi. Abbas fuit B. Mariæ Stampenſis, necnon archidiaconus Aurelianenſis, ex Chartario S. Martini de Campis.

Margin notes: Clave Ecc... ; Ann. CHR. MCXLVI ... ; Amor Bernardi erga Petrum Cluniacensem ; Testamen... Episco... ; In nomine Jesu petere ; Ann. CHR. MCL. ; ... Phinees ...

gnum & juſtum eſt, facile perſuadebunt. Agimus tamen. Fovendus eſt devotus juvenis favore paterno: & zelus bonus, quem pro ſua Eccleſia gerit, non modo approbandus, ſed & juvandus. Sic ſeipſo in dies devotior, ferventior, fortior fiet cum vexationes & tribulationes, quæ nunquam deſunt illi eccleſiæ [a] a malis hominibus, manu indeficientis auxilii veſtri ſibi ſenſerit e regione levari. Petitionem fratris Arnulfi *de Maiole* petimus exaudiri. Magiſter G. (hoc nomen nunno) dicet eam vobis. Sed & quod petit Abbatiſſa [b] de Paraclito, per ipſum, ſi dignamini, ſcire poteſtis; & facere, ſi dignum judicatis.

Ad Henricum [c] Comitem.

EPISTOLA CCLXXIX.

Ann. [illegible] M. [illegible] LI.

Comitem ob injuriam, a ſubditis ejus illatam, de reſtitutione in integrum compellat.

Abbas de Caſtellione [d], vir religioſus, Romam proficiſcens, in Dei & noſtri cuſtodia ſua omnia dereliquit: & ecce miniſteriales Simonis, homines *de Bi fort*, abſtulerunt porcos eorum. Maluiſſem, dico vobis, ut noſtros proprios rapuiſſent. A vobis requirimus illos. Ad hoc te conſtituit principem ſuper terram Princeps regum terræ, ut ſub eo & pro eo bonos foveas, malos coerceas, pauperes defendas, facias judicium injuriam patientibus. Si hæc facis, opus Principis facis: & ſpes eſt ut tuum Deus dilatare & roborare debeat principatum. Si non, timendum eſt tibi, ne hoc ipſum quod videris habere honoris & poteſtatis, auferatur (quod abſit) a te.

Principis officium.

Ad dominum Papam Eugenium, pro Antiſiodorenſi negotio.

EPISTOLA CCLXXX.

Circ. ann. M. C. LII. V. [illegible] 71 & 282.

Queritur ſententiam apoſtolicam in cauſa electionis Antiſiodorenſis, a ſe juſſu Pontificis denuntiatam, contemni.

1. Bene facitis, frequenti & benigno exauditu tempus breve, quo hic ſum, ſolando tædentem, puſillanimem erigendo. Facitis, etſi non quod mereor ipſe, certe quod vos decet. Non quod ad uſum propriæ voluntatis tanta abuti benignitate delecter; paratus, teſte conſcientia, tam æquo accipere animo quod negare, quam quod præſtare placuerit. Volo mihi geri morem, ſicut & omnis homo; ſed non quod juſtitiæ obviet, quod veritati præjudicet, quod veſtræ denique diſpliceat voluntati. Hoc pro eo, ne me ſuſpicemini aut non advertere beneficium, aut ingratum eſſe. Nunc quod res poſtulat, audiat ſanctitas veſtra. Cum in me itur, levis jactura eſt, & quæ levari facili queat reſarciri. Ego plagis conſcientiæ meæ nullum judico accommodatius medicamentum probris & contumeliis. Non eſt proinde quod pro me movear, homuncio omni opprobrio dignus & deſpectione. At ſi uſque in Chriſtum Domini malignatio forte pervenerit, nutat fateor patientia, & omnis pæne cedit

Bernardus non ſibi vult concedi præter æquum.

Probra contumelia[illegible] me dela[illegible].

manſuetudo. Numquid petivi à domino meo ordinari per me eccleſias, diſponi epiſcopatus, creari epiſcopos? Aptum videlicet inſtrumentum, formica plauſtrum trahens. Voluiſti hominem promoveri; digne ſane, ni fallor: in quem nimirum quid dicant, non inveniunt, ne hi quidem qui contra volunt.

Humilitas Bernardi.

2. Innotuit quibus oportuit myſterium bonæ voluntatis. Et myſterium quidem publicatum eſt, fructu vero uſque adhuc & utilitate fraudamur. Quæritis qui fecit hoc? Homo pacis veſtræ, in quo ſperabatis. Homo, cui odio religio, cui oneri ſapientia, cui terrori juſtitia eſt: qui domini ſui non eſt veritus ſecretum prodere, evacuare decretum. Nec mirum qui ſe talem aperire non eſt confuſus: qui dum proprio concedit livori, etiam veſtræ reverentiæ non pepercit. Confuſus ſum ego: ſed quæ cura? Non recuſo confuſionem, quam mihi obedientiæ zelus invexit. A me quidem non tranſiit calix iſte: ſed per me plane uſque ad vos pertranſiit. In ſuggillatione, ne dicam depravatione datæ ſententiæ, cui clarum non ſit auctorem tangi potius, quam denuntiatorem? Cujus non potuit infamari perſona, debuitne infirmari [e] promotio? Unum eſt e duobus; aut ſtabit ſermo, quem à vobis egreſſum teſtati ſumus; aut nos mendaces reputabimur, ſicut jam reputamur. Sed melius veſtroque dignius apoſtolatu, non gloriabitur in malitia qui potens fuit in iniquitate.

3. Obeditum tamen mandato ex parte eſt, & parte majori. Tribus commiſſum erat; uno contemnente, duobus conſentientibus, quid reſtat, niſi ut vox veſtra ſuppleat quod minus eſt? Et quidem tute hoc. Non eſt quod timeatis à ſcandalo illorum de quibus Dominus dicit: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Quod reliquum eſt, lætabitur populus, lætabitur ſanior pars cleri, etiam ipſe lætabitur rex; lætabitur denique omnis eccleſia ſanctorum. Multa bona opera oſtendiſtis ſæculo noſtro ex gratia quæ data eſt vobis: at nullum, ut arbitror, quod magis pro gloria veſtra faciat, quàm ſi ſic feceritis. Teſtimonium perhibeo eis, quod multos de religione nominaverint, non religione delectati, ſed impotentia, qui non poſſint malignitatem eorum coercere, qui vi vim repellere non ſufficiunt: ut quorum ſanctitatem non amant, non ſit quod timeant poteſtatem. Comes [f] Nivernenſis vias patris non ambulat: adverſatur tum huic, tum omni bono. Incubat terris boniſque eccleſiarum, ſicut leo paratus ad prædam. Paratus eſt recipere etiam Saracenum, aut quempiam ex Judæis, ut iſto careat, quod ſolus ſibi videatur, qui malitiæ & calliditati ejus reſiſtere & norit, & poſſit. Inde eſt quod nonnullis clericorum minis & manifeſtis gravaminibus, ut nobis ipſi confeſſi ſunt, ſilentium impoſuit, ne pars adverſa de multitudine glorietur.

Matth. 15. 14.

4. Et, ut breviter quod ſentio exprimam, ſi judicatur operæ pretium in illo epiſcopatu monaſteria pauperari, eccleſias conculcari, religioni illudi, ipſam epiſcopalem ſedem, cujus præcipue facultatibus & poſſeſſionibus inhiat, in ſervitutem redigi; Regniacenſis regnare nullatenus permittatur. Ubi eſt etiam nunc ſpiritus ille, quem habuiſtis in negotio Eboracenſi?

a Id patet tum ex duabus Anſelmi epiſtolis ad Urbanum II. quæ ſunt lib. 2. epiſtolæ 33. & 34. tum ex epiſtola Ivonis, de qua Horſtius in aliis Notis.

b Heloiſſa, quam alii Helevidem vocant, quo nomine duas ipſi epiſtolas ſcripſit Hugo Me[illegible]lius, *Helvvidi venerabili abbatiſſæ Paracliti Fœminarum [illegible] um vos exceſſiſſe fama nobis notificavit. Quomodo dictando, verſi[illegible]cando, & (quod exce[illegible] entius omnibus eſt hoc) muliebrem mollit[illegible] ex operaſti &c.* Eam [illegible] liquando inviſit, & exhortatione ſua di[illegible] Be[illegible]dus, teſte Abæ[illegible]rdo in epiſtola 5. De ea plura in Ho[illegible], ubi de monaſt[illegible] in Paracliti diœceſis Trecenſis.

c [illegible] Theobaldi Magni Campaniæ Comitis, cujus in di[illegible] anno 1151.

d B[illegible], ad quem epiſtola 411. Epiſcopus dein Noviomenſis [illegible] epiſtola 402. Caſtellionenſis abbatia, de qua hic [illegible] canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini [illegible] diœceſis Lingonenſis, ubi litteratum p[illegible] ma elementa [illegible] Bernardus, & quam ex ſeculari regularem fecit, ex V[illegible] Caſtellio Neuſtriæ, ut quidam perperam volunt. Caſtellio quippe, cujus abbas iſte Balduinus erat, parum diſtabat à Clara-valle. ſiquidem abbas, Romam profecturus, res ſuas Bernardo commendavit. Ad hæc locus *Belfort* ſeu *Beaufort*, qui non longe à Caſtellione aberat ex contextu epiſtolæ, ſitus eſt ad amnem Vigoram, *la Voire*, qui in Albam influit inter Claram-vallem & Barrum oppidum. Denique in vetuſtis Caſtellionis Lingonenſis chartis, uti & in vulgato abbatum indice, Balduinus abbas ſecundus poſt Aldonem abbatem primum recenſetur.

e An hoc de Alano intelligendum, an de aliquo alio, quo rejecto electus ſit Alanus? Et fortaſſe is erat *Regniacenſis* ille, de quo infra num. 4. id eſt ex Regniaco vico diœceſis Autiſiodorenſis, *Regny*, ubi abbatia Ord. Ciſtercienſis: cum Alanus Belga eſſet Inſulis, aut prope Inſulas oriundus, ex aliis Notis.

f Guillelmus IV. de quo epiſtola 276. quem tamen multa multis eccleſiis beneficia contuliſſe legimus. nam Vezeliacenſi monaſterio bona, quæ pater ſuus abſtulerat, reſtituit: Pontiniacenſi latifundia dono dedit, &, ut alia miſſa faciamus, etiam gratificatus eſt abbatiæ S. Germani apud Autiſiodorum, ubi tumulum habes in Capitulo, tametſi in cœmeterio ſepulturam elegiſſet.

cenſi?

... ? Non ſentiet illum, qui ſimile opus tentaverit? Ecce is (ſicut accepimus) in ſpiritu illius venit, qui curiam adverſum vos concitavit; ſi licuerit, moliturus idipſum. De negotio domini Lundenſis * reducimus vobis ad memoriam. Cauſa dilationis ſublata de medio, non eſt niſi ut fiat quod faciendum erat. Et hoc addiderim: habere bonum, juſtum, & bonæ famæ Cancellarium [a], apoſtolicæ dignitatis non modica pars eſt, apoſtolicæ adminiſtrationis non parvum adminiculum eſt, apoſtolicæ conſcientiæ non mediocris cuſtodia eſt. Semper quidem notabilis conſtitutio pernicioſa: at poſt longam deliberationem, etiam turpis.

Abbati Brunoni de Caravalle [b].

EPISTOLA CCLXXXI.

Brunonem perturbate & imprudenter ſcribentem redarguit.

Rectène iraſceris tu modo? Non, ut opinor. Convincunt te ſermones tui, non diſpoſiti in judicio, ſed præcipitati in perturbatione. Nam judicium quidem tale eſt: Meliora ſunt verbera amici, quàm oſcula inimici. At ego ſine cauſa vapulo, inquis. Eſto: nihilominus tamen verbera verborum noſtrorum amicabilem curam ſonant. Parum dixi: paternam loquuntur ſollicitudinem. Itaque ſi culpam non habes, nihil te C læſimus, propria excuſatum conſcientia: ſi habes, tibi potius iraſcendum, quàm mihi fuerat. Quereris quod tibi non credidi, quaſi tu mihi inde aliquid locutus fueris. Eſto: credidi querenti de te. Tibi quomodo aut credere potui, aut decredere, qui dixeras nihil? Fac quod locutus es. Solve quod debes, quàm ante * poteris, ne forte non modo inter nos, ſed & de nobis ſcandalum oriatur. De nobis autem bene ſenti, bene de te ſentientibus, & non decredentibus tibi, ſicut perturbate loqueris, neſciens quid loquaris. Mea ſunt verba, meum loquuntur affectum.

* quam cito.

Ad Ludovicum regem Francorum Juniorem, pro D electione Autiſiodorenſi.

EPISTOLA CCLXXXII.

Ann. Chr. MCLII

Hortatur Regem, ne electo Autiſiodorenſi Epiſcopo obſiſtat.

1. Volui ego umquam in aliquo imminui honòrem Regis, dignitatem regni? Deus ſcit, nec veſtra (ut confido) conſcientia id vobis reſpondet. Videte ne illi magis contra vos faciant, qui electiones diſturbant, ne ſint in eccleſiis qui ſerviant Regi, ſed ipſis de eccleſiarum redditibus ſerviatur. Ego, ego electioni Autiſiodorenſi interfui. Concors fuit, quia clerici qui antehac in partes diſſilierant, ſine contra- E dictione nunc tandem Deo miſerante convenerunt. Electum bene novimus: teſtimonium ei perhibemus, quoniam bonus eſt. Neminem prorſus arbitror affuiſſe illi celebritati, qui de aſſenſu veſtro dubitaret, cum jam idem aſſenſus veſtris litteris teneretur. Quis enim hoc vel cogitare poſſet repetendum alterum aſſenſum, nec ſufficere unum, præſertim ubi nulla extunc intervenit altera electio? Numquid quoties diſſenſerint clerici, toties erit requirendus favor Regis? Nec ratio, nec conſuetudo hoc habet. Denique nuper, ſi recordamini, in Sueſſionenſi eccleſia quoties ad eligendum clerici convenerunt, quoties diſſenſerunt, & F infecto negotio diſceſſerunt? nec tamen exiſtimo toties repetiſſe aſſenſum veſtrum, quem ſemel promeruerant.

A 2. Ita eſt, domine mi Rex: non eſt quod debeatis reprobare factas electiones, quibus ut fierent, ſemel vos aſſenſiſſe conſtiterit. Sed ſunt aliqui qui vos conturbant, & conturbare nituntur eccleſias, ſua lucra ſectantes: quodque gravius eſt, ſummi Pontificis, & sereniſſimi Regis mutuam gratiam & amorem diabolico ſtudio dirumpere molientes. Abſit hoc; judicium portabunt quicumque ſunt illi, & Rex ſemper faciet quod bonus Rex, ſicut hactenus fecit. Itaque cito mandentur jucundiora, ne diutius ſedeat in triſtitia eccleſia, tamdiu jam vexata & afflicta. De perſona nulla ſubeat ſuſpicio: aut ego nimium fallor, aut fidelis erit, & Regi beneplacitum ſuper ea. Confido in Domino, B quia non contriſtabitis multitudinem ſanctorum, qui ſunt in illo epiſcopatu, nec me ſervum veſtrum: qui, ut verum fatear, nihil æque umquam à vobis moleſtum pertuli, quam ſi in hoc conſilio (quod non eveniat) perſtiteritis.

Ad dominum Papam Eugenium, pro Fratribus [c] de Miratorio.

EPISTOLA CCLXXXIII.

Ann. Chr. MCL.

In compoſitione quadam litis fruſtra laboratum: adeoque auctoritate apoſtolica opus eſſe.

C Apud Cluniacum occurrimus Gigniacenſibus ſpe pacis: pro qua laboratum multum, elaboratum nihil. Nam totum quatriduanum laborem noſtrum ſola demum ſecuta eſt ruina ſpei. Repetita eſt, juxta tenorem litterarum veſtrarum, damnorum reſarcitio, reſtitutio ablatorum: ſed incaſſum. Multum viſum eſt ad eos, quia nocuerant multum: quippe ultra triginta millia ſolidorum computatio facta eſt amiſſorum, ſiquidem abbatia una (ne per ſingula evagemur) tota deſtructa eſt. Ceterum de tantis amiſſis multa dimittere parati fuimus, cum illi tam minimum obtulerint, ut venerabilis Abbas Cluniacenſis, qui affectuoſius quàm efficacius pro reformanda pace labora- D bat, nec dignum relatu judicaret. Itaque non provenit compoſitio, quia reparatio tam ridicula offerebatur. Dicebant autem: Quidam maligni de noſtris totum malum fecerunt. Quid ad nos? ipſi viderint. Atque id quoque ridiculum. Clarum erat in tota regione, per homines eccleſiæ hoc grande facinus perpetratum; monachos quoque affuiſſe quoſdam, conſenſiſſe omnes. Nam qui contradiceret malefactoribus, ne unum quidem fuiſſe uſque ad hoc tempus audivimus. Denique ipſe domnus Abbas iſtiuſmodi tergiverſatores palam refellebat & convincebat, aſſirmans juſte ab eccleſia repeti, quod per eccleſiam amiſſum eſſe conſtabat. Ultima exſpectatur manus veſtra in eo, E quod non niſi in manu valida poſſe emendari ſatis ſuperque probatum eſt.

Ad dominum Papam Eugenium, pro Remenſi Archiepiſcopo, & aliis perſonis.

EPISTOLA CCLXXXIV.

Circ. ann. MCLI

* Samſon.

Dominus * Remenſis Archiepiſcopus verſatur in domo magni Patrisfamilias, tamquam vas in honorem. Si hoc ſcitis, ſervate honorem ejus, honorem eccleſiæ ejus. Si bene novi virum, quo magis honorabitis eum, eo plus honorabitur Deus per illum, F & in illo. Dominus Attrebatenſis [d], homo ſimplex & rectus, & adhuc permanens in humilitate ſua, non eſt opus, ut per alium plus humilietur, ne perdat auctoritatem, ac per hoc & utilitatem. Hanc, ſi dignum

a Forte poſt mortem Guidonis cancellarii, ad quem epiſtola 367.

b Priores editi *Clara-valle*: at *Cara-valle* præferunt melioris notæ codices, quibus domeſtica Caræ-vallis inſtrumenta ſuffragantur. Eſt autem Cara-vallis inſignis abbatia Ciſtercienſium prope Mediolanum; de qua ſuperius ad epiſtolam 134.

c In quibuſdam ſcriptis abſolute, *pro Fratribus*; in editis, *pro Gigniacenſibus*, id eſt contra monachos Gigniacenſes Ord. S. Benedicti in Comitatu Burgundiæ diœceſis Lugdunenſis, qui Miratorium Ciſtercienſium ſubverterant ob decimas, ut docent aliæ Notæ.

d Godeſcalcus, de quo in epiſtolis 214. & 253. Alviſo cujus mentio in epiſtolis 65. & 395. ſucceſſit anno 1150. Cauſa de qua hic agitur, videtur eſſe cum Guetrico abbate S. Vedaſti, cui ſcripſit Eugenius, ut Godeſcalco *obedientiam manu promitteret de his, quæ ab eccleſia Atrebatenſi poſſidebat*, ut legimus in litteris miſſ.

ducitis, date ei vos, quia ſuo ſtudio numquam habebit: utpote ſui magis, quod in ſe eſt, mediocritate contentus. Eſt qui adverſatur & extollitur: is plane ut humilietur Epiſcopo opus eſt, & eidem ipſi non minus. Superbis reſiſtere, & humilibus dare gratiam, familiare eſt Domino veſtro, & audiſtis eum dicentem:
Johan 12. 26 *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Abbas de *Autecurt* [a] bonus homo eſt; ſecundum bonitatem ſuam reſpondeatur ei. Exaudiatur pro neceſſitatibus ſuis, & contra eum non audiatur apoſtata. Betunienſis * Decanus voluntate Epiſcopi, & aſſenſu advocati, bonam rem pro eccleſia ſua in eccleſia eadem conſtituit: bonum eſt, ut veſtra auctoritate firmetur. Similiter & pro Decanis Sueſſionenſi & Cameracenſi rogamus, ut dignæ preces eorum exaudiantur. Periclitati ſumus in falſis fratribus *, & multæ litteræ falſatæ ſub falſato ſigillo noſtro in manus multorum exierunt: & (quod magis vereor) etiam uſque ad vos dicitur falſitas pervolaſſe. Hac neceſſitate abjecto illo, novello quod cernitis de novo utimur, continente & imaginem noſtram [b], & nomen. Figuram aliam tamquam ex noſtra parte jam non recipiatis, niſi forte pro Epiſcopo Claromontis, cui ſub altero ſigillo litteras dedi, cum necdum iſtud haberem.

* de Bethunia Belgio.
* V. epiſt. 191.

Ad EUNDEM, pro Odone [c] abbate S. Dionyſii.

EPISTOLA CCLXXXV.

Circ. ann. MCLIII.

Abbatem S. Dionyſii Odonem commendat, & adverſus ſuſpectas aliorum criminationes, ex invidia & ambitione natas, tuetur.

1. PRo eccleſia ſancti Dionyſii, & pro perſona Odonis abbatis, etſi nemo alius ſcriberet, ego ſcribere non dubitarem. Cauſa bona eſt, & neutra ex parte nutans: eccleſia nobilis, & Abbas boni teſtimonii eſt. Illud orbi; hoc nobis, qui vicini ſumus, notiſſimum eſt. Ad hæc & is, & illa ſpecialis res veſtra eſt. Pro his omnibus vel ſolus (ut dixi) ſi opus ſit, ſcribere non confundor. Nunc vero tales mecum ſcribunt, quibus minime decredetur, etiam me non ſcribente. Ipſi ſunt, quorum manus ſatis ſuperque tractaverunt de verbo hoc. Ecce hi ſciunt quid fecerit Abbas; & quod ſciunt, loquuntur. Secure prodeunt porrectæ a nobis preces pro eo, tam indubitatis fultæ teſtimoniis. Securus veſtram ſollicitudinem pro veſtra ipſius proprietate ſollicito & compello, nempe invaſa nequiter, vexata atrociter. Rogo, obſecro, levate manum, extendite brachium, opponite ſcutum. Gladius Petri defendat patrimonium Petri.

2. Fruſtra quidam inſurrexerunt in hominem, quem fama publica ſatis excuſat, immo celebris commendat opinio. Boni videlicet filii, qui patris verecunda tam curioſe ſcrutati ſunt, neſcio quæ incomperta omnibus crimina ſomniantes *. Stupent qui audiunt ad ſubitam & inopinatam criminationem. Erubeſcunt, quia numquam dictus fuerat ſermo hujuſcemodi de Odone. Sancti Dionyſii Abbas nequaquam ſub modio latet. Super candelabrum ſtat: ut, etſi velit, non poſſit diſſimulare quod eſt. Et lumen ejus, ut fumus ejus, ab omnibus videatur neceſſe eſt. Numquid iſti lynceos in eum oculos intenderunt, videntes quæ nemo adhuc videre alius potuit? Suſpecta, fateor, mihi horum delatio eſt. Magis autem incredibilem reddit unus illorum, nomine Raymundus, qui (ut aiunt) caput eſt hujus attentatæ malitiæ, homo (ut comperi) palam loquax, clam ſuſurro; anxie ambitioſus, adulatorie blandus; totus compoſitus ad fallendum, ad perturbandum non minus. Notavi ſub pelle ovina lupum, ac certis deſignavi indiciis, quo jam aut mordere non audeat, aut nocere non valeat.

* V. epiſt. ſequentem.

Ad EUNDEM, pro eodem.

EPISTOLA CCLXXXVI.

Ann. Chr. MCLIII.

SI ſuſurrationes & ſubreptiones prævaluerint adverſus Abbatem ſancti Dionyſii, mundus ego ſum à ſanguine ejus, qui ſcripſi en alia vice adverſus malignantes. Verumtamen quam accuſationem afferunt adverſus hominem illum? An quod non inveniunt quod accuſent? Et quomodo ſi recte iſti eum accuſant, excuſatur à vicinis omnibus qui recto ſunt corde? Accuſatur quod debita multa fecerit, impignoraverit terras, dilapidaverit bona. Quaſi hæc vel neceſſariis, vel juſtis ex cauſis non potuerint contigiſſe. Mandavit nobis de his univerſis conventus illius eccleſiæ, & per fidelem perſonam teſtatus eſt aliter, quàm vobis dicta ſunt, ſe habere. Verumtamen inquiratur. nam certius de his oculus, quàm juramentum fidem faciet: & ſi inventa fuerint quemadmodum iſti malitioſe componunt; quoquo modo acciderint, Abbas non excuſetur. Si non fuerint; delatores nihil de falſitate lucrentur. Inſimulant eum de morte [d] hominis: ſi ſe purgare non poteſt, moriatur. Quamquam quis non videat, nec veri ſimile eſſe, ut quem paulo ante de morte eripuerat, in mortem tradiderit? Qua fronte hæc audent inſuſurrare vobis, qui viderunt & cognoverunt zelum Abbatis in liberatione illorum, qui prius homicidium perpetraverant, & in ultione eorum, qui ſanguinem proximi ulti erant? Poſtremo ſi bene noſſetis iſtos, poſſet profecto ſufficere ad decredendum quicquid non accipitis niſi per eos. Adſit Deus ſanctæ menti veſtræ, ne quid illi lingua doloſa adverſus innocentiam ſubripere poſſit.

Domino OSTIENSI *, pro eodem Abbate.

EPISTOLA CCLXXXVII.

* Hugoni, V. epiſt. 271, 276, 290, 296, 306.

Ann. Chr. MCLIII.

DOminus Abbas ſancti Dionyſii accuſatur ab iniquis hominibus: ſed à bonis omnibus, qui in eccleſia & in circuitu ejus ſunt, excuſatur. Pro quo tanto affectuoſius rogamus caritatem veſtram, quanto meliorem de eo & habuimus, & habemus æſtimationem. Stet pro eo veſtra benignitas, & ſi non quia amicus noſter eſt, certe quia nec vera ſunt, nec veri ſimilia, quæ imponuntur ei. Si gravatus eſt debitis, cauſa evidens fuit temporis ipſius. quamquam fere nulla ſint debita. Ad id quod impoſitum eſt de terrarum diſtractione, evidens falſitas comprobatur. Nam de morte G. ne ipſos quoque adverſarios reor eum potuiſſe habere ſuſpectum, quippe qui eumdem G. & ſuos omnes concluſos ab hoſtibus, ab ipſo mortis articulo, multo quidem labore eripuit. Pro his omnibus, maximeque pro Raymundi non incognita nobis verſutia, attentius rogamus, ut Abbatis innocentiam veſtra ſollicitudo tueatur.

a Indubie *Ancourt*, quæ abbatia eſt Canonicorum regularium S. Auguſtini prope Bapalmas, *Auulficurtis* & *Auulficurtis* dicta in veteribus monumentis, modo *Aqua-curtum*.

b Hinc patet non uſquequaque verum eſſe quod ait Guillelmus, ejus nominis tertius abbas Ciſtercienſis, in epiſtola hic edita ad Theobaldum Campaniæ Comitem, nempe falſum eſſe Sigillum Abbatis de Buxeio, recens tunc repertum, in quo nomen Abbatis impreſſum erat: aſſerens in nullo Sigillo Ordinis proprium nomen abbatis umquam impreſſum fuiſſe. Certe in charta Bernardi ipſius pro compoſitione litis inter monaſteria S. Genovefæ & S. Victoris, appenſum eſt Bernardi ſigillum cum ejus nomine & effigie, librum dextra, pedum ſiniſtra tenente.

c Odo ex monacho S. Dionyſii prope Pariſios abbas S. Cornelii apud Compendium, dein Sugerio abbati Dionyſiano ſuffectus anno 1151. De ejus ordinatione & laudibus vide Sugerianas epiſtolas 156 & ſequentes, maxime 162. quæ eſt Balduini epiſcopi Noviomenſis, qui Odonem *virum religioſum & ſtrenuum*, catholice electum, & a ſe benedictum dicit Eugenio ſcribens. Confer alias Notas.

d G. nomen deſignatur in epiſtola ſequente. Ex conſanguineis Sugerii fuiſſe colligere licet ex fuſioribus Notis ad epiſtolam 285.

Ad ANDREAM avunculum ſuum, militem Templi.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

Circa MCLII.

Infelicem exitum ſacræ expeditionis dolet; avunculi adventum optat.

1. Litteræ tuæ, quas noviſſime tranſmiſiſti, invenerunt me in lectulo decumbentem. Accepi eas obviis manibus; libenter legi, libenter relegi, ſed libentius te vidiſſem. Legi in illis deſiderium tuum videndi me, legi & metum tuum pro periculo terræ, quam Dominus ſua præſentia honoravit; periculo civitatis, quam ſuo ſanguine dedicavit. Væ Principibus noſtris. In terra Domini nihil boni fecerunt *: in ſuis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Potentes ſunt ut faciant mala, bonum autem facere nequeunt *. Confidimus autem, quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet. Porro dextera Domini faciet virtutem, & brachium ſuum auxiliabitur ei: ut cognoſcant omnes, quia bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. Bene facis formicæ te comparans. Quid enim aliud quàm formicæ quique terrigenæ & filii hominum ſumus, rebus inutilibus atque inanibus inſudantes? Quæ autem abundantia homini de univerſo labore ſuo, quo ipſe laborat ſub ſole? Ergo aſcendamus ſuper ſolem, & converſatio noſtra in cælis ſit, jam mente præcedentes, quo ſumus & corpore ſecuturi. Ibi, mi Andrea, ibi fructus laboris tui; ibi retributio tua. Sub ſole militas, ſed ſedenti ſuper ſolem. Hic militantes, inde donativa exſpectemus. Merces militiæ noſtræ non de terra, non de deorſum eſt: procul & ab ultimis finibus pretium ejus. Sub ſole penuria eſt: ſuper ſolem abundantia eſt. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus noſtros.

2. Deſideras me videre; & de meo, ut ſcribis, arbitrio deſiderii tui pendet effectus. Nam mandatum ſuper hoc meum te indicas exſpectare. Et quid dicam tibi? Et cupio ut venias, & timeo ne venias. Ita inter velle & nolle poſitus, coarctor è duobus; & quid eligam, ignoro. Unum, ne videlicet tuo ſatisfaciam deſiderio, & meo pariter: an credam magis celebri de te opinioni, qua terræ ita pernéceſſarius prædicaris, ut de tua abſentia non mediocris illi deſolatio imminere credatur. Itaque quod mandare non audeo, opto tamen ut te videam antequam moriar. Tu melius id videre & cognoſcere potes, ſi quo modo ſine damno, & ſine ſcandalo illius gentis venire poſſis. Et fieri poſſet, quod adventus tuus omnino non eſſet inutilis. Forte favente Deo non deeſſent qui te ſequerentur revertentem ad ſubveniendum Eccleſiæ Dei, quoniam omnibus notus es & dilectus. Poteſt facere Deus, ut & tu cum ſancto patriarcha Jacob loquaris: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & ecce cum tribus turmis regredior.* Unum dico: ſi venturus es, ne tardaveris, ne forte venias, & non me invenias. Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere ſuper terram. Quis mihi tribuat tua, in voluntate Domini, amabili & dulci præſentia vel paululum refrigerari, priuſquam abeam? Reginæ ſcripſi *, ſicut voluiſti, & gaudeo de bono teſtimonio quod ei perhibes. Magiſtrum & fratres veſtros omnes de Templo, nec non & eos de Hoſpitali, per te in Domino ſalutamus. Incluſos quoque & ſanctos omnes, ad quos opportune loqui poteris, per te in Domino ſalutantes, eorum nos orationibus commendamus. Eſto pro me ad eos. Girardum [a] noſtrum, qui in domo noſtra aliquando converſatus eſt, & nunc, ut audivimus, Epiſcopus factus eſt, & ipſum affectu magno devotiſſime ſalutamus.

Marginal notes: * Vide Notas. — * Al. ut ſciant. — Homines formicis ſimiles. — Terreſtria temporalia & cœleſtia. — Lucæ 6. 38. — Gen. 32. 10. — Imminentem ſibi mortem præſagit. — * Vide epiſt. ſeq.

Ad REGINAM Jeroſolymorum.

EPISTOLA CCLXXXIX.

Circa MCLIII.

Inſtruit eam, quomodo ſe gerat, ut proba viduæ coram Deo, & reginæ coram hominibus partes impleat.

Dilectæ in Chriſto filiæ M. [b] reginæ Jeroſolymorum, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

1. Miror quod à multo jam tempore non vidimus litteras tuas, non ſolitas ſalutationes habuimus: quaſi nos obliti ſimus antiquæ tuæ erga nos devotionis, quam in multis probavimus. Audivimus, fateor, neſcio quæ ſiniſtra: quæ etſi non pro certo credidimus, doluimus tamen ſive veritate, ſive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sane intervenit Andreas cariſſimus avunculus meus, cui in nullo decredere poſſumus, ſcripto ſuo nobis ſignificans meliora: quod ſcilicet pacifice & manſuete te habeas, ſapienter & conſilio ſapientium te & tua regas; Fratres de Templo diligas, & familiares habeas; periculis imminentibus terræ, ſecundum ſapientiam tibi à Deo datam, ſalutaribus conſiliis & auxiliis provide & ſapienter * occurras. Talia proſus, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, ſublimem reginam. Neque enim quia regina es, indignum tibi viduam eſſe, quod, ſi voluiſſes, non eſſes. Puto quod & gloria tibi eſt, præcipue inter Chriſtianos, non minus vivere viduam, quam reginam. Illud ſucceſſionis eſt, hoc virtutis: illud tibi ex genere, iſtud ex munere Dei: illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta. Duplex honor, alter ſecundum ſæculum, alter ſecundum Deum: uterque à Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apoſtolus: *Honora*, inquit, *viduas, quæ vere viduæ ſunt.*

2. Habes certe penes teipſam familiare commonitorium apoſtolicæ iterum ſalutaris ſententiæ, qua doceris ab eo providere bona, non tantum *coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Coram Deo, ut vidua; coram hominibus, ut regina. Attende reginam, cujus digna, indignave non poſſunt latere ſub modio. Super candelabrum ſunt, ut appareant omnibus. Memento viduam, cui jam non eſt quod velit placere viro, ut ſoli poſſit placere Deo. Beata es, ſi Salvatorem ponas tibi murum ad protectionem conſcientiæ; & antemurale ad repulſionem infamiæ. Beata, inquam, ſi veluti deſolatam & viduam totam te Deo regendam commiſeris. Alioquin bene non regis, ſi bene non regeris. Regina Auſtri venit audire ſapientiam Salomonis, ut regi diſceret, & ſic regeret. Et ecce pluſquam Salomon hic: Jeſum loquor & hunc crucifixum. Huic te committe regendam, huic docendam, quomodo regere debeas. Diſce tamquam vidua, quod ſit mitis & humilis corde: diſce tamquam regina, quod judicet in juſtitia pauperes, & arguat in æquitate pro manſuetis terræ. Ergo cum cogitas dignitatem, attende & viduitatem: quia ut pure apud te quod ſentio proferam, non potes eſſe regina bona, ſi bona non fueris vidua. Quæris unde bona vidua æſtimetur? Ex his profecto quæ Apoſtolus dicit: *Si filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.* Si hæc facis, beata es, & bene tibi erit. Benedicat te Dominus ex Sion, eximia in Domino filia, & omni veneratione digna. Admonitio præmiſſa eſt; proſecutio jam à veſtra dignatione exſpectatur. Occaſio data eſt: excuſatio jam non admittitur, ſi non renovata à noſtra parte familiaritas, familiaribus deinceps à vobis verbis & litteris frequentetur.

Marginal notes: * Al. vigilanter. — Viduitas glorioſa. — 1. Tim. 5. 3. — 2. Cor. 8. 21. — Qualiter vidua vivendum. — Matt. 12. 42. — Matth. 11. 29. — Iſai. 11. 4. — 1. Tim. 5. 10. Vidua bona unde æſtimetur.

a An Girardus Bethleemitanus epiſcopus, de quo Guillelmus Tyrius initio lib. 17. ad annum 1146. & ſub finem ad annum 1152. an Sidonienſis, ibidem.

b Miliſendis, alias Meluſina, filia Balduini Jeroſolymorum Regis ex Tathilis ſecundi: cui ſucceſſit Fulco gener ejus, hujus Miliſendis maritus, qui leporem equo inſectando præceps actus, poſt triduum exſpiravit anno 1142. Ad eamdem epiſtolæ 206. 354. & 355. Item ejus ſoror, Sanctimonialis, ex Guillelmo Tyrio ſub finem lib. 15.

A

Domino OSTIENSI*, De Jordano cardinale.

* Hugoni.

EPISTOLA CCXC[a].

Ann. Chr. M.C.LII.

Legatum apoſtolicum deſcribit, quàm fœda ubique veſtigia reliquerit.

PErtranſiit Legatus veſter de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda veſtigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Teutonicorum, per omnes pæne eccleſias Franciæ, & Normanniæ, & circumquaque circumiens uſque Rotomagum, vir apoſtolicus replevit, non Evangelio, ſed ſacrilegio. B Turpia fertur ubique commiſiſſe; ſpolia eccleſiarum aſportaſſe: formoſulos pueros in eccleſiaſticis honoribus, ubi potuit, promoviſſe; ubi non potuit, voluiſſe. Multi ſe redemerunt, ne veniret ad eos: ad quos pervenire non potuit, exegit & extorſit per nuntios. In ſcholis, in curiis, in triviis, fabulam ſeipſum fecit. Sæculares, religioſi, omnes male loquuntur de eo: pauperes, & monachi, & clerici conqueruntur de eo. Homines quoque ſuæ profeſſionis, ipſi ſunt qui magis exhorrent & famam ejus, & vitam. Hoc teſtimonium habet & ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt. Non ſic dominus Johannes *Paperons*[b], non ſic: cujus laus eſt in Eccleſia, quippe C honorificantis ubique miniſterium ſuum. Legite litteras has domino meo. Ipſe viderit, quid de tali homine faciendum ſit: ego liberavi animam meam. Dico tamen præcipitatione qua ſoleo: Bonum eſt ei ſi purget ipſe curiam ſuam, & ſic liberet conſcientiam ſuam. Decreveram iſta tacere: ſed venerabilis Prior Montis-Dei[c] ad hoc me impulit, & animavit ut ſcriberem. Et ſcitote minus me dixiſſe, quàm publice prædicatur.

Ad dominum Papam EUGENIUM, pro eccleſia ſancti Eugendi[d] Jurenſis.

EPISTOLA CCXCI.

SAncti Eugendi nobile monaſterium, olim divitiis & religione famoſum, ſi vera ſunt quæ dicuntur, prope interitum eſt. Nec decredenda omnia. Domos vicinas nobis, vobis notas, pertinentes ad ipſum, partim jam deſtructas, partim in dies deſtrui cernimus, & dolemus. Quæ in membris videmus, hæc & his graviora de capite fama nuntiante percepimus. Sed numquid debeo ego nunc malorum vobis, quorum non eſt numerus, retexere narrationem? Lator præſentium monachus præfati monaſterii, & Archegaudus Prior, homo nobis ab antiquo pro ſua honeſtate & religione dilectus, poterunt vobis intimare quæ plenius norunt, etſi non omnia. E Quis enim hoc poſſet? Tot & tanta pro certo, quæ apoſtolicam ſecurim, etſi diſſimulantem, etſi dormitantem, mirum ſi non ſurgere & ferire compellant. Ego liberavi animam meam: ſed non ſufficit, niſi & monaſterium liberetur. In manibus veſtris mors & vita illius.

Ad quemdam Sæcularem[e].

EPISTOLA CCXCII.

Perſtringit eum, quod Petrum, cognatum ſuum, à propoſito vitæ religioſæ abſtrahere conatus ſit.

1. ETſi ignotus nobis facie, ſed non fama. Ipſa referente didicimus, quod ſis homo ſapiens, & ſecundum ſæculum honoratus. Voluit autem dilectus filius meus Petrus, cui & notior, & familiarior ſanguinis affinitate videris, ut tibi ſcriberem, immo reſcriberem. Tu enim ſcripſeras illi, & utinam ut te decuiſſet, & illi B expediret. Non ſic feciſti. Novum Chriſti militem auſus es dehortari à ſervitio Domini ſui. Dico tibi, eſt qui quærat & judicet. Non ſufficiebant tibi peccata tua, niſi te & alienis involveres; & rurſum ad peccata, quod in te fuit, pœnitentem juvenem revocares: & ſic ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizares tibi iram in die iræ? Quaſi non ſatis eum per ſe tentet diabolus, niſi tu juveris illum, homo Chriſtianus, dux ejus, & notus ejus. Tu quidem illi ſerpentem alterum, ſed non tibi ille alteram Evam exhibuit. Tuis impulſus eſt manibus, ſed non everſus: fundatus eſt enim ſupra firmam petram.

2. Verumtamen non reddimus tibi vicem, ſed vin- C cimus in bono malum, orantes pro te, optantes tibi meliora, & meliora ſcribentes. Primo quidem quia ſapiens diceris, ut quod diceris, verius ſis, mitto te ad virum ſapientem, qui ait: *Noli prohibere eum qui poteſt bene facere; ſi vales & ipſe bene fac.* (Prov. 3. 27.) Habes tempus faciendi. Sed quamdiu habiturus? Quantulum ſupereſt vitæ tibi, præſertim jam ſeneſcenti? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Si ſapis, non veniet ſuper te illa maledictio: *Vidi ſtultum firma radice, & ſtatim maledixi pulcritudini ejus.* (Job 5. 3.) Pulcre ſtultum pſeudoſapientem verus Sapiens appellavit, ſciens ſapientiam hujus mundi ſtultitiam eſſe apud Deum. (1. Cor. 3. 19.) O utinam ſaperes, & intelligeres, ac noviſſima provideres! (Deut. 32. 29.) D ſapetes quæ Dei ſunt, intelligeres quæ mundi ſunt, provideres quæ inferni ſunt! Profecto inferna horreres, ſuperna appeteres, quæ ſunt ad manum * contemneres. (* al. malum.) Multa ſuggerit animus, immo ſpiritus, loqui tibi de ſalute animæ tuæ: ſed donec reſcripto noverim tuo qualiter iſta acceperis, non adjiciam ultra, ne fiam oneroſus, cui de cetero volo eſſe amicus, & adjutor (ſi volueris) ad ſalutem. Dilectam nobis in Chriſto uxorem tuam per te, licet immeritam, ſalutamus.

PETRO abbati de Cella[f], pro monacho Caziacenſi, qui ad Claram-vallem tranſierat.

EPISTOLA CCXCIII.

Circ. ann. M.C.L.

UNde mihi ſcripſiſtis, ita reſpondeo vobis. Moleſtiam domini Caziacenſis nulli arbitror moleſtiorem eſſe quàm mihi. Sed puto vos non latere, voluntate & præcepto ipſius jam ex longo illum monachum factum noſtrum; & mihi ipſum obedientiam promiſiſſe, & me curam illius ſuſcepiſſe. Quoties extunc volentem venire repuli, venientem remiſi, recordari facile non eſt. Tandem modo veniens, me nolente remanſit, & nullo modo ei perſuadere reditum potui.

a In quibuſdam mſſ. hæc epiſtola locatur poſt epiſtolam ad Præmonſtratenſes, quæ habetur in iiſdem mſſ. poſt epiſtolam 296. Legatus iſte, de quo hic agitur, fuit Jordanus de Urſinis, in Germaniam ad Conradum imperatorem legatus anno 1151.

b Johannes Paparonus ſeu Papyſio, anno 1152, teſte Johanne Haguſtaldenſi, *profectus in Hiberniam, quatuor pallia certis ſedibus diſtribuit, gentemque in ea legi nuptiarum non aſſuetam plurimum correxit.* Ad id uſque temporis Epiſcopi ſeſe mutuo conſecrabant, ex Giraldo in topographia Hiberniæ cap. 17

c Gervaſius tunc Prior erat Montis Dei, quæ Cartuſia eſt diœceſis Remenſis, ab Odone S. Remigii abbate fundata anno 1136. Apparet autem ex hoc loco, Gervaſium Bernardo, etiſ & locum acceptum fuiſſe. Nec tamen putes eum eſſe auctorem epiſtolæ ad Fratres de Monte-Dei, de qua in tomo 5.

d Augendum veteres appellabant qui ſanctus Abbas fuit inſignis monaſterii Condatiſcenſis, à S. Romano in Jurenſibus jugis conſtructi, eique nomen S. Eugendi dedit, poſtea in S. Claudii mutatum, diœceſis Lugdunenſis.

e Et quidem uxoratum, ex fine epiſtolæ. Fallit codex Vaticanus num. 663. in quo inſcribitur, *Petro abbati de Cella*, ad quem epiſtola ſequens

f Notior Petrus Cellenſis à Cella monaſterio ſuburbii Tricaſſini, quam a S. Remigii abbatia aut eccleſia Carnutenſi, quibus etiam præfuit. Binas ſcripſit litteras ad Caziacenſes, quæ ſunt lib. 2. epiſtolæ 14. & 15. nullas de hoc monacho, cui nomen Adamo fuiſſe intelligitur ex duabus litteris, a Nicolao Claræ-vallenſi ejus nomine ad Petrum noſtrum, id eſt Cellenſem, ſcriptis, qui Petrum de reformato monaſterio laudat epiſtola 25 Hic eſt Petrus, qui Bernardi memoriam, & ſententiam de B. Matris Conceptione vindicavit adverſus alterius Nicolai inſultus, ex Notis fuſioribus ad epiſtolam 174. Bernardi *alumnum* ſe dicit in lib. 9. epiſtola 8 ad Capitulum Ciſtercienſe. De Caziaco ſupra ad epiſtolam 263.

Dicebat autem, quia ſi nos eum projiceremus, iturum ſe longius, & nullatenus rediturum. Sed nec ſic aſſenſum meum habens, immo & contra conſilium meum intravit. A quo utique introitu ſalva conſcientia eum prohibere non potui, nec projicere poſſum, utpote (ut dixi) jam olim in meam receptum curam, & de quo redditurus ſum rationem. Diu, fateor, periculum hoc conſcientiæ meæ diſſimulaveram propter moleſtiam boni illius hominis: & adhuc diſſimulaſſem, ſi meo iſte conſilio quoquo modo acquieſcere voluiſſet. Quæ cum ita ſint, veſtrum eſt conſolari hominem, delinire triſtitiam ejus, excuſatum me habere de tam rationabili cauſa. Poſtremo ipſe quoque (ut ſcitis) in pendulo eſt, & ſæpe cogitavit relinquere [a] domum ſuam. Quod ſi vellet nunc effectui mancipare, ego non prohiberem, pro eo quod in ea non ſine magna anxietate verſetur.

Ad dominum Papam Eugenium, pro Epiſcopo Cenomannenſi.

Ann. Chr. MCL.

EPISTOLA CCXCIV.

Epiſcopum Cenomannenſem, & alios Pontifici commendat.

Adeſt Epiſcopus Cenomannenſis [b]. Ipſe eſt, ſi neſcitis, de cujus veritate & honeſtate nullus dubitat, niſi qui bene non novit hominem. Mihi quidem ab ineunte juventute ſua notus & dilectus eſt, tam pro memoratis virtutibus, quàm pro aliis bonis moribus ſuis. Si quid aliud paternitati veſtræ de eo inſuſurratum eſt, aut ego fallor, aut ille mentitus eſt in caput ſuum. Audite eum, & cum plenitudine gratiæ veſtræ remittite. Deceptus ſum enim, ſi bene non fuerit collocata. Abbas Vindocinenſis, qui ſpecialiter [c] veſter eſt, rogamus ut & ipſe ſpecialem inveniat gratiam, & rationabilis ejus petitio haud difficilem aſſequi mereatur effectum. Dominus Andegavenſis * mittit nuntium ſuum, & per ſe & per nos aliquid petens. Exaudiatur & ipſe pro juſtitia ſua, & non exaudiatur contra eum ſuſurro mendax. Dignum eſt enim, ut qui omnibus vivitis, omnibus pro meritis valeatis.

* Normando.

Domino Henrico * cardinali [d], pro eodem Epiſcopo.

* a Bella.

Circ. Ann. MCL.

EPISTOLA CCXCV.

Sic tibi, quaſi mihi ſcribo, & hoc quoties tibi ſcribo. Ubi enim tu es, me eſſe confido, quippe quem tanquam meipſum diligo. Si me tu æque diligis, immo quia diligis, vide ne dominus Cenomannenſis ex te (quod in te eſt) in aliquo redeat contriſtatus. Alioquin ego contriſtarer in homine, quem ſatis pro ſua honeſtate diligo, & à te diligi volo.

Domino Oſtienſi *, pro eodem.

* Hugoni. Vide epiſt. 217. & 190.

EPISTOLA CCXCVI.

Quidam clericus dicitur aures domini mei circumveniſſe, aliquid contra Epiſcopum ſuum, & noſtrum amicum pro ſua cupiditate molitus. Si mei

A cura eſt vobis, immo juſtitiæ Dei; date operam, ut nihil lucretur de ſuo mendacio ſuſurro malignus, nec lædatur in aliquo innocens Epiſcopus, & fidelis amicus [e].

Abbati Arremarenſi *.

* Guidoni, ad quem epiſt. 190.

EPISTOLA CCXCVII.

Monachum apoſtatam pœnitentem recipi petit.

Lator præſentium, ad petitionem noſtram dudum ſuſceptus in conſortium veſtrum, ſtultitia & levitate ſua rejecto habitu ſancto à vobis exiit. Sed quia B ductus pœnitentia (ut videtur) redire cupit, & ſe iterum recipi humiliter petit: petimus & nos, ut iterum recipiatur, pœnitentique, amore Dei & noſtro, introitus & habitus non negetur.

Ad dominum Papam Eugenium,

Ann. Chr. MCLI.

EPISTOLA CCXCVIII.

Nicolai notarii fraudes & impoſturas detegit.

Nicolaus ille [f] exiit à nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem fœda poſt ſe relinquens veſtigia. Et ego longe ante hominem noveram: ſed C exſpectabam, ut aut Deus eum converteret, aut inſtar Judæ ipſe ſe proderet. quod & factum eſt. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipſo exitu ejus inventa ſunt ſuper eum ſigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium noſtrum, ipſumque non antiquum, ſed novellum: quod & ob ipſius dolos & furtivas ſubreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim eſt quod vobis tacito nomine ſcripſiſſe me memini *: quia videlicet periclitati ſumus in falſis fratribus. Quis poſſit dicere, ad quàm multas perſonas ſub nomine meo, me ignorante, quæ voluit, ſcripſit? Quis mihi det, ut ipſa curia veſtra ad purum purgetur fæce mendaciorum ejus? Quis mihi det, ut vel eorum in- D nocentia, qui mecum ſunt, ſatis valeat excuſari apud circumventos & præventos impudentiſſimis ejus mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falſitate ſcripſiſſe, & non ſemel, partim convictus, partim & confeſſus eſt. De turpitudinibus ejus, quibus terra ſordet, & factæ ſunt omnibus in parabolam, ſuperſedeo polluere labia mea, & veſtras aures. Si ad vos venerit (nam hoc gloriatur, & amicos ſe habere confidit in curia) mementote Arnaldi de Brixia, quia ecce plusquam Arnaldus hic. Nullus perpetua dignior incluſione, nihil ei perpetuo ſilentio juſtius.

Bernardi longanimitas in monachum perverſum.

* Epiſt. 434.

Comiti Engoliſmenſi [g], pro fratribus de Buxia.

Circ. Ann. MCL.

E

EPISTOLA CCXCIX.

Queritur de gravi exactione ſuis à Comite impoſita.

Nolite mirari, ſi gravis nobis videtur tam grandis reditus, qui de terra illa Buxiæ à fratribus noſtris exigitur, quia tale aliquid non conſuevimus.

a Huc ſpectat libri 2. epiſtola 25. Petri Cellenſis ad Caziacenſes. *Quamdiu Patrem veſtrum, immo noſtrum, vobiſcum retinere poteritis, alium ne cogitetis.* Id intelligendum de Simone, qui tandem mortuo Bernardo in Claram-vallem ſe recepit, ſupra ad epiſtolam 263.

b Guillelmus de *Paſſavant*, ex archidiacono Remenſi epiſcopus Cenomannenſis, quàm religioſæ vitæ fuerit, docent ejus acta in tomo 3 veterum Analectorum a pag. 317.

c Ita ſupra de Odone abbate S. Dionyſii: *ad hoc & iſi, & illa eccleſia ſpecialis veſtra eſt*, nimirum quod abbatia & Dionyſiana, & Vindocinenſis, cui tunc præerat Robertus, ſint proxime ſub poteſtate & jure Pontificis Romani.

d De eo Ernaldus in lib. 1. de vita Bernardi, cujus apud Claram-vallem monachus fuerat Henricus, tunc cardinalis tit. Sanctorum Nerei & Achillei. Epiſtola ejus extat in tomo 3 Bibliothecæ Ciſtercienſis pag. 239. de legitima electione Alexandri III.

e Poſt hanc epiſtolam in mſſ. haud paucis locantur epiſtolæ 219. ad Præmonſtratenſes, 290. ad Epiſcopum Oſtienſem, & 313. (quæ modo 374) ad monachos Hibernienſes, in qua Bernardi epiſtolæ olim deſinebant.

f Nicolaus ex monacho Arremarenſi, *de Montier-Ramey*, diœceſis Trecenſis, abſente Bernardo admiſſus in Claram-vallem ſub annum 1146. tum Bernardi Notarius, & magis ſtili ejus quam religionis imitator, inde apoſtata diſceſſit, turpium criminum reus. Ita Angeli etiam in cælo cadunt! Plura de eo in Præfatione ad tomum tertium.

g In editione prima Lugdunenſi anni 1494. legitur, *Comiti Angelberto* (an is de quo epiſtola 223.) *pro fratribus de Bruxia*: in alia anni 1530. *Comiti Engelberto pro fratribus de Bruxia*. In editione item Lugdunenſi anni 1520 & ſequentibus præter unam, *Comiti Engoliſmenſi pro fratribus de Buxia*. Hanc lectionem præferunt ſæculi noſtri auctores aſſerentes, Guillelmum, cognomento Sectorem-ferri, Comitem Engoliſmenſem, Ciſtercienſibus locum conceſſiſſe anno 1143. in villa Buxia, ubi ſitum Benedictinorum cœnobium S. Amantii, *S. Amand de Boiſſe*, ab Arnaldo Comite ſeculo x. conſtructum. Sed cum de conceſſione loci Ciſtercienſibus facta iſti reclamarent, Bernardum pacis ſtudio locum ceſſiſſe anno 1133. Vide Notas fuſiores.

Nam multas fecimus abbatias, & nulla illarum tali A ſubjacet exactioni. Sed quia vos ita vultis, & Deus plus acceptat voluntarium bonum, quàm coactum; ſuſtinemus juxta conventionem, quam fratres noſtri vobiſcum fecerunt, donec Deus meliorem vobis inſpiret voluntatem. quod non diffidimus. De cetero diligite eos, fovete, defendite, manu-tenete: quia tunc ſecurius ſtabitis ante tribunal Chriſti, ſi pauperes ejus habueritis veſtri dilectores, & pro vobis interceſſores.

Bleſenſi COMITISSÆ*.

* Mathildi.

EPISTOLA CCC.

Circ. ann. MCLII.

Solatur Comitiſſam, filii delicta per ætatem excuſans, & melioris frugis ſpem faciens; unde blande potius & leniter quam aſpere tractandum monet.

SI quando in vos filius veſter viſus eſt exceſſiſſe, doluimus, & dolemus non minus exceſſum filii, quam matris iojuriam. quod tamen & ipſum excuſabile eſt in adoleſcente filio. Nempe delicta juventutis, ipſa, quæ commiſit, excuſat ætas proclivior. An neſcitis, quia proni ſunt ſenſus hominis, & cogitatiooes in malum ab adoleſcentia? Confidendum mutatum iri in melius, patris [a] meritis & eleemoſynis. Propterea inſiſtendum magis, magiſque votis & precibus ad Deum pro eo: quia etſi ille minus interdum, quam debuit, ſe filialem C exhibuit; mater tamen pro ſuis viſceribus maternum deſerere non debet, ſed nec valet affectum. Numquid poteſt mater oblviſci filii uteri ſui? Et ſi illa, inquit, oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Oremus & ploremus coram Domino, ut Deus tantæ indolis juvenem, probitatis paternæ imitatorem (quod non diffidimus) ſua faciat pietate. Agendum cum eo in ſpiritu lenitatis, blandiſque obſequiis: quia ſic melius ad bona opera provocabitur, quàm ſi irritationibus & increpationibus exaſperetur. Ita ſane de ejus cita lætaque mutatione poſſe lætificari confidimus cor veſtrum & noſtrum pariter. Quidni ego totis cupiam viſceribus quotidie ſeipſo fieri meliorem? Utinam qualem D inveni in me, talem ſemper in omnes inveniam. Quid enim, quantum ad nos, umquam volui, &, non fecit? Retribuat illi Dominus. Ceterum pro vobis, ſicut ſæpe petiſtis, ſæpe, prout oportuit, & monui, & monebo.

Juvenum exceſſus patienter ferendi. — *Gen. 8. 21.* — *Iſa. 49. 15.* — *Juventus ad bonam frugem leniter flectenda.*

SANCIÆ ſorori Imperatoris [b] Hiſpaniæ.

EPISTOLA CCCI.

Circ. ann. MCXLIX

Controverſiam, ex receptione cujuſdam monaſterii inter ſuos & alios quoſdam religioſos natam, ejus operâ ſopiri cupit.

1. QUod factum eſt de receptione Tholdanos [c] monaſterii, ſciatis per me non eſſe factum, utpote abſentem & ignorantem quid fieret. Factum autem per noſtros non nego, conſilio tamen multorum religioſorum, Epiſcopi conniventia & aſſenſu, nobilis quoque dominæ, quæ locum illum in propria poſſeſſione fundavit, petitione & voluntate, publice, ut accepimus, & nihil in abſcondito factum. Exiſtimabant autem ſe libere poſſe ſuſcipere locum, quem in Dei libertate, & ſine alterius eccleſiæ ſubjectione fundatum, ipſa quæ fundaverat aſſerebat, & privilegia (ut aiunt) præ manibus erant. Ceterum quia Carraccetenſes * Fratres factam ſibi in hoc injuriam (ut ſcribitis) conqueruntur, nec audientes Salomonem, qui ait, A *Noli prohibere eum qui bene vult facere, ſi potes & ipſe bene fac*: nobis in tam ſancto opere contradicunt. Et quoniam ſervos Dei non oportet litigare; conſilii nobis fuit ad veſtrum potiſſimum conſilium cauſam remittere, ut veſtra auctoritate & opera omnis inepta & injuſta (ut aiunt) calumnia conquieſcat; & Ordo in domo Dei receptus, ad ejus gloriam, & veſtram ipſius ſalutem deinceps in pace permaneat.

* al. Carracenſes.

Prov. 3. 27. — *2 Tim. 2. 24.*

2. Nam & frater Nivardus [d], qui multum gratulatur de vobis, ſatis in hoc de vobis confidere monuit, tum propter veſtram erga nos ſpecialem devotionem, tum etiam propter bonam, quam audivit à vobis, de hoc ipſo promiſſiooem. Si autem veſtris (quod non B credimus) ſalutaribus monitis aut conſiliis contradictores illi acquieſcere nolunt; tunc duorum judicio Epiſcoporum, ad quos duo illa loca jure parochiali pertinere noſcuntur, omnis inter eos controverſia terminetur: quodque ab eis judicatum ſive conſtitutum concorditer fuerit, veſtrum erit ratum habere, & de cetero firmiter manu-tenere. Si timetis Deum, non patiemini impediri tantum bonum, nec bonam illam mulierem fruſtrari à deſiderio ſuo, nec fratres illos ſuæ devotionis privari fructu, nec Deum denique tam accepto ſibi reformati [e] Ordinis ſacrificio defraudari. Obſecramus vos & pro novella veſtra plantatione, illos loquor de Spina [f], ut eis viſcera miſericordiæ C exhibeatis: quatenus veſtro beneficio ſuſtentati, in ſervitio Dei & ſuo Ordine perſeverent.

LEGATIS apoſtolicis, pro Archiepiſcopo Moguntino.

EPISTOLA CCCII.

Ann. Chr. MCLIII.

Cauſam Archiepiſcopi ab adverſariis gravati commendat.

Dominis & patribus reverendis, apoſtolicæ Sedis LEGATIS [g], puer ſanctitatis eorum Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, per omnia Deo placere, & gratos fructuoſæ ſuæ legationis manipulos reportare.

ETſi corpore remoti, ſed affectu & bona volunta- D te vobis appropiavimus, optantes & orantes dirigi actus & ſtudia veſtra ad omne quod decet & expedit. Inde eſt quod audientes miſerandum illum Archiepiſcopum Moguntiienſem, vocatum ad veſtram præſentiam, ibique reſponſurum adverſariis ſuis; auſi ſumus veſtram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari miniſterium veſtrum, ſi, quatenus ſalva juſtitia licet, parieti inclinato & maceriæ depulſæ humeros veſtræ auctoritatis ſupponitis; nec calamum quaſſatum conteri, nec linum fumigans (quod in vobis eſt) exſtingui permittitis. Sentiat, obſecramus, ſibi profuiſſe & precem noſtram, & ſuam ſimplicitatem, ob quam fertur à falſis fratribus cir- E cumventus potius, quam inventus in aliquo dignus depoſitionis.

LUDOVICO Juniori regi Francorum.

EPISTOLA CCCIII.

Quid agendum Regi cauſa cujuſdam de Britannia adulteri & excommunicati.

SI homo ille de Britannia dimittere vellet adulteram, ut poſſet ſolvi anathematis vinculo quo tenetur, & illa paternam hereditatem ſuam ſecundum diviſionem ſuam, quam fecit cum fratre ſuo, a vobis requireret; etſi hoc ipſo indigna, non eſſet forſitan recu-

a Theobaldi Magni, de quo ſupra in Notis ad epiſtolam 37. cujus eleemoſynas & benefacta prædicat vita non ſolum Bernardi, ſed etiam Norberti, & aliorum; item nova hic epiſtola 416. De filio ejuſdem primogenito Henrico, ad quem epiſtola 279. hunc locum explicat Horſtius in ſulioribus No 15.

b Alfonſi ſcilicet, cognomento Boni, Caſtellæ & Leonenſis regis ſeu imperatoris. nam hoc titulo donari amabant tunc temporis illi reges.

c Iſtud monaſterium in regno Legionenſi, ab Elvira Infante meritò fundatum pro Benedictinis Carraccetenſibus, Ciſtercienſibus ſe ſubdiderat, reclamantibus illis. Quid inde ſecutum ſit, diſces ex aliis Notis.

d Bernardi junior frater, de quo in ejus vita non ſemel.

e Lambertus Campeſter, editionis anni 1520 auctor, hic ad marginem notat, *non* [illegible] *fuiſſe tempore Bernardi*.

f Monaſterium S. Petri de Spina, in diœceſi Palentina. condiderat Sancia, cui hæc epiſtola inſcripta eſt, atque Ciſtercienſibus tradiderat, coloniâ a Bernardo miſſa duce Nivardo. Vide epiſtolas novas 572. & 573.

g Bernardo & Gregorio, qui Henricum Moguntinum, ad quem epiſtola 365. in ordinem redegerunt, ut fuſius explicamus in aliis Notis.

ſtatu ſuo. Inſpiret Deus vobis paterne accipere iſta, & reſpondere bona ad noſtram omnium conſolationem, qui valde deſolati ſumus, & afflicti ſuper vires.

3. Domnus Ciſtercienſis [a] deſeruit nos: plaga magna in Ordine. Mihi vero duplex incumbit mœroris ratio, qui in uno homine & patrem amiſi, & filium. Et nunc habemus pro eo domnum Gozvinum Bonævallis abbatem. Sit beneplaciti veſtri confortare eum litteris apoſtolicis, & quod de eo factum eſt, veſtro roborare favore. Noſtis eum, & non eſt ei apud vos opus commendatore, quem ſatis commendat vita ſua, & ſapientia ſibi data à Deo. Dominus Valentinus [b] convalet: & ubi valet, operatur bona. Propterea amatores boni diligunt eum, & ipſe diligit bonos. In hoc apparet quia bonus eſt. Veſtrum eſt tales diligere & fovere. Puer veſter plus ſolito infirmatur: guttatim defluit, forte minime dignus qui occidatur ſemel, & cito ingrediatur ad vitam.

Bernardi merbus & modeſtia.

Ad Comitem Campaniæ THEOBALDUM [a],

a V. epiſt. 17. & ſeq.

Ann. Chr. MCLI.

EPISTOLA CCLXXI.

Monet filium ob minuſculam ætatem ad dignitates eccleſiaſticas non eſſe promovendum.

Amore indignus, qui minus movit amore Dei.

SCitis quia diligo vos: ſed quantum, novit Deus melius quàm vos. Me quoque diligi à vobis non dubito, ſed propter Deum: quem ſi offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in cauſa Deus. Quis enim ego ſum, ut de me tantillo tantus Princeps curetis, niſi quamdiu Deum in me eſſe credetis? Ergo ut offendam eum, fortaſſis nec vobis expedit. Offendo autem proculdubio, ſi facio quod requiritis. Nam honores & dignitates eccleſiaſticas non ignoro deberi his, qui eas digne ſecundum Deum adminiſtrare & velint, & poſſint. Porro eas acquiri parvulo filio [c] veſtro precibus meis, vel veſtris, nec vobis juſtum, nec mihi tutum eſſe noveritis. Nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatorie quidem, ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonarum utilitatem. Quamobrem ſi vobis videtur hic durus ſermo, & placet quod cogitaſtis implere; parcite mihi in hoc. nam vos ſatis (ni fallor) per vos & per alios amicos veſtros iſtud obtinere poteſtis. Ita nec vos minus quod vultis, efficitis; nec ego peccavi. Sane Willelmulo noſtro cupio bene per omnia: ſed ante omnia Deum. Hinc eſt, quod contra Deum nolo aliqoid habeat, ne non habeat Deum. Quod ſi alius ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum. Ubi vero emerſerit quod ſecundum Deum habere poſſit, probabo me amicum; & operam meam, ſi opus fuerit, non negabo. Apud amatorem juſtitiæ in excuſando eo quod pro juſtitia eſt, non multum mihi laborandum. Vos autem apud Comitiſſam [d] per ea quæ vobis reſcripſi, habete me excuſatum. Valete.

Dignitates eccleſiaſticæ quibus debeantur.

Pluralitas quando licita.

Regula vera amici.

EPISCOPO Laudunenſi [e].

Ann. Chr. MCLII.

EPISTOLA CCLXXII.

Commonet eum pia liberalitatis.

VEſtri ſumus. Si hoc ſcitis, immo quia non ignoratis; lator præſentium per nos vobis, & per vos aliu omnibus, quos offendiſſe videtur, efficaciter firmiterque reconcilietur. Alioquin offenditis, quem veſtrum non negatis: quod omnino facere non audetis. Ex quo epiſcopari cœpiſtis, nullam à vobis adhuc benedictionem accepimus; neque ſacculum, neque peram, neque calceamenta in pedibus.

EUGENII Papæ epiſtola * ad Capitulum Ciſtercienſe.

** Ante hac epiſtola 304.*

EPISTOLÆ CCLXXIII. præmiſſa.

Ann. Chr. MCL.

Capitulo Ciſtercii habendo ſe cupere intereſſe, ſi per occupationes pontificias liceret. Hortatur ad ſtudium & zelum diſciplinæ & perfectionis religioſæ in Capitulo promovendum.

EUGENIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis G. † Ciſtercienſi, & univerſis Abbatibus apud Ciſtercium in nomine Domini congregatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

† Goſvino abbati V. Ciſtercii.

1. OPtaremus, filii dilectiſſimi, corporali præſentia ſacro veſtro intereſſe collegio, unde ſicut vobiſcum in unitate ſancti Spiritus ambulamus, ita de vivificatione ſancti Spiritus & progreſſionibus animæ præſentialiter & communiter tractaremus. Quia vero ex divinæ diſpoſitionis arbitrio in medio pelagi ad regendam navim Eccleſiæ conſtituti, circum ſævientium procellarum inundatione contundimur, ut non quod volumus, ſed quod nolumus, faciamus; & ſuſceptæ adminiſtrationis officio alligamur, unde ad optatum locum greſſum flectere non poſſimus: per ſpiritum & litteras noſtras vobis præſentiam exhibemus, &, quatenus permittitur, caritate ac deſiderio veſtro nos conventui præſentamus; cupientes quidem, & quanto poſſumus affectu rogantes, ut & vos conjunctum nobis veſtrum ſpiritum habeatis, & in communi ſuper nos omnipotentis Dei gratiam propenſius imploretis. In montis ſiquidem vertice conſtituti, ubi undique ventorum flatibus propulſamur, ſperamus nos ex Dei dono aliquatenus in tanto turbine poſſe ſubſiſtere, ſi orationum veſtrarum interventum apud Deum meruerimus obtinere. Ut autem apud eum de orationibus veſtris promptam ſemper valeamus invenire fiduciam, & quod noſtris meritis non valemus, veſtris interceſſionibus aſſequamur: optamus caritatem veſtram de his quæ ad Deum ſunt, de obſervantia Ordinis, de cuſtodia diſciplinæ, ita ſemper fore ſollicitam, & contemptis quæ retro ſunt, ita ſe in anteriora unumquemque veſtrum extendere, ut nulla nubes in operibus veſtris appareat, quæ orationes veſtras, quo minus ad Deum penetrent, valeat aliquando præpedire.

Orationum efficacia et vita laudabili.

2. Quoties itaque, filii dilectiſſimi, convenitis in unum, de corrigendis quæ in aliquibus veſtrum corrigenda ſunt, & ſtatuendis quæ ad animarum ſalutem & profectum Ordinis fuerint ſtatuenda, communem curam habete, quoniam *qui modica ſpernit, paulatim decidit*; nec ea quæ minora videntur in vobis, incorrecta relinquite. Inutiliter enim portas civitatis obſerat *, qui vel unum foramen, unde ingrediantur, hoſtibus relinquit apertum, dicente ſcriptura: Idem facit ſentina neglecta, quod ventus irruens. &, Vitaſti grandia; vide ne obruaris arena. Reſpicite, quæſo, ad veteres Patres, qui noſtrum ſacrum Ordinem ſtatuerunt; & conſiderate, qualiter relicto mundo, & contemptis omnibus, mortuis mortuos ſuos ſepelire dimiſſis, ad ſolitudinem volaverunt, unde aliis circa frequens miniſterium ſatagentibus, ipſi ad pedes Jeſu cum Maria ſederunt, ut tanto uberius cæleſte manna perciperent, quanto longius ab Ægypto diſceſſiſſent. Ipſi quidem egreſſi ſunt de terra & de cognatione ſua; obliti ſunt populum ſuum, & domum patris ſui: & quoniam Rex eorum ſpeciem concupivit, creſcere fecit eos in gentem magnam, & uſque ad extre-

Modica non ſpernenda. Eccl. 19. 1.

** al. obſerat.*

Ciſtercienſium primigenius fervor.

a Rainaldus, cujus obitus contigit anno 1151. Gozvinum et abbatem Bonæ-vallis ſucceſſorem habuit.

b Otbertus ex Priore Caſæ-Dei, de cujus electione epiſt. 249.

c Pueros ob natalium ſplendorem ad dignitates eccleſiaſticas promoveri, & plures uni dari graviter conqueritur Bernardus in epiſtola 42 num. 25. Extat inter Tractatus, ordine ſecundus.

d Mathildem, filiam Engelberti marchionis, de quo in epiſtola 130.

e Is erat Galterus de S. Mauricio, prius abbas S. Martini apud Laudunum, anno 1151. ſuffectus Bartholomæo piiſſimo epiſcopo, qui poſt regiminis annos 38. in Fuſniacenſe Ord. Ciſtercienſis, quod ipſe fundaverat, monaſterium ſe recepit. Extat egregia ejus epiſtola ad Samſonem archiepiſcopum Remenſem, qua falſam dilapidationis bonorum eccleſiæ Laudunenſis accuſationem diluit tum Fuſniaci monachus, hic in Appendice hujus tomi.

*R iij

tis; ſicque ſtrata publica cum turba promiſcua peregrinorum, tamquam unus ex illis, pervenit ad ſanctum Ægidium [a]. Cumque infirmaretur, pertranſiit uſque ad Montem-Peſſulanum [b]. Ibi aliquamdiu commoratus, cum medicis expendit & quod habebat, & quod non habebat.

a Nova, ad ipſ. 14. b Montpellier.

IN ANTIQUIS *editionibus hic perperam repetuntur epiſtola* 147. *&* 230.

Ad ALFONSUM Portugalliæ regem.

EPISTOLA CCCVIII.

Ann. Chr. MCLIII. Vet ipſ. 119.

Petitioni Regis ſe adlaboraſſe reſpondet, & fratrem ejus brevi a terrena militia ad cæleſtem tranſiturum prædicet.

ALFONSO illuſtri regi Portugallorum, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſi quid poteſt peccatoris oratio.

LItteras & ſalutes celſitudinis veſtræ ſuſcepimus gaudentes in eo, qui mandat ſalutes Jacob. Quid in hoc egimus, & exitus pro nobis, & vos per exitum comprobabitis: animi promptitudinem ex injuncta ſollicitudine, vel ſaltem ex memorata neceſſitudine colligetis. Petrus [a], celſitudinis veſtræ frater, & omni gloria dignus, à vobis injuncta retulit; & Gallia armis pervagata, in Lotharingia militat, proxime militaturus Domino exercituum. Frater Rolandus, filius noſter, apoſtolicæ largitatis litteras defert. Ipſum, fratres noſtros vobiſcum degentes, & me ipſum commendatos habete.

Ad EUGENIUM Pontificem.

EPISTOLA [b] CCCIX.

Laudat Sugerium abbatem, ejuſque Legatos Pontifici commendat.

Amantiſſimo Patri & domino EUGENIO, Dei gratia ſummo Pontifici, frater BERNARDUS Claræ-vallenſis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

SI quod magnæ domus magni Regis vas in honore habetur apud noſtram eccleſiam Gallicanam; ſi quis ut David fidelis ad imperium Domini ingrediens & A egrediens; meo judicio ipſe eſt venerabilis Abbas ſancti Dionyſii. Novi ſiquidem virum, quod & in temporalibus fidelis & prudens, & in ſpiritualibus fervens & humilis; & in utriſque (quod eſt difficillimum) ſine reprehenſione verſetur. Apud Cæſarem eſt tamquam unus de curia Romana, apud Deum tamquam unus de curia cæli. Petimus & obſecramus, benigne à vobis ſuſcipi nuntios tanti viri, & (ſicut vos decet, & ipſe omnino dignus eſt) reſcribi ei verba bona & amicabilia, plena familiaritatis & dilectionis, plena favoris & gratiæ. ſiquidem ſpecialius diligere & honorare perſonam ejus, eſt honorificare miniſterium veſtrum.

B Ad ARNOLDUM [c] Carnotenſem abbatem Bonæ-vallis.

EPISTOLA CCCX.

Ann. Chr. MCLIII.

Bernardus in extremis poſitus, hanc amico epiſtolam ultimam ſcripſit.

SUſcepimus caritatem veſtram in caritate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum ſibi vindicat amaritudo? niſi quod ſolum nihil comedere utcumque delectabile eſt. Somnus receſſit à me, ne vel beneficio ſopiti ſenſus dolor umquam recedat. Defectus ſtomachi fere totum quod patior eſt. Frequen- C ter & in die, & in nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. nam ad ſolidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non ſine gravi moleſtia ſumit: ſed timet graviorem, ſi ſe vacuum omnino dimiſerit. Quod ſi pluſculum quid interdum admittere acquieſcat, id graviſſimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere ſolet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de ſtatu amici ſollicitum, ſecundum interiorem hominem (ut minus ſapiens dico) ſpiritus promptus eſt in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempeſtivum jam exitum non differat, ſed cuſtodiat. Curate D munire votis calcaneum nudum meritis: ut is qui inſidiatur, invenire non poſſit, unde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipſe dictavi, ſic me habens, ut per notam vobis manum agnoſcatis affectum. Verumtamen reſcripſiſſe, quàm ſcripſiſſe maluerim.

a Is unus erat ex his, quos torneamentis addictos Bernardus ad converſionem adduxit in vitæ lib. 1. num. 55 Aliæ Notæ.

b Hæc epiſtola, quæ in regia editione ordine 361. exſtat, inter Sugerianas prima refertur apud Cheſnium, ubi Eugenii reſponſum ſubjicitur. Confer epiſtolam ibidem ſeptimam.

c Ernaldus paſſim appellatus in vetuſtis monomentis, ut in Spicilegii tomo 12. pag. 390. & apud Arnulfum epiſcopum Lexovienſem, qui ejus epiſtolas laudat. Omnes excidiſſe ſummopere dolemus. Ernaldo librum ſecundum de vita Bernardi cum tractatu de cardinalibus Chriſti operibus, Cypriano perperam adſcripto, tribuendum eſſe docent Notæ fuſiores. Porro Bonæ-vallis monaſterium, cui præerat Ernaldus, exſtat in agro Carnutenſi. Bernerius, Ernaldi deceſſor, dedicationi eccleſiæ Mauritiacenſis interfuit anno 1120. Plura de Bona-valle in ſecunda parte Sæculi 4. Bened. pag. 495.

ADMONITIO.

HActenus prima ſancti Bernardi epiſtolarum collectio, quæ ipſius tempore ab ejus diſcipulis facta eſt, ut in Præfatione diximus. Harum epiſtolarum ordinem, adeo antiquum & receptum, mutare fuit religio. Sequentes vero, quæ in prioribus editis confuſe & temere, nulla habita temporis ratione, adjecta ſunt, in ordinem redigere viſum eſt opera pretium, ad marginem apponendo vulgatum ordinem, quem unaquæque earumdem epiſtolarum antea obtinebat. Verum quæ huic editioni jam primum acceſſerunt, ſingulas NOVÆ *nomine itidem ad oram libri diſtinximus. His omnibus ſuccedet* APPENDIX, *quæ Bernardi epiſtolas dubias, chartas & inſtrumenta ejus nomine confecta, ad hæc litteras ad eum vel pro eo ſcriptas complectetur, cum aliis nonnullis, quæ ad illuſtrandas ejus epiſtolas conducere viſa ſunt.*

Ad HAIMERICUM cancellarium.

EPISTOLA CCCXI [a].

Circ. Ann. MCXXV. a al. 371 quæ vero nunc 31 nunc 374.

Æmulos quoſdam piis aliorum conatibus adverſantes acriter perſtringit: Haimericum vero ad ſedulam boni publici curam, oblata occaſione, exſtimulat.

Viro illuſtri domino HAIMERICO, ſanctæ Romanæ Sedis cancellario, HUGO Pontiniacenſis abbas, & Bernardus de Clara-valle, in domo Dei quemadmodum oportet converſari.

1. QUod Epiſcopi quærunt, Chriſtus, quantum credimus, acquirit; & ipſorum negotium, Dei eſt cauſa. Qui ergo Dei eſt, jungatur eis: ſi quis renuit, audiat à Domino, *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Immo vero aut acquieſcat Apoſtolo dicenti, *Spiritum nolite exſtinguere*: aut certe audiat cum Judæis, *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*; & à Propheta, *Væ qui dici-* Epiſcoporum lucra & negotia, Dei. Matt. 12. 30. 1. Theſſ. 5. 19. Act. 7. 51. Iſa. 5. 20.

Prov. 2. 14. *tis bonum malum, & malum bonum: qui lætantur cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis.* Non poterunt A ſimul & in optimis exſultare, nec ex ono pariter ſimul ore laudabiiur, & juſtus de juſtitia ſua, & peccator in deſideriis animæ ſuæ. Attamen quid mirum, ſi bonum quod bonis eſt odor vitæ, contrarium contrariis operetur: quando ipſe fons & origo boni natus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui hodieque contradicitur? Etiam nunc quampluribus invenitur Salvator lapis eſſe offenſionis, & petra ſcandali: cum tamen non deſint, qui corde alacri dicant, *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Porro cui pax generat ſcandalum, in quo pacabitur? cui ipſa ſalus damnatio eſt, in quo ſalvabitur? Scriptum eſt, B *Gloria & divitiæ in domo ejus*, haud dubium quin hominis juſti. Quam autem gloriam, quaſve dicat divitias, ſubinde oſtendit: *Juſtitia*, inquit, *ejus manet in ſæculum ſæculi.* Et revera nulla talis gloria, nullæ tantæ divitiæ, quanta juſtitia in domo conſcientiæ juſti. Sed quid perdit injuſtus? Si Paulus gloriatur de ſui cordis divitiis, *Gloria*, inquiens, *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ:* quinam inde gravatur? Tamen Propheta ſubjungit: *Peccator videbit, & iraſcetur.* Quanta malitia! Numquid hæ divitiæ terrenis facultatibus ſimiles ſunt, ut inſtar illarum, etiam iſtis, in quo alter abundat, alter minuatur? Quid igitur iraſceris, ubi nil perdis? immo quid invides bonis bona, & illa C bona, quæ non curas tibi vindicare? Sic canis (ut vulgo aiunt) defendit fœnum quod non comedit. Sed fremas dentibus licet & tabeſcas, non tamen poterit quod ex Deo eſt, omnino diſſolvi. Et velis, nolis, videbunt juſti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

[Margin: Boni malorum odiis obnoxii. — Luc 2. 34. — Iſa 8. 14. — Epheſ. 2. 14. — Pſal. 111. 3. — Ibidem. — Juſtorum divitiæ. — 2. Cor 1. 12. — Pſal. 111. 9. — Cur invidioſa]

2. Verum hæc illis qui poſſunt eſſe ſuſpecti. Ceterum vobis hoc dicimus: en lucrum præſto eſt, paratc talentum. Quid enim facit in ſudario, quod quandoque cum uſura exigendum eſt? dum tempus habemus, cur operari negligimus? Sane etſi veſtro ex officio ſemper in promptu ſit pietatis incumbere lucris, ſed maxime in præſentiarum maximus ſanctæ avaritiæ patet quæ- D ſtus: tantum vos non pigeat ipſam, quam ad hoc ipſum accepiſtis, dominicam in medium proferre pecuniam. Alioquin ſapientia abſcondita, & theſaurus inviſus quæ utilitas in otriſque? Denique ſi vere vobis non ſolum officii, verum (ut aiunt) & ſtudii eſt operari bonum ad omnes: maxime hoc debetis ad domeſticos fidei. Quod quidem licet omnibus ab Apoſtolo promulgatum ſit generale mandatum, id tamen ſpecialiter à vobis loci ipſius veſtri atque miniſterii privilegio audacter expoſcimus. Niſi forte (quod minime ſentimus) magis occupatis locum, quàm honorificatis miniſterium. Siquidem cum nullum ferme fiat in orbe bonum, quod per manus quodammodo Romani E Cancellarii tranſire non habeat, ut vel vix bonum judicetur, quod ejus prius non fuerit examinatum judicio, moderatum conſilio, ſtudio roboratum, & confirmatum adjutorio: cui juſtius erit quàm ipſi deputandum, quicquid juſtis in negotiis vel infectum, vel minus perfectum fuerit deprehenſum, ſicut & æque omne quod invenietur utiliter atque laudabiliter conſummatum? Proinde aut feliciſſimum merito dixcrimus hominem, qui illum locum tenet; aut certe miſerrimum, quippe qui univerſi ſemper boni aut participem ſe ſine dubio probabit, aut hoſtem: jureque in eum tota, ſive laus, ſive vituperatio, verſabitur pro rerum exitibus, & ſuorum meritis ſtudiorum. Beatus autem F qui dicere poterit Domino: *Particeps ego ſum omnium timentium te. & cuſtodientium mandata tua.*

[Margin: Occaſiones lucri ſpiritualis non negligendæ. — Eccli 20. 32. — Gal. 6. 10. — Cancellarii in Romana Curia auctoritas. — Pſal 118. 63.]

3. Sed quid agimus? dum rem neceſſariam vobis intimare ſatagimus, pæne obliti ſumus, quàm occupatis auribus iſta ingerimus. Quamquam ſi opus ſit & fiducia, nequaquam fortaſſis importuni videbimur: ſi ta- A men recordamini non noſtra merita, ſed veſtra munera, quibus apud noſtram humilitatem dignanter ſatis amicitiarum fores anticipare [a] curaſtis. Hoc nimirum, hoc veſtræ dignationis ac devotionis clarum admodum inſigne tenemus, quod tantillos tantus, tantiſque intentus non dicimus munerandos, ſed vel eſſe ſalutandos à veſtra excellentia judicaſtis. Ipſe itaque vobis pro materiali ſpirituale, quod eſt ſapientia, retribuat aurum, qui nobis jam tribuit, non tam dato veſtro, quàm veſtro delectari lucro. Valete.

Ad Raynaldum [b] archiepiſcopum Remenſem.

EPISTOLA CCCXII*.

*[Margin: Circ. ann. MCXXX. * Nova; quæ vero antea 318. nunc 398.]*

De remiſſis ad ſe litteris gratias agit.

Reverendiſſimo patri ac domino R. Dei gratia Remenſium archiepiſcopo, F. Bernardus de Clara-valle, ſalutem, & ſi quid poteſt peccatoris oratio.

Benedictus Deus, qui nos litterarum veſtrarum dignatus eſt viſitatione conſolari. Et quidem potuimus litteris litteras utcumque reddere: ſed quando huic gratiæ ſufficimus rependere vicem, qua nos a vobis benedictionibus dulcedinis tantæ præventos eſſe merito gloriamur, excitamur exhortationibus, ſalutationibus honoramur? Homines utique tam iis nomini- C bus indigni, quam vobis incogniti: ſed certe eo magis non ingrati, quo minus digni. Verumtamen, dum hæc facitis, facitis quod debetis, quia ſapientibus & inſipientibus debitorem vos eſſe cognoſcitis. Sane illa opinio, cujus odore bono veſtræ dignitatis excellentiam in id dignationis erga puſillitatem noſtram dicitis fuiſſe permotam, periculoſa quidem, ſed in hac parte non mediocriter officioſa: quoniam ex hoc præcurrente vento fructus ille peroptimus nobis & gratiſſimus, & qui nil vento ſimile habet, provenit, quod in tanto Dei altiſſimi Sacerdote prius ſuſcipi in gratiam, quam in notitiam meruerimus. De adventu noſtro, cur modo non venerimus, ſive quando venire D diſpoſuerimus, vel ſi quæ ſunt alia, quæ de nobis interim ſanctitati veſtræ ſit ſciſcitari, harum lator monachus, quem ad hoc ipſum præmittere curavimus, vobis fideliter de omnibus ſatisfacere poterit.

Ad Gaufridum [c] abbatem ſanctæ Mariæ Eboracenſis *.

*[Margin: c * d'Yorc Ord. S. Bened. — Ann Chr. MCXXXII. * al 371. quæ vero antea 313. nunc 811.]*

EPISTOLA CCCXIII*.

Religioſos, à laxiore ad ſtrictiorem vivendi modum tranſire volentes, non impediendos; & apoſtatas cenſendos, qui poſt tranſitum reſiliunt ad vitam priorem.

Viro venerabili domino Gaufrido, abbati ecclesiæ ſanctæ Mariæ Eboracenſis, frater Bernardus E abbas dictus Claræ-vallis, in Domino ſalutem.

1. Placuit reverentiæ tuæ litteras parvitati meæ dirigere, in quibus me de rebus dubiis conſulere voluiſti. Verum de his & ſimilibus tanto quid certum reſpondere pertimeſcimus, quanto minus divinæ voluntatis beneplacitum, ſicut homines, ad purum intuentes, proximorum animos, ſi quicquam aliud quàm volunt edicimus, offendere dubitamus. Quod ſane illis potiſſimum accidit, quorum conſcientia, quia faſtidioſæ mentis angore confunditur, difficiles & anguloſas impuritatis ſuæ ratiocinationes affectare conatur. Sed ipſa tamen cæcitatis ſuæ vindex eſt: quia dum quaſi ſibi adulari nititur eo quod egit, ilico re- F currente veritatis aculeo repungitur ac remordetur in eo qood meminit. Cujus nimirum difficultatis ærumnam Pſalmiſta deplorans orat, & dicit; *Educ Domine de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.* Ne me ergo, vir bone, quaſi ſimulatæ calliditatis arguas, ſi minus quàm velis, inquiſitionibus tuis reſpondere

[Margin: Conſulentes non ſincere merito anguntur. — Pſal. 141. 8.]

a Inde patet, hanc epiſtolam, vel primam, vel unam ex primis ad Haimericum à Bernardo ſcriptam eſſe, & quidem ante epiſtolam 15. Cancellarius erat Haimericus jam inde ab anno 1125. ut probat Honorii ſecundi bulla in Bibliotheca Cluniacenſi col. 1379.

b Raynaldus ſeu Reginaldus, eo nomine ſecundus, Remenſi eccleſiæ præfuit ab anno 1124. ad initium anni 1139. ſecundum noſtrum calculum, mortuus Idib. Januarii, ut notavimus ad epiſtolam 170.

c Hujus epiſtolæ argumentum pendet ex epiſtola 94.

ſufficiam, vel, ſi quid valeo, totum tamen explicare non audeam. Litterarum ſiquidem tuarum prima ſpecies à querimoniis ſumpſit exordium: quia videlicet ſenectuti tuæ grave infortunium ſit, quod monachorum tuorum aliqua pars ad arctiorem ac ſecuriorem converſationis modum tranſire præſumpſit. Quia in re potius reformidare habes, quod triſtitia hujus ſæculi mortem operatur.

Majorem profeſſus non mutanda.

2. Nempe ſi in humanis opinionibus ratio vigeat, dolendum non eſt, ſi homo quandoque Creatoris ſui legibus rectius inhærere præſumat. Et nos quidem non ſancte, non ſatis pie paternis ſollicitudinibus invigilamus, ſi filiorum provectibus invidemus. Quocirca ſi conſiliarium unum de mille habere vis, immo, ni fallor, maxime vis; conſulto opus eſt, quatenus filiis tuis, in mediocritatem tecum remanentibus, ne deficiant attendas: ceteris vero citra profeſſionis ſuæ puritatem propter conſcientiam remanere metuentibus, ac de bono quod ſemel aggreſſi ſunt, religionis propoſito ad altiorem gradum tranſire nitentibus, juxta Prophetam, cum panibus occurras. Illis curam maximam impendas, ne inſoleſcant ad ruinam; ceteris autem benevolentiam offeras, ut proficiant ad coronam. Nempe qui aſcenſiones in corde ſuo diſponunt, qui de virtute in virtutem eunt; Deum deorum in Sion eo felicius videre merentur in retributione, quo ſummo bono familiarius adhærere ſtuduerunt puriore converſationis ordine.

Iſai. 16. 14

3. Denique de duobus monachis, Gervaſio [a] videlicet atque Radulfo, qui ſimul cum aliis, domino Turſtino archiepiſcopo paterne & epiſcopaliter ſatagente, ſunt egreſſi, & (ſicut ipſe teſtaris) te abſolvente quandoque dimiſſi; certus ſum, quia ſi intra puritatis gradum, quem aſcenderant, permanſiſſent, non perperam, ſed laudabiliter peregiſſent. Certus quoque ſum nihilominus, quia ſi velint reſumere puritatis gradum à quo temere corruerunt, ea virtutis gratia laudabiliores erunt, qua ſolent milites fieri poſt fugam ignaviæ de victoria tanto glorioſiores, quanto poſt ignominiam de ſpe victoriæ ad pugnam redeunt alacriores. Et credo, ni fallor, quod abſolutio quæ facta eſt, poteſt interim impediri; ſed apud omnipotentis Dei judicium nequit evacuari. Poſtremo vitam iſtam conſiteris quidem eſſe ſanctiorem: illos tamen propter carnis fragilitatem vel propinquitatis affectionem non poſſe dicis ſuſtinere hujus anguſtiæ difficultatem. Ad hæc vero ſuperaddis, eorum præſentiam tibi fore neceſſariam; & idcirco vehementer inquiris, utrumne ſine culpa remanere queant in loco, unde non ſine ſcandalo ſunt egreſſi.

4. De qualitate, inquam, ſcandalorum diſcernenda, de carnis affectione propter Chriſtum penitus amputanda, de commodis vero temporalibus propter animæ ſalutem fugiendis magnopere tonat Evangelium, tota clamat ubique ſeries Scripturarum. quod ignorare non tam malum, quam pæne hæreticum eſt. At vero certus non ſum, an eorum talis reditus abſque pœnali culpa debeat æſtimari. Periculosum quippe valde eſt, & gravi ruinæ proximum, de Dei miſericordia præſumere contra Dei juſtitiam; & ipſam velle defendere contra ipſam. Denique Scriptura ait: *Ne adjicias peccatum, & dicas, miſeratio Dei magna eſt.* Nam & malus diſcretionis modus eſt, cum præponderant minora majoribus, ſive deteriora melioribus comparantur.

Reditus ad priorem locum non licitus. V. epiſt. 1.

Eccli. 5. 5. & 6.

5. Ac deinde poſt hæc vehementer expoſtulas, cur merito apoſtatæ debent appellari, ſi ad cœnobium ſuum revertentes, cum bonis conſuetudinibus profeſſionem ſuam ſtudeant adimplere. Ego, inquam, eos damnare non debeo. Novit Dominus qui ſunt ejus: & unuſquiſque onus ſuum portabit. Quem enim tenebræ non comprehendunt, cognoſcetur Dominus judicium faciens, & in operibus manuum ſuarum comprehendetur omnis peccator. De ſe quippe quod ſibi bonum eſt, quiſque ſentiat; ego de me dicam, quod ſentio. Ego Bernardus, ſi de bonis ad meliora, vel de periculoſis ad ſecuriora voto & opere libere pertranſiſſem, & illicita voluntate ad ea quæ mutavi, denuo recurrere præſumpſiſſem; non ſolum apoſtata, verum etiam regno Dei non idoneus fieri pertimeſcerem. Hoc & beatus Gregorius [a] ait. Quiſquis, inquit, majus bonum ſubire propoſuit, minus bonum, quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe eſt: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & retro reſpiciens, aptus eſt regno Dei.* Qui ergo fortiori ſtudio intenderat, retro reſpicere convincitur, ſi relictis amplioribus bonis ad minora retorquetur. Quod autem de excommunicatione quadam interſerere voluiſti; ut mihi videtur, nec tua interfuit inveſtigare, nec mea quicquam intereſt judicare. Neque enim lex judicat quemquam, niſi prius audiatur; & in abſentem judicium temere promulgatur.

Apoſtatæ immerito cenſendi.

Gal. 6. 5.

Pſal. 9. 17.

a S. Gregorius 3. par. Paſt. cap. 28.

Vid. ſupra epiſt. 94.

Ad dominum Papam [b] INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCCXIV*.

Ann. Chr. MCXXXIV.

* al. 318 quæ vero antea 314 nunc 130.

Bernardus poſt reconciliatos Eccleſiæ Mediolanenſes, juſſu Innocentii ad pacificandas ipſas inter ſe Lombardiæ civitates profectus, Papiam & Cremonam ſe contulit. Sed apud Cremonenſes nihil proficiens, eorum pertinaciam Pontifici ſignificat, & ut ſeveriorem, quam in Archiepiſcopum Mediolanenſem parabat ſententiam, pauliſper ſuſpendat, hortatur.

Amantiſſimo Patri & domino INNOCENTIO ſummo Pontifici, frater Bernardus, modicum id quod eſt.

Cremonenſes induruerunt, & proſperitas eorum perdit eos: Mediolanenſes contemnunt, & confidentia ipſorum ſeducit eos. Hi in curribus & in equis ſpem ſuam ponentes, meam fruſtraverunt, & laborem meum exinanierunt. Abibam triſtis, cum ecce non mediocris à veſtra parte conſolatio: ut etſi abundant tribulationes pro Chriſto, abundent & conſolationes per ipſum. Accepi optatas litteras, ferentes delicias cordis mei, certitudinem de veſtra incolumitate, hoſtium infortuniis, ſucceſſibus amicorum. Ceterum perlegenti rurſum triſtior finis lætitiam temperavit. Quem enim veſtra non terreat indignatio? Fateor juſtam, & eo plus terreor. Dico tamen, quod factum nondum eſt, faciendum eſt, ſed tempore quo præviderit Deus. Si quo minus, erit vobis æque in promptu quicquid intentatis inferre, & non æque forſan periculoſum. Alioquin quod tantis Dei miſerationibus, tantis veſtris, veſtrorumque [c] laboribus in populo iſto noviter ædificatum eſt, heu! quàm leviter deſtrui poteſt. Mirum ſi ei qui miſericordiam legitur ſuperexaltare judicio, placere poteſt. Sed ô infelicem illum Epiſcopum [d], qui in Hur Chaldæorum, de quodam quaſi paradiſo tranſlatus, frater factus eſt draconum, & ſocius ſtruthionum. Quid faciet? Obedire vult, & ecce beſtiæ Epheſi frendent in eum dentibus. Diſſimulare vult prudenter pro tempore, & omni feritate formidoloſiorem veſtram indignationem incurrit. Anguſtiæ ſunt ei undique, niſi quod tolerabilius judicat ſibi eſſe ſine populo, quam ſine domino: pluris habens, ut dignum eſt, apoſtolicam gratiam, quàm Mediolanenſem cathedram. An vos de ejus fidelitate dubitatis? Si quis vobis aliud de eo maligna perſuadere ſuggeſtione tentavit, ſe magis prodidit infidelem, qui virum tam boni teſtimonii lingua perfida in ſuo livore perſequitur. Parce, Pater benigne, parce fideli tuo, parce adhuc recenti ſtructuræ, parce novellæ plantationi, parce denique populo acquiſitionis tuæ, hiſque ipſis beneficiis tuis, quæ te eidem veraciſſime contu-

a De eorum defectione lege tomum 1. Monaſtici Anglicani pag. 738 col. 2. & ſequenti, ubi Gervaſius reſumtis viribus rediiſſe ad caſtra, & *apoſtaſiæ maculam* morum converſione deterſiſſe memoratur: Radulfus vero in remiſſiorem ſe vitam penitus recepiſſe.

b Cohæret hæc epiſtola cum epiſtolis 131, 132, & 133.

c Guidonis Piſani ſcilicet, ac Matthæi Albanenſis, qui ad Mediolanenſes ab Innocentio legati cum Bernardo, ex epiſtola 131.

d Ribaldum opinor, qui electus, & ab Innocentio confirmatus in locum Anſelmi rejecti, ut in eadem epiſtola 131.

liſſe commemoras. Memento, pie domine, ſermonis A Domini tui, quem dixit: *Ecce anni tres ſunt*, inquit, *ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Tu vero vix tres exſpectaſti menſes, & jam ſecurim paras. Si tres annos ſuſtinuiſſes, quartum adhuc à fideli ſervo dominici jure exigeremus exempli. Dicimus ergo & nos: Dimitte & hoc anno, ſi quo modo forte circumfoſſa humo ligone pœnitentiæ, adhibitoque fimo lacrymarum ſuarum, ſterilitati Mediolanenſium is, cui eam credidiſti, conſulere, & fructum elicere queat.

Luc. 13. 76

Ad MATHILDEM [a] reginam Anglorum.

EPISTOLA CCCXV*.

Circ. ann. MCXXXIV. * al. 344 quæ vero antea 315 nunc 341.

Rogat ut annuat petitioni alias inſinuata pro monachis de Capella [*].

[*] Le Chapelle Ord. S. Bened. diœc. Bolon.

Illuſtriſſimæ dominæ, & dilectiſſimæ in Chriſto filiæ (quod non ex præſumptione loquor, ſed ex affectu) MATHILDI Dei gratia Anglorum reginæ, Bernardus.

SI de veſtra ſublimitate præſumo, non eſt mirum. Jam enim non ego ſolus ſentio, ſed omnes pæne noverunt, quomodo nos acceptetis, & quanto nos diligatis affectu. Propter quod rogatus ſum à quodam amico veſtro, venerabili Abbate de Capella, ut pro decima quadam vos rogemus: unde, ſi bene meminiſtis, Boloniæ [b] vos rogavi, vos quoque more veſtro benigne audiſtis me. Sed quia nondum factum eſt quod rogamus, tempus eſt ut jam petitio illa mancipetur effectui. De cetero bene ſervate mihi filium, quem nunc peperiſtis: quia & ego quoque (ſi Regi non diſplicet) in eo mihi vindico portionem. Vale.

Ad HENRICUM Senonenſem archiepiſcopum, & ad HAIMERICUM cancellarium.

EPISTOLA CCCXVI*.

Circ. ann. MCXXXV. * al. 375 quæ vero antea 316. nunc 356.

Hortatur, ut Nobili cuidam, bona eccleſiaſtica poſſidenti, ſed nunc ea religioſis quibuſdam cedere volenti, non adverſentur.

CUm laici eccleſias ſive eccleſiaſtica [c] beneficia, quæ illicite tenent, relinquere volunt, unum bonum eſt: cum vero tranſire ea in uſus ſervorum Dei volunt, duplicatur bonum. Sed hoc cum fieri non poteſt, niſi per manus Epiſcopi; gemini ſe Epiſcopus aut mali reum, aut boni probabit auctorem, juxta quod ſuum aut negabit, aut dabit aſſenſum. Quod Miles quidam vos rogat, hoc à vobis ipſe rogari debuerat. Quid enim? meliuſne eſſe judicatis ab homine militari hereditate poſſideri ſanctuarium Dei, quàm à Sanctis Dei? Mirum, ſi non mirantur omnes qui audiunt. Nolite, quæſo, nolite, ne forte audiant filii incircumciſorum, & lætentur. Eſto poteſtis captivam eccleſiam eripere de manu potentis, & juri proprio vindicare, quod minime arbitramur: quemnam, quæſo, de illa libentius elegiſtis vobis heredem & ſucceſſorem? qui inde deſerviat exercitibus Regis, an interceſſorem pro peccatis veſtris? Facite ergo quod juſtum, quod vobis dignum, quod Deo & omnibus bonis jucundum eſt: quod denique, etſi aliud non eſſet, amore noſtri confidenter fieri poſtularem.

[c] Beneficia eccleſiaſtica Religioſis à ſæcularibus reſtitui bonum duplex.

Ad Priorem [d] ſuum GODEFRIDUM.

EPISTOLA CCCXVII*.

Ann. Chr. MCXXXVIII. * al. 12* quæ vero antea 317. nunc 357.

Schiſmate exſtincto, & pace compoſita, jam ſe quamprimum ad ſuos rediturum pollicetur.

Fratri GODEFRIDO, frater Bernardus, ſalutem.

IN Octavis Pentecoſtes ipſa die complevit Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ unitatem, & Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes domini Papæ, & facti homines B ejus ligii [e], juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque qui in ſchiſmate erant, ſimul cum idolo [f] quod erexerant, humiliantes ſe ad pedes domini Papæ, obedientiam ei juxta morem promiſerunt, & facta eſt lætitia magna in populo. Hanc pacem niſi cum quadam ſecuritate, occultata tamen diu à nobis, exſpectaviſſemus, jamdudum veniſſemus. De cetero jam nihil eſt quod nos hic detineat. Facio quod imperaſtis: Veniam vertimus in Venio. Ecce enim venio cito, etiam & merces mea mecum eſt, victoria Chriſti, & pax Eccleſiæ. Sexta feria poſt diem illum egreſſus eſt noſter de civitate. Itaque venientes veniemus cum exſultatione, portantes manipulos pacis. Et hæc quidem verba pulcra ſunt, ſed pulcriora ſunt facta. Etenim tam pulcra ſunt, ut quiſquis non lætatur in eis, aut ſtultus ſit, aut nequam. Vale.

Ad Papam INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCCXVIII*.

Circ. ann. MCXXXVIII. * al. 319. quæ vero antea 318. nunc 314.

Remenſis eccleſiæ pericula inſinuat, & maturam opem à Pontifice deſiderat.

Amantiſſimo Patri & Domino INNOCENTIO ſummo Pontifici, frater B. Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

CAdit in interitum Remenſis eccleſia, data eſt in opprobrium civitas glorioſa: clamat tranſeuntibus per viam, quod non ſit dolor ſimilis dolori ejus. Foris enim pugnæ, intus timores. Sed & intus pugnæ, quoniam filii ejus pugnant contra eam, nec habet generatorem qui liberet eam: unica ſpes ejus Innocentius, qui abſtergat lacrymas à maxillis ejus. Sed uſquequo, domine, clypeus protectionis veſtræ non opponitur? uſquequo conculcabitur, nec inveniet ſublevantem? Ecce Rex humiliavit ſe, & jam quievit indignatio ejus. Quid ergo supereſt, niſi ut manus apoſtolica ſupponatur afflictæ, & plagis ejus curam adhibens, & fomenta? Primum itaque eſſe credimus, ut maturetur electio, ne inſolentia Remenſis populi diſperdat ſi quid reſiduum eſt, niſi in brachio excelſo furori ejus reſiſtatur. Si hæc rite celebrata fuerit, confidimus quod in reliquis quoque daturus ſit Dominus gratiam & effectum.

[a] Mathildis filia Malcolmi III. Scotiæ regis, Henrici V. Imperatoris, dein Henrici I. Anglorum regis uxor, ex eo genuit Henricum II. de quo Bernardus in fine epiſtolæ, quæ ante annum 1135 Henrici I. mortalem, ſcripta eſt. Alia fuit Mathildis, Fulconis V. Comitis Andegavenſis filia, Guilielmo ejuſdem Henrici I filio deſponſa, ſed eo Oceani aquis abſorpto Fontis-Ebraldi religioſa & abbatiſſa, ad quam Petrus Cellenſis lib. 1. epiſtola 10.

[b] Quippe Mathildis tantum Bernardo ſtudium & affectum exhibuit, ut Boloniam venienti pedes ei extra urbem occurreret, ex Vitæ lib. 4. num. 6.

[c] Si id probat Bernardus de beneficiis eccleſiaſticis clericorum ſæcularium, quanto magis probaſſet de regularibus!

[d] *Cariſſimum* dicit in epiſtola 142. Epiſcopus poſtea fuit Lingonenſis, ex dictis ad epiſtulam 164. Ejus litteras habes apud Petrdum pag. 155. Anno 1141. componitur pontificatus ejus annus ſecundus pag. 134.

[e] Ligius, qui domino ſuo ratione feudi vel ſubjectionis fidem omnem contra quemvis præſtare debet.

[f] Victore antipapa, qui exſtincto Anacleto à ſchiſmaticis electus.

Ad Torstinum Eboraci archiepiſcopum.

EPISTOLA CCCXIX[a].

Circa ann. MCXXXVIII. ... quæ ... nunc 319.

Hortatur curam paſtoralem ne dimittat: ſi tamen juſta cauſa, aut Pontificis conſenſus adſit, locum petat religioſa diſciplina magis obſervantem.

Reverendo Patri & domino Turstino, Dei gratia Eboracenſi archiepiſcopo, Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem, non tam in via, quàm in patria.

1. Laudamus quod optatis quietem, & deſiderium habetis cum pace obdormire in Domino. Verumtamen iſtæ quas prætenditis cauſæ curæ paſtorali non videntur poſſe præſcribere: niſi forte (quod abſit, & nos non credimus) mortale[a] aliquid commiſſum ſit, aut ſummi Pontificis auctoritate emerito fuerit indulta licentia. Nam neque vos ignorare credimus illud Apoſtoli: *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem.* Verbo ſiquidem promiſſionis, qualem vos feciſſe dicitis, non tenetur Epiſcopus, quominus in eo quo vocatus eſt miniſterio perſeveret.

2. Videtur ergo nobis, ſanius ſapienti non præſcribentibus, ut quod tenetis teneatis, & humilitatis habitu[b], vitæque ſanctitate monachum exhibeatis in Epiſcopo. Quod ſi aut cauſa latens cedere compellat, aut dominus Papa quietem indulgeat; pro noſtro exiguo ſapere conſilium damus, ut nulla victus aut veſtitus aſperitas, nulla omnino paupertas vos deterreat, quominus tranſeatis, ubi majorem invenire ſperatis puritatem. Quamquam in hujuſmodi domibus, animabus ſic conſulitur, ut pro ætate & imbecillitate, congrua cura corporibus non negetur. Veſtri ſumus, pro vobis Deum rogamus attentius, quatenus adſpiret vobis quod melius eſt: concedatque pondus diei & æſtus ſic portare, ut ad veſperam regia ſignatum imagine recipiatis denarium.

Ob auſteritatem parcimoniæ vitæ monaſticæ non refugienda.

Alexandro[c] Priori de Fontibus, & ejuſdem loci Fratribus.

EPISTOLA CCCXX[*].

Ann. Chr. MCXXXVIII. * al. 320. quæ ... nunc 317.

Hortatur ad electionem novi Abbatis unanimiter faciendam.

Dilectiſſimis in Chriſto Fratribus Alexandro Priori, & univerſo conventui de Fontibus, frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem, & noſtras qualeſcumque orationes.

1. Venerabilis Pater veſter beato fine curſum conſummavit, & obdormivit in Domino[d]. Ego vero licet omni tempore, paterna pro vobis, tamquam pro viſceribus noſtris, caritate ſollicitus, nunc tanto majorem pro vobis ſollicitudinem gero, quanto major incumbit neceſſitas. Unde & dudum miſiſſem ad vos, niſi quod exſpectabam, donec opportunius atque utilius id agere poſſem, eo quod venerabilis abbas Henricus[e] citius advenire non poſſet, negotiis aliquibus occupatus: quem præcipue deſtinare propoſueram ab initio, eo quod ipſe utilior, & huic negotio magis idoneus videretur. Hunc ergo, fratres dilectiſſimi, cum eo honore & amore ſuſcipite, quo dignus eſt, & ſic audite eum in omnibus, tamquam meipſum. Immo & tanto amplius, quanto ille & prudentia, & meritis anteceſſit. Ei ſiquidem & in facienda electione, & in omnibus, quæcumque vel in hoc monaſterio, vel in ceteris quæ ab eo[f] exierunt, ordinanda, vel emendanda fuerint, omnino vicem noſtram commiſi. Miſi autem cum eo fratrem Willelmum, qui eſt filius noſter dilectiſſimus.

2. Et nunc obſecro vos, tamquam filios cariſſimos, ut in electione veſtra idipſum ſapiatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſed unanimes uno ore glorificetis Deum: quoniam non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. unde & factus eſt in pace locus ejus, & dicit: *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Abſit enim ab his, qui in ſchola Chriſti degunt, ſub magiſterio Spiritus-ſancti, ut gaudeat de eis inimicus, & in eorum diſſenſione glorietur, quod & ipſorum animæ periclitentur, & fruſtra depereat totus pœnitentiæ labor; & fœtere faciant odorem bonum Ordinis noſtri, & per eos nomen Chriſti blaſphemetur, per quos maxime fuerat glorificandum. Immo vero, ſicut bene de vobis confidimus, ſicut decet ſanctos, ſicut oportet ſervos Chriſti, unanimiter, obſecro, eligite vobis idoneum paſtorem animarum veſtrarum, una cum venerabilibus Abbatibus de Rievalle & Valle-clara: quorum conſilio volo vos in omnibus acquieſcere, tamquam noſtro.

Luc. 11. 23.

Diſſenſio monachorum pœnitentiam irritam reddit.

Ad Henricum de Murdach[g], primum abbatem de Valle-clara, poſtea de Fontibus, tandem archiepiſcopum Eboracenſem.

EPISTOLA CCCXXI[*].

Eodem an. * al. 321. quæ vero antea 321 nunc 141.

Jubet, ne electionem ſui in abbatem de Fontibus refutet.

Dilectiſſimo fratri & coabbati ſuo Henrico, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

Præcipio tibi, frater Henrice, ut ſi in te convenerit electio fratrum noſtrorum de Fontibus, cum conſilio venerabilis Abbatis Rievallis, non refutes, ſed obedias in caritate. Quod quidem invitus facio, ſciens magnum mihi ex tua abſentia ſolatium deperire: ſed convenientibus eis contradicere timeo, credens à Domino exiiſſe ſermonem iſtum, in quo tot Religioſorum vota concordant, cum legerim in Evangelio: *Ubicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego ſum.* Age ergo, cariſſime, & ſuſcipe profeſſiones eorum, & de cetero curam eorum habe, tamquam paſtor animarum eorum. Nec timeas pro ea domo, quam regendam ſuſceperas. Ego enim,

a Hic duas cauſas recedendi in epiſcopo probat Bernardus, nimirum pœnitentiam ob crimen, & facultatem ſummi Pontificis. Epiſcopi olim ob capitalia crimina in ordinem redigebantur, ut ob carnis lapſum, furtum, perjurium, & homicidium. Aliud quodvis mortale peccatum hic intelligendum videtur, cui expiando monaſtica retruſio ſit neceſſaria. Hæc epiſtola ſcripta videtur paullo ante Turſtini obitum, quem anno 1139. accidiſſe tradit Ordericus in lib. 13. pag. 919. ubi Audini Ebroicenſis epiſcopi frater dicitur. Ad eumdem Turſtinum ſcriptæ ſunt epiſtolæ 195. & 235.

b Monachis Epiſcopis factis non licebat habitum & priorem vivendi modum abjicere. Lege Præfationem 2. Sæculi 4. num. 178. & ſeqq. & 189. Sed hodie quàm mutatus eſt color optimus! Lege Abaëlardum in ſermone de ſancto Johanne-Baptiſta fol. 966. Cum vero perſuaſum haberent nonnulli, vitam epiſcopalem, prout tunc agitur, cum inſtitutis monaſticis cohærere non poſſe: electi ad epiſcopatum, prorſus acquieſcere detrectarunt. quale eſt inſigne exemplum Guidonis abbatis Claræ-vallenſis, qui mortuo Willelmo archiepiſcopo in ſedem Remenſem cooptatus, electionem conſtanter refutavit ob ipſam rationem, apud cl. Baluzium in tomo 2. Miſcellaneorum pag. 247.

c Hic fuit *frater uterinus Richardi abbatis* Fontanenſis in Anglia, eo nomine ſecundi, *qui apud Claram-vallem obiverit in pace*, teſte Setlone in Monaſtici Anglicani tomo 1. pag. 854. ubi de monaſterio Kirkſtallenſi ſeu Montis S. Mariæ in agro Eboracenſi. cujus loci primus abbas inſtitutus eſt Alexander anno 1147 Henrico de Murdach tum archiepiſcopo, ad quem epiſtola ſequens. Alius fuit Alexander, itidem Anglus, & quidem abbas Fontanenſis, ſed in diœceſi Turonenſi, de quo in Spicilegii tomo 10. pag. 374. & 377. De monaſterio Fontanenſi in Anglia confer epiſtolas 235. & 255.

d Richardus ſcilicet ſecundus, (non primus, ad quem epiſtola 96.) mortuus in Clara-valle anno 1138. die 15. Maii.

e Henricus de Murdach, tunc abbas Vallis-claræ, ad quem epiſtola ſequens, tum occupatus controverſia, quæ inter Vallis-claræ & Cuiſſiaci monaſteria fervebat, apud Hermannum monachum Laudunenſem in lib. 3. cap. 16. In Henricum concertabat Lucas abbas Cuiſſiacenſis, ad quem epiſtola 79.

f Nempe in Fontanenſi, & in tribus aliis ex eo productis, videlicet Novo-monaſterio diœceſis Carleolenſis, Kirkenſtadio & Ludæ-parco Lincolnienſis.

g Henricus iſte Anglus, ad quem epiſtola 106. monachus primum in Clara-valle, inde ſub finem anni 1135. miſſus eſt cum ſociis duodecim ad conſtituendum monaſterium Vallis-claræ in diœceſi Laudunenſi, illudque rexit ad finem anni 1138 quo tempore tranſlatus eſt in regimen abbatiæ Fontanenſis, jubente & inſtituente, ut ex his litteris patet, Bernardo: archiepiſcopus Eboracenſis creatus anno 1147. vivere deſiit anno 1153. ex Necrologio Vallis-claræ, prid. Id. Octob.

Deo volente, utilem ei providebo diſpenſatorem; illa namque mihi vicinior eſt. Sed neque pro Epiſcopo [a] dubites obedire: ſuper me illud dimitte.

Ad Hugonem novitium, poſtea Bonævallis [b] abbatem.

EPISTOLA CCCXXII*.

(Circa ann. MCXXXVIII. * al. 313. quæ vetus antea 322 nunc 363)

Laudat vitæ religioſæ propoſitum, præmunitque eum adverſus tentationes, & ad conſtantiam ac perſeverantiam excitat.

Cariſſimo in Chriſto filio Hugoni, novæ creaturæ in Chriſto, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas, confortari in Domino.

1. Audita converſione tua, exſultavimus & delectati ſimus. Quidni gaudeant homines, unde lætantur & Angeli? Jam celebris agitur dies, jam reſonat in excelſis gratiarum actio, & vox laudis. Adoleſcens nobilis, delicatus, vicit malignum, ſprevit mundum, corpus expoſuit, propinquorum renuntiavit affectibus, paratos divitiarum laqueos tranſſilivit, quia pennatum animal erat. Unde tibi hæc ſapientia, fili? Neque enim tantam invenimus in ſenibus Babylonis. (1 Tim. 6. 9.) Ipſi ſunt qui juxta Apoſtolum, immo contra, divites fieri volunt in hoc ſæculo, ut incidant in tentationem, & laqueum diaboli. Hugonis noſtri ſapientia non de terra eſt, ſed de cælo. Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & parvulo revelaſti. Tu quoque, fili, ne ſis ingratus beneficio Redemptoris, (Auſteritatem vitam monaſticam leniunt.) ſed pone animum puerilem, magis autem parvulus eſto malitia, ſed non ſenſu. (1. Cor 14. 20.) Non ætatem teneram Ordinis aſperitas terreat. Memento quod aſperior carduus * (* al. cardo mola.) pannum faciat leniorem, converſatio conſcientiam. Aderit Chriſti ſuavitas, & Prophetæ farinula pulmentum incomeſtibile condietur. (4 Reg. 4. Tentationũ remedium.) Si tentationum ſentis aculeos, exaltatum in ligno ſerpentem æneum intuere; & ſuge non tam vulnera, quam ubera Crucifixi. Ipſe erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium; nec pariter Crucifixum lædere aliquatenus poterunt clavi, quin per manus ejus & pedes ad tuos uſque perveniant.

2. (Mich 7. 7. & Matt 10. 36) Sed inimici hominis domeſtici ejus. Ipſi ſunt qui non te diligunt, ſed gaudium ſuum ex te. Alioquin audiant à puero noſtro: (Johan 14. 28.) *Si diligeretis me, gauderetis utique: quia vado ad Patrem.* Si proſtratus, ait beatus (* Hieron. epiſt 1 ad Heliodorum.)
„ Hieronymus *, jaceat in limine pater, ſi nudato ſi-
„ nu, quibus te lactavit, ubera mater oſtendat, ſi
„ parvulus à collo pendeat nepos; per calcatum tranſi
„ patrem, per calcatam perge matrem, & ſiccis oculis (Amori crucifixi amor parentum cedere debet)
„ ad vexillum crucis evola. Summum pietatis eſt genus,
„ in hac parte pro Chriſto eſſe crudelem. Phreneticorum lacrymis ne movearis, qui te plangunt de gehennæ filio factum filium Dei. (Novitii inſtitutio.) Heu, quænam miſeris tam dira cupido? quis tam crudelis amor, quæ tam iniqua dilectio? (1. Cor. 15 33) Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Propterea, quantum poteris, fili, conſabulationes hoſpitum declinato, quæ dum aurem implent, evacuant mentem. (Colloquia ſæcularium Religioſo, præſertim tironi vitanda.) Diſce orare Deum, diſce levare cor cum manibus: diſce oculos ſupplices in cælum erigere, & Patri miſericordiarum miſerabilem faciem repræſentare in omni neceſſitate tua. Impium eſt ſentire de Deo, quod continere poſſit ſuper te viſcera ſua, & avertere aurem à ſingultu tuo vel clamore. De cetero ſpiritualium patrum conſiliis, haud ſecus quàm majeſtatis divinæ præceptis, acquieſcendum in omnibus eſſe memento. Hoc fac, & vives: hoc fac, & veniet ſuper te benedictio, ut pro ſingulis quæ reliquiſti, centuplum recipias, etiam in præſenti vita. Nec vero credas ſpiritui ſuadenti nimis id feſtinatum, & in maturiorem ætatem differendum fuiſſe: ei potius crede qui dixit, (Thren. 3. 27.) *Bonum eſt homini, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, levavit enim ſe ſupra ſe.* Bene vale, & ſtudeto perſeverantiæ, quæ ſola coronatur.

Ad Innocentium Papam.

EPISTOLA CCCXXIII*.

(Ann. Chr. MCXXXIX. * Nova quæ vetus antea 323. nunc 363. V. epiſt. 179 & 181)

Pro Archiepiſcopo Trevirenſi contra abbatem S. Maximini.

1. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, domine, ac dilectionis circa nos, ſicut frequenter experti ſumus! & nunc ſupereſt ut experiamur adhuc in tempore opportuno. Abſit autem ut aliquid petere audeamus, quod voluntati Dei, & honori tuo ſentiamus eſſe contrarium. Quia ergo cor noſtrum non reprehendit nos de minus rationabili vel honeſta petitione, fiduciam habemus, quod non revertentur ad nos vacuæ preces noſtræ, præſertim quia Patrem pro filio, & Innocentium pro innocente poſtulamus. Quam fideliter Trevirenſis Archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis honorem, & quietem Romanæ eccleſiæ ab adoleſcentia ſua dilexerit, quàm immobiliter & ſollicite in tempore tribulationis ei adhæſerit, & aliis in umbra ſedentibus pondus diei & æſtus cum ea portaverit; quàm conſtanter & intrepide verbum veritatis pro teſtimoniis ejus in conſpectu regum locutus ſit pro conſortibus ſuis, non neceſſe habetis ſcribi à nobis; ipſe enim certiſſime ſcitis. De cetero autem quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, ſi tamen teſtimonium noſtrum accipitis, quàm prudenter & provide res & poſſeſſiones eccleſiæ eripuerit de manu filiorum alienorum, quàm liberaliter & benigne bona ſua ſemper in commune deduxerit, maxime autem circa domeſticos fidei; quàm diligenter & circumſpecte integritatem famæ ſuæ cuſtodierit à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

2. Quid ergo diſplicuit in eo paternitati veſtræ? Numquid quod eccleſiam illam beati Maximini de regia poteſtate extraxit, ut ſacerdotali ſubjiceret? numquid quod hominem illum, qui, ut aiunt, prius dux quàm miles, prius abbas quàm monachus eſſe voluit, non ſuſcepit? Si ergo hoc, vel aliquid aliud in eo diſplicuit, dignum tamen erat, ut apud pium Patrem inveterata dilectio facile non periret, ſed operiret gratia culpam, & hominem in paucis reprehenſibilem, laudabilem in pluribus, multorum beneficiorum recordatio excuſaret. Nunc autem, domine, exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos ejus. Mirabile ſiquidem eſt in oculis multorum, quo vitæ merito, qua opinione boni poſitus ſit in regimine animarum homo, qui accepit in vano animam ſuam. Quomodo namque poterit regere, qui regi non potuit? quomodo audebit præeſſe, qui ſubeſſe non didicit? vel obedientiam imperare ſubjectis, quam prælatis exhibere non novit? *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit*, dicit Magiſter gentium, *quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Denique, qualis pater, tales filii; qui matrem ſuam crudeliter eviſcerarunt, ut haberent unde foverent ſchiſmata, & diſſenſiones: de quorum tamen moribus & converſatione honeſtius eſt ſilere, quàm aliquid loqui. Sed neque hoc ipſum diximus, ut judicemus de alienis ſervis, qui ſuo domino ſtant, aut cadunt: ſed ſcimus, ſi iſtorum miſera voluntas prævaluerit, quod diſſoluti juvenes excutient jugum diſciplinæ à cervicibus ſuis, ut ad ſimilitudinem iſtorum poſſint circumire terram, & perambulare eam: quibus etiam, ſi affectus ad effectum non pertingat, hoc ipſum erit ad gloriam, quod repugnare poterint prælatis ſuis. Heu quantorum & qualium, qui de ſuis meritis apud veſtram miſericordiam confidunt, ſpes & fiducia movebitur de loco ſuo, ſi filium olim tam dilectum, à gremio veſtro, & ab uberibus conſolationis veſtræ turbo repentinus excuſſerit.

3. Si quis ergo precibus noſtris locus eſt apud excellentiam tuam, beate Pater, ſuppliciter petimus, nos qui te potius, quam tua diligimus, ut in die bo-

a Bartholomæo nimirum Laudunenſi epiſcopo, in cujus diœceſi ſita Vallis-clara.

b Bonæ-vallis ſcilicet in diœceſi Veſontionenſi, cujus poſtea abbas iſte Hugo piiſſimus, ſancti Hugonis epiſcopi Gratianopolitani nepos, de quo in Vitæ lib. 4. num. 40.

norum non repellas hominem, qui permanſit tecum in tentationibus tuis, ut aliquid apud te de jure illius depereat, qui à te creſcere potius, quam minui exſpectabat. Alioquin, ſi præter ſpem omnium, & præter meritum hominis contigerit, ut diripiant alieni labores ejus, ut ponantur adverſus eum mala pro bonis, odium pro dilectione; ipſe quidem, à quo non timebit, vulnus excipiet ſolus, ſed multi in perſecutione ejus dolebunt. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, doceat te dividere lucem à tenebris in omni opere tuo, ut ſcias reprobare malum & eligere bonum.

Ad ROBERTUM [a] abbatem de Dunis.

EPISTOLA CCCXXIV*.

Circ. ann. MCXXXIX. * al. 136 quæ vero nunc 324 [illegible]

Abſentia mutua ſolamen ſuggerit, nempe animorum conjunctionem, animo & corporum, quandoque futuram.

Fratri & amico cariſſimo ROBERTO abbati, frater Bernardus de Clara-valle, quod amico cariſſimo.

ET tarde notus, & cito es mihi ſublatus, Roberte cariſſime. Sed conſolor, quod ſolo de corpore patiar hoc: nam ſpiritu ſemper es mecum. Quod tamen vel ipſum quando ego æquanimiter tolerarem, ſi ſolus non eſſet in cauſa Deus? Erit, erit, quando reddemur nobis, quando & quiſque de ſe, & uterque de invicem plene gaudebimus, præſentes nobis in utraque portione noſtri, in neutra deinceps ab alterutro dividendi. Glutinum erit tantæ conjunctionis, qui cauſa nunc eſt tantillæ ſeparationis, præſens perpetuo futurus nobis, præſentes nos nobis perpetuo ſervaturus. Salutamus omnes filios veſtros & noſtros, & rogamus ut orent pro nobis.

Ad EUNDEM, de Iderio novitio.

EPISTOLA CCCXXV*.

Circ. ann. MCXXXIX. * al. 315. quæ vero antea 323. nunc 325.

Quid de Novitio dyſcolo faciendum rogatus conſulit.

Amantiſſimo fratri & coabbati ſuo ROBERTO de Dunis, frater Bernardus Claræ-vallis dictus abbas, ſalutem.

SUper hoc fratre, quem adeo non ſolum inutilem, ſed etiam oneroſum eſſe nuntiaſtis, abſque eo quod intrinſecus latet; quale nobis ipſis, tale & veſtræ dilectioni damus conſilium. Nobis ſiquidem videtur pro his quæ de ipſo retuliſtis, quod in probatione ſua ſe nec probabilem exhibuit, nec receptibilem: & ideo meruit, ut rationabiliter, & ſana conſcientia valeatis malum auferre ex vobis. Verumtamen ſi pietati veſtræ placet ſuperexaltare miſericordiam judicio, adhuc ipſum poteſtis retinere ſine profeſſione, quanto vobis tempore videbitur. Hoc autem omnino diſſuademus, ne eum in hoc ſtatu recipiatis ad profeſſionem: ſed iterum probetur, ſi forte ſe talem exhibere valeat, qualem debet. Sin autem, ferro abſciſſionis utendum eſt, ne una ovis morbida totum gregem contaminet.

Profeſſio novitii dilata.

[b] GUILLELMI abbatis [b], ad GAUFRIDUM Carnotenſem epiſcopum, & BERNARDUM abbatem Claræ-vallenſem.

EPISTOLA CCCXXVI*.

Circ. ann. MCXXXIX. * al. 391 quæ vero antea 322 nunc 400.

Ut Dei & Eccleſiæ cauſam adverſus Petri Abaëlardi errores (quorum aliquot capitula producit) tueantur.

Reverendis in Chriſto dominis & Patribus, GAUFRIDO Carnotenſium epiſcopo, & Bernardo Claræ-vallis abbati, vitam & dies bonos.

1. COnfundor, Deus ſcit, apud vos, cum de re communis & gravis neceſſitatis, ſilentibus vobis, & A aliis, quorum erat loqui, cogor vos alloqui, nullus in hominibus, domini & Patres. Cum enim Fidem communis ſpei graviter nimis & perículoſe corrumpi video, nullo reſiſtente, nullo obloquente; quam Chriſtus ſuo nobis ſanguine ſacravit, pro qua Apoſtoli & Martyres uſque ad mortem pugnaverunt, quam ſancti Doctores duris laboribus ſuis, & magnis ſudoribus defenſam, integram & incorruptam uſque ad fæces temporum noſtrorum tranſmiſerunt; contabeſco in memetipſo, & à frixura cordis & dolore ſpiritus cogor pro ea loqui, pro qua, ſi neceſſe eſſet & opportunum, vellem etiam mori. Nec de minimis agitur, ſed de fide ſanctæ Trinitatis, de perſona Mediatoris, de Spiritu- B ſancto, de gratia Dei, de ſacramento communis redemptionis. Petrus enim Abaelardus iterum nova docet, nova ſcribit; & libri ejus tranſeunt maria, tranſſiliunt Alpes; & novæ ejus ſententiæ de fide, & nova dogmata per provincias & regna deferuntur, celebriter prædicantur, & libere defenduntur: in tantum ut in curia Romana dicantur habere auctoritatem. Dico vobis, periculoſe ſiletis, tam vobis, quàm Eccleſiæ Dei. Pro nihilo ducimus corrumpi fidem, pro qua noſmetipſos nobis abnegavimus: non timemus Deum offendere, ne offendamus. Dico vobis, adhuc parturiens parturit malum hoc: ſed niſi præventum fuerit, erumpet in regulum, cui vix inveniatur incantator. Quod C cur dicam, advertite.

2. Caſu nuper incidi in lectionem cujuſdam libelli hominis illius, cui titulus erat, THEOLOGIA PETRI ABAELARDI. Fateor curioſum me fecit titulus ad legendum. Duo autem erant libelli idem pæne continentes: niſi quod in altero plus, in altero minus aliquanto inveniretur. Ubi cum aliqua invenirem, quæ multum moverent me; notavi, & cur moverent ſubnotavi; & cum ipſis libellis miſi vobis: utrum recte me moverint, judicii veſtri ſit. Cum enim graviter turbarer ad inſolitas in fide vocum novitates, & novas inauditorum ſenſuum adinventiones, cum non haberem in quem refunderem; vos in omnibus elegi, ad quos me conver- D terem, & quos in cauſam Dei, & totius Latinæ Eccleſiæ citarem. Vos etiam timet homo ille, & reformidat. Claudite oculos. Quem timebit? & qui jam dicit quod dicit, quid non dicet, cum nullum timebit? Emortuis quippe ex Eccleſia omnibus pæne doctrinæ eccleſiaſticæ [c] magiſtris, quaſi in vacuam rempublicam Eccleſiæ domeſticus irruens inimicus, ſingulare ſibi in ea magiſterium arripuit: agens in Scriptura divina, quod agere ſolebat in Dialectica, proprias adinventiones, annuas novitates; cenſor Fidei, non diſcipulus; emendator, non imitator.

Abaëlardus novarum vocum & ſenſuum auctor.

3. Hæc ſunt ergo capitula ex Opuſculis ejus collecta, quæ vobis offerenda putavi. 1. Quod fidem diffinit E æſtimationem rerum quæ non videntur. 2. Quod impropria dicit eſſe in Deo nomina Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, ſed deſcriptionem hanc eſſe plenitudinis ſummi boni. 3. Quod Pater ſit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus-ſanctus nulla potentia. 4. De Spiritu-ſancto, quod non ſit ex ſubſtantia Patris & Filii, ſicut Filius eſt ex ſubſtantia Patris. 5. Quod Spiritus-ſanctus ſit anima mundi. 6. Quod libero arbitrio ſine adjuvante gratia bene poſſumus & velle, & agere. 7. Quod Chriſtus non ideo aſſumpſit carnem & paſſus eſt, ut nos à jugo diaboli liberaret. 8. Quod Chriſtus Deus & homo non eſt tertia perſona in Trinitate. 9. Quod in Sacramento altaris in aëre re- F maneat forma prioris ſubſtantiæ. 10. Quod ſuggeſtiones diabolicas per Phyſicam dicit fieri in hominibus. 11. Quod ab Adam non trahimus originalis peccati culpam, ſed pœnam. 12. Quod nullum ſit peccatum, niſi in conſenſu peccati & contemptu Dei. 13. Quod dicit concupiſcentia, & delectatione, & ignorantia nullum

Capitula errorum.

a Robertus de Dunis (quod monaſterium in Belgio prope Furnas à Bernardo conditum, noſtro ſæculo arenis maris ſepultum, ac Brugas demum tranſlatum) à S. Bernardo ſucceſſor apud Claramvallem deſignatus eſt, ex Horſtii Notis.

b Hæc epiſtola præfationis vice præfixa eſt Diſputationi ejuſdem Guillelmi abbatis S. Theoderici prope Remos contra Abaelardum, editæ in tomo 4. Bibliothecæ Ciſtercienſis. Scripta vero eſt ante omnes Bernardi in Abaelardum epiſtolas, ut ex initio epiſtolæ intelligitur, adeoque ante annum 1140.

c Ita fere Hugo Metellus in epiſtola 4. ad Innocentium contra eumdem Abaëlardum. *Mortuo Anſelmo Laudunenſi & Guillelmo Catalaunenſi, ignis verbi Dei in terra defecit, &c.*

peccatum committi; & hujuſmodi non eſſe peccatum, ſed naturam.

4. Hæc pauca interim capitula, ex opuſculis ejus congeſta in unum, primo vobis arbitratus ſum offerenda, ad excitandos vos, & excuſandos nos, ne fruſtra commoti videamur. Quæ tamen cum aliis incidentibus, auxiliante eo in cujus manu ſumus & nos, & ſermones noſtri, ex hoc latius digerere aggrediar; parvipendens, ſi vobis diſplicuero in ſermone, dum non diſpliceam in Fide: ut ſi quocumque modo ſuggerere potuero vobis me juſte commotum, commoveamini & vos; & in cauſa capitis, ſive pes ille ſit, ſive manus, ſive etiam oculus, non paveatis. Dilexi & ego eum, & diligere vel-

B lem, Deus teſtis eſt: ſed in cauſa hac nemo umquam proximus mihi erit, vel amicus. Nec ſecreta commonitione ſeu correptione malum hoc attentandum eſt, quod ipſo ſe prodente, tam publicum factum eſt. Sunt autem, ut audio, adhuc alia ejus opuſcula, quorum nomina ſunt, SIC ET NON: SCITO TE IPSUM, & alia quædam, de quibus timeo, ne ſicut monſtruoſi ſunt nominis, ſic etiam ſint monſtruoſi dogmatis: ſed, ſicut dicunt, oderunt lucem, nec etiam quæſita inveniuntur. Sed jam veniamus ad rem, &c.

Guillelmi zelus pro Fide.

Reſcriptum BERNARDI ad GUILLELMUM abbatem.

C

EPISTOLA CCCXXVII*.

Circ. ann. MCXXXIX
* al. 392. quæ vero antea 327. nunc 339

Libellum contra Petrum Abaelardum conſcriptum laudat, mutuumque colloquium poſt Paſcha promittit.

GUILLELMO cariſſimo ſuo, frater Bernardus.

MOtum veſtrum & juſtum judico, & neceſſarium. Sed & otioſum non eſſe, monſtrat libellus tundens & obſtruens os loquentium iniqua. Non quod illum adhuc attentius, ut jubetis, percurrerim; ſed quia ex eo quod curſim potui pervidere, placet fateor, & potentem exiſtimo iniquum dogma obruere.

D Verum quoniam meo judicio non ſatis, ut optime noſtis, fidere conſuevi, præſertim in tam magnis rebus; operæ pretium puto, præſertim conſiderata opportunitate, me atque vos pariter alicubi convenire & conferre de omnibus. Idipſum tamen ante Paſcha fieri poſſe non arbitror, ne, quod præſens tempus indicit, ſtudium orationis impediatur. Porro ſilentii ac patientiæ ſuper his meæ patientiam habere: cum horum plurima, & pæne omnia [a] hucuſque neſcierim. Jam vero ad quod hortamini potens eſt & Deus dare mihi ſpiritum bonum veſtris orationibus. Valete.

Quadrageſimæ religio

Ad ROMANUM [b] Pontificem.

E

EPISTOLA CCCXXVIII*.

Circ. ann. MCXL.
* Nova quæ vero antea 328, nunc 414
* de Roder.

Contra electum Rutenenſem[*].

HActenus amicorum precibus morem gerentes, ſcripſimus opportune, importune: nunc autem, etiam ſi velimus, tacere tamen Chriſtiana religione prohibemur. *Maledictus*, inquit Propheta, *qui prohibet gladium ſuum a ſanguine.* Quotidie nequitia proficit, malorum deſideria proſperantur; & non eſt qui aſcendat ex adverſo, vel qui opponat ſe murum pro domo Iſraël. Ecce adhuc in diebus tuis, & manibus & pedibus nituntur ingredi ad ſancta ſanctorum homines corruptiſſimi, qui pepigerunt pactum cum morte, & fœdus cum inferno. Ut quid patientia hæc? Rutilenſes [c] clerici elegerunt

Jerem. 48. 10.

A vitiis ſuis conſentientem perſonam, nec puduit eos, etiam in oculis tuis, veritatem operire mendacio, ut dicitur, & circa electam perſonam, & circa negotium electionis. Homo ille, non à Deo, ſed ab hominibus electus, multos habet teſtes infamiæ ſuæ, nullum purgationis, &, ut vobiſcum involute loquar, honeſtius eſt de illo ſilere, quam loqui. Abſit, ut in diebus tuis talia monſtra promoveantur, ut ille ponatur cuſtos animarum, qui pro nihilo ducit effuſionem ſanguinis Chriſti, & pretium redemptionis animæ ſuæ. Quid autem illi aliquantulum aſtute verbum de injuria & oppreſſione appellationis, ut ad ſe per hæc ad curiam inclinarent, cauſæ interſeruerunt ſuæ? Nolite accipere verbum mendacii: quia, ſicut virorum veracium relatione diſcitur, nulla ſecuta eſt appellationis oppreſſio, obi nulla præceſſit appellatio. Proinde oportet, ut quod religioſorum conſilio per Epiſcopum factum eſt, per te robur accipiat in manu potenti & brachio excelſo. Sed & ipſum Archiepiſcopum [d] magis ac magis tibi volumus commendari, pro quo nec rogare, nec exaudiri vellemus, ſi non honorificaret miniſterium ſuum.

Ad Epiſcopum Lemovicenſem.

EPISTOLA CCCXXIX*.

Circ. ann. MCXL
* Nova. quæ vero antea 329 nunc 318.

Contra eumdem electum Rutenenſem.

VErba quæ ego loquor vobis, non pro me ipſo loquor, nec in eis quæro quæ mea ſunt. Vobis loquor pro vobis. Breves dies hominis ſunt. Quamdiu eſtis Epiſcopus Lemovicenſis, miniſterium veſtrum honorificate, ut videamus opera veſtra bona. Cauſam Catinenſis [e] electi, à domino Papa vobis commiſſam, & remota omni appellatione canonico fine terminandam à vobis audientes, facti ſumus ſicut conſolati. Ecce enim præ manibus eſt & tempus, & negotium, in quibus Eccleſia Dei perſpiciet, utrum ſit rationale in pectore Pontificis. Jam non erit otioſus, ſi tamen in vobis eſt, timor Dei, vigor canonum, amor juſtitiæ. In eccleſia Rutinenſi agitur de paſtore, & epiſcopo animarum, & ſucceſſore Chriſti, de illo, inquam, qui ſuſcitet ſemen fratris defuncti. Et ad hæc quis tam idoneus? Numquid ille, quem vita inquinavit, quem conſcientia accuſavit, quem fama publicavit? Numquid ille, qui de abbatia in abbatiam, vel potius de abyſſo in abyſſum deſcendit, ut idem ſit violator virginum, & conſecrator? Et ubi erit jam illud, quod dictum eſt ab Apoſtolo: *Oportet epiſcopum ſine crimine eſſe, tamquam diſpenſatorem Dei?* Noli ergo ſtare contra te ipſum, aliud dicens, & aliud agens: ſed opera tua verbis tuis reſpondeant idem de eodem, ne illud tibi aptari poſſit, quod de quibuſdam dictum eſt: *Infirmata ſunt contra eos linguæ eorum.* Ecce in manu tua eſt. Verumtamen animam tuam cuſtodi, neque communicaveris peccatis alienis. Per te ſtabit, aut per te corruet: ſed ſi per te corruerit, manus tuas conſecrabis Domino.

Judicis conditiones.

Tit. 1. 7.

Pſal. 63. 9.

Ad INNOCENTIUM Papam.

EPISTOLA CCCXXX*.

Ann. Chr. MCXL.
* Nova, quæ vero antea 330. nunc 340.

Contra Petrum Abaelardum.

Amantiſſimo patri ac domino INNOCENTIO, B. Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

PLorans ploravit in nocte Sponſa Chriſti, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſoletur

a Hinc patet, Guillelmum unum ex primis incentorem fuiſſe adverſum Abaelardum quod etiam Guillelmus ipſe in ſuperiori epiſtola diſerte affirmat, conquerendo de Gaufridi & Bernardi ſilentio.

b Hæc epiſtola ſubſequebatur aliam cujuſdam A. *ad Abbatem Reatinenſis monaſterii*, atque inſcripta erat, *ad eumdem.* At Innocentio vel Eugenio, & quidem a Bernardo, directam fuiſſe, patet ex epiſtola ſequente, quæ eſt ejuſdem argumenti, id eſt contra Rutenenſem electum, Ademari ſucceſſorem, cujus nomen ignoratur. Bernardus in epiſtola 240 num. 1. Eugenio gratulatur, ob finitam cauſam Rutenenſis eccleſiæ, nempe ob depoſitum, ut videtur, Rutenenſem epiſcopum indignum, de quo hac in epiſtola & in ſequente.

c Legendum *Rutinenſes*, ut colligitur ex epiſtola ſequente. Rutila monaſterium diœceſis Trevirenſis, de quo in lib. 4. Vitæ num. 47. nihil juvat ad hunc locum.

d Bituricenſem ſcilicet, cujus ſuffraganeus eſt epiſcopus Rutenenſis.

e Forte legendum *Caturcenſis*, nam vix ad aliam civitatem hæc epiſtola referri poteſt. Quod ſi ita videbatur, hoc loco agi videtur de electione Raimundi, quem proinde Guilelmus à Cruce ex albo Caducenſium epiſcoporum immerito expungat.

cam

eam ex omnibus caris ejus. Moram faciente Sponſo, tibi, domine, commiſſa eſt Sunamitis in loco peregrinationis ſuæ. Nulli familiarius confitetur injurias, nulli ſecretius exponit æſtus & gemitus ſuos, quàm amico Sponſi. Nam quia Sponſum diligis, ſponſam ad te clamantem non deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione. Inter hæc omnia genera hoſtium, quibus circumvallatur Eccleſia Dei, ſicut lilium inter ſpinas, nihil periculoſius, nihil moleſtius eſt, quàm cum ab eis, quos continet in gremio ſuo, & quos ſuis fovet uberibus, laceratur interius. Pro talibus, & de talibus eſt

Pſal. 37. 11. illa vox dolentis & gementis: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.* Nulla quidem peſtis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Argumento nobis ſunt & Abſalon familiaritas, & oſculum Judæ. Fundamentum aliud ponitur nobis, præter id quod poſitum eſt. Nova fides in Francia cuditur, de virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis non fideliter, de myſterio ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter ac ſobrie, ſed præter ut accepimus, diſputatur. Magiſter Petrus & Ernaldus, à cujus peſte Italiam purgaſtis, adſtiterunt & convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Squama ſquamæ conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, & de fermento ſuæ corruptionis corrumpunt fidem ſimplicium, morum ordinem conturbant, Eccleſiæ maculant caſtitatem: ad imaginem & ſimilitudinem illius qui transfigurat ſe in angelum lucis, habentes formam pietatis, ſed virtutem ejus abnegantes, circumornati ſunt ut ſimilitudo templi, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Evaſimus rugitum Petri Leonis, ſedem Simonis Petri occupantem: ſed Petrum Draconis incurrimus, fidem Simonis Petri impugnantem. Ille perſecutus eſt Eccleſiam Dei manifeſte, ſicut leo rapiens: iſte vero, tamquam draco, ſedet in inſidiis in occultis, ut interficiat innocentem. Sed tu, Domine Deus, oculos ſuperborum humiliabis, tu conculcabis Leonem & Draconem. Nocuit ille, quoad vixit; & idem fuit ei vitæ terminus atque malitiæ: iſte vero nova dogmata ſcribens, jam providit, quomodo virus ſuum transfundat in poſteros, quomodo noceat generationi omni, quæ ventura eſt. Denique, ut pauca de multis dicam, Theologus noſter cum Ario gradus & ſcalas in Trinitate diſponit; cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit, cum Neſtorio Chriſtum dividens, hominem aſſumptum à conſortio Trinitatis excludit. Sed in his omnibus gloriatur, quod Cardinalibus & clericis curiæ, ſcientiæ fontes aperuerit; quod manibus & ſinibus Romanorum libros & ſententias incluſerit, & in tutelam erroris ſui aſſumit eos, à quibus judicari debet, & damnari. Qua mente, qua conſcientia recurris ad fidei Defenſorem, fidei perſecutor? quibus oculis, qua fronte intueberis amicum Sponſi, Sponſæ violator? O niſi detineret me cura fratrum! ô niſi me corporalis infirmitas impediret! quantum deſiderarem videre amicum Sponſi pro ſponſa zelantem in abſentia Sponſi! Ego, qui ſilere non potui injurias domini mei, læſiones Eccleſiæ patienter feram? Tu autem, dilectiſſime Pater, ne elongaveris auxilium tuum ab ea: ad defenſionem ejus conſpice, accingere gladio tuo. Jam enim ex abundantia iniquitatis refrigeſcit caritas multorum: jam jam Sponſa Chriſti, niſi manum adhibeas, egreditur & abit poſt veſtigia gregum, & paſcit greges juxta tabernacula paſtorum.

Ad Stephanum cardinalem & epiſcopum Præneſt.

EPISTOLA CCCXXXI*.

Ann. CHR. MCXL. * Nova, quæ vero antea 331. nunc 330.

Ejuſdem argumenti.

Venerabili domino & cariſſimo patri S. Dei gratia Prænestino epiſcopo, Fr. Bernardus Claræ-vallis Abbas, viriliter agere & confortari in Domino.

Anguſtias & gemitus Sponſæ Chriſti eo vobis familiarius enuntio, quo amicum Sponſi vos eſſe A cognovi, & gaudio gaudere propter vocem Sponſi. Confido enim de vobis in Domino, ſi bene novi interiorem hominem veſtrum, quia non quæritis quæ veſtra ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Petrum Abaelardum, catholicæ fidei perſecutorem, inimicum crucis Chriſti, vita probat, & converſatio, & libri jam de tenebris in lucem procedentes. Monachum ſe exterius, hæreticum interius oſtendit, nihil habens de monacho, præter nomen & habitum. Aperit ciſternas veteres, & lacus contritos hæreticorum, ut bos & aſinus cadat. Siluerat jam per multos dies: ſed quando ſiluit in Britannia, concepit dolorem, & nunc in Francia concepit iniquitatem. Egreſſus eſt de caverna ſua coluber tortuoſus, & in ſi-B militudinem hydræ, uno prius capite ſucciſo, ſeptem pro uno capita produxit. Succiſo uno, ſucciſa fuit una illius hæreſis Sueſſione: ſed jam loco illius ſeptem & eo amplius hæreſes emerſerunt, quarum exemplar habuimus, & miſimus vobis. Rudes & novellos auditores ab uberibus dialecticæ ſeparatos, & eos, qui, ut ita dicam, prima fidei elementa vix ſuſtinere poſſunt, ad myſterium ſanctæ Trinitatis, ad Sancta ſanctorum, ad cubiculum Regis introducit, & ad eum, qui poſuit tenebras latibulum ſuum. Denique Theologus noſter cum Ario gradus & ſcalas in Trinitate diſponit, cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit, cum Neſtorio Chriſtum dividens, hominem aſſumptum à conſortio C Trinitatis excludit. Sic, ſic per omnia fere Sacramenta diſcurrens, attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia damnabiliter. Ad hæc gloriatur, ſe infeciſſe curiam Romanam novitatis ſuæ veneno; manibus & ſinibus Romanorum libros & ſententias ſuas incluſiſſe, & in tutelam ſui erroris aſſumit eos, à quibus judicari debet, & damnari. Provideat Deus Eccleſiæ ſuæ, pro qua mortuus eſt, ut eam exhiberet ſibi non habentem maculam, aut rugam, quatenus perpetuum ſilentium imponatur homini, cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo.

Ad G. cardinalem.

D

EPISTOLA CCCXXXII*.

Ann. CHR. MCXL. * Nova quæ vero antea 332. nunc 167.

Item contra Petrum Abaelardum.

Domino venerabili & Patri dilectiſſimo, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinali G. Bernardus Claræ-vallenſis abbas, ſpiritum conſilii & fortitudinis.

Silere non poſſum injurias Chriſti, anguſtias & dolores Eccleſiæ, & miſeriam inopum, & gemitum pauperum. Incidimus in tempora periculoſa. Magiſtros habemus prurientes auribus: diſcipuli à veritate auditum avertunt, ad fabulas convertuntur. Habemos in Francia monachum ſine regula, ſine ſollicitudine E prælatum, ſine diſciplina abbatem Petrum Abaelardum, diſputantem cum pueris, converſantem cum mulieribus. Aquas furtivas & panes abſconditos domeſticis ſuis apponit in libris, & in ſermonibus ſuis profanas vocum novitates inducit, & ſenſuum. Accedit non ſolos, ſicut Moyſes, ad caliginem in qua erat Deus, ſed cum turba multa & diſcipulis ſuis. Per vicos & plateas de fide catholica diſputatur, de partu Virginis, de Sacramento altaris, de incomprehenſibili ſanctæ Trinitatis myſterio. Evaſimus rugitum Petri Leonis: ſibilos Petri Draconis incurrimus. Sed tu, Domine Jeſu, oculos ſuperborum humiliabis, tu conculcabis Leonem F & Draconem. Nocuit ille quoad vixit, & idem fuit ei vitæ terminus, atque malitiæ: iſte vero jam providit, quomodo virus ſuum transfundat in poſteros, quomodo noceat generationi omni, quæ ventura eſt. Lepram adinventionum ſuarum atramento ſignavit & calamo. Libros ejus habuimus, & miſimus vobis. Cognoſcite auctorem operis in opere. Videte quod Theologus noſter cum Ario gradus & ſcalas in Trinitate diſponit, cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit; cum Neſtorio Chriſtum dividens, hominem aſſumptum à conſortio Trinitatis excludit. & hæc pauca ſunt de multis. Non erit in vobis qui vicem Chriſti doleat,

qui diligat juſtitiam, qui oderit iniquitatem? Si os loquentis iniqua obſtructum non fuerit, videat ille & judicet, qui ſolus laborem & dolorem conſiderat.

Ad G. [a] cardinalem.

EPISTOLA CCCXXXIII[*].

[Ann. Chr. MCXL. * Nova, quæ vero antea 333 nunc 366.]

Ejuſdem item argumenti.

Viro venerabili & amico ſuo G. Diacono Cardinali ſub titulo ſanctorum Sergii & Bacchi, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, ſalutem & dilectionem.

SEcundum tuam conſuetudinem, quotieſcumque curiam intro, ſemper mihi debes aſſurgere. Verba videntur quaſi ludentis; ſed ſeria res agitur. Ecce ego curiam intro, ſecundum cauſam dico, non ſecundum perſonam. Qui perſonæ meæ aſſurgere ſolebas, aſſorge nunc cauſæ meæ, immo cauſæ Chriſti: quia Chriſtus eſt in cauſa, & veritas periclitatur. Aſſurge, immo exſurge adverſus eum, qui diſputat de fide contra fidem, qui verbis legis legem impugnat, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra eum. Hic eſt Petrus Abaëlardus, qui de moribus, de Sacramentis, de Patre & Filio & Spiritu-ſancto ſcribit, docet, & diſputat, C dividens prout vult. Nunc autem intrat curiam, poſtquàm commovit Eccleſiam, & turbavit eam, non ut ſanet contritiones ejus, ſed ad excuſationes excuſandas in peccatis. Si filius ejus es, defende uterum qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.

Ad GUIDONEM [b] Piſanum.

EPISTOLA CCCXXXIV[*].

[Ann. Chr. MCXL. * Nova, quæ vero antea 334 nunc 364.]

Contra eumdem Abaelardum.

GUIDONI Piſano, Bernardus Claræ-vallis abbas, mentem ſanam in corpore ſano.

CAuſam meam propriam ſecure vobis committerem propter officium mutuæ dilectionis noſtræ: nunc autem tanto confidentius iſtam committo, quanto amplius ille diligendus eſt, cujus eſt cauſa. Cauſa eſt Chriſti, immo Chriſtus eſt in cauſa, & veritas in periculo. Dividuntur veſtimenta Chriſti, Sacramenta Eccleſiæ ſcinduntur: ſed integra manet tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Tunica hæc unitas eſt Eccleſiæ, quæ ſciſſuram ignorat, diviſionem non recipit. Quod enim deſuper contextum eſt, quod à Spiritu-ſancto compactum eſt, non diſſolvetur ab hominibus. Cum hæretici exacuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes, cum omnes aculeos ingenii ſui excuſſerint, ut pacem Eccleſiæ conturbent; tamen quoniam portæ inferi ſunt, non prævalebunt adverſus eam. Si filius hujus es, ſi materna ubera recognoſcis, non deſeras matrem in periculo, non ſubtrahas humeros tuos in tempore tribulationis. Magiſter Petrus ingreditur curiam, ut apoſtolicæ Sedis auctoritas ponatur ei murus & antemurale ad confirmandos ſuos errores, quos ſcripſit, quos docuit, quibus fidem catholicam impugnavit.

Ad quemdam Presbyterum cardinalem.

EPISTOLA CCCXXXV[*].

[Ann. Chr. MCXL. * Nova, quæ vero antea 335 nunc 365.]

Item contra Petrum Abaëlardum.

Cardinali Presbytero, Bernardus Claræ-vallis abbas, ſalutem & dilectionem in Domino.

NEmo adoleſcentiam tuam contemnat. Canities quippe non capitis, ſed mentis requiritur a Do- A mino, & ætas ſenectutis vita immaculata. Non expavit Jeremias, non formidavit Daniel, licet ambo pueri eſſent, ſenes impudicos, inveteratos dierum malorum. Impudicum & ego merito appellaverim illum, qui decorem Eccleſiæ, qui fidei maculat caſtitatem. Hic eſt Petrus Abaelardus, qui de fide, de Sacramentis, de myſterio ſanctæ Trinitatis, præter quàm accepit, diſputat, dividens ſingulis prout vult. Nunc autem ingreditur curiam, poſtquam Eccleſiam commovit, & conturbavit eam, non ut ſanet contritiones ejus, ſed quia declinavit in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Confidenter pro Eccleſia ſtabunt B qui ſe filios eſſe Eccleſiæ cognoſcunt.

Ad quemdam [c] Abbatem.

EPISTOLA CCCXXXVI[*].

[Ann. Chr. MCXL. * Nova, quæ vero antea 336 nunc 334.]

Ejuſdem argumenti.

Dilectiſſimo fratri & coabbati, F. Bernardus Claræ-vallenſis abbas, zelum Dei habere ſecundum ſcientiam.

OPortet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Si quis eſt Domini, jungatur ei. Deus C enim eſt in cauſa. Veritas periclitatur: dividuntur veſtimenta Chriſti, Sacramenta ſcinduntur Eccleſiæ. A planta pedis uſque ad verticem faciei corrumpitur ſanitas, ſimplicitas fidelium deridetur: prope eſt, ut aſcendat leo de cubili ſuo, ut contra Eccleſiam ſe erigat prædo gentium. Præcedit jam Petrus Abaelardus ante faciem Antichriſti parare vias ejus, de Fide, de Sacramentis, de Patre & Filio & Spiritu-ſancto, præter quàm accepimus, enuntians. Scribit, docet, & contendit verbis ad ſubverſionem audientium. Ponit in Trinitate gradus & ſcalas cum Ario; præponit gratiæ liberum arbitrium cum Pelagio; hominem aſſumptum à conſortio Trinitatis excludit; Chriſtum dividit cum D Neſtorio. Sed in omnibus his gloriatur, quod eccleſiam Romanam ſibi reconciliavit; quod libros & ſententias ſuas manibus & finibus Romanorum incluſerit: & in defenſionem ſui erroris aſſumit eos, à quibus judicari debet, & damnari. Videat Deus, & judicet, ſi velociter obſtructum non fuerit os loquentis iniqua. Cetera præſentium lator latius explicabit.

Ad INNOCENTIUM Pontificem, in perſona Franciæ [d] Epiſcoporum.

EPISTOLA CCCXXXVII[*].

[Ann. Chr. MCXL. * al. 370 quæ vero antea 337 nunc 365.]

E *Epiſcopi Galliæ exponunt Pontifici, quid actum ſit in cauſa Petri Abaelardi, Bernardum ad diſceptationem in Synodo provocantis, ſed ad objectos ſibi hæreſum articulos reſpondere nolentis, & ad Sedem apoſtolicam appellantis.*

Reverendiſſimo patri & domino INNOCENTIO, Dei gratia ſummo Pontifici, Henricus Senonenſium archiepiſcopus, Gaufridus Carnotenſis epiſcopus, ſanctæ Sedis apoſtolicæ famulus [e], Helias Aurelianenſis, Hugo Autiſiodorenſis, Hatto Trecenſis, Manaſſes Meldenſis epiſcopi, devotas orationes & debitam obedientiam.

1. NUlli dubium eſt, quod ea quæ apoſtolica firF mantur auctoritate, rata ſemper exiſtunt, nec alicujus poſſunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari. Ea propter ad veſtram apoſtolicam Sedem, beatiſſime Pater, referre dignum cenſuimus quædam, quæ nuper in noſtra contigit tractari præſentia: quæ quoniam & nobis, & multis religioſis ac ſapientibus viris rationabiliter acta viſa ſunt, veſtræ

a Is eſt Gregorius Tarquinius, ſanct. Sergii & Bacchi diaconus cardinalis a Calliſto II. creatus.

b Guido Moricotus de Vico, Piſanus, cardinalis tit. ſanct. Coſmæ & Damiani, ab Innocentio creatus.

c Forte ad Bernardum abbatem Ifalom, qui Romam à Bernardo tunc miſſus fuerat, uſia in epiſtolis 343 & 344.

d In codice Vaticano num. 662. habetur ordine ſuo poſt epiſtolam 189. cum hoc titulo, *Epiſcopi Franciæ domno Innocentio Papæ.* Ubi Franciæ nomine metropolis Senonenſis intelligitur. Hinc in epiſtola 161. *Vox ſanguinis Archembaldi, ſubdecani Aurelianenſis*, ad Innocentium clamare *de Francia* dicitur: & epiſtola 126. num. 4. Franciam à Burgundia diſtinguit. Franciæ tamen nomine etiam tunc ſecundæ Belgicæ magna pars comprehendebatur.

e Id eſt Legatus. Hoc nomine præ modeſtia uti ſolebat Gaufridus, ut legitur in chartario eccleſiæ S. Stephani apud Drocas. *Vicarii* ſanctæ Sedis alii paſſim dicebantur.

ſerenitatis exſpectant comprobari judicio, ſimul & auctoritate perpetuo roborari. Itaque cum per totam fere Galliam in civitatibus, vicis, & caſtellis, à ſcholaribus, non ſolum intra ſcholas, ſed etiam triviatim; nec a litteratis, aut provectis tantum, ſed à pueris & ſimplicibus, aut certe ſtultis, de ſancta Trinitate, quæ Deus eſt, diſputaretur; inſuper alia multa ab eiſdem, abſona prorſus & abſurda, & plane fidei catholicæ, ſanctorumque Patrum auctoritatibus obviantia proferrentur: cumque ab his qui ſane ſentiebant, & eas ineptias [a] rejiciendas eſſe cenſebant, ſæpius admoniti corriperentur; vehementius convaleſcebant, & auctoritate magiſtri ſui Petri Abaëlardi, & cujuſdam ipſius libri, cui THEOLOGIÆ indiderat nomen, necnon & aliorum ejuſdem opuſculorum freti, ad adſtruendas profanas adinventiones illas, non ſine multarum animarum diſpendio, ſeſe magis ac magis armabant. Quæ enim & nos, & alios plures non parum moverant ac læſerant, inde tamen quæſtionem facere verebantur.

Abſurda Petri Abaëlardi dogmata.

2. Verum dominus Abbas Claræ-vallis, his à diverſis & ſæpius auditis, immo certe in prætaxato magiſtri Petri Theologiæ libro, necnon & aliis ejuſdem libris, in quorum forte lectionem inciderat, diligenter inſpectis, ſecreto prius, ac deinde ſecum duobus aut tribus adhibitis teſtibus, juxta evangelicum præceptum, hominem convenit: & ut auditores ſuos à talibus compeſceret, libroſque ſuos corrigeret, amicabiliter ſatis ac familiariter illum admonuit. Plures etiam ſcholarium adhortatus eſt, ut & libros venenis plenos repudiarent & rejicerent, & à doctrina quæ fidem lædebat catholicam, caverent & abſtinerent. Quod magiſter Petrus minus patienter & nimium ægre ferens, crebro nos pulſare cœpit, nec ante voluit deſiſtere, quoad ad dominum Claræ-vallenſem Abbatem ſuper hoc ſcribentes, aſſignato die, ſcilicet octavo Pentecoſtes, Senonis ante noſtram ſubmonuimus venire præſentiam, quo ſe vocabat & offerebat paratum magiſter Petrus ad probandas & defendendas, de quibus illum dominus Abbas Claræ-vallenſis, quomodo prætaxatum eſt, reprehenderat, ſententias. Ceterum dominus Abbas nec ad aſſignatum diem ſe venturum, nec contra Petrum ſeſe diſceptaturum nobis remandavit. Sed quia magiſter Petrus interim ſuos nihilominus cœpit undequaque convocare diſcipulos, & obſecrare, ut ad futuram inter ſe, dominumque Abbatem Claræ-vallenſem diſputationem, una cum illo ſuam ſententiam ſimul & ſcientiam defenſuri venirent, & hoc dominum Claræ-vallenſem minime lateret; veritus ipſe, ne propter occaſionem abſentiæ ſuæ tot profanæ, non ſententiæ, ſed inſaniæ, tam apud minus intelligentes, quàm earumdem defenſores majore dignæ viderentur auctoritate; prædicto quem ſibi deſignaveramus die, licet eum minime ſuſcepiſſet, tactus zelo pii fervoris, immo certe ſancti Spiritus igne ſuccenſus, ſeſe nobis ultro Senonis præſentavit. Illa vero die, ſcilicet octava Pentecoſtes, convenerant ad nos Senonis Fratres & ſuffraganei noſtri Epiſcopi, ob honorem & reverentiam ſanctarum, quas in eccleſia noſtra populo revelaturos nos indixeramus, reliquiarum.

Senonis reliquiarum revelatio.

3. Itaque præſente glorioſo rege Francorum Ludovico [b] cum Willelmo religioſo Nivernis Comite, domino quoque Remenſi Archiepiſcopo, cum quibuſdam ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, nobis etiam & Suffraganeis noſtris, exceptis Pariſius & Nivernis, Epiſcopis præſentibus, cum multis religioſis Abbatibus & ſapientibus, valdeque litteratis clericis, adfuit dominus Abbas Claræ-vallenſis, adfuit magiſter Petrus cum fautoribus ſuis. Quid multa? Dominus Abbas cum librum Theologiæ magiſtri Petri proferret in medium, & quæ annotaverat abſurda, immo hæretica plane capitula A de libro eodem proponeret, ut ea magiſter Petrus vel à ſe ſcripta negaret; vel, ſi ſua fateretur, aut probaret, aut corrigeret; viſus diffidere magiſter Petrus Abaelardus, & ſubterfugere, reſpondere noluit: ſed quamvis libera ſibi daretur audientia, tutumque locum & æquos haberet judices, ad veſtram tamen, ſanctiſſime Pater, appellans præſentiam, cum ſuis à conventu diſceſſit.

Errores in Synodo proponuntur.

Appellatio ad Papam.

4. Nos autem, licet appellatio iſta minus canonica videretur, Sedi tamen apoſtolicæ deferentes, in perſonam hominis nullam voluimus proferre ſententiam. Ceterum ſententias pravi dogmatis ipſius, quia multos infecerant, & ſui contagione adusque cordium B intima penetraverant; ſæpe in audientia publica lectas & relectas, & tam veriſſimis rationibus, quàm beati Auguſtini, aliorumque ſanctorum Patrum inductis à domino Claræ-vallenſi auctoritatibus, non ſolum falſas, ſed & hæreticas eſſe evidentiſſime comprobatas, pridie ante factam ad vos appellationem damnavimus. Et quia multos in errorem pernicioſiſſimum & plane damnabilem pertrahunt; eas auctoritate veſtra, dilectiſſime domine, perpetua damnatione notari, & omnes qui pervicaciter & contentioſe illas defenderint, à vobis, æquiſſime Pater, juſta pœna mulctari unanimiter & multa precum inſtantia poſtulamus. Sæpedicto vero Petro, ſi reverentia veſtra ſilentium C imponeret, & tam legendi, quàm ſcribendi prorſus interrumperet facultatem, & libros ejus, perverſo ſine dubio dogmate reſperſos, condemnaret; avulſis ſpinis & tribulis ab Eccleſia Dei, prævaleret adhuc læta Chriſti ſeges ſuccreſcere, florere, fructificare. Quædam autem de condemnatis à nobis capitulis vobis, reverende Pater, conſcripta tranſmiſimus, ut per hæc audita reliqui corpus operis facilius æſtimetis.

Perſona ſalva errores damnati in Synodo.

Papæ cenſura petita.

Ad HAIMERICUM cardinalem & cancellarium.

EPISTOLA CCCXXXVIII*.

Ann. CHR. MCXL
* al. 189. quæ vero antea 338 nunc 401.

Petro Abaëlardo hæreſeos convicto, non debere apud Cardinales & Curiam Romanam patere refugium. D

Illuſtri viro & amico præcordiali HAIMERICO, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono cardinali & cancellario, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, providere bona coram Deo & hominibus.

V. epiſt. 187. & ſeqq. & NOTAS.

1. SIcut audivimus, ſic vidimus libros & ſententias magiſtri Petri Abaelardi: notavimus verba, ſignavimus myſteria, & myſteria iniquitatis inventa ſunt. Theologus noſter verbis legis legem impugnat. Sanctum projicit canibus, & margaritas porcis: Fidem corrumpit ſimplicium, Eccleſiæ maculat caſtitatem. Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu. Tranſierat per ignem liber ejus, & inductus eſt in E refrigerium. Jamque in Eccleſia hoſtis Eccleſiæ, fidei perſecutor, in gremio fidei requieſcit. Effuſus eſt ſicut aqua. Non creſcat qui aſcendit cubile patris ſui, & maculavit ſtratum ejus. Maculavit Eccleſiam homo ille, rubiginem ſuam ſimplicium mentibus affricuit. Cum ea ratione nititur explorare, quæ pia mens fidei vivacitate apprehendit. Fides piorum credit, non diſcutit. Sed iſte Deum habens ſuſpectum, credere non vult, niſi quod prius ratione diſcuſſerit. Cumque Propheta dicat, *Niſi credideritis, non intelligetis:* iſte fidem voluntariam nomine redarguit levitatis, abutens illo Salomonis teſtimonio: *Qui credit cito, levis eſt corde.* F Reprehendat ergo beatam Virginem Mariam, quoniam cito credidit Angelo nuntianti, & dicenti: *Ecce concipies & paries filium.* Redarguat & illum in extrema linea vitæ credentem verbo morientis & dicentis: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Laudet è regione duritiam

Horatius.

Fides credit; non diſcutit.

Iſa. 7. 9.

Eccli. 19. 4.
In rebus fidei velox credulitas non eſt temeritas
Luc. 1. 28.
Luc. 23. 43.

a Ineptias vocabant veteres etiam graviſſimas hæreſes, ut obſervatum alias in Præfatione 2. Sæculi 4. Benedictini num. 155. Hieronymus in epiſtola ad Alypium & Auguſtinum, agens de hæreſi Cæleſtiana: *Nec grande eſt ineptiſſimis nanis reſpondere.* & Bernardus ipſe rurſus in ſermone 65. in Cantica num. 8

b Id anno 1140. accidiſſe refert præter alios Hugo S. Mariani Chronographus, nulla tamen mentione facta de revelatione reliquiarum, neque in Chronico S. Petri Vivi. De hac Synodo agens Otho Friſingenſis epiſcopus, Theobaldum palatinum Comitem cum aliis nobilibus ei interfuiſſe ſcribit in lib. 1. de geſtis Friderici cap 48.

Luc. 24. 25. cordis illorum, quibus dictum eſt: *O ſtulti & tardi corde ad* A *credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ.* Commendet etiam illius tarditatem, cui dictum eſt: *Pro eo quod non credidiſti verbis meis, eris tacens, & non poteris loqui.* Luc. 1. 20.

2. Denique ut pro brevitate epiſtolæ de multis pauca dicam: Doctor egregius cum Ario gradus & ſcala in Trinitate diſponit; cum Pelagio liberum arbitrium gratiæ præponit; cum Neſtorio Chriſtum dividens, hominem aſſumptum à conſortio Trinitatis excludit. Sed in his omnibus gloriatur, quod Cardinalibus & clericis Curiæ ſcientiæ fontes aperuerit, quod manibus & ſinibus Romanorum libros & ſententias B ſuas incluſerit; & in tutelam ſui erroris aſſumit eos, à quibus judicari debuit & damnari. Jacinctus * multa mala oſtendit nobis: non fecit tamen, non quia non voluit, ſed quia non potuit. Verum æquanimiter ferimus, cum nec perſonæ domini Papæ, nec curiæ in curia illa pepercit. Cetera autem quæ vidit & audivit Nicolaus iſte meus, immo & veſter, viva melius referet voce.

* epiſt. 189

Ad Papam INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCCXXXIX.

Circ. ann. MCXL. * al. 327 quæ vero antea 329. nunc 40..

Alviſi Atrebatenſis epiſcopi innocentiam adverſus calum- C *niatores ejus aſſerit.*

Amantiſſimo Patri & domino, Dei gratia ſummo Pontifici INNOCENTIO, Bernardus Claræ-vallis abbas vocatus, modicum id quod eſt.

NEc novum, nec mirum eſt humanum animum poſſe falli, vel fallere. Cavendum & hoc, & illud, quia utrobique periculum. Ad utrumque cautelam vobis appoſuit magni conſilii Angelus, quando dixit:
Matth. 10. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ:* ut nec prudentia decipi, nec ſimplicitas decipere poſſet. Marcianenſes monachi a venerunt ad vos in ſpi- D ritu mendacii & ſpiritu erroris, adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus. Verbum iniquum conſtituerunt adverſus Atrebatenſem Epiſcopum, cujus converſationis & vitæ bonus odor fuit hactenus in omni loco. Qui ſunt iſti, qui ut canes mordent, qui dicunt bonum malum, qui ponunt lucem tenebras? Qui ſunt
Lev. 19. 14. iſti, qui contra legem maledicunt ſurdo, & coram cæco ponunt offendiculum? Quare, domine, iraſceris in filium tuum? quare lætificaſti inimicos ejus? Ubi
1. Johan. 4. 1. eſt illud Apoſtoli, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt?* In Domino confido, quia diſſipabitur conſilium eorum: & cum apparuerit quod verum eſt, evacuabitur quod ex falſo eſt, ut mentita E ſit iniquitas ſibi. Auribus noſtris audivimus, quàm fideliter, quàm conſtanter locutus ſit in conſpectu Regis & Principum pro fidelitate Romanæ eccleſiæ. Veniet ad vos in innocentia ſua in die vocationis ſuæ: præmiſit ante filium ſuum Archidiaconum præſentium latorem, cujus perſonam & mores veſtræ manſuetudini commendamus. De cetero venit ad vos Abbas b ſancti Vedaſti, homo plane inimicus ſibi, ſuis, & eccleſiæ ſuæ, homo qui accepit in vanum nomen Abbatis: quærit enim quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu-Chriſti. Sed & qualis pater, talis & filius qui cum eo eſt: qui nec conſcientiæ, nec ſuæ famæ pepercit. Subſannatio & illuſio his qui in circuitu ejus ſunt. G. loquor mona- F chum ejus. Spiritus veritatis det vobis dividere lucem à tenebris, det vobis reprobare malum, & eligere bonum.

Ad eumdem INNOCENTIUM Papam.

EPISTOLA CCCXL.

Circ. ann. MCXL. * Nova quæ vero antea 340. nunc 402.

Pro Epiſcopo Andegavenſi.

Amantiſſimo domino & patri, Dei gratia ſummo Pontifici Innocentio, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, modicum id quod eſt.

FRactus jam ætate, laboribus, periculis, Andegavenſis c Epiſcopus, cujus pectus non moveat, niſi B ejus, qui viſcera miſericordiæ, qui omnem humanitatis exuit affectum? Hæc me movent pro homine illo, cujus ſenectutem, ſi unum excipitur factum, venerabilem facit & vita, & ſcientia. De quo quoniam quid peractum ſit inter ipſum & abbatiam, nondum cognovimus, nihil ſcribere præſumimus de re incognita. Sed ſi conſtiterit eum feciſſe quod promiſit, nihil jam ſupereſſe credimus, niſi ut plenitudini gratiæ & officii ſui reſtituatur.

Ad MALACHIAM Hiberniæ archiepiſcopum.

EPISTOLA CCCXLI.

Circ. ann. MCXL. * al. 315. quæ vero antea 341. nunc 358.

C *Fratres, litteras, & baculum, ab eo miſſa grato animo ſuſcipit. Locum religioſis idoneum præparari jubet: ſeque ejus orationibus commendat.*

Venerabili domino & beatiſſimo patri MALACHIÆ, Dei gratia Hibernienſium d archiepiſcopo, apoſtolicæ Sedis Legato, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, invenire gratiam apud Dominum.

1. INter multiplices æſtus & curas pectoris mei, præ multitudine quarum anima mea turbata eſt valde, fratres de terra longinqua venientes, ut ſerviant Domino, epiſtola tua, & baculus tuus ipſa me conſolata D ſunt: epiſtola in oſtenſione bonæ voluntatis, baculus ad ſuſtentandum corpus infirmitatis, fratres qui Deo ſerviunt in ſpiritu humilitatis. Omnia ſuſcepimus, omnia placent, omnia pariter cooperantur in bonum. Quod autem voluiſtis duos de fratribus mitti vobis ad prævidendum locum e; communicato cum fratribus conſilio, dignum duximus non eos ſeparandos ab invicem, donec plenius in eis formetur Chriſtus, donec ad integrum doceantur prœlia Domini. Cum igitur fuerint in ſchola ſancti Spiritus eruditi, cum induti virtute ex alto; tunc demum ad patrem filii revertentur, ut cantent canticum Domini, non jam in terra aliena, ſed in ſua. Novellos fratres non vult exponi.

E 2. Vos autem interim juxta ſapientiam vobis datam à Domino, ſecundum habitudinem locorum quæ vidiſtis apud nos, prævidete & præparate eis locum à tumultibus ſæculi ſeparatum. Tempus enim prope eſt, in quo vobis, operante Dei gratia, novos de veteribus homines producemus. Sit nomen Domini benedictum in ſæcula, de cujus munere venit, ut communes habeam filios vobiſcum, quos veſtra prædicatio plantavit, noſtra exhortatio rigavit, Deus autem incrementum dedit. Sanctitatem veſtram rogamus, ut verbum Domini prædicetis, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Duplex enim vobis incumbit neceſſitas, & ex officio legationis, & epiſcopali negotio. F De cetero quoniam *in multis offendimus omnes*, & inter homines ſæculi frequenter poſiti multum de pulvere mundi contrahimus; veſtris & veſtrorum orationibus me commendo, ut in fonte miſericordiæ ſuæ nos

Quales locos quærant Ciſtercienſes.

Epiſcoporum eſt prædicare verbum Dei.

Jac. 3. 2.

a Marcianenſe Ord. S. Bened. nobile monaſterium ad Scarpum, diœceſis Tornacenſis, à ſancta Rictrude conditum ſæculo ſeptimo, vulgo *Marchiennes*.

b Gualtero nomen erat, cujus ſucceſſor ab anno 1147. Guerricus, de quo in epiſtola 284. Purgatus in Gallia Chriſtiana, quod nihil in eum ab Innocentio decretum ſit.

c Ulgerius, ad quem epiſtola 200.

d Uſſerius hanc epiſtolam inter Hibernicas refert, ubi contra Johannem Picardum obſervat, Armachanos antiſtites ante pallii uſum, qui nonniſi anno 1150 ipſis conceſſus eſt, dictos fuiſſe Archiepiſcopos, atque Metropolitani poteſtate uſos. Uſſerium in primis movet Archiepiſcopi nomen in Malachia, qui ante aliquot annos relicto archiepiſcopatu, Dunenſis epiſcopatus adminiſtrationem ſuſceperat. Vitæ cap. 14 Sed Archiepiſcopi nomen ob priſtinam dignitatem ei tribuere potuit Bernardus: qui tamen in ſequentibus Epiſcopum tantum vocat.

e Id eſt ſitum Mellifontis monaſterii, anno 1142. conditi in diœceſi Armachana, præfecto Mellifontis abbate Chriſtiano, de quo in epiſtola nunc 357 num. 3. De hoc monaſterio in actis ſancti Malachiæ & S. Bernardi, & in epiſtola 254. apud Cheſnium tomo 4.

lavare & emaculare dignetur ipſe fons pietatis Jeſus-Chriſtus, qui dixit Petro: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum.* Sed & hoc ipſum, non ſolum precibus, verum etiam quaſi ex debito requiro, cum ego clamem ad Dominum pro vobis, ſi quid poſſit peccatoris oratio. In Domino valete. A

Ad JOSLENUM epiſcopum Sueſſionenſem.

EPISTOLA CCCXLII[a].

Ann. Chr. M XL. • Nova, quæ vero antea [illegible] nunc [illegible]

Archiepiſcopum Burdegalenſem apud Regem purgari poſtulat.

Venerabili domino & dilectiſſimo patri JOSLENO, Dei gratia Sueſſionenſi epiſcopo, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, invenire gratiam apud Dominum. B

1 INjuria regni eſt & principum ejus, ſi negotia regis de ſinu ipſius cum impetu procedant ad publicum, & non tam circumſpecto, quam præcipiti explicentur conſilio. Placet mihi, & multum placet, quoniam rex credit vobis, & confidit in vobis. Scio enim, quia regem & honorem regni bona æmulatione æmulamini, & ſcio nihilominus ſpiritum conſilii eſſe vobiſcum. Ita oportet: hic ordo, hæc ratio, hic modus videndus eſt in viro conſilii, ut diligat, & ſapiens ſit. In ore duorum iſtorum, id eſt dilectionis & ſapientiæ, ſtabit omne verbum conſilii. Hæc duo ſi in unum C conveniant, poterit eructare verbum bonum, & dicere opera facienda regi. Ceterum, ſi vel dilectio prudentiam, vel prudentia dilectionem ſolam in adminiſtratione conſilii deſeruerit, væ terræ, cujus rex puer erit. In conſilium eorum non veniat anima mea, qui vel diligentes me, prudentes non ſunt; vel prudentes, me non diligunt. Sic enim cecidit miſer ille Adam de gradibus æternitatis, quando abiit in conſilio impiorum, Evæ diligentis, ſed non prudentis; ſerpentis prudentis, ſed minime diligentis.

Conſilii regii dilectio & ſapientia.

2. Quid eſt quod dominus meus rex archiepiſcopum [a] Burdegalenſem attrahere nititur in cauſam, ſine cauſa? veſtrone id agitur conſilio? Abſit à vobis illud D conſilium, abſit à me iſta ſuſpicio. Quid tandem mali fecit homo ille? quod electam pari Pictavienſium pace, & voto, & voce, perſonam [b] canonica libertate conſecravit? quod pecuniam Pictavienſium, quam moriens diſperiit, dedit pauperibus & eccleſiis, de faucibus eſurientium, de ſinu eccleſiæ non extraxit? En ſanguis iſte de manu ejus exquiritur. Si culpa eſt, quod ovibus errantibus aſſignavit paſtorem, quod pupillum & viduam non ſpoliavit, quod privilegia apoſtolicæ Sedis illibata conſervavit, non poteſt excuſari. O conſilium ſine conſilio, in quo juſtitia pro ſcelere, & innocentia pro crimine reputatur! Attendite E vobis, Epiſcopi: veſtra enim res agitur, paries cum proximus ardet.

Burdegalenſis ... purgatur.

3. Vobis tamen, domine, quoniam & lateri regis arctius adhæretis, & ex nutu veſtro ipſius pendent negotia; vobis incumbit pro conſortibus veſtris id agere cum rege, ut non accendat omnem iram ſuam. Dico vobis, homo ille imperterritus eſt, homo potens in opere & ſermone: vix poterit avelli à ſuo jure. Magnum enim locum obtinet in terra illa. Si res turbata fuerit, multi permanebunt cum eo in tentationibus ejus. Videte ergo, ne quis oleum flammæ adjiciat. Exſtinguatur ignis, antequàm convaleſcat incendium. Sero enim medicina paratur, cum mala per longas F convaluere moras.

BERNARDI abbatis Itali ad INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCCXLIII[a].

Ann. Chr. M C XL. • Nova, quæ vero antea 343 nunc 384.

Conqueritur, quod in monaſterio Salvatoris omnia ſecundum Pontificis promiſſa non contigerant.

Deſiderabili domino & dilectiſſimo patri, Dei gratia ſummo Pontifici INNOCENTIO, ſervus ejus Bernardus, preces pauperum.

COarctor è duobus, quoniam & pudor ſilentium imperat, & neceſſitas jubet loqui. Loquar ergo ad dominum, cum ſim pulvis & cinis: loquar autem B in amaritudine animæ meæ. Conquerimur, domine, de te, ſed apud te: & querela quidem in umbra eſt, ſed cauſa querelæ jam in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Factum ut imperaſti: venimus ad monaſterium ſancti Salvatoris [c] ſicut mandaveras in litteris tuis ſervo tuo, Patri [*] noſtro. Ubi eſt ergo nunc exſpectatio mea, & tua promiſſio? Tranſivimus per ignem & aquam: & niſi quia Dominus erat in nobis, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Periculis latronum & fluminum, periculis in civitatibus & ſolitudine, periculis in terra & in mari fatigati ſumus, & non fuit qui adjuvaret. Hæc omnia venerunt ſuper nos: ſed nondum ſtatim finis. Litteris tuis, domine, extracti ſumus de ſinu Pa- C tris noſtri, & ad unius juſſionis vocem, relictis Fratribus & Patre, in odore præceptorum tuorum cucurrimus. Litteris tuis excuſſi ſumus à gremio matris noſtræ, & ab uberibus conſolationis ejus: ejecti ſumus de loco voluptatis, & oppoſuiſti, domine, flammeum gladium, ne reveriamur, & utinam verſatilem. Cecidit corona capitis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. Quomodo cantabimus, domine, canticum Domini in terra aliena? O quanto dulcius & ſecurius fuerat nobis exſultare animas noſtras in ſinu matris noſtræ, & in cubiculo genitricis noſtræ. Sic cucurrimus, quaſi in incertum; ſic pugnavimus, quaſi aërem verberantes: ſed tua, domine, promiſſio fuit in D cauſa, quam credidimus gratia plenam & veritate. Nunc autem (jam enim hiems abiit & receſſit) ſi ita placet domino meo, egrediamur ad videndum, ubi inveniamus requiem pedibus noſtris: quoniam uſque adhuc prohibuit nos grando, nix, glacies, & ſpiritus procellarum. Crudeliſſimum quippe videtur, & ab omni humanitatis officio longe remotum, illum [d] fraudare à deſiderio ſuo, qui nos prius cœpit amare quàm noſſe, qui nos patris affectu in filios adoptavit, adeo ut, ſi fieri potuiſſet, oculos ſuos eruiſſet, & dediſſet nobis. Non habuit ubi caput ſuum reclinaret Rex meus & Deus meus, cujus regnum non erat de hoc mundo. utinam & mundus nos abjiciat & repellat E in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ.

• S. Bernardo.

Ejuſdem BERNARDI ad S. Bernardum.

EPISTOLA CCCXLIV[a].

Ann. Chr. M XL. • Nova, quæ vero antea 144. nunc 315.

Præfecturam ſibi impoſitam conqueritur.

Venerabili domino & dilectiſſimo P. [e] Abbati Claræ-vallis, filius ejus B. unctionem illam, quæ docet de omnibus.

QUotieſcumque memoriæ occurrit dies illa miſe- F riæ & calamitatis, in qua avulſus ſum ab uberibus conſolationis veſtræ, flere magis libet, quam aliquid ſcribere. Si tanta eſſet ubertas orationis, quanta lacrymarum, facile vobis eſſet intelligere ſuper egenum & pauperem. Acceſſit ad meditationem animus, ma-

a Is tunc erat Gaufridus de Loratorio, cui nondum archiepiſcopo ſcripta eſt epiſtola 125. In editis hæc male directa ſcribitur *ad Johannem.*

b Grimoardum, ex abbate B. Mariæ de Allodiis: cujus electio anno 1140. facta, aliquamdiu ſuſpenſa fuit per Ludovicum VII.

c Hoc monaſterium hactenus exſiſtit, octo millibus à Farfenſi diſſitum, eidemque ſubjectum: in quod monachi Farfenſes æſtate commigrant. Confer epiſtolam 184. & Notas in eam breviores.

d Nempe Atenulfum abbatem Farfenſem, de quo infra.

e Id eſt Patri, ſcilicet Bernardo. nam hanc epiſtolam ad S. Bernardum ſcriptam fuiſſe conſtat, & quidem à Bernardo illo, qui poſtea abbas fuit S. Anaſtaſii ad Aquas Salvias prope Romam; ac demum Pontifex ſub nomine Eugenii III. Ejuſdem eſt præcedens uti & epiſtola 428. Hæ omnes ſub Bernardi nomine primum vulgatæ ſunt.

nus ad calamum, & dolor meus renovatus eſt. Obviavit mihi ſcribenti illa amaritudo mea amariſſima, & illa triſtis imago diei illius, in qua ſtultitia elevata eſt ſuper candelabrum, & factus ſum conturbatus. Non ego reprehendo, domine, vel opus, vel intentionem veſtri operis, quod in digito Dei eſſe creditur: ſed plango paululum dolorem meum. Ecce enim poſtquam projectus ſum à facie oculorum tuorum, defecit in dolore vita mea, & dies mei in gemitibus. Heu mihi! quia perdidi formam, cui imprimebar, ſpeculum compoſitionis meæ, lumen oculorum meorum! Jam non ſonat vox illa dulcis in auribus meis, nec facies illa decora meis aſpectibus apparet, quam mei errores erubeſcere ſolebant. Quare, Domine, fruſtratus ſum a ſpe mea? quare fraudatus à deſiderio meo? Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſucciſus ſum. Completa eſt in me miſerabilis illa ſententia, & ſicut in Cantico canticorum, Domine, dixiſti, hodie lego in libro experientiæ illud: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit.* Non enim ſatis intelligebam, cum eſſem in Clara-valle, me eſſe in loco voluptatis, inter ligna paradiſi; & ideo pro nihilo habui terram deſiderabilem. Quid, domine, quid in me placuit conſiderationi tuæ, quod me poſuiſti ducem ac præceptorem gentibus, quod me conſtituiſti principem populi tui? Numquid converſatio mea in ſæculo? ſed illa fœtida fuit. Numquid illa in monaſterio? ſed illa tarda & tepida fuit. Quare cum eſſem parvus in oculis meis, caput factus ſum in tribu Iſrael? Quare cum non eſſem mundus ab occultis meis, ab alienis non peperciſti ſervo tuo? Quid faciet homo, quem de præteritis urget dolor, de præſentibus labor, & timor de futuris? Ad ſummam doloris, & cumulum miſeriæ meæ, hoc ſolum tibi dicere præſumo, domine deſiderabilis; quia non exſpectato vulnus ab hoſte tuli. Ceterum, domine ut de loco loquar ad quem me miſiſti, ſic cucurri quaſi in incertum, ſic pugnavi, quaſi aerem verberans. Nam dominus Papa, cujus litteris evocati ſumus, promiſſionem, quam de ejuſdem loci confirmatione fecerat, opere non complevit, ſicut & præſens tempus probat. Dominus Fars. [a] ad introitum noſtrum gaviſus eſt gaudio magno, & in toto corde ſuo pueros veſtros recepit, ita ut, ſi fieri poſſet, oculos ſuos eruiſſet, & dediſſet nobis. In hoc ſolum reprehenſibilis eſt, & corrigendus eſt à vobis, quod omnia faciat vehementer, & ultra promiſſionem ſuam, & noſtram voluntatem. Quoniam ſermo jam in longum proceſſit, de interiori meo homine nihil brevius, nihil verius dicere poſſum, niſi quia laterem lavo.

Pſal. 48. 13

A B C D

Ad FRATRES de ſancto Anaſtaſio [b].

EPISTOLA CCCXLV.

Ann. Chr. MCXL
[a] al. 321 quæ vero antea 361 nunc 125.

Commendat eorum in religioſa diſciplina zelum, & obſervantiam. Attamen nimium valetudinis per medicinas tuendæ ſtudium improbat.

Dilectiſſimis in Chriſto filiis noſtris de ſancto Anaſtaſio, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & devotas orationes.

E F

1. TEſtem habeo in cælis, quàm multum omnes vos cupiam in viſceribus Jeſu-Chriſti, quanto, ſi fieri poſſet, deſiderio deſiderarem videre vos, non propter vos tantum, ſed propter me, cui magnum certe ſolatium & prægrandis eſſet lætitia amplecti viſcera mea, gaudium meum, & coronam meam, quod eſtis vos. At quoniam id nondum conceditur (concedetur enim, ſicut bene confido de miſericordia Dei, & erit quando videbimus vos, & gaudebit cor noſtrum, & gaudium noſtrum nemo tollet à nobis:) interim certe magna mihi eſt conſolatio & lætitia multa in his, quæ de vobis audivi per dilectiſſimum fratrem & coabbatem noſtrum venerabilem Bernardum veſtrum. Multam enim vobis habeo gratiam, quod tam bene ſibi complacet in vobis pro diſciplina veſtra & Ordinis zelo, pro obedientia & voluntaria paupertate, pro quibus ſine dubio merces veſtra multa eſt in cælis. Unde rogo vos, Fratres, & multum obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domino, dilectiſſimi, ſolliciti ſemper circa cuſtodiam Ordinis, ut Ordo cuſtodiat vos: ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis: mutuam in vobiſmetipſis, maximeque ad Prælatos, caritatem humilem habentes, quæ eſt vinculum perfectionis. Humilitatem ante omnia, ſuper omnia pacem ſectamini, propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis, qui nonniſi ſuper quietum & humilem requieſcit.

Monachi dotes
Epheſ. 4. 3.
Iſa 66. 2.

2. Ceterum unum quidem à me petiit venerabilis Abbas veſter, quod mihi minime bonum videtur. Credo autem quod & ego ſpiritum Dei habeam, & conſilium Dei in hoc. Scio equidem quod in regione habitatis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus. ſed mementote quis dixerit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* &, *Cum infirmor,* inquit, *tunc fortior ſum.* Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum: ſed timenda multo magis, ampliuſque cavenda infirmitas animarum. Propterea minime competit religioni veſtræ, medicinas [c] quærere corporales, ſed nec expedit ſaluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid ſumere, tolerabile eſt, & hoc aliquando ſolet fieri. At vero ſpecies emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens eſt, & contrarium puritati, maximeque Ordinis noſtri nec honeſtati congruit, nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem quia qui in carne vivunt, Deo placere non poſſunt. Spiritualia proinde ſpiritualibus comparanda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde: *Sana animam meam, Domine, quia peccavi tibi.* Huic ſanitati, fratres dilectiſſimi, operam date; hanc ſectamini, hanc ſervate, quia vana ſalus hominum.

2. Cor. 12. 9.
Ibidem 10.
[c] Uſum medicinarum in Religioſis non probat.
Rom. 8. 8.
2. Cor. 2. &
Pſal. 40. 5.

Ad dominum INNOCENTIUM Papam.

EPISTOLA CCCXLVI [a].

Circ. ann. MCXLI.
[a] al. 377 quæ vero antea 346 nunc 405
V. epiſt. 214.

Hortatur Pontificem, ne cauſæ Archiepiſcopi Eboracenſis, utpote iniquæ, faveat.

Amantiſſimo Patri & domino, Dei gratiâ ſummo Pontifici INNOCENTIO, Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

CUm multi ſint vocati, pauci vero electi; non eſt magnum argumentum ad faciendam rei dubiæ fidem, id eſſe laudabile quod à multis laudatur. Archiepiſcopus Eboracenſis [a] venit ad vos [b], ille, de quo jam ſæpenumero ſcripſimus ſanctitati veſtræ, homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum. Cauſa ejus infirma eſt, & languida: & ſicut virorum veracium atteſtatione deprehendimus, à planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas in ea. Quid ergo? quid quærit homo ſine juſtitia apud examinatorem juſtitiæ, apud cuſtodem æquitatis? Itane arbitratur ſe poſſe abſorbere juſtitiam in curia, ſicut eam abſorbuit in Anglia? Abſorbuit fluvium, & non miratur; & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Ecce ille venit cum multis, quos adſtipulavit ſibi, & precibus, & pretio. Solus iſte evaſit, ut nuntiaret tibi: ſolus iſte in periculum capi-

Matth. 20. 16. & 22. 14.
Malum argumentum eſſe turba eſt.
[a] Guillelmus intrulus.
[b] al. nos.

a Legendum *Farfenſis*, cujus loci abbas Atenulfus monachos à Bernardo petierat. Vide lib. 3. Vitæ cap 7. num 23.

b Nempe Romæ ad Tres-fontes, unde aſſumtus Eugenius III. antea Bernardus dictus, ſupra.

c Mirum nullius temporibus paradoxum: ſed ſaltem hic locus, cum alio ex ſermone 30. in Cantica comparatus, monachos, qui odium carnis ſuæ profitentur, ab immodica valetudinis cura revocare deberet exemplo veterum monachorum, qui quidem aliquando medicos ad temperandam victus rationem (ut in Vita Pachomii de Palæmone cap. 2.) remedia arte quæſita, ſed rarius, admittebant. Quinetiam Ciſtercienſes medicamina ſuis indulgebant, ut conſtat ex epiſtola nunc 405. & ex Herberto lib. 3. cap 11. nec Bernardus in hac epiſtola denegat, ſed quas hortus & nativæ herbarum ſpecies ſuppeditent, non quas medicorum apothecæ. Lege Caſſiodori lib. Inſtit. divin. cap. 31. & Horſtii Notas.

tis ſui oppoſuit ſe murum pro domo Iſraël, qui cum A alris non adoravit ſtatuam ad imperium regis. Solus eſt, niſi quia juſtitia non reliquit eum ſolum. Illa obviavit filio ſuo, quaſi mater honorificata. Quid ergo faciet Vicarius Petri in negotio iſto, niſi quod fecit Petrus cum illo, qui donum Dei æſtimavit pecunia poſſideri? Si ſupra petram fundata eſt Eccleſia, portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Non loquor hoc à me ipſo, ſed ad teſtimonium illorum, qui ſpiritu Dei aguntur.

Eccli 15. 6. — Act. 8. 20. — Matth. 16. 18.

Ad eumdem dominum INNOCENTIUM Papam.

EPISTOLA CCCXLVII*.

Circ. ann. MCXLI. al. 378. quæ vero ante 347. nunc 411.

Commendat nuntios, cauſa Archiepiſcopatus Eboracenſis Romam petentes.

Amantiſſimo patri & domino INNOCENTIO ſummo Pontifici, frater Bernardus, Claræ-vallenſis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

HI quos videtis, viri ſunt ſimplices & recti ac timentes Deum. Et nunc in ſpiritu aſcenderunt ad conſpectum gloriæ veſtræ, juſtitiæ utique ſolius intuitu & obtentu. Ponite, quæſo, oculos veſtros ſuper fatigatos pauperes [a], quia non ſine cauſa de longe ad vos veniunt, nec longa terrarum ſpatia, nec maris periculum, nec Alpium nives, nec ſumptus grandis viæ, C cum pauperes ſint, reputantes. Provideat ergo dominus meus, ne cujus fraus vel ambitio tantos labores evacuare prævaleat: præſertim cum non quæ ſua ſunt quærant, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Neque enim vel inimicum arbitror ſuſpicari eos privato amore, vel odio in id negotii excitatos, ſed ſolo timore Dei. Itaque ſi quis Dei eſt, jungatur eis. Si deinceps terram occupaverit arbor infructuoſa, cujus culpam dixerim, niſi tenentis ſecurim?

Ad eumdem INNOCENTIUM.

EPISTOLA CCCXLVIII*.

Circ. ann. MCXLI. al. 379. quæ vero ante 348. nunc 412.

Pro Arnulfo [b] Lexovienſi epiſcopo electo.

Amantiſſimo patri & domino, Dei gratia ſummo Pontifici INNOCENTIO, Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

1. BEnedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui Eccleſiam ſuam, immaculatam ſponſam dilecti Filii ſui, in diebus noſtris liberam & abſolutam à tribulationibus malorum cuſtodivit & dolore. Schiſmata [c] corruerunt, hæreſes ſiluerunt, ſuperborum & ſublimium colla calcantur. Et quidem in ſchiſmate vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat. In hæreſi E multorum redivivi pullulabant errores, ſed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Tyrannus Siciliæ * extulerat in altum cor ſuum, ſed jam humiliatur ſub potenti manu Dei. Nullus gradus prætermiſſus eſt, de quo non acceperit victoriam per vos Eccleſia Dei, in manu potenti & in brachio excelſo.

* Rogerius.

2. Supereſt tamen in tertio gradu Comes [d] Andegavenſis, malleus bonorum, oppreſſor pacis & libertatis Eccleſiæ. Perſequitur eccleſiam Lexovienſem, ut non introitum habeat paſtor eccleſiæ illius in ovile ovium, niſi aliunde. Sed quod factum eſt, non poteſt non fieri. Denique ſi res ipſa habeat diligentem inſpectorem, & prudenter examinetur; ad com- F modum cauſæ, & ad rei geſtæ confirmationem, omnia cooperantur in bonum, perſona, negotium, auctor operis, impugnator. Si enim ad perſonam reſpicias, hic eſt filius tuus dilectus, in quo tibi complacuit. A Si ad negotium, ordine integro & canonica libertate conſummatum eſt. Si ad auctorem operis, vir religioſus eſt, & timens Deum. Si ad operis impugnatorem, ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, hoſtis Eccleſiæ, inimicus crucis Chriſti. IN OMNI ſiquidem negotio validiſſimum argumentum eſt ad faciendam rei dubiæ fidem, id ſemper eſſe melius, quod placeat bonis, malis autem diſpliceat. Sed appellavit Sedem apoſtolicam Comes Andegavenſis. Quare obſecro? qua læſione? quo gravamine urgente? Non quia opprimeretur, ſed quia opprimeret; non ut injuriam ſuam relevaret appellationis remedio, ſed ut benedictionem iſtius obſtaculo appellationis impediret.

Comitem Andegavenſem deplangit.

Commendat electum contra vim Comitis Andegavenſis.

Comitis appellationem nullam eſſe prætendit.

B 3. Cum itaque & religio promoventis, & promoti dilectio, & cauſæ juſtitia confluant in unum; ſuperfluum videtur & vanum rogare pro eo, ubi ejus humilitas poſtularit. Loquar ergo ad dominum meum, cum ſim pulvis & cinis. Loquar ſervus ſponſæ ad amicum ſponſi: jucundum ſit eloquium meum. Tibi, domine, commiſſa eſt Eccleſia à ſolis ortu uſque ad occaſum. Tu ei debes eſſe murus & antemurale à facie inimici & perſequentis; tu debes fovere filios ejus ſub umbra alarum tuarum. Suſcipe Lexovienſem Epiſcopum, uterinum filium Romanæ eccleſiæ, & remitte eum in benedictionibus dulcedinis, ne quando dicat inimicus ejus: Prævalui adverſus eum. Accingere gla- C dio tuo, Pater, ad exaltationem filii, ad depreſſionem inimici, ad conſervandam Eccleſiæ libertatem. Non enim ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate liberavit nos Chriſtus.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA CCCXLIX*.

Circ. ann. MCXLI. al. 380. quæ vero ante 349. nunc 408.

Amicum Pontifici commendat.

Amantiſſimo Patri & domino, Dei gratia ſummo Pontifici Innocentio, Frater B. Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

D GRatiam quam inveni in oculis veſtris, nolo habere ſolus: cum amicis eam volo dividere. Non enim timeo, ne forte non ſufficiat mihi & illis. Magna enim eſt. Multos poſſum facere participes ejus: verumtamen ego exinanitus non ero. Quod igitur gratis accepi, gratis dabo: & liberalem me facit veſtra liberalitas, ſed de veſtro. Præſentium latorem, virum commendabilem, vobis commendamus. Amicus eſt, domine, pauperum Chriſti, & ſervus ſervorum tuorum. Peto, domine, ſi quid habuerit apud tuam excellentiam, ut eum ſolita pietate pro nobis exaudias, immo pro ipſo, qui talis eſt, ut per ſe tantum merito debeat E exaudiri.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA CCCL*.

Circ. ann. MCXLI. al. 318. quæ vero ante 350. nunc 409.

Propinquum ſuum benedictione Pontificis muniri rogat.

JUvenis iſte magnanimus (ut aiunt) & ſtrenuus in opere militari, ut meliorem militet militiam, proficiſcitur Jeruſalem. Rogat puer veſter rogatus ab ipſo, ut in bono opere quod cœpit, veſtram mereatur percipere conſolationem, ſed favorem, ſed orationem, ſed benedictionem. Propinquus noſter eſt, & carnem F meam, juxta Prophetam, non debui deſpexiſſe.

a Indubie hi ſunt Abbas & monachi Fontanenſes, qui maxime Intruſo adverſi erant, uti & Rievallenſes, de quibus in binis epiſtolis ſequentibus.

b Arnulfus ex archidiacono Sagienſi electus anno 1141. in Sedem Lexovienſem, Orderico paſſim Lexovienſem, *de Liſieux*, in Neuſtria, vir doctus, ſcriptis epiſtolis clarus, de cujus electione etiam Petrus Venerabilis ad Innocentium ſcripſit, quæ eſt lib. 4. epiſtola 7. Hæc Bernardi epiſtola primum à Johanne Picardo edita eſt ultima, numero 367. ab Horſtio dein omiſſa, & recuſa in Spicilegii tomo 3. De eodem Arnulfo agit epiſtola 243.

c Anacleti & Victoris ſchiſmata intelligit, hæreſes Petri Abælardi.

d Gaufridus, cognomento Planta-geneſtus, Fulconis Jeroſolymorum regis filius, Henrici II. Anglorum regis pater.

Ad Eundem Innocentium.

EPISTOLA CCCLI*.

* Nova, quæ vero antea 351 nunc 352.

Pauperes quoſdam commendat.

FRequenter ſcribo vobis. Preces & litteras meas habetis per ſingulos dies. Coarctor è duobus, ne aut amicis ingratus ſim, aut vobis importunus. Dilectio me provocat, ſed revocat confuſio, & pæne pudor excludit officium caritatis. Non habet Sponſa Chriſti, ubi caput reclinet, ubi confugiat, niſi ad amicum Sponſi in tempore tribulationis. Iſti, quos videtis pauperes, à pauperibus miſſi per multa pericula terræ & maris, confugiunt ſub umbra alarum veſtrarum, ad petram fidei catholicæ, & ad gremium apoſtolicæ pietatis recurrunt: quia in multis vexati, in paucis bene diſponuntur à tribulatione malorum & dolore. Si veſtri apoſtolatus officium, ſi veterem conſuetudinem tenetis; nec pauperis cauſas poteſtis abjicere, nec vultum honorare potentis. Precamur vos pro eis, quoniam fratres noſtri ſunt, & de Ordine noſtro, à quibus miſſi ſunt, ut precibus eorum pro ratione aurem pietatis inclinetis, pro amore illius, qui non ſpernit preces pauperum.

Innocentii Papæ II. Privilegium [a] S. Bernardo conceſſum, ſeu

EPISTOLA CCCLII*.

Ann. Chr. MCXXXI.
* Nova, quæ vero antea 352. nunc 349.

Innocentius [b] Bernardo atque Ordini Ciſtercienſi ampliſſima privilegia concedit ob præclara ejus in Sedem apoſtolicam merita.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio BERNARDO Claræ-vallenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum &c. Ceterum quam firma perſeverantique conſtantia, cauſam beati Petri & ſanctæ matris tuæ Romanæ eccleſiæ, dilecte fili in Domino Bernarde [b] abbas, incandeſcente Petri Leonis ſchiſmate fervor tuæ religionis & diſcretionis ſuſceperit defenſandam, & ſe murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam eccleſiaſticarum, quam ſæcularium perſonarum, ad catholicæ Eccleſiæ unitatem, & beati Petri ac noſtram obedientiam, frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraverit; magna quæ Eccleſiæ Dei & nobis provenit utilitas manifeſtat. Quam ob rem tuis juſtis deſideriis accommodantes aſſenſum, beatæ Mariæ Dei genitricis monaſterium, cui Deo auctore præſides, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, apoſtolicæ Sedis patrocinio communivimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones aut bona, quæ ad eumdem locum in præſentiarum juſte & canonice pertinere noſcuntur, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, auxiliante Domino, ei conferri contigerit, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Prohibemus ne aliquis Archiepiſcopus aut Epiſcopus te vel ſucceſſores tuos, ſeu aliquem Abbatem Ciſtercienſis Ordinis, niſi pro fide ad Concilium vel Synodum venire compellat. Quia vero Ciſtercienſe monaſterium hujus religionis origo eſt atque principium, noſtra conceſſione hac prærogativa non immerito gaudeat: ut ſi quando fuerit Paſtore proprio viduatum, quemlibet Abbatem de omnibus abbatibus veſtri Ordinis, vel monachum ſibi libere præficiendum eligat, & abſque aliqua contradictione obtineat; ceteris vero veſtri Ordinis abbatiis, quæ unam vel plures abbatias habent ſibi ſubditas, & de ſui corporis fructifera copia derivatas, Abbate ſuo rebus humanis exempto, eligendi quemcumque maluerint de ſibi ſubjectis Abbatibus, vel quemlibet monachum de omnibus congregationibus Ciſtercienſibus, liberam concedimus facultatem. Illa autem abbatia, quæ nullam habet ſubditam, quemlibet monachum de omnibus præfatæ religionis congregationibus, libere ſibi in abbatem eligat & habeat. Porro converſos veſtros, qui monachi non ſunt, poſt factam in veſtris cœnobiis profeſſionem, nullus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum vel Abbatum, ſine veſtra grata licentia ſuſcipere, aut ſuſceptum retinere præſumat. Statuimus ut de laboribus, quos vos & totius veſtræ congregationis fratres propriis manibus & ſumptibus colitis, & de animalibus veſtris, à vobis decimas expetere vel recipere nemo præſumat. Nulli ergo, &c. Conſervantibus vero eidem loco quæ ſua ſunt, ſit pax Domini noſtri Jeſu-chriſti: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ epiſcopus. Ego Matthæus Albanenſis epiſcopus. Ego Romanus diac. card. S. Mariæ in Porticu. Ego Johannes tit. S. Griſogoni presbyter card. Ego Gregorius diac. card. SS. Sergii & Bacchi. Datum Lugduni per manum Aimerici S. R. E. diac. card. & cancellarii. XIII. Kal. Martii. Indict. X. Incarnationis dominicæ anno MCXXXI. pontific. domini Innocentii Papæ ſecundi anno tertio.

Ad Willelmum [c] abbatem de Rievalle.

EPISTOLA CCCLIII*.

Circ. ann. MCXLI
* al. 179 quæ vero antea 353. nunc 387.

Monet æquanimiter ferre illegitimam Archiepiſcopi Eboracenſis ordinationem.

Dilecto fratri & coabbati ſuo WILLELMO de Rievalle, frater Bernardus de Clara-valle, ſpiritum conſilii & fortitudinis.

AUdivi quod factum eſt de Archiepiſcopo illo, & plurimum doleo. Propterea ſciens zelum veſtrum, ne forte plus juſto ferveat, temperamentum ſcientiæ non admittens, quod nec Ordini noſtro convenit, nec domui veſtræ neceſſarium eſt; dignum duxi conſolatoria ſcribere vobis: quoniam SATIS æquanimiter portanda ſunt cetera, quandoquidem non nos arguit propria conſcientia. Securus dico, neque iniquitas veſtra, neque peccatum veſtrum. Reſtitiſtis quoad potuiſtis: jam ſecundum Auguſtini ſententiam, non vos inquinat alienum malum, quandoquidem non conſenſiſtis corde, & ore redarguiſtis. Ait enim: Duobus modis non te inquinat alienum malum *, ſi non conſentis, & ſi redarguis. De cetero jam bono animo * eſtote, & nolite turbari. De Ordinibus vero & Sacramentis ceteris ſcitote, quoniam qui baptizat, ipſe & ſacrat, Chriſtus Dominus, Pontifex animarum noſtrarum. Quod ſi quis contentioſus eſt ſuper ordinatione, nemo vos cogit ordinari. Omnino tamen ſecure dico, ſi cum Eccleſia ſuſcipitur, non eſt periculum. Alioquin de hoc mundo exiremus, ſi vellemus omnes malos fugere, quos Eccleſia tolerat. Ad ſummam, non diu tardabit quin innoteſcat res ſummo Pontifici: & quod ordinaverit aut præceperit ipſe, bona omnino conſcientia ſequimini & tenete. Interim vos æquanimiter exſpectate.

Aug. ſerm. 18. de Verbis Domini, nunc ſerm. 88. Peccati alieni immunes duobus modis ſumus.
* al. malo Ordinatione Epiſcopi illegitimi ſuſtinenda V. epiſt. 318.

a Hoc privilegium poſt Bernardi ad Innocentium epiſtolas viſum eſt referre ex Spicilegii tomo 10. pag. 381. ubi Hiſtoria Fontanenſis monaſterii diœceſis Turonenſis habetur.

b Hæc verba laudantur à Gaufrido in lib. 3. de vita S. Bernardi num. 22.

c Is eſt VVillelmus, Rievallis in diœceſi Eboracenſi Ord. Ciſtercienſis abbas, quo miniſtro uſus eſt Bernardus in ſcribenda epiſtola 1. ad Robertum. De Rievalle Monaſticon Anglicanum pag. 767.

Ad

Ad reginam Jeroſolymorum MILISENDEM, filiam Balduini regis, & Fulconis uxorem.

EPISTOLA CCCLIV[a].

Ann. CHR. MCXLII. Nova quo vero nobis 354 nunc 358.

Mortuo Fulcone viro ſuo, ut ſe gerere debeat.

Illuſtriſſimæ Jeroſolymorum reginæ M. Bernardus Claræ-vallenſis abbas, invenire gratiam apud Dominum.

INter multiplices curas & negotia regalis aulæ ſatis incongruum mihi ſcribere videtur, ſi in te tantum gloriam regni tui, potentiam tuam, & lineam nobilitatis reſpexiſſem. Hæc omnia videntur in oculis hominum; & qui non habent, invident habentibus ea, & beatum dicunt hominem, cujus hæc ſunt. Sed quæ eſt iſta beatitudo in poſſidendis illis, quæ omnia tamquam fœnum velociter areſcunt, & quemadmodum olera herbarum cito decidunt! Bona ſunt hæc; ſed mobilia, ſed mutabilia, ſed præteritura, & peritura, quia bona carnis. Porro de carne, & de bonis ejus dictum eſt, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni.* (Iſa. 40.) Scribentem ergo ad te non multum iſta revereri oportuit, in quibus fallax gratia, & vana eſt pulcritudo. Accipe paucis quæ dico. nam etſi multa habeam tibi dicere, verbum tamen faciam abbreviatum propter multas curas tuas, & meas. Accipe breve conſilium, ſed utile, de terra longinqua, de quo tamquam de parvo ſemine multa ſeges ſurgat in poſterum; accipe, inquam, conſilium de manu amici, non commodum ſuum quærentis, ſed honorem tuum. Nullus ſiquidem tibi fidelior ad conſilium eſſe poteſt, quàm qui non tua, ſed qui te diligit. Mortuo rege viro tuo, & parvulo rege adhuc minus idoneo ad portanda negotia regni & ad proſequendum regis officium, oculi omnium in te reſpiciunt, & in te ſolam univerſa regni moles inclinata recumbit. Opus eſt, ut manum tuam mittas ad fortia, & in muliere exhibeas virum, agens ea quæ agenda ſunt in ſpiritu conſilii & fortitudinis. Ita prudenter & moderate oportet te cuncta diſponere, ut omnes, qui te viderint, ex operibus regem te potius, quàm reginam exiſtiment, ne forte dicant in gentibus, Ubi eſt rex Jeroſolymorum? Sed non ſom, inquies, ad iſta ſufficiens. Magna enim hæc ſunt; ſupra vires meas, & ſupra ſcientiam meam. Opera hæc opera ſunt viri: ego autem mulier ſum, corpore debilis, mobilis corde, nec provida conſilio, nec aſſueta negotiis. Scio, filia, ſcio, quia magna ſunt hæc: ſed & hoc ſcio, quia etſi mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Magna ſunt hæc, ſed magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus.

Ad eamdem REGINAM Jeroſolymorum.

EPISTOLA CCCLV[a].

Circ. ann. MCXLII. al. 356 quæ vero antea 355. nunc 356.

Præmonſtratenſes Jeroſolymam peregrinantes commendat.

VIdetis quantum præſumam de vobis, cui audeo & alios commendare. Quamquam Præmonſtratenſes fratres iſtos magis fortaſſis ſuperflue commendarim, quàm temerarie. Sunt merito ita commendabiles ſuo, ut non egeant alieno. Invenientur, niſi fallor, viri conſilii, ſpiritu ferventes, in tribulatione patientes, potentes in opere & ſermone. Induerunt ſe armatura Dei; & gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, ſeſe accinxerunt, non adverſus carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Suſcipite illos, tamquam bellatores pacificos, manſuetos ad homines, violentos ad dæmones. Immo Chriſtum in eis ſuſcipite, qui eſt cauſa peregrinationis eorum.

Ad MALACHIAM Hiberniæ archiepiſcopum.

EPISTOLA CCCLVI[a].

Ann. CHR. MCXLI. al. 316. quæ vero antea 356. nunc 363.

Remittit religioſos, ſed (quod negotiis imputat) non ſatis adhuc excultos, & inſtructos.

MALACHIÆ Dei gratia epiſcopo, Sedis apoſtolicæ Legato, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſi quid poteſt peccatoris oratio, & ſi quid pauperis devotio prodeſt.

FEcimus quod præcepit ſanctitas veſtra, & ſi non ut dignum, profecto ut poſſibile pro tempore fuit. Tanta apud nos ubique malitia graſſatur, ut vix id tantillum, quod factum eſt, fieri licuerit. Miſimus tam* (al. tamen.) exiguum ſeminis quod videtis, ad ſeminandam vel modicam partem agri illius, in quem verus Iſaac quondam exierat ad meditandum, cum primum adducta eſt ei Rebecca per puerum Abraham, perenni conjugio feliciter copulanda. (Gen. 24. 63.) Nec contemnendum ſemen, de quo illud in patribus veſtris experimur impletum hoc tempore: *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles eſſemus.* (Iſa. 1. 9.) Itaque ego ſeminavi, rigare vos, & Deus incrementum dabit. Sanctos omnes qui apud vos ſunt, per vos ſalutamus, humiliter ipſorum nos & veſtris ſanctis orationibus commendantes. Valete.

Ad EUMDEM.

EPISTOLA CCCLVII[a].

Ann. CHR. MCXLII. al. 317 quæ vero antea 357 nunc 370.

Perſeverantem, immo & proficientem ab eo dilectionem requirit, eamque in fratribus à ſe miſſis, curandis & fovendis oſtendi cupit.

Amantiſſimo Patri & domino reverendiſſimo MALACHIÆ, Dei gratia epiſcopo, ſanctæ & apoſtolicæ Sedis Legato, ſuæ ſanctitatis puer, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & qualeſcumque noſtras orationes.

1. QUàm dulcia faucibus meis eloquia tua, domine Pater, quàm jucunda tuæ memoria ſanctitatis! Si quid affectionis, ſi quid devotionis, ſi quid animi in nobis eſt, totum ſine dubio ſibi vindicat tuæ dilectionis caritas. Nec opus eſt verborum multitudine, ubi multum viget affectus. Confido enim, quod teſtimonium perhibeat ſpiritui tuo ſpiritus quem habes à Deo, tuum eſſe modicum id quod ſumus. Tu quoque, Pater amantiſſime & deſideratiſſime, ne tradas oblivioni animam pauperis, caritatis nexibus adhærentem tibi, & animam pauperis tui ne obliviſcaris in finem. Neque enim quaſi de novo commendamus nos tibi, cum in multo jam tempore gloriemur in Domino, quod invenire meruit parvitas noſtra gratiam in oculis ſanctitatis tuæ: ſed oramus, ut dilectio, jam non nova, novis quotidie proficiat incrementis. Filios noſtros, immo & veſtros, tanto obnixius commendamus vobis, quanto amplius remoti ſunt à nobis. Vos ſcitis, quoniam tota poſt Deum fiducia noſtra fuit, ut mitteremus eos, quoniam ſanctitatis veſtræ precibus non acquieſcere illicitum videbatur. Facite quod vos decet, ut totis viſceribus caritatis amplectamini eos, & foveatis. Nequaquam occaſione aliqua circa eos ſollicitudo & diligentia tepeſcat, & pereat quod plantavit dextera tua.

2. Jam quidem quia bene proficit domus, & ex veſtris litteris, & ex fratrum noſtrorum relatione didicimus: multiplicatur tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus. Unde & congratulamur plurimum, & toto animo gratias agimus Deo & paternæ ſollicitudini veſtræ. Et quoniam multa adhuc opus eſt vigilantia, tamquam in loco novo, & in terra tam inſueta, immo & inexperta monaſticæ religionis; obſecramus in Domino, ne retrahatis manum veſtram, ſed quod

[a] Et hanc epiſtolam inter Hibernicas ordine 43 Uſſerius refert, ubi multa de Mellifonte, aliiſque ejuſdem provinciæ Ciſtercienſibus monaſteriis notat.

bene incœpiſtis, optime perficiatis. De fratribus noſtris, qui redierunt à loco illo, nobis bene placuiſſet, ſi remanſiſſent. Et fortaſſe nonnullam occaſionem præbuerunt eis fratrum, qui de terra ſunt, minus diſciplinati mores, in eo maxime; quod minus facile eorum conſiliis acquieſcere videntur in his rebus, quarum prius fuerant inexperti.

3. Cariſſimum filium noſtrum Chriſtianum & veſtrum remiſimus ad vos, quantum potuimus inſtructum plenius in his, quæ ad Ordinem pertinent, & de cetero circa obſervantias ejus ſollicitiorem futurum, ut ſperamus. Nec miremini, quod non plures cum eo miſimus fratres: quoniam nec idoneos invenimus fratres, qui facile acquieſcerent, nec invitos cogere conſilium fuit. Dilectiſſimus frater noſter Robertus [a] precibus noſtris acquievit etiam hac vice, tamquam filius obedientiæ. Veſtrum erit juvare eum, ut poſſit jam & in ædificiis, & in ceteris neceſſariis promoveri domus veſtra. Illud quoque paternitati veſtræ ſuggerimus, ut viris religioſis, & quos ſperatis utiles fore monaſterio, perſuadeatis, quatenus ad eorum Ordinem veniant: quoniam hæc erit ſumma utilitas domus, & vobis facilius acquieſcent. Valeat ſanctitas veſtra, noſtri ſemper memor in Chriſto.

Ad dominum Papam, nempe Cæleſtinum.

EPISTOLA CCCLVIII [a].

Ann. CHR. MCXLII. [a] al. 374. quæ vero antea 358. nunc 376.

Opem & auctoritatem Pontificis in pace Theobaldo Campaniæ Comiti procuranda poſtulat.

QUod Comes Theobaldus rogat, & ego: filius ſiquidem pacis eſt. Et zelum pacis habet, ſed à vobis flagitamus effectum. Pacis veſter apoſtolatus, pacis locus, quem tenetis, debitor eſt. Pacem omnes diligunt, pauci merentur. Porro de amatoribus puer veſter ſe eſſe fatetur: an & de meritoribus ſit, vos judicabitis. Unum eſt, quod etſi nos non merentur, ſponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia, neceſſitas exigit: amicus ſponſi non contriſtabit eam. Ad hoc illi uni Sedi apoſtolicæ incumbit ſollicitudo omnium eccleſiarum, ut omnes ſub illa, & in illa uniantur; & ipſa pro omnibus ſollicita ſit, ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Pacem ergo date nobis, pacem mittite nobis: etſi non quia debetis, certe quia obedire debetis. Satis pro imperio.

Sedis apoſtolicæ eſt procurare pacem eccleſiis.

Claræ-vallenſium ad eumdem CÆLESTINUM.

EPISTOLA CCCLIX [a].

Ann. CHR. MCXLIII. [a] Nova. quæ vero antea 359. nunc 377.

Abbatem Morimundi Jeroſolymam peregrinaturum cupiunt retineri.

Summo Pontifici C. puſillus grex de Clara-valle, devotiſſimam debitæ ſubjectionis obedientiam, & ſi quid poteſt peccatorum oratio.

QUoniam illius vos gerere vicem gratulamur, qui ſuam dicebat inſtantiam quotidianam ſollicitudinem omnium eccleſiarum; apud aures pietatis veſtræ, licet majoribus occupatas negotiis, repulſam tamen non metuit noſtra puſillitas, verum magna compellit neceſſitas. neque enim pro minimo audire poteſtis, de quibus auditurus eſtis; *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Cauſa autem hæc non noſtra tantum, ſed totius Ordinis noſtri, ob quam etiam filius veſter, noſter omnium videlicet Pater, ſi, cum hæ datæ ſunt, domi fuiſſet [b], aut veſtræ per ſe ipſum majeſtatis præſentiam adiiſſet, aut certe ex ſuo nomine ſcriptam hanc miſerabilem lacrymabilemque delegaſſet querimoniam. Sed ne diu ſollicitam caritatem veſtram ſuſpendamus, unus ex fratribus noſtris Abbatibus, qui dicebatur de Morimundo [c], ipſum cui præerat monaſterium inconſulte ſatis deſerens, ſpiritu levitatis impulſus ſtatuit petere Jeroſolymam, prius quidem, ut aiunt, circumſpectionis veſtræ prudentiam tentaturus, ſi quo modo à vobis ſuo poſſet errori extorquere licentiam. Qua in re ſi quem ei (quod abſit) aſſenſum præbueritis, ipſe perpendite, quanta poſſit noſtro Ordini eſſe deſtructionis occaſio: cum exemplo hujus, quicumque Abbas paſtorali ſe ſentiet ſarcina aggravatum, mox illam abjiciet, utpote quam ſe licite poſſe abjicere arbitretur, præſertim apud nos, ubi nec grandis honor, & grande videtur onus. Deinde ad majorem domus ſibi commiſſæ deſolationem, meliores quoſque ac perfectiores, qui ſub ipſo degebant, ſuæ ſocios vagationis aſſumpſit: inter quos etiam nobilem illum puerum, quem & antea de Colonia (quod nec vos latuiſſe credimus) non ſine ſcandalo tulerat, ad majus ſcandalum nunc abducere ſecum præſumpſit. Quod ſi, ut vobis relatum eſt, dicit ſe in illa terra noſtri Ordinis velle ſervare obſervantias, & ideo fratrum ſe dicit ſecum ducere multitudinem; quis non videat, plus illic milites pugnantes, quam monachos cantantes aut plorantes neceſſarios eſſe? Sed & noſtra religio plurimum ex hoc capiet detrimentum: cum facile ſit cuique vagari geſtienti, illo, tamquam abſque ullo diſcrimine, præſumere peregrinari, ubi ſcilicet idem, quod profeſſus eſt, inventurus eſt propoſitum obſervari. Jam vero quid ſuper hoc vobis placeat, quidve veſtram decernere deceat auctoritatem, non eſt noſtræ præſumptionis judicare, ſed veſtræ diſcretionis examinare.

Matth. 25. 40.

Ad WILLELMUM abbatem de Rievalle.

EPISTOLA CCCLX [a].

Ann. CHR. MCXLIII. [a] al. 380 quæ vero antea 360. nunc 378.

Denuo hortatur Vuillelmum ad patientiam & æquanimitatem.

Cariſſimo fratri & coabbati WILLELMO de Rievalle, frater B. Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem & ſpiritum conſilii.

LAboravimus, quantum potuimus, adverſus peſtem communem; & ſi quo minus impetravimus quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris noſtri apud eum, apud quem nullum bonum irremuneratum eſt. Hæc eſt ergo noſtra & omnium, qui pro veritate decertant, conſolatio vera, quoniam repoſita eſt nobis corona juſtitiæ, quam reddet nobis in illum diem juſtus Judex. De cetero jam meminiſſe vos volumus, quoniam ſi quid patimur propter juſtitiam, beati, & quod nos non inquinat alienum malum, cui non conſenſimus, immo & redarguimus. Eſt ergo & hæc conſolatio noſtra, ut jam in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras; & quod apud homines obtinere nequivimus, à Domino ſperemus auxilium, qui non deſpiciet ſperantes in ſe. Confido enim de miſericordia Patris noſtri qui eſt in cælis, quoniam evelletur omnis plantatio quam non plantavit ille: & areſcet ad maledictum ejus ficulnea ſterilis, nec terram diutius occupabit. Propter quod rogo & obſecro fraternitatem veſtram, ut non conturbemini, nec turbetis gregem Dei, qui commiſſus eſt vobis: magis autem conſolamini vos, & viriliter agite, ut in ſanctitate ſerviamus Domino, & liberabit nos ab inimicis noſtris. Nos tamen, quod potuimus, ſuggeſſimus domino Tuſculano Epiſcopo [d], cui injunctum eſt, ut legatione fungatur in partibus illis: & omnino promiſit nobis, ſe, niſi aliquid melius fecerit nobis, id ſaltem omnimodis obſervaturum, ne tradat ei pallium quod portat, ſi non

Labor pro Eccleſia non ſine fructu, etſi abſque effectu.

Juſta cauſa à Deo non deſeritur.

a Quis iſte Robertus? an Robertus ille vir ſanctus, à Serlone laudatus in Hiſtoria Fontanenſi, tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 743. & 749. monachus quondam Vvitebienſis, ſociatus monachis de cœnobio Eboracenſi egreſſis, de quibus ſupra ad epiſtolam 95. & ſequentes. an Robertus, Bernardi conſanguineus, ad quem epiſtola 1.

b Gloſſema hoc interpretatur, *Forte eum tunc contigerat abeſſe, & hujus rei adhuc ignarum eſſe.*

c Raynaldus ſcilicet, abbas Morimundi quartus ab Arnoldo abbate primo, qui item abbatiam deſeruit, ex epiſtola 4. Raynaldus etiam ceſſit præfectura poſt 15. annos regiminis.

d Ymaro, qui legatus, in Angliam anno 1143. quo anno hæc epiſtola ſcripta eſt. Ad eumdem extant epiſtolæ 219. & 230.

[illegible] [a] nunc vero [illegible]ſcopus, in [illegible] c[illegible] pendebat. [illegible] cauſam [illegible] ad [illegible] Papam.

Ad Theobaldum archiepiſcopum [b] pro Johanne Saleſberienſi.

EPISTOLA CCCLXI [a].

Confiſus de amicitia Theobaldi, Johannem ei commendat.

Adgetis mihi gratiam, & multiplicatis gloriam, ſi [illegible] gratia [illegible], amici mei gratiam inveniant in oculis [illegible]. Ego tamen ab omni negligentiam non quære, [illegible] num Dei & juſtitiam ejus. Unde factum eſt, ut præſentium latorem Johannem [c], amicum meum & amicum meorum, mittam ad ſublimitatem veſtram, ad familiaritatem veſtram, quam in vobis & de vobis habere præſumo. Teſtimonium enim bonum habet a bonis, quod non minus vita, quam litteratura promeruit. Nec hoc didici ab illis, qui verba ſicut verba jactare noverunt; ſed a filiis meis, qui mecum ſunt, quorum verbis credo, ſicut crederem oculis meis. Præſens vobis commendaveram eum: ſed nunc abſens multo magis commendo, utique tanto ſecurius, quanto ſincerius & vitam, & mores hominis fidelibus relatoribus didici. Si quid ergo ego poſſum, immo quia poſſum plurimum ante faciem veſtram, providete ei, unde honeſte, immo honorabiliter vivere poſſit: ſed & hoc velociter, quia non habet quo ſe vertat. Interim providete ei in neceſſitatibus ſuis, & liceat mihi experiri totum illud familiaritatis arcanum, quod mihi conſervatis in viſceribus veſtris, amantiſſime Pater.

Ad Robertum Pullum [d] cardinalem & cancellarium.

EPISTOLA CCCLXII [a].

Ann. [illegible] MCXLV. [illegible]

Hortatur ut Eugenio, recens electo Pontifici, ſtrenuum pro officio ſuo ſe adjutorem præbeat in negotiis Eccleſiæ.

Domino & amico cariſſimo Roberto, Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero cardinali & cancellario, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & devotas orationes.

1. Scripta dilectionis veſtræ eo affectu ſuſcepimus, quo ſemper apud nos eſt in benedictione memoria veſtra. Nec ſane egere vos credimus humanæ gratiæ verbis, aut commendatitiis epiſtolis ad nos: quoniam quidem utrique noſtrum indubitabile (niſi fallor) teſtimonium perhibet Spiritus veritatis, quam ſincere & diligamus vos, & diligamur à vobis; ille, inquam, Spiritus, per quem & diffunditur caritas iſta in cordibus noſtris. Benedictus Deus, qui ſecundum ſuam miſericordiam Eugenium noſtrum, immo ſuum, prævenit in benedictionibus dulcedinis, parare ſcilicet lucernam Chriſto ſuo; & præmittere virum fidelem ad adjutorium ejus, & noſtram quoque plurimam conſolationem. Nam cum moleſta eſſet amico amici vocatio & abſentatio, cujus nimirum præſentia frui delectatur in Domino; jam tunc, ut manifeſte video, cogitabat ipſe cogitationes pacis, & non afflictionis, & dicebat: *Quod ego facio tu neſcis modo, [illegible] autem [illegible]*. Johan. 14. 5. Quamobrem [illegible] ſollicitus ſis, c[illegible] eo cui [illegible] conſolatorem & conſiliarium [illegible]us, & obſerva caute ſecundum datam tibi ſapientiam [illegible] forſe inter tam multiplicium negotiorum tumultus malignorum fraude circumveniri poſſit, ut ſubripiatur [illegible] verbum, quod indignum ſit Eugenii apoſtolatu.

2. Age, inquam, dilectiſſime, pro loco quem tenes, pro ea quam adeptus es dignitate: viriliter & prudenter exerce qui in te eſt zelum Dei, ad gloriam ejus, & ſalutem tuam, & Eccleſiæ ſanctæ plurimam utilitatem, ut dicere poſſis & tu, quia *gratia Dei in me vacua non fuit*. 1. Cor. 15. 10. Hactenus quippe eruditioni multorum fideliter & utiliter inſtabas, cælo & terra teſtibus: ſed jam tempus faciendi Domino, ne patiaris, quod in te eſt, diſſipari ab impiis legem ejus. Cura proinde, dilectiſſime & deſideratiſſime Pater, etiam in hac diſpenſatione inveniri fidelis Domini ſervus & prudens: quatenus & pro te faciat columbina ſimplicitas, & pro ea quæ tuæ quàm maximæ fidei & ſollicitudini credita eſt, Domini tui ſponſa, adverſus venenatas maligni & antiqui ſerpentis aſtutias militet prudentia ſerpentina, & in utraque glorificetur Deus. Multa quidem habeo vobis dicere: ſed non eſt opus longa epiſtola, ubi præſens eſt vox viva. Quamobrem veſtris pariter & noſtris occupationibus parcens, poſui verba mea in ore præſentium fratrum: tamquam me, ipſos audite. Valete.

Ad Orientalis Franciæ [e] Clerum & Populum.

EPISTOLA CCCLXIII [a].

Ann. Chr. MCXLVI.
[a] al. 322. quæ vetus nica 363 nunc 171.

Ad arma contra infideles pro defenſione Orientalis Eccleſiæ ſuſcipienda hortatur. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet, Judæos non eſſe perſequendos, nedum occidendos.

Dominis & Patribus cariſſimis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & univerſo Clero, & Populo Orientalis Franciæ & Bajoariæ, Bernardus Claræ-vallenſis vocatus Abbas, in ſpiritu fortitudinis abundare.

1. Sermo mihi ad vos de negotio Chriſti, in quo eſt utique ſalus noſtra. Hæc dico, ut excuſet indignitatem perſonæ loquentis auctoritas Domini; excuſet & conſideratio propriæ utilitatis. Modicus quidem ſum, ſed non modicum cupio vos omnes in viſceribus Jeſu-Chriſti. Ea nunc mihi ratio ſcribendi ad vos, ea cauſa, ut univerſitatem veſtram litteris audeam convenire. Agerem id libentius viva voce, ſi, ut voluntas non deeſt, ſuppeteret & facultas. Ecce nunc, fratres, acceptabile tempus, ecce nunc dies copioſæ ſalutis. Commota eſt ſiquidem & contremuit terra, quia cœpit Deus cæli perdere terram ſuam. Suam, inquam, Locorum ſanctorum dignitas.
in qua eſt Verbum Patris ſui docere viſus, & annis pluſquam triginta homo cum hominibus converſatus. Suam utique, quam illuſtravit miraculis, quam dedicavit ſanguine proprio, in qua primi reſurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis noſtris exigentibus, crucis adverſarii caput extulerunt ſacrilegum: depopulantes in ore gladii terram promiſſionis. Prope Periculum.
enim eſt, ſi non fuerit qui reſiſtat, ut in ipſam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas noſtræ redemptionis evertant, ut polluant loca ſancta, Agni imma-

a VVillelmus à S. Barbara, ex decano Eboracenſi epiſcopus Dunelmenſis, de quo in epiſtola 235.

b De Theobaldo, qui ex monacho Beccenſi creatus eſt archiepiſcopus Cantuarienſis, jam ſuperius facta mentio eſt in epiſtola 238. Ordericus ejus promotionem conſignat anno 1138 pag. 919.

c Is eſt Johannes Sareſberienſis, a cognomine Angliæ civitate ſic dictus, ſancti Thomæ archiepiſcopi Cantuarienſis amicus præcipuus: cujus meritis epiſcopatum Carnotenſem ſibi obtigiſſe profiteri ſolebat, litteras ſuas ſic exordiri ſolitus: *Johannes Dei gratia, & meritis beati Thomæ martyris, Carnotenſis eccleſiæ miniſter humilis*, ut in Spicilegii tom. 10. pag. 191. ubi vox *meritis* omiſſa.

d Ita in mſ. codice Ciſtercienſi, aliis *Rolandum*, etiam in editis omnibus. Is de quo hic agitur, antiquus Bernardi amicus erat, litteris & eruditione clarus, ac demum cancellarius *promotus* ad Eugenii adjutorium ante ejus electionem. quod, præter alia, Roberto Pullo ſignanter convenit, non Rolando, qui omniſi anno pontificatus Eugenii decimo cancellarius creatus eſt, ex Onuphrio. Error natus ex nomine R. decurtato. Ad aliaſ Notas.

e Encyclica epiſtola eſt, quæ in nonnullis codicibus *Populo Anglorum*, in quibuſdam, *Mainfredo Brixienſi eccleſiæ Epiſcopo*, &c. ex aliis Notis. Nempe hoc velut claſſicum eſt ad expeditionem ſacram. De ea loquens Guillelmus Tyrenſis: *Vir immortalis memoriæ & honeſtæ converſationis ſpeculum dominus Bernardus Claræ-vallenſis abbas, pia in Domino & per omnia amplectenda recordationis, ad prædicti Deo muneris executionem præcipuus eligitur. qui injuncta ſibi diſpenſationis ſedulus executor, ejuſdem operis ſecum Deo amabiles trahens commiſtros, impiger, indefeſſus, licet corporis eſſet invalidus, tam propter ſenium imminens, tum propter ſe nimia & ſubtiliori nimis diætam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei*, &c. Adde quæ hac de re leguntur in ejus Vita & miraculis, & confer epiſtolam 355.

culari purpurata cruore. Ad ipſum (pro dolor!) religionis Chriſtianæ ſacrarium inhiant ore ſacrilego, lectulumque ipſum invadere & conculcare conantur, in quo propter nos Vita noſtra obdormivit in morte.

Quid facitis, viri fortes? quid facitis, ſervi crucis? Itane dabitis ſanctum canibus, & margaritas porcis? Quàm multi illic peccatores, confitentes peccata ſua cum lacrymis, veniam obtinuerunt, poſtquam patrum gladiis eliminata eſt ſpurcitia paganorum! Videt homo malignus, & invidet; frendet dentibus, & tabeſcit. Excitat vaſa iniquitatis ſuæ, nec ulla quidem tantæ pietatis ſigna aut veſtigia relicturus, ſi quando forte (quod Deus avertat) obtinere valuerit illa ſancta ſanctorum. Verùm id quidem omnibus deinceps ſæculis inconſolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum, ſpecialiter autem generationi huic impiiſſimæ infinita confuſio, & opprobrium ſempiternum.

3. Quid tamen arbitramur, fratres? Numquid abbreviata manus Domini, aut impotens facta eſt ad ſalvandum, quod ad tuendum & reſtituendum ſibi hereditatem ſuam exiguos vermiculos vocat? Numquid non poteſt mittere Angelorum pluſquam duodecim legiones, aut certe dicere verbo, & liberabitur terra? Omnino ſubeſt ei, cum voluerit, poſſe: ſed, dico vobis, tentat vos Dominus Deus veſter. Reſpicit filios hominum, ſi forte ſit qui intelligat, & requirat, & doleat vicem ejus. Miſeretur enim Dominus populum ſuum, & lapſis graviter providet remedium ſalutare.

4. Conſiderate quanto ad ſalvandos vos artificio utitur, & obſtupeſcite; intuemini pietatis ejus abyſſum, & confidite, peccatores. Non vult mortem veſtram, ſed ut convertamini, & vivatis: quia ſic quærit occaſionem, non adverſum vos, ſed pro vobis. Quid eſt enim niſi exquiſita prorſus & inventibilis ſoli Deo occaſio ſalvationis, quod homicidas, raptores, adulteros, perjuros, ceteriſque obligatos criminibus, quaſi gentem quæ juſtitiam fecerit, de ſervitio ſuo ſubmonere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere, peccatores: benignus eſt Dominus. Si vellet punire vos, ſervitium veſtrum non modo non expeteret, ſed nec ſuſciperet quidem oblatum. Iterum dico, penſate divitias bonitatis Dei altiſſimi, conſilium miſerationis attendite. Neceſſitatem ſe habere aut facit, aut ſimulat, dum veſtris cupit neceſſitatibus ſubvenire. Teneri vult debitor, ut militantibus ſibi ſtipendia reddat, indulgentiam delictorum, & gloriam ſempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit ſuperſtitem annus iſte placabilis Domino, & vere jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in univerſum mundum, & ad ſignum [a] vitæ certatim convolant univerſi.

5. Quia ergo fœcunda eſt virorum fortium terra veſtra, & robuſta noſcitur juventute referta, ſicut laus eſt veſtra in univerſo mundo, & virtutis veſtræ fama replevit univerſum orbem; accingimini & vos viriliter, & felicia arma accipite Chriſtiani nominis zelo. Ceſſet priſtina illa non militia, ſed plane malitia, qua ſoletis invicem ſternere, invicem perdere, ut ab invicem conſumamini. Quæ miſeros tam dira libido [b] excitat, quod proximi corpus gladio, cujus fortaſſis & anima perit, tranſverberent? Sed nec effugit qui glorietur: & ipſius animam pertranſibit gladius, cum ſolum hoſtem gaudeat cecidiſſe. Illi ſe dare diſcrimini inſaniæ eſt, non virtutis: nec audaciæ, ſed amentiæ potius eſt adſcribendum. Habes nunc fortis miles, habes vir bellicoſe, ubi dimices abſque periculo: ubi & vincere gloria, & mori lucrum. Si prudens mercator es, ſi conquiſitor hujus ſæculi; magnas quaſdam tibi nundinas indico, vide ne pereant. Suſcipe Crucis ſignum, & omnium pariter, de quibus corde contrito confeſſionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipſa ſi emitur, parvi conſtat: ſi devoto aſſumitur humero, valet ſine dubio regnum Dei. Bene ergo fecerunt, qui cæleſte jam ſignaculum ſuſceperunt: bene ceteri faciunt, ſed nec ad inſipientiam eis, ſi feſtinent & ipſi apprehendere quod & eis in ſalutem exiſtat.

6. De cetero, fratres, moneo vos, non autem ego, ſed Apoſtolus Dei mecum, non eſſe credendum omni ſpiritui. Audivimus & gaudemus, ut in vobis fervescat zelus Dei: ſed oportet omnino temperamentum ſcientiæ non deeſſe. Non ſunt perſequendi Judæi, non ſunt trucidandi, ſed nec effugandi [c] quidem. Interrogate eos divinas paginas. Novi quid in Pſalmo legitur prophetatum de Judæis: *Deus oſtendit mihi*, inquit Eccleſia, *ſuper inimicos meos ne occidas eos, nequando obliviſcantur populi mei.* Vivi quidam apices nobis ſunt, repræſentantes Dominicam paſſionem. Propter hoc diſperſi ſunt in omnes regiones, ut dum juſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ redemptionis. Unde & addit in eodem Pſalmo loquens Eccleſia: *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine.* Ita factum eſt: diſperſi ſunt, depoſiti ſunt; duram ſuſtinent captivitatem ſub principibus Chriſtianis. Convertentur tamen ad veſperam, & in tempore erit reſpectus eorum. Denique cum introierit gentium multitudo, *tunc omnis Iſraël ſalvus erit*, ait Apoſtolus. Interim ſane qui moritur, manet in morte.

7. Taceo quod ſicubi deſunt, pejus judaizare dolemus Chriſtianos [d] fœneratores, ſi tamen Chriſtianos, & non magis baptizatos Judæos convenit appellari. Si Judæi penitus conterantur, unde jam proſperabitur eorum in fine promiſſa ſalus ſive converſio? Plane & gentiles ſi eſſent ſimiliter exſpectandi, ſuſtinendi forent potius quàm gladiis expetendi. Nunc autem cum in nos cœperint eſſe violenti, oportet vim vi repellere eos, qui non ſine cauſa gladios portant. Eſt autem Chriſtianæ pietatis, ut debellare ſuperbos, ſic & parcere ſubjectis, his præſertim, quorum eſt legiſlatio & promiſſa, quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt benedictus in ſæcula. Attamen exigendum ab eis juxta tenorem apoſtolici [e] mandati, ut omnes qui crucis ſignum ſuſceperint, ab uſurarum exactione liberos omnino dimittant.

8. Illud quoque admonitos vos eſſe eſt neceſſe, fratres dilectiſſimi, ut ſi quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione ſua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat: & ſi à nobis miſſum ſe ſimulet, non eſt verum: aut ſi oſtendat litteras, tamquam à nobis datas; ſed omnino falſas, ne dicam furtivas eſſe dicatis. Viros bellicoſos, & gnaros talium duces eligere eſt: & ſimul proficiſci exercitum Domini, ut ubique habeat robur, & non poſſit à quibuſlibet violentiam ſuſtinere. Fuit enim in priori expeditione, antequam Jeroſolyma caperetur, vir quidam, Petrus [f] nomine, cujus & vos (niſi fallor) ſæpe mentionem audiſtis. Is populum qui ſibi crediderat, ſolum cum ſuis incedens tantis periculis dedit, ut aut nulli, aut pauciſſimi eorum evaſerint, qui non corruerint, aut fame, aut gladio. Propterea omnino timendum eſt, ſi ſimiliter & vos feceritis, ne contingat & vobis ſimiliter. Quod avertat à vobis Deus, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

a Crucis ſignum, num. ſequenti, ubi etiam de indulgentia cruce-ſignatis conceſſa *omnium, de quibus corde contrito confeſſio facta* [illegible]. Confer epiſtolam 423.

b Antiqua Galliæ peſtis, quæ Eccleſiæ ac Regum ſanctionibus diu impetita, tandem Ludovici Magni inexorabili religione ſublata [illegible]. Confer epiſtolam 176 & Notas ad eam fuſiores.

c [illegible] religioſe Bernardus, & id quidem longe potiori ratione quam de gentilibus: quod *Judæi vivi apices nos repræſentantes* [illegible] & teſtes divinarum paginarum: gentiles non [illegible]. Confer epiſtolam ſequentem, & ſermonem 64 in Cantica, & librum ad Milites Templi cap. 10.

d Hic uſuras univerſim in Chriſtianis damnat Bernardus, nedum in clericis.

e Haud dubie Eugenii tertii, cujus verba in aliis Horſtii Notis.

f Celebris ille Petrus, cognomento Eremita, de quo Guillelmus Tyrius in libro 1 de bello ſacro paſſim, & Jacobus à Vitriaco in Hiſtoriæ occidentalis cap. 17. Hujus nominis Petrum Eremitam, Montis S. Quintini prope Peronam Priorem, invenimus in Necrologio Corbeienſi. An idem ſit cum iſto, qui etiam de Acheriis dictus, nondum pro comperto habemus.

[illegible] Cluniacenſem.

EPISTOLA CCCLXIV.

[illegible] cerum ad [illegible] Carnotenſem, ubi de auxilio Orientali [illegible] ſia ferendo conſultandum.

[illegible] o Patri PETRO, Dei gratia venerabili Cluniacenſi abbati, frater Bernardus de Clara-valle, ſalutem, & quas poteſt orationes.

1\. GRavem nimis ac miſerabilem Orientalis Eccleſiæ [illegible] nutum [a] ad aures veſtras, immo etiam ad [illegible] iam penetralia cordis arbitror perveniſſe. Di[illegible] quippe eſt, ut ſecundum magnitudinem veſtram, [illegible] ubeatis [illegible] idem veſtræ & omnium fidelium [illegible] paſſionis affectum, præſertim tam vehementer [illegible] graviter periclitanti. Dignum, in[illegible], ut tanto amplius comedat vos zelus domus Dei, [illegible] ampliorem in ea locum, ipſo auctore, tenetis. [illegible] quin ſi duramus viſcera, ſi obduramus corda, ſi [illegible] m hanc parvi pendimus, nec dolemus ſuper con[illegible] ione ubi noſtra in Deum caritas, ubi dilectio pro[illegible] morum? [illegible] mino vero, ſi non ſatagimus quanta poſſumus [illegible] citudine, conſilium aliquod & remedium tantis malis, tantiſque periculis adhibere; quomodo non ingrati convincemur eſſe ei, qui abſcondit nos in die malorum, in tabernaculo ſuo; juſtius periode & vehementius puniendi, utpote tam divinæ gloriæ, quàm fraternæ ſalutis negligentes? Hæc vobis tam fiducialiter, quam familiariter duximus ſuggerenda, ob gratiam utique, qua noſtram indignitatem excellentia veſtra dignatur.

2\. Nam & patres noſtri, Epiſcopi Franciæ, una cum domino Rege & Principibus, tertia die Dominica poſt Paſcha apud Carnotum [b] urbem venturi ſunt, & de verbo hoc tractaturi: ubi utinam mereamur habere præſentiam veſtram. Quia enim magnis omnino magnorum virorum conſiliis hoc verbum conſtat egere; gratum profectò obſequium præſtabitis Deo, ſi negotium ejus non duxeritis alienum, ſed caritatis veſtræ probaveritis zelum in opportunitatibus, in tribulatione. Noſtis enim, Pater amantiſſime, noſtis, quoniam amicus in neceſſitate probatur. Confidimus autem, quod magnum huic verbo proventum præſentia veſtra præſtabit, tum pro auctoritate ſanctæ Cluniacenſis eccleſiæ, cui Deo auctore præeſtis, tum maxime pro ſapientia & gratia, quam vobis ipſe donavit ad utilitatem utique proximorum, & ſui ipſius honorem. Qui vobis etiam nunc inſpirare dignetur, ut non gravemini venire, & ſervis ſuis in nomine ejus, & pro zelo ipſius nominis congregandis veſtram admodum deſiderabilem conferre præſentiam.

Ad HENRICUM * Moguntinum archiepiſcopum.

EPISTOLA CCCLXV.

Radulfum monachum, qui fideles in Judæorum necem armabat, arguit.

Venerabili domino & cariſſimo patri HENRICO Moguntino archiepiſcopo, Bernardus Claræ-vallis Abbas, invenire gratiam apud Deum.

1\. LItteras dilectionis veſtræ debita veneratione ſuſcepi: ſed præ multitudine negotiorum brevis eſt reſponſio. Depoſitum querelæ veſtræ apud nos ſignum eſt & pignus dilectionis, & præcipuæ humilitatis indicium. Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei, ut ad me referatur Archiepiſcopi contemptus, & me[illegible] ſola jura: [illegible] oit[illegible] m & [illegible] non ignoro verbum [illegible] quod ex ore Altiſſimi procedit: [illegible] *dalum. væ autem illi per quem venit.* [illegible] agitur in litteris veſtris, neque ab [illegible] per hominem, ſed ii qui à Deo miſſus [illegible] ſe monachum aut eremitam jactat, & ex eo [illegible] mit libertatem, vel officium prædicationis; poteſt [illegible] re, & debet, quod Monachus non habet docentis, [illegible] plangentis officium *: quippe cui oppidum carcer eſſe debet, & ſolitudo paradiſus. Hic vero à contrariis, & ſolitudinem pro carcere, & oppidum habet pro paradiſo. O hominem ſine pectore! o hominem ſine fronte cujus ſtultitia elevata eſt ſuper candelabrum, ut appareat omnibus qui ſunt in domo.

2\. Tria ſane ſunt in eo reprehenſione digniſſima: uſurpatio prædicationis, contemptus Epiſcoporum, homicidii approbata libertas. Novum genus potentiæ. Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui eodem prohibente gladium depoſuit, quo jubente levaverat? Numquid tu major es Principe Apoſtolorum, qui quæſivit a Domino. *Domine ſi percutimus in gladio?* Sed inſtructus es omni ſapientia Ægyptiorum, id eſt ſapientia hujus mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum. Alter ſolvis quæſtionem Petri, quàm ille qui dicit: *Mitte gladium in locum ſuum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Nonne copioſius triumphat Eccleſia de Judæis, per ſingulos dies vel convincens, vel convertens eos, quàm ſi ſemel & ſimul conſumeret eos in ore gladii? Numquid incaſſum conſtituta eſt illa univerſalis oratio Eccleſiæ, quæ offertur pro perfidis [d] Judæis à ſolis ortu uſque ad occaſum, ut Deus & Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis à ſuis tenebris eruantur? Niſi enim eos, qui increduli ſunt, credituros ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro eis. Sed conſiderat oculo pietatis, quod Dominus habet reſpectum gratiæ apud eum, qui reddit bona pro malis, & dilectionem pro odio. Ubi eſt ergo illud quod dictum eſt: Videas *ne occidas eos?* Ubi eſt, *cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Iſrael ſalvus fiet?* Ubi eſt, *ædificans Jeruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit?* Tune es ille qui mendaces facies prophetas, & evacuabis omnes theſauros pietatis & miſericordiæ Jeſu-Chriſti? Tua doctrina non eſt tua, ſed ejus qui miſit te patris. Sed credo ſufficit tibi, ſi ſis ſicut magiſter tuus. Ille enim erat homicida ab initio: ille mendax, & pater mendacii. O monſtruoſa ſcientia! ô ſapientia infernalis, contraria Prophetis, & Apoſtolis inimica, ſubverſio pietatis & gratiæ! ô immundiſſima hæreſis! ô meretrix ſacrilega, quæ impregnata de ſpiritu falſitatis concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Libet, ſed non licet ultra progredi. Ad ultimum, ut omnia quæ ſentio ſuper his, breviter comprehendam; homo eſt magnus in oculis ſuis, plenus ſpiritu arrogantiæ. Verba & opera ejus prætendunt, quod conatur ſibi facere nomen juxta nomen magnorum qui ſunt in terris: ſed non habet ſumptus ad perficiendum. Vale.

Margin notes: * al. [illegible] Novar. [illegible] epiſt. 89. — Tria in Radulfo reprehendit. — Geneſ. 22. — Luc. 22. 49. — 1 Cor. 3. 19. — Matth. 26. 52. — Eccleſia orat pro Judæis. — Pſal. 58. 12. — Rom. 11. 26. — Pſal. 146. 2. — Johann. 8. 44. — Pſal. 7. 15. — * De eo ſupra epiſt. 170. — CHR. MCXLVI — * al. [illegible] nunc [illegible]

a Nimirum ex amiſſione urbis Edeſſæ, quæ quomodo in Saracenorum manus redierit, conſule Notas fuſiores.

b In hoc conventu, Bernardus militiæ dux electus, id officii ſuſcipere detrectavit, tamquam ſuis moribus & monaſtico inſtituto repugnans, ut in epiſtola 256. ad Eugenium, num. 4. Confer epiſtolam nunc 363. & epiſtolas Sugerianas, quarum centeſima trigeſima tertia eſt Petri Venerabilis ab hoc conventu ſe excuſantis ob Capitulum generale Cluniaci eodem die indictum.

c Rodulfus ſcilicet, ex Ottone Friſingenſi in fuſioribus Notis.

d Hæc oratio quotannis funditur feria ſexta Hebdomadæ ſanctæ totidem verbis, quæ hic adhibet Bernardus.

Ad Hildegardem abbatiſſam.

EPISTOLA CCCLXVI[a].

Circ. ann. MCXL... al. 356 ... vero antea 366 ... 310.

Laudibus ſuis modeſtè rejectis, ut ipſa Dei gratiam in ſe agnoſcat monet: & orationes pro ſe ſuiſque poſtulat.

Dilectæ in Chriſto filiæ Hildegardi[a], Fr. Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſi quid poteſt oratio peccatoris.

a Chronol. noſt. ... 1148 & Not.

QUod de noſtra exiguitate longe aliter quàm noſtra ſe ſe conſcientia habeat, quidam ſentire videntur, non noſtris meritis, ſed ſtultitiæ hominum deputandum eſt. Ad dulcedinem autem piæ caritatis B tuæ ſcribere properavi; quamvis id brevius omnino quàm vellem, negotiorum multitudo compellat. (Gratia ut grata habenda.) Congratulamur gratiæ Dei quæ in te eſt, & ut eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & devotionis affectu ſtudeas reſpondere, admonemus: ſciens quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. (Jacob. 4. 6.) Quod in nobis eſt hortamur, & obſecramus. Ceterum ubi interior eruditio eſt, & unctio docens de omnibus, quid nos aut docere poſſumus, aut monere? Diceris enim cæleſtia ſecreta rimari, & ea quæ ſupra homines ſunt, Spiritu-ſancto illuſtrante dignoſcere. Unde rogamus magis & ſuppliciter poſtulamus, ut noſtri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter C qui nobis in ſpirituali ſocietate juncti ſunt. Nam cum ſpiritus Deo conjungitur, confidimus quod nobis multum prodeſſe valeas & ſubvenire. *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* (Jac. 5. 16.) Nos pro te aſſidue oramus, ut conforteris ad bona, inſtruaris ad interiora, dirigaris ad permanſura: ita ut nec hi qui ſpem ſuam in Deo poſuerunt, deſperando pro te claudicent: ſed ut in profectu benedictionis, quam a Deo accepiſſe cognoſceris, bene confortari, in melius & melius proficiant.

G.[b] Cancellario.

EPISTOLA CCCLXVII[a].

Circ. ann. MCXLVII. a al. ... quæ vero antea 367 nunc 419

Epiſcopum Metenſem commendat.

D PRædeceſſor veſter bonæ memoriæ Haimericus cancellarius dominum Metenſem epiſcopum [*] ſpeciali amplectebatur dilectione; & nuntios ejus, quoties Romam venirent, plurimum acceptabat, & juvabat ſtudioſius. Unde rogo vos quoque per eadem gradi veſtigia, & nobili Epiſcopo, in magna neceſſitate poſito, armis Eccleſiæ ſubvenire.

* Stephanum

Ad G. [*] Diaconum cardinalem.

EPISTOLA CCCLXVIII[a].

Circ. ann. MCXLVII a al. 353. quæ vero antea 368. nunc 420.

Affectum ejus, litteris & donis expreſſum, gratus amplectitur, & ab amore terrenorum opumque avocat.

E Domino & amico cariſſimo G. Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono cardinali, frater B. Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & devotas orationes.

1. BEnedictus tu à Domino, qui tam copioſe prævenisti nos in benedictionibus dulcedinis: ut ſi qua miſericordiæ viſcera, ſi quid affectionis, ſi quid caritatis invenitur in nobis, totum ſibi merito vindicet illuſtris animi tui tam devota humilitas, humiliſque devotio. Nam & antea exſultabam omnino, & gratulabar F zelo bono, quem in te eſſe fratrum noſtrorum re- A latione didiceram: ſed jam eo amplius, ſi quid poſſum in Domino, tuæ dilectioni me ſentio debitorem: quo devotius & humilius parvitati noſtræ commendatum te reddere ſtuduiſti. Unde & ſollicitus ſui fratribus noſtris indices tui pectoris legere litteras, plenas devotæ affectionis, plenas pietatis & gratiæ; benedictionem[c] quoque, quam deſtinaveras, exhibere; & præcipere, ſicut rogaſti, in memoriam tui & tuorum, ipſis in vaſis Miſſarum ſollemnia celebrari. Faciat te Deus in magna domo ſua vas in honorem, ut de te quoque nos cariſſimi tui operum teſtimonio, quod plurimum deſideramus, mereamur audire, *quoniam vas electionis mihi eſt iſte*. (Act. 9. 15.) Teſtis enim nobis eſt Spiritus veritatis, per B quem & diffunditur caritas iſta in cordibus noſtris, quomodo te cupiamus in viſceribus Jeſu-Chriſti.

2. Quia ergo æmulamur te Dei æmulatione, non modo eſt ad eum pro te deprecatio noſtra, ſed etiam ad teipſum, ut ſollicite provideas, quomodo te oporteat converſari in domo Dei, & in ſorte miniſterii hujus. Dico enim non de præſumptione, Deus ſcit, ſed de caritate, quoniam judicium grave his qui præſunt, ſi non etiam prodeſſe laborant: (Sapien. 6. 6.) & econtra, qui bene miniſtraverit, gradum bonum acquiret. (1 Tim. 3. 13.) Tu ergo, dilectiſſime & deſideratiſſime domine, declina obſecro magis ac magis a malo, & fac bonum: nec inveniaris in Chriſti hereditate quærens quæ tua ſunt, ſed me- C mor eſto ſemper apoſtolici illius: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec quicquam auferemus.* (1 Tim. 6. 7.) Quamobrem eam, quæ immortalis eſt, animam tuam ſerva, cariſſime, ne qua occaſione avelli aut eradicari queat ab affectu cordis tui quod Dominus loquitur in Evangelio: *Quid prodeſt*, inquit, *homini ſi univerſum mundum lucretur, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?* (Matth. 16. 26.) Miſeri prorſus, miſeri, qui in bonis ducunt dies ſuos, ut in puncto ad inferna deſcendant. (Job 21. 13.) Cum enim interierint, non ſument omnia, nec deſcendet cum eis gloria eorum, (Pſal. 48. 18.) quoniam vapor eſt ad modicum parens. (Jacob. 4. 14.) Hæc cogita, dilectiſſime, & hæc meditare jugiter, & in corde tuo deſcribe ea, D nec à memoria tua ullatenus recedant. Vale.

Ad Sugerium abbatem.

EPISTOLA CCCLXIX[a].

Circ. ann. MCXLVII a al. 356. quæ vero antea 369. nunc 118.

Gratulatur Sugerio de reformatione eccleſiæ S. Genovefæ feliciter inſtituta, & ut bene cœptis inſiſtat hortatur.

Amantiſſimo patri & domino Sugerio, Dei gratia venerabili abbati beati Dionyſii, frater Bernardus de Clara-valle, ſalutem & orationes[d].

BEnedictus Deus, qui in manu veſtra operatus eſt ſalutem in eccleſia ſanctæ Genovefæ: ut domus E Dei reſtitueretur ordini[e] & diſciplinæ. Agit vobis gratias apoſtolica ipſa auctoritas, quod fideliter & efficaciter opus magnificum incœpiſtis: agimus & nos quas poſſumus gratias, & quicumque Deum diligunt in veritate. Rogamus itaque obnixius & poſtulamus, ut ſecundum apoſtolicarum tenorem litterarum, operi manuum veſtrarum dexteram porrigatis: ut quod magnifice cœptum eſt, veſtræ magnitudinis opera proficere poſſit in dies, & feliciter conſummari. Jam pro eccleſia ſancti Victoris [*] caritatem veſtram ſollicitare ſuperfluum judicamus: quia omnium eccleſiarum cuſtodia vobis commiſſa eſſe dignoſcitur. Sed his debetur amplius, quarum religio amplius noſcitur indigere.

* V. epiſt. 416.

a Celebris revelationibus Abbatiſſa in monte S. Roberti prope Bingium in diœceſi Moguntina. Ejus epiſtolæ habentur in Bibliotheca Patrum, quas inter una exſtat ad Bernardum, in qua ejus ſtudium in prædicanda ſacra expeditione laudat, eumque *ante biennium ſicut hominem in Sole* ſe vidiſſe dicit. Johannes Sareſberienſis ejus viſiones petit a magiſtro Girardo, eaſque dicit Eugenio Papæ accepriſſimam fuiſſe.

b Guidoni Moricato de Vico, Piſano, qui poſt Robertum Pullum cancellarius fuit ab ann. 1146. ex Notis ad epiſtolam 354.

c Id eſt donum ſive vaſa ſacra, quæ Guido in miniſterium altaris Claræ-vallenſibus deſtinaverat, infra, indubie aurea aut argentea.

d Hac peccandi formula uti ſolet Bernardus ſcribendo ad Sugerium.

e In ea quippe canonicos regulares S. Auguſtini inſtituerat Sugerius pro monachis, quos Eugenius eo induci præceperat in locum Canonicorum ſecularium. qua de re iterum in epiſtola ſequente, ubi eccleſia de Monte appellatur, ſcilicet Locutitio, ut olim dicebatur. Vide Notas fuſiores & Sugerii epiſtolas, ubi hæc & ſequentes inſertæ ſunt.

Ad Eundem.

EPISTOLA CCCLXX[a].

Circ. ann. MCXLVII.

Eccleſiam de Monte ei commendat.

Cariſſimo patri & domino Sugerio, beati Dionyſii abbati, frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem & dilectionem.

OPortet vos operari opera ejus, qui reliquit vos in loco ſuo[a], immo opera Domini Dei veſtri, qui ad tale miniſterium vos elegit. De operibus ejus eſt, quod eccleſia de Monte religionem induit & decorem: ubi vos novella illa plantatio conſiliatorem & auxiliatorem magnum invenit. Supplicamus, ut quod bene cœpiſtis, melius conſummetis, & opponatis vos murum pro domo Iſraël, ut non prævaleat homo. Dignemini etiam conſolari Abbatem * loci illius, quia puſillanimis eſt: quia ſic convenit honori perſonæ veſtræ, & ſaluti animæ veſtræ, & ſpecialiter in tempore iſto.

* Odonem.

Ad Eundem.

EPISTOLA CCCLXXI[a].

Circ. ann. MCXLVII.

Diſſuadet matrimonium inter filium Comitis Andegavenſis & filiam Regis Francorum ob impedimentum conſanguinitatis.

Domino Abbati beati Dionyſii, frater Bernardus de Clara-valle, ſalutem & orationes.

SIc ſcripſi ad dominum Regem. Opus grande & onus inæſtimabile ſuſcepiſtis, quod à nemine, niſi divina virtute, poſſit portari. Supra vires eſt hominis negotium[b] veſtrum: ſed Deo facile eſt, quod hominibus eſt impoſſibile. Si hæc ſcitis, cavendum vobis ſummopere eſt, ne qua occaſione tam neceſſarium repellatis auxilium, ne qua ſuggeſtione Deum offendatis, & gratiam ejus vobis reddatis infenſam. Cavendum, inquam, nunc maxime, ne quando provocatus à vobis iraſcatur Deus, & avertat faciem ſuam à vobis, ac manum retrahat adjutorii. Siquidem periculum hoc non ad ſolum Regem ſpectat, ſed ad univerſam Eccleſiam Dei: quia ex hoc jam veſtra & totius mundi una eſt cauſa. Quorſum hæc tendant, audite. Feſtino quidem ad vos, ſicut hæ litteræ, vigiliam beatæ Mariæ Magdalenæ Lauduni * facturus: ſed aliis jam litteris præmonere vos & præmunire curavi. Audivi enim quod feſtinet Comes Andegavenſis alligare vos fide & ſacramento, ſuper matrimonio contrahendo inter filium ſuum, & filiam veſtram. At hoc quidem non tantum non expedit, ſed non licet, non modo alias ob cauſas, ſed quia titulus conſanguinitatis id prohibet, ſicut veridica atteſtatione cognovimus, matrem reginæ & puerum iſtum, filium Comitis Andegavenſis, in tertio conſanguinitatis gradu inveniri. Propter quod omnimodo monemus, ne faciatis hanc rem: ſed timeatis Deum, & declinetis à malo. Promiſiſtis vos nulla ratione ſine conſilio noſtro id facturum: & ſi diſſimulavero, ipſe peccavi. Hoc ergo conſilium noſtrum, ut nullo modo id faciatis. Si feceritis, ſciatis vos & contra conſilium noſtrum, & contra conſilium multorum diligentium nomen veſtrum, & etiam contra Deum feciſſe: & nolite putare quod acceptum ſit Deo ſacrificium veſtrum, cum ſit ex parte: ut pro alieno ſollicitus, regno proprio non parcatis, diſponendo illud contra Deum, contra jus & fas, & contra utile atque honeſtum. Liberavi animam meam: liberet & veſtram Deus à labiis iniquis & à lingua doloſa.

Luc. 18. 27.

* Lau.

Ad P.[c] epiſcopum Palentinum in Hiſpania.

EPISTOLA CCCLXXII[a].

Circ. ann. MCXLVII.

Laudat eum ab humilitate, ſed maxime à ſtudio lectionis.

Venerabili domino, & cariſſimo patri P. Dei gratia Palentienſi epiſcopo, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, præveniri à Domino in benedictionibus dulcedinis.

QUis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in odore unguentorum tuorum? Venerabilis tua converſatio, & integritas morum replevit nares meas in odorem ſuavitatis: & ecce odor iſte factus eſt mihi, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Vere ſicut adipe & pinguedine repleta eſt anima mea in odore iſto, & in talibus vita ſpiritus mei. Quomodo enim poteſt audire, & non delectari in craſſitudine anima mea, cum audierit virum ſublimem & humilem, negotioſum & quietum; & trementem verba Domini? O rara avis in terris, humilitas cum ſublimitate, & tranquilla mens in medio negotiorum! Lætificaſti, domine, animam ſervi tui; lætificet & tuam miſericors Dominus in lætitia gentis ſuæ. Gaviſus ſum gaudio magno, quod talia de vobis, & à talibus nuntiata ſunt, quibus non forte putare potui. Latores enim præſentium fratres noſtri nuntiaverunt nobis de caſtigatione carnis, quam redigis in ſervitutem, de erectione ſpiritus, de amore lectionis, de manſuetudine morum, de operatione boni ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Tu ergo, cariſſime, non me intendas intentum circa laudes tuas in verbis iſtis. Nondum enim menti excidit illa prophetica reprehenſio: *Populus meus, qui te beatificant, ipſi te decipiunt.* Nolo enim oleo peccatoris impinguari caput tuum, quia peccator ſum; ſed potius oleo lætitiæ, quæ procedit de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Non ſum ego venditor olei: non enim habeo niſi parum olei, quo ungar in palæſtra hujus ſæculi: verumtamen laudes Chriſti ſilere non poſſum. Laudetur ergo non creatura, ſed Creator: laudetur non ille qui accepit, ſed ille a quo accepit: laudetur non ille qui plantat, non ille qui rigat, quia nihil ſunt; ſed qui incrementum dat Deus. Ego ergo non accipientis, ſed porrigentis manum laudabo: non laudationem ſervi, ſed laudationem Domini loquetur os meum. Tu ergo, dilectiſſime, ſi ſapis, immo quia ſapis, in te quidem, ſed non ex te cognoſce gratiam: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. Scio quoſdam eſſe, qui quaſi ſcienter neſcire volunt quæ acceperunt à Domino, ne in ſuperbiam elati, in viſcum incidant diaboli. Mihi autem videtur debere ſcire quid acceperim, ut ſciam quid deſit mihi: mihi videtur juxta Apoſtolum, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, ne neſciamus, ad quæ poſtulanda ſuſpirandum ſit nobis. Qui enim accepit, & neſcit quæ accepit, duplici periculo vicinum ſe conſtituit: quia ingratus eſt circa acceptum, & incantus circa cuſtodiendum beneficium. Quomodo enim refert gratiam ei, à quo accepit, ſi neſcit ſe accepiſſe quod accepit? vel quomodo ſollicitus erit cuſtodire, qui non meminit ſe aliquid accepiſſe? Aufer à me, Domine, opprobrium ingrati illius populi, de quo dictum eſt: *Obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis.* Acceptum itaque beneficium, etiam ſecundum ſapientes hujus ſæculi, æternæ memoriæ infigendum eſt. Oportet ergo ut accepta ſciamus cuſtodire, & gratia Dei vacua non ſit in nobis: ſed ut ſemper in nobis maneat, ſemper gratias agamus Domino

Iſa. 9. 16.

Pſal. 77. 11.

a Id de Ludovico Juniore intelligendum, qui in Orientem profectus, Sugerio vices ſuas commiſerat. unde Bernardus in ſuperiori epiſtola ait, omnium eccleſiarum curam ei eſſe commiſſam: & in epiſtola nunc 376. ad eumdem: *Maximus*, inquit, *Princeps eſtis in regno*. Unde *Majeſtatis* nomine compellatur ab Ulgerio Andegavenſi epiſcopo in epiſtola 3 inter Sugerianas.

b Id eſt expeditio ſacra. unde hæc epiſtola ſine dubio referenda eſt ad Ludovicum Juniorem, qui Mariam ſuam primogenitam filio Fulconis Andegavorum Comitis, qui in Orientem etiam profectus eſt, conjungere volebat quæ res effectu caruit, Maria Henrico Campaniæ Comiti tradita.

c Petrum ſcilicet, cujus nomen diplomati Sanciæ, Spinam Abbatiam S. Bernardo concedentis, ſubſcriptum invenitur apud Manrique ad ann. 1147. cap. 18 num 3.

Ad Deiſalutem aſcendendum tribus gradibus.

Deo noſtro. Illud quoque non orioſe puto adjiciendum, A ut in acquiſitionem ſalutis & gratiæ tribus gradibus aſcendas, humilitate, fide, timore. Humilitas enim eſt, cui gratia datur; fides, in qua ſuſcipitur; timor, à quo cuſtoditur. Nam ſine tribus his ſi aſcendamus ad gratiam, timeo, ne dicanir nobis: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Sit ergo ad hauriendam aquam ſapientiæ funiculus hereditatis; & hæc humilitas ſit in ore, ſit in corde, ſit in actu: quia funiculus triplex difficile rumpitur. Fides ſit hydria, & hæc magna ſit, ut ab ea multum gratiæ capiatur. Sit timor operculum, ne ſordibus vanæ gloriæ aqua ſapientiæ inquinetur. ſcriptum eſt enim: Vas quod non habuerit cooperculum, immundum erit. Manum B meam provocavit ad ſcribendum illa tua devotio legendi, qua non ſolum magnorum hominum, ſed etiam nugas noſtras amplecteris: ut per quos nuntiata eſt bonitas tua, per eoſdem tibi nuntiaretur, quantam cordi meo dediſti lætitiam.

Johan. 4. 11.

Num. 19. 15.

a Abbatis Sp. a ad S. Bernardum.

EPISTOLA CCCLXXIII*.

Circ. ann. MCXLVII. * Nova, quæ vero antea 371. nunc 411.

De præfectura ſibi impoſita luget.

Deſiderabili domino & cariſſimo patri BERNARDO Claræ-vallenſi abbati, filius ejus Sp. Fratrum eccleſiæ ſervus inutilis, benedictionem omnium gentium.

DEſiderio deſideravi, ſi fieri poſſet, ut litteræ iſtæ invenirent vos liberum ab aliis negotiis & abſolutum. Timeo enim, & timui, cum eas ſcriberem, & recordabar illius, qui quærebat videre Jeſum, ſed non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Sed quid ſi otium invenero, & non invenero gratiam in oculis veſtris? Numquid ſolum otium erit mihi ſolatium? Parcat vobis Deus. Quid feciſtis? ubi me poſuiſtis, & qualem? Utinam appenderentur vires meæ, & ſarcina, quam porto, in ſtatera! quaſi arena maris hæc gravior appareret. Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei? Nonne ego ſum puer parvulus, ignorans introitum & egreſſum meum? Quis ego, aut quid ego, ut poſſim ſolus occurrere, immo ſuccurrere eccleſiæ, in qua poſitus ſum, tamquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ? Supra vires meas eſt negotium iſtud: ſtulto labore conſumor. Laboravi in gemitu meo: ſed quæ utilitas in laboribus & gemitibus meis? Inveterati ſunt morbi, plaga crudelis, & inſanabilis dolor, niſi in manu forti. Vitia quippe verſa ſunt in mores, mores in conſuetudinem, conſuetudo in naturam, natura in neceſſitatem. O quàm neceſſe eſſet hanc neceſſitatem evelli! Sed, quod cum lacrymis dicendum eſſet, confortata eſt, & non potero ad eam. Ecce enim non eſt auxilium mihi in me. Sed & frater iſte lator præſentium, qui valde nobis neceſ- ceſſarius erat, recedit à nobis. Docebat enim novitios; proficiebant illi, ego autem gaudebam, & ſperabam de miſericordia Dei, quod quandoque abſorberetur mortale à vita. Teſtimonium illi perhibeo, quantum licet æſtimare hominem ab homine, quia converſatio ejus apud nos, & Deo grata fuit, & dulcis hominibus. Unde & diſceſſio ejus ſine dolore eſſe non potuit. Potens es, domine, convertere planctum meum in gaudium mihi, ſi inveni gratiam in oculis tuis. Hæc hactenus. Cetera præſentium lator latius explicabit.

Ad FRATRES DE HIBERNIA, in tranſitu beati b Malachiæ epiſcopi.

EPISTOLA CCCLXXIV*.

Ann. Chr. MCXLVIII. * al 321. quæ vero antea 374. nunc 358.

Sanctorum obitum gaudio potius, quam luctu proſequendum. Singulari quoque Dei beneficio, Claram-vallem tanti viri morte & ſepultura honoratam.

Religioſis FRATRIBUS qui in Hibernia ſunt, & his maxime congregationibus, quas beatæ memoriæ Malachias epiſcopus fundavit, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, Paracliti conſolationem.

B 1 SI haberemus hic manentem civitatem, copioſiſſimis jure lacrymis plangeremus, talem nos amiſiſſe concivem. Ceterum ſi futuram magis inquirimus ut oportet, eſt quidem non modica doloris occaſio tam neceſſario duce deſtitui: debet tamen zelum temperare ſcientia, & dolorem ſpei fiducia delinire. Nec mirari quempiam decet, ſi gemitum extorquet affectus, ſi deſolatio lacrymas exprimit: modum tamen adhibere neceſſe eſt, immo non modice etiam conſolari, intuentes non quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Primum quidem congratulandum eſt animæ ſanctæ, ne nos arguat de inopia carita- C tis, dicens & ipſe quod Dominus ad Apoſtolos ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Prævenit nos ad Patrem ſpirituum ſpiritus Patris noſtri: nec modo caritatis inopes, ſed ingratitudinis etiam rei eſſe convincimur ſuper omnibus, quæ per eum nobis beneficia provenere, ſi non congratulamur ei, qui de labore ad requiem, de periculo ad ſecuritatem, de mundo tranſiit ad Patrem. Itaque & pium eſt Malachiam flere defunctum, & pium magis Malachiæ congaudere viventi. Numquid non vivit? Utique, & beate. Viſus eſt oculis inſipientium mori, ille autem eſt in pace.

Obitus piorum an & quomodo lugendus.

Johan. 14. 28.

2. Dehinc etiam utilitatis propriæ conſideratio exſul- D tandum nobis ſuggerit & lætandum, quod tam potens ſuos patronus ad cæleſtem curiam, tam fidelis præceſſerit advocatus: cujus & ferventiſſima caritas oblioviſci nequeat filiorum, & probata ſanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam ſanctum aut minus poſſe prodeſſe, aut minus ſuos diligere audeat ſuſpicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc ſuæ dilectionis à Deo capit experimenta: & cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Abſit autem ut tua nunc, ô anima ſancta, minus efficax æſtimetur oratio, quando præſenti vividius ſupplicare eſt majeſtati, nec jam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas. Abſit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operoſa caritas reputetur, cum ad fontem ipſum carita- E tis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas. Non potuit morti cedere caritas fortis ut mors, immo & morte fortior ipſa. Nam & decedens non erat immemor veſtri, affectuoſius vos commendans Deo, & noſtram quoque exiguitatem ſolita illa ſua manſuetudine & humilitate exorans, ut veſtri non obliviſceremur in finem. Unde & dignum duximus ſcribere vobis, ut ſciatis nos & in ſpiritalibus, ſi quid noſtra in his exiguitas per beati hujus Patris noſtri merita umquam potuerit; & in corporalibus, ſi quando forte opportunitas præberetur, omnem vobis conſolationem impendere tota devotione paratos.

Lætandum nobis de patrocinio.

Malachiæ caritas erga ſuos.

F 3. Et nunc quoque, dilectiſſimi, Hibernienſis eccleſiæ gravem hanc deſtitutionem toto miſeramur affectu: & eo amplius vobis compatimur, quo nos amplius ex hoc novimus debitores. Magnificavit enim Dominus facere nobiſcum, cum locum noſtrum dignatus eſt beatæ mortis ejus honorare præſentia, & pre-

a Haud dubie Abbatis de Spina, Palentinæ diœceſis, cujus fundatrix Sancia, Alfonſi imperatoris ſoror, ad quam epiſtola 301. locum S. Bernardo dedit. Nivardus Bernardi frater cum ſociis eo miſſus. Abbatis primi nomen ignorat Manrique, loco indicato in Notatione ſuperiori.

b Anno 1148. die 2. Novembris contigit ſancti Malachiæ obitus, de quo in ejus Vita à Bernardo ſcripta in tomo 2. Adde ſermones duos de eodem in tomo 3.

tioſiſſimo

tioſiſſimo corporis ejus locupletare theſauro. Nec moleſtum ſit vobis, quod apud nos habeat ſepulturam: quando ſic ordinavit Deus ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, ut vos enm vivum haberetis, nobis habere licerer vel defunctum. Et nobis ſiquidem communis vobiſcum Pater ille erat, & eſt. nam & in morte ipſius hoc nobis confirmatum eſt teſtamentum. Quamobrem ſicut nos hujus tanti Patris gratia, univerſos vos, tamquam germanos fratres, totis amplectimur viſceribus caritatis: ſic & de vobis idem ſentire ſpiritalis ipſa cognatio perſuadet.

Hortatur ad ... Patris ſectanda veſtigia.

4. Hortamur autem vos, Fratres, ut beati hujus Patris noſtri ſemper cureris ſectari veſtigia, eo ſtudioſius, quo vobis certius ſancta ejus converſatio diuturnis experimentis innotuit. In hoc enim veros vos ejus filios eſſe probabitis, ſi paterna viriliter inſtituta ſervetis: & ut in eo vidiſtis & audiſtis ab eo, quemadmodum vos oporteat ambulare; ſic ambuletis, ut abundetis magis. ſiquidem gloria patris, ſapientia filiorum.

Prov. 10. 1.

Nam & noſtram non mediocriter excutere deſidiam, & reverentiam incutere cœpir præſens nobis tantæ perfectionis exemplar. Atque utinam ſic nos poſt ſe trahar, ut pertrahat in tam recenti virtutum ejus odore avidius alactiuſque currentes. Orantem pro nobis univerſitatem veſtram Chriſtus cuſtodiat.

Ad IDAM Comitiſſam Nivernenſem.

EPISTOLA CCCLXXV.[a]

Monachos Vizeliacenſes à Comitiſſa clientibus infeſtari queritur.

Dilectæ in Chriſto filiæ Nivernenſi Comitiſſæ, Frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

* Pontius.

CONqueritur venerabilis Abbas * Vizeliacenſis, quod vos, & clientes veſtri, mercatores & ceteros Vizeliacum volentes ire prohibetis. quod quia Guillelmus [a] Comes bonæ memoriæ, & filius ejus in præſentia domini Autiſiodorenſis & noſtra penitus refutavit, tamquam impium & iniquum; monemus & rogamus, ne id deinceps ullo modo faciatis. Timemus enim, ſi talia facere cœperitis, ne forte & vobis hic, & viro veſtro, nbi ipſe eſt, plurimum poſſint obeſſe. quod omnino nollemus. Credite ergo nobis, & omnino deſiſtite à malitia hac.

Ad SUGERIUM abbatem.

Ann. CHR. MCXLIX. * al. 358. quæ vero ... 376. nunc 321.

EPISTOLA CCCLXXVI.[a]

Hortatur & rogat, ut duellis quorumdam Principum ſe opponat.

Venerabili Patri & domino SUGERIO, Dei gratia abbati ſancti Dionyſii, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

NUnc tempus & opus eſt, ut apprehendatis gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, contra diabolica figmenta, quæ regerminare moliuntur iterum. Homines namque illi qui reverſi ſunt, maledictas illas nundinas [b] poſt feſta paſchalia præfixerunt, & ſtatuerunt laxatis habenis dominus Henricus filius Comitis, & dominus Robertus frater Regis, ut irruant & interficiant ſemetipſos. Animadvertite quali voluntate viam Jeroſolymitanam * aggreſſi ſunt, qui cum voluntate hujuſmodi regreſſi ſunt. Quàm recte dici poteſt de iſtis: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; percuſſi ſunt, & non doluerunt; attriti ſunt, & renuerunt ſuſcipere diſciplinam.* Poſt tot labores, poſt tot pericula, quibus vexati ſunr à tribulatione malorum & dolore, regnum in pace eſt, & dominus Rex abeſt: & per hos duos poteſt terra ſingulariter cummoveri, ſed & perturbari. Supplico & conſulo ſublimitati veſtræ, quia maximus princeps eſtis in regno *: ut vel diſſuaſione, vel vi, totis viribus vos opponatis, ne fiat hoc: quia ſic convenit honori perſonæ veſtræ, & terræ veſtræ, & utilitati Eccleſiæ Dei. Vim autem appello, quod ad eccleſiaſticam pertinet diſciplinam. Nos autem idem ſcribimus domino Remenſi, domino Senonenſi, domino Sueſſionenſi, domino Autiſiodorenſi, Comiti Theobaldo, Comiti Rodulfo *. Opponite vos tantis malis, & propter dominum Regem, & propter dominum Papam, ad quem pertinet cuſtodia regni.

b Duella repetita ſtatuta.

* V. epiſt. 288.

Jerem. 51. 9.

* Sugerius Gallia Procura.

* Veromandenſi.

Ad EUNDEM.

Ann. CHR. MCXLIX. * al. 359. quæ vero antea 377. nunc 346.

EPISTOLA CCCLXXVII.[a]

Prædicat ejus zelum & ſtudium boni communis, quod indixerit comitia regni pro ejus ſalute, hortaturque ad cauſam reſp. fortiter agendam.

Cariſſimo Patri & domino SUGERIO, Dei gratia beati Dionyſii abbati, frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſpiritum conſilii & conſolationis.

1. VIſis quibuſdam litteris veſtris, quas ad dominum Turonenſem direxerat ſublimitas veſtra, exſultavimus, & delectati ſumus, non qualicumque gaudio, ſed gaudio magno valde. Viſitet vos Oriens [c] ex alto, qui viſitare diſponitis regnum glorioſiſſimi Regis noſtri, nt ſic reſpirare poſſit à tribulatione malorum & dolore, qui jam in januis eſt, ſi non fuerit totis viribus contradictum. Profecto conſilium Dei fuir, ut ad conſilium tam curiæ, quàm Eccleſiæ principes vocaretis: ut ſciant omnes qui habitant terram, quia remanſit & regno, & Regi amicus dulcis, conſiliarius prudens, adjutor fortis. Illi, inquam, Regi, qui ſervit Regi, cujus regnum eſt omnium ſæculorum; qui commovit gentes & regna, ne Rex cæli perderet terram ſuam; terram, ubi ſteterunt pedes ejus. Illi, inquam, Regi, qui cum eſſet gloria ſingularis, rebus affluens, pace ſecurus, victorioſus in prœliis, juvenis ætate; elegit exſulare à propriis, ut ſerviret in alienis, illi tamen, cui ſervire, regnare eſt. Et quis audeat turbare regnum ejus? quis tantam impietatem committat adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus? Domine mi Rex, utinam abſcindantur, qui te conturbant! qui quærunt mala & tibi, & tuis, cum tu inter alienas gentes ſolus remanſeris, ne remaneret in ſolitudine ille locus, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut eſſet nomen ſuum ibi.

Ludovici Jun. elogium.

2. Propterea viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, qoia vobiſcum eſt Dominus Deus veſter in protectione Regis & exſulis ſui. Qui imperavit ventis & mari, tumentes fluctus facile complanabit. Erit vobiſcum univerſitas Eccleſiæ Dei, ne inſurgat aliquis & peccare faciat Iſrael, & totis humeris totum onus, ſi quid tamen oneris fuerit, ſupportabit. Nunc enim tempus & opus eſt, nr agatis pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro poteſtate quam accepiſtis: ut memoria veſtra non ſolum in benedictione, ſed & in admiratione ſit generationi huic omni quæ ventura eſt. Providendum eſt, & multum providendum, ne tanta portio Eccleſiæ Dei ſine fructu maximo fatigetur, & hic ſtatuendum, quod omnes inſurgentium malignitates vel reddere, vel elidere poſſit. In voluntate noſtra eſt, ut vobis in nomine Domini congregatis, parvitatis noſtræ litteras tranſmittamus, quæ etſi non adjuvent, ſaltem affectum noſtrum oſtendant. Ille autem qui vobis dedit hanc voluntatem, donet & facultatem, & conterat ſatanam ſub pedibus veſtris: ut in opere iſto glorificetur Dominus, honoretur Eccleſia, regnum ſtabiliatur, & obſtruatur os loquentium & facientium iniqua.

a Guillelmus iſte in Cartuſiam (ut jam notatum) ſecedens, alterum Guillelmum filium ſuum ſucceſſorem habuit ab anno 1147.

b Quippe ſollemnes hominum cœtus convocabant ad ſpectacula duellorum, de quibus jam in epiſtola 363. Henricus iſte filius erat Theobaldi Campaniæ Comitis, ad quem epiſtola 179. Robertus Ludovici Junioris frater, de quo in ſuperioribus epiſtolis non ſemel. A patribus eſt hæc epiſtola, itidem directa *domino Remenſi, &c. infra*.

c Eadem formula utitur initio epiſtolæ 147.

A

Ad Eundem.

Circ. ann. M C XLIX. * al. 367 quæ vero antea 373 nunc 357.

EPISTOLA CCCLXXVIII*.

Petit ſubſidium annonæ pro Religioſis Bituricenſibus.

Domino dilectiſſimo Sugerio, Dei gratia venerabili abbati ſancti Dionyſii, frater Bernardus Claræ-vallis abbas, ſalutem & orationes.

* La Maiſon-Dieu.

FRatres noſtri de Bituricenſi archiepiſcopatu, de Domo Dei*, egent pane: & audivimus quod abundat ibi annona domini Regis, & parum venalis inibi videtur. Itaque rogamus vos, ut præcipiatis eis dari de annona illa, quantum viſum fuerit prudentiæ ve- B ſtræ. Nam & dominus Rex, dum in hac terra eſſet, eis benefacere ſolebat.

Ad Eundem.

Ann. Chr. MCXLIX. *al. 361 quæ vero antea 375 nunc 353. Eſt 91 inter Sugerianas.

EPISTOLA CCCLXXIX.

Abbati cuidam inopi ſubvenire rogat.

Domino & Patri dilectiſſimo Sugerio, Dei gratia reverendo abbati S. Dionyſii, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & devotas orationes in Chriſto.

ABbatem pauperem Abbati diviti mittimus, ut de C alterius abundantia, alterius inopia aliquatenus relevetur. Vobis ſane honeſtiorem cedimus partem juxta ſententiam Veritatis, quæ beatius eſſe definit dare, quàm accipere. Nec dubito, quin libentius & liberalius manum veſtram extenderetis ad hunc pauperem Chriſti, ſi vobis æque, ut nobis, innotuiſſet ejus religioſitas & honeſtas, ſed & neceſſitas ipſa quam patitur. Nam & debitis premitur, & panis inopia laborat, quod agri ejus pro tritico herbas ei pernicioſas reddiderint. Quia ergo ſterilitas iſta veſtros non attigit loculos, rogamus & petimus per veſtram miſericordiam ei ſubveniri: nec ullatenus dubitetis, quin utiliter poſitum ſit & repoſitum, quicquid ei præſtare D placuerit.

Act. 20. 35.

Ad Eundem.

Ann. Chr. MCXLIX. * al. 362 quæ vero antea 382. nunc 360.

EPISTOLA CCCLXXX*.

De periculoſo ſtatu Eccleſiæ Orientalis.

Amantiſſimo Patri & domino Sugerio, Dei gratia beati Dionyſii abbati, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem, & quas poteſt orationes in Domino.

VErbum quod attulerunt Magiſter Templi, & frater Johannes, tam lætus accepi, quam id quod à E Deo crederem proceſſiſſe. Ipſa enim jam Orientalis Eccleſia tam miſerabiliter clamat, ut quiſquis non toto compatitur affectu, Eccleſiæ filius eſſe non probetur. Verum quàm lætus de nuntio, tam triſtis de anguſto termino, ad quem veſtræ dilectioni occurrere non potui. Siquidem promiſeram Lingonenſi Epiſcopo ipſa die occurrere ad colloquium, quod de magnis & gravibus negotiis fiducia noſtri acceperat. Indicavi autem ipſum tempus, quando, ſi placet, lætus occurram cum eodem Epiſcopo, qui multum poterit utilis eſſe colloquio.

Ad Eundem.

Cir. Ann. M C L. * al. 364 quæ vero antea 381 nunc 380.

EPISTOLA CCCLXXXI*.

Monet ſe de ipſo recte ſentientem, dolere tamen, quod mala regni palam ipſi imputentur. Hortatur ut caveat, ne eorum, per quos iſta fiunt, conſortio infametur.

Reverendo Patri & amico noſtro cariſſimo Sugerio, Dei gratia abbati ſancti Dionyſii, frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem & qualeſcumque noſtras orationes.

AD litteras paternitatis veſtræ reſpondere brevius, temporis anguſtiæ coëgerunt. Jam enim adveſperaſcebat ea die, qua litteras illas accepi: & neceſſe erat ſequenti die ad Ciſtercienſe Capitulum proficiſci. Proinde reſpondeo breviter, & volo ut omnino longe fiat à vobis, ne aliquando veniat in cor veſtrum, quod de vobis ullo modo crediderim, veſtro conſilio & voluntate fieri mala quæ plangimus. Verum unum fuit, quis zelo urgente ductus, ipſum vobis zelum exprimere, immo & imprimere atque ingerere laborabam, ut veſtram quoque ſanctitatem inflammaret affectus. Alterum fuit, quod licet bene ſentirem de conſcientia veſtra, plurimum tamen contriſtabar de fama & ſcandalo, quod eſt in Eccleſia Dei. Quod ſi acquieſcere nolunt maxime in hujuſmodi rebus, quid facietis inter eos? Quare de vobis illi ſe palliant? nonne oportet vos omnino alienare à ſacrilegis illis, & longe fieri ab eis? ut ſecuri de conſcientia, decantetis: *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Pſal. 25. 5. ut noverit omnis Eccleſia ſanctorum, alienam ab eorum numero & conſortio veſtram innocentiam eſſe. Proinde memoramini principium loquendi Domino in Pſal. 1. 1. Propheta: & invenietis beatum virum eſſe, qui non abiit in conſilio impiorum. Illud autem credatis, numquam male me ſenſiſſe de vobis. Novi enim vos, & puritatem veſtram. Valete, & orate pro nobis.

Ad Leonium abbatem ſancti Bertini a.

Circ. ann. M C L. * al. 324. quæ vero antea 382. nunc 381.

EPISTOLA CCCLXXXII*.

Ejus in ſe, ſuoſque beneficia gratus agnoſcit. Thomam de S. Audomaro ad Claræ-vallenſes tranſire volentem non prohibendum.

Dilecto & venerabili domino Leonio abbati, & univerſo conventui eccleſiæ ſancti Bertini, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.

1. LItteras dilectionis veſtræ, dilectiſſimi fratres, ſuſcepimus, indicium volontatis & petitionis veſtræ. Beneficiorum, quæ nobis & noſtris plena manu, hilari mente, vultu ſereno exhibetis, in æternum non obliviſcar. Sed quid ſi non ſum oblitus, & ingratus invenior? Numquid ſola memoria habebit me excuſatum? immo acerbius accuſabit. Nec immemorem, nec ingratum amicis meis me exhibere novi. Si tamen non habeo quod retribuam pro omnibus quæ accepi à vobis; ut minus ſapiens loquor, Dominus retribuet pro me. De alieno liberalis ſum, quoniam inops & pauper ſum ego. Honorem eccleſiæ veſtræ, & decorem domus Domini, qui in vobis eſt, quantum diligam, ipſe novit, qui plus profunditatem humani F cordis ingreditur. Sed nec ego vereor verum dicere in hac parte: ego diligentes me diligo. Sed non in hoc juſtificatus ſum: nam & ethnici hoc faciunt. Non multum laudis habet, ſi amantes me amavero: ſed ſi non amavero, ſceleratus pro ſcelere judicabor. Dilexi vos, & ante meritum: quare etiam poſt meritum non diligerem? Quos enim, etiamſi nulla merita præceſſiſſent, honorari oportuit; poſt beneficia non honorare, pluſquam injuria eſt. Diligam vos ſemper, fra-

a De S. Bertini monaſterio actum ſupra in epiſtola 149. De Thoma confer epiſtolam 108. ad ipſum. Leonius abbas laudatur ab Hermanno monacho Lauduneníi in lib. 3. de miraculis B. Mariæ cap. 4. ubi *vir religioſiſſimus, & tam gentilium, quàm divinarum litterarum peritiſſimus* dicitur. Præfuit ab anno 1148. ad 1163.

tres cariſſi[illegible], in Domino, & cum omni amore ſerviam vob[illegible] in e[illegible], cujus ſervi eſtis : immo Chriſtum, cujus membra eſtis, ſemper in vobis honorabo.

[illegible]. Verumtamen ut rationabile ſit obſequium noſtrum & honor irreprehenſibilis, quem vobis exhibere debemus; prudenter & caute id fieri oportet, quia honor Regis judicium diligit. Super his igitur quæ mihi reſcribitis, reſpondeo caritati veſtræ, quia nec ego audeo, nec vos debetis prohibere eum qui bene facere poteſt. Quid enim reſpondere habemus Apoſtolo dicenti *Spiritum nolite exſtinguere?* Neque enim ſecurum eſt extinguere, quod exſtinctum accendere non ſit tuæ poteſtatis. Et ubi eſt illud: *Unuſquiſque in ea vocatione qua vocatus eſt, in ea permaneat?* Vocatus eſt, inquam, Thomas[a], non à me, ſed ab eo qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. Quid ad nos reſpicitis? quid nos intuemini in hoc facto, tamquam opus hominis ſit, & non Dei? Non ab homine, neque per hominem, ſed à Domino factum eſt iſtud. Non enim homo, ſed Deus eſt, qui operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit. A Domino, inquam, factum eſt iſtud: & ideo non ſolum mirabile, ſed immutabile eſſe debet in oculis noſtris. Quis enim, vel quid eſt homo, ut adjuvet ſenſum Domini, vel ſpiritum ejus? Novit ille qui quærit ovem perditam, & quid quærat, & ubi quærat, & quomodo, & unde revocet, & ubi collocet, ſic ut eam ulterius non perdat. Quem ergo Dominus vocavit, vide ne revoces; quem Deus erexit, tu inclinare noli; nec ponas ei offendiculum, cui Deus manum porrigit aſcendenti.

3. Sed jam videndum eſt, quid ponderis habeat illud quod dicitis, eum oblatum à parentibus. Videat prudentia veſtra, quid habeat plus vigoris & rationis, utrum illud quod factum eſt de ipſo per alium ipſo neſciente, an illud quod ſciens & prudens de ſeipſo fecit: non autem ipſe, ſed gratia Dei, quæ nolentem prævenit ut velit, quæ volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. Ego autem dico, quod votum parentum integrum manet, & oblatio eorum non eſt exinanita, ſed cumulata. Nam & idem offertur quod prius oblatum eſt; & eidem offertur cui prius oblatum eſt; & quod prius a ſolis parentibus oblatum fuerat, nunc offertur à filio. Præterea ſuper hoc verbo præcipere vobis nihil habeo: conſilium autem do. A Domino egreſſus eſt ſermo: nolite impedire curſum gratiæ Dei, nolite reprimere primitias bonæ voluntatis. quod enim in eo cœptum eſt, de Spiritu-ſancto eſt. Vos autem nolite diſſimulare injuriam quam nobis infertis, cum numquam vos læſerimus in hac parte, ut fratres quos Deus miſit ad vos, vellemus ſubtrahere vobis. Noverit autem ipſe Thomas, ſi irritum fecerit votum ſuum, cujus me teſtem adhibuit: noverit alius, quicumque ſit ille, qui eum ad hoc impulerit, quod aſcendam ex adverſo, & ſtabo contra eos in die Domini. Sed interim melius eſt ei, vobis, & nobis, ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vale.

Ad Eumdem Abbatem S. Bertini.

EPISTOLA CCCLXXXIII[a].

Circ. ann. MCL. [a] al. 341 quæ vero antea 383. nunc 381.

Rogat ut officia humanitatis, hactenus fratribus ſuis exhibita, continuet.

Amico ſuo cariſſimo Leonio, ſancti Bertini venerabili abbati, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem in eo qui mandat ſalutes Jacob.

Quod merito confidam de vobis, caritas veſtra palam fecit, quæ inventa occaſione ſeipſam innoteſcendi, non potuit latere ſub modio. Gratiſſima habeo illa officia humanitatis, quæ fratribus noſtris impenditis, qui habitant juxta[a] vos. Quod illis facitis, mihi facitis: immo ſic magis mihi facitis, quàm ſi mihi faceretis. Obſecro ergo, ut perſeveret hæc ſollicitudo veſtra pro eis, quoniam longe facti ſunt a nobis, ut non poſſimus eis prout oportet, aſſiſtere. Sit ergo veſtræ benignitatis vicem noſtram ſupplere, ut vos ipſis in patrem, & ipſi ſint vobis in filios. Si forte venerit tempus, quo tantæ caritati reſpondere poſſimus, quod non ſimus ingrati, fides oculata monſtrabit. Vale.

Ad Monachos eccleſiæ ſancti Bertini.

EPISTOLA CCCLXXXIV[a].

Circ. an. MCL. [a] al. 347 quæ vero antea [illegible] præmiſſa epiſtolæ .70

Gratias agit beneficentiæ hactenus ſuis præſtitæ, largam à Deo retributionem promittens.

Univerſis qui ſunt in eccleſia beati Bertini amandis in Chriſto, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas, ſervire Domino in lætitia.

Ad gratiarum actionem, ad reddendum dilectionis officium, meritis veſtris provocamur. Quia enim acceptum beneficium æternæ memoriæ inſigendum eſt, beneficiis quæ fratribus noſtris, immo quæ mihi contuliſtis, nec immemor eſſe debeo, nec ingratus. Meum eſt, quicquid meis impenditur: mihi datur, quicquid infunditur in viſceribus meis. Scio cui credidi, & certus ſum: ſcio quia diligitis nos, non verbo & lingua, ſed opere & veritate. In argumentum quippe dilectionis & gratiæ, quam fratres noſtri invenerunt in oculis veſtris, non verba procedunt, ſed opera: eo utique puriora apud Deum, & gratiora apud homines, quo de ſola gratia dantis proveniunt, præter meritum accipientis. Pro his igitur gratias agimus univerſitati veſtræ: pro his omnibus debitores ſumus vobis, ſi quid ſumus, ſi quid poſſumus, & nos, & fratres noſtri. Sed ne parum vobis ſit acceptos eſſe hominibus, accepti eſtis & Deo meo. Nam quod uni ex minimis ejus feciſtis, ipſi feciſtis. Quid quod non uni tantum, ſed pluribus ex minimis ejus feciſtis? (Matth. 25. 40.) In omnibus his penes me non retributio multa, quoniam inops & pauper ſum ego: ſed Dominus retribuet pro me. Ipſe qui retributor eſt omnium bonorum, retribuat vobis, quod pauperes ejus præveniſtis in benedictionibus dulcedinis, & in exemplo caritatis. De præteritis gratias agimus: de futuro precamur, ut bonum facientes non deficiatis. Tempore enim ſuo metetis de ſemine boni operis manipulos pacis & gloriæ. quod nobis præſtet Deus, amen.

Ad Eosdem.

EPISTOLA CCCLXXXV[a].

[a] al. 3[illegible]. quæ vero antea 385. nunc 418.

Eis de meliori obſervantia gratulatur, eoſdemque ad ſtudium religioſæ perfectionis & aſſiduos profectus excitat.

Dilectiſſimo ſibi in Chriſto univerſo Conventui monaſterii ſancti Bertini, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

1. Ita, quæſo, ita facite, dilectiſſimi. Diſcipulus quippe proficiens, gloria eſt magiſtri. Quiſquis in ſchola Chriſti non proficit, ejus indignus eſt magiſterio, præſertim tamen ubi ſumus, ubi nihil in eodem ſtatu permanet: & non proficere, ſine dubio deficere eſt. Nemo proinde dicat: Satis eſt, ſic volo manere, ſufficit mihi eſſe ſicut heri & nudiuſtertius. In via reſidet qui ejuſmodi eſt: in ſcala ſubſiſtit, ubi neminem Patriarcha vidit non aſcendentem, aut deſcendentem. Dico ergo: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Ardua & anguſta eſt via, & non hic, ſed in domo Patris manſiones ſunt multæ. Itaque, *Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Jeſus enim, ut ait Evangeliſta, *creſcebat & proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Ille non reſtitit ergo, ſed *exſultavit ut gigas ad currendam viam:* & nos quoque, ſi non deſipimus, curremus poſt eum,

(Semper proficiendum exemplo Chriſti. V. epiſt. 254. Gen. 28. 12. 1. Cor. 10. 12. Joh. 14. 2. 1. Johan. 2. 6. Luc. 2. 52. Pſal. 18. 6.)

[a] Nempe monachis de Claro-mariſco, *Clairmarets*, prope Audomaropolim, cujus cœnobii primordia Manricus refert ad annum 1138.

trahemur in odore unguentorum ipſius. Alioqui A ſi elongari contigerit, erit pigritanti animæ & laboriosior, & periculoſior via, dum nec odore recreari, nec certa poſſit agnoſcere veſtigia longius abeuntis.

[1. Cor. 9. 24.] [Philip. 3. 13.] 2. Sic ergo currite, fratres, ut comprehendatis. Quod ſane ita fiet, ſi nequaquam arbitramini vos comprehendiſſe, ſed obliti quæ retro ſunt, extenditis vos in anteriora: ſi apprehendatis diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. [Pſal. 2. 12.] [Eccli. 24. 29.] *Qui edit me*, ait Sapientia, *adhuc eſuriet; & qui bibit me, adhuc ſitiet*: ut noverit piger, qui digne prorſus lapidatur [Eccli. 22. 2.] ſtercoribus boum, faſtidium ſibi non de ſatietate, ſed B de inedia generari.

[Rom. 8. 28.] [Sæcularium in terrenis fervor a guit religioſos tepidos.] 3. Denique quia omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti; moveat nos ipſum quoque ſæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitioſum vidimus aliquando, contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? Sic & curioſi cujuſque non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quid? eorum qui avaritiæ ſerviunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanas ſectantur hominum laudes, nonne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certe ſpiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri. Erubeſcat anima converſa ad Dominum, minori affectu ſectari juſtitiam, quàm iniquitatem antea C [Rom. 6. 23.] ſectaretur. Eſt enim cauſa quoque valde diſſimilis. Stipendium quippe peccati mors; fructus autem ſpiritus, vita æterna. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quàm prius in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum. [Via perfectionis uſu fit ſuavior, Jugum Chriſti levius.] Nam ut omnino ſimus inexcuſabiles, in via vitæ quo citius, eo facilius curritur: & leve Salvatoris onus, quo creſcit amplius, eo portabilius eſt. Nonne & aviculas levat, non onerat pennarum ſive plumarum numeroſitas ipſa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere ſuo fertur ad ima. Sic diſciplinam Chriſti, ſic ſuave jugum, ſic onus leve, quo deponimus, eo deprimimur ipſi: quia portat potius quàm portatur. Oneroſa ali- D cui videtur ſilentii diſciplina: ſed Propheta magis ro- [Thren. 3. 26.] bur quàm onus eſſe conſiderans, ait: *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra. In ſilentio*, inquit, *& ſpe*, quia bonum eſt præſtolari Dominum in ſilentio. Enervat quippe animam præſentium conſolatio, roborat exſpectatio futurorum.

4. Bene ergo feciſtis, dilectiſſimi, addere aliquid ad [a] priorem ſilentii [a] regulam: quod nimirum, prædicto [Iſa. 32. 17.] atteſtante Propheta, *cultus juſtitiæ eſt*. Bene feciſtis a ienando vos magis ac magis ab actibus ſæculi hujus, [1. Cor. 5. 6.] quæ eſt munda & immaculata religio. Modicum quippe fermentum, fratres, totam maſſam corrumpit; & [Eccle. 10. 1.] muſcæ morientes exterminant oleum ſuavitatis. Quid E prodeſt tanti corporalis pariter & ſpiritualis laboris atque exercitii fructum viliſſima aliqua conſolatione, immo deſolatione minus acceptabilem fieri, aut certe [Modica voluptas non modica pietatis jactura.] & periclitari? Quantam internæ conſolationis dulcedinem, & gratiam viſitationis divinæ præpedit hujuſmodi nugarum vapor ad modicum parens? Præſertim [Monachi ſenſuales miſerabiliores omnibus hominibus.] nos monachi, quorum certe, velimus, nolimus, in labore vita eſt; plane miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, ſi pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim inſipientiæ, immo quid inſaniæ eſt, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus? Si mundum contempſimus univerſum, ſi abre- F nuntiavimus affectibus propinquorum, ſi monaſteriorum carceri mancipavimus noſmetipſos; ſi denique non venimus facere voluntatem noſtram, ſed impoſuimus homines ſuper capita noſtra: quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in inſipientia noſtra & negligentia deperire?

5. Agite ergo, dilectiſſimi, & in his quæ cœpiſtis, ſolliciti eſtote perſeverare & abundare magis, ut augeantur in dies incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Etenim *qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. [2 Cor. 9. 6.] Et certe modicum ſeminis incrementum, non modica meſſis multiplicatio eſt. Hæc nos, fratres, quia audito profectu veſtro exſultavimus & delectati ſumus, dignum duximus ſcribere caritati veſtræ, cupientes admonitos vos eſſe, ut obſervationes ſanctas, quæ ſalvare poſſunt animas veſtras, digna devotione ſuſcipiatis & amplectamini. Scitis enim, quia *hilarem datorem diligit Deus*. B Orantem pro nobis univerſitatem veſtram Chriſtus cuſtodiat.

JOHANNIS CASÆ-MARII ad BERNARDUM abbatem.

EPISTOLA CCCLXXXVI[*].

[ANN. CHR. MCL.] [* al. 313 quæ vero antea 386, nunc 366.]

Solatur Bernardum de infelici expeditionis in Terram ſanctam ſucceſſu.

Dilecto Patri ac venerabili domino ſuo BERNARDO, Dei voluntate ac gratia Claræ-vallis abbati reverendiſſimo, frater JOHANNES miniſter ſuus, qualiſcumque Caſæ-Marii [b] abbas, feliciter currere, C ac felicius Chriſti pietate conſummare.

1. MEmor dulcedinis ac familiaritatis, quam mihi indigno pietas veſtra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati veſtræ, quaſi coram poſitus, præſumo, veſtra magis de manſuetudine confiſus, quam de offenſa ſuſpectus. Spero namque affectionem ac dilectionem, quam erga vos habeo, pietatem veſtram non latere; & ſi aliquid etiam ſtultum dicerem, confido vos benigne ac manſuete quaſi patrem filio ignoſcere. Dictum eſt mihi, Pater cariſſime, quod de hac re, quæ non ita proſpere, ut forſitan volebatis, contigit, (de via vero Jeroſolymæ loquor) multum triſtamini: eo quod Eccleſia Dei, vel gloria D non, ſicut deſiderabatis, accrevit. Quapropter quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde miſit, vobis humiliter ſuggero, nimirum perpendens quod ſæpe parvo cuilibet Dominus aliquid oſtendit, quod alicui magno & multis donis repleto videre nequaquam concedit: ſicut Moyſi ſancto, facie ad faciem [Exod. 33. 11.] cum Deo loquenti, Jetro alienigena conſilium dedit.

2. Videtur itaque mihi, quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipſi viatores arbitrabantur. Siquidem ſi hoc quod cœperant, ſicut decet Chriſtianos, juſte ac religioſe proſequi vellent; Dominus cum eis eſſet, ac magnum fructum per eos perfeciſſet. Sed quoniam ipſi ad mala E ſunt devoluti, & hoc nequaquam Dominum, qui auctor viæ fuerat, à principio latere potuit; ut ſua providentia in ſui diſpoſitione non falleretur, malitiam eorum in ſuam convertit clementiam, & immiſit eis perſecutiones & afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire poſſent. Denique confeſſi ſunt nobis qui redibant, quod vidiſſent multos ibi morientes, qui libenter ſe mori dicebant, neque velle reverti, ne amplius in peccatis reciderent.

3. Sed ne in dubium veniat quod dico, quaſi patri [Fructus expeditionis in Orientem viſo manifeſtatus. V. epiſt. 363.] meo ſpirituali in confeſſione aperio, quod patroni loci noſtri, beatus Johannes & Paulus, ſæpius nos viſitare dignati ſunt: quos ego ſuper hac re interrogari F feci, & hujuſmodi ſententiam reſponderunt, dicebantque, multitudinem Angelorum qui ceciderant, de illis qui ibi mortui ſunt, eſſe reſtauratam. Hoc autem ſcitote, quod magnam veſtri memoriam habuerunt, finemque veſtrum cito venturum prædixerunt. Quia igi-

a Mirum quantum ad perfectionis ſtudium ſilentio tribuerit Bernardus, ut in epiſtola 91. ad Abbates Sueſſione congregatos, & alibi paſſim. Immo mirum ſit videri cuiquam, religionem ſtare poſſe abſque accurata ſilentii obſervatione, quod a Bernardo CUSTOS RELIGIONIS vocatur ſermone 2. poſt Octavam Epiphaniæ num. 7. Sed heu quam hodie friget apud pleroſque hæc pars religionis.

b *Caſemario*, abbatia inſignis in agro Verulano, *Verulo*, in Italia, condita anno 1005 ſub Ordine S. Benedicti, & Benedicto Abbate primo. Bernardus iſtuc non ſemel adiiſſe memoratur: unde amicitiam iniit cum Johanne abbate piiſſimo, hujus epiſtolæ auctore, qui monaſterium ſuum anno 1140. Ciſtercienſibus adunavit ſub lineа Claræ-vallis. Ugnellus in tomo 1. Italiæ ſacræ col. 189 *.

… non ſecundum hominum d ſid num … Dei propoſitum evenit ; ve ſtræ erit … in ipſo de hac re conſolari, cujus ſolius gloriam quæritis & deſideratis. Idcirco namque vobis & exhortandi, & operandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum, quod inde facturus erat, prævidit. Ipſe igitur curſum veſtrum feliciter compleat, noſque vobiſcum in ſua gloria conſtituat.

Ad PETRUM abbatem Cluniacenſem.

EPISTOLA CCCLXXXVII*.

Prævia ſinceri in Petrum affectus & amoris proteſtatione, ſi quid acerbius litteris quibuſdam ſcripſerit, excuſari rogat.

Reverendiſſimo Patri & amico cariſſimo PETRO, Dei gratia Cloniacenſi abbati, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, in vero Salutari ſalutem.

UTinam ſicut præſentem epiſtolam, ita vobis mentem meam mittere poſſem! Sine dubio tunc clariſſime legeretis, quid in corde meo de amore veſtro ſpiritus Dei ſcripſerit, quid meis impreſſerit medullis. Quid ergo? incipio me iterum apud vos commendare? Abſit. Jam pridem conglutinata eſt anima mea animæ veſtræ: & de perſonis imparibus pares animos fecit parilitas caritatis. Quid enim meæ humilitati cum veſtra ſublimitate, ſi non inclinaſſet dignatio dignitatem? Extunc factum eſt, ut utrimque permiſcerentur & mea humilitas, & ſublimitas veſtra: ut nec ego ſine vobis humilis, nec vos ſine me ſublimis eſſe poſſetis. Hæc dico, quia Nicolaus meus, immo & veſter *, in ſpiritu vehementi commotus, commovit me, aſſerens ſe vidiſſe epiſtolam noſtram [a] directam ad vos, in qua voces amaritudinis claudebantur. Credite amanti, quia nec in corde meo ortum eſt, nec ab ore meo extorium eſt, quod aures veſtræ beatitudinis exaſperaret. Multitudo negotiorum in culpa eſt, quia dum ſcriptores noſtri [b] non bene retinent ſenſum noſtrum, ultra modum acuunt ſtilum ſuum, nec videre poſſum quæ ſcribi præcepi. Parcite hac vice: quia, quicquid de aliis ſit, veſtras videbo, & non credam niſi oculis & auribus meis. Cetera vobis communis iſte filius planius & plenius viva referet voce. Ipſum tamquam me audietis, qui vos diligit, non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Salutate nobis ſanctam illam multitudinem veſtram; & orate, ut orent pro puero ſuo.

PETRI Venerabilis ad BERNARDUM abbatem Claræ-vallenſem.

EPISTOLA CCCLXXXVIII*.

Titulos & elogia reſpuit, & quanti Bernardum, ejuſque amicitiam faciat, luculenter oſtendit. Ejuſdem quoque ſatisfactionem de injuria litterarum libens admittit.

Venerabili & præclaro in membris Chriſti viro, domino Bernardo Claræ-vallenſi abbati, frater PETRUS humilis Cluniacenſium abbas, poſt Deum & in Deo quod eſt.

1. QUid dicam? Loqui ſoleo: ſed nunc mutus factus ſum. Unde hoc? Quia litteræ veſtræ, quæ me eloquentem facere debuerant, mutum fecerunt. Quare? Tanta in illis, licet brevibus, legi, ut ſi ad reſpondendum me effundere conarer, magis taciturnus quam loquax viderer. Sed gravi homini, ſed religioſo loquor. Agendum eſt ergo, prout gravitas poſtulat; prout religio, etſi non mea, tamen veſtra efflagitat. Quid enim? Nonne verum eſt quod dico? Brevis eſt epiſtola, ſed multa reſpondendi materia. Fer rogo inſulſum, ſi quid ſecus dixero quàm oporteat. Veræ enim amicitiæ eſt, non ſolum ſalſa amici ſuſcipere, ſed & inſulſa aut condire, aut tolerare. Accepi, ut dixi ex parte tua litteras, litteras ſingulares, litteras amorem dulciſſimum, & honorem pluſquam mihi debitum prætendentes. Reverendiſſimum me dicis, Patrem nominas, Amicum cariſſimum appellas. Gaudeo ad iſta: ſed ſalva veritate, quæ ex Chriſto in te defluxit duo præcedentia neſcio, tertium agnoſco. Nam reverendiſſimum me eſſe ignoro; Patrem, quantum ad te, me eſſe nego: amicum & cariſſimum tuum me non ſolum ore profiteor, ſed & corde agnoſco.

2. Ut enim de reverendiſſimi & amici cariſſimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum neſcio, alterum agnoſco: de Patris interim nomine hoc ubi, reverende frater, ſcribo, quod ſingularis ſuo tempore, & præclariſſimus religionis flos, domnus Guigo Prior Cartuſienſis, mihi quondam ſcripſit. Scribebam ei frequenter, & ſæpe cum eo, vel verbis ad invicem collatis, vel litteris familiaribus delectabar, & cum in epiſtolis meis Patrem nominabam. Toleravit hoc primum, putans me finem facturum ſcribendi. At poſtquam me perſiſtere vidit, & frequentibus litteris Patris nomen iterare, in hæc verba ſanctus ille tandem prorupit. Scripſit namque mihi epiſtolam, in quam inter cetera hoc inſeruit. Unde petimus per eam, qua in nos indignos veſtra fervent viſcera, dilectionem, ut quando noſtræ exiguitati veſtra ſcribere dignatur ſerenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem noſtram periculoſa non inficiatis elatione. Ac ſtatim: Et illud, inquit, præ omnibus ac ſuper omnia quæſumus, & defixis in terram genibus obſecramus, ne vilitatem noſtram Patris nomine dignam ulterius æſtimetis. Satis & ſuper ſatis eſt, ſi frater, ſi amicus, ſi filius appelletur, qui nec ſervi nomine dignus habetur. Scripſit hoc ille mihi: ſcribo & ego hoc idem tibi. Sufficit, & multum ſufficit, ſi fratris, ſi amici, ſi cari, vel cariſſimi nomine de te, vel apud te glorier: vel ſi quid tale aut te decet mittere, aut me decet ſuſcipere. Hoc de præmiſſa ſalutatione.

3. Sed quid de ſequentibus? Utinam, inquis, ſicut præſentem epiſtolam, ita vobis mentem meam mittere poſſem! Et ſtatim: Sine dubio tunc clariſſime legeretis, quid in corde meo de amore veſtro digitus Dei ſcripſerit, quid meis impreſſerit medullis. Vere hæc verba, ſalvo majoris myſterii ſacramento, ſicut unguentum in capite, quod deſcendit de barba Aaron in oram veſtimenti ejus: vere iſta ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: vere etiam ſic ſtillant montes dulcedinem, & colles fluunt lac & mel. Nec mireris, quia tam ſollicite attendo, & teneo verba tua. Non enim à qualicumque ore prolata ſcio: ſed ab illius, qui loqui non novit, niſi de corde puro, & conſcientia bona, & amore non ficto. Novi hoc, inquam, ego, novit & mecum orbis, non eſſe te de illorum numero, qui, juxta Pſalmum, *Vana locuti ſunt ad proximum ſuum*; non eſſe te de illis, quorum labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Idcirco quotieſcumque placet ſanctitati veſtræ ſcribere mihi, non negligenter, non tranſitorie; ſed ſtudioſe, affectuoſe ſcripta tua ſuſcipio, lego, amplector. Quis enim non ſollicite legeret, non multo cum affectu amplecteretur & ea quæ præmiſi, & illa quæ ſequuntur? Jam pridem, ais, conglutinata eſt anima mea animæ veſtræ; & de perſonis imparibus pares animos fecit parilitas caritatis. Quid enim meæ humilitati, cum veſtra ſublimitate, ſi non inclinaſſet dignatio dignitatem? Extunc factum eſt, ut utrimque permiſcerentur, & mea humilitas, & ſublimitas veſtra, ut nec ego ſine vobis humilis, nec vos ſine me ſublimis eſſe poſſetis. Hujuſmodi ergo verba negligenter legenda ſunt? Numquid non debent oculos legentis fixos tenere, cor rapere, animos unire? Videris, mi cariſſime, qui ſcripſiſti, quid de his ſentias: ego de his aliud ſentire non poſſum, quàm quod littera ſonat, quàm quod à tanto, à tam veraci, à tam

Bernardi veritas ac ſinceritas. Pſal. 11. 3

a Nulla ex editis epiſtola eſt, cui hæc conveniant. Argumentum … Petrus in epiſtola ſequente num. 4. Similes motus experti ſunt Cartuſienſes, ut patet ex epiſtola 170.

b Hinc apparet, multas, ſi non ex his, ſaltem ex aliis, epiſtolas à Bernardi notariis compoſitas fuiſſe; quales ſunt Nicolai inſra in Appendice.

ſancto homine dictum teneo. Nec, ut ipſe dixiſti, incipio me iterum apud te commendare. Adhuc juvenes amare in Chriſto nos cœpimus: & jam ſenes aut fere de amore tam ſacro, tam diuturno dubitabimus? Abſit, credite amanti, ut verbis veſtris utar, quia nec in corde meo ortum eſt, nec ab ore meo exortum eſt, ut de verbis veſtris quolibet modo, ſi tamen ſerio exprompti, aliquando dubitaverim. Unde quod in his, de quibus agitur, litteris ſcripſiſti, amplector, ſervo, cuſtodio. Facilius mihi poſſent auri mille talenta ſubripi, quàm hæc quolibet caſu a corde avelli. Sed de his ſatis.

Amor mutuus à juventute.

4. De reliquo unde me motum prudentia veſtra putavit, hoc fuit. Pro negotio, quod vobis bene notum eſt, cujuſdam Anglici Abbatis, continebant litteræ * veſtræ. Quaſi, inquiunt, ſubverſum ſit judicium, & de orbe perierit juſtitia, & non ſit qui eripiat inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed ſi mihi creditis, ſciatis prorſus inde me ita motum eſſe, ſicut de ſe dicit Propheta, licet ego propheta non ſim: *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* & rurſum: *Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Ego quidem in iſtis offenſus non ſum. Sed & ſi offenſus eſſem, multum ſatisfactum eſt, quando dixiſti: Multitudo negotiorum in culpa eſt, quia cùm ſcriptores noſtri non bene retinent ſenſum noſtrum, ultra modum acuunt ſtilum ſuum, nec videre poſſum quæ ſcribere præcepi. Parcite hac vice: quia, quicquid de aliis ſit, veſtras videbo, & non credam niſi oculis & auribus meis. Parco igitur, & de facili veniam tribuo. Non eſt apud me (quod humiliter dico) etiam in offenſis gravibus, labor gravis, ut ignoſcam oranti, dem veniam poſtulanti. Quod ſi in gravibus ignoſcere labor non eſt, quanto minor in levibus, aut nullus eſt?

* non extant. — Pſal. 37. 14. — Petri abbatis placabilitas.

5. De teſtamento domini Baronis Romani ſubdiaconi *, quod veſtræ Claræ-vallenſi & Ciſtercienſi eccleſiæ, ex his quæ apud nos depoſuerat, moriens feciſſe dicitur: factum eſt quod à quibuſdam perſonis, qui ſibi hoc ab eo injunctum eſſe dicebant, mihi ſcriptum eſt. Volo tamen vos ſcire, quia, ſicut quidam, (ut puto) teſtes veridici adſtruunt, plus vobis in his contulit gratia Cluniacenſis Abbatis, quàm teſtamentum Baronis. Scio quidem, nec adeo expers ſum divinarum vel humanarum legum, ut neſciam, quod per poſterius teſtamentum & legatum, & fideicommiſſum cauſa mortis rata ſunt. Sed lego tamen alibi: Nihil tam juri naturali conveniens eſt, quàm voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi. Hoc ideo dico, quia, ſicut teſtes præmiſſi fatentur, quicquid Cluniaci depoſuerat, totum Cluniaco dederat, niſi forte eum recipere contingeret, antequam præſentem vitam finiret. Nolui tamen hoc uti privilegio: ſed quod, juxta illorum teſtimonium, meum eſſe credebam, vobis veſtriſque conceſſi. De electione Gratianopolitana *, contra quam noſtri Cartuſienſes agunt, quid ſentiam, in ore cariſſimi mei, veſtrique fidelis Nicolai vobis retegendum diligenter repoſui. Ipſum audite, & quod ab ore meo vobis retulerit, abſque hæſitatione vel minima verum eſſe credite. Si quæ mandanda mente exciderunt, cum memor fuero, cariſſimo mihi in Chriſto mandabo. In fine rogo quantum poſſum, & ſupplico, quod jam per quaſdam veſtri Ordinis perſonas mandavi: ut in hoc tanto ſanctorum virorum, qui Ciſtercii convenerunt, conventu, mei, utique veſtri, memoriam faciatis, meque, totumque Cluniacenſis Congregationis corpus eorum intentæ orationibus commendetis.

* V. Notas ad epiſt. 283. — Idem quàm cupiditatis expers. — * V. Notas ad epiſt. 270. — Capituli generalis precibus ſe commendat.

Ad PETRUM abbatem Cluniacenſem.

EPISTOLA CCCLXXXIX *.

Perjucundas ſibi fuiſſe Petri litteras, ſed occupationum mole præpeditum non licuiſſe prolixius reſpondere.

Anno Chr. MCL. * al. 314 quæ vero 389 nunc 411.

Cariſſimo Patri & domino PETRO, Dei gratia Cluniacenſium abbati, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

Vidi litteras veſtras parvo momento, ſed non parvo affectu. Occupatus eram tanta occupatione, quantam vel vos ſcitis, vel ſcire poteſtis, amantiſſime Pater. Abripui tamen me, & eripui vntis & reſponſionibus omnium: & incluſi me cum Nicolao illo, quem diligit anima veſtra. Legi & relegi dulcedinem, & magnam dulcedinem, quæ de veſtris litteris emanabat. Redolebant illæ litteræ affectum veſtrum, movebant meum. Dolebam, quia ſicut afficiebar, non valebam reſcribere. Nempe multa diei malitia evocabat. Convenerat enim multitudo magna fere ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Me oportebat omnibus reſpondere: quia peccatis meis exigentibus, in hoc natus ſum in mundum, ut multis & multiplicibus ſollicitudinibus confundar, & urar. Hoc tantillum interim ſcribo animæ meæ: ſed cum accepero tempus, ego accuratius dictabo epiſtolam, quæ lucidius aperiat diligentis affectum. De teſtamento Baronis *, quod nobis miſiſtis, in veritate vobis mandamus, quia non ſicut debitum, ſed ſicut datum accepimus. Gaudeo, quia de Gratianopolitano negotio * veritatem cognovi. Illud autem ſcitote, quia multum incaluit cor meum ad verba communis filii, quæ ex parte veſtra retulit mihi. Paratus ſum & non ſum turbatus ad faciendam veſtram, ubicumque potuero, voluntatem. In conventu Ciſtercienſi, veſtri, tamquam ſpecialis domini, & patris, & amici cariſſimi, & veſtrorum, tam vivorum *, quàm mortuorum, memoria facta eſt. Salutat vos Belvacenſis electus *, ut veſter: veſter eſt enim. Ego * Nicolaus veſter ſaluto vos in æternum, & ultra, & domeſticam illam familiam, quæ lateri & ſpiritui veſtro adhæret.

Frequentia hoſpitum & litterarum. V. epiſt. 391. — * V. epiſt. præced. num. 5. — * vide ibid. — * Henricus. V. epiſt. 307. & Notas. — * Hæc ex more addidit Nicolaus Notarius Bernardi.

Ad ESKILUM Lundenſem [b] archiepiſcopum, Sedis apoſtolicæ in Dacia & Suecia Legatum.

EPISTOLA CCCXC *.

Amorem ejus gratus & humilis agnoſcit, ſuumque viciſſim oſtendit.

Anno Chr. MCLI. * al. 314 vero antea 390. nunc 371.

Amantiſſimo Patri & domino ESKILO, Dei gratia Lundenſi archiepiſcopo, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, in vero Salutari ſalutem.

1. Scripta & ſalutationes veſtras, immo affectiones cordis veſtri, tam libenter ſuſcepi, quàm ſpecialiter & diligo vos, & diligor à vobis. Inde eſt quod auditis tribulationibus veſtris, eas non ſolum meas feci, ſed & inveni: quia non poſſum te dolente non dolere, dulciſſime Pater, nec niſi moleſtus & anxius tuas moleſtias & anxietates audire. Tangit & angit cor meum quicquid tuum exaſperat: & quicquid illud ſit quod te perſequitur, non ſolum te perſequitur, ſed me tecum. Quicquid enim gratiæ & dilectionis impendere ſibi poſſunt abſentes amici, puto & me debere tibi, & mihi deberi à te. Audax ſum, ſed non mendax, & in hanc audaciam me compulit tuæ ſublimitatis dignatio. Quando enim id præſumerem ego? quando tantam tantillus, & à tanto gratiam ſperare auderem? Et ſi ego retribuere non potero, non eſt mortuus retributor meus, quia Dominus retribuet pro me. Dominus, inquam, in quo & pro quo tanta nos devotione complecteris, tanta ſtringis affectione. Benedictus ſanctus Angelus tuus, qui pio pectori tuo id ſuggeſſit: bene-

Pſal. 137. 8.

a Sic ferebat uſus inter monachorum congregationes, quæ mutua ſibi[illegible] orum ſocietate [illegible]bantur.

b [illegible]tas, Daniæ metropolis, cui tunc præerat Eſkilus, ad quem plures epiſtolas ſcripſit Petrus Cellenſis, qui ejus rogatu Cartuſienſes in Daniam direxit, ex lib. 1. epiſtola 23 ubi Eſkilum laudat, quod *non ſolum in herbam, ſed in ſpicam fl[illegible] creviſſe ſive Claræ-vallis Ordo ibi multiplicatione Fratrum excrevit, nihilo minus & religio Præmonſtratenſis.*

dictus Deus noſter, qui perſuaſit. Glorior privilegio A amoris tui, refectus ſum per cariſſimum fratrem noſtrum filium tuum Guillelmum de abundantia ſuavitatis pectoris tui. Refectus ſum per nuntium tuum, refectus ſum per litteras tuas, refectus ſum per omnes qui a te uſque ad nos, vel per nos evadere poſſunt.

2. Utinam mihi datum eſſet deſuper, hæc dicere, non dictare, ut me potius loquens, quàm ſcribens aperire valerem. Pro certo acceptior eſſet ſermo vivus quàm ſcriptus, efficacior lingua quàm littera. Oculi quippe loquentis fidem facerent dictis, & melius affectum vultus exprimeret, quàm digitus. Sed quia illud abſens per me non poſſum; per litteras, quæ B ſecundum in hujuſmodi locum obtinent, ſatisfacio quantum poſſum. Nuntium tuum cum magna exſultatione vidimus, & negotium tuum, quantumcumque potuimus, munivimus ad dominum Papam *. De ſecreto * autem verbo illo, quod tam ardenter aſcendit in cor tuum, reſpondebit tibi ex parte noſtra Guillelmus tuus: tuus, inquam, & ſpecialiter tuus in viſceribus Jeſu-Chriſti. Poſui enim verba mea in ore ejus, & ipſum audies tamquam me in negotio iſto. Heu avellor, abripior! non licet ultra. Avocat diei malitia, revocat turba ſupervenientium, & epiſtolam potius rumpunt, quàm finiunt. Sed numquid quia faciunt, C ut paucis ſcribam, facere poterunt ut parum diligam? Actum excludunt à me, non affectum. Ille ſemper tecum eſt, qui ſui juris eſt; & tecum erit quamdiu fuerit, omni mihi amicitiæ jure colende, pie, ac reverendiſſime Pater.

Ad Abbatissam Faberniacenſem [b].

EPISTOLA CCCXCI [a].

Monet de reficiendis non tantum domibus, ſed & moribus, & de diligenti hoſpitalis cura.

Bernardus vocatus abbas de Clara-valle A. Abbatiſſæ Faberniacenſi, pudicitiæ & gratiæ titulum.

FRatres iſti pro conſilio animarum ſuarum paternitatem noſtram adeuntes, de veſtro bono ſtudio, quod in emendando loco, cui gratia Dei præeſtis, habere vos perhibent, non parum nos lætificaverunt. Monemus autem & obſecramus devotionem veſtram, quod ſicut reficiendis domibus, ita renovandis moribus operam detis. Non ſolum autem de monaſterio, ſed etiam de hoſpitali domo Dei, cui ſub manu veſtra prædicti fratres deſerviunt, intentiſſime neceſſe eſt curam geratis: quatenus videlicet ab omni exactione & infeſtatione miniſtrorum ſeu clientum veſtrorum ſecuram ac liberam cuſtodiatis; quodque illorum pra- E vo, ut audivimus, conſilio eidem domui ab aliis ante vos Abbatiſſis collatum abſtuliſtis, precamur ut reſtituatis. Sicut enim ad veſtram ſollicitudinem pertinet aliarum malefacta deſtruere aut corrigere: ſic illarum, ſi qua bona egerunt, non ſolum firma & inconcuſſa tenere, ſed etiam augmentare & multiplicare debetis. Presbyterum quoque, qui in ipſa domo habitans, ſuam adhuc foris rem habere videtur, aut proprium deſerere, aut de domo exire cogatis. Valete, & propter bonum quod de vobis audivimus, de nobis, ſi quid valemus, familiariter confidite.

Ad Radulfum Patriarcham Antiochenum.

EPISTOLA CCCXCII [a].

[a Nova quæ v. 10 antea 392 nunc 397]

Humilitatem præcipue ei inculcat.

Domino & Patri reverendiſſimo R. Dei gratia Patriarchæ Sedis Antiochenæ, frater Bernardus Claræ-vallenſis abbas, ſi quid prodeſt pauperis devotio, & ſi quid poteſt peccatoris oratio.

UT ad veſtram celſitudinem ſcribere auderem, nimirum vilis homuncio, non fuit præſumptio; B ſed fiducia. nam & fr. Hatto id ſuggeſſit, & caritas perſuaſit. Itaque exhibito brevi quidem, ſed fideli debitæ venerationis ſalutationiſque obſequio, oro Deum omnipotentem, ut quem Petri dignatus eſt cathedra, dignum judicet & corona. Ceterum, ut optime novit prudentia veſtra, non coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Hinc eſt, quod ipſe, cujus hæc verba ſunt, beatus Apoſtolus, cum ſibi repoſitam coronam juſtitiæ dicere vellet, præmiſit, quia *bonum certamen certavi.* [2. Tim. 4. 7.] Quod ſi militia eſt vita hominis ſuper terram, quid [Job 7. 1.] Pontificis vita, cui duplex profecto cauſa exſiſtit pugnandi, & pro ſe videlicet, & ſibi commiſſis? Pugnan- [Pugna ſpiritualis.] C dum vero eſt adverſus carnis laſciviam, adverſus nequitiam ſæculi, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et quis ad hæc idoneus? funiculus hic triplex difficile rumpitur. Has tres turmas fecere Chaldæi ad deprædandos greges Job, carnem videlicet, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis. Exſurgat Deus, & diſſipentur [Pſal. 67. 2.] inimici ejus. Exſurgat, inquam; neceſſe eſt, qui dixit: [Johann. 15. 5.] *Sine me nihil poteſtis facere.* cum eo autem quid? *Omnia in eo*, inquit, *poſſum, qui me confortat.* [Philip. 4. 13.] In eo confortare & tu, Pater, confortare, & eſto robuſtus; accingere, ſta in prœlio, pugna fortiter pro gregibus tibi commiſſis, quos te neceſſe eſt Commiſſori ex integro reconſignare: pugna & pro te ipſo, quia & pro te ha- D bes exigere rationem. Caveto tibi in loco excelſo, quo ſtas: ne forte, quod abſit, corruas, & tanto gravius conquaſſeris, quanto ex altiori corrueris. Sic locum aptum teneas, ut tamen altum non ſapias, ſicut dicit Apoſtolus: *Noli altum ſapere, ſed time.* Locus [Rom. 11. 20.] altus ſenſato homini non tam occaſio eſt elationis, [Dignitas cauſa timoris.] quam cauſa timoris. Habet quidem honorem Eccleſia, ſed habet & pavorem ruinæ: nec altus locus, ſed altum ſupercilium reprehenditur. Et quinam ſedens in alto demiſſum poteſt habere ſupercilium, niſi qui ſemper ſuſpectum habet præcipitium? Timor præcipitii tumorem dominii reprimit. Quæcumque volumus, ut faciant nobis homines, eadem & nos facia- E mus eis. Quis ſibi non velit deferri à ſubditis? utinam æque libenter & nos noſtris Præpoſitis deferamus. Alioquin pondus & pondus, menſura & menſura, [Prov. 20. 10.] utrumque abominabile eſt apud Deum. Abominabiles ergo apud Deum ſumus, ſi non eodem pondere vel menſura ſuperioribus exhibemus, quo à ſubjectis exigimus. Non poſſum ſatis mirari cautam humilemque Centurionis fidem & reſponſionem, qua legitur ad Salvatorem ita dixiſſe: *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* [Luc. 7. 8.] O prudens & vere corde humilis anima! dicturus quod prælatus eſſet militibus, repreſſit extollentiam confeſſione ſubjectionis; immo præmiſit ſubjectionem, ut pluris ſibi eſſet F quod ſuberat, quam quod præerat. quod ipſo verborum ordine oſtenderet, & bonam mentis compoſitionem bene ordinatæ orationis ſeries indicaret. Volebam plenius iſta proſequi, luculentiuſque diſtinguere; ſed verecundia intervenit. Erit, cum potero ſcribere plura ſecurus: ſi tamen hæc pauca vobis placere

a Optabat ſiquidem monachus fieri apud Claram-vallem, quam Bernardo vivente adiit, ex lib. 4. de vita Bernardi num. 25 & ſeqq. ubi de duobus monaſteriis ab Eſkilo fundatis. Sed tandem voti compos factus eſt, qua de re congratulatur ei Petrus Cellenſis in lib. 7. epiſt. 17. ibidem mortuus anno 1182. Abſaloni ejus ſucceſſori directa eſt Petri Cellenſis lib. 8 epiſtola 50. Vide alias Notas.

b Faberniacenſis abbatia, *Favernay*, diœceſis Veſontionenſis, tunc Virginum Benedictinarum, ad reformandum Caſæ-Dei monachis ab Anſerico archiepiſcopo commiſſa anno 1132. quo tempore hæc epiſtola ſcripta fuit: nunc virorum eſt ſub Congregatione S. Vitoni. Huic cœnobio incubaſſe ſuperius in epiſtola 199 dicitur quidam Caſæ-Dei monachus, qui haud dubie Præpoſiti vices in illo parthenone, ut olim in cœnobiis Virginum mos erat, ex mandato Abbatis ſui agebat.

cognovero. In fine obſecro, ut ſi vere mihi locus ille gratiæ apud vos manet qui dicitur; Milites Dei, qui templum Jeroſolymitanum inhabitant, in ſe experiantur, ut amore noſtri ſint vobis deinceps de commendatis commendatiores. Ex hoc ſiquidem magis & Deo placitus, & hominibus acceptus eritis.

Ad W. [a] Patriarcham Jeroſolymorum.

EPISTOLA CCCXCIII*.

*Nova.

Ad humilitatem eum hortatur.

Venerabili domino & dilectiſſimo Patri, Dei gratia Jeroſolymorum Patriarchæ W. Bernardus Claræ-vallenſis abbas, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.

1. OCcaſione accepta per virum fidelem & amicum noſtrum, latorem præſentium, pauca verba, in multis occupatus, ſcribo vobis, in multis occupato. Quod ſi præſumptuoſum cuilibet videatur, & in hac parte judicer; venialis tamen eſt præſumptio, quæ deſcendit ex amore. Sed ne multa ſcribam, cum pauca promiſerim, ad rem ipſam veniamus. Cum placuit univerſorum creatori Deo aperire altitudinem conſilii ſui ſuper ſalutem generis humani, ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, qui factus homo propter homines, de filiis hominum vocavit ad ſe quos voluit; & electos de ceteris, & dilectos præ ceteris. Item & unum ex illis, quaſi de electis electum, & dilectum præ dilectis, in ſpecialem ſui amoris gratiam ſeparavit: cui vices ſuas committens, cum jam exaltatus a terra elevatis manibus ſacrificium offerret veſpertinum, antequam in manus Patris ſui ſpiritum commendaret, tamquam frater fratri, Matrem virgini, virgo virginem commendavit. Quid ſibi vult tale principium? diligenter attende.

2. Multos elegit Dominus, & principes fecit in populo ſuo, ut ſit illis ſacerdotii dignitas: ſed te quadam familiari gratia collocavit in domo David pueri ſui. Tibi ſoli de omnibus epiſcopis univerſi orbis commiſſa eſt terra illa, quæ germinavit herbam virentem, & facientem fructum ſecundum ſpeciem ſuam, de cujus radice ortus eſt flos campi, & lilium convallium. Te ſolum, inquam, elegit Dominus præ conſortibus tuis, ut ſis ei in epiſcopum familiarem, qui per ſingulos dies introcas in tabernaculum ejus, & adores in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Legimus olim dictum ad ſanctum Moyſen, quoniam mandatum accepit à Domino, quod traderet filiis Iſrael: *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* (Exodi 3. 5.) Sanctus quoque locus, ſed in illo figura; in iſto autem veritas expreſſa ſigno ſanctitatis. Sanctus ille, ſed iſte ſanctior. Quid enim ſimile cum veritate, quid ſimile habet illud, quod per ſpeculum & in ænigmate, cum gloria illa, quæ jam ſciſſo velo revelata facie videtur? Et tamen, cum hæc omnia in figura contingerent & in forma futurorum, dictum eſt Moyſi: *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Et ego dico tibi, ſolve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Si adhuc affectus tui ex aliqua parte involuti ſunt operibus mortuis, ſolve velociter: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. O quàm metuendus eſt locus ille, in quo primum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri viſitavit nos Oriens ex alto! O quam metuendus eſt locus ille, in quo primum occurrit pater filio revertenti de regione diſſimilitudinis, & accumbens ſuper collum ejus ſtola gloriæ induit eum! O quàm metuendus eſt locus ille, in quo dulcis & rectus Dominus vulneribus noſtris vinum pariter infudit & oleum, in quo conſtituit nobiſcum pactum fœderis Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis! Gratias tibi, Domine, gratias tibi, quia bonum opus operatus es in medio terræ, in medio annorum legis & gratiæ notum faciens illud. Cum enim iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Ecce locus longe ſacratior illo, in quo ſtetit Moyſes, & longe nobilior: quia locus Domini, locus, inquam, illius eſt, qui venit per aquam & ſanguinem; non in aqua tantum, ſicut Moyſes, ſed in aqua & in ſanguine. Ecce locus, ubi poſuerunt eum. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Solus iſte aſcendere debet, qui didicit à Domino Jeſu-Chriſto, eſſe mitis & humilis corde.

3. Humilis ſolus ſecure poteſt aſcendere: quia humilitas non habet unde cadat. Superbus, etſi aſcendat, ſtare tamen diu non poteſt, tamquam qui non ſupra pedes ſuos ſtare voluit, ſed alienum ſibi aſſumpſit pedem, illum ſcilicet, quem Propheta abhorrens, dicit: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* (Pſal. 35. 12.) Superbia enim non niſi unum pedem habet, propriæ amorem excellentiæ. & ideo ſuperbus diu ſtare non poteſt, tamquam qui non niſi uni pedi innititur. (Superbiæ pes unicus.) Quis enim ſtaret in illo pede, in quo ceciderunt qui operati ſunt iniquitatem, Angelus in cælo, homo in paradiſo? Si Deus naturalibus ramis non pepercit, homini, dico, quem gloria & honore coronavit, & conſtituit eum ſuper omnia opera manuum ſuarum; & angelo, qui fuit initium viarum Dei, plenus ſapientia, & perfectus decore: multu magis timendum eſt, ne forte nec mihi parcat ſuperbienti, non jam in loco voluptatis, non in cæli palatio, ſed in valle lacrymarum. Ut ergo ſecure ſtare valeas, ſta in humilitate, ſta, non in uno pede ſuperbiæ, ſed in pedibus humilitatis, ut non moveantur veſtigia tua. (Humilitatis pedes duo.) Humilitas enim duos habet pedes, conſiderationem divinæ potentiæ, & propriæ infirmitatis. O ſpecioſi pedes, & firmi, nec tenebris ignorantiæ involuti, nec lubrico luxuriæ inquinati! Tu ergo in alto poſitus, noli altum ſapere, ſed time, & humiliare ſub potenti manu ejus, qui ſuperborum & ſublimium colla propria ſolet virtute calcare. Noveris eccleſiam commiſſam tibi, non ſicut ancillam domino, ſed, ut ad principium epiſtolæ revertar, tamquam filio matrem, tamquam Mariam Johanni, ut & de te ad eam dici poſſit: *Mulier ecce filius tuus* & de ipſa ad te: *Ecce mater tua.* Ita enim ſecurus eſſe poteris ingrediens & egrediens, & pergens ad imperium ejus, qui etſi altus eſt, & in altis habitat, humilia tamen reſpicit in cælo & in terra.

Ad Archiepiſcopum Lugdunenſem.

EPISTOLA CCCXCIV*.

*Nova.

Pro Abbate Athanacenſi apud Lugdunum.

Lugdunenſi Archiepiſcopo [b], apoſtolicæ Sedis Legato, Bernardus Claræ-vallenſis abbas, providere bona coram Deo & hominibus.

SI ſuavis opinio & odor bonus, quem de vobis habuit hactenus mater Eccleſia, in cujus horto germinaſtis ſicut lilium, fuerit immutatus, non potero non dolere. Sicut cedrus in Libano exaltata eſt, ſic eſtis hodie in Eccleſia Dei, amabilis, laudabilis, & carus omnibus. Magna ſunt quæ jam de vobis habemus: ſed adhuc exſpectamus majora. Tene interim quod accepiſti: non dabis famam tuam videre corruptionem. Melius eſt enim nomen bonum, quam divitiæ multæ. Quid feciſti de abbate [c] Athanacenſi? Jam judicatus eſt, jam damnatus eſt, jam depoſitus, & locum perdidit abbatis, & officium. Quod factum eſt de eo, factum eſt citius, tamquam in momento & in ictu oculi, ſicut erit in reſurrectione mortuorum. Confidenter loquor vobis, quia plenitudo amoris excludit timorem. Tamen quid peccavit homo? Quid tandem mali fecit

[a] VVillelmum, ad quem epiſtola 175. ubi conſule breviorem Notam.

[b] Petro, qui Accone in Palæſtina obiit, teſte VVillelmo Tyrio in lib. 13. cap. 25. & quidem anno 1139. De hoc Bernardus in epiſtolis 171. & 172.

[c] Athanacenſe monaſterium, vulgo *Aiſnay*, Ord. S. Bened. antiquum & illuſtre, Lugduni ad confluentes Rhodani & Araris, nuperrime ad ſæculares canonicos converſum.

homo

homo, cui laus eſt in Eccleſia Dei. Quod ſcimus, loquimur, qui teſtimonium bonum habet, & ab his qui foris, & ab his qui intus ſunt. Ceterum, cum adhuc ignoraretur, utrum penes eum culpa ſit, nec canonicum ſubterfugerit examen; ſicut nobis videtur, vel ſtare debuit adhuc, vel cecidiſſe canonico judicio de cetero. Quid igitur? nec ſponte confeſſum, nec aliis manifeſtum, vel ab his convictum damnaſtis? Sed dicitis mihi. Cum in cauſa eſſet, decidit a cauſa. Non enim potuit producere teſtes illos, quos ei ſcripſeram. Bene: quia non ſteterunt pro eo qui ſtabant contra eum, tamquam eis diceretur: Aut contra vos ſtabitis, aut ille deponetur. Illos, inquam, habere non potuit, ſed potuit habere alios, quorum teſtimonia non minus eſſent credibilia teſtimoniis illorum, quos habere non potuit. Sed jam ex alio latere cauſam inſpiciamus. Eſto, reus eſt; in media cauſa defecit, & innocentia, & cauſa. Et ubi eſt illud: Vitiatam cauſam licet relevare appellationis remedio? Quod ſi appellantem noluiſtis audire, attamen appellato deferri oportuit. Neque enim decet, ut procedant de labiis veſtris inconſiderata verba, vel præcipitata judicia. Non, inquam, principem Eccleſiæ decent verba præcipitationis, præſertim illa, quæ non in tenebris, ſed in lumine proferuntur. Dico vobis, multos cum illo læſiſtis, & multi in perſecutione ejus dolebunt. Non faciam vobis verbum abſconditum. Multorum precibus rogabar ſcribere pro eo ad apoſtolicam Sedem, quorum non eſt tutum preces contemnere. Sed quomodo fieri poterat, donec prius convenirem dominum meum, & cariſſimum meum Patrem? Convenimus igitur vos verbis pacificis, tamquam illum, cujus honor ſemper fuit mihi curæ, ut ſententiam illam intempeſtivam in locum ſuum revocetis, & homo ille reſtituatur in gradum priſtinum, donec cauſa ejus cum majori cautela examinetur. Hæc ſcribo vobis ſervus veſter, præcipue pro vobis. Non enim contra vos, ſed vobiſcum ſtare volo, & pro vobis, apud Deum, & apud homines.

Ad ALVISUM Atrebatenſem * epiſcopum.

EPISTOLA CCCXCV*.

* antea 315.

Non ſatis æquam ejus petitionem eſſe, ut Thomas de S. Audomaro, qui ſe Clara-vallenſibus devoverat, dimittatur Bertinenſibus, qui eum ſibi ex voto parentum vindicare volebant.

Venerabili Patri & amico noſtro ALVISO [a], Dei gratia Atrebatenſi epiſcopo, frater Bernardus vocatus abbas, ſalutem & noſtras qualeſcumque orationes.

1. ROgaſtis nos pro eccleſia ſancti Bertini, quam & vos diligitis, & nos ipſi diligimus, & diliximus ab initio. Veruntamen quod nunc rogat venerabilis Abbas ejuſdem monaſterii, utinam diligentius conſideraſſet prudentia veſtra, quale ſit iſtud, non dicam facere, ſed vel rogare. Neque enim dubito, quin redarguiſſetis eum, tamquam qui delinqueret graviter, & adverſum nos amicos ſuos, & adverſum ipſum, cujus animam quærit; immo & adverſus Deum, cujus conatur immutare conſilium. Quid enim, domine Pater? id vobis perſuaderi potuit, ut ab amico veſtro tale aliquid peteretis? Vocat Deus Thomam de cælo, vocat ut exeat de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, & veniat in locum, quem ipſe ei oſtendit: ego quis ſum qui prohibeam ſpiritum Dei, qui debeam impedire eum, qui proprias oves vocat nomine proprio; & ipſe ante eas vadit, ut alium non ſequantur, ſed ipſum? Thomas paupertatem elegit: ego eum ad divitias deliciaſque remittam?

2. Nec ignoro, quin poſſint apud ſanctum Bertinum fratres ſuam ipſorum operari ſalutem: ſed quos illuc vocaverit [b] Deus, ut unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Scio, ſcio ubi legerim: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cælorum.* Luc. 9. 62. Quo nequaquam ego fraudare velim cariſſimum filium meum Thomam, & animam, quæ mihi à Deo commiſſa eſt. Unde ſatis admiror, quonam modo ſubripi potuerit tantæ diſcretioni, rem hujuſcemodi poſtulare. Ego enim, quoniam de veſtra (ſicut ſcitis) dilectione præſumo, paulo minus reſpondeam, quod ait Dominus ad filios Zebedæi: *Neſcitis quid petatis.* Matth. 20. 22. Niſi quod cogitavi, non ſic de caritate præſumendum, ut non etiam ſacerdotali cathedræ deferretur.

3. Facite ergo morem veſtrum: honorificare etiam in hac parte miniſterium veſtrum, & viriliter juvate etiam has Chriſti ſponſas, ut eum ad quem vocantur ſponſi thalamum, ſine offenſione, ſine dilatione mereantur intrare. Agite, inquam, ut amicus ſponſi, qui ſtat & gaudio gaudet propter vocem ſponſi: & ſicut bene ſoletis juvare ceteros, ſic juvate & iſtos, ut non ſolum non extinguatis (quod abſit) ſpiritum Dei, ſed & coadjutorem ejus fidelem vos eſſe probetis. Hoc enim omnino certum ſit paternitati veſtræ, quoniam meo conſilio ſive permiſſione mea nuſquam declinabunt. Scio enim quoniam ipſe peccarem, & eos peccare facerem, ſi quid eis aliud conſulerem, aut concederem. Reddant ergo vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua. Alioquin viderint ipſi, quibus credant dicentibus: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt. Quoniam oportebit eos mihi ante tribunal Chriſti ſuper voto ſuo, cujus ego teſtis ſum, reſpondere.

Ad RICUINUM [c] epiſcopum Tullenſem.

EPISTOLA CCCXCVI*.

* antea 368.

Excuſat ſe apud eum, quod ejus profeſſum VVillelmum ignorans ſuſceperat.

Venerabili RICUINO, Dei gratia Tullenſi epiſcopo, frater Bernardus dictus de Clara-valle, cum puſillo ſibi grege commiſſo, ſoſpitatem & pacem.

GRatias agimus ſalutis Auctori, quod digni habiti ſumus à vobis ſalutari. Verumtamen quantum nos ſalutatio lætificat, tantum illa, quam ſubjunxiſtis, obedientia gravat: licet tamen gravati, fecimus quod juſſiſtis. Simul coram Deo, & veſtra ſanctitate, teſte etiam ipſo venerabili fratre Willelmo, nos excuſamus, quod ignorantes veſtrum eſſe profeſſum recepimus. Si culpa eſt, quod ita à nobis receptus eſt; ipſius, non noſtra eſt. Poſt hanc noſtram veram ac puram ſatisfactionem, mereamur veſtram gratiam & benedictionem. Valete. Optamus vos tam plenum dierum, quàm virtutum tranquillo tranſitu mortem finire, ſancte, & reverendiſſime Pater.

a Eidem tum Abbati ſcripta eſt epiſtola 65. Epiſcopus fuit ab anno 1131. ad 1148. quo anno apud Philippopolim deceſſit VIII. *Id. Octob.* ex Necrologio S. Dionyſii apud Remos. Ejus obitum memorat Ludovici Junioris epiſtola 12. inter Sugerianas. Confer epiſtolam 339.

b Quinam reatus contrahitur ex ipſa profeſſione, ſi tantum ex ſola vocatione, ut alibi etiam cenſet Bernardus in epiſtolis 107 & 108. qui item Novitios ab Ordine deficientes inter apoſtatas cenſet ſermone 63. in Cantica num. 6. Si ad laxiorem ſtatum etiam apoſtaſiæ crimen reflectere non licet, teſte etiam Bernardo in Apologia ad Guillelmum num. 30. licebitne in ipſa ſtricte viventium ſocietate mollia & laxiora impune ſectari, in ſcandalum fratrum, & recti Ordinis detrimentum? Et tamen hæc eſt quorumdam religio, qui in tuto omnia eſſe arbitrantur, ſi ceteris inſuper habitis, ſubſtantialia ſervent, quaſi ſanctæ inſtitutionis & recti ordinis violatio, non ſit violatio profeſſionis, & ſubſtantialia inviolata eſſe poſſint, accidentariis cum animo corruptis.

c Inſcriptionem hanc reſtituit codex Corbeienſis, Bernardi ætate ſcriptus: in antehac editis legebatur, *ad Abbatem quemdam.* Nec conjectura tituli levis erat, cum in contextu epiſtolæ agatur de profeſſo ejus, ad quem Bernardus ſcribit, ſcilicet VVillelmo, qui monachus erat forſan S. Apri aut S. Manſueti. Sanctitatis compellatio, & ſancti & reverendiſſimi Patris tituli Epiſcopo rectius conveniunt, quam abbati. Ad Ricuinum item epiſtola 62.

Ad ODONEM * abbatem Majoris-monaſterii prope Turones.

* anno 387.

EPISTOLA CCCXCVII *.

Monachos, de quibuſdam reditibus cum clericis contendentes, arbitrorum ſententia acquieſcere debere.

Reverendiſſimo Patri & domino ODONI, Dei gratia abbati Majoris-monaſterii, ſanctoque & in Chriſti caritate juncto conventui, HUGO Pontiniacenſis & Bernardus Claræ-vallenſis, ſpiritu ambulare, & quærere ſemper non pigre faciem Dei Jacob.

Majoris-monaſterii fama religioſa.

1. CAritas, fratres, nos admonet ſcribere ad vos & pro vobis, & quod longe à vobis abſumus, ſed locis, non animis. Porro animos facile in eamdem veſtræ fraternitatis unanimitatem conflavit fragrans ubique odor ſuaviſſimus famoſiſſimæ ſanctitatis. Ceterum ab heri & nudiuſtertius modice intra nos turbatum dolemus tantæ ſerenitatis participium. Subito nempe oborto nubilo famæ ſubtriſtioris, haud dubium quin à facie aquilonis, operuit confuſio facies noſtras, quod de vobis tam inſolitum, tam veſtro nomini diſſonum audiremus. Formidantes igitur jam jamque graviter periclitari & famam veſtram, & noſtram pro vobis gloriam, ſi non ſermo, qui exiit velocius, evanuerit flatu ſecundiori; fraterna curamus ſollicitudine his litteris veſtram commonere reverentiam de celeri correptione ſuper malo, quod in dies divulgare non parcit fama volans. Miramur ſane aliquos veſtrum (abſit enim ut omnes ſuſpicemur) tanta vel ſimplicitate deceptos, vel cupiditate cæcos, ut celeberrimo nomini non parcentes, unius altaris [b] pauculos reditus orbis gloriæ præferant. Non oportet, fratres, non oportet ullis æſtimare temporalibus lucris teſtimonium, quod vobis ab antiquo, immo ab initio, ab his quoque qui foris ſunt, converſationis merito conquiſiſtis. Sed forſan dicitis: Nos nemini injuriam facimus. Tenemus noſtra, parati, ſi quis ex adverſo eſt, ſubire judicium. Recte. Sed quid ſi alius reſponderit & dixerit: *Hoc ipſum delictum eſt in vobis, quod cauſas habetis? Quare non magis fraudem patimini?* Quid ſi legerit & alius? *Si quis abſtulerit tua, ne repetas.* Quinimmo, *percutienti in dexteram maxillam, præbe & alteram; auferenti tunicam, præbe & pallium.*

1. Cor. 6. 7.
Lites improbat.
Luc. 6 b.

2. Et hæc vobis, hiſque ſimilia objiceremus, niſi quod corrigere vos, quàm confundere malumus. Hoc autem dicimus, tutius eſſe omni Chriſtiano, & maxime monacho, poſſidere quippiam minus in pace, quàm cum lite amplius. Sic quippe canitis: *Melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas.* Quid quod de altari contenditur, & hoc adverſus filios Levi, id eſt adverſus clericos? Clericorum eſt altari deſervire, & de altario vivere. Nobis noſtra profeſſio & antiquorum monachorum exempla victum ex propriis præſcribunt laboribus, & non ex ſanctuario Dei. Huc accedit, quod eidem eccleſiæ, de qua præſens diſceptatio eſt, clerici ſoli deſerviunt, voſque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obſequium. Paulus clamat pro clericis, immo ante ipſum Moyſes: *Non alligabis os bovi trituranti.* item, *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* aut, *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Vos autem per contrarium convenimus: * Qua audacia, ô Monachi, præſumitis, ſeu vinum de vinea quam non plantaſtis, ſeu lac de grege quem non paſcitis? quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certe ſi ita vultis, baptizate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nubentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, abſolvite reſipiſcentes, reconciliate pœnitentes: & in medio denique eccleſiæ aperiat os ſuum monachus, cujus officium eſt ſedere & tacere. Sic fortaſſe dignum ſe probabit mercenarius mercede ſua. Alioquin invidioſum admodum eſt, velle metere ubi non ſeminaveris; ſed & colligere quod alius ſparſerit, etiam injurioſum.

Pſal. 36. 16.
Clerici debent vivere de altari præ monachis.
Deut. 25. 4 & 1. Cor. 9. 9
** V. Petr. Venerab. lib. 1. epiſt. 28.*

3. Eſto tamen: liceat & hoc ex dono Epiſcopi, nec ulla jam reputetur injuria, cum canonica excuſat inveſtitura. Ceterum de pacto veſtro quid facitis? Siquidem Canonicis reclamantibus & cauſantibus de injuria, placuiſſe tandem vobis, niſi fallimur, non negabitis cauſam veſtram poni in manu Carnotenſis Epiſcopi *, ſimul & Comitis T *. ut quicquid pari utriuſque conſenſu pro lite dirimenda definiretur, utraque pars irrefragabiliter teneretis. Optime plane, & conſultiſſime. Tales quippe electi ſunt mediatores, de quorum ſatis non ſolum probata æquitate, ſed & privata (ut bene novimus) familiaritate confiditis. Quod igitur viri boni, & ipſi amici veſtri ſuper reformanda pace concorditer, nec dubium quin & fideliter definierint, quare vos juxta condictum quod præceſſerat non tenetis? An idcirco non fideliter egiſſe putantur, quia videtur nec æqua commutatio, quæſtus utique majoris ad minorem? Sic prorſus videtur: ſed quærenti quæ ſua ſunt, ſed ei qui pluris æſtimat nummos quàm amicos, pecuniam quàm juſtitiam, ac terrenam poſſeſſionem ſuper fraternam dilectionem. Si de mundo fuiſſetis, & mundus quod ſuum erat diligeret; tam non mirum, quàm nec inſolitum videretur: nunc vero filii lucis & pacis, luci tenebras, paci res præferunt temporales. Tales profecto deplorat prophetica lamentatio: *Et qui*, inquiens, *nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.*

Perſtringit Monachos quod arbitrorum ſententiæ non acquieſcant.
** Gaufridi*
** Theobaldi.*

4. Merito, aiunt, nolumus tenere concordiam, in qua pars noſtra gravari cognoſcitur. Quid ſi pars altera gravari videretur? Tunc prorſus, tunc æqua & juſta concordia judicaretur. Verumtamen hoc ante pactum cautum eſſe debuit. Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio. Nunc autem lex pacti jam commodum non conſiderat, ſed condictum. Quid ad hæc dicitis, qui contradicitis? qui dum vos fingitis conſultores, proditis turbatores, tergiverſatores, prævaricatores. Aut negate pactum, aut implere. Quid enim? An non negatis quidem conventionem, ſed cauſamini circumventionem, culpamque refertis in Epiſcopum, quaſi non egerit ſimpliciter vobiſcum; ſed cum aſtu & dolo vos ceperit, & induxerit in eamdem, cujus vos modo pœnitet, pactionem? Dicere poteſtis: ſed mirum cui perſuadere, mirum ſi vos vel ita ſuſpicari. Nequaquam, inquiunt; ſed non debet ſtare quod abſque noſtro conſilio factum eſt, hoc eſt ſine aſſenſu totius Capituli. Quid? quod Abbas ſtatuerit cum conſilio ſeniorum, ſtare non debet, ſi non omnes conſenſeritis? Itane in Regula veſtra manifeſtam ſuper hoc ſententiam aut non attenditis, aut contemnitis? Mandat ſiquidem ut fratres ad conſilium vocati, ſinguli ſic reſpondeant quod ſenſerint, quatenus defendere non præſumant quod reſponderint: ſed Abbas, auditis ſingulorum ſententiis, quam potiſſimum ipſe elegerit, ei omnes ſine contradictione acquieſcant. Si ergo in quibuſcumque diſponendis præeminet auctoritas Abbatis, Regula item præſcribente, quia in Abbatis arbitrio pendet omnis ordinatio monaſterii; patet quod inobedientes vos ac rebelles eſſe probaris, qui pactum quod Abbas formavit, contra ejus voluntatem labefactare conamini. Niſi forte & ipſe in corde & corde locutus eſt, ut quod palam per ſe ædificavit, clam per ſuos deſtruat; & ſic prævaricatorem ſe quoque conſtituat. Quod quidem abſit ut credamus. nam de optimo viro id tantum ſuſpicari, peſſimum eſt. Non nos ſane latet ſcrupulus nonnullorum, qui pluſquam oportet juſti, nodum in ſcirpo quærebant, dum abſque ſimonia hujuſmodi commutationes inter eccleſias poſſe fieri non putarent. Sed de hoc, ut arbitramur, vobis utique curioſius ſciſcitantibus, catholicorum & eruditorum virorum reſponſionibus ſatisfactum eſt:

Refellit objectiones.
Reg. S. Bened. c. 3.
Permutationes inter eccleſias ſine ſimonia.

a Odo Majori-monaſterio, prope Turones ſito, præfuit ab anno 1124 ad 1137. uti ex archivis colligitur. Vide alias Notas.

b Altaria vocabant eccleſias parochiales cum decimis, qualia tunc temporis monaſteriis conferri, etiam à ſæcularibus, mos erat. Confer epiſtolam 375.

aut ſi quo minus; in promptu eſt etiam nunc ex aucto- A ritate canonum affirmare, quod fas ſit de rebus eccleſiaſticis fieri permutationes, prout eccleſiis videbitur expedire. Hæc adverſus illos, qui ſe de his, quorum ſua nihil intereſt, præſumptuoſius intromittentes, ſemper parati ſunt injuriam concitare.

Ad GUIDONEM abbatem & fratres Arremarenſes.

EPISTOLA CCCXCVIII[*].

Rogatus ab Arremarenſibus, ut Officium de S. Victore ipſorum patrono componat, tenuitatem ſuam & operis difficultatem prætendit, exponens, qualia eſſe oporteat quæ publice adhibentur divino cultui: cantus quoque eccle- B *ſiaſtici leges deſcribit.*

Venerabili GUIDONI abbati Arremarenſi [a], & ſanctis qui cum eo ſunt fratribus, Bernardus ſervus ſanctitatis eorum, ſervire Domino in ſanctitate.

1. PEtis, cariſſime mihi Guido abbas, & tecum pariter qui tecum ſunt fratres, dictare me aliqua vobis legenda ſollemniter, vel canenda in feſtivitate ſancti Victoris, cujus apud vos corpus ſacratiſſimum requieſcit. Cunctanti inſtas, diſſimulantem urges; meam, etſi juſtam, verecundiam diſſimulans. Ipſe adhibes mihi & alios precatores, quaſi ſit aliquid, ad inclinan- C dum me tuæ voluntati, tua ipſa voluntate cogentius [*]. Verum tu, vel proprio judicio conſulens, cogitare debueras, non affectum erga me tuum, ſed meum in Eccleſia locum. Sane altitudo negotii non amicum deſiderat, ſed eruditum, ſed dignum: cujus auctoritas potior, vita ſanctior, ſtilus maturior & opus illuſtret, & conſonet ſanctitati.

2. Quantulus ego in populo Chriſtiano, cujus litteræ in eccleſiis lectitentur? aut quantula mihi ingenii eloquive facultas, ut à me potiſſimum feſtiva & plauſibilia requirantur? Quid? quem cæli habent laudabilem & laudatum, ego de novo laudare incipio ſuper terram? Supernis velle addere laudibus, detrahere eſt. D Non quod glorificatos ab Angelis, homines jam laudate non audeant: ſed quia in ſollemnitate celebri [*], non novella audiri decet vel levia, ſed certe authentica & antiqua, quæ & Eccleſiam ædificent, & eccleſiaſticam redoleant gravitatem. Quod ſi nova audire libet, & cauſa requirit; ea, ut dixi, recipienda cenſuerim, quæ cordibus audientium, quo gratiora, eo utiliora reddat & eloquii dignitas, & auctoris. Porro ſenſa indubitata reſplendeant veritate, ſonent juſtitiam, humilitatem ſuadeant, doceant æquitatem: quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, ſenſibus diſciplinam. Cantus ipſe, ſi fuerit, plenus ſit gravitate; nec laſciviam reſonet, nec ruſticitatem. Sic ſuavis, ut non ſit levis: E ſic mulceat aures, ut moveat corda. Triſtitiam levet, iram mitiget; ſenſum litteræ non evacuet, ſed fœcundet. NON EST LEVIS JACTURA gratiæ ſpiritualis, levitate cantus abduci à ſenſuum utilitate; & plus ſinuandis intendere vocibus, quàm inſinuandis rebus.

3. En qualia oportet eſſe quæ in audientiam Eccleſiæ veniunt, qualemve horum auctorem. Numquid talis ego, aut talia quæ paravi? Et tamen de paupertate mea, te pulſante, te inquietante, etſi non quia amicus es, certe ob tuam importunitatem ſurgens, juxta verbum Domini, præſtiti quod petiſti. Præſtiti dico, non quod tibi ad votum, ſed quod mihi ad manum venire potuit, pro poſſe utique meo, non pro velle tuo. Servata tamen antiquorum veritate ſcriptorum, quæ tu mihi tranſmiſeras, de vita Sancti duos Sermones [*] dictavi qualicumque ſermone meo: illud quantum potui cavens, ut nec brevitas obſcuros, nec prolixitas redderet oneroſos. Deinde, quod ad cantum ſpectat, hymnum compoſui, metri negligens, ut ſenſui non deeſſem. Reſponſoria xii. cum antiphonis xxvii. ſuis in locis diſpoſui, addito reſponſorio uno, quod prioribus Veſperis aſſignavi; itemque duobus aliis brevibus ipſo die feſto pro veſtra regulari conſuetudine, uno ad Laudes, altero ad Veſperas decantandis. Et pro his omnibus mercedem flagito, ſequor retributionem. Quidni ſequar? Sive placeant, ſive non; mea non refert, qui quod habui, dedi. Ergo merces mea, oratio veſtra.

Ad LELBERTUM abbatem ſancti Michaëlis [b].

EPISTOLA CCCXCIX[*].

Monachum quemdam à perverſo peregrinationis propoſito dehortatus, remittit ad ſuum monaſterium.

Patri & amico ſuo LELBERTO, ſancti Michaëlis abbati, frater BERNARDUS, eorum, qui in Clara-valle ſunt, ſervorum Dei inutilis ſervus, debitum dilectionis affectum.

HIc filius veſter peregrinationem, quam etſi veſtra licentia ſuſceperat, noſtro conſilio deſerens, ad vos reverſus eſt. Cum enim cognoviſſemus, viam illam & eum requiſiſſe per levitatem, & vos ob illius improbitatem annuiſſe: dure, ut dignus erat, increpatum reverti perſuaſimus, ſuæ ſiquidem, quantum conjicere potuimus, levitatis & improbitatis pœnitentem, ac de cetero emendationem pollicentem: RECTIUS judicantes, quantumlibet reum in ſuo monaſterio monachum pœnitentiam agere, quàm foris vagando provincias circumire. Neque enim terrenam, ſed cæleſtem requirere Jeruſalem, monachorum propoſitum eſt; & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo. Vos autem, Pater, non moleſtam habeatis ejus reverſionem, etſi ſuſpectam habeatis ejus converſationem: quin potius gaudete [c], quia hic filius veſter mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt.

Ad ABBATEM Lætienſem.

EPISTOLA CCCC[*].

Fratrem Robertum recipi, & benignius tractari, ac ſtatum Abbatis ſibi renuntiari cupit.

Venerabili PATRI Lætienſis [d] monaſterii, ac filiis ejus, frater Bernardus, ſervorum Dei, qui in Clara-valle ſunt, inutilis ſervus, ſervire Domino in timore, & exſultare ei cum tremore.

REmiſimus vobis fratrem Robertum, primum pro eo & cum eo precantes, ut clementius cum ipſo

* al. ſuave

Auditum excelſi ... decet.

Qualia in eccleſia legi velit Bern.

* al. celebritate ſollemni.

Oratione eccleſiaſtica alia eſſe debere.

Luc. 11. 8.

* Habentur tomo 1. cum Offic. in Sancto

Improbat monachorum peregrinationes.

* antea 318.

* antea 316.

a Arremarenſe monaſterium, *Montier-Ramey*, diœceſis Trecenſis, Ord. S. Benedicti, patronum habet ſanctum Victorem confeſſorem, cujus acta ex Bernardo habes in tomo 3. Ejus loci monachus fuit Nicolaus Bernardi Notarius, de quo ſupra in epiſtola 298. De cantu eccleſiaſtico vide alias Notas.

b Multa ſunt in Galliis cœnobia ſancti Michaëlis: nempe in Monte tumba ſeu in Periculo maris, ad Moſam, Tornodori in Burgundia, in Eremo apud Pictones, & in Teraſcia. Hujus Abbas videtur fuiſſe Lelbertus, ſive is ſit Elbertus, qui Fuſniaci locum Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo conceſſit ad conſtruendum Ciſtercienſium cœnobium anno 1121. ſive Giſlebertus ejus ſucceſſor, in chartario notatus anno 1130. alter ſui ſæculi Plato dictus apud Hermannum Laudunenſem monachum in lib 3. de miraculis S. Mariæ cap. 19. Simone S. Nicolai abbate (de quo ſupra in epiſtola 83.) defuncto, ad S. Nicolaum, unde aſſumptus fuerat, revocatus. Leoni abbati ejus ſucceſſori Innocentius II. diploma largitus anno 1138.

c Iiſdem omnino verbis utitur Hildebertus in epiſtola 23. quæ eſt ejuſdem cum iſta argumenti. Confer ſententiam Theodemiri abbatis in Opuſculo Jonæ Aurelianenſis epiſcopi contra Claudium Taurinenſem de peregrinationibus monachorum.

d *Leſcienſis* habent codices nonnulli, vulgo *Lieſſies*, quod cœnobium eſt Ord. S. Bened. in finibus Hannoniæ & Teraſciæ, ſacratum litterarum ſtudiis tunc non incelebre, teſte Philippo de Eleemoſyna in epiſtola 24. tomo 1. Bibliothecæ Ciſterc. religione & inſtitutis Ludovici Bloſii, piiſſimi abbatis à ſuperiori ſæculo ad hoc uſque tempus illuſtre: quod Theodericus de Aveſnis à fundamentis inſtauravit ſub annum 1080. ut ſcribit Hermannus in Spicilegii tomo 12. pag. 415. Cuntero primo abbati poſt annos regiminis duodecim ſucceſſit Reinerus, mortuus anno 1124. Hunc excepit VVedricus religioſiſſimus abbas, qui Bibliothecam & viros ex Hannonia pios & doctos conquiſivit. Anno 1147. ſucceſſorem habuit Teſcelinum: cui ſuffectus anno 1153. Helgotus ex monacho Latiniacenſi. An ad VVedricum ſpectet hæc epiſtola, aliorum eſto judicium.

agatur in recipiendo, quàm cum ceteris ſolet fugitivis revertentibus. Non enim par eſſe debet pœna, ubi diſpar eſt cauſa. Deinde ut ab obedientia [a], in qua cum periculo (ut ipſe dicit) animæ ſuæ diu invitus detentus eſt, amoveatur; & ad aliam, in qua ſecurius & ſalubrius vivat, transferatur. Alioquin, quantum intentionem hominis attendo, timeo ne illum irrevocabiliter amittatis. Ceterum autem audivimus dominum Abbatem graviter infirmari: cujus nobis vel vitam, vel mortem flagitamus citius renuntiari, ut aut de vita, licet mortali, recipiamus gaudium; aut de morte, licet vitali, luctum; ſive, ut verius fatear, de qualibet & gaudium ſimul & luctum. De vita quidem * ipſi condolentes, quod ſit retardatus; ſed nobis gaudentes, quibus eſt reſervatus: de morte vero ipſi nimirum congratulantes pro adepto præmio, nobis autem gementes pro ademto neceſſario.

* al. utique.

Ad abbatem BALDUINUM de Caſtellione.

EPISTOLA CCCCI*.

* antea 338.

Timorem ei eximit, ex imprudenti cujuſdam verbo natum.

ET in hoc cognovi quod diligis nos, quoniam timuiſti nos. Verumtamen gaude, quia timor, quem timebas, non accidit nobis. Diligenter eſt res inquiſita, quemadmodum monuiſti, & inventus eſt dolus in ore ejus qui iſta dixit tibi. Unum e duobus nullatenus dubites, hominem videlicet aut ex malignitate, aut ex ſuſpicione locutum. Proculdubio convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. Reus eſt enim illius rei, quam alteri conatur impingere.

Ad BALDUINUM Noviomenſem [b] epiſcopum.

EPISTOLA CCCCII*.

* antea 339.

Puerum ei facete commendat.

Domino BALDUINO Noviomenſi epiſcopo, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, melius quàm meruit.

MItto vobis puerum iſtum præſentium latorem, comedere panem veſtrum, ut probem de avaritia veſtra, utrum cum triſtitia id feceritis. Nolite lugere, nolite flere: parvum ventrem habet, paucis contentus erit. Gratiam tamen vobis habemus, ſi doctior à vobis, quam pinguior receſſerit. Maneries * locutionis pro ſigillo ſit, quia ad manum non erat, nam neque Gaufridus veſter.

* i. modus, gallice maniere.

Ad HENRICUM archidiaconum.

EPISTOLA [c] CCCCIII*.

* antea 340.

An valeat Baptiſmus hac verborum forma collatus, Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ & veræ Crucis.

Dilecto ſuo HENRICO archidiacono, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

1. BReviter vobis de propoſita quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſanius ſapientis. Raptum ex utero puerum ob periculum mortis laicus quidam, ut dicitis, baptizavit, communem verborum formam non tenens, ſed dicens: *Baptizo te in nomine Dei, & ſancta & vera Crucis.* Quæritis, utrumnam baptizatus ſi puer; an magis, ſi vivit, baptizandus. Ego vere hunc baptizatum puto: nec ſonum vocis, veritati fidei & pietati intentionis præjudicare potuiſſe. Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expreſſit ſubſtantiam Trinitatis; in eo ipſo quod addidit, *ſancta & vera crucis*, manifeſte commendavit Dominicam paſſionem. Niſi forte putamus Apoſtolum contra id quod quidem alio loco dixerat, *qui gloriatur, in Domino glorietur*; in ipſa ligni ſubſtantia, & non magis in Crucifixi gratia gloriari, cum diceret: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Neque enim cum juxta communem Eccleſiæ conſtitutionem baptizantes dicimus, *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, aliud intelligendum eſt, quàm in confeſſione Trinitatis. Porro autem confeſſio ſanctæ Crucis, non niſi Crucifixi confeſſio eſt. Legimus ſane in actibus Apoſtolorum, non modo, *In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti*, verum & in nomine Domini Jeſu-Chriſti aliquos baptizatos.

2. Cor. 10. 17. & 1. Cor. 1. 31. — Gal. 6. 14.

2. Pergitis autem quærere de ipſo baptizatore, utrumnam peccaverit, an vero & aliis formam hanc liceat imitari? Quaſi vero conſequens ſit, ut, ſi in facto hominis ipſa eum videtur excuſare ſimplicitas, ut aut nullum, aut non magnum peccatum fuerit; continuo etiam inveniantur excuſabiles, qui ſua temeritate, contra formam Eccleſiæ, novum baptizandi vellent inducere morem. Quod ſi quis eum peccaſſe contendit, ego tantum non crediderim fuiſſe peccatum, ut vel baptizatoris, vel ipſius qui baptizatus eſt, potuerit præjudicare ſaluti. Neque enim eccleſiaſticam contempſiſſe formam, ſed ex devotione quadam feſtinantis fidei in hanc vocem erupiſſe videtur.

Act. 10. 48.

Ad ALBERTUM incluſum.

EPISTOLA CCCCIV*.

* antea 345.

Conſulit ei ſemel in die refici, & mulierculas prorſus non admittere.

Frater Bernardus de Clara-valle, fratri ALBERTO incluſo, bonum certamen certare.

PEtis à me, ut neſcio quam jejunii obſervantiam, quam à me intra tuam cellam requiſieras, ac muliercularum colloquia, quæ & tibi videlicet à me recordaris fuiſſe prohibita, mea licentia poſſis admittere: quæ utique propter inopiam, ut ſcribis, non potes evitare. Ego jam nullam ſuper te uſurpo mihi poteſtatem. Conſilium tibi dedi, non præceptum, ſemper vel ſemel in die comedere: feminarum viſitationes vel colloquia omnino non admittere; tuarum te opere manuum ſuſtentare, multaque alia, quæ longum eſt modo commemorare. Quod ſi hujuſmodi ſumptus nequaquam tibi ad opus tam ſumptuoſum ſuppetere cerneres; non deberes incipere quod conſummare non poſſes. Hoc tibi tutum credidi conſilium: hoc nec meo cogeris tenere præcepto, nec tamen meo mutabis conſilio. Vale.

Incluſi optima lege.

Ad G. Abbatem.

EPISTOLA CCCCV*.

* antea 346.

Fratri cuidam ad vivendum more communitatis ſat virium eſſe.

Domino G. abbati, frater Bernardus, quicquid ſibi.

SCito fratrem G. ex quo venit de Criſta *, ubi medicamina ſumpſit, Conventum per omnia, tamquam unum de validioribus, firmiſſime tenuiſſe, nec ei quicquam in alimentis præter quod commune fuit, indultum fuiſſe; ad vigilias jugiter cum aliis exſtitiſſe. Ex hoc jam ſi aliter apud vos egerit, non ei conſentiatur. Certum enim ſit vobis, non eſſe corporis ægritudinem, ſed animæ paſſionem. Vale.

* La Criſte, Ord. Ciſterc. diœc. Lingone.

a Obedientia, Cella, Prioratus, ſeu villa, cui procurandæ bini aut terni, pluresve monachi deſtinari ſolebant. Cellulæ vocantur in epiſtola 254. num. 1.

b Epiſtola Capituli Noviomenſis de ejus electione habetur ordine 44. inter Sugerianas: ubi plures Balduini jam epiſcopi litteræ de Compendienſi eccleſia referuntur, nempe 157. 158 & 162. Ex priori Sugeriana epiſtola 44. conſtat, Balduinum hunc ipſum eſſe Abbatem de Caſtellione, ad quem Bernardi epiſtola 279. & quæ nunc eſt 401. Idem ſubſcribit epiſtolæ 426 hic in Appendice.

c Epiſtola hæc dubia nonnullis videtur. Reperitur tamen in vetuſtis editionibus, Lugdunenſi anni 1520. aliiſque ſubſequentibus, & in mſ. codice Sorbonico: nec ſtilus differt a Bernardino. Conſule alias Notas. Henricus, Ludovici Junioris frater, per id tempus erat archidiaconus Aurelianenſis, ex Chartario S. Martini de Campis.

Ad Abbatem S. Nicolai.

EPISTOLA CCCCVI[a].

a Nova.

Dulciſſimo amico & coabbati ſuo de S. [a] Nicolao, F. B. de Clara-valle, ſpiritum pietatis.

HOſtis Chriſti diabolus fecit morem ſuum, ſeducendo Chriſtianum: nos quoque, ad quos forte devenit, nihilo minus, prout potuimus, fecimus noſtrum, corrigendo ſeductum. Reſtat itaque, ut & vos, quod veſtrum eſt, faciatis, ſuſcipiendo correctum; & ſic omnes in communi ſperemus, Deum etiam quandoque quod ſuum eſt facturum, redditurum ſcilicet unicuique ſecundum opera ſua.

Ad Ononem abbatem Belliloci [a].

EPISTOLA CCCCVII[a].

a Benedictinum, Ord. Præmonſt. diœc. Trecenſis. P. ... 711. a anno 348.

Monet depoſitum pauperi ſine dilatione reddendum.

Fratri & amico ſuo ODONI, abbati regularium Clericorum Belliloci, frater Bernardus, monaſterii Claræ-vallis diſpenſator indignus, ſalutem.

DEpoſitum [b] hujus hominis, quod (ut ipſe ait) apud vos ſervandum commiſit; nec bonum eſt vobis, nec honorificum quod detinetis, ſi tamen detinetis. Hinc enim deplanctum [c] ad me facere venit, utique propter familiarem ſpecialemque amicitiam, quam inter me & vos eſſe audivit. De qua etiam ipſe præſumens, ad reverentiam vobis dico, quare non potius calicem de altari vendidiſtis, quo tam importunum clamorem reprimeretis, ſi bos vel equus non erat vobis qui venumdari poſſet, ut is quod ſuum erat, reciperet? Parcite quæſo perſonæ veſtræ, parcite bono nomini domus veſtræ, parcite ſacræ, quæ nunc eſt, Quadrageſimæ; & pauperi, quod ſine excuſatione debetur, ſine dilatione reddatur, antequam res amplius divulgetur, & jam non ſine majori dedecore perſolvatur.

Depoſitum quomodo reddendum.

Quadrageſima religio.

Ad W. [a] Abbatem Trecenſem.

EPISTOLA CCCCVIII[a].

a Guillelmum Abbatem S. Martini Trecenſis Ord. S. Aug. a anno 349.

Clericum delicatum ſæculo valedicentem, Abbati Trecenſi commendat, veritus rigori Claræ-vallenſium imparem fore.

Amico & conſervo ſuo domino W. abbati canonicorum [d] clericorum Trecenſium, frater Bernardus eccleſiæ Claræ-vallis ſervus inutilis, ſalutem in Domino.

CLericum iſtum relinquentem ſæculum, nobiſcum manere cupientem, ad veſtrum potius Ordinem, timens ne noſtri difficultate frangeretur, confugere perſuaſi. Commendamus ergo vobis eum, utpote nobis bene cognitum, & honeſte morigeratum, & in litteris eruditum; poſtremo tamquam Dei ſervum, quem per Dei gratiam credo vobis futurum fidum ſolatium. Neque enim ipſum tam propter ſe, quàm propter vos, quem diligimus ſicut nos, ad vos ire volumus: quem propter vitæ ſuæ meritum libenter retineremus, niſi eſſet illa cauſa, quod clericum delicatum, laboris inexpertem, ſuſcipere formidamus. Vale.

Clericus literatus non admiſſus à Bernardo, quod delicatus & laboris expers.

Ad RORGONEM [e] de Abbatis-villâ.

EPISTOLA CCCCIX[a].

a anno 350.

Monet corpoream præſentiam non magni pendendam: rogat terram quamdam incultam Religioſis attribui.

Viro illuſtri, etiam nobis quoque dilecto, RORGONI de Abbatis-villa, B. Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & noſtras orationes.

PErlatum eſt ad nos, quod gratum tibi eſſet, ſi præſentiæ & colloquii noſtri copiam habere valeres; & hoc ideo, quia unum de ſervis Altiſſimi me eſſe credit tua benignitas. Et ego dico tibi, quod pro hac tua humilitate, & pro bona tuæ nobilitatis fama, quam audivimus, mihi quoque jucunda foret tua præſentia. Sed licet hoc in nos humanæ pietatis bonum laudabile ſit, non tamen perfectum. Nam hæc corporalis quidem eſt viſio, & brevis, & nobiscum ceteris animantibus communis. Magis ergo ad illam æternæ ſocietatis jucundiſſimam viſionem ſuſpirare debemus, & bonis operibus inſiſtere, ut ad illam perveniamus. Rogamus tuam dilectionem, ut terram illam, quæ tui juris eſt in parœcia de Currenni, de qua dilectus & familiaris noſter Abbas de *Alchi* [f] tecum locutus eſt, & quæ deſerta & inculta tibi, tuiſque anteceſſoribus uſque nunc inutilis fuit, eccleſiæ de *Alchi* in eleemoſynam concedere digneris: quatenus & animæ tuæ, & animabus anteceſſorum & ſucceſſorum tuorum, apud Deum hoc tuum proficiat beneficium.

Ad GILDUINUM [g] abbatem S. Victoris.

EPISTOLA CCCCX[a].

a anno 366.

P. Lombardum commendat.

Reverendis Patribus & dominis, & amicis cariſſimis, G. Dei gratia venerabili abbati ſancti Victoris Pariſienſis, & univerſo conventui ſancto, frater Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem & noſtras qualeſcumque orationes.

NEceſſe habemus multa requirere, quia multa requiruntur à nobis: nec amicis poſſumus parcere, quia ab aliis amicis non parcitur. Dominus Lucenſis Epiſcopus, pater & amicus noſter, commendavit mihi virum venerabilem P. Lombardum [h], rogans ut ei parvo tempore, quo moraretur in Francia cauſa ſtudii, per amicos noſtros victui neceſſaria providerem. quod effeci, quamdiu Remis moratus eſt. Nunc commorantem Pariſius veſtræ dilectioni commendo, quia de vobis amplius præſumo: rogans, ut placeat vobis providere ei in cibo per breve tempus, quod facturus eſt hic uſque ad Nativitatem beatæ Virginis Mariæ. Vale.

a Haud dubie Simoni abbati monaſterii S. Nicolai in ſilva Velugu, ad quem epiſtolæ 83 & 84.

b De reſtituendo depoſito exſtat in Bibliothecæ Ciſtercienſis tomo 1. pag. 241. egregia epiſtola Philippi abbatis ab Eleemoſyna, ordine tertia, ad Henricum Comitem palatinum.

c Deplangere, multum plangere, deplanctus, querelæ multæ.

d Hic adjective *canonici* appellantur clerici, eodem ſenſu quo in ſuperiori epiſtola Præmonſtratenſes dicuntur *regulares clerici*.

e Rorgo de Abbatis-villa, *d'Abbeville*, quæ urbs eſt ad Somonam fluvium, in veteri Breviario Corbeienſis Bibliothecæ, ante annos quingentos ſcripto, laudatur cum uxore ſua Eliſabeth prid. Id. Auguſti, ut fundator loci, ad quem primo pertinuit Breviarium, nempe Prioratus S. Petri apud Abbatis-villam.

f Alciacum, monaſterium Ord. S. Benedicti, diœceſis tunc Tervanenſis, nunc Audomarenſis, fundatum in Morinis ad Quantiam fluvium ſub annum 700. primo pro ſanctimonialibus, quibus ſucceſſerunt monachi ab inſtauratione poſt Normannos.

g Abbatiæ ſancti Victoris extra muros Pariſienſes, Canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini, Gilduinus præfuit ab anno 1113. ad 1155. Eamdem Sugerio commendat Bernardus epiſtola 369. Ejuſdem ſancti cuculla in theſauro ejuſdem abbatiæ ſervatur, perenne ejus in illam amoris monumentum, cum charta, ex qua dependet S. Bernardi ſigillum, de quo ſupra ad epiſtolam 284.

h Petrus, à theologicis libris ſententiarum Magiſter dictus, à patria hic Lombardus, ex Bononienſi academia in Galliam accedens, commendatus Bernardo eſt ab Epiſcopo Lucenſi, Uberto an Gregorio, (ad quem epiſtola tertia Nicolai Claræ-vallenſis, infra, in perſona Bernardi) & per Bernardum Gilduino & Canonicis ſancti Victoris.

a V. epiſt. 107. ad eundem.

Ad Thomam Beverlacenſem præpoſitum*.

EPISTOLA CCCCXI*.

* antea 373.

Suaviſſima ſane & melliflua epiſtola, qua Thomam invitat ad vitam religioſam, peccatis etiam quibuſcumque non obſtantibus. Bona conſcientia nihil præferri poſſe in hoc mundo.

Bonæ ſpei juveni Thomæ, venerabili Beverlacenſi Præpoſito, frater Bernardus, pauperum Chriſti de Clara-valle ſervus, ſecundum nomen, apoſtolicæ hereditatis omen.

1. UT ad te ignotus ſcriberem, is qui te noverat B Ivo ſuggeſſit, caritas perſuaſit. Ille ſibi liquido comperta de te nobis retulit quæ voluit: illa quæ omnia credit, audire non potuit otioſe. Non, inquam, otioſe, quantum quidem ad nos, quos profecto audito illo mox compulit ad ſcribendum tibi, ad te exhortandum, ad orandum pro te. An vero tibi non infructuoſe, tu videris. Placent fateor, quæ audivimus de te ab his qui te noverunt, non quidem generoſitas ſanguinis, non corporis elegantia, non formæ decus, non rerum copia, vel faſtigia dignitatum: hæc ſiquidem & his ſimilia gloria carnis ſunt, & flos fœni: ſed vivacitas ingenii, & morum ingenuitas, maximeque is, quem nuper te aiunt inter divitias concepiſſe, ſanctæ C paupertatis amor. Unde & nos gratulantes admodum, bonam de te ſpem concepimus, quæ utinam non confundat. Utinam noſtrum hoc gaudium cito perveniat uſque ad Angelos, qui de tua pœnitentia & converſione, ſicut & de ceteris peccatoribus, jucundum exſpectant feſtivumque convivium. Florem tuæ juventutis, & tantæ indolis ſpecimen, ô ſi mihi in manibus venire contingat! ſi liceat Deo ſervare immodicum*, illibatum offerre in odorem ſuavitatis!

1. Cor. 13. 7

Bernardo quæ probentur in juvene.

* flammineum

2. Sed forte me ſero locutum tua reſponderit conſcientia, quod jam non valeat illibata ſervari, quam multis te fortaſſe ſentis maculaſſe criminibus. Non me ſane terret hoc, & peccator non horreo peccatorem: D nec ægrum ſpernn, cum ipſe me ſentiam ægrotare. Sed etſi me ſanum putas, non recuſo infirmus infirmo fieri, ut infirmum lucrifaciam; libenter audiens & in hoc Pauli conſilium, qui ait: *Vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis; conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Nec reputo immanitatem morbi, cogitans peritiam Medici, ſimul & pietatem ſæpe mihi expertam in propriis magniſque languoribus. Quantiſlibet ſordeas vitiis, quantumvis fœdam geras conſcientiam, horrendiſque licet ſceleribus tuam adoleſcentiam ſentias inquinatam; etſi inveteratus dierum malorum computrueris tamquam jumentum in ſtercore ſuo: mundaberis ſine dubio, & ſuper nivem dealbabe- E ris, renovabiturque ut aquilæ juventus tua. Scio denique qui ait: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Bonus Medicus, qui ſanat omnes infirmitates animæ, replens in bonis deſideria ejus.

Criminoſos non prohibet ab ingreſſu monaſterii.

Gal. 6. 1.

Rom. 5. 20.

Pſal. 102. 3.

3. Magnæ divitiæ bona conſcientia. Et revera quid ditius in rebus, vel dulcius? Quid in terra quietius atque ſecurius? Bona conſcientia damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus. quippe quæ & morte ipſa magis erigitur, quàm dejicitur. Quid, quæſo, in bonis terræ tantæ compares felicitati? quid tale mundus blandiens ſuis offerat amatoribus? quid ſimile vel mentiens polliceatur inſipientibus? Si infinita prædia, ſi ampla palatia, ſi in- F fulas pontificales, & ſceptra regnorum; nonne, ut cetera taceam diſcrimina, ſine quibus talia nec acquiruntur, nec retinentur, una ſuperveniente morte ſimul omnia dimittuntur? Scriptum namque eſt, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* At vero bona bonæ conſcientiæ revireſcunt, in laboribus non areſcunt, nec in morte evaneſcunt, ſed refloreſcunt: lætificant viventem, morientem conſolantur, reficiunt mortuum, nec deficiunt in æternum. Sed quid moror in verbis, cum

Bonæ conſcientiæ quanta felicitas & divitiæ.

Pſal. 75.

A modo ſim verba factis implere paratus? In promptu certe tibi eſt, aut me probare mendacem, aut te divitem. Tantum veni, & experire. Quam lætis greſſibus occurremus cum panibus fugienti, quam lætis amplexibus excipiemus filium adoleſcentiorem? Cito proferetur ſtola prima, & dabitur annulus in digito, diceturque: Hic filius meus mortuus fuit, & reſurrexit; periit, & inventus eſt. Luc. 15. 24.

Ad T. adoleſcentem, qui vitam monaſticam voverat.

EPISTOLA CCCCXII*.

* Nova.

Dilectiſſimo filio ſuo T. Bernardus Claræ-vallenſis abbas, exire obviam ſponſo & ſponſæ.

1. UT verbis tibi familiaribus loquar; homo eſt animal rationale, mortale. Aliud nobis gratia Creatoris, aliud nobis intulit meritum peccatoris. In uno ſumus conſortes angelicæ nobilitatis, in altero beſtialis infirmitatis. Utrumque tamen debet excitare nos, & elevare ad quærendum Dominum, & timor mortis, & dignitas rationis. Memor eſto verbi tui, in quo mihi ſpem dediſti. Fructum promiſſionis requiro, tempus requiſitionis advenit. noli ibi trepidare timore, ubi non eſt timor. Non onus eſt, ſed honor, ſervire Domino in lætitia. Inducias tibi dare non poſſum. nihil enim certius morte, nihil hora mortis incertius. Sed quid dicemus de tenera ætate tua? Poma ſæpe ante maturitatem avelluntur de arboribus, vel manu, vel turbine. Quid de ſpecie & pulcritudine tua?

O formoſe puer, nimium ne crede colori. Virg. Buc. Egl. 2.

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Exi, exi cum Joſeph de domo Pharaonis; & Ægyptiæ dominæ, id eſt gloriæ ſæculari, pallium relinque. Exi de terra, & de cognatione tua; obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum. Puer Jeſus non invenitur inter affines & notos. Egredere de domo patris tui in occurſum ejus: quia ipſe egreſſus eſt propter te de domo Patris ſui. A ſummo cælo egreſſio ejus. Merito invenit illum mulier, quæ à finibus ſuis egreſſa clamabat, dicens: *Miſerere mei, fili David.* Ille autem, quoniam diffuſa eſt gratia in labiis ſuis, cito reſpondit ei: *O mulier, magna eſt fides tua! fiat tibi, ſicut petiſti.* Matth. 15. 28.

2. Satanas ſatanam poteſt ejicere: ſed Spiritus veritatis numquid erit ſibi contrarius? Ipſum credo fuiſſe, qui de converſione tua mecum per os tuum loquebatur. Vide ergo ut non declines ad dexteram, vel ad ſiniſtram: ſed venias in Claram-vallem ſecundum verbum tuum. Hoc tibi breviter & ſecreto ſcripſi, mandans per dilectum filium noſtrum Girardum, amicum tuum. Nihil excuſationis prætendas. Si ſtudium eſt in cauſa, ſi adhuc doceri vis, & eſſe ſub magiſtro; Magiſter adeſt, & vocat te, ille ſcilicet, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi. Ipſe eſt, qui docet hominem ſcientiam, qui linguas infantium facit diſertas, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.

Ad Rainaldum[a] abbatem.

EPISTOLA CCCCXIII*.

* antea 389.

Novitium in propoſito confirmatum benigne recipi poſtulat.

Domino abbati Rainaldo, frater Bernardus, quicquid ſibi cupit gratiæ ſpiritualis.

LAudo prudentiam, qua monachum propter novitium triſtare timuiſtis: ſed magis approbo humilitatem, qua factam vobis injuriam, & tam grandem injuriam, tam patienter tuliſtis: incomparabiliter autem præfero caritatem, qua calamum quaſſatum non patiendo conteri, noſtrum expetere conſilium ei ſuadere curaſtis. O prudens humilitas, humiliſque caritas, ſic parcens monacho injurianti, ut non deeſſet novitio fluctuanti! Quantum ergo potui confirmatum, & omnia, (quantum reor) de quibus notatus eſt, emen-

a Fuſniacenſem, ut puto, ad quem epiſtola 72. & ſequentes.

dare paratum, ad vos eum remitto, tam probatæ veſtræ b[illegible] [illegible] conſulens, &, ſi neceſſe eſt, ſupplicans, ut recipiatur: ut tamen prædictum fratrem, cui & litteras proinde precatorias miſi, à ſua priori, ſi fieri poteſt, ſententia flectat. Valete.

Ad Alardum monachum, unde ſupra.

EPISTOLA CCCCXIV*.

Perſtringit eum, quod prædicto Novitio expulſo, ac jam reditum atque emendationem molienti, pertinacius obſiſtat.

Dilecto filio ſuo Alardo, frater Bernardus, paternæ dilectionis affectum.

1. CONqueritur frater Adamarus*, quod ei nimis amarus exſtiteris: non ſolum quia te agente domo expulſus ſit, ſed quia te quoque prohibente reconciliari non poſſit. Et ego quidem non niſi bono zelo te id facere crediderim: ſed cum recordor tuæ illius obſtinationis, quam tibi amiciſſima, ut ſcis, fiducia ſoleo ſæpe improperare; vereor, ne idem zelus tuus non ſit ſecundum ſcientiam. Nam ut ipſa Regulæ* verba ponam, quantæ audaciæ eſt quemquam cædere, aut excommunicare, necdum eliminare, Abbate ſcilicet abſente & neſciente? An non magis tuæ humilitatis erat, alii non facere quod tibi nolles fieri? Immo tuæ perfectionis eſſe debuerat Apoſtolum potius imitari di- C centem: *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*: & rurſum: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* At Prior, inquies, illum ejecit, non ego. Et hoc quidem ipſe novi: ſed te ſuadente, te omnimodis compellente. Unde & nunc cum eum, ſicut audivi, ipſe quoque Prior miſeratus cupiat revocare; te in tua perdurante duritia, non ſinitur emendare, quod compulſus eſt indiſcretus egiſſe. Rogo quæ eſt hæc ſecuritas, ut ceteris omnibus miſerantibus, ipſo quoque domino Abbate propitio, tu ſolus implacabilis flecti non queas ut recipiatur? An non legiſti, *Judicium ſine miſericordia ei qui non facit miſericordiam?* An oblitus es quod rurſum ſcriptum eſt, *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis?* An vero contemnis quod miſericordibus promiſſum eſt, *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur?*

2. Sed neſcis, inquis, quàm juſte expulſus ſit. Sed juſte, an injuſte expulſus ſit, non quæro, nec curo modo: ſed hoc tantum queror, hoc cauſor, hoc vehementer admiror, quod humiliter ſatisfaciens, inſtanter petens, patienter ſuſtinens, emendationem promittens, nec ſic quidem exaudiri meretur, ut juxta Apoſtolum confirmetur in eo caritas, & ſecundum Magiſtrum noſtrum* probetur iterum in omni patientia. Certe ſi injuſte expulſus fuit, juſtum eſt ut revocetur: ſi juſte, pium eſt ut recipiatur. Unde & hoc noſtrum conſilium, licet indiſcuſſa cauſa, arbitratus ſum eſſe ſecurum, quo fit, ut ſive per juſtitiam, ſive per miſericordiam à juſto & miſericorde Deo non recedatur. Rogo ergo te, dilectiſſime fili, ut quod ille ſuis apud te precibus non meruit, vel noſtris, quas tam longe quæſivit, valeat adipiſci.

Ad Quemdam pacti ſui prævaricatorem.

EPISTOLA CCCCXV*.

Hortatur, ut excuſſo voluptatis carnalis jugo, promiſſum religionis votum exſequatur.

ETſi tu oblitus tui, ſed non ego. ſiquidem diligo te, & quantum diligo, tantum doleo. Porro dilectio facit ut doleam, dolor autem ut non obliviſcar. Sed heu miſeram triſtemque memoriam! Mirabar quid te impediret, ut, quemadmodum promiſeras, non venires. Nec enim credere poteram, te tuum pactum, & illud pactum, leviter prævaricari, niſi grandi ex cauſa: quippe quem & in ætate minori fidelem ſatis veracemque comperceram. Nec me fefellit opinio. Re-

A vera enim grandis graviſque cauſa eſt quæ te detinet. Ea ſiquidem ipſa vicit fortiſſimum David, decepit ſapientiſſimum Salomonem. Quid dicam? Numquid qui cadit, non adjiciet ut reſurgat? O quam multa & quàm neceſſaria habeo tibi dicere! ſed ea ſcribere longum eſt. Hoc ergo breviter intimo. Si qua noſtri antiqui amoris adhuc in te ſcintilla vivit; ſi tibi quandoque evadendi à miſerrima illa captivitate tua ſpes ulla remanſit; ſi denique caſſam falſamve non vis eſſe fiduciam, quam te in tali quoque converſatione qua multam habere aiunt in orationibus & amicitia noſtræ congregationis; reviſere Claram-vallem ne differas: ſi tamen tam liber & compos tui es, ut te à cruenta B illa beſtia, quæ tua quotidie omnia ſimul cum ſanguine animæ tuæ effundere ſatagit, vel ad tempus audeas abſentare. Alioquin ex hoc jam noveris te à noſtræ fraternitatis familiaritate prorſus ſepoſitum, nec poteris ultra, niſi fruſtra, blandiri de ſocietate bonorum: quoniam indignum profecto te judicas eorum conſortio, quorum acquieſcere recuſas conſilio. Ceterum ſi venire non pigritaris, confido te per Dei miſericordiam, priuſquam diſcedas à nobis, ſolvendum à mortis compede quo teneris.

Indignus eſt ſuffragiis bonorum, qui eorum conſilio non acquieſcit.

Ad Incognitum.

C

EPISTOLA CCCCXVI*.

*Nova

Eleemoſynas Comitis Theobaldi à ſe non fuiſſe diſtributas aſſerit.

MOrdaces litteræ, quas more veſtro dudum nobis miſiſtis, morſum vos cordis pati ſignificant. Nam primo quidem, cum vos putaremus in eis non ſerio loqui, ſed nobis, ut ſoletis, voluiſſe jocari; forte à partibus veſtris adveniens monachus aliquis, inanis noſtræ illius opinionis nebulam ſolvit. Si quidem cum de litteris illis nihil ante cognoſceret, præter ea, quæ de ore noſtro audierat; ipſas aliter, ſed veraciter, licet neſciens, expoſuit, ita ut jam minime ſinamur du- D bitare, male vos revera ſuſpicari de nobis, quaſi qui in diſtributione eleemoſynarum Comitis* Campaniæ, amicis noſtris abſentibus amici non exſiſteremus. Et hoc vos putamini, quia rem in manu noſtra poſitam fuiſſe creditis. Verum qui prædictum Comitem vel ſe, vel ſua putat moderari noſtro conſilio; certus ſum, quia aut me, aut illum non ſatis novit. Denique & probatum eſt. Nonnullis namque monaſteriis, ſed & ipſi ſpecialiter Epiſcopo, de quo me, ne de vobis aperte loqueremur, tam aſpere tetigiſtis; importune ſatis & impudenter rogitans, ut aliquid daret, impetrare non merui. Diſtribuit itaque homo de rebus ipſe ſuis, quantum voluit, & quibus voluit; partim quidem me vidente, ſed non dividente; plurimum vero nec vi- E dente, non tamen invidente. Nam & nobis forſitan aliqua extorquere potuiſſemus, ſi voluiſſemus. Deo autem gratias, quo inſpirante nec oblata contingere acquievimus. Jam ſi dignum ducitis, mihi potius de me, quam famæ eſſe credendum; nulla vobis, ut arbitror occaſio remanet, cur veſtris illis ſolitis beneficiis, quæ nobis improperanda eſſe putaſtis, ſolito indigniores vel nos, vel Epiſcopum judicetis. Scitote tamen paratos nos æquanimiter carere, quidquid habere non meruimus.

*Theobaldi

Ad Abbatem de Trunco-Berengarii.

F

EPISTOLA CCCCXVII*.

*Nova.

Fratrem Dodonem ab eo humane recipi poſtulat.

Dilectiſſimo fratri & coabbati ſuo G. de Trunco-Berengarii, frater Bernardus de Clara-valle, ſalutem in Domino.

UNde frater Dodo noſtram ſimplicitatem conſultum venit, tale à nobis conſilium, immo judicium reportavit. Cum nullam idoneam cauſam attulerit, cur locum ſuum & Ordinem deſerere velit; nul-

la nobis viſa eſt ratio permittere, quod ad alium tranſire debeat. A Nam votum illud, quod ſe prius feciſſe dicit, de quo & maxime ſui ſcrupuli occaſionem ſumpſit; cum ſola cogitatione, aut plus etiam verbo, ſed hoc ſolo facto fuiſſe conſtet; nequaquam huic præponendum, cui utique, poſterius licet, tamen & verbo, & deliberatione, & habitu, & profeſſione ſeſe adſtrinxiſſe videtur: præſertim cum illud, quod voverat, nec diſtrictius eſſe videatur iſto, nec rectius. Quapropter nec vobis, qui pro ejus anima Chriſto reddere rationem habetis, tutum eſſe credimus, in hoc ei veſtram indulgere licentiam, cum ſcriptum ſit: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* (Pſal. 124. 5.) Suſcipite ergo eum dulciter ut filium, cu- B ſtodite ſollicite ut vobis commiſſum, veſtris, ni fallor, ex hoc jam obſecuturum præceptis, & conſiliis obtemperaturum.

BERNARDI CHARTA
pro eadem abbatia.

Bernardus abbas Clara-vallis, omnibus præſentem paginam inſpecturis.

Contigit abbatem [a] Trunchinienſem, & Balduinum de Waſia pro determinanda controverſia eorum Romam ituros, per nos tranſitum facere. Quorum cauſam cum audivimus, eorum labori & ſumptui compatientes, Deo auxiliante eos in pace & dilectione compoſuimus in hunc modum. Eccleſia Trunchinienſis, ſecundum privilegia ſua, *VVerrebroech* & *Saloghem* cum integro jure parrochiali poſſidebit in perpetuum. Statuimus quoque, ut eccleſia Trunchinienſis Balduino annuatim viginti ſolidos daret in feſto ſancti Remigii. Balduinus etiam oblationes, quas in eccleſia Trunchinienſi habebat, rogatu noſtro eidem eccleſiæ conceſſit. Idem ſic ſenſit Simon epiſcopus Tornacenſis.

[a] Erat tum Goſvinus abbas Trunchinienſis juxta Gandavum monaſterii ex, cujus autographo hæc ſchedula eruta eſt.

APPENDIX S. BERNARDI EPISTOLARUM.

HÆc Appendix continet S. Bernardi dubias, ſpuriaſve epiſtolas nonnullas; quaſdam item à Nicolao Clara-vallenſi ejus nomine ſcriptas; ad hæc chartas ſeu litteras ab ipſo Bernardo de rebus civilibus confectas; tum epiſtolas ad eumdem à diverſis hominibus ſcriptas, cum quibuſdam aliis monumentis, quæ ad illuſtrandas Bernardinas epiſtolas conducere viſa ſunt. Omnia partim ex libris editis, partim ex mſſ.

Ad quoſdam NOVITER CONVERSOS [a].

EPISTOLA CCCCXVIII [*].

(* antea 381)

Hortatur ad conſtantiam propoſiti vitæ religioſæ, & ne anteacta vita peccatis ſe deterreri ſinant.

1. SUper bono nuntio, quod de vobis auribus noſtris inſonuit, vehementer gaviſa eſt anima mea, & exſultavit cor meum in Domino, qui vos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, & vocare dignatur, ut in præſenti juſtificet, & glorificet in futuro. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui juſſit lumen ſuum ſplendeſcere in cordibus veſtris: quatenus contemnentes hujus ſæculi vanitates & inſanias falſas, ad gloriandum in ſpe gloriæ filiorum Dei, de intimis animæ medullis trahatis ſuſpiria; eligentes & proponentes abjecti eſſe in domo Dei noſtri, magis quam habitare in tentoriis peccatorum. Confirmet autem Deus in vobis bonum quod inſpiravit propoſitum, ne antiquus & inimicus hoſtis humani generis vos vel à propoſito avertere, vel ſubvertere poſſit in propoſitu: (Averti à propoſito quid.) ne videlicet blandiente vobis vana & inſana hujus ſæculi delectatione, ad perficiendam carnis curam in deſideriis animum denuo revocetis, quod eſt averti à propoſito: aut in ipſo religionis introitu, lenocinantibus imperfectioni veſtræ ex- E trinſecis conſolationibus, carni potius quàm ſpiritui conſulatis, (Quid ſubverti.) quod eſt in propoſito ſubverti. Quidam enim ſæculo abrenuntiaturi (ut ſalva pace omnium dixerim) illorum maxime converſationem æmulantur, quibus majorem ſollicitudinem incutit carnis ſuæ fragilitas, (Carnis cura pœnitentiæ contraria.) quàm ſpiritus infirmitas. Unde gravioribus relictis turpitudinibus, crapulæ tamen applaudunt, & tam ciborum quam potuum exigunt ſuperfluitatem: non ſatis diligenter animadvertentes, multa licere quæ non expediunt, quia profectum pœnitentis graviter impediunt.

2. Super hac re, cariſſimi, conſulatis eum, qui, C quod impoſſibile eſt cujuſcumque legis obſervantiæ, in quo infirmatur per carnem, de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis in his impleretur, qui non ſecundum carnem ambulant. *Quicumque* (Rom. 8. 8.) enim *in carne ſunt*, ſive in habitu, ſive extra habitum religionis, ſi verax eſt, immo quia verax eſt Apoſtolus, *Deo placere non poſſunt.* Multum enim citra profectum proficit, immo infra imperfectum vehementer deficit, cujus gula deus eſt. Conſulatis, inquam, Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui non ſolum languoribus, ſed & noſtris erroribus volens mederi, de ſecreto ſuo ad publicum noſtrum prodiit; & inter D hæc & illa afferens remedium, ſicut languores evacuavit moriens in cruce, ita & errores deſtruxit, & mores inſtruxit, dum vixit in carne. Ipſe nimirum, utpote qui peccare non poterat, & univerſorum Dominus erat, (Deliciæ Chriſti exemplo fugiendæ.) cum mundi hujus deliciis libere & juſte uti potuiſſet, voluntariam paupertatem tamen tam diligenter amplexus eſt, ut nec etiam haberet ubi caput ſuum reclinaret. In cujus paupertatis exſecutione tantam exhibuit Patri obedientiam, ut non ſolum delicias, ſed & ſeipſum ſibi abnegaverit, petens in omnibus non ſuam, ſed Patris fieri voluntatem. Qui ergo hominem errantem in ſolitudine & in inaquoſo venerat reducere in viam rectam, ut iret in civitatem habitationis; ſalubriorem & ſecuriorem redeundi viam exemplo ſuæ converſationis nobis oſtendit, nihil proprium in mundo poſſidens, Patri obediens uſque ad mortem. (Via redeundi ad Deum.) Ejus ergo exemplo deliciæ nobis fugiendæ ſunt, & bonum obedientiæ toto mentis ac corporis conatu amplectendum: ut qui inobediendo receſſimus à Deo, per obedientiæ legem redire mereamur. Sed ſunt qui dicunt: (Objectio.) Ut quid in miſeria tormentorum affligemus animas noſtras, cum Deus non delectetur in cruciatibus, & licite mundo utentes ſalutem invenire poſſimus? Filii hominum, ut ad vos verbis utar Apoſtoli, *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu:* (Reſponſio. Philip. 2. 5.) *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt,*

[a] Etſi hæc epiſtola pia eſt, neſcio quid tamen contortum ac elatum habet, quod Bernardi genium & dicendi facilitatem non ſapit. Et in ipſo epiſtolæ contextu quiddam habetur Bernardi ſententiæ non ſatis conveniens. Hanc invenimus in uno codice Vaticano, num. 663. & quidem extra ordinem aliarum epiſtolarum, poſt homiliam B. Bernardi de contemptu mundi, ſub hoc titulo, *Epiſtola ejuſdem conſolatoria.* quo ex codice quædam loca hic emendavimus. Fortaſſe ex illarum eſt numero epiſtolarum, quas Bernardi juſſu ejus Notarii quandoque ſuo marte ſcribebant.

eſſe

eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam A *ſervi accipiens.* Si ergo hoc ſentitis de ipſo, quod licet juſta & æquali prærogativa majeſtatis, formam Dei habere poſſit & exhibere, ipſam tamen exuit, & induit ſervilem, non ut aliquid in ſe evacuaret uſurpatum, ſed ut noſtrum reprimeret ſupercilium. Si hoc, inquam, ſentitis de ipſo; propter hoc ipſum & vos veſtram exinanivitis tranſitoriam felicitatem, ei qui ſe pro nobis miſerum fecit, cum miſer non eſſet, vicem rependentes, non de vobis faciendo quod non eſtis, ſed in vobis oſtendendo quod eſtis: ut quos facit miſeros neceſſitatis conditio, miſeros fateatur voluntatis devotio.

4. Itaque, dilectiſſimi, ut ad vos redeam, in hac B valle lacrymarum & miſeriarum, ſi Chriſtiani eſtis, ea via qua Chriſtus ambulavit, & ipſi ambuletis. *Væ homini duabus viis ingredienti.* Si enim caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt; carnalibus profecto conſolationibus ſpirituales ſociari impoſſibile eſt. Qui ergo debitorem & procuratorem carnis ſe conſtituit, ut magis ſterilem paſcere, quam viduæ ſtudeat benefacere; nullum religionis jugum, quamlibet leve, quamlibet ſuave videatur, ei tolerabile eſt. Unde contingit, ut neque hic, ubi ſine murmure eſſe non poteſt; neque in futuro, ubi pœnam murmurationis tolerari neceſſe eſt, pacem inveniat. Ubi autem non eſt pax, nec Deus, quia *in pace factus eſt locus ejus.* C Jugum tamen Dei ſuave eſt, & onus leve. Sed quibus? Spiritui ejus, & qui eo aguntur. Qui ſunt illi? Non ſervi carnis, ſed filii Dei. Vultis cognoſcere filios Dei? Qui ſpiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum ſunt Spiritus-ſancti, quem à Deo acceperunt: ut jam non ſint ſui, nec ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit, empti videlicet pretio magno pretioſi ſanguinis Chriſti. Unde & portantes eum & glorificantes in corpore ſuo, utique honorificant eum: quia non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus confitentur eum. *Qui autem confitetur eum coram hominibus, confitebor,* inquit, *& ego eum* D *coram Patre meo.*

Eccli. 3. 19.
1 Cor. 15. 50.
Jugum Chriſti ſpiritualibus leve.
Pſal. 75. 3.
Matth. 11. 30.
Rom. 8. 14.
Filii Dei qui.
Matth. 10. 32.

5. Bonum eſt ergo confiteri Domino in gratiarum actione, bonum eſt quoque confiteri Dominum in operum exhibitione: ut Chriſtus nos confiteatur in diſtricta ſingulorum examinatione, quando nos oportuerit manifeſtari ante tribunal ejus, ut unuſquiſque referat propria corporis, ſive bonum, ſive malum, prout geſſit in corpore. Harum utrarumque confeſſionum, & ejus qua homo confitetur Deum, & ejus qua Deus confitetur hominem, ſi vultis eſſe participes, nolite ulterius evagari in exterioribus, diffuſi in vanitates & inſanias ſæculi: ſed reverſi ad vos, intrate ad cor veſtrum, ubi ſine dubio regnum Dei eſt. Regnum enim E ejus intra vos eſt. Quid eſt hoc regnum? Sana & libera voluntas hominis, ita ſe conformans voluntati Dei, ut nihil velit quod ſciat ei diſplicere; nihil nolit quod ſciat ei non placere. Primum ergo quærite regnum Dei, ut liberetur & ſanetur voluntas veſtra, veneno ſæculi graviter imbuta vel corrupta; & omnia corpori neceſſaria adjicientur vobis. Nolite ſolliciti eſſe de corpore, quod eſt hereditas vermium: ſed ſolliciti eſtote de anima, quæ ad imaginem Dei facta eſt: quomodo revelata facie gloriam Dei ſpeculetur, & in eamdem imaginem reformetur, & transformetur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.

2 Cor. 5. 10.
Regnum Dei ſana voluntas.
Luc. 17. 21.

6. Quid dulcius, fratres mei, quid jucundius, quid F ſanctius inter corporea corpore Chriſti? Et tamen dictum eſt Apoſtolis: *Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet.* Dum enim corporali Chriſti præſentia videndo & audiendo delectati ſunt, numquam eis perfecte datur, ſed ſemper promittitur Spiritus-ſanctus. Etenim inquit, *cum aſſumptus fuero, mittam eum ad vos.* Chriſto enim adhuc vivente in carne, nonne Petrus negavit ad vocem ancillæ? Chriſto autem aſſumpto, & miſſo Spiritu-ſancto, nonne *ibant gaudentes Apoſtoli à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati?* Longe ergo eminentior & dulcior virtus Spiritus-ſancti, quam delectatio corporis Chriſti. Quod ſi tam excellentis & beati corporis carnalis delectatio potuit ab Apoſtolis avertere Spiritum-ſanctum, ſine cujus affectione nihil quod bonum eſt, poteſt amari; ſine cujus virtute nihil ſalutiferi muneris poteſt tolerari: vos ipſi judicate, an non miſeri ſunt & inſani, qui ad religionem venturi, delicias corporis quærunt. Venientibus quippe ad religionem non eſt conſideranda carnis fragilitas, ut ei delicate ſubſerviatur: ſed impedimenta fervoris ſpiritus, ut ſollicite fugiantur.

Joan. 16. 7.
Corporali Chriſti præſentia affixi Apoſtoli, incapaces erant Spiritus-ſancti.
Ibidem.
Act. 5. 41.
Religioſis non curanda carnis fragilitas.
V. epiſt. 331. & 440.

7. Feſtinate ergo fieri pauperes ſpiritu, & inopes rebus, ut Dominus ſit ſollicitus veſtri. Hujuſmodi enim paupertatis, voluntariæ videlicet, & ex voluntate neceſſariæ, via ſecura & recta eſt: alioquin Chriſtus eam non fuiſſet ingreſſus. Ceteræ viæ, etſi bonæ ſint, plenæ tamen ſunt latronibus. Semita hujus paupertatis, quia ardua eſt, & pauci per eam aſcendunt, inſidias latronum ignorat. Non enim frequenter ponunt latrones inſidias, ubi frequens non eſt tranſitus viatorum. Dico vobis in veritate, quæ Deus eſt, & experto credite: quia hæc via quanto arctior, quanto moleſtior videtur in ingreſſu, tanto lætior, tanto jucundior invenitur in progreſſu. In ingreſſu exigit meritum, in progreſſu rependit præmium. Etenim non ſolum in futuro vitam æternam poſſidebitis, ſed & in præſenti centuplum accipietis, non ſolum in bonis ſpiritualibus, ſed & in temporalibus, ſi cor non appoſueritis. Ipſa ſiquidem bona temporalia, ſunt, ſi non amantur, licita; ſi amantur, illicita. Sive autem amantur, ſive non amantur, non multum expediunt, quia quadam ſui dulcedine cor poſſidentis cito ſubvertunt. Quæ vobis dubitandi occaſio? Pauca relinquetis cum ſollicitudine, totum mundum aſſumetis in poſſeſſionem ſine ſollicitudine. Omnia enim veſtra ſunt, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: *Omnia,* inquam, *veſtra ſunt.* Tamen vere ſubjungi poteſt, *Vos autem Chriſti, ſicut Chriſtus Dei:* id eſt, ſi, ſicut Chriſtus in omnibus operibus ſuis Patrem ſuum glorificavit, ita & vos in omni actu veſtro ejus gloriam quæſieritis.

Paupertatis voluntariæ via ſecura, & beata.
Centuplum ejus.
1. Cor. 3. 23.
Si Dei gloria in omnibus quæratur.

8. Si enim Chriſtus in operibus veſtris apparuerit glorioſus, à quo vobis trepidandum eſt? Ipſe utique ſolus eſt, in cujus manu ſit ſalus, & condemnatio noſtra. Si condemnat a, benedictum ſit nomen ejus, quia ſic meruimus: ſi ſalvat, glorioſum ſit nomen ejus, quia ſuperabundavit miſericordia judicio. Pater enim omne judicium dedit Filio. Quis tamen eſt qui condemnet? Jeſus Chriſtus? Pius, inquam, & dulcis Jeſus, qui mortuus eſt pro delictis noſtris? qui reſurrexit propter juſtificationem noſtram? qui eſt ad dexteram Patris, ubi etiam interpellat pro nobis? Militans in terra, regnans & in cælo, nihil ſitit niſi noſtram ſalutem: & ipſe fugientibus ad ſe referet confuſionem? Abſit. Quantumcumque gravis ſe ingerat memoriæ meæ recordatio ſcelerum meorum, quantumcumque me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis conſideratio, faciant alii quod cenſuerint expedire; ego ſemper ſentiam in bonitate & dulcedine Domini mei Jeſu-Chriſti, ſemper oculi mei ad miſericordiam ejus, ſciens nimirum & quandoque in me experiens, longe efficaciorem ejus dulcedinem ad conſolandum, quàm vitæ meæ amaritudinem ad eum deſolandum: multoque promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utique, quia non eſt iniquitas, ſicut iniquitas

Chriſtus nihil ſitit niſi ſalutem noſtram.
Sperandum ſemper in eo.

a Non putamus id dicturum fuiſſe Bernardum, nec damnationem æternam, in qua nulla eſt humanæ voluntatis cum divina conſenſio, immo obſtinata ac deteſtanda ab ea defectio, in ſententia Bernardi fuiſſe de genere rerum illarum, quas divinæ voluntati committere debeamus volentes. Id patet ex ſermone 25. de diverſis, ubi diſtinguens ea quæ à Deo ſub conditione, & quæ abſolute petere debeamus; in hoc genere gratiam Deo gratum facientem, & gloriam in futuro reponit num. 5. Equidem in epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem num. 15. Moſis exceſſum amoris, volentis fratrum cauſa deleri de libro vitæ, & Pauli anathema eſſe cupientis, ad gehennam ipſam extendit, ſed cum bona conſcientia, quæ non comperit damnatis, quotum meminit eſt hac in epiſtola.

mea: ſed è regione, non eſt dolor ſicut dolor ejus. Si A ſupra modum peccavi, non deſpero; quia ſupra modum dolui, in quo reſpiro. Si exaſperatur Deus immanitate ſceleris mei, mitigatur proculdubio in dolore ſatisfactionis Filii ſui: quia mitis & innocens Agnus in cruce pendens, utpote qui coram tondente ſe obmutuit, non improperat circumſtantibus, & inſanientibus in eum: ſed dulciter ſuggerit tranſeuntibus per viam, & reſpicientibus ad eum. Sic enim ſcriptum eſt: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Hoc ſiquidem de cruce clamat tranſeuntibus: ſed unde tranſeuntibus? De mundo, non cum mundo. Qua, & quo tranſeuntibus? Per viam momentaneæ paupertatis, ad divitias æternæ fe- B licitatis. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* ſi tamen *contemplemur non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

Thren. 1. 12.

Maxime pro-peribus 2. Cor 17.

9. Non hæc ſcribo vobis, ut in peccatis ſecurius delectemini: quia Altiſſimus, qui & ipſe Jeſus-Chriſtus, odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. Si pœnitentia, immo quia pœnitentia eſt vobis neceſſaria, locus & tempus pœnitentiæ vobis non deeſt. Ecce enim tempus acceptabile, in quo etſi non cruor Martyrum, labor tamen in Chriſto antiqui ſerpentis aſtutiam triumphat, & dejicit fortitudinem. Locus autem apud nos idoneus & delectabilis, non ad gau- C dendum, ſicut in ſæculo, ſed ad lugendum quod commiſſum eſt in ſæculo: ubi quidem multum ſubtiliter & utiliter prædicatione ſeniorum, ſed multo ſubtilius & utilius examinatione converſationis eorum, & in malo deſtruimur, & inſtruimur ad bonum. Deus autem totius miſericordiæ & conſolationis faciat vos ſocios noſtræ congregationis: ut ſitis participes illius internæ conſolationis, quam in vobis quandoque ſentire, ſed à nobis numquam poteſtis audire. Valete.

Pœnitentiæ locus monaſterium.

Ad ALFONSUM regem Portugalliæ [a].

EPISTOLA CCCCXIX [*].

[*] antea 367.

D

Rex, obtenta de Saracenis victoria, reus voti de condendo Ciſtercienſibus monaſterio tenebatur. Itaque poſtulatos è Clara-valle monachos Bernardus mittit in Luſitaniam.

Chriſtianiſſimo & pio ALFONSO regi Portugallorum, Bernardus, Claræ-vallis vocatus abbas, modicum id quod eſt.

BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatus eſt vos in tribulatione veſtra, dum abſtulit opprobrium Saracenorum à cervicibus veſtris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babylon E magna, deſtruxit Dominus munitiones inimicorum ſuorum, & extulit cornu populi ſui. quod etiam antequam fieret, reſcivimus revelante Spiritu, qui ubi vult ſpirat abſque auditione vocis. Propter quod animas noſtras afflximus, & tam parvitas mea, quàm reliqui Fratres mei coram Domino provoluti, decertantibus manibus veſtris, robur & fortitudinem poſtulabamus, & ex eo quod iniquitates noſtræ veſtram non impedivernot felicitatem, ſumme lætati ſumus. Reſcivimus etiam ingentem pietatem, qua commotus votum de ædificando cœnobio Altiſſimo devoviſtis. Quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ ab incunabulis Religionis Chriſto nutrivimus: quatenus nos ipſos celſitudini veſtræ commendantes, piam F voti intentionem ad debitam exſecutionem perducant, illud condentes monaſterium, in cujus duratione & integritate indelebile habebitis elogium regni veſtri, & in diviſione redituum dividetur a vobis corona veſtra. Servet vos, & illuſtrem Reginam conſortem Servator cunctorum, & benedicat prolem veſtram, ut videatis filios filiorum veſtrorum, gaudentes in poſſeſſionibus veſtris.

Ad JOHANNEM CIRITAM [a].

EPISTOLA CCCCXX [*].

[a] al. Ziritam ſeu ſi Abbas & fundator monaſteriorum S Johan de Tarouca, S Chriſtophori, & S Petri de Aquiela.

[*] antea 368. v. Henriq. in Faſt. lib. 2. diſt 19.

Cognito divinitus ejus zelo ac deſiderio, mittit è Clara-valle monachos ad fundandum in Luſitania monaſterium.

B Venerabili Fratri, Deo dilecto, & in via ſæculi hujus ſocio noſtro, JOHANNI CIRITÆ, Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas, ſalutem in ſalutis auctore.

PErmittente Patre miſericordiarum [b], & Deo totius conſolationis, qui non ſinit animas peccatorum peccatis damnari, ſcivimus de fraternitate tua, quo pacto aſſiduis orationibus pro peccatorum venia pectus divinum pulſare non deſinis: & quia vir deſideriorum es, adimplevit Dominus deſiderium tuum, dum nobis aperuit exaudiri deprecationes tuas. Et qui in eadem ſocietate nos tibi ſociavit, qui duobus Diſcipulis euntibus Emmaus ſe ſocium præbuit; mittimus C hos filiolos, quos lacte evangelicæ doctrinæ Domino nutrivimus, ut quocumque miſeratio divina diſpoſuerit, & cæleſte aliquod micaverit ſignum, monaſterium condas: in quibus teipſum ſigniferum & ducem ceterorum elegit, ut & principia agas, & actum ad exitum ducas, ductumque Deo, & ejus Præcurſori offeras.

BERNARDI ad Abbatem S. Benedicti.

EPISTOLA [c] CCCCXXI.

Domno Abbati S. Benedicti; frater BERNARDUS de Clara-valle ſanctam accipere benedictionem.

D OPortet ut ex inſtanti feſtinetis ad dominum Regem, & totam confuſionem noſtram, & quomodo proditi ſumus, ei tamquam benigno domino noſtro pleniſſime indicetis. Et quia gaudemus ex parte, quod negotium ejus in cauſa nobis fuit hujus anxietatis, pro eo ſiquidem quod domino Senonenſi conſulimus; de die ſtatuenda, quod nobis bene ante promiſerat, ita confudit, ſic in nos vindicans Regis amorem. Petite & ab eo litteras efficaciſſimas ſuper hoc negotio, ut dominus Papa omnimodis confirmet, quod fecerunt filii obedientes, duo ſcilicet Epiſcopi: quia & ſibi gratiſſimum, & Eccleſiæ neceſſarium eſt. Nec noceat E quod ita tertius ſe ſubtraxit, inobediens mandato apoſtolico, & regalium contemptor monitorum. qui ſi ad eum venerit, ſentiat noſtram injuriam, & injuriam ſingularem, Regi non placere. Salutate cariſſimum noſtrum Cancellarium, & rogate, ut tales ſuper hoc litteras ſcribat, quæ & ſuum probent, & regium erga nos redolere inveniantur affectum, ſicut præſumimus de utroque.

BERNARDI ad LUDOVICUM regem.

EPISTOLA CCCCXXII.

F LUDOVICO excellentiſſimo regi Francorum, domino ſuo, Bernardus abbas Claræ-vallis, ſalutem.

SCitis, mi domine, qualiter & ego, & res meæ ſub tutela veſtra poſitæ ſint. Unde de amicitia veſtra

[a] Duas ſequentes epiſtolas Horſtius huc retulit ex tomo 1. Analium Bernardi Brito Luſitani, qui alias ſub nomine Duciſſæ Lotharingiæ ad Bernardum, & Bernardi ad eum litteras ex Gallico (ſi ei credimus) idiomate tranſlatas vulgavit. Sed alium ejuſmodi epiſtolarum fide juſſorem optamus. Certe Bernardi genius, ſtilus, modeſtia in eis deſiderari videntur. Genuina eſt Bernardi epiſtola 308 ad Alfonſum Regem, itemque Petri abbatis Claræ-vallenſis octava epiſtola ad Regem Portugalliæ, cui gratias agit ob relevatam ſuorum fratrum inopiam & oblationem monaſterii de Caſtinerio, apud Cheſnium tomo 4. pag. 480.

[b] Eadem verba initio ſuperioris epiſtolæ. & infra, *lacte evangelicæ doctrinæ* Sane quod ait de condendo monaſterio, *ubi cæleſte aliquod micaverit ſignum* a Bernardi moribus & genio alienum videtur.

[c] Hæc epiſtola cum ſequente edita eſt apud Cheſnium tomo 4. ſed nonnisi ſtilum Bernardi ſapit.

confidens, hunc clericum J. latorem præſentium precario commendo: quatinus veſtra ſublimitas, ſi opus ſit, ipſum domino Papæ commendet, & querimoniam ipſius ſuper pecunia epiſcopo noſtro credita veram & juſtam eſſe me atteſtante credatis. Valete.

Nicolai Claræ-vallenſis ad Comitem & Barones Britanniæ in perſona domini Claræ-vallenſis, pro negotio crucis.

EPISTOLA CCCCXXIII*.

Ann. CHR. MCXLVI.

1. COmmota eſt & contremuit terra, quia Rex cæli perdidit terram ſuam, terram ubi ſteterunt pedes ejus: inimici crucis ejus unanimiter ſimul adverſus eum teſtamentum diſpoſuerunt, & qui oderunt eum extulerunt caput. Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: Hereditate poſſideamus ſanctuarium ejus. Officinas redemptionis noſtræ evertere moliuntur, & loca Chriſti ſanguine dedicata profanare contendunt. Præcipue autem illud Chriſtianæ religionis inſigne; ſepulcrum, inquam, in quo ſepultus eſt Dominus majeſtatis, ubi facies ejus ſudario ligata eſt, omni niſu nituntur evellere. Agitant manus ſuas ſuper montem filiæ Sion: & niſi Dominus cuſtodierit, prope eſt ut irruant in civitatem ſanctam Jeruſalem, in civitatem Dei viventis, ſuper quam invocatum eſt nomen ejus. Populi Chriſtiani partim conjiciuntur in vincula, partim trucidantur ſicut oves occiſionis. Videt & diſſimulat ille magnus providentiæ oculus, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum: ſi ſit qui doleat vicem ejus, qui reſtituat hereditatem ſuam ſibi. Et cum omnia poſſit, cui ſubeſt omnia poſſe cum voluerit, vult tamen nomini Chriſtiano victoriam adſcribere, & ſuper tribulantes eos mittere manum ſuam.

2. Propterea inſtantiſſima poſtulatione domini Regis, apoſtolicoque præcepto in paſchali ſollemnitate ad Verſeliacum * celeberrimum locum advenimus, ubi dominus Rex * cum Principibus regni & populo multo ad diem feſtum convenerat. Expoſitus eſt autem lacrymabilis iſte dolor in conſpectu omnium, & recitatæ ſunt litteræ iſte domini Papæ *, quarum exemplar univerſitati veſtræ tranſmittimus *. Emollivit autem corda eorum Spiritus-ſanctus: & ſtatim Rex cum multa multitudine Principum, & innumerabili populo, ſigno crucis Chriſti armatus eſt. Diffunditur autem benedictio iſta per univerſam terram, & certatim evolant omnes ad ſuſcipiendum ſignum ſalutis in frontibus & in humeris ſuis. Et quia terra veſtra fœcunda eſt virorum fortium, & militari juventute referta: decet vos inter primos, & cum primis ad tam ſanctum opus accedere, & armatos aſcendere ad ſerviendum Deo viventi. Eia igitur, fortiſſimi milites, accingimini; & qui non habet gladium, emat eum. Nolite deſerere ſolum Regem veſtrum, Regem Francorum, immo Regem cælorum, pro quo ipſe tantum viæ & laboris ſuſcepit. Venit ad vos homo Dei dominus Carnotenſis *, qui plenius vos doceat quæ dicta & facta ſunt, & oſtendat largiſſimam veniam, quæ in litteris domini Papæ, ſuper eos qui cruces ſuſceperunt, continetur. Pro illo, qui pro vobis mori dignatus eſt, defendite loca mortis ejus & redemptionis noſtræ, ne quando dicant gentes, Ubi eſt Deus eorum? ut vos faciat victorioſos in terris, in cælis glorioſos, ſponſus Eccleſiæ, filius Mariæ, Dominus Deus noſter.

** Vezelay* · ** Ludovic. VII* · ** Eugenii III* · ** Gosfredus* · *Indulgentia* · *V. epiſt. 363.*

Ejuſdem ad Manuelem Comnenum CP. Imperatorem, in perſona D. Claræ-vallenſis.

EPISTOLA CCCCXXIV*.

Ann. CHR. MCXLVI.

Ut filium Comitis Theobaldi faciat novum militem.

Sublimi & glorioſo Manueli, Conſtantinopolitano Imperatori, frater Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, ſalutem & orationes.

1. QUod tantæ audeo ſcribere majeſtati, non inſolentia temeritatis eſt, ſed confidentia caritatis. Quis enim ego ſum, aut quæ eſt domus patris mei in Iſrael, ut tanti nominis Imperatorem noſtris litteris audeam prævenire? Pauper enim ſum ignobiliſque perſona, longo terrarum ſpatio & vaſtiſſimi maris interjectu remotus à præſentia veſtræ ſublimitatis. Quid ergo tantæ ſublimitati cum tanta humilitate, ſi non daret mihi fiduciam humilitas Chriſti, in qua, & de qua Reges terræ & omnes populi, principes & judices gloriantur? Ad nos enim uſque pervenit magnificentia & gloria nominis veſtri, quæ longe lateque dilatata eſt ſuper terram. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem ſpirituum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, ut de regno illo ad regnum illius transferamini, cujus regnum, regnum eſt omnium ſæculorum. *Pſal. 144.*

2. Nullis igitur meis meritis præcedentibus audeo mittere ad thronum gloriæ veſtræ præſentium latorem *, juvenem magnæ nobilitatis, ut eum ſacramentis militaribus applicetis, & accingatis ei enſem contra inimicos crucis Chriſti, qui adverſus eum extulerunt caput. Et juveni quidem ſublimium patebat aditus curiarum: ſed altiori conſilio mittimus ad illius imperii veſtri gloriam ſingularem, ut memor ſit omnibus diebus vitæ ſuæ, à quo militaris diſciplinæ dignitatem ſuſceperit. Nequaquam autem has iviſſem in preces, niſi Chriſtus eſſet in cauſa; pro quo tantum viæ pariter & laboris aſſumpſit. Quicquid illi, vel pro illo feceritis, mihi factum eſt.

** Henricum filium Comitis Theobaldi, de quo infra.*

3. De cetero, glorioſiſſime Imperator, nunc opus eſt oſtendendi & extendendi abundantiam ſuavitatis veſtræ. Commota eſt & contremuit terra, quia Rex cæli perdidit terram ſuam, terram ubi ſteterunt pedes ejus. Prope eſt enim ut irruant inimici Domini in civitatem ſuam, etiam in illud glorioſum ſepulcrum, ubi virgineus flos Mariæ linteis & aromatibus conditus eſt, unde & reſurrexit ille primus & maximus flos qui apparuit in terra noſtra. Propterea ad præceptum domini Papæ *, & ad qualemcumque exhortationem noſtram Francorum Rex * & innumerabilis multitudo Principum, militum, populorum, tranſitura eſt per fines veſtros ad civitatem Dei viventis. Veſtrum erit eos honorifice ſuſcipere, & agendum nunc pro loco quem tenetis, pro poteſtate quam accepiſtis, pro dignitate qua polletis, pro divitiis quibus abundatis; quod conveniat imperiali excellentiæ, honori perſonæ veſtræ, & ſaluti animæ veſtræ in æternum, & in ſæculum ſæculi. Inter quos & ante quos filium * Comitis Theobaldi illuſtriſſimi Principis vobis ſollicitius commendamus, non tamquam unum de ceteris, ſed præ ceteris unum. Juvenis eſt, nobilis eſt, bonæ indolis eſt, & primitias ſuæ militiæ, non malitiæ, ſed juſtitiæ conſecravit: filius etiam eſt hominis illius, qui propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam diligitur & honoratur inter Principes terræ. Pro his omnibus vos participem facimus omnium beneficiorum, quæ in domo noſtra fiunt & fient, ut vos faciat victorioſum in terris, in cælis glorioſum, ſponſus Eccleſiæ, filius Mariæ, Dominus Deus noſter.

V. epiſt. 363. · ** Eugenii III* · ** Lud. VII.* · ** Henricum, ad quem epiſtola 279. V. epiſt. 353.* · *Suffragiorum partem pollicetur.*

Ad Lucanum [a] Epiſcopum, in perſona D. Claræ-vallenſis.

EPISTOLA CCCCXXV.

Incitativa ad fortitudinem.

Venerabili domino Lucano Epiſcopo, Bernardus in luce vivere, & in luce mori.

1. POſitus eſtis in ſublimi loco, & opus eſt ſublimi animo, qui vos doceat: quia cathedra, quam accepiſtis, oneris eſt, non honoris; operis, non nominis; virtutum denique, non divitiarum. Sic enim ait illa cæleſtis fiſtula, de cujus & in cujus pectore verbum Domini perſonabat: *Si quis*, inquit, *epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Opus, non dignitatem. *1. Tim. 3. 1.*

[a] Exiſtimamus hunc eſſe Lucanum ſeu Lucenſem in Italia epiſcopum, qui Petrum Lombardum Bernardo commendavit, ſupra in epiſtola 410. Ubertum ſeu Gregorium, quorum ille anno 1140 hic anno 1146. electus eſt, teſtante Ughello in Italiæ ſacræ tomo 2.

** Hæc de verbo ex epiſt. 42.*

Quia * ergo manum veſtram miſiſtis ad fortia, opus eſt vobis fortitudine: quia ſpeculator domui Iſrael facti eſtis, opus eſt prudentia: opus eſt aurea temperantiæ mediocritate, quia ſapientibus & inſipientibus debitor eſtis. Porro in conſummationem virtutum, juſtitia veſtiri vos oportet, qua unicuique reddetur quod ſuum eſt, dicente Scriptura: *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.* Felix hæc quadriga, & auriga ejus beatus: qui in humilitatis temone præſidens, virtutum rotas ad ductum & conductum ipſius inclinat.

Humilitatis excellentia.

2. Humilitas virtutum magiſtra, ſingularis filia ſummi Regis, à ſummo cælo cum cælorum Domino deſcendens, in cæleſtibus animis æternam poſuit manſionem. Sine humilitate per prudentiam eligere quod diligendum eſt, ſicut Sapiens ait, erronea diſcretio eſt: adverſa per fortitudinem ſuperare, tacens victoria: illecebris per temperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas: operibus juſtitiæ inſiſtere, palliata ſuperbia. Sola eſt humilitas quæ virtutes beatificat, & perennat: quæ vim facit regno cælorum, quæ Dominum majeſtatis humiliavit uſque ad mortem, mortem autem crucis. Verbum enim Dei in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſcenderet, prior humilitas invitavit; veritas, qua ſe promiſerat venturum, compulit; puritas uteri virginalis ſuſcepit: ſalva Virginis integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia animavit, caritas verbis & miraculis manifeſtavit. Hæc in corde Pontificis alta radice radicari debet, atque fundari: qua cedente, omnis conventus virtutum vel opprimitur, vel ſuccumbit. Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Non erat quidem meum docere Epiſcopum: ſed amicum admonere, & meum eſt, & omnium qui noverunt veritatem caritatis. Reliqua vobis communis filius illic plenius & planius viva voce referet. Neque enim litteris committendum, quod etſi quoſdam docere, quibuſdam tamen nocere potuiſſet.

Quænam virtutes Verbi Incarnationem promoverunt.

S. Bernardi Charta ſeu

Ann. Chr. MCXLV.

EPISTOLA CCCCXXVI*.

Compoſitio facta inter Hugonem Epiſcopum, & VVillelmum comitem Antiſiodorenſem.

1. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bernardus Claræ-vallis vocatus abbas. Cognita, quæ inter Hugonem epiſcopum Autiſiodorenſem & Willelmum comitem Nivernenſem emerſerat diſcordia pro quibuſdam querelis, quæ inter eos agebantur, Autiſiodorum veni, & pari amborum conſenſu & voluntate querelas illas ad concordiam redactas feci terminari hoc modo. In boſco, qui dicitur Brueria * Epiſcopi, facient communiter Epiſcopus & Comes haiam, factamque communiter cuſtodient: ita quod ſinguli ſingulos miniſtros ejus cuſtodiæ deputabunt, & uterque ab ambobus fidelitatem excipiet; eritque in ſacramento eorum, quod nullus homo ſive animal in haia per occaſionem capiatur. Forifacta haiæ communiter percipientur: quæ etiam forifacta hac ratione determinantur. Porcus, ovis, vaccæ, cum laſcivientes fugiunt tauros, ſi in ea deprehenſæ fuerint, nihil emendabunt. Boves, vaccæ, equi, aſini, capreæ & ſimilia animalia, ſi ſine cuſtode in ea inventa fuerint, pro ſingulis ſinguli denarii perſolventur. Si cuſtos affuerit, tres ſolidos pro ſe emendabit. Pro pecudibus nihil exigetur. Si homo ligna cædens in ea inventus fuerit, quindecim ſolidis emendabit; incendium faciens ſexaginta. Itaque prædicta forifacta haiæ numquam excedent prænominatas ſummas. Haia non extendetur in latum ultra quadraginta perticas arpennales. Si autem eamdem haiam contigerit aliquando, ſeu vetuſtate, ſeu aliqua occaſione, ad id devenire ut non ſit; ſi eam ſimul ibidem reparare voluerint, licebit. quod ſi noluerint, terra remanens, ſive culta ſit, ſive inculta, ad dominium Epiſcopi revertetur. Omnia alia forifacta, quæ extra haiam fient ſine parte Comitis, Epiſcopi ſunt.

** La Bruiere.*

2. Statutum eſt de Clericis, ut omnino à poteſtate Comitis liberi & immunes exſiſtant: ita quod nec aliquid juris vel dominationis in eos ex aliqua occaſione Comes exercebit, nec rebus eorum, ubicumque ſint, manum aliquo modo mittere ſibi, vel alicui miniſtrorum ſuorum licebit. Quod ſi in aperto latrocinii forifacto clericus fuerit deprehenſus, abſque omni clericalis Ordinis injuria ſeu indignitate Epiſcopo, vel ejus miniſtris reddetur: ac deinceps, ſiquidem contra ipſum à Comite vel ejus miniſtris aut hominibus expoſtulabitur; Epiſcopus eis, quantum jus & ratio dictaverit, de eodem faciet ſatis.

3. Teloneum civitatis & ſuborbiorum ejus, quia Epiſcopo & Comiti commune eſſe conſtat, ſi aliquod forifactum inde commiſſum fuerit, Epiſcopus capitale ſuum per ſe recipiet, cum ea lege qua quiſque vivit: & Comes pro forifacto ſexaginta ſolidos. Si telonearius Comitis, ſeu aliquis clientum, primus ceperit eum, qui capitale Epiſcopi abſtulit, capitale ſuum cum ea lege Epiſcopo reddere faciet: & ſi per ejus incuriam cum eodem capitali evaſerit, ipſe pro illo Epiſcopo de capitali & lege reſpondebit.

4. Servientes Epiſcopi, & quotquot erunt de familia ejus, numquam juſtitiabunt ſe per Comitem. Omnia forifacta clauſtrorum, videlicet clauſtri ſancti Stephani, & clauſtri ſanctæ Mariæ, & clauſtri ſancti Euſebii, & ſancti Petri, & ſancti Amatoris, & ea quæ clauſtris continentur, juris epiſcopalis ſunt, nec aliquam in eis exercere poterit Comes poteſtatem, nec pro aliquo forifacto cujuſlibet hominis res, quæ in clauſtris ſunt, in ſuam transferet poteſtatem. Si aliquis laicus deprehenſus fuerit in clauſtris in latrocinio, cum una quacomque veſte ſua pro juſtitia facienda Comiti reddetur. Extra clauſtra autem quicumque laici latrones deprehenſi fuerint, & ipſi & res eorum Comitis ſunt, exceptis illis rebus, quæ in clauſtris nominatis continentur, quæ proprie ad epiſcopum pertinent.

5. De terris cenſualibus manifeſtum eſt, quod numquam licet Comiti vel homini ſuo eas, quæ de fundo ſunt Epiſcopi, acquirere, niſi per Epiſcopum, nec etiam aliquam decimam. Bannum Comitis obſervabunt tribus diebus omnes, tam clerici, quam laici, qui in clauſtris morantur: quibus tranſactis, libere vendent. Si Epiſcopus vinum aut annonam comparaverit, nihil gellagii, vel alterius conſuetudinis ab eo exigetur. Epiſcopus ſervientes & homines Comitis, tam per ſe, quam eccleſiaſticos miniſtros, pro chriſtianitate ſubmonebit, & juſtificabunt ſe per eum.

6. Domus Comitis & munitiones caſtrorum, quæ ipſe dignoſcitur tenere ab Epiſcopo, ſcilicet Caſtri-novi, ſancti Salvatoris, Conadæ, Mailliaci, tradentur Epiſcopo ad ejus beneplacitum: ita tamen quod eo diſcedente, Comiti vel miniſterialibus ejus cum integritate reſtituentur. In boſcis Comitis Epiſcopus accipiet neceſſaria ſibi & eccleſiæ ſancti Stephani.

7. Dictum eſt & conceſſum de canonicis ſancti Stephani, quod in boſco de *Thul* uſuarium ſuum plenarie habebunt. Cognitum eſt & à Comite conceſſum, quod non licet ei Autiſiodori aliquam mutationem vel innovationem facere abſque licentia Epiſcopi, de cujus feodo recognoſcit ſe tenere quicquid habet Autiſiodori & in circuitu ejus, præter hoc quod continetur infra muros urbis extra clauſtrum, quod tenet de domino Rege; & præter feodum Ducis ultra pontem.

8. Comes res Epiſcopi cuſtodire debet ut ſuas proprias. Si aliquis de poteſtate ejus aliquid de rebus Epiſcopi aut hominum ſuorum ceperit, Comes reddi faciet, aut de ſuo recompenſabit. Ad molendinos Epiſcopi de Regio-anne * tale debet eſſe bocbellum, quod quidem navibus aſcendentibus & deſcendentibus pervium ſit. De illis qui piſces vendunt, Comes habet quatuor creditatorios, in quibus Epiſcopus nihil accipit. Si ad alios telonearius Epiſcopi primus advenerit & primus barguinaverit, tantum accipiet, quantum curia Epiſcopi neceſſe habebit. Et idem telonearius Comitis faciet: ſi pariter venerint, pariter accipient,

** Regenne.*

quod invenerint. Similiter in aliis victualibus facient. Creditariam habet Epiſcopus in omnibus victualibus quadraginta diebus exinde : donec reddiderit, ab eis, quibus debetur, nihil ei credetur.

9. Statutum eſt de mercatoribus qui vendunt in domibus ſuis, quod à quindecim in quindecim dies, vel à menſe in menſem, teloneario Epiſcopi ventas reddent, ſi quæſitæ ab eis fuerint. In nundinis libertatis calendarum Maiarum, telonei & ventarum duæ ſunt partes Epiſcopi, tertia Comitis. Illique qui hos redditus recipiunt, fidelitatem Epiſcopo & Comiti facient.

10. Epiſcopus in vineis ſuis propriis, & in cenſualibus, ſi illi voluerint quorum ſunt vineæ, cuſtodiam ponet: ſi noluerint, non cogentur. Comes faciet ſimiliter in Brueria tota, cujuſcumque fundus ſit aut poſſeſſio, Epiſcopi & Comitis venatio communis eſt, & foriſfacta ad venationem pertinentia. Actum Autiſiodori anno ab Incarnatione Domini MCXLV. epiſcopatus Eugenii Papæ III. primo. Huic rei interfuerunt abbates Stephanus Regniacenſis, Guido de Caro-loco, Balduinus de Caſtellione. Gauffridus de Rupibus. Raynaudus archidiaconus. Gauffridus cantor. Hugo decanus Meldenſis. Andreas de Baldement, Landricus, Bernardus, Hugo de Caſtro-cenſurii *. Hugo de Tociaco † presbyteri. Gaufridus cellarius, Magiſter Anſelmus, Guido de Bichiaco, Stephanus de ſancto Germano, canonici. Milites, Guillelmus filius ſupra ſcripti Comitis, Hugo de Tilio, Humbertus de ſancto Germano, Siguinus de Tornella, Odo de Tociaco, Humbaudus Tortus. Servientes, Robertus præpoſitus Comitis, Humbaudus piſtor, Erueus præpoſitus Epiſcopi, Olannus cellarius, & alii quamplures, hinc & inde [a].

* Pleſſetum-[illegible] † Torcy

GAUFRIDI epiſcopi Carnotenſis ad Stephanum epiſcopum Pariſienſem.

Circ. ann. MCXXVI.

EPISTOLA CCCCXXVII.

De pace inter ipſum & Stephanum de Garlanda.

DE reformanda pace inter vos & Stephanum de Garlanda, dudum vobis, ipſo petente, locuti fuimus. Nunc autem, quoniam audivimus, quod omiſſis quibuſdam quæ adverſum vos videbatur habere, pacem veſtram deſiderat; ſanctitatis veſtræ diſcretioni conſuluimus (quem ex cordis affectu diligimus, & cui conſulere niſi quod honori veſtro ſerviet non poſſumus:) conſulimus, inquam, & petimus, ut diem ei competentem & terminum conſtituatis, in quo, juxta conſiderationem rationis, pacem cum eo reformetis, quam offert vobis ad cognitionem & examinationem amicorum veſtrorum, videlicet Abbatis de Clara-valle. Non enim decet paternitatem veſtram oblatam pacem reſpuere, quam etiam non oblatam modis omnibus provocare debetis. Nam juxta Domini Salvatoris exemplum, ovem errantem debetis requirere, & ad pacis ovile veſtris etiam humeris reportare. Si cum omnibus hominibus, ſicut dicit Apoſtolus, pacem debemus habere: quanto magis cum his, de quibus nos oportet Domino reſpondere? Unde, quod abſit, ſi prædicti viri ſatisfactionem ex amicorum ſententia non recipitis, certum eſt quod & apud Deum offenſam incurritis, & amicis veſtris ruborem incutitis. Valete.

B. ad S. BERNARDUM [b].

a Nova.

EPISTOLA CCCCXXVIII [a].

De indiſciplinato monacho agit.

Dilectiſſimo Patri BERNARDO, Dei gratia Claræ-vallenſis abbati, frater B. ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam, terram fluentem lac & mel.

1. INjurias meas decreveram operire ſilentio, niſi quia dignum duxi, veritate mendacium prævenire. Quoties, & quàm proterve frater R. intus & extra monaſterium mecum contenderit, quot & quanta ſcandala ſciens & prudens coram puſillo grege poſuerit, quàm erecta cervice, & extento collo regulari diſciplinæ & conſuetudinibus ſe oppoſuerit; teſtis eſt ille, qui laborem & dolorem conſiderat; teſtis eſt tota congregatio fratrum, in quorum auribus & oculis effuſa eſt contentio ejus; teſtis eſt & ſua ipſius conſcientia, etiamſi aliud lingua loquatur. Gratias ago Deo meo, quoniam, quantum ad injuriam meam pertinet, ſi aliqua fuit, ab ipſo fuit patientia mea. Audivi multa verba, quæ non licet monacho loqui; & factus ſum, ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Rogabam hominem multis precibus & ſecreto, & publice, & ſolus, & cum aliis; ut parceret & ſibi, & nobis: ut conſcientiæ ſuæ miſereretur, pariter & famæ noſtræ in terra aliena, ne tam nova plantatio aliquo turbine commoveretur. Arguebam, obſecrabam, increpabam, miſcens terroribus blandimenta, ne poneret nos ſubſannationem, & deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt. Vulneribus ſemivivi noſtri vinum pariter infudi & oleum; ſed inſanabilis fuit dolor.

2. Cum jam pæne omnia correptionis argumenta conſumpta eſſent, nec vulnus veniret ad cicatricem; timui ne ſcabies & putredo unius membri reliquas partes corporis occuparet. Sed quia verebar opera mea, diu ſuperſedi, metuens ne ille, qui in angelum lucis transfiguraverat ſe, ad injuriarum ultionem mearum, ſub zelo juſtitiæ & amore Ordinis me provocaret. Invocato ergo in auxilium Domino, ne me pateretur declinare ad dexteram vel ad ſiniſtram; homini ſuperbo & contumaci indixi, ne pſalmum vel antiphonam imponeret, donec emendaſſet illud, quod adverſus filios matris ſuæ ponebat ſcandalum. In omnibus his non eſt averſus furor ejus, ſed manus ejus extenta. Nam qui prius nolebat cantare rogatus, prohibitus cantabat antiphonas: impoſuit, & locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. In craſtino ſuſpendi hominem à menſa. Cumque aſcendiſſet ex adverſo, & oppoſitus mihi in altera parte Capituli facie ad faciem plurima intorſiſſet verba præcipitationis; reſpondi breviter: Si quis vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Et ſic evaſi manus ejus. Indignatus graviter (quoniam & me novitium, & ſe inveteratum in Ordine prædicabat) de clauſtro exſilivit: & egreſſus portam monaſterii, receſſit ſolus. quippe quem non amor propagandi Ordinis, ſed, ſicut ipſe impudenter Abbati confeſſus eſt, ad contemplationem ſui Roma pertraxerat. Videat Deus, & judicet: quoniam, quantum in ipſo fuit, fœtere fecit Ordinem noſtrum, coram abbate, & coram ſervis ejus.

HUGONIS METELLI ad Bernardum.

EPISTOLA CCCCXXIX.

In qua ejus laudes fuſe proſequitur.

1. REverendo & in Chriſto benedicto patri BERNARDO abbati Claræ-vallis, clariſſimæ lampadi, HUGO METELLUS, quondam nugigerulus, nunc crucis Chriſti bajulus, introire in ſanctuarium ſacræ Scripturæ, & fragmenta illius ne pereant colligere, & à frigido lapide interiorem excutere. Oleum effuſum nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis clariſſimi tui, longe lateque diffuſa, uſque ad fines terræ pertranſiit, ſuaviſſimoque ſuo odore mare & aridam recreavit, plurimoſque ad locum unde ſpirat pertraxit, quia tracti per odorem, ex ipſo aromate guſtaverunt ſalutiferum ſapo-

a Eamdem controverſiam inter Alanum epiſcopum & VVillelmum comitem denuo recrudeſcentem compoſuit Godefridus, epiſcopus quondam Lingonenſis, cum privatus degens apud Claram vallem, id eſt anno 1164. ſtatuitque, ut quicquid inter Hugonem epiſcopum & Guillelmum de Carruſia comitem, *ſancta memoria Bernardus Claræ-vallis abbas compoſuit*, inviolabiliter obſervarent.

b Haud dubie Bernardi, qui abbas fuit ad S. Anaſtaſium propè Romam, de qua in fine epiſtolæ. Ejuſdem ſunt epiſtolæ 343. & 344.

rem; & quos ſapor ſtygius infecerat, immo fœtor acheruntis defecerat & dehominaverat, guſtu nectareo reformati ſunt. Oleum effuſum vita tua. Vita tua clariſſima lampas eſt, quæ lucendo ardet, & ardendo lucet. Ardet ſibi, lucet alteri. Vita tua lampas eſt, quæ non tantum vicinat, ſed etiam illuminat remota. Converſatio enim tua ſparſo lumine rutilans, non incluſa, ſed excluſa; non confuſa, ſed modeſte effuſa, exemplo bono tenebras illuminat, lucem miniſtrat, montes humiliat, irradiat, valles implet & illuſtrat. Tu es etiam carbo ardens, qui carbones extinctos accendis de vicino bonæ converſationis tuæ ſufflatorio. Totus enim vitæ tuæ curſus exemplo bene vivendi plurimos informat, deformia reformat, exintegrata redintegrat, excruſtata conſolidat, & non in tenebris, ſed in conſpectu Solis, odorem ſuavitatis dans, aromatizat.

2. Oleum effuſum verbum tuum. Talentum tibi creditum, talentum inquam loquendi & perſuadendi, non includis, ſed menſura excludis. Verba tua igne caritatis vaporantur, & nectare manſuetudinis dulcorantur. Lingua tua calamus eſt ſcribæ velociter ſcribentis. Lingua tua, lingua venefici ſapienter incantantis. Lingua nova, nova, inquam, lingua loqueris, dum myſteria ſacra inſonas, dum laudes Conditoris perſonas. Sub lingua tua nova & vetera, corpus & umbra. Sub lingua tua gratia & lex, non legis examinata fæx. Sub lingua tua lac & mel, non dolus, non fel. Lingua favus eſt diſtillans mel. Non aerem incaſſum verberas, non inutilia tractas. Non digito loqueris, non pede ſtrepis: omnia cum manſuetudine componis. In peculio enim tuo lupus accubat cum agno, pardus cum hœdo, & puer parvulus minat eos. Oleum effuſum verbum tuum. Lex clementiæ in verbo tuo eſt. Dum prædicas miſericordiam, lapſis indulgentiam, deſolatis ſolatium, deſperatis, ſpem & conſilium, effundis oleum. Dum agoniſtas in palæſtra Dei deſudantes, nimioque labori ſuccumbentes, eloquio mellito recreas, fonte lacteo potas, ſermone dulci ungis, oleum fundis. Verbum tuum ſtillicidium eſt, in quo lætatur germinans. Torrens inebrians eſt, germina multiplicans. Dum examine diſcretionis honeſtum ab inhoneſto, utile ab inutili ſegregas, oleum in torculari ab amurca eliquas, paleam in ventilabro à grano ſeparas. Dum ſpiritualem ſenſum in littera ſcrutaris, oleum prelo rationis à theca, qua latebat, elicis. Oleum aqua mixtum ſupereminet: & ſpiritualis ſenſus, quem inquiris, litterali ſupereminet. Oleum vino mixtum ſuperiorem petit locum; & miſericordia, quam prædicas, ſuperexaltat judicium, &c.

3. Dum lego ſcripta tua, ipſa voce ſua mihi loquuntur, ipſa ſalutaria monita proſequuntur: ſed non mihi obſecundant, non me ſatiant. Ipſe loquaris, ipſe oſculo oris tui me oſculeris. Revelata facie te volo videre, non per ſpeculum in ænigmate. Ipſe me oſculeris, non ore tuo, jungendo labia labiis, quia indignus ſum, ſed oſculo; non oſculo ſcriptorum tuorum, non prædicantium de te bonum: ſed oſculo oris tui, id eſt mellito eloquio procedente ex oro tuo jocundo. Loquendo enim & exhortando trahes me poſt te: trahes, inquam, non invitum, ſed ſpontaneum. Spontaneum, quia etſi difficile ſit ire poſt te; ſi caucaſus & parnaſſus alpeſque ſint inter me & te: tamen odor boni trahit me poſt te. Tractus curram in odore unguentorum tuorum, ut per odorem perveniam ad ſaporem. Introduces enim me in cellaria tua, ubi ſunt diverſi generis fercula, & diverſis ſpeciebus condita pocula: quibus ſaginatus, quibus debriatus, introducar in æterni Regis cubiculum, ubi gaudeam in ſempiternum. Dixi curram poſt te, ſed non ad te: quia nondum deliberavi apud me, angelicum habitum candidorum Nazareorum pro alio habitu mutare. Bonum eſt mihi ſic eſſe, &c Quæ ſuperius dixi, Pater venerande, ad te, & de te, & propter te, dixi ſpecialiter: jam calamum laxo, & alios tecum ad audiendum ea quæ dicam invito: in quibus errata mea reprehendo, & miſeriam mundi deploro, precumque tuarum levamen appello, &c.

Ejuſdem Hugonis Metelli ad S. Bernardum.

EPISTOLA CCCCXXX.

Se ſuoſque ab accuſatione purgare conatur.

1. BERNARDO Claræ-vallis abbati sereniſſimo, & in Chriſto benedicto, HUGO METELLUS, quondam domeſticus Ariſtotelis, nunc ſervus Chriſti, aſcendere de Jericho in Jeruſalem. Pingueſcunt ſpecioſa deſerti, & Clara-vallis abundat frumento, quo paſcitur pardus cum agno, leo cum vitulo: à quibus regnum cælorum vim patitur, a quibus Domino Deo abominationes Ægyptiorum immolantur: ubi beſtiæ fiunt homines, & in hominis natura fiunt converſationes angelicæ. Adjiciat Claræ-valli larga Dei dextera pluribus pluriora, & de clara faciat clariorem, de clariori clariſſimam. Felix conventus, felix concentus, ubi non flat aquilo ventus terras exurens, ſed pluvius auſter areolas aromatum nutriens.

2. Mittimus vobis, Pater venerande, abbatem noſtrum ad videndum, ad colloquendum, ad ædificandum. Videre enim faciem veſtram angelicam jocundum eſt, colloqui jocundius eſt, ædificari jocundiſſimum eſt. Mittimus vobis hominem innocentem, plenum melle, ſine felle. Plus enim habet mellis quam fellis, plus amoris quam horroris; ſimpliciter prudentem & prudenter ſimplicem; turturem cum caſtitate, & columbam cum ſimplicitate.

3. Relatum eſt nobis, Pater reverende, relatum eſſe vobis, quod clauſtrum quod claudit nos, paucos vel nullos clauderet religioſos. Si relator veſter retulit, nullos, falſi prolocutor fuit: ſi paucos retulit, verum dicit, & mecum ſentit. Nos enim pauci ſumus. Si vero non ita intellexit, ſed de numero paucorum paucos ſeparat, & ad ſiniſtram collocat, non eſt mirabile, etſi ſit miſerabile. Ut enim quæ fiunt in præſentiarum taceamus, & priora tempora ad memoriam reducamus, arca beati Noe munda & immunda animalia in ſinu ſuo collocavit. Domus patriarchæ bonum unum, & alterum reprobum habuit. Ad ultimum ſchola Chriſti undecim ſanæ mentis collegit, unumque phreneticum inter alios ſuſtinuit, alioſque diſcipulos habuit, quorum nomina ſecundum præſentem juſtitiam in libro vitæ dixit eſſe ſcripta, quæ ab eodem libro ſecundum Dei præſcientiam erant abraſa. Clauſtrum etiam cæli ſuperbia aſcendit, de quo cum dedecore corruit. Si, inquam, relator veſter improbus paucos reprobos de numero proborum ſegregat, videat ille, provideat ille, quo oculo dicat. Quod ſi caligat, lippientem oculum tergat, & collyrio inungat, ut clarius videat, nec in malis alterius ita acuta perſpiciat, ut aquila vel epidaurius ſerpens; ſua vero lippis & inunctis ocellis intuens. Non eſt tutum in ambiguis offendere Deum aut proximum, & judicare alterius ſervum. Scio enim qui dicit: *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? ſuo domino ſtat, aut cadit.* Noli itaque, Pater, noli omni ſpiritui credere, nec claudat oculum tuum lingua adulantium & lippientium, nec impinguet caput tuum peccatoris oleum. Quærunt namque gratiam tuam & gloriam ſuam ſuper aliorum excogitatam offenſam. Credo ego te, Pater, habere gratiam ſpirituum, & effundere in terram venditoris oleum. Hi tales curſores, alienarum cogitationum ſunt diſpunctores, verborum & ſyllabarum venatores. Hi tales figuram oculorum tenent, qui alios vident, ſe non vident. Quia vero in humana natura una perfectio eſt, cognoſcere ſe imperfectum: (Si enim dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis:) optimus ille eſt, qui urgetur minimis. Memini quemdam prudentem dixiſſe, & dictum memorabile ſcripturæ mandaſſe:
" Non ego, inquit, offendar paucis maculis, ubi plura
" nitent in egregio corpore.

4. Scio, Pater, ſcio, caritate movente, Apoſtolo præeunte, velle te omnes homines ſimiles tui eſſe. Sed

labor difficilis eſt te aſſequi, difficilior te conſequi. A Quemadmodum enim acies exterioris hominis reverberatur intuendo ſphæram Solis, ſic ad intuitum tuarum virtutum obſtupeſcit acies interioris hominis. Condeſcendat itaque ſatur famelico, ſanus infirmo, perfectus imperfecto; & oret ut famelicus ſatietur, & infirmus firmetur, imperfectuſque perficiatur. Omnipotens autem Deus, qui te fecit cum non eſſes, & perfecit cum imperfectus eſſes; omnipotens, inquam, non eſt factus impotens, nec brachium ejus abbreviatum eſt, nec miſericordia ejus attenuata eſt.

Ejuſdem HUGONIS METELLI in perſona abbatis B ſui ad GUILLELMUM abbatem.

EPISTOLA CCCCXXXI.

Excuſat, quod ad Herberti ſui calumnias aliquanto durius reſpondeat.

1. GUILLELMO venerabili & in Chriſto dilecto abbati, SIBRAUNUS humilis abbas ſancti Leonis, de leone rugiente, & ovile Chriſti circumeunte feliciter triumphare. Epiſtolam noſtram devota & dextera manu ſuſcipite, & quicquid in ea exaratum eſt perlegite. Nihil ſalis eſt ibi, amaritudinis nihil; C quod contriſtet ſpiritum veſtrum nihil. Pacificus eſt ad vos ingreſſus noſter: ramum olivæ, non arma fert ſermo noſter. Irritati relationibus quorumdam aſperis, adverſum fratrem noſtrum Herbertum commoti ſumus, quod aſpera & irrita promulgaſſet de nobis; & commoti ſcripſimus in eum aſpera pro aſperioribus. Homines ſiquidem ſumus. Nulli etenim injuriæ ſuæ videntur parvæ: multi etiam eas gravius æquo accepere. Præter ea longe plus irritavit nos Dei noſtri injuria quam noſtra, cujus pactum irritum fecit: quamvis & Dei ſit noſtra, & noſtra Dei. Quia vero irritati, & zelo Dei intrinſecus tacti, aſpera verba in fratrem noſtrum reſperſimus; non ſine ra- D tione, nec ſine auctoritate divinæ paginæ hoc fecimus. Paulus Corinthios, nuper à ſe converſos, duris & ignominioſis verbis contriſtavit, contriſtatos emendavit. Galatas faſcinatos pleno ore pronuntiavit: quos ſi mitius appellaſſet, non emendaſſet, &c.

2. Frater autem Herbertus, ſi tamen frater, non, ut eum decuit, in litteris ſuis me poſt ſe fluvium miſiſſe, qui eum abſorberet, deſcripſit. ut taceam quod me deſpective, ſuppreſſo nomine Abbatis, hominem vocavit. Sagittarium etiam me in eodem ſcripto appellavit, & arcu extento manum meam armavit. quod equidem juxta metaphoram tolerabile eſſet, ſi ſagittas toxicatas me mittere non adjunxiſſet. Par pari retulit, E injuriam ſuam injuria noſtra vindicavit. Certum autem ſit caritati veſtræ, Pater bone, me paterno affectu defectum fratris noſtri plangere, reſurrectionemque ejus expanſo ſinu, manibus expanſis exſpectare. Exſpecto enim ſi quo modo reſipiſcat, ſi quo modo ad cor redeat. Sicut in initio cartulæ meæ prædictavi, ita dictante in fratrem Herbertum aſpera verba effudi, & tam fratrem, quam vos in fratre exaſperavi. Sed quia ira viri juſtitiam Dei non operatur, non accendi omnem iram meam, ſed temperavi, immo extinxi eam, &c.

HAIMONIS [a] archidiaconi Catalaunenſis ad Bernardum.

EPISTOLA CCCCXXXII.

REverendo Patri ac domino B. venerabili Dei gratia Claræ-vallenſi abbati, H. eadem gratia Catalaunenſis eccleſiæ humilis archidiaconus, ante Deum & homines incedere ſine querela. Domine, ecce quem amas, graviter infirmatur. Quartanarius enim eſt. Rogo ergo te, Pater, ut quia magnis æſtuo febribus, magnis me ſanctorum, qui tecum ſunt, juvare digneris orationibus. Scio enim, ſcienter ſcio, quia ſi pronus adoraveris in terram, & tetigeris Dominum Jeſum eo quo ſoles valido orationis tactu, exibit virtus de eo ad ſanandum, & ſtabit ſpiritus ejus, & liquefaciet omnem ægritudinem meam. Bene valeat ſanctitas veſtra in Domino, domine mi, & amantiſſime Pater. Utinam merear conſolationem & reſcriptum de manibus veſtris, & de pane refectionis veſtræ cum benedictione Dei & veſtra accipere.

Ejuſdem ad eumdem,

EPISTOLA CCCCXXXIII.

DOmino Patri ac digne venerando B. Dei gratia Claræ-vallenſi abbati, H. eadem gratia id quod eſt, optimam partem in ſorte ſanctorum. Accepta occaſione de poſtulandis Sermonibus veſtris in Cantico canticorum, ſcribere ad vos, reverende Pater, compulſus ſum. quod quidem ſine cauſa facere non præſumpſiſſem. Quæ enim licentia juveni & indocto mihi, ut aures doctiſſimi ſenis ſollicitem, quem erudivit Dominus Jeſus in doctrina ſua, ſicut erudit homo filium ſuum? Et quis ſum ego, ut Videntem interrogem, cujus oculi in capite ejus? maxime cum puer ſim, & neſciam loqui, puſillus inter fratres meos, & novella plantatio in juventute mea. Abſit, domine mi, abſit à moribus & diſciplina adoleſcentiæ meæ, ut audeam vobis ſine cauſa loqui, nedum quod habeam ad vos litterata colloquia. Verum, ut prædixi, poſtulandi Sermones veſtros nunc ſe ingeſſit occaſio, quos ſæpe per nuntios requirens, opportune inſtiti & importune; nunc quoque litteris improbioribus inſto. Certe ſi eſſem aliquis, nonne merito indigne tuliſſem, quod liber iſte veſter volvitur per ora ſinuſque omnium; me vero ſolum elabitur? Quare hoc, domine mi? forſitan indignum me judicaſtis. Ad quod ego: Si indignum me eſſe ſciebatis & inſufficientem ad intelligendum, quare promittebatis? ſi autem probum ac ſtudioſum, quare differtis? Obſecro, domine, ne differatis ultra promiſſum. Nuntiate & mihi rumores optimos, quos aliis ſparſiſtis de cis ſpiritalibus nuptiis, quibus ſæpe vos paranymphus interfuiſtis. Frangite panem verbi, apponite favum mellis, quem diſtillaverunt manus veſtræ: ut habeam in his diebus jejunii, unde reficiar. Bene valeat ſanctitas veſtra, domine mi Pater, divinarum & humanarum rerum maxime arbiter, magiſter Chriſticolarum, currus Eccleſiæ & auriga ejus.

G. ad S. Bernardum.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

ANN. CHR. MCXLVIII.

F *Ad excuſandum Ambianenſem epiſcopum ab expeditione tranſmarina.*

DUlciſſimo patri & domino B. Dei gratia Claræ-vallenſium abbati, frater G. quod patri filius. Quædam perlata ſunt ad aures domini noſtri Ambianenſis [b]

a Guido, ex decano Laudunenſi electus anno 1142. Catalaunenſis epiſcopus, ſed anno tantum 1144. conſecratus, (de cujus electione vide Bernardi epiſtolas 221. & 224.) ad *ſedem ſuam veniens, quemdam Laudunenſis eccleſiæ juvenem clericum, nomine Haimonem, qui ſecum abierat, mox in ipſo primo conſecrationis ſuæ anno, ſedis ejuſdem archidiaconum fecit.* Quæ verba Hermanni Laudunenſis in lib. 3. de miraculis B. Mariæ cap. 25. intelligenda ſunt de iſto Haimone, cujus epiſtolas duas hic editas à venerabili viro N. à S. Remigio, itidem Catalaunenſi archidiacono, accepimus. Porro idem Haimo poſt Bartholomæum Guidonis ſucceſſorem creatus eſt & ipſe epiſcopus Catalaunenſis anno 1152.

b Theodorici ſcilicet, qui primo fuit monachus cœnobii S. Nicolai in diœceſi Laudunenſi, poſtea vero abbas S. Eligii Noviomenſis, ac demum pontifex Ambianenſis a Samſone Remorum archiepiſcopo conſecratus uno anno poſt conſecrationem Guidonis Catalaunenſis, id eſt anno 1145. ex lib. 3. Hermanni de miraculis S. Mariæ Laudun. cap. 26. Huic epiſtolæ reſpondet ejuſdem Theodorici epiſtola, inter Sugerianas XXIV. ad Sugerium; in qua conteſtatur, ſe ad expeditionem regiam nullatenus ſuſcepiſſe. Ejuſdem eſt etiam epiſtola ibidem XXXIV.

Epiſcopi, quæ admodum terruerunt eum. Homo humilis eſt, & de ſe minima ſentit: ſed quod non credit humilitas, crebri rumores adduxerunt in dubium. Rex, ut dictum eſt ei, vult eum habere ſocium peregrinationis ſuæ, & ſuper hoc habere dicitur aſſenſum domini Papæ. Magna dignitas ſatiſque jocunda, ſi non impoſſibilitas reclamaret. Pauper & infirmus eſt, ita ut nec corpus labori, nec pecunia ſufficiat neceſſitati. Quantum etiam neceſſarius ſit ad reprimendos raptores & protegendos pauperes Chriſti, qui in diœceſi ſua ſunt, norunt ipſi, novimus ipſi, qui rem didicimus. Cogimur itaque caritatis affectu veſtram humiliter interpellare pietatem, ut eum, ſi fieri poteſt, ſuper hoc faciatis excuſatum, conſulens communi eccleſiarum utilitati, gravique compatiens qua vexatur infirmitati. Valete.

SAMSONIS archiepiſcopi Remenſis ad S. Bernardum.

Circ ann. MCLII.

EPISTOLA CCCCXXXV.

De conditione monaſterii Morenſis, diœceſis Langonenſis.

SAMSON Dei gratia Remorum archiepiſcopus, cariſſimo ac præcordiali amico ſuo BARNARDO, Claræ-vallenſis monaſterii venerabili abbati, ſalutem, & in ſanctæ religionis propoſito beatam perſeverantiam. Sanctitatis veſtræ petitionibus debita ſollicitudine annuentes, apud abbatem & canonicos beati Dionyſii multum diuque laboravimus, ut eccleſiam, quæ eſt apud Moras, nobis donarent cum omnibus appendiciis ſuis, ad faciendam ibidem abbatiam Ordinis Claræ-vallenſis. quod quidem vix impetrare potuimus. Ceterum Domino propitiante tandem ipſam eccleſiam cum omnibus appendiciis ſuis nobis donaverunt, ea conditione videlicet, ut ibidem abbatia Claræ-vallenſis Ordinis fieret. Nos itaque eccleſiam illam cum omnibus appendiciis, vobis, & ſanctæ congregationi Claræ-vallenſi concedimus & donamus, ita videlicet, ut ibidem abbatiam Claræ-vallenſis Ordinis abſque longioris moræ obſtaculo faciatis. Valeat ſanctitas veſtra in Domino, & pro nobis, & pro eccleſiis nobis commiſſis jugiter Dominum oret.

HENRICI epiſcopi Trecenſis ad S. BERNARDUM de Bulencuriæ abbatia.

Ann. Chr. MCLII.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

1. VEnerabili & reverendiſſimo patri BERNARDO Claræ-vallenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, ego HENRICUS Trecenſis epiſcopus in perpetuum, ſalutem. Si monaſteriis & eccleſiis in epiſcopatu noſtro conſtitutis curam & vigilantiam ut in melius proficiant adhibemus; ab illo, cui cura eſt de omnibus, ſperamus auxilium, & præmium exſpectamus. In epiſcopatu noſtro quædam eccleſia canonicorum erat, Bulencuria nomine, abbatem habens, canonicos, & converſos, & mulieres; qui omnes voverant propoſitum ſanctitatis: ubi cum penitus diſciplina defeciſſet, regnaret inſolentia, honeſtas deperiſſet; vocatus ab illius loci habitatoribus, qui jam ſeipſos per ſemetipſos ſuſtinere non poterant, adveni. Ibi ab illius loci abbate, & ab omnibus tam canonicis, quam converſis & mulieribus, cum multis precibus rogatus ſum, ut eccleſiam ipſam & omnes poſſeſſiones ejus, quæ jam per ſe ſtare non poterant, Deo & Ordini Ciſtercienſi, ſpecialiter autem venerabili Patri & domui Claræ vallis emendandam & poſſidendam juxta conſuetudinem Ciſtercienſis Ordinis in ſempiternum concederem. Abbas autem prædicti loci in manu noſtra abbatiam dimiſit, & ad opus Claræ-vallenſe reddidit.

2. Videns ergo quia omnipotens Deus tua ſollicitudine, ſapientia, & religione pene totum illuminaverat & correxerat mundum, ipſam eccleſiam Ciſtercienſi Ordini, tuæ paternitati, & Claræ-vallenſi domui cum omnibus poſſeſſionibus ſuis in perpetuum dono: in quibus hæc ſunt quæ nominibus propriis duximus adnotanda, Terram abbatiæ adjacentem, grangiam de Frigido-fonte, Pertam in Roſteria, Pertam-Haymonis, Pertam-ſiccam, Domni-periculum, Bruliam cum omnibus appendiciis & pertinentiis ipſarum grangiarum, & omnia quæ prædicta eccleſia in dominio poſſidebat. Ne autem hoc aliqua temporum vetuſtate, vel alicujus hominis perverſitate aut mutaretur, aut penitus deperiret; ſigilli noſtri munimine confirmavimus. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini MCLII. regnante Ludovico Juniore rege Francorum.

HUGONIS [a] epiſcopi Oſtienſis ad Capitulum Ciſtercienſe.

Ann. Chr. MCLIII.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

De morte Eugenii Papæ III.

AMantiſſimis in Chriſto Patribus, Goſvino Ciſtercienſi, Bernardo Claræ-vallis abbatibus, totique Capitulo Ciſtercienſi ad honorem Dei congregato, HUGO Dei gratia Oſtienſis epiſcopus, unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Sicut ſacra docet auctoritas, omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos fœni. Breves dies hominis ſunt; tranſit homo velut umbra, numquam permanet in eodem ſtatu. Deficit ut fumus, cadit ut folium quod à vento rapitur. Decus Eccleſiæ, pater juſtitiæ, amator religionis & patronus, qui ſuperborum & ſublimium colla propria virtute calcaverat, qui ſuper ſolium David & ſuper regnum ejus ſedebat, ut Eccleſiam ſibi commiſſam, quam ad ſublimem ſtatum reduxerat, confirmaret & corroboraret; Pater, inquam, noſter ac defenſor, felicis memoriæ Papa Eugenius, trabea carnis exutus, VIII. Idus Julii carne immaculatus migravit ad Chriſtum. Exivit Chriſto obviam in aëra, & ſic ſemper cum Domino erit; Agnum ſecuturus quocumque ierit. Cujus exſequiæ præter ſpem omnium, jam fere enim ſenatum adnihilaverat, præter morem conſuetum, ita per biduum ſunt à clero & populo celebratæ, ut jam crederetis regnantem in cælis, qui mortuus ita celebatur in terris. O quantus erat luctus omnium! quanta præcipue lamenta pupillorum & viduarum! jam diceretis eſſe cum Deo, qui ita lamentabatur à populo. Procul dubio ereptus eſt de laqueo venantium: contritus eſt laqueus, & ipſe liberatus eſt: raptus, ut credimus nos qui ejus conſcientiam novimus, uſque ad tertium cælum, non relinquens nos orphanos, ut quidam autumant. Rogabit enim Deum Patrem & Unigenitum cum Spiritu-ſancto qui eſt Deus benedictus in ſæcula, cum quo eſt, pro nobis. Vos autem, de quorum collegio ipſe eſt electus, ut ſederet ſuper principes, & ſolium gloriæ teneret; orate pro eo, conſtituite perpetua beneficia, ut Deus ſibi indulgeat, & corona gloriæ ſibi augeat. Pro bonæ memoriæ fratre noſtro ſimiliter orate: pro nobis vero qui in hac valle miſeriæ, in hac regione diſſimilitudinis, & in medio pravæ nationis remanſimus, & pro eccleſia Romana, quæ ex tam alto gradu tam brevi ſpatio uſque in profundum abyſſi inferni cecidit, nihilo minus rogamus oretis, ne demergatur in profundum hujus magni maris, in quo ſunt reptilia, quorum non eſt numerus. Præterea rogamus obnixe, quatenus, ſi parvitas noſtra quicquam in oculis veſtris poteſt, petitiones quas latores præſentium pro domo ſancti Anaſtaſii, & pro domo Foſſæ-novæ, & pro domo de Caſa-mari vobis facient, benigne & efficaciter exaudiatis. Alioquin ſciatis quod inde magnum ſentitur ſcandalum.

a Is olim monachus Claræ-vallenſis, ad quem plures Bernardi epiſtolæ 287. 290. &c.

BARTHOLOMÆI,

Bartholomæi, ex epiſcopo monachi, ad Samſonem archiepiſcopum Remenſem.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

Circ. ann. MCXLIV

Reddit rationem ſua adminiſtrationis.

1. Venerabili, ſemperque amabili domino Samsoni Remorum archiepiſcopo, & ſub ejus præſentia congregato ſancto conventui, frater Bartholomæus in Fuſciniaco pauper monachus, miſericordiam & veritatem diligentibus. Verecundiæ meæ ſilentium imperat hujus ſancti conventus ſollemnitas: ſed frontem aperit, & ſtimulat ad loquendum in palam imminens famæ meæ periculum. Neque enim diſſimulare poſſum quod multorum vulgavit opinio, quod etiam ad aures domini Papæ volavit. Epiſcopales reditus me detraxiſſe rumor eſt, cui rumori plus juſto credit Laudunenſis Epiſcopus. Meum ergo eſt ſuper eis fateri quod verum eſt: intueri autem quod juſtum eſt, & tueri, veſtrum erit.

2. Laudunenſis ſedes triſtis & mærens erat, cum illuc primum ingreſſus ſum, utpote attrita ſeditionibus, & ignibus concremata. Ipſæ quoque res majoris eccleſiæ afflictæ erant, & tenues reditus. Si illi porrexi manum ut reſurgeret; novit Deus, noverunt & Eccleſiæ filii. Verumtamen nihil eis contuli. quod ad reditus pertinet Epiſcopi, præter porcos, quos vulgo noſtrates verres vocant, quos menſæ epiſcopali perſonæ ſolvebant eccleſiæ. Hos, inquam, ad præbendam canonicorum conceſſi, quoniam illos nec ſine pudore exigere, nec habere ſine moleſtia poteram. Præterea quinque dumtaxat abbatias [a] in noſtra diœceſi reperi, rebus pariter ac religione dilapſas. In his, Domino Deo multiplicante miſericordiam ſuam, & numero, & merito crevit ſanctorum numerus, & poſſeſſio eſt dilatata. Novem [b] inſuper novæ religionis monaſteria paſſim in eadem diœceſi ſunt fundata. Horum in perſonis numerus numerum pæne excedit; horum religio religionis eſt ſpecimen: horum tam multa poſſeſſio eſt, tam multis abunde ſufficiens.

3. Si manum beneficii me porrexiſſe negavero antiquis eccleſiis ut reſurgerent, novellis ut conſurgerent; mentiar. Profui ſane fere eccleſiis omnibus: ſed nec quantum volui, nec quantum debui. Sane Calixtus papa dominum Norbertum, cujus memoria in benedictione eſt, fidei noſtræ commiſit, ut ei locum traderem, ejuſque votis aſſiſterem. Terram igitur ad Epiſcopum pertinentem illi contuli, quæ vix tamen ſufficeret duobus aratris. Hujus pars Verſiniaco eſt poſita; pars apud *Cuſy*, quæ tamem multis jam ab annis inculta & ſterilis jacebat. De his itaque quæ ad epiſcopales pertinebant reditus, nihil amplius me recolo detraxiſſe. Veſtro tamen favore ac conſenſu quidam eccleſiis contulerunt terras, quas à nobis habebant in beneficio: cenſum tamen terrarum & vinagia nulli penitus condonavi.

4. De cetero quid illi ſedi acceſſit commodi aut honoris, nolo homanum procedat judicium. Si quid vero ut homo deliqui, in conſpectu hominum confundi non refugio. Cauſam itaque noſtram vobis, tamquam judicibus allegare, tamquam teſtibus intimare volui: in quibus calumniatorem non timeo verum dicens. Liceat tamen mihi aliud audere apud vos, liceat aliquid humanum loqui. Nihilne ſedi noſtræ titulorum acceſſit & gloriæ, cum tot & tantas parturivit eccleſias, cum tot multiplicaverit regulares perſonas? Cur ergo, ut audio, dominus Laudunenſis [c] ſine teſtibus bellum parat? cur tentat quod forte ei promovere non liceat? Si filios Dei congregavi, ſi ſuſcepi juſtum in nomine juſti; nemo mihi ſuccenſeat: videat alius ne congregata diſperdat. Conſervet vos omnipotens Pater ad honorem ſui nominis, & per vos Eccleſiæ ſuæ religionem & ſanctitatem corroboret.

Turstini [d] archiepiſcopi Eboracenſis ad Willelmum Cantuarienſem pontificem.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

Anno CHR. MCXXXII.

1. Reverendiſſimo, & in chriſtiana caritate domino Willelmo, Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo, apoſtolicæ Sedis Legato, Turstinus eadem gratia archiepiſcopus Eboracenſis, in Chriſto proficere, & numquam deficere exoptat. Eccleſiaſticæ dignitatis ſummus honor eſt cum filiis & optimatibus eccleſiarum inter difficillimos eventus ſumma communicare conſilia. Unde paternitati veſtræ rem inſolitam, quæ inter nos Eboraci nuper contigit, indicare decrevimus, domine venerabilis & egregie Pater. Siquidem notum ſatis ac certum eſt multis, quanta bonitate ac fama enituit virtutis in auribus omnium inſigne cœnobium ſanctæ Mariæ Eboracenſis. Infra paucos namque annos & rebus plurimum excrevit, & numero & religione fratrum laudabiliter abundavit. Verum quia cum opibus virtutes minus vigere, minus conſiſtere haud dubium eſt; aliqui ex fratribus ejuſdem cœnobii ante dimidium ferme annum, divino (ni fallor) inſtinctu permoti, cœperunt de modo ac ſtatu converſationis ſuæ vehementer agitari, & remordente conſcientia, ſicut ipſi teſtantur, multis angoribus æſtuare. Nempe falli ſe pæne metuebant, ſi tantum votom executio digna minime ſequeretur. Unde inæſtimabili horrore dicti fratres Eboracenſes perculſi ſunt, eo quod profeſſionis ſuæ votum in nullis, vel ſaltem minimis in rebus, adimplere viderentur; metuentes ſane ne in vacuum currerent aut cucurriſſent, ſi voti reos tantæ inobedientiæ pœnalis ultio non reprobaret. Facinus namque, vel potius inſaniam videri credebant, ſe portare Regulam beati Benedicti, non ad profectum ſalutis, ſed ad judicium mortis. His igitur permoti prædicti fratres, Priori ſuo, Richardo nomine, mentis ſuæ difficiles æſtus innoteſcere ſtuduerunt, prætendenteſque de tranſgreſſione formidinem, ex voti correctione patrocinium ſupplicabant: ac ne proſperitatis alicujus reſpectu vel adverſitatis timeret auxiliari, per Spiritum Dei, & Chriſti nomen adjurabant. Expavit ipſe de novitate rei: ac licet inter ſuos dulcis fortunæ ſumma facultate vigeret; audito tamen rumore melioris vitæ, perpendit velut intentione cenſoria dubios caſus labentis fortunæ. Interimque brevi, ut res erat, internæ virtutis uſus conſilio, inter hoc & illud ilico diſcrevit decrevitque. Pollicetur non modo auxilium, verum etiam ejuſdem voti fore ſe ſocium. Quid multa? paulo poſt numerus eorum ad tredecim pæne convaluit, qui de corrigendo ſtatu vitæ ſuæ juxta Regulam beati Benedicti, im-

a Nempe S. Vincentii ad urbem, S. Michaëlis in Teraſcia, S. Nicolai in Boſco, B. Mariæ de Novigento, S. Nicolai in Prato, virorum, præter parthenones ſancti Johannis in ipſa urbe, & Aarmiacenſem in eadem diœceſi.

b Hæc enumerat Hermannus Laudunenſis in lib. 3. ſcilicet Præmonſtratenſe, S. Martini in urbe, Teuolienſe, Claræ-fontanenſe, & Caſſiacenſe Ord. Præmonſt. Fuſciniacenſe, Spinetenſe, & Valclarenſe, Ord. Ciſtercienſis, virorum: quibus nonum ad radices montis Laudunenſis adjecit Monſteriolum pro ſanctimonialibus ejuſdem inſtituti: quo uno monaſterio cenſet Hermannus Laudunenſem eccleſiam ceteris debere præferri, quod ante illud nulla hujuſcemodi religionis abbatia feminarum extiterit. Hæ depoſitis omnibus lineis indumentis, inquit idem auctor, atque pelliciis, ſolis tunicis laneis utebantur, & non ſolum nendo vel texendo, ſed etiam in agris fodiendis, ſilvis extirpandis, evellendiſque ſpinis & vepribus, manibus aſſidue laborantes cum ſilentio, ſibi victum quærebant exemplo Claræ-vallenſium monachorum.

c Bartholomæo poſt annos regiminis 38. ſucceſſit anno 1151. Gualterus, ex primo abbate S. Martini in urbe: Gualtero poſt annos tres Gualterus alter, de Mauritania dictus, ex decano eccleſiæ Laudunenſis, qui hanc litem Bartholomæo tum monacho faceſſivit. Quouſque vero lis & controverſia hæc, præſertim adverſus Præmonſtratenſes, qui Bartholomæi beneficia in primis experti fuerant, perducta ſit, intelligitur ex Hadriani Papæ IV. litteris ad Ludovicum Juniorem ſcriptis, quæ in Bibliotheca Præmonſtratenſi reſcruntur.

d De hujus epiſtolæ argumento vide Bernardi epiſtolas 94 & 313. Ad Turſtinum ſcriptæ ſunt epiſtolæ 95. & 319. in quarum priore Bernardus eidem ob hoc factum gratulatur.

mo veritatem Evangelii, contendere proponebant.

2. In vigiliis igitur apoſtolorum Petri & Pauli dilectus frater noſter Richardus Prior, in quo tota pæne monaſterii cura pendebat, ſumpto ſecum Subpriore ſuo Gervaſio, inter ſuos concœnobitales nominato ac religioſo, rem, uti agitabatur, domino abbati ſuo familiariter exponere curavit. Itaque dominus abbas, vir utique pro ſenſu & ingenio ſuo honeſtus ac bonus, nimis autem ſimplex & illiteratus, novi rumoris miraculum exhorruit: antiquos ritus & ſolitas conſuetudines, quas pæne toto orbe generalis multitudo obtinuit, poſſe ſe in locello ſuo mutare negavit. At vero dominus Prior, utpote bene litteratus: Nil rude, inquit, ô pater, aut novum inducere contendimus. Veram & antiquam religionem beati patris noſtri Benedicti, immo etiam antiquiſſimum Evangelium Chriſti, quod omnes religiones & regulas antecedit, aſſumere & totis viribus cum gratia obſervare debemus. Ceterorum monachorum nullos detrahimus, inſtitutionibus eorum non invidemus. Scimus quod in omni loco uni Domino ſervitur, uni Regi militatur; & in foro, & in clauſtro gratia Dei eadem valet. Job etiam fortior exſtitit in ſterquilinio, quam Adam in paradiſo. Denique quidquid beatus Benedictus inſtituit, ita totum Spiritus-ſancti providentia deſtinatum eſt, ut nihil utilius, nihil ſanctius, nihil felicius excogitari poſſet. Cumque ſciret ac prædicaret, quod ſocordia inimica ſit animæ, certa quidem tempora ordinavit lectionis & orationis inſtantiæ, certa quoque tempora labori & induſtriæ: quatenus in altero ſalubriter exerceret animam, in altero carnem, in utroque vero tolleret faſtidium. Hæc quoque ſuperadducit: Scurrilitates, aut verba otioſa, & riſum moventia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum aperire os non permittimus. Et alibi quoque ait: Omni tempore ſilentio debent ſtudere monachi, maxime tamen nocturnis horis. Hoc decretum quam diligenter obſervatum, neminem latet qui noſtras conſuetudines noſſe potuit. Euntibus namque aliis ad eccleſiam poſt collationem, alii recedunt viciſſim ad nugas & inutiles garrulaſque confabulationes. Quaſi non ſufficiat diei malitia ſua, niſi & ſuperaddatur nocti & ſua.

S. Benedict. Reg cap 62.

Ibid. c. 6.

Ibid. c. 42.

3. Multa addidit præterea de ciborum inſolentia, de dulci & ſollemni viciſſitudine potationum, de pretioſa ſubtilitate pannorum. Non ita ſapuit, non ita docuit beatus pater noſter Benedictus. Ab eo quippe non color veſtium, ſed calor attenditur: non ſapor pulmentariorum exquiritur, ſed parcitate ciborum neceſſitas fallitur. Non agnoſcit ſuos beatus Benedictus, niſi ſub Regula & abbate in cœnobiis degentes. Porro ſi libet, ô pater venerabilis, recurramus ad evangelicam puritatem, ad evangelicam perfectionem & pacem: & intueamur, quam nihilum vel parum reluceat in moribus vel actibus noſtris quod docuit Chriſtus. Concupiſcimus omnia, iraſcimur, rixamur: rapimus aliena, repetimus noſtra cum lite, fraudes & mendacia defenſamus, carnem & affectus ejus ſequimur. Nobis vivimus, nobis placemus; vinci formidamus, viciſſe gloriamur; ceteros opprimimus, opprimi devitamus; ceteris invidemus, de noſtris profectibus gloriamur, & jocamur, & ex alienis ſudoribus impinguamur, & totus mundus non ſufficit malitiæ noſtræ. Etſi videatur Evangelium emortuum & impoſſibile in nobis, intueamur monachos Saviniacenſes & Claræ-vallenſes, qui nuper venerunt ad nos, quàm clare reluxit Evangelium in illis, ut, ſi dici fas eſt, utilius ſit eos imitari, quàm Evangelium recitare: cum vero videtur ſancta converſatio eorum, quaſi reviviſcere judicatur Evangelium in illis. Soli ſua non repetunt; ſoli nihil poſſident, unde ſe proximis anteferre contendant. Soli ſunt qui proximorum damnum non appetunt. Modica cultura terræ & uſu pecorum contenti ſunt: ea vero non habere appetunt, niſi quamdio Deus vult: quia cum vult Deus ea auferri, non licita appeterent. Eis, ni fallor, competit dicere: Nobis mundus crucifixus eſt, & nos mundo. Eis competit dicere: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. qui debitorem neminem habent, in quo quidquam exigere velint. Felix hominum genus, quorum habitus, victus, totuſque modus converſationis eorumdem ſapit Evangelium. Illorum portio ſolus eſt Deus. Illi plene, quantum humanæ facultatis eſt, caritatem Dei & proximi implere dignoſcuntur: quia ſoli Deo cohærentes, temporalia cuncta præter modicum & contemptibilem habitum ita plene deſeruerunt, ut nihil concupiſcant, unde proximus ſibi dignetur iraſci. Non igitur, ô Pater, umquam impoſſibile videatur tenere Regulam beati Benedicti: quandoquidem talia Deus nobis miniſtravit exemplaria, qui ſanctis virtutibus præceſſerunt nos, ut ſequamur illos. Si vero propter viciniam & ſtrepitum populorum non omnino valeamus ſequi eorum puritatem; ſaltem modum vitæ & profeſſionis juxta regulam noſtram advertamus, propterea quod non monachi, ſed mortui ſumus.

4. In hunc modum locutus eſt dominus Prior Richardus cum domino Galfrido abbate ſuo de correctione monaſterii ſui. quæ verba dominus abbas non ſatis jucunde accepit: quia difficile eſt diuturnos uſus amovere. Verumtamen cum ſe fateretur minus perſpicacem & illiteratum, rogavit uti ſcripto plenius innoteſceret, qualiter in loco ſuo talia actitari potuiſſent. quod libenter amplectens, non ſegniori ſtudio ſuſceptum implevit imperium. Scripſit igitur, ut non aliis collocutionibus, nec pannis, nec cibariis uterentur, quàm Regula permittere videretur: ſiumque & ordinem monaſterii tam diligenter expreſſit, ut vix melius in eremo, quàm in urbe Regula teneri putaretur. Poſſeſſiones vero, ſicut in rebus ſæcularibus edoctus, ita fideliter ordinavit, quatenus ut in illis evangelicam juſtitiam vix in ullo exceſſiſſe crederetur. De reditibus ſiquidem eccleſiarum vel decimarum, de quarum inveſtitura monachi magis reprehenſibiles haberi ſolent, omnia ſuſcipi & fieri legitima & canonica conſideratione Epiſcoporum, & non niſi in uſus pauperum, peregrinorum, hoſpitumve debere expendi: at vero ex legitima cultura terræ & uſu pecorum monachos victitare decrevit. Quæ cum omnia cœpiſſent inter alios rumore notari, furor ſubitus multitudinis ceterorum in tantam prorupit invidiam, ut tali homini familiaribuſque ſuis nil præter exſilium deputarent, vel diſtrictam cuſtodiam.

5. Tamen poſt multas & amicas altercationes hinc inde habitas, dominus abbas difficiliter ſe poſſe mutare referebat, quod anteceſſores ſui tenuiſſe videbantur: & volens ſuper hac re bonis uti conſiliis, plenam reſponſionem uſque poſt Nativitatem beatæ Mariæ protelavit.

6. Interea ceteri fratres fruſtra metuentes ſe plus ſolito regulari diſtrictione coarctari, cœperunt in invidiam Prioris ceterorumque Phariſaico pæne more graſſari: &, niſi quorumdam benignitate interceſſiſſet dilatio, inteſtinæ perſecutionis modum impetus exceſſiſſet. Interea rumor ſeditionis internæ inter exteriores turbas volitabat. Audiebamus ſane ſtrepitum vulgi; rei tamen ipſa veritas latebat: cum ecce Richardus Prior, conjunctis ſecum Subpriore & Secretario monaſterii ſui, totam rem, uti erat, nobis indicare curavit. Poſtulabant quidem clementiam beati Petri ac noſtram, quatenus ad obſervandum quod voverant, benignam opem non negarem deferre: jamjamque neceſſitatem imminere proclamabant, præſertim quia jam conſpiraverant fratres, ut ſi quis eorum de profeſſione ſua quidquam muſſitaret, extra communionem fieret. De ſociis etiam Prioris, vel timore, vel amore, vel vanitate conterritis, jam ibant retro, non aliter pace reſtituta, niſi culpam fatendo, quod de ſervanda profeſſione ſua quidquam murmuraſſent.

7. Ego igitur Turſtinus, Dei gratia Eboracenſis archiepiſcopus, audiens Chriſti ſervos juxta præceptum beati Benedicti nil amori Chriſti velle præponere; verebar in iis Chriſti gratiam offendere, ſi juſtæ

petitioni eorum non curarem epiſcopali pietate ſubvenire: quippe cujus officii ſumma eſt, & de monachorum religioſa quiete providere, & oppreſſis in neceſſitate condolere. Ac proinde religioſarum perſonarum uſus conſilio, dominum Galfridum abbatem & Richardum Priorem cum Subpriore ſuo ad opportuniorem locum evocavi: quatenus religioſis perſonis & fratrum petitionem, & abbatis reſponſionem in bona pace conſummarem. Ipſi nihil aliud, quàm, ut prius, cum multis lacrymis expetebant, uti pauperem Chriſtum in voluntaria paupertate ſequerentur, & Chriſti crucem in corpore ſuo portarent; itemque evangelicam pacem regulamque beati patris Benedicti plene obſervare non impedirentur. Ad hæc ſane domini abbatis licentiam opemque paternam flagitabant. At vero dominus abbas eorum operam longe fore neceſſariam ſibi lacrymoſe fatebatur, promittens, quod eorum votum, quia ſanctum erat, non impediret; opem vero quam expetebant, neſciente Capitulo ſuo promittere nullam auderet.

8. Itaque dominus abbas cum monachis ſuis revertitur domum, data interim pace ac die conſtituta, qua in Capitulum eorum advenirem, ac religioſis adventantibus perſonis rem cum abbate pertractarem. Interea reliqui fratres in eorum invidiam inſurgere tanto crudelius enitebantur, quanto ipſi votum ſuum explere manifeſtius appetebant. Advocantur interim fratres Majoris-monaſterii, & Cluniacenſes monachi, qui in vicinia noſtra demorantur: quatenus eis præſentibus & acclamantibus, eos, velut communis Ordinis deſertores & violatores, ab omni dignitate & cura monaſterii ſui reprobarent. Poſt abbatem namque in eorum manus ſumma monaſterii cura fuerat delegata. Sed hæc interim. Ego autem die ſtatuta ſummo mane ad Capitulum monachorum venire parabam: & jam oſtii limen pæne calcaveram, venientibus una viris ſapientibus ac religioſis, quorum nomina ſunt hæc: Hugo decanus, Willelmus Prior clericorum regularium de Ciſbarne, Willelmus theſaurarius, Hugo archidiaconus, Serlo canonicus, Aufredus capellanus meus & canonicus, Robertus ſacerdos de hoſpitali. Foris intra portam remanſerunt equi noſtri cum paucis hominibus.

9. Denique introeuntibus nobis, ut dictum eſt, oſtium capituli, occurrit nobis dominus abbas in ipſo oſtio cum monachis, quibus capitulum pleniſſimum erat: & niſi partem clericorum, qui mecum veniebant, amoverem, intrare prohibuit. Vix ergo reſpondere potui, quod cum clericis meis, qui viri boni & ſapientes, & eorum amici erant, ad tantum negotium intrare non deberem, cum ecce totum capitulum tanto ſtrepitu, tanto horrore perſonuit, ut magis ſeditioſus ebriorum & debacchantium hominum fremitus, quàm monachorum humilitas, quæ ibi nulla erat, videretur. Inſurgunt plurimi, & exſertis brachiis velut ad luctandum advolabant: clamabant ſe exituros, ſi ego intrarem. Tum ego: Teſtis, inquam, „ mihi ſit Deus, quod ſicut pater adveniebam, nec „ quidquam mali vobis inferre putaram; pacem tan„ tum inter vos cupiens & chriſtianam fraternita„ tem. Jam vero quia mihi quod epiſcopalis auctorita„ tis & officii eſt auferre conamini, & ego quod veſtræ „ neceſſitatis eſt itidem vobis tollo. Ceſſet igitur eccle„ ſia veſtra. Tum unus eorum, nomine Simeon, Malumus, inquit, centum annis eccleſiam noſtram ceſſare. Cui omnes aſſentientes, voce phrenetica: Capite, inquiunt, capite. Apprehendenteſque Priorem ſociosque ejus, jam trahere incipiebant, volentes eos, ſicut inter ſe conſilium fuerat, aut in carcerem impingere, aut in exſilium agere. Ipſi vero, aliam, qua manus eorum evaderent, ſpem non habentes, me totis ulnis complectuntur, pacem beati Petri & noſtram expetentes. Et ita vix in eccleſiam reverſi ſumus, illis uſque in eccleſiam frementibus, & proclamantibus: Capite rebelles, apprehendite proditores. Aſſedimus itaque in eccleſia, & abbas cum reliquis monachis ſuis revertitur in capitulum ſuum.

10. Interea homines abbatiæ, foribus clauſis & oſtiis aditus, adſtare, velut in inſidiis excubare. Tum nos (ut vera fatear) monachorum impetus metuentes, oſtium eccleſiæ, per quod itur in clauſtrum, intus obſerandum curavimus. Interea rumor evolat, occurrit populus. Nil tamen foris aut dictum, aut actum eſt mali. Cum ergo inter monachos nulla concordia „ fieri potuiſſet, domum revertimus, adducentes nobiſcum prædictos numero duodecim presbyteros, & ſubdiaconum unum: e quibus plures bene litterati, omnes plenam obſervationem Regulæ, ac profeſſionis ſuæ, & Evangelii pariter expetentes. Itaque in domo beati Petri & noſtra hoſpitantur, nulla violentiæ adverſitate à propoſito deterrendi. Fratres autem abbatiæ nihilo minus in eorum ordine debacchantur: abbas neſcio quid acturus iter arripuit.

11. Quocirca paternitatem veſtram per Chriſtum obſecramus, eorum partem, qui ad ſeveriora & arctiora tranſire cupiunt, auctoritate veſtra defenſare velitis. Si vero abbas eorum ad vos venerit, pro veſtra à Deo data auctoritate & ſapientia, in pacem illum reducatis, & ne filiorum ſanctum propoſitum impediat, admoneatis. Quod ſi prævenerit, & receſſit; rogamus, ut per præſentem nuntium litteras illi exhortatorias dirigatis, ne pertinaciter adverſetur illis, immo potius opem conferat & opportunitatem, qui „ Chriſti Evangelio & Regulæ beati Benedicti in veritate cupiunt obedire. Debet ſaltem abbas & monachi ſui in hac re Ægyptios & Babylonios imitari, qui filios Iſrael in terram promiſſionis permiſerunt utiliter repedare. Laban quoque Jacob, ob ejus obſtinationem clanculum fugientem, poſt crudelem perſecutionem ad patrem redire permiſit. Neque vero deſertores, ſed proviſores cenſendi ſunt, qui locum, ubi peccandi libertas major eſt, relinquentes, tutius Deo famulari deſiderant. Nempe Chriſtus ipſe deterrere eos debet, qui Phariſæos redarguit, eo quòd nec ipſi intrent, nec alios intrare ſinant. Notum ſiquidem omnibus eſt, quod Regula beati Benedicti, toto pæne & communi, ut ita dicam, orbe monachorum, modum ſuum in omnibus prorſus amiſerit & ſtatum. Adeo ut nemo ſatis mirari poteſt, quod quis audet coram Deo & Sanctis ejus promittere cum tanta ſollemnitate, quod ipſe vel quotidie negligit, ſive, ut verius dicam, compellitur non obſervare. Cadit profecto in eos quod ait Propheta: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* (*Iſa* 29. 13.) ut Apoſtolus ait: *Voce confitentur ſe noſcere Deum, factis autem negant.* (*Tit* 1. 16.)

12. Verum fortaſſis quia multi ita faciunt, frequens uſus confert audaciam. Verum, quod dolens enuntio, fallitur, plane fallitur audacia monachorum: quia multitudo peccantium non facit impunitatem ſcelerum. Unde non impediendi, ſed protegendi ſunt qui regulam profeſſionis ſuæ cupiunt obſervare; neque reprehendendi qui idcirco feſtinant locum mutare. Neque enim Deus ex loco, ſed locus eligitur ex Deo. Beatus quoque Benedictus liquido conteſtatur, quod (*S. Bened. Reg. cap* 16.) in omni loco uni Domino Deo ſervitur, uni Regi militatur. In Collationibus Patrum Joſeph eremita ſufficienter ediſſerit, quod ille fidem ſuæ profeſſionis rec- (*Caſſian. coll.* 17.) tius ſervat, qui ſe ad eum locum contulerit, quo dominica fidei præcepta plenius adimplere potuerit. Et quidam: Juvat nos ſanctam opportunitatem appete„ re, qui adjutor eſt in importunitatibus, in tribulatio„ ne. Illi vero (ni fallor) Phariſæi vel hæretici judicandi ſunt, qui nec timent, nec alios timere ſinunt quod Veritas ait: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum aut Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* (*Matth.* 5. 20.) Si enim angelus de cælo evangelizaverit aliter quam evangelizatum eſt, anathema ſit. Aliter enim evangelizat quàm Chriſtus evangelizavit, qui angelicam pacem & regulam ſuæ profeſſionis obſervare cupientes impedire feſtinat. Quicumque vero ille ſit, refellendus ſummopere eſt, cum Veritas dicat: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* (*Ibid. cap.* 5.) Nil

quippe moleſtius læditur, vel cautius obſervatur in corpore, quàm oculus: attamen cum impedit, ſpiritualiter eſt eruendus. Hoc eſt enim prudentem eſſe ſicut ſerpentem, caput totum, id eſt mentem, ſubducere ab omni fallacia, quæ lædit animam.

13. Verumtamen propter ſcandalum infirmorum, qui minus ſapiunt veritatem, rogamus ſanctitatem veſtram, & omnes qui audire voluerint hanc petionem noſtram, quatenus inter abbatem Eboracenſem & ſæpedictos fratres ſtudeatis teſtituere pacem. Poſtremo meminiſſe debemus, quod Moliſmenſium monachorum ſimilis egreſſus Ciſtercienſis vitæ perfectiſſimam normam, quam tota pæne miratur Eccleſia, io primis inſtituit ac fundavit, quorum puritatis ingenium venerabilis memoriæ dominus Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus chriſtiana pietate laudavit, ſanctæ Regulæ renovationem & probatiſſimam integritatem fideliter adoptavit. Atque demum cum ad apoſtolicam notitiam æmulorum querimonia perveniret, domino Urbano Papa ſecundo præſidente, mandatum decretale porrigitur, quatenus ſolo abbate reportato ad regimen abbatiæ ſuæ qui pariter exierat, nemo ceterorum, qui in plena obſervatione Regulæ perſeverare voluiſſet, impedimentum aut moleſtiam aliquam pateretur. Luce vero clarius eſt, quantum in eorum excellentiſſima converſatione totius Evangelii veritas eluceſcit. Prolixo & pæne faſtidioſo ſermone uſi ſumus: quia ſtatus monachorum ceterorum, qui fortaſſis haud placebit, judicio ſane deſignandus eſſe videbatur, ne, ſecus quàm contigit, æmulorum divulgaretur judicio. Valeat in Chriſto ſanctitas veſtra.

FASTREDI abbatis Claræ-vallenſis tertii ad quemdam Ordinis ſui Abbatem.

EPISTOLA CCCCXL.

FASTREDUS indignus ſervus & abbas monachorum Claræ-vallenſium, N. Abbati ſalutem in Jeſu-Chriſto, & ſpiritum majoris evangelicæ paupertatis.

In abbate notantur,

1. Relatu ejus, qui tam animæ veſtræ compatitur, quàm vos corporis appetitibus, notum nobis eſt, quod vos tam Regulæ veſtræ, quàm exempli in monachorum veſtrorum oculis exhibendi obliti, in hoſpitum domo menſam inſtruitis, deſideriis veſtris indulgentes, hoſpitibus deficientibus: & in veſtitu & lectis magis divitem epulonem, quàm pauperem Lazarum imitamini, non recordantes pœnam, quàm Deus hujus vitæ felicitatibus innixis minatur. Profecto, Fili & frater, parum refert hoc habitu veſtiri, ut inferno quis demergatur. Alio enim quocumque liberior patet via, & latior, qua ambulare potes. Quandoquidem vero Deus ad hunc te vocavit, io hoc incumbe, ne meritum perdas. Numquam enim intra clauſtrum aut monaſterium decuit is habitus; quoſque ſoles eo veſtire, ea non ſunt qualitate, quam nobis Statura noſtra præſcribunt. Cum enim Monachi etymon ſit ſolitudo & triſtitia, quomodo ſolitario convenire poſſunt veſtimenta ſumptuoſa, & mundi pompam redolentia? Et quomodo triſti quadrant lætitiæ & exſultationis veſtigia? Sufficit, Fili mi, monacho, quod ſancto apoſtolo Paulo ſupererat, ſcilicet comedere quod naturam & vitam ſuſtentare poterat, & veſtimentum, quod corpus tegeret. Qui enim plus petit, potius Phariſæus hypocrita nobis dicetur, qui veſtitu honorem venatur, quàm paupertatis evangelicæ diſcipulus & imitator.

Menſa in domo hoſpitum.

Habitus ornatior.

Cibi præter morem Ordinis.

2. Non hæc vita eſt, quam me & te docuit Pater & prædeceſſor noſter BERNARDUS felicis recordationis; nec modus, quem noſtri ſacri Ordinis Abbates & monachi ſequuntur, qui nos pane ex avena confecto, & herbis ſine oleo & abdomine coctis enutrierunt, & fabis piſiſque, ipſo etiam Paſchatis feſto die: quæ auſteritas, vel ſimilis in omnibus Ordinis domibus obſervatur. Et tu, quaſi hujus Ordinis non fores, cibos tibi procuras delicatos & lautos, ut gulæ facias ſatis? Si Abbas, & tuorum regula & exemplum es, qui audes carnes lautas, piſces recentes, diverſimode paratos, & panem extra monaſterium à mulieribus coctum comedere? Non ſine pudore dico, quod tamen dicendum, quod multi ſunt in via Dei, ſubditi ſuo Abbate, navigantes nauclero, milites duce perfectiores: quodque tuo in monaſterio multi reperiantur, qui eo tempore, quo tu horas noctis cœnis opiparis & ſuperfluis tranſigis, ipſi orationi vacant, & ad expiandas culpas & earum remiſſionem diſciplinas ſumunt. Quàm procul abes, Pater & frater mi, à ſocii noſtri perfectione, qui ipſo novitiatus anno obiit, quemque abſtinentiæ rigor ad finem uſque comitatus eſt! Magna enim nauſea captus, & ovi cocti deſiderio affectus, indicare noluit (ne voluntatis & appetitus negati merito excideret) niſi ultimo vitæ puncto, dumque jam animam ageret, Abbate prius promittente, illum ad hoc deſiderium explendum non adactum iri.

Prælatum ſubditis virtute inferiorem eſſe turpe eſt.

Diſciplinæ.

Novitii cuſpidam rigida & mirabilis abſtinentia.

3. Abbas ergo in Religione, homo ad ejus exemplum ſtatute, ubi eſt tuum meritum tali novitio comparandum? Si Chriſtus prædicaturus jejunat; ſi Elias, ut curru igneo levaretur, jejunat; ſi Ninivitæ excidium ſuum jejunio redimunt; ſi Eſther jejunio populum ſervat, & Aſſueri indignationem ſedat; ſi ſanctus Johannes Baptiſta totam vitam jejunio tranſigit ad viam Evangelio ſternendam, & ſi hac via Sancti inceſſerunt: quam tu tibi viam ad cælum ſternis, tam diverſam viam ingrediens? Gula primorum parentum noſtrorum periit innocentia. Ebrius Noë pudenda detexit, & Loth inceſtum commiſit. Poſtquam comedit, ſurrexit populus, & adoravit vitulum. Amon in convivio occiſus eſt, ibique Holofernes ſe neglexit. Comedens Balthaſar mortis ſuæ prænuntiam vidit ſcripturam. Et in convivio denique præternaturalis illius Miraculi, quo majus inter mulierum natos non ſurrexit, caput oſtentatum eſt.

Jejunii & abſtinentiæ exempla varia.

Gula damna.

4. Quando quidem ergo tot male perierunt, quomodo bene tibi poteſt ſuccedere? In tui excuſationem affers ſtomachi & capitis dolores, quodque communes cibi tibi officiant. Tota erras via, ſi credas monachum ſæcularium medicinas * ſequi poſſe. Ad monaſterium enim venimus, ut corpori incommoditates, & non commoda & voluptates quæramus. Si ſancto Paulo fortitudinem addebat infirmitas, quare domo medium tantorum bonorum & cauſam exturbare niteris? Crede mihi, Pater mi, ſæpius ſanctum Bernardum pultes ex farina confectas, addito oleo & melle, cum ſcrupulo edentem vidi ad ſtomachum calefaciendum. Dumque eum de hac auſteritate accuſarem, mihi reſpondit: Fili mi, ſi Monachi obligationem noſſes, omnis buccella, quam edis, lacrymis irriganda foret. "IN HOC enim MONASTERIUM INTRAMUS, "ut peccata noſtra & populi deploremus; & panem, "quem ſuis laboribus pararunt, comedentes, horum "peccata comedimus, ut ea tamquam propria lugeamus. "Addebatque præterea: Nec ſufficit monacho infirmi"tatem allegare. Sancti enim Patres, majores noſtri, "valles humidas & declives monaſteriis exſtruendis indagabant, ut SÆPE INFIRMI MONACHI, & mortem ante oculos habentes, ſecuri non viverent. Si ergo Sancti ægritudinis media inquirunt, quare tu illa indagas, ut laute habearis? & ſi ipſi medium hoc tantorum bonorum cauſa nobis acceſſunt, qua diſpenſatione tu monaſterii bona, infirmitatis excuſatione in corporis tui commoditates inſumis & prodigis? Major eſt, Frater mi, animæ, quàm corporis tui infirmitas. Si enim illa eſſet in Dei gratia, non tam debile eſſet corpus, nec adeo terrenis deliciis amicum. Emenda ergo & curioſos habitus, & exquiſitas epulas devita. Quamvis enim venam non explorem, novi quo remedio tibi medendum ſit: ſique hæc fraterna & a ſocio profecta admonitio non ſuffecerit, neceſſe erit, ut tamquam Prælatus medicinam adhibeam.

Monachis commoda non quærenda.

** epiſt. 345. & NOTA ibid.*

S. Bernardus quali cibo uſus.

NOTA memorabilem S. Bernardi de monach ſententiam.

PETRI de Roya novitii Claræ-vallenſis ad C. Præpoſitum Noviomenſem.

EPISTOLA CCCCXLI.

Tranſactæ vitæ errores enumerat, & Claræ-vallis optimam laudat inſtitutionem.

1. Dilecto ſuo C. ſanctæ matris eccleſiæ Noviomenſis Præpoſito, forſitan annuali, ſi velit autem cælorum regi futuro in perpetuum, frater PETRUS, per miſericordiam Dei Claræ-vallis novitius, ſalutem in idipſum. Moris eſt amicorum, quos jungit amor Chriſti, ſed locorum ſeparant intervalla, ut cum ſe videre non habeant, nec loqui ſibi facie ad faciem, frequenter tamen pia in Chriſto memoria ſe reſpiciant, ſibique mutuis loquantur affectibus; ſecreta & amica voce cordis ſuper alterutro inquirentes, & profundis apud Deum gemitibus orantes pro invicem. Secundum hanc amoris legem, ni fallor, inquiris & tu aliquando intra temetipſum in ſecreto cordis, quid agatur apud me dilectum tuum; quæ mihi ſit voluntas, quis ſtatus & habitus, quod deſiderium. Et forſitan times amica pietate humeris meis, quos exiguos agnoviſti, & debiles arbitraris ad hujus vitæ, quam elegi, portandum onus, & jugum ſuſtinendum. Dilecte mi, trepidaverunt multi timore, ubi non erat timor. Quia igitur in bono Jeſu me diligis, non te oportet in hujuſcemodi timere. Hæc enim Domini ſunt, cujus jugum ſuave & onus leve. Ego autem cum ſufficiens non ſim ad expendendam multitudinem bonorum, quæ nuntiant animæ meæ per ſingulos dies corporis mei aures & oculi; tamen ad certificandum cor tuum de ſtatu & deſiderio meo, tuæ ſatagam ſignare dilectioni pauca de Clara-valle, de pauperibus Chriſti habitantibus in ea, de ordine & modo vitæ ipſorum, ad quos imitandos fidelibus anhelat ſuſpiriis anima mea.

[Petri vita in ſæculo.] 2. Primo ſiquidem omnium, deſcribam tibi partem aliquam & modum veteris vitæ meæ: modum dico, ſi, ubi raro aut numquam modus fuit, modum poſſim appellare. Volo autem ut id ad profectum tuum in hac deſcriptione diligenter attendas, de quot & quantis mortibus me jam eripuit Salvatoris benignitas, ipſumque glorifices, qui vere quemcumque peccatorem venientem ad ſe non ejicit foras. Si quid vero id me legeris, quod & in te fortuitu deprehendas notabile; tuæ fideliter conſulo fraternitati & ſaluti, ut id ſine mora corrigere feſtines, dum licet, & neſcis quid ſuperventura pariat dies. Ego igitur, dilecte mi, dum eſſem Noviomi, & in feneſtris domus epiſcopalis ſolus mihi ſederem, frequenter etiam tecum, & cum aliis; conſiderata ſæpius domus illius ordinatione, & notata, quæ ſe oculis ingerebat, ejuſdem pulcritudine, heri nova, hodie veteraſcente: memoriam mentis & intuitum ſecreto deferebam ad ordinatiſſimam illam domum ſupercæleſtem, cujus glorioſa, indeterminabilis, & ſemper nova pulcritudo omnem tranſſecudit hominis cogitationem. Ab hujus autem ſemita longe poſitus miſer ego miſerrimum me videbam, qui ſcienter in latitudinem viæ peſſimæ ambulabam. Per quam, niſi cura vigili fugiatur, cito & irregreſſibiliter curritur ad domum longe aliam, domum ſcilicet doloris, domum extremæ & infinitæ turpitudinis, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, & cum verme qui non moritur, ſempiternus ignis. O quam jure igitur ſollicitus cogitabam, ne, ſicut inceperat, me huc pertraheret amor mundi, per cujus ampla & ſtulta deſideria lubricus & inſatiabilis evagabar, adeo ebrius, ut pro viribus & licentia, in nullo meæ carnis reluctarer voluptati; hoc excepto, quod me ſæpe recordabar & moriturum, & ex hujus ſæculi labilibus gaudiis obſtupeſcens penſabam æternorum mirabilia ſæculorum.

3. Dum enim ad menſam domini noſtri Epiſcopi, civem noſtrum, immo & hoſtem meum, in argenteis vaſis, de more, ſuaviter nutrirer, nec inſalubriter quidem, quantum in vaſis erat; dumque mihi manu corporis delectabiles legerem delicias: ſæpe in eiſdem vaſis ſilenter legebam, manu ſcilicet cordis, longe alium cibum. Sed tu, dilecte mi, licet tibi ſatis affiniter recumberem, hunc me legere neſciebas. Quid igitur? numquid dapes quotidie feſtivas, aut inculpabiles ſcutellas redarguo? Numquid liquorem illum, cujus & color blande arridebat oculis, & ſapor dulce in palato reſpondebat, aut ſcyphos accuſo argenteos? Abſit. Non enim cibus erat in vitio, neque potus, neque etiam argentea vaſa: ſed in meo vaſe fictili latebant ſemina, unde ſpinarum ſurgentium graves introrſum ſentiebam aculeos, ad auram quidem rerum exterius auditarum vel viſarum excitatos. Sæpe itaque & in menſa, & extra menſam, ſilenter legebam in auro & argento, in tam pretioſa quam ſpecioſa domus epiſcopalis ſupellectile.

4. Legebam etiam in pleriſque aliis rebus mundi, quas ad concupiſcendum intuebantur prædones oculi mei, mandatorum Dei tranſgreſſores. Legebam autem ſic. Petre quæ intueris, in quibus gaudes, vel gaudere appetis, de mundo ſunt. Erit igitur quando non erunt: tu autem eris. Ubi eris, Petre? ſiquidem tu injurius crucis Chriſti, in qua ſola gloriandum non ambigis, in mundanis gloriari concupiſcis, certus tamen quod cum ſua concupiſcentia quotidie pereundo tranſit mundus; & homo, cum interierit, non ſumet omnia, neque cum eo deſcendet gloria ejus. Petre, illam carnis tunicam viliſſimam, quam tanti facis, ut pro ejus cura & deſideriis, non ſolum tui, ſed (quod majus & exſecrabilius eſt) obliviſcaris etiam Dei; multo adhuc viliorem in brevi relinques vermibus, & putredini. In hoc ergo tui exitu, cujus horam neſcis, nudatus carnis tunica, quo migrabis? cui occurres? quid reſpondebis? ubi etiam reponeris, donec redeas ad tunicam? redibis enim, & ipſam eamdem vere iterum indueris: & reſurges quidem, aut in vitam & gaudium, aut in mortem & luctum; & horum non erit finis.

5. O dilecte mi, hæc erat lectio, quam ſilenter & frequenter relegebam in cordis cubiculo: & præfatæ inquiſitiones multoties ſpiritum meum pæne ab omni disjungebant lætitia. Nec mirum. Me etenim arguebat conſcientia, quod in omnibus viis meis de noſtro Salvatore meum fieri damnatorem promererer, cum etiam in his, quæ ad cultum ejus pertinerent, ipſum offendere non vererer. O quam mira, ô quam audax & inſana præſumptio! Certus eram Dominum juſtum eſſe, & potentem in inferno me perdere: & hoc timens, non ceſſabam tamen ipſum offendere. Ego quidem, ut pars mea eſſet Dominus, clericatus receperam ſacramentum: ſed enormitas vitæ meæ ab ipſa re ſacramenti me fecerat alienum. O quam mira ergo, ô quàm ſtulta & impudens elatio! Eloquia Domini, eloquia caſta: & ego hæc de pectore inceſto proferre & enarrare præſumebam per os pollutum & doloſum, ſciens Dominum dixiſſe peccatori: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* [Pſal. 49 16.] Hæc eadem eloquia divina, ſi quandoque quacumque alia de cauſa, præter ſolum Dei amorem & honorem, legendo vel cantando, pronuntiarem in eccleſia; me ſciebam certiſſime ſacrilegio alligari, qui cultum Deo debitum offerebam vanitati. Non eram igitur ſervus Chriſti, cum hinc dicat Apoſtolus: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* [Gal. 1. 10.] hinc Propheta: *Deus oſſa eorum diſſipabit, qui hominibus placent.* [Pſal. 52. 6.] Sæpe vero ut placerem hominibus, ſive mihi, non Deo, mea erat præcordialis, &, ut verius dicam, vecordialis intentio.

6. Ego itaque ſervus nequam, ut quid, vel qua fronte in agro Dei terram occupabam, qui re vera radix amara, utilis nulli, quam pluribus inutilis, ſed inutilior mihi, nullum niſi amaritudinis fructum germinabam? Quod enim viventibus exemplum, vel quod pro defunctis ſolvebam ſacrificium, de quorum victimis comedebam adipes, & bibebam vinum libaminum? Rerum ſiquidem eccleſiæ, quocumque me velamine palliarem, detractor & prædator eram, & expenſor earum in rebus pravis. O quam prava Deoque odibilis hæc

mea perverſitas! Audieram enim beatum ſcripſiſſe A
» Hieronymum: Quicumque rebus Eccleſiæ abutuntur
» in aliis rebus, peccatum incurrunt redimentium men-
» dacium, & reorum ſanguinis Salvatoris. Quia igitur tam in his, quàm in aliis multis, reus eram abuſionis & rapinæ; ſæpe cum ad aures meas inſonaret Apoſtoli illa
1. Cor. 6. 9. vera & timenda propoſitio, *Raptores regnum Dei non poſſidebunt*; in corde meo qu ſi reſpondendo, murmurabat illa plena timoris, plena doloris, & pudoris feſtinata concluſio: Ergo ipſi rapti & concluſi cum immundis ſpiritibus, ſine fine gehennali cremabuntor incendio! Feſtinatam dixi concluſionem, tum pro lege argumenti, & illationis cito factæ, tum maxime quia dies Domini, in qua hoc futurum eſt, velociter B
Agg. 2. 22. appropinquat. unde ſcriptum eſt: *Adhuc modicum, & movebo cælum & terram*. & alibi: *Dies magna & amara*
Soph. 1. 14. *valde, & velox nimis: tribulabitur ibi fortis*. Quocirca mirum non erat, ſi hoc & alia multa ſimilia me reddebant ſollicitum & pœnitentem; qui etiam recordari non poteram ab infantia me vixiſſe vel per momentum temporis, in quo non eſſem operatus vel rapinam, vel aliud opus mortis. Valde etenim diligebam congreſſus & conventus vanitatis, ſpectacula, jocos, otia, verba apta riſui, non fructui: raro verum dicere, plurimum mentiri; jurare, perjurare, favere, adulari, & ſimilia: quæ cuncta ex quodam communi & aſſiduo uſu, facie tenus non peccata reputabam, C ſed quaſi quaſdam ſocietatis affectatæ & mundanæ probitatis facetias. Sciebam tamen hæc eadem, cum inter Deum ſeparent & hominem, vanitates eſſe & inſanias falſas. Majora taceo, cordis videlicet elationes, æmulationes, odia, diſſenſiones, detractiones, turpiloquia. Taceo peſſima cogitationum & operum luti & lateris, in quibus occulte & peſſime occupabar, totus lutum, qui per ſingula momenta, quantum in me erat, ex operibus meis ad æternæ mortis properabam ſupplicium. Sed miſertus mei Pater miſericordiarum, me tandem viſitavit, & traxit ad Filium.

7. Vides ergo, quanta jam fecerit animæ Pater bonus, qui miſericorditer ereptum de fluminibus Baby- D
Claræ-vallis elogium. lonis, miſericordius locavit in Clara-valle apud fontes Salvatoris. Clara-vallis enim, etſi ſecundum ſpeciem loci ſita ſit in valle, tamen fundamenta ejus in montibus ſanctis, cujus portas diligit Dominus ſuper multa tabernacula Jacob. Glorioſa dicta ſunt de ea: quia in ea glorioſus & mirabilis Deus glorioſa operatur mirabilia. Ibi enim veteres inſani redeunt ad cor; & licet homo eorum exterior corrumpatur, interior
2. Cor 4. 16. tamen renaſcitur, &, ut verbis utar Apoſtoli, renovatur de die in diem, in eum qui ſecundum Deum creatus eſt hominem. Ibi ſuperbi humiliantur, ibi paupertantur divites, ibi pauperes evangelizantur, & peccatorum tenebræ tranſmutantur in lucem. Ad hanc igitur domum à finibus terræ ingens licet beatorum pau- E perum convenerit multitudo, de regionibus congregata & nationibus; horum tamen cor unum & anima
Pſal. 86. 4. una eſt, ut de hac domo ſpecialiter dici poſſit: *Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*. Jure igitur habitatio eſt in ea lætantium omnium, non inani lætitia. Perennis enim lætitiæ, & ſuæ ad cælos aſcenſionis jam cœptæ certam ſpem habent, quam in Clara-valle invenerunt. Scalam Jacob, & Angelos in ea, alios quidem deſcendentes, qui ſic provident illorum corporibus, ut non deficiant in via: alios vero aſcendentes, qui ſic regunt eorumdem animos, ut poſtmodum cum ipſis glorientur & corpora. F

8. Ego autem, quanto diligentius de die in diem intueor tam beatæ vitæ pauperes, tanto credo eos perfectius per omnia Chriſtum ſequi & ſapere, & certis conjicio indiciis, in omnibus quæ agunt, veros miniſtros Dei apparere. Nam dum vacant orationi, in ſpiritu & veritate Deo loqui, & tum ex ſecreta & amica apud eum locutione, tum ex humili modo ſe habendi, plane apparent Dei eſſe familiares & amici. Dum vero manifeſtius laudantes Deum pſalmodiæ ſunt intenti; quàm purus ſit, & quam fervens in ipſo-

ſum affectus mentis, oſtendit eorum omnis corporis ſtatus, in omni timore & reverentia ſanctitatis: oſtendit & ipſorum diſtinctio moroſa, & in pſalmis modulatio, quàm dulcia faucibus ſuis eloquia Dei, ſuper mel ori ſuo. Dum eos itaque attendo, diurnis horis nocturniſque vigiliis ab ante medium noctis, uſque ad primam diei, facto breviter intervallo, tam ſancte, tam infatigabiliter pſallentes: mihi quidem paulo minus ab Angelis, ſed plus multo videntur quam homines. Quod autem ſunt hujus tam continuæ, tam alacris, & tam ſemper recentis tolerantiæ, quod tanti ſunt fervoris & meriti; non humanæ potentiæ, ſed muneris eſt divini. Dum vero ſunt in lectione, leniter haurire videntur & affluenter quidem aquas Siloe cum ſilentio fluentes, & in vitam ſalientes æternam. Illorum vero diſpoſitio & habitus demonſtrant, omnes eos eſſe unius magiſtri diſcipulos, docentis in eorum cordibus, & dicentis: *Audi Iſraël, & tace*. Tacent enim Prov. 1. 5.
& audiunt, & ſapientiores fiunt: quoniam audiens ſapiens ſapientior erit.

9. Dilecte mi, quid hos tam beatæ vitæ pauperes credis videri vel dici poſſe, quando manuum ſuarum inhærent laboribus, quando eunt ad opera, vel redeunt? in quibus omnibus conſtat, eos non ſuo duci ſpiritu, ſed divino. Certe tam patienti animo, tam placido & immobili vultu, tam ſancto & ſuavi ordine cuncta peragunt, ut etſi ſe plurimum exerceant ad opera, vix tamen vel moveri perpenduntur, vel gravari in aliquo, quanticumque ſint labores. Unde manifeſtum eſt, in ipſis illum ſanctum operari Spiritum, qui diſponit omnia ſuaviter: in quo & ipſi recreantur, & quieſcunt etiam laborantes. Horum ſiquidem pauperum alios epiſcopales, alios conſulares, aliarumque dignitatum & multæ ſcientiæ viros illuſtres, & juvenes egregios audio extitiſſe: ſed nunc, per Dei gratiam, omni apud eos acceptione perſonarum emortua, quanto quiſque ſe putavit in ſæculo altiorem, tanto ſe in hoc grege minorem minoribus, & abjectiorem reputat per omnia. Eos itaque dum intueor in hortis cum ſarculo, in pratis cum furca vel raſtro, in agris cum falcicula, in ſilva cum ſecuri, in aliis laborum locis cum aliis operum inſtrumentis; dum & ego reſpiciens quid fuerint, conſidero præſentem eorum ſtatum, opera, inſtrumenta, perſonas abjectas, veſtimenta incompoſita & vilia: judicio quidem exterioris oculi videntur mihi non homines, ſed gens ſtulta, muta ſiquidem & elinguis, opprobrium hominum, & abjectio plebis: ſanus autem & fidelis intellectus in corde aſſerit mihi, horum vitam in Chriſto eſſe abſconditam in cælis. Inter quos gaudeo equidem me videre Gaufridum Peronenſem, Raynaldum Morinenſem, G. de ſancto Audomaro, Walterum de Inſula, quos ego cunctis veterior in veteri agnovi homine: ſed nunc in ipſis, Dei gratia, illius vetuſtatis nec veſtigium perpendo remanſiſſe. In veteri homine novi eos exaltato corde, elatis oculis ambulare in magnis & mirabilibus ſuper ſe: nunc autem video ipſos ſub miſericordi manu Dei humiliatos incedere in parvis & in mirabilibos infra ſe. In veteri homine novi eos ſua ſecum ſepulcra deferentes exterius dealbata, ſed intus plena oſſibus mortuorum: nunc autem credo eos ferre vaſa Domini, quæ etſi exterius appareant deſpicabilia, intus tamen plena ſunt ſpeciebus cæleſtium odoramentorum. Quando igitur hæc omnis ſocietas ad ſolitum laborem & progreditur, & redit, gradatim quidem & ſimpliciter, unus poſt alium, quaſi acie directa, & armis pacis humiliter armata; nonne Angeli Dei hanc videntes taliter incedentem, & ad Chriſtum noviter converſam de tenebris, præ admiratione & gaudio, jure concinunt? *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, &c.* Cant. 6. 9.
Terretur autem excluſus diabolus, & ſupra modum dolet, videns (quod utinam ſemper videat & doleat) horum reſurrectionem, regni ſui ruinam eſſe non modicam. Ergo armatur & ipſe quanto poteſt acutiori malitia: ut quos ultra tene-

re non potuit mundi hujus blandimentis, eos acrius perſequendo, ſubtilioribus impugnet & implicet argumentis. Non tamen prævalebit inimicus. Ipſi enim altiſſimum poſuerunt refugium ſuum, crucem Chriſti, dilectam ſuam, quam fideli deſiderio amplexantur & bajulant, ſalvandorum ſpem unicam.

10. Item, dilecte mi, quid credendum putas ſuper eiſdem pauperibus in tempore menſæ, in continentia & habitu. Tunc temporis nec Deum videre credo quod diſpliceat, nec hominem quod debeat accuſare. Ibi ſiquidem adeo modeſte, adeo ſancte ſe habent, ut, quod ſunt, appareant homines juſti & timentes Deum. Hinc attente ſuſcipientes ſpiritale & præcipuum ferculum, verbum vitæ, quod ſemper eſuriunt: hinc reverenter edentes & bibentes alia dona Dei, quæ ſibi ſunt apposita; non exquiſitas delicias, ſed labores manuum ſuarum, legumina ſcilicet & pulmenta. Potus eſt eis cerevisia: ſi hanc non habent, gaudent aqua ſimplici. Raro autem utuntur vino, & hoc mixto cum aqua plurima. Reddentes itaque debitum corpori, non gulæ, non ventri; comedunt & bibunt; ſed tantum indigentiæ naturali, & Deo, ſcientes ſcriptum: *Eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem hunc & has deſtruet.* [1. Cor. 6. 13.] quoniam regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium, in quibus verſatur tota eorum voluntas & ſtudium. Magiſtram enim & totius vitæ ſuæ dictatricem habent obedientiam: quam adeo fideliter ſequuntur ad omnia, ut nec unam quidem diei ſive noctis prætermittant particulam, quæ non ſit apud eos obedientiæ & divino cultui mancipata. Unde & ego fideliter credo, eos (ut taceam quæ majoris ſunt meriti & mercedis) non ſolum in ſingulis paſſibus quos faciunt, ſed etiam in ſingulis manuum ſuarum motibus circa injuncta opera peccati remiſſionem conſequi, vel augmentum coronæ in vita æterna. Qui ſi forte cadant aliquando, quod omnino vitare non poſſunt, dum portant carnem fragilem: non tamen colliduntur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

11. Ecce habes pauca illa, dilecte mi, quæ de pauperibus Claræ-vallis in hujus epiſtolæ procemiis tuæ promiſſa ſunt dilectioni. Plura reſtant meliora & optima, ad quæ deſcribenda cum ſufficere non valeam, quæ dicta ſunt inpræſentiarum ſufficiant. Meum vero deſiderium eſt, quatenus præfatis pauperibus in Chriſto merear adjungi corpore & ſpiritu, ut adjutus eorum ſuffragio, & fructuoſius pœnitentiam agere, & fiducialius habeam clamare ad Dominum: Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam. Eripe me de inimicis meis Deus meus. Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido non erubeſcam: & his ſimilia. Ego autem probor adhuc, & per gratiam Dei ad horum pauperum regulam inſtituor & vitam: ut dum eis adjunctus fuero, una cum ipſis noverim vigilare, & ſolum modo ſomniare in ſpiritu. Vigilanti enim promittitur regnum, & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. In qua ego particeps ipſius, & te, & totam Noviomenſem eccleſiam, dominam ſcilicet & matrem meam, per miſericordiam Dei feliciter æternare videam cum Chriſto, & regnare. amen. Valete. Domino volente, proxima Dominica poſt Aſcenſionem Domini ſuſcepturi ſumus noſtræ profeſſionis armaturam, per gratiam & benedictionem Jeſu-Chriſti, quam meritis Matris ſuæ, veſtriſque precibus nobis dignetur concedere idem ipſe Jeſus-Chriſtus. amen. Iterum valete, & memento noviſſima tua, & miſerere animæ tuæ.

Capituli generalis nigrorum monachorum ad ADRIANUM IV.

EPISTOLA [a] CCCCXLII.

Circ. ann. MCLV.

De amovendo abbate Latiniacenſi.

AMantiſſimo patri & domino Adriano ſanctæ Romanæ Sedis ſummo Pontifici, humilis Conventus Abbatum ſub Remenſi archiepiſcopatu, in uno ſpiritu ad Dei honorem coadunatus, ſinceræ caritatis obſequia & pia orationum ſuffragia. Quoniam veſtra ſanctitas adeſt in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum ſublimari meruit, ut clavibus beati Petri vobis ſpeciali gratia collatis, quæ liganda ſunt ligare, & quæ ſolvenda ſolvere debeatis: deliberationes noſtras, ſecundum quod zelus domus Dei urget nos, ante Sedem juſtitiæ humiliter effundimus, & lamentabiles ærumnas ſive ruinam Latiniacenſis monaſterii veſtro moderamini notificamus. Homo ille qui ſub nomine paſtoris præfato monaſterio præeſſe videtur, non ſolum non prodeſſe, immo plurimum obeſſe probatur: quoniam ſubditos ad normam religionis minime dirigit, & ignominioſe vivens, plures ex illis exemplo pravæ vitæ commaculat & inficit. Quod ſatis conſtat non ſolum ex eo quod per urbes Franciæ infamis habetur, ſed etiam ex eo quod quidam ex fratribus conſortium ejus tamquam letale contagium perhorreſcunt, & in aliis monaſteriis ſub legibus monaſticis profeſſionis religioſæ converſantur. Proinde illa Latiniacenſis eccleſia, quondam celebris & famoſa, eas videtur derelinquere, ſicut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario. Quoniam igitur ſuper his non poſſumus non dolere, & tamen non eſt nobis licitum in alienam meſſem falcem immittere; veſtrum eſt autem infructuoſam arborem, ne terram occupet, ſuccidere, & eam, quæ fructum ferat, inſerere: precamur exhortantes vigilantiam veſtram, quatinus auctoritate qua præeminetis, & ſapientia qua polleris, adverſus peſtem, quæ ut cancer ſerpit, talem ſententiam proferatis, cui nequaquam reſiſtere prævaleant portæ inferi, & per quam ora blaſphemantium obſtruantur, & in portis filiæ Sion laudationes Domini annuntientur. Valete, & collectionem noſtram, quam beatæ memoriæ INNOCENTIUS [b] Papa privilegio apoſtolicæ auctoritatis confirmavit, & vos per apoſtolicam benedictionem corroborate.

Eorumdem ad ALEXANDRUM III.

EPISTOLA CCCCXLIII.

1. AMantiſſimo patri & domino ALEXANDRO, ſanctæ Romanæ Sedis ſummo pontifici, humilis Conventus Abbatum ſub Remenſi archiepiſcopatu in uno ſpiritu ad honorem Dei congregatus, ſinceræ caritatis obſequium, & debitam cum omni ſubjectione reverentiam. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, quoniam cum in initio veſtræ electionis ſive conſecrationis, navis ſanctæ Eccleſiæ univerſalis, quæ ſoli beato Petro ſpecialiter commiſſa eſt, certam non habens ſtationem, hinc inde adverſis fluctibus concuteretur, & adeo periclitaretur, ut præ magnitudine periculi Salvatorem quaſi dormientem ſuſcitaremus, clamantes cum beatis diſcipulis, *Domine ſalva nos perimus*; clamor noſter introivit in aures ejus, qui ſalvat à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, & ſtatuit procellam in auram, & deduxit nos in portum quem volebamus. Volebamus autem, & ad hoc anxii ſuſpirabamus, ut jam non eſſet diſcidium: ſed extincto errore pernicioſiſſimo, ad ſerviendum Domino, & ad ſolam veſtram beatitudinem honorandam, ſedentem utique in cathedra Principis Apoſtolorum, reges & populi congregarentur, & con-

a Hæc epiſtola ſcripta eſt adverſus Godefridum ſeu Galfridum abbatem, de quo in Notis brevioribus ad epiſtolam 238.

b Hinc patet, Capitulorum generalium Ord. S. Benedicti originem ad Innocentium referendam: quorum primum fuiſſe videtur Sueſſionenſe, ad cujus abbates Bernardus ſcripſit epiſtolam 91. Magnos Conventus vocat Petrus Venerabilis ſupra in epiſtola 229. num. 30.

venirent in unum. Quoniam igitur jam nequaquam A omni vento doctrinæ circumferimur, nec audimus ſeductores dicentes: Ecce hic, aut ecce illic; ſed illi firmiſſimæ Petræ, ſuper quam Pontifex pontificum ſuam fundavit eccleſiam, immobiliter adhæremus: in noſtris neceſſitatibus, ſub tutela veſtri apoſtolatus confidenter confugimus, poſtulantes humiliter, ut ſi qua ſunt in domo Dei ſalubria, clavibus beati Petri confirmetis; ſi qua noxia, repellatis.

2. Et, ut de multis taceamus, unum eſt quod nos præcipue diſcipulos beati Benedicti in illa quiete, quam ſub veſtra ſublimitate habemus, non parum perturbat, videlicet quod Latiniacenſem eccleſiam, olim in ſanctitate & religione florentem & copia rerum B affluentem, modo non ſine lacrymabili mærore aſpicimus ab illo ſtatu dejici, & in pomorum cuſtodiam redigi. Homo enim qui ſub nomine paſtoris eccleſiæ prænominatæ præeſſe videtur, non ſolum non prodeſſe, immo plurimum obeſſe probatur: quoniam ſubditos ad normam religionis non informat, verum etiam ignominioſam & infamem gerens vitam, miſerabiliter ſcandalizat, & ſecum in perditionem præcipitat. Et quia non eſt qui reclamet, in tantam impudentiam jam erupit, ut quemdam ex fratribus, ſui ſceleris complicem & conſcium, aliis præfecerit, & Priorem domus conſtituerit. Exinde quàm immanis lues gregem Domini corrumpat & interimat, nos C ſcribere ſuperſedimus. Id enim veſtra prudentia melius novit. Denique ſuper his malis dudum ſcribentes apud prædeceſſorem veſtrum, felicis memoriæ papam Adrianum, lacrymabilem querimoniam expoſuimus: & ut lamentabili ruinæ prædicti monaſterii finem imponeret, devote ſuggeſſimus. Qui prudenter intelligens quia ita oportet fieri, miſſis litteris ad venerabiles epiſcopos, Alanum Autiſiodorenſem, & Theobaldum Pariſienſem, præceptum fecit, ut in præſentia religioſorum Abbatum rem diligenter diſcuterent, & ſecundum quod dignum eſſet, apoſtolica auctoritate determinarent. Cumque die præfixo Latiniaci juſſioni domini Papæ parati eſſent obtempe- D rare; ille non abbas dicendus, non ſatis conſcientiæ fidens & judicium ſubterfugiens, protulit in medium litteras, neſcimus qua calliditate aut ſubreptione emendicatas, in quibus auctoritate domini Papæ prædicti Adriani videbatur interminari, ne ipſe abbas, utpote filius eccleſiæ Romanæ, à prædictis epiſcopis aliqua ratione ſive judicio fatigaretur, ſive gravaretur. Ita negotium extunc indiſcuſſum remanſit.

3. Propterea, venerabilis Pater, adhuc viperea peſtis, adhuc ut cancer ſerpit; & fama mali, veloci mobilitate vigens, per urbes Franciæ crebreſcit. Quoniam igitur videntes legum Ordinis prævaricantes mærore tabeſcimus, & tamen in alienam meſſem falcem mittere prohibemur; veſtrum eſt autem arborem infructuoſam, immo malos fructus facientem ſuccidere, & eam quæ fructum bonum ferat inſerere: precamur exhortantes, quatinus ſecundum potentiam qua præeminetis, & ſecundum ſapientiam qua polletis, adverſus imminentem perniciem ſententiam proferatis, adverſus quam non prævaleant portæ inferi, & per quam repreſſis blaſphemantium linguis, ora laudantium nomen Domini in hoc opere veſtro aperiantur. Valete, & in benedictionibus dulcedinis dexteram apoſtolicæ majeſtatis ſuper nos extendite.

Ad Abbatem Reatinenſis monaſterii SS.

EPISTOLA CCCCXLIV.

Dilectiſſimo ac venerabili domino, Dei gratia SS. Reatinenſis monaſterii abbati, A. [a] ſuus, conſolationem Spiritus paracliti.

Litteras dilectionis tuæ, nimium breves & ſuccin- C ctas, debita veneratione ſuſcepi, & à verbis tuis formidavit cor meum. Cum enim legerem in capite, *Patri domino venerabili Abbati*. quia nihil mihi conſcius ſum, fateor, aliquantulum erubui, & cogitabam, qualis eſſet illa ſalutatio. Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei? Ego ſum puer parvulus, ignorans introitum & egreſſum meum. Infelix ego ſum, qui cum nihil ſim in conſpectu Dei, magnus tamen ſum in oculis veſtris, cui de opinione aliquantulum, de veritate nihil conſtat. Utinam litteræ veſtræ tantum habuiſſent veritatis, quantum habuerunt falſitatis. Quamvis nemo mentiens judicandus eſt, qui dicit falſum quod putat verum: quoniam quantum in ipſo eſt, non D fallit ipſe, ſed fallitur. De cetero, ſi quid valent apud fontem miſericordiæ preces pauperum, confidimus in Domino, quod proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Precamur & nos ardorem fidei veſtræ, ut in ſinu memoriæ veſtræ nos habeatis, quando in tabernaculum ejus introibitis, quando adorabitis in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Angelus Domini cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum, domine venerabilis ac cariſſime Pater.

a Incertum quis ille A. ſcriptor hujus epiſtolæ, quæ inter Bernardinas Coloniæ nuper edita eſt ante eam, quæ in hac editione eſt 318. De Reatinenſi monaſterio ſupra ad epiſtolam 201.

FINIS EPISTOLARUM S. BERNARDI, AC PRIMI TOMI.

SANCTI
BERNARDI
CLARÆ-VALLENSIS
ABBATIS.

OPERUM

TOMUS SECUNDUS

Tractatus morales, doctrinales, & polemicos complectens.

IN TOMUM SECUNDUM

PRÆFATIO.

Maxime ad libros de Conſideratione.

I. IN ſuperioribus editionibus Horſtianis ac noſtra, poſt ſancti Bernardi epiſtolas collocati erant in tomo ſecundo Sermones de Tempore ac de Sanctis, tum Sermones de diverſis: in tertio Sermones in Cantica: quibus varii Tractatus Bernardini quarto loco ſuccedebant. Verum re attentius conſiderata, hos Tractatus Epiſtolis proxime ſubjicere viſum eſt: idque nobis naturalis ordo facile perſuaſit. Cum enim ejuſmodi Tractatus epiſtolari modo ſcripti ſint; immo nonnulli ex epiſtolis in tractatus relati: conſequens erat, ut non longo poſt epiſtolas intervallo collocarentur. Accedit ex hoc ordine illud commodi, quod cum Sermones de Tempore, de Sanctis, ac de diverſis in tertium tomum; Sermones vero ſuper Cantica in quartum rejiciantur: his quaſi continenter adjungatur tomi quinti initio Expoſitio à Gilleberto continuata in Cantica: quæ Bernardi Sermones in eadem Cantica, quaſi ejus conſectaria appendix, quam proxime ſubſequi debebat. Ob has itaque ſimileſque rationes non incongruum duximus, vulgatum Horſtii ordinem tantiſper immutare, ut Lectorum commodo & naturali rerum ordini conſuleremus. Hæc de ordine rerum, quæ ſubſequentes tomos conſtituunt, hoc loco repetenda & præmittenda fuere: nunc de ordine Tractatuum, quos tomus ſecundus continet, pauca dicenda ſunt.

Ordo temporis pro ſequentibus Opuſculis.

II. In diſponendis ſubjectis Opuſculis Horſtius dignitatis potius, quam temporis rationem habuit. Nam ſi ordinem temporum ſequimur, primus eſt TRACTATUS DE HUMILITATE: deinde TRACTATUS DE DILIGENDO DEO: tum APOLOGIA AD GUILLELMUM. quo ordine enumerantur à Gaufrido in lib. III. de Bernardi vita cap. VIII. Bernardo ipſo primum & tertium pariter ſuggerente in epiſtola XVIII. ad Petrum cardinalem, quæ ſub annum MCXXVII. ſcripta fuit: ubi & *paucas ad diverſos epiſtolas* memorat: quo nomine haud ſcio an tractatum de diligendo Deo comprehendit. Poſtea recenſenda eſt EPISTOLA XLII. AD HENRICUM *Senonenſem archiepiſcopum*, eodem circiter anno MCXXVII. dictata: mox TRACTATUS DE LIBERO ARBITRIO circa annum MCXXVIII. ut colligitur ex epiſtola LII. ad Haimericum. Nec longo poſt intervallo habitus eſt SERMO DE CONVERSIONE *ad Clericos*. Succeſſit ante annum MCXXXVI. LIBER AD MILITES TEMPLI. quo tempore exarata eſt epiſtola LXXVII. AD HUGONEM DE *S. Victore*. Anno MCXL. EPISTOLAM CXC. DE ERRORIBUS ABAELARDI Innocentio directam fuiſſe conſtat. Eodem fere anno prodüt TRACTATUS DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE, quem Petrus Venerabilis, anno MCXLIII. ex Hiſpania reverſus, poſtulavit libri IV. epiſtola XXVII. Incunte anno MCXLIX. abſolutus eſt LIBER DE VITA SANCTI MALACHIÆ: eodemque anno inchoati ſunt LIBRI DE CONSIDERATIONE, ut mox dicturi ſumus. Hæc ſunt Opuſcula, quibus conſtat Tomus quartus: exceptis DECLAMATIONIBUS, quas in ſpuriorum claſſem rejecimus, utpote à Bernardo alienas; & LIBRO DE CANTU, quem præmiſſis ſubjungemus.

Ordo dignitatis hic ſervatus.

III. Hic, inquam, eſt ordo temporis, quo ſinguli tractatus conſcripti ſunt. Verum ordinem & dignitatem argumenti ſervare præſtat, prima loca tribuendo, I. LIBRIS DE CONSIDERATIONE; II. EPISTOLÆ DE MORIBUS PRÆLATORUM *ad Henricum Senonenſem*; III. SERMONI DE CONVERSIONE *ad Clericos*, IV. TRACTATUI DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE, V. APOLOGIÆ AD GUILLELMUM, qui duo tractatus Monachos ſpectant; VI. LIBRO DE LAUDE

NOVÆ MILITIÆ *ad Milites Templi*. Et hæc prima claſſis pro dignitate perſonarum. Altera claſſis de virtutibus; nempe, VII. LIBELLUS DE HUMILITATE; VIII. DE DILIGENDO DEO. Tertia claſſis erit de dogmatibus, ſcilicet IX. OPUSCULUM DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO; X. EPISTOLA DE BAPTISMO AD HUGONEM *de ſancto Victore*; XI. EPISTOLA DE ERRORIBUS ABAELARDI AD INNOCENTIUM. Poſtremo XII. hiſtoricus LIBER DE VITA SANCTI MALACHIÆ. His omnibus tertio-decimo loco ſuccedet LIBER DE CANTU. Opuſculorum ordinem ad marginem adnotabimus pro commodiori uſu hominum ſtudioſorum.

Librorum de Conſideratione excellentia.

IV. In his omnibus nullum Bernardo dignius videtur, quàm libri quinque de Conſideratione ad Eugenium Papam. Si enim argumenti & perſonæ dignitatem ſpectes, nihil generoſius: ſi modum tractandi, nihil ſublimius: ſi ſtili majeſtatem, & ſententiarum gravitatem, nihil eloquentius ac fortius: ſi denique dictorum puritatem, & inhærentem ſacris canonibus diſciplinam, nihil catholico Doctori & ſanctiſſimo Patri convenientius. Quid vero magis arduum erat homini in ſolitudine educato, à mundi rebus & negotiis alieno, quàm vivendi leges ſummo Pontifici, nedum toti Eccleſiæ tradere, & quaſi præſcribere? Quid homini privato difficilius, quàm de totius Eccleſiæ ſtatu, de moribus ſacrorum miniſtrorum, de omnium officiis, virtutibus, ac vitiis apte & accurate breviterque diſſerere, immo & juſtam ferre ſententiam? Quid ſapientius, quam ita ſublimium quorumcumque hominum vitia, errata, abuſus notare, perſequi, caſtigare: ut non modo invidiam & criminandi ſuſpicionem evites, ſed etiam amorem reportes & admirationem? Et hæc ſane fuit Bernardi ſeu dexteritas, ſeu felicitas, ſeu divinitus conceſſa auctoritas, ut quàm primum ejus libri de Conſideratione in publicum prodiere, eos certatim exquiſierint, lectitarint, amaverint univerſi, etiam ſummi, quos maxime tangebant, Pontifices.

Eorumdem œconomia.

V. Merito itaque Ernaldus Bonæ-vallis abbas in libri II. de Bernardi vita, capite VIII. hoc Opus vocat *Librum multæ utilitatis: in quo vir ſanctus acutiſſima indagine, tam ea quæ circa* Pontificem, *quàm quæ infra ſunt proſequens, etiam ad ea quæ ſupra ipſum ſunt aſcendens, tanta de natura divina diſſeruit, ut videatur in tertium cælum aſſumptus, audiſſe quædam verba, quæ non licet homini loqui, & Regem in decore ſuo vidiſſe. In his quæ infra, & quæ circa ipſum ſunt, morum ſocietas, naturæ æqualitas, officiorum diſtantia, conſideratio meritorum, dijudicatio provectuum ſubtiliſſime diſtinguitur, & ſingulis in ſuo genere ſui cognitio intimatur. In his quæ ſupra hominem ſunt, ſpeculatur cæleſtia; non eo modo quo Angeli, qui ſemper adhærent Deo, conſiderant, ſed eo modo quo poteſt homo puri animi & mentis ſinceræ divina contingere, &c.* Et hæc eſt diviſio quinque librorum de Conſideratione: quorum in primo demonſtratur Conſiderationis neceſſitas & utilitas: in ſecundo conſiderantur quæ in Pontifice, id eſt Pontifex ipſe quis, qualiſve ſit: in tertio, quæ ſub ipſo, id eſt orbis univerſus: in quarto quæ circa ipſum, Domeſtici, Cardinales, Epiſcopi: in quinto quæ ſupra ipſum, Deus & Angeli. In his *quàm liber in voce, quàm diſertus, & in rerum ſuperiorum inferiorumque ſcientia locuples, diligens conſiderator agnoſcet*, inquit Gaufridus in libro tertio de ejus vita, capite VIII.

Temporis ratio.

VI. Reſtat obſervare tempus, quo libri iſti ſcripti ſunt. Hos anno MCXLIX. parturire cœpit ſanctus Pater, nec uno tenore (ut Baronio viſum eſt) abſolvit, ſed diverſis intervallis ſcriptos ad Eugenium tranſmiſit. Et primum quidem ipſo anno MCXLIX. de quo Nicolaus, ejuſdem Bernardi notarius, ante ſuam diſceſſionem ſcribens Petro Venerabili: *Mitto vobis*, ait, *librum domni Abbatis Claræ-vallis ad dominum Papam.* Exſtat hæc epiſtola apud ipſum Petrum in libri VI. epiſtola VII. Neque hoc loco *libri* nomine integrum opus (ut auctores iſti loquuntur paſſim, teſte Ernaldo, qui *librum multæ utilitatis* hos quinque libros vocat) intelligi poteſt. Nam ſecundum Bernardus Eugenio direxit anno MCL. poſt infelicem expeditionis Jeroſolymitanæ exitum, de quo ab ipſo libri exordio apologiam præmittit. Tertium anno MCLII. poſt obitum ſcilicet Hugonis Autiſiodorenſis, ut conſtat ex capite II. numero XI. & quarto quidem anno poſt Concilium Remenſe, ex num. XX. anno MCXLVIII. celebratum. Quartum denique & quintum paullo poſt, ſi non cum tertio, abſolvit.

VII. Ceterum prædicti libri Rotomagi primum, cum Apologia ad Guillelmum, atque tractatu de Præcepto & diſpenſatione, abſque anni indicio; tum Spiræ anno MDL. typis vulgati ſunt ſine ulla capitulorum, ut fit in vetuſtis eodicibus, diviſione. Iidem anno MDXX. ac deineeps, cum ceteris Bernardi operibus recuſi: poſtea per Antonium Carafam, magni nominis eardinalem, Pio V. Pontifiee reeogniti, atque Antuerpiæ formis Plantinianis ſeorſim impreſſi fuerunt. Eoſdem demum Gerardus Voſſius, præpoſitus Tungrenſis, rogatu Johannis Vendevilii, epiſcopi Tornacenſis piiſſimi, denuo recenſere aggreſſus, eos eum octo mſſ. eodieibus contulit; ac Romæ anno MDXCIV. ſeorſim editos Clementi VIII. nuneupavit, adhibita capitum diviſione, qualis in exemplari Nieolai Papæ V. anno MCCCCL. exarato appoſita erat. De hac editione Nicolaus Faber in epiſtola ad eumdem Voſſium, ubi laudatis eeteris ejus operibus: Omitto, inquit, libros de Conſideratione beati Bernardi, in quibus licet fortaſſe minus olei, quam in ceteris impenderis; non tamen minus zeli domus Dei, nutantiſque diſciplinæ in ea reparandæ oſtendiſti. Ibi enim libros huie rei aptiſſimos, quoſque non malus auctor, & beato Bernardo fere æqualis, non ἀπροσδιόνυσον DEUTERONOMIUM SUMMORUM PONTIFICUM appellat, edendos curaſti, quo primum ab auctore religioſiſſimo deſtinati ſunt, ubi tamen forſitan minus terebantur. Editiones.

VIII. Secundum tot tantoſque viros denuo ad cenſuram prædictos libros revocavimus, eoſque in priori noſtra recenſione ad quatuor exemplaria contulimus; in hac vero ad alios duos ex bibliotheca Colbertina per V. Cl. Stephanum Baluzium nobis commodatos: quorum unus num. 3541. capitulorum diſtinctionem habet, ſed à Voſſiana plane diverſam. Cum autem ſectiones iſtæ non ſint ex auctoris inſtituto, vulgatas retinere viſum eſt ad cavendam citationum confuſionem.

IX. Porro hujus operis inſcriptio variat in vetuſtis libris. Probabilior eſt Colbertini eodieis, num. 3964. BEATI BERNARDI ABBATIS CLARÆ-VALLIS IN LIBRO DE CONSIDERATIONE AD DOMINUM EUGENIUM PAPAM PROLOGUS INCIPIT FELICITER. Sed non tanti ſunt momenti ejuſmodi inſcriptiones, quæ plerumque ex notariorum arbitrio profectæ ſunt. His ſubjicere juvat, quod Horſtius præfationis inſtar huic tomo præmiſit. Inſcriptio.

SANCTI BERNARDI ABBATIS

DE CONSIDERATIONE LIBRI QUINQUE AD EUGENIUM TERTIUM.

PROLOGUS.

SUBIT animum dictare aliquid, quod te, Papa beatiſſime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel conſoletur. Sed neſcio quomodo vult, & non vult exire læta quidem, ſed lenta oratio: dum certatim illi contraria imperare contendunt majeſtas, atque amor. Nempe urget ille, inhibet illa. Sed intervenit tua dignatio, qua hoc ipſum non * præcipis, ſed petis, cum præcipere magis te deceat. Majeſtate igitur tam dignanter cedente, quidni cedat pudor? Quid enim ſi cathedram aſcendiſti? Nec ſi ambules ſuper pennas ventorum, ſubduceris affectui. Amor dominum neſcit, agnoſcit filium & in infulis [a]. Per ſe ſatis ſubjectus eſt, obſequitur ſponte, gratis obtemperat, libere reveretur. Non ſic aliqui, non ſic: ſed aut timore ad iſta impelluntur, aut cupiditate. Hi ſunt qui in facie benedicunt, mala autem in cordibus eorum; blandiuntur coram, in neceſſitate deficiunt. At caritas numquam excidit. Ego, ut verum fatear, matris ſum liberatus officio, ſed non deprædatus affectu. Olim mihi inviſceratus es, non [b] tam facile erueris. Aſcende in cælos, deſcende in abyſſos: non recedes à me, ſequar te quocumque ieris. Amavi pauperem [c], amabo pauperum & divitum patrem. Non enim, ſi bene te novi, quia pater pauperum factus, iden non pauper ſpiritu es. In te hanc mutationem factam eſſe confido, non de te; nec priori ſtatui tuo ſucceſſiſſe promotionem, ſed acceſſiſſe. Monebo te proinde, non ut magiſter, ſed ut mater: plane ut amans. Amens magis videar, ſed ei qui non amat, ei qui vim non ſentit amoris.

Tom. II. Opuſc. I.
* al. non ſolum.
1. Cor. 13. 8.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Pontifici, tam variis occupationibus preſſo, condolet.

1. UNDE ergo jam incipiam? Libet ab occupationibus tuis, quia in his maxime condoleo tibi. Condoleo dixerim, ſi tamen doles & tu. alioquin doleo magis dixiſſe debueram: quia non eſt condolere, ubi nemo qui doleat. Itaque ſi doles, condoleo: ſi non; doleo tamen, & maxime, ſciens longius à ſalute abſiſtere membrum quod obſtupuit; & ægrum ſeſe non ſentientem periculoſius laborare. Abſit autem ut de te id ſuſpicer. Novi quibus deliciis dulcis quietis tuæ non longe antehac fruebare. Non potes his diſſueviſſe tam cito, ita ſubito non dolere nuper ſubtractas. Plaga recens dolore non caret. Neque enim jam occalluit vulnus, nec in tam brevi verſum in inſenſibile eſt. Quamquam ſi non diſſimules, non deeſt tibi jugis materia juſti doloris à quotidianis * jacturis. Invitus, ni fallor, avelleris à tuæ Rachelis [d] amplexibus; & quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renovetur neceſſe eſt. At quando non contingit? Quoties vis, & incaſſum? quoties moves, nec promoves? quoties conaris, & non datur ultra; eniteris [e], & non paris? tentas, & abriperis; & ubi incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiAris, ſuccidunt te? *Venerunt filii uſque ad partum*, ait Propheta, *& vires non habet parturiens.* Noſti hoc? nemo te melius. Attritæ frontis es, & inſtar vitulæ Ephraim doctus diligere trituram, ſi, pace tua *, ſic ſe habent res tuæ. Abſit: hæc eſt pars illius, qui datus eſt in reprobum ſenſum. Ab his ſane cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo tibi pace iſta. Miraris ſi umquam poſſit accidere? Etiam, dico tibi, ſi res, ut aſſolet, per conſuetudinem in incuriam venerit.

Pontifici condolet.
B
A religioſæ vitæ deliciis abſtractu, graves & dolendum.
* al. damnis & jacturis.
4. Reg 19. 3. Oſea 10. 11.
* al. quod pace tua loquar.

CAPUT II.

Vis conſuetudinis ad inducendos pravos mores, & duritiam cordis.

2. NOli nimis credere affectui tuo qui nunc eſt. Nil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obſoleſcat. Vulneri vetuſto & neglecto callus obducitur, & eo inſanabile, quo inſenſibile fit. Denique dolor continuus, & acerbus, diuturnus eſſe non patitur. Nam ſi non aliunde extunditur, neceſſe eſt cedat vel ſibi. Enimvero cito aut de remedio conſolationem recipiet, aut de aſſiduitate ſtuporem. Quid non invertat conſuetudo? quid non aſſiduitate duretur? quid non uſui cedat? quantis quod præ amari-

Vis conſuetudinis.

a Infularum nomine non tantum mitram, ſed univerſim pontificalia inſignia intelligit. De his inferius ad lib. 4. num. 6.
b Alii, *non mihi ex medullis tam facile abſtraheris.*
c Editi addunt *ſpiritu*. at deeſt pleriſque mſſ. Et vero ſententia concinnior eſt abſque *ſpiritu*, tametſi additur infra.
d Et id graviter ferebat Gregorius M. ex Prologo Dialogorum. Hadriano etiam IV. quàm moleſtus eſſet pontificatus, teſtis eſt Johannes Sareſberienſis in Polycratici lib. 8 cap. 23.
e Horſtius, *eniteris, & non obtines; parturis, & non paris.* Editi veteres & ſcripti plerique præferunt lectionem noſtram. In nonnullis tamen, *eniteris & non parturis.* Sed *paris* ſaltius ad ſenſum.

Tom II. Opusc. I.

tudine prius exhorrebant, uſu ipſo male in dulce converſum eſt? Audi juſtum quid lamentetur ſuper hujuſcemodi. *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Primum tibi importabile videbitur aliquid: proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeo grave; paulo poſt & leve ſenties, paulo poſt nec ſenties; paulo poſt etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem. Sic gravis & continuus dolor citum, ut dixi, habiturus eſt exitum, aut ſanitatem profecto, aut inſenſibilitatem.

Job 6. 7. Gradus in duritiam cordis. V. ſerm. 11. in Pſal. 90. num. 3.

3. Hinc prorſus, hinc tibi timui ſemper, & timeo, ne dilato remedio, dolorem [a] non ſuſtinens, periculo te irrevocabiliter deſperatus immergas. Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam multæ ſunt, dum diffidis finem, frontem dures, & ita ſenſim te ipſum quodammodo ſenſu prives juſti utiliſque doloris. Multo prudentius te illis ſubtrahas vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipſis, & duci certe paulatim quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Nec pergas quærere, quid illud ſit: ſi non expaviſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis ſalutem umquam adeptus eſt, niſi quem forte miſerans Deus, abſtulit ab eo, juxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum *, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in * divina, præteritorum obliviſcens, præſentia negligens, futura non providens. Ipſum eſt, cui præteritorum, præter ſolas injurias, nihil omnino non præterit; præſentium nihil non perit; futurorum nulla, niſi forte ad ulciſcendum, proſpectio ſeu præparatio eſt. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, Ipsum eſt quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ: ſi tamen pergis, ut cœpiſti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus: ſi licet nunc alterum me tibi exhibere Jethro, tu quoque in his ſtulto labore conſumeris, quæ non ſunt niſi afflictio ſpiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid, niſi aranearum telæ?

*Ezech. 36. 26. Cor durum deſcribitur. * al. ſtudium * al. ad Occupationes eo trahunt. Exod. 18 18.*

CAPUT III.

Indignum Proceribus Eccleſiæ, continuo cauſis litigantium audiendis & decidendis incumbere.

4. Quæſo te, quale eſt iſtud, de mane uſque ad veſperam litigare, aut litigantes audire? Et utinam ſufficeret diei malitia ſua! non ſunt liberæ noctes. Vix relinquitur neceſſitati naturæ, quod corpuſculi pauſationi ſufficiat; & rurſum ad jurgia ſurgitur. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. uſque adeo non eſt reſpirare in bonis, non eſt alternam capeſſere requiem, non vel rara interſeri otia. Non ambigo te quoque iſta deplorare: at fruſtra iſtud, ſi non & emendare ſtudueris. Interim tamen ſic ſemper facias hortor, nec te umquam ad iſta duraveris quolibet uſu vel aſſiduitate. *Percuſſi eos, & non doluerunt*, ait Deus *. Nihil tibi, & illis. Juſti potius tibi aptare curato & affectionem, & vocem, qui ait: *Quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineam? aut quis finis * meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum * fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.* Magna virtus patientiæ: ſed non hanc tibi ad iſta optaverim. Interdum impatientem eſſe, probabilius. Tunc approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: *Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes?* Ni fallor, ironia erat, & non laus, ſed ſuggillatio quorumdam manſuetudinis, qui quaſi datis manibus pſeudoapoſtolis, à quibus & ſeducti erant, ad quæque ipſorum peregrina & prava dogmata trahi ſe patientiſſime ferrent. Unde & ſubdens, *Suſtinetis enim*, inquit, *ſi quis vos in ſervitutem redigit.* Non bona patientia, cum poſſis eſſe liber, ſervum te permittere fieri. Nolo diſſimules ſervitutem, in quam certe in dies, dum neſcis, redigeris. Hebetati cordis indicium eſt, propriam non ſentire continuam vexationem. *Vexatio dat intellectum auditui*, ait quidam. Verum eſt; ſed ſi nimia non fuerit. Nam ſi ſit, non plane intellectum dat, ſed contemptum. Denique impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Expergiſcere ergo, & peſſimæ ſervitutis jugum jam janique imminens, immo jam non modice premens, non tantum cave, ſed horre. An ideo non ſervus, quia non uni ſervis, ſed omnibus? Nulla turpior ſervitus graviorve, quàm ſervitus Judæorum, quam quocumque ierint poſt ſe trahunt, & ubique dominos offendunt [b] ſuos. Tu quoque dic quæſo, ubi umquam ſis liber, ubi tutus, ubi tuus? Ubique ſtrepitus, ubique tumultus, ubique jugum tuæ ſervitutis te premit.

*Strepitus ſiniſtri Pontifici vitandus. Jerem. 5. 3. * al. Propheta. * al. quæ fiducia. Job 6. 11. Non omnis patientia probanda. * al. lapidum. 2. Cor. 11. 19. Ibidem. 20. Iſa. 28. 19. Prov. 18. 3.*

CAPUT IV.

Quæ ſervitus digna, quæ indigna ſervo ſervorum Dei.

5. Nec mihi reponas * nunc Apoſtoli vocem, qua ait: *Cum eſſem liber ex omnibus, omnium ſervum me feci.* Longe eſt iſtud à te. Numquid hac ille ſervitute hominibus inſerviebat in acquiſitione turpis quæſtus? Numquid ad eum de toto orbe confluebant ambitioſi, avari, ſimoniaci, ſacrilegi, concubinarii, inceſtuoſi, & quæque iſtiuſmodi monſtra hominum, ut ipſius apoſtolica auctoritate vel obtinerent honores eccleſiaſticos, vel retinerent? Ergo ſervum ſe * fecit homo, cui vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, ut plures lucrifaceret Chriſto, non ut lucra augeret avaritiæ. Non eſt igitur quod de ſollertiſſima Pauli induſtria, & caritate tam libera quàm liberali, ſervili converſationi * tuæ patrocinium ſumas. Quàm tuo dignius apoſtolatu, quàm ſalubrius tuæ conſcientiæ, quam fructuoſius Eccleſiæ Dei audias potius ipſum alibi dicentem: *Pretio empti eſtis, nolite effici ſervi hominum.* Quid ſervilius indigniuſque, præſertim ſummo Pontifici, quam, non dico omni die, ſed pæne omni hora, inſudare talibus rebus, & pro talibus? Denique quando oramus? quando docemus populos? quando ædificamus Eccleſiam? quando meditamur in lege? Et quidem quotidie perſtrepunt in palatio leges, ſed Juſtiniani, non Domini. Juſtene etiam iſtud? Tu videris. Nam certe lex Domini immaculata, convertens animas. Hæ autem non tam leges, quàm lites ſunt & cavillationes, ſubvertentes judicium. Tu ergo Paſtor & Epiſcopus animarum, qua mente, obſecro, ſuſtines coram te ſemper ſilere illam, garrire iſtas? Fallor, ſi non movet tibi ſcrupulum perverſitas hæc. Puto quod & interdum compellat clamare ad Dominum cum Propheta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* I ergo, & te aude liberum profiteri ſub tam gravi mole inconvenientiæ hujus, & cui fas non ſit cervicem ſubducere. Nam ſi potes & non vis, multo magis ſervus es hujus ipſius tam perverſæ voluntatis tuæ. An non ſervus, cui dominatur iniquitas? Et maxime. Niſi tu forte indignius judices hominem tibi, quam vitium dominari. Quid intereſt, volens ſervias, an invitus? Nam etſi coacta ſervitus miſerabilior, ſed affectata miſerior eſt. Et quid vis me facere, inquis? Ut tibi ab his occupationibus parcas. Impoſſibile fortaſſe reſpondebis, facilius cathedræ valedicere poſſe. Recte hoc, ſi rumpere, & non magis interrumpere iſta hortarer.

** al. opponas. 1. Cor. 9. 19. B. Pauli ſervitus qualis. Servitus indigna Pontifice. * al. te fecit. * al. conditioni. 1 Cor. 7. 23. Pſal. 18. 8. Prælatis potius curandæ leges Dei, quam Juſtiniani. Vide Notas. Pſal. 118. 85.*

a Ita ſcripti cum vetuſtis editis: Horſtio, *dolorem vel non ſentiens vel non ſuſtinens.*

b Id eſt inveniunt. Gloſſema hoc in quibuſdam ſcriptis invectum in textum.

CAPUT

CAPUT V.

Non gerendam aliorum curam cum sui ipſius incuria & neglectu.

6. AUdi ergo quid redarguam, quid ſuadeam. Si quod vivis & ſapis, totum das actioni, conſiderationi nihil; laudo te? in hoc non laudo. Puto quod & nemo, qui a Salomone audierit: *Qui minoratur actu, percipiet ſapientiam.* Certe nec ipſi actioni expedit conſideratione non præveniri. Si item totus vis eſſe omnium, inſtar illius qui omnibus omnia factus eſt; laudo humilitatem, ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena, te excluſo? Et tu homo es. Ergo ut integra ſit & plena humanitas, colligat & te intra ſe ſinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodeſt, juxta verbum Domini, ſi univerſos lucreris, te unum perdens? Quam ob rem cum omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus unus. Quid ſolus fraudaris munere tui? Uſquequo ſpiritus vadens, & non rediens? Uſquequo non recipis te & ipſe inter alios vice tua? Sapientibus & inſipientibus debitor es; & ſoli negas te tibi? Stultus & ſapiens, ſervus & liber, dives & pauper, vir & femina, ſenex & juvenis, clericus & laicus, juſtus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; & tu ſeorſum ſitiens ſtabis? Si maledictus qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille qui ſe penitus reddit expertem? Sane deriventur aquæ tuæ in plateas; homines & jumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas: ſed inter ceteros bibe & tu de fonte putei tui. *Alienus*, inquit, *non bibat ex eo.* Numquid tu alienus? Cui non alienus, ſi tibi es? Denique qui ſibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico ſemper, non dico ſæpe, ſed vel interdum reddere te ipſum tibi. Utere tu quoque te inter multos, aut certe poſt multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum judicium *. Puto & ipſo Apoſtolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo plus quam oportet, inquis. Non inficior. Quid, ſi ita oportet? Nam tu (ut confido) noſtra non eris meticuloſa informatione contentus, ſed abundabis magis. Sane ſic decet, te ſcilicet abundantiorem, quàm me audaciorem eſſe. Ego quoque mihi tutius judico apud majeſtatem timiditate, quam temeritate periclitari. Et fortaſſis non ſecus muneri ſapientem oportuit, ut ſit quod ſcriptum eſt: *Da occaſionem ſapienti, & ſapientior erit.*

CAPUT VI.

Non tam Epiſcopis, quàm Principibus judiciariam poteſtatem competere.

7. AUdi tamen Apoſtolum, quid de hujuſmodi ſentiat. *Sic non eſt inter vos ſapiens*, ait ille, *qui judicet inter fratrem & fratrem?* Et infert: *Ad ignominiam vobis dico: contemptibiliores qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Itaque ſecundum Apoſtolum, indigne tibi uſurpas tu Apoſtolicus officium * vile, gradum contemptibilium. Unde & dicebat Epiſcopus, Epiſcopum inſtruens: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Ego autem parco tibi. Non enim fortia loquor, ſed poſſibilia. Putaſne hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus litigantibus pro terrena hereditate, & flagitantibus abs te judicium, voce Domini tui reſponderes: O homines, quis me conſtituit judicem ſuper vos? In quale tu judicium mox venires? Quid dicit homo ruſticanus & imperitus, ignorans primatum [a] ſuum, inhonorans ſummam & præcelſam ſedem, derogans apoſtolicæ dignitati? Et tamen non miniſtrabunt, puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique lego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego. Erit illud [b], non fuit. Itane imminutor eſt dignitatis ſervus, ſi non vult eſſe major domino ſuo: aut diſcipulus, ſi non vult eſſe major eo qui ſe miſit: aut filius, ſi non tranſgreditur terminos, quos poſuerunt patres ſui? *Quis me conſtituit judicem?* ait ille Dominus & magiſter: & erit injuria ſervo diſcipuloque, niſi judicet univerſos? Mihi tamen non videtur bonus æſtimator rerum, qui indignum putat Apoſtolis ſeu apoſtolicis viris non judicare de talibus, quibus datum eſt judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cæleſtibus & angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claves regni cælorum, prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores. *Ut ſciatis*, ait, *quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*, &c. Quænam tibi major videtur & dignitas, & poteſtas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infima & terrena judices ſuos, reges & principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? Non quia indigni vos, ſed quia indignum vobis talibus inſiſtere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi neceſſitas exigit, audi quid cenſeat Apoſtolus: *Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis.*

Non decet Pontificem de terrenis judicare.

Sed Principes ſeculares.

CAPUT VII.

Pietati & rerum æternarum conſiderationi in primis vacandum eſſe.

8. SEd aliud eſt incidenter excurrere in iſta, cauſa quidem urgente: aliud ultro incumbere iſtis, tamquam magnis digniſque tali & talium intentione rebus. Itaque hæc & innumera talia dicerem, ſi fortia dicerem, ſi recta, ſi ſincera. Nunc autem quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim admonitum eſſe, non totum te, nec ſemper dare actioni: ſed conſiderationi aliquid tui & cordis, & temporis ſequeſtrare. Hoc autem dico neceſſitatem intuens, non æquitatem. quamquam non ſit præter æquum, neceſſitati cedere. Nam ſi liceret quod deceret, abſolute per omnia & in omnibus præferendam, & vel ſolam, vel maxime colendam eam, quæ ad omnia valet, id eſt pietatem, prorſus irrefragabilis ratio monſtrat. Quid ſit pietas quæris? Vacare conſiderationi. Dicas forſitan in hoc diſſentire me ab illo *, qui pietatem diffinit cultum Dei. Non eſt ita. Si bene conſideras, illius ſenſum meis expreſſi verbis, etſi * tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quam quod ipſe hortatur in Pſalmo: *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus?* quod ſane in partibus conſiderationis præcipuum eſt. Quid denique * tam valens ad omnia, quam quæ ipſius quoque actionis partes benigna quadam præſumptione ſuas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda ſunt? Neceſſario ſane; ne forte quæ & prævisa & præmeditata poterant eſſe proficua, præcipitata magis periculo fiant. quod tibimet, ſi recordaris in ipſis actionibus cauſarum, & in magnis quibuſque negotiis, magnarumve conſiliis rerum frequenter accidiſſe non ambigo. Et primum quidem ipſum fontem ſuum, id eſt mentem, de qua oritur, purificat conſideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat, poſtremo divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat aut incorrectum *, aut correctione egens. Hæc eſt quæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis quaſi non ſentit: quorum alterum fortitudinis; alterum prudentiæ eſt.

Conſiderationi aliquid dandum.

Id eſt pietati.

* Iob 28 v. 28. juxta LXX.

* al. licet ex parte

* al. deinde.

Conſiderationis effectus & utilitates.

* al. incorruptum aut corruptum.

a In quodam codice Vaticano apud Voſſium, *perſonatum*, & in conſequentibus ubique pro *primatus* ibidem legitur *perſonatus*, contra fidem ceterorum mſſ. & editorum.

b Nempe ut ſedeant judicantes, juxta illud Matthæi 19. verſ. 28. *Sedebitis & vos*, &c.

CAPUT VIII.

Ex pietate & contemplatione pulcherrimam quatuor primarum virtutum harmoniam & connexionem oriri.

Inde quatuor virtutes cardinales.

9. Ibi etiam advertere tibi eſt ſuaviſſimum quemdam concentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera; ſicut hoc loco vides, Fortitudinis matrem eſſe prudentiam: nec fortitudinem, ſed temeritatem eſſe quemlibet auſum, quem non parturivit prudentia. Hæc item eſt, quæ inter voluptates & neceſſitates media, quaſi quædam arbitra ſedens, utrimque certis limitibus diſterminat fines, iſtis aſſignans & præbens quod ſat eſt; illis quod nimis eſt demens; & ſic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam. Nempe intemperantem ipſa conſideratio cenſet, tam eum, qui neceſſariis pertinaciter demit, quàm qui indulget ſuperfluis. Non eſt ergo temperantia in ſolis reſecandis ſuperfluis: eſt & in admittendis neceſſariis. Hujus ſententiæ Apoſtolus non fautor tantum, ſed auctor eſſe videtur, qui curam carnis noſtræ docet non perfici in deſiderio. Dicens ſiquidem *curam carnis non perfice*, ſuperflua cohibet: addens, *in deſiderio*, neceſſaria non excludit. Unde mihi videtur non omnino abſurde diffinire Temperantiam, qui hanc nec præcidere neceſſitatem, nec excedere dicat, juxta illud Philoſophi; *Ne quid nimis.*

Fortitudo ex prudentia, quid.

Temperantia ex fortitudine quid.

Rom. 13. 14.

Juſtitiæ perfectio in quo.

10. Jam de Juſtitia, quæ una ex quatuor eſt, nonne conſtat conſideratione mentem præveniri, ut ſe formet in ea? Se enim neceſſe eſt prius cogitet, ut ex ſe normam ducat juſtitiæ, nec factura utique alteri, quod ſibi fieri nolit; nec quod ſibi velit fieri negatura. In his nempe duobus liquet integrum eſſe juſtitiæ ſtatum. Sed nec ipſa ſolitaria eſt. Intuere etenim nunc mecum etiam hujus pulcram connexionem & cohærentiam cum temperantia, & item ambarum cum duabus ſuperioribus, id eſt prudentia & fortitudine. Nam cum juſtitiæ dicatur portio, quod ſibi non vult fieri quis, alii non facere; porro perfectio, quod ait Dominus, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: neutrum horum erit, niſi ipſa voluntas, de qua tota ducitur forma, ſic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid ſuperfluum, nec neceſſarium quid ſuperſtitioſe nolit, quod quidem temperantiæ eſt. Denique & ipſi juſtitiæ, ut juſta ſit, temperantia modum imponit. *Noli nimium eſſe juſtus*, ait Sapiens, oſtendens per hoc minime approbandam juſtitiam, quæ temperantiæ moderamine non frenetur. Quid quod & ipſa ſapientia hoc temperantiæ frenum non reſpuit? dicente Paulo ſecundum ſapientiam à Deo ſibi datam, *non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Sed & è converſo, quod temperantiæ neceſſaria juſtitia ſit, oſtendit Dominus, arguens in Evangelio illorum temperantiam, qui abſtinebant ut viderentur hominibus jejunantes. Erat in cibo temperantia, ſed non juſtitia in animo: quia non Deo placere, ſed hominibus intendebant. Quomodo rurſum vel iſta, vel illa ſine fortitudine? cum conſtet fortitudinis eſſe, & non mediocris, cohibere velle & nolle ſuum inter anguſtias, parum & nimis; ut ſit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, ſolo, conſtante ſibi, æquali undique ſui, utpote ex omni parte pariter circumciſo, quem ſolum conſtat eſſe virtutis.

Connexio juſtitiæ cum aliis.

Matth. 7. 12.

Eccleſ. 7. 17.

Rom. 12. 3.

Temperantiæ juſtitia neceſſaria.

Matth. 6. 16.

utrique fortitudo.

Medium quid competat virtutibus cardinalibus.

11. Dicito mihi, quæſo, ſi potes, cuinam potiſſimum trium harum virtutum meditullium hoc dandum cenſeas, quod ita cunctis conterminum eſt, ut videatur eſſe proprium ſingularum? An ipſum virtus eſt, & nihil aliud? Sed ſic virtus non eſſet multiplex, ſed eſſent omnes una. An potius, quia ſine eo virtus non eſt, omnium quodammodo intima vis una eſt & medulla virtutum, in qua ſic uniuntur, ut proinde * una videantur omnes? præſertim quod non illud participando communicant, ſed totum à ſingulis atque integrum poſſidetur. Verbi cauſa, quid tam juſtitiæ, quàm modus? Alioquin ſi quid extra modum relinquit, non plane cuique tribuit quod ſuum eſt. quod tamen ſuum ipſius eſt facere. Quid tam rurſum temperantiæ, quæ non aliunde profecto temperantia eſt, niſi quod nil immoderatum admittit? Sed, puto, fatebere etiam non minus eſſe fortitudinis, enim vel maxime ipſa ſit, quæ ab irruentibus vitiis, & quaſi hinc inde ſuffocare conantibus, purum illud potenter eruit & vindicat in quoddam ſtabile fundamentum boni, ſedemque virtutis. Ergo modum tenere juſtitia eſt, temperantia eſt, fortitudo eſt. Sed vide ne in hoc differant, ut juſtitiæ quidem in affectu res ſit; à fortitudine autem efficacia ejus; porro poſſeſſio atque uſus apud temperantiam. Reſtat ut doceamus ab hac communione prudentiam non excludi. Nonne ipſa eſt, quæ modum, diu animi neglectu poſthabitum, & vitiorum invidia quaſi in abditis recluſum, & coopertum quadam vetuſtatis caligine, prior reperit & advertit? Propterea dico tibi: à paucis advertitur, quia paucorum prudentia eſt. Itaque juſtitia quærit, prudentia invenit, vindicat fortitudo, temperantia poſſidet. Non mihi hoc loco propoſitum eſt de virtutibus diſputare: ſed hæc dixerim hortans ad vacandum conſiderationi, cujus beneficio hæc & ſimilia advertuntur. Cui tam pio, tamque utili otio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere eſt?

* al. perinde

CAPUT IX.

Recentia Pontificum exempla paulatim corrigenda, vetera imitanda.

12. Quid tamen [a], ſi te philoſophiæ huic totum repente devoveris? Prædeceſſores tui non ita conſueverunt: eris moleſtus quam pluribus, quaſi qui à patrum veſtigiis ſubito deviaris. nempe id videberis agere in ſuggillationem illorum. Sed & notabere vulgari proverbio: Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes. veluti qui cupias admirationi fore. Nec potes eorum omnia ſimul & ſubito vel errata corrigere, vel exceſſus redigere in modum. Erit cum acceperis tempus, ut ſecundum ſapientiam tibi à Deo datam paulatim & opportune id ſtudeas. Interim ſane malo alterius utere in bonum quod potes. Quamquam ſi de bonis, & non de novis ſumamus exempla, non defuere Romani Pontifices, qui ſibi otia inter maxima negotia invenirent. Obſidio urbi, & barbaricus enſis civium cervicibus imminebat: numquid tamen iſtud terruit beatum Papam Gregorium, quominus ſapientiam ſcriberet in otio? Eo nempe temporis (quod ex ejus præfatione * liquet) obſcuriſſimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter, quàm eleganter expoſuit.

Contraria exempla non ferenda. V. ib. 4. c. 8.

* al. verbis

CAPUT X.

Abuſus Advocatorum, Judicum, Procuratorum, eorumque fraudes graviter perſtringit.

13. Sed eſto: alius inolevit mos, dies alii ſunt, & alii hominum mores & tempora periculoſa non inſtant jam, ſed exſtant. Fraus, & circumventio, & violentia invaluere ſuper terram. Calumniatores multi, defenſor rarus, ubique potentiores pauperiores opprimunt: non poſſumus deeſſe oppreſſis, non negare injuriam patientibus judicium. Niſi agitentur cauſæ, audiantur partes, inter partes judicari * quid poteſt? Agitentur cauſæ, ſed ſicut oportet. Nam is modus, qui frequentatur, exſecrabilis plane; & qui, non dico Eccleſiam, ſed nec forum deceat *. Miror namque quemadmodum religioſæ aures tuæ audire ſuſtinent hujuſmodi diſputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubverſionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem, & præcide linguas vaniloquas *, & labia doloſa claude. Hi ſunt qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, diſerti adverſus juſtitiam, eruditi pro falſitate. Sapientes ſunt ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. Hi ſunt qui inſtruunt à quibus fuerant inſtruendi; adſtruunt non comperta,

Gregorii exemplum V. Notas.

* al. judicari quis.

Advocatorum fraudes & abuſus.

* al. decorum

* al. maliloquas.

a Aliis alia eſt interpunctio: *Quid tamen? Si te philoſophiæ huic totum repente devoveris, prædeceſſores tui, &c.* Quidam habent, *Quid tum?*

A ſed ſua; ſtruunt de proprio calumnias innocentiæ; deſtruunt ſimplicitatem veritatis, obſtruunt judicii vias. Nihil ita abſque labore manifeſtam facit veritatem, ut brevis & pura narratio. Ergo illas quas ad te neceſſe erit intrare cauſas (neque enim omnes neceſſe erit) diligenter velim, ſed breviter decidere [a] aſſueſcas, fruſtratoriaſque & venatorias præcidere dilationes. Cauſa viduæ intret ad te, cauſa pauperis, & ejus qui non habet quod det. Aliis alias multas poteris committere terminandas, quàm plures nec dignas audientia judicare. Qoid enim opus eſt admittere illos, quorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad judicium? Tanta eſt impudentia nonnullorum, ut cum manifeſtæ ambitionis prurigine ſcateat tota facies cauſæ eorum, non B erubeſcant audientiam flagitare, publicantes ſemetipſos ad multorum conſcientias, in quo vel ſuæ ſolius ſatis poterant confundi judicio. Non fuit qui retunderet attritas frontes; & ideo plures facti ſunt, & magis induruerunt. Sed & nescio quomodo vitioſus conſcientias vitioſorum noo refugit: & ubi omnes ſordent, unius fœtor minime ſentitur. Quis enim umquam, verbi cauſa, avarum avarus, immundum immundus, luxurioſum luxurioſus erubuit? Plena eſt ambitioſis Eccleſia: non eſt jam quod horreat in ſtudiis & molitionibus ambitionis, non plus quàm ſpelunca latronis in ſpoliis viatorum.

a Notas

Ambitioſis plena Eccleſia.

CAPUT XI.

In Advocatos & Procuratores, qui ex iniquitate quæſtum faciunt, ſevere animadvertendum.

14. SI Chriſti diſcipulus es, igneſcat zelus tuus, exſurgat auctoritas adverſus impudentiam hanc & generalem peſtem. Intuere Magiſtrum ſic facientem, & àudi dicentem: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Non parat aures ut audiat, ſed flagellum quo feriat. Verba nec facit, nec recipit. Nec enim ſedet judicans, ſed inſequitur puniens. Cauſam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, oegotiationis feciſſent. Ergo & tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum iſtiuſmodi negotiatores, ſi fieri poteſt: ſi non, timeant. Et tu flagellum tenes. Timeant nummularii, nec fidant in nummis, ſed diffidant; abſcondant æs ſuum à te, ſcientes effundere, quàm accipere paratiorem. Hoc ſtudioſe & conſtanter agendo, multos lucri facies, turpium ſectatores lucrorum honeſtioribus officiis vindicando: multos, ne vel audeant hujuſmodi attentare, ſervabis. Adjice illud, quod non parum proficiet & ad ferias quas tibi ſuadeo. Ita nempe non pauca tibi momenta temporum redimes ad vacandum conſiderationi, quædam (ot dixi) negotia nec audiendo, quædam aliis committendo: quæ tua digna putaveris audientia, C fideli quodam & accommodo ipſi cauſæ compendio terminando. De qua conſideratione his addere aliqua cogito, ſed ſub alterius ſane principio libri: atque hic ſie finis iſtius, ne duplo te oneret minus ſuavis oratio, ſi longa fuerit.

Tom. II. Opusc. I.

Johann. 12. 26.

Vult Pontificem non eſſe facilem audientibus, ſed terribilem.

Quomodo circa judicia ſe gerat.

LIBER II.

CAPUT I.

Apologiam inſtituit, ob infelicem ſucceſſum expeditionis in terram ſanctam ſuſceptæ.

1. MEmor promiſſi mei, quo ecce jam aliquamdio teneor apud te, vir optime, Papa Eugeni, volo ipſo abſolvere me vel ſero. Puderet dilationis, ſi mihi conſcius forem incuriæ, aut contemptus. Non ita eſt: ſed incidimus (ut ipſe noſti) in tempus grave [a], quod & ipſi pæne vivendi uſui videbatur indicere ceſſationem, nedum ſtudiis; cum ſcilicet Dominus provocatus peccatis noſtris, ante tempus quodammodo viſus ſit judicaſſe orbem terræ, in æquitate quidem, ſed miſericordiæ ſuæ oblitus. Non pepercit populo ſuo, non ſuo nomini. Nonne dicunt in gentibus, *Ubi eſt Deus eorum?* Nec mirum. Eccleſiæ filii, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, proſtrati ſunt in deſerto, aut interfecti gladio, aut fame conſumpti. Effuſa eſt contentio [b] ſuper principes, & Dominus errare fecit eos in invio, & non in via. Contritio & infelicitas in viis eorum; pavor, & mæror, & confuſio in penetralibus regum ipſorum. Quàm confuſi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona! Diximus, Pax, & non eſt pax: promiſimus bona, & ecce turbatio. Quaſi vero temeritate in opere iſto, aut levitate uſi ſimus. Cucurrimus plane in eo, non quaſi in incertum, ſed jubente te, immo per te Deo. Quare ergo jejunavimus, & non aſpexit? humiliavimus animas noſtras, & neſcivit? Nam in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta. Quàm paticnter interim adhuc audit voces ſacrilegas, & Ægyptios blaſphemantes; quia callide eduxit eos, ut occideret in deſerto? Et quidem judicia Domini vera: quis neſciat? At judicium hoc abyſſus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare beatum, qui non fuerit ſcandalizatus in eo.

Expeditionis ſacræ infelix ſucceſſus.

Pſal. 113. 2.

Pſal. 106. 40.
Pſal. 13. 3.

Iſa. 10. 7.

Exod. 32. 12.
Pſal. 26. 10.

2. Et quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minime comprehendere valet? Recordemur ſupernorum judiciorum, quæ à ſæculo ſunt, ſi forte ſit conſolatio. Nam quidam ita dixit: *Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum.* Rem dico ignotam nemini, & nunc nemini notam. D Nempe ſic ſe habent mortalium corda: q o o o ſcimus cum neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus. Moyſes educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus eſt terram. Nam quando ipſum aliter ſequeretur populus, ſolam ſapiens terram? Eduxit; eductos tamen in terram, quam promiſerat, non introduxit. Nec eſt quod ducis temeritati imputari queat triſtis & inopinatus eventus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante ſequentibus ſignis. Sed populus ille, inquis, duræ cervicis E fuit, ſemper contentioſe agens contra Dominum, & Moyſen ſervum ejus. Bene, illi increduli & rebelles; hi autem quid? Ipſos interroga. Quid me dicere opus eſt, quod fatentur ipſi? Dico ego unum. Quid poterant proficere, qui ſemper revertebantur, cum ambularent? Quando & iſti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? Quod ſi illi ceciderunt & perierunt propter iniquitatem ſuam; miramur iſtos eadem facientes, eadem paſſos? Sed numquid illorum caſus adverſus promiſſa Dei? Ergo nec iſtorum. Neque enim aliquando promiſſiones Dei juſtitiæ Dei præjudicant. Et audi aliud.

Pſal. 118. 52.

Exemplis ſe tuetur à calumnia.

Exod. 3. 8.

Malos morte crucc ſignatorum cauſas tut.

F 3. Peccavit Benjamin: accinguntur reliquæ tribus ad ultionem, nec ſine nutu Dei. Deſignavit denique ipſe ducem prœliaturis. Itaque prœliantur, freti & manu validiori, & cauſa potiori, & (quod his majus eſt) favore divino. At quam terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! Terga dedere ſceleratis ultores ſceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: *Aſcendite*, inquit. Aſcendunt denuo, denuoque fuſi & confuſi ſunt. Ita Deo primum quidem favente, ſecundo & jubente, juſti juſtum certamen ineunt, & ſuccumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fide ſuperiores inventi ſunt. Quid putas de

Judic. 20. 8.

Pſal. 65. 5.

a Scilicet cum homines ſæculi de infelici ſacræ expeditionis eventu conquerebantur. Vide fuſiores Notas.

b Locus ſumtus ex pſalmi 106 verſ. 40. ubi quondam Bernardi tempore legebatur *contentio*, ut apud VVillelmum Tyrenſem in lib. 16. cap. 21 pro eo quod modo habemus *contemptio*, rectius ex græco ἐξουδένωσις.

Tom. II. Opusc. I.

me facerent iſti, ſi meo hortatu [a] iterato aſcenderent, A iterato ſuccumberent? quando me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus, in quo ſemel jam, & ſecundo fruſtrati forent? Et tamen Iſraelitæ unam & alteram non reputantes fruſtrationem, tertio parent, & ſuperant. Sed dicunt forſitan iſti: Unde ſcimus quod à Domino ſermo egreſſus ſit? Quæ ſigna tu facis, ut credamus tibi? Non eſt quod ad iſta ipſe reſpondeam: parcendum verecundiæ [b] meæ. Reſponde tu pro me & pro te ipſo, ſecundum ea quæ audiſti, & vidiſti; aut certe ſecundum quod tibi inſpiraverit Deus.

4. Sed forte miraris me proſequi iſta, qui aliud propoſueram. Facio non oblitus propoſiti, ſed quod à propoſito non judicem aliena. B Nempe de conſideratione (ut memini) ſermo mihi ad tuam dignationem. Et ſane magna iſta res, & egens conſideratione non minima. Quod ſi res magnas a magnis conſiderari oportet, cui æque, ut tibi, id ſtudii competit, qui parem ſuper terram non habes? *(Papa hic parem non habet.)* Sed tu ſecundum ſapientiam & poteſtatem datam tibi deſuper, facies de hoc. Non eſt meæ humilitatis dictare tibi ſic vel ſic fieri quicquam. Sufficit intimaſſe oportere aliquid fieri, unde & Eccleſia conſoletur, & obſtruatur os loquentium iniqua. *(Bona conſcientia, optima apologia.)* Hæc pauca vice apologiæ dicta ſint, ut ipſa qualiacumque habeat conſcientia tua ex me, unde habeat me excuſa- C tum, & te pariter, etſi non apud eos qui facta ex eventibus æſtimant, certe apud teipſum. PERFECTA & abſoluta cuique excuſatio, teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Mihi pro minimo eſt ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. *(Iſa. 5. 20. Bern. mavult ſe peti maledictis quàm Deum.)* Etſi neceſſe ſit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum eſſe. Bonum mihi, ſi dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata ſpicula blaſphemorum, ut non ad ipſum perveniant. Non recuſo inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam?* *(Pſal. 68. 8.)* D Gloria mihi eſt, conſortem fieri Chriſti, cujus illa vox eſt: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* *(Pſal. 68. 10.)* Nunc jam recurrat ſtilus ad ſuam materiam, & in ea quæ propoſueramus, ſuo tramite gradiatur oratio.

CAPUT II.

Conſiderationis à contemplatione diſtinctio.

5. ET primo quidem ipſam conſiderationem quid dicam, conſidera. Non enim idem per omnia quod contemplationem intelligi volo; quod hæc ad rerum certitudinem, illa ad inquiſitionem magis ſe habeat. Juxta quem ſenſum poteſt contemplatio quidem defini- E ri, verus certuſque intuitus animi de quacumque re, *(Quid ſit Contemplatio)* ſive apprehenſio veri non dubia. Conſideratio autem, intenſa ad inveſtigandum cogitatio, vel intentio animi veſtigantis verum. *(Quid Conſideratio.)* Quamquam ſoleant ambæ pro invicem indifferenter uſurpari.

CAPUT III.

Conſiderationis quatuor puncta deſignat.

6. JAm quod ad conſiderationis attinet fructum, quatuor, ut occurrunt, tibi conſideranda reor: te, quæ ſub te, quæ circa te, quæ ſupra te ſunt. *(Quatuor conſideranda.)* A te tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris in alia, te neglecto. F Quid tibi prodeſt ſi univerſum mundum lucreris, te unum perdens? *(Matt. 16. 26.)* ETSI ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris. Quantum vero? Ut quidem ſenſerim ego, totum. *(Cognitio & cura ſui quàm neceſſaria. V. ſup. lib. 1. cap. 5.)* Noveris licet omnia myſteria, noveris lata terræ, alta cæli, profunda maris; ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam, non ſtructuram faciens. Quidquid exſtruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. Sapiens ſibi ſapiens erit: & bibet de A fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſideratio; non ſolum autem, ſed & in te finiatur. Quocumque evagetur, ad te revocaveris eam cum ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de ſummo omnium Patre, Verbum ſuum * & emittente, & retinente. *(* al. ex ſe emittente.)* Verbum tuum, conſideratio tua: quæ ſi procedit, non recedat. Sic progrediatur, ut non egrediatur; ſic exeat, ut non deſerat. In acquiſitione ſalutis nemo tibi germanior unico matris tuæ. Contra ſalutem propriam cogites nihil. Minus dixi, contra: præter, dixiſſe debueram. QUICQUID ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum.

CAPUT IV.

Notitiam ſui ipſius triplici conſideratione ſub complectitur; & primum quidem conſiderationis membrum hic exſequitur.

7. ET hæc tui conſideratio in tria quædam dividitur, ſi conſideres quid, quis, & qualis ſis. *(Conſideratio ſui tripertita.)* Quid in natura, quis in perſona, qualis in moribus. Quid, verbi gratia, homo. Quis, Papa vel ſummus Pontifex. Qualis, benignus, manſuetus, vel quicquid tale. Quamquam primum illud, philoſophicum ſit magis, quàm apoſtolicum veſ- C tigare; attamen eſt in definitione hominis, quem dicunt animal rationale, mortale. *(Homo quid.)* quod diligentius intueri ſi libet, licet. Non eſt quod tuæ in eo aut profeſſioni obviet, aut dignitati: eſt vero quod ſaluti afferre queat. Nam conſideranti duo hæc ſimul, rationale, mortaleque; is tibi exinde occurrit fructus, ut & mortale, quod in te eſt rationale humiliet; & rurſum rationale, mortale confortet. quod neutrum neglectui erit homini circumſpecto. Si qua adhuc præſens conſideranda requirit locus, tractabuntur infra, & forte utilius ex partium collatione.

CAPUT V.

D *Alterum membrum conſiderationis ſui proponit: nempe, Quis ſit, & unde.*

8. NUnc quis ſis, & de quo ſis factus, advertendum. Quamquam quod dixi, de quo, id mihi prætereundum putem, tuæ potius relinquendum agnitioni. Illud dico indignum tibi, citra perfectum agere de tanta aſſumpto perfectione. Quidni erubeſcas minimus inveniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis exſtitiſſe? *(Monaſticæ profeſſionis ei memoriam revocat)* Non es oblitus primæ * profeſſionis: *(* al. primæ tuæ.)* non excidit menti quæ ſubducta eſt manui, ſed ne affectui quidem. Ipſam ad ſingula tua imperia, judicia, inſtituta, habere præ oculis non erit inutile. Hæc te conſideratio facit honoris contemptorem in honore ip- E ſo. Atque id magnum. Non recedat à pectore: clypeus eſt tibi vel à ſagitta illa, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* *(Pſal. 48. 13.)* Loquere ergo tibi: Abjectus eram in domo Dei mei. Quale eſt hoc, de paupere & abjecto levari ſuper gentes & regna*? *(* V. Notas. Luc 14. 10.)* Quis ego, aut quæ domus patris mei, ut ſedeam excelſis ſublimior? Sane qui dixit mihi, *Amice, aſcende ſuperius;* amicum fore fidit. Si minus inveniar, non expedit quidem. Qui elevavit, & dejicere poteſt. Sera querela: *Quoniam elevans alliſiſti me.* *(Pſal. 101. 11.)* NON eſt quod blandiatur celſitudo, ubi ſollicitudo major. Illa diſcrimen intendit, hæc amicum probat. Huic accingamur, ſi nolumus tandem cum rubore noviſſimum locum tenere.

CAPUT VI.

F *Quale debeat eſſe Procerum Eccleſiæ ſtudium.*

9. FActum ſuperiorem diſſimulare nequimus; ſed enim ad quid, omnimodis attendendum. Non enim ad dominandum opinor. Nam & Propheta, cum ſimiliter levaretur, audivit: *Ut evellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes.* *(Jerem. 1. 10.)* Quid horum faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. *(Prælati eſt miniſterium, non dominium.)* Et nos igitur,

[a] Quid ad ſuſcipiendam expeditionem contulerit Bernardus, docent ejus epiſtolæ 256. 258 & 358. atque liber 3. de ejus vita cap. 4.
[b] Miracula ſubintelligit, quibus Deus Bernardi prædicationem & hortationes ad bellum ſacrum probavit, in lib. 4. de ejus vita cap. 5. & ſeq. Vide epiſtolam 242. ad Toloſanos, & ibidem Notas breviores.

* al. et non multum. ut * multum ſentiamus de nobis, impoſitum ſenſeri-
mus miniſterium, non dominium datum. Non ſum
ego major Propheta; & ſi forte par poteſtate, ſed me-
ritorum non eſt comparatio. Hæc loquere tibi, & do-
ce te ipſum, qui alios doces. Puta te velut unum ali-
quem ex prophetis. An non ſatis ad te? Et nimium.
Sed gratia Dei es id quod es. Quid? Eſto quod prophe-
ta. numquid plus quam propheta? Si ſapis, eris con-
tentus menſurâ, quam tibi menſus eſt Deus. Nam quod
amplius eſt, à malo eſt. Diſce exemplo prophetico
præſidere non tam ad imperitandum, quàm ad facti-
Prælato ſarculus neceſſarius, non ſceptrum. tandum quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus
eſſe, non ſceptro, ut opus facias prophetæ. Et quidem
B ille non regnaturus aſcendit, ſed extirpaturus. Putaſ-
* al. non invenies. ne & tu invenias * aliquid elaborandum in agro Do-
mini tui? Et plurimum. Non plane totum qui vere
* al. emundare. emundare * Prophetæ: aliquid filiis ſuis Apoſtolis quod
agerent reliquerunt; aliquid ipſi parentes tui tibi. Sed
Labora maneſ eſt non deerit. nec tu ad omne ſufficies. Aliquid profecto tuo relictu-
tus es ſucceſſori, & ille aliis, & alii aliis uſque in fi-
nem. Circa undecimam denique horam operarii otii
Matth. 9. 37. arguuntur, & mittuntur in vineam. Anteceſſores tui
Apoſtoli audierunt, quia *meſſis quidem multa, operarii*
Galat. 4. 7. *vero pauci* Paternam tibi vindicato hereditatem. Nam
ſi filius, & heres. Ut probes heredem, evigila ad cu-
Matth. 20. 6. ram; & non otio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic
C ſtas tota die otioſus?

10. Multo minus inveniri oportet aut deliciis reſo-
lutum, aut reſupinum pompis. Nihil horum tibi tabu-
læ teſtatoris aſſignant. Sed quid? Si illarum tenore
contentus ſis, curam potius hereditabis & operam,
Epiſcopus eſt nomen officii, non dominii. quàm gloriam & divitias. Blanditur cathedra? Specula
eſt. Inde denique ſuperintendis, ſonans tibi Epiſcopi
nomine non dominium, ſed officium. Quidni loceris
in eminenti, unde proſpectes omnia, qui ſpeculator
ſuper omnia conſtitueris? Enimvero proſpectus iſte
* al. quando. procinctum parit, non otium. Quomodo * libet
gloriari, ubi otiari non licet? Nec locus eſt otio, ubi
ſedula urget ſollicitudo omnium eccleſiarum. Nam
Act. 3. 6. D quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? *Quod habeo*,
inquit, *hoc tibi do*. Quid illud? Unum ſcio: non eſt
aurum neque argentum, cum ipſe dicat: *Argentum &*
Quo jure Papa habeat temporalia. *aurum non eſt mihi*. Si habere contingat, utere non pro
libitu, ſed pro tempore. Sic eris utens illis, quaſi non
utens. Ipſa quidem, quod ad animi bonum ſpectat,
nec bona ſunt, nec mala: uſus tamen horum bonus,
abuſio mala, ſollicitudo pejor, quæſtus turpior. Eſto,
ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices: ſed non
apoſtolico jure. Nec enim tibi ille dare quod non ha-
buit potuit. Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem,
ut dixi, ſuper eccleſias. Numquid dominationem? Au-
1. Petr. 5. 3. di ipſum. *Non dominantes, ait, in clero, ſed forma facti*
E *gregis*. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam
Luc. 22. 25. veritate, vox Domini eſt in Evangelio: *Reges gentium*
dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, be-
nefici vocantur. Et infert: *Vos autem non ſic*. Planum eſt:
Apoſtolis interdicitur dominatus.

11. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans
apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Plane ab
alterutro prohiberis. Si utrumque ſimul habere voles,
al. exemptum. perdes utrumque. Alioquin non te exceptum * illorum
Oſee 8. 4. numero putes, de quibus queritur Deus ſic: *Ipſi regna-*
verunt, & non ex me; principes extiterunt, & ego non
cognovi. Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes gloriam,
ſed non apud Deum. At ſi interdictum tenemus, au-
Luc. 22. 26. F diamus edictum. *Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut junior;*
& qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma apoſtolica
hæc eſt: dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio.
quæ & commendatur ipſius exemplo Legiſlatoris, qui
Ibidem 27. ſecutus adjungit: *Ego autem in medio veſtrum ſum, tam-*
Chriſti exemplo glorioſius eſt miniſtrare quàm dominari. *quam qui miniſtrat*. Quis ſe jam titulo hoc inglorium
putet, quo ſe prior Dominus gloriæ præſignivit? Me-
rito Paulus gloriatur in eo, dicens: *Miniſtri Chriſti*
2. Cor. 11. 23. *ſunt, & ego*. Et addit: *Ut minus ſapiens dico, plus ego.*
In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in pla-
gis ſupra modum, in mortibus frequenter. O præclarum

A miniſterium! Quo non id glorioſius principatu? Si
gloriari oportet, forma tibi ſanctorum præfigi-
Apoſtolorum gloria, crux & labores. tur, Apoſtolorum proponitur gloria. Parvane tibi illa
videtur? Quis mihi tribuat ſimilem fieri in gloria ſan-
Pſal. 138. 17. ctorum? Clamat Propheta: *Mihi autem nimis honori-*
ficati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt princi-
Gal. 6. 14. *patus eorum*. Clamat Apoſtolus: *Mihi autem abſit glo-*
riari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti.

12. Hoc glorieris opto ſemper optimo genere glo-
riæ, quod Apoſtoli, quod Prophetæ delegere ſibi, tranſ-
miſere * tibi. Agnoſce hereditatem tuam in Chriſti * al. reliquere.
cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit:
Plus omnibus laboravi Gloria eſt, ſed nil in ea inane, 1. Cor 15. 10.
B nil molle, nil reſupinum. Si labor terret, merces in- Exhortatio ad ſollicitudinem, atque laborem.
vitet. Unuſquiſque enim ſecundum ſuum laborem
mercedem accipiet. Et ſi ille plus omnibus laboravit,
non tamen totum elaboravit: & adhuc locus eſt. Exi
in agrum Domini tui, & conſidera diligenter, quantis
hodieque de veteri maledicto ſilveſcat ſpinis ac tribu-
lis. Exi, inquam, in mundum: ager eſt enim mundus,
iſque creditus tibi. Exi in illum, non tamquam domi-
nus, ſed tamquam villicus, videre & procurare unde
exigendus es rationem. Exi *, dixerim, quibuſdam tuæ * al. Exi et quibuſdam.
paſſibus intentæ ſollicitudinis, & ſollicitæ intentionis.
Neque enim ipſi qui juſſi ſunt ire in orbem univerſum,
orbem circumierunt præſentia corporis, ſed mentis
C providentia. Et tu leva oculos quoſdam conſideratio-
nis tuæ, & vide regiones, ſi non ſunt magis ſiccæ ad
ignem, quàm albæ ad meſſem. Quam multæ, quas pu-
taveras fruges, diligenter inſpectæ, vepres potius ap-
parebunt? Immo ne vepres quidem: annoſæ & veter-
noſæ arbores ſunt, ſed non profecto fructiferæ: niſi
forte glandium aut ſiliquarum, quas porci manducant.
Quouſque occupant terram? Nonne, ſi exis & cernis
iſta, pudebit otioſam jacere ſecurim; pudebit ſine
cauſa falcem apoſtolicam accepiſſe?

13. In hunc quondam agrum Iſaac patriarcha exie-
rat, cum primo Rebecca occurrit ei: &, ut Scriptura
habet, *Exierat ad meditandum*. Ille ad meditandum, Geneſ. 24. 63.
D tu ad extirpandum egrediaris neceſſe eſt. Tibi jam
præceſſiſſe meditatio debet: tempus faciendi præ ma-
nibus. Si nunc hæſitare * incipias, id quidem ſero. * al. cogitare.
Ante, juxta conſilium Salvatoris, ſediſſe debueras, Luc. 14. 28.
ante æſtimaſſe opus, metiri vires, ponderaſſe ſapien- Ante dignitatem metiendæ vires.
tiam, merita comparaſſe, ſumptus computaſſe vir-
tutum. Age ergo, puta tempus putationis adeſſe, ſi
tamen meditationis præivit. Si cor moviſti, moven-
da jam lingua, movenda eſt & manus. Accingere gla-
dio tuo, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Glo- Epheſ. 6. 17.
rifica manum & brachium dextrum in faciendo vindic-
tam in nationibus, increpationes in populis, in alli-
gando reges eorum in compedibus, & nobiles eorum
E in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas miniſte-
rium tuum, & miniſterium te. Non mediocris iſte
principatus. Exturbare eſt hoc malas beſtias à termi- Paſtorum eſt domare lupos, non dominari ovibus.
nis tuis, quo greges tui ſecuri in paſcua educantur.
Domabis lupos, ſed ovibus non dominaberis. Paſcen-
das utique, non premendas ſuſcepiſti. Si bene conſi-
deraſti, quis ſis; hæc te oportere facere non ignoras.
Porro ſcienti & non facienti, peccatum eſt tibi. Non Jacob. 4. 17.
es oblitus ubi legeris: *Servus ſciens voluntatem domini* Luc. 12. 47.
*ſui, & non faciens *, plagis vapulabit multis*. Sic Pro- * al. faciens digna.
phetæ, ſic Apoſtoli factitabant. Fortes fuere in bello,
non molles in ſericis. Si filius es Apoſtolorum & Pro- Qualis nobilitas quærenda Prælatis Eccleſiæ.
phetarum, & tu fac ſimiliter. Vindica tibi nobile ge-
F nus ſimilibus moribus; quod non aliunde nobile, quàm
morum ingenuitate, & fidei fortitudine fit. Per hanc Hebr. 11. 33.
vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt re-
promiſſiones. Hoc chirographum paternæ tuæ heredi-
tatis, quod tibi evolvimus, ubi inſpicias portionem * * al. add. ſubſtantiæ.
quæ te contingit. Induere fortitudinem, & heredita-
ſti. Poſſide fidem, poſſide pietatem, poſſide ſapien-
tiam, ſed ſapientiam ſanctorum, (ipſa eſt timor Do-
mini) & habes quod tuum eſt. Habes ſine defrauda-
tione integrum paternum fundum. Pretioſiſſimus fun- Qualis fundus.
dus virtus eſt. Bonus fundus humilitas, in quo

Tom. II. Opusc. I.

A omne ædificium ſpirituale conſtructum creſcit in templum ſanctum in Domino. Per hanc nonnulli poſſidere etiam portas inimicorum. Quæ enim virtutum æque poteſt dæmonum omnem debellare ſuperbiam, tyrrannidem hominum? Ceterum cum omni indifferenter perſonæ hæc ſit quædam turris fortitudinis à facie inimici; neſcio quo pacto tamen vis ejus major in majoribus, & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla ſplendidior gemma, in omni præcipue ornatu ſummi Pontificis. Quo enim celſior ceteris, eo humilitate apparet illuſtrior & ſeipſo.

Humilitatis commendatio in magnatibus.

CAPUT VII.

Reſumens priorem quæſtionem, quis ſit, diligentius expendit.

14. ARguar forſitan, quod non ſatis primis explicitis partibus, in ſecundas neſcio quomodo ſtilus excurrerit, deſcribere inchoans qualem te oporteat eſſe, cum necdum, quis ſis, plenius expreſſiſſet. Credo erubeſcens in ſummo poſitum apice videri hominem nudum, feſtinavit induere inſignibus ſuis. Abſque his nempe eo deformior, quo illuſtrior pares. Numquid poteſt abſcondi civitatis ſupra montem poſitæ deſolatio; aut latere fumus lucernæ extinctæ ſuper candelabrum? Simia in tecto, rex fatuus in ſolio ſedens. Et nunc audi canticum meum, & quidem minus ſuave, ſed ſalutare. MONSTRUOSA res gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas. Admovi ſpeculum: fœdus ſe in eo vultus agnoſcat: tu tuum gaude diſſimilem inveniri. Inſpice tamen & tu, ne forte, etſi ſit unde merito placeas tibi, etiam in quo debeas diſplicere, non deſit. Volo glorieris teſtimonio conſcientiæ tuæ, ſed non minus ut eodem ipſo humilieris. Rara vox, *Nihil mihi conſcius ſum.* Cautior in bonis ambulas, ſi & mala non lateant. Quamobrem, ut dixi, noveris te, ut inter anguſtias quæ non deſunt, fruaris conſcientiæ bono; magis autem ut ſcias quid deſit tibi. Nam cui non deſit? Omnia illi deſunt, qui nil ſibi deeſſe putat. Quid ſi ſummus Pontifex ſis? NUMQUID quia ſummus Pontifex, ideo ſummus? INFIMUM noris eſſe, ſi ſummum putas. Quis ſummus? Cui addi non poſſit. Graviter erras, ſi te illum exiſtimes. Abſit. NON tu de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quàm dignitas fuit. Auguſtis relinquito illam ſententiam, aliiſque, qui divinis * coli honoribus non timuerunt: verbi gratia, Nabuchodonoſor, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu vero conſidera non conſummatione ſummum te dici, ſed comparatione. Nec me putes comparationem dicere meritorum, ſed miniſteriorum. Sic te exiſtimet homo, ut miniſtrum Chriſti, & (quod abſque præjudicio ſanctitatis cujuſpiam dixerim) ſummum plane inter miniſtros. Alias niti te ad ſummum velim, non putare ſummum, aut velle putari antequam ſis. Nam quomodo proficis, ſi jam ſufficis tibi? Non ſit proinde tibi aut pigrum veſtigare quid deſit, aut fateri quod deſit verecundum. Loquere & tu voce anteceſſoris tui: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim.* Et rurſum: *Ego me non arbitror comprehendiſſe.* Hæc ſcientia ſanctorum: hæc longe ab illa quæ inflat. Hanc qui apponit, apponit & dolorem: ſed dolorem hunc nemo umquam ſapiens ſubterfugit. Eſt quippe medicinalis dolor, per quem ſtupor ille letalis animi duri & impœnitentis extunditur. Et ideo ſapiens, qui dicere potuit: *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Nunc jam repetendæ reliquiæ, ſi quæ ſunt, loci illius, à quo paulo ante divertimus.

Indignum dignitates ob indignis occupari. — *Ex teſtimonio conſcientiæ gloria & humiliatio.* — *1. Cor. 4. 4.* — *Nihil habet, qui ſe omnia putat habere.* — * *al. divis.* — *Unde Romanus Pontifex dicatur Summus.* — *Non eſt perfectus, qui non cupit eſſe perfectior.* — *Philip. 3. 12.* — *Ibid. 13.* — *Eccl. 1. 18.* — *Pſal. 37. 18.*

CAPUT VIII.

De pontificiæ dignitatis & poteſtatis excellentia diſſerit.

15. AGe, indagemus adhuc diligentius qui * ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cæli janitores, & B gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi [a] univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium paſtor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? *Si me amas, Petre, paſce oves meas.* Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi * regni? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes ceteri condiſcipuli erant, cum committens uni, C unitatem omnibus commendaret in uno grege & uno paſtore, ſecundum illud: *Una eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea.* Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diviſionem, recedentes ab unitate. Inde eſt quod alii ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, una contentus eſt Jeroſolyma, Petro univerſitatem cedens. Pulcre vero ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, ubi occiſus eſt ille. nam dictus eſt frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogativæ?

* *al. quis.* — *Summi Pontificis elogia.* — *Paſtor paſtorum.* — *Johan. 21. 15.* — * *al. certe.* — *Cant. 6. 8.* — *Galat. 2. 9. Petrus Apoſtolis ſuperior.*

16. Ergo, juxta canones tuos, alii in partem ſolli- D citudinis [b], tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne, ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere ſatanæ potes? Stat ergo inconcuſſum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilo minus prærogativam * confirmat tibi. Diſcipuli navigabant, & Dominus apparebat in littore; quodque jucundius erat, in corpore redivivo. Sciens Petrus quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, aliis navigio pervenientibus. Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis ponti- E ficii Petri, per quod non navem unam, ut ceteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt; naves, Eccleſiæ. Inde eſt quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, unicum ſe Chriſti Vicarium [c] deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. ſiquidem *aquæ multæ, populi multi.* Ita cum quiſque ceterorum habeat ſuam, tibi una commiſſa eſt grandiſſima navis; facta ex omnibus ipſa univerſalis Eccleſia, toto orbe diffuſa.

Papa poteſtas in Epiſcopos. V. Cyprian. lib. 3. epiſt. 13. — * *al. ipſum.* — *Johan. 21.* — *Apoc. 17. 15.*

CAPUT IX.

Propria naturæ conſiderationem commendat.

F 17. EN quis es. Sed noli oblivisci etiam quid? Nam & ego non ſum oblitus, id me promiſiſſe repetiturum in opportunitate. Quàm opportune cum eo qui es, etiam quod ante eras, conſideras! Quid dico, eras? Et nunc es. Quid deſinas intueri, quod non deſiſti eſſe? Una ſane conſideratio eſt, quid fueris, & quid ſis: nam quis ſis factus, altera. Non oportet ut iſta extun-

Conſideret quis & quid ſit.

a Magis arridet hæc lectio, quàm alia apud Voſſium, *Tibi univerſi crediti uni unus.*

b Nec placet iſta ex codice Nicolai V. *in partem ſollicitudinis vel poteſtatis, ſubdita tamen tibi; tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es,* quæ verba, *vel poteſtatis, ſubdita tamen tibi*, aliis omnibus deſunt.

c Et tamen Bernardus Epiſcopos etiam Chriſti Vicarios appellat in Opuſculo ſeq. num. 36. Vide Notas ibi ad num. 32. & ad epiſtolam 183.

dat illam in ſerutitio tui. Es enim, ut dixi, adhuc quod eras: & non minus hoc es, quàm quod factus es poſt, forte & magis. Denique illud natus es, mutuatus hoc, non in hoc mutatus. Non rejectum illud, ſed iſtud adjectum. Tractemus utrumque ſimul. nam, ut præfatum me memini, collatæ ex invicem ambæ res utiliores fient. Dixi ſupra conſideranti quid ſis, naturam occurere, qua es homo. nam homo natus es. Porro percunctanti quis, perſonæ reſpondebitur nomen, quod eſt Epiſcopus: quod quidem factus, non natus es. Quid tibi horum videtur ad purum eſſe tui, & ad te principalius pertinere? quod factus, an quod natus? Nonne quod natus? Hoc ergo conſulo * conſideres maxime, quod maxime es, hominem videlicet, quod & natus es.

* al. conſiſtas.

18. Nec modo quid natus, ſed & qualis natus, oportet attendas, ſi non vis tuæ conſiderationis fructu & utilitate fraudari. Tolle proinde nunc hereditaria hæc perizomata ab initio maledicta. Dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris hujus, & male coloratæ nitorem gloriæ, ut nude nudum conſideres, quia nudus egreſſus es de utero matris tuæ. Numquid infulatus? numquid micans gemmis, aut floridus ſericis, aut coronatus pennis, aut ſuffarcinatus metallis? Si cuncta hæc, veluti nubes quaſdam matutinas, velociter tranſeuntes & cito pertranſituras, diſſipes & exſuffles à facie conſiderationis tuæ; occurret tibi homo nudus, & pauper, & miſer, & miſerabilis; homo dolens quod homo ſit, erubeſcens quod nudus ſit, plorans quod natus ſit, murmurans quod ſit; homo natus ad laborem, non ad honorem; homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu; brevi vivens tempore, ideoque cum metu; repletus multis miſeriis, & propterea cum fletu. Et vere multis, quia corporis & animæ ſimul. Quid enim calamitate vacat naſcenti in peccato, fragili corpore, & mente ſterili? Vere ergo repletus, cui infirmitas corporis, & fatuitas cordis cumulatur tradice ſordis, mortis addictione. Salubris copula, ut cogitans te ſummum Pontificem, attendas pariter viliſſimum cinerem non fuiſſe, ſed eſſe. Imitetur cogitatio naturam; imitetur &, quod dignius eſt, Auctorem naturæ, ſumma imaque conſocians. Nonne natura in perſona hominis vili limo vitæ ſpiraculum colligavit? Nonne Auctor naturæ in ſui perſona Verbum limumque contemperavit? Ita tibi ſume formam tam de noſtræ concretione originis, quàm de ſacramento redemptionis: ut altus ſedens, non alta ſapiens ſis; ſed humilia de te ſentiens, humilibuſque conſentiens.

Job 1. 21.

Memento ſaltem non...

Job 5. 7.

Job 14. 1.

Magnitudini neceſſaria ſuæ miſeriæ cogitatio.

CAPUT X.

Tertium membrum conſiderationis ſuæ, nempe Qualis ſit, exponet.

19. PRoinde ſi conſideras quantus es, cogita etiam qualis, & maxime. Hæc te ſane conſideratio tenet in te; nec à te avolare ſinit, non ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper te. In te conſiſtito. Non infra dejici, non attolli ſupra, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, ſi non vis perdere modum. Locus medius tutus eſt. Medium ſedes modi, & modus virtus. Omnem extra modum manſionem *, ſapiens exſilium reputat. Propterea non eſt illi habitare in longo, quod ultra modum ſit: ſed ne in lato quidem, quod extra ſit: porro nec in alto vel imo, quod alterum ſupra, alterum infra ſit. Denique & longitudo exterminium habere ſolet, & dilatatio ſciſſuram, & altitudo ruinam, & profundum abſorptionem. Dico hæc planius, ne me putes ea loqui quæ Apoſtolus comprehendere hortatur cum omnibus ſanctis, longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum. quod alterius erit & diſputationis, & temporis *. Nunc autem longum dico, cum ſibi homo longiorem promittit vitam; latum, cum in ſuperfluas animus diſtenditur curas; altum, cum de ſe plus præſumit; profundum, cum ſe plus dejicit. Qui ergo longa ſibi metitur tempora, nonne vere ingreditur iter exterminii, tranſiens vitæ terminos productiori ſollicitudine? Inde eſt, quod homines in præſenti à ſeſe exſules per oblivionem, in alia per inanem ſollicitudinem migrant ſæcula, non profutura, immo nec futura. Similiter animus diſtentus in multa, multis laceretur curis neceſſe eſt. Nempe immoderata extenſio extenuationem, & extenuatio nimia ſciſſionem facit. Jam vero alta præſumptio, quid niſi ruinoſa præcipitatio eſt? Legiſti namque, *Ante ruinam exaltatur cor.* Quid è regione nimiæ puſillanimitatis dejectio, niſi deſperata quædam abſorptio eſt? In hanc fortis non dejicietur. Prudens longioris vitæ non abducetur incerto. Modeſtus moderabitur curas, temperabit à ſuperfluis, non deerit neceſſariis. Porro juſtus altiora ſe non præſumet, ſed loquetur cum juſto: *Si juſtus fuero, non levabo caput.*

Medium ubique tenendum.

* al. habitationem.

Epheſ. 3. 18.

* infra lib. 5. cap. 13 & 14.

Longum, latum, profundum cavendum.

Prov. 18. 12.

Virtutes cardinales huc neceſſariæ.

Job 10. 15.

CAPUT XI.

Serium examen ſui Pontifici ſerio commendat.

20. TU ergo in hac conſideratione tui caute ambules, & tota æquitate verſeris, ut nec plus vero tibi tribuas, nec plus juſto parcas. Porro plus vero tribuis, non modo arrogando tibi quod non habes bonum, ſed & quod habes adſcribendo. Vigilanter diſcerne, qualis ex te, & qualis ſis dono Dei, & non ſit in ſpiritu tuo dolus. Erit autem, niſi fideliter partiens, tua tibi, & quæ ſunt Dei, Deo ſine fraude reſignes. Ex te mala, bona à Domino eſſe, perſuaſum tibi non ambigo. Sane inter conſiderandum qualis ſis; etiam qualis fueris, ad memoriam revocandum. Conferenda poſteriora prioribus. Profeceriſne in virtute, in ſapientia, in intellectu, in ſuavitate morum; an ab his forte (quod abſit) defeceris. Patientior ſis, an impatientior ſolito, iracundior leniorne, inſolentior an humilior, affabilior an auſterior, exorabilior an difficilior, puſillior animo an magnanimior, ſerius magis an pluſculum diſſolutus, timoratior an forte fidentior quàm oportet. Quàm latus tibi patet campus in hoc genere conſiderandi! Memoro ego pauca, veluti quædam ſeminaria proferens; non tamen ipſe ferens, ſed dans ſemen ſerenti. Oportet innoteſcat tibi zelus tuus, clementia tua, diſcretio quoque moderatrix earumdem virtutum; qualis videlicet in donandis injuriis, qualis ſis in ulciſcendis, quàm in utroque providus modi, loci, temporis obſervator. Prorſus conſideranda tria hæc in uſu virtutum harum: ne non ſint virtutes, ſi præter hæc reperiantur. nempe ejuſmodi, non natura virtutes, ſed uſus facit. Nam ex ſe indifferentes eſſe noſcuntur. Tuum eſt, aut abutendo & confundendo facere vitia; aut bene ordinateque utendo, virtutes. Solent diſcretionis oculo caligante alterutrum ſibi præripere loca, terminos occupare. Porro caliginis duæ ſunt cauſæ, ira, & mollior affectus. Is judicii cenſuram enervat, illa præcipitat. Quomodo ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus clementer nil intuetur; ſuffuſus fluxa quadam & muliebri mollitie animi rectum non videt. Non eris innocens, ſi aut punias eum cui forte parcendum eſſet, aut parcas ei qui fuerat puniendus.

Plus homo ſibi tribuit duobus modis.

Quomodo diſcernendus profectus.

In zelo & clementia tria ſervanda.

Caligo ex ira & molli affectu.

CAPUT XII.

Neque in proſperis animum nimis laxandum, neque in adverſis deficiendum.

21. IN tribulationibus quoque qualem te inveneris, nolo diſſimules. Si conſtantem in tuis, condolentem in alienis, gaude. Recti cordis hoc; è regione perverſiſſimi, ſi cum in propriis deprehendaris fortaſſe impatiens, minime tamen in alienis compatiens ſentiaris. Quid in proſperis? nihilne eſt quod conſiderationem ſollicitet? Eſt utique, ſi diligenter attendas, quàm rarus ſemper exſtiterit, qui non vel modice in proſperitate animum relaxaverit à ſui cuſtodia & diſciplina,

In adverſis ſuis & alienis ut ſe gerendum.

Difficile in proſperis ſervare modum.

Tom. II. Opuſc. I.

Quando hæc incautis non fuit ad diſciplinam, quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, ſapientior Salomon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit. MAGNUS, qui incidens in adverſa, non excidit vel parum à ſapientia: nec minor, cui præſens felicitas ſi arriſit, non irriſit. Quamquam facilius inveneris, qui ſapientiam retinuerunt, contraria ſibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille, & magnus * eſt, cui inter proſpera ſaltem riſus indecentior, aut ſermo inſolentior, aut immoderatior cura veſtis vel corporis non irrepſit.

Facilius in adverſis.

* al. magnis.

CAPUT XIII.

Ab otio & nugis, vaniſque ſermonibus Pontificem dehortatur.

Eccli. 38 25. Otioſitas fugienda & nugæ

22. ETſi recte Sapiens hortatur ſapientiam ſcribi in otio, CAVENDUM & in otio otium eſt. Fugienda proinde otioſitas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter ſæculares nugæ, nugæ ſunt; in ore ſacerdotis, blaſphemiæ *. Interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortaſſis; referendæ numquam. Magis interveniendum caute & prudenter nugacitati. Prorumpendum ſane in ſerium quid, quod non modo utiliter, ſed libenter audiant, & ſuperſedeant otioſis. Conſecraſti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegum eſt. *Labia ſacerdotis*, ait, *cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore ejus*: non nugas profecto vel fabulas. Verbum ſcurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves. Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim.

* V. Notas.

Malach. 2. 7.

Nec audienda

CAPUT XIV.

Perſonarum acceptionem in judiciis ſummopere vitandam.

23. DE avaritia non eſt quod tuum fatigem ingenium a, cum pecuniam tamquam paleam dicaris habere. Non prorſus, non eſt quod pro illa timeatur a judiciis tuis. Sed eſt quod non minus ſæpe, nec noxie minus inſidiari judicantibus ſolet: de quo maxime, quid in tua lateat conſcientia, latere te nolim. Quid illud ſit quæris? acceptio perſonarum. Non parvi te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum ſumis, & non potius cauſas dijudicas meritorum. Eſt item vitium, cujus ſi te immunem ſentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis me judice ſolitarius: quia veraciter ſingulariterque levaſti te ſupra te, juxta Prophetam. FACILITAS credulitatis hæc eſt, cujus calliduſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caviſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præjudicia in abſentes. Gratulor autem tibi (nec enim aſſentationis apud te vereor incurrere notam) gratulor, inquam, præſidere te uſque adhuc abſque horum nimium querela multa: an & ſine culpa, tu videris Nunc ad ea quæ ſub te ſunt, conſideratio intendenda. At alterius principii hoc: ſiquidem tuis occupationibus ſermo brevior competentior eſt.

Eugenius ab avaritia alienus.

Acceptio perſonarum Pontifici cavenda.

Thren. 3. 28 Facilitas credendi, familiare vitium magnatibus.

a Voſſius notat in quibuſdam legi *animum*. Sed explicatio eſt cujuſdam ſcioli. *Intuitum* ſcripſit Bernardus pro conſideratione, de qua totus liber. Nec id notare eſſet operæ pretium, niſi ob ſimiles locos, ut lib. 5. num. 16. pro *ſanguinem* quidam codices apud Voſſium habent *animam*, quod gloſſema eſt.

LIBER III.

CAPUT I.

Pontificis eſſe, non tam ut omnes ſuo dominio ſubjiciat, ſed ut omnes, quantum fieri poteſt, ad Eccleſiæ gremium perducat.

Orbis totus ſub Pontifice.

1. FInis ſuperioris libri huic principium ponit. Itaque juxta promiſſum illius conſideranda quæ ſub te ſunt. Quænam ſint illa, non eſt quod à me quærendum putes, Sacerdotum optime Eugeni; rectius fortaſſe quæ non ſint quæras. Orbe excundum ei qui forte volet explorare quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui deſtinati ſunt non aliquas regiones, ſed ipſum debellaturi orbem. *Ite in orbem univerſum*, dictum eſt illis. Ipſi vero vendentes tunicas, emere gladios, ignitum eloquium, & ſpiritum vehementem, arma potentia Deo. Quo non pervenerunt victores inclyti, filii excuſſorum? Quo non ſagittæ potentium acutæ cum carbonibus deſolatoriis? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Penetrabant & incendebant verba illa incenſa igni, quem Dominus miſit in terram. Occumbebant ſtrenuiſſimi bellatores, ſed non ſuccumbebant: triumphabant & mortui. Nimis confortatus eſt principatus eorum: conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram. Eis tu ſucceſſiſti in hereditatem. Ita tu heres, & orbis hereditas. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id ſobria conſideratione penſandum. Non enim per omnem reor modum, ſed ſane quodamtenus (ut mihi videtur) DISPENSATIO tibi ſuper illum credita eſt, non data poſſeſſio. Si pergis uſurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit: *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* Non tu ille, de quo Propheta: *Et erit omnis terra poſſeſſio ejus.* Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vindicat, & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum eſt, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?* Poſſeſſionem & dominium cede huic: tu curam illius habe. Pars tua hæc: ultra ne extendas manum.

Marc 16 15.

Pſal. 119 4

Pſal 18 5

Luc. 12 49.

Pſal 138. 17.

Pſal. 44 17.

Apoſtolorum eſt heres.

Diſpenſatio ei competit, non poſſeſſio

Pſal. 49 12.

Pſal 103 24

Chriſto dominium triplici jure.

Pſal. 2. 8.

2. Quid, inquis? Non negas præeſſe, & dominari vetas? Plane ſic. Quaſi non bene præſit, qui præeſt in ſollicitudine. Numquid non & villa villico, & parvus dominus ſubjectus eſt pædagogo? Nec tamen villæ ille, nec is ſui domini dominus eſt. ITA & tu præſis ut provideas, ut conſulas, ut procures, ut ſerves. Præſis ut proſis; præſis ut fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Ad quid? Ut des illis eſcam in tempore; hoc eſt, ut diſpenſes, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injuſtitia. At ſatis ſuperque id intimatum ſupra, cum, quis ſis, diſputaretur. Addo tamen & hoc. nam NULLUM tibi venenum, nullum gladium plus formido, quàm libidinem dominandi. Certe ut multum tibi tribuas, ſi multum deceptus non es, nil te exiſtimas plus accepiſſe à magnis Apoſtolis. Recordare nunc vocis illius: *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Et ſi non indebitam tibi ipſam cenſes, hoc quoque ſimul memento, debitoris moleſtum nomen ſervienti potius, quàm dominanti congruere. Servus in Evangelio audit: *Quantum debes domino meo?* Ergo ſi te agnoſcis ſapientibus & inſipientibus, non dominatorem, ſed debitorem: curandum ſummopere tibi, & tota vigilantia conſiderandum, quomodo & qui non ſapiunt ſapiant, & qui deſipuere reſipiſcant. At NULLUM genus inſipientiæ infidelitate (ut ſic loquar) inſipientius. Ergo

Matth. 24 45.

Dominandi libido maxime metuenda Pontifici.

Rom. 1. 14.

Luc. 16. 5.

a Non tam præſentia corporis, quam mentis providentia, ſupra in lib. 2. num. 12.

& infidelibus

[a al. Judæis & Gentibus]

& infidelibus debitor es *, Judæis, Græcis, & Gentibus.

[Pontificis cura in quo]

3. INTEREST proinde tua, dare operam quam poſſis, ut increduli convertantur ad Fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur: porro perverſi ordinentur ad rectitudinem, ſubverſi ad veritatem revocentur: ſubverſores invictis rationibus convincantur, ut vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt; vel ſi non, perdant auctoritatem facultatemque alios ſubvertendi. Non omnino & ab hoc inſipientium genere peſſimo tibi diſſimulandum. Dico autem hæreticos ſchiſmaticoſque. nam hi ſunt ſubverſi, & ſubverſores; canes ad ſciſſionem, vulpes ad fraudem. Erunt, inquam, hujuſmodi maxime tuo ſtudio aut corrigendi, ne pereant; aut ne perimant, coërcendi. Eſto, de Judæis excuſat te tempus: habent terminum ſuum qui præveniri * non poterit. Plenitudinem gentium præire oportet. Sed de ipſis gentibus quid reſpondes? Immo quid tua conſideratio reſpondet tibi percunctanti ſic? Quid viſum eſt patribus ponere metam Evangelio, verbum ſuſpendere fidei, donec infidelitas durat? Qua ratione, putamus, ſubſtitit velociter currens ſermo? quis primus inhibuit hunc ſalutarem curſum? Et illis cauſa forte quam neſcimus, aut neceſſitas potuit obſtitiſſe.

[Circa hæreticos, schismaticos & ſubdolos] *[* al. prævertiri.]* *[Pſal. 147. 15.]*

4. Nobis quæ diſſimulandi ratio eſt? QUA fiducia, qua conſcientia Chriſtum non vel offerimus eis qui non habent? An veritatem Dei in injuſtitia detinemus? Et quidem quandoque perveniat gentium plenitudo neceſſe eſt. Exſpectamus ut in eas incidat fides? Cui credere caſu contigit? *Quomodo credent ſine prædicante?* Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuchum miſſi ſunt: &, ſi exemplum recentius quærimus, Auguſtinus à beato Gregorio deſtinatus, formam fidei tradidit Anglis. Et de his tu ita tecum. Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiſcum ſunt, & nobiſcum non ſunt, juncti fide, pace diviſi. Quamquam & in fide ipſa claudicaverint à ſemitis rectis. Et item de hæreſi, quæ clam pæne ubique ſerpit; apud aliquos ſævit palam. Nam parvulos [a] Eccleſiæ paſſim & publice deglutire feſtinat. Quæris ubi ſit hoc? Veſtri *, qui terram Auſtri tam ſæpe viſitant, ecce hi ſciunt, & poſſunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut tranſeunt ſecus: ſed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forſitan audiſſemus, niſi præ auro Hiſpaniæ, ſalus populi viluiſſet. Tuum eſt & plagæ huic remedium providere.

[Rom. 10. 14. Act. 8. 26. Act. 10. 20.] *[Græcorum ſchiſma.]* *[a]* *[* al. veſtri.]*

5. Sed eſt inſipientia, quæ ipſam quoque jam propemodum ſtultam fecit ſapientiam fidei. Quomodo & ipſam Catholicam pæne totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipſa quique quæ noſtra ſunt quærimus, fit ut invicem invidentes, invicem provocantes, exerceamur ad odia, animemur ad injurias, armemur ad lites, cavillemur ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur à fortioribus, opprimamus infirmiores. Quàm digne & laudabiliter occupatur meditatio cordis tui adverſus tam peſtilens inſipientiæ genus, quod corpus ipſum Chriſti, quæ eſt multitudo credentium, occupaſſe conſideras! O ambitio, ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil moleſtius inquietat; nil tamen apud miſeros mortales celebrius negotiis ejus. An non limina Apoſtolorum plus jam ambitio, quàm devotio terit? Annon vocibus ejus veſtrum tota die reſultat palatium? Annon quæſtibus ejus tota legum canonumque diſciplina inſudat? Annon ſpoliis ejus omnis Italica inhiat inexplebili aviditate rapacitas? Quid ita, immo quid aliud tua ipſius ſpiritualia ſtudia non ſaltem intercidit, ſed abſcidit? Quoties ſancta ac fœcunda tua abortiri otia fecit inquietum & inquietans malum? Aliud eſt quod ab oppreſſis appellatur ad te, aliud autem quod ambitio in Eccleſia per te regnare molitur. Nec deeſſe illis, nec huic aliquatenus aſſentire oportet. Quàm vero inique fovetur illa, ſpernuntur illi! utriſque tamen debitor es, illis ut erigas, iſtis ut reprimas.

[Tota Eccleſia eſt quærentes quæ ſua ſunt.] *[Ambitio crux.]* *[Ambitio plus quàm devotio Apoſtolorum limina terit.]*

CAPUT II.

Quis modus in appellationibus ad Sedem apoſtolicam adhibendus ſit.

6. ET quoniam incidit de appellationibus, proſequi aliquatenus non erit ab re. Magno in his & pio opus intuitu eſt; ne quod magna fuit neceſſitate * proviſum, male utendo reddatur inutile. Mihi videtur & in multam poſſe eas devenire perniciem [b], ſi non ſummo moderamine actitentur. Appellatur de toto mundo ad te. Id quidem in teſtimonium ſingularis primatus tui. At tu, ſi ſapis, non primatu gaudebis, ſed fructu. Apoſtolis dictum eſt: *In hoc nolite gaudere, quod ſpiritus ſubjiciuntur vobis.* Appellatur ad te, ut dixi: & utinam tam fructuoſe, quàm neceſſarie. Utinam cum oppreſſus clamat, ſentiat oppreſſor, & non ſuperbiat impius unde incenditur pauper. Quid tam decorum, ut ad invocationem tui nominis oppreſſi effugiant, verſuti non refugiant [c]? Quid è regione tam perverſum, tam recti alienum, ut lætetur qui malum fecit; & qui tulit, inaniter fatigetur? Inhumaniſſime non moveris erga hominem, cui illatæ injuriæ cumulavere dolorem & labor itineris, & damna expenſarum: ſed nihilo minus ignaviſſime in illum non moveris, qui huic tot calamitatum partim auctor, partim exſtitit cauſa. Evigila homo Dei, cum hæc contingunt: moveatur miſeratio, moveatur & indignatio tua. Alteram læſo, alteram lædenti debes. Conſoletur ille damnorum refarcitu ſuorum, ſatisfactione injuriarum, fine calumniarum: cum iſto ita agatur, ut pœniteat feciſſe quod non timuit facere, & non de pœnis innocentis rideat.

[al. utilitate.]* *[b]* *[Appellatio de toto mundo ad Pontif. teſtimonium primatus. v. Bern. epiſt. 247. & 138. Luc. 10. 20.]* *[c]* *[Appellationes non injuſtas ut corrigendas.]*

7. Arbitror idem debere pati illum, qui ſine cauſa forte appellavit. FORMULAM hanc juſtitiæ præfigit tibi & divinæ incommutabilis ratio æquitatis, &, ni fallor, ipſa appellationum lex, ut illicite uſurpata appellatio nec proſit appellanti, nec appellato obſit. Ut quid enim fruſtra fatigatus ſit homo? Quàm plenum juſtitiæ, ut ſeſe potius læſerit qui voluit [d] proximum? APPELLASSE inique, iniquum eſt: inique & impune, iniquarum appellationum fomes. INIQUA autem omnis appellatio, ad quam juſtitiæ inopia non coëgit *. Appellare, non ut graves, ſed ſi graveris, licet. Appellandum à ſententia. Ante ſententiam improbe omnino, niſi ob manifeſtum gravamen, præſumitur appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium. Quantos novimus appellaſſe pulſatos, quo interim liceret, quod numquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria ſcimus, verbi gratia, inceſtum, adulterium. Quale eſt hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari à turpibus oportebat? Quouſque murmur univerſæ terræ aut diſſimulas, aut non advertis? Quouſque dormitas? quouſque non evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem atque abuſionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur, aut perſona. Præſumuntur leviter paſſim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potiſſimum terreri ſolebant? Nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum verſum in venenum. Non mutatio dexteræ Excelſi hæc.

[d] *[* V. Notas]* *[Quandonam appellatio licita.]* *[Iniquarum appellationum materia.]*

8. Appellantur boni à malis, ut non faciant bona: & ſuperſedent à voce tonitrui tui formidantes. Denique ap-

a Henriciani & Colonienſes hæretici parvulos à baptiſmo excluſos volebant, de quibus in epiſtola 241. & in ſermonibus 65. & 66. ſuper Cantica. An illi ex Aquitania in Hiſpaniam etiam effuſi, quæ terra Auſtri dicitur ipſa, quod nobis Gallis auſtralis ſit.

b De appellationum uſu conferenda epiſtola 178. & Notæ ad ... luſiones, item Hildeberti epiſtola 82.

c Id eſt non confugiant, ut tomo 5. in ſermone 1. Guerrici de Aſſumptione num. 1 & alibi apud probos auctores. Inde refugium.

d Alii addunt *lædere* explicandi cauſa tum, *Appellaſſe inique iniquum eſt: inique appellantem impune tranſire, iniquarum appellationum fomes:* quæ lectio Voſſio in textum inſerenda videtur. Sed noſtra conſtans eſt in mſſ. noſtris, & meo judicio melior.

Tom. II. Opusc. I.

pellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſolvere vel prohibere. Appellantur ne rapinas, ne furta, ne ſacrilegia, & quæ ejuſmodi ſunt, punire ullatenus vel cohibere præſumant. Appellantur, ne indignas & infames perſonas à ſacris officiis beneficiiſve repellere ſeu amovere queant. Quod tu invenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus eſt Dominus domum orationis factam ſpeluncam latronum: tu ejus miniſter diſſimulas miſerorum refugium datum arma iniquitati? Videas præripi paſſim partes oppreſſorum, & prorumpere ad appellandum non tam gravatos, quàm gravare volentes. Quid hoc myſterii? Tuum eſt conſiderare, non meum commentari iſtud. Et cur, inquis, male appellati non veniunt, oſtenſuri ſuam innocentiam, malitiam convicturi? Dico quod dicere ad hæc ſolent: Nolumus vexari fruſtra. In curia eſſe, qui proclivius faveant appellantibus, foveant appellationes. Ceſſuris Romæ, domi cedere ſatius.

Matth. 21. 13

9. Fateor me non omnino decredere [a] his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus quæ hodie fiunt, qui pro expenſis itineris vel nummum reſtituerit illi, quem forte appellarit? Mirum vero ſi ita omnes & appellantes juſti, & appellati rei veſtro examine inventi ſint. *Diligite*, inquit, *juſtitiam, qui judicatis terram.* Parum eſt juſtitiam tenere, niſi & diligas. Qui tenent, tenent; qui diligunt, zelantur. Amator juſtitiæ inquirit juſti- C tiam, & proſequitur eam: porro omnem injuſtitiam perſequitur. Nil tibi & illis, qui appellationes venationes putant. Pudet elogii, quod apud ethnicos jam vertitur in parabolam: Duos movimus * cervos pingues. Ut mitius loquar, plus facetiæ quàm juſtitiæ hic. Tu ſi amas juſtitiam, appellationes non affectas, ſed ſuſtines. Verumtamen quid emolumenti affert eccleſiis Dei tua unius hominis juſtitia, ubi ſententia prævalet aliter affectorum? At iſtud loci * illius erit, cum cœperint verſari quæ circa te ſunt.

Sap 1. 1
Aliud tenere, aliud diligere juſtitiam.
** al. movimus.*
** lib. 4. de conſid. cap. 3.*

10. Nunc vero non te exiſtimes otioſe vacare conſiderationi huic, qua appellationes ad legitimum, ſi fieri poteſt, revoces uſum. Et ſi hinc mea quæratur vel D potius curetur ſententia, dico appellationes ut non contemnendas, ſic nec uſurpandas omnino. Porro horum quid inſolentius cenſeam, haud facile dixerim: niſi quod uſurpatio quamdam videtur inducere contemptus neceſſitatem, ac per hoc forte acrius inſectanda, quæ amplius nocet. Aut non vere nocentior eſt, mala in ſe, in partu pejor? Nonne ipſa eſt quæ ipſum jus quoque naturæ aut extenuat, aut exterminat? Nam ſæpe rebus etiam pretioſiſſimis pretii gratiam non modo demit, ſed adimit. Quid Sacramentis acceptius? Uſurpata tamen ab indignis, indigneve tractata, minime acceptantur. Magis habent damnationem, quia debitam venerationem non habent. Fateor grande & E generale mundo bonum eſſe appellationes: idque tam neceſſarium, quàm ſolem ipſum mortalibus. Revera quidam ſol juſtitiæ eſt, prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorſus fovendæ & manu-tenendæ ſunt: ſed quas extorſit neceſſitas, non calliditas adinvenit. Uſurpatoriæ ſunt hujuſmodi omnes, non ſubvenientes in neceſſitate, ſed opitulantes iniquitati. Quidni veniant in contemptum? Quanti ut talibus quoque deferrent, etiam de proprio ceſſere [b] jure, ne longo & caſſo itinere fatigarentur? Plures tamen ſua amittere non ferentes, appellationes minus opportunas, & celſa nomina importunius contempſerunt.

Appellationes non uſurpandæ.
Rerum neceſſitas, & utilitas

11. Dien aliquid, quod ad rem pertinet, exempli cau- F ſa. Quidam ſibi publice deſponſaverat uxorem. Adeſt dies celebris nuptiarum. Parata omnia, invitati multi. Et ecce homo concupiſcens uxorem proximi ſui, in vocem appellationis inopinatæ prorumpit, affirmans ſibi traditam prius, ſuam potius eſſe debere *. Stupet ſponſus, hærent omnes, ſacerdos non audet progredi, A fruſtratur omnis ille apparatus; deſcendit quiſque in domum ſuam, ſuam cœnam manducaturus: ſponſa à menſa & thalamo ſponſi ſuſpenditur, quouſque Roma reditum eſt. Pariſius contigit hoc, nobili Galliarum civitate, ſede regia. Rurſum in civitate eadem quidam ſibi deſponſata uxore diem conſtituit nuptiarum. Interim emergit calumnia, dicentibus quibuſdam non debere conjungi. Ad judicium Eccleſiæ cauſa delata eſt: ſed non exſpectata ſententia, appellatum eſt ſine cauſa, ſine gravamine, ſolo fruſtratoriæ dilationis intuitu. At ille, ſive perdere quæ pararat, ſive dilectæ tamdiu fruſtrari conſortio nolens, nihilo minus quod propoſuerat, contempta ſive diſſimulata appellatione peregit. Quid B illud quod in Autiſſiodorenſi eccleſia nuper à quodam adoleſcente [c] præſumptum eſt? Nempe defuncto ſancto [d] Epiſcopo, volentibus clericis alium, ut moris eſt, eligere ſibi, intervenit ille appellans, & vetans ne fieret, quouſque iſſet & rediſſet ab urbe. cui tamen appellationi nec ipſe detulit. Nam cum videret ſe contemni, tamquam qui irrationabiliter appellaſſet; accitis quos potuit ſibi, tertia die poſt factam ab aliis electionem, fecit ſuam.

Appellationis abuſus exemplis oſtenditur
** al. add. Quid plura?*
c
d

12. Cum itaque ex his & innumeris talibus liqueat, non ex contemptu gigni uſurpationem, ſed ex uſurpatione contemptum: videris tu, quid ſibi velit, quod zelus veſter aſſidue pæne vindicat illum, iſtam diſſi- C mulat. Vis perfectius coërcere contemptum? Cura in ipſo utero peſſimæ matris præfocari germen nequam. quod ita fiet, ſi uſurpatio digna animadverſione mulctetur. Tolle uſurpationem, & contemptus excuſationem non habet. Porro inexcuſabilitas auſum explodet. Non ſit proinde uſurpator, & contemptor nullus erit, aut admodum rarus. Bene facis tu, quod appellationum negato ſuffragio, immo ſuffugio, multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citius poſſunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi deciſio tutior expeditiorque eſſe poteſt. Quam plenum gratiæ, quam multorum perinde per hoc & laboribus parcis, & ſumptibus! At quibus ſic credas, id tibi omnimodis D attendendum. Poteram multa de eodem utiliter addere his: ſed memor propoſiti mei, contentus interim occaſionem dediſſe, ad alia tranſeo.

Appellationum contemptus ut coërcendus.

CAPUT III.

Præſules Eccleſiæ non tam ut præſint, ac ſemetipſos paſcant, quàm ut aliis proſint, conſtitutos eſſe.

13. ET primum quod occurrit, minime tranſeundum reor. Præes, & ſingulariter. Ad quid? eget, tibi dico, conſideratione. Numquid ut de ſubditis creſcas? Nequaquam, ſed ut ipſi de te. Principem te conſtituerunt, ſed ſibi, non tibi. Alioquin quo pacto te reputas E ſuperiorem his, à quibus beneficium mendicas? Audi Dominum: *Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.* At iſtud de his qui foris ſunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, ſi non tam beneficus eſſe, quàm beneficis præeſſe intendas. Parvi, dejectique animi eſt, de ſubditis non profectum quærere ſubditorum, ſed quæſtum proprium. In ſummo præſertim omnium nihil turpius. Quàm pulcre Magiſter gentium parentes filiis, non filios debere cenſuit theſaurizare parentibus. Non mediocris gloriæ vox illa identidem ipſius: *Non requiro datum, ſed fructum.* At jam tranſeamus & hinc, ne quis moram in his meam, avaritiæ in te notam interpretetur: quæ quàm longe à te ſit, libro F ſuperiori * teſtatus ſum, ſciens quanta, & in quanta tua neceſſitate reſpueris. Ad te proinde ſcripſerim iſta, non propter te. Nempe quod tibi ſcribitur, ſoli prodeſſe non decet. Hic locus avaritiam carpit, a qua vitio immunis ſatis tua opinio eſt; an & opus, tu videris. Vidimus tamen (ut oblata à pauperibus * taceam, quæ tangere non acquieſcis) Germanicos detumuiſſe * jac-

Pontifici & principi ſubditorum commodum quærendum, non proprium.
Luc. 22. 25.
a Cor. 12. 14.
Phil 4. 17.
** lib. 2 cap. 4.*
** al. pauperioribus*
** al. detumuiſſe.*

a *Diſcredere* habent alii, ut in epiſtola 158. ad Innocentium.
b Huc pertinent quæ dicta ſunt ſupra num 8. *Ceſſuris Romæ, domi cedere ſatius.* In ſimili cauſa Juvenalis Satyra 8. *Furor eſt poſt omnia perdere naulum.*
c De toto hoc negotio fuſe agit Bernardus in epiſtolis 275, 276, & 280
d Hugone ſcilicet, quem itidem Sanctum, ſuppreſſo etiam nomine, vocat Bernardus in epiſtola 276.

cio, ſed pretio, non maſſa. Argentum reputatum eſt in nihilum. Summarii[a] non levatis ſarcinis, onuſti nihilominus repatriant vel inviti. Nova res. Quando hactenus aurum Roma refudit? Et nunc Romanorum conſilio id uſurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes, & ambo rei. Siquidem unus[b] Moguntinus, Colonienſis alter: alteri gratia gratis reddita eſt: alter, indignus credo cui gratia redderetur, audivit: Cum quali veſte intraſti, cum tali egredieris. O vocem magnificam! vocem prorſus apoſtolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc ſonuit, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*? Niſi quod in illa plus zeli, in iſta plus modeſtiæ ſonuit. Quid ille de tranſmarinis[c] partibus pæne a finibus terræ, terra & mari currens pro epiſcopatu, ſuis & alienis facultatibus rurſus emendo? Jam enim emerat prius. Tulit multa, ſed retulit, non omnia tamen. Incidit miſer in manus alias, accipere quam dare potentiores*. Bene feciſti, tuas in utroque ſervans innoxias, nec imponere ſcilicet ambitioſo, nec ſupponere quo mammonæ acquieſcens. Non ſic à paupere Epiſcopo, cui tu miſiſti, dans quod daret, ne immunis ... notaretur: accepit clam, quod palam dedit. Sic de tuo ſacculo conſultum eſt verecundiæ viri, ſic quoque curæ morem gerens, tuo beneficio invidiam declinavit eorum qui diligunt munera. Non potes abſcondere: & factum novimus, & perſonam. Audire gravaris? ego eo libentius prædico, quo tu id moleſtius audis. Si tibi ſic expedit, & mihi ſic. Tam non oportet Chriſti gloriam me ſilere, quam nec te quærere tuam. Et ſi pergis murmurare adhuc, reſpondebitur tibi ex Evangelio: *Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit.*

CAPUT IV.

Gradus Ordinum ac Dignitatum, quæ in Eccleſia ſunt, non temere confundendos ac perturbandos. Hinc abuſum quærendi Privilegia ac Exemptiones perſtringit.

14. AUdi aliud, ſi tamen aliud. Ad idem enim fortaſſis pertinere quis dicat. Tua conſideratio viderit hoc. Mihi videtur non longe à vero diſſentire, qui id forte inter avaritiæ ſpecies locandum putaverit. Ego vero illius aut ſpeciem eſſe, aut ſpeciem habere non negaverim. SANE intereſt tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter ſpecies devitare. In altero conſcientiæ, in altero famæ contulis. Puta tibi non licere (etſi alias fortaſſe liceat) quicquid male fuerit coloratum. Denique interroga majores tuos, & dicent tibi: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Sane miniſter Domini Dominum imitetur, quia ipſe ait: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Et habes de illo: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* Tu quoque eſto fortis in fide, decorus in gloria; & probaſti te imitatorem Dei. FORTITUDO tua, fiducia fidelis conſcientiæ: decor tuus, ſplendor bonæ opinionis. Ita quæſo, induere fortitudinem; etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porro ſpecie tua & pulcritudine tua nihilominus tamquam propria ſimilitudine delectatur. Induere veſtimentis gloriæ tuæ, veſtire duplicibus, quibus domeſticos ſuos fortis illa mulier induere conſuevit. Non ſit in conſcientia nutans infirmitas modicæ fidei, non ſit in fama nævus malæ ſpeciei; & veſtieris duplicibus, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam animam tuam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Miraris quorſum hæc, ignarus uſque adhuc quid dicere velim. Non te tollo diutius. Murmur loquor & querimoniam eccleſiarum. Truncari[d] ſe clamitant ac demembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ forte non ita. Facitis hoc quia poteſtis: ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere, ut quidam veſtrorum ait: *Cui honorem, honorem.*

15. Spiritualis homo ille qui omnia dijudicat, ut ipſe a nemine judicetur, omne opus ſuum trina quadam conſideratione præveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremo an & expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana utique philoſophia non decere niſi quod licet, non expedire niſi quod decet & licet: non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire conſequens erit. Age, aptemus, ſi poſſumus, tria ipſa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti; & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem? Tune major Domino tuo? qui ait: *Non veni facere voluntatem meam.* Quamquam non minus dejecti, quàm elati animi eſt, velut rationis expertem, non pro ratione, ſed pro libitu agere; nec judicio agi, ſed appetitu. Quid tam beſtiale? Et ſi indignum cuivis utenti ratione vivere ut pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturæ, honoris injuriam ferat? Sic degenerando (quod abſit) generale opprobrium feciſti proprium tibi: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quid item tam indignum tibi, quàm ut totum tenens, non ſis contentus toto, niſi minutias quaſdam, atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ univerſitatis, tamquam non ſint tuæ, ſatagas neſcio quomodo adhuc facere tuas? Ubi etiam meminiſſe te volo parabolæ Nathan de homine, qui multas[e] oves habens, unam quæ erat pauperis concupivit. Huc quoque veniat factum, imo facinus regis Achab, qui rerum ſummam tenebat, & unam vineam affectavit. Avertat Deus à te quod ille audivit: *Occidiſti, & poſſediſti.*

16. Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius. Nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, monachi etiam diſſolutiores fiunt. Quid quod & pauperiores? Inſpice diligentius talium ubique libertorum & facultates, & vitas, ſi non pudenda admodum & tenuitas in his, & in illis ſæcularitas invenitur. Matris noxiæ libertatis gemina ſoboles hæc. Quidni peccet licentius vagum & male liberum vulgus, cum non ſit qui arguat? Quidni licentius quoque ſpolietur ac deprædetur inermis religio, cum non ſit qui defendat? Quo enim refugium illis? Numquid ad Epiſcopos dolentes injuriam? Ridentibus profecto aſpiciunt oculis, ſive quæ faciunt mala, ſive quæ patiuntur. Quæ demum utilitas in ſanguine iſto? Vereor ne illa, quam in Propheta comminatus eſt Deus: *Ille*, inquiens, *in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Si enim & extollitur qui ſubtrahitur, & qui ſubtrahitur uritur*; qui ſubtrahit, quomodo innocens? Parum eſt: involvimus ignem: audi apertius. Si is qui murmurat, ſecundum animam mortuus eſt: qui inſtigat, quomodo vivit? Quomodo vero non reus mortis amborum, & ſuæ pariter, qui gladium dedit, unde ambo morerentur? Hoc eſt quod dixeram: *Occidiſti, & poſſediſti.* Adde quod qui audiunt, ſcandalizantur, indignantur, detrahunt, & blaſphemant, hoc eſt vulnerantur ad mortem. Non eſt bona arbor faciens fructus tales, inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, ſimultates, ſcandala, odia: quodque magis dolendum, inter eccleſias inimicitias graves, perpeteſque diſcordias. Vides quam verus ſit ſermo ille: *Om-*

Margin notes: Rom. 13. 7. — 1. Cor. 2. 15. — Indecens Pontifici, ex poteſtate, non ratione agere. — Johann. 6. 38. — Pſal. 48. 13. — 2. Reg. 12. 2. — 3. Reg. 21. 2. — Ibid. 19. — Exemtionum qualis effectus. — Ezech. 3. 18. — * al. murmurat. — Scandala inde quanta. — 1 Cor. 10. 23. — 1. Theſſ. 5. 22. — Johann. 12. 26. — Pſal. 92. 1. — Prov. 31. 21.

a Summarii, equi oneriferi, vulgo *Sommiers*, à ſumma, ſeu *Carum* onus.

b Moguntinus Henricus I. Colonienſis Arnoldus: hic ſimoniæ accuſatus, ille violatæ caſtitatis, teſte Serario. In Henrici gratiam ſcripta eſt epiſtola 302. ad Legatos. Conſule hic Notas Horſtii.

c Hic videtur agere de VVillelmo in Eboracenſem cathedram Intruſo, de quo epiſtolæ 235, 238 & ſeqq. Adde quæ de Eugenio refert Johannes Sareſberienſis in Polycratici lib. 5. cap. 15. ubi Eugenius laudatur, quod *nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui credebat litem imminere.*

d Quales probet improbetve Bernardus exemtiones, vide hic num. 18. & confer epiſtolam ſeu Opuſculum ad Henricum Senonenſem cap. 9 infra.

e *Centum* aliis. et parabola 2. Regum 12 habet, *plurimas oves*. *Centum* a quodam imperito invectum ex parabola Evangelii de centum ovibus Lucæ 15.

Tom. II Opusc. I *nia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Quid ſi forte nec A licet? ignoſce mihi: non facile adducor licitum conſentire quod tot illicita parturit.

Poteſtas Apoſtolica non ſola à Deo inſtituta. 17 Tune denique tibi licitum cenſeas, ſuis eccleſias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos poſuerunt patres tui? Si juſtitiæ eſt jus cuique ſervare ſuum, auferre cuiquam ſua, juſto quomodo poterit convenire? Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: *Rom. 13. 1.* *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Proinde quod ſequitur, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait: *Ibidem.* *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Non B ait, ſublimiori, tamquam in uno; ſed ſublimioribus, tamquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino; ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Et quomodo *Marth 19. 6* quos Deus conjunxit, non ſunt ſeparandi: ſic nec quos *Alias non debet ſpoliari.* ſubjunxit, comparandi. Monſtrum facis, ſi manui ſubmovens, digitum facis pendere de capite, ſuperiorem manui, brachio collateralem. Tale eſt ſi in Chriſti corpore membra aliter locas quàm diſpoſuit ipſe. Niſi tu *1. Cor 12. 28* putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios doctores & paſtores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* *Epheſ. 4. 16.* Atque hoc corpus, quod tibi ipſe Paulus ſuo vere apoſ- C tolico figurans eloquio, & capiti convenientiſſime aptans, *totum ex eo compactum* perhibet, *& connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem ſui, in caritate.* Nec vilem reputes formam hanc, quia in terris eſt: exemplar habet è cælo. Neque enim Filius poteſt facere quicquam, ni- *Johann 5 19.* ſi quæ viderit Patrem facientem, præſertim cum ei ſub *Exod 25. 40.* Moyſi nomine dictum ſit: *Vide omnia facias ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.*

Apoc. 21 2 18. Viderat hoc qui dicebat: *Vidi civitatem ſanctam* *Hierarchia ſubordinatio* *Jeruſalem, novam deſcendentem de cælo, à Deo paratam.* Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod D ſicut illic Seraphim & Cherubim, ac ceteri quique uſque ad Angelos & Archangelos, ordinantur ſub uno capite Deo; ita hic quoque ſub uno ſummo Pontifice Primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parvi pendendum quod & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem. Quod ſi dicat Epiſcopus, Nolo eſſe ſub Archiepiſcopo; aut Abbas, Nolo obedire Epiſcopo: hoc de cælo non eſt. Niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti, Nolo ſub Archangelis eſſe: aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam, niſi Deo. Quid? inquis: prohibes diſpenſare? Non, ſed diſſipare. Non E ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, *2. Cor 13. 10* ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique *1. Cor. 4. 2.* quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. *a* Ubi neceſſitas [a] urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi *Diſpenſationes quatenus licitæ* utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis, non [b] propria. Nam cum nil horum *b* eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Nonnulla tamen monaſteria, ſita in diverſis epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui *Exemtiones quæ probandæ* fundatione ad Sedem apoſtolicam pro voluntate fundatorum, quis neſciat? Sed aliud eſt quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis. Et hæc dicta de his.

CAPUT V.

Summo Pontifici incumbere curam de apoſtolicis decretis, & majorum inſtitutis per totum orbem ſervandis.

19. Supereſt ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ *Pontifex in ſtatum intendat* ſtatum intendat conſideratio tua: ſi plebes clericis, ſi clerici ſacerdotibus, ſi ſacerdotes Deo in ea, qua oportet, humilitate ſubjecti ſint; ſi in monaſteriis & religioſis locis ſervetur ordo, vigilet diſciplina; ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura eccleſiaſtica vigeat; ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia ſacerdotum; ſi flores fructus parturiant, obedientiam [*] *vel obedientia.* B fidelium populorum; ſi demum veſtra ipſorum apoſtolica mandata & inſtituta ea qua dignum eſt ſollicitudine obſerventur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude ſubreptum inveniatur. Poſſe inveniri ne dubites. Mihi in promptu eſt (ut multa & innumera prætermittam, quæ paſſim neglecta jacent) nonnulla etiam ex his quæ plantavit dextera tua, convulſa monſtrare. Nonne os tuum in Remenſi *Concil. Remenſe de-* Concilio [*] ſubjecta capitula promulgavit? Quis ea tenet? Quis tenuit? Falleris ſi teneri putas. Si non putas, *creto neglecto* ipſe peccaſti, aut ſtatuens quæ non tenerentur, aut quod non tenentur diſſimulans. Præcipimus, aiſti [*], *Can.* " ut tam Epiſcopi, quàm Clerici, neque in ſuperfluitate, " C ſeu inhoneſta varietate colorum, aut ſciſſura veſtium, " neque in tonſura, intuentium (quorum forma & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum; ſed potius " ita in ſuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas " exigit ordinis clericorum. Quod ſi moniti ab Epiſcopis ſuis intra quadraginta dies non obtemperaverint, " eccleſiaſticis beneficiis eorumdem Pontificum auctoritate priventur. Epiſcopi vero, ſi præfixam [*] pœnam irrogare neglexerint, *vel pœnitentiam.* quia inferiorum culpæ ad nullos " magis referendæ ſunt quàm ad deſides negligenteſque " rectores; tamdiu ab officio pontificali abſtineant, donec pœnam à nobis conſtitutam clericis ſibi ſubjectis D imponant. [*] Illud etiam duximus annectendum, ut *Can. 11* " nullus in Archidiaconum vel Decanum, niſi Diaconus & Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, & Præpoſiti, qui infra Ordines prænominatos " ſunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore " ſuſcepto priventur. Prohibemus autem ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia & vitæ merito clareſcunt, prædicti concedantur " honores.

20. Verba tua hæc; tu ſanxiſti. Quid effectui mancipatum? Adhuc adoleſcentes, adhuc qui infra ſacros Ordines ſunt, in Eccleſia promoventur. Quod ad primum capitulum pertinet; luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna dictata, ſed minime ſecu- E ta eſt. Jam quartus annus eſt, ex quo datum mandatum audivimus; & neminem adhuc clericorum privatum beneficio, neminem Epiſcoporum ſuſpenſum ab officio luximus. At luctu amariſſimo dignum quod ſecutum eſt. Quod hoc? Impunitas incuriæ ſoboles, in- *Impunitatis & incuriæ mala.* ſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix. Et beatus, ſi omni ſatagas cura malorum omnium primam parentem cavere incuriam. Sed ad hoc tu operam dabis. Et nunc leva oculos tuos, & vide ſi non æque, ut prius, pellicula [c] diſcolor ſacrum Ordinem decolorat; ſi non æque, ut prius, ſciſſura enormis pæne inguina nudat [*]. Solent dicere: Num de veſtibus cura eſt F Deo & non magis de moribus? At forma hæc veſtium, deformitatis mentium & morum indicium eſt. Quid ſibi vult quod clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Id qui- *Clericorum veſtes & ritus notati.* dem minus caſtum, minuſque ſincerum. Nempe habitu milites, quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam

a Johannes Sareſberienſis in Polycratici lib. 4 cap. 7 *Nec tamen diſpenſationem ago utriuſque manibus poteſtatum: ſed perpetuam præceptionem, ut prohibitionem habentia, libito eorum nequaquam arbitror ſupponenda. In his itaque dumtaxat quæ mobilia ſunt, diſpenſatio verborum admittitur, ita tamen ut compenſatione honeſtatis aut utilitatis mens legis integra conſervetur.* Lege ſis apud eumdem lib. 7. cap. 17.

b Voſſius *in margine notat, non tua.* quaſi *propria* referendum ſit ad Pontificem, non ad eum cui conceditur diſpenſatio.

c De inconcinnis illis veſtibus clericorum lege Opuſculum ad Henricum archiepiſcopum Senonenſem cap. 2. infra, & Horſtii Notas in hunc locum.

n… e pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant. Cujus ordinis ſunt? Cum utrumque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt. *Unuſquiſque*, inquit, *in ſuo ordine reſurget*. Iſti in quo? An qui ſine ordine peccaverunt, ſine ordine peribunt? Aut ſi … ſapiens Deus veraciter creditur, a ſummo uſque deorſum nihil inordinatum relinquere: vereor … non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, A ſed ſempiternus horror inhabitat. O miſerandam ſponſam, talibus creditam paranymphis! qui aſſignata cultui ejus, proprio retinere quæſtui non verentur. Non amici profecto ſponſi, ſed æmuli ſunt. Et de his ſatis quæ ſub te ſunt, etſi non ad materiæ copiam, quæ eſt multa nimis; certe ad id quod propoſui ego. Viſenda jam quæ circa te ſunt, ſed ad ea oſtium nobis quartus liber aperiet.

Tom. II. Orat. 3.

LIBER IV.

CAPUT I.

1 SI mihi plenius innotuiſſet, amantiſſime Eugeni, priora qualiter acceptaris; ſecundum hoc vel fidentius in reliquum proceſſiſſem, vel cautius; aut certe ſiluiſſem omnino. Nunc vero quia ob locorum diſtantiam id minime datur, non mireris ſi prodit exitur ſermo anceps, verecunde, fateor, ad medium … ens. Primis itaque conſiderationis partibus libris prioribus pertractatis, in manibus eſt de his addere, quæ circa te ſunt. Et ipſa quidem ſub te, ſed quo propiora, eo importuniora tibi. Nempe coram poſita incuriam non admittunt, non diſſimulationem, C non oblivionem. Vehementius urgent, turbulentius … unt: verendum ne obruant. Circa ejuſmodi quàm ſobria & intenta conſideratione opus ſit, proprio te experimento edoctum ſatis non ambigo. Alioquin ſi non cauta opportunaque interveniat conſideratio, occupatio continuabitur, & vexationis non erit modus, & ſollicitudinis non erit finis. Non tempus vacuum, non liberum cor: plus laboris, & minus utilitatis. Dico autem, inſtantia illa tua quotidiana, ab urbe, à curia, a domeſtica eccleſia tua. Hæc, inquam, circa te ſunt, clerus & populus tuus, cui ſpecialiter epiſcoparis, ac per hoc ſpecialis curæ teneris debitor. Hi quoque qui tibi quotidie aſſiſtunt ſeniores populi, D orbis judices; & qui item de domo & menſa tua ſunt, capellani, cubicularii, miniſtri quique diverſis deputati officiis in obſequium tui. Hi te familiarius viſitant, frequentius pulſant, moleſtiuſque ſollicitant. Hi ſunt qui non verentur ſuſcitare dilectam, & antequam ipſa velit.

CAPUT II.

De cleri & populi Romani moribus agit, & de veterum Paſtorum cura ac vigilantia.

2. ET primo quidem Clerum illum ordinatiſſimum eſſe decet, ex quo præcipue in omnem Eccleſiam E Cleri forma proceſſit. Deinde omne quod perperam agitur te præſente, id tibi turpius. Intereſt gloriæ ſanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita ſint informati, quatenus totius honeſtatis & ordinis ipſi ſpeculum, ipſi ſint forma. Inveniantur præ ceteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas ſolliciti, circumſpecti ad ſeſe cuſtodiendos in omni caſtitate. Quid de populo loquar? Populus Romanus eſt. Nec brevius potui, nec expreſſius tamen aperire de tuis parochianis quod ſentio. Quid tam notum ſæculis, quàm protervia & faſtus * Romanorum? Gens inſueta paci, tumultui aſſueta; gens immitis & intractabilis uſque adhuc, F ſubdi neſcia, niſi cum non valet reſiſtere. En plaga: tibi incumbit cura hæc, diſſimulare non licet. Rides me forſitan, fore incurabilem perſuaſus. Noli diffidere; CURAM exigeris, non curationem. Denique audiſti: *Curam illius habe*; & non, Cura, vel ſana illud. Verum dixit quidam:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger.

At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur; *Plus omnibus laboravi*. Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum inſolens religioſiſſime vitans. Alias autem noverat homo B quem docuit Deus, quia unuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet, non ſecundum proventum. Et ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putavit, ſicut alibi quoque habes ipſum dicentem: *In laboribus plurimis*. Ita quæſo fac tu quod tuum eſt: nam Deus quod ſuum eſt ſatis abſque tua ſollicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam; & tuas explicuiſti * partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: *Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum*. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Et hoc dixerim abſque præjudicio divinæ C potentiæ & bonitatis. Scio induratum cor populi hujus: ſed potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quis ſcit ſi revertatur & ignoſcat, convertat & ſanet eos? Sed non eſt propoſiti mei dictare Deo quid facere debeat: tibi utinam poſſim, quæ oportet & prout oportet, ſuadere.

3. At locus dubius, & ſcrupuloſa incidit diſputatio. Nam ubi adoriar dicere quod ſentio? Video ſatis quid imminet. Clamabitur inſuetum; nam juſtum negari non poterit. Ego vero ne inſuetum quidem aſſenſerim. Nempe aſſuetum fuiſſe ſcio, ac per hoc in diſſuetum potuiſſe venire: ſed non redire in inſuetum. An vero aſſuetum quis neget, quod conſtat non modo aliquando factum, ſed aliquamdiu factitatum? D Quid illud ſit dicam, & non proderit. Cur? Quia non placebit ſatrapis, plus majeſtati quàm veritati faventibus. Fuerunt ante te qui ſe totos ovibus paſcendis exponerent, paſtoris opere & nomine gloriantes, nihil ſibi reputantes indignum, niſi quod saluti ovium obviare putarent, non quærentes quæ ſua ſunt, ſed impendentes. Impendere curam, impendere ſubſtantiam, impendere & ſeipſos. Unde unus illorum: *Et ego*, ait, *ſuperimpendar pro animabus veſtris*. Et tamquam dicerent, Non venimus miniſtrari, ſed miniſtrare; ponebant, quoties oportuiſſet, ſine ſumptu Evangelium. UNUS erat de ſubditis quæſtus, una pompa, E unaque voluptas, ſi quo modo eos poſſent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis ſatagebant, etiam in multa contritione cordis & corporis, in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate.

4. Ubi nunc, quæſo, conſuetudo hæc? Subiit diſſimilis valde; longe in aliud mutata ſunt ſtudia, & utinam non in pejus. Cura tamen & anxietas, & æmulatio, & ſollicitudo, fateor, perſeverant. Tranſlata hæc, non imminuta. Teſtimonium vobis perhibeo, quod nec ſubſtantiæ parcitis, non magis quam ante. Diverſa autem locatio diſſimilitudinem facit. Magna abuſio! pauci ad os legiſlatoris, ad manus omnes reſpiciunt. Non immerito tamen. Omne papale negotium F illæ * agunt. Quem dabis mihi de tota maxima urbe, qui te in Papam receperit, pretio ſeu ſpe pretii non interveniente? Et tunc potiſſimum volunt dominari, cum profeſſi fuerint ſervitutem. Fideles ſe ſpondent, ut opportunius fidentibus noceant. Ex hoc non erit conſilium tibi à quo ſe arcendos putent, non ſecretum quo ſe non ingerant. Si ſtante pro foribus quoquam illorum, moram vel modicam fecerit oſtiarius; ego tunc pro illo eſſe nolo *. Et nunc experire paucis, noverimne & ego vel aliquatenus mores gentis. Ante omnia ſapientes ſunt ut faciant mala, bonum autem facere neſciunt. Hi inviſi terræ & cælo,

Marginal notes (left): Vide Baron. an. 1144. … 1145. … — Clericos ſcholares paroch. quaſi … eſſe, patentes. — Romani … mores. — * al. cervicoſitas. — A tuis … cu… non curationem. — … Pamphil. … — 1. Cor. 15. 10.

Marginal notes (right): 1. Cor. 3. 8. — 2. Cor. 11. 23. — * al. explevisti — Sap. 10. 17. — Joel 2. — Conſuetudo ſruſtra abuſibus & vitiis obtendatur. * ſup. lib. 2. cap. 9. — Quales olim paſtores habuerit Eccleſia. — 2. Cor. 12. 15. — Romanorum cupiditas — * al. illi. — Alii mores. — * Sic mſſ. al. noluerim.

Tom. II. Opusc. I

utrique [a] injecere manus, impii in Deum, temerarii in ſancta, ſeditioſi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos: quos neminem amantes amat nemo; & cum timeri affectant ab omnibus, omnes timeant neceſſe eſt. Hi ſunt qui ſubeſſe non ſuſtinent, præeſſe non norunt, ſuperioribus infideles, inferioribus importabiles. Hi inverecundi ad petendum, ad negandum [b] frontoſi. Hi importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperint. Docuerunt linguam ſuam grandia loqui, cum operentur exigua. Largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores: blandiſſimi adulatores, & mordaciſſimi detractores: ſimpliciſſimi diſſimulatores, & maligniſſimi proditores. Excurrimus uſque huc, plenius te atque expreſſius admonendum putantes horum quæ circa te ſunt in hac parte.

Divitum acervo per pauperum ... ad cumulandum

5. Jam ad ordinem recurramus. Quale eſt, quod de ſpoliis eccleſiarum emuntur [a], qui dicunt tibi, Euge, euge? Pauperum vita in plateis divitum ſeminatur. Argentum micat in luto: accurritur undique, tollit illud non pauperior, ſed fortior, aut qui forte citius præcucurrit. A te tamen mos iſte, vel potius mors iſta non cœpit; in te utinam deſinat. Sed reliqua proſequamur. Inter hæc tu paſtor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere; dæmonum magis, quàm ovium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat? VIDES omnem eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda. HONORI totum datur, ſanctitati nihil, aut parum. Si cauſa requirente paulo ſubmiſſius agere, ac ſocialius te habere tentaveris; Abſit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majeſtati non convenit, quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt; pro jactura ſalutis nulla cunctatio. niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare ducamus: & quod gloriam redolet, id juſtum. Ita OMNE humile probro ducitur inter palatinos, ut facilius qui eſſe, quàm qui apparere humilis velit, invenias. Timor Domini ſimplicitas reputatur, ne dicam fatuitas. Virum circumſpectum & amicum propriæ conſcientiæ calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, & ſibi interdum vacantem, inutilem dicunt.

Pompæ ac dignitatis cura ... quàm ſanctitatis.

Curialium mores & perverſæ opiniones.

CAPUT III.

De veſtium pompa reſecanda, & zelo Pontificis neceſſario.

6. QUid ergo tu? Evigilaſne adhuc ad iſtos, qui circumdederunt te laqueis mortis? Quæſo, ſuſtine pauliſper, & ſupporta me. Immo da veniam, non tam temere, quàm timide hæc loquenti. Æmulor te æmulatione bona, & utinam quàm vehementi, tam utili. Scio ubi habitas; increduli & ſubverſores ſunt tecum. Lupi, non oves ſunt: talium tamen tu paſtor. Utilis conſideratio, qua forte inveneris, quomodo, ſi fieri poſſit, convertas eos, ne ipſi ſubvertant te. Quid diffidimus poſſe reverti in oves, è quibus verti in lupos potuerunt? Hic, hic, non parco tibi, ut parcat Deus. Paſtorem te populo huic certe aut nega, aut exhibe. Non negabis: ne cujus ſedem tenes, te neget heredem. Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis; non tectus auro, non vectus equo [c] albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Abſque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum: *Si amas me, paſce oves meas.* In his ſucceſſiſti, non Petro, ſed Conſtantino. Conſilio toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te ſcio debitorem. Etſi purpuratus [d], etſi deauratus incedens, non eſt tamen quod horreas operam curamve paſtoralem, Paſtoris heres: non eſt quod erubeſcas Evangelium. Quamquam ſi volens evangelizes, inter Apoſtolos quidem etiam gloria eſt tibi. Evangelizare, paſcere eſt. FAC OPUS Evangeliſtæ, & paſtoris opus implesti.

Nota zelum ſancti

Pompam & ſplendorem neſcivit Petrus.

Joan. 21. 15

7. Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed verbo, non ferro. Quid tu denuo uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es reponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: *Converte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apoſtolis, *Ecce gladii duo hic*; non reſpondiſſet Dominus, *Satis eſt*, ſed, Nimis eſt. Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero & ab Eccleſia exſerendus: ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum [e] Sacerdotis, & juſſum Imperatoris. Et de hoc alias. Nunc vero arripe, qui tibi ad feriendum creditus eſt; & vulnera ad ſalutem, ſi non omnes, ſi non vel multos, certe quos poſſis.

Gladii Pontificis duplex

Johan. 18 11

Luc. 22. 38.

8. Non ſum, inquis, melior quàm patres mei. Quem illorum domus exaſperans, non dico, audivit, ſed non irriſit? Ideo tu inſiſte magis, ſi forte audiant, & quieſcant: inſiſte & reſiſtentibus. Dicendo hæc, forte nimius dicar. Num noſtra illa vox: *Inſta opportune, importune?* Hunc, ſi audes, nimium appellato. Prophetæ præcipitur: *Clama, ne ceſſes.* Ad quos, niſi ad ſceleratos & peccatores? *Annuntia*, inquit, *populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Prudenter adverte & ſceleratos perhiberi, & populum Domini. Puta de his idem. Etſi ſcelerati, etſi iniqui, vide ne audias: *Quod uni ex minimis meis non feciſti, nec mihi feciſti.* Fateor populum iſtum exſtitiſſe uſque adhuc dura fronte, & indomito corde; ſed utrumne etiam indomabili, neſcio unde liquido ſcire poſſis. Poteſt fore, quod necdum fuit. Si diffidis tu; ſed apud Deum non erit impoſſibile omne verbum. Si dura fronte ſunt, durato & tu è contra tuam. Nil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam: *Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Unum eſt quod te abſolvit, ſi egiſti cum populo illo, ut poſſis dicere: Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci? Si ſic feciſti, nec profeciſti; eſt demum quod facias, & quod dicas: Exi de Hur Chaldæorum, & dicito, quia oportet me & aliis civitatibus evangelizare. Puto nec pœnitebit exſilii, orbe pro urbe commutato.

Rebellibus ... diſſitendum

2. Tim. 4. 2.

Iſa. 58. 1

Ibidem.

Matth. 25 45.

Luc. 1.

Quomodo Paſtori cum duris & infractis agendum.

Ezech. 3. 8.

Luc. 4. 43

CAPUT IV.

Quales collaterales & coadjutores à Pontifice adhibendi: ubi de virtutibus Prælatorum.

9. VEniamus ad collaterales [f] & coadjutores tuos. Hi ſeduli tibi, hi intimi ſunt. Quamobrem ſi boni ſunt, tibi potiſſimum ſunt: ſi mali, æque plus tibi. Ne te dixeris ſanum, dolentem latera: hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut ſi bonus ſis, bonitas tui ſolius quem fructum afferre poteſt? ſicut in ſuperiore libro [a] dixiſſe me memini. Quid, inquam, emolumenti affert eccleſiis Dei tua unius bo-

Lib. 3. num. 5.

a Id eſt terræ & cælo, quod mox explicat. Hi motus contigere incentore Arnaldo, qui Romanis auctor fuit, ut Romæ antiquum Reip. ſtatum reſtituere molirentur, unica Sacrorum cura Pontifici relicta. Hæc fuſe in epiſtola 243. & apud Baronium anno 1142.

b Sic in epiſtola 198 *frontoſus ad verecundiam*, num. 1

c Obſerva morem tunc fuiſſe, ut Pontifex equo albo veheretur quod etiam probat Sugerius in libro de vita Ludovici Groſſi pag. 18.

d Petrus Damiani Pontifici *rubram cappam* tribuit in lib. 1. epiſtola 20. Hadrianus IV. apud Johannem Sareſberienſem in Polycratici lib. 8. cap. 23. ait, *coronam & phrygium* (quod alio nomine Regnum vocatur) *clara merito videri, quia ignea ſunt.* Vide infra num. 5 & lib. 2. num. 18.

e Iidem verbis paullo immutatis de duplici gladio habet in epiſtola 56 Johannes Sareſberienſis in Polycratici lib. 4 cap. 3. *Hunc ergo gladium de manu Eccleſiæ accipit Princeps, cum ipſa tamen gladium ſanguinis non habeat. Habet tamen & iſtum: ſed eo utitur per Principis manum* Confer caput 2. libri ad Milites Templi, & Horſtii Notas in hunc locum.

f Johannes Sareſberienſis in lib 5 cap. 10. agit *de lateribus poteſtatum, his ſcilicet, qui Principibus debent aſſiſtere.*

minis juſtitia, ubi ſententia prævalet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis, non magis quàm ſanitas vicino ſerpente. Non eſt quo te ſubducas malo inteſtino. Et è regione, bonum domeſticum eo amplius, quo ſæpius juvat. Sed ſive levent, ſive gravent, cui rectius imputandum quàm tibi, qui tales aut elegiſti, aut admiſiſti? Non de omnibus dico: nam ſunt quos non elegiſti, ſed ipſi te. At poteſtatem non habent, niſi quam tu eis aut tribueris, aut permiſeris. Ad idem ergo revertimur. Tibi imputa quicquid patieris ab eo, qui ſine te poteſt facere nihil. His exceptis, de cetero non inconſiderate (ut vides) eligendi quique ſeu colligendi ſunt in opus miniſterii hujus. Tuum eſt undecumque evocare & adſciſcere tibi, exemplo Moyſi, ſenes, non juvenes; ſed ſenes non tam ætate quam moribus, quos tu noſti, quia ſenes populi ſunt. Annon eligendi de toto * orbe, orbem judicaturi? Sane huic negotio non ſe ingerat rogans. Conſilio, non prece agendum eſt. Sunt quæ neceſſario à nobis roga..itium aut extorquet importunitas, aut neceſſitas meretur. At iſtud in his quæ noſtra ſunt. Ubi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? Niſi forte qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, velle liceat mihi, & non magis [a] ut velim. Alius pro alio, alius forte & pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus: qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt. Nec intereſt, per ſe, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem, qui non ſit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus *. Adulantem, & ad placitum cujuſque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamſi nihil rogaverit. Scorpioni non eſt in facie quod formides: ſed pungit à cauda.

Num. 11. 16. Cardinales quales eſſe debeant. — *V. Conc. Trid. seſſ. 24 de reform. c. 1.* — *Rogans removendus.* — *Clericus frequentans curiam ambitioſus.* — *V. Notas.*

10. Si ad talium blanditias cor tuum, ut aſſolet, molliri ſenſeris, memineris ſcriptum: *Omnis homo primum bonum vinum ponit; cum autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* Pari pondere æſtimaveris ejus humilitatem qui timet, & ejus qui ſperat. Viri callidi & doloſi proprium eſſe ſolet tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit. de qualibus dicit Scriptura: *Eſt qui ſe humiliat nequiter, & interiora ejus plena ſunt dolo.* De vobis ipſis ſume ſententiæ hujus evidens ac familiare exemplum. Quantos quos ſupplices admiſiſti, poſtmodum ſuſtinuiſti graves, inſolentes, contumaces, rebelles? Quod quidem interius malum tegunt principia, poſteriora produnt. Verboſulum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentiæ, cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud quàm juſtitiæ hoſtem repütes. Pro hujuſmodi falſis fratribus dicit tibi Magiſter: *Manus cito nemini impoſueris.*

Joan. 2. 10. — *Eccl. 19. 23.* — *Verborum & eloquentiæ ſtudioſi cavendi.* — *1 Tim. 5. 22.*

11. Excluſo itaque univerſo hoc peſtilenti genere hominum, curæ tibi maxime ſit introducere tales, quos poſtmodum introduxiſſe non pœniteat. Torpe eſt tibi ſæpius retractare quod feceris, & judicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum his qui te diligunt. Tracta ante factum, quia poſt factum ſera retractatio eſt. Sapientis conſilium eſt: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* Et hoc tibi perſuade, qui admittendi ſunt, difficile in curia poſſe probari. & ideo, ſi fieri poteſt, viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in monaſteriis omnes recipimus ſpe meliorandi: at curia bonos facilius recipere, quam facere conſuevit. Quod ſi plures in ea defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe probavimus; quærendi ſane quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis.

Inconſulte nihil faciendum. — *Eccli. 32. 24.* — *Probos eligi in curia, non eſſe.* — [b] *Ambientes rejiciendi, fugientes aſſumendi.*

12. Itaque non volentes, neque currentes [b] aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes: etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus, ut opinor, requieſcet ſpiritus tuus, qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati: qui præter Deum tantum timeant nihil, nihil ſperent niſi a Deo. Qui adventantium non manus attendant, ſed neceſſitates. Qui ſtent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro manſuetis terræ. Qui ſint compoſiti ad mores; probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui ſint in judicio recti, in conſilio providi, in jubendo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in adverſitate ſecuri, in proſperitate devoti, in zelo ſobrii, in miſericordia non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in convivio non effuſi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, ubique & in omnibus circumſpecti. Qui legatione pro Chriſto fungi, quoties opus erit, nec juſſi renuant, nec non juſſi affectent. Qui quod verecunde excuſant, obſtinatius non recuſent. Qui miſſi, poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequantur: qui quæſtum legationem non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum. Qui regibus Johannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Eliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant: divites non palpent, ſed terreant: pauperes non gravent, ſed foveant: minas principum non paveant, ſed contemnant. Qui non cum turba * intrent, nec cum ira exeant: qui eccleſias non ſpolient, ſed emendent. Qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant; famæ provideant ſuæ, nec invideant alienæ. Qui orandi ſtudium gerant, & uſum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm ſuæ induſtriæ vel labori. Quorum ingreſſus pacificus, moleſtus [c] exitus ſit. quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, non verbo, ſed opere: reverendos exhibeant, ſed actu, non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; duros dure redarguant, malignantes coërceant, reddant retributionem ſuperbis. * Qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi ſe vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique ſpiritu, illorum inſtar ſeptuaginta Moyſi, accepiſſe cernantur, per quem ſive abſentes, ſive præſentes contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati: ſimul & glorianțes, non quod curioſa ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Cardinales quales eſſe oporteat. V. epiſt. 188. — *Dotes & conditiones.* — *Quales Legatos Apoſtolicos.* — * *id eſt cum tumultu.* — [c] — * *V. Notas.* — *Num. 11. 16.*

CAPUT V.

Exemplis commendatur abſtinentia munerum; & arrogantia miniſtrorum Papæ perſtringitur.

Exemplum memorabile Martini Cardinalis. [d]

13. Dignum reor ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini [d] noſtri. Noſti hoc; ſed an memineris, ignoro. Is cardinalis presbyter, functus

a Horſtio *ut non magis velim*, ſed mendoſe. & paullo ante, *ut quod vult, hoc liceat mihi*, apud Voſſium.

b Præclarus hac de re locus eſt apud Gregorium M. in lib. 6. epiſtola 4. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus.* Sed id fuſius in Horſtii Notis.

c Sic mſſ. pleraque. quidam habent cum editis, *non moleſtus*. Sed alteram lectionem præferimus, id eſt quorum exitus triſtitiam affert. Apud Voſſium una lectio, *modeſtus*.

d Is presbyter cardinalis ab Innocentio creatus anno 1130. *Noſtrum* vocat Bernardus, non quod Claræ-vallenſis fuerit, (neque enim inter Prælatos inde aſſumtos ab Ernaldo numeratur in lib. 2. Vitæ num. 8) ſed ſive quod peculiaris Bernardi amicus fuerit, ſive quod Gallus, ſeu quod ejuſdem, id eſt Ciſtercienſis, inſtituti. quod tamen Manricus aſſerere non audet. Anno 1132. hæc Martini in Daciam legatio ponitur. Hoc factum ex Bernardo Johannes Sareſberienſis laudat in Polycratici lib. 5. cap. 15. uti & ſequens Gaufridi Carnotenſis. Alia exempla ibidem cap. 16.

Tom. II. Opusc. I. a

aliquando legatione in Dacia[a], tam pauper remeavit, A ut pæne expenſis & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Epiſcopus loci donavit ei equum, quo Piſas uſque, ubi eramus tunc, pervectus eſt. Poſtridie, credo, ſecutus Epiſcopus (erat enim illi cauſa cum adverſario, & agendi aderat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum. Cumque per ſingulos ſollicitarentur, ventum eſt ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non poſſet immemor eſſe recentis beneficii. Tum Martinus: Decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt. Et hora eadem reſignavit illi. Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius ſæculi res eſt, rediſſe Legatum de terra auri ſine auro? tranſiiſſe per terram B argenti, & argentum neſciſſe? donum inſuper, quod poterat eſſe ſuſpectum, ilico rejeciſſe?

Aliud exemplum Gaufridi Carnotenſis. b

14. Sed ô mihi locum ſuavem, ubi incidit occaſio memorandi & nominandi ſuaviſſimi odoris virum, epiſcopum loquor Carnotenſem Gaufridum, qui legationem[b] in partibus Aquitaniæ propriis ſumptibus ſtrenue adminiſtravit, idque annos plures. Rem loquor quam vidi ipſe. Eram cum eo in terra illa, cum à quodam presbytero præſentatus illi eſt piſcis, quem vulgo vocant ſturgionem. Percunctatus Legatus quanti veniret; Non accipio, inquit, niſi receperis pretium. & reſignavit ſolidos quinque invito & verecundo. Item cum eſſemus in quodam oppido, domina illius oppi- C di obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropſides pulcras, ligneas tamen. quas aliquamdiu intuens homo ſcrupuloſæ conſcientiæ, laudavit cas, ſed non acquievit accipere. Quando * argenteas recepiſſet, qui ligneas refutavit? Non fuerunt qui poſſent Legato dicere: *Ditavimus Abraham.* Ipſe vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes: *Loquimini de me coram Domino. & coram Christo ejus, utrum bovem cujuſpiam tulerim aut aſinum; ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi; & contemnam illud hodie, vobiſque reſtituam.* O ſi talium daretur virorum copia, quales perſtrinximus nunc! Quid te felicius, quid illo jucundius ſæ- D culo? Nonne ſecunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cum te quaquaverſum procedens, ſtipatum videres tam inclyto agmine beatorum?

* al. quomodo.

Gen. 14. 23.

1. Reg. 12. 3.

* al. Spiritum.

Eugenii votum pro bonis miniſtris.

15. Si te novi, hæres, & altum trahens ſuſpirium*, tecum loqueris: Putas fore poſſe quod dicitur? Putas hic ſumus, quouſque hæc fiant? Quis det vivere, ut videre contingat? O ſi viderem in vita mea Eccleſiam Dei talibus innixam columnis! O ſi Domini mei ſponſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati! Quid me beatius, quidve ſecurius, cum ejuſmodi circa me vitæ meæ & cuſtodes ſpectarem ſimul & teſtes? Quibus omnia mea ſecreta E ſecure committerem, communicarem conſilia; quibus me totum refunderem, tamquam alteri mihi. Qui, ſi vellem aliquatenus deviare, non ſinerent, frenarent præcipitem, dormitantem excitarent. Quorum me reverentia & libertas extollentem reprimeret, excedentem corrigeret. quorum me conſtantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem. quorum me fides & ſanctitas ad quæque ſancta, ad quæque honeſta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia & bonæ famæ provocaret. Et nunc reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc eſt curiæ ſive Eccleſiæ ſtatum, & ſtudia prælatorum, eorum præſertim, qui ſunt in F circuitu tuo.

c

Arrogantiam miniſtrorum Papæ retundit.

16. Sed de his hactenus. Ego palpavi, non fodi[c] parietem. Tibi licet fodere & videre, utpote prophetæ filio. Mihi progredi non eſt fas. Unum dico quod in facie eſt. Ridicule miniſtri veſtri veſtris ſe compreſbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas. Et ſi de ſua conſuetudine calumnia ſtruitur, melius profecto illa, quàm ſummus Ordo contemnitur. Frivolum tamen ſatis, unde maxime obtinere id volunt. Nos ſumus, inquiunt, qui in omni celebritate domino Papæ conjunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores aſſidemus[d], procedentem poſteriores præcedimus. Hoc totum non dignitatis privilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt, diaconi nomen ſollemni ipſa adminiſtratione interpretans. Denique presbyteris ordinata confeſſione ambientibus majeſtatem, vos ad pedes ſedetis. Propiores aſſiſtitis, ut habeat paratiores. In evangeliis B legimus, quia *facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major.* Beatus eſſes, ſi ſic circa te cetera tenerentur. Luc. 22. 24.

d

CAPUT VI.

Pontifici non convenire, utpote gravioribus intento, rei domeſticæ curam; proindeque alteri potius Oeconomo committendam.

17. TÆdet jam curiæ: exeundum palatio; domi exſpectant nos. Hi non modo circa, ſed quodammodo intra te ſunt. Non eſt ſupervacua conſideratio, C qua intendis diſponere domui tuæ, providere his qui in ſinu tuo & in gremio tuo ſunt. Ego dico & neceſſariam. Paulum audi: *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* item, *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Et hæc dicens, non te moneo ſummis occupatum intendere infimis, & quaſi minutum fieri; minimis impendere quod maximis debes. Quid te intrices, unde te eripuit Deus? *Hæc,* inquit, *omnia adjicientur vobis.* Veruntamen & hæc oportet facere, & illa non omittere. At illa per te agens, per te etiam oportet provideas, qui pro te de his provideant. Nam ſi unus e ſervis per ſe non ſuf- D ficit ſimul & cuſtodiæ jumentorum, & curæ menſarum: tu per te quomodo intendere valeas & tuæ domui, & Domini pariter? de qua ſcriptum eſt: *O Iſraël, quam magna eſt domus Domini!* VACUUM prorſus à ſollicitudine rerum minorum & vilium oportet eſſe animum, tam magnis & tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla ſibi vindicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorſum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla ſeorſum avertat ſiniſtra intentio. Oportet cautum, quem nulla ſubeat furtiva ſuſpicio. Oportet vigilem, quem nulla ab ſeſe abducat peregrina & curioſa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repen- E tina turbatio. Oportet invictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amiſſio.

1. Tim. 3. 5.

1. Tim. 5. 8.

Matth. 6. 33.

Non decet Pontificem occupari in minimis.

Baruch 3. 24.

Pontificis animum qualem eſſe oporteat.

18. His te non dubites & bonis privandum, & feriendum malis, ſi animum dividens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impertiri. Procurandus quem implices, qui pro te molat. Pro te dico, non tecum. Quædam per temet facies; quædam per te & alios ſimul; quædam per alios & abſque te. Quis ſapiens, & intelliget hæc? Non eſt quod inter iſta dormitet conſideratio tua. Ego vero agenda domus tuæ ſub eo genere, quod noviſſimum poſui, locanda cenſuerim. Per alium, ut dixi, illa facies. At is, ſi F fidelis non fuerit, fraudabit: ſi non fuerit prudens, fraudabitur. Quærendus proinde fidelis & prudens, quem conſtituas ſuper familiam tuam. Adhuc inutilis eſt, ſi tertium deſit. Quæris quid hoc? auctoritas. Quid enim prodeſt ei velle, & ſcire quæque diſpo-

Oeconomi tres conditiones.

a Ita conſtanter editi & ſcripti. *Dania* legit Manricus.

b De hac legatione in Aquitaniam contra Henricianos lege lib. 1. de vita Bernardi cap. 6 & lib. 3. cap. 6. Bernardi varias ad Gaufridum iſtum epiſtolas habes in tomo 1.

c Proverbialis locutio, petita ex Ezechielis cap. 8. quaſi diceret: Ego leviter tantum & obiter, & ſummis quaſi digitis rem tetigi: tuum eſt altius rimari omnia, & perſcrutari, quæ vitia deforment Eccl. ſiam ejuſque miniſtros &c. Ita fere Horſtius.

d Ita ſcripti hunc locum reſtituunt: & recte: cum Romano more ſervi dominum præcedant, digniores poſteriori ordine. In editis legebatur, *priores ſequuntur procedentem.*

nere

nere, prout neceſſe eſt, ſi quod ſcit & vult, non poteſt? Danda ergo facultas agendi pro libitu. Si in præjudicium rationis putas hoc fieri, memento fidelem, qui agere nihilo minus pro ratione volet: attende prudentem, qui agere nihilo minus pro ratione ſciet. Sed fidelis ſollerſque voluntas tunc proderit, cum ei affatim ſuppetet, unde tota facilitate mancipetur effectui, cunctis ſine cunctatione parentibus. Subdendi igitur omnes. Nullum patiatur contradictorem. Nemo qui dicat, cur feciſti ſic? Poteſtatem habeat excludere & admittere quos voluerit, mutare miniſtros, transferre miniſteria ad quos, & quando voluerit. Ita timori ſit omnibus, ut ſit & utilitati. Præſit omnibus, ut omnibus proſit, & de omnibus. Clandeſtinas & ſuſurratas delationes non recipias adverſus eum: magis detractiones cenſueris. Et hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere quod in aure locutus eſt, ſuſpectum habeas. Quod ſi te judicante dicendum coram ille renuerit, delatorem judices, non accuſatorem.

Regula generalis in delatores.

19. Itaque unus omnibus facienda injungat, & uni omnes reſpondeant. Tu illi habeas fidem, vacans tibi & Eccleſiæ Dei. Si quo minus aut fidelis inveniatur, aut prudens, fideli potius committendum. Sane è duobus tutius hoc. Quamquam ſi idoneus non reperitur, etſi minus fidelem ſuſtinere potius conſulo, quam te immergere labyrintho huic. Memento Salvatorem Judam œconomum habuiſſe. Quid Episcopo turpius, quam incumbere ſupellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ: ſcrutari omnia, ſciſcitari de ſingulis, morderi ſuſpicionibus, moveri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorumdam ejuſmodi, ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, numerantium ſingula, de minutis & quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Joſeph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo ſua. Erubescat Chriſtianus, Chriſtiano ſua non credens. Homo ſine fide, fidem tamen habuit ſervo, ſuper omnia bona ſua conſtituens eum: & hic erat alienigena.

Fidelis ſervus ac præferendus prudenti.

Joann. 12. 6.

Incumbere rebus domeſticis Epiſcopo indignum.

Gen. 39. 6.

Item ſua nolle credere ſervo Chriſtiano.

20. Mira res! Satis ſuperque Epiſcopi ad manum habent, quibus animas credant: & cui ſuas committant facultatulas, non inveniunt. Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed, ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Chriſti jacturam, quam noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet eam: perit anima, & nemo eſt qui reputet. Nec mirum, cum nec noſtros quidem aſſiduos ſentiamus defectus. Nonne ad ſingulas ſupputationes iſtas iraſcimur, urimur, anxiamur? Quam tolerabilius rerum, quam mentium ſuſtineremus jacturam! *Quare*, inquit, *non magis fraudem patimini?* Quæſo tu qui alios doces, doce[a] teipſum: ſi tamen jam non docuiſti, pluris te habere, quam tua. Tranſitoria iſta, quæ ſtare tibi nullo pacto queunt, fac ut à te tranſeant, non per te. Rivus qua fluit, cavat terram: ſic diſcurſus temporalium conſcientiam rodit. Si poteſt torrens in agris excurrere ſine læſione ſatorum: & tu te iſta ſine vulnere mentis poſſe tractare confidito. Omnimodis conſilio ſtudeas avertere à te concurſum horum. Multa neſcias, plurima diſſimules, nonnulla obliviſcaris.

Rationes [illegible] præferri ſpiritualium.

1. Cor. 6. 7.

Res temporales ſine detrimento ſpirituali tractari poſſunt.

21. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque & ſtudia. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus ſcias: quod quamplurimis novimus contigiſſe. Quapropter, ut dixi, alius alia diſpenſet: de diſciplina tu provide, illud nemini credas. Si inſolentior coram te vel ſermo ſonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua ſuper ejuſmodi; tu ulciſcere injuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas: horum diſciplina cuſtos. Sacerdotes domeſtici, aut ceteris honeſtiores, aut fabula omnibus ſunt. In vultu, in habitu, in inceſſu illorum qui circa te ſunt, nihil reſidere impudicum, nihil indecens patiaris. Diſcant à te coepiſcopi tui comatulos pueros & comptos adoleſcentes ſecum non habere. Certe inter mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet. Et memento quod ſapiens admonet: *Filiæ tibi ſunt? noli faciem tuam hilarem ad eas oſtendere.*

Diſciplina tamen familiæ Pontifici non negligenda.

Eccli. 7. 26.

22. Nec auſteritatem tamen ſuadeo tibi, ſed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa, ſi adſit, odibilem; hæc, ſi deſit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec ſeverius velim, nec diſſolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut nec de ſeveritate ſis oneri, nec de familiaritate contemptui? In palatio Papam, domi te patremfamilias exhibe. Ament te domeſtici tui: ſi non, facito ut timeant. Utilis ſemper cuſtodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frenanda lingua præceps, maxime autem in convivio. Ille convenientior habitus, ſi tu actu quidem ſeverus ſis, vultu ſerenus, verbo ſerius. Capellani, & qui tecum jugiter divinis interſunt officiis, non ſint ſine honore. Tuum eſt tales tibi providere, qui digni ſint. Serviatur eis ab omnibus tamquam tibi. Neceſſaria de manu tua accipiant. His contenti ſint quæ tu provideris illis: tu vide ne egeant. Super hoc quem forte ab adventantibus petere deprehenderis, judica Giezitam. Id de oſtiariis, id de ceteris officialibus decernendum. Verum hoc ex abundanti: nam formam iſtam jam olim à te poſitam recordamur. Quid tuo dignius apoſtolatu? quid ſalubrius ad conſcientiam, honeſtius ad famam, utilius ad exemplum? Optimus canon, qui projicit avaritiam ex calumnia, & non à conſcientia tantum.

Familiaritati gravitas miſcenda, quomodo.

Capellanis honor habendus.

Avaritia à domeſticis releganda.

4. Reg. 5. 20.

CAPUT VII.

Epilogus ſeu ſumma eorum, quæ in Pontifice requiruntur.

23. Libet jam & hunc claudere librum: ſed in calce aliqua velim vel ante dicta quaſi epilogando repetere, vel addere prætermiſſa. Conſideres ante omnia ſanctam Romanam eccleſiam, cui Deo auctore præes, eccleſiarum matrem eſſe, non dominam: te vero non dominum[b] epiſcoporum, ſed unum ex ipſis; porro fratrem diligentium Deum, & participem timentium eum. De cetero oportere te eſſe conſidera formam juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, Fidei defenſorem, doctorem gentium, Chriſtianorum ducem, amicum ſponſi, ſponſæ paranymphum, cleri ordinatorem, paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, ultorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem Altiſſimi, vicarium Chriſti, chriſtum domini: poſtremo deum Pharaonis. Intellige quæ dico: dabit tibi Dominus intellectum. Ubi malitiæ juncta potentia eſt, aliquid tibi ſupra hominem præſumendum. Vultus tuus ſuper facientes mala. Timeat ſpiritum iræ tuæ, qui

Pontifici utilia monita.

Pontificis dotes.

a Similia vide ep. 6. ad Eugenium. 29

a Concilium Carthaginenſe IV. can. 20. *Ut Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe revocet: ſed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.* Adi Gregorium Nazianzenum in carmine de vita ſua, & Poſidium de vita S. Auguſtini cap. 24.

b Gregorius M. eo ſpiritu animatus, ſuperbos ejuſmodi titulos reſpuit in lib. 7. epiſtola 30. Indict. 1 ad Eulogium Alexandrinum, *Ego enim*, inquit, *non verbis quæro proſperari, ſed moribus: nec honorem eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ: meus honor eſt Fratrum meorum ſolidus vigor.*

hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempſit. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, & contra ſe paveat. Quod reliquum eſt, de his quæ ſupra te ſunt, incumbit jam diſputatio: quam uno libro, Deo adjuvante, ſolvere ſpero, & me pariter abſolvere promiſſione mea.

LIBER V.

CAPUT I.

De his quæ ſupra nos ſunt, id eſt de Deo rebuſque divinis, conſiderationem inſtituit, ad quas modo per creaturas erigimur.

Conſideratio maxime divina ſpectat.

1. Libri ſuperiores, etſi de Conſideratione inſcribantur, plurimum tamen habent actionis admixtum, dum res aliquas non conſiderandas tantum, ſed agendas docent vel monent. At qui in manibus modo eſt, ſola in conſideratione verſabitur. Quæ enim ſupra ſunt (id [a] quidem inſtat) actu non indigent, ſed inſpectu. Non eſt quod in eis actites, quæ uno modo ſemper ſunt, & in æternum; porro aliqua & ab æterno. Et hoc velim ſollerter advertas, vir ſagaciſſime Eugeni, quia TOTIES peregrinatur conſideratio tua, quoties ab illis rebus ad iſta deflectitur inferiora & viſibilia, ſive intuenda ad notitiam, ſive appetenda ad uſum, ſive pro officio diſponenda vel actitanda. Si tamen ita verſatur in his, ut per hæc illa requirat, haud procul exſulat. Sic conſiderare, repatriare [b] eſt. Sublimior iſte præſentium ac dignior uſus rerum, cum juxta ſapientiam Pauli, *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Sane hac ſcala cives non egent, ſed exſules. Quod vidit ipſe hujus ſententiæ auctor, qui cum diceret inviſibilia per viſibilia conſpici, ſignanter poſuit, *à creatura mundi.* Et vere quid opus ſcalis tenenti jam ſolium? Creatura cæli illa eſt, præſto habens per quod potius iſta intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex his quæ facta ſunt, Factoris notitiam mendicare. Neque enim ut vel ipſa noverit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi illa videt, ubi longe melius ſunt quàm in ſeipſis. Unde nec medium requirit ad ea corporis ſenſum: ſenſus ipſa ſibi, ſeipſa ſentiens. Optimum videndi genus, ſi nullius egueris, ad omne quod * libuerit, te contentus. Alioquin juvari aliunde, obnoxium fieri eſt, minuſque à perfecto iſtud, & minus liberum.

Mens noſtra toties peregrinatur, quoties divina non cogitat.

Rom. 1. 20

Creatura ſcala ad Deum.

Secus in Beatis.

* al. add. noſſe.

2. Quid quod & inferioribus eges? Nonne præpoſterum hoc & indignum? Plane ſuperiorum quædam injuria eſt, inferiorum operam deſiderare: à qua injuria nemo hominum perfecte vindicabitur, niſi cum quiſque evaſerit in libertatem filiorum Dei. Nempe erunt hi omnes docibiles Dei, & nulla interveniente creatura, ſolo beati Deo. Repatriaſſe erit hoc, exiſſe de patria corporum in regionem ſpirituum. Ipſa eſt Deus noſter, maximus ſpiritus, maxima manſio ſpirituum beatorum: & ne quid hic ſibi uſurpet ſenſus * ſeu imaginatio, veritas eſt, ſapientia eſt, virtus, æternitas, ſummum bonum. Unde * interim abſumus: & ubi ſumus, vallis eſt lacrymarum, in qua ſenſualitas regnat, & conſideratio exſulat: in qua libere quidem & poteſtative ſe exſerit ſenſus corporeus, ſed intricatus caligat oculus ſpiritualis. Quid igitur mirum, ſi ope indigenæ advena indiget? Et felix ſecundum tempus viator, qui civium beneficium, ſine quo tranſire non poteſt, in obſequium convertere potuit, utens, non fruens; urgens, non petens; exactor, non ſupplex.

Johan. 6. 45

* al. omnis ſenſus.

* al. à quo

CAPUT II.

Aſſignat varios conſiderationis gradus.

Activæ vitæ

3. Magnus ille, qui uſum ſenſuum, quaſdam veluti civium opes, expendere ſatagit, diſpenſando in ſuam & multorum ſalutem. Nec ille minor, qui hunc ſibi gradum ad illa inviſibilia philoſophando conſtituit: niſi quod hoc dulcius, illud utilius: hoc felicius, illud fortius eſſe conſtat. At omnium maximus, qui ſpreto ipſo uſu rerum & ſenſuum, quantum quidem humanæ fragilitati fas eſt, non aſcenſoriis gradibus, ſed inopinatis exceſſibus, avolare interdum contemplando ad illa ſublimia conſuevit. Ad hoc ultimum genus illos pertinere reor exceſſus Pauli. Exceſſus, non aſcenſus: nam raptum potius fuiſſe, quàm aſcendiſſe ipſe ſe perhibet. Inde eſt quod dicebat: *Sive mente excedimus, Deo.* Porro hæc tria ita contingunt, cum conſideratio, etſi in loco peregrinationis ſuæ, virtutis ſtudio, & adjutorio gratiæ facta ſuperior, ſenſualitatem aut premit ne inſoleſcat, aut cogit ne evagetur, aut fugit ne inquinet. In primo potentior, in ſecundo liberior, in tertio purior. Puritatis ſiquidem & alacritatis pariter alis fit ille volatus.

Mediæ.

Contemplativæ.

2 Cor 12. 2.

2 Cor 5. 13.

Alæ ejus duæ.

4. Vis tibi has conſiderationis ſpecies propriis diſtingui nominibus? Dicamus, ſi placet, primam diſpenſativam, ſecundam æſtimativam, tertiam ſpeculativam. Harum nominum rationes diffinitiones declarabunt. Diſpenſativa eſt conſideratio ſenſibus ſenſibilibuſque rebus ordinate & ſocialiter utens ad promerendum Deum. Æſtimativa eſt conſideratio prudenter ac diligenter quæque ſcrutans & ponderans ad veſtigandum Deum. Speculativa eſt conſideratio ſe in ſe colligens, &, quantum divinitus adjuvatur, rebus humanis eximens ad contemplandum Deum. Puto vigilanter advertis aliarum hanc eſſe fructum: ceteras, ſi non referantur ad iſtam, quod dicuntur videri poſſe, ſed non eſſe. Et prior quidem abſque intuitu hujus multa ſerit, & nihil metit: ſequens vero niſi ad iſtam ſe dirigat, vadit, ſed non evadit. Ergo quod prima aptat, ſecunda odorat, tertia guſtat. Ad quem tamen guſtum perducunt & ceteræ, etſi tardius: niſi quod prima laborioſius, ſecunda quietius pervenitur.

Tres conſiderationis ſpecies.

CAPUT III.

Ea quæ ſupra nos ſunt, Deum ſcilicet & Angelos, inveſtigari opinione, fide, & intellectu.

5. Dixiſti, inquis, ſatis quà aſcendatur: etiam quo aſcendendum, dicere habes. Falleris, ſi id ſperas: ineffabile eſt. Tu me exiſtimas loqui quod oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non aſcendit? *Nobis*, inquit, *revelavit Deus per ſpiritum ſuum.* Ergo quæ ſupra ſunt, non verbo docentur, ſed ſpiritu revelantur. Verum quod ſermo non explicat, conſideratio quærat, oratio expetat, mereatur vita, puritas aſſequatur. Sane eorum admonitus quæ ſupra ſunt, non te exiſtimes mitti à me ſuſpicere ſolem, lunam, ſtellas, non ipſum firmamentum, non aquas quæ ſuper cælos ſunt. Iſta ſiquidem omnia, etſi ſupra loco, pretio infra ſunt, & dignitate naturæ: ſunt enim corpora. Tui portio ſpiritus eſt, quo ſuperius quippiam fruſtra quæris, quod non ſit ſpiritus. Porro ſpiritus eſt Deus, ſunt & Angeli ſancti, & hi ſupra te. Sed Deus natura, Angeli gratia ſuperiores ſunt. Unum ſiquidem tui & Angeli optimum, ratio eſt: Deus vero non ſui aliquid optimum habet, unum optimum totus. Is, & qui cum eo ſunt beati ſpiritus, tribus modis, veluti viis totidem, noſtra ſunt conſi-

Iſa. 64. 4. 1. Cor. 2. 10.

Deus ineffabilis, ut quærendus.

Tres modi ſpeculandi divina.

a Aliis, *ut quidem conſtat*. Sed legendum, *inſtat*, id eſt, id modo exſequendum reſtat.

b Varia hic lectio, quidam ſcripti: *appropiare eſt*, alii *repatriare eſt*. Horſtius cum paucis utrumque habet. *Repatriare* rectius ad ſenſum, ut opponatur exſilio, ut infra num. 2. *Repatriaſſe erit hoc*, &c.

deratione veſtigandi, opinione, fide, intellectu. Quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio ſola veri ſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem: ſed fides clauſam & involutam, intelligentia nudam & manifeſtam: ceterum opinio certi nihil habens, verum per veri ſimilia quærit potius, quam apprehendit.

Cavenda in illis tribus confuſio.

6. Omnino in his cavenda confuſio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque eſt fidei, opinio revocet in quæſtionem. Et hoc ſciendum, quia opinio, ſi habet aſſertionem, temeraria eſt: fides, ſi habet hæſitationem, infirma eſt: item intellectus, ſi ſignata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, ſcrutator majeſtatis. Multi ſuam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio poteſt putari intellectus; intellectus opinio non poteſt, Unde hoc accidit? Profecto quia hæc falli poteſt, ille non poteſt: aut ſi falli potuit, intellectus non fuit, ſed opinio. Verus nempe intellectus certam habet non modo veritatem, ſed notitiam veritatis.

Definitiones illarum.

Poſſumus ſingula hæc ita diffinire. Fides eſt voluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Intellectus eſt rei cujuſcumque inviſibilis certa & manifeſta notitia. Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet; aut ſi habet, fides non eſt, ſed opinio. Quid igitur diſtat ab intellectu? Nempe quod etſi non habet incertum non magis quàm intellectus, habet tamen involucrum, quod non intellectus. Denique quod intellexiſti, non eſt de eo quod ultra quæras: aut ſi eſt, non intellexiſti. Nil autem malumus ſcire, quàm quæ fide jam ſcimus. Nil ſupererit ad beatitudinem, cum quæ jam certa ſunt nobis fide, erunt æque & nuda.

CAPUT IV.

Angeli quomodo conſiderandi.

Angelorum conſideratio.

7. His ita expeditis, age jam dirigatur conſideratio in eam quæ ſurſum eſt Jeruſalem mater noſtra, ac totis tribus memoratis viis caute & vigilanter veſtigemus inveſtigabilia: quatenus tamen licet, vel magis quatenus nobis donabitur. Et primo quidem cives ſpiritus eſſe illic potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſonas, diſpoſitos in dignitates, ab initio ſtantes in ordine ſuo, perfectos in genere ſuo, corpore [a] æthereos, immortalitate perpetuos, impaſſibiles non creatos, ſed factos, id eſt gratia, non natura; mente puros, affectu benignos, religione pios, caſtimonia integros, unanimitate individuos, pace ſecuros, à Deo conditos, divinis laudibus & obſequiis deditos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. Quamquam de corporibus horum non modo unde ſint, ſed an aliquatenus ſint, hæret ſententia aliquorum. Unde ſi quis inter opinabilia magis id ponendum cenſuerit, non contendo. Porro intellectu præditos, non fide, non opinione, ſed intellectu capimus: quia non poſſunt hujus expertes, & Dei ſimul participes eſſe.

De nominibus, officiis, & diſtinctione Angelorum.

Sunt & nomina quædam nota nobis ſimiliter ex auditu, per quæ harum beatitudinum, etiam quæ non liquido mortalium percepit auditus, officia, merita, gradus, ordines, utcumque à nobis conjici & diſcerni queunt. Sed enim quod ex auditu non eſt, jam non ex fide, nam fides ex auditu. Itaque opinando iſta dixerimus.

Rom. 10. 17.

Ad quid enim cæleſtium nomina innotuerunt, ſi ne opinari quidem ſalva fide aliquid licet de rebus, quarum nomina ſunt? Angeli, Archangeli, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin, hæc nomina. Quæ ſignificata eorum? Nullane inter illos ſpiritus qui ſimpliciter Angeli, & eos qui Archangeli nuncupantur, diſtantia?

V. Notas

8. Quid ergo ſibi vult gradualis diſtinctio hæc *? Putemus Angelos dici (niſi tu convenientius aliquid conſideraſti) qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur: *miſſi in miniſterium*, ſecundum Pauli doctrinam, *propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis*. de quibus Salvator: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*.

Nominum ratio. Hebr. 1. 14. Matth. 18. 10.

Putemus his præeſſe Archangelos, qui conſcii myſteriorum divinorum, nonniſi ob præcipuas & maximas cauſas mittuntur. E quibus magnus ille archangelus Gabriel miſſus legitur ad Mariam, ob cauſam utique, qua major eſſe non potuit.

Luc. 1. 26.

Putemus ſuper iſtos Virtutes eſſe, quorum nutu vel opere ſigna & prodigia in elementis, ſive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Inde eſt fortaſſis, quod cum in Evangeliis legas, *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*. paulo poſt habes: *Nam Virtutes cælorum movebuntur*; hi nimirum ſpiritus, per quos ſigna fiunt.

Luc. 21. 25.

Putemus Poteſtates ſuperiores iſtis, quarum virtute poteſtas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aeris hujus, ne quantum vult noceat; ne malignari, niſi ut proſit, poſſit. Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & ſapientia omnis in terris principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus Dominationes adeo cunctis ſupereminere præfatis ordinibus, ut reſpectu horum ceteri videantur omnes adminiſtratorii ſpiritus, & ad iſtos, tamquam ad dominos, referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam & providentiam Angelorum. Putemus Thronos alto etiam ab his evolaſſe receſſu, qui ex eo quod ſedent, Throni dicuntur; & ex eo ſedent, quod ſedet in eis Deus. Neque enim ſedere in eis, qui non ſederent, poſſet. Quæris quid * illam ſentiam ſeſſionem? Summam tranquillitatem, placidiſſimam ſerenitatem, pacem quæ exſuperat omnem intellectum.

** al. quam.*

Talis eſt qui ſedet in Thronis Dominus Sabaoth, judicans omnia cum tranquillitate, placidiſſimus, ſereniſſimus, pacatiſſimus. Et tales ſibi conſtituit Thronos, ſimillimos ſibi. Putemus Cherubin ex ipſo ſapientiæ fonte ore Altiſſimi haurientes, & refundentes fluenta ſcientiæ univerſis civibus ſuis. Et vide ne is ſit, quem Propheta loquebatur, fluminis impetus lætificans civitatem Dei.

Pſal. 45. 5.

Putemus Seraphin, ſpiritus totos divino igne ſuccenſos, ſuccendere univerſa, ut ſinguli cives ſingulæ ſint lucernæ ardentes & lucentes; ardentes caritate, lucentes cognitione.

Quanta jucunditas cæleſtia meditari.

9. O Eugeni, quam bonum eſt nos hic eſſe! quàm fore melius, ſi quando tamen toti ſequamur quo ex parte præceſſimus! Præcedimus animo, & ne ipſo quidem toto, ſed parte modica nimis. Affectus jacent mole corporea prægravati, & luto hærentibus deſideriis, ſola interim arida & tenuis conſideratio prævolat. Et tamen ex tantillo quod jam datur, libet exclamare: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Pſal. 25. 8.

Quid ſi totam ſe colligat anima, & reductis affectibus è cunctis locis, quibus captivi tenentur, timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vane, gaudendo vanius, cum his ineat tota libertate volatum, pulſet impetu ſpiritus, & in pinguedine gratiæ illabatur? Nonne cum cœperit circuire lucidas manſiones, & ſinum illum etiam Abrahæ curioſius perſcrutari, & ſub altari [b], quodcumque illud eſt, Martyrum reviſere animas, in prima ſtola ſecundam patientiſſime exſpectantes, multo magis tunc inſtabit loquens cum Propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, ac viſitem templum ejus?* Quidni ibi videatur cor Dei? quidni ibi probetur quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta? Bona in ſe, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra quærentibus. Patent viſcera miſericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ ſalu-

a Confer ſermonem 5. in Cantica, ubi de corporibus Angelorum, & ibi Horſtii Notas.

b Ex his verbis patet, Bernardum ſermone 2. in feſto omnium Sanctorum non ita ſenſiſſe de altari illo, quaſi intellectu aut fide id ſibi conſtaret: ſed tantum opinative ſententiam ſuam dixiſſe. Hæc fuſius in Præfatione ad tomum 3.

Tom. II. Opusc. I.

tis, myſteria bonæ voluntatis; benignitatis arcana, quæ clauſa mortalibus, etiam ipſis electis ſuſpecta ſunt. Id quidem ſalubriter, ne deſinant timere, dum necdum digne amare idonei inveniuntur.

In ſingulis Angelorum ordinibus quid conſiderandum.

10. Cernere eſt in his qui Seraphin appellantur, quomodo amet qui unde amet non habet, ſed eſt & qui nihil horum quæ fecerit odit: quos ſalvandos fecit, quomodo foveat, quomodo provehat, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ ᵃ juventutis, & paleas ignorantiarum ejus ignis ille conſumens, ipſam purgatiſſimam & ſuo amore digniſſimam reddat. Cernere eſt in Cherubin, qui plenitudo ſcientiæ dicuntur, Deum ſcientiarum dominum eſſe, qui ſolus ſolam neſciat ignorantiam, qui totus ſit lux, & tenebræ in eo non ſint ullæ; totus ſit oculus, & qui minime aliquando fallitur, quia minime clauditur; qui extra ſe non quærat lumen, cui admoveatur ut videat, ipſe qui videt, ipſe unde videt. Cernere eſt in Thronis, quàm non ſuſpectus omni innocentiæ judex ſedeat in his, qui circumvenire nolit, circumveniri non poſſit, quippe ſic amans, & ſic videns. Nec vacat ſeſſio: tranquillitatis inſigne eſt. De vultu tali judicium meum prodeat opto, cui inſit amor, error abſit, abſit & perturbatio. Cernere eſt in Dominationibus, quantæ ſit Dominus majeſtatis, cujus nutu imperium conſtat, & imperio univerſitas atque æternitas termini ſunt. Cernere eſt in Principatibus principium ex quo omnia; & quomodo a cardine oſtium, ſic ab ipſo regi univerſitatem. Cernere eſt in Poteſtatibus, quàm poteſtative idem princeps quos regit, protegit, contrarias poteſtates arcens & propulſans. Cernere eſt in Virtutibus unam ubique æqualiter præſto eſſe virtutem, per quam omnia, vivificam, efficacem, inviſibilem, immobilemque, omnia tamen moventem utiliter, tenentem fortiter. quæ cum in minus uſitata effecta apud mortales eruperit, miracula ſive prodigia vocant. Cernere poſtremo & mirari eſt in Angelis & Archangelis veritatem atque experientiam vocis illius, *Quoniam ipſi cura eſt de nobis*; qui talium nos & tantorum non deſinit jucundare viſitationibus, inſtruere revelationibus, ſuggeſtionibus commonere, ſedulitate ſolatiari.

1. Pet. 5. 7.

CAPUT V.

Gratias ac dotes Angelorum à Deo in ipſos derivari.

Eorum virtutes à Deo.

11. HÆc omnia contulit illis ſpiritibus ipſe qui condidit illos, unus atque idem ſummus Spiritus, dividens ſingulis prout voluit. Hæc operatur in illis, hæc dedit operari & illis, ſed aliter. Ardent Seraphin, ſed igne Dei, vel potius igne Deo. Quod præcipuum eſt in eis, amant, ſed non quantum Deus, nec quomodo. Lucent Cherubin, & ſcientia eminent, ſed participio veritatis; ac per hoc non ut Veritas, nec quantum. Sedent Throni, ſed inſidentis beneficio. Judicant & ipſi cum tranquillitate, ſed non ad menſuram modumve pacis pacantis, pacis quæ exſuperat omnem ſenſum. Dominantur Dominationes, ſed ſub Domino dominantur, ſerviunt pariter. Quid hoc ad ſummum, ſempiternum, ſingulareque dominium? Præſunt Principatus & regunt: ſed reguntur & ipſi, ita ut regere jam non norint, ſi regi deſierint. Præcellit in Poteſtatibus fortitudo: ſed qui debent quod fortes ſunt, & aliter eſt fortis, & plus; nec tam fortis quàm ipſa fortitudo eſt. Virtutes pro ſuo miniſterio & potentatu ſatagunt excitare corda torpentia hominum innovatione ſignorum: virtus vero in eis manens, ipſa facit opera. Faciunt & illæ, ſed in comparatione ejus non faciunt. Denique tantum intereſt, ut quaſi ſingulariter Propheta dicat ad eum: *Tu es Deus qui facis mirabilia.* & idem de eo: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Adſunt Angeli & Archangeli: ſed ille germanior nobis, qui non modo adeſt, ſed ineſt.

Pſal. 76. 15.
Pſal. 135. 4.

Zach. 1. 4.
Quomodo inſit homini angelus, & quomodo Deus.
Notas inferius 5. in Cantica.

12. Quod ſi dicas poſſe ineſſe & Angelum, non inficior. Memini ſcriptum: *Et Angelus qui loquebatur in me.* Atqui differentia & in hoc. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur & participetur, ita ut unum perinde cum noſtro ſpiritum eſſe dicere quis non timuerit, etſi non unam perſonam, unamve ſubſtantiam. Habes enim: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ ineſt, Deus ut vita. Itaque ſicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus guſtat, tangit in toto reliquo corpore: ſic Deus diverſa in diverſis ſpiritibus operatur; verbi gratia, in aliis amantem ſe exhibens, in aliis agnoſcentem, in aliis alia facientem, ſicut unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Quis eſt iſte tam communis in vocibus, tam longe in rebus? quomodo quem noſtris loquimur verbis, in ſua reconditus majeſtate, noſtros penitus & aſpectus effugit, & affectus? Audi ipſum quid loquatur hominibus. *Sicut exaltantur cæli a terra, ſic exaltata ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris.* Dicimur amare, & Deus: dicimur noſſe, & Deus: & multa in hunc modum. Sed Deus amat ut caritas, novit ut veritas, ſedet ut æquitas, dominatur ut majeſtas, regit ut principium, tuetur ut ſalus, operatur ut virtus, revelat ut lux, aſſiſtit ut pietas. Quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos: ſed longe inferiori modo, non utique bono quod ſumus, ſed quod participamus.

1. Cor. 6. 17.
1. Cor. 12. 7.
Iſa. 55. 9.
Diſcrimen inter actiones Dei, Angelorum, & hominum.

CAPUT VI.

Principii & eſſentiæ rationem proprie ſoli Deo convenire.

13. NUnc jam tranſi ſpiritus iſtos, ſi forte cum ſponſa dicere poſſis & tu: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea.* Quis eſt? Non ſane occurrit melius, quàm *Qui eſt.* Hoc ipſe de ſe voluit reſponderi, hoc docuit, dicente Moyſe ad populum, ipſo quidem injungente: *Qui eſt, miſit me ad vos.* Merito quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus eſt. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quicquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, *Eſt.* Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe. Si & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti: ſi non dixeris, nihil minuiſti. Jam ſi vidiſti hoc tam ſingulare, tam ſummum eſſe; nonne in comparatione hujus quicquid hoc non eſt, judicas potius non eſſe, quam eſſe? Quid item Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt. Ac per hoc quodammodo ipſe ſolus eſt, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. Quid eſt Deus? Principium. & hoc ipſe de ſe reſponſum dedit. Multa in rebus dicuntur principia, ſed reſpectu poſteriorum. Alioquin ſi ad aliquid præcedens reſpicias, ipſum potius principium dabis. Quamobrem ſi quæras verum ſimplexque principium, invenias oportet quod principium non habuerit. Ex quo univerſum cœpit, ipſum profecto minime cœpit. Nam ſi cœpit, aliunde cœperit neceſſe eſt. A ſe enim cœpit nihil. Niſi forte quis putaverit, quod non erat, dare ſibi potuiſſe, ut eſſe inciperet; aut fuiſſe aliquid, antequam eſſet. Quod utrumque quia ratio non conſentit, conſtat nihil ſibimet extitiſſe principium. Quod vero aliud principium habuit, primum * non fuit. Verum ergo principium nequaquam cœpit, ſed totum ab ipſo cœpit.

Cant. 3. 4.
Deus quid ſit.
Exod. 3. 14.
1. Deus eſt ſuum eſſe.
2. Deus eſt eſſe omnium.
3. Deus ſolus Principium. Johan. 8. 25.
Nihil ſibi poteſt eſſe principium.
** al. principium.*

14. Quid eſt Deus? Cui ſæcula nec acceſſerunt, nec deceſſerunt; nec coæterna tamen. Quid eſt Deus? *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia*, creabiliter, non ſeminabiliter. *Per quem omnia*, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris. *In quo omnia*, non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute. *Ex quo omnia*, tamquam uno principio, auctore omnium. *Per quem omnia*, ne alterum inducatur principium

4. Eſt æternus.
Rom. 11. 36.
5. Deus eſt, ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia.

ᵃ In quibuſdam, *neglecta*, ſed mendoſe. Hic enim agitur de electis.

artifex. *In quo omnia*, ne tertium inducatur, locus. *Ex quo omnia*, non de quo, quia non eſt materia Deus: efficiens cauſa eſt, non materialis. Fruſtra Philoſophi materiam quærunt: non eguit materia Deus. Non enim officinam quæſivit, non artificem. Ipſe per ſe, in ſe omnia fecit. Unde? De nihilo. nam ſi ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Abſit ut de ſua incorrupta incorruptibilique ſubſtantia tam multa fecerit, etſi bona, corruptibilia tamen. Quæris ſi in ipſo omnia, ipſe ubi? Nihil minus invenio. Quis capiat locus? Quæris ubi non ſit? Nec hoc quidem dixerim. Quis ſine Deo locus? Incomprehenſibilis eſt Deus: ſed non parum apprehendiſti, ſi hoc tibi de eo comperium eſt, quod nuſquam ſit, qui non clauditur loco; & nuſquam non ſit, qui non excluditur loco. Suo autem illo ſublimi atque incomprehenſibili modo, ſicut omnia in ipſo, ſic ipſe in omnibus eſt. Denique (ſicut ait Evangeliſta) *in mundo erat*. Alias vero, ubi erat antequam mundus fieret, ibi eſt. Non eſt quod quæras ultra ubi erat; præter ipſum nihil erat. Ergo in ſeipſo erat.

Materia non eget.

6 Locatus [illegible]

Johan. 1. 10.

CAPUT VII.

Deum & ſimplicem & trinum eſſe.

15. QUid eſt Deus? Quo nihil melius cogitari poteſt. Si approbas, non oportet aſſentiaris eſſe aliquid, quo [a] Deus ſit, & quod Deus non ſit. Hoc enim ſine dubio melius. Quomodo non melius Deo, ſi Deus non eſt, quod dat Deo ut ſit? At melius illam divinitatem, qua dicunt [b] Deum eſſe, non aliud quàm Deum eſſe fatemur. Non eſt ergo in Deo niſi Deus. Quid? inquiunt: negas Deum habere divinitatem? Non, ſed quod habet, hoc eſt. Negas divinitate [c] Deum eſſe? Non, ſed non alia, quam quæ ipſe eſt. Aut ſi tu aliam inveniſti, adjuvet me Trinitas Deus, adverſus illam [d] tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat deitatem. Deus Trinitas eſt, Deus trium ſingula perſonarum. Si quartam divinitatem adjicere placet; interim ego hanc, quæ Deus non eſt, perſuaſi mihi minime adorandam. Puto quod & tu. nempe *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Glorioſa vero divinitas, quæ ſibi honorem non audeat arrogare divinum. At melius quartum hoc omnino reſpuimus, quam ſine honore recipimus. Multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſane catholiceque, ſed multa unum. Alioquin ſi diverſa putemus, non quaternitatem habemus, ſed centenitatem. Verbi cauſa, dicimus magnum, bonum, juſtum, & innumera talia: ſed niſi omnia unum in Deo, & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum.

7 Deus eſt quo nil melius.

8 Contra quaternitatem Gilberti Porretani.

Luc. 4. 8.

In Deo multa unum ſunt.

16. Mihi vero non deeſt quod cogitem melius ejuſmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera ſimplicitas. Vero judicio, natura ſimplex multiplici antefertur. Scio quod ad hæc reſpondere ſolent. Non multa, inquiunt, ſed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa ſunt, Deo ut ſit conferre aſſerimus. Aſſeritis ergo, etſi non multiplicem, duplicem Deum; & non ad merum ſimplex perveniſtis, neque ad id, quo melius cogitari non poteſt. Tam non eſt ſimplex, quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem qui vel duplex eſt, erit meus. Habeo enim meliorem. Eſto quod hunc numeroſo & multiplici anteponam: ſed plane præ ſimplici ſperno. Meus Deus ipſe catholice eſt. Tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Eſt qui eſt, non quæ eſt. Purus, ſimplex, integer, perfectus, conſtans ſibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in ſe, nihil ex ſe deponens in eis; non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe eſt, ſed non unitum. Non partibus conſtat, ut corpus; non affectibus diſtat, ut anima: non formis ſubſtat, ut omne quod factum eſt; ſed neque formæ, ut iſtis viſum eſt. Magna laus videlicet Deo, ut ſe ab informitate vindicet, forma una eſſe contentum. Hoc eſt dicere, cetera pluribus, Deum non niſi uni debere quod eſt. Quid? Cujus beneficio ſunt quæ ſunt, ipſe pro ſuo eſſe alteri benefico [e] inclinabit? Laus iſta (ut vulgo dicitur) blaſphemiam valet. Annon pluris eſt nullo indigere, quàm uno? Habe reverentiam Deo, ut quod pluris eſt, illi tribuas. Si cor tuum uſque huc aſcendere potuit, Deum tuum infra quomodo collocabis? Ipſe ſibi forma, ipſe ſibi eſſentia eſt. In hoc interim gradu ſuſpicio illum: & ſi alter potior appareret, illum potius darem. Numquid verendum, ne cogitatio tranſvolet illum? Quantumcumque in altum proficiat, ultra eſt. Infra quod homo cogitare poſſit, altiſſimum quærere, ridiculum eſt; ſtatuere, impium. Ultra, non citra quærendus eſt.

9 Simplex eſt.

Perfectiones omnium rerum eminenter in Deo, non diviſim.

De Deo ſemper optimum ſentiendum.

17. Aſcende adhuc, ſi potes, ad cor altius, & exaltabitur Deus. Non eſt formatus Deus: forma eſt. Non eſt affectus Deus: affectio eſt. Non eſt compoſitus Deus: merum ſimplex eſt. Et ut liquido noveris, quid ſimplex dicam: idem quod unum. Tam ſimplex Deus, quàm unus eſt. Eſt autem unus, & quo modo aliud nihil. Si dici poſſit, uniſſimus eſt. Unus eſt ſol, quod non ſit alter: una luna, quod æque altera non ſit. Atque id quidem Deus, ſed plus. Quid plus? Unus eſt etiam ſibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem eſt ſemper, & uno modo. Non ſic unus ſol, non ſic una luna. Clamat uterque non eſſe unum ſibi; ille motibus, illa & defectibus ſuis. Deus autem non modo unus ſibi: & in ſe unus eſt. Nihil in ſe niſi ſe habet. Non ex tempore alterationem habet, non in ſubſtantia alteritatem. Hinc de eo Boëtius: Hoc vere unum, in quo nullus eſt numerus, nullum in eo aliud præter id quod eſt. Neque enim ſubjectum fieri poteſt: forma enim eſt. Compara huic uni omne quod unum dici poteſt; & unum non erit. Trinitas eſt tamen Deus. Quid ergo? Deſtruimus quod dictum eſt de unitate, quia inducimus trinitatem? Non; ſed ſtatuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum ſanctum; non tamen tres Deos, ſed unum. Quid ſibi vult iſte (ut ſic loquar) abſque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? ſi unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Subſtantia una eſt: perſonæ tres ſunt. Quid mirum? quid vel obſcurum in hoc? Nihil, ſi perſonæ ſeorſum à ſubſtantia cogitentur. Nunc vero cum tres illæ perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa una ſubſtantia tres illæ perſonæ; quis numerum neget? Nam vere tres ſunt. Quis numeret tamen? Nam vere unum ſunt. Aut ſi tu facile explicatu id putas, dicendo tres, dicito quid numeraſti? Naturas? Una eſt. Eſſentias? Una eſt. Subſtantias? Una eſt. Deitates? Una eſt. Non hæc, ſed perſonas numero, inquis. Quæ non ſint illa una natura, illa una eſſentia, illa una ſubſtantia, illa una divinitas? Catholicus es: minime hoc dabis.

Eo ſimplex quo unum.

9 Deus unus ſibi & in ſe.

Boëtius.

10. Deus Trinitas.

Deus quomodo trinus & unus.

CAPUT VIII.

Perſonarum pluralitatem in Deo conſurgere ex proprietatibus, eſſentiam tamen unam & ſimplicem eſſe.

18. PErſonarum proprietates non aliud quàm perſonas; ipſaſque non aliud quàm unum Deum, unam divinam ſubſtantiam, unam divinam naturam, unam divinam & ſummam majeſtatem, Fides catholica confitetur. Numera ergo, ſi potes, aut ſine ſubſtantia perſonas, quæ ipſa ſunt: aut ſine perſonis proprietates, quæ ipſæ ſunt. Aut ſi dividere quis conetur vel

a Neceſſaria prorſus correctio ex duobus mſſ. Colbertinis, ubi *quod* in antehac editis. Ratio ex conſequentibus perſpicua.

b Nempe Gilbertus Porretanus Pictavenſis epiſcopus, ejuſque ſequaces, damnati in Concilio Remenſi anno 1148. de quo Gaufridus lib. 3. de vita Bernardi num. 15. Idem Gaufridus libellum edidit de rebus geſtis in Concilio Remenſi contra Gilbertum, de quo ad Sermonem 80. in Cantica.

c Alii male *divinitatem*. Eadem correctio adhibita in Sermone 80. ſuper Cantica num. 13.

d Editi addunt, *vel quaternitatem*, ſed deeſt in mſſ.

e Quidam cum Horſtio habent, *alterius beneficio*. Sed planior ſenſus, *alteri benefico*, ut in potioribus mſſ.

personas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis, neſcio quomodo Trinitatis ſe profiteri cultorem poſſit, qui in tantam rerum numeroſitatem exceſſerit. Dicamus itaque tres, ſed non ad præjudicium Unitatis: dicamus unum, ſed non ad confuſionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua ſunt, nec abſque ſignificantia caſſæ voces. Quærit quis quomodo * illud quod catholicum eſſe dicimus, poſſit eſſe? Sufficiat ei tenere ſic eſſe. Atque hoc non rationi perſpicuum, nec tamen opinioni ambiguum, ſed fidei perſuaſum. Sacramentum hoc magnum eſt, & quidem venerandum, non ſerutandum. Quomodo pluralitas in unitate, & hac unitate, aut ipſa in pluralitate? SCRUTARI hoc temeritas eſt, credere pietas eſt, noſſe vita, & vita æterna eſt. Unde ſi operæ pretium cenſes, ô Eugeni, percurrat nunc conſideratio multa Una, quo eminentia hujus ſingularis Unius fiat evidentior. Eſt unitas, quæ collectiva poteſt dici, cum verbi cauſa multi lapides faciunt acervum unum. Eſt & unitas conſtitutiva, cum multa membra unum corpus, vel multæ partes unumquodcumque totum conſtituunt. Eſt & conjugativa, qua fit ut duo jam non duo ſint, ſed una caro. Et eſt nativa, qua anima & caro unus naſcitur homo. Eſt unitas poteſtativa, qua homo virtutis non inſtabilis, non diſſimilis, ſed unus ſibimet ſemper nititur inveniri. Eſt conſentanea, cum per caritatem multorum hominum eſt cor unum, & anima una. Eſt & votiva, cum anima votis omnibus adhærens Deo, unus ſpiritus eſt. Et eſt dignativa unitas, qua limus noſter a Dei Verbo in unam aſſumptus eſt perſonam.

Trinitatis myſterium ſola fide comprehenditur.

** al. quomodo hoc poſſit eſſe.*

Unitatis novem modi.

19. Verum hæc omnia quid ad illud ſummum, atque (ut ita dicam) unice Unum, ubi unitatem conſubſtantialitas facit? Huic Uni quodvis illorum ſi aſſimiles, erit quoquo modo unum: ſi compares, nullo. Igitur inter omnia quæ recte unum dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis, qua tres perſonæ una ſubſtantia ſunt. Secundo loco illa præcellit, qua e converſo tres ſubſtantiæ una in Chriſto perſona ſunt. Porro hæc & quæcumque alia dici una poſſunt, ſummæ illius unitatis imitatione, non comparatione, Una appellari vera ſobriaque probat conſideratio. Nec abducimur ab hac unitatis profeſſione aſſertione Trium: cum in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, ſicut nec ſolitudinem in unitate. Quamobrem cum dico Unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui eſſentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rurſum cum dico Tria, non me arguit intuitus unitatis, quæ illa quæcumque tria, ſeu illos tres, nec in confuſionem cogit [a], nec in ſingularitatem redigit.

Super omnes unitas Trinitatis, tum Chriſti.

CAPUT IX.

Uti in Deo ſimplex natura eſt in tribus perſonis, ſic contra in Chriſto plures naturas in unam perſonam coaleſcere.

20. IDem me ſentire fateor & de illa unitate, cui ſecundum ab iſta inter cetera Una honorem dedi. Dico in Chriſto Verbum, animam, & carnem, ſine confuſione eſſentiarum unam eſſe perſonam, & item abſque præjudicio perſonalis unitatis in ſua numeroſitate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima, & caro unus eſt homo. Decuit quippe familiarius ſimiliuſque cum hominis convenire conſtitutione, quod pro homine conſtitutum eſt ſacramentum. Decuit & cum ſumma, quæ in Deo eſt & Deus eſt, unitate congruere, ut quomodo ibi tres perſonæ una eſſentia; ita hic convenientiſſima quadam contrarietate tres eſſentiæ ſint una perſona. Videſne pulcre inter utramque unitatem hanc collocari; in eo utique qui conſtitutus eſt mediator Dei hominiſque, homo Chriſtus Jeſus? Pulcherrima, inquam, convenientia, ut ſalutare ſacramentum congrua quadam ſimilitudine ambobus reſpondeat, & ſalvanti videlicet & ſalvato. Ita hæc unitas duarum conſiſtens media unitatum, alteri ſuccumbere, alteri præeminere cognoſcitur, quantum ſuperiore inferior, tantum inferiore ſuperior.

In Chriſto tres eſſentiæ, perſonæ unitas.

Media inter divinam & humanam.

21. Tantam denique, tamque expreſſam unionis vim in ſe præfert ea perſona, in qua Deus & homo unus eſt Chriſtus: ut ſi duo illa de ſe invicem prædices, non erraveris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum vere catholiceque pronuntians. Non autem ſimiliter vel carnem de anima, vel animam de carne, niſi abſurdiſſime, prædicas, etſi ſimiliter anima & caro unus ſit homo. Nec mirum, ſi non æque potis anima ſit ſua illa vitali, etſi non parum valida, intentione connectere, atque ſuis affectibus adſtringere ſibi carnem, ut ſibi divinitas hominem illum, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Longa catena & fortis ad ſtringendum, divina prædeſtinatio: ab æterno eſt enim. Quid longius æternitate? Quid divinitate potentius? Inde eſt quod nec morte incidente ullatenus intercidi hæc unitas potuit, etſi carne & anima ab invicem ſeparatis. Et fortaſſis hoc ſenſit ille, qui ſe indignum profeſſus eſt ſolvere corrigiam calceamenti hujus *.

Communicatio idiomatum in Chriſto.

Mar. 1. 7.

** al. ejus.*

CAPUT X.

Parabola, quæ eſt apud Matthæum de tribus ſatis, Chriſti perſonæ accommodatur.

22. SEd & illa tria ſata de Evangelio, mixta & fermentata in panem unum, ſi quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongrue id mihi facere videbitur. Quàm bene ea mulier fermentavit, ut nec diviſione quidem facta carnis & animæ, à carne vel anima Verbum divideretur! Manſit & in ſeparatione inſeparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contigit ſeparatio, potuit unitati præſcribere, permanenti in totis tribus. Sive conjunctis, ſive disjunctis duobus, nihilo minus perſeveravit in tribus unitas perſonalis. Æque unus Chriſtus unaque perſona, Verbum, anima, & caro, etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis (ut ſentio ego) commixtio hæc & fermentatio facta eſt: & ipſa mulier quæ miſcuit, & fermentavit. Nam fermentum non immerito fortaſſe dixerim fidem Mariæ. Plane beata, quæ credidit, quoniam perfecta ſunt in ea, quæ dicta ſunt ei à Domino. Perfecta autem non eſſent, ſi quo minus juxta verbum Domini eſſet fermentatum totum, & perpetuo fermentatum, ſervans nobis tam in morte, quam in vita pariter unum atque integrum mediatorem Dei & hominum cum ſua deitate, hominem Chriſtum Jeſum.

Matth. 13. 33. Luc. 13. 21.

Verbum in triduo mortis non fuit ſeparatum à corpore & anima.

Luc. 1. 45.

23. Advertere eſt in hoc admirabili ſacramento juxta numerum ſatorum, miræ & decentiſſimæ diſtinctionis gradus, novum, antiquum, æternum. Novum, animam, quæ de nihilo tunc creata creditur, cum infuſa: antiquum, carnem, quæ à primo uſque hominum, id eſt ex Adam, traducta cognoſcitur: æternum, Verbum, quod ab æterno Patre coæternum illi genitum indubitata veritate aſſeritur. Et in his triplex (ſi diligenter advertas) divinæ potentiæ genus, quod factum ſit de nihilo aliquid, de vetuſto novum, æternum beatumque de damnato & mortuo. Quid hoc ad noſtram ſalutem? Multum per omnem modum. Primum quidem, quod peccato redacti in nihilum, per hoc quodammodo iterato creati ſumus, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Deinde quod ex vetuſta ſervitute in libertatem filiorum Dei tranſlati, in novitate ſpiritus ambulantes. Poſtremo, quod de poteſtate tenebrarum vocari ad regnum claritatis æternæ, in quo jam & conſedere nos fecit in Chriſto. Alieni ſint à nobis [b], qui Chriſti à nobis carnem alienare conantur, novam creatam in Virgine, & non de Virgine ſumptam, impie aſſerentes. Pulcre propheticus ſpiritus longe ante occurrit huic ſententiæ, immo blaſphemiæ impiorum: *Egredietur*, inquiens, *virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Dixiſſe poterat, & flos de virga, ſed

In myſterio Incarnationis novum, antiquum, æternum.

Quid illud ad noſtram ſalutem.

Novatianorum error.

Iſa. 11. 1.

a Horſtius addit *natura*. Sed deeſt aliis editis & mſſ.

b Horſtius addit, *Novatiani*. quod marginis lemma eſt.

maluit, *de radice*: ut unde virgam, inde florem duxiſſe originem demonſtraret. Inde igitur ſumpta caro, unde orta Virgo: nec nova in Virgine, quæ prodiit ex radice.

CAPUT XI.

Continuatio conſiderationis de Deo.

Numquam Deus fruſtra quæritur.

14. FOrte ſubſtomacharis, ſi adhuc pergimus quærere, quid eſt Deus? tum quia toties jam quæſitum eſt, tum quia diffidis inventum iri. Dico tibi, Pater Eugeni, ſolus eſt Deus, qui fruſtra numquam quæri poteſt, nec eum inveniri non poteſt. Doceat te de hoc experimentum tuum; aut ſi non, experto credito, B non mihi, ſed ſancto, qui ait: *Bonus es, Domine, ſperantibus in te, animæ quærenti te.* Quid ergo eſt Deus? Quod ad univerſum ſpectat, finis: quod ad electionem, ſalus: quod ad ſe, ipſe novit. Quid eſt Deus? Voluntas omnipotens, benevolentiſſima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, ſumma beatitudo, creans mentes ad ſe participandum, vivificans ad ſentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, juſtificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad ſapientiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans C ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem.

Thren. 3. 25. *Deus quid.*

CAPUT XII.

Deum & bonorum operum pium remuneratorem, & ſcelerum æquiſſimum vindicem eſſe.

Deus pœna perverſorum.

25. QUid eſt Deus? Non minus pœna perverſorum, quam humilium gloria. Eſt enim rationabilis quædam æquitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique: cui illiſa omnis pravitas conturbetur neceſſe eſt. Quidni in hanc omne tumidum, vel diſtortum impingat, & conquaſſe- D tur? Væ univerſo, quod obvium forte offenderit cedere neſcia rectitudo. nam & fortitudo eſt. Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & adverſum, quàm ſemper conari, impingere ſemper, & fruſtra*? Væ oppoſitis voluntatibus, ſolam ſuæ profecto averſionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quàm ſemper velle quod numquam erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic neceſſitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam, ſicut non niſi perverſe, ita non niſi miſere moveatur? In æternum non obtinebit quod vult; & quod non vult, in æternum nihilo minus ſuſtinebit. Digne omnino, ut qui ad nihil afficitur umquam quod deceat, ad nil umquam quod E libeat, evadat. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noſter, qui & cum perverſo pervertitur. Numquam recto pravoque conveniet. Hæc enim ſibi invicem adverſantur, etſi non invicem lædant. Læſio alterius eſt: abſit ut Dei. *Durum tibi eſt*, inquit, *contra ſtimulum calcitrare*; hoc eſt, non ſtimulo durum, ſed calcitranti. Eſt & turpium pœna Deus: Lux eſt enim. Et quid tam inviſum obſcœnis flagitioſiſque mentibus? Profecto *omnis qui male agit, odit lucem.* Sed dico: numquid non poterunt declinare? Minime omnino. Lucet ubique, etſi non omnibus. Denique in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt a. Videt tenebras Lux, cui hoc eſt videre, quod lucere: ſed non F viciſſim à tenebris ipſa videtur, quia tenebræ eam non comprehendunt. Et videntur ergo, ut confundantur: & non vident, ne conſolentur. Nec modo à luce: & in luce videntur. A quo, vel quibus? Ab omni vidente, ut pro multitudine intuentium ſit confuſio multa. At nullus de tanta numeroſitate ſpectantium moleſtior oculus ſuo cujuſque. Non eſt aſpectus, ſive in cælo, ſive in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit. Non latent tenebræ vel ſe- A ipſas. Se vident quæ aliud non vident. Opera tenebrarum ſequuntur illas, nec eſt quo ſe abſcondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic eſt vermis qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæſit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eaque paſtus, eſca utique inconſumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis.

** ad fruſtrari.* *Damnatorũ voluntas Deo oppoſita. V. Opuſc. 9. num. 32.* *Act. 9. 5.* *Deus turpium pœna.* *Johan. 3. 20.* *Johan. 1. 5.* *Qualis eos lux.* *Malæ conſcientiæ tormentum.* *Vermis immortalis.*

26. Hæc ſecunda mors, quæ numquam peroccidit, ſed ſemper occidit. Quis det illis ſemel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus, *Cadite* B *ſuper nos, & collibus, operite nos*, quid niſi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique *invocabunt mortem*, ait, *& non veniet.* Inhere id clarius. Conſtat immortalem animam eſſe, nec aliquando abſque ſua memoria vivere, ne non animam aliquando eſſe contingat. Itaque durante anima, durat & memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hiſpida & neglecta. Quæ priora, tranſierunt, & non tranſierunt. Tranſierunt à manu, ſed non à mente. Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt. Proinde etſi facere in tempore fuit; ſed feciſſe in ſempiternum manet. Non tranſit cum tem- C pore, quod tempora tranſit. In æternum ergo neceſſe eſt cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris. Experiri erit hoc veritatem vocis illius: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Dominus locutus eſt, cui omne adverſum & ſibi adverſari neceſſe eſt, ut ſit ſera querela: *O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Ita eſt, ô Eugeni. NON POTEST Deo eſſe contrarium quid, & ſibimet cohærere: ſed qui arguetur à Deo, arguetur & à ſeipſo. Non eſt ſane jam tunc quod aut veritatem diſſimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet, membris avulſa corporeis, & in ſeſe collecta. Quo enim id valeat, ſopitis concluſiſque in D morte ſenſibus, per quos utique curioſius exire, & à ſe ire ſolebat in eam, quæ præterit, mundi iſtius figuram? Vides turpibus nihil deeſſe ad confuſionem, cum producentur ſpectaculum fieri Deo, Angelis, hominibus, ſibiipſis? O quàm male mali omnes locati ſunt, utique oppoſiti torrenti huic directæ æquitatis, & huic lumini propalatæ veritatis * expoſiti. Nonne hoc eſt perpetuo tundi, perpetuoque confundi? *Duplici contritione*, ait ille, *contere eos, Domine Deus noſter.*

Luc. 23. 30. *Peccati cum miſſi voluptas tranſit, fœditas manet.* *Pſal. 49. 21.* *Job 7. 20.* *Deo contrarius, ſibimet non cohæret.* *Turpibus nihil deerit ad confuſionem.* ** al. oppoſiti.* *Jerem. 17. 18.*

CAPUT XIII.

De longitudine, latitudine, profunditate, & ſublimitate Dei profunde & eleganter diſcurrit.

27. QUid eſt Deus? Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Quid? inquis. Tenemus te quaternitatis, quam abominatus es, profeſſorem. Minime. Abominatus ſum, & abominor. Viſus ſum protuliſſe plura, ſed unum eſt. Unus Deus ſignatus eſt pro captu noſtro, non pro ſuo ſtatu. Diviſus eſt hic, non ille. Voces diverſæ, ſemitæ multæ: ſed unum per eas ſignificatur, unus quæritur. Non diviſiones ſubſtantiæ in quaternario iſto expreſſæ ſunt; non dimenſiones, quales in corporibus intuemur; non diſtinctio perſonalis, qualem in Trinitate adoramus; non numerus proprietatum, qualem perſonis ipſis ineſſe fatemur, etſi non aliud à perſonis. Alioquin hoc ſingulum horum in Deo, quod quatuor ſimul; hoc quatuor ipſa, quod ſingulum eſt. Nobis autem, quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc ſpeculum & ænigma, per quod ſolum interim videri datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus ſicuti eſt. Nec enim jam tunc fragilis acies mentis noſtræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus reſiliet, diſſilietve

Intellectus noſter in viſione beata totus feretur in Deum ſine diſcuſſu.

a Hanc periodum poſt ſequentem, *Et videntur &c.* collocant quidam codices Vaticani: ſed hæc lectio aptior.

Tom. II. Opuſc. I.

in ſuam pluralitatem. Colliget ſe ſe magis, adunabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi, ut una uni facies reſpondeat faciei. Nempe *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*. Beata viſio! ad quam merito ſuſpirabat, qui ait: *Exquiſivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram*. Et quia adhuc in quærendo res eſt, interim aſcendamus quadrigam iſtam, utpote infirmi & imbecilles, indigentes tali vehiculo, ſi forte vel ſic apprehendamus, in quo apprehenſi ſumus, id eſt, hujus ipſius vehiculi rationem. Nam hoc monitum habemus ab ipſo auriga & primo currus hujus exhibitore, ut ſtudeamus *comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum*. Comprehendere dixit, non cognoſcere: ut non curioſitate contenti ſcientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione eſt fructus, ſed in comprehenſione. Alioquin *ſcienti bonum, & non facienti*, ut ait quidam, *peccatum eſt ei*. & ipſe Paulus alio loco: *Sic currite*, inquit, *ut comprehendatis*. Quid ſit comprehendere, interius declarabo.

Pſal. 26. 8. — Epheſ. 3. 18. — Iac. 4. 17. — 1. Cor. 9. 24.

Longitudo eſt æternitas Dei, latitudo caritas.

28. Quid igitur eſt Deus? longitudo, inquam. Quid ipſa? Æternitas. Hæc tam longa, ut non habeat terminum, non magis loci, quàm temporis. Eſt & latitudo. Et ipſa quid? Caritas. Quibus & iſta terminis anguſtetur in Deo, qui nihil odit eorum quæ fecerit? Denique ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluit ſuper juſtos & injuſtos. Ergo & inimicos concludit ſinus ille. Nec hoc quoque contentus, evadit in infinitum. Omnem non modo affectionem, ſed & cognitionem excedit, adjiciente Apoſtolo & dicente: *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti*. Quid plus dicam? Æterna eſt. Niſi quod hoc plus forſitan eſt, quia æternitas eſt. Vides tantam eſſe latitudinem, quantam & longitudinem? Utinam ſic videas non tantam eſſe, ſed ipſam: id eſſe unam quod alteram; non minus unam quàm duas, nec plus duas quàm unam. Deus æternitas, Deus caritas eſt: longitudo ſine protenſione, latitudo ſine diſtenſione. In utroque pariter locales quidem excedit temporaleſque anguſtias, ſed libertate naturæ, non enormitate ſubſtantiæ. Tali modo immenſus eſt qui omnia fecit in menſura; & quamvis immenſus, hic tamen modus & ipſius immenſitatis.

Matth. 5. 45. — Epheſ. 3. 19.

29. Quid item Deus? Sublimitas & profundum. In altero ſupra omnia, in altero infra omnia. Liquet in deitate nuſquam claudicare æqualitatem, ſtare eam undique firmiter, conſtare immobiliter ſibi. Sublime, potentiam; profundum, ſapientiam ejus * conſidera. Ex æquo & iſta reſpondent ſibi, dum & ſublimitas inattingibilis, & profunditas æque inſcrutabilis cognoſcatur, Paulo admirante & exclamante: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ illius*! Libet & nos exclamare cum Paulo, horum utcumque intuentes in Deo, & cum Deo ſimpliciſſimam unitatem: O ſapientia potens, attingens ubique fortiter! ô potentia ſapiens, diſponens omnia ſuaviter! Res una, effectus multiplex, operationeſque diverſæ. Et illa una res eſt longitudo propter æternitatem, latitudo propter caritatem, ſublimitas propter majeſtatem, profunditas propter ſapientiam.

* al. eſſe. Sublimitas Dei potentia eſt, profundum ſapientia. — Rom. 11. 33. — Sap. 8. 1.

CAPUT XIV.

Modum, quo prædicta ſecundum Apoſtolum comprehendere poſſimus, oſtendit.

30. NOvimus hæc. Num ideo & arbitramur nos comprehendiſſe? NON EA diſputatio comprehendit, ſed ſanctitas. ſi quo modo tamen comprehendi poteſt quod incomprehenſibile eſt. At niſi poſſet, non dixiſſet Apoſtolus: *Ut comprehendamus cum omnibus ſanctis*. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si ſanctus es, comprehendiſti, & noſti: ſi non; eſto, & tuo experimento ſcies. SANCTUM facit affectio ſancta, & ipſa gemina: timor Domini ſanctus, & ſanctus amor. His perfecte affecta anima, veluti quibuſdam duobus brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait: *Teneo eum, nec dimittam*. Et timor quidem ſublimi & profundo, amor lato & longo reſpondet. Quid tam timendum quàm poteſtas, cui non potes reſiſtere; quàm ſapientia, cui abſcondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfecte oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quàm amor ipſe, quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen juncta æternitas facit: quæ dum non excidit, foras mittit ſuſpicionem. Ama igitur perſeveranter & longanimiter, & habes longitudinem: dilata amorem tuum uſque ad inimicos, & latitudinem tenes. Eſto etiam in omni ſollicitudine timoratus, & ſublime profundumque apprehendiſti.

Epheſ. 3. 18. — Sanctum faciunt ſanctus timor, & amor. — Cant. 3. 4. — Eorum motiva in Deo.

31. Aut ſi mavis quatuor æque tuis, divinis quatuor reſpondere; facis hoc, ſi ſtupes, ſi paves, ſi ferves, ſi ſuſtines. Stupenda plane ſublimitas majeſtatis: pavenda abyſſus judiciorum. Fervorem exigit caritas, æternitas perſeverantiam ſuſtinendi. Quis ſtupet, niſi qui contemplatur gloriam Dei? Quis pavet, niſi qui ſcrutatur profundum ſapientiæ? Quis fervet, niſi qui meditatur caritatem Dei? Quis ſuſtinet & perſeverat in amore, niſi qui æmulatur æternitatem caritatis? Nempe æternitatis quamdam imaginem perſeverantia præfert. Denique ſola eſt cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*.

Animi affectus in Deum. — Matth. 10. 22.

32. Et nunc adverte in quatuor iſtis contemplationis ſpecies quatuor. Prima & maxima contemplatio eſt admiratio majeſtatis. Hæc requirit cor purgatum, ut à vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facile ad ſuperna levet: interdum quoque vel per aliquas morulas ſtupore & ecſtaſi ſuſpenſum teneat admirantem. Secunda autem neceſſaria eſt huic; eſt enim intuens judicia Dei. Quo ſane pavido aſpectu, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad ſapientiam, humilitatem ſervat. Virtutum ſiquidem bonum quoddam ac ſtabile fundamentum, humilitas. Nempe ſi nutet illa, virtutum aggregatio nonniſi ruina eſt. Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum; & ne dimittat ingratum, ſollicitat memorantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit Propheta loquens ad Dominum: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt*. Quarta quæ retro ſunt obliviſcens, in ſola requieſcit expectatione promiſſorum: quæ cum ſit meditatio æternitatis (ſiquidem quæ promittuntur, æterna ſunt) longanimitatem alit, & perſeverantiæ dat vigorem. Puto jam facile eſt quatuor noſtra hæc, quatuor illis Apoſtoli aſſignare, dum longitudinem comprehendit meditatio promiſſorum, latitudinem recordatio beneficiorum, ſublimitatem contemplatio majeſtatis, profundum inſpectio judiciorum. Quærendus adhuc fuerat, qui nec ſatis adhuc inventus eſt, nec quæri nimis poteſt: at orando forte quàm diſputando dignius quæritur, & invenitur facilius. Proinde is ſit finis Libri, ſed non finis quærendi.

Contemplationis quatuor ſpecies. — Pſal. 144. 7.

ADMONITIO

ADMONITIO.

In ſequentem epiſtolam ſeu Opuſculum II.

I. *Ibros de Conſideratione, ad ſummum Pontificem directos, opportune ſubſequitur Tractatus de componendis moribus Epiſcoporum, quæ prima eſt ex quinque Bernardi epiſtolis ad* HENRICUM *archiepiſcopum Senonenſem, ordine XLII. Is cognomento* APER, *teſtante Hugone Autiſiodorenſi chronographo, aliis (ſi vulgati non fallunt indices)* GILBERTUS, *ex canonico electus eſt poſt Daimbertum pontifex Senonenſis anno MCXXII. Hac in dignitate cum remiſſius ageret, ad diligentiorem muneris ſui curam animatus eſt, agente potiſſimum Gaufrido Carnotenſi epiſcopo cum Burchardo Meldenſi, confirmante in primis ſancto Bernardo: quem & patronum habuit adverſus Ludovici VII. infeſtationes, ut teſtatum facit epiſtola* XLIX. *ad Honorium papam.*

II. *Has autem procellas tum Henrico, tum Stephano Pariſienſi epiſcopo excitavit eorum ſeceſſus ab aula, & vitæ melioris inſtitutio. adeo ut qui ante, ſicut in prædicta legitur epiſtola,* in habitu actuque ſæculari honorati fuerant ſublimes, judicati fideles, habiti familiares; *poſtea* inimici facti ſint digne ſuo ſacerdotio converſantes, & per omnia honorificantes miniſterium ſuum. Hinc domini Senonenſis conſtantiam labefactare conatus eſt *Ludovicus rex. quod amplius illuſtratur in Notis ad epiſtolas* XXII. *&* XLV.

III. *Non tamen ita mores ſuos compoſuit Henricus, ut non in eccleſiaſticam cenſuram incurrerit ob iniquam vexationem cujuſdam Archidiaconi eccleſiæ ſuæ, quem* non modo judicio non convictum, ſed nec verbo conventum *dignitate privavit, teſte Bernardo in epiſtola* CLXXXII. *ad eumdem Henricum. Hunc ſuſpenſum fuiſſe tradit Hugo chronographus Autiſiodorenſis ad annum* MCXXXVI. *idque atteſtantur Acta Epiſcoporum Autiſiodorenſium cap.* LV. *ubi de Hugone epiſcopo*, qui cum in Senonenſi eccleſia, PROPTER SUSPENSIONEM DOMINI HENRICI metropolitani, locum conſecrationis non haberet; apud Ferrarias à domino Gaufrido Carnotenſi epiſcopo circa feſtum beati Vincentii conſecratus eſt. *Hanc autem ſuſpenſionem Henrico ex iniqua depoſitione Archidiaconi ſui accidiſſe proximum vero eſt. Sed tandem hac cenſura ſolutus antiſtes, anno* MCXL. *apud Senonas ſynodum habuit, in qua Petri Abaelardi errores damnati fuerunt. Exſtant ea de re communes Patrum ſynodicæ litteræ ad Innocentium papam, inter Bernardinas epiſtola* CXCI. *quibus litteris ſignificant, ſe paucis totum negotium expoſuiſſe*, pro eo maxime, quia idipſum diffuſius ac plenius contineretur in litteris domini Senonenſis. *quæ litteræ non aliæ videntur, quam Bernardi epiſtola* CXC. *ad Innocentium, quæ inter hoſce Tractatus relata eſt. Porro Henricus vivere deſiit anno* MCXLIV. *& quidem* IV. *Idus Junii: cui ſucceſſit Hugo præcentor.*

IV. *Ceterum hanc epiſtolam ſtatim ab Henrici converſione ſcriptam fuiſſe probant in primis hæc ejus verba num.* 2. Nuper autem nobis à veſtris partibus flare cœpit aura ſecundior. Rumoribus ſiquidem RECENTIORIBUS nuntiata ſunt de vobis ſolito lætiora, & non ex incerto famæ, ſed ore veridico venerabilis Meldenſis Epiſcopi. *quod ſcilicet vitam in melius inſtituiſſet Henricus Gaufridi Carnotenſis epiſcopi conſiliis, ut mox declarat Bernardus. Atqui hanc Henrici mutationem Honorii ſecundi pontificatu, ac proinde ante annum* MCXXX. *contigiſſe conſtat, tum ex Bernardi epiſtola* XLIX. *ad eumdem Honorium, cui ipſum Henricum commendat: tum ex ipſa infeſtationum cauſa, quæ non alia fuit, quam Henrici diſceſſio ab aula & aulico vivendi genere, atque adeo vitæ rectioris inſtitutio, ut patet ex præmiſſis.*

V. *Itaque ſub annum* MCXXVI. *ſcripta fuit hæc epiſtola: quo tempore Meldenſi præſidebat eccleſiæ Burchardus, cujus relatu* ſolito lætiora *de Henrici converſatione nuntia Bernardus ait ſe accepiſſe. Meldenſi, inquam, eccleſiæ tunc præerat Burchardus, non, uti hactenus vulgo perſuaſum fuit, Manaſſes ſecundus, quem non ante annum* MCXXXIII. *Burchardo ſucceſſiſſe probant authentica ejus litteræ de Choiſiaco pro monaſterio S. Martini de Campis, ubi hæc clauſula habetur:* Acta ſunt hæc anno incarnationis Domini MCXXXV. indict. XIII. anno autem ordinationis domni Innocentii papæ VI. ordinationis noſtræ II. *& alia ejuſdem charta de Mauregarto, data* anno incarnationis Domini MCXL. anno autem ordinationis noſtræ VII. *Huic calculo favet Ordericus in lib.* VI. *pag.* 617. *ubi* Stephanus Pariſienſis epiſcopus, & BURCHARDUS Meldenſis *Resbacenſes monachos admonuiſſe memorantur de concedendis Uticenſibus reliquiis ſancti Ebrulfi, qua de re Bernardus epiſtolam ad Resbacenſes ſcripſerat. Id factum refert Ordericus anno* MCXXX. *ad quem proinde annum Burchardus Meldenſem eccleſiam, non Manaſſes, adminiſtrabat. Hinc corrigendi numeri apud Cheſnium in Notis ad Abaelardum: ubi Manaſſes dicitur Meldenſem eccleſiam regere cœpiſſe anno* MCXXV. *idque probatur ex ejus litteris de Choiſiaco, quas decennio ſerius, & quidem anno Manaſſæ epiſcopi ſecundo, datas fuiſſe ſuperius obſervavimus. Quanta vero morum & conſiliorum gravitate præditus fuerit Burchardus, illud argumento eſt, quod ipſum cum Gaufrido conſiliarium Bernardus Henrico gratulatur hac in epiſtola, quæ in codice Vaticano num.* 663. *dividitur in ſeptem capita. Verum ſatius viſum eſt, Horſtianas ſectiones jam receptas retinere.*

Tom. II. Opusc. II.

S. BERNARDI ABBATIS

EPISTOLA XLII. SEU TRACTATUS AD HENRICUM Senonenſem archiepiſcopum,

DE MORIBUS ET OFFICIO EPISCOPORUM.

Domino venerabili Henrico, Senonenſium archiepiſcopo, Frater B. ſi quid poteſt peccatoris oratio.

A PLACUIT præſtantiæ veſtræ novum aliquid a nobis dictatum requirere. Gravamur pondere dignitatis, ſed dignationis munere gratulamur. Et blanditur petentis favor, & petitionis terret exactio. Qui enim nos ſumus, ut ſcribamus Epiſcopis? Sed rurſum qui ſumus, qui non obediamus Epiſcopis? Unde dare, inde & negare compellor quod poſtulor. Scribere tantæ altitudini, ſupra me eſt: & eidem non obedire, contra me. Utrobique periculum: ſed in ea parte majus imminere videtur, B ſi non obediero. Hac itaque exiens qua minus apparet, facio quod jubetis. Dat quippe auſum ipſius dignitatis dignanter indulta familiaritas, & excuſat præſumptionem auctoritas imperantis.

CAPUT I.

Arduum ac periculoſum eſſe munus Epiſcopi; ideoque ei bonis conſiliariis opus.

1. IGitur ex quo regni cælorum claves Deo auctore vobis traditas ſuſcepiſtis, ac juxta ritum fortis illius mulieris, manum mittere cœpiſtis ad fortia; ſi qua vos aut egiſſe quæ non deberetis, aut pertuliſſe quæ C nolletis audivimus; & illa agentem doluimus, & condoluimus hæc patienti. Inter hæc autem ego recordabar illorum verſiculorum: *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos. Anima eorum in malis tabeſcebat, turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Et ideo non judicabam, ut aſſolet; magis quippe ad compaſſionem me provocabat hujuſcemodi cogitatio: Si, inquam, tentatio eſt cujuſcumque hominis vita ſuper terram; quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium neceſſe eſt ferre tentationes? Si ergo latens in caverna, & quaſi ſub modio, non quidem lu- D cens, ſed fumigans, ventorum tamen impetus nec ſic declinare ſufficio, ſed continuis tentationum variiſque fatigatus impulſibus, inſtar vento agitatæ arundinis, hac illacque circumferor: quid poſitus ſupra montem, poſitus ſupra candelabrum? Solus mihi ſervandus, ſolus tamen ipſe mihi ſum ſcandalo, ſolus tædio, ſolus oneri atque periculo, ita ut propriæ gulæ & ventri, & oculo ſcandalizanti frequenter iraſci oporteat. Quibus ergo moleſtiis angitur, quibus laceſſitur injuriis, cui etiam, etſi propria ceſſent, numquam tamen de alienis deſunt foris pugnæ, intus timores?

(Prov. 31. 10. — Epiſcoporum pericula. — Pſal. 106. 23. — Job 7. 1.)

2. Nuper autem nobis à veſtris partibus flare cœpit aura ſecundior. Rumoribus ſiquidem recentioribus E nuntiata ſunt de vobis ſolito lætiora, & non ex incerto famæ, ſed ore veridico venerabilis Meldenſis [a] Epiſcopi. Interrogatus enim de eſſe veſtro, vultu alacri, & tamquam bene fidens unde requirebatur: Puto, inquit, hominem ex hoc jam conſiliis ſe ſubacturum Carnotenſis Epiſcopi. Hoc ab eo reſponſum tam lætus accepi, quam certus fui conſilia viri fideliſſima fore. In nullo melius poterat nobis cordis veſtri propoſitum commendare, in nullo ſpem dare certiorem veſtri profectus in Domino. Secure, ni fallor, præfatis ambobus viris & vos, & veſtra credetis. Talibus uten- A do conſiliariis, bonam vobis ſervabitis & famam, & conſcientiam. Sic Dei Sacerdotem, ſic tantæ civitatis decet Epiſcopum, puerilibus non agi ſæcularibuſve conſiliis. Omnes, juxta Domini præceptum, etiam inimici, diligantur; ſed ad conſilium ſoli eligantur, qui & prudentes eſſe videantur, & benevoli [b]. Propterea Dominus, & imprudens diſcipuli, & fratrum infidele conſilium refutabat, reſpondens improvido: *Non ſapis quæ Dei ſunt.* & malevolis: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam.* Nec iſtorum malitiæ, nec illius imprudentiæ ſe credendum putavit. Quærens denique cui ſe credere debeat, cui tuto ſua B committat diſpenſanda myſteria, & quaſi difficile inveniens, ſub admiratione interrogat: *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Quamobrem & Petro curam ovium crediturus, prius ejus ſtuduit probare benevolentiam, ter ſciſcitans ſi ſe diligeret. Probavit & prudentiam, quando errantibus hominibus, & putantibus ipſum eſſe quempiam ex Prophetis, ille prudenter veritatem advertens, Deum potius Prophetarum confeſſus eſt: *Tu es*, inquiens, *Chriſtus filius Dei.* Væ noſtro generi ab imperfectione ſua! Vix in multitudine hominum unum reperias in utraque gratia conſummatum. Haud facile ſiquidem vel prudenti benevolentiam, vel fide- C li ineſſe ſapientiam deprehendas. Sine numero autem ſunt, quos utriuſque muneris expertes eſſe conſtiterit.

(Confiliariorum dotes, prudentia & benevolentia. — Luc. 6. 27. — b — Matt. 16. 23. — Johan. 7. 8. — Matth. 24. 45. — In poſteriore eodem. — Johan. 21. 15. — Matt. 16. 16.)

3. Prudenter igitur cogitaſtis ſacerdotale onus, epiſcopale opus, curamque paſtoralem digne non poſſe adminiſtrari ſine conſilio. Hinc ipſa caſtorum conſiliorum mater Sapientia de ſeipſa loquens: *Ego Sapientia*, inquit, *habito in conſilio.* Sed quali conſilio? numquid in qualicumque? *Et eruditis*, ait, *interſum cogitationibus.* Sed & quod inſida conſilia declinanda ſint, per os Salomonis taliter monet: *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reveles.* Pulcre quoque per alium quemdam Sapientem, cum ſine conſilio nil D agendum conſulat, virorum tamen conſilii intuens paucitatem, ita loquitur: *Multi ſint tibi amici, unus autem ſit tibi conſiliarius de mille. Unus*, inquit, *de mille.* Benignam ergo non dubitaverim vobis eſſe divinitatem, cui de tanta raritate inter mortales, non unum, ſed duos, ipſoſque idoneos ſatis indulſit. providos, benevolos; &, ut facile adſint, comprovinciales; ut gratis, debitores jure ſubjectionis. Horum acquieſcendo conſiliis, nec præceps eritis in ſententia, nec vehemens in vindicta; non in corrigendis remiſſior, non ſeverior in parcendis, non puſillanimis in exſpectandis; nec ſuperfluus in victu, nec notabilis in veſtitu; non citus ad promittendum, non ad reddendum tar- E dus, nec prodigus dator. Iſtorum conſilium longe ſemper faciet à vobis MALUM TEMPORE VETUS, ſed CUPIDITATI NOVUM, ſimoniam; & matrem ejus avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus. Et ut brevi omnia ſermone concludam, ſi his credideritis, in omnibus, exemplo Apoſtoli, honorificabitis miniſterium veſtrum: miniſterium, inquam, non dominium. Ipſum itaque honorificabitis non vos. nam qui quærit quæ ſua ſunt, ſe cupit honorari, non miniſterium.

(Prov. 8. 12. — Prov. 25. 9. — Eccli. 6. 6. — Quàm utile audire conſilia. — Rom. 11. 13.)

[a] Haud dubie Burchardi, non Manaſſæ ſecundi, ex Admonitione num 5.

[b] In editis, etiam anni 1494. hic interſeruntur hæc verba, *abſque prudentia & benevolentia non eſſe perfecta conſilia.* quod lemma eſt ex margine invectum in textum, deeſtque emendatioribus mſſ. Colbertinis 1038. & 1410.

CAPUT II.

Honorem & decus dignitatis eccleſiaſticæ non conſiſtere in externo ſplendore, ſed in morum & virtutum decore.

Veſtium cultu ... V. Notas.

4. HOnorificabitis autem non cultu veſtium, non equorum faſtu, non amplis ædificiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis. Quàm multi aliter! Cernitur in nonnullis ſacerdotibus veſtium cultus plurimus; virtutum aut nullus, aut exiguus. Quibus ego ſi rememorem illud apoſtolicum, *Non in veſte pretioſa*; vereor ne indignentur, dum nimirum indignum ducant in ſe aſſumptam ſententiam, quàm prius in viliorem ſexum & ordinem prolatam fuiſſe recognoverint. Quaſi vero non eodem utantur medici ferro ſecandis regibus, quo & popularibus hominibus: aut capiti fiat injuria, ſi ipſis forcipibus capilli excreſcentes detondeantur, quibus & unguium fuerint reſecata ſuperflua. Attamen ſi dedignantur pari cum mulierculis, non quidem à me, ſed ab Apoſtolo feriri ſententia, dedignentur & cum ipſis eadem involvi culpa. Deſpiciant jam textricum ſive pellificum, & non propriis operibus gloriari. Horreant & murium rubricatas pelliculas, quas gulas [a] vocant, manibus circumdare ſacratis, & ſacrantibus tremenda myſteria. Reſpuant & apponere pectori, quod decentius ornat gemma ſapientiæ. Pudeat & collo circumtexere, quod honeſtius atque ſuavius Chriſti jugo ſubmittitur. Non Chriſti ſtigmata ſunt hæc, quæ iſti Martyrum exemplo circumferant in corpore ſuo. Muliebria potius eſſe noſcuntur inſignia, quæ utique curioſius & ſumptuoſius illæ ſibi præparare conſueverunt, cogitantes nimirum quæ ſunt mundi, quomodo placeant viris.

1. Tim. 2. 9.

5. Verum tu ſacerdos Dei altiſſimi, cui ex his placere geſtis, mundo, an Deo? Si mundo, cur ſacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis & ſacerdos? Nam ſi placere vis mundo, quid tibi prodeſt ſacerdotium? Nec enim potes duobus dominis ſervire. *Qui autem vult amicus eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituitur.* & Propheta: *Deus*, inquit, *diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent; confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* & Apoſtolus: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Volens itaque placere hominibus, Deo non places: ſi non places, non placas. Cur ergo, ut dixi, ſacerdos? Si vero, quod addidi, placere intendis, non mundo, ſed Deo: cur qualis populus, talis & ſacerdos? Enimvero ſi ſacerdos paſtor eſt, & populus oves; dignum eſt ut in nullo appareat ovibus paſtor diſſimilis? Si inſtar mei, qui ovis ſum, paſtor meus & ipſe incurvus graditur, vultum gerens deorſum, & terram ſemper reſpiciens, & ſoli ventri mente jejunus pabula quæritans; in quo diſcernimur? Væ, ſi venerit lupus, non erit qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. Decetne paſtorem more pecorum ſenſibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis; & non potius erectum ſtare ut hominem, cælum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt & quærere, & ſapere, non quæ ſuper terram?

Jacob. 4. 4.
Pſal. 52. 6.
Gal. 1. 10.
Paſtorem oportet ovibus eſſe diſſimilem.

6. Ceterum mihi indignatur, ſi vel nutum * facere audeam, jubetque ori manum apponere, dicens monachum, qui non habeam judicare de Epiſcopis. Utinam & oculos mihi claudas, ut nec cernere poſſem, quæ contradicere prohibes. Magna vero præſumptio, ſi ovis cum ſim, in ipſum paſtorem meum lupas ſæviſſimas, vanitatem & curioſitatem, irruere cernens, infremuero, quò ad meum forte balatum cruentis beſtiis à quopiam occurratur, & ſuccurratur perituro. Quid facient de me, qui ovicula ſum, quæ & in ipſum paſtorem tanta feritate inſiliunt? Et quidem ſi non vult ut clamem pro ſe, numquid non & pro me balare licebit? Sed etſi ego ſileo, ne ponere videar in cælum os meum, clamatur tamen in Eccleſia: *Non in veſte pretioſa.* Clamatur autem ſpecialiter ad feminas: ut erubeſcat in ſe deprehendi Epiſcopus, quod in fragiliori quoque ſexu audierit reprehendi. An forte nulla timetur confuſio, ſi ergo ſolus ſubmuſſitare deſiero? Numquid etſi ego non loquor, ſua cuique non loquitur conſcientia? Quid ſi alius audacior me, non quidem de Apoſtolo, ut ego; non de Evangelio, non de Propheta, non denique quippiam eccleſiaſticum, ſed illud tantum gentilicum ingerat: *Dicite Pontifices*, non quidem *in ſancto*, ſed in freno, *quid facit aurum?* Quàm tolerabilius cernitur in ſancto, quàm in freno! Hoc me etiam tacente, etſi non curia regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames. Fama quidem ſilet, quia non poteſt mundus odiſſe vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, à quo potius laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur?

Monacho non permiſſa cenſura in Epiſcopos.
** al. mutum.*
1. Tim. 2. 9. Luxus veſtium in Præſule damnatum.
Perſius, Sat. 2.

7. Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite, Pontifices, in freno quid facit aurum? Numquid aurum à freno repellit frigus ſive eſuriem? Nobis frigore & fame miſerabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plaſmatio, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri. Videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis. Jumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clavatæ [b] quædam corrigiæ, multaque talia, tam ſpecioſa coloribus, quàm ponderibus pretioſa, mulorum dependent cervicibus: fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes apponitis. Huc accedit, quod hæc omnia nec negotiationis ſtudio, nec proprio manuum exercitio vobis elaboraſtis, ſed nec jure hereditario poſſidetis. niſi forte & vos in corde veſtro dixeritis: *Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte cauſari adverſum vos, quibus interim pro ſua vita neceſſe habent potius ſupplicare. Ceterum in futuro ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, ſtante quippe pro eis patre orphanorum, & judice viduarum. Ipſius enim tunc vox erit: *Quamdiu non feciſtis uni de his minimis meis, nec mihi feciſtis.*

Querela pauperum contra luxum Præſulum.
Pſal. 82. 13.
Matth. 25. 40.

CAPUT III.

Præſulum potiſſima & digniſſima ornamenta, caſtitas, caritas, humilitas.

8. VOs autem, reverendiſſime Pater, vos, inquam, abſit ut in talibus honorificandum putetis miniſterium veſtrum. Videntur quidem honorifica, ſed oculo qui videt in facie, non qui videt in abſcondito. Nam quæ videntur in abſcondito, nullis apparent fucata coloribus, ſpectabilia ſunt tamen; nullis condita ſaporibus, prædulcia tamen; nullis elevata culminibus, excelſa tamen. Caſtitas, caritas, humilitas, nullius quidem coloris ſunt, ſed non nullius decoris; nec mediocris decoris, qui divinos quoque delectare poſſit aſpectus. Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felici-

Caſtitas commendatur.
Angelorum felicior.

a Gulæ, pelles arte rubricatæ, unde gallicum, *gueule*, in arte ſymbolica ad deſignandum rubeum colorem. Pelles iſtæ plurimum erant Armenicæ, id eſt murium Ponticorum. Homiliæ Bernardo adſcripta: *Paſchali tempore armenicam pelliceam dedit circa collum; & circa manum, rubeis gulis præparatam.* In Chronico Saxonico mſ. laudatur ad annum 1030. Clerus Hildeneſheimenſis, quod *delicatioris veſtitus abjecta cura, gulas, quibus nunc ardet Clerus, neſcierunt.*

b Clavatæ corrigiæ, lota clavis ex auro, purpura aliiſve coloribus intexta.

Tom. II. Oreic. II.

tate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, hu-jus tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſollemnia morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur: præbens quodammodo terris cæleſtis jam illius converſationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebro periclitamur, tenet caſtitas (ut monet Apoſtolus) in ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur. Senſus ipſa & artus continet & contingit, ne diſſolvantur otiis, ne corrumpantur deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant: quemadmodum legitur de quibuſdam, quia *computruerunt ut jumenta in ſtercore ſuo*. Hoc itaque tantæ pulcritudinis ornamentum digne dixerim ſacerdotium honorare, quod dilectum Deo & hominibus faciat ſacerdotem, cujus quippe memoria, non in carnis ſucceſſione, ſed in ſpirituali benedictione ſit, reddatque ſimilem in gloria ſanctorum, in hac licet adhuc regione diſſimilitudinis conſtitutum.

1. Theſ. 4. 4. — Joel 1. 17.

Sine caritate nil valet, nec cetera virtutes.

9. Verum quantalibet venuſtate ſui caſtitas eminere appareat, ſine caritate tamen nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim abſque illa bonum ſuſcipitur? Fides? Sed nec ſi montes transferat. Scientia? Sed ne illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum. Martyrium? *Et ſi tradidero*, inquit, *corpus meum ita ut ardeam*. Nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quamlibet exiguum reſpuitur. Caſtitas ſine caritate, lampas eſt ſine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle caritatem, caſtitas non placet. Sed ô *quam pulcra eſt*, ut Sapiens clamat, *caſta generatio cum caritate* *! Cum illa, inquam, caritate, quam deſcribit Apoſtolus, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

1. Cor. 13. 3. — Sap. 4. 1. * Vulg. claritate. — 1. Tim. 1. 5.

Puritas cordis conſiſtit in duobus.

10. Porro puritas cordis in duobus conſiſtit: in quærenda gloria Dei, & utilitate proximi; ut in omnibus videlicet actis vel dictis ſuis nihil ſuum quærat Epiſcopus, ſed tantum aut Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non ſolum Pontificis officium, ſed & etymologiam nominis, pontem utique ſe ipſum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iſte uſque ad Deum ea fiducia, qua non ſuam, ſed illius gloriam quærit. Pertingit uſque ad proximum illa pietate, qua & ipſi, non ſibi prodeſſe deſiderat. Offert Deo bonus mediator preces & vota populorum; reportans illis à Deo benedictionem & gratiam. Supplicat majeſtati pro exceſſibus delinquentium, vindicat in peccantes injuriam Dei. Ingratis improperat beneficia pietatis, contemnentibus potentiæ ſeveritatem inſinuat, utriſque tamen nihilo minus placare ſtudet indignantis furorem: nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc divinæ magnitudinem pietatis. Denique ſive excedat Deo, ſive ſobrius ſit nobis, aut Deo ſemper, quantum in ipſo eſt, præſtare * geſtit, aut nobis, non quod ſibi omnino utile eſt quærens, ſed quod multis.

Pontificis etymon & officium.

* al. placere geſtit, aut præſtare nobis.

Dei gloriam & populi lucrum, non ſuum quærere debet.

11. Fidelis Pontifex, qui bona quælibet per manus ſuas tranſeuntia, ſive divina beneficia ad homines, ſive hominum vota ad Deum, columbino intuens oculo, nihil ſibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum, ſed lucrum, nec Dei gloriam uſurpat ſibi. Acceptum talentum non ligat in ſudario, ſed partitur nummulariis, à quibus & uſuras recipit, non ſibi, ſed Domino. Non habet foveam ut vulpes, non tamquam volucres nidum, non loculos quomodo Judas; non denique, ſicut nec Maria, locum in diverſorio. Imitatur profecto illum qui non habebat ubi reclinaret caput; factus in præſentiarum tamquam vas perditum: quandoque proculdubio futurum vas in honorem, & non in contumeliam. Denique perdit animam ſuam in hoc mundo, ut in vitam æternam cuſtodiat eam. Hoc tanto puritatis intimæ bono gloriari non poteſt veraciter, niſi qui extrinſecas glorioſas perfecte reſpuerit. Nec enim pure valet Dei vel proximi quærere lucra, qui propria non contempſerit. Is tantum puritatis interioris gloria non fraudatur, qui dicere poteſt cum Domino: *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil eſt*. & cum Apoſtolo: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. & cum Propheta: *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus à corde*, id eſt à propria voluntate. Bona oblivio, ſi te ipſum neſcias, ut proximo proſis. Bene autem mortuus a corde, ſi jam non tibi vivere ſtudeas, ſed ei qui pro te mortuus eſt. Bene mortuus eſt à corde, qui dicit: *Vivo autem jam non ego*. Sed ſi mortuus à ſe, non tamen à Chriſto. ſequitur enim: *Vivit vero in me Chriſtus*. Mortem hanc, quæ fit à corde, infert caritas, de qua loquitur ſponſa in Canticis: *Vulnerata caritate ego ſum*. Fortis quippe eſt ut mors dilectio, & mortem in nobis, non vitam occidit. Unde & audacter minatur: *O mors, ero mors tua*. Peccatum exſtinguit, quod animæ vitam expulerat; animamque reſtituit innocentiæ.

Johan. 8. 54. — Philip. 1. 21. — Pſal. 30. 13. — Oblivio ſui. — Gal. 2. 20. — Mors à caritate. — Cant. 4. 9. — Cant. 8. 6. — Oſee 13. 14.

Caritas cur fortis ut mors.

12. Verum ſi prævalet morti caritas, ita ut illam in congreſſu perimere poſſit; cur dicitur *fortis ut mors*, & non potius, morte fortior? An forte quia & ipſa eſt mors, & ſeipſa fortior eſſe non poteſt? Bona mors, non vitæ, ſed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etſi adimit, non perimit. Adimit quidem, ſed ad tempus, reſtituendam in tempore, duraturam ſine tempore. Denique *mortui eſtis*, inquit, *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Libenter igitur carebo ad tempus, ut in æternum poſſideam. Et iſta ſufficiant pro eo quod ſcriptum eſt, *Caritas de corde puro*. Sane in tanta oblivione ſui neceſſe eſt cor bene eſſe conſcium ſibi, quo ſe in lucra ſecurius foris extendat, cum ſecuram intra ſe reliquerit conſcientiam. Quid enim prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur?

Coloſſ. 3. 3. — 1. Tim. 1. 5. — Matth. 16. 26.

CAPUT IV.

Cura ſinceræ fidei, & caritatis non fictæ, Præſuli maxime neceſſaria.

Duo bonam reddunt conſcientiam.

13. SEd & ordinis exigit ratio, ut qui ad ſui menſuram proximum jubetur diligere, prius ſeipſum diligere norit. Itaque duo ſunt præcipue quæ bonam reddunt conſcientiam, pœnitere de malis, & abſtinere à malis: hoc eſt, ut verbis loquar beati Gregorii *, & commiſſa flere, & flenda non committere. Horum neutrum ſolum ſufficit. Nam ſi primum abſque ſecundo ſufficeret, fruſtra & David hortaretur dicens: *Declina à malo*. & Iſaias: *Quieſcite agere perverſe*. & Deus ipſe ad Cain: *Peccaſti, quieſce* *. Rurſum ſi ſecundum per ſe poſt peccatum bonam ſufficit reſtaurare conſcientiam, ſine cauſa clamat pœnitens in pſalmo: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. & illud: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea*. & in oratione dominica: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Utriuſque virtutis bene conſcius animus ſecure jam ſeipſum deſerat, & quodammodo perdat, ut alios lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur, uratur cum ſcandalizatis: fiat etiam, ſi oporteat, Judæis Judæus, nihilque formidet cum tali conſcientia, exemplo Jeremiæ & Ezechielis, in Ægyptum vel in Chaldæam cum tranſgreſſoribus captivari; ſed & cum ſancto Job frater fieri draconum, & ſocius ſtruthionum: cum Moyſe quoque (quod gravius eſt) deleri de libro Dei; & cum Paulo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus non timeat cum hujuſmodi conſcientia; ipſam denique, ſi neceſſe eſt, intrare gehennam, ſecurus medias penetrans flammas, læta decantet conſcientia: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Comparemus, ſi placet, theſauros regum & faſtigia regnorum cum hujuſmodi fiducia. nonne cuncta horum felici-

* S. Greg. hom. 34. in Evang. poſt. med. — Pſal. 36. 27. — Iſa. 1. 17. — * Gen. 4. 7. juxta LXX. — Pſal. 31. 1. — Pſal. 24. 18. — Luc. 11. 4. — Ad alienum curam quis idoneus. — Jer. 43. 6. — 4. Reg. 24. 5. — Job 30. 29. — Exod. 32. 32. — Rom. 9. 3. — Bonæ conſcientiæ ſecuritas. — Pſal. 22. 4.

*al. præ tanto bono.

tas, præ * tanti boni divitiis, miſeria reputabitur? Et hanc fiduciam operatur caritas *de corde puro, & conſcientia bona.*

1. Tim. 1. 5. Fides mortua, ficta & probata. Jac. 2. 20.

14. Jam vero quod reſtat, *de fide non ficta*; & item quod ex alio loco in mentem venit, *fides ſine operibus mortua eſt.* duo iſta mittunt nos ad quamdam fidei trifariam diviſionem, ut dicatur fides mortua, ficta, probata. Et mortuam quidem Apoſtolus diffinit eam eſſe, quæ ſine operibus eſt, id eſt quæ non operatur ex dilectione, quaſi non habens animam, ipſam dilectionem, qua vegetetur *, & moveatur ad opera. Fictam autem ego arbitror illam vocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex caritate vita, moveri inchoat ad bene operandum; ſed non perſeverans deficit, & moritur tamquam abortiva. Eo utique ſenſu fictam hujuſmodi dixerim nominatam, quo vaſa figuli vocamus fictilia; non quia videlicet utilia non ſunt quamdiu durant, ſed quia fragilia cum ſint, diu minime durant. De hac fidei fictione puto illos notari in Evangelio, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Interrogo eos qui dicunt caritatem, à quo ſemel accipitur, nequaquam ultra recedere. Ait Veritas de quibuſdam: *Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Unde, & quo recedunt? Utique à fide ad infidelitatem. Item quæro: Poterantne in illa fide ſalvari, an non poterant? Si non poterant, quæ injuria Salvatori, quæve tentatori lætitia, quod hinc recedant, ubi ſalus non ſit? ſiquidem nec Salvator zelatur niſi ſalutem, nec malignus invidet niſi ſaluti. Si autem poterant, quomodo aut ſine caritate ſunt, quamdiu in illa fide ſunt, cum ſine caritate ſalus eſſe non poſſit; aut deſerentes fidem, non etiam deſerunt caritatem, cum caritas & infidelitas ſimul eſſe non poſſint? Recedunt ergo quidam à fide, quia Veritas aſſerit; conſequenter & à ſalute, quia Salvator redarguit: inde nos colligimus, quod & à caritate, ſine qua ſalus eſſe non potuit *. *Et hi*, inquit, *radicem non habent.* Non negat eos habere bonum, ſed in bono potius radicatos non eſſe cauſatur.

*al. abſens anima. — Luc. 8. 13. — caritas ſemel habita amitti poteſt. — *al. poteſt.

Matth. 10. 22.

15. Denique ſequitur, & ait: *Quia ad tempus credunt.* Bonum eſt, ſed utinam duraturum. Non enim qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Non autem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt. Beati ſi interim rapti fuiſſent, antequam malitia mutaret corda eorum. Nunc vero væ prægnantibus & lactantibus in illis diebus, teneros utique fœtus geſtantibus, & de vita recenti facile in periculis exturbandos. Tales ſunt animæ parvam adhuc & teneram habentes caritatem: & ob hoc earum fidem vivam, ſed fictam, neceſſe eſt in tentatione deficere. *Vaſa figuli*, ait, *probat fornax, & homines juſtos tentatio*, illos videlicet, qui ex fide vivunt. Juſtus nempe ex fide vivit, ſed ex fide quæ vivat. Neque enim quæ mortua eſt, vitam dare poteſt. Dæmonum fides non adducitur in examinationem: vacua quippe caritate, mortua eſt. Credunt quidem & contremiſcunt, ſed timor non eſt in caritate. Proinde in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur: quod exſtinctæ fidei nulla jam debeatur probatio, ſed reprobatio. Solam itaque juſtorum fidem, id eſt vivorum vivam, fornax tentationum ſuſcipit examinandam. Sed non omnium juſtitia manet in ſæculum ſæculi: quoniam ſunt qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Qualis ſit cujuſcumque fides, tribulatio probat. Si cujus deficit (deficit enim, cum in caritate non perſeverat) ficta eſſe dignoſcitur: ſi cujus perſeverat, probata & perfecta cenſetur.

Animæ recentes ſimiles prægnantibus. — Eccl. 27. 6. Rom. 1. 17. Abac. 2. — Dæmonum fides. — Vera & ficta fidei probatio.

16. Liquet ex his ſatis, ut arbitror, non omnes qui habuerint caritatem, habere & perſeverantiam in caritate. Alioquin fruſtra commoneret diſcipulos Dominus: *Manete*, inquiens, *in dilectione mea.* Aut enim ſi necdum diligebant, non debuerat dicere, *manete*, ſed, *eſtote in dilectione mea*: aut ſi jam diligebant, neceſſe non erat moneri de perſeverantia, qua ſecundum iſtos privari non poterant. Curet igitur ſervus bonus & fidelis fide ſervare non fictа caritatem de corde puro & conſcientia bona: pluris æſtimans animæ vitam, quam corporis, minus horrens carnis mortem, quàm fidei.

Johan. 15. 9. — Veram caritatem poſſe deperdi, ſtatuendo.

Tom. II. Opusc. II.

CAPUT V.

De virtute humilitatis omnibus quidem, ſed Prælatis in primis neceſſaria.

Sine humilitate nulla virtutes.

17. JAm de tribus quæ ſuperius propoſuimus, ſola (ni fallor) tractanda reſtat humilitas. Hæc duabus præmiſſis virtutibus in tantum eſt neceſſaria, ut abſque iſta illæ nec eſſe virtutes videantur. Nempe ut caſtitas ſeu caritas detur, humilitas meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiam. Humilitas ergo virtutes alias accipit. Servat acceptas, quia non requieſcit Spiritus Domini, niſi ſuper quietum & humilem. Servatas conſummat, nam virtus in infirmitate, hoc eſt in humilitate, perficitur. Inimicam omnis gratiæ, omniſque initium peccati debellat ſuperbiam, & tam à ſe, quam à ceteris virtutibus ſuperbam illius propulſat tyrannidem. Siquidem cum ex aliis quibuſque bonis virium magis ſuarum capere ſoleat incrementum ſuperbia; ſola hæc omnium propugnaculum quoddam turriſque virtutum, ejus fortiter reſiſtit malitiæ, obviat præſumptioni. Sola denique eſt, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum eſſe putavit. Audito quippe ab Angelo, *Ave gratia plena*, quaſi ſolam ex illa plenitudine humilitatem in ſe cognoſceret, ſolam rependiſſe ac reſpondiſſe memoratur in gratiam: *Reſpexit*, inquiens, *Deus humilitatem ancillæ ſuæ.*

Jacob. 4. 6. Iſa. 66. 2. 2. Cor. 12. 9. — Gloriatio Mariæ in ſola humilitate. — Luc. 1. 48. — Ibidem.

18. Quid deinde auctor & dator virtutum Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi, in quo omnis quoque plenitudo divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & ipſe de humilitate, tamquam ſumma ſuæ doctrinæ ſuarumque virtutum, gloriatus eſt? *Diſcite*, ait, *à me*, non quod ſobrius, aut caſtus, aut prudens, aut aliquid ejuſmodi: ſed, *quia mitis ſum & humilis corde.* A me, inquit, diſcite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto: ſed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus & femina: ille potentiæ, illa ſcientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, diſcentes à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Item Chriſti. — Matth. 11. 29.

Definitio & diviſio ſuperbiæ in cæcam & vanam.

19. Commodum reor indagare aliquid & de ſuperbia, quatenus ex oppoſito ſibi vitio virtutis hujus decor manifeſtior appareat. Superbia eſt appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in ſpecies duas dividitur, in cæcam, & vanam ſuperbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari poſſunt, contumacia, & vanitas: quarum prior intelligentiæ, poſterior voluntatis vitium eſt. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex iſta voluntatis appetitus male afficitur. Quod melius ex ſingularum diffinitionibus demonſtrabimus. Cæca ſuperbia ſeu contumacia eſt vitium, quo ſe exiſtimans aliquis vel eſſe bonum quod non eſt, vel à ſe eſſe quod eſt, in ſe, non in Domino gloriatur. Vana ſuperbia ſeu vanitas eſt vitium, quo quis tam de eo quod eſt, quàm de eo quod non eſt, ſuis magis quàm Dei laudibus delectatur. His ita præmiſſis, aptemus jam contraria humilitati, ſingula ſingulis opponentes. Humilitas eſt contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque ſuperbiæ ſpeciebus, duæ nihilo minus humilitatis opponuntur: contra cæcam, ut quis de ſe noverit ſentire humiliter; contra vanam, nec conſentire aliter ſentientibus. Nempe qui de ſeipſo ſentire humiliter novit, in neutro ipſius de ſe judicium falli poteſt, videlicet ut aut majus aliquid putet ſe eſſe quàm ſit; aut à ſe eſſe quod ſit. Et ideo patienter carens quod ſibi novit deeſſe, humiliter de eo quod certus eſt adeſſe, non in ſe, ſed in Domino gloriatur.

Antitheſis ſuperbiæ & humilitatis.

20. Porro adverſus hoc, ut de ſe altios ſe aliquid ſentiat, ſolet, ne inſoleſcat, verus humilis illud ſibi jugi meditatione revolvere: *Non alta ſapientes, ſed humi-*

Rom. 12. 16.

Tom. II. Opusc. II

Contra vanam gloriam quomodo ſe præmuniat humilis.

Pſal. 130. 3. Galat. 6. 3. 1. Cor. 4. 7. Iſa. 3. 12.

Laudes humanæ contemnendæ.

Pſal. 61. 10.

2. Cor. 12. 10.

libus conſentientes. & illud : *Non ambulavi in magnis*, A *neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam.* & item : *Qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Contra hoc autem ut a ſe ſentiat eſſe, quod ſe ſentit eſſe, ſollicite ſeipſum interrogat : *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Item, qui humanas laudes conſuevit perfecte contemnere, cum ſe laudari percipit de eo quod in ſe novit non eſſe, nullatenus acquieſcens, illud ſibi commemorat : *Qui te beatificant, in errorem te mittunt.* Sed & illius nihilo minus verſiculi recordatur : *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Proinde ſollicite ſtu- B det imitari Apoſtolum, ita de ſe loquentem : *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Cum vero laudari ſe comperit de bono quod ſe forte habere cognoſcit : nihilo minus, quantum in ſe eſt, ſcuto veritatis curat à ſe jaculum favoris repellere ; dans gloriam Deo, & dicens : *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et propulſans à ſe omnem ſuſpicionem, ait Domino : *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Metuit nimirum, ſi aliter egerit, ne forte audiat ab ipſo : *Recepiſti mercedem tuam.* & iterum : *Gloriam ab invicem quæritis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non vultis.* Refugiens ergo & de hoc ad conſilium Apoſtoli, probat ipſe opus ſuum, C ut ſic habeat in ſemetipſo gloriam, & non in altero. Fidelis ſiquidem cuſtus, qui ſibi oleum favoris ſine fraude reſervet, ne in adventu ſponſi lampas conſcientiæ vacua exſtinguatur. *Non in altero*, inquam. Nec enim tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam ſuam, arcæ utique ſine clave, & ſine ſera, nullique omnino clauſæ nocere volenti. Non tutum plane, ſed ſtultum, ibi theſaurum tuum recondere, unde non valeas reſumere cum volueris. Si ponis in os meum, jam non in tua, ſed in mea poteſtate eſt, cum utique pro meo libitu vel laudare te poſſim, vel derogare tibi.

1. Cor. 15. 10. Pſal. 113. 6. Matth. 6. 5. Johann. 5. 44.

Galat. 6. 4.

Gloriam ſuam homini committere non tutum.

CAPUT VI. D

Laus & vera gloria in conſcientia cujuſque reponenda ; attamen non ſine formidine, quia Deus eſt ſcrutator & judex cordium.

Conſcientia locus ſecurus.

Individuus homini comes.

2. Cor. 1. 12.

Prov. 28. 14. Gloriari teſtimonio conſcientiæ quibus liceat.

21. Sanum vas & inconcuſſum conſcientia, & ſecretis ſervandis idoneum, nullis patens inſidiis, nulli violentiæ cedens ; nulli quippe oculo vel manui acceſſibilis, excepto duntaxat Spiritui, qui ſcrutatur etiam alta Dei. Quicquid in ea repoſuero, ſecurus ſum quia non perdam : ſervabit vivo, defuncto reſtituet. Nam quocumque vado ego, ipſa it mecum, ſecum ferens depoſitum quod ſervandum acceperit. Adeſt E vivo, mortuum ſequitur ; ubique mihi vel gloria, vel confuſio inſeparabilis pro qualitate depoſiti. Beati qui in veritate dicere poſſunt ! *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Non poteſt dicere niſi humilis, qui juxta vulgare proverbium, & oculos campi metuere, & ſilvarum aures ſoleat ſemper habere ſuſpectas. Beatus nempe homo qui ſemper eſt pavidus. Non poteſt dicere arrogans & præſumptor, qui ſeipſum impudenter oſtentans, paſſim & ubique, tamquam per campum incedens, totus fertur in gloriam : gloriatur etiam cum male fecerit, & exſultat in rebus peſſimis. Æſtimat ſe non videri, dum plures habeat imitatores quàm reprehenſores, cæcus dux cæcorum. F Sed habet hic campus oculos ſanctorum proculdubio Angelorum, quos ſemper offendere ſolet indiſciplinata converſatio. Non dicet hypocrita : Gloria mea eſt teſtimonium conſcientiæ meæ, quia etſi judicantium ſecundum faciem, verbo, vultu, habituve ſimulatorio illudat opinioni ; ſed non ejus, qui ſcrutatur renes & corda, fallit vel evadit judicium, ſiquidem Deus non irridetur.

22. Timeat ergo & iſte nemoris aurem. Lingua licet manuque ceſſantibus, auri tamen ubique præſenti A de quacumque ſilva latebroſæ duplicitatis & ſpinoſæ calliditatis tacentis & quieſcentis cor loquitur, cogitatio confitetur. Pravum eſt cor hominis & inperſcrutabile, ita ut nemo ſciat, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in eo eſt ; ſed nec ipſe plene. Nam cum Apoſtolus diceret, *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die* ; adjecit : *Sed nec ego meipſum judico.* Quare ? Quoniam non poſſum, ait, ratam vel ipſe de me proferre ſententiam. *Ego enim nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc juſtificatus ſum.* Non ex toto credo me vel ipſi conſcientiæ meæ, quippe cum ne ipſa quidem queat me comprehendere totum : nec poteſt judicare de toto, qui totum non audit. B *Qui autem judicat me, Dominus eſt.* Dominus, inquit, cujus utique ſcientiam non effugit, ſententiam non ſubterfugit, etiam quod propriam latet conſcientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipſe qui cogitat. Aderat auris Prophetæ abſentis ori furtive poſcentis * pecuniam : & ego quantumlibet in occulto lædere cogitans aut proximum nequiter, aut turpiter meipſum, non verear aurem nuſquam abſentem ? Tremenda prorſus auris & reverenda, cui non ceſſat quies, non tacet ſilentium. Denique ait : *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Sed quid eſt quod dicit, *ab oculis meis?* An & noſtra Deus non ſolum audit, ſed & videt arcana ? Quales oculi, C qui contemplantur cogitationes ! Non ſunt coloratæ, ut videantur, ſicut nec ſonant ut audiantur. Solent ſentiri à cogitante, non audiri ab auſcultante, non à contemplante videri. Merito tamen Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Cur enim neſciret, quas & audit, & videt ? His præcipue duobus ſenſibus, id eſt viſui & auditui, nemo fidem putat eſſe negandam. Hoc nos ſcire conſtanter adſtruimus, quod vidimus & audivimus. Merito itaque non erat opus Domino Jeſu, ut quis teſtimonium perhiberet de homine ; ipſe nimirum ſciebat quæ eſſent in homine. *Quid cogitatis*, ait, *mala in cordibus veſtris?* Reſpondebat non ſermonibus, ſed cogitationibus. D Audiebat non loquentes, videbat non apparentes.

Jerem. 17. 9.

1. Cor. 4. 3.

Non eſt tutum ſibi ipſi de ſe credere.

* Gieſi intelligit. 4. Reg. 5. 26.

Iſa. 1. 16.

Cogitationes hominum oculis divinis conſpicuæ.

Matth. 9. 4.

23. Contremiſco totus, tuam, Domine Jeſu, quantillo poſſum intuitu conſiderans majeſtatem, præſertim cum recordor, in quantis ipſius aliquando contemptor exſtiterim. Sed & nunc cum jam à facie majeſtatis fugi ad genua pietatis, quid amplius facio ? Vereor ne qui aliquando contrarius exſtiti majeſtati, & nunc ingratus pietati inveniar. Quid enim ſi ceſſant manus, & non ceſſat pectus ? Quid ſi os jam ſilet, & necdum cor quieſcit ? Si ſinguli illiciti motus animi mei ſingula ſunt quædam in te, Deus, convicia, utputa iracundiæ motus in manſuetudinem, invidiæ in caritatem, in frugalitatem luxuriæ, turpitu- E dinis in caſtitatem, & innumera his ſimilia, quæ de cœnoſo lacu prurientis pectoris mei etiam nunc inceſſanter ebulliunt, inundantes & impingentes in ſerenitatem præfulgentis vultus tui : quid magnum feci ſolus cohibere artus, actus corrigere ? Si has atque hujuſmodi, quas, foris licet vacans, intus actitare non ceſſo, iniquitates obſervaveris, ô Domine, quis ſuſtinebit ? An forte jam non ago illa, ſed patior ? Aguntur quidem in me, ſed à me non aguntur, ſi non conſentio. Sane ſi mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero, & immaculatus coram eo, non ſolum ſi caruero, ſed & ſi obſervavero me ab iniquitate mea. Mea dixerim, non quia facio, ſed quia ſuſtineo. Cor- F pus geſto mortis, carnemque peccati : ſufficit interim mihi, ſi non regnet peccatum in meo mortali corpore. Sic corpus crimini non reputatur, nec quod habitat in eo peccatum, ſi tamen non delector, ſi tamen non exhibeo membra mea, arma iniquitati. Pro hac orabit ad te, ô miſericors, quivis etiam ſanctus in tempore opportuno : ſupplex nimirum, quod malum ſentiat ; & nihilo minus ſanctus, dum non conſentiat : ſupplex pro periculo, ſanctus pro virtute : ſanctus plane atque beatus, qui condelectatus legi Dei ſecundum interiorem hominem, de malo, quod ita ineſſe cor-

Quàm juſta timendi cauſa ex illicitis animi motibus.

Senſus concupiſcentiæ non eſt peccatum, ſi non accedat conſenſus.

Pſal. 31. 6.

pori ſentit, ut niſi pariter cum corpore carere non poſſit, merito ſeſe conſolatur, & ait: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitas in me peccatum.*

Rom. 7. 17.

Alia plane ad cauſa ex occulto Dei judicio.
1. Cor. 4. 4.
2. Cor. 10. 18.

24. Verumtamen delicta quis intelligit? Nam ſi poſſem dicere cum Paulo, quod quidem longe eſt a me, *Nihil mihi conſcius ſum*; non tamen in hoc eſſe juſtificatum oporteret me gloriari: *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Si applauſerit mihi juſtitiam humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. Homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. Propter hoc Jeremias non ſatis popularibus ſententiis, velut quibuſdam humani diei radiis, movebatur, ſed fidenter loquebatur Deo: *Diem hominis non concupivi, tu ſcis.* Si meus mihi arriſerit dies, *neque meipſum*, inquit, *judico*: quia nec ipſe me ſatis intelligo. Solus merito conſtitutus eſt judex vivorum & mortuorum, qui finxit ſingillatim corda univerſorum, & intelligit omnia opera eorum. Solum attendo judicem, quem & ſolum juſtificatorem agnoſco. Pater dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt. Non uſurpo mihi vel ſuper me ſervus Filii poteſtatem, nec me annumero illis, de quibus ita conqueri ſolet: *Tulerunt homines à me judicium.* Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio: & ego mihi præſumam quod nec ipſe Pater ſibi aſſumit? Velim, nolim, ipſi me adſtare neceſſe eſt: ipſi horum quæ geſſerim in corpore, reddere rationem, cui nec verbum prætervolat, nec ſubterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, ſub tam intimo ſecretorum inſpectore, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Sola profecto, quæ non ſolet gloriari, non novit præſumere, contendere non conſuevit, gratiam inventura eſt in oculis pietatis humilitas. Deus namque ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Non contendit judicio, nec prætendit juſtitiam qui vere humilis eſt, ſed dicit: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine.* Recuſat judicium, & poſtulat miſericordiam, facilius ſibi veniam impetrare poſſe, quàm juſtitiam vindicare confidens. Novit naturam divinam naturaliter piam, quæ in noſtra * nequaquam humilitatem abhorreat. Non deſpicit illa majeſtas cor contritum & humiliatum in noſtro genere, quæ corpus ex eo humilitatis aſſumere non dedignata eſt. Neſcio quo pacto familiarius ſemper humilitati propinquare ſolet divinitas. Denique illa ſe induit, ut appareret hominibus. Subſtantiam, formam, habitumque geſtavit humilem, ipſius nobis commendans virtutis excellentiam, quam ſpeciali ſui voluerit honorare præſentia.

Jer. 17. 16.
1. Cor. 4. 3.
Non uſurpat aliquis ſibi judicium, quod ſoli Deo debetur.
Johan. 5. 27.
Johan. 5. 22.
Humilitas ſola gratiam inveniet coram Deo in judicio.
Jac. 4. 6.
Pſal. 142. 2.
* al. noſtram.

CAPUT VII.

Ambitionem eccleſiaſticorum, promotionem juniorum, & pluralitatem beneficiorum perſtringit.

Prælatis maxime neceſſaria.

25. VObis autem, dilectiſſime, vobis præcipue tanto magis arbitror hanc eſſe neceſſariam, quanto major noſcitur materia ſuppetere ſuperbiendi. Genus, ætas, ſcientia, cathedra, & (quod majus eſt) primatus [a] prærogativa, cui non eſſent inſolentiæ fomes, elationis occaſio? Quamquam eſſe poſſint & humilitatis. Meditantibus quidem honores blandiuntur, ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera. Gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia ſola attenditur gloria, & non pœna, purum eſſe clericum erubeſcitur in Eccleſia; ſeque viles æſtimant, & ingloriosos, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint ſublimati. Scholares pueri & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur [b] ad eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum presbyteris; lætiores interim quod virgas evaſerint, quàm quod meruerint principatum; nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magiſterium. Et hoc quidem in initio. Proceſſu vero temporis paulatim inſoleſcentes, docti ſunt in brevi vindicare [c] altaria, ſubditorum marſupia vacuare, magiſtris nimirum in hac diſciplina utentes idoneis, ambitione, & avaritia. Verum quantavis induſtria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris, quantalibet vigilantia rem poſſis ſervare tuam, quantocumque ſtudio regum tibi ac principum gratiam captare cures, dicimus tamen: *Væ terræ, cujus rex puer eſt, & cujus principes mane comedunt.*

Honores blandiuntur, alias ſunt formidabiles.
Pueros ob natales ad dignitates eccleſiaſticas promoveri indignum.
Tom. II. Opuſc. II.
Eccl. 10. 16.

26. Nec dicimus quamcumque ætatem Dei gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram: cum multos videamus juniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur, eſſe ſtudent & malitia. Malitia, inquam, ſed non ſenſu: quorum, juxta admonitionem Apoſtoli, nemo contemnat adoleſcentiam. Meliores bonæ indolis adoleſcentes inveteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus eſt: & eſt e regione ſenectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* ac ſi diceret: *Paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* Bonus & Jeremias, qui ante ſanctificatus quàm natus, cum ſe excuſaret de pueritia, nihilo minus conſtitutus eſt ſuper gentes & ſuper regna. Bonus quoque Daniel, cujus ſpiritum ſuſcitavit Deus, ut convinceret iniqua judicia, & ſanguinem innoxium liberaret. Denique *cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sicubi hujuſcemodi puer ſenex promotus invenitur, opus Dei eſt, his qui tales non ſunt, mirandum, non imitandum.

Boni tamen aliqui ſenibus præferendi.
1. Tim. 4. 12.
Sap. 4. 8.
1. Reg. 3. 9.
Jerem. 1. 6.
Dan. 13. 54.

27. Ceterum curritur in clero paſſim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad eccleſiaſticas curas, tamquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cum ad curas [d] pervenerit. Nec mirum de his qui necdum in ſemetipſis experti ſunt. Videntes quippe illos qui jam proprios humeros cupitæ ſarcinæ ſubmiſerint, non ſolum non gemere tamquam ſub onere, ſed inſuper appetere plus onerari; non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident; ſed favoribus amplius, quos illis invident, provocantur. O infinita ſemper ambitio, & inſatiabilis avaritia! Cum primos honorum gradus meruerint in Eccleſia, meruerint autem vel vitæ merito, vel pecuniæ, ſive etiam carnis & ſanguinis, quæ regnum Dei non poſſidebunt, prærogativa; non ideo corda quieſcunt, duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur. Verbi gratia, cum factus quis fuerit in quacumque eccleſia decanus, vel præpoſitus, archidiaconus, aut aliquid hujuſmodi; non contentus uno in una, plures ſibi, immo quotquot valet, conquirere honores ſatagit, tam in una, quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, ſi locus evenerit, libenter unius præferet Epiſcopi dignitatem. Sed numquid ſic ſatiabitur? Factus Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat. Quo forte adepto, rurſum neſcio quid altius ſomnians, laborioſis itineribus & ſumptuoſis familiaritatibus Romanum ſtatuit frequentare palatium, quæſtuoſas ſibi quaſdam exinde comparans amicitias. Si lucri ſpiritualis gratia hæc faciunt, laudandus eſt ze-

Ambitio & avaritia in Clero graviter perſtringitur.
V. Serm. 33. in Cant. n. 13. & ſerm. 7.
Item pluralitas beneficiorum.
V. Notas ad epiſt. 78.

a Primatum Metropolitani Senonenſis repetunt à Johanne VIII. qui Anſegiſo archiepiſcopo vices ſuas in Gallia & Germania demandavit. Exſtat liber hac de re ſingularis Johannis Baptiſtæ Drioti canonici Senonenſis. Ad epiſtolam Ludovici VI. ad Calliſtum II. in tomo 3. Spicilegii pag. 147.

b Confer epiſtolam 271. ad Theobaldum Campaniæ Comitem, quem filio ſuo VVillelmo impuberi dignitates eccleſiaſticas procurare volentem graviter & amice reprimit Bernardus.

c *Vendicare* ſcribebant illius ævi librarii, pro quo nonnulli codices habent, *venditare*. Sed præferenda lectio prior, ut verbum reſpondeat ambitioni, de qua mox: avaritiæ aliud membrum de evacuandis ſubditorum marſupiis.

d Hinc vulgatum Curarum nomen ad ſignificanda beneficia eorum (quos vocant) Curatorum.

Tom. II Opusc. II.

lus ; ſed præſumptio corrigenda.

Aliud ambiendi genus, alienæ eccleſiæ invaſio.

28. Nonnulli cum iſta non poſſunt, vertunt ſe ad aliud ambiendi genus, in quo nihilo minus aperiunt eam, quam habent, dominandi libidinem. Nam cum præſideant urbibus valde populoſis, & totas (ut ita dicam) patrias propriæ diœceſis ambitu circumcludant; occaſione inventa ex quocumque veteri privilegio, ſatagunt ut vicinas ſibi ſubjiciant civitates: quatenus duæ, quibus duo vix Præſules ſufficiebant, ſub uno [a] redigantur Antiſtite. Rogo, quæ hæc tam odioſa præſumptio, quis hic tantus ardor dominandi ſuper terram, quæ principandi tam effrenis cupiditas? Certe cum primum tractus es ad cathedram, flebas, refugiebas, vim querebaris, multum ad te & omnino ſupra te eſſe dicens; miſerum clamitans & indignum, qui non eſſes idoneus tam ſancto miniſterio, tantis non ſufficeres curis. Quid igitur nunc verecunda depulſa formidine, ſponte ambis ad ampliora; immo irreverenti audacia, propriis non contentus, invadis aliena? Cur hoc? Forte ut plures populos ſalves? Sed in alienam meſſem, tuam mittere falcem, injurioſum eſt. Ut tuæ præſtes eccleſiæ? Sed eccleſiarum Sponſo non placet tale unius incrementum, quod ſit detrimentum alterius. Crudelis ambitio, & incredibilis, ſi fidem oculi non adſtruerent! Vix tenent manus, quin illud ad litteram impleant quod legitur in Propheta: *Secuerunt pragnantes Galaad ad dilatandum terminos ſuos.* [Amos 1. 13.]

[Iſa. 5. 8.] 29. Ubi eſt illa terrifica comminatio, *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis?* Numquid in his dumtaxat exiguis *Væ* illud metuendum eſt, non autem cum urbes urbibus, aut provinciæ provinciis continuantur? Immo etiam reſpondeant, ſi volunt, ſe imitari Dominum Chriſtum, facientes & ipſi utraque unum, adducentes & ipſi ex diverſis paſcuis greges, ut fiat unus paſtor, & unum ovile. Hujus rei gratia non pigritantur crebro terere limina Apoſtolorum, inventuri & ibi (quod magis dolendum eſt) qui ſuæ faveant improbæ voluntati. non quod valde Romani curent, quo fine res terminentur: ſed quia valde diligunt munera, ſequuntur retributiones. Nude nuda loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent! utinam ſoli videremus & audiremus! utinam nec * [* al. vel.] loquentibus crederetur! utinam nobis reliquerint moderni Noë, unde à nobis poſſent aliquatenus operiri! Nunc vero cernente orbe mundi ſabulam, ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt, & ego ſanguine circumquaque ebulliente putaverim eſſe tegendum? Quicquid appoſuero, cruentabitur; & major erit confuſio voluiſſe celare, cum celari nequiverit.

CAPUT VIII.

Humilitatem & modeſtiam Epiſcopo commendat.

Humilitatem Epiſcopo,

30. BOna humilitas, quæ & in præſentiarum ab hujuſmodi mordacibus curis mentem facit eſſe quietam, & à minacibus pœnis in futuro ſecuram reddit conſcientiam. Hæc veſtros, Pater, animos ab horum omnium peſtifera æmulatione compeſcat. Audite potius Prophetam, taliter à talibus dehortantem: *Noli*, inquit, *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* [Pſal. 36. 1.] Æmulari magis oportet Apoſtolum non gloriantem in immenſum, nec ſe ultra ſe extendentem: nec audentem ſe (ut ipſe fatetur) comparare quibuſdam qui ſeipſos commendant, ſed ſe ſibi comparantem, & metientem ſecundum menſuram regulæ, quam menſus eſt ei Deus. [2. Cor. 10. 12.] Audiendo etiam ex ore ejus, *Noli fraudare invicem*: propriis placebit eſſe contentum. [1. Cor. 7. 5.] Qui & provocans ad humilitatem, ſuum illud Archiepiſcopo non cunctabitur ſalubriter intimare: *Noli altum ſapere, ſed time.* [Rom. 11. 20.] In alto poſito non altum ſapere difficile eſt, & omnino inuſitatum: ſed quanto inuſitatius, tanto glorioſius. Timor de adepta jam altitudine tædere magis quàm placere faciet altiora. Non vos ergo felicem, quia præeſtis: ſed ſi non prodeſtis, infelicem putate.

Subjectionem etiam Archiepiſcopo commendat.

31. Ut autem ſecure præeſſe poſſitis; ſubeſſe & vos, ſi cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe ſubjectionis, prælationis reddit indignum. Sapientis eſt conſilium: *Quanto major es, tanto humilia te in omnibus.* [Eccli. 3. 20.] Sapientiæ vero præceptum: *Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut minor.* [Luc. 9. 48.] Quod ſi expedit etiam minoribus eſſe ſubjectum, majorum jugum quomodo licebit contemnere? Videant in vobis potius ſubditi quod vobis exhibeant. Intelligitis quæ dico: cui honorem, honorem. *Omnis anima*, inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* [Rom. 13. 1.] Si omnis, & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate? Si quis tentat excipere conatur decipere. Nolite illorum acquieſcere conſiliis, qui cum ſint Chriſtiani, Chriſti tamen vel ſequi facta, vel obſequi dictis opprobrio ducunt. [*Vana in contrarium conſilia.*] Ipſi ſunt qui vobis dicere ſolent: Servate veſtræ ſedis honorem. Decebat quidem ex vobis, vobis commiſſam Eccleſiam creſcere: nunc vero ſaltem in illa qua ſuſcepiſtis maneat dignitate. Et vos enim veſtro prædeceſſore impotentior? Si non creſcit per vos, non decreſcat per vos. Hæc iſti. Chriſtus aliter & juſſit, & geſſit. *Reddite*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* [Marc. 12. 17.] Quod ore locutus eſt, mox opere implere curavit. Conditor Cæſaris, Cæſari non cunctatus eſt reddere cenſum: exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis. Quando vero Dei ſacerdotibus debitam negaret reverentiam, qui hanc ſæcularibus quoque poteſtatibus exhibere curavit? Porro vos, ſi Cæſaris ſucceſſori, id eſt Regi, ſedulus in ſuis curiis, conſiliis, negotiis, exercitibuſque adeſtis; indignum erit vobis cuicumque Chriſti Vicario [b] taliter exhiberi, qualiter ab antiquo inter eccleſias ordinatum eſt? *Sed quæ ſunt*, inquit Apoſtolus, *à Deo, ordinata ſunt.* [*Papæ reverentia ab Archiepiſcopo exhibenda.*] Viderint ergo hujus ignominiæ diſſuaſores, quale ſit Dei ordinationi reſiſtere. [Rom. 13. 2.] Valde ignominioſum ſervo *, ſi ſit ſicut dominus ejus: aut diſcipulo, ſi ſit ſicut magiſter ejus. [* Ironice.] Plurimum ſe vobis deferre putant, cum vos Chriſto præferre conantur, ipſo reclamante ac dicente: *Non eſt ſervus major domino ſuo*, neque Apoſtolus eo qui miſit eum. [Johan. 13. 16.] Quod non dedignatus eſt Magiſter & Dominus, taliſque & magiſter & dominus; indignum ſibi judicabit ſervus bonus, devotuſque diſcipulus?

32. Quam pulcre locutus eſt beatus ille Centurio, cujus fidei nulla par inventa eſt in Iſrael! *Et ego*, inquit, *homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites.* [Luc. 7. 8.] Non jactabat poteſtatem, quam nec ſolam protulit, nec priorem. Dicturus quippe, *habens ſub me milites*, præmiſit: *Homo ſum ſub poteſtate.* [*Humilitas Centurionis evangelici commendatur.*] Prius ſe agnovit hominem, quàm potentem. Agnovit, inquam, ſe hominem homo gentilis, ut in ſe jam impleri oſtenderet, quod longe ante dixerat David: *Sciant gentes, quoniam homines ſunt.* [Pſal. 9. 21.] *Homo*, inquit, *ſum*, & *ſub poteſtate.* Jam quicquid ſubinferas, ſuſpectam non habemus jactantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis inſigne præceſſerit. Agnoſcis infirmitatem *, confiteris ſubjectionem: jam & te ſub te habere milites profitere ſecurus. [* al. humilitatem.] Revera quia non confuſus eſt de ſubjectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus qui haberet & ſub ſe milites. Ex abundantia cordis os loquebatur: & juxta quod intus ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter compoſuit. Dedit prius honorem præpoſitis, ut jam à ſubditis juſte reciperet: ſciens ſe à ſuperioribus accipere, quod impenderet inferioribus, & quia melius pro-

a Id forte intelligendum de Noviomenſi epiſcopo, qui Tornacenſem eccleſiam, jam dudum ſuæ ſedi unitam, vix tandem paſſus eſt propr[i]o gaudere Epiſcopo, ſcilicet Anſelmo ex abbate S. Vincentii Laudunenſis, quem Eugenius III. Bernardi rogatu Tornacenſibus conceſſit. Confer lib. 3. de Conſider. num. 14. & 16.

b Id eſt Papæ ſeu Pontifici Romano, quem Bernardus inter primos *Vicarium Chriſti* proprio nomine appellavit hic & in epiſtola 251 num. 1. Confer Notationem ad epiſtol. 253. Quamquam etiam Epiſcopum *Chriſti Vicarium* veteri more appellat infra, num. 36. Papam vero ſingulariter lib 2. de Conſid. num. 16. & lib. 4. num. 23.

prim

priæ ſubjectionis diſ[illegible]ret experimento ſua ipſe moderari imperia. Forte non ignorabat, quod ſubjecto ſibi homini Deus omnia ſubjecerit ſub pedibus ejus; offendenti ſe infenſa reddiderit; & is, quem humilem conſtituerat ſuper opera manuum ſuarum, ſuperbiæ merito comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis. Noverat & fortaſſis, quod humanus ſpiritus ſubditus conditori ſubjectam ſibi poſſederit carnem, rebellis rebellem invenerit; factuſque tranſgreſſor legis ſuperioris, ſentire cœperit aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem ſe in lege peccati.

CAPUT IX.

Abbates exemtionibus præpoſtere ſtudentes arguuntur.

33. Miror quoſdam in noſtro Ordine monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili (quod pejus eſt) habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere, ut cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditis prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis. Spoliant eccleſias, ut emancipentur [a]; redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus. Ille ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam: iſti ut careant, totum fere ſuum ſuorumque victum expendunt. Quid hoc eſt præſumptionis, ô mo- C nachi? Neque enim quia prælati monachis, ideo non monachi. Nempe monachum facit profeſſio, prælatum neceſſitas. Ut autem non præjudicet neceſſitas profeſſioni; accedat, non ſuccedat prælatio monachatui. Alioquin quomodo illud implebitur? *Principem te conſtituerunt? eſto inter illos tamquam unus ex illis.* Quomodo tamquam unus ex illis, manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos? Ut te putemus tamquam unum ex illis, videamus tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam: videamus tam libenter præpoſitis obtemperare ſubjectum, quam imperare ſubjectis. Quod ſi ſemper vis obedientes habere, & D numquam eſſe; probas te non eſſe tamquam unum ex illis, dum unus eſſe renuis ex obedientibus: à quibus dum te ſuperbiendo ſegregas, quorum aggregeris conſortio patenter advertimus: & ſi tu vel impudenter contemnis, vel imprudenter diſſimulas, reputari profecto inter illos te noveris, de quibus ſcriptum eſt: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Quorum ergo tibi indignius conſortium judicas, delicatorum magiſtrorum, quos Veritas increpat, an obedientium monachorum, quos amicos ſuos commemorat? Ait ſiquidem: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Vides igitur quale eſt jubere E quod ipſe non feceris; aut nolle facere, quod docueris.

34. Deinde ut taceam illud de Regula, ubi à ſancto Benedicto tibi præcipitur *, ut quæ doces diſcipulis eſſe contraria, in tuis factis indices non agenda; ut item prætermittam, quod aperte diffinit tertium humilitatis eſſe gradum *, ut quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat majori; in regula Veritatis attende quod legitur: *Qui ſolverit*, inquit, *unum de his minimis meis mandatis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Proinde tu docens & renuens obedire, non minimum, ſed maximum Chriſti mandatum & docere, & ſolvere convinceris. Ita- F que doctor & ſolutor mandati, minimus tu vocandus es in regno cælorum. Si ergo tui putas injuriam prioratus, minorem ſummis videri Sacerdotibus: non magis indignum æſtimandum eſt, minimum vocari in A regno cælorum? Si multum ſuperbus es, plus minimus, quam minor vocari contundere. Minor quippe vilitas eſt minorem videri, quàm minimum: longe autem præſtantius, ſolis ſubdi Epiſcopis, quàm univerſitati.

[Margin notes: Luc. 6. 40. (?) · Eccli. 32. 1. · Matth. 23. 4. · Joann. 15. 14. · * Reg. S. Ben. cap. 4. Exemplo docenda humilitas & obedientia. · * Ibid. cap. 7. · Matth. 5. 19.]

35. Sed non propter me, inquit, facio, ſed quæro eccleſiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, ſervitute ſervilior! Patienter ab hujuſmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus timeo dentes lupi, quam virgam paſtoris. Certus ſum enim ego monachus, & monachorum qualiſcumque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod ſatanæ B mox tyrannidi meipſum ſubjicio. Advertens nimirum cruenta illa beſtia, quæ circuit quærens quem devoret, elongatam cuſtodiam; heu! ſtatim inſilit in præſumptorem. Merito enim non cunctatur præſidere ſuperbo, qui ſe jure regem gloriatur ſuper omnes filios ſuperbiæ. Quis dabit mihi centum in mei cuſtodiam deputari paſtores? Quanto plures ſentio mei curam gerere, tanto ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania! Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, & unum ſuper propriam gravor habere cuſtodem! Et quidem ſubjecti me de reddenda pro ſe ratione ſollicitant: qui autem præſunt mihi, *ipſi potius*, Paulo dicente, *pervigilant, tamquam rationem pro me reddituri.* Illi etſi honorant, onerant: hi non tam premunt, quàm protegunt. Scio me legiſſe: *Judicium durissimum his qui præſunt, exiguo autem conceditur miſericordia.* Quid igitur vos, ô monachi, Sacerdotum gravat auctoritas? Metuitis infeſtationem? Sed ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Sæcularitatem contemnitis? Sed ſæcularior nemo Pilato, cui Dominus adſtitit judicandus. *Non haberes*, inquit, *in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper.* Jam tunc per ſe loquebatur & in ſe experiebatur quod poſt per Apoſtolos clamavit in eccleſiis: *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* &, *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

[Margin notes: Mala libertas, obedientiæ jugum excutiendo. · Humilitas B. Bernardi. · Hebr. 13. 17. · Sap. 6. 6. · Johann. 19. 11. · Rom. 13. 1.]

36. Ite nunc ergo, reſiſtite Chriſti Vicario, cum nec ſuo adverſario Chriſtus reſtiterit: aut dicite, ſi audetis, ſui Præſulis Deum ordinationem neſcire, cum Romani Præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur fuiſſe cælitus ordinatam. Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio apoſtolicis adeptis privilegiis, per ipſa ſibi vindicant inſignia pontificalia [b], utentes & ipſi more Pontificum, mitra, anulo, atque ſandaliis. Sane ſi attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus. Profecto eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt; meritoque nequeunt eſſe ſubjecti, quibus jam ipſo ſe comparant deſiderio. Quid ſi & nomen eis conferre privilegiorum poſſet auctoritas? quanto putas auro redimerent, ut appellarentur Pontifices? Quo iſta, ô monachi? Ubi timor mentis? ubi rubor frontis? Quis umquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus Magiſter * veſter ediſſerit, propriiſque diſtinguit deſcriptionibus: in quo, quæſo, illorum docetur aut continetur, ut hoc faſtu delectari monachus, has quærere debeat dignitates?

[Margin notes: Ambitio in monachis redarguitur. · Abbatum inſignia pontificalia. b · * Bened. Reg. cap. 7.]

37. Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc ſunt monachorum inſignia, hæc vitam ſolent nobilitare monaſticam. Veſtri autem oculi omne ſublime vident, veſtri pedes omne forum circumeunt, veſtræ linguæ in omnibus audiuntur conciliis, veſtræ manus omne alienum diripiunt patrimonium. Tamen ſi ita oportet, ut emancipati à ſubjectione Pontificum, pari cum ſucceſſoribus Apoſtolorum gloria, pari cathe-

[Margin note: Monachorum vera inſignia.]

a Alibi non improbat Bernardus hujuſmodi exemtiones monaſteriorum, quæ ſpecialius ab ipſa ſui fundatione ad Sedem apoſtolicam pertinuerunt *ex voluntate fundatorum. Sed aliud eſt*, inquit, *quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis*, lib. 3. de Conſid. num. 18.

b Ejuſmodi ornamenta Abbatibus primum concedi cœpta ſæculo x. Paulus Langius noſter in Chronico ad annum 1398 itidem Abbates arguit, qui hæc inſignia captabant. Lucius III. ea Lantelmo Caſæ-Dei abbati *ex obedientia* impoſuit. Sacerdoti, Diacono, & Subdiacono, uſus mitræ, anuli, & ſandaliorum conceſſus eſt à Leone IX. in eccleſia Veſontionenſi ad quædam feſta, ut legitur in probationibus hiſtoriæ Tornutienſis pag. 318 & 362.

Tom. II. Opusc. II. dra, iiſdemque ſollemnium indumentorum inſignibus attollamini: cur non & ſacros Ordines [a] celebratis, & benedictiones datis in populis? Quàm multa moveor dicere adverſus impudentiſſimam præſumptionem? ſed frenat impetum, quod auribus occupatis ſcribere me recolens, longiori lectione vereor fieri oneroſus Archiepiſcopo: & quia res tam manifeſta eſt, ut A multitudo reprehendentium videatur impudentiam obduraſſe. Quod ſi & hæc ipſa cernuntur gratas excedere compendii metas, vobis, ô domine, donate, qui me & in hoc propriam prodere coëgiſtis imperitiam, dum morem modumque ſollemnem in ſcribendo ſervare neſcierim.

a Et id utrumque poſtea in uſum venit quoad benedictiones & tonſurationem minorum Ordinum. Immo etiam ſubdiaconatum aliquando conferunt quinque primi Abbates Ordinis Ciſtercienſis.

ADMONITIO IN SEQUENS OPUSCULUM III.

Varia eſt ſequentis Opuſculi inſcriptio. In prima ejus editione, ſcilicet Spirenſi anni M D I. *inſcribitur*, De converſione ad Scholares libellus, *abſque diviſione capitum. In editis anni* M D XX. De converſione ad Clericos ſermo. *quem genuinum titulum exiſtimamus. Sermonem vocat Bernardus ipſe num.* 31. Fatigavimus vos prolixitate Sermonis, &c. *Quidam codices præferunt*, ad Clericos Pariſienſes. *Exordium Ciſtercienſe favet in lib.* VII. *de vita Bernardi cap.* XIII. Quadam præterea vice, cum vir Domini Bernardus cauſa exigente Pariſius adeſſet, rogatu clericorum ingreſſus eſt de more ſcholas eorum: quibus oſtendens formam veræ philoſophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, &c. *Gaufridus factum narrat in lib.* V. *de eadem vita num.* 10. Patrem ſanctum, fines Pariſiorum aliquando peragrantem, ut ad ipſam diverteret civitatem, epiſcopus Stephanus & ceteri omnes qui pariter aderant, obnixe rogantes non poterant obtinere. Magno ſiquidem zelo, niſi cauſa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque veſpere iter ſuum alias ordinaſſet, mane, ubi primum locutus eſt fratribus, dicere jubet Epiſcopo, quia Pariſius ibimus, ut rogaſti. Conveniente igitur clero admodum copioſo, ſicut ſemper ab eo ſolebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti ſunt, & converſi ab inanibus ſtudiis ad veræ ſapientiæ cultum, abrenuntiantes ſæculo, & Dei famulo inhærentes, &c. *Gravis & patheticus eſt hic ſermo contra clericos, qui Eccleſiæ dignitates ambiunt, & temere ad ſacros Ordines accedunt. Capitulorum diſtinctionem, qualis in editis ab anno* M D XX. *adhibita eſt, retinuimus.*

Opusc. III.

S. BERNARDI ABBATIS

SERMO SEU LIBER

DE CONVERSIONE, AD CLERICOS.

CAPUT I.

Quod nemo converti ad Dominum, niſi Dei voluntate præventus & ejus voce interius clamante, poſſit.

1. AD audiendum, ut credimus, verbum Dei conveniſtis. Neque enim cauſa nobis alia veſtræ hujus tam avidæ concurſionis occurrit. Approbamus utique deſiderium
Luc. 11. 28. hoc, & laudabili ſtudio congaudemus. Beati enim
Pſal. 102. 18. qui audiunt verbum Dei, ſed ſi cuſtodiunt illud. Beati qui memores ſunt mandatorum ejus, ſed ut faciant ea. Nimirum verba vitæ æternæ habet, & venit hora (utinam & nunc ſit) quando mortui audient vocem
Johan. 5. 25. ejus; & qui audierint, vivent. ſiquidem vita in voluntate ejus. Et ſi vultis ſcire, voluntas ejus converſio noſtra. Denique ipſum audite. *Numquid voluntatis mea eſt*
Ezech. 18. 23. *mors impii, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat?* Ex quibus verbis evidenter agnoſcimus, quoniam
Vita in converſione. vera nobis vita nonniſi in converſione eſt, nec aliter ad eam patet ingreſſus, dicente item Domino: *Niſi con-*
Matth. 18. 3. *verſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Merito ſane parvuli ſoli intrant. nam puer parvulus minat eos, qui in hoc ipſum natus & datus eſt nobis. Quæro igitur vocem quam audiant mortui, & cum audierint vivant: forte enim & mortuis evangelizare neceſſe eſt. Et occurrit interim verbum breve, ſed plenum, quod os Domini locutum eſt, ut Propheta teſtatur: *Dixiſti*, ait, loquens ſine dubio ad Dominum Deum ſuum, *Convertimini filii ho-*
Pſal. 89. 3. *minum.* Nec immerito ſane à filiis hominum videtur B exigenda converſio, peccatoribus utique neceſſaria. Nam ſupernis ſpiritibus ea magis quæ rectos decet indicta laudatio eſt, eodem Propheta pſallente: *Lauda Deum tuum Sion.* Pſal. 147. 1.

2. Ceterum quod ait, *dixiſti*, meo quidem judicio non negligenter prætereundum eſt, nec ſimpliciter audiendum. Quis enim humanis comparare audeat dictis, quod dixiſſe dicitur Deus? Vivus profecto eſt ſermo Dei & efficax, & vox ejus in magnificentia & virtute. Denique ipſe dixit, & facta ſunt. Dixit, Fiat lux, & facta eſt lux. Dixit, Convertimini filii hominum, & converſi ſunt. Ita plane converſio animarum opus divinæ vocis eſt, non humanæ. Simon Johannis, piſcator hominum in hoc ipſum vocatus & conſtitutus à Domino, incaſſum tamen & ipſe laborans tota nocte nil capiet, donec in verbo Domini rete jactans, concludere poſſit multitudinem copioſam. Utinam jactemus & nos hodie in hoc verbo rete verbi, & experiamur quod ſcriptum eſt: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Si mendacium loquimur, id plane de proprio eſt. Sed & tunc forſitan noſtra judicabitur vox eſſe, & non Domini, ſi quæramus quæ noſtra ſunt, non quæ Jeſu-Chriſti. Ceterum etſi loquimur juſtitiam Dei, & gloriam Dei quærimus, effectum tamen ab eo ſolo ſperare, ab eo poſtulare neceſſe eſt, ut voci ſuæ vocem virtutis accommodet. Ad hanc ergo interiorem vocem aures cordis erigi admonemus, ut loquentem Deum intus audire, quàm foris hominem ſtudeatis. Illa enim vox magnificentiæ & virtutis, deſerta concutiens, ſecreta diſcutiens, torporem excutiens animarum.

Converſio opus Dei.
Heb. 4. 12. Pſal. 28. 4. Pſal. 148. 5. Gen. 1. 3.
Pſal. 67. 34.

CAPUT II.

Quod ipſa vox Domini omnibus ſe offerat, & animam ſibiipſi nolentem repræſentet.

3. NEc ſane laborandum eſt, ut ad vocis hujus perveniatur auditum: labor eſt potius aures obturare ne audias. Nimirum vox ipſa ſe offert, ipſa ſe ingerit, nec pulſare interim ceſſat ad oſtia ſingulorum. Denique *quadraginta annis*, inquit, *proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde*. Adhuc nobis proximus eſt, adhuc loquitur, & non eſt forte qui audiat. Adhuc dicit, *hi errant corde*; adhuc Sapientia clamitat in plateis: Redite prævaricatores ad cor. Hoc nempe initium loquendi Domino: & hoc verbum ad omnes qui convertuntur ad cor, præceſſiſſe videtur, & non modo revocans eos, ſed reducens & ſtatuens contra faciem ſuam. Eſt enim non tantum vox virtutis, ſed & radius lucis, annuntians pariter hominibus peccata eorum, & illuminans abſcondita tenebrarum. Nec vero ulla internæ hujus vocis ac lucis differentia eſt, cum unus idemque ſit Dei Filius & Verbum Patris, & ſplendor gloriæ: ſed & animæ quoque ſubſtantia, in ſuo quidem genere etiam ipſa ſpiritualis & ſimplex, ſine ulla diſtinctione ſenſuum, ſed tota, ſi tamen tota dicenda eſt, & videns pariter & audiens videatur. Quid enim illo agitur ſive radio, ſive verbo, niſi ut noverit ſemetipſam? Aperitur ſiquidem conſcientiæ liber, revolvitur miſera vitæ ſeries, triſtis quædam hiſtoria replicatur, illuminatur ratio, & evoluta memoria velut quibuſdam ejus oculis exhibetur. Utraque vero non tam ipſius eſt animæ, quam anima ipſa: ut eadem ſit & inſpiciens, & inſpecta, contra ſuam ſtatuta faciem, & à violentis quibuſdam apparitoribus immiſſarum utique cogitationum coacta, proprio interim judicanda aſſiſtere tribunali. Quis ſane judicium hoc ſine tribulatione ſuſtineat? *Ad meipſum anima mea turbata eſt*, ait Propheta Domini: & tu contra faciem tuam ſine argutione, ſine turbatione, ſine confuſione, ſtatui non poſſe miraris?

Pſal. 94. 10. — Converſionis modus. — Pſal. 41. 7.

CAPUT III.

Quod per vocem Dei, anima ratio, quaſi in libro, omnia mala deprehendere, reprehendere, dijudicare & diſcernere valeat.

4. NEc à me ſperes audire quid in memoria tua ratio deprehendat, quid reprehendat, quid dijudicet, quid decernat. Applica intus auditum, reflecte oculos cordis; & proprio diſces experimento quid agatur. Nemo enim ſcit quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Si ſuperbia, ſi invidia, ſi avaritia, ſi ambitio, aut ſimilis aliqua peſtis abſcondita eſt, vix effugere poterit hoc examen. Si fornicatio, ſi rapina, ſi crudelitas, ſi fraus ulla, aut quælibet culpa admiſſa eſt, internum hunc judicem non latebit reus ipſe, nec inficiabitur coram eo. Tranſiit enim velociter totus ille pruritus delectationis iniquæ, & voluptatis illecebra tota brevi finita eſt; ſed amara quædam impreſſit ſigna memoriæ, ſed veſtigia fœda reliquit. In illud ſiquidem repoſitorium, velut in ſentinam aliquam, tota decurrit abominatio, & immunditia tota defluxit. Volumen grande, cui univerſa inſcripta ſunt, ſtilo utique veritatis. Amarum jam venter tolerat, etſi fauces miſeras brevi tranſitu dulcedine quadam frivola viſum eſt oblectaſſe. Ventrem meum doleo, miſer, ventrem meum doleo. Quidni doleam ventrem memoriæ, ubi tanta congeſta eſt putredo? Quis noſtrum, fratres, exteriorem hanc veſtem, qua tegitur, ſi repente obſcœnis undique ſputis illitam, & fœdiſſimis quibuſque ſordibus inquinatam conſideret, non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abjiciat? Itaque qui non veſtem, ſed ſemetipſum intus ſub veſte talem repererit, eo amplius doleat, & animo conſternetur oportet, quo propius tolerat quod exhorret. Neque enim ut tunicam abjicit ſuam, ſic abjicere contaminata anima poterit & ſeipſam. Denique quis in nobis tantæ patientiæ eſt & virtutis, ut ſi forte (quemadmodum de Maria ſorore Moyſi legitur) carnem ſuam ſubitanea * quadam lepra male candentem viderit, æquo animo ſtare poſſit, & gratias agere Creatori? Quid vero eſt caro iſta, niſi corruptibilis quædam tunica, qua veſtimur? aut quid lepra hæc corporea electis omnibus æſtimanda, niſi paternæ virga correptionis, & purgatio cordis? Ibi, ibi tribulatio vehemens, & juſtiſſima cauſa doloris eſt, cum excitatus à ſomno miſeræ voluptatis, interiorem cœperit quis deprehendere lepram, quam ſibi ipſe multo ſtudio & labore quæſivit. Licet enim nemo oderit carnem ſuam, ſed multo minus odiſſe poterit anima ſemetipſam.

1 Cor. 2. 11. — Peccati voluptas brevis, memoria æterna. — Conſcientia mala miſeria. — Simile. — Num. 12. * al. ſubitanea.

CAPUT IV.

Quod diligens iniquitatem, odit animam, & carnem ſuam, & de pœnitentia infructuoſa poſt mortem.

5. AT forte aliquem moveat illud de pſalmo: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Ego autem dico, odit & carnem. An non odit, cui gehennæ cumulos mercatur in dies, & cui ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizat iram in die iræ? Ceterum hoc odium tam carnis, quàm animæ, non in affectu, ſed in effectu potius invenitur. Sic nimirum odit & phreneticus carnem ſuam, cum ſibiipſi manus inferre laborat, rationis deliberatione ſopita. An vero gravior ulla phreneſis judicatur, quàm impœnitentia cordis, & peccandi obſtinata voluntas? Siquidem manus nefarias injicit ſibiipſi, nec carnem, ſed mentem lacerat & corrodit. Si vidiſti hominem ſcalpere manus, & uſque ad ſanguinem confricare, evidentem habes in eo ſimilitudinem animæ peccantis expreſſam. Cedit ſiquidem voluptas illa dolori, & ſuccedit prurituі cruciatus. Neque id ignorabat, ſed diſſimulabat ille dum ſcalperet. Sic laceramus, ſic exulceramus propriis manibus animas infelices: niſi quod tanto gravius, quanto excellentior eſt ſpiritualis creatura; & cui difficilius medeatur. Neque id quidem inimicitiarum ſtudio gerimus, ſed ſtupore quodam inſenſibilitatis internæ. Effuſus ſiquidem animus damna interiora non ſentit: quia nec intus eſt, ſed in ventre forſitan, aut ſub ventre. Denique & animus quorumdam in patinis, quorumdam in loculis invenitur. *Ubi eſt theſaurus tuus*, inquit, *ibi eſt & cor tuum*. Quid vero mirum, ſi propriam minime ſentiat anima læſionem, quæ ſui ipſius oblita, & penitus abſens ſibi, in longinquam profecta eſt regionem? Erit autem cum in ſemetipſam reverſa cognoſcet, quàm crudeliter miſeræ venationis obtentu eviſceraverit ſemetipſam. Neque enim id ſentire poterat, dum vilem muſcarum prædam deſiderio captans inſatiabili, aranearum inſtar ex viſceribus propriis intexere retia videretur.

Pſal. 10. 5. — Peccator etiam carnem ſuam odit. — Simile. — Cur plerique damna interiora non ſentiant.

6. Erit autem hic reditus ſine dubio vel poſt mortem: cum univerſa, quibus ad vagandum foras, & inutiliter ſeſe occupandum, in eam quæ præterit hujus mundi figuram egredi conſueverat, oſtia corporis clauſa erunt, ut neceſſario maneat in ſeipſa, cui nullus jam pateat exitus à ſeipſa. Verum is quidem pernicioſiſſimus erit reditus, & miſeria ſempiterna, quando jam pœnitentia haberi poterit, agi non poterit. Ubi enim deerit corpus, actus non erit. Sane ubi nulla fuerit actio, nec ſatisfactio quidem ulla poterit inveniri. Quocirca pœnitentiam quidem habere, dolere eſt: nam pœnitentiam agere, remedium doloris eſt. Neque enim carenti manibus erit ultra levare cor in cælum cum manibus; ſed quiſquis ante obitum carnis non redierit ad ſeipſum, in ſeipſo maneat neceſſe eſt in æternum. Sed in quali ſeipſo? Qualem ſeſe fecerit in hac vita, qualem invenerit exiens ab hac vita: niſi quod fortaſſe erit nonnumquam deterior, nam melior numquam erit. Habet enim hoc ipſum, quod nunc

Secus poſt mortem. — Matth. 6. — Aliud pœnitentiam habere, aliud agere.

ponit, quandoque recipere corpus, non tamen ad pœnitentiam, ſed ad pœnam: ubi nimirum peccati ipſius & carnis quodammodo ſimilis videbitur eſſe conditio: ut quemadmodum culpa ſemper puniri poterit, nec umquam poterit expiari; ſic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipſum exinaniri valeat in tormentis. Merito quidem ultio ſempiterna deſæviet, quod numquam poſſit culpa deleri; nec ſubſtantia carnis deficiet, ne ſimul cogatur etiam afflictio carnis terminari. Hæc, fratres mei, qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.

In damnatis culpa inexpiabilis, & pœna interminabilis.

CAPUT V.

Quod vermis conſcientiæ in præſenti ſentiri ac ſuffocari debet, non in immortalitatem foveri ac nutriri.

7. Ut ergo redeamus ad vocem unde proceſſimus: expedit nobis profecto redire ad cor, dum illic iter, quo oſtendat nobis ſalutare ſuum, qui tanto ſtudio pietatis illuc revocat prævaricatores. Nec ſentire interim pigeat morſus vermis interni; aut periculoſa quædam animi teneritudo*, & perniciosa mollities perſuadere queat, ut præſentem velimus diſſimulare moleſtiam. Optimum est tunc ſentiri vermem, cum poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc ut moriatur, & paulatim deſinat mordere moriendo. Rodat interim putredinem, ut rodendo conſumat, & ipſe quoque pariter conſumatur, ne foveri incipiat in immortalitatem. *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, & ignis non exſtinguetur.* A facie illorum morſium quis ſuſtinebit? Multiplex enim nunc conſolatio arguentis conſcientiæ relevat cruciatum. Benignus eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra quàm poſſumus, nec vermem hunc ſupra modum patitur malignari. Maximeque inter initia converſionis oleo miſericordiæ linit ulcera: ut nec morbi quantitas, nec difficultas curationis ultra quàm expedit innoteſcat; magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ poſtmodum evaneſcit, quando jam exercitatos habenti ſenſus certamen forte datur, ut vincat; & diſcat quoniam omnium potentior eſt ſapientia. Interim ſane audiens quis vocem Domini, *Redite prævaricatores ad cor*, & tantis in interiore cubiculo obſcœnitatibus deprehenſis, ſingula quæque rimari ſatagit, & quonam hæc influxerint aditu, curioſus veſtigator explorat; nec difficile patet foramen, immo & foramina contuenti. Sed nec parum illi ex hac conſideratione doloris accedit, cum per feneſtras proprias mors iſta deprehenditur introiiſſe. Multa ſiquidem admiſiſſe videtur petulantia oculorum, multa pruritus aurium, multa quoque olfaciendi, guſtandi, tangendique voluptas. Nam ſpiritualia quidem vitia, quorum ſupra meminimus, difficile adhuc, prout ſunt, carnalis examinat. Unde fit, ut quæ ſunt graviora, aut minus, aut minime ſentiat, nec tam ſuperbiæ aut invidiæ, quam flagitioſorum aut facinoroſorum recordatione actuum mordeatur.

Conſcientiæ vermis hic non ſuffocandus.
** al. amaritudo.*
Iſa. 66. 24.
Dei benignitas erga recens converſos.
Facilitati ſuccedit certamen.
Iſa. 46. 8.
Spiritualia peccata eis non bene nota.

CAPUT VI.

Difficultatem converſionis, & luctam reſipiſcere parantis, graphice repræſentat.

8. Et ecce iterum vox de nubibus dicens: Peccaſti, quieſce. Et quod dicitur, tale eſt. Jam ſentina redundans domum omnem intolerabili fœtore contaminat: vanum tibi eſt, dum adhuc ſordes influant, exhaurire; dum peccare non deſtiteris, pœnitere. Quis enim eorum jejunia probet, qui ad lites & contentiones jejunant, & percutiunt pugno impie; ſed & voluntates & voluptates propriæ inveniuntur in eis? Non tale eſt jejunium quod elegi, dicit Dominus. Claude feneſtras, obſera aditus, foramina obſtrue diligenter; & ſic demum non ſubeuntibus novis, ſordes poteris expurgare vetuſtas. Æſtimat homo facile quod jubetur implendum, tamquam ignarus exercitu ſpiritualis. Quis enim prohibeat, inquit, quo minus imperem membris meis? Indicit igitur gulæ jejunia, crapulam interdicit, obturari præcipit aures ne audiant ſanguinem, averti oculos ne videant vanitatem; manus non ad avaritiam, ſed ad eleemoſynam magis extendi, quibus forte laborem imponere velit, prohibens latrocinia, ſicut ſcriptum eſt: *Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.*

Peccatis novis prius obſtruendus aditus quàm expurgentur vetera.
Iſa. 58. 3.
Ephes. 4. 28.

9. Ceterum dum ſuas quibuſque membris in hunc modum leges promulgat, & decreta proponit; interrumpunt ſubito vocem jubentis, & uno impetu clamant: Unde hæc nova religio? Facere jubes ut libet. Sed invenietur qui novis decretis obviet, qui novis legibus contradicat. Quis enim ille eſt? inquit. Et illa: Nimirum ipſa, quæ paralytica jacet in domo, & male torquetur. Ipſa eſt enim, in cujus nos pridem deputaſti obſequium, ſi ignoras, ad obediendum utique concupiſcentiis ejus. Expalluit miſer ad hanc vocem, & confuſus obmutuit. Anxiabatur enim in eo ſpiritus ejus. Ac membra quidem ad ſuam illam infeliciſſimam dominam incunctanter accedunt, ut adverſus dominum crudeliter interpellent, & imperia duriora cauſentur. Plangit gula parſimoniæ ſibi modum adhibitum, prohibitam crapulæ voluptatem. Oculus queritur indictas lacrymas, petulantiam interdictam. Quibus hæc & ſimilia proſequentibus excitata & vehementer exacerbata voluntas: Somniumne eſt, inquit, an fabula quod narratis? Tum vero opportunum ſuæ tempus nacta querimoniæ lingua: Omnino, ait, ſic eſt ut audiſtis. Nam & ego a fabulis & mendaciis juſſa ſum reticere, & nihil deinceps niſi ſerium, immo & penitus neceſſarium loqui.

Senſuum difficultas & rebellio.

10. Exſilit igitur vetula furens, & totius oblita languoris, procedit horrentibus comis, veſte lacera, pectore nudo, ſcalpens ulcera, frendens dentibus & areſcens, atque ipſum inficiens aerem flatibus virulentis. Quid non confundatur, ſi quid adhuc ſupereſt rationis, ad talem miſeræ voluntatis occurſum & incurſum? Hæc, inquit, eſt tota tui conjugii fides, ſic compateris male patienti? Uſque adeo ſuper dolorem vulnerum meorum addere pepercisti? Subtrahendum forſitan ex immoderata dote aliquid videbatur: ſed quid relinquitur hoc ſublato? Solum hunc languenti miſeræ præſtitiſti, & omnia ejus obſequia, quemadmodum ſint diſtributa, aliquando cognoviſti. Nunc autem ſi tibi forſitan morbi hujus peſſimi, quo laboro, triplex malignitas excidiſſe potuit, ſed non mihi. Siquidem voluptuoſa ſum, curioſa ſum, ambitioſa ſum; & ab hoc triplici ulcere non eſt in me ſanitas à planta pedis uſque ad verticem. Itaque fauces, & quæ obſcœna ſunt corporis, aſſignata ſunt voluptati, quandoquidem velut de novo neceſſe eſt ſingula recenſeri. Nam curioſitati pes vagus, & indiſciplinatus oculus famulantur. At vanitati quidem auris & lingua ſerviunt, dum per illam impinguat caput meum oleum peccatoris, per hanc ipſa ſuppleo quod in laudibus meis alii minus feciſſe videntur. Valde enim delector & recipere ab aliis, &, cum opportune poſſum, etiam tradere aliis laudes meas, & meo & alieno ore ſemper cupiens prædicari. Cui potiſſimum morbo tuum quoque ingenium plurima ſolet adhibere fomenta. Porro manus ipſas, quibus eſt undique liber motus, non uni ſpecialiter alicui operi deputamus, ſed modo vanitati, modo curioſitati, modo voluptati ſedulum ſatis exhibent famulatum. Quibus ita diſpoſitis, non mihi hæc omnia vel in uno ſatisfacere aliquando potuerunt, quod non ſatietur oculus viſu, nec auris impleatur auditu. Atque utinam inter ſpectandum totum aliquando corpus fieret oculus, aut inter prandendum in fauces membra omnia verterentur. Tune mihi id modicum conſolationis, quod utcumque mendico, tentas ſurripere? Dixit, & cum indignatione & furore recedens: Teneo, inquit, longumque tenebo.

Voluntatis cum ratione expoſtulatio in recens converſo.
Voluntatis morbus triplex.
Senſus ejus miniſtri.

11. Jam vero rationi ipſa vexatio dat intellectum,

Miſera hæc conditio

jam innoteſcit aliquatenus hujus negotii difficultas, jam præſumpta facilitas evaneſcit. Videt enim memoriam plenam ſpurcitiarum; videt abundantius alias atque alias influere ſordes; videt ipſas feneſtras morti patulas claudi omnino non poſſe; & quod adhuc præſidens voluntas languida dominetur, ex cujus ulceribus ſanies univerſa profluxit. Videt denique anima ſeſe contaminatam, nec per alium, ſed per proprium corpus, nec aliunde quàm à ſeipſa. Eſt enim quiddam animæ, ſicut memoria quæ inficitur, ſic voluntas ipſa quæ inficit. Denique tota ipſa nihil eſt aliud quàm ratio, memoria, & voluntas. Nunc autem & ratio minus habens, cæca quodammodo, quod hactenus iſta non viderit; infirma omnino, quod ne agnita quidem prævaleat reparare*: & memoria fœdiſſima pariter & fœtidiſſima; & voluntas languida, & horrendis ulceribus undique ſcaturiens invenitur. At ne quid ex omnibus quæ ſunt hominis relinquatur, ipſum etiam corpus rebelle eſt: & ſingula membra feneſtræ ſingulæ, quibus mors intrat ad animam, & inceſſanter exuberat ipſa confuſio.

Anima non ſolum defoedata ſed peccatis

* al. recuperare.

CAPUT VII.

Reſpiratio conſolationis pauperibus ſpiritu, ſeu animæ miſeriam ſuam agnoſcenti.

12. AUdiat ergo anima, quæcumque ejuſmodi eſt, vocem divinam, & audiat cum ſtupore & admiratione dicentem: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Quis ſpiritu pauperior eo, qui in toto ſpiritu ſuo non invenit requiem, non invenit ubi caput reclinet? Hoc quoque conſilium pietatis, ut qui ſibi diſplicet, placeat Deo; & qui propriam domum odit, domum utique plenam ſpurcitiæ & infelicitatis, invitetur ad domum gloriæ, domum non manu factam, æternam in cælis. Nec mirum ſi ad hujus dignationis magnitudinem expaveſcit, ſi difficile credit huic auditui, ſi vehementi ſtupore admiratur, & ait: Ergone beatum hominem miſeria facit? Ceterum quiſquis ejuſmodi es, non diffidas. NON MISERIA, ſed miſericordia facit beatum: ſed hujus propria ſedes miſeria eſt. Aut certe beatum faciat ipſa miſeria, ut humiliatio in humilitatem tranſeat, neceſſitas in virtutem. *Pluviam voluntariam*, inquit, *ſegregabis Deus hereditati tuæ; & infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam.* Utilis prorſus infirmitas, quæ medici manum requirit: & ſalubriter à ſe deficit, quem perficit Deus. Sed quia non eſt via ad regnum Dei ſine primitiis regni, nec ſperare poteſt cæleſte regnum, cui nec ſuper propria membra adhuc regnare donatur; ſequitur vox dicens: *Beati mites, quoniam ipſi hereditabunt terram.* ac ſi evidentius dicat: Mitiga efferos voluntatis motus, & crudelem beſtiam manſueſcere cura. Ligatus es: ſolvere ſtudeas quod rumpere omnino non poſſis. Eva tua* eſt. Vim facere, aut eatenus eam offendere nullo modo prævalebis.

Matth. 5. 3.

Pauperes ſpiritu beati

Pſal. 67. 10.

Et mites.

Matth. 5. 4.

* al. add. viri

CAPUT VIII.

Carnales voluptates, & divitias eſſe omnino vanas, fallaces, & momentaneas.

13. NEc mora, reſpirans homo inter hæc verba, atque id quoque facilius reputans, licet verecundus, accedit & delinire ſatagit viperam inflammatam. Arguit vitæ carnalis illecebras, & conſolationes ſeculares nugacitatis accuſat, tamquam exiguas & indignas, ſed & breviſſimas quoque & pernicioſiſſimas omnibus amatoribus ſuis. Super hoc, ait, nequam & inutili ſervo tuo & ipſa fatere. Nec enim inficiari potes, ne in modico quidem tibi univerſa ejus obſequia ſatisfacere aliquando potuiſſe. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum: & ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio quanta paratur ſollicitudine, quantam deinde moleſtiam parit? Hinc monſtruoſius dilatantur genes & humeri, hinc tumentes uteri non tam impinguantur, quàm imprægnantur à ruina: & dum carnis onus oſſa non ſuſtinent, etiam morbi varii generantur. Sic libidinis illecebroſa vorago quantis laboribus & diſpendiis, interdum & famæ vel honoris, aut etiam vitæ ipſius periculo comparatur! ut ad modicum flagrans ſulfureus vapor furentes ſtimulis agat, & apum par volantium, ubi male grata mella fuderit, nimis tenaci feriat icta corda morſu: cujus appetitus anxietatis & vecordiæ, actus abominationis & ignominiæ, exitus pœnitudinis & verecundiæ plenus eſſe dignoſcitur.

Converſionis progreſſus.

Gulæ voluptas quam exigua.

Tom II. Opus. III.

Item luxuriæ.

Boet. lib. de conſol. metr. 7

14. Ceterum ſpectacula vana rogo quid corpori præſtant, quidve animæ conferre videntur? At certe nihil in homine cui curioſitas proſit invenies. Frivola prorſus & inanis ac nugatoria conſolatio: & neſcio quid illi durius imprecer, quàm ut ſemper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem* fugitans, curioſa inquietudine delectatur. Liquet ſane vel ex hoc ipſo nihil his omnibus delectationis ineſſe, quorum SOLUS TRANSITUS juvat. Ceterum vanitas vanitatum quàm nihil ſit, vel ex ipſo nomine maniſeſtius judicatur. Vanus utique labor, qui ſtudio vanitatis aſſumitur*. O doxa, doxa, ait Sapiens, in millibus mortalium nihil aliud, quàm aurium inflatio vana! Et tamen quantam putas infelicitatem hæc ipſa non tam felix vanitas, quàm vana felicitas parit? Hinc namque cæcitas cordis, ſicut ſcriptum eſt: *Popule meus, qui te beatificant, in errorem te inducunt.* Hinc cervicoſus furor animoſitatis, hinc ſuſpicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, & cremantis invidiæ miſerior, quàm miſerabilior cruciatus: hinc divitiarum amor inſatiabilis longe amplius deſiderio torquet animam, quàm refrigeret uſu ſuo: utpote quarum ACQUISITIO quidem laboris, poſſeſſio timoris, amiſſio plena doloris invenitur. Poſtremo ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas: & uſus quidem divitiarum apud alios, divitibus ſolum nomen cedit & ſollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, ſed nullis, eam parvipendere gloriam, quàm nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, non tam inſipientiæ quàm infidelitatis eſſe videtur*.

Spectaculorum vanitas.

* al. otia.

Vanæ gloriæ inanitas

* al. abſumitur

Idem ead. lib. proſa 6

Iſa. 3. 12.

Et divitiarum.

Eccl. 5. 10.

* al. dignoſcitur.

15. Nec immerito ſane mundus hic poſitus in maligno, vana promiſſione deludit animas propriæ conditionis & nobilitatis oblitas, quas non pudeat porcis in miniſterio ſubjugari, in deſiderio ſociari, nec ſic tamen infelici edulio ſatiari. Unde enim hæc tanta puſillanimitas & abjectio tam miſerabilis, ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei, utpote cujus ſit inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita, cruore redempta, fide dotata, ſpiritu adoptata, miſeram non erubeſcat ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem? Merito plane ne eos quidem apprehendere poteſt, quæ talem deſerens ſponſum, tales ſequitur amatores. Merito ſiliquas eſurit, & non accepit, qui porcos paſcere maluit, quàm paternis epulis ſatiari. Inſanus ſiquidem labor paſcere ſterilem quæ non parit, & viduæ benefacere nolle: omittere curam cordis, & curam carnis agere in deſiderio: impinguare & fovere cadaver putridum, quod paulo poſt vermium eſca futurum nullatenus dubitatur. Nam & ſervire mammonæ, & avaritiam colere, quod eſt ſervitus idolorum, aut vanitatem ſectari, prorſus degeneris animæ indicium eſſe quis neſciat?

Mundus merito deludit animas ſuæ dignitatis immemores.

Luc. 15. 16.

16. Eſto tamen, magna ſint & honeſta quæ mundus interim amatoribus ſuis erogare videtur: ſed infida eſſe quis neſciat? Certa nimirum eorum brevitas, & ipſius quoque brevitatis finis incertus. Sæpe viventem deſerunt, nam morientem nec raro ſequuntur. Quid vero in rebus humanis certius morte, quid hora mortis incertius invenitur? Non miſeratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cujuſlibet, non moribus, non ipſi denique parcit ætati: niſi quod ſenibus quidem in januis, adoleſcentibus autem in inſidiis eſt. Infelix proinde, qui in hujus vitæ tenebris & lubrico

Mors vanitatis & brevitatis arguit omnia.

[Tom. II Opus III.] fidens, perituram inſumit operam; nec advertit quo- [A] niam vapor eſt ad modicum parens, & vanitas vanitatum. Obtinuiſti tandem, ambitioſe, quam ex longo tempore concupieras dignitatem? ſerva quod habes. Impleſti, pecunioſe, loculos tuos? ſollicitus eſto ne perdas. Uberes fructus attulit ager tuus? dirue horrea tua, ut majora ædifices; muta quadrata rotundis, [Luc. 12. 19.] dic animæ tuæ, *Habes multa bona repoſita in annos plurimos.* Erit enim qui dicat: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?*

17. Atque utinam tantum congregata perirent, & non deterius ipſe quoque periret congregator eorum. Eſſet utique tolerabilius perituro, quam peremptorio inſudare labori. Nunc vero ſtipendia peccati mors: [B] & qui in carne ſeminat, de carne metet corruptionem. [Opera hominis ſemina æternitatis. * al. maledicet.] Nec enim opera noſtra tranſeunt, ut videntur: ſed temporalia quæque velut æternitatis ſemina jaciuntur. Stupebit * inſipiens, cum ex hoc modico ſemine copioſam viderit exſurgere meſſem, ſeu bonam, ſeu malam, pro diverſa qualitate ſementis. Hoc qui cogitat, nullum omnino parvum reputat eſſe peccatum, quod futuram meſſem potius æſtimet, quam ſementem. Seminant ergo dum neſciunt, & ſeminant dum occultant homines iniquitatis myſteria, dum vanitatis conſilia celant, dum perambulant in tenebris negotia tenebrarum.

CAPUT IX.

Quod impoſſibile ſit peccantem latere.

18. PArietes, inquit, ſunt undique: quis me videt? Eſto nemo te videat: non tamen nullus. [Peccans latere non poteſt.] Videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus, videt & bonis & malis major Angelis Deus, videt accuſator, videt teſtium multitudo, videt & ipſe judex, cujus te oportet aſſiſtere tribunali: ſub cujus ſane oculis velle delinquere tam inſanum, quàm horrendum incidere in manus Dei viventis. Noli eſſe ſecurus: latent in- [Maxime Deum] ſidiæ, quas latere non poſſis. Latent, inquam, inſidiæ, quas ut deprehendere ipſe non potes, ſic non potes ipſe non deprehendi. [Pſal. 93. 9.] Audit plane qui plantavit aurem; & qui finxit oculum, ipſe conſiderat. Non illius Solis arcet radios maceria lapidum, quos ipſe creavit; non vel ipſe corporis hujus paries veritatis excludit aſpectum. Nuda ſunt ejus oculis omnia, penetrabilior eſt ancipiti gladio. Ipſas quoque non modo cernit, ſed & diſcernit cogitationum vias, & medullas affectionum. Denique ſi non totam humani cordis abyſſum, & quicquid in ipſo latet inſpiceret præ ipſo, non ille jam nil ſibi conſcius judicantis ſeſe Domini ſententiam tantopere formidaret. *Mihi*, inquit, [1. Cor. 4. 3.] *pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die; ſed neque meipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Qui autem judicat me, Dominus eſt.*

19. Si tu objectu parietis, aut cujuſlibet ſimulationis prætentu, humana fruſtrari poſſe judicia gloriaris; [Angelos malos & bonos.] certus eſto, non illum vera crimina præterire, qui de falſis etiam accuſare criminibus conſuevit. Si tantopere ejus, qui nihilo minus forte tuam vereatur, proximi conſcientiam reformidas; multo minus eos contemnas, quibus odioſa magis iniquitas, & longe amplius execrabilis corruptio eſt. Si denique Deum non times, & ſolos hominum revereris aſpectus, memor eſto [Neque Chriſtum] hominem Chriſtum hominum facta ignorare non poſſe: ut quod coram me attentare minime prorſus auderes, multo minus audeas coram ipſo; quodque non dico non liceret, ſed nec liberet quidem præſumere vidente conſervo, inſpiciente Domino vel cogitare penitus exhorreſcas. Alioquin ſi carnis oculum magis, quam gladium, qui carnes habet devorare, formidas: & is quoque timor quem times, eveniet tibi, & accidet quod vereris. [Luc. 12. 2.] Nihil opertum quod non reveletur, vel occultum quod non ſciatur. Arguentur à luce in lucem prolata opera tenebrarum; nec modo obſcœnitatum abominanda ſecreta, ſed iniqua commercia vendentium ſacramenta, & fraudulenta ſuſurria * [* al. ſuſpiria.] adinvenientium dolos, & judicia ſubvertentium, qui novit omnia, nota faciet univerſis: cum cœperit ſcrutator ille cordis & renum ſcrutari Jeruſalem in lucernis.

CAPUT X.

Non ſolum declinando à malo, ſed & faciendo bonum ſalutem obtineri.

20. QUid ergo facturi ſunt, immo potius quid paſſuri qui crimina commiſerunt, ubi audituri [Matth. 25. 41.] ſunt, *Ite in ignem æternum*, qui pietatis opera non fecerunt? [B] [Si otioſi puniendi, quanto magis peccatores!] Quando vero admittetur ad nuptias, qui nec lumbos præcinxit ut abſtineret à malo, nec lucernam tenuit ut faceret bonum: quando nec virginitatis integritas, nec lampadum claritas ſolius olei poterit excuſare defectum? aut quis illos manere credendus eſt cruciatus, qui in hac vita non ſolum mala, ſed forte peſſima perpetrant; ſi ſic ſunt cruciandi qui hic bona receperunt, ut in medio flammæ æſtuantibus linguis, ne minimæ quidem ſtillæ obtinere refrigerium queant? [Bona bene faciendo.] Caveamus ergo mala opera, nec includentis ſagenæ fiducia, libere intra Eccleſiam delinquamus: [Matth. 13. 48.] hoc ſcientes, quia non omnes quos ſagena trahit, piſcatorum vaſa recipient: ſed erit cum ad littus [C] venerint, eligent bonos in vaſa, malos autem foras mittent. Neque hoc contenti lumborum cingulo, accendamus etiam lucernas noſtras, & inſtanter operemur bonum, cogitantes, quod omnis arbor, non modo quæ malum fecerit fructum, ſed etiam quæ bonum non fecerit, excidetur, & in ignem mittetur, illum utique ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. [Matt. 25. 41.]

21. Ceterum ſic declinemus à malo, & faciamus bonum, ut inquiramus pacem, non gloriam proſequamur. Illa enim Dei eſt, & eam alteri non dabit. [Iſa. 42. 8.] *Gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo.* Et dicebat homo ſecundum cor Dei: [Pſal. 113. b] *Non nobis Domine, non nobis,* [D] *ſed nomini tuo da gloriam.* [Gen. 4. juxta LXX.] Recordemur etiam Scripturæ dicentis: *Si recte offeras & non recte dividas, peccaſti.* [Gloria boni operis Deo tribuenda.] Recta eſt, fratres, illa noſtra diviſio, nemo detrectet. Alioquin ſi cui forſitan minus placet, ſciat non noſtram eſſe, ſed Angelorum. Priores enim Angeli cecinerunt: [Luc. 2. 14.] *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Servemus ergo in vaſis oleum, ne forte (quod abſit) clauſas jam nuptiarum januas fruſtra pulſantes, verbum audiamus amarum, & deintus nobis ſponſus reſpondeat, *Neſcio vos.* [Matth. 25. 12.] Adhuc tamen mors poſita eſt, non modo ſecus iniquitatem, ſterilitatem, vanitatem, ſed & ſecus introitum ipſius etiam voluptatis. [Virtutum cardinalium neceſſitas.] Quocirca opus eſt fortitudine adverſus [E] tentamenta peccati, ut rugienti leoni reſiſtamus fortes in fide, & ignita ipſius jacula hoc ipſo clypeo viriliter repellamus. Opus eſt juſtitia, ut operemur bonum. Opus prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miſer ille, epularum pariter & veſtium ſplendore finito, dum miſericordiam precaretur, audivit: [Luc. 16. 25.] *Memento, fili, quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* Plane terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! ſed ſi terribilis eſt, etiam miſericors invenitur, dum futuri formam judicii non occultat. [Ezech. 18. 4. Johann. 15. 2. Matth. 25. 12.] Anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur: [F] Palmes qui fructum non fecerit, excidetur: Virgo cui defuerit oleum, à nuptiis excludetur: & qui bona receperit in hac vita, cruciabitur in futura. [Quis maxime damnandus.] Quod ſi forte contingat in uno quolibet ſimul hæc quatuor inveniri, ea plane extrema deſperatio eſt.

CAPUT XI.

Converti molientes acrius à ſolitis vitiis tentari, ipſis vero luctum eſſe neceſſarium.

Tentatio converſorum.

22. HÆc igitur & his ſimilia intus ſuggerit ratio voluntati, eo copioſius, quo perfectius illuſtratione ſpiritus edocetur. Felix ſane, cujus voluntas ſic ceſſerit & acquieverit conſilio rationis, ut à timore concipiens, promiſſionibus deinceps cæleſtibus foveatur, & parturiat ſpiritum ſalutis. At forte invenietur rebellis & obſtinata voluntas, nec impatiens ſolum, ſed & monitis pejor, & minis durior, & adhibitis acerbior blandimentis. Invenietur forſitan, quæ nihil mota ſuggeſtionibus rationis, immo & gravi furore commota reſpondeat, dicens: Quouſque vos patior? prædicatio veſtra in me non capit. Scio quod aſtuti eſtis: ſed aſtutia veſtra in me locum non habet. Forte & advocans membra ſingula, ſolito amplius ſolitis jubet obedire concupiſcentiis, nequitiis deſervire. Hinc nimirum eſt illud quod quotidianis diſcimus experimentis, eos qui converti deliberant, tentari acrius à concupiſcentia carnis, & urgeri gravius in operibus luti & lateris, qui Ægyptum egredi, & Pharaonis imperium effugere moliuntur.

Remedium, luctus.

Prov. 18. 3.

23. Utinam autem qui ejuſmodi eſt, declinet impietatem, & terribile illud profundum caveat, de quo ſcriptum eſt: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Fortiſſima ſiquidem potione curatur, & periclitatur facile, niſi multa ſollicitudine ſtudeat medici obtemperare conſiliis, obſervare præcepta. Vehemens eſt tentatio, & proxima deſperationi, niſi totum colligat, & ad miſerandum animæ ſuæ, quam adeo miſeram & miſerabilem videt, convertat affectum, & audiat vocem dicentem: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Lugeat abundanter, quia lugendi tempus advenit: & ad ſorbendas juges lacrymas iſta ſufficiunt. Lugeat, ſed non ſine pietatis affectu, & obtentu conſolationis. Conſideret nullam ſibi inveniri requiem in ſeipſo, ſed omnia plena miſeriæ & deſolationis. Conſideret non eſſe bonum in carne ſua; ſed & in ſæculo nequam nihil niſi vanitatem & afflictionem ſpiritus contineri. Conſideret, inquam, nec intus, nec ſubtus, nec circa ſe ſibi occurrere conſolationem; ut vel tandem aliquando diſcat quærendam ſurſum, & deſurſum eſſe ſperandam. Lugeat ſane interim plangens dolorem ſuum, exitus aquarum deducat oculus ejus, & palpebra non requieſcat. Nimirum purgatur lacrymis oculus ante caligans, & acuitur viſus, ut intendere poſſit in sereniſſimi luminis claritatem.

Matth. 5. 5.

Sed in ſpe conſolationis.

CAPUT XII.

Quomodo voluntas ſuaviter inducenda ad amandum & deſiderandum cæleſtia.

24. EX hoc ſane ſuſpiciat per foramen, proſpiciat per cancellos, præduſcem radium proſequatur obtutu, & Magorum ſedulus imitator, lumen lumine quærat. Inveniet enim locum tabernaculi admirabilis, ubi panem Angelorum manducet homo; inveniet paradiſum voluptatis plantatum à Domino; inveniet hortum floridum & amœniſſimum; inveniet refrigerii ſedem, & dicet: O ſi audiat vocem meam miſera illa voluntas, ut ingrediens videat bona, & viſitet locum iſtum! hic nimirum inveniet requiem ampliorem, & me quoque eo minus inquietabit, quo minus inquietabitur ipſa. Neque enim mentitur qui dixit: *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.* In hujus fide promiſſionis exacerbatam blandius alloquatur, & ſimulata quadam hilaritate, ſpiritu manſuetudinis eam conveniens dicat: Ceſſet penitus indignatio tua. Non ego ſum qui te offendere poſſim. Tuum eſt corpus, tuus & ego ipſe: non eſt quod timeas, non eſt quod verearis. Nec mirum, ſi forte amarius adhuc reddiderit illa reſponſum, ut dicat, quia multæ cogitationes ad inſaniam te adduxerunt. Suſtineat interim æquanimiter, ac diſſimulet omnino quod agitur, donec inter loquendum inducens alia pro aliis, opportune aliquando inferat, dicens: Inveni * hodie hortum pulcherrimum, & amœniſſimum locum. Bonum eſſet illic nos eſſe. nam & tibi nocet in hoc lecto ægritudinis, in hoc doloris ſtrato verſari, in hoc cubili tuo gravi corde compungi. Aderit Dominus quærenti ſe, animæ ſperanti in ſe: aderit votis ſupplicibus, & verbis ejus efficaciam miniſtrabit. Excitabitur deſiderium voluntatis, ut non modo videre locum, ſed & introire paulatim, & manſionem inibi facere concupiſcat.

Matt. 11. 29.

Tom. II. Opuſc. III.

* al. intrari.

CAPUT XIII.

Converſos mira ſuavitate ac deliciis vitæ piæ ac ſpiritualis refici.

25. NEc vero locum reputes corporalem paradiſum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, ſed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, ſed virtutum utique ſpiritualium jucunda decoraque plantatio. Hortus concluſus, ubi fons ſignatus in quatuor capita derivatur, & ex una ſapientiæ vena virtus quadripartita procedit. Splendidiſſima quoque inibi lilia vernant: & cum flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus ſponſæ fragrantiſſimum præſtat odorem, & cetera quoque aromata fluunt; auſtro ſpirante, aquilone fugato. Ibi media eſt arbor vitæ, malus illa de Cantico, cunctis pretioſior lignis ſilvarum, cujus & umbra ſponſam refrigerat, & fructus dulcis gutturi ejus. Ibi continentiæ nitor, & ſinceræ veritatis intuitus oculos cordis irradiat: auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulciſſima vox conſolatoris interni. Ibi quibuſdam ſpei naribus influit jucundiſſimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidiſſime prælibantur incomparabiles deliciæ caritatis; & ſuccitis ſpinis ac vepribus, quibus antea pungebatur, unctione miſericordiæ perfuſus animus in conſcientia bona feliciter requieſcit. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, ſed inter temporalis militiæ ſtipendia deputantur; nec ad futuram pertinent, ſed ad eam magis quæ nunc eſt Eccleſiæ promiſſionem. Hoc enim centuplum eſt, quod in hoc ſæculo ſæculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud noſtro ſperaveris eloquio commendandum. Solus ſpiritus eſt qui revelat: ſine cauſa paginam conſulis; experientiam magis require. Sapientia eſt, cujus pretium neſcit homo. De occultis trahitur, nec in terra ſuaviter viventium invenitur iſta ſuavitas. Nimirum ſuavitas Domini eſt: niſi guſtaveris, non videbis. *Guſtate*, inquit, *& videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Manna abſconditum eſt, nomen novum eſt, quod nemo ſcit niſi qui accipit. NON illud eruditio, ſed unctio docet: nec ſcientia, ſed conſcientia comprehendit. Sanctum eſt, margaritæ ſunt, nec faciet ipſe quod prohibet *, qui cœpit facere & docere. Neque enim canes aut porcos jam reputat, quos prioribus abrenuntiantes facinoribus atque flagitiis etiam conſolatur per Apoſtolum, dicens: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Tantum caveat, ne revertatur canis ad vomitum, nec * ſus lota ad volutabrum luti.

Deliciæ vitæ ſpiritualis.

Cant. 2. 3.

Quæ centuplum vitæ præſentis.

Matth. 19

Sed nemini nota niſi expertis

Pſal. 33. 9.

* Nolite dare ſanctum canibus, &c.

1 Cor. 6. 11.

* al. vel.

CAPUT XIV.

In terrenis non eſſe ullam ſatietatem, niſi faſtidio conjunctam: at cæleſtium deſideria experiendo ſemper creſcere.

26. IN hujus ergo oſtio paradiſi divini ſuſurri vox auditur, ſacratiſſimum ſecretiſſimumque conſilium, quod abſconditum eſt à ſapientibus & prudentibus, parvulis revelatur. Cujus ſane vocis auditum non ſola jam ratio capit, ſed gratanter eum communicat & voluntati. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Altiſſimum plane conſilium, &

Matth. 5. 6.

Tom. II Opus III

inæſtimabile ſacramentum. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, qui de cælo nobis a regalibus ſedibus venit. Facta eſt enim valida fames in terra, & omnes jam non egere cœpimus, ſed ad extremam devenimus egeſtatem. Denique & comparati ſumus jumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſumus illis: etiam porcorum ſiliquas inſatiabiliter eſurimus. Qui pecuniam diligit, non ſatiatur: qui luxuriam, non ſatiatur: qui gloriam quærit, non ſatiatur: denique qui mundum amat, numquam ſatiatur. Novi ego homines ſatiatos hoc mundo, & ad ejus omnem memoriam nauſeantes. Novi ſatiatos pecunia, & ſatiatos honoribus, ſatiatos voluptatibus & curioſitatibus hujus mundi, nec mediocriter, ſed uſque ad faſtidium ſatiatos. Et facile eſt cuique noſtrum hanc ſatietatem per Dei gratiam obtinere. NEQUE enim parit hanc copia, ſed contemptus. Sic fatui filii Adam, porcorum vorando ſiliquas, non eſurientes animas, ſed eſuriem ipſam paſcitis animarum. Sola nimirum hoc edulio inedia veſtra nutritur, ſola fames alitur cibo innaturali. Et dico planius exempli gratia, unum ſumens è multis quæ humana vanitas concupiſcit. Non prius ſatiabuntur corda hominum auro, quam aura corpora ſitientur. Nec indignetur avarus: & de ambitioſis & luxurioſis, etiam & de facinoroſis eadem ſententia eſt. Si quis mihi forte non credit, experientiæ credat, vel propriæ, vel multorum.

Terrena non ſatiant.

Satiari cupiens eſuriat juſtitiam.

27. Quis in vobis eſt, fratres, qui ſatiari cupiat, & deſiderium ſuum optet impleri? INCIPIAT eſurire juſtitiam, & non poterit non ſatiari. Panes illos deſideret, qui in domo patris abundant; & inveniet ſeſe continuo ſiliquas faſtidire porcorum. Guſtum juſtitiæ vel exiguum ſtudeat experiri, ut eo ipſo deſideret amplius, & amplius mereatur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui edit me, adhuc eſuriet; qui bibit me, adhuc ſitiet.* Hoc enim cognatum magis ſpiritui, & naturalius deſiderium vehementius occupat cor humanum, ceteraque viriliter deſideria pellit. Sic nimirum fortem armatum fortior ſuperat, ſic clavus clavo ſolet extundi. *Beati* ergo *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nondum quidem ipſa, qua non ſatiabitur homo, & vivet; ſed ceteris univerſis, quæ prius inſatiabiliter fuerunt concupita: ut ex hoc tibi voluntas ad ſerviendum prioribus concupiſcentiis corpus vindicare deſiſtens, rationi prorſus exponat, magis autem urgeat ipſa ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, non minore zelo, quam prius exhibuiſſet ſervire iniquitati ad iniquitatem.

Eccli. 24. 29.

Matth. 5. 6.

CAPUT XV.

Purganda memoria a peccatorum ſordibus fiducia divina miſericordia.

Memoria ægre purganda.

28. CEterum jam & voluntate mutata, in ſervitutem redacto corpore, velut ſiccato jam aliquatenus fonte, & oppilato foramine, tertium adhuc, idque graviſſimum reſtat, de purganda ſcilicet memoria, & exhaurienda ſentina. Quomodo enim à memoria mea excidet vita mea? Membrana vilis & tenuis atramentum forte prorſus imbibit: qua deinceps arte delebitur? Non enim ſuperficie tenus tinxit; ſed prorſus totam intinxit. Fruſtra conarer eradere: ante ſcinditur charta, quàm inſerti characteres deleantur. Ipſam enim forte memoriam delere poſſet oblivio, ut videlicet mente captus eorum non meminerim, quæ commiſi. Ceterum ut memoria integra maneat, & ipſius maculæ deleantur, quæ novacula poſſet efficere? Solus utique ſermo vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Dimittuntur tibi peccata tua.* Murmuret Phariſæus, & dicat: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Mihi enim qui id loquitur Deus eſt, & non æſtimabitur alius ad illum, qui adinvenit omnem viam diſciplinæ, & dedit illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Hujus indulgentia delet peccatum, non quidem ut à memoria excidat, ſed ut quod prius ineſſe pariter & inficere conſuevilſet, ſic de cetero inſit memoriæ, ut eam nullatenus decoloret. Multorum enim nunc peccatorum, quæ vel à nobis, vel ab aliis commiſſa novimus, recordamur: ſed propria quidem inquinant, aliena non nocent. Ut quid hoc, niſi quod in his erubeſcimus ſingulariter, hæc nobis ſingulariter imputanda veremur? Tolle damnationem, tolle timorem, tolle confuſionem; quæ quidem omnia plena remiſſio tollit: & non modo non oberunt, ſed etiam cooperabuntur in bonum, ut devotas ei referamus gratias qui remiſit.

Simile.

Marc. 2. 5.

Ibid.

Baruc 3. 37.

Miſericordia id præſtat.

CAPUT XVI.

Miſericordiam divinam obtineri, miſerendo ſibiipſi primum; deinde proximo.

Matth. 5. 7.

29. JAm vero ſupplicanti pro ea, congrue reſpondetur: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Miſerere ergo animæ tuæ, qui Deum tibi vis miſereri. Lava per ſingulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis ſtratum tuum rigare memento. Si compateris tibi ipſi, ſi laboras in gemitu pœnitentiæ, (primus hic gradus miſericordiæ eſt) miſericordiam utique conſequeris. Quod ſi forte magnus & multus peccator es, & magnam quæris miſericordiam, ac multitudinem miſerationum; tu quoque miſericordiam tuam magnificare & multiplicare labora, reconciliatus eſto tibi ipſi. nam & tibi gravis factus eras, quod poſitus eſſes contrarius Deo. Ex hoc ſane in domo propria reformata pace, eamdem neceſſe eſt prius erga proximos dilatari, ut noviſſime oſculetur te & ipſe oſculo oris ſui, &, quemadmodum ſcriptum eſt, reconcilatus pacem habeas ad Deum. Dimitte his qui in te peccaverunt, & dimittetur tibi quod ipſe peccaſti, dum ſecura conſcientia oraveris Patrem, & dixeris: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Si forte quempiam defraudaveris, redde vel ſimplum: quod ſupereſt da pauperibus, & miſericordiam præſtans miſericordiam conſequeris. Si fuerint peccata tua ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Ut non confundaris ſuper cunctis adinventionibus tuis quibus prævaricatus es, in quibus nunc erubeſcis; fac eleemoſynam, ſi non potes de terrena ſubſtantia, de voluntate bona: & omnia munda erunt; non modo illuminata ratio, & correcta voluntas, ſed ipſa quoque memoria munda erit: ut ex hoc jam voceris ad Dominum, & audias vocem dicentis: *Beati mundo corde.*

Pœnitentia eſt primus miſericordiæ gradus.

Remiſſio alii ſecunda.

Rom. 5. 1.

Matt. 6. 12.

Reſtitutio.

Iſa. 1. 18.

Eleemoſyna.

CAPUT XVII.

Oculos cordis continuo mundandos, ut Deus videri poſſit.

Matth. 5. 8.

30. BEati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Magna promiſſio, fratres mei, & totis deſideriis affectanda. Hæc enim viſio, confirmatio eſt, ſicut Johannes Apoſtolus ait: *Nunc filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Hæc viſio vita æterna eſt, ſicut ipſa in Evangelio Veritas ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Odibilis macula, quæ beatam hanc nobis adimit viſionem, & exſecrabilis negligentia, qua diſſimulamus interim illius oculi mundationem. Ut enim corporeus nobis viſus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur: ſic & intuitus ſpiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebris, interdum curioſitate ſæculari & ambitione turbatur. Quod quidem non minus nos experientia propria, quam divina pagina docet, ubi legitur ſcriptum: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* In utroque tamen ſolum quod hebetat & confundit obtutum, peccatum eſt: nec aliud inter oculum & lucem, inter Deum & hominem ſeparare

Mundandi oculi cordis à peccato.

1. Johann. 3. 2.

Johann. 17. 3.

Simile.

Sap. 9. 15.

parare videtur. Quamdiu enim in hoc corpore ſumus, peregrinamur à Domino. Non utique corporis eſt culpa, hujus ſcilicet, quod gerimus corpus mortis: magis autem quod corpus peccati ſit caro, in qua bonum non eſt, ſed potius lex peccati. Interdum tamen corporeus oculus, non adhuc feſtuca manente, ſed jam ſublata vel exſufflata, aliquamdiu caligare videtur. quod quidem & ipſum in interiori oculo qui in ſpiritu ambulat, ſæpius experitur. Neque enim ubi ferrum extraxeris, continuo vulnus redditum eſt ſanitati: ſed tunc primum neceſſe eſt adhibere fomenta, & operam dare curationi. Nemo ergo ſentinam ejiciens, mundatum ſeſe protinus arbitretur: quin immo noverit ſe multis interim purificationibus egere. Nec modo lavandum aqua, ſed & purgandum & examinandum igni, ut dicat: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Beati* ergo *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: nunc quidem per ſpeculum in ænigmate; in futuro autem facie ad faciem, ubi nimirum faciei noſtræ fuerit conſummata munditia, ut ſibi eam exhibeat glorioſam, non habentem maculam neque rugam.

Simile

Alia purificatio neceſſaria.

Pſal. 65. 12.

Matt. 5. 8.

CAPUT XVIII.

Pacificos merito beatificari nomine filiorum Dei.

31. UBi opportune ilico ſubinfertur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Eſt enim homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quantum in ſe eſt, nemini vult nocere. Eſt alius patiens, qui non reddens mala pro malis, etiam potens eſt ſuſtinere nocentem. Eſt & pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet & prodeſſe nocenti. Primus quidem parvulus eſt, & facile ſcandalizatur: NEC facile qui hujuſmodi eſt, in hoc ſæculo nequam & pleno ſcandalis poterit obtinere ſalutem. Secundus, ut ſcriptum eſt, in patientia ſua poſſidet animam ſuam. Nam tertius quidem non modo ſuam poſſidet, ſed & multorum animas lucrifacit. Primus, quantum in ipſo eſt, pacem habet: ſecundus pacem tenet: tertius pacem facit. Merito proinde beatificatur nomine filii, quod opus filii impleverit, ut poſt ſuam non ingratus reconciliationem, etiam alios reconciliet Patri ſuo. ſiquidem qui bene miniſtraverit, bonum gradum ſibi acquirit: nec in domo patris gradus melior credendus eſt, quàm filii. Si enim filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ut quemadmodum ipſe dicit, ubi ipſe eſt, ibi ſit & miniſter ſuus. Fatigavimus vos prolixitate ſermonis, & detinuimus ultra quàm oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati noſtræ, quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Apoſtoli, quem aliquando verbum prædicationis uſque in mediam noctem legitis protraxiſſe. *Utinam* adhuc, ut ipſius verbis utar, *ſuſtineatis modicum quid inſipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei æmulatione.*

Ibid. Pacatus.

Patiens.

Pacificus.

Luc. 21. 19.

1. Tim. 3. 13.

Rom. 8. 17.

Johan. 12. 26.

2. Cor. 11. 1.

CAPUT XIX.

Graviter perſtringit ambitioſos, qui temere & indigne ſacras Eccleſiæ functiones uſurpant.

32. FIlioli, quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira? NEMO enim magis iram meretur, quàm amicum ſimulans inimicus. Juda oſculo tradis filium hominis, homo unanimis, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, qui in paropſide manum pariter intinxiſti! Non eſt tibi pars in oratione, qua orat ad Patrem & dicit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Væ vobis qui clavem tollitis non ſcientiæ ſolum, ſed & auctoritatis! nec ipſi introitis, & multipliciter impeditis quos introducere debuiſtis. Tollitis enim, & non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes exſtiterunt, & ego non vocavi eos.* Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde veſania tanta præſumptionis humanæ? Audetne aliquis veſtrum terreni cujuſlibet reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare miniſteria, præripere beneficia, negotia diſpenſare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo ſua à vaſis iræ aptis in interitum ſuſtinet, approbare. Multi quidem veniunt, ſed conſidera quis vocetur. Ordinem ipſum dominici ſermonis attende. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. ac deinde: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Mundicordes utique vocat Pater cæleſtis, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti: nec quod ſibi utile, ſed quod multis. *Petre*, inquit, *amas me? Domine, tu ſcis quia amo te. Paſce*, ait, *oves meas*. Quando enim ſic amatas oves committeret non amanti? Nimirum hoc quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. VÆ miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quaſi homines qui juſtitiam fecerint, apprehendunt. VÆ filiis iræ, qui ſe miniſtros gratiæ profitentur. VÆ filiis iræ, qui pacificorum ſibi uſurpare gradus & nomina non verentur. VÆ filiis iræ, qui fideles ſeſe mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. VÆ qui ambulantes in carne, Deo placere non poſſunt, & placare velle præſumunt.

Indigni qui ſe ingerunt in eccleſiam.

Luc. 23.

Oſee 8. 4.

Quiſnam Deus vocet ad miniſteria Eccleſiæ.

Matth. 5. 8.

Johan. 21. 17.

33. Non miramur, fratres, quicumque præſentem ſtatum Eccleſiæ miſeramur; non miramur de radice colubri regulum orientem. Non miramur, ſi vindemiat vineam Domini, qui inſtitutam à Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum & filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit: aut ſi quando forſitan cœperit audire, reſiliens fugit ad folia, ut abſconderetur in eis. Propterea necdum peccare quievit, ſed longam adhuc trahit reſtem: necdum factus eſt vir videns paupertatem ſuam, ſed dicit, quia dives ſum, & nullius egeo, cum ſit pauper, & nudus, & miſer, & miſerabilis. Nihil illi de ſpiritu manſuetudinis, quo præoccupatos in delicto poſſit inſtruere, conſiderans ſeipſum, ne & ipſe tentetur. Compunctionis lacrymas neſciens, lætatur magis cum male fecerit, & in rebus peſſimis exſultat. Nimirum unus eorum eſt, quibus Dominus ait: *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam flebitis*. Pecuniam, non juſtitiam concupiſcit; oculi ejus omne ſublime vident. Inſatiabiliter eſurit dignitates, gloriam ſitit humanam. Procul ab eo miſericordiæ viſcera: ſævire potius & tyrannum exhibere lætatur; quæſtum æſtimat pietatem. Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dediſſet tamquam mortuus à corde! utinam non eſſet columba ſeducta non habens cor! utinam eſſet quod vel deforis eſt mundum, nec ea quæ corporalis eſt maculata tunica inveniretur, ut obediret vel in hac parte dicenti: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*.

Juſta querimonia de indignis.

Eorum deſcriptio.

Luc. 6. 25.

Iſa. 52. 11.

CAPUT XX.

Arguit incontinentes, qui ſacros Ordines impudenter temerare non verentur.

34. NOn accuſamus univerſitatem, ſed nec univerſitatem poſſumus excuſare. Reliquit ſibi Dominus multa millia. Alioquin niſi eorum nos excuſaret juſtitia, & illud nobis ſemen ſanctum Dominus Sabaoth reliquiſſet, olim jam ſicut Sodoma ſubverſi eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiliter periiſſemus. Dilatata ſiquidem videtur Eccleſia; ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus Ordo: fratrum [a] numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verum etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dum nihil minus apparet deceſſiſſe meriti, quàm numeri

[a] Varia eſt hujus loci lectio in editis & ſcriptis. Editio Spirenſis anni 1501 habet, *ſacratiſſimus Ordo ſuper numerum multiplicatus eſt*. Editio anni 1520 noſtram habet: ubi *Fratrum* nomine forſan intelliguntur Cardinales, ut in epiſtola 48.

Tom. II. Opusc. III.

Ordinum indigni susceptores.

acceſſiſſe. Curritur paſſim ad ſacros Ordines, & reverenda ipſis quoque ſpiritibus angelicis miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. Neque enim ſignum regni occupare cæleſtis, aut illius timent imperii geſtare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, ſed & iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus & peſſima forte appareat intra parietes abominatio, ſi juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem poſt fornicationes, poſt adulteria, poſt inceſtus, nec ipſæ quidem apud aliquos ignominiæ paſſiones & turpitudinis opera deſunt. Utinam non fierent quæ uſque adeo non conveniunt, ut * nec Apoſtolum ſcribere hæc, nec nos dicere oporteret! utinam nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido.

Ezech. 8. 8. — ** al. utinam.* — *Rom. 1. Ephes. 5.*

Sodomitarum flagitia. Gen. 19.

35. Numquid non olim civitates illæ, ſpurcitiæ hujus matres, divino prædamnatæ judicio, & incendio ſunt deletæ? Numquid non gehennalis flamma moram non ſuſtinens, exſecrabilem illam prævenit tollere nationem, quod ipſius ſpecialiter eſſent peccata manifeſta præcedentia ad judicium? Numquid non & ipſam, utpote conſciam tantæ confuſionis, tellurem abſumpſit ignis, ſulfur, & ſpiritus procellarum? Numquid non in lacum horribilem ſolum omne redactum eſt? Amputata ſunt hydræ capita quinque, ſed heu innumera ſurrexerunt. Quis reædificavit urbes flagitii? quis turpitudinis mœnia dilatavit? quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum ſulfurei illius incendii reliquias infelices circumquaque diſperſit, exſecrabili illo cinere Eccleſiæ corpus adſperſit, & ipſorum quoque miniſtrorum ejus nonnullos ſanie fœtidiſſima ſpurciſſimaque reſperſit. Heu! genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, quis inter tua illa primordia tam divina, & ſpiritualibus affluentem chariſmatibus Chriſtianæ Religionis ortum, credere poſſet, poſſe talia in te aliquando reperiri?

36. Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viventis; inhabitant cum hac macula templum, ſanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, quod & tam graviſſimas conſcientias gerunt, & nihilo minus ſeſe ingerunt in ſanctuarium Dei. Tales enim non modo non placant Deum, ſed & magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: Non requiret. Irritant plane & infenſum reddunt ſibi, vereor ne in his quibus eum propitiare debuerant. Utinam magis turrim inchoaturi, ſedentes computarent, ne forte ſumptus non habeant ad perficiendum. Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumptuoſa ſiquidem turris eſt, & verbum grande, quod non omnes capere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio melius nubere, quàm uri; & ſalvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri ſublimitate & deterius vivere, & diſtrictius judicari. Multi enim, non quidem omnes, ſed tamen multi, certum eſt, nec latere queunt præ multitudine, nec præ impudentia quærunt: multi utique libertatem, in qua vocati ſunt, in occaſionem carnis dediſſe videntur, abſtinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes.

Cœlibatus professio immoderata ſumta.

CAPUT XXI.

Serio cohortatur ad pœnitentiam

37. Parcite obſecro, fratres, parcite animabus veſtris, parcite ſanguini qui pro vobis effuſus eſt. Horrendum cavete periculum, ignem qui paratus eſt declinate. Inveniatur tandem non irriſoria perfectionis profeſſio; exhibeatur etiam virtus in ſpecie pietatis. Non ſit inanis cœlibis vitæ forma, & vacua veritatis. Quidni periclitetur caſtitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc ſæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite, & ſalvate animas veſtras. Convolate ad urbes refugii, ubi poſſitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari. Non vos retardet conſcientia peccatorum: quia ubi illa abundaverunt, ſuperabundare gratia conſuevit. Non pœnitentiæ auſteritas ipſa deterreat. Neque enim condignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur; non ad præſentem conſolationis gratiam, quæ immittitur; non ad futuram gloriam, quæ promittitur nobis. Denique nulla eſt tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non ſapidam reddat ſapientia, lignum vitæ.

Quinque præcipue periculo obnoxia. — *Pœnitentia non relinquenda.*

38. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquieſcite plurimorum. Currunt undique peccatores ad pœnitentiam, & natura pariter & conſuetudine delicati exteriorem omnino aſperitatem non reputant, ut exaſperatæ conſcientiæ leniantur. Nihil credentibus impoſſibile, nil amantibus difficile, nil aſperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium. Quamdiu ambulatis in magnis & mirabilibus ſuper vos? Magnum prorſus & mirabile eſt miniſtrum eſſe Chriſti, & myſteriorum Dei diſpenſatorem. Longe ſuper vos eſt ordo pacificorum, tuſi forte, omiſſis gradibus præoſtenſis, ſaltare magis, quàm aſcendere libet. Utinam tamen quiſquis ſic intrat, ſi fieri poſſet, tam fideliter miniſtraret, quàm fiducialiter ſe ingeſſit. At difficile, fortaſſis & impoſſibile eſt, ut ex amara radice ambitionis, ſuavis fructus prodeat caritatis. Dico ego, ſi vultis audire, immo non ego, ſed Dominus: *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Difficultas pœnitentiæ quo modo ſuperanda. — *Remedium pro eis qui non legitime promoti.* — *Luc. 14. 8.*

CAPUT XXII.

Bonorum Paſtorum eſt, docere; nec fugere perſecutiones propter juſtitiam.

39. Beati, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Conſidera diligenter non pacidicos, ſed pacificos commendari. Sunt enim qui dicunt, & non faciunt. Sane quemadmodum non auditores legis juſti ſunt, ſed factores: ſic non annuntiatores pacis ſunt beati, ſed actores. Utinam tamen noſtri quicumque videntur hodie Phariſæi, (forte enim aliqui ſunt) etſi non facerent, ſaltem dicerent quod oportet. Utinam qui ſine ſumptu Evangelium ponere nolunt, ponerent vel pro ſumptu: utinam vel evangelizarent ut manducarent. *Mercenarius*, inquit, *videt lupum venientem, & fugit.* Utinam hodie quicumque paſtores non ſunt, mercenarios gregi vellent ſe exhibere, non lupos: utinam ipſi non læderent, utinam non fugerent nemine perſequente, utinam non exponerent gregem, donec lupus veniens videretur. Nimirum ſuſtinendi fuerant, ſi invenirentur, præſertim tempore pacis, recipientes mercedem ſuam, & pro mercede ſua ſaltem in cuſtodia gregis laborantes: dummodo non ipſi turbarent gregem, & gratis averterent a paſcuis juſtitiæ & veritatis. Nam perſecutio quidem indubitanter mercenarios à paſtoribus ſegregat & diſcernit. Quando enim tranſitoria damna non timeat, qui temporalia lucra ſectatur? Quando terrenam ſuſtineat perſecutionem propter juſtitiam, qui terrenam mercedem pluſquam juſtitiam quærit? *Beati*, inquit, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Paſtorum hæc beatitudo, non mercenariorum, multo minus latronum eſt, vel luporum. Uſque adeo ſiquidem perſecutionem non ſuſtinent propter juſtitiam, ut perſecutionem malint, quàm juſtitiam ſuſtinere. Nempe contraria eſt operibus eorum, gravis eſt etiam eis ad audiendum.

Matth. 5. 9. — *Mercenarios ſaltem paſtores optat.* — *Joban 10. 12.* — *Modo non turbent gregem.* — *Perſecutio mercenarios à veris diſcernit.* — *Matt. 5. 10.*

Paſtores rapaces quanta pro temporalibus patiantur.

40. Ceterum propter avaritiam, propter ambitionem A paratos eos videas univerſa pericula ſubire, ſuſcitare ſcandala, ſuſtinere odia, diſſimulare opprobria, negligere maledicta: ut non minus pernicioſa ſit animoſitas talium, quàm puſillanimitas mercenariorum. Veris ergo paſtoribus dicit Paſtor eorum, paſtor bonus, qui pro ovibus ſuis animam ſuam ponere non pepercit: *Beati eritis cum vos oderint homines. & cum ſeparaverint vos, & ejecerint nomen veſtrum tamquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* (Ibid.) Siquidem non eſt quod fures timeant, qui ſibi in cælo theſaurizant. Non eſt quod cauſentur de multiplici tribulatione, ubi multiplicationem mercedis attendunt. Quin immo gaudeant magis, ut dignum eſt, quod non tam perſecutio, quàm remuneratio augeatur: & exſultent eo abundantius, quo plura ſuſtinent propter Chriſtum, ut eos proinde copioſior merces maneat apud ipſum. Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Fidelis exſtat ſententia irrefragabili veritate ſubnixa*, quia nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Sed parum eſt nocere: etiam proderit, & copioſius proderit, dummodo ſit juſtitia in intentione, Chriſtus in cauſa, apud quem patientia pauperum non peribit in finem. Ipſi gloria nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

* In orat. & collecta Eccleſiæ.

ADMONITIO IN SEQUENS OPUSCULUM IV.

I. INter eos qui monaſtica vitæ inſtituta ſectantur, illud fere uſu venit, ut quo quiſque religioſior eſt, eo minus Regulæ ſuæ obligationem meditetur quàm ſenſum, nec tam Caſuiſtarum placita requirat, quàm Legiſlatoris ſui voluntatem. Cum enim Regulæ ſibi præſcriptæ ex animo addictus, ſubjectuſque ſit, nihil in votis potius habet, quam eam in omnibus ſequi ducem, etiamſi nulla eſſet parendi neceſſitas. Religioſis eo modo comparatis non eſt lex poſita, nec ita neceſſaria eſt ſequentis Libri lectio, quàm aliis, quos magis afficiunt ac ſollicitant quæſtiones de Regulæ obligatione, quàm de vera & germana ejus ſententia & praxi; neque alio animo Doctores conſulunt, quàm ut Regulæ onus minuere, &, quoad citra crimen fieri poſſit, ab ejus accurata ſeu (ut ipſis videtur) ſcrupuloſa obſervatione impune recedere ſibi liceat. Ejuſmodi hominibus nihil magis formidandum, quàm ut incidant in Doctores male ſanæ voluntati obſequentes: ex quorum conſiliis laxiorem viam ſectentur; atque inde in Regulæ ſuæ neglectum, tum in ejus contemtum, ac demum in ſtatus ſui odium (quæ certa damnationis conditio eſt) ſenſim delabantur.

II. Atqui ex omnibus, meo quidem judicio, conſulere poſſunt neminem, qui eos & ſalubrius, & ſecurius inſtruat, quàm Bernardum: cum iis præditus fuerit dotibus quæ Doctorem integerrimum efficiunt, pietate ſcilicet haud vulgari, doctrina cælitus infuſa, & monaſticarum rerum inſigni peritia. Ex quo fit, ut ejus his de rebus ſententia minime ſuſpecta eſſe poſſit, ſed omnino pia, certa, & omnibus ejuſdem inſtituti ſectatoribus amplectenda: adeo ut ſi optio nobis daretur, ut aliquis è cælo delapſus id confirmaret, nullum potius auctorem, quàm iſtum auſcultare velle deberemus. Nunc vero eam debemus gratiam Carnotenſibus ſancti Petri monachis, qui ſanctiſſimi Patris de propoſita materia ſententiam & doctrinam obtinuerunt. quod qua occaſione, quove tempore acciderit, opera pretium eſt inveſtigare.

III. Quo tempore Udo abbas iſti monaſterio præerat, ejus loci monachi ſcripta epiſtola Bernardum conſuluerunt, quænam eſſet Regulæ ſancti Benedicti, ejuſque ſtatutorum obligatio. Bernardum cunctabundum iteratis litteris interpellant (nam binas Bernardus memorat) & quidem inconſulto, ut videtur, abbate. quæ cauſa fuit, ut vir ſanctus, qui eorum tandem obſecutus eſt voluntati, librum ſuum, non Gaufrido, quem huc perperam intrudunt vulgati indices, ſed Rogerio ab anno* MCXXXI. *ad* MCLVIII *abbati, monachiſque Columbenſibus* *ejuſdem diœceſis & inſtituti, dirigeret: ut reſponſum ſuum in manus Carnotenſium monachorum, citra conſcientiam ipſorum abbatis, ſicuti Regula cavet, ne perveniret. Epiſtolam epiſtolis duabus reddere Bernardus animo deſtinaverat: ſed creſcente materia, ex epiſtola factus eſt liber.* Proinde vos, *inquit**, ſi placet LIBRUM, ſi placet EPISTOLAM nominate. *& in epiſtola prævia ad Columbenſes:* LIBER, ſi judicatis, non EPISTOLA cenſeatur. Et quia inter multas quæſtiones, quæ ibi à me ſolvuntur, id præcipue ſubtilius utiliuſque pertractatur, quænam liceat præcepta, & per quos, & quatenus diſpenſari: detur ei titulus, DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE, niſi vobis aliud forte congruentius videatur. *Ex his verbis, immo ex toto libro intelligimus, hunc maxime monaſteriorum præpoſitis neceſſarium eſſe, non ſolum ut ſibi ſubditos inſtruant, ſed ut ipſi etiam agnoſcant, qualis ſit penes ſe diſpenſandi auctoritas.*

* Num. 17 & 60.

* de Coulombs.

* Num. 60.

IV. Qua occaſio Carnotenſes monachos ad Bernardum conſulendum impulerit, nobis incompertum. Nam toto Udonis abbatis regimine, quod ab anno MCXXVIII. *ad annum fere* MCL. *productum eſt, nullas turbas apud eos excitatas invenimus. Quin immo Udonem abbatem cum ſuis monachis bene conſenſiſſe ex ipſius actis colligere licet. Ejus electionem (ut id obiter obſervemus) non ſolum magnus ille Gaufridus Carnotenſium epiſcopus, ſed etiam Matthæus Albanenſis cardinalis & legatus, ſollemni edicto comprobavit, anno* MCXXVIII. *& ipſe Gaufridus epiſcopus, cognomento* de Leugis, *cenſus ex eccleſia S. Martini de Valle ſuburbana, S. Petri monaſterio, abbatia S. Johannis* in Valleia, *& leproſis debitos definivit, approbante Innocentio II. & Theobaldo Comite,* præſente Udone S. Petri abbate, *item,* Andrea de Baldamento (*de quo in Bernardi epiſtolis non ſemel*) & Hugone ſancti Johannis de Valleia abbate, DOMNO BERNARDO Claræ-vallenſi, Gualterio Priore S. Martini de Valle, Goſleno de Leugis, fratre epiſcopi Gaufridi, & Goſleno de Leugis ejuſdem nepote. Anno MCXXXXI. indict. IX. epacta XX. concurrente III. XV. Kal. Februarii. *Erat & alius* Hugo de Leugis *præpoſitus eccleſiæ Carnotenſis. Ceterum abbas Udo S. Petri Armarii ſeu Bibliothecæ Libros, vetuſtate pæne deletos, & plures à tineis corroſos animadvertens, ratus* inhoneſtum &

indecorum *eſſe*, qood monaſterium magnæ nobilitatis haberet armariom tantæ paupertatis, *aſſenſu Capituli illud renovare aggreſſus eſt, aſſignando reditus ex ſingulis monaſterii Obedientiis, ut armarius (ſic bibliothecæ præfectum vocabant) ſingulis annis haberet, unde libros renovare vetuſtos, aut vetuſtis novos ſuperaddere valeret. Id factum confirmatumque anno* M C XLV. *quo tempore Bernardus ſequentem librum jam compoſuerat.*

V. Hunc quippe Petrus Venerabilis, nuper de Hiſpaniis *reverſus, à Bernardo poſtulavit libri* IV. *epiſtola* XXII. *qua Bernardi epiſtolæ* CC XXVII. *reſpondet, ſcripta ſub annum* M C XLIII. *ut ſuo loco probatum eſt. Petri verba huc adſcribo ex fine prædictæ epiſtolæ.* Mittite, ſi placet, per præſentium latorem, vel per alium, Epiſtolam illam veſtram, quibuſdam Carnotenſibus monachis, ut mihi videtur, miſſam, reſpondentem de Regulæ præceptis, & de diverſis monaſtici Ordinis uſibus: quam Cluniaci ſemel legi, ſed numquam poſtea ad relegendum habere potui. *Hoc in Opuſculo Gaufridus libro* III. *de vita Bernardi capite* VIII. vigilem *ſancti Doctoris* & circumſpectam diſcretionem *merito laudat; & id ſane quivis ſibi facile perſuadeat, quiſquis æquo animo hunc librum legerit, & cum ſancti Thomæ Aquinatis ſententia contulerit.*

VI Neque enim (ut quibuſdam videri poſſit) ſeverior eſt Bernardi doctrina, ſed ſincera & maxime accurata: quam facile aliunde probare liceret, ſi non eam ſolidius fulciret dicentis auctoritas. Quatuor vero præcipua de corporalibus (quas vocat) ſancti Benedicti Regulæ obſervantiis tradit piiſſimus Pater. Primum eſt, corporales iſtas obſervantias, non graves quidem illas, (quales ſunt abſtinentia à carnibus, ſilentium nocturnum, tam ſevere à ſanctiſſimo Legiſlatore præſcripta) ſed, exempli cauſa, ſilentium indictum, *accedente præpoſiti mandato, ſi quo minus obſervantur*, in peccatum reputari, non tamen in crimen, ita ſane ſi per ſubreptionem aut oblivionem, non per contemptum, horum tranſgreſſio contigerit, *num.* 17. *ita ut* nec ſine offenſa negligi, nec contemni ſine crimine vel ipſa queant: &, obnoxium faciant peccato, non magno tamen, ſi contemptus defuerit, *ibidem: denique* vix peccatum reputantur *num.* 18. *præſertim cum* remedio pœnitentiæ *ſanantur. Nimirum quod hoc pacto monachus ſe contineat intra Regulæ limites, quæ dividitur in* Præcepta & Remedia *num.* 32. *Secundum eſt, ejuſmodi tranſgreſſiones contemtu evadere peccata mortalia.* Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, IN MINIMIS quoque mandatis, culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis, *num.* 26. *Tertium denique eſt, in eo differre contemtum à neglectu*, quod neglectus quidam languor inertiæ eſt: contemptus vero ſuperbiæ tumor *num.* 18. voluntatis ſuperba contentio, *nolentis mandato acquieſcere, num* 26. *Denique* ſi poſſumus & nolumus, ſuperbi ſumus, *num.* 31. *ac per hoc contemtus rei.* Non ergo, *inquit num.* 26. qualiſcumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, ſed repugnare, ſed nolle obedire, *præſertim ubi & præceptum, & pœnæ remedium reſpuitur.*

VII. Et hæc omnino eſt ſancti Thomæ doctrina 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 9. *tum in corpore, tum in reſponſione ad primum, in qua tres ſunt partes: quarum prima eſt de obſervantiis Regulæ S. Benedicti: altera de obſervantiis, quarum tranſgreſſio ex condicto obligat ad veniale: tertia de ſtatutis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quæ ex ſpeciali quodam conſtituto ad pœnam tantum obligant. Prima pars ſic habet.* Ad primum ergo dicendum, quod ille qui profitetur Regulam, non vovet ſervare omnia quæ ſunt in Regula; ſed vovet regularem vitam, quæ etiam conſiſtit in tribus prædictis principalibus votis. Unde & in quibuſdam Religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem Regulam, ſed vivere ſecundum Regulam, id eſt tendere ad hoc, ut aliquis mores ſuos informet ſecundum Regulam, ſicut ſecundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. *Et hæc eſt propria ſpecies Regulæ ſancti Benedicti, teſte etiam Bernardo num.* 10. *Secunda ſpecies ita exprimitur.* In quibuſdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam ſecundum Regulam, ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi id quod eſt contra præceptum Regulæ, *id eſt præceptum proprie dictum, obligationem inducens:* tranſgreſſio vero vel omiſſio aliorum obligat ſolum ad peccatum veniale: quia, ſicut dictum eſt, hujuſmodi diſpoſitiones ſunt ad principalia vota: peccatum autem veniale eſt diſpoſitio ad mortale. *Itaque in ſententia S. Thomæ tranſgreſſiones minorum obſervantiarum ſunt* diſpoſitiones *ad tranſgreſſiones principalium votorum; ac proinde culpæ veniales.*

VIII. At demus etiam Regulam ſancti Benedicti in minoribus obſervantiis obligare ſolum ad pœnam: videamus qua ratione ſanctus Thomas hac de re ſententiam ſuam explicet. In aliqua tamen religione, Fratrum ſcilicet Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur. qui tamen poſſent VENIALITER, VEL MORTALITER peccare ex negligentia, vel libidine, vel contemptu. *Ergo ex ſancto Thoma, etiam in iis ſtatutis quæ obligant ad ſolam pœnam, incurri poteſt venialis culpa* ex negligentia vel libidine, *immo & mortalis* ex contemptu. *Uno verbo, ejuſmodi erratorum qualitas pendet ex affectione animi, cujus negligentia vel prava diſpoſitio nulla conſtitutione excuſari poteſt, maxime ubi non fertur in unam quamdam obſervantiam, ſed in totum corpus obſervantiæ regularis.*

IX. Ad hanc doctrinam illuſtrandam neceſſaria eſt reſponſio ad tertium, in qua contemtum ita explicat, quod tunc committit aliquis vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis vel regulæ, (*quæ ipſiſſima eſt Bernardi doctrina*) & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem e converſo propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta le-

giſ vel regolæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliquaalia cauſa, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia, ſimile peccatum iteret. Sicut etiam Auguſtinus dicit in lib. de Natura & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ. Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum. Tom II. Opusc IV.

X. Itaque ſecundum mentem beati Thomæ, ex habitu ſeu conſuetudine ejuſmodi culparum fit progreſſus in contemtum. qua in re non omnino conſentire videtur cum Bernardo, qui ait num. 26. ejuſmodi lapſus per contemptum verti in uſum & conſuetudinem. *quaſi contemtus gradus ſit ad conſuetudinem, non conſuetudo ad contemtum.* Et tunc, *inquit*, non peccati ſpecies, *nempe levior graviorne ſit*, ſed peccantis intentio penſatur. *Eamdem ſententiam fuſius explicat in lib. de Humilitate, capitibus* xx. & xxi. *Verum alter cum altero recte conciliari poteſt, ſi dixerimus, Bernardum eſſe intelligendum de conſuetudine obfirmata, à qua quis recedere nolit, neque ſe revocando ad mandatum, neque pœnam culpa ſubire volendo: quo nonniſi contemtu perveniri poteſt: Thomam vero explicandum de conſuetudine, quæ oritur ex fragilitate & commotione paſſionis, quam quis ex animo abjicere vellet, ſed per infirmitatem non valet. quæ nihilo minus conſuetudo ad contemtum (niſi generoſe tandem ei reſiſtatur) ſenſim pertrahit. Verum longius progredior: ſed tamen (ut quidem exiſtimo) non otioſe, nec intempeſtive. Finio cum effato Johannis Sareſberienſis in epiſtola* CCLXXXII. Minima ſervata vitam acquirunt, & plerumque martyrii gloriam promereotur: neglecta vero ex crimine inobedientiæ & contemptus æternam ingerunt mortem. *Ceterum ſequentis Opuſculi editio Rotomagi primum facta eſt ante annum quingenteſimum abſque temporis nota, adjunctis libris de Conſideratione, & Apologia ad Guillelmum, uti alias monuimus.*

S. BERNARDI ABBATIS

Opuſc. IV.

LIBER

DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE.

EPISTOLA

AD ABBATEM *Columbenſem de Opere ſequenti.*

Domno Abbati Columbenſi frater Bernardus abbas dictus de Clara-valle, valere in Domino ſemper.

A

RESCRIPTUM meum ad epiſtolas Carnotenſium quorumdam monachorum, vobis primum, ut promiſeram, deſtinare curavi: ubi & aliud quoque impletum eſt quod juſſiſtis. Nam cum breviter reſcribere decreviſſem, & epiſtolis epiſtolam tantum reddere velle cœpiſſem: hortatu veſtro in libri, ut cernitis, longitudinem protraxi ſtilum, ut & in pluribus plures poſſint ædificari. Quod opus cum à vobis perlectum fuerit; tunc non ipſis, ad quos factum eſt, ſed eorum prius reddatur Abbati: & ſic demum ad ipſos, ſi juſſerit Abbas, perveniat. Monachi enim ſunt; & ex lege ſuæ Regulæ * ſine nutu ſui Abbatis ſicut dare, ita & accipere datas prohibentur epiſtolas. Nam & ob hoc maxime diu, ſicut ſcitis, multum licet rogatus ab eis, reſpondere tardavi, quod (ut mihi videbatur) ignorante Abbate ſcribere illas epiſtolas, & mittere præſumpſiſſent. Nec falſo id ſuſpicatus ſum, uti poſtmodum liquido comperi. Ego cœpto operi (quod quidem legentibus apparebit) Epiſtolæ nomen indideram: ſed quoniam pro nomine modum, veſtro obviante mandato, ut promiſeram, non ſervavi; Liber, ſi judicatis, non epiſtola cenſeatur. Et quia inter multas quæſtiones, quæ ibi à me ſolvuntur, id præcipue ſubtilius utriuſque pertractatur, quænam liceat præcepta, & per quos, & quatenus diſpenſari: detur ei titulus, DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE: niſi vobis aliud forte congruentius videatur.

B

C

Bernardi zelus pro diſciplina regulari.

Reg. S. Bened. cap. 54.

Titulus hujus libri, ejuſque ratio.

PRÆFATIO

Ad Monachos Carnotenſes, in Tractatum ſequentem.

QUa mente jam taceboſqua fronte tamen loquar? Crebris epiſtolis & nuntiis cogitis me aut propriam prodere imperitiam, aut officium renuere caritatis. At ego malens ſine illa quæ inflat, quam abſque illa quæ ædificat, inveniri; victus tandem precibus veſtris, duris injicio nodis ungues teneros, & (ut vereor ego) non aliud quàm terendos. Sed hoc incaſſum. Nam mea me, ut ſcribitis & præſcribitis, tam abſentis ſcripta, quam verba præſentis arguunt excuſantem. Quis enim jam relinquitur mihi vel de impoſſibilitate cauſandi locus, præſertim apud vos, qui ex ore & ex corde meo ſatis certum tenere vos creditis, quantum poſſim in talibus? Fidei proinde veſtræ, non meo fidens ingenio, abyſſum ingredior quæſtionum; neſciens (Deus ſcit) qua emerſurus. Præſto caritas erit, utinam ita & veritas. Si quo minus; excuſet effectum defectus potius ingenii: voluntatem certe non culpabitis. Tentabo autem eaſdem, ſi potero, quæſtiunculas ſub epiſtolari cunctas brevitate redigere, etſi non epiſtola brevi. Mirum ſiquidem non eſt, ſi fuero ego longior in exponendo: cum vos tantum eas ponendo, duas, & ipſas ſatis longas, epiſtolas texueritis.

Occaſio hujus ſcriptionis.

CAPUT I.

An monaſtica Regula inſtituta præcepta ſint, an conſilia dumtaxat.

1. PRima igitur quæſtio circa Regulam noſtram verſatur, de qua (ni fallor) & reliquæ omnes, aut pæne omnes oriuntur. Quæritis nempe, Regularis illa inſtitutio quomodo & quatenus ſit penſanda profitentibus eam: utrum videlicet cuncta quæ continet, putanda ſint eſſe præcepta, conſequenter & damnoſa tranſgredienti: an conſilia tantum vel monita, & ob hoc nullius, aut non magni ponderis ſit ipſorum profeſſio; nullius, aut non gravis culpæ ipſorum prævaricatio: an certe quædam ſint deputanda imperiis, quædam pro conſiliis reputanda, quo partim ea liceat, partim non liceat omnino prætergredi. Et ſi hoc ultimum detur, diſtingui à me tunc

Quæſtionis ſtatus.

D

Tom II. Opusc IV. demum certos ac propriæ cujuſque partis limites flagitatis : ne cui forte per varias ſui ſenſus opiniones licentius vagandi detur occaſio ; ſicque liquare culicem, & camelum glutire contingat, ſi neſciat quantum curæ vel operæ ſuæ quibuſque debeat obſervantiis. Hic eſt, quantum recolo, totus veſtræ illius partitionis ſenſus, etſi non verba. Quod autem ſubjungitis & pergitis inquirere de obedientia, quibus gradibus diſtinguatur, quibus claudatur limitibus, ad eamdem arbitror pertinere diviſionem, quippe quæ in decretis regularibus præcipua habetur : & puto, cum ad illam ſatis reſponſum fuerit, de iſta jam nil ſupererit quod ambigatur.

Reſponſio. 2. Itaque, ut ſentio ego, Regula ſancti Benedicti B omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodeſt, ſi devote ſuſcipitur & tenetur ; non tamen, ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis ; voluntarium merito dixerim, non neceſſarium. Attamen hoc ipſum quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit, & promiſerit deinceps tenendum ; profecto in neceſſarium ſibi ipſe convertit, nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate * tenebit : quia omnino neceſſe eſt eum reddere vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo aut condemnari jam, aut juſtificari. Ceterum felix, ut quidam * ſanctorum ait, neceſſitas, C quæ cogit in melius. Omnia proinde ſancti Benedicti inſtituta, exceptis ſane nonnullis de ſpiritualibus, verbi cauſa, caritate, humilitate, manſuetudine, quæ non tam ipſum conſtat inſtituiſſe quàm Deum, & ob hoc penitus non eſſe mutanda ; de cetero reliqua univerſa [a] non profitentibus quidem monita tantum, ſeu conſilia cenſenda ſunt, nec gravant non obſervata : cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant, ſive (ut veſtra vobis reddam) illis voluntaria vel factitia, iſtis neceſſaria, & tamquam naturalia non immerito reputantur. Ita ſane neceſſaria dixerim, ut ex eis minime præjudicetur ne- D ceſſariis rationabilibuſque diſpenſationibus.

Vovere eſt voluntatis, ſed vota reddere, neceſſitatis. — * al. jam tenebit — * S. Aug. ep. modo 127. ad Armentarium. — *Duplicis generis inſtituta in Regula.* — a — *Profeſſos obſervantiæ ligant.*

CAPUT II.

In conſtitutionibus majorum quando & à quibus diſpenſandum.

Diſpenſandi auctoritas quibus competat. 3. SEd non omnibus in hujuſmodi credita eſt diſpenſatio, niſi his dumtaxat qui cum Apoſtolis dicere poſſunt : *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4. 1. Novit autem fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ibi tantum uſurpare diſpenſationem, unde bonam poſſit habere recompenſationem. Hoc quippe E quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Et eadem fortaſſe fidelitas à ſubditis nihilominus exigitur in obtemperando, quæ à Præpoſitis in diſpenſando. Conſtat igitur ex his quæ dicta ſunt, veſtram illam diviſionem integram eſſe ac ſufficientem, ſi modo perſonæ diſtinguantur & tempora, dum ſubjectis quidem ſit omnis regularis inſtitutio (quantum dumtaxat ad corporales obſervantias pertinet) ante profeſſionem voluntaria, poſt profeſſionem neceſſaria : Prælatis vero partim voluntaria, ut quæ inventa ab homine ; partim neceſſaria, ut quæ fuerint divinitus inſtituta.

Obſervantiæ corporales quatenus neceſſariæ.

Neceſſarium triplex. 4. Quam ob rem fortaſſis tunc potiſſimum congrua & luculenta magis eadem diviſio apparebit, ſi ejus membrum quod dictum eſt neceſſarium, rurſus in tria hæc ſubdividatur, Stabile, Inviolabile, Incommutabile. Et quidem Stabile dixerim, quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas ſit, niſi ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, id eſt Præpoſitis, ut, verbi gratia, Regulæ ſanctorum Baſilii, Auguſtini, Benedicti, necnon & authentici Canones, & ſi quæ ſunt alia eccleſiaſtica inſtituta dignæ auctoritatis. Quæ quoniam à Sanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeverant, nec omnino cuivis ſubjectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus ; etiam per homines, loco & officio illis canonica electione ſuccedentes, licite interdum innoxieque pro cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſantur. Ubi ſane qui hæc legit, attendat me caute non dicere, ea poſſe vel ab iſtis leviter pro voluntate mutari : ſed ex ratione fideliter diſpenſari. Ideo autem hanc ipſam mutationem taliter & à B talibus recipere poſſunt, quoniam non naturaliter nec per ſe bona ſunt.

1. Neceſſarium ſtabile. — *Diſpenſationi ut obnoxia Regula.*

5. Porro inventa atque inſtituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, ſed quod ita magis expediret ; nec planè ad aliud, quàm ad lucrum vel cuſtodiam caritatis. Quamdiu ergo caritati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omnino, ne ab ipſis quidem Præpoſitis, ſine offenſa poſſunt. At ſi è contrario contraria forte aliquando caritati viſa fuerint, his dumtaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt : nonne juſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel inter- C mittantur, vel in aliud forte commodius demutentur ? Sicut è regione iniquum proculdubio foret, ſi ſtatuta pro ſola caritate, contra caritatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex ſtabili neceſſario ſunt : ſed quatenus caritati deſerviunt. Numquid autem hoc ego vel ſolus ſentio, vel primus dico ? Annon hoc ipſum & papa Gelaſius ſenſit ? Ait ſiquidem : Ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant ſanctorum Patrum decreta. Leo quoque Papa, Ubi, inquit, neceſſitas non eſt, nullo modo ſanctorum Patrum conſtituta violentur. Et infert : Ubi ergo neceſſitas fuerit, ad utilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet. D Ex neceſſitate enim fit mutatio legis.

Caritati ſubjecta ſunt. — V. Notas. — *Caritate exigente diſpenſat eorum admittant.*

CAPUT III.

Diſpenſationem in lege divina ſoli Deo reſervatam eſſe. At quæ ſunt legis æternæ, omnino etiam Deo eſſe immutabilia.

6. NEceſſarium deinde, quod Inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum, niſi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur : ut, exempli cauſa, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & reliqua [b] illius tabulæ legiſcita : quæ etſi nul- E lam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere, aut licuit, aut licebit : Dominus tamen horum quod voluit, quando voluit ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam eum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum utique alterum quid niſi grave furti facinus, alterum quid niſi flagitii turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet utrumque factum auctoritas imperantis ? Sane ubi ſimile aliquid aliquando à ſanctis hominibus fuiſſe legitur uſurpatum, Scriptura non indicante quod Deus ita præceperit ; aut eos peccaſſe fatendum eſt, aut homines ; aut certe, ſicut prophetas, familiare Dei conſilium accepiſſe. Unde & unum exemplum pono quod occurrit de Samſone, qui ſeipſum una cum hoſtibus opprimens interfecit. Quod utique factum ſi defenditur non fuiſſe peccatum, privatum habuiſſe conſilium indubitanter credendus eſt, etſi de Scriptura [c] hoc non habemus.

2. Neceſſarium inviolabile. — Exod. 3. 22. Oſea 1. 2. *De factis quibuſdam peculiaribus Sanctorum quid cenſendum.* — Judic. 16. 30.

7. Jam vero neceſſarium Incommutabile quid accipi

a *Corporales obſervantias* vocat num. 3. & ſeqq.

b Nempe ſi quæ alia ſunt, quorum actus internus ab inordinata animi diſpoſitione ſeparari poteſt, ut in furto & homicidio, ubi factum ipſum divinam diſpenſationem admittit, non prava animi affectio. alias Bernardus à ſe ipſo diſſentiret, à quo inter immutabilia cenſetur num. ſeq. *omnis illa Sermonis Dominici in monte habiti traditio* ; quo in ſermone interdicta eſt mulieris cujuſvis prava concupiſcentia. Eodem ſpectat falſum teſtimonium.

c Certe huc non pertinet quod legitur in epiſt. ad Hebræos c. 11. v. 32. nec quicquam conficitur ex Judicum cap 6. Vide alias Notas.

Neceſſaria incommutabile.

velim? Equidem nil congruentius, quam quod divina A ita conſtat & æterna ratione firmatum, ut nulla ex cauſa poſſit, vel ab ipſo Deo, aliquatenus immutari. Sub hoc genere eſt omnis illa ſermonis Dominici in monte habiti ſpiritualis traditio, & quicquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, ceteriſque virtutibus, tam in novo, quam in veteri Teſtamento ſpiritualiter obſervandum contraditur. Hæc quippe talia ſunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo ſiquidem immobiliter, quo & naturaliter bona, numquam niſi innocenter, numquam niſi ſalubriter aut imperantur, aut obſervantur. Omni tempore, omni perſonæ, mortem contempta, cuſtodita ſalutem operantur. PRIMAM ergo neceſſitatem ſua cuique fa- B cit in promittendo voluntas, ſecundam præcipientis auctoritas, tertiam præcepti dignitas.

Differentia inter tria illa neceſſaria.

8. Differunt autem, ut jam dictum eſt, quibuſdam à ſe invicem gradibus tres iſtæ neceſſitates, nec una omnes ſequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex prima quidem quod efficitur, etſi non penitus immutabile, tamen vix mutabile eſſe conſtat: dum ſolis illud liceat mutare Prælatis, & hoc nonniſi fideli & provida diſpenſatione. Quod vero fit ex ſequenti, quæ & major iſtâ, eſt pæne jam incommutabile. Soli quippe Deo eſſe mutabile ſuperius domonſtratum eſt. Porro quod de noviſſima fit, tamquam omnium maxima, omnino incommutabile eſt, utpote quod ne ipſi qui- C dem Deo mutare liberum eſt. Quod igitur nulli hominum fas eſt, niſi ſolis mutare Prælatis, dici VIX MUTABILE congrue poteſt: quod ſoli conſtat licere Deo, dicatur pæne immutabile: quod ne ipſi quidem penitus immutabile nominetur.

CAPUT IV.

Quod Prælatis circa diſpenſationem Regulæ liceat.

9. QUæ cum ita ſint, ut ad ea redeam, de quibus potiſſimum quæritur, patet quod magna ex parte regularis traditio ſubeſt ejus qui præeſt, etſi non voluntati, certe diſcretioni. Sed dicitis: Quid ergo re- D linquitur neceſſitati? Audite: quamplurimum. Primo quidem quicquid de ſpiritualibus in ipſa Regula traditum eſt, in manu Abbatis (ut ſupra taxatum eſt) nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus conſtat obſervantiis, ne ipſa quidem in ejus ita voluntate poſita eſt, ut ejuſdem deſerviat voluntati, ſed magis caritati. Neque enim Abbas ſupra Regulam eſt, cui ſemel & ipſe ſpontanea ſe profeſſione ſubmiſit, etſi (quod negandum non eſt) Dei regula caritas Regulæ ſancti Benedicti jure præponitur. ESTO proinde ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore caritati, cum ratio neceſſitatis [a] exegerit: abſit tamen ut hominis cujuſpiam ſubdatur voluntati. E SUPER Fratrum ſane tranſgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque ſanctas illas obſervantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non ſubditas voluntati. Hinc eſt quod idem Legiſlator in his quæ Abbati diſpenſanda reliquit, caute nuſquam (ut memini) voluntatem, ſed aut conſiderationem, aut diſpoſitionem, aut pro-

Abbas Regulæ ſubjectus.

Regularem obſervantiam Prælatorum fidei, non arbitrio commiſſa.

A videntiam, aut certe arbitrium, ſeu aliquid hujuſmodi ponit: volens nimirum providum fidumque diſpenſatorem, rationis, ubi forte diſpenſat, ſequi judicium, non ſuæ placitum voluntatis. Unde & intimat ei non ſemel, quod de omnibus judiciis ſuis Deo redditurus ſit rationem.

10. Lego profecto in Regula, Hæc conſideratio penes Abbatem ſit; & hoc vel illud eſſe in providentia, vel arbitrio, ſeu diſpoſitione Abbatis. Ut autem pro ſua voluntate aliquid mutet, me ibi legiſſe non recolo. quinimmo, *In omnibus*, inquit, *omnes magiſtram ſequantur Regulam, nec ab ea temere devietur a quoquam.* Ergo nec ab ipſo Abbate. *Omnes*, inquit, *magiſtram ſe-* B *quantur Regulam.* Nemo ergo ſuam voluntatem. ubi ſane nec Abbatem excipi puto. Videtis quantum neceſſitati tribuitur, ſubtrahitur voluntati? Quid etiam? Nonne regularis ipſa [b] profeſſio, qua ſe junior ſubdit ſponte Priori, æque alligat & Priorem? Communis equidem pacti pari reor utrumque neceſſitate teneri, fierique duos per unius ſponſionem ad alterutrum debitores: fidelis curæ unum, alterum humilis obedientiæ. Quidnam igitur jam voluntati relinquitur, ubi & Prælatus debiti neceſſitate tenetur? Sed & de hoc item non parum Prælati præſcribitur voluntati, quod is qui profitetur, ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinate ſecundum Regulam; nec C aliam, quàm ſancti Benedicti. ut oporteat eum qui præeſt, non frena ſuæ laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram; & ſic ſua demum imperia moderari circa id ſolum, quod rectum eſſe conſtiterit; nec quodlibet rectum, ſed hoc tantum quod prædictus Pater inſtituit, aut certe quod ſit ſecundum quod inſtituit. Sic ſe quippe habet profeſſio. PROMITTO, non quidem Regulam, ſed, OBEDIENTIAM SECUNDUM REGULAM SANCTI BENEDICTI. Non ergo ſecundum voluntatem Præpoſiti. Proinde ſi profeſſo ſecundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit quod non ſit ſecundum Regulam, aut etiam quod non ſit D ſecundum iſta [c] inſtituta, verbi cauſa Baſilii, Auguſtini, Pachomii: quænam mihi, quæſo, in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solum quippe id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi.

S. Bened. Reg. cap. 1.

Profeſſio ſubditi ligat etiam ſuperiorem.

Spondet obedientiam ſecundum Regulam.

CAPUT V.

Legem obedientiæ non eſſe extendendam à Prælatis ultra limites profeſſionis, neque citra contrahendam.

11. VIdetis ergo jam obedientiæ limites, quos requiritis. Si modus eſt obeditionis tenor profeſſionis; nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis: profecto ci- E tra, & ultra, necnon etiam contra, quid aliud quàm obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eamdem circumcludi? Quamobrem quiſque Profeſſus in quovis genere ſalutiferæ vitæ, nec ultra obedientiæ lege [d] cogendus, nec citra eſt inhibendus, quàm ſua ipſius videtur complecti profeſſio. Quanto minus contra? Is ergo qui medius eſt vitæ modus, præfixus voto, profeſſione firmatus, tamquam lignum quod erat in medio paradiſi, ſolus

Obedientiæ modus in profeſſione regulari quiſnam.

a Editi addunt, *vel caritatis*. quod abeſt a ſcriptis, & vero ſuperfluum videtur. ſiquidem ratio neceſſitatis ipſa ex caritate eſt. Unde infra num. 11. *Neceſſitas non habet legem, & ob hoc excuſat diſpenſationem* &c.

b Scilus eſt, una eademque monachi profeſſione & ligari præfectum ſeu abbatem, & monachum ipſum profitentem: & quidem alterum *fidelis curæ* ſuæ, ut ſcilicet ſubditum ad Regulæ obſervationem flectat: alterum *humilis obedientiæ* eſſe debitorem.

c Difficilis hic locus, ex quo quis inferat, Prælati mandatum non excedere modum, ſi ſit ſecundum Regulam ſancti Benedicti, vel etiam ſecundum inſtituta Baſilii &c. adeoque Profeſſum Regulæ S. Benedicti his teneri, ſi quidem à præpoſito præcipiantur. At nequaquam ea Bernardi ſententia eſt, qui paulla ante dixit, Profeſſum hanc ſpopondiſſe obedientiam ſecundum Regulam, *nec aliam quam S. Benedicti*: ac proinde præpoſiti mandata eſſe moderanda ſecundum rectum, *quod prædictus Pater inſtituit, aut certe quod ſit ſecundum quod inſtituit.* Unde hunc locum ita reſtituendum puto, *quod non ſit in Regula, aut etiam quod non ſit ſecundum ipſam: inſtituta verbi cauſa Baſilii* &c. Sane duo codices bonæ notæ, Compendienſis & S. Theoderici, immo etiam Vaticanus & prima editio Rotomagenſis, habent *ſecundum iſtam*, non *iſta*, ut in aliis, tametſi in priori membro cum aliis ſcriptis & editis præferunt *ſecundum Regulam*, pro quo *in Regula* legendum eſſe non dubito. Si quis tamen pro vulgata lectione contendit, non repugno, modo aſſeverat, argumentum eſſe a majori ad minus. quaſi diceret, S. Benedicti alumnum non obligari illis Præpoſiti ſui mandatis, quæ non ſunt ſecundum Regulam; multo minus inſtitutis Baſilii &c. in quibus quidem honeſta eſt præcipiendi ratio, ſed nulla ſubdito parendi neceſſitas. Sicuti Chriſtianus dici poteſt non obligari ad illa facienda, quæ non ſunt ſecundum Dei præcepta, multo minus ad ea, quæ non ſunt ſecundum conſilia, quibus non tenetur.

d Codex S. Theoderici recte habet *lege*, non *legem*, ut in aliis editis. Recte ad hunc locum Petrus Cellenſis in lib. 2. epiſtola 7. ad Abbatem Moliſmenſem: *Extra Deum nihil agas, extra Benedictum nihil præcipias.*

Tom. II. Opusc. IV.

Prælatus non cogat profeſſos ultra vel citra terminos profeſſionis.

ſine dubio legi erit ſubjectus, obnoxius juſſioni. Ergo Prælati juſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis. Nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi. Vota mea NEC AUGEAT ſine mea voluntate, NEC MINUAT ſine certa neceſſitate. Neceſſitas quippe non habet legem, & ob hoc excuſat diſpenſationem. Voluntas vero, quia ſola meretur retributionem, etiam ſola non immerito gradum altiorem uſurpat. Alioquin & abſque neceſſitate remiſſio voti, non diſpenſatio, ſed prævaricatio eſt: & reſtrictio contra voluntatem, murmur eſt, non profectus. Ponant ergo Præpoſiti metam obedientiæ ſubjectorum ex votis labiorum ipſorum, non ſuorum deſideriorum: monentes eos, non cogentes ad celſiora; condeſcendentes eis, cum neceſſe fuerit, ad remiſſiora; non cadentes cum eis.

CAPUT VI.

Religioſum perfectionis cupidum non debere obedientiam intra certos profeſſionis limites conſtringere.

Obedientia perfecta.

12. CEterum ſubjectus hujuſcemodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, noverit imperfectam. Nam PERFECTA obedientia legem neſcit, terminis non arctatur: neque contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, & ad omne quod injungitur ſpontanea, vigore liberalis alacriſque animi, modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur. Hæc eſt illa de qua ſignanter Apoſtolus Petrus: *Caſtificantes*, inquit, *corda veſtra in obedientia caritatis*. pulcre ipſam per hoc ſequeſtrans ab illa inerti & ſervili quodammodo obedientia, nec caritati prompta, ſed obnoxia neceſſitati. Hæc juſti illius, cui lex poſita non eſt, propria eſt: non quod vel ille perfectus vivere debeat ſine lege, ſed quia non ſit ſub lege; minime quippe contentus voto ſuæ cujuſcumque profeſſionis, quam ſuperat animi devotione. Quamquam nec iſta [a] Regula ipſa tacuerit, ubi monet, ſi fratri impoſſibilia injunguntur, *ut confidens de adjutorio Dei, obediat ex caritate*. In eadem denique Regula tertius humilitatis deſcribitur gradus, *ut omni obedientia monachus ſe ſubdat majori*. Dicens quippe *omni*, non vult nos in obediendo menſura eſſe contentos profeſſionis, non attendere promiſſi debitum, non de pacto ſumere modum; ſed tranſire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus. Eſt ſane quidam obedientiæ limes, ſecundum tempus, ipſa temporis extremitas, ut is ſit terminus obedientiæ, qui & vitæ. Hunc nobis maxime Unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus eſt Patri obediens uſque ad mortem. Hæc ergo quoties interrumpitur, inobedientia dicitur, & peccatum, & tranſgreſſio ſeu prævaricatio.

1. Pet. 1. 22. — 1. Tim. 1. 9. — a Reg. S. Ben. cap. 68. — Ibid. c. 7.

Religioſi eſt ultra promiſſum & debitum conari.

CAPUT VII.

Obedientiæ gradus, & inobedientiæ gravitas quomodo noſcenda, juxta diſtinctiones præmiſſas.

13. SEd intereſt ſane qua cauſa, quo affectu, qua intentione, quo præcipiente, in quove præcepto malum hoc committatur. Et quidem nullam prorſus inobedientiam dico parvi ducendam, non tamen omnem pari æſtimandam periculo. Enimvero mandatum Dei eſt, *Non occides*. Fac ergo duos homicidas, & unum quidem ſpoliandi cupiditate, alterum vero neceſſitate [b] ſeſe defendendi facinus perpetraſſe. Annon hic ſatis evidenter inter lepram & lepram cauſa ſeparat, faciens utique diſparem valde culpam unius ejuſdemque tranſgreſſionis? Quid vero ſi hunc ſubita ira, illum ſtudioſa malitia, aut vetus odium forte ad idem ſcelus impulerit? Numquidnam ſimili penſandum erit judicio, quod tam diſſimili factum conſtabit affectu? Nil deinde inceſtius obſcœniuſve, quàm illas filias Lot paternum uſurpaſſe concubitum: & tamen quis non videat, quantum evacuarit aut attenuaverit turpis nefandique reatum flagitii pietas intentionis, & intentio pietatis? Jam vero de illo qui præcipit, & item de eo quod præcipitur, hujuſcemodi advertenda erit ſecundum rationem diſtinctio, ut cujus inter præceptores reverentior nobis imminebit auctoritas, ejus gravior formidetur offenſio; ac majoris cujuſque mandati tranſgreſſio, damnabilior æſtimetur. Melius ſiquidem eſt obedire Deo, quàm hominibus; & in ipſis melius magiſtris, quàm condiſcipulis; porro in magiſtris, melius noſtris, quàm extraneis. Quibus autem melius conſtat obedire, ipſis proculdubio & non obedire deteſtabilius eſt.

b Cauſa impulſiva variat actionem. — Gen. 19. 32. — Mandata alia majora, alia minora. — Obedientiæ ordo. — Act. 5. 29.

14. Et de mandatis ſimiliter. Majoribus quippe major, minoribus minor opera noſtra & cura debetur: de quorum etiam contemptu, juxta eamdem conſiderationem, gravior leviorve offenſa contrahitur. Porro majora minoraque mandata dixerim, ſecundum quod magis minuſve velle conſtiterit ipſum qui præcipit, ſive hominem, ſive Deum. Eſt, verbi gratia, mandatum, *Non furaberis*; & eſt mandatum, *Omni petenti te da*. Utrumque quidem magnum, quoniam utrumque divinum: ſed de non furando majus. Quis enim neſciat æquiſſimo Deo non æque diſplicere tenaces, atque fures; & quia de duobus malis plus velit nos tenere noſtra, quàm tollere aliena; & ita minus peccare qui non tribuit ſua, quàm qui non ſua furatur?

Majora minorave mandata ex intentione Legiſlatoris. — Marc. 10. 19. — Luc. 6. 30.

[1] 15. Sed & in mandatis hominum rara æqualitas invenitur, cum pro variis neceſſitatibus vel utilitatibus agendorum, injungentium affectio varietur; quodque putaverint rectius vel commodius, hoc amplius cupiant & exigant obſervari. Tam ergo qualitas [2] præceptorum, quàm auctoritas præcipientium, & obedientiæ præfigit metam, & inobedientiæ terminat culpam: quando (ut dictum eſt) in Prælatis quibuſve gravioris auctoritatis, & eorum mandatis quibuſque majoris utilitatis, quo diligentior debetur obſequendi cura, eo & culpa gravior incurritur de contemptu.

1 Ex utilitate mandati. — 2 Ex auctoritate præcipientis.

16. His itaque diſtinctionibus animadverſis, & obedientiæ modus, & pondus inobedientiæ facile reperitur. His gradibus non ſolum inter diem & noctem, hoc eſt obedientiæ bonum & inobedientiæ malum, diſcernitur; ſed etiam inter diem & diem; itemque inter noctem & noctem: inter bonum videlicet & melius, inter malum & pejus. Bonus quidem obedientiæ gradus eſt, ſi juxta Magiſtri noſtri ſententiam [*], propter metum gehennæ, ſeu propter profeſſionem ſanctam, quam profeſſus eſt, quiſpiam obedierit: melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia neceſſitatis eſt, iſta caritatis. Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo injunctum opus recipitur, quo & præcipitur. Cum enim ex voluntate jubentis pendet intentio exſequentis: fit ut nec majus minoribus, nec minus majoribus confuſe (ut aſſolet) ad implendum quod injungitur, ſubjecti ſtudium impendatur: ſed moderante animo quæque pro ſua dignitate imperia, modum ſciat utrobique ſervare, tam in obſervando videlicet juſſa, quàm in cavendo prohibita. non quod vel minimum horum quæ jubentur, contemnendum putet, etſi tamen minimum quod minimum eſt, reputet: ſed minimum ex comparatione majorum. Novit verus humiliſque obediens & minima non contemnere, & maxime curare quæ maxima ſunt, intimo quodam devoti ſincerique animi ſapore diſcernens, quibus de mandatis ei qui præeſt, ſuis quodammodo factis reſpondeat cum Propheta: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Ubi quia non dicit univerſaliter omnia, illa tantum oportet intelligi,

* S. Ben. Reg. cap. 5. — Obedientiæ gradus optimus. — Verus obediens minima non contemnit. — Pſal. 118. 4.

a Minutulum eſt quod ex eodem codice hic reddimus *iſta* pro *iſtam*. Gemeticenſis addit *obedientiam*. Sed legendum *iſta* numero plurali, id eſt mox dicta.

b Quid de hujuſmodi homicida ſentiat Bernardus, ipſe explicat infra in Opuſculo 6. ad Milites Templi num. 2.

quæ

quæ quoniam non ſine grandi culpa quacumque occaſione violantur, ideo non ſine grandi pœna quomodocumque violata donantur; ut puta, *Non occides* & ſi qua hujuſmodi ſunt: quorum numquam poteſt eſſe obſervatio injuſta vel mala: numquam bona licitave tranſgreſſio diſpenſatione dumtaxat humana.

CAPUT VIII.

Gravius peccari legum contemptu, quàm neglectu.

17. CEtera quæ vel à Præpoſitis diſpenſationem admittunt, quia leviori cenſura neglecta puniuntur, leviora dicuntur. Ex his, verbi gratia, dico eſſe vel riſum interdictum, vel indictum ſilentium. Hæc ſiquidem ſi contra mandatum non veniunt, nec peccata ſunt. Accedente mandato, ſi quo minus jam obſervantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen; ita ſane, ſi per ſubreptionem aut oblivionem, non autem per contemptum horum tranſgreſſio contigerit. Media quippe ſunt, è quibus illa videlicet præcepta conſtituuntur, quæ vos factitia nominatis, longe utique diſparem à naturalibus, quantum in ipſis eſt, gerentia neceſſitatem: cum tamen nec ſine offenſa negligi, nec contemni ſine crimine vel ipſa queant, injuncta ab his dumtaxat quibus proprie dicitur: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* (Luc. 10. 16.) Licet namque ipſa per ſe injuncti operis qualitas innoxia ſit; adjunctæ tamen auctoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumque peccato obnoxium facit, non magno tamen, ſi contemptus defuerit.

18. Hæc ergo generalis regula ſit univerſorum, quæ per ſe, aut propter ſe nec bona, nec mala ſunt, aut divina inſtitutione, aut propria cujuſque profeſſione fixa non ſunt; ut non juſſa quidem, licite utrumlibet vel admittantur, vel omittantur: juſſa vero, ſine culpa non negligantur, ſine crimine non contemnantur. Ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis eſt. (Contemptus & neglectus legum qui differant.) Differunt autem, quod neglectus quidem * languor inertiæ eſt, contemptus vero ſuperbiæ tumor. (* *ſ.* quidem.) Porro contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis eſt: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis. Siquidem adulterium quocumque modo, quocumque perpetres animo, turpe flagitium eſt, ac criminale peccatum: cum tamen leve verbum, in tempore vel loco ſilentii forte per oblivionem ſubreptum, riſuſve per impetum magis excuſſus, quam præſumptus contra præceptum, (quod utique animi negligentis, aut diſſoluti ſpiritus indicium eſt) eo facillime veniam promereatur, quo vix vel peccatum reputatur. Quid quod ſcienter & ex deliberatione in verba otioſa, ſilentio licet non indicto, lingua laxatur? Numquid hoc tamen neget quiſpiam uſurpari contra regulam Veritatis? unde nimirum & ratio exigenda eſt in futuro judicio, Judice ipſo terrifice admodum comminante, quia de omni verbo otioſo reddent homines rationem in die judicii. (Matt. 12.) HEU NOBIS! quænam poterit reddi ratio de otio? Alioquin otium non eſt, ſi non omnino ratione vacuum eſt. Et tamen quis neſciat unum detractionis verbum, quantum etiam innumeris talibus, id eſt otioſis, præponderet ad delictum meritumque damnationis? Quid ita? Videlicet quia diſcretio eſt in mandatis, conſequenter & in culpis: ut (ſicut dixeram) majorum gravior, leviorque minorum cenſeatur tranſgreſſio mandatorum.

CAPUT IX.

Prælato tamquam Deo obediendum eſſe.

19. SEd mandantium non ita. Sive enim Deus, ſive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit; pari profecto obſequendum eſt cura, pari [a] reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod ſi contigerit, pergendum indubitanter conſulo in Petri apoſtoli ſententiam: quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* (Act. 5. 29.) Aut enim hoc reſpondendum cum Apoſtolis, aut cum Phariſæis certe audiendum: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* (Matt. 15. 3.) Si autem dolet ſe contemni magiſter homo præ illo, qui docet hominem ſcientiam: conſoletur illa, quam & vos poſuiſtis, Samuëlis ſententia, qua inter lepram & lepram videtur diſcernere ſic: *Si peccaverit vir in virum, propitius ei poterit eſſe Deus; ſi autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* (1 Reg. 2. 25.) Ego igitur ſi me hoc angi articulo ſentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere neceſſe ſit; Deum potius libenter eligo non offendere, & quidem tutius juſtiuſque. (Non est offendendus Prælato contra Deum.) Habeo nempe ex præſenti Prophetæ capitulo de hominis læſione meam conſolationem, Dei ſcilicet propitiationem. Ceterum Deo offenſo, quis orabit pro me? ſi ad hominem confugero, id quidem Scriptura non conſulit; quinimmo, *Maledictus*, ait, *qui ſpem ponit in homine.* (Jer. 17. 5.) Merito proinde. Si autem in Deum peccaverit, etiamſi ſubintelligatur propter hominem, *quis* inquit, *orabit pro eo?* Neuter equidem. Nam & à quo offenditur, & ob quem offenditur, æque utriuſque oratio exſecranda decernitur apud ipſum qui offenditur, hoc eſt apud Deum. Talis ergo requirendus eſt ad orandum, qui ſit idoneus ad placandum. Porro culpam, ſi qua eſt, quod homo offenditur cum ei non obeditur, aut multum extenuat, aut penitus annullat cauſa melior. Quapropter cum dicitur, *Si peccaverit vir in virum*, ſubaudiendum eſt, propter Deum: quod NULLATENUS læſio cujuſcumque proximi, nedum Prælati, excuſetur à culpa, ſi ſolus defuerit in cauſa Deus. Alioquin Paulo contradicit, qui ait: *Sic enim in fratrem peccantes, in Chriſtum peccatis.* (1 Cor. 8. 12.) Nam de Præpoſitis certum tenemus ipſius Veritatis teſtimonium, ſic loquentis ad ipſos: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* (Luc. 10. 16.) Sed & de quolibet fratre: *Nolite*, ait, *contemnere unum ex his puſillis.* & , *Qui ſcandalizaverit unum ex his puſillis.* (Matt. 18. 6.) quod ſequitur, avertat Deus à nobis.

20. Sed non omnium ſcandala æqua ſunt lance penſanda. (Scandalum aliud puſillorum, aliud Phariſæorum.) Aliter namque accipienda ſunt ſcandala puſillorum, aliter Phariſæorum. de quibus Apoſtolis timentibus & intimantibus, quod ſcandalizati eſſent in ſermone Veritatis, reſponſum eſt: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum.* (Matt. 15. 14.) Illorum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit. Illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt; iſti, quia oderunt. Unde & puſillos illos arbitror appellari, quod voluntatis quidem bonæ, ſed non magnæ ſcientiæ exſiſtentes, zelum Dei habeant, ſed non ſecundum ſcientiam. (Primum curandum.) Talium ſcandala curam, non iram provocare ſolent ſpiritualium dumtaxat virorum, Paulo ita docente: *Vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* (Gal. 6. 1.) Indignum ſiquidem eſt valde, humanam eos mereri indignationem, qui divinam tam facile conſequuntur miſerationem. Nam hi quoque qui Dominum crucifixerunt, magni quidem peccatores, ſed puſilli æſtimatores, etſi ex uno iram, numquid non tamen ex altero veniam meruerunt? Beati quidem fuiſſent, ſi juxta verbum Domini in ipſo ſcandalizati non eſſent. (Matt. 11. 6.) Nunc vero quid niſi miſeri? Sed tamen & miſerandi. Probat hoc pia illa in cruce patientis, ſed nihilo minus compatientis ſupplicatio: *Pater*, inquit, *ignoſce illis.* (Luc. 23. 34.) Et quaſi quæreretur indulgentiæ ratio in tam horrendo facinore, ſequitur: *quia neſciunt quid faciunt.* Acſi diceret: Eo digni venia, quo & puſilli ſcientia ſunt. Ideo ignoſco illis, quia non agnoſcor ab illis. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* (1 Cor. 2. 8.) Sunt quibus non ita ignoſco, quos utique non ignoro & vidiſſe, & odiſſe & me, & Patrem meum. Pro hujuſmodi puſillo in ſcientia terrens Paulus eum, qui cum habeat ſcientiam, neſcit tamen condeſcendere infirmioribus, *Et peribit*, inquit, *in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* (1 Cor. 8. 11.)

[a] Quàm multi parum hoc advertunt, qui mandata præpoſitorum fere pro nihilo ducunt. Sed vide & confer num. 21. 22. & 29. atque Sermonem 42. in Cantica num. 2.

Tom II. Opuſc. IV.

Prælati juſſio non ſecus quam Dei accipienda. Luc. 10. S. Bened. Reg. cap. 5.

21. Quod ſi tantopore cavenda ſunt ſcandala parvulorum, quanto amplius Prælatorum? quos ſibi Deus æquare quodammodo in utraque parte dignatus, ſibimet imputat illorum & reverentiam, & contemptum, ſpecialiter conteſtans eis: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Annon denique hoc ipſum & Regula noſtra perhibet, ubi ait: *Obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur!* Quamobrem QUICQUIN vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo; haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus. Quid enim intereſt, utrum per ſe, an per ſuos miniſtros, ſive homines, ſive Angelos, hominibus innoteſcat ſuum placitum Deus? Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere poſſunt. Sed enim quid hoc refert tua, cui conſcius non es? præſertim cum teneas de Scripturis, quia *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirunt: quia Angelus Domini exercituum eſt.* (Mala. 2. 7.) Requirunt, dixerim, legem, non quam vel authenthica ulla ſcriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit; (de hujuſmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt) ſed quod ita latere aut obſcurum eſſe cognoſcitur, ut in dubium venire poſſit, utrumnam Deus ſic, an aliter forte velit, ſi non de labiis cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique divina potius conſilia requirentur, quàm ab illo, cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? Ipſum proinde quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quæ aperte non ſunt contra Deum, audire debemus.

22. Nec ſane contraria loquimur ſancto prophetæ Samuëli, (1. Reg. 2. 25.) quaſi nos in hac parte divinam hominibus tribuentes auctoritatem: cum ille in ſupra memorato capitulo plane diſcernere inter utrumque videatur. Siquidem quod nos aſſerimus de dubiis, hoc ille negat de manifeſtis: ut cum ait, *ſi peccaverit vir in virum*, ſubaudiatur, propter Deum; cui aperte contraria homines hominibus frequenter mandare præſumunt. (Objectio.) Sed hinc vos ſumentes materiam ſive occaſionem argumentandi, aſſeritis, ſi hoc conſtiterit, ut juſſa hominum quælibet, vel inſtituta, divinæ auctoritatis pondere æſtimanda ſint; hominem ſub homine, aut vix, aut nequaquam poſſe ſalvari, cum in tanto populo [a] mandatorum, quæ Prælati etiam per incuriam ſæpe præcipiunt, interdum non prævaricari, aut difficile admodum, aut omnino impoſſibile videatur.

CAPUT X.

Obedientiam non eſſe gravem & moleſtam, niſi imperfectis, invitis, & carnalibus; ceteris ſuavem & facilem.

Reſponſio. Obedientiam eſſe difficilem, ſed imperfectis.

23. ET quidem non nego difficultatem tantæ ineſſe perfectioni: ſed cum ipſa corde imperfecto præſumitur. Porro IMPERFECTI CORDIS, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſius diſcutere, hærere ad ſingula quæ injunguntur, exigere de quibuſque rationem, & male ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit; nec umquam libenter obedire, niſi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere ſeu expedire monſtraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. DELICATA ſatis, immo nimis moleſta eſt hujuſcemodi obedientia. Non plane hæc illa eſt quæ ex Regula traditur, *Obedientia ſine mora.* (Reg. S. Ben. cap. 5.) Diſputare profecto hoc eſt in aſtu cordis, non in auditu auris obedire. Iſtiuſmodi ergo carnalem animam non modo premi, ſed etiam opprimi pondere præſumptæ perfectionis neceſſe eſt: quia non poteſt portare caro infirma, quod ſolus ſpiritus promptus experitur jugum eſſe ſuave & onus leve. CHRISTI quippe jugum & onus eſt, & omnino importabile, niſi Chriſti æque ſpiritui. (Chriſti jugum importabile niſi Chriſti ſpiritui.) Huic itaque ſi dicitis legem Regulæ ſubintraſſe, ut abundaret delictum; verum dicitis. Ceterum hoc culpa non eſt datæ legis, aut dantis legem, ſed improvide profitentis, & impie prævaricantis. Mandatum quidem ſanctum & juſtum: ſed tu te noris eſſe carnalem, venumdatum ſub peccato. (Rom. 7. 14.) Verum hoc ante prævidiſſe debueras, quo turris hujus evangelicæ non prius jaceres fundamentum, quàm ſedens computares, ſi haberes ſumptus ad perficiendum. Nunc autem quid reſtat, niſi ut aut correctus obedias ſenioribus, aut confuſus audias ab illuſoribus: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* (Luc. 14. 30.)

Venialia eſſe reſtis obedientiæ crimina.

24. Sed forſan dicitis: Ergone ita perfectus quiſpiam invenitur, cui non vel minimum aliquid interdum ſubripiatur de tam multis ac minutis, quæ paſſim vel à negligentibus Præpoſitis imperantur? Minime quidem cuiquam hoc ego dederim, cum ipſi quoque de ſe fateantur Apoſtoli: *In multis offendimus omnes;* (Jac. 3. 2.) &, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* (1. Johan. 1. 8.) Sed non continuo ut aliquid præterimus, perimus: præſertim cum nos Scriptura conſoletur; *Si quis peccaverit*, inquiens, *advocatum habemus Jeſum-Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* (1. Johan. 2. 1.) Denique Propheta de ipſo teſtatur, quod pro tranſgreſſoribus rogaverit, ut non perirent. (Iſa. 53. 12.) Ubi ſane notandum, quia etſi pro tranſgreſſoribus, non tamen pro contemptoribus legitur ſupplicaſſe. Verum illi quomodo perire poſſunt, pro quibus Salvator rogat, ne pereant? Quamobrem non video, cur ita omnem inobedientiam & tranſgreſſionem vel minimorum quorumlibet mandatorum exaggerandam putaveritis, ut exclamaretis: Quod ergo jam monacho poterit veniale peccatum eſſe vel leve, cujus univerſæ actioni crimen inſidiatur inobedientiæ? Sed hoc inde videlicet conſtare creditis, quod Prælatorum juſſionibus tantum tribuendum aſſeritur, quantum ſi divinitus traderentur. Quaſi vero & ipſa evangelica præcepta non multum inter ſe diſcrepent, & merito obſervationis, & tranſgreſſionis periculo.

CAPUT XI.

Præcepta eſſe imparia, adeoque tranſgreſſionem.

Peccata hæc imparia.

25. CEterum ſicut non omnia unius eſſe conſtat vel neceſſitatis, vel utilitatis, vel dignitatis: ſic non una de omnium tranſgreſſione fertur ſententia, nec paria manent diſcrimina diſpares culpas. Porro nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur; nec pari proinde pœna puniuntur. Ecce enim Evangelium tam flagitium crapulæ, quàm fornicationis turpitudinem damnat. Verum quis magis non horreat è duobus malis, turpitudine fœdari, quàm cibo exſaturari? (Matth. 7. 4.) Nonne denique Veritas in Evangelio ſub nominibus trabis & feſtucæ, graves leveſque diſcernit inobedientiæ culpas? (Matth. 5. 22.) Nonne ipſa diſputante, immo diffiniente, gradatim nobis diſtinguitur, quæ cuique reatui pœna debeatur, dum alium judicio, alium concilio, alium & gehenna reum eſſe proteſtatur? Quænam ergo conſequendi neceſſitas cogit, ut ſi magiſtris divina detur in ſuis præceptis auctoritas, nullum ideo jam monacho leve aut veniale peccatum inveniri poſſe putetur; & quod ejus univerſæ actioni crimen inſidietur inobedientiæ? (Non omnis inobedientia mortale crimen eſt.) Eſto, ſit crimen, cui pœnalis illa gehenna vel gehennalis pœna aſſignatur: quale quæſo illud diffiniemus eſſe crimen, quod Veritate judice, reum tantum facit judicio? Nec tamen diffitebimur eſſe reatum, quod vel hactenus reum ſtatuit. Quod ſi reatum, & peccatum. Porro omne peccatum contra Dei mandatum præſumitur. Quod autem contra mandatum præſumitur, inobedientia dicitur.

Venialis etiam in Dei mandatis.

26. Hinc colligitur, quod iraſci fratri, & inobedientia ſit, & crimen non ſit. En unum inventum eſt monacho leve ac veniale peccatum, quodque non humani, ſed divini mandati ſtatuat tranſgreſſorem. In

a Cum in hac voce *populo* conveniant codices noſtri, viſum eſt reponere pro *cumulo*, ut in antehac excuſis.

hoc genere tranſgreſſionis ſunt nonnulla ſtultiloquia ſeu vaniloquia & quæque otioſe dicta, facta, & cogitata. Hujuſmodi enim numquam niſi contra mandatum, & Dei mandatum uſurpantur. Peccata quippe ſunt, & Deus prohibet omne peccatum: & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in uſum & conſuetudinem: & tunc non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis. Denique in quo inobedientiæ crimen & abſque dubio ſit, apud Samuelem advertite. *Quaſi*, inquit, *peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Non ait, non acquieſcere; ſed, *nolle acquieſcere.* ut non juſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contentio [a], ſcelus idololatriæ reputetur. Non eſt enim idipſum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris eſt, nonnumquam & infirmitatis: illud vero aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod & ipſum repugnare eſt & reſiſtere Spiritui-ſancto; & ſi ad mortem uſque perduraverit, blaſphemia eſt, non remittenda, ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro. Non ergo qualiſcumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam: ſed repugnare, ſed nolle obedire. Ceterum quanti abſque illa peſſima & rebelli voluntate non obediunt? Quomodo itaque monacho crimen inſidiatur inobedientiæ, ſi toties ſine crimine tranſgreditur, quoties in tranſgreſſione defuerit hujuſcemodi recalcitrans & contentioſa voluntas?

1 Reg. 15. 23

27. Fruſtra autem comparant quidam, ut dicitis, quaſlibet inobedientias antiquæ illi, quæ facta eſt in paradiſo; quæ nimirum valuit, non ſolum obligare perſonam, ſed & vitiare naturam. Arbitror tamen & ipſam primam graviſſimamque prævaricationem, aut non aliunde, aut inde maxime judicatam graviſſimam, hoc eſt ex rebellione defenſionis, quæ ſecuta eſt: quando Deo cauſam requirente peccati, ut peccatores ad pœnitentiam provocaret, (nolebat quippe mortem eorum, ſed magis ut converterentur & viverent) ipſi maluerunt declinare cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris. Primum quod nec ſui miſertus eſt, ut culpam propriam fateretur, & ſanaretur: deinde quod & uxorem, ut ſe fallaciter excuſaret, crudeliter accuſavit.

Gen. 3. 17

Inobedientia primorum parentum unde tam culpabilis.

28. Quid eſt quod denique dicitis, in omni actione monacho crimen inſidiari inobedientiæ, quaſi aut furtim ſubrepat neſcienti, aut caſu accidat infelici; aut non valenti implere quod præcipitur, criminis calumnia ſtruatur de impoſſibili? Itane, inquam, monacho crimen inſidiatur inobedientiæ? cum & antiqua illa tam nota, & tam noxia prævaricatio, facile (ut creditur) indulgentiam conſequeretur, dummodo confeſſio, & non defenſio ſequeretur. Neque enim tantum, ut dictum eſt, nocuit ſimplicis actionis, quamvis ex deliberatione, tranſgreſſio, quantum adjunctæ excuſationis cum præmeditatione obſtinatio.

CAPUT XII.

In Regula æque ac lege divina diſparitatem eſſe inobedientiæ.

29. SEd numquid forte in lege quidem divina habenda eſt hæc conſideratio gravioris, levioriſque inobedientiæ, non autem ita & in Regula noſtra? Sed quis ſane dicat plus tribuendum humanis, quàm divinis traditionibus; pluriſque quod per ſuos Deus, quàm quod per ſeipſum imperat, æſtimandum? Annon denique & apud ſanctum Benedictum propriæ & diſtinctæ ab invicem ſententiæ inveniuntur, alia de levioribus, alia de gravioribus inſcripta culpis? Quid eſt autem levior culpa, niſi levior inobedientia? Traduntur igitur a Prælatis interdum minora mandata, quorum tranſgreſſio leviora ſecundum Regulam parit & peccata; & tamen in Deum nihilo minus prævaricatio fit, quoties Abbatis juſſio præteritur. ſiquidem & ex ore ipſo Dei non æqualia ſunt promulgata, & ideo non æquali cuncta vigilantia obſervanda; ſed alia cura exhibenda eſt ei proculdubio, quod ipſe perhibet *primum & maximum mandatum*: alia his quæ alibi diſcernens; *Qui ſolverit*, inquit, *unum de his minimis meis mandatis.* Quid ergo? Audivimus ex Regula graviores & leviores culpas; legimus & in Evangelio maxima, ominimaque mandata: & mandatorum tranſgreſſiones univerſas dicemus æqualiter maximas? Non eſt igitur neceſſe ut concedam quod dicitis, aut Deo ſcilicet non tribui omne quod ab homine magiſtro accipitur, quod non ſit contra Deum; aut monacho nullum poſſe inveniri leve ſeu veniale peccatum: quia etſi toties Deo (quod fatendum eſt) inobediens eſſe convincitur, quoties ejus, qui pro Deo ſibi præeſt, hominis mandatum, quod quidem juſtitiæ non repugnet, prætergreditur; ſicut tamen non par cura in execurione exigitur, ſic nec par culpa contrahitur ex tranſgreſſione. Etſi quippe unus eſt qui offenditur; non tamen unius ponderis quæ jubentur, nec unius ſubinde diſcriminis juſſorum eſt omnium cenſenda tranſgreſſio. Unde pater Benedictus, *ſecundum*, inquit, *menſuram culpæ, excommunicationis extendatur menſura.*

Inæquales Regulæ tranſgreſſiones.

Reg. S. Bened. c. 24. & 25.

Idem de Abbatis juſſis dicendum.

Matth. 22. 38. Matt. 5. 19

Reg. c. 24.

30. Fruſtra proinde (ut videtis) aut terremini, aut terrere conamini de obedientiæ promiſſione, quæ fit ex regulari profeſſione, quaſi non oporteat promittere, quam conſtat nec integre poſſe teneri, nec ſine crimine præteriri: ſiquidem Deo, quidquid Dei miniſter homo non perperam juſſerit, imputandum conſtiterit. Fruſtra, inquam, ex hac occaſione malum ita inobedientiæ exaggeratis, ut a tam neceſſario bono promittendæ obedientiæ terreatis: quia etſi difficile cavetur ubique ſubrepens * vel inſidians (ut vos dicitis) inobedientia in tam variis & innumeris, quæ à ſenioribus indicuntur; non ſemper tamen damnabiliter ſeu criminaliter quod præcipitur, non impletur. Etſi enim omnis inobedientia inexcuſabiliter ſit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, niſi quam remedium pœnitentiæ non ſanat: nulla eſt letaliter criminalis, niſi quæ contemptum ſuperbiæ non evitat. MAGNA igitur ſecuritas filiis obedientiæ, & revera pax hominibus bonæ voluntatis: quoniam in omni obedientia ſola damnatur impœnitentia, quam neſcit qui diligit Deum; ſola incriminatur ſuperbia, quam facile cavet qui timet gehennam. Sed exemplis clarius eluceſcet quod dicimus. Si jubente ſeniore ut ſileam, verbum mihi forte per oblivionem elabitur; reum me fateor inobedientiæ, ſed venialiter. Si ex contemptu ſciens & deliberans ſponte in verba prorupero, & rupero ſilentii legem; prævaricatorem me conſtituo, & criminaliter; & ſi impœnitens perſevero uſque ad mortem, peccavi, & damnabiliter.

Sola impœnitentia damnabilis, uti & contemptus.

* *Mſ. ſubrepens.*

CAPUT XIII.

Refellit monachos, difficultatem, vel etiam impoſſibilitatem obedientiæ religioſæ nimium exaggerantes.

30. AN & hoc durum fortaſſe videatur? Hæc quippe ſunt veſtra (ſi bene recolo) verba, cum difficultatem ſeu impoſſibilitatem (ut vobis videtur) tenendæ obedientiæ, vel cavendæ inobedientiæ conſiderantes, in vitam ita monachicam exclamatis. Hæccine eſt illa eo ſecurior, quo arctior; eo certior, quo magis ardua veniendi ad Deum via, ut monacho naturaliter mala vix cavere, naturaliter bona vix pro communi infirmitate valenti implere, non minor tamen

[a] Ita tres ſcripti noſtri: editi *contemptio*. Et omnino legendum *contentio*, unde infra dicitur, *recalcitrans & contentioſa voluntas*.

Tom. II. Opus. IV.

» neceſſaria ſit cautela ad cavenda, vel obſervanda quæ ſibi Prælatus ſuus vel prohibere voluerit, vel jubere? Et ſubditis: Quod cum à multis credatur, licet à paucis, vel etiam à nullis ad integrum obſervetur; quid aliud operatur talis ſententiæ credulitas, quàm quod illa ab Apoſtolo tantum culpata manducandi idolothyta libertas? Nil plane aliud, ſi ita eſſet, ut dicitis. Bene prorſus non poteſt conſcius eſſe ſibi, qui ſe non implere confidit quod debere ſe credit. Creditis itaque (ut verborum veſtrorum ſenſum breviter colligam) quod ad integrum mandata Dei obſervari vix valeant, Abbatis non valeant: cum Veritas ipſa teſtetur, ne unum quidem iota præteritum iri. Ceterum qui ita ſentit, videtur mihi (ut pace veſtra dixerim) necdum guſtaſſe, quam ſuavis eſt Dominus; ſub jugo legis gemere adhuc, nondum reſpirare ſub gratia; ſuave Chriſti jugum nequaquam eſſe expertus; ideoque certiſſime adhuc infirmari per carnem; quia ſpiritus non adjuvat ejus infirmitatem.

1. Cor. 8. 7

Matt. 5.

Quibus videtur obedientia difficilis, aut impoſſibilis.

31. Quid vero ſibi vult illa diſtinctio, quod Dei quidem vel vix, Prælati vero hominis nequaquam omnino à quolibet juſſa poſſe teneri prohibitave conceditis? quaſi vero illa queant abſque iſtis integre cuſtodiri. Sed ſi attenditis, de male quoque viventibus Prælatis Dei præceptum eſt; *Quæ dicunt facite.* Igitur qui non facit, aperte non in hominem tantum, ſed & in Deum prævaricator exſiſtit. Itane ergo nullus mandata perfecte exſequitur ſui magiſtri? Quamobrem putatis? Quia nolumus, aut quia non poſſumus? Sed ſi volumus & non poſſumus, ſecuri ſumus. Si poſſumus & nolumus, ſuperbi ſumus. Porro ad cavendam ſuperbiam, illam vere annuerim neceſſariam eſſe cautelam quam dicitis, ne forte incurratur inobedientiæ crimen. Quod ſi impoſſibile vos putatis, ut non videlicet imperiis Prælatorum per contemptum interdum ſuperbiæ reſiſtatur; ſcitote non paucos, ſed innumeros aliter omnino ſentire, nec aliud quàm quod proprio didicerint experimento. Si autem non impoſſibile quidem, ſed tamen difficile eſſe ſentitis magiſtros non contemnere; & dum ideo conſentitis, quoniam gravamini, non ſuperbe ſapere, murmuraris adverſus obedientiæ legem, aſſirmantes periculoſum promittere, quod tam laborioſum eſt obſervare; ad hoc ego reſpondeo, immo non ego, ſed Dominus: *Qui poteſt*, inquit, *capere capiat.* Hoc quippe eſt quod paulo ſuperius dixi, quia antequam ædificium inchoares, providiſſe debueras unde perficeres. Nunc autem (ut ait quidam) aut non tentaſſes *, aut perfice. Verumtamen nemo, ſi caute profitetur, pollicetur ſe ultra in nullo tranſgreſſurum; hoc eſt, jam non peccaturum. Alioquin aut perjurat qui ita jurat, aut ſanctior eſt illo qui ait: *In multis offendimus omnes.* Quod ſi conſequens falſum eſſe videtur; videndum eſt & de eo quod antecedit, ne forte lex quæ data eſt propter tranſgreſſiones cohibendas, non ſolum non eas coerceat, ſed & augeat inſuper crimine perjurii: ſiquidem id promittere nos in noſtra profeſſione credamus, quod certum eſt non poſſe teneri.

Matt. 23. 3.

Matt. 19. 12.

Profeſſio regularis non includit promiſſionem non peccandi contra regulam.

* Sic mſſ. al. non tenta.

Jac. 3. 2.

32. Partienda eſt proinde nobis in duo univerſa hæc obſervatio regularis, in Præcepta videlicet, & Remedia. Præceptis inſtituitur vita contra peccatum; Remediis reſtituitur poſt peccatum innocentia. Sic ergo utraque iſta complectitur noſtra profeſſio, ut profeſſus quiſque cum in aliquo forte regularium mandatorum deliquerit, ſi ad remedium æque regulare confugerit, etſi convincitur tranſgreſſor mandati, non tamen pacti prævaricator. SOLUM itaque cenſuerim fregiſſe votum, violaſſe propoſitum, pactum prævaricaſſe, qui & præceptum contempſerit, & remedium. Nam illum ſane dico ſecurum, qui etiamſi interdum obedientiæ limitem præterit, conſilium non reſpuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos, etſi ſæpe deliquerit, non evadit, qui cenſuræ, quæ ex Regula eſt, diſciplinam non ſubterfugit. Pars ſiquidem Regulæ eſt regularis correctio, & in ea reperitur non ſolum bonæ vitæ inſtructio, ſed etiam emendatio pravæ. Inveniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, ut ne peccando quidem à Regula recedatur. Fateor ſane impoſſibile cuivis mortalium vel venialiter interdum non delinquere in præceptis obedientiæ: ſed nulla jam de impoſſibilitate querela, quandoquidem & ex Regula licet id quoque, quod criminaliter delinqui contigerit, emendare. Quod ergo dicitis à nullis poſſe obſervari ad integrum quicquid à magiſtris præcipitur, verum eſt: ſed levis culpa inobedientiæ eſt, & facilis cura ejus invenitur in Regula, ſi quidem ſit tranſgreſſio abſque contemptu. Si autem & ipſum deeſſe aliquando non poſſe contenditis, id quidem falſum eſt: ſed nec talem tamen inobedientiam ſine cura relinquit diligentia regularis. Et licet fortiori egeat curationis medicamento, caret tamen morbo prævaricationis, niſi cum & ipſum forte medicamentum contemnitur.

Obſervatio regularis dividitur in Præcepta & Remedia.

Utrumque reſpuens, Regulæ & voti prævaricator.

Contemtus ut expiandus.

33. Quæ cum ita ſint, fruſtra de impoſſibilitate cauſamur qui Regulam profitemur: fruſtra nobis de peccandi neceſſitate blandimur, ut ideo juſta imperia Prælatorum Deo non imputanda, ſed tamquam hominum contemnenda putemus: ne rem videlicet impoſſibilem continere noſtra profeſſio videatur, ſi tantum ex ea hominibus, quantum Deo obedientiæ deberi aſſerimus. Cui enim jam vel ita profeſſo impoſſibile, immo per Dei gratiam non perfacile ſit cavere prævaricationem, ubi non inobedientia, ſed impœnitentia facit prævaricatorem? Hoc quippe (ut jam dixi) profitentium nemo ſpondet, ut jam non peccet: & ob hoc non continuo, ut quiſpiam aliquo modo non obedit, prævaricatorem ſe conſtituit. niſi qui ſe forte ſic profeſſum falſo exiſtimat, quales vos utique aſſeritis eſſe non paucos. De quibus etiam (ſi qui tamen ſunt, ut dicitis) verum eſt & quod ſubditis, quod nil utique aliud illa talis eorum credulitas, vel potius crudelitas in ſuis ipſorum operatur conſcientiis, quàm noxia illa recumbentium in idolio libertas in alienis. Neceſſe eſt enim qui hujuſmodi eſt, ex propria perire ſententia, quemadmodum in illius ſcientia clamat Apoſtolus infirmum perire fratrem. Et quomodo nihil eſſe commune item ipſe perhibet, quod cum gratiarum actione percipitur, niſi ei qui putat aliquid eſſe commune: ita & regularis profeſſio, quantum in ſe eſt, damnabilis non eſt, niſi ei qui damnabilem putat. Quod quatenus putari oporteat, puto ſatis ſuperius demonſtratum.

Fruſtra cauſantur inertes.

Falſæ conſcientiæ periculum.

1. Cor. 8. 11.

Rom. 14. 14. & 1. Tim. 4. 4.

CAPUT XIV.

Cur conſcientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.

34. NUnc jam reſpondendum eſt quæſtiunculæ, quæ incidit vobis ex occaſione apoſtolici præſentis capituli. Quæritis nempe, utrumnam iſta de idolothytis Pauli ſententia, *Puto quia nihil commune eſt in Chriſto, niſi ei qui putat quid commune eſſe, illi commune eſt*: & rurſum, *Si comederit, damnatus eſt, quia non ex fide*; in generalem regulam trahi poſſit, quatenus malum cuilibet ſit bonum quoque quod agit, ſi malum eſſe crediderit; ac tantum malum, quantum crediderit. Quod ſi annuero, rurſum pergitis inquirere, cur non è contrario tantum cuique bonum ſit quod operatur, quantum vel falſo opinatur. Mirum quippe vobis, immo & injuſtum videtur, ut plus in malo, quam in bono humanæ valeat intentionis opinio. Si reſpondero, de malis quidem merito ita credi propter oculum nequam: reſpondebitis & mihi non immerito quoque propter ſimplicem oculum idem æque putandum & de bonis. Nam qui dixit ex oculo nequam corporis tenebras æſtimari, indicavit & de ſimplici lucem æque corporis approbari. Sed videte, ne forte non ſit vere oculus ſimplex, qui fallitur. Fallitur enim tam qui bonum malum, quàm qui malum bonum putaverit. Scitis autem neutrum horum VÆ illud evitare propheticum, *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum*: cum tamen nemo, qui hoc

Quæſtio de ſimplici oculo.

Rom. 14. 14. ibid. 23.

Matth. 6. 22.

Iſa. 5. 20.

velit cavere maledictum [a], de quo Veritas pronuntiat, quod sit [b] lucis totius *corporis*, id eſt operis, argumentum. Sed abſit ut Præco Veritatis clamet contra Veritatem: maledicat is, quod illa probaverit.

35. Ego vero ut interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, Caritatem in intentione, & in electione Veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: & neſcio quemadmodum judicio Veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem magiſtra Veritas, *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. (Matth. 10, 16.) Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique vere ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut vero vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim: *Ignorans ignorabitur*. (1. Cor. 14, 38.) Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentia atque prudentia: ut oculus videlicet cordis, non ſolum pius qui fallere nolit, ſed & cautus ſit qui falli non poſſit.

36. Ceterum ſicut oculum ſimplicem duo iſta faciunt bona, amor boni, & cognitio veri: ſic nequam oculum duo e regione mala conſtituunt, Cæcitas, qua fit ut veritatem non agnoſcat; & Perverſitas, qua fit ut diligat iniquitatem. (Oculum nequam quæ faciunt.) Porro inter duo hæc bona, quæ nec fallere, nec falli ſinunt; & duo illa mala, quæ tam falli, quàm fallere faciunt, duo ſunt media: unum quidem bonum per quod oculus interior, etſi falli queat ignorantia veri, zelo tamen boni fallere penitus non conſentit: alterum vero malum, quod licet veri notitiam non impediat, amorem tamen boni præ malitia minime ſentit.

37. Et quoniam omnis res melius diviſione innoteſcit: ſecundum hoc duplex malum, & illud item geminum bonum, quadrifariam dividamus oculum cordis, in bonum & meliorem; in malum, & pejorem. (Oculus cordis quadrifariam.) Et ſubdamus exempla. Eſt qui bonum diligit, & malum neſcius agit. (Bonus & optimus.) Hujus quidem bonus eſt oculus, quia pius: non tamen ſimplex, quia cæcus. Et eſt qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit. Iſtius revera oculum non immerito ſimplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum deſit, nec zelus ſcilicet bonus, nec ſcientia. Hunc profecto requirit oculum Deus, cum reſpicit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. (Pſal. 13, 2.) Eſt è contrario qui bonum minime diligens, ex malitia quidem perverſus eſt: ſed ſapiens ut faciat malum, per ignorantiam cæcus non eſt. Quem quidem ideo nondum appellaverim nequam, quod unum ei, licet ad ſuum malum, non deſit bonum, id eſt ſcientia.

38. Sed eſt qui bonum forte neſcius quod non diligit, agit: cui profecto non incongrue id quod dicitur nequam aſſignaverim, eo quod neutro careat malo, nec cæcitate ſcilicet, nec perverſitate. (Malus.) Dicitur ſiquidem nequam, quaſi nequaquam, ut is ſolummodo nequam appelletur, qui nequaquam, hoc eſt, in nullo penitus appareat bonus: ſed ſit utroque bono vacuus, tam videlicet veri notitia, quàm & benevolentia. Alius eſt itaque pius oculus, non quidem fallere promptus, ſed tamen, ut dictum eſt, falli pronus, de quo Propheta; *Ephraim*, inquit, *quaſi columba ſeducta, non habens cor*. (Oſee 7, 11.) Alius is quem Dominus ſimplicem dicit, tam nec fallere facilis, quàm nec falli, de quo & Apoſtoli docentur cum eis dicitur: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. (Matth. 10, 16.)

39. Et item alius eſt oculus ſimpliciter malus, fallens utique libenter, ſed non facile falſus: qualem (Peſſimus.) profecto habent illi qui ore dominico adſtruuntur prudentiores eſſe filiis lucis in generatione ſua. (Luc. 16, 8.) Et alius quem nequam eſſe definivimus, quia ſit dupliciter malus, cui quippe & malitia parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit, ita ut ſæpe neſciens & malum quod vult non faciat, & bonum faciat quod non vult. Obſcuratum nempe eſt inſipiens cor eorum qui iſtiuſmodi ſunt, & quaſi jam traditi in reprobum ſenſum, bonum omnino nec diligere, nec dignoſcere queunt. De talibus ſcriptum eſt: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit*. (Prov. 18, 3.) Nam qui hujuſmodi eſt, cavere profecto malum nec vult, etiam ſi poſſit; nec ſi velit, ſcit. Quamobrem hunc oculum in ſuperiori diviſione illo altero cenſui non immerito pejorem, non quia malignior ſit, ſed quia perículoſior. Ignorantia quippe ſecuriorem, ſecuritas ſegniorem facit, non nequiorem. Eſt tamen ex hoc proculdubio deterior, quod ille ſolum habet malum, malam intentionem; iſte & falſam conſiderationem. Ille uno caret è duobus bonis, bono zelo; iſte & vero judicio. Ex hoc itaque peſſimo oculo, qui neutrum bonum habet, & item ex illo optimo qui neutro caret, ſentiendum eſt Veritatem diſſeruiſſe, aut tenebris obvolvi totum corpus, aut luce perfundi. Nam reliqui duo, quorum neuter utrumque aut bonum habet, aut malum; etſi ex parte poſſunt, non tamen toti ſufficiunt vel lucem dare, vel tenebras corpori.

40. Si igitur (ut jam ad propoſitam quæſtiunculam revertamur) is vere oculus nequam eſt, qui perverſus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit; (Quæſtio propoſita ſolvitur.) utique recte operando, ſed opinando inique, bonum ſibi in malum vertit; & tantum malum, quantum crediderit: quandoquidem juxta ſententiam Domini, totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam. (Matth. 6, 23.) Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideo ſequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat, juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inveniat. Quare? Non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex judicio Veritatis totum corpus lucidum reddat, qualem profecto ſuperius definivimus. Neque enim ex toto adhuc tenebræ deſunt, ubi ignorantia veritatis lucem obſcurat bonæ * voluntatis. (* al. deſit bonæ.) Cum itaque ille oculus utrumque malum, is vero minime utrumque habeat bonum: nonne ratio videtur exigere, ut plus ille noceat, quàm proſit iſte? Neque enim conſequens eſt, ut tantum valeat in bonum bonum unum, quantum duo mala in malum. Et quidem laude dignam dixerim vel ſolam intentionem piam: nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas. (Intentionis bonæ meritum etiam in opere non bono.) Attamen ſine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas. Cur inquis? numquid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falſa; vel certe potius non ex fide, quia fides falſa, fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa puto dixiſſe Apoſtolum: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. (Rom. 14, 23.) Non autem ex fide vera bonum creditur quod malum eſt: eſt enim falſum. Peccatum igitur eſt. Utrumque proinde complectitur præſens capitulum, *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod à neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, ſive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide: licet ſane levius admodum peccetur, ubi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam in non mala * actione intentio. (* al. in malo, ſed mundo.) Verum quod abſque vel minimo peccato non eſt, purum bonum minime eſt. Quo pacto ergo bonum non purum puro malo com-

[a] Locus obſcurus, ſed conſtans in editis & ſcriptis, tametſi Horſtius putat legendum, *quam hoc velit*. Sed retinenda alia lectio, quæ diligentius altera pars eſt. Bernardus quippe hoc in loco probat, bonam intentionem, quæ lux eſt operis, non æque valere in malum, quam in bonum. Sic autem fere ratiocinatur. Intentio illa circa malum vel eſt oculus ſimplex, vel non. Tum, ſi eſt, inquit, nihilo minus incurrit *Væ* propheticum, prolatum in eos, qui dicunt malum bonum: & aliunde nemo vitare volet iſtud maledictum, cum ea intentio ſit oculus ſimplex, quem Veritas laudat.

[b] Omnino ſic legendum, ut in duobus ſcriptis, non *lux*, ſicut in antehac vulgatis, ut ſit ſenſus, quod oculus ſimplex ſit *argumentum*, id eſt origo & cauſa, *lucis totius corporis, id eſt operis*.

Tom. II. Opusc. IV.

parabitur in efficientia, hoc eſt ut tam efficax ad bonum (A) illud ſit, quàm ad malum iſtud? Et hæc ſuper hac quæſtione ſufficiant. Nam ad ſuperiores quoque ſatis reor eſſe reſponſum ſuperius. Et quidem vos eaſdem ſæpius dubitationes iteratis atque revolvitis: ſed mea non intereſt ipſarum toties repetere ſolutiones. Sufficit enim ſemel ſolviſſe etiam quod crebrius in quæſtione verſatum fuerit.

CAPUT XV.

An quantum obedientia valet ad meritum, tantum inobedientia valeat ad demeritum.

Quæſtio.

41. QUærentibus item de obedientiæ pondere, ſeu (B) diſcrimine inobedientiæ, à latere incidit vobis & de merito utriuſque quærendum, utrum videlicet in quibuſque præceptis quantum obedientia valet, tantum gravet inobedientia: ut verbi gratia, vel Abraham de immolando filio, vel ille neſcio quis * de filio itidem furni incendiis exponendo, tantum divinæ indignationis & ultionis merito incurriſſent, ſi non obediſſent, quantum laudis & gratiæ receperunt pro eo quod obedierunt. Quod vobis quidem & durum videtur, & neceſſarium. ſed non eſt ita. Enimvero conſtat nonnulla nec fieri ſine gloria, & poſſe non fieri ſine culpa; ideoque ſi fiant, digna eſſe præmiis, non tamen ſuppliciis ſi non fiant. Nam & non tangere mu- (C) lierem, meriti eſt non mediocris; & nullius tamen delicti propriam amplecti conjugem. Iſtiuſmodi ſunt quæcumque evangelico illi capitulo congruere poſſunt: *Qui poteſt capere, capiat.*

Gen. 22. 2. * V. Doctr. SS. PP. lib. de obed. n. 6. Solutio. Matt. 19. 12.

42. Et rurſum quædam per contrarium, neglecta quidem offenſam contrahunt, ſed impleta gloriam * non merentur; & damnant contemptorem, & auctorem non glorificant. Talia ſunt quæcumque divinitus lege publica imponuntur hominibus, ſine quibus nec ſalvari queunt. Hinc illud apud gentilem:

* al. gratiam

Non feci furtum. non paſces in cruce corvos.

Horat. lib. 1 epiſt. 16

Et in Evangelio: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tan-* (D) *tum, quid amplius facitis?* Denique & univerſaliter, *Cum feceritis omnia quæ mandata ſunt vobis, dicite quia ſervi inutiles ſumus, quæ facere debuimus, fecimus.* Ac ſi dicat: Si ſolis contenti eſtis præceptis & traditionibus impoſitæ legis, & non ſponte etiam perfectionis vos conſiliis & ſuaſionibus mancipatis; liberi quidem eſtis à debito, non tamen pro merito glorioſi: evaſiſtis pœnam, ſed non acquiſiſtis coronam. Quænam ergo nos neceſſitas cogit parem in ſingulis, quæ injuncta fuerint, & formidare ultionem de tranſgreſſione, & de obſervatione ſperare remunerationem? Ea propter in talibus generalis hæc regula teneatur, ut in diffici- (E) lioribus quidem agendis obedirio gratior, quàm gravior prævaricatio judicetur: & in facilioribus minuſque oneroſis contemptus damnabilior, quàm actus laudabilior æſtimetur.

Luc. 6. 32. Matth. 5. 46. Luc. 17. 10.

CAPUT XVI.

Tranſitus & mutatio monaſterii quatenus probanda.

43. JAm & ſi de hoc ſatis eſt, videamus quatenus etiam tenenda ſit ipſa, quæ in profeſſione firmari ſolet, loci ſtabilitas, & quibus (ſi quibus tamen) ex cauſis rumpere illam vel liceat cuiquam, vel expediat. Et hinc ſiquidem dubitare vos dicitis. Ad quod inte- (F) rim nunc ſecurus reſponderim, à bono quod ſemel quis voverit, deſcendere non licere: & ad hoc mutare locum, quem ſibi quiſque delegerit, & cui ſe ſua voluntate & voce firmaverit, omnino non conſulo, » ſed nec ſanctus Papa Gregorius. Ait enim: Perfecti » quique magna ſe diſcretionis ſubtilitate conſpiciunt, » ne ad deteriora umquam vel in opere, vel in cogitatione dilabantur. Sed quod hinc ſenſit vir apoſtolicus, hoc ſe Apoſtolus implere gloriatur: *Quæ*, in- (A) quiens, *retro oblitus, & ad ea quæ ante ſunt extentus.* An & propheta Ezechiel idem non ſignificavit, cum de ſanctis animalibus diceret: *Non revertebantur cum incederent, ſed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur?* Et hi omnes id ſentiendo, non aliud quàm Magiſtri ſui ſententiam ſecuti ſunt, dicentis in Evangelio: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* PRÆSCRIBAT proinde ſtabilitatis pactum omni deinceps remiſſo deſcenſui, contentioſo diſceſſui, vago & curioſo diſcurſui, totius denique inconſtantiæ levitati; non tamen his quæ in profeſſionis ſerie ſequuntur, morum videlicet converſioni, & obedientiæ quæ ſecundum (B) Regulam fit. Nam ſi hæc ibidem, pro improbitate nimirum atque irreligioſitate cohabitantium, obtineri forte nequiverint; duce ſpiritu libertatis tranſire indubitanter ſuadeo ad locum alium, ubi non impediatur homo reddere Deo vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Et quidem cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.

A bono promiſſo deſcendere non licet. Philip. 3. 13. Ezech. 1. 9. Luc. 9. 62. Monaſterium mutare cui liceat.

44. Sane de religioſis ac bene ordinatis ª monaſteriis nullus profeſſorum meo conſilio, ne arctioris quidem vitæ deſiderio, ſine licentia ſui ſenioris egredietur. Egreſſus tamen, ſi melius invenerit & elegerit, meo nihilo minus jam conſilio non regrediatur ad inferius bonum, quod reliquerat & contempſerat præ (C) meliori: præſertim ſi illud melius tale fuerit, quod ejus primæ profeſſioni congruere videatur. Ipſe nempe viderit, qua ratione, quave intentione altiora ſeu arctiora præſumpſerit: nam ad inferiora jam vel remiſſiora, me conſulente, nequaquam apoſtatabit. ſi non tamen loci prioris vicinia revocetur, quia de noto monaſterio nec retineri quis regulariter poteſt, nec recipi ſine conſenſu Abbatis ſui. Et accipite manifeſtius in exemplis hujus ſententiæ rationem.

Cui non expediat. Reg. S. Bened. cap. 61.

45. Forte vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis ad Ciſtercienſium ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis nimirum conſuetudinibus magis Regulæ puritatem. Si me conſulit, non conſulo, ſi non ſane id (D) Abbatis ſui uſurparit aſſenſu. Quamobrem? Primo propter ſcandalum ipſorum quos deſerit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non eſt; forſitan enim hæc tenere poteſt, illud non poterit. Tertio ſuſpectam habeo levitatem, qua id ſæpe quod facile volumus antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento idipſum & cupientes, & reſpuentes, tam leviter, quàm & irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulſi, vagi & inſtabiles hac & illac velut ebrii nutant; mutantque pro experimento judicium, immo (E) ſine judicio fluctuantes & tumultuantes, tot de ſe conſilia præſumunt, quot loca reviſunt: ſemper quod non habent cupientes, & quod habent faſtidientes.

Exemplis res declaratur. Mutabilitas improbata.

46. Et quomodo ego, ait aliquis, profeſſus Regulam, non ſecundum Regulam cum bona queam degere conſcientia? ſiquidem vovens, & non ſolvens, quid niſi pejero? Quaſi non multo magis habeas inde conqueri alibi quoque, cum cœperis pure juxta Regulam converſari. Profecto etiam tunc: Et quânam, inquies, conſcientia habitare ſuſtineam extra domum meam priorem, quæ me de ſæculo fugientem excepit, initiavit ad bonum, ſignavit in ſalutem; moleſtus fratribus, inobediens ſeniori, ſtabilitatis inſuper præ- (F) varicans pactum, & primam irritam faciens fidem? Verumtamen neutra juſta querimonia eſt. Nam qui ſe ideo perjurum putat, quod ad purum * Regulam non obſervat; videtur mihi non ſatis attendere quid juraverit. Nemo quippe cum profitetur, ſpondet Regulam, ſed determinate ſecundum Regulam ſui quiſque converſionem, ſuamque deinceps converſationem ſeſe pollicetur dirigere. Hæc profecto hujus temporis omnibus ferme monachis communis profeſſio eſt. Et licet in diverſis monaſteriis, diverſis & obſervantiis

* al. punctum Regulam ad purum non ſervantes an ſalvari queant.

ª Vide Bernardi epiſtolam 395. num. 2, ubi de monaſterio S. Bertini idem aſſerit.

Deo ſerviatur ; quamdiu tamen ſui quiſque loci bonos uſus ſollicite ſervat, haud dubium quin ſecundum Regulam vivat, quoniam quidem boni uſus a Regula non diſcordant. QUISQUIS itaque tenet quod teneri invenerit bonum, ubi profitetur ; profecto vivit ſicut promittit : quia non aliud proculdubio quiſque promittit, quàm quod habere eorum pia videtur vita, cum quibus deinceps vivere diſponit & eligit.

Eadem profeſſio diverſis admittit variis modis.

47. Quid enim ? numquid verbi gratia, aut in Majori-monaſterio uſus Cluniacenſium, aut iſti forte illorum ritus, aut vero utrique Ciſtercienſium diſtrictionem litteratoriam profitentur ? Attamen omnes ſecundum Regulam profitemur. Una quidem oris ubique promiſſio : ſed quia non una eſt omnibus cordis intentio, poteſt indubitanter ſine detrimento ſalutis, & ſine damno profeſſionis, operis quoque non una ubique obſervatio celebrari. Sicut enim non omnes omnia tenent, etiam boni Chriſtiani, quæ in Evangelio ſunt, omnes tamen ſecundum Evangelium vivunt, (nam qui conceſſis alligari conjugiis contenti ſunt, non ideo tamen credunt ſe receſſiſſe ab Evangelio, quia evangelici ſublimitatem conſilii de cælibe ducenda vita non elegerunt, ita ſane ſi in gradu illo inferiori legitime ac fideliter converſentur :) ſic quoque qui ſecundum Regulam vivere ſtatuunt, etſi non ad unguem (ut dicitur) totam cuſtodiunt, etſi qua pro ſui clauſtri ritu vel mutant, vel prætermittunt ; à regulari tamen omnino profeſſione non diſcedunt, donec tamen ſobrie, & juſte, & pie, pro ſuorum moribus vivere non deſiſtunt. Denique Regula ipſa tradit octavum humilitatis gradum, *ut nihil agat monachus, niſi quod communis monaſterii regula, vel majorum cohortantur exempla.*

Exemplum in Chriſtianis.

Regula S. Ben. c. 7.

Conſilium Bernardi de mutando monaſterio.

48. Exceptis proinde Ciſtercienſibus, & qui illorum forte ritu non tam vivere ſecundum Regulam, quàm ipſam ex integro pure ad litteram (uti ſe ſane profeſſos eſſe putant) tenere curant : de cetero neminem obedienter degentem regularis moveat ſollemniſque profeſſio, in qua non fit de tota Regula promiſſio, IN HIS DUMTAXAT MONASTERIIS, in quibus ordo & diſciplina ſervatur cum bonis conſuetudinibus. Salva igitur cuique ſua manet in cœnobiis BENE ORDINATIS profeſſio, tantum ſi ſana fuerit & intentio. Ceterum qui inquietus eſt, & ita credere non poteſt ; ſed magis credens & cedens ſtimulanti conſcientiæ exit, & quærit ubi ſolvat * quod ſuo in loco, ſuo utique judicio voverat quidem, ſed non ſolverat : ſicut non laudo quod egreditur, ita ut regrediatur non conſulo, ſi tamen ad remotum ignotumque monaſterium migraverit. Cur ita ? tum propter Pauli ſententiam, qua beatum manifeſte pronuntiat, qui ſeipſum non judicat in eo quod probat : tum ex noſtri auctoritate Magiſtri, qui talem & ſuſcipi jubet, & retineri ; inventum quoque bonum & utilem ſuaſione allici, profeſſione ligari. Denique ſuadeatur, inquit, ut ſtet. Et ne forte prioris ſui monaſterii memor, remordente (ut aſſolet) conſcientia, incipiat denuo de rupta ſtabilitate [a] cauſari ; generalem ſuper hujuſmodi ſcrupulo conſolatoriam profert ſententiam, dicens : *Ubique enim uni Deo ſervitur, uni Regi militatur.* Porro de vicino prohibet, quod jubet de peregrino : ne vicinitas inter monaſteria fomes ſcandali, rixæ materia ſit, ſi alterutrum recipere monachos acquieverint abſque mutuo dumtaxat aſſenſu. Quod toties equidem [b] experimur, quoties talis uſpiam monachorum ſuſceptio plane non niſi contra decretum regulare præſumitur.

* al. ſolvat votum quod

Rom. 14. 22.

Reg. S. Bened. cap. 61.

Tom. II Opus IV

49. Quod ſi etiam poſt hæc fratris ita regulariter ſuſcepti inquietiorem forte animum pulſaverit recordatio ſcandali, quod diſcedens fratribus, quos deſeruit, fecit ; & quia oporteat emendari ſuo reditu quod ex diſceſſu deliquerit : prudenter advertat qui hoc cogitat, SCANDALUM ſcandalo non bene emendari. Qualis denique emendatio erit, ſi ut aliis ſcandalum tollas, alios ſcandalizas ? Quamquam profecto & tolerabilius ſcandalum illud ſit, & venialius, quod factum eſt intentione proficiendi in melius, quam quod facere cogitas ad deterius apoſtatando. Sed & ante quoque, licet non ſine ſcandalo, tutius tuam ſine dubio ad id quod putaſti melius, ſecutus es conſcientiam, quàm ſi in priori bono & loco contra conſcientiam permaneres, quamquam ſecure id poſſes : ſi ſane hinc eamdem tuam ipſius conſcientiam reddere ſecuram poſſes.

50. Quapropter quod de manducante, & non manducante decernit Apoſtolus, uſurpemus & nos in noſtræ hujus diſputatiunculæ concluſione, ut & qui propria impellente conſcientia ſuum deſerit locum, ne ſuum (quod putat) deſerat votum ; non deſerentem non ſpernat : & qui ſecura conſcientia fraternum ſcandalum timens, fratres non deſerit ; deſerentem non judicet. Et de his me accipite ſane quod ſentio reſpondiſſe, ſine præjudicio ſanius ſentientis.

Rom. 14. 3.

CAPUT XVII.

Ad dubia quadam ex Patribus propoſita reſpondet.

51. ITem poſtulatis abſolvi vobis, cur vel beatus Gregorius neſcio quem Venantium, habitum monachalem, quem pie ſuſceperat, impieque rejecerat, non ſolum reſumere non coëgit, ſed etiam omnem legitur indulſiſſe communionem apoſtatæ perduranti : vel ſanctus Auguſtinus conjugii legi votum quodammodo ſubjiciat continentiæ : ita ut in libro de Virginitate aſſerere videatur, nec cælibis quidem vitæ propoſitum copulæ poſſe præſcribere conjugali, quominus indiſſolubile [c] maneat, etiam quod a continentibus, fallente diabolo, fracto ſanctitatis voto, initum fuerit matrimonium. Et ad hæc nihil ad præſens certius breviuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita ſancti Antiſtites ſapuerunt : rectene ? ipſi viderint. Nam ego in ſenſibus actibuſque illuſtrium Patrum cautus profecto ſum omnino non aliud æſtimare, quàm quod beato Apoſtolo teſte quæritur jam inter diſpenſatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei ſpiritu ; ſicut & in ceteris, ita & in his ambos extitiſſe fideles, illum in diſpenſando quod præ manibus erat ; iſtum in ſcribendo quod ſenſerat.

S. Greg. lib. 1. epiſt. 33. & lib. 9. epiſt. 23. & 31.

Matrimonium monachi an validum

V. S. Aug. de bono vidui. c. 9. 10. & 16.

1. Cor. 4. 2.

52. Quod denique quæritis de quibuſdam Epiſcopis ; quos ſanctus idem Papa Gregorius ad tempus in monaſteriis pro eorum exceſſibus legitur recluſiſſe, utrumnam in ſuo, an in monaſtico interim habitu habitarint cum monachis : ego neſcio, niſi quod credibilius videtur, nequaquam illos inſignem religionis habitum ſuſcepiſſe, quem non erant perpetuo habituri : ſed tantum quæſiſſe quietem in ſecretis monaſteriorum, & opportunitatem pœnitentiæ.

Epiſcopi in monaſteria retruſi, an veſtibus uſi religioſis

53. Audire & hoc vultis à me, unde inter cetera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogativam, ut ſecundum Baptiſma [d] nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præ-

Cur monaſtica profeſſio ſecundum Baptiſma.

a Tales fuerunt illi monachi ad Pontiniacenſes tranſlati, ad quos inſignem ſcribit epiſtolam Petrus Cellenſis, in tomo 2. Spicilegii pag. 447 ubi vide & duas ſequentes.

b Quantas Bernardo rixas faceſſerint ejuſmodi ſuſceptiones, variæ probant ejus epiſtolæ, nempe 3. 32. 33. 65. cum tribus ſeqq. item 253. 293 181. 391. & 396. Confer epiſtolas 94. & 371. & maxime Caſſianum Collat 14. cap. 5. & ſeqq.

c Quæſtionem hanc Bernardi ævo fuiſſe ventilatam, patet tum ex Abælardo, qui quemdam Burgundiæ magiſtrum arguit pag. 1067. quod *monachos atque monales, poſt publicum etiam ſuæ profeſſionis votum, & benedictionis vel conſecrationis vinculum, poſſe matrimonium contrahere* aſſereret : tum ex Concilio Remenſi ſub Eugenio III. ubi ejuſmodi matrimonia irrita ac nulla eſſe definit canon 7. etiam in Converſis profeſſis. Longe ante Gregorius M. monachos, qui uxores duxiſſent, in monaſterium revocari jubet in lib. 8. epiſtola 40. eoſdem vero excommunicat Concilium Chalcedonenſe can 16. Paullo diſſimilis eſt argumenti Bernardina epiſtola 76. de quodam homine, qui *poſt diutinam in domo & habitu religionis converſationem*, nondum tamen confirmato propoſito, ad ſecundas nuptias convolarat.

d Idem in ſermone 11. de diverſis & in epiſtola 411. num. 2. Adi Horſtii Notas, quibus adde Odonis abbatis Cluniacenſis Collationum lib. 2. cap. 7. & Theodori Studitæ teſtamentum apud Baronium tomo 9.

Tom II. Opusc IV.

eminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſcemodi converſatio, profeſſores & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; immo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto inſtar Baptiſmi. Et quaſi denique ſecundo baptizamur, dum per hoc quod mortificamus membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus, complantati denuo ſimilitudini mortis ejus. Sed & quomodo in Baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ: ita & in ſancti hujus ſecunda quadam regeneratione propoſiti, de tenebris æque, non unius originalis, ſed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum evadimus, reaptantes nobis illud Apoſtoli: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* (Rom 13 12.)

CAPUT XVIII.

Morte Abbatis non licere profeſſis mutare locum.

54. ID quoque vobis inſinuari precamini, an Abbatis mutatio monaſterium ſuum mutare volentibus monachis in aliquo patrocinetur; hoc eſt, ſi in morte vel depoſitione Prælati plus aliquid libertatis ſubditis relaxetur, quo utique licentius poſſint eo articulo temporis migrare quo voluerint, altero necdum videlicet ſubſtituto. Ad quod reſpondeo: Nequaquam. Etenim ſponſio profeſſionis, quando ex more fit in Oratorio, de Abbatis vita non ſumit terminum, ſed de præſentia teſtimonium. PROFITENTI itaque modus ſit ſua vita, non aliena. Attendat denique quid inde Legiſlator ipſe non ſolum ſenſerit, ſed & tradiderit: ut *ſi quando*, inquit, *aliter fecerit*, videlicet quàm promittit, *à Deo ſe ſciat damnandum quem irridet.* Item dicit, quod nec ſui jam corporis Novitius habiturus ſit poteſtatem; & item, *Perſeverantes*, ait, *in monaſterio uſque ad mortem.* Salvis igitur exceptionibus, quas ſuperior diſputatio perſtrinxit, de cetero nulla liceat occaſione monacho locum, cui profeſſus eſt, citra ſuam mortem deſerere, ſuo dumtaxat arbitrio. Alioquin prævaricator eſt, damnationem habens, quia primam fidem irritam facit.

(Obedientiæ non alius terminus, quam vita. — S. Bened. Reg. c. 58. — In Prolog.)

55. Sed vos pergitis amplius ſciſcitari, & dicitis: Quid ſi non poteſt niſi cum rancore perpetuo animi ibidem manere, ob minus videlicet regularem, minuſve amabilem Abbatis electionem? Subit animo nunc illud de Evangelio, quod de conjugii lege docenti diſcipuli Domino reſponderunt: *Si ita eſt*, inquiunt, *non expedit nubere.* Magnæ revera anguſtiæ. Si tenuerit exoſam, nihil onerofius: ſi dimiſerit invitam, nihil inchriſtianius. Annon ſimili neceſſitate conſtringitur qui nec deſerere valet locum, ne frangat votum; nec manere in loco, ne cum rancore vivat, & vitam perdat? Quid conſulam huic? Ut diſcedat? Non licet propter profeſſionem. Ut ſtet? Propter rancorem non expedit. Duo mihi æque inconvenientia, æque periculoſa propoſuitis, ut quicquid reſpondero, vobis minime proſit. Quæritis nempe quid è duobus monacho tutius ſit, reſidere in proprio monaſterio ſub irregulariter electo cum rancore, an ad quietius vivendum alio migrare. Quod quidem haud ſecus accipio, quàm ſi requiratis, quanam morte perire conſulam eum qui ſeipſum forte perimere vult, incendio, an præcipitio. Revera namque & uritur qui in odio manet; & qui frangit propoſitum, in præceps ruit. Sed vos me in hac difficultate conſilii facile expeditis, cum deinde ſequimini; & quatenus accipi hoc ipſum velitis quod appellatis irregulare, aperiendo ſubjungitis: præſertim ſi electionis irregularitas adeo involuta ſit & intorta, ut licet de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen, aut vix, aut nullatenus convincatur. Venit nunc quoque in mentem Sapientis elogium: *Occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico.* Quonam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ caſſari regulariter non valet, aut reprobari? Et quidem legitur: Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt. Sed dicitis: Et quis obediat ſcienter indigno, etſi non manifeſto? Fratres, nonne legiſtis & in veſtra, & in Veritatis regula: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæ dicunt facite, ſecundum opera vero illorum nolite facere?*

(Dubium de monacho cui bene non eſt cum Abbate. — Matth 19 10. — Reſponſio. — Prov. 18, 2. — Matth 23 2. S. Bened. Reg cap 4.)

CAPUT XIX.

Ad alia quædam dubia paucis reſpondet.

56. JAm de mutandis veſtibus, vel lavandis ob nocturnam illuſionem, accipite breve conſilium. Juxta ritum ſui loci quemque facere conſulo de hujuſmodi, quæ diverſis modis diverſis in monaſteriis certum eſt obſervari. De his qui in pluribus monaſteriis profitentur (quod pæne oblitus fueram) puto ſatis eſſe reſponſum ſuperius, cum de loci ſtabilitate diſputatum eſt, & non eſt neceſſe ut repetam. Prætermitto & aliqua de canonibus quæ vos requiritis; tum quoniam talium noſtra non refert qui monachi ſumus; tum quia in libris eadem ipſi facile reperire poteſtis, ſi quærere non gravemini.

57. Venio ad tria illa, quæ in altera veſtra rurſum epiſtola continentur: ubi primum interrogatis, quidnam conſulam homini, qui adverſus quempiam commotus fuerit; ſed non adeo ut eum lædere ipſe velit, adeo tamen ut libenter accipiat, ſi quo modo aliunde lædi contigerit: ſitne videlicet tutum ita commoto accedere ad altare, an ſe ſubtrahere interim debeat, donec compeſcatur commotio. NUMQUAM MIHI CONTINGAT turbatum ad pacis accedere ſacrificium, cum ira & diſceptatione contingere ſacramentum, in quo Deus indubitanter eſt mundum reconcilians ſibi. Certe non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, niſi ante placato fratre, quem me forte læſiſſe meminero: quanto minus ſi me ipſum non pacavero prius?

(Non accedendum ad altare cum rancore.)

CAPUT XX.

Binas Pauli ſententias in ſpeciem pugnantes conciliat.

58. QUod deinde quæritis de contrarietate, quæ ineſſe videtur duabus illis Pauli ſententiis, *Converſatio noſtra in cælis eſt*; &, *Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*: quomodo videlicet anima eodem tempore poſſit, & in corpore peregrinari à Domino, & in cælis ſimul eſſe cum Domino; ipſe ſolvit Apoſtolus, cum alibi dicit: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* In quantum quippe cognoſcimus, tamquam præſentia contemplantes, jam cum Domino ſumus. In quantum adhuc tamquam de futuris prophetamus, credentes quæ non intelligimus, ſperantes quæ non videmus; à Deo peregrinamur, & in corpore. *Cum autem venerit quod perfectum eſt*, hoc eſt gloriæ plenitudo, quæ in reſurrectione futura eſt, *tunc evacuabitur quod ex parte eſt*, corporis videlicet omnis corruptio, ex qua ſine dubio contingit hæc, quæ adhuc ex parte manet, noſtra in corpore peregrinatio. Hoc eſt quod in ſe miſerabiliter ingemiſcens plangit, & ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Non queritur de corpore tantum, ſed corpore mortis hujus, hoc eſt ejus quæ adhuc durat corruptionis: monſtrans non corpus, ſed corporis moleſtias eſſe cauſam peregrinationis. *Corpus* quippe *quod corrumpitur*, [a] *aggravat animam.* Non corpus ſimpliciter, ſed corpus quod corrumpitur; ut corruptio corporis oneri ſit, non natura. Unde & qui intra ſemetipſos ingemiſcunt, redemptionem exſpectant corporis ſui, non amiſſionem. Merito proinde gravati corporis neceſſitate, non ſocietate, cupimus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:

(Philip 3 20. — 2. Cor 5. 6. — Explicatio Apoſtoli. — 1. Cor. 13. 9. — Ibidem. — Rom. 7 24. — Sap. 9. 15. — Rom. 8 4 23. — Philipp. 1. 23.)

a In tribus noſtris mſſ. deeſt, *aggravat animam*, quæ tamen verba neceſſaria ſunt ad conſequentiam. Forte ut caitis nota reſecuit notarius.

ut id

ur id quod manet ex parte adhuc, exſilium finiatur, & quæ ex parte jam cœpit, cæleſtis habitatio perficiatur.

Phil. 3. 20. 59. Aut certe *converſatio noſtra in cælis eſt*, quomodo idem dicit Apoſtolus: *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Spe itaque jam in cæleſtibus habitamus, cum adhuc re ipſa in terris peregrinemur & in corpore. Vel aliter: Habemus & unde corpori, & unde Domino inhæreamus; illud vivificando & ſenſificando, illum credendo & diligendo. Neque enim præſentior ſpiritus noſter eſt ubi animat, quam ubi amat. niſi forte putetur eſſe magis ubi invitus & ex neceſſitate tenetur, quam quo ſponte & alacri fertur voluntate. Denique *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Item ſi Deum amans anima ex ipſo vivit, uti corpus ex ipſa: quo pacto quæſo præſentior eſſe contenditur ubi dat, quàm unde accipit vitam? Fons ſiquidem vitæ caritas eſt: nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauſerit. Haurire porro quomodo poteſt, niſi fuerit præſens ipſi fonti, qui caritas eſt, quæ Deus eſt? Præſens igitur Deo eſt qui Deum amat, in quantum amat. In quo enim minus amat, abſens profecto eſt. In eo autem minus Deum amare convincitur, quod carnis adhuc neceſſitatibus occupatur. Illa vero circa corpus occupatio quid eſt, niſi a Deo quædam abſentatio? & abſentatio quid, niſi peregrinatio? Et peregrinamur ergo à Domino, & in corpore peregrinamur: cujus noſtra nimirum & intentio præpeditur ærumnis, & curis caritas fatigatur.

Rom. 8. 24.

Alia præfatio: in capitulo ... Apoſtoli

Matt. 6. 21.

60. In fine ſecundæ epiſtolæ interrogatis, quid ſentiendum arbitrer de eo, quod in Evangelio nobis promittitur: *Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis.* mirantes maxime ſanctum Auguſtinum dixiſſe ſuper hoc, non cælos iſtos viſibiles & corporeos oportere intelligi, ne merces noſtra in rebus mobilibus volubilibuſque videatur collocari: ideoque ſpiritualia quædam firmamenta eſſe intelligenda, de quibus neſcitis (ut dicitis) quid vel ſuſpicari debeatis. Sed ſi attenditis quod legiſtis, *Regnum Dei intra vos eſt*; &, *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*, tamquam utique regem in regno ſuo; &, *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. non quidem quæ revelabitur nobis, velut aliquid exterius; ſed in nobis, quaſi intus jam manens, ſed nondum apparens. & item, *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*; &, *Aſcendet homo ad cor altum*; ſed & *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*; rurſumque, *Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*, cujus ſine dubio illa vox eſt, *Cælum mihi ſedes eſt.* Si hæc, inquam, hiſque ſimilia non pauca in Scripturis advertitis, profecto ſtudebitis ad requirendum regnum Dei & juſtitiam ejus, intrare potius ad vos, quàm vel extra exire, vel aſcendere ſupra. Sed ſupra ſane, vel extra dixerim loci poſitione, ſicut cælum à terra locum tenet exteriorem; ſol, luna, & ſidera ſuperiorem. Nam eadem ipſa, quæ intra nos ſunt ſubtiliori ſuæ naturæ inviſibilitate, etiam ſupra nos ſunt ſublimiori excellentiæ dignitate, & extra quoque immenſitate majeſtatis. Sed altiſſima ſunt hæc, egentia utique & diligentiori diſputatione, & doctiori diſputatore, & opere prolixiori. Ego enim putaveram modum in his tractandis epiſtolarum nequaquam exceſſum iri: ſed ſermo (ut video) proceſſit in longius quàm ſperavi. Proinde vos ſi placet, Librum; ſi placet, Epiſtolam nominate. nam ego ſive in paucis, ſive in multis, veſtræ debui (quod & ſtudui) ſatisfacere voluntati.

Luc. 6. 23.

Luc. 17. 21.
Eph. 3. 17.
Rom. 8. 18.
Pſal. 44. 14.
Pſal. 83. 6.
Pſal. 83. 6.
Iſa. 66. 1.

ADMONITIO IN OPUSCULUM QUINTUM.

I. Nihil eſt quod majorem Bernardo invidiam conflaverit, quàm liber iſte, editus in monachos Cluniacenſes. Ea enim erat per id tempus ipſorum exiſtimatio, ut orbis quaſi cenſuram aggredi videretur, qui illos arguere tentaret; ea propagatio & multitudo, ut is agmen adverſariorum in ſe concitaret. Et ſunt etiam nunc nonnulli, qui Bernardi hac in parte zelum quaſi nimium accuſent. non ſatis attendentes, Doctorem ſanctum à Deo ita comparatum & inſtitutum fuiſſe, ut Eccleſiæ maculas abſtergeret, & monaſtici Ordinis integritatem ſplendoremque reſtitueret, bellum indicendo vitiis, quæ ejus puritatem ſuo tempore deformabant. Nunc ergo ſcire intereſt, quo titulo, quove anno Bernardus hoc opus ediderit: an quæ in Cluniacenſibus carpit, re ipſa vitia ſint, an tolerabiles ritus: & ſiquidem vitia ſunt, vera an ſuppoſita.

II. Quod ad titulum pertinet, Epiſtolam *vocat Bernardus in ſequenti libro num.* 15. Jam vero Epiſtola, ut epiſtola remaneat, finienda erat, &c. *at vero in fine libri* Opuſculum *vocat, ubi de Ogerio, qui à Bernardo diſcedere nolebat* abſque recenti Opuſculo. *Gaufridus in lib.* III. *de Bernardi vita cap.* VIII. Apologeticum *appellat.* Si fervens contra ſuorum, vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. *Certe* Apologiæ *nomine utitur vir ſanctus in epiſtola* XVIII. *ubi ſcripta ſua Petro Cardinali recenſens*, Necnon & Apologiam, *inquit*, ad quemdam amicum noſtrum, ubi aliqua diſſerui de Cluniacenſibus & noſtris, id eſt Ciſtercienſibus, obſervantiis. *Vulgatum proinde* Apologiæ *titulum retinebimus, ab ipſo etiam auctore conſecratum.*

III. Ex eadem epiſtola XVIII. *quæ ſub annum* MCXXVII. *ſcripta eſt, condita Apologiæ tempus intelligitur. Et ſane librum hunc unum ex primis Bernardi opuſculis, & quidem tertium fuiſſe conſtat ex enumeratione Petro Cardinali facta, in qua duo tantum ante Apologiam memorat, nempe* librum de Humilitate, & Homilias in laudibus Virginis matris in Miſſus eſt. *quibus Apologiam continenter ſubjicit cum paucis epiſtolis. Itaque Apologia compoſita eſt ſub annum* MCXXV. *id eſt ſub initia regiminis Petri Venerabilis, qui Hugoni ſecundo ſucceſſit anno* MCXXII. *anno dimidio poſt Pontium, ſub quo magnopere laxata fuerat Cluniacenſis Ordinis diſciplina regularis. Non mirum itaque, ſi Bernardus aliqua reprehenſione digna notavit, eaque in ſcripta redegit rogatu Guillelmi ſancti Theoderici abbatis, qui ex Ordine Cluniacenſi cenſebatur. Nam cum Nigrorum monachorum cœnobia fere omnia ritus Cluniacenſes ſectarentur; exorta ſemel Ciſtercienſium congregatione, quæ alios mores habebat, ea Cluniacenſis Ordinis (tametſi ei aggregata non erant) dicebantur, ut vel ex ſequente Apologia patet, in qua Guillelmum alloquens,* Ordinem veſtrum *dicit num.* 1. *&* 30. *& in eodem num.* 30. *monaſterium S. Nicolai diœceſis Laudunenſis eidem Ordini attribuit. Hanc ergo Apologiam Bernardus ſcribit rogatus à Guillelmo Cluniacenſi homine; ſcribit, inquam, eo tempore, quo ſolutior erat Cluniacenſium religio: ſed ita libellum componit, ut primum, & quidem durius, arguat ſuos, id eſt Ciſtercienſes, qui ſeverioris vitæ ſpecie Cluniacenſium inſtitutis detrahebant, ſicque ſanctiores religionis leges violabant. Ut ergo alteros alteris conciliaret ſanctiſſimus Doctor, quid in utriſque reprehendendum ſibi videbatur, in hoc libro ſincere exponit;*

Tom II. Opusc. V. *ratus*, ſe non adverſus Ordinem, ſed pro Ordine diſputare, ſi noo Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehenderet, *ex num. 15.*

IV. Neque dubitandum eſt ea vera eſſe quæ in Cluniacenſibus notavit Bernardus, quem de his accurate edoctum fuiſſe, atque adeo ab omni falſi criminis ſuſpicione immunem eſſe nemo non concedere debet. Verum dictorum ejus veritatem probant Statuta Petri Venerabilis abbatis Cluniacenſis, qui coacto apud Cluniacum Capitulo generali, pleraque ejuſmodi vitia emendare conatus eſt, ut manifeſte probant ejus Statuta, quæ ſuis locis in Notulas referemus. De hoc Capitulo agit ad annum M C XXXII. *Ordericus Vitalis, qui & ipſe præſens interfuit. ita enim habet in lib.* XIII. *pag.* 896. Petrus Cluniacenſis abbas veredarios & epiſtolas per omnes Cellas ſuas tunc direxit, & omnes Cellarum Priores de Anglia & Italia, regniſque aliis acceerſiit, jubens ut dominico Quadrageſimæ tertio Cluniaci adeſſent, ut præcepta monaſticæ converſationis auſteriora, quàm hactenus tenueraot, audireot. Illi oimnium archimandritæ ſuis juſſis obſecundaveruot, ac ad ſtatutum terminum C C. Priores Cluniacum convenerunt. Io illa die M C C & XII. Fratres ibi adfuerunt... Ille vero *Petrus* auxit jejunia, abſtulit colloquia, & infirmi corporis quædam ſubſidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiſerat revereodorum clementia. Fratres autem aſſueti magiſtro ſemper obedire, contra religioſum morem nolentes ei reſiſtere, aſpera quidem imperia ſuſceperunt: rationabiliter tamen oſtenderunt, quod veoerabilis Hugo, & illius anteceſſores Maïolus & Odilo, artam vitæ viam tenuerunt.... Auſterus autem præceptor ... Ciſtercieoſes, alioſque novorum ſectatores æmulatus, rudibus auſis inſtitit, & ab incœptis deſiſtere ad præſeos erubuit. Poſtmodum tamen emollitus, ſubditorum arbitrio conſenſit, &c. *Confer ejuſdem Petri Venerabilis lib.* 1. *epiſtolam* XXVIII. *& aliam quæ inter Bernardinas relata eſt, ordine* C C XXIX.

V. Ex his apparet, ea, quæ in Cluniacenſibus carpit Bernardus, vera eſſe: ſed inter vitia non ab omnibus fuiſſe habita, immo quaſi neceſſarium temperamentum infirmitatis humanæ. Et quidem de quibuſdam id videri poſſit, puta de ornatu eccleſiarum, aliarumque ejuſmodi rerum, quæ plauſibiles rationes præ ſe ferunt: at pleraque inter monachos tantiſper moderatos tolerabilia non eſſe vel ipſa lectio perſuadet. Sed quid, inquis, de templorum magnificentia & cultu? annon Ciſtercienſes, immo & Bernardus ipſe ampliſſima & ornatiſſima condiderunt? Hac cum audio, in mentem venit primi illius Oratorii, à Bernardo apud Claram vallem extructi. Bone Deus! quàm exilis, quàm vilis in ſpeciem, ſed quàm ſua vili ipſa ſpecie venerandi! Aliud quidem inchoavit ampliſſimum, quod continendis monachis ſeptingentis, aliiſque perſonis ſufficeret: ſed omnis ornatus, præter ipſam fabricæ majeſtatem, expers. Et Ciſtercienſes primitus ſculpturas vel picturas *in eccleſiis ſuis ſeu officinis monaſterii penitus interdixerunt*: quia dum talibus ioteoditur, utilitas bonæ meditationis, vel diſciplioa religioſæ gravitatis ſæpe negligitur. Cruces tamen pictas, *ſed quæ* ligneæ *eſſent, habebant. Denique* ſuperfluitates & curioſitates notabiles in ſculpturis, ædificiis, pavimentis, & aliis ſimilibus, quæ deformant antiquam Ordinis honeſtatem, & paupertati non congruunt, *rejecerunt etiam in Capitulo anni* M C C XIII.

Inſtit. Ciſt. parte 1. cap. 10.

VI. Sed ut hæc miſſa faciamus, magna certe ex ſequenti libello conſecuta eſt utilitas: cum non ſolum Cluniacenſes, ſed etiam alia, quæ ab eorum ſocietate diſparata erant monaſteria, ejus lectione ad meliorem frugem ſe ſe receperint, in primis Dionyſianum Sugerio auctore: & tandem Ciſtercienſium exemplo convocari cœperint Capitula generalia Nigrorum monachorum præter Cluniacenſe, in quibus de emendandis monachorum vitiis actum eſt. Id enim Innocentio ſecundo Pontifice fieri cœptum, & ab ipſo approbatum fuiſſe conſtat ex litteris Capituli generalis Abbatum provinciæ Remenſis ad Hadrianum tertium contra Abbatem Latiniacenſem, ſuperius relatis col. 398.

VII. Sed hæc ſatis ad illuſtrandam Apologiam ſequentem, quam in duas partes diſtinguere poſſumus: in quarum prima corripiuntur Ciſtercienſes: quod Cluniacenſium inſtitutis detraherent: in ſecunda Cluniacenſium ſuperfluitates arguuntur. Ideo duas epiſtolas vocat codex Majoriſmonaſterii, in quo ita inſcriptio legitur. Incipit Apologeticum domoi Bernardi abbatis contra Ciſtercienſium detractiones, ad Guillelmum abbatem: dividitque tractatum in duas epiſtolas. *Præmittitur epiſtola* LXXXIV. *inſtar* Præfatiuonculæ, *quo nomine eam Bernardus deſignat in epiſtolis* LXXXV. *&* LXXXVIII. *Hoc Opuſculum Rotomagi primum una cum tractatu de Præcepto & diſpenſatione, atque libris de Conſideratione, abſque deſignatione anni vulgatum eſt ſub hoc titulo:* Incipit libellus Bernardi abbatis de coocordantia ſtatuum religioſorum, qui pro tempore ſuo erant. *Sub eodem titulo idem liber aliquando laudatur à VVillelmo monacho in libro Florum ex Sancto Bernardo.*

Opusc. V.

S. BERNARDI ABBATIS

APOLOGIA AD GUILLELMUM S. THEODERICI ABBATEM.

PRÆFATIUNCULA.

QUoo me hujuſmodi operi nperam dare jubes, per quod tollendum ſit ſcandalum de regno Dei, libenter accipin: ſed quomodo id velis fieri, needum ſatis elucet mihi. Nam illam tuam dulciſſimam epiſtolam dulciter legens, ac dulcius relegens (ſæpius quippe repetita placebat) intellexi quidem te velle, ut illis qui de nobis, tamquam

A detractoribus Cluniacenſis Ordinis, conqueruntur, ſatisfaciam: quatenus videlicet ſciatur non eſſe verum, quod male hucuſque de nobis putarunt, vel putari voluerunt. At ſi poſt hanc ſatisfactionem rurſus victus eorum ac veſtitus ſuperfluitatem, & cetera quæ ſubjungis, quemadmodum injungis, carpere voluero; & mihi videbor contradicere, & quomodo ſine ſcandalo facere queam, non video. Niſi forte, & Ordinem quidem laudabilem, & Ordinis reprehenſores reprehen-

[*ad docendum.*] ſibiles dicam *, & nihilo minus tamen ipſius ſuperflua reprehendam. Si hoc modo vis, aut forte aliter magis expedire vides, manda apertius; & ut valeam quod vis, eo modo quo vis, ora inſtantius. Scito [*Scriptio devotioni obest. V. epiſt. 89 & 90.*] tamen non modico me hujuſmodi ſcriptitationibus feriri detrimento: quia multum hinc mihi devotionis ſubtrahitur, dum ſtudium orationis intermittitur, præſertim cum nec uſus ſuppetat dictandi, nec otium.

[*PARS I. contra Ciſtercienſium detractiones.*]

CAPUT I.

Profitetur ſe ſuoſque ab obtrectatione religioſi Ordinis prorſus alienos.

Venerabili Patri GUILLELMO, frater Bernardus, fratrum qui in Clara-valle ſunt, inutilis ſervus, ſalutem in Domino.

1. USque modo ſi qua me ſcriptitare juſſiſtis, aut invitus, aut nullatenus acquievi: non quia negligerem quod jubebar, ſed ne præſumerem quod neſciebam. Nunc vero nova urgente cauſa, priſtina fugatur verecundia, & vel perite, vel imperite dolori meo ſatisfacere cogor, fiduciam dante ipſa neceſſitate. Quomodo namque ſilenter audire poſſum veſtram hujuſcemodi de nobis querimoniam, qua ſcilicet miſerrimi hominum, in pannis & ſemicinctiis, de cavernis (ut [*Hebr. 11. 38.*] ait ille) dicimur judicare mundum; quodque inter cetera intolerabilius eſt, etiam glorioſiſſimo Ordini veſ- [*Religioſos detrectare, & de iis detrahere indignum.*] tro derogare, ſanctis qui in eo laudabiliter vivunt, impudenter detrahere, & de umbra noſtræ ignobilitatis, mundi luminaribus inſultare? Itane ſub veſtimentis ovium, non quidem lupi rapaces, ſed pulices mordaces, immo tineæ demolientes; bonorum vitam, quia palam non audemus, in occulto corrodimus; nec ſaltem clamorem invectionis, ſed ſuſurrium detractionis emitti- [*Pſal. 43. 22.*] mus? Si hoc ita eſt, utquid ſine cauſa mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis? Si ita, inquam, phariſaica jactantia ceteros homines, & (quod ſuperbius eſt) nobis meliores deſpicimus, quid nobis prodeſt tanta in noſtro victu parcitas & aſperitas, in veſtitu notabilis illa vilitas ac diverſitas, in opere manuum quotidiana deſudatio, in jejuniis & vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ noſtræ ſingularis quædam atque auſterior converſatio? niſi forte omnia opera [** ad videamur.*] noſtra facimus, ut videamur * ab hominibus. Sed dicit [*Matth. 6. 5.*] Chriſtus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* [*1. Cor. 15. 19.*] Nonne ſi in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus? An vero non in hac vita tantum in Chriſto ſperamus, ſi de Chriſti ſervitio temporalem tantum gloriam quærimus?

[*Miſeros vocat, ſi deſit humilitas.*] 2. Miſer ego homuncio, qui tanto labore & induſtria ſtudeo non eſſe, vel potius videri ſicut ceteri hominum; minus tamen accepturus, immo gravius cruciandus, quam quilibet hominum. Siccine ergo non inveniebatur nobis via (ut ita dicam) utcumque tolerabilior ad infernum? Si ita neceſſe erat, ut illo deſcenderemus; cur ſaltem illam, qua multi incedunt, viam ſcilicet latam, quæ ducit ad mortem, non elegimus, quatenus vel de gaudio, & non de luctu, ad luctum [*Pſal. 72. 4.*] tranſiremus? O quàm felicius eſt illis, quorum non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, qui in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur! qui etſi peccatores, ac pro gaudiis temporalibus, perpetuis cruciatibus addicti, ſaltem abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias. Væ [*Matt. 27. 32.*] portantibus crucem, non ſicut Salvator ſuam, ſed ſicut ille Cyrenæus, alienam. Væ citharœdis citharizan- [*Apoc. 14. 2.*] tibus, non ut illi de Apocalypſi, in citharis ſuis, ſed vere, ut hypocritæ, in alienis. Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis. Væ inquam ſemel, & væ iterum, portantibus crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum: qui nimirum cujus paſſionibus participant, humilitatem ſectari negligunt.

3. Duplici quippe contritione conteruntur qui hujuſmodi ſunt, quando & hic pro temporali gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad æterna ſupplicia pertrahuntur. Laborant cum Chriſto, ſed cum Chriſto non regnant: ſequuntur Chriſtum in paupertate ſua, ſed in gloria non conſequuntur: de torrente in via bibunt, ſed non exaltabunt caput in patria: lugent nunc, ſed tunc non conſolabuntur. Et merito. quid enim facit ſuperbia ſub pannis humilitatis Jeſu? numquid non habet quo ſe palliet humana malitia, niſi unde involuta eſt infantia Salvatoris? Et quomodo intra præſepium Domini ſimulatrix arrogantia ſe coarctat, ac pro vagitibus innocentiæ, malum inibi detractionis immurmurat? Annon illi ſuperbiſſimi de pſalmo, quorum prodiit ex [*Pſal. 72. 6. Simulata ſanctitas duplex iniquitas.*] adipe iniquitas eorum, multo tutius operti ſunt iniquitate & impietate ſua, quam nos latemus ſub ſanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, an mentiens ſanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium addens, geminat impietatem? Et quid dicam? Vereor ne forte & ego ſuſpectus habear, non quidem vobis, Pater, non vobis, cui utique notum me novi, quantum in hac caligine homo homini innoteſcere poteſt; & ſpecialiter de hac re ſcio vos non ignorare quid ſentiam. Sed propter illos, qui me nec ita ut vos cognoverunt, nec ſicut vobis hinc loqui ſoleo, loquentem audierunt, ſcribo vobis (quod & frequenter audiſtis) ut quoniam ego per ſingulos ire, & ſingulis ſatisfacere nequeo; ex me habeatis, unde quod de me certiſſime ſcitis, eis pro me veriſſime perſuadeatis. Neque enim timeo omnium oculis ſcribere, quicquid de hac re vobis in aure locutus ſum.

CAPUT II.

Purgat ſe S. Bernardus, & Ordinem Cluniacenſium commendat.

4. QUis umquam me adverſus Ordinem illum vel coram audivit diſputantem, vel clam ſuſurrantem? Quem umquam de Ordine illo niſi cum gaudio vidi, niſi cum honore ſuſcepi, niſi cum reverentia allocutus, niſi cum humilitate adhortatus ſum? Dixi, & dico: Modus quidem vitæ eſt ſanctus, honeſtus, [*Cluniacenſis Ordinis elogium.*] caſtitate decorus, diſcretione præcipuus, à Patribus inſtitutus, à Spiritu-ſancto præordinatus, animabus ſalvandis non mediocriter idoneus. Egone vel damno, vel deſpicio, quem ſic prædico? Memini me aliquando in aliquibus ejuſdem Ordinis monaſteriis hoſpitio ſuſceptum fuiſſe: reddat Dominus ſervis ſuis humanitatem, quam infirmanti mihi ultra etiam quàm neceſſe fuit, exhibuerunt; & honorem, quo me plus quoque quàm dignus fui, dignati ſunt. Ipſorum me commendavi orationibus, interfui collationibus: ſæpe & de ſcripturis, & ſalute animarum habui ſermonem cum multis, & publice in capitulis, & privatim in cameris. Quem umquam vel clam, vel palam aut ab illo Ordine diſſuadere, aut ad noſtrum ut veniret perſuadere tentavi? Annon potius multos cupientes venire repreſſi, venientes & pulſantes repuli? Annon fratrem Nicolaum ad ſanctum Nicolaum [a], & vobis duos de veſtris, vobis teſte, remiſi? Sed & duobus [b] quibuſdam ejuſdem Ordinis Abbatibus, quorum ne nomina prodam, ipſe eos optime noſtis, & nihilo minus quàm amica mihi familiaritate junguntur, ſcitis; numquid non tamen ad alium Ordinem (quod & vos non latuit) migrare deſiderantibus, jam jamque deliberantibus, noſtrum eis diſſuaſorium conſilium obviavit, ac ne ſuas deſererent cathedras effecit? Cur igitur Ordinem damnare putor, vel dicor, cui amicos meos deſervire ſuadeo, cui ſuos ad nos venientes monachos reddo, de quo & mihi orationes tam ſollicite requiro, tam devote ſuſcipio?

a Monaſterium ſancti Nicolai de Boſco, diœceſis Laudunenſis, cujus monachus Nicolaus, de quo epiſtola 84.

b Unus ex his duobus erat Guillelmus ipſe, ex Bernardi epiſtola 86.

CAPUT III.

Varietatem religioſorum Ordinum non debere præjudicare vinculo caritatis.

5. AN forte quia juxta alium Ordinem converſari videor, propterea ſuſpectus hinc habeor? Sed eadem ratione & vos noſtro derogaris, quicumque aliter vivitis. Ergo & continentes, & conjuges invicem ſe damnare putentur, quod ſuis quique legibus in Eccleſia converſentur. Monachi quoque ac regulares Clerici ſibi invicem derogare dicantur, quia propriis ab invicem obſervantiis ſeparantur. Sed & Noë, & Danielem, & Job in uno ſe regno pati non poſſe ſuſpicemur, B ad quod utique non eos uno tramite juſtitiæ cognovimus perveniſſe. Mariam denique & Martham neceſſe ſit aut utramque, aut alteram Salvatori diſplicere, cui nimirum tam diſſimili ſtudio devotionis contendunt ambæ placere. Et hac ratione in tota Eccleſia, (quæ utique tam pluribus, tamque diſſimilibus variatur ordinibus, utpote regina quæ in pſalmo legitur *circumamicta varietatibus*) nulla pax, nulla prorſus concordia eſſe putabitur. Quæ etenim ſecura quies, quis tutus in ea ſtatus invenietur, ſi unus quilibet homo unum quemlibet Ordinem eligens, alios aliter viventes aut ipſe aſpernetur, aut ſe ab ipſis ſperni ſuſpicetur, C præſertim cum tenere impoſſibile ſit vel unum hominem omnes Ordines, vel unum Ordinem omnes homines? Non ſum tam hebes, ut non agnoſcam tunicam Joſeph, non illius qui liberavit Ægyptum, ſed qui ſalvavit mundum, & hoc non à fame corporis, ſed à morte ſimul animæ & corporis. Notiſſima quippe eſt, quia polymita, idest pulcherrima varietate diſtincta; ſed & ſanguine apparet intincta, non quidem hœdi, qui peccatum ſignificat, ſed agni, qui deſignat innocentiam, hoc eſt ſuo ipſius, non alieno. Ipſe eſt profecto Agnus manſuetiſſimus, qui coram non quidem tondente, ſed occidente ſe obmutuit; qui peccatum non fecit, ſed abſtulit peccata mundi. Miſerunt D autem * qui dicerent ad Jacob: *Hanc invenimus; vide utrum tunica filii tui ſit, an non.* Vide & tu, Domine, utrum hæc ſit tunica dilecti Filii tui. Recognoſce, omnipotens Pater, eam quam feciſti Chriſto filio tuo polymitam, dando quidem quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, & cetera quæ in ejus ornatu mirifico decenter appoſuiſti, ad conſummationem utique ſanctorum, occurrentium in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Dignare etiam, Deus, pretioſiſſimi purpuram ſanguinis, quo aſperſa eſt, recognoſcere, & in purpura præclarum inſigne ac glorioſiſſimum indicium obedientiæ. *Quare ergo*, E inquit, *rubrum eſt veſtimentum tuum? Torcular*, ait, *calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*

6. Itaque quandoquidem factus eſt obediens Patri uſque ad torcular crucis, quod utique ſolus calcavit (ſolum quippe brachium ſuum auxiliatum eſt ei, juxta illud in alio loco: *Singulariter ſum ego, donec tranſeam.*) Jam ergo exalta eum Deus, & da ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Aſcendat in altum, captivam ducat captivitatem, donet dona hominibus. Quæ dona? Relinquat videlicet ſponſæ ſuæ Eccleſiæ pignus hereditatis, ipſam tunicam ſuam: tunicam ſcilicet polymitam, eamdemque inconſutilem, & deſuper contextam per totum; ſed po- F lymitam ob multorum Ordinum, qui in ea ſunt, multimodam diſtinctionem: inconſutilem vero propter indiſſolubilis caritatis individuam unitatem. *Quis me*, inquit, *ſeparabit a caritate Chriſti?* Audi quomodo polymitam. *Diviſiones*, ait, *gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus; & diviſiones operationum ſunt, idem vero Dominus.* Deinde diverſis enumeratis chariſmatibus, tamquam variis tunicæ coloribus, quibus conſtet eam eſſe polymitam, ut oſtendat etiam eſſe inconſutilem, & deſuper contextam per totum, adjungit: *Hæc autem ope-* A *ratur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* *Caritas* quippe *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Non ergo dividatur, ſed totam & integram hereditario jure ſortiatur Eccleſia, quia & de illa ſcriptum eſt: *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Itaque diverſi diverſa accipientes dona, alius quidem ſic, alius vero ſic; ſive Cluniacenſes, ſive Ciſtercienſes, ſive Clerici regulares, ſive etiam laici fideles, omnis denique Ordo, omnis lingua, omnis ſexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine uſque ad noviſſimum. Nam & propter hoc talaris dicta eſt, quod ad finem uſque pertingat, di- B cente Propheta: *Non eſt qui ſe abſcondat a calore ejus.* nimirum congruens ei cui & facta eſt, qui, perhibente videlicet alia ſcriptura, & ipſe *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

CAPUT IV.

Se ceteros omnes Ordines caritate, unum profeſſione tenere.

7. OMnes ergo concurramus pariter in unam tunicam, & ex omnibus conſtet una. Ex omnibus inquam una. Nam etſi ex pluribus & diverſis, *una eſt* tamen *columba mea, formoſa mea, perfecta mea.* Alioquin nec ego ſolus, nec tu ſine me, nec ille ſine utro- C que: ſed ſimul omnes ſumus illa una, ſi tamen ſolliciti ſumus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Non, inquam, tantum Ordo noſter, aut ſolus veſter, ad illam pertinet unam, ſed noſter ſimul & veſter. niſi forte (quod abſit) invicem invidentes, invicem provocantes, invicem mordeamus, & ab invicem conſumamur; & ſic non poſſit nos Apoſtolus uni illi viro, cui deſpondit, virginem caſtam exhibere Chriſto. Verumtamen illa una dicit in Canticis: *Ordinavit in me caritatem*: ut etſi una in caritate, diviſa tamen ſit ordinatione. Quid ergo? Ciſtercienſis ſum: damno igitur Cluniacenſes? Abſit: ſed diligo, ſed prædico, ſed magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum non te- D nes, ſi ſic laudas? Audi. Propter hoc quod Apoſtolus ait: *Unuſquiſque in ea vocatione, in qua vocatus eſt, permaneat.* Quod ſi quæris, cur & à principio non elegerim, ſi talem ſciebam? reſpondeo: Propter id quod rurſus ait Apoſtolus: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Non quod ſcilicet Ordo ſanctus & juſtus non ſit: ſed quia ego carnalis eram, venumdatus ſub peccato; & talem animæ meæ languorem ſentiebam, cui fortior eſſet potio neceſſaria. Et diverſis morbis diverſa conveniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. Fac duos homines febribus anxiari, quartanis unum, alterum tertianis. Commendet autem qui quartanis laborat, tertiano aquam, pyra, & frigida quæ- E que ſumenda: cum tamen ab his ipſe abſtineat, vinumque & cetera calida, utpote ſibi congruentia, ſumat. Quis rogo, hinc eum recte reprehendat? Si diceret ille, Cur tu aquam non bibis, quam ita laudas? an non recte reſponderet: Et tibi eam fideliter tribuo, & mihi ſalubriter ſubtraho?

8. Denique requiratur * à me etiam, cur cum omnes Ordines laudem, omnes non teneo? Laudo enim omnes & diligo, ubicumque pie & juſte vivitur in Eccleſia. UNUM OPERE TENEO, ceteros caritate. Faciet autem caritas (fidenter loquor) ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum inſtituta non ſequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi caute age. Poteſt namque F fieri, quia fruſtra tu laboraveris: ut autem ego fruſtra diligam bonum quod operaris, fieri omnino non poteſt. O quanta fiducia caritatis! Alius operatur non amans, & alius amat nihil operans. Ille quidem ſuum opus perdit, illius vero caritas numquam excidit. Et quid mirum, ſi in hoc exſilio, peregrinante adhuc Eccleſia, quædam hujuſcemodi ſit pluralis (ut ita dixerim) unitas, unaque pluralitas: cum in illa quoque patria, quando jam ipſa regnabit, nihilo minus forte talis aliqua diſpar quodammodo æqualitas futura ſit? Inde etenim ſcriptum eſt: *In domo Patris mei manſiones*

Unitas ſervanda in Ordinum diverſitate.
Pſal. 44. 10.
Eccleſia tunica Joſeph polymitæ comparata.
* al. alt. Gen 37 32.
Ephef. 4. 12.
Iſa. 63. 2.
Pſal 140 10
Philip. 2. 9. Epheſ. 4. 8.
Rom. 8. 35.
1. Cor. 12. 4.
Ibid.
Rom. 5. 5.
Pſal. 44. 10.
Pſal. 18. 7.
Sap. 8. 1.
Una eſt ex diverſis.
Cant. 6. 8.
2. Cor. 11. 2.
Cant. 2. 4.
1. Cor. 7. 20.
1. Cor. 10. 23.
Rom. 7. 14.
Bernardus cur prætulerit Ordinem Ciſtercienſem.
* al. requiſita.
Caritate meritis alienis participamus.
Diverſæ viæ ad perfectionem.
Johan. 14. 2.

multa ſunt. Sicut itaque illic multæ manſiones in una domo, ita hic multi ordines ſunt in Eccleſia una: & quomodo hic *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem* [1. Cor. 12. 4.] *ſpiritus*: ita ibi diſtinctiones quidem gloriarum, ſed una domus. Porro unitas tam hic, quam ibi conſiſtit in una caritate; diverſitas autem hic quidem in ordinum vel operationum multifaria diviſione: illic vero in quadam meritorum notiſſima, ſed & ordinatiſſima diſtinctione. Intelligens denique Eccleſia hanc ſuam quodammodo diſcordem concordiam, concordemve [Pſal. 22. 3.] diſcordiam: *Deduxit me*, inquit, *ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum.* Ponens quippe *ſemitas* pluraliter, & *juſtitia* ſingulariter; nec diverſitatem prætermiſit operationum, nec unitatem operantium. Prævidens quoque & illam in cæleſtibus diſcretam unitatem [Tob. 13. 22.] futuram, devotiſſime læta decantat: *Platea tua, Jeruſalem, ſternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur.* Audiens enim plateas & vicos, coronas & glorias diverſas intellige. In auro, quo uno metallo illa civitas ornata deſcribitur, & in uno Alleluia, quod cantandum perhibetur, diſſimilium ſpecierum ſimilem pulcritudinem, & multarum mentium unam devotionem attende.

9. Non igitur una tantum ſemita inceditur, quia nec una eſt manſio quo tenditur. Viderit autem quiſque quacumque incedat, ne pro diverſitate ſemitarum ab una juſtitia recedat: quoniam ad quamlibet manſionem ſua quiſque ſemita pervenerit, ab una do- [1. Cor. 15. 41.] mo Patris exſors non erit. Verumtamen *ut ſtella ab ſtella differt in claritate: ſic erit*, ait, *& reſurrectio mortuorum.* Nam etſi fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum: alii tamen aliis amplius, pro diverſitate meritorum. Quæ ſane merita ſciendum non ſic in hoc ſæculo, ut in illo, facile ab homine poſſe diſcerni: quippe cum hic tantum opera videantur, illic etiam corda nibil impediat intueri. Siquidem radiante ubi- [1. Cor. 4. 5.] que Sole juſtitiæ, tunc manifeſta erunt abſcondita cordium; & ſicut non eſt nunc qui ſe abſcondat à calore [Pſal. 18. 7.] ejus, ita tunc non erit qui ſe occultet à ſplendore ipſius. Et de operibus quidem ſæpe incerta, & ob hoc periculoſa ſententia fertur, cum MULTOTIES minus juſtitiæ habeant, qui magis operantur.

CAPUT V.

Religioſos aliorum Ordinum æmulos & obtrectatores acri ſtilo aggreditur.

10. UNde nunc mihi conveniendi ſunt quidam de [1. Cor. 4. 5.] Ordine noſtro, qui contra illam ſententiam, *Nolite ante tempus judicare, quoadúſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*; aliis Ordinibus derogare dicuntur, & ſuam juſtitiam ſolam volentes conſtituere, juſtitiæ [Ciſtercienſes ſuos arguit.] Dei non ſunt ſubjecti: quos profecto (ſi qui tamen hujuſcemodi ſunt) nec noſtri, nec cujuſpiam eſſe Ordinis verius dixerim; quippe qui etſi ordinate viventes, ſuperbe tamen loquentes, cives ſe faciunt Babylonis, id eſt confuſionis; immo filios tenebrarum, [Job 10. 22.] ipſiuſque gehennæ, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Vobis ergo, inquam, fratres, qui [Luc. 18. 9.] etiam poſt auditam illam Domini de Phariſæo & Publi- [* al. inſtituto.] cano parabolam, de veſtra juſtitia * præſumentes, ceteros aſpernamini, dicitis (ut dicitur) ſolos vos hominum eſſe juſtos, aut omnibus ſanctiores; ſolos vos monachorum regulariter vivere, ceteros vero Regulæ potius exiſtere tranſgreſſores.

11. Primo quid ad vos de alienis ſervis? Suo domino ſtant, aut cadunt. Quis vos conſtituit judices ſuper eos? Deinde ſi ita (ut dicitur) de Ordine veſtro præſumitis: qualis ordo eſt, ut antequam de ſuo quiſque [Matt. 7. 3.] trabem ejiciat, in fratrum oculis tam curioſe feſtucas perquirat? Qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis? cur contra Evangelium, ante tempus; & contra Apoſtolum, alienos ſervos judicatis? an [Rom. 14. 4.] Regula non concordat Evangelio vel Apoſtolo? alioquin Regula jam non eſt regula, quia non recta. Audite, & diſcite ordinem, qui contra ordinem aliis Ordinibus derogatis. *Hypocrita*, inquit, *ejice primum trabem* [Matt. 7. 5.] *de oculo tuo, & ſic videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Quæris quam trabem? annon grandis & groſſa trabes eſt ſuperbia, qua te putans eſſe aliquid, cum nihil ſis, inſaniſſime tibi tamquam ſanus exſultas, & aliis vaniſſime, trabem portans, de feſtucis inſultas? *Gratias*, inquis, *ago tibi Deus, quia non ſum ſicut ceteri* [Luc. 18. 11.] *hominum, injuſti, raptores, adulteri.* ſequere ergo, & dic, *detractores.* Neque enim minima eſt hæc feſtuca inter ceteras. Quare cum tam diligenter alias enumeres, iſtam taces? Si pro nulla vel minima habes, audi Apoſtolum: *Neque maledici*, ait, *regnum Dei poſſidebunt.* [1. Cor. 6. 10.] Audi & Deum in Pſalmo comminantem: *Arguam te*, inquit, *& ſtatuam contra faciem tuam.* [Pſal. 49. 21.] Quod quia detractori loquatur, certum eſt ex præcedentibus. Et quidem juſte ad ſe retorquendus, & ſe compellendus eſt intueri, qui avertens faciem ſuam à ſe, aliena potius mala, quam ſua ſolet curioſius perſcrutari.

CAPUT VI.

Arguit temere judicantes, & calumniantes modum vivendi Cluniacenſium.

12. AT, inquiunt, quomodo Regulam tenent, qui pellicus induuntur; ſani carnibus, ſeu carnium pinguedine [a] veſcuntur; tria vel quatuor pulmentaria una die (quod Regula prohibet *) admittunt; opus [* Reg. S. Bened. cap. 39.] manuum, quod jubet *, non faciunt: multa denique [* Ibid. c. 48.] pro libitu ſuo vel mutant, vel augent, vel minuunt? Recte. Non poſſunt hæc negari. Sed attendite in regulam Dei, cui utique non diſſonat inſtitutio ſancti Benedicti. *Regnum Dei*, inquit, *intra vos eſt*, hoc eſt, [Luc. 17. 21.] non exterius in veſtimentis aut alimentis corporis, [Rom. 14. 17.] ſed in virtutibus interioris hominis. Unde Apoſtolus: [1. Cor. 4. 20.] *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto.* & rurſus, *Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute.* [Spiritualia corporalibus obſervantiis præferenda.] De corporalibus itaque obſervantiis Fratribus calumniam ſtruitis; & quæ majora ſunt regulæ, ſpiritualia ſcilicet inſtituta, relinquitis, camelumque glutientes, culicem liquatis? Magna abuſio! Maxima cura eſt, ut corpus regulariter induatur, & contra regulam ſuis veſtibus anima nuda deſeritur. Cum tanto ſtudio & tunica, & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, monachus non putetur: cur ſimiliter ſpiritui pietas & humilitas, quæ profecto ſpiritualia indumenta ſunt, non providentur? Tunicati & elati abhorremus pellicias! tamquam non melior ſit pellibus involuta humilitas, quam tunicata ſuperbia: præſertim cum & Deus tunicas pel- [Gen. 3. 21.] liceas primis hominibus fecerit; & Johannes in eremo [Matth. 3. 4.] zona pellicea lumbos accinxerit; & ipſe tunicarum inſtitutor in ſolitudine, non tunicis, ſed pellibus ſeſe induerit. Repleti deinde ventrem faba, mentem ſuperbia, cibis damnamus ſaginatos! quaſi non melius ſit, exiguo ſagimine ad uſum veſci, quàm ventoſo legumine uſque ad ructum exſaturari: præcipue cum & Eſau non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus; & [Heb. 12. 16. Gen. 3. 17.] de ligno Adam, non de carne damnatus; & Jonathas [1. Reg. 14. 29.] ex guſtu mellis, non carnis, morti adjudicatus: econtra vero Elias innoxie carnem comederit: Abraham gra- [3. Reg. 17. 6. Gen. 18. 7.] tiſſime carnibus Angelos paverit, & de ipſis ſua fieri [Exod. 29. 1.] ſacrificia Deus præceperit. Sed & ſatius eſt modico [1. Tim. 5. 23.] vino uti propter infirmitatem, quàm multa aqua ingurgitari per aviditatem: quia & Paulus Timotheo modico utendum vino conſuluit; & Dominus ipſe bibit, ita ut vini potator appellatus ſit; Apoſtolis quo- [Matt. 11. 19. Johan. 2. 3.] que bibendum dedit; inſuper & ex eo Sacramenta ſui [Matth. 26. 27.] ſanguinis condidit: cum è contrario aquam ad nu- [Johan. 2. 3. Num. 20. 6.] ptias bibi non paſſus ſit, & ad aquas contradictionis

a Pinguedinis ſeu adipis ex carnibus eliciti uſum ad legumina condienda, qualibet die quondam apud Cluniacenſes adhiberi ſolitum, temperavit Petrus Venerabilis, interdicendo illam in feriis ſextis Statuto 10. & qualibet die Adventus, præter Dominicam primam, Statuto 13.

Tom. II. Opusc. V.

populi murmur terribiliter caſtigaverit; David quoque aquam, quam deſideraverat, potare timuerit; viríque illi Gedeonis, qui præ aviditate toto corpore proſtrato de flumine biberunt, digni ad prœlium ire non fuerint. Jam vero de labore manuum quid gloriamini, cum & Martha laborans increpata, & Maria quieſcens laudata ſit; & Paulus aperte dicat: *Labor corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia?* Optimus labor, de quo Propheta dicebat: *Laboravi in gemitu meo.* & de quo alibi: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum* Ac ne corporale intelligas exercitium; *Et defecit*, inquit, *ſpiritus meus.* Ubi autem non corpus, ſed ſpiritus fatigatur, ſpiritualis proculdubio labor intelligitur.

1 Reg. 23. 16. — Judic. 7. 5. — Luc. 10. 41. — 1 Tim. 4. 8. — Pſal. 6. 7. — Pſal. 76. 4.

CAPUT VII.

Spiritualis exercitatio fructuoſior corporali.

13. Quid ergo, inquis? Siccine illa ſpiritualia perſuades, ut etiam hæc, quæ ex Regula habemus, corporalia damnes? Nequaquam: ſed illa oportet agere, & iſta non omittere. Alioquin cum aut iſta omitti neceſſe eſt, aut illa: iſta potius omittenda ſunt, quàm illa. Quanto enim ſpiritus corpore melior eſt, tanto ſpiritualis quàm corporalis exercitatio fructuoſior. Tu ergo cum de horum obſervatione elatus, aliis eadem non obſervantibus derogas: nonne te magis tranſgreſſorem Regulæ indicas, cujus licet minima quædam tenens, meliora devitas, de quibus Paulus: *Æmulamini*, ait, *chariſmata meliora?* Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipſum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, caritatem: quæ ſunt proculdubio chariſmata meliora. Tu tuum corpus multis & nimiis laboribus atteris, ac regularibus aſperitatibus mortificas membra tua, quæ ſunt ſuper terram. Bene facis. Sed quid ſi ille quem ſimiliter non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum eſt utilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem quàm tu de illa, quæ ad omnia valet, id eſt pietate? Quis, quæſo, veſtrum Regulam melius tenet? Annon melius qui melior? Quis vero melior, humilior an fatigatior? Annon is qui à Domino didicit mitis eſſe & humilis corde, qui & cum Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo?

1 Cor. 12. 31. — Humilitas nempe & caritas. — Matth. 11. 29. — Luc. 10. 42.

14. Quod ſi Regulam ab omnibus, qui eam profeſſi ſunt, ſic ad litteram tenendam cenſes, ut nullam omnino diſpenſationem admitti patiaris; audacter dico, nec tu eam, nec ille tenetis. Nam etſi ille, quantum quidem pertinet ad obſervationes corporeas, in pluribus offendit, impoſſibile eſt tamen te quoque vel in uno non tranſgredi. Scis autem quia qui in uno offendit, omnium eſt reus. Sin vero concedas aliqua poſſe mutari diſpenſatorie, proculdubio & tu illam tenes, & ille, quamquam diſſimiliter. nam tu quidem diſtrictius, at ille fortaſſe diſcretius. Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda ſint; aut qui ſe in illis non exercuerit, mox ideo ſpiritualis efficiatur: cum potius ſpiritualia (quamquam meliora) niſi per iſta, aut vix, aut nullatenus vel acquirantur, vel obtineantur, ſicut ſcriptum eſt: *Non prius quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Sicut nec Jacob, niſi prius cognita Liâ, deſideratos Rachelis amplexus meruit obtinere. Unde rurſus in Pſalmo: *Sumite pſalmum, & date tympanum.* quod eſt dicere: Sumite ſpiritualia, ſed prius date corporalia. Optimus autem ille, qui diſcrete & congrue & hæc operatur, & illa.

Non tamen propterea corporeæ obſervationes negligendæ. — 1 Cor. 15. 46. — Pſal. 80. 2.

15. Jam vero epiſtola, ut epiſtola remaneat, finienda erat, quandoquidem & noſtros (de quibus, Pater, conqueſtus eſtis, quod Ordini veſtro detraherent) ſatis, quantum potui, ſtilo corripui; & me quoque ab hujuſmodi falſa ſuſpicione purgavi, ut debui. Sed quoniam dum noſtris minime parco, nonnullis de veſtris nimium, in quibus non decet, videor aſſentire; pauca quæ & vobis diſplicere cognovi, & omnibus bonis vitanda eſſe non dubito, neceſſarium reor ſubjungere: quæ quidem etſi fieri videntur in Ordine, abſit tamen ut ſint de Ordine. Nullus quippe ordo quippiam recipit inordinatum: quod vero inordinatum eſt, ordo non eſt. Unde non adverſum Ordinem, ſed pro Ordine diſputare putandus ero, ſi non Ordinem, in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo: quinimmo gratum proculdubio accepturi ſunt, ſi perſequimur quod & ipſi oderunt. Si quibus vero diſplicuerit, ipſi ſe manifeſtant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id eſt vitia, damnari nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo: Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.

S. Greg. Homil. 7. in Ezech.

CAPUT VIII.

Cluniacenſium vitia, virtutum nomine palliata, perſtringit.

Pars II. Contra Cluniacenſium ſuperfluitates.

16. Dicitur, & veraciter creditur, ſanctos Patres illam vitam inſtituiſſe, & ut in ea plures ſalvarentur, uſque ad infirmos Regulæ temperaſſe rigorem, non Regulam deſtruxiſſe. Abſit autem ut credam, tantas eos, quantas video in pleriſque monaſteriis, vanitates ac ſuperfluitates præcepiſſe, vel conceſſiſſe. Miror etenim unde inter monachos tanta intemperantia in comeſſationibus & potationibus, in veſtimentis & lectiſterniis, & equitaturis, & conſtruendis ædificiis inoleſcere potuit: quatenus ubi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. Econtra remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities veſtimentorum & equorum faſtus, honeſtas; lectorum ſuperfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur. Ista caritas deſtruit caritatem, hæc diſcretio diſcretionem confundit. Talis miſericordia crudelitate plena eſt, qua videlicet ita corpori ſervitur, ut anima juguletur. Quæ etenim caritas eſt, carnem diligere, & ſpiritum negligere? Quæve diſcretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis vero miſericordia, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro hujuſmodi miſericordia ſperet ſe conſequi miſericordiam, quæ miſericordibus promittitur in Evangelio, Veritatis ore dicentis, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* ſed certiſſime potius pœnam expectet, quam tali (ut ita dicam) impio miſericordi ſanctus Job magis prophetizando, quam affectando imprecatur: *Non ſit*, inquiens, *in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum.* Dignæ plane retributionis cauſam mox ſubinfert ſatis idoneam, dicens: *Pavit enim ſterilem, & quæ non parit, & viduæ non benefecit.*

Vitia virtutum nomine palliata. — Matth. 5. 7. — Job 24. 20.

17. Inordinata profecto atque irrationabilis miſericordia eſt, ſterilis & infructuoſæ carnis (quæ juxta Domini verbum non prodeſt quicquam, & ſecundum Apoſtolum regnum Dei non poſſidebit) adimplendis invigilare deſideriis, & de animæ cura Sapientis ſaluberrimum non curare conſilium, admonentis atque dicentis: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Bona miſericordia, miſereri animæ tuæ; nec poteſt non mereri miſericordiam, quâ fit ut placeas Deo. Alias autem non eſt miſericordia (ſicut jam dixi) ſed crudelitas; non eſt caritas, ſed iniquitas; non diſcretio, ſed confuſio, ſterilem quæ non parit paſcere, id eſt, inutilis carnis concupiſcentiis inſervire; & viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Quæ utique, licet Sponſo interim ſit viduata cæleſti, ſenſus tamen de Spiritu-ſancto concipere & parere non deſinit immortales; qui videlicet incorruptibilis cæleſtiſque hereditatis valeant eſſe capaces, ſed ſi pium habeant ſtudioſumque cultorem.

Miſericordia inordinata, & perverſa. — Johann. 6. 64. — 1 Cor. 15. 50. — Eccli. 30. 24.

18. Sub hac tamen abuſione jam fere ubique ſic pro ordine tenentur, fere jam ita ab omnibus ſine quere-

[illegible] la atque irreprehenſibiliter obſervantur ; quamquam diſſimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tamquam non utentes utuntur ; & ideo aut cum nulla offenſa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex ſimplicitate, aliquanti ex caritate ; aliquanti ex neceſſitate. Quidam namque ſimpliciter iſta tenent, quoniam ſic eis præcipitur ; parati aliter agere, ſi aliter præciperetur. Quidam autem ne diſcorditer vivant ab eis cum quibus habitant ; ſectantes in his, non ſuam libidinem, ſed aliorum pacem. Alii vero, quia reſiſtere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique tamquam pro Ordine libera voce defendunt ; & quoties iſti aliqua (prout ratio dictat) reſtringere vel mutare incipiunt, illi mox tota eis auctoritate reſiſtunt.

Triplici modo ſervantur.

CAPUT IX.

Eorumdem intemperantiam comparat cum antiquorum monachorum parſimonia.

19. QUis in principio, cum Ordo cœpit monaſticus, ad tantam crederet monachos inertiam devenire ? O quantum diſtamus ab his, qui in diebus Antonii exſtitere monachi ! Siquidem illi cum ſe invicem per tempus ex caritate reviſerent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus, ſed non mentibus tranſigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inſerviebatur : hæc ſumma diſcretio, cum amplius ſumebat quæ major erat : hæc denique vera caritas, ubi animæ, quarum caritate Chriſtus mortuus eſt, tanta ſollicitudine reſocillabantur. *Nolis autem convenientibus in unum*, ut verbis Apoſtoli utar, *jam non eſt dominicam cœnam manducare*. Panem quippe cæleſtem nemo eſt qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum ; ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus : quibus totus intentus, modum neſcias in edendo.

Monachorum [illegible] — *1. Cor. 11. 20*

20. Interim autem fercula ferculis apponuntur : & pro ſolis carnibus, à quibus abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris ſatiatus, ſi ſecundos attigeris, videberis tibi necdum guſtaſſe priores *. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant noviſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatum quippe, dum novellis ſeducitur condimentis, paulatim diſſueſcere cognita, & ad ſuccos extraneos, veluti adhuc jejunium, avide renovatur in deſideria. Venter quidem, dum neſcit *, oneratur, ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras, ut eas natura creavit, epulas faſtidimus, dum aliæ aliis multifarie permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula provocatur ſaporibus ; tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur. Quis enim dicere ſufficit, quot modis (ut cetera taceam) ſola ova verſantur & vexantur, quanto ſtudio evertuntur, ſubvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur ; & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſingillatim apponuntur ? Utquid autem hæc omnia, niſi ut ſoli faſtidio conſulatur ? Ipſa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aſpectus, quàm guſtus delectetur : & cum jam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, necdum tamen curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum ſaporibus illiciuntur ; infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quàm reficitur.

[illegible] — ** al. piſcem.* — ** al. vincitur.*

21. Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur ? Omnes nimirum ex quo monachi ſumus, infirmos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium Apoſtoli de utendo *vino* conſilium merito non negligimus, *modico* tamen, quod ille præmiſit, neſcio cur prætermiſſo. Et utinam vel ſolo, cum etiam purum eſt, contenti eſſemus ! Pudet dicere, ſed magis pudeat actitari ; &, ſi pudet audiri, non pudeat emendari. Videas uno in prandio ter, vel quater, ſemiplenum calicem reportari : quatenus diverſis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam hauſtis, quam attactis, ſagaci probatione & celeri cognitione unum tandem e pluribus, quod fortius ſit, eligatur. Quale eſt autem illud, quod nonnulla monaſteria ex more obſervare dicuntur, in magnis videlicet feſtis vina delibuta melle, pigmentorum [a] reſperſa pulveribus, in conventu bibere ? Numquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem ſtomachi ? Ego vero ad nihil aliud valere video, niſi ut vel amplius bibatur, vel delectabilius. Sed cum venæ fuerint vino ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, ſic ſurgenti à menſa quid aliud libet, niſi dormire ? Si autem ad vigilias ſurgere indigeſtum cogis, non cantum, ſed planctum potius extorquebis.

Tom. II Opuſc. V. — *2 In potu.* — *1. Tim. 5. 23.*

22. Cum vero ad lectum devenero, requiſitus incommodum plango, non crapulæ peccatum, ſed quod manducare non queo. Ridiculum vero eſt (ſi tamen verum eſt) quod relatum eſt mihi à pluribus, qui hoc ſe pro certo ſcire dicebant, reticendum eſſe non arbitror. Aiunt enim incolumes ac validos juvenes conventum ſolere deſerere ; in domo ſe infirmorum, qui non ſunt infirmi, collocare ; carnium eſu (qui vix ægrotis dumtaxat, & omnino debilibus ex Regulæ [a] diſcretione pro virium reparatione conceditur) non quidem corporis infirmantis ruinas reficere pro incommodo, ſed carnis [b] luxuriantis curam perficere in deſiderio. Rogo quæ eſt hæc ſecuritas, inter frendentium undique hoſtium fulgurantes haſtas & circumvolantia ſpicula, tamquam finito jam bello & triumphato adverſario, projicere arma, & aut prandiis incubare longioribus, aut nudum molli volutari in lectulo ? Quid hoc ignaviæ eſt, ô boni milites ? Sociis in ſanguine & cæde verſantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut ſomnos capitis matutinos ? Aliis, inquam, nocte & die cura pervigili feſtinantibus redimere tempus, quoniam dies mali ſunt ; vos e contrario & longas noctes dormitando conſumitis, & dies fabulando ducitis otioſos ? An dicitis, Pax, & non eſt pax ? cur vel non verecundamini ad exprobrationem apoſtolicæ indignationis ? *Nondum enim*, ait, *reſtitiſtis uſque ad ſanguinem.* Immo jam ad ejuſdem terribilis valde comminationis tonitruum cur non expergiſcimini ? *Cum dixerint*, inquit, *Pax & ſecuritas ; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Delicata nimis medicina eſt, prius alligari, quàm vulnerari ; membrum non percuſſum plangere ; & necdum ſuſcepto ictu admovere manum, fovere unguento ubi non dolet, emplaſtrum adhibere ubi cæſura non eſt.

3 In carnium eſu — *a Reg. S. Ben. cap. 36 & 39.* — *4 In ſomno.* — *Hebr. 12. 4.* — *1. Theſſ. 5. 3.*

23. Ad diſcernendum deinde inter ſanos & male habentes, baculos in manibus portare jubentur ægrotantes, plane neceſſarios : ut quam pallor in vultu, macieſque non indicat, baculus ſuſtentans mentiatur invaletudinem. Ridendas, an lugendas dixerim hujuſmodi ineptias ? Sic Macarius vixit ? ſic Baſilius docuit ? ſic Antonius inſtituit ? ſic Patres in Ægypto converſati ſunt ? ſic denique ſancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos ſe ſui utique Ordinis principes & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri cenſuerunt ? Sed hi omnes, ſi ſancti : immo quia ſancti fuerunt, à ſancto Apoſtolo non diſſenſerunt, qui nimirum ita loquitur : *Habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus.* Nobis autem eſt pro victu ſatietas, nec veſtitum appetimus, ſed ornatum.

1. Tim. 6. 8.

a Pigmentorum ejuſmodi uſum ſuſtulit Petrus Statuto 11. præterquam in Cœna Domini.

b Et hoc correxit idem Petrus Statuto 12. Sed legenda hac de re gravis ejuſdem epiſtola, quæ eſt libri 6. epiſtola 15. ad Priores & Cuſtodes Ordinis, in quo vehementior & ſeverior Bernardo eſt in arguendo hoc perverſo abuſu.

Tom. II Quæſt. V.

CAPUT X.

Veſtium ornatum luxumque in eiſdem perſequitur.

ſ In veſtium luxu.

24. QUæritur ad induendum, non quod utilius, ſed quod ſubtilius inveniatur: non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat: non denique juxta Regulam [a], *quod vilius comparari poteſt*, ſed quod venuſtius, immo vanius oſtentari. Heu me miſerum qualemcumque monachum! cur adhuc vivo videre ad id deveniſſe Ordinem noſtrum, Ordinem ſcilicet qui primus fuit in Eccleſia, immo à quo cœpit Eccleſia; quo nullus in terra ſimilior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei quæ in cælis eſt Jeruſalem mater noſtra, ſive ob decorem caſtitatis, ſive propter caritatis ardorem; cujus Apoſtoli inſtitutores, cujus hi, quos Paulus tam ſæpe ſanctos appellat, inchoatores extiterunt? Et quidem inter illos cum nihil quod ſuum eſſet quiſpiam retinuiſſet, *dividebatur*, ut ſcriptum eſt, *ſingulis, prout cuique opus erat.* non igitur quod quiſque pueriliter geſtire [a] poterat. Sane ubi tantum quod opus erat accipiebatur, ibi nihil proculdubio otioſum admittebatur. quanto magis nihil curioſum? quanto magis nihil ſuperbum? *Quod*, inquit, *opus erat*; hoc eſt quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Putaſne ibi cuiquam galabrunum aut iſembrunum [a] quærebatur ad induendum; cuiquam ducentorum ſolidorum mula parabatur ad equitandum? Putaſne, inquam, cujuſpiam ibi lectulum opertorium cattinum [b], aut diſcolor barricanus [c] operiebat, ubi ſingulis dividebatur tantum, prout cuique opus erat? Non illic arbitror valde curatum fuiſſe de pretio, de colore, de cultu veſtimentorum, ubi tam indefeſſum inerat ſtudium in concordia morum, animorum cohærentia, profectuque virtutum. *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum, & anima una.*

a Reg. S. Ben. cap. 55.
Act. 4. 35.
a al. geſtare.
Act. 4. 32.

25. Ubi nunc illud unanimitatis exercitium? Fuſi ſumus exterius, & de regno Dei quod intra nos eſt, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem de vanitatibus & inſaniis falſis: ac jam religionis antiquæ non ſolum virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus. Ecce enim ipſe habitus noſter (quod & dolens dico) qui humilitatis eſſe ſolebat inſigne, à monachis temporis noſtri in ſignum geſtatur ſuperbiæ. Vix jam in noſtris provinciis invenimus, quo veſtiri dignemur. Miles & monachus ex eodem panno partiuntur ſibi cucullam & chlamydem. Quivis de ſæculo, quantumlibet honoratus, etiamſi Rex, etiamſi Imperator ille fuerit, non tamen noſtra horrebit indumenta, ſi ſuo ſibi modo præparata fuerint & aptata.

Vanitas veſtitus ſignis vanitatem cordis.

26. Ceterum in habitu, inquis, non eſt religio, ſed in corde. Bene. At tu quando cucullam empturus luſtras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domos ſcrutaris negotiatorum, cunctam evertis ſingulorum ſupellectilem, ingentes explicas cumulos pannorum, attrectas digitis, admoves oculis, Solis apponis radio; quicquid groſſum, quicquid pallidum occurrerit, reſpuis; ſi quid autem ſui puritate ac nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio ſatagis tibi retinere: rogo te, ex corde facis hæc, an ſimpliciter? Cum denique contra Regulam, non quod vilius occurrerit, ſed ſtudioſiſſime quæris, quod quia rarius invenitur, pretioſius emitur; ignorans facis hæc, an ex induſtria? Ex cordis theſauro ſine dubio procedit, quicquid foris apparet vitiorum. VANUM COR vanitatis notam ingerit corpori; & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus.

CAPUT XI.

De cauſa, cur ſuperiores ſubditorum vitia non corrigant. Luxum & ſplendidum Prælatorum apparatum perſtringit.

27. MIror autem, cum Regula dicat, ad magiſtrum reſpicere quicquid à diſcipulis delinquitur; & Dominus per Prophetam ſanguinem in peccato morientium de manu paſtorum requirendum eſſe minetur; quomodo Abbates noſtri patiantur fieri talia. niſi forte (ſi audeam dicere) NEMO FIDENTER reprehendit, in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit. Siquidem humanitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque indulget, aliis non vehementer iraſci. Dicam, dicam; præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? quomodo ſal terræ infatuatum eſt? Quorum nobis vita, via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt duces cæcorum. Quod enim (ut cetera taceam) ſpecimen humilitatis eſt, cum tanta pompa & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum ſtipari obſequiis; quatenus duobus Epiſcopis unius Abbatis multitudo ſufficiat? Mentior, ſi non vidi Abbatem [d] ſexaginta equos, & eo amplius in ſuo ducere comitatu. Dicas, ſi videas eos tranſeuntes, non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum; non rectores animarum, ſed principes provinciarum. Tum deinde geſtari jubentur mappulæ, ſcyphi, bacini, candelabra, & manticæ ſuffarcinatæ, non ſtramentis, ſed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à ſua quiſpiam domo recedit, niſi cum tota ſupellectili ſua, tamquam ſit vel iturus ad exercitum, vel tranſiturus per deſertum, ubi non valeant inveniri neceſſaria. Annon poſſet eodem vaſculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi? Annon poſſet ardens lucere lucerna, niſi in tuo quod portas candelabro, & hoc aureo, vel argenteo? Annon poſſet dormiri, niſi ſuper varium ſtratum, aut ſub peregrino coopertorio? Annon unus aliquis miniſter poſſet & jumentum ligare, & ad menſam ſervire, & lectulum præparare? Nunc ergo tantæ multitudini garſionum ac jumentorum, cur, vel ad ſolatium mali, nobiſcum non ferimus neceſſaria, quatenus hoſpites non gravemus?

Reg. S Ben. cap. 2.
Ezech. 3. 18.
6. In luxu Prælatorum

CAPUT XII.

Luxum & abuſum in templis & Oratoriis exſtruendis, ornandis, pingendis, arguit.

28. SEd hæc parva ſunt: veniam ad majora, ſed ideo viſa minora, quia uſitatiora. Omitto Oratoriorum immenſas altitudines, immoderatas longitudines, ſupervacuas latitudines, ſumptuoſas depolitiones, curioſas depictiones: quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum, & mihi quodammodo repræſentant antiquum ritum Judæorum. Sed eſto, fiant hæc ad honorem Dei. Illud autem interrogo monachus monachos, quod in gentilibus gentilis arguebat: Dicite, ait ille, Pontifices, in ſancto quid facit aurum? Ego autem dico: Dicite

7. In oratoriorum ſuperfluo ornatu.
Perſius Sat. 2

a Petrus Venerabilis decernit Statuto 16. *ut nullus Fratrum pannis, qui dicuntur galabruni vel iſembruni, veſtiatur*: cujus ſtatuti hanc reddit rationem, quod *multi noſtrorum*, inquit, *non aliter quàm ſæculares homines, ſericis variis vel griſiis veſtium generibus ſe comebant.* Itaque ſericæ veſtes erant ſubatri coloris. In codice Corbeienſi legitur *raſenbrunnum*.

b Ejuſmodi etiam coopertoria ex cattinis pellibus peregrinis reſcindit idem piiſſimus Abbas ſtatuto 17, concedens eorum loco *pataſiorum ſeu veſonum pelles*: cum antea Cluniacenſes, *Gallicanorum cattorum pellibus contemptis, Numantinorum ſeu Zamorenſium cattorum pellibus contento coopertorio ad lectum uterentur.* Confer epiſtolam 5.

c Barricani item ſublati ſunt Statuto 18. ubi legitur, *ut nullus ſcarlatas, aut barracanos, vel pretioſos burellos, qui Ratiſponæ ſiunt, ſive picta quolibet modo ſtramina habeat, ſed ſolummodo cilicinum, ſuperpellitio tantum duobus pannis albi & nigri coloris.* Mattæ erant veſi.oloces a barria ſic dictæ.

d Id de Sugerio abbate Dionyſiano dictum putant, ut ad epiſtolam 75. Petrus Venerabilis ſtatutum edidit capite 40. *ut nullus Priorum ducat ſecum pluſquam tres equitaturas, vel, ſi Prior Ordinis fuerit, quatuor.*

pauperes

pauperes (non enim attendo verſum, ſed ſenſum) dicite, inquam, pauperes, ſi tamen pauperes, in ſancto quid facit aurum? Et quidem alia cauſa eſt epiſcoporum, alia monachorum. Scimus namque, quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cum ſint, carnalis populi devotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero qui jam de populo exivimus; qui mundi quæque pretioſa ac ſpecioſa pro Chriſto reliquimus; qui omnia pulcre lucentia, canore mulcentia, ſuave olentia, dulce ſapientia, tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati ſumus ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus: quorum, quæſo, in his devotionem excitare intendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus? ſtultorum admirationem, an ſimplicium oblationem *? An quoniam commixti ſumus inter gentes, forte didicimus opera eorum, & ſervimus adhuc ſculptilibus eorum?

* al. oblectationem.

28. Et ut aperte loquar, an hoc totum facit avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, & non requirimus fructum, ſed datum? Si quæris, quomodo? miro inquam modo. Tali quadam arte ſpargitur æs, ut multiplicetur. Expenditur ut augeatur, & effuſio copiam parit. Ipſo quippe viſu ſumptuoſarum, ſed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, ſic pecunia pecuniam trahit: quia neſcio quo pacto, ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis ſaginantur oculi, & loculi aperiuntur. Oſtenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ alicujus, & eo creditur ſanctior, quo coloratior. Currunt homines ad oſculandum, invitantur ad donandum; & magis mirantur pulcra, quàm venerantur ſacra. Ponuntur dehinc in eccleſia gemmatæ, non coronæ [a], ſed rotæ, circumſeptæ lampadibus, ſed non minus fulgentes inſertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quaſdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruſcantes ſuperpoſitis lucernis, quam ſuis gemmis. Quid, putas, in his omnibus quæritur? pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum, ſed non vanior quàm inſanior! Fulget eccleſia in parietibus *, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. Inveniunt curioſi quo delectentur, & non inveniunt miſeri quo ſuſtententur. Utquid ſaltem Sanctorum imagines non reveremur, quibus utique ipſum, quod pedibus conculcatur, ſcatet pavimentum? Sæpe ſpuitur in ore Angeli, ſæpe alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur tranſeuntium. Et ſi non ſacris his imaginibus, cur vel non parcitur pulcris coloribus? Cur decoras quod mox fœdandum eſt? cur depingis quod neceſſe eſt conculcari? Quid ibi valent venuſtæ formæ, ubi pulvere maculantur aſſiduo? Denique quid hæc ad pauperes, ad monachos, ad ſpirituales viros? Niſi forte & hic adverſus memoratum jam Poëtæ verſiculum propheticus ille reſpondeatur: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Aſſentio: patiamur & hæc fieri in eccleſia: quia etſi noxia ſunt vanis & avaris, non tamen ſimplicibus & devotis.

Reliquiarum ornatus.

Ornamenta ſuperflua.

* F. Novas.

Pſal. 25. 8.

29. Ceterum in clauſtris coram legentibus fratribus quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira quædam deformis formoſitas, ac formoſa deformitas? Quid ibi immundæ ſimiæ? quid feri leones? quid monſtruoſi centauri? quid ſemi-homines? quid maculoſæ tigrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas ſub uno capite multa corpora, & rurſus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda ſerpentis, illinc in piſce caput quadrupedis. Ibi beſtia præfert equum, capram trahens retro dimidiam; hic cornutum animal equum geſtat poſterius. Tam multa denique, tamque mira diverſarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus, totumque diem occupare ſingula iſta mirando, quam in lege Dei meditando. Pro Deo! ſi non pudet ineptiarum, cur vel non piget expenſarum?

Vana picturæ à clauſtro rejiciendæ.

CAPUT XII.

Modos & media mutuæ caritatis & pacis fovendæ ſummatim colligit, denique transfugas inſtabilitatis notat.

30. Multa quidem & alia ſuggerebat addenda larga materia: ſed avellit me & propria ſatis anxia occupatio, & tua, frater Ogeri [b], nimis feſtina diſceſſio, qui videlicet nec morari diutius acquieſcis, nec abire tamen vis abſque recenti Opuſculo. Facio itaque quod vis, & te dimitto, & ſermonem brevio: præſertim quia UTILIORA ſunt pauca in pace, quàm multa cum ſcandalo. Et utinam hæc pauca ſcripſerim ſine ſcandalo. Enimvero vitia carpens, ſcio me offendere vitioſos. Poteſt tamen fieri, volente Deo, aliquibus quos me timeo exaſperaſſe, potius placiturum eſſe, ſed ſi deſinant eſſe vitioſi: ſi videlicet, & diſtrictiores deſinant eſſe detractores, & remiſſiores amputent ſuperfluitates; ſi ſic quiſque bonum teneat quod tenet, ut alium aliud tenentem non judicet; ſi qui accepit jam eſſe bonus, non invideat melioribus; & qui ſibi videtur agere melius, bonum non ſpernat alterius: ſit qui diſtrictius vivere poſſunt, eos qui non poſſunt nec aſpernentur, nec æmulentur; & qui non poſſunt, eos qui poſſunt ſic mirentur, ut temere non imitentur. SICUT enim non licet his, qui majus aliquid forte voverunt, ad id quod minus eſt deſcendere, ne apoſtatentur: ſic non omnibus expedit de bonis minoribus ad majora tranſire, ne præcipitentur.

Epilogus.

Scopus hujus Operis.

31. Scio quippe nonnullos de aliis & congregationibus, & inſtitutionibus, ad noſtrum Ordinem pervolaſſe, pulſaſſe, intraſſe: qui hoc quidem agendo, & ſuis ſcandala reliquerunt, & nobis nihilo minus attulerunt, dum quantum illos ſua temeraria diſceſſione, tantum nos turbarunt ſua miſera converſatione. Et quoniam ſuperbe ſpreverunt quod tenebant, & temere præſumpſerunt quod non valebant; digno Deus exitu eorum tandem patefecit ignaviam: quia & impudenter deſeruerunt quod imprudenter arripuerant, & turpiter redierunt ad id quod leviter deſeruerant. Cum enim clauſtra noſtra ſui potius Ordinis impatientia, quàm deſiderio noſtri expetierint; oſtendunt quod ſunt, dum à vobis ad nos, à nobis ad vos inſtabili levitate pervolantes, & nobis, & vobis, & omnibus bonis ſcandalum faciunt. Quamquam ergo nonnullos eorum noverimus, qui & fortiter Deo auctore cœperunt, & ipſo protectore fortius perſeverant; ſecurius eſt tamen ut perſeveremus in bono quod cœpimus, quàm quod incipiamus ubi non perſeveremus; & hoc pariter omnes ſtudeamus, quo ſecundum Apoſtoli conſilium *omnia noſtra in caritate fiant.* Hæc eſt noſtra de noſtro, & de veſtro Ordine ſententia; hæc noſtris & veſtris, hæc non de vobis, ſed vobis me ſolere dicere, nullus melius mihi teſtis erit quàm vos, & ſi quis me novit ſicut vos. Quæ in veſtris laudabilia ſunt, laudo & prædico: ſi quæ reprehendenda ſunt; ut emendentur, vobis & aliis amicis meis ſuadere ſoleo. Hoc non eſt detractio, ſed attractio. Quod ut nobis à vobis ſemper fiat, omnino precor & ſupplico. Valete.

Notat quorumdam inconſtantiam in mutandis Ordinibus.

1. Cor. 16. 14

a De ejuſmodi coronis (quarum una ſupereſt apud Remos in S. Remigii eccleſia, 72. cereolos habens) ſtatuit Petrus abbas ſæpe laudatus, ut *magna illa corona, ex ære, auro, argentoque elegantiſſime compoſita, quæ in medio chori fortis catena ſuſtentata dependet, accenſi cerei non imponantur, niſi in quinque præcipuis feſtis &c.* Minores coronas *orzas* vocat.

b Is eſt Ogerius canonicus regularis, ad quem epiſtola 87. & ſequentes. Ejuſdem, itemque Guillelmi ſancti Theoderici abbatis cenſuræ hunc librum ſubjecit Bernardus epiſtola 88.

Tom. II.
Opusc. VI.

ADMONITIO IN OPUSCULUM VI.

I. L*iber ſubjectus in codicibus antiquis hunc præfert titulum :* Incipit Prologus ſancti Bernardi abbatis in libello ad Milites Templi. *& poſt Prologum ,* Incipiunt capitula de laude novæ Militiæ. *quæ omnino ſunt tredecim , ut in editis noſtris , ubi titulos ex mente auctoris reſtituimus. Liber iſte à Gaufrido in lib.* III. *de vita Bernardi cap.* VIII. Exhortatorius ſermo ad Milites Templi *vocatur.* Quam verò fidelis , *inquit* , cujuſlibet piæ converſationis commendator exſtiterit & adjutor , exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. *Ita ergo hujuſce libri titulus inſtitui poteſt :* Liber ad Milites Templi , de laude novæ Militiæ.

II. Hugoni *tamen* militi Chriſti & magiſtro Militiæ Chriſti *inſcriptus eſt Prologus : ſed perinde eſt Magiſtro Militiæ , atque omnibus Militibus librum nuncupaſſe. Dicti ſunt* Fratres Templi *ex eo , quod conceſſu Balduini regis juxta Templum Domini primo conſederat, teſte Guillelmo archiepiſcopo Tyrenſi in lib.* XII. *cap.* VII. *ubi eorum originem deſcribit ad annum* MCXVIII. Eodem anno, *inquit* quidam nobiles viri de equeſtri ordine, Deo devoti, religioſi , & timentes Deum, in manu domini Patriarchæ Chriſti ſervitio ſe mancipantes , more canonicorum regularium , in caſtitate , & obedientia , & ſine proprio , velle perpetuo vivere profeſſi ſunt. Inter quos primi & præcipui fuerunt viri venerabiles , HUGO de Paganis , & Gaufredus de ſancto Aldemaro : quibus quoniam neque eccleſia erat , neque certum habebant domicilium , Rex in palatio , quod ſecus Templum Domini ad auſtralem habet partem , eis ad tempus conceſſit habitaculum. Prima autem eorum profeſſio , quodque eis à domino Patriarcha & aliis epiſcopis in remiſſionem peccatorum injunctum eſt , ut vias & itinera , maxime ad ſalutem peregrinorum , contra latronum & incurſantium inſidias , pro viribus conſervarent. *Hæc de Militum Templi origine , quibus primus Magiſter præfectus eſt prædictus Hugo de Paganis , quem idem Guillelmus Tyrenſis* magiſtrum militiæ Templi primum *vocat in lib.* XIII. *cap.* XXVI. HUGONI ſanctæ militiæ Priori inſcripta eſt *Guigonis Carthuſiæ prepoſiti epiſtola ſecunda. Iſte eſt Hugo , cui Bernardus ſequentem librum nuncupavit , diſtinguendus utique ab altero Hugone , qui ex Comite Campaniæ miles Templi factus eſt , teſtante Bernardi epiſtola* XXXI. *ipſi directa. Porro Hugoni de Paganis primo militiæ Magiſtro ſucceſſit* miles eximius & in armis ſtrenuus , nobilis carne & moribus , dominus Robertus , cognomine Burgundio , natione Aquitanicus , *& quidem ſub annum* MCXXXVI. *ut colligitur ex Guillelmo Tyrenſi in lib.* XV. *cap.* VI. *qui item de eodem agit initio libri* XVII. *Roberto ſuffectus videtur Ebrardus , cui Petrus Venerabilis ſcribit epiſtolam , quæ eſt libri* VI. *epiſtola* XXVI.

III. *Quo anno ſcriptus ſit iſte liber , non facile dixerim. Id factum conſtat Ordine jam plurimum aucto , & militum numero multiplicato. Bernardi verba hoc probant num.* 10. Hæc Jeroſolymis acitantur , & orbis excitatur. Audiunt inſulæ , & attendunt populi de longe , & ebulliunt ab Oriente & Occidente ... Quodque cernitur jucundius , & agitur commodius , paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas , niſi utique ſceleratos &c. *Atqui ante Concilium Trecenſe , id eſt ante annum* MCXXVII. *novem tantum erant ejus inſtituti Milites , ut ex Guillelmo mox videbimus. Vix ergo ante annum* MCXXXII. *hic liber compoſitus dici poteſt , ſed tamen ante annum* MCXXXVI. *quo fere anno Robertus Magiſter Hugoni ſucceſſit.*

IV. *Templariorum Regulam ex codice Victorino typis mandavit Miræus , eamque Chronico Ciſtercienſi inſeruit ,* utpote à ſancto Bernardo , *inquit* , abbate Claræ-vallenſi (ut ex Prologo patet) dictatam. *Regula hæc totidem capitulis , quot Regula ſancti Benedicti , ex qua magna ex parte de verbo ſumta eſt , conſtat , id eſt capitulis* LXXII. *Sic vero inſcribitur ante Prologum :* Regula pauperum commilitonum Chriſti Templique Salomonici. *Manricus ad annum* MCXXVIII. *cap.* II. *hanc Regulam Bernardo auctori cum Miræo tribuit , ad idque probandum duo loca adducit ex Prologo. Primus locus ſic habet.* Sane autem prorſus licet noſtri dictaminis auctoritatem permaximus numerus religioſorum Patrum , qui in illo Concilio divina ammonitione convenerunt , commendat ; non debemus ſilenter tranſire , quibus videntibus & veras ſententias proferentibus , ego Johannes Michaëlenſis præſentis paginæ , juſſu Concilii ac venerabilis abbatis Claræ-vallenſis , cui creditum ac debitum hoc erat , humilis ſcriba eſſe divina gratia merui. *Verum hæc verba non ſignificant ullam Regulam à Bernardo pro Templariis fuiſſe compoſitam : ſed eum in Johannem Michaëlenſem rejeciſſe impoſitum ſibi ſcribæ officium. Neque quicquam amplius conficitur ex ſequentibus verbis , quæ poſt enumerationem Patrum Trecenſis Concilii hoc modo referuntur.* Ipſe vero Magiſter militiæ , Hugo nomine , revera non defuit , & quoſdam de Fratribus ſuis ſecum habuit , verbi gratia F. Godefridum , F. Ruvallum , F. Gaufridum Biſul , F. Paganum de Monte-deſiderii , Archembaudum de ſancto Aniano. Iſte vero magiſter Hugo cum iſtis diſcipulis modum & obſervantiam exiguæ inchoationis ſui militaris Ordinis , qui ab illo qui dicit , Ego principium qui & loquor vobis , ſumpſit exordium , juxta memoriæ ſuæ notitiam ſupra nominatis Patribus intimavit. Placuit itaque Concilio , ut conſilium ibi lima & conſideratione divinarum Scripturarum diligenter examinatum , tamen cum providentia Papæ Romanorum ac Patriarchæ Jeroſolymitanorum , necnon etiam aſſenſu Capituli pauperum commilitonum templi quod eſt in Jeruſalem , ſcripto commendaretur , & inenodabiliter ſervaretur. *Quibus verbis id tantum à Patribus ſancitum fuiſſe intelligimus , ut Militibus Regula ex eorum conſenſu , conſultis Romano Pontifice & Patriarcha Jeroſolymitano , præſcriberetur : ſed Bernardus ejus auctor*

nequaquam aſſeritur. Quinimmo Albericus Ordinis Ciſtercienſis eiſdem Militibus Regulam ſancti Auguſtini impoſitam ſcribit. Unde in Monaſtico Anglicano ad Ordinem ſancti Auguſtini revocantur. Permirum eſſet, ſi Albericus Trium-fontium haud longe à Clara-valle monachus Ciſtercienſis, hanc Bernardi Regulam ignoraſſet, & pro illa Militibus, qui ejus tempore ſupererant, aliam tribuiſſet. Guillelmus Tyrenſis epiſcopus in jam dicti libri XII. *cap.* VII. *tradit, eiſdem Militibus, qui ante Concilium Trecenſe* non-niſi novem erant, de mandato domini Honorii Papæ & domini Stephani Jeroſolymitani Patriarchæ, fuiſſe inſtitutam Regulam, & album habitum aſſignatum, *cum antea vulgari uſi eſſent.* Poſtmodum vero tempore domini Eugenii Papæ, ut dicitur, cruces de panno rubeo mantellis ſuis cœperunt aſſuere, *tam equites*, quàm eorum Fratres, qui dicuntur Servientes. Quorum res adeo crevit in immenſum, ut hodie, *inquit Guillelmus*, trecentos plus minuſve in conventu habeant equites, albis chlamydibus indutos, exceptis Fratribus. *Ex his poſtremis verbis conjicimus, Regulam illam, quæ Bernardo auctori tribuitur, nonniſi poſt Guillelmum Tyrenſem ſcriptam fuiſſe. quandoquidem in cap.* XXI. *notantur quidam* pſeudo-fratres ex Ultramontanis partibus, mentientes ſe eſſe de Templo: *& quidam apud ipſos Milites* ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli ſuccreviſſe penitus amputanda *arguuntur, nempe quod* habebant OLIM famuli & armigeri alba veſtimenta, unde veniebant damna importabilia. *Nullum vero Capitulum generale Templariorum fuit ante Concilium Trecenſe: nullus antea peculiaris Militum habitus, ſed vulgaris. Albus eis conceſſus eſt à Patribus Concilii, exceptis Servientibus. Plane vel ex his ſolis verbis intelligitur, hoc ſaltem capitulum longe poſt tempus Concilii fuiſſe adſcriptum. Capitulum* VII. ſtando divinum officium audiri *non ſolum non laudat, ſed etiam vituperat, ſtatuitque audiri ſedendo. quod ſane ſtatutum in Bernardi mentem non veniſſet. In capitulo* LVI. *ſtatuitur*, ut amplius ſorores non habeantur. *quod arguit non fuiſſe recens inſtitutum. An Johannes Michaëlenſis iſtius Regulæ auctor ſit, aliis judicandum relinquo. Illud in ea obſervatu non indignum, quod* collatio *pro canula jejuniorum uſurpatur in capite* XVI.

S. BERNARDI ABBATIS

LIBER

DE LAUDE NOVÆ MILITIÆ AD MILITES TEMPLI. Opusc. VI.

PROLOGUS.

HUGONI Militi Chriſti, & Magiſtro Militiæ Chriſti, Bernardus Claræ-vallis ſolo nomine abbas, bonum certamen certare.

Occaſio hujus operis.

SEMEL, & ſecundo, & tertio, ni fallor, petiiſti à me, Hugo cariſſime, ut tibi tuiſque commilitonibus ſcriberem exhortationis ſermonem: & adverſus hoſtilem tyrannidem, quia lanceam non liceret, ſtilum vibrarem: aſſerens vobis non parum fore adjutorii, ſi quos armis non poſſum, litteris animarem. Diſtuli ſane aliquamdiu: B non quod contemnenda videretur petitio, ſed ne levis præcepſque culparetur aſſenſio, ſi quod melius melior implere ſufficeret, præſumerem imperitus, & res admodum neceſſaria per me minus forte commoda redderetur. Verum videns me longa ſatis hujuſcemodi exſpectatione fruſtratum; ne jam magis nolle, quàm non poſſe viderer, tandem ego quidem quod potui feci: lector judicet, an ſatisfeci. Quamquam etſi cui forte aut minime placeat, aut non ſufficiat; non tamen intereſt mea, qui tuæ pro meo ſapere non defui voluntati.

CAPUT I.

De laude novæ militiæ.

1. NOvum militiæ genus ortum nuper auditur in terris, & in illa regione, quam olim in carne præſens viſitavit Oriens ex alto: ut unde tunc in fortitudine manus ſuæ tenebrarum principes exturbavit, inde & modo ipſorum ſatellites, filios diffidentiæ, in manu fortium ſuorum diſſipatos exterminet, faciens etiam nunc redemptionem plebis ſuæ, & rurſum erigens cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. D Novum, inquam, militiæ genus, & ſæculis inexper- A tum: quo gemino [a] pariter conflictu infatigabiliter decertatur, tum adverſus carnem & ſanguinem, tum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et quidem ubi ſolis viribus corporis corporeo fortiter hoſti reſiſtitur, id quidem ego tam non judico mirum, quàm nec rarum exiſtimo. Sed & quando animi virtute vitiis ſive dæmoniis bellum indicitur, ne hoc quidem mirabile, etſi laudabile dixerim, cum plenus monachis cernatur mundus. Ceterum cum uterque homo ſuo quiſque gladio potenter accingitur, ſuo cingulo nobiliter inſignitur; quis hoc non æſtimet omni admiratione digniſſimum, quod adeo liquet eſſe inſolitum?

Militem quid faciat intrepidum.

B Impavidus profecto miles, & omni ex parte ſecurus, qui ut corpus ferri, ſic animum fidei lorica induitur. Utriſque nimirum munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem. NEC vero mortem formidat, qui mori deſiderat. Quid enim vel vivens, vel moriens metuat, cui vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum? Stat quidem fidenter libenterque pro Chriſto; ſed magis cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: hoc enim melius. Securi igitur procedite milites, & intrepido animo inimicos crucis Chriſti propellite, certi quia neque mors, neque vita poterunt vos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, illud ſane vobiſcum in omni periculo C replicantes: *Sive vivimus, ſive morimur Domini ſumus.* Quàm glorioſi revertuntur victores de prœlio! quàm beati moriuntur martyres in prœlio! Gaude fortis athleta, ſi vivis & vincis in Domino: ſed magis exſulta & gloriare, ſi moreris & jungeris Domino. Vita quidem fructuoſa, & victoria glorioſa: ſed utrique mors ſacra jure præponitur. Nam ſi beati qui in Domino moriuntur, num multo magis qui pro Domino moriuntur?

Rom. 14. 8.

Martyres reputantur, qui pugnando pro fide moriuntur.

2. Et quidem ſive in lecto, ſive in bello quis moritur, pretioſa erit ſine dubio in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Ceterum in bello tanto profecto pretioſior, quanto & glorioſior. O vita ſecura, ubi pura conſcientia! O, inquam, vita ſecura, ubi abſque for-

a Petrus Venerabilis eadem fere habet in lib. 6. epiſtola 26. *Quis non lateat*, inquit, *quia non exſultent, proceſſiſſe vos, non ad ſimplicem, ſed ad duplicem conflictum, &c. Eſtis monachi virtutibus, milites actibus.*

TOM. II OPUSC. VI

Pericula militum.

midine mors exſpectatur, immo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione! O vere ſancta & tuta militia, atque à duplici illo periculo prorſus libera, quo id hominum genus ſolet frequenter periclitari, ubi dumtaxat Chriſtus non eſt cauſa militandi. Quoties namque congrederis tu, qui militiam militas ſæcularem, timendum omnino, ne aut occidas hoſtem quidem in corpore, te vero in anima: aut forte tu occidaris ab illo, & in corpore ſimul, & in anima.

Belli ſit cauſa juſta.

Ex cordis nempe affectu, non belli eventu, penſatur vel periculum, vel victoria Chriſtiani. Si bona fuerit cauſa pugnantis, pugnæ exitus malus eſſe non poterit; ſicut nec bonus judicabitur finis, ubi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit.

Pugnantis recta intentio.

Si in voluntate alterum occidendi te potius occidi contigerit, moreris homicida. Quod ſi prævales, & voluntate ſuperandi vel vindicandi forte occidis hominem, vivis homicida. Non autem expedit ſive mortuo, ſive vivo; ſive victori, ſive victo, eſſe homicidam. Infelix victoria, qua ſuperans hominem, ſuccumbis vitio. Et ira tibi aut ſuperbia dominante, fruſtra gloriaris de homine ſuperato.

Homicidium in ſui defenſionem illicitum.

Eſt tamen qui nec ulciſcendi zelo, nec vincendi typho, ſed tantum evadendi remedio interficit hominem. Sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam: cum de duobus malis, in corpore quam in anima [a] mori levius ſit. Non autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur: ſed anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.

CAPUT II.

De militia ſæculari.

3. Quis igitur finis fructuſve ſæcularis hujus, non dico, militiæ, ſed malitiæ: ſi & occiſor letaliter peccat, & occiſus æternaliter perit? Enimvero, ut verbis utar Apoſtoli, *Et qui arat, in ſpe debet arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* (1. Cor. 9. 10.) Quis ergo, ô milites, hic tam ſtupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis ſumptibus ac laboribus militare, ſtipendiis vero nullis, niſi aut mortis, aut criminis? Operitis equos ſericis, & pendulos neſcio quos panniculos loricis ſuperinduitis; depingitis haſtas [b], clypeos & ſellas; frena & calcaria auro & argento, gemmiſque circumornatis: & cum tanta pompa pudendo furore & impudenti ſtupore ad mortem properatis. Militaria ſunt hæc inſignia, an muliebria potius ornamenta? Numquid forte hoſtilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcet, ſerica penetrare non poterit?

Prœlianti tria neceſſaria.

Denique, quod ipſi ſæpius certiuſque experimini, tria eſſe præcipue neceſſaria prœlianti, ut ſcilicet ſtrenuus induſtriuſque miles & circumſpectus ſit ad ſe ſervandum, & expeditus ad diſcurrendum, & promptus ad feriendum: vos per contrarium in oculorum gravamen femineo ritu comam nutritis, longis ac profuſis camiſiis propria vobis veſtigia obvolvitis, delicatas ac teneras manus amplis & circumfluentibus manicis ſepelitis. Super hæc omnia eſt, quod armati conſcientiam magis terret, cauſa illa nimirum ſatis levis ac frivola, qua videlicet talis præſumitur & tam periculoſa militia.

Bellorum ac litium cauſæ leves.

Non ſane inter vos aliud bella movet, liteſque ſuſcitat, niſi aut irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiſcumque poſſeſſionis cupiditas. Talibus certe ex cauſis neque occidere, neque occumbere tutum eſt.

CAPUT III.

De Militibus Chriſti.

Securitas militum Chriſti, ſive occidant, ſive occidantur.

4. At vero Chriſti milites ſecuri [c] prœliantur prœlia Domini ſui, nequaquam metuentes aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſua nece periculum: quandoquidem mors pro Chriſto vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Chriſto, inde Chriſtus acquiritur: qui nimirum & libenter accipit hoſtis mortem pro ultione, & libentius præbet ſeipſum militi pro conſolatione. Miles, inquam, Chriſti ſecurus interimit, interit ſecurior. Sibi præſtat cum interit, Chriſto cum interimit. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei etenim miniſter eſt ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Sane cum occidit malefactorem, non homicida, ſed (ut ita dixerim) malicida, & plane Chriſti vindex in his qui male agunt, & defenſor Chriſtianorum reputatur. Cum autem occiditur ipſe, non periiſſe, ſed perveniſſe cognoſcitur. Mors ergo quam irrogat, Chriſti eſt lucrum: quam excipit, ſuum. In morte pagani Chriſtianus gloriatur, quia Chriſtus glorificatur: in morte Chriſtiani, Regis liberalitas aperitur, cum miles remunerandus educitur. Porro ſuper illo lætabitur juſtus cum viderit vindictam. (Pſal. 57. 10.) De iſto dicet homo: *Si utique eſt fructus juſto? utique eſt Deus judicans eos in terra.*

Pagani an occidendi.

Non quidem vel pagani necandi eſſent, ſi quo modo aliter poſſent à nimia infeſtatione ſeu oppreſſione fidelium cohiberi. Nunc autem melius eſt ut occidantur, quam certe relinquatur virga peccatorum ſuper ſortem juſtorum: ne forte extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

Militia Chriſtianis licita.

5. Quid enim? Si percutere in gladio omnino fas non eſt Chriſtiano, cur ergo præco Salvatoris contentos fore ſuis ſtipendiis militibus indixit (Luc. 3. 13.); & non potius omnem eis militiam interdixit? Si autem (quod verum eſt) omnibus fas eſt, ad hoc ipſum dumtaxat divinitus ordinatis, nec aliud ſane quicquam melius profeſſis: quibus quæſo potius, quàm quorum manibus & viribus urbs fortitudinis noſtræ Sion pro noſtro omnium munimine retinetur? ut depulſis divinæ tranſgreſſoribus legis, ſecura ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem. Secure proinde diſſipentur gentes quæ bella volunt, & abſcindantur qui nos conturbant, & diſperdantur de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repoſitas in Jeroſolymis Chriſtiani populi inæſtimabiles divitias tollere geſtiunt, ſancta polluere, & hereditate poſſidere ſanctuarium Dei.

Exhortatio ad militiam ſacram.

Exſeratur gladius uterque fidelium [d] in cervices inimicorum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, quæ eſt Chriſtianorum fides; ne quando dicant gentes: Ubi eſt Deus eorum?

Plauſus Jeroſolymæ de nova militia.

6. Quibus expulſis revertetur ipſe in hereditatem domumque ſuam, de qua iratus in Evangelio: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* (Matth. 23. 38.) & per Prophetam ita conqueritur: *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam.* (Jerem. 12. 7.) implebitque illud propheticum: *Redemit Dominus populum ſuum, & liberavit eum: & venient & exſultabunt in monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini.* Lætare Jeruſalem, & cognoſce jam tempus viſitationis tuæ. Gaudete & laudate ſimul deſerta Jeruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Jeruſalem, paravit Dominus brachium ſuum ſanctum in oculis omnium gentium. Virgo Iſraël corrueras, & non erat qui ſublevaret te. Surge jam, excutere de pulvere virgo, captiva filia Sion. Surge, inquam, & ſta in excelſo, & vide jucunditatem, quæ venit tibi à Deo tuo. Non vocaberis

a Bernardus itaque cum Auguſtino, & Ambroſio cenſet, citra animæ diſpendium non licere, ut quis ſe ipſum defendendo aggreſſorem interimat. Confer librum de Præcepto & Diſpenſatione num. 13. Inſignis eſt hac de re epiſtola 60. Hildeberti epiſcopi Cenomanenſis de Sacerdote, qui latronem occiderat. Ambroſii locus eſt in lib. 3. de Officiis cap. 4. Auguſtini lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. tum etiam in epiſtola ad Publicolam.

b Id cavet capite 38. Regula Templariorum. *Tegimen autem in clypeis & haſtis, ſurrellis & in lanceis non habeatur* &c. Aurum vero & argentum in frenis & calcaribus eadem rejicit cap. 37.

c Hinc Johannes Sareſberienſis in Polycratici lib 7. cap. 21. de Fratribus Templi agens: *Pene ſoli*, inquit, *inter homines legitima gerunt bella.*

d Spiritualis ſcilicet ac materialis: de utroque epiſtola 256. & lib. 4. de Conſideratione cap. 3. num. 7.

ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Leva in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Hoc tibi auxilium miſſum de ſancto. Omnino per iſtos tibi jam jamque illa perſolvitur antiqua promiſſio: *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generatione & generationem. & ſuges lac gentium, & mammilla regum lactaberis.* & item: *Sicut mater conſolatur filios ſuos, ita & ego conſolabor vos, & in Jeruſalem conſolabimini.* Videſne quam crebra veterum atteſtatione nova approbatur militia, & quod ſicut audivimus, ſic videmus in civitate Domini virtutum? Dummodo ſane ſpiritualibus non præjudicet ſenſibus litteralis interpretatio, quo minus ſcilicet ſperemus in æternum, quicquid huic tempori ſignificando ex Prophetarum vocibus uſurpamus: ne per id quod cernitur, evaneſcat quod creditur; & ſpei copias imminuat penuria rei, præſentiumque atteſtatio ſit evacuatio futurorum. Alioquin terrenæ civitatis temporalis gloria non deſtruit cæleſtia bona, ſed adſtruit; ſi tamen iſtam minime dubitamus illius tenere figuram, quæ in cælis eſt mater noſtra.

[Margin: ... 15. — Iſa. 66. 11.]

CAPUT IV.

De converſatione Militum Chriſti.

7. SEd jam ad imitationem ſeu ad confuſionem noſtrorum militum, non plane Deo, ſed diabolo militantium, dicamus breviter Chriſti equitum mores & vitam; qualiter in bello domive converſentur: quo palam fiat, quantum ab invicem differant Dei ſæculique militia. Primo quidem utrolibet diſciplina non deeſt, obedientia nequaquam contemnitur, quia, teſte Scriptura, & *filius indiſciplinatus peribit*; &. *peccatum eſt ariolandi repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Itur, & reditur ad nutum ejus qui præeſt: induitur quod ille donaverit; nec aliunde veſtimentum ſeu alimentum præſumitur. Et in victu & veſtitu cavetur omne ſuperfluum, ſoli neceſſitati conſulitur. Vivitur plane in communi jucunda & ſobria converſatione, abſque uxoribus, & abſque liberis. Et ne quid deſit ex evangelica perfectione, abſque omni proprio habitant unius moris in domo una, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Dicas univerſæ multitudinis eſſe cor unum, & animam unam: ita quiſque non omnino propriam ſequi voluntatem, ſed magis obſequi ſatagit imperanti. Nullo tempore aut otioſi ſedent, aut curioſi vagantur: ſed ſemper dum non procedunt (quod quidem raro contingit) ne gratis comedant panem, armorum ſeu veſtimentorum vel ſciſſa reſarciunt, vel vetuſta reficiunt, vel inordinata componunt, & quæque poſtremo facienda Magiſtri voluntas & communis indicit neceſſitas. Perſona inter eos minime accipitur: defertur meliori, non nobiliori. Honore ſe invicem præveniunt; alterutrum onera portant, ut ſic adimpleant legem Chriſti. Verbum inſolens, opus inutile, riſus immoderatus, murmur vel tenue, ſive ſuſurrium nequaquam, ubi deprehenditur, relinquitur inemendatum. Scacos [a] & aleas deteſtantur; abhorrent venationem: nec ludicra illa avium [b] rapina (ut aſſolet) delectantur. Mimos, & magos, & fabulatores, ſcurrileſque cantilenas, atque ludorum ſpectacula, tamquam vanitates & inſanias falſas reſpuunt & abominantur. Capillos [c] tondent, ſcientes juxta Apoſtolum ignominiam eſſe viro, ſi comam nutrierit. Numquam compti, raro loti, magis autem neglecto crine hiſpidi, pulvere fœdi: lorica & caumate [d] fuſci.

[Margin: Dei & ſæculi militia quantum differant. — Eccli. 22. 3. — 1. Reg 15. 23. — Milites Templi quam domi diſciplinam ſervent.]

8. Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro ſe muniunt: quatenus armati, & non ornati, hoſtibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe non pompam; victoriam, ſed non gloriam cogitantes, & ſtudentes magis eſſe formidini, quam admirationi. Deinde non turbulenti aut impetuoſi, & quaſi ex levitate præcipites, ſed conſulte atque cum omni cautela & providentia ſeipſos ordinantes, & diſponentes in aciem, juxta quod de patribus ſcriptum eſt. Veri profecto Iſraelitæ procedunt ad bella pacifici. At vero ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum priſtina lenitate poſtpoſita, tamquam ſi dicerent, *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* irruunt in adverſarios, hoſtes velut oves reputant; nequaquam, etſi pauciſſimi, vel ſævam barbariem, vel numeroſam multitudinem formidantes. Noverunt ſiquidem non de ſuis præſumere viribus, ſed de virtute Domini Sabaoth ſperare victoriam: cui nimirum facile eſſe confidunt, juxta ſententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, & non eſſe differentiam in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis: quia non in multitudine exercitus eſt victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. Quod & frequentiſſime experti ſunt, ita ut plerumque quaſi perſecutus ſit unus mille, & duo fugarint decem millia. Ita denique miro quodam ac ſingulari modo cernuntur & agnis mitiores, & leonibus ferociores: ut pæne dubitem quid potius cenſeam appellandos, monachos videlicet, an milites. niſi quod utrumque forſan congruentius nominarim, quibus neutrum deeſſe cognoſcitur, nec monachi manſuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, niſi quod à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Tales ſibi elegit Deus, & collegit à finibus terræ miniſtros ex fortiſſimis Iſrael, qui veri lectulum Salomonis, ſacrum ſcilicet ſepulcrum, vigilanter fideliterque cuſtodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi *.

[Margin: Quomodo ſe gerant in bello. — Gen. 42. 32. — Pſal. 138. 21. — 1. Mach. 3. 19. — A Deo victoria ſperanda, non propriis viribus. — * al. fortiſſimi.]

CAPUT V.

De Templo.

9. ESt vero templum Jeroſolymis, in quo pariter habitant, antiquo & famoſiſſimo illi Salomonis impar quidem ſtructura, ſed non inferius gloria. Siquidem univerſa illius magnificentia in corruptibilibus, auro & argento, in quadratura lapidum & varietate lignorum continebatur: hujus autem omnis decor, & gratæ venuſtatis ornatus, pia eſt habitantium religioſitas, & ordinatiſſima converſatio. Illud variis extitit ſpectandum coloribus: hoc diverſis virtutibus & ſanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei decet ſanctitudo, qui non tam politis marmoribus, quam ornatis moribus delectatur, & puras diligit mentes [e] ſuper auratos parietes. Ornatur tamen hujus quoque facies templi, ſed armis, non gemmis: & pro antiquis coronis aureis, circum pendentibus clypeis paries operitur; pro candelabris, thuribulis, atque urceolis, domus undique frenis, ſellis, ac lanceis communitur. Plane his omnibus liquido demonſtrantibus, eodem pro domo Dei fervere milites zelo, quo ipſe quondam militum Dux vehementiſſime inflammatus armata illa ſanctiſſima manu, non tamen ferro, ſed flagello, quod fecerat de reſticulis *, introivit in templum, negotiantes expulit, nummulariorum effudit æs, & cathedras vendentium columbas evertit: indigniſſimum judicans, orationis domum hujuſcemodi forenſibus inceſtari *. Tali proinde ſui Regis permotus exemplo devotus exercitus, multo ſane indignius, longeque intolerabilius arbitrans ſancta pollui ab infidelibus, quàm à mercatoribus inceſtari, in domo ſanc-

[Margin: Comparatio novi & veteris templi Jeroſolymitani. — Pſal. 92. 5. — Johann. 2. 15. — * al. funiculis. — * al. infeſtari.]

a Scriptis nonnullis, *cacos*, vulgo *echets*, qui ludus ita dictus eſt ſive a voce Arabica vel Perſica *ſcach* quæ Regem ſonat, quæ præcipua eſt eo in ludo perſona: ſive à Germanico *ſchach*, id eſt latrone ſeu latrunculo, unde latrunculorum ludus. qua de re vide Gloſſarium Cangianum & Polycraticum Johannis Sareſberienſis lib. 1. cap. 5.

b Id patet ex Regulæ capitibus 46. & 47. In priori enim venatio cum ave, in poſteriori percuſſio feræ arcu vel baliſta interdicitur.

c Hujus rei ſtatutum legitur in Regulæ Templariorum capitibus 28 & 29

d καῦμα vehemens ardor, nempe ſolis, unde aduſta facies.

e Ita codex Colbertinus: alii, *puras magis diligit mentes, quàm ſuperauratos parietes.*

Tom. II. Opuſc. VI.

ta cum equis & armis commoratur; tamque ab ipſa, A quàm à ceteris ſacris omni infidelitatis ſpurca & tyrannica rabie propulſata, ipſi in ea die noctuque tam honeſtis, quàm utilibus officiis occupantur. Honorant certatim Dei templum ſedulis & ſinceris obſequiis, jugi in eo devotione immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, ſed vere hoſtias pacificas, fraternam dilectionem, devotam ſubjectionem, voluntariam paupertatem.

10. Hæc Jeroſolymis actitantur, & orbis excitatur. Audiunt inſulæ, & attendunt populi de longe, & ebulliunt ab Oriente & Occidente, tamquam torrens inundans gloriæ gentium, & tamquam fluminis impetus B lætificans civitatem Dei. Quodque cernitur jucundius, & agitur commodius, paucos admodum in tanta moltitudine hominum illo confluere videas, niſi utique ſceleratos & impios, raptores & ſacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros: de quorum profecto perfectione ſicut duplex quoddam conſtat provenire bonum, ita duplicatur & gaudium: quandoquidem tam ſuos de ſuo diſceſſu lætificant, quam illos de adventu quibus ſubvenire feſtinant. Proſunt quippe utrobique, non ſolum utique iſtos tuendo, ſed etiam illos jam non opprimendo. Itaque lætatur Ægyptus in profectione eorum, cum tamen de protectione eorum nihilo minus lætetur mons Sion, & exſultent filiæ Judæ. Illa quidem C ſe de manu eorum, iſta magis in manu eorum liberari ſe merito gloriatur. Illa libenter amittit crudeliſſimos ſui vaſtatores: iſta cum gaudio ſuſcipit ſui fideliſſimos defenſores; & unde iſta dulciſſime conſolatur, inde illa æque ſaluberrime deſolatur. Sic Chriſtus, ſic novit ulciſci in hoſtes ſuos, ut non ſolum de ipſis, ſed per ipſos quoque frequenter ſoleat tanto glorioſius, quanto & potentius triumphare. Jucunde ſane & commode: ut quos diu pertulit oppugnatores, magis jam propugnatores habere incipiat; faciatque de hoſte militem, qui de Saulo quondam perſecutore fecit Paulum prædicatorem. Quamobrem non miror, ſi etiam ſuperna illa curia, juxta teſ- D timonium Salvatoris, exſultat magis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper plurimis juſtis qui non indigent pœnitentia, dum peccatoris & maligni tantis proculdubio proſit converſio, quantis & prior nocuerat converſatio.

Milites Templi quales exſtiant

Nova militia improborum reſipiſcentiũ aſylum.

Act. 10 15.

11. Salve igitur civitas ſancta, quam ipſe ſanctificavit ſibi tabernaculum ſuum Altiſſimus, quo tanta in te & per te generatio ſalvaretur. Salve civitas Regis magni, ex qua nova & jucunda mundo miracula nullis pene temporibus defuere ab initio. Salve domina gentium, princeps provinciarum, Patriarcharum poſſeſſio, Prophetarum mater & Apoſtolorum, initiatrix fidei, gloria populi Chriſtiani, quam Deus ſemper à E principio propterea paſſus eſt oppugnari, ut viris fortibus ſicut virtutis, ita fores occaſio & ſalutis. Salve terra promiſſionis, quæ olim fluens lac & mel tuis dumtaxat habitatoribus, nunc univerſo orbi remedia ſalutis, vitæ porrigis alimenta Terra, inquam, bona & optima, quæ in fœcundiſſimo illo ſinu tuo ex arca paterni cordis cæleſte granum ſuſcipiens, tantas ex ſuperno ſemine Martyrum ſegetes protuliſti, & nihilo minus ex reliquo omnium fidelium genere fructum fertilis gleba triceſimum, & ſexageſimum, & centeſimum ſuper omnem terram multipliciter procreaſti. Unde & de magna multitudine dulcedinis tuæ jucundiſſime ſatiati & opulentiſſime ſaginati, memoriam F abundantiæ ſuavitatis tuæ ubique eructant qui te viderunt, & uſque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur eis qui te non viderunt, & enarrant mirabilia quæ in te fiunt. Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei: ſed jam ex his quibus affluis deliciis, nos quoque pauca proferamus in medium, ad laudem & gloriam nominis tui.

Apoſtrophe gratulatoria ad Jeruſalem.

CAPUT VI.

De Bethleem. *

12. HAbes ante omnia in refectione animarum ſanctarum Bethleem domum panis, in qua primum is qui de cælo deſcenderat *, pariente Virgine panis vivus apparuit. Monſtratur piis ibidem jumentis præſepium, & in præſepio fœnum de prato virginali, quo vel ſic cognoſcat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. *Omnis quippe caro fœnum, & omnis gloria ejus ut flos fœni.* Porro homo quia ſuum, in B quo factus eſt, honorem non intelligendo, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; Verbum panis Angelorum factum eſt pabulum jumentorum, ut habeat carnis fœnum quod ruminet, qui verbi pane veſci penitus diſſuevit: quouſque per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rurſus converſus in hominem, cum Paulo dicere poſſit: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Quod ſane non arbitror quempiam dicere poſſe veraciter, niſi qui prius cum Petro ex ore Veritatis illud item audierit: *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt; caro autem non prodeſt quicquam.* Alioquin qui in verbis Chriſti vitam C invenit, carnem jam non requirit, & eſt de numero beatorum, qui non viderunt & crediderunt. Nec enim opus eſt vel lactis poculum, niſi parvulo; vel fœni pabulum, niſi utique jumento. Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir, ſolido plane veſci cibo idoneus: &, licet in ſudore vultus ſui, panem verbi comedit abſque offenſione. Sed & ſecurus ac ſine ſcandalo loquitur Dei ſapientiam dumtaxat inter perfectos, ſpiritualibus ſpiritualia comparans, cum tamen infantibus ſive pecoribus cautus ſit pro captu quidem eorum proponere tantummodo Jeſum-Chriſtum, & hunc crucifixum. Unus tamen idemque cibus ex cæleſtibus paſcuis ſuaviter quidem & ruminatur à pecore, & manducatur ab homine; & viro vires, & D parvulo tribuit nutrimentum.

* Deinceps ad finem [illegible]

* deſcendit

Verbum Dei nunc pabulo hominum.

Iſa. 40 6.

Pſal. 48. 9.

2 Cor. 5. 16.

Joann. 6. 4.

Joann. 20 29

CAPUT VII.

De Nazareth.

13. CErnitur & Nazareth, quæ interpretatur flos, in qua is qui natus in Bethleem erat, tamquam fructus in flore coaleſcens, nutritus eſt Deus infans: ut floris odor fructus ſaporem præcederet, ac de naribus Prophetarum, faucibus ſe Apoſtolorum liquor ſanctus infunderet; Judæiſque tenui odore contentis, guſtu ſolido reficeret Chriſtianos. Senſerat tamen E hunc florem Nathanael, qood ſuper omnia aromata ſuave redoleret. Unde & aiebat: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe:* Sed nequaquam ſola contentus fragrantia, reſpondentem ſibi, *Veni, & vide*, Philippum ſecutus eſt. Immo vero miræ illius ſuavitatis admodum reſperſione delectatus, hauſtuque boni odoris factus ſaporis avidior, odore ipſo duce, ad fructum uſque ſine mora pervenire curavit, cupiens plenius experiri quod tenuiter præſenſerat, præſenſque deguſtare quod odoraverat abſens. Videamus & de olfactu Iſaac, ne forte aliquid, quod pertineat ad hæc ipſa quæ in manibus ſunt, portenderit. Loquitur de illo Scriptura ſic: *Statimque ut ſenſit veſtimentorum ejus fragrantiam* (haud F dubium quin Jacob) *Ecce*, inqoit, *odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Veſtimenti fragrantiam ſenſit, ſed veſtiti præſentiam non agnovit: ſoloque veſtis, tamquam floris odore, forinſecus delectatus, quaſi fructus interioris dulcedinem non guſtavit, dum & electi filii ſimul & ſacramenti fraudatus cognitione remanſit. Quo ſpectat hoc? Veſtimentum profecto ſpiritus, littera eſt & caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judæus in carne Verbum, in homine ſcit deitatem; nec ſub tegmine litteræ ſenſum pervidet ſpiritalem: foriſque palpans hœdi pellem, quæ ſimilitudinem majoris, hoc eſt primi & antiqui peccatoris, expreſſerat,

Judæi ſolo Chriſti odore contenti, nos odore ipſo ad guſtum allecti.

Joann. 1. 46.

Gen. 27 27.

A ad nudam non pervenit veritatem. Non ſane in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, qui peccatum non facere, ſed tollere veniebat, apparuit, ea ſcilicet de cauſa, quam ipſe non tacuit, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Hac ergo ſimilitudine deceptus Propheta, cæcus hodieque, quem neſcit benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat & in miraculis: & quem propriis attrectat manibus, ligando, flagellando, colaphizando, minime tamen vel reſurgentem * intelligit. Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Percurramus ſuccincto ſermone & cetera loca ſancta, & ſi non omnia, ſaltem aliqua: quoniam quæ admirari per ſingula non ſufficimus, libet vel inſigniora, & ipſa breviter recordari.

CAPUT VIII.

De monte Oliveti & valle Joſaphat.

Miſericordiæ conſideratio judicii timore temperanda.

14. AScenditur in montem Oliveti, deſcenditur in vallem Joſaphat: ut ſic divitias divinæ miſericordiæ cogites, quatenus horrorem judicii nequaquam diſſimules: quia etſi in multis miſerationibus ſuis multus eſt ad ignoſcendum, judicia tamen ejus nihilo minus abyſſus multa, quibus agnoſcitur valde omnino terribilis ſuper filios hominum. David denique qui montem Oliveti demonſtrat, dicens, *Homines & jumenta ſalvabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*; etiam judicii vallem in eodem Pſalmo commemorat, dicens: *Non veniat mihi*, inquiens, *pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Cujus & præcipitium ſe omnino perhorreſcere fatetur, cum in alio Pſalmo ita loquitur, orans: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Superbus in hanc vallem corruit, & conquaſſatur: humilis deſcendit, & minime periclitatur. Superbus excuſat peccatum ſuum: humilis accuſat, ſciens quia Deus non bis judicat in idipſum; & quod ſi noſmetipſos judicaverimus, non utique judicabimur.

Pſal. 35. 7. — Pſal. 118. 120. — 1. Cor. 11. 31.

15. Porro ſuperbus non attendens quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viventis, facile prorumpit in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Magna revera malitia, tui te non miſereri, & ſolum poſt peccatum remedium confeſſionis à te ipſo repellere, ignemque in ſinu tuo involvere potius, quàm excutere, nec præbere aurem conſilio Sapientis qui ait: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Proinde qui ſibi nequam, cui bonus? Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, hoc eſt de corde tuo, ſi te tamen humiliando ipſe dijudicas. Erit judicium cæli, quando ipſum vocabitur cælum deſurſum, & terra diſcernere populum ſuum: in quo ſane timendum, ne projiciaris tu cum ipſo & angelis ejus, ſi tamen inventus fueris injudicatus. Alioquin ſpiritualis homo, qui omnia dijudicat, ipſe à nemine judicabitur. Propter hoc ergo judicium incipit à domo Dei, ut ſuos, quos novit judex, cum venerit inveniat judicatos: & jam nil de eis habeat judicare, quando videlicet judicandi ſunt hi qui in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur.

Eccl. 30. 24. — Joan. 12. 31. — Pſal. 49. 4. — 1. Cor. 2. 15. — Pſal. 72. 5.

CAPUT IX.

De Jordane.

16. QUàm læto ſinu Jordanis excipit Chriſtianos, qui ſe Chriſti gloriatur conſecratum baptiſmate! Mentitus eſt plane Syrus ille leproſus, qui neſcio quas Damaſci aquas aquis prætulit Iſraelis, cum Jordanis noſtri devotus Deo famulatus toties probatus exſtiterit, ſive quando Eliæ, ſive quando Eliſæo, ſive etiam (ut antiquius aliquid recolam) quando Joſue & omni populo ſimul, impetum mirabiliter inhibens, ſiccum in ſe tranſitum præbuit. Denique quid in fluminibus iſto eminentius, quod ipſa ſibi * Trinitas quadam evidenti præſentia dedicavit? Pater auditus, viſus Spiritus-ſanctus, Filius eſt & baptizatus. Merito proinde ipſam ejus virtutem, quam Naaman ille conſulente Propheta ſenſit in corpore, jubente Chriſto univerſus quoque fidelis populus in anima experitur.

4. Reg. 5. 14. — 4. Reg. 2. 8. Ibid. — Joſ. 3. — * al. ſibi. Luc. 3.

CAPUT X.

De loco Calvariæ.

17. EXitur etiam in Calvariæ locum, ubi verus Eliſæus ab inſenſatis pueris irriſus, riſum ſuis inſinuavit æternum, de quibus ait: *Ecce ego, & pueri mei, quos mihi dedit Dominus.* Boni pueri, quos per contrarium illorum malignantium ad laudem excitat Pſalmiſta, dicens, *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*, quatenus in ore ſanctorum infantium & lactentium perficeretur laus, quæ ex ore defecerat invidorum, eorum utique, de quibus queritur ita: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Aſcendit naque crucem calvus noſter, mundo pro mundo expoſitus: & revelata facie ac diſcooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probroſæ & auſteræ mortis tam non erubuit ignominiam, quàm nec pœnam exhorruit, ut nos opprobrio ſempiterno eriperet, reſtitueret gloriæ. Nec mirum. Quid enim erubeſceret, qui ita lavit nos à peccatis, non quidem ut aqua diluens & retinens ſordes, ſed veluti ſolis radius deſiccans & retinens puritatem? Eſt quippe Dei ſapientia ubique attingens propter munditiam ſuam.

4. Reg. 2. 23. — Iſa. 8. 18. — Pſal. 112. 1. — Iſa. 1. 2. — Chriſtus nos lavit non ut aqua, ſed ut ſolis radius.

CAPUT XI.

De Sepulcro.

18. INter ſancta ac deſiderabilia loca ſepulcrum tenet quodammodo principatum, & devotionis plus neſcio quid ſentitur, ubi mortuus requievit, quàm ubi vivens converſatus eſt; atque amplius movet ad pietatem mortis, quàm vitæ recordatio. Puto quod illa auſterior, hæc dulcior videatur: magiſque infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quàm labor converſationis; mortis ſecuritas, quàm vitæ rectitudo. Vita Chriſti, vivendi mihi regula exſtitit: mors, à morte redemptio. Illa vitam inſtruxit, mortem iſta deſtruxit. Vita quidem laborioſa, ſed mors pretioſa; utraque vero admodum neceſſaria. Quid enim Chriſti prodeſſe poterat, ſive mors nequiter viventi, ſive vita damnabiliter morienti? Numquid denique aut mors Chriſti etiam nunc male uſque ad mortem viventes à morte æterna liberat, aut mortuos ante Chriſtum ſanctos Patres vitæ ſanctitas liberavit? ſicut ſcriptum eſt: *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem; eruet animam ſuam de manu inferi?* Nunc ergo quia utrumque nobis pariter neceſſarium erat, & pie vivere, & ſecure mori: & vivendo vivere docuit, & mortem moriendo ſecuram reddidit: quoniam quidem reſurrecturus occubuit, & ſpem fecit morientibus reſurgendi. Sed addidit & tertium beneficium, cum etiam peccata donavit, ſine quo utique cetera non valebant. Quid enim (quantum quidem ad veram ſummamque beatitudinem ſpectat) quantalibet vitæ rectitudo ſeu longitudo prodeſſe poterat illi, qui vel ſolo originali peccato teneretur adſtrictus? Peccatum quippe præceſſit, ut ſequeretur mors. quod ſane ſi cavilllet homo, mortem non guſtaſſet in æternum.

Chriſti mortis magis quam vitæ recordatio ad pietatem movet. — Vita & mors Chriſti nobis neceſſaria. — Pſal. 88. 49.

19. Peccando itaque vitam amiſit, & mortem invenit: quoniam quidem & Deus ita prædixerat, & juſtum profecto erat, ut ſi peccaret homo, moreretur. Quid namque juſtius poterat, quàm recipere talionem? Vita ſiquidem Deus animæ eſt, ipſa corporis. Peccando voluntarie, volens perdidit vivere: nolens perdat & vivificare. Sponte repulit vitam cum vivere noluit; non valeat eam dare cui, vel quatenus voluerit. Noluit anima regi à Deo: non queat regere corpus. Si non paret ſuperiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor ſuam ſibi rebellem creaturam: inveniat anima ſuam ſibi rebellem pediſſequam. Tranſgreſſor inventus eſt homo divinæ legis: inveniat & ipſe aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi

Anima rebellis Deo carnem merito patitur rebellem. — Rom. 7.

Tom. II. Opus. VI.

mentis ſuæ, & captivantem ſe in legem peccati. Porro peccatum (ut ſcriptum eſt) ſeparat inter nos & Deum: ſeparet proinde etiam mors inter corpus noſtrum & nos. Non potuit dividi a Deo anima niſi peccando, nec corpus ab ipſa niſi moriendo. Quid itaque auſterius pertulit in ultione, id ſolum paſſa à ſubdito, quod præſumpſerat in auctorem? Nihil profecto congruentius, quàm ut mors operata ſit mortem, ſpiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria neceſſariam.

Iſ. 59. Mors [illegible] eſt juſta pœna.

Chriſtus una morte ſua duplicem noſtram mortem abſtulit.

20. Cum ergo hac gemina morte ſecundum utramque naturam homo damnatus fuiſſet, altera quidem ſpirituali & voluntaria, altera corporali & neceſſaria: utrique Deus homo una ſua corporali ac voluntaria benigne & potenter occurrit, illaque una ſua noſtram utramque damnavit. Merito quidem. nam ex duabus mortibus noſtris, cum altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur; ſuſcipiens pœnam, & neſciens culpam, dum ſponte & tantum in corpore moritur, & vitam nobis, & juſtitiam promeretur. Alioquin ſi corporaliter non pateretur, debitum non ſolviſſet: ſi non voluntarie moreretur, meritum mors illa non habuiſſet. Nunc autem ſi (ut dictum eſt) mortis meritum eſt peccatum; & peccati debitum mors: Chriſto remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus, profecto jam nullum eſt meritum, & ſolutum eſt debitum.

Chriſtum poſſe peccata dimittere, conſtat, qui Deus probatur ex miraculis, &c.

21. Ceterum unde ſcimus, quod Chriſtus poſſit peccata dimittere? Hinc proculdubio, quia Deus eſt, & quicquid vult, poteſt. Unde autem & quod Deus ſit? Miracula probant. Facit quippe opera, quæ nemo alius facere poſſit: ut taceam oracula Prophetarum, necnon & paternæ vocis teſtimonium elapſæ cælitus ad ipſum à magnifica gloria. Quod ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Si ipſe eſt & non alius, cui quotidie confitemur dicentes, *Tibi ſoli peccavi*; quis melius, immo quis alius remittere poteſt quod in eum peccatum eſt? Aut quomodo ipſe non poteſt, qui omnia poteſt? Denique ego quod in me delinquitur valeo, ſi volo, donare: & Deus non queat in ſe commiſſa remittere? Si ergo peccata remittere & poſſit omnipotens, & ſolus poſſit, cui ſoli peccatur: beatus profecto, cui non imputabit ipſe peccatum. Itaque cognovimus, quod peccata Chriſtus divinitatis ſuæ potentia valuit relaxare.

Pſal. 50.

Conſtat & velle.

22. Porro jam de voluntate quis dubitet? Qui enim noſtram & induit carnem, & ſubiit mortem; putas, ſuam nobis negabit juſtitiam? Voluntarie incarnatus, voluntarie paſſus, voluntarie crucifixus, ſolam à nobis retinebit juſtitiam? Quod ergo ex deitate conſtat illum potuiſſe, ex humanitate innotuit & voluiſſe. Sed unde rurſum confidimus, quod mortem abſtulit? Hinc plane, quod eam ipſe qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille jam ſolvit? Qui peccati meritum tulit, ſuam nobis donando juſtitiam; ipſe mortis debitum ſolvit, & reddidit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit juſtitia. Porro mors in Chriſti morte fugatur, & Chriſti nobis juſtitia imputatur. Verum quomodo mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirum & homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia & juſtus erat. Profecto namque cum homo eſſet, potuit mori; cum juſtus, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis ſufficit ſolvere debitum pro altero peccatore, cum quiſque moriatur pro ſe. Qui autem mori pro ſe non habet, numquid pro alio fruſtra debet? Quanto ſane indignius moritur qui mortem non meruit, tanto is juſtius pro quo moritur, vivit.

Mors ejus ex miſericordia.

23. Sed quæ, inquis, juſtitia eſt, ut innocens moriatur pro impio? Non eſt juſtitia, ſed miſericordia. Si juſtitia eſſet, jam non gratis, ſed ex debito moreretur. Si ex debito, ipſe quidem moreretur: ſed is pro quo moreretur, non viveret. At vero ſi juſtitia non eſt, non tamen contra juſtitiam eſt. Alioquin & juſtus, & miſericors ſimul eſſe non poſſet. Sed etſi juſtus

Unus omnibus cur profecit.

A non injuſte pro peccatore ſatisfacere valeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim ſatis eſſe videretur ad juſtitiam, ſi unus uni moriens vitam reſtituat. Huic jam reſpondeat Apoſtolus. *Sicut enim*, inquit, *per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam, in omnes homines, in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius hominis obedientiam juſti conſtituentur multi.* Sed forte unus pluribus juſtitiam quidem reſtituere potuit, vitam non potuit. *Per unum*, ait, *hominem mors, & per unum hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Quid enim? Unus peccavit, & omnes tenentur rei, & unius innocentia ſoli

Rom. 5. 18.

1. Cor. 15. 21.

B reputabitur uni*? Unius peccatorum omnibus operatum eſt mortem, & unius juſtitia uni vitam reſtituet? Itane Dei juſtitia magis ad condemnandum, quam ad reſtaurandum valuit? aut plus potuit Adam in malo, quàm Chriſtus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Chriſti juſtitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit, & hujus obedientia non proderit mihi?

** al. innocenti.*

Objectio.

24. Sed Adæ, inquis, delictum merito omnes contrahimus, in quo quippe omnes peccavimus: quoniam cum peccavit, in ipſo eramus, & ex ejus carne per carnis concupiſcentiam geniti ſumus. Atqui ex Deo

C multo germanius ſecundum ſpiritum naſcimur, quàm ſecundum carnem ex Adam; ſecundum quem etiam ſpiritum longe ante fuimus in Chriſto, quàm ſecundum carnem in Adam. ſi tamen & nos inter illos numerari confidimus, de quibus Apoſtolus: *Qui elegit nos*, inquit, *in ipſo* (haud dubium quin Pater in Filio) *ante mundi conſtitutionem.* Quod autem etiam ex Deo nati ſunt, teſtatur Evangeliſta Johannes, ubi ait: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* item ipſe in epiſtola: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia generatio cæleſtis conſervat eum.* At carnis traducem, ais, carnalis teſtatur concupiſcentia: & peccatum quod in

Eph. 1. 4.

Johan. 1. 13.

1. Johan. 5. 18.

Alia objectio.

D carne ſentimus, manifeſte probat, quod ſecundum carnem de carne peccatoris deſcendimus. Sed enim nihilo minus ſpiritualis illa generatio, non quidem in carne, ſed in corde ſentitur ab his dumtaxat qui cum Paulo dicere poſſunt, *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*; in quo & eatenus profeciſſe ſe ſentiunt, ut & ipſi cum omni fiducia dicant: *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* & illud: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Per ſpiritum ergo qui ex Deo eſt, caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris: ſicut & per carnem quæ eſt ex Adam, manat concupiſcentia noſtris inſita membris. Et quo-

1. Cor. 2. 16.

Rom. 8. 16.

1. Cor. 2. 12.

E modo iſta quæ à progenitore corporum deſcendit, numquam in hac vita mortali à carne recedit; ſic illa procedens ex Patre ſpirituum, ab intentione filiorum dumtaxat perfectorum numquam excidit.

25. Si ergo ex Deo nati, & in Chriſto electi ſumus: quænam juſtitia eſt, ut plus noceat humana atque terrena, quàm valeat divina cæleſtiſque generatio; Dei electionem vincat carnalis ſucceſſio, & æterno ejus propoſito carnis præſcribat temporaliter traducta concupiſcentia? Quin immo ſi per unum hominem mors, cur non multo magis per unum, & illum hominem vita? Et ſi in Adam omnes morimur, cur non longe potentius in Chriſto omnes vivificabimur? Denique *non ſicut delictum, ita & donum.*

F *Nam judicium ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Chriſtus igitur & peccata dimittere potuit, cum Deus ſit; & mori, cum ſit homo; & mortis moriendo ſolvere debitum, quia juſtus; & omnibus unus ad juſtitiam vitamque ſufficere, quandoquidem & peccatum, & mors ex uno in omnes proceſſerit.

Rom. 5. 16.

Concluſio.

Mors Chriſti dilata, ut vita ea non inſtrueret.

26. Sed hoc quoque neceſſarie omnino proviſum eſt, quod dilata morte homo inter homines dignatus eſt aliquamdiu converſari: quatenus crebris & veris

locutionibus

locutionibus ad inviſibilia excitaret, miris operibus adſtrueret fidem, rectis moribus inſtrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo ſobrie, & juſte, & pie converſatus, vera locutus, mira operatus, indigna paſſus, in quo jam deeſt nobis ad ſalutem? Accedat & gratia remiſſionis peccatorum, hoc eſt, ut gratis peccata dimittat: & opus profecto noſtræ ſalutis conſummatum eſt. Non autem metuendum, quod donandis peccatis aut poteſtas Deo, aut voluntas paſſo, & tanta paſſo pro peccatoribus deſit: ſi tamen ſolliciti inveniamur digne, ut oportet, & imitari exempla, & venerari miracula; doctrinæ quoque non exſiſtamus increduli, & paſſionibus non ingrati.

Christi infirmitas non minus nobis profuit quam majeſtas.

27. Itaque totum nobis de Chriſto valuit, totum ſaluſerum, totumque neceſſarium fuit, NEC minus profuit infirmitas, quàm majeſtas: quia etſi ex deitatis potentia peccati jugum jubendo ſubmovit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concuſſit. Unde pulcre ait Apoſtolus: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Sed & illa ejus ſtultitia, per quam ei placuit ſalvum facere mundum, ut mundi confutaret ſapientiam, confunderet ſapientes; quod videlicet cum in forma Dei eſſet, Deo æqualis, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens; quod dives cum eſſet, propter nos egenus factus eſt, de magno parvus, de celſo humilis, infirmus de potente; quod eſuriit, quod ſitiit, quod fatigatus eſt in itinere, & cetera quæ paſſus eſt voluntate, non neceſſitate: hæc ergo ipſius quædam ſtultitia, nonne fuit nobis via prudentiæ, juſtitiæ forma, ſanctitatis exemplum? Ob hoc item Apoſtolus: *Quod ſtultum eſt*, inquit, *Dei, ſapientius eſt hominibus.* Mors ergo à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberavit. Et quidem mors per juſtitiam ſuam peregit victoriam: quia juſtus exſolvendo quæ non rapuit, jure omnino quod amiſerat recepit. Vita vero quod ad ſe pertinuit, per ſapientiam adimplevit, quæ nobis vitæ & diſciplinæ documentum ac ſpeculum exſtitit. Porro gratia ex illa (ut dictum eſt) poteſtate peccata dimiſit, qua omnia quæcumque voluit, fecit. Mors itaque Chriſti, mors eſt meæ mortis: quia ille mortuus eſt, ut ego viverem. Quo pacto enim jam non vivat, pro quo moritur Vita? Aut quis jam in via morum, ſeu rerum notitia errare timebit duce Sapientia? Aut unde jam reus tenebitur, quem abſolvit Juſtitia? Vitam quidem ſe ipſe perhibet in Evangelio: *Ego ſum*, inquiens, *vita.* Porro duo ſequentia teſtatur Apoſtolus, dicens: *Qui factus eſt nobis juſtitia & ſapientia à Deo Patre.*

1. Cor. 1. 25. — Ibid. 21. — Ibid. — Mors à morte, vita ab errore, à gratia nos liberavit. — Joan. 14. 6. — 1. Cor. 1. 30.

28. Si ergo lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit nos à lege peccati & mortis; ut quid adhuc morimur, & non ſtatim immortalitate veſtimur? Sane ut Dei veritas impleatur. Quia enim miſericordiam & veritatem diligit Deus, neceſſe eſt mori quidem hominem, quippe quod prædixerat Deus: ſed à morte tamen reſurgere, ne obliviſcatur miſereri Deus. Ita ergo mors etſi non perpetuo dominatur, manet tamen propter veritatem Dei vel ad tempus in nobis: quemadmodum peccatum, etſi jam non regnat in noſtro mortali corpore, non tamen deeſt penitus nobis. Proinde Paulus ex parte quidem liberatum ſe à lege peccati & mortis gloriatur; ſed rurſum ſe utraque nihilo minus lege aliqua gravari ex parte conqueritur, ſive cum adverſus peccatum miſerabiliter clamat, *Invenio aliam legem in membris meis*, & cetera; ſive cum ingemiſcit gravatus, haud dubium quin lege mortis, redemptionem exſpectans corporis ſui.

Cur non ſtatim immortales. — Psal. 84. 11. — Et ſine peccato. — Rom. 7. 23. — 2. Cor. 5. 2.

29. Sive itaque hæc, ſive alia quæcumque in hunc modum, prout in talibus in ſuo quiſque abundat ſenſu, ex occaſione ſepulcri Chriſtianis ſenſibus ſuggerantur: puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur comminus intuenti; nec parum proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum dominicæ quietis. Etſi quippe jam vacuum ſacris membris, plenum tamen noſtris & jucundis admodum ſacramentis. Noſtris, inquam, noſtris, ſi tamen tam ardenter amplectimur, quàm indubitanter teneAſpectus ſacrorum locorum movet.

mus quod Apoſtolus ait: *Conſepulti enim ſumus per baptiſmum in mortem: ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Quàm dulce eſt peregrinis poſt multam longi itineris fatigationem, poſt plurima terræ mariſque pericula, ibi tandem quieſcere, ubi & agnoſcunt ſuum Dominum quieviſſe! Puto jam præ gaudio non ſentiunt viæ laborem, nec gravamen reputant expenſarum, ſed tamquam laboris præmium, curſuſve bravium aſſecuti, juxta Scripturæ ſententiam, gaudent vehementer cum invenerint ſepulcrum. Nec caſu vel ſubito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen ſepulcrum nactum eſſe putetur, cum hoc ipſum tantis retro temporibus Iſaias tam aperte prædixerit: *Et erit*, inquit, *in die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum ejus glorioſum.* Revera ergo impletum cernimus quod legimus prophetatum, novum quidem intuenti, ſed legenti antiquum: ut ſic adſit de novitate jucunditas, ut de vetuſtate non deſit auctoritas. Et de ſepulcro iſta ſufficiant.

Rom. 6. 4. — Gaudium peregrinorum ad ſepulcrum Chriſti accedentium. — Job 3. 22. — Iſa. 11. 10.

CAPUT XII.

De Betphage.

30. QUid de Betphage dicam, viculo Sacerdotum, quem pæne prætermiſeram, ubi & confeſſionis ſacramentum, & ſacerdotalis miniſterii myſterium continetur? Betphage quippe domus buccæ interpretatur. Scriptum eſt autem: *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Non in altero tantum, ſed ſimul in utroque verbum habere memineris. Et quidem VERBUM IN CORDE peccatoris operatur ſaluiferam contritionem: VERBUM vero IN ORE noxiam tollit confuſionem, ne impediat neceſſariam confeſſionem. Ait enim Scriptura: *Eſt pudor adducens peccatum, & eſt pudor adducens gloriam.* Bonus pudor eſt, quo peccaſſe, aut certe peccare confunderis: & omnis licet humanus arbiter forte abſit, divinum tamen quàm humanum tanto verecundius revereris aſpectum, quanto & verius Deum quàm hominem cogitas puriorem*: tantoque eum gravius offendi à peccante, quanto conſtat longius ab illo eſſe omne peccatum. Hujuſcemodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certe admiſſum & pœnitendo punit, & confitendo expellit: ſi tamen gloria etiam noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quod ſi quiſpiam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur: talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conſcientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obſtruſo labiorum oſtio non permittit exire; cum eum exemplo David dicere potius oporteret, *Et labia mea non prohibebo. Domine, tu ſciſti.* Qui & ſeipſum redarguens, puto ſuper hujuſcemodi ſtulto & irrationabili pudore, *Quoniam tacui*, inquit, *inveteraverunt oſſa mea.* Unde & optat oſtium poni circumſtantiæ labiis ſuis, ut oris januam & aperire confeſſioni, & defenſioni claudere norit. Denique & aperte hoc ipſum orans petit à Domino, ſciens nimirum, quia confeſſio & magnificentia opus ejus. Et quod videlicet noſtram malitiam, & quod æque divinæ bonitatis & virtutis magnificentiam minime tacemus, magnum quidem geminæ confeſſionis bonum, ſed Dei eſt donum. Ait itaque: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Quamobrem miniſtros verbi ſacerdotes caute neceſſe eſt ad utrumque vigilare ſollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confeſſionis exterreant; ſic corda aperiant, ut ora non obſtruant; ſed nec abſolvant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum: quandoquidem corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Alioquin à mortuo, tamquam

Rom. 10. 8. Deut. 30. 14. — Confeſſio duplex. — Eccli. 4. 25. — Pudor bonus. — * al. perfectiorem. — Pudor nimius. — Pſal. 50. 17. — Pſal. 31. 3. — Pſal. 140. 3. — Pſal. 110. 3. — Pſal. 140. 4. — Sacerdotum in confeſſionibus excipiendis cautio. — Eccli. 17. 26.

Tom. II. Opuſc. VI.

qui non eſt, perit confeſſio. Quisquis igitur verbum in ore habet, & in corde non habet, aut doloſus eſt, aut vanus: quiſquis vero in corde, & non in ore, aut ſuperbus eſt, aut timidus.

CAPUT XIII.

De Bethania.

31. SAne non omnino (etſi multum feſtinem) debeo tranſire ſilenter domum obedientiæ, Bethaniam videlicet, caſtellum Mariæ & Marthæ, in quo Lazarus eſt reſuſcitatus: ubi nimirum & utriuſque vitæ figura, & Dei erga peccatores mira clementia, necnon & virtus obedientiæ una cum fructibus pœnitentiæ commendatur. Hoc ergo in loco breviter intimatum ſufficiat, quod quidem nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lacrymæ pœnitentis extra Bethaniam accepta eſſe poterunt illi, qui tanti habuit obedientiam, ut vitam quam ipſam perdere maluerit, factus obediens Patri uſque ad mortem. Hæ ſunt illæ profecto divitiæ, quas ſermo propheticus ex verbo Domini pollicetur: *Conſolabitur*, inquiens, *Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus; & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini: gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Iſa. 51. 3. Hæ igitur orbis deliciæ, hic theſaurus cæleſtis, hæc fidelium hereditas populorum, veſtræ ſunt, cariſſimi, credita fidei, veſtræ prudentiæ & fortitudini commendata. Tunc autem cæleſte depoſitum ſecure & fideliter cuſtodire ſufficitis, ſi nequaquam de ipſa veſtra prudentia vel fortitudine, ſed de Dei tantum adjutorio ubique præſumitis, ſcientes quia non in fortitudine ſua roborabitur vir, & ideo dicentes cum Propheta: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Pſal. 17. 2. & illud: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus; Deus meus, miſericordia ejus præveniet me.* Pſal. 58. 10. & item, *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam:* Pſal. 113. 9. ut in omnibus ſit ipſe benedictus, qui docet manus veſtras ad prœlium, & digitos veſtros ad bellum. Pſal. 143. 1.

ADMONITIO IN OPUSCULUM VII.

I. P*Rimus Bernardi fetus eſt libellus ſequens, inſcriptus* de gradibus Humilitatis, *primuſque nominatur tum à Bernardo ipſo, tum à Gaufrido monacho, ejus vitæ ſcriptore. Bernardi hæc verba ſunt in epiſtola* XVIII. *ad Petrum Cardinalem.* Et ut ſciatis quid petatis, ſcio me ſcripſiſſe libellum, qui inſcribitur, de Humilitate, & quatuor Homilias, &c. *Hæc epiſtola ſub annum* MCXXVII. *exarata eſt. Gaufridus vero in lib.* III. *de ejus vita cap.* VIII. Si quis, *inquit*, noſſe deſiderat, quam ſollicitus ab initio ſui ipſius dijudicator & ſcrutator exſtiterit, primum opus illius de gradibus Humilitatis inſpiciat. *Rationem hujuſce tituli reddit vir ſanctus in Cenſura ſeu Retractatione libri, quam in fronte operis præfigi voluit. Cum enim quoddam verbum, quaſi è Scriptura ſacra prolatum, ipſi excidiſſet, & quamdam de Seraphim expoſitionem, quam in Patribus non legerat, adduxiſſet; hoc comperto, incunctanter ſententiam ipſe ſuam emendare non dubitavit. Tantus erat in ſancto Doctore veritatis amor, tanta in Patres reverentia. Hic Manricus graviter monet exemplo Bernardi auctores myſticos ac theologicos nonnullos, qui vel in litteralibus, vel in altiſſimis theologiæ ſacræ ſenſibus novitates non ſolum inducunt, ſed etiam profitentur: dum Bernardus, theologia divinitus infuſa præditus, in ſenſu myſtico quod à Patribus non acceperat, ſuſpectum habet, nec ſatis credit ſua conſcientia factum, donec rem à ſe excogitatam retractaret. Quamquam alio in loco quiddam amplius ſibi licere permiſit, nempe in fine homiliarum ſuper* Miſſus eſt, *ubi ita ait:* Si quid dictum eſt præter Patres, quod non ſit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam diſplicere debere. *& in epiſtola* LXXVII. Sane ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundet, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod ſentitur non obviat. *Hæc ſanctus Doctor, priorem ſententiam temperans, nec tam novos ſenſus, ſi ratione ducantur, quàm affectatum eorum ſtudium reprehendens.*

II. Tempus ſcripti libri de gradibus Humilitatis colligimus ex prælaudata epiſtola XVIII. *ſub annum* MCXXVII. *ſcripta. Tunc enim Bernardus quatuor tantum opuſcula dictaverat cum aliquot epiſtolis, quorum opuſculorum cum primum fuerit de Humilitate, ante annum* MCXXV. *ſcriptum dici debet. Certe ad Godefridum Claræ-vallis Priorem ac conſanguineum ſuum, poſtea Lingonenſem epiſcopum, ad quem epiſtola* CCCXX. *Hunc* filium, fratrem, ſocium, & profectus ſui participem *vocat hic num. 24. In codice Colbertino num. 3964. hæc inſcriptio libri legitur poſt libros de Conſideratione:* Incipit liber ejuſdem de gradibus Humilitatis, ad Godefridum tunc in Clara-valle priorem, poſtea Lingonicæ civitatis epiſcopum. *Deeſt in hoc codice Retractatio, quæ in quatuor aliis mſſ. libro præmittitur. Unde eam in hunc locum reſtituere viſum eſt, quam Horſtius ad calcem rejecerat.*

Retractatio S. Bernardi in Tractatum de Gradibus Humilitatis.

IN hoc Opuſculo, cum illud de Evangelio, quod Dominus ait, diem ultimi judicii ſe neſcire, ad aliquam ſententiam confirmandam atque corroborandam proferrem in medium *, improvide quidem appoſui, quod in Evangelio ſcriptum non eſſe poſtea deprehendi. Nam cum textus habeat tantummodo, *Neque filius ſcit*; ego deceptus magis, quàm fallere volens, litteræ quippe immemor, ſed non ſenſus, *Nec ipſe*, inquam, *filius hominis ſcit.* Unde etiam totam ordiens ſequentem diſputationem, ex eo quod non veraciter poſui, veram conatus ſum approbare aſſertionem. Sed quia talem errorem meum multo poſt, quàm à me idem libellus editus, & à pluribus jam tranſcriptus fuit, deprehendi; cum non potui per tot jam libellos ſparſum perſequi mendacium, neceſſarium credidi confugere ad confeſſionis remedium. Alio quoque in

* Marc. 13.

loco * quamdam de Seraphim opinionem poſui, quam numquam audivi, nuſquam legi. Ubi ſane Lector meus attendat, quod proinde temperanter, *puto*, dixerim : volens videlicet non aliud, quam putari, quod certum reddere de ſcripturis non valui. Titulus quoque ipſe qui DE GRADIBUS HUMILITATIS inſcribitur, pro eo forſitan quod non humilitatis, ſed ſuperbiæ potius hic diſtingui deſcribique gradus videntur, calumniam patietur, ſed hoc à minus vel intelligentibus, vel attendentibus ejus tituli rationem, quam tamen in fine Opuſculi ipſe breviter intimare curavi.

* num. 31.
Tituli ratio

S. BERNARDI ABBATIS

Opusc. VII.

DE GRADIBUS HUMILITATIS ET SUPERBIÆ.

PRÆFATIO.

Bernardi modeſtia ad ſuſcipiendum opus

ROGASTI me, frater Godefride, ut ea quæ de gradibus Humilitatis coram fratribus locutus fueram, pleniori tibi tractatu diſſererem. Cui tuæ petitioni digne, ut dignum erat, & volens ſatisfacere, & timens non poſſe; evangelici conſilii memor, non prius, fateor, incipere auſus ſum, quam ſedens computavi, ſi ſufficerent ſumptus ad perficiendum. Cum autem caritas hunc foras miſiſſet timorem, quo mihi timebam illudi de opere non conſummando; ſubintravit alius timor de contrario, quo cœpi timere gravius periculum de gloria ſi perfeciſſem, quàm de ignominia ſi defeciſſem. Unde inter hunc timorem & caritatem, velut in quodam bivio poſitus, diu hæſitavi, cui viarum tuto me crederem; metuens aut loquendo utiliter de humilitate, ipſe humilis non inveniri; aut tacendo humiliter, inutilis fieri. Cumque neutram viam tutam, alterutram tamen mihi tenendam eſſe conſpicerem; elegi potius tibi, ſi quem poſſem, communicare fructum ſermonis, quam tutari me ſolum portu ſilentii: ſimul fiduciam habens, ſi quid forte, quod approbes, dixerim, tuis precibus poſſe me non ſuperbire: ſin autem (quod magis puto) nihil tuo ſtudio dignum effecerim, de nihilo ſuperbire non poſſe.

CAPUT I.

Chriſtum eſſe viam Humilitatis, qua pervenitur ad veritatem.

S. Bened. Reg. cap. 7.

1. LOcuturus ergo de gradibus humilitatis, quos beatus Benedictus non numerandos, ſed aſcendendos proponit; prius oſtendo, ſi poſſum, quo per illos perveniendum ſit, ut audito fructu perventionis, minus gravet labor aſcenſionis. Proponit itaque Dominus nobis viæ laborem, laboris mercedem: *Ego ſum*, inquit, *via, veritas, & vita*. Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad veritatem. Altera labor, altera fructus laboris eſt. Unde ſciam, inquis, quod ibi de humilitate locutus ſit, cum indeterminate dixerit, *Ego ſum via*? Audi apertius: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Se ergo proponit humilitatis exemplum, manſuetudinis formam. Si imitaris eum, non ambulas in tenebris, ſed habebis lumen vitæ. Quid eſt lumen vitæ, niſi veritas? quæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, oſtendit ubi ſit vera vita. Ideo cum dixiſſet, *Ego ſum via & veritas*, ſubdidit, *& vita*. ac ſi diceret: Ego ſum via, quæ ad veritatem duco: ego ſum veritas, quæ vitam promitto: ego ſum vita, quam do. *Hæc eſt enim*, ait, *vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum; & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Vel ſic, quaſi tu dicas: Viam conſidero, id eſt humilitatem: fructum deſidero, veritatem. Sed quid ſi tantus eſt labor viæ, ut ad optatum lucrum non poſſim pervenire? Reſpondet, *Ego ſum via*, id eſt viaticum, quo ſuſtenteris in via. Clamat igitur errantibus, & viam ignorantibus, *Ego ſum via*: dubitantibus, & non credentibus, *Ego ſum veritas*: jam aſcendentibus, ſed laſſeſcentibus, *Ego ſum vita*. Satis, ut reor, oſtenſum eſt ex propoſito capitulo Evangelii, cognitionem veritatis fructum eſſe humilitatis. Accipe & aliud. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc*, haud dubium quin veritatis ſecreta, *à ſapientibus & prudentibus*, id eſt a ſuperbis, *& revelaſti ea parvulis*, hoc eſt humilibus. Et in hoc apparet quod veritas, quæ ſuperbis abſconditur, humilibus revelatur.

Joann. 14. 6.
Humilitas via ad veritatem
Matt. 11. 29.
Joann. 8. 12.
Joann. 17. 3.
Luc. 10. 21.

2. Humilitatis vero talis poteſt eſſe definitio. Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit. Hæc autem convenit his, qui aſcenſionibus in corde ſuo diſpoſitis, de virtute in virtutem, id eſt de gradu in gradum proficiunt, donec ad culmen humilitatis perveniant, in quo velut in Sion, id eſt in ſpeculatione, poſiti, veritatem proſpiciant. *Etenim*, inquit, *benedictionem dabit legiſlator*: quia qui dedit legem, dabit & benedictionem, hoc eſt qui juſſit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis vero eſt hic legiſlator, niſi dulcis & rectus Dominus, qui legem dedit delinquentibus in via? In via quippe delinquunt, qui veritatem derelinquunt. Sed numquid vel ſic à dulci Domino derelinquuntur? Ipſis ergo dulcis & rectus Dominus legem dat viam humilitatis, per quam redeant ad cognitionem veritatis. Dat occaſionem recuperandæ ſalutis, quia dulcis eſt; non tamen abſque diſciplina legis, quia rectus eſt. Dulcis, quia perire non patitur; rectus, quia punire non obliviſcitur.

Humilitatis definitio id probat.
Pſal. 83. 8.
Pſal. 24. 8.

CAPUT II.

Quo fructu aſcendantur gradus humilitatis.

3. HAnc itaque legem, qua reditur ad veritatem, beatus Benedictus per duodecim gradus diſponit: ut ſicut per decem præcepta legis ac geminam circumciſionem (in quo duodenarius numerus adimpletur) ad Chriſtum venitur: ita his duodecim gradibus aſcenſis, veritas apprehendatur. Illud quoque quod in ſcala illa, quæ in typo humilitatis Jacob monſtrata eſt, Dominus deſuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, niſi quod in culmine humilitatis conſtituitur cognitio veritatis? Dominus quippe de ſummitate ſcalæ proſpiciebat ſuper filios hominum tamquam Veritas, cujus oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non norunt: ut videret ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Annon tibi de alto videtur clamare ac dicere requirentibus ſe, (novit enim qui ſunt ejus) *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*? & illud: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam*. Venite, inquit. Quo? Ad me veritatem. Qua? per humilitatem. Quo fructu? Ego vos reficiam. Sed quæ eſt refectio, quam Veritas aſcendentibus promittit, pervenientibus reddit? An forte ipſa eſt caritas? Ad hanc quippe, ut ait beatus Benedictus *, aſcenſis omnibus humilitatis gradibus monachus mox perveniet. Vere dulcis & ſuavis cibus caritas, quæ feſſos allevat, debiles roborat, mæſtos lætificat. Jugum denique Veritatis facit ſuave, & onus leve.

Gen. 28. Scala Jacob myſtica.
Eccli. 24. 26.
Matth. 11.
* In Reg. cap. 7 grad. 12.

4. Bonus cibus caritas, quæ media in ferculo Salomonis conſiſtens, diverſarum odore virtutum, velut diverſi generis fragrantia pigmentorum, eſurientes re-

Cant. 3. 10.

Tom. II. Opusc. VII

Ferculi Salomonis myſtica deſcriptio. * al. apponuntur.

ficit, jucundat reficientes. Ibi ſiquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu-ſancto: & ſi quæ ſunt aliæ veritatis ſeu ſapientiæ generationes, apparantur * in illa. Habet & humilitas in eodem ferculo ſuas epulas, panem ſcilicet doloris & vinum compunctionis, quas primo Veritas incipientibus offert, quibus utique dicitur: *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti ſolidum cibum ſapientiæ, cum vino quod lætificat cor hominis, ad quæ Veritas perfectos invitat, dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini cariſſimi. Media*, inquit, *caritate conſtravit propter filias Jeruſalem*, propter imperfectas videlicet animas, quæ dum adhuc illum B ſolidum cibum minus capere poſſunt, lacte interim caritatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ ſunt. Quæ recte *media* deſcribitur, quia ejus ſuavitas nec incipientibus præſto eſt, prohibente timore; nec perfectis ſatis eſt, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc à noxiis carnalium delectationum humoribus, timoris amariſſima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur: illi jam avulſi à lacte, epulari ab introitu gloriæ glorioſius delectantur: ſolis mediis, id eſt proficientibus, ita jam melleas quaſdam ſorbitiunculas caritatis expertis, ut illis interim pro ſui teneritudine contenti ſint.

Pſal. 126. 2.

Cant. 5. 1.
Cant. 3. 10.

Triplex cibus juxta tria ſtatus

5. Primus ergo cibus eſt Humilitatis, purgatorius cum amaritudine: ſecundus Caritatis, conſolatorius cum dulcedine: tertius Comtemplationis, ſolidus cum fortitudine. Heu mihi, Domine Deus virtutum! quouſque iraſceris ſuper orationem ſervi tui, cibabis me pane lacrymarum, & potum dabis mihi in lacrymis? Quis me invitabit ad illud vel medium ac dulce caritatis conviviom: ubi juſti epulantur in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia, ut jam non loquens in amaritudine animæ meæ, dicam Deo; Noli me condemnare: ſed epulando in azymis ſinceritatis & veritatis, lætus cantem in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini? Bona tamen via humilitatis, qua veritas inquiritur, caritas acquiritur, generationes ſapientiæ participantur. Denique ſicut finis legis Chriſtus, ſic perfectio humilitatis, cognitio veritatis. Chriſtus cum venit attulit gratiam: Veritas quibus innotuerit, dat caritatem. Innoteſcit autem humilibus: humilibus ergo dat gratiam.

CAPUT III.

Quo ordine gradus humilitatis ad propoſitum bravium veritatis perducant: & quomodo Chriſtus per paſſionem didicit miſericordiam.

Veritatis cognitio in tribus gradibus conſiſtit.

6. Dixi, ut potui, quo fructu humilitatis gradus aſcendi debeant: dicam, ut potero, quo ordine ad propoſitum bravium veritatis perducant. Sed quia ipſa quoque veritatis agnitio in tribus gradibus conſiſtit; ipſos breviter, ſi poſſum, diſtinguo: quatenus ex hoc clarius innoteſcat, ad quem trium veritatis, duodecimus humilitatis pertingat. Inquirimus namque veritatem in nobis, in proximis, in ſui natura. In nobis, noſmetipſos dijudicando: in proximis, eorum malis compatiendo: in ſui natura, mundo corde contemplando. Obſerva ſicut numerum, ita & ordinem. Primo te doceat Veritas ipſa, quod prius in proximis, quàm in ſui debeat inquiri natura. Poſt hoc accipies, cur prius in te, quàm in proximis inquirere debeas. In numero ſiquidem beatitudinum, quas ſuo ſermone diſtinxit Dominus, prius miſericordes, quàm mundicordes poſuit. Miſericordes quippe cito in proximis veritatem deprehendunt, dum ſuos affectus in illos extendunt: dum ſic per caritatem ſe illis conformant, ut illorum vel bona, vel mala, tamquam propria ſentiant. Cum infirmis infirmantur, cum ſcandalizatis uruntur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus conſueverunt. Hac caritate fraterna cordis acie mundata, veritatem delectantur in ſui con- A templari natura, pro cujus amore mala tolerant aliena.

Matth. 5. 7.

2. Cor. 11. 29.

Rom. 12. 15.

Qui vero ita ſe fratribus non conſociant, ſed e contrario aut flentibus inſultant, aut gaudentibus derogant: dum quod in illis eſt, in ſe eſſe non ſentiunt, quia ſimiliter affecti non ſunt, veritatem in proximis qualiter deprehendere poſſunt? Bene namque convenit illis illud vulgare proverbium: Neſcit ſanus quid ſentiat æger, aut plenus quid patiatur jejunus. Et æger ægro, & jejunus jejuno quanto propinquius, tanto familiarius compatiuntur. Sicut enim pura veritas non niſi puro corde videtur: ſic miſeria fratris verius miſero corde ſentitur. Sed ut ob alienam miſeriam miſerum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoſcas: ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris, qualiter illi ſubvenias, exemplo ſcilicet Salvatoris noſtri, qui pati voluit, ut compati ſciret; miſer fieri, ut miſereri diſceret, ut quomodo de ipſo ſcriptum eſt, *Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*, ita & miſericordiam diſceret. Non quod ante miſereri neſciret, cujus miſericordia ab æterno, & uſque in æternum: ſed quod natura ſciebat ab æterno, temporali didicit experimento.

Proverbium.

Mali non ignaro, miſereri novit.

Chriſtus qui in ſe miſericordiam didicit.
Heb. 5. 8.

7. Sed forte durum tibi videtur, quod dixi Dei ſapientiam Chriſtum didiciſſe miſericordiam. quaſi is per quem omnia facta ſunt, aliquid aliquando ignoraſſet ex iis quæ ſunt: maxime cum illud quod ex epiſ- C tola ad Hebræos ad id comprobandum commemoravi, alio ſenſu, qui non ita videatur abſurdus, poſſit intelligi: ut hoc quod dictum eſt, *didicit*, non ad ipſum caput referatur in ſui perſona, ſed ad corpus ejus, quod eſt Eccleſia. & ita ſit ſenſus: *Et didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*, hoc eſt, obedientiam didicit in ſuo corpore ex iis, quæ paſſus eſt in capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, ſputa, flagella, quæ omnia caput noſtrum Chriſtus pertranſiit, quid aliud corpori ejus, id eſt nobis, quam præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Chriſtus* enim, ait Paulus, *factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Qua neceſſitate? Reſpondeat apoſtolus Petrus: D *Chriſtus paſſus eſt pro nobis. vobis relinquens exemplum, ut ſequamini*, inquit, *veſtigia ejus*, id eſt, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his ergo quæ paſſus eſt, diſcimus quanta nos, qui puri homines ſumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is, qui & Deus erat, non dubitaverit mori. Et hoc modo, inquis, non inconveniens erit, ſi dicatur Chriſtus vel obedientiam, vel miſericordiam, ſeu aliquid aliud in ſuo corpore didiciſſe: dum tamen ſibi in ſua perſona nil, quod ſe ante latuerit, credatur ex tempore potuiſſe accedere. Sicque ipſe ſit qui miſereri doceat aut obedire, ipſe qui diſcat: quia caput & corpus unus eſt Chriſtus.

An potius membris ſuis corpore ſuo myſtico.

Philipp. 2. 8.

1. Pet. 2. 21.

8. Non nego hunc intellectum, quin rectus ſit: ſed E ex alio loco ipſius epiſtolæ, ſuperior interpretatio videtur approbari, ubi dicitur: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. unde debuit per omnia fratribus aſſimilari.. ut miſericors fieret.* Puto quod hæc verba ſic ad caput referenda ſunt, ut corpori penitus aptari non poſſint. De Verbo utique Dei dictum eſt, *quod non Angelos apprehendit*, hoc eſt non in unam ſibi perſonam aſſumpſit, *ſed ſemen Abrahæ.* Neque enim legitur, Verbum Angelus factum eſt, ſed, *Verbum caro factum eſt*, & caro de carne Abrahæ, juxta promiſſionem, quæ illi primum facta eſt. *Unde*, id eſt ex qua ſeminis aſſumptione, *debuit per omnia fratribus aſſimilari*, id eſt oportuit ac neceſſe fuit, ut ſimilis nobis paſſibilis, noſtrarum omnia, excepto peccato, F genera miſeriarum percurreret. Si quæris, qua neceſſitate? *ut miſericors*, inquit, *fieret*. Et hoc, ais, cur non recte ad corpus referri poteſt? Sed audi quod paulo poſt ſequitur: *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* In quibus verbis quid melius intelligi poſſit non video; niſi quod ideo pati ac tentari, omnibuſque, abſque peccato, humanis voluit communicare miſeriis (quod eſt per omnia fratribus ſimilari) ut ſimiliter paſſis ac tentatis miſereri ac compati ipſo diſceret experimento.

Prior expoſitio præfertur.

Heb. 2. 16.

Johann. 1. 14.

Heb. 2. 18.

9. Qui quidem experimento non dico ut ſapientior A efficeretur, ſed propinquior videretur: quatenus infirmi filii Adam, quos ſuos fieri & appellari fratres

Hebr. 2. 11.

non dedignatus eſt, ſuas illi infirmitates committere non dubitarent, qui ſanare illas & poſſet ut Deus, & vellet ut proximus, & cognoſceret ut eadem paſſus. Unde Iſaias virum eum appellat *dolorum, & ſcientem infirmitatem*. & Apoſtolus: *Non enim habemus*, inquit, *Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Unde autem poſſit, indicans adjungit: *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Beatus quippe Deus, beatus Dei Filius, in ea forma, qua non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Patri, proculdubio impaſſibilis, priuſquam ſe exinaniſſet formam ſer- B vi accipiens, ſicut miſeriam vel ſubjectionem expertus non erat, ſic miſericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem ſciebat per experientiam. At ubi minoratus eſt non ſolum à ſeipſo, ſed etiam paulo minus ab Angelis, qui & ipſi impaſſibiles ſunt per gratiam, non per naturam, uſque ad illam formam, in qua pati & ſubjici poſſet, quod utique (ſicut dictum eſt) in ſua non poſſet; & in paſſione expertus eſt miſericordiam, & in ſubjectione obedientiam. Per quam tamen experientiam, non illi (ut dixi) ſcientia, ſed nobis fiducia crevit, dum ex hoc miſero genere cognitionis, is à quo longe erraveramus, factus eſt propior nobis. C Quandu enim illi appropinquare auderemus, in ſua impaſſibilitate manenti? Nunc autem, Apoſtolo ſuadente, monemur *cum fiducia adire thronum gratiæ ipſius*, quem nimirum, ſicut alibi ſcriptum eſt, *languores noſtros tuliſſe, & dolores noſtros* portaſſe cognoſcimus, & in eo quo paſſus eſt ipſe, nobis compati poſſe non dubitamus.

Iſa. 53. 3. — Heb. 4. 15. — Philipp. 2. 6. — Chriſti ſcientia experimentalis. — Ad augendam nobis fiduciam. — Hebr. 4. 16. — Iſa. 53. 4.

10. Non ergo debet abſurdum videri, ſi dicitur, Chriſtum non quidem aliquid ſcire cœpiſſe, quod aliquando neſcierit; ſcire tamen alio modo miſericordiam ab æterno per divinitatem, & aliter in tempore didiciſſe per carnem. Vide ne & ſimili locutionis modo illud dictum ſit, quod Dominus requirentibus diſ- D cipulis de die ultimo ſe neſcire reſpondit. Nam quomodo diem illum ille neſciebat, in quo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri ſunt abſconditi? Cur ergo ſe ſcire negabat, quod certum eſt quia neſcire non poterat? Numquid forte mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innoteſcere? Abſit. Sicut nil ignorare poterat, cum ſapientia ſit: ſic nec mentiri, cum veritas ſit. Sed volens diſcipulos ab inutilis inquiſitionis curioſitate compeſcere, quod inquirebant, ſe ſcire negavit: non omnino quidem, ſed tali quodam modo, quo negare veraciter potuit. Nam etſi ſuæ divinitatis intuitu æque omnia, præterita ſcilicet, præſentia, atque futura perluſtrando, diem quoque illum E palam habebat; non tamen ullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo agnoverat. Alioquin jam ſpiritu oris ſui Antichriſtum interfecerat, jam auribus ſui corporis Archangelum vociferantem, & tubam ſonantem, in quo ſtrepitu mortui ſuſcitandi ſunt, audierat: jam oculis ſuæ carnis oves hœdoſque, qui ab invicem ſegregandi ſunt, perſpexerat.

Matth. 24. 36. — Coloſſ. 2. 3. — Chriſtus hac ſcientia neſcire diem judicii.

11. Denique ut intelligas, quod illa tantum cognitione, quæ per carnem fit, ſe illum diem neſcire perhibuerit, vigilanter reſpondens, non ait, Nec ego ſcio, ſed *nec ipſe*, inquit, *filius* hominis *ſcit* *. Quid eſt filius hominis, niſi nomen aſſumptæ carnis? Quo ſiquidem nomine intelligi datur, quia dicens ſe aliquid F neſcire, non juxta quod Deus eſt, ſed ſecundum hominem loquitur. Alias quippe loquens de ſe ſecundum ſuam divinitatem, non filius, vel filium hominis: ſed, ego, vel me, ſæpius ponere conſuevit, ut ibi: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Ego ſum*, ait: non, Filius hominis eſt. Nec dubium, quin de illa eſſentia diceret, qua ante Abraham & ſine initio eſt, non qua poſt Abraham & ex Abraham factus eſt. Alibi quoque hominum de ſe opinionem à diſcipulis inquirens, *Quem dicunt*, inquit, *homines eſſe*, non me, ſed *filium hominis?* Rurſus eoſdem interrogans, quid de ſe ipſi quoque ſentirent: *Vos autem*, non quem filium hominis; ſed *quem me*, ait, *eſſe dicitis?* Carnalis videlicet populi ſententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod proprie eſt *filius hominis*: poſuit: ſpirituales vero diſcipulos de ſua divinitate interrogans, non filium hominis, ſed ſignanter *me* dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, *me*, requiſiti fuiſſent, ſua reſponſione aperuit: *Tu es*, inquiens, non Jeſus filius Virginis, ſed *Chriſtus filius Dei.* Quod utique ſi reſpondiſſet, nihilo minus veritatem dixiſſet: ſed in verbis interrogationis ſenſum interrogantis prudenter advertens, competenter B proprieque ad interrogata reſpondit, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei.*

* ☞ Retractationem ejus loci vide.* — Johan. 8. 58. — Matth. 16. 13.

12. Cum igitur videas Chriſtum in una quidem perſona duas habere naturas, unam qua ſemper fuit, alteram qua eſſe cœpit; & ſecundum ſempiternum ſuum quidem eſſe, ſemper omnia noſſe; ſecundum temporalem vero, multa temporaliter expertum fuiſſe: cur fateri dubitas; ut eſſe in tempore cœpit ex carne, ſic carnis quoque miſerias ſcire cœpiſſe, illo dumtaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis? Quod utique genus ſcientiæ Protoplaſti ſapientius feliciuſque neſcirent, quando id attingere niſi ſtulte miſereque non poterant. Sed plaſmator eorum Deus requirens C quod perierat, opus ſuum miſeratus proſecutus eſt, deſcendens & ipſe miſericorditer, quo illi ceciderant miſerabiliter. Voluit experiri in ſe, quod illi faciendo contra ſe merito paterentur, non ſimili quidem curioſitate, ſed mirabili caritate: non ut miſer cum miſeris remaneret, ſed ut miſericors factus miſeros liberaret. Factus, inquam, miſericors, non illa miſericordia, quam felix manens habuit ab æterno: ſed quam mediante miſeria reperit in habitu noſtro. Porro pietatis opus, quod per illam cœpit, in iſta perfecit. non quod ſola illa non poſſet perficere: ſed quia nobis non potuit abſque iſta ſufficere. Utraque ſiquidem neceſſaria; ſed nobis hæc magis congrua fuit. O ineffabilis D pietatis excogitatio! Quando nos illam miram miſericordiam cogitaremus, quam præcedens miſeria non informat? Quando illam adverteremus incognitam nobis compaſſionem, quæ non paſſione præventa, cum impaſſibilitate perdurat? Attamen ſi illa, quæ miſeriam neſcit, miſericordia non præceſſiſſet, ad hanc, cujus miſeria mater eſt, non acceſſiſſet. Si non acceſſiſſet, non attraxiſſet: ſi non attraxiſſet, non extraxiſſet. Unde autem extraxit, niſi de lacu miſeriæ, & de luto fæcis? Nec illam tamen miſericordiam deſeruit, ſed hanc inſeruit: non mutavit, ſed multiplicavit, ſicut ſcriptum eſt: *Homines & jumenta ſalvabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam* E *Deus.*

Chriſtus ſcientiæ deſiderium male à protoplaſtis uſurpatum ſic explevit. — Miſericordia Chriſti humana quomodo nobis neceſſaria. — Pſal. 39. 3. — Pſal. 35.

CAPUT IV.

Primus veritatis gradus eſt, primum ſeipſum attendere, ſeu propriam miſeriam agnoſcere.

13. SEd jam ad propoſitum redeamus. Si ergo ſe miſerum fecit, qui miſer non erat, ut experiretur quod & ante ſciebat: quanto magis tu, non dico ut te facias quod non es, ſed ut attendas quod es, quia vere miſer es, & ſic diſcas miſereri, qui hoc aliter ſcire non potes? ne forte ſi proximi malum conſideres, & tuum non attendas; movearis non ad miſerationem, F ſed ad indignationem; non ad adjuvandum, ſed ad judicandum: denique non ad inſtruendum in ſpiritu lenitatis, ſed ad deſtruendum in ſpiritu furoris. *Vos qui ſpirituales eſtis*, ait Apoſtolos, *hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Apoſtoli conſilium ſive etiam præceptum eſt, ut manſueto, id eſt eo ſpiritu fratri ægrotanti ſubvenias, quo tibi vis ſubveniri cum ægrotas. Et ut ſcias qualiter erga delinquentem manſueſcere poſſis, *Conſiderans*, inquit, *te ipſum, ne & tu tenteris.*

Veritatis primus in nobis gradus, cognitio ſui. — Gal. 6. 1.

14. Conſiderare libet, quàm bene diſcipulus Veritatis ordinem ſequatur Magiſtri. In beatitudinibus, quas

Tom. II. Opus. VI. * ſupra * memoravi, ſicut prius miſericordes quàm mundicordes, ſic prius mites quàm miſericordes pronuntiati ſunt. Et Apoſtolus cum ſpirituales hortaretur ad inſtruendum carnales, adjunxit, *in ſpiritu lenitatis*. Inſtructio quippe fratrum pertinet ad miſericordes, ſpiritus lenitatis ad mites. Ac ſi diceret: Inter miſericordes deputari non poteſt, qui in ſemetipſo mitis non eſt. Ecce Apoſtolus aperte oſtendit, quod ſuperius * me oſtenſurum promiſi, prius videlicet veritatem inquirendam eſſe in nobis, quàm in proximis: *conſiderans*, inquiens *te ipſum*, id eſt, quam facilis ad tentandum, quam pronus ad peccandum: quatenus ex tui conſideratione miteſcas: ſicque ad ſuccurrendum aliis in ſpiritu lenitatis accedas. Alioquin ſi monentem non audis Diſcipulum, arguentem time Magiſtrum: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; & ſic videbis feſtucam ejicere de oculo fratris tui.* Trabes in oculo grandis & groſſa, ſuperbia in mente eſt: quæ quadam corpulentia ſui vana, non ſana; tumida, non ſolida, oculum mentis obſcurat, veritatem obumbrat: ita ut ſi tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem, qualis es, vel qualis eſſe potes, non poſſis ſentire: ſed qualem te amas, talem te vel putes eſſe, vel ſperes fore. Quid enim aliud eſt ſuperbia, quàm (ut quidam ſanctus * diffinit) amor propriæ excellentiæ? Unde & nos poſſumus dicere per contrarium, humilitatem propriæ excellentiæ eſſe contemptum. Amor vero, ſicut nec odium, veritatis judicium neſcit. Vis judicium Veritatis audire? Sicut audio, ſic judico. Non ſicut odi, non ſicut amo, non ſicut timeo. Eſt judicium odii, ut illud: *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori.* Eſt & timoris, ut illud: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani & tollent noſtrum locum & gentem.* Judicium vero amoris, ut David de filio parricida: *Parcite*, inquit, *puero Abſalon*. Et legibus humanis * ſtatutum, & in cauſis, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus ſervatum ſcio, ſpeciales amicos cauſantium non debere admitti ad judicium: ne vel fallant, vel fallantur amore ſuorum. Quod ſi culpam amici tuo judicio amor illius aut minuit, aut prorſus abſcondit: quanto magis amor tui tuum contra te judicium fallit?

Mitis in proximum miſericors. * ſupra 6. Matth. 7. 5. Superbia obex ad veritatem. * S. Aug. l. 11. de Gen. ad l. c. 14. & alibi. Amor & odium corrumpunt judicium. Johann. 19. 7. Johann. 11. 48. 2. Reg. 18. 5. * Lege Jurid. de juriſd. om. Judic.

15. Qui ergo plene veritatem in ſe cognoſcere curat, neceſſe eſt ut ſemota trabe ſuperbiæ, quæ oculum arcet à luce, aſcenſiones in corde ſuo diſponat, per quas ſeipſum in ſeipſo inquirat; & ſic poſt duodecimum humilitatis ad primum veritatis gradum pertingat. Cum autem veritate inventa in ſe, immo ſe invento in veritate, dicere potuerit, *Credidi, propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis*: aſcendat homo ad cor altum, ut exaltetur veritas, & ad gradum ſecundum perveniens dicat in exceſſu ſuo, *Omnis homo mendax*. Putas hunc ordinem David non tenuit? Putas hoc non ſenſit Propheta, quod Dominus quod Apoſtolus, quod & nos poſt ipſos, & per ipſos ſentimus? *Credidi*, inquit, Veritati dicenti: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* *Credidi* ergo ſequendo, *propter quod locutus ſum* confitendo. Quid confitendo? Veritatem quam cognovi credendo. Poſtquam autem & credidi ad juſtitiam, & locutus ſum ad ſalutem, *humiliatus ſum nimis*, hoc eſt perfecte. Tamquam diceret: Quia veritatem cognitam in me confiteri contra me non erubui, ad perfectionem humilitatis profeci. *Nimis* enim pro *perfecte* poteſt intelligi; ut ibi *In mandatis ejus volet nimis.* Quod ſi quis contendat, *nimis* hic pro *valde* poſitum, non pro *perfecte*, quia & expoſitores idipſum videntur adſtruere: neque hoc diſcordat à ſenſu Prophetæ, ut ſic ſentiamus eum dixiſſe: Ego quidem, cum adhuc veritatem non noſſem, aliquid me putabam eſſe, cum nihil eſſem. At poſtquam in Chriſtum credendo, id eſt ejus humilitatem imitando, veritatem agnovi: ipſa quidem exaltata eſt in me ex mea confeſſione: ſed ego *humiliatus ſum nimis*, id eſt, valde vilui mihi ex mei conſideratione.

Ad cognoſcendam in ſe veritatem, removenda ſuperbia. Pſal. 115. 1. Johann. 8. 12. Pſal. 111. 1.

CAPUT V.

Secundus gradus veritatis eſt, ex agnitione propria infirmitatis, compati miſeria proximi.

16. HUmiliatus ergo Propheta in hoc primo gradu veritatis, ut ait in alio pſalmo, *Et in veritate tua humiliaſti me*: ſemetipſum attendat, & ex propria miſeria generalem perpendat: ſicque ad ſecundum tranſiens dicat in exceſſu ſuo, *Omnis homo mendax*. In quo exceſſu ſuo? In illo proculdubio, quo ſeſe excedens, ac veritati adhærens, ſeipſum dijudicat. In illo ergo exceſſu ſuo dicat, non indignando aut inſultando, ſed miſerando & compatiendo: *Omnis homo mendax*. Quid eſt, *Omnis homo mendax*? Omnis homo infirmus, omnis homo miſer & impotens, qui nec ſe, nec alium poſſit ſalvare. Sicut dicitur *fallax equus ad ſalutem*, non quod equus aliquem fallat, ſed quia is ſeipſum fallit, qui in fortitudine ejus confidit: ſic omnis homo dicitur mendax, id eſt fragilis, mutabilis, à quo ſalus non poſſit vel ſua, vel aliena ſperari: quin potius maledictionem incurrat, qui ſpem ſuam in homine ponit. Proficiens itaque humilis Propheta per ducatum veritatis, quodque in ſe lugebat videns in aliis, dum apponit ſcientiam, apponat & dolorem, ac generaliter, ſed veraciter dicat: *Omnis homo mendax*.

Pſal. 118. Hinc cognitio ſui. Pſal. 32. 17. Jerem. 17. 5.

17. Vide quàm longe aliud ſenſerit de ſe Phariſæus ille ſuperbus. Quid deprompſit in exceſſu ſuo? *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum.* Dum in ſe ſingulariter exſultat, aliis arroganter inſultat. David autem aliter. Ait enim, *Omnis homo mendax*. Neminem excipit, ne quem decipiat: ſciens quia *omnes peccaverunt, & omnes egent gloria Dei*. Phariſæus ſe ſolum decipit, quem ſolum excipit, dum ceteros damnat. Propheta ſe non excipit a communi miſeria, ne excipiatur a miſericordia: Phariſæus exſufflat miſericordiam, dum diſſimulat miſeriam. Propheta affirmat tam de omnibus, quam de ſe, *Omnis homo mendax*: Phariſæus confirmat de omnibus præter ſe, *Non ſum*, inquiens, *ſicut ceteri hominum*. Et gratias agit, non quia bonus, ſed quia ſolus: non tam de bonis quæ habet, quàm de malis quæ in aliis videt. Nondum de ſuo trabem ejecerat, & feſtucas in oculis fratrum enumerat. Nam ſubdit, *Injuſti, raptores*. Non fruſtra (ut arbitror) exceſſum a propoſito feci, ſi utriuſque exceſſus differentiam intellexiſti.

Luc. 18. 11. Pſal. 115. 11. Rom. 3. 23. Phariſæi ſuperbia & Davidis humilitas. Luc. 18. 11.

18. Jam ad propoſitum redeundum eſt. Quos itaque veritas ſibi jam innoteſcere, ac per hoc vileſcere fecit; neceſſe eſt, ut cuncta, quæ amare ſolebant, & ipſi ſibi amareſcant. Statuentes nimirum ſe ante ſe, tales ſe videre cogunt, quales vel a ſe videri erubeſcunt. Dumque ſibi diſplicet quod ſunt, & ad id ſuſpirant quod non ſunt, quod utique per ſe fore diffidunt; vehementer ſeſe lugentes, id ſolum conſolationis inveniunt, ut ſeveri judices ſui, qui ſcilicet amore veri eſuriant & ſitiant juſtitiam, uſque ad contemptum ſui diſtrictiſſimam de ſe exigant ſatisfactionem, & de cetero emendationem. Sed cum ſe ad id ſufficere non poſſe conſpiciunt (cum enim fecerint omnia quæ mandata fuerint ſibi, ſervos ſe inutiles dicunt) de juſtitia ad miſericordiam confugiunt. Ut autem illam conſequantur, conſilium Veritatis ſequuntur: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et hic eſt ſecundus gradus veritatis, quo eam in proximis inquirunt; dum de ſuis aliorum neceſſitates exquirunt; dum ex iis quæ patiuntur, patientibus compati ſciunt.

Cognitionis ſui effectus. Luc. 17. 10. Matth. 5. 6. Hinc Veritatis ſecundus gradus.

CAPUT VI.

Tertius gradus veritatis, mundare oculum cordis ad contemplanda cæleſtia & divina.

19. IN his ergo tribus quæ dicta ſunt, id eſt in luctu pœnitentiæ, in deſiderio juſtitiæ, in operibus miſericordiæ ſi perſeverant, à tribus impedimentis, quæ

Contemplationis impedimenta quæ & quomodo removenda.

aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio contraxerunt, cordis aciem mundant, quo per contemplationem ad tertium veritatis gradum pertranſeant. Hæ ſunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, illis dumtaxat exceptis, qui lætantur cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis, ac ſe de infirmitate vel ignorantia tegunt ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed fruſtra ſibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet ipſe non libenter peccavit, quod ſe per uxorem, tamquam per carnis infirmitatem, defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures ſuas continuerunt, per ignorantiam excuſabiles erunt? Qui igitur ſtudio & amore peccandi à veritate ſe ſentiunt alienatos, infirmitate & ignorantia preſſos; ſtudium in gemitum, amorem in mærorem convertant, infirmitatem carnis fervore juſtitiæ vincant, ignorantiam liberalitate repellant: ne ſi nunc egentem, nudam & infirmam veritatem ignorant; cum poteſtate magna & virtute venientem, terrentem, arguentem, ſero cum rubore cognoſcant, fruſtra cum tremore reſpondeant: *Quando te vidimus egere, & non miniſtravimus tibi?* Cognoſcetur certe Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur miſericordiam quærens. Denique videbunt in quem transfixerunt: ſimiliter & avari quem contempſerunt. Ab omni ergo labe, infirmitate, ignorantia, ſtudiove contracta, flendo, juſtitiam eſuriendo, operibus miſericordiæ inſiſtendo, mundatur oculus cordis, cui ſe in ſui puritate Veritas videndam promittit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Cum ſint itaque tres gradus ſeu ſtatus veritatis, ad primum aſcendimus per laborem humilitatis, ad ſecundum per affectum compaſſionis, ad tertium per exceſſum contemplationis. In primo veritas reperitur ſevera, in ſecundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos diſcutimus; ad ſecundum affectus perducit, quo aliis miſeremur; ad tertium puritas rapit, qua ad inviſibilia ſublevamur.

Matth. 25. 44.

Joann. 19. 37.

Matth. 5. 8.

Contemplatio tertius gradus veritatis.

CAPUT VII.

Quomodo ſancta Trinitas hos tres veritatis gradus in nobis operetur.

20. INterlucet hic mihi mira quædam ac diviſa individuæ Trinitatis operatio, ſi quo modo tamen ab homine ſedente in tenebris ineffabilis illa poſſit capi cooperantium ſibi perſonarum diviſio. In primo ſiquidem gradu Filius, in ſecundo Spiritus-ſanctus, in tertio mihi Pater operari videtur. Vis audire Filii operationem? *Si ego,* inquit, *lavi vobis pedes Dominus & magiſter, quanto magis & vos debetis alter alterius lavare pedes?* Tradebat diſcipulis humilitatis formam veritatis Magiſter, qua in primo gradu primum eis veritas innoteſceret. Attende & opus Spiritus-ſancti: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Caritas quippe donum eſt Spiritus-ſancti, qua fit, ut qui ſub diſciplina Filii per humilitatem ad primum uſque gradum veritatis jam profecerunt; ad ſecundum per compaſſionem proximi, ſub magiſterio Spiritus-ſancti perveniant. Audi & de Patre: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.* & illud: *Pater filiis notam faciet veritatem ſuam.* &, *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Vides quia quos verbo & exemplo prius Filius humiliavit, ſuper quos deinde Spiritus-ſanctus caritatem effudit, hos tandem in gloria Pater recepit? Filius facit diſcipulos, Paraclitus conſolatur amicos, Pater exaltat filios. Quia vero non ſolum Filius, ſed & Pater & Spiritus-ſanctus veraciter Veritas appellantur; conſtat quod una eademque Veritas, ſervata proprietate perſonarum, tria hæc in tribus gradibus operatur. Primo ſcilicet inſtruit, ut magiſter: ſecundo conſolatur, ut amicus vel frater; tertio adſtringit, ut filios pater.

Trinitatis operationes in nobis.

Joann. 13. 14.

Rom. 5. 5.

Matth. 16. 17.

Iſa. 38. 19.

Matt. 11. 25.

21. Dei quippe Filius, Verbum ſcilicet ac ſapientia Patris, primum quidem illam animæ noſtræ potentiam, quæ ratio dicitur, cum reperit carne depreſſam, peccato captivam, ignorantia cæcam, exterioribus deditam; clementer aſſumens, potenter erigens, prudenter inſtruens, introrſum trahens, ac mirabiliter utens tamquam pro ſe vicaria, ipſam ſibi judicem ſtatuit, ita ut pro reverentia Verbi cui conjungitur, ipſa ſui accuſatrix, teſtis, & judex, contra ſe Veritatis fungatur officio. Ex qua prima conjunctione Verbi & rationis, humilitas naſcitur. Aliam deinde partem, quæ dicitur voluntas, veneno quidem carnis infectam, ſed jam ratione diſcuſſam, Spiritus-ſanctus dignanter viſitans, ſuaviter purgans, ardenter afficiens, miſericordem facit: ita ut more pellis, quæ uncta extenditur; ipſa quoque unctione perfuſa cæleſti, uſque ad inimicos per affectum dilatetur. Et ſic ex hac ſecunda conjunctione Spiritus Dei & voluntatis humanæ, caritas efficitur. Utramque vero partem, rationem ſcilicet & voluntatem, alteram verbo veritatis inſtructam, alteram ſpiritu veritatis afflatam; illam hyſſopo humilitatis aſperſam, hanc igne caritatis ſuccenſam; tandem jam perfectam animam, propter humilitatem ſine macula, propter caritatem ſine ruga; cum nec voluntas rationi repugnat, nec ratio veritatem diſſimulat, glorioſam ſibi ſponſam Pater conglutinat: ita ut nec ratio de ſe, nec voluntas de proximo cogitare ſinatur, ſed hoc ſolum beata illa anima dicere delectetur: *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum.* Digna certe, quæ de ſchola humilitatis, in qua primum ſub magiſtro Filio ad ſeipſam intrare didicit, juxta comminationem ad ſe factam, *Si ignoras te, egredere & paſce hœdos tuos:* digna, ergo quæ de ſchola illa humilitatis duce Spiritu-ſancto in cellaria caritatis (quæ nimirum proximorum pectora intelligenda ſunt) per affectionem introduceretur: unde ſuffulta floribus, ac ſtipata malis, bonis ſcilicet moribus & virtutibus ſanctis, ad Regis demum cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicum, hora videlicet quaſi dimidia, ſilentio facto in cælo, inter deſideratos amplexus ſuaviter quieſcens, ipſa quidem dormit, ſed cor ejus vigilat, quo utique interim veritatis arcana rimatur: quorum poſtmodum memoria ſtatim ad ſe reditura paſcatur. Ibi videt inviſibilia, audit ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Excedunt quippe omnem illam, quam nox nocti indicat, ſcientiam: dies tamen diei eructat verbum, & inter ſapientes ſapientiam loqui, & ſpiritualibus ſpiritualia licet conferri.

Verbum efficit humilitatem.

Spiritus S. caritatem.

Pater contemplationem.

Cant. 1. 3.

Ibidem.

CAPUT VIII.

Gradus iidem in raptu S. Pauli declarantur.

22. PUtas hos gradus Paulus non tranſierat, qui uſque ad tertium cælum ſe raptum fuiſſe teſtatur? Sed quare raptum, & non potius ductum? Ut videlicet ſi tantus Apoſtolus raptum ſe dicit fuiſſe, quo nec doctus ſcivit, nec ductus potuit ire; me, qui proculdubio minor ſum Paulo, ad tertium cælum nulla mea virtute, nullo meo labore pervenire poſſe præſumam: ne vel de virtute confidam, vel pro labore diffidam. Qui enim docetur aut ducitur, ex hoc ipſo quod docentem vel ducentem ſequitur, laborare convincitur, & aliquid ex ſe agit, ut ad deſtinatum locum vel ſenſum pertrahatur, ita ut dicere poſſit: *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Qui vero rapitur, non ſuis viribus, ſed alienis innixus, tamquam neſcius quocumque portatur, nec de toto in ſe, nec de parte gloriatur, ubi nec per ſe, nec cum alio aliquid operatur. Ad primum itaque ſive ad medium cælum ductus vel adjutus Apoſtolus aſcendere potuit: ad tertium autem ut perveniret, rapi oportuit. Nam ad hoc & Filius legitur deſcendiſſe, ut vocaret & juvaret aſcenſuros ad primum: & Spiritus-ſanctus miſſus fuiſſe, qui perduceret ad ſecundum. Pater vero, licet Filio & Spiritui-ſancto ſemper cooperetur, numquam tamen aut de cælo deſcendiſſe, aut

2 Cor. 12. 2. Contemplatio raptus.

1 Cor. 15. 10. S. Pauli raptus exponitur.

Tom. II. Opusc. VII

ad terras legitur miſſus fuiſſe. Lego certe, quod *miſericordia Domini plena eſt terra*; &, *pleni ſunt cæli & terra gloria tua*. & multa hujuſmodi. Lego & de Filio, *Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum*. & ipſe Filius loquitur de ſe, *Spiritus Domini miſit me*. Et per eumdem Prophetam: *Et nunc*, inquit, *Dominus miſit me & Spiritus ejus*. Lego & de Spiritu-ſancto, *Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. &, *Cum aſſumptus fuero, mittam vobis eum*, haud dubium quin Spiritum-ſanctum. Patrem autem in ſua perſona, licet nuſquam non ſit, nuſquam tamen invenio niſi in cælis, ut in Evangelio: *Et Pater meus qui in cælis eſt*. & in oratione, *Pater noſter qui es in cælis*.

Pſal. 32. — Deſcendere de cælo, aut mitti non convenit Patri, ſed Filio, & Spiritui S. — Galat. 4. — Iſa. 61. 1. — Iſa. 48. 16. — Johann. 14. — Johan. 16. — Matth. 13. — Matth. 6. 9.

23. Unde nimirum colligo, quod quia Pater non deſcendit, Apoſtolus ut eum videret, ad tertium cælum aſcendere quidem non potuit, quo tamen ſe raptum memoravit. Denique, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis*. Et ne putes de primo dictum vel ſecundo, dicit tibi David: *A ſummo cælo egreſſio ejus*. Ad quod iterum non ſubito raptus, non furtim ſublatus, ſed, *Videntibus*, inquit, *illis*, id eſt, Apoſtolis, *elevatus eſt*. Non ſicut Elias, qui unum; non ſicut Paulus, qui nullum, (vix enim vel ſeipſum teſtem aut arbitrum habere potuit, ipſo perhibente, *Neſcio, Deus ſcit*.) ſed ut omnipotens, qui quando voluit deſcendit, quando voluit aſcendit, pro ſuo arbitrio arbitros & ſpectatores, locum & tempus, diem & horam exſpectans, *videntibus illis*, quos ſcilicet tanta viſione dignatur; *elevatus eſt*. Raptus eſt Paulus, raptus eſt Elias, tranſlatus eſt Enoch: Redemptor vero noſter legitur *elevatus*, hoc eſt, ex ſeipſo levatus, non aliunde adjutus. Denique non currus vehiculo, non Angeli adminiculo, ſed propria virtute ſubnixum *ſuſcepit eum nubes ab oculis eorum*. Cur hoc? An feſſum juvit? an pigrum impulit? an cadentem ſuſtinuit? Abſit. Sed ſuſcepit eum ab oculis carnalibus diſcipulorum: qui etſi Chriſtum noverant ſecundum carnem; ſed ultra jam non noſcerent. Quos ergo per humilitatem ad primum cælum Filius vocat, hos in ſecundo per caritatem Spiritus aggregat, ad tertium per contemplationem Pater exaltat. Primo humiliantur in veritate, & dicunt, *In veritate tua humiliaſti me*. Secundo congaudent veritati, & pſallunt, *Ecce quàm bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*. De caritate quippe ſcriptum eſt, *Congaudet autem veritati*. Tertio ad arcana veritatis rapiuntur, & aiunt: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*.

Johan. 3. 13. — Pſal. 18. — Act. 1. 9. — 4 Reg. 2. — 2. Cor. 12. 2. — 4. Reg. 2. — Eccli. 44. — Ibidem. — Pſal. 118. — Pſal. 132. — 1. Cor. 13. 6. — Iſa. 24. 16.

CAPUT IX.

Gemitus & ſuſpiria ſancti Bernardi. ad Veritatem anhelantis.

24 SEd quid ego miſer ſuperflua magis loquacitate, quam ſpiritus vivacitate duos cælos ſuperiores percurro, qui manibus pedibuſque repens adhuc ſub inferiore laboro? Ad quod tamen jam, ipſo juvante, quo & vocante, mihi ſcalam erexi. Illic ſiquidem iter eſt, quo oſtendat mihi ſalutare Dei. Jam Dominum deſuper innixum ſuſpicio, jam ad vocem veritatis exſulto. Vocavit me, & ego reſpondi illi: *Operi manuum tuarum porriges dexteram*. Tu quidem Domine greſſus meos dinumeras, ſed ego lentus aſcenſor, feſſus viator, diverticula quæro. Væ mihi, ſi tenebræ me comprehendant, aut ſi mea fuga fiat in hieme, vel in ſabbato: dum nunc ad lucem, cum tempus acceptabile & dies ſalutis ſunt, proficiſci diſſimulo. Quid moror? Ora pro me, fili, frater, ſocie, & particeps profectus mei, ſi quis eſt, in Domino. Ora Omnipotentem, quatenus ſic pigrum roboret pedem, ut tamen non veniat mihi pes ſuperbiæ. Etſi enim pes piger, ut ad veritatis gradum aſcendat, idoneus non eſt: tolerabilior tamen eſt iſto, qui in ea ſtare non poteſt, ut habes ibi: *Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*.

Job 14. 15. — Pigritia non tam contraria eſt cognitioni veritatis, quam ſuperbia. — Pſal. 35. — Ibidem. 13.

25. Et hoc quidem de ſuperbis. Sed quid de illorum capite? Quid de illo, qui dicitur *rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*? Et *ipſe*, inquit, *in veritate non ſtetit*. Et alibi: *Videbam ſatanam ſicut fulgur cadentem de cælo*. Quare hoc, niſi propter ſuperbiam? Væ mihi, ſi & me viderit, qui alta a longe cognoſcit, ſuperbientem: & illam in me terribilem intonet vocem: Tu quidem filius Excelſi eras, ſed ſicut homo morieris, & ſicut unus de principibus cades. Quis non ab hujus tonitrui voce formidet? O quàm ſalubrius ad tactum Angeli nervus femoris Jacob emarcuit, quam angeli ſuperbientis intumuit, evanuit, ruit. Utinam & meum nervum Angelus tangat ut marceſcat, ſi forte ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non poſſum niſi deficere. Lego profecto: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Sic quoque Apoſtolus de ſuo nervo conqueſtus, quem angelus non Domini, ſed ſatanæ colaphizabat, reſponſum audivit: *Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur*. Quæ virtus? Ipſe Apoſtolus reſpondeat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Sed nondum forſitan intelligis, de qua ſpecialiter dixerit, quia Chriſtus omnes virtutes habuit. Sed cum omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, id eſt humilitatem, nobis in ſe commendavit, cum ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*.

Job 41. 25. — Johann. 8. 44. — Luc. 10. 18. — Pſal. 81. — Gen. 32. — 1. Cor. 1. 25. — 2. Cor. 12. 9. — Ibidem. — Virtus Chriſti humilitas. — Matth. 11.

26. Libenter igitur & ego, Domine Jeſu, gloriabor, ſi potero, in mea infirmitate, in mei nervi contractione, ut tua virtus, id eſt humilitas, perficiatur in me. Nam ſufficit mihi gratia tua, cum defecerit virtus mea. Pedem profecto gratiæ fortiter figens, & meum qui infirmus eſt, leniter trahens, ſecurus aſcendam per ſcalam humilitatis: donec veritati adhærens, ad latitudinem tranſeam caritatis. Tunc pſallam cum gratiarum actione, & dicam: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*. Sic arcta via cautius inceditur ſtrictim, ſic ardua ſcala tutius pedetentim aſcenditur; ſic miro modo licet pigrius, ad veritatem tamen firmius claudicando aſcenditur. Sed heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, quibus celerius volem ad veritatem, ut jam requieſcam in caritate? Quæ quoniam deſunt, deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, & veritas liberabit me. Væ mihi quod de illa deſcendi. Niſi enim prius leviter, inaniter deſcendiſſem; in aſcendendo tamdiu, tam graviter non laboraſſem. Sed quid dico, deſcendi? nam fortaſſe rectius cecidi dixerim. Niſi quia forte ſicut nemo repente fit ſummus, ſed gradatim quiſque aſcendit; ſic nemo repente fit peſſimus, ſed paulatim deſcendit. Alioquin quomodo ſtabit illud: *Impius cunctis diebus vita ſua ſuperbit?* Denique ſunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, & tamen ad malum deducunt.

Pſal. 30. — Pſal. 119. — Pſal. 54. — Job 15. 20.

27. Eſt ergo via deſcenſionis, ſicut & aſcenſionis. Et via eſt ad bonum, & via eſt ad malum. Cave malam, elige bonam. Si per te non potes, ora cum Propheta, & dic: *Viam iniquitatis amove à me*. Quomodo? *Et de lege tua miſerere mei*, illa ſcilicet lege, quam dediſti delinquentibus in via, id eſt derelinquentibus veritatem, de quibus unus ego ſum, qui vere à veritate cecidi. Sed numquid qui cadit, non adjiciet ut reſurgat? Propter hoc *viam veritatis elegi*, qua aſcendam humiliatus, unde ſuperbiendo deſcendi. Aſcendam, inquam, & pſallam: *Bonum mihi Domine quod humiliaſti me. bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti*. Duas tibi vias videtur David propoſuiſſe, ſed unam noveris eſſe; ipſam tamen à ſe diverſam, & diverſis nominibus appellaram, aut *iniquitatis* propter deſcendentes, aut *veritatis* propter aſcendentes: quia & iidem gradus ſunt aſcendentium in ſolium, & deſcendentium; & eadem via accedentium ad civitatem, & recedentium; & unum oſtium eſt ingredientium domum, & egredientium. Per unam denique ſcalam aſcendentes Angeli, & deſcendentes Jacob apparuerunt. Quo ſpectant hæc? Ut videlicet ſi ad veritatem redire cupis, non neceſſe ſit viam quærere novam quam non noſti, ſed notam qua deſcendiſti: quatenus reciprocis greſſibus tua ipſe veſtigia ſequens, per eoſdem gradus humiliatus aſcendas, per quos ſuperbiendo

Via bona & mala. — Pſal. 118. — Pſal. 118. — Ibidem. — Via iniquitatis & veritatis quomodo una. — Gen. 28.

biendo deſcenderas : ita ut qui duodecimus ſuperbiæ A fuit deſcendenti, primus humilitatis ſit aſcendenti ; undecimus, inveniatur ſecundus ; decimus, tertius ; nonus, quartus ; octavus, quintus ; ſeptimus, ſextus ; ſextus, ſeptimus ; quintus, octavus ; quartus, nonus ; tertius, decimus ; ſecundus, undecimus ; primus, duodecimus. Quibus ſuperbiæ gradibus in te inventis, immo recognitis, jam non laboras in quærendo viam humilitatis.

ALTERA PARS TRACTATUS
de XII. Gradibus Superbiæ.

CAPUT X.

*De primo ſuperbiæ gradu, qui eſt Curioſitas *.*

28. PRimus itaque ſuperbiæ gradus eſt Curioſitas. Hanc autem talibus indiciis deprehendes. Si videris monachum, de quo prius bene confidebas, ubicumque ſtat, ambulat, ſedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas ; è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas. *Vir* quippe *perverſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur* ; & ex inſolenti corporis motu, recens animæ morbus deprehenditur : quam, dum à ſui circumſpectione torpeſcit incuria ſui, curiuſam in alios facit. Quia enim ſeipſam ignorat, foras mittitur, ut hœdos paſcat. Hœdos quippe, qui peccatum ſignificant, recte oculos aureſque appellaverim : quoniam ſicut mors per peccatum in orbem, ſic per has feneſtras intrat ad mentem. In his ergo paſcendis ſe occupat curioſus, dum ſcire non curat qualem ſe reliquerit intus. Et vere ſi te vigilanter, homo, attendas, mirum eſt ſi ad aliud umquam intendas. Audi, curioſe, Salomonem, audi, ſtulte, Sapientem. *Omni cuſtodia*, inquit, *cuſtodi cor tuum* : ut omnes videlicet ſenſus tui vigilent ad id, unde vita procedit, cuſtodiendum. Quo enim à te, ô curioſe, recedis ? Cui te interim committis ? Ut quid audes oculos levare ad cælum, qui peccaſti in cælum ? Terram intuere, ut cognoſcas te ipſum. Ipſa te tibi repræſentabit, quia terra es, & in terram ibis.

29. Duabus tamen ex cauſis inculpabiliter oculos levas, ut vel petas auxilium, vel impendas. Levavit oculos David in montes, ut peteret : levavit & Dominus ſuper turbas, ut impenderet. Alter miſerabiliter, alter miſericorditer, ambo inculpabiliter. Tu quoque ſi locum, tempus & cauſam conſiderans, tua vel fratris neceſſitate oculos levas ; non ſolum non culpo, ſed & plurimum laudo. Hoc enim excuſat miſeria, illud commendat miſericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, ſed Dinæ aut Evæ, immo ipſius ſatanæ imitatorem te dixerim. Dina namque dum ad paſcendos hœdos egreditur, ipſa patri, & ſua ſibi virginitas rapitur. O Dina, quid neceſſe eſt ut videas mulieres alienigenas ? Qua neceſſitate ? qua utilitate ? An ſola curioſitate ? Etſi tu otioſe vides, ſed non otioſe videris. Tu curioſe ſpectas, ſed curioſius ſpectaris. Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem, fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuis, hoſtibuſque tam pernicioſam ?

30. Tu quoque, ô Eva, in paradiſo poſita es, ut cum viro tuo opereris & cuſtodias illum : ſi injunctum perfeceris, quandoque tranſitura ad melius, ubi nec opus ſit te in aliquo opere occupari, nec de cuſtodia ſollicitari. Omne lignum paradiſi tibi conceditur ad veſcendum, præter illud, quod dicitur *ſcientiæ boni & mali*. Si enim cetera bona ſunt, & ſapiunt bonum, quid eſt opus edere de ligno, quod ſapit etiam malum ? *Non plus ſapere, quam oportet ſapere.* Sapere enim malum, ſapere non eſt, ſed deſipere. Serva ergo commiſſum, exſpecta promiſſum ; cave prohibitum, ne perdas conceſſum. Quid tuam mortem tam intente intueris ? Quid illo tam crebro vagantia lumina jacis ? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet ? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non eſt A interdictum ne videam, ſed ne comedam. An non licet oculos quo volo levare, quos Deus in mea poſuit poteſtate ? Ad quod Apoſtolus : *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Etſi culpa non eſt, culpæ tamen indicium eſt. Niſi enim mens minus ſe curioſe ſervaret, tua curioſitas tempus vacuum non haberet. Etſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, blande alloquitur. Blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit. *Nequaquam* inquiens, *morieris*. Auget curam, dum incitat gulam ; acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem. Offert B tandem prohibitum, & aufert conceſſum : porrigit pomum, & ſurripit paradiſum. Hauris virus peritura, & perituros paritura. Perit ſalus, non deſtitit partus. Naſcimur, morimur : ideoque naſcimur morituri, quia prius morimur naſcituri. Propterea grave jugum ſuper omnes filios tuos uſque in hodiernum diem.

31. Sed & tu, ſignaculum ſimilitudinis, non in paradiſo, ſed in deliciis paradiſi Dei poſitus es. Quid amplius quærere debes ? Plenus ergo ſapientia, & perfectus decore, altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sta in te, ne cadas à te, ſi ambulas in magnis & in mirabilibus ſuper te. Sed quid interim C ex obliquo intendis ad aquilonem ? Jam te video, jam te perſpicio neſcio quæ ſupra te curioſius alta rimantem. *Ponam*, inquit, *ſedem meam ad aquilonem*. Ceteris adſtantibus cælicolis, dum tu ſolus ſedere affectas, fratrum concordiam, totius cæleſtis patriæ pacem, ipſius, quantum in te eſt, quietem Trinitatis infeſtas. Quo te tua, miſer, curioſitas ducit, ut præſumptione ſingulari non dubites civibus ſcandalum, injuriam facere Regi ? Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei, ubi nemo ſedere perhibetur, niſi ſolus is qui ſedet ſuper Cherubim, cui à ceteris miniſtratur : & tu neſcio quæ præ ceteris perſpiciendo differentius, curioſius inquirendo, D irreverentius pervadendo, ſedem tibi collocas in cælo, ut ſis ſimilis Altiſſimo ? Quo fine ? quâ fiduciâ ? Metire, inſipiens, vires, penſa finem, excogita modum. Sciente hoc Altiſſimo præſumis, an neſciente ? volente, an non volente ? Sed quomodo malum quodcumque machinaris, aut velle, aut ignorare poteſt, cujus optima voluntas, cujus perfecta ſcientia eſt ? Numquid autem & ſcire, & nolle non dubitas, ſed non poſſe reſiſtere putas ? At vero niſi te conditum eſſe dubitaveris, dubitare te non crediderim de omnipotentia, ſive de omnimoda ſcientia ac bonitate Conditoris, qui te de nihilo potuit, talem ſcivit, tantum condere voluit. Quomodo ergo Deum conE ſentire æſtimas, quod fieri nolit, ac refellere poſſit ? An forte in te video compleri, immo à te initiari, quod poſt te, & per te à tui ſimilibus in terris frequentatum ſolet vulgariter dici : Privatus dominus temerarios nutrit * ? An oculus tuus nequam eſt, quia ille bonus ? De cujus bonitate dum fiduciam nefariam ſumis, factus es & contra ſcientiam impudens, & contra potentiam audax.

32. Hoc eſt enim, o impie, hoc eſt quod cogitas ; hæc eſt iniquitas, quam meditaris in cubili tuo, & dicis : Putas Creator opus ſuum deſtruat ? Scio quidem quia non latet Deum qualiſcumque cogitatio mea : Deus enim eſt. Nec placet ei talis cogitatio mea, quia boF nus eſt. Sed nec ſi velit effugiam manus ejus, quia potens eſt. Numquid tamen mihi timendum eſt ? Si enim cum bonus ſit, non poteſt illi placere malum meum, quanto minus ſuum ? Meum quippe dixerim contra ejus voluntatem aliquid velle : ſuum autem, ſi vindicet ſeſe. Tam ergo quodcumque ſcelus non valet velle ulciſci, quàm nec vult, nec valet ſua bonitate privari. Fallis te, miſer, fallis te, non Deum. Te, inquam, fallis, & mentitur iniquitas ſibi, non Deo. Doloſe quidem agis, ſed in conſpectu ejus. Te ergo fallis, non Deum. Et quia de magno ejus bono in te,

Margin notes: Curioſitatis indicia. — Prov. 6. 13. — Prov. 4. 23. — Pſal. 120. 1. — Juſtæ cauſæ levandi oculos, miſeria & miſericordia. — Gen. 34. 1. — Dinæ curioſitas, pœna. — Gen. 2. 15. — Eva curioſitas ut punita. — Ibidem. — Rom. 12. 3. — Tom. II. Opuſc. VII. — 1 Cor. 6. 12. — Oculorum curioſitas culpæ occaſio. — Gen. 3. 4. — Ezech. 28. 12. — Iſa. 14. 13. Luciferi curioſitas & temeritas ſuſe perſtringitur. — Dan. 7. 10. — * al. add. ſatellites.

Tom. II Orat. VII.

tu magnum in eum excogitas malum, merito iniquitas tua invenitur ad odium. Quæ major namque iniquitas, quam ut inde à te Creator contemnatur, unde plus amari merebatur? Quæ major iniquitas, quam cum de potentia Dei non dubites, quin te ſcilicet deſtruere poſſit, qui condere potuit; confiſus tamen de multa ejus dulcedine, qua ſperas eum nolle vindicare cum poſſit; mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas?

33. Hæc, inquam, iniquitas, non ira momentanea, ſed odio digna eſt ſempiterno, qua tuo dulciſſimo & altiſſimo Domino, licet invito, deſideras tamen ac ſperas æquari, quatenus ſemper videat quod doleat, dum

Lucifer merito æterno addictus ſupplicio.

te ſocium habeat cum nolit, nec dejiciat eum poſſit; quin potius eligat ipſe dolere, quam te patiatur perire. Poſſit quidem dejicere ſi velit, ſed præ dulcedine (ut æſtimas) velle non poſſit. Certe ſi talis eſt qualem putas, tanto nequius agis, ſi non amas. Et ſi ille patitur aliquid fieri contra ſe potius, quam ipſe aliquid faciat contra te: quanta malitia eſt, ut vel tu non parcas illi, qui ſibi non parcit, parcendo tibi? Abſit tamen ab ejus perfectione, ut quia dulcis eſt, juſtus non ſit, quaſi ſimul dulcis & juſtus eſſe non poſſit: cum melior ſit juſta dulcedo, quam remiſſa; immo virtus non ſit dulcedo ſine juſtitia. Quia igitur

Bonitas Dei mixta cum juſtitia.

gratuitæ Dei bonitati, qua gratis factus es, ingratus exſiſtis, juſtitiam vero quam expertus non es, non metuis; ideoque audacter committis culpam, de qua falſo tibi promittis impunitatem: jam ecce juſtum ſenties, quem bonum noſti, cadens in foveam, quam paras auctori: ut dum ſcilicet talem in eum pœnam machinaris, qua tamen valeat carere ſi velit, ſed ut putas non valeat velle; & ideo nec carere ea utique bonitate, qua neminem expertus es illum puniſſe: talem juſtus Deus juſtiſſime in te retorqueat pœnam, qui nec valet, nec debet pati ſuam impune bonitatem offendi: ſic utique temperans in vindicta ſententiam, ut, ſi velis reſipiſcere, non neget veniam: ſecundum tamen duritiam tuam & cor impœnitens, non poſſis velle, & ideo nec pœna carere.

Iſai. 66. 1.

34. Sed jam audi calumniam. *Cælum*, inquit, *mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Non dixit Oriens, aut Occidens, aut una aliqua cæli plaga: ſed totum cælum mihi ſedes eſt. Non potes ergo in parte ſedere cæli, cum ille totum elegerit ſibi. In terra non

Dæmonum ſedes aër.

potes, quia ſcabellum pedum ejus eſt. Terra etenim locus ſolidus eſt, ubi ſedet Eccleſia, fundata ſupra firmam petram. Quid facies? E cælo pulſus, in terra remanere non potes. Elige ergo tibi in aere locum, non ad ſedendum, ſed ad volandum: ut qui tentaſti concutere ſtatum æternitatis, pœnam ſentias propriæ fluctuationis. Te ergo fluctuante inter cælum & terram, ſedet Dominus ſuper ſolium excelſum & elevatum, & plena eſt omnis terra majeſtate ejus, ut nuſquam niſi in aere invenias locum.

Iſa. 6. 1.

35. Seraphim namque aliis quidem alis ſuæ contemplationis de throno ad ſcabellum, de ſcabello ad thronum volantia, aliis caput Domini pedeſque velantia, ad hoc ibi poſita puto *, ut ſicut homini peccanti paradiſi per Cherubin prohibetur ingreſſus, ita & per Seraphin tuæ curioſitati modus imponatur: quatenus nec cæli jam magis impudenter, quàm prudenter arcana rimeris, nec Eccleſiæ myſteria cognoſcas in terris: ſed ſolis contentus ſis cordibus ſuperborum, qui nec in terra dignantur eſſe ſicut ceteri hominum, nec ſicut Angeli volant ad cælum. Licet vero & caput in cælo, & pedes in terra à te abſcondantur; quiddam tamen tibi medium videndum ad invidendum dumtaxat permittitur: dum ſuſpenſus in aere, deſcendentes quidem per te, & aſcendentes Angelos intueris; ſed quid vel audiant in cælis, vel nuntient terris, penitus neſcis.

* V. Retractationem ſupra.

36. O Lucifer, qui mane oriebaris, immo non jam lucifer, ſed noctifer, aut etiam mortifer, rectus curſus tuus erat ab Oriente ad Meridiem, & tu præpoſtero ordine tendis ad Aquilonem? Quanto A magis ad alta feſtinas, tanto celerius ad occaſum declinas. Velim tamen curioſius, ô curioſe, intentionem tuæ curioſitatis inquirere. *Ponam*, inquit, *ſedem meam ad aquilonem.* Nec aquilonem hunc corporalem, nec ſedem hanc (cum ſis ſpiritus) intelligo materialem. Puto autem per *Aquilonem*, reprobandos homines fuiſſe deſignatos, per *ſedem*, poteſtatem in illos. Quos utique in præſcientia Dei, quanto ei vicinior, tanto ceteris perſpicacior prævidens, nullo quidem ſapientiæ radio coruſcantes, nullo ſpiritus amore ferventes, velut vacuum repereris locum, affectaſti ſuper illos dominium, quos quadam tuæ aſtutiæ claritate perfunderes, tuæ maB litiæ æſtibus inflammares: ut quomodo Altiſſimus ſua ſapientia ac bonitate omnibus filiis obedientiæ præerat, ita & tu ſuper omnes filios ſuperbiæ rex conſtitutus, tua eos aſtuta malitia, ac malitioſa aſtutia regeres, per quod Altiſſimo ſimilis eſſes. Sed miror cum in præſentia Dei tuum prævideris principatum, cur non in eadem prævidiſti & præcipitium? Nam ſi prævidiſti, quæ inſania fuit, ut cum tanta miſeria cuperes principari, ut malles miſere præeſſe, quam feliciter ſubeſſe? An non expediebat participem eſſe plagarum illarum luminoſarum, quam principem tenebrarum harum? Sed credibilius eſt, quod non prævidiſti: aut propter illam cauſam, C quam ſuperius dixi, quia Dei bonitatem attendens, dixiſti in corde tuo, Non requiret, propter quod ô impie Deum irritaſti: aut quia viſo principatu, ſtatim in oculo ſuperbiæ trabes excrevit, qua interpoſita caſum videre non potuiſti.

Iſa. 14. 13.

Diabolus quo ſenſu ſedem ſuam poſuit ad Aquilonem.

An prævidit ruinam ſuam.

37. Sic Joſeph cum prævidiſſet exaltationem ſuam, non tamen præſcivit ſui venditionem, quamvis propior eſſet venditio, quàm exaltatio. Non quod tantum Patriarcham in ſuperbiam crediderim inciſſe: ſed ut ejus exemplo pateat, quod hi qui futura prævident per ſpiritum prophetiæ, etſi non omnia, non ideo tamen putandi ſunt nulla prævidiſſe. Quod ſi quis contendat in eo quod ſomnia D ſua adhuc adoleſcentulus narrabat, quorum tunc myſterium ignorabat, vanitatem poſſe notari: ego tamen myſterio magis ſive ſimplicitati pueri deputandum arbitror, quàm vanitati. Quæ tamen, ſi qua fuit, per ea quæ paſſus legitur, potuit expiari. Nonnullis enim aliqua aliquando de ſe per revelationem jucunda monſtrantur, quæ etſi humanus animus abſque ulla vanitate ſcire non poteſt, non minus ideo eveniet quod monſtratum eſt; ſic tamen ut illa vanitas impunita non ſit, qua de magnitudine revelationis aut promiſſionis in ſe vel leviter exſultavit. Sicut enim medicus, non ſolum unguento, ſed igne utitur & ferro, quo omne quod in vulE nere ſanando ſuperfluum excreverit, ſecet & urat, ne ſanitatem, quæ ex unguento procedit, impediat: ſic medicus animarum Deus hujuſmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta & humiliata, gaudium vertat in luctum, revelationem putet illuſionem. Unde fit ut vanitate careat, & veritas revelationis non pereat. Sic Pauli extollentia per ſtimulos carnis reprimitur, & ipſe revelationibus crebris attollitur. Sic Zachariæ infidelitas linguæ obligatione mulctatur, & Angeli veritas ſuo in tempore manifeſtanda non mutatur. Sic per gloriam & ignobilitatem Sancti proficiunt, dum inter ſingularia dona quæ recipiunt, communi hominum vanitaF te pulſari ſe ſentiunt: ut dum per gratiam ſupra ſe aliquid cernunt, non obliviſcantur quod ſunt.

Gen. 37. 7. Joſeph prævidit exaltationem ſuam, non humiliationem.

Deus revelationes tentationibus miſcet ad cuſtodiam humilitatis.

2. Cor. 12. 7.

Luc. 1. 20.

Sancti cur vanitate pulſentur.

38. Sed quid de revelationibus ad curioſitatem? De quibus ut hæc per exceſſum intermiſcerem, inde occaſio ſumpta eſt, cum oſtendere vellem, reprobum Angelum ante caſum ſuum ſic potuiſſe prævidere illam, quam poſt accepit, in reprobos homines dominationem, ut tamen ſuam non præſciret damnationem. De quo etiam nonnullis quæſtiunculis motis magis, quàm ſolutis, totius diſputatiunculæ hæc ſumma ſit: quod per curioſitatem à veritate ceciderit, quia prius

Scopus & ſumma præcedentis diſſertationis.

ſpectavit curioſe, quod affectavit illicite, ſperavit præſumptuoſe. Jure igitur in gradibus ſuperbiæ primum curioſitas vindicat ſibi, quæ etiam inventa eſt initium eſſe omnis peccati. Sed niſi hæc citius cohibeatur, in levitatem animi, quæ ſecundus gradus eſt, cito delabitur.

CAPUT XI.

De ſecundo gradu ſuperbiæ, qui eſt Levitas animi *.

39. MOnachus enim, qui ſui negligens, alios curioſe circumſpicit, dum quoſdam ſuſpicit ſuperiores, quoſdam deſpicit inferiores: & in aliis quidem videt quod invidet, in aliis quod irridet. Inde fit ut pro mobilitate oculorum levigatus animus, nulla utique ſui cura aggravatus, modo per ſuperbiam ad alta ſe erigat, modo per invidiam in ima demergat: nunc per invidiam nequiter tabeſcit, nunc per excellentiam pueriliter hilareſcit. In altero nequam, in altero vanus, in utroque ſuperbus exſiſtit: quia & quod ſuperari ſe dolet, & quod ſuperare ſe gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Has autem animi viciſſitudines nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania; nunc riſu, nunc luctu plena, ſemper vero irrationabilia indicant verba. Compara, ſi vis, hos duos primos ſuperbiæ gradus ſupremis duobus humilitatis: & vide ſi non in ultimo curioſitas, in penultimo levitas cohibetur. Idipſum in ceteris reperies, ſi alterutrum comparentur. Sed jam ad tertium docendo, non deſcendendo veniamus.

CAPUT XII.

De tertio gradu ſuperbiæ, qui eſt Inepta lætitia *.

40. PRoprium eſt ſuperborum, læta ſemper appetere, & triſtia devitare, juxta illud: *Cor ſtultorum ubi lætitia.* (Eccl. 7. 4.) Unde & monachus, qui duos jam ſuperbiæ gradus deſcendit, dum per curioſitatem ad animi levitatem devenit, cum gaudium quod ſemper appetit, frequenti videt interpolari triſtitia, quam de bonis alterius contrahit; impatiens ſuæ humiliationis, fugit ad conſilium falſæ conſolationis. Ex illa denique parte, qua ſibi ſua vilitas, & aliena excellentia monſtratur, reſtringit curioſitatem, ut totum ſe transferat in contrariam partem: quatenus in quo ipſe videtur præcellere, curioſius notet; in quo alter præcellit, ſemper diſſimulet: ut dum devitat quod triſte putatur, lætitia continuetur. Sicque fit, ut quem ſibi viciſſim vindicabant gaudium & triſtitia, ſola poſſidere incipiat inepta lætitia. In hac autem, in qua tertium tibi gradum conſtituo, accipe quibus eam ſignis vel in te deprehendas, vel in altero. Illum qui ejuſmodi eſt, aut numquam, aut raro gementem audies, aut lacrymantem videbis. Putes, ſi attendas, aut ſui oblitum, aut ablutum à culpis. In ſignis ſcurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in inceſſu. Pronus ad jocum, facilis ac promptus in riſu. Cunctis quippe quæ in ſe contemptibilia, & ideo triſtia noverat, à memoria raſis; boniſque, ſi qua ſentit in ſe, adunatis vel ſimulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat niſi quod libet, nec attendit ſi licet; jam riſum tenere, jam ineptam lætitiam diſſimulare non valet. Ut enim veſica collecto turgida vento, punctoque perforata exiguo, ſi ſtringitur, crepitat dum detumeſcit; ac ventus egrediens non paſſim effuſus, ſed ſtrictim emiſſus crebros quoſdam ſonitus reddit: ſic monachus, ubi vanis ſcurrilibuſque cor ſuum cogitationibus impleverit, propter diſciplinam ſilentii non inveniens ventus vanitatis qua plenius egrediatur, inter anguſtias faucium per cachinnos excutitur. Sæpe vultum pudibundus abſcondit, claudit labia, dentes ſtringit; ridet non volens, cachinnat invitus. Cumque os pugnis obſtruxerit ſuis, per nares adhuc ſternutare auditur.

(Indicia ineptæ lætitiæ.) (Simile.)

CAPUT XIII.

De quarto gradu ſuperbiæ, qui eſt Jactantia *.

41. AT poſtquam vanitas creſcere, & veſica groſſeſcere cœperit, neceſſe eſt ut ampliori foramine, laxato ſinu, ventoſitas eructuetur, alioquin rumpetur. Sic monachus inepta redundante lætitia, dum riſu, vel ſignis eam aperire non ſufficit, in Heliu verba prorumpit: *En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod novas lagunculas dirumpit.* (Job 32. 19.) Aut loquitur ergo, aut rumpetur. Plenus eſt enim ſermonibus, & coarctat eum ſpiritus uteri ſui. (Ibidem.) Eſurit & ſitit auditores, quibus ſuas jactitet vanitates, quibus omne quod ſentit, effundat: quibus, qualis, & quantus ſit, innoteſcat. Inventa autem occaſione loquendi, ſi de litteris ſermo exoritur, vetera proferuntur & nova; volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa. Prævenit interrogantem, non quærenti reſpondet. Ipſe quærit, ipſe ſolvit, & verba collocutoris imperfecta præſcindit. Cum autem pulſato ſigno neceſſe eſt interrumpi colloquium, horam longam, breve queritur intervallum; quærit licentiam, ut ad fabulas revertatur poſt horam, non ut quempiam ædificet, ſed ut ſcientiam jactet. Ædificare poteſt, ſed non ædificare intendit. Non curat te docere, vel à te doceri ipſe quod neſcit; ſed ut ſcire ſciatur quod ſcit. Quod ſi de religione agitur, ſtatim viſiones & ſomnia proferuntur. Denique laudat jejunia, commendat vigilias, ſuper omnia orationes exaltat: de patientia, de humilitate, & de ſingulis virtutibus pleniſſime, ſed vaniſſime diſputat: ut tu ſcilicet, ſi audieris, dicas, quod *ex abundantia cordis os loquitur*, (Luc 6. 45.) & quia *bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona.* (Matt 12. 35.) Si ad ludicra ſermo convertitur, in his quanto adſuetior, tanto loquacior invenitur. Dicas, ſi audias, rivum vanitatis, fluvium eſſe ſcurrilitatis os ejus, ita ut ſeveros quoque & graves animos in levitatem concitet riſus. Et ut totum in brevi colligam, in multiloquio nota jactantiam. In hoc habes quartum gradum & deſcriptum, & nominatum. Fuge rem, & tene nomen. Hac eadem cautela jam accede ad quintum, quem nomino ſingularitatem.

(Jactantiæ proprietates & indicia.)

CAPUT XIV.

De quinto gradu ſuperbiæ, qui dicitur Singularitas *.

(* Huic opponitur 5. grad. humil. Tenere quod habet communis regula monaſterii.)

42. TUrpe eſt ei, qui ſe ſupra ceteros jactat, ſi non plus ceteris aliquid agat, per quod ultra ceteros appareat. Proinde non ſufficit ei quod communis monaſterii regula, vel majorum cohortantur exempla. Nec tamen melior eſſe ſtudet, ſed videri. Non melius vivere, ſed videri vivere geſtit, quatenus dicere poſſit: *Non ſum ſicut ceteri hominum.* Plus ſibi blanditur de uno jejunio, quod ceteris prandentibus facit, quàm ſi cum ceteris ſeptem dies jejunaverit. Commodior ſibi videtur una oratiuncula peculiaris, quam tota pſalmodia unius noctis. Inter prandendum crebro ſolet oculos jactare per menſas, ut ſi quem minus comedere viderit, victum ſe doleat, & incipiat idipſum ſibi crudeliter ſubtrahere, quod neceſſarium victui indulgendum præviderat, plus gloriæ metuens detrimentum, quam famis cruciatum. Si quem macriorem, ſi quem pallidiorem perſpexerit, vilem ſe æſtimat, numquam requieſcit. Et quoniam vultum ipſe ſuum videre non poteſt, qualem ſcilicet ſe intuentibus offert; manus quas poteſt & brachia ſpectans, palpat coſtas, humeros attrectat & lumbos: ut ſecundum quod corporis ſui membra, vel minus, vel ſatis exilia probat, pallorem oris ac colorem diſcernat. Ad omnia denique ſua ſtrenuus, ad communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro: cumque aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, poſt vigilias aliis in clauſtro [a] quieſcentibus ſolus in oratorio remanet; excreat, & tuſſit, gemitibus ac ſuſpiriis aures foris ſe-

(Singularitatis vitium.) (Ejus nota & indicia.)

[a] Hinc patet moris tunc fuiſſe, ut poſt vigilias nocturnas in clauſtro ſederent quieſcentes. Uſus Ciſtercienſes cap. 84. *In intervallo poſt nocturnos, ſedeant in clauſtro qui voluerint.* nempe in æſtate; hieme vero in Capitulo ex cap. 74.

Tom. II. Opusc. VII.

dentium de angulo implet. Cum autem ex his quæ ſingulariter, ſed inaniter agit, apud ſimpliciores ejus opinio excreverit, qui profecto opera probant quæ cernunt, ſed unde prodeant non diſcernunt; dum miſerum beatificant, in errorem inducunt. *Iſa. 9.*

CAPUT XV.

*De ſexto gradu ſuperbiæ, id eſt Arrogantia *.*

* Huic opponitur 7. grad. humil.: Reputare ſe omnibus inferiorem.

Arrogantia.

43. CRedit quod audit, laudat quod agit, & quod intendat non attendit. Obliviſcitur intentionem, dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus ſibi credit, quàm aliis; de ſe ſolo plus aliis credit, quàm ſibi: ut non jam verbo tenus, aut ſola operum oſtentatione ſuam præferat religionem, ſed intimo cordis credat affectu omnibus ſe ſanctiorem: & quicquid de ſe laudatum agnoverit, non ignorantiæ aut benevolentiæ laudatoris, ſed ſuis meritis arroganter adſcribit. Unde poſt ſingularitatem, ſextum ſibi gradum jure arrogantia vindicat. Poſt hanc præſumptio invenitur, in qua ſeptimus gradus conſtituitur.

CAPUT XVI.

*De ſeptimo gradu ſuperbiæ, qui eſt Præſumptio *.*

* Huic opponitur 6 grad. humil.: Ad omnia ſe indignum, & inutilem confiteri.

Præſumptionis effecta.

44. QUi enim alios ſe præcellere putat, quomodo non plus de ſe, quàm de aliis præſumat? Primus in conventibus reſidet, in conſiliis primus reſpondet: non vocatus accedit, non juſſus ſe intromittit: reordinat ordinata, reficit facta. Quicquid ipſe non fecerit aut ordinaverit, nec recte factum, nec pulcre exiſtimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si, cum tempus advenerit, non promoveatur ad Prioratum; ſuum Abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. Quod ſi mediocris ei aliqua obedientia injuncta fuerit, indignatur, aſpernatur, arbitrans ſe non eſſe minoribus occupandum, qui ſe ad majora ſentit idoneum. Sed qui ſic promptulus ad omnia ſe magis temere, quàm libere conſuevit ingerere, impoſſible eſt eum aliquando non errare. Ad Prælatum autem pertinet errantem arguere. Sed quomodo culpam ſuam confitebitur, qui nec eſſe putat, nec putari culpabilis patitur? Propterea cum ei culpa imputatur, creſcit, non amputatur. Si ergo cum argutus fuerit, declinare cor ejus videris in verba malitiæ, in octavum gradum, qui dicitur defenſio peccatorum, noveris corruiſſe.

CAPUT XVII.

*De octavo gradu ſuperbiæ, qui eſt Defenſio peccatorum *.*

* Huic opponitur 5. grad. humilit. qui eſt, humilis & candida revelatio peccatorum & malarum cogitationum.

Defenſio peccatorum.

45. MUltis vero modis fiunt excuſationes in peccatis. Aut enim dicit qui ſe excuſat, Non feci; aut, feci quidem, ſed bene feci; aut ſi male, non multum male; aut ſi multum male, non mala intentione. Si autem & de illa, ſicut Adam vel Eva, convincitur, aliena ſuaſione excuſare ſe nititur. Sed qui procaciter etiam aperta defendit, quando occultas & malas cogitationes, cordi ſuo advenientes, humiliter revelaret Abbati?

CAPUT XVIII.

*De nono gradu ſuperbiæ, qui eſt Simulata confeſſio *.*

* Huic opponitur 4. grad humil. Pro obedientia in duris patientiam amplecti.

46. LIcet vero genera hæc excuſationis eatenus mala judicentur, quatenus ore prophetico *verba malitiæ* appellantur; multo tamen periculoſior eſt fallax ac ſuperba confeſſio, quàm pervicax * & obſtinata defenſio. Nonnulli enim cum de apertioribus arguuntur, ſcientes quod ſi ſe defenderent, ſibi non crederetur; ſubtilius inveniunt argumentum defenſionis, verba reſpondentes doloſæ confeſſionis. *Eſt quippe*, ut ſcriptum eſt, *qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Vultus demittitur, proſternitur corpus; aliquas ſibi lacrymulas extorquent, ſi poſſunt; vocem ſuſpiriis, verba gemitibus interrumpunt. Nec ſolum qui ejuſmodi eſt, objecta non excuſat, ſed ipſe quoque culpam exaggerat: ut dum impoſſibile aliquid, aut incredibile culpæ ſuæ ore ipſius additum audis, etiam illud, quod ratum putabas, diſcredere poſſis; & ex eo quod falſum eſſe non dubitas dum confitetur, in dubium veniat quod quaſi certum tenebatur. Dumque affirmant quod credi nolunt, confitendo culpam defendunt, & aperiendo tegunt; quando & confeſſio laudabiliter ſonat in ore, & adhuc iniquitas occultatur in corde: quatenus magis ex humilitate, quàm ex veritate confiteri putet qui audit, aptans eis illud Scripturæ: *Juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui.* Malunt enim apud homines veritate periclitari, quàm humilitate, cum apud Deum periclitentur utrimque. Aut ſi adeo culpa manifeſta ſit, quod nulla penitus verſutia tegi poſſit; nihilo minus tamen vocem, non cor pœnitentis aſſumunt, qua notam, non culpam deleant, dum ignorantiam manifeſtæ tranſgreſſionis, decore recompenſant publicæ confeſſionis.

Pſal. 140. 57. * *al. procax*

Eccleſ. 19. 40.

Nota technas & dolos ſimulatæ confeſſionis.

Prov. 18. 6.

Humilitatis pallio tecta.

47. Glorioſa res humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat! Sed hæc cito tergiverſatio à Prælato deprehenditur, ſi ad hanc ſuperbam humilitatem non leviter flectitur, quo magis diſſimulet culpam, vel differat pœnam. Vaſa figuli probat fornax, & tribulatio vere pœnitentes diſcernit. Qui enim veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: ſed quicquid ſibi pro culpa quam odit injungitur, tacita conſcientia patienter amplectitur. In ipſa quoque obedientia duris ac contrariis rebus obortis, quibuslibet irrogatis injuriis ſuſtinens non laſſeſcit, ut in quarto gradu ſe ſtare indicet humilitatis. Cujus vero ſimulata confeſſio eſt, una vel levi contumelia, aut exigua pœna interrogatus, jam humilitatem ſimulare, jam ſimulationem diſſimulare non poteſt. Murmurat, frendet, iraſcitur; nec in quarto ſtare humilitatis, ſed in nonum ſuperbiæ gradum corruiſſe probatur, qui ſecundum quod deſcriptus eſt, recte ſimulata confeſſio appellari poteſt. Quanta putas tunc confuſio ſit in corde ſuperbi, cum fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur? Tandem notatur ab omnibus, judicatur ab omnibus: eoque vehementius omnes indignantur, quo falſum conſpiciunt quicquid de eo prius opinabantur. Tunc opus eſt Prælato, ut eo minus illi parcendum putet, quo magis omnes offenderet, ſi uni parceret.

Vere pœnitentis indicia.

Simulatæ confeſſionis nota.

CAPUT XIX.

*De decimo gradu ſuperbiæ, qui eſt Rebellio *.*

* Huic opponitur 3 grad humil.: Pro amore Dei ſe libenter ſubdere majori.

48. HIc niſi eum miſeratio ſuperna reſpiciat, ut (quod valde difficile talibus eſt) univerſorum judiciis tacitus acquieſcat; frontoſus mox & impudens factus, tanto deterius, quanto deſperatius in decimum gradum per rebellionem corruit: quique prius latenter arrogans fratres contempſerat, jam patenter inobediens etiam magiſtrum contemnit.

Rebellio apoſtaſiæ cauſa.

49. Sciendum autem eſt, quod omnes gradus, quos in duodecim partitus ſum, in tres tantummodo colligi poſſunt: ut in ſex ſuperioribus contemptus fratrum, in quatuor ſequentibus contemptus magiſtri, in duobus, qui reſtant, conſummetur contemptus Dei. Notandum quoque, quod hi duo ſuperbiæ gradus ultimi, qui & humilitatis aſcendendo primi inveniuntur; ſicut extra congregationem aſcendendi ſunt, ita in congregatione deſcendi non poſſunt. Quod autem ante aſcendi debeant, ex hoc aperte datur intelligi, quod de tertio gradu in Regula legitur: *Tertius*, inquit, *gradus eſt, ut quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat majori.* Si ergo in tertio gradu ſubjectio collocatur, quæ proculdubio fit, quando novitius primum conventui ſociatur; conſequens eſt, quod duo jam anteriores tranſcenſi intelligantur. Denique ubi fratrum concordiam, & magiſtri ſententiam monachus ſpernit, quid ultra in monaſterio, niſi ſcandalum facit?

Reg. 7. 13.

CAPUT XX.

De undecimo gradu ſuperbiæ, qui eſt Libertas peccandi *

50. POſt decimum itaque gradum, qui rebellio dictus eſt, expulſus vel egreſſus de monaſterio ſtatim excipitur ab undecimo. Et tunc ingreditur vias, quæ videntur hominibus bonæ, quarum finis (niſi forte Deus eas illi ſæpierit) demerget eum in profundum inferni, id eſt in contemptum Dei. *Impius* ſiquidem *cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Poteſt autem undecimus gradus appellari Libertas peccandi, per quam monachus, cum jam nec magiſtrum videt quem timeat, nec fratres quos revereatur; tanto ſecurius, quanto liberius ſua deſideria implere delectatur, à quibus in monaſterio tam pudore, quàm timore prohibebatur. Sed etſi jam vel fratres, vel Abbatem non timet, nondum tamen Dei penitus formidine caret. Hanc ratio, tenuiter adhuc ſubmurmurans, voluntati proponit, nec ſine aliqua dubitatinne quæque primum illicita perficit; ſed, ſicut is qui vadum tentat, pedetentim, non curſim vitiorum gurgitem intrat.

Libertas peccandi ... Prov. 18.

CAPUT XXI.

*De duodecimo gradu ſuperbiæ, qui eſt Conſuetudo peccandi**.

51. AT poſtquam terribili Dei judicio prima flagitia impunitas ſequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiſcentia reviviſcente ſopitur ratio, ligat conſuetudo. Trahitur miſer in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum, ita ut carnalium voragine deſideriorum abſorptus, ſuæ rationis divinique timoris oblitus, dicat inſipiens in corde ſuo: *Non eſt Deus.* Jam indifferenter libitis pro licitis utitur, jam ab illicitis cogitandis, patrandis, inveſtigandis animus, manus, vel pedes non prohibentur: ſed quicquid in cor, in buccam, ad manum venerit; machinatur, garrit, & operatur, malevolus, vaniloquus, facinoroſus. Quemadmodum denique aſcenſis his omnibus gradibus, corde jam alacri & abſque labore pro bona conſuetudine juſtus currit ad vitam: ſic deſcenſis impius eiſdem, pro malo uſu non ratione ſe gubernans, non timoris freno retentans, intrepidus feſtinat ad mortem. Medii ſunt qui fatigantur, anguſtiantur: qui nunc metu crucientur gehennæ, nunc priſtina retardati conſuetudine, deſcendendo vel aſcendendo laborant. Supremus tantum & infimus currunt abſque impedimento, & abſque labore. Ad mortem hic, ad vitam ille feſtinat; alter alacrior, alter proclivior. Illum alacrem caritas, hunc proclivem cupiditas facit. In altero amor, in altero ſtupor laborem non ſentit. In illo denique perfecta caritas, in iſto conſummata iniquitas foras mittit timorem. Illi veritas, huic cæcitas dat ſecuritatem. Poteſt ergo duodecimus gradus appellari conſuetudo peccandi, qua Dei metus amittitur, contemptus incurritur.

Psal. 13. Conſuetudine peccandi homo in profundum malorum ruit.

Antitheſis eorum, qui caritate, & qui cupiditate ...

CAPUT XXII.

An & quomodo orandum pro deſperatis, & mortuis ſecundum animam.

52. PRo tali jam, inquit Johannes apoſtolus, *non dico ut quis oret.* Sed numquid dicis, ô Apoſtole, ut quis deſperet? Immo gemat qui illum amat. Non præſumat orare, nec deſiſtat plorare. Quid eſt quod dico? An forte ullum remanet ſpei refugium, ubi oratio non invenit locum? Audi credentem, audi ſperantem, nec tamen orantem. *Domine*, inquit, *ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Magna fides, qua credidit ſua præſentia Dominum mortem prohibere potuiſſe ſi adfuiſſet. Modo autem quid? Abſit ut quem credidit vivum potuiſſe ſervare, mortuum dubitet poſſe reſuſcitare. *Sed nunc*, inquit, *ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Deinde quærenti ubi poſuiſſent eum, reſpondet: *Veni, & vide.* Quamobrem? O Martha, magna nobis tuæ fidei inſignia tribuis: ſed quomodo cum tanta fide diffidis? *Veni*, inquis, *& vide.* Cur &, ſi non deſperas, non ſequeris, & dicis: Et reſuſcita! ſi autem deſperas, cur magiſtrum ſine cauſa fatigas? An forte fides aliquando recipit, quod oratio non præſumit? Denique appropinquantem cadaveri prohibes, & dicis: *Domine jam fœtet, quatriduanus enim eſt.* Deſperando dicis hoc, an diſſimulando? Sic quippe ipſe Dominus poſt reſurrectionem finxit ſe longius ire, cum mallet cum diſcipulis remanere. O ſanctæ mulieres Chriſti familiares, ſi fratrem veſtrum amatis, cur ejus miſericordiam non flagitatis, de cujus potentia dubitare, pietate diffidere non poteſtis? Reſpondent: Sic melius tamquam non orantes oramus, ſic efficacius tamquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum: ſcit ipſe, cui non eſt opus ut aliquid dicatur, quid deſideremus. Scimus quidem quod umnia poteſt: ſed hoc tam grande miraculum, tam novum, tam inauditum, etſi ejus ſubeſt potentiæ, multum tamen excedit univerſa merita humilitatis noſtræ. Sufficit nobis potentiæ locum, pietati dediſſe occaſionem; malentes patienter exſpectare quid velit, quàm impudenter quærere quod forſitan nolit. Denique quod noſtris meritis deeſt, verecundia fortaſſe ſupplebit. Petri quoque poſt gravem lapſum lacrymam quidem video, ſed precem non audio: nec tamen de indulgentia dubito.

1 Johann 5. Gemendum non orandum pro ejuſmodi.

Johann 11.

Ibid.

Marthæ fides & mo... expenditur.

Ibid.

Luc. 24.

Verecundia orationem ſupplet.

53. Diſce & in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundia decorare fidem, ·reprimere præſumptionem. *Vinum*, inquit, *non habent.* Quàm breviter, quàm reverenter ſuggeſſit, unde pie fuit ſollicita. Et ut diſcas in hujuſmodi magis pie gemere, quàm petere præſumptuoſe: pietatis æſtum pudoris temperans umbra, conceptam precis fiduciam verecunde ſuppreſſit. Non frontoſe acceſſit, non palam locuta eſt, ut audacter coram omnibus diceret: Obſecro, fili, deficit vinum, contriſtantur convivæ, confunditur ſponſus; oſtende quid poſſis. Sed licet hæc aut multo plura pectus æſtuans, fervens loqueretur affectus; privatim tamen potentem pia, Filium mater adiit, non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans. *Vinum*, inquit, *non habent.* Quid modeſtius? Quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci gravitas, efficacia voto. Si ergn illa, cum mater ſit, ſeſe matrem oblita non audet petere miraculum vini: ego vile mancipium, cui permagnum eſt Filii ſimul ac Matris eſſe vernaculum, qua fronte præſumo pro vita petere quatriduani?

B. Mariæ exemplum.

Johann. 2.

54. Duo etiam in Evangelio cæci viſum, alter accepiſſe, alter recepiſſe leguntur: alter quem amiſerat, alter quem numquam habuerat; unus ſcilicet excæcatus, alter cæcus natus. Sed qui excæcatus, miſerabilibus miriſque clamoribus, miram miſericordiam meruit: qui vero cæcus natus, tanto miſericordius, quanto mirabilius nullis ſuis precibus præventum ſui illuminaturis beneficium nihilo minus ſenſit. Illi denique dictum eſt, *Fides tua te ſalvum fecit*: huic autem non. Duos quoque recenter mortuos, tertium jam quatriduanum, lego reſuſcitatos: ſolam tamen Archiſynagogi filiam, in domo adhuc poſitam, precibus patris; duos autem ex inſperata magnitudine pietatis.

Luc. 18.

Alia exempla

Luc. 18.

Matt. 5.

55. Simili etiam forma ſi contigerit (quod Deus avertat) aliquem de fratribus noſtris, non in corpore, ſed in anima mori; quamdiu adhuc inter nos erit, pulſabo & ego meis qualiſcumque peccator, pulſabo & fratrum precibus Salvatorem. Si revixerit, lucrati erimus fratrem: ſin vero non mereamur exaudiri, ubi jam vel tulerare vivos, vel tolerari à vivis non poterit, ſed incipiet efferri, ſemper quidem fideliter gemo, ſed jam non ita fiducialiter oro. Non aperte audeo dicere, Veni Domine, ſuſcita mortuum noſtrum: corde tamen ſuſpenſo tremulus intus clamare non ceſſo: Si forte, ſi forte, ſi forte deſiderium pauperum exaudiet Dominus, præparationem cordis eorum audiet auris ejus. & illud: *Numquid mortuis facies mirabilia?*

Tom. II. Orat. VII. Psal. 87. Ibid. *aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* & de quatriduano: *Numquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Poteſt interim Salvator, ſi vult, inſperate & improviſe occurrere nobis, lacrymiſque portantium motus, non precibus, mortui vitam reddere vivis, aut certe jam ſepultum revocare à mortuis. Mortuum autem dixerim illum, qui ſua peccata defendens, in octavum jam

Eccl. 17. corruit gradum. *A mortuo enim, tamquam qui non eſt, perit confeſſio.* Poſt decimum vero, qui tertius eſt ab octavo, jam effertur in libertatem peccandi, quando expellitur à conſortio monaſterii. At poſtquam quartum tranſierit, jam recte quatriduanus dicitur, dum in quintum decidens per conſuetudinem ſepelitur.

56. Abſit autem à nobis, ut etiam pro talibus, etſi palam non præſumimus, vel in cordibus noſtris orare

1. Cor. 15. ceſſemus: cum Paulus eos quoque lugeret, quos ſine pœnitentia mortuos ſciret. Etſi enim à communibus orationibus ipſi ſe excludunt, ſed ab affectibus omnino non poſſunt. Viderint tamen in quanto periculo ſint, pro quibus Eccleſia palam orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro hæreticis, pro gentilibus orat. Cum enim in Paraſceve nominatim oretur pro

Quanti periculi ſit privari orationibus Eccleſiæ

A quibuſlibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.

57. Dicis forte, frater Godefride, me aliud quàm tu quæſiſti, & quàm ipſe promiſi, tandem exhibuiſſe, cum pro gradibus humilitatis, ſuperbiæ gradus videar deſcripſiſſe. Ad quod ego: Non potui docere niſi quod didici. Non putavi congruum me deſcribere aſcenſiones, qui plus deſcendere, quàm aſcendere novi. Proponat tibi beatus Benedictus gradus humilitatis, quos ipſe prius in corde ſuo diſpoſuit: ego quid proponam non habeo, niſi ordinem meæ deſcenſionis. In quo

Cur gradus ſuperbiæ potius quam humilitatis deſcripſerit

B tamen, ſi diligenter inſpicitur, via forſitan aſcenſionis reperitur. Si enim tibi Romam tendenti homo inde veniens obviaret, quæſitus viam, quid melius quàm illam, qua venit, oſtenderet? Dum caſtella, villas, urbes, fluvios, ac montes, per quos tranſierit, nominat, ſuum denuntians iter, tuum tibi prænuntiat: ita ut eadem loca recognoſcas eundo, quæ ille pertranſiit veniendo. In hac ſimiliter noſtra deſcenſione gradus aſcenſorios fortaſſe reperies, quos aſcendendo melius tu in tuo corde, quam in noſtro codice leges. Amen.

ADMONITIO IN OPUSCULUM VIII.

I. *Etſi Opuſculum ſequens unum ex primis eſt libris à Bernardo compoſitis; nullum tamen fere aut Bernardo dignius, aut religioni utilius ab eo ſcriptum exiſtimo. Quid enim dignius Doctore catholico, aut reipublicæ Chriſtianæ utilius, quàm prædicare, inculcare, immo & propugnare primum & maximum mandatum, ex quo cetera pendent, ſine quo cetera nihil proſunt; illud, inquam, mandatum, quod in dies impetunt atque labefactare moliuntur amor cujuſque proprius, cupiditas, & perverſa hominum interpretationes? Quapropter perpetuis tenebris digna eſt Apologia Berengarii, temerarii illius Abælardi diſcipuli ac defenſoris, qui Bernardo impudenter inſultat ob editum ab eo tractatum de diligendo Deo, cum* de hoc, *inquit*, nemo dubitet, *non quævis* muliercula, *non quivis* extremus idiota. *Verum ſuos ſemper adverſarios habuit divinus amor: cujus præceptum ſi verbis Chriſtiani haud negant, at factis plerique pernegant; immo quidam etiam pravis interpretationibus ita redigunt ad nihilum, ut hodie in quæſtionem adducere, & quidem dubitare impune liceat, num Deus Opt. Max. creator, conſervator, ac redemptor, aliquo ſpeciali, vel ſemel in vita, amoris actu à quovis Chriſtiano ſit diligendus. Non ergo in vanum Bernardus divinum hoc præceptum Haimerico cardinali, quaſi quoddam operæ pretium, commendare aggreſſus eſt hoc in Opuſculo, docens, diligendum eſſe Deum* ſine modo; *inexcuſabilem eſſe omnem*

num. 6. etiam infidelem, ſi non diligat Dominum Deum ſuum ex toto corde, tota anima, totâ virtute. *Porro Fidem tanto plus indicere amandum, quanto & ſeipſo pluris æſtimandum quivis intelligit.*

num. 15. Quod ſi totum me, *inquit in perſona omnium*, debeo pro me facto, quid addam jam & pro me refecto, & refecto hoc modo?

II. *In hoc ergo libro ſanctiſſimus divini amoris præco & doctor, ejus modum, cauſas, originem, gradus, & obligationem accurate ac pathetice deſcribit. Modum, ut diligatur* ſine modo, *hoc eſt omni meliori quo poſſumus modo: cauſas, meritum Dei, & commodum noſtrum: originem, ex amore proprio in amorem Dei, uſque ad oblivionem & contemtum ſui: gradus, amorem ſui, amorem Dei propter ſe, tum propter ipſum, ac demum, caſtum & purum; hoc eſt amorem proprium, mercenarium, filialem, ac beatificum: obligationem denique, quæ pertinet ad gentiles, Judæos, ſed maxime ad Chriſtianos. Totus vero tractatus eſt de amore, qui conſiſtit in affectu: quem etſi dicat perfecte in hac vita impleri non poſſe, ita ut omnem excludat timorem & cupiditatem; eſſe tamen ait finem & ſcopum, in quem indeſinenter ac irremiſſe ferri teneamur. Deinque hunc ipſum amorem ex dono Dei nobis provenire, non*

num. 16. *ex affectu innato. ſic enim exclamat.* Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem juſto, ſed plane non minus poſſe meo. qui etſi quantum debeo non poſſum, non poſſum tamen ultra quam poſſum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis, numquam tamen prout dignus haberis. *Hactenus hujuſce libelli doctrina & œconomia.*

III. *Eumdem doctrinam Bernardus paſſim aliis in locis inculcat, ut in ſermone* de quadruplici debito, *qui eſt* XXII. *inter diverſos: nec aliam tradit in Sermone* L. *ſuper Cantica, ubi duplicem diſtinguit caritatem, unam* in actu, *alteram* in effectu. *Et* de illa quidem, quæ operis eſt, datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, *inquit*, quis ita habeat ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta ad præmium. *Nimirum præcipitur caritas ſeu amor Dei ex toto corde, tota anima, tota virtute, ita ut amor ſit perennis, indeficiens, perfectus, à nulla re creata retardatus & imminutus. quod non continget niſi in altera vita. Alia autem caritas in effectu eo ſpectat, ut omnes actiones noſtras ad Deum referamus. Nam tantum abeſt, ut caritas in effectu ex Bernardi mente amorem affectus excludat, ut contra ipſum includat. Neque enim effectivum (ut vocant) amorem ſiccum, inanem, pure externum & Judaicum probat Bernardus, ſed internum exigit cum*

operi conjunctum : internum quidem, cum caritas & amor ſit ; cum opere vero, cum ſit in effectu. Hanc autem eſſe Bernardi eo in loco ſententiam manifeſte demonſtrant quæ ibi ſequuntur. Non hoc dico, *ait*, ut ſine affectione ſimus, & ſolas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ ſcribit Apoſtolus, mala & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, ſcilicet ſine affectione. *Qualem porro ad opera caritatis affectionem requirat, ſtatim docet vir ſanctus, præmiſſo triplicem eſſe affectionem, primam*, quam caro gignit ; *ſecundam*, quam ratio regit ; *tertiam*, quam condit ſapientia. *tum ſubdit.* Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa caritas, ſed non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini : ſed quædam potius actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore reficit, amore tamen ipſius amoris vehementer accendit. *Hæc eſt illa caritas in effectu, quam à Deo præceptam dicit Bernardus, inferior quidem tertia ſeu beatifica, quæ* primam eliminat, ſecundam remunerat, *ut ibidem ait.* Sic ergo dilectio alia quævis debita ſuperans, quaſi ſola regnare debet in nobis ; ut quicquid debetur ceteris, ſibi vindicet, & EX DILECTIONE OMNIA FACIAMUS, *inquit vir ſanctus ſermone* XII. *in pſalmum* XC. *num.* 7. *Hæc de argumento ſequentis libelli.* Tom II Opusc. VIII.

IV. Ceterum directus à Bernardo eſt Haimerico ſeu Aimerico S. R. E. cardinali & cancellario, ut præferunt mſſ. codices omnes, præter unum Colbertinum, qui Aſcelinum habet, ſed mendoſe, teſte vel ipſo Berengario, Abælardi apologiſta, qui Aimericum præfert. Scriptus eſt autem liber ſub pontificatu Honorii ſecundi, à quo Haimericus creatus eſt cancellarius. Gaufridus in lib. III. *de vita Bernardi cap.* VIII. Si quæritur piæ mentis religioſa devotio, tranſeundum ad Homilias in laudibus Virginis Matris, & illum quem de diligendo Deo edidit librum. *Erat autem Haimericus Gallus ex oppido Caſtra apud Bituriges, anno* MCXXI. *à Calliſto II. creatus cardinalis, ab Honorio II. cancellarius ſub annum* MCXXVI. *mortuus anno* MCXLI. *ſingularis Bernardi amicus, ex altis epiſtolis.*

S. BERNARDI ABBATIS Opus VIII.

LIBER SEU TRACTATUS

DE DILIGENDO DEO.

Ad Haymericum S. R. E. Cardinalem, & Cancellarium.

PRÆFATIO.

Viro illuſtri domino HAIMERICO, eccleſiæ Romanæ diacono cardinali, & cancellario, Bernardus abbas dictus de Clara-valle, Domino vivere, & in Domino mori.

ORATIONES à me, & non quæſtiones poſcere ſolebatis : & quidem ego ad neutrum idoneum me eſſe confido. Verum illud indicit profeſſio, etſi non ita converſatio : ad hoc vero (ut verum fatear) ea mihi deeſſe video, quæ maxime neceſſaria viderentur, diligentiam & ingenium. Placet tamen, fateor, quod pro carnalibus ſpiritualia repetitis, ſi ſane apud locupletiorem id facere libuiſſet. Quia vero doctis & indoctis pariter in iſtiuſmodi excuſandi mos eſt ; nec facile ſcitur, quæ vere ex imperitia, quæve ex verecundia excuſatio prodeat, ſi non injuncti operis obeditio probat : accipite de mea paupertate quod habeo, ne tacendo philoſophus puter. Nec tamen ad omnia ſpondeo me reſponſurum. Ad id ſolum quod DE DILIGENDO DEO quæritis, reſpondebo quod ipſe dabit. Hoc enim & ſapit dulcius, & tractatur ſecurius, & auditur utilius. Reliqua diligentioribus reſervate.

CAPUT I.

Quare, & quomodo diligendus ſit Deus.

1. VUltis ergo à me audire, quare, & quomodo diligendus ſit Deus ? Et ego : CAUSA diligendi Deum, Deus eſt : modus, ſine modo [a] diligere. Eſtne hoc ſatis ? Fortaſſis utique, ſed ſapienti. Ceterum ſi & inſipientibus debitor ſum ; ubi ſat eſt dic-

A tum ſapienti, etiam illis gerendus mos eſt. Itaque Rom. 1. 14.
propter tardiores idem profuſius, quàm profundius repetere non gravabor. Ob duplicem ergo cauſam Deum Duplici ex
dixerim propter ſeipſum diligendum : ſive quia nihil cauſa Deus
juſtius, ſive quia nil fructuoſius diligi poteſt. Dupli- ſua me dili-
cem ſiquidem parit ſenſum, cum quæritur de Deo, gendus.
cur diligendus ſit. Dubitari namque poteſt quid potiſſimum dubitetur : utrumnam, quo ſuo merito Deus, aut certe quo noſtro ſit commodo diligendus. Sane ad utrumque idem reſponderim ; non plane aliam mihi dignam occurrere cauſam diligendi ipſum, præter ipſum. Et prius de merito videamus. Multum quippe meruit de nobis, qui & immeritis dedit ſeipſum no-
B bis. Quid enim melius ſeipſo poterat dare vel ipſe?
Ergo ſi Dei meritum quæritur, cum ipſum diligendi Primum, ejus
cauſa quæritur, illud eſt præcipuum : quia ipſe prior meritum, ut
dilexit nos. Dignus plane qui redametur, præſertim qui tantum
ſi advertatur, quis, quos, quantumque amaverit. Quis nos amet.
enim ? nonne is cui omnis ſpiritus confitetur : *Deus* Pſal. 15. 2.
meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges ? Et vera hujus caritas majeſtatis, quippe non quærentis quæ ſua ſunt. Quibus autem tanta puritas [b] exhibetur ? b
Cum adhuc, inquit, *inimici eſſemus, reconciliati ſumus* Rom. 5. 10.
Deo. Dilexit ergo Deus, & gratis, & inimicos. Sed quantum ? Quantum dicit Johannes : *Sic Deus dilexit* Johan. 3. 16.
C *mundum, ut Filium unigenitum daret.* & Paulus : *Qui* Rom. 8. 32.
proprio, ait, *Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.*
Ipſe quoque Filius pro ſe *Majorem*, inquit, *caritatem* Johan. 15. 13.
nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Sic meruit juſtus ab impiis, ſummus ab infimis, ab infirmis omnipotens. Sed dicit aliquis : Ita quidem ab hominibus : ſed ab Angelis non ita. Verum eſt, quia neceſſe non fuit. Ceterum qui hominibus ſubvenit in Dei dilectio
tali neceſſitate, ſervavit Angelos à tali neceſſitate : & erga Angelos.

a Eadem verba habet Severi Milevitani antiſtitis epiſtola ad Auguſtinum, inter Auguſtinianas 109. *Nullus nobis amandi modus* … *modus eſt ſine modo amare.* Bernardum hic imitatur Johannes Sareſberienſis in Polycratico lib. 7. cap. 11. Ap-ge impudentiſſimum Abælardi apologiſtam Berengarium, qui hoc aureum dictum audet laceſſere.

b Id eſt puritas caritatis non quærentis quæ ſua ſunt, ut ſupra. Editi pleri que habent *caritas*, ſed *puritas* ſcripſi.

Vom II Orusc VIII

qui homines diligendo, tales fecit ne tales remanerent; ipſe æque diligendo dedit & Angelis, ne tales fierent.

CAPUT II.

Deus quantopere ab homine mereatur amari, ob bona tum corporis, cum animæ. Quomodo ea agnoſcenda, & habenda citra donantis injuriam.

Deus ſumme hominis diligendus ob innumera beneficia.

1. QUibus hæc palam ſunt, palam arbitror eſſe & cur Deus diligendus ſit: hoc eſt, unde diligi meruerit. Quod ſi infideles hæc latent, Deo tamen in promptu eſt ingratos confundere ſuper innumeris beneficiis ſuis, humano nimirum & uſui præſtitis, & ſenſui manifeſtis. Nempe quis alius adminiſtrat cibum omni veſcenti, cernenti lucem, ſpiranti flatum? Sed ſtultum eſt velle modo enumerare, quæ innumera eſſe non longe ante præfatus ſum: ſatis eſt ad exemplum præcipua protuliſſe, panem, ſolem, & aërem. Præcipua dico, non quia excellentiora, ſed quia neceſſariora; ſunt quippe corporis. Quærat enim homo eminentiora bona ſua in ea parte ſui, qua præeminet ſibi, hoc eſt in anima, quæ ſunt dignitas, ſcientia, virtus. Dignitatem in homine liberum arbitrium dico: in quo ei nimirum datum eſt ceteris non ſolum præeminere, ſed & præſidere animantibus. Scientiam vero, qua eamdem in ſe dignitatem agnoſcat, non à ſe tamen. Porro virtutem, qua ſubinde ipſum à quo eſt, & inquirat non ſegniter, & teneat fortiter cum invenerit.

Corporis.

Bona animæ, quæ ſint.

Bifarie diviſa.

3. Itaque geminum unumquodque trium horum apparet. Dignitatem ſiquidem demonſtrat humanam non ſolum naturæ prærogativa, ſed & potentia dominatus: quod terror hominis ſuper cuncta animantia terræ imminere decernitur. Scientia quoque duplex erit, ſi hanc ipſam dignitatem, vel aliud quodque bonum in nobis, & nobis ineſſe, & à nobis non eſſe noverimus. Porro virtus & ipſa æque bifaria cognoſcetur, ſi auctorem conſequenter inquirimus, inventoque inſeparabiliter inhæremus. Dignitas ergo ſine ſcientia non prodeſt: illa vero etiam obeſt, ſi virtus* defuerit. quod utrumque ratio declarat ſubjecta. Habere enim quod habere te neſcias, quam gloriam habet? Porro noſſe quod habeas, ſed quia à te non habeas ignorare, habet gloriam, ſed non apud Deum. Apud ſe autem glorianti dicitur ab Apoſtolo: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Non ait ſimpliciter, *Quid gloriaris?* ſed addit, *quaſi non acceperis*: ut aſſerat reprehenſibilem, non qui in habitis, ſed qui tamquam in non acceptis gloriatur. Merito vana gloria nuncupatur hujuſmodi, veritatis nimirum ſolido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita diſcernit: *Qui gloriatur*, ait, *in Domino glorietur*: hoc eſt, in veritate. Veritas quippe Dominus eſt.

* al. ſi iſta. Dignitas hominis ſine ſcientia obeſt, ſcientia ſine virtute.

1 Cor 4. 7.

Vana gloria.

2 Cor. 10. 17.

4. Utrumque ergo ſcias neceſſe eſt, & quid ſis, & quod à teipſo non ſis: ne aut omnino videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris. Denique *ſi non cognoveris*, inquit, *teipſam, egredere poſt greges ſodalium tuorum.* Revera ita fit. Homo factus in honore, cum honorem ipſum non intelligit, talis ſuæ ignorantiæ merito comparatur pecoribus, velut quibuſdam præſentis ſuæ corruptionis & mortalitatis conſortibus. Fit igitur ut ſeſe non agnoſcendo egregia rationis munere creatura, irrationabilium gregibus aggregari incipiat, dum ignara propriæ gloriæ, quæ ab intus eſt, conformanda foris rebus ſenſibilibus, ſua ipſius curioſitate abducitur: efficiturque una de ceteris, quod ſe præ ceteris nihil accepiſſe intelligat. Itaque valde cavenda hæc ignorantia, qua de nobis minus nobis forte ſentimus: ſed non minus, immo & plus illa, qua plus nobis tribuimus. quod fit, ſi bonum quodcumque in nobis eſſe, & à nobis, decepti putemus. At vero ſuper utramque ignorantiam declinanda & exſecranda illa præſumptio eſt, qua ſciens & prudens forte audeas de bonis non tuis tuam quærere gloriam: & quod certus es à te tibi non eſſe, inde tamen alterius rapere non verearis honorem. Prior equidem ignorantia gloriam non habet: poſterior vero habet quidem, ſed non apud Deum. Ceterum hoc tertium malum, quod jam ſcienter committitur, uſurpat & contra Deum. In tantum denique ignorantia illa poſteriori hæc arrogantia gravior atque periculoſior apparet, quo per illam quidem Deus neſcitur, per iſtam & contemnitur: in tantum & priori deterior ac deteſtabilior, ut cum per illam pecoribus, per iſtam & dæmonibus ſociemur. Eſt quippe ſuperbia, & delictum maximum, uti datis tamquam innatis; & in acceptis beneficiis gloriam uſurpare benefici.

Cant. 1. 7. Homo ignorans honorem ſimilis beſtiis.

Ignorantia cavenda: ſed magis arrogantia.

5. Quamobrem cum duabus iſtis, dignitate atque ſcientia, opus eſt & virtute, quæ utriuſque fructus eſt, per quam ille inquiritur ac tenetur, qui omnium auctor & dator merito glorificetur de omnibus. Alioquin ſciens & non faciens digna, multis vapulabit. Quare? utique quia noluit intelligere ut bene ageret: magis autem iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, dum de bonis, quæ a ſe non eſſe ex ſcientiæ dono certiſſime comperit, boni Domini gloriam ſervus impius captare ſibi, immo & raptare molitur. Liquet igitur & abſque ſcientia dignitatem eſſe omnino inutilem, & ſcientiam abſque virtute damnabilem. Verum homo virtutis, cui nec damnoſa ſcientia, nec infructuoſa dignitas manet, clamat Deo & ingenue confitetur: *Non nobis*, inquiens, *Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Hoc eſt, Nil nobis, ô Domine, de ſcientia, nil nobis de dignitate tribuimus: ſed tuo totum, à quo totum eſt, nomini deputamus.

Pſal. 35. 5.

Pſal. 113. 9.

6. Ceterum pæne à propoſito longe nimis digreſſi ſumus, dum demonſtrare ſatagimus, eos quoque qui Chriſtum neſciunt, ſatis per legem naturalem ex perceptis bonis corporis animæque moneri, quatenus Deum propter Deum & ipſi diligere debeant. Nam ut breviter, quæ ſuper hoc dicta ſunt, iterentur: quis vel infidelis ignoret, ſuo corpori non ab alio in hac mortali vita ſupradicta illa neceſſaria miniſtrari, unde videlicet ſubſiſtat, unde videat, unde ſpiret, quam ab illo, qui dat eſcam omni carni; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos? Quis item vel impius putet alium ejus, quæ in anima ſplendet, humanæ dignitatis auctorem, præter illum ipſum, qui in Geneſi loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?* Quis alium ſcientiæ largitorem exiſtimet, niſi æque ipſum, qui docet hominem ſcientiam? Quis rurſum munus ſibi aliunde virtutis aut putet datum, aut ſperet dandum, quàm de manu itidem Domini virtutum? Meretur ergo amari propter ſeipſum Deus, & ab infideli: qui etſi neſciat Chriſtum, ſcit tamen ſeipſum. Proinde inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum ex toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Clamat nempe intus ei innata, & non ignorata rationi juſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat. Verum difficile, immo impoſſibile eſt, ſuis ſcilicet quempiam, liberive arbitrii viribus ſemel accepta à Deo, ad Dei ex toto convertere voluntatem; & non magis ad propriam retorquere, eaque ſibi tamquam propria retinere, ſicut ſcriptum eſt: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* & item, *Proni ſunt ſenſus & cogitationes hominis in malum.*

Infideles lege naturæ tenentur diligere Deum ſuper omnia.

Pſal. 135. 25. Matt 5. 45.

Gen. 1. 26.

Pſal. 93. 10. Non diligens eſt inexcuſabilis.

Philipp. 2. 21. Gen. 8. 21.

CAPUT III.

Chriſtiani quantos habeant ſtimulos amandi Deum præ infidelibus.

Paſſio Chriſti magnum amoris incentivum Chriſtianis.

7. COntra quod plane fideles norunt, quam omnino neceſſarium habeant Jeſum, & hunc crucifixum: dum admirantes & amplexantes ſupereminentem ſcientiæ caritatem in ipſo, id vel tantillum quod ſunt, in tantæ dilectionis & dignationis vicem non rependere confunduntur. Facile proinde plus diligunt, qui ſe amplius dilectos intelligunt: cui autem minus donatum eſt, minus diligit. Judæus ſane, ſive paganus,

nequaquam

nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia aperitur quæ ait: *Et interna caritate ego ſum.* & rurſum, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cernit regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua; cernit Unicum Patris, crucem ſibi bajulantem; cernit cæſum & conſputum Dominum majeſtatis; cernit auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percuſſum lancea, opprobriis ſaturatum, tandem illam dilectam animam ſuam ponere pro amicis ſuis. Cernit hæc, & ſuam magis ipſius animam gladius amoris transverberat, & dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæc ſunt quippe mala punica, quæ in hortum introducta dilecti ſponſa carpit ex ligno vitæ, à cæleſti pane proprium mutuata ſaporem, colorem à ſanguine Chriſti. Videt deinde mortem mortuam, & mortis auctorem triumphatum. Videt de inferis ad terras, de terris ad ſuperos captivam duci captivitatem, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Advertit terram, quæ ſpinas & tribulos ſub antiquo maledicto produxerat, ad novæ benedictionis gratiam innovatam refloruiſſe. Et in his omnibus, illius recordata verſiculi, *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei;* paſſionis malis, quæ de arbore tulerat crucis, cupit vigere *, & de floribus reſurrectionis, quorum præſertim fragrantia ſponſum ad ſe crebrius reviſendam invitet.

8. Denique ait: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus; lectulus noſter floridus.* Quæ lectulum monſtrat, ſatis quid deſideret aperit: & cum floridum nuntiat, ſatis indicat, unde quod deſiderat obtinere præſumat. Non enim de ſuis meritis, ſed de floribus agri, cui benedixit Deus. Delectatur floribus Chriſtus, qui in Nazareth & concipi voluit, & nutriri. Gaudet ſponſus cæleſtis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequenter libenterque ingreditur, quod iſtiuſmodi refertum fructibus, floribuſque reſperſum invenerit. Ubi ſuæ videlicet aut paſſionis gratiam, aut reſurrectionis gloriam ſedula inſpicit cogitatione verſari, ibi profecto adeſt ſedulus, adeſt libens. Monimenta ſiquidem Paſſionis, fructus agnoſce quaſi anni præteriti, omnium utique retro temporum ſub peccati mortiſque imperio decurſorum, tandem in plenitudine temporis apparentes. Porro autem Reſurrectionis inſignia, novos adverte flores ſequentis temporis, in novam ſub gratia revireſcentis ætatem, quorum fructum generalis futura reſurrectio in fine pariet ſine fine manſurum. *Jam*, inquit, *hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra*: æſtivum tempus adveniſſe cum illo ſignificans, qui de mortis gelu in vernalem quamdam novæ vitæ temperiem reſolutus, *Ecce*, ait, *nova facio omnia*: cujus caro ſeminata eſt in morte, refloruit in reſurrectione: ad cujus mox odorem in campo convallis noſtræ revireſcunt arida, recaleſcunt frigida, mortua reviviſcunt.

9. Horum ergo novitate florum ac fructuum, & pulcritudine * agri ſuaviſſimum ſpirantis odorem, ipſe quoque Pater in Filio innovante omnia delectatur, ita ut dicat: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Bene pleni, de cujus plenitudine omnes accepimus. Sponſa tamen familiarius ex eo ſibi, cum vult, flores legit, & carpit poma, quibus propriæ adſpergat intima conſcientiæ, & intranti ſponſo cordis lectulus ſuave redoleat. Oportet enim nos, ſi crebrum volumus habere hoſpitem Chriſtum, corda noſtra ſemper habere munita fidelibus teſtimoniis, tam de miſericordia ſcilicet morientis, quàm de potentia reſurgentis, quomodo David aiebat: *Duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* Siquidem utriuſque rei teſtimonia credibilia facta ſunt nimis; Chriſto utique moriente propter delicta noſtra, & reſurgente propter juſtificationem noſtram, & aſcendente ad protectionem noſtram, & mittente Spiritum ad conſolationem noſtram, & quandoque redituro ad conſummationem noſtram. Nempe in morte miſericordiam, potentiam in reſurrectione, utramque in ſingulis exhibuit reliquorum.

Marginal notes: * *al. plenitudine.* — *Chriſti miſericordia & potentia ſemper meditanda.* — *Paſſionis fructus, flores reſurrectionis.* — Gen. 27. 27. — Pſal. 61. 13. — Apoc. 21. 5.

10. Hæc mala, hi flores, quibus ſponſa ſe interim ſtipari poſtulat & fulciri, credo ſentiens facile vim in ſe amoris poſſe tepeſcere & langueſcere quodammodo, ſi non talibus jugiter foveatur incentivis, donec introducta quandoque in cubiculum, diu cupitis excipiatur amplexibus, & dicat: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexata eſt me.* Sentiet quippe tunc & probabit univerſa dilectionis teſtimonia, quæ in priori adventu, tamquam de ſiniſtra dilecti, acceperat, præ multitudine dulcedinis amplexantis dexteræ contemnenda, & omnino jam quaſi ſubtus habenda. Sentiet quod audierat: *Caro non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt qui vivificat.* Probabit quod legerat: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & favum.* Quod vero ſequitur, *Memoria mea in generatione ſæculorum*; hoc dicit, quia quamdiu ſtare præſens cernitur ſæculum, in quo generatio advenit, & generatio præterit, non deerit electis conſolatio de memoria, quibus nondum de præſentia plena refectio indulgetur. Unde ſcriptum eſt: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt*, haud dubium, quin hi, quos paulo ſuperius dixerat: *Generatio & generatio laudabit opera tua.* Memoria ergo in generatione ſæculorum, præſentia in regno cælorum. Ex iſta glorificatur jam aſſumpta electio: de illa interim peregrinans generatio conſolatur.

Marginal notes: Cant. 2. 6. — Johann. 6. 64. — Eccli. 24. 27. — Ibid. 28. — Pſal. 144. 7. — Ibid. 4.

CAPUT IV.

Quinam ex Dei recordatione conſolationem capiant: quive magis ad ejus amorem idonei.

11. SEd intereſt, quænam generatio ex Dei capiat recordatione ſolamen. Non enim generatio prava & exaſperans, cui dicitur, *Væ vobis divites, qui habetis conſolationem veſtram*: ſed quæ dicere veraciter poteſt, *Renuit conſolari anima mea.* Huic plane & credimus, ſi ſecuta adjecerit: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Juſtum quippe eſt, ut quos præſentia non delectant, præſto eis ſit memoria futurorum: & qui de rerum fluentium qualibet affluentia deſpiciunt conſolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium non quæ ſua ſunt, ſed faciem Dei Jacob. Dei ergo quærentibus & ſuſpirantibus præſentiam, præſto interim & dulcis memoria eſt, non tamen qua ſatientur, ſed qua magis eſuriant unde ſatientur. Hoc ipſum de ſe cibus ipſe teſtatur, ita dicens: *Qui edit me, adhuc eſuriet.* & qui eo cibatus eſt, *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Beati tamen jam nunc qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam quandoque ipſi, & non alii, ſaturabuntur. Væ tibi generatio prava atque perverſa! væ tibi popule ſtulte & inſipiens, qui & memoriam faſtidis, & præſentiam expaveſcis! Merito quidem: nec modo enim liberari vis de laqueo venantium, ſiquidem *qui volunt divites fieri in hoc ſæculo, incidunt in laqueum diaboli*; nec tunc à verbo aſpero poteris liberari. O verbum aſperum, ô ſermo durus! *Ite maledicti in ignem æternum.* Durior plane atque aſperior illo, qui quotidie nobis de memoria paſſionis in Eccleſia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam.* Hoc eſt, qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, habet vitam æternam: hoc eſt, ſi compatimini, & conregnabitis. Et tamen plerique ab hac voce reſilientes & abeuntes hodieque retrorſum, reſpondent non verbo, ſed facto: *Durus eſt hic ſermo; quis poteſt eum audire?* Itaque generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus, ſed magis ſperans in incerto divitiarum, verbum modo crucis audire gravatur, ac memoriam paſſionis ſibi judicat oneroſam. Verum qualiter verbi illius pondus in præſentia ſuſtinebit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus?* Super quem profecto ceciderit lapis iſte, conteret eum. At vero generatio rectorum benedicetur: qui utique cum Apoſtolo, *ſive*

Marginal notes: Luc. 6. 24. — Pſal. 76. 4. — Ibid. — *Cæleſtis delectationis capaces qui caducam reſpuunt.* — Pſal. 23. 6. — Eccli. 24. 29. — Pſal. 16. 15. — Matt. 5. 6. — 1. Tim. 6. 9. — Matt. 25. 41. — Johann. 6. 55. — *Dei monentis verba multis dura videntur.* — Ibid. 61. — Pſal. 77. 8. — Matt. 25. 41. — Pſal. 111. 2. — 2. Cor. 5. 9.

Tom. D. Omnes VIII. Matt. 25. 34.

abſentes, ſive præſentes, contendunt placere Deo. Denique audient. *Venite benedicti Patris mei*, &c. Tunc illa quæ non direxit cor ſuum, ſero quidem experietur, quàm in illius comparatione doloris jugum Chriſti ſuave, & onus leve fuerit, cui tamquam gravi & aſpero duram cervicem ſuperbe ſubduxit. Non poteſtis, ô miſeri ſervi mammonæ, ſimul gloriari in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ſperare in pecuniæ theſauris, poſt aurum abire, & probare quàm ſuavis eſt Dominus. Proinde quem ſuavem in memoria non ſentitis, aſperum proculdubio in præſentia ſentietis.

Deo & divitiis ſtudere impoſſibile.

12. Ceterum fidelis anima & ſuſpirat præſentiam inhianter, & in memoria requieſcit ſuaviter; & donec idonea ſit revelata facie ſpeculari gloriam Domini, crucis ignominia gloriatur. Sic profecto, ſic ſponſa & columba Chriſti pauſat ſibi interim, & dormit inter medios cleros, ſortita jam inpræſentiarum de memoria abundantiæ ſuavitatis tuæ, Domine Jeſu, pennas deargentatas, innocentiæ videlicet pudicitiæque candorem; & ſperans inſuper adimpleri lætitia cum vultu tuo, ubi etiam fiant poſteriora dorſi ejus in pallore auri: quando in ſplendoribus ſanctorum introducta cum gaudio, ſapientiæ plenius fuerit illuſtrata fulgoribus. Merito proinde jam nunc gloriatur, & dicit: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: in læva reputans recordationem illius caritatis, qua nulla major eſt, quod animam ſuam poſuit pro amicis ſuis: in dextera vero beatam viſionem, quam promiſit amicis ſuis, & gaudium de præſentia majeſtatis. Merito illa Dei & deifica viſio, illa divinæ præſentiæ inæſtimabilis delectatio in dextera deputatur, de qua & delectabiliter canitur: *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* Merito in læva admirabilis illa memorata & ſemper memoranda dilectio collocatur, quod donec tranſeat iniquitas, ſuper eam ſponſa recumbat & requieſcat.

Pſal. 67. 14. — Duæ ſortes ſponſæ Chriſti. — Cant. 2. 6. — Pſal. 15. 10.

13. Merito ergo læva ſponſi ſub capite ſponſæ, ſuper quam videlicet caput ſuum reclinata ſuſtentet, hoc eſt mentis ſuæ intentionem, ne inclinetur & incurvetur in carnalia & ſecularia deſideria: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Quid namque aliud faciat conſiderata tanta & tam indebita miſeratio, tam gratuita & ſic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta manſuetudo, tam ſtupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter conſiderata, niſi ut conſiderantis animum, ab omni penitus pravo vindicatum amore, ad ſe mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque præ ſe contemnere, quicquid niſi in contemptu horum appeti non poteſt? Nimirum proinde in odore unguentorum horum ſponſa currit alacriter, amat ardenter; & parum ſibi amare ſie amata videtur, etiam cum ſe totam in amore perſtrinxerit. Nec immerito. Quid magnum enim tanto & tanti repenſatur amori, ſi pulvis exiguus totum ſe ad redamandum collegerit, quem illa nimirum Majeſtas in amore præveniens, tota in opus ſalutis ejus intenta conſpicitur? Denique *ſic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum daret*; haud dubium quin de Patre dicat. Item, *Tradidit in mortem animam ſuam*; nec dubium quod de Filio loquatur. Ait & de Spiritu-ſancto: *Spiritus Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Amat ergo Deus, & ex ſe toto amat, quia tota Trinitas amat: ſi tamen totum dici poteſt de infinito & incomprehenſibili, aut certe de ſimplici.

Sponſæ caput, intentio. — Sap. 9. 15. — Dei ergo nos dilectio conſiderata quam efficax. — Johan. 3. 16. — Iſa. 53. 12. — Johan. 14. 26.

CAPUT V.

Chriſtiano quantum incumbat debitum amoris.

14. INtuens ergo hæc, credo, ſatis agnoſcit, quare Deus diligendus ſit, hoc eſt, unde diligi mereatur. Ceterum infidelis non habens Filium, nec Patrem proinde habet, nec Spiritum-ſanctum. Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum; ſed nec Spiritum-ſanctum quem miſit ille. Is itaque mirum non eſt, ſi quem minus agnoſcit, minus & diligit. Attamen & ipſe totum ei ſeſe debere non ignorat, quem ſui totius non ignorat auctorem. Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non ſolum gratuitum largitorem, largiſſimum adminiſtratorem, pium conſolatorem, ſollicitum gubernatorem; ſed inſuper etiam copioſiſſimum redemptorem, æternum conſervatorem, ditatorem, glorificatorem? ſicut ſcriptum eſt: *Copioſa apud eum redemptio.* & item: *Introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* & de conſervatione: *Non relinquet ſanctos ſuos, in æternum conſervabuntur.* & de locupletatione: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* & rurſum: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* & de glorificatione: *Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* & illud: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* & iterum: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

Johan. 5. 23. — Chriſtianis unde excitandus amor Dei. — Pſal. 129. 6. — Hebr. 9. 12. — Pſal. 36. 28. — Luc. 6. 38. — 1. Cor. 2. 9. — Philipp. 3. 20. — Rom. 8. 18. — 2. Cor. 4. 17.

15. Quid retribuam Domino pro omnibus his? Illum ratio urget & juſtitia naturalis totum ſe tradere illi, à quo ſe totum habet, & ex ſe toto debere diligere. Mihi profecto Fides tanto plus indicit amandum, quanto & eum me ipſo pluris æſtimandum intelligo: quippe qui illum non ſolum mei, ſed ſui quoque ipſius teneo largitorem. Denique nondum tempus Fidei advenerat, nondum innotuerat in carne Deus, obierat in cruce, prodierat de ſepulcro, redierat ad Patrem: nondum, inquam, commendaverat in nobis ſuam multam dilectionem, illam de qua jam multa locuti ſumus, cum jam mandatum eſt homini diligere Dominum Deum ſuum ex toto corde, tota anima, tota virtute ſua, id eſt, ex omni quod eſt, quod ſcit, quod poteſt. Nec tamen injuſtus Deus, ſuum ſibi vindicans opus & dona. Ut quid enim non amaret opus artificem, cum haberet unde id poſſet? Et cur non quantum omnino poſſet, cum nihil omnino niſi ejus munere poſſet? Ad hæc, quod de nihilo, quod gratis, quod in hac dignitate conditum eſt; & debitum dilectionis manifeſtius facit, & exactum juſtiorem oſtendit. Ceterum quantum putamus adjectum beneficii, cum homines & jumenta ſalvavit, quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam Deus? Nos dico, qui mutavimus gloriam noſtram in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, peccando comparati jumentis inſipientibus. Quod ſi totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quàm factus. ſiquidem non ſolum de me, ſed de omni quoque quod factum eſt, ſcriptum eſt: *Dixit, & facta ſunt.* At vero qui me tantum & ſemel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura; nec tantum dura, ſed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe: & ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? Nam etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?

Præceptum dilectionis fortius obligat fideles novæ legis, quam antiquæ. — Deut. 6. 5. — Pſal. 35. 6. — Pſal. 48. 13. — Pſal. 148. 5. — Pſal. 115. 3.

CAPUT VI.

Brevis anacephalæoſis & ſumma prædictorum.

16. HIc primum vide, quo modo, immo quàm ſine modo à nobis Deus amari meruerit: qui (ut paucis quod dictum eſt repetam) prior ipſe dilexit nos, tantus, & tantum, & gratis tantillos, & tales. En quod in principio dixiſſe me memini, modum eſſe diligendi Deum, ſine modo diligere. Denique cum dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immenſum, tendat in infinitum, (nam & infinitus Deus eſt & immenſus:) quiſnam,

Quomodo Deus diligendus.

quæſo, debeat finis eſſe noſtri, vel modus amoris? Quid quod amor ipſe noſter non jam gratuitus impenditur, ſed rependitur debitus? Amat ergo immenſitas, amat æternitas, amat ſupereminens ſcientiæ caritas: amat Deus, cujus magnitudinis non eſt finis, cujus ſapientiæ non eſt numerus, cujus pax exſuperat omnem intellectum: & vicem rependimus cum menſura? Diligam te, Domine fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: & meum denique quicquid optabile atque amabile dici poteſt. Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem juſto, ſed plane non minus poſſe meo: qui etſi quantum debeo non poſſum, B non poſſum tamen ultra quàm poſſum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis: numquam tamen prout dignus haberis. Imperfectum meum viderunt oculi tui: ſed tamen in libro tuo omnes ſcribentur, qui quod poſſunt faciunt, etſi quod debent non poſſunt. Satis, quantum reor, apparet, & quonam modo Deus diligendus ſit, & quo merito ſuo. Quo, inquam, merito ſuo. nam quanto, cui ſane appareat? quis dicat? quis ſapiat?

CAPUT VII.

Non ſine fructu & præmio diligi Deum; & terrenis non ſatiari humani cordis appetitum.

17. NUnc quo noſtro commodo diligendus ſit, videamus. Sed quantum eſt & in hoc videre noſtrum ad id quod eſt? Nec tamen quod videtur tacendum eſt, etſi non omnino videtur ut eſt. Superius, cum propoſitum eſſet, quare, & quomodo diligendus ſit Deus; duplicem dixi parere intellectum id quod quæritur, Quare: ut, aut quo ſuo merito, aut quo noſtro commodo diligendus ſit, utrumlibet quæri poſſe perinde videatur. Dicto proinde de merito Dei, non prout dignum ei, ſed prout datum eſt mihi; ſupereſt ut de præmio, quod item dabitur, dicam. Non enim ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque præmii intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera caritas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt; quippe non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt, non contractus: nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & ſpontaneum facit. VERUS amor ſeipſo contentus eſt. Habet præmium, ſed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat ut comedat, ſed comedit ut evangelizet: eo quod amet, non cibum, ſed Evangelium. VERUS amor præmium non requirit, ſed meretur. Præmium ſane needum amanti proponitur, amanti debetur, perſeveranti redditur. Denique in rebus inferioribus ſuadendis, invitos promiſſis vel præmiis invitamus, & non ſpontaneos. Quis enim remunerandum hominem putet, ut faciat quod & ſponte cupit? Nemo, verbi causa, conducit aut eſurientem ut comedat, aut ſitientem ut bibat, aut certe matrem ut parvulum allactet filium uteri ſui. An vero quis putet prece vel pretio quempiam commonendum ſuam ipſius vel ſæpire vineam, vel arborem circumfodere, vel ſtructuram propriæ domus erigere? Quanto magis Deum amans anima, aliud præter Deum ſui amoris præmium non requirit? Aut ſi aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit.

18. Ineſt omni utenti ratione naturaliter pro ſua ſemper æſtimatione atque intentione appetere potiora, & nulla re eſſe contentum, cui quod deeſt, judicet præferendum. Nam & qui, verbi gratia, uxorem habet ſpecioſam, petulanti oculo vel animo reſpicit pulchriorem: & qui veſte pretioſa indutus eſt, pretioſiorem affectat, & poſſidens multas divitias, invidet ditiori. Videas jam multis prædiis & poſſeſſionibus ampliatos, adhuc tamen in dies agrum agro copulare, atque infinita cupiditate dilatare terminos ſuos. Videas & qui in regalibus domibus, ampliſque habitant palatiis, nihilo minus quotidie conjungere domum ad domum, & in- A quieta curioſitate ædificare, diruere, mutare quadrata rotundis. Quid homines ſublimatos honoribus? an non inſatiabili ambitione magis ac magis totis viribus conari ad altiora videmus? Et horum omnium idcirco non eſt finis, quia nil in eis ſummum ſingulariter reperitur vel optimum. Et quid mirum ſi inferioribus & deterioribus contentus non ſit, qui citra ſummum vel optimum quieſcere non poteſt? Sed HOC ſtultum & extremæ dementiæ eſt, ea ſemper appetere, quæ numquam, non dico ſatient, ſed nec temperent appetitum: dum quicquid talium habueris, nihilo minus non habita concupiſcas, & ad quæque defuerint, B ſemper inquietus anheles. Ita enim fit, ut per varia & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore diſcurrens fatigetur, non ſatietur: dum quicquid famelicus inglutierit, parum reputet ad id quod ſupereſt devorandum, ſemperque non minus anxie cupiat quæ deſunt, quam quæ adſunt læte poſſideat. Quis enim obtineat univerſa? Quamquam & modicum id quod quiſque cum labore obtinuerit, cum timore poſſederit, certus quidem non ſit quando cum dolore amittat, certus autem quod quandoque amittat. Sic directo tramite voluntas perverſa contendit * ad optimum, feſtinat ad id unde poſſit impleri. Im- C mo vero his anfractibus ludit ſecum vanitas, mentitur iniquitas ſibi. Si ita vis adimplere quod vis, hoc eſt, ſi illud apprehendere vis, quo apprehenſo nil jam amplius velis: quid tentare opus eſt & cetera? Curris per devia, & longe ante morieris, quàm hoc circuitu pervenias ad optatum.

19. Hoc ergo in circuitu impii ambulant, naturaliter appetentes unde finiant appetitum, & inſipienter reſpuentes unde propinquent fini: fini dico non conſumptioni, ſed conſummationi. Quamobrem non beato fine conſummari, ſed conſumi vacuo labore accelerant, qui rerum magis ſpecie, quàm auctore delectari, D prius univerſa percurrere, & de ſingulis cupiunt experiri, quàm ad ipſum curent univerſitatis Dominum pervenire. Et quidem pervenirent, ſi quandoque voti compotes effici poſſent, ut omnia ſcilicet, præter omnium principium, unus aliquis obtineret. Ea namque ſuæ cupiditatis lege, qua in rebus ceteris non habita præ habitis eſurire, & pro non habitis habita faſtidire ſolebat; mox omnibus quæ in cælo, & quæ in terra ſunt obtentis & contemptis, tandem ad ipſum proculdubio curreret, qui ſolus deeſſet omnium Deus. Porro ibi quieſceret: quia ſicut citra nulla revocat quies; ſic nulla ultra jam inquietudo ſollicitat. Diceret pro certo: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Diceret, *Quid* E *enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* & item: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Sic ergo (ut dictum eſt) ad id quod optimum eſt, quivis cupidus perveniret, ſi quidem ante, quod citra cupit, aſſequi poſſet.

20. Verum quoniam id omnino impoſſibile præſtruit & vita brevior, & virtus infirmior, & conſors numeroſior: longo profecto itinere & caſſo labore deſudant, qui dum quæcumque deſiderant, attingere volunt, ad cunctorum deſiderabilium nequeunt pertingere finem. Et utinam attingere univerſa animo, & non experimento vellent! Hoc enim facile poſſent, F & non incaſſum. Nam & animus ſenſu quidem carnali tanto velocior, quanto & perſpicacior, ad hoc datus eſt, ut illum ad omnia præveniat; nihilque audeat contingere ſenſus, quod animus præcurrens ante utile non probaverit. Hinc enim arbitror dictum, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*: ut videlicet ille huic provideat, nec is ſuum votum, niſi ad illius judicium conſequatur. Alioquin non aſcendes in montem Domini, nec ſtabis in loco ſancto ejus, pro eo quod in vano acceperis animam tuam, hoc eſt animam rationalem: dum inſtar pecoris ſenſum ſequeris, ratione quidem otioſa, & non reſiſtente in aliquo. Quorum itaque ratio non prævenit greſſus, currunt, ſed extra viam: ac proinde Apoſtoli ſpreto conſilio, non ſic currunt ut apprehendant. Quando etenim apprehendant, quem

Amor ipſe.
1. Cor. 13. 5.
1. Cor. 9. 18.
Verus amor non ſpectat luctum.
Hominis appetitus in ſummum bonum.
* al. contendit.
Circuitu eo non pervenitur.
Circuitus impiorum in res creatas.
Pſal. 72. 28.
ibid.
ibid.
Iniuis ſi non animo, ſed ſenſu ſiat.
1. Theſſ. 5. 21.
Pſal. 23. 3.
1. Cor. 9. 24.

Tom. II Opusc. VIII

apprehendere niſi poſt omnia nolunt? Diſtortum A iter, & circuitus infinitus, cuncta primitus attentare velle.

Regia inſtitutum via circuitum vitat.

21. Juſtus autem non ita. Audiens nempe vituperationem multorum commorantium in circuitu (multi enim ſunt viam latam pergentes, quæ ducit ad mortem) ipſe ſibi regiam eligit viam, non declinans ad dexteram vel ad ſiniſtram. Denique atteſtante Propheta, *Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum.* Hi ſunt, qui ſalubri compendio cauti ſunt moleſtum hunc & infructuoſum vitare circuitum, verbum abbreviatum & abbrevians eligentes, non cupere quæcumque vident, ſed vendere magis quæ poſſident, & dare pauperibus. Beati plane pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Omnes quidem currunt; ſed B inter currentes diſcernitur. Denique novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit. Ideo autem melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas, quoniam quidem (ut Sapiens loquitur, & inſipiens experitur) *qui diligit pecuniam, non ſaturabitur pecunia: qui* autem *eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, ipſi ſaturabuntur.* Juſtitia ſiquidem ratione utentis ſpiritus cibus eſt vitalis & naturalis: pecunia vero ſic non minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique ſi famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aërem cernas, quo quaſi conſulat fami, nonne credas inſanire? Sic non mino- C ris inſaniæ eſt, ſi ſpiritum rationalem rebus putes quibuſcumque corporalibus non magis inflari, quàm ſatiari. Quid namque de corporibus ad ſpiritus? Nec illa ſane ſpiritualibus, nec iſti è regione refici corporalibus queunt. Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis deſiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono; prævenit, ſuſtinet, implet. Ipſe facit ut deſideres, ipſe eſt quod deſideras.

Iſa 26. 7. — Via ad Deum compendium. — Matt 5. 3. — 1. Cor. 9. 24. — Pſal 1. 6. — Pſal 36. 16. — Eccl. 5. 9. — Matt. 5. 6. — Juſtitia animæ cibus, non res creata. — Solo Deo ſatiatur — Pſal 102. 5.

22. Dixi ſupra: Cauſa diligendi Deum, Deus eſt. Verum dixi: nam & efficiens, & finalis. IPSE dat occaſionem, ipſe creat affectionem, deſiderium ipſe conſummat. Ipſe fecit, vel potius factus eſt ut amaretur: ipſe ſperatur, amandus felicius, ne in vacuum D ſit amatus. Ejus amor noſtrum & præparat, & remunerat. Præcedit benignior, rependitur juſtior, exſpectatur ſuavior. Dives eſt omnibus qui invocant eum: nec tamen habet quicquam ſeipſo melius. Se dedit in meritum, ſe ſervat in præmium, ſe apponit in refectione animarum ſanctarum, ſe in redemptione diſtrahit captivarum. Bonus es, Domine, animæ quærenti te: quid ergo invenienti? Sed enim in hoc eſt mirum, quod NEMO te quærere valet, niſi qui prius invenerit. Vis igitur inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris. Potes quidem quæri & inveniri, non tamen præveniri. Nam etſi dicimus, *Mane oratio mea præveniet te:* non dubium tamen quod tepida ſit omnis oratio, quam non prævenerit inſpiratio. Dicendum jam E unde inchoet amor noſter, quoniam ubi conſummetur, dictum eſt.

Deus efficiens & finalis cauſa diligendi Deū — Thren. 3. 25 — Eum nemo quærit, qui ante non invenerit — Pſa 87 14

CAPUT VIII.

De primo gradu Amoris, quo diligit homo ſe propter ſe.

23. AMor eſt affectio naturalis una de quatuor *. Notæ ſunt: non opus eſt nominare. Quod ergo naturale eſt, juſtum quidem foret primo omnium auctori deſervire naturæ. Unde & dictum eſt primum & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Sed quoniam natura fragilior atque infirmior eſt, F ipſi primum imperante neceſſitate compellitur inſervire. Et eſt amor carnalis, quo ante omnia homo diligit ſeipſum propter ſeipſum, ſicut ſcriptum eſt: *Prius quod animale, deinde quod ſpirituale.* Nec præcepto indicitur, ſed naturæ inſeritur. Quis nempe carnem ſuam odio habuit? At vero ſi cœperit amor idem (ut aſſolet) proclivior eſſe, ſive profuſior, & neceſſitatis alveo minime contentus, campos etiam voluptatis

Amoris primus gradus, amor ſui. — Matt. 22. 37 — 1. Cor. 15. 46. — Eph. 5. 29.

exundans latius viſus fuerit occupare; ſtatim ſuperfluitas obviante mandato cohibetur, cum dicitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Juſtiſſime quidem, ut conſors naturæ non ſit exſors & gratiæ, illius præſertim gratiæ, quæ naturæ inſita eſt. Quod ſi gravatur homo fraternis, non dico neceſſitatibus ſubvenire, ſed voluptatibus deſervire: caſtiget ipſe ſuas, ſi non vult eſſe transgreſſor. Quantum vult, ſibi indulgeat: dum æque & proximo tantumdem meminerit exhibendum. Frenum tibi temperantiæ imponitur, ô homo, ex lege vitæ & diſciplinæ, ne poſt concupiſcentias tuas eas, & pereas, ne de bonis naturæ hoſti ſervias animæ, hoc eſt libidini. Quam juſtius atque honeſtius communicas illa conſorti, id eſt proximo, quàm hoſti? Et quidem ſi ex Sapientis conſilio à voluptatibus tuis averteris, & juxta doctrinam Apoſtoli victu veſtituque contentus, paulisper ſuſpendere non gravaris amorem tuum à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam; ſane quod ſubtrahis hoſti animæ tuæ, conſorti naturæ puto non gravaberis impertiri. Tunc amor tuus & temperans erit, & juſtus, ſi quod propriis ſubtrahitur voluptatibus, fratris neceſſitatibus non negetur. Sic amor carnalis efficitur & ſocialis, cum in commune protrahitur.

Matt. 22 39. — Temperatus proximi amor. — Eccl 18, 30. — Ibidem. — 1 Tim 6 8. — 1 Pet. 2, 11. — 2 Sed & ſocialis.

24. Si autem dum communicas proximo, forte tibi defuerint etiam neceſſaria, quid facies? Quid enim, niſi ut cum omni fiducia poſtules ab eo qui dat omnibus affluenter, & non improperat: qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione? Dubium ſiquidem non eſt, quod abſit libenter in neceſſariis, qui pleriſque & in ſuperfluis non deeſt. Denique ait: *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Sponte daturum ſe pollicetur neceſſaria, ſuperflua reſtringenti, & proximum diligenti. Hoc quippe eſt primum quærere regnum Dei, & adverſus peccati implorare tyrannidem, pudicitiæ potius ac ſobrietatis ſubire jugum, quàm regnare peccatum in tuo mortali corpore patiaris. Porro autem & hoc juſtitiæ eſt, cum quo tibi eſt natura communis, naturæ quoque cum eo munus non habere diviſum.

Quærendum à Deo, unde proximo detur. — Jac 1. 5. — Pſal 144. 16. — Luc. 12 31.

25 Ut tamen perfecta juſtitia ſit diligere proximum, Deum in cauſa haberi neceſſe eſt. Alioquin proximum pure diligere quomodo poteſt, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligi poſſit & proximus. Facit ergo etiam ſe diligi Deus, qui & cetera bona facit. Facit autem ſic. Qui naturam condidit, ipſe & protegit. Nam & ita condita fuit, ut habeat jugiter neceſſarium protectorem, quem habuit & conditorem: ut quæ niſi per ipſum non valuit eſſe, nec ſine ipſo valeat omnino ſubſiſtere. Quod ne ſane de ſe creatura ignoret, ac proinde ſibi (quod abſit) ſuperbe arroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor alto quidem ſalubrique conſilio tribulationibus exerceri: ut cum defecerit homo, & ſubvenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine, ut dignum eſt, honoretur. Hoc enim dicit: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Fit itaque hoc tali modo, ut homo animalis & carnalis, qui præter ſe neminem diligere noverat, etiam Deum vel propter ſe amare incipiat, quod in ipſo nimirum (ut ſæpe expertus eſt) omnia poſſit, quæ poſſe tamen proſit; & ſine ipſo poſſit nihil.

Dilectio proximi ut recta ſit, Deus in cauſa eſſe debet. — Amoris Dei ergo ex donis & tribulationibus. — Pſal. 49. 15.

CAPUT IX.

De ſecundo & tertio gradu Amoris.

26. AMat ergo jam Deum, ſed propter ſe interim adhuc, non propter ipſum. Eſt tamen quædam prudentia ſcire quid ex te, quid ex Dei adjutorio poſſis, & ipſi ſervare te inſenſum *, qui te tibi ſervat illæſum. At ſi frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens ad Deum converſio fiat, & à Deo æque frequens liberatio conſequatur; nonne, etſi

In ſecundo homo Deum diligit propter ſe. — * Id eſt inoffenſum.

* Bernardus paſſim cum antiquis, etiam profanis, quatuor tantum principes affectiones agnoſcit, amorem, timorem, gaudium, & triſtitiam, ut ſermone 2. in capite jejunii, num. 3. & alibi paſſim.

fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati, emolliri neceſſe eſt ad gratiam liberantis, quatenus Deum homo diligat, non propter ſe tantum, ſed & propter ipſum? Ex occaſione quippe frequentium neceſſitatum crebris neceſſe eſt interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando guſtari, guſtando probari quam ſuavis eſt Dominus. Ita fit, ut ad diligendum pure Deum plus jam ipſius guſtata alliciat ſuavitas, quam urgeat noſtra neceſſitas; ita ut exemplo Samaritanorum, dicentium mulieri quæ adeſſe Dominum nuntiaverat, *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audivimus. & ſcimus quia ipſe eſt vere Salvator mundi*: ita, inquam, & nos illorum exemplo carnem noſtram alloquentes, dicamus merito: Jam non propter tuam neceſſitatem Deum diligimus: ipſi enim guſtavimus & ſcimus quoniam ſuavis eſt Dominus. Eſt enim carnis quædam loquela neceſſitas, & beneficia quæ experiendo probat, geſtiendo [a] renuntiat. Itaque ſic affecto, jam de diligendo proximo implere mandatum, non erit difficile. Amat quippe veraciter Deum, ac per hoc quæ Dei ſunt. Amat caſte, & caſto non gravatur obedire mandato, *caſtificans magis cor ſuum*, ut ſcriptum eſt, *in obedientia caritatis*. Amat juſte, & mandatum juſtum libenter amplectitur. Amor iſte merito gratus, quia gratuitus. Caſtus eſt, quia non impenditur verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Juſtus eſt, quoniam qualis ſuſcipitur, talis & redditur. Qui enim ſic amat, haud ſecus profecto, quam amatus eſt, amat; quærens & ipſe viciſſim, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, quemadmodum ille noſtra, vel potius nos, & non ſua quæſivit. Sic amat qui dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Qui Domino confitetur, non quoniam ſibi bonus eſt, ſed quoniam bonus eſt; hic vere diligit Deum propter Deum, & non propter ſeipſum. Non ſic amat de quo dicitur: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Iſte eſt tertius amoris gradus, quo jam propter ſeipſum Deus diligitur.

Joan. 4. 42.
a al. geſtiendo.
1 Pet. 1. 22.
Amor caſtus & juſtus.
Pſal. 117. 1.
Pſal. 48. 19.

CAPUT X.

De quarto gradu amoris, cum nec ſeipſum diligit homo niſi propter Deum.

27. FElix qui meruit ad quartum uſque pertingere, quatenus nec ſeipſum diligat homo niſi propter Deum. Juſtitia tua, Deus, ſicut montes Dei. Amor iſte mons eſt, & mons Dei excelſus. Revera mons coagulatus, mons pinguis. Quis aſcendet in montem Domini? Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Factus eſt in pace locus iſte, & habitatio hæc in Sion. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! Caro & ſanguis, vas luteum, terrena inhabitatio quando capit hoc? quando hujuſcemodi experitur affectum, ut divino debriatus amore animus, oblitus ſui, factuſque ſibi ipſi tamquam vas perditum, totus pergat in Deum, & adhærens Deo unus cum eo ſpiritus fiat, & dicat: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* Beatum dixerim & ſanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita raro interdum, aut vel ſemel, & hoc ipſum raptim, atque unius vix momenti ſpatio experiri donatum eſt. Te enim quodammodo perdere, tamquam qui non ſis, & omnino non ſentire teipſum, & a teipſo exinaniri, & pæne annullari, cæleſtis eſt converſationis, non humanæ affectionis. Et ſi quidem e mortalibus quiſpiam ad illud raptim interdum (ut dictum eſt) & ad momentum admittitur, ſubito invidet ſæculum nequam, perturbat diei malitia, corpus mortis aggravat, ſollicitat carnis neceſſitas, defectus corruptionis non ſuſtinet, quodque his violentius eſt, fraterna revocat caritas. Heu! redire in ſe, recidere in ſua compellitur, & miſerabiliter exclamare: *Domine vim patior, reſponde pro me* & illud: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Quartus gradus.
Pſal. 35. 7.
Pſal. 67. 17.
Pſal. 23. 3.
Pſal. 54. 7.
Pſal. 75. 2.
Pſal. 119. 5.
1 Cor. 6. 17.
Pſal. 72. 26.
Felicitas illius ſtatus.
Sed brevis in hac vita.
Iſa. 38. 14.
Rom. 7. 24.

28. Quoniam tamen Scriptura loquitur, Deum omnia feciſſe propter ſemetipſum; erit profecto ut factura ſeſe quandoque conformet & concordet Auctori. Oportet proinde in eumdem nos affectum quandocumque tranſire: ut quomodo Deus omnia eſſe voluit propter ſemetipſum, ſic nos quoque nec noſipſos, nec aliud aliquid fuiſſe, vel eſſe velimus, niſi æque propter ipſum, ob ſolam videlicet ipſius voluntatem, non noſtram voluptatem. Delectabit ſane non tam noſtra, vel ſopita neceſſitas, vel ſortita felicitas, quam quod ejus in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videbitur. quod & quotidie poſtulamus in oratione cum dicimus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* O amor ſanctus & caſtus! ô dulcis & ſuavis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis! eo certe defæcatior & purior, quo in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eo ſuavior & dulcior, quo totum divinum eſt quod ſentitur. SIC AFFICI, DEIFICARI EST. Quomodo ſtilla aquæ modica, multo infuſa vino, deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit, & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens, igni ſimillimum fit, priſtina propriaque forma exutum; & quomodo ſolis luce perfuſus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipſum lumen eſſe videatur: ſic omnem tunc in ſanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, ſi in homine de homine quicquam ſuperſit? Manebit quidem ſubſtantia, ſed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. Quando hoc erit? quis hoc videbit? quis poſſidebit? Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Domine Deus meus, tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Putas videbo templum ſanctum tuum?

Venit ... Vlll
Sic affectus homo ... ad Deum & ad Dei voluntatem refert.
Matth. 6. 10.
Deificatur.
Pſal. 41. 3.
Pſal. 26. 8.

29. Ego puto non ante ſane perfecte impletum iri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. & ex tota virtute tua*; quouſque ipſum cor cogitare jam non cogatur de corpore, & anima eidem in hoc ſtatu vivificando & ſenſificando intendere deſinat, & virtus ejuſdem relevata moleſtiis, in Dei potentia roboretur. IMPOSSIBILE [a] namque eſt tota hæc ex toto ad Deum colligere, & divino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili & ærumnoſo corpori intenta & diſtenta neceſſe eſt ſubſervire. Itaque in corpore ſpiritali & immortali, in corpore integro, placido, placitoque, & per omnia ſubjecto ſpiritui, ſperet ſe anima quartum apprehendere amoris gradum, vel potius in ipſo apprehendi. quippe quod Dei potentiæ eſt dare cui vult, non humanæ induſtriæ aſſequi. Tunc, inquam, ſummum obtinebit facile gradum, cum in gaudium Domini ſui promptiſſime & avidiſſime feſtinantem nulla jam retardabit carnis illecebra, nulla moleſtia conturbabit. Putamuſne tamen hanc gratiam vel ex parte ſanctos Martyres aſſecutos, in illis victorioſis corporibus adhuc conſtitutos? Magna vis prorſus amoris illas animas introrſum rapuerat, qua ita ſua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valuerunt. At profecto doloris acerrimi ſenſus non potuit non turbare ſerenum, etſi non perturbare.

Matt. 22. 37.
Hæc caritatis perfectio non competit homini in hac vita.
Ne quidem Martyribus.

CAPUT XI.

Hac amoris perfectio non competet etiam ſolutis animabus beatorum, ante reſurrectionem.

30. QUid autem jam ſolutas corporibus? Immerſas ex toto credimus immenſo illi pelago æterni luminis, & luminoſæ æternitatis. Sed ſi (quod non negatur) velint ſua corpora recepiſſe, aut certe recipere deſiderent & ſperent; liquet proculdubio necdum à ſeipſis penitus immutatas, quibus conſtat

Animarum amor in corpora.

a Non tamen continuo impoſſibile præceptum, quod præſcribit finem & perfectionem amoris, quo ſemper & intenſiſſe contendamus, non quo ſtatim pervenire teneamus, ut docent Hoſtii Notæ ſuſiores. Non ergo præcipitur in hac vita perfectio caritatis abſoluta, ſed ſtudium ejus perfectionis, ut quantum humanæ res ſinunt, Dei cogitatione, amore, unione & voluntate occupemur.

Tom. II. Opusc. VIII.

necdum penitus deeſſe de proprio, quo vel modice intentio reflectatur. Donec ergo abſorpta ſit mors in victoria, & noctis undique terminos lux perennis invadat & occupet uſquequaque, quatenus & in corporibus gloria cæleſtis effulgeat; non poſſunt ex toto animæ ſeipſas exponere, & tranſire in Deum, nimirum ligatæ corporibus etiam tunc, etſi non vita vel ſenſu, certe affectu naturali, ita ut abſque his nec velint, nec valeant conſummari. Itaque ante reſtaurationem corporum non erit ille defectus animorum, qui perfectus & ſummus eſt ipſorum ſtatus: nec carnis jam ſane conſortium ſpiritus requireret, ſi abſque illa conſummaretur. Enimvero ABSQUE profectu animæ nec ponitur corpus, nec reſumitur. Denique pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Quod ſi mors pretioſa, quid vita, & illa vita? Nec mirum ſi corpus jam gloriæ conferre videtur ſpiritui, quod & infirmum & mortale conſtat ipſi non mediocriter valuiſſe. O quàm verum locutus eſt qui dixit, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Valet Deum diligenti animæ corpus ſuum infirmum, valet & mortuum, valet & reſuſcitatum: primo quidem ad fructum pœnitentiæ, ſecundo ad requiem, poſtremo ad conſummationem. Merito ſine illo perfici non vult, quod in omni ſtatu in bonum ſibi ſubſervire perſentit.

Corpus quantum conferat animæ. — *Pſal. 115. 5.* — *Rom. 8. 28.*

31. Bonus plane fidusque comes caro ſpiritui bono, quæ ipſum aut * ſi onerat, juvat; aut ſi non juvat, exonerat; aut certe juvat, & minime onerat. Primus ſtatus laborioſus, ſed fructuoſus: ſecundus otioſus, ſed minime faſtidioſus: tertius & glorioſus. Audi & ſponſum in Canticis ad profectum hunc trimodum invitantem. *Comedite*, inquit, *amici, & bibite; & inebriamini, cariſſimi.* Laborantes in corpore vocat ad cibum: jam poſito corpore quieſcentes ad potum invitat: reſumentes corpora, etiam ut inebrientur impellit: quos & vocat cariſſimos, nimirum caritate pleniſſimos. Nam & in ceteris, quos non cariſſimos, ſed amicos appellat, differentia eſt: ut hi quidem qui in carne adhuc gravati gemunt, cari habeantur pro caritate quam habent: qui vero jam ſoluti carnis compede ſunt, eo ſint cariores, quo & promptiores atque expeditiores facti ad amandum. Porro præ utriſque merito nominantur & ſunt cariſſimi, qui recepta jam ſecunda ſtola, in corporibus utique cum gloria reſumptis, tanto in Dei feruntur amorem liberiores & alacriores, quanto & de proprio nil jam reſiduum eſt, quod eos aliquatenus ſollicitet vel retardet. Quod quidem neuter ſibi reliquorum ſtatuum vindicat; cum & in priori corpus cum labore portetur, & in ſecundo quoque non ſine proprietate aliqua deſiderii exſpectetur.

Tres ſtatus corporis & animæ. — * *f. etſi.* — *Cant. 5. 1.* — *Reſumto corpore anima plene in Deum fertur.*

32. Primo ergo fidelis anima comedit panem ſuum, ſed heu! in ſudore vultus ſui. In carne quippe manens adhuc ambulat per fidem, quam ſane operari per dilectionem neceſſe eſt: quia ſi non operatur, mortua eſt. Porro ipſum opus cibus eſt, dicente Domino: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Dehinc carne exuta jam pane doloris non cibatur; ſed vinum amoris, tamquam poſt cibum, plenius haurire permittitur, non purum tamen, ſed quomodo ſub ſponſi nomine in Canticis dictum legitur: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vino enim divini amoris etiam tunc anima ſuavitatem naturalis immiſcet affectionis, qua reſumere corpus ſuum, ipſumque glorificatum deſiderat. Æſtuat ergo jam tunc ſanctæ caritatis potata vino, ſed plane nondum uſque ad ebrietatem: quoniam temperat interim ardorem illum hujus lactis permixtio. Ebrietas denique ſolet evertere mentes, atque omnino reddere immemores ſui. At non ex toto ſui oblita eſt, quæ adhuc de proprio corpore cogitat ſuſcitando. Ceterum hoc adepto, quod ſolum utique deerat, quid jam impedit à ſe ipſa quodammodo abire, & ire totam in Deum, eoque ſibi penitus diſſimillimam fieri, quo Deo ſimillimam effici donatur? Tum demum ad crateram admiſſa ſapientiæ, illam de qua legitur, *Et calix meus inebrians quam præclarus eſt!* quid mirum jam ſi inebriatur ab ubertate domus Dei, cum nulla mordente cura de proprio, ſecura bibit purum & novum illud cum Chriſto in regno Patris ejus?

Gen. 3. 19. — *Joh. 4. 34.* — *Cant. 5. 1.* — *Deſiderium reſumendi corporis in animabus beatis.* — *Pſal. 22. 5.*

33. Hoc vero convivium triplex celebrat Sapientia, & ex una complet caritate, ipſa cibans laborantes, ipſa potans quieſcentes, ipſa regnantes inebrians. Quomodo autem in convivio corporali ante cibus quam potus apponitur, quoniam & tali ordine natura requirit: ita & hic. Primo quidem ante mortem in carne mortali labores manuum noſtrarum manducamus, cum labore quod glutiendum eſt maſticantes: poſt mortem vero in vita ſpiritali jam bibimus, ſuaviſſima quadam facilitate quod percipitur colantes: tandem redivivis corporibus in vita immortali inebriamur, mira plenitudine exuberantes. Hæc pro eo quod ſponſus in Canticis dicit: *Comedite amici, & bibite; & inebriamini, cariſſimi.* Comedite ante mortem, bibite poſt mortem, inebriamini poſt reſurrectionem. Merito jam cariſſimi, qui caritate inebriantur: & merito inebriati, qui ad nuptias Agni introduci merentur, edentes & bibentes ſuper menſam illius in regno ſuo, quando ſibi jam exhibet glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi. Tunc prorſus inebriat cariſſimos ſuos, tunc torrente voluptatis ſuæ potat: quoniam quidem in complexu illo arctiſſimo & caſtiſſimo ſponſi & ſponſæ, fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quod non aliud eſſe arbitror quàm Dei Filium, qui tranſiens miniſtrat, quemadmodum ipſe promiſit: ut ex hoc jam juſti epulentur & exſultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Hinc illa ſatietas ſine faſtidio: hinc inſatiabilis illa ſine inquietudine curioſitas: hinc æternum illud atque inexplicabile deſiderium, neſciens egeſtatem: hinc denique ſobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans, non madens vino, ſed ardens Deo. Ex hoc jam quartus ille amoris gradus perpetuo poſſidetur, cum ſumme, & ſolus diligitur Deus: quia nec noſipſos jam niſi propter ipſum diligimus, ut ſit ipſe præmium amantium ſe, præmium æternum amantium in æternum.

Convivium ſapientiæ triplex pro triplici animæ ſtatu. — *Cant. 5. 1.* — *Eph. 5. 27.* — *Pſal. 35. 9.* — *Pſal. 45. 5.* — *Luc. 12. 37.* — *Pſal. 67. 4.* — *Convivii tertii prærogativa.*

CAPUT XII.

De Caritate ex epiſtola ad Carthuſianos ſcripta.

34. MEmini me dudum ad ſanctos fratres Carthuſienſes ſcripſiſſe epiſtolam, ac de his ipſis in ea gradibus inter cetera diſſeruiſſe. Forte autem alia ibi, etſi non aliena, de caritate locutus ſum; & ob hoc quædam illorum * huic quoque ſermoni ſubjungere non inutile duco: præſertim cum facilius ad manum habeam tranſcribere jam dictata, quàm nova iterum dictare. Illa, inquam, vera & ſincera eſt caritas, & omnino de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta fatenda eſt procedere, qua proximi bonum, æque ut noſtrum, diligimus. Nam qui magis, aut certe ſolum diligit ſuum, convincitur non caſte diligere bonum, quod utique propter ſe diligit, non propter ipſum. Et hic talis non poteſt obedire Prophetæ, qui ait: *Confitemini Domino quoniam bonus.* Confitetur quidem, quia fortaſſe bonus eſt ſibi, non autem quoniam bonus eſt in ſe. Quapropter noverit in ſe dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Eſt qui confitetur Domino quoniam potens eſt, & eſt qui confitetur quoniam ſibi bonus eſt, & item qui confitetur quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi; ſecundus mercenarius, & cupit ſibi; tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & cupit, utrique pro ſe agunt. Sola quæ in filio eſt caritas, non quærit quæ ſua ſunt. Quamobrem puto de illa dictum: *Lex Domini immaculata, convertens animas.* quod SOLA videlicet ſit, quæ ab amore ſui & mundi convertere poſſit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam. Mutant interdum vultum, vel actum; affectum numquam. Facit quidem nonnum-

Ep. ll. 11. — * *al. hujus* — *Proximi vera dilectio.* — *Pſal. 117. 1.* — *Pſal. 48. 19. Differentia confitentium Deo.* — *1. Cor. 13. 5.* — *Pſal. 18. 8.* — *Sola dilectio Dei convertit animam.*

quam etiam ſervus opus Dei : ſed quia non ſponte, in ſua adhuc duritia permanere cognoſcitur. Facit & mercenarius : ſed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Porro ubi proprietas, ibi ſingularitas : ubi autem ſingularitas, ibi angulus : ubi vero angulus, ibi ſine dubio ſordes ſive rubigo. Sit itaque ſervo ſua lex, timor ipſe quo conſtringitur ; ſit ſua mercenario cupiditas, qua & ipſe arctatur, quando tentatur abſtractus & illectus. Sed harum nulla, aut ſine macula eſt, aut animas convertere poteſt. Caritas vero convertit animas, quas facit & voluntarias.

Ex immaculata.

35. Porro in eo eam dixerim immaculatam, quod nil ſibi de ſuo retinere conſuevit. Cui nempe de proprio nihil eſt, totum profecto quod habet, Dei eſt : quod autem Dei eſt, immundum eſſe non poteſt. Lex ergo Domini immaculata, Caritas eſt : quæ non quod ſibi utile eſt, quærit, ſed quod multis. Lex autem Domini dicitur, ſive quod ipſe ex ea vivat, ſive quod eam nullus, niſi ejus dono poſſideat. Nec abſurdum videatur, quod dixi etiam Deum vivere ex lege : cum non alia quam caritate dixerim. Quid vero in ſumma & beata illa Trinitate ſummam & ineffabilem illam conſervat unitatem, niſi caritas ? Lex eſt ergo, & lex Domini, caritas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, & colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me æſtimet caritatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens, (alioquin in Deo dicerem, quod abſit, eſſe aliquid quod Deus non eſt) ſed ſubſtantiam illam divinam, quod utique nec novum, nec inſolitum eſt, dicente Johanne : *Deus caritas eſt*. Dicitur ergo recte & Caritas, & Deus, & Dei donum. Itaque Caritas dat caritatem, ſubſtantiva accidentalem. Ubi dantem ſignificat, nomen ſubſtantiæ eſt : ubi donum, qualitatis. Hæc eſt lex æterna, creatrix & gubernatrix univerſitatis. Siquidem in pondere, & menſura, & numero per eam facta ſunt univerſa, & nihil ſine lege relinquitur, cum ipſa quoque lex omnium ſine lege non ſit, non tamen alia quam ſeipſa : qua & ſeipſam etſi non creavit, regit tamen.

Lex Dei. *1 Johan. 4. 8.*

CAPUT XIII.

De lege propria voluntatis & cupiditatis, ſervorum & mercenariorum.

36. CEterum ſervus & mercenarius habent legem, non à Domino, ſed quam ipſi ſibi fecerunt : ille Deum non amando, iſte plus aliud amando. Habent, inquam, legem non Domini, ſed ſuam ; illi tamen, quæ Domini eſt, ſubjectam. Et quidem ſuam ſibi quiſque legem facere potuerunt : non tamen eam incommotabili æternæ legis ordini ſubducere potuerunt. Tunc autem dixerim quemque ſibi feciſſe ſuam legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatem, perverſe utique volens ſuum imitari Creatorem : ut ſicut ipſe ſibi lex, ſuique juris eſt, ita is quoque ſeipſum regeret, & legem ſibi ſuam faceret voluntatem. Grave utique & importabile jugum ſuper omnes filios Adam, heu ! inclinans & incurvans cervices noſtras, adeo ut vita noſtra inferno appropinquarit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? quo utique premor, & pæne opprimor, ita ut niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Sub hoc onere gravatus gemebat qui dicebat : *Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis ?* Ubi dixit, *Factus ſum mihimet ipſi gravis*, oſtendit quod lex ipſe ſibi eſſet, nec alius hoc quam ſibi ipſe feciſſet. Quod autem loquens Deo, præmiſit, *Poſuiſti me contrarium tibi* ; Dei ſe tamen non effugiſſe legem indicavit. Hoc quippe ad æternam juſtamque Dei legem pertinuit, ut qui à Deo noluit ſuaviter regi, pœnaliter à ſeipſo regeretur : quique ſponte jugum ſuave & onus leve caritatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile ſuſtineret invitus. Miro itaque & juſto modo æterna lex fugitivum ſuum & poſuit ſibi * contrarium, & retinuit ſubjectum : dum videlicet nec juſtitiæ pro meritis legem evaſit ; nec tamen cum Deo in ſua luce, in ſua requie, in ſua gloria remanſit, ſubjectus poteſtati, & ſubmotus felicitati. Domine Deus meus, cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam ? ut abjecta gravi ſarcina propriæ voluntatis, ſub levi onere caritatis reſpirem ; nec jam ſervili timore coërcear, nec mercenaria cupiditate illiciar : ſed agar ſpiritu tuo, ſpiritu libertatis, quo aguntur filii tui, qui teſtimonium reddat ſpiritui meo, quod & ego ſim unus ex filiis, dum eadem mihi lex fuerit quæ & tibi : & ſicut tu es, ita & ipſe ſim in hoc mundo. Hi ſiquidem, qui hoc faciunt quod ait Apoſtolus, *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*, proculdubio ſicut Deus eſt, & ipſi ſunt in hoc mundo : nec ſervi aut mercenarii ſunt, ſed filii.

Servorum mercenariorum de lege. *Propria voluntas hominis importabile jugum.* *Pſal. 87. 4.* *Rom. 7. 24.* *Pſal. 93. 17.* *Job 7. 20.* *Homo ſibi ipſi legem poſuit, gravem nimis & oneroſam.* * al. ſibidem ipſi.* *Ibidem.* *Rom. 8. 14.* *Rom. 13. 8.*

CAPUT XIV.

De lege caritatis filiorum.

37. ITaque nec filii ſunt ſine lege, niſi forte aliquis aliter ſentiat propter hoc quod ſcriptum eſt : *Juſtis non eſt lex poſita*. Sed ſciendum, quod alia eſt lex promulgata a ſpiritu ſervitutis in timore ; alia à ſpiritu libertatis data in ſuavitate. Nec ſub illa coguntur eſſe filii ; nec ſine iſta eſſe patiuntur. Vis audire quia juſtis non eſt lex poſita ? *Non accepiſtis*, ait, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore*. Vis audire quod tamen ſine lege caritatis non ſint ? *Sed accepiſtis*, inquit, *ſpiritum adoptionis filiorum*. Denique audi juſtum utrumque de ſe fatentem, & quod non ſit ſub lege, nec tamen ſit ſine lege. *Factus ſum*, inquit, *his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege : his qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem : cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Christi*. Unde apte non dicitur : Juſti non habent legem, aut, Juſti ſunt ſine lege ; ſed, *Juſtis non eſt lex poſita*, hoc eſt, non tamquam invitis impoſita, ſed voluntariis eo liberaliter data, quo ſuaviter inſpirata. Unde & pulcre Dominus : *Tollite*, ait, *jugum meum ſuper vos*, acſi diceret : Non impono invitis, ſed vos tollite ſi vultis, alioquin non requiem, ſed laborem invenietis animabus veſtris.

1 Tim. 1. 9. *Quomodo juſti non ſint ſub lege.* *Rom. 8. 15.* *1. Cor. 9. 20.* *1. Tim. 1. 9.* *Matth. 11 29.*

38. Bona itaque lex Caritas, & ſuavis : quæ non ſolum leviter ſuaviterque portatur, ſed etiam ſervorum & mercenariorum leges portabiles ac leves reddit, quas utique non deſtruit, ſed facit ut impleantur, dicente Domino : *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*. Illam temperat, iſtam ordinat, utramque levigat. Numquam erit caritas ſine timore, ſed caſto : numquam ſine cupiditate, ſed ordinata. Implet ergo caritas legem ſervi, cum infundit devotionem : implet & mercenarii, cum ordinat cupiditatem. Porro timori permixta devotio ipſum non annullat, ſed caſtificat. Pœna tantum tollitur, ſine qua eſſe non potuit dum fuit ſervilis ; & timor manet in ſæculum ſæculi caſtus & filialis. Nam quod legitur, *Perfecta caritas foras mittit timorem* : pœna intelligenda eſt, quæ ſervili (ut diximus) numquam deeſt timori, illo ſcilicet genere locutionis, quo ſæpe cauſa ponitur pro effectu. Deinde cupiditas tunc recte à ſuperveniente caritate ordinatur, cum mala quidem penitus reſpuuntur, bonis vero meliora præferuntur, nec bona niſi propter meliora appetuntur. Quod cum plene per Dei gratiam aſſecutum fuerit, diligetur corpus, & univerſa corporis bona tantum propter animam ; anima propter Deum ; Deus autem propter ſeipſum.

Caritatis lex quàm ſuavis. *Matth. 5. 17.* *Caritas quomodo expers timoris.* *1 Johan. 4. 18.* *Cupiditas quomodo recte ordinetur à caritate.*

CAPUT XV.

De quatuor gradibus amoris, & felici ſtatu patriæ cæleſtis.

39. VErumtamen quia carnales ſumus, & de carnis concupiſcentia naſcimur ; neceſſe eſt ut cupiditas vel amor noſter à carne incipiat. quæ ſi recto ordine dirigitur, quibuſdam ſuis gradibus duce gratia proficiens, ſpiritu tandem conſummabitur : quia non prius quod ſpirituale, ſed quod animale ; deinde quod

1. Cor. 15. 46.

Tom. II. Opusc. VIII

ſpirituale. Et prius neceſſe eſt portemus imaginem terreſtris; deinde cæleſtis. In primis ergo diligit ſeipſum homo propter ſe; caro quippe eſt, & nil ſapere valet præter ſe. Cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere; Deum quaſi ſibi neceſſarium incipit per fidem inquirere, & diligere. Diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. At vero cum ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam hujuſcemodi familiaritate paulatim ſenſimque Deus innoteſcit, conſequenter & dulceſcit: & ſic guſtato quam ſuavis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter ſe, ſed propter ipſum. Sane in hoc gradu diu ſtatur: & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantum propter Deum. Aſſerant hoc ſi qui experti ſunt: mihi, fateor, impoſſibile videtur. Erit autem proculdubio, cum introductus fuerit ſervus bonus & fidelis in gaudium Domini ſui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quaſi enim miro quodam modo oblitus ſui, & à ſe penitus velut deficiens, totus perget in Deum: & deinceps adhærens ei, unus cum eo ſpiritus erit. Arbitror hoc ſenſiſſe Prophetam cum diceret: *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Sciebat profecto cum introiret in ſpirituales potentias Domini, exutum ſe iri univerſis carnis infirmitatibus: ut jam nil de carne haberet cogitare, ſed totus in ſpiritu memoraretur juſtitiæ Domini ſolius.

Gradus amoris expoſuntur, de quibus ſup. c. 8. 9. & 10.

Quartus gradus amoris impoſſibilis in hac vita.

Matth. 25 21. Pſal. 35 9

1. Cor. 6 17 Pſal 70. 16

40. Tunc pro certo ſingula Chriſti membra dicere poterunt de ſe, quod Paulus aiebat de capite: *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus.* Nemo ibi ſe cognoſcet ſecundum carnem: quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Non quod carnis illic ſubſtantia futura non ſit; ſed quod carnalis omnis neceſſitudo ſit defutura, carniſque amor amore ſpiritus abſorbendus, & infirmæ, quæ nunc ſunt, humanæ affectiones in divinas quaſdam habeant commutari. Tunc ſagena caritatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum & ſpatioſum ex omni genere piſcium congregare non deſinit, cum perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos ſolummodo retinebit. Siquidem in hac vita ex omne genere piſcium intra ſinum ſuæ latitudinis caritatis rete concludit: ubi ſe pro tempore omnibus conformans, omniumque in ſe ſive adverſa, ſive proſpera trajiciens, ac ſua quodammodo faciens, non ſolum gaudere cum gaudentibus, ſed etiam flere cum flentibus conſuevit. Sed cum pervenerit ad littus, velut malos piſces omne quod triſte patitur, foras mittens, ſola quæ placere & jucunda eſſe poterunt, retinebit. Numquid enim tunc, verbi gratia, Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut uretur pro ſcandalizatis, ubi ſcandala & infirmitas procul erunt? Aut certe lugebit eos qui non agent * pœnitentiam, ubi certum eſt nec peccantem fore, nec pœnitentem? Abſit autem ut vel eos qui ignibus æternis cum diabolo & angelis ejus deputandi ſunt, plangat & defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat, cujus & diligit Dominus portas ſuper omnia tabernacula Jacob: quod videlicet in tabernaculis, etſi quandoque gaudetur de victoria, laboratur tamen in pugna, & plerumque periclitatur de vita: in illa autem patria nulla prorſus admittatur adverſitas ſive triſtitia, quemadmodum de illa canitur: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* & rurſum, *Lætitia ſempiterna erit eis.* Denique quomodo miſericordiæ recordabitur, ubi memorabitur juſtitiæ Dei ſolius? Proinde ubi jam non erit miſeriæ locus, aut miſericordiæ tempus; nullus profecto eſſe poterit miſerationis affectus.

2. Cor. 5 16. Affectiones humanæ in patria in divinas commutantur.

Matth. 13 48

Rom. 12 15.

2. Cor. 11 29. * al. habent.

Pſal. 86 2

Ibidem 7. Iſa. 61. 8.

Opusc. IX.

ADMONITIO IN OPUSCULUM IX.

Hoc Opuſculum Bernardus ante annum MCXXVIII. *compoſuit, id eſt ante annum ætatis ſuæ triceſimum octavum. Agit* de Gratia & libero arbitrio, *ex occaſione cujuſdam collationis cum homine neſcio quo, cui ſanctus Doctor nimium gratiæ tribuiſſe viſus fuerat, quaſi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri ſcopus eſt, quæ ſint gratiæ, quæ liberi arbitrii partes in negotio ſalutis. Hic multa docentur de libero arbitrio Dei, Angeli, & hominis, integri, lapſi, & beati: item de gratia primi hominis ante & poſt lapſum. Parvus liber, ſed qui plus ſucci & ſolidæ doctrinæ contineat, quàm magna librorum volumina, quæ de hoc theologico argumento pertractant. Stilus vegetus, vivaci ingenio & lumine plenus: verba propria & materiæ accommoda; oratio facilis, non arte quæſita, ſed quaſi naturalis; non obeſa & exilis, ſed pinguis & nervoſa: elegans, concinna, & jucunda; non trivialibus ſcholæ verbis languens, non barbara, aut inculta. Non ita preſſa, ut parce & guttatim fluat; nec tamen ita profuſa, ut torrentis inſtar, quaſi rupto aggere & ſiccato alveo, erumpat: ſed pari tenore & gravi majeſtate æqualiter profluens, fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus ſit, ſed ex proprio, immo ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione, præſertim Apoſtoli, num.* 48. *De iſto Opuſculo Gaufridus in libro tertio de vita Bernardi capite* VIII. *agens,* Quàm non ingratus, *inquit,* gratiæ Dei, ex his liquet, quæ DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, tam fideliter, quàm ſubtiliter diſputavit. *Nec prætermittenda verba epiſtolæ* LII. *ad Haimericum cardinalem, quæ ſub annum* MCXXVIII. *ſcripta eſt.* Quæſivit à me præfatus epiſcopus *Gaufridus Carnotenſis* aliqua ex noſtris Opuſculis quæ vobis mitteret: ſed non fuit ad manum, quod veſtro dignum crederem ſtudio. Libellum tamen DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO nuper edidi: illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognovero. *Directus eſt libellus Guillelmo ſancti Theoderici abbati, ſingulari Bernardi amico, ad quem Apologia ſuperius edita, & epiſtolæ complures. Nullam capitum diviſionem habent codices antiquiores, ſed recentiores. Vulgatam & receptam ſatius retinere viſum eſt.*

S. BERNARDI ABBATIS

TRACTATUS

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Ad Guillelmum abbatem S. Theoderici.

PRÆFATIO.

Domno Guillelmo abbati ſancti Theoderici, Frater Bernardus.

OPuſculum de gratia & libero arbitrio, quod illa, qua ſcitis, occaſione nuper aggreſſus ſum, eadem gratia * adjovante peregi ut potui. Vereor autem, ne aut grandia minus digne locutus inveniar, aut pertractata à pluribus ſuperfluo retractaſſe. Proinde illud legite primus, & ſi judicatis, ſolus: ne ſi proferatur in medium, magis forte ſcriptoris publicetur temeritas, quàm lectoris ædificetur caritas. Quod ſi palam fieri utile probaveritis, tunc ſi quid obſcurius dictum adverteritis, quod in re obſcura, ſervata congrua brevitate, dici planius potuiſſet; non ſit vobis pigrum aut emendare per vos, aut mihi reſignare emendandum, ſi fraudari non vultis promiſſione illa Sapientiæ, quæ ait: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

* al. Deo.

Guillelmo cenſuræ librum ſubjicit.

Eccleſ. 24. 31.

CAPUT I.

Ad boni operis meritum, una cum gratia Dei, concurrere liberi arbitrii conſenſum.

Operis occaſio.

1. LOquente me coram aliquando, & Dei in me gratiam commendante, quod ſcilicet ab ipſa me in bono & præventum agnoſcerem, & provehi ſentirem, & ſperarem perficiendum: Quid tu ergo, ait unus ex circumſtantibus, operaris; aut quid mercedis ſperas vel præmii, ſi totum facit Deus? Quid enim, inquam, tu conſulis? Da, inquit, gloriam Deo, qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit; & vive digne de cetero, quo te probes & perceptis beneficiis non ingratum, & percipiendis idoneum. Et ego: Bonum, inquam, conſilium das, ſed ſi dederis & poſſe teneri. Siquidem non eſt ejuſdem facilitatis ſcire quid faciendum ſit, & facere: quoniam & diverſa ſunt, cæco ducatum, ac feſſo præbere vehiculum. Non quicumque oſtendit viam, præbet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui facit ne deviet; & aliud qui præſtat ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor, ſtatim & dator erit boni quodcumque docuerit. Porro duo mihi ſunt neceſſaria, doceri ac juvari. Tu homo recte quidem conſulis ignorantiæ: ſed, ſi verum ſentit Apoſtolus, *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Immo vero qui mihi per os tuum miniſtrat conſilium, ipſe neceſſe eſt miniſtret & per ſuum Spiritum adjutorium, quo valeam implere quod conſulis. Ecce enim jam ex ejus munere velle adjacet mihi, perficere autem non invenio; ſed nec aliquando me inventurum confido, niſi qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate. Ubi ergo, ais, ſunt merita noſtra; aut ubi eſt ſpes noſtra? Audi, inquam: *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Quid enim? Tu forte putaveras tua te creaſſe merita, tua poſſe ſalvari juſtitia, qui nec ſaltem Dominum Jeſum dicere potes niſi in Spiritu-ſancto? Itane oblitus es quis dixerit, *Sine me nihil poteſtis facere?* &, *Neque currentis, neque volentis; ſed miſerentis eſt Dei?*

Duo ad bene operandum neceſſaria, doceri & juvari.

Rom. 8. 26.

Rom. 7. 18.

Philip. 2. 13.

Tit. 3. 5.

Merita noſtra ex gratia.

1 Cor. 12. 3.

Joban. 15. 5.

Rom. 9. 16.

2. Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter reſpondeo: Salvatur. Tolle liberum arbitrium, & non erit quod ſalvetur: tolle gratiam, non erit unde ſalvetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt: uno à quo fit: altero cui, vel in quo fit. Deus auctor eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax: nec dare illam, niſi Deus; nec capere valet, niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio; tam abſque conſenſu eſſe * non poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit, hoc eſt dum ſalvatur. Conſentire enim ſalvari eſt. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem hujuſcemodi minime capit, eo quod illi voluntarius conſenſus deſit, quo ſalvanti videlicet Deo placide obtemperet, ſive jubenti acquieſcendo, ſive pollicenti credendo, ſive reddenti gratias agendo. Enimvero aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus. Poſterior quippe nobis communis eſt cum irrationalibus: nec valet conſentire ſpiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortaſſis ipſe eſt, qui alio nomine ab Apoſtolo *Sapientia carnis* appellatur, ubi ait: *Sapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt.* Hunc ergo (ut dixi) communem habentes cum beſtiis, conſenſus voluntarius nos diſcernit. Eſt enim habitus animi, liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis; nec negat ſe, nec præbet cuiquam, niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt, non voluntarius. Ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non enim eſt conſenſus, niſi voluntarius. Ubi ergo conſenſus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.

Liberum arbitrium cooperatur gratiæ conſentiendo.

* al. effici.

Voluntarium ab appetitu diverſum.

Rom. 8. 6.

Definitio conſenſus voluntarii.

CAPUT II.

Quid liberum arbitrium, ſeu in quo conſiſtat libertas.

3. SEd ut manifeſtius fiat quod dicitur, & competentius ad id quod volumus veniamus, paulo altius æſtimo repetendum. In rebus naturalibus * non eſt id vita, quod ſenſus; non ſenſus, quod appetitus; nec ille, quod conſenſus. Quod ex ſingulorum definitionibus clarius elucebit. Eſt enim in quolibet corpore Vita, internus ac naturalis motus, vigens tantum intrinſecus. Senſus vero, vitalis in corpore motus, vigens & extrinſecus. Appetitus autem naturalis, vis in animante, movendis avide ſenſibus attributa. Verum Conſenſus, nutus eſt voluntatis ſpontaneus, vel certe (quod ſuperius dixiſſe me memini) habitus animi, liber ſui. Porro Voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens, & appetitui. Habet ſane, quocumque ſe volverit, ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quod ſemper ex ratione, ſed quod numquam abſque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt quaſi per ejus miniſterium, contra ejus conſilium ſive judicium. Unde eſt illud: *Prudentiores ſunt filii hujus ſeculi filiis lucis in generatione ſua.* & rurſum: *Sapientes ſunt ut faciant mala.* Neque enim prudentia ſeu ſapientia ineſſe creaturæ poteſt, vel in malo, niſi utique per rationem.

* al. materialibus.

Quid vita.

Senſus.

Appetitus.

Conſenſus.

Voluntas.

Ratio pediſſequa voluntatis.

Luc. 16. 8.

Jerem. 4. 22.

4. Eſt vero ratio data voluntati ut inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quo minus libere pro arbitrio ſeſe volveret, ſive in malum conſentiens appetitui, aut nequam ſpiritui; ut ſit animalis, non percipiens, vel certe & perſequens ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſive ad bonum gratiam ſequens, & fiat ſpiritualis: quæ omnia dijudicans, ipſa à nemine judicetur. Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſ-

Voluntati neceſſitatem non imponit.

Tom. II. Opusc. IX.

ſet, voluntas jam non eſſet. Ubi quippe neceſſitas, jam non voluntas. Quod ſi ex neceſſitate, & abſque conſenſu propriæ voluntatis, juſta [a], injuſtave fieri poſſent; rationalis creatura, aut miſera profecto eſſe nulla ratione deberet; aut beata penitus non poſſet, cui nimirum in utravis parte id deeſſet, quod ſolum in ea miſeriæ, ſive beatitudinis capax eſt, id eſt voluntas. Cetera ſiquidem, quæ ſupra memorata ſunt, vita, ſenſus, vel appetitus, nec miſerum per ſe faciunt, nec beatum. Alioquin & arbores ex vita, & pecudes etiam ex reliquis duobus, vel miſeriæ poſſent eſſe obnoxiæ, vel idoneæ beatitudini. quod omnino impoſſibile eſt. Communem itaque habentes, vitam quidem cum arboribus, ſenſum vero & appetitum, & æque vitam cum pecoribus, id quod dicitur voluntas, nos ab utriſque diſcernit. Cujus voluntatis conſenſus, utique voluntarius non neceſſarius, dum aut juſtos probat, aut injuſtos, etiam merito beatos facit vel miſeros. Is ergo talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis quod ſecum ſemper & ubique portat, indeclinabile judicium, non incongrue dicetur (ut arbitror) liberum arbitrium, ipſe liber ſui propter voluntatem, ipſe judex ſui propter rationem. Et merito libertatem comitatur judicium: quoniam quidem quod liberum ſui eſt, profecto ubi peccat, ibi ſe judicat. Eſt autem judicium, quia juſte profecto, ſi peccat, patitur quod nolit, qui non peccat niſi velit.

Voluntas ſola eſt miſeriæ, tum beatitudinis capax.

Conſenſus id facit.

Liberum arbitrium unde dicatur.

5. Ceterum quod ſui liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excuſat nempe utrumque neceſſitas. Porro ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt: ubi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc nec judicium. Excepto ſane per omnia originali peccato, quod aliam conſtat habere rationem. De cetero quicquid hanc non habet voluntarii conſenſus libertatem, proculdubio & merito caret, & judicio. Proinde univerſa quæ ſunt hominis, præter ſolam voluntatem, ab utroque libera ſunt, quia ſui libera non ſunt. Vita, ſenſus, appetitus, memoria, ingenium, & ſi qua talia ſunt, eo ipſo ſubjacent neceſſitati, quo non plene ſubdita ſunt voluntati. Ipſam vero quia impoſſibile eſt de ſeipſa ſibi non obedire; (nemo quippe aut non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impoſſibile eſt ſua privari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas, ſed non niſi in aliam voluntatem, ut numquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt privari illa, quàm nec ſeipſa. Si poterit homo aliquando, aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, & non voluntate; poterit & carere libertate voluntas. Hinc eſt quod inſanis, infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciant, vel bonum, vel malum, imputatur: quia nimirum ſicut ſuæ non ſunt compotes rationis, ſic nec uſum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. Cum igitur voluntas nil liberum habeat niſi ſe, merito non judicatur niſi ex ſe. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec ſenſus obtuſus, nec vita languens, reum per ſe ſtatuunt hominem, ſicut nec contraria innocentem; & hoc non ob aliud, niſi quia hæc neceſſarie, ac præter voluntatem poſſe provenire probantur.

Neceſſitas tollit libertatem.

Et meritum.

Soli voluntati competit libertas.

Libertate privari non poteſt.

Tardum ingenium &c. reum non faciunt.

CAPUT III.

Triplicem eſſe libertatem. Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.

6. Sola ergo voluntas, quoniam pro ſui ingenita libertate, aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquo conſentire, nulla vi, nulla cogitur neceſſitate; non immerito juſtam vel injuſtam, beatitudine ſeu miſeria dignam ac capacem creaturam conſtituit; prout ſcilicet juſtitiæ, injuſtitiæve conſenſerit. Quapropter hujuſmodi voluntarium liberumque conſenſum, ex quo & omne ſui (ex his quæ dicta ſunt) conſtat pendere judicium; puto non incongrue id eſſe, ut ſupra definivimus, quod ſolet liberum arbitrium appellari: ut liberum ad voluntatem, arbitrium referatur ad rationem. Sed ſane liberum, non illa libertate, de qua dicit Apoſtolus: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Eſt enim illa libertas à peccato, ſicut alibi dicit: *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Quis vero in carne peccati a peccato ſibi vindicat libertatem? Hac ergo libertate dictum merito nequaquam opinor liberum arbitrium. Eſt item libertas à miſeria, de qua itidem Apoſtolus: *Et ipſa*, inquit, *creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed numquid & iſtam ſibi quiſpiam in hac mortalitate præſumit? Et hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus. Eſt vero, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere poſſumus à neceſſitate, eo quod neceſſarium voluntario contrarium eſſe videatur. ſiquidem quod ex neceſſitate ſit, jam non eſt ex voluntate, & e converſo ſimiliter.

Liberum arbitrium quid dicatur.

2. Cor 3. 17.

Rom. 6. 18.

Libertas triplex.

Rom. 8. 21.

7. Cum igitur, prout interim potuit occurrere nobis, triplex ſit nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate; hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura, in primam reſtauramur à gratia, media nobis reſervatur in patria. Dicatur igitur prima libertas Naturæ, ſecunda Gratiæ, tertia Vitæ vel Gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi ſumus, nobilis Deo creatura: ſecundo reformamur in innocentiam, nova in Chriſto creatura: tertio ſublimamur in gloriam, perfecta in ſpiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, ſecunda plurimum etiam virtutis, noviſſima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præſtamus ceteris animantibus; in ſecunda carnem, per tertiam mortem ſubjicimus. Vel certe ſicut in prima ſubjecit Deus ſub pedibus noſtris oves & boves & pecora campi: ita quoque per ſecundam ſpirituales beſtias hujus aëris, de quibus dicitur, *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*, proſternit æque & conterit ſub pedibus noſtris: in ultima tandem nos ipſos nobis plenius ſubmiſſurus per victoriam corruptionis & mortis, quando ſcilicet noviſſima deſtruetur mors, & nos tranſibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei: qua libertate Chriſtus nos liberabit, cum nos utique tradet regnum Deo & Patri. De hac enim, & item de illa quam diximus à peccato, puto quod Judæis aiebat: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Liberum arbitrium liberatore indigere ſignificabat: ſed plane qui illud liberaret non à neceſſitate, quam, voluntas [b] cum eſſet, penitus non noverat; ſed à peccato, in quod tam libere, quàm voluntarie corruerat; ſimulque à pœna peccati, quam incautum incurrerat, invitumque ferebat. quo utroque malo liberari omnino non poterat, niſi per illum, qui ſolus hominum factus eſt inter mortuos liber, liber videlicet à peccato inter peccatores.

Libertatis triplex diviſio.

Pſal. 73. 19.

Johan. 8. 36.

Libertas noſtra per Chriſtum qualis.

Pſal. 87. 6.

8. Solus namque inter filios Adam libertatem ſibi vindicat a peccato, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Porro & à miſeria, quæ eſt pœna peccati, habuit nihilo minus libertatem, ſed potentia, non actu. Nemo quippe tollebat animam ejus ab eo, ſed ipſe ponebat eam. Denique, teſte Propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* ſicut & cum voluit natus ex muliere, factus ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret. Fuit itaque & ipſe ſub lege miſeriæ: ſed fuit quia voluit, ut liber inter miſeros & peccatores utrumque jugum fraternis à cervicibus excuteret. Habuit itaque totas tres libertates, primam ex humana ſimul & divina natura, reliquas ex divina potentia. Quarum duas poſteriores utrum & primus homo in paradiſo habuerit, vel quomodo & quatenus eas habuerit, poſtea videbimus.

1. Pet. 2. 22.

Johan. 10. 18.

Iſa. 53. 7.

Galat. 4. 5.

Chriſtus triplici quoque libertate prædeitus.

a Ita ſcripti noſtri tres: editi, *voluntatis, mala bonave fieri poſſent.*

b In editis, & quibuſdam ſcriptis, *voluntatis.* Sed *voluntas* rectius ad ſenſum.

CAPUT IV.

Qualis libertas competat animabus ſanctis carne ſolutis: quæ et Deo, & omni creaturæ rationali communis.

9. HOc autem indubitanter ſciendum, utramque plenam atque perfectam perfectis ineſſe animabus carne ſolutis, cum Deo pariter & Chriſto ejus, atque Angelis ſupercæleſtibus. Nam ſanctis animabus, etſi necdum corpora receperunt, deeſt quidem de gloria; ſed nihil prorſus ineſt de miſeria. Verum libertas à neceſſitate æque & indifferenter Deo, univerſæque tam malæ, quàm bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato, nec miſeria amittitur, vel minuitur; nec major [a] in juſto eſt, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine. Quomodo namque ad bonum per gratiam converſus humanæ voluntatis conſenſus, eo libere bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: ſic ſponte devolutus in malum, in malo nihilo minus tam liberum, quàm ſpontaneum conſtituit, ſua utique voluntate ductum, non aliunde coactum ut malus ſit. Et ſicut cæleſtis Angelus, aut etiam Deus ipſe, permanet libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinſeca neceſſitate: ſic profecto diabolus æque libere in malum & corruit, & perſiſtit, ſuo utique voluntario nutu, non alieno impulſu. MANET ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam in bonis, ſed in bonis ordinatior; tam integra quoque pro ſuo modo in creatura, quàm in Creatore, ſed in illo potentior.

Libertas à neceſſitate in omnibus æqualis.

Cum quo dicitur.

10. Quod autem homines ſolent conqueri, & dicere, Volo habere bonam voluntatem, & non poſſum; nequaquam huic præſcribit libertati, ut quaſi vim aut neceſſitatem in hac parte voluntas patiatur: ſed plane illa libertate, quæ dicitur à peccato, ſe carere teſtantur. Nam qui vult habere bonam voluntatem, probat ſe habere voluntatem. non enim vult habere bonam, niſi per voluntatem. Quod ſi voluntatem, & libertatem, ſed libertatem à neceſſitate, non à peccato. Nempe ut non valeat, cum velit, habere bonam, ſentit quidem ſibi deeſſe libertatem, ſed profecto libertatem à peccato, quo utique dolet premi, non perimi voluntatem. Quamquam jam proculdubio utcumque bonam habet, ubi habere vult. Bonum quippe eſt quod vult; nec poſſet bonum velle, niſi bona voluntate: ſicut nec velle malum, niſi mala voluntate. Cum bonum volumus, bona eſt voluntas: cum malum volumus, mala eſt voluntas. Utrobique voluntas, & ubique libertas: cedit ſiquidem voluntati neceſſitas. Cum autem non valemus quod volumus; ſentimus quidem ipſam quodammodo libertatem peccato eſſe captivam, vel miſeram, non tamen amiſſam.

An velle habere bonam voluntatem & non poſſe, præjudicet libertati.

Bonam habet voluntatem qui vult habere.

11. Ex hac ergo tantum libertate, qua liberum eſt voluntati ſeipſam judicare: vel bonam, ſi bono; vel malam, ſi malo conſenſerit, (quippe quæ in neutro, niſi certe volendo, conſentire ſe ſentit) liberum arbitrium credimus nominari. Nam ex illa quæ dicitur à peccato, congruentius forſitan liberum Conſilium; & item ex illa quæ dicta eſt à miſeria, liberum potius Complacitum poſſet dici, quàm liberum arbitrium. Arbitrium quippe judicium eſt. Sicut vero judicii eſt diſcernere quid liceat, vel quid non liceat: ſic profecto conſilii probare quid expediat, vel non expediat: ſic complaciti quoque experiri quid libeat, vel non libeat. Utinam tam libere nobis conſuleremus, quàm libere de nobis judicamus! ut quemadmodum libere per judicium licita illicitaque decernimus; ita per conſilium & licita, tamquam commoda, nobis eligere; & illicita, tamquam noxia, reſpuere liberum haberemus. Jam enim non ſolum liberi arbitrii, ſed & liberi proculdubio conſilii, ac per hoc & à peccato liberi eſſemus. Sed quid ſi totum, ſolumque quod expediret vel liceret, etiam liberet? Nonne liberi quoque eſſe complaciti merito diceremur, quippe qui ab omni proinde, quod diſplicere poteſt, hoc eſt ab omni nos miſeria, liberos ſentiremus? Nunc autem cum multa per judicium vel admittenda, vel omittenda eſſe decernamus, quæ tamen per conſilium nequaquam pro judicii rectitudine aut eligimus, aut contemnimus: rurſumque non omnia, quæ tamquam recta & commoda conſulte obſervamus, etiam ut beneplacita libenter amplectimur, ſed inſuper quaſi dura ac moleſta vix æquanimiter ferre perduramus: liquet quia liberum nec conſilium habemus, nec complacitum.

Liberum arbitrium ex quo genere libertatis dicatur.

Libertas à peccato, liberum conſilium.

Libertas à miſeria, liberum complacitum.

Neutrum hic habemus.

12. Alia quæſtio eſt, ſi vel ante peccatum in primo homine habuimus: quod loco ſuo diſcutietur. Certiſſime autem habituri ſumus, cum Deo miſerante obtinebimus quod oramus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* Hoc nempe complebitur, quando id quod nunc cunctæ paſſim rationali (ut jam dictum eſt) creaturæ commune videtur, liberum ſcilicet à neceſſitate arbitrium, erit etiam in electis hominibus (uti jam in ſanctis eſt Angelis) & cautum à peccato, & tutum à miſeria, probantibus tandem triplicis libertatis felici experientia, quæ ſit bona voluntas Dei, ac beneplacens, & perfecta. Quod quia necdum eſt, ſola interim plena integraque manet in hominibus libertas arbitrii. Nam libertas conſilii ex parte tantum, & hoc in paucis ſpiritalibus, qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, quatenus jam non regnet peccatum in eorum mortali corpore. Porro ut non regnet, libertas facit conſilii; ut tamen non deſit ex integro, captivitas eſt liberi arbitrii. Cum autem venerit quod perfectum eſt, tunc evacuabitur quod ex parte eſt: hoc eſt cum plena fuerit libertas conſilii, nulla jam erit captivitas arbitrii. Et hoc eſt quod quotidie petimus in oratione, cum dicimus Deo: *Adveniat regnum tuum.* Regnum hoc necdum ex toto pervenit in nos. Quotidie tamen paulatim adventat, ſenſimque in dies magis ac magis dilatat terminos ſuos, in his dumtaxat, quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. IN QUANTUM ergo regnum gratiæ dilatatur, in tantum peccati poteſtas minuitur. In quantum vero minus eſt adhuc propter corpus mortis quod aggravat animam, & ob neceſſitatem terrenæ inhabitationis utique deprimentis ſenſum multa cogitantem: neceſſe habent etiam qui perfectiores in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere: *In multis offendimus omnes.* &, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quapropter orant & ipſi ſine intermiſſione, dicentes: *Adveniat regnum tuum.* Quod non erit vel in ipſis conſummatum, quouſque peccatum non ſolum non regnet in eorum mortali corpore, ſed nec ſit omnino, nec eſſe poſſit in immortali jam corpore.

Matth. 6. 10.

Perfectiſſima libertas demum erit in patria.

Libertas conſilii in viris ſpiritualibus & mortificatis.

Matt. 6. 10.

Jac. 3. 2.

1. Johan 1. 8.

Matth. 6. 10.

CAPUT V.

An libertas a miſeria, ſeu complaciti, detur in hoc ſæculo.

13. JAm de libertate complaciti in hoc ſæculo nequam quid dicemus? ubi vix ſufficit diei malitia ſua; ubi omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc, vanitati nimirum ſubjecta non volens; ubi vita hominis tentatio eſt ſuper terram: ubi viri quoque ſpirituales, qui primitias ſpiritus jam acceperunt, ingemiſcunt & ipſi intra ſemetipſos, exſpectantes redemptionem corporis ſui. Numquidnam inter iſta locus ullus eſt hujuſcemodi libertati? Quid, inquam, li-

Non libertas complaciti.

Rom. 8. 22.

Job 7. 1.

[a] Nempe *quantum in ſe eſt*, infra. Et num. 24. *Manet ergo, etiam poſt peccatum, liberum arbitrium, etſi miſerum, tamen integrum &c. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in ſe eſt, pertinet, aut aliquando pertinuit poſſe vel ſapere (quod eſt voluntatis ad bonum converſio*, num. 19.) *ſed tantum velle.* Et num. 28. rationem reddit, cur *liberum arbitrium ſui omnino defectum ſeu diminutionem non patitur, nempe quod in ipſo potiſſimum æternæ & incommutabilis divinitatis ſubſtantiva quædam imago impreſſa videatur*: at in duabus aliis libertatibus ſit *accidentalis quædam magis ſimilitudo ſapientiæ atque potentiæ divinæ, imagini ſuperducta.* Confer Sermonem 81. in Cantica à num. 6.

Tom. II. Opusc. IX.

berum noſtro relinquitur complacito, ubi totum occupare videtur miſeria? Neque enim vel innocentia ſeu juſtitia, quemadmodum à peccato, ita etiam à miſeria tutæ eſſe hic poterunt, ubi juſtus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & item: *Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Ubi noctes dieſque in mærore continuantur, nullum profecto temporis ſpatium complacito vacuum relinquitur. Denique qui pie volunt vivere in Chriſto, ipſi magis perſecutionem patiuntur; quoniam judicium à domo Dei incipit. Quod & præcipit: A meis, inquiens, incipite.

Rom. 7. 24. — Pſal. 41. 3. — 2 Tim. 3. 12. — Ezech. 9. 6.

An improbi gaudeant libertate complaciti.

14. Sed etſi non virtus, vitium forte in tuto, eſt, & aliqua interim ex parte frui poteſt complacito, cavere miſeriam. Abſit. Nam qui lætantur cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis: tale eſt quod faciunt, quale cum rident phrenetici. Nulla autem verior miſeria, quam falſa lætitia. Denique in tantum miſeria eſt, quod videtur felicitas in hoc ſæculo, ut Sapiens dicat: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* Eſt quidem in bonis corporis nonnulla jucunditas, videlicet in edendo, bibendo, calefaciendo, ceteriſque talibus fomentis vel tegumentis carnis. Sed numquid vel iſta vacant aliquatenus à miſeria? Bonus eſt panis, ſed eſurienti; potus delectat, ſed ſitientem: denique ſaturato cibus, potuſque jam nequaquam ſunt grata, ſed gravia. Tolle famem, & panem non curabis; tolle ſitim, & limpidiſſimum fontem, acſi paludem reſpicies. Similiter umbram non quærit niſi æſtuans; ſolem non curat niſi algens ſive caligans. Alioquin nihil horum libebit, ſi non præceſſerit urgens neceſſitas. Quæ ſi perfecte tollatur è rebus, ſtatim in tædium atque moleſtiam convertetur ipſa quoque, quæ videtur in his eſſe, jucunditas. Fatendum igitur & in hac parte, omne quod præſentis vitæ eſt, occupare miſeriam: niſi quod in tribulationibus continuis graviorum laborum, leviores utique ſint qualiſcunque [a] conſolatio: & dum forte pro tempore ac rerum eventibus viciſſim ſibi gravia leviaque ſuccedunt, minorum experientia, aliqua miſeriæ videtur interpolatio; ut cum aliquando, poſt experta plura graviſſima, in minus forte moleſta evaditur, felicitas putetur.

Eccl. 7. 3. — *In bonis corporis nulla eſt ſincera voluptas.* — *Nihil niſi miſeria in hac vita.*

Contemplativi in hac vita frui poſſunt libertate complaciti.

15. Attamen fatendum eſt eos, qui per exceſſum contemplationis rapti quandoque in ſpiritu, quantulumcunique de ſupernæ felicitatis dulcedine deguſtare ſufficiunt, toties eſſe liberos à miſeria, quoties ſic excedunt. Hi plane (quod negandum non eſt) etiam in hac carne, raro licet raptimque, complaciti libertate fruuntur, qui cum Maria optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis. Qui enim jam tenent quod auferendum non eſt, experiuntur utique quod futurum eſt. Sed quod futurum eſt felicitas eſt: porro felicitas & miſeria eodem tempore ſimul eſſe non poſſunt. Quoties igitur per ſpiritum illam participant, toties iſtam non ſentiunt. Itaque in hac vita ſoli contemplativi poſſunt utcumque frui libertate complaciti: & hoc ex parte, & parte ſatis modica, viceque rariſſima. Porro libertate conſilii fruuntur etiam quilibet juſti; ex parte quidem, ſed non modica. Ceterum libertas arbitrii (ut ſupra liquido apparuit) cunctis pariter ratione utentibus convenit; non minor, quantum in ſe eſt, in malis, quam in bonis; tam plena in hoc ſæculo, quàm & in futuro.

CAPUT VI.

Ad volendum bonum gratiam omnino eſſe neceſſariam.

Libertas arbitrii quaſi captiva ſine libertate conſilii & complaciti. — Galat. 5. 17.

16. Sed & hoc ſatis aperte monſtratum eſſe puto, quod hæc ipſa tamen libertas tamdiu quodammodo captiva tenetur, quamdiu illam duæ aliæ libertates minime, aut minus plene comitantur; nec aliunde noſter ille defectus venit, de quo Apoſtolus: *Ut non quæcumque vultis*, ait, *illa faciatis.* Velle ſiquidem ineſt nobis ex libero arbitrio, non etiam poſſe quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum: ſed tantum velle. Velle etenim bonum, profectus eſt; velle malum defectus. Velle vero ſimpliciter, ipſum eſt quod vel proficit, vel deficit. Porro ipſum ut eſſet, creans gratia fecit; ut proficiat, ſalvans gratia facit; ut deficiat, ipſum ſe dejicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipſo nobis eſt velle, ex ipſa bonum velle. Quemadmodum namque aliud eſt timere ſimpliciter, aliud timere Deum; & aliud amare ſimpliciter, aliud eſt amare Deum: quippe timere & amare, ſimpliciter quidem prolata, affectiones; cum additamento autem virtutes, ſignificant: ita quoque aliud eſt velle, aliud velle bonum.

Velle ex libero arbitrio, velle bonum ex gratia.

Virtutes ſunt ordinatæ affectiones.

17. Simplices namque affectiones inſunt naturaliter nobis, tamquam ex nobis: additamenta ex gratia. Nec aliud profecto eſt, niſi quod gratia ordinat, quas donavit creatio: ut nil aliud ſint virtutes, niſi ordinatæ affectiones. Scriptum eſt de quibuſdam, quod illic trepidaſſent timore, ubi non erat timor. Timor fuit, ſed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in diſcipulis, cum diceret: *Oſtendam vobis quem timere debeatis.* & David: *Venite*, ait, *filii audite me; timorem Domini docebo vos.* Item de amore inordinato arguebat homines qui dicebat: *Ego lux veni in hunc mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Idcirco poſtulat ſponſa in Canticis, dicens: *Ordinate in me caritatem.* Similiter quoque de inordinata voluntate arguebantur, quibus dicebatur: *Neſcitis quid petatis.* Sed ad lineam rectitudinis edocti ſunt diſtortam reducere voluntatem, cum audierunt: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et tunc quidem verbo, ſed poſtmodum etiam exemplo voluntatem ordinare docebat, cum orans inſtante paſſione ut transferretur ab eo calix, ſtatim ſubjiceret: *Verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu vis.* A Deo igitur velle, quomodo & timere, quomodo & amare, accepimus in conditione naturæ, ut eſſemus aliqua creatura: velle autem bonum, quomodo & timere Deum, quomodo & amare Deum, accipimus in viſitatione gratiæ, ut ſimus Dei creatura.

Pſal. 13. 5. — Luc. 12. 5. — Pſal. 33. 12. — Johan. 3. 19. — Cant. 2. 4. — Marc. 10. 38. — Ibidem. — Matt. 26. 39.

Creati noſtri, Dei efficimur per bonam voluntatem.

18. Creati quippe quodammodo noſtri in liberam voluntatem, quaſi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porro bonam facit, qui liberam fecit; & ad hoc bonam, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus: quoniam expedit profecto nobis magis omnino non fuiſſe, quàm noſtros permanere. Nam qui voluerunt ſui eſſe, utique ſicut dii, ſcientes bonum & malum; facti ſunt, non tantum jam ſui, ſed & diaboli. Itaque libera voluntas nos facit noſtros; mala, diaboli; bona, Dei. Ad hoc pertinet quod dicitur: *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Nam illis qui ejus non ſunt, *Amen dico vobis*, inquit, *neſcio vos.* Cum ergo per malam voluntatem ſumus diaboli, quodammodo interim non ſumus Dei: ſicut cum per bonam voluntatem efficimur Dei, deſinimus jam eſſe diaboli. *Nemo* ſiquidem *poteſt duobus dominis ſervire.* Ceterum ſive Dei ſumus, ſive diaboli; non tamen ſimiliter deſinimus eſſe & noſtri. Manet quippe utrobique libertas arbitrii, per quam maneat & cauſa meriti: quatenus merito vel puniamur mali, quod tamquam liberi ex propria voluntate efficimur: vel glorificemur boni, quod niſi æque voluntarii eſſe non poſſumus. Sane diabolo noſtra nos mancipat voluntas, non ipſius poteſtas: Deo ſubjicit ejus gratia, non noſtra voluntas. Noſtra quippe voluntas bona (quod fatendum eſt) à bono Deo creata, perfecta tamen non erit, quouſque ſuo Creatori perfecte ſubjecta ſit. Abſit autem, ut ipſi ſui ipſius perfectionem, Deo autem tantum creationem tribuamus; cum longe nimirum melius ſit eſſe perfectam, quàm factam: & dictu ipſo nefas videatur, Deo quod minus, nobis quod excellentius ſit attribuere. Sentiens denique Apoſtolus quid ex natura eſſet, quid ex gratia exſpectaret, aiebat:

Per malam, diaboli. — 2 Tim. 2. 19. — Matth. 25. 12. — *Utrobique noſtri.* — Matt. 6. 24. — *Diabolo ſubjicimur noſtra voluntate; Deo ejus gratia.*

[a] Hæc proba eſt hujus loci lectio in duobus codicibus Colbertinis: in cæteris *qualiſcumque conſolationes.* At *leviores* refertur, non ad *conſolationes*, ſed ad *tribulationes*, quæ *leviores* ſunt *qualiſcumque conſolatio* in hac vita.

Rom. 7. 18. *Velle adjacet mihi, perficere non invenio.* Sciebat profecto, velle quidem ſibi ineſſe ex libero arbitrio : ſed ut ipſum velle perfectum haberet, gratiam ſe habere neceſſariam. Si enim velle malum, defectus quidam eſt voluntatis ; utique bonum velle, profectus ejuſdem erit : ſufficere vero ad omne quod volumus bonum, ipſius perfectio.

Gratia neceſſaria ad volendum bonum.

19. Ut ergo velle noſtrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus ; duplici gratiæ munere indigemus, & vero videlicet Sapere, quod eſt voluntatis ad bonum converſio ; & pleno etiam Poſſe, quod eſt ejuſdem in bono confirmatio. Porro perfecta converſio eſt ad bonum, ut nil libeat niſi quod deceat vel liceat ; perfecta in bono confirmatio, ut nil deſit jam quod libeat. Tunc demum perfecta erit voluntas, cum plene fuerit bona, & bene plena. Habet ſiquidem duplex in ſe bonum ab initio ſui : unum quidem generale ex ſola creatione, quod à bono ſcilicet Deo non potuit creari niſi bona, ſecundum quod vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona : alterum ſpeciale ex libertate arbitrii, in qua ad imaginem utique ipſius qui creavit, eſt condita. Quod ſi duobus his bonis accedat & tertium, converſio ſcilicet ad Creatorem ; reputabitur non immerito perfecte bona : bona nimirum in univerſitate, melior in ſuo genere, optima in ſui ordinatione [a]. Eſt autem ordinatio, omnimoda converſio voluntatis ad Deum, & ex tota ſe voluntaria devotaque ſubjectio. Huic vero tam perfectæ juſtitiæ debetur, immo jungitur gloriæ plenitudo : quia ſic ſe comitantur duo iſta, ut nec juſtitiæ poſſit haberi perfectio, niſi in plena gloria ; nec gloriæ plenitudo, abſque perfecta juſtitia. Merito denique talis juſtitia non erit ſine gloria, cum gloria vera non ſit, niſi de tali juſtitia. Unde recte dicitur : *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Eaque duplex.

Voluntatis plena bonum.

Gen. 1. 31.

Voluntatis converſio & ordinatio qual.

Juſtitiæ perfectio tantum in patria.

Matt. 5. 6.

20. Hæc autem ſunt illa duo quæ ſupra nominavimus, verum Sapere, & plenum Poſſe : ut Sapere ad juſtitiam, Poſſe referatur ad gloriam. Sed Verum & Plenum addita ſunt, alterum ad diſtinctionem ſapientiæ carnis, quæ mors eſt ; itemque ſapientiæ mundi, quæ ſtultitia apud Deum, qua & ſapientes apud ſemetipſos ſunt homines, *ſapientes*, inquam, *ut faciant mala* : alterum ad illorum differentiam, de quibus dicitur : *Potentes potenter tormenta patientur.* Nam verum Sapere, aut plenum Poſſe omnino non inveniuntur, niſi ubi libero arbitrio jam illa duo conjuncta ſunt, quæ item ſuperius memoravimus, liberum videlicet Conſilium, liberumque Complacitum. Solum profecto dixerim vere ſapientem, pleneque potentem, cui jam non tantum velle adjacet ex libero arbitrio, ſed ex reliquis quoque duobus invenit & perficere : dum nec velle valeat quod malum ſit, nec carere quod velit : quorum alterum eſt ex libertate conſilii, id eſt verum Sapere ; alterum ex libertate complaciti, ſcilicet plenum Poſſe. Sed quis talis eſt ac tantus in hominibus, qui in hoc glorietur ? Aut ubi, aut quando iſtud obtinetur ? Numquidnam in hoc ſæculo ? Sed ſi quis eſſet hujuſmodi, major eſſet Paulo, qui confitetur dicens : *Perficere autem non invenio.* Numquid Adam in paradiſo ? Sed ſi habuiſſet, numquam exulaſſet [*] à paradiſo.

Rom. 8. 6. 1 Cor. 3. 19. Jer. 4. 22.

Sap. 6. 7.

Triplex illa libertas ei ad perfectionem non eſt in hac vita.

Rom. 7. 18.

* al. exſul eſſet.

CAPUT VII.

Utrum primi homines in paradiſo trina illa libertate præditi fuerint, & poſt peccatum.

21. NUnc locus eſt pervidendi quod ſupra diſtulimus ; utrum ſcilicet totas tres illas quas diximus libertates, id eſt, Arbitrii, Conſilii, Complaciti ; vel aliis nominibus, à neceſſitate, à peccato, à miſeria, primi homines in paradiſo habuerint : an tantum duas, an unam ſolummodo. Et de prima quidem nulla jam quæſtio eſt, ſi meminerimus, quam aperte & juſtis eam, & peccatoribus ineſſe æqualiter, ratio ſuperior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immerito, an umquam eas Adam habuerit, aut ambas, aut vel unam. Nam ſi nullam habuit, quid amiſit ? Arbitrii utique libertatem tam poſt peccatum, quàm ante ſemper tenuit inconcuſſam. Si ergo nil amiſit, quid ei obfuit ejectum fuiſſe de paradiſo ? Quod ſi unam quamlibet illarum habuit, quomodo amiſit ? Nam certum eſt quia ex quo peccavit, nec à peccato prorſus, nec à miſeria manens in corpore, liber fuit. Ceterum nullatenus, quamcumque illarum ſemel acceperit, amittere potuit. Alioquin perfectum nec Sapere, nec Poſſe, juxta quod quidem duo hæc ſuperius definita ſunt, habuiſſe convincitur ; qui nimirum & velle potuit quod non debuit, & recipere quod noluit. An dicendus eſt aliquo quidem modo illas habuiſſe, ſed quia non plenarie, potuiſſe amittere ? Habet ſiquidem unaquæque illarum duos gradus, ſuperiorem & inferiorem. Superior libertas conſilii eſt, non poſſe peccare : inferior, poſſe non peccare. Item ſuperior libertas complaciti, non poſſe turbari : inferior, poſſe non turbari. Itaque inferiorem utriuſque libertatis gradum ſimul cum plena libertate arbitrii homo in ſui conditione accepit, & de utroque corruit cum peccavit. Corruit autem de poſſe non peccare in non poſſe non peccare, amiſſa ex toto conſilii libertate. Itemque de poſſe non turbari in non poſſe non turbari, amiſſa ex toto cum placiti libertate. Sola remanſit ad pœnam libertas arbitrii, per quam utique ceteras amiſit ; ipſam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem ſervus peccati factus, merito perdidit libertatem conſilii. Porro per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam libertatem valebat retinere complaciti ?

Primi parentes ante peccatum qua libertate præditi.

Tom. II. Opusc. IX.

quâ privati.

Libertas Conſilii & Complaciti duplex.

Utramque amiſit primus homo.

22. De tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis ſeſe privavit. In eo autem abuſus eſt, quod illam cum accepiſſet ad gloriam, convertit ſibi in contumeliam, juxta teſtimonium Scripturæ dicentis : *Homo enim in honore eſſet, non intellexit ; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Soli inter animantia datum eſt homini poſſe peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum eſt autem, non ut proinde peccaret, ſed ut glorioſior appareret ſi non peccaret, cum peccare poſſet. Quid namque glorioſius ei eſſe poterat, quam ſi de ipſo diceretur quod Scriptura perhibet, dicens : *Quis eſt hic, & laudabimus eum ?* Unde ita laudandus ? *Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Quæ ? *Qui potuit tranſgredi*, inquit, *& non eſt tranſgreſſus ; facere mala, & non fecit.* Hunc ergo honorem quamdiu abſque peccato fuit, ſervavit ; amiſit, cum peccavit. Peccavit autem, quia liberum ei fuit : nec aliunde profecto liberum, niſi ex libertate arbitrii, de qua utique inerat ei poſſibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, ſed abutentis, qui ipſam videlicet facultatem convertit in uſum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etſi peccavit ex poſſe quod accepit ; non tamen quia potuit, ſed quia voluit. Nec enim prævaricante diabolo & angelis ejus, etiam alii prævaricati ſunt : non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt.

Abutendo libertate arbitrii.

Pſal. 48. 13.

Cur homini datum poſſe peccare.

Eccl. 31. 9.

Ad gloriam utique ipſi, ſi non peccaſſet.

23. Peccantis igitur lapſus, non dono adſcribendus eſt poteſtatis, ſed vitio voluntatis. Lapſus tamen ex voluntate non æque ex voluntate reſurgere jam liberum habet : quia etſi datum fuit voluntati poſſe ſtare ne caderet, non tamen reſurgere ſi caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, quàm facile in eam labi. Cecidit ſola voluntate homo in foveam peccati : ſed non ex voluntate ſufficit & poſſe reſurgere, cum jam & ſi velit, non poſſit non peccare.

Homo ex voluntate reſurgere non poteſt.

CAPUT VIII.

Libertatem arbitrii remanere poſt peccatum.

24. QUid ergo ? Periit liberum arbitrium, quoniam non poteſt non peccare ? Nequaquam : ſed liberum perdidit conſilium, per quod prius habuit [*] poſſe non peccare : quomodo & quod jam non valet utique non turbari, inde miſero accidit, quod complaciti

* al. habebat.

a In editis, *ex ſui ordinatione ad Deum*, ſed *ad Deum* redundat, ut ex ſequenti membro intelligitur.

Tom. II Opusc. IX.

quoque libertatem amiſerit, per quam & ante habuit poſſe non turbari. Manet ergo, etiam poſt peccatum, liberum arbitrium; etſi miſerum, tamen integrum. Et quod ſe per ſe homo non ſufficit excutere à peccato ſive miſeria, non liberi arbitrii ſignat deſtructionem, ſed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in ſe eſt, pertinet, aut aliquando pertinuit poſſe [a], vel ſapere, ſed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec ſapientem, ſed tantum volentem. Non ergo ſi potens, aut ſapiens, ſed tantum ſi volens eſſe deſierit, liberum arbitrium amiſiſſe putanda erit. Ubi enim non eſt voluntas, nec libertas. Non dico ſi velle bonum, ſed ſi velle omnino creatura deſierit; fatendum ſine contradictione, ubi non jam ex voluntate bonitas, ſed ipſa ex toto voluntas periit, etiam liberum deperire arbitrium. Quod ſi velle bonum tantum * non poterit, ſignum eſt quod ei deſit liberum, non arbitrium, ſed conſilium. Si autem non quidem velle, ſed ad id quod jam vult bonum, ei poſſe defuerit; noverit ſibi deeſſe liberum complacitum, non liberum periiſſe arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita ubique ſequitur voluntatem, ut niſi illa penitus eſſe deſinat, iſto non careat; voluntas vero ſicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat: æque profecto & liberum arbitrium tam in malo, quàm in bono integrum perſeverat. Et quomodo voluntas etiam poſita in miſeria non deſinit eſſe voluntas, ſed dicitur, & eſt miſera voluntas, ſicut & beata voluntas: ita nec liberum arbitrium deſtruere, ſive (quantum in ſe eſt) aliquatenus imminuere poterit quæcumque adverſitas vel neceſſitas.

Liberum arbitrium remanet poſt peccatum.

* al. tantum perit.

25. Sed licet ubique pariter ſine ſui diminutione perduret; non tamen pariter ſicut de bono potuit per ſe in malum corruere, ita quoque per ſe de malo in bonum poterit reſpirare. Et quid mirum ſi jacens non valet per ſe reſurgere, quod ſtans in aliquod melius nullo ſuo conatu valebat proficere? Denique dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte ſecum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad ſuperiora aſcendere, hoc eſt de poſſe non peccare, & de poſſe non turbari, ad non poſſe peccare, & non poſſe turbari. Quod ſi libertatibus illis etiam utcumque adjutum, non prævaluit tamen de bono in melius ſe extendere: quanto minus eiſdem prorſus deſtitutum, de malo in id quod fuit bonum, poterit per ſeipſum emergere?

Lib. arb. poteſt ex ſe corruere, ſed non per ſe reſurgere.

26. Habet igitur homo neceſſarium Dei virtutem, & Dei ſapientiam Chriſtum, qui ex eo quod ſapientia eſt, verum ei Sapere reinfundat, in reſtaurationem liberi Conſilii; & ex eo quod virtus eſt, plenum Poſſe reſtituat, in reparationem liberi Complaciti: quatenus ex altero perfecte bonus, peccatum jam neſciat; ex altero plene beatus, nil adverſum ſentiat. Sed ſane iſta perfectio in futura vita exſpectetur, quando utraque nunc amiſſa libertas, libero arbitrio plene * reſtaurabitur; non quomodo juſto cuivis in hoc ſæculo, quantumcumque perfecto; non quomodo vel ipſis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiſo: ſed ſicut jam nunc Angeli poſſident in cælo. Interim vero ſufficiat in hoc corpore mortis atque in hoc ſæculo nequam, ex libertate quidem Conſilii peccato non obedire in concupiſcentia: ex libertate autem Complaciti adverſa non formidare pro juſtitia. Eſt autem in hac carne peccati & in hac diei malitia non mediocre Sapere, peccato, etſi non * ex toto carere, certe non conſentire: & eſt Poſſe non parvum, adverſa, etſi necdum feliciter omnino non ſentire, viriliter tamen pro veritate contemnere.

Homo opus habet Chriſto reparatore duplicis libertatis.

* al. plenarie.

Qualis reparatio libertatis hic quærenda.

* al. nondum

27. Diſcendum ſane hic interim nobis eſt ex libertate conſilii jam libertate arbitrii non abuti, ut plene quandoque frui poſſimus libertate complaciti. Sic profecto Dei in nobis reparamus imaginem: ſic antiquo honori illi capeſſendo, quem per peccatum amiſimus, per gratiam præparamur. Et beatus qui de ſe audire merebitur: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Eccl. 31. 9.

Non abutendum libertate arbitrii.

CAPUT IX.

Imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam conditi ſumus, in triplici libertate conſiſtere.

28. PUto autem in his tribus libertatibus ipſam, ad quam conditi ſumus, Conditoris imaginem atque ſimilitudinem contineri: & imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipertitam quamdam conſignari ſimilitudinem. Hinc eſt fortaſſis, quod ſolum liberum arbitrium ſui omnino defectum ſeu diminutionem non patitur, quod in ipſo potiſſimum æternæ & incommutabilis divinitatis ſubſtantiva quædam imago impreſſa videatur. Nam etſi habuerit initium, neſcit tamen occaſum, nec de juſtitia vel gloria capit augmentum: nec de peccato ſive miſeria detrimentum. Quid æternitati ſimilius, quod non ſit æternitas? Porro in aliis duabus libertatibus, quoniam non ſolum ex parte minui, ſed & ex toto amitti poſſunt; accidentalis quædam magis ſimilitudo ſapientiæ atque potentiæ divinæ, imagini ſuperducta cognoſcitur. Denique & amiſimus illas per culpam, & per gratiam recuperavimus; & quotidie quidem alii plus, alii minus, aut in ipſis proficimus, aut ab ipſis deficimus. Poſſunt etiam ſic amitti, ut jam non valeant recuperari: poſſunt & ita poſſideri, ut nec amitti queant aliquando *, nec minui.

Imago & ſimilitudo Dei in homine quæ.

Vide ſerm. 10 & 81. in Cantica.

* al. aliquo modo.

29. Hujus bipertitæ ſimilitudinis ſapientiæ & potentiæ Dei, non quidem in gradu ſummo, ſed qui ipſi tamen eſſet proximior, homo conditus eſt in paradiſo. Quid enim vicinius ad non poſſe peccare, vel turbari (in quo utique jam ſanctos [b] Angelos ſtare, & Deum ſemper eſſe dubium non eſt) quàm poſſe & non peccare, & non turbari, in quo homo profecto creatus eſt? A quo illo per peccatum, immo nobis in illo & cum illo corruentibus, rurſus per gratiam, non quidem ipſum, ſed pro ipſo quemdam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hic poſſumus penitus eſſe ſine peccato, ſeu miſeria: poſſumus tamen, gratia juvante, nec peccato ſuperari, nec miſeria. Quamquam tamen Scriptura loquatur, *Omnis quod natum eſt ex Deo, non peccat.* Sed hoc dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam. non quod omnino non peccent, ſed quod peccatum ipſis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in caritate [c] abſconditur. *Caritas* quippe *cooperit multitudinem peccatorum.* &, *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* &, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Divinæ ergo ſimilitudinis ſummum gradum ſummi Angeli tenent, nos infimum: Adam tenuit medium, porro dæmones nullum. Supernis nempe ſpiritibus datum eſt ſine peccato & miſeria perdurare: Adæ autem abſque his quidem eſſe, ſed non etiam permanere: nobis vero ne eſſe quidem abſque his, ſed ipſis tantum non cedere. Ceterum diabolus & membra ejus, ſicut numquam volunt reluctari peccato, ſic numquam poſſunt pœnam declinare peccati.

Gradus divinæ ſimilitudinis in primo homine, Angelis, & nobis.

Reparatio hominis lapſi.

1 Johann. 3. 9.

1. Pet. 4. 8.

Pſal. 31. 1.

Dæmonum & damnatorum pœna cur æterna. Vide num. 31.

30. Cum ergo iſtæ duæ libertates, Conſilii ſcilicet atque Complaciti, per quas rationali creaturæ vera ſapientia & potentia miniſtratur, ita Deo, prout vult, diſpenſante, quibuſque pro cauſis, locis, temporibus, varientur; quatenus in terris modice, in cæleſtibus plenarie, mediocriter in paradiſo, apud inferos

a Hæc disjunctive legenda, ut diſparata ſint *poſſe*, & *ſapere*, de quibus ſupra num. 29.

b Alii, *jam ſanctos & Angelos* at conjunctio *&* deeſt in tribus noſtris mſſ.

c Amiſſibilem eſſe caritatem probat Bernardus in Opuſculo 2. num. 14. Sed tamen peccatum hominis prædeſtinati dicitur *in caritate abſcondi*, ſcilicet in caritate ſubſequente hominis poſtea denuo juſtificandi, ſicut per pœnitentiam ſubſequentem diluitur. Immo etiam abſconditur in caritate Dei prædeſtinantis, *quia caritas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum*, ſermone 23. in Canticanum. 15. Alia hujus loci explicatio affertur in ſermone 4. de diverſis, ubi qui natus eſt ex Deo dicitur non peccare, quia in peccato non perſeverat. Confer Notas fuſiores in ſermonem 8. de Septuageſima.

nullatenus habeantur; libertas vero arbitrii de ipſo, quo condita eſt, ſtatu aliquatenus non mutetur, ſed æqualiter ſemper (quantum in ſe eſt) à cælis, terris, inferis poſſideatur: merito illæ ſimilitudini, hæc imagini deputantur. Et quidem apud inferos, quod utraque libertas perierit, illæ ſcilicet quæ ad ſimilitudinem pertinere dicuntur, Scripturarum teſtatur auctoritas. Nam verum illic Sapere, quod utique de Conſilii libertate concipitur, omnino non eſſe, locus ille manifeſtat, ubi legitur: *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter * operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia eſt apud inferos, quo tu properas.* Porro de potentia, quæ per libertatem Complaciti datur, Evangelium ſic loquitur: *Ligatis manibus ac pedibus, projicite eum in tenebras exteriores.* Quid enim * eſt manuum pedumque ligatio, niſi omnimoda poteſtatis ablatio?

In inferis utraque libertas conſilii & compla-citi caſula.

Eccl. 9. 10

* al. conſtanter.

Matt. 22. 13.

* al. mittite.

Objectio

31. Sed dicit aliquis: Quomodo non eſt ibi aliquod Sapere, ubi mala quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum quæ facta ſunt? Numquid aut in tormentis quiſpiam non pœnitere; aut pœnitere mali, non eſſe ſapere poteſt? Hoc autem recte opponeretur, ſi opus tantum peccati, & non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippe dubium eſt, quod nemo in tormentis poſitus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen ſi voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, ut ideo ſapere quis putetur, quod jam in mediis flammis luxuriari non libeat? Denique *in malevolam animam non introibit ſapientia.* Unde autem probabimus quod mala & in pœnis voluntas perſeveret? Certe, ut cetera omittam, nollent omnino puniri. Juſtum eſt autem puniri, qui punienda geſſerunt. Nolunt igitur quod juſtum eſt. Sed qui non vult quod juſtum eſt, juſta ejus voluntas non eſt. Eo ergo injuſta, ac per hoc & mala eſt voluntas, quo juſtitiæ non concordat. Duo ſunt quæ injuſtam comprobant voluntatem, vel cum peccare, vel cum impune peccaſſe libet. Quibus ergo peccare libuit quamdiu licuit; & cum jam non poſſunt, inultum manere volunt quod peccaverunt: quid in hoc ſapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis apparet? Sed eſto, pœnitet eos peccaſſe: numquid non tamen, ſi optio detur, malint adhuc peccare, quàm pœnam ſuſtinere peccati? Et tamen illud iniquum eſt, hoc juſtum. Quando vero voluntas bona magis quod iniquum, quàm quod juſtum eſt eligeret? Ceterum non vere pœnitent, qui non tam dolent ſe ſibi vixiſſe, quàm hoc ipſum jam non poſſe. Denique foris oſtenditur quid intus agatur. Nam quamdiu corpus vivit in flamma, tamdiu conſtat in malitia perſiſtere voluntatem. Itaque de ſimilitudine, quæ in Conſilii, & item Complaciti libertate continetur, apud inferos penitus nihil eſt, nec eſſe poteſt, imagine tamen etiam illic per liberum arbitrium immobili permanente.

Solutio

Sap. 1. 4.

In damnatis perſeverat mala voluntas.

V. lib. 5 de Conſid. cap. 12.

CAPUT X.

Similitudinem divinæ imaginis in nobis reformari per Chriſtum.

Luc. 15. 8

32. SEd neque in hoc ſæculo æque inveniri uſpiam poſſet ſimilitudo, ſed adhuc hic fœda & deformis jacuiſſet imago, ſi non evangelica illa mulier lucernam accenderet, id eſt Sapientia in carne appareret, everreret domum, videlicet vitiorum, drachmam ſuam requireret quam perdiderat; hoc eſt imaginem ſuam, quæ nativo ſpoliata decore, ſub pelle peccati ſordens, tamquam in pulvere latitabat; inventam tergeret, & tolleret de regione diſſimilitudinis; priſtinamque in ſpeciem reformatam, ſimilem faceret illam in gloria ſanctorum, immo ſibi ipſi per omnia redderet quandoque conformem, cum illud Scripturæ videlicet impleretur: *Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Et revera cui potius id operis congruebat, quàm Dei Filio, qui cum ſit ſplendor gloriæ [a], & figura ſubſtantiæ Patris, portans verbo univerſa, ex utroque facile munitus apparuit, & unde reformaret deformem, & unde debilem confortaret: dum & de ſplendore figuræ fugans tenebras peccatorum *, redderet ſapientem; & ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret.

Filius Dei ſimilitudinem Dei in homine reformavit.

1 Johan. 3. 2.

Tom. II. Oeuv. IX

Cur ſoli Filio congruebat

* al. vitiorum

33. Venit ergo ipſa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium: quia ut priſtinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat & formatum. Forma autem, ſapientia eſt: conformatio, ut faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe. Porro illa *attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Attingit *a fine uſque ad finem*, hoc eſt à ſummo cælo uſque ad inferiores partes terræ; à maximo Angelo uſque ad minimum vermiculum. *Attingit* autem *fortiter*, non quidem mobili diſcurſione, vel locali diffuſione, vel ſubjectæ creaturæ tantum officiali adminiſtratione: ſed ſubſtantiali quadam & ubique præſenti fortitudine, qua utique univerſa potentiſſime movet, ordinat, adminiſtrat. Et hæc omnia nulla ſui cogitur facere neceſſitate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate: ſed diſponit omnia ſuaviter placida voluntate. Vel certe *attingit a fine uſque ad finem*, hoc eſt ab ortu creaturæ uſque ad finem deſtinatum à Creatore: ſive in quem urget natura, ſive quem accelerat cauſa, ſive quem concedit gratia. *Attingit fortiter*, dum nil horum evenit, quod non, prout vult, potenti prædordinet providentia.

Sap. 8. 1.

Finis creaturæ triplex.

34. Sic ergo & liberum arbitrium ſuo conetur præeſſe corpori, ut præeſt ſapientia orbi, *attingens* & ipſum *à fine uſque ad finem fortiter*; imperans ſcilicet ſingulis ſenſibus & artubus tam potenter, quatenus non ſinat regnare peccatum in ſuo mortali corpore, nec membra ſua det arma iniquitati, ſed exhibeat ſervire juſtitiæ. Et ita jam non erit homo ſervus peccati, cum peccatum non fecerit: à quo utique liberatus, jam libertatem recuperare Conſilii, jam ſuam incipiet vindicare dignitatem, dum divinæ in ſe imagini condignam veſtierit ſimilitudinem, immo antiquam reparaverit venuſtatem. Curet autem hæc agere, non minus *ſuaviter*, quam *fortiter*, hoc eſt non ex triſtitia aut ex neceſſitate; quod eſt initium, non plenitudo ſapientiæ: ſed prompta & alacri voluntate, quod facit acceptum ſacrificium: quoniam hilarem datorem diligit Deus. Sicque per omnia imitabitur ſapientiam, dum & vitiis reſiſtet fortiter, & in conſcientia requieſcet ſuaviter.

Liberum arbitrium præſit corpori, ut Sapientia orbi.

2 Cor. 9. 7.

35. Verum cujus ad talia provocamur exemplo, indigemus & auxilio: quo ipſi videlicet per ipſam conformemur, atque in eamdem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Ergo ſi à Domini ſpiritu, jam non à libero arbitrio. Nemo proinde putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facilitate verſetur: cum cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere, niſi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli ſancti, cum ita ſint boni, ut non poſſint eſſe mali; nec prævaricatores item Angeli, cum ita ſint mali, ut jam non valeant eſſe boni; liberi arbitrii eſſe dicentur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus, quando utique inſeparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus. Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quod ille eſſe non poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod ſive in bono, ſive in malo, æque liberam faciat voluntatem: cum nec bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat, aut eſſe valeat, niſi volens. Tali jam ratione non incongrue dicetur ad bo-

Chriſto juvante

2 Cor. 3. 18.

Liberum arbitrium unde ſic dictum.

a *Gloria* deeſt quibuſdam ſcriptis.

Tom. II. Opusc. IX.

num ſe, & ad malum habere æqualiter: quod utrobique A videlicet par ſit ei, non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas [a].

CAPUT XI.

Libero arbitrio nihil derogari per gratiam, neque per tentationem.

b Prærogativa rationalis creaturæ.

36. HAc ſane dignitatis [b] (ut dictum eſt) prærogativa rationalem ſingulariter creaturam Conditor inſignivit, quod quemadmodum ipſe ſui juris erat, ſuæque ipſius voluntatis, non neceſſitatis erat quod bonus erat: ita & illa quoque ſui quodammodo juris in hac parte exſiſteret, quatenus nonniſi ſua vo- B luntate, aut mala fieret, & juſte damnaretur: aut bona maneret, & merito ſalvaretur. Non quod ei propria poſſet ſufficere voluntas ad ſalutem; ſed quod eam nullatenus ſine ſua voluntate conſequeretur. NEMO quippe ſalvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio, *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; (Johan. 6. 44.) item in alio loco, *Compelle intrare*, (Luc. 14. 23.) nihil impedit: quia profecto quantoſcumque trahere, vel compellere videatur ad ſalutem benignus Pater, qui omnes vult ſalvos fieri (1 Tim. 2. 4.): nullum tamen judicat ſalute dignum, quem ante non probaverit voluntarium.

Trahi à Deo non officit libertati.

Hoc QUIPPE INTENDIT, cum terret aut percutit, ut faciat voluntarios, non ſalvet invitos: quatenus dum de malo mu- C tat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem. Quamquam tamen non ſemper inviti trahimur: nec enim cæcus aut feſſus contriſtatur cum trahitur. Et Paulus ad manus tractus eſt Damaſcum, (Act. 9. 8.) utique non invitus. Trahi denique ſpecialiter * volebat, quæ & hoc ipſum magnopere flagitabat in Canticis: *Trahe me*, inquit, *poſt te; in odore curremus unguentorum tuorum.* (Cant. 1. 3.)

* al. ſpiritualiter

37. Deinde quod è regione ſcriptum eſt, *Unuſquiſque tentatur à propria concupiſcentia abſtractus & illectus*; (Jac. 1. 14.) & illud, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*; (Sap. 9. 15.) & item illud Apoſtoli, *Invenio aliam legem in membris meis* D *repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati, quæ eſt in membris meis*; (Rom. 7. 23.) hæc omnia putari poſſunt cogere voluntatem, & præripere libertatem.

Nec tentatio.

At vero quantiſlibet quis intus foriſve tentationibus urgeatur, libera profecto ſemper, quantum ad arbitrium ſpectat, voluntas erit: libere quippe de ſuo nihilo minus conſenſu judicabit. Quantum autem pertinet ad conſilium, ſive complacitum, carnis interim concupiſcentia, vitæque miſeria reluctante, minus quidem ſe liberam ſentit: ſed prorſus non malam, dum malo non conſentit. Denique Paulus, qui captivum ſe in legem peccati trahi conqueritur, (Rom. 7. 23.) haud dubium quin ex minus plena libertate conſilii: conſenſum ta- E men ſanum, atque in bono quoque jam ex magna parte ſe habere liberum gloriatur: *Jam non ego*, inquiens, *operor illud.* (Ibid. 20.) Unde hoc confidis, ô Paule? *Quoniam conſentio*, inquit, *legi Dei, quoniam bona eſt*; (Ibid. 16.) & rurſum: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Oculo exſiſtente ſimplici, totum corpus lucidum eſſe præſumit. Sano conſenſu tractum licet peccato, vel captivum miſeria, liberum ſe in bono profiteri non dubitat. Unde & fidens generaliter infert: *Nihil ergo damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Jeſu.* (Rom. 8. 1.)

CAPUT XII.

An negans fidem metu mortis ac pœnarum, excuſetur à cul- F pa, vel deſtituatur libero arbitrio. Ubi negatio Petri diſcutitur.

38. SEd videamus de his, qui pœnarum mortiſve timore fidem verbo tenus negare compulſi ſunt: ne forte juxta hanc aſſertionem, aut culpa non fuerit, quod vel voce negaverunt; aut cogi in culpam & voluntas potuerit, ut vellet videlicet homo quod eum & nolle conſtiterit; & ſic perierit liberum arbitrium. Quod quia impoſſibile erat, (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur unde malum nequaquam volentibus malum debuit imputari.

Metus mortis non cogit, ut tollit voluntatem.

Neque enim tale eſt hoc, quale originale peccatum: quo non ſolum non conſentiens, verum plerumque & neſciens, alia ratione conſtringitur necdum renatus baptiſmate. Exempli cauſa, veniat in medium Petrus Apoſtolus. ipſe quippe viſus eſt negare veritatem contra propriam voluntatem: ſiquidem aut negare, aut mori neceſſe erat. Mori timens negavit. Negare nolebat, ſed magis nolebat mori. Itaque invitus quidem: ſed negavit tamen, ne moreretur. Quod ſi lingua, & non voluntate loqui homo compulſus eſt quod nolebat; non tamen velle aliud quam volebat. Lingua mota eſt contra voluntatem: ſed numquid & mutata voluntas? Quid enim volebat? Prorſus quod erat, Chriſti eſſe diſcipulus. Quid loquebatur? *Non novi hominem.* (Matt. 26. 72.) Cur ita? Mortem evadere volebat. Sed quid illud criminis fuit? Duas Apoſtoli tenemus voluntates: unam, qua voluit non mori, penitus inculpabilem: alteram, & multum laudabilem, qua ſibi complacebat quod eſſet Chriſtianus. In quo ergo culpabitur? An in eo quod mentiri, quàm mori maluit?

Petrus negat ex metu, ſed non ſine voluntatis conſenſu.

Duplex in eo voluntas.

HÆC PLANE voluntas reprehenſione digna fuit, quia * corporis magis, quàm animæ voluit ſervare vitam. *Os nempe quod mentitur, occidit animam.* (Sap. 1. 11.) Et peccavit ergo, & non abſque conſenſu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miſeræ, ſed plane liberæ. Peccavit autem, non ſpernendo aut odiendo Chriſtum, ſed ſe nimis amando. Nec in hunc perverſum amorem ſui, voluntatem metus ille ſubitus compulit; ſed eſſe convicit. Jam tunc proculdubio talis erat, ſed neſciebat, cum ab illo quem latere non poterat, audivit: *Prinſquam gallus cantet, ter me negabis.* (Matt. 26. 34.) ILLA itaque voluntatis infirmitas per incuſſum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus ſe, quatenus Chriſtum amaverit. Notum autem non Chriſto, ſed Petro. Nam Chriſtus & ante ſciebat quid eſſet in homine. Quatenus ergo Chriſtum diligebat, vim prorſus (quod negandum non eſt) paſſa eſt illa voluntas, ut contra ſe loqueretur: quatenus vero ſe; voluntarie proculdubio conſenſit, ut pro ſe loqueretur. Si Chriſtum non amaſſet, non negaſſet invitus: verum ſi ſe amplius non amaſſet, non aliquatenus negaſſet. Fatendum igitur hominem fuiſſe compulſum: voluntatem propriam etſi non mutare, occultare tamen: compulſum, inquam, non quidem recedere ab amore [c] Dei; cedere tamen aliquantulum amore ſui.

Quæ mala. * al. qua

39. Quid ergo? Forte diſſoluta eſt tota ſuperior aſſertio de libertate voluntatis, quia nimirum inventa eſt cogi potuiſſe voluntas? Eſt plane: ſed ſi cogi ab alio potuit quàm à ſeipſa. Quod ſi ſeſe ipſa coegit, compulſa, & compellens; ubi amittere, ibi & recipere viſa eſt libertatem. Vim quippe, quam ipſa ſibi intulit, à ſe pertulit. Porro quod à ſe voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, jam non ex neceſſitate, ſed voluntarium fuit. Si autem voluntarium, & liberum. Quem ſua denique ad negandum voluntas compulit, compulſus eſt quia voluit: immo non compulſus eſt, ſed conſenſit, & non alienæ potentiæ, ſed propriæ voluntati, illi utique, qua mortem omnimodis evadere voluit. Alioquin quando vox mulierculæ linguam ſacram in verba formare nefanda valuiſſet, ſi non linguæ domina voluntas annuiſſet? Denique cum ſe à ſui poſtmodum nimio illo temperavit amore, & Chriſtum cœpit, ut debuit, toto corde, tota anima, tota virtute diligere: jam nullis valuit

Voluntas non cogitur niſi ſeipſa.

a Hæc eſt libertas potentiæ, ſeu facultas electiva, ad bonum & malum verſatilis: ſed cujus exercitium & applicatio ad bonum pendet ex gratia. *Cujus quippe conatus ad bonum, & caſſi ſunt, ſi à gratia non adjuventur; & nulli, ſi non excitentur*, infra num. 42.

b Duo codices, *dignitatis divinæ*; unus Dionyſianus, *divinitatis in carne prærogativa*

c Nempe actu amori contrario. Quippe qui *peccavit, non ſpernendo aut odiendo Chriſtum, ſed ſe nimis amando*, ſupra.

minis

minis vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntati* dat linguam armi[illegible] iniquitati, ſed potius audacter accommodans veritati: *Obedire* inquit, *oportet Deo magis quam hominibus.*

41. Eſt ſane gemina compulſio, ſecundum quod aut pati aliquid, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarum paſſiva quidem (ſic enim prior illa recte nominatur) poteſt nonnumquam fieri abſque conſenſu voluntario patientis, ſed activa numquam. Proinde malum quod fit in nos, ſive de nobis, non eſt imputandum nobis, ſi tamen invitis. Ceterum quod fit & à nobis, jam non ſine culpa eſt voluntatis. Velle plane convincimur, quod non fieret, ſi nollemus. Eſt ergo compulſio quædam etiam activa: ſed non habet excuſationem, eum ſit & voluntaria. Cogebatur Chriſtianus negare Chriſtum, & quidem dolens, non tamen niſi volens. Volebat nimis* gladium vitare ferientis; atque illa talis voluntas intus præſidens os aperiebat, non gladius qui foris apparebat. Porro talem eſſe illam voluntatem convincebat gladius, non cogebat. Ipſa igitur ſe in culpam, non gladius impellebat. Denique in quibus ſana erat voluntas, occidi poterant, flecti nequibant. Hoc eſt quod eis prædictum fuerat [a]: *Facient in vos quæcumque voluerint*; ſed in membra, non corda. Non vos facietis quæ voluerint: ſed ipſi facient, vos patiemini. Membra cruciabunt, ſed voluntatem non mutabunt: ſævient in carnem, animæ autem non habebunt quid faciant. Sit licet patientis corpus in poteſtate torquentis, ſed voluntas eſt libera. Infirma ſi fuerit, ſæviendo cognoſcent; non eſſe cogent, ſi non fuerit. Sane infirmitas ejus à ſeipſa eſt, ſanitas vero non à ſe, ſed à Domini ſpiritu. Sanatur autem, cum renovatur.

42. Porro renovatur, cum, quemadmodum docet Apoſtolus, ſpeculando gloriam Dei in eamdem imaginem transformatur à claritate in claritatem, hoc eſt de virtute in virtutem, tamquam à Domini ſpiritu. Inter quem utique divinum ſpiritum, & carnis appetitum, tenet medium quemdam locum id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id eſt humana voluntas: & tamquam in devexo latere montis admodum ardui inter utrumque pendens, ita in appetitu* infirmatur per carnem, ut niſi ſedulo ſpiritus adjuvet infirmitatem ejus per gratiam, non ſolum non valeat juſtitiæ, quæ eſt juxta Prophetam *ſicut montes Dei*, aſcendendo de virtute in virtutem, apprehendere culmen: ſed etiam de vitio ſemper in vitium ſuo ipſius pondere devoluta ruat in præceps; prægravata nimirum non ſolum lege peccati originaliter membris inſita, verum & conſuetudine terrenæ inhabitationis uſualiter affectionibus inolita. Quod humanæ voluntatis videlicet utrumque gravamen uno breviter verſiculo Scriptura commemorat, dicens: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Et hæc duo hujus mortalitatis mala, ſicut non nocent, ſed exercent non conſentientes: ſic non excuſant, ſed damnant conſentientes, ut nec ſalus, nec damnatio ulla ratione ſine præcedenti conſenſu voluntario poſſit haberi: ne qua forte ex parte præſcribi videatur libertati arbitrii.

CAPUT XIII.

Merita hominis mera eſſe Dei munera.

42. Quamobrem id quod in creatura dicitur liberum arbitrium, aut juſte profecto damnatur, dum ei ad peccatum nulla vi præjudicetur extrinſeca: aut miſericorditer ſalvatur, cui ad juſtitiam nulla virtus [b] ſufficit ſua. Sane in his omnibus cogitet lector originalis peccati prorſus [illegible] rationem. De cetero libero arbitrio nec extra ipſum quærat [illegible] cauſa, quod jam non damnat niſi propria culpa, nec ab ipſo ſaluti merita, quod ſola ſalvat miſericordia. Cujus quippe conatus ad bonum, & caſſi ſunt, ſi a gratia non adjuventur; & nulli, ſi non excitentur. Ceterum *in malum*, dicente Scriptura, *proni ſunt ſenſus & cogitationes hominis.* Proinde non ei a ſe (ut dictum eſt) ſed deſurſum potius à Patre luminum deſcendere merita putentur: ſi tamen inter data optima & dona perfecta, ipſa merito per quæ ſalus æterna conquiritur, merita deputentur.

43. Deus namque rex noſter ante ſæcula, cum operatus eſt ſalutem in medio terræ, DONA SUA quæ dedit hominibus, IN MERITA diviſit & PRÆMIA: ut & præſentia per liberam poſſeſſionem noſtra interim fierent merita, & futura per gratuitam ſponſionem exſpectaremus, immo expeteremus ut debita. Utraque Paulus commemorans, *Habetis*, inquit, *fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam* item, *Et nos ipſi*, ait, *primitias ſpiritus habentes, ingemiſcimus adoptionem exſpectantes filiorum Dei* primitias ſpiritus vocans ſanctificationem, id eſt virtutes, quibus in præſentiarum ſanctificamur a ſpiritu, ut merito conſequamur adoptionem. Rurſum in Evangelio, eadem ſæculo abrenuntianti promittuntur, ubi dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Itaque non liberi arbitrii, ſed Domini eſt ſalus; immo ipſe ſalus, ipſe & via eſt ad ſalutem, qui ait: *Salus populi ego ſum.* qui item perhibet: *Ego ſum via.* Se fecit viam, qui & ſalus erat & vita, ut non glorietur omnis caro. Si ergo bona viæ ſunt merita, ſicut & patriæ ſalus & vita, & verum eſt quod ait David, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, illum videlicet unum de quo item dicitur, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*: Dei ſunt proculdubio munera tam noſtra opera, quàm ejus præmia: & qui ſe fecit debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his. Ad quæ tamen condenda merita dignatur ſibi adhibere creaturarum* miniſteria, non quibus egeat, ſed quibus per hoc, vel de quibus proſit.

44. OPERATUR ergo illorum ſalutem, quorum nomina ſunt in libro vitæ, aliquando per creaturam ſine ipſa, aliquando per creaturam contra ipſam, aliquando per creaturam cum ipſa. Multa profecto fiunt hominibus ſalubria per inſenſibilem, & item per irrationalem creaturam. quæ idcirco dixi fieri ſine ipſa, quod non queat, intellectu carens, eſſe vel conſcia. Multa quoque multorum ſaluti utilia facit Deus per malos, ſive homines, ſive Angelos: ſed quoniam invitos, ideo contra ipſos. Nam dum nocere cupientes juvant, quantum aliis valet utilis actio, tantum ipſis perverſa nocet intentio. Porro per quos & cum quibus operatur Deus, boni ſunt vel Angeli, vel homines, qui quod vult Deus, & agunt pariter, & volunt. Qui enim bono, quod opere complent, voluntate conſentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipſis communicat. Unde Paulus, cum bona plurima, quæ Deus per ipſum fecerat, enarraſſet; *Non autem ego*, ait, *ſed gratia Dei mecum.* Potuit dicere, *per me*, ſed quia minus erat, maluit dicere, *mecum*: præſumens ſe non ſolum operis eſſe MINISTRUM per effectum; ſed & operantis quodammodo SOCIUM per conſenſum.

45. Videamus nunc ſecundum triplicem Dei operationem, quam poſuimus, quid creatura quæque pro ſuo miniſterio mereatur. Et illa quidem, per quam, & ſine qua fit quod fit, quid mereri poteſt? quid illa contra quam fit, niſi iram? Quid & cum qua fit, niſi gratiam? In prima itaque nulla, in ſequenti mala, in ultima bona merita conquiruntur. Nec enim pecudes,

Margin notes: *Act. 5. 29.* — Compulſio duplex, activa & paſſiva. — Malum quod fit a nobis [illegible]. — *Matt. 10.* — *2 Cor. 3. 18.* — Homini voluntas [illegible] inter ſpiritum & carnis appetitum. — *al. in appetitum.* — *Pſal. 35. 7.* — Ejus infirmitas duplex. — *Sap. 9. 15.* — Conſenſus ſolus nocet. — Cauſa damnationis culpa propria; meriti & ſalutis, Dei miſericordia & gratia. — *Gen. 8. 21.* — Deus dona ſua diviſit in merita & præmia. — *Rom. 6. 22.* — *Rom. 8.* — Primitiæ ſpiritus quid. — *Matth. 19. 29.* — *Pſal. 34. 3.* — *Joan. 14. 6.* — Chriſtus via. — *Pſal. 13. 1.* — *Marc. 10. 18.* — Deus ad merita noſtra utitur creaturis. — Deus operatur electorum ſalutem per creaturas tripliciter. — *1 Cor. 15. 10.* — Hominis partes. — Quid creatura quæque mereatur ſuo miniſterio.

a Sic habent codices Dionyſianus, Ciſtercienſis, & alii duo. Horſtius aliter. *Hoc eſt quod dictum eſt de Johanne Fecerunt... voluerunt. Numquid quod voluit ille? ita & in reliquos Martyres fecerunt; non quod Martyres voluerunt, ſed quod ipſi. Fecerunt, inquam, in eos quæ voluerunt, ſed in membra, non corda. Membra cruciaverunt, ſed voluntatem non mutaverunt. Sævierunt in carnem; animæ autem non habuerunt quid facerent.* Et ita in cod. Colbertino.

b Quidam codices, *nulla vis*, Dionyſianus, *ad juſtitiam nullo modo ſufficit ſua.*

c Id argumenti egregie tractatus in ſermone 5. ſuper Cantica.

Tom II. Opusc. IX

cum per eas bonum aut malum quodcumque fit, boni quippiam merentur, aut mali. Non habent quippe unde bono malove conſentiant. Multo autem minus lapides; cum nec ſentiant. Ceterum diabolus, vel homo malus, cum vigeant & vigilent ratione, jam quidem merentur, ſed non niſi pœnam, pro eo quod à bono diſſentiant. Paulus autem qui volens evangelizat, ne, ſi invitus, diſpenſatio ei tantum credita ſit; & quicumque ſimiliter ſapiunt: quoniam quidem ex conſenſu voluntatis obediunt, repoſitam ſibi eſſe confidunt coronam juſtitiæ. UTITUR ERGO Deus in ſalutem ſuorum irrationabili, & item inſenſibili creatura, tamquam jumento vel inſtrumento, quæ jam expleto opere nuſquam erunt. UTITUR creatura rationali, ſed malevola, quaſi diſciplinæ virga, quam, correcto filio, in ignem projiciet tamquam ſarmentum inutile. UTITUR & Angelis & hominibus bonæ voluntatis, tamquam commilitonibus & coadjutoribus ſuis, quos peracta victoria ampliſſime munerabit. Denique & Paulus de ſe, ſuiſque ſimilibus, audacter pronuntiat: *Coadjutores enim Dei ſumus*. Ibi itaque Deus homini benigne merita conſtituit, ubi per ipſum, & cum ipſo, boni quippiam operari dignanter inſtituit. Hinc coadjutores Dei, cooperatores Spiritus-ſancti, promeritores regni nos eſſe præſumimus, quod per conſenſum utique voluntarium divinæ voluntati conjungimur.

[Margin: 1. Cor. 9. 17. — Deus quomodo utatur creatura in ſalutem ſuorum. — 1. Cor 3. — Homines … & promeritores per conſenſum.]

CAPUT XIV.

Quid gratiæ, quid libero arbitrio in negotio ſalutis attribuendum.

46. QUid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrii opus, hoc ſolum ejus eſt meritum quod conſentit? Eſt prorſus. Non quidem quod vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo ſit: cum nec cogitare (quod minus eſt, quàm conſentire) aliquid à nobis, quaſi ex nobis ſufficientes ſimus. Verba ſunt non mea, ſed Apoſtoli, qui omne quod boni eſſe poteſt, id eſt cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non ſuo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc eſt bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profecto ſine nobis; ſecundum, nobiſcum; tertium, per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, ſibi per conſenſum jungit: miniſtrando & conſenſui facultatem [a], foris per apertum opus noſtrum internus opifex innoteſcit. Sane ipſi nos prævenire nequaquam poſſumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem ſalvat quem non prævenit. A DEO ERGO ſine dubio noſtræ fit ſalutis exordium, nec per nos utique, nec nobiſcum. Verum conſenſus, & opus, etſi non ex nobis, non jam tamen ſine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nil facimus; nec ultimum, quod & plerumque extorquet aut timor inutilis, aut ſimulatio damnabilis; ſed tantum medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas ſufficit: cetera non proſunt, ſi ſola defuerit. Non proſunt dixerim, ſed agenti, non cernenti. VALET ITAQUE intentio ad meritum, actio ad exemplum, utramque præveniens cogitatio tantummodo ad excitandum [*].

[Margin: Quæ ſola eſt meriti cauſa. — 2. Cor. 3. 5. — Philipp. 2. 13. — Etſi ipſe conſenſus ex gratia. — Salutis initium à ſolo Deo. — * al. exercitandum. Gratiæ tribuenda omnia ſalutis opera.]

47. CAVENDUM ERGO, ne cum hæc inviſibiliter intra nos ac nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt; aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt; ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt. IPSA liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in ceteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non ſingillatim; ſimul, non viciſſim, per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.

[Margin: Gratia … operatio.]

48. Credimus placere Lectori, quod a ſenſu Apoſtoli nuſquam recedimus; & quaquaverſum evagetur oratio, in eadem pæne ipſius verba frequenter recidimus. Quid enim noſtra aliud ſonant quàm illud: *Ergo neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei?* Quod ſane non ideo dicit, quaſi quis velle aut currere poſſit in vanum: ſed quod is qui vult & currit, non in ſe, ſed in eo à quo accepit & velle, & currere, debeat gloriari. Denique ait: *Quid habes quod non accepiſti?* Crearis, ſanaris, ſalvaris. Quid horum tibi ex te, ô homo? quid horum non impoſſibile libero arbitrio? Nec creare qui non eras, nec juſtificare peccator, nec mortuus poteras teipſum reſuſcitare: ut cetera prætermittam bona, quæ aut ſanandis neceſſaria ſunt, aut ſalvandis repoſita. Quod dicimus, de primo patet & ultimo. Sed & de medio nemo dubitat, niſi qui ignorans Dei juſtitiam, & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubjectus. Quid enim? Agnoſcis creantis potentiam, ſalvantis gloriam [a]; & ſanantis ignoras juſtitiam? *Sana me*, ait, *& ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es.* Iſte juſtitiam Dei agnoſcebat, à quo æque ſperabat, tam ſanari à peccato, quàm à miſeria liberari: & ideo laudem ſuam illum, non ſe, merito ſtatuebat. Propter hoc, & David ingeminans, *Non nobis*, inquit, *Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam:* quod utramque à Deo ſtolam, & juſtitiæ ſcilicet expectaret, & gloriæ. QUIS EST qui ignorat Dei juſtitiam? Qui ſeipſum juſtificat. QUIS EST qui ſeipſum juſtificat? Qui merita ſibi aliunde, quam à gratia præſumit. Ceterum qui fecit quod ſalvaret, etiam dat unde ſalvet. Ipſe, inquam, merita donat, qui fecit quibus donaret. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus*, non quæ tribuit, ſed *quæ retribuit mihi?* ET QUOD EST, & quod juſtus eſt, à Deo eſſe confitetur: ne, ſi utrumlibet negaret, utrumque perderet, amittendo utique unde juſtus eſt, & ſic damnando quod eſt. Sed ſic vel tertio loco invenit quod viciſſim rependeret: *Calicem*, ait, *ſalutaris accipiam.* Calix ſalutaris, ſanguis eſt Salvatoris. Ergo ſi deeſt tibi omnino de tuo, quod vel ſecundis Dei donis retribuas, unde tibi ſalutem præſumis: *Nomen Domini*, inquit, *invocabo*, quod nimirum quicumque invocaverit ſalvus erit.

[Margin: Rom. 9. 16. Bernardus … Apoſtoli ſubſcribit. — 1. Cor. 4. 7. … ſanari, ſalvari, ex Deo. — Rom. 10. 3. — Jer. 17. 14. — Pſal. 113. 9. — Pſal. 115. 12.]

49. Igitur qui recte ſapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, ſed divinæ gratiæ in ipſo, ſive de ipſo. Prima, creatio; ſecunda, reformatio; tertia eſt conſummatio. Primo namque in Chriſto creati ſumus in libertatem voluntatis: ſecundo reformamur per Chriſtum in ſpiritum libertatis; cum Chriſto deinde conſummandi in ſtatum æternitatis. Siquidem quod non erat, in illo creari oportuit [b] qui erat; per formam reformari deformem; membra non perfici niſi cum capite. Quod utique tunc complebitur, cum omnes occurremus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: quando apparente Chriſto vita noſtra, apparebimus & nos cum ipſo in gloria. Cum igitur conſummatio fieri habeat de nobis, ſive etiam in nobis, non autem à nobis; creatio vero facta ſit & ſine nobis: ſola, quæ nobiſcum quodammodo fit propter conſenſum voluntarium noſtrum, in merita nobis reputabitur reformatio. Ipſa ſunt jejunia noſtra, vigiliæ, continentia, opera miſericordiæ, ceteraque virtutum exercitia, per quæ utique conſtat interiorem hominem noſtrum renovari de die in diem: dum & intentio terrenis incurvata curis, de imis paulatim ad ſuperna reſurgit; & affectio circa carnis deſideria languens, ſenſim in amorem ſpiritus convaleſcit; & memoria veterum operum turpitudine ſordens, novis boniſque actibus candidata in dies hilareſcit. In his namque tribus interior renovatio

[Margin: Rom. 14. 13. … gratiæ circa liberum arbitrium. — Epheſ. 4. 13. Col. 3. 4. Sola reformatio nobis reputatur ad meritum. — Per quæ fiat. — In tribus conſiſtit.]

a Codices quidam addunt, *vel facilitatem*, quod ſcribas omnes eſſet lectio hujus loci.

b Ita ſcripti noſtri tres: Horſtio ſic, *in illo creari oportuit quod erat per formam reformari*, &c. ſed mendoſa lectio & interpunctio.

[illegible] tudine ſcilicet intentionis, puritate aſ A ſe[illegible] recordatione bonæ operationis, per quam ſibi bene conſcia memoria eniteſcit.

50. Verum hæc cum certum ſit divino in nobis actitari ſpiritu, Dei ſunt munera: quia vero cum noſtræ voluntati aſſenſu, noſtra ſunt merita. *Non enim vos eſtis*, inquit, *qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* & Apoſtolus: *An experimentum ejus quæritis*, inquit, *qui in me loquitur Chriſtus?* Si ergo Chriſtus, aut Spiritus-ſanctus loquitur in Paulo, non jam itidem operatur in ipſo? *Non enim loquor*, ait, *quæ per me non efficit Deus.* Quid ergo? Si non Pauli, ſed Dei loquentis in Paulo, vel operantis per Paulum, & B verba ſunt, & opera; ubi jam Pauli merita? Ubi eſt quod tam fidenter aiebat? *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* An in eo forte confidit ſibi coronam eſſe repoſitam, quod per ipſum illa fiebant? Sed multa per malos, ſive angelos, ſive homines, fiunt bona; nec tamen reputantur illis in merita. An quia potius & cum ipſo, hoc eſt cum ejus bona voluntate, fiebant? Nam *ſi invitus*, inquit, *evangelizavero, diſpenſatio mihi credita eſt. ſi autem volens, gloria eſt mihi.*

51. Ceterum ſi vel ipſa voluntas, de qua omne me- C ritum pendet, ab ipſo Paulo non eſt: quo pacto eam, quam ſibi repoſitam præſumit, coronam vocat juſtitiæ? An quoniam juſte, jam & ex debito requiritur, A quodcumque vel gratis promittitur? Denique ait: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare.* Dei promiſſum, ſuum appellat depoſitum: & quia credidit promittenti, fidenter promiſſum repetit. Promiſſum quidem ex miſericordia, ſed jam ex juſtitia perſolvendum. Eſt ergo quam Paulus exſpectat, corona juſtitiæ: ſed juſtitiæ Dei, non ſuæ. Juſtum quippe eſt ut reddat quod debet: debet autem quod pollicitus eſt. Et hæc eſt juſtitia, de qua præſumit Apoſtolus, promiſſio Dei: ne ſi hanc contemnens, ſuam velit ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſit ſubjectus, cujus tamen ſuæ juſtitiæ ipſum Deus voluit habere conſortem, ut & coronæ faceret promeritorem. In eo B enim ſibi juſtitiæ conſortem, & coronæ ſtatuit promeritorem; cum operum, quibus erat illa repromiſſa corona, habere dignatus eſt coadjutorem. Porro coadjutorem fecit, cum fecit volentem, hoc eſt ſuæ voluntati conſentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo à Deo voluntas eſt; & meritum. Nec dubium quin à Deo ſit & velle, & perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor eſt meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati *. Alioquin ſi proprie appellentur * al. voluntatem ea, quæ dicimus noſtra merita; ſpei quædam ſunt ſeminaria, caritatis incentiva, occultæ prædeſtinatio- C Merita noſtra quid. nis indicia, futuræ felicitatis præſagia, VIA REGNI, NON CAUSA REGNANDI. Denique quos juſtificavit, non Rom. 8. 30. quos juſtos invenit, hos & magnificavit.

Tom. II. Opu. IX. Dei gratia [illegible] noſtra conſentiente [illegible]

ADMONITIO IN OPUSCULUM X.

I. *ET hæc epiſtola, quæ alias* LXXVII. *eſſe ſolebat, in Tractatuum claſſem relata eſt ab Horſtio. Inſcribitur in vetuſtis libris*, ad Magiſtrum Hugonem de ſancto Victore. *Duo fuerunt eodem tempore Hugones in abbatia S. Victoris apud Pariſios: unus ſcriptis clarus*, de ſancto Victore *appellatus, ad quem hæc epiſtola*, Lotharienſis *ſeu* Iprenſis, *non Saxonicus, dictus in fragmento quod retuli in tomo* I. *Analectorum, mortuus anno* M. C XLII. *ac proinde ante Eugenii tertii pontificatum: alter ab ipſo Eugenio laudatus in epiſtola ad Sugerium, quæ epiſtola inter Sugerianas eſt ſexageſima octava. Eugenii hæc verba ſunt.* Quia ergo dilectus filius noſter *Hugo*, canonicus ſancti Victoris, ad nos rediturus eſt; benevolentiam tuam rogamus, quatenus ei equitaturam unam & expenſas, quæ pro ipſo & ejus ſeſſore in reditu ſibi ſufficiant, largiaris. *Ad primum revertor, cujus epiſtola, quæ huic occaſionem dedit, in editis ejus operibus deſideratur.*

II. Argumentum hujus epiſtolæ eſt contra quemdam Anonymum, cujus ſententia erat, I. Baptiſmi præceptum obligaſſe, ex quo primum Nicodemo dictum eſt à Chriſto Domino, Niſi quis renatus fuerit, *&c. II. Neminem abſque baptiſmo, vel ſaltem ejus vice martyrio, ullatenus potuiſſe ſalvari. III. Patres veteris Teſtamenti tam claram habuiſſe notitiam de Incarnatione, quàm Chriſtianos. IV. Nullum eſſe peccatum ex ignorantia. V. Bernardum erraſſe, cum ſcripſit in homiliis ſuper* Miſſus eſt, *Angelos latuiſſe Dei conſilium de Incarnatione.*

III. Quis fuerit iſte Anonymus, non facile divinare licet. Quidam eſſe putant Johannem archiepiſcopum Hiſpalenſem, ad quem Hugo Victorinus epiſtolam ſcripſit, cujus argumentum eſt, non ſolum corde, ſed etiam ore confitendam Fidem, quam Johannes ipſe ore negaverat. Sed nihil ex illa epiſtola colligitur ad ſtabiliendam hanc conjecturam. Exſtat in tomo III. Operum Hugonis Victorini, lib. I. *Miſcellaneorum cap. VIII. Veri ſimilius eſſet, Anonymum iſtum non alium eſſe ab Hugone Farſito, quem de Sacramentis nonnulla haud recte ſenſiſſe patet ex Bernardi epiſtola* XXXV. *ad ipſum.* Quia inter amicos contra veritatem nulla debet eſſe meticuloſa, cum ſit periculoſa, palpatio; hoc me, fateor, movit & movet, quod illam inter nos jam ante habitam de Sacramentis collationem, in principio prædicti opuſculi defendere & adſtruere conati eſtis. In qua utique collatione, ſi veſtræ ſummam ſententiæ bene meminiſtis, an ſenſui conveniat eccleſiaſtico, vos videritis. Veſtræ autem ingenuæ humilitatis eſt non erubeſcere corrigi, ſi quid aliquando aliter ſapuiſtis. *Verum cum Bernardus Hugone Victorino rogante, adverſarii auctoris, cujus nomen tacuerat Hugo, nec Bernardus ipſe ſciebat*, aſſertionibus *reſponderit; de alio quam de Hugone Farſito, cujus ſententiam & nomen haud ignorabat Bernardus, ſequens epiſtola intelligenda forſan nonnullis videbitur. Quamquam reponi poteſt, collationem illam, de qua Bernardus agit in epiſtola* XXXV. *eſſe fortaſſe poſteriorem hac epiſtola* LXXVII. *quam cum ſcriberet Bernardus, nondum reſcierat quis eſſet auctor illius ſententiæ, quam hac ſua epiſtola impugnat. Ut ut ſit, hæc epiſtola non eſt contra Abaëlardum, cujus nomini haud pepercisset Hugo. tametſi Abaëlardus quædam habet affinia iis, quæ carpit hoc in loco Bernardus. De tempore ſcriptæ epiſtolæ id tantum aſſerere poſſumus, eam ante annum* M C XLII. *quo mortuus eſt Magiſter Hugo Victorinus, ſcriptam fuiſſe.*

Tom. II. Ord. X.

* al. epist. ordine 77.

S. BERNARDI ABBATIS EPISTOLA * SEU TRACTATUS AD HUGONEM DE S. VICTORE,

De Baptiſmo, aliiſque quæſtionibus ab ipſo propoſitis.

PRÆFATIO.

SI tibi videor tardius reſcripſiſſe, ſcito me tarde quoque accepiſſe ad quod reſcriberem. Nam quod miſeras, non continuo ad me uſque perlatum eſt, ſed Pontiniaci diu ante retentum. Porro ubi accepi, moram minime feci in reſcribendo. Ceterum id brevius, quàm tua forte depoſcebat intentio: ſed non plane quàm mea occupatio ſineret. Curavi tamen ne te utcumque lateret quicquid ſuper interrogatis ego ſentirem, tuo ſane eadem mea ſenſa & otio, & ingenio plenius adſtruenda relinquens, ſi ita oportere cognoveris. Nec dubito ad manum tibi eſſe rationes certas, & congruas auctoritates, quibus facile id poſſis. Is ergo, cujus me reſpondere aſſertionibus jubes, & nomen taces, tibi noverit à me ſuper conſultis quod ſentio dictum, non ſibi contradictum, etiamſi quid aliter ab ipſo ſapimus. Nam ſi verum nos ſapimus, veritas ei contradicit, non nos. Sed enim ſi non confunditur acquieſcere veritati, & veritas cum eo ſapit, & nos. Sin autem, ſervum Dei tamen non oportet litigare, ſed magis patientem eſſe ad omnes. Ideoque non quærimus pugnas verborum, novitates quoque vocum juxta apoſtolicam doctrinam evitamus. Patrum tantum opponimus ſententias, ac verba proferimus, & non noſtra: nec enim ſapientiores ſumus quàm patres noſtri. Abundet ſane in ſuo ſenſu qui vult quantum vult, dummodo nos patiatur in Scripturarum ſenſibus abundare, quomodo dicit Apoſtolus: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, tamquam ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

2. Tim. 2. 24. — 2. Cor. 3. 5.

CAPUT I.

Non obligaſſe Baptiſmum, ex quo dictum fuit Nicodemo, Niſi quis renatus, &c.

Baptiſmus an cœperit obligare à Nicodemi colloquio. — Joban. 3. 5.

1. SCribis itaque quemdam aſſerere neſcio quem, (nam non nominas) ex quo primum dictum à Domino legitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*: ex eo neminem abſque eodem percepto actualiter viſibili ſacramento, vel ejus vice martyrio, ullatenus potuiſſe ſalvari: ſed etſi forte illud quiſpiam cum vera fide & contritione cordis expeteret, ſed præventus mortis articulo aſſequi quod cuperet non valeret, tamen omnino damnari. Ubi primo de temporis quidem præfixione durum nimis auſterumque videtur, ut videlicet verbum adhuc abſconditum palam jam noceat, & ante judex feriat quàm minetur: quodque interim in tenebris loquitur & in aure Salvator, nondum quidem ſalvet, quia nondum apparet; & jam mundum impleat condemnatis. Itane ergo verbum ſalutis & præceptum vitæ non prius vitam reſtituere valuit, quàm mortem inflixerit; idque eo innocentibus, quo & neſcientibus adhuc voluntatem Domini ſui? Num gentem ignorantem & juſtam (ut cum Ethnico * loquamur) debuit interficere Deus? Quis ita ſapiat? Non equidem vitæ concordat Auctori, morte nimirum, quam exterminare venerat, uti mox in initio viarum ſuarum ad præjudicium ſæculi, cæleſte adhuc recentiſſimum ignorantis edictum. Nefas eſt profecto ſentire de omnium largitore bonorum, quod tam malum principium dederit adveniens. Minime prorſus id

* Abimelech Gen. 20. 4.

A ego cuipiam de Chriſto aſſenſerim, quod magis ab Antichriſto merito formidatur, quia videlicet & ipſe paraverit ſagittam ſuam in pharetra, ut ſagittaret in obſcuro rectos corde.

2. Quanti namque interim toto orbe non baptizati moriuntur, profecto ignorantes, quid cum Nicodemo Jeſus noctu ſecretoque confabuletur? Quid ergo? Necdum lex promulgatur, & jam prævaricantes tenentur? *Et quomodo*, inquit, *credent in eum quem non audierunt? Quomodo vero audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi mittantur?* Necdum injuncta, necdum vulgata, necdum audita prædicatio eſt: & juxta pigri ac nequam ſervi ſententiam tam durus eſt Dominus, ut necdum ſata jam metere velit, & B non ſparſa colligere? Abſit. Sed audi magis hujus rei veritatem. Qui bonus eſt Magiſter in cælo & in terra, ei qui magiſter tantum in Iſrael erat, familiari privatoque colloquio tradebat quod traderet; docebat quod doceret, non quod exigeret & ab abſentibus, non unde præſcriberet & his qui non audierant. VALDE quippe injuſte exigitur obeditio, ubi non præceſſit auditio. Neque enim tale eſt hoc, quod & abſque promulgatione naturalis lex ignorare non ſineret, quale, verbi gratia, illud eſt: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Facticium magis quodammodo eſt, & non naturale mandatum. Quænam enim natura ſeu ratio docet, C internam æternamque ſalutem neminem mortalium poſſe percipere, cujus corpus foris perfuſum viſibili non fuerit elemento? Sacramentum Dei Altiſſimi eſt ſuſcipiendum, non diſcutiendum; venerandum, non dijudicandum; fide ſortitum, non innatum; traditione ſancitum, non adinventum ratione *. Porro fidem neceſſe eſt ut auditus præceſſerit, dicente Apoſtolo: *Ergo fides ex auditu.* Quod ergo omnino fieri * non poterat ſi non audiretur, quo pacto quæſo exigi debeat & antequam audiretur? Vide autem quomodo huc refugit Apoſtolus, & de ſolo auditu convincit incredulos. Sed *dico*, inquit, *Numquid non audierunt?* Ac ſi dicat: Excuſari poterant, ſi non audiſſent. D Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio. Nunc vero cum in omnem terram exierit ſonus prædicantium, & in fines orbis terræ verba eorum [a]: quia jam diſſimulari non valet auditus, profecto inexcuſabilis eſt & contemptus.

Rom. 10. 14. — Tob. 4. 16. — Baptiſmi mandatum facticium non ſem poſitivum. — * ſub. humana. — Rom. 10. 17. Fidem præcedere debet auditus. — * al. fieri.

3. Multa profecto ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujuſmodi ignorantia non habet excuſationem. Sed numquid forte tale eſt hoc, quod inquiſitum humano poſſit addiſci magiſterio? Homo hominis nonniſi ipſo indicante cogitatum intelligit: quanto minus divinum quis poterit inveſtigare conſilium, niſi cui ipſe voluerit revelare? Audi denique ipſum. *Si non veniſſem*, ait, *& locutus eis non fuiſſem, E peccatum non haberent.* Non dicit ſimpliciter, & locutus non fuiſſem; ſed interſerens *eis*, *& locutus eis*, inquit, *non fuiſſem*: oſtendens ſine dubio non ante cenſeri inexcuſabiles de contemptu, quàm ad ipſorum uſque notitiam juſſio perveniret. Nam ſi locutus quidem fuiſſet, ſed non eis; inobedientiæ culpam ignorantia nihilo minus excuſaret. Nunc autem, inquit, quoniam locutus ſum, & locutus ſum eis, *excuſationem non habent de peccato ſuo.* Unde & aiebat: *Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil.* Non

Ignorantiæ triplex culpabilis. — Joban. 15. 22. — Ignorantia excuſabilis ante prædicationem. — Joban. 15. 20.

[a] Compendienſis codex addit, qui Fidem gentibus prædicant.

qu[illegible] ſi os domeſticos multa in occulto privanmque non docu[illegible] ſed quod tamquam nihilom interim reputaret & nec pœnam, nec præmium ea agere ª quæ in ſecret[illegible] trad[illegible]bat, judicaret, donec de medio fierent, & prodi[illegible]ent in lumine. Denique & dicebat, *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine*: ut merito videlicet jam audientibus obedientiæ vel meritum adſcriberet, vel contemptum, cum in medio proferrentur. Item, *Qui vos audit*, inquit, *me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Acſi diceret: Judicium meum inter obedientes & contemnentes, non de mea ſecreta traditione, ſed de veſtra publica prædicatione pendebit.

Matt. [illegible]
Luc. 10. 16.

4. Sed forte aliquis dicat: eos quidem qui non audierunt, etſi non de contemptu judicari, damnari tamen propter originale peccatum, à quo utique niſi per lavacrum emundari minime potuerunt. At vero quis neſciat & alia præter Baptiſmum contra originale peccatum remedia antiquis non defuiſſe temporibus? Abrahæ quidem & ſeminis ejus, Circumciſionis ſacramentum in hoc ipſum divinitus traditum eſt. In nationibus vero, quotquot inventi ſunt fideles, adultos quidem fide & ſacrificiis credimus expiatos, parvulis autem ſolam profuiſſe, immo & ſuffeciſſe parentum fidem. Porro hoc ita quidem uſque ad Baptiſmi tempora perduraſſe: quo uno ſubſtituto, vacaſſe cetera.

[illegible] Gen. 17. 10.

5. Quærimus itaque Baptiſmi tempus ex quo cœperit. Ex quo, inquit, primum dictum eſt: *Niſi quis renatus fuerit.* &c. Tene ergo firmiter dictum hoc ad Nicodemum, utique amicum Jeſu, occultum tamen propter metum Judæorum; occultumque illud de nocte requiſiſſe colloquium. Quanta autem putas obiſſe interim (ut de Gentibus taceam) millia circumciſorum, cum necdum in lucem prodierit quod de Baptiſmo tunc in tenebris dicebatur? Quid ergo? Damnatos illos omnes dicimus, quia baptizati non ſunt? Fit ergo injuria antiquo illi Dei æque mandato, ſi novo adhuc furtive quodammodo ſuperveniente, non tamen ſubveniente, illud ita ſubito evanuiſſe putetur, ut prodeſſe deinceps non valeret. Et quidem quàm longe poſt putas publice prædicatum & clamatum ſuper tecta fuiſſe: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis non proderit?* Quomodo deinde ſtabit illud, quia *à diebus Johannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur*, ſi præcipue tunc temporis contigiſſe conſtiterit hujuſcemodi à regno violentam interclusionem, qualis quidem nec ante fuerit, nec poſt futura ſit? Sancito quippe novi myſterii decreto, ſed adhuc ſecreto; quiſnam, quæſo, morientibus interim ad regnum patet acceſſus, dum & vetus jam deficit, quoniam à novo excluditur: & novum tamen non ſubvenit, quoniam, dum neſcitur, non percipitur? O infeliciſſima illa tempora! quæ ſola à ſæculis omni penitus ſalutis remedio vacua tranſierunt, dum & circumciſio quæ illo uſque viguerat, prodeſſe jam ſubripiente baptiſmate non auderet: & baptiſma, quoniam adhuc lateret, non ſuccurreret! Forſan dormiebat eo tempore Deus, nec fuit interim qui redimeret, neque qui ſalvum faceret.

Johann. 3. 5. [illegible] Nicodemi [illegible] colloquium.
Galat. 5. 2.
Matt. 11. 12.

CAPUT II.

Baptiſmi obligationem cœpiſſe primum poſt ſufficientem ejus promulgationem. In neceſſitatis tamen articulo ſufficere Baptiſmum fide & voto ſuſceptum, ſicut & martyrium.

6. SAtis profecto ex his (quantum reor) apparet, quod damnatio non baptizatorum, & fruſtratio circumciſorum, & evacuatio ſacrificiorum, quæ forte contra originale peccatum ritus obſervabat antiquus, generaliter jam tunc minime cœperit, quando Nicodemo clam dictum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-ſancto, non intrabit in regnum cælorum.*

Sed à ſufficiente Evangelii publicatione.
Johann. 3. 5.

A Sed nec quando Apoſtolis palam injunctum eſt, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus-ſancti*: ſed ex eo tempore tantum cuique cœpit antiqua obſervatio non valere ª, & non baptizatus quiſque novi præcepti reus exſiſtere, ex quo præceptum ipſum inexcuſabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam. Sane parvulis & necdum ratione utentibus, quia ſola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio; tamdiu credendum eſt antiqua valuiſſe ſacramenta, quamdiu palam interdicta non fuiſſe conſtiterit. An vero ultra? penes Deum eſt, non meum diffinire. Porro in majori ætate quiſ-
B quis poſt vulgatum ubique Baptiſmi remedium renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addit & ex proprio crimen ſuperbiæ, duplicem ſecum portans juſtiſſimæ damnationis cauſam, ſi ſic de corpore exire contigerit. Tamen ſi ante exitum reſipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit; dum non deſit fides recta, ſpes pia, caritas ſincera: propitius ſit mihi Deus, quia huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omnino poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere ſpem, nec excidere caritatem: tantum ſi aquam non contemptus, ſed ſola
C (ut dixi) prohibeat impoſſibilitas. Si quis aliter ſapit, viderit unde ſibi quod aſſerit perſuaſerit. nam me non facile fateor aſſentire, ſi non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum auctoritas.

Tom. [illegible] Matt. [illegible]
ª V. N.
Baptiſmi votum an & quando ſufficiat.

7. Sed miror admodum, ſi novus iſte novarum inventor aſſertionum, & aſſertor inventionum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ ſanctos Patres latuerit Ambroſium & Auguſtinum, ſive auctoritatem eorumdem auctoritate potiorem. Nam ſi neſcit, uterque idem profecto ſenſit, quod fatemur ſentire & nos. Librum certe Ambroſii ᵇ de morte Valentiniani legat ſi non legit; recolat ſi jam legit; non diſſimulet ſi
D recolit: & advertet ſine dubio, Sanctum homini non baptizato & mortuo fidenter de ſola fide ſalutem præſumere, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati. Legat & Auguſtini de unico Baptiſmo librum quartum: & ſe vel agnoſcat imprudenter deceptum, vel probet impudenter obſtinatum. Baptiſmi, inquit, vicem aliquando implere paſſionem, de Latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, *Hodie mecum eris in paradiſo*, beatus Cyprianus, non leve documentum aſſumit. Et addit: Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio, inquit, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex ba-
E ptiſmate deerat poſſe ſupplere; ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Et infra: Quantum itaque, ait, valeat etiam ſine viſibili ſacramento Baptiſmi quod ait Apoſtolus, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, in illo Latrone declaratum eſt. Sed tunc, inquit, impletur inviſibiliter, cum myſterium Baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et quidem non ignoro retractare ipſum id quod poſuerat teſtimonium de Latrone *, minuſque idoneum ad comprobandam illam ſententiam conſiteri, eo quod ſane incertum ſit, utrumne fue-
F rit baptizatus. Ceterum ſententiam & audacter proſequitur, & multipliciter confirmat: nec uſpiam (niſi fallor) retractaſſe reperies. Item in alio loco Auguſtinus, cum aliquos præmiſiſſet, quos Scriptura commemorat inviſibiliter quidem, non tamen etiam viſibiliter ſanctificatos, tandem infert: Ex his colligitur, ait, inviſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe & profuiſſe ſine viſibilibus ſacramentis, quæ pro temporum diverſitate mutata ſunt, ut alia tunc fuerint, & alia modo ſint. Et paulo poſt: Nec tamen, inquit, viſibile ſacramentum omnino contemnendum. nam contemptor ejus inviſibiliter ſanctifi-

Ambroſii & Auguſtini ſententia.
ᵇ S. Ambr. de Obitu Valent. verſus fin.
S. Auguſtin. lib. 4. contra Donatiſt. c. 22. & de [illegible] [illegible] diſt. 4. c. Baptiſmi vic.
Luc. 23. 43.
Rom. 10. 10.
* Aug. lib. 2. Retract. c. 18. & 55.
Idem 30. qq. in Lev. c. 84.

ª Ita ſcripti omnes cum editis primis: poſteriores, *augere*.

ᵇ Mira eſt hac in re Abælardi impudentia, qui cum ſentiret, catechumenos ſolo Baptiſmi voto martyrio ſalvari poſſe, ut in epiſtolam ad Romanos pag. 564. & in epiſtola 7. ad Heloiſſam pag. 129. Ambroſium ait *contraria Fidei* hæc in re ſcripſiſſe ad ſororem Valentiniani ſororum de ejus morte lenendum.

Tom. II. Opuſc. X.

cari non poteſt. Ubi ſatis evidenter oſtendit, fidelem & converſum ad Dominum, non ſi nequiverit, ſed ſi contempſerit baptizari, fructu privari baptiſmatis.

a

Bernardi reverentia in Patres.

8. Ab his ergo duabus columnis, Auguſtinum [a] loquor & Ambroſium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut ſapere fateor: credens & ipſe, ſola fide hominem poſſe ſalvari, cum deſiderio percipiendi ſacramentum: ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcumque vis invincibilis obviarit. Vide etiam ne forte ob hoc Salvator cum diceret, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; caute & vigilanter non repetierit, Qui vero baptizatus non fuerit; ſed tantum, *Qui vero*, inquit, *non crediderit, condemnabitur*. nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Quapropter etſi martyrium vicem Baptiſmi poſſe implere conceditur, non plane hoc facit pœna, ſed ipſa fides. Nam abſque ipſa quid eſt martyrium, niſi pœna? Quæ ergo martyrio præſtat, ut abſque ulla dubietate pro baptiſmate reputetur; ipſa ita infirma & imbecillis per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere? Et prorſus ſanguinis pro Chriſto effuſio magnæ cujuſdam fidei indubitata probatio eſt, non Deo tamen, ſed hominibus. Sed quid ſi Deus, qui profecto ad probandum quod vult, nullis indiget experimentis, æque magnam in corde cujuſpiam in pace morientis inſpicit fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam? Si recordatus fuerit homo, necdum ſe ſalutis percepiſſe myſterium, & dolens pœnitenſque toto deſiderio expetierit, ſed aſſequi mortis celeritate præoccupatus nequiverit; damnabit fidelem ſuum Deus? damnabit, inquam, hominem pro ſe etiam paratum mori? Paulus dicit: *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu-ſancto*. Hunc ergo qui in articulo mortis non ſolum invocat Dominum Jeſum, ſed ipſius quoque toto deſiderio expetit ſacramentum; dicemus aut non loqui in Spiritu-ſancto, & falſus erit Apoſtolus; aut & cum Spiritu-ſancto damnari? Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confeſſionem; & cum Salvatore damnabitur? Pro certo, cum non aliunde martyrium, niſi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut ſingulariter vice Baptiſmi ſecure ſuſcipiatur; non video cur non ipſa æque & ſine martyrio apud Deum tamtumdem poſſit, cui & ſine martyrii probamento proculdubio innoteſcit. Poſſit ſane tantumdem, dixerim, quantum ad ſalutis ſpectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit. Legimus, *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*. & item: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo*. Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas? Niſi forte putetur in malo, quàm in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum qui caritas eſt; & promptior eſſe ad ulciſcendum, quàm ad remunerandum miſericors & miſerator Dominus. Quomodo is qui alieno debito ſe teneri forte in extremis poſitus recolit, ſi deſit unde perſolvat, ſola nihilo minus pœnitentia & cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur: ſic ſola fides & mentis ad Deum converſio, ſine effuſione ſanguinis, & ſine perfuſione aquæ, ſalutem ſine dubio operatur volenti, ſed non valenti, prohibente mortis articulo, baptizari. Et ſicut nulla illi pœnitentia remittitur peccatum, ſi, cum poſſit, non reſtituit ablatum: ſic & huic nulla proderit fides, ſi, cum poſſit, non percipit ſacramentum. Quamquam & fidem convincitur non habere perfectam, ſi negligit.

Marc. 16. 16.

Martyrium vicem baptiſmi ſupplet per fidem.

1. Cor. 12. 3.

Fides vicem baptiſmi.

1. Johan. 3. 15. Matt. 5. 28.

Reſtitutionis conditio.

Fides vera nihil negligit.

Vera enim & plena fides univerſa præcepta complectitur: eſt autem hoc unum ipſumque præcipuum ex præceptis. Merito ergo non infidelis, ſed plane rebellis atque contemptor reputabitur, quiſquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit ſacramentum?

9. Sane infantes, quia hanc, prohibente ætate, non poſſunt habere fidem, hoc eſt cordis ad Deum converſionem; conſequenter nec ſalutem, ſi abſque Baptiſmi perceptione moriuntur. Non quod vel ipſi, quando baptizantur, fide omnino careant, ſine qua impoſſibile eſt vel ipſos placere Deo: ſed ſalvantur & ipſi per fidem, non tamen ſuam, ſed alienam. Dignum nempe eſt & ad Dei ſpectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam [b]. Nec enim Omnipotentis juſtitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus eſt fide, cum ſine ſorde non naſcantur aliena: quatenus nec à parvulis alienum ſit, quod de omnibus generaliter dicitur: *Fide mundans corda eorum*. Nec dubium, quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari. Hæc ſunt quippe judicia divinæ juſtitiæ, in quibus exſultans ſanctus David, *Memor fui*, inquit, *judiciorum tuorum a ſæculo Domine, & conſolatus ſum*. Huculque de his.

Infantibus cum baptiſmo fides aliena prodeſt ad ſalutem: at non ſine baptiſmo.

b

Act. 15. 9.

Pſal. 118. 52.

CAPUT III.

Juſtos veteris Teſtamenti non tam claram habuiſſe notitiam futurorum myſteriorum fidei, quàm nos habemus præteritorum.

10. Aſſerit præterea, ut dicis, ille quem dicis, omnes antiquos Juſtos, quotquot videlicet Chriſti adventum præceſſerunt, tantam omnino habuiſſe præſcientiam futurorum, quantam nos, qui poſt ſumus, præteritorum ſcientiam: ita ut nullus vel ſimplicium juſtorum aliquid prorſus ignoraret ex omnibus, quæ modo nobis evangelica pandit hiſtoria. Verbi gratia, Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam Salvatoris, miracula, crucem, mortem, ſepulturam, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, & ad cælos aſcenſionem, ſic omnino omnibus illorum temporum Juſtis, & aperte omnia, & diſtincte ſingula fuiſſe præcognita, quemadmodum ſuo ſunt tempore poſt exhibita, & modo cognita nobis: adeo ut nec juſti fuerint, nec ſalvi ſint, quibus ita clara omnia & perſpicua non fuerunt. Et id quidem falſum.

Anonymi opinio de clara notitia Veterum Patrum.

11. Verum ad refellendum tu tanta * in tua epiſtola poſuiſſe videris, ut nil addendum penitus putem; & pæne quid addi poſſit, non inveniam. De homine tamen qui iſta loquitur, (pace ipſius dico paucis quod ſentio) videtur mihi plus novitatis curioſus, quam ſtudioſus veritatis; gravarique de omni re ſentire cum aliis, & dicere quod aut ſolus non dixerit, aut primus. Unde fit, ut in his quæ ſentit vel loquitur, modum omnino tenere aut ignoret, aut diſſimulet. Ecce enim & in hac aſſertione ſua dum pares in ſcientia facit omnes, qui ventura ſperabant, iis qui præterita legunt; Deum profecto aut nimis parcum prædicat, aut nimis largum, oculum diſcretionis ex nulla parte aperiens. Aut enim numerum Electorum illius temporis ſub paucitate redigit rariſſimorum ſpiritualium, quos pro ſuæ ſanctitatis ſpeciali excellentia inſignes illuſtreſque illis temporibus exſtitiſſe, ac ſingulari munere Spiritus ſingula, uti ventura erant, prævidere certiſſime potuiſſe Scriptura commemorat; & ſic nimis abbreviat manum Dei, dum præter paucos illos perfectiſſimos, neminem eo tempore putat potuiſſe ſalvari: aut certe, ſi & illa tempora multitudinem ſal-

Refellitur. *al. tantum in tua epiſt. contuliſſe.

Deum nimis largum aut parcum facit.

a His non obſtant quæ in ſpeciem pugnare videntur apud Auguſtinum in ſermone 20. de verbis Apoſtoli cap. 6. ubi bono catechumeno deputat ad pœnam, quod ad baptiſmum non pervenerit. tametſi non pauci veterum ſalutem negant ejuſmodi catechumenis, ut Rabanus in lib. 4. de Univerſo cap. 10. Alcuini vulgata Confeſſio Chriſtiana, & ante eos Fulgentius in epiſtola ad Ferrandum.

b Vide Horſtii Notas, & confer ſermonem 66. in Cantica, atque epiſtolam Gualteri de Mauritania epiſcopi Laudunenſis contra quemdam magiſtrum Guillelmum monachum, dubitantem, an peccatorum remiſſio tribuatur parvulis ante uſum rationis baptizatis ab hæretico, tomo 2. Spicilegii pag. 459.

va[illegible]orum [illegible] r iſtos habuiſſe non diffitetur [illegible] m[illegible] divini muneris largitatem v[illegible] cum aſſ[illegible] it. ſiquidem omnem [illegible] [illegible], quæ de myſterio noſtræ redemp[illegible] numerata ſunt, liquido præcognoviſ[illegible] ſtiterit. [illegible] m enim ex his quippiam tunc n[illegible] c [illegible] m man[illegible] ſte nec publice prædicatum fuiſſe [illegible] ſtat ut fateamur omnia omnibus p[illegible] S[illegible] um revelata fuiſſe; & ſic omnes ſpiritua[illegible] omnes perfectos, omnes exſtitiſſe Prophetas quo[illegible] ab adventu Domini retro juſti & ſalvi fuerunt. [illegible] itaque antiquis temporibus aut perrara ſalus, aut nimium numeroſa perfectio: quorum quid[illegible] ſapere, diſcretionis terminos excede- B re[illegible].

[illegible] Quod ſi videtur tolerabilius, immo & Deo di[illegible], r pleſſe potius & ditaſſe ſæcula illa [illegible] p[illegible] ctorum, quàm ſalvandorum tanta [illegible] pa[illegible] contentum, quatenus & ſalvi non pauci [illegible] & omnes nihilo minus repleti ſpiritu pr[illegible], [illegible] cdum revelata myſteria jam tunc penetra[illegible] ſi, inquam, hoc recipitur, benedicimus quidem Deum in donis ſuis; ſed quid tempori gratiæ reſerv[illegible] ſit, non videmus. niſi quod tempus gratiæ [illegible] p[illegible] juxta ſententiam hanc fuerit appellan[illegible] quo tot & tantæ Dei populo divitiæ ſpiritus [illegible] ut illud prorſus incredibili felicitate cer- C [illegible] impletum, quod Moyſes optabat, cum diceret: *Quis dabit ut omnes prophetent?* Quæſo, quid ſimi[illegible] vangelium? Fruſtra gloriatur Paulus de pri[illegible], quas ſe putat cum ſuis coapoſtolis ac[illegible], cum nil tale in diebus ſuis potuerit experiri. [illegible] Dei [illegible]: *Numquid omnes Propheta?* Fruſtra, inquam, gloriatur de Evangelio ſuo, quia non ab homine, neque per hominem illud acceperit, ſed quaſi ſpeciali quadam prærogativa per revelationem Jeſu-Chriſti: cum & ante ipſum per Spiritum-ſanctum fuerit etiam populis revelatum. Sed nec apoſtolus Petrus profecto debuit propheticum illud ad ſua tempora retorquere, *Effundam de Spiritu meo ſuper filios &* D *filias veſtras, & prophetabunt filii veſtri & filiæ*; ſi abundantior jam præceſſerat tranſactis ſæculis effuſio Spiritus. Aut certe Propheta, vel potius in Propheta Deus, (ſi vere illa tempora apoſtolica, cum hoc diceret, intuebatur) non plane *effundam*, ſed *ſubtraham* magis *de Spiritu meo* dixiſſe debuerat. Quid enim? Si filiis Evangelii omnes veteres juſtos pares facimus in ſcientia, numquid non & ſuperiores in gratia conſequenter fateri neceſſe eſt? utpote quos non lectio, ſicut nos, aut prædicatio, ſed ipſa unctio docuerit omnes de omnibus.

13. Eſto tamen: toleremus nos noſtram injuriam, & Apoſtoli quoque ſuam, ut & ipſis minimi etiam antiquorum Juſtorum comparentur in ſcientia, præfe- E rantur in gratia. Sed eſt ſane quod ullo omnino pacto non ferimus, & merito; ut Dominus videlicet gloriæ ſentiatur, vel falli umquam potuiſſe, vel fallere voluiſſe. Et quidem ipſe proteſtatus eſt, inter natos mulierum majorem Johanne Baptiſta non ſurrexiſſe. Vide autem ſi non vere falſum fateri cogimur Veritatis hoc teſtimonium, ſi tantum tribuamus veteribus, quantum nec Johanni vindicare valemus. Non utique ſit injuria Johanni, ſi quid ignoraſſe creditur aut dicitur, nimirum quod & ipſe non diffitetur: ſed ſi quod præconi Veritatis negamus, contra præconium Veritatis alteri damus; hoc non tantum injuria, ſed & blaſphemia eſt, & plane contradicere non Johanni, ſed Veritati. Quid ergo? Amicus ſponſi dubitat, & quærit, *Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?* & nos nullibus hominum certitudinem de omnibus noſtro mendacio confirmamus.

14. Nec ipſos de ſe ita veteres ſenſiſſe, paucis advertere poſſumus. Moyſes ſcribit Deum ad ſe loquentem dixiſſe ſic: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob; & nomen meum Adonai non indicavi eis*, ſubaudit, ſicut tibi. Oſtendit ergo ſe de Dei notitia

Matth. 11. 11.

Ibid. 3.

In Prophetis [illegible] myſterium.

A plus aliquid præcedentibus Patribus accepiſſe David quoque ſuper doctores ſuos & ſeniores donum ſibi intelligentiæ audacter præſumit, ita dicens: *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* & rurſum: *Super ſenes intellexi.* Sed & Propheta Daniel, *Pertranſibunt*, ait, *plurimi, & multiplex erit ſcientia*, ampliorem ſcilicet rerum notitiam promittens & ipſe poſteris. Si ergo (ut ait etiam ſanctus Papa Gregorius) ſecundum incrementa temporum crevit & ſcientia ſpiritualium Patrum; & quanto viciniores adventui Salvatoris exſtiterunt, tanto myſterium ſalutis plenius perceperunt: non eſt dubium, quin his qui & præſentes fuerunt, multo amplius B contulerit rerum ipſarum exhibitio, atque præſentia exhibentis. Denique & audiunt; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* item: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Multi*, inquit, *Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Quare? ut videlicet clarius largiuſque perciperent, quod vix tenuiter obſcureque præſenſerant. Alioquin quid opus erat foris videre carnem, & carnis audire ſermones, ſi jam intus à Spiritu fuerant perfecte inſtructi de omnibus? præſertim cum Dominus dicat: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Quod ſi Prophetæ, & qui illuſtriores videbantur C in illo populo, non omnes omnia liquido æqualiter agnoſcere valuerunt, ſed alii plus, alii minus, prout eis Spiritus dabat, dividens ſingulis prout volebat, idque abſque præjudicio ſuæ ſanctitatis atque perfectionis: quanto magis ſimpliciores quique juſti ſine detrimento ſalutis, ſalvationis tempus, modum & ordinem neſcire potuerunt, quæ tamen certa ſpe & fide, uti promiſſa fuerant, firmiſſime tenuerunt?

Pſal. 118. 99.

Dan. 12. 4.

Greg. M. hom. 16 in Ezech.

Luc. 10. 23.

Joh. 15. 15.

Luc. 10. 24.

Johan. 6. 64.

15. Quanti hodieque profecto in populo Chriſtiano vitæ æternæ, ſæculique futuri, quod indubitanter credunt & ſperant, & ardenter deſiderant, formam tamen ac ſtatum ne cogitare quidem vel tenuiter norunt? Ita ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum D omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem, in hac fide & exſpectatione ſalvati ſunt: licet quando, & qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret, ignorarent. Denique Beda aperte docet aperta omnia omnibus nequaquam fuiſſe quæ de Chriſto futura erant, quod tu quoque teſtimonium in tua epiſtola poſuiſti. Unum, „ inquit, idemque dominicæ crucis trophæum prius Pro- „ phetæ & Moyſes, quàm Apoſtoli noverant & prædica- „ bant: ſed Prophetæ hoc aliquoties figuratis velatiſque „ ſermonibus, Apoſtoli autem Apoſtolorumque ſucceſ- „ ſores patefacta luce Evangelii ſemper aperte prædica- „ bant: ita ut nunc omnis populus Chriſtianus ſcire & „ E confiteri debeat fidem, quam eo tempore pauci ad- „ modum, & perfectiores quique noverunt: quamvis „ omnis populus Dei etiam tunc ejuſdem myſteria fi- „ dei in legalibus ceremoniis typice portaret. Multa „ ſunt quæ ad hæc confirmanda concurrunt: ſed modus epiſtolaris cuncta non patitur, nec opus eſt. Arbitror enim (ut ante jam dixeram) me quoque non reſpondente, ea potuiſſe ſufficere quæ tua ſuper hoc epiſtola continet. Sed hoc * addidi, ne intactum quid præterirem ex omnibus quæ petiſti.

Patrum veterum qualis Fides.

* hæc.

CAPUT IV.

F *Oſtendit dari peccatum per ignorantiam, contra aſſertorem contrariæ opinionis.*

16. JAm contra tertiam aſſertionem non multum nobis arbitror laborandam, tum quod manifeſtam nimis præferat falſitatem; tum quod ipſe ejus inventor, in ſua ſuperiori ſententia ipſam per ſe ſatis impugnet, ſibimet ipſi contrarius. Cum enim de nocturno illo privatoque ſuſurrio Domini cum Nicodemo, laqueum nectat publicæ damnationis per totum orbem ignorantibus, arbitrans videlicet neminem ex

Peccatum ex ignorantia dari.

Tom. II. Opusc. X. illa hora potuiſſe ſalvari, qui non fuerit baptizatus: A nonne aperte peccatum ignorantiæ, & peccatum damnabile confitetur? Niſi forte tam protervus ſit, ut Deum homines ſine culpa damnare exiſtimet. Verendum tamen, ne ſi vel breviter non reſpondetur ſtulto juxta ſtultitiam ſuam; putans forte ſapientiam, ſecurius ſpargat ſeminarium vecordiæ in auribus inſipientium, & ita jam inſipientiæ ejus non ſit numerus. Veritatis proinde teſtimoniis, paucis & manifeſtis, manifeſtum mendacium confutetur. Is forſitan qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, numquam pro ſuis ignorantiis deprecatur, ſed potius Prophetam irrideat deprecantem & dicentem: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* (Pſal. 24. 7.) Forſitan & repre- B hendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem. Loquitur enim in Levitico ad Moyſen dicens: *Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, juxta menſuram æſtimationemque peccati.* (Levit. 5. 17.) & rurſum: *Qui orabit pro eo quod neſciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.* (Ibid. 18.)

17. Si ignorantia numquam peccatum eſt, cur dictum eſt in epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui & populi igno- C rantia? (Heb. 9. 7.) Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. (1 Tim. 1. 13.) Bene itaque faciebat, quod erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus; quod erat ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Jeſu; & in hoc ipſo quippe abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere, *Miſericordiam conſecutus ſum*: ſed mercedem recepi, (Galat. 1. 14. 1 Tim. 1. 13.) quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantia numquam peccatur; quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum, quan- D doquidem non ſolum malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? (Johan. 16. 2.) Sed & fruſtra in cruce Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus, ipſo teſte, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. (Luc. 23. 34.) Neque enim fas eſt ullatenus ſuſpicari mentitum fuiſſe Dominum Jeſum, aperte perhibentem eos ignorare quid facerent; etſi forte de Apoſtolo dubitet quis, quod carnem ſuam æmulans, ſicut homo mentiri potuerit, ubi ait: *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* (1. Cor. 2. 8.) Numquid non ex his ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe interdum E per ignorantiam? Sed de his hactenus.

CAPUT V.

Sententiam quamdam ſuam male acceptam à calumnia vindicat, nempe, Quod Angelos latuerit conſilium Incarnationis Dominicæ.

Sententiam ſuam de ignorantia Angelorum circa Incarnationem vindicat.

18. In fine mihi inſinuas, amicabiliter quidem, moveri aliquos ſuper quadam mea ſententia, qua dixi cum Evangelium exponerem [a], conſilium Dei nulli, etiam beatorum Angelorum, antequam Virgini revelatum. Primo quidem inde (ut arbitror) quia non ſatis juſte moventur, advertere poſſunt, quod F eamdem ſententiam non conſtanter affirmo, ſed cum temperamento, ſuſpendens ſub disjunctiva particula: vel ideo, inquam, dictum eſt, *à Deo*. Siquidem præmiſſa una cauſa quæ mihi videbatur, cur Evangeliſta, cum diceret, *Miſſus eſt Angelus Gabriel*, nominatim ſubjecerit, *à Deo*: (Luc. 1. 26.) alteram quoque temperate quidem & ſub disjunctione ſubjunxi, quo & mihi non incumberet defendendi neceſſitas, & lectori daretur eligendi facultas quam e duabus voluiſſet [*]. Si igitur una quælibet illarum ſtare poteſt, de altera quid ſuggillor, quippe qui neutram affirmans, lectoris utramque magis judicio derelinquo? Quamquam etſi ex ſententia dixerim, ignotum uſque tunc [*] ſanctis Angelis fuiſſe Dei conſilium, non quidem quia per incarnandi Verbi myſterium Dei propoſitum erat quandoque operari ſalutem in medio terræ (hoc enim & multis mortalium & præſcire donatum eſt, & prædicere) ſed quod potiſſimum tempus, quemve locum, vel modum, præcipueque quam virginem, ad implendum propoſitum ſuum elegiſſet Deus; ſi inquam, hoc Dei conſilium non de opere, ſed de tempore, loco, modo, atque perſona, etiam ſanctos ignoraſſe Angelos ſenſerim & ſcripſerim; profecto non video cur incredibile videatur. Sane ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod ſentitur non obviat.

[*] al. mavult.

[*] al. adhuc, Angelis quoque ignotum conſilium Incarnationis Verbi.

Opiniones quando licitæ.

19. Quænam enim me ratio ſive auctoritas ſentire cogat, etiam tempus illud ab antiquo Angelis innotuiſſe, de quo Apoſtolus: *Poſtquam venit*, inquit, *plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege?* (Galat. 4. 4.) Credibilius magis fortaſſe videtur, ut ſicut futuri adventus Domini, ipſo teſte, diem prorſus ignorant; ita quoque prioris tempus nequaquam præſcierint. (Matth. 24. 36.) Quis ſcit enim, ſi modo illo ſpirituali Dei Sapientia de primo adventu ſuo & Angelis illud locuta ſit, quod Apoſtolis per os carnis aſſumptæ de ſecundo legitur reſpondiſſe: *Non eſt*, inquiens, *veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate?* (Act. 1. 7.) Quæ me rurſum credere compellat neceſſitas, Angelos jam ante advertiſſe civitatem Nazareth, quàm illo cernerent miſſum Archangelum Virginem ſalutare, & partum nuntiare divinum? (Item locus.) Siquidem quod prælecta fuerit Bethleem nativitati, Jeruſalem paſſioni; etiam ſic aperte præſcitum & prædictum eſt à Prophetis. Quod autem & Nazareth prævisa ſimiliter eſt conceptioni, non tamen ſimiliter (ut arbitror) prævisum fuiſſe & à Prophetis, evidens aliquod invenitur de Scripturis teſtimonium. Nam quod legitur, *Quoniam Nazaræus vocabitur*, (Matth. 2. 23.) profecto Evangeliſta, qui hoc de Propheta ſumit, non tam ad conceptionem, quàm ad educationem referri ſatis evidenter oſtendit, quod illo videlicet ex Ægypto reportatus fuerit, illicque nutritus. Denique Judæi ad Nicodemum, *Scrutare*, aiunt, *& vide, quoniam Propheta à Galilæa non ſurgit.* (Johann. 7. 52.) Et quidem ſcienti legem loquebantur, & qui magiſter erat in Iſraël, nihilque facile ignoraret ex omnibus: & tamen tota fiducia inſtabant, monſtrantes Scripturas non loqui Chriſtum venire à Galilæa, cujus Nazareth civitas eſſe cognoſcitur. Plus ſane ad manum fuit eis teſtimonium de Propheta, ex quo Regi locum ſciſcitanti nativitatis, incunctanter Bethleem reſponderunt. (Matth. 2. 5.) Itaque natus in Bethleem Chriſtus eſt, & in Jeruſalem paſſus; & utrumque aperte prædixiſſe Prophetas manifeſtum eſt. Conceptus æque eſt & in Nazareth civitate Galilææ: nec tamen viſum eſt occurrere quippiam vel Nicodemo, per quod ſive Galilæam, ſive Nazareth ad Chriſti adventum undecumque pertinere doceret.

20. Sic quoque Nathanaël, doctus & ipſe in lege, Philippo nuntianti Jeſum filium Joſeph à Nazareth, mox ſub interrogatione admirando reſpondit: *A Nazareth*, inquit, *poteſt aliquid boni eſſe?* (Johan. 1. 46.) Nimirum admirans, quod à Nazareth Chriſtus nuntiaretur, quod ex nulla penitus Scriptura recoleret. Aut ſi non interrogando quidem, ſed magis affirmando illud reſpondiſſe contenditur, memor utique præfati teſtimonii, quoniam *Nazaræus vocabitur*: non tamen perinde, quod in Nazareth conceptus fuerit Jeſus, eum agnoviſſe conſtabit: cum multæ aliæ cauſæ occurrere potuiſſent, cur illud Propheta prædixerit. Potuit ergo & de conceptionis loco, ut Prophetas, ſic & Angelos divinum latuiſſe conſilium.

[a] Nempe Evangelium Lucæ cap. 1. *Miſſus eſt*, & quidem in homilia 1. infra tomo 3.

21. Modum

Modus quo... [illegible]

21. Modum deinde illum tam incomprehenſibilem, quem & Virgo ſollicita requiſivit, unde quæſo doceri queam Angelis fuiſſe præcognitum? Mihi vero videtur, ne ipſi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nuntiabat. quod & ipſe fatetur, ſi ejus verba diligenter advertimus. Reſpondens quippe, *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te*; nonne aperte mittit ad magiſterium Spiritus-ſancti, cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam, & diſcat experiendo quod audiendo non poterat? Denique ſubjungit, *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: expreſſius profecto ſignificans modum ſecretiſſimum arcani incomprehenſibilis & ineffabilis ſacramenti, quo quaſi in umbra cum ſola, & in ſola Virgine, ſola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum. Ad hoc quoque inveſtigandum myſterium minus ſe idoneum confitetur magnus ille Johannes, cum ſe indignum perhibet ſolvere corrigiam calceamenti. Sed & ipſam Virginem, rogo, unde probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis, quod ipſa videlicet eſſet, quam Deus elegerit in matrem ſibi, excepto dumtaxat Archangelo, cui & ſervanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt? Porro autem ſi diabolus eam nec poſt conceptionem agnovit, * Joſeph utique deſponſatione deceptus: credi poteſt & ſanctis Angelis vel ante minime innotuiſſe, quod ipſa videlicet eſſet Dei mater futura. Sane etenim reprobi ſpiritus, etſi deſtituti ſunt participatione gratiæ ſpiritualis, non tamen vivacitate induſtriæ naturalis.

Luc. 1. 35.

Ibidem.

Tom. II. Opusc. X.

* Joſephi

22. Videſne, in quantis, ſalva fide & veritate Scripturarum, divinum Angeli conſilium poterant ignoraſſe, præſertim ut horum revelandorum prærogativa Matri Virgini ſervaretur? Primum equidem eſt tempus, ſecundum locus, tertium modus, quartum electio perſonæ virginalis. Hoc reſponde fratribus, qui me reprehendunt quod dixerim ad laudem Virginis, ideo poſitum eſſe *a Deo*, ne cui forte vel beatorum Angelorum ſuum conſilium Deus, priuſquam Virgini, revelaſſe putetur, excepto dumtaxat archangelo Gabriële. Suum conſilium dixi, non de opere, ſed de operis tempore, de loco, de modo, de perſonæ quoque electione. Vale.

ADMONITIO IN OPUSCULUM XI.

Opusc XI.

I. *Epiſtolam ſequentem, quæ inter Bernardinas ordine* CXC. *eſt, Horſtius in claſſem Tractatuum ob epiſtolæ prolixitatem ac materiæ dignitatem rejecit. Scripta fuit occaſione damnatorum Abaëlardi errorum in Synodo Senonenſi, quam anno* MCXL. *frequenti Gallicanorum epiſcoporum conſeſſu, præſente rege Ludovico Juniore, celebratam diximus in fuſioribus Notis ad epiſtolam* CLXXXVII. *In Synodica epiſtola, quæ inter Bernardinas eſt* CXCI. *& in alia, quæ modo eſt ordine* CCCXXXVII. *Innocentio Papæ ſignificant Patres, Abaëlardi errores à ſe damnatos, intacto auctore, quod ad Sedem apoſtolicam appellaſſet: atque errorum Capitula* plenius contineri in litteris domini Senonenſis. *Has litteras non alias eſſe credimus, quàm ſubſequentem Bernardi epiſtolam, in qua ejuſmodi capitula referuntur, ſtrictimque refelluntur. Eadem ſunt capitula, quæ Gauſrido Carnutenſi epiſcopo & Bernardo direxerat Guillelmus, ex ſancti Theoderici abbate tunc monachus Igniacenſis, uti apparet ex ejus litteris ſuperiùs editis inter Bernardinas.*

II. *Capitula iſta partim ſibi falſo impoſita conqueſtus eſt, partim pro ſuis agnita correxit Abaëlardus in Apologia ſua, in qua Bernardum, tamquam unicum adverſarium ſuum, ut delatorem malignum aut inconſideratum paſſim laceſſit. Bernardi patrocinium adverſus eas calumnias ſuſcepere duo ipſius Abaelardi quondam familiares, qui ab ejus erroribus tandem reſipuerant, Gauſridus, Bernardi poſtea notarius; & quidam Abbas anonymus* Nigrorum monachorum. *Utrumque deſignaverat Chifſetius in Notis ad Abaëlardum: ſed amborum opuſcula modo typis edita ſunt in tomo* IV. *Bibliothecæ Ciſtercienſis: ubi eruditus editor Bertrandus Tiſſerius obſervat, Abbatem iſtum anonymum alium eſſe à Guillelmo S. Theoderici. Abbas porro erat in* Francia, *id eſt in metropoli Senonenſi vel Remenſi, teſte Gauſrido, ut mox videbimus; treſque libros, adverſus Abaelardum à ſe ſcriptos, Hugoni Rotomagenſium archiepiſcopo dedicavit. Eum dominum ſuum vocat initio libri ſecundi, itemque* clariſſimam Rotomagenſium lucernam: qui catholico pectore, *inquit*, de Deo tuo ſentis, catholico ore loqueris, & catholica manu ceteris excellentius ſcribis.

III. *Ex capitulis errorum Abaëlardo imputatis, quædam in vulgatis ejus operibus deſiderantur. Unde nonnulli occaſionem arripiunt inſimulandi Bernardum, quaſi Abaëlardo falſos errores affinxerit, & cum larvis atque umbris dimicaverit. At conſtat pleroſque etiam in vulgatis ſcriptis errores deprehendi, ut ſuis locis oſtendemus: &, ſi qua ampliùs non exſtant, ea quondam in ipſo Abaëlardo legiſſe Guillelmum S. Theoderici, Gauſridum, & Abbatem illum anonymum Abaëlardi quondam diſcipulum, qui & præceptoris ſui doctrinam callebat, & verba ipſa refert, uti & Guillelmus, tum ex Apologia, tum ex Theologia Abaëlardi, quæ in editis non comparent. Et certe Abaëlardus ipſe in libro ſecundo commentarii ſuper epiſtolam ad Romanos pag.* 554. *quædam in Theologia ſua tractanda reſervat, de quibus nulla mentio eſt in impreſſis, quæ ſic deſinunt:* Cetera deſunt. *ut appareat, Theologiam in editis mutilam eſſe.*

IV. *Itaque male omnino merentur de religione Chriſtiana, nedum de Bernardo, qui ut Abaelardum abſolvant, Bernardum cæco (ut aiunt) zelo impulſum fuiſſe criminantur. Saltem cum Abaelardo ipſo & ejus defenſore Berengario agnoſcant tandem, eum in quibuſdam erraſſe. Ita enim ſe, quamvis non ſatis ex animo, reum agnoſcit in nonnullis Abaëlardus in Apologia ſua, ubi hæc verba.* Scripſi forte aliqua per errorem, quæ non oportuit: ſed Deum teſtem & judicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accuſor, nil per malitiam aut ſuperbiam præſumpſi. *Eſto itaque malitiam, atque etiam hæreſim ab eo removere liceat: at errores ſaltem aliquos, vocum novarum ſtudium, levitatem, forſan etiam ſuperbiam & contentionum pruriginem in eo diſſimulare non licet. Sed demum Innocentius reſcripto ad epiſcopos miſſo hominem recludi juſſit, ejuſque libros comburi, quos ipſe Romæ flammis tradi mandavit, teſtante Gauſrido. Verum tandem reſipuit Petrus, atque ab appellatione de-*

Tom. II. Opusc. XI. *ſtitit conſilio & hortatu Petri venerabilis abbatis Cluniacenſis, qui extremos ejus mores egregie laudat in epiſtola ad Heloiſſam.*

V. *Bernardo non impune ceſſit, quod Abaëlardum & ſcriptis, & verbis perſecutus ſit. Nam non ſolum Abaëlardus cenſura impatiens, ſed etiam Berengarius, ejus diſcipulus ac defenſor, quadam in Bernardi ſcriptis erronea jactare demum auſi ſunt, inſigni commento.* Errasti vere, *inquit Berengarius Bernardum alloquens*, dum originem animarum de cælo aſſeruiſti eſſe, *pag. 310. Et pag. 315.* Animarum originem de cælis fabularis eſſe, ubi ſic recolo te locutum: (*nempe ſermone* XXVII. *in Cantica*) Merito dixit Apoſtolus, Noſtra converſatio eſt in cælis. Hæc verba tua ſubtiliter explorata, Chriſtianæ mentis palato hæreſim ſapiunt. *Apage inſanum atque impudentem nebulonem. Abbas anonymus ſub finem libri ſecundi aliam Abaëlardi in Bernardum calumniam profert.* Miraculum mihi eſt, quod à tam longo tempore, & à tantis viris, quorum doctrina fulget Eccleſia ut ſole luna, noſtro Abaëlardo reſponſum non eſt, qui criminatur Abbatem, quod dicat, Deum & aſſumptum à Deo hominem unam eſſe in Trinitate perſonam: cum homo res corporea, & membris compoſita, & diſſolubilis ſit: Deus vero nec corporea res ſit, nec membris conſtans, ut diſſolvi poſſit. Unde nec Deus homo, nec homo Deus dicendus eſt &c. *Sic Neſtorianum agit Abaëlardus, cum Bernardum erroris petulanter accuſat. Recte ad hunc locum Guillelmus S. Theoderici in cap.* VIII. *contra Abaelardum.* Unde & nos ſimiliter dicimus, Chriſtum filium hominis in ipſa natura humanitatis ſuæ, ſed non ex ipſa, ſecundum eam quam cum Deo habet unionem, tertiam eſſe in Trinitate perſonam: quia ſicut incarnatus Deus factus eſt filius hominis propter hominem aſſumptum, ſic aſſumptus homo factus eſt filius Dei propter aſſumentem Deum.

VI. *Præter capitula, quæ dedita opera refellit Bernardus, nonnulla conglobatim recenſet num. 10. contentus ea expoſuiſſe, quæ ab aliis etiam refutantur, ſcilicet à Guillelmo, & Abbate anonymo. De accidentibus, quæ in Euchariſtia poſt conſecrationem* remanere in aëre *docebat Abaelardus, ita Guillelmus ſentit.* Nobis vero videtur, ſi vobis etiam videtur, (*Sic Gaufridum Carnotenſem epiſcopum & Bernardum alloquitur*) quod accidentia illa, ſive prioris forma ſubſtantiæ, quæ (ut puto) nonniſi conſonus in unum accidentium concurſus eſt, ſi ibi eſt, in corpore Domini eſt, non formans illud, ſed virtute operantis in ea ſapientiæ Dei aptans illud & modificans, ut ſecundum ritum myſterii & modum ſacramenti habile fiat & tractabile, & guſtabile in forma aliena, quod non poterat eſſe in propria. *Item in libro de corpore & ſanguine Domini ad Rupertum, cap.* III. Sed contra omnem ſæcularis philoſophiæ rationem & intellectum, mutata panis ſubſtantia in aliam ſubſtantiam, ad quoddam myſterii obſequium quædam accidentia, quæ illi inhærebant, ſic tranſtulit non mutata, ut corpus Domini, licet adſit albedo, non fiat album; nec rotunditas rotundum: ſed hujuſmodi accidentia omnia ſic reſervavit, ut licet vere humanitatis ejus corpori adſint, non tamen inſint, non tamen illud inficiant vel afficiant &c.

VII. *Ceterum ſicut de Incarnatione non recte ſentiebat, aut certe non recte loquebatur Abaëlardus, ita nec etiam de gratia Chriſti, quam ad ſolam rationem à Deo conceſſam & ad Scripturarum admonitionem & ad exempla redigebat; adeoque omnibus communem eſſe dicebat.* Dicendum eſt igitur, quod homo per rationem, à Deo quidem datam, gratiæ appoſitæ cohærere poteſt; nec Deus plus facit iſti qui ſalvatur, antequam cohæreat gratiæ, quàm illi qui non ſalvatur. Sed ſicut qui lapides pretioſos exponit venales, & deſiderium videntium excitat ad emendum: ſimiliter gratiam ſuam apponit omnibus, conſulit Scripturis, & exemplis revocat: ut homines per libertatem arbitrii quam habent, gratiæ cohæreant. *Et infra.* Vivificatio iſta tribuitur gratiæ: quia ratio, qua homo diſcernit, & intelligit à malo abſtinendum & bene agendum, eſt à Deo. Et ideo hoc inſpirante Deo agere dicitur: quia Deus per rationem, quam dedit homini, facit eum peccatum ipſum agnoſcere. *Hæc, aliaque Guillelmus ex Abaëlardi ſcriptis refert, haud dubie ex ejus Theologia, quæ ob hoc fortaſſe, aliaque permulta, à poſteris mutilata eſt. Neque hac in re Guillelmo, viro alioqui docto ac piiſſimo, fidem denegare licet: maxime cum in libro* IV. *ſuper epiſtolam ad Romanos, Abaelardus eamdem peſtiferam doctrinam doceat pag. 653. & ſequente, ubi hæc verba in multis leguntur.* Ad deſiderium itaque noſtrum in Deo accendendum, & ad regnum cæleſte concupiſcendum, quam præire gratiam neceſſe eſt, niſi ut beatitudo illa, ad quam nos invitat; & via, qua pervenire poſſimus, exponatur atque tradatur? Hanc autem gratiam tam reprobis, quàm electis pariter impertit, utroſque videlicet de hoc inſtruendo æqualiter: ut ex eadem fidei gratia, quam perceperunt, alius ad bona opera incitetur, alius præ torporis ſui negligentia inexcuſabilis reddatur. *Et paullo poſt.* Nec neceſſe eſt, ut per ſingula, quæ quotidie nova ſuccedunt opera, aliam Deus gratiam præter ipſam fidem exponat, qua videlicet credimus, pro hoc quod facimus, tantum nos præmium adepturos. *Hæc idcirco commemoramus, ut omnes demum intelligant, quàm impie ut de Incarnatione, ita de gratia Chriſti, ſi non ſenſit, ſaltem ſcripſerit Abaëlardus; & quàm merito Bernardus dixerit in epiſtola* CXCII. Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium: cum de gratia, ſapit Pelagium: cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium. *Et duo quidem poſtrema ex dictis, & ex ſequente epiſtola evincuntur: de tertio legat, qui id ſcire volet, Abaelardi librum Theologiæ tertium ſub finem: ibique inveniet ipſo auctore*, facile convinci eos, qui noſtra de Fide verba abhorrent, cum videlicet audiunt Deum Patrem, & Deum Filium; in ſenſum verborum nobis eſſe conjunctos. *Quo pacto?* Interrogemus enim eos, *inquit*, ſi Sapientiam Dei credant, de qua ſcriptum eſt, OMNIA IN SAPIENTIA FECISTI: & ſtatim reſpondebunt ſe credere. *Hoc vero eſſe Filium credere: ſicut credere Spiritum ſanctum non aliud eſſe, quam credere Dei benignitatem. Quæ quidem ſi rigide accipiantur,*

plusquam Arianiſmum, id eſt Sabellianiſmum, ſapere videntur. Quamquam, ut ingenue fatear, hunc errorem in conſequentibus rejicit pag. 1069. Verum intereſt non ſolum recte ſentire, ſed etiam (maxime ubi de Fide agitur) recte loqui ac ſcribere. Hinc non immerito Guillelmus S. Theoderici in capite III. *libri contra ipſum Abaëlardum, adductis ejus verbis de ære & ſigillo, de potentia & quadam potentia,* quantum ad perſonarum deſtructionem, *inquit*, Sabellianum eſt: quantum ad diſſimilitudinem & imparilitatem, hoc in ſententiam Arii pedibus ire eſt. *Hæc, inquam, ideo commemoramus, ut pudeat eos, qui hos errores deteſtantur, quod Abaëlardi cauſam ſuſcipiant adverſus Bernardum, quem præcipitis in Abaëlardum judicii ac nimiæ impetiginis accuſare porro non verentur. Eodem fere modo, atque Abaëlardus, Trinitatis myſterium explicat Guillelmus de Conchis, cujus itidem errores confutat Guillelmus ſancti Theoderici abbas in epiſtola ad Bernardum. Adeo nihil infelicius cadere in religionem poteſt, quàm cum Philoſophi ex ſola ratione Fidei noſtræ myſteria explicare conantur.* Tom. II. Opusc XI.

VIII. *De toto Abaëlardi negotio Gaufridus ſancti Bernardi notarius ita loquitur in epiſtola ad Henricum cardinalem & epiſcopum Albanenſem.* Audivi etiam, quod ſuper damnatione Petri Abaëlardi diligentia veſtra deſiderat plenius noſſe ſimiliter veritatem: cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius Papa II. in urbe Roma & in eccleſia beati Petri incendio celebri condemnavit, apoſtolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam cardinalis & legatus Romanæ eccleſiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus eccleſiæ ſancti Nicolai de Aruaſia, Theologiam ejus, Sueſſione Concilium celebrans, ſimiliter concremaverat, ipſum Petrum præſentem arguens, & convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde veſtro ſi placuerit deſiderio, per libellum de vita ſancti Bernardi, & per ejus epiſtolas miſſas ad curiam ſatisfiet. Inveni tamen in Clara-valle libellum cujuſdam Abbatis Nigrorum monachorum, quo errores ejuſdem Petri notantur, quem & olim me vidiſſe recordor: ſed à multis annis, ut cuſtodes librorum aſſerunt, ſtudioſe quæſitus, primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propoſiti noſtri eſt in Franciam deſtinare ad monaſterium, cujus abbas exſtitit, qui eumdem librum compoſuit; &, ſi recuperare potero, tranſſcribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim quod veſtræ inquiſitioni ſufficere debeat, ut cognoſcatis, quæ, quemadmodum, quare ſint condemnata. *Hactenus Gaufridus ex Cheſnii Notis in Abaëlardum. Mittimus quæ de viſo Henrici canonici Tornacenſis, ad Patres Synodi Senonenſis atque ad Bernardum relato, memorantur in Spicilegii tomo* XII. *pag. 478. & ſequente.*

IX. *Poſtea quam hæc ſcripſeram, noſter Johannes Durandus, qui tunc Romæ verſabatur, ex mendoſo codice Vaticano num. 663. ad me tranſmiſit* Capitula hæresum Petri Abaelardi, *ſequenti epiſtolæ præmiſſa, hæc ipſa ſine dubio, quæ Bernardus in fine hujuſce epiſtolæ ſe collegiſſe, ac Pontifici tranſmiſiſſe ſignificat. Idcirco ea hoc loco præmittere viſum eſt ad ipſius epiſtolæ illuſtrationem.*

INCIPIUNT CAPITULA HÆRESUM PETRI ABAELARDI

I. *Horrenda ſimilitudo de ſigillo æreo, de ſpecie & genere ad Trinitatem.*

PETRUS

CUM ſapientia Dei quædam ſit potentia, ſicut æreum ſigillum eſt quoddam æs; liquet profecto divinam ſapientiam ex divina potentia eſſe ſuum habere, ad eam videlicet ſimilitudinem, qua ſigillum æreum dicitur eſſe quod eſt ejus materia; vel ſpecies ex genere, quod quaſi materia ſpeciei dicitur eſſe, ut animal hominis. Sicut enim ex eo quod eſt æreum ſigillum, exigit neceſſario quod æs ſit, & ex eo quod eſt homo ut animal ſit, ſed non e contrario: ita divina ſapientia, quæ eſt potentia diſcernendi, exigit quod ſit divina potentia, ſed non è contrario. Et poſt pauca. Benignitas ipſa, quæ hoc nomine quod Spiritus eſt demonſtratur, non eſt in Deo potentia ſive ſapientia.

II. *Quod Spiritus-ſanctus non ſit de ſubſtantia Patris.*

CUm itaque tam Filius, quam Spiritus-ſanctus ex Patre ſit, hic quidem genitus, ille procedens; differt in eo generatio ipſa à proceſſione, quod is qui generatur ex ipſa Patris ſubſtantia eſt, cum ipſa, ut dictum eſt, Sapientia hoc ipſum eſſe habeat, ut ſit quædam potentia. Et poſt pauca. Spiritus vero quamvis ejuſdem ſubſtantiæ ſit cum Patre & Filio, unde etiam Trinitas ipſa homouſion, id eſt unius ſubſtantiæ, prædicatur, minime tamen ex ſubſtantia Patris eſt aut Filii, quod eſſet ipſum ex Patre vel Filio gigni: ſed magis ex ipſis habet procedere, quod eſt Deum ſe per caritatem ad alterum extendere. Quodammodo etenim per amorem unuſquiſque à ſe ipſo ad alterum procedit, cum proprie, ut dictum eſt, nemo ad ſeipA ſum caritatem habere dicatur, ut ſibi ipſi benignus eſſet, ſed alteri: maxime autem Deus, qui nullius indiget, erga ſeipſum benignitatis affectu commoveri non poteſt, ut ſibi aliquid ex benignitate impendat, ſed erga creaturas tantum.

III. *Quod ea Deus ſolummodo poſſit facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.*

HAc ratione qua convincitur, quod Deus Pater tam bonum genuit Filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus eſſet invidiæ; clarum eſt etiam omnia quæ facit, quantum poteſt, egregia facere; nec B ullum commodum quod conferre poſſit, ſubtrahere velle. Et poſt pauca: In tantum in omnibus quæ Deus facit, quod bonum eſt attendit, ut ipſo boni pretio potius quam voluntatis ſuæ libito ad ſingula facienda inclinari dicatur. Item. Ex his itaque tam de ratione quam de ſcripto collatis conſtat, id ſolum Deum facere poſſe quod aliquando facit. Et poſt pauca. Qui ſi mala quæ fiunt diſturbare poſſet, nec id etiam niſi opportune faceret, qui nihil importune facere poteſt: profecto non video quomodo peccatis conſentiens non eſſet. Quis enim conſentire malo dicendus eſt, niſi is per quem etiam opportune diſturbari poſſet? Item. Prædictis itaque rationibus vel objectorum ſolutioni- C bus liquere reor omnibus, ea ſolummodo Deum poſſe facere, vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, non alio.

Tom. II. Opusc. XI,

IV. *Quod Chriſtus non aſſumpſit carnem, ut nos à jugo diaboli liberaret.*

SCiendum eſt, quod omnes noſtri Doctores qui poſt Apoſtolos fuere, in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & jure eum poſſidebat. Et poſt pauca. Nec diabolus umquam jus aliquod habuit ſuper hominem, ſed * jure eum poſſidebat permittente, ut carcerarius; nec [ut eum] Filius Dei a jugo diaboli liberaret, carnem aſſumpſit. Et poſt pauca. Quomodo nos juſtificari vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apoſtolus, qui tanto amplius adverſus hominem iraſci debuit, quanto amplius in crucifigendo Filium ſuum deliquerit, quam in tranſgrediendo primum præceptum ſuum unius pomi guſtu: quomodo enim amplios juſtum fuerat? Quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non poſſet niſi ex morte Chriſti: quam expiationem habebit ipſum homicidium, quod in Chriſto commiſſum eſt, tot & tanta ſcelera in ipſum vel ſuos commiſſa? Numquid mors innocentis Filii tantum Deo placuit, ut per ipſam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commiſimus, propter quod innocens Dominus eſt occiſus; nec niſi hoc maximum fieret peccatum, etiam levius potuit ignoſcere multo? nec niſi multiplicatis malis tam bonum facere, in quo & juſtiores facti ſumus per mortem Filii Dei, quam ante eramus, ut à peccatis jam liberari debeamus? Item. Cui vero non crudele & iniquum videtur, ut ſanguinem innocentis, & pretium aliquod quis requiſierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici? nedum Deus tam acceptam mortem Filii habuit, ut per ipſam univerſo reconciliatus ſit mundo. Hæc & his ſimilia non mediocrem movent quæſtionem, non ſolum de redemptione, ſed etiam de juſtificatione noſtra per mortem Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Nobis autem videtur, quod nihilo minus ſumus juſtificati in ſanguine Chriſti; & Deo reconciliati per hanc ſingularem gratiam nobis exhibitam, quod Filius ſuus noſtram ſuſcepit naturam, & in ipſa nos tam verbo, quam exemplo inſtituendo uſque ad mortem præſtitit, nos ſibi amplius per amorem adſtrinxit: ut tanto divinæ gratiæ accenſi beneficio, nulla tolerare propter ipſum veſtra reformidet caritas. quod quidem beneficium antiquos etiam Patres, hoc per fidem exſpectantes, in ſummum amorem Dei tamquam homines temporis non dubitamus accendiſſe. Et infra. Puto ergo quod conſiliom & cauſa incarnationis fuit, ut mundum luce ſuæ ſapientiæ illuminaret, & ad amorem ſuom accenderet.

* Poſſid. al. per Bernard. infra, n. 11.

¶ Bernard. infra, n. 21.

V. *Quod neque Deus & homo, neque homo perſona, qua Chriſtus eſt, ſit tertia perſona in Trinitate.*

QUando dico, Chriſtus eſt tertia perſona in Trinitate; hoc volo dicere, quod Verbum, quod ab æterno tertia perſona in Trinitate fuit, tertia perſona ſit in Trinitate: & ita puto quod locutio ſit figurativa. Si enim propriam diceremus eſſe, cum hoc nomen Chriſtus idem ſonet quod Deus & homo, tunc talis eſſet ſenſus: Deus & homo eſt tertia perſona in Trinitate. quod penitus eſt falſum. Et poſt pauca. Et eſt ſciendum, quod quamvis concedamus, quod Chriſtus eſt tertia perſona in Trinitate, non tamen concedimus quod hæc perſona, quæ Chriſtus eſt, ſit tertia perſona in Trinitate.

VI. *Quod Deus non plus faciat ei qui ſalvatur antequam cohæreat gratiæ, quam ei qui non ſalvatur.*

SIc iterum ſolet quæri illud quod à quibuſdam dicitur, ſcilicet utrum omnes homines ita ſola miſericordia ſalventur, ut nullus ſit qui bonam voluntatem habere poſſit, niſi gratia Dei præveniente, quæ cor moveat, & bonam voluntatem inſpiret, & inſpiratam multiplicet, & multiplicatam conſervet. Quod ſi ita eſt quod homo ex ſe nihil boni operari poſſit, aut aliquo modo ad divinam gratiam ſuſcipiendam per liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ ſe erigere, prout dictum eſt, non poſſit; non videtur ratio, quare ſi peccat puniatur. Si enim non poteſt ex ſe aliquid boni facere, & talis factus eſt qui ſit pronior ad malum, quam ad bonum: nonne ſi peccat immunis eſt à culpa; & numquid Deus, qui ita infirmum & fragilis naturæ eum fecit, eſt laudandus de tali creatione? Immo ſi ita eſſet, nonne potius culpandus videretur? Et poſt pauca. Quod ſi ita eſſet quod homo ad divinam gratiam percipiendam ſe erigere ſine alterius gratia non poſſet; non videtur ratio eſſe, quare homo inculparetur; & Dei gratiam non habere potius in auctorem ipſius refundendum videretur. Quod ita non eſt, ſed longe aliter dicendum, prout rei veritas ſe habet. Dicendum eſt ergo, quod homo per rationem, à Deo quidem datam, gratiæ appoſitæ cohærere poteſt: nec Deus plus facit illi qui ſalvatur antequam cohæreat gratiæ, quam illi qui non ſalvatur. Ita enim ſe gerit Deus erga homines, quemadmodum mercator qui habet pretioſos lapides venales, qui videlicet exponit eos in foro, & æque omnibus offert, & per oſtenſos deſiderium in eis ad emendum excitat. Qui prudens eſt, ſciens ſe eis indigere, laborat ut habeat, acquirit nummos, & emit eos: qui deſes eſt & piger, etſi deſiderium habeat, quia tamen piger eſt, non laborat, etſi fortior ſit alio corpore, nec emit eos; & ideo culpa ſua quod caret illis. Similiter Deus gratiam ſuam apponit omnibus, & conſulit Scripturis & Doctoribus eximiis, ut pro libertate arbitrii, qua gratiæ cohæreat qui prudens eſt, providens ſibi in futuro ex libertate arbitrii qua huic cohæret gratiæ. Piger vero a carnalibus deſideriis implicatus, etſi deſideret beatificari, numquam tamen vult laborare compeſcendo ſe à malo, ſed negligit, quamvis per liberum arbitrium poſſit cohærere gratiæ; & ſic ab omnipotenti Deo negligitur.

VII. *Quod Deus non debeat mala impedire.*

IN primis videndum eſt, quid ſit conſentire malo; & quid non. Ille equidem malo conſentiens dicitur, qui cum debeat hoc prohibere, & poſſit, non prohibet: ſi autem debeat, & non poſſit; & è contrario ſi poſſit & non debeat, non eſt reus. Si vero nec debet, nec poteſt, multo minus reus cenſendus eſt. Et ideo Deus à conſenſu malorum eſt alienus, qui nec debet, nec poteſt mala impedire. Ideo non debet, quia cum res per benignitatem illius eveniat eo modo, quo melius poteſt, nullo modo hoc velle debet. Ideo autem non poteſt, quia bonitas illius electo minori bono, illi quod majus eſt impedimentum minime parare poteſt.

VIII. *Quod non contraximus ex Adam culpam, ſed pœnam.*

SCiendum eſt, quod cum dicitur originale peccatum eſt in parvis; hoc dicitur pro pœna temporali & æterna, quæ debetur eis ex culpa primi parentis. Et paulo poſt. Similiter dicitur, in quo omnes peccaverunt: iden ſcilicet, quia ſeminarium omnium erat in illo qui peccavit. Non tamen inde provenit, quod omnes peccaſſent qui non erant: & qui non eſt, non peccat.

IX. *Quod corpus Domini non cadit in terram.*

DE ſpeciebus panis & vini quæritur, ſi ſint modo in corpore Chriſti, ſicut prius erant in ſubſtantia panis & vini, quæ verſa eſt in corpus Chriſti: an ſint in aëre. Sed veri ſimilius eſt quod ſint in aëre, cum ſint in corpore Chriſti ſua liniamenta, & ſuam ſpeciem habeat, ſicut alia corpora humana. Species vero iſtæ, ſcilicet panis & vini, ſunt in ore ad celandum & obtegendum corpus Chriſti. Et poſt pauca. Hic autem quæritur de hoc quod qui videtur eſſe multitud... unde & præcipitur, quod à Sabbato uſque ad Sabbatum ſervetur, ſicut de panibus propoſitionis factum fuiſſe legitur, à muribus etiam corrodi videtur, & de manu ſacerdotis vel diaconi in terra cadere. Et ideo quæritur, quare Deus permittat iſta fieri in corpore ſuo.

Tom. III Opusc. XI.

An fortaſſis non ita fiat in corpore, ſed tantum ita faciat apparere in ſpecie? Ad quod dicimus, quod revera non eſt ſic in corpore, ſed Deus ita in ſpeciebus ipſis propter negligentiam miniſtrorum reprimendam habere facit corpus vero ſuum, prout ei placet, reponit & conſervat.

X. *Quod propter opera nec melior, nec pejor efficiatur homo.*

SOlet quæri quid à Domino remuneretur, opus, an intentio, ſeu utrumque. Auctoritas autem videtur velle, quod opera à Deo æternaliter remunerentur. ait namque Apoſtolus: Reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua. Et Athanaſius ait; Reddituri ſunt B de factis propriis rationem. Et paulo poſt ait. Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. Nos vero dicimus, quod æternaliter à Deo remunerentur, ſive ad bonum, ſive ad malum: nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, niſi dum operatur, fortaſſis voluntas ejus in aliquo augmentetur. Nec eſt contra Apoſtolum vel alios auctores. quia cum Apoſtolus dixit, reddet unicuique &c. ibi effectum pro cauſa poſuit, opus ſcilicet pro voluntate ſeu intentione.

XI. *Quod non peccaverunt qui Christum crucifixerunt ignoranter; & quod non ſit culpa aſcribendum quidquid ſit per ignorantiam.*

OPponit de Judæis qui Chriſtum crucifixerunt, & de aliis qui martyres perſequendo putabant ſe obſequium præſtare Deo: & de Eva :::: quæ non egit contra conſcientiam, quoniam ſeducta eſt, & tamen certum eſt eam peccaſſe. Ad quod nos dicimus, quod revera illi ſimplices Judæi non agebant contra conſcientiam, ſed potius zelo legis ſuæ Chriſtum perſequebantur; nec putabant ſe male agere, & ideo non peccabant: nec propter hoc aliqui eorum damnati ſunt, ſed propter præcedentia peccata, merito quorum in iſtam cæcitatem devoluti ſunt. Et inter illos D erant electi illi, pro quibus Chriſtus oravit, dicens, Pater dimitte illis, quia neſciunt qoid faciunt. Nec oravit, ut hoc peccatum eis dimitteretur, cum hoc peccatum

A non eſſet, ſed potius peccata præcedentia.

XII. *De poteſtate ligandi & ſolvendi.*

ILlud quod in Matthæo legitur, Quæcumque ligaveris ſuper terram &c. Sic intelligendum eſt: Quæcumque ligaveris ſuper terram, id eſt in præſenti vita, erit ligatum & in cælis, id eſt, in præſenti Eccleſia. Et poſt pauca. Huic ſententiæ, qua dicimus Deum ſolum dimittere peccata, Evangelium videtur obviare. ait namque Chriſtus ad diſcipulos ſuos: Accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Sed nos dicimus quod hoc dictum eſt ſolis Apoſtolis, non ſucceſſoribus eorum. Et ſtatim ſubditur. Si B quis tamen ſucceſſoribus eorum convenire hoc dixerit, ad modum ſupradictæ auctoritatis hanc quoque exponere decet.

XIII. *De ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu.*

SCiendum quoque quod ſuggeſtio non eſt peccatum illi cui ſuggeſtio fit, nec delectatio conſequens ſuggeſtionem, quæ delectatio ineſt ex infirmitate & memoria voluptatis, quæ eſt in impletione illius rei quam adverſarius ſuggerit, ſed ſolus conſenſus, qui & contemptus Dei dicitur, in quo peccatum conſiſtit. Et poſt pauca. Nec dicimus quod voluntas faciendi hoc vel illud, nec & ipſum opus ſit peccatum, ſed potius, C ut ſuperius dictum eſt, ipſe Dei contemptus ex aliqua voluntate.

XIV. *Quod ad Patrem proprie vel ſpecialiter pertinet omnipotentia.*

SI potentiam tam ad notitiam ſubſiſtendi, quam ad efficaciam operationis referamus, invenimus ad proprietatem perſonæ Patris proprie vel ſpecialiter omnipotentiam attinere: quod non ſolum cum ceteris duabus perſonis æque omnia efficere poteſt, verum etiam ipſe ſolus à ſe, non ab alio exſiſtere habet: & ſicut habet à ſe exſiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe.

Hæc ſunt Capitula Theologiæ; immo Stultologiæ Petri Abaëlardi.

S. BERNARDI ABBATIS

EPISTOLA CXC. SEU TRACTATUS.

Opusc. XI.

CONTRA QUÆDAM CAPITULA ERRORUM ABAELARDI.

Ad INNOCENTIUM II. Pontificem.

PRÆFATIO.

Amantiſſimo Patri domino Innocentio ſummo Pontifici, frater B. Claræ-vallis vocatus abbas modicum id quod eſt.

Romanæ ſedis prærogativa non poſſe errare in fide.

OPORTET ad veſtrum referri apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod ſequitur, F à Petri ſucceſſore exigitur: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Id quidem modo neceſſarium. Tempus eſt ut veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, principatum; proberis zelum, miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & ſe- E dem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate conteritis fidei corruptores.

Luc. 22. 31.

Ibidem.

CAPUT I.

Impia Abaëlardi de ſancta Trinitate dogmata recenſet, & explodit.

Abaëlardi dogmata de Fide.

1. HAbemus in Francia novum de veteri magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte dialectica luſit, & nunc in Scripturis ſanctis inſanit. Olim damnata & ſopita dogmata, tam ſua videlicet, quàm aliena, ſuſcitare conatur, inſuper & nova addit. Qui dum omnium quæ ſunt in cælo ſurſum, & quæ in terra deorſum, nihil, præter ſolum *Neſcio* [a], neſcire dignatur; ponit in cælum os ſuum, & ſcrutatur alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui: & dum paratus eſt de omnibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra ratio-

a In aliis editis *Neſcio quid*: at in ſcriptis *Neſcio* abſoluta, & rectius, ut ſit ſenſus, Abaëlardum ad nullam quæſtionem hærere, nec inſcientiam ſuam fateri. Vide alias Notas.

[Tom. II. Opusc. XI.] nem, & contra rationem præſumit, & contra fidem. A Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quicquid non poſſit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis [a], *Qui credit citò, levis eſt corde*. Cito credere [a] eſt, inquit, adhibere fidem ante rationem. [al. Salomonis. Eccl. 19. 4.] cum hoc Salomon non de fide in Deum, ſed de mutua inter nos credulitate loquatur. Nam illam quæ in Deum eſt fidem beatus Papa Gregorius [Gregor. hom. 26. in Evang.] negat plane habere meritum, ſi ei humana ratio præbeat experimentum: laudat autem Apoſtolos, quod ad unius juſſionis vocem ſecuti ſunt Redemptorem. Scit nimirum pro laude dic- B tum, [Pſal. 17. 45.] *In auditu auris obedivit mihi*; increpatos è regione Diſcipulos, quod tardius crediſſent. [Marc. 16.] Denique laudatur Maria, quod rationem fide prævenit; [Luc. 1. 38.] & punitur Zacharias quod fidem ratione tentavit; [Luc. 1.] & rurſum Abraham commendatur, qui contra ſpem in ſpem credidit. [Rom. 4. 18.]

2. At contra Theologus noſter: Quid, inquit [b], ad doctrinam loqui proficit, ſi quod docere volumus, exponi non poteſt ut intelligatur? Et ſic promittens intellectum auditoribus ſuis, in his etiam quæ ſublimiora & ſacratiora profundo illo ſinu ſacræ fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in majeſtate modos, [De Trinitate.] numeros in æternitate. Denique conſtituit Deum Pa- C trem plenam eſſe potentiam, Filium quamdam [c] potentiam, Spiritum-ſanctum nullam potentiam: atque hoc eſſe Filium ad Patrem, quod quamdam potentiam ad potentiam, quod ſpeciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs. Nonne plus quàm Arius hic? Quis hæc ferat? Quis non claudat aures ad voces ſacrilegas? Quis non horreat profanas novitates & vocum, & ſenſuum? [Rom. 12. 2.] Dicit etiam Spiritum-ſanctum procedere quidem ex Patre & Filio, ſed minime de Patris eſſe Filiive [d] ſubſtantia. Unde ergo? an forte ex nihilo, ſicut & univerſa quæ facta ſunt? Nam & ipſa ex Deo eſſe non diffitetur Apoſtolus, nec veretur dicere: *Ex* D *quo omnia*. Quid igitur? Dicemus ex Patre & Filio Spiritum-ſanctum non alio prorſus procedere modo, quàm omnia, id eſt non eſſentialiter, ſed creabiliter; ac perinde creatum ſicut & omnia? [Spiritum S. negat procedere ex ſubſtantia Patris & Filii] Aut numquid tertium inveniet ſibi modum, quo eum ex Patre Filioque producat, homo qui nova ſemper inquirit, & quæ non invenit fingit, affirmans ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt? At ſi eſſet, inquit, de ſubſtantia Patris, profecto genitus eſſet, & duos Pater filios haberet. Quaſi vero omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, continuo ipſum à quo eſt habeat genitorem. Num vero pediculi, aut lendes [* al. lentes.], aut phlegmata [* al. fleumata.], vel filii carnis ſunt, vel non ſunt de ſubſtan- E tia carnis? aut vermes de ligno putrido prodeuntes, aliunde quàm de ligni ſubſtantia ſunt, qui tamen filii ligni non ſunt? Sed & tineæ de ſubſtantia pannorum ſubſtantiam habent, generationem non habent: & multa in hunc modum.

3. Miror autem hominem acutum & ſciolum, ut quidem ipſe ſibi videtur, quomodo cum Spiritum- A ſanctum fateatur Patri & Filio conſubſtantialem, neget tamen ex Patris Filiique prodire ſubſtantia. Niſi forte illos ex ipſius [* ſimplic. ſubſtantia] procedere velit, quod quidem inauditum eſt, & nefandum. Si autem nec is de illorum, nec illi de hujus ſubſtantia ſunt: ubi quæſo conſubſtantialitas? Aut ergo fateatur cum Eccleſia, Spiritum-ſanctum de ſubſtantia illorum eſſe, à quibus non negat procedere; aut certe cum Ario conſubſtantialitatem deneget, & prædicet aperte creationem. Deinde ſi Filius de ſubſtantia Patris eſt, Spiritus-ſanctus non eſt: differant neceſſe eſt a ſe invicem, non ſolum quia Spiritus-ſanctus genitus non eſt, quod Filius eſt; ſed etiam B quod Filius de ſubſtantia Patris eſt, quod Spiritus-ſanctus non eſt. Quam quidem poſteriorem differentiam Catholica [a] hucuſque neſcivit. Si eam admittimus, ubi Trinitas, ubi Unitas? Siquidem Spiritu-ſancto Filioque nova à ſe differentiarum numeroſitate diſtantibus, unitas diſſipatur: præſertim cum ſubſtantialem eſſe pateat differentiam, quam iſte conatur inducere. Porro autem Spiritu-ſancto à Patris Filiique ſubſtantia recedente, non Trinitas remanet, ſed dualitas. Neque enim dignum eſt in Trinitate admitti perſonam, quæ nil habeat in ſubſtantia commune cum reliquis. Deſinat ergo Spiritus-ſancti proceſſionem à Patris Filiique ſubſtantia ſeparare: ne duplici impietate numerum & Trinitati minuat, & tribuat Unitati. C quod utrumque Fides abnuit Chriſtiana. Et ne de re tanta ſolis videar humanis inniti rationibus, legat epiſtolam Hieronymi ad Avitum: & certe videbit inter ceteras quas redarguit Origenis blaſphemias, etiam hoc eum deteſtantem quod dixerit, Spiritum-ſanctum de ſubſtantia Patris non eſſe. [Hieron. tom. 2. epiſt. 59.] Beatus Athanaſius in libro de unita Trinitate ita loquitur: Solum Deum ubi memoratus ſum, non ſolam perſonam Patris indicavi: quia Filium & Spiritum-ſanctum de hac ipſa ſola ſubſtantia Patris eſſe non abnegavi. Hoc Athanaſius. [Athan. lib. de unit. Trin.]

CAPUT II.

In Trinitate non eſſe admittendam ullam diſparitatem, ſed omnimodam æqualitatem.

4. VIdet Sanctitas veſtra, quomodo iſto non diſputante, ſed dementante, & Trinitas non cohæret, & Unitas pendet; nec iſtud ſane abſque injuria majeſtatis. Quicquid namque illud eſt quod Deus ſit, id ſine dubio eſt, quo non poſſit majus [f] aliquid cogitari. Si ergo in hac unica & ſumma majeſtate juxta conſiderationem perſonarum vel parum aliquid claudicare recipimus, dum quod uni plus datur, alteri minuitur; [Dei notio eximia] minus profecto eſt totum ab eo, quo nihil E majus valeat cogitari. Majus enim ſine dubio eſt quod totum maximum eſt, quam quod ex parte. Ille vero digne pro ſua poſſibilitate divinam æſtimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, ubi eſt totum ſummum; nil diſtans, ubi totum eſt unum; nil hians, ubi totum eſt integrum; nil denique imperfectum vel egens, ubi totum eſt totum. [Æqualitas perfecta in perſonis.] Totum nempe eſt Pater, quod Pater & Filius & Spiritus-ſanctus; totum Filius,

a Hæc ad ſenſum ex lib. 1. Introductionis ad Theologiam, quam deinceps Theologiam ſimpliciter appellabimus. Verba hæc ſunt pag. 1060. *Cito autem ſive facile credit, qui indiſcrete atque improvide de his quæ dicuntur prius acquieſcit, quàm hoc ei quod perſuadetur ſignum rationis, quantum valet diſcutiat, an ſcilicet adhiberi ei fidem conveniat.*

b Hæc item ad ſenſum ibid. pag. 1061. *Quid prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis?* &c.

c Id ſibi *per malitiam aut per errorem* impoſitum queritur Abælardus in Apologia ſua pag. 331. atque tamquam diabolica quædam ſe abhorrere & deteſtari dicit. Verum anonymus ejus quondam diſcipulus, poſtea impugnator, editus in tomo 4. Bibliothecæ Ciſtercienſis, Abælardum mendacii hoc loco arguit pag. 219. *At primum requiro*, inquit, *cur ſancta religionis & magni nominis Abbatem inſimulet falſo dixiſſe, quod in Theologia ſua ſcripſerit, Filium eſſe quamdam potentiam, Spiritum-ſanctum nullam?* &c. Tum probat id ab ipſo Abælardo dictum, referendo ejus verba quaſi ex Apologia, in qua modo ea non leguntur, uti nec ea quæ idem anonymus refert pag. 242. Sed Abælardus in Theologia ſua de Filio docet in lib. 1. pag. 991. *Eſt itaque divina Sapientia quadam divina potentia*, &c. & in libro 2. de Filio & Spiritu-ſancto, ut max notabimus

d Abælardi verba hæc ſunt in lib. 2. pag. 1085. *Cum itaque tam Filius, quàm Spiritus-ſanctus ex Patre ſit, hic quidem genitus, ille procedens; differt in eo generatio ipſa à proceſſione, quod is qui generatur, ex ipſa Patris ſubſtantia eſt, tum ipſa (ut dictum eſt) Sapientia, hoc eſt ipſam eſſe habeat, ut ſit quadam potentia: ipſe vero caritatis affectus magis ad benignitatem animi quàm ad potentiam attineat. Unde bene Filius ex Patre genitus dicitur, hoc eſt ex ipſa Patris ſubſtantia proprie dicitur eſſe*, &c. Immerito itaque, ne dicam impudenter, id à ſe prolatum inficiatur Abælardus in Apologia ſua, atque *malitia vel ignorantia* imputat.

e Editi addunt *Fides*, quod nomen deeſt in codicibus mſſ. Vox Auguſtino familiaris ad ſignificandam catholicam Fidem vel Eccleſiam in libris Confeſſionum paſſim, ut lib. 5. cap. 14. lib 6. cap. 4. lib 7. cap. 1. & in libro contra Mendacium cap. 7. Confer Bernardum lib. 3. de Conſideratione num. 1. & ſermones in Cantica 64. & 65. num. 8. ac 66. num. 4.

f Hanc de Deo notionem probat maxime Anſelmus in Monologio & in Apologetico ſtatim ab initio.

quod ipſe & Pater & Spiritus-ſanctus; totum Spiritus-ſanctus, quod & ipſe & Pater & Filius. Et totum, unum eſt totum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingulis. Nec enim verum ſummumque bonum, quod ſunt, inter ſe particulariter dividunt: quoniam nec participialiter id poſſident, ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſime dicatur, perſonarum ſane deſignatio eſt, non unitatis diviſio. Licet namque in hac ineffabili & incomprehenſibili Deitatis eſſentia, alter & alter (id quidem requirentibus proprietatibus perſonarum) ſobrie catholicoque dicatur: non tamen ibi eſt alterum, & alterum, ſed ſimplex unum: ut nec præjudicium faciat Unitati Trinitatis confeſſio; nec proprietatum ſit excluſio, vera aſſertio Unitatis. Tam longe proinde fiat a ſenſibus noſtris, quàm eſt & à regula veritatis exſecranda illa de genere & ſpecie [a] non ſimilitudo, ſed diſſimilitudo; & nihilo minus illa de ære æreoque ſigillo: quoniam eum genus quidem & ſpecies, quod ad ſe invicem ſunt, alterum ſuperius, altera inferior ſit, Deus autem unus ſit: numquam bene profecto conveniet tantæ æqualitati, & tantæ diſparitati. Et rurſum de ære, & quodam ære, quod eſt æreum ſigillum, quoniam quod inde in eamdem uſurpatur ſimilitudinis rationem, ſimile eſt huic, idem judicium. Cum enim ſpecies (ut dixi) minor ſit & inferior genere, abſit ut hanc in Patre & Filio diverſitatem cogitemus; abſit ut huic acquieſcamus dicenti, hoc eſſe Filium ad Patrem, quod ſpeciem ad genus, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs, quod aliquam potentiam ad potentiam. Sunt quippe cuncta hæc, mutua ſuæ connexione naturæ, ad ſe invicem ſuperiora & inferiora: & ob hoc nulla prorſus admittenda ſimilitudo ex his ad illud, ubi nihil eſt inæquale, nihil diſſimile. Videtis de quanta vel imperitia, vel impietate deſcendat harum adinventio ſimilitudinum.

a Similitudines Abaelardi abſurdæ.

CAPUT III.

Abſurdum dogma Abaelardi, nomina abſoluta & eſſentialia uni perſonæ proprie & ſpecialiter attribuentis, oppugnat.

5. ADhuc advertite clarius quid ſentiat, doceat, ſcribat. Dicit proprie & ſpecialiter ad Patrem potentiam, ad Filium ſapientiam pertinere. quod quidem falſum. Nam & Pater ſapientia, & Filius potentia veriſſime ſunt, ſaniſſimeque dicuntur: & quod eſt commune amborum, non erit proprium ſingulorum. Alia illa ſunt profecto vocabula, quæ non ad ſe ipſos dicuntur, ſed ad alterutrum: & ideo eſt cuique ſuum, & non commune cum altero. Nam qui Pater eſt, Filius non eſt: & qui Filius eſt, Pater non eſt: quoniam non quod ad ſe, ſed quod ad Filium Pater eſt, Patris nomine deſignatur; & item nomine Filii, non quod ad ſe Filius, ſed quod eſt ad Patrem, exprimitur. Non ſic potentia, non ſic ſapientia, neque alia multa, quæ ad ſe dicuntur: & Pater & Filius non ſingulariter, alter reſpectu alterius. Non, inquit, ſed ad proprietatem perſonæ Patris proprie vel ſpecialiter invenimus omnipotentiam attinere, quod non ſolum cum ceteris duabus perſonis æque omnia efficere poteſt, verum etiam ipſe ſolus à ſe, non ab alio exſiſtere habet: & ſicut habet ex ſe exſiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe. O alterum Ariſtotelem! Annon eadem ratione, ſi hoc ratum eſſet, & ſapientia & benignitas proprie pertinerent ad Patrem: cum & ſapere, & benignum eſſe, æque a ſe Pater, & non ab alio habeat, quemadmodum & eſſe, & poſſe? Quod ſi non abnuit (nec enim de ratione poteſt) quid quæſo facturus eſt de illa nobili ſua partitione, in qua ut Patri potentiam, ſic Filio ſapientiam, ſic Spiritui-ſancto benignitatem proprie ac ſpecialiter aſſignavit? Non enim una & eadem res proprie poterit convenire duobus, hoc eſt, ut cuique propria ſit. Eligat quod vult: aut det ſapientiam Filio, & tollat eam Patri; aut Patri tribuat, & auferat Filio; & rurſum benignitatem aut Spiritui-ſancto ſine Patre, aut Patri ſine Spiritu-ſancto aſſignet: aut certe deſinat nomina communia propria facere; & Patri, quoniam à ſeipſo habet potentiam, non ideo tamen audeat concedere propriam: ne & benignitatem ſimul & ſapientiam, quas à ſe nihilo minus habet, identidem proprias ipſi ſua ratione aſſignare cogatur.

Noinina eſſentialia æque ſingulis perſonis conveniunt, non perſonalia.

Abaelard. Theol. lib. 1 pag. 990.

Tom. II. Oratc XI.

6. Sed exſpectemus adhuc, & videamus, quàm theorice noſter Theologus inviſibilia Dei contempletur. Dicit (ut dixi) proprie omnipotentiam [c] pertinere ad Patrem; atque hanc, ut ſit integra & perfecta, in gerendo & diſcernendo conſtituit. Porro Filio, ut jam dictum eſt, aſſignat ſapientiam; ipſamque non ſimpliciter quidem potentiam, ſed quamdam in Deo potentiam eſſe definit, id eſt potentiam tantum diſcernendi. Forte timet injuriam facere Patri, ſi tantum tribuat Filio, quantum & ipſi: & cui non audet potentiam dare integram, concedit dimidiam. Et quod dicit, manifeſtis declarat exemplis, aſſerens potentiam diſcernendi, quæ eſt Filius, ita quamdam eſſe potentiam, quemadmodum homo quoddam eſt animal, & ſigillum æreum quoddam eſt æs: atque hoc eſſe potentiam diſcernendi, ad gerendi diſcernendique potentiam, id eſt Filium ad Patrem, quod homo ad animal eſt, quod æreum ſigillum ad æs. Sicut enim, inquit, ex eo quod eſt æreum ſigillum, exigit neceſſario ut æs ſit; & ex eo quod eſt homo, ut animal ſit, ſed non e converſo: ita divina ſapientia, quæ eſt potentia diſcernendi, exigit quod ſit divina potentia, ſed non e converſo. Quid igitur? Vis ut juxta tuam ſimilitudinem, ad inſtar præcedentium, etiam ex hoc quod Filius eſt, exigat ut Pater ſit: hoc eſt, ut qui Filius eſt, Pater ſit, quamquam non e converſo? Si hoc dicis, hæreticus es: ſi non dicis, vacat ſimilitudo.

b Potentiam tribus perſonis eſſe æqualem.

c Ibid lib. 2. pag. 1083.

7. Ad quid enim tibi ipſam tanto circuitu de longe poſitis rebus, & minus convenientibus emendicas, tanto labore colligis, tanta inculcas inani multiplicitate verborum, tantis effers laudibus, ſi non facit ad quod adducitur, ut videlicet membra ad membra congruis proportionibus reducantur? Nonne hoc opus, hic labor eſt, ut per ipſam nos doceas eam, quæ eſt inter Patrem & Filium, habitudinem? Tenemus autem te docente ad hominis poſitionem poni animal, ſed non è converſo ſecundum regulam dialecticæ tuæ: qua non quidem poſito genere ponitur ſpecies, ſed poſita ſpecie ponitur genus. Cum ergo Patrem ad genus, Filium ad ſpeciem referas; nonne id ratio ſimilitudinis poſtulat, ut ſimiliter poſito Filio, Patrem poni oſtendas, & non converti? ut quomodo qui homo eſt, neceſſario animal eſt, ſed non convertitur: ita quoque qui Filius eſt neceſſario Pater ſit, & æque non convertatur. Sed contradicit tibi in hoc catholica Fides, quæ profecto utrumque recuſat, tam Patrem videlicet eſſe qui Filius eſt, quàm eſſe Filium qui Pater eſt. Nam alius proculdubio Pater, atque alius Filius: quamvis non aliud Pater, quàm Filius. Nam per *alius* & *aliud*, novit pietas Fidei caute inter perſonarum proprietates & individuam eſſentiæ unitatem diſcernere; & medium iter tenens, regia incedere via: ut nec declinet ad dexteram, confundendo perſonas; nec reſpiciat ad ſiniſtram, ſubſtantiam dividendo. Quod ſi per ſimplex eſſe dicas vere conſequi ut ſi Filius eſt, neceſſario Pater ſit: nil te juvat, cum ratio relationis neceſſario exigat, ut convertatur, & eadem veritas comitetur converſam. quod non congruit adductæ de genere & ſpecie, vel de ære, æreoque ſigillo ſimilitudini. Neque enim, ſicut per ſimplex eſſe dumtaxat veriſſime dicitur, Si Pater eſt, Filius eſt; & ſi Filius eſt, Pater eſt: ita etiam poſſumus inter hominem & animal, ſive inter æreum ſigillum & æs, in veritate convertibilem texere conſequentiam. Nam etſi verum ſit dicere, Si homo eſt, animal eſt: non tamen vera eſt converſa, qua dicitur, Si animal eſt, homo eſt. Et item ſi ſigillum æreum eſt, neceſſario ſequitur,

a Lege ſis Guillelmi S. Theoderici abbatis caput 2. contra Abaelardum.

b Eodem fere modo in Abaelardum invehitur Gualterus epiſcopus Laudunenſis in epiſtola ad eum, tomo 2. Spicilegii pag. 473.

Tom. II. Opusc. XI.

ut æs ſit: non tamen ſi æs ſit, neceſſario ſequitur, ut ſigillum æreum ſit. Sed jam pergamus ad reliqua.

8. En juxta iſtum habemus omnipotentiam in Patre, quamdam potentiam in Filio: dicat nobis etiam de Spiritu-ſancto quid ſentiat. Benignitas ipſa, inquit, quæ hoc nomine quod eſt Spiritus-ſanctus demonſtratur, non eſt in Deo potentia, ſive ſapientia. Videbam ſatanam tamquam fulgur cadentem de cælo. Sic debet cadere, qui ambulat in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Vides, Pater ſancte, quas ſcalas, immo quæ præcipitia iſte ſibi paraverit ad ruinam. Omnipotentiam, ſemipotentiam, nullam potentiam. Ipſo auditu horreo, & ipſum horrorem puto ſufficere ad refellendum. Verumtamen teſtimonium pono, quod turbato interim occurrit ad removendam Spiritus-ſancti injuriam. In Iſaïa legitur, *Spiritus ſapientiæ, Spiritus fortitudinis*; per quod utique ſatis aperte iſtius audacia, etſi non comprimitur, convincitur tamen. O lingua magniloqua! Eſto ut injuria Filii vel Patris remittatur tibi: numquid blaſphemia Spiritus? Manet Angelus Domini, qui ſecet te medium. dixiſti enim: Non eſt Spiritus-ſanctus in Deo potentia, ſive ſapientia. Ita pes ſuperbiæ ruit cum irruit.

Ibid. p. 1083.
Luc. 10. 18.

CAPUT IV.

Refellit definitionem fidei, qua dicit Abaëlardus, Fidem eſſe æſtimationem.

9. NEc mirum ſi homo, qui non curat quæ dicat, irruens in arcana Fidei, theſauros abſconditos pietatis tam irreverenter invadit atque diſcerpit: cum de ipſa pietate fidei nec pie, nec fideliter ſentiat. Denique in primo limine Theologiæ, vel potius Stultilogiæ ſuæ, fidem diffinit æſtimationem. Quaſi cuique in ea ſentire & loqui quæ libeat liceat; aut pendeant ſub incerto in vagis ac variis opinionibus noſtræ Fidei ſacramenta, & non magis certa veritate ſubſiſtant. Nonne ſi fluctuat fides, inanis eſt & ſpes noſtra? Stulti ergo Martyres noſtri, ſuſtinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes ſub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exſilium. Sed abſit ut putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid, ut is putat, dubia æſtimatione pendulum; & non magis totum quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis divinitus perſuaſum, ſtabilitum & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redemptoris, gloria reſurgentis. Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis. Si quo minus, ipſe poſtremo Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æſtimationem, niſi qui Spiritum iſtum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? *Scio cui credidi, & certus ſum*, clamat Apoſtolus. & tu mihi ſubſibilas: Fides eſt æſtimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil eſt certius. Sed Auguſtinus aliter: Fides, ait, non conjectando vel opinando habetur in corde in quo eſt, ab eo cujus eſt; ſed certa ſcientia, acclamante conſcientia. Abſit ergo, abſit ut hos fines fides habeat Chriſtiana. Academicorum ſint iſtæ æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire nihil. Ego vero ſecurus in Magiſtri gentium ſententiam pergo, & ſcio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide diffinitio, etſi iſte etiam ipſam latenter inſimulet. *Fides eſt*, ait, *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*. Subſtantia, inquit, rerum ſperandarum, non inanium phantaſia conjecturarum. Audis ſubſtantiam. Non licet tibi in fide putare, vel diſputare pro libitu; non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Subſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur: certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non eſt enim fides æſtimatio, ſed certitudo.

Fidem non eſſe æſtimationem. Theol. lib. 1. pag. 977. & 1081.
2. Tim. 1. 12.
Definitio fidei ex Apoſtolo. Heb. 11. 1.

10. Sed advertite cetera. Omitto quod dicit ſpiritum timoris Domini non fuiſſe in Domino; timorem Domini caſtum in futuro ſæculo non futurum; poſt conſecrationem panis & calicis, priora accidentia, quæ remanent, pendere in aere; dæmonum in nobis ſuggeſtiones contactu fieri lapidum & herbarum, prout illorum ſagax malitia novit harum rerum vires diverſas diverſis incitandis & incendendis vitiis convenire; Spiritum-ſanctum eſſe animam mundi; mundum, juxta Platonem, tanto excellentius animal eſſe, quanto meliorem animam habet Spiritum-ſanctum. Ubi dum multum ſudat, quomodo Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat ethnicum. Hæc, inquam, omnia, aliaſque iſtiuſmodi nænias ejus non paucas prætereo: venio ad graviora. Non quod vel ad ipſa cuncta reſpondeam, magnis enim opus voluminibus eſſet: illa loquor quæ tacere non poſſum.

Abaëlardi alia errata.

CAPUT V.

Arguit Abaëlardum, ſua ſenſa aut ſomnia unanimi Patrum ſententiæ præferentem; præſertim ubi dicit, Chriſtum non ideo incarnatum, ut hominem liberaret de poteſtate ſatanæ.

11. MYſterium noſtræ redemptionis, ſicut in libro quodam Sententiarum ipſius, & item in quadam ejus expoſitione epiſtolæ ad Romanos legi [a], temerarius ſcrutator majeſtatis aggrediens, in ipſo ſtatim ſuæ diſputationis exordio, eccleſiaſticorum Doctorum unam omnium de hac re dicit eſſe ſententiam, & ipſam ponit ac ſpernit, & gloriatur ſe habere meliorem: non veritus contra præceptum Sapientis tranſgredi terminos antiquos, quos poſuerunt Patres noſtri. Sciendum eſt, ait, quod omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & jure eum poſſidebat: ideo ſcilicet quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque, quod ſi quis aliquem vicerit, victus jure victoris ſervus conſtituitur. Ideo, inquit, ſicut dicunt Doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt Filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur à jugo diaboli. Sed, ut nobis videtur, ait, nec diabolus umquam jus aliquod in homine habuit, niſi forte Deo permittente, ut carcerarius: nec Filius Dei ut hominem liberaret, carnem aſſumpſit. Quid in his verbis intolerabilius judicem, blaſphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non juſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in ſe provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, ſic: ſed non ego ſic. Quid ergo tu? quid melius afferſ? quid ſubtilius invenis? quid ſecretius tibi revelatum jactas, quod tot prætericrit ſanctos, effugerit ſapientes? Aquas furtivas & panes abſconditos, puto, apponet nobis iſte.

a Chriſtum ideo incarnatum, ut hominem liberaret.
Prov. 22. 28.

12. Dic tamen, dic quicquid illud eſt, quod tibi videtur, & nulli alteri. An quod Filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc plane nemini, te excepto, videtur: tu videris ubi videris. Non enim hoc à ſapiente, non à Propheta, non ab Apoſtolo, non denique ab ipſo Domino accepiſti. Magiſter gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non eſſe ſuam: *Non enim*, ait, *a meipſo loquor*. Tu vero de tuo nobis tradis, & quod a nemine accepiſti. Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur. Tibi proinde ſint, quæ tua ſunt. Ego Prophetas & Apoſtolos audio, obedio Evangelio, ſed non Evangelio ſecundum Petrum [*]. Tu novum nobis condis Evangelium? Quintum Eccleſia Evangeliſtam non recipit. Quid Lex, quid Prophetæ, quid Apoſtoli, quid apoſtolici viri nobis aliud evangelizant, quàm quod ſolus tu negas, Deum videlicet factum hominem,

1. Cor. 11. 23.
Johann. 7. 16. & 14. 10.
Johan. 8. 44.
** Abaëlardum.*

a Hoc argumentum attingit Abaëlardus lib. 2. Commentarii in epiſtolam ad Romanos, quæſtione prima: tum infert pag. 553 & 554 *Si quæ vero deſunt perfectioni, Theologia noſtra tractatui reſervamus*. At mutila eſt Abaëlardi Theologia vulgata, in qua non inveni verba, quæ mox refert Bernardus, tametſi quæ hic irreverenter dicta contra Patres ex Abælardo memorantur, apud eum fere leguntur in Theologiæ lib. 1 pag. 1118 ubi de potentia Dei; diſerte vero ſupra in Abaelardi capitulo 12.

nem, ut hominem liberaret? Et ſi Angelus de cœlo evangelizaverit aliud nobis, anathema ſit.

13. Sed qui venerunt poſt Apoſtolos, Doctores non recipis, homo qui ſuper omnes docentes te intellexiſti. Denique non erubeſcis dicere, quod adverſum te omnes ſentiant, cum ab invicem non diſſentiant. Fruſtra proinde illorum tibi fidem doctrinamque proponerem, quos jam proſcripſiſti: ad Prophetas te ducam. Loquitur ſub typo Jeruſalem ad populum acquiſitionis, non Propheta, ſed in Propheta Dominus, dicens: *Salvabo te, & liberabo te, noli timere.* (Soph. 3. 16) Quæris à qua poteſtate? Non enim vis ut diabolus in hominem habeat, vel habuerit poteſtatem: fateor nec ego. Non tamen idcirco non habet, quia ego & tu hoc nolumus. Hoc ſi non confiteris tu, nec cognoſcis: cognoſcunt & dicunt *qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Quod minime negares & tu, ſi non eſſes ſub manu inimici. Non potes gratias agere cum redemptis, qui redemptus non es. Nam ſi redemptus eſſes, Redemptorem agnoſceres, & non negares redemptionem. Nec quærit redimi, qui ſe neſcit captivum. Qui autem ſcierunt, *clamaverunt ad Dominum, & Dominus exaudivit eos. & redemit eos de manu inimici.* (Pſal. 106. 6.) Et ut intelligas hunc inimicum qui ſit, *Quos redemit*, ait, *de manu inimici. de regionibus congregavit eos.* Sed primum quidem agnoſce hunc coogregatorem, de quo Caiphas prophetat in Evangelio, quia Jeſus moreretur pro gente. Et qui narrat, ſequitur dicens: *Non tantum pro gente. ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* (Johan. 11. 51. Ibid. 52.) Quo erant diſperſi? In omnes regiones. Ergo quos redemit, de regionibus congregavit eos. Non congregaret, niſi redimeret. Erant enim non ſolum diſperſi, ſed & captivi. Redemit, & congregavit: redemit autem de manu inimici. Non dicit inimicorum, ſed *inimici*. Inimicus unus, regiones multæ. Siquidem non de regione, ſed de regionibus congregavit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Quis iſte unus tam potens dominus, qui non uni præfuit regioni, ſed omnibus? Non alius, ut arbitror, quam ille, qui ab alio Propheta dicitur *abſorbere fluvium*, id eſt genus humanum, *& non mirari. habere* autem *fiduciam*, quod & *Jordanis*, hoc eſt electio ipſa, *influat in os ejus.* (Job 40. 18.) Beati qui ſic influunt ut effluant, qui ſic intrant ut exeant.

14. Sed quid? Nondum forte credis Prophetis, ſic ſibi concinentibus de diaboli poteſtate in hominem. Veni mecum & ad Apoſtolos. Dixiſti nempe te non ſentire cum illis, qui poſt Apoſtolos venerunt. Aſſentias vel Apoſtolis, ſi forte & tibi contingat quod unus eorum loquitur de quibuſdam: *Nequando*, inquiens, *det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* (2. Tim. 2. 25.) Paulus eſt iſte, qui homines à diabolo captivos teneri aſſerit ad ejus voluntatem. Audis ad ejus voluntatem, & negas poteſtatem? Si & Paulo non credis, veni jam ad ipſum Dominum; ſi forte audias, & quieſcas. Nempe ab ipſo appellatur *Princeps hujus mundi*, & *fortis armatus*, poſſeſſorque vaſorum: (Johan. 14. 30.) & dicis eum non habere poteſtatem in homines? Niſi tu aliud putas hoc loco intelligi atrium, quàm mundum; vaſa, quàm homines. Quod ſi atrium diaboli, mundus erat; & homines vaſa ejus; quomodo non dominabatur hominibus? Ait item Dominus capientibus ſe: *Hac eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* (Luc. 22. 53. Coloſſ. 1. 13.) Poteſtas iſta non latuit illum qui dicebat: *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii claritatis ſuæ.* Hanc ergo Dominus ne in ſe quidem negavit diaboli poteſtatem, ſicut nec Pilati, qui membrum erat diaboli. Ait ſiquidem: *Non haberes poteſtatem in me ullam, niſi data tibi fuiſſet deſuper.* (Johan. 19. 11.) Quod ſi in viride lignum in tantum graſſata eſt iſta deſuper data poteſtas, aridum quomodo non fuit auſa contingere? Nec injuſtam puto iſte cauſabitur poteſtatem datam deſuper. Diſcat ergo diabolum non ſolum poteſtatem, ſed & juſtam habuiſſe in homines: ut conſequenter & hoc videat, veniſſe utique in carne Dei Filium propter liberandos homines. (Juſtam eſſe hanc poteſtatem.) Ceterum etſi juſtam dicimus diaboli poteſtatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invaſit; non homo qui meruit: ſed juſtus Dominus qui expoſuit. Non enim a poteſtate, ſed à voluntate juſtus injuſtuſve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etſi non jure acquiſitum, ſed nequiter uſurpatum; juſte tamen permiſſum. Sic itaque homo juſte captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa eſſet juſtitia, ſed in Deo.

CAPUT VI.

In opere liberationis humanæ non ſolum miſericordiam, ſed & juſtitiam reluxere.

15. JUſte igitur homo addictus, ſed miſericorditer liberatus; ſic tamen miſericorditer, ut non defuerit juſtitia quædam & in ipſa liberatione: quoniam hoc quoque fuit de miſericordia liberantis, ut (quod congruebat remediis liberandi) juſtitia magis contra invaſorem, quam potentia uteretur. Quid namque ex ſe agere poterat, ut ſemel amiſſam juſtitiam recuperaret homo ſervus peccati, vinctus diaboli? Aſſignata eſt ei proinde aliena, qui caruit ſua; & ipſa ſic eſt. (Chriſtum pro hominibus Deo ſatisfeciſſe.) Venit princeps hujus mundi, & in Salvatore non invenit quicquam: & cum nihilo minus innocenti manus injecit, juſtiſſime quos tenebat amiſit: quando is qui morti nihil debebat, accepta mortis injuria, jure illum, qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli ſolvit dominio. Qua enim juſtitia id ſecundo homo exigeretur? Homo ſiquidem qui debuit, homo qui ſolvit. Nam *ſi unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*: (2. Cor. 5. 14.) ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit; nec alter jam inveniatur qui forefecit [a], alter qui ſatisfecit: quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis, quando juxta Evangelium Pauli, quo convincitur mendacium Petri [*], *mortuus pro nobis convivificavit nos ſibi, donans nobis omnia delicta, delens quod adverſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, exſpolians principatus & poteſtates.* (* Abaelardi. Coloſſ. 2. 13.)

16. Utinam ego inveniar in his ſpoliis, quibus ſpoliatæ ſunt contrariæ poteſtates, traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini! Si me inſecutus Laban arguerit, quod receſſerim clam ab eo; audiat clam me acceſſiſſe ad eum, & ob hoc clam receſſiſſe. Subjecit me illi cauſa ſecretior peccati: ſubduxit me illi ratio occultioris juſtitiæ. (Chriſti juſtitiam hominibus profuiſſe, ut obfuit Adæ injuſtitia.) Aut ſi gratis venumdatus ſum, gratis non redimar? Si Aſſur ſine cauſa calumniatus eſt mihi, ſine cauſa cauſam exigit evaſionis. Quod ſi dixerit, Pater tuus addixit te; reſpondebo: Sed frater meus redemit me. Cur non aliunde juſtitia, cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem conſtituit, alius qui juſtificat à peccato; alter in ſemine, alter in ſanguine. An peccatum in ſemine peccatoris, & non juſtitia in Chriſti ſanguine? Sed juſtitia, inquiet, ſit cujus eſt: quid ad te? Eſto. Sed ſit etiam culpa cujus eſt: quid ad me? An juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii non erit ſuper eum? Non convenit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exſortem juſtitiæ. Nunc ergo per hominem mors, & per hominem vita. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* (Rom. 5. 18. 1. Cor. 15. 22.) quoniam non ſic illi attineo, ut non & iſti. Si illi per carnem; & per fidem huic: & ſi infectus ex illo originali concupiſcentia; etiam Chriſti gratia ſpiritali perfuſus ſum. Quid mihi plus imputatur de prævaricatore? Si generatio; regenerationem oppono. niſi quod ſpiritalis eſt iſta, illa carnalis. Nec patitur ratio æquitatis ut ex æquo contendant: ſed vincat neceſſe eſt ſpiritus carnem, & ſit efficacior cauſa, cujus potior eſt & natura: quo plus videlicet proſit generatio ſecunda, quàm prima nocuerit. Sane pervenit delictum ad me, ſed pervenit & gratia,

a Id eſt offendit: peccavit, quaſi *facere foras*, id eſt extra rationem, ex Gloſſario Cangiano & aliis.

Tom. II. Opuſc. XI. Rom. 5. 16.

Et non ſicut delictum, ita & donum. Nam judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. A primo homine manavit delictum, à ſummo cælo egreſſio gratiæ. Utrumque à parente, illud à primo, iſta à ſummo. Terrena nativitas perdit me: & non multo magis generatio cæleſtis conſervat me? Nec vereor ſic erutus de poteſtate tenebrarum repelli à Patre luminum, juſtificatus gratis in ſanguine Filii ejus. Nempe ipſe qui juſtificat: quis eſt qui condemnet? Non condemnabit juſtum, qui miſertus eſt peccatori. Juſtum me dixerim, ſed illius juſtitia. Quænam ipſa? *Finis legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Denique *qui factus eſt nobis*, inquit, *juſtitia à Deo Patre.* Quæ ergo mihi juſtitia facta eſt, mea non eſt? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta juſtitia? Et ſane mihi tutior donata, quàm innata. Nam iſta quidem gloriam habet, ſed non apud Deum: illa autem, cum ſit ſalutis efficax, materiam non habet gloriandi niſi in Domino. Nam *etſi juſtus fuero*, inquit, *non levabo caput*; ne videlicet reſponſum accipiat: *Quid habes quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Rom. 10. 4. Chriſti juſtitia noſtra eſt. — Job 10. 15. — 1. Cor. 4. 7.

CAPUT VII.

Abaelardum perſtringit, impie ac temere Dei ſecreta ſcrutantem & extenuantem.

Chriſtum veniſſe in mundum non tantum ad noſtram inſtructionem & ſuæ caritatis oſtenſionem.

17. HÆc eſt juſtitia hominis in ſanguine Redemptoris: quam homo perditionis exſufflans & ſubſannans, in tantum evacuare conatur, ut totum quod Dominus gloriæ ſemetipſum exinanivit; quod minoratus eſt ab Angelis; quod natus de femina; quod converſatus in mundo; quod expertus infirma; quod paſſus indigna; quod denum per mortem crucis in ſua reverſus: ad id ſolum putet & diſputet redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo & docendo; patiendo autem & moriendo caritatis metam præfigeret. Ergo docuit juſtitiam, & non dedit; oſtendit caritatem, ſed non infudit; & ſic rediit in ſua? Itane hoc totum eſt *magnum* illud *pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria?* Incomparabilis doctor, qui etiam profunda Dei ſibi aperiens, & ea quibus vult lucida & pervia faciens, altiſſimum ſacramentum, & myſterium abſconditum à ſæculis, ſic nobis ſuo mendacio planum & apertum reddit, ut tranſire leviter per illud poſſit quivis, etiam incircumciſus & immundus. quaſi Dei ſapientia cavere neſcierit aut neglexerit quod ipſa prohibuit: ſed dederit & ipſa ſanctum canibus, & margaritas porcis. Sed non eſt ita. Nam etſi manifeſtatum eſt in carne, ſed tamen juſtificatum eſt in ſpiritu: ut & ſpiritualibus ſpiritualia conferantur; & animalis homo non percipiat quæ ſunt ſpiritus Dei; nec fides noſtra ſit in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Unde Salvator ait: *Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* & Apoſtolus: *Etſi*, inquit, *opertum eſt Evangelium meum, in his eſt opertum qui pereunt.*

1 Tim. 3. 16. — Matt. 11. 25. — 2. Cor. 4. 3.

18. Denique adverte hominem irridentem quæ ſunt ſpiritus Dei, quoniam ſtultitia illi videntur; & inſultantem Apoſtolo loquenti Dei ſapientiam in myſterio abſconditam; invehentem in Evangelium, Dominum blaſphemantem. Quàm prudentius quod non valet comprehendere, credere dignaretur, nec auderet contemnere, aut conculcare ſacrum reverendumque myſterium. Longum eſt ad omnes ejus ineptias & calumnias, quas divino ſtruit conſilio, reſpondere. Pauca tamen infero, e quibus cetera æſtimentur. Cum ſolos, inquit[a], electos liberaverit Chriſtus, quomodo eos diabolus poſſidebat, ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro magis, quàm modo? Reſpondemus: Immo quia diabolus electos Dei poſſidebat, à quo, ſicut dicit Apoſtolus, captivi tenebantur ad ipſius voluntatem: ut Dei propoſitum de ipſis impleretur, opus fuit liberatore. Oportuit autem liberari in hoc ſæculo, ut liberos haberet in futuro. Deinde infert: Numquid etiam pauperem illum, qui in ſinu Abrahæ requieſcebat, ſicut & divitem damnatum, diabolus cruciabat, aut etiam in ipſum Abraham dominium habebat, ceteroſque electos? Non: ſed habuiſſet, ſi non liberati fuiſſent fide venturi, ſicut de ipſo Abraham ſcriptum eſt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* item: *Abraham exſultavit ut videret diem meum; & vidit, & gaviſus eſt.* Propterea jam tunc ſanguis Chriſti rorabat etiam Lazaro, ne flammas ſentiret: quod & ipſe credidiſſet in eum qui erat paſſurus. Sic de omnibus electis illius temporis ſentiendum, natos quidem & ipſos, æque ut nos, ſub poteſtate tenebrarum, propter originale peccatum: ſed erutos antequam morerentur, & non niſi in ſanguine Chriſti. Scriptum eſt enim[b]: *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Ergo Chriſto in carne venienti, & antequam veniret, & poſt, benedictum eſt à turbis benedictorum: quamvis præcuntes plenam minime tunc conſecuti ſint benedictionem, ſervata nimirum hac prærogativa tempori gratiæ.

Electos etiam liberatos per Chriſtum à diabolo. — 2 Tim. 2. 26. — Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. ... Joan. 8. 56. ... ſive futuro Meſſiæ ſalva... tem. — Matt. 21. 9.

CAPUT VIII.

Quare Chriſtus tam gravem ac laborioſum nos liberandi modum ſuſceperit, cum ſola ejus voluntas ſeu juſſio ſufficeret.

Chriſtum et partis et temporis modo ... convenientiſſime præſtitiſſe.

19. DEinde laborans docere & perſuadere, diabolum nullum ſibi jus in hominem vindicare potuiſſe aut debuiſſe, niſi permiſſu Dei; & quod ſine injuria diaboli jure Deus profugum ſuum, ſi vellet miſereri, repetere, & ſolo verbo eripere poſſet, quaſi hoc quis diffiteatur; poſt multa aliquando infert[c]: Quæ itaque neceſſitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, cum ſola juſſione ſua, divina miſeratio liberare hominem à peccato poſſet; propter redemptionem noſtram Filium Dei carne ſuſcepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, ſputa, denique ipſam crucis ignominioſam & aſperrimam mortem ſuſtinere, ut cum iniquis patibulum ſuſtineret? Reſpondemus: Neceſſitas noſtra fuit, & neceſſitas dura ſedentium in tenebris & umbra mortis. Opus æque noſtrum, & Dei ipſius, & ſanctorum Angelorum. Noſtrum, ut auferret jugum captivitatis noſtræ: ſuum, ut impleretur propoſitum voluntatis ejus: Angelorum, ut numerus impleretur eorum. Porro ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat Omnipotenti ad manum fuiſſe alios & alios modos noſtræ redemptionis, juſtificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus, quem è multis elegit, efficaciæ. Et fortaſſe is præſtat, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapſus noſtri, tot & tantis gravaminibus Reparatoris fortius & vivacius admonemur. Alias autem nemo hominum novit, nec noſcere ad plenum poteſt, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſeipſam contineat hujus venerandi myſterii inſcrutabilis altitudo: quam Propheta conſiderans expavit, non penetravit; & Præcurſor Domini indignum ſe judicavit qui penetraret.

Habac. 3. 2. ... Joan. 1. 27.

20. Ceterum ſi non licet perſcrutari divinæ ſacramentum voluntatis, licet tamen ſentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet ſcire, non licet tacere: quia *gloria regum celare verbum, & gloria Dei inveſtigare ſermonem.* Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus! quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii

Prov. 25. 2. Non ... Vulgata legit.

[a] Hæc quidem apud Abaelardum lib. 2. in epiſtolam ad Romanos pag. ... ſed quæſtionem proponendo, non aſſerendo, ut & ... ſequuntur.

[b] Hunc contextum in eam rem etiam adducit Abaelardus pag. 551.

[c] Et hæc iiſdem verba leguntur apud Abaelardum eodem in loco pag. 552. Sed interrogandi modo: ut netſi ejus ſolutio, quæ ſubſequitur, ab hac doctrina non recedit. Ergo malignas ejuſmodi quæſtiones ſenſit Bernardus.

ejus. Ubi reconciliatio, & remiſſio peccatorum. Nam ſi dicente Scriptura, *Peccata noſtra ſeparant inter nos & Deum*, manente peccato non eſt reconciliatio. In quo ergo remiſſio peccatorum? *Hic calix*, inquit, *novi teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Itaque ubi reconciliatio, ibi remiſſio peccatorum. Et quid ipſa, niſi juſtificatio? Sive igitur reconciliatio, ſive remiſſio peccatorum, ſive juſtificatio ſit, ſive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli a quo captivi tenebamur ad ipſius voluntatem: intercedente morte Unigeniti obtinemus, juſtificati gratis in ſanguine ipſius: *in quo*, ſicut idem dicit, *habemus redemptionem per ſanguinem ejus, & remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus.* Cur, inquis, per ſanguinem, quod potuit facere per ſermonem? Ipſum interroga. Mihi ſcire licet quod ita: cur ita, non licet. Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me finxiſti ſic?

21. Sed hæc ſtultitia ei videntur: non poteſt tenere riſum. Audite cachinnos. Quomodo, ait [a], juſtificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apoſtolus, qui tanto amplius adverſus hominem iraſci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo Filium ſuum deliquerunt, quàm in tranſgrediendo primum ejus præceptum unius pomi guſtu? Quaſi non potuerit Deo in uno eodemque facto & diſplicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis. Et ait: Quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non poſſet niſi morte Chriſti; quam expiationem habebit ipſum homicidium, quod in Chriſto commiſſum eſt? Breviter reſpondemus, ipſum ſanguinem quem fuderunt, & interpellationem ipſius quem occiderunt. Addit etiam. Numquid mors innocentis Filii in tantum Deo Patri placuit, ut per ipſam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commiſimus, propter quod innocens Dominus eſt occiſus: nec niſi hoc maximum fieret peccatum, illud multo levius potuit ignoſcere? Non mors, ſed voluntas placuit ſponte morientis, & illa morte expugnantis mortem, operantis ſalutem, reſtituentis innocentiam, triumphantis principatus & poteſtates, ſpoliantis inferos, ditantis ſuperos, pacificantis quæ in cælo ſunt & quæ in terra, omnia inſtaurantis. Et quoniam hæc tam pretioſa mors, voluntarie ſuſcipienda adverſus peccatum, non tamen poterat fieri niſi per peccatum; non delectatus quidem, ſed tamen bene uſus malitia ſceleratorum, & mortem de morte, & de peccato damnavit peccatum. Et quanto illorum major iniquitas, tanto hujus voluntas ſanctior, & eo potentior ad ſalvandum: quatenus tanta mediante potentia, antiquum illud, quamvis grande peccatum, neceſſario tamen huic, quod in Chriſto commiſſum eſt, cederet, tamquam minus majori. Nec peccato ſive peccantibus adſcribitur hæc victoria; ſed bene utenti peccato, & peccantes fortiter perferenti, & convertenti in uſum pietatis, quicquid in ipſum auſa eſt crudelitas impiorum.

22. Fuit vero ſanguis qui effuſus eſt, tam multus ad ignoſcendum, ut ipſum quoque peccatum maximum, quo factum eſt ut effunderetur, deleret; ac per hoc de antiqui illius, utpote levioris, deletione nullam omnino dubietatem relinqueret. Deinde iſte: Cui vero, inquit, non crudele & iniquum videtur, ut ſanguinem innocentis in pretium aliquod quis requiſierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam Filii mortem habuerit, ut per ipſam univerſo reconciliatus ſit mundo? Non requiſivit Deus Pater ſanguinem Filii, ſed tamen acceptavit oblatum; non ſanguinem ſitiens, ſed ſalutem, quia ſalus erat in ſanguine. Salus plane, & non, ſicut iſte ſapit & ſcribit, ſola caritatis oſtenſio. Sic enim concludit tot calumnias & invectiones ſuas, quas in Deum tam impie, quam imperite evomuit, ut dicat [b]: Totum eſſe quod Deus in carne apparuit, noſtram de verbo & exemplo ipſius inſtitutionem, ſive, ut poſtmodum dicit, inſtructionem; totum quod paſſus & mortuus eſt, ſuæ erga nos caritatis oſtenſionem vel commendationem. Tom. II. Opusc. XI.

CAPUT IX.

Chriſtum veniſſe in mundum, non ſolum inſtructionis noſtræ, ſed & liberationis cauſa.

23. CEterum quid prodeſt quod nos inſtituit, ſi non reſtituit? Aut numquid fruſtra inſtruimur, ſi non prius deſtruatur in nobis corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato? Si omne quod profuit Chriſtus, in ſola fuit oſtenſione virtutum; reſtat ut dicatur, quod Adam quoque ex ſola peccati oſtenſione nocuerit. ſiquidem pro qualitate vulneris allata eſt medicina. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ergo ſicut hoc, ita & illud. Si vita, quam dat Chriſtus, non eſt alia, quàm inſtitutio ejus: nec mors utique, quam dedit Adam, alia erit ſimiliter quàm inſtitutio ejus: ut ille quidem ad peccatum exemplo ſuo, hic vero exemplo & verbo ad bene vivendum, & ſe diligendum homines informarent. Aut ſi Chriſtianæ fidei, & non hæreſi Pelagianæ acquieſcentes, generatione, non inſtitutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, & per peccatum mortem; fateamur neceſſe eſt, & à Chriſto nobis, non inſtitutione, ſed regeneratione reſtitutam juſtitiam, & per juſtitiam vitam: *ut ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et ſi ita eſt, quomodo is dicit, Conſilium & cauſam incarnationis fuiſſe, ut mundum luce ſuæ ſapientiæ illuminaret, & ad amorem ſuum accenderet? Ubi ergo redemptio? A Chriſto nempe, ut fateri dignatur, illuminatio & provocatio ad amorem: redemptio & liberatio à quo?

1 Cor. 15. 22. — Rom. 5. 18.

24. Eſto quod Chriſti adventus illis proſit, qui ſe illi poſſunt conformare per vitam, & vicem ei dilectionis rependere. quid de parvulis? quam dabit lucem ſapientiæ vix adhuc captantibus lucem vitæ? Unde aſcendet* ad Dei amorem, qui necdum matres ſuas amare noverunt? Nihilne proderit eis adventus Chriſti? nihil quod complantati ſunt ſimilitudini mortis ejus per baptiſmum, quoniam nondum poſſunt, prohibente ætate, Chriſtum ſapere aut amare? Redemptio itaque, ait, noſtra eſt, illa ſumma in nobis per Chriſti paſſionem dilectio. Ergo parvuli non habent redemptionem, quia non habent ſummam illam dilectionem. An ſicut non habent unde diligant, ita nec unde pereant, ut non ſit eis in Chriſto neceſſaria regeneratio, utpote quibus generatio ex Adam nihil nocuerit? Si hoc ſapit, cum Pelagio deſipit. Quicquid horum ſentiat, patet quantum humanæ ſacramento ſalutis invideat; quantum, quod in ipſo eſt, evacuet alti diſpenſationem myſterii, qui totum de ſalute tribuit devotioni, regenerationi nihil: qui noſtræ gloriam redemptionis, & ſummam ſalutis, non in virtute crucis, non in pretio ſanguinis, ſed in noſtræ conſtituit converſationis profectibus. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, in qua eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra.*

Infantibus alioquin non prodeſſe. — * al. aſcendent. — Gal. 6. 14.

25. Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere noſtræ ſalutis intueor: formam humilitatis, in qua Deus ſemetipſum exinanivit: caritatis menſuram, quam uſque ad mortem, & mortem crucis extendit: redemptionis ſacramentum, quo ipſam mortem, quam pertulit, ſuſtulit. Horum duo priora ſine ultimo ſic

In opere ſalutis noſtræ tria conſideranda.

a Hæc omnia quæ hic ex Abaëlardo referuntur, interrogantis ſunt, pag. 552. & 553. Et merito quidem hæc tamquam Abaëlardi placita refert Bernardus, cum in ſolutione ea non diluat, ſed approbare videatur. Idem cenſent Theologi Pariſienſes initio operum Abaëlardi. Et ſane Abaelardus non negavit hanc ſuam fuiſſe mentem, nec id ſibi (quod in aliis ſolet) per calumniam impoſitum cauſatur: ſed oppoſito teſtimonio emendavit in Apologia ſua, his verbis: *Solum Filium Dei incarnatum profiteor, ut nos à ſervitute peccati & a jugo diaboli liberaret, & ſupernæ aditum vitæ morte ſua reſeraret.*

b Hæc & quæ ſequuntur, ad ſenſum invenio in ſolutione pag. 553. & pag. 584. non de verbo.

Tom. II Opusc. XI

ſunt, ac ſi ſuper inane pingas. Magnum profectò & valde neceſſarium humilitatis, magnum & omni acceptione dignum caritatis exemplum: ſed non habent fundamennim, ac proinde nec ſtatum, ſi deſit redemptio. Volo totis niſibus humilem ſequi Jeſum; cupio eum qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, quibuſdam brachiis vicariæ dilectionis amplecti: ſed oportet me & Agnum manducare paſchalem. Niſi enim manducavero carnem ejus, & bibero ejus ſanguinem, non habebo vitam in memetipſo. Aliud ſequi Jeſum, aliud tenere, aliud manducare. Sequi, ſalubre conſilium; tenere & amplecti, ſollemne gaudium; manducare, vita beata. Caro enim ejus vere eſt cibus, & ſanguis ejus vere eſt potus. Panis eſt Dei qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Quis ſtatus gaudio, ſive conſilio, abſque vita? Nempe haud alius quàm picturæ abſque ſolido. Ergo nec humilitatis exempla, nec caritatis inſignia, præter redemptionis ſacramentum, ſunt aliquid.

Joan. 6. 56.

26. Hæc, domine Pater, de labore manuum pueri veſtri qualiacumque tenetis, adverſus pauca quidem novæ hæreſeos capitula: ubi etſi non aliud quàm zelum agnoſcitis meum, tamen propriæ interim conſcientiæ ſatisfeci. Nam cum non eſſet qood agerem pro injuria Fidei quam dolebam; operæ mihi pretium arbitror, ſi illum monui, cujus arma potentia à Deo ad deſtructionem contrariarum aſſertionum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigendum omnem intellectum in obſequium Chriſti. Sunt & alia in aliis ejus ſcripris non pauca, nec minus mala capitula, ad quæ nec temporis, nec epiſtolæ anguſtia reſpondere permittit. Quamquam nec neceſſarium putem, cum ſint adeo manifeſta, ut ipſa etiam vulgata fide facile refellantur. Collegi tamen aliqua, & tranſmiſi.

Epilogus.

Cisterc. XII. S. BERNARDI ABBATIS

LIBER DE VITA ET REBUS GESTIS S. MALACHIÆ, Hiberniæ epiſcopi.

Obiit anno 1148. Novemb. 2.

PRÆFATIO AD CONGANUM ABBATEM.

Vita ſeu Hiſtoriæ ſanctorum ad quid nobis utiles.

SEmper quidem operæ pretium fuit illuſtres Sanctorum deſcribere vitas, ut ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam poſt mortem vivunt, multoſque ex his, qui viventes mortui ſunt, ad veram provocant & revocant vitam. Verum nunc maxime id requirit raritas ſanctitatis, & noſtra plane ætas inops virorum. Quam ſane inopiam ſuper nos adeo invaluiſſe ſentimus, ut nulli ſit dubium illa ſententia nos feriri: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum.* Et ut ſuſpicor ego, aut præſto, aut prope eſt, de quo ſcriptum eſt: *Faciem ejus precedet egeſtas.* Ni fallor, Antichriſtus eſt iſte, quem fames & ſterilitas totius boni & præit, & comitatur. Sive igitur nuntia jam præſentis, ſive jamjamque adfuturi prænuntia, egeſtas in evidenti eſt. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum hujus ſæculi multitudinem: in ipſas Eccleſiæ columnas volo oculos leves. Quem mihi oſtendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de ſublimi fumantem, quàm flammantem? *Et ſi lumen quod in te eſt*, inquit, *tenebræ ſunt, quanta ſunt tenebræ?* Niſi tu illos forte (quod non credo) lucere dixeris, qui quæſtum æſtimant pietatem; qui in hereditate Domini, non quæ Domini, ſed magis quæ ſua ſunt, quærirant. Quid dico, quæ ſua ſunt? Perfectus ſit & ſanctus etiam ſua quærens, ſuaque retinens, ſi ab alienis cor manuſque contineat. Meminerit tamen, qui ſibi uſque huc forte perveniſſe videtur, eumdem exigi ſanctitatis gradum & ab ethnico. Annon milites ſuis jubentur contenti fore ſtipendiis, ut ſalvi fiant? Magnum vero Eccleſiæ Doctori, ſi ſit ſicut unus militum: aut certe (quod ad illorum improperium Propheta loquitur) *ſicut populus, ita & ſacerdos* fuerit O deformitatem! itane ſummus merito reputandus erit, qui à ſummo corruens gradu, hærebit vix infimo, ne abyſſo abſorbeatur? Quam rarus tamen iſte ipſe in Clero? Quem item das mihi contentum neceſſariis, contemptorem ſuperfluorum? Lex eſt tamen præfixa ab Apoſtolis Apoſtolorum ſucceſſoribus: *Victum & veſtitum habentes*, inquiunt, *his contenti ſimus.* Ubi forma hæc? In libris cernimus eam, ſed non in viris. Habes vero de juſto, *quia lex Dei ejus in corde ipſius*, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere & neceſſariis paratus eſt. At gratis iſtud. Utinam ſuperfluis ponatur modus! utinam non cupiamus in infinitum! Sed quid? Forte reperias qui hoc poſſit? Id quidem difficile: ſed vide quid egimus. Quærebamus virum optimum, multorum liberatorem: & ecce laboramus in inveniendo, qui ſeipſum ſalvum facere poſſit. Optimus hodie eſt, qui non eſt nimis malus.

Matt. 24. 12.

Job. 41. 13. Corruptio ſæculi.

Matt. 6. 23.

Luc. 3. 14.

Iſa. 24. 2. Corruptio ſpecialis in Clero.

Tim. 6. 8.

Pſal. 36. 31.

Unde quoniam à terra defecit ſanctus, videor mihi non ſupervacue ex his, qui empti ſunt de terra, revocare ad medium Malachiam epiſcopum, virum vere ſanctum, & noſtrorum quidem temporum, ſingularis ſapientiæ & virtutis. Ille erat lucerna ardens & lucens: nec extincta eſt tamen, ſed ſubmota. Quis mihi jure ſuccenſeat, ſi readmovero eam? Immo vero non eſt, quod mihi ingrati eſſe mei ſæculi homines debeant, & omnis deinceps generatio ventura, ſi quem conditio tulit, revocem ſtilo; ſi mundo reſtituam, quo dignus non erat mundus; ſi ſervem memoriæ hominum hominem, cujus memoria in benedictione ſit omnibus, qui legere dignabuntur; ſi me excitante amicum dormientem, vox turturis audita fuerit in terra noſtra, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Deinde ſepultus apud nos eſt: nobis ſpecialiter hoc opus incumbit. Quid quod me inter ſpeciales amicos Sanctus ille habebat, & eo loci, ut nulli in hac parte gloriæ ſecundum fuiſſe me credam? Nec mercede vacat mihi tantæ familiaritas ſanctitatis: primitias jam accepi. In extremis poſitus erat, immo in principiis, juxta illud: *Cum conſummaverit homo, tunc incipit.* Accurri ego, ut benedictio morituri ſuper me veniret. At ille cum jam membra alia movere non poſſet, fortis ad dandam benedictionem, elevatis ſanctis manibus ſuper caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hereditate poſſideo: & quomodo ego illum ſilere queam? Poſtremo tu id mihi, abba Congane, injungis, reverendus frater, & dulcis amicus meus, ac tecum paruer (ut ex Hibernia ſcribis) veſtra illa omnis eccleſia ſanctorum. Libens obedio, præſertim quod noo eloquium exigitis, ſed oarrationem. Dabo vero operam, ut ea ſit pura & luculenta, devotos informans, faſtidioſos non onerans. Sane narrationis veritas ſecura apud me eſt, intimata à vobis, haud alia proculdubio proteſtantibus, quam quæ certiſſime comperta ſunt vobis.

Malachias epiſc. opus lucerna lucens & ardens.

Matth. 28. 20.

S. Bernardus Malachiæ cariſſimus.

Eccli. 18. 6.

Hiſtoriæ hujus fides.

CAPUT I.

Pueritia & adoleſcentia S. Malachiæ.

Patria S. Malachiæ.

1. MAlachias noſter, ortus Hibernia de populo barbaro, ibi educatus, ibi litteras edoctus eſt. Ceterum de natali barbarie traxit nihil, non magis quam de ſale materno piſces maris. Quam vero ſuave, quod inculta nobis barbaries tam urbanum protulit civem Sanctorum, & domeſticum Dei? Qui producit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, ipſe fecit hoc.

Parentes.

Parentes tamen illi fuere genere & potentia magni, juxta nomen magnorum qui ſunt in terra. At mater mente, quàm ſanguine generoſior, ſatagebat in ipſo initio viarum ſuarum, notas parvulo facere vias vitæ: hanc pluris illi exiſtimans venturâ ſcientia litteraturæ ſæcularis.

Diſciplina.

Ad utramque tamen huic non defuit ingenium pro ætate. In ſcholis litteras, domi timorem Domini docebatur, & quotidianis profectibus reſpondebat ambobus ſatis, magiſtro & matri. Nempe à principio ſpiritum ſortitus eſt bonum, per quem erat puer docilis, & amabilis valde, mire admodum omnibus per omnia gratioſus. Bibebat autem pro lacte de pectore materno aquas ſapientiæ ſalutaris, & fiebat in dies ſeipſo prudentior. Prudentior, dicam, an ſanctior? utrumque ſi dixero, non me pœnitebit: veritatem enim dicam.

Sanctitas ejus puerilis.

Agebat ſenem moribus, annis puer, expers laſciviæ puerilis. Cumque ex hoc cunctis eſſet reverentiæ ac ſtupori, non tamen inde, ut aſſolet, inſolentior inveniebatur; ſed magis quietus & ſubditus in omni manſuetudine. Non impatiens magiſterii, non fugitans diſciplinæ, non lectionis faſtidiens, non ludorum denique appetens, quod vel maxime illa ætas dulce ac familiare habere ſolet. Ita proficiebat ſupra omnes coætaneos ſuos in ea quidem litteratura, quæ illi competebat ætati. Nam in diſciplina morum profectuque virtutum, etiam ſuper omnes docentes ſe in brevi enituit, non tam matre tamen, quàm unctione magiſtra. Hac ſollicitante, haud ſegniter & in divinis exercebatur, petere ſecretum, anticipare vigilias, meditari in lege, refici parcius, orare frequentius. Et quia eccleſiam frequentare nec vacabat propter ſtudium, & pro verecundia non libebat; levare puras manus in omni loco ad cælum, ubi tamen ſecrete id poſſet.

Vana gloria virtutum virus.

Jam tunc ſiquidem cautus fuit declinare virus virtutum, inanem gloriam.

2. Eſt vicus prope civitatem, in qua diſcebat puer, quo magiſter ejus frequenter pergere ſolitus erat, ipſo ſolo comite. Illo euntibus ambobus pariter, ipſe (ut poſtea referebat) retrahebat pedem, ſiſtebat gradum, & ſtans à tergo magiſtri, illo quidem non comperiente, expanſis ad cælum manibus, raptim quodammodo, ac veluti jaculatam emittebat orationem: & ſic diſſimulans, magiſtrum denuo ſequebatur. Iſtiuſmodi pio furto puer ſæpius illudebat comitem pariter & magiſtrum. Non eſt dicere omnia, quæ ejus principia colore bonæ indolis decoravere: ad majora atque utiliora currendum. Unum tamen refero adhuc, quod hoc, meo quidem judicio, non modo bonæ, ſed & magnæ in puero dederit inſigne ſpei. Excitus aliquando opinione cujuſdam magiſtri, (erat enim famoſus in diſciplinis, quas dicunt liberales) adivit illum diſcendi cupiditate.

Puer ſapiens à magiſtro levitatis.

Quippe extrema jam pueritiæ captans, ad eas litteras anhelabat. Intrans vero domum, vidit virum ludentem ſubula, crebriſque ſulcantem tractibus neſcio quo notabili modo parietem. Et ſolo viſu offenſus puer ſerius, quod levitatem redoleret, reſilivit ab eo, ac deinceps illum nec videre curavit. Ita cum eſſet ſtudioſiſſimus litterarum, præ honeſto tamen ſprevit eas virtutis amator. Tali quodam præludio puer præparabatur ad eum, qui ſe manebat in fortiori ætate, conflictum: jamque ipſe adverſarium provocabat. Et Malachiæ quidem pueritia ſic erat. Porro adoleſcentiam ſimili tranſivit ſimplicitate, & puritate: niſi quod creſcente ætate, creſcebat ſimul illi ſapientia & gratia apud Deum & homines.

3. Hinc jam, id eſt ab ineunte adoleſcentia ejus, cœpit manifeſtius apparere quid eſſet in homine, & gratia Dei in illo vacua non videri. Videns enim induſtrius adoleſcens, quam in maligno mundus poſitus ſit, & cogitans qualem ſpiritum accepiſſet, dicebat intra ſe: Non eſt ſpiritus hujus mundi iſte. Quid iſti, & illi? Non eſt ſocietas alteri ad alterum, non plus quàm luci ad tenebras. Meus ex Deo eſt, & ſcio quæ in illo donata ſunt mihi. Inde mihi interim adhuc innocentia * vitæ, inde continentiæ decus, inde juſtitiæ fames, inde quoque illa eo ſecurior, quo ſecretior, gloria mea eſt, teſtimonium conſcientiæ meæ. Nil horum mihi tutum ſub principe mundi. Deinde habeo theſaurum hunc in fictili vaſe. Verendum ne impingat & frangatur, & effundatur oleum lætitiæ quod porto. Et quidem non impingere inter ſaxa & ſcopulos diſtortæ & anfractuoſæ viæ & vitæ hujus difficillimum. Itane momento perdam ſimul omnes, quibus ab initio præventus ſum, benedictiones dulcedinis? Reſigno illi potius, à quo ſunt, & me pariter. Et ego enim ipſius. Perdo ipſam ad tempus animam meam, ne perdam in æternum. Et quod ſum, & quæ habeo omnia, ubi mihi æque ſalva, uti in manu Auctoris? Quis ita ad ſervandum ſollicitus, ad retinendum potens, ad reſtituendum fidelis? Servabit tuto, reſtituet opportune. Sine retractatione me do ad ſerviendum illi de donis ſuis. Non poteſt mihi perire ex omnibus, quæ in opus pietatis expendero. Forte & ſperare plus aliquid licet. Solet reddere cum uſura qui dat gratis. Ita eſt. Etiam cumulabit, & multiplicabit in anima mea virtutem. Hæc cogitavit, & fecit, ſciens abſque facto vanas eſſe cogitationes hominum.

1. Joan. 5. 19.

** al. mea.*

Periculoſiſſimum per vitæ hujus iter homini.

CAPUT II.

Religioſæ vitæ tyrocinium.

4. ERat homo in civitate Ardmacha, (ipſa eſt, in qua alitus eſt Malachias) & homo ille ſanctus, & auſteræ admodum vitæ, inexorabilis caſtigator corporis ſui, cellam habens juxta eccleſiam. In ea manebat, jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte. Ad hunc ſe contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui vivum ſe tali damnaverat ſepultura. Et vide humilitatem. A primæva ætate in ſancta arte magiſtrum (quod dubium non eſt) habuerat Deum: & ecce factus eſt denuo diſcipulus hominis, homo mitis & humilis corde. Si neſciebamus, hoc vel ſolo nobis ipſe probavit. Legant hoc, qui docere quæ non didicere conantur, diſcipulos ſibi coacervantes, qui numquam diſcipuli extitere, cæci duces cæcorum. Malachias doctus à Deo, doctorem nihilo minus quæſivit hominem, & quidem caute, & ſapienter. Quid ſimile, quæſo, afferre quibat, in quo æque daret caperetque experimentum profectus ſui? Si Malachiæ exemplum eis pro minimo eſt, Pauli opus attendant. Nonne Evangelium ſuum, quod non ab homine acceperat, ſed à Chriſto, cum hominibus tamen cenſuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet? Ubi ille ſecurus non eſt, nec ego. Si quis hoc ſcit, viderit, ne non tam ſecuritas ſit, quam temeritas. Sed hæc alterius temporis.

Malachias cuidam viro ſanctiſſimo ſe inſtituendum tradit.

Doctor bonus non eſt qui non fuerit diſcipulus.

Galat. 1. 12.

5. Nunc vero ſonuit in civitate quod factum erat, & commota eſt univerſa ad inopinatam novitatem. Stupebant autem omnes, & virtutem mirabantur, eoque amplius, quo minus uſitatam in gente fera. Videres tunc revelari ex multorum cordibus cogitationes. Plerique humano affectu penſantes factum, plangere & dolere, quod dilectus omnibus, delicatuſque adoleſcens, duris ſe adeo laboribus mancipaſſet. Alii ſuſpicari levitatem propter ætatem, diffidere de perſeverantia, timere de caſu. Nonnulli temeritatem cauſantes, indignari & fremere in eum, quod ſupra ætatem & vires inconſulte rem arduam fuiſſet aggreſſus,

Vitam vivis duriſſimam.

[Tom. II. Opusc. XII]

Verum ille ſine conſilio egit nihil. Nam habuit conſilium à Propheta, qui ait: *Bonum eſt homini, ſi portaverit jugum ab adoleſcentia.* & addit: *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſe ſupra ſe.* [Thren. 3. 27. Ibidem 28.] Sedebat ſibi juvenculus ſecus pedes Imarii, (hoc enim nomen viro) & aut diſcebat obedientiam, aut ſe didiciſſe docebat. Sedebat, ut quietus, ut manſuetus, ut humilis. [Iſa. 32. 17.] Sedebat, & tacebat, ſciens ſecundum Prophetam, cultum juſtitiæ eſſe ſilentium: ſedebat ut perſeverans, tacebat ut verecundus, niſi quod ſuo illo ſilentio in Dei auribus loquebatur cum ſancto David: [Pſal. 118. 141.] *Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus, juſtificationes tuas non ſum oblitus.* Et ſedebat interim ſolitarius, quia & ſine ſociu, & ſine exemplo. Quis enim ante Malachiam diſtrictiſſimum viri propoſitum vel cogitaret attentare? Nempe mirabile omnibus habebatur, non imitabile. Malachias imitabile perſuaſit, ſedendo dumtaxat, & tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, provocatos exemplo ſui. Ita qui primo ſolitarius ſedit, & unicus patris ſui, fit jam unus ex multis, fit ex unigenito primogenitus in multis fratribus. Et ut prior in converſione, ita in converſatione ſublimior: & qui ante omnes venit, omnium judicio ſupra omnes enituit in virtute. [Diaconus ordinatus.] Et dignus viſus eſt Epiſcopo pariter & magiſtro, qui ad diaconi gradum promoveretur. Et coëgerunt eum.

CAPUT III.

Ordinibus initiatus Epiſcopi vices gerit.

6. HInc jam levita Domini publice ſe ad omne opus pietatis accinxit: plus vero ad eas res, in quibus aliqua injuria videretur. [Studium ejus ſepeliendi mortuos.] Denique cura erat ei maxima in ſepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc ſibi non minus humilitatem ſaperet, quàm humanitatem. Nec defuit novo noſtro Tobiæ rediviva à muliere tentatio, immo à ſerpente per mulierem. Germana ejus indignitatem (ut ſibi videbatur) officii exhorrens, Quid facis, inquit, ô inſane? dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat. Sed reſpondebatur mulier, ſtultæ juxta ſtultitiam ſuam: Miſera, tu eloquii caſti vocem tenes, ſed virtutem ignoras. Ita miniſterium, ad quod coactus acceſſerat, devotus tenuit, indefeſſus exercuit. [Sacerdos initiatur.] Unde & cenſuerunt etiam ſacerdotale officium imponendum illi. Et factum eſt ita. Erat autem, cum ſacerdos ordinatus eſt, annos natus quaſi viginti quinque. In qua ejus utraque ordinatione, ſi quid præter Canonum [a] formam proceſſiſſe videtur, ut vere videtur (ſiquidem infra viceſimum quintum annum leviticum miniſterium, infra triceſimum adeptus eſt ſacerdotii dignitatem) donandum ſane tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego vero iſtud nec in ſancto redarguendum, nec uſurpandum conſulo ei qui ſanctus non fuerit. [Epiſcopi vices ſtrenue agit.] Nec contentus Epiſcopus *, [* Celſus num. 19] etiam vices ſuas commiſit ei, ſeminare ſemen ſanctum in gente non ſancta, & dare rudi populo, & ſine lege viventi, legem vitæ & diſciplinæ. Suſcepit ille mandatum in omni alacritate, ſicut erat ſpiritu fervens; nec talentis incubans, ſed inhians lucris. Et ecce linguæ ſarculo cœpit evellere, deſtruere, diſſipare, de die in diem ſactitans prava in directa, & aſpera in vias planas. Exſultabat ut gigas ad diſcurrendum ubique. Diceres ignem urentem in conſumendo criminum vepres. Diceres ſecurim vel aciam in dejiciendo plantationes malas, exſtirpare barbaricos ritus, plantare eccleſiaſticos. [Superſtitiones tollit.] Veternoſas omnes (neque enim paucæ inveniebantur) abolebat ſuperſtitiones, ſeu quaſlibet, ubicumque deprehendiſſet, malignitates immiſſas per angelos malos.

7. Denique quicquid incompoſitum, quicquid indecorum, quicquid diſtortum obvium habuiſſet, non parcebat oculus ejus: ſed velut grando groſſos e ficubus, & ſicut pulverem ventus à facie terræ, ſic coram facie ſua hujuſmodi nitebatur totum pro viribus exturbare ac delere de populo ſuo. [Romanos ritus inducit. V. n. 27.] Et pro his omnibus tradebat jura cæleſtia optimus legiſlator. Leges dabat plenas juſtitiæ, plenas modeſtiæ & honeſti. Sed & apoſtolicas ſanctiones ac decreta ſanctorum Patrum, præcipueque conſuetudines ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in cunctis eccleſiis ſtatuebat. Hinc eſt, quod hodieque in illis ad horas canonicas cantatur & pſallitur juxta morem univerſæ terræ. Nam minime id ante fiebat, ne in civitate quidem. Ipſe vero in adoleſcentia cantum didicerat, & in ſuo cœnobio mox cantari fecit, cum necdum in civitate, ſeu in epiſcopatu univerſo cantare ſcirent, vel vellent. [Sacramentorum uſus reſtitutus.] Deinde uſum ſaluberrimum Confeſſionis, ſacramentum Confirmationis, contractum conjugiorum, quæ omnia aut ignorabant, aut negligebant, Malachias de novo inſtituit. Et de his iſta pro exemplo ſufficiant. Nam & per totum hiſtoriæ textum, brevitatis ſtudio plurima præterimus.

CAPUT IV.

Malcho epiſcopo plenius inſtituendus adhæret.

8. CUm eſſet illi ſtudium & zelus maximus circa cultum divinorum & venerationem ſacramentorum, ne forte de his aliquid conſtitueret vel doceret ſecus, quàm ritus haberet univerſalis Eccleſiæ; [Malchum Epiſcopum conſulit.] ſubiit animum adire epiſcopum Malchum [b], [b al. Malchum.] qui ſe plenius de omnibus informaret. Hic erat ſenex plenus dierum & virtutum, & ſapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hibernus, ſed in Anglia converſatus fuerat in habitu & propoſito monachali in Wintonienſi monaſterio: de quo aſſumptus eſt in Epiſcopum in Leſmor civitate Mumoniæ: & ipſa nobilior inter ceteras regni illius. Ibi tanta ei deſuper collata eſt gratia, ut non modo vita & doctrina, ſed & ſignis clareret. Quorum duo pono exempli cauſa: ut omnibus innoteſcat, qualem in ſcientia ſanctorum Malachias habuerit præceptorem. [Malchi Epiſcopi duo miracula.] Puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum ſacra unctione ſanavit. Hoc ita notum certumque fuit, ut illum mox conſtituerit oſtiarium domus ſuæ, vixeritque idem puer incolumis in eo officio uſque ad virilem ætatem. Surdo auditum reſtituit: in quo idem mirabile quiddam confeſſus eſt, quod cum ſanctus utrique auriculæ hinc inde digitos immiſiſſet, duos quaſi porcellos ex ipſis exire ſenſerit. Pro his atque hujuſmodi fama crebreſcente, nomen grande adeptus eſt: ita ut ad eum Scoti, Hibernique confluerent, & tamquam unus omnium pater ab omnibus coleretur. [Et adhæret viro ſancto.] Ad hunc ergo Malachias, accepta benedictione patris Imarii, & ab Epiſcopo miſſus, cum proſpere perveniſſet, benigne à ſene ſuſceptus eſt. qui annos aliquot cum eo manſit, ut per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore veterano, ſciens ſcriptum: [Job 12. 12.] *Quia in antiquis eſt ſapientia.* Sed nec hoc quoque ad cauſam defuiſſe reor, quod magnus ille Proviſor univerſorum voluit ſervum ſuum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat non eſſe gratus, quibus notus fuiſſet. Denique unum interim accidit, per quod ex aliqua parte quod notum Deo erat in illo, manifeſtum fecit hominibus.

9. Inter Regem Mumoniæ (quæ eſt Hiberniæ pars auſtralis) & germanum ejus orta ſimultate, & fratre facto ſuperiori, Rex * pulſus regno, confugit ad epiſcopum Malchum. [Rex Mumoniæ pulſus ad Malchum confugit. * Cormarcus num. 18.] Non tamen ut ope illius regnum recuperaret: ſed magis Princeps devotus dedit locum iræ, & neceſſitatem in virtutem convertit, privatam

a Nempe ante annos triginta fieri cautum erat in Conciliis Neocæſarienſi, Agathenſi anni 506. in Arelatenſi IV. & aliis. Agathenſis canon 17. *Presbyterum & Epiſcopum ante triginta annos, id eſt antequam ad viri perfecti ætatem perveniant, & diaconum ante viginti quinque nullus metropolitanorum ordinare præſumat &c.* Ita apud Bochellum, cum apud Sirmundum deſit locus de diaconis, ad quem Bernardus hic reſpicit, cujus tempore lex iſta adhuc vigebat, ut patet ex ſequentibus verbis. Sæpius tamen ab epiſcopis diſpenſatum, maxime in pios viros.

eligens ducere vitam. Cumque Epiſcopus Regem ſuſcipere debito honore pararet, abnuit ille, ſe malle inquiens nunquam unum ex illis eſſe pauperibus fratribus qui illi adhærerent, regnum faſtum deponere, & communi paupertate tote contentum, exſpectare potius Domini voluntatem, quàm per vim recipere regnum: nec velle pro ſuo honore terreno ſanguinem humanum effundere, qui contra ſe clamet ad Deum de terra. Quo audito, exſultat Epiſcopus, & admiratus devotionem, ſatisfacit voto. Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, & Malachias in magiſtrum, ad victum panis cum ſale & aqua. Porro ad delicias ſufficiebat Regi Malachiæ præſentia, vita atque doctrina, ita ut diceret ei: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Ad hæc per ſingulas noctes lacrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat: ſed & quotidiano aquæ frigidæ balneo male calentem extinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum Rege dicebat: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea.* Et non amovit Deus orationem ejus & miſericordiam ſuam ab eo. Et exaudita eſt oratio ejus, etſi ſecus, quam intenderet ipſe. Nam is quidem ſollicitus erat pro anima ſua: ſed vindex innocentiæ Deus, hominibus oſtendere volens quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico, parabat interim facere judicium injuriam patienti, quod ille penitus non ſperabat. Et ſuſcitavit Deus ſpiritum vicini Regis. neque enim unum eſt Hibernia regnum, ſed diviſa in plura. Hic itaque videns quæ facta ſunt, repletus eſt zelo: & hinc quidem indignans prædonum libertati, & inſolentiæ ſuperborum; inde vero miſerans regni deſolationem & Regis dejectionem, deſcendit ad cellulam pauperis: ſuadet reditum, ſed non perſuadet. Inſtat tamen, ſpondet opem, de effectu non diffidere monet; Deum affuturum promittit, cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii ejus. Proponit etiam oppreſſionem pauperum, patriæque vaſtationem, & non proficit.

Pſal. 118. 103.

Pſal. 24. 18.

10. Ceterum accedente mandato Epiſcopi & Malachiæ conſilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquieſcit. Sequitur Rex Regem, & juxta verbum Regis, ſicut fuerat voluntas in cælo, tota facilitate puſſis prædonibus, reducitur homo in ſua cum exſultatione ſuorum, regnoque reſtituitur ſuo. Dilexit extunc Rex ille, & ſemper reveritus eſt Malachiam: eoque propenſius, quo plenius in ſancto viro digna veneratione & amore compererat. Cujus enim tantam meruit in ſua adverſitate familiaritatem, ſanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in ſua proſperitate perpetuis illum amicitiis, devotiſque colebat obſequiis, & libenter audiebat eum, & audito eo multa faciebat. Et de his ſatis. Verumtamen non fortuitu factum reor, quod ita jam tunc magnificavit eum Dominus in conſpectu Regum: ſed quia vas electionis ſibi erat ille, portaturus nomen ſuum coram Regibus & principibus.

Rex pius in regnum reſtituitur.

CAPUT V.

Sorori defunctæ ſacrificii oblatione ſuccurrit.

11. MOrtua eſt interim ſoror ejus illa, quam præfati ſumus. Nec prætereundæ viſiones, quas vidit de ea. Hujus ſiquidem ſanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, ut devoverit non viſurum eam in carne viventem. At illa carne ſoluta, ſolutum eſt votum, & cœpit videre in ſpiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audivit per ſomnium vocem ſibi dicentis, ſororem ejus ſtare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil guſtaſſe. qui evigilans cito intellexit, cujus eſcæ inedia marceret. Et diligenter diſcuſſo numero dierum quem audierat, ipſum eſſe reperit, ex quo pro ea panem de cælo vivum non obtuliſſet. Tum ille qui ſororis non animam oderat, ſed peccatum; beneficentiam, quam intermiſerat, rurſum adoritur. Neque fruſtra. Non multo poſt viſa eſt illi pervenire ad limen eccleſiæ, needum tamen poſſe intrare; apparere etiam in veſte pulla. Cumque ille perſeveraret, curans ne qua die ſolita ſtipe fruſtraretur; ſecundo vidit eam in veſte ſubcandida, admiſſam quidem intra eccleſiam, ſed altare contingere non permitti. Tertio tandem viſa eſt aggregari cœtui candidatorum, & in veſte candida. Vides lector, quantum valeat deprecatio juſti aſſidua? Vere regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuiſſe cæleſtibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod ſuis meritis negabatur? Hanc vim, Jeſu bone, tu qui pateris, facis, validus & pius ad ſalvandum, faciens miſericordiam & potentiam in brachio tuo, & in ſacramento tuo ſervans ſanctis qui in terra ſunt, uſque in conſummationem ſeculi. Hoc plane ſacramentum potens peccata conſumere, debellare obvias poteſtates, inferre cælis revertentes de terra.

Sacrificii & orationum efficacia.

Tom. II. Opusc. XII

CAPUT VI.

Monaſterium Benchorenſe deſolatum inſtaurat.

12. ET Dominus quidem in regione Leſmorenſi ſic præparabat dilectum ſuum Malachiam ad gloriam nominis ſui. Verum qui miſerant eum, minime jam ferentes abſentiam ejus, miſſis epiſtolis revocant illum. Quo reddito ſuis, & quidem inſtructiore de omnibus, quæ oportebat; en opus à Deo paratum, & ſervatum Malachiæ. Vir dives & potens, qui locum Benchor & poſſeſſiones ejus tenebat, inſpiratus à Deo, confeſtim in manu ejus ſua omnia dedit, & ſe quoque. Et is avunculus ejus. Sed Malachiæ ſpiritus quam carnis propinquitas pluris fuit. Ipſum quoque locum Benchor [a], de quo cognominabatur, tradidit ei Princeps, ut ædificaret ibi monaſterium, vel potius reædificaret. Nempe nobiliſſimum extiterat ante ſub primo Patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monaſteriorum caput. Locus vere ſanctus fœcundusque ſanctorum, copioſiſſime fructificans Deo, ita ut unus ex filiis ſanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum ſolus monaſteriorum fundator extitiſſe feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam, Scotiamque repleverunt germina ejus, ut ea potiſſimum tempora Davidici illi verſiculi præcinuiſſe videantur: *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum. quoniam ita eſt præparatio ejus. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus, in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.* Et in hunc modum ceteri qui ſequuntur. Nec modo in præfatas, ſed & in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſe ſanctorum examina effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas partes ſanctus Columbanus aſcendens, Luxovienſe conſtruxit monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, ut ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus.

Luanus monachus 100. monaſteria condidit.

Pſal. 64. 10.

S. Columbanus & ejus monaſterii Luxovienſis laus perennis.

13. Hæc de antiqua dicta ſint Benchorenſis monaſterii gloria. Hoc olim deſtructum à piratis, ob inſigne dignitatis antiquæ, Malachias, veluti quemdam replantaturus paradiſum, amplexus eſt, & quia multa corpora ſanctorum dormirent ibi. Nam ut taceam illa quæ in pace ſepulta ſunt, ferunt nongentos ſimul una die à piratis occiſos. Erat quidem ingens loci illius poſſeſſio: ſed Malachias ſolo contentus loco ſancto, totas poſſeſſiones & terras alteri ceſſit. Siquidem à tempore, quo deſtructum eſt monaſterium, non defuit qui illud teneret cum poſſeſſionibus ſuis. Nam & conſtituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, ſervantes nomine, etſi non re, quod olim

Monachi 900 uno die occiſi a piratis apud Benchor.

Locum reſtituit Malachias.

a *Banchor* vocatur in actis ſancti Columbani, ſitum in Ultonia Hiberniæ provincia, diſtinguendum ab alio cognomini monaſterio, quod in VVallia Angliæ regione locatum erat.

Tom. II. Opusc. XII.

Poſſeſſiones dat. ... ino probat Bernard.

exſtiterat. Cumque ſuaderent multi non alienare poſſeſſiones, ſed totum ſimul retinere ſibi, non acquievit paupertatis amator: ſed fecit eligi juxta morem qui eas teneret, loco (ut prædiximus) retento ſibi, & ſuis. Et fortaſſis conſultius, ut poſt apparuit, integrum retinuiſſet, ſi non magis ſuæ proſpexiſſet humilitati, quam paci.

Inſigne miraculum.

14. Itaque ex mandato patris Imarii aſſumptis ſecum decem circiter fratribus, veniens ad locum, cœpit ædificare. Ubi quadam die cum in ſecuri ipſe ſecaret, caſu ex operariis unus, illo vibrante in aera ſecurim, locum incaute occupavit, quo ictus deſtinabatur: & cecidit ſuper ſpinam dorſi ejus, tanto utique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille: accurrere omnes, putantes aut percuſſum ad mortem, aut mortuum. Et tunica quidem ſciſſa à ſummo uſque deorſum: homo vero illæſus inventus eſt, tam modice & ſummatim perſtricta cute, ut vix in ſuperficie veſtigium appareret. Stabat homo incolumis, quem ſecuris proſtraverat, intuentibus & ſtupentibus qui circumſtabant. Unde & facti alacriores, promptiores exinde ad opus inventi ſunt. Et hoc initium ſignorum Malachiæ.

Oratorium ex ligno.

Porro Oratorium intra paucos dies conſummatum eſt de lignis quidem lævigatis, ſed apte firmiterque contextum, opus Scoticum, pulcrum ſatis. Et exinde ſervitur Deo in eo, ſicut in diebus antiquis, ſimili quidem devotione, etſi non pari numero.

Malachias præeſt monaſterio Benchorenſi.

Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre Imario ita conſtituente, ipſe rector, ipſe regula fratrum. Legebant in vita ejus quomodo converſarentur, & ipſe ante illos præibat in juſtitia & ſanctitate coram Deo: niſi quod præter inſtituta communia, multa ſingulariter faciebat, in quibus potius præibat omnes, & aliorum nemo illum poterat ad tam ardua ſequi. Eo temporis & eo loci quidam infirmabatur, cui aſſiſtens diabolus, & aperte loquens, ſuggerebat, ne umquam crederet monitis Malachiæ; ſed ſi intraret ad ſe, cultello eum peteret, & occideret.

Dæmon ei per infirmum ſtruit inſidias.

Quo cognito, qui illi miniſtrabant, ipſo infirmo prodente, verbum perferunt ad Malachiam, præmunientes. At ille ſolita arma orationis arripiens, impavidus hoſtem aggreſſus, & infirmitatem fugat, & dæmonem. Erat autem nomen viro Malchus. Frater eſt iſte ſecundum carnem Chriſtiani noſtri, Mellifontis abbatis. Ambo enim ſuperſtites adhuc ſunt, ſibi in ſpiritu modo germaniores. Nam ille, ut liberatus eſt, continuo non ingratus, loco eodem converſus ad Dominum, habitum ſimul animumque mutavit. Et cognovere fratres malignum invidere bonis eorum; & ædificati ſunt, facti de reliquo cautiores.

CAPUT VII.

Dyſenteria laborantem curat.

15. CLericum, nomine Michaëlem, dyſenteria laborantem, & deſperatæ, mittens ei aliquid de menſa ſua, eodem loco ſanavit. Secundo eumdem ipſum, graviſſima infirmitate correptum, & corpore pariter curavit, & mente. Ilico enim adhæſit Deo & Malachiæ ſervo ejus, timens ne deterius aliquid ſibi contingeret, ſi denuo ingratus tanto inveniretur & beneficio, & miraculo. Et nunc, ut audivimus, præeſt cuidam monaſterio, ſito in partibus Scotiæ: & hoc noviſſimum omnium quæ ille fundavit. Pro hujuſmodi augeſcebat in dies & opinio, & congregatio Malachiæ, & grande ei nomen intus & foris, non tamen re grandius. Nempe ibi demorabatur etiam factus Epiſcopus, quod locus eſſet vicinus civitati.

CAPUT VIII.

Epiſcopatum Connerethenſem, licet invitus, ſuſcipit.

Connerethenſis fit Epiſcopus.

16. VAcabat tunc temporis epiſcopalis ſedes, & jamdiu vacarat, Malachia nolente aſſentire, ſiquidem ipſum elegerant. Perſiſtentibus tamen illis, tandem aliquando ceſſit, accedente ad vim faciendam mandato magiſtri ſui, necnon & metropolitani. Triceſimo ferme ætatis ſuæ anno Malachias conſecratus epiſcopus introducitur Connereth: hoc enim nomen civitatis. Cum autem cœpiſſet pro officio ſuo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines ſe, ſed ad beſtias deſtinatum.

Eccleſiæ neglectæ facies.

Nuſquam adhuc tales expertus fuerat in quantacumque barbarie: nuſquam repererat ſic protervos ad mores, ſic ferales ad ritus, ſic ad fidem impios, ad leges barbaros, cervicoſos ad diſciplinam, ſpurcos ad vitam. Chriſtiani nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire conjugia, non facere confeſſiones, pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inveniri. Miniſtri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus plurium, ubi ipſa paucitas inter laicos propemodum otioſa vacaret? Non erat quod de ſuis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in eccleſiis aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? aut cedendum turpiter, aut pericuſe certandum. Sed qui ſe paſtorem, & non mercenarium agnoſcebat, elegit ſtare, quàm fugere, paratus & animam ſuam dare pro ovibus, ſi oportuerit. Et quamquam omnes lupi, & oves nullæ; ſtetit in medio luporum paſtor intrepidus, omnimodis argumentoſus, quomodo faceret oves de lupis.

Quomodo ſe gerit in epiſcopatu.

Monere communiter, ſecreto arguere, flere per ſingulos; nunc aſpere, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profeciſſet, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas pervigiles duxit, extendens manus in oratione! Et cum venire ad eccleſiam nollent, per vicos & plateas occurrebat invitis; & circumiens civitatem, perquirebat anhelus quem Chriſto acquireret.

17. Sed & foris rura & oppida nihilo minus ſæpius percurrebat cum ſancto illo comitatu diſcipulorum ſuorum, qui numquam deerant lateri ejus. Ibat, & erogabat vel ingratis cæleſtis tritici menſuram. Nec vehebatur equo, ſed pedes ibat, & in hoc virum ſe apoſtolicum probans. Jeſu bone! quanta paſſus eſt pro nomine tuo bellator tuus à filiis ſceleratis! quanta ſuſtinuit ab his ipſis, quibus, & pro quibus loquebatur bona tibi! Quis digne exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus ſit contumeliis, quibus injuriis laceſſitus, quoties laſſatus inedia, quoties afflictus in frigore & nuditate? Attamen cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, inſtans nihilo minus opportune, importune. Blaſphematus obſecrabat, injuriatus opponebat ſcutum patientiæ, & vincebat in bono malum. Quidni viciſſet? Perſeveravit pulſans, & ſecundum promiſſionem tandem aliquando pulſanti apertum eſt. Quomodo poterat non ſequi, quod Veritas prænuntiaverat ſecuturum? Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum eſt veritatem. Ceſſit duritia, quievit barbaries; & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere diſciplinam. *Luc. 11. 9.*

Romanas leges inducit.

Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur; recipiuntur ubique eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ rejiciuntur; reædificantur baſilicæ, ordinatur clerus in illis. Sacramentorum rite ſollemnia celebrantur, confeſſiones fiunt, ad eccleſiam conveniunt plebes, concubinatus honeſtat celebritas nuptiarum; poſtremo ſic mutata in melius omnia; ut hodie illi genti conveniat, quod Dominus per Prophetam dicit: *Qui ante non populus meus, nunc populus meus.* *Oſee 2. 24.*

CAPUT IX.

Monaſterium Ibracenſe conſtruit.

18. COntigit poſt annos aliquot deſtrui civitatem à Rege aquilonaris partis Hiberniæ, quia ab Aquilone panditur omne malum. Et forte malum illud bene utentibus bonum fuit. Quis ſcit enim, ſi tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi ſui? *Jerem. 1. 14.*

Ibracenſe monaſterium condit.

Iſtiuſmodi Malachias neceſſitate compulſus, & ipſe exiit cum turba diſcipulorum ſuorum. Nec otioſus

exitus

exitus ejus. Hac occaſione monaſterium Ibracenſe conſtructum eſt, euntc illo Malachia cum ſuis numero centum triginta * fratribus. Ibi occurrit ei Cormarcus rex. Ipſe eſt, qui olim regno pulſus, ſub cura Malachiæ de miſericordia Dei conſolationem accepit. Et locus ille ſitus in regno ejus. Gaviſus eſt Rex viſo Malachia, ſe & omnia ſua exponens ei, & his qui cum eo erant, utpote non ingratus nec immemor beneficii. Adducta incontinenti animalia multa ad uſus fratrum, multa inſuper in auro & argento ad ſumptus ædificiorum pro regia liberalitate collata. Ipſe quoque erat intrans & exiens cum eis ſedulus & officioſus, habitu quidem rex, ſed animo diſcipulus Malachiæ. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam. Et in brevi factus eſt magnus rebus, poſſeſſionibus, & perſonis. Ubi velut de novo inchoans, legem & diſciplinam, quam aliis imponebat, magis ipſe portabat epiſcopus & magiſter. Ipſe in ordine vicis ſuæ, coquinæ miniſterio inſerviebat: ipſe fratribus, cum recumberent, miniſtrabat. Inter ſuccedentes ſibi invicem fratres ad cantandum, legendumve in eccleſia, non ſe præteriri patiebatur, ſtrenue implens & ipſe officium loco ſuo, tamquam unus ex illis. Sanctæ paupertatis non modo participem, ſed & principem ſe exhibebat, ipſius præcipue ſuper omnes abundantius æmulator exſiſtens.

CAPUT X.

Fit Archiepiſcopus ſeu Primas Hiberniæ.

Archiepiſcopus deſignatur

19. Dum hæc ita aguntur, contigit infirmari archiepiſcopum Celſum: & ipſe eſt qui Malachiam in diaconem, presbyterum, epiſcopumque ordinavit. & cognoſcens quia moreretur, fecit quaſi teſtamentum, quatenus Malachias deberet ſuccedere ſibi, quod nullus alius videretur dignior, qui epiſcoparetur in ſede prima. Hoc præſentibus indixit, hoc mandavit abſentibus, hoc ſpecialiter ambobus Mumoniæ regibus, & majoribus terræ, ſancti Patricii auctoritate præcepit. Cujus reverentia & honore, tamquam Apoſtoli illius gentis, qui totam patriam convertiſſet ad Fidem, ſedes illa, in qua & vivens præfuit, & mortuus requieſcit, in tanta ab initio cunctis veneratione habetur, ut non modo epiſcopi, & ſacerdotes, & qui de clero ſunt, ſed etiam regum ac principum univerſitas ſubjecta ſit Metropolitano in omni obedientia, & unus ipſe omnibus præſit. Verum mos peſſimus inoleverat quorumdam diabolica ambitione potentum, ſedem ſanctam obtentum iri hereditaria ſucceſſione. Nec enim patiebantur epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu & familia ſua. Nec parum proceſſerat exſecranda ſucceſſio, decurſis jam in hac malitia quaſi generationibus quindecim. Et euſque firmaverat ſibi jus pravum, immo omni morte puniendam injuriam, generatio mala & adultera, ut etſi interdum defeciſſent clerici de ſanguine illo, ſed epiſcopi numquam. Denique jam octo exſtiterant ante Celſum viri uxorati, & abſque Ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per univerſam Hiberniam, de qua ſuperius diximus, diſſolutio eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſuræ enervatio, religionis evacuatio: inde illa ubique, pro manſuetudine Chriſtiana, ſæva ſubintroducta barbaries, immo paganiſmus quidam inductus ſub nomine Chriſtiano. Nam (quod inauditum eſt ab ipſo Chriſtianitatis initio) ſine Ordine, ſine ratione mutabantur & multiplicabantur epiſcopi pro libitu metropolitani, ita ut unus epiſcopatus uno non eſſet contentus, ſed ſingulæ pæne eccleſiæ ſingulos haberent epiſcopos. Nec mirum. Nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent?

Epiſcopi uxorati & ſine Ordine.

20. Pro his Celſus, atque hujuſmodi malis populi ſui vehementer dolens, (erat enim vir bonus & timoratus) curavit omni modo habere ſibi ſucceſſorem Malachiam, quod per ipſum confideret poſſe explantari male radicatam ſucceſſionem: qui carus eſſet omnibus, & quem omnes æmularentur, & Dominus erat cum eo. Nec fruſtratus eſt à ſpe ſua. Nam illo mortuo, ſubſtitutus eſt Malachias, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de ſemine nequam qui occupet locum, Mauricius nomine. Is per quinquennium, fretus potentia ſæculari, incubavit eccleſiæ, non epiſcopus, ſed tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam convenerant. Denique ſuadebant eum ſubire onus juxta conſtitutionem Celſi: ſed ille, qui omne ſublime haud ſecus quàm ſuum præcipitium declinabat, bonam ſibi videbatur nactus occaſionem excuſandi, quod per id temporis introitus ejus pacificus eſſe non poſſet. Inſtabant tam ſancto operi, & ſollicitabant omnes: duo potiſſimum epiſcopi, Malchus & Gillebertus. quorum prior ipſe eſt ſenior Leſmorenſis, de quo ſupra mentio facta eſt *: alter, quem aiunt primũ functum legatione apoſtolicæ Sedis per univerſam Hiberniam. Qui triennio jam decurſo in hac præſumptione Mauricii, & Malachiæ diſſimulatione, non ferentes ultra eccleſiæ adulterium, dedecuſque Chriſti, convocatis Epiſcopis & Principibus terræ, uno ſpiritu adeunt Malachiam, parati vim facere. At ille renuere primum; prætendere ſiquidem difficultatem rei, nobilis illius proſapiæ multitudinem, fortitudinem, ambitionem: nimium eſſe ad ſe pauperculum opponere ſe tot, tantis, talibus, taliter radicatis, qui jam annos ferme ducentos, quaſi hereditate poſſediſſent ſanctuarium Dei, & nunc quoque id præoccupaſſent: non poſſe illos exſtirpari, nec cum mortibus hominum quidem: ſua non intereſſe, fundi humanum ſanguinem occaſione ſui: poſtremo junctum ſe ſponſæ alteri, quam dimittere non liceret.

Mauricius invaſor archiepiſcopatus.

** cap. 4.*

21. Verum illis è contrario inſtantibus, & clamantibus, quia à Domino ſermo egreſſus eſt; ſed & tota auctoritate jubentibus ſubire onus, atque intentantibus anathema: Ad mortem, inquit ducitis me: ſed obedio ſpe martyrii, hac tamen conditione, ut ſi juxta fidem veſtram res in melios cedat, & vindicet ſibi Deus ſuam hereditatem à diripientibus eam, tunc demum omnibus conſummatis, & eccleſia pacem habente, liceat mihi redire ad priorem ſponſam meam, & amicam, de qua rapior, paupertatem: & pro me illic alium ſubſtituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit. Nota, Lector, virtutem viri, & animi puritatem, nec honorem ſcilicet affectantis, nec formidantis mortem pro Chriſti nomine. Quid hoc animo purius, quidve fortius, ut ſe exponens periculo & labori, alteri fructum cedat, ipſam in loco principatus ſecuritatem & pacem? Facit hoc, cum liberum ſibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem, pace & libertate eccleſiæ reſtituta. Spondentibus illis, demum acquievit voluntati eorum, vel potius Dei, à quo ſibi jam olim præoſtenſum recordabatur, quod de ſe modo * dolebat fieri. Nempe jam ægrotante Celſo, apparuit Malachiæ, & quidem longe poſito & neſcienti, mulier proceræ ſtaturæ & reverendi vultus. Percontanti quænam eſſet, reſponſum eſt eſſe uxorem Celſi. Quæ tradens ei virgam paſtoralem, quam manu tenebat, diſparuit. Paucis decurſis diebus, Celſus moriens miſit baculum ſuum Malachiæ, tamquam ſibi ſucceſſuro: quem ut vidit, agnovit ipſum eſſe, quem viderat. Hujus præcipue recordatio viſionis terruit Malachiam: ne ſi (quod diu ſatis diſſimularat) ultra renueret, divinæ jam videretur reſiſtere voluntati. Verumtamen civitatem non intravit, quamdiu ille incubator vixit, ne hac occaſione contingeret mori quemquam ex his, quibus vitam magis miniſtraturus veniebat. Ita per biennium (nam id temporis ſupervixit ille) agens extra urbem, ſtrenue in univerſa provincia opus epiſcopale exercuit.

Invitus tandem ſubit.

Viſo animatus.

** al. volebat*

CAPUT XI.

Inſidias evadit incolumis, auctoribus male perditis.

22. Illo igitur celeri morte facto de medio, rurſum Nigellus quidam, immo vere nigerrimus, ſedem præripuit. Et in hoc animæ ſuæ Mauricius adhuc

Nigellus quidam archiepiſcopatum occupat.

Tom. II. Opusc. XII

vivens providerat, ut hunc haberet heredem: in quo qui damnandus exibat, operibus adjicere damnationis perſiſteret. Erat enim & ipſe ex damnata progenie, cognatus Mauricii. Ceterum Rex, & Epiſcopi, & fideles terræ nihilo minus convenerunt, ut introducerent Malachiam. Et ecce conſilium malignantium ex adverſo. Quidam de filiis Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate, ſciens locum, ubi pariter convenire decreviſſent, multis aggregatis ſibi, latenter vicinum occupat collem eminentem è regione: unde illis tractantibus alia, repentino impetu ſuper incautos irruerent, & interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Epiſcopo trucidare, ut non eſſet qui vindicaret ſanguinem juſtum. Res innotuit Malachiæ, & intrans eccleſiam (erat enim prope) elevatis manibus oravit ad Dominum: & ecce nubes & caligo, ſed & tenebroſa aqua in nubibus aëris, diem verterunt in noctem. Fulgura quoque & tonitrua & horribiles ſpiritus procellarum, diem ultimum minitantur, vicinamque elementa intentant omnia mortem.

Inſidiatores Malachiæ fulmine & tempeſtate deleti.

23. Et ut ſcias, Lector, quod oratio Malachiæ concuſſerit elementa; ſolos intercepit tempeſtas, qui quærebant animam ejus; ſolos turbo tenebroſus involvit, qui paraverant opera tenebrarum. Denique ipſe, qui princeps exſtiterat tanti mali, fulmine percuſſus interiit cum tribus aliis: & fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris. Quorum ſequenti die inventa ſunt corpora ſemiuſta, & putrida, hærentia ramis arborum, ubi quemque ſpiritus elevans alliſiſſet. Alii quoque tres ſemivivi inventi ſunt: ceteri omnes circumquaque diſperſi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quamvis proximos loco, tempeſtas omnino non tetigit, nec quicquam moleſtiæ intulit. In facto iſto recens capimus experimentum veritatis verbi illius, quia *oratio juſti penetrat cælos*. Sed & novum antiqui exemplum miraculi: quo olim tota Ægypto verſante in tenebris, ſolus Iſraël in lumine manſit, dicente Scriptura: *Ubicumque Iſraël erat, lux erat.* Huc mihi occurrit & factum ſancti Eliæ, nunc quidem ab extremis terræ nubes & pluvias educentis, nunc vero ſuper blaſphemos evocantis ignem de cælo. Et modo de ſimili clarificatus eſt Deus in ſervo ſuo Malachia.

Eccli. 35. 21. — Exod. 10. 23. — 3. Reg. 18. 45. — 4. Reg. 1. 10.

CAPUT XII.

Hoſtes ſeu æmulos, in ipſum armatos, virtute animi & conſtanti in Deum fide lenit, ſibique conciliat.

Malachias totius Hiberniæ Metropolitanus introducitur.

24. ANno ætatis ſuæ triceſimo octavo pauper Malachias, pulſo incubatore, intravit Ardmacha, Pontifex & Metropolitanus totius Hiberniæ. Rege vero ceteriſque, qui introduxerant eum, ad propria remeantibus, ipſe remanet in manu Dei, & remanent illi foris pugnæ, intus timores. Nam ecce viperea ſoboles, frendens & vociferans ſe exheredari, tota ſe intus & foris ſuſcitat adverſus Dominum, & adverſus chriſtum ejus. Porro Nigellus videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam Sedis illius, textum ſcilicet Evangeliorum, qui fuit beati Patricii, baculumque auro tectum, & gemmis pretioſiſſimis adornatum, quem nominant baculum Jeſu, eo quod ipſe Dominus (ut fert opinio) eum ſuis manibus tenuerit, atque formaverit. Et hæc ſummæ dignitatis & venerationis in gente illa. Nempe notiſſima ſunt celeberrimaque in populis, atque in ea reverentia apud omnes, ut qui illa habere viſus fuerit, ipſum habeat epiſcopum populus ſtultus & inſipiens. Ibat homo gyrovagus, & alter ſatanas circuibat terram, & perambulabat eam, inſignia ſacra circumferens. quæ ubique oſtentans, ubique eorum gratia receptabatur. concilians ſibi per hæc animos omnium, & à Malachia, quoſque potuiſſet, avertens. Hæc ille.

Nigellus fugiens ſpoliat ſedem rebus pretioſis. Maxime baculo Jeſu.

25. Erat autem Princeps quidam de potentioribus iniquæ progeniei, quem Rex priuſquam civitatem exiret, jurare coëgerat pacem tenere Epiſcopo, acceptis ab eo inſuper obſidibus multis. Is poſt Regis exitum nihilo minus civitatem ingreſſus, conſilium habuit cum propinquis & amicis, quomodo ſanctum dolo tenerent, & occiderent: timebant vero plebem. Et conjurantes in necem Malachiæ, conſtituêre locum & diem, & traditor dedit eis ſignum. Ipſo die cum veſpertina jam ſollemnia in eccleſia celebraret Antiſtes cum univerſo clero & multitudine populi, mittit ad ipſum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenus ad ſe dignetur deſcendere, ut faciat pacem. Reſpondentibus qui aſſiſtebant, ipſum potius ad Epiſcopum debere venire; eccleſiam eſſe competentiorem locum firmandæ pacis. ſiquidem præſenſerant dolum. Subjungunt qui miſſi erant, hoc tutum non eſſe Principi: timere eum capiti ſuo, nec ſe credere turbis, quæ ſe ante hos dies cauſa Epiſcopi propemodum interemiſſent. Contendentibus in hunc modum, illis quidem ut iret, iſtis vero ne iret; Epiſcopus cupidus pacis, & mortis non timidus: Sinite, inquit, Fratres, ſinite me imitari Magiſtrum meum. Sine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor. Forte flecto humilitate tyrannum; & ſi non, vinco tamen exhibens ovi paſtor, ſacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque, quod in me eſt, non parum ædifico exemplo tali. Quid enim ſi contingat occidi? Non recuſo mori, ut vos vitæ ex me teneatis exemplum. *Oportet Epiſcopum*, ut ait Epiſcoporum Princeps, *non dominari in clero, ſed formam fieri gregis.* Haud aliam ſane formam, quàm ab illo accepimus, qui humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis ſignatam ſanguine meo? Experiemini certe, an ſacerdos veſter digne ſatis à Chriſto didicerit, mortem non timere pro Chriſto. Et ſurgens, cœpit ire flentibus cunctis & ſupplicantibus, ne tantum cuperet pro Chriſto mori, ut tantum Chriſti gregem deſolatum relinqueret.

Malachiæ quidam necem moliuntur. — Periculo ſe ipſe exponit. — 1. Pet. 5. 3.

26. Verum ille totam ſpem ſuam ponens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantum comitatus diſcipulis, paratis mori cum eo. qui ut calcato limine domus repente ſe medio intulit armatorum, ſcuto fidei ipſe munitus; concidêre facies omnium, quia pavor irruit ſuper eos, ita ut dicere poſſet Epiſcopus: *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.* Hoc verbum verum eſt. Videres hoſtiam ſtantem, carnifices ferro armatis manibus undique circumſtantes: & qui immolaret, non erat. Putares ſtupere lacertos *: ſic non fuit, qui extenderet manum. Nam & is quoque, qui caput malitiæ videbatur, aſſurgit ei potius quam inſurgit. Ubi, quæſo, ſignum, ô homo, quod dederas in mortem Pontificis? Hoc magis honoris ſignum, quàm mortis indicium. Deferre eſt hoc, non mortem inferre. Res mira! pacem offerunt, qui necem paraverant. Non eſt quod abnuat, qui & vitæ periculo quæſierat eam. Itaque facta eſt pax, & tam firma, ut ab illa die hoſtem Sacerdos non modo pacatum habuerit, ſed ſubditum, ſed devotum. Quo audito, fideles quique gaviſi ſunt, quod non modo ſalvatus ſit ſanguis innoxius in die illa; ſed & nocentium multorum animæ, Malachiæ meritis, evaſerint ad ſalutem. Et apprehendit omnes circumquaque timor, audientes quomodo duos inimicorum ejus, qui viderentur ferociores & fortiores in generatione ſua, ſic ſubita virtute proſtravit Deus: iſtum loquor, qui in manibus eſt, & eum de quo ſuperius dixi. Alterum enim terribiliter mulctatum in corpore, alterum miſericorditer mutatum in corde, ambos mirabiliter comprehendit in conſiliis, quæ cogitabant.

*Armatis ad verſarius reverentiam incutit. — Pſal. 26. 2. — * Similia exempla habes in Ambroſio adverſus Maximum in Ba ſil. adver Valentem, in Leone M. advers. Attilam, in Chryſoſt. advers. Gainam, &c. Mira ac inopinatus pacis ſucceſſus.*

27. His ita peractis, cœpit jam in civitate Epiſcopus tota libertate diſponere & ordinare de omnibus pertinentibus ad miniſterium ſuum, non tamen ſine continuo diſcrimine vitæ ſuæ. Nam etſi jam nemo qui palam noceret, ab inſidiantibus tamen nec locus ſatis tutus Epiſcopo erat, nec tempus feriatum. Et deputati ſunt ei viri armati ad cuſtodiam die & nocte;

Poſt alias inſidias, denuo vincit adverſarium.

ſed ille magis in Domino confidebat. Fuit vero conſilium, præfatum ſchiſmaticum inſequi, eo quod ſeduceret multos ex inſignibus quæ ferebat, ſuadens omnibus epiſcopum ſe eſſe debere; & ſic ſollicitans plebes adverſus Malachiam, atque eccleſiæ unitatem. Et fecit ſic: & ſine difficultate ita in brevi univerſas ſæpivit vias ejus per gratiam ſibi à Domino datam, & quam habebat ad omnes, ut malignus ille coactus ſit dare manus, reddere inſignia, & quieſcere de reliquo in omni ſubjectione. Ita Malachias, licet per multa pericula & labores, proſperabatur in dies, & confortabatur magis ac magis, abundans in ſpe & virtute Spiritus-ſancti.

CAPUT XIII.

Deus Malachiæ detractores punit.

Detractores punit.

28. NEc modo malefactores, ſed & detractores Malachiæ corripuit Deus. Quidam, verbi gratia, gratiam habens principum & potentum, etiam ipſius Regis, quod eſſet adulator & garrulus, & potens in lingua; favebat per omnia adverſariis Malachiæ, & procaciter tuebatur partem eorum: Sancto vero & præſenti reſiſtebat in facie, & detrahebat abſenti, irreverenter occurrens ei in omni loco, maximeque ubi celebrioribus illum ſciret intereſſe conventibus. Sed cito digna linguæ procacis mercede donatus eſt. Intumuit & computruit lingua maledica, vermibus ex ea ſcatentibus, & diffluentibus toto ore blaſphemo. quos per ſeptem ferme dies inceſſanter vomens, tandem cum illis miſeram exſpuit animam.

29. Loquente coram aliquando Malachia, & populum exhortante, mulier quædam infelix auſa eſt interrumpere ſermonem clamoribus improbis, non deferens ſacerdoti, & ſpiritui qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & ſpiritum habens in naribus, blaſphemias contumeliaſque evomebat in Sanctum, dicens hypocritam & invaſorem alienæ hereditatis, ſed & calvitici illius improperans. At ille nihil reſpondit ei, ſicut erat verecundus & mitis: ſed Dominus reſpondit pro eo. Verſa illa in inſaniam eſt, Domino judicante: & crebris vocibus clamitans ſe ſuffocari à Malachia, morte demum horrenda luit peccatum blaſphemiæ. Sic miſera aſſumens adverſus Malachiam

4 Reg. 2. 24. improperium Eliſæi, vere illum ſibi alterum experta eſt Eliſæum.

*Oratione depellit peſtilentiam Malachias. * al. memoria.*

30. Porro quia cauſa peſtilentiæ cujuſdam ortæ in civitate, multitudinem cleri & populi ſollemniter cum reliquiis * Sanctorum tunc foras eduxerat, ne hoc quidem prætereundum, quod orante Malachia, peſtilentia ilico conquievit. Ex hoc jam, qui mutiret adverſus eum, non fuit, dicentibus qui de ſemine Chanaan ſunt: Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo. At ſero iſtud: quia zelus Domini, ubique occurrens eis, perſecutus eſt eos uſque ad internecionem. Quomodo intra paucos dies periit memoria eorum cum ſonitu! quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam! Grande hodieque miraculum facit tam velox generationis illius defectio, his præſertim qui eorum noverant ſuperbiam atque potentiam. Multa quidem & alia ſigna fuere, quibus Deus glorificavit nomen ſuum, & ſervum ſuum inter ſudores & pericula confortavit. Quis digne commemoret? Non tamen omnia præterimus, etſi non ſufficimus ad omnia. Propter ſeriem autem narrationis, ne impediatur, aliqua quæ dicturi ſumus, reſervamus in finem.

CAPUT XIV.

Sedem metropolitanam paci redditam reſignat.

Pace reddita Gelaſium ſubſtituit.

31. IGitur Malachias intra triennium reddita retributione ſuperbis, & libertate eccleſiæ reſtituta, pulſa barbarie, & reformatis ubique moribus Chriſtianæ religionis, videns omnia in pace eſſe, cœpit cogitare & de ſua pace. Et memor propoſiti ſui, conſtituit pro

A ſe Gelaſium, virum bonum, & dignum tali honore, conniventibus clero & populo, quin potius ſuſtinentibus propter pactum. Nam alias durum viſum omnino. Quo conſecrato, Regibuſque ac Principibus attentius commendato, ipſe clarus miraculis & triumphis, ad ſuam parochiam redit: non tamen Connereth. Et audi cauſam dignam relatu. Diœceſis illa duas fertur habuiſſe antiquitus epiſcopales ſedes, & duos exſtitiſſe epiſcopatus. Id viſum melius Malachiæ. Itaque quos ambitio conflavit in unum, Malachias revocavit in duos, partem alteri Epiſcopo cedens, partem retinens ſibi. Et propterea non venit Connereth, quod in ea jam epiſcopum ordinaſſet: ſed Dunum ſe contulit,

Tom II. Opusc. XII.

Connerethenſem epiſcopatum dividit.

Duno contentus.

B diſterminans parochias, ſicut in diebus antiquis. O purum cor! ô oculum columbinum! Locum tradidit novo epiſcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur; locum, in quo ſederat ipſe. Ubi ſunt, qui de terminis litigant, pro uno viculo perpetes ad invicem inimicitias exercentes? Neſcio ſi quod genus hominum magis, quàm iſtos, antiquum vaticinium tangat: *Securerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos ſuos.* Sed hoc alias.

Amos 1. 13.

Ubi Clericos regulares inſtituit.

32. Malachias factus Dunenſis epiſcopus, confeſtim more ſuo curavit adſciſcere ad ſolatium ſibi de filiis ſuis conventum regularium Clericorum. Et ecce rurſus accingitur, quaſi novus Chriſti tiro, ad ſpiritale
C certamen; rurſus induitur arma potentia Deo, ſanctæ paupertatis humilitatem, rigorem diſciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, orandi aſſiduitatem. quæ tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quàm actu. Etenim univerſi confluebant ad eum: nec modo mediocres, ſed & nobiles & potentes, illius ſe ſapientiæ & ſanctitati inſtruendos, corrigendos ac regendos committere feſtinabant. Et ipſe interdum ibat, & exibat ſeminare ſemen ſuum, diſponens & decernens tota auctoritate de rebus eccleſiaſticis, tamquam ex Apoſtolis unus. Et nemo illi dicebat: In qua poteſtate hæc facis? videntibus cunctis ſigna & prodigia, quæ faciebat; & quia ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.

2. Cor. 3. 17.

D

CAPUT XV.

Romam proficiſci deliberat, pallium a Pontifice petiturus.

Romam iter parat pro pallio.

33. VIſum tamen ſibi, non tute ſatis actitari iſta abſque Sedis apoſtolicæ auctoritate, & Romam proficiſci deliberat: maximeque quod metropolicæ ſedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallii uſus, quod eſt plenitudo honoris. Et viſum eſt bonum in oculis ejus, ſi eccleſia, pro qua tantum laborarat, quem hactenus non habuerat, ſuo acquireret ſtudio & labore. Erat & altera metropolica ſedes, quam de novo conſtituerat Celſus, primæ tamen ſedi, & illius Ar-
E chiepiſcopo ſubdita, tamquam Primati. Et huic quoque optabat nihilo minus pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis apoſtolicæ prærogativam, quam beneficio Celſi adipiſci meruerat. Innoteſcente propoſito, diſplicuit fratribus, necnon & magnatibus & populo terræ. Omnes enim intolerabilem ſibi judicabant tam diutinam omnium pii parentis abſentiam, & quod metuerent de morte ipſius.

Chriſtianus ejus frater obit.

34. Contigit interea mori germanum ejus, Chriſtianum nomine, virum bonum, plenum gratiæ & virtutis. Epiſcopus erat, illi quidem ſecundus in celebri opinione, ſed vitæ ſanctimonia & juſtitiæ zelo ſorte non impar. Hujus deceſſus magis terruit univerſos, & diſceſ-
F ſum Malachiæ reddidit moleſtiorem. Dicebant autem nullo modo aſſentiendum unici peregrinationi patroni, ut non deſoletur omnis terra, ſi duabus tantis columnis ſub uno momento temporis deſtituatur. Ergo omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cum ille divinam ultionem minatus eſt. Non tamen deſtitere illi, niſi miſſa ſorte, prius Dei voluntas ſuper hoc interrogaretur. Prohibente illo, nihilo minus mittunt: ſed illa pro Malachiæ parte ter reſpondiſſe inventa eſt. Nec enim una contenti vice fuere, cupidi retinendi eum. Demum cedentes, dimittunt illum, non tamen

Sors pro ejus itinere.

Tom. II. Opuſc. XII.

ſine ploratu & ululatu multo. Sed ne quid imperfectum relinqueret, tractare cœpit, quomodo defuncti fratris ſemen ſuſcitaret. Et accerſitis ad ſe tribus diſcipulis ſuis, anxius æſtuabat, quiſnam dignior ad hoc opus, ſive utilior videretur. Et diligenter intuitus ſingulos: Tu, inquit, ô Edane, (ſic enim vocabatur unus) ſuſcipe onus. Illo cunctante, & flente: Ne timeas, ait. Tu enim mihi à Domino deſignatus es, quia anulum aureum, quo deſponſandus es, jam nunc prævidi in digito tuo. Acquievit ille, & Malachias, eo conſecrato, proficiſcitur.

Edanum loco fratris demortui, ordinat epiſcopum.

35. Cumque egreſſus de Scotia, perveniſſet Eboracum, ſacerdos quidam, Sycarus nomine, intuitus eum agnovit. Nec enim faciem ejus viderat ante: ſed cum haberet ſpiritum prophetiæ, revelatum fuerat ei jampridem de illo. Et nunc incunctanter circumſtantibus digito eum demonſtrans: Hic eſt, inquit, de quo dixeram, quia de Hibernia ſanctus veniet Pontifex, qui ſcit cogitationes hominum. Sic non potuit latere lucerna ſub modio, prodente eam per os Sycari Spirituſancto qui illam accenderat. Nam & multa ſecreta de eſſe ſuo, ſuorumque dicta ſunt ei à Sycaro, quæ ita eſſe vel fuiſſe omnia recognovit. Sed & ſociis Malachiæ percontantibus de ſuo reditu, reſpondit Sycarus incunctanter, (quod poſt rei probavit eventus) paucos videlicet admodum de numero illo cum Epiſcopo redituros. Illi, audito hoc, ſuſpicati ſunt mortem: ſed Deus aliter adimplevit. Nempe rediens ab Urbe, quibuſdam apud nos, quibuſdam & in aliis locis ad diſcendam converſationis formam relictis, juxta verbum Sycari, cum paucis admodum repatriavit. Hæc de Sycaro.

Iter aggreditur Anno 1139.

Sycaro cælitus notus.

36. In ipſa urbe Eboracenſi, acceſſit ad eum vir nobilis ſecundum ſæculum, Wallenus nomine, tunc Prior in Kyrkeham * regularium fratrum: nunc vero monachus, & monachorum pater in Mailros monaſterio Ordinis noſtri, qui devotus Malachiæ ſe orationibus ſatis humiliter commendavit. Is advertens multos habere Epiſcopum ſocios, & equos paucos, (nam præter miniſtros, & clericos alios, quinque cum eo erant presbyteri, & equi nonniſi tres) obtulit ei ſuum, quo ipſe vehebatur, hoc ſolum dolere ſe inquiens, quod eſſet runcinus dure portans. Et addit: Libentius dediſſem, ſi melior fuiſſet: ſed, ſi dignamini, ducite qualemcumque vobiſcum. Et ego, ait Epiſcopus, eo libentius accipio, quo prædicas viliorem: quia non poteſt mihi vile eſſe, quicquid tam pretioſa voluntas obtulerit. Et converſus ad ſuos: Hunc, inquit, ſternite mihi, quia commodus ſatis, & ſufficiens erit in longum. Quo facto, aſcendit: & primo quidem durum, ut erat, ſentiens, poſtmodum mira mutatione valde commodum ſibi & ſuaviter ambulantem invenit. Et ne caderet ſuper terram de ſermone quem dixerat, uſque ad nonum annum, quo mortuus eſt ipſe, non defecit ei, factus optimus & pretioſiſſimus palefridus. Quodque evidentius miraculum cernentibus fecit, de ſubnigro cœpit albeſcere, & non multo poſt vix inveniebatur albior illo.

* al. Kyrkeſtede.

Equus ex incommodo fit ei commodiſſimus.

CAPUT XVI.

Romam tendens, & inde rediens, Claram-vallem viſitat.

37. Mihi quoque in hac via datum eſt videre virum, & in ejus viſu & verbo refectus ſum, & delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Et ego viciſſim, peccator licet, inveni gratiam in oculis ejus extunc, & deinceps uſque ad obitum ipſius, ſicut in procemio præfatus ſum. Ipſe etiam dignatus divertere ad Claram-vallem, viſis fratribus, compunctus eſt: & illi non mediocriter ædificati in præſentia & ſermone ejus. Et acceptans locum, & nos, atque intimis viſceribus colligens, valedixit nobis, & abiit. Qui tranſalpinans, cum veniſſet Iporiam civitatem Italiæ, hoſpitis ſui parvulum filium, qui male habens moriturus erat, continuo ſanavit.

Venit in Claram vallem.

Sanat puerum moribundum.

38. Erat tunc temporis in Sede apoſtolica felicis memoriæ Innocentius ſecundus Papa: qui eum benigne ſuſcepit, humane ſatis illi ſuper longa peregrinatione compaſſus. Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere ſibi vivere, & mori in Clara-valle: permiſſu & benedictione ſummi Pontificis. Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, ſed affectus quo venerat deſiderio Claræ-vallis. Non autem obtinuit, quod virum Apoſtolicus fructis potius uberioribus occupandum decerneret. Nec tamen omnino fruſtratus eſt à deſiderio cordis ſui, cui mori ibi, etſi non vivere, donatum eſt. Menſem integrum fecit in urbe, loca ſancta perambulans, & frequentans cauſa orationis. Cumque per id temporis ſæpe ac diligenter ab eo, & ab his qui cum eo erant, ſummus Pontifex inquiſiſſet, eſſe patriæ, mores gentis, ſtatum eccleſiarum, & quanta in terra Deus per eum operatus fuiſſet: paranti jam repatriare commiſit vices ſuas, per univerſam Hiberniam Legatum illum conſtituens. Significatum ſiquidem erat ei ab epiſcopo Gilleberto, qui, ut ſupra memoravimus, tunc Legatus extiterat, quod jam non poſſet præ ſenio & debilitate corporis villicare. Poſt hæc petit Malachias confirmari novæ metropolis conſtitutionem, & utriuſque ſedis pallia ſibi dari. Et confirmationis quidem privilegium mox accepit: De palliis autem, ait ſummus Pontifex, oportet ſollemnius agi. Convocatis epiſcopis, & clericis, & majoribus terræ, celebrabis generale concilium: & ſic conniventia & communi voto univerſorum per honeſtas perſonas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitram de capite ſuo, impoſuit capiti ejus: ſed & ſtolam cum manipulo dedit, quibus uti inter offerendum ſolebat. Et ſalutatum in oſculo pacis dimiſit eum, apoſtolica fultum benedictione & auctoritate.

Optat vivere & mori in Clara valle.

Romæ ſacra loca inviſit.

Fit Legatus Apoſtolicus.

Pallii conceſſio dilata.

Papæ pallium ante habitum.

39. Qui revertens per Claram-vallem, ſuam ſecundo nobis largitus eſt benedictionem. Et alta ſuſpiria trahens, quod non liceret ſibi pro ſuo deſiderio remanere: Hos, inquit, interim pro me, oro, ut retineatis, qui à vobis diſcant, quod nos poſtmodum doceant. Et infert: Erunt nobis in ſemen, & in ſemine iſto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt. Et dimiſſis quatuor à latere ſuo, abiit. qui probati, & digni inventi monachi facti ſunt. Poſt aliquod tempus, cum jam Sanctus eſſet in terra ſua, miſit alios, & de illis factum eſt ſimiliter. Quibus per aliquantum tempus inſtructis, & eruditis corde in ſapientia, dato eis in patrem ſancto fratre Chriſtiano, qui erat unus ex ipſis, emiſimus eos, adjungentes de noſtris, quanti ſufficerent ad numerum abbatiæ. Quæ concepit, & peperit filias quinque: & ſic multiplicato ſemine, augeſcit in dies numerus monachorum, juxta deſiderium & vaticinium Malachiæ. Nunc jam repetamus ordinem narrationis.

Reditus per Claram-vallem.

Diſcipuli ſibi educati ad Hiberniam.

CAPUT XVII.

Diverſa beneficia ſanitatum per eum collata.

40. Malachias profectus à nobis, proſpere pervenit in Scotiam. Et invenit David regem, qui adhuc hodie ſupereſt, in quodam caſtello ſuo: cujus filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingreſſus, honorifice à Rege ſuſceptus, & humiliter exoratus, ut ſanaret filium ſuum; aqua, cui benedixit, adſperſit juvenem, & intuens in eum, ait: Confide fili, non morieris hac vice. Dixit hoc, & die ſequenti, ſecundum dictum prophetæ, ſecuta eſt ſanitas, ſanitatem lætitia patris, clamor & ſtrepitus totius exſultantis familiæ. Exiit ſermo ad omnes. nec enim quod in domo regia, & Regis acciderat filio, latere potuit. Et ecce ubique reſultans gratiarum actio, & vox laudis, tum pro ſalute domini, tum pro miraculi novitate. Henricus eſt iſte. nam vivit adhuc unicus patris ſui, Miles fortis & prudens, patrizans * (ut aiunt) in ſectando juſtitiam & amorem viri. Et amavit uterque Malachiam, quamdiu

Regis Scotiæ filius ſanatus.

* ſ. Patrem imitans.

vixit, tamquam qui illum à morte revocaſſet. Rogabant eum manere per aliquot dies: ſed ille declinans gloriam, moram non ſuſtinuit, & mane carpebat iter. Tranſeunti igitur per villam, nomine Crugeldum, occurrit puella muta. Orante illo, ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Dehinc villam ingrediens, quam nominant eccleſiam ſancti Michaelis, oblatam ſibi mulierem phreneticam, & vinctam funibus, coram omni populo curat, & dimiſſa incolumi, proficiſcitur. Perveniens vero ad portum Laperaſperi, tranſitum ibi per aliquot dies præſtolabatur: ſed mora minime tranſiit otioſa. Conſtruitur interim de virgis in ſepem textis Oratorium, ipſo jubente, ipſo operante pariter. Conſummatum circumdedit vallo, atque interjacens ſpatium in cœmeterium benedixit. Sane merita benedicentis miracula ſatis declarant, quæ uſque hodie ibi actitari feruntur.

Alia miracula. *Cœmeterii benedictio.*

41. Inde eſt, quod de finitimis locis infirmos & male habentes illo portare conſueverunt, & ſanantur multi. Mulier totis diſſolutis membris, plauſtro vecta illuc, pedibus ſuis remeavit domum, una dumtaxat nocte non fruſtra in loco ſancto præſtolata miſericordiam Domini. Alia quædam ibidem pernoctabat in oratione: quam forte reperiens ſolam homo barbarus, accenſus libidine, & ſui minime compos, irruit rabioſus in eam. Converſa illa, & tremefacta, ſuſpiciens advertit hominem plenum diabolico ſpiritu: Heus tu, inquit, miſer, quid agis? Conſidera ubi es, reverere hæc ſancta, defer Deo, defer ſervo ejus Malachiæ, parce & tibi ipſi. Non deſtitit ille, furiis agitatus iniquis. Et ecce (quod horribile dictu eſt) venenatum & tumidum animal, quod bufonem vocant, viſum eſt reptans exire deinter femora mulieris. Quid plura? Terrefactus reſilit homo, & datis ſaltibus, feſtinus oratorio exſilit. Ille confuſus abſceſſit, & illa intacta remanſit, magno quidem & Dei miraculo, & merito Malachiæ. Et pulcre operi fœdo & abominando fœdum intervenit & abominabile monſtrum. Non prorſus aliter decuit beſtialem exſtingui libidinem, quàm per frigidiſſimum vermem: nec aliter temerarium frenari auſum, fruſtrari conatum, quàm per vilem, inutilemque beſtiolam. Et hæc loco iſto ſufficiant pauca de pluribus: nunc jam reliqua proſequamur.

Mulier mirabiliter evadit impurum pudicum.

CAPUT XVIII.

Reverſus in patriam, totus curæ paſtorali & reformationi incumbit.

42. ASCendit Malachias navem, & proſpere navigans, applicuit monaſterio ſuo Benchorenſi, ut primi filii primam reciperent gratiam. Quid animi putas geſſiſſe illos, ſano de via tam longa recepto patre, & illo patre? Nec mirum, ſi ſe tota in gaudium effuderunt viſcera eorum in reditu ejus, quando & exteris circumquaque gentibus incredibilem mox lætitiam velox rumor invexit. Denique de civitatibus, & caſtellis, & vicis occurrunt ei; & quocumque divertat, ſuſcipitur exſultatione univerſæ terræ. Verumtamen non ſapit honor. Opus exercetur legationis: multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio, ſeu portio regionis, legationis fructu & utilitate fraudetur. Seminatur ſuper omnes aquas: non eſt qui ſe abſcondat ab opera ſollicitudinis ejus. Non ſexus, non ætas, non conditio, non profeſſio reputatur. Ubique ſemen ſpargitur ſalutare, ubique intonat tuba cæleſtis. Ubique diſcurrit, ubique irrumpit, evaginato gladio linguæ ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Terror ejus ſuper facientes mala. Clamat iniquis, Nolite inique agere; & delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Religio ubique plantatur, propagatur, fovetur. Oculi ejus ſuper eos, & cura ejus ad neceſſitates eorum. In Conciliis, quæ paſſim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuiſſe conſtiterit, abolitas vero negligentia ſacerdotum. Nec modo vetera inſtaurantur: cuduntur & nova; & quæcumque promulgaverit, tamquam cælitus edita acceptantur, tenentur, ſcripto mandantur ad memoriam poſterorum. Quidni cælitus miſſa crederentur, quæ tot cæleſtia confirmant miracula? Et ut fidem dictis faciam, perſtringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quamquam libentius, fateor, imitandis immorer, quam admirandis.

Excipitur cum honore à ſuis. *Præclare exercet munus Leg. 1.* *Pſal. 74. 5.* *Rom Chriſtianam, priſcas traditiones, &c. reformat.* *Tom. II Operum XII.*

CAPUT XIX.

Virtutum ejus inſignia, & mores vero Præſule digni.

43. ET meo quidem judicio primum & maximum miraculum, quod fecit, ipſe erat. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulcritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius & vita; ipſum exteriorem ita uno ſemper modo, ipſoque modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, ut nil prorſus appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. At vero in Malachia quis umquam, etiamſi curioſius obſervarit, deprehendit otioſum, non dico verbum, ſed nutum? quis manum, pedemve moventem fruſtra? Immo quid non ædificans in ejus inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuſcavit mœror, nec levigavit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed non auſterus. Remiſſus interdum, diſſolutus numquam. Negligens nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans. Quietus ſæpe, ſed minime aliquando otioſus. A die primo converſionis ſuæ uſque ad extremum vitæ, ſine proprio vixit. Non ſervos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquam redituum eccleſiaſticorum ſæculariumve, vel in ipſo habuit epiſcopatu. Menſæ epiſcopali nihil prorſus conſtitutum, vel aſſignatum, unde Epiſcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pæne inceſſanter circuiens parochias omnes, Evangelio ſerviens, & de Evangelio vivens, ſicut conſtituit ei Dominus: *Dignus eſt*, inquiens, *operarius mercede ſua*. Niſi quod frequentius ipſum Evangelium ſine ſumptu ponens, de laboribus ſuis ſuorumque ferebat, unde ſe & eos, qui ſecum laborabant, in opere miniſterii ſuſtentaret. Porro ſi interdum quieſcere oporteret, in ſanctis hoc faciebat locis, quæ ipſe per Hiberniam ſparſerat univerſam: apud quos vero moram facere libuiſſet, illorum ſe conformavit moribus & obſervantiis, communi contentus vita & menſa. Non fuit in victu, non fuit in veſtitu, in quo potuiſſet Malachias dignoſci inter ceteros fratres: in tantum, cum major eſſet, humiliavit ſe in omnibus.

Jac. 3. 2. *Malachiæ modeſtia & religio.* *Inſignis ejus paupertas voluntaria.* *Viſitatio diœceſis.* *Luc. 10. 7.* *In monaſteriis vivit ut monachus.*

44. Denique cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipſe ibat, Epiſcopus & Legatus. Forma apoſtolica hæc: & inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profecto Apoſtolorum heres eſt iſte, qui talia agit. Sed advertere eſt, quomodo dividat hereditatem cum fratribus ſuis, æque nepotibus Apoſtolorum. Illi dominantur in clero: iſte dum eſſet liber ex omnibus, omnium ſe ſervum fecit. Illi aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent: Malachias imitans Paulum, manducat, ut evangelizet. Illi faſtum & quæſtum æſtimant pietatem: Malachias hereditate vindicat ſibi opus & onus. Illi felices ſe credunt, ſi dilataverint terminos ſuos: Malachias in dilatanda caritate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, unde onerent menſas: Malachias colligit in deſerta & ſolitudines, unde impleat cælos. Illi, cum accipiant decimas, & primitias, & oblationes, inſuper & de Cæſaris beneficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos, ſolliciti ſunt nihilo minus, quid manducent, & quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec ſollicitudinis ullus eſt finis: Malachias

Pedes luſtrat diœceſim. *Comparatio ejus cum aliis epiſcopis.*

Tom. II. Opusc. XII.

cupiens nihil, non novit tamen cogitare de craſtino. Illi à pauperibus exigunt, quod dent divitibus : iſte ſollicitat divites pro pauperibus ſuſtentandis. Illi marſupia vacuant ſubditorum : iſte pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hoſtiiſque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres, ac mœnia ad cælos levant : Malachias non habens ubi caput reclinet, opus facit Evangeliſtæ. Illi equos aſcendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non ſuum : Malachias ſeptus ſanctorum fratrum collegio, pedes circuit, portans panes Angelorum, quibus ſatiet animas eſurientes. Illi plebes ne agnoſcunt quidem : iſte erudit. Illi potentes & tyrannos honorant : iſte punit. O virum apoſtolicum, quem tot & talia nobilitant ſigna apoſtolatus ſui ! Quid ergo mirum, ſi mira eſt operatus, ſic mirabilis ipſe ? Immo vero non ipſe, ſed Deus in ipſo. Alioquin tu es Deus, inquit, qui facis mirabilia.

Pſal. 76. 15.

CAPUT XX.

Energumenos vexatos à dæmoniis liberat.

Dæmonis ejectio ex duabus feminis

45. ERat mulier in civitate Culratim *, dæmonium habens. Vocatus eſt Malachias : orat pro addicta, urget invaſorem ; exit. Sed nondum exſaturata nequitia ejus, miſeram invadit mulierculam, quæ forte prope aſſiſteret. Et Malachias : Non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, ut hanc pervaderes : exi & ab ea. Paret, ſed repetit priorem. Qua denuo pulſus, recurrit in alteram. Ita per aliquod ſpatium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc ſanctus indignans ſibi illudi a dæmone, colligenſque ſpiritum, infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in adverſarium, ab utraque fugavit, & quidem non minus vexatum his, quas vexaverat ipſe. Ceterum quod moram fecit ſancto, non putes, Lector, fuiſſe virtutis ejus, ſed diſpenſationis divinæ : ut videlicet ex hoc manifeſtior fieret & maligni præſentia, & victoria Malachiæ. Denique audi quid alibi fecerit, non autem per præſentiam ſuam. Et utique potuit præſens, quod abſens valuit.

* al. Culratim

Maleficiatum curat

46. In regione aquilonaris partis Hiberniæ jacebat infirmus in domo, nec dubium quin dæmonum maleficio. Nam quadam nocte audivit eos loquentes, dicente altero ad alterum : Vide ne miſer iſte hypocritæ illius ſtratum, ſtramenve contingat, & ſic effugiat manus noſtras. Cognovit homo, quod Malachiam loquerentur, quem non multo ante in eadem domo meminerat pernoctaſſe. Et adhoc ſtramen in loco : ſumptaque fiducia, & quo potuit conatu, cœpit repere debilis corpore, ſed fide fortis. Et ecce in aere clamor & vociferatio : Prohibe eum, prohibe ; retine eum, retine : amittimus prædam. Verum is quem portabat fides & deſiderium evadendi, quanto plus clamabant illi, tanto magis genibus manibuſque nitens, ad remedium feſtinabat. Et perveniens aſcendit lectulum, volutatur in ſtramine, audit ululatum plangentium : Heu, heu ! ipſi nos prodidimus, decepti ſumus, evaſit. Et dicto citius receſſit ab eo dæmonum terror & horror quem patiebatur, & omnis pariter ægritudo. In Leſmor civitate homo à dæmonio vexatus, per Malachiam liberatus eſt. Item tranſeunti aliquando per Laginiam, oblatus illi infans habens dæmonium; ſanus relatus eſt. In regione eadem ligatam funibus phreneticam ſolvi juſſit, & in aqua, quam benedixit, lavari. Lota eſt, & ſanata eſt. Alteram quoque in Saballo regione Ulydiæ, membra propria dentibus laniantem, orando & tangendo curavit. Amentem hominem, multa prædicentem futura, amici & propinqui adducunt ad Dei hominem, vinctum funibus fortiter, quod fortem ad nocendum rabies ipſa feciſſet, & terribilem valde. Orat Malachias, & incontinenti æger ſanatur, & ſolvitur. Factum eſt hoc loco quodam, cujus nomen tacemus, quod nimis barbarum ſonet, ſicut & alia multa. Alio tempore in præfata civitate Leſmor puellam mutam parentes ejus in media platea

Alia mira patrat.

offerunt tranſeunti, cum multa ſupplicatione rogantes, ut ei ſubvenire dignetur. Stat Malachias, & facta oratione, tangens digito linguam ejus, ſputum miſit in os ejus, & loquentem dimiſit.

CAPUT XXI.

Beneficia moribundis & parturientibus præſtita.

47. EXiens de quadam eccleſia, obvium habuit hominem cum uxore ſua, quæ non poterat loqui. Rogatus, ut ejus miſereatur, ſtat in porta populo circumſtante : & data benedictione ſuper eam, jubet Dominicam dicere orationem. Dixit illa, & populus benedixit Dominum. In civitate, cui nomen Oenthreb *, decumbens lectulo quidam dives, jam dies duodecim privatus linguæ officio, ad juſſionem viſitantis ſe ſancti, loquelam recuperat, euchariſtiam ſumit : & ita munitus, extremum in bona confeſſione efflavit ſpiritum. O oliva fructifera in domo Dei ! ô oleum jucunditatis, ungens & lucens ! Et ſplendore miraculi illuſtravit ſanos, & ſuavitate beneficii unxit infirmum, cui mox morituro ſalutarem confitendi & communicandi obtinuit facultatem. Intravit ad eum quidam de nobilibus, habens ei aliquid dicere. Qui inter loquendum, fide plenus, tres juncos pie furatus de lectulo, in quo ille ſedebat, tulit ſecum : & multa Deus de furto pietatis eſt operatus, fide illius, & Præſulis ſanctitate. Forte venerat in civitatem, nomine Duevania. Et cum ſederet ad menſam, ingreſſus vir nobilis de civitate ipſa, humiliter ſupplicat pro uxore prægnante, quæ jam ſollemne omne præteriſſet tempus pariendi, ita ut mirarentur omnes ; & nemo, qui aliud quàm vitæ periculum crederet imminere. Rogat & cum eo Neemias epiſcopus illius civitatis, qui juxta eum ſedebat : rogant & ceteri, quotquot aderant ſimul diſcumbentes. Tum ille : Compatior ei, inquit, quod bona mulier ſit, & pudica. Et porrigens viro poculum, cui benedixerat : Vade, inquit, da illi bibere, ſciens eam ſumpto benedictionis potu, & ſine mora, & ſine periculo parituram. Factum eſt quod præcepit, & nocte ipſa ſubſecutum eſt quod promiſit. Sedebat in campo cum Comite Ulydiæ aliqua tractans, & multitudo copioſa circa eos. Venit mulier gravida, & vere gravis. Indicat ſe contra omnes naturæ leges retinere partum jam quindecim menſibus & diebus viginti. Compaſſus Malachias ſuper novo & inaudito incommodo, orat, & mulier parit. Qui aderant, lætati ſunt, & mirati ſunt. Omnes enim viderunt, in qua facilitate & velocitate loco eodem enixa ſit, & triſte negati partus periculum miraculo commutatum jucundiori.

* al. Oenthreb.

Confeſſio & Viaticum moribundi.

Prægnanti benedicto poculo auxiliatur.

Item alteri.

CAPUT XXII.

Concubinario obſtinato exitum denuntiat.

48. ACcidit ibidem quiddam pari quidem miraculo, ſed ſorte diſpari. Vidit hominem, qui publice tenere diceretur concubinam fratris : & hic erat Miles, miniſter Comitis. Et publice conveniens inceſtuoſum, alterum ei Johannem exhibuit : Non licet tibi, inquiens, concubinam habere fratris tui. At ille alterum ipſi nihilo minus Herodem redhibens, non modo non audivit eum, ſed & ſuperbe reſpondit, & coram omnibus jurat numquam ſe dimiſſurum. Tum commotus Malachias, ſicut erat pro juſtitia vehementer zelans : Et Deus, inquit, te ab illa ſeparet vel invitum. Parvi pendens ille, ex inſtanti abiit indignabundus. Offendenſque mulierem non longe à turba conſtituta in loco, vi oppreſſit eam, ſicut erat ſatanæ totus, cui paulo ante traditus fuerat. Nec latuit flagitium. Ancilla, quæ dominam comitabatur, recurrens domum (nempe haud procul aberat locus) nuntiat anhela quid mali acciderit. Ad quam vocem germani illius, qui domi erant, zelantes ſororis ſtuprum, tota illo feſtinantia pervolant, pudicitiæ hoſtem, ipſo in loco & opere ſceleris deprehenſum, mulias

confoſſum vulneribus interimunt. Necdum conventus ſolutus erat, cum ecce armiger illius, quod evenerat, nuntiavit. Et mirati ſunt univerſi, quod ſententia Malachiæ tam celerem habuiſſet effectum. Timuerunt quique flagitioſi audito hoc verbo, (nam multi erant in terra) & territi purgati ſunt, lavantes manus ſuas in ſanguine peccatoris.

CAPUT XXIII.

Varia ſanitatum beneficia variis præſtita.

49. DIarmitium Comitem, multo jam tempore decumbentem lecto, duriter quidem increpans, quod malus homo eſſet, immoderatius ſerviens ventri & gulæ, benedicta adſperſum aqua, ſurgere fecit ſine mora, ita valentem, ut equum aſcenderet ilico, & utique præter ſpem ſuam ipſius & ſuorum. In urbe Calelenſi venit homo ante eum cum filio paralytico, rogans illum ſanari. qui orans breviter, Vade, inquit, filius tuus ſanabitur. It, & craſtinn redit cum filio, ſed minime ſanato. Tum ſurgens Malachias, & ſtans ſuper eum diutius oravit, & ille ſanatus eſt. Et converſus ad patrem: Offer, inquit, illum Deo. Annuit homo, ſed non tenuit: & poſt aliquod annos ille jam juvenis recidit in idipſum, ſine dubio propter inobedientiam patris, & pacti tranſgreſſionem. Alius quidam veniens de longinquo, cum eſſet Malachias in finibus Mumoniæ, attulit ad eum filium, pedum penitus officio deſtitutum. Percunctatus quonam modo illi id accidiſſet: Ut ſuſpicor, inquit, dæmonum malignitate. Et addit: Ludenti in prato ipſi (ni fallor) immiſere ſoporem, evigilanſque puerulus, ſic ſe invenit. Hæc dicens, cum lacrymis precem fundit, efflagitat opem. Miſertus ejus oravit Malachias, jubens ægrum interim dormire ibidem ſuper ſolium *. Dormivit; & ſurrexit ſanus. Hunc ipſe, quia de longe venerat, aliquamdiu in comitatu ſuo retinuit, & erat ambulans cum eo.

Claudus ſanatur. — * ſ. ſolum.

50. In monaſterio Benchorenſi pauper quidam fratrum eleemoſynis ſuſtentabatur. Et erat quotidianam accipiens ſtipem, aliquid officii factitans in piſtrino. Is claudus ab annis duodecim, humi manibus repens, poſt ſe trahebat pedes emortuos. quem die quadam ante cellam ſuam Malachias mæſtum & mærentem inveniens cauſam percontatur. Et ille: Vides, inquit, quàm ex longo miſellus affligor, & manus Domini ſuper me: & ecce ad cumulum ærumnæ, homines, qui miſereri debuerant, irrident me potius, miſeriam exprobantes. Quem ubi audivit, pietate motus ſuſpexit in cælum, manus pariter levans. Facta autem brevi oratione, ipſe intravit cellam, & ille ſurrexit. Et ſtans ſuper pedes ſuos, mirabatur, ſi vere eſſet quod erat pæne ſomnium ſuſpicatus. Cœpit tamen ſe pedetentim movere: neque enim poſſe ire ſatis credebat. Tandem quaſi e gravi ſomno evigilans, cognoſcit miſericordiam Domini ſuper ſe; firmiter graditur, & in piſtrinum revertitur, exſiliens & exſultans, & laudans Deum. Viſo eo, qui ante viderant & cognoverant, repleti ſunt ſtupore & ecſtaſi, phantaſma putantes. Virum item hydropicum orando ſanavit: qui ilico remanſit in monaſterio, paſtor ovium factus.

Item alter. — Item hydropicus.

51. Civitas Hiberniæ, nomine Corcagia *, vacabat epiſcopo. Tractatum eſt de electione: diſſenſere partes, quibuſque, ut aſſolet, præſulem volentibus conſtituere ſuum, non Dei. Venit illuc Malachias, audita diſſenſione. Convocato clero & populo, etiam corda & vota diſcordantium unire curavit. Et perſuaſis illis totum negotium ſibi debere credi, cui potiſſimum ſollicitudo incumberet illius, ſicut & aliarum per Hiberniam eccleſiarum; incontinenti nominat eis, non quempiam de nobilibus terræ, ſed magis quemdam hominem pauperem, quem ſciret ſanctum & doctum: & hic erat alienigena. Quæritur ille: nuntiatur decumbere lecto, & ita debilis, ut nullo pacto exeat, niſi in manibus portatus miniſtrantium. Et Malachias: Surgat, inquit, in nomine Domini, ego præcipio; obedientia ſalvum faciet eum. Quid faceret ille? Parere volebat, ſed imparatum ſe ſentiebat: quod etſi poſſet ire, epiſcopari reformidabat. Ita cum voluntate obediendi, pugnante gemino hoſte, pondere languoris, & metu * honoris, vicit illa tamen, data ſibi in adjutorium ſpe ſalutis. Itaque conatur, movet ſeſe, tentat vires, invenit ſe ſolito fortiorem. Creſcit pariter fides cum viribus, & rurſum facta fortior fides dat viciſſim viribus incrementum. Jam ſurgere per ſe valet, jam meliuſcule gradi, jam nec ſentire in ambulando laſſitudinem; demum expeditus & alacer pervenire ad Malachiam ſine hominis adjutorio. Qui aſſumens eum, miſit in cathedram, clero & populo collaudante. Hoc ita in pace factum eſt, quia nec illi auſi ſunt Malachiæ voluntati in aliquo obviare, videntes ſignum, quod fecerat: nec ille parere dubitavit, tam evidenti argumento factus ſecurior de Domini voluntate.

* al. Corcaya. — Diſſenſio de epiſcopi electione. — Malachias pauperem nominat. — * al. oneris.

52. Mulier quædam fluxum ſanguinis patiebatur: & hæc nobilis, cariſſima Malachiæ, plus tamen ob morum quàm generis nobilitatem. Quæ ex toto deficiens, nimirum cum ſanguine exhauſtis viribus, jam poſita in extremis, miſit ad Dei hominem, ut, quod ſupererat, animæ ſubveniret, qui ſe jam non eſſet viſurus in corpore. Audiens Malachias, moleſte tulit, quod mulier virtutis foret, & vita ejus fructuoſa opere & exemplo. Et videns ſe non poſſe ſatis accurrere tempeſtive, accito Malcho, quod juvenis eſſet, & expeditus: (ipſe eſt, cujus ſupra * meminimus, frater Chriſtiani abbatis.) Accelera, inquit, fer illi tria poma hæc, ſuper quæ nomen Domini invocavi. Confido in ipſo quod ubi ex eis guſtaverit, non guſtabit mortem, priuſquam nos videat, etſi tardiuſcule ſecuturos. Feſtinat Malchus ſecundum mandatum, & veniens intrat ad morituram, alterum ſe exhibens puerum Eliſæi, niſi quod hujus efficacior opera fuit. Jubet miſſam ſibi à Malachia benedictionem accipere, & guſtare, ſi quo modo valuerit. At illa exhilarata, audito nomine Malachiæ, ut obedire poſſit, nutu ſignificat, pauliſper ſe erigi velle; nam verbo non poterat. Erigitur, guſtat: guſtato confortata eſt, loquitur & gratias agit. Et immiſit Dominus ſoporem in eam, & ſuaviſſime requievit in eo, cujus uſu diu caruerat, ſicut & eſu. Stetit interim ſanguis, & poſt modicum expergefacta, ſanam ſe reperit, niſi quod longa inedia, & ſanguinis minutione adhuc debilis erat. Si quo minus, die ſequenti deſideratus Malachiæ adventus aſpectuſque perfecit.

Hæmorrhoiſſam ſanat pomis benedictis. — * num. 39. — 4. Reg. 4. 29.

CAPUT XXIV.

Feminam ſine Sacramento Extremæ unctionis defunctam reſuſcitat.

53. HAbitabat vir nobilis in vicinia Benchorenſis monaſterii, cujus uxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias ut deſcenderet, priuſquam moreretur, infirmam uncturus oleo. Deſcendit, & intravit ad eam. quo viſo, exſultat illa, ſpe animata ſalutis. Et cum pararet ungere eam, viſum eſt omnibus differendum potius uſque mane. Erat enim veſpera. Acquievit Malachias, & data benedictione ſuper ægram, exivit cum his qui ſecum erant. At vero poſt modicum ſubito clamor factus eſt, planctus & ſtrepitus multus per totam domum; ſiquidem inſonuit, quod mortua eſſet. Accurrit Malachias tumultu audito, & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Et accedens ad lectum, ut certo comperit exſpiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quod fraudata gratia Sacramenti obierit. Et elevatis in cælum manibus, Obſecro Domine, inquit, inſipienter egi. Ego ego peccavi, qui diſtuli; non iſta, quæ voluit. Hæc dicens, conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam, tota nocte laborabat in gemitu ſuo; & pro oleo ſancto, largo imbre lacrymarum

Dilata unctione mortua.

Tom. II. Opusc XII

perfundens mortuam, vicem illi unctionis, quam poterat, exhibebat. Ipſe quidem ſic, ad ſuos autem: Vigilate, inquit, & orate. Itaque in pſalmis illi, ille in lacrymis, noctem duxere pervigilem. Et mane facto, exaudivit Dominus ſanctum ſuum, quia ſpiritus Domini erat poſtulans pro eo, qui poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperit oculos quæ fuerat mortua: &, ut ſolent qui de gravi ſomno evigilant, fricans ſibi manibus frontem & tempora, ſuper lectum ſe erigit, & agnito Malachia, inclinans devote ſalutat eum. Et verſo luctu in gaudium, ſtupor apprehendit omnes, & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et unxit eam nihilo minus, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvet infirmum. Poſt hæc abiit ille, & illa convaluit; & vivens incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifeſtaretur in ea, peracta pœnitentia, quam ſibi Malachias injunxerat, in bona confeſſione iterum obdormivit, & migravit ad Dominum.

Rediviva ungitur. — *Jac. 5. 15.* — *Extrema unctio, ſacramentum, ejuſque effectus.*

CAPUT XXV.

Alia diverſa beneficia in diverſos collata.

Feminæ iracundæ ſpiritum manſuetudinis impetrat.

54. FUit item mulier, cui ſpiritus iracundiæ & furoris in tantum dominaretur, ut non ſolum vicini & cognati fugerent conſortium ejus, ſed filii quoque ipſius vix ſuſtinerent habitare cum ea. Clamor, & rancor, & tempeſtas valida, ubicumque fuiſſet. Audax, & ardens, & præceps, metuenda lingua & manu, importabilis omnibus, & inviſa. Dolentes filii tum pro illa, tum pro ſeipſis, trahunt illam ad præſentiam Malachiæ, lacrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem ſanctus & periculum matris, & incommodum miſerans filiorum, ſeorſum advocat illam: fueritne confeſſa aliquando peccata ſua, ſollicite percontatur. Reſpondit, Nequaquam. Confitere, inquit. Paret. Et ille injungens pœnitentiam confitenti, oranſque ſuper eam, ut Dominus omnipotens det ei ſpiritum manſuetudinis, in nomine Domini Jeſu ne ultra iraſcatur jubet. Sequitur tanta manſuetudo, ut pateat omnibus non eſſe aliud, quàm admirabilem mutationem dexteræ Excelſi. Fertur adhuc hodie vivere, & tantæ eſſe patientiæ & lenitatis, ut quæ omnes exaſperare ſolebat, nullis modo exaſperari damnis, contumeliis, afflictionibus queat. Si licet & me, juxta Apoſtolum, abundare in ſenſu meo, accipiat quiſque ut volet: ego iſtud ſuperiori ſuſcitatæ miraculo mortuæ cenſeo præferendum, quod exterior quidem ibi, hic vero interior revixerit homo. Et nunc curramus ad reliqua.

Confeſſionis efficacia. — *Rom. 14. 5.*

Donum lacrymarum homini ſeculari obtinet.

55. Vir ſecundum ſæculum honorabilis, ſecundum Deum timoratus, veniens ad Malachiam, queſtus eſt ei ſuper ſterilitate animæ ſuæ, ſupplicans ut ſibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lacrymarum. Et ſubridens Malachias, quod gratum haberet in homine ſæculari deſiderium ſpiritale, ſuam maxillam maxillæ illius quaſi blandiendo conjungens: Fiat, inquit, tibi, ſicut petiſti. Tantos exinde, & pæne continuos exitus aquarum deduxerunt oculi ejus, ut illud Scripturæ ei poſſe aptari videretur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.*

Cant. 4. 15.

Piſcium fœcunditatem reſtituit.

Eſt inſula maris in Hibernia, ab olim fœcunda piſcium: & mare ibi piſcoſum valde. Peccatis (ut creditur) habitantium adempta copia ſolita, quæ multos habebat filios, infirmata eſt, & à tanta funditus ſui commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & jacturam gravem populis ægre ferentibus, revelatum eſt cuidam mulieri, precibus Malachiæ poſſe afferri remedium: idque innotuit omnibus, ipſa prodente. Nutu Dei contigit adeſſe Malachiam. Dum enim circuiret, & repleret Evangelio regionem, divertit illuc, ut & ipſis eamdem gratiam impertiret. At barbari, quibus erat major cura de piſcibus, omni inſtantia flagitant, ut potius reſpicere dignetur ſuper ſterilitatem inſulæ ſuæ. Qui cum reſponderet ſe minime ad hoc veniſſe, hominum magis, quàm piſcium deſiderare capturam; videns tamen fidem eorum, flexis in littore genibus, oravit ad Dominum, ut, licet indignis, indultum olim beneficium tanta fide repetentibus non negaret. Aſcendit oratio, aſcendit & piſcium multitudo, & forte uberior, quàm in diebus antiquis, & ipſa populo terræ perſeverans uſque in hodiernum diem. Quid mirum, ſi oratio juſti, quæ penetrat cælos, penetravit abyſſos, & de profundo maris tantas piſcium copias evocavit?

56. Venerunt aliquando tres epiſcopi in villam Fochart*, quem dicunt locum nativitatis Brigidæ virginis: & quartus erat Malachias. Ad quem presbyter qui hoſpitio ſuſceperat eos: Quid faciam, inquit, quod piſces non habeo? Quo reſpondente, ut quæreret à piſcatoribus: Biennium eſt, ait, quod non inveniuntur piſces in flumine. unde & piſcatores prorſus diffuſi, etiam arti ſuæ renuntiaverunt. Et ille: Præcipe, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum eſt, & capti ſunt ſalmones duodecim. Secundo miſerunt, & captis totidem, inopinatum inferunt menſis & ferculum, & miraculum. Et ut clare liqueat, Malachiæ meritis hoc datum fuiſſe; alis quoque duobus ſequentibus annis eadem nihilo minus ſterilitas perduravit.

** al. Fochart.*

CAPUT XXVI.

Veritatem Corporis Chriſti in euchariſtia propugnat.

Error in Euchariſtiam.

57. FUit quidam clericus in Leſmor, probabilis (ut fertur) vitæ, ſed fidei non ita. Is ſciolus in oculis ſuis, præſumpſit dicere, in euchariſtia eſſe tantummodo ſacramentum, & non rem ſacramenti, id eſt ſolam ſanctificationem, & non corporis* veritatem. Super quo à Malachia ſecreto, & ſæpe conventus, ſed incaſſum, vocatus ad medium eſt, ſeorſum tamen à laicis, ut, ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur. Itaque in conventu clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia reſpondendi. Cumque totis ingenii viribus, quo non mediocriter callebat, aſſerere & defendere conaretur errorem; Malachia contra diſputante & convincente, judicio omnium ſuperatus, de conventu confuſus quidem exiit, ſed non correctus. Dicebat autem ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum auctoritate. Et tu, inquit, ô Malachia, ſine cauſa me hodie confudiſti, adverſus profecto veritatem locutus, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mæſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis Fidei dolens injuriam, timens periculum eccleſiam convocat, errantem publice arguit, publice monet ut reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum epiſcopis & univerſo clero, cum non acquieſceret; contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic evigilans: Omnes, inquit, favetis homini potius, quàm veritati; ego perſonam non accipio, ut deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans ſanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex neceſſitate. Quo reſpondente, Amen, ſolvitur conventus. Tali ille inuſtus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non ſuſtinens. Et continuo ſua tollens exibat, cum ecce ſubita correptus infirmitate, ſiſtit gradum, viribuſque deficiens, eodem loco jactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Forte incidens in id loci vagabundus inſanus quidam, offendit hominem, quidnam ibi agat, percontatur. Reſpondet, gravi ſe infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille: Infirmitas iſta haud alia, inquit, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit à ſemetipſo; ſed pulcre Dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſiliis ſenſatorum. Et addit: Revertere domum, ego te juvabo. Denique ipſo duce revertitur in civitatem; redit ad cor, & ad miſericordiam Domini. Eadem hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas, abjicitur error. Confeſſus reatum abſolvitur, petit Viaticum, datur reconciliatio: & uno pæne momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur.

** Similis in Vita Bern. lib. 7. cap. 8.* — *Anathema in hæreticum.* — *Reſipiſcens confeſſione & Viatico munitur.*

Ita

[illegible] unctu, ſub omni celeritate compl[illegible] [illegible] Malachiæ, & [illegible]pturæ [illegible] dicentis, quia *vexatio dat intellectum auditui.*

C A P U T XXVII.

Pacem & concordiam inter diſſidentes mirabiliter conciliat.

58. INter populos quarumdam regionum orta aliquando gravis diſcordia eſt. Interpellatur Malachias de componenda pace inter eos: & cum eſſet alias [illegible], injungit negotium hoc uni epiſcoporum. [illegible] & negante, & dicente Malachiam, [illegible], quæſitum; [illegible] contemptum iri, fruſtra fatigari nolle: Vade, inquit, & Dominus erit tecum. Et ill[e]: Acquieſco, ſed ſi me non audierint, ſcito me ad [illegible] paternitatem appellaturum. Subridens Malachias: Fiat, inquit. Tunc Epiſcopus convocatis partibus, dictat formam pacis: acquieſcunt, reconciliantur ad invicem; fide hinc inde data, ſtabilitur pax: & [illegible] eos. At pars una videns hoſtes factos ſecuros, imparatos eſſe, quippe qui pace facta mali nihil ſuſpicarentur; loquebantur mutuo, & dicebat homo ad [pro]ximum ſuum: Quid volumus facere? Victoria præ manibus eſt, & ultio de inimicis. Et cœpere inſequi illos. Innotuit Epiſcopo quod fiebat; & accurreos convenit ducem eorum ſuper iniquitate & dolo, ſed ſpretus ab illo eſt. Invocavit nomen Malachiæ adverſus eum, & nihili pendit: irridenſque Epiſcopum, Putaſne, inquit, propter te amittere debeamus malefactores noſtros, quos Deus tradidit in manus noſtras? Et recordatur verbi ſui Epiſcopus, quod habuerat cum Malachia, flens & ejulans, verſo vultu ad monaſterium ejus: Ubi es, ait, homo Dei? ubi es? Nonne hoc eſt, Pater mi, quod tibi dicebam? Heu, heu, veni, ut facerem bonum, & non malum; & ecce per me omnes, illi in corpore, iſti in anima pereunt! Multa in hunc modum loquebatur lamentans & plangens, & quaſi præſentem ſollicitans & compellans Malachiam adverſus malignantes. Interim vero impii cum quibus fecerant pacem, inſequi non deſiſtebant ad perdendum eos: & ecce ſpiritus mendax in ore quorumdam virorum, qui eos deciperet. Et occurrerunt illis in via viri, nuntiantes, factam irruptionem in terras ipſorum ab adverſariis: in ore gladii conſumi omnia, & diripi bona eorum, uxores quoque ac liberos tolli & abduci. His auditis, reverſi ſunt feſtinanter. Sequebantur ultimi primos, quo irent, aut quid acciderat, neſcientes. Nec enim omnes audierant viros loquentes. Cumque veniſſent, & inveniſſent nihil horum quæ nuntiata erant, confuſi ſunt, deprehenſi in malitia ſua. Et cognoverunt ſpiritui erroris ſe traditos propter nuntium Malachiæ quem deceperunt, & nomen ejus quod ſpreverunt. Porro Epiſcopus audiens fruſtratos proditores in iniquitate ſua quam cogitaverant, cum gaudio remeavit ad Malachiam, referens omnia per ordinem, quæ acciderant ſibi.

59. Sciens Malachias ejuſmodi occaſione pacem eſſe turbatam, nactus opportunum tempus, pacem per ſemet inter ipſos denuo reformare curavit, & firmare reformatam, datis & receptis altrinſecus fide & juramento. Verum illi, quibus ante pax fracta fuit, injuriæ memores, neglecto pacto & præcepto Malachiæ, tractaverunt de vice reddenda. Et congregati omnes in unum, ibant ut imparatos præoccuparent, redderentque in caput eorum malum, quod ſibi ipſi facere cogitaſſent. Et magno flumine, quod intererat, facillime tranſvadato, fluviolo, quem non procul ab illo offendêre, retenti ſunt. Neque enim jam fluviolus, ſed plane fluvius ingens apparuit, ubique ſui tranſire volentibus tranſitum negans. Mirari omnes tantum nunc eſſe, tantillum antehac fuiſſe ſcientes, & loqui inter ſe: Unde inundatio hæc? aër ſerenus eſt, imbres non ſunt, nec proxime fuiſſe meminimus. Et ſi multum pluiſſet, quis noſtrum umquam hactenus meminit in quantacumque illuvie ita intumuiſſe, ut operiret terram, ſata & prata pervaderet? Dextus [illegible] eſt iſte, & Dominus ſæpit vias noſtras propter ſanctum ſuum Malachiam, cujus ſumus prævaricati pactum, tranſgreſſi mandatum. Ita & hi infecto negotio, ad ſua æque confuſi repedaverunt. Divulgatum eſt verbum per univerſam regionem: & benedicebant Deum, qui comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & confringens cornua peccatorum, ſublimavit cornu chriſti ſui.

60. Aliquis de nobilibus infenſus Regi, reconciliatus eſt per manum Malachiæ. Nec enim Regi ſatis fidebat ille, ut pacem cum eo faceret, niſi mediante Malachia, aut quem Rex æque revereretur. Nec immerito, ut poſt apparuit. Nam factum ſecurum, & minime jam caventem ſibi, captum truſit in vincula, odio antiquo captus plus ipſe. Requiritur homo à ſuis de manu mediatoris: nec enim aliud amici exſpectare quàm mortem. Quid faceret Malachias? Non eſt quod poſſit, niſi ut recurrat ad ſuum illud ſolitum unicumque refugium. Congregato exercitu forti nimis, turba magna diſcipulorum ſuorum, adit hominem, requirit vinctum; negatur. Et Malachias: Inique, inquit, agis contra Dominum, & contra me, & contra teipſum, pactum prævaricans: ſi diſſimulas tu, ſed non ego. Credidit ſe homo fidei meæ: ſi contingat mori, ego prodidi eum, ego reus ſanguinis ejus. Quid tibi viſum eſt me proditorem, te prævaricatorem conſtituere? Noveris me, donec liberetur, nihil guſtaturum, ſed neque iſtos. Sic locutus, intrat eccleſiam: Deum omnipotentem ſuis, ſuorumque anxius gemitibus interpellat, ut injuſte addictum dignetur eripere de manu prævaricatoris & iniqui. Et ea die cum nocte ſequenti in jejunio & oratione perſtiterunt. Perlatum ad Regem, quid fieret; & magis inde induratum eſt cor ejus, unde emolliri debuerat. Init fugam, veritus homo carnalis, ne ſi prope remaneret, orationis non poſſet ſuſtinere virtutem. Quaſi vero vel abſconditum non inveniat, vel non perveniat ad remotum. Tu metas ponis, miſer, orationibus ſanctorum. Num eſt oratio jacta ſagitta, ut fugias à facie arcus? Quo ibis à Spiritu Dei, qui eam portat, & quo à facie ejus fugies? Denique fugientem inſequitur, invenit latitantem: eriſque cæcus & non videns, ut melius videas, & intelligas, quoniam durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Denique ſenti vel nunc, quia ſagittæ potentis acutæ pervenerunt ad te: quæ etſi reſilierunt à corde, quia ſaxeum eſt, ſed non ab oculis. Utinam per feneſtras ſaltem oculorum perveniant uſque ad cor, & vexatio det intellectum cæcitati. Cernere erat Saulum denuo ad manus trahi, & duci ad Ananiam, ad ovem ſcilicet lupum, ut refunderet prædam. Refudit, & recepit viſum, quod Malachias uſque adeo ovis eſſet, ut ſit miſertus & lupo. Diligenter ex his adverte, lector, cum quibus habitatio Malachiæ, quales principes, & quales populi. Quomodo non & is frater fuit draconum, & ſocius ſtruthionum? Et ideo dedit ei Dominus virtutem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, alligare Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Audi denique quid ſequatur.

Vir ſanctus ob erga regem pacti violatorem.

Stultus Rex credit ſe fuga latere poſſe Dominum.

Act. 9. 5.

Rex orbatur lumine, redditque captivum.

Job 30. 29.

C A P U T XXVIII.

Sacrum ædificium moliens, adverſarium patitur, ſed mox ultione divina correptum.

61. IS, cui Benchorenſis monaſterii ceſſerat poſſeſſiones, ingratus beneficio, extunc & deinceps inſolentiſſime ſemper ſe habuit adverſus eum & ſuos, in omnibus infeſtus, ubique inſidians, detrahenſque actibus ejus. At non impune hoc. Erat illi unicus filius, qui imitator patris, audens aliquid & ipſe in Malachiam, eodem anno mortuus eſt. Mortuus autem ſic. Viſum eſt Malachiæ debere conſtrui in Benchor Oratorium lapideum, inſtar eorum, quæ in aliis regionibus extructa conſpexerat. Et cum cœpiſſet jacere fundamenta, indigenæ quidem omnes mirati ſunt, quod in terra illa necdum ejuſmodi ædificia

Ultio Dei in Malachiæ obtrectatorem.

Oratorium ex lapide primum in Hibernia.

Tom. II. Osme X. I.

invenirentur. Verum ille nequam, ſicut erat præſumptuoſus & inſolens, non miratus eſt, ſed indignatus. Ex qua indignatione concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et factus ſuſurro in populis, nunc ſecreto detrahere, nunc blaſphemare palam; notare levitatem, novitatem horrere, ſumptus exaggerare. Hujuſmodi venenatis ſermonibus ſollicitans & inducens multos ad prohibendum: Sequimini me, inquit, & quod nonniſi per nos fieri debet, contra nos fieri non ſinamus. Itaque cum pluribus, quibus ſuadere valuit, deſcendit ad locum, repertum convenit hominem Dei, primus ipſe dux verbi, qui erat principium mali. O bone vir, quid tibi viſum eſt noſtris hanc inducere regionibus novitatem? Scoti ſumus, non Galli. Quænam levitas hæc? Quid opus erat opere tam ſuperfluo, tam ſuperbo? unde tibi pauperi & inopi ſumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid illud præſumptionis, inchoare quod non queas, non dico, perficere, ſed nec videre perfectum? Quamquam amentis magis eſt, quàm præſumentis[*], conari quod modum excedit, vincit vires, ſuperat facultates. Ceſſa, ceſſa, deſine à veſania hac. alioquin nos non ſinimus, non ſuſtinemus. Hoc dixit, prodens quid vellet, non quid poſſet conſiderans. Nam de quibus præſumebat, & ſecum adduxerat, viſo viro, mutati ſunt, & jam non ibant cum eo.

*vel prudentis.

Prædicit mortem obtrectatori.

62. Ad quem vir ſanctus, tota libertate utens: » Miſer, inquit, opus, quod inchoatum vides, & invides, » ſine dubio perficietur; perfectum videbunt multi. Tu » vero quia non vis, non videbis, & quod non vis, » morieris: attendito tibi, ne in peccato tuo moriaris. Ita eſt: ille mortuus eſt, & opus completum eſt: ſed ille non vidit, qui, ut præfati ſumus, anno eodem mortuus eſt. Interim pater audito mox, quid de filio vir ſanctus prædixiſſet, ſciens verbum ejus vivum & efficax eſſe: Interfecit, inquit, filium meum. Et inſtigante diabolo, tanto furore exarſit in illum, ut coram duce & majoribus Ulidiæ falſitatis & mendacii arguere non vereretur hominem, qui veraciſſimus eſſet, veritatis & diſcipulus, & amator: & convicium intulit, ſimiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os ſuum, dum conſiſteret peccator adverſus eum. Sed non Dominus oblitus ſermonis ſui, quem dixerat: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Eadem die domum reverſus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipſo ultore, quo inſtigatore laxarat. Arreptum in ignem projicit dæmon; ſed mox manibus aſſiſtentium extractus eſt; aduſtus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum inſaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum ſpumantia ora torquentem, horrendis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix poſſe teneri à pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus eſt: ſed ex parte. Nam ilico quidem ſancto orante, ille aperuit oculos & ſenſum recepit. Relictus eſt autem ei ſpiritus Domini malus, qui eum colaphizet, ut diſcat non blaſphemare. Credimus eum vivere uſque adhuc, & uſque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccavit in ſanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum eſſe. Porro prædictæ poſſeſſiones, cum jam pro ſui imbecillitate & inutilitate eas tenere non valuit: in pace ad locum, cujus exſtiterant, redierunt. Nec renuit Malachias poſt multam demum vexationem, pacis obtentu.

Vir ſanctus ad convicium nil reſpondet.

Deut. 32. 35.

Diabolus ei maledicentem invadit.

63. Sed jam ad opus ædificii, quod Malachias aggreſſus eſt, ſermo recurrat. Et quidem non erat Malachiæ, non dico unde perficeret, ſed unde faceret quicquam. Erat autem cor ejus fiduciam habens in Domino. Dominus vero providit, ut, etſi non ſperanti in pecuniæ theſauris, pecunia non deeſſet. Quis enim alius fecit, ut theſaurus eo loci reponeretur, repoſitus non reperiretur uſque ad tempus & opus Malachiæ? Invenit Dei famulus in Dei marſupio, quod deerat ſuo. Merito quidem. Quid enim juſtius, quàm ut cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret conſortium, & marſupium unum eſſet amborum? Fideli namque homini totus mundus divitiarum eſt. Et quid eſt ille, niſi quoddam marſupium Dei? Denique ait: *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* Inde eſt, quod Malachias repertos argenteos multos non repoſuit, ſed expoſuit. Nam totum munus Dei in Dei opus jubet expendi. Non ſuas, non ſuorum conſiderat neceſſitates; ſed jactat cogitatum ſuum in Domino, ad quem utique recurrendum non dubitat, quoties neceſſitas poſtularit. Nec dubium Dei opus eſſe, quod Deo revelante Malachias prævidit. Contulerat primum cum fratribus de opere illo: & multi præ inopia minus libenter aſſentiebant. Inde anxius dubiuſque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquirere, quænam foret voluntas Dei. Et die quadam de via regrediens, cum jam loco appropiaret, proſpexit eminus: & ecce Oratorium apparuit magnum lapideum, & pulcrum valde. Et intuens diligenter ſitum, formam & compoſitionem, cum fiducia arripit opus, prius quidem indicata viſione ſenioribus fratribus, paucis tamen. Sane totum, quod attente notavit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obſervavit, ut peracto opere, factum viſo ſimillimum appareret, acſi & ſibi cum Moyſe dictum audierit: Vide, ut omnia facias ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Eodem viſionis genere id quoque, quod in Saballino ſitum eſt, antequam fieret, præoſtenſum eſt illi, non modo Oratorium, ſed & monaſterium totum.

Exſtruit egregium Oratorium.

Theſauro reperto

Pſal. 49. 12.

Exod. 25. 40.

Saballinum monaſterium.

CAPUT XXIX.

Claret prophetiæ ſpiritu, & omni miraculorum gratia.

64. TRanſeunte illo per quamdam civitatem, & multitudine magna concurrente ad eum, caſu vidit juvenem inter alios videndi ſe curioſum. Aſcenderat lapidem, & ſtans ſuper ſummos articulos, extento collo, oculis & animo intendens in eum, quemdam illi de novo Zacchæum exhibebat. Nec latuit Malachiam, ſancto quidem Spiritu revelante, vere illum veniſſe in ſpiritu & virtute Zacchæi. Diſſimulavit tunc tamen, tacituſque pertranſiit. Ceterum in hoſpitio nocte ipſa narravit fratribus, quomodo illum vidiſſet, & quid prævidiſſet de illo. Die autem tertia, en ille cum viro quodam nobili, domino ſuo: qui aperiens votum & deſiderium juvenis, rogabat, ut à ſe commendatum recipere dignaretur, & habere de cetero inter ſuos. Et Malachias agnoſcens eum: Non eſt opus, inquit, ut quem jam Deus commendavit, homo commendet. Apprehenſumque manu ſua tradidit abbati Congano noſtro, & ille fratribus. Ipſe vero juvenis, adhuc (ni fallor) vivens primus Converſus laicus Surienſis monaſterii, teſtimonium habet ab omnibus, quod ſancte converſetur inter fratres ſecundum ordinem Ciſtercienſem. Et cognoverunt diſcipuli, etiam in hoc Malachiam prophetiæ ſpiritum habuiſſe; non ſolum autem, ſed & in eo, quod ſubjuncturi ſumus.

Luc. 19. 4.

65. Cum Sacramenta offerret, & appropiaſſet ei diaconus, facturus aliquid pro officio ſuo, intuitus eum ſacerdos, ingemuit, quod ſenſiſſet penes illum latere qood non conveniret. Peracto ſacrificio, ſecreto percunctatus de conſcientia ſua, confeſſus eſt, & non negavit illuſum ſibi per ſomnium nocte ipſa. Cui injungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodie miniſtraſſe; ſed verecunde te ſubtrahere ſacris, & deferre tantis tamque divinis myſteriis, ut hac humilitate purgatus, dignius exinde miniſtrares. Item alia vice ſacrificante illo, & orante hora ſacrificii, ea quidem ſanctitate & puritate cordis, qua ſolitus erat, adſtanti diacono viſa eſt columba intrare per feneſtram in claritate magna. Ea ſacerdos perfunditur totus, ea ſubobſcurior baſilica tota refulget. Columba vero aliquandiu circumvolitans, tandem reſidet ſuper crucem ante faciem ſacerdotis. Obſtupuit

Secreta cognoſcit.

Diaconum poſt illuſionem nocturnam officio fungentem, arguit.

Columba tempore ſacrificii.

diaconus & pavens tum pro luminis, tum pro volucris novitate quod illa ſit rara avis in terra, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans, ſeſe erigere auſus eſt, vel quando officii ſui neceſſitas poſtulavit. Poſt Miſſam ſeorſum conventus à Malachia, ſub periculo vitæ jubetur nullatenus ſecretum prodere quod vidiſſet, quoad viveret ipſe. Aliquando eum in Ardmacha eſſet cum quodam coepiſcopo ſuo, de nocte ſurgens, cœpit memorias Sanctorum, quæ in cœmeterio ſancti Patricii multæ ſunt, orando luſtrare: & ecce unum de altaribus ſubito ardere conſpiciunt. Ambo enim viderunt viſionem hanc magnam, & ambo mirati ſunt. At Malachias intelligens ſignum eſſe magni meriti illius, vel illorum, quorum ſub altari illo corpora requieſcerent, currens, & ſe mediis immergens flammis, expanſis brachiis ſacram amplexatus eſt aram. Quid ibi fecerit, quidve ſenſerit, nemo qui ſciat: ſed quod amplius ſolito, cœleſti igne ſuccenſus ex illo igne exierit, Fratrum qui cum eo tunc erant, reor neminem eſſe qui neſciat.

66. Hæc dicta ſunt, pauca quidem de pluribus, ſed multa pro tempore. Non enim ſignorum tempora hæc, ſecundum illud: *Signa non vidimus; jam non eſt Propheta.* Unde ſatis apparet, Malachias meus quantus in meritis ſuit, qui tam multus in ſignis exſtitit, & in raritate tanta. Quo enim antiquorum genere miraculorum, Malachias non claruit? Si bene advertimus pauca ipſa quæ dicta ſunt, non prophetia defuit illi, non revelatio, non ultio impiorum, non gratia ſanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum ſuſcitatio. Per omnia benedictus Deus, qui ſic amavit & ornavit eum: qui & magnificavit eum in conſpectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Amor probatur in meritis, ornatus in ſignis, magnificatio in ultione inimicorum, glorificatio in præmiorum retributione. Habes, diligens lector, in Malachia quid mireris, habes & quid imiteris. Nunc jam quid tibi ex his ſperandum ſit, ſtudioſius attende. Nam finis horum, pretioſa mors eſt.

CAPUT XXX.

Locum & diem mortis ſuæ prædicit, & cauſa pallii denuo iter ad Papam Eugenium ſuſcipit.

67. PErcunctatus aliquando, quonam in loco, ſi optio detur, extremum malit agere diem, (de hoc ſiquidem fratres quærebant inter ſe, quem ſibi quiſque deligeret) cunctatur, & non reſpondet. Inſtantibus illis: Si hinc migro, inquit, nuſquam libentius, quàm unde una cum noſtro Apoſtolo reſurgere poſſim. (Dicebat autem ſanctum Patricium.) Si peregrinari oportet, & ita permittit Deus, Claram-vallem delegi. Requiſitus item de tempore, diem reſpondit ſollemnem omnium defunctorum. Si ſimplex votum putatur, impletum eſt; ſi prophetia, ne iota præteriit. Sicut audivimus, ſic vidimus de loco pariter, & de die. Dicamus breviter, quo ordine iſtud, quave occaſione provenerit. Ægre ſatis ferebat, Hiberniam uſque adhuc pallio caruiſſe, utpote æmulator ſacramentorum: quorum ne uno quolibet gentem ſuam vellet omnino fraudari. Et recordatus ſibi à Papa Innocentio fuiſſe promiſſum; inde magis triſtari, quod dum adhuc ille ſuperfuit, non fuit miſſum pro eo. Et nactus occaſionem, quod Papa Eugenius ſummam regiminis teneret, & eo temporis uſque in Franciam appropiaſſe nuntiaretur, opportunitatem requirendi ſe inveniſſe gaviſus eſt. Præſumebat autem de illo, utique viro tali, & de tali aſſumpto profeſſione: magis vero, quod ſuæ Claræ-vallis ſpecialis filius extitiſſet, nec timeret apud illum ſe ullam ſuſtinere difficultatem. Itaque convocantur epiſcopi, concilium cogitur: tractata triduo, quæ tempori imminerent: die quarto aperitur conſilium de pallio requirendo. Placet, ſed ſi per alium requiratur. Tamen quia brevior via, & ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit qui ejus obviare præſumeret conſilio & voluntati. Et Malachias, ſoluto concilio, arripit iter. Proſequuntur eum, qui convenerant fratres, uſque ad littus, non multo tamen, ipſo nimirum prohibente. Ad quem unus illorum, Catholicus nomine, flebili voce & vultu: Heu, tu abis, inquit, & in quanta pæne quotidiana vexatione me deſeris, non ignoras, nec fers opem miſertus mei! Si ego dignus qui patiar, fratres quid peccaverunt, qui vix diem, noctemve ullam à tam laborioſa cura & cuſtodia mei feriatam habere ſinuntur? His verbis & lacrymis filii (flebat enim) paterna viſcera concuſſa ſunt, & amplexatus eſt eum blandiendo, impreſſoque pectori ejus ſigno crucis: Certus eſto, inquit, te ejuſmodi nil paſſurum, donec redeam. Erat autem epilepticus, & cadebat frequenter, ita ut interdum non ſemel, ſed ſæpius pateretur in die. Hoc jam per ſex annos morbo horrido laborabat: ſed ad verbum Malachiæ perfecte convaluit. Ab illa hora nil tale perpeſſus eſt, nil tale (ut confidimus) deinceps perpeſſurus, quia Malachias deinceps rediturus non eſt.

68. In ipſo aſcenſu navis accedunt duo ex his, qui illi familiarius adhærebant, audentes & petentes aliquid ab eo. Quibus ille: Quid vultis? Non dicimus, inquiunt, niſi ſpondeas te daturum. Spondet. Et illi: Volumus nobis certo promitti à tua dignatione, te in Hiberniam incolumem reverſurum. Inſtare & ceteri omnes. Tum ille parumper deliberans, pœnitere primo quod ſe alligaſſet, qua exiret non inveniens. Anguſtiæ undique, dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo, voti videlicet, aut promiſſi. Viſum eſt tandem id potius eligendum, quod in præſentiarum plus urgeret, reliquum ſupernæ committendum diſpoſitioni. Annuit triſtis quidem; ſed magis illos noluit contriſtare: & ſpondens eis, ut volunt, aſcendit navem. Et eum jam fere medium iter æquoreum peregiſſent, ſubito contrarius ventus navem repellit, & reducit in terram Hiberniæ. Deſcendens de navi, in ipſo portu in quadam ſua eccleſia pernoctavit. Et lætus, gratias egit divinæ conſilio providentiæ, quo factum eſt, ut jam fecerit ſatis pro ſua promiſſione. Mane vero intrans navem, ipſa die proſpero curſu transfretavit, & venit in Scotiam. Die tertia pervenit ad locum, qui Viride-ſtagnum dicitur: quem fecerat præparari, ut ibi ſtatueret abbatiam. Et relicto illic de filiis ſuis, fratribus noſtris, monachorum conventu & abbate, (nam ſecum ad hoc ipſum eos adduxerat) valedicens eis, profectus eſt.

69. Et cum tranſiret, occurrit ei rex David, à quo ſuſceptus eſt cum gaudio, & retentus per aliquot dies: multaque operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertranſiens Scotiam, in ipſo introitu Angliæ divertit ad eccleſiam Giſiburnenſem, ubi habitant viri religioſi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro ſua religione & honeſtate. Ibi adducta eſt ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgo appellant, ipſo horrendum viſu; & ſanavit eam. Nam ubi aqua, cui benedixit, adſperſa ſunt ulcerum loca, dolorem non ſenſit. Die vero ſequenti vix ulcera apparebant. Abiens inde, ad mare venit; ſed negatur tranſitus. Cauſa, ni fallor, fuit orta ſimultas quædam inter ſummum Pontificem & Regem Angliæ, quod Rex neſcio quid mali ſuſpicaretur de bono illo homine, ſi tranſiret. nam neque alios epiſcopos tranſire ſinebat. Quod quidem impedimentum, etſi fuit contrarium Malachiæ voluntati, ſed non voto. Dolebat differri à deſiderio ſuo, neſciens magis per hoc impletum iri. Nam ſi incontinenti tranſiſſet, oportebat tranſire etiam Claram-vallem, ut ſummum Pontificem ſequeretur. Jam enim abierat, & erat Romæ, aut prope Romam. Nunc vero intercedente dilatione factum eſt, ut tardius transfretans, ad locum & horam ſanctiſſimi ſui obitus opportune occurreret.

Margin notes: Locum & tempus mortis deſignat. — Ea quæ ad facri pallii inſignia ſunt ſtudioſiſſimus. — Curat epilepticum. — Spondet ſe reverſurum. — Quomodo id factum. — Abbatiam ſtruit in Scotia. — Mulier aqua benedicta ſanata.

CAPUT XXXI.

Rurſus Claram-vallem venit, moriturus loco & tempore quo deſideraverat.

Malachias iterum Claræ-vallem venit

70. QUi à nobis ſuſceptus eſt, tamquam verus, ab Occidente veniens, viſitans nos Oriens ex alto. O quantum noſtræ Claræ-valli irradians ſol ille claritatis adauxit! quàm jucundus ad ejus introitum dies feſtus illuxit nobis! Hæc dies, quam fecit* Dominus, exſultatum & lætatum in ea! Quàm celer & ſaliens, tremulus licet ac debilis, mox ipſe occurri! quàm lætus in oſcula tui! quàm lætis brachiis miſſam mihi B cælitus amplexatus ſum gratiam! quàm alacri vultu & animo, mi Pater, introduxi te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ! Quàm feſtivos deinde tecum duxi dies, ſed paucos! Quid vero ille viciſſim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem peregrinus noſter omnibus ſe præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quàm bonum, & quàm jucundum agebat hoſpitem apud eos, quos nimirum videre venerat à finibus terræ, non auditurus Salomonem, ſed exhibiturus. Denique audivimus ſapientiam ejus, tenuimus præſentiam ejus, & tenemus. Jam quatuor aut quinque dies hujus noſtræ ſollemnitatis defluxe- C rant, cum ecce die ſollemni beati Lucæ Evangeliſtæ, Miſſa in conventu ſua illa ſancta devotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit: & nos cum illo omnes. Extrema gaudii noſtri mæror occupat, moderatior tamen, quod levior interim febris eſſe videretur. Videres diſcurrere fratres, dandi avidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? Cui non dulcius miniſtrare illi? Utrumque ſuave, utrumque ſalutare. Et humanitatis erat præbere obſequium, & profectus cuique ſui, cum gratiam reportaret. Aſſiſtere omnes, omnes ſolliciti erant circa frequens miniſterium: medicamenta perquirere, adhibere fomenta, urgere ſæpius ad guſtandum. Ad quos ille: Sine cau- D ſa, inquit, hæc; ſed caritate veſtri facio quicquid injungitis. Sciebat enim imminere tempus ſuæ migrationis.

* al. dedit

Convictus & converſatio ejus gratiſſima.

Miſſa celebrata in morbum incidit.

Mortis ſuæ diem imminere prædicit.

71. Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentius inſtarent dicentes, non oportere diffidere de vita; nec enim ſigna mortis in eo aliqua apparerent: Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert: Ecce appropinquat dies, quem, ut optime noſtis, optavi ſemper ipſum fore diem reſolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus ſum; non fraudabor reliquo deſiderii mei, qui partem jam teneo. Qui me ſua miſericordia perduxit ad locum quem petu, terminum quem æque volui, non negabit. Quod ad hoc corpuſculum attinet, hic requies mea: quod ad E animam, Dominus providebit, qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Nec parum ſpei repoſitum mihi in die illa, qua mortuis tanta à vivis beneficia impenduntur. Nec longe aberat dies ipſa, cum talia loqueretur. Interea jubet ſe ſacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum ut ſollemniter fieret, non ſuſtinuit ut ad ſe aſcenderent: ipſe deſcendit ad eos. Jacebat ſiquidem in ſolario* domus ſuperioris. Ungitur, & ſumpto Viatico, fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. Alto de ſolario deſcendebat pedibus ſuis, & turſum nihilo minus ſuis pedi- F bus aſcendebat: & dicebat mortem eſſe in januis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipſe, & Deus id ſcire poterant. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur; non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non adufti dentes, non collum exeſum & gracile, non curvi humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis ejus, & hæc gloria vultus ejus, quæ non evacuatur, ne in morte quidem. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat, viventi ſimilior.

Nota quid ſentiat de ſuffragiis defunctorum.

Deſcendit pro unctione & Viatico

* al. eſt in cubiculo ſuperiori. al. maleſo. perſolium.

72. Cucurrimus uſque huc: ſed modo hæremus, quia Malachias curſum conſummavit. Stat ille, & nos pa- A riter ſtamus cum eo. Alioquin quis libenter currat ad mortem? præſertim tuam, Pater ſancte, quis referre poſſit? quis velit audire? Attamen diliximus nos in vita, in morte non ſeparabimur. Fratres, non relinquamus in morte, quem in vita proſecuti ſumus. Ab ulteriori Scotia uſque huc cucurrit ille ad mortem: eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet, oportet dicere, quam cernere neceſſe fuit. Adeſt Omnium Sanctorum clara ubique celebritas; ſed juxta veterem ſententiam, *Muſica in luctu importuna narratio eſt.* Adſumus, canimus vel inviti. Flendo cantamus, & cantando flemus. Malachias etſi non cantat, non plorat B tamen. Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus: ſolus Malachias feſtum facit. Quod enim non poteſt corpore, facit mente, ſicut ſcriptum eſt: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Deficiente illi corporis inſtrumento, ſilente organo oris, officio vocis ceſſante, reliquum eſt, ut mentis jubilo ſollemnizet. Quidni ſollemnizet ſanctus, qui Sanctorum ducitur ad ſollemnitatem? Exhibet illis, quod mox ſibi debebitur. Adhuc modicum, & ipſe unus ex illis eſt.

Omnium Sanctorum celebritas. Eccli. 22. 6.

Pſal. 75. 11.

73. Sub noctis crepuſculo, cum jam utcumque diei à C nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquaverat, non crepuſculo, ſed auroræ. Annon illi aurora, cui nox præceſſit, dies autem appropinquavit? Itaque febre invaleſcente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere ſudor, ut quodammodo tranſiens per ignem & aquam, educeretur in refrigerium. Jam deſperatur de vita ejus, jam quiſque ſuum judicium reprehendit, jam nulli dubium, Malachiæ ſententiam prævalere. Vocamur: adſumus. Et ille oculos levans in circumſtantes: Deſiderio deſideravi, inquit, hoc paſcha manducare apud vos. Gratias ago ſupernæ pietati: non ſum fraudatus à deſiderio meo. Vides hominem ſecurum in morte, & necdum mor- D tuum, jam certum de vita? Nec mirum. Videns adeſſe noctem, quam exſpectaverat, & in ipſa diſcere ſibi; quaſi de nocte triumphans, videtur inſultare tenebris, & quodammodo loqui: Jam non dicam, Forſitan tenebræ conculcabunt me, quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. Et blande nos conſolans: Habete, inquit, curam mei; ego veſtri, ſi licuerit, non obliviſcar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia poſſibilia credenti. Amavi Deum: amavi vos, & caritas numquam excidit. Et ſuſpiciens in cælum: Deus, inquit, ſerva eos in nomine tuo: non ſolum autem eos, ſed & omnes, qui per verbum ac miniſterium meum tuo ſe mancipavere ſervitio. Deinde imponens manus ſingulis, & benedicens omnibus, pau- E ſatum ire jubet, quia nondum venerat hora ejus.

Deſiderium mortis.

Morientis verba.

74. Imus: redimus circa medium noctis. nam ea hora lux lucere in tenebris nuntiatur. Impletur domus: adeſt congregatio tota: Abbates quoque multi qui convenerant. Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus proſequimur amicum repatriantem. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, loco & tempore, quo prælegit, & prædixit Malachias epiſcopus & legatus ſanctæ apoſtolicæ Sedis, velut è manibus noſtris aſſumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino. Et vere obdormivit. Vultus placidus placidi exitus F indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui quando exivit, advertere potuiſſet. Mortuus vivere, & vivens mortuus putabatur: adeo nil intercidit, quod alterutrum diſterminaret. Eadem vivacitas vultus, ſerenitas eadem, qualis apparere ſolet in dormiente. Diceres mortem nil horum tuliſſe, magis auxiſſe plurimum. Non eſt mutatus, ſed ipſe mutavit omnes. Mirum in modum luctus & gemitus omnium ſubito conquieſcit: mutatur in gaudium mæror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cælum voces, infertur Oratorio Abbatum humeris. Vicit fides, triumphat affectus, res in ſuum devenit ſtatum: cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt.

Obitus ejus.

Mortuus viventi ſimilis.

75. Et revera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quaſi non ſit pretioſa mors ejus, quaſi non ſit magis ſomnus, quam mors; quaſi non ſit mortis portus, & porta vitæ? Malachias amicus noſter dormit, & ego lugeam? Luctus iſte uſu ſe, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto ſuo ſomnum, & talem ſomnum, in quo hereditas Domini, filii merces, fructus ventris: quid horum videtur fletum indicere? Egone fleam illum, qui fletum evaſit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus eſt in gaudium Domini ſui; & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invideo. Interim parantur exſequiæ: offertur pro eo ſacrificium; conſummantur ex more omnia cum ſumma devotione. Stabat eminus puer, cui emortuum pendebat à latere brachium, magis illi impedimento, quàm uſui. Quo comperto, innuit ut accederet: & apprehenſam aridam manum applicui ad manum Epiſcopi, & vivificavit eam. Nempe vivebat in mortuo gratia ſanitatum: & manus ejus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Eliſæus. Puer ille de longe venerat, & manum quam pendentem attulerat, ſanam in patriam reportavit. Jam omnibus rite peractis, in ipſo Oratorio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo ſibi bene complacuit Malachias, traditur ſepulturæ, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo, quarto Nonas Novembris. Tuum eſt, Jeſu bone, depoſitum, quod nobis creditum eſt; tuus theſaurus, qui reconditur penes nos. Servamus illum reſignandum in tempore, quo repoſcendum cenſueris: tantum ut abſque contubernalibus ſuis non egrediatur, ſed quem habuimus hoſpitem, habeamus ducem, tecum & cum ipſo pariter regnaturi in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tom II. Opusc. XLI.

4 Reg 13 21

Annus & dies obitus ejus.

Duos de S. Malachia Bernardi Sermones habes in tomo tertio.

ADMONITIO IN OPUSCULUM XIII.

I. *Librum de ratione cantus, Bernardo adſcriptum, mihi quondam ſuppeditavit pia ac ſuſpicienda memoria Johannes Bona, tunc congregationis ſuæ abbas generalis, poſtmodum S. R. E. cardinalis. Libro præmiſſa eſt epiſtola, quam Bernardi eſſe exiſtimavi: at tractatum ipſum eis aſſignandum, quos hujus operæ ſubſidiarios adſcivit, ut ſane ipſa innuit epiſtola. In codice Fuſniacenſi idem Opuſculum tribuitur Guidoni Cariloci abbati ſub hoc titulo:* Epistola domni Guidonis abbatis Cari-loci de Cantu. *Hæc incipit ab iſtis verbis:* Cantum, quem Ciſtercienſis Ordinis eccleſiæ cantare conſueverunt &c. *Tractatus autem ab iſtis:* Præmonitos autem eſſe volumus &c. *Guid. Cariloci in diœceſi Veſontionenſi abbas, is eſt, in cujus gratiam Bernardus ſcripſit epiſtolam* CXCVII. *& duas ſequentes. Ne hunc eſſe iſtius tractatus auctorem omnino perſuaſum habeam, movet quod auctor ſub finem* comprovinciales *appellat eccleſias, Remenſem, Belvacenſem, Ambianenſem, & Sueſſionenſem. Deinde quod memorans Antiphonarium Sueſſionenſe, ſubdit,* quod quaſi ad januam habes. *Ex quo veri ſimilius videtur, auctorem hunc fuiſſe monachum aut abbatem Longi-pontis haud longe ab urbe Sueſſionica. Forſan is libri auctor fuerit cum Guidone Cariloci abbate. nam plures huic operi ſubſidiarios adhibuit Bernardus. An Gerardus abbas Longi-pontis, laudatus in lib.* VII. *de vita Bernardi cap.* XI. *An forte alius Guido tum abbas erat Caroli loci prope Silvanectum?*

II. *Dubitant nonnulli, num re vera tractatus iſte ſcriptus ſit vivente Bernardo, propterea quod ex quibuſdam primis epiſtolæ & tractatus verbis colligitur,* diu *poſt exordia Ciſtercienſis Ordinis hæc ſcripta fuiſſe. Verum ejuſmodi tractatus nuper compactus ſervabatur in exemplari Bibliorum, quod per Stephanum Ciſtercii abbatem tertium emendatum eſt, ad cujus normam omnia ejuſdem Ordinis Biblia corrigi præceptum erat: quod ipſum de Antiphonario præſcriptum eſt. Ea erat primorum iſtius Ordinis cura & ſollicitudo in res ſacras. Subjectus, inquam, erat tractatus iſte primario illi Bibliorum correcto exemplari, ſed poſtea ab eo avulſum, ut ego ipſe ex indice contentorum, & ex vacuo ſpatio deprehendi. Et certe hoc Opuſculum primis illis Ordinis temporibus conditum fuiſſe intelligitur ex initio ejus, ubi mentio fit de Ciſtercienſibus, qui* Regulæ veritatem *ſeu puritatem,* prætermiſſis aliorum diſpenſationibus, *tunc* tenebant. *quod de primis temporibus intelligendum eſt. Et in libro Inſtitutorum Ciſtercienſium, quæ anno* MCXXXIV. *à Rainardo Ciſtercii abbate collecta creduntur, inter eos libros, qui novellis monaſteriis neceſſarii ſunt, capite* XII. *numeratur Antiphonarium, cui præmiſſus erat hic tractatus in codice Ciſtercienſi. Sed omnem dubitationem adimit vita Stephani abbatis Obazinenſis, auctore ejus æquali, nuper edita ab erudito Baluzio in tomo* IV. *Miſcellaneorum, ubi hæc verba leguntur in lib.* II. *cap.* XIII. Sed ſciendum, quod libri, quibus primo Ciſtercienſes in divinis officiis uſi ſunt, valde corrupti ac vitioſi fuerunt, & uſque ad tempora ſancti Bernardi ſic permanſerunt. Tunc enim Abbatum communi decreto, ab eodem ſancto Abbate ejuſque cantoribus ſunt correcti & emendati, & ſicut modo habentur diſpoſiti. *Nihil luculentius hoc teſtimonio afferri poteſt.*

III. *In Supplemento Patrum, quod R. P. Jacobus Hommeyus Auguſtinianus anno* MDCLXXXIV. *Pariſiis vulgavit, libello de ratione cantandi Antiphonarium ſubjungitur tractatus de ratione cantandi Graduale: de quo cum nulla fiat mentio in Bernardi epiſtola, ſed tantum de Antiphonario, an Bernardo ejuſve hoc in opere ſociis tribui debeat, merito dubitare licet; multo magis de ceteris apud Hommeyum, quæ Bernardi eſſe non putamus. Hic ſubjicienda eſt admonitio piiſſimi quondam viri Johannis Bona, de hoc Opuſculo ad me tranſmiſſa, quæ ſic habet ut ſequitur.*

Tom II Opuſc. XIII.

D. JOANNES BONA *Congregationis reformatæ* S. BERNARDI, *Ordinis Ciſtercienſis, Abbas generalis,*

LECTORI Salutem.

IN celebri monaſterio ſancti Salvatoris de monte Amiato Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Senenſi, extat ejuſdem Ordinis vetus Antiphonarium, quod ſecum è Ciſtercio monachi detulerunt, cum primum Ciſtercienſis Reformatio in illud cœnobium introducta fuit à Ven. Raynerio abbate anno Domini MCCXXXI. *Huic Antiphonario præfixus eſt hic Tractatus, D. Bernardo Clara-vallenſi abbati adſcriptus. Nec dubito quin alia ejus exemplaria in aliis abbatiis Ordinis reperiantur. Carolus de Viſch in Bibliotheca Ciſtercienſi unius meminit his verbis:* In monaſterio Laudenſi in Flandria ſervatur ejuſdem (S. BERNARDI) Epiſtola de ratione cantus nondum edita, cujus initium eſt: BERNARDUS humilis abbas Claræ-vallis. *Poſſevinus in Bibliotheca ſelecta lib.* XV. *cap.* VI. *ceteris ſcriptoribus, qui de Muſica ſcripſerunt, S. Bernardum connumerat. Angelus Picigitonenſis Minorita edidit Venetiis anno* MDXLVII. Floris angelici de cantu plano & figurato libros duos, *quorum primo pluries citat ex hoc tractatu, nominatim cap.* XXIX. Hoc, *inquit*, comprobat S. BERNARDUS in ſua Muſica, dicens, ubi molliorem ſonum fieri expedit, B molle quandoque ponitur, furtim tamen, ne cantus ſimilitudinem alterius toni aſſumere videatur. *Cap. item* XLVI. *de terminatione tonorum:* Doctiſſimus tam in divinis, quàm in humanis ſcientiis S. BERNARDUS has litteras deſcribit in ſua bene ponderata Muſica, ubi dicit quod hæ litteræ D, E, F, G, ſunt cantuum terminativæ. *Et cap.* XLVII. *de aſcenſu & deſcenſu tonorum:* Omnis tonus, *ait*, decem notas habere poteſt, ut aperte deſcribit non minus verax, quàm doctus S. BERNARDUS in bene conſiderato Prologo ſuæ Muſicæ, aſſignans tres potiſſimum rationes, videlicet pſalterii auctoritatem, dignitatis æqualitatem, & notandi neceſſitatem. *Quæ omnia cum præciſe habeantur in hoc tractatu, hinc ſatis evidenter deducitur, ejus auctorem eſſe Bernardum. Nec ſtylus refragatur, quantum proprii Muſicæ termini patiuntur. Voce barbara,* maneria *ſive* maneries, *quæ hic ſæpe repetitur, utuntur paſſim Muſici. Reperitur etiam in libello* de Muſica practica, *apud Bedam: nam Bedæ perperam adſcriptum eſſe evincunt notæ muſicales, trecentis fere annis eo poſteriores, & multa quæ ibi ſunt ad verbum accepta ex Doctrinali & Micrologo Guidonis Aretini. Ipſe quoque Bernardus ea voce uſus eſt epiſt.* CCCXXXIX. *ad Balduinum. Ex his autem apparet, quàm ſollicite curaverint Majores noſtri, ut in divinis officiis omni remota indecentia & novitate, eccleſiaſtica gravitas & majeſtas tam in cantu, quàm in verbis conſervaretur. Animus erat uberioribus notis hunc Tractatum illuſtrare: ſed re maturius perpenſa, ab his abſtinui. nam Muſicæ diſciplinæ peritis ſuperfluæ, ignaris inutiles forent. Vide interim quæ de cantu eccleſiaſtico, & de tonis diſſero* in mea pſallentis Eccleſiæ Harmonia cap. XVII. §. 3. & 4.

S. BERNARDI ABBATIS

Opuſc. XIII.

EPISTOLA SEU PROLOGUS,

Super Antiphonarium Ciſtercienſis Ordinis.

BERNARDUS humilis abbas Claræ-vallis omnibus tranſcripturis hoc Antiphonarium, ſive cantaturis in illo.

INter cetera quæ optime æmulati ſunt Patres noſtri, Ciſtercienſis videlicet Ordinis inchoatores, hoc quoque ſtudioſiſſime & religioſiſſime curaverunt, ut in divinis laudibus id cantarent, quod magis authenticum inveniretur. Miſſis denique qui Metenſis eccleſiæ Antiphonarium (nam id Gregorianum eſſe dicebatur) tranſcriberent, & afferrent; longe aliter rem eſſe quàm audierant, invenerunt. Itaque examinatum diſplicuit, eo quod & B cantu, & littera inventum ſit vitioſum, & incompoſitum nimis, ac pæne per omnia contemptibile. Quia tamen ſemel cœperant; & uſi ſunt eo, & uſque ad noſtra tempora retinuerunt. Tandem aliquando non ſuſtinentibus jam fratribus noſtris Abbatibus Ordinis, cùm mutari & corrigi placuiſſet, curæ noſtræ id operis injunxerunt. Ego vero accitis ex ipſis fratribus noſtris, qui in arte & uſu canendi inſtructiores atque peritiores inventi ſunt, de multis & diverſis novum tandem Antiphonarium in ſubjectum volumen collegimus, & cantu (ſicut credimus) & littera irreprehenſibile. Denique cantator ipſius, ſi tamen gnarus C fuerit, hoc probabit. Ita ergo ut demum mutatum eſt, & in hoc volumine continetur, volumus in noſtris de

Bernardo imponitur cura reſtituendi Antiphonarii.

A cetero monaſteriis tam verbo, quàm nota ubique teneri; & mutari omnino in aliquo ab aliquo, auctoritate totius Capituli, ubi ab univerſis Abbatibus concorditer ſuſceptum & confirmatum eſt, prohibemus. Porro mutationis hujus cauſam & rationem, ſi quem evidentius & plenius noſſe delectat, legat ſubjectam præfatiunculam, quam præfati diſcuſſores veteris Antiphonarii ad hoc ipſum præponere curaverunt: ut palam factis quæ in illo erant, tam cantus, quàm litteræ vitiis, renovationis & correctionis neceſſitas atque utilitas clarius appareret.

B

PRÆFATIO SEU TRACTATUS

De cantu ſeu correctione Antiphonarii.

1. CAntum quem Ciſtercienſis Ordinis eccleſiæ cantare conſueverant, licet gravis & multiplex obfuſcet abſurditas, diu tamen canentium commendavit auctoritas. Sed quia penitus indignum videbatur, qui regulariter vivere propoſuerant, hos irregulariter laudes Deo decantare; ex eorum aſſenſu cantum ita correctum invenies, quatenus eliminata falſitatum ſpurcitia, expulſiſque illicitis ineptorum licentiis, integra regularum veritate fulciatur, aliorumque C cantibus, quibus erat deterior, ad notandum & cantandum commodior habeatur. Dignum ſiquidem eſt, ut qui tenent Regulæ veritatem, prætermiſſis aliorum

Non poſſe mutari cantum ſine morum mutatione docent Cicero l. de legib. Plutarch l. de muſica, &c.

diſpenſationibus, habeant etiam rectam canendi ſcientiam, repudiatis eorum licentiis, qui ſimilitudinem magis, quam naturam in cantibus attendentes, cohærentia disjungunt, & conjungunt oppoſita; ſicque omnia confundentes, cantum prout libet, non prout licet, incipiunt & terminant, deponunt & elevant, componunt & ordinant. Unde nemo miretur aut indignetur, ſi cantum aliter quàm huc uſque audierit, in pleriſque mutatum invenerit. Ibi enim aut irregularis eſt progreſſio, aut progreſſioni ſive diſpoſitioni reclamat oppoſitio*, aut oppoſitionem diſſolvit oppoſitio. Hæc omnia cum vitia ſint regularum, perfectionem magis exterminantia, quàm determinantia, omnino procul ſint ab illis qui vitia magis abſcindere, quàm diſpenſare noverunt. Denique cum Muſica recta ſit canendi ſcientia, omnes hujuſmodi cantus à Muſica excluduntur, qui nimirum non recte, ſed irregulariter & inordinate canuntur. De mutatione namque litteræ facilis eſt, niſi fallimur, excuſatio. Eam nimirum in pleriſque adeo parcam & reſtrictam reperimus, ut in eadem hiſtoria idem verſus ter repeteretur aut quater, ac ſi in toto veteri ac novo Teſtamento reperiri non poſſet quippiam, quod adeo commode poſſet apponi. In multis etiam hiſtoriis Poſtcommuniones ab iis, qui ſimplicitatem cantus ignorant Antiphonarii, pro Reſponſoriis appoſitas invenimus: quibus verſus ſubjuncti ita miſere cohærentes, ut notari non poſſet, ſecundum quod eos pronuntiari neceſſarium erat.

Quid præſtitum à correctoribus.

2. Dedimus ergo operam, ut in nulla hiſtoria idem verſus pluſquam ſemel reperiatur; immo, niſi fallimur, vix tres verſus reperies, qui in toto Antiphonario vel bis contineantur. Poſtcommuniones autem quaſdam removimus, uſitata & authentica pro eis reſponſoria apponentes: quorumdam vero litteram ut ſanctam & evangelicam retinentes, honeſtate & pulcritudine cantus ſupercoloravimus, ſobriam tamen atque prudentem muſicam ubique ſervantes. In multis denique locis litteram veteris Antiphonarii tantæ remiſſionis atque diſſolutionis eſſe comperimus, ut multis falſitatibus ſive apocryphorum næniis reſperſa, non ſolum tædium, ſed & odium ſui legentibus inferret; ita ut novitii qui ſub eccleſiaſtica diſciplina eruditi fuerant, ipſum Antiphonarium tum pro littera, tum pro nota faſtidientes & ignorantes, in divinis Laudibus tardiores redderentur & ſomnolentiores. Præmonitos autem eſſe volumus eos maxime qui libros notaturi ſunt, ne notulas vel conjunctas disjungant, vel conjungant disjunctas: quia per hujuſmodi variationem gravis cantuum oriri poteſt diſſimilitudo: inſuper & ſingulos cantus in propriis ſtudeant terminare finalibus, per quarum inconſultam tranſmutationem tanta in cantibus orta eſt confuſio, ut plures eorum alterius ſint maneriæ, & alterius deputentur.

Quot cantuum modi. Vide Gaudent. lib. de Muſica &c.

3. Quatuor enim ſunt diverſitates ſive maneriæ cantuum, quibus omnis ipſorum multiplicitas includitur. Hæ apud Græcos vocantur, protus, deuterus, tritus, tetradus. Hæ inter ſe oppoſitæ ſunt, & certis ab invicem differunt proprietatibus. Prima enim maneria eſt, quæ ab voce qua terminatur aſcendit per tonum poſt ſemitonium, & deſcendit per tonum. Hæc duas tantum habet finales D & A, quarum utraque habet ſupra ſe prius tonum, poſt ſemitonium, & ſub ſe tonum. Secunda maneria eſt, quæ à voce qua terminatur, aſcendit per ſemitonium & tonum, & per tonum deſcendit. Hæc iterum habet duas finales E & B quadratum, apud quas nimirum illum aſcenſum & deſcenſum naturaliter invenies. Tertia maneria eſt quæ aſcendit per duos tonos, & deſcendit per ſemitonium: quæ nihilominus habet duas finales F & C, utpote talium proprietatum ſuſceptivas. Quarta aſcendit per duos tonos, & deſcendit per tonum: & hæc unam tantum habet finalem G. Prima maneria duos continet modos, qui toni vulgariter dicuntur, videlicet primum & ſecundum: ſecunda duos, tertium & quartum: tertia duos, quintum & ſextum: quarta duos, ſeptimum & octavum. Bini vero & bini toni, qui ſub ſingulis continentur maneriis, non diſtinguuntur à ſe diverſitate finalium, quas prorſus eaſdem habent, ſed progreſſione & compoſitione: quarum altera quantitatem, altera qualitatem determinat. Qui ergo libros notaturus es, tuæ diligenter imprime memoriæ, quod omnes cantus primæ maneriæ, qui facti ſunt, vel qui regulariter fieri poſſunt, in D tantum & in A terminari habent; & quicumque cantus poteſt ponere in aliqua illarum, primæ profecto eſt maneriæ, id eſt primi vel ſecundi toni. Utrumque, inquies, falſum: quia nec omnes cantus primæ maneriæ in illa tantum poſſunt terminari, cum & finem in G ponant per B rotundum; nec omnes qui in illa terminantur primæ ſunt maneriæ: quia *Benedicta tu in*, & *Pater amat me*, & multæ conſimiles Antiphonæ, in A tantum habent terminari; & tamen ſunt ſecundæ maneriæ quarto tono deputatæ. Hæc quidem opinio jam multos fefellit, quam adduxit in medium B rotundi adjectio, per quam multis erroribus Muſicam maculavit ineptorum præſumptio. Sane non ſecundum aliquid accidentaliter adjectum, ſed ſecundum primam & propriam litterarum inſtitutionem diſtincta eſt finalium proprietas, apud quas nimirum principale & maximum de cantu verſatur judicium. In naturali autem computo litterarum ſeptem invenies, quæ graves nominantur. Hæ ut cantus liberius diſcurreret duplicatæ; quædam vero ex ipſis triplicatæ ſunt: in duplicatione acutas, in triplicatione ſuperacutas reperies. Conſideratis litterarum ſingularum habitudinibus, quas habent ad proximas ſibi litteras altrinſecus poſitas, nullam profecto reperies præter D & A, quæ aſcendat per tonum & ſemitonium, & deſcendat per tonum. Unde & hæ tantum finales ſunt primæ maneriæ, cujus eſt proprium ſic aſcendere & deſcendere. G ergo excluditur, quod in naturali ordine litterarum & ubi prius ponitur, & unde repetitur, nequaquam per tonum & ſemitonium, ſed per duos tonos directe aſcendit.

De inventione B rotundi.

4. In hoc litterarum ordine non computatur B rot. Patet enim omnibus, quod non ſit aliqua de gravibus; cum etiam inter eas nuſquam ponatur: ſed nec aliqua de acutis, cum nulli gravium per duplarem conjungatur proportionem. Eſt autem inventum, non ad proprietatem finalium determinandam, ſed ad ſervandam in pleriſque cantibus euphoniam, quam apud eos minueret vel auferret tritonus, qui apud B quadratum terminatur. Unde in qualibet maneria, ubi molliorem expedit fieri ſonum, loco B quadrati B rot. quandoque ponitur, furtim tamen ac raptim, ne propter ipſum generetur in cantu ſimilitudo alterius modi; quod nimirum nullam lineam, nullumve ſpatium per determinationem alicujus litteræ in libris obtinet, niſi ipſum apponatur. Et ſi ſemel B quadratum ſupervenerit, de libro deleatur omnis ejus memoria, donec urgente ſupradicta neceſſitate iterum apponatur. Si ergo in G per ipſum aliquem cantum terminares primæ maneriæ, contra inventionem ejus omnino ageres, & inſtitutioni obviares finalium: quia nullus cantus extra finalem ſuæ maneriæ terminari debet. Quod ſi dixeris, G finalem eſſe primæ per B rot. Reſpondeo, hoc eſſe non poſſe. Ad hoc enim ut finalis eſſet primæ maneriæ, neceſſarium eſſet ut ſecundum naturalem litterarum diſpoſitionem aſcenderet per tonum & ſemitonium, quod nec B rot. nec aliud quippiam ei poteſt conferre. Licet igitur concedi poſſit, cantus primæ maneriæ quoquomodo poſſe notari vel cantari in G per B rot. nullatenus tamen concedendum eſt, vel ſic, vel aliter G eſſe finalem illius, impediente quam diximus neceſſitate. Proinde quæ utilitas, quæve induſtria eſt, ut in aliena finali cantum aliquem accidentaliter notes, quem in naturali ac propria notare potes, eo ſecurius quo irreprehenſibilius, eo laudabilius quo diligentius, eo gratius quo verius? Propter hoc ne vitioſus aut ſuperfluus inveniaris, ubi neceſſe eſt B rot. ſtudeas apponere, quod nimirum neceſſitas adinvenit. Nullus enim cantus qui

ſine ipſo notari poteſt, per ipſum notari debet. Qui A ſunt qui ſine ipſo notari non poſſunt? Qui apud eamdem litteram, modo tonum, modo ſemitonium habent. Quia tamen ſuperacutas & vicinas ipſis litteras minus notas habent imperfecti cantores, infirmitati eorum condeſcendens conſuetudo quoſdam cantus per B rot. notat inferius, qui apud prædictas litteras ſine ipſo commodius poſſent notari. Nos vero volentes, ut ſicut inferiores, ita & ſuperiores in uſu habeantur & in notitia, (aliter enim fruſtra haberentur) quoſcumque cantus natura confert inferioribus, eos in ipſis terminatos reperies. Terminantur vero in ſuperioribus qui eas naturaliter habent finales. Similiter ſciendum eſt de hac antiphona *Benedicta tu*, & conſimilibus, B quæ in A tantum terminari poſſunt, quod ſecundum hujuſmodi diſpoſitionem proculdubio primæ ſunt maneriæ, & non quarto, ſed ſecundo tono applicandæ ſunt. Ecce enim hæc antiphona *Benedicta tu*, in quodam loco ſupra finalem tonum, poſtea ſemitonium naturaliter habet per B quadratum, alibi prius ſemitonium, deinde tonum per B rotundum. Quæ obſecro perſpicacitas eſt ad judicandum de cantu illo cujus ſit maneriæ, accidens præferri naturæ: & cum ſit primæ ſecundum naturalem, judicari ſecundæ ſecundum accidentalem diſpoſitionem? Ut autem magis mireris & abhorreas hujuſmodi ineptiam, inſpice hanc antiphonam, *Petre amas me*, & multas alias hujuſmodi: C eas profecto invenies naturaliter habere ſupra finalem tonum & ſemitonium per B molle, & nuſquam ſemitonium, & tonum per B rotundum. Cur ergo judicantur eſſe ſecundæ? Similiter hanc antiphonam, *Nos qui vivimus*, ſecundum quod fere ubique cantatur, cum principaliter ac proprie terminari habeat in D, & ſit ſecundi toni, notant eam iniqui prævaricatores in G per B rot. & ſacramento aſſerunt eam eſſe octavi toni, licet apud eoſdem G per B rot. potius primæ, quam quartæ maneriæ cantus terminet. Quis obſecro muſicus patienter ferat, ut cantus qui propriam & naturalem habet finalem D, octavo tono attribuatur: qui vero propriam & naturalem habet finalem A, ſub D quarto tono contineatur?

Qua correctione digna

5. Horum ergo cantuum in A terminantium, in quibus naturam ſuffocat ſimilitudo, neceſſaria correctio eſt: quia diſſoluti per appoſitionem, quæ partes compoſitionis contaminat, alterum in principio, alterum in fine tonum redolent. In vetuſtiſſimis magnorum monaſteriorum bibliothecis elegantiſſimum quoddam artis muſicæ breviarium reperitur, quod ſic incipit: *Quoniam pauci ſunt.* quod quidem in parte legi, ſed nomen Auctoris me legiſſe non recolo. In eo, ſi bene memini, hujuſmodi cantus nothi, id eſt degeneres, & non legitimi appellati ſunt; eo quod, ut ibi legitur, à ſeptimo tono incipiant, & eumdem in medio E ſervantes, circa finem degenerent, aliis in primo, aliis in quarto tono definentibus: in primo, ſicut *Ex quo facta eſt*: in quarto, ſicut, *Benedicta tu*. Hinc proinde competenter mutato, omnes hujuſmodi cantus ad ſeptimum tonum redactos reperies. Horum cantuum duæ ſunt diverſitates. Quidam enim eorum ab ea littera in qua incipiunt, hilari motu aſcendunt ad quintam & pauſant in ea, ſub qua niſi prius eſſet tonus, deinde ſemitonium, poſtea tres toni, quæ diſpoſitio poteſt reperiri tantum ſub ea littera quæ quinta eſt à finali ſeptimi toni, non poſſent ibi notari reliquæ partes eorum cantuum, ut potes videre in *Benedicta tu*, & ſimilibus cantibus, qui tam in capite, quàm in toto F corpore tali utentes diſpoſitione, tranſmutato circa finem per B rot. ſemitonio, naturam ſecundi toni, & ſimilitudinem quarti inordinate recipiunt. Propter hoc circa finem mutatione indigentes, in ea parte correcti ſunt. Quidam vero ſunt, qui ab ea littera in qua incipiunt, tono ſtatim deponuntur, & redeuntes ad quartam pauſant in ea, quod magis videtur plagalium eſſe, ſicut, *Dominus regit me*. Et, *Poſt partum*. Hos ergo non ſolum in fine, ſed etiam in principio mutatos invenies, ut ſeptimo tono ubique arrideant. Iterum præmonendus es de finalibus tertiæ & quartæ maneriæ, A apud quas ſimiliter magna invenitur confuſio. Sunt enim quidam miſerrimi cantus, nullius maneriæ habentes proprietatem, qui æque terminari poſſunt in C & in G, quæ diverſarum ſunt finales maneriarum. Quidam ſuper hanc rem diligentius intuentes dicunt, & bene dicunt, omnes illos cantus eſſe irregulares, quos nullius maneriæ certitudo diſtinguit: & judicant omnium horum cantuum ita debere vel extendi progreſſionem, vel compoſitionem variari, ut in finalibus diverſarum maneriarum terminari nullatenus poſſint. His proinde miſerrimis cantibus ſuam incertitudinem leviter & breviter ablatam invenies, ut jam non ſis B dubius, quibus ſingulos finalibus applicare debeas. Omnes igitur cantus primæ maneriæ, id eſt primi vel ſecundi toni, termines ut diximus, in D vel A. Omnes ſecundæ maneriæ, id eſt tertii & quarti toni, in E vel in B quadr. quod licet tam authentorum quàm plagalium naturaliter ſuſceptivum ſit; nullum tamen authentum in antiphonario reperies, quem in ipſo terminare valeas. Si enim eſt Reſponſorium, verſus illius authenti non poteſt ei competere, qui ſub ſexta littera in qua incipit ſemitonium habet: ſi vero eſt antiphona *Sæculorum*, ejuſdem authenti non poteſt recipere propter eamdem cauſam.

6. Nullum ſiquidem cantum, qui per diapente & C ſemitonium aſcendat ad ſextam, terminare potes in B quadrato, quod ſupra ſe diapente non habet. Propter hoc non ſatis commode invenerunt in tertio tono verſum, neuma, & *ſæculorum*. Utrumque tamen forſitan conſideraverunt, & ſterilitatem B quadr. & habilitatem: ſterilitatem, componentes verſum, *neuma*, & *ſæculorum*, cantibus in E terminantibus tantum competentia; habilitatem, ſexta pro quinta utentes: ut ſi quando ſterilitati illius finalis fœcunditas ſuccederet, parata eſſet littera, quæ authenticam ejus elevationem reciperet. Apud nos tamen authentum in B quadrato terminari reperies, ſcilicet *Eunsibus* *: quod alibi terminari non poteſt. Hoc communem verſum nec ha- D bet, nec habere poteſt, ſed habet ſuum proprium. Porro omnes cantus tertiæ maneriæ, id eſt quinti & ſexti toni, termines in F, vel in C, F, majori parti authentorum; C vero omnibus fere plagalibus attribuens: omnes vero cantus quartæ maneriæ, id eſt ſeptimi & octavi toni, in G tantum terminare debes. Harum ſeptem litterarum, non unam magis, & aliam minus, ſed omnes æqualiter principales ac proprias finales eſſe noveris; habentes nimirum tam authentorum elevationem, quam depoſitionem plagalium. Incipiunt autem à D gravi, & in C acuto deſinunt: ſupra enim vel infra nullam invenies, cui non deſit elevationis vel depoſitionis perfectio. Ut autem unaquæ- E que earum progreſſionis præcelleret plenitudine, fecerunt Muſici diſpoſitionem litterarum à Γ Græco uſque in ee * ſuperacutum. non quia maluiſſent abundare quàm deficere: ſed quia nec ſuperabundare, nec deficere voluerunt, facientes diſpoſitionem, quæ neque ſine incommoditate contractior, nec ſine ſuperfluitate poſſet eſſe prolixior. Ut quid enim aliquid ſuperadderes, cum ſuprадictæ plenitudini hæc diſpoſitio ſufficiat: cui è regione ſi aliquid ſubtraheres, aliquam profecto finalium ejuſdem plenitudinis decore ſpoliares?

7. Præterea ſunt multi cantus, in quibus duplari elevationi hemioliam vel epitritum depoſitionem quam ha- F bere ſolebant, ſubtractam invenies. Sicut *Cornelius. Sancte Paule*, & alii plures. Omnes enim hujuſmodi cantus duplices ſunt & irregulares: duplices, quia partim ſunt authenti, partim plagales. Quod vero contra regulam ſic aſcendant & deſcendant, teſtantur etiam ipſi doctores erroris; ſed per licentiam dicunt hoc fieri, regulas confundentes ut vitia retineant, non vitia reſecantes ut regulas cuſtodiant. Quæ eſt iſta licentia, quæ regionem perambulans diſſimilitudinis, confuſionem adducens incertitudinis, præſumptionis mater & refugium erroris, veritatem deprimit, & perturbat judicium?

Negant ... poſſe tert. [illegible] & quart. [illegible] ... molle, quia obſtant ... diſpicate.

* al. add. & Te Deum [illegible]

* In uſ. eſt hæc littera [illegible] ... id eſt E [illegible] in monochordo Guidonis.

* Hemiolia eſt proportio ſeſquialtera, Epitritus ſeſquitertia.

Hujuſmodi toni dicuntur mixti.

judicium? quæ eſt, inquam, hæc illicita licentia, quæ conjungens oppoſita, metaſque naturales tranſgrediens, ſicut inconcinnitatem juncturæ, ita & injuriam irrogat naturæ? Luce ſiquidem clarius eſt, cantum illum male & inordinate compoſitum, qui vel ita deprimitur, quatenos, prout decet, audiri nequeat; vel ita elevatur, ut cantari non valeat. Sic enim debet fieri, ut in inferioribus auditorem habeat, & in ſuperioribus prolatorem. Hujus mediocritatis tenorem quidam in octo, quidam in novem vocibus eſſe voluerunt, non clamoſarum, ſed vocum mediocrium poſſibilitatem conſiderantes. Verumtamen ſecundum illos, quorum exquiſitior videtur eſſe ſententia, uſque ad decem voces poteſt cantus progredi, propter auctoritatem pſalterii quod decachordum eſt; & ut æqualis ſint dignitatis ſingulæ voces diapaſon, quæ octo ſunt: quatenus ultimæ, ſicut & mediæ, geminam habeant habitudinem, ſcilicet elevari & deponi, collocatis altrinſecus duabus vocibus, altera ſuperius, altera inferius; quia tantum hoc per octo voces habent cantus diſcurrere, & non per plures: propter quod regulari cantuum progreſſioni diapaſon ſufficit. Licet enim in progreſſione cantuum duabus vocibus hinc inde, ut dictum eſt, poſitis, decem voces inveniantur; non tamen per decem voces, ſed tantum per octo medias cantus diſcurrere, & uſque ad voces altrinſecus poſitas pervenire habet, ſed per eas ire vel redire non habet. Et, quod majus eſt, ſecundum diſpoſitionem tonorum & ſemitoniorum, quam habent Muſici, qui primæ & quartæ & ſeptimæ litteræ altrinſecus tonum attribuunt, ſecundæ & quintæ inferius tonum & ſupra ſemitonium, tertiæ vero & ſextæ è converſo, videlicet ſupra tonum & inferius ſemitonium, non prætermittentes quandoque B rot. pro aſperitate tritoni: Secundum hanc, inquam, diſpoſitionem nullus cantus fieri poteſt in decem vocibus vel citra qui notari non poſſit: ſed undecim vocum cantus fieri poteſt qui notari non poteſt. Fac enim cantum qui ſit authentus tertiæ maneriæ, & da diſpoſitioni ejus in uno loco tonum, in alio ſemitonium; & eleva cantum illum decem vocibus, ut ſint undecim, addita illa quæ eſt in depoſitione; ſcito profecto cantum illum non poſſe notari, quia ſub C acuto terminari non poteſt: cum in depoſitione; ſub finali, modo tonum, modo ſemitonium habeat, ſed nec ibi, cum cantus excedat ee ſuperacutum.

Cur decem voces cantibus attribuantur.

8. Eſt igitur triplex ratio, quare cantibus decem voces attribuantur: Pſalterii auctoritas, dignitatis æqualitas, & notandi neceſſitas. Secundum hujuſmodi ſufficientiam decem vocum conſideraverunt Muſici progreſſionis plenitudinem, propter quam ſingulis aſſignandam finalibus prædictam diſpoſitionem protraxerunt à Γ Græco uſque in ee: alioquin inſufficiens eſſet formula, nec daret ſingulis plenarium aſcenſum.

Cantus authenti & plagales.

Has decem voces in ſua progreſſione aliter authenti, aliter ordinant plagales. Authentos vocamus, qui majoris ſunt auctoritatis, primum, tertium, quintum, & ſeptimum, qui gravari nolunt aut deprimi, ſed leves in ſaltibus, agiles in motibus, quintam & eas quæ ſupra ſunt litteras frequentant. Hi ſub finali quæ una eſt de decem vocibus, unam ſubponunt, octo ſupra ponunt. Plagales ſunt, qui minoris ſunt dignitatis, ſecundus videlicet, quartus, ſextus, & octavus, qui raro tangunt vel tranſeunt quintam, ſed ſub ipſa volunt moroſe gravari. Hi finales ſuas quaſi in medio collocantes, quatuor ipſis voces ſubponunt, & quinque ſupra ponunt, pulcra videlicet rationis probabilitate, ut quot vocibus in elevatione ſuperantur, tot ſuperent authentos in depoſitione. Nullus itaque plagalis ultra ſextam elevari, & nullus authentus pluſquam una voce debet deponi. Plane igitur inſaniunt, qui plagalem elevare per diapaſon, & authentum per diapente vel diateſſaron deponere præſumunt. Ut quid enim fiunt vel habentur hujuſmodi cantus, graves quidem ad notandum, graviores ad cantandum, lineas variantes, arterias

A cruciantes, caverciatam * habentes progreſſionem nunc aſcendentes uſque ad cælos, nunc deſcendentes uſque ad abyſſos? Ne etenim ejuſmodi cantus fierent teſtante Widone, conſilium fuit, ut unuſquiſque quatuor modorum, videlicet protus, deuterus, tritus, tetradus, partiretur in duos, id eſt, authentum & plagalem, diſtributiſque regulis, acuta acutis, & gravia convenirent gravibus. Cum enim hujuſmodi cantus ſecundum unam partem ſui ſint graves & plani, ſecundum alteram acuti & alti; verſus & pſalmi uno eodemque modo prolati diverſis competenter aptari non poſſunt. Quod enim ſubjungitur, ſi eſt grave, cum acutis non convenit: ſi acutum, à gravibus diſ-B cordat. Prohibet etiam idem Wido, ne hujuſmodi abuſio elevationis & depoſitionis fiat in Antiphonis & Reſponſoriis, quorum cantibus, pſalmis & verſibus coaptandi ſunt. Cum enim cantus ſit communis & duplex, verſus autem & *ſæculorum*, vel tantum authentice, vel tantum plagaliter canantur; ad illius modi cantum competenter non poſſunt aptari, cum plures ſint in quibus adeo confunditur gravitas & acumen, ut vix poſſit adverti, cui magis, id eſt authento vel plagali, conferantur.

F. M. ... caverciatam ... [marginal note partly illegible]

9. Prohibentibus itaque metis naturæ neceſſariis, pluſquam quatuor manerias inveniri impoſſibile eſt, quæ & ipſæ ſecundum depoſitionem plagalium & au-C thentorum elevationem octo modis exprimuntur, quorum bini & bini, authentus videlicet & plagalis ejus, conveniunt omnino in maneria, ſed differunt, hinc in depoſitione & elevatione progreſſionis, inde in hilaritate & gravitate compoſitionis; elevationem ſiquidem & hilaritatem uſurpantibus authentis, depoſitionem vero & gravitatem plagalibus retinentibus.

Differentia authentorum à plagalibus.

10. Ad hos inter ſe diſtinguendos, *Neumata* inventa ſunt ſingulis ſubjicienda antiphonis, quæ apud quoſdam *Sæva* vocantur, & apud Græcos ſignantur per hæc verba, *Hoa nocane* * & *nocane*, & his ſimilia, quæ quidem nihil ſignificant, ſed ad hoc tantum à Græcis ſunt reperta, ut per eorum diverſos ac diſſimiles ſo-D nos tonorum admiranda varietas aure ſimul & mente poſſet comprehendi. Hæc ita maneriam ſuorum modorum & compoſitionem debent exprimere, ut poſtquam tuæ diligentius memoriæ fuerint impreſſa, frequentatis aliquamdiu cantuum diverſitatibus, quibus arrideant cantibus, auditu etiam facile cognoſcas. Unumquodque ergo eorum ſuo modo ſingulare debet eſſe ſufficiens: in hoc ſufficiens, ut cuilibet finali ſui modi convenire poſſit, in hoc ſingulare ut cantui alterius modi convenire non poſſit. Non enim ad diſcernendos modos à ſe invicem neumata competenter eſſent inventa, niſi unumquodque ſuo modo ſufficeret, & cum evidenter ab aliis diſcerneret. Debet er-E go maneriam & formam, tam communem, quàm propriam, ſui modi exprimere: maneriam videlicet per diſpoſitionem: formam vero per compoſitionem, prætermiſſis interim neumatibus plagalium, quæ competenter inventa eſſe videntur, utpote ſufficientia ſuis modis atque ſingularia. De neumatibus authentorum ſciendum eſt, omnia male eſſe inventa, vel poſt inventionem corrupta, præter neuma primi toni. Unde ſiquidem neuma quinti toni & incompetenter inventum reperies, quia ſuo modo nec ſufficiens, nec ſingulare eſt. Cum enim aſcendat per duos tonos, & ſemitonium, licet naturaliter C finalem habeat, in F tamen niſi accidentaliter terminari non poteſt. Unde non eſt ſufficiens: quia naturaliter utrique finali debet F convenire, non per B rot. quod à diſtinguendis tonorum proprietatibus omnino excluditur. Valde enim abſurdum eſt, ut in eiſdem litteris, in quibus cantus totus comprehenditur, ſuum neuma quod ipſius naturam debet oſtendere, recipere non poſſit, quod tibi contingit in hoc modo in cantibus aſcendentibus per tritonum. Iterum ſingulare non eſt, quia naturaliter & proprie terminari habet in G, quæ eſt finalis quartæ maneriæ. Conſidera namque neuma ſeptimi toni, & hoc illi conferas: ejuſdem utrumque diſpoſi-

De Neumatibus.

** ita in mſ. * al. noe, ane, & noë ane.*

tionis prorſus invenies & ejuſdem fere compoſitionis, A ita ut hoc ſeptimo tono, & illud quinto, eadem poſſis aptare diligentia, qua & hoc quinto, & illud ſeptimo. Unde & hoc neuma ſeptimi toni irrationabiliter eſt inventum, cum competere poſſit finali tertiæ maneriæ. Eſt aliud valde indecens in utroque neumate: habet enim utrumque in ſuo principio plagalem elevationem, aſcendens per tonum & ſemitonium, & moram faciens in quarta, ſicut prorſus invenies in neumate octavi toni, qui plagalis eſt. Ergo vel communem authentorum, vel propriam alicujus authenti compoſitionem neutrum exprimit, nec minus competenter aſſignari poteſt octavo tono, qui plagalis eſt. Propter hoc utrumque mutatum invenies; ita plane B ut ſuo modo unumquodque ſufficiens ſit & ſingulare, nec ſuperſlua utatur circuitione. Neuma ſimiliter tertii toni inſufficiens eſt, quia authentis qui terminari poſſunt in B quadr. convenire non poteſt; & ideo ſub ſexta ſemitonium ablatum invenies. Has neumatum exquiſitas proprietates eſſe ſcias admodum neceſſarias ad diſtinguendos quoſdam authentos à ſuis plagalibus. Hæc enim antiphona, * *Lex per Moyſen data eſt*, quæ ſemel quintam tangit, & ſe totam ſub ea colligit, omnino plagalis eſſet, niſi propriam ſui authenti compoſitionem haberet, quam in neumate ipſius invenies; videlicet, à finali per tonum * deſcendere, & inde ſurgere per diateſſaron, conſtans ex duobus C tonis & ſemitonio; poſtea per duos tonos aſcendere ad quintam; & inde per quaſdam interpoſitiones redire ad finalem. Curre per quaſlibet antiphonas primi, hanc fere in omnibus compoſitionem invenies. Idem reperire potes in neumatibus aliorum authentorum. Caveant autem quicumque de cantuum diſtinctione perfectam volunt habere notitiam, ne propter aliquod brevitatis deſiderium hæc neumata quaſi ſuperflua prætermittant. Adeptæ ſiquidem brevitatis non tantum valeret compendium, quantum amiſſæ commoditatis noceret diſpendium.

* al. *Sede à dextris meis.*

* al. totum.

11. His & aliis rationum probabilitatibus contra uſum omnium eccleſiarum Antiphonarium hoc corrigere coacti ſumus; magis nimirum naturam, quam uſum æmulantes. Nec hoc utique ſuggeſſit præſumptio, ſed injunxit obedientia. Si ergo opus ſingulare & ab omnibus Antiphonariis diverſum feciſſe reprehendimur, id nobis reſtat ſolatii, quod noſtrum ab aliis ratio fecit diverſum: alia vero inter ſe diverſa fecit caſus, non ratio, vel aliud quippiam, quod in cauſa caſui non præponderat. Licet enim in vitiis omnia fere conveniant; in quibus tamen rationabiliter convenire poſſent, adeo diſconveniunt, ut idem Antiphonarium nec duæ canant provinciæ. Mirum proinde videri poteſt, quare majoris fuerint auctoritatis atque communioris notitiæ falſa quàm vera, vitioſa quam ſana. Ut enim de comprovincialibus loquar eccleſiis, ſume Remenſe Antiphonarium, & confer illud Belvacenſi, vel Ambianenſi ſeu Sueſſionenſi Antiphonario, quod quaſi ad januam habes; ſi identitatem inveneris, age Deo gratias. Nolumus autem latere poſteros, quod hortatu dominorum & Patrum noſtrorum multa retinuimus de veteri Antiphonario, quæ quidem tolerabilia, ſed multo melius poſſent haberi. Duo tamen incorrecta reliquimus, digna penitus correctione, videlicet, metrum quarti toni, metrumque ſeptimi: quæ licet in Graduali correximus, propter uſum tamen pſalmorum in Antiphonario non potuimus corrigere, reclamantibus eiſdem Patribus noſtris, quorum aſſenſu & benedictione cetera pro viribus exſecuti ſumus. Prædicta metra quare vitioſa ſint, ratio in promptu eſt. Cantus enim pſalmorum quarti toni, impediente ſolo metro, nullis Antiphonis poteſt aptari quæ terminentur B quadrato; metrum vero ſeptimi toni in ea littera pauſat, in qua tonus ille nullum principium ſumit: quod nulli tono licet. In illis enim litteris debet pauſare quilibet tonus, in quibus habet frequentius incipere.

Cur quædam non correcta.

FINIS TOMI SECUNDI.

SANCTI
BERNARDI
CLARÆ-VALLENSIS
ABBATIS,
OPERUM
TOMUS TERTIUS.

Sermones de Tempore, & de Sanctis, ac de Diverſis complectens.

PRÆFATIO

IN TOMUM TERTIUM.

I. CUM in ſanctorum Patrum ſcriptis ea pars, quæ Homilias ſeu Sermones complectitur, minus elaborata paſſim & accurata, quàm reliqua eorum ingenii monumenta videatur: hanc ſibi laudem præ ceteris, aut certe in paucis, vindicat ſanctus Bernardus, quod ejus ſermones non minori verborum acumine, varietate ſententiarum, cogitationumque ſublimitate, nec diſpari affectuum pietate præditi ſint, quàm aliæ ejus lucubrationes. Mihi vero hujus rei cauſam meditanti occurrit, non modo ingenii ejus ſollertia, celereſque animi motus, ad res explicandas & affectus commovendos faciles; ſed etiam auditorum diverſitas, quorum in gratiam ſermones ejuſmodi condebantur. Nam cum veteres illi Patres ſanctiſſimi informandis Chriſtianæ religionis doctrina ac pietate populis Sermones ſuos exponerent, eos ad vulgi captum & ad communes fere locos, auditorum utilitati conſulentes, humili ſtilo prudentes componebant. At Bernardus ad homines in rebus ſpiritualibus, atque in ſcientia Scripturarum inſtructos, pleroſque in ſæculo quondam eruditione & dignitate præſtantes, Sermones habebat ſuos, quorum doctrinæ & perfectioni * accommodanda erat oratio. Unde accidit, ut non modo eximii ſermones illi in Cantica, qui majori ſtudio conſcripti ſunt, ſed etiam alii, ſive de annuis feſtis ac diebus, ſeu de diverſis argumentis, quos hoc in tomo exhibemus, vulgaribus Patrum Homiliis ac Sermonibus à viris cum piis, tum doctis præferri ſoleant.

Bernardi ſermones elaborati.

** V. lib. 1 Vitæ cap. 3. n. 5.*

II. Neque enim privata aut ſingularis mea hæc de Bernardi Sermonibus opinio, ſed illuſtrium in re litteraria virorum, qui ſuum hac de re judicium, ſeu verbo, ſeu ſcripto protulerunt: ex quibus duos tantum honoris cauſa appello, quorum auctoritas haud minor, quàm doctrina & eruditio eſt. Primus Juſtus Lipſius in epiſtola XLIX. ad Aubertum Miræum, ubi de concionibus ſacris agens: Inter Latinos, inquit, Bernardus me rapit, & uſum habet excitandi, ob acrimoniam ubique & calorem; tum etiam docendi atque imprimendi, ob ſententiarum acumen, quas crebro & ſalubriter miſcet. Ita vir doctiſſimus, cum eximium ex Patribus exemplar, quod efformando ſacro oratori proponeret, ſedulo perquiſiſſet, non aliud magis accommodum inveniſſe ſibi viſus eſt, quàm Bernardum, quem ceteris Latinis anteponendum exſtimavit. Atqui mirum ſit, ſi palma hæc Bernardo itidem præ Græcis Patribus, qui in eo dicendi genere excelluerunt, tribuatur: cujus ſane ſententiæ auctorem me profiteri non auſus eſſem, niſi eam ſuffragio ſuo ante comprobaſſet Henricus Valeſius, vir ſummus, de quo Hadrianus Valeſius, germanus ejus tanto fratre dignus, in ejus vita hoc memoriæ prodit. Ante annos tres vel quatuor quàm decederet quoties, feſtis diebus, morbo vexatus, domi ſe continere cogebatur; Bernardi Clara-vallenſis abbatis ſermones ab anagnoſte ſuo ſibi legi jubebat, attenteque eos audiebat, & avidis auribus hauriebat. Quippe exiſtimabat, & amicis etiam dicere conſueverat, dies dominicos ac feſtos Dei laudibus, non ſtudiis litterarum impendi oportere: Sermones autem Bernardi quibuſlibet veterum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum, homiliis ac ſermonibus multo eſſe ad excitandam in animis noſtris accendendamque pietatem aptiores. Hoc teſtimonium eo lubentius refero, quod & ad commendandos Bernardi Sermones plurimum valeat tanti viri auctoritas, & quod animo meo jucundiſſima ſit hujus viri recordatio, qui me quondam ſua & amicitia, & familiaritate dignatus eſt.

Aliis aliorum Patrum ſermonibus prælati.

III. His duobus recentiorum virorum teſtimoniis, quæ ceterorum inſtar eſſe poſſunt, facile eſſet adjungere ſuffragia auctorum noſtra ætate ſuperiorum, qui de Bernardo non ſecus ac de concionatore vere apoſtolico locuti ſunt: quos inter non mihi prætermittendus videtur Eraſmus, in convicia ceteroquin quam in laudes profuſior, ita de Bernardo loquens in libro ſecundo de ratione concionandi. *Bernardus concionabundus eſt, natura magis quàm arte, feſtivus & jucundus, nec ſegnis in movendis affectibus.* Sed vereor ne ſi rem minime dubiam pluribus demonſtrare voluero, ab aliarum rerum, quæ magis uſui eſſe poſſint, tractatione impediar aut retarder. Quapropter ad alia feſtinanti jam inquirendum incumbit, Primum cur Bernardus ſæpius, quàm Ordinis ſui inſtitutum ferat, verba faceret ad ſuos. Deinde quo tempore, id eſt quibus diebus, quibuſve diei horis id præſtaret. Tertio quo idiomate. Ac demum quæ Chriſtianæ ac religioſæ vitæ principia ſuis potiſſimum inculcaret. Ad hæc, nonnulla tum ad exponenda quædam ejus doctrinæ capita, tum ad diſcernendos à notbis & ſuppoſiticiis genuinos ejus ſermones diſſeremus.

IV. Quibus diebus ſermones *in Capitulo* apud Ciſtercienſes quondam haberi mos erat, declarant Uſus Ciſtercienſes in capite LXVII. nempe dies *Natalis Domini, Apparitionis, in Ramis palmarum, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, omnium ſollemnitatum ſanctæ Mariæ, Nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ, natalis apoſtolorum Petri & Pauli, in ſollemnitate ſancti Benedicti, & omnium Sanctorum, atque in Dominica* 1. *Adventus.* Nulla uſquam, quod quidem ſciam, mentio de privatis ac feriatis diebus, in quibus tamen Bernardus ſæpiſſime conciones habebat. Unde in ſermone 1. de Septuageſima num. 2. *Sæpius loquor vobis*, inquit, *etiam præter conſuetudinem Ordinis noſtri.*

Quibus diebus habiti.

V. Cur vero id faceret vir religioſiſſimus & diſciplinæ regularis ſtudioſiſſimus, invenio cauſas omnino duas. Una eſt mandatum primorum Ordinis Patrum, qui Bernardo, laborem corporis

vix ſuſtinenti, in compenſationem id ſpiritualis operis impoſuerant. Hanc rationem in fine ſermonis x. in pſalmum xc. ipſe exponit his verbis. *Quod aliquoties vobis loquimur præter conſuetudinem Ordinis noſtri, non noſtra id agimus præſumptione, ſed de voluntate venerabilium Fratrum & Coabbatum noſtrorum, qui nobis etiam id injungunt: quod tamen ſibi quidem paſſim nolunt omnino licere. Neque enim modo loquerer vobis, ſi poſſem laborare vobiſcum. Illud forte vobis efficacius verbum foret, ſed & conſcientiæ meæ magis acceptum. Ceterum quando id mihi, peccatis meis exigentibus, & onerosi hujus, ut ipſi ſcitis, tam multiplici infirmitate corporis, & ipſa quoque temporis neceſſitate negatur; utinam dicens, & non faciens, in regno Dei vel minimus merear inveniri!* Hæc cauſa & occaſio fuit exponendi per feriales Quadrageſimæ dies pſalmi nonageſimi, quem continuis ſermonibus proſequebatur, quatenus ingruentium negotiorum & adventantium hoſpitum ſinebat importunitas. Utrumque hoc impedimentum identidem eum à concionibus avocabat, ad quas frequentandas eum urgebat non modo coabbatum auctoritas, ſed etiam (quæ altera cauſa eſt) ardens de ſuorum profectu caritas & ſtudium. Unde in ſermone v. de Quadrageſima num. 1. *Caritas qua pro vobis ſollicitus ſum, fratres mei, cogit ut loquar vobis, & urgente ea multo ſæpius loquerer, nisi tam multis occupationibus impedirer.* Et ſermone viii. in pſalmum xc. ſtatim ab initio: *Brevius quidem vobis aliquando, dilectiſſimi, loquerermur, ſi crebrius id liceret... Ceterum quod & vos, ipſa diei præoccupante malitia, pluribus forte diebus moleſtiſſimum ſuſtinuimus à veſtra exhortatione & conſolatione ſilentium, neminem veſtrum reor oportere mirari, ſi tempus ipſum redimere cupientibus nobis ſermo rarior interdum protractior videatur.* Diei malitiam vocat negotiorum & hoſpitum turbam, de qua non ſemel conqueritur in ſermonibus ſuper Cantica, ut in Præfatione ſequentis tomi videbimus. At quantumvis à frequentandis concionibus ſacris Bernardus impediretur, non tamen ita infrequentes erant, ut à ſpiritualium rerum faſtidio ſuis non timeret. *Unum timeo*, ait ille ſermone ii. de ſanctis Petro & Paulo num. 1. *ne toties audita verba ſalutis vileſcere vobis incipiant tamquam verba.* Quippe idem ſanctus Doctor obſervat ſermone xxxv. in Cantica, *ſi corporis cibus, cum abſque appetitu & ſatietate illum ſumis, non modo non prodeſt, ſed & nocet plurimum; multo magis panis animæ cum faſtidio ſumptus, non ſcientiæ nutrimentum, ſed magis tormentum conſcientiæ importabit.*

VI. Jam vero quo tempore hæc ſpiritualium rerum tractatio fieret, indicat ipſe Bernardus variis in locis. Nullum fere diem ab his collationibus vacuum, ſi modo aliunde non detineretur, abire permittebat. Id probant ſermones de tempore & de Sanctis tam multi, de diverſis tam varii, in Cantica tam eximii, ne quid dicam de parvis ac ſententiis, quæ ſermonum primæ delineationes erant. Cum enim ejus animo ſpiritales obverſarentur cogitationes, nec eas ſtatim plena oratione explicare poſſet; ſacros ejuſmodi partus tabulis cereis commendabat, quos pro tempore & otio perficeret. Ita quippe de eo nobis ſcriptum reliquit Ernaldus in libro ii. de ejus vita num. 51. *Dictabat vir Dei, & nonnumquam ſcribebat in tabulis cereis, & non patiebatur perire inſpirata ſibi divinitus.*

Quibus horis.

VII. Horas declamandis ſermonibus inſumebat aliquando matutinas poſt Primam ante laborem communem, ſeu ante Miſſam; aliquando veſpertinas. Primum tempus indicat ſermone x. in pſalmum xc. ſub finem. *Vereor deprehendi. Nempe horam hanc magnus ille & communis Abbas noſter & veſter non vacationi ſermonum, ſed operi manuum noſcitur aſſignaſſe.* Miſſarum imminens tempus notat ſermone i. in feſto ſancti Michaëlis. *Sed jam præterit hora: ad Miſſas nobis eundum eſt.* Et ſermone i. in feſto omnium Sanctorum num. 3. *Nunc quidem cibari habemus factis ejus & verbis; poſt hæc etiam illibatum Dominici corporis ſacramentum in altaris menſa ſacroſancta ipſo propitio percepturi.* Ad hæc in fine ſermonis ſecundi: *Sed jam ſermo claudendus eſt. Vocant enim nos Miſſarum adhuc celebrandi ſollemnia.* Verum ſerotinas horas eiſdem concionibus adhibitas fuiſſe probat ſermo i. de ſancto Malachia num. 3. *Inclinata eſt jam dies, & longius quàm ſperaveram ſermo proceſſit.* At ſignantius in ſermone xxxviii. de diverſis num. 3. *Eandem nobis eſt. Jam enim campanam audivimus, jam veſpertina tempus orationis advenit.* Idem probant ſermones in Cantica, ut ſuo loco videbimus.

Gallice an Latine.

VIII. Nunc ex ordine inquirendum eſt, Bernardus ſermones ſuos latina, an vulgari lingua eloqueretur. Nec levis ſane difficultas. Iſtis enim concionibus interfuiſſe videntur *Fratres laici*, *illiterati*, linguæ latinæ prorſus ignari, quibus in uſu erat ſola vulgaris lingua, quæ *Romana* corrupte dicebatur paſſim apud illorum temporum auctores, Nithardum in Hiſtoria, Gerardum in libro de vita Adalardi abbatis, & apud Chronographum ſancti Trudonis, ubi *corrupte Romana*, *teutonice Valloneca* vocatur. Hinc Petrus, Ludovici Junioris Francorum regis clericus, in epiſtola ad abbatem Latiniacenſem: *Quidam puer*, inquit, *conſanguineus meus, miſſus eſt mihi de Anglia ad diſcendam Romanam linguam*, id eſt Gallicam vulgarem. Qui vero hanc callebant, non continuo Latinam intelligebant, ne quidem ſæculo nono, nedum undecimo, ut patet ex libello de viſione Flotildæ ſeu Chlotildæ, in quo arguuntur quidam presbyteri, *qui ipſas quoque litteras ignorarent quas legebant.* Si ergo Bernardi ſermonibus fratres illiterati intererant, haud quaquam veri ſimile eſt, hos ſermones latine pronuntiatos fuiſſe. Sane Bernardi ſermones de tempore in conventu Patrum Fulienſium apud Pariſios habentur gallice ſcripti ab ipſo, ut videtur, ſancti Bernardi tempore. quod & codicis elementa, & idiomatis arguit antiquitas. Accedit quod Bernardus in initio epiſtolæ xvii. ad Petrum diaconum cardinalem, ſermones ſuos *ſtilo* diſcipulorum exceptos teſtatur. quaſi diceret, non eo modo quo pronuntiati fuerant, ſed alieno ſtilo fuiſſe donatos. Ejus epiſtolæ hæc verba ſunt. *Aliqui fratres nonnulla ex his quæ me coram audiere loquentem, ſuo ſtilo excepere.* Eadem fere verba ſunt in fine epiſtolæ xviii. ubi addit, *& penes ſe retinent.* Ex quibus

Cheſn. tom. 4 pag. 742.

Cheſni tom. 2. pag. 625.

fortaſſe quis inferat, Bernardum nativa ſeu patria dictione, ut fratribus laïcis ſeſe accommodaret, verba feciſſe, quæ diſcipuli ejus poſtea in Latinum converterint.

IX. Fratres autem laïcos penitus illiteratos, & linguæ latinæ ignaros fuiſſe multa demonſtrant. Erant iſti fratres choro ſociati, ſed tonſuræ clericalis expertes, à Converſis omnino diſtincti. De his agitur in libro VII. de vita ſancti Bernardi capite XXIII. *Hanc divinæ ſcientiæ formulam*, nempe, *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua*, &c. *perfectius imitati ſunt hi, qui ſub beato Patre noſtro Bernardo in Clara-valle cæleſtis philoſophiæ diſciplinis imbuebantur, non ſolum litterati & in myſteriis ſacræ legis eruditi viri multi, ſed etiam laïci & illiterati quàm plures: qui etſi humanæ ſcientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minime conſecuti ſunt; habebant tamen gratiam illuminantem & Spiritum vivificantem, qui de omnibus, quæ oportebat, ſæculari ſcientia incomparabiliter efficacius eos docebat. Talium quidam monachus laïcus, non littera doctus, ſed ſpiritu*, &c. En qualis erat ſtatus ejuſmodi laïcorum, qui penitus analphabeti & linguæ latinæ inſcii erant, teſte Johanne Eremita in prologo ad Petrum Tuſculanum de vita ſancti Bernardi. *Monachus quidam*, inquit, *venerandi Abbatis verax dilector & ſincerus, forte cum quodam laïco fratre, Humberto nomine, per virgultum ad aquas monaſterio Clara-vallenſi deambulabat, librum miraculorum ſancti Patris tenens in manibus, exponens ea ſecundum idioma Romanæ linguæ, tam ſua, quàm illius ædificationis cauſa.* Cur enim ea exponebat *Romana lingua* ſeu Gallica, niſi quia frater iſte laïcus Latinam ignorabat? Talis erat laïcus alter, mox ab ipſo Johanne laudatus, qui cum nec *alphabetum* antea noſſet, *Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, & quibuſdam fratrum ſuffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut non ſolum legere, verum etiam cantare ſatis decenter & convenienter ſciret. Exinde tam uſu quàm gratia cooperante, dictionum ſignificationes aliquantum intelligere cœpit, & in hujuſmodi ſcientia paullatim proficere.* quod de lingua latina dictum eſſe nemo non videt. Neque ſolum apud Ciſtercienſes, ſed etiam apud alios monachos id genus fratres laïci admittebantur: qualis erat ille apud Goffridum abbatem Vindocinenſem in lib. III. epiſtola VIII. qui, *quia laïcus erat, non latina, quam non didicerat, ſed materna lingua loquebatur.* De fratribus Converſis hic non agimus, tametſi eadem argumenta, quæ pro fratribus laïcis militant, eiſdem etiam Converſis conveniunt, probantque eos itidem linguæ latinæ intelligentia caruiſſe. Quod confirmatur teſtimonio Herberti in libro I. de miraculis Claræ-vallenſium cap. XVI. ubi agit de quodam Converſo, *qui cum deveniſſet ad mortem, cœpit loqui latino eloquio, cum numquam latinas litteras didiciſſet.* Itaque univerſim pronuntiare licet, linguæ latinæ uſum promiſcuum non fuiſſe penes vulgus, etiamſi paſſim acta publica latine conderentur. Sane Petrus Venerabilis in lib. IV. epiſtola XVIII. ad Cæleſtinum papam ſcribit, ſe epiſtolam de ejus electione accepiſſe, atque in Capitulo lectam, *tam litteratis, quàm illiteratis, quos Converſos vocamus*, inquit, *expoſuiſſe*, id eſt lingua vernacula explicaſſe, quod inutile fuiſſet, ſi omnes latinam linguam calluiſſent. Denique ſingulis Galliarum provinciis ſuos fuiſſe, uti & modo, idiotiſmos, arguit Bernardi epiſtola LXVII. ad monachos Flaviacenſes agri Bellovacenſis: ubi ipſos, & ſuos Claræ-vallenſes *diſſimilibus linguis* uſos aſſerit.

X. Et quidem ita res tum ſe habebant: ſed nihilo minus Bernardi Sermones in latina lingua natos, latine prolatos, atque eodem prorſus modo ab ejus diſcipulis exceptos fuiſſe indubitanter exiſtimamus. Primo enim id arguit perpetuus nativuſque verborum luſus in vocibus latinis. Deinde ejuſdem ſtili in ſermonibus & in aliis ejus libris & tractatibus æqualitas. Ad hæc Cartuſienſes per ea tempora, qui & fratres laïcos admittebant, in publicis ad fratres concionibus latine dicebant, eumque uſum retinent etiam nunc. Præterea idem de aliis Bernardi ſermonibus, ac de expoſitione in Cantica cenſendum eſt: cujus expoſitionis ſermones eodem prorſus modo ſcripti ſunt, quo pronuntiati, ex ſermone LIV. num. I. in hæc verba. *Scripta ſunt ut dicta ſunt, & excepta ſtilo, ſicut & ſermones ceteri, ut facile recuperetur quod forte exciderit.*

XI. Ex hoc loco explicatur ſuperius teſtimonium ex epiſtola XVIII. objectum, ubi quidam fratres ex his, qui Bernardum coram loquentem audire ſolebant, ejus ſermones *ſtilo* excepiſſe memorantur, id eſt calamo ſeu ſcriptione, non propria oratione. Sic Nicolaus Claræ-vallenſis in epiſtola XXXIX. *Nec ſufficit manus ad tenendum ſtilum.* Eodem ſenſu intelligenda eſt hæc vox in fine epiſtolæ CCCIV. *Qui legit, agnoſcat ſtilum, quia ipſe dictavi.* Ubi & *ſtilus* pro ſcriptura idiographa, & *dictare* pro *ſcribere* indubie uſurpatur. Sic in fine epiſtolæ CCCX. *Hæc ipſe dictavi, ſic me habens, ut per notam vobis manum agnoſcatis affectum.* Nihil clarius. Neque enim orationis ſtilus manum indicat, ſed propria ſcriptio. His accedit Guillelmi auctoritas in libro I. de Bernardi vita num. 70. *Teſtantur hoc ſcripta ejus, quæ vel ipſe ſcripſit, vel alii ſcripſerunt, ſicut ex ore ejus exceperunt.* Hæc ſane nos movent, ut Bernardi ſermones non alio ſtilo ſeu dicendi genere, quàm quo ab ipſo prolati ſunt, ad nos perveniſſe exiſtimemus; & in codice Fulienſi non nativam eorum linguam, ſed latinam tranſlationem contineri. Et quidem codex iſte, quem autographum eſſe putamus, non ante Bernardi obitum ſcriptus fuit: id quod probat inſcriptio, in qua Bernardus *ſanctus* appellatur, ut poſtea videbimus. Sane auditores ſuos in litteris ſacris eruditos dicit non ſemel, ut ſermone tertio de Petro & Paulo num. 6. *Meminiſtis (ſcientibus legem loquor,)* &c. & ſermone VII. in pſalmum XC. num. 5. *Balaam dico, recolite qui hiſtoriam noſtis.* Ad hæc ſermone in feſto Paſchæ num. 10. *Apocalypſis verba ſunt: diſcant qui non legerunt; recolant qui noverunt.* Apertius Sermone IV. de Nativitate num. 1. *Scientibus ſcripturas loquor.* Confer ſermonem X. in Pſalmum XC. Ex his omnibus intelligitur, Bernardi auditores litteratos, ac latine ſcientes fuiſſe,

XII. Nec nos ab hac ſententia revocare valet objectio ex fratribus laïcis, ad quos forſan ſermones alii habebantur magis familiares, ſi non cum Converſis privato Capitulo (quod ſingulis Dominicis diebus in horum gratiam ex uſu Ordinis cum vernaculo ſermone fiebat) intererant. Nonnihil tamen negotii faceſſit Nicolai Claræ-vallenſis epiſtola xxiv. de qua inferius agendum.

XIII. In his porro exhortationibus, quas ſive ad Converſos, ſeu ad extraneos & ſæculares homines faciebat vir ſanctus, vulgari idiomate procul dubio utebatur. Ad priores pertinet dictum Converſi cujuſdam animam agentis, qui à Bernardo ad ſpem Chriſtianam animatus, Vita S. Bern. l. 7. cap. 23. reſpondit ſe de Chriſti miſericordia ſecurum eſſe. Tum ab eodem repreſſus, *Si vera eſt*, infit, *illa prædicatio veſtra, quam nobis ſæpius inculcaſtis, quod ſcilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis poſſidetur, ſed ſola obedientiæ virtute acquiritur; hanc unam ſententiam, tamquam verbum abbreviatum à Domino, ſedula commemoratione apud me continui*, &c. Bernardus itaque ad Converſos *prædicationem* faciebat, & quidem diebus Dominicis in privato eorum Capitulo, ut Ciſtercienſium antiquæ definitiones præcipiunt Diſtinctione xiv. cap. iv.

XIV. Neque etiam ſæcularibus & exteris, ſi quando caritas aut occaſio poſtulare videbatur, ſanctus Doctor deerat, teſte Gaufrido in lib. ii. de ipſius vita cap. iii. *Populo Dei ſemper prodeſſe ſtuduit, numquam præeſſe ſuſtinuit. Raro tamen, niſi forte ad loca proxima, ut prædicaret exivit. Sed quoties eum neceſſitas aliqua traheret, ſeminabat ſuper omnes aquas, publice & privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipſum ex mandato ſummi Pontificis actitabat: ad nutum quoque Præſulum ceterorum, ubicumque eorum aliquem contingebat adeſſe.* Quid in partibus Germanicis, cum expeditionem ſacram, præcipiente Eugenio tertio, publicaret, ipſi contigerit, eodem loco idem Gaufridus tradit. *Mel & lac ſub ſub lingua ejus. . . Inde erat, quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu; & ex ſermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quàm ex peritiſſimi cujuſlibet poſt eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magis ſentire virtutem: cujus rei certa probatio tunſio pectorum erat, & effuſio lacrymarum.* Quod ejus ſermonem intelligere Germani, *utpote alterius linguæ homines*, non valerent, inde conficitur, eum nativa ſeu gallica locutione uſum fuiſſe. Et quidem Philippus monachus in libro vi. de ejus miraculis num. 16. ait, eum *Romana lingua*, id eſt Gallica, apud Germanos locutum fuiſſe. Ekkehardus Junior in libro de caſibus monaſterii S. Galli, agens de quodam ſæculi noni monacho illiterato, ſcribit, Tutilonem *latialiter, quo illum, qui nihil intelligebat, lateret*, compares ſuos allocutum fuiſſe. Idem de Anglis, ut alios mittamus, dicendum: quorum in gratiam Alfredus ſæculo ix. Paſtorale Gregorii M. & Bedæ hiſtoriam Saxonice verti curavit. Hinc eodem tempore verſiones Evangeliorum, & Regulæ S. Benedicti in Germanicam linguam.

XV. Sed fortaſſe his diutius immoramur, quàm ſit operæ pretium; nec tamen nos pœnitet, quando id apoſtolicum ſancti viri commendat zelum & officium. Porro in concionibus ſuis, teſtante Gaufrido eo loco mox laudato, *utebatur ſane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam ſequi illas, quàm præcedere crederetur, & ducere ipſe quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum ſequens.*

XVI. Jam vero quæ maxime vitæ religioſæ principia ex ſacris litteris in ſuis ad monachos
Bernardi quæ principia in ſermonibus. ſermonibus inculcare ſoleret, non ab re erit paulliſper conſiderare. Unum ex præcipuis eſt, ex Apoſtolo, ut ſe in hoc ſæculo peregrinos reputarent. cujus rei argumentum ſuppeditant loca duo: unus locus ex ſermone i. de Epiphania num. i. *Super his ſæpius vos admonere curamus, ut numquam mente excidat, peregrinos nos eſſe longe factos à patria, pulſos hereditate. Quiſquis enim deſolationem non novit, nec conſolationem agnoſcere poteſt. Quiſquis conſolationem ignorat eſſe neceſſariam, ſupereſt ut non habeat Dei gratiam.* Alter locus eſt in ſermone vii. de Quadrageſima. *Felices qui ſe præſenti ſæculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos ſe cuſtodientes ab eo*, &c.

XVII. Alterum Bernardi effatum erat, id in primis expedire monachis, immo omnibus ad virtutem contendentibus, ut, Apoſtoli exemplo, præteritorum obliti, ad anteriora ſe extendant. *Porro profectus noſter*, ait ſermone i. in Purificatione num 3. *in eo conſiſtit, ut ſæpius me dixiſſe memini, ut numquam arbitremur nos apprehendiſſe: ſed ſemper extendamur ad anteriora, inceſſanter conemur in melius, & imperfectum noſtrum divinæ miſericordiæ obtutibus jugiter exponamus.* Eadem eſt ſententia in ſermone iv. in pſalmum. xc. *Et hæc utique magna virtus & ſumma ſecuritas, quando & pie vivis; & tamen plus attendis quæ deſunt tibi, quàm quæ obtinuiſſe videris, oblitus quæ retro ſunt, & extendens te in anteriora.* Affine eſt quod ibidem legitur, multum intereſſe ad perfectionem, ut nos, cum omnes religionis & officii noſtri partes impleverimus, ſervos inutiles profiteamur. quod idem eſt atque anteriorum eſſe immemorem.

XVIII. Tertium axioma eſt, ut ſemper timeamus, ne videlicet à gratia nos excidere contingat. *Tota interim beatitudo noſtra eſt*, inquit ſermone v. de omnibus Sanctis num. 3. *timere Deum.* Et ſermone i. poſt Octavam Epiphaniæ num. 5. præmiſſo duplicem eſſe timorem, *ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi*, ſubdit. *Bonum eſt adhibere & tertium, qui utique ſpiritualibus notus eſt. Timent eum qui noverunt ſpiritualem cibum, nequando forte fraudentur eo. Cibo ſiquidem forti egent qui manum miſerunt ad fortia. . . Hæc eſt metreta tertia, quam ſub diſpunctione ſignanter poſuit, eo quod non omnium ſit, quia nec omnibus centuplum repromiſſum, ſed ſolis qui omnia reliquerunt.* Tertius iſte timor, addit ſermone ſequenti, *replet animam*

omni

omni ſollicitudine timidam, ne forte deſeratur à gratia, ne forte contingat amittere gratiam, ut ſibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de peccato minori in graviorem culpam. Hæc latius perſequitur ſermone LIV. in Cantica à num. 9. ubi hæc verba. *In veritate didici, nil aque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere.*

XIX. His Bernardi effatis quartum addere licet, ab ipſo magnopere ac ſæpiſſime commendatum, nempe ut ingrati in Deum animi vitium toto animo effugientes, gratos quàm maxime ſe præſtare ſatagant ii, quos Deus è ſæculi turbinibus eduxit. Exponit id argumenti in ſermone ſecundo de ſeptem miſericordiis pro Dominica ſexta poſt Pentecoſten, ubi ait num. 2. *Oportet proinde gratum eſſe hominem & devotum, qui percepta gratia munera non modo manere ſibi deſiderat, ſed & multiplicari... Sed nos maxime, quos ſegregavit ſibi, & aſſumpſit ad ſerviendum ſibi ſoli*, &c. Illud ipſum urget in ſermone XXVII. de diverſis, qui eſt *contra peſſimum vitium ingratitudinis*, inter alia ita ſcribens. *Quàm multos enim videmus & plangimus, Fratres, qui dummodo maneat habitus & tonſura, ſalva ſibi omnia arbitrantur: non conſiderantes miſeri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem quem vident, transforare diſſimulet, ne forte recogitent & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur.* Et infra. *Vides ergo non omnibus prodeſſe, quod à lepra ſæcularis converſationis, cujus peccata manifeſta ſunt, emundentur: ſed nonnullis pejus in occulto ingratitudinis ulcus oriri, quod tanto periculoſius ſit, quanto interius.* Nimius ſim, ſi id genus argumenti, quoad liceret, pertractare velim: hæc in ſpecimen & piorum lectorum ad jumentum ſufficiant.

XX. Doctrina horum ſermonum non modo pietate referta eſt, ſed etiam plana, facilis & abſque offendiculo. Si qua tamen lectorem minus eruditum remorari poſſunt, ea locis ſuis explicabuntur. Unum hic explanare juvat, nempe qualis fuerit Bernardi de ſtatu animarum ſanctarum corpore ſolutarum opinio in tribus ſermonibus, ſecundo, tertio, & quarto in feſto omnium Sanctorum, & in ſermone quarto in Dedicatione eccleſiæ, & alibi. Principio ſanctus Doctor ita ſuam hac de re mentem aperit, ut non leviter ac perfunctorie, immo data opera & præmiſſa oratione eam expendat, ſed *ſine præjudicio ſane ſi cui forte aliter fuerit revelatum*, tametſi *ſuper hoc ſenſum* Dei habere ſe putet, ut ipſe dicit in Sermone IV. de Sanctis num. 1. & 2. Deinde præmiſſo triplici animarum ſtatu, *in corpore corruptibili, ſine corpore, & in corpore jam glorificato*, de medio ſtatu differens ſententiam ſuam in quatuor capitibus conſtituit. Primo in eo quod ſanctæ illæ animæ corpore ſolutæ ſtatim admittuntur in cælum, ex eodem ſermone IV. num. 1. adeoque *in conſortium Angelorum*, ut de ſancto Malachia ſcribit ſermone ſecundo num. 5. Secundo iſtic verſantur *in luce multa*, ut in eodem ſermone IV. num. 1. Tertio vident Chriſti humanitatem, ibidem num. 2. ſed non divinitatem, quod nonniſi poſt reſurrectionem ſit ipſis concedendum. *Interim ſub altari*, id eſt *ſub Chriſti humanitate, feliciter ſancti quieſcunt, in quam nimirum deſiderant etiam Angeli ipſi proſpicere.* Quarto denique *gaudium habent in ſpiritu ſuo, lætitiam multam in corde ſuo, licet non plenam*, ſermone ſecundo de Sanctis num. 3. & 4. adeoque non ſine *ruga*, ſermone tertio num. 2. nempe ob deſiderium reſumendi corpora. *Adeo ſi quidem viget in iis deſiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum: ſed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur deſiderio ejus.* Eadem ſententia eſt in libro de diligendo Deo, num. 32. Hæc fere Bernardi doctrina eſt, quam ſub opinione dumtaxat expoſuit, ut patet ex libro V. de Conſideratione cap. IV. num. 9. ubi animas ſanctas conſiderat in ſinu Abrahæ *& ſub altari quodcumque illud eſt Martyrum, in prima ſtola ſecundam patientiſſime exſpectantes.*

Sententia ejus de medio animarum ſtatu.

XXI. Cum iſta fuerit Bernardi opinio, in quibuſdam tamen locis ſanctis animabus tribuit viſionem Dei, ut cum Malachiam *pari cum Angelis gloria & felicitate lætari* dicit ſermone 2. de eo num. 5. & quoſdam ſanctos jam meruiſſe introduci in ſancta ſanctorum, *ubi vident faciem ſtantis, id eſt claritatem incommutabilis Dei*, ſermone quodam in Cantica: ad hæc Martyres *immerſos* eſſe *immenſo pelago æterni luminis & luminoſæ æternitatis*, in lib. de diligendo Deo ſub finem. Clarius in ſermone ſecundo de ſancto Victore num. 4. *Jam cælos ingreſſus, quos & ante apertos beatis oculis ſuſpiciebat, vere nunc revelata facie ſpeculatur gloriam Dei, abſorptus quidem, ſed non oblitus clamorem pauperum. Beata viſio, qua in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.* At quomodo hæc cum ſuperiori Bernardi ſententia componi poſſunt, cum diſertis verbis aſſerat ſermone quarto de Sanctis num. 2. ubi hoc argumentum ex profeſſo tractat, Filium electis ſuis poſt reſurrectionem miniſtraturum *novas atique, & uſque ad tempus illud penitus inexpertas delicias manifeſtæ ſuæ contemplationis?* An forte hanc ſententiam poſtea retractavit & emendavit? At id affirmare in promtu non eſt, cum tempus, quo ſermones in ſpeciem pugnantes habiti ſunt, non liceat accurate definire.

XXII. Hic nobis occurrit Thomas Anglus in libello de medio animarum ſtatu, Demenſo IV. ubi cenſet, Bernardum è Patribus primum beatorum animabus ſolutis ſedem in cælo tribuiſſe, quam Patres alii antiquiores nonniſi poſt extremum judicium beatis tribuerint: Divinitatis viſionem eiſdem denegaſſe ante reſurrectionem, quam viſionem iſti ipſis conceſſerint. In priori capite Thomam allucinari certum eſt, ejuſque errati tres tantum teſtes proferimus, Cyprianum, Alcuinum, & Florum diaconum eccleſiæ Lugdunenſis, omnes Bernardo ætate longe ſuperiores. Cyprianus ſub finem libri de exhortatione martyrii cap. XII. *Quanta eſt dignitas*, inquit, *& quanta ſecuritas... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus;*

& aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur Chriſtus? Terris repente ſubtraheris, ut in regnis cæleſtibus reponaris. Brevius in libro de laude martyrii: *Cælo Martyres gaudent.* Neque vero ſolos Martyres; ſed & Patriarchas ac Prophetas cum Apoſtolis cæli jam poſſeſſores eſſe aſſerit in priori loco. Alcuinus vero in epiſtola LXXXI. teſtatur ſuo tempore dubitationem quidem ea de re apud nonnullos fuiſſe, ſed occultam, non manifeſtam: quaſi iſti errorem ſuum, qui contra omnium ſententiam erat, prodere vererentur. *Eſt quoque*, inquit, *in quibuſdam clancula dubitatio, an animæ ſanctorum Apoſtolorum, & Martyrum, aliorumque Perfectorum, ante diem judicii in cæleſte recipiantur regnum.* quam opinionem improbat, atque inter hæreſes Hiſpanicas computat Alcuinus. At luculentior eſt Flori ſententia in expoſitione Miſſæ ad illa Canonis verba, *Memento etiam Domine famulorum*, &c. ubi Florus ita commentatur. *Luce clarius conſtat, quia perfectorum juſtorum animæ, mox ut hujus clauſtra carnis exeunt, in cæleſtibus ſedibus recipiuntur.* Nihil his teſtimoniis clarius adverſus Thomam Anglum pro Bernardi, immo Eccleſiæ ſententia.

XXIII. De ſecundo capite, id eſt de viſione Dei; qui beatorum animas in cælo nonniſi poſt extremum judicium, ſed in abditis receſſibus collocant veteres; haud mihi conſtat, an eidem ante illud tempus divinæ eſſentiæ viſionem concedant. At ne in ſupervacaneam quæſtionem digrediamur, Bernardus quidem ſolius Chriſti humanitatis manifeſtam contemplationem ſolutis animabus tribuit: ſed vel in hoc ab vulgata Johannis XXII. ejuſque ſequacium opinione diſſidet. Immo ne ab ipſis quidem, qui divinitatis intuitum beatis tribuunt, ſed minus perfectum quàm poſt reſurrectionem, re ipſa diſcedere videtur: quando tota ratio, quæ Bernardum movet, ea ipſa eſt, cur iſti non ita perfectam Dei viſionem ſolutis animabus tribuant, nempe vehemens corpora reſumendi deſiderium: rati cum Bernardo, perfectam Dei contemplationem ejus eſſe vis ac virtutis, ut omnes affectus abſorbeat, penituſque exſtinguat. quod nonniſi poſt reſurrectionem ipſis etiam ſanctis competet. Lege Auguſtinum in ſermone CC LXXX. num. 5. & CCC XVIII. num. 5. & 6. Obſervatione digna ſunt Bernardi verba in ſermone XIX. de diverſis num. 3. ubi beatorum prærogativas explicans, *Hoc jam tertio*, ait, *hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis* DIVINITATIS INTUENTUR ESSENTIAM, *nulla corporeorum phantaſmatum imaginatione decepti.* Si enim de ſtatu præſenti, ut quidem videtur, id dicit, haud dubie ſanctis ante reſurrectionem hoc in loco tribuit intuitivam divinæ eſſentiæ viſionem.

Sermonum hujusce tomi cenſura.

XXIV. Sed his tandem dimiſſis, ad poſtremum hujuſce Præfationis caput, quod cenſuram genuinorum Bernardi ſermonum ſpectat, veniendum eſt. Neque ejus rei diſputatio admodum prolixa futura eſt, cum de pleriſque certa & explorata ſit ſententia. Ex Sermonibus de Tempore, quos Horſtius admiſerat, inter ſpurios rejecimus *Sermonem ſecundum in Cœna Domini* in illud, *Sediſti ad menſam divitis*, qui nec Bernardi genium ſapit, nec in ullis reperitur, quos quidem viderim, vetuſtis codicibus; immo nec in veteri editione Lugdunenſi anni M D XIV.

XXV. Hunc ſermonem ſequebatur *Meditatio in vitam ſeu paſſionem Domini*, incipiens ab his verbis, *Jeſum Nazarenum*, &c. quæ itidem in eiſdem codicibus & in editione Lugdunenſi deeſt, rectiuſque S. Anſelmo ſub titulo *Stimulus amoris* à Trithemio & Bellarmino tribuitur.

XXVI. *Sermo de pugna Davidis cum Golia* (ita ſcribebant) pro Dominica IV. poſt Pentecoſten, Nicolai Claræ-vallenſis ſermonibus ſubjicitur in eo codice, quo uſus eſt religioſus vir Bertrandus Tiſſerius, Bibliothecæ Ciſtercienſis auctor. At cum ſermo iſte in pleriſque etiam bonæ notæ codicibus, puta Claræ-vallenſi, Aquiſcinctenſi, Pariſienſi Albo-mantellorum reperiatur, laudeturque in Floribus Bernardi ante annos quadringentos compilatis; Bernardo eum ſubducere non viſum eſt.

XXVII. Et quandoquidem de Nicolai Claræ-vallenſis ſermonibus mentio huc incidit, obſervare juvat, Nicolaum hunc ex Arremarenſi monacho Claræ-vallenſem factum, ac ſancti Bernardi notarium, dein deſertorem, novem-decim ſermones ab ſe conditos nuncupaſſe *Henrico Trecenſium Comiti Palatino*, qui typis vulgati ſunt in prælaudatæ Bibliothecæ Ciſtercienſis tomo tertio cum Præfatione ejuſdem Nicolai ad Henricum Comitem, in qua hæc verba. *De cetero miſto gloriæ tuæ decem & novem Sermones à feſtivitate ſancti Johannis Baptiſtæ uſque ad feſtivitatem ſancti Johannis Evangeliſtæ, alioſque Sermones, & quoſdam pſalteris verſus meo ſenſu inventos, meo ſtilo dictatos: niſi quod paucis in locis de cenſibus alienis accepi.* nempe de cenſu Bernardi magiſtri ſui, cujus ſtilum prope aſſecutus erat. De eo enim ita habet in ſermone de Nativitate Domini. *Totus autem ſententiæ cenſus ex illius arca mutuabitur, cujus conſilium quaſi conſilium Dei. Ille ipſe eſt, cujus religio & diſcretio, ſapientia & eloquentia, vita & fama, per totam latinitatem non immerito percurrit.* Egregium ſane Bernardi elogium. Verum quod tam frigide ejuſdem in ſuperiori Præfatione meminit Nicolaus, inde contigit, quod illa poſt ipſius Nicolai deſertionem Henrico Trecenſium Comiti directa eſt. Ceterum illis undeviginti ſermonibus in mſ. codice ſubjiciuntur ſermones quatuor, quos idem Nicolaus non obſcure indicat in ſua Præfatione, primus *de Verbis Sapientiæ*, JUSTUM DEDUXIT DOMINUS, &c. ſecundus *de quinque lapidibus contra Goliam*, tertius *de carne, cute & oſſibus*, quartus *de triplici gloria in illud Apoſtoli*, QUI GLORIATUR IN DOMINO GLORIETUR: qui omnes Bernardo tribuuntur, ſecundus quidem, ut mox dicebam, pro Dominica IV. poſt Pentecoſten, tres alii inter diverſos collocati, non ſolum in prima editione Lugdunenſi, ſed etiam in omnibus, aut fere omnibus mſſ. quos proinde Bernardo abjudicare incongruum duxi, maxime cum eos ſibi tribuere potuerit Nicolaus ejus notarius, in aliis haud ſatis religioſus, uti obſervatum in Notis ad epiſtulam CC XCVIII.

XXVIII. In Sermonibus de Sanctis, *ſermo ſecundus in* Converſione ſancti Pauli deeſt in pleriſque mſſ. etiam in Gallico Fulienſi. Habetur tamen in Vaticano num. 663. eumque vere Bernardi eſſe nullatenus dubito. *Sermo in feſto ſanctæ Magdalenæ*, qui unus eſt ex novemdecim Nicolai ſermonibus, rejectus in tomum VI. cum in tomo V. omiſſus fuiſſet, ubi cum quibuſdam aliis Nicolai ſermonibus habentur & *Sermo* V. *in Aſſumptione*, & *Sermo panegyricus de beata Virgine*, qui antehac inter Bernardinos collocati erant. Porro conſulto prætermiſimus Sermones haud paucos Bernardo adſcriptos, tum in nova editione Colonienſi, tum in Supplemento Patrum Homeyano, tum in nonnullis codicibus mſſ. utpote à Bernardi ſtilo & genio alienos: nec viſum eſt operæ pretium eos in ſpuriorum claſſem referre.

XXIX. Ex Sermonibus diversis, qui *Exceptiones ex dictis ſancti Bernardi* in nonnullis codicibus inſcribuntur, quidam Guerrico Igniacenſi abbati, quidam Nicolao Claræ-vallenſi tribuuntur. Nicolao quidem tres, de quibus ſuperius diximus, nempe *ſextus*, *ſeptimus*, *& vigeſimus primus*. Guerrico vero ſermones ſex, ſcilicet VIII. XXVIII. LXXI. LXXIII. LXXVI. & LXXIX. Verum cum hi ſermones in codice Colonienſi, teſte Horſtio, non exſtent inter Guerrici ſermones, habeanturque in pleriſque Bernardi exemplaribus; eos inter ſermones diverſos retinere viſum eſt: maxime cum ex Bernardi fonte omnes iſti rivuli profluxerint, ut legitur in fine codicis regii Navarrenſis collegii apud Pariſios, Bernardi ſermones de tempore & de ſanctis exhibentis, in cujus calce hæc clauſula legitur. *Poſtea ſequitur Sermo de Converſione ad Clericos, qui habet* XXXI. *numero ſectiones. Hunc librum ſequuntur quædam* EXCEPTIONES ABBREVIATÆ *ex diverſis ipſius Sancti ſermonibus, quos ipſe fecit diverſis locis ac temporibus, collecta breviter & utiliter ab eis, qui ejus lateri nocte & die inſeparabiliter adhærebant. Poſtmodum autem ſequitur tractatus domni Gaufridi Notarii, quem compoſuit & tranſmiſit ad D. Henricum epiſcopum & cardinalem ſupra* DIXIT SIMON PETRUS AD JESUM. *Ultimo ſequuntur epiſtolæ ſancti Bernardi, quas ſcripſit ad diverſas perſonas. Hæc autem ſcripta, etſi per aliam manum quàm per ipſum tradita, de ejus (fonte) omnes iſti rivuli profluxerunt.* Exceptiones illæ ſunt Sermones de diverſis, quorum plures quidem ſermonum potius compendia ſunt quàm juſti ſermones.

XXX. Ex Parabolis quinque Bernardo adſcriptis, quæ exſtant poſt Sermones de diverſis, prima genuina eſt; ſecunda & tertia ad primæ imitationem confictæ videntur; quarta & quinta in antiquis editionibus inter ſpuria opera locum habent. *Carmen paraneticum ad Rainaldum* Bernardo prorſus indignum videtur. Vulgati etiam Rythmi de nomine Jeſu, aliique eidem abjudicandi, ob rationes quas in fine tomi quinti, ubi modo habentur, expoſui.

XXXI. Quæ de ſancti Patris Sermonibus diximus, auctoritatem etiam habent tum ex libris Florum, quos Willelmus Tornacenſis ſancti Martini monachus ante annos fere quingentos compoſuit, atque Bernardinum inſcripſit, ut in primi tomi Præfatione dictum eſt: tum ex codice gallico, quem Nicolaus Faber, Ludovici Juſti Præceptor, reverendis Patribus Fulienſibus conventus ſancti Bernardi Pariſienſis conceſſit. Quippe in Bernardino memorantur Sermones de Tempore & de Sanctis fere omnes, plerique ex diverſis & parvis, quos ſuis locis deſignabimus. In Cœna Domini unicus laudatur ſermo, unicus item de Paſſione Domini pro feria quarta, iidem ſcilicet, quos genuinos eſſe conſtat; non alii duo, quos rejecimus. De Converſione ſancti Pauli ſemel & iterum fragmenta referuntur *ex ſermone primo*. quæ primi deſignatio ſecundum ſubindicat, tametſi nulla fragmenta ex eo adducuntur.

XXXII. Attamen in codice Fulienſi unicus habetur ſermo de ipſa Converſione, ſcilicet primus. Omnes in eo contenti numero XLIV. quos hic recenſere juvat propter codicis ſingularitatem, & antiquitatem, quæ Bernardi tempus attingit. Sunt autem ſex de Adventu, totidem de vigilia Nativitatis Domini, quinque de ipſa Nativitate, unus de ſanctis Stephano, Johanne, & Innocentibus; de Epiphania tres, unus de Octava, duo pro Dominica poſt Octavam, unus de Converſione ſancti Pauli, tres de Purificatione, de Septuageſima duo, de Quadrageſima ſex, quorum quatuor primi eodem ordine, quo in editis; quintus *de Peregrino, mortuo & crucifixo*. Poſt hunc inſeritur ſermo de ſancto Benedicto, & poſt eum ſextus de Quadrageſima *de triplici oratione*, quintus in editis, omiſſo ſermone de *Oratione Dominica*, qui ſextus eſt in vulgatis. Deinde ſequitur Sermo unus, qui dicitur *communis*, qui eſt ſermo XXXV. de diverſis ad Abbates. Item ſermo *communis* unus, qui eſt Præfatio expoſitionis in pſalmum XC. ac denique ſermones tres de Annuntiatione.

XXXIII. Hos omnes alioſque tertii tomi Sermones, duobus voluminibus contentos, ad Petrum Cellenſem tranſmiſit Nicolaus Claræ-vallenſis, teſtante ejus epiſtola XXIV. *Ego qui ſtilum abjuraveram, dignus latebris & ſolitudine, poſtquam aviditatem veſtram præſenſi & perſenſi, quam habetis de verbis & pro verbis hominis illius, cujus eloquentia & ſapientia, vita & fama non immerito per totam latinitatem decucurrit; accepi tabulas, & quod habui & feci.* Eadem verba leguntur apud eumdem Nicolaum in ſermone de Nativitate Domini.

XXXIV. Obſervatione digna ſunt verba quæ ſequuntur in ſuperiori epiſtola. *At dicitis: Hæc omnia in ſilentio, & magis cum ſilentio operari potuiſtis. Mirum ſi hoc ex ſententia dicitis. Quis enim magis in turba eſt, quàm ille qui faciendis dictaminibus implicatur? Perſtrepunt enim, ut digne inveniri poſſit ſenſuum veritas, verborum varietas; quid melius ad conſequentiam, denique quid, quando, ubi & quomodo proferri oporteat. Hoc ergo vos judicabitis ſilentium & quietem, maxime homini imperito, cui & ſenſus nullus adeſt, vel ſermo non eſt venuſtus & facilis ad ſententias veſtiendas?* Niſi

colaus his verbis non obſcure indicare videtur, ſe multum locaſſe operæ in dictando, ſtilo componendo, argumentis ex ordine digerendis eorum ſermonum, quos tranſmittit. At quos ſermones tranſmittit? utique Bernardi. ita enim ſubdit poſt pauca: *Coëgi tamen me contra me, & duo volumina ſermonum hominis Dei misto vobis, in uno quorum ego dictavi, quod ita incipit:* SOLET APOSTOLUS PAULUS IN VERBIS ESSE BREVIS, IN SENTENTIIS DENSUS. *Aliud vero volumen jam pridem dictatum eſt, & roſum, & raſum. Sed quærite quis diligenter & ſapienter illud ſcribat: multis enim ſenſibus plenum eſt.* Sane ſi bene iſtorum verborum ſenſum capio, inde colligi poſſe videtur, Nicolaum ſuis verbis, id eſt latinis, dictaſſe Sermones in altero volumine contentos: quod volumen incipiebat ab his verbis, *Solet Apoſtolus*, &c. quod exordium eſt ſermonis XIX. de diverſis. Id ſi ita eſt, recurrunt argumenta, quæ ſuperius diluere conati ſumus, eo ſpectantia, ut Bernardus non latina, ſed gallica lingua ſermones ſuos pronuntiaverit, quos poſtea ejus diſcipuli latinitate donaverint. Et quidem magna eſt aliquando varietas in ſermonibus maxime de diverſis: quæ varietas inde nata eſſet, quod alii aliter hos ſermones in latinum eloquium converterint. Ad hæc Gaufridus, ſancti viri notarius, Opuſculum de colloquio Simonis & Jeſu, *ex multis*, inquit, *ſermonibus Patris noſtri* compoſuit. Quidni etiam alii Notarii id præſtiterint? At ſi ita eſſet, cur hi etiam Sermones iſtos non ſibi tribuiſſent?

XXXV. At mihi rem attentius conſideranti, illa Nicolai in ſcribendo & dictando perplexitas, non ad Bernardi ſermones referenda videtur, ſed ad epiſtolas, à quarum ſcriptitatione ſeſe excuſare hoc verborum circuitu conatur Nicolaus. Huic interpretationi favet epiſtolæ titulus, ad *Abbatem Cellenſem excuſativa ſcribendi vel dictandi*. Aut potius utrumque exprimere voluit, & litteras ſcribendi, & ſermones ex codice dictandi officium cupiens à ſe amoliri, aut certe in utroque operam ſuam venditare. Denique Nicolaus hæc totidem fere verbis ex Bernardi epiſtola LXXXIX. ad Ogerium num. 1. mutuatus eſt, quibus Bernardus à ſcriptitandis litteris ſe excuſat: nec in alium uſum hoc loco Nicolaus adhibere cenſendus eſt. Mendoſum Nicolai contextum reſtituere licet ex illa Bernardi epiſtola, quæ ante annos viginti, quàm Nicolaus ad Claræ-vallenſes migraret, à Bernardo ſcripta eſt. Sic porro Nicolaus Bernardi verba in uſus ſuos transferre ſolet, ut alias obſervavimus. Quoniam vero Nicolai hujus notitia non parum conducit ad illuſtrandam Bernardi hiſtoriam; hominem ſuis coloribus hoc loco depingere quoddam operæ pretium fuerit.

PRÆFATIONIS ALTERA PARS
De NICOLAO ſancti Bernardi notario.

Nicolai mores. XXXVI. Erat Nicolaus natione Francus, ab ineunte ætate monachus in monaſterio Arremarenſi diœceſis Trecenſis, quatuor ab ipſa civitate leucis. Vir fuit ingenii facilis, verſatilis, facile in aliorum affectus influens, litteris pro tempore apprime excultus, aliis erudiendis apud ſuos Arremarenſes præfectus; carus viris ea ætate præcipuis, Attoni Trecenſi epiſcopo, Petro Venerabili abbati Cluniacenſi, Petro Cellenſi, Henrico Ludovici Junioris fratri, aliiſque.

XXXVII. Is Bernardi fama & ingenio non minus, quàm ſanctitate captus, Claram-vallem

Admiſſio in Claram-vallem. adit, monachorum religionem probat, ſeniorum affectus pulſat, ſe admittant in ipſorum cœtum, laxioris vitæ pertæſum, arctioris perquam cupidum. Rem fere uno congreſſu evincit & obtinet. Reverſus ad ſuos negotium urget: Priorem & ſeniores Claræ-vallis, Bernardo abſente, litteris convenit, quæ eſt ejus epiſtola VII. *Dominis & Patribus reverendis Priori R.* id eſt Rualeno, *& Conſilio ſuo* inſcripta. In ea ſe in omnes formas & affectus verſat. Claræ-vallenſium religionem dilaudat, ſuum eos reviſendi, eiſque ſeſe conjungendi ſtudium inſinuat. *Omnem mihi*, inquit, *fiduciam ſuggerit & humilitas veſtra, & neceſſitas noſtra; & illud tertium, in quo mihi ſpem dediſtis, noſtræ puſillitatis ſuſceptio.* Tempus, quo eam epiſtolam ſcribebat, paullo poſt deſignat his verbis. *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, qui lumen cæli, lumen Claræ-vallis non video! O lumen deſcendens à Patre luminum! ubi lucent luminaria in firmamento cæli, unde aſſumptum eſt, videlicet Eugenius Papa, luminare majus quod illuminet terram.* Itaque id factum Eugenio Pontifice, & quidem anno ejus pontificatus primo: cum Rualenus ex Priore Claræ-vallenſi in regimen Romani ad Aquas-ſalvias monaſterii, cui Eugenius ante pontificatum abbas præfuerat, eodem anno ſuffectus ſit, Nicolao jam in Claram-vallem admiſſo, ut ejus epiſtola XLIII. probat. Quamquam hæc verba, *videl. Eugenius papa*, è margine in textum videntur irrepſiſſe.

XXXVIII. Præter ſuperiorem ad Priorem & Seniores Claræ-vallenſes epiſtolam, binas ſubinde addidit: unam ad fratrem Gaucherium Claræ-vallenſem, cujus in amorem irrepſerat: aliam ad Fromundum hoſpitalem ejuſdem loci, id eſt epiſtolas XLV. & XLVI. In priori vota ſua fuſius & ardentius explicat, atque tanto ſe concepti propoſiti deſiderio teneri, ut *diem pro anno* computet ſibi: ſe ad terminum præſtitutum non defuiſſe, ſed à ſuis Arremarenſibus multa paſſum, qua importunitate, qua blanditiis, qua minis, vix ut tandem ſe ex eorum cœtu proripuerit: at tandem de manibus eorum elapſum, *ſine pannis, ſine nummis, ſine famulis, ſine equis, vix apud Aripatorium*, quod Ciſtercienſium cœnobium eſt in agro Tricaſſino, *appuliſſe*, ac deinde in Claram-vallem. Verum inde extractum ſe dicit *in fines terræ*, reclamante ſcilicet Abbate Arremarenſi, (Guido is erat, cujus rogatu officium de ſancto Victore Bernardus compoſuit) qui ipſum forte in quemdam Prioratum retruſit: unde has litteras ſcripſit Nicolaus impatien-

tis voti plenas ; atque alias ad Fromundum, quas per quemdam clericum, qui ſecum eodem ſe receperat, tranſmiſit. In priori ad Gaucherum epiſtola depingit ſeſe in hunc modum. *Sub pannis humilitatis Chriſti intrans & exiens, in voluptatum gurgitem ſaliebam, & de patrimonio Crucifixi, de pretio vulnerum Domini mei, non ſolum intra ſanctuarium, ſed etiam intra ſancta ſanctorum, monachum ſine regula, presbyterum ſine reverentia exhibebam. Ad Romanam enim curiam* furioſius iens & rediens, feceram mihi nomen grande, juxta nomen magnorum qui ſunt in terris : & in omni vita mea nec una die vixiſſe me memini.* Hæc ille modeſte quidem, ſi ex animo protulit. * v. Petr. Vener. … epiſt. 43 & … 3 epiſt. 4.

XXXIX. Demum concordia (ſic titulus & argumentum eſt epiſtolæ XL.) cum Abbate ſuo inita, admiſſus in Claram-vallem eſt una cum Theobaldo Priore, quem poſtea inde egreſſum fruſtra revocare conatur epiſtola VI. Converſio hæc Brocardum ſeu Burchardum, Balernenſem Ciſtercienſis inſtituti abbatem, ad ſibi congratulandum excitavit, ſcripta hac de re epiſtola, apud Nicolaum nona, in qua hæc leguntur. *Gratias ago Deo, nova facienti omnia, pro novo mirabili de immutatione nova innovati Nicolai. Qui fecit album de nigro, novum quid fecit & mirabile : ſed hoc mirabilius inter omnia nova, quod de tali nigro tale album factum eſt.* Hi nimirum Ciſtercienſium plauſus erant de tali proſelyto.

XL. Vix in eorum ſodalitio confirmatus erat, cum Notarii officium ipſi commiſſum eſt. Bernardi fit Notarius. Plures erant Bernardi Notarii ob varia quæ ſubinde in ipſum referebantur negotia. Præcipuus erat Gaufridus, cui adjunctus fuit Nicolaus. Hic de munere ſibi demandato, an ſincere, conqueritur epiſtola XV. ad quemdam ſocium Arremarenſem. *Tu ſcis quia inter homines ſum, in quibus viget diſciplina cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, taciturnitatis inſigne. Nolo autem argui ſingularitatis, ut cum illi vacent, & videant quoniam ipſe eſt Deus, ego ſtilum & tabulas revolvam, ut revolem ad phaleras gloriamque verborum. Tamen à cuſtodia matutina uſque ad noctem nihil aliud facio. Non illis imputetur, qui mihi hoc oneris impoſuerunt, & poſuerunt me multa ſcribere & reſcribere multis.*

XLI. In alia epiſtola, nempe XXXV. ipſe *ſcriptoriolum* ſuum deſcribit hoc modo. *Eſt mihi ſcriptoriolum in mea Clara-valle, vallatum undique officinis cæleſtibus & colentibus illud. Oſtium ejus aperitur in cellam novitiorum, ubi frequens numeroſitas tam nobilium, quàm litteratorum, novum hominem in novitate vitæ parturiunt. . . . A dextra parte clauſtrum monachorum excreſcit, ubi floridior ille conventus obambulat. . . . . Ibi divinorum eloquiorum libros ſub caſtigatiſſima diſciplina ſigillatim aperiunt, non ut eventilent theſauros ſcientiæ ſuæ, ſed ut dilectionem, compunctionem eliciant, & devotionem. A læva prominet domus & deambulatorium infirmorum, ubi corpora diſciplinis regularibus laſſata atque quaſſata, cibis lautioribus refoveantur: donec vel ſanata, vel meliorata revolent ad laborantium & orantium gregem, qui vim faciunt regno cælorum, & violenter rapiunt illud. Nec contemnendam putes domunculam meam : quia & deſiderabilis eſt ad affectum, & delectabilis ad aſpectum, & reclinabilis ad ſeceſſum. Plena eſt libris electiſſimis & divinis ; ad quorum jocundam inſpectionem, deſpectionem mundanæ hujus vanitatis agnoſco, conſiderans, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & quia nihil eſt vanius vanitate. Hæc mihi tradita eſt ad legendum, ad ſcribendum, ad dictandum, ad meditandum, ad orandum & adorandum Dominum majeſtatis.* Museum ſuum deſcribit. Neque vero ſolum libris deſcribendis, ſed etiam tranſigendis negotiis vacabat Nicolaus, teſtante epiſtola XLIX. ad Petrum Cellenſem, cui inter alia ita ſcribit. *Hæc tibi, amicorum dulciſſime, ſaltem ſaltuatim dictavi, qui continuatim non potui, trahentibus & retrahentibus negotiis multis : ſed & manibus meis ſcripſi. Omnes enim qui habent negotia veniunt ad nos : ſed & ego ſolus cum ſancto Jacob dicere poſſum : In me hæc omnia mala reciderunt.*

XLII. Ex his intelligitur, Nicolaum etiam ſub ſe notarios habuiſſe, quorum unus erat Girardus de Perona, amicus ejus ſingularis, *individuus comes*, inquit in epiſtola X. *ſcriptitationum mearum*, in pluribus aliis epiſtolis ab ipſo laudatus. Eidem Girardo, atque Henrico regiæ ſtirpis monacho epiſtolas ſuas Nicolaus ipſe nuncupavit. Notarios ſub ſe habet.

XLIII. Librorum commercium cum Petro Cellenſi, aliiſque frequens habebat. Ejus generis eſt epiſtola XXXIV. ad Amedeum epiſcopum Lauſanenſem, in qua hæc verba. *Mitto tibi librum magiſtri Anſelmi de Spiritu-ſancto, bene punctatum, niſi fallor, & emendatum.* Eo autem pacto librorum exemplaria tranſmittere ſolebat, ut remiſſo exemplari, aliud ſibi exemplum gratis remitteretur. Ita enim poſtulat à Petro Cellenſi epiſtola XXIV. cui cum duo Bernardi volumina tranſmiſiſſet ; *Feſtinate*, inquit, *& hæc feſtinanter reſcribere, & exemplaria remittite mihi : & ſic ad opus meum ſecundum pactum meum reſcribi facite. Sed & illa quæ miſi vobis, & reſcripta illorum, ſecundum quod dictum eſt, mittite mihi, & videte ut nec unum iota perdam.* Hæc ille ad Petrum. Ab aliis etiam ſubinde libros mutuo expoſcebat, ut à Petro decano Trecenſi epiſtola XVII. *Epiſtolas domini Cenomanenſis remitte nobis, quia volumus eas tranſcribere.* Quin etiam ad Philippum, Colonienſis eccleſiæ præpoſitum atque Imperatoris cancellarium, ſcribens in perſona fratris Philippi, atque ipſi de itinere Jeroſolymitano congratulans, ejus bibliothecam, ſane locupletem, poſtulat his verbis epiſtolæ XXIX. *Sed & illam ſingulariter theſaurum tuum, nobilem bibliothecam loquor, quam utique tam mirabiliter quàm incomparabiliter congeſſiſti, vide ne relinquas pauperibus Chriſti ; qui pro te orent & plorent, ut proſperum iter faciat Deus ſalutarium noſtrorum.* Librorum nundinator.

XLIV. Atque ut ſe religioſum præſtaret Nicolaus, non ſolum verſus exemplo Claræ-vallenſium ſuorum legere detrectat, ſed etiam tunicam ſibi ab amico tranſmiſſam, quaſi parum Ordini ſuo convenientem, remittit. De verſibus hoc habet in epiſtola XV. *Verſus Galteri mei*, Tunicam cur reſpuit.

immo & tui, nondum hubui. Sed & ſi vidiſſem, non perlegiſſem: quia nos nihil recipimus quod meretricis legibus coercetur. Tunicam ipſi in amicitiæ ſignum dederat Odo Pulterienſis abbas è numero Nigrorum: ſed eam Nicolaus reddit cum multa gratiarum actione epiſtola XXVII. nimirum quod *nimis eſſet ſpecioſa & pretioſa*; *hoc ſolo*, inquit, *non bona, quia nimium bona.* Tum ſubdit. *Nec volo, nec valeo, immo non debeo induere illam. Inter eos qui panniculis & ſemicinctiis veſtiuntur, nec purpuratus, nec non tunicatus incedam. Abſit, abſit, ut peccutricei carni veſtis iterum ſplendida coaptetur, ne raptetur ad ineptias ſuas. Propterea remitto eam vobis, cum non ſit inter nos qui vel audeat, vel debeat illam induere. Vos induite illam, domine Pater, cui & ex Ordine licet, & ex dignitate. Cum enim tunicam induitis, ultra conſuetudinem veſtram facitis. Sed ſcitis quis dixerit: Si quid ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.*

XLV. Tria in his verbis obſervatione digna ſunt. Primum eſt de ſemicinctiis, ubi ſi vocabuli proprium uſum retinuit Nicolaus, inde ſemicinctiis uſos fuiſſe Ciſtercienſes colligimus. Quid ſit autem ſemicinctium, intelligitur ex Herberti libro 1. de miraculis Ciſtercienſium capite VI. ubi is de Schocelino agri Trevirenſis eremita agens, ita rem explicat. *Habebat quoque vir ille locupletiſſimus circumligatum renibus ſemicinctiam vilem atque breviſſimam, quæ verecundas ſolummodo corporis partes operire vix poterat, cum eum hominibus apparere compelleret iſta tam inevitabilis cauſa.* Lumbarium veteres appellabant. Et quidem Ciſtercienſes ejuſmodi ſemicinctiis principio uſos fuiſſe veri ſimillimum eſt: maxime cum tunicam ſolam carni adhærentem geſtarent; idque neceſſarium videretur ad honeſtatem, cum abjecta cuculla labori manuum vacabant. Alterum notatu dignum eſt, cur tunicam induere dicat Nicolaus eſſe *ultra conſuetudinem & ordinem* abbatis Pultarienſis. Is quippe profeſſus erat ſancti Benedicti Regulam, qui monachis ſuis inter alia tunicam concedit capite LV. Id quidem verum: at illis temporibus in uſu erat apud monachos toga talaris, non tunica, quæ vix ad mediam tibiam defluebat, qualem geſtabant Ciſtercienſes. An vero tunicam illam, haud dubie candidam, quam Odo abbas Nicolao tranſmiſerat, (quod tertio loco notandum) Odoni abbati induere licebat, uti ſcribit Nicolaus, *& ex ordine, & ex dignitate?* Quid enim? an tunc monachi nigri candidis utebantur? Cur ergo tanta inter eos & Ciſtercienſes de veſte pulla & alba diſceptatio? Verum candida, ſaltem quibuſdam in locis, Benedictini tunica utebantur; ſed cuculla atra, cum albam geſtarent Ciſtercienſes. Sane in Cæremoniali Anianenſi, quod illa ætate in uſu erat pro monachis nigris, depicti cernuntur non uno in loco monachi toga candida induti, at cuculla ſubatra. quod utrumque etiam obſervavimus in aliis picturis, maxime in libro Rabani Mauri de cruce, ubi is cum tunica alba depingitur. Quamquam non ſolum de cucullæ, ſed etiam de tunicæ colore Cluniacenſes inter ac Ciſtercienſes erat diſceptatio, ut colligitur ex Petri Venerabilis epiſtola hic CC XXIX. num. 22. verum hic uſus apud noſtros haudquaquam uniformis erat. Poſtquam autem uſus apud eos, qui alba tunica induebantur, invaluit, ut tunicæ toga adjiceretur, & depoſita extra chorum cuculla, quod olim ne in lecto quidem licebat, toga ſola cum ſcapulari ſufficere viſa eſt ad retinendum monachi inſigne: tum demum toga ex nigro etiam panno ubique facta eſt, & tunicæ color albus ſervatus: cui ſtaminea ſucceſſit, ſuperinducta poſtmodum tunica, quæ noſtro tempore etiam in nigrum colorem mutavit. Ciſtercienſes vero primis temporibus, ſola tunica & cuculla, aut cucullæ loco ſcapulari contenti, togas, ſive ſimplices, ſeu pelliceas, ſtamineaſque rejecerunt.

Amicos epiſtolis frequentat.

XLVI. Revertamur ad Nicolaum, qui quos in priori monaſterio ſuo Arremarenſi amicos ſibi conciliaverat, litterarum officiis ſibi retinere ſatis egit, præſertim Petros duos, Cluniacenſem & Cellenſem abbates. Binas tantum ad Cluniacenſem ejus epiſtolas habemus in illis, quas ante ſuam ab Ordine Ciſtercienſi defectionem ſcripſit, nempe duas poſtremas: at longe plures ad Petrum Cellenſem. Prima eſt epiſtola XX. in perſona Adæ monachi, qui ex Cellenſi monaſterio ad Claræ-vallenſes migraverat. Altera eſt XXIV. *inter amicos amiciſſimo domino Petro Cellenſi abbati* ipſius Niculai nomine inſcripta, qua litteras frequentandi officium deprecatur. Conſimilis eſt titulus epiſtolæ XXVIII. *Speciali & pane ſingulari amico Petro Cellenſi abbati.* Itemque epiſtolæ XLVIII. Brevior ſed familiarior epiſtolæ ſequentis: *Suo ſuus.* & (ut epiſtolam LI. omittamus) epiſtolæ LII. *ſuo Cellenſi ſuus Clara-vallenſis, quod ſuus.* Hæc quam ob rem diligentius obſervem, ex inferius dicendis apparebit, ut ſcilicet Nicolaum ante ſuam deſertionem Petro Cellenſi probe cognitum, atque familiarem exſtitiſſe aſſeram: ac proinde alium eſſe à Nicolao illo Anglo, in quem Petrus Cellenſis, tamquam in hominem ſibi facie ignotum, vindicias pro Bernardo jam mortuo ſcripſit.

XLVII. Dum apud Claram vallem moratur Nicolaus Francus, varias aliorum nomine epiſtolas ſcripſit, nempe nomine ipſius Bernardi, Rualeni Prioris, & aliorum monachorum, omnes numero quinque ſupra quinquaginta, quas *dilectiſſimis fratribus Girardo & Henrico* nuncupavit, id eſt Girardo de Perona, & Henrico Ludovici Groſſi filio, Junioris germano, tunc monachis apud Claram-vallem: quorum in perſona etiam nonnullas litteras ſcripſit. Inter illas quas Rualeni nomine compoſuit, mendoſum eſt unius lemma, nempe epiſtolæ XXIII. cujus inſcriptio his verbis concepta eſt: *Domino & digne reverendo Hugoni Turonenſi archiepiſcopo frater R.* Qui lemma epiſtolæ appoſuit, ita illud concinnavit: *In perſona Rivallis Prioris ad Archiepiſcopum Turonenſem.* Et Johannes Picardus ad marginem adnotat, Rivallem eſſe abbatiam Ciſtercienſis Ordinis in Anglia & diœceſi Eboracenſi. Recte quidem; ſed quid Archiepiſcopo Turonenſi cum Rievalle? At certum eſt epiſtolam ſcriptam eſſe nomine Rualeni Prioris, cujus nomen in epiſtolæ in-

ſcriptione decurtatum, errandi occaſionem auctori lemmatis dedit. Idem erratum in epiſtola xxv.

XLVIII. Petro Venerabili abbati Cluniacenſi, ut jam diximus, ad delicias uſque amicus erat Nicolaus, quem identidem Bernardus ad eum mittebat, ut mutua cordium arcana & reciproci affectus apud hunc ſequeſtrum deponerentur. qua de re legenda Petri epiſtola, quæ eſt ordine cc lxiv. inter Bernardinas. Sed tandem accidit, ô mortalium infelix conditio! ut Nicolaus Bernardi indulgentia & facilitate abuſus, ſigillum ejus in malos uſus adulteraverit, demum in horrendam prolapſus defectionem, quam dubium eſt an umquam ſerio emendarit. De ſigillo vitiato Bernardus, tacito Nicolai nomine, quæ ſancti viri caritas erat, Eugenio ſignificavit epiſtola cc lxxxiv. *Periclitati ſumus in falſis fratribus, & multa littera falſata ſub falſato ſigillo noſtro in manus multorum venerunt; & (quod magis vereor) etiam uſque ad vos dicitur falſitas pervolaſſe.* Ejuſdem funeſtum caſum deplorat in epiſtola cc xcviii. ad eumdem Eugenium, non jam diſſimulato (quod publicum crimen erat) auctore. *Nicolaus ille exiit à nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem fœda poſt ſe relinquens veſtigia. Et ego longe ante hominem noveram: ſed exſpectabam, ut aut Deus eum converteret, aut inſtar Judæ ipſe ſe proderet.* Vide ſanctiſſimi viri longanimitatem: *quod & factum eſt. Præter libros, denarios & aureos multos, in ipſo exitu inventa ſunt ſuper eum ſigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium noſtrum... De turpitudinibus ejus, quibus terra ſordet, & facta ſunt omnibus in parabolam, ſuperſedeo polluere labia mea & veſtras aures.* Addit Bernardus, eum ſi ad curiam Eugenii, uti is jactaverat, pergere audeat, dignum eſſe, ſi quis alius, *perpetua incluſione.* Accidit vero iſte lapſus in annum m c li. ut patet ex memorata Bernardi epiſtola cc xcviii. ad Eugenium eo anno ſcripta, & ex epiſtola ccc lxxxviii. quæ eſt Petri Venerabilis de electione Gratianopolitana eodem anno facta, qua in epiſtola Nicolaus, uti Bernardo & Petro adhuc carus ac fidelis amborum internuntius, laudatur.

Deficit Bernardo,

XLIX. Omnes exiſtimant, ipſum profugiſſe in Angliam, ac ſe recepiſſe in ſancti Albani monaſterium; eumque eſſe Nicolaum, qui Bernardi jam demortui de Conceptione Deiparæ ſententiam traduxit impugnavitque, atque Petrum Cellenſem adverſarium habuit. Et Nicolaus quidem vocabatur iſte: ſed Anglum fuiſſe conſtat ex duabus ad illum Petri epiſtolis, quæ ſunt libri ſexti epiſtola xxiii. & noni epiſtola x. In priori epiſtola, *Nec indignetur*, ait Petrus noſter, *Anglica levitas, ſi eâ ſolidior ſit Gallica maturitas... Certe expertus ſum ſomniatores plus eſſe Anglicos, quàm Gallos.* & in poſteriori epiſtola: *In cavernis ſuis Anglum Francigena concluſum & ligatum... tenebis.* Hæc Nicolaum illum Anglum fuiſſe probant: ſed Petro facie ignotum innuunt extrema epiſtolæ verba: *Utinam facie ad faciem viderem te, quem ſcriptorum tuorum bene ornatus habitus non ſemel præſtitit audire.* Mitto ſtili diſcrimen inter Nicolaum Anglum & Claræ-vallenſem, qui ſtilus in Anglo durior & aſperior; in Claræ-vallenſi nitidior, humanior, politiorque eſt. Atqui ex ſuperioribus conſtat, Nicolaum Claræ-vallenſem ante ſuam fugam Petro maxime notum ac familiarem, nec Anglum exſtitiſſe, ſed Gallum aut Francum: ac proinde ab illo Anglo diſtinguendum.

Diverſus à Nicolao Anglo.

L. Sed quo ergo, inquis, Nicolaus Francus ſe recepit? Poſt varios hinc inde diſcurſus, conſtitit tandem in ſuo Arremarenſi monaſterio, cum Bernardo è vivis erepto ibi tuto ſibi vivere licuit, ac ſecuro. Id conſtat tum ex epiſtola lix. Arnulfi Lexovienſis epiſcopi ad ipſum Nicolaum, tum ex ipſius Nicolai epiſtola ad Willelmum Remorum antiſtitem ſcripta, quam V. cl. Stephanus Baluzius nuper vulgavit in Miſcellaneorum tomo ſecundo. Hæc epiſtola non ante annum m c lxxvi. quo Willelmus Remenſem cathedram obtinuit, ſcripta fuit: in qua eum laudat, quod ipſum receperit intra *ſacrarium* ſuæ familiaritatis, & quod ſuſurroni & detractori (hos quippe timebat Nicolaus) locum non daret. Deinde ſe excuſat, quod ab ejus conſpectu tamdiu abſtinuerit, ubi in rem noſtram faciunt hæc verba. *Excuſabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ eſt inter Remenſem urbem & Arremarenſem eccleſiam?* Ergo ibi tum degebat Nicolaus. *Sed iter breve eſt, & via plana, & plena in circuitu amicorum meorum.*

In Arremarenſe monaſterium ſe recipit.

LI. Quid rei, quamve perſonam in Arremarenſi monaſterio ageret, in conſequentibus indicat: ex quibus id tantum notamus. *Adjiciam quia licentiam veniendi habere non potui? cum vadam & veniam, eam & redeam tota die. Hæc dicerem, ſi ita eſſem ſub poteſtate conſtitutus, ut mei ipſius poteſtatem habere non poſſem.* Ita ergo apud Arremarenſes agebat Nicolaus, ut eſſet ſui juris. Miſera ſane conditio hominis, qui Bernardi diſcipulus ac notarius fuerat! Sed quis miretur, cum Angeli ex cælo ipſo deciderint? In hoc vero maxime vanitatem ſuam prodit, quod de multitudine amicorum, uti alias etiam ſolebat, gloriatur. Sic in epiſtola quadam ad Henricum Campaniæ Comitem, quæ in eodem Miſcellaneorum volumine edita eſt, eodem fere tempore ſcripta ac ſuperior. *Ab ineunte ætate mea placui magnis & ſummis Principibus hujus mundi: ſed tibi ſingulariter ex domino natura debeo quicquid ſum, & ex officio amicitiæ quicquid poſſum.* Hinc colligitur, Nicolaum ex Campania, quæ Henrici dominio ſubjacebat, ortum fuiſſe: ſed lapſus ejus cauſam non aliunde quàm ex gloriola & ſuperbia, quæ pleroſque dementat, repetendam. Sane Henrico Campaniæ ſeu Trecenſium Comiti eum addictiſſimum fuiſſe intelligitur ex duabus Nicolai ad Comitem epiſtolis: quarum una, qua Sermones ſuos ei dedicat, editos in tomo tertio Bibliothecæ Ciſtercienſis, inſcripta eſt *ſingulari domino & benefactori ſuo Henrico*, &c. altera eidem *ſereniſſimo Principi & cariſſimo domino ſuo*, qualis exſtat in tomo ſecundo Baluziano, ubi

SANCTI BERNARDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES DE TEMPORE.

IN ADVENTU DOMINI

SERMO PRIMUS

De Adventu Domini, & ſex circumſtantiis ejus.

1. HODIE, Fratres, celebramus Adventus initium; cujus utique, ſicut & ceterarum ſollemnitatum, nomen quidem celebre ſatis, & notum mundo, ſed ratio nominis forte non ita. Infelices enim filii Adam, omiſſis veris & ſalutaribus ſtudiis, caduca potius & tranſitoria quærunt. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus conſolationibus avelli ſepararique non poſſe? Profecto ſimiles ſunt his, qui ſubmerſi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere quod primum occurrerit manibus, quicquid ſit illud, licet tale ſit aliquid, quod omnino prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum, ceteraque ſimilia. Nam & ſi qui ad eos forte veniant ut ſubveniant, nonnumquam ſolent apprehenſos involvere ſecum: adeo ut jam nec ſibi, nec illis auxilium ferre prævaleant. Sic pereunt in hoc mari magno & ſpatioſo, ſic pereunt miſeri; dum peritura ſectantes, amittunt ſolida, quibus apprehenſis emergere & ſalvare poſſent animas ſuas. Neque enim de vanitate, ſed de veritate, dicitur: *Cognoſcetis eam, & liberabit vos.* Vos igitur, Fratres, quibus tamquam parvulis revelat Deus, quæ abſcondita ſunt à ſapientibus & prudentibus; circa ea quæ vere ſalutaria ſunt, ſedula cogitatione verſamini, & diligenter penſate rationem Adventus hujus, quærentes nimirum quis ſit qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, & qua. Laudabilis ſine dubio curioſitas iſta eſt & ſalubris: neque enim tam devote Eccleſia univerſa præſentem celebraret Adventum, niſi lateret in eo magnum aliquod ſacramentum.

Terrenis adhærentes ſimiles pereuntiu. — *Johan. 8. 32.* — *Chriſti adventus circumſtantiæ.*

2. Primo igitur loco cum Apoſtolo ſtupente & admirante intuemini & vos, quantus ſit iſte qui ingreditur: ipſe enim eſt ſecundum Gabrielis teſtimonium, Altiſſimi Filius, ac proinde coaltiſſimus ipſe. Neque enim fas eſt Dei Filium degenerem ſuſpicari: ſed æqualis fateri neceſſe eſt altitudinis, & ejuſdem penitus dignitatis. Nam & filios Principum Principes, & filios Regum Reges eſſe quis neſciat? Verumtamen quid ſibi vult quod e tribus perſonis, quas in ſumma Trinitate credimus, confitemur & adoramus, non Pater, non Spiritus-ſanctus advenit, ſed Filius? Minime quidem ego id factum eſſe arbitror ſine cauſa. Sed quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Neque enim ſine altiſſimo Trinitatis conſilio factum eſt, ut Filius adveniret: & ſi conſideramus exſilii noſtri cauſam, fortaſſis advertere poſſumus vel ex parte, quam congruum fuerit à Filio nos maxime liberari. Lucifer enim ille, qui mane oriebatur, pro eo

1. Quis ſeu quantus. — *Luc. 1. 32.* — *2. Quare Filius venit in mundum, non Pater, aut Spiritus-ſanctus.* — *Rom. 11. 34.*

A quod Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, (quod utique Filii eſt) præcipitatus ilico corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixiſſe videtur: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Continuo videbam ſatanam tamquam fulgur cadentem de cælo. Quid tu igitur ſuperbis, terra & cinis? Si ſuperbientibus Angelis Deus non pepercit: quanto magis tibi, putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus eſt: tantum cogitavit ſuperbiam; & in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus eſt: quia juxta Evangeliſtam, *In veritate non ſtetit.*

Rom. 12. 19. — *Luc. 10. 18.* — *Superbia deteſtabilis* — *Johan. 8. 44.*

B 3. Fugite ſuperbiam, Fratres mei, quæſo, multum fugite. Initium omnis peccati ſuperbia: quæ tam velociter ipſum quoque ſideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo Angelum, ſed Angelorum primum in diabolum commutavit. Unde & protinus invidens homini, quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem; ſuadens ut lignum vetitum guſtans fieret ſicut Deus, ſciens bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis, miſer: cum Filius Altiſſimi ſcientiæ clavem habeat, immo & ipſe ſit *clavis David, qui claudit, & nemo aperit?* In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: tunc eos, ut homini præſtes,
C inique furaberis? Videtis quia juxta Domini ſententiam *mendax* iſte eſt, *& pater ejus.* Nam & mendax fuit, dicens, *Similis ero Altiſſimo:* & mendacii pater, cum in hominem quoque venenatum ſuæ falſitatis ſeminarium effudit, dicens: *Eritis ſicut dii.* Tu quoque, ô homo, ſi vides furem, curris cum eo. Audiſtis, Fratres, quid hac nocte lectum eſt in Iſaia, dicente Domino: *Principes tui infideles*, vel, ut alia tranſlatio habet, *inobedientes, ſocii furum.*

Superbia principem Angelorum commutavit in diabolum. — *Ob affectatam Dei ſimilitudinem.* — *Apoc. 3. 7.* — *Coloſ. 2. 3.* — *Johan. 8. 44.* — *Iſa. 14. 14.* — *Gen. 3. 5.* — *Iſa. 1. 23.*

4. Revera enim principes noſtri Adam & Eva, principia noſtræ propaginis, inobedientes & ſocii furum; qui quod Filii Dei eſt, ſerpentis, immo diaboli per ſerpentem conſilio ſurripere tentant. Nec diſſimulat
D injuriam Filii Pater, (Pater enim diligit Filium,) ſed continuo & in ipſum hominem vindictam retribuit, & aggravat ſuper nos manum ſuam. Omnes enim in Adam peccavimus, & in eo ſententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius, videns pro ſe zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occaſione mei creaturas ſuas Pater amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui ſibi crederet, habuit: ſed continuo Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus ſuis plaga incurabili, caſtigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilo minus mea eſt, ſurripere voluit homo: & ne illi quidem miſertus eſt, nec pe-
E percit oculus ejus. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet, atque hominem: ſed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines univerſos. Ergo ut ſciant quia & ego diligo

Primus ſeu homo ob id punitus. — *Johan. 5. 20.* — *Filius Dei ea de cauſa incarnatus. V. Serm. 69. in Cant. n. 4.* — *1. Cor. 9. 9.*

Aaa

Tom. III. Patrem; per me recipiat, quos quodammodo propter A me amiſiſſe videtur. Jonæ 1. 12. *Si propter me tempeſtas hæc orta eſt*, ait Jonas, *tollite me, & mittite in mare.* Omnes invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipſum, ut quiſquis invidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei æmulatio iſta in bonum. Novi tamen in affectum malitiæ & nequitiæ tranſiiſſe Angelos deſertores, nec ex ignorantia aliqua ſeu infirmitate peccaſſe; ideoque perire neceſſe eſt pœnitere nolentes. Patris enim amor, & honor Regis judicium diligit.

Homo redemptus non Angelus, cur. 5. Propter hoc enim & ipſe creavit homines ab initio, qui ſupplerent locum illum, & ruinas Jeruſalem reſtaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam. Iſai. 16. 6. Nempe *novit ſuperbiam Moab, quod ſu-* B *perbus eſt valde*: & ſuperbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam poſtea condidit creaturam, innuens ex hoc ipſo redimendum adhuc hominem: quippe quem ſupplantavit aliena malitia; ideoque prodeſſe ei poteſt caritas aliena. Ità, Domine obſecro, complaceat tibi, ut eruas me, quoniam ego infirmus ſum: Gen. 40. 15. quoniam de terra mea furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. Non penitus quidem innocens: ſed quantum ad eum qui me ſeduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi perſuaſum eſt, Domine: veniat Veritas, ut poſſit falſitas deprehendi, & cognoſcam veritatem, & veritas libe- C rabit me: ſi tamen deprehenſæ falſitati penitus renuntiavero, & cognitæ adhæſero veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, Perſeverare in malo diabolicum. ſed obſtinatio diabolica. Nam perſeverare in malo diabolicum eſt: & digni ſunt perire cum illo, quicumque in ſimilitudinem ejus permanent in peccato.

3 Unde & quo venerit Filius Dei. 6. Ecce, Fratres, audiſtis quis ſit qui veniat: conſiderate jam unde veniat, & quo. Venit utique de corde Dei Patris in uterum virginis Matris; venit à ſummo cælo in inferiores partes terræ. Quid ergo? Nonne & nobis in terra eſt converſandum? Eſt, ſi tamen in ea perſtitit ille. Ubi enim bene erit ſine illo, Pſal. 72. 25. 26. aut ubi male eſſe poterit cum illo? *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, &* D *pars mea, Deus in æternum.* Pſal. 22. 4. *Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*, ſi tamen *tu mecum es.* Nunc autem, ut video, & ad terras, & ad ipſum quoque deſcendit infernum: non tamquam vinctus, ſed tamquam inter mortuos liber: ſicut lux quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec ſanctum corpus in terra videt corruptionem. Chriſtus enim qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ut adimpleret omnia, de quo ſcriptum eſt: Act. 10. 38. *Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a diabolo.* Pſal. 18. 7. & alibi: *Exſultavit ut gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Merito proin- E de clamat Apoſtolus, dicens: Col. 3. 1. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Incaſſum laboraret erigere corda noſtra, niſi collocatum in cælis ſalutis noſtræ doceret auctorem. Sed videamus jam quæ ſequuntur. Nam etſi materia quidem copioſa invenitur & uberrima valde, ſed anguſtiæ temporis tantam ſermonis longitudinem non admittunt. Conſiderantibus ergo quis veniat, magna omnino & ineffabilis majeſtas innotuit. Suſpicientibus unde veniat, grandis plane patuit via, ſecundum ejus teſtimonium Iſa. 30. 27. qui prophetico præventus ſpiritu, *Ecce*, inquit, *nomen Domini venit de longinquo.* Porro quo veniat intuentibus, apparuit inæſtimabilis dignatio & penitus F inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem tanta deſcendere dignata eſt celſitudo.

4. Ad quid venerit Filius Dei. 7. Jam quis dubitet magnum aliquid in cauſa fuiſſe, ut majeſtas tanta, de tam longinquo, in locum tam indignum deſcendere dignaretur? Plane magnum aliquid, quia miſericordia magna, quia miſeratio multa, quia caritas copioſa. Ad quid enim veniſſe credendus eſt? Hoc namque eſt quod juxta propoſitum ordinem A oporteat jam perſcrutari. Nec ſane laborandum eſt in hac parte, cum manifeſte adventus ejus cauſam & Cauſa divinæ Incarnationis. verba ipſius, & opera clament. Ad quærendam quippe ovem centeſimam, quæ erraverat, de montibus properavit; & ut confiteantur manifeſtius Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti! Hominis ſic à Deo quæſiti dignitas. In qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens: non quod aliquid eſſe videatur tamquam à ſe ipſo, ſed quod tanti eum fecerit ipſe qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, & quicquid in eo concupiſcitur, minus eſt ad hanc gloriam: imo nec eſt aliquid in comparatione ejus. Domine, quid eſt homo quia magnificas eum, aut B quid apponis erga eum cor tuum?

8. Attamen velim noſſe, quid ſibi voluerit, quod ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum. Cur non potius homo ad Deum, quam Deus ad hominem venerit. Noſtra enim erat neceſſitas: ſed nec eſt conſuetudo divitum, ut ad pauperes veniant, nec ſi præſtare voluerint. Ita eſt, Fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit; ſed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi noſtri: illc vero lucem ha- 1. Tim. 6. 16. bitat inacceſſibilem; & jacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celſitudinem. Propterea benigniſſimus Salvator & medicus animarum deſcendit ab altitudine ſua, & claritatem ſuam infirmis oculis temperavit. Induit ſe later- C na quadam, illo utique glorioſo & ab omni labe puriſſimo corpore quod ſuſcepit. Hæc eſt enim illa le- Iſa. 19. 1. viſſima plane & præfulgida nubes, ſupra quam aſcenſurum eum Propheta prædixerat, ut deſcenderet in Ægyptum.

9. Tempus eſt jam ipſum quoque conſiderare tem- Tempus adventus Dominici expenditur. pus, quo Salvator advenit. Venit enim (quod & vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, ſed in fine. Nec incongrue factum eſt, ſed vere ſapienter diſpoſuit Sapientia, ut cum magis eſſet neceſſarium, tunc primo ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Vere enim adveſperaſcebat & inclinata erat jam dies, receſſerat paulo minus ſol juſtitiæ: ita ut exiguus nimis D ſplendor ejus aut calor eſſet in terris. Nam & lux divinæ notitiæ parva admodum erat, & abundante iniquitate fervor refriguerat caritatis. Jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta: ceſſabant velut deſperatione victi, præ nimia utique duritia hominum & obſtinatione: at ego, ait Filius, *tunc dixi*, Pſal. 39. 8. *Ecce venio.* Sic, ſic dum medium ſilentium tenerent Sap. 18. 14. omnia, & nox in ſuo curſu iter perageret, omnipotens Sermo tuus, Domine, à regalibus ſedibus venit. Quod & Apoſtolus innuens aiebat: *Ubi venit ple-* Galat. 4. 4. *nitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.* Nimirum plenitudo & abundantia temporalium oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Opportune ergo tunc E advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cetera ſileam, ipſa quoque pax tem- Luc. 2. 1. poralis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum deſcriberetur univerſus orbis.

10. Habetis jam & perſonam venientis, & locum Via, per quam venit Filius Dei, inveſtigatur. utrumque, id eſt, à quo, & ad quem venit: cauſam quoque & tempus non ignoratis. Unum reſtat, via ſcilicet per quam venit, & hæc quoque diligenter requirenda: ut poſſimus, ſicut dignum eſt, ei occurrere. Verumtamen ſicut ad operandam ſalutem in medio terræ venit ſemel in carne viſibilis, ita quotidie ad ſalvandas animas ſingulorum in ſpiritu venit & inviſibilis, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus ante faciem noſ-* Thren. 4. 20. F *tram Chriſtus Dominus.* Et ut noveris occultum eſſe ſpiritualem hunc adventum: *In umbra ejus*, inquit, *vi-* Ibidem. *vemus inter gentes.* Propterea dignum eſt, ut ſi non valet infirmus in occurſum tanti medici procedere longius, ſaltem conetur erigere caput, & aliquatenus aſſurgere venienti. Non te oportet, ô homo, maria Adventus Dei ad nos ſpiritualis. transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis, inquam, tibi oſtenditur via: uſque ad temetipſum occurre Deo tuo. Prope eſt enim Rom. 10. 8.

verbum in ore tuo, & in corde tuo. Uſque ad cordis compunctionem & oris confeſſionem occurre, ut ſaltem exeas de ſterquilinio miſeræ conſcientiæ: quoniam indignum eſt illuc auctorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo adventu dicta ſunt, quo ſingulorum mentes inviſibili dignatur illuſtrare præſentia.

11. Libet autem manifeſti adventus viam conſiderare: quoniam viæ ejus, viæ pulcræ; & omnes ſemitæ ejus pacificæ. *Ecce*, inquit ſponſa, *venit iſte ſaliens in montibus, tranſſiliens colles.* Venientem vides, ô pulcra, ſed cubantem videre ante non poteras. Dixiſti enim: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes.* Cubans paſcit Angelos in illas perpetuas B æternitates, quos ſatiat viſione æternitatis & immutabilitatis ſuæ. Sed ne ignores te, ô pulcra: quoniam mirabilis facta eſt viſio illa ex te; confortata eſt, & non poteris ad eam. Verumtamen ecce egreſſus eſt de loco ſancto ſuo: & qui cubans paſcit Angelos, ipſe cœpit, ſicque ſanabit nos: & videbitur veniens & paſtus, qui cubans & paſcens ante videri non poterat. Ecce venit hic ſaliens in montibus, tranſſiliens colles. Montes & colles, Patriarchas & Prophetas accipe; & quemadmodum venerit ſaliens & tranſſiliens, in libro generationis lege: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob, &c.* Ex his montibus prodiit, ut invenies, radix Jeſſe, unde juxta Prophetam, egreſſa eſt C virga, & exinde flos aſcendit, ſuper quem requievit Spiritus ſeptiformis. Quod manifeſtius alio in loco aperiens idem Propheta: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Quem enim prius florem, ipſum deinde Emmanuelem; & quam dixerat virgam, manifeſtius exprimens, virginem nominavit. Sed neceſſe eſt altiſſimi hujus ſacramenti conſiderationem diei alteri reſervare: digna eſt enim proprio ſermone materia, præſertim quod in longum jam hodiernus ſermo proceſſerit.

Prov. 3. 17. Cant. 2. 8. — Ibidem. — Via adventus Domini in carnem. — Matth. 1. 2. — Iſa. 11. 1. — Iſa. 7. 14.

IN ADVENTU DOMINI

Sermo Secundus,

De verbis Iſaiæ ad Achaz, *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra, &c.*

1. AUdivimus ſuadentem regi Achaz Iſaiam, petere ſignum à Domino, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. Audivimus reſponſionem ejus, formam quidem habentem pietatis, ſed non virtutem. Propter hoc denique ab eo qui intuetur cor, & cui confitetur hominis cogitatio, meruit reprobari. *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* E Elatus erat Achaz faſtigio ſolii regalis, aſtutus humanæ ſapientiæ verbis. Audierat igitur Iſaias à Domino: Vade, dic vulpi illi, petat ſibi ſignum à Domino in profundum. Habet enim vulpes foveam, ſed in infernum quoque ſi deſcenderit, adeſt qui comprehendat ſapientes in aſtutia ſua. Item: Vade, ait Dominus, dic volucri iſti, petat ſibi ſignum in excelſum ſupra. Habet enim volucris nidum: ſed & ſi in cælum aſcenderit, illic eſt, qui ſuperbis reſiſtens, propria calcat virtute ſuperborum & ſublimium colla. Verumtamen diſſimulat ille poteſtatis excelſæ, ſeu incomprehenſibilis profunditatis ſapientiæ quærere ſignum: & propterea ſignum bonitatis & caritatis domui David ipſe F Dominus promittit, ut quos nec poteſtas, nec ſapientia terruit, alliciat ſaltem exhibitio caritatis. Poteſt tamen in eo quod ait, *In profundum inferni*, etiam caritas ipſa, qua majorem nemo habuit, ut in infernum quoque pro amicis moriendo deſcenderet, non immeritò deſignari: ut præcipiatur Achaz vel in excelſum regnantis expaveſcere majeſtatem, vel deſcendentis ad inferos amplecti caritatem. Moleſtus eſt ergo non ſolum hominibus, ſed etiam Deo, quiſquis nec majeſtatem cogitat in timore, nec caritatem cum amore

Iſai 7. 12. — Caritate nos Deus allicit.

A meditatur. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipſe vobis ſignum*, in quo manifeſte & majeſtas, & caritas innoteſcat. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus.* Noli fugere Adam, quia nobiſcum Deus. Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis: quia nobiſcum Deus. Nobiſcum carnis ſimilitudine, nobiſcum unitate *. Propter nos venit, tamquam unus ex nobis, ſimilis nobis, paſſibilis.

Tom. III. Iſa. 7. 14. — Ibidem. — * al. utilitate.

2. Denique, *Butyrum*, inquit, *& mel comedet.* Ac ſi dicat: Parvulus erit, & veſcetur infantilibus alimentis. *Ut ſciat*, inquit, *reprobare malum, & eligere bonum.* Etiam hic bonum, & malum audis, ſicut in arbore B vetita, ſicut in ligno tranſgreſſionis. Sed multo melius à primo Adam ſecundus iſte partitor. Eligens enim bonum, malum reprobat; non ſicut ille, qui dilexit maledictionem, & venit ei: noluit benedictionem, & elongata eſt ab eo. Nam & in eo quod præmiſit, *Butyrum & mel comedet*, advertere poteris parvuli hujus electionem. Tantum adſit ejus gratia, ut quod præſtat, utcumque ſentire digne, & accommodate ad intelligentiam proferre concedat. Duo ſunt in lacte ovis, butyrum, & caſeus. Butyrum pingue & humidum, caſeus è contra aridus & durus. Bene ergo parvulus noſter eligere novit; qui butyrum comedens, caſeum utique non comedit. Quæ eſt enim ovis C centeſima, quæ erravit, & in Pſalmo loquitur: *Erravi ſicut ovis quæ periit?* Utique genus humanum: quod benigniſſimus paſtor quærit, aliis ſane nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. In hac igitur ove duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, & bonam valde, tamquam butyrum: & peccati corruptionem, ut caſeum. Vide ergo quàm optime puer noſter elegit, qui naturam noſtram ſine ulla peccati corruptione ſuſcepit. Nam de peccatoribus legis: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*, in quibus utique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.

Ibidem. — Pſal. 108. 18. — Matth 18. 12. Pſal 118. 176. — Pſal 118. 70.

3 Sic & apis habet mellis dulcedinem, habet etiam D aculei punctionem. Apis vero eſt, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde & ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, & ad ſuave olentem perpetuæ virginitatis florem advenit: illi inſedit, illi adhæſit. Hujus apis mel & aculeum non ignorat, qui miſericordiam ei & judicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens ſolum mel attulit, & non aculeum, id eſt miſericordiam & non judicium; ita ut ſuadentibus quandoque Diſcipulis, ut civitatem, quæ ſuſcipere eum noluit, præciperet igne conſumi, reſponderit, Filium hominis non veniſſe ut judicaret, ſed ut ſalvaret mundum. Non habebat aculeum apis noſtra; quodammodo depoſuerat illum, quando tanta indigna E patiens, miſericordiam exhibebat, & non judicium. Sed nolite ſperare in iniquitate, nolite peccare in ſpe. Habet enim apis noſtra quandoque aſſumere aculeum ſuum; & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum: quoniam Pater non judicat quemquam, ſed Filio dedit omne judicium. Nunc autem parvulus noſter butyrum & mel comedit, quando bonum naturæ humanæ, divinæ miſericordiæ ſic univit in ſemetipſo, ut eſſet homo verus, & peccatum non habens: Deus miſericors, & judicium non exhibens.

Chriſtus ovi & api comparatur. — Pſal. 100. 1. Ad miſericordiam quā ad judicium nunc pronior. — Luc 9. 54. 56. — Johann. 5. 22. — Non abutendum Dei miſericordia.

4. Ex his manifeſtum jam arbitror, quænam ſit virga de radice Jeſſe procedens, quis vero flos ſuper F quem requieſcit Spiritus-ſanctus. Quoniam Virgo Dei genitrix virga eſt, flos Filius ejus. Flos utique Filius Virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus; flos in quem proſpicere deſiderant Angeli, flos ad cujus odorem reviviſcunt mortui; & ſicut ipſe teſtatur, flos campi eſt, & non horti. Campus enim ſine omni humano floret adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, ſic Virginis alvus floruit, ſic inviolata, integra, & caſta Mariæ viſcera, tamquam paſcua æterni viroris florem protulere; cujus pulcritudo

Cant. 5. 10. Maria virga ex qua Jeſus flos produit. Cant. 2. 1. — Chriſtus cur flos campi non horti.

Tom. III.

non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marceſcat. O Virgo, virga ſublimis, in quam ſublime verticem ſanctum erigis! uſque ad ſedentem in throno, uſque ad Dominum majeſtatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere cæleſtis planta, pretioſior cunctis, ſanctior univerſis! O vere lignum vitæ, quod ſolum fuit dignum portare fructum ſalutis! Deprehenſa eſt, maligne ſerpens, verſutia tua, nudata eſt plane falſitas tua. Duo impoſueras Creatori, mendacii, & invidiæ infamaveras eum: ſed in utroque convictus es eſſe mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras, *Nequaquam morieris*: & veritas Domini manet in æternum. Sed & nunc reſponde, ſi potes, quam ei arborem, cujus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, & fructum ſublimem negavit? *Etenim qui proprio Filio non pepercit, quomodo non omnia ſimul cum illo donavit?*

Diaboli verſutia deprehenſa. — *Gen. 3. 4.* — *Pſal. 116. 2.* — *Rom. 8. 32.*

5. Sed jam advertiſtis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipſa eſt via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipſius utero, tamquam ſponſus de thalamo ſuo. Tenentes ergo viam, quam priore, ſi meminiſtis, cœpimus inveſtigare ſermone; ſtudeamus & nos, dilectiſſimi, ad ipſum, per eam aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit: per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit. Per te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis: ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata noſtræ veniam impetret vanitati. Copioſa caritas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræſenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam inveniſti, per prærogativam quam meruiſti, per miſericordiam quam * peperiſti: ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis ſuæ, Jeſus-Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Adſpiratio ad Mariam devotiſſima. — * *al. percepiſti.*

IN ADVENTU DOMINI

Sermo Tertius,

De triplici Domini Adventu, & de ſeptem columnis, quas in nobis erigere debemus.

Adventus Domini omnes circumſtantiæ admirandæ.

1. IN Adventu Domini quem celebramus, ſi perſonam venientis intueor, non capio excellentiam majeſtatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expaveſco. Stupent certe Angeli de novo, videntes infra ſe, quem ſupra ſe ſemper adorant, manifeſte jam aſcendentes & deſcendentes ad Filium hominis. Si conſidero propter quid venerit, amplector quoad poſſum inæſtimabilem latitudinem caritatis. Si modum cogito, exaltationem agnoſco humanæ conditionis. Venit ſiquidem univerſitatis Creator & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo veniſſe dicitur, qui ſemper ubique fuit? Erat quidem in mundo, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus eum non cognovit. Non ergo venit qui aberat, ſed apparuit qui latebat. Unde & humanam, in qua agnoſceretur, induit formam: qui nimirum in divina lucem habitat inacceſſibilem. Nec ſane inglorium majeſtati apparere in propria ſimilitudine ſua, quam fecerat ab initio; nec indignum Deo, a quibus in ſubſtantia ſua non poterat agnoſci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ipſe hominibus innoteſceret factus homo.

Cur celebretur ejus adventus. — *Johann. 1. 10.* — *1. Tim. 6. 16.*

2. Hujus ergo adventus tantæ majeſtatis, tantæ humilitatis, tantæ caritatis, tantæ etiam glorificationis noſtræ, ab univerſa Eccleſia ſemel in anno ſollemnis memoria celebratur. Sed utinam ita ſemel ageretur, ut ſemper! id quippe dignius. Quantæ enim inſaniæ eſt, ut poſt tanti Regis adventum, aliis quibuſlibet negotiis homines velint, ſeu audeant occupari; & non magis, omiſſis omnibus, ſoli ejus cultui vacent, nec in ejus præſentia cujuſquam meminerint ceterorum? Sed non omnium eſt quod ait Propheta: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt*. ſiquidem nec omnes hæc memoria paſcit. Sane nemo quod non guſtavit, ſed neque quod tantum guſtavit, eructat. Ructus quippe non niſi de plenitudine & ſatietate procedit. Propterea quorum ſæcularis eſt mens & vita, memoriam hanc etſi celebrant, non tamen eructant: ſine devotione & affectione dies iſtos arida quadam conſuetudine obſervantes. Denique, quod damnabilius eſt, ipſa quoque inæſtimabilis hujus dignationis memoria datur in occaſionem carnis, ut videas eos tanta ſollicitudine diebus iſtis veſtium gloriam, ciborum parare delicias, ac ſi hæc & hujuſmodi quærat in Nativitate ſua Chriſtus, & ibi ſuſcipiatur dignius, ubi hæc accuratius exhibentur. Sed ipſum audi dicentem: *Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quid tanta ambitione veſtes paras in Natale meum? Deteſtor ego ſuperbiam, non amplector. Quid tanta ſollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delicias, non accepto. Plane inſatiabilis es corde, tanta parans, & ex tam longo. nam corpori utique & pauciora ſufficerent, & quæ poſſent opportunius inveniri. Celebrans ergo Adventum meum, labiis me honoras, ſed cor tuum longe eſt a me. Non me colis, ſed Deus tuus venter eſt, & gloria in confuſione tibi. Infelix omnino, qui voluptatem corporis, & ſæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus, cujus eſt Dominus Deus ejus.

Negligentia circa divinum cultum arguitur. — *Pſal. 144. 7.* — *Feſta in vanitatem & delicias verti indignum.* — *Pſal. 100. 5.* — *Pſal. 143. 15.*

3. Fratres, nolite æmulari in malignantibus, neque zelaveritis facientes iniquitatem. Intelligite magis in noviſſima eorum, & compatimini eis ex animo, & orate pro eis qui præoccupati ſunt in delicto. Hæc enim faciunt miſeri, quia ignorantiam Dei habent. Nam ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ tanta adverſum ſe inſania provocarent. Nos autem, dilectiſſimi, excuſationem de ignorantia non habemus. Plane noſti eum quiſquis hic es: & ſi dixeris quia non novi eum, eris ſimilis ſæcularibus, mendax. Denique ſi eum non noſti, quis te huc adduxit, aut quomodo huc veniſti? Alioquin quando tibi perſuaderi poſſet, carorum affectibus, corporis voluptatibus, ſæculi vanitatibus ſponte abrenuntiare, & jactare cogitatum tuum in Domino, & omnem ſollicitudinem in eum projicere: de quo nihil bene, immo tam male, conſcientia teſte, merueras? Quis tibi, inquam, perſuadere id poſſet, ſi neſcires, quia bonus Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti ipſum; niſi cognoviſſes & tu, quia ſuavis eſt Dominus, & mitis, & multæ miſericordiæ, & verax? Hæc autem unde noſti, niſi quia non ſolum ad te, ſed etiam in te venit?

Pſal. 36. 1. — *Religioſi Deum ignorare non poſſunt.*

4. Triplicem enim ejus adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad omnes quidem indifferenter, non autem ita in omnes, aut contra omnes. Sed quia primus & tertius noti ſunt, ut pote manifeſti; de ſecundo, qui ſpiritualis & occultus eſt, ipſum audi dicentem: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Beatus, apud quem manſionem facies, Domine Jeſu. Beatus, in quo Sapientia ædificat ſibi domum, excidens columnas ſeptem. Beata anima, quæ ſedes eſt Sapientiæ. Quænam eſt illa? Anima utique juſti. Merito plane, quia juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ. Quis in vobis eſt, Fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari. *Juſtitia*, inquit, *& judicium præparatio ſedis tuæ.* Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt unicuique tribuens. Tribue ergo

Triplex Domini adventus. — *Johann. 14. 23.* — *Chriſto ſedes quomodo paranda.* — *Pſal. 88. 15.* — *Tria tribus tribuenda.*

tribus quæ ſua ſunt. Redde ſuperiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes; & digne celebras Adventum Chriſti, parans ei in juſtitia ſedem ſuam. Redde, inquam, reverentiam prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt. Nec enim ſufficit exterius obtemperare majoribus noſtris, niſi ex intimo cordis affectu ſublimiter ſentiamus de eis. Quod etſi tam manifeſte innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omnino diſſimulationis, nihil excuſationis admittat: propter eum tamen à quo eſt omnis poteſtas, ipſum quem modo talem novimus, excelſum reputare debemus, non præſentibus perſonæ meritis, ſed ordinationi divinæ, & dignitati ipſius officii deferentes.

Superiori obedientia & reverentia. *Etiam indigno.*

5. Sic & fratribus noſtris, inter quos vivimus, ipſo jure fraternitatis & ſocietatis humanæ conſilii ſumus & auxilii debitores. Hæc enim volumus ut & ipſi nobis impendant: conſilium, quo erudiatur ignorantia noſtra; auxilium, quo juvetur infirmitas noſtra. Sed forte erit inter vos qui tacitus reſpondeat, dicens: Quod ego conſilium dabo fratri, cui nec unum quidem dicere verbum fas eſt abſque licentia? Quod ei auxilium impendere eſt, cum nec minimum aliquid agere liceat abſque obedientia? Ad quod ego: Non deerit certe quod facias, tantummodo caritas fraterna non deſit. Nullum ego conſilium melius arbitror, quàm ſi exemplo tuo fratrem docere ſtudeas, C quæ oporteat, quæ non oporteat fieri; provocans eum ad meliora, & conſulens ei, non verbo neque lingua, ſed opere & veritate. An vero utilius aut efficacius auxilium aliquod eſt, quàm ut ores devote pro eo, ut non diſſimules redarguere culpas ejus: ut non modo nullum ei offendiculum ponas, ſed & ſollicitus ſis, quantum prævales, tamquam angelus pacis de regno Dei ſcandala tollere, & occaſiones ſcandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium & conſiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde cauſetur.

Æquali conſilium & auxilium.

6. Porro ſi cui forte prælatus es, huic ſine dubio teneris debitor ſollicitudinis amplioris. Exigit à te & D ipſe cuſtodiam & diſciplinam. Cuſtodiam quidem, ut poſſit cavere peccatum: diſciplinam vero, ut quod minus cavit, minime maneat impunitum. Quod etſi nemini fratrum praeſſe videris, habes tamen ſub te, cui cuſtodiam hanc & diſciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod ſine dubio regendum accepit ſpiritus tuus. Debes ei cuſtodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & diſciplinam, ut dignos faciat pœnitentiæ fructus, caſtigatum, & ſubditum ſervituti. Longe tamen graviori & periculoſiori debito tenentur adſtricti, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix! quo me vertam, ſi tantum E theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius judicavit, contigerit negligentius cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret; quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certe id ſervandum accepi, pro quo mercator non inſipiens, ipſa utique Sapientia, ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multo plura, quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit ſane ad ſollicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cum & meam, & proximi conſcientiam ſervare neceſſe ſit, neutra mihi F ſatis eſt nota. Utraque abyſſus eſt imperſcrutabilis, utraque mihi nox eſt: & nihilo minus exigitur à me utriuſque cuſtodia, & clamatur; *Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte?* Non eſt mihi dicere cum Cain: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* ſed eſt fateri humiliter cum Propheta, quia *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* In eo tamen excuſabilis ego videor, ſi, ut prædixi, debitam exhibeo cuſtodiam pariter & diſciplinam. Quod ſi priora quoque quatuor non defuerint, dico autem erga præ- A latos reverentiam & obedientiam, conſilium & auxilium erga fratres, quod ad juſtitiam pertinet, non imparatam ſedem inveniet Sapientia.

Inferiori cuſtodia & diſciplina. *Corpori tuo ſimiliter.* *Superiorum pericula.* *Conſcientiarum notitia difficilis.* *Iſa. 21. 11.* *Gen. 4. 9.* *Pſal. 126. 1.*

7. Et fortaſſis hæ videantur ſex columnæ, quas excidit in ipſa domo, quam ædificavit ſibi: & ſeptima quoque quærenda eſt, ſi forte & eam nobis notam facere ipſa dignetur. Quid vero prohibet ſicut ſex in juſtitia, ſeptimam quoque intelligi in judicio? Neque enim juſtitia ſola, ſed *Juſtitia*, inquit, *& judicium præparatio ſedis tuæ.* Denique ſi prælatis, & æqualibus, & inferioribus reddimus quod oportet, nihilne accipiet Deus? At ei plane quod debet retribuere nemo poteſt, quod tam copioſe accumulaverit ſuper nos mi- B ſericordiam ſuam, quod tam multa deliquerimus ei, quod tam fragiles & nihil ſimus, quod tam plenus & ſufficiens ille ſibi, & bonorum omnium noſtrorum non egens. Audivi tamen dicentem eum, cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ revelaverat, quia *honor regis judicium diligit.* Nihil quod in ſe eſt à nobis exigit amplius: tantum dicamus iniquitates noſtras, & juſtificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Diligit enim animam, quæ in conſpectu ejus & ſine intermiſſione conſiderat, & ſine ſimulatione dijudicat ſemetipſam. Idque judicium non niſi propter nos à nobis exigit: quia ſi noſmetipſos judicaverimus, non utique judicabimur. Propterea ſapiens veretur omnia C opera ſua, ſcrutatur, diſcutit & dijudicat univerſa. Honorat quippe veritatem, qui & ſe, & ſua omnia in eo ſtatu, quo veritas habet, & agnoſcit veraciter, & humiliter confitetur. Audi denique manifeſtius à te judicium exigi poſt juſtitiam. *Cum feceritis*, inquit, *omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus.* Hæc plane, quoad ad hominem, eſt digna ſedis præparatio Domino majeſtatis: ut & juſtitiæ mandata ſtudeat obſervare, & ſemper indignum ſeſe & inutilem arbitretur.

Septem columnæ in domo ſpirit. exigendæ. *Pſal. 88. 15.* *Deo judicium debemus.* *Pſal. 98. 4.* *Humilis ſui diſcuſſio, & confeſſio Deo accepta.* *Luc. 17. 10.*

IN ADVENTU DOMINI

Sermo quartus,

*De duplici Adventu, & * ſtudio verarum virtutum.*

** al. & pennis deargentatis.* *Chriſti adventus duplex.*

1. Dignum eſt, Fratres, ut tota cum devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta conſolatione, ſtupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec vero ſolum cogitetis adventum, quo venit quærere & ſalvum facere quod perierat; ſed & illum nihilominus, quo veniet & aſſumet nos ad ſeipſum. Utinam circa hos duos adventus jugi meditatione verſemini, ruminantes in cordibus veſtris, quantum in priore præſtiterit, quantum promiſerit in ſecundo. Utinam certe dormiatis inter medios cleros. E Hæc ſunt enim duo brachia ſponſi, inter quæ ſponſa dormiens aiebat: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Nam *in ſiniſtra* quidem *ejus*, ſicut alibi legimus, *divitiæ & gloria: in dextera longitudinitas vitæ. In ſiniſtra ejus*, inquit, *divitiæ & gloria.* Filii Adam, genus avarum & ambitioſum, audite. Quid vobis cum terrenis divitiis & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum & argentum nonne terra eſt rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam? Denique ſi veſtra ſunt hæc, tollite ea vobiſcum. Sed homo cum interierit, non ſumet omnia; neque deſcendet cum eo gloria ejus.

Cant. 2. 6. *Prov. 3. 16.* *Divitiæ homine indignæ.*

2. F Veræ ergo divitiæ non opes ſunt, ſed virtutes: quas ſecum conſcientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apoſtolus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hæc eſt utique vera gloria, quæ eſt à ſpiritu veritatis. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus.* Gloria vero, quam ab invicem accipiunt, qui gloriam quæ eſt à ſolo Deo non requirunt, vana eſt: quoniam vani filii hominum. Inſipiens tu, qui merces congregas in ſaccum pertuſum, qui theſaurum tuum alieno in ore conſtituis! ignoras quod arca iſta

Divitiæ veræ virtutes. *2. Cor. 1. 12.* *Rom. 8. 16.* *Gloria vana ab hominibus.*

Tom. III. Vers à Deo

non clauditur, nec ſeras habet? Quanto melius ſapiunt, qui theſaurum ſuum ipſi ſervant, aliis non committunt? Verum numquid ſemper ſervabunt? Numquid ſemper abſcondent? Veniet cum manifeſta erunt abſcondita cordis: quæ vero fuerint oſtentata, non comparebunt. Hinc eſt quod veniente Domino fatuarum virginum lampades exſtinguuntur: & qui receperunt mercedem ſuam, à Domino neſciuntur. Propterea dico vobis, cariſſimi, utile eſt abſcondere magis quam oſtentare, ſi quid habemus boni: ſicut & mendici cum eleemoſynam petunt, non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, aut ulcera, ſi habuerint, ut citius ad miſericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille ſervavit multo melius Phariſæo, & ideo *deſcendit juſtificatus ab illo*, id eſt præ illo.

Matth. 25. 3. Matth. 6. 17. Occultare præſtat quàm oſtentare bona ſua. Luc. 18. 14.

4. Tempus eſt, Fratres, ut judicium incipiat à domo Dei. Quis finis eorum, qui non obediunt Evangelio? Quod judicium his, qui in hoc judicio non reſurgunt? Quicumque enim judicari diſſimulant eo judicio quod nunc eſt, in quo princeps hujus mundi ejicitur foras; judicem exſpectent, vel magis timeant, à quo cum ipſo principe ſuo foras ejicientur & ipſi. Nos autem ſi perfecte judicamur nunc, ſecuri Salvatorem exſpectemus Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Tunc fulgebunt juſti, ita ut videri poſſint docti pariter & indocti: fulgebunt enim ſicut ſol in regno Patris eorum. *Erit* autem *claritas ſolis ſeptempliciter*, id eſt, ſicut lux ſeptem dierum.

Quomodo ſecure ſecundum Domini adventum exſpectare liceat. Philip. 3. 20. Matth. 13. 43. Iſa. 30. 26.

4. Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ; ſi tamen prius fuerit cor reformatum, & configuratum humilitati cordis ipſius. Propter quod & dicebat: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Conſidera ſane in his verbis, quoniam humilitas duplex eſt: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoſcimus quod nihil ſumus; & hanc diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propria: poſteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo diſcimus, qui *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens*, qui etiam quæſitus in regnum, fugit; quæſitus ad tanta probra & ignominioſum ſupplicium crucis, ſponte obtulit ſemetipſum. Sint ergo, ſi dormire volumus *inter medios cleros*, id eſt duos adventus, *pennæ* noſtræ *deargentatæ*: ut illam ſcilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Chriſtus præſens in carne. In argento ſiquidem non incongrue intelligitur humanitas ejus, ſicut in auro divinitas.

Matth. 11. 29. Humilitas duplex, cognitionis & affectionis. V. ſerm. 42. in Cant. Philip. 2. 7. Pſal. 67. 14.

5. Omnis itaque virtus noſtra tam longe eſt à vera virtute, quàm longe eſt ab ea forma: & omnis penna noſtra ad nihilum valet, ſi non fuerit deargentata. Magna quædam penna eſt paupertatis, qua tam cito volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. unde & præſenti tempore enuntiatum eſt, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: cum in ceteris dicatur, *hereditabunt*, *conſolabuntur*, & ſimilia. Videmus autem pauperes aliquos, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeo puſillanimes invenirentur & triſtes, utpote reges, & reges cæli. Sed hi ſunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis deſit: & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt & alii mites, ſed quamdiu nihil dicitur, vel agitur niſi pro eorum arbitrio: patebit autem quàm longe ſint à vera manſuetudine, ſi levis oriatur occaſio. Hæc manſuetudo quomodo hereditabit, quæ ante hereditatem deficit? Alios quoque lugentes video: ſed ſi de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facile ilico ſolverentur in riſum. Nunc autem cum abundantius otioſa verba & ſcurrilia profluant, quàm prius lacrymæ: lacrymas hujuſmodi de his eſſe non arbitror, quibus conſolatio divina promittitur, quandoquidem poſt illas tam facile conſolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri poſſent eſurire & ſitire juſtitiam, ſi eſſet apud eos de ſuis quoque peccatis idem judicium: ſed nunc *pondus & pondus, utrumque abominatio eſt apud Deum.* Nam contra alios tam impudenter, quàm inaniter æſtuant: ſeipſos tam inſipienter, quàm inutiliter palpant.

Paupertatis prærogativa. Matth. 5. 3. Falſarum virtutum notæ & indicia. Prov. 20. 23.

6. Sunt alii miſericordes de his quæ id ipſos non pertinent; qui ſcandalizantur, ſi non datur omnibus abundanter, ſic tamen, ut ipſi ne in modico quidem graventur: qui ſi miſericordes eſſent, de ſuo facere deberent miſericordiam; ſi non poſſent de terrena ſubſtantia, de voluntate bona darent his qui forte contra eos peccare viderentur, indulgentiam; darent dulce ſignum, verbum bonum, quod eſt ſuper datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Denique & his, & omnibus quos in peccato eſſe cognoſcerent, compaſſionem impenderent, & orationem. Alioquin miſericordia eorum nulla eſt, & miſericordiam conſequuntur nullam. Item ſunt qui peccata ſua ſic confitentur, ut videri poſſent ex deſiderio mundandi cordis id agere, (omnia enim in confeſſione lavantur) niſi quod ea, quæ ipſi ſponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non poſſunt: qui ſi vere mundari deſiderarent, ut videntur; non irritarentur, ſed haberent eis gratiam, qui ſuas illis maculas demonſtrarent. Sunt & alii, qui ſi viderint quempiam vel leviter ſcandalizatum, valde ſolliciti ſunt quomodo eum in pacem reducere poſſint: & viderentur pacifici, niſi quod eorum commotio, ſi forte quicquam contra eos factum dictumve videbitur, tardius univerſis poterit difficiliuſque ſedari: qui nimirum ſi vere pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent ſibi ipſis.

7. Deargentemus ergo pennas noſtras in Chriſti converſatione, ſicut & Martyres ſancti laverunt ſtolas ſuas in ejus paſſione. Imitemur, quoad poſſumus, eum qui ſic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manu eſſent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret; ita ut Diſcipulos adhærentes ei legamus fame compulſos ſpicas manibus confricaſſe, cum per ſata tranſirent: quique tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & *ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum*: quem & ſuper Lazarum & ſuper civitatem fleviſſe, & in orationibus pernoctaſſe legimus; riſiſſe vero aut jocaſſe [a] nuſquam: qui ſic eſurivit juſtitiam, ut cum propria non haberet, tantam pro peccatis noſtris à ſeipſo exegit ſatisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quàm juſtitiam ſitiebat, qui pro inimicis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus ſuis: qui peccatum non fecit, & impoſita ſibi ab aliis patienter audivit, qui pro reconciliandis ſibi peccatoribus tanta ſuſtinuit.

Chriſtus imitandus. Luc. 9. 58. Luc. 6. 1. Iſa. 53. 7. Johan. 11. Luc. 19. 41. Luc. 6. 12. Chriſtus fleviſſe legitur, nuſquam riſiſſe.

IN ADVENTU DOMINI

SERMO QUINTUS,

De medio Adventu, & triplici innovatione.

1. Diximus nuper his, qui deargentaverunt pennas ſuas, dormiendum inter medios cleros, duos ſignificantes adventus: ſed ubi ſit dormiendum non diximus. Tertius enim quidam adventus eſt medius inter illos: in quo delectabiliter dormiunt qui eum norunt. Illi enim duo manifeſti ſunt, ſed non iſte. In priori quidem in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt: quando, ſicut ipſe teſtatur, *& viderunt, & oderunt.* In poſteriore vero *videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*; & *videbunt in quem transfixerunt.* Medius occultus eſt, in quo ſoli eum in ſeipſis vident electi, & ſalvæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne & infirmitate; in hoc medio in ſpiritu & virtute; in ultimo in gloria & majeſtate. Per virtu-

Johan. 15. 24. Luc. 3. 6. Johan. 19. 37. Adventus Chriſti triplex.

[a] al. *jocatum*. Sed mſſ. habent *jocaſſe*: licet enim *joco* pro *jocor* non facile quis hoc ævo dixerit, in ſuperioribus tamen ſæculis ſæpius ſe offert, inquit Voſſius.

Pſal. 23. 10.
tem enim pervenitur ad gloriam : quia *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*. Et item alibi ait idem Propheta :
Pſal. 62. 3.
Ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Adventus ſiquidem iſte medius, via quædam eſt, per quam à primo venitur ad ultimum. In primo Chriſtus fuit redemptio noſtra; in ultimo apparebit vita noſtra : in iſto ut dormiamus inter medios cleros, requies eſt & conſolatio noſtra.

2. Sed ne cui forte inventitia videantur quæ de hoc
Johan. 14. 23.
adventu medio dicimus, ipſum audite. *Si quis diligit me*, inquit, *ſermones meos ſervabit : & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*. Sed quid eſt, ſi quis diligit me, ſermones meos ſervabit? Legi enim alibi :
Eccli. 15. 1.
Qui timet Deum, faciet bona : ſed plus aliquid dictum ſentio de diligente, quia ſermones Dei ſervabit. Ubi ergo ſervandi ſunt? Haud dubium quin in corde, ſicut ait Propheta :
Pſal. 118. 11.
In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quomodo in corde ſervandi? an ſufficit ſola eos ſervare memoria? At vero ſic ſervanti dicet Apoſtolus :
1. Cor. 8. 1.
Quoniam ſcientia inflat. Denique & memoriam facile delet oblivio.
Sermones Dei ſervandi non in ſola memoria ſed etiam in moribus.
Sic ſerva ſermonem Dei, quomodo melius ſervare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus eſt, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca eſt, poteſt à fure tolli, poteſt à mure corrodi, poteſt vetuſtate corrumpi. Ubi vero comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo cuſtodi verbum Dei.
Luc. 11. 28.
Beati enim qui cuſtodiunt illud. Ergo trajiciatur in viſcera quædam animæ tuæ; tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in craſſitudine anima tua. Ne obliviſcaris comedere panem tuum, ne exareſcat cor tuum, ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua.

3. Si ſic verbum Dei ſervaveris, haud dubium quin ab eo ſerveris. Veniet enim Filius ad te cum Patre, veniet Propheta magnus, qui renovabit Jeruſalem, & ille nova faciet omnia. Hoc enim faciet hic adventus, ut
1. Cor. 15. 49.
Innovatio triplex nobis præſtita per Chriſtum.
ſicut portavimus imaginem terreni, ſic portemus & imaginem cæleſtis. Sicut fuit vetus Adam effuſus per totum hominem, & totum occupavit : ita modo totum obtineat Chriſtus, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit; quique totum hominem
Vide ſerm. 69 de diverſ.
ſalvum fecit in ſabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo : prævaricator ille erat in nobis, tam in manu, quam in ore, & in corde. In manu dupliciter, per facinus & flagitium. In ore ſimiliter per arrogantiam & detractionem. In corde quoque per deſideria carnis, & deſideria gloriæ temporalis. Nunc autem ſi qua nova creatura in ipſo, vetera tranſierunt, & contra facinus in manu, innocentia; contra flagitium, continentia eſt. In ore contra arrogantiam, verbum confeſſionis; contra detractionem, verbum ædificationis, ut recedant vetera de ore noſtro. In corde vero contra carnis deſideria, caritas; humilitas contra gloriam temporalem. Et vide ſi non in his tribus Chriſtum Dei Verbum recipiant ſinguli electorum, quibus dictum
Cant. 8. 6.
eſt : *Pone me ſignaculum ſuper brachium tuum, ſignum ſuper cor tuum*. & alibi :
Rom. 10. 8.
Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.

IN ADVENTU DOMINI

SERMO SEXTUS,

De triplici Adventu, & carnis Reſurrectione.

Anima prius & potius curanda quàm corpus.

1. NOlo vos, Fratres, ignorare tempus viſitationis veſtræ : ſed ne illud quidem quid hoc tempore viſitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus eſt, non corporibus aſſignatum, quod videlicet longe dignior anima corpore, priorem ſibi ſollicitudinem naturali vindicet dignitate. Sed & prior reparanda eſt, quam conſtat corruiſſe priorem. Anima ſiquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique ſi Chriſti membra volumus inveniri, ſequendum nobis eſt ſine dubio caput noſtrum : ut videlicet prima nobis reparandarum ſit ſollicitudo animarum, pro quibus ipſe jam venit, & quarum prius mederi ſtuduit corruptioni. Corporis vero curam illi
Tom. III.
Chriſti Adventus primus ſpectat ad animam, ſecundus ad corpus.
tempori magis reſervemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratia eſt venturus, ſicut meminit Apoſtolus, dicens :
Philip. 3. 20.
Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. In priore ſiquidem adventu tamquam præco, vel magis vere præco ipſius Johannes Baptiſta clamat :
Johan. 1. 29.
Ecce, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Non dicit morbos corporis, non moleſtias carnis, ſed peccatum, quod eſt morbus animæ, & corruptio mentis. Ecce qui tollit peccata mundi. Unde? Utique à manu, ab oculo, à collo, demum etiam à carne ipſa, cui altius infixum eſt.

2. Tollit peccatum è manibus, commiſſa peccata delens : tollit ab oculo, purgans mentis intentionem : tollit à collo, violentam removens dominationem, ſicut ſcriptum eſt :
Iſa. 9. 4.
Sceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian. Itemque :
Iſa. 10. 27.
Computreſcet jugum à facie olei. Et Apoſtolus loquitur, dicens :
Rom. 6. 12.
Ut non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Siquidem alio in loco ait idem Apoſtolus :
Rom. 7. 18.
Scio, inquit, *quod non eſt in me bonum, hoc eſt, in carne mea*. Et alibi :
Ibid. 24.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sciebat nimirum non prius liberandum ſe eſſe à peſſima illa radice, quæ carni infixa eſt; à lege peccati, quæ eſt in membris noſtris, donec & ab ipſo corpore ſolveretur : unde & cupiebat diſſolvi, & cum Chriſto eſſe,
Philip. 1. 23.
ſciens quod peccatum, ſeparans inter nos & Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur à corpore. Audiſtis de quodam, quem Dominus curavit à dæmonio, quoniam collidens & multum diſcerpens eum dæmon, juſſu Domini exivit ab illo.
Marc. 9.
Concupiſcentia reprimi poteſt, extingui non poteſt niſi in morte.
Itaque dico vobis, genus illud peccati, quod toties conturbat nos, (concupiſcentias loquor & deſideria mala) reprimi quidem debet & poteſt per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, nec demus membra noſtra arma iniquitatis peccato, & ſic
Rom. 6. 13.
nulla damnatio eſt his qui ſunt in Chriſto Jeſu : ſed non ejicitur niſi in morte, quando ſic diſcerpimur, ut anima ſeparetur à corpore.

3. Habes ad quid venerit Chriſtus, & cui intendere debeat Chriſtianus. Propterea noli, ô corpus, noli præripere tempora : potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes.
Eccl. 3. 1.
Omnia tempus habent.
Elegans apoſtrophe ad corpus.
Patere ut nunc anima pro ſe laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam ſi compateris, & conregnabis. Quantum ejus impedis reparationem, tantum impedis tuam : quod nimirum ante reparari non poteris, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Da honorem hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua : anima vero peregrina & exſul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, quis ruſticus, ſi forte nobilis & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis cineribus accubabit, cedens hoſpiti ſuo locum (ſicut dignum eſt) potiorem? Et tu ergo fac ſimiliter. Injurias vel moleſtias tuas ne reputaveris : tantum ut hoſpes tuus honorifice poſſit apud te demorari. Honor tibi eſt, ut pro eo interim te exhibeas inhonorum.

Corpus quid tum debeat animæ.

4. Ac ne forte deſpicias aut parvipendas hoſpitem tuum, pro eo quod peregrinus tibi videtur & advena : diligenter attende, quid hoſpitis hujus tibi præſentia largiatur. Ipſe enim eſt qui tribuit oculis viſum, auditum auribus præſtat : ipſe eſt qui linguæ vocem, palato guſtum, motum membris omnibus ſubminiſtrat. Si quid vitæ, ſi quid ſenſus, ſi quid in te decoris eſt, hujus hoſpitis beneficium recognoſce. Denique diſceſſus ejus probat, quid præſentia conferebat. Protinus enim anima diſcedente, lingua ſilebit, oculi nihil videbunt, obſurdeſcent aures, corpus omne rigebit, facies expalleſcet. In brevi quoque totum cadaver putridum ſimul & putidum fiet, & decor omnis in ſaniem convertetur. Ut quid ergo pro temporali quali-

Tom. III

bet delectatione contriſtas & lædis hoſpitem iſtum, quam nec ſentire quidem ullo modo poteras niſi per ipſum? Ad hæc ſi tantum tibi confert exſul, & inimicitiarum cauſa à facie Domini ſui ejectus, quantum tibi præſtabit reconciliatus? Noli, ô corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria præparatur. Patienter, immo & libenter temetipſum expone ad omnia: nihil diſſimules quod huic videatur reconciliationi poſſe prodeſſe. Dic hoſpiti tuo: Quia recordabitur Dominus tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, & tu memento mei.

Corporis cura præpoſtera.

5. Omnino enim memor erit tui in bonum, ſi bene ſervieris illi: & cum pervenerit ad Dominum ſuum, ſuggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hoſpite, dicens: Cum in ultionem culpæ ſuæ exſularet ſervus tuus, pauper quidam, apud quem hoſpitatus ſum, fecit mecum miſericordiam; & utinam retribuat pro me Dominus meus. Primo ſiquidem omnia ſua, dehinc etiam ſemetipſum expoſuit utilitatibus meis, non parcens ſibi propter me, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis ſupra modum, in fame & ſiti, etiam in frigore & nuditate. Quid igitur? Profecto non mentietur Scriptura, qua dicitur: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* O ſi forte guſtare dulcedinem hanc, ſi forte gloriam iſtam valeas æſtimare! Mira enim dicturus ſum: ſed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipſe Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & rex gloriæ, ipſe deſcendet ad reformanda corpora noſtra, & configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exſultatio, quando Creator univerſitatis, qui pro animabus juſtificandis humilis ante venerat & occultus, pro te glorificanda, ô miſera caro, ſublimis veniet & manifeſtus, non jam in infirmitate, ſed in gloria & majeſtate ſua! Quis cogitabit diem adventus illius, quando deſcendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Chriſto in aëra?

Animæ cura pro corpore tanquam bono & commodo hoſpite.

Pſal. 144. 19.

Chriſti adventus ſecundus glorioſus.

6. Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, demens & prorſus inſana caro, tranſitorias & caducas quærit conſolationes, immo deſolationes, ſi forte contingat repelli, & indignam judicari hac gloria, magis autem nihilo minus ineffabili in æternum excruciari pœna? Non ſic, obſecro, Fratres mei, non ſic: quin immo delectetur in hujuſmodi meditationibus anima noſtra: quin etiam caro noſtra requieſcat in ſpe, Salvatorem exſpectans Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui reformabit illam, configuratam corpori claritatis ſuæ. Sic enim ait Propheta: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* Deſiderabat ſiquidem anima prophetalis adventum priorem, quo ſe noverat redimendam: ſed multo amplius caro deſiderabat adventum poſteriorem, & glorificationem ſuam. Tunc enim implebuntur deſideria noſtra, & plena erit majeſtate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, ipſe ſua nos miſericordia perducat, nec confundat nos ab exſpectatione noſtra Salvator, quem exſpectamus, Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.

Conſolationes terrenæ reſpuendæ ob divinas.

Pſal. 62. 2.

IN ADVENTU DOMINI

Sermo septimus,

De triplici utilitate Adventus Domini.

1. SI devote celebramus Adventum Domini, id facimus quod oportet: ſiquidem non modo ad nos, ſed & propter nos venit, qui bonorum noſtrorum non eget. Verum noſtræ quidem indigentiæ quantitatem manifeſtius ipſa dignationis ejus indicat magnitudo. Nec modo periculum ægritudinis ex ipſo pretio medicaminis innoteſcit: ſed & valetudinum numerus ex multitudine remediorum. Ut quid enim diviſiones gratiarum ſunt, ſi non videtur neceſſitatum ulla diverſitas? Et quidem difficile eſt univerſas uno ſermone proſequi indigentias, quas experimur: ſed occurrunt mihi interim tres communes omnibus, & quodam modo principales. Nemo enim reperitur in nobis, qui non interim & conſilii, & auxilii, & præſidii indigus videatur. Nimirum generalis eſt humano generi miſeria triplex; & quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, ſi diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miſerabiliter laboramus. Nam & faciles ſumus ad ſeducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum. Si diſcernere volumus inter bonum & malum, decipimur: ſi tentamus facere bonum, deficimus: ſi conamur reſiſtere malo, dejicimur & ſuperamur.

Chriſti adventus neceſſarius.

Triplex hominum miſeria ſeu indigentia.

2. Neceſſarius proinde Salvatoris adventus; neceſſaria ſic præoccupatis hominibus præſentia Chriſti. Atque utinam ſic veniat, ut copioſiſſima dignatione ſua, & in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem noſtram, & nobiſcum manens adjuvet infirmitatem noſtram, & pro nobis ſtans fragilitatem noſtram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis jam decipiat nos? Si ille nobiſcum, quid de cetero non poſſumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis conſiliarius eſt, qui neque falli omnino, neque fallere queat: fortis auxiliarius, qui non laſſeſcat; patronus efficax, qui & ipſum ſatanam ſub pedibus noſtris velociter conterat, & omnia ejùs machinamenta confringat. Nimirum ipſe eſt Dei ſapientia, cui ſemper in promptu ſit inſtruere ignorantes: ipſe Dei virtus, cui facile ſit & deficientes reficere, & eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, Fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam ſtrenuum adjutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas noſtras: qui ad hoc ipſum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras noſtras illuminaret, & labores levaret, & pericula propulſaret.

Huic remedium affert triplex Domini adventus.

Rom. 8. 31.

Monitum in seqq. Homilias.

Sequentes quatuor Homiliæ, quod unum eſt ex primis Bernardi operibus, etſi vulgo inſcribantur ſuper Miſſus eſt; *ex mente tamen Auctoris, ipſius inquam Bernardi, inſcribendæ.* De laudibus Virginis Matris. *Nam ſic ipſe in præſenti Præfatione, & in epiſtola* 18. ad Petrum Diac. Cardin. Scio, *inquit*, me ſcripſiſſe quatuor Homilias in laudibus Virginis Matris; nam hunc habent titulum, &c. *Et iterum epiſtola* 89. *ad Ogerium.* Alium libellum à me nuper editum in Laudibus Virginis Matris tibi tranſmitto. *Porro videndus Bernardus Tractatu* ad Hugonem *cap. 5. tomo 2.* (alias epiſtola 77.) *ubi ſententiam quamdam primi hujus Sermonis explicat, & à calumnia vindicat.*

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS.

Super verba Evangelii, *Miſſus eſt Angelus Gabriel, &c.*

Homilia IV.

PRÆFATIO.

SCribere me aliquid & devotio jubet, & prohibet occupatio. Verumtamen quia præpediente corporali moleſtia, Fratrum ad præſens non valeo ſectari conventum: id tantillum otii, quod vel mihi de ſomno fraudans in noctibus intercipere ſinor, non ſinam otioſum. Libet ergo tentare id potiſſimum aggredi, quod ſæpe animum pulſavit: loqui videlicet aliquid in Laudibus Virginis Matris, ſuper illa lectione evangelica, in qua, Luca referente, Dominicæ Annuntiationis continetur hiſtoria. Ad quod ſane opus faciendum etſi nulla Fratrum (quorum me profectibus deſervire neceſſe eſt) vel neceſſitas urgeat, vel utilitas moveat *: dum tamen ex hoc non impediar, quo ad quæque ipſorum neceſſaria minus paratus inveniar, non arbitror eos debere gravari, ſi propriæ ſatisfacio devotioni.

Bernardus etiam infirmus hæc ſcribit.

* al. moneat

HOMILIA

HOMILIA I.

Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David; & nomen Virginis Maria. Luc. 1.

1. QUid ſibi voluit Evangeliſta, tot propria nomina rerum in hoc loco tam ſignanter exprimere?

Inſinuatio myſteriorum.

Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter ſtuduit enarrare. Nominat ſiquidem Nuntium qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, Sponſum quoque virginis: amborumque genus, civitatem ac regionem propriis deſignat nominibus. Ut quid hoc? Putaſne aliquid horum

Matt. 10. 29.

ſupervacue poſitum ſit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore ſine cauſa, nec unus ex paſſeribus ſine Patre cæleſti cadit ſuper terram: putem ego de ore ſancti Evangeliſtæ ſuperfluum diffluere verbum, præſertim in ſacra hiſtoria Verbi? Non puto. Plena quippe ſunt omnia ſupernis myſteriis, ac cæleſti ſingula dulcedine redundantia: ſi tamen diligentem habeant inſpectorem, qui noverit ſugere mel de petra, oleumque de

Joel. 3. 18.

ſaxo duriſſimo. Nempe in illa die ſtillarunt montes dulcedinem, & colles fluxerunt lac & mel, quando rorantibus cælis deſuper, nubibuſque pluentibus juſtum,

Iſa. 45. 8.

aperta eſt terra læta germinans Salvatorem: quando C Domino dante benignitatem, & terra noſtra reddente fructum ſuum, ſuper illum montem montium, mon-

Pſal. 84. 12.

tem coagulatum & pinguem, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Illo quoque in tempore unus iſte inter ceteros montes non modicus, beatus hic videlicet Evangeliſta, dum deſideratum nobis noſtræ ſalutis exordium ſuo melliſluo commendavit eloquio, veluti perflante auſtro, atque è vicino Sole radiante juſtitiæ, quædam ex eo ſpiritualia profluxerunt aromata. Utinam & nunc Deus emittat verbum ſuum, & liquefaciat ea nobis; perflet ſpiritus ejus, & fiant nobis intelligibilia verba evangelica: fiant in cordibus noſtris deſiderabilia ſuper D aurum & lapidem pretioſum multum, fiant & dulciora ſuper mel & favum!

Angelus Gabriel quare miſſus.

2. Ait itaque: *Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo.* Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa, crebra ſoleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab alio aliquo forte excellentiori ſe (ut aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo poſitum eſt, *A Deo.* vel ideo dictum eſt, *A Deo*, ne cui vel beatorum ſpirituum ſuum Deus, antequam Virgini, revelaſſe putetur conſilium *, excepto dumtaxat archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter ſuos inveniri po- E tuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuntio. Nec diſcordat nomen à nuntio. Dei quippe virtutem Chriſtum quem melius nuntiare decebat, quàm hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum & nuntium communi cenſeri vocabulo: cum ſimilis in utroque appellationis, non ſit tamen utriuſque ſimilis cauſa.

* V. notā ad Hugon. de S. Victore 1. 1.

Chriſtus & Angelus diverſimode Dei virtus dicuntur. 1. Cor. 1. 24.

Aliter quippe Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Chriſtus autem etiam ſubſtantive *Chriſtus Dei virtus*, & dicitur, & eſt, quæ forti armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperveniens, ipſum F ſuo brachio debellavit: & ſic ei vaſa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus eſt, vel quod hujuſmodi meruerit prærogativam officii, quo ejuſdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expaveſceret, confortare deberet. quod & fecit. *Ne timeas*, inquiens, *Maria: invenisti gratiam apud Deum.* Sed & ipſius ſponſum, hominem utique nihilo minus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forſitan idem Angelus confortaſſe

Tom. III.

A creditur, quamquam tunc ab Evangeliſta non nominetur. *Joſeph*, inquit, *fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.* Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: immo quia tale illi negotium injungitur, recte tali nomine deſignatur.

Johan. 1. 45.

3. Miſſus eſt ergo angelus Gabriel à Deo. Quo? *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Videamus, ſi (ut ait Nathanael) *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe.* Na-

Quo miſſus Angelus.

zareth interpretatur flos. Videntur autem mihi quodda̅ ſemen fuiſſe divinæ cognitionis, tamquam è cælo jactatum in terras, allocutiones & promiſſiones factæ cælitus ad Patres, Abraham ſcilicet, Iſaac, & Jacob; de quo ſemine ſcriptum eſt: *Niſi Dominus Sabaoth reli-* B *quiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus; & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

Iſa. 1. 9.

Nazareth interpretatio & ſignificatio.

Floruit autem hoc ſemen in mirabilibus, quæ oſtenſa ſunt in exitu Iſraël de Ægypto, in figuris & ænigmatibus per totum iter in deſerto uſque in terram promiſſionis, & deinceps in viſionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac ſacerdotii uſque ad Chriſtum. Chriſtus autem hujus ſeminis & horum florum non immerito fructus eſſe intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.*

Pſal. 84. 13.

Pſal. 131. 11.

In Nazareth ergo nuntiatur Chriſtus naſciturus: quia in flore ſperatur fructus proceſſurus. Sed prodeunte fructu, flos C decidit: quia veritate apparente in carne, figura pertranſiit. Unde & Nazareth civitas Galilææ dicitur, id eſt, tranſmigrationis: quia naſcente Chriſto, omnia illa tranſierunt, quæ ſuperius enumeravi, quæ, ut ait Apoſtolus, *in figura contingebant illis.* Hos ergo flores & nos qui jam fructum tenemus, pertranſiiſſe videmus: & dum adhuc florere videbantur, tranſituri prævidebantur.

Galilææ ratio myſtica.

1. Cor. 10. 11.

Unde David: *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat: veſpere decidat, induret & areſcat.* Veſpere etenim, id eſt, quando venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Unigenitum ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, dicente ipſo, *Ecce nova facio omnia*; vetera tranſierunt & diſparuerunt, quo- D modo in novitate ſuccreſcentis fructus flores decidunt & areſcunt. Unde rurſus ſcriptum eſt: *Fœnum aruit, & flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum.* Credo non ambigis, quin verbum fructus ſit; Verbum autem Chriſtus eſt.

Pſal. 89. 6.

Gal. 4. 4.

Apoc. 21. 5.

Iſa. 40. 8.

4. Bonus itaque fructus Chriſtus, qui manet in æternum. Sed ubi eſt fœnum quod aruit? ubi eſt flos qui decidit? Propheta reſpondeat. *Omnis caro fœnum; & omnis gloria ejus, tamquam flos fœni.* Si omnis caro fœnum: ergo carnalis ille populus Judæorum ut fœnum * aruit. An non fœnum aruit, dum idem populus ab omni ſpiritus pinguedine vacuus, ſiccæ litteræ adhæſit? Annon etiam flos decidit, quando gloriatio, quam E habebant in lege, non remanſit? Si flos non decidit: ubi ergo regnum, ubi ſacerdotium, ubi Prophetæ, ubi templum, ubi denique magnalia illa, de quibus gloriari ſolebant, & dicere: *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis!* Et iterum: *Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis!* Et hæc dicta ſunt pro eo quod poſitum eſt: *In Nazareth civitatem Galilææ.*

Iſa. 40. 6.

* al. fuit.

Pſal. 77. 3.

Gabriel ad quem miſſus.

5. In illam ergo civitatem miſſus eſt angelus Gabriel à Deo. Ad quem? *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph.* Quæ eſt hæc Virgo tam venerabilis, ut ſalutetur ab Angelo: tam humilis, ut deſponſata ſit fabro? Pulcra permixtio virginitatis & humilita- F tis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: ſi non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas. Illa conſulitur, iſta præcipitur. Ad illam invitaris, ad iſtam cogeris. De illa dicitur, *Qui poteſt capere, capiat:* de iſta dicitur, *Niſi quis efficiatur ſicut parvulus iſte, non intrabit in regnum*

Virginitatis & humilitatis pulcra copula.

Matth. 19. 12.

Matth. 18. 3.

Tom. III.

Humilitas ſimpliciter neceſſaria, non item Virginitas. Iſa. 66. 2.

calorum. Illa ergo remuneratur, iſta exigitur. Potes denique ſine virginitate ſalvari: ſine humilitate non potes. Poteſt, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam: ſine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuiſſet. *Super quem*, inquit, *requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum? Super humilem* dixit, non ſuper virginem Si igitur Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus-ſanctus non requieviſſet. Si ſuper eam non requieviſſet, nec impregnaſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu-ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus*, potius quam virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde conſtat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit.

Luc. 1. 48. Mariæ humilitas commendatur.

6. Quid dicis, virgo ſuperbe? Maria virginem ſe oblita gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Reſpexit*, ait illa, *humilitatem ancillæ ſuæ.* Quæ illa? Virgo utique ſancta, virgo ſobria, virgo devota. Numquid tu caſtior illa? numquid devotior? Aut numquid tua forte pudicitia gratior caſtitate Mariæ: ut tu ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tua, quod illa non potuit ex ſua? Denique quanto honorabilior es ex ſingulari munere caſtimoniæ, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permixtione ſuperbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non eſſe, quam de virginitate inſoleſcere. Non omnium quidem eſt virginitas: multo tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quod ſi & virgo, & humilis es; quiſquis es, magnus es.

Virginitas cum fœcunditate in Maria mirabilis.
** al. quod.*

7. Eſt tamen majus aliquid quod mireris in Maria: ſcilicet cum virginitate fœcunditas. A ſæculo enim non eſt auditum, ut aliqua ſimul mater eſſet, & virgo. O * ſi & cujus eſt mater attendas! quo te tua ſuper ejus mirabili celſitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec ſatis poſſe mirari? Nonne tuo, immo Veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? Annon Deum & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium, dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati Angeli, teſtante David: *Qui facit*, inquit, *Angelos ſuos ſpiritus.* Maria vero matrem ſe agnoſcens, majeſtatem illam, cui illi cum reverentia ſerviunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quod eſſe dignatus eſt. Nam paulo poſt ſubdit Evangeliſta: *Et erat*, inquiens, *ſubditus illis.* Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ; nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Utrimque ſtupor, utrimque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo: & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?

Luc. 2. 48. Mariæ maternitas omnem tranſcendit dignitatem. Pſal. 103. 4.

Luc. 2. 51.

Summa Chriſti dignatio, & Mariæ dignitas.

Apoc. 14. 4.

Luc. 2. 51. Superbia exemplo Chriſti reprimenda.

8. Diſce homo obedire; diſce terra ſubdi; diſce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangeliſta, *Et erat*, inquit, *ſubditus illis*, haud dubium, quin Mariæ & Joſeph. Erubeſce, ſuperbe cinis! Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus reſpondere dignetur, quod & ſuo increpando reſpondit Apoſtolo: *Vade*, inquit, *poſt me ſatana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo: & tunc vere non ſapio ea quæ Dei ſunt. De ipſo namque dictum eſt: *Et erat ſubditus illis.* Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum ſequi Auctorem tuum. Si non potes forſitan ſequi eum quocumque ierit, dignare vel ſequi quo tibi condeſcendit. Hoc eſt, ſi non potes ſublimem incedere ſemitam virginitatis, ſequere vel Deum per tutiſſimam viam humilitatis: à cujus rectitudine ſi qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipſi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, ſequitur & virgo ſuperbus; ſed neuter quocumque ierit: quia nec ille aſcendere poteſt ad munditiam Agni, qui ſine macula eſt; nec is ad ejuſdem manſuetudinem deſcendere dignatur, qua ſcilicet non coram tondente, ſed coram occidente ſe obmutuit. Attamen ſalubriorem elegit ſequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate ſuperbus: cum & illius immunditiam ſua humilis ſatisfactio purget, & hujus pudicitiam ſuperbia inquinet.

Matth. 16. 23. Ambitioſus non ſapit quæ Dei ſunt. Luc. 2. 51.

Humilitatis via loco virginitatis.

Omnia in Virgine eximia & admiranda.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem ſingularis virginitas, quam non temeravit, ſed honoravit fœcunditas: & nihilominus ſpecialis humilitas, quam non abſtulit, ſed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorſus fœcunditas, quam virginitas ſimul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile[a]? quid non incomparabile? quid non ſingulare? Mirum vero ſi non hæſitas in eorum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius ſtupenda ſit fœcunditas in virgine, an in matre integritas: ſublimitas in prole, an cum tanta ſublimitate humilitas. niſi quod indubitanter horum ſingulis præferenda ſunt ſimul cuncta, & incomparabiliter excellentius eſt atque felicius, omnia percepiſſe, quàm aliqua. Et quid mirum ſi Deus, qui mirabilis legitur & cernitur in ſanctis ſuis, mirabiliorem ſe exhibuit in Matre ſua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos, ſacræ virgines, in virgine fœcunditatem: imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, ſancti Angeli, veſtri Regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis Prolem, ipſum utique noſtrum pariter ac veſtrum regem, noſtri generis reparatorem, veſtræ civitatis inſtauratorem. Cujus apud vos tam ſublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter, & à nobis detur & dignitati debita reverentia, & dignationi honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſal. 67. 36.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS,

HOMILIA II.

1. NOvum quidem canticum illud, quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam virginum Reginam cum ceteris, immo primam inter ceteras eſſe cantaturam, nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod ſolis licet, cum omnibus tamen virginibus ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam eſſe civitatem Dei. Cujus utique dulciſonos depromere vel exprimere modulos ne ipſarum quidem virginum ulla digna invenietur: quia ſoli merito decantandum ſervabitur, quæ ſola de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in ſe, ſed in ipſo quem peperit. Deus ſiquidem (Deus enim eſt quem peperit) Matrem ſuam ſingulari in cæleſtibus donaturus gloria, ſingulari in terris prævenire curavit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta Porro Deo hujuſmodi decebat nativitas, qua non niſi de Virgine naſceretur: talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret,

Matris & Prolis mira congruentia.

a Ab hiſce verbis finis hujus homiliæ, & totum initium ſequentis ad verba, *Hic amplius*, num. 2. deſiderantur in pleriſque antiquis codicibus, in quibus juncta ſimul prima & ſecunda homilia, unà tantum inveniuntur homiliæ ſuper *Miſſus eſt*.

naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit deligere, immo condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placituram. Voluit itaque eſſe virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus: voluit & humilem, de qua mitis & humilis corde prodiret, harum in ſe virtutum neceſſarium omnibus ſaluberrimumque exemplum oſtenſurus. Dedit ergo Virgini partum, qui ei jam ante & virginitatis inſpiraverat votum, & humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo Angelus eam in ſequentibus gratia plenam pronuntiat, ſi quippiam vel parum boni, quod ex gratia non eſſet, habebat?

2. Ut igitur quæ Sanctum ſanctorum conceptura erat pariter & paritura, ſancta eſſet corpore, accepit donum virginitatis: ut eſſet & mente, accepit & humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua & pulcritudine ſua in cæleſtibus cognita, cæli civium in ſe provocavit aſpectus, ita ut & Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cæleſtem nuntium ad ſe de ſupernis educeret. Et hoc eſt quod nobis hic Evangeliſta commendat, cum Angelum perhibet à Deo deſtinatum ad Virginem: *A Deo*, inquit, *ad virginem*: id eſt, à celſo ad humilem, à Domino ad ancillam, à Creatore ad creaturam.

Magna Dei dignatio, magna Virginis excellentia.

Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite matres, currite filiæ, currite omnes, quæ poſt Evam, & ex Eva, & parturimini cum triſtitia, & parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini, ſi poteſtis, pudicum ſororis veſtræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auſcultate quid nuntiet ei, ſi forte audiatis unde conſolemini.

Adæ & Evæ ſolatium per Mariam.

3. Lætare, pater Adam, ſed magis tu, ô Eva mater, exſulta, qui ſicut omnium parentes, ita omnium fuiſtis peremptores; &, quod infelicius eſt, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, conſolamini ſuper filia, & tali filia; ſed illa amplius, de qua malum ortum eſt prius, cujus opprobrium in omnes pertranſiit mulieres. Inſtat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid cauſetur adverſus feminam: qui utique dum ſe imprudenter excuſare conaretur, crudeliter illam accuſare non cunctatus eſt, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre reſpondeat, ipſa * matris opprobrium auferat, ipſa patri pro matre ſatisfaciat: quia ecce ſi vir cecidit per feminam, jam non erigitur niſi per feminam. Quid dicebas, ô Adam? *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Verba malitiæ ſunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occaſionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, ſed non potuit; in theſauro indeficientis ſuæ pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro ſuperba; quæ pro ligno mortis guſtum tibi porrigat vitæ, & pro venenoſo cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excuſationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo vivificaſti me. Ecce enim ad hoc miſſus eſt Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore digniſſimam Virginem! ô feminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem!

Gen. 3. 12.

* al. ita.

Mariæ pro Eva commendatio.

4. *Miſſus eſt*, inquit, *Angelus ad Virginem*. Virginem carne, virginem mente, virginem profeſſione, virginem denique, qualem deſcribit Apoſtolus, mente & corpore ſanctam; nec noviter, nec fortuitu inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, a Patribus præſignatam, à Prophetis promiſſam. Scrutare

1. Cor. 7. 34.

Varia de B. Virgine teſtimonia ſeu vaticinia & figuræ.

A Scripturas, & proba quæ dico. Viſne ut & ego aliqua ex his teſtimonia hic inſeram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixiſſe Deus videtur, quando ad ſerpentem ait: *Inimicitias ponam inter te & mulierem?* Et ſi adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod ſequitur: *Ipſa conteret caput tuum.* Cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.

Tom. III.

Gen. 3. 15.

Ibid.

5. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Noverat quippe vir ſapiens hujus ſexus infirmitatem, fragile corpus, B lubricam mentem. Quia tamen & Deum legerat promiſiſſe, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipſam, vehementer admirans aiebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod eſt dicere: Si ita de manu feminæ pendet & noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria: fortis omnino neceſſe eſt ut provideatur *, quæ ad tantum opus poſſit eſſe idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæſiſſe putetur deſperando, ſubdit prophetando: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*. hoc eſt non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; ſed de cælo, nec de cælo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, ſed à C ſummo cælo egreſſio ejus. Quid deinde rubus ille quondam Moſaicus portendebat, flammas quidem emittens, ſed non ardens, niſi Mariam parientem, & dolorem non ſentientem? Quid rogo, virga Aaron florida, nec humectata, niſi ipſam concipientem, quamvis virum non cognoſcentem? Hujus magni miraculi majus myſterium Iſaias ediſſerit, dicens: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. virgam, virginem; florem, virginis partum intelligens.

Prov. 31. 10.

Maria mulier fortis

* al. providebatur.

Ibidem.

Exod. 3. 2.

Num. 17. 8. Rubus incombuſtus & virga florida.

Iſa. 11. 1.

6. Sed ſi tibi quod nunc in flore Chriſtus intelligi dicitur, ſuperiori videtur adverſari ſententiæ, qua non virgæ flore, ſed floris fructu deſignari dicebatur; noveris in eadem Aaronica virga (quæ non ſolum floD ruit, ſed & frondiuit, & fructum emiſit) non ſolum flore vel fructu, ſed ipſis etiam frondibus eumdem ſignificari. Noveris & apud Moyſen nec fructu virgæ, nec flore, ſed ipſa virga demonſtrari; illa utique virga, qua feriente, aqua vel dividitur tranſituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconveniens eſt, diverſis rebus diverſis ex cauſis Chriſtum figurari; & in virga quidem potentiam, in flore vero fragrantiam, in fructu autem ſaporis dulcedinem, in frondibus quoque ſedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad ſe confugientes ſub umbra alarum ſuarum protegere non deſinit, ſive ab æſtu carnalium deſideriorum, ſive à facie impiorum, qui E eos afflixerunt. Bona & deſiderabilis umbra ſub alis Jeſu, ubi tutum eſt fugientibus refugium, gratum feſſis refrigerium. Miſerere mei, Domine Jeſu, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. In hoc tamen Iſaiæ teſtimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem: quoniam & virga floruit abſque germine, & virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorem floris læſit emiſſio, nec virginis pudorem ſacri partus editio.

Dubium.

Exod. 14. 16.

Ibid. 17. 6.

Pſal. 56. 2.

Chriſtus & Maria varie figurati.

7. Proferamus & alia Virgini Matri, Deoque Filio congrua de Scripturis teſtimonia. Quid illud Gedeonis vellus ſignificat, quod utique de carne tonſum, F ſed ſine vulnere carnis in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, niſi carnem aſſumptam de carne Virginis, & abſque detrimento virginitatis? Cui utique diſtillantibus cælis tota ſe infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus *, qui vere ſine ipſa non aliud quàm terra arida ſumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulcre ſatis convenire videtur, ubi legitur: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Nam per hoc quod ſequitur, *& ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, idem datur intelligi, quod per inventam

Jud. 6. 37. Vellus Gedeonis.

* al. accepimus.

Pſal. 71. 6.

Tom. III.

rore madidam arcam. Pluvia nempe voluntaria, quam A ſegregavit Deus hereditati ſuæ, placide prius & abſque ſtrepitu operationis humanæ, ſuo ſe quietiſſimo illapſu * virgineum demiſit in uterum: poſtmodum vero ubique terrarum diffuſa eſt per ora prædicatorum, non jam ſicut pluvia in vellus, ſed ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, cum quodam utique ſtrepitu verborum, ac ſonitu miraculorum. Siquidem recordatæ ſunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum ſibi fuiſſe cum mitterentur: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Quod & fecerunt. etenim *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

* al. elapſu

Matt. 10. 27.

Pſal. 18. 5.

8. Audiamus & Jeremiam nova veteribus vaticinantem, & quem præſentem monſtrare non poterat, venturum & ardenter deſiderantem, & fidenter promittentem: *Novum*, inquit, *creavit Dominus ſuper terram: femina circumdabit virum.* Quæ eſt hæc femina? Quis vero iſte vir? Aut ſi vir, quomodo à femina circumdatus? Aut ſi à femina circumdari poteſt, quomodo vir? Et ut apertius dicam, quomodo poteſt ſimul & vir eſſe, & in utero matris? hoc eſt enim virum à femina circumdari. Novimus * viros, qui ſcilicet infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, atque juventutem tranſeuntes, ad gradum uſque ſenectuti proximum pervenerunt. Qui ergo jam adeo grandis eſt, quomodo à femina circumdari poteſt? Si dixiſſet, Femina circumdabit infantem; vel, Femina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale poſuit, ſed dixit virum, quærimus quæ ſit hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut femina circumdaret virum, & vir intra feminei unius corpuſculi membra ſeſe cohiberet? quid eſt hoc miraculi? *Numquid poteſt homo*, ut ait Nicodemus, *in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?*

Jer. 31. 22. Femina circumdans Virum.

* al. Diximus.

Joan. 3. 4.

9. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, ſi forte inter plurima nova ac mira, quæ ibi profecto inſpicit qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam novitatem. Porro ibi D agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana *. Ibi agnoſcitur lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Videas, ſi attendas, potentiam regi; ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari: Deum denique lactentem, ſed Angelos reficientem; vagientem, ſed miſeros conſolantem. Videas, ſi attendas, triſtari lætitiam, pavere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed, quod non minus mirandum eſt, ipſa ibi cernitur triſtitia lætificans, pavor confortans, paſſio ſalvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Numquid non facile tibi eſt inter hæc feminam agnoſ- E cere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum à Deo Jeſum ſuo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuiſſe Jeſum, non ſolum jam cum diceretur *vir propheta, potens in opere & ſermone*, ſed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel geſtaret in utero. Vir igitur erat Jeſus necdum etiam natus, ſed ſapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potius non minus * fuit ſapientia Jeſus conceptus, quàm natus, parvus, quàm magnus. Sive ergo latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive jam grandiuſ- F culus interrogans doctores in templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu-ſancto. Nec fuit hora in quacumque ætate ſua, qua de plenitudine illa quam in ſui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: ſed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilii & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, ſpiritu timoris Domini.

Jerem. 31. 22.

* al. plena.

Incarnationis paradoxa.

Luc. 24. 19. Jeſus vir, etiam in ipſo Matris utero.

* al. minor.

Jeſus perfectus ſapientia & à principio conceptionis.

Iſai. 11. 2.

10. Nec te moveat, quod de ipſo legis in alio loco: A *Jeſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Nam quod de ſapientia & gratia hic dictum eſt, non ſecundum quod erat, ſed ſecundum quod apparebat, intelligendum eſt: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet; ſed quod accedere videretur, quando volebat ipſe, ubi * videretur. Tu, homo, cum proficis, non quando, nec quantùm vis proficis: ſed te neſciente tuus moderatur profectus, tua vita diſponitur. At vero puer Jeſus, qui diſponit vitam * tuam, ipſe diſponebat & ſuam, & quando volebat, & quibus volebat ſapiens apparebat, quando & quibus volebat ſapientior, quando & quibus volebat ſapientiſſimus: quamquam in ſe B numquam eſſet niſi ſapientiſſimus. Similiter & cum ſemper omni gratia plenus fuiſſet, ſive quam apud Deum, ſive quam apud homines habere deberet; pro ſuo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus oſtentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel ſaloti expedire ſciebat. Conſtat ergo, quia ſemper Jeſus virilem animum habuit, etſi ſemper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuiſſe in utero, quem inibi Deum fuiſſe non ambigo? Minus quippe eſt eſſe virum, quàm eſſe Deum.

Luc. 2. 52. Profeciſſe quomodo dicitur.

* al. ut

* Vitam omnium al.

11. Sed vide ſi non etiam hanc Jeremiæ novitatem Iſaias lucidiſſime aperit, qui & novos ſuperius Aaronicos flores expoſuit. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, & pariet filium.* En habes feminam, ſcilicet Virgi- C nem. Vis & de viro audire quis ſcit? *Et vocabitur*, ait, *nomen ejus Emmanuel*, id eſt, *Nobiſcum Deus.* Femina itaque circumdans virum, Virgo eſt concipiens Deum. Vides quàm pulcre & concorditer Sanctorum mira facta & myſtica dicta ſibi invicem concinant. Vides quàm ſtupendum ſit hoc unum de Virgine & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiſerunt. Unus nimirum fuit ſpiritus Prophetarum: & licet diverſis modis, ſignis & temporibus; eamdem rem diverſi, non diverſo ſpiritu, & præviderunt, & prædixerunt. Quod Moyſi monſtratum eſt in rubo & igne, Aaroni in virga & flore, Gedeoni D in vellere & rore; hoc aperte Salomon prædixit in forti muliere & ejus pretio; apertius Jeremias præcinuit de femina & viro, apertiſſime Iſaias declaravit de Virgine & Deo, Gabriel tandem exhibuit ipſam Virginem * ſalutando. Ipſa namque eſt, de qua nunc Evangeliſta: *Miſſus eſt*, ait, *Angelus Gabriel a Deo ad Virginem, deſponſatam Joſeph.*

Iſa. 7. 14.

Ibid.

Scripturarum in præſignandis Chriſti myſteriis conſonantia.

* Virginem deſponſatam al.

12. *Ad Virginem*, inquit, *deſponſatam.* Quare deſponſatam? Cum eſſet, inquam, virgo electa, &, ut oſtenſum eſt, virgo conceptura, virgo paritura, mirum cur deſponſata fuerit, non nuptura. Numquid vel hoc caſu factum quis dixerit? Non eſt caſu factum, quod rationabilis cauſa commendat, cauſa valde utilis & ne- E ceſſaria, & divini prorſus adinventione conſilii digna. Dicam quod mihi, immo quod ante me Patribus viſum fuit. Illa utique fuit ratio deſponſationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ. Mos ſiquidem Judæorum erat, ut à die deſponſationis ſuæ, uſque ad tempus nuptiarum, ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ: quatenus earum ipſi eo ſibi pudicitiam curioſius ſervarent, quo ſibi ipſi fideliores exſiſterent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, conſtantiſſimus factus eſt Dominicæ confeſſor reſurrectionis: ita & Joſeph Mariam ſibi deſponſando, ejuſque converſationem in tempore cuſtodiæ ſtudioſius comprobando, factus eſt pudicitiæ fideliſſimus teſtis. Pulcra utriuſque rei convenientia: F & dubitatio Thomæ, & deſponſatio Mariæ. Poterant quidem ſimilis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, caſtitatis in illa, veritatem in ſuſpicionem adducere: ſed valde prudenter & pie factum eſt per contrarium, ut unde metuebatur ſuſpicio, firma ſit certitudo. Nam & de Filii reſurrectione citius quidem ego, qui infirmus ſum, crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de Matris continentia facilius Sponſo ejus cuſtodienti & experienti, quàm ipſi quoque Virgini de ſola ſua conſcientia ſe defendenti. Dic, quæſo, quis

Maria Virgo cur deſponſata viro.

Thomæ dubitatio cum deſponſatione Mariæ comparata.

eam videns non deſponſatam & gravidam, non potius diceret meretricem * quàm virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius vero atque honeſtius fuit, putari ad tempus Chriſtum de conjugio fuiſſe natum, quam de fornicatione.

[margin: * al. incurpatam.]

13. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod oſtendere ſignum, quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique; ſed non poterat latere dæmones, quod ſcirent homines. Oportebat autem à Principe mundi aliquamdiu celari divini conſilii ſacramentum*: non quod Deus, ſi palam opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret: ſed quia ipſe, qui non ſolum potenter, ſed etiam ſapienter quæcumque voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulcritudinem ſervare conſuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, noſtræ videlicet reparationis, non tantum potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit. Et quamquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuiſſet; placuit ei tamen eo potius & modo, & ordine hominem ſibi reconciliare, quo noverat cecidiſſe: ut ſicut diabolus prius ſeduxit feminam, & poſtmodum virum per feminam vicit: ita prius à femina virgine ſeduceretur, & poſt à viro Chriſto aperte debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Chriſti virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret, & fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam ſpiritualem vincere malitiam, quo non ſolum attingeret à fine uſque ad finem fortiter, ſed & diſponeret omnia ſuaviter. Attingit autem a fine uſque ad finem, id eſt à cælo uſque ad infernum. *Si aſcendero*, inquit, *in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Utrobique vero fortiter, quando & de ſupernis expulit ſuperbum, & apud inferos ſpoliavit avarum. Conveniens ergo erat, ut ſuaviter quoque omnia, cæleſtia ſcilicet & terrena, diſponeret: quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret; & hic debellaturus invidum, nobis prius ſuæ humilitatis & manſuetudinis valde neceſſarium exemplum relinqueret: ſicque mirabili fieret moderamine Sapientiæ, ut & ſuis ſuavis, & hoſtibus fortis appareret. Quid enim prodeſſet diabolum à Deo vinci, nobis manentibus ſuperbis? Neceſſario igitur deſponſata eſt Maria Joſeph, quando per hoc & à canibus ſanctum abſconditur, & à ſponſo virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid ſapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali conſilio ſecretis cæleſtibus & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset juſtus adulteræ? ſcriptum eſt autem: *Joſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Bene, cum eſſet juſtus, noluit eam traducere: quia ſicut nequaquam juſtus eſſet, ſi cognitam ream conſenſiſſet: ſic nihilo minus juſtus non eſſet, ſi probatam innoxiam condemnaſſet. Cum ergo juſtus eſſet, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

[margin: * F. Nota. Dei ... in ... ac hominis]
[margin: Sap. 8. 1.]
[margin: Pſal. 138. 8.]
[margin: Matt. 1. 19.]

14. Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens: *Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum.* propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cum diceret: *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Ita ergo & Joſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & à tanta non debere ſibi ultra familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem. Videbat & horrebat divinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiæ magnitudinem, expavit Centurio præſentiæ majeſtatem. Exhorruit nimirum & Joſeph, ſicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, myſterii profunditatem: & ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Joſeph prægnanti ſeſe conſortio Virginis judicabat indignum, cum audias & ſanctam Eliſabeth ejus non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quidem & reverentia? Ait namque: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Ideo itaque Joſeph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, & non palam? ne videlicet divortii cauſam inquireretur, exigeretur rationem. Quid enim vir juſtus reſponderet populo duræ cervicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod ſentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli & crudeles Judæi ſubſannarent illum, lapidarent illam? Quando namque Veritati crederent tacenti in utero, quam poſtea contempſerunt clamantem in templo? Quid facerent needum apparenti, qui poſtmodum impias manus injecerunt etiam miraculis coruſcanti? Merito ergo vir juſtus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam.

[margin: Joſeph cur voluerit dimittere Mariam.]
[margin: Luc. 5. 8.]
[margin: Matt. 8. 8.]
[margin: Tom III,]
[margin: Luc. 1. 43.]
[margin: Cur occulte?]

15. Sin vero aliter quis ſentiat, & Joſeph ſicut hominem dubitaſſe contendat, ſed quia juſtus erat, noluiſſe quidem habitare cum ea propter ſuſpicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluiſſe ſuſpectam, & ideo voluerit occulte dimittere eam: breviter reſpondeo, etiam ſic dubitationem illam Joſeph fuiſſe neceſſariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippe ſcriptum eſt: *Hæc autem eo cogitante*, ſcilicet quod occulte dimitteret eam, *apparuit ei Angelus in ſomnis, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Itaque propter iſtas rationes deſponſata eſt Maria Joſeph, vel potius, ſicut ponit Evangeliſta, *viro, cui nomen erat Joſeph.* Virum nominat, non quia maritus †, ſed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium Evangeliſtam, non vir ſimpliciter, ſed vir ejus dictus eſt, merito appellatur quod neceſſarie putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia neceſſe fuit & putari: ſicut & pater Salvatoris non quidem eſſe, ſed dici meruit, ut putaretur eſſe, dicente hoc ipſo Evangeliſta: *Et ipſe* JESUS *erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph.* Nec vir ergo matris, nec filii pater exſtitit, quamvis certa (ut dictum eſt) & neceſſaria diſpenſatione utrumque ad tempus & appellatus ſit, & putatus.

[margin: An de Mariæ integritate dubitaverit.]
[margin: Matt 1. 20.]
[margin: Luc. 1. 27.]
[margin: † F. Nota.]
[margin: Matt. 1.]
[margin: Luc. 3. 23.]

16. Conjice tamen ex hac appellatione, qua, licet diſpenſatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei & dictus, & creditus ſit: conjice & ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubitas interpretari) quis & qualis homo fuerit iſte Joſeph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto: & ſcito ipſius iſtum non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum & gratiam. Siquidem ille Joſeph, fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Chriſti venditionem præfiguravit: iſte Joſeph Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægyptum portavit. Ille domino ſuo fidem ſervans, dominæ noluit commiſceri: iſte dominam ſuam, Domini ſui matrem, virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum: iſti datum eſt conſcium fieri atque participem cæleſtium ſacramentorum. Ille frumenta ſervavit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem vivum e cælo ſervandum accepit tam ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iſte Joſeph, cui Mater deſponſata eſt Salvatoris. Fidelis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem ſibi fideliſſimum. Huc accedit quod dicitur fuiſſe de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Joſeph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans à patre ſuo David. Prorſus, inquam, filius David, non tantum carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione: quem tamquam alterum David Dominus invenit ſecundum cor ſuum, cui tuto committeret ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum: cui tamquam

[margin: Gen. 39. 27. Joſephi cum Joſepho filio Jacob comparatio & elogia.]
[margin: Matt. 2. 14.]
[margin: Gen 39. 12.]
[margin: Matt 1. 20.]
[margin: Gen. 40. 8.]
[margin: Joſeph de domo David, dignus tanto Patre filius]

Tom. III.

alteri David incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtavit, & dedit illi non ignarum eſſe myſterii, quod nemo principum hujus ſæculi agnovit: cui denique datum eſt quod multi reges & prophetæ, cum vellent videre, non viderunt; audire, & non audierunt; non ſolum videre & audire, ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, nutrire & cuſtodire. Non tantum autem Joſeph, ſed & Maria deſcendiſſe credenda eſt de domo David. Alioquin non fuiſſet deſponſata viro de domo David, ſi non eſſet & ipſa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: ſed in altera completa eſt veritas, quam juravit Dominus David, altero tamen conſcio & teſte adimpletæ promiſſionis.

Maria interpretatio & elogium

17. In fine autem verſus, *Et nomen*, inquit, *Virginis Maria*. Loquamur pauca & ſuper hoc nomine, quod interpretatum Maris ſtella dicitur, & Matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipſa namque aptiſſime ſideri comparatur: quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione virgo parturit Filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Jacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat: terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, inquam, eſt præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis.

Cohortatio ad cultum Virginis Mariæ

O quiſquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum: reſpice ſtellam, voca Mariam. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis; reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis; reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, baratro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo; cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias: ipſam rogans non deſperas: ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis: & ſic in temetipſo experiris, quàm merito dictum

Matt. 17. 4.

ſit: Et *nomen Virginis Maria*. Sed jam modice pauſandum eſt, ne & nos in tranſitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis apoſtolicis utar, *Bonum eſt nos hic eſſe*: & libet dulciter contemplari in ſilentio, quod laborioſa non ſufficit explicare locutio. Interim autem ex devota ſcintillantis ſideris contemplatione, ferventior reparabitur in his, quæ ſequuntur, diſputatio.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS.

Homilia III.

1. Libenter, ubi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo, quo vel vaſculorum pulcritudine gratiora fiant quæcumque in eis lectori appoſuerim.

Iſa. 6. 5.

Humilis viri ſancti confeſſio.

Ut autem nunc à prophericis verbis incipiam: Væ mihi, non quidem, ſicut Prophetæ, quia tacui, ſed quia locutus ſum, quoniam vir pollutus labiis ego ſum. Heu quot vana, quot falſa, quot turpia per hoc ipſum ſpurciſſimum os meum evomuiſſe me recolo, in quo nunc cæleſtia revolvere verba præſumo! Vehementer

Pſal. 49. 16.

timeo, ne jam jam audiam ad me dictum: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Utinam & mihi de ſuperno altari, non quidem carbo unus, ſed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam & inveteratam prurientis

A oris mei rubiginem ad plenum excoquere ſufficiat! quatenus Angeli ad Virginem, & Virginis ad ipſum grata invicem ac caſta colloquia dignus habear meo qualicumque replicare ſermone. Ait igitur Evangeliſta: *Et ingreſſus Angelus ad eam*, haud dubium quin ad

Luc. 1. 28.

Mariam, *dixit*: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Quo ingreſſus ad eam? Puto in ſecretarium pudici cubiculi, ubi illa fortaſſis clauſo ſuper ſe oſtio orabat Patrem ſuum in abſcondito. Solent Angeli adſtare orantibus, & delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocauſtum ſanctæ devotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuavitatis.

Angeli adſtant orantibus.

Mariæ autem orationes quantum placuerint in conſpectu Altiſſimi, B Angelus indicavit, qui ingreſſus ad eam, tam reverenter ſalutavit. Nec fuit difficile Angelo per clauſum oſtium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex ſubtilitate ſubſtantiæ ſuæ hoc habet in natura, ut nec ſeris ferreis ejus arceatur ingreſſus, quocumque ſuus eum impetus ferat.

Angelis omnia pervia.

Angelicis enim ſpiritibus parietes non obſiſtunt, ſed cuncta illis viſibilia cedunt, cuncta æque corpora, quantumlibet ſolida vel ſpiſſa, penetrabilia ſunt eis ac pervia. Suſpicandum igitur non eſt, quod apertum invenerit Angelus oſtiolum Virginis, cui nimirum in propoſito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: ne vel orantis perturbaretur ſilentium, vel continentis caſtitas tentaretur. C Clauſerat itaque etiam illa hora ſuum ſuper ſe habitaculum Virgo prudentiſſima, ſed hominibus, non Angelis. Proinde etſi ad eam potuit intrare Angelus; ſed nulli hominum facilis patebat acceſſus.

Act. 6. 5.

Plenitudo gratiæ in B. Virgine ab aliis SS. diverſa.

2. Ingreſſus ergo Angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Legimus in Actibus Apoſtolorum, & Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu-ſancto; ſed longe diſſimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu-ſancto, quomodo Maria. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Quid mirum ſi gratia plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc D potius mirandum, quomodo qui Angelum miſerat ad Virginem, ab Angelo inventus eſt eſſe cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut feſtinantem nuntium celerior ipſe præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus Virginis dedit odorem ſuum, & aſcendit in conſpectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumſtabant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Statimque Rex egrediens de loco ſancto ſuo, exſultavit ut gigas ad currendam viam:

Cant. 3. 6.

Pſal. 18. 6.

& licet à ſummo cælo egreſſio ejus, nimio tamen E pervolans deſiderio prævenit ſuum nuntium ad Virginem quam amaverat, quam ſibi elegerat, cujus decorem concupierat. Quem proſpiciens à longe venientem gratulans & exſultans ait Eccleſia: *Ecce venit iſte ſaliens in montibus, tranſſiliens colles.*

Cant. 2. 8.

3. Merito autem concupivit Rex decorem Virginis. Fecerat enim quidquid longe antea præmonita fuerat à patre ſuo David, dicente ſibi: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum & domum patris tui.* Et ſi hoc feceris, *concupiſcet rex decorem tuum*. Audivit quippe & vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt: ſed audivit & credidit, vidit & intellexit.

Pſal. 44. 11.

Virginis virtutes ad tantam gratiam præparatoriæ.

Et inclinavit aurem ſuam ad obedientiam, & cor ſuum ad diſci- F plinam, & oblita eſt populum ſuum, & domum patris ſui: quia nec populum ſuum augere prolis ſucceſſione, nec domui patris ſui relinquere curavit heredem; ſed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuiſſet, omnia arbitrata eſt ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Nec fefellit eam intentio, quando & Chriſtum ſibi filium vindicavit, nec propoſitum pudicitiæ violavit. Bene igitur gratia plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & inſuper fœcunditatis gloriam acquiſivit.

Deum diverſimode in creaturis.

4. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum* Non dixit, Dominus in te, ſed, *Dominus tecum*. Deus enim qui ubique æqualiter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis, quam in ceteris; & ipſarum aliter in bonis, quàm in malis eſt per efficaciam. Ita ſane eſt in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipſis. A rationalibus autem omnibus quidem capi poteſt per cognitionem, ſed à bonis tantum capitur etiam per amorem. In ſolis ergo bonis ita eſt, ut etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis. Nam dum ſuas voluntates ita juſtitiæ ſubdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipſi volunt: per hoc quod ab ejus voluntate non diſſentiunt, Deum ſibi ſpecialiter jungunt. Sed cum ita ſit cum omnibus ſanctis, ſpecialiter tamen cum Maria: cum qua utique tanta ei conſenſio fuit, ut illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi conjungeret; ac de ſua, Virginiſque ſubſtantia unum Chriſtum efficeret, vel potius unus Chriſtus fieret: qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet; nec duo filii, ſed unus utriuſque filius. Ait itaque, *Ave gratia plena. Dominus tecum.* Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: ſed & Dominus Spiritus-ſanctus, de quo concipis: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium ſuum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile ſacramentum, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus-ſanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat uterum. Dominus ergo tecum.

Singulariter ſit cum B. Virgine

5. *Benedicta tu in mulieribus.* Libet adjungere quod Elizabeth, cujus hæc verba ſunt, proſecuta ſubjunxit: *Et benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: ſed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepiſti cum ceteris, etſi differentius à ceteris. Ac propterea quidem benedicta tu, ſed in mulieribus; ille vero benedictus non in hominibus, non inter Angelos, ſed, qui eſt, ut ait Apoſtolus, ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula. Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel ſi quid tale in creaturis benedictum eſſe memoratur: ſed ſingulariter benedictus fructus ventris tui, cum ſit ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula.

Rom. 9. 6.

6. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in ſapore, benedictus in ſpecie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam ſentiebat qui dicebat: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* An non vere benedictus, cui benedixit Dominus? De ſapore hujus fructus quidam qui * guſtaverat, taliter eructabat, dicens: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* & alibi: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Et alius quidam: *Si tamen*, inquit, *guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Et ipſe Fructus de ſe, invitans nos ad ſe: *Qui edit me*, ait, *adhuc eſuriet; & qui bibit me adhuc ſitiet.* Utique propter ſaporis dulcedinem hoc dicebat, qui ſemel guſtatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum eſurientium & ſitientium juſtitiam, & eſca, & potus eſt. Audiſti de odore, audiſti de ſapore: audi & de ſpecie. Si enim fructus ille mortis non ſolum ſuavis fuit ad veſcendum, ſed etiam, teſte Scriptura, delectabilis aſpectu: quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem, teſte alia Scriptura, deſiderant etiam Angeli proſpicere? Cujus pulcritudinem in ſpiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion ſpecies decoris ejus.* Et ne mediocrem tibi videatur commendaſſe decorem, recole quod in alio pſalmo legis: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

Gen. 27. 27.
** al. quod*
Pſal. 33. 9.
Pſal. 30. 20.
1. Pet. 2. 3.
Eccli. 24. 29.
Gen. 3. 6.
1. Pet. 1. 12.
Pſal. 49. 2.
Pſal. 44. 3.

7. *Benedictus ergo fructus ventris tui*, cui benedixit Deus in æternum: ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus; quia non poteſt mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evaſiſti, qua dictum eſt: *In triſtitia paries filios*, & nihilo minus illam, quæ ſecuta eſt, *Maledicta ſterilis in Iſraël:* ac ſingularem conſecuta es benedictionem, ut nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura neceſſitas, & grave jugum ſuper omnes filias Evæ! Et ſi parturiunt, cruciantur: & ſi non parturiunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, anguſtiaris: ſi ſterilis manes, malediceris. Quid eliges, Virgo prudens? Anguſtiæ, inquit, mihi ſunt undique: melius eſt tamen mihi maledictum incurrere, & caſtam manere, quàm prius quidem concipere per concupiſcentiam, quod merito poſt cum dolore parturiam. Hinc etenim etſi video maledictum, ſed non peccatum: illinc vero & peccatum ſimul & cruciatum. Denique hæc maledictio quid aliud eſt, quàm hominum exprobratio? Neque ob aliud ſane dicitur ſterilis maledicta, niſi quod opprobrio & contemptui ſit habenda, tamquam inutilis & infructuoſa, & hoc in Iſraël tantum. Mihi autem pro minimo eſt quod hominibus diſpliceo, dum me poſſim virginem caſtam exhibere Chriſto. O Virgo prudens, ô virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ juſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo, *Sapientia carnis mors eſt;* &, *Curam carnis ne perfeceritis in deſiderio?* Ubi legeras de virginibus, quia *cantant canticum novum, quod nemo alius cantare poteſt. & ſequuntur Agnum quocumque ierit?* Ubi legeras, laudatos eſſe, *qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum?* Ubi legeras, *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus;* &, *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit?* Ubi audieras, *Volo vos omnes eſſe ſicut & meipſum?* &, *Bonum eſt homini, ſi ſic permaneat ſecundum meum conſilium? De Virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, conſilium autem do.* Tu vero non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum: niſi quod unctio docebat te de omnibus; ac Sermo Dei vivus & efficax, ante tibi factus magiſter quàm filius, prius inſtruxerit mentem, quàm indueret carnem. Chriſto ergo devoves te exhibere virginem; & neſcis quod ipſi exhiberi te oporteat etiam matrem. Eligis in Iſraël eſſe contemptibilis, & ut illi placeas cui reprobaſti, maledictum incurrere ſterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur, ſterilitas fœcunditate recompenſatur.

Tob. III.
Gen. 3. 16.
Exod. 23. 26.
Deut. 7. 14.
Virginitatis ſervandæ propoſitum in Maria.
Rom. 8. 6.
Rom. 13. 14.
Apoc. 14. 4.
Matt. 19. 12.
2. Cor. 10. 3.
1. Cor. 7. 38.
Ibid. 25.
Ibid. 40.
Ibid. 25.

8. Aperi Virgo ſinum, expande gremium, præpara uterum: quia ecce facturus eſt tibi magna qui potens eſt, in tantum ut pro maledictione Iſraël, beatam te dicant omnes generationes. Nec ſuſpectam habeas, prudens Virgo, fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, ſed ſine peccato. Gravida eris, ſed non gravata: paries, ſed non cum triſtitia: neſcies virum, & gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cujus Deus eſt pater. Filius paternæ claritatis * erit corona tuæ caſtitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo Virgo fœcunda, caſta puerpera, Mater intacta: quia non eris in Iſraël ultra maledicta, neque inter ſteriles deputata. Et ſi adhuc malediceris ab Iſraël ſecundum carnem, non quia ſterilem vident, ſed quia fœcundam invident: memento quod & Chriſtus maledictum pertulit crucis, qui te ſuam matrem benedixit in cælis: ſed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus terræ merito beata prædicaris. Benedicta ergo tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Privilegia V. Deiparæ.
** al. caritatis, al. majeſtatis.*

9. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & co-*

Tom. III.

gitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Solent virgines, quæ A veræ virgines ſunt, ſemper pavidæ, & numquam eſſe ſecuræ; & ut caveant timida, etiam tuta pertimeſcere, ſcientes ſe in vaſis fictilibus theſaurum portare pretioſum, & nimis arduum eſſe vivere angelice inter homines, & in terris more cæleſtium converſari, & in carne cælibem agere vitam. Ac proinde quicquid novum, quicquid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas habent inſidias, totum contra ſe æſtimant machinatum. Idcirco & Maria turbata eſt in ſermone Angeli. Turbata eſt, ſed non perturbata. *Turbatus ſum*, inquit, *& non ſum locutus*; ſed *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ita ergo & Maria turbata eſt, & non eſt locuta, ſed cogitabat qualis eſſet iſta ſaluta- B tio. Quod turbata eſt, verecundiæ fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit & cogitavit, prudentiæ. *Cogitabat autem qualis eſſet iſta ſalutatio.* Sciebat prudens virgo, quod ſæpe angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis: & quia nimirum humilis & ſimplex erat, nihil tale penitus à ſancto Angelo ſperabat: & ideo cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

Virginum eſt, ſemper eſſe pavidas, numquam ſecuras.

Caſtitatis cuſtodia difficilis.

Pſal. 76. 5.

10. Tunc Angelus intuitus Virginem, & varias eam ſecum volvere cogitationes facillime deprehendens, pavidam conſolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benigne ne timeat perſuadet. *Ne timeas*, inquit, *Maria, inveniſti gratiam apud Deum.* C Nihil hic doli, nihil hic fallaciæ eſt. Nullam circumventionem, nullas hic ſuſpiceris inſidias. Non ſum homo, ſed ſpiritus; & Dei Angelus, non ſatanæ. *Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Deum.* O ſi ſcires quantum tua humilitas Altiſſimo placeat, quanta te apud ipſum ſublimitas maneat! angelico te indignam nec alloquio judicares, nec obſequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ inveniſti gratiam apud Deum? Inveniſti quod quærebas, inveniſti quod nemo ante te potuit invenire, inveniſti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. Hæc eſt ergo gratia, quam inveniſti apud D Deum. Et hoc tibi ſignum: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Intellige, prudens Virgo, ex nomine filii promiſſi, quantam & quàm ſpecialem gratiam inveneris apud Deum. *Et vocabis*, ait, *nomen ejus Jeſum.* Rationem hujus vocabuli alius Evangeliſta ponit, Angelo ſic interpretante: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Maria turbata confirmatur ab Angelo.

Quantam apud Deum gratiam invenerit.

Matt. 1. 21.

11. Duos Jeſus lego in typo hujus, quem nunc in manibus habemus, præceſſiſſe, ambos populis præfuiſſe: quorum unus populum ſuum de Babylone eduxit, alter ſuum in terram promiſſionis introduxit. Et illi quidem illos, quibus præerant, ab hoſtibus defendebant; ſed numquid ſalvabant à peccatis eorum? Is E autem noſter Jeſus & à peccatis ſalvat populum ſuum, & introduxit in terram viventium. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? Utinam & me peccatorem dignetur Dominus Jeſus annumerare populo ſuo, ut ſalvum me faciat à peccatis meis! Vere enim beatus populus, cujus iſte Jeſus Dominus Deus ejus, quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vereor autem ne multi ſe profiteantur eſſe de populo ejus, quos tamen ipſe non habeat pro populo ſuo: vereor ne plerique, qui quaſi in populo ejus religioſiores eſſe videntur, ipſe aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Novit F enim Dominus Jeſus qui ſunt ejus; novit & quos elegit à principio. *Quid me vocatis*, ait, *Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Vis ſcire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis eſſe de populo ejus? Fac quæ dicit Jeſus; & computabit te in populo ſuo. Fac quæ jubet in Evangelio Dominus Jeſus, quæ jubet in Lege & Prophetis, quæ jubet per miniſtros ſuos qui ſunt in Eccleſia: obtempera ejus vicariis præpoſitis tuis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis; & diſce ab ipſo Jeſu, quia mitis eſt & humilis corde: & eris de beato populo ejus, quem elegit in hereditatem ſibi; eris de laudabili populo ejus, quem Dominus exercituum benedixit, dicens: *Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Iſrael.* cui, ne forte Iſrael carnalem æmuleris, etiam teſtimonium perhibet, dicens: *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

1 Eſd. 2. & 5. Joſue 11. & 12. 4.

Salvatoris nomen Chriſto competit per excellentiam.

Matt. 15. 8. 2 Tim. 2. 19.

Luc. 6. 46.

Iſa. 19. 25.

Pſal. 17. 45.

12. Sed audiamus quid idem Angelus ſentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait namque: *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Bene magnus, qui *filius Altiſſimi* merebitur appellari. An non magnus, *cujus magnitudinis non eſt finis?* Et *quis magnus*, ait, *ſicut Deus noſter?* Plane magnus, qui tam magnus, quàm Altiſſimus, quia & ipſe Altiſſimus. Neque enim Altiſſimi Filius rapinam arbitrabitur eſſe ſe æqualem Altiſſimo. Ille merito arbitrandus eſt cogitaſſe rapinam, qui cum de nihilo in angelicam formam factus fuiſſet, factori ſuo ſe comparans, uſurpavit ſibi quod filii Altiſſimi proprium eſt, qui utique in forma Dei à Deo non factus, ſed genitus eſt. Altiſſimus enim Deus Pater, quamvis omnipotens ſit, non potuit tamen vel æqualem ſibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque Angelum magnum, ſed non quantus ipſe: & ideo nec Altiſſimum. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, ſed genuit Omnipotens omnipotentem, Altiſſimus altiſſimum, Æternus coæternum; ipſum ſibi per omnia comparari, nec rapinam æſtimat, nec injuriam. Recte ergo hic erit magnus, qui filius Altiſſimi vocabitur.

Pſal. 144. 3.

Pſal. 76. 14.

Philipp. 2. 6.

Jeſus magnus, quia Altiſſimo par & æqualis.

13. Sed quare hic erit, & non potius eſt magnus, qui ſemper æqualiter magnus, non habet quo creſcat, nec major poſt conceptum futurus ſit, quàm ante vel ſit, vel fuerit? An forte propterea dixerit, *erit*, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit? Bene ergo, *Hic erit magnus*. Magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio: *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Et à minori quodam Propheta magnus itidem Propheta venturus promittitur: *Ecce*, inquit, *veniet Propheta magnus, & ipſe renovabit Jeruſalem.* Et tu quidem, ô Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis: ſed videns parvulum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conſpectu regum, adeo ut adorent eum omnes reges, omnes gentes ſerviant ei. Magnificet ergo & anima tua Dominum, quia *hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Magnus erit, & magna faciet tibi qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Quod enim ſanctius nomen, quàm quod *Filius Altiſſimi vocabitur?* Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus eſt parvulus. *Parvulus*, ait, *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Nobis, inquam, non ſibi, qui utique ante tempora multo nobilius natus ex Patre, naſci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis neceſſarius.

Cur dictum Erit magnus & non eſt.

Luc. 7. 16.

Jeſus magnus pro nobis factus parvulus, ut nos faceret magnos.

Iſa. 9. 6.

14. Jam de nobis nato & dato faciamus ad quod natus eſt & datus. Utamur noſtro in noſtram utilitatem, de Salvatore ſalutem operemur. Ecce parvulus in medio ſtatuitur. O parvulus, parvulis * deſideratus! O vere parvulus, ſed malitia, non ſapientia! Studeamus effici ſicut parvulus iſte; diſcamus ab ipſo, quia mitis eſt & humilis corde: ne magnus videlicet Deus ſine cauſa factus ſit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Diſcamus ejus humilitatem, imitemur manſuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus paſſionibus, lavemur in ſanguine ejus. Ipſum offeramus propitiationem pro peccatis noſtris; quoniam ad hoc ipſe natus & datus eſt nobis. Ipſum oculis Patris, ipſum offeramus & ſuis. quia & Pater proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, & ipſe filius ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Ipſe tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe peccata

A Chriſto nobis nato quæ utilitas capienda.

* al. parvulos.

Rom. 8. 32.

Philipp. 2. 7.

Iſa. 53. 12.

multorum

multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit ut non perirent. Non poſſunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant: pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant. Æqualiter ergo ab utroque ſperanda eſt venia, quibus æqualis eſt in pietate miſericordia, par in voluntate potentia, una in deitate ſubſtantia, in qua unus cum eis Spiritus-ſanctus vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS,

Homilia IV.

1. NOn eſt dubium, quicquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; & rurſum, cum Filium honoramus, a gloria Matris non recedimus. Nam ſi juxta Salomonem, *Filius ſapiens gloria eſt patris*; quanto magis glorioſum eſt matrem ipſius effici Sapientiæ? Sed quid ego tento in ejus laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Evangeliſta. Non ergo laudo, quia non audeo; ſed tantum replico devotus, quod jam explicavit per os Evangeliſtæ Spiritus-ſanctus. Sequitur namque, & ait: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ſui.* Verba ſunt Angeli ad Virginem de promiſſo Filio, promittentis, quod debeat poſſidere regnum David. Quod de ſtirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quæro autem, quomodo dederit ei Deus ſedem David patris ſui, cum ipſe in Jeruſalem non regnaverit, quinimmo turbis cum volentibus conſtituere regem, non acquieverit, ſed & ante faciem Pilati proteſtatus ſit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Denique quid magnum promittitur ei, qui ſedet ſuper Cherubim, quem Propheta vidit ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, ſedere in throno David patris ſui? Sed novimus quamdam aliam Jeruſalem ab ea, quæ nunc eſt, in qua regnavit David, ſignificatam, multo iſta nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hic fuiſſe ſignificatam, illo videlicet uſu loquendi, quo ſæpe reperis in Scripturis ſignificans poni pro ſignificato. Tunc ſane dedit illi Deus ſedem David patris ſui, quando conſtitutus eſt rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus. Sed hic Propheta de quo regno dixerit, expreſſius aperuiſſe videtur, in eo quod non in Sion posuit, ſed ſuper Sion. Nam ideo fortaſſis dictum eſt, *ſuper*, quia in Sion quidem regnavit David: ſuper Sion vero regnum eſt illius, de quo dictum eſt ad David: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* de quo & dictum eſt per alium Prophetam: *Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit.* Vides quia ubique reperis, *ſuper*? *Super Sion, ſuper ſedem, ſuper ſolium, ſuper regnum.* Dabit ergo ei Dominus Deus ſedem David patris ſui, non typicam, ſed veram; non temporalem ſed æternam; non terrenam, ſed cæleſtem. Quæ ideirco (ut jam dictum eſt) memoratur fuiſſe David, quia hæc, in qua temporaliter ſedit, æternæ illius gerebat imaginem.

[illegible] 10. 1. — *Quomodo [illegible]* — *Johan. 18. 36.* — *Iſa. 6. 1.* — *Jeruſalem alia cæleſtis, alia terrena.* — *Pſal. 131. 11.* — *Iſa. 9. 7.*

2. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Hic quoque ſi domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa, quæ æterna non eſt, in æternum regnaturus eſt? Quærenda eſt ergo domus æterna Jacob in qua regnet in æternum, cujus regni non erit finis. Annon denique domus illa Jacob exaſperans impie abnegavit eum, & inſipienter reſpuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, *Regem veſtrum crucifigam?* uno ore reſpondendo clamavit: *Non habemus regem niſi Cæſarem?* Require itaque Apoſtolum, & diſcernet tibi eum qui in occulto Judæus eſt, ab illo qui in manifeſto: & quæ in ſpiritu eſt circumciſio, ab ea quæ fit in carne; ſpiritualem Iſrael a carnali, & filios fidei Abrahæ à filiis carnis. *Non enim*, inquit, *omnes qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, hi filii.* Sequere ergo & dic: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi ſunt in domo Jacob. Jacob quippe ipſe eſt qui Iſrael. Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inveniendi ſunt, reputa in domo Jacob, vel potius ipſos noveris eſſe ſpiritualem & æternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jeſus in æternum. Quis ex nobis eſt, qui juxta interpretationem nominis Jacob, ſupplantet diabolum de corde ſuo, luctetur cum vitiis & concupiſcentiis ſuis, ut non regnet peccatum in ſuo mortali corpore, ſed regnet in eo Jeſus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Jeſus regnabit in æternum, quia & ipſi cum eo regnabunt, & regni hujus non erit finis. O quam glorioſum eſt regnum illud, in quo reges congregati ſunt, convenerunt in unum, ad laudandum ſcilicet, & glorificandum eum, qui ſuper omnes eſt Rex regum, & Dominus dominantium: de cujus ſplendidiſſima contemplatione fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum. O ſi & mei peccatoris meminerit Jeſus in beneplacito populi ſui, cum venerit in regnum ſuum! O ſi me in illa die, quando traditurus eſt regnum Deo & Patri, viſitare dignabitur in ſalutari ſuo, ad videndum ſcilicet in bonitate Electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur etiam à me cum hereditate ſua! Veni interim Domine Jeſu, aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & vindicat in me ſibi ſedem; jactantia cupit dominari mihi; ſuperbia vult mihi eſſe rex. Luxuria dicit, Ego regnabo: ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in meipſo de meipſo, cujus ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo reſiſto; reluctor quantum juvor. Dominum meum Jeſum reclamo; ipſi me defendo: quia ipſius me juris agnoſco. Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem niſi Dominum Jeſum. Veni ergo Domine, diſperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob.

Regnare in domo Jacob in æternum quomodo intelligendum. — *Johan. 19. 15.* — *Rom. 2. 28.* — *Rom. 9. 6.* — *Tom. I'[illegible]* — *Jacob [illegible] quis.* — *Matt. 13. 43.* — *Animæ regnum Christi, non quæ tyrannis infeſta.*

3. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio; malens nimirum humiliter non reſpondere, quàm temere loqui quod neſciret. Jam vero confortata & bene præmeditata, Angelo quidem foris loquente, ſed Deo intus perſuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo, *Dominus tecum;*) ita ergo confirmata, fide ſcilicet depellente timorem, lætitia verecundiam, dixit ad Angelum: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Non dubitat de facto, ſed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet iſtud, ſed quomodo. Quaſi dicat: Cum ſciat Dominus meus, teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat illud? ſi oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium; & gaudeo de filio, & doleo de propoſito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo & pariam, quod utique ſi placuerit ei, impoſſibile non erit; tunc ſcio vere, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. *Quomodo ergo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Superius dicta eſt fuiſſe *gratia plena*: & nunc quomodo dicitur, *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Numquid potuit repleri gratia, & necdum habere Spiritum-ſanctum, cum ipſe ſit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus-ſanctus in ea erat, quomodo adhuc tamquam noviter ſuperventurus repromittitur? An forte ideo non dixit ſimpliciter, *veniet in te*, ſed addidit *ſuper*, quia & prius quidem in ea fuit per multam gratiam, ſed nunc ſupervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus eſt ſuper illam? At vero cum plena jam ſit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere poteſt, quomodo & ante plena fuiſſe intelligenda eſt? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, ſequens vero etiam ventrem perfundere debet: quatenus ſcilicet plenitudo divinitatis, quæ ante in illa, ſicut & in multis Sanctorum, ſpiritualiter

Maria non præceps ad reſpondendum. — *Spiritus ſanctus ut ſupervenit in Mariam.* — *Dubium.*

Tom. III.

habitabat, etiam ſicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipſa habitare incipiat?

4. Ait itaque: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quid eſt, *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Qui poteſt capere, capiat. Quis enim, excepta fortaſſis illa quæ hoc ſola in ſe feliciſſime meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſeſe viſceribus infuderit; & ut illa inacceſſibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula ejuſdem corporis, cui ſe animatæ contemperavit, reliquæ maſſæ umbraculum fecerit? Et fortaſſe propter hoc maxime dictum eſt, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in ſacramento erat, & quod ſola per ſe Trinitas in ſola & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri. Dicatur ergo: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te*, qui utique ſua potentia fœcundabit te. *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: hoc eſt, illum modum quo de Spiritu-ſancto concipies, Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus, ſic in ſuo ſecretiſſimo conſilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus ſibi tantum notus habeatur & tibi. Ac ſi Angelus reſpondeat ad Virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Scies, ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo doctore, quo & auctore. Ego autem miſſus ſum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec poteſt doceri niſi à donante: nec poteſt addiſci niſi à ſuſcipiente. *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod eſt dicere: Quoniam non de homine [a], ſed de Spiritu-ſancto concipies, concipies autem Altiſſimi virtutem, hoc eſt filium Dei: *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* id eſt, non ſolum qui de ſinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum & is qui à Patre eſt ante ſæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem & quod natum eſt ex ipſo Patre, erit tuus, & quod naſcetur ex te, erit ejus; ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit; jam non tamen cujuſque ſuus, ſed unus utriuſque erit filius.

Chriſti conceptionis modus Deo tantum notus & Deiparæ.

5. *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Attende quæſo, quàm reverenter dixerit, *quod naſcetur ex te Sanctum.* Ut quid enim ita ſimpliciter *Sanctum*, & abſque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de puriſſima videlicet Virginis carne cum ſua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret, ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans; quidquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinite, *Sanctum*: quia quicquid illud ſit quod Virgo genuit, ſanctum procul dubio ac ſingulariter ſanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.

Chriſtus ab Angelo ſimpliciter Sanctum cur dictum.

6. Et adjecit Angelus: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua.* Quid fuit neceſſe etiam hujus ſterilis Virgini nuntiare conceptum? Numquid forte dubiam adhuc & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Abſit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipſo Angelo fuiſſe caſtigatam: Mariam autem in aliquo reprehenſam non legimus, quin potius fidem ipſius Elizabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata*, inquit, *quæ credidiſti, quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Sed ideo ſterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, ut dum miraculo miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro neceſſe erat non modico lætitiæ & amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus-ſancti mox fuerat conceptura. Neque enim niſi in devotiſſimo corde atque hilariſſimo tanta ſe capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elizabeth nuntiatur Mariæ, quia profecto

Elizabeth ſterilis exemplum, cur propoſitum.

Prima ratio.

Luc. 1. 45.

Secunda.

decebat, ut verbum mox divulgandum ubique, prius ſciret Virgo per Angelum, quam audiret ab homine: ne mater videlicet Dei à conſiliis filii videretur amota, ſi eorum quæ in terris tam prope gererentur, remanſiſſet ignara. Vel ideo potius conceptus Elizabeth Mariæ nuntiatus eſt, ut dum nunc Salvatoris, nunc Præcurſoris edocetur adventum, rerum tempus & ordinem tenens, ipſa melius poſtmodum ſcriptoribus ac prædicatoribus Evangelii reſeraret veritatem, quæ & plene de omnibus à principio cælitus fuerit inſtructa myſteriis. Vel ideo adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elizabeth, ut audiens cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de obſequio: ſicque illa properante ad viſitandum, parvulo Prophetæ locus & occaſio detur, quo minori adhuc Domino ſuo officii valeat exhibere primitias: & dum ad ſe invicem occurrit matrum, infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo.

Tertia.

Quarta.

7. Vide autem ne hæc tam magnifica, quæ ab Angelo audis prænuntiata, ab ipſo ſperes perficienda. A quo ergo ſi quæris: ipſum audi Angelum. *Quia non erit*, inquit, *impoſſibile apud Deum omne verbum.* tamquam diceret: Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, ſed de illius qui me miſit, virtute præſumo: *quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quale enim illi verbum impoſſibile poterit eſſe, qui omnia fecit in Verbo? Movet me & hoc in verbis angelicis, quod ſignanter non ait: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne* factum, ſed *omne verbum.* An idcirco poſuit verbum, quia quàm facile poſſunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere poſſunt; tam facile, immo incomparabiliter facilius valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile eſſet facere quàm dicere quod volunt: & ipſis quoque non eſſet impoſſibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris & vetus ſermo eſt, multum intereſſe inter loqui & facere, ſed apud homines, non apud Deum: ſoli Deo quia idem eſt facere quod loqui, idem loqui quod velle; merito non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: Potuerunt prævidere & prædicere Prophetæ Virginem vel ſterilem concepturam ac parituram: ſed numquid facere, ut conciperet & pareret? Deus autem qui dedit eis poſſe prævidere, quàm facile potuit tunc quod voluit, per illos prædicere, tam facile potuit nunc quando voluit, per ſeipſum quod promiſit implere. Siquidem apud Deum nec verbum diſſidet ab intentione, quia veritas eſt: nec factum à verbo, quia virtus eſt: nec modus à facto, quia ſapientia eſt: ac per hoc non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

Verbum Dei quam efficax.

Soli Deo idem facere & dicere.

8. Audiſti Virgo factum, audiſti & modum: utrumque mirum, utrumque jucundum. Jucundare filia Sion, & exſulta ſatis filia Jeruſalem. Et quoniam auditui tuo datum eſt gaudium & lætitia, audiamus & nos à te reſponſum lætitiæ quod deſideramus, ut jam exſultent oſſa humiliata. Audiſti, inquam, factum, & credidiſti: crede & de modo quod audiſti. Audiſti quia concipies, & paries filium: audiſti quod non per hominem, ſed per Spiritum-ſanctum. Exſpectat Angelus reſponſum: tempus eſt enim ut revertatur ad Deum qui miſit illum. Exſpectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ: ſtatim liberabimur ſi conſentis. In ſempiterno Dei Verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi reſponſo ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc ſupplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exſul de paradiſo, hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant ſancti Patres, patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exſpectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum:

Zach. 9. 9.

Mariæ dignitas, gratia & prærogativa.

a al. Quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu-ſancto, quod concipies.

ſalus denique univerſorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, reſponſum feſtinanter. O Domina, reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex & Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum: in qua nimirum propoſuit ſalvare mundum. Et cui placuiſti in ſilentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipſe tibi clamet e cælo: O pulcra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipſe te faciet videre ſalutem noſtram. Numquid non hoc eſt quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando ſuſpirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promiſſum eſt, an aliam exſpectamus? Immo tu ipſa, non alia. Tu inquam, illa promiſſa, illa exſpectata, illa deſiderata, ex qua ſanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam ſperabat æternam, cum dicebat: *Exſpectabo ſalutare tuum, Domine.*

Gen. 49. 18

In qua denique, & per quam Deus ipſe Rex noſter ante ſæcula diſpoſuit operari ſalutem in medio terræ. Quid ab alia ſperas, quod tibi offertur? quid per aliam exſpectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas aſſenſum, reſpondeas verbum? Reſponde itaque citius Angelo, immo per Angelum Domino. Reſponde verbum, & ſuſcipe Verbum: profer tuum, & concipe divinum: emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & ſuſcipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc, ut virginalis ſimplicitas obliviſcatur prudentiam. In hac ſola re ne timeas, prudens Virgo, præſumptionem: quia etſi grata in ſilentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas neceſſaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium. O ſi te morante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confeſſionem.

Simon in [illegible] Ad Angelum.

9. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Semper ſolet eſſe gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo reſpondet, ut ſedes gratiæ præparetur. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini.* Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. Non mediocris revera humilitatis inſigne, nec oblata tanta gloria obliviſci humilitatem. Non magnum eſt eſſe humilem in abjectione; magna prorſus & rara virtus, humilitas honorata. Si me miſerum homuncionem meis decepta ſimulationibus ad aliquem vel mediocrem honorem provexerit Eccleſia, Deo nimirum hoc vel propter mea, vel propter ſubditorum peccata permittente: nonne ſtatim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus ſum? Credo famæ*, conſcientiam non attendo; & reputans non honorem virtutibus, ſed virtutes honori, eo ſanctiorem, quo ſuperiorem me æſtimo. Videas pleroſque in Eccleſia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, ſubito intumeſcere, priſtinæ obliviſci abjectionis: genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecunioſos* ad honores quoſque eccleſiaſticos pervolare; moxque ſibi applaudere ſanctitatem, veſtium dumtaxat mutatione, non mentium; & dignos ſe æſtimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque (ſi audeo dicere) adepti ſunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his, quos excæcat ambitio, & honor ipſe ſuperbiendi eis materia eſt.

Mariæ humilitas quam Deo grata.

Humilitas honorata, rara virtus.

* al. ſuæ

Ambitionem & arrogantiam in Eccleſiaſticis arguit.

* al. pernicioſos.

10. Sed video (quod magis doleo) poſt ſpretam ſæculi pompam nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque Magiſtri gravius inſoleſcere, & impatientes amplius fieri in clauſtro, quàm fuiſſent in ſæculo. Quodque magis perverſum eſt, plerique [illegible] domo [illegible] non patiuntur haberi contemptui, qui in [illegible] eſſe potuerunt: ut quia [illegible] honores appetuntur, ipſi locum [illegible] meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Video & alios (quod non ſine dolore videri debet) poſt aggreſſam Chriſti militiam, rurſus ſæcularibus implicari negotiis, rurſus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, & negligere mores: ſub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, & matronis ſalutationes: ſed & contra Imperatoris ſui edictum concupiſcere aliena, & ſua cum lite repetere: non audientes Apoſtolum ex imperio Regis tubicinantem: *Hoc ipſum*, inquit, *delictum eſt in vobis quod cauſas habetis. Quare non magis fraudem patimini?* Itane mundum ſibi, & ſe mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in ſuo vico vel oppido cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias, & curias frequentantes, regum notitias, principumque familiaritates aſſecuti ſint? Quid de ipſo habitu dicam, in quo jam non calor, ſed color requiritur; magiſque cultui veſtium, quam virtutum inſiſtitur? Pudet dicere: vincuntur in ſuo ſtudio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in veſtibus, non neceſſitas: nec ſaltem forma religionis retenta, in habitu ornari, non armari appetunt milites Chriſti: qui dum ſe præparare ad prœlium, & contra aëreas poteſtates prætendere paupertatis inſigne debuerant, (quod utique adverſarii valde formidant) in mollitie veſtimentorum pacis potius præferentes indicium, ultro ſe hoſtibus ſine ſanguine tradunt inermes. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt, niſi quod illam, qua ſæculum deſeruimus, deſerentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuo ſectari ſtudia ſæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum.

Religioſorum quorundam ſuperbia notatur.

Tom. III

[illegible] ſæcularium

& lites.

1 Cor 6 7

Luxus & [illegible] in monachis indignus.

11. Audiamus itaque, quotquot tales ſumus, quid illa reſponderit, quæ Dei mater eligebatur, ſed humilitatem non obliviſcebatur. *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Fiat* eſt deſiderii ſignum, non dubitationis indicium. Et per hoc quod dicit, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*, magis intelligenda eſt affectum exprimere deſiderantis, quàm effectum requirere more dubitantis. Quamquam nil obſtat intelligi, *fiat*, eſſe verbum orantis. Nemo quippe orat, niſi quod credit & ſperat. Vult autem à ſe requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſalvos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos prævenit tribuendo quod retribuat, gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti ſe muneri gratuitæ promiſſionis, junxit meritum ſuæ orationis: *Fiat*, inquiens, *mihi ſecundum verbum tuum.* Fiat mihi de Verbo ſecundum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea ſecundum verbum tuum. Fiat obſecro mihi Verbum, non prolatum quod tranſeat, ſed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aëre. Fiat mihi non tantum audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Nec fiat mihi verbum ſcriptum & mutum, ſed incarnatum & vivum: hoc eſt, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum; ſed in forma humana meis caſtis viſceribus vivaciter impreſſum: & hoc non mortui calami depictione, ſed ſancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum. Porro multifariam multiſque modis olim Deus locutus eſt Patribus in Prophetis: & aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum eſſe verbum Domini memoratur: mihi autem oro, ut in utero fiat juxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatorie prædicatum, aut figuraliter ſignificatum, aut imaginatorie ſomniatum; ſed ſilen-

Orari vult Deus pro his etiam quæ dare diſpoſuit.

Tom. III. ter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter A inviſceratum. Verbum igitur, quod in ſe nec poterat fieri, nec indigebat; dignetur in me, dignetur & mihi fieri ſecundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, ſed ſpecialiter fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Excuſatio S. BERNARDI, quod locum iſtum Evangelii poſt alios expoſitores tractandum ſumpſerit.

Lectionem evangelicam expoſui, ſicut potui: nec ignoro quod non omnibus placebit, ſed ſcio me ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium; & aut judicabor ſuperfluus, aut præſumptor: quod videlicet poſt Patres, qui hunc ipſum locum pleniſſi- B me expoſuerunt, rurſus in eodem novus expoſitor auſus fuerim mittere manum. Sed ſi quid dictum eſt poſt Patres quod non ſit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam diſplicere debere. Ubi autem dixi quod a Patribus accepi, dum ſic abſit typhus præſumptionis, ut non deſit fructus devotionis, patienter audiam de ſuperfluitate cauſantes. Noverint tamen qui me tamquam de otioſa & non neceſſaria explanatione ſuggillant, non tam intendiſſe exponere Evangelium, quam ex Evangelio ſumere occaſionem loquendi quod loqui delectabat. Si vero peccavi, quod propriam magis ex hoc excitarim devotionem, quàm communem quæſierim utilitatem; potens erit C pia Virgo apud ſuum miſericordem Filium hoc meum excuſare peccatum, cui hoc meum qualecumque Opuſculum devotiſſime deſtinavi.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

Sermo primus,

De pronuntiatione Martyrologii,

Jeſus-Chriſtus, Filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda [a].

1. Sonuit vox lætitiæ in terra noſtra, vox exſultationis & ſalutis in tabernaculis peccatorum. Auditum eſt verbum bonum, verbum conſolatorium, ſer- D mo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Jubilate montes laudem, & omnia ligna ſilvarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite cæli, & auribus percipe terra, obſtupeſce & lauda univerſitas creaturæ, ſed tu magis, ò homo: *Jeſus-Chriſtus, Filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* Quis tam lapidei cordis, cujus anima non liquefacta ſit in hoc verbo? Quid annuntiari dulcius poterat? Quid delectabilius commendari? Quid tale umquam auditum eſt, aut quid ſimile aliquando mundus accepit? *Jeſus-Chriſtus, Filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* O breve verbum de Verbo abbreviato, ſed cæleſti ſuavitate refertum! Laborat affectio mellifluæ dulcedinis E copiam latius effundere geſtiens, nec inveniens verba. Tanta ſiquidem eſt gratia ſermonis hujus, ut continuo incipiat minus ſapere, ſi unum iota mutavero. *Jeſus-Chriſtus, Filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* O nativitas illibata ſanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, inveſtigabilis etiam Angelis ſacri profunditate myſterii, & in his omnibus admirabilis ſingulari excellentia novitatis! utpote quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. O partus ſolus ſine dolore, ſolus neſcius pudoris, corruptionis ignarus; non reſerans, ſed conſecrans virginalis uteri templum! O nativitas ſupra naturam, ſed pro natura; miraculi excellentia ſuperans, ſed reparans virtute myſterii! Fratres, ge- F nerationem iſtam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat Altiſſimi, ſupervenit Spiritus: Virgo credit, fide concipit virgo, parturit virgo, manet virgo: quis non miretur? Naſcitur Altiſſimi Filius, Deus de Deo genitus ante ſæcula; naſcitur Verbum infans: quis vel ſatis miretur?

Chriſti nativitas miranda.

2. Nec ſane otioſa nativitas, aut infructuoſa dignatio majeſtatis. *Jeſus-Chriſtus, filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* Vos qui in pulvere eſtis, expergiſcimini & laudate. Ecce Dominus venit cum ſalute, venit cum unguentis, venit cum gloria. Neque enim ſine ſalute Jeſus, neque ſine unctione Chriſtus, nec ſine gloria venit Dei Filius. ſiquidem ipſe ſalus, ipſe unctio, ipſe gloria, ſicut ſcriptum eſt: *Gloria patris, filius ſapiens.* Felix anima, quæ guſtato ſalutis fructu trahitur & currit in odore unguentorum, ut videat gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a patre. Reſpirate perditi: venit Jeſus quærere & ſalvum facere quod perierat. Morbidi convaleſcite: venit Chriſtus, qui contritos corde ſanat unctione miſericordiæ ſuæ. Exſultate quicumque B eſtis grandia concupiſcentes: deſcendit ad vos Filius Dei, ut regni ſui faciat coheredes. Ita obſecro, ſana me, Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero: glorifica, & ero glorioſus. Sic nempe benedicet anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus, cum propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, ſanaveris omnes infirmitates meas, repleveris in bonis deſiderium meum. Hæc tria, dilectiſſimi, ſapit mihi quod audio naſci Jeſum Chriſtum Filium Dei. Quare enim vocamus nomen ejus Jeſum, niſi quia *ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum?* Aut quare Chriſtus nominari voluit, niſi quia *computreſcere faciet jugum à facie olei?* Quare Filius Dei factus eſt C homo, niſi ut homines faciat filios Dei? Voluntati autem ejus quis reſiſtit? Jeſus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui ſanat, quis eſt qui vulneret? Filius Dei qui exaltat, quis eſt qui humiliet?

Nativitas non infructuoſa. — *Prov. 10. 1.* — *Pſal. 102. 1.* — *Nativitatis tres fructus.* — *Matt. 1. 21.* — *Iſa. 10. 27.*

3. Naſcitur ergo Jeſus: gaudeat quiſquis ille eſt, quem perpetuæ damnationis reum adjudicabat conſcientia peccatorum. Excedit quippe pietas Jeſu omnem criminum quantitatem ſeu numeroſitatem. Naſcitur Chriſtus: lætetur quicumque vitiis impugnabatur antiquis. Siquidem ante faciem unctionis Chriſti nullus omnino ſtare poterit morbus animæ, quamlibet inveteratus. Naſcitur Filius Dei: exſultet qui magna ſolet deſiderare, quia magnus munerator advenit. Fratres, hic eſt D heres: devote ſuſcipiamus eum, ſic enim & hereditas noſtra erit. Qui enim proprium filium dedit, quomodo non omnia nobis ſimul cum filio donavit? Nemo diſcredat, nemo hæſitet; habemus teſtimonium credibile nimis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Fratres habere voluit Unigenitus Dei, ut eſſet in multis fratribus primogenitus ipſe. Utque nihil hæſitet ipſa puſillanimitas fragilitatis humanæ, prius ipſe factus eſt hominum frater, factus eſt hominis filius, factus eſt homo. Si & hoc homo judicat incredibile, fidem adſtruunt oculi.

1 Peccata delet. — *2 Vitia ſanat.* — *3 Nos exaltat.* — *Rom. 8. 32.* — *Johan. 1. 14.*

4. *Jeſus-Chriſtus natus eſt in Bethlehem Juda.* Et vide dignationem. Non in Jeruſalem civitate regia; ſed in Bethlehem, quæ minima eſt in millibus Juda. O Beth- E lehem parva, ſed jam magnificata à Domino! magnificavit te qui factus eſt in te parvus ex magno. Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos feſtivum hodie Alleluia cantetur. Quæ tibi civitas, ſi audiat, non invideat pretioſiſſimum illud ſtabulum, & illius præſepii gloriam? In univerſa ſiquidem terra jam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Ubique glorioſa dicuntur de te, civitas Dei: ubique pſallitur, quia *homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus.* Ubique, inquam, prædicatur, ubique clamatur, quia *Jeſus Chriſtus, filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* Nec otioſum quod additur *Juda*, ſiquidem admonet nos ejus quæ ad patres facta eſt repromiſſio. *Non auferetur*, in- F quit, *ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium.* Salus quippe ex Judæis, ſed ſalus uſque ad fines terræ. *Juda*, ait, *te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* & cetera, quæ de Juda illo nuſquam legimus, ſed in Chriſto videmus impleta. Ipſe eſt enim Leo de tribu Juda, de quo & additur: *Catulus leonis Juda, ad prædam*, inquit, *fili mi, aſcendiſti.*

Bethlehem felicitas & gloria. — *Pſal. 86. 5.* — *Gen. 49. 10.* — *Ibid. 8.* — *Ibid. 9.*

[a] Hæc verba leguntur in Uſuardi Martyrologio, quo eccleſiæ Gallicanæ omnes, aut fere omnes tunc utebantur, immo etiam Romana,

[illegible] Chriſtus, qui *priuſquam ſciat vocare* *pa*[illegible] *pa*[illegible]*maria* [illegible]*a ante*[illegible]. Magnus præda[illegible] aſcendens in altum captivam dux[illegible] nec tamen abſtulit quidquam, ſe[illegible] dona hominibus. Has itaque & ceteras [illegible] as impletas in Chriſto (de eo ſiquidem [illegible]) ad mentem revocat, quod dicitur, *Be*[illegible] *Juda*: nec omnino quærere eſt, utrum à Bethlehem poſſit aliquid boni eſſe.

5. Sane quod ad nos ſpectat, diſcimus etiam ex hoc quemadmodum ſuſcipi velit, qui in Bethlehem voluit naſci. Erat enim qui forte ei ſublimia quærenda arbitraretur ille palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur: ſed non propter hoc à regalibus illis ſedibus venit. *In ſiniſtra ejus divitiæ & gloria, in dextera longitudo dierum vitæ.* Horum omnium æterna in cælis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiſcens deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam. Adorna thalamum tuum, Sion; ſed humilitate, ſed paupertate. In his enim pannis complacet ſibi, & Maria teſtimonium perhibente, his ſericis delectatur involvi. Abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo.

Prov. 3. 16.

6. Conſidera denique quod in Bethlehem Judæ naſcitur, & ſollicitus eſto, quomodo Bethlehem Judæ C inveniaris; & jam nec in te quidem ſuſcipi dedignatur. Bethlehem quippe domum panis, Juda ſonat confeſſionem. Tu ergo ſi divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etſi non digna, certe quanta potes devotione ſuſcipias panem illum, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Jeſu; ut veterem utrem corporis tui nova illa reſurrectionis caro reficiat & ſuſtineat, quatenus novum quod intus eſt vinum, hoc ſolidatus glutino, valeat continere: ſi denique ex fide vivas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus ſis comedere panem tuum: Bethlehem factus es, dignus plane ſuſceptione Dominica, ſi tamen confeſſio non defuerit. Sit D proinde Judæa ſanctificatio tua: confeſſionem & decorem induere, quam maxime ſtolam in miniſtris ſuis Chriſtus acceptat. Denique breviter tibi utrumque commendat Apoſtolus: *Corde*, inquiens, *creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Juſtitia ſiquidem in corde, panis in domo. Eſt enim juſtitia panis. Et, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Sit ergo in corde juſtitia, & juſtitia quæ ex fide eſt. Hæc enim ſola habet gloriam apud Deum. Sit etiam in ore confeſſio ad ſalutem: & ſecurus jam ſuſcipe eum, qui in Bethlehem Judæ naſcitur, Jeſum-Chriſtum Filium Dei.

Bethlehem & Judæa ſpiritualiter expoſita.

Euchariſtia quomodo ſuſcipienda.

Rom. 10. 10.

Matth 5. 6.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

SERMO SECUNDUS.

De eo quod ſcriptum eſt, *O Juda & Jeruſalem, nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum.* 2. Par. 20. 17.

1. VEros alloquimur Judæos, non littera, ſed ſpiritu: ſemen Abrahæ, cujus multiplicatio, ſicut promiſſa legitur, ſic videtur impleta. Neque enim filii carnis, ſed filii promiſſionis deputantur in ſemine. Sed nec illi Jeruſalem dicimus, quæ occidit Prophetas. Unde enim illam conſolemur, ſuper quam Dominus flevit, quæ data eſt in ſubverſionem? Illi dicimus, F quæ de cælo nova deſcendit: *Nolite timere, ô Juda & Jeruſalem.* Nolite timere veri confeſſores, qui non ſolum ore, ſed toti pariter & ex omni parte Domino confitemini, induti confeſſionem ſicut veſtimentum; immo quorum omnia interiora Domino confitentur, & omnia oſſa dicunt: *Domine, quis ſimilis tibi?* non ſicut hi *qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Vera confeſſio eſt, ſi omnia opera veſtra, Fratres, opera ejus ſint, & confiteantur ei. Confiteantur autem gemina quadam confeſſione, ut du-

Luc. 19. 41.

Pſal. 34. 10.

Tit. 1. 16.

A plicibus veſtiamini, id eſt confeſſione peccatorum veſtrorum, & confeſſione laudis divinæ. Tunc enim veri Judæi eritis, ſi omnis vita veſtra confiteatur vos peccatores, & dignos multo majoribus pœnis: Deum vero ſumme bonum, qui pro his levibus & tranſitoriis pœnis, æterna condonat ſupplicia, quæ meruiſtis. Quiſquis enim ardenter non deſiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere ſe pœnitentia; & ita ſuam non confitetur culpam, aut non poſſe prodeſſe ei pœnitentiam; & ſic divinam non confitetur bonitatem. Vos autem eſtote veri Judæi, ſed & Jeruſalem vera, ut nihil jam timeatis. Eſt enim Jeruſalem viſio pacis; viſio, non poſſeſſio, cuB jus fines Dominus poſuit pacem, non initium ſane, nec medium. Si ergo pacem non habetis, immo quia perfectam in hoc ſæculo habere non poteſtis, ſaltem videte eam, intuemini, conſiderate, & deſiderate eam. Illuc ſint oculi cordis veſtri, ad pacem ſeſe dirigat intentio veſtra: ut omnia quæcumque facitis, hujus pacis, quæ exſuperat omnem ſenſum, deſiderio faciatis: in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum.

Tom. III [illegible] *confeſſio* [illegible] *divinæ* [illegible]

Philip. 4. 7.

2. His dicimus, *Nolite timere*, hos conſolamur, non eos qui viam pacis non cognoverunt. Nam ſi illis dicitur, *Cras egrediemini*; comminatio, non conſolatio erit iſta. Soli nimirum diſſolvi deſiderant, & egredi concuC piſcunt, qui pacem vident, & ſciunt, ſi terreſtres domus eorum hujus habitationis diſſolvantur, quoniam ædificationem habent ex Deo, & non illi qui in inſaniam verſi ſuis compedibus delectantur. Denique hi tales moriendo non tam egreſſi dicendi ſunt, quam ingreſſi: qui non in lucem, non in libertatem vadunt, ſed in carcerem, ſed in tenebras, ſed in infernum. Vobis autem dicitur: *Nolite timere, cras egrediemini*, & jam non erit timor in finibus veſtris. Multos quidem habetis hoſtes: carnem, qua nullus poteſt eſſe vicinior hoſtis: præſens ſæculum nequam, quod undique circumfuſum eſt vobis: principes tenebrarum, qui viam veſtram obſident in aere collocati. Attamen D nolite timere, cras egrediemini, id eſt in proximo. Cras enim in proximo eſt. Unde & ſanctus Jacob ait: *Cras reſpondebit mihi juſtitia mea.* Tres enim dies ſunt, de quibus etiam legimus: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.* Unus ſub Adam, alter in Chriſto, tertius cum Chriſto. Unde & ibi ſubditur: *Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum*: & hic dicitur, *Cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum.* His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies ſuos, in quibus periit dies in qua nati ſunt, quæ eſt dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat, dicens: *Maledicta dies, in qua natus ſum.* Omnes enim in illa naſcimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies E nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus, qui dixit: *Aperientur oculi veſtri.*

Mors in deſiderio quibus.

2. Par. 20. 17.

Animæ hoſtis triplex.

Gen. 30. 33.

Oſe. 6. 3.

Jer. 20. 14.

Gen. 3. 5.

3. Ecce vero illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exſultemus & lætemur in ea, quia cras egrediemur. Unde, niſi de conclavi hujus ſæculi, de ergaſtulo hujus corporis, de compedibus neceſſitatis, curioſitatis, vanitatis, & voluptatis, quæ etiam invitis nobis pedes tenent affectionis? Quid enim ſpiritui noſtro cum terrenis? Cur non ſpiritualia deſiderat, ſpiritualia quærit, ſpiritualia ſapit? O ſpiritus, qui de ſurſum eſtis, quid vobis cum infimis? *Quæ ſurſum* F *ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Sed corpus *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Neceſſitates multæ miſeri hujus corporis detinent nos. Viſcus quidam pravi deſiderii & delectationis terrenæ volare non patitur, & citius retrahit mentem, ſi forte aliquando ſublevetur. Sed nolite timere, cras egrediemini de lacu miſeriæ & de luto fæcis. Nam ut inde vos educeret, infixus eſt ipſe quoque in limo profundi. Nolite ergo timere, cras egrediemini de corpore mortis,

Pſal. 117. 24.

Terrenis contemptis quærenda cæleſtia.

Coloſſ. 3. 1.

Sap. 9. 15.

[Tom. III.] & de omni corruptione peccati. Agite diem iſtum in Chriſto, ut ambuletis ſicut & ipſe ambulavit. [1 *Johan.* 2. 6] *Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare. Nolite ergo timere, quia cras egrediemini*, & ſic ſemper cum Domino eritis. Vel quia ſignanter dictum, *& Dominus erit vobiſcum*, ſic intelligamus, ut dum ſumus in corpore, poſſimus nos eſſe cum Domino, id eſt, adhærere ejus voluntati; ſed non ille nobiſcum, ut conſentiat voluntati noſtræ. Vellemus enim jam liberi eſſe, concupiſcimus diſſolvi, egredi deſideramus: ſed adhuc differt ille certa ex cauſa. Cras egrediemur, & Dominus erit nobiſcum: ut quicquid voluerimus velit, & in nullo à noſtra voluntate diſcordet.

4. Itaque, Juda & Jeruſalem, nolite timere, ſi perfectionem, quam deſideratis, nondum poteſtis adipiſci: ſed quod minus habet imperfectio converſationis, ſuppleat humilitas confeſſionis: & imperfectum veſtrum viderunt oculi Dei. [*Pſal.* 138. 16. *Mandata Dei cur tam ſevere nobis impoſita.*] Propterea enim mandata ſua mandavit cuſtodiri nimis, ut videntes imperfectionem noſtram deficere, & non poſſe implere quod debet; fugiamus ad miſericordiam, & dicamus: [*Pſal.* 62. 4.] *Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* & qui non poſſumus in veſtitu innocentiæ ſeu juſtitiæ, appareamus veſtiti confeſſione. [*Pſal.* 95. 6.] *Confeſſio enim & pulcritudo in conſpectu Domini*, ſi tamen ſit (ut diximus) non oris tantum, ſed etiam totius hominis, ut omnia oſſa noſtra dicant: Domine, quis ſimilis tibi? idque ſolius pacis intuitu, & deſiderio reconciliationis ad Deum. Talibus enim dicitur, *O Juda & Jeruſalem, nolite timere, cras egrediemini.* id eſt quàm cito à corpore exierit anima, omnes ſimul affectiones, omnia deſideria, quibus per univerſum interim mundum diſperſa & ligata tenebatur, diſſolventur, & egredietur de viſco hoc; & Dominus erit vobiſcum. [*Corruptela naturæ ex peccato.*] Nimis id quidem vobis videri poteſt, ſi tamen ad vos reſpicitis, & non ad ea quæ exſpectant vos. Nonne hoc univerſus mundus exſpectat? Creatura enim ſubjecta eſt vanitati: & cadente homine, quem conſtituerat Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ; tota ſimul hereditas corrupta eſt. Inde diſtemperatus aer, terra in operibus Adæ maledicta, & omnia ſubdita vanitati.

5. Nec ſane reparabitur hereditas, donec reparentur heredes. Unde & juxta Apoſtoli teſtimonium, [*Rom.* 8. 22.] *ingemiſcit quoque, & parturit uſque adhuc.* Nec ſoli utique huic mundo, ſed & Angelis, & hominibus ſpectaculum facti ſumus. [*Pſal.* 141. 8.] *Me*, inquit, *exſpectant juſti, donec retribuas mihi.* Et Martyres, cum judicii diem poſtularent, non tamquam vindictæ cupidi, ſed perfectionem deſiderantes beatitudinis, quam tunc habituri ſunt, acceperunt divinum reſponſum: [*Apoc.* 6. 11. *Sancti non conſummabuntur ſine nobis.*] *Suſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.* Acceperunt quidem jam ſingulas ſtolas: ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos. Vadia tenemus & obſides ipſa eorum corpora, ſine quibus conſummari non poſſunt, nec ea recipient ſine nobis. [*Hebr.* 11. 40.] Unde de Patriarchis, & Prophetis ait Apoſtolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non ſine nobis conſummarentur.* O ſi cognoſceremus & nos, quomodo exſpectant, & quantum deſiderant adventum noſtrum! quàm ſollicite quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis!

6. [*Angeli quàm noſtræ ſalutis cupidi & ſtudioſi.*] Quid tamen de his loquor, qui didicerunt ex his quæ paſſi ſunt, compaſſionem, quando & ipſi nos Angeli ſancti deſiderant? Nonne de vermiculis iſtis, & de pulvere iſto reſtaurandi ſunt muri cæleſtis Jeruſalem? Putatis quantum deſiderant cives cæleſtes inſtaurari civitatis ſuæ ruinas? Quomodo ſolliciti ſunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodo diſcurrunt medii inter nos & Deum, fideliſſime portantes ad eum gemitus noſtros, & ipſius nobis gratiam devotiſſime reportantes? Plane non dedignabuntur ut ſimus eorum ſocii, quorum facti ſunt jam miniſtri. [*Hebr.* 1. 14.] Nonne enim omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis? Suſtinemus, obſecro, dilectiſſimi, ſuſtinemus: tota nos multitudo cæleſtis curiæ exſpectat. [*Sancti in cælo lætantur de converſione peccatorum.*] Exſultare Angelos fecimus, quando converſi ſumus ad pœnitentiam: proficiamus, & feſtinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi, quicumque es qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putaſne placatos habebis in judicio, quos tanto, & tam ſperato privare vis gaudio? Exſultaverunt cum nos ad pœnitentiam venimus, tamquam ſuper his, quos ab ipſa inferi porta cernerent revocari. Quid nunc erit, ſi ab ipſa paradiſi janua reverti videntur, & abire retrorſum eos, qui jam pedem alterum in paradiſo poſuerunt? Nam etſi corpora inferius, ſed corda ſurſum.

7. [*Deus ipſe deſiderat nos.*] Currite, Fratres, currite: non ſoli Angeli, ſed & ipſe Angelorum vos Creator exſpectat. Nuptiæ paratæ ſunt, ſed nondum plena domus: adhuc exſpectantur, de quibus nuptiæ impleantur. Exſpectat vos Pater & deſiderat, non ſolum propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit vos: (unde & Unigenitus, qui in ſinu Patris eſt, ipſe & enarravit, [*Johan.* 16. 27.] Pater, inquiens, amat vos) ſed propter ſemetipſum, ſicut loquitur per Prophetam: [*Ezec.* 36. 22.] *Propter memet ipſum ego faciam, non propter vos.* Quis enim implendum dubitet quod promiſit Filio, dicens: [*Pſal.* 2. 8.] *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam?* Et alibi: [*Pſal.* 109. 1.] *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Non conterentur omnes inimici ejus, dum nos, qui ſumus membra ejus, aliquatenus impugnabunt. Non implebitur hæc promiſſio, donec noviſſima inimica deſtruatur mors. Nam de Filio quis neſciat, quantum deſideret fructum nativitatis, & totius vitæ quam geſſit in carne, denique fructum crucis & mortis ſuæ, pretium ſanguinis pretioſi? Nonne traditurus eſt regnum Deo & Patri, quod acquiſivit? Nonne ei reſtauraturus eſt creaturas ſuas, pro quibus Pater illum miſit in terras? Exſpectat nos & Spiritus-ſanctus. Eſt enim caritas & benignitas, in qua prædeſtinati ſumus ab æterno: nec dubium quin prædeſtinationem ſuam velit impleri.

8. Ergo quia paratæ ſunt nuptiæ, & omnis nos curiæ cæleſtis frequentia deſiderat & exſpectat; curramus non quaſi in incertum; curramus deſideriis, & profectu virtutum. Proficere, proficiſci eſt. Dicamus ſinguli: [*Pſal.* 118. 132.] *Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum judicium diligentium nomen tuum.* Non ſicut ego merui, ſed ſicut illi decreverint, miſerere. Dicamus item: [1 *Mac.* 3. *Matth.* 6. 10. *Rom.* 8. 31] *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Itemque, *Fiat voluntas tua.* Scimus quoniam ſcriptum eſt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Aut *quis accuſabit adverſus electos Dei?* [*Matth.* 20. 15.] *Annon licet*, inquit, *mihi facere quod volo?* Hæc ſit interim conſolatio noſtra, cariſſimi, donec egrediamur, & Dominus ſit nobiſcum. Qui magna ſua miſericordia ad beatam illam egreſſionem, & ad clarum illud *cras* nos perducat, & in hoc quoque proximo *cras* viſitare nos, & nobiſcum eſſe dignetur: ut ſi quis forte in tentatione qualibet detinetur, ipſo miſerante qui prædicare venit clauſis apertionem, cras egrediatur: ut cum gaudio ſalutari ſuſcipiamus coronam parvuli Regis noſtri, ipſo præſtante, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

SERMO TERTIUS.

In illud, *Hodie ſcietis quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam ejus.* Exod. 16. 7.

1. QUique terrigenæ, & filii hominum, audite. Vos qui in pulvere eſtis, expergiſcimini & laudate: quia veniet medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Venit quippe qui projiciat in profundum maris omnia peccata noſtra, qui ſanet omnes infirmitates noſtras, qui nos propriis humeris ad propriæ dignitatis repor-

cet originem. Magna eſt iſta potentia : ſed plus eſt miranda miſericordia, quod ſic venire voluit, qui potuit ſubvenire. *Hodie* inquit *ſcietis quia veniet Dominus.* Verba hæc quidem ſuo loco & tempore in Scriptura poſita ſunt, ſed non incongrue illa Vigiliæ dominicæ Nativitatis Eccleſia mater aptavit. Eccleſia, inquam, illa quæ ſecum habet conſilium & ſpiritum Sponſi & Dei ſui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipſam cordis ſui ſedem principaliter poſſidens & conſervans. Nimirum ipſa eſt quæ vulneravit cor ejus, & in ipſam abyſſum ſecretorum Dei oculum contemplationis immerſit, ut & illi in ſuo, & ſibi in ejus corde perennem faciat manſionem. Cum ergo ipſa in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat; fortior eſt [a] illa compoſitio, quam poſitio prima verborum: & fortaſſis tanto fortior, quantum diſtat inter figuram & veritatem, inter lucem & umbram, inter dominam & ancillam.

Exod. 16. 6.

2. *Hodie ſcietis, quia veniet Dominus.* Secundum æſtimationem meam duo in verbis iſtis dies nobis expreſſius commendantur. Primus, qui à primi hominis lapſu labitur uſque ad finem mundi; dies, cui Sancti ſæpius maledixiſſe noſcuntur. Ab illa enim lucidiſſima die, in qua conditus fuerat Adam, ejectus eſt; & in has rerum contruſus anguſtias, diem tenebroſum incurrit, & pæne a lumine veritatis exſtinctus. In hac die naſcimur univerſi, ſi tamen dies debet, & non potius nox vocari: niſi quod lumen rationis quaſi quamdam ſcintillulam nobis inſuperabilis illa miſericordia dereliquit. Secunda vero dies erit in ſplendoribus Sanctorum in perpetuas æternitates, cum inclaruerit illud ſereniſſimum mane, qui eſt miſericordia repromiſſa, & abſorpta erit mors in victoria: cum dimotis umbris & tenebris, ſplendor veræ lucis ſurſum & deorſum, intus & exterius cuncta pariter occupabit. *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam*, ait Sanctus; &, *Repleti ſumus mane miſericordia tua.* Sed ad noſtrum diem revertamur, qui tamquam cuſtodia in nocte pro ſua brevitate dicitur, qui tamquam nihilum & inane ab illo familiari Spiritus-ſancti organo nominatur, cum dicit: *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt.* &, *Defecerunt ſicut fumus dies mei.* &, *Dies mei ſicut umbra declinaverunt. Parvi & peſſimi ſunt omnes dies vitæ meæ*, ait ille ſanctus Patriarcha, qui vidit Dominum facie ad faciem, qui cum eo tam familiariter loquebatur. Et quidem in hac ipſa die homini Deus rationem præſtat, tribuit intelligentiam: ſed neceſſe eſt ut exeuntem de hoc mundo illuminet lumine ſcientiæ ſuæ, ne ſi de domo carceris & umbra mortis exſtinctus exierit, illuminari non valeat in æternum. Ideo quippe Unigenitus Dei, Sol juſtitiæ, tamquam immenſi & præclari luminis cereus, in hujus mundi carcerem illuminatus eſt & accenſus: ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos ſit & ipſum. Peccata enim noſtra ſeparant inter nos & Deum. Sed illis ſublatis, vero lumini illuminandi, & quaſi concorporandi connectimur in idipſum; ſicut lumen exſtinctum lumini lucenti & ardenti ſine aliquo medio conjungitur ut illuminetur, quatenus per exemplum viſibilium, effectus rerum inviſibilium cognoſcamus.

Pſal. 142. 8. Pſal. 89. 14. Ibidem. Pſal. 89. 9. Pſal. 101. 12. Gen. 47. 9. — *Lumen divinum nobis neceſſarium.*

3. Ad hoc igitur tam magnum & præfulgidum ſidus juxta Prophetam, illuminemus nobis lumen ſcientiæ, priuſquam de mundi hujus tenebris exeamus, ne de tenebris tranſeamus ad tenebras, & tenebras ſempiternas. Quæ eſt autem iſta ſcientia? Profecto ſcire quia veniet Dominus, etſi quando veniet, ſcire non poſſumus. Hoc eſt illud totum quod poſtulatur à nobis. At, inquis, iſta ſcientia omnium eſt. Quis enim neſciat vel nomine tenus fidelis, quia veniet Dominus; quia venturus eſt judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique juxta opera ſua? Non omnium iſta eſt ſcientia, Fratres mei, ſed nec multorum: paucorum eſt, quia revera pauci ſunt qui ſalvantur. Poſſunt ne quia illi qui cum male fecerint, lætantur & exultant in rebus peſſimis, vel ſciant, vel recogitent quia veniet Dominus. Si dixerint ipſi, tu non ſcis te: quia *qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Confitentur*, ait Apoſtolus, *ſe noſſe Deum, factis autem negant: quia fides ſine operibus mortua eſt.* Non enim ſe ita omni impuritate pollueret, ſi Dominum venturum ſcirent vel formidarent, ſed vigilarent utique, & non ſinerent tam graviter perfodi conſcientias ſuas.

Oſee 10. 12. juxta LXX. Judicii ſcientia nobis neceſſaria. — *Pauci ... eſt. 1. Johan. 2. 4. Tit. 1. 16.*

4. Scientia autem iſta in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, ut riſum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mærorem convertat, & incipiant tibi diſplicere, quæ vehementer ante placuerant: & illa ſpecialiter horreas, quæ ſpecialiter appetebas. Sic enim ſcriptum eſt: *Quia qui addit ſcientiam, addit & dolorem*: ut veracis & ſanctæ ſcientiæ ſit dolor ſubſequens argumentum. In ſecundo vero gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, ſed coerceas gulam, jugules luxuriam, ſuperbiam deprimas, & facias ſervire corpus ſanctitati, quod iniquitati ante ſervierat. Pœnitudo enim ſine correctione non proderit, ſicut Sapiens ait: *Unus ædificans, & unus deſtruens: quid prodeſt eis niſi labor? Unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, nihil proficit lavatio ejus*, ſed juxta Salvatoris ſententiam verendum eſt, ne ei aliquid deterius contingat. Sed quia hæc diutius haberi non poſſunt, niſi circa ſe multa circumſpectione mens indefeſſa vigilet & attendat: in tertio gradu operatur ſollicitudinem, ut jam ſollicitus incipiat ambulare cum Deo ſuo, & ex omni parte ſcrutetur, ne vel in leviſſima re tremendæ illius majeſtatis offendat aſpectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in ſollicitudine lucet, ut interius & exterius renovetur.

Scien. in hujus primus gradus, dolor de peccatis. Eccli. 1. 18. Correct. 2. Eccli. 34. 28. Johan. 5. 14. 3. Sollicitudo.

5. Hic jam reſpirare incipit à tribulatione malorum & dolore, & timoris magnitudinem ſpirituali lætitia temperare, ne ſuorum enormitate ſcelerum abundantiori triſtitia abſorbeatur. Hinc etſi timet à Judice, ſperat à Salvatore; cum jam in animo ejus timor & lætitia obequitent & obvient ſibi; plerumque timor lætitiam ſuperet, lætitia ſæpius timorem excludat, & intra ſui gaudii concludat arcanum. FELIX CONSCIENTIA, in qua luctamen hujuſmodi indeſinenter conficitur, donec quod mortale eſt abſorbeatur à vita, donec evacuetur timor qui ex parte eſt, & ſuccedat lætitia, quod perfectum eſt: quia non timor ſempiternus, ſed lætitia ſempiterna erit ei. Jam vero ſic ardens & lucens, nondum in domo ſe eſſe confidat, ubi ſine omni timore ventorum accenſum lumen ſoleat deportari; ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & utraque manu ſtudeat operire quod portat; nec credat aeri, etiamſi videat eſſe tranquillum. Repente enim, & hora qua non putaverit, mutabitur; & ſi vel ad modicum manus remiſerit, lumen exſtinguetur. Quod ſi etiam ardor portantis manus (ut quandoque fieri ſolet) aduſſerit, eligat potius pati, quàm retrahere manus ſuas: quia in momento, in ictu oculi poterit exſufflari. Si eſſemus in domo illa non manu-facta, æterna in cælis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil eſſet timendum. Nunc vero tribus malignſſimis & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, carni, diabolo & mundo, qui conſcientiam illuminatam moliuntur exſtinguere, inſufflantes in cordibus noſtris deſideria mala, motus illicitos, & ita te repente turbantes, ut vix prænoſcere valeas, unde venias, aut quo vadas. Ex quibus etſi duo ſæpius intermittunt, à tertio tamen nemo umquam ſufflandi inducias extorſit. Ideo utriſque manibus, & cordis, & corporis, anima eſt tegenda, ne forte quæ jam illuminata fuerat, exſtinguatur; nec cedendum vel re-

Conſcientia felix, quæ. Securitas hic nulla. Timendum ſemper.

[a] Quanti Bernardus faciebat Eccleſiæ univerſæ decreta, qui tantam ejus auctoritatem etiam in accommodatitio Scripturæ ſenſu agnoſcebat, qualem certe nec ipſa exigit.

Tom. III. cedendum, etiamſi gravis tentationum fervor utriuſque hominis ſtatum vehementer afflixerit; ſed dicendum cum Sancto: *Anima mea in manibus meis ſemper.* *Pſal. 118. 109.* ELIGAMUS potius ardere, quàm cedere. Et ſicut quod in manibus noſtris tenemus, non facile obliviſcimur: ſic NUMQUAM obliviſcamur negotium animarum noſtrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus noſtris.

Vigiliæ tres noctis exponuntur.

6. Cum ergo ſic lumbi noſtri præcincti fuerint, & lucernæ ardentes, cuſtodiendæ ſunt vigiliæ noctis ſupra gregem cogitationum & actionum noſtrarum: ut ſi in prima vigilia, vel ſecunda, vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. *1 Rectitudo operis.* Prima vigilia eſt rectitudo operis, ut ad hanc quam juraſti Regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec tranſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui in omnibus viæ & vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram, neque ad ſiniſtram. *2. Puritas intentionis.* Secunda, puritas intentionis, ut ſimplex oculus totum corpus lucidum faciat: quatenus quicquid feceris, propter Deum facias, & ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. *3 Cuſtodia unitatis.* Tertia eſt cuſtodia unitatis, ut in congregatione poſitus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas; ut non ſolum ſine querela, ſed & cum gratia inter fratres maneas, portans omnes, orans pro omnibus, ut & de te quoque dicatur: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo & pro ſancta civitate Jeruſalem.* *Machab. 2. 15.* Ita ergo in hac die adventus Unigeniti nobis veram ſcientiam accendit, ſcientiam inquam illam, quæ nos doceat quia veniet Dominus, quæ ſit morum noſtrorum perpetuum & ſtabile fundamentum.

7. *Et mane*, inquit, *videbitis gloriam ejus.* O mane! ô dies, quæ melior es in atriis Domini ſuper millia, quando erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, cum ſplendor lucis & fervor caritatis uſque in altiſſima illa magnalia terrarum incolas illuſtrabit! Quis de te cogitare, nedum aliquid præſumat recitare? Interim tamen ædificemus, Fratres, fidem noſtram, ut ſi mirabilia illa, quæ nobis reſervantur, videre non poſſumus, ſaltem mirabilia, quæ propter nos in terris facta ſunt, aliquantulom contemplemur. *Mixturæ tres mirabiles in Incarnatione.* Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis, ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Conjuncta quippe ſunt ad invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diverſa, tamque diviſa ab invicem, invicem potuere conjungi.

8. Et primo quidem intuere creationem, poſitionem, & diſpoſitionem rerum: quanta ſit videlicet in creatione potentia, quanta in poſitione ſapientia, in compoſitione quanta benignitas. In creatione vide quam multa, & quam magna potenter creata ſunt: in poſitione quàm ſapienter cuncta locata ſunt: in compoſitione quàm benigne ſuprema & infima connexa ſunt, tam amabili, quàm admirabili caritate. Huic enim limo terreno vim vitalem miſcuit, ut in arboribus, unde ſurgit venuſtas in foliis, in floribus pulcritudo, ſapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim ſenſibilem limo noſtro, ut in pecoribus, quæ non ſolum vitam habeant, ſed & ſentiant quinquepertita ſenſificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum noſtrum, & ei vim rationalem immiſit, ut in hominibus, qui non ſolum vivunt, ſentiunt, ſed & diſcernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falſum. *Prima, unio Dei & hominis.* Voluit quoque inferiora noſtra abundantiori gloria ſublimare, & contraxit ſe majeſtas: ut quod melius habebat, videlicet ſeipſum, limo noſtro conjungeret, & in perſona una ſibi invicem unirentur Deus & limus, majeſtas & infirmitas, tanta vilitas & ſublimitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit in Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quicquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehenſibili ſacramento. Et attende, quia ſicut in illa ſingulari divinitate Trinitas eſt in perſonis, unitas in ſubſtantia: ſic in iſta ſpeciali commixtione trinitas eſt in ſubſtantiis, in perſona unitas: & ſicut ibi perſonæ non ſcindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita & hic perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantiæ ipſæ perſonæ diſſipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia, & ſuper omnia opera ſua. Verbum enim, & anima, & caro in unam convenere perſonam; & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Hæc eſt prima & ſuperexcellens mixtura; & hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, & non ſis ſuperbus: quia Deo conjunctus es, & non ſis ingratus.

Secunda, unio fœcunditatis & virginitatis.

9. Secunda mixtura eſt, Virgo & mater, admirabilis plane & ſingularis. A ſæculo non eſt auditum, quod virgo eſſet quæ peperit, quod mater eſſet quæ virgo permanſit. Numquam juxta rerum ordinem virginitas eſt, ubi fœcunditas prædicatur; nec fœcunditas, ubi virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt, in qua virginitas & fœcunditas obviaverunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt quod factum non fuerat, nec fiet in æternum: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. *Tertia, fidei & cordis humani unio.* Tertia eſt, fides & cor humanum; & hæc quidem prima & ſecunda inferior, ſed non minus forſitan fortis. Mirum enim eſt, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quod Deus homo eſſet: quod virgo manſerit quæ peperiſſet. Sicut ferrum & teſta jungi non poſſunt, ſic & hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinum Spiritus Dei. Ergooe credendum eſt, quod iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur io ſepulcro, & inter duos lapides coucluditur, excelſus & immenſus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes eſt, in convivio, in thalamo; qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & ſolus cum ſola tam longinquam, tam ſecretam conficit viam? *Fidei virtus ingens.* Quomodo potuit hoc perſuaderi generi humano, univerſo orbi terrarum? Et tamen tam facile, tam potenter perſuaſum eſt, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab illa fide deficere.

10. Ex hæc quidem mixtura excellens, ſed excellentior eſt ſecunda, tertia vero excellentiſſima eſt. Primam auris audivit, ſed oculus non vidit: quia auditum eſt & creditum uſque in fines terræ magnum illud pietatis ſacramentum: ſed tamen oculus, Deus, non vidit abſque te, quomodo te intra virginei ventris anguſtias humano corpori conjunxiſti. Secundam oculus vidit, quia ſe fœcundam & virginem illa ſingularis Regina conſpexit, quæ conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo: cognovit & Joſepb, non minus teſtis, quàm cuſtos tantæ virginitatis. Tertia in cor hominis aſcendit, cum quod factum eſt, ſicut factum eſt creditum eſt: cum magis oraculo quàm oculo credimus, cum quæ dicta vel facta ſunt, tenemus firmiſſime, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in ſecunda per quid, in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Chriſtum per Mariam propter ſanitatem. In prima remedium eſt, quia ex Deo & homine cataplaſma confectum eſt, quod ſanaret omnes infirmitates tuas. Contuſæ ſunt autem & commixtæ hæ duæ ſpecies in utero Virginis, tamquam in mortariolo; ſancto Spiritu, tamquam piſtillo, illas ſuaviter commiſcente. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ, ut per illam acciperes quicquid haberes: quæ per hoc quod mater eſt, genuit tibi

Hæc merito nos [illegible]

tibi Deum: per hoc quod virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa tua & totius generis humani. Si ſola mater eſſet, ſufficeret ei ut ſalvaretur per filiorum generationem: ſi ſola virgo, ſufficeret tibi; nec benedictus fructus ventris ejus, mundi pretium eſſet. Cum ergo in prima ſit remedium, in ſecunda adjutorium eſt: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. In tertia autem meritum eſt, quia cum hæc firmiter credimus, jam meritum habemus: & in fide ſanitas eſt, quia *qui crediderit, ſalvus erit.* (*Marc. 16. 16.*)

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

SERMO QUARTUS.

De medicina lævæ, & deliciis dexteræ Excelſi.

1. HOdiernum quidem ſermonem Ordinis noſtri conſuetudo non exigit: ſed craſtina opus erit circa Miſſarum ſollemnia diutius occupari, & hora brevis ſermonis longitudinem non admittet. Propterea non ab re puto præparare hodie corda veſtra tantæ ſollemnitati, præſertim cum ſit profundiſſima ſacramenti hujus & incomprehenſibilis altitudo, & tamquam fons vitæ quo magis hauriatur, eo magis exuberans numquam valeat exhauriri. Denique ſcio quemadmodum abundet pro Chriſto tribulatio veſtra: & utinam abundet & conſolatio veſtra per ipſum. Nam mundialem quidem conſolationem vobis offerre nec libet, nec licet. Vilis eſt, & ad nihilum utilis hujuſmodi conſolatio: & (quod magis eſt metuendum) etiam veræ ac ſalubris conſolationis eſt impedimentum. Propterea qui delectatio eſt & gloria Angelorum, ipſe factus eſt ſalus & conſolatio miſerorum: qui in civitate ſua magnus & ſublimis valde beatificat cives, ipſe in exſilio parvulus & humilis valde lætificat exſules: & qui in altiſſimis eſt gloria Patris, factus eſt in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Parvulus enim datus eſt parvulis, ut magnus detur magnis: & quos juſtificat parvulus, magnificet poſtmodum & glorificet magnus & glorioſus. Hinc ſine dubio Vas electionis quod de plenitudine parvuli hujus acceperat, (licet enim parvulus, ſed plenus, plenus gratia & veritate, & in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;) hinc utique Paulus eructat verbum illud bonum, quod his diebus frequenter audiſtis: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Gaudete, inquit, de exhibitione, iterum gaudete de promiſſione: quoniam & res plena gaudio, & ſpes plena gaudio eſt. Gaudete, quia jam percepiſtis dona ſiniſtræ: gaudete, quia exſpectatis præmia dexteræ. *Læva*, inquit, *ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læva quidem levat, dextera ſuſcipit. Læva medetur & juſtificat: dextera amplectitur & beatificat. In læva ejus merita, in dextera vero præmia continentur: in dextera, inquam, deliciæ, in ſiniſtra ſunt medicinæ.

Conſolatio mundi vilis & noxia. — *Coloſſ. 2. 9.* — *Philipp. 4. 4.* — *Cant. 2. 6.*

2. Sed attende pium medicum, attende medicum ſapientem. Conſidera diligentius quàm nova medicamina portet, vide quàm non modo pretioſas, ſed & ſpecioſas attulerit medicinas; non ſolum perutiles ad ſanitatis fructum, ſed & delectabiles ad aſpectum, & ſuaves ad guſtum. Denique primam ejus medicinam, primum quod in ſiniſtra portat, attende; & conceptum invenies ſine ſemine. Intuere, obſecro, quale ſit iſtud, quàm novum, quàm admirabile, quàm amabile, quàm jucundum. Quid enim pulcrius, quàm generatio caſta? quid glorioſius, quàm ſancta & ſincera conceptio, in qua nihil pudoris eſt, nihil ſordis, nihil corruptionis? At quoniam minus fortaſſis detineret uos, grata licet, admiratio novitatis, niſi fructus quoque ſalutis & utilitatis conſideratio animum delectaret; conceptus iſte, non modo glorioſus in ipſa quaſi exteriori ſpecie, ſed & pretioſus in interiori virtute: ut ſecundum quod ſcriptum eſt, in ſiniſtra Domini gloria ſimul & diviriæ inveniantur; divitiæ, inquam, ſalutis, cum gloria novitatis. Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus ſine omni illicita & immunda conceptus eſt voluptate? In ipſa radice & origine mea infectus & inquinatus ſum: immunda eſt conceptio mea, ſed eſt à quo tollatur iſta confuſio. Ipſe eam tollit, in quem ſolum ipſa non cadit.

Remedia ex Chriſti nativitate allata. — *1. Conceptus ſine pudore.* — *Prov. 3. 16.* — *Tom. III.*

3. Divitias ſalutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Chriſti puriſſimam conceptionem. Adde adhuc, Domine Jeſu, innova ſigna, immuta mirabilia: nam priora quidem ipſa conſuetudine viluerunt. Plane enim ſolis ortus & occaſus, terræ fœcunditas, temporum viciſſitudo, miracula ſunt, & magna miracula: ſed toties hæc vidimus, ut jam non ſit qui attendat. Innova ſigna, & immuta mirabilia. *Ecce*, ait, *nova facio omnia.* Quis hoc ait? *Agnus* utique *qui ſedebat in throno.* Agnus plane totus ſuavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod eſt Chriſtus. Cui poterit aſper aut durus videri, qui nec ipſi Matri in nativitate quidquam aſperitatis, quidquam intulit læſionis? O nova vere miracula! Conceptus fuit ſine pudore, partus ſine dolore. Mutata eſt in Virgine noſtra maledictio Evæ. Peperit enim filium ſine dolore. Mutata eſt, inquam, maledictio in benedictionem, & ſicut prædictum eſt per Angelum Gabrielem, *Benedicta tu in mulieribus.* O beata, ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta; ſola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Nec mirum, Fratres, ſi dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, ſecundum quod Iſaias ait: quia *vere languores noſtros ipſe tulit.* DUO SUNT quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor. Utrumque Chriſtus tollere venit, unde & utrumque ſuſcepit, quando (ut cetera ſilcam) morte, & morte turpiſſima condemnatus eſt ab iniquis. Itaque ut fiduciam nobis daret quod tolleret hæc à nobis, prius Matrem ſuam immunem ab utroque ſervavit: ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris exſiſteret.

Iſa. 43. 19. — *Apoc. 21. 5.* — *2. Partus ſine dolore.* — *Luc. 1. 28.* — *Iſa. 53. 4.*

4. Accumulantur adhuc divitiæ, creſcit gloria, innovantur ſigna, & miracula immutantur. Non ſolum ſine pudore conceptus, & ſine dolore partus; ſed & Mater eſt ſine corruptione. O vere novitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inviolata permanſit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore. Jam ſecurus exſpecto promiſſam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conſervata per eum eſt incorruptio etiam in Matre ſua. Facile erit ei, per quem Mater ipſa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat reſurgendo.

3. Maternitas ſine corruptione.

5. Habes tamen adhuc majores divitias, habes gloriam ampliorem. Mater eſt ſine corruptione virginitatis, Filius ſine omni labe peccati. Non cadit in matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum eſt per Prophetam: *Nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius dies vita ſuper terram.* Ecce infans ſine ſorde, ſolus inter homines verax, immo & veritas ipſa. *Ecce Agnus ſine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Quis enim peccata melius tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iſte ſine dubio lavare me poteſt, quem conſtat inquinatum non eſſe. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ ſola ſine pulvere eſt. Iſte meo feſtucam educat de oculo, qui non habet trabem in ſuo: immo iſte trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in ſuo.

4. Proles ſine omni labe peccati. — *Job 14. 4.* — *Joan. 1. 29.*

6. Vidimus certe divitias ſalutis & vitæ; vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Quæris, à quo Patre? *Et Filius Altiſſimi vocabitur.* Manifeſtum eſt quis Altiſſimus ſit. Sed ne quis remaneat locus diſſimulationis, *Quod ex te naſcetur Sanctum*, ait Angelus Gabriel ad Mariam, *vocabitur Filius Dei.* O

Luc. 1. 35. — *Pſal. 25. 35.*

Pſal. 15. 10. vere ſanctum ! Non dabis, Domine, Sanctum tuum A videre corruptionem, quod nec Matri quidem abſtulit incorruptionem. Creſcunt miracula, multiplicantur divitiæ, theſaurus aperitur. Quæ generat, & mater & virgo eſt; qui generatur, & Deus & homo eſt. Sed numquid dabitur ſanctum canibus, aut margaritæ porcis? (Mira hæc abſcondit.) Abſcondatur certe theſaurus noſter in agro, & pecunia noſtra in ſacculo reponatur. Operiatur conceptus ſine ſemine Matris deſponſatione, partus ſine (Chriſti humilitas in nativitate.) dolore vagitibus parvuli & mærore. Abſcondatur & parturientis incorruptio legali purificatione; infantis innocentia ſolita circumciſione. Abſconde, inquam, abſconde Maria, novi Solis fulgorem: pone in præſepio, involve pannis infantem. nam & ipſi panni B divitiæ noſtræ ſunt. Pretioſiores ſiquidem panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius hoc præſepe auratis Regum ſoliis; ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque theſauris. Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius invenitur, qua nimirum regnum cælorum emitur, & divina gratia acquiritur? (*Matth.* 5. 3.) ſicut ſcriptum eſt: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* (*Jac.* 4. 6.) & apud Apoſtolum: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Habes commendatam à Deo humilitatem in Nativitate. In hac enim exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.

(Caritas in paſſione.) 7. Vis adhuc pretioſiores divitias, & ſuperexcellen- C tem gloriam invenire? Habes caritatem in paſſione. (*Johan.* 15. 13.) *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hæ divitiæ ſalutis & gloria, ſanguis pretioſus, quo redempti ſumus; & crux Dominica, in qua cum Apoſtolo gloriamur. (*Gal.* 6. 14.) *Mihi autem*, inquit, *abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* (1. *Cor.* 2. 2.) Et dicebat: *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum.* Ipſa eſt læva Chriſtus Jeſus, & hic crucifixus. nam dextera quidem Chriſtus Jeſus, & hic glorioſus. *Chriſtum*, inquit, *Jeſum, & hunc crucifixum.* Fortaſſe crux ipſa nos (Chriſti crux homo.) ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam ſi manus extenderit, D exprimet manifeſtius. Loquitur autem Chriſtus in (*Pſal.* 68. 3.) Pſalmo: *Infixus ſum in limo profundi.* Limum quidem nos eſſe manifeſtum eſt, quoniam de limo plaſmati ſumus. Sed tunc quidem limus paradiſi fuimus, nunc vero limus profundi. *Infixus ſum*, inquit, non pertranſii, non receſſi. (*Matt.* 28. 20.) *Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Ipſe eſt enim Emmanuel, nobiſcum Deus. Nobiſcum utique, ſed per ſiniſtram. Sic enim olim (*Gen.* 38. 27.) Thamar pariente, Zara prius ſolam protulit manum, quæ in ſacramento Dominicæ paſſionis coccineo alligata eſt filo.

8. Itaque jam quidem tenemus ſiniſtram, ſed adhuc (*Job* 14. 15.) clamare neceſſe eſt: Operi manuum tuarum porrige E (*Pſal.* 15. 11.) dexteram. nam delectationes in dextera tua uſque in (*al.* oſtende) finem. Domine, extende * nobis dexteram, & ſufficit nobis. (*Pſal.* 111. 3.) *Gloria*, inquit, *& divitiæ in domo ejus*, utique qui timet Dominum. Sed in domo tua, Domine, (Majeſtas Chriſti in gloria.) quid? Profecto gratiarum actio, & vox laudis. (*Pſal.* 83. 5.) *Beati qui habitant in domo tua, Domine*, &c. *Oculus enim non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparaſti Deus diligentibus te.* (1. *Cor.* 2. 9.) Lux eſt enim inacceſſibilis, *pax* eſt *quæ exſuperat omnem ſenſum*; fons eſt qui aſcenſum neſcit, ſed deſcenſum. Non vidit oculus lucem inacceſſibilem, non audivit auris (*Rom.* 10. 15.) pacem incomprehenſibilem. Specioſi quidem pedes evangelizantium pacem: ſed licet in omnem terram F exierit ſonus eorum; pax tamen quæ exſuperat omnem ſenſum, nec ab ipſis quanta erat potuit capi, nedum aliorum auribus tradi. Ait enim Paulus ipſe: (*Philip.* 3. 13.) *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe.* (*Rom.* 10. 17.) *Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: ſed fides, (Pax plena & perfecta æterni vitæ reſervatur.) non ſpecies; & promiſſio, non exhibitio pacis. Et quidem pax nunc eſt etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: ſed quid eſt pax iſta ad illius plenitudinem & ſupereminentiam pacis? Unde & ipſe (*Johan.* 14. 27.) Dominus ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo* A *vobis.* Meæ ſiquidem, quæ exſuperat omnem ſenſum, & eſt pax ſuper pacem, necdum capaces eſtis: propterea do vobis patriam pacis, & relinquo interim viam pacis.

9. Sed quid eſt quod diximus, *In cor hominis non aſcendit?* Utique quia fons eſt, & aſcenſum neſcit. Scimus enim quia fontium natura eſt, rivos ſectari convallium, montium ardua declinare, ſicut ſcriptum eſt: *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ.* (*Pſal.* 103. 10.) Hoc autem eſt unde admonere ſæpius ſtudeo veſtram caritatem, quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* 4. 6.) Fons enim ad altiora non aſcendit, quàm ſit locus ejus unde procedit. B Sed videri poteſt ſecundum hanc regulam non impediri à ſuperbia vias gratiæ, præſertim quod ille primus ſuperbus, qui, ſecundum Scripturam, rex eſt ſuper (*Job* 41. 25.) omnes filios ſuperbiæ, dixiſſe non legitur, Altior ero; ſed, *Ero*, inquit, *ſimilis Altiſſimo.* (*Iſa.* 14. 14.) Attamen non mentitur Apoſtolus, *quoniam ille extollitur ſupra omne quod* (2. *Theſ.* 2. 4.) *dicitur, aut quod colitur Deus.* Horret humanus auditus (Superbia deteſtanda.) verbum: ſed utinam horreat ſimiliter animus cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis, quod non tantum ille, ſed & omnis ſuperbus extollitur ſupra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem ſuam, & ſuperbus vult fieri ſuam. Jam videtur æqualitas: ſed attende male congruam proportionem. Deus (Superbus omnia extollitur ſupra Deum.) C quidem in his tantum quæ ratio approbat, ſuam vult fieri voluntatem: ſuperbus vero & cum ratione, & contra rationem. Vides quoniam altitudo eſt, & non illuc perveniunt fluenta gratiæ. (*Matth.* 18. 3.) *Niſi converſi fueritis*, inquit, *& efficiamini ſicut parvulus iſte* (ſic autem dicit, qui eſt fons vitæ, in quo habitat & unde manat plenitudo omnium gratiarum) *non intrabitis in regnum cælorum.* Para proinde rivulos, aggeres terrenæ & elatæ cogitationis diſperge, conformare Filio hominis, non primo homini: quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis ſcilicet & terreni, non aſcendit. Oculum quoque purga, ut videre poſſis meriſſimam lucem; & aurem tuam inclina ad obediendum, ut D quandoque pervenias ad quietem perpetuam, & pacem ſuper pacem. Lux enim eſt propter ſerenitatem, pax (Beatitudo lux eſt, pax & fons.) propter tranquillitatem, fons propter affluentiam & æternitatem. Fontem aſſigna Patri, ex quo naſcitur Filius, & procedit Spiritus-ſanctus; lucem Filio, qui eſt utique candor vitæ æternæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; pacem Spiritui-ſancto, qui nimirum ſuper humilem & quietum requieſcit. Nec hoc dico, tamquam propria iſta ſint ſingulorum. nam & Pater lux eſt, ut ſit Filius lumen de lumine: & Filius pax eſt, pax noſtra, qui fecit utraque unum; & Spiritus-ſanctus fons eſt aquæ ſalientis in vitam æternam.

E 10. Sed quando ad hoc perveniemus? Quando adimplebis me, Domine, lætitia cum vultu tuo? Gaudemus in te, quoniam viſitaſti nos oriens ex alto; iterum gaudemus, exſpectantes beatam ſpem in adventu ſecundo. Sed quando veniet plenitudo lætitiæ, non de memoria, ſed de præſentia; de exhibitione, non de exſpectatione? *Modeſtia veſtra*, ait Apoſtolus, (*Philip.* 4. 5.) *nota ſit omnibus hominibus, Dominus prope eſt.* Dignum eſt enim ut modeſtia noſtra nota ſit, ſicut Domini Dei noſtri modeſtia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm ut immoderate agat homo, conſcius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modeſtus Dominus majeſtatis? *Diſcite*, (*Matt.* 11. 29.) F inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, ut poſſit etiam modeſtia veſtra innoteſcere ceteris. Jam quod ſequitur, *Dominus prope eſt*, de dextera debet intelligi. Nam de ſiniſtra ipſe loquitur: *Ecce ego vobiſcum ſum* (*Matt.* 28. 20.) *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Prope eſt Dominus, Fratres mei, nihil ſolliciti ſitis: in proximo eſt, & citius apparebit. Nolite deficere, nolite laſſari: quærite eum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt. *Prope eſt Dominus his qui tribulato* (*Pſal.* 33. 19.) *ſunt corde*: prope eſt exſpectantibus eum, exſpectantibus eum in veritate. Denique vis noſſe quàm prope

eſt ? Audi ſponſam de ſponſo canentem : Quoniam *ecce ſtat poſt parietem.* Parietem iſtum, corpus tuum intellige, quod obſtaculum impedit, ut eum qui prope eſt, nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipſe *diſſolvi cupit, & cum Chriſto eſſe.* & exclamans miſerabilius, *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Sic & Propheta in Pſalmo: *Educ*, inquit, *de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.*

Cant. 2. 9
Philip. 1. 23
Rom. 7. 24.
Pſal. 141. 8

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

SERMO QUINTUS.

In illud, *Sanctificamini hodie & eſtote parati : die enim craſtina videbitis majeſtatem Dei in vobis.*

1. CElebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile ſacramentum, jure quidem monemur, Fratres, in omni ſanctificatione præparari. Adeſt enim Sanctus ſanctorum, adeſt ipſe qui dixit : *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter.* Alioquin quomodo dabitur ſanctum canibus, & margarita porcis, niſi prius illi ab iniquitate, iſti ab illicita voluptate purgati, de cetero tota ſollicitudine fugiant, illi quidem vomitum, iſti volutabrum luti ? Suſcepturus olim divina mandata carnalis Iſrael, ſanctificabatur in juſtitiis carnis, in baptiſmatibus variis, in muneribus & hoſtiis, quæ non poterant juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem. Verum hæc quidem omnia tranſiere, nimirum uſque ad tempus correptionis impoſita, quod utique jam advenit. Opportune igitur ex hoc jam perfecta nobis indicitur ſanctificatio, interna mandatur ablutio, exigitur munditia ſpiritualis, dicente Domino : *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ad hoc vivimus, Fratres, ad hoc nati, ad hoc vocati ſumus, ad hoc nobis dies hodiernus illuxit. Erat aliquando nox, quando nemo poterat hæc operari. Erat nox in univerſo orbe ante veri luminis ortum, ante Chriſti nativitatem. Erat nox etiam ſingulis quibuſcumque noſtrum ante ſuam cujuſque converſionem, & internam regenerationem.

Levit. 19. 2.
Sanctificatio legalis & nobis.
Nunc ſpiritualis & interna neceſſaria.
Matth. 5. 8.

2. An non profundiſſima nox, & denſiſſimæ tenebræ erant ſuper univerſam faciem terræ, cum olim patres noſtri factitios colerent deos, & inſano penitus ſacrilegio ligna & lapides adorarent? An non etiam cuique noſtrum caliginoſa nox erat, cum tamquam ſine Deo in hoc ſæculo viveremus, cum ambularemus poſt concupiſcentias noſtras, cum ſectaremur carnis illecebras, cum obtemperaremus deſideriis ſæcularibus, cum exhiberemus membra noſtra arma iniquitatis peccato, cum ſerviremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc merito erubeſcimus tamquam operibus tenebrarum ? *Qui dormiunt, nocte dormiunt,* Apoſtolus ait ; *& qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.* Et hæc quidem fuiſtis, ſed excitati eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſi tamen filii lucis eſtis & filii diei, non noctis, neque tenebrarum. Siquidem præco diei eſt etiam qui clamat : *Sobrii eſtote, & vigilate.* Et Judæis loquebatur in Pentecoſte de condiſcipulis : *Quomodo hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia ?* Hoc enim eſt quod ait ejus Coapoſtolus : *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus.* Abjiciamus, inquit, opera tenebrarum, ſomnolentiam ſcilicet & ebrietatem, (quoniam, ut ſupra meminimus, qui dormiunt, nocte dormiunt : & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt) ut tamquam in die non dormitemus, ſed ambulemus : atque hoc quidem honeſte, non temulente. Vides hominem, cujus ad omne bonum dormitat anima præ tædio? in tenebris eſt uſque adhuc. Vides inebriatum abſinthio, ſapientem pluſquam oportet, non ad ſobrietatem ; cujus nec oculus viſu, nec auris impleatur auditu : qui pecuniam aut ſimile aliquid diligens, non ſatietur, longam inſtar hydropici ſitim bibens ? filius noctis eſt & tenebrarum. Nec facile ſeparantur hæc duo, dicente Scriptura : *Quoniam in deſideriis eſt omnis otioſus*, hoc eſt, in A ebrietate omnis ſomnolentus. Sanctificemur ergo hodie, & parati ſimus, parati quidem hodie nocturnum excutiendo ſoporem ; porro ſanctificati nihilo minus tamquam in die ab ebrietate nocturna, cupidinis noxiæ frenando furorem. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ, quæ ſunt, declinate à malo, & facere bonum.

Filii hujus ſæculi in nocte & tenebris degunt.
1 Theſſ. 5. 7.
1 Petr. 5. 8
Act. 2. 15.
Rom. 13. 12.
Deſideria & peccata ſunt opera tenebrarum.

3. Verum hoc hodie : nam craſtina nec in ſanctificatione erit, nec in præparatione, ſed in viſione utique majeſtatis. *Craſtina*, inquit, *die videbitis majeſtatem Dei in vobis.* Hoc eſt quod ait patriarcha Jacob : *Cras mihi reſpondebit juſtitia mea.* Hodie enim juſtitia colitur, cras reſpondebit : hodie exercetur, cras fructificabit. B Alioquin quod non ſeminaverit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit majeſtatem, qui contempſerit interim ſanctitatem : nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol juſtitiæ ortus non fuerit : nec illuceſcet ei dies craſtina, cui non luxerit hodierna. Nimirum idem ipſe, qui hodie quidem nobis factus eſt à Deo Patre juſtitia, apparebit cras vita noſtra, ut & nos cum eo appareamus in gloria. Hodie enim parvulus naſcitur nobis, ut non apponat homo magnificare ſe ipſum, ſed convertamur magis, & efficiamur ſicut parvuli : cras exhibebitur magnus Dominus & laudabilis nimis, ut ipſi quoque magnificemur in laude, cum videlicet erit unicuique laus à Deo. C Nimirum quos hodie juſtificaverit, cras magnificabit, & conſummationi ſanctitatis ſuccedet viſio majeſtatis. Nec inanis viſio, quæ non niſi in ſimilitudine conſtat : ſimiles enim ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Unde & hic quoque non ſimpliciter dicitur, *Videbitis majeſtatem Dei* : ſed additur ſignanter, *in vobis.* Hodie nimirum, tamquam in ſpeculo, nos in eo videmus, dum noſtra ſuſcipit : cras videbimus eum in nobis, quando jam ſua donabit, cum oſtendet nobis ſe ipſum, & aſſumet nos ad ſe ipſum. Hoc eſt quod tranſeuntem ſeſe miniſtraturum fore promiſit, de cujus interim plenitudine accipimus, non ſane gloriam pro gloria, ſed gratiam pro gratia, ſicut ſcriptum eſt : D *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ne ergo contemnas priora munera, ſi ſequentia concupiſcis : nec faſtidias prius edulium, ſi vis accipere quæ ſequuntur ; vel pro ipſo ferculo in quo apponitur, quod apponitur ſumere non recuſes. Ferculum enim imputribile fecit ſibi Pacificus noſter, corpus incorruptibile aptans ſibi : in quo ſalutis epulas miniſtraret. *Non dabis*, inquit, *ſanctum tuum videre corruptionem.* Illud utique de quo Gabriel ad Mariam : *Quod naſcetur*, ait, *ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Gen. 30. 33.
Per ſanctitatis tendendum ad viſionem majeſtatis.
Hodie vitam præſentem, cras futuram deſignant.
Luc. 12. 37.
Pſal. 83. 12.
Pſal. 15. 10.
Luc. 1. 35.

4. Ab hoc igitur Sancto hodie ſanctificemur, ut majeſtatem ejus, ubi dies illa adſpiraverit, videamus. Siquidem dies ſanctificatus illuxit nobis, dies ſalutis, E non gloriæ aut felicitatis. Denique donec paſſio Sancti ſanctorum annuntiatur, qui nimirum in paraſceve paſſus eſt, id eſt, in die præparationis, merito omnibus dicitur : *Sanctificamini hodie, & eſtote parati.* Sanctificamini magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo : & eſtote parati perſeverando. In quibus tamen ſanctificabimur ? Legi de quodam, dicente Scriptura : *Quoniam in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum.* Neque enim hominibus ſine lenitate, non plus quam Deo ſine fide, placere poſſibile eſt. Merito ſane in his monemur eſſe parati, quibus & Deo conveniamus, cujus majeſtatem viſuri ſumus : & nobis invicem, ut in nobis eam pariter videamus. F Propterea ſiquidem oportet nos providere bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ut non tantum Regi noſtro, ſed & concivibus & commilitonibus noſtris grati eſſe poſſimus.

Eccli. 45. 4.
Sine fide Deo placere impoſſibile, ſine lenitate hominibus.

5. Et quidem ante omnia fides quærenda eſt, de qua legitur : *Fide mundans corda eorum.* Beati enim mundo corde, quoniam ipſi majeſtatem Dei videbunt. Crede ergo te Deo, committe te ei, jacta in eum cogitatum tuum, & ipſe te enutriet ; ut fiducialiter dicas : *Dominus ſollicitus eſt mei.* Neque enim hoc ſapiunt homines amantes ſe ipſos, homines ſcioli, ſolliciti pro

Act. 15. 9.
Matth. 5. 8.
Pſal. 39. 18.
Fiducia in Deum.

TOM. III. ſe ipſis, curam carnis perficientes in deſideriis, ſurdi ad vocem dicentis: *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum: ipſi enim cura eſt de vobis.* Nam ſibi quidem ipſi fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſt: nec confidentiæ, ſed diffidentiæ magis, in ſemetipſo habere fiduciam. IS VERE FIDELIS EST, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tamquam vas perditum, ſed ſic perdens animam ſuam, ut in vitam æternam cuſtodiat eam. Porro id quidem ſola facit humilitas cordis, ut non ſibi fidelis anima innitatur: ſed deſerens ſemetipſam aſcendat jam de deſerto, innixa ſuper dilectum, atque ideo deliciis affluens.

1. Petr. 5. 7. — *Fidere in ſe perfidia eſt.*

6. Sane ut perfecta ſit ſanctificatio, etiam manſuetudinem & ſocialis vitæ gratiam à Sancto ſanctorum diſcamus oportet, ſicut ipſe ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quid enim hujuſmodi hominem dicere prohibet deliciis affluentem, qui ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ, omnibus omnia factus eſt, & univerſos perfundit oleo quodam manſuetudinis & lenitatis, quo ſic infuſus eſt, ſic perfuſus etiam & ſuperfuſus, ut ſtillare videatur undique? Felix qui gemina hac ſanctificatione paratus dicere poteſt: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Habet enim hodie quidem fructum ſuum in ſanctificationem, craſtina die finem habiturus vitam æternam. Videbit enim majeſtatem Dei, quod utique vita æterna eſt, ſicut & Veritas ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum.* Reddet ei coronam juſtitiæ juſtus Judex in illum diem, cui ſane altera non ſuccedet. Tunc videbit & affluet, & mirabitur & dilatabitur cor ipſius. Quouſque dilatabitur? Uſque ad videndam in ſe majeſtatem Dei. Nolite arbitrari, Fratres, quod illam vobis promiſſionem verbis explicare poſſimus.

Manſuetudo neceſſaria ad perfectam ſanctitatem. — *Matth. 11. 29.* — *Pſal. 56. 8.* — *Johan. 17. 3.* — B — C

7. Sanctificamini hodie, & eſtote parati: craſtina die videbitis, & gaudebitis, & gaudium veſtrum implebitur. Quid enim majeſtas illa non impleat? Etiam ſuperimplebit & ſupereffluet, quando *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros.* Uſque adeo ſiquidem ſupereffluet, ut ſupra modum in ſublimitate excedat non modo merita, ſed & vota, ſicut vere potens eſt facere ſupra quàm nos intelligere aut ſperare poſſimus. Nam deſideria quidem noſtra in tribus maxime conſtituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat. Hæc ſunt quæ concupiſcimus, omnes quidem omnia, ſed alius magis hoc, alius illud. Ille ſic deditus eſt voluptati, ut nec honeſtatem ſatis reputet, nec utilitatem: ille quæſtui magis incubans, & honeſtum diſſimulat, & jucundum: ille voluptatis pariter & utilitatis negligentior, ſolum vel maxime honorem ſectatur. Nec vero reprehenſibile deſiderium horum: ſed ſi ibi quæreremus ea, vere inveniremus. Hæc enim ubi vere ſunt, unum ſunt: atque ipſum utique ſummum bonum, ſumma utilitas, ſumma gloria, ſumma voluptas. Atque hæc quidem, quantum interim capere poſſumus, exſpectatio noſtra eſt, & promiſſa nobis viſio majeſtatis in nobis, ut Deus ſit omnia in omnibus, omne jucundum, omne utile, omne honeſtum.

Futuræ vitæ quanta bona ſeu præmia. — *Luc. 6. 38.* — *Deſideria humana in tribus.* — D — E

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI,

SERMO SEXTUS.

De annuntiatione ipſius.

1. AUditum audivimus plenum gratia, dignum acceptione: *Jeſus-Chriſtus, filius Dei, in Bethlehem Juda naſcitur.* Anima mea liquefacta eſt in ſermone iſto, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis æſtuat, jucunditatem hanc & exſultationem ſolito vobis deſiderio eructare feſtinans. JESUS interpretatur Salvator. Quid tam neceſſarium perditis, quid tam optabile miſeris, quid tam utile deſperatis? Alioquin unde ſalus, unde vel tenuis aliqua ſpes ſalutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitia hac diei & loco afflictionis, niſi nova nobis & inſperata naſceretur? At tu forte ſalutem optas, ſed curationis acerbitatem, teneritudinis pariter & ægritudinis propriæ conſcius, reformidas. Ne timeas: Chriſtus eſt ſuavis plane, & mitis, & multæ miſericordiæ, unctus oleo lætitiæ præ participibus ſuis, eis nimirum, qui licet non ipſam plenitudinem, de plenitudine tamen hujus accipiunt unctionis. Ne vero ſuavem audiens, inefficacem fore autumes Salvatorem, additur etiam Filius Dei. Qualis enim Pater, talis Filius, cui ſubeſt, cum voluerit, poſſe. Aut forſitan utilitate ſalutis & jucunditate unctionis audita, neſcio quid ſubmurmuras, puto etiam de honeſtate ſollicitus. Salvatorem tibi gratularis adeſſe, utpote jacens paralyticus in grabato, aut magis inter Jeruſalem & Jericho ſemivivus in via. Amplius autem lætaris nec durum eſſe medicum, nec gravibus uti medicinis, ne tibi forſitan intolerabilior videatur brevis ipſa curatio, quàm diuturna ægritudo. Sic nimirum, ſic utique hodie multi pereunt medicum fugientes, quod Jeſum quidem noverint, ſed Chriſtum neſciant, humano ſenſu de multitudine & malignitate morborum, paratæ ſibi medelæ moleſtiam æſtimantes.

Chriſtus qualis Salvator ſeu medicus. — F — A — B

2. Jam vero ſi certus es de Salvatore, & nihilo minus Chriſtum eſſe cognoſcis non utentem cauterio, ſed unguento; non uſtione, ſed unctione curantem: unum adhuc arbitror ingenuam poſſe movere creaturam, ne forte (quod abſit) Salvatnris hujus non ſatis condigna videatur eſſe perſona. Puto tamen, non uſque adeo ambitioſus es & gloriæ cupidus, aut zelator honoris, ut ab uno quopiam è conſervis tuis, ſi præſtare poſſet, hanc gratiam ſuſcipere detrectares. Nam ſi Angelus aut Archangelus eſſet, vel ex ſuperiori quovis ordine Spirituum beatorum, multo minus animoſitas tua, quod cauſaretur, haberet. Nunc autem tanto ampliore tibi devotione ſuſcipiendus eſt iſte Salvator, quanto differentius præ ceteris omnibus nomen hereditavit Jeſus-Chriſtus Filius Dei. Et vide ſi non evidentius hæc tria ad paſtores loquens Angelus commendavit, gaudium magnum, quod evangelizabat, exponens: *Quia*, inquit, *natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Exſultemus igitur, Fratres, in hac nativitate, & multipliciter gratulemur in ea, quam & ſalutis utilitas, & unctionis ſuavitas, & Filii Dei majeſtas tam eleganter illuſtrat, ut nihil deſit ex omnibus quæ deſiderantur, nec commodum, nec jucundum, nec honeſtum. Exſultemus, inquam, ruminantes intra noſmetipſos & invicem eructantes ſuave verbum, eloquium dulce: *Jeſus-Chriſtus, filius Dei, naſcitur in Bethlehem Judæ.*

C — D — *Luc. 2. 11.* — *In Chriſto Salvatore tria conſideranda.*

3. Nec mihi quis ad iſta reſpondeat indevotus, ingratus, irreligioſus: Non eſt hoc novum: olim auditum eſt, olim factum eſt, olim natus eſt Chriſtus. Ego enim dico, olim & ante. Nec mirabitur, olim & ante, cui propheticum illud occurrerit, *In æternum & ultra.* Natus eſt ergo Chriſtus, non modo ante hæc noſtra tempora, ſed ante tempora univerſa. Verum illa quidem nativitas poſuit tenebras latibulum ſuum, immo vero lucem magis habitat inacceſſibilem: latet in corde Patris, in monte umbroſo & condenſo. Ut ergo aliquatenus innoteſceret, natus eſt; & in tempore natus ex carne, natus in carne factum eſt Verbum caro. Quid tamen mirum ſi uſque hodie dicitur in Eccleſia, Chriſtus filius Dei naſcitur, quando tam longe antea dicebatur, haud dubium quin de ipſo, *Puer natus eſt nobis?* Olim cœpit audiri verbum hoc, & nemo Sanctorum aliquando faſtidivit. Siquidem Jeſus-Chriſtus Filius Dei, heri, & hodie, & in æternum. Hinc nimirum primus homo, omnium viventium pater, magnum eructans ſacramentum, quod in Chriſto & in Eccleſia Apoſtolus poſtmodum evidentius commendavit, *Relinquet*, ait, *homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. & erunt duo in carne una.*

E — *Exod. 15. 18.* — *Iſa. 9. 6.* — F — *Epheſ. 5. 31.* — *Gen. 2. 24.*

4. Hinc nihilo minus Abraham, pater omnium credentium, exſultavit ut videret diem hunc, & vidit, & gaviſus eſt. Alioquin quando ſervum jurantem ſibi per Deum cæli, ſub femore ſuo manum ponere præcepiſ-

Johan. 8. 56. — *Gen. 24. 2.*

ſet, niſi ipſum utique Deum cæli ex eodem naſciturum femore prævidiſſet? Hoc quoque conſilium cordis ſui homini ſecundum cor ſuum revelavit Deus, qui juravit veritatem, & non fruſtrabitur eum: *De fructu*, inquiens, *ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Unde & in Bethlehem Judæ naſcitur, ſicut ait Angelus, civitate David, utique propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum. Hoc etiam multifarie multiſque modis, ceteris revelatum eſt Patribus & Prophetis. Abſit autem ut à diligentibus Deum aliquando fuerit negligenter auditum. niſi forte negligere videbatur, qui dicebat: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es;* aut faſtidire, qui clamabat: *Utinam dirumperes cælos. & deſcenderes*, ceteraque ſimilia. Idipſum deinde Apoſtoli ſancti viderunt, & audierunt, & manus eorum tractaverunt de Verbo vitæ, quibus ſingulariter aiebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Poſtremo hoc idem nobis quoque ſervatum eſt fidelibus, otique theſauris fidei commendatum, ipſo æque dicente: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Pars noſtra hæc in verbo vitæ. Nec ſane contemptibilis, ex qua nimirum vivitur, & qua vincitur mundus: quoniam juſtus ex fide vivit, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Hæc eſt quæ velut quoddam æternitatis exemplar, præterita ſimul & præſentia ac futura ſinu quodam vaſtiſſimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.

[*Pſal.* 131. 11. — *Luc* 2. 4. — *Hebr.* 1. 1. — *Exod.* 4. 13. — Patrum ardi quorum deſideria erga Chriſtum naſciturum. — *Iſa* 64. 1. — *Matt.* 13. 16. — *Johan.* 20. 29. — *Abac.* 2. 4. — 1. *Johan.* 5. 4.]

5. Merito proinde in teſtimonium fidei veſtræ, ubi facta eſt vox annuntiationis hujus in auribus veſtris, exſultaſtis in gaudio, egiſtis gratias, poſtrati ſolo tenus adoraſtis, concurrentes, velut ſub ombra alarum ejus, & ſub pennis ejus ſperantes. Numquid non ſinguli nativitate Salvatoris audita, clamaſtis in cordibus veſtris, dicentes: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt?* Aut potius illud quod idem Propheta ait: *Deo ſubjecta eſto anima mea!* Infelix nimirum quiſquis ficte proſtratus, corde rigido corpus humiliavit. *Eſt enim qui humiliatur nequiter, interiora autem ejus plena ſunt dolo.* Quiſquis enim neceſſitatem ſuam minus conſiderat, minus ſentit incommoda, minus pericula pavet, minus devote confugit ad remedia ortæ ſalutis, minus affectuoſe ſe ſubjicit Deo, minus fideliter pſallit, *Domine refugium factus es nobis:* hujus adoratio minus accepta, hujus proſtratio minus verax, hujus humiliatio minus habens, hujus etiam victorioſa minus, immo & minus vivida fides. Quid tamen dicit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt?* Quaſi non videatur ipſum credere quodammodo jam videre. Sed adverte diligenter, cui & quando dictum ſit: ei utique, qui arguebatur, quod quia vidiſſet, crediderat. Neque enim idipſum eſt vidiſſe, & ideo crediſſe, quod credendo vidiſſe. Alioquin Abraham pater veſter, quonam modo Dominicum hunc vidiſſe diem, niſi credendo, credendus eſt? Sed & illud quomodo accipietur quod hac nocte cantatum eſt nobis: *Sanctificamini hodie, & eſtote parati: craſtina enim die videbitis majeſtatem Dei in vobis:* ſi non mente videre, eſt pia devotione repræſentare & recolere fide non ficta magnum illud magnæ pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria?

[*Pſal.* 72. 28. — *Pſal.* 61. 6. — *Eccli.* 19. 23. — *Pſal.* 89. 1. — *Johan.* 20. 29. — Majus eſt credere, quàm videre.]

6. Semper igitur novum, quod ſemper innovat mentes; nec umquam vetus, quod fructificare non ceſſat, quod in perpetuum non marceſcit. Hoc eſt enim Sanctum, quod non datur videre corruptionem. Hic novus homo, qui nullius umquam vetuſtatis capax, etiam eos, quorum inveteraverunt omnia oſſa, in veram vitæ transferat novitatem. Inde eſt, quod etiam in præſenti tam jucundiſſima annuntiatione, ſi advertiſtis, congrue ſatis dicitur non tam natus eſſe quàm naſci: *Jeſus Chriſtus, filius Dei, naſcitur in Bethlehem Juda.* Sicut enim quodam modo immolatur adhoc quotidie, donec mortem ejus annuntiamus: ſic videtur & naſci, dum fideliter repræſentamus ejus nativitatem. Die igitur craſtina videbimus majeſtatem Dei, ſed ſane in nobis, non in ſeipſo: utique majeſtatem in humilitate, virtutem in infirmitate, in homine Deum. Ipſe eſt enim Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus. Et evidentius audi: *Verbum*, inquit, *caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Denique extunc & deinceps vidimus gloriam ejus, ſed gloriam quaſi Unigeniti à Patre, utique plenum gratiæ vidimus & veritatis. Non enim gloriam poteſtatis aut claritatis, ſed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ, de qua Apoſtolus: *In laudem*, inquit, *gloriæ gratiæ ſuæ.*

[Nativitas debet ſemper nova videri. — *Johan.* 1. 14. — *Epheſ.* 1. 6.]

7. Sic ergo naſcitur. Sed ubi putas? *In Bethlehem Juda* neque enim decet nos ita Bethlehem præterire. *Tranſeamus uſque Bethlehem*, dicunt paſtores, non Bethlehem pertranſeamus. Quid enim ſi pauper viculus eſt? Quid ſi videtur minima in Judæa? Ne id quidem incongruum ei, qui cum dives eſſet, propter nos factus eſt pauper: & cum eſſet magnus Dominus & laudabilis nimis, parvulus natus eſt nobis; & dicebat: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Itemque: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cælorum.* Unde etiam ſtabulum elegit & præſepe, utique domum luteam, & diverſorium jumentorum, ut hunc eſſe ſcias, qui de ſtercore erigit pauperem, & ſalvos facit homines & jumenta.

[*Luc* 2. 15. Nativitatis locus expenſus. — *Matt.* 5. 3. — *Matt.* 18. 3.]

8. Utinam autem inveniamur & nos Bethlehem Judæ, ut in nobis quoque dignetur naſci, & audire mereamur: *Quia vobis timentibus Deum orietur Sol juſtitiæ!* Forte enim eſt hoc quod ſupra meminimus, ad videndam in nobis Domini majeſtatem & ſanctificatione opus eſſe, & præparatione. Nam & juxta Prophetam, *facta eſt Judæa ſanctificatio ejus*, quia videlicet omnia in confeſſione lavantur: & domus panis, quod Bethlehem ſonat, ad præparationem fortaſſe videbitur magnopere pertinere. Quomodo enim ille paratus eſt, ut excipere tantum hoſpitem poſſit, qui dicit: *Quia non eſt in domo mea panis?* Denique quia imparatus erat quidam, neceſſe habuit amici oſtium clauſum media nocte pulſare, & dicere: *Quia amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum. Paratum cor ejus ſperare in Domino* ait Propheta, haud dubium quin de juſto loquens. *Confirmatum eſt cor ejus, non commovebitur* Non eſt paratum cor quod non eſt confirmatum. Scimus autem, ipſo eodem teſte Propheta, quod *panis cor hominis confirmet.* Non eſt ergo paratum, ſed aridum & exſangue cor ejus, qui oblitus eſt comedere panem ſuum. Eſt autem paratus & non turbatus, ut cuſtodiat mandata vitæ, qui oblitus ea quæ retro ſunt, in ea quæ ante ſunt, ſe extendit. Vides quàm fugienda quædam, quàm ſit quædam oblivio cupienda. Neque enim totus Manaſſes Jordanem tranſiit, ſed nec totus citra ſibi elegit manſionem. Eſt qui oblitus eſt Domini creatoris ſui, & eſt qui providet eum in conſpectu ſuo ſemper, oblitus populum ſuum, & domum patris ſui. Et ille quidem cæleſtia obliviſcitur, hic vero quæ ſunt ſuper terram: iſte præſentia, ille futura: iſte quæ videntur, ille quæ non videntur: poſtremo iſte quæ ſua ſunt, ille quæ Jeſu-Chriſti. Uterque Manaſſes, uterque obliviolus; ſed alter quidem Jeruſalem, alter Babylonis oblitus: quia alter eorum quæ impediunt, & iſte paratus; alter ſane eorum magis quæ expediunt, & quæ non expedit obliviſci: atque hic penitus imparatus ad videndam in ſe Domini majeſtatem. Neque enim eſt domus panis, in qua Salvator oriatur; nun eſt Manaſſes ille cui appareat, qui Iſrael regit, & ſuper Cherubim ſedet. *Appare*, inquit, *coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe.* Ego arbitror iſtos tres eſſe qui ſalvantur, quos alius quidam Propheta Noë, Danielem, & Job nominavit: eoſdem quoque & tribus illis paſtoribus deſignari, quibus nato Angelo magni conſilii, gaudium magnum Angelus evangelizavit.

[*Malach.* 4. 2. Bethlehem moralis expoſitio. — *Pſal.* 113. 2. — *Iſa.* 3. 7. — *Luc.* 11. 6. — *Pſal.* 111. 8. — *Pſal.* 103. 16. — Oblivio quædam bona, quædam mala. — *Pſal.* 79. 2. — *Ezech.* 14. 14.]

9. Vide autem ne forte ipſi ſint & tres Magi, venientes jam non modo ab Oriente, ſed etiam ab Occidente, ut recumbant cum Abraham, Iſaac, & Jacob. Forte enim non incongrue videtur ad Ephraim quidem

TOM. III. (quod fructificationem ſonat) pertinere thuris oblationem: quod offerre incenſum dignum in odorem ſuavitatis proprium ſit eorum, quos poſuit Dominus, ut eant, & fructum afferant, id eſt Eccleſiæ Prælatorum. Nam & Benjamin, filius dexteræ, offerat neceſſe eſt aurum, id eſt ſubſtantiam hujus mundi, ut videlicet fidelis populus, in parte dextera conſtitutus, à Judice mereatur audire: Quia *eſurivi, & dediſtis mihi manducare*, &c. Porro, Manaſſes (ſi tamen is eſſe voluerit cui appareat Deus) myrrham offerat mortificationis, quam quidem à noſtra ſpecialiter arbitror profeſſione requiri. Et hæc dicta ſint, ne ad eam partem tribus Manaſſe, quæ citra Jordanem ſubſtitit, pertineamus, ſed obliviſcamur magis ea quæ retro ſunt, B extenti & intenti ad anteriora.

Matth. 25. 35.

10. Nunc vero redeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Domus panis eſt, ut jam diximus: bonum eſt nos illic eſſe. Ubi enim fuerit Verbum Domini, non deeſt utique panis qui confirmet cor, dicente Propheta: *Confirma me in verbis tuis.* Nimirum in verbo quod procedit de ore Dei, vivit homo; vivit in Chriſto, vivit in eo Chriſtus. Ibi oritur, ibi apparet: nec omnino amat cor titubans aut vacillans, ſed ſtabile & confirmatum. Si quis murmurat, ſi quis hæſitat, ſi quis nutat, ſi quis cogitat revolvi in lutum, redire ad vomitum, deſerere C votum, mutare propoſitum ſuum; non eſt Bethlehem iſte, non eſt domus panis. Sola enim fames, & fames valida, in Ægyptum eum deſcendere, porcos paſcere, ſiliquas eſurire compellit, utpote procul agentem à domo panis, à domo patris: in qua etiam mercenarii panibus abundare noſcuntur. Non ergo in hujuſmodi corde naſcitur Chriſtus, cui deeſt fidei fortitudo, utique panis vitæ, Scriptura teſte, *Quoniam juſtus ex fide vivit*, quod videlicet animæ vera vita (quæ ipſe eſt) nonniſi per fidem interim habitet in cordibus noſtris. Alioquin quomodo in illo naſcitur Jeſus, quomodo ſalus oritur illi, quandoquidem vera omnino certaque ſententia eſt, quod is tantum D *qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit?* Nam quod minime inveniatur in eo Chriſtus, nec de eis ſit quibus dicitur, *Quia unctionem habetis a ſancto*; ex eo vel maxime conſtat, quod ſine dubio etiam aruit cor illius, ex quo oblitus eſt comedere panem ſuum. Multo minus autem ad Filium pertinet Dei, qui hujuſmodi eſt, quod non niſi ſuper quietum, & humilem, ac trementem verba ſua requieſcat Spiritus ipſius, nec ſit ulla ſocietas æternitati, & tantæ mutabilitati; ei qui eſt, & ei qui numquam in eodem permanet ſtatu. Ceterum quamlibet firmi, quamlibet fortes in fide, quamlibet parati, quàmlibet panibus abundantes, ipſo quidem largiente, cui quotidie orantes dici- E mus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; neceſſe habemus addere conſequenter, *Dimitte nobis debita noſtra*. Alioquin *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Nimirum Veritas ipſe eſt, qui non ſimpliciter in Bethlehem, ſed in Bethlehem Judæ naſcitur, Jeſus-Chriſtus, Filius Dei.

Pſal. 118. 28 · Chriſtus non amat cor titubans, ſed ſtabile. · *Abac. 2. 4.* · *Matt. 10. 22* · *1. Joan. 2. 20.* · *Iſa. 66. 2.* · Nemo tam perfectus quin egeat hac remiſſione · *Matt. 6. 11.* · *1. Joan. 1. 8.*

11. Præoccupemus igitur faciem Domini in confeſſione, ut ſanctificati pariter & parati inveniamur & nos Bethlehem Judæ, atque ita naſcentem Dominum videre mereamur in nobis. Ceterum ſi qua anima eo uſque profecerit (quod quidem eſt multum ad nos) ut ſit fœcunda virgo, ſit ſtella maris, ſit plena gratia, F & ſupervenientem habens in ſe Spiritum-ſanctum; puto quod non modo in ea, ſed ex ea quoque non dedignabitur naſci. Nemo ſane id ſibi arrogare præſumat, niſi quos ipſe ſpeciali deſignatione tamquam digito monſtraverit, dicens: *Ecce mater mea, & fratres mei.* Enimvero audi unum ex iſtis: *Filioli mei*, ait, *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Si enim naſci videbatur in eis, cum formabatur Chriſtus in eis; quomodo non etiam ab eo ſimiliter naſci eum dicere quis præſumat, qui in ipſis quodammodo A parturiebat? Et tu quidem, impia Synagoga, hunc nobis filium peperiſti, officio quidem matris, ſed non matris affectu. Excuſſiſti eum de ſinu tuo, extra civitatem ejiciens, & elevans ſuper terram, tamquam dicens Eccleſiæ gentium, pariter & Eccleſiæ primitivorum quæ eſt in cælis: Nec mihi, nec vobis ſit, ſed dividatur. Dividatur, inquam, non inter utraſque, ſed ab utriſque. Expulſum enim, & exaltatum, & elevatum, & quidem modice ſatis, tamen ut nec in tuis eſſet mœnibus, nec in terra, ferro undique coarctaſti, ne forte vel hac, vel illac excederet: ut videlicet à te ſeparatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirum mater ita abortivum facere voluiſti, dum non B eſſet qui excipere poſſet excuſſum. Age ergo, quid profeceris, immo quàm nihil profeceris intuere. Undique enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronaſti eum. Relinquens matrem adhæret uxori ſuæ, ut ſint duo in carne una; & civitate pulſus, atque exaltatus* à terra, omnia trahit ad ſe, quippe qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula, Amen.

Chriſtus in quibus naſcatur. · *Matt. 12. 49.* · *Gal. 4. 19.* · Synagoga Chriſtum occidit, ſed abjecit. · * al. levatus

IN NATIVITATE DOMINI

SERMO PRIMUS,

De fontibus Salvatoris.

1. GRandis quidem eſt, dilectiſſimi, hodierna Dominicæ Nativitatis ſollemnitas: ſed dies brevis cogit breviare ſermonem. Nec mirum, ſi facimus nos breve verbum, quando & Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis noſſe quàm longum, quam breve fecit? *Cælum*, inquit hoc Verbum, *& terram ego impleo.* Nunc caro factum, in anguſto locatum præſepio eſt. *A ſæculo*, ait Propheta, *& in ſæculum tu es Deus*: & ecce factus eſt infans diei unius. Ad quid hoc, Fratres, aut quæ neceſſitas fuit, ut ſic exinaniret, ſic humiliaret, ſic abbreviaret ſe Dominus majeſtatis, niſi ut vos ſimiliter faciatis? Jam clamat exemplo, quod D poſtmodum prædicaturus eſt verbo: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde.* ut verax inveniatur qui dicit: *Cœpit Jeſus facere, & docere.* Obſecro proinde & plurimum rogo, Fratres, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplar vobis exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & renovamini ſpiritu mentis veſtræ. Studete humilitati, quæ fundamentum eſt cuſtoſque virtutum: ſectamini illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare ſe ſuper terram? INTOLERABILIS impudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſ- E tas, vermiculus infletur & intumeſcat.

Jerem. 23. 24. · *Pſal. 89. 2.* · *Matt. 11. 29.* · *Act. 1. 1.* · Humilitas, exemplo Verbi incarnati ſectanda.

2. Hoc igitur eſt propter quod exinanivit ſe formam ſervi accipiens, qui in forma Dei Patri æqualis erat: ſed exinanivit majeſtate & potentia, non bonitate & miſericordia. Quid enim ait Apoſtolus? *Apparuit*, inquit, *benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Apparuerat ante potentia in rerum creatione, apparebat ſapientia in earum gubernatione: ſed benignitas miſericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis poteſtas in ſignis atque portentis, unde & in ea lege ſæpius invenies: *Ego Dominus, Ego Dominus.* Philoſophis quoque abundantibus in ſenſu ſuo majeſtas innotuit, quoniam juxta Apoſtoli verba, *quod* F *notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Verumtamen & Judæi poteſtate ipſa premebantur, & Philoſophi ſcrutatores majeſtatis opprimebantur à gloria. Poteſtas ſubjectionem, majeſtas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas, cui poſſit homo, qui ad imaginem tuam creatus eſt, conformari. nam majeſtatem, poteſtatem, ſapientiam, nec imitari poſſumus, nec expedit æmulari. Quouſque anguſta eſt miſericordia tua in ſola Angelorum parte, reliquam occupat judicium cum toto pariter humano genere? *Domine, in cælo miſericordia tua, & veritas tua*

Tit. 3. 4. · Miſericordia Dei in myſterio incarnationis apparuit. · *Rom. 1. 19.* · *Pſal. 35. 6.*

uſque ad nubes, terram univerſam condemnans, & aereas poteſtates. Dilatet miſericordia terminos ſuos, extendat funes, expandat ſinus, attingat à fine uſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuaviter. Reſtrictus eſt, Domine, judicio ſinus tuus; ſolve cingulum tuum, & veni miſerationibus affluens, & ſupereffluens caritate.

[illegible] quianra ho-mi[illegible] unde conſpienda

3. Quid tu times, ô homo? quid trepidas à facie Domini, quia venit? Venit non judicare, ſed ſalvare terram. Olim tibi perſuaſum eſt ab infideli quodam ſervo, ut furtim tolleres & imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehenſus in furto, quidni timeres? quidni fugeres à facie ejus? Forte enim jam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exſilio poſitus, in ſudore B vultus tui veſceris pane tuo: & ecce vox audita eſt in terra, quia Dominator advenit. Quo ibis a ſpiritu ejus, & quo a facie ejus fugies? Noli fugere, noli timere. Non venit cum armis; non puniendum, ſed ſalvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc, *Vocem tuam audivi, & abſcondi me*: ecce infans eſt, & ſine voce. Nam vagientis vox magis miſeranda eſt, quàm tremenda: aut ſi cui forte terribilis, ſed non tibi. Parvulus factus eſt, tenera membra Virgo Mater pannis alligat: & adhuc timore trepidas? Vel in hoc ſcies quia non venit perdere te, ſed ſalvare; eripere, & non ligare. Jam adverſus hoſtes tuos dimicat, jam ſuperborum & ſublimium colla tamquam Dei virtus & C ſapientia calcat.

Gen. 3. 10.

Hoſtes duos hominis Chriſtus profligat.

4. Duo ſunt tibi hoſtes, peccatum & mors, id eſt, mors corporis & animæ. Utrumque debellaturus advenit, & ab utroque ſalvabit te: noli timere. Et jam quidem peccatum in propria perſona vicit, quando humanam naturam ſine ulla contagione ſuſcepit. Grandis enim peccato facta eſt violentia, & revera expugnatum eſſe cognoſcitur, quando natura, quam ſe totam infeciſſe & occupaſſe gloriabatur, ab eo penitus aliena in Chriſto inventa eſt. Dehinc perſequitur inimicos tuos, & comprehendit eos; nec convertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in converſatione ſua, verbis pariter & exemplis oppugnat; ſed D in paſſione ſua alligat illud, alligat plane fortem, & diripit vaſa ejus. Jam vero eodem ordine mortem quoque ſuperat prius in ſeipſo, cum reſurgit primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum: poſtmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet ſuſcitabit mortalia corpora noſtra, & deſtruetur noviſſima inimica mors. Propterea enim reſorgens decorem indutus eſt, non (ſicut antea naſcens) pannis involutus eſt. Propterea qui prius ſinu miſericordiæ affluebat non judicans quemquam, reſurgens præcinxit ſe, & juſtitiæ cingulo videtur quodammodo effluentem ſinum miſericordiæ collegiſſe: quoniam ex tunc præparatur ad judicium, quod in noſ- E tra reſurrectione futurum eſt. Nam & propterea parvulus antea venit, ut miſericordiam prærogaret; & futurum in fine judicium præcurrens, miſericordia temperaret.

Peccatum & mortem.

Tit. 3. 5. Fontes quinque Salvatoris. 1. Fons miſericordiæ.

5. Licet enim parvulus ad nos venerit, non parum tamen attulit, non parum contulit nobis. Si quæris quid attulit: primo omnium attulit miſericordiam, ſecundum quam, teſte Apoſtolo, *ſalvos nos fecit*. Neque enim is tantum profuit, quos tunc præſens invenit; ſed fons eſt, qui numquam poterit exhauriri. Fons nobis eſt Chriſtus Dominus unde lavemur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris*. F Verumtamen non iſte ſolus aquarum eſt uſus; nec tantum ſordes abluunt, ſed & ſitim exſtinguunt. *Beatus vero*, ait Sapiens, *qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia meditabitur*. & poſt pauca: *Aqua*, inquit, *ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Bene *ſapientia ſalutaris*, quoniam ſapientia carnis mors eſt, & ſapientia mundi etiam ipſa inimica eſt Deo. Sola quæ ex Deo eſt ſapientia ſalutaris eſt, quæ ſecundum beati Jacobi definitionem *primum pudica, deinde pacifica eſt*. Nam ſapientia carnis voluptuoſa eſt, non pudica: ſapientia mun- A di tumultuoſa eſt, non pacifica. Sapientia vero quæ ex Deo eſt, primum pudica eſt, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti, ut non ſuam quiſque faciat voluntatem, ſed conſideret quæ ſit voluntas Dei: deinde pacifica, non abundans in ſuo ſenſu, ſed alieno magis acquieſcens conſilio vel judicio.

Apoc. 1. 5.

Eccli. 14. 22. 2. Fons ſapientiæ.

Jacob. 3. 17.

Tom. III.

[illegible] ejus à ſapientia carnis & mundi.

Fons gratiæ ſeu devotionis.

6. Tertius aquarum uſus eſt irrigatio, quam profecto maxime neceſſariam habent novellæ plantationes: alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ ſiccitate. Quærat ergo devotionis aquas, quiſquis ſeminaverit bonorum operum ſemina: ut irrigatus fonte gratiæ, bonæ converſationis hortus non areſcat, ſed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro hu- B juſmodi Propheta: *Et holocauſtum tuum*, inquiens, *pingue fiat*. Sic & in laudibus Aaron legis, quoniam ſacrificium ejus quotidianus ignis abſumpſit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, niſi ut bona opera fervore devotionis & dulcedine ſpiritualis gratiæ condiantur. Putas inveniri poterit quartus fons, ut paradiſum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœniſſimum? Nam ſi terrenum paradiſum denuo nobis reddendum non ſperamus, quomodo regnum cælorum ſperabimus? *Si terrena*, inquit, *dixi vobis & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Nunc autem ut de exhibitione præſentium firma ſit exſpectatio futurorum: paradiſum habemus multo C meliorem, & longe delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradiſus noſter Chriſtus Dominus eſt. In quo tres quidem fontes jam invenimus: quartum quæramus. Habemus de fonte miſericordiæ ad diluendas culpas, aquas remiſſionis: habemus de fonte ſapientiæ ad potandam ſitim noſtram, aquas diſcretionis: habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas devotionis: quæramus ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt, & decoquunt affectiones noſtras, & ebulliunt de fonte caritatis. Unde ait Propheta: *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis*. Alibi quoque, *Zelus*, inquit, D *domus tuæ comedit me*. Siquidem ex dulcedine devotionis diligens juſtitiam, ex fervore æmulationis odio habet iniquitatem. Et vide ne forte de fontibus iſtis prædixerit Iſaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Nam ut promiſſionem hanc vitæ præſentis eſſe noveris, non futuræ, illud attende quod ſequitur. *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus*. Invocatio quippe præſentis temporis eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Invoca me in die tribulationis*.

Pſal. 19. 4.

Joan. 3. 12.

4. Fons caritatis ſeu æmulationis.

Pſal. 38. 4.

Pſal. 68. 10.

Iſa. 12. 3.

Iſa. 12. 4.

Pſal. 49. 15.

7. Porro ex his quatuor [a] fontibus, tres quidem proprie convenire videntur tribus Eccleſiæ ordinibus, ſinguli ſingulis. Nam primus quidem communis eſt omnibus. In multis enim offendimus omnes: & neceſſa- E rium habemus miſericordiæ fontem ad diluendas offenſionum ſordes. *Omnes*, inquam, *peccavimus, & egemus gloria Dei*. Et Prælati, & continentes, & conjugati, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. Quia ergo nemo mundus à ſorde, neceſſarius eſt omnibus fons miſericordiæ, & pari voto debent ad hunc fontem Noë, Daniel & Job properare. De cetero quidem Job maxime ſapientiæ fontem quærat: quoniam ipſe magis inter medios laqueos ambulat, ita ut magnum videatur, ſi à malo declinat. Danieli vero currendum eſt ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentiæ opera & labores abſtinentiæ devotionis gratia neceſſe eſt impinguare. Oportet enim ut F nos maxime in hilaritate omnia faciamus: *quoniam hilarem datorem diligit Deus*. Nam & terra noſtra nequaquam fertilis eſt hujuſmodi ſeminis, bonæ ſcilicet converſationis: ideoque facile exareſcet, niſi crebris irrigationibus adjuvetur. Unde & in oratione Dominica hujuſmodi gratiam ſub quotidiani panis nomine poſtulamus. Merito ſane, ne forte cadat ſuper nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur exaruit*. Fons vero æmulationis Noe convenit

Eccleſiæ tribus ordinibus hæc apta.

Rom. 3. 23.

1 Joan. 1. 8. V. Serm. 35. de diverſ.

2. Cor. 9. 7.

Pſal. 128. 6.

[a] Confer ſermonem 96. de diverſis, ubi hos fontes aliter explicat.

Tom. III. ſpecialiter, quia maxime Prælatos decet hic zelus.

5 Fontes vitæ. 8. Quatuor itaque fontes iſtos adhuc in carne viventibus nobis in ſemetipſo Chriſtus exhibet: quintum, qui eſt fons vitæ, poſt hoc ſæculum repromittens, ad quem ſitiebat Propheta cum diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* (Pſal. 41. 2.) Et fortaſſis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus eſt Chriſtus adhuc vivens in cruce: propter quintum, cum jam tradidiſſet ſpiritum, transforatus eſt in latere. Vivebat adhuc, quando foderunt ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus, quatuor fontes ex ſeipſo proferret: quintum pertulit vulnus cum jam expiraſſet, ut in ſe nihilo minus quintum nobis fontem poſt obitum aperiret. Sed ecce dum loquimur de myſ- B teriis Nativitatis, ad ſcrutanda repente devenimus ſacramenta Dominicæ Paſſionis. Nec mirum tamen ſi quærimus in Paſſione, quid in Nativitate ſua Chriſtus attulerit. Tunc enim conſciſſo ſacco pecuniam quæ latebat, in pretium noſtræ redemptionis effudit.

IN NATIVITATE DOMINI,

Sermo secundus.

De tribus præcipuis Dei operibus, & triplici commixtione.

Pſal. 110. 2. Opera Domini magna. 1. *MAgna opera Domini*, ait propheta David. Magna quidem omnia opera ejus, Fratres, ſiqui- C dem magnus & ipſe: ſed ad nos maxime ſpectant, quæ in eis maxima eſſe videntur. Hinc eſt quod pſallit idem Propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiſcum.* (Pſal. 125. 3.) Denique quàm magnifice nobiſcum agat, ſpecialiter tria quædam ejus opera clamant; primæ noſtræ Creationis, præſentis Redemptionis, futuræ Glorificationis. (Tria præcipue, Creationis, Redemptionis, & Glorificationis.) Quam magnificata ſunt in ſingulis opera tua Domine! Tuum eſt virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipſa ſaltem opera non ſilemus. Triplicem, Fratres, commixtionem in his tribus conſiderare eſt cæleſtis plane operis, & divinæ virtutis. (In primo conjungit corpus animæ.) Nam in primo opere conditionis noſtræ de limo terræ plaſmavit hominem Deus, & inſpiravit in D faciem ejus ſpiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cujus notum ſic conglutinantur ſibi limus terræ, & ſpiritus vitæ! Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cælum & terram: at ſpiritus ſane non communem, ſed propriam habet conditionem; nec in maſſa creatur, ſed ſingulari quadam excellentia inſpiratur. Agnoſce, ô homo, dignitatem tuam, agnoſce gloriam conditionis humanæ. Eſt enim tibi com mundo corpus. ſic enim decet eum qui conſtitutus eſt ſuper univerſam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei ſimilari ex parte. Sed eſt tibi etiam ſublimius aliquid, nec omnino comparandus es ceteris creaturis. Compacta & con- E fœderata ſont in te caro & anima; illa plaſmata, hæc inſpirata.

2. Sed cujus intereſt hæc commixtio? cui hac unione præſtatur? Etenim juxta ſapientiam filiorum hujus ſæculi, ubi ſociantur ſummis inferiora, prævalent qui poteſtatem habent, & humilioribus utuntur pro libito ſuo. Conculcat fortior minus fortem, ridet ſapiens indoctum, ſimplicem fallit aſtutus, potens deſpicit imbecillem. Non ſic in opere tuo Deus, non ſic in tua commixtione; non ad hoc ſociaſti ſpiritum limo, ſublimem humili, dignam & excellentem creaturam abjectæ & inutili maſſæ. Quis non videat, Fratres, quantum corpori præſtet anima? numquid non F truncus eſſet inſenſibilis caro inanimata? (Anima quantum præſtet corpori.) Ab anima enim pulcritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas viſus & ſonus vocis: denique ſenſus omnis ab anima eſt. Caritatem mihi conjunctio iſta commendat, caritatem in hac ipſa conditionis propriæ pagina lego: caritatem in ipſo ſtatim principio non ſolum prædicat, ſed ingerit mihi manus benigniſſima Creatoris.

(Conjunctio hæc fraude diaboli diſſipata eſt.) 3. Et quidem magna hæc conjunctio, dilectiſſimi, ſed ſi ſtabilis permanſiſſet. Nunc autem licet divino A fuerit munita ſigillo, (ad imaginem quippe & ſimilitudinem ſuam creavit Deus hominem) heu! diruptum eſt ſigillum, & unitas diſſipata. Accedens peſſimus ille latro recens adhuc ſigillum fregit: & ſic mutata ſimilitudine divina, comparatus eſt miſer homo jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. (Pſal. 48. 13.) Rectum quippe fecit Deus hominem: atque hæc ſimilitudo ejus, de quo ſcriptum eſt, *quia rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* (Pſal. 91. 16.) Veracem quoque & juſtum fecit eum, ſicut & ipſe veritas & juſtitia eſt: nec unitas ipſa poſſet disjungi, dum ſigilli hujus integritas permaneret. Verum ſupervenit falſarius, qui indoctis ſigillum promittens melius, væ, væ! fregit quod erat manu di- B vinitatis impreſſum. *Eritis*, inquit, *ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* (Gen. 3. 5.) O malevole! ô maligne! ad quid eis hujus ſimilitudo ſcientiæ? Sint certe ſicut dii, recti, juſti; veraces ſint, ſicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe ſigillo ſtante, ſtabit unitas illa. Jam experimur miſeri, quid nobis perſuaſerit verſutia diabolicæ fraudis. Fracto namque ſigillo, ſequitur amarum diſcidium, triſte divortium. Ubi eſt quod dixiſti nequam, *Nequaquam moriemini!* Ecce enim morimur omnes, & non eſt homo qui vivat, & non videat mortem.

(In ſecundo conjungit Verbum humanitati.) 4. Sed quid erit, Domine Deus? Numquamne reparabitur opus tuum, & qui ceciderit non adjiciet ut C reſurgat? Non eſt qui reficiat, niſi qui fecit. Itaque propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus: ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo. Nihil ſiquidem proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Novam, inquit, ego facio commixturam; ubi & expreſſius, & robuſtius pono ſigillum, eum, qui non ad imaginem meam factus eſt, ſed eſt ipſa imago, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ, non factus, ſed genitus ante ſæcula. Et ne forte timeas eſſe frangendum, audi Prophetam: *Aruit*, inquit, *tamquam teſta virtus mea*, (Pſal. 21. 16.) ſed talis teſta, cui nec ipſe malleus univerſæ terræ nocere ullo modo poſſit. Sane cum prima ex duo- D bus facta ſit, ſecunda jam conjunctio fit ex tribus, ut diſcas ex hoc ipſo ad ſacramentum accedere Trinitatis. Verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat; anima, quæ de nihilo creata eſt, & ante non erat; caro de maſſa corruptionis ſine corruptione aliqua divino ſegregata artificio, qualis nulla jam caro erat; vinculo indiſſolubili in perſonæ coëunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: (Potentia triplex genus in myſterio Incarnationis.) quod non erat, creatum; quod perierat, reparatum. Quod ſuper omnia erat, paulo minus ab Angelis minoratum. Hæc ſunt evangelica illa ſata farinæ, quæ pariter fermentantur, (Matt. 13. 21.) ut ſit panis Angelorum quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedic- E ta in mulieribus, in cujus caſtis viſceribus, ſuperveniente igne ſancti Spiritus, coctus eſt panis iſte *. (* al. vitæ.) Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria ſata immiſit fidei ſuæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, & ut ait Elizabeth, *Beata quæ credidit, quoniam perfecta ſunt in ea quæ dicta ſunt ei a Domino.* (Luc. 1. 45.) Nec mireris, quod fide ejus mediante unitum dixerim Verbum carni, (Mariæ fide mediante.) quandoquidem & carnem ipſam de ejus carne ſuſcepit. Sane ne hoc quidem præſenti expoſitioni obviare poteſt, quod de cæleſtis regni dicitur ſimilitudine. Neque enim indignum videtur, ſi cælorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.

(Unio Chriſti cum ſocia.) 5. Hujus itaque vinculum unionis nulla omnino ſolvere F poterit creatura: ſiquidem nec princeps hujus mundi habet in eo quidquam, nec ipſe Johannes ſolvere dignus eſt corrigiam calceamenti. Quid tamen? Solvatur certe aliquatenus neceſſe eſt: alioquin quod diſſolutum eſt, non reſolidatur. Panis integer, theſaurus abſconditus, ſapientia occulta, quæ utilitas in his omnibus? Merito flebat Johannes non inveniri qui (Apoc. 5.) aperiret librum, & ſolveret ſignacula ejus: dum enim clauſus ſtaret, nemo ex nobis divinam illam attingere ſapientiam prævaleret. Aperi tu librum, Agne Dei, vera manſuetudo. Fodiendas expone Judæo manus

manus tuas & pedes, ut qui in eis latet procedat theſaurus ſalutis, & copioſa redemptio. Frange denique eſurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui ſolus, ut confracta ſolides, ſtare potes: & in ipſa confractione ſolus poteſtatem habes ponendi animam, cum volueris, reſumendam. Tua igitur miſeratione ſolvatur aliquatenus hoc templum, ſed non penitus diſſolvatur. Separetur ab anima caro, ſed Verbum ſane & carnis ſervet incorruptionem, & animæ plenam conferat libertatem: ut ſola inter mortuos libere agat, educens vinctos de domo carceris, ſedentes in tenebris & umbra mortis. Ponat anima ſancta carnem immaculatam, ſed reſumendam tertia die: ut moriens mortem perimat, & vita hominum cum reſurgente reſurgat. Ita factum eſt, dilectiſſimi, & ita factum eſſe gaudemus. Morte illa mors mortua eſt, & regenerati ſumus in ſpem vitæ per reſurrectionem Jeſu-Chriſti ex mortuis.

Chriſtus ... mortuus [margin]

6. Jam quid futurum ſit in unione tertia, quis loquetur? *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Conſummatio erit illa, cum tradiderit Chriſtus regnum Deo & Patri: & erunt duo non jam in carne una, ſed in ſpiritu uno. Etenim ſi adhærens carni Verbum, factum eſt caro: multo magis qui adhæſerit Deo, unus ſpiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione, media humilitas exhibetur, & humilitas magna nimis: in ea vero quam exſpectamus, ad quam ſuſpiramus, perfecta nobis (ſi tamen nobis) repoſita glorificatio eſt. Quod ſi meminimus in prima conjunctione, qua ex anima & carne compactus eſt homo, caritatem commendari; merito humilitas eminet in ſecunda, quia SOLA VIRTUS humilitatis eſt læſæ reparatio caritatis. Porro quod unitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omnino non eſt humilitati adſcribere: ſiquidem non ex deliberatione propria carni miſcetur, ſed creando immittitur, immittendo creatur. Non ſic ſane ſummus ille Spiritus, qui cum eſſet magis bonus, ipſo beneplaciti ſui arbitrio acceſſit ad corpus incoinquinatum. Merito denique caritatem & humilitatem ſequitur glorificatio, qua ſine caritate nihil prodeſſe poteſt; & nemo, niſi qui ſe humiliat, exaltabitur.

1. Cor. 2. 9. Tertia conjunctio fiet in glorificatione. [margin]

Luc. 14. 11. [margin]

IN NATIVITATE DOMINI,

SERMO TERTIUS.

De loco, tempore, & aliis circumſtantiis Nativitatis.

1. DUo[a] quædam rerum genera, Fratres, in hac Nativitate Domini conſidero, non ſolum diverſa, ſed & diſſimilia valde. Siquidem & Puer qui naſcitur, Deus eſt: & Mater de qua naſcitur, virgo eſt: & partus ipſe ſine dolore eſt. Fulget in tenebris lux nova de cælo, gaudium magnum Angelus evangelizat: laudat multitudo cæleſtis militiæ; datur gloria Deo, pax hominibus bonæ voluntatis: currunt paſtores, inveniunt quod ad eos dictum eſt verbum, nuntiant aliis: quicumque audiunt, admirantur. Hæc & his ſimilia, dilectiſſimi, divinæ virtutis ſunt, non fragilitatis humanæ. Vaſa ſunt aurea & argentea, quibus pro tanta ſollemnitate in menſa Domini etiam egenis quibuſque hodie miniſtratur. Non eſt nobis tollere iſta, non nobis datur aureus diſcus aut ſcyphus, ſed qui in eis eſt cibus & potus. *Diligenter conſidera*, ait Sapiens, *quæ tibi apponuntur.* Et ego certe agnoſco mea eſſe Nativitatis hujus tempus & locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus & lacrymas; ſed & ipſorum quibus primo annuntiatur nativitas Salvatoris, paupertatem paſtorum atque vigilias. Mea ſunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hieme natus eſt, nocte natus eſt Chriſtus. Numquid credimus caſu factum, ut in tanta aëris inclementia, & in tenebris naſceretur, cujus eſt hiems & æſtas, dies & nox? Non eligunt parvuli ceteri quando naſcantur: quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere, nullus ſubeſt rationis uſus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Chriſtus, Fratres, etſi homo non[b] erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat, ejuſdem, cujus nunc eſt, ſapientiæ & poteſtatis utpote Dei virtus, & Dei ſapientia. Naſciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod moleſtius eſt, præſertim parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præſepe ad reclinandum. Et certe cum eſſet tanta neceſſitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis veſtitur tunicis, pannis ſecundus obvolvitur. Non eſt tale judicium mundi: aut iſte fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impoſſibile eſt ſapientiam. Merito proinde & *carnis prudentia* (mors ſiquidem & ipſa) *inimica eſt Deo*; & ſæculi quoque prudentia ſtultitia nominatur. Quid enim? Chriſtus utique, qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tamquam à ſeductore cavendum.

Prov. 23. 1. Nativitatis circumſtantiæ ad mores. [margin]

Tom. II. [margin]

Chriſtus ... tempus ... moleſtius [margin]

Pelles improbat. [margin]

1. Cor. 3. 19. [margin]

2. Jam vero etiam nocte voluit naſci. Ubi ſunt qui tam impudenter oſtentare geſtiunt ſemetipſos? Chriſtus eligit quod ſalubrius judicat: vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cujus judicium juſtius? Cujus ſententia ſanior? Denique jacet Chriſtus, non ſe extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cæleſtis exercitus. Et tu ergo qui Chriſtum ſequeris, inventum abſconde theſaurum. AMA NESCIRI, laudet te os alienum, ſileat tuum. Adhuc autem in ſtabulo naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur. Et nonne ipſe eſt qui dicit: *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus?* Quid ergo ſtabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, & quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant: ipſa quoque infantilia membra non ſilent. In omnibus mundi judicium arguitur, ſubvertitur, confutatur. Quis enim hominum, ſi daretur optio, non magis eligeret robuſtum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem? O Sapientia, quæ de occultis traheris! ô vere incarnata & velata Sapientia! Et tamen, Fratres, ipſe eſt promiſſus olim per Iſaiam parvulus, ſciens reprobare malum, & eligere bonum. MALUM ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio eſt: ſiquidem & hanc eligit, & illam reprobat Puer ſapiens, Verbum infans. Verbum enim caro factum eſt, & caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens, omnis operis, omnis laboris impatiens.

Chriſtus nocte naſcens docet oſtentationem fugiendam. [margin]

Pſal. 49. 12. Stabulum damnat mundi vanitatem. [margin]

Iſai. 7. 5. [margin]

3. Et vere, Fratres, Verbum factum eſt caro, & ſic habitavit in nobis. Dum eſſet in principio apud Deum, lucem habitabat inacceſſibilem, & non erat qui caperet illud. Quis enim inveſtigavit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Carnalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſed jam capiat & carnalis, quia Verbum factum eſt caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum eſt: audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur Sapientia: illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, & ipſis ſeſe ingerit ſenſibus carnis tuæ. Carnaliter (ut ita dixerim) prædicatur tibi: Fuge voluptatem, quia poſita eſt mors[c] ſecus introitum delectationis; age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat ſtabulum iſtud, hoc præſepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeſte loquuntur, hoc lacrymæ & vagitus evangelizant. Plorat quippe Chriſtus, ſed non ſicut ceteri, aut certe non quare ceteri ſolent. In aliis ſenſus, in Chriſto prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipſius adhuc uſum voluntatis habentes.

1. Tim. 6. 16. Iſa. 40. 13. 1. Cor. 2. 14. [margin]

Matt. 3. 2. [margin]

Chriſti lacrymæ & vagitus docent fugam voluptatum. [margin]

a In mſ. gallico Fuliensium legitur *tria*, & rectius.

b Alii deeſt particula *non*, ſed retinenda omnino, ut ſit ſenſus Chriſtum non fuiſſe hominem ante hanc nativitatem, ſed tantum Deum.

c Auctor ſermonis 292. in Appendice novæ editionis S. Auguſtini num. 1 tamquam ex Scriptura adducit hunc locum, qui in Regula S. Benedicti totidem verbis refertur cap. 7. de humilitate gradu 1.

Tom. III

Illi ex paſſione lugent, Chriſtus ex compaſſione. Illi jugum grave, quod eſt ſuper omnes filios Adæ: Chriſtus filiorum Adæ peccata deplorat. Et certe pro quibus nunc lacrymas fundit, poſtea fundet & ſanguinem. O duritia cordis mei! Utinam, Domine, ſicut Verbum caro factum eſt, ita & cor meum carneum fiat. ſiquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam*, inquit, *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.*

Ezech. 11. 19.

Pudorem quoque, dolorem, & timorem nobis incutiunt.

4. Fratres, lacrymæ Chriſti mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus: exiit poſito diademate, ſacco veſtitus, adſperſus cinere caput, nu- B dus pedes, flens & ejulans, quod morte damnatus eſſet ſervulus ejus. Intueor illum ſubito procedentem ſtupeo novitatem, cauſam percontor, & audio. Quid facturus ſum? Adhucne ludam, & deludam lacrymas ejus? Plane ſi inſanus ſum & mentis inops, non ſequar eum, nec ſimul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor. Dolor & timor unde? Utique quia ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatem. Neſciebam, ſanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altiſſimi, & jubetur occidi: ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce, ô homo, quàm gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſ- C tum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet itaque, dilectiſſimi, propriam negligenter diſſimulare paſſionem: cui tantam à majeſtate tanta exhiberi video compaſſionem. Compatitur Filius Dei, & plorat: homo patitur, & ridebit? Sic & medicinæ æſtimatio, & doloris mihi, & timoris exaggeratio eſt.

Sed & conſolationem.

5. Verum ſi diligenter obſervem præcepta medici, erit etiam conſolationis occaſio. Sicut enim gravem agnoſco morbum, cui tanta apponitur medicina; ſic & ex hoc ipſo non incurabilem eſſe conjector. Neque enim pretioſiſſimas ſpecies fruſtra inſumeret medicus D ſapiens, immo ſapientia ipſa. Porro fruſtra inſumi conſtat, non ſolum ſi abſque eis facilis eſſet curatio, ſed multo magis ſi & cum eis ſit impoſſibilis. Animat itaque ad pœnitentiam, & accendit vehementius deſiderium ſpes concepta. Sane accedit ad conſolationem ipſa quoque, quæ paſtoribus vigilantibus exhibita eſt, viſitatio & allocutio Angelorum. Væ vobis divites, qui habetis conſolationem veſtram, ut jam non mereamini habere cæleſtem. Quàm multi enim nobiles ſecundum carnem, quàm multi potentes, quàm multi ſapientes hujus ſæculi, hora illa in ſtratis mollibus quieſcebant; & nemo eorum dignus habitus eſt novam videre lucem, ſcire magnum illud gaudium, E Angelos audire cantantes: *Gloria in excelſis Deo!* Agnoſcant igitur homines, quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab Angelis non merentur. Agnoſcant quam placeat ſupernis civibus labor, cujus ſpiritualis intentio eſt: quandoquidem & eos, qui pro victu corporis, corporali urgente neceſſitate laborant, ſuo dignantur alloquio, & alloquio tam felici. Nimirum humanum in eis agnoſcunt ordinem*, quo conſtituit Deus, ut in ſudore vultus ſui veſcatur Adam pane ſuo.

Paſtores electi digni, divites & nobiles neglecti.

Gen. 3. 19. * al. ordinationem.

Chriſti pro nobis labores fruſtrari quàm moleſtum Deo.

6. Obſecro vos, dilectiſſimi, conſiderate diligentius, quantum fecerit Deus pro veſtra exhortatione & ſalute: ne infructuoſus inveniatur in vobis ſermo tam vivus & efficax, ſermo fidelis, & omni acceptione di- F gnus; ſermo non tam oris, quàm operis. Putatis, Fratres, parum mihi moleſtum eſſe, ſi hoc ipſum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum & ſine aliqua utilitate deperire in cordibus veſtris noſſem? Et quis ſum ego, aut quis eſt hic ſermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem eſſe doleret homo puſillus, immo & nihili: quàm juſtius indignabitur Dominus majeſtatis, ſi tantam ejus operam noſtra aut duritia, aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc à ſervulis ſuis, qui pro eorum ſalute induere dignatus A eſt formam ſervi, Unigenitus Dei Patris, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

IN NATIVITATE DOMINI,

SERMO QUARTUS.

De eo quod paſtores invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio.

1. AGnoſcite, Fratres dilectiſſimi, quanta ſit hodierna ſollemnitas, cui & dies brevis, & terræ anguſta eſt latitudo. Loco pariter & tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cælum replet antequam terram. B Nox enim ut dies illuminata eſt, cum intempeſtæ noctis hora paſtores circumfulſit lux nova de cælo. Et ut noveritis quo in loco ſollemnitatis hujus cœperint gaudia celebrari; quod jam Angelis erat, futurum omni populo gaudium evangelizatur: ſed & confeſtim adeſt divinis perſonans laudibus cæleſtis exercitus multitudo. Hinc eſt quod ſollemnis ducitur nox iſta præ ceteris, in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus: & his potiſſimum in vigiliis ſine ulla hæſitatione credendum eſt, cæleſtes illos principes prævenire conjunctos pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum. Sed quàm multa hodie gemmis & auro fulgent altaria*! quanti ubique palliis parietes ador- C nantur! Putas ad hæc divertent Angeli, & pannoſos homines declinabunt? Si ita eſt, cur paſtoribus ovium magis apparuere, quàm terræ regibus, quàm ſacerdotibus templi? Cur & ipſe Salvator, cujus eſt aurum pariter & argentum, ſacram in corpore ſuo dedicat paupertatem? Aut certe, cur paupertas ipſa tam ſollicite enarratur ab Angelo? Neque enim ſine certi ratione myſterii pannis Salvator obvolvitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſte in ſignum nobis commendatur ab Angelo. *Hoc*, inquit, *vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum.* In ſignum poſiti ſunt panni tui, Domine Jeſu! ſed in ſignum, cui à multis uſque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, D ſed non multi electi, & ideo nec ſignati. Agnoſco certe, agnoſco Jeſum magnum ſacerdotem ſordidis opertum veſtibus, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, & quibus non ignota eſt prophetica viſio Zachariæ. Ubi vero exaltatum eſt Caput noſtrum ſuper inimicos noſtros, ex hoc plane mutavit veſtem, decorem induit, amictus lumine ſicut veſtimento: exemplum dedit nobis, ut & nos eadem faciamus. Utilior ſiquidem in conflictu lorica ferrea, quàm ſtola linea: licet oneri ſit illa, hæc honori. Erit cum & membra ſequentur caput, ut corpus jam univerſum uno pſallat ſpiritu, & dicat: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.*

Natalis celebritas & pompa.

* Vide Apolog. ad Guil. Abb. num. ...

Luc. 2. 12.

Zachar. 3.

Pſal. 29. 12.

E 2. *Invenietis*, inquit, *infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Et poſt pauca: *Venerunt*, ait Evangeliſta, *feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio.* Quid eſt quod ſola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen ſola à paſtoribus inveniri? Forte ſpecialius commendat Angelus humilitatem: quia ruentibus ceteris per ſuperbiam, ipſe in humilitate ſtetiſſet. Aut propterea certe cælitus annuntiatur humilitas, quod hæc quaſi propria virtus divinæ exhibenda ſit majeſtati. Sola tamen non potuit inveniri, quia ſemper gratia datur humilibus. Invenerunt ergo Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Sicut enim Salvatoris infan- F tia manifeſtam prætendit humilitatem: ſic per Virginem continentia, juſtitia per Joſeph virum juſtum, cujus laus eſt in Evangelio, non incongrue deſignatur. Sane continentiam deberi carni quis neſciat? Juſtitia vero virtus eſt, quod ſuum eſt cuique tribuens: & hæc erga proximos eſt neceſſaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit eſſe ſubjectos, Deo placet in nobis; ſicut ait Virgo beata: *Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ.* Itaque qui fornicatur, peccat in corpus ſuum: qui injurioſus eſt, in proximum: qui extollitur & inflatur, in Deum. Fornicator

Luc. 2. 12. 16.

Humilitas in Chriſto commendata.

Continentia in Virgine, juſtitia in Joſepho.

Luc. 1. 48. Superbus peccat in Deum.

ſemetipſum dehoneſtat, injurioſus moleſtat proximum; elatus, quod in ſe eſt, Deum inhonorat. *Gloriam meam*, Dominus ait, *alteri non dabo*. Et ſuperbus: Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, uſurpabo. Nec enim placet ei angelica diſtributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus*. Non ergo colit Deum, ſed adverſus eum extollitur, impius plane & infidelis. Quæ eſt enim pietas, niſi cultus Dei? Quis vero Deum colit, niſi qui voluntarie ei ſubjectus eſt, & ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ſic oculi cordis ejus ad Dominum Deum ſuum?

Iſa. 42. 8.

3. Ut ergo inveniatur in nobis ſemper Maria, & Joſeph, & Infans poſitus in præſepio; ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos, & per hoc quoque illius gloria apparebit. ſic enim habes: *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.* Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem: ſed *hic erit magnus*, ſicut de eo Gabriel locutus eſt: & quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis & manſuetudinem, magnificabit poſtmodum & glorificabit magnus & glorioſus adveniens Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ad Tit. 2. 11. & 12.
Luc. 1. 32.

IN NATIVITATE DOMINI,

Sermo quintus.

De verbis Apoſtoli, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.*

1. BEnedictus, qui propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, miſit nobis Filium ſuum dilectum, in quo ei bene complacuit, per quem reconciliati pacem habeamus ad eum, & idem ſit in nobis reconciliationis hujus & mediator, & obſes. Non eſt quod vereamur, Fratres mei, ſub tam pio mediatore, non eſt quod de tam fido obſide dubitemus. Sed qualis mediator eſt, inquies, qui in ſtabulo naſcitur, in præſepio ponitur; pannis involvitur ſicut ceteri, plorat ut ceteri; denique infans jacet, ut ceteri conſueverunt? Magnus plane mediator eſt etiam in his omnibus, quæ ad pacem ſunt, non perfunctorie, ſed efficaciter quærens. Infans quidem eſt, ſed Verbum infans, cujus ne ipſa quidem infantia tacet. *Conſolamini, conſolamini, dicit Dominus Deus veſter.* Dicit hoc Emmanuel, nobiſcum Deus. Clamat hoc ſtabulum, clamat præſepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat ſtabulum, curando ſeſe homini, qui in latrones inciderat, præparari; clamat præſepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum miniſtrari; clamant lacrymæ, clamant panni ejuſdem ipſius cruenta jam vulnera ablui & detergi. ſiquidem nullo horum Chriſtus eguit; nihil horum illi propter ſe, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur filium meum*, ait Pater miſericordiarum. Verum id quidem, Domine, reverentur eum. ſed qui? non plane Judæi, ad quos miſſus: ſed electi, propter quos miſſus.

Chriſtum eſſe mediatorem teſtantur omnia.
Iſa. 40. 1.
Luc. 10. 30.
Pſal. 48. 13.
Matt. 21. 37.

2. Reveremur enim eum nos in præſepio, reveremur in patibulo, reveremur in ſepulcro. Devote ſuſcipimus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, ſepultum propter nos reveremur. Devote adoramus cum Magis, devote amplectimur cum Simeone ſanctu infantiam Salvatoris, ſuſcipientes miſericordiam tuam in medio templi tui. ſiquidem ipſe eſt, de quo legimus: *Miſericordia Domini ab æterno*. Alioquin quid coæternum Patri, niſi Filius & Spiritus-ſanctus? Et uterque quidem non tam miſericors, quàm ipſa vere miſericordia. Nihilo minus etiam Pater miſericordia eſt: atque hi tres nonniſi una miſericordia, ſicut una eſſentia, una ſapientia, una divinitas, una majeſtas. In eo tamen quod *Pater miſericordiarum* dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine Filium deſignari? Et bene dicitur Pater miſericordiarum, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.

Chriſtus Salvator à fidelibus undequaque reverendus.
Pſal. 102. 17.
Deus ut Pater miſericordiarum dicatur.

3. Sed forte quis dicat: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa? neque enim dicitur: *Omnes viæ ejus* ſola miſericordia, ſed, *miſericordia & veritas*. Non minus juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur. Verum id quidem: cui vult miſeretur, & quem vult indurat; ſed quod miſeretur, proprium illi eſt. Ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii*, dicit Dominus, *& non magis ut convertatur & vivat?* Recte igitur non Pater judiciorum, vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum, non modo quod pater videatur miſereri potius quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum miſereatur timentium ſe; ſed eo magis quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.

Pſal. 35. 6.
Pſal. 24. 10.
Pſal. 100. 1.
Rom. 9. 18.
Miſerendi miſeriam ſumit ex ſe ipſo puniendi ex nobis.
Ezech. 18. 23.

4. Sed ſi propter hoc Pater miſericordiæ, quare Pater miſericordiarum? *Semel locutus eſt Deus*, ait Propheta, *duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia.* Ceterum Apoſtolus nobis in uno Verbo, in Filio uno ipſam quoque miſericordiam duplicem commendat, Patrem dicens non unius tantum miſericordiæ, ſed miſericordiarum; & Deum non unius, ſed totius conſolationis, qui conſolatur nos non modo in hac vel illa, ſed in omni tribulatione noſtra. Miſericordiæ Domini multæ, ait quidam, videlicet quia multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus eſt Dei Filius, unum Verbum: ſed miſeria noſtra multiplex, non modo magnam miſericordiam, ſed & multitudinem quærit miſerationum. Forte tamen propter ſubſtantiam duplicem, qua ſubſiſtit humana conditio, cum ſit utraque tam miſera, non incongrue duplex hominum dicatur eſſe miſeria, licet ſit multiplex in utraque. Siquidem & corporis, & cordis noſtri tribulationes multiplicatæ ſunt: ſed ab utriſque neceſſitatibus eruit, qui totum hominem ſalvum fecit. Cum ergo unus ille & unicus Dei Filius, & jam nunc venerit propter animas, tollere ſcilicet peccata mundi, & ſecundo propter corpora ſit venturus, ut ea reſuſcitet, & configuret corpori claritatis ſuæ: non incongruum fortaſſe videbitur, ut in eo quod Patrem miſericordiarum benedicimus, duplicem hanc miſericordiam confiteamur. Suſcipiens enim humanæ naturæ corpus ſimul & animam, non modo ſemel *Conſolamini*, ſed (ut ſupra quoque meminimus) *conſolamini, conſolamini, dicit Dominus Deus veſter*: ut videlicet certi ſimus, quod utrumque ſit ſalvaturus, qui utrumque ſuſcipere eſt dedignatus.

Pſal. 61. 12. 13.
Miſericordia ejus multa.
2. Cor. 1. 4.
Thren. 3. 22.
Miſeria hominis duplex.
Dei miſericordia item duplex.
Iſai. 40. 1.

5. Sed in quibus putas? Plane in populo ſuo. *Ipſe enim* & nunc *ſalvum faciet*, non quoſcumque, ſed *populum ſuum à peccatis eorum*: & poſtmodum non omne corpus, ſed corpus humilitatis configurabit corpori claritatis ſuæ. Denique populum ſuum conſolatur, utique populum humilem, quem ſalvum faciet. nam oculos ſuperborum humiliabit. Vis noſſe populum ejus? *Tibi derelictus eſt pauper*, ait homo ſecundum cor Dei. Sed & ipſe in Evangelio: *Væ vobis*, inquit, *divites, qui habetis conſolationem veſtram.* Utinam nos, dilectiſſimi, in eo populo inveniri ſemper optemus, non cui dicit Væ, ſed quem conſolatur Dominus Deus ſuus. Quid enim conſoletur eos qui ſuam habent conſolationem? Non conſolatur Chriſti infantia garrulos, non conſolantur Chriſti lacrymæ cachinnantes, non conſolantur panni ejus ambulantes in ſtolis, non conſolantur præſepe & ſtabulum amantes primas cathedras in ſynagogis: ſed æquanimiter forte univerſam hanc conſolationem exſpectantibus in ſilentio Domi-

Pſal. 9. 14.
Luc. 6. 24.
Populus Jeſu quis ſit.
Conſolationes Chriſti ad quos pertineant.

[Tom. III.] num, lugentibus, pannoſis pauperibus cedere videbuntur. Ceterum audiant, quod & ipſi quoque Angeli non alios conſolantur. Vigilantibus enim paſtoribus & cuſtodientibus vigilias noctis evangelizatur gaudium novæ lucis, & eis natus dlcinir eſſe Salvator. Pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus, qui veſtram habetis conſolationem, & Væ divinum, inter ipſas vigilias noctis dies ſanctificatus illuxit; & nox ſicut dies illuminata, immo in diem mutata eſt, dicente Angelo: *Quia natus eſt vobis Salvator*, *hodie* utique, non hac nocte. Siquidem nox præceſſit, dies autem appropinquavit, verus utique dies ex die, ſalutare Dei, Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Luc. 2. 11.]

IN NATIVITATE SS. INNOCENTIUM

Sermo unicus.

De quatuor continuis ſollemnitatibus, ſcilicet Nativitatis Domini, ac SS. Stephani, Johannis, & Innocentium.

[Pſal. 117. 26. 27. Chriſtus omnis ſanctitatis fons]

1. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Benedictum nomen gloriæ ejus quod eſt ſanctum. Neque enim otioſe venit quod ex Maria natum eſt Sanctum: ſed copioſe diffundit & nomen, & gratiam ſanctitatis. Nimirum inde Stephanus ſanctus, inde Johannes ſanctus, inde ſancti etiam Innocentes. Utili proinde diſpoſitione * triplex iſta ſollemnitas Natale Domini comitatur: ut non modo inter continuas ſollemnitates devotio continua perſeveret, ſed & fructus Dominicæ Nativitatis exinde nobis velut ex quadam proſecutione evidentius innoteſcat. Siquidem advertere eſt in his tribus ſollemnitatibus triplicem quamdam ſpeciem ſanctitatis; nec facile præter hæc tria Sanctorum genera, quartum aliud poſſe arbitror in hominibus reperiri. Habemus in beato Stepbano martyrii ſimul & opus, & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in beato Johanne; ſolum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem ſalutaris, aut corpore ſimul & ſpiritu, aut ſolo ſpiritu, aut corpore ſolo. *Calicem quidem meum bibetis*, ait Dominus Jacobo & Johanni: nec dubium quin de paſſionis calice loqueretur. Demum cum Petro diceret, *Sequere me*, evidenter eum ad imitationem ſuæ provocans paſſionis; *converſus ille vidit diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem*, non tam greſſu corporis, quàm promptæ devotionis affectu. Et bibit ergo Johannes calicem ſalutaris, & ſecutus eſt Dominum ſicut Petrus, etſi non omnimodo ſicut Petrus. Quod enim ſic manſit, ut non etiam paſſione corporea Dominum ſequeretur, divini fuit conſilii, ſicut ipſe ait: *Sic eum volo manere donec veniam.* Ac ſi dicat: Vult quidem & ipſe ſequi, ſed ego ſic eum volo manere.

[* al. diſpenſatione Chriſti natale triplex ſollemnitas ſequitur, & cur.]
[Triplex genus ſanctitatis & martyrii.]
[Matt. 20. 23.]
[Johann. 21. 20.]
[Ibidem 22.]

2. An vero de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos ſibi pueros puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, propter ſe pateretur occidi, quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem circumciſio, nunc vero baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem, ſic nihilo minus pro eo ſuſceptum martyrium illis ſufficeret ad ſanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita, ut coronarentur: quære & apud Herodem crimina, ut trucidarentur. An forte minor Chriſti pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Chriſtus non potuerit propter ſe occiſos coronare? Sit ergo Stephanus martyr apud homines; cujus voluntaria paſſio evidenter apparuit in eo vel maxime, qood in ipſo mortis articulo tam pro perſequentibus, quàm pro ſe ipſo ſollicitudinem gereret ampliorem, vinceretque in eo ſenſum corporeæ paſſionis internæ compaſſionis affectus; ut illorum magis ſcelera, quàm ſua vulnera plangeret. Sit Johannes apud Angelos martyr, quibus tamquam ſpiritualibus creaturis ſpiritualia devotionis ejus ſigna certius innotuerunt. Ceterum hi ſunt plane martyres tui, Deus: ut in quibus nec homn, nec Angelus meritum invenit, ſingularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendetur. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. *Gloria in excelſis Deo*, Angeli dicunt, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Magna quidem, ſed, audeo dicere, necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium eſt regnum cælorum*; & pax hominibus, etiam ſine voluntatis uſu in ſacramento pietatis.

[Innocentes veros Chriſti martyres eſſe.]
[Stephanus martyr apud homines.]
[Johannes apud Angelos.]
[Innocentes apud Deum. Pſal. 8. 3.]
[Luc. 2. 14.]
[Matt. 19. 14.]

3. Conſiderent hæc, qui de opere & voluntate contentioſis ſolent diſputationibus corrixari: conſiderent & advertant neutrum negligi oportere, ubi non videtur deeſſe facultas, præſertim cum utrumque ſine altero (ubi tamen facultas deeſt) non modo ſalutem conferre poſſit, ſed etiam ſanctitatem. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodeſſe quidem opus ſine voluntate, non autem * contra voluntatem: ut unde ſalvantur infantes, inde magis damnentur ficte accedentes. Nihilo minus ſane in quibuſdam voluntas ſine opere ſufficiens eſt, non autem contra opus. Verbi cauſa, rapitur quis in bona quidem voluntate, ſed necdum perfecta, necdum idonea martyrium ſuſtinere: quis illi audeat pro hac imperfectione negare ſalutem? Forte enim propterea non ſinitur in illam gravem tentationem venire, ne deficiat, & damnetur. Nimirum ſi in hac tam infirma voluntate induceretur in eam, quæ ſupra ipſum eſt, tentationem, nec voluntas roboraretur: quis illum dubitet defecturum, negaturum, &, ſi in eo mori contigerit, etiam periturum? *Qui enim erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum*, ait Dominus, *coram Angelis Dei.* In ea igitur imperfecta voluntate, in qua ſalvatur quis, ubi deeſt facultas operis; jam non ſalvari poſſet propter defectum operis, vel opus defectionis. Idem vero & in ignorantia poſſet accidere. Æmulemur proinde caritatem, & ſectemur bona opera, Fratres mei, nec infirmitatis, nec ignorantiæ peccata ullo modo parvi pendentes. Magis autem ſolliciti & timorati, agamus gratias benigniſſimo & largiſſimo Salvatori; qui humanæ ſalutis occaſiones tam copioſa caritate perquirit, ut in his voluntatem & opus, in his ſine opere voluntatem, in his etiam ſine voluntate opus ſalutis invenire lætetur, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem ſui venire. Hæc eſt enim vita æterna, ut cognoſcamus Patrem verum Deum, & quem miſit Jeſum-Chriſtum, qui unus cum eo verus eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula, amen.

[Opus & voluntas quando tuta.]
[* al. tamen]
[Luc. 9. 26.]
[Larga Dei bonitas in quærenda hominis ſalute.]
[Johan. 17. 3.]

IN CIRCUMCISIONE DOMINI

Sermo primus.

De lectione evangelica, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Luc. 2. 21.

1. Audivimus paucis expreſſum magnum pietatis ſacramentum: audivimus congruam lectionem Verbo abbreviato, quod fecit Dominus ſuper terram. Abbreviatum enim in carne, amplius abbreviatur ſuſcepta etiam carnis circumciſione. Minoratus paulo minus ab Angelis Dei Filius, humanam naturam induit: ſed jam nec ipſum reſpuens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes igitur hic magnum fidei documentum habes & manifeſtum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumciſio neceſſaria, qui peccatum non commiſiſti, nec contraxiſti? Quod ipſe non feceris, ætas manifeſtat: quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas, integritas Matris. Summus Sacerdos es, quem nec ſuper patre, nec ſuper matre contaminandum, prophetatum eſt in lege potius quàm mandatum. Eſt enim tibi Pater ab æterno, ſed Deus eſt,

[Levit. 21. 11.]
[Chriſti humilitas in circumciſione.]

in quem peccatum non cadit. Eſt & Mater ex tempore, ſed virgo; nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumciditur Puer, Agnus ſine macula: etſi non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec veſtigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non ſic impii, non ſic; non ſic agit perverſitas elationis humanæ. Erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium, & verecundum pariter & auſterum, ſine ulla neceſſitate ſuſcepit; nec repulit cultrum lapideum, in quo ſcilo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos e contra inverecundi ad obſcœnitatem culpæ, erubeſcimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ eſt; male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari: nos & eſſe volumus, & nolumus æſtimari. Itane ſano opus eſt medicina, & non male habentibus? Immo vero itane eget medicamine non æger, ſed medicus? Quis hominum tantæ ſibi non dicam gloriæ, ſed vel innocentiæ conſcius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Chriſtus vero patienter quæ non rapuit exſolvit *, qui venerat purgationem facere, non ſuſcipere, delictorum. Sed dicas: Quidni ſuſciperet parvulus? Immo vero, quidni ſuſciperet humilis & manſuetus? Quidni obmuteſceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente ſiluit? Alioquin non erat illi difficile carnem ſuam integram conſervare ne ſcinderetur, qui fecerat ne virginalis uteri porta in exitu ſuo aperiretur. Non erat difficile parvulo prohibere ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo fuit difficile cuſtodire ne corrumperetur.

Præpoſtera hominum pudor de pœnitentia.

* al. exſolvebat.

2. *Poſtquam* ergo *conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Magnum & mirabile ſacramentum! Circumciditur puer, & vocatur Jeſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circumciſio nempe ſalvandi potius, quàm Salvatoris eſſe videtur; & Salvatorem circumcidere decet, quàm circumcidi. Sed agnoſce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipſo nativitatis ſuæ exordio divinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, ut non decidat flos virginitatis: pannis involvitur, ſed panni ipſi angelicis laudibus honorantur: abſconditur in præſepio, ſed proditur radiante ſtella de cælo. Sic & circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis; & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat majeſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius; Jeſus vocatur tamquam verus filius Dei. Neque enim ad inſtar priorum meus iſte Jeſus, nomen vacuum aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis umbra, ſed veritas. Cælitus ſiquidem inditum nomen Evangeliſta teſtatur, *quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* Et attende verbi profunditatem. Poſtquam natus eſt Jeſus, Jeſus vocatur ab hominibus, quo nomine * vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator, & hominis: ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.

Chriſti circumciſio veritatem ſuſceptæ humanitatis probat.

* al. qui vocatus.

3. *Vocatum eſt*, ait, *nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo.* In ore ergo duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: & ipſum quod in Propheta abbreviatum, manifeſtius in Evangelio legitur caro factum. Nos, Fratres mei, nos reſpicit hæc parabola. Chriſtus enim nec angelico eguit teſtimonio, nec humano: ſed, ut ſcriptum eſt, *omnia propter electos.* Triplex proinde quærendum nobis ſalutis propriæ teſtimonium, ne forte videamur aſſumpſiſſe nomen Dei noſtri in vanum. Et nos enim, Fratres, circumcidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere: circumcidi ſane non littera, ſed ſpiritu & veritate: circumcidi non uno membro, ſed toto corpore ſimul. Licet enim magis in ea parte, in qua mandata eſt Judæis circumciſio, regnet additamentum Leviathan, quod à malo eſt, & amputari debet; univerſam tamen occupat carnem. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in nobis ſanitas; nec eſt aliqua pars, quæ non tabida ſit hoc veneno. Propterea ſicut parvulus adhuc in fide & dilectione populus congruum ſibi mandatum exiguæ circumciſionis accepit: ſic ubi crevit in virum perfectiorem, toto jubetur corpore baptizari, quæ totius eſt hominis integra circumciſio. Hinc eſt quod Salvator noſter & circumcidi octavo die, & poſt annum triceſimum dignatus eſt crucifigi, ubi in pœnam corpus omne diſtenſum eſt: cujus ſimilitudini mortis complantamur & nos, ut ſcribit Apoſtolus, nimirum quod noviſſime traditum eſt obſervantes.

1. Tim. 2. 10.

Rom. 6. 5.

4. Quæ eſt ergo moralis circumciſio noſtra, niſi quam commendat idem Apoſtolus? *Victum*, inquiens, *& veſtitum habentes, his contenti ſimus.* Optime prorſus circumcidit nos, & ſuperflua reſecat univerſa, voluntaria hæc paupertas, pœnitentiæ labor, regularis obſervatio diſciplinæ. Ceterum in hac circumciſione triplex nobis quærendum eſt ſalutis noſtræ teſtimonium, ab Angelo, & Maria, & Joſeph. Oportet, inquam, ut ante omnia nobis magni conſilii Angelus ſalutis nomen imponat. Dehinc & ipſius quoque congregationis neceſſaria eſt atteſtatio, quæ tamquam mater eſt ſingulorum; mater, inquam, virgo, tamquam ea quam deſpondit Apoſtolus, *uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Sed nec ipſius miniſtri contemnendum eſt teſtimonium ei, qui imitari quærit Salvatoris exemplum. Hic eſt Joſeph, locum quidem obtinens ſponſi, re autem vera ſervus & diſpenſator, qui ſane pater vocatur, magis autem nutricius eſt.

1. Tim. 6. 8.

Triplex noſtræ ſalutis teſtimonium, à conſcientia, ab Eccleſia, à Prælato.

2. Cor. 11. 2.

5. Sed dico eadem manifeſtius. Et ab his qui foris ſunt, Fratres mei, & ab eo qui intus eſt, habere oportet teſtimonium bonum. Cujus enim omnibus grata, nemini oneroſa eſt converſatio, huic ſine dubio propria de ſalute univerſa fratrum congregatio atteſtatur. Fruſtra plane ſuper his dumtaxat quæ ſunt in manifeſto, nequiſſimus ille fratrum accuſator trahat * in cauſam, quem excuſat univerſitas fratrum. Habet & à prælatis teſtimonium, quiſquis & peccata ſæcularis vitæ, & hujus quoque temporis negligentias (*quoniam in multis offendimus omnes*, niſi forte ſanctiores nos arbitramur Diſcipulo, quem dilexit Jeſus) humili eis & pura confeſſione judicanda ſemper exponit, & eorum ſatisfacere ſtudet arbitrio. Jam ne in his quidem peſſimi illius timenda eſt accuſatio, quoniam non judicabit Dominus bis in idipſum. At forte criminari volet intentionem, & in ea parte calumniam ſtruere machinabitur, in qua nec fratrum, nec ipſius patris teſtimonium ſatis efficax videatur. Neceſſe eſt ergo ut in hac parte opituletur nobis teſtis internus, qui magis cor quàm faciem intuetur: à quo ſane & incipiendum eſt, ut non prius quidquam concipiatur in animo, quàm ab eo ſalutis nomen acceperit. Ubi vero in opus proceſſerit manifeſtum, expedit jam exteriora quoque ſibi teſtimonia conciliare, ſicut ait Apoſtolus: *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.*

* al. trahit.

Jacob. 3. 2. 1. Johan. 1. 9.

2. Cor. 8. 21.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI,

Sermo secundus.

De variis ejus nominibus.

1. P*oſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Ab initio Deus modum acceptat, & nihil umquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quod non modo in pondere, & menſura, & numero condidit univerſa; ſed & protinus ipſi homini modum præſcripſit, mandatum contulit dicens: *Ex omni ligno paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Leviſſimum plane mandatum, & larga omnino menſura! Sed tranſgreſſus eſt homo præſcriptum ſibi modum, & conſtitutum ſibi terminum prætergreſſus. Unde & avertens ab eo faciem ſuam Deus, vix tandem in diebus

Luc. 2. 21.

Gen. 2. 16. 17.

Circumciſionis antiquum præceptum.

Tom. III.

Abrahæ amici ſui placabilis fieri incipiens, rurſus mo- A dum inſtituit, promulgavit legem, ſed non priori ſimilem uſquequaque. Ea ſiquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam: ibi prohibitio facta, ne ſuperfluitas ſubintraret: hic jam indicta abſciſſio eſt, ut ſacramenti remedio, quæ ſubintraverat, tolleretur. Poſtremo illa quidem in arbore data eſt lex, ne fructu ejus veſceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputii ſcinderetur. Nec dubium ſane quin cetera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet, venenum ſcilicet concupiſcentiæ, & immoderatæ atque inordinatæ illecebra voluptatis, ut generalis quædam abſciſſio omnibus neceſſaria videretur.

2. Ceterum, quia ſingulorum membrorum abſciſſionem humanæ carnis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullatenus ſuſtineret; pio moderamine diſpoſitio ſuperna providit, ut in ea potiſſimum parte concupiſcentia caſtigaretur, in qua vehementius eam ſævire conſtabat, & violentius malignari. In omni ſiquidem contradicentium ſpiritui rebellione membrorum, ſolum illud uſque adeo contumax invenitur, ut contra omnem voluntatis deliberationem ad inhoneſtos & illicitos motus aſſurgat. Nam quod hæc circumciſio octava die fiebat, ſpem commendabat regni cæleſtis, quod videlicet ad primum reflexus dierum circulos præferre quamdam coronæ ſpeciem videre- C tur. Hinc eſt quod octava potiſſimum dies poſt ſollemnitates præcipuas celebratur; & in ſermone Domini, primæ beatitudini copulatur octava, ut cæleſtis regni demum iterata promiſſio, evidenter nobis coronam fabricaret *.

In ea parte fit, ubi rebellio & concupiſcentia potiſſimum dominatur.

Matt. 5.

* al. fabricet.

3. Merito ſane dum circumciditur Puer qui natus eſt nobis, Salvator vocatur; quod videlicet ex hoc jam cœperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Neque enim jam quærere eſt Chriſtianis, cur voluerit Dominus Chriſtus circumcidi. Propter hoc ſiquidem circumciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe, ſed omnia propter electos. Nec in D peccato genitus, nec à peccato circumciſus, nec mortuus eſt pro peccato ſuo, magis autem propter delicta noſtra. *Quod vocatum eſt*, inquit, *ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*. Vocatum eſt plane, non impoſitum. nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, ut ſit Salvator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana vel angelica creatura.

Chriſtus circumciſus cur vocatur Salvator.

4. Sed quid dicimus, quod egregius ille Propheta hunc ipſum puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuiſſe videtur, quod ſolum (ut præmonuit Angelus, & teſtatur Evangeliſta) *vocatum eſt nomen ejus*? Exſultavit Iſaias, ut vide- E ret diem hunc: & vidit, & gaviſus eſt. Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Magna quidem nomina: ſed ubi eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, nomen Jeſu, in quo omne genu flectatur? Forte in his omnibus unum illud invenies, ſed expreſſum quodammodo & effuſum. Nempe ipſum eſt, de quo ſponſa in Cantico amoris: *Oleum*, inquit, *effuſum nomen tuum.*

Cur Iſaias non meminit nominis Jeſu.

Luc. 2. 21.

Iſa. 9. 6.

Cant. 1. 2.

5. Habes ergo unum in his omnibus appellationibus Jeſum: nec omnino aut vocari poſſet, aut eſſe Sal- F vator, ſi forte quippiam horum defuiſſet. Numquid non vere admirabilem eum ſinguli ſumus experti, in mutatione utique voluntatum noſtrarum? Hoc nempe eſt ſalvationis noſtræ principium, cum incipimus reſpuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, ſequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilo minus & conſiliarium ſeſe exhibeat neceſſe eſt in electione pœnitentiæ & vitæ ordinatione: ne forte ſit nobis A abſque ſcientia zelus, & voluntati bonæ prudentia deſit. Sane opus eſt ut Deum quoque probemus in remiſſione videlicet priorum delictorum: quia nec ſine hac ſalus nobis conſtare poteſt, & nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus. Verum ne id quidem ſufficit ad ſalutem, niſi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eiſdem rurſum concupiſcentiis ſuperemur, & fiant noviſſima noſtra pejora prioribus. Videturne jam aliquid deeſſe Salvatori? Plane deeſſet quod maximum eſt, niſi & pater eſſet futuri ſæculi: ut per eum ſcilicet in immortalitatem reſurgeremus, qui per præſentis ſæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc ſatis, ſi non etiam B princeps pacis Patri nos reconciliaret, cui traditurus eſt regnum: ne forte ſicut filii perditionis utique, non ſalutis, reſurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur ſane ejus imperium, ut merito Salvator dicatur etiam pro multitudine ſalvandorum: & pacis non erit finis, ut veram noveris eſſe ſalutem, quæ non poſſit timere defectum.

Chriſti nomen ſummum ex poſitio.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI,

SERMO TERTIUS.

De die octavo *.

* al. octo dierum.

C 1. IN Circumciſione Domini, Fratres, habemus quod amemus; & admiremur, habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, unde gratias agamus: latet aliquid clauſum, quod in nobis implere debeamus. Venit namque Dominus propter nos, non ſolum redimendos ſanguinis effuſione, ſed & docendos verbis, & exemplis nihilo minus inſtruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam ſcire, ſi detineremur in carcere: ita redimi non prodeſſet, ſi viæ ignaros qui primus inveniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in majo- D re quidem ætate, patientiæ & humilitatis, & ſuper omnia caritatis, ceterarumque virtutum manifeſta dedit Salvator exempla; in infantia vero figuris velata.

2. Sed antequam ad hæc diſcutienda veniamus, delectat aliquid prius de tanta & tam manifeſta dignatione loqui. Habent Angeli gloriam puram & perfectam: ſed nec nos erimus ſine gloria. Videmus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, gloriam miſericordiæ & affectus vere paterni, gloriam procedentis ex corde Patris, & paterna plane viſcera exhibentis. *Omnes enim peccaverunt*, ait Apoſtolus, *& egent gloria Dei.* Et alio loco: *Mihi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quid enim nobis glorioſius, quàm quod tanti æſtimavit nos Deus? Quæve major illi glo- E ria, quàm tanta dignatio & tanta benignitas, eo utique dulciſſima, quod tam gratuita? nam pro impiis mortuus eſt. Videtis quantum fecit, & pro qualibus: pro qualibus, ut non ſuperbiamus; quantum, ne deſperemus. Propterea ut inveniamini non ſpiritum habere hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, & ſciatis quæ à Deo data ſunt vobis; nolite obſecro fieri ſicut equus & mulus, ſed ſicut pium jumentum, quod ait: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Talia enim jumenta cognoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe Domini ſui: in quo poſitum eſt eis piiſſimum fœ- F num, ipſe qui panis eſt Angelorum. Ipſe enim eſt panis vivus, de quo vivere debuit homo: ſed quia homo jumentum factus eſt, & panis factus eſt fœnum, ut vel ſic vivat de eo.

Rom. 3. 23.

Gal. 6. 14. Gloria hominis eſt, tanti æſtimatum eſſe à Deo.

Pſal. 72. 23.

3. Et hujus quidem mutationis ſacramentum die Nativitatis celebratum eſt, quando Verbum caro factum eſt, cum ſit omnis caro fœnum. Ipſa ergo die minoratus eſt paulo minus ab Angelis, & habitu inventus ut homo: hodie vero mirabilius aliquid audio. Jam minoratus eſt multo minus Angelis, qui non ſolum formam hominis, ſed formam habet peccatoris, & inſigitur velut quodam cauterio latronis. Quid eſt enim circumciſio, niſi ſuperfluitatis & peccati indicium? In te,

Domine Jeſu, quid eſt ſuperfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus ſine omni peccato de Virgine matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia ſuper eum poſſit cadere illa ſententia: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit anima ipſius de populo ſuo?* (*Gen. 17. 14.*) Poteſt oblivisci Pater filii uteri ſui? aut non cognoſceret eum, niſi ſignum circumciſionis haberet? Immo vero ſi quo modo poſſet non agnoſcere filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maxime ſigno poterat ignorare eum, inventa in eo circumciſione, quam peccatoribus ipſe providerat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum ſi caput pro membris accepit curationem, quam tamen in ſeipſo non habuit neceſſariam? Nonne & in membris noſtris ſæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura; dolent renes, & fit in tibia: ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum eſt in Capite.

Chriſtus ut caput pro membris circumciſionem ſuſcepit.

4. Denique quid mirum, ſi pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori? Totus ſiquidem mihi datus, & totus in meos uſus expenſus eſt. Ego enim audiens, quia tranſit ante carcerem filius magni Regis, cœpi altius gemere, & miſerabilius exclamare dicens: Fili Dei, miſerere mei. At ille ſicut benigniſſimus; Quiſnam eſt, inquit, iſte fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei: Ipſe eſt Adam proditor ille, quem Pater veſter trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum ſuppliciis faciat interire. Quid ageret, cujus natura bonitas, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere? Deſcendit in carcerem, venit ut educat vinctum de domo carceris. Judæi vero non immemores odii quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. unde & ipſe ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum.* (*Joan. 15. 24.*) Quid ergo fecerunt impii, quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic eſt,* inquiunt, *heres, venite, occidamus eum.* (*Matt. 21. 38.*) Sic ergo occiderunt Agnum Dei: in ſuam quidem perniciem, ſed in ſalutem noſtram. Illi enim ſanguinem Agni fuderunt; nos acceſſimus, & bibimus illum. Accepimus calicem ſalutaris: & calix * inebrians quàm præclarus eſt! (** al. calix noſter.*) Ecce unde gratias agamus. Nam ante paucos dies celebravimus adventum ejus in carcerem hujus mundi, id eſt diem Natalis: hodie vero celebramus quod catenas & vincula noſtra ſuſcepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos abſolveret, innoxias manus eorum catenis inſeruit: hodie ſub lege factus eſt, qui legem dedit.

Chriſti miſericordia parabola commendata.

5. Sed dicendum eſt jam, quid in hac circumciſione nobis ſpiritualiter indicetur agendum. Neque enim ſine cauſa in lege præceptum, nec ſine cauſa completum eſt in Domino, ut octava die fieret circumciſio. (*Gen. 17. 10.* *Circumciſio quid nos doceat.*) Sed quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? (*Rom. 11. 34.*) Adſit nunc veſtris deſideriis advocatus Spiritus, qui ſcrutatur alta Dei, & ediſſerat nobis * ſacramentum iſtud octavæ diei. (** al. vobis*) Non ignoramus jam oportere hominem naſci denuo: nam propter hoc ſecundo natus eſt Dei Filius. In peccatis ſiquidem naſcimur omnes, & neceſſe habemus renaſci in gratia, quam in baptiſmate quidem percepimus, ſed heu! totum periit in ſæculari vita. Nunc primum, miſerante Deo, virtus gratiæ in nobis operatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Ergo tunc naſcitur homo, quando Sol juſtitiæ ortus in animo, peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei judicium internis obtutibus offert, addens ad terroris vinculum brevem dierum numerum, & finem incertum. Hæc plane veſpera eſt, ad quam demorabitur fletus: & neceſſe eſt addi matutini lætitiam, ut auditam faciat nobis miſericordiam ſuam. Sic enim fit veſpere & mane dies unus. Eſt autem dies iſta juſtitiæ, reddens unicuique quod ſuum eſt, nobis miſeriam, miſericordiam Deo. (*1. Juſtitiæ.*) In hac die Puer naſcitur, quando ex his quæ diximus, ad amorem pœnitentiæ, & odium peccati animus excitatur.

Octo dies myſticè ante perfectam noſtri circumciſionem.

6. Sed periculoſum eſt, ſi forte velit inter ſæculi turbas agere pœnitentiam: ubi nimirum alii venenatis perſuaſionibus, alii undique exemplis pejoribus ad peccatum alliciant: alii adulationibus in vanam gloriam, alii detractionibus in impatientiam animum ejus dejiciant. (*Tom. III.*) Procedat jam neceſſe eſt prudentiæ radius. Oſtendat quantas & quàm importunas, præſertim in hac generatione nequam, opportunitates & occaſiones peccati offerat mundus & ingerat: quàm debilis ſit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati conſuetudine ſit nutritus. (*2. Prudentiæ.*) In hac ergo die prudentiæ eligat de præſenti ſæculo nequam fugere, dicens cum Propheta: *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* (*Pſal. 25. 5.*) Sed nondum ſufficit hoc. Forte enim vult eligere ſolitudinem, non ſatis attendens propriam infirmitatem, & periculoſam diaboli luctam. Quid enim periculoſius, quàm ſolum luctari contra antiqui hoſtis verſutias, à quo videatur, & quem videre non poſſit? Itaque jam habet neceſſariam fortitudinis diem, ut noverit cuſtodiendam ad Dominum fortitudinem ſuam, & in acie multorum pariter pugnantium eſſe quærendam, ubi tot ſunt auxiliarii, quot ſocii; & tales qui dicere poſſint cum Apoſtolo: *Quia non ignoramus aſtutias inimici.* Congregatio enim pro fortitudine ſua *terribilis* eſt, *ut caſtrorum acies ordinata.* *Væ* autem *ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* (*3. Fortitudinis.* *2. Cor. 2. 11.* *Eremitica vita periculoſior cœnobitica.* *Eccl. 4. 8.*) Quod ſi cuiquam ex antiquis Patribus gratiam hanc conceſſam audivimus; non expedit temere ſe committere huic periculo, nec oportet tentare Deum, ſicut & Magiſter noſter * de anachoretis loquens: Qui non, inquit, converſionis fervore novitio, &c. (** Reg. S. Ben. cap. 1.*) Itaque in hac fortitudinis die ad id quod jam cœperat, id eſt, *Odivi Eccleſiam malignantium*, etiam addit quod ſequitur: *Lavabo inter innocentes manus meas.*

7. Verum cum eligit eſſe in congregatione multorum, numquid eliget eſſe magiſter qui nondum diſcipulus fuit, & docere quod didicit numquam? Et quomodo aut in ſe, aut in aliis motus irrationabiles poterit temperare? *Nemo umquam carnem ſuam odio habuit.* (*Epheſ. 5. 29.*) Quomodo ergo putatis, ſi jam magiſter ſuus fuerit iſte, quin facile ſibi aliquando eo amplius, quo familiarius condeſcendat? Illuceſcat igitur dies temperantiæ, ut quærat quomodo temperari & refrenari poſſint incontinentes motus voluptatis, beſtiales motus curioſitatis, cervicoſi motus elationis ſuæ. (*4. Temperantiæ.*) Eligat abjectus eſſe in domo Dei ſui, & ſubjectus eſſe magiſtro, ſub quo frangatur ejus voluntas, & obedientiæ freno concupiſcentia reprimatur, ſicque quod ait Propheta: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* (*Pſal. 65. 12.*) Nec dedignandum ſervo, quod præceſſit in Domino: ſiquidem *non eſt ſervus major domino ſuo.* (*Joan. 13. 16.*) Ille enim cum jam creviſſet ætate, ſapientia, & gratia apud Deum & homines; cum jam duodecim annorum eſſet, & remanſiſſet in Jeruſalem, inventus à beata Virgine & Joſeph, cujus filius putabatur, in medio doctorum, audiens illos & interrogans: tamen deſcendit cum illis, *& erat ſubditus illis.* (*Chriſtus Parentibus ſubditus.* *Luc. 2. 51.*) Et tu ergo ſubditus eſto propter illum.

8. Sed jam tibi in ipſa obedientiæ via aliqua fortaſſis dura & aſpera occurrere poſſunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet ſalubria ſint, minus tamen ſuavia videantur. (*Inobedientiæ indicium.*) Hæc ſi moleſte cœperis ſuſtinere, ſi dijudicare prælatum, ſi murmurare in corde: etiamſi exterius impleas quod jubetur, non eſt hæc virtus patientiæ *, ſed velamentum malitiæ. (** lege obedientiæ*) Neceſſe eſt ergo ut illuceſcat dies patientiæ, per quam omnia dura & aſpera tacita amplectaris conſcientia, te magis dijudicans, & durius arguens, cui nimirum diſplicent quæ ad ſalutem ſunt; & in cogitatione tua ſemper partem magiſtri, quoad potes, adverſus temetipſum juvans; te quidem in omnibus accuſare, ipſum vero magis excuſare laborans. (*5. Patientiæ.*)

9. Porro in hoc loco jam cavendum tibi arbitror à ſuperbia. Magnum eſt enim omnino ſic vincere ſemetipſum. *Melior eſt*, ait Salomon, *patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* (*Prov. 16. 32.* *6. Humilitatis.*) Conſi-

Tom III. dera denique quàm manifeſte Propheta doceat neceſ- A ſariam eſſe humilitatem poſt patientiam, dicens: Pſal. 61. 6. *Verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.* Nonne videtur hic occaſione patientiæ tentationem ſenſiſſe ſuperbiæ? Neceſſe eſt ergo ut illuminet cor tuum radius humilitatis, & declaret quid à te ſit, quid à Deo, ut non altum ſapias: quoniam Jac. 4. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.*

10. Jam vero cum in his diutius fueris exercitatus, 7. Devotionis. roga dari tibi devotionis lumen, diem ſereniſſimam, & ſabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles, in laboribus univerſis vivas abſque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: B ut quod prius cum amaritudine & coactione tui ſpiritus faciebas, de cetero jam cum ſumma dulcedine peragas & delectatione. Hanc (ni fallor) gratiam petebat, qui ait: Pſal. 38. 14. *Remitte mihi ut refrigerer.* Ac ſi dicat: Quouſque in ſudore & dolore iſto crucior, & morte afficior tota die? *Remitte mihi ut refrigerer.* Verum, & ad Devotio paucorum eſt. hanc quidem perfectionem pauci (ni fallor) perveniunt in hac vita. Neque enim ſi quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat ſibi neceſſe eſt, maxime ſi novitius eſt, nec * per præfatos aſcenderit gradus. * al. ſed neceſſe. Pius enim Dominus noſter Jeſus-Chriſtus puſillos corde blanditiis talibus ſolet allicere. Sed noverint qui hujuſmodi ſunt, gratiam hanc præſtitam ſi- C bi eſſe, non datam: ut in die bonorum memores ſint malorum, & in die malorum non immemores ſint bonorum. Longe aliter qui exercitatos habent ſenſus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate. Sed multi tota vita ſua ad hoc tendunt, & numquam pertendunt: quibus tamen, ſi pie & perſeveranter conati ſunt, ſtatim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita diſpenſatorie eſt negatum, illoc perducente eos ſola gratia, quo prius tendebant ipſi cum gratia: ut conſummati in brevi, expleant tempora multa.

11. Illis vero qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur reſtare periculum, & omnino timendum eis à dæmonio meridiano: 2. Cor. 11. 14. *Ipſe enim ſa-* D *tanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit; ne, dum ſequitur affectionem, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem; ac deinde neceſſe habeat, non ſine magno ſpiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. 8. Diſcretionis. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari neceſſe eſt lumine diſcretionis, quæ mater virtutum eſt, & conſummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc eſt octava dies, in qua circumciditur puer: quia diſcretio vere circumcidit, ut non plus, nec minus fiat. Nam & qui nimius eſt, fructum boni operis abſcindit, non circumcidit: ſicut qui tepidus eſt, ſi minus fa- E cit. In hac ergo die nomen imponitur, & nomen ſalutis: nec de eo qui ſic converſatur dubitem dicere, quod ſuam ipſius ſalutem operetur. Uſque ad hunc enim diem dicere poſſunt Angeli, qui norunt ſecreta cæleſtia: ſed ego nunc primum ei fiducialiter nomen ſalutis impono. At vero quia omnino rara iſta avis eſt in terris, hujus diſcretionis locum in vobis, Fratres, ſuppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum ſit, faciatis.

IN EPIPHANIA DOMINI,

SERMO PRIMUS.

De verbis Apoſtoli, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei*; & de tribus Chriſti Apparitionibus.

Tit. 3. 4. 1. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Gratias Deo, per quem ſic abundat conſolatio noſtra in hac peregrinatione, in hoc exſilio, A in hac miſeria. Super his namque ſæpius vos admonere curamus, ut numquam mente excidat, peregrinos nos eſſe, longe factos à patria, pulſos hereditate. Quiſquis enim deſolationem non novit, nec conſolationem agnoſcere poteſt. QUISQUIS conſolationem ignorat eſſe neceſſariam, ſupereſt ut non habeat Dei a gratiam. Conſolatio hæc nobis neceſſaria a. Inde eſt quod homines ſæculi, negotiis & flagitiis implicati, dum miſeriam non ſentiunt, non attendunt miſericordiam. Vos quibus non fruſtra dictum eſt, *Vacate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*; Pſal. 45. 11. & de quibus idem Propheta, *Virtutem*, inquit, *operum ſuorum annuntiabit populo ſuo*: Pſal. 110. 6. vos, inquam, B quos non detinet occupatio ſæcularis, attendite quænam ſit conſolatio ſpiritualis. Vos qui non ignoratis exſilium, audite quia de cælo venit auxilium. *Apparuit* enim *benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Miſericordia apparitio in Chriſto. Priuſquam appareret humanitas, latebat benignitas; ſiquidem & prius erat. nam & miſericordia Domini ab æterno eſt. Sed unde tanta agnoſci poterat? Promittebatur, ſed non ſentiebatur: unde & à multis non credebatur. Multifarie quippe multiſque modis loquebatur Dominus in Prophetis; Hebr. 1. 1. *Ego*, inquiens, *cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Jerem. 29. 11. Sed quid reſpondebat homo afflictionem ſentiens, pacem neſciens? Ezech. 13. 10. Quouſque dicitis, *Pax, pax, & non eſt pax?* Propter C hoc Angeli pacis amare flebant, dicentes: Iſa. 33. 7. *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Iſa. 53. 1. Sed nunc credant homines vel viſui ſuo: quia *teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis.* Pſal. 92. 5. Ut enim nec turbatum quidem oculum lateat, *in ſole* Pſal. 18. 6. *poſuit tabernaculum ſuum.*

2. Ecce pax non promiſſa, ſed miſſa; non dilata, ſed data; non prophetata, ſed præſentata. Ecce quaſi ſaccum plenum miſericordia ſua Deus Pater miſit in terram; ſaccum, inquam, in paſſione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium noſtrum; ſaccum utique, etſi parvum, ſed plenum. Parvulus ſiquidem datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Poſtquam enim venit plenitudo tem- D poris, venit & plenitudo divinitatis. Venit in carne, ut vel ſic carnalibus exhiberetur, & apparente humanitate benignitas agnoſceretur. Ubi enim Dei innoteſcit humanitas, jam benignitas latere non poteſt. IN QUO enim magis commendare poterat benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam? Meam, inquam, non carnem Adam, id eſt non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret ejus miſericordiam, quàm quod ipſam ſuſcepit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quàm quod Dei Verbum propter nos factum eſt fœnum? Job. 7. 17. *Domine, quid eſt homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Hinc attendat homo, quanta ſit cura ejus Homo à Deo factus. E Deo: hinc ſciat quid de eo cogitet, aut quid ſentiat. Non interroges, ô homo, ea quæ pateris, ſed quæ paſſus eſt ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus eſt, agnoſce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. QUANTO enim minorem ſe fecit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate; & quanto pro me vilior, tanto mihi carior eſt. *Apparuit*, inquit Apoſtolus, *benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Magna plane & manifeſta benignitas Dei & humanitas! & magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit.

3. Et quidem ad Mariam miſſus Gabriel Angelus Fi- F lium Dei loquitur, ſed non nominat Deum. Benedictus Deus, qui talem nobis de nobis ipſis Angelum dedit, ut noſter ipſe ſuppleret quod ille non dixit. Nam & ipſe ſpiritum Dei habuit, & ejus ſpiritu locutus eſt, quod nobis valde neceſſarium fuit. Quid enim ſic inſtruit fidem, ſpem roborat, caritatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sed Angelo noſtro id reſervatum eſt quod alii tacuerunt. Neque enim omnes

a Id eſt, conſequens eſt ut non habeat Dei gratiam, quæ nonniſi petentibus, & miſeriam ſuam agnoſcentibus datur: nec ſervatur niſi iis, qui timent ne eam amittant, infra Sermone 1. poſt Octavam Epiphaniæ num. 3. & ſermone 2. num. 8. Quibus adde ſermonem 2 in pſalmum 90. num 1. Unde ſermone 5 in dedicatione eccleſiæ num. 8. *Excludit miſeria diſſimulatio miſerationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præſumptio dignitatis.* Confer librum 1. de vita Bernardi num 36. & 37.

omnia

omnia dicere congruum erat, ut à diverſis diver[illegible] colligere gratulemur, & de [illegible] ſingulis gra[illegible] referam[illegible]. A[illegible] tamen unum eſt in quo [illegible] Apoſtolus & Ange[illegible] qui [illegible] Chri[illegible] nativitate loquuntur, id eſt in [illegible] Salvatoris. Ad Mariam quidem tamquam plenam edoctam per Spiritum, Gabriel loquens indicat nomen ſolum. *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jeſum*. Ad Joſeph veniens Angelus non ſolum nomen protulit, ſed & cauſam ejus interpretatus edocuit, dicens. *Et vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Sed & paſtoribus quoque annuntiatur gaudium magnum, natum illis Salvatorem Chriſtum Dominum. Simile aliquid Paulus loquitur. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Bene dulce nomen nullus ex ipſis tacuit, qui hoc mihi maxime neceſſarium fuit. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? Numquid non fugerem, ſicut Adam qui à facie ejus fugit, ſed non effugit? Nonne deſperarem, audiens quia venit ille, cujus legem ſic prævaricatus ſum, cujus patientia ſic abuſus ſum, cujus beneficio tam ingratus inventus ſum? Quæ vero major conſolatio poterat eſſe, quam in dulci vocabulo, in nomine conſolatorio. Propterea & ipſe dicit, quia *non venit Filius ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Jam confidenter accedo, jam ſupplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ei ſoli peccavi: donatum erit quidquid indulſerit ille: utique enim licet ei quod vult facere. Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Aut quis accuſabit adverſus electos Dei? Propterea gaudere nos oportet, quod in noſtra venerit; nunc enim facilis ad indulgentiam erit.

Salvatoris nomen amabile. — *Luc. 1. 31.* — *Matt. 1. 21.* — *Luc. 2. 6.* — *Tit. 3. 4.* — *Joan. 3. 17.* — *Rom. 8. 33.*

4. Denique parvulus eſt: leviter placari poteſt. Quis enim neſciat, quia puer facile donat? Ecce ſi non fuerit nobis pro minimo, poſſumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen ſine pœnitentia: ſed quia minimum quiddam ſit noſtra ipſa pœnitentia. Pauperes ſumus, parum dare poſſumus: attamen reconciliari poſſumus pro parvo illo, ſi volumus. Totum quod dare poſſum, miſerum corpus iſtud eſt: illud ſi dedero, ſatis eſt. Si quo minus, addo & corpus ipſius, nam illud de meo eſt, & meum eſt. *Parvulus* enim *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* De te, Domine, ſuppleo, quod minus habeo in me. O dulciſſima reconciliatio! ô ſatisfactio ſuaviſſima! ô vere reconciliatio facilis, ſed perutilis! ſatisfactio parva, ſed non parvipendenda! Etenim quam facilis modo, tam difficilis erit poſtea: & ſicut modo nemo eſt, qui reconciliari non poſſit, ita poſt paululum nemo qui poſſit: quoniam ſicut benignitas apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem humanam æſtimationem: ſimilem exſpectare poſſumus judicii diſtrictionem. Noli ergo contemnere Dei miſericordiam, ſi non ſentire vis juſtitiam, ſed iram, ſed indignationem, ſed æmulationem, ſed furorem. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ut enim ſcires quanta diſtrictio ſuccedit, tanta illam manſuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immenſus eſt enim Deus & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia: multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum. Sed miſericordia quidem priora ſibi vindicat: ut ſi voluerimus, diſtrictio invenire non poſſit in quem ſæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliari ſeveritatem videamus ſecuri. Propterea voluit non ſolum ad terras deſcendere, ſed etiam innoteſcere; non ſolum naſci, ſed & agnoſci.

Pœnitentia [illegible] eſt qua Deo reconciliamur. — *Iſa. 9. 6.* — *Reconciliatio [illegible] Deo nunc facilis eſt, poſtea difficilis.* — *Ex magnitudine præſentis miſericordiæ colligenda ſeveritas futuræ juſtitiæ.*

5. Denique propter hanc agnitionem dies iſta celebris habetur, & inſignis dies Apparitionis. Hodie enim Magi ab Oriente venerunt, ortum Solem juſtitiæ requirentes, eum de quo legitur: *Ecce vir, Oriens nomen illi.* Hodie adoraverunt novum Virginis partum, ſequentes novi ſideris ductum. Nonne & hic nobis eſt magna conſolatio, ſicut in illo, de quo locuti ſumus, Apoſtoli verbo? Ille dixit Deum: iſti non voce, ſed opere dicunt. Quid facitis, ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus eſt iſte? Deus certe in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes ejus: & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in matris gremio? Quid facitis, quod & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curiæ frequentia Joſeph & Maria? Quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, ut adorent parvulum deſpicabilem tam ſua ætate, quam paupertate ſuorum? Inſipientes facti ſunt, ut fierent ſapientes, & prædocuit eos Spiritus quod poſtea prædicavit Apoſtolus: *Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Quia enim per ſapientiam mundus in ſapientia ſua Deum cognoſcere non poterat, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Nonne timendum erat, Fratres, ne ſcandalizarentur viri iſti, & illuſos ſe crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate, ubi Regem quærendum conjectabant, ad Bethlehem villam parvulam diriguntur: ingrediuntur ſtabulum, inveniunt involutum pannis Infantulum. Non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantia: procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit: & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem, & Magorum devota veneratio devotam fecit & venerabilem.

Prima Apparitio Magis facta. — *Zach. 6. 12.* — *Magorum fides & pietas.* — *1. Cor. 3. 18.* — *1. Cor. 1. 21.*

6. Nec ſola hæc apparitio, ſed altera quædam, ſicut a Patribus noſtris accepimus, hodie celebratur: quæ, etſi longo poſt tempore, facta creditur hoc ipſo die. Cum enim jam Chriſtus triginta annorum tempus exegiſſet in carne, qui ſecundum divinitatem idem ipſe eſt, & anni ejus non deficiunt, inter populares turbas ad baptiſmum Johannis advenit: venit tamquam unus è populo, qui ſolus erat ſine peccato. Quis eum tunc crederet Filium Dei? quis putaret Dominum majeſtatis? Valde quidem humiliaris, Domine: in imis abſconderis, ſed Johannem latere non poteris. Nonne ipſe eſt, qui per maternum uterum, te nondum natum nondum natus agnovit? Nonne ipſe eſt qui per utriuſque materni uteri parietes te agnovit; & quia turbis clamare non potuit, ſaltem matrem ſuam motu exſultationis edocuit? Nunc autem quid? *Videt eum Johannes*, ait Evangeliſta, *venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vere Agnus, vere humilis, vere manſuetus. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* En ipſe qui purgationem faciat delictorum, ecce ſentinam noſtram purgaturus advenit: & tamen poſt hoc teſtimonium baptizari vult a Johanne. Tremit ille. Quid mirum? Quid, inquam, mirum, ſi tremit homo, nec audet attingere ſanctum Dei verticem, caput adorandum Angelis, reverendum Poteſtatibus, tremendum Principatibus? Baptizari vis Domine Jeſu? Ut quid enim, aut quid tibi opus fuit baptiſmate? Numquid ſano opus eſt medicina, aut mundatione mundo? Unde tibi peccatum, ut baptiſma ſit neceſſarium? Numquid à Patre? At Patrem quidem habes, ſed Deum; & æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non poſſe quis neſciat? An vero de Matre? Nam & Matrem habes, ſed virgo eſt. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuiſti, quæ te ſine iniquitate concepit, & ſalva integritate peperit? Quam maculam habere poteſt Agnus ſine macula? *Ego*, inquit Johannes, *à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Magna utrimque humilitas, ſed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modo*, inquit Dominus: *decet enim ſic nos implere omnem juſtitiam.* Acquievit Johannes, & obedivit: baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit. Nos abluti ſumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoſcuntur ablutæ.

Secunda Apparitio in Baptiſmo. — *Joan. 1. 29.* — *Chriſti baptizati [illegible] humilitas.* — *Matt. 3. 14.* — *Ibidem 15.*

7. Sed fortaſſis minus credis Johannis teſtimonio,

Tom. III.

Columbæ teſtimonium de Chriſto.

quia & ipſe homo eſt, & potes habere ſuſpectum; cognatus ejus eſt cui teſtimonium perhibet. Ecce teſtimonium majus Johanne teſtimonium advenientis columbæ. Nec incongrue ad indicandum Agnum Dei venit columba: quia nihil melius agno convenit quàm columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus eſt. Summa utriuſque innocentia, ſumma manſuetudo, ſumma ſimplicitas. Quid enim ſic alienum ab omni malitia, ſicut agnus & columba? Nocere cuiquam neſciunt, lædere non noverunt. Sed ne fortuito caſu id eveniſſe cauſeris, ecce teſtimonium Dei Patris. Ecce Deus majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas, & *Vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Vere enim hic eſt, in quo non eſt quod Patri diſpliceat, quod oculos majeſtatis offendat. Unde & ipſe ait: *Quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Ipſum*, inquit, *audite.* Ecce, Domine Jeſu, vel jam nunc loquere. Quouſque ſiles? quouſque diſſimulas? Diu tacuiſti, & valde diu: ſed jam nunc loquendi licentiam habes a Patre. Quamdiu Dei virtus & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis & inſipiens lates in populo? Quamdiu, nobilis Rex, & Rex cæli, fabri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Evangeliſta teſtatur, *quoniam adhuc filius Joſeph putabatur.* O humilitas, virtus Chriſti! ô humilitatis ſublimitas! quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis? Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, & jam ſilere non poſſum, impudenter me & imprudenter ingerens & oſtentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cum ſeipſum abſcondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria Patris? Utique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat eſſe timendum: nobis cavebat, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere: & quod poſtea docuit verbo, jam clamabat exemplo: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio: extunc jam uſque ad hunc triceſimum annum nihil invenio. Nunc vero jam latere non poteſt, qui tam manifeſte demonſtratur à Patre. Nam in prima quoque apparitione cum Matre virgine voluit apparere, quod verecundia quædam in virginitate ſignaretur.

Pſal. 28. 3.
Matt. 3. 17.
Johan. 8. 29.
Luc. 3. 23.
Chriſti humilitas latere & ſilere volentis ad annum 30.
Matt. 11. 29.

Tertia Apparitio in nuptiis.
Johan. 2. 11.

8. Tertia quoque apparitio ejus in Evangelio invenitur: & hæc nihilo minus hodie celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente, compaſſus eorum verecundiæ, aquam mutavit in vinum. *Hoc etiam*, ſicut ait Evangeliſta, *ſignorum ejus fuit initium.* Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit: in ſecunda vero, verum eſſe Dei Filium Patris indicat teſtimonium: in tertia vero, verus eſſe Deus demonſtratur, ad cujus imperium natura mutatur. Tot teſtimoniis hodie confirmatur fides noſtra, tot indiciis roboratur ſpes noſtra, tot incentivis inflammatur caritas noſtra.

IN EPIPHANIA DOMINI,

Sermo secundus.

De Magis, ubi exponitur illud de Canticis, *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem.*

Tres apparitiones Domini.

1. TRes apparitiones Domini legimus, una quidem die, ſed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis ſecunda, mirabilis tertia; ſed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Johannis & columbæ pariter & paternæ vocis atteſtatio; ſed illud mirabile magis, quod agnitus eſt à Magis. Nam quod Deum agnoſcant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec ſolum Deum, ſed & Regem agnoſcunt, quod deſignatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis ſacramentum: unde & in myrrha indicant moriturum. Adorant Magi, & offerunt munera adhuc ſugenti matris ubera. Sed ubi eſt, ô Magi, ubi eſt purpura Regis hujus? Numquid viles panni iſti, quibus eſt involutus? Si Rex eſt, diadema ejus ubi eſt? Sed vos eum vere videtis in diademate, quo coronavit eum mater ſua, in ſacco mortalitatis, de quo reſurgens ait: quia *conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua, &c.* Egredimini virtutes angelicæ, incolæ civitatis ſupernæ. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Sed his deliciis uſque modo caruiſtis, hanc hactenus dulcedinem non guſtaſtis. Habetis ſublimitatem ejus, ſed humilitatem ejus non vidiſtis. Egredimini igitur, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua.

Pſal. 29. 12.
Cant. 3. 11.
Angeli invitantur ad videndum illum.

2. Verumtamen non eſt opus illis noſtra exhortatione, quoniam ipſi ſunt, qui deſiderant in illum proſpicere. Illis enim quanto ſublimitas notior, tanto humilitas pretioſior & amabilior eſt. Unde licet nobis major ſit cauſa lætitiæ (nobis enim natus eſt, & nobis datus:) tamen ipſi nos præveniunt, ipſi nos exhortantur. Probat hoc Angelus, qui gaudium magnum evangelizat paſtoribus, & quæ cum eo facta eſt multitudo cæleſtis exercitus. Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ ſæculares, debiles, delicatæ filiæ, & non filii, in quibus nihil eſt fortitudinis, nihil eſt virilis animi: *Egredimini, filiæ Sion.* Egredimini de ſenſu carnis ad intellectum mentis, de ſervitute carnalis concupiſcentiæ ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra veſtra, & de cognatione veſtra, & de domo patris veſtri, *& videte regem Salomonem:* alioquin non erit tutum vobis videre eum Eccleſiaſten. Idem enim qui Salomon, id eſt pacificus, in exſilio * eſt, Eccleſiaſtes, id eſt concionator, erit in judicio: Idida, id eſt dilectus Domini, in regno. In exſilio manſuetus & amabilis, in judicio juſtus & terribilis, in regno glorioſus & admirabilis. Egredimini igitur, & videte regem Salomonem: nam ubique Rex eſt. Licet enim regnum ejus non ſit de hoc mundo, tamen Rex eſt etiam in hoc mundo. Interrogatus ſiquidem, *Ergo Rex es tu? Ego*, inquit, *in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum.* Hic ergo rector eſt morum, in judicio diſcretor meritorum, in regno diſtributor præmiorum.

Luc. 2. 10.
Chriſtus hic, in judicio, & in regno, qualis.
Johan. 18. 37.

3. Egredimini proinde, filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua, in corona paupertatis, in corona miſeriæ. Siquidem coronatus eſt & à noverca ſua corona ſpinea, corona miſeriæ: coronandus à familia ſua corona juſtitiæ, quando exibunt Angeli, & tollent de regno ejus omnia ſcandala, quando veniet ad judicium cum ſenioribus populi ſui; cum pugnabit pro eo orbis terræ adverſus inſenſatos. Coronat eum & Pater corona gloriæ, ſicut ait Pſalmiſta: *Gloria & honore coronaſti eum, Domine.* Videte eum, filiæ Sion, in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Suſcipite coronam parvuli propter vos Regis veſtri, & una cum Magis humilitatem ejus adorate, quorum fidei devotio vobis hodie proponitur in exemplum. Cui enim comparabimus, & cui ſimiles æſtimabimus viros iſtos? Si Latronis fidem, ſi Centurionis confeſſionem conſidero, in eo ſupercxcellere videntur iſti, quod jam tunc miracula multa fecerat, jam tunc à multis prædicatus fuerat, à multis adoratus. Attamen conſideremus quid & illi dixerint. Clamabat Latro de cruce: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Ergone per ſupplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam? Tu quoque, Centurio, eum unde noſti? *Videns quod ſic clamans exſpiraſſet, Vere*, inquit, *hic homo filius Dei erat.* Mira res, & omni admiratione digna!

Pſal. 8. 6.
Magorum fides & devotio excellit Latronis & Centurionis fidem.
Luc. 23. 42.
Marc. 15. 39.

* Quæ abhinc ſequuntur ad finem ſectionis, totidem verbis leguntur in Sermone 50. de diverſis.

4. Propterea rogo vos, intuemini & videte quam oculata ſit [illegible] quàm lynceos oculos habeat, diligentius conſiderate. Cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. ſiquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: ille clavis infixum, iſti pannis involutum: Centurio vero vitam agnovit in morte. Iſti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille ſummum Spiritum in exſpiratione. Iſti Dei Verbum in infantia cognovere: [illegible] quidem quidquid illi ſermonibus, iſti muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio Dei Filium ſimul & hominem pronuntiat. Et quid hæc tria ipſa Magorum munera indicant, niſi quod in thure non tam Dei Filium monſtravere, quam Deum? Obſecramus ergo, cariſſimi, proſit vobis tanta caritas, quam nobis Deus majeſtatis exhibuit; tanta humilitas, quam ſuſcepit, tanta benignitas, quæ nobis per Chriſti humilitatem apparuit. Agamus gratias Redemptori & Mediatori noſtro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. ſiquidem talem jam novimus ejus animum, ut non immerito dicamus: *Sic currimus, non quaſi in incertum.* Profecto enim tale eſt erga nos cor Dei Patris, quale nobis expreſſit qui de ejus corde proceſſit.

1. Cor. 9. 26.

IN EPIPHANIA DOMINI,

Sermo tertius.

De lectione evangelica, *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?*

Diebus ſollemnibus qualis ſermonis conveniant.

1. Neceſſarium nobis videtur, Fratres, juxta ceterarum ſollemnitatum conſuetudinem, etiam ſollemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdum enim contra vitia loquimur, & genus illud ſermonis perutile: ſed diebus ceteris videtur opportunius convenire. Feſtivis autem, & maxime in præcipuis ſollemnitatibus, magis circa ea quæ ſollemnitatis ſunt, immorandum videtur: ut pariter & erudiatur animus, & excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis quod neſcitis; aut quomodo ſcietis, niſi annuntietur vobis? Propterea non ſit moleſtum his qui ſunt in lege periti, ſi parum doctis morem gerimus, ut exigit ratio caritatis. Credo enim ne ipſos quidem ſuis epulis eſſe fraudandos, ſi minus eruditis, tamquam popularibus turbis, groſſiores prius appoſuerint cibos. Ita vero apponent, ſi fraternæ caritatis intuitu placuerint eis quæ neceſſaria ſunt non ſatis intelligentibus, etſi fortaſſe minus neceſſaria videantur. Sic autem fragmenta poſtmodum recolligent ſibi ipſis, ſi diligentius recogitantes ſubtiliora quæque, tamquam munda animalia ruminaverint, quæ parum intelligibiles animos præ ſubtilitate effugerint.

2. Sollemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quippe apparitio eſt. Hodie ergo Apparitio Domini celebratur, non tantum una, ſed trina, ſicut à Patribus noſtris accepimus. Hodie enim parvulus Rex noſter, paucis à nativitate diebus tranſactis, ſtella declarante primitiis Gentium apparuit. Hodie quoque, cum jam triginta ferme in diſpenſatione carnis egiſſet annos (qui ſecundum divinitatem idem ipſe eſt, & anni ejus non deficiunt) inter populares turbas abſconditus, ad Jordanem baptizandus advenit; ſed teſtimonio Dei Patris innotuit. Hodie nihilo minus cum Diſcipulis ſuis vocatus ad nuptias, deficiente vino, ſigno admirabili ſuæ potentiæ aquas in vinum mutavit. Sed delectat eam, quæ in infantia Salvatoris facta eſt, apparitionem diligentius intueri, quoniam & dulciſſima eſt, & ſpecialius hodie noſcitur celebrari.

Trina Domini apparitio hodie celebratur.

3. Hodie ergo, ſicut audivimus in evangelica lectione, Magi Jeroſolymam venerunt ab Oriente. Merito ſane ab Oriente veniunt, qui Solis juſtitiæ novum nobis ortum annuntiant, qui lætis rumoribus totum mundum illuminant: niſi quod infelix Judæa, quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur, & caligantes oculi ejus coruſcante radio Solis æterni multo magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Quam certa fides, & nihil penitus hæſitans! Non quærunt utrum natus ſit: ſed fiducialiter loquuntur, & interrogant ſine dubitatione, ubi ſit qui natus eſt Rex Judæorum. Porro audito nomine Regis, rex Herodes ſucceſſorem ſuſpicatus expavit. Nec mirum, ſi turbatur Herodes: ſed quod Jeruſalem civitas Dei, quæ viſio pacis eſt, cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, Fratres, quantum noceat iniqua poteſtas: quomodo caput impium ſubjectos quoque ſuæ conformat impietati. Miſera plane civitas, in qua regnat Herodes: quoniam Herodianæ ſine dubio particeps erit malitiæ, & ad novæ ſalutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minime regnabit, etiamſi adeſſe contingat. quod & ipſum Deus avertat. Nam Herodiana malitia & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere religionem, & allidere parvulos Iſraëlis. Si quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur; quicumque reſiſtit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Iſraelitici germinis necare conatur; immo cum Herode naſcentem perſequitur Salvatorem. Sed jam inchoatam proſequamur hiſtoriam. Credo ſi quis conſcius eſt hujus rei, ſtudioſius ſibi cavebit de cetero; & Herodianum exſecrabitur animum, ne ſimilem exitum ſortiatur.

Herodes & Jeruſalem turbatur.

Matth. 2. 2.

Regis enim [illegible] ſubditos redundat.

Religionem naſcentem perſequi Herodianum eſt.

4. Ergo quærentibus Magis Regem Judæorum, & ſciſcitante a Scribis Herode Dominicæ nativitatis locum, illi juxta Prophetam nomen civitatis edicunt. Cumque receſſiſſent Magi, & reliquiſſent Judæos, *Ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Hinc manifeſte datur intelligi, quoniam humanum flagitantes conſilium, divinum amiſere ducatum; & converſos ad terrenum documentum, ſignum cæleſte deſeruit. Unde & relicto Herode, continuo gaviſi ſunt gaudio magno valde. Stella enim antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi puer erat. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Unde vobis hoc, ô alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Iſrael. Sic vos non offendit vilis habitatio ſtabuli, non pauperes cunæ præſepii? Non vos pauperis matris præſentia, non lactentis infantia ſcandalizat?

Conſilium humanum ſequentes, amittunt divinum.

5. Denique *apertis theſauris ſuis*, ait Evangeliſta, *obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Si ſolum obtuliſſent aurum, videri fortaſſe poterant paupertati matris voluiſſe conſulere, ut haberet nimirum unde parvulum poſſet filium educare. Nunc autem offerentes pariter aurum, thus, & myrrham; ſine dubio ſpiritualis oblationis genus inſinuant. Aurum enim inter divitias ſæculi videtur excellere: quod per ejus gratiam omnes nos devote obtulimus Salvatori, cum pro ejus nomine ex integro dereliquimus ſubſtantiam hujus mundi. Jam vero neceſſe eſt, ut qui perfecte terrena contempſimus, flagranti deſiderio cæleſtia requiramus. Sic enim offerimus & thuris odoramentum; quo nimirum, ut in Apocalypſi beati Johannis legis, ſignificantur orationes ſanctorum. Unde & Propheta in pſalmo: *Dirigatur*, inquit, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Sic & in alio loco legis, quia *oratio juſti cælos penetrat. Oratio*, inquam, non cujuſlibet, ſed *juſti. Nam qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit exſecrabilis.*

Magorum dona moraliter explicata.

Apoc. 5. 8.

Pſal. 140. 2.

Eccleſ. 35. 21.

6. Porro ſi juſtus eſſe volueris, & non avertere aurem tuam à mandatis Domini, ne avertat & ipſe ſuam à precibus tuis: neceſſe eſt ut non ſolum præſens ſæculum contemnas, ſed & ipſam carnem caſtiges, & ſubjicias ſervituti. Nam qui dixit, *Niſi quis abrenuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; & alibi, *Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*; idem ipſe in alio loco ait: *Qui vult venire poſt me*;

Luc. 14. 33.

Matt. 19. 21.

Luc. 9. 23.

Tom. III. Gal. 5. 24.

abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quod exponens Apoſtolus, *Quicumque*, inquit, *ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Duas igitur alas habeat oratio noſtra, contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium quin cælos penetret, & dirigatur ſicut incenſum in conſpectu Dei. Erit enim gratum ſacrificium, & acceptabilis oblatio noſtra, in qua cum auro & thure fuerit etiam & myrrha: quæ licet amara ſit, tamen perutilis eſt, & conſervat corpus, quod mortuum eſt propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. Hæc breviter pro imitanda Magorum oblatione ſint dicta.

Orationis alæ, mundi contemptus, & afflictio carnis.

7. Ceterum quoniam Apparitionem hanc eſſe diximus, quid in ea appareat, dignum eſt ut quæramus. Utique ſecundum verba Apoſtoli, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Ecce enim in Evangelica lectione audivimus, quoniam *intrantes domum Magi invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* In infantili corpore, quod virgineo mater fovebat in gremio, quid niſi veritas ſuſceptæ carnis apparuit? Quid in eo quod cum matre parvulus invenitur, niſi verus homo & verus hominis filius declaratur? Jam vero & in ſecunda apparitione vide ſi non manifeſte vocis paternæ teſtimonio Dei Filius approbatur. Cæli namque aperti ſunt ſuper eum, & deſcendit Spiritus-ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in illum, & vox Patris audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Satis equidem manifeſtum eſt ex hoc ipſo, ſatis evidens & indubitabile, quoniam Dei filium neceſſe eſt Deum eſſe. Nam & filios hominum homines, & ipſorum quoque animalium fœtus ex eodem cum eis genere eſſe nemo eſt qui dubitet. Verumtamen ut nullus ſacrilego errori remaneat locus; qui in prima apparitione verus homo & filius hominis eſt declaratus, & in ſecunda verus nihilo minus Dei filius; in tertia jam verus Deus & auctor naturæ probatur, ad cujus nutum natura mutatur. Nos ergo, dilectiſſimi, Chriſtum Jeſum diligamus ut verum hominem & fratrem noſtrum, honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum. Secure credamus in eum, ſecure credamus ei nos ipſos, Fratres mei, cui nec poteſtas deeſt ſalvandi nos, cum ſit verus Deus, & Dei filius: nec bona voluntas, cum ſit tamquam unus ex nobis verus homo, & hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus eſt ſimilis nobis paſſibilis?

Tit. 3. 4. Matt. 2. 11. Apparitionis triplicis ratio. Matth. 3. 17. Fiducia in Chriſto motivum.

8. Jam ſi deſideratis ſuper his apparitionibus aliquid ad ædificationem morum audire, illud attendite, quod primo omnium Chriſtus appareat puer cum Virgine matre, ut ſimplicitatem & verecundiam ante omnia quærendam nobis doceat eſſe. Nam & pueris ſimplicitas naturalis, & cognata virginibus verecundia eſt. Omnibus ergo nobis in converſionis noſtræ initio nulla magis virtus neceſſaria eſt, quam ſimplicitas humilis, & gravitas verecunda. In ſecunda vero apparitione venit Salvator ad aquas baptiſmi, non quidem lavandus, ſed magis à Patre teſtimonium accepturus. Hæ ſunt lacrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, ſed beneplacitum quæritur Dei Patris: cum deſcendit in nos ſpiritus adoptionis filiorum, teſtimonium perhibens ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei, ut mellifluam nobis vocem de cælo videamur audire, quia vere Deus Pater in nobis complaceat ſibi. Nec parum diſtat inter has lacrymas devotionis, & ætatis utique jam virilis; atque eas, quas primæva ætas inter infantiæ vagitus emiſit, lacrymas utique pœnitentiæ & confeſſionis. Verumtamen longe amplius utriſque præcellunt aliæ quædam lacrymæ, quibus & infunditur ſapor vini. Illas enim lacrymas vere in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compaſſionis affectu in fervore prodeunt caritatis: pro qua etiam ad horam tui ipſius immemor eſſe ſobria quadam ebrietate videris.

Apparitiones quid ad mores.

SERMO
IN OCTAVA EPIPHANIÆ,

De circumciſione, baptiſmo, & verbo Domini ad Johannem, *Sic decet nos implere omnem juſtitiam.*

Joſue 5. Originalis peccati rubiginem olim durum, nunc facile.

1. Populo duræ cervicis cultellus erat neceſſarius, & lapideis cordibus merito cultri lapidei debebantur, qualibus à Jeſu Nave facta circumciſio memoratur. Noſter autem Jeſus, tamquam agnus manſuetus, omnem auſteritatem abſtulit. Domine, agnus es cum lana & lacte veniens: aufer à me, obſecro, cultellum iſtum. Durum enim videtur & crudele, parvulo recens nato cultrum lapideum adhibere. Sic agit miſericors. Duritiam duris bene congruam ſervis, filiis commutavit in manſuetudinem: ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facile lavet aqua. Nihil ergo mirum, ſi pro diverſitate temporum mutata ſint Sacramenta, ut daretur utriſque quod congruum erat eis. Ipſe vero Chriſtus utrumque ſuſcepit: ut tamquam lapis angularis utrique parieti cohæreret, ac ſi duarum capita corrigiarum conſuendo connecteret: ſicut & Paſcha figuratum ipſe complevit, & verum protinus inchoavit.

Chriſtus cur circumcidi voluit. 1. Ratio.

2. Sed & propterea voluit circumcidi, ut oſtenderet auctorem ſe eſſe veteris Legis, ſicut & Evangelii: quoniam qui per ſeipſum ait, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-ſancto, non intrabit in regnum cælorum*; ipſe idem per ſervum ſuum prius dixerat, *Omnis anima, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit de populo ſuo.* Quod ſi ſolum baptiſma ſuſcepiſſet, videri poterat refugiſſe circumciſionem, tamquam nihil ad ſe pertinentem. Si vero circumcideretur & non baptizaretur, quando mihi perſuaderi poſſet baptizari, circumciſione relicta? Nunc itaque poſt circumciſionem baptiſma ſuſcipiens, illud mihi tenendum tradidit, quod ultimo ſuſcepit.

2. Ratio. Johan. 3. 5. Gen. 17. 14.

3. Denique communitatis amator & commendator, qui habitare facit unius moris in domo, quomodo communitatem deſereret, & alios ſcandalizaret? Sic enim ſcandalizarentur videntes eum non circumcidi, ſicut hodie ſcandalizaretur Eccleſia, ſi infantem videret non baptizari. Nec ſolum communitatis & unitatis bonum commendare, ſed humilitatem voluit exhibere: ut ligaturam vulneratorum ſuſciperet, qui ſolus erat abſque vulnere. Hinc enim Apoſtolus dicit: *Miſit Deus Filium ſuum in mundum, natum ex muliere, factum ſub lege.*

3. Ratio. Pſal. 67. 7. Galat. 4. 4.

4. Verum ne quis forte diceret, quod circumciſus eſt, parentes fecerunt, parvulus enim erat: jam triginta annorum ad baptiſmum ipſe perrexit. Inclinatur ſub Baptiſtæ manibus caput tremendum poteſtatibus, & principatibus adorandum. Quid mirum ſi Baptiſta contremuit? Quis vel ipſa cogitatione non contremiſcat? O quàm altum erit in judicio caput, quod modo ſic inclinatur! & vertex qui modo tam humilis videtur, quàm ſublimis & excelſus tunc apparebit! *Sine*, inquit, *modo: ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Siquidem qui in plenitudine temporis venit, & in quo habitat plenitudo divinitatis, nihil novit niſi plenum. Nam & legem non venit ſolvere, ſed implere. Eſt autem juſtitia quædam ſtricta & anguſta valde, ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas: nec præponere ſe æquali, nec æquare præpoſito. Hujus definitio eſt, reddere unicuique quod ſuum eſt. Altera latior & amplior juſtitia, nec æquare ſe pari, nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & gravis eſt ſuperbia, præferre ſe æquali, aut æquare prælato: ita magnæ humilitatis eſt, inferiorem ſe exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena juſtitia eſt, ſe inferiorem exhibere etiam ipſi inferiori. Sicut enim ſumma & intolerabilis ſuperbia eſt, ſuperiori ſe præponere: ita inferiori ſe ſupponere *, ſumma & plena juſtitia eſt. Quod

Chriſti humilitas in baptiſmo. Matth. 3. 15. Matth. 5. 17. Juſtitia duplex, ſtricta, & lata. * al. ſubdere.

Marc. 1. 14. Johannes ait: *Ego a te debeo baptizari*. de prima fuit, quia ſuperior ſe ſubdidit: quod autem Chriſtus fecit, de plena juſtitia fecit, ſiquidem ille ſervuli ſui manibus ſe inclinavit.

5. Videat nunc quiſque quem imitetur, hunc, an eum qui extollitur ſuper omne quod creditur Deus, aut quod colitur. Studeamus & nos, obſecro, Fratres, adimplere omnem juſtitiam. Ipſa enim eſt via per quam ad lætitiam venitur. Nam lætitia præmium eſt, juſtitia vero meritum & materia. Nam de ipſa juſtitia erit lætitia noſtra, quando Chriſtus apparebit vita noſtra, & nos apparebimus cum ipſo in gloria: quoniam ipſe eſt qui factus eſt nobis à Deo Patre juſtitia. Beati vero, qui etiam nunc de juſtitia lætantur, & exhilarantur in conſcientiis ſuis, ſugentes mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Nunc enim * videtur laborioſa juſtitia: ſed veniet quando in ſuavitate & jucunditate ſine omni labore deſideretur & habeatur, ametur & percipiatur, quando fruemur ipſa juſtitia. Væ autem his qui prætergrediuntur viam, qui relicta juſtitia, vanam & tranſitoriam lætitiam quærunt. Cum enim de tranſitoriis quærunt lætitiam, non poterit non tranſire, tranſeuntibus his de quibus erat. Sicut enim lignis deficientibus deficit ignis: ſic mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, haud dubium quin & lætitia quoque.

Juſtitia labor & fructus. — * al. autem

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ,

SERMO PRIMUS.

De miraculo facto in nuptiis; & de eo quod Dominus ait, *Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis.*

1. IN lectione ſancti Evangelii, Fratres, hodie audivimus, quia Dominus noſter ivit ad nuptias. Faciamus ergo quod alibi monet, & ſtudeamus ſimiles fieri *hominibus exſpectantibus dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis*. Nam tenenti carrucam in agro, & vendenti aliquid, vel ementi in foro, non dicimus: Quid exſpectas? neque enim ſimiles ſunt exſpectantibus. Ei vero quem videmus ſtare ante januam, pulſare crebrius, ſæpius ſuſpicere ad feneſtras; nihil mirum ſi dicitur: Quid exſpectas? Illi ergo ſunt ſimiles exſpectantibus, qui non ſurda aure audierunt: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus*. Veniet Dominus exſpectantibus eum in veritate, qualis erat qui dicit: *Exſpectans exſpectavi Dominum*. Veniet tamquam revertens à nuptiis, inebriatus vino caritatis, & immemor iniquitatum noſtrarum. Veniet non exſpectantibus, tamquam revertens à nuptiis, tamquam potens crapulatus à vino. Vere * ebrius, & immemor miſerationum ſuarum. Tunc enim, quantum ad illos, obliviſcetur miſereri Deus. Veniet in ira & indignatione, tamquam furibundus: ſed, ô Domine, ne in furore tuo arguas me. Hæc modo non tam de præſentibus nuptiis, quàm pro earum occaſione ſint dicta.

Luc. 12. 36 — Pſal. 45. 11. — Pſal. 39. 2. *Adventus Domini ſecundus ſeverus* — * al. Veniet

2. Jam vero ſequamur una cum Diſcipulis ad nuptias euntem Dominum, ut videntes quod facturus eſt, pariter credamus cum illis. *Deficiente vino dixit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.* Compaſſa eſt enim eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Quid, inquam, mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nonne qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſervabit odorem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus requievit? Nam & ante mentem replevit, quàm ventrem! & cum proceſſit ex utero, ab animo non receſſit. Durior fortaſſe & auſterior videri poſſet reſponſio Domini: ſed noverat ille cui loqueretur; & quis loqueretur, illa non ignorabat. Denique ut ſcias quomodo reſponſum ipſum acceperit, aut quantum de Filii benignitate præſumpſerit, ait miniſtris: *Quæcumque præceperit vobis ſervate.* & *facite*.

Johan. 2. 3 — *Mariæ clementia.*

3. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ.* Has nunc hydrias purificandis veris Judæis non littera, ſed ſpiritu, neceſſe habemus apponere, vel magis appoſitas demonſtrare. Quia enim nondum pervenit Eccleſia ad perfectam purificationem, quando eam ſibi Chriſtus exhibebit glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi; multis interim purificationibus opus habet, quatenus ſicut abundant peccata, abundet & indulgentia; ſicut multiplicatur miſeria, ſic & miſericordia: niſi quod non ſicut delictum, ita & donum. Gratia enim non ſolum peccata lavat, ſed & merita donat. Sex igitur hydriæ ſunt poſitæ his, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur: de his enim loquimur, quia de his ſumus. Exuimus tunicam veterem: ſed, heu! pejus reinduimus eam. Lavimus pedes noſtros: ſed pejus inquinavimus eos. Sicut ergo quod alius inquinaverat, lavit alius: ſic inquinatos à nobis lavari opus eſt à nobis. Aliena lavit aqua, quos culpa inquinaverat aliena. Nec tamen ſic alienam dixerim, ut negem noſtram: alioquin nec inquinaret. Sed aliena eſt, quia in Adam omnes neſcientes peccavimus: noſtra, quia etſi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis juſto Dei judicio imputabatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non ſit quod cauſeris, ô homo; contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Chriſti, ut ſi gratis venumdatus es, gratis etiam redimaris; ſi neſciens in Adam periiſti, neſciens vivificeris in Chriſto. Neſciſti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus noxias: neſciſti nihilo minus quando in ligno ſalutifero innoxias manus Chriſtus extendit. A primo homine in te manavit macula, qua inquinatus es: à Chriſti latere aqua, qua mundatus es. Nunc jam inquinatus propria culpa, propria nihilo minus aqua mundaberis, ab illo tamen & per illum, qui ſolus eſt purgationem faciens peccatorum.

Joan. II. [...] ſex poſt baptiſmum — *Peccatum originale, eſt alienum.* — *A Chriſto eſt plenum.*

4. Prima ergo hydria & prima purgatio in compunctione eſt, de qua legimus, quoniam *in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Secunda vero confeſſio eſt. Omnia ſiquidem in confeſſione lavantur. Tertia, eleemoſynarum largitio. Hinc enim habes in Evangelio: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Quarta, remiſſio injuriarum, ſecundum quod orantes dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quinta eſt afflictio corporis: unde & oramus *, ut mundi per abſtinentiam, Deo canamus gloriam. Sexta eſt obedientia præceptorum, ſicut audierunt Diſcipuli, quod utinam audire mereamur & nos: *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*. Nimirum quia non erant ſicut hi quibus dicitur: *Sermo meus non capit in vobis*: ſed in auditu verbi obaudierant ei. Hæ ſunt ſex hydriæ poſitæ in purificationem noſtram, quæ vacuæ ſunt & plenæ vento, ſi pro inani gloria obſervantur. Aqua replentur, ſi timore Dei cuſtodiantur: quoniam timor Domini fons vitæ. Aqua, inquam, timor Domini eſt, etſi minus ſapida; ſed optime refrigerans animam noxiis deſideriis æſtuantem. Aqua eſt, quæ jacula inimici ignita poſſit exſtinguere. Nam nec illud diſſonat, quod aqua ſemper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur, atque loca horrenda pavida mente colluſtrat, juxta illud: *Vadam ad portas inferi*. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta caritas foras mittit timorem.

Hydriæ ſex moraliter pro Chriſtianis. — Ezech. 4. 18. [...] — Luc. 11. 41. — Matt. 6. 12. — * In Hymno Ec. [...] ad Primam. — Johan. 15. 3. — Johan. 8. 37. — *Timoris Dei aqua plena.* — Iſai. 38. 10. *Amoris vinum implendæ.*

5. Dicuntur autem lapideæ hydriæ, non tam propter duritiam, quàm propter ſtabilitatem. *Capientes ſingulæ metretas binas vel ternas*. Duæ metretæ, duplex timor: ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi. Sed quia de contingente futuro ſunt iſta, & blandiri poteſt ſibi anima dicens, Poſtquam aliquamdiu in voluptatibus tuis vixeris, ages pœnitentiam, nec iſta jam cariturus, nec periturus in illa: bonum eſt adhibere & tertium, qui utique ſpiritualibus notus eſt, eo utilior, quo de præſenti

Timor duplex.

Tom. III. eſt. Timent enim qui noverunt ſpiritualem cibum, ne A quando forte fraudentur eo. Cibo ſiquidem forti egent qui manum miſerunt ad fortia. [Timor tertius Religioſorum proprius.] Vivant de paleis Ægypti, qui deſerviunt in operibus luti & lateris: nobis fortior cibus eſt neceſſarius, quoniam nobis grandis reſtat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipſe eſt panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. [Matt. 19. 29.] Hic eſt de quo nobis promiſſum eſt, quia centuplum accipiemus in hoc ſæculo. Sicut [a] enim mercenariis & [Centuplum vocum, quale.] quotidianus cibus datur in opere, & merces ſervatur in fine: ſic Dominus vitam æternam in fine reddet, & interim centuplum repromittit, & exhibet. Quid ergo mirum, ſi timet ne perdat hanc gratiam, qui jam conſecutus eſt eam? Hæc eſt metreta tertia, quam ſub B disjunctione ſignanter poſuit, eo quod non omnium ſit: quia nec omnibus centuplum repromiſſum, ſed ſolis qui omnia reliquerunt.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ,

SERMO SECUNDUS.

[al. de mutatione aquæ in vinum.] *De ſpiritualibus nuptiis in evangelica hiſtoria deſignatis* [a].

1. IN operibus Domini, Fratres, & minus capaces animos exterior conſideratio paſcit; & qui ma- [Chriſti, ejuſque operum duplex pulcritudo.] gis exercitatos habent ſenſus, ſolidiorem intus cibum C inveniunt, & ſuaviorem, tamquam adipem medullamque frumenti. Sunt enim & exteriori ſpecie delectabilia, & interiori virtute multo delectabiliora: quemadmodum & ipſe exterius quidem ſpecioſus erat forma præ filiis hominum, interius autem tamquam candor lucis æternæ, etiam ipſis ſupereminens vultibus Angelorum. Apparebat enim foris homo ſine [Iſa. 52. 7.] culpa, caro ſine peccato, agnus ſine macula. Quàm ſpecioſi pedes annuntiantis pacem, annuntiantis bona! ſed multo ſpecioſius & pretioſius caput ejus: quoniam caput Chriſti Deus. Delectabilis aſpectus hominis, in quem peccatum non cadit, & beati oculi [Matt. 5. 8.] qui viderunt: ſed multo magis *beati mundo corde, quo-* D *niam ipſi Deum videbunt*. Denique cum perveniſſet ad nucleum, teſtam jam, licet decoram valde, non re- [2. Cor. 5. 16.] putabat Apoſtolus dicens: *Etſi cognovimus aliquando Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus*. [Johan. 6. 64.] Nimirum quia Dominus ipſe prædixerat: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat*. Sed hæc eſt ſapientia, quam loquitur Paulus inter perfectos, non [1. Cor. 2. 2.] inter eos, quibus legimus ab eodem dictum: *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*. Totus ſuavis eſt, totus ſalubris eſt, to- [Cant. 5. 16.] tus delectabilis, totus denique ſecundum Sponſæ vocem deſiderabilis. Sicut autem in eo oſtenſum eſt; ſic & in operibus ejus reperies. Nam & ſuperficies ipſa, E tamquam à foris conſiderata, decora eſt valde: & ſi quis fregerit nucem, intus, inveniet quod jucundius [Patrum veterum facta quædam ſignificatione decora, etſi opere ipſo fœda.] ſit, & multo amplius delectabile. Non ſic apud Patres veteris Teſtamenti reperies. Nam in operibus eorum decora & delectabilis eſt ſignificatio myſtica: ipſa tamen ſi per ſe conſiderentur, invenientur aliquando minus digna, ut ſunt facta Jacob, adulterium David, & multa ſimilia. Pretioſa quidem ſunt fercula, ſed vaſa non adeo pretioſa. Et fortaſſe propterea [Pſal. 17. 12.] dictum eſt, *Tenebroſa aqua in nubibus aëris*; quoniam tenebroſæ nubes illæ fuerunt: & ſubjunctum eſt de [Ibid. 13.] Domino, *Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt*.

2. Credo jam advertiſtis ad quid hæc dicere velim. [Nuptiarum moralis ſenſus.] Audiſtis enim hodie miraculum factum in nuptiis, initium utique ſignorum Domini: cujus & hiſtoria ſatis eſt admirabilis, & ſignificatio amplius delectabilis. Magnum enim divinæ majeſtatis indicium fuit, ad nutum Domini aquam in vinum converti: ſed eſt illa A multo melior mutatio dexteræ Excelſi, quam in iſta præfiguravit. Omnes enim nos ad ſpirituales nuptias vocati ſumus, in quibus utique ſponſus eſt Chriſtus Dominus. unde canimus in Pſalmo: *Et ipſe tamquam* [Pſal. 18. 6.] *ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Sponſa vero nos ipſi [Chriſti ſponſa tam anima.] ſumus, ſi non vobis videtur incredibile, & omnes ſimul una ſponſa, & animæ ſingulorum quaſi ſingulæ ſponſæ. Sed quando hoc ſentire poterit fragilitas noſtra de Deo ſuo, quod eo affectu ſe [*] diligat, quo dili- [* al. nos.] gitur ſponſa à ſponſo? Multum enim hæc ſponſa ſponſo ſuo inferior genere, inferior ſpecie, inferior dignitate. Attamen propter Æthiopiſſam iſtam de longinquo Filius æterni Regis advenit, & ut ſibi deſponſa- B ret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyſes qui- [Num. 12.] dem Æthiopiſſam duxit uxorem, ſed non potuit Æthiopiſſæ mutare colorem: Chriſtus vero quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam, glorioſam ſibi exhibebit Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret & Maria, non nova, ſed vetus; non Mater Domini, ſed ſoror Moyſi; non noſtra, inquam, Maria; illa enim ſollicita eſt, ſi quid forte deeſt in nuptiis. Vos autem, ut dignum eſt, murmurantibus ſacerdotibus, murmurante Synagoga, toto affectu in gratiarum actione verſamini.

3. Unde enim tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? [Chriſti dilectio in homines.] Unde tibi tam inæſtimabilis gloria, ut ejus ſponſa me- C rearis eſſe, in quem deſiderant Angeli ipſi proſpicere? Unde tibi hoc, ut ipſe ſit ſponſus tuus, cujus pulcritudinem ſol & luna mirantur, ad cujus nutum univerſa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut ſis ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum ſuum? Vide jam quid de Deo tuo ſentias, vide quantum de eo præſumas, vide quibus brachiis vicariæ caritatis redamandus & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimavit, immo qui tanti te fecit. De latere enim ſuo te reformavit, quando propter te obdormivit in cruce, & [*] ſomnum mortis excepit. Propter [* al. add. ob hoc] te à Deo patre exivit, & matrem ſynagogam reli- D quit: ut adhærens ei, unus cum eo ſpiritus efficiaris. [Quantum inde amandus.] Et tu ergo audi, filia, & vide, & conſidera quanta ſit erga te dignatio Dei tui; & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Deſere carnales affectus, ſæculares mores dediſce; à prioribus vitiis abſtine, conſuetudines noxias obliviſcere. Quid enim putas? nonne ſtat Angelus Domini qui ſecet te mediam, ſi forte (quod avertat ipſe) alterum admiſeris amatorem?

4. Jam enim deſponſata es illi, jam nuptiarum pran- [Nunc inde conviviorum eſt prandium, non cœna.] dium celebratur. nam cœna quidem in cælo & in aula æterna paratur. Verumtamen numquid ibi vinum deficiet? Abſit. Inebriabimur ibi ab ubertate domus [Pſal. 35. 9.] E Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum eſt profecto illis nuptiis flumen vini; vini, inquam, quod lætificat cor: ſiquidem fluminis impetus lætifi- [Pſal. 45. 5.] cat civitatem Dei. Nunc autem quoniam grandis nobis reſtat via, prandium quidem accipimus hic, etſi non in tanta copia, quod plenitudo & ſatietas cœnæ reſervetur æternæ. Hic ergo nonnumquam vinum de- [Devotionis gratia per Mariam petenda.] ficit, gratia ſcilicet devotionis, & fervor caritatis. Quoties mihi neceſſe eſt, Fratres, poſt lacrymoſas querimonias veſtras, exorare Matrem miſericordiæ, ut ſuggerat ſuo benigniſſimo Filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipſa, dico vobis, cariſſimi, ſi pie à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ: F quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat invitata: multo magis compatietur nobis, ſi pie fuerit invocata. Placent enim illi nuptiæ noſtræ, & pertinent ad eam multo amplius illis: nimirum de cujus utero, tamquam è thalamo ſuo, cæleſtis Sponſus proceſſit.

a Eadem verba in Declamationibus, quæ Bernardo hactenus adſcriptæ ſunt, refert Gaufridus num. 68 ubi hoc centuplum, quod Bernardus Religioſis proprium aſſerit, gratiam devotionis, delicias caritatis, gloriam bonæ conſcientiæ, & gaudium etiam in tribulatione eſſe dicit num. 70 Ita fere Bernardus in Sermone 4. in pſalmum 90. num. 1. & 2. Confer ſequentem ſermonem 3. poſt Octavam Epiphaniæ num. 8.

Chriſti reſponſum ad matrem expenditur.

5. Sed quem non moveat, quod in nuptiis illis reſpondit Dominus benigniſſimæ ac ſanctiſſimæ matri ſuæ dicens *Quid mihi & tibi eſt, mulier?* Quid tibi & illi eſt Domine? Nonne quod filio & matri? Quid ad illam pertines * quæris, cum tu ſis benedictus fructus ventris ejus immaculati? Nonne ipſa eſt quæ ſalvo pudore concepit, & ſine corruptione te peperit? Nonne ipſa eſt, in cujus utero novem menſibus moratus es, cujus virgineis uberibus lactatus es, cum qua jam duodecim annorum factus de Jeruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illi? Nunc ergo, Domine, quid moleſtus es illi, dicens, *Quid mihi & tibi?* Multum per omnem modum. Sed manifeſte jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam, dixeris, *Quid mihi, & tibi?* cum venientibus ad te juxta Matris præceptum miniſtris, nihil cunctatus facias quod illa ſuggeſſit. Ut quid ergo, Fratres, ut quid ſic reſpondebat prius? Utique propter nos, ut converſos ad Dominum jam non ſollicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quamdiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus. At poſtquam reliquimus noſmetipſos, multo magis ab eorum ſollicitudine liberi ſumus. Unde & legimus fratrem quemdam * in eremo converſantem, cum ad eum carnalis frater auxilii gratia adveniſſet, reſpondiſſe, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique jam obiiſſet. Cumque admiratus qui venerat reſponderet, quia ille obiit: eremita ſe quoque ſimiliter obiiſſe reſpondit. Optime ergo nos docuit Dominus, ne ſolliciti ſimus ſuper proquinquis carnis noſtræ pluſquam religio poſtulet, quando ipſi Matri, & tali Matri, reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt, mulier?* Sic & in alio loco cum ſuggereret ei quidam, quoniam foris ſtaret cum fratribus Domini, quærens ei loqui, reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Ubi modo ſunt qui tam carnaliter & inaniter ſuper carnalibus propinquis ſuis ſolent eſſe ſolliciti, acſi adhuc viverent & ipſi cum eis?

A religioſis propinquis animorum affectio Chriſtus exemplo ſuo redarguit.

* Is fuit abbas Apollo. V. Vitas PP.

Matt. 12. 48. Marc. 3.

6. Sed videamus jam quid ſequitur. *Erant*, ait Evangeliſta, *hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum.* Vel ex hoc potes manifeſtius advertere non plenitudinem, ſed præparationem nuptiarum eſſe, ubi nimirum adhuc opus eſt purificatione. Deſponſationis ergo nuptiæ illæ ſunt, non copulationis. Abſit enim ut credamus illis in nuptiis fore vaſa purificationis; quando glorioſam ſibi Chriſtus Eccleſiam exhibebit, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi. Ubi enim * non erit macula, quæ purificatio erit neceſſaria? Nunc utique lavandi tempus eſt, nunc purificationem patet eſſe neceſſariam, quando nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Nunc abluitur ſponſa, nunc purificatur, ut in cæleſtibus illis nuptiis ſponſo ſuo ſine omni macula præſentetur. Quæramus ergo hydrias ſex, in quibus hæc ablutio Judæorum, id eſt confitentium, purificatio fiat. Nam ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, quæ ſola liberat, ſola ſalvat, ſola lavat. Quod ſi confiteamur peccata noſtra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ: quoniam fidelis eſt Deus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.

Deſponſatio animæ hic animæ, non nuptiæ.

* al. autem.

Purificationis tempus hæc vita.

1. Joan. 1. 8.

7. Ego quidem ſex hydrias, ſex obſervantias arbitror eſſe, quas ad purificanda confitentium corda ſancti Patres inſtituere, & omnes illas (ni fallor) hic poterimus invenire. Prima ſiquidem hydria, continentia ª eſt caſtitatis, qua diluitur quidquid ante luxuria inquinavit. Secunda vero jejunium eſt, ut quod maculaverat crapula, nunc abſtinentia mundet. Per ſegnitiem quoque & otioſitatem, quæ inimica eſt animæ, multas contraximus ſordes contra Dei ſententiam, in ſudore vultus alieni, non noſtri, pane veſcentes: propter hoc quoque tertia hydria nobis apponitur, ut ſordes illæ in labore manuum diluantur. Sic & per ſomnolentiam ceteraque noctium & tenebrarum opera, multa deliquimus: ideo quoque quarta hydria vigiliarum obſervantia ponitur, ut nocte ſurgentes ad confitendum Domino, non bonas noctes præteriti temporis redimamus. Jam vero de lingua quis neſciat, quam multum inquinaverit nos per vaniloquia & mendacia, per detractiones & adulationes, per verba malitiæ & verba jactantiæ? Pro his omnibus neceſſaria eſt hydria quinta, ſilentium ſcilicet, CUSTOS RELIGIONIS, & in quo eſt fortitudo noſtra. Sexta quoque hydria diſciplina eſt, qua non noſtro arbitrio, ſed alieno vivimus, ut deleatur quicquid indiſciplinate vivendo deliquimus. Lapideæ ſunt hæc, duræ ſunt: ſed neceſſe habemus in his lavari, niſi forte volumus * propter fœditates noſtras à Domino accipere libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur lapideæ, non ſolum durities, ſed multo melius ſoliditas poteſt intelligi: quoniam non lavant hæc, niſi firma ſtabilitate permanſerint.

Hydriæ ſex moraliter pro religioſis.

1. Continentia.

2. Abſtinentia.

Gen. 3.

3. labor manuum.

Tom. III.

4. Vigiliæ.

5. Silentium.

6. Diſciplina.

* al. voluerimus.

8. Ait ergo Dominus ad miniſtros: *Implete hydrias aqua.* Quid ſibi iſtud vult, Domine? Miniſtri ſolliciti ſunt de vini penuria, & tu dicis: *Implete hydrias aqua.* Illi de poculis cogitant, & tu præcipis ut vaſa purificationis impleant. Sic omnino, ſic ſuſpiranti Jacob ad Rachelis amplexus, Lia à patre ſupponitur. Nobis, Fratres, qui miniſtri ſumus & ſervi veſtri, per Chriſtum nobis præcipitur implere hydrias aqua, quoties deeſt vinum. Ac ſi dicatur: Illi devotionem deſiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant: ſed nondum venit hora mea: implete hydrias aqua. Quæ eſt enim aqua ſapientiæ ſalutaris, etſi non adeo ſuavis, niſi fons vitæ, & initium ſapientiæ timor Domini? Dicitur ergo miniſtris: Incutite metum, & ſpiritu timoris non tam vaſa, quam corda replete; quia ut ad caritatem perveniant, initiandi ſunt à timore, ut dicant & ipſi: *A timore tuo concepimus, Domine, & parturivimus ſpiritum ſalutis.* Sed quomodo implebuntur hydriæ? Prædixerat enim Evangeliſta, *capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.* Quæ ſunt duæ metretæ, quæve tertia? Utique duplex timor communis, & notus omnibus: at tertius quidem minus communis, & minus notus. Primus enim timor eſt, ne cruciemur in gehenna: ſecundus, ne excluſi à viſione Dei privemur tam inæſtimabili gloria: tertius replet animam omni ſollicitudine timidam, ne forte deſeratur à gratia.

Gen. 29.

Timor aquæ comparatus, devotio vino.

Iſa. 26. 18.

Timor triplex.

9. Et quidem omnis timor Domini, ſicut aqua exſtinguit ignem, ſic exſtinguit peccati concupiſcentiam: ſed is maxime cum ad omnem tentationem ſtatim occurrit, ne forte contingat amittere gratiam, ut ſibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de peccato minori in graviorem culpam: quales utique multos videmus cum in ſordibus ſunt, ſordeſcentes adhuc. Nam adverſus timorem iſtum non eſt unde ſibi blandiatur anima ſive de minori forte quantitate peccati, ſive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcipit ergo nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, & plenæ vento: ſi quis tamen adeo inſanus eſt, ut in eo per vanitatis ſtudium illæ, quas prædiximus, obſervantiæ mercede perpetua vacuentur, ut ſunt fatuæ virgines, in quarum vaſis oleum non habetur. Interdum autem (quod pejus eſt) plenæ quidem ſunt, ſed plenæ veneno, quod eſt invidia, murmur, rancor animi, & detractio. Propterea ne forte ſubintrent iſta, dum vinum deeſt, jubemur implere hydrias aqua; ut obſerventur mandata Domini in timore: quæ tunc mutatur in vinum, cum timor expellitur à caritate, & implentur omnia fervore ſpiritus & jucunda devotione.

Timoris utilitas contra peccati concupiſcentiam.

IN SEPTUAGESIMA,

SERMO PRIMUS.

1\. MAgna mihi conſolatio eſt, Fratres mei, in verbo illo Domini, *Qui ex Deo eſt, verba Dei au-* Joan. 8. 47.

ª Confer ſermonem 33. de diverſis, ubi eodem fere modo hydriæ iſtæ moraliter explicantur, & de metretis ſermonem 37.

Tom. III. *dit*. Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo eſtis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scri-
Rom. 11. 36. ptura: *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Sed multo aliter ſunt ex eo, qui ſecundum beati Jo-
Johan. 1. 13. hannis Evangelium, *non ex voluntate carnis nati ſunt, ſed ex Deo*. Unde & invenies ab eodem Johanne in
Johan. 5. 18. Epiſtola ſua ſcriptum: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio cæleſtis conſervat illum.* Non peccat, inquit, id eſt non permanet in peccato: quia conſervat illum, utique ut perire non poſſit, ea quæ falli non poteſt generatio cæleſtis. Sive non peccat, id eſt, tantumdem eſt ac ſi non peccet, pro eo ſcilicet quod non imputatur ei peccatum [a]: generatio enim cæleſtis etiam in hac parte conſervat illum. Sed generationem iſtam quis enarrabit? Quis poteſt dicere, Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam,
Eccleſ. 9. 1. dicere poteſt? reclamante nimirum Scriptura: *Neſcit homo ſi ſit dignus amore, an odio.* Certitudinem utique non habemus: ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. Propter hoc, inquam, quos præſcivit Deus, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: ut quibus certitudinem negat cauſa ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet gratia conſolationis. Hoc enim eſt unde ſemper ſolliciti, & in timore & tremore humiliemur neceſſe eſt ſub potenti manu Dei, quoniam quales ſumus, noſſe poſſumus vel ex parte: quales autem futuri ſimus, id noſſe penitus nobis impoſſibile eſt. Itaque qui ſtat, videat ne cadat: & in ea forma, quæ ſalutis indicium eſt & argumentum prædeſtinationis, perſeveret atque proficiat.

Natus ex Deo quomodo non peccet.

Certitudinem de ſalute noſtra non habemus, ſed fiduciam.

2. Porro inter ea quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, unum illud maximum eſt, de quo nunc cœpimus loqui: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Nonnullos enim ſic interdum audientes invenies, ac ſi nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare, ne forte quod audiunt, dictum ſit propter eos. Magis autem ſi forte ſermo Dei vivus & efficax, qui ſuo, & non ejus qui loquitur, arbitrio fertur quocumque voluerit; ſi inquam, manifeſte adverſus vitia illa proceſſerit, quibus ſeſe illi ſentiunt obligatos, diſſimulant, & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia*, & ſeducunt miſeri ſemetipſos. In his ergo ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non ſunt ipſi ex Deo. In vobis, Fratres, (Deo gratias) vere invenio aures audiendi: nimirum cum in emendatione veſtra ſine mora appareat fructus verbi, ſed etiam inter loquendum, fateor, nonnumquam ſentire mihi videor fervorem ſtudii veſtri. Etenim quanto abundantius ſugitis, tanto amplius replet ubera mea dignatio Spiritus-ſancti: & tanto copioſius datur quod propinem vobis, quanto citius quod propinatur hauritis *. Propterea ſæpius loquor vobis, etiam præter conſuetudinem Ordinis noſtri.
Luc. 10. 35. Scio enim quis dixerit: *Si quid ſupererogaveris, cum rediero, reddam tibi.*

Prædeſtinationis præcipuum ſignum debita audire verbum Dei.

** al. audita ſua diſpoſitione auditorum afficitur lingua prædicatorum.*

** al. hauſiſtis.*

3. Initium Septuageſimæ, Fratres, hodie celebratur, cujus nomen in univerſa Eccleſia celebre ſatis habetur. Jam vero dico vobis, cariſſimi, quia plurimum in hoc nomine compatior mihi ipſi. Commovetur enim intra me ſpiritus meus, ſuſpirans nimirum ad patriam illam, in qua nec numerus eſt, nec menſura, nec pondus. Quamdiu enim in pondere, & menſura, & numero univerſa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Nam de corporali cibo ad Adam dictum eſt, & pervenit
Gen. 3. 19. uſque ad me: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Sed & cum laboravero, panis datur mihi in pondere, potus in menſura, pulmenta in numero. Et de corporali quidem ſic. Quid vero de ſpirituali? Utique antequam comedam ſuſpiro: atque utinam cum ſuſpiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cæleſti convivio, & tamquam catellus edam de micis, quæ cadunt de menſa dominorum meorum. O Jeruſalem civitas Regis magni, quæ te ex adipe frumenti ſatias, & quam fluminis impetus lætificat! in te nec pondus utique, nec menſura, ſed ſatietas eſt & affluentia ſumma. Sed nec habes numerum, quippe cujus participatio ejus in idipſum. Ego vero qui totus ſum in viciſſitudine & numero, quando veniam ad unam illam quam requiro? Quando ſatiabor apparente gloria tua, Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis me? Nunc enim jam exigua ſunt ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, ut nec glutire quidem poſſim ſalivam meam.

In vita præſenti omnia parce dantur; in altera copiose.

4. Sic omnino, ſic verum eſt, Fratres, quoniam modo omnia dantur in pondere, & menſura, & numero: ſed veniet dies quando omnia ſunt ceſſatura. Nam de numero quidem legimus, quoniam *ſapientiæ*
Pſal. 146. 5. *illius non eſt numerus.* Et alio in loco apud eumdem Pro-
Pſal. 15. 11. phetam: *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* Audi
2. Cor. 4. 17. etiam apud Apoſtolum pondus ſine pondere: *Supra modum*, inquit, *in ſublimitate æternum pondus gloriæ.* Audi pondus æternum: ſed attende quia præmiſerit, *ſupra modum.* Sic & Chriſtum audio menſuram ſine
Luc. 6. 38. menſura promittentem: *Menſuram*, inquit, *confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem.* Sed quando venient iſta? Profecto in fine præſentis Septuageſimæ, quod eſt
Jerem. 25. 12. tempus captivitatis noſtræ. Sic enim legimus, quod captivari à Babyloniis filii Iſrael, terminum acceperunt annorum ſeptuaginta: quibus tranſactis redierunt in ſua, cum inſtauratum eſt templum, & civitas reædificata. At vero captivitas noſtra, Fratres, quando finietur, quæ tot annis, ab initio uſque mundi protenditur? Quando liberabimur à ſervitute iſta? Quando reſtaurabitur Jeruſalem civitas ſancta? Utique completa hac Septuageſima, quæ ex denario & ſeptenario conſtat, propter decem mandata quæ accepimus; & ſeptem impedimenta, quibus à mandatorum obedientia retardamur.

Vita noſtra Septuageſima captivitatis.

5 Primum enim impedimentum noſtrum & occupatio gravis, eſt ipſa neceſſitas hujus miſeri corporis, quod dum modo ſomnum, modo cibum, modo veſtem, ceteraque ſimilia quærit, haud dubium quin frequenter impediat nos ab exercitio ſpirituali. Secundo loco impediunt nos vitia cordis: ut eſt levitas, ſuſpicio, impatientiæ aut invidiæ motus, laudis appetitus, & ſimilia, quæ quotidie experimur in nobis. Tertium & quartum impedimentum accipe proſperitatem hujus ſæculi & adverſitatem. Sicut enim corpus quod corrumpitur, aggravat animam; ſic deprimit etiam terrena inhabitatio ſenſum multa cogi-
Sap. 9. 15. tantem. Utrimque ergo cave à laqueo tentationis, & quære arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. Quintum impedimentum graviſſimum & periculoſiſſimum ignorantia noſtra eſt. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debeamus: ita ut quid oremus,
1. Petr. 5. 8. ſicut oportet, neſciamus. Sextum impedimentum eſt adverſarius noſter, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Atque utinam in iſtis ſex tribulationibus liberaremur, ut vel in ſeptima non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum in falſis fratribus. Utinam ſoli impugnarent nos maligni ſpiritus cum ſuggeſtionibus ſuis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, perſuaſionibus importunis, ſermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Videtis certe quàm neceſſarium ſit, ut adverſus hæc ſeptem pericula, quibus impedimur, ſeptiformis Spiritus-ſancti auxilio ſublevemur. Pro his enim ſeptem, quibus ab obſervantia Decalogi retardamur, in luctu pœnitentiæ Septuageſima præſens agitur. Unde & reticetur interim

Impedimenta mandatorum Dei executionem retardantia.

a Confer ſermonem 4. de diverſis, & tractatum de gratia & libero arbitrio cap. 9. & fuſiores Notas noſtras in hunc locum

Alleluia

Alleluia[a] ſollemne, & humanæ tranſgreſſionis hiſtoria miſerabilis ab exordio recenſetur.

IN SEPTUAGESIMA,

SERMO SECUNDUS.

De eo quod ſcriptum eſt, *Immiſit Dominus ſoporem in Adam.*

1. *Immiſit Dominus ſoporem in Adam.* Immiſit & in ſeipſum, factus nimirum ſecundus Adam: ſed eſt diſtantia forte non parva. Ille enim ſoporatus videtur præ exceſſu contemplationis, Chriſtus miſerationis affectu: ut in illum ſoporem immiſerit veritas, in hunc caritas, cum utraque ſit Dominus. Ait enim Johannes Evangeliſta: *Deus caritas eſt.* & ipſe Dominus: *Ego ſum via, veritas & vita.* Sane ſoporem Chriſti ſolius caritatis fuiſſe nemo dubitat, vel nomine tenus Chriſtianus. Siquidem accubuit[b] ut leo, non victus plane, ſed victor, poteſtate propria ponens animam, ſomnum mortis excipiens propria voluntate. Ceterum qualis & ille ſopor dicendus eſt fuiſſe vel credendus, quem Dominus immiſit in Adam, in quo ſine ſenſu omnino doloris, in mulierem ædificandam coſta ſublata eſt de latere dormientis? Mihi quidem non niſi incommutabilis veritatis intuitu, & abyſſo divinæ ſapientiæ corporeis excedens ſenſibus obdormiſſe videtur: quod ex ejus verbis vel maxime conjici poteſt. Rediens nimirum indicat quo abiiſſet, dum tamquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum ſacramentum, quod tanto poſt in Chriſto & in Eccleſia Apoſtolus commendavit, *Hoc nunc*, inquit, *os ex oſſibus meis.* Et, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* An tibi penitus obdormiſſe videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuiſſe: *Ego dormio, & cor meum vigilat?*

2. Verum id quidem ſine præjudicio dixerim, ſi cui forte aliter viſum fuerit, maxime ſi quid aliud in Sanctorum paginis invenitur. Neque enim communem arbitror fuiſſe ſoporem, aut noſtris ſimilem ſomnis, quos nec contemplationis exceſſus, nec miſerationis affectus, ſed infirmitatis defectus immittit; quos nec veritas, nec caritas, ſed neceſſitas parit. *Grave ſiquidem jugum ſuper filios Adam*: non autem in principio ſuper Adam, ſed nunc jam ſuper filios ejus. Quid non grave miſeris, quibus & vivere labor eſt? quibus & (quod pauci videntur advertere, ſentire penitus nemo) ipſe quoque ſenſualitatis uſus invenitur oneri, adeo ut nequeat ſuſtineri, niſi alterna requie foveamur? Quid non labor, & dolor, & afflictio ſpiritus ex omnibus quæ ſub ſole ſunt, quando & illud ei graviſſimum eſt, quo potiſſimum delectatur, vegetatio ſcilicet & ſenſificatio carnis? Nimirum quàm ſit ei dulce conſortium, triſte divortium manifeſtat, dum vix tandem avelli poteſt, dum corruptio ipſa corporis penitus intolerabilis eſt vegetanti. Sane non ſimpliciter corpus, ſed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*: ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris exſtitiſſe, donec adhuc corpus gereret* incorruptum. Nimirum in libertate poſuit eum Deus, ut inter ſumma & infima verſans, & in illa excederet ſine difficultate, & ad hæc ſine illecebra aut neceſſitate deſcenderet: illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis, hæc auctoritate dijudicans præſidentis. Denique adducta ſunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea; non ipſe aliqua curioſitate ductus eſt ut videret ea.

3. Non ſic in nobis libera ratio, ſed undique ei luctandum eſt. Sic enim & ab infimis viſco quodam captiva tenetur & à ſummis indigna repellitur: ut nec ab his ſine dolore poſſit avelli, nec ad illa ſine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam, ut clamare neceſſe ſit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Inde priuſquam comedam ſuſpiro, quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nihilo minus tamen & illic unitas, & hic tenenda diviſio eſt: ſicut & Adam ſoporatus eſt in contemplatione, & animalia nominum impoſitione diſcrevit. Sic nimirum, ſic & Abraham in ſacrificio, non quidem volatilia, ſed animalia legitur diviſiſſe. Et Martha erga multa turbatur, cum unum ſit neceſſarium. Neceſſarium plane unum, & maxime neceſſarium, quoniam hæc pars optima, quæ non auferetur. Ceſſabit diviſio cum venerit plenitudo, & erit totius ſanctæ civitatis Jeruſalem participatio in idipſum. Interim Spiritus ſapientiæ non modo unicus, ſed & multiplex eſt: interiora quidem in unitate ſolidans, ſed ſub judicio exteriora diſtinguens. Utrumque tibi in primitiva Eccleſia commendatur, quando *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*, ne volatilia ſcinderentur: *dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*, ut animalia ſecarentur. Si igitur etiam in nobis, cariſſimi, unitas animorum: UNITA SINT CORDA, diligendo unum, quærendo unum, adhærendo uni, & idipſum invicem ſentiendo. Sic nimirum exterior ipſa diviſio & evadit periculum, & ſcandalum non incurrit: dum videlicet etſi propria cuique tolerantia, propria quoque nonnumquam in terrenis agendis ſententia, ſed & diverſa interdum dona gratiarum, nec membra omnia actum eumdem videntur habere: unitas tamen interior & unanimitas ipſam quoque multiplicitatem colligat & conſtringat caritatis glutino, & vinculo pacis.

1 Johan. 4. 16. Johan. 14. 6. Christi ſopor ex caritate. — *Adami ſopor ex ſtaſis contemplationis.* — *Gen. 2. 23.* — *Epheſ. 5. 31.* — *Cant. 5. 2.* — *Eccleſ. 40. 1.* — *Sap. 9. 15. Adami ſtatus ante peccatum.* — ** al. degeret.* — *Hominis poſt lapſum miſeria.* — *Rom. 7. 24.* — *Matt. 11. 12.* — *Gen. 15. 10.* — *Luc. 10. 41.* — *Eleganti tropologia.* — *Act. 4. 32.*

IN CAPITE JEJUNII,

SERMO PRIMUS.

Quid ſit ungere caput, & faciem lavare.

1. Hodie, dilectiſſimi, ſacrum Quadrageſimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Chriſtianæ. Non nobis ſingularis eſt hæc obſervatio; una omnium eſt, quicumque in eamdem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune ſit Chriſti jejunium omnibus Chriſtianis? quidni Caput ſuum membra ſequantur? Si bona ſuſcepimus ab hoc Capite, mala autem quare non ſuſtineamus? An reſpuere triſtia volumus, & communicare jucundis? Si ita eſt, indignos nos Capitis hujus participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis eſt. Quod ſi in opere ſalutis noſtræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non eſt magnum ſi jejunet cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam Patris cum ipſo. Non eſt magnum, ſi compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum eſt. Felix membrum, quod huic adhæſerit per omnia capiti, & ſequetur illud quocumque ierit. Alioquin ſi forte abſcindi ſepararique contingat, privetur ſtatim neceſſe eſt etiam ſpiritu vitæ. Quæcumque enim portio capiti non cohæret, unde ei jam ſenſus aut vita? Nec ſane deerit qui expoſitam occupet, ut ne tunc quidem ſit abſque capite. Germinabit rurſum radix amaritudinis, venenatum caput iterum pullulabit: illud, inquam, caput, quod in eo contriverat ante fortis mulier, mater Eccleſia. Dico autem quando per eam regeneratus eſt in ſpem vitæ, quem natura filium iræ mater carnalis ediderat.

Jejunium à Chriſtianis exigitur exemplo Chriſti. — *Capiti cohærendum.*

2. Videbit ergo jam, ſi fuerit qui revelatos habeat

a Ita quidem uſus Eccleſiæ jam inde ab ævo Gregorii M. ferebat, præterquam apud Ciſtercienſes. Hi nempe *Alleluia* ante Quadrageſimam (quod Bernardo Abaelardus objicit epiſtola quinta) non intermittebant ex præſcripto Benedictinæ Regulæ cap. 15. Attamen longe ante Bernardum abbates in Synodo Aquiſgranenſi anni 817 uſum Romanum prævalerant cap. 30. Is nondum obtinuerat tempore S. Benedicti, immo nec Septuageſimæ inſtitutio. Veterem uſum inculcat Concilium IV. Toletanum anni 633. canone 11.

b Sic legendum, non *accubat*, ut accubitus referatur ad ſoporem.

TOM. III. oculos cordis, & ſpiritualiter intueatur, horrendum A
Chriſtian- omnino monſtrum, corpus quidem hominis, caput
ſ[illegible] tuo, autem dæmonis habens. Non ſolum autem, ſed etiam
ſi à Chriſto erunt ſine dubio noviſſima hominis illius pejora prio-
ſeparetur. ribus, cum vipereum illud caput, quod prius fuerat
amputatum, non abſque ſeptem nequioribus ſe rever-
tatur. Quis non ſolo contremiſcat auditu? Tollens
membrum Chriſti, faciam membrum dæmoniorum?
Abſciſſus à corpore Chriſti, ſatanæ miſer incorpora-
bor? Sit procul à nobis ſemper exſecranda iſta commu-
a al. commu- tatio [a], Fratres mei. Mihi omnino adhærere tibi bo-
nicatio. num eſt, ô Caput glorioſum & benedictum in ſæcula,
in quod & Angeli proſpicere concupiſcunt. Sequar te
quocumque ieris: ſi tranſieris per ignem, non avellar B
à te; non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tu do-
lores meos portas, & pro me doles: tu prius tranſis
per anguſtum paſſionis foramen, ut latum præbeas ſe-
Rom. 8. 35. quentibus membris ingreſſum. *Quis nos ſeparabit à ca-
ritate Chriſti? Ipſa enim eſt, per quam omne corpus per
nexus & juncturas creſcit. Hoc glutinum bonum, cu-
Iſa. 41. 7. jus meminit Iſaias. Hæc, per qoam bonum eſt & jucun-
Pſal. 132. 1. dum habitare fratres in unum. Hoc unguentum, quod
Caritas un- deſcendit à capite in barbam, à capite deſcendit & in
guentum. oram veſtimenti, ut ne minima quidem fimbria careat
unctione. In capite ſiquidem plenitudo gratiarum, de
qua accipimus omnes; in capite univerſitas miſeratio-
nis, in capite inexhauſtus fons pietatis divinæ, in ca- C
pite affluentia tota ſpiritalis unguenti, ſicut ſcriptum
Pſal. 44. 8. eſt: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participi-*
bus tuis. Ipſum tamen, quod tam copioſe Pater unxe-
Matt. 26. rat caput, Maria quoque ungere non veretur. Calum-
niantur quidem diſcipuli: ſed reſpondet Veritas pro
ea, quod bonum opus ſit operata.

3. Denique & nobis hodie quid præcipit in Evange-
Matt. 6. 17. lio? *Tu*, inquit, *cum jejunaveris, unge caput tuum.* Mira
Chriſti unc- dignatio! Spiritus Domini ſuper eum, eo quod unxe-
tio. rit eum; & nihilo minus tamen evangelizans paupe-
ribus ait: *Unge caput tuum!* Complacet ſibi Pater in Fi-
lio, & dum vox ſonat in æthere, deſcendit Spiritus in
columba. Putatis, Fratres, quia Chriſti baptiſmo chriſ- D
ma defuerit? Manet Domini Spiritus ſuper ipſum: &
Matt. 3. 17. unctum ab eo quis dubitet? *Hic eſt Filius meus dilectus,*
in quo mihi bene complacui. Hæc plane ſpiritalis un-
guenti fragrantia eſt. Unxit Pater Filium præ partici-
pibus ſuis, in quo præ ceteris ſingulariter complacet
ſibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divi-
no, & inexperto omni creaturæ. Unxit, inquam, Pa-
ter Filium præ participibus ſuis, accumulans ſuper
eum univerſa chariſmata benignitatis, manſuetudinis,
& ſuavitatis, abundantius eum replens viſceribus mi-
ſericordiæ & miſerationis. Unctum denique miſit ad
nos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ & miſera-
b al. pietatis. tionis [b]. Sic unctum à Patre eſt Caput noſtrum, & E
Matt. 6. 17. nihilo minus ungi poſtulat & à nobis. *Cum jejunaveris,*
Eccleſ. 1. 7. inquit, *unge caput tuum.* Itane aquam petit à rivulo
Chriſtus cur fons indeficiens? Petit ſine dubio, aut certe repetit
petit à nobis. magis. Ad fontem enim unde exeunt, flumina rever-
tuntur, ut iterum fluant.

4. Non vero, ut minus habens, quod dederat Chriſtus
repetit: ſed ne tibi pereat quicquid ad eum referre vo-
Gratitudo lueris. Siquidem etiam fluminis aqua, ſi ſtare cœpe-
cumulat be- rit, & ipſa putreſcet, & inundatione facta ſuperve-
neficia. niens repelletur. SIC PLANE, ſic gratiarum ceſſat de-
curſus, ubi recurſus non fuerit: nec modo nihil auge-
tur ingrato, ſed & quod acceperat vertitur ei in per-
niciem. Fidelis autem in modico cenſetur dignus mu- F
nere ampliori. Unge igitur caput tuum, refundens in
eum qui ſupra te eſt, quicquid in te eſt devotionis,
quicquid delectationis, quicquid affectionis. Unge
igitur caput tuum, ut ſi qua in te eſt gratia, refera-
tur ad ipſum: nec tuam quæras gloriam, ſed ipſius.
Hypocritæ Ungit enim Chriſtum, qui bonus ejus odor eſt in omni
notati. loco. Memento ſane adverſus hypocritas hunc pro-
Matt. 6. 16. ceſſiſſe ſermonem. *Nolite*, inquit, *fieri ſicut hypocritæ*
triſtes. Non omnimodam nobis triſtitiam interdicit,
ſed quæ in facie eſt coram hominibus. Alioquin, *cor*

A *ſapientis ubi triſtitia* & Paulum quoque diſcipulos Eccl. 7.
contriſtaſſe non piget, pro eo quod contriſtati ſunt 2. Cor. 7. 8.
ad ſalutem. Non eſt talis triſtitia hypocritarum: non
in corde, ſed in facie eſt. Exterminant enim facies
ſuas.

5. Nota proinde quod non dixerit, Nolite eſſe ſicut
hypocritæ triſtes: ſed, *nolite fieri*, hoc eſt fingi. Sic
quippe vulgo dicitur: Triſtem ſe facit; aut, magnifi-
cat ſe. &, Qui beatificat te, in errorem te adducit; & Iſa. 9. 16.
ſimilia, quæ ſimulationis ſunt, non veritatis. *Tu au-*
tem cum jejunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam
lava. Exterminant illi faciem, tu autem lavare jube-
ris. Eſt autem facies, quæ in facie eſt converſatio.
B Hanc fidelis Chriſti ſervus lavat, ne quod offendicu-
lum præbeat intuenti: hypocrita magis exterminat,
dum ſingularia magis & inuſitata ſectatur. Sed nec ca-
put ungit, cujus affectio elongatur à Chriſto, & vanis
favoribus delectatur. Ungit potius ſemetipſum, ut
propriæ fragrantiam opinionis reſpergat. Aut certe
quia manifeſtum eſt non eſſe caput hypocritæ Chriſ-
tum: nec ſuum tamen qualecumque caput ungere po-
teſt, cujus mens non propriæ teſtimonio conſcientiæ,
ſed adulationibus demulcetur. *Date nobis*, aiunt fatuæ Matt. 25. 8.
virgines, *de oleo veſtro*. Cur hoc? Quia in vaſis ſuis
oleum non habent. Sed non eſt prudentium hujuſce-
modi oleum dare. Quod enim ſibi fieri nolunt, quando
C ipſæ facient aliis? Audi vero Prophetam, cui incerta &
occulta ſapientiæ ſuæ revelaverat Deus. *Oleum*, inquit, Pſal. 140.
peccatoris non impinguet caput meum. Emunt oleum iſtud
hypocritæ, ſicut ait Dominus: *Amen dico vobis, rece-* Matt. 6. 16.
perunt mercedem ſuam. Exterminant enim facies ſuas, ut
appareant jejunantes. Vides quàm brevi ſermone hypo-
critas & ſingularitatis notat, & arguit vanitatis. Vide
etiam quàm paucis & coram Deo ſuadeat bona, & co-
ram hominibus providere. *Unge caput tuum, & faciem*
tuam lava: hoc eſt, ſic te irreprehenſibilem foris ex-
hibe, ut divinam tibi conciliare ſtudeas gratiam: &
ante oculos humanos non propriam quæras gloriam,
ſed auctoris.

D 6. Poteſt tamen & alio modo lota facies, conſcien- Jejunantium
tia pura; & unctum caput intelligi mens devota. Quod [illegible]
ſi id probas, adverſus duplex vitium, quod maxime ſo- plex, Vana
lent appetere jejunantes, hæc duo verba ablutionis & gloria & im-
unctionis dicta videntur. Alius enim jejunat ſtudio patientia.
vanitatis, & huic dicitur, *Faciem tuam lava.* Alius je-
junat cum impatientia & rancore, & huic opus eſt ut
caput ungat. Eſt autem caput iſtud, mens interior,
quæ tunc ungitur in jejunio, cum ſpiritualiter delec-
tatur in eo. An vero tibi novum videtur, ut dicamus
caput ungi jejunio? Ego plus dico: etiam impinguatur.
Numquamne legiſti quod ſcriptum eſt, *Ut alat eos in* Pſal. 32. 19.
fame? Eſt ergo jejunium corporis, capitis unctio; &
E carnis inedia, refectio cordis. Quidni dixerim unctio-
nem, quæ & medetur vulneribus, & exaſperatas con-
ſcientias lenit? Emat igitur hypocrita jejunio ſuo
oleum peccatoris: ego meum interim non vendo je-
junium, & ipſum mihi oleum eſt quo ungar. *Unge*,
inquit, *caput tuum*, ne quid forte murmuris aut im-
patientiæ ſubeat. Non ſolum autem, ſed & *gloriare in*
tribulatione, ſicut ait Apoſtolus. Gloriare, inquam, ſed Rom. 5. 3.
abſque omni ſtudio vanitatis, ut ſit etiam facies munda
ab oleo peccatoris.

IN CAPITE JEJUNII,

SERMO SECUNDUS.

Quomodo debeamus converti ad Dominum.

1. *CONvertimini ad me in toto corde veſtro, in jeju-* Joel. 2. 12.
nio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra,
& non veſtimenta veſtra, ait Dominus omnipotens.
Quid ſibi vult, dilectiſſimi, quod præcipit Do-
minus, ut convertamur ad eum? Ubique enim eſt,
& replet omnia, & nihilo minus complectitur uni-
verſa. Quo me vertam, ut convertar ad te, Domi-
ne Deus meus? Si aſcendero in cælum, tu illic es: Pſal. 138. 8.

ſi deſcendero in infernum, ades. Quid jubes? quo convertar ad te? Supra, an infra? ad dexteram, an ad ſiniſtram? Conſilium iſtud eſt, Fratres mei: ſecretum eſt quod ſolis creditur amicis. Myſterium regni Dei eſt: Apoſtolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur abſque parabola. *Niſi converſi fueritis*, inquit, *& efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum*. Agnoſco plane quo velit ut convertamur. Ad Parvulum converti neceſſe eſt, ut diſcamus ab eo, quia mitis eſt & humilis corde: ad hoc ſiquidem parvulus datus eſt nobis. Sane idem & magnus eſt, ſed in civitate Domini, cui & dicitur: *Exſulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Quid tu inflaris, ô homo? Quid extolleris ſine cauſa? quid alta ſapis, & oculi tui omne ſublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus, ſed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Elevata eſt magnificentia illius, & non poteris ad eam: nec ſi te ruperis, apprehendes. *Accedet*, inquit, *homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Excelſus ſiquidem Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Humiliare, & apprehendiſti. Hæc plane lex pietatis, & propter hanc legem ſuſtinui te, Domine. Si forte ſublimitatis eſſet via propoſita, & illic iter quo oſtenderetur ſalutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quam crudeliter invicem ſternerent, invicem conculcarent! Quam impudenter reperent, manibuſque & pedibus conarentur in altum, ut imponerent ſeſe homines ſuper capita aliena! Et certe qui contendit ſupergredi * proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, aſcendentes equidem ex adverſo: nihil vero facilius eſt volenti, quam humiliare ſemetipſum. Hoc verbum eſt, dilectiſſimi, quod omnino nos reddit inexcuſabiles, ut ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat.

Matt. 18. 3. — *Converſio ad Deum per humilitatem.* — *Iſai. 12. 6.* — *Pſal. 63. 8.* — *Pſal. 137. 6.* — *Humilitas via ad Deum.* — * *al. aſcendere.*

2. Sed jam ad hunc Parvulum, ad manſuetudinis, & humilitatis Magiſtrum quonam modo converti neceſſe ſit, videamus. *Convertimini*, inquit, *ad me in toto corde veſtro.* Fratres, ſi dixiſſet, *Convertimini*, nihil addens; eſſet vobis forſitan liberum reſpondere: Factum eſt, jam aliud propone mandatum. Nunc autem ſpiritualis (ut audio) converſionis nos admonet, quæ non una die perficitur: utinam vel in omni vita, qua degimus in hoc corpore, valeat conſummari. Corporis namque converſio, ſi ſola fuerit, nulla erit. Forma ſiquidem converſionis eſt iſta, non veritas, vacuam virtute gerens ſpeciem pietatis. Miſer homo, qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum, putans aliquid ſe eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit! *Sicut aqua effuſus ſum*, ait Pſalmiſta in perſona hominis hujuſcemodi, *& diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Et alius quidam Propheta: *Comederunt*, inquit, *alieni robur ejus, & ignoravit.* Exteriorem quippe ſuperficiem intuens, ſalva ſibi omnia ſuſpicatur, non ſentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonſura, veſtis needum mutata eſt, jejuniorum regula cuſtoditur, ſtatutis pſallitur horis; ſed cor longe eſt à me, dicit Dominus.

Converſio exterioris hominis ſine interiore inanis. — *Pſal. 21. 15.* — *Oſee 7. 9.* — *Tonſura & veſtis ſola in religioſo. V. ſerm. 27 de diverſ. n. 8.* — *Marc. 7. 6.*

3. Attende ſollerter quid diligas[a], quid metuas; unde gaudeas, aut contriſteris: & ſub habitu religionis animum ſæcularem, ſub pannis converſionis invenies cor perverſum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus eſt: & de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde amor tuus: ut nihil omnino diligas niſi ipſum, aut certe propter ipſum. Convertatur etiam ad ipſum timor tuus: quia perverſus eſt timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & triſtitia tua æque convertantur ad ipſum. Hoc autem ita fiet, ſi nonniſi ſecundum eum doleas, aut læteris. Quid enim perverſum magis, quàm lætari cum male feceris, & in rebus peſſimis exſultare? Sed & ea quoque quæ ſecundum carnem eſt triſtitia, mortem operatur. Si pro tuo ſive proximi peccato doles, bene facis, & hæc triſtitia eſt ad ſalutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium ſanctum eſt, & ſecurum gaudium in Spiritu-ſancto. Debes & in dilectione Chriſti fraternis congaudere proſperitatibus, & adverſitatibus condolere, ſicut ſcriptum eſt: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.*

Affectiones ſeu paſſiones animi ut examinandæ & ordinandæ. — *Prov. 2. 14.* — *2. Cor. 7. 10.* — *Rom. 12. 15.*

4. Verum ne ipſa corporalis quidem eſt parvi pendenda converſio, quia ſpiritualis hujus adminiculum noſcitur eſſe non parvum. Inde eſt quod in hoc loco Dominus cum dixiſſet, *in toto corde*, adjunxit protinus, *in jejunio*: quod utique corporis eſt. Volo tamen vos admonitos eſſe Fratres meos, obſervandum illud non ab eſcis tantum, ſed ab omnibus illecebris carnis, & univerſa corporis voluptate; immo vero jejunandum eſt longe amplius à vitiis, quàm à cibis. Sed eſt panis à quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via: & ſi neſcitis, panem dico lacrymarum. Sequitur enim: *in jejunio, & fletu, & planctu.* Exigit enim planctum à nobis pœnitentia præteritæ converſationis: exigit fletum deſiderium futuræ beatitudinis. *Facta ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, ait Propheta, *cum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Parum ei placet hujus vitæ novitas, qui needum vetera plangit, needum plangit admiſſa peccata, needum plangit tempus amiſſum. Si non plangis, plane non ſentis animæ vulnera, conſcientiæ læſionem. Sed nec futura ſatis gaudia concupiſcis, ſi non quotidie poſtulas ea cum lacrymis: minus tibi nota ſunt, ſi non renuit conſolari anima tua, donec veniant.

Converſio corporis quoque non negligenda. — *Jejunii tempore lacrymis anima reficienda.* — *Pſal. 41. 4.*

5. Addit deinde Propheta: *Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quibus verbis manifeſte prior ille populus Judæorum & duritiæ cordis, & vanæ ſuperſtitionis arguitur. Crebra ſiquidem apud eos ſciſſio veſtium, ſed non cordium eſſe ſolebat. Quando enim ſcinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circumcidi? *Scindite*, inquit, *corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quis in vobis eſt, cujus voluntas circa unum aliquid ſolet obſtinatior inveniri? Scindat cor ſuum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei: ſcindat illud, & in multas minutias feſtinet diſpertiri. Alioquin non eſt converti ad Dominum in toto corde, niſi ſciſſo corde. Donec enim illam unam accipias in Jeruſalem, cujus eſt participatio in idipſum, multa interim tibi præcipiuntur; & ſi in uno offenderis, factus es omnium reus. *Spiritus Domini multiplex*, ait Sapiens, nec potes ſequi multiplicem ſine multiplici ſciſſione. Audi denique hominem, quem ſecundum cor ſuum invenerat Deus. *Paratum*, inquit, *cor meum, Deus, paratum cor meum.* Paratum ad adverſa, paratum ad proſpera: paratum ad humilia, paratum ad ſublimia; paratum ad univerſa quæcumque præceperis. Vis paſtorem ovium facere? Vis conſtituere regem populorum? Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Quis ut David fidelis ingrediens, & egrediens, & pergens ad imperium regis? Et dicebat de peccatoribus: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus ſum.* Inde enim cordis duritia, inde mentis obſtinatio, quia meditatur quis non legem Domini, ſed propriam voluntatem.

Cor quomodo ſcindendum. — *Sap. 7. 22.* — *Pſal. 56. 8. & 107. 2.* — *Pſal. 118. 70.*

6. Scindamus itaque corda noſtra, dilectiſſimi, quatenus integra proinde veſtimenta ſervemus. Veſtes enim noſtræ virtutes ſunt. Bona veſtis, caritas; bona veſtis, obedientia eſt. Beatus qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique *beati quorum tecta ſunt peccata*: &, *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Scindamus corda, ſicut prædictum eſt, ut

Animæ veſtes, virtutes. — *Apoc. 16. 15.* — *Pſal. 31. 1.* — *Jacob. 5. 20.*

[a] Quatuor illas principes paſſiones, tamquam ſolas, aſſignare ſolent veteres, in his Bernardus, quod ex iis ceteræ pendeant. Confer Sermonem 14 in pſalmum 90. num. 9. Sermonem 50. de diverſis num. 2. & 3. Sermonem 85. in Cantica num. 5. ac lib. 5. de Conſideratione num. 9. necnon tractatum de diligendo Deo num. 23.

Tom. III. hæc veſtimenta integra ſervemus, quemadmodum integra ſervata eſt tunica Salvatoris. Nec modo integram ſervat veſtem ſciſſio cordis, ſed & talarem eam facit & polymitam, qualem à ſancto Patriarcha Jacob accepit filius, qui præ ceteris amabatur. Hinc nempe virtutum perſeverantia, hinc converſationis pulcræ diſcolor unitas. Hinc illa eſt gloria Regis filiæ in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Poteſt tamen & aliter hæc ſciſſio cordis intelligi, ut ſi quidem pravum fuerit, ſcindatur ad compunctionem *: ſi durum, ad compaſſionem. Quidni ſcindatur ulcus, ut ſanies effluat? Quidni ſcindatur cor, ut viſceribus effluat pietatis? Utilis prorſus utraque ſciſſio, ut nec clauſum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viſcera miſericordiæ: ut & ipſi conſequamur miſericordiam a Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

Gen. 37. 3.
Pſal. 44. 15.
** al. confeſſionem.*

IN QUADRAGESIMA,

SERMO TERTIUS.

De Jejunio Quadrageſimæ.

1. ROgo vos, dilectiſſimi, tota devotione ſuſcipite Quadrageſimale Jejunium, quod non ſola abſtinentia commendat, ſed multo magis ſacramentum. Nam ſi devote uſque modo jejunavimus, utique ſancto hoc tempore jejunandum nobis eſt multo devotius. Si quid enim additur ad ſolitum abſtinentiæ modum, numquid non valde indignum eſt, ut nobis oneroſum ſit quod Eccleſia portat univerſa nobiſcum? Hactenus uſque ad nonam jejunavimus ſoli: nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum pariter univerſi, reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper. Hæc idcirco dixerim, Fratres, ne quis forte turbetur à puſillanimitate ſpiritus, & jejunium præſens minori devotione ſuſcipiat, dum ſe fortaſſis meminerit prioris quoque jejunii pondus ſatis difficile toleraſſe. Hoc enim quantum poteſt laborat adverſarius noſter, ut holocauſtum noſtrum devotionis pinguedine vacuetur, ut & minus acceptum ſit Deo, & conſcientia noſtra in ſpirituali gaudio minus exhilaretur: ſicque de puſillanimitate tolerandæ, etiam conſcientiæ puſillanimitas generetur. Cujus aſtutias non ignorantes, tota, obſecro, adverſus eum ſollicitudine vigilemus: & quia hilarem datorem diligit Deus, & ipſa quoque conſcientia noſtra ampliori exinde fiducia ſublevatur; ut devotiora ſint noſtra jejunia, ſollicite nobis totius Eccleſiæ proponamus exempla.

Quadrageſimæ jejunium ad veſperam.
Jejunio dæmon inſidiatur.

2. Sed quid de his loquor, quos habemus in hac jejunii obſervatione conſortes? quaſi non multo excellentiores habeamus in ea duces, immo & conſecratores. Quanta devotione ſuſcipiendum eſt nobis, quod à ſancto Moyſe tamquam hereditario jure traditur, cui ſpeciali præ ceteris Prophetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto fervore amplectendum eſt, quod Elias ille commendat, igneo curru raptus in cælum? Ecce enim quàm multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invaſit: Elias tamen uſque adhuc conſervante Domino manus ejus evaſit. Jam vero ſi commendant jejunium præſens Moyſes & Elias, quamvis magni, tamen conſervi noſtri; quantum commendat illud Jeſus Dominus noſter, qui & ipſe diebus totidem jejunavit? Qualis ille eſt, non dicam monachos, ſed Chriſtianus, qui minus devote jejunium ſuſcipit, quod ei tradidit ipſe Chriſtus? Denique tanto devotius imitandum nobis eſt, dilectiſſimi, Chriſti jejunantis exemplum, quanto certius eſt propter nos eum jejunaſſe, non propter ſeipſum.

Jejunii quos duces habeamus.
Chriſtus maxime.

3. Jejunemus ergo, cariſſimi, & devote jejunemus ſancto hoc Quadrageſimæ tempore: ita ſane ut noverimus quadrageſimam noſtram non ſolos quadraginta dies habere. Continuanda enim nobis eſt quadrageſima cunctis diebus miſeræ hujus vitæ, dum per auxilium gratiæ (quæ in quatuor Evangeliis commendatur) neceſſe eſt nos decalogum legis implere. Errant plane qui pauciſſimos dies iſtos ad pœnitentiam ſufficere credunt, cum certum ſit totum vitæ hujus tempus non niſi ad pœnitentiam inſtitutum. *Quærite Dominum*, ait Propheta, non ſolum quadraginta diebus, ſed *dum inveniri poteſt; invocate eum, dum prope eſt.* Neque enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit Deus; ſed aliis quidem præſens, aliis vero nimis valde remotus. Interim ſane ex eo quod proximus dicitur, manifeſtum eſt quod nondum habetur: ſed tamen haberi, & inveniri facile poteſt. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Utique qui fecit cum eo miſericordiam. Ergo quia toto hoc tempore miſericordiæ proximus eſt, quærite Dominum, cariſſimi, dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt.

Pœnitentiæ toto vitæ tempore [illegible]
Iſa. 55. 6.
Luc. 10. 36.

4. Verumtamen præſenti Quadrageſima majore nobis eſt fervore quærendus, quæ non ſolum pars, ſed & ſacramentum eſt totius temporis hujus. Propterea ſi forte diebus ceteris ſtudia noſtra aliquatenus intepuerant, dignum eſt ut nunc in fervore ſpiritus recaleſcant. Quod ſi gula ſola peccavit, ſola quoque jejunet, & ſufficit. Si vero peccaverunt & membra cetera, cur non jejunent & ipſa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus eſt animam: jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipſa. Jejunet oculus à curioſis aſpectibus & omni petulantia, ut bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcumque otioſa ſunt, & ad ſalutem minime pertinentia. Jejunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque ſcurrilibus verbis: interdum quoque, ob gravitatem ſilentii, & ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria. Jejunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæcumque non ſunt imperata: ſed & multo magis anima ipſa jejunet à vitiis, & propria voluntate ſua. Etenim ſine jejunio hæc cetera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt, quia *in diebus jejuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inveniuntur.*

Quadrageſima fervor major.
Jejunium ſingulis membris ſin[illegible] [illegible] dicendum.
Iſa. 58. 3.

IN QUADRAGESIMA,

SERMO QUARTUS.

De Oratione & Jejunio.

1. QUia jejunii Quadrageſimalis tempus advenit, quod tota devotione ſuſcipere moneo caritatem veſtram: dignum reor aliquatenus exponere, quo fructu, & quemadmodum oporteat jejunare. Primum quidem, Fratres, pro eo quod ab ipſis quoque licitis abſtinemus, ea nobis, quæ prius commiſimus, illicita condonantur. Quid vero eſt condonari commiſſa, niſi jejunio brevi jejunia redimi ſempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus umquam cibus eſt, conſolatio nulla, terminus nullus: ubi guttam aquæ dives poſtulat, & accipere non meretur. BONUM ergo & ſalutare jejunium, quo redimuntur jejunia ſempiterna & ſupplicia, dum redimuntur * hoc modo peccata. Non ſolum autem abolitio eſt peccatorum, ſed exſtirpatio vitiorum: non ſolum obtinet veniam, ſed & promeretur gratiam: non ſolum delet peccata præterita quæ commiſimus, ſed & repellit futura quæ committere poteramus.

Jejunii fructus & modus.
Luc. 16. 24.
** al. remittuntur.*

2. Dicam & unum adhuc quod facile capiatis, ſæpius, ni fallor, experti. Jejunium orationi devotionem & fiduciam donat. Et vide quemadmodum ſibi invicem jejunium & oratio ſocientur, ſicut ſcriptum eſt: *Frater adjuvans fratrem, ambo conſolabuntur.* Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio ſanctificat jejunium, & Domino repræſentat. Quid enim jejunium nobis proderit, ſi relinquatur in terra? quod abſit. Sublevetur ergo jejunium penna qua-

Jejunii & orationis copula.
Prov. 18. 19.
Oratio & juſtitia ſunt alæ jejunii.

dam orationis. Verum huic, ne forte minus ſuffi- A
Eccl. 35. 20.
ciat, alteram quoque neceſſe eſt ſociari. *Oratio juſti*, ait Scriptura, *penetrat cælos*. Sint ergo jejunio noſtro, ut facile cælos penetret, alæ duæ, orationis ſcilicet, atque juſtitiæ. Juſtitia vero quæ eſt, niſi quæ cuique reddit quod ſuum eſt? Noli ergo quaſi ſolum attendere Deum. Debitor enim es etiam prælatis, etiam fratribus tuis: nec vult Deus ut parvi pendas, quos ipſe minime parvi pendit. Neque enim ſine cauſa ait
Rom. 12. 17.
Apoſtolus: *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Dicebas fortaſſe: Sufficit mihi ſi tantum Deus approbat quod ago; quæ mihi de humano cura judicio? Sed certus ſis, quod ei minime placeat, quicquid cum ſcandalo filiorum ejus, & con- B tra ipſius feceris voluntatem, cui obedire tamquam
Joel. 2. 15.
ejus vicario oportebat. *Sanctificate*, inquit, *jejunium, vocate cœtum*. Quid eſt enim cœtum vocare? Unitatem ſervare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Phariſæus jejunium habuit, jejunium ſanctificavit, qui nimirum jejunavit bis in Sabbato, & gratias egit Deo: ſed non vocavit cœtum, dicens,
Luc. 18. 11.
Jejunii alæ, pax & ſanctimonia.
Non ſum ſicut cæteri hominum, ideoque ala una nitens jejunium ejus non pervenit in cælum. Vos ergo, cariſſimi, lavate manus veſtras in ſanguine peccatoris, & omnino ſolliciti eſtote, ut alas duas habeat jejunium veſtrum, ſanctimoniam ſcilicet & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. *Sanctificate jejunium*, ut pura C intentio & devota oratio divinæ illud offerat majeſta-
Pſal. 150. 4.
ti: *Vocate cœtum*, ut congruat unitati: *Laudate Dominum in tympano & choro*, ut concors ſit mortificatio carnis.

Orationis vitia tria.
1. Nimia timiditas.
3. Porro quia & de jejunio, & de juſtitia aliqua diximus, dignum eſt ut de Oratione quoque pauca loquamur. Hæc enim quanto efficacior eſt, ſi fiat ut debet; tanto callidius impediri ab adverſario ſolet. Interdum enim graviter impeditur oratio à puſillanimitate ſpiritus & timore immoderato. Hoc autem tunc ſolet fieri, cum ſic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem. *Abyſ-*
Pſal. 41. 8.
ſus enim abyſſum invocat: abyſſus luminoſa, abyſſum D tenebroſam; abyſſus miſericordiæ, abyſſum miſeriæ. Profundum namque eſt cor hominis, & imperſcrutabile. Sed ſi magna eſt iniquitas mea, multo major eſt, Domine, pietas tua. Ideoque cum ad me ipſum turbata fuerit anima mea, memor ſum multitudinis miſericordiæ tuæ, & reſpiro in ea: & cum introiero in impotentias [a] meas, nolo memorari juſtitiæ tuæ ſolius.

2. Temeritas.
4. Verumtamen ſicut periculum eſt, ſi fuerit oratio nimis timida: ſic in contraria parte non minus, immo & majus periculum eſt, ſi forte fuerit temeraria. De his qui ſic orant, audi quid loquatur ad Pro-
Iſai. 58. 1.
phetam Dominus. *Clama*, inquit, *ne ceſſes: quaſi tuba* E *exalta vocem tuam*, &c. *Quaſi tuba*, inquit: quia in ſpiritu vehementi increpandi ſunt temerarii. Me etenim quærunt, qui ſemetipſos nondum invenerunt. Nec hoc dico, ut peccatoribus auferam orandi fiduciam: ſed volo eos orare, tamquam gentem quæ peccatum fecerit, non juſtitiam. Orent pro indulgentia peccatorum ſuorum in animo contrito & ſpiritu hu-
Luc. 18. 13.
militatis, quemadmodum Publicanus ille: *Deus*, inquit, *propitius eſto mihi peccatori*. Temeritatem enim dico, quando is in cujus conſcientia peccatum adhuc, aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, minus ſollicitus pro periculo animæ ſuæ. Tertium periculum eſt, ſi ſit oratio te- F
3. Tepiditas.
pida, & non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cælum non penetrat, quia reſtringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida vero in aſcenſu langueſcit & deficit, eo quod non habeat vigorem. Nam temeraria aſcendit, ſed reſilit; reſiſtitur enim ei: nec tantum non obtinet gratiam, ſed
Orationis tres conditiones.
& meretur offenſam. Quæ vero fidelis, & humilis, A & fervens oratio fuerit, cælum ſine dubio penetrabit, unde certum eſt quod vacua redire non poterit.

Tom. III.

IN QUADRAGESIMA,

SERMO QUINTUS.

De triplici modo orationis.

Bernardi ſollicitudo pro ſuis.
1. CAritas, qua pro vobis ſollicitus ſum, Fratres mei, cogit ut loquar vobis: & urgente ea multo ſæpius loquerer, niſi tam multis occupationibus impedirer. Nec mirum ſi ſollicitus ſum pro vobis, cum inveniam in me ipſo materiam multam & B occaſionem ſollicitudinis. Quoties enim propriam miſeriam & multimoda pericula cogito, haud dubium quin ad me ipſum conturbetur anima mea. Nec minor mihi ſollicitudo eſt pro ſingulis quibuſque veſtrum, ſi tamen diligo vos tamquam me ipſum. Novit ipſe qui ſcrutatur corda, quoties in corde meo propriæ ſollicitudini præponderat ſollicitudo veſtra. Nec mirum ſi multa mihi ſollicitudo eſt, & timor magnus conturbat me ſuper omnibus vobis, quos video in tanta miſeria & in tantis conſtitutos eſſe periculis. Ipſi
Caro noſtra, laqueus & inimicus.
enim (ut manifeſtum eſt) geſtamus laqueum noſtrum, ubique proprium circumferimus inimicum: carnem hanc loquor de peccato natam, in peccato C nutritam; corruptam nimis ipſa origine, ſed multo amplius prava conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quod tam acriter caro adverſus ſpiritum concupiſcit, quod aſſidue murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ, quod illicita ſuggerit, quod nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore.

Diabolus alter hoſtis.
2. Huic accedit, hanc adjuvat, hac utitur ad impugnandos nos calliddiſſimus ſerpens, cui nullum aliud deſiderium eſt, nullum ſtudium, nullum negotium, niſi effundere ſanguinem animarum. Hic eſt qui jugiter machinatur malum, qui deſideria carnis inſtigat, qui concupiſcentiæ ignem naturalem quodammodo venenatis ſuggeſtionibus ſufflat, illicitos motus in- D flammat; peccati occaſiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare non ceſſat. Hic eſt qui manus noſtras proprio cingulo alligat, & (ut dicitur) baculo noſtro nos cædit, ut caro quæ data eſt in adjutorium, in ruinam nobis & in laqueum fiat.

3. Sed quid prodeſt indicaſſe pericula, ſi nulla conſolatio, nulla adhibeantur remedia? Grande quidem periculum eſt, & gravis lucta adverſus domeſticum hoſtem: maxime cum nos advenæ ſimus, & ille civis: ille ſuam inhabitet regionem, nos exſules ſimus, & peregrini. Magnum quoque diſcrimen, adverſus diabolicæ fraudis aſtutias tam crebros, immo continuos habere conflictus; quem nec videre quidem poſ- E ſumus, & quem nimis aſtutum fecerit tam natura ſubtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis eſt, ſi vinci nolumus: & nemo noſ-
Gen. 4. 7.
Hoſtis uterque ineſſicax abſque conſenſu noſtro.
trum in hoc certamine dejicitur invitus. *Sub te eſt*, ô homo, *appetitus tuus, & tu dominaberis illi*. Poteſt inimicus excitare tentationis motum: ſed in te eſt, ſi volueris, dare ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu ſolummodo ne conſenſeris; & quoties reſtiteris, toties coronaberis.

Tentationes nos monent recurrere ad orationem.
4. Verumtamen negare non poſſumus, Fratres, F moleſta ſunt hæc, & periculoſa: ſed, & in ipſo certamine, ſi viriliter reſiſtimus, quædam pia tranquillitas de conſcientia bona naſcitur. Credo etiam, ſi cogitationes iſtas quàm cito in nobis advertimus, non patimur remorari, ſed in ſpiritu vehementi animus adverſus illas excitatur, quoniam inimicus confuſus abſcedet à nobis, nec tam libenter ilico revertetur. Sed qui ſumus nos, aut quæ fortitudo noſtra, ut tam mul-

a Hic variant ſcripti & editi. Quidam habent, *in potentias meas*, *nolo &c.* Horſtius habet *iras*. Sed noſtra lectio melior, ut impotentiæ referatur ad puſillanimitatem.

Tom. III.

tis tentationibus reſiſtere valeamos? Hoc erat certe quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere ſatagebat: ut videntes defectum noſtrum, & quod non eſt nobis auxilium aliud, ad ejus miſericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, Fratres, ut ſemper ad manum habeatis tutiſſimum orationis refugium, de qua etiam memini me paulo ante in fine ſermonis eſſe locutum.

Oratio noſtra nulla infructuoſa.

5. Verumtamen quoties de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde veſtro, quæ & ab aliis frequenter audivi, & nonnumquam expertus ſum in corde meo. Quid enim eſt, quod licet numquam ab oratione ceſſemus, vix umquam experiri videatur aliquis noſtrum, quis ſit orationis ſuæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, ſic & redire videmur: nemo nobis reſpondet verbum, nemo quicquam donat, ſed laboraſſe videmur incaſſum. Sed quid in Evangelio dicit Dominus? *Nolite*, ait, *judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Quod eſt autem juſtum judicium, niſi judicium fidei? Quoniam juſtus ex fide vivit. Ergo judicium fidei ſequere, & non experimentum tuum: quoniam fides quidem verax, ſed experimentum fallax. Quæ eſt ergo veritas fidei, niſi quod promittit ipſe Filius Dei: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis?* Nemo veſtrum, Fratres, parvi pendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus, non parvi pendit eam. Priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe ſcribi jubet eam in libro ſuo. Et unum indubitanter è duobus ſperare poſſumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit eſſe utilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed miſeretur ille ſuper ignorantia noſtra; & orationem benigne ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt utile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minime tribuit: oratio tamen infructuoſa non erit.

Joan. 7. 24.
Abac. 2. 4.
Marc. 11. 24.

Si delectatio noſtra ſit in Deo.
Pſal. 36. 4.

6. Ita ſane, ſi fecerimus quod monemur in pſalmo, id eſt ſi delectemur in Domino. Ait enim ſanctus David: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sed quid eſt, ô Propheta, quod tam abſolute mones delectari in Domino, ac ſi ad manum nobis ſit hujuſmodi delectatio? Delectationem cibi, ſomni, quietis, & ceterorum, quæ in terra ſunt, novimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, ſæculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis. Quis enim veſtrum eſt, qui non ſæpe expertus ſit conſcientiæ bonæ delectationem? qui non guſtaverit ſaporem caſtitatis, humilitatis, caritatis? Non eſt hæc delectatio potus, neque cibi, aut ſimilis cujuſlibet rei: delectatio tamen eſt, & major omnibus illis. Divina enim eſt, & non carnalis delectatio: & cum in his delectamur, plane delectamur in Domino.

Delectatio in Deo quæ.

Virtutes pro ſeipſis ſectandæ.

7. Sed cauſantur multi fortaſſe, quod affectum hunc delectabilem & dulciorem ſuper mel & favum rarius experiantur, nimirum quia tentationibus interim exercentur: multoque virilius agunt, ſi virtutes ipſas non pro delectatione, quam experiantur, ſed pro virtutibus ipſis & pro ſolo beneplacito Dei tota intentione, etſi non tota affectione ſectantur. Nec dubium quin optime compleat qui hujuſmodi eſt, Prophetæ admonitionem, qua dicit, *Delectare in Domino:* quoniam non de affectu loquitur, ſed de exercitio. Affectus enim ille beatitudinis eſt, exercitium vero virtutis. *Delectare*, inquit, *in Domino*: ad hoc tende, ad hoc conare, ut in Domino delecteris, *& dabit tibi petitiones cordis tui.* Sed conſidera quod petitiones cordis dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes unde cauſeris, ſed unde magis toto affectu in gratiarum actione verſeris: quando quidem tanta ſuper te cura eſt Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat ſuper hoc, ſed mutet illud utiliori dono. Sic & pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit: quærenti cultellum, quem non neceſſarium putat, non conſentit, ſed magis panem ei quem dederat frangit, vel per aliquem miniſtrorum frangi præcipit, ut nihil ille habeat periculi, nihil laboris.

Orationes noſtras cur Deus ſæpe non exaudit ad votum.

Petitiones cordis in tribus.

8. Porro petitiones cordis in tribus credo conſtare, nec video quid præter illa electus quiſque ſibi debeat poſtulare. Duo quidem hujus temporis ſunt, id eſt bona corporis & animæ, tertium vero beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quod bona corporis à Deo dixerim eſſe quærenda: quoniam ejus ſunt corporalia omnia, ſicut & ſpiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & ſperandum nobis eſt, unde poſſimus in ejus ſervitio ſuſtentari. Verumtamen pro neceſſitatibus animæ orandum nobis eſt & frequentius, & ferventius, id eſt pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate & toto nobis orandum eſt deſiderio, ubi nimirum corporis & animæ plena & perfecta ſit beatitudo.

Tria in his obſervanda.

9. In his ergo tribus, ut cordis petitiones ſint, tria nobis ſunt obſervanda. Nam & in prima quidem ſuperfluitas, & in ſecunda impuritas, & elatio interdum ſurrepere ſolet in tertia. Nonnumquam enim temporalia quæri ſolent ad voluptatem, virtutes ad oſtentationem: ſed & vitam æternam fortaſſis aliqui non in humilitate quærunt, ſed tamquam in fiducia ſuorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi: ſed non oportet ut in ea conſtituat quiſquam fiduciam impetrandi. Hoc ſolum conferunt hæc prima * dona, ut ab ea miſericordia quæ tribuit hæc, ſperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta: ſit oratio quæ pro virtutibus eſt animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta: ſit ea quæ ſit pro æterna vita, in omni humilitate, præſumens de ſola (ut dignum eſt) miſeratione divina.

** al. munda.*
Oratio optima regula.

IN QUADRAGESIMA,

Sarmo saxtus.

De Oratione Dominica.

1. Voluntas Domini, Fratres, quæ prius Angelos creavit faciens eoſdem, poſtmodum in eis facta beavit. Sicut enim Verbum quod erat in principio, carnem ſuſcipiens dicitur, & vere dicitur, factum caro: ſic voluntas illa æterna in Angelo facta eſt, cum angelicam omnino in ſe abſorbuit voluntatem. Quidni dicatur facta in Angelo, cum angelica facta eſt? Hæc enim ſumma illius felicitatis eſt, hæc voluptatis cæleſtis torrens, quod divina voluntas ipſa facta eſt etiam Angelorum: ut quemadmodum placet Deo univerſitas adminiſtrationis hujus, ſic & ipſi in cunctis gaudeant, in omnibus delectentur. Hoc igitur oramus, ut hæc voluntas, ſicut in cæleſtibus facta eſt creaturis, fiat etiam in terrenis: ut ſicut Angelus, ſic & homo adhærens Deo, unus cum eo ſpiritus ſit. Sed heu me! quot obſtacula ſeparant, quot prohibent impedimenta! Objicit ſeſe malitia mediam, objicit infirmitas, objicit concupiſcentia & ignorantia noſtra. Ineſt enim nobis quaſi à natura, magis autem ab exterminio naturæ, affectio quædam peſſima & libido nocendi, ut inexſtinguibilis inveniatur in miſeris animabus noſtris malitiæ delectatio. Quid vero longius à voluntate divina? Plane chaos magnum inter nos & illam firmatum eſt in hac parte: cum ſemper eum delectet præſtare beneficia, & ingratis nobis econtra ſuggerat affectio crudeliſſima & innoxiis velle nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc invidiæ, hinc detractiones, hinc diſſenſiones pullulant, hinc ſilveſcunt inimicitiæ. At hæc quidem germina virulenta præcidi ſemper neceſſe eſt falce juſtitiæ, qua videlicet extorquemus à nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri: ſed quæ volumus ut faciant nobis homines, & nos eis eadem faciamus. Eradicari tamen aut exſtirpari à cordibus noſtris omnino non poterit malitia, donec in mundo fuerimus, qui totus poſitus eſt in maligno. Contentur quidem

Joan. 1. 14.

Voluntatis divinæ ratio in nobis impedimenta.

1. Ex natura corruptione.

ſerpentis caput ſed frequenter experiri eſt calcaneo A inſidiantem.

2. Ex infirmitate humana.

2. Secundo loco ipſa quoque corruptibilis hujus infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas noſtra divinæ valeat cohærere. Nobis ſiquidem quod moleſtum ſentimus, non poteſt non diſplicere; & frequenter in his voluntas noſtra à divina diſſidet voluntate: cui ne penitus adverſetur fortitudo eſt nobis neceſſaria, quæ ſecunda ſpecies eſt virtutis.

3. Ex concupiſcentia.

3. Nec ſola impedit afflictio corporis: impedit & concupiſcentia, qua multiplicibus & inexplebilibus diſtrahimur deſideriis. Quando autem poterit anfractuoſa & angulis plena voluntas ei uniri, quæ rectiſſima eſt, & omnimodis indiſtorta? Heu me! Domine B Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta! Quocumque me vertam, nulla uſquam ſecuritas eſt. Et quæ mulcent & quæ moleſtant, timeo: & eſuries & refectio, & ſomnus & vigiliæ, & labor & requies militant contra me. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*, orat Sapiens: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Quod ſi reprimit temperantia concupiſcentiam, (hoc quippe unicum in hujuſmodi remedium eſt) erit quidem unio jam nonnulla, ſed plena non erit. Hinc & Apoſtolus de ſe fatetur: *Ego ipſe*, ait, *mente conſentio legi Dei, carne autem legi peccati, quæ eſt in membris meis*. Ex parte ergo cohæret, C & ex parte diſſidet, donec veniat quod perfectum eſt, & quod ex parte eſt evacuetur.

Periculis hic plena omnia — *Prov. 30. 8* — *Rom. 7. 25*

4. Ex ignorantia.

4. Quarta eſt ignorantia, quam & ipſam nobis plurimum obeſſe non ignoratis. Quo enim pacto voluntatem Dei præviam ſequar, ubi ignoro eam? Cognoſco autem tantum ex parte, & necdum ſicut cognitus ſum. Propterea inquirenda ſunt nobis cum omni deſiderio incrementa prudentiæ, ut magis ac magis notam faciat nobis Deus voluntatem ſuam, ut ſciamus quid acceptum ſit ei omni tempore. Sic virtutum conſummatio, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ & prudentiæ, unionem illam tam felicem, quàm deſiderabilem conſummabit, ut ſit nobis cum Deo D una voluntas, & quæcumque ei placent, placeant ſimul & nobis: atque hæc nobis erit (ut de Angelis ſupra dictum eſt) omnino perfecta jucunditas.

Dei nomen quomodo ſanctificandum.

5. Oramus autem ut adveniat regnum Domini, quo videlicet nobis plena ſit de regni poteſtate ſecuritas. Quod autem petimus ut ſanctificetur nomen ejus, omnino jam ſupra nos in ejus notitiam pergere concupiſcimus. Ubi nimirum nobis in nobis & felix ſecuritas, & ſecura felicitas fuerit, in eum qui ſupra nos eſt, tota jam ſpiritus vehementia rapiemur. *Sanctificetur nomen tuum*. Nomen ejus, gloria ejus. Et illa quando non ſancta? Fieri tamen dicitur ſancta gloria ejus, cum in ſanctitate glorificatur à nobis: ſicut E & voluntatem ejus, quæ æterna eſt, in nobis, ut noſtra fiat, fieri poſtulamus. Hoc ergo primum fieri petimus quod maximum eſt, ut nobis gloriæ illius innoteſcat ſanctitas illibata. Exinde quod ad nos ſpectat optamus, & regni poteſtatem propter ſecuritatem, & voluntatis ejus in nobis perfectionem propter jucunditatem. Sed quia necdum illa perfectione gaudentes, non ſine magno labore divinæ poſſumus obtemperare voluntati; opus eſt cibo ne deficiamus, opus eſt, inquam, pane quotidiano. Sæpius quoque aberrantes ab ea, & delinquentes, hoc eſt derelinquentes eam, neceſſario pro indulgentia ſupplicamus, F dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra, &c.* At ne forte in eadem recidamus poſt acceptam veniam peccatorum, orandus à nobis idem ipſe eſt, ne nos inducat in tentationem: ſed magis educat nos, & liberet à malo, amen.

IN QUADRAGESIMA,

Tom. III.

SERMO VII.

De Peregrino, Mortuo, & Crucifixo.

Hebr. 13. 14. — *Peregrini mundo deſpiciunt*

1. Felices, qui ſe præſenti ſæculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos ſe cuſtodientes ab eo! *Neque enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*. Abſtineamus ergo a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, tamquam advenæ & peregrini. Peregrinus ſiquidem via regia incedit: non declinat ad dexteram, neque B ad ſiniſtram. Si forte jurgantes viderit, non attendit: ſi nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes; nihilo minus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit: veſtitum & victum habens non vult aliis onerari. Beatus plane, qui ſuum ſic agnoſcit, ſic deplorat incolatum, dicens Domino: *Quoniam advena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei*. Magnum hoc quidem, ſed forte gradus aliquis altior eſt. Nam peregrinus, etſi non admiſcetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut audire ab aliis, aut ipſe narrare quæ viderit: & his & hujuſmodi, etſi penitus non retinetur, detine- C tur tamen & retardatur, dum minus memor patriæ, minori accelerat deſiderio. Nam & tantopere * poteſt in his delectari, ut jam non ſolum tardius veniat: ſed & remanens ex toto, ne tarde quidem perveniat.

Pſal. 38. 13. — ** al. tenno tempore.*

Coloſſ. 3. 3. Mortuus mundo quis.

2. Quis igitur eſt magis alienus ab actibus ſæculi, quàm peregrinus? Profecto quibus dicit Apoſtolus: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Peregrinus nimirum poteſt facile occaſione viatici pluſquam oporteat, & detineri quærendo, & prægravari portando: mortuus, ſi deſit etiam ipſa ſepultura, non ſentit. Sic vituperantes ut laudantes, ſic adulantes audit ut detrahentes, immo vero nec au- D dit, quia mortuus eſt. Omnino felix mors, quæ ſic immaculatum ſervat: immo penitus alienum facit ab hoc ſæculo. Sed neceſſe eſt ut qui non vivit in ſe, vivat Chriſtus in illo. Hoc eſt enim quod ait Apoſtolus: *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Chriſtus*. Ac ſi diceret: Ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo: ſi qua vero ſunt Chriſti, hæc me vivum inveniunt & paratum. Nam ſi non aliud poſſum, ſaltem ſentio: placet quod ad ejus honorem fieri video, diſplicent quæ aliter fiunt. Magnus omnino gradus eſt iſte.

Gal. 2. 20.

Gal. 6. 14. — *Crucifixus mundo quis.*

3. At fortaſſe poterit aliquid adhuc ſuperius inveniri. In quo ergo quæremus? In quo putas, niſi in eo E de quo nunc loquebamur, qui raptus eſt uſque ad tertium cælum? Quis enim prohibet tertium cælum dicere, ſi quem gradum ſupra iſtos poteris invenire? Audi igitur ipſum de hac tanta altitudine non in ſe gloriantem, ſed dicentem: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Non ſolum inquit, mortuus mundo, ſed & crucifixus: quod eſt ignominioſum genus mortis. Ego illi, pariter & ipſe mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus ſum, F illis adhæreo, illa toto amplector affectu. Annon major iſte eſt ſecundo & primo gradu? Peregrinus, ſi prudens eſt, & non obliviſcitur ſuæ peregrinationis, licet cum labore, tranſit, & non magnopere ſecularibus implicatur. Mortuus æque blanda hujus ſæculi, ſicut aſpera ſpernit. Qui vero raptus eſt uſque ad tertium cælum, crux illi eſt omne cui mundus inhæret: & his adhæret quæ mundo crux eſſe videntur. Quamvis in his verbis Apoſtoli illud quoque non incongrue poſſit intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipſum vero mundo crucifixum compaſſione. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, &

Tom III. ipſe crucifigebatur ei per compaſſionis affectum.

Pſal. 83. 8. 4. Penſemus nunc ſinguli in quo gradu quiſque ſit poſitus, & ſtudeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion. Maxime vero hoc ſancto tempore in omni obſecro puritate converſari ſtudeamus, ubi & certus, & brevis dierum numerus poſitus eſt, ne deſperet humana fragilitas. Nam ſi dicitur nobis, Omni tempore ſolliciti eſtote omnino ad cuſtodiendam puritatem veſtræ converſationis; quis non deſperet? Nunc autem monemur, brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias emendare: ut vel ſic guſtemus dulcedinem perfectæ puritatis, & omni deinceps tempore in converſatione noſtra ſanctæ hujus Quadrageſimæ veſtigia clara reſplendeant. Conemur ergo, Fratres, ſanctum hoc tempus tota devotione ſuſcipere, & nunc magis arma ſpiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congreditur: beati qui ſub tali duce ſtrenue militaverint. Toto ſiquidem anno domeſtica Regis familia militat, & aſſidua eſt in bellorum procinctu*: ſemel autem & certo tempore univerſum imperium generali congregatur exercitu. Felices vos, qui domeſtici meruiſtis eſſe, quibus dicit Apoſtolus: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei.* Quid igitur facturi ſunt qui toto anno pugnare ſuſceperunt, quando & ipſi rudes, & vacantes prius ſpiritualia arma arripiunt? Utique ſolito amplius ſolitæ opus eſt inſiſtere pugnæ, ut magna quædam victoria Regi noſtro ad gloriam, nobis proveniat ad ſalutem.

Quadrageſimæ breves dies ſerio tranſigendi. — *Quadrageſima tota Eccleſia pugnat in diabolum.* — * *al. add.* *Iuſtu.* — *Epheſ. 2. 19.*

Circ. Ann. MCXL

IN PSALMUM *Qui habitat* SERMONES[a] XVII IN QUADRAGESIMA HABITI.

PRÆFATIO.

Laboris detractio pius miſeratio crudelis.

1. CONſidero labores veſtros, Fratres, non ſine magno miſerationis affectu. Quæro conſolationem quam exhibere poſſim, & corporalis occurrit: ſed ea non prodeſt quicquam, magis & obeſſe plurimum poteſt. Siquidem modica ſementis detractio, non modicum meſſis eſt detrimentum: & ſi pœnitentia veſtra minuatur miſeratione crudeli, paulatim gemmis corona veſtra privatur. Quid tamen agimus? ubi Prophetæ farinula? Siquidem mors in olla eſt; & mortificamini tota die in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis ſupra modum, præter ea quæ intrinſecus ſunt contritio cordium, & multitudo tentationum. Mortificamini, ſed propter eum qui mortuus eſt pro vobis. Quod ſi abundat tribulatio veſtra pro eo, abundabit conſolatio veſtra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in aliis renuit conſolari. Apud ipſum namque ipſa quoque tribulatio magna quædam conſolatio poterit inveniri. Nonne enim certum eſt ſupra vires humanas, ultra naturam, contra conſuetudinem eſſe quæ ſuſtinetis? Alius igitur portat iſta, ille ſine dubio, qui ſecundum Apoſtolum portat omnia verbo virtutis ſuæ. Nonne ex hoc jam ſuo ipſius gladio inimicus perimitur, & magnitudo tribulationis, de qua tentare ſolebat, ipſa magis tentationes exſuperat, tamquam certiſſimum divinæ præſentiæ argumentum? Quid enim timendum nobis, ſi adeſt qui portat omnia? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Nam ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quid eſt quod totam molem terræ ſuſtinet? Et univerſus orbis cui innititur? Nam ſi eſt aliquid quod ſuſtineat cetera, ipſum à quo ſuſtinetur? Non invenitur niſi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.

4. Reg. 4. 41. — *Tribulatio pia conſolatio.* — *Tribulatos Deus portat.* — *Heb. 1. 3.* — *Pſal. 22. 4.* — *Pſal. 32. 6.*

2. Propterea, ut ſit vobis in verbo Domini conſolatio, maxime his diebus, quibus (ſicut omnino dignum eſt) aliquatenus major eſt labor veſter; ut confido, non erit inutile tractare vobiſcum aliquid de Scripturis ſanctis, quod etiam aliqui veſtrum rogaverunt. Unde nobis eligendus eſt Pſalmus ipſe, de quo tentationis occaſionem inimicus aſſumpſit[b], ut inde confringantur arma maligni, unde ſibi uſurpare præſumpſit. Propterea nolo vos ignorare, Fratres, quoniam manifeſte imitatores ſunt inimici, quicumque de Scripturis ſanctis aliquid non ſancte uſurpant, & detinent veritatem Dei in mendacio, ſicut ſolent quandoque nonnulli. Cavete hoc, dilectiſſimi, quia prorſus diabolicum eſt, & de parte ejus ſe eſſe probant qui id faciunt, in ſuam ipſorum perniciem ſalutaria ſcripta pervertere molientes. Sed non modo plus immoror: ſufficit, credo, breviter tetigiſſe. Jam de ipſo, quem elegimus, Pſalmo aliqua præſtante Domino diſſerere & explanare tentemus.

Scripturis abuti diabolicum.

SERMO PRIMUS.

De verſu primo, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

Adjutorii divini expers triplex hominum genus. — *1 Non ſperantium.*

1. QUis ſit divini inhabitator adjutorii, per non inhabitantes illud melius poteſt agnoſci. Tria ſiquidem eorum reperies genera: unum non ſperantium, aliud deſperantium, tertium fruſtra ſperantium. Neque enim habitat in adjutorio Dei, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed confidit in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum. Surdus namque eſt ad Prophetæ vocem dicentis: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt*: & ſola temporalia quærens, æmulatur in malignantibus, pacem peccatorum videns; & elongatur ab adjutorio Altiſſimi, quod ſibi ad hæc neceſſarium eſſe non reputat. Sed quid nobis de his quæ foris ſunt judicare? Timeo, Fratres, ne forte etiam ſit in nobis, qui non habitet in adjutorio Altiſſimi, ſed confidat in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum. Forte enim fervorem habet aliquis, potens in vigiliis, in jejuniis, in labore, & ceteris hujuſmodi, aut etiam multorum (ut ſibi videtur) divitias meritorum longo tempore acquiſivit; & in his confidens, remiſſior eſt in timore Dei, facile jam ad otioſitates & curioſitates pernicioſa quadam ſecuritate declinat, murmurat, detrahit, dijudicatque. Qui profecto, ſi habitaret in adjutorio Dei, attenderet utique ſibi, & timeret offendere, quem ſibi cognoſceret adhuc tam neceſſarium eſſe. Tanto ſiquidem amplius timere Deum, & magis ſollicitus eſſe debuerat, quanto majora ejus munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, ſervare aut tenere poſſumus ſine eo. Nunc vero (quod non ſine dolore loquimur aut videmus) ſunt aliqui qui in converſionis initio ſatis timorati & ſolliciti ſunt, donec initium aliquod converſationis* acceperint; & cum multo magis deſiderare debuerant, juxta illud, *Qui edunt me, adhuc eſurient*; incipiunt ſic agere ac ſi dicant: Ut quid ei ſerviamus ultra, quando jam habemus quod daturus eſt? O SI SCIRES, quam parum eſt quod habes, & hoc ipſum quam cito perdes, ſi non ſervaverit ille qui dedit! Hæc enim duo ſunt quæ valde ſollicitos & ſubjectos Deo nos reddere poſſunt, ut non ſimus de his qui propterea non habitant in adjutorio Altiſſimi, quia non reputant illud ſibi neceſſarium eſſe: & hi ſunt qui non ſperant in Domino.

Iſa. 55. 6. — * *al. converſionis.* — *Eccli. 24. 29.*

2 Deſperantes.

2. Sunt autem & alii qui & deſperant, hi ſcilicet qui conſiderantes imbecillitatem propriam, deficiunt

a In codice Vaticano num. 663 appellatur LIBER IN PSALMUM *Qui habitat*, conſtatque non ſermonibus, ſed capitibus 18. In quibuſdam mſſ numerantur ſermones duntaxat quindecim, tribus primis in unum conjectis. Habiti ſunt poſt annum 1138. infra ex Sermone 6

b Quippe verbis pſalmi 90. abuſus eſt diabolus tentans Chriſtum, ſcilicet verſu 11.

& obruuntur

& bruon[illegible] puſillanimitate ſpiritus, habitantes in carne ſua, & circa infirmitatem propriam ſemper intenti, ut omnia quæ patiuntur, curſim enumerare parati ſint. Ubi enim intenderis, ingenium valet. In adjutorio autem Dei non habitant, neque noverunt illud quod nec aſſurgere valeant, ut aliquando cogitent illud. Sunt autem alii, qui ſperant quidem in Domino, ſed fruſtra, quia ſic de miſericordia ejus ſibi ipſis blandiuntur, ut à peccatis ſuis non emendentur. Vana eſt omnino ſpes iſta, & hæc confundit, eo quod caritas deſit. Contra hos Propheta [a]: *Maledictus*, inquit, *qui peccat in ſpe*. & alius: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus*. Dicturus, *qui ſperant*, ſignanter præmiſit, *ſuper timentes eum*. Fruſtra ſiquidem ſperat, qui contemptu ſuo gratiam à ſe repellit, & ſpem ſuam prorſus evacuat.

[Margin: a Vana ſperantes. — Pſal. 146. 11.]

3. Nullus ergo horum trium habitat in adjutorio Altiſſimi. Primus enim habitat in meritis ſuis, ſecundus in pœnis, tertius in vitiis. Immunda habitatio tertii, anxia ſecundi, ſtulta & periculoſa primi. Quid enim ſtultius, quàm habitare in domo vix adhuc inchoata? Conſummaſſe te putas? At cum conſummaverit homo, tunc incipit. Denique ruinoſa eſt omnino hæc habitatio, & quæ ſuſtentari magis opus habeat, & fulciri, quàm inhabitari. Nonne vita præſens fragilis eſt & incerta? Similis ergo eſſe neceſſe eſt quidquid fundatur in ipſa. Quis enim ſuper fragile fundamentum, ſtabile credat ædificium? Periculoſa habitatio eorum, qui in meritis ſuis ſperant; periculoſa, quia ruinoſa. Eorum vero, qui conſideratione propriæ infirmitatis deſperatione dejiciuntur, habitatio eſt anxia, & eos in tormentis diximus habitare. Quamdiu enim & pœnas ſuſtinent, in quibus nocte & die conteruntur; & eis quoque quas nondum ſentiunt, amplius cruciantur, ut non ſufficiat diei malitia ſua, ſed opprimuntur his quoque quæ fortaſſe numquam experientur: quæ tormenta, quis infernus intolerabilior poteſt excogitari? præſertim quia & tanto labore premuntur, & cæleſtis panis non ſuſtentantur edulio. Hi ſunt qui in adjutorio Altiſſimi non habitant, quia deſperant. Priores autem, idcirco non quærunt, quia nequaquam ſibi illud neceſſarium ſentiunt. Extremi vero propterea longe ſunt, quia eo modo quærunt auxilium Dei, quo obtinere non poſſunt. Soli enim in adjutorio Altiſſimi habitant, qui id ſolum obtinere deſiderant, id ſolum amittere trepidant; ſedula circa illud & ſollicita cogitatione verſantes, quæ eſt utique pietas cultus Dei. Beatus plane qui ſic habitat in adjutorio Altiſſimi: quia in protectione Dei cæli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum quæ ſub cælo ſunt, quem Deus cæli protegere & conſervare voluerit? Porro ſub cælo ſunt quæcumque nocere poſſunt. Sub cælo ſunt aëreæ poteſtates, ſub cælo præſens ſæculum nequam, & caro adverſus ſpiritum concupiſcens.

[Margin: Stulta & ruinoſa habitatio meritis confidere. — Eccl. 31. 6 — Puſillanimium cruciatus & miſeria. — Qui tam in adjutorio Altiſſimi habitent.]

4. Optime igitur dictum eſt, *In protectione Dei cæli commorabitur*; ut nihil eorum quæ ſub cælo ſunt timere poſſit, quiſquis protectionem ejus habere meruerit: ſive ita dictum ſit, ut ad verſum ſequentem oratio dependeat, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur, dicet Domino, Suſceptor meus es tu*; & ſit quod dicitur, *in protectione Dei cæli commorabitur*, expoſitio præcedentis partis, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi*: aut magis addere videatur, ut non ſolum adjutorium ad operandum bonum, ſed protectionem quoque ad liberandum à malo doceat eſſe quærendam. At vero diligenter attende, quod *in protectione* dicit, non in præſentia. Angelus in præſentia ejus exſultat: ego utinam poſſim in ejus protectione morari. Ille beatus in præſentia, ego utinam in protectione ſim ſecurus. *Dei cæli*, inquit. Licet enim ubique eſſe non dubitetur, ſic tamen in cælo eſt, ut ad ejus comparationem nec eſſe videatur in terris.

[Margin: Timet nihil qui Deum protectorem habet. — Deus cur peculiariter dicatur eſſe in cælo.]

A Propter quod & orantes dicimus: *Pater noſter qui es in cælis*. Sicut enim anima, cum in toto quoque ſit corpore, excellentius tamen & ſingularius eſt in capite, in quo ſunt omnes ſenſus (nam in ceteris omnibus membris vix unum exercet ſolum, ſcilicet tactum, unde quantum ad eum modum quo in capite eſt, cetera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quàm regere:) ita ſi præſentiam illam * cogitemus, qua beati Angeli perfruuntur, videri poſſumus vix aliquam Dei protectionem & nomen habere. Felix tamen anima, quæ vel hanc protectionem meretur. *Dicet* enim *Domino, Suſceptor meus es tu*. Verum id quidem ſermoni alteri reſer-
B vemus.

[Margin: Tom. III. — * al. illius.]

SERMO SECUNDUS.

De verſu ſecundo, *Dicet Domino, Suſceptor meus es tu*, &c.

1. *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi*, ait Propheta, *dicet Domino, Suſceptor meus es tu, & refugium meum. Deus meus, ſperabo in eum*. Dicet in gratiarum actione, confitens Domino & miſericordiæ ejus ſuper duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno, & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit. Fugere, inquam,
C dum in hoc corpore ſumus, à facie tentationis perſequentis oportet. Quod ſi minus celeriter fugimus, aliquando (ut aſſolet) impellimur & evertimur, ſed Dominus ſuſcipit nos. Ipſe itaque refugium eſt, ut venientem cum ſtercoribus boum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, & evadere poſſimus fœdam nimis lapidationem. Ipſe quoque ſuſceptor eſt, ut etiam cum ceciderimus, non collidamur, quoniam ſupponit manum ſuam. Cum ergo tentationis impetum ſentimus in cogitatione, ſtatim fugiamus ad ipſum, & humiliter poſtulemus auxilium. Quod ſi forte præoccupaverit nos, ut fit aliquando, cum tardius, quàm oporteat, ad eum confugimus; ſolliciti ſi-
D mus ut ſuſcipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere neceſſe eſt, dum in hoc ſæculo detinentur: ſed alii colliduntur, alii non, quia Deus ſupponit manum ſuam. Sed quomodo eos diſcernere poterimus, ut ſegregemus juxta Domini exemplum agnos ab hœdis, juſtos ab injuſtis? Nam & *Juſtus ſepties in die cadit*.

[Margin: Tentationum ſordes. — Matth. 25. 32. Prov. 24. 16.]

2. Verum hoc intereſt inter eorum caſus, quod juſtus ſuſcipitur à Domino, ideoque reſurgit fortior: injuſtus autem cum ceciderit, non adjiciet ultra ut reſurgat; immo vero aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excuſat quod fecit, & hic eſt pudor adducens peccatum; aut fit ei frons me-
E retricis, & jam nec Deum timet, nec hominem reveretur, ſed prædicat peccatum ſuum ſicut Sodoma. Juſtus vero ſuper manum Domini cadit, & miro quodam modo etiam ipſum ei peccatum in juſtitiam cooperatur. *Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Nonne cooperatur nobis ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores? Nonne Dominus cadentem illum ſuſcipit, qui ab humilitate ſuſcipitur? *Impulſus everſus ſum ut caderem*, ait Propheta: ſed nihil proficit qui impulit me, quoniam *Dominus ſuſcepit me*. Sic ergo dicet fidelis anima Domino: *Suſceptor meus es tu*. Poſſunt omnia dicere, Creator meus es tu: poſſunt &
F animalia dicere, Paſtor meus es tu: poſſunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu. At vero Suſceptor meus es tu, is tantum dicere poteſt, qui habitat in adjutorio Altiſſimi. Unde & addidit: *Et Deus meus*. Cur non Deus noſter? Quia in creatione, in redemptione, ceteriſque communibus beneficiis eſt Deus omnium: ſed in tentationibus ſuis tamquam proprium eum habent ſinguli electorum. Sic enim paratus eſt ſuſcipere cadentem, & eripere fugientem,

[Margin: Caſus piorum quid differat ab caſu impiorum. — Rom. 8. 28. — Pſal. 117. 13. — Deus eſt ſuſceptor piorum.]

a Incertum quis iſte Propheta, niſi ſi is ſit Jeremias, qui ſimile habet in cap. 17. verſ. 5.

Tom. III ut videri poſſit relictis omnibus aliis ei ſoli operam A dare.

Deus attinſpector noſter ſemper cogitandus quomodo.

3. Propterea expedit omni animæ Deum ſemper attendere tamquam proprium, non modo adjutorem, ſed etiam inſpectorem. Quando * enim negligens poterit fieri, qui intuentem ſe Deum nunquam deſinit intueri? Aut quomodo non quaſi proprium illum habere videtur, qui ſic eum ſuper ſe videt intentum, ut omnia interiora ejus & exteriora omni hora conſiderare non ceſſet, omneſque non ſolum actus, ſed etiam ipſos ſubtiliſſimos animæ motus perſcrutetur atque dijudicet? Hic igitur non immerito dicere poteſt: *Deus meus, ſperabo in eum.* Et attende quod non dixerit, Speravi, aut ſpero, ſed, *ſperabo*. Hoc, inquit, eſt votum meum, hoc propoſitum meum, hæc intentio cordis mei. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, & in hac perſeverabo. *Sperabo in eum.* Non deſperabo, nec fruſtra ſperabo, quia maledictus qui peccat in ſpe, & nihilo minus qui peccat in deſperatione: ſed nec eſſe volo de his qui non ſperant in Domino. *Sperabo*, inquit, *in eum.* Sed jam dic nobis quo fructu, qua mercede, quo lucro? *Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Sane laqueum hunc & hoc verbum in diem alterum, & ſermonem, ſi placet, alterum differamus.

SERMO TERTIUS,

De verſu tertio, *Deus meus ſperabo in eum. Quoniam ipſo liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.*

1. EGo utique, Fratres, in hoc verbo magna mei ipſius pietate compungor, & valde miſereor animæ meæ. *Ipſe liberavit me de laqueo venantium.* Ergone beſtiæ ſumus nos? Beſtiæ prorſus. *Homo enim cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Beſtiæ profecto ſunt homines, oves errantes non habentes paſtorem. Quid ſuperbis, ô homo? quid te ſciolum jactas? Vide quia beſtia factus es, cui venandæ laquei præparantur. Sed qui ſunt D venatores iſti? Venatores utique peſſimi & nequiſſimi, calidiſſimi & crudeliſſimi. Venatores, qui cornu non ſonant, ut non audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum. Ipſi rectores ſunt tenebrarum harum, aſtutiſſimi nequitia & verſutia diabolicæ fraudis: ita ut ſicut eſt ante venatorem beſtia, ſic ad eorum comparationem ſit quilibet aſtutiſſimus hominum, præter eos dumtaxat, qui cum Apoſtolo non ignorant cogitationes eorum, quibus in Dei ſapientia datum eſt fraudes deprehendere malignorum. Obſecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni & mali, nolite ſequi cordis veſtri judicium, nolite abundare in ſenſu veſtro; ne vos, tamquam rudes adhuc, verſutus ille venator decipiat. Nam ſilveſtribus illis & omnino beſtialibus beſtiis (ſæculares homines loquor) apertos ſatis expandit laqueos, utpote quos facile capiendos eſſe non dubitat. Vobis autem, qui tamquam prudentiores cervi ſerpentes necatis *, & deſideratis ad fontem vivum, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit. Unde obſecro vos, humiliamini ſub potenti manu Dei paſtoris veſtri, & acquieſcite eorum conſiliis, qui melius norunt venatoris illius verſutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, & crebris experimentis, tam in ſe, quàm in multis.

Pſal. 48. 13. Homo beſtia, venationi obnoxia.

2. Cor. 2. 11.

Novitiorum cautela in tentationibus.

* Vide S. Auguſt. in Pſ. 41 Quemadmod. deſid. cervus

Divitiæ laqueus venatoris infernalis.

2. Sed ecce quia jam venatores & beſtias novimus; quiſnam ſit laqueus iſte quærendum eſt. Nolo ego adinvenire ex me, nec dubium aliquid tradere vobis. Oſtendat nobis Apoſtolus laqueum iſtum: ipſe enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paule, quis ſit laqueus iſte diaboli, à quo ſe liberatam fidelis anima congratulatur. *Qui volunt*, inquit, *divites fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli.* Ergone laqueus diaboli, divitiæ ſunt hujus ſæculi? Heu quam paucos

1. Tim. 6. 9.

A invenimus, qui ab hoc laqueo liberari exſultent! quam multos, qui dolent quod parum ſibi videntur irretiti; & adhuc quantum poſſunt, ipſi ſe involvere & intricare laborant! Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis non habentem ubi caput ſuum reclinaret, Filium hominis, exſultate, & dicite: *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium.* Confitemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipſis medullis cordis gratias ei agite, dicentes: *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium.* Et ut noveritis quam magnum ſit beneficium hoc, & ſciatis quæ à Deo donata ſunt vobis, audite quod ſequitur: *Et a verbo aſpero.* O homo, vel magis beſtia, laqueum non timebas? Time vel B malleum. *A verbo*, inquit, *aſpero.* Quod eſt hoc verbum, niſi illud inſatiabilis gehennæ: Affer, affer, percute, dilacera, cito interfice, velociter ſpolia detrahe? Quod eſt verbum aſperum, niſi, *Tollatur impius ne videat gloriam Dei?* Quomodo exſultant venatores capta beſtia, & clamant: Tolle, tolle, infige verubus, inter prunis, & male bullientibus impone lebetibus. Verbum aſperum fuit, quod protulit dinus exaſperans, populus Judæorum: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Quam horribile verbum, quam aſperum, quam crudele! Vere dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hoc verbum aſperum tu ſuſtinuiſti, Domine. C Cur, niſi ut nos liberares à verbo aſpero? Sit jam pietatis tuæ, ut non ſuſtineamus nos, quod tu dignatus es ſuſtinere pro nobis.

Luc. 9. 58.

Verbum aſperum quid.

Iſa. 26. 10.

Johan. 19. 15.

3. Reſpondent homines ſæculares, cùm eis ſuademus agere pœnitentiam, & dicunt: Durus eſt hic ſermo. Nempe hoc eſt quod in Evangelio legimus. Loquebatur de pœnitentia ipſa Dominus, ſed in figura, tamquam his quibus non erat datum noſſe myſterium regni Dei. Cumque audirent dicentem, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, dixerunt: *Durus eſt hic ſermo. Et abierunt retrorſum.* Quid autem eſt manducare ejus carnem, & bibere ſanguinem, niſi communicare paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari, quam geſſit in carne? D Unde & hoc deſignat illibatum illud Altaris ſacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus: ut ſicut videtur illa panis forma in nos intrare; ſic noverimus per eam quam in terris habuit converſationem, ipſum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus noſtris. Cum enim juſtitia ingreditur, ille ingreditur qui factus eſt nobis a Deo Patre juſtitia. Sed & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Sed tamen adhuc multi nobis dicunt: Durus eſt hic ſermo. Ergone durum eſt momentaneum hoc & leve tribulationis, quod ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum eſt breviſſimo & leviſſimo labore cruciatus illos & tormenta E redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus ſufficiat cogitare? Durum vobis videtur cum dicitur, *Agite pœnitentiam!* Erratis; ſed audituri eſtis aliquando verbum aſperum, ſermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ita, dico vobis, hoc timete, hoc durum reputate: & invenietis, quia jugum Domini ſuave eſt, & onus ejus leve. Si in ſeipſo ſuave illud credere necdum poteſtis, vel hoc non ignoratis, quoniam hujus comparatione ſuaviſſimum eſt.

Johan. 6. 61. Pœnitentia cohortatio ſæcularibus dura.

Sacramentum Altaris myſtica ſignificatio.

1. Johan. 4. 16.

Labor omnis & aſperitas præ lenis fit cogitatione gehennæ.

Matth. 25. 41.

4. Vos autem, Fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos fruſtra jacitur rete; vos qui divitias hujus ſæculi penitus reliquiſtis, quid timeatis à verbo aſ- F pero, quando jam liberati eſtis à laqueo? Felix tu Idithum, pro quo pſalmi quidam inſcripti ſunt, qui tranſſiliſti laqueum, ut omnino longe fieres à verbo aſpero. Quibus enim dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum; Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*; quibus, inquam, dicetur, niſi his qui ſubſtantiam hujus mundi habuere? Numquid non valde exhilarantur ad verbum hoc corda veſtra, & ſpirituali jucunditate replentur? Numquid non pretioſiorem ducitis paupertatem veſtram theſauris ſæculi? ſiquidem ipſa eſt quæ liberat vos à verbo aſpero. Quomodo namque à nobis

Matt. 25. 41.

Paupertas ipſa ſola liberat.

exigat Deus, quod pro ipſius amore relictum eſt? Et tamen etiam hoc facitis, & de labore manuum veſtrarum Chriſtus alitur & veſtitur, ut nihil deſit. Agite ergo gratias, exſultate & dicite: *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Exſultate, inquam, ſed adhuc interim cum tremore. Lætos vos eſſe volo, ſed nondum ſecuros; gaudentes in Spiritu-ſancto, ſed tamen paventes adhuc, & caventes à recidivo.

Claro... labor in pauperes.

5. Quid enim vobis ultra pavendum eſt? Unum utique, idque graviſſimum, peccatum Judæ, peccatum apoſtaſiæ. Bene enim factum eſt, ut pennas acciperetis ſicut columbæ, & volaretis ad requieſcendum. Nam in terra non erat requies, ſed labor, & dolor, & afflictio ſpiritus. Quid ergo timendum eſt ſic volanti, niſi ne forte cadaver vel ſimile aliquid in terra videat, cujus deſiderio tractus videatur à venatoribus illis peſſimis, & præparatis laqueis capiatur, & ſint noviſſima hominis illius pejora prioribus? Hoc, inquam, omnino timendum eſt, ne quis aut corde ſolo, aut etiam corpore ad vomitum revertatur. Legimus enim de filiis Iſraël, quia corde redierunt in Ægyptum. Nam corpore reverti, clauſum poſt eorum talos Rubrum mare prohibebat. Hoc eſt quod vehementer ſingulis quibuſque timendum eſt, ne quando forte eatenus Deum offendant, ut manifeſte abjiciantur & evomantur ab eo: aut ſi pudor neget apoſtaſiam corporis, tepor ipſe paulatim ingerat apoſtaſiam cordis: ut videlicet ſub habitu religionis cor ſæculare gerant, & quidquid ſæcularis conſolationis invenire potuerint, amplectantur. Neque enim ſumus nos Apoſtolo ſanctiores, qui tamen verebatur, ne forte cum aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Sed tamdiu timendum eſt, donec laqueus contritus ſit, donec corpus iſtud anima depoſuerit. Nam & ipſum corpus laqueus quidam eſt: unde & oculus legitur animam deprædari. Minime ergo decet eſſe ſecurum hominem, qui ſecum portat laqueum ſuum: immo vero bonum eſt magis habitare in adjutorio Altiſſimi, ut per eum poſſit laqueus evitari.

Apoſtaſia Religioſis quam cavenda. — B — Apoſtaſia corde molliſſime. Num 14 3 — C — 1. Cor. 9. 27 — Thren 3.51.

SERMO QUARTUS.

De verſu quarto, *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, &c.

Gratitudo nova meretur beneficia.

1. Confitenti humiliter, & devote gratias referenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure conſtituetur ſuper multa: ſicut e contrario accipiendis indignus eſt, qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque devotæ illi gratiarum actioni reſpondet ſpiritus: Non id ſolum, inquiens, faciet, ſed & *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi.* Credo in his ſcapulis geminam Dei promiſſionem intelligendam, vitæ ſcilicet ejus quæ nunc eſt, pariter & futuræ. Si enim ſolum promitteret regnum, & in itinere deeſſet viaticum, omnino conquererentur homines, & reſponderent: Magnum quidem eſt quod promittitur, ſed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui poſt hoc ſæculum vitam promiſit æternam, ipſe dandum etiam in hoc ſæculo centuplum providentiſſima pietate promiſit. Quid jam excuſationis, habes, ô homo? Profecto obſtructum eſt os loquentium iniqua. Quid plus afferet inimicus ad tentandum, niſi quia longa futura eſt vita tua? Et ſi grandis tibi reſtat via, cur hoc timeas, cui fortis cibus datur, ne deficere poſſis in via? Eliæ utique cibus allatus eſt ab Angelo, quo nullus in humana conſuetudine vilior invenitur, ſcilicet panis & aqua: tanta tamen in eo fortitudo collata eſt, ut quadraginta diebus ambulans non fatigaretur nec eſuriret. Vis tibi hunc cibum ab Angelis miniſtrari? Mirum valde, ſi non vis.

Matth 19.29. Deus magna promittit. in hoc ſæculo & in futuro. — 3 Reg 19.5

2. Quod ſi cibum hunc deſideras, & angelica miniſteria non ſuperba, ſed humili magis ambitione requiris; audi quomodo ſcriptum ſit de Domino, quia tentante diabolo, & ſuadente, ut de lapidibus faceret panem, reſtitit, & dixit: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Deinde tentationibus ſuperatis, & tentatore fugato, acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Et tu ergo, ſi vis habere miniſterium Angelorum, fuge conſolationes ſæculi, & tentationibus reſiſte diaboli. Renuat conſolari anima tua in aliis, ſi vis in Dei memoria delectari. Cum eſuris, currere ſuadet ad panem: at tu potius audi dicentem, *Non in ſolo pane vivit homo.* Cur enim tanta varietate diſtraheris, ut modo cibum, modo potum, modo veſtem aut lectum, niſi pro ſola corporis neceſſaria ſuſtentatione requiras, qui in uno, id eſt in verbo Dei, potes hæc omnia invenire? Manna enim eſt, omnem ſaporem habens, & odoris delectationem; requies eſt vera & ſincera, ſuavis & ſalubris, jucunda & ſancta.

Matt 4.3. — Tom III. Deut 8 3 — Conſolationes divinæ & angelicæ quibus dentur.

3. Hæc eſt promiſſio vitæ præſentis. Nam promiſſionem futuræ quis explicet? Si exſpectatio juſtorum lætitia, & tanta lætitia, ut omne quod deſideratur in ſæculo, non valeat ei comparari: ipſum quod exſpectatur, quid erit? Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Sub his itaque ſcapulis quatuor nobis beneficia conferuntur. Sub his enim abſcondimur: ſub his ab incurſu * accipitrum & milvorum protegimur, quæ ſunt aereæ poteſtates; ſub his umbraculum ſalubre refrigerat nos, & repellit nimium ſolis fervorem: ſub his quoque alimur & fovemur. Ait enim Propheta in alio pſalmo: *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum*, id eſt, dum adhuc dies mali ſunt, & in terra aliena ſumus, quæ data eſt in manus impii, in qua non eſt regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam ſi regnat, quid eſt quod orantes dicimus: *Adveniat regnum tuum?* Neceſſe igitur eſt abſcondere interim, ſi quid habemus boni: quoniam theſaurum regni cælorum, qui invenit homo, abſcondit. Propter quod etiam corporaliter in clauſtris & in ſilvis abſcondimur. Et ſi ſcire vultis quantum in hac abſconſione lucramur, credo nullum hic eſſe, qui ſi quartam partem eorum quæ facit, in ſæculo actitaret, non adoraretur ut ſanctus, reputaretur ut angelus: nunc autem quotidie tamquam negligens arguitur & increpatur. Parumne hoc lucrum ducitis, quod non reputamini ſancti antequam ſitis? Annon timetis ne forte vili mercede hic recepta, in futuro mercedem non habeatis? Neceſſaria eſt ergo hæc abſconſio non ſolum ante oculos aliorum, ſed etiam multo magis ante teipſum. Hoc enim habet Dominica illa ſententia: *Cum feceritis omnia quæ præcipiuntur vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus.* Væ enim nobis ſi non feciſſemus. Et hæc eſt utique MAGNA VIRTUS & ſumma ſecuritas, quando & pie vivis; & tamen plus attendis quæ deſunt tibi, quàm quæ obtinuiſſe videris, oblitus quæ retro ſunt, & extendens te in anteriora. Hæc igitur eſt abſconſio, quam ſub ſcapulis Domini præſtari dixeramus; qualis forſitan abſconſio fuit vel obumbratio, quæ Mariæ facta eſt à Spiritu-ſancto, ad celandum videlicet tam incomprehenſibile ſacramentum.

Promiſſio vitæ futuræ Prov 10 28. — Iſai 64. 4. Beneficia Dei quatuor. — * al. occurſu. — Pſal 26 9. 1. Abſconſio. — Matt. 6 10 — Matt. 13.44. — Monachorum felices latebræ. — Luc 17 10

4. De protectione quoque idem iſte Propheta ait: *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas ſuas, ut pulli ſubeant, & habeant tutum refugium: ſic nobis parata, & quodammodo dilatato ſinu extenſa eſt ſumma illa & ineffabilis pietas Domini noſtri. Unde & ſupra dixit: *Quoniam refugium meum es tu.* Jam vero ſub ipſis quoque ſcapulis & umbraculum ſalubre, & protectionem habemus. Sicut enim iſte corporeus ſol, licet bonus ſit & valde neceſſarius, tamen & fervor ejus, ſi temperatus non fuerit, infirmo capiti, & ſplendor infirmis oculis nocet, nec eſt ſolis culpa, ſed infirmitatis: ſic etiam Sol juſtitiæ eſt. Unde & dicitur: *Noli nimium juſtus eſſe.* Non quod juſtitia bona non ſit; ſed quia dum adhuc infirmi ſumus, oportet ipſa bona gratia temperari, ne forte elationis aut indiſcretionis vitium incurramus. Quid enim eſt quod inceſſanter orantes & ſupplicantes non poſſu-

2. Protectio. Pſal. 139 2. — 3 Obumbratio. — Eccl 7 17

Tom. III. Deus cur parcius ſubinde det quod homo deſiderat.

mus ad eam, quam deſideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus eſt Deus, impotens aut inexorabilis? Abſit hoc, prorſus abſit: ſed ipſe cognovit figmentum noſtrum, & ſcapulis ſuis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea ceſſandum eſt: quia etſi non dat ad ſatietatem, dat tamen ad ſuſtentationem: etſi cavet nobis à fervore nimio; tamen fovet nos tamquam mater calore ſuo. Hoc eſt enim quartum quod diximus ſub ſcapulis ejus nobis præſtari, ut tamquam pulli calore materni corporis foveamur, ne foris vagantes moriamur, refrigeſcente nimirum caritate; quæ non diffunditur in nobis niſi per Spiritum qui datur nobis. Sub his igitur pennis ejus ſecurus ſperabis, ut videlicet de exhibitione præſentium munerum firma ſit exſpectatio futurorum.

4. Fomentatio caloris.

SERMO QUINTUS.

De verſu quinto, *Scuto circumdabit te veritas ejus.*

Matt. 14. 38.

1. V*Igilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Et quis hoc dixerit, ſcitis, & tempus ſcitis: Domini enim eſt verbum iſtud inſtante jam paſſione ſua. Et attendite quoniam ipſe quidem erat paſſurus, & non Diſcipuli: nec tamen pro ſe dicebat orandum, ſed pro illis. Unde ad Petrum ait: *Ecce ſatanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* SI TANTUM illos oportebat timere in paſſione Domini, quantum nobis timendum eſt, Fratres, in paſſione noſtra? Vigilate proinde & orate, ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati eſtis tentationibus. Unde & legiſtis, quia *tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Itaque ſi tot tentationibus plena eſt vita noſtra, ut non immerito tota ipſa tentatio debeat appellari: pervigili circumſpectione opus eſt & oratione, ne inducamur in eam. unde eſt & illud in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quia ergo undique ſic circumdatus es tentationibus, ſcuto circumdabit te veritas ejus; ut quemadmodum undique bella, ita undique ſint & præſidia. In quo & omnino illud manifeſtum eſt, ſpirituale ſcutum eſſe oportere quod circumdare poteſt. Veritas autem circumdat, quia verax qui promittit, & ſic exhibet ut promittit. *Fidelis Deus*, ait Apoſtolus, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.*

Luc. 22. 31.

Job 7. 1. Tentatio eſt vita hominis: ſcutum veritas & oratio.

1. Cor. 10. 13.

Deique protectio.

2. Non incongrue ſane ſcuto comparatur gratia divinæ protectionis, quod in ſuperiori parte amplum & latum eſt, ut caput humeroſque cuſtodiat; in inferiori vero ſtrictius, ut minus oneret, maxime quod graciliores ſint tibiæ, nec tam facile vulnerentur, ſed nec adeo periculoſum ſit illis in partibus vulnerari. Sic omnino, ſic militibus ſuis Chriſtus ad inferiora tuenda, id eſt carnem, magnam (ut ita dixerim) ſtrictitatem atque penuriam rerum temporalium donat; nec vult eos illarum multitudine prægravari, ſed ut victum & veſtitum habentes, quemadmodum ait Apoſtolus, his contenti ſimus: in ſuperioribus vero ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ ſpiritualis. Sic enim habes: *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus. & omnia adjicientur vobis.* De victu utique dixit & veſtitu, unde dixerat ſollicitos eſſe non debere. Nam & hæc ipſa Pater noſter cæleſtis benigniſſima pietate miniſtrat, ob duplicem ſcilicet cauſam: ne vel omnino crederemus infenſum, ſi iſta negaret, & ſic deſperaremus; vel illorum nimia ſollicitudo, ſpiritualis exercitii fieret detrimentum. Sine his enim neque vivere, neque Deo ſervire eſt. Ceterum quanto ſtrictius, tanto melius.

1. Tim. 6. 8.

Matt. 6. 33. Deus ſuis temporalium ſufficientiam tribuit.

3. Itaque *ſcuto circumdabit te veritas ejus; non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Hæ ſunt quatuor tentationes, quibus undique circumdati, neceſſe habemus circumdari etiam ſcuto Domini, ut ſit nobis à dextris & à ſiniſtris, ante & retro.

Tentationes quatuor.

Hoc enim præmonitos vos eſſe volo, neminem ſuper terram abſque tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua, alteram ſecurus exſpectet: aut forte non ſecurus, ſed pavidus magis: & ſic petat ab ea liberari, ut numquam ſibi in corpore mortis hujus libertatem perfectam ſeu requiem audeat polliceri. Qua in re conſideranda eſt nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis diſpenſatio, ut quibuſdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne forte periculoſiores occurrant: ab aliquibus vero citius liberet, ut poſſimus in aliis, quas nobis utiliores fore prævidet, exerceri. Verum conſiderandum nobis eſt, ſed non modo, quæ ſint iſtæ quatuor quas hic ponit. Credo enim quod & hoc ordine, quo hic numerantur, contra eos qui convertuntur inſurgunt, & velut principes ſunt omnium tentationum.

Dei providentia in moderandis tentationibus.

SERMO SEXTUS.

De altera parte verſus quinti, *Non timebis à timore nocturno;* & de verſu ſexto, *A ſagitta volante in die, &c.*

Tentatio prima Novitiorum, puſillanimitas.

1. SOlet in divinis Scripturis adverſitas deſignari per noctem: & ſcimus quia adverſus eos qui convertuntur, primum eſſe certamen de moleſtiis corporis conſuevit. Caro enim, hactenus indomita, caſtigari & in ſervitutem redigi nequaquam æquanimiter patitur: ſed adhuc memor recens perditæ libertatis, acrius concupiſcit adverſus ſpiritum, maximeque in his pœnis, in quibus eſtis vos quotidie morientes, immo vero morte affecti tota die, quæ & ſupra vires ſunt, & ultra naturam, & contra conſuetudinem veſtram. Quid igitur mirum ſi turbant iſta, maxime eos, qui necdum conſueverunt, necdum ſatis in promptu habent recurrere ad orationem, refugere ad meditationes ſanctas, ut ſic relevetur diei pondus & æſtus? Neceſſarium plane nobis inter ipſa noſtræ converſionis initia ſcutum Domini, ut non timeamus à timore nocturno. Bene autem dicitur non timendum à timore nocturno, & non dicitur à nocte: quia non ipſa afflictio tentatio eſt, ſed magis timor ipſius. Nam & omnes laboramus; cum tamen non omnes inde tentemur: & qui tentantur, multo magis timore futuræ pœnæ, quam præſentis dolore læduntur.

2. Quia ergo timor ipſe tentatio eſt, congrue dictum eſt ei qui circumdatur ſcuto Domini, quod à tentatione hac non timebit. Forte impugnabitur, forte tentabitur, forte timebit noctem, ſed non ei timor iſte nocebit: magis autem ſi non fuerit dominatus, tunc immaculatus erit, & emundabitur, ſicut ſcriptum eſt, quia territi purgabuntur. Caminus eſt timor iſte: ſed ut examinet, non exurat, veritas facit. Nocturnus plane & tenebroſus timor: ſed facile hunc radius veritatis exſuperat. Ingerit enim oculis cordis nunc quidem peccata quæ fecimus; ut quemadmodum de ſe Propheta ait, etiam nos in flagella parati ſimus, annuntiantes iniquitatem noſtram, & cogitantes pro peccato noſtro: nunc vero æterna ſupplicia quæ meruimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus, univerſa quæ patimur delicias reputemus: nunc quoque cæleſtia præmia, ad quæ tendimus, crebro videlicet memorantes, quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: nunc etiam ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus, ut crebro conſiderantes quanta ſuſtinuit illa majeſtas pro inutilibus ſervis, erubeſcamus non ſuſtinere vel parva pro nobis.

Job 41. 16.

Remedia.

Rom. 8. 18.

2. Tentatio vana gloria.

3. Sed fortaſſe prævaluit veritas, præſertim tam multiplex & uſquequaque circumdans, non repellere modo, ſed etiam expellere penitus hunc timorem. Nox præceſſit: ut filius lucis & diei honeſte ambulans, time ſagittam. Leviter volat, leviter penetrat: ſed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit. Nimirum ſagitta hæc vana gloria eſt: non eſt, unde hæc impugnet puſillanimes & remiſſos. Qui ferventiores eſſe videntur, ipſi paveant, ipſi ſibi caveant in hac parte: nihilo minus adhuc ſolliciti non deſerere ſcu-

tum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Nec ſane huic opponenda ſagittæ ſecreta illa & quodammodo intima veritatis exigimus: ſemetipſam noverit anima, de ſe teneat veritatem.

Humilitatis ſectura opponendam.

Difficile proſus (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita ſua abduci poterit altum ſapere, ſi ſe intus ad lucem veritatis ſollicita conſideratione diſcutiat. Nonne enim ſi propriam cogitat conditionem, dicturus eſt ſibi; *Quid ſuperbis terra & cinis?* Nonne ſi propriam conſideret corruptionem, fateamur neceſſe eſt, quoniam non eſt in eo bonum? Sed & ſi forte aliquid habere videtur, non inveniet, puto, quid reſpondeat Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* Et alibi: *Qui ſtat, videat ne cadat*. Poſtremo ſi fideliter computet, facile illi erit advertere, quod nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, & omnes juſtitias ſuas tamquam pannum menſtruatæ reputari.

Eccli 10. 9. — 1 Cor 4. 7. — 1 Cor. 10. 12.

4. Eadem quoque veritas & eis nihilo minus opponenda eſt tentationibus quæ ſequuntur. Nec enim vel ſic deſiſtit hoſtis antiquus, ſed ad callidiora forte convertitur argumenta. Firmam probavit utroque latere turrim: non eſt quod vel à ſiniſtris puſillanimitate timoris, vel à dextris eam humanis concutere laudibus, in utraque jam molitione fruſtratus, attentet. Sed ſi viribus, inquit, dejicere nequeo, forte decipere poſſum alicujus ingenio proditoris. Quis, putas, erit hic proditor? Plane cupiditas, radix iniquitatis; ambitio, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Contempſit vanam gloriam, ait, quoniam vana eſt: forte ſolidius aliquid affectaret, forte honores, forte divitias. Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veſte ſpolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos peſtis hæc nequiter ſupplantatos turpiter quoque dejecit, ut ceteri quique, quos latuit occultus effoſſor, ſubitam expaveſcerent ad ruinam? Quid vero hunc fovet vermem aliud quàm mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid niſi veritas hunc prodendum veſtigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc eſt quæ dicit: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat?* Et item: *Potentes*, ait, *potenter tormenta patientur*. Hæc eſt quæ ſedula ſuggeſtione reducit in mentem, quàm ſit in ambitu frivola conſolatio, grave judicium, uſus brevis, finis ignotus.

3. Tentatio, ambitio. — Antidotum. — Matt 16 26. — Sap 6. 7.

5. Hucuſque tentationes Domini: quartam [a] inimicus non præſumpſit afferre. Illa enim de ignorantia eſt: nec dubitabat ſapientiſſimum, qui ſic moderabatur reſponſiones ſuas, ut in nullo umquam poſſet deprehendere quod quærebat. Prima ſiquidem tentatione eſurienti ſuadebat de lapidibus panem facere: ſed ille nec poſſe, nec non poſſe reſpondens, cibum alium prætendit, dicens: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Secunda vero tentatione præcipitium ſuadebat, promittens quia non læderetur ſi Filius Dei eſſet; & ſic videns omnis civitas laudaret eum & magnificaret: & nec eſſe ſe, nec non eſſe reſpondit. Tertia de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promiſit, ſi cadens adoraret eum. Videſne quod ambitionis via adoratio diaboli ſit, qua videlicet ad honores & gloriam mundi perveniendum ſuis ille adoratoribus pollicetur? Quarta (ut dixi) tentatione apud eum abſtinuit, cujus nimirum tantam eſſet expertus prudentiam ex reſponſis.

Tribus tentationibus diabolus Chriſtum aggreſſus. — Matth 4. 3. — Ambitio eſt adoratio diaboli.

6. Quid autem adverſus alios faciat, quos videt omnimodo diligere juſtitiam, & odiſſe iniquitatem? Quid niſi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis ſub ſpecie boni non mediocris, ſed perfecti perſuadere conatur; ut cito conſentiat qui magnopere diligit bonum, & facile qui currit, incurrat. Hoc eſt igitur dæmonium non modo diurnum, ſed etiam meridianum. Annon hoc timuit Maria, quando ad novam Angeli ſalutationem expavit? Annon hoc inſinuabat Apoſtolus, cum diceret: *Non enim ignoramus cogitationes ejus?* Ipſe enim angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis. Annon denique hoc ipſum metuebant Diſcipuli, quando videntes Dominum ſuper mare ambulantem, clamabant putantes phantaſma eſſe? Et vide quàm bene congruit, quod quarta vigilia noctis fuiſſe dicitur, quando contra tentationem quartam vigilaſſe Diſcipuli perhibentur. Nec vero in re maniſeſtiſſima noſtro arbitror opus eſſe eloquio, quod videlicet ſola ſit veritas, quæ palliatam detegit falſitatem.

4. Tentatio, & palliatio mali. — Luc. 1 29. — 2 Cor 2. 11. — 2 Cor 11 14. — Matt. 14. 26.

7. Quatuor has tentationes etiam in generali ſtatu Eccleſiæ haud difficile diligens conſiderator inveniet. Nonne enim timor nocturnus exercebat novellam adhuc Eccleſiæ plantationem, quando omnis qui occideret ſervos Dei, arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo? Demum perſecutione ceſſante & die reddita, turbavit eam gravius & afflixit ſagitta volans, quando exierunt aliqui de Eccleſia inflati ſpiritu carnis ſuæ, inanis & volatilis gloriæ cupidi: & volentes ſibi facere nomen, linguas ſuas magnificando, diverſa & perverſa dogmata fabricaverunt. At nunc quidem pax à paganis, pax ab hæreticis; ſed non eſt pax à falſis filiis. Multiplicaſti gentem, Domine Jeſu, ſed non magnificaſti lætitiam: quoniam multi ſunt vocati, pauci vero electi. Omnes Chriſtiani, & omnes fere quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu-Chriſti. Ipſa quoque eccleſiaſticæ dignitatis Officia in turpem quæſtum & tenebrarum negotium tranſiere: nec in his ſalus animarum, ſed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant. Pro epiſcopatibus & archidiaconatibus [b] impudenter hodie decertatur, ut eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis & vanitatis uſus diſſipentur. Supereſt jam ut reveletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, ſed & meridianum; quod non ſolum transfiguratur in Angelum lucis, ſed extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Nimirum inſidiatur crudelius calcaneo matris Eccleſiæ, à qua dolet caput ſuum eſſe contritum. Hic plane graviſſimus erit incurſus: ſed ab hoc quoque Eccleſiam electorum Veritas liberabit, propter eos brevians dies, & dæmonium meridianum deſtruens illuſtratione adventus ſui. Et hæc quidem dicta ſint de tentationibus iſtis. nam & in ſermone [c] quodam ſuper Cantica canticorum memini me ſuper his tractaſſe ſimiliter, cum meridiani hujus dæmonii mentio incidiſſet, ex occaſione ſcilicet meridiani accubitus ſponſi, quem ſibi ſponſa petierat indicari.

Tentationes 4. Eccleſiæ. 1 Tyrannorum 2 Hæreticorum. — 3 Malorum Clericorum. — 4 Antichriſti — 2. Theſſ 2. 4. — Matt. 24. 22.

SERMO SEPTIMUS.

De verſu ſeptimo, *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.*

1. IN ſpe vivimus, Fratres, nec deficimus in tribulatione præſenti, quod in exſpectatione ſimus indeficibilium gaudiorum. Neque enim vana nobis hæc exſpectatio, aut dubia ſpes videtur, innixa nimirum æternæ promiſſionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præſentium munerum firma eſt exſpectatio futurorum, & præſentis gratiæ virtus nimis credibiliter atteſtatur felicitatem promiſſæ gloriæ ſine dubio ſecuturam. Nempe Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ: & in hymno quoque eumdem votis vocamus [*] Patrem perennis gloriæ, Patrem potentis gratiæ; cui & in pſalmo canimus: *Quia miſericordiam &*

Spes certa Chriſtianorum. — * feria 2. ad Laudes. et cantamus

a Quartam tamen affert infra ſermone 14. num. 4.
b Horſtius addit, *Abbatiis, aliiſque dignitatibus*. Sed hæc verba deſunt in aliis editis & in ſcriptis.

c Nempe in ſermone 33. in Cantica. Unde patet hos Sermones ſub annum 1140. fuiſſe habitos, ſiquidem Sermo 33. in Cantica poſt annum 1138. pronuntiatus eſt.

Tom. III. Pſal. 83. 12.

veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. A Viriliter ergo ſuſtineat in hoc ſæculo pietas colluctationem, & perſecutionem quamlibet æquanimiter patiatur. Quidni toleret omnia, quæ ad omnia valet, promiſſionem habens ejus vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ? Repugnet fortiter impugnantı: quia & repugnanti propugnator aderit indefeſſus, & triumphanti non deerit largiſſimus remunerator. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus.*

Moribundos protegit dæmon.

2. Neceſſaria plane inſuperabilis protectio veritatis non modo interim in carne degenti, ſed & poſtmodum exeunti: & nunc quidem ob periculoſos conflictus, tunc vero ob monſtruoſos occurſus ſpirituum

S. Martinum impetit, immo & Chriſtum.

malignorum. Nempe & ſanctiſſimam illam glorioſi B Martini animam voluit pars inimica nocere, & cruenta beſtia ſciens quod modicum jam tempus haberet, tota profecto inſania malitiæ infatigabilis non eſt verita prope aſſiſtere ei quoque in quo nihil habebat. Immo vero ad ipſum etiam Regem gloriæ accedere impudentiſſima temeritas illa præſumpſit, ſicut ipſe teſta-

Johan. 14. 30.

tur: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non invenit quicquam.* Felix anima, quæ ſic interim tentationum jacula ſcuto veritatis repulerit, ut nil prorſus venenatum in ſe coaleſcere paſſa, omnino non confundatur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Nihil in me, fu-

* al. funeſtum.

neſte *, reperies. Felix quem ſic circumdat clypeus veritatis, ut introitum quoque & exitum ejus cuſto- C diat; exitum utique ab hac vita, & introitum in futuram, quo videlicet nec moliatur à tergo, nec à facie

Angelo his duce opus.

mali quippiam inimicus attentet. Siquidem omnino opus erit illic cuſtode, opus erit duce fideli, opus erit conſolatore magno propter horribiles illas viſiones; non minus quàm hic adjutore & propugnatore contra inviſibiles tentatores.

Onus Chriſti quamvis premere videatur, portandum.

3. Glorificate itaque, dilectiſſimi, & portate interim Chriſtum in corpore veſtro, onus delectabile, ſuave pondus, ſarcinam ſalutarem: etiamſi premere aliquando forte videtur, etiamſi interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem; etiamſi quandoque in camo & freno maxillas conſtringit & coercet; om- D nino feliciter. Eſto ut jumentum, qui Salvatorem por-

Pſal. 48. 13.

tas; ſed non penitus ut jumentum. *Homo*, inquit, *cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quid enim tantopere vel plangit Propheta, vel arguit in homine ſimilitudinem jumentorum, præſertim qui alio quodam loco de ſe loqui & dicere Deo non ſine quadam congra-

Pſal. 72. 23. Jumentorum ſimilitudo in hoc probanda.

tulatione videtur, *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum?* Puto, immo non puto, ſed ſcio, ſimilitudinem aliquam jumentorum homini commendari; ſed plane non eam, quæ in non intelligendo, & inſipientiæ, ſed patientiæ imitatione conſiſtat. Neque enim ſuccenſentis ſimiliter, ſed ne plangentis quidem E videretur vox, ſi dixiſſet: Homo cum ſub onere Dei eſſet, non recalcitravit: ut jumentum factus eſt apud eum. Quis enim non illi jumento plurimum inviderer, cujus in humili tergo ad commendationem ineffabilis ſuæ manſuetudinis dignatus eſt ſedere Salvator, ſi cum illius tam pretioſi oneris geſtatione intelligentiam quoque tam ſingularis habuiſſet honoris? Ut jumentum igitur eſto, minime tamen jumentum: patienter quidem ſuſtinens onus, ſed honorem intelligens; ſapienter & delectabiliter cogitans tam ipſius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem.

Maria quædam à S. Ignatio dicta Chriſtifera.

4. Magnus ille Ignatius, Diſcipuli quem diligebat F Jeſus auditor, Martyr noſter, cujus pretioſis reliquiis noſtra ditata eſt paupertas, Mariam quamdam [a] in pluribus quas ad eam ſcripſit epiſtolis, Chriſtiferam conſalutat. Egregius plane titulus dignitatis, & commendatio honoris immenſi. Nempe cui ſervire, re-

gnare eſt; geſtare hunc, non onerari eſt, ſed honorari *. Ceterum num * ei, de quo nunc loquebamur, Salvatoris aſello verendum uſlatenus videbatur, ne ſub illa tali ſarcina deficere poſſet in via? An vero timendus ei aut luporum incurſus, aut raptorum occurſus; vel præcipitium, ſeu periculum aliquod ſub tanto præſide metuendum? Felix qui ſic tulerit Chriſtum, ut à Sancto ſanctorum in ſanctam civitatem mereatur induci. Non eſt omnino quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulſam in janua patiatur. Illi nempe jumento viam parabant fideles populi, huic Angeli ſancti: *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, ne* B *forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed non ſunt hæc præoccupanda modo: ſeries magis ipſa Scripturæ expoſitionis ordine ſequenda eſt.

* al. onerari.
* al. unde Chriſtum portans honoris.

5. *Cadent a latere*, inquit, *tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.* Hic enim verſus hodie nobis tractandus eſt: non ignoratis. In præcedenti ſane capitulo quod noviſſime tractabatur, dictum eſt, ſi recolitis, quemadmodum à quatuor quibuſdam maximis equidem, graviſſimiſque tentationibus hujus vitæ, protectio liberet veritatis; videlicet à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Quod igitur ſequitur, *Cadent* C *à latere tuo mille, &c.* futuræ magis vitæ arbitror aſſignandum. Unde & in principio ſermonis hujus meminiſtis adhuc, ni fallor, ſententiæ apoſtolicæ, qua 1. Tim. 4. 8.
videlicet valere ad omnia pietatem, vitæ quoque ejus quæ nunc eſt, & futuræ promiſſionem habere commendat. Audite ergo, & audite in lætitia cordis veſtri, quod ad futuræ vitæ promiſſionem, veſtramque exſpectationem pertinere videtur. Ubi eſt theſaurus veſter, ſit & cor veſtrum. Et quidem ſtudioſe audiſtis præſentia, non ſum immemor: ſed ſtudioſius decet futura audire. Nam & pſeudopropheta (Balaam dico, Num. 23. 10.
recolite qui hiſtorias noſtis) & ipſe, inquam, iniquus juſtorum mortem optabat, & noviſſima ſua horum D ſimilia fieri precabatur. TANTUS eſt pietatis fructus, tanta juſtitiæ merces, ut nec ab ipſis quidem non deſiderari queat impiis & injuſtis. Minus tamen oblectat canticum Sion ſalices Babylonis. Suſpendenda proinde organa apud eos: lamentandum magis ſuper flumina Babylonis, ſi forte perſuaderi eis poſſit ut plangant. Hic plane cantandum eſt, ubi non deerunt qui tota alacritate ſpiritus ſaltent ad vocem pſalterii, ad canticum Sion; & vehementia quadam ſacri deſiderii ad eam geſtiant prævolare, dicentes: *Quis dabit* Pſal. 54. 7.
mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Quid enim aliud exſultare, quàm ex ſeipſo ſaltare eſt? Minus ſapit iis qui medio adhuc periclitantur in mari, E jactantur undis, aguntur fluctibus, quamlibet favorabile ſit, quod de remoti & prope jam deſperati tranquillitate ſeu amœnitate littoris nuntiatur. Sed nec ad ejuſmodi pertinet animam quod hodie nobis propoſitum eſt. neque enim talia quæpiam adhuc meretur audire: *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.* Memento cui hæc promiſſio facta ſit, nempe ei qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Pietatis fructus etiam impiis deſiderabilis.

6. Audiat igitur is qui ſalutis portui cogitatione jam & aviditate appropinquat, qui præjactata velut quadam anchora ſpei ſuæ terræ illi deſiderabili inconvulſibiliter inhæſiſſe videtur, cunctis diebus, quibus nunc mi- F litat, exſpectans donec veniat immutatio ſua. Certiſſima ſane & præcipua propinquatio portus hujus, hæc ipſa converſatio, in qua poſiti eſtis, exitus præparatio eſt, vocationis videlicet & juſtificationis divinæ. In his nempe duobus fidelis quædam conſtituta eſt connexio velut cujuſdam æternitatis ad æternitatatem, id

Monaſtica vita præparatio ad mortem.

a *Mariam* abſolute habent editi, etiam antiquiores: *quamdam* addunt ſcripti, & recte quidem, cum hoc loco non agatur de Maria Deipara ſanctiſſima, ſed de alia quadam, nempe Caſſabolita ſeu Caſſabolitæ, ad quam duæ exſtant epiſtolæ ſancto Ignatio martyri adſcriptæ, in quibus *Chriſtifera* ſalutatur. Quamquam eamdem etiam ſalutationem præfert alia vulgata ejuſdem Ignatii nomine epiſtola ad Mariam Deiparam. Verum hic ſermo eſt de Maria illa, ad quam *plures* tunc circumferebantur epiſtolæ pro Ignatianis habitæ.

eſt magnificationis ad prædeſtinationem: quarum equidem [illegible] prædeſtinatio [illegible] præcedit principio, ſic & magnificatio nullo minus nullo umquam fine claudenda. Ne vero eam, quam diximus, quaſi geminæ hujus æternitatis mediam connexionem eſſe putes noſtræ adinventionis. Apoſtolum audi, ſi non eamdem ibi manifeſtius ipſe commendat. *Quos enim præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* (Rom. 8. 9.) Quomodo putas, aut quo ordine magnificabit? Siquidem quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt. Num à prædeſtinatione ad magnificationem ſaltu quodam pervenies repentino. Provide tibi medium pontem, aut magis ingredere jam paratum. *Quos prædeſtinavit*, inquit, *hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & juſtificavit: & quos juſtificavit, hos & magnificavit.*

7. Hæc via equidem bona videtur nonnullis hominibus [illegible] & bona eſt, nihil ſuper ejus fine timendum. Non tibi ſint vix hujus ſuſpecta noviſſima: perge ſecurus, tanto vividius, quanto certius ea jam propinquare videntur. Nempe tenes media [illegible] quomodo non noviſſima propinquarent? (Matth. 3. 2.) *Agite*, inquit, *pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.* Sed *regnum*, inquies, *cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Nullus [illegible] ad hoc niſi per medios hoſtium cuneos patet acceſſus. In itinere medio ſunt gigantes, in aere volitant, obſident tranſitum, obſervant tranſeuntes. Attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni ſunt, multi ſunt: ſed, *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* (Proteſtio di[illegible] [illegible] ſecuritatem præſtat in domino.) Cadent undique, numquam tibi deinceps in perpetuum nocituri: parum eſt; non appropinquabunt. Equidem videbit peccator & iraſcetur, ſed à latere veniet: quod videlicet præveniat te miſericordia Dei tui, eadem quoque nihilo minus etiam miſericordia ſubſequatur, & introitum videlicet tuum (ut quidem ſupra meminimus) & exitum tuum cuſtodiens. Alioquin quid in illo tam terribili ſpiritualium nequitiarum occurſu humani poſſet conſiſtere ſenſus, quod non intolerabili concuteretur horrore?

8. Quid putatis, Fratres, ſi vel uni alicui è tam multis principibus tenebrarum in medium veſtri irruere, & in tota feritate ſua ac tenebroſi enormitate corporis apparere liceret, quis illum poſſet vel corporis ſenſu ſuſtinere, vel cordis? (Dæmon cui aliquando permittatur pios terrere.) Denique ante hos paucos dies (ipſi ſcitis) unum quemdam ex vobis, & prius dormientem, & poſtea excitatum, tam graviter phantaſia nocturna perturbare permiſſa eſt, ut vix illa die rationis compos, vix potuerit eſſe ſecurus. Etiam omnes vos pariter expaviſtis, cum territus ille terribilem nimis exclamaſſet in vocem. Erubeſcendum ſane, quod uſque adeo fides in vobis, vel dormientibus, viſa fuerit obdormiſſe: ſed ad noſtram ſine dubio factum eſt admonitionem, ut tota ſollicitudine meminerimus adverſum quos nobis ſit colluctatio, nequando ſcilicet aut ignari hoſtilis invidiæ, aut protectioni divinæ inveniamur ingrati. Ex vehementiſſimo ſiquidem proprii cruciatu livoris in tantum prorupit malitia inveterata furorem, his præſertim diebus ſanctis, acrius ſeſe indicans veſtra devotione torqueri. Eodem ſane tabeſcentis inſaniæ zelo, ſed licentia ampliori, exeuntibus ſanctis adeſt, non niſi à latere tamen. neque enim vel occurrere jam à facie, quaſi ut vim faciat; vel à tergo repere, tamquam ut decipiat, permittetur.

9. Sed nec juxta iter quidem ſcandalum de cetero ponet tibi: ad te enim non appropinquabit. Non modo non attinget ut feriat, ſed nec accedet ut terreat. Puto enim id verebaris, ne te forſitan gravis ad illas tam monſtruoſas effigies, & larvalium tantam multitudinem facierum horror invaderet. Sed egregius tibi Paraclitus & efficaciſſimus aderit conſolator, ipſe nimirum de quo legiſti: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* (Pſal. 71. 5.) Plane ad nihilum deducetur in conſpectu ejus malignus, ſic timentes ſe glorificabit. (Pſal. 14. 4.) Præſente te, Domine Jeſu, quantumlibet irruant hoſtes, immo non irruant, ſed ruant; confluant undique, ſed ut fluant, & pereant à conſpectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis. (Chriſto duce ac protectore nihil timendum.) Quid enim metuam [illegible], quid timentes paveam, quid verear [illegible]? Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine Deus meus. Siquidem priuſquam adſpirabit dies, & inclinabuntur umbræ, cadent hinc inde principes tenebrarum. Quos enim nunc quoque, dum inter malignas eorum occultaſque ſuggeſtiones per fidem adhuc, non per ſpeciem ambulamus, fides tamen victorioſa triumphat; quomodo non facilius ipſa jam tunc propalatæ cognitio veritatis evidens cum ſuis illis tenebroſis, ferrugineiſque imaginibus exſufflabit? Nec cauſaris forte de numero, vel ipſam ſaltem multitudinem verearis. Memento ſane quod ad unum Salvatoris imperium ab obſeſſo jam & diu poſſeſſo unius hominis corpore dæmonum legio tota diſceſſit, & ne ipſos quidem auſa eſt, niſi ab eo juſſa, contingere porcos. (Matt. 8. 31.) quanto magis ipſo duce, quotquot fuerint, undique cadent cum ingenti admiratione & confuſione, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* (Cant. 6. 9.) Intrepidus itaque & omnino impavidus, magis autem gratulabundus & laudans, oculis tuis conſiderabis, nec ſane jam vel impugnationem ſuſtinebis, vel furorem pavebis, ſed magis retributionem peccatorum videbis.

10. Et quidem videntur ſufficere poſſe hodie quæ dicta ſunt: ſed adhuc ſane aliquos veſtrum nonnulla arbitror exſpectatione ſuſpendi. (Dextra & ſiniſtra quid hoc loco.) Movet enim ſtudioſiores quoſque (ni fallor) quidnam ſibi velit, quod à dextris quidem decem millia, à ſiniſtris vero mille perhibet eſſe caſuros. Nam latus ſane quod ſimpliciter dicitur, non niſi ſiniſtrum hoc loco licere accipi puto, præſertim quod dextrum quidem incontinenti proprio deſignetur ex nomine. Et quidem non ſine certi ratione myſterii à ſiniſtris multos, ſed multo plures à dextris caſuros eſſe prædixiſſe videtur. Niſi forte quis tam hebes fuerit & inſulſus, ut in eo quod dicitur, *mille, & decem millia*, certam exprimi putet numeri taxationem, & non magis ſuperabundantem comparationem. Nos enim ſic non divinas Scripturas accipimus, ſed neque Eccleſia Dei. Cadent ergo à ſiniſtris quidem mille, à dextris autem decem millia: quod videlicet abundantiori malignitate, & velut copioſiore manu dextris inſiſtere partibus, dextrum latus appetere conſueviſſent. Quod quidem ſi magnum illud Eccleſiæ corpus conſiderare libet, facile ſatis advertimus, longe acrius impugnari ſpirituales viros ipſius Eccleſiæ, quam carnales: quæ nimirum duo ejus latera, dextrum ſiniſtrumque puto non inconvenienter accipimus. (Spirituales & carnales Eccleſiæ.) Agit hoc ſane ſuperba ſemper invidioſa malitia, perfectiores quoſque vehementius pulſans, juxta illud: *Eſca ejus electa.* & iterum: *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* (Job 40. 18.) Agit, inquam, etſi non ſine certa divini diſpenſatione conſilii, qui quidem nec imperfectiores, ſupra id quod ferre poſſunt, tentari permittit, faciens cum tentatione proventum; & perfectioribus non modo glorioſiores, ſed & numeroſiores parat ex hoſte triumphos. (Spirituales acrius impugnantur.) Tota ergo pariter electorum Eccleſia coronabitur, quod ex utraque parte ſui legitime certaverit, utroque nimirum cornu tam potenter interim ventilans inimicos, ut paulo poſt manifeſtius cadere videantur à latere ejus mille, & decem millia à dextris ejus. Sic nimirum olim jam quidem David perfectiore virtute probata, necdum vero propalata in Iſrael reprobatione Saulis, canebant in choro dicentes: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* (1. Reg. 18. 7.)

11. Sin autem ad ſingulos magis placet hoc referri, non vobis deeſt ne in hac quidem parte ſpiritualis intelligentiæ via, dummodo propriam ſuper hoc experientiam conſulatis. (Alia expoſitio.) Longe ſiquidem ampliori ſollicitudine, & calliditate multiplici pars adverſa vulnerare * in nobis dexteram ſatagit, quàm ſiniſtram: nec tam corporis profecto, quàm cordis laborat auferre ſubſtantiam. Utramque nimirum proſperitatem humano generi invidere noſcuntur: utraque * nos feli- (* al. valent.)

Tom. III. Dextra anima, ſiniſtra corporis bona. citate privare contendunt, & cæleſti videlicet, & terrena; ſed longe amplius rore cæli, quam pinguedine terræ. An vero incongrue hæc dixerimus duo latera, quibus nimirum duplicem hominis ſubſtantiam conſtat inniti, vos judicate. Nam quod ſpiritualia quidem bona attribuimus dexteræ, ſiniſtræ vero carnalia, minime prorſus vereor arguendum; præſertim à vobis, quibus ſemper ſtudii eſt, nec dexteram aliquando ſiniſtram, nec ſiniſtram dexteram reputare. Nec vero *Prov. 3. 16.* aliter vera quidem Sapientia probat, quæ ut in ſiniſtra divitiæ & gloria, in dextera autem ſit longiturnitas vitæ. Nam & hoc ſane nullatenus expedit ignorare, quanam vobis vehementius inſtet pervicax hoſtium multitudo. Illic nempe ſtudioſius tepugnandum, ubi gravior imminet neceſſitas, ubi totum belli immioet pondus, ubi colluctationis ratio univerſa conſiſtit: unde vobis paratur tota aut victis ignominioſa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis.

Nec pro ſiniſtra exponenda. 12. Denique propter hoc, non quidem ad inſipientiam vobis, tundendum libere adverſario videmini latus expoſuiſſe ſiniſtrum, ut dexterum proinde tota ſollicitudine conſervetis. Hæc nimirum commendata à Chriſto, & Chriſtianis omnibus imitanda ſerpentis prudentia eſt, ut caput ſolum toto (ſi neceſſe fuerit) expoſito corpore tueatur. Hæc vera philoſophia, hoc *Prov. 4. 23.* conſilium Sapientis, ut omni cuſtodia ſervetur cor, quia ex ipſo vita procedit. Hæc denique gratia & miſericordia Dei in ſervos ejus, & reſpectus in electos illius: ut eorum interim ſiniſtram quidem velut diſſimulans, dexteræ ſemper ſtudioſus protector aſſiſtat. Hinc *Pſal. 15. 8.* eſt quod de ſe ipſo Propheta teſtatur: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.* Numquid non & illius manum dexteram, & ſolam eam putas dexteram tenuiſſe, cujus totam in facultatem pariter & in carnem licere paſſus eſt, quicquid libere viſum eſt inimico? *Veruntamen animam,* *Job 2. 6.* inquit, *ejus ſerva.* UTINAM mihi ſemper à dextris ſis, Jeſu bone! utinam ſemper teneas manum dexteram meam. Scio enim & certus ſum, quoniam nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim & tundatur ſiniſtrum latus; pulſetur injuriis, vellicetur opprobriis: libens illud expono, dum à te cuſtodiar, dummodo ſis ipſe protectio mea ſuper manum dexteram meam.

Mali homines, & maligni dæmones diverſimode nobis noxii. 13. Forte etiam mille qui à ſiniſtris caſuri ſunt, homines magis intelligendi ſunt, quàm dæmones. Hi nimirum nobis non niſi ob temporalia quælibet adverſantur & tranſitoria bona, quæ quidem aut nos habere invidioſa malignitate ſuſpirent, aut cupiditate injuſta ſeſe potius doleant non habere. Forte enim mundi hujus conantur auferre ſubſtantiam, forte favorem hominum, forte ipſam corporum vitam. Uſque huc ſævire humana perſecutio poteſt: animæ vero non habent quid faciant. Nam dæmones quidem ſuperna nobis & æterna potius invidere noſcuntur, non tamen ut ſibi cedat, quod irreparabiliter amiſerunt; ſed ne illuc pauper de pulvere ſuſcitatus accedat, unde ipſi in gloria conditi irreparabiliter ceciderunt. Indignatur & livore tabeſcit obſtinata malignitas humanam fragili- *Dæmon cur tam infenſus homini.* tatem obtinere, quod retinere ipſa non meruit. Sed & ſiquando forte cuivis temporalia damna aut inferre conantur, aut gratulantur inferri; hæc eorum tota molitio eſt, ut jactura exterior vel eidem ipſi, vel alteri occaſio ſit interna: ſicut e regione homines, quoties ea ſuadere nobis, aut quolibet modo efficere curant, unde dextera noſtra lædatur, non hoc quidem principaliter agere, ſed temporale aliquod cuivis proventurum, vel ſibi ſcilicet, vel nobis, vel alteri forte cuipiam; aut detrimentum aut emolumentum exinde ſeu captare, ſeu propulſare velle videntur. Niſi forte eatenus quis in dæmonem tranſierit ex homine, ut optare ullo modo poſſit quemlibet ſibi inimiciſſimum hominem æterna damnatione mulctari.

14. Quid nos miſeri dormitamus à ſpirituali ſtudio, quos tam multipliciter inſectatur nequitia ſpiritualis? Et pudor eſt dicere, & ſilere prohibet vis doloris. Quantos enim invenire eſt, Fratres, ex his quoque qui in religionis habitu, & propoſito degunt perfectionis, quos terribilis illa Prophetæ ſententia comprehendiſſe videtur: *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea!* *Pſal. 136. 5.* Nempe ſiniſtri cuſtodiæ lateris tota ſollicitudine incubantes, callent admodum, ſed ſapientia hujus ſæculi, cui abrenuntiaſſe debuerant: ea quoque nihilominus quam revelat caro & ſanguis, quibus juxta Apoſtolum noluiſſe acquieſcere videbantur. *Gal. 1. 16.* Denique videas eos tam avide lucra captare præſentia, tam ſæculariter tranſitoriis utilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna vel minima facultatum tam puſillanimiter turbari, tam carnaliter ſuper his decertare, diſcurrere tam impudenter, tam irreligioſe ſæcularibus ſeſe implicare negotiis, acſi hoc eſſet tota eorum portio, hæc univerſa ſubſtantia. Attentius ſane agricola pauperem excolit fundum: ſed cui forte nulla amplior pretioſiorve ſit poſſeſſio. Buccellam panis in ſinu ſuo mendicus abſcondit, quod in ſaccellis ſuis ſolum hoc metalli genus æruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidem proprii male prodigus laboris, incumbis? Eſt & alia tibi poſſeſſio, etſi forte remota. Erras. Nil tam prope nos, quàm quod intra nos eſt. At forte non quidem longius poſitam, ſed inutilem eſſe cauſaris, ut hic tibi quærendam magis ſufficientiam putes. Falleris: ibi magis invenies, immo non invenies niſi ibi. An vero æſtimas, quod vel operam tuam non exigat, vel minus reſpondeat operanti? Aut certe in tuto credis eſſe locatam, nec ulla deinceps ſollicitudine cuſtodis egere? Quodlibet horum ſapias, ſcito quod deſipias vehementer. Ibi enim quàm maxime quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. *Gal. 6. 8.* Sed & qui parce ſeminat, parce & metet: qui vero in benedictionibus ſeminaverit, de benedictionibus & metet, ut faciat unum triceſimum, unum ſexageſimum, unum centeſimum. Habes autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ſi tamen adhuc habes. Puto enim jam amiſiſti, puto jam ſublatus eſt, puto jam comederunt alieni robur tuum, & ignoraſti: nec potes theſauro tuo cor apponere, quippe qui theſaurum ipſum non habeas. Alioquin, quæſo te, ſi tam ſollicitus es, ſi nec minima ſpernis, ſi tam prudenter ſervas paleas tuas; etiam horreum tuum ſervare memento & cuſtodire. Immo vero non exponas theſaurum tuum, qui ſic incubas ſterquilinio tuo. Forte enim illud tibi invident mille, ſed iſtum obſident decem millia, nec minus ſuperabundantes aſtutia & crudelitate, quàm numero. *Cadent*, inquit, *a latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Verte illuc oculos fidei. Forte enim jam irruperunt aditus, forte jam libere diripiunt omnia, forte jam ſpolia ipſa diſtribuunt. Quid ſiniſtro lateri tam male ſtudioſus obſervator inhæres, niſi quod non in latere jam tibi eſſe, ſed in facie ſiniſtra videntur, quod hæc provideas in conſpectu tuo ſemper; & qui tangit hoc, non latus tetigiſſe putetur, ſed pupillam oculi tui?

15. Ceterum jam nunc tibi provide, quiſquis es dextri negligens, ſiniſtri lateris cultor, ne cum hœdis locum accipias in ſiniſtra quam elegiſti. Aſperum verbum eſt, Fratres: non immerito expaviſtis. *Matt. 25. 33. Latus dextrum in Chriſto apertum myſterium.* At cavere non minus neceſſe eſt, quàm pavere. Et quidem Dominus meus Jeſus poſt cetera inæſtimabilis ſuæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum ſibi propter me paſſus eſt latus fodi: quod videlicet nonniſi de dextera mihi propinare vellet, nonniſi in dextera locum parare refugii. Utinam ego talis merear eſſe columba, quæ in foramine petræ habitet, & in foramine lateris dextri. Conſidera tamen hoc vulnus eum penitus non ſenſiſſe. Neque enim illud excipere voluit, niſi jam ſoporatus in morte: ut moneret te, quamdiu vivis, in hujus ſemper lateris vigilare cuſtodia; ſed & mortuam cenſeri eam animam oportere, quæ quidem pernicioſa inſenſibilitate diſſimulet in dextera ſibi vulnus infligi. Merito quidem in ſiniſtro latere poſitum eſſe dicitur cor hominis, quod affectio ejus prona ſit ſemper & proclivis in terram. *Exod.* Nec ſane ignorabat hoc miſerabiliter

ingemiſcens:

(*Pſal. 118. 25.*) ingemiſcens : *Adhæſit*, inquit, *pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.* Sed ne his quidem in hoc pondere nos conditionis humanæ & gravedine cordis volebat remanere, qui ſic admonens loquebatur : (*Thren. 3. 41.*) *Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum.* Plane id ſuadebat, ut à ſiniſtro latere erigerentur ad dextrum. Sæcularis militia, Fratres, in ſiniſtro tantum latere clypeum portat : non imitemur, ſi inter eos nolumus deputari, quos huic ſæculo militare conſtat, non Chriſto. (*2. Tim. 2. 4.*) *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus* : hoc eſt, ſcutum applicat non tam dextræ, quam ſiniſtræ.

16. Attamen, Fratres, utrumque nobis latus tegendum eſt, ſi meminiſtis. (*2. Cor. 6. 7.*) *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus*. & Apoſtolus ipſe : *Per arma*, inquit, *juſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris*. Ceterum ipſam audi juſtitiam. Forte enim non eadem utrique lateri forma præſcribitur. (*Rom. 12. 19. Luc. 21. 19.*) Nempe hinc quidem mandatur, *Non vos metipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ.* &, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Inde vero (*Epheſ. 4. 27. Jacob. 4. 7.*) præcipitur : *Nolite locum dare diabolo.* & item, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Audi adhuc quomodo tegas latus utrumque. (*Rom. 12. 17.*) *Providentes bona*, ait idem Apoſtolus, *non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Hæc eſt enim voluntas Dei, ut benefacientes, non modo tabeſcere malignorum dæmonum invidiam, verum etiam (*1. Pet. 2. 15.*) *obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Numquid tamen in æternum erit nobis hæc protectio neceſſaria? aut ſemper * ab (* *al. circum.*) utroque latere hoſtile agmen inſtabit ? Erit quando non modo non inſtabunt, ſed nec ſtabunt quidem. *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.* Siquidem nec humana malitia jam tunc habebit quid faciat ; nec dæmonum millia plus verebimur, quàm totidem vermium agmina, vel muſcarum. Haud aliter denique intuebimur eos, quàm filii Iſraël, tranſmiſſo jam mari Rubro, undique ſui Ægyptios mortuos, ſed & rotas curruum ire in profundum cernebant : ut & nos ſcilicet, longe tamen ſecurius & delectabilius, cantemus Domino, quod glorioſe honorificatus ſit, equum & aſcenſorem ejus dejiciens in abyſſum.

SERMO OCTAVUS,

De verſu octavo, *Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.*

(*Bernardi ſermones cur aliquando prolixi.*) 1. BRevius quidem vobis aliquando, dilectiſſimi, loqueremur, ſi crebrius id liceret : quod & vos credimus nonnumquam advertere potuiſſe. Ceterum quoties ipſa diei præoccupante malitia, pluribus forte diebus moleſtiſſimum ſuſtinuimus à veſtra exhortatione & conſolatione ſilentium, neminem veſtrum reor oportere mirari, ſi tempus ipſum redimere cupientibus nobis, ſermo rarior interdum protractior videatur. Hoc ſane nobis actum ſit brevi procemio, ut heſterni pariter hodiernique ſermonis, illius quidem prolixitas, hujus vero brevitas excuſata apud vos habeatur. Vereor ſiquidem minus gratam forte nonnullis vel fuiſſe illam, vel iſtam fore ; aut magis utramque quàm alteram. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus : non timebis à timore nocturno, a ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Diximus hinc præcedentibus ſermonibus quod dignata eſt Veritas ipſa largiri, quemadmodum ſcilicet fidelem animam interim quidem à tentationibus, poſtmodum vero à difficultatibus tueatur. Quæ tamen utraque brevius quidem in alio pſalmo idem iſte Propheta commendans, (*Pſal. 17. 30.*) *In te*, inquit, *eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum* : quod ipſo nimirum duce, nec hic gradiens offendiculum, nec egrediens hinc obſtaculum pateretur. In altero ergo crebra ereptio, in altero plena jam & ſecura liberatio deſignatur. Nam in hoc ſane tertio quod adjungit, *Verumtamen oculis tuis conſiderabis*, etiam (*Tom. III.*) felicitatis non modicæ promiſſionem arbitror contineri. *Cadent*, inquit, *a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis conſiderabis.* Ita oro, Domine, ita fiat. Cadant illi, & non cadam ego ; paveant illi, & non paveam ego ; confundantur illi, & non confundar ego.

2. Evidentius ſiquidem paucis hoc loco verbis & (*Animæ immortalitas & fides reſurrectionis.*) animæ mihi immortalitas commendatur, & ipſius quoque fides adſtruitur corporeæ reſurrectionis. Nempe ruentibus illis futurus ſum ipſe qui videam, & ne illi quoque, quibus eorum noviſſimam intuear retributionem, oculi defuturi. Neque enim ſimpliciter oculis, ſed *oculis*, ait, *tuis conſiderabis* : iſtis utique qui nunc languent præ inopia, & deficiunt, dum ſperas in Deum tuum. Et vere, Fratres, deficiunt oculi dum ſperamus. (*Rom. 8. 24.*) *Quod enim videt quis, quid ſperat ? Spes*, inquit, *quæ videtur, non eſt ſpes.* Ipſis ergo jam tunc conſiderabis oculis, quos modo quidem nec levare audes ad cælum ; ipſis plane, qui toties interim fluunt lacrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi inſtaurandos putes, ſed tuos utique reſtaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, etſi minutiſſima, eminentiſſima tamen, excellentiſſimaque humani corporis portione ? Repoſita eſt in ſinu noſtro beata ſpes, ex promiſſione utique Veritatis, nec capillum quidem de capite periturum.

3. Forte tamen idcirco ſignanter viſio promittitur oculorum, quod hoc quidem ſummum interim animæ deſiderium videatur, ut videat bona. (*Pſal. 26. 13.*) *Credo*, inquit, *videre bona Domini in terra viventium.* Supremas nimirum corporis ſui feneſtras ſupernæ aperiri deſiderat veritati, per ſpeciem magis ambulare geſtiens, quàm per fidem. Sane fides ex auditu, non ex viſu. Denique (*Heb. 11. 1.*) *ſubſtantia eſt ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et in fide ergo, ſicut & in ſpe, deficit oculus, auris proficit ſola. (*Iſa. 50. 5.*) *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait Propheta : ſed quandoque etiam oculum revelabit. Erit quando jam non dicetur, (*Pſal. 44. 11.*) *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam* : ſed leva potius oculos tuos, & contemplare. Quid ? plane jucunditatem & exſultationem, quam theſaurizat ſuper te Deus tuus. Quid ? plane non ex modo, quæ interim quidem etſi non videre adhuc, & audire tamen, & credere potes : verum etiam quod ſicut non vidit oculus ; ſic nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparavit Deus (*Iſai. 64. 4. & 1. Cor. 2. 9.*) diligentibus ſe. Nimirum tanta capiet oculus reſurrectionis, quanta nec auditus, nec animus ipſe nunc capiat. Ob hanc denique tam vehementem animæ concupiſcentiam videndi, ſcilicet quod audit & credit, alium quoque evidentiſſimum futuræ præconem reſurrectionis ipſorum propriam mentionem feciſſe arbitror oculorum. (*Job 19. 26.*) *Rurſum*, ait, *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum : quem viſurus ſum ego ipſe & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* & adjecit : *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

4. Forte tamen conſiderandum attentius quod ait, *Oculi mei*, ſicut & in pſalmo, (*Pſal. 90. 8.*) *Oculis*, inquit, *tuis conſiderabis.* (*Oculi erunt noſtri poſt reſurrectionem.*) Numquid enim mei eſſe oculi nunc videntur ? Plane non mei. Nonnumquam ſane viſi ſunt fuiſſe mei, quod ipſi quoque ad eam pertinere noſcantur, quam male ſervaturus accepi, paternæ ſubſtantiæ portionem. Nempe velociter profligata eſt, univerſam citius diſſipavi. Occupavit membra omnia lex peccati, libere intrabat mors per feneſtras meas : cujus nimirum factus eram ſervus etiam ego ipſe. Miſer equidem ſervus, non ſane homini ſerviens, ſed immundo pecori & cœnoſo. Neque enim mercenaria ſaltem conditione famulabar, ſed plane ſervili. Niſi forte mercedem quis dari putet, cui etiam cibus negatur, & cibus quoque ipſa eſurie pernicioſior. Cupienti ſiquidem porcorum ſiliquas nemo dabat, ut porcis viverem, nec conviverem porcis. Denique * numquid meus tunc oculus (* *al. deinde.*) erat, quando deprædabatur animam meam ? Qua qui-

Tom. III.

dem neceſſitate demum coactus ſum beneficium reſi- A gnare * in manu dominatoris, ut quod omnino non poteram, ipſe ſibi illud ab hoſtili tyrannide vindicaret.

* al. reſonare.

5. Conſiderate attentius, dilectiſſimi, & animadvertite, in quanam poteſtate evaſeritis Pharaonis intolerabile jugum, ut jam membra veſtra non ſint arma iniquitatis peccato, nec regnet ultra in mortalibus corporibus veſtris. Non eſt hoc operis veſtri, Fratres: dextera Domini facit virtutem; ſolus hoc poteſt ille, qui nihil omnino non poteſt. Ne dixeritis, *Manus noſtra excelſa*: ſed tam ſalubriter, quàm veraciter confitemini, quia Dominus facit hæc omnia. Denique nemo ſibi dubitet omnimodis eſſe cavendum, ne forte donec adhuc dies mali ſunt, & nulla uſquam ſecuritas homi- B ni, hanc ſuam poſſeſſionem de manu tam pii, tamque providi tutoris, in periculoſam pernicioſamque interim libertatem recipere velle præſumat. Quod enim æmulatur Pater, pro te æmulatur: nec invidentiæ, ſed providentiæ eſt, quod ſibi totam jubet manere ſubſtantiam, ne pereat tibi. Denique ubi ad magnam illam ſanctamque civitatem perveneris, cujus fines poſuit pacem, ubi nullus jam hoſtium timeatur incurſus; non modo reddet te tibi, ſed dabit inſuper & ſeipſum. Interim ſane à voluntatibus tuis avertere, & DEO DICATA MEMBRA nulla tibi temeritate uſurpes, ſciens quod pietati ſanctificata non abſque gravi ſacrilegio in uſus vanitatis, curioſitatis, voluptatis, aut C ejuſmodi ſæcularis operis aſſumantur. *Neſcitis*, ait Apoſtolus, *quod corpora veſtra templum ſunt Spiritusſancti, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* & item: *Corpus*, inquit, *non fornicationi*. Sed cui? Numquid tibi? Plane ſit tibi liberum, ſed ſi eripere illud, aut ereptum ſaltem deinceps à fornicationis impetu vindicare propriis viribus potes. Quod ſi forte non potes, immo quia vere non potes, ſit corpus non fornicationi, ſed Domino: ſerviatque interim ſanctificationi, ne corruptioni denuo pejus ſervire contingat. *Humanum dico*, ait Apoſtolus, *propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra* D *veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*. Verum id quidem propter infirmitatem, ut ipſe quoque præmiſit. Ceterum ubi reſurrexerit in virtute quod in infirmitate fuerat ſeminatum, nulla jam erit neceſſitas ſerviendi. Ubi & ſecuritas libera fuerit, & ſecura libertas, quidni multo magis reddat eum ſibi? Quidni potius libertate donet fidelem ſervum magnus ille Paterfamilias, quando quidem & ſuper omnia bona ſua conſtituet eum?

Membra Deo ſemel mancipata, cave rurſus uſurpes.

1. Cor. 6. 19.

Rom. 6. 19.

6. Jam tunc ergo oculis tuis conſiderabis, ſi tamen eos fideliter agnoveris interim eſſe ejus, non tuos. Nam & præter eam quam diximus, voti utique tam E neceſſarii rationem, quo nimirum membra ipſa, quæ tibi à peccati tyrannide vindicare omnino non poſſes, propriis abrenuntians voluntatibus, divino cultui mancipaſti; numquid vel modo tua eſſe videntur, in quibus adhuc contraria lex, etſi non regnat, habitat tamen: in quibus pœna peccati, ſecundus equidem hoſtis tuus, non modo manet, ſed & prævalet, & libere dominatur? Tune tuum dixeris corpus, quod mortuum eſt propter peccatum; aut animæ eſſe, quod animam aggravare non ceſſat? Plane ſi quis ſuum illud dicere cupit, non aliud convenienter dixiſſe videbitur, quàm onus ſuum, quàm carcerem ſuum. Alioquin quonam modo tuos dixeris oculos, quos ſane interim, vis, non vis, toties ſomnus occupat, fumus F turbat, exiguus pulvis ſauciat, noxius humor obnubilat, dolor acerbus excruciat, vel ipſa demum noviſſima mors excæcat? At tunc plane tui erunt, quando omnia iſta non erunt: ut vere jam tuis oculis conſiderare ſit, quibus nimirum pro libito deinceps utaris ad omnia tam libere, quàm ſecure. Neque enim avertendi de cetero erunt oculi, ne videant vanitatem, quod puriſſimam videant veritatem: multo minus intrabit per feneſtras mors, quod ipſa quoque inimica noviſſima deſtruatur. An vero times eos è tanta plenitudine luminis, ubi ſinguli juſti tamquam ſinguli ſoles fulgeant, aliquando caligaturos fore? Timendum id plane, ſi non ipſos quoque oculos, ſicut cetera humani corporis membra, reſurrectio glorificaret.

Membra & corpus non tam noſtra quàm Dei, aut peccati.

Noſtra futura aliquando.

7. *Et retributionem peccatorum videbis.* Hoc plane eis grave tormentum, & magnus quidam malorum cumulus erit. Forte enim quodcumque ſolatium videretur, eorum quos tam malitioſe impugnaverint, in tormentis ſuis vel conſcientia latere, vel ipſos ſaltem declinare poſſe conſpectus. Verumtamen etſi illis ex hac noſtra conſideratione immenſum quoddam miſeriæ pondus accedat, nobis quæ neceſſitas erit, quæ utilitas, quæ voluptas? Quid enim modo tam irreligioſum, immo quid tam inhumanum & exſecrabile videretur, quàm cruore quantumlibet inimicorum, quantumlibet iniquorum, paſcere velle oculos, & oblectare aſpectus ſuppliciis miſerorum? Attamen ſicut videbit peccator & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum dejiciantur ignis æterni, quo videlicet acrius doleant, videntes quid amiſerint:) ſic juſti quoque videbunt, & lætabuntur, conſiderantes quid evaſerint. In illa ergo tanta ſeparatione, quemadmodum hœdis agnorum viſio graviſſimi livoris occaſio fiet: ſic electis è regione conſideratio reproborum, immenſa quædam materia gratiarum actionis & laudis. Unde enim juſti tam magnifice gratias agerent, niſi cum illa inexcogitabili felicitate qua perfruuntur, ipſam quoque retributionem cernerent injuſtorum, à quibus equidem ſola miſericordia Redemptoris ſegregatos ſeſe eſſe fideliſſime & devotiſſime recordantur? Unde vero impii tanto animi furore tabeſcerent, niſi in regnum ſummæ beatitudinis coram ſeſe vidiſſent alios introduci, & tunc demum in illos ſeſe fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miſerias gemerent eſſe damnatos? *Ibi* enim, inquit, *fletus & ſtridor dentium*. Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur; ſtridor vero ob vermem qui non moritur. Plane fletus ex dolore, ſtridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, ſtridorem dentium vehementia ipſa tabeſcentis invidiæ, & obſtinata malignitas extorquebit. Ita ergo retributionem peccatorum videbis: ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando liberatori poſſe fieri videaris.

Sanctis gaudent viſo malorum ſupplicio.

Pſal. 111. 10.

1. Ob evaſionem ſuppliciorum.

Matth. 13 50.

8. Non ſolum autem, ſed & ſecuritas perfecta juſtorum erit viſa retributio peccatorum, quo videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam poſſint, qui nimirum cadentibus à latere ſuo mille, & decem millibus à dextris ſuis, non modo eos cadere viderint, ſed & cadere in gehennam. Putas enim timere adhuc non poterant, & callidiorem cunctis animantibus ſerpentem habere ſuſpectum, præſertim ſeductæ quondam in paradiſo non immemores mulieris, niſi cum toto jam corpore ſuo ultricibus traditum flammis, & inter ſe & eum magnum plane jam chaos firmatum eſſe conſpicerent?

2. Ob ſecuritatem.

9. Tertium quoque hoc nihilo minus peccatorum tibi conſideratio ipſa præſtabit, ut ex comparatione deformitatis eorum eminentius glorioſiuſque reſplendeas. Sic nimirum ſibi invicem collata contraria, ſua quidem utrumque videtur ſuſcepiſſe augmentum aliquod qualitatis: ut album nigro ſi conferas, & hoc candidius, & illud tetrius apparebit. Sed audi certius ſuper hoc teſtimonium, propheticum ſermonem: *Lætabitur*, ait, *juſtus cum viderit vindictam*. Ut quid ita? *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*. Plane non inquinabit in ſanguine, ſed lavabit: ut unde ille cruentus magis, inde iſte nitidior videatur; unde ille plus ſordet, inde iſte pulcrius eluceſcat.

3. Ob comparationem ſanctam.

Pſal. 57. 11.

10. Nullam forte ex his tribus cauſis humanus refugere vel modo inveniatur affectus: ſed non propter aliquod horum Sapientia in eorum ridebit interitu, quod tamen ſine ulla dubitatione factura eſt. Nempe ipſa prædicit quæ mentiri omnino non poteſt: *Quia*

Prov. 1. 26.

vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit A *qui aſpiceret.* Et poſt pauca: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.* Quid ergo in inſipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, niſi juſtiſſimam ſuam diſpoſitionem, & irreprehenſibilem ordinem rerum? Sane quod Sapientiæ tunc placebit, ſapientibus quoque placeat neceſſe eſt univerſis. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, *Oculis tuis conſiderabis*, quando & ridebis in eorum interitu. non quod velut quadam immanitate crudelitas in ipſa tibi ultione complaceat: ſed quod modus ipſe pulcherrimus divinæ ordinationis ultra quàm credi poſſit, juſtitiæ zelatorem B & amatorem æquitatis oblectet. Ubi optime omnia conſtituta, & ſuum cuique ceſſiſſe locum, immo in ſuum quemque ceſſiſſe, plenius & perfectius illuſtrante veritate cognoſces; quomodo non omnia conſiderare, & in omnibus omnium moderatorem magnificare libebit? Pulcre omnino Petrus apoſtolus filium perditionis *in locum ſuum* abiiſſe teſtatus eſt, quod in aere crepuerit medius, aëriarum collega poteſtatum: utpote quem veri Dei & veri pariter hominis, qui de cælo veniſſet operaturus ſalutem in medio terræ, hujus inquam proditorem, nec cælum reciperet, nec terra ſuſtineret.

4. Ob ordinem ſapientiæ & juſtitiæ divinæ.

Act. 1. 25.

11. Itaque *oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.* C Primo quidem ob tuam evaſionem, ſecundo ob omnimodam ſecuritatem, tertio quoque ob comparationem, quarto ob ipſius juſtitiæ perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non miſericordiæ, ſed judicii tempus: nec ulla omnino credenda eſt erga impios futura illic miſeratio, ubi nec ulla ſperanda eſt correctio. Procul erit humanæ infirmitatis iſta mollities, qua tamen interim pro tempore caritas utitur ad ſalutem, ampliſſimo quodam velut * expanſæ ſagenæ ſinu & bonos, & malos colligens piſces, id eſt affectus jucundos pariter & moleſtos. Verum hoc quidem in mari. Nam in littore ſolos eliget bonos, ſic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut D ex hoc jam cum flentibus flere non poſſit. Alioquin quomodo in nobis judicabitur hic mundus, niſi hujus teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus in cellam vinariam, ſecundum eum qui dixit: *Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius?* Nec modo quidem conſiderare permittimur perſonam pauperis, aut miſereri ejus in judicio: ſed cum moleſtia licet, coercendus ejuſmodi pietatis affectus, & æquitatis eſt dictanda ſententia. Quanto magis ubi nulla animi colluctatio, ubi nulla poterit ſubintrare moleſtia, oportet impleri quod dictum eſt: *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum?* Abſorpti plane in affectum juſtitiæ, & Petræ ſoliditatem, cui juncti ſunt, imitantes. E *Juncti*, inquit, *petræ*, quam profecto ſolam ut ſequerentur, cetera omnia reliquerunt. Nempe hoc eſt quod interroganti Petro quidnam accepturi eſſent, Petra ipſa reſpondit: *Cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Hæc quoque Propheta prænuntians ait: *Dominus ad judicium veniet cum ſenioribus populi ſui.* Tunc putes flexibile quippiam inveniendum in judicibus junctis Petræ? *Qui adhæret Deo*, Apoſtolus ait, *unus ſpiritus eſt*: qui & Petræ jungitur, lapis unus. Ad quod ſane Propheta non immerito ſuſpirans, *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum eſt.* Ita ergo abſorpti ſunt juncti Petræ judices eorum. O familiaritatis gratiam! ô honoris culmen! ô F fiduciæ privilegium! ô prærogativam ſecuritatis perfectæ!

Sanctis nulla erga impios & damnatos commiſeratio.

* id videlicet.

Pſal. 70. 16.

Pſal. 140. 6.

Matt. 19. 28.

Iſai. 3. 14.

1. Cor. 6. 17.

Pſal. 72. 28.

12. Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc exſpectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam? *Horrendum eſt*, ait Apoſtolus, *incidere in manus Dei viventis.* Judicemur interim, Fratres, & terribilem illam exſpectationem præſenti ſtudeamus declinare judicio. Non judicabit Deus bis in idipſum. Sane ut quorumdam peccata, ſic & quorumdam ſtudia bona manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium: ut illi quidem non exſpectantes ſententiam, proprio ſtatim pondere criminum in tartara dejiciantur: iſti vero è regione paratas ſibi ſedes tota libertate ſpiritus ſine ulla cunctatione conſcendant. Felix paupertas voluntarie omnia relinquentium, & ſequentium te, Domine Jeſu! Felix plane, quæ tam ſecuros, immo tam glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine judiciorum! Jam vero audiamus, quid ad tantas promiſſiones devota & fidelis anima reſpondeat, ne forte aut diffidere, aut ſecus quàm oporteat fidere videatur. *Quoniam tu es*, inquit, *Domine ſpes mea.* Quid tam ſobrie, quid tam pie poterat dici? Sed nec aliud huic verbo videtur poſſe convenientius reſponderi, quam quod ſequitur: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* Ceterum ignoſcite nobis, Fratres: hodie quoque promiſſæ etiam terminos brevitatis paulo minus exceſſiſſe videmur.

Judicium Dei quam terribile futurum.

Hebr. 10. 31.

Tom. III.

Judicio proprio præveniendum.

Pauperes tunc ſecuri.

SERMO NONUS,

De verſu nono, *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea; altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

1. ETiam, Fratres, hodie aliquid audiamus de promiſſione Patris, de exſpectatione filiorum, de fine hujus noſtræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu captivitatis. Et quidem dura omnino captivitas, non modo illa communis, quam ex ipſa jam conditione generis toleramus humani, ſed hæc quoque qua voluntates mortificare proprias, etiam perdere proprias in hoc mundo animas feſtinantes, in hos tam rigidæ compedes diſciplinæ, in hunc tam gravis pœnitentiæ carcerem dedimus noſmetipſos. Miſeranda ſervitus plane, ſed ſi coacta, ſed ſi non ſpontanea videretur. Nunc vero cum voluntarie ſacrificetis Deo, nec ingeratur ulla niſi per ipſam voluntatem violentia voluntati, profecto aliquid in cauſa eſt. Illud puto aliquid, quo majus aliquid eſſe non poteſt. An vero plangendum videtur quamlibet magnum, quamlibet laborioſum, quod propter Deum fiat? Etſi magnitudo ipſa laboris interdum forte extorqueat compaſſionem, ſed multo magis cauſæ conſideratio exigit congratulationem. Quid quod bona omnia non modo propter eum conſtat fieri, ſed per eum? Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Ipſe ergo auctor, ipſe remunerator operis, ipſe remuneratio tota: ut ſummum illud bonum, cujus nimirum tam perfecta eſt ſimplicitas in ſeipſo, duplex quodammodo videatur in nobis cauſa bonorum, effectiva ſcilicet, & finalis. Bene ergo, dilectiſſimi, quod in his omnibus tam multis laboribus veſtris non modo ſubſiſtitis, ſed etiam ſuperatis propter eum qui dilexit vos. An vero non per eum? Et manifeſte. *Sicut enim abundant pro Chriſto tribulationes noſtræ*, ait Apoſtolus, *ita abundant etiam conſolationes noſtræ per ipſum.*

Servitus Dei voluntaria ſuavis.

Philip. 2. 13.

Deus bonorum operum cauſa duplex.

2. Cor. 1. 5.

2. Uſitatus ſermo, communis ſermo, *Propter Deum*: ſed plane, ubi non vacue dicitur, profundiſſimus ſermo. Crebro ſonat in ore hominum, etiam à quorum corde longe eſſe probatur. Omnes ſibi propter Deum præſtari poſtulant, propter Deum flagitant ſibi ſubveniri. Facile quoque ea ipſa petuntur propter Deum, quæ tamen non ſunt ſecundum Deum: & id ipſi fieri quis obſecrat propter Deum, quod non deſiderat propter Deum, magis autem forte contra Deum. Ceterum vivus plane & efficax ſermo, ubi non perfunctorie, non uſurpatorie, non velut quodam uſu loquendi, vel arte perſuadendi; ſed ex pinguedine, ut dignum eſt, devotionis, & pura animi intentione procedit. Nempe & mundus tranſit, & concupiſcentia ejus; nec ſatis utiliter poſita, aut ſtabilita firmiter, vel cadente eo, quæ pro eo facta ſunt, videbun-

Propter Deū dicere nil juvat, niſi Deus ſit in corde.

[Tom. III.] tur. Ubi enim cauſa ipſa deficiet, quomodo non omnia quoque quæ ei videbantur innixa, pariter evacuabuntur? Propterea quoque * [* al. denique] & qui in carne ſeminant, de carne habent metere corruptionem: quod videlicet omnis caro fœnum, & gloria ejus tamquam flos fœni [Iſa. 40. 6.]: & ubi fœnum aruerit, florem quoque nihilo minus cadere ſit neceſſe. Solus qui eſt, cauſa eſt indeficiens: nec flos fœni, ſed verbum Domini manet in æternum. Denique *cælum*, inquit, *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* [Matt. 24. 35.]

3. Prudenter itaque, dilectiſſimi, & utiliter elegiſtis propter verba labiorum ejus cuſtodire vias duras; illic [B] ſeminantes, ubi ne minima quidem portio veſtri ſeminis valeat deperire. Sane qui parce ſeminat, non quidem non metet, ſed parce metet [2. Cor. 9. 6.]. Nempe qui metit, mercedem accipit: & ſcimus quis promiſit, ne eum quidem qui pro nomine ſuo calicem aquæ frigidæ dederit ſitienti, mercede propria cariturum [Matt. 10. 42.]. Numquid tamen non in qua menſura menſus fuerit, ſibi quoque remetietur: aut in retributione æquabitur ei, qui non aquam porrigens, ſed ſanguinem fundens, propinatum ſibi biberit calicem Salvatoris? Non eſt hic calix aquæ frigidæ, ſed calix inebrians quàm præclarus, calix vini meri, & quidem plenus mixto. [Chriſti mors ex mero amore.] Solus enim merum habuit vinum Dominus meus Jeſus, [C] qui ſolus perfecte mundus, & ſemper etiam poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Solus plane merum habuit vinum, qui nimirum & ſecundum divinitatem ſapientia eſt ubique attingens propter munditiam ſuam, & nihil inquinatum cadit in eum: & ſecundum humanitatem peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Solus non debito conditionis guſtavit mortem, ſed ſuæ beneplacito voluntatis, ſane non ad propriam utilitatem, bonorum enim noſtrorum non eget: ſed nec tamquam retribuens nobis gratiam pro gratia, qui non aliter pro amicis mortuus eſt, niſi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per ſangui- [D] nem Filii ſui. Aut potius pro jam amicis, etſi nondum quidem amantibus, ſed tamen jam amatis. In hoc eſt enim gratia, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia prior ipſe dilexit nos. Vis noſſe quàm longe prior? *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ait Apoſtolus, *qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto. ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* [Epheſ. 1. 3.] & poſt pauca: *Gratificavit*, inquit, *nos in dilecto Filio ſuo.* Quomodo non dilecti jam tunc in illo, quando electi in illo? Quomodo non ei grati, in quo gratificati ſumus? Sic ergo Chriſtus ſecundum tempus quidem pro impiis mortuus eſt: ſecundum prædeſtinationem autem pro fratribus & [E] amicis.

4. In his ergo omnibus merum eſt vinum ipſius equidem & ſolius, uti ne quiſpiam ceterorum præſumere audeat non eſſe quod ſibi propheticum illud aptetur: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* [Iſai. 1. 22.] [Mors noſtra non ita.] Primum, quod nemo interim mundus à ſorde, nemo gloriari poſſit omnino ſe caſtum habere cor. Deinde quod mortis debitum perſolvant quandoque neceſſe eſt. Tertio, quod ponentes pro Chriſto animas, hoc ſibi compendio vitam mereatur æternam: ſed & væ eis, ſi ipſius erubeſcerent teſtimonium. Quarto, quod prærogatæ ſibi gratis exhibitæ tantæ dilectioni imparem nimis exiguamque rependant. Attamen nec hoc mixtum, qui ſine mix- [F] tura eſt, dedignatur, adeo ut fiducialiter Apoſtolus dicat, implere ſe quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore ſuo [Coloſſ. 1. 24.]. Sit ergo licet electis pariter omnibus unus idemque denarius vitæ reddendus æternæ; & in ipſa tamen ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, & alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia ſtellarum; ſic erit & reſurrectio mortuorum: & quamvis domus una, diverſæ tamen in ea ſunt manſiones: ut videlicet quantum quidem ad æternitatem & ſufficientiam; & qui parum, non minoretur; & qui multum, non abundet: quantum vero ad eminentiam & diſcretionem meritorum, [A] uniuſquiſque accipiat ſecundum ſuum laborem, ne quid omnino pereat quod in Chriſto ſit ſeminatum.

5. Hæc autem dicta ſunt, Fratres, ut illius tam ſpiritualis reſponſi, quod hodie nobis conſiderandum eſt, gratia commendetur: *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea.* [Spes in Deo homini pii theſaurus.] Quicquid igitur agendum ſit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ exſpectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus, jejunare bis in ſabbato dicat, poſtremo non eſſe ſicut [B] ceteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Sperent in aliis alii, forte hic in ſcientia litterarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimentum feci, & ut ſtercora arbitror, quoniam tu es, Domine, ſpes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.* [Matt. 6. 33.] Nempe *tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* [Pſal. 9. 14.] Si mihi præmia promittuntur, per te ob- [C] tinenda ſperabo; ſi inſurgant adverſum me prœlia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſum ſpiritum concupiſcat; in te ego ſperabo.

6. Fratres, hoc ſapere, ex fide vivere eſt, nec alius ex ſententia dicere poteſt, *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea,* [Pſal. 54. 23.] niſi cui intus ſit perſuaſum à Spiritu, ut (quemadmodum monet Propheta) jactet cogitatum ſuum in Domino, ſciens quod enutriendus ſit ab eo, juxta illud quoque Petri apoſtoli: *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum; ipſi enim cura eſt de vobis.* [1. Pet. 5. 7.] Ut quid enim, ſi hæc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias; & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, [D] tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære aliud in quo ſperes. [Sperandum in Deo omni vana ſpe abjecta.] Sed verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? Attamen hujuſmodi dictum * [* al. ut intelligas.] intelligas volo. Si decreverit ſalvare nos, continuo liberabimur: ſi vivificare placuerit, vita in voluntate ejus eſt: ſi præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere. An vero de facilitate jam non dubitas, ſed ipſa tibi eſt ſuſpecta voluntas? Plane & voluntatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* [Johann. 15. 13.] Denique quando in ſe ſperanti deſit illa majeſtas, quæ tam ſtudioſe monet in ſe ſperari? Plane non derelin- [E] quit ſperantes in ſe. *Adjuvabit eos*, ait, *& liberabit eos; & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos.* [Pſal. 36. 40.] Quare? quibus meritis? audi quod ſequitur: *Quia ſperaverunt in eo.* Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum hæc eſt juſtitia, ſed quæ ex fide eſt, non ex lege. *De quacumque tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me, exaudiam eos.* Ecce numera tribulationes. [Conſolationes Dei quibus dentur.] Secundum multitudinem earum conſolationes ejus lætificabunt animam tuam: dummodo ad aliam non convertaris; dummodo clames ad eum; dummodo ſperes in eum: nec humile aliquid vel terrenum, ſed altiſſimum ponas refugium tuum. Quis ſperavit in eo, & confuſus eſt? Facilius eſt cælum & terram tranſi- [F] re, quàm verbum ejus evacuari.

7. *Altiſſimum*, inquit, *poſuiſti refugium tuum.* Non accedet illuc tentator, non calumniator aſcendet, non peſſimus ille fratrum accuſator attinget. Nempe ei dicitur hoc (recolite pſalmi primordia) ei dicitur, qui in protectione Altiſſimi commoratur, illuc refugiens à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. [Refugium noſtrum ad Deum.] Quæ quidem duplex eſt neceſſitas fugiendi, quod videlicet & foris pugnæ, & intus timores. Minus enim fugere oporteret, ſi vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter ſuſtineret, vel exteriori tranquillitate puſillanimitas propria foveretur. *Altiſſimum*, ait,

poſuiſti refugium tuum. Sæpe illuc fugiamus, Fratres: A munitus eſt locus, nullos ibi timetur hoſtis. Utinam magis ſemper ibi manere liceret! Sed non eſt hoc temporis hujus. Quod modo refugium eſt, quandoque habitaculum erit, & habitaculum ſempiternum. Interim ſane, etſi perſiſtere non conceditur, frequenter tamen eſt recurrendum. Nempe AD OMNEM tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuſcumque modi neceſſitatem, aperta eſt nobis urbs confugii; ſinus matris expanſus eſt: parata ſunt foramina petræ; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum ſi effugere non meretur.

Non modo à Deo ſperamus, ſed ipſum Deum.

8. Jam quidem, Fratres, quæ dicta ſunt, ad expo- B ſitionem verſus hujus viderentur poſſe ſufficere, ſi dixiſſet Propheta, *Quoniam in te ſperavi*; ſicut in aliis pſalmis quibuſdam invenitur. Ceterum quod dicit, *Tu es, Domine, ſpes mea*· forte amplius aliquid ſonat & ſublimius, quod videlicet non modo in eo ſperet, ſed eum. Convenientius ſiquidem ſpes noſtra dicitur quod ſperamus, quàm in quo ſperamus. Sunt autem forte nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia ſeu ſpiritualia quælibet concupiſcunt: ſed PERFECTA CARITAS ſolum ſitit quod ſummum eſt, tota deſiderii vehementia clamans: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pulcre nobis utrumque paucis C verbis hodie Jeremiæ Prophetæ lectio commendavit: *Bonus es, Domine, ſperantibus in te, animæ quærenti te.* Ubi ſane & ipſam numeri diſcretionem prudenter adverte, quod ſperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multorum: quærentem vero eum, ſingulariter, quod ſingularis ſit puritatis, ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis, non modo nil ſperare niſi ab eo, ſed nil quærere niſi eum. Quod ſi bonus illis, quanto magis iſti?

Pſal. 72. 25.

Thren. 3. 25.

9. Merito proinde quærenti illum animæ reſpondetur: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* Neque enim ſic Deum ſitiens anima, aut cum Petro ei in terreno monte facere tabernaculum, aut cum Maria deinceps D eum tangere vult in terra, ſed plane clamat: *Fuge, dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel.* Audivit enim dicentem: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.* Audivit dicentem: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem.* Ex cæleſtis jam non ignara conſilii clamat cum Apoſtolo: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Super montes, inquit, Bethel, ſupra omnem videlicet Poteſtatem & Principatum, ſuper Angelos & Archangelos, Cherubim quoque & Seraphim (neque enim alii ſunt montes domus Dei, quod ſonat Bethel) plane in dextera Patris, ubi jam non ſit Pater major E eo, in dextera Altiſſimi coaltiſſimum apprehendere concupiſcens. Hæc enim eſt vita æterna, Fratres, ut Patrem cognoſcamus verum Deum; ſed & quem miſit Jeſum-Chriſtum, verum nihilo minus & unum cum eo Deum, ſuper omnia benedictum in ſæcula, amen.

Matt. 17. 4.

Johan. 20. 17.

Cant. 8. 14.

Johan. 14. 28.

Johan. 20. 17.

2. Cor. 5. 16.

SERMO DECIMUS,

De verſu decimo, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Fidei duæ partes.

1. NEc noſtra eſt, nec nova vobis, ſed nota omnino ſententia, in præcipuis quibuſque parti- F bus noſtræ fidei, quid non ſit, quàm quid ſit, & ſciri poſſe facilius, & periculoſius ignorari. Idem ſane etiam ſpei non inconvenienter tribui poſſe videtur. Longe enim facilius mens humana tantorum experta malorum, quibus ſit caritura, quàm quibus perfruitura, comprehendit. Nempe germana fidei, ſpeique cognatio eſt; ut quod illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum. Merito proinde Apoſtolus Fidem ſperandarum rerum ſubſtantiam eſſe diffinit: quod videlicet non credita nemo ſperare, non plus

Hebr. 11. 1.

quàm ſuper inane pingere poſſit. DICIT ergo fides: Parata ſunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis. Dicit ſpes: Mihi illa ſervantur. Nam tertia quidem caritas, Curro mihi, ait, ad illa. Ceterum, ut jam memini, difficile omnino, aut etiam impoſſibile eſt illorum qualitatem inveſtigare bonorum, niſi cui forte, juxta illud Apoſtoli, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*, revelaverit ipſe per Spiritum ſuum. Sane quantumlibet perfectus in carne adhuc mortali degens, (niſi enim eſſet hic quædam, ut ita dixerim, imperfecta perfectio, non diceret Apoſtolus, *Quotquot perfecti ſumus, idipſum ſentiamus*, idipſum profecto quod præmiſerat, *Non quaſi jam acceperim, aut jam perfectus ſim*,) etiam Paulus ipſe neceſſe eſt fateatur: *Quia nunc cognoſco ex parte.* Et item: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quod ergo homini interim noſcitur capabilius, pia ſane & provida inculcatione amplius commendatur. Proprium enim eſt afflictorum, ut moleſtiis eximi, ſummam reputent felicitatem, & carere miſeria, ſummam beatitudinem arbitrentur. Unde Propheta in Pſalmo: *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* nec ulla tamen collatæ munera felicitatis enumerat, ſed adjungit: *Quia eripuit animam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.* In quibus ſane verbis patenter indicat, quantam ſibi requiem, quantaque Domini beneficia judicet à tribulationibus & periculis liberari.

Tom. III.

Spes noſtræ inexcogitabilia.

1. Cor. 2. 9.

Philip. 3. 15.

1. Cor. 13. 12.

Malorum privatio notior.

Pſal. 114. 7.

2. Cui profecto ſententiæ illud quoque, quod de pſalmo nonageſimo hodie nobis tractandum eſt, ſimile invenitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Eſt autem verſus ipſius, quantum nos capimus, facilis intelligentia, ad quam forte ex vobis jam aliqui prævolariot. Neque enim tam rudes eſtis, aut ſpiritualis ſtudii tam expertes, ut non faciliime inter vos, & tabernacula veſtra; & rurſum inter id quod malum, & quod flagellum dicitur, diſcernatis. Nam & Apoſtolum ſane audiſtis dicentem, cum jam bonum certamen certaſſet, velocem fore depoſitionem tabernaculi ſui. Sed quid ego Apoſtoli verba memoro? Quaſi vero ignorare poſſit miles tabernaculum ſuum, aut docendus ſit exemplo alieno. Videmus ſane nonnullos tabernacula ſua in turpiſſimæ captivitatis domicilia commutaſſe, nec militare in his, ſed miſeram gerere ſervitutem. Immo vero (quod omnino ridiculum eſt) ſic errant aliqui, & in tantam oblivionem & ſpiritualem phreneſim devenerunt, ut nihil ſeſe aliud putare, quàm ſuum hoc externus tabernaculum videantur. Quid enim aliud quàm non modo Dei, ſed & ſui ignorantiam habent, qui tamquam mortui à corde, omnem inſumunt operam circa carnem, ſic intendentes tabernaculo ſuo, ac ſi numquam putent eſſe caſurum? Verumtamen cadat neceſſe eſt, atque id quidem in brevi. Annon ſeipſos neſcire videntur, qui ſic dediti ſunt carni & ſanguini, ac ſi omnino nihil aliud quàm carnem ſolum ſe eſſe reputent, ſic in vano accipientes animas ſuas, tamquam prorſus ignorent animas ſe habere? *Si ſeparaveris pretioſum à vili*, ait Dominus, *tamquam os meum eris*; hoc eſt, ſi ſollerter diſcreveris inter exteriorem interioremque ſubſtantiam, ut non plus tabernaculo tuo timeas à flagello, quàm tibi ipſi à malo. Hoc enim malum eſt, unde dicitur: *Declina à malo, & fac bonum.* Hoc malum, quod ſua quidem anima animam privat, quod ſeparat inter te & Deum; ut eo regnante, tamquam corpus ſine anima, ſic ſit anima ſine Deo, plane mortua in ſemetipſa, inſtar unius eorum, quos tamquam ſine Deo in hoc ſæculo fuiſſe Apoſtolus memorabat.

Caro eſt tabernaculum.

2. Tim. 4. 6.

Carni deditos & animæ negligentes arguit.

Jerem. 15. 19.

Pſal. 36. 27.

3. Nec ſane dixerim, ut vel ipſam odio habeas carnem tuam. Dilige eam, tamquam tibi datam in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis conſortium præparatam. Ceterum ſic amet anima carnem, ut non ipſa in carnem tranſiſſe putetur, dicaturque ei à Domino:

Caro ut diligenda.

Iii iij

Tom. III. Gen. 6. 3

Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Diligat anima carnem ſuam: ſed multo magis ſuam ipſius animam ſervet. Amet Adam Evam ſuam: ſed non ſic amet, ut voci ejus plus obediat quàm divinæ. Denique ne ipſi quidem expedit ſic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, theſaurizes iram æternæ damnationis. *Genimina viperarum*, ait Johannes, *quis demonſtravit vos fugere à ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Ac ſi evidentius loqueretur: Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus: ſuſtinete virgam corripientem, ne ſentiatis malleum conterentem. Quomodo dicunt nobis carnales homines: Crudelis eſt vita veſtra, non parcitis carni veſtræ? Eſto, non parcimus ſemini. In quo ei magis parcere poteramus? An non melius eſt illi renovari & multiplicari in agro, quàm in horreo putreſieri? Heu! computruerunt jumenta in ſtercore ſuo! Sic vos parcitis carni veſtræ? Simus nos crudeles interim non parcendo: at vos plane parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro noſtra requieſcit in ſpe: videritis vos ipſi quid ignominiæ interim veſtra ſuſtineat, quid miſeriæ eam maneat in futurum. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hic duplex eſt ſtola, & gemina quædam immortalitas commendatur. Unde enim niſi ex ſeparatione animæ & corporis mors procedit? Inde eſt quod mortuum corpus, exanime nominatur. Unde autem ſeparatio hæc, niſi ex flagellis præſentibus, ex qualibet doloris vehementia, & ipſius corporis corruptione, ex pœna peccati? Merito timet proinde & odit flagellum caro noſtra, quo nimirum ab ipſius animæ tam delectabili bonorabilique conſortio amarum nimis divortium patiatur. Ceterum interim quidem donec revocetur *, velit, nolit, ſuſtineat illud neceſſe eſt. Expedit autem ſic tolerare, ut prorſus evadas, & flagellum deinceps non appropinquet tabernaculo tuo.

Matth. 3. 7. — Carnem vere amant, qui eam mortificant — Joel 1. 17. — * al. renovetur

Animæ vita, Deus; peccatum, mors.

4. Jam vero (ut ſupra meminimus, & inceſſanter convenit meminiſſe) vera animæ vita Deus eſt: & inter hæc quoque ſeparat malum, ſed malum animæ, quod non eſt aliud quàm peccatum. Eia, Fratres, nugari libeat, otioſitatibus indulgere delectet; nimirum gemino hoc ſerpente vicino, qui duplicem nobis auferant vitam, alter corporis, alter cordis. Quidni ſecure dormiamus, niſi quod negligentia in graviori periculo, non tam ſecuritatis eſt, quàm deſperationis indicium? Et quidem optandum nobis ab utroque liberari: ſed cavendum ſane interim peccatum, quàm peccati pœna; & eo ſtudioſius à malo, quàm à flagello declinandum, quo pernicioſius & omnino infelicius ſit à Deo animam, quàm à corpore ſeparari. Sane ubi prorſus de medio factum fuerit omne peccatum, cauſa quidem omnino ſublata nec ipſe quoque deinceps manebit effectus: ut quomodo accedere jam ad te malum omnino non poterit, ſic nec flagellum quidem valeat appropinquare tabernaculo tuo, quod videlicet tam longe ſit ab exteriori homine quælibet pœna, quàm longe fuerit culpa ab interiori. Neque enim dicit, Non erit in te malum, aut flagellum in tabernaculo tuo; ſed, *Non accedet, non appropinquabit.*

Peccatum magis cavendum, quam peccati ſupplicium.

Peccatum regnans & manens, quid.

5. Siquidem eſt conſiderare homines, in quibus peccatum non modo habitat, ſed & regnat: nec jam proximum magis, aut magis intimum poſſe eſſe videtur, niſi forte cum ſic dominabitur eis, ut nullo modo deinceps valeat non dominari. Eſt autem & alios invenire, in quibus quidem adhuc manet peccatum, ſed jam non dominatur aut prævalet in eis, evulſum quodammodo, necdum tamen expulſum; dejectum, ſed non prorſus ejectum. Conſtat ſane ab initio non fuiſſe ſic: ſed in parentibus primis ante primam illam mandati prævaricationem non modo non regnaſſe peccatum, ſed nec fuiſſe quidem. Attamen quodam modo jam tunc prope illos fuiſſe videtur, quod tam facile perſuaſum eſt, quod tam feſtinanter intravit. Quid vero aliud admonebat, quàm & ipſam quoque peccati pœnam, etſi necdum ineſſe corporibus, jam

A tamen velut pro foribus eſſe, qui dixit: *In quacunque die comederitis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte moriemini?* Felix proinde exſpectatio, & beata ſpes noſtra, quorum tam longe glorioſior futura eſt reſurrectio, quam fuerit prima conditio: ut nec culpa omnino, nec pœna; nec malum ſcilicet nec flagellum, aut regnet, aut habitet; aut regnare, aut habitare jam poſſit aliquando in animabus, ſeu in corporibus noſtris. *Non accedet*, inquit, *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nempe nil tam remotum, quàm quod adeſſe ultra non poteſt.

Gen. 2. 17.

6. Sed quid agimus, Fratres? Vereor deprehendi. Nempe horam hanc magnus ille & communis Abbas B noſter & veſter non vacationi ſermonum, ſed operi manuum * noſcitur aſſignaſſe. Puto tamen ignoſcet facile, præſertim non immemor religioſæ fraudis illius, qua Romanus olim tribus annis in ſpecu poſito pie miniſtravit. Pie ſiquidem, ut legimus *, Patris ſui oculis furabatur horas, & quem ſibi ſubripere ad manducandum poterat, certis diebus Benedicto panem ferebat. Et ego quidem non dubito, Fratres, pluribus qui inter vos ſunt, abundantiorem ſpiritualium deliciarum ſuppetere copiam: ſed quod vobis communico, non ſubripio mihi. Quinimmo & ſecurius, & ſuavius, quicquid illud ſit quod Dominus donat, ſumo vobiſcum: nec enim alimonia hæc C diſtribuendo minuitur, ſed potius augetur miniſtrando. Verumtamen quod aliquoties * vobis loquimur præter conſuetudinem Ordinis noſtri, non noſtra id agimus præſumptione, ſed de voluntate venerabilium Fratrum & Coabbatum noſtrorum, qui id nobis etiam injungunt, quod tamen ſibi quidem paſſim nolunt omnino licere. Nempe aliam mihi rationem & ſingularem neceſſitatem eſſe noverunt. Neque enim modo loquerer vobis, ſi poſſem laborare vobiſcum. Illud forte vobis efficacius verbum foret, ſed & conſcientiæ meæ magis acceptum. Ceterum quando id mihi peccatis meis exigentibus, & oneroſi hujus (ut ipſi ſcitis) tam multiplici infirmitate corporis, & ipſa quo- D que temporis neceſſitate negatur; utinam dicens & non faciens, in regno Dei vel minimus merear inveniri, amen.

* Reg. S. Ben. cap. 48. — * Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 1. — Humilis confeſſio B. Bernardi. — * al. aliquando. — Nota zelum laboris corporalis in viro ſancto.

SERMO UNDECIMUS.

De verſu undecimo, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

1. SCriptum eſt, & veraciter ſcriptum; quia *Miſericordia Domini, quod conſumpti non ſumus, quod non tradidit nos in manus inimicorum noſtrorum.* Vigilat ſuper nos indefeſſus & pervigil ille ſingularis clementiæ oculus; non dormit, neque dormitat qui cu- E ſtodit Iſraël. Id quidem neceſſe eſt. Non enim dormit, neque dormitat qui impugnat Iſrael. Et ſicut ipſe ſollicitus eſt noſtri, & ipſi cura eſt nobis: ſic ille ſollicitus eſt ut nos mactet & perdat, & una ei cura, ne forte qui averſus eſt revertatur. Nos autem aut non attendimus, aut minus attendimus reverentiam præſidentis, protegentis cuſtodiam, beneficia largientis, ingrati gratiæ, immo tam multiplicibus gratiis, quibus prævenit nos, & ſubvenit nobis. Et nunc quidem per ſeipſum implet ſplendoribus animas noſtras: nunc per Angelos viſitat, nunc per homines inſtruit, nunc etiam conſolatur & erudit per Scripturas. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta* F *ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Bene *ad doctrinam*, ut per patientiam ſperemus. ſiquidem, ut alibi dictum eſt, *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Sed & patientia probationem operatur, probatio vero ſpem. Quid nos ſoli nobis non adſumus, quid ſoli negligimus noſmetipſos? An ideo diſſimulandum nobis, quia undique ſubvenitur nobis? Immo vero propterea ſtudioſius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in cælo pariter & in terra ſollicitudo gereretur, ſi non magna nobis incumbere neceſſitas videretur: non tam multiplex

Threni 3. — Dei providentia ad noſtram cuſtodiam. — Rom. 15. 4. — Prov. 19. 11. — Rom. 5. 4. — Vigilandum ſtudioſius nobis.

nobis cuſtodia, niſi ob multiplices inſidias, poneretur.

2. Felices proinde fratres noſtri, qui jam liberati ſunt de laqueo venantium, qui de tabernaculis militantium ad atria quieſcentium tranſierunt, malorum timore ſublato, in ſpe ſingulariter conſtituti! Uni iſtorum, immo univerſitati dicitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sane

Homo carnalis ſemper in pœna.

conſidera, non ad hominem qui ſecundum carnem vivit, ſed ad eum qui in carne degens ſecundum ſpiritum ambulat, hanc fieri promiſſionem, ſiquidem non eſt diſtinguere inter illum, & tabernaculum ſuum. Confuſa in eo ſunt omnia, tamquam in filio Babylonis. Denique hujuſmodi homo etiam caro eſt, nec in eo ſpiritus manet. Ubi autem non fuerit ſpiritus bonus, quando deerit malum? Porro ubi malum, flagellum quoque appropinquare neceſſe eſt. Semper enim malum pœna comitatur. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Magna promiſſio: ſed unde id ſperare licet? Quomodo malum & flagellum evadam, quomodo effugiam, quomodo elongabo, ut non appropinquent mihi? Quo merito, qua ſapientia, qua virtute? *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* In quibus omnibus viis? Quibus declinas à malo, qui-

Viæ diverſæ.

bus fugis à ventura ira. Multæ ſunt viæ, & genera multa viarum: magnum profecto periculum viatori. C Quam facile in multarum occurſu errabit in via ſua, qui viarum diſcretione caruerit! Nam neque Angelis mandavit, ut in omnibus viis cuſtodiant nos, ſed in

* al. & in quibus.

omnibus viis noſtris. Sunt autem à quibus, non * in quibus oporteat cuſtodiri.

3. Scrutemur proinde vias noſtras, Fratres; etiam vias dæmonum, vias quoque beatorum ſpirituum, & vias Domini inveſtigemus. Et quidem ſupra me eſt quod incipio: ſed adjuvabitis orationibus veſtris, ut aperiat mihi theſaurum intelligentiæ ſuæ, & volun-

1. Viæ hominum, neceſſitas & cupiditas.

taria oris mei beneplacita faciat ſibi Deus. Viæ igitur filiorum Adam in neceſſitate & cupiditate verſantur. D Ab utraque ſiquidem ducimur, & ab utraque trahimur: niſi quod videmur magis urgeri neceſſitate, trahi cupiditate. Et neceſſitas quidem ſpecialiter corpori tribuenda videtur. Nec ſimplex illa eſt, ſed anfractus habens plurimos, plurimaque diſpendia. nam compendia pauca admodum, ſi qua tamen. Quis hominum neſciat, quod neceſſitas hominum revera quam multiplex ſit? Quis ſufficiat, quam ſit multiplex, explicare? Ipſa nos erudit experientia, ipſa vexatio dat intellectum. In his quiſque docetur, quàm neceſſe ha-

Pſal. 24. 17.

beat clamare ad Dominum, non De neceſſitate, ſed *De neceſſitatibus meis erue me.* Nec modo ab hac via neceſſitatis, ſed ab ea quoque, quæ cupiditatis eſt, optabit educi, quiſquis non ſurda aure monita Sapientis E

Eccli. 18. 30.

exceperit. Quid enim ille ait? *A voluntatibus tuis avertere.* & item: *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Siqui-

Neceſſitas tolerabilior

dem e duobus malis longe melius eſt in neceſſitate gradi, quàm in cupiditate. Multiplex illa: ſed iſta amplius per omnem modum, immo ultra omnem modum multiplicior invenitur. Res cordis iſta cupiditas: propterea tanto major, quanto anima plus eſt quàm corpus. Denique hæ ſunt viæ quæ videntur hominibus bonæ: ſed finem non habent, niſi cum demergunt in profundum inferni. Si inveniſti vias hominum, illud quoque conſidera, ne forte de his dic-

Pſal. 13. 3.

tum ſit: *Contritio & infelicitas in viis eorum*; ut ſit F contritio in neceſſitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas, id eſt non felicitas,

Felicitas malorum, infelicitas.

ut putatur? Quid enim ſi cui forte videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere concupita? Eo ipſo infelicior eſt, quo vehementius ipſam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & abſorbetur ab ea. Væ filiis hominum ab hac felicitate falſa atque fallaci! Væ qui dicit, Quia dives

Neceſſitas & cupiditas unde.

ſum, & nullius egeo; cum ſit pauper & nudus, & miſer, & miſerabilis. Et neceſſitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia & oblivione

A procedit. Idcirco enim alienum mendicat anima, quod oblita ſit comedere panem ſuum: propterea terrenis inhiat, quod minime cæleſtia meditetur.

Tom. III.

2. Viæ dæmonum, præſumptio & obſtinatio.

4. Videamus & dæmonum vias, videamus & caveamus, videamus & fugiamus eas: ſiquidem viæ illorum, præſumptio, & obſtinatio. Scire vultis unde id ſciam? Conſiderate eorum principem: qualis ille eſt, tales & domeſtici ejus. Conſiderate viarum ipſius principia, ſi non manifeſte in immaniſſimam ſtatim præſumptionem proſilierit, dicens: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo.* Iſa. 14. 13.
Quàm temeraria, quamque horrenda præſumptio! Numquid non illic ceciderunt omnes qui operantur B iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare? Propter præſumptionem ſtare non potuerunt: propter obſtinationem qui cecidit, non adjiciet ut reſurgat. Ex hac nempe * ſpiritus vadens, ex illa & non rediens eſt. * al. utramque.
Et mira quidem præſumptio dæmonum, ſed non minus mira obſtinatio eſt, quod ſuperbia eorum ſemper aſcendit: propterea non eſt illis commutatio. Quia enim converti noluerunt a via præſumptionis, inciderunt in viam obſtinationis. Quàm perverſo & everſo ſunt corde filii hominum, quicumque ſectantur veſtigia dæmonum, ingrediuntur dæmonum vias! Hæc enim tota adverſum nos ſpiritualium colluctatio nequitiarum eſt, ut nos ſeducant, ut nos in- C ducant in vias ſuas, ut deducant in eis, perducant ad deſtinatum finem, qui paratus eſt eis. Fuge homo præſumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maxime vitiis gaudet, in ſeipſo expertus, quàm difficile poſſis ab hac tanta voragine reſpirare.

Gradus quadruplex in præſumptionem & perditionem. V. lib. 1. de Conſid. n. 2.

5. Nolo autem ignorare vos, Fratres, quonam modo deſcendatur, immo cadatur in illas. Primus enim, ut interim occurrit, gradus deſcenſionis hujus, diſſimulatio eſt propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis; dum ſibi parcens, ſibi blandiens, ſibi perſuadens homo aliquid ſe eſſe, cum nihil ſit, jam ipſe ſe ſeducit. Secundus gradus, ignorantia ſui. Ubi D enim in primo gradu inutilia ſibi conſuerit perizomata foliorum, quid supereſt niſi ut vulnera tecta non videat, præſertim cum ad hoc ſolum texerit ne videret? Ex hoc tandem fit, ut etiam alio revelante, vulnera non eſſe contendat, converſus in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Atque is quidem tertius gradus eſt admodum jam vicinus, immo contiguus præſumptioni. Quid enim mali jam actitare vereatur, qui præſumit & defenſare? Ceterum difficile hic hærebit in tenebris & lubrico, præſertim cum non deſit etiam angelus Domini malus perſequens & impellens. Itaque quartus gradus, vel quartum potius præcipitium, contemptus eſt; ut, E quemadmodum Scriptura dicit, *Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Prov. 18. 3.
Ex hoc & deinceps magis ac magis ſuper eum urget puteus os ſuum, dum videlicet ejuſmodi animam contemptus tradit impœnitentiæ, impœnitentia obſtinatione firmatur. Hoc eſt jam peccatum, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittitur: quia cor durum & induratum nec timet Deum, nec hominem reveretur. Qui ſic in omnibus viis ſuis adhæret diabolo, manifeſte factus eſt unus ſpiritus cum eo. Et viæ quidem hominum, quas ſuperius demonſtravimus, ipſæ ſunt de quibus dicitur: *Tentatio vos non apprehendat niſi* 1. Cor. 10. 13.
F *humana*: & quia humanum eſt peccare. Porro vias diabolicas à natura hominis alienas eſſe quis neſciat? niſi quod in nonnullis ipſa ſibi conſuetudo induiſſe naturam videatur. Ceterum etſi quorumdam hominum ſit, non humanum tamen, ſed diabolicum eſt in malo perſeverare.

3. Viæ Angelorum, aſcenſio & deſcenſio. Johan. 1. 51.

6. Quæ vero ſunt ſanctorum Angelorum viæ? Profecto illæ, quas Unigenitus enarravit, dicens: *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Aſcenſio igitur & deſcenſio viæ illorum: aſcenſio propter ſe; deſcenſio vel potius condeſcenſio propter nos. Sic beati illi ſpiritus aſcendunt per con-

[Tom. III.] templationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Aſcendunt ad vultum ejus, deſcendunt ad nutum ejus; quoniam Angelis ſuis mandavit de te. Nec tamen vel deſcendendo viſione gloriæ fraudantur, quia ſemper vident faciem Patris.

[Viæ Domini, miſericordia & veritas. Pſal. 24. 9. & Mich. 4. 2. Pſal. 24. 10.] 7. Puto & vias Domini vultis audire. Multum præſumere videor, ſi me illas promiſero oſtenſurum. Legitur autem de ipſo: *Quoniam docebit nos vias ſuas.* Cui enim alteri crederetur? Docuit itaque vias ſuas, cum aperuit labia Prophetæ, ut diceret: *Univerſa viæ Domini, miſericordia & veritas.* Ita ad ſingulos, ita ad omnes communiter venit; in miſericordia ſcilicèt & veritate. Ubi enim multa jam fuerit de miſeratione præſumptio, ſed oblivio veritatis; non continuo ibi Deus. [Utraque copulanda.] Sed neque ubi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria miſericordiæ conſolatio. Nam neque veritatem tenet, qui miſericordiam, ubi vere eſt, non agnoſcit: nec vera eſſe ſine veritate miſericordia poteſt. Itaque ubi miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, ſeſe etiam juſtitia & pax oſculantur; nec is abeſſe poteſt, cujus in pace factus eſt locus. Quanta audivimus & cognovimus (ſiquidem patres noſtri annuntiaverunt nobis) ſuper hac copula tam felici miſericordiæ & veritatis! [Pſal. 39. 12.] *Miſericordia tua & veritas tua ſuſceperunt me*, ait Propheta. & alio loco: [Pſal. 25. 3.] *Miſericordia*, inquit, *tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua.* Sed & Dominus ipſe de eo: [Pſal. 88. 25.] *Veritas mea & miſericordia mea cum ipſo.*

8. Sed conſidera etiam manifeſtos adventus Domini, quemadmodum ſcilicet in eo, qui jam præſumptus eſt, miſericordem teneas Salvatorem; porro in eo qui in fine promiſſus eſt, veracem ſuſtineas retributorem. [Pſal. 83. 12.] Nam & hinc forte videbitur dictum, *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* [Judicium futurum non erit ſine miſericordia.] Quamvis & in priore quoque adventu recordatus ſit miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël: & in poſteriori, licet judicaturus ſit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua; non tamen futurum judicium fiet ſine miſericordia, niſi forte ei qui non fecerit miſericordiam. Hæc ſunt etenim æternitatis itinera, de quibus apud Prophetam ſic habes: [Abac. 3. 6.] *Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Ad manum eſt unde id facillime probare poſſim. [Pſal. 102. 17. Pſal. 116. 2.] ſiquidem *Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum.* & *Veritas Domini manet in æternum.* Ab his itineribus incurvati ſunt colles mundi, ſuperbi dæmones, principes mundi hujus, tenebrarum harum: qui viam veritatis & miſericordiæ neſcierunt, neque meminerunt ſemitarum ejus. Quid illi & veritati, qui mendax eſt & pater ejus? Denique habes manifeſte de eo ſcriptum: [Johan. 8. 44.] *Quoniam in veritate non ſtetit.* Quàm vero longe fuerit a miſericordia, etiam inflicta nobis ab illo miſeria noſtra teſtatur. Quando ille umquam miſericors fuit, qui homicida ab initio erat? [Ibidem.] Poſtremo qui ſibi nequam, cui bonus? Quàm nequiſſimus ille ſibi, qui numquam ſuper propria iniquitate dolet, numquam ſuper propria damnatione compungitur! [Obſtinatio diabolo viam miſericordiæ intercluſit.] Nimirum falſa præſumptio à via veritatis extruſit, crudelis obſtinatio viam miſericordiæ intercluſit. Inde enim nec in ſe umquam aſſequi, nec à Domino miſericordiam conſequi poteſt. In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati ſunt ab itineribus æternitatis, dum à viis Domini (quæ quidem rectæ ſunt) per anfractus ſuos & diſtorta non tam itinera, quàm præcipitia corruerunt. Quàm vero prudentius atque utilius alii quidem colles ab his itineribus incurvati & humiliati ſunt ad ſalutem! Non enim incurvati ab his, tamquam ab eorum rectitudine diſſidentes: ſed quod ipſa eos incurvaverunt itinera æternitatis. Annon incurvatos jam cernere eſt colles mundi, dum ſublimes quique & potentes devota ſubjectione inclinantur ad Dominum, & ejus veſtigia adorant? Numquid non incurvantur, cum ab ipſa ſua pernicioſa celſitudine vanitatis & crudelitatis, ad humiles ſemitas convertuntur miſericordiæ & veritatis?

[Viæ Dei homo incedit per compunctionem.] 9. Ad iſtas nimirum Domini vias non modo bonorum ſpirituum, ſed etiam electorum viæ hominum diriguntur. Et primus quidem gradus miſero homini emergenti de profundo vitiorum, illa eſt miſericordia, qua miſeretur filio matris ſuæ, miſeretur animæ ſuæ, proinde placens Deo. Imitatur enim qui hujuſmodi eſt, magnum illud divinæ miſerationis opus; compunctus cum eo, qui prior pro eo punctus eſt, moriens & ipſe quodammodo pro ſalute ſua, nec parcens ſibi ipſi. Hæc miſeratio prima excipit redeuntem ad cor, & hæc intra ipſa viſcerum actitatur arcana. Supereſt ut via regia progrediatur, & procedat uſque ad veritatem: &, quod ſæpiſſime commendamus vobis, cordis contritionem oris confeſſio comitetur. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. [Et Confeſſionem. Matt. 18. 3.] Converſus ad cor parvulus fiat in oculis ſuis neceſſe eſt, ſicut Veritas ait: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Non ergo velit diſſimulare, quod non valet neſcire, quàm ad nihilum redactus ſit. Non confundatur in lucem prodere veritatis, quod non ſine miſerationis affectu viderit in occulto. Sic ingreditur homo miſericordiæ vias & veritatis, vias utique Domini, vias vitæ; & fructus viarum, ſalus eſt viatoris.

[Viæ Angelorum quomodo tendant ad vias Domini immediate.] 10. Vias quoque Angelorum ad eaſdem nihilo minus tendere manifeſtum eſt. Cum enim aſcendunt ad contemplationem, inquirunt veritatem, de qua & deſiderando ſatiantur, & ſatiando deſiderant. Cum vero deſcendunt, faciunt nobiſcum miſericordiam, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris. Adminiſtratorii enim ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter nos. [Hebr. 1. 14.] Plane miniſtri noſtri, non domini noſtri. Et in hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: [Matt. 20. 28.] qui ſtetit inter Diſcipulos tamquam qui miniſtrat. Fructus angelicarum viarum, quod ad ipſos ſpectat, ſua ipſorum beatitudo, & obedientia eſt caritatis: quod autem ad nos pertinet, inde quidem obtentus divinæ gratiæ, hinc vero cuſtodia viæ noſtræ. ſiquidem Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus deſideriis tuis. [Viæ dæmonum quomodo incurrantur.] Alioquin facile eſt tibi incurrere vias mortis, ut videlicet aut de neceſſitate in obſtinationem, aut in præſumptionem de cupiditate prorumpas: quæ quidem jam non hominum, ſed dæmonum viæ ſunt. In quo enim tam facile inveniri ſolent homines obſtinati, quàm in eo, quod ad neceſſitatem pertinere aut ſimulant, aut arbitrantur? Quicquid moneas, ait ille *, ego quod poſſum, poſſum, & non ultra poſſum. Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. [* Terentius.] Unde vero in præſumptionem, niſi ex quodam impetu vehementioris deſiderii proſilimus?

[Angelorum aſcenſus & deſcenſus quomodo imitandus.] 11. Interim ergo mandavit Angelis ſuis Deus, non quidem ut amoveant te à viis tuis, ſed in eis ipſis te cuſtodiant, & quaſi per vias ſuas, vias tuas dirigant in vias ipſius. Quonam modo, inquis? Nempe ut quod Angelus ex ſola caritate purius agit, tu propria ſaltem neceſſitate compulſus & admonitus, deſcendas & condeſcendas, exhibere ſcilicet proximo miſericordiam: & rurſum cum eodem Angelo levans deſideria tua, tota animi cupiditate aſcendere ſtudeas ad ſummam & perpetuam veritatem. [Thren. 3. 41.] Hinc enim monemur levare corda noſtra cum manibus; hinc audimus quotidie, *Surſum corda.* Hinc quoque negligentes arguimur, & dicitur nobis: [Pſal. 4. 3.] *Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* EXONERATUM enim cor & leve levatur magis, ut quærat & diligat veritatem. Nec mireris quod in vias Domini ſecum nos admittere, immo & immittere non dedignentur, qui cuſtodire dignantur in noſtris. Quàm felicius tamen in eis ipſi ambulant, quamque ſecurius. Ceterum & ipſi quoque, quamquam longe inferius ab eo qui Veritas ipſa, & ipſa Miſericordia eſt, in miſericordia & veritate verſantur.

[Dei providentia in diſpoſitione rerum.] 12. Quàm vero congrue ſuis quæque gradibus, ſibique competentibus diſpoſuit Deus! Summam rerum

tenet

tenet ipſe qui ſummus eſt, ipſe ſupra quem nihil eſt, ultra quem nihil. Porro Angelos ſuos non in ſummo quidem poſuit, ſed in tuto: quippe ei qui in ſummo ſtat, vicinius adhærentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in ſummo, nec in tuto ſunt, ſed in cauto. Denique & in ſolido ſunt, id eſt in terra, habentes locum imum, ſed non infimum, unde & poſſibile & neceſſe ſit, ut ſibi caveant. Dæmones autem in pendulo hujus aëris vagi * ventoſique vagantur. Indigni ſiquidem cælos conſcendere, ad terram tamen deſcendere dedignantur. Et hodie quidem iſta ſufficiant. Atque utinam ejuſdem ipſius munere ſufficientes ei gratias referre valeamus, ex quo & ſufficientia noſtra eſt. Non enim ſufficientes ſumus, vel cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, niſi ipſe dederit nobis qui dat omnibus affluenter, & eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, amen.

* al. vani.

2. Cor. 3. 5.

SERMO DUODECIMUS,

De verſu undecimo, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, &c.* & de verſo duodecimo, *In manibus portabunt te; &c.*

1. SI meminiſtis, heſterno ſermone vias dæmonum præſumptionem diximus & obſtinationem, nec tacuimus quare id diceremus. Poſſumus tamen, ſi neceſſarium judicatis, vias eorum via adhuc alia inveſtigare. Nam etſi omnimodis eas occultare laborent, multipliciter eos prodit Spiritus-ſanctus, multipliciter in Scripturis ſanctis declarat ſemitas iniquorum. Legimus ſiquidem de eis omnibus, quoniam *in circuitu impii ambulant.* Legimus de eorum principe, quoniam *circuit quærens quem devoret.* Quod & ipſe fateri cogitur in præſentia majeſtatis, cum inter filios Dei adſtans, & unde veniat requiſitus: *Circuivi*, ait, *terram, & perambulavi eam.* Dicamus itaque vias ejus, circuitionem & circumventionem: iſta enim ad nos, illa utitur in ſeipſo. Semper ille extollitur, ſed dejicitur ſemper: ſuperbia ejus aſcendit ſemper, ſemper humiliatur. Numquid non circuitus iſte? Qui enim in circuitu ambulat, proficiſcitur quidem, ſed proficit nihil. Væ homini qui ſequitur hunc circuitum, qui numquam à propria voluntate recedit. Si conaris avellere, paululum ſequi videbitur, ſed in dolo. Circuitus eſt, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur. Satagit undique, undique fugitat, hæret tamen ſemper propriæ voluntati.

Pſal. 11. 9.
1. Pet. 5. 8.
Viæ dæmonum aliæ. Circuitio, & circumventio.
Job 1. & 2. 7.

2. Verumtamen ſi mala eſt circuitio propria, longe quidem pejor circumventio aliena. Ea ſiquidem vel maxime diabolum facit. Sed quomodo, Fratres, ut miſerum hominem circumveniat, ſuperbiſſimus ille deſcendit? Vide circuitum impii etiam in hoc ipſo. Oculi ejus omne ſublime vident: attamen ima quoque ipſa curioſe veſtigat, ſed ut magis aſcendat, ut vehementius intumeſcat, & dum conculcaverit humilem, ſibi videatur eſſe ſublimior, ſicut ſcriptum eſt: *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper.* Quàm perverſe aſcendentes & deſcendentes Angelos bonos angelus malus æmulatur! Aſcendit ſtudio vanitatis, deſcendit livore malignitatis. Cujus mendax aſcenſio, ejus crudelis deſcenſio eſt: expers ille (ut heri diximus) miſericordiæ & veritatis. Ceterum ſi deſcendunt maligni ut circumveniant, gratias ei cujus mandato deſcendunt & benigni Angeli, ut ſubveniant nobis, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris. Neque hoc ſolum, ſed, *In manibus*, inquit, *portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.*

Pſal. 9. 2.
Aſcenſio & deſcenſio dæmonum

3. Quanta nobis, Fratres, in hujus Scripturæ verbis & eruditio, & admonitio, & conſolatio exhibetur! Quis in omnibus pſalmis tam magnifice puſillanimes conſolatur, negligentes admonet, erudit ignorantes? Unde id quoque fidelibus ſuis providentia voluit divina præſtare, ut in ore ipſorum verſiculi pſalmi hujus hoc maxime quadrageſimali tempore verſarentur. Nec aliunde quàm ex ipſius uſurpatione diaboli ſumpta videtur occaſio, ut in hoc quoque nequiſſimus ille ſervus filiis ſerviat vel invitus. Quid enim tam moleſtum ei, quid nobis eſſe poterat tam jucundum, quam ut etiam malum ejus nobis cooperaretur in bonum? *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Confiteantur & dicant inter gentes, quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine, quid eſt homo quia innotuiſti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo ſollicitudinem, curam illius habens. Denique ei mittis Unigenitum tuum, immittis Spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cæleſtibus vacet ab opera ſollicitudinis noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, cuſtodiæ noſtræ deputas, noſtros jubes fieri pædagogos. Parum eſt enim quod facis Angelos tuos ſpiritus: facis & Angelos parvulorum. Denique Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Illos utique ſpiritus tam felices, & tuos ad nos, & noſtros ad te angelos facis.

Verſiculi hujus commendatio.

Dei bonitas in cuſtodia Angelorum.

Matt. 18. 10.

4. *Angelis ſuis mandavit de te.* Mira dignatio, & vere magna dilectio caritatis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Studioſe conſideremus, Fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus ſunt Angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt voluntati? Nempe *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis:* nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majeſtas mandavit Angelis, & Angelis ſuis mandavit. Illis utique ſublimibus, tam beatis, tam proximis, ſibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & vere domeſticis Dei. Mandavit autem de te. Tu quis es? Domine, quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quaſi vero non ſit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed quid putas mandavit de te? Numquid ſcripſit contra te amaritudines? Numquid ut contra folium quod vento rapitur, oſtendant potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſequantur? Numquid ut tollant impium, ne videat gloriam Dei? Mandandum iſtud eſt, non mandatum. Non recedas ab adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorare, ne de te illud quandoque mandetur. Quem enim protexerit Deus cæli, non de eo illud mandabitur, ſed pro eo. Et quod interim non mandatur, pro eo differtur, ut ſint omnia propter electos. Denique parantibus ire ſervis, & continuo ſuperſeminata colligere zizania cupientibus, providus Paterfamilias, *Sinite*, inquit, *uſque ad meſſem, ne forte eradicetis ſimul & triticum.* Quomodo igitur tamdiu conſervabitur interea? Hoc plane, hoc opus præſens, hoc mandatum temporis hujus.

Beneficium hoc pie & eleganter expenditur.

Angelorum officium erga homines quod.

Matt. 13. 30.

5. Itaque *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te.* O triticum inter zizania! ô granum inter paleas! ô lilium inter ſpinas! Gratias ei, Fratres, gratias ei & pro nobis pariter & pro vobis. PRETIOSUM depoſitum nobis commiſerat, fructum crucis ſuæ, pretium ſanguinis ſui. Non eſt contentus cuſtodia hac tam parum tuta, tam parum utili, tam fragili, tam inſufficienti. Super muros tuos, Jeruſalem, conſtituit cuſtodes. Nempe etiam ipſi qui videntur muri, aut in muro ipſo columnæ, his cuſtodibus egent, & maxime.

6. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Caute ambula, ut videlicet cui adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præſente, quod vidente me non auderes? An præſentem eſſe dubitas quem non vides? Quid ſi audires? quid ſi tangeres? quid ſi olfaceres? Vide quia non ſolo viſu rerum præſentia comprobatur. Non omnia

Quid ab hominibus exigat.

Tom. III.

viſui ſubjacent, nec corporalia quidem: quanto magis ſpiritualia procul ſunt ab omni ſenſu corporeo, & ſpiritualiter potius veſtiganda? Si fidem conſulas, ea tibi angelicam probat præſentiam non deeſſe. Nec dixiſſe piget, quoniam fides probat; quam nimirum Apoſtolus argumentum non apparentium eſſe diffinit. Adſunt igitur, & adſunt tibi, non modo tecum, ſed etiam pro te. Adſunt ut protegant, adſunt ut proſint. Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? ſiquidem ſoli ei honor & gloria. Quare ei ſoli? quia ipſe mandavit; & omne datum optimum non niſi ab illo eſt.

Hebr. 11. 1. *Jacob. 1. 17.*

Gratitudo noſtra in Angelos.

7. Verumtamen etſi ille mandavit, ipſis quoque, qui & ei ex tanta caritate obediunt, & nobis ſubveniunt in tanta neceſſitate, ingratos eſſe non licet. Simus ergo devoti, ſimus grati tantis cuſtodibus: redamemus eos, honoremus eos quantum poſſumus, quantum debemus. Totus tamen ei reddatur & amor, & honor noſter, à quo tam ipſis quàm nobis eſt totum, unde honorare poſſumus vel amare, unde amari honorarive meremur. Neque enim Apoſtolus ubi ait, *Soli Deo honor & gloria*, prophetico credendus eſt obviare ſermoni, qui ſibi etiam amicos Dei nimis honorificatos eſſe teſtatur. Puto autem ſimile eſſe illud verbum Apoſtoli ei quod item ait: *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis.* Siquidem hoc non voluit, ut alia quælibet debita negarentur, præſertim cum idem ipſe dicat: *Cui honorem, honorem*, & cetera in hunc modum. Ut ergo plenius intelligas, quid in utroque ſenſerit, quidve monuerit; vide quemadmodum inter radios ſolis minora quælibet luminaria non videntur. Numquid amota modo ſidera arbitramur? numquid extincta? Minime quidem, ſed ampliori claritate quodammodo tecta, interim apparere non poſſe. Sic ergo dilectio alia quævis debita ſuperans, quaſi ſola regnare debet in nobis: ut quicquid debetur ceteris, ſibi vindicet, & ex dilectione omnia faciamus. Sic divinus prævalere debet honor, & quodammodo præjudicare univerſis, ut ſolus ipſe non modo præ omnibus, ſed in omnibus honoretur. Idipſum ſane putes dictum etiam de amore. Quid enim extra ipſum relinquit ceteris, qui totum cor, totam animam, totam virtutem Domino Deo ſuo in dilectione donavit? In ipſo itaque, Fratres, affectuoſe diligamus Angelos ejus, tamquam futuros aliquando coheredes noſtros, interim vero actores & tutores à Patre poſitos, & præpoſitos nobis. Nunc enim filii Dei ſumus, etſi nondum appareat quid erimus, eo quod adhuc parvuli ſub tutoribus & actoribus ſimus, tamquam nihil interim differentes à ſervis.

1. Tim. 1. 17. *Pſal. 138. 17.* *Rom. 13. 8.* *Ibidem 7.*

Honor ſoli Deo debitus non excludit honorem ſanctorum.

Idem de amore tenendum.

Fiducia noſtra inde quanta.

8. Ceterum etſi tam parvuli ſumus, & tam magna nobis, nec modo tam magna, ſed & tam periculoſa via reſtat: quid tamen ſub tantis cuſtodibus timeamus? Nec ſuperari, nec ſeduci, minus autem ſeducere poſſunt, qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris. Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt: quid trepidamus? Tantum ſequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. Vide enim quàm tibi neceſſaria ſit iſta protectio, iſta cuſtodia in omnibus viis tuis. *In manibus*, inquit, *portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Parum tibi videtur, quod ſit lapis offenſionis in via? Conſidera quæ ſequuntur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quàm neceſſarius pædagogus, immo etiam bajulus, præſertim parvulo inter hæc gradienti! *In manibus*, inquit, *portabunt te.* In tuis quidem viis cuſtodient te, & deducent parvulum, qua poteſt parvulus ambulare. Ceterum non te patientur tentari ſupra quàm ſuſtinere potes, ſed in manibus tollent, ut pertranſeas offendiculum. Quàm facile tranſit, qui illis portatur in manibus! quàm ſuaviter (juxta vulgare proverbium) natat, cujus alter ſuſtinet mentum!

Angelorum protectio, quam nobis neceſſaria.

9. Quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentaA tio, & tribulatio vehemens imminere, invoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine, ſalva nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etſi ad tempus quandoque diſſimulet, ne forte periculoſius ab illius te manibus ipſe præcipites, ſi te eis ignoraveris ſuſtentari. Spirituales enim ſunt manus illæ, & auxilia utique ſpiritualia, quæ ſingulis electorum pro cujuſque diſcriminis modo & objectæ difficultatis, tamquam lapideæ molis quantitate, ab his qui ſibi deputati ſunt Angelis ſpiritualiter & multipliciter exhibentur. Dicam ego tamen aliqua ex his quæ communia magis arbitror, & paucis qui inter vos ſunt B inexperta. Turbatur aliquis vehementer, ſeu corporali quovis incommodo, ſeu tribulatione aliqua ſæculari, ſeu acedia ſpiritus & quadam animi defectione langueſcens? Jam tentari incipit ſupra quàm valeat ſuſtinere, jam impinget, & offendet in lapidem, ſi non fuerit qui ſubveniat. Quis vero eſt lapis ille? Ego illum intelligo lapidem offenſionis, & petram ſcandali, in quam ſi offenderit quis, collidetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum; lapidem utique angularem, electum, pretioſum, qui eſt Dominus Chriſtus. In hunc lapidem offendere, eſt murmurare adverſus eum, ſcandalizari à puſillanimitate ſpiritus C & tempeſtate. Itaque opus illi eſt angelica ope, angelica conſolatione, angelicis manibus, qui jam defecit, jam propemodum offendit in lapidem. Et vere offendit in lapidem qui murmurat & blaſphemat, ſeipſum collidens, non eum in quem furibundus impingit.

In tentationibus & tribulationibus invocandi.

Iſa. 8. 14.

Murmurantes in Chriſtum offendunt.

10. Arbitror ſane velut duabus quibuſdam manibus ejuſmodi homines interdum ab Angelis ſupportari, ut quodammodo non ſentientes tranſeant quod tantopere formidabant, nec parum mirentur poſtmodum tam ſuper poſteriori facilitate, quàm ſuper difficultate priori. Vultis ſcire quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonſtrationem, dum videlicet hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis oſtenditur, aut magis pingitur vel imprimitur D cordi, ut intimo affectu ſentiamus, quoniam momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis vero iſtas tam bonas per bonos non credat fieri, cum certum ſit, quod è contrario malæ utique fiant immiſſiones per angelos malos? Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequentate eos ſedula cogitatione & devota oratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiam & conſolationem.

Angelorum conſolandi manus duæ.

SERMO DECIMUS-TERTIUS.

De verſu duodecimo, *In manibus portabunt te, &c.*

E 1. Poſſumus hunc verſum, qui in manibus eſt, videlicet, *In manibus portabunt te, &c.* non modo de præſenti conſolatione dictum accipere, ſed etiam de futura. Nempe cuſtodiunt nos in viis noſtris Angeli ſancti, ſed via finita (quod eſt utique vita finita) in manibus tollunt. Nec enim deſunt nobis teſtes fideles. Proxime lectum eſt vobis de beatiſſimo Patre noſtro, vere per omnia Benedicto, quod dum intentam oculorum aciem in ſplendore coruſcæ lucis habere videretur, vidit Germani [a] animam Capuani epiſcopi in ſphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. Sed quid hujuſmodi teſtimonia requiramus? Ipſa in Evangelio Veritas de mendico & ulceroſo ait, quoniam *portatus* F *eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Neque enim in illa tam nova nobis, tamque incognita regione ambulare ipſi poſſemus, præſertim cum tantus ſit lapis in via. Qui lapis? Qui in lapidibus olim conſueverat adorari, qui lapides obtulit Domino, dicens: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Porro pes tuus, affectio tua; pes animæ, quam in manibus Angeli portant, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Quomodo enim non vehementiſſime turbaretur anima, ſi ſola hinc egredere-

Animæ defunctorum manibus Angelorum deportantur in cælum.

Luc. 16. 22. *Matth. 4. 3.*

[a] Hinc patet, ſermonem hunc habitum fuiſſe proxime poſt feſtum S. Benedicti, de quo id legitur apud Gregorium M. in lib. 2. Dialogorum cap. 35.

tur, ſi illas ſine conſolatione ingrederetur vias, ſi inter illos lapides ſuis pedibus graderetur?

2. Enimvero manifeſtius audi, quàm neceſſe habeas portari in manibus alienis, nec aliis quam angelicis tamen. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quid inter hæc faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam horribilia* monſtra conſtaret? Nempe nequitiæ ſpirituales ſunt, & quidem non incongruis appellationibus deſignatæ. Siquidem & de his dictum, quod nequaquam vobis excidiſſe reor: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.* Quis vero ſcire poteſt, an diviſæ ſint inter eos operationes malitiæ, miniſteria iniquitatis: ut ex diverſis officiis, vel* potius maleficiis, vocabula quoque diverſa ſortiti, nominentur alius quidem aſpis, alius vero baſiliſcus, alius autem leo, & alius draco, quod videlicet ſuo quidem inviſibili modo varie noceant, quaſi alius morſu, alius viſu, alius rugitu vel ictu, alius flatu? Legi etiam de quodam genere dæmoniorum, quod non ejiciatur niſi in oratione & jejunio: nihil potuerat namque verbum apoſtolicæ increpationis ad illud. Quomodo non illud aſpis erat: illa utique de pſalmo aſpis ſurda, & obturans aures ſuas, ne vocem audiat incantantis? Vis non terreri à tam terrifico monſtro? Vis ſecurus poſt mortem ambulare ſuper aſpidem iſtam? Cave ne interim poſt eam ambules, cave ne imiteris, & non erit quod paveas in futuro.

* al. terribilia.

Dæmonum ex diverſis maleficiis diverſa nomina

* al. quaſi

Matth. 17. 20.

Pſal. 57. 5.

3. Enimvero vitium eſt, cui reor ejuſmodi ſpiritum dominari; & ſi vultis ſcire, ipſa eſt circuitio, à qua vobis heſterno ſermone monuimus eſſe cavendum; ipſa obſtinatio eſt, adverſus quam pridie loquebamur. Nec enim piget, quoties datur occaſio, ab hac tam gravi peſte præmunire vos, ut eam omnimodis fugiatis: quod hæc quidem ſit SUMMA QUÆDAM RELIGIONIS SUBVERSIO, & vere, juxta teſtimonium Legiſlatoris, *venenum aſpidum inſanabile.* Dicitur aſpis hinc alteram aurem, quàm preſſius poteſt, terræ infigere; inde vero alteram caudæ immiſſione nihilo minus obturare, ne audiat. Quid ad hæc incantantis vox, quid ſermo faciat prædicantis? Orabo pro eo, humiliabo in jejunio animam meam, baptizabor pro mortuo uberrimo quodam profluvio lacrymarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet ſapientiam, nihil quantamcumque admonitionis induſtriam prævalere. Noverit tamen vir pertinax, non cælo ſeſe, ſed ſolo infigere caput, quod ſapientia, quæ deſurſum eſt, non modo pudica, ſed & pacifica ſit: hæc autem magis, ut ita dicam, aſpidica, niſi terrena eſſe non poteſt. Sed nec adeo obſurdeſceret, niſi cauda quoque obturaret auditum. Quæ eſt hæc cauda? Finis intentionis humanæ. Hæc ſurditas deſperata, dum hinc quidem velut terræ infixus, propriæ quiſque inhæret voluntati; inde velut reflectens caudam, finem aliquem meditatur, & infigit animo quod deſiderat adipiſci. Nolite obſecro, Fratres, nolite obturare aures, nolite aliquando obdurare corda veſtra. Inde enim tam mordax & amarus ſermo invenitur in ore hominis obſtinati, quod nulla ad eum penetrare queat benevolentia monitoris. Inde aſpidis virus in linguæ aculeo perſeverat, quod adverſus linguam incantatoris tanto ſe ſtudio obturarit.

Vis dæmonum, circuitio & obſtinatio, quantopere cavenda.

Deut. 32. 33.

Obſtinati & pertinaces aſpidi ſimiles.

4. At baſiliſcus, ut aiunt, venenum in oculo gerit, peſſimum animal, & præ omnibus execrabile. Noſſe cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum faſcinantem? Invidiam cogitato. Quid vero invidere, niſi malum videre eſt? Si non eſſet ille baſiliſcus, numquam per ejus invidiam mors intraſſet in orbem terrarum. Væ homini miſero, quod invidum non prævidit. Superemus & vitium hoc, dum adhuc vivimus, ſi poſt mortem volumus miniſtrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum invido aſpiciat oculo. Nempe hoc ipſum jam, quod in ſe eſt, tabe ſua illud inficere, & quodam modo interficere eſt. Qui hominem odit, homicidam illum Veritas ipſa teſtatur. Quid & ille qui bonum odit in homine? numquid non homicida poteris appellari? Adhuc vivit homo, & ille jam reus eſt mortis ejus. Adhuc ardet ignis, quem Dominus Jeſus miſit in terram: & invidus, tamquam qui ſpiritum extinxerit, jam damnatur.

Invidia baſiliſco ſimilis.

1. Joan. 3. 15.

Tom. III.

5. Væ vobis à dracone. Immanis eſt beſtia, flatu igneo quicquid attigerit, necat; non modo beſtias terræ, ſed & volucres cæli. Haud alium ego draconem hunc, quàm ſpiritum iracundiæ reor. Quantos etiam ſublimis (ut videbatur) vitæ, flatu hujus draconis miſere ſatis aduſtos, turpiter in ejus os ingemimus cecidiſſe? Quàm melius ſibi ipſis iraſci potuerant ne peccarent? Nimirum affectio naturalis ira hominum eſt: ſed abutentibus bono naturæ gravis perditio eſt, & miſeranda pernicies. Occupemus illam, Fratres, in quibus expedit, ne forte ad inutilia, illicitaque prorumpat. Sic nimirum ſolet amorem amor expungere, ſolet timor timore depelli. *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, ait Dominus, *animam autem non habent quod faciant.* Et confeſtim, *Oſtendam autem*, ait, *vobis quem timeatis. Timete autem eum qui poteſtatem habet corpus & animam mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Ac ſi manifeſtius dicat: Hunc timete, ne illos timeatis. Repleat vos ſpiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in vobis. Et ego vobis dico, non autem ego, ſed Veritas; non ego, ſed Dominus: NOLITE IRASCI eis qui tranſitoria vobis auferunt, qui convicia inferunt, qui ingerunt forte ſupplicia, & præter* hæc faciunt nihil. Oſtendam autem vobis cui debeatis iraſci. Iraſcimini ei quæ ſola vobis nocere poteſt; ſola facere, ut omnia illa non proſint. Vultis ſcire quænam illa ſit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic iraſcimini. Nulla enim nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Qui perfecte huic iraſcitur, ceteris non movetur, magis & amplectitur ea. *Ego*, inquit, *in flagella paratus ſum.* Sit damnum, ſit convicium, ſit læſio corporalis; paratus ſum, & non ſum turbatus: quoniam dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quidni exteriora omnia parvi pendam in hujus æſtimatione doloris? *Filius*, inquit, *uteri mei perſequitur me: & convicianti ſervulo indignabor?* Cor meum dereliquit me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum: & damna temporalia plangam, aut incommoda corporalia reputabo?

Iracundia draconi.

Ira eſt affectio naturalis, ſed per abuſum perniciosa.

Luc. 12. 4.

Iraſcendum ſolis peccatis.

* al. poſt.

Pſal. 37. 18.

2. Reg. 16. 11.

6. Hinc nimirum non modo manſuetudo oritur, cui draconis flatus non noceat; ſed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat. *Adverſarius veſter tamquam leo rugiens*, ait Petrus. Gratias magno illi Leoni de tribu Juda: rugire iſte poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantum vult: tantum non fugiat ovis Chriſti. Quanta minitatur, quanta exaggerat, quanta intentat! Non ſimus beſtiæ, ut nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curioſius veſtigaverunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem quæ adverſus ictum ejus tota animoſitate repugnat: & plerumque ſuperat ferientem, quæ non ſuſtinet rugientem. Vere beſtia, vere rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, ut ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, ſed tuba proſternitur. *Nondum reſtitiſtis uſque ad ſanguinem*, ait ſtrenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum eſſe rugitum. Et alius quidam: *Reſiſtite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis.*

1. Petr. 5. 8. Diabolus leo pinus timendus.

Hebr. 12. 4.

Jacob. 4. 7.

SERMO DECIMUS-QUARTUS.

De verſu decimo-tertio, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, &c.

1. AGamus, Fratres, gratias factori noſtro, benefactori noſtro, redemptori noſtro, remuneratori noſtro, aut potius ſpei noſtræ. Ipſe enim retributor, ipſe retributio noſtra: nec aliud jam quàm ipſum exſpectamus ab ipſo. Primum quod nobis præſtitit, nos ipſi ſumus. Siquidem ipſe fecit nos, & non

Deo quadrifariam debemus gratiarum actionem.

Tom. III.

ipſi nos. Parumne tibi videtur iſtud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit: nempe etiam ſecundum corpus egregiam creaturam, ſed ſecundum animam magis, utpote imagine creatoris inſignem, rationis participem, capacem beatitudinis ſempiternæ; porro ſecundum ambo ſimul præ ceteris creaturis maxime admirandam, cohærentem ſibi incomprehenſibili artificio, inveſtigabili ſapientia conditoris. Itaque tam magnum hoc donum, quàm magna res homo. Sed quàm gratuitum putas? Planum eſt, quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. An poſtea ſperabatur gratiam retributurus auctori? *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Non igitur neceſſariam retributurus gratiam ei, qui ſic per omnia ſibi ſufficit; ſed devotas relaturus gratias ei, qui ſic meruit, ſperabatur. Quidni gratias agas? Si quis oculorum lumen, ſi quis uſum aurium, ſi quis narium, ſi quis manuum, ſi quis pedum tibi præpeditum aliquando reparaſſe videretur officium, ſi quis ſopitam quavis occaſione excitaſſe in te rationem: quis non alius tibi vehementiſſime ſuccenſeret, ſi quando forte beneficii hujus immemorem te, aut benefactori deprehendiſſet ingratum? Enimvero Dominus Deus tuus, ipſa etiam tibi inſtrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modo fecit, ſed & compegit etiam, & formavit, ac ſuo quodque illuſtravit officio. Quomodo non in his omni jure ſibi gratias exigit ampliores?

1. Ob beneficium creationis.

Pſal. 15. 2.

2. Nam ne hoc quidem, licet maximo, contentus munere, qui dedit ut eſſes qui ante non fueras, adjecit etiam unde ſubſiſteres qui jam eras. Nec minus liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter eſt operatus. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quid vero poſtea? *Et præſit piſcibus maris, & beſtiis terræ, & volatilibus cæli.* Nam & cæleſtia ſeſe elementa in uſus creaſſe tuos, ante docuerat. Nempe facta memorantur, ut eſſent *in ſigna, & tempora, & dies & annos.* Cui putas? Nulli utique niſi tibi. Ceteræ ſiquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Quàm copioſus in ſecundo hoc beneficio, quàm liberaliſſimus fuit! Quanta tibi largitus eſt ad ſuſtentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad conſolationem, quanta ex hoc jam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem! Verum hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico, dupliciter gratis? Sine merito tuo, ſine labore ſuo. Nempe *dixit, & facta ſunt.* An idcirco minus devotus, minus obnoxius, minus gratus es, quod hæc quidem ſicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis eſt occaſiones ingratitudinis veſtigare. Nemo id facit, niſi qui etiam gratis eſt ingratus. Puto enim neutrum tibi propterea minus utile, quod præſtanti minime difficile fuit. Alioquin ſi forte quod ei laborioſum, tibi magis commodum ducis; ex teipſo tibi judicium hoc, nec te alibi illud putem quàm apud te didiciſſe. Sic præſtares libentius ipſe fratri tuo abſque incommodo tuo. Verum etſi gratis præſtare velles, nolles tamen, ut hanc tibi ille prætenderet ingratitudinis cauſam.

2. Ob creationem aliarum rerum propter nos.

Gen. 1. 26.

Pſal. 32. 9.

3. Ceterum ex hoc jam tertium opus tuæ redemptionis attende. Non eſt velamen excuſationis; laboratum prorſus in ea. Gratis hoc quoque præſtitum eſt, ſed gratis quod ad te pertinet. Nam quod ad illum, plane non gratis. Salvus factus es pro nihilo, non de nihilo tamen. Quid adhuc dormitat affectio? Immo vero mortua eſt illa: non dormit quæ huic beneficio non reſpondet, quæ ſe totam non effundit in gratiarum actionem, & vocem laudis. Nam & cetera duo evidentiſſime tertium hoc commendat, ut in eis quoque vera fuiſſe dilectio comprobetur; non propterea de facili præſtans quod nollet aliter, ſed quod non aliter oporteret. Itaque fecit te Deus tuus, fecit tam multa propter te, fecit propter te & ſemetipſum. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Quid adhuc reſtat? Factus eſt ipſe tecum caro una: te quoque ſecum faciet ſpiritum unum. Non recedant hæc quatuor à corde tuo, non ab ore, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita ſemper, in his jugiter delectare. His velut quibuſdam ſtimulis urgens ſollicita animam tuam, his facibus eam inflammare curato ad redamandum eum, qui tam multipliciter ſuum tibi erga te commendat amorem. Memento ſane quod idem ait: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Serva igitur mandata Creatoris tui, ſerva mandata benefactoris tui, redemptoris tui, remuneratoris tui.

3. Ob beneficium redemptionis.

Johan. 1. 14.

4. Ob beneficium remunerationis.

Johan. 14. 15.

4. Sed ſi hæc quatuor, quot ſunt mandata? Omnes novimus decem eſſe. Itaque per quaternarium hunc decalogum legis multiplicans, veram habes quadrageſimam, tenes quadrageſimam ſpiritualem. Tantum ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Cave ſerpentis aſtutiam, obſerva inſidias inimici. Nempe quadruplici tentamento quadrifariam impedire conatur actionem quam exigeris gratiarum. Tentatus eſt in his omnibus Chriſtus, ut veraciter ab Apoſtolo ſcriberetur *: *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Erit forte qui miretur & dicat, quartam ſeſe Domini tentationem non legiſſe. Verum, ut ergo arbitror, non hoc diceret, ſi legiſſe ſe meminiſſet, quoniam *tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Hoc enim qui meminit, non ea tantum triplici tentatione tentatum fuiſſe Dominum arbitratur, quæ facta eſt in jejunio deſerti, in pinnaculo templi, in vertice montis. Sane in his omnibus erat manifeſta tentatio. Verum illa quæ extunc & deinceps uſque ad mortem crucis ei non defuit, etſi occultior, vehementior tamen fuit. Nec hoc quoque à propoſita ſimilitudine videbitur * abhorrere. Nam & tria illa beneficia, quæ jam tranſiere, evidentiſſima & in lucem poſita eſſe noſcuntur. Sane quod ad ſpem vitæ æternæ pertinet, nondum exhibitum, necdum propalatum eſt nobis. Nihil proinde mirum, ſi ſit minus aperta tentatio, ubi etiam cauſa tentationis occulta. Ceterum & diuturnior, & validior ipſa eſt, quod adverſus ſpem noſtram quidquid habet malignitatis, exſerat inimicus.

* al. ſcribitur.

Hebr. 4. 15.

Job 7. 1.

Tentationes Domini quatuor.

* al. videtur.

Tentatio contra ſpem occulta, ſed graviſſima.

5. Itaque primo quidem ut auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura ſollicitudinem, quemadmodum etiam ipſi Chriſto eſurienti auſus eſt dicere: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Quaſi vero figmentum noſtrum ignoret ipſe qui finxit, aut non curet homines qui cæli volucres paſcit. Quàm vero ingratus eſt ei, qui propter hominem univerſum hunc condidit mundum, quiſquis ut ſubſtantiam ejus quam concupiſcit obtineat, procidens non veretur adorare malignum? *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, ſi procidens adoraveris me.* Tune illa feciſti miſer? Quomodo dabis quæ ille creavit? Aut quomodo abs te ſperanda, quomodo tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius poſita ſunt ditione? Jam in hoc quod ait, *Mitte te deorſum*, cave tibi, quicumque es qui templi pinnaculum conſcendiſti; cave tibi ſpeculator domus Domini; cave tibi, qui in Eccleſia Chriſti locum cerneris tenere ſublimem. Quàm ingratus enim, immo quàm injurioſus es illi magno ſacramento pietatis, ſi in illo quæſtum æſtimes pietatem! Quàm infidelis ei es, qui miniſterium hoc ſanguine proprio conſecravit, ſi in eo quæras gloriam tuam, quæ nihil eſt, quæras quæ tua ſunt, non quæ Jeſu-Chriſti! Quàm indigne reſpondes ejus dignationi, qui in diſpenſatione humilitatis ſuæ ſublimem eſſe te fecit, cæleſtia tibi ſacramenta commiſit, cæleſtem, forte & ampliorem quàm ipſis ſpiritibus cæleſtibus, tradidit poteſtatem; ſi deorſum ipſe te mittas, ſapiens non quæ ſurſum, ſed quæ ſuper terram! Sed & omnis qui de virtutum eminentia ad inanis gloriæ ſeſe demittit & dejicit appetitum, haud dubium quin Domino virtutum, qui tanta inter nos toleravit ut nobis formam hujus imprimeret ſanctitatis, pro gratia contumeliam reddat.

Tentatio de rebus vitæ neceſſariis.

Matt. 4. 3.

Prælatus Deo ingratus ...

6. Conſideremus diligentius, Fratres, ne forte prima illa tentatio, quæ corporalis neceſſitatis occaſione animum turbat, aſpidi debeat comparari. Hoc enim animal quodammodo violento * morſu nocet, obtu-

Tentatio corporalis neceſſitatis aſpidi comparatur.

* al. violentum.

rat aurem ne audiat vocem incantantis. Quid vero agere nititur in hac parte tentator, niſi ut adverſus conſolationem fidei aurem cordis obſtruat & obturet? Sed non profecit inimicus in eo, non illius præcluſit auditum, qui ait: [Matt. 4. 4.] *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Nam in eo quod ait, [Ambitio draconis.] *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me;* in malum inſidiantis ſuadibilem ſibilum animadvertite draconis. Ferunt illum in arena latitantem, etiam aves volantes flatu attrahere venenato. Quàm venenatus hic flatus fuit, *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me!* Verum non erat iſta quælibet avis: nihil potuit draconis flatus ad illam.

7. [Vana gloria baſiliſco.] De baſiliſco quid dicemus? Monſtruoſius ceteris ſolo viſu hominem inficere, & interficere perhibetur. [Matt. 6. 1.] Ni fallor, vana gloria eſt. *Videte*, inquit, *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ac ſi dicat: Cavete oculos baſiliſci. Sed cui nocere dicitur baſiliſcus? Ei qui non viderit baſiliſcum. Alioquin ſi prior eum videas, jam non tibi nocet, ut aiunt: magis moritur ipſe. Ita eſt, Fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui ſe ei oſtentant, qui ſe exponunt; & non potius ipſi inſpiciunt, non attendunt, non diſcutiunt illam; non vident denique, quàm ſit frivola, quàm ſit caduca, quàm vana, quam inutilis. [Quomodo extinguenda tentatio vanæ gloriæ.] Si quis enim eum intueatur hoc modo, moritur baſiliſcus: nec jam occidit eum gloria, ſed occiditur magis & occidit ei, quodam modo verſa in pulverem, immo redacta in nihilum. Puto autem, non eſt quærere, quid ad inanem gloriam ea tentatio viſa ſit pertinere, ubi dictum eſt: [Matt. 4. 6.] *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Ut quid enim hoc, niſi ut videretur, ut laudaretur à baſiliſco?

8. Et vide quomodo ſeipſum occultaverit baſiliſcus, quaſi ut non poſſet ante videri. *Scriptum eſt*, inquit, *quoniam Angelis ſuis mandavit de te. & in manibus tollent te.* Quid ſcriptum eſt, maligne, quid ſcriptum eſt? *Angelis ſuis mandavit de te.* Quid mandavit? [Diaboli fraus in tentatione ea ſcripturæ.] Animadvertite & videte, quoniam ſubticuit malignus & fraudulentus, quod malignitatis ſuæ commenta diſſolveret. Quid enim mandavit? Nempe quod in pſalmo ſequitur: *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Numquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Non eſt via hæc, ſed ruina; & ſi via, tua eſt. non illius. Fruſtra in tentationem capitis intorſiſti, quod ſcriptum eſt ad corporis conſolationem. Huic enim neceſſe eſt cuſtodiri, cui timendum, ne offendat ad lapidem pedem ſuum. Non eſt quod cuſtodiatur, cui non eſt quod timeatur. Quid vero taces & illud quod ſequitur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem?* Te enim hæc parabola tangit. Monſtruoſa malignitas monſtruoſis appellationibus conculcanda ſignatur, nec modo ab ipſo capite, ſed etiam à corpore univerſo. Siquidem adverſus Dominum poſt trinam confuſionem hanc, non jam ſerpentina calliditate, ſed crudelitate uſus eſt leonina, uſque ad contumelias, ad flagella, [Perſecutio ultima tentationum.] ad alapas, ad mortem, & mortem crucis. Sed manifeſte etiam leonem te conculcavit Leo de tribu Juda. Sic & adverſum nos, Fratres, ut in ceteris omnibus viderit ſeſe fruſtratum, toto jam furore perſecutionem ſuſcitat, qualis non fuerit ab initio, ut vehementia tribulationis regnum cæleſte ſperantibus intercludat. Felix anima, quæ & ipſum leonem potenti virtute conculcans, violenter illud rapere prævalebit!

9. Ex hoc itaque, dilectiſſimi, tamquam ſuper aſpidem & baſiliſcum cautius & ſollicitius ambulemus. Caveamus omnem radicem amaritudinis, ut nemo noſtrum mordax inveniatur, nemo audax vel ardens, nemo inexorabilis aut rebellis. Nec vero deorſum mittamus nos, ſed tranſcendamus & tranſſiliamus * letalem gloriæ temporalis obtutum, ut quomodo [* al. tranſeamus.] ſcriptum eſt, [Prov. 1. 17.] *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum;* conculcemus quoque leonem pariter & draconem: ut neque illius rugitus terreat, nec iſtius flatus inficiat. Videntur hæc quatuor monſtra affectionibus æque quatuor, ſingula ſingulis incubare. [Quatuor monſtra affectionibus incubantia.] Cui ergo potiſſimum draco inſidiatur? Æſtimo quia cupiditati, quod hanc noverit eſſe radicem malorum omnium, & quæ proxime cor ſubvertat. Inde enim etiam quaſi conſulens dixit: [Matth. 4. 9.] *Hæc omnia tibi dabo.* Nam de leone quidem manifeſtum eſt, quod non niſi ad januam timoris terrificos det rugitus. Porro triſtitiæ fores aſpis obſervat, quod eas maxime morſibus ſuis pervias arbitretur. Unde & ad Chriſtum Dominum, donec jam eſurientem cerneret, non acceſſit. E contra ſane caveat neceſſe eſt lætitia baſiliſcum, quod eo potiſſimum aditu venenatos ingerere ſoleat radios oculorum: nec vana gloria niſi ob lætitiæ noceat vanitatem.

10. Illud quoque conſidera, an forte virtutes quatuor, quatuor his tentationibus opponere valeamus. [Quatuor virtutes totidem tentationibus oppoſitæ.] Leo rugiet, quis non timebit? Si quis ille fuerit, fortis erit. Sed fruſtrato leone, draco abſconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, inſufflans ei quodammodo concupiſcentiam terrenorum. Quis, putas, illius prætervitabit inſidias? Nemo utique niſi prudens. At forte dum ad iſta deſcendere caves, urget quis moleſtia: & ecce protinus aſpis adeſt, nam opportunum tempus ſibi inveniſſe videtur. Quis non exaſperabitur ab aſpide iſta? Nempe vir temperans & modeſtus, qui ſciat abundare, & penuriam pati. Puto ex hac occaſione faſcinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem ſuam? Profecto juſtus, qui non modo non ipſe ſibi accipere gloriam quæ Dei eſt, ſed ne ab alio quidem recipere velit oblatam. ſi tamen ille ſit juſtus, qui juſte quod juſtum eſt exſequatur, qui juſtitiam ſuam non faciat coram hominibus, qui denique, etſi juſtus fuerit, caput non levet. Hæc enim virtus ſpecialiter in humilitate conſiſtit, [Juſtitia in humilitate.] hæc intentionem purgat, hæc quoque meritum omne eo veracius & efficacius obtinet, quo minus arrogat ſibi.

SERMO DECIMUS-QUINTUS.

De verſu decimo-quarto, *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

1. V*Enite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos*, dicit Dominus. [Matt. 11. 28.] *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* [Oneris & jugi commutatio.] Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos. Non tamen interim onus ſubtrahit, aut laborem; magis autem onere alio, alio labore commutat: ſed onere levi, ſuavi jugo, in quibus requies ac refectio, etſi minus appareat, tamen invenitur. Grave onus iniquitas, ſedens ſuper talentum plumbi. [Zach. 5. 7.] Sub hac gemebat ſarcina qui dicebat: [Pſal. 37. 5.] *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Quod ergo onus Chriſti, quod onus leve? [Onus Chriſti, onus beneficiorum.] Ut quidem ego ſentio, Onus beneficiorum. Dulce onus, ſed ei qui ſentit, ei qui experitur. Alioquin ſi non invenias, ſi non advertas, grave omnino & periculoſum. Oneriferum animal homo tempore ſuæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata ſua, onus eſt grave: ſi jam forte exoneratus eſt à peccatis, minus quidem grave; ſed, ſi ſanum ſapiat, non minus grande onus inveniet hanc ipſam, quam diximus, exonerationem. Onerat nos cum exonerat Deus: onerat beneficio, cum exonerat à peccato. Vox onerati: [Pſal. 115. 12.] *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vox onerati: [Luc. 5. 8.] *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.* Vox onerati: [Job 31. 23.] *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.* Semper, inquit, timui: ſicut ante, ſic poſt acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo qui ita ſemper eſt pavidus, nec minori angitur ſollicitudine, ne forte obruatur tam beneficiis, quàm peccatis.

2. Ad hoc ſiquidem divina nobis tam ſedula erga nos, & tam profuſa beneficentia commendatur, ut ſollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem.

Tom. III. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus* A *viis tuis.* Quid ultra potuit tibi facere, & non fecit? Novi quid cogites, ingenua creatura. Habes gratiam Angelis Domini, ſed ad ipſum ambis Dominum Angelorum. Oras & optas, ut nuntiis non contentus, ipſe quoque qui loquebatur, adſit: nec te quaſi per medium, ſed ſui oris oſculo oſculetur. Audiſti ſuper aſpidem & baſiliſcum, leonem pariter & draconem tibi ambulandum fore, nec ſuper dracone ipſo victoriam Michaelis & Angelorum ejus ignoras. Verumtamen non Michaeli, ſed Domino clamant deſideria tua:
Job 17. 3. *Libera me, & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Hoc nempe eſt non modo aliis, ſed ipſis quoque altioribus altius captare refugium, ut ex B ſententia profitenti, *quoniam tu es Domine ſpes mea*, merito reſpondeatur: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

3. Non enim dedignatur eſſe ſpes miſerorum miſerator & miſericors Dominus; non ſeipſum liberatorem ſimul & protectorem in ſe ſperantibus exhibere recuſat. *Quoniam in me ſperavit*, inquit, *liberabo eum;*
Pſal. 90. 14. Solus Deus ſpes noſtra & ſolidum præſidium. *protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Nempe niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, ſive ille homo, ſive etiam Angelus eſſet. Montes in circuitu Jeruſalem: ſed parum hoc, immo nihil hoc foret, ſi non etiam Dominus in circuitu eſſet
Cant. 3. 3. populi ſui. Merito proinde in Cantico ſponſa deſcribitur, inventis licet vigilibus (immo ab eis magis inven- C ta, nec enim eos ipſa quærebat) non ſubſtitiſſe, nec contenta fuiſſe vigilibus, ſed percontata breviter de dilecto, ad ipſum ocius pervolaſſe. Erat enim cor ejus non in vigilibus, ſed in Domino fiduciam habens; &
Pſal. 10. 2. aliter forte ſuadentibus aiebat: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem ſicut paſſer?* Minus vigilanter id obſervarant Corinthii, cum offenſis quaſi vigilibus ſecederent apud eos, & minime
1. Cor. 1. 12. pertranſirent. *Ego quidem Cephæ, ego autem Pauli*, aiunt, *ego vero Apollo.* Sed quid fecerunt vigiles ſobrii, vigiles circumſpecti? Non enim poterant ſibi ſuſcipere ſponſam, qui bene eam æmulabantur, qui æmulabantur Dei æmulatione, qui deſponderant uni D
Cant. 5. 7. viro virginem caſtam exhibere Chriſto. *Percuſſerunt me & vulneraverunt me*, ait. Ut quid ita? Ni fallor, urgebant ut pertranſiret, perinde inventura dilectum. Denique etiam *tulerunt pallium meum*, inquit, haud dubium quin ut curreret expedita. Animadvertere eſt quàm valide percutiat, quibus ſagittis Apoſtolus vulneret eos, qui divertiſſe apud vigiles videbantur.
1. Cor. 1. 13. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et item: *Cum enim dicit quis, Ego ſum Pauli; alius autem, Ego ſum Apollo: nonne homines eſtis? Quid ergo eſt Apollo, quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis. Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* Non in vigilibus, non in homine, non in E Angelo, ſed in me, inquit, ſperavit: nihil boni niſi
Jacob. 1. 17. ex me, ne per ipſos exſpectans. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. Ex me vigiliæ hominum utiles, circa opera utique manifeſta: eis nimirum cuſtodes homines deputavi. Ex me excubiæ Angelorum, obſervantium ſecretiores motus, ſpecialiter ſollicitantium, propulſantium ſuggeſtores iniquos. Ceterum intima ſane cuſtodia ſecretiſſimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat neceſſe eſt, quod illo quidem humanus nequeat, ſed ne angelicus quoque oculus penetrare.

Circumſpectio triplex nobis neceſſaria. 1. Ergo homines. 4. Agnoſcamus triplicem hanc cuſtodiam, Fratres, F & exhibeamus nos eis, quales cuique convenit exhiberi. Provideamus bona coram hominibus, coram Angelis, coram Deo. Contendamus placere omnibus per omnia, ſed maxime ei qui maximus eſt ſuper omnia. In conſpectu Angelorum pſallamus ei, ut in eis im-
Pſal. 118, 74. pleatur quod ſcriptum eſt: *Qui timent te, videbunt me*
Hebr. 13. 17. *& lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperavi.* Obediamus præpoſitis noſtris, qui pervigilant, tamquam reddituri rationem pro animabus noſtris, ut non cum triſtitia hoc faciant. Et quidem (gratias Deo, ex cujus ſolo A munere venit) non eſt quod multum vos moneam; non eſt quod multum vobis timeam in hac parte. Quod enim eſt gaudium meum & gloria mea, niſi prompta obeditio, & irreprehenſibilis converſatio veſtra? Quid ſi certo cognoſcerem, ne Angelos quidem amplius aliquid in vobis cognoſcere quod dedeceat, apud neminem veſtrum ex anathemate Jericho quippiam occultari, non murmurare aliquem, non detrahere in occulto, non ſimulatorie agere vel remiſſe, non ignominioſas volvere animo cogitationes, quibus ſolet (heu!) interdum ipſa quoque pars corporis perturbari? Magnum hoc mihi gaudii incrementum, ſed nondum utique plenitudo. Non enim tam magni ſumus, B ut poſſit nobis adeo eſſe pro minimo, ab homine judicari non poſſe, minus autem nihil conſcios eſſe nobis. Ceterum ſi occultiſſimum Judicem timent etiam magni: quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare? O ſi mihi contingeret certum eſſe, nil eſſe in omnibus nobis illum offendens oculum, qui ſolus perfecte novit quid ſit in homine, videns in eo & quod in ſe ille non videt! Hoc vel maxime judicium veſtigemus, Fratres, & eo amplius frequentemus in timore & tremore ipſius conſiderationem, quo minus comprehendere poſſumus inveſtigabilem abyſſum judiciorum Dei, & irrefragabilem diſpoſitionem. Cum hoc timore ſpes habet meritum, cum hoc metu fructuoſe C ſperatur.

2. Erga Angelos.

3. Erga Deum.

Judicium Dei præ ſuis intuendum & timendum.

5. Est autem is ipſe timor firmiſſima quædam & efficax materia ſpei, ſi quis prudenter advertat. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor iſte, & ex perceptione præſentium firma eſt exſpectatio futurorum. Poſtremo beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum; & utique vita in voluntate ejus, & in beneplacito ejus ſalus æterna. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* Dulciſſima liberalitas, in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit. *In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt, & liberaſti eos; ad te clamaverunt, & ſalvi* D *facti ſunt: in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi.* Quis enim ſperavit in eo, & confuſus eſt? Sperate in eo omnis congregatio populi. Quemcumque enim locum calcaverit pes veſter, veſter erit. Pes veſter utique ſpes veſtra eſt. Quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit & non titubet. Quid timeat aſpidem aut baſiliſcum? quid leonis rugitus, aut draconis ſibilos expaveſcat?

Timor Dei materia ſpei. Pſal. 146. 11. Meritum noſtrum in ſpe. Pſal. 21. 5.

6. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* Porro liberatum quidem, ne iterum impugnetur, ne iterum egeat liberari, protegam eum & conſervabo: ſi tamen cognoverit nomen meum, nec ſibi tribuat quod libe- E ratus eſt, ſed nomini meo det gloriam. *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* In præſentia enim vultus glorificatio, in notitia nominis protectio exhibetur. Spes in nomine, res in facie eſt. Quod enim videt quis, quis ſperat? Fides utique ex auditu; & ea quidem, juxta eumdem Apoſtolum, eſt rerum ſubſtantia ſperandarum. *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Non novit nomen ejus, qui illud aſſumit in vanum, qui dicit ei, Domine, Domine; & non facit quæ dicit ipſe. Non novit nomen ejus, qui eum nec honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Non novit nomen ejus, qui ad vanitates & inſanias falſas convertitur. *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes* F *ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Hoc nomen cognoverat qui dicebat: *Non enim eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri.* Nos quoque ſi novimus nomen ſanctum quod invocatum eſt ſuper nos, deſiderandum utique nobis, ut ſemper ſanctificetur in nobis, atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris: *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.* Denique audi quid ſequatur in pſalmo: *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum.* Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis: porro fructus clamoris, exauditio Salvatoris. Quomodo

Rom. 8. 24. Hebr. 11. 1. Nomen Dei noſſe quid ſit. Pſal. 39. 5. Act. 4. 12. Matth. 6. 9.

enim aut non invocans exaudiri poterat ; aut nomen A Domini neſciens, invocare ? Gratias ei qui manifeſtavit hominibus nomen Patris, fructum ſalutis in ejus invocatione conſtituens, ſicut ſcriptum eſt : *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* (*Joel. 2. 32.*)

SERMO DECIMUS-SEXTUS.

De verſu decimo-ſexto, *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, &c.*

1. *Clamavit ad me, & exaudiam eum.* Hoc plane eſt teſtamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum miſericordiæ & miſerationis. *Speravit*, ait, *in me, liberabo eum.* Nomen meum cognovit, protegam B eum ; invocavit me, & ego exaudiam eum. Non dicit [a] : Dignus fuit, juſtus & rectus fuit, innocens manibus & mundo corde : propterea liberabo, protegam, & exaudiam eum. Si enim hæc aut ſimilia diceret, quis non diffideret ? Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Nunc autem apud te propitiatio eſt, & propter hanc legem tuam ſuſtinui te, Domine. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore conſtituit poſtulationis. *Clamavit*, inquit, *ad me, & exaudiam eum.* Merito non exauditur qui clamare diſſimulat, aut omnino non poſtulans, aut tepide poſtulans & remiſſe. Siquidem in Dei auribus deſiderium vehemens clamor magnus : è regione autem remiſſa intentio, vox ſubmiſ- C ſa. Quando illa penetrabit nubes ? quando audietur in cælis ? Nempe ut clamandum ſibi noverit homo, inter primordia ſuæ orationis ipſum quem oraturus eſt Patrem in cælis eſſe protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam ſpiritus illo ſibi jaculandam eſſe meminerit orationem. Spiritus eſt Deus, & in spiritu [b] clamet neceſſe eſt, quiſquis clamorem ſuum ad eum deſiderat pervenire. Sicut enim in faciem hominis non reſpicit tamquam homo, ſed magis intuetur cor : ſic ad cordis potius vocem, quàm corporis, aures ejus ; cui merito dicitur : *Deus cordis mei.* Hinc eſt, quod Moyſes foris tacens, intus auditur, dicente Domino : *Quid clamas ad me?*

Clamor apud Deum magnum deſiderium.

Pſal. 72. 26.

Exod. 14. 15.

2. *Clamavit ad me, & exaudiam eum.* Non immerito. D Clamorem magnum ſane magnitudo neceſſitatis extorſit. Quid enim clamans petit, niſi conſolationem, liberationem, glorificationem ? Alioquin quomodo ſuper his exauditur, ſi pro aliis clamat? *Exaudiam eum*, ait. In quo exaudies, Domine, vel in quibus ? *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad magnum illud triduum, quod proxime ſumus celebraturi, hunc mihi ternarium arbitror referendum. Siquidem & ipſe propter nos tribulationem & dolorem invenit, quando propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Verumtamen quæ de ipſo erant, ſicut ante mortem prædixerat, finem E habuerunt ; & ſicut in morte dixit, conſummata ſunt, & extunc ſabbatizavit. Nec dilata eſt gloria reſurrectionis : die tertia, ſummo diluculo Sol juſtitiæ de tumulo ortus eſt nobis. Ita ergo fructus pariter tribulationis & veritas ereptionis in manifeſtatione glorificationis apparuit. Nihilo minus quoque & in nobis ſimile quoddam triduum poſſe videbitur aſſignari. *Cum ipſo ſum*, ait, *in tribulatione.* Quando hoc, niſi in die tribulationis noſtræ, in die crucis noſtræ ? dum impletur quod ipſe ait: *In mundo quidem preſſuram habebitis*: & quod Apoſtolus ejus : *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Nam liberatio plena atque perfecta ante diem ſepulturæ eſſe non poterit, quod maneat jugum grave ſuper filios Adam à F die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. In hac ergo die eripiam eum, inquit, quando nihil jam ultra quod vel corpori, vel animæ faciat, mundus habebit. Sane glorificatio diem ultimum manet, diem reſurrectionis, quando ſurget in gloria, quod in ignominia interim ſeminatur.

Triduum Chriſti paſſionis, quieſcentis & reſurgentis.

Luc 22.

Triduum hominis pii.

Johann. 16 33.

2 Tim. 3. 12.

Eccli 40. 1.

3. Unde ſcimus quod nobiſcum ſit in tribulatione ? Ex eo utique quod in ipſa tribulatione nos ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, quis perſiſteret ſine eo ? Omne gaudium exiſtimemus, cum in tentationes * varias inciderimus, Fratres mei, non modo quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei : ſed quoniam juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, ait quidam, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ita ergo nobiſcum eſt omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Quando autem nos erimus cum ipſo ? Nimirum quando rapiemur obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Quando apparebimus cum ipſo in gloria ? Nempe cum Chriſtus apparuerit vita noſtra. Interim ſane abſcondatur neceſſe eſt, ut præcedat tribulatio ereptionem, ereptio glorificationem. Vox liberati : *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos a lapſu. Eripiam eum, & glorificabo eum.* Felix, qui te interim conſolatorem & adjutorem habet, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. At quàm felicior, quem jam eripuiſti & exemiſti tantis malis ! quàm felicior, qui jam exemptus de laqueo venantium, qui jam raptus eſt ne malitia mutet intellectum illius, aut ne fictio decipiat animam ejus ! Longe tamen præ his omnibus feliciſſimus ille erit, quem aſſumpſeris ad te ipſum, quem repleveris in bonis domus tuæ, & claritati tuæ conformaveris eum.

Tom. III. De præl ... tionis ... latione ea patientia.

* al. tribulationes.

Act. 14. 21

Pſal. 22 4.

Pſal. 114. 7.

4. Et nunc, filioli, clamemus in cælum : & miſerebitur noſtri Deus noſter. Clamemus in cælum ; quia ſub cælo omnia labor & dolor, & vanitas, & afflictio ſpiritus. Denique pravum eſt cor hominis & imperſcrutabile, proni ſenſus ejus in malum. Non eſt in me bonum, hoc eſt in carne mea. Lex peccati in ea habitat, adverſus ſpiritum concupiſcit. Poſtremo & cor meum dereliquit me, & corpus mortuum eſt propter peccatum. Sufficit autem diei quoque malitia ſua ; & eſt mundus ipſe poſitus in maligno. Quàm nequam in omnibus ſæculum præſens ! quàm nequiter adverſus animam ſæcularia deſideria militare noſcuntur ! Sunt & principes mundi hujus, tenebrarum harum, ſpirituales nequitiæ, & aëreæ poteſtates, & inter eas callidior cunctis animantibus ſerpens. Hæc ergo ſub ſole omnia : hæc omnia ſub cælo. Ad quod horum omnium confugium facis ? In quo horum omnium ſperas ſolatii aliquid, aliquid auxilii invenire ? Si quæras intra te, aruit cor tuum, & oblivioni datum te reperies, tamquam mortuum à corde. Si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Si circa te, etiam terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Quære ergo supra te, ſed cautus eſto ventoſa agmina tranſilire. Quia enim omne datum optimum, & omne donum perfectum nonniſi deſurſum eſſe noverunt, medium iter latrunculi obſedere. Tranſi ergo, tranſi pervigiles illas nequitias, quæ tam indefeſſe cuſtodiunt & obſervant, ne quis in illam poſſit evadere civitatem. Si te percuſſerint, ſi vulneraverint, dimitte eis pallium, quod in Ægypto olim Joſeph adulteræ dereliquit : dimitte ſindonem, ut eum evangelico illo juvene profugias nudus ab eis. Numquid non ſolum pallium ejus & ſindonem dederat Deus in manus impii ? in cujus facultatem & carnem dans poteſtatem, *Verumtamen animam*, ait, *illius ſerva.* Ita ergo sursum cor, ſurſum clamor, ſurſum deſideria, ſurſum converſatio, ſurſum intentio, & omnis exſpectatio tua deſurſum ſit. Clama in cælum ut exaudiaris, & qui in cælis eſt Pater mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, & glorificet in reſurrectione. Magna ſunt hæc, ſed tu, magne Domine, promiſiſti. Ex tua promiſſione ſperamus, inde audemus dicere: Si corde clamemus pio, certe debes ex promiſſo, amen.

Jerem. 17 9.

Vita præſentis miſeriæ & pericula.

Remedium ubi quærendum.

Sap. 9. 15.

Gen 39. 12.

Marc 14. 52.

Job 2. 6.

In hymno Quadrag.

a Hic occurrebat inſignis hiatus, ſenſum omnino perimens. nam hæc verba, *Non dicit*, &c. uſque ad, *Si enim*, &c. aliis editis deſunt, quæ reſtituuntur ex codicibus mſſ. Ciſtercienſi & aliis.

b Confer ſermonem 9. num. 2. de bona intentione.

Tom. III.

SERMO DECIMUSSEPTIMUS.

De verſu decimo-ſeptimo, *Longitudine dierum replebo eum, &c.*

1. BEne nobiſcum agitur, Fratres; ſatis competit huic tempori verſus pſalmi. Celebraturis proxime Dominicam Reſurrectionem, jam nunc cuique noſtrum ſua promittitur: ut feſtivius in capite ſuo factum recolant membra, quod in ſeipſis præſtolantur aliquando faciendum. Congruus finis pſalmi, ubi pſallenti finis promittitur tam beatus. Jucunde completur, dum in eo ſpondetur repletio tam jucunda. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Sæpius vos admoneo, Fratres, quod juxta Pauli ſententiam, promiſſionem habeat pietas vitæ ejus quæ nunc eſt, pariter & futuræ. Unde & idem ait: *Habetis nunc quidem fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Ipſa eſt quæ hoc loco promittitur plenitudo, ipſa longitudo dierum. Quid enim tam longum, quàm quod æternum eſt? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? BONUS FINIS, vita æterna; bonus finis, qui finem non habet. Et ſane cujus finis bonus, ipſum quoque bonum eſt. Amplectamur itaque ſanctificationem, quoniam bona eſt, quoniam finis ejus vita ſine fine. Sanctimoniam ſectemur & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Dextræ Dei eſt iſta promiſſio; munus eſt dexteræ, quam ſibi olim Sanctus porrigi optabat: *Operi*, inquit, *manuum tuarum porriges dexteram.* Delectationes in dextera hac uſque in finem. Hanc nimirum & ille ſibi porrigi optavit, & obtinuit dexteram, de quo Pſalmiſta ait: *Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* Manifeſtius denique Sapiens dixit: *In ſiniſtra illius divitiæ & gloria, in dextera autem ejus longitudinitas vitæ.* Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hæc enim vita, qua vivimus, magis mors eſt; nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis. Moritur homo, dicimus, quando morti certiſſime jam appropinquat. Quid vero agimus ex quo primum incipimus vivere, niſi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & dies qualeſcumque vitæ hujus, pauci & mali ſunt, ſicut ſanctus Patriarcha teſtatur. Ibi vere vivitur, ubi vivida vita eſt & vitalis: ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Gratias ei, qui tam non modo fortiter, ſed & ſuaviter diſponit univerſa. Eorum nempe paucitas dierum finietur brevi, quorum ſufficit cuique malitia ſua. Ubi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit.

1. Tim. 4. 8.
Rom. 6. 22. Longitudo dierum hic promiſſa eſt vita æterna.
Hebr. 12. 14.
Job. 14. 15.
Pſal. 20. 5.
Prov. 3. 16. Vita præſens potius mors dicenda.
Gen. 47. 9.

2. *Longitudine dierum replebo eum.* Quod prius dixerat, *Glorificabo eum*, evidentius hoc verſiculo declaravit. Cui tamen non ſufficeret ab eo glorificari, cujus perfecta ſunt opera? Non enim tanta immenſitas, niſi in immenſum quempiam glorificare poteſt. Neceſſe eſt magna ſit glorificatio, à magnifica gloria quæ deſcendit. *Voce delapſa à magnifica gloria*, ait Petrus. Bene magnifica gloria, glorificans tam magnifice, in longitudine, in multitudine, in plenitudine claritatis. Fallax gloria, & vana eſt claritas, dies hominum brevis. Sapiens ejuſmodi non optabit; magis loquetur ex corde ei, qui intuetur cor: *Et diem hominis non deſideravi, tu ſcis.* Ego tamen plus aliquid quàm non deſiderat deſidero, ut ne recipiam quidem. Scio enim cujus vox ſit: *Ego claritatem ab homine non accipio.* Quàm vero miſeri, qui gloriam quæ ab invicem eſt quærimus, & nolumus eam quæ à ſolo eſt Deo! Sola ſiquidem ea, quam ſolam negligimus, longitudinem habet, ſola repletionem. Breves dies hominis, & dies ejus tamquam flos agri ſic efflorebit. *Exſiccatum eſt*, inquit, *fœnum, & cecidit flos; verbum autem Domini in æternum manet.* VERUS nimirum DIES, qui non novit occaſum, æterna veritas, vera æternitas; ac proinde vera, æternaque ſatietas. Alioquin quomodo gloria illa replebit, quæ fallax, & vana eſt? Denique & inanis dicitur, ut noveris te ex ea magis exinaniri poſſe, non poſſe repleri. Bonum ergo interim magis abjectio, quam elatio eſt: bonum magis neceſſitas, quàm voluptas: quod, cum utraque res citius tranſeat, altera pœnam habeat, altera ſit paritura coronam.

2. Pet. 1. 17. Gloria futura vere magna, præſens fallax & vana.
Jerem. 17. 16.
Johan. 5. 41.
Iſai. 40. 7.

3. Utilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipſo ſum*, inquit, *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Agamus gratias Patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione, & in omni tribulatione noſtra nos conſolatur. Res enim, ut dixi, neceſſaria, tribulatio, quæ in gloriam vertitur; triſtitia, quæ mutatur in gaudium, gaudium ſane longum, quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res neceſſaria eſt iſta neceſſitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, Fratres: ſemen modicum eſt; magnus exinde fructus exſurgit. Forte inſipidum, forte acerbum eſt, forte granum ſinapis. Non conſideremus quæ videntur, ſed quæ non videntur in eo: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in ſpe gloriæ magni Dei. Non ſolum autem, ſed, ut dicam expreſſius, gloriemur in tribulatione, in ea ſiquidem ſpes gloriæ eſt. Vide ſi non hoc ipſum docere te voluit Apoſtolus, cum ſubjunxit, quoniam *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem.* Manifeſte advertere eſt in his verbis, cum præmiſiſſet Apoſtolus gloriari in ſpe, non aliud aliquid, ſed amplius eum addidiſſe dicendo: *Non ſolum autem, ſed & gloriari in tribulationibus.* Non enim altera gloriatio commendatur, ſed additur magis, ubi ſpes gloriæ, ubi ipſa ſpei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione ſpes gloriæ, immo & ipſa in tribulatione gloria continetur: ſicut ſpes fructus in ſemine, ſicut ipſe fructus in ſemine eſt. In hunc modum etiam modo regnum Dei intra nos eſt, theſaurus ingens in fictili vaſe, in agro vili. Eſt, inquam, ſed abſconditum eſt. Felix, qui ibi invenerit illud. Quis ille? Nempe qui meſſem magis cogitaverit, quàm ſementem. OCULUS FIDEI invenit hunc theſaurum, non ſecundum faciem judicans; ſed videns quæ non apparent, & intuens quæ non videntur. Quàm veraciter hunc theſaurum invenerat, quem volebat inveniri & ab aliis, qui dicebat: *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Non dixit, remunerabitur, ſed, *æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Latet gloria, Fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus ſublime & ſupra modum. Interim ergo feſtinemus nobis emere agrum iſtum, emere theſaurum iſtum, qui abſconditus eſt in agro. Omne gaudium exiſtimemus, cum in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex ſententia: *Bonum magis ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.*

Tribulatio utilis & neceſſaria.
In tribulatione fructus cogitanda.
2. Cor. 4. 18.
Rom. 5. 4.
In tribulatione ſpes gloriæ, velut meſſis in ſemine.
2. Cor. 4. 17.
Eccl. 7. 3.

4. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, ait Deus: & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum eſt; non ſolum autem, ſed & ponere in Domino ſpem meam: quia *eripiam eum*, inquit, *& glorificabo eum. Cum ipſo ſum in tribulatione. Deliciæ*, inquit, *meæ eſſe cum filiis hominum.* Emmanuel, nobiſcum Deus. *Ave gratia plena*, ait Angelus ad Mariam, *Dominus tecum.* In plenitudine gratiæ nobiſcum eſt, in plenitudine gloriæ erimus nos cum illo. Deſcendit, ut prope ſit his qui tribulato ſunt corde, ut nobiſcum ſit in tribulatione noſtra. Erit autem quando rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus; ſi tamen curemus interim eum habere nobiſcum, ut ſit comes viæ, qui patriæ redditor eſt futurus: immo qui tunc patria, modo ſit via. BONUM MIHI, Domine, TRIBULARI, dummodo ipſe ſis mecum, quàm regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari. Bonum mihi, Domine, in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm eſſe ſine te vel in cælo. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Aurum probat

Pſal. 72. 28.
Prov. 8. 31.
Luc. 1. 28.
Tribulari bonum, modo Deus nobiſcum.

probat fornax, & viros juſtos tentatio tribulationis. Ibi, ibi cum eis es, Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius adſtas, ſicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, ut diceret: Quia *ſpecies quarti, ſimilis filio Dei.* Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, ſed Dominus nobiſcum eſt in tribulatione. Si Deus nobiſcum, quis contra nos? Nihilo minus quoque ſi ille eripit, quis eſt qui rapiat de manu ejus? Quis eſt qui de manu ejus poſſit eruere? Poſtremo ſi ille glorificat, quiſnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit?

Matth. 18. 20.

Dan. 3. 92.

5. Audi denique quanam gloria ipſe glorificet. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* Et primo quidem in eo quod *dierum* nomen pluraliter poſuit, non viciſſitudinem aliquam, ſed multitudinem voluit commendare. Alioquin ſi viciſſitudinem ſuſpicaris, melior eſt dies una in atriis Domini ſuper millia. Legimus ſanctos atque perfectos viros etiam ab his diebus noſtris plenos migraſſe dierum: nec ſane aliud, quàm virtutum plenos, plenos intelligimus gratiarum. Nimirum in hanc plenitudinem, velut de die in diem, de claritate in claritatem, non quidem à ſuo, ſed à Domini ſpiritu transformantur. Si ergo dies gratia dicitur, ſi (ut ſupra meminimus) & dies hominis, claritas quæ ab homine eſt; & male nitens gloria, quam ab invicem quærimus: quomodo non magis verus dies, immo & plenus meridies, veræ gloriæ plenitudo? Quod ſi dies plurimos diviſiones dicimus gratiarum; quomodo non in multiplici gloria dierum intelligitur multitudo? Poſtremo evidentius audi ſine ulla viciſſitudine dies multos. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis*, ait Propheta, *& lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.* Iſtis (ni fallor) cunctis diebus vitæ ſuæ pſalmos ſuos cantare in domo Domini Rex fidelis optabat. Erit enim devotos eſſe Deo ad ſingula tantæ & tam multiplicis gloriæ munera, & in omnibus ſemper gratias agere, quaſi cunctis diebus pſalmos dicere nomini ejus.

Pſal. 83. 11.

Sancti hinc migrant pleni dierum

Iſai. 30. 26.

6. *Longitudine dierum replebo eum.* Ac ſi manifeſtius dicat: Scio quid deſideret, ſcio quid ſitiat, quid ſapiat ei. Non ei aurum vel argentum ſapit, non voluptas, non curioſitas, non dignitas aliqua ſæcularis. Omnia detrimentum facit, omnia aſpernatur & arbitratur ut ſtercora. Exinanivit penitus ſemetipſum, nec ſe ex his patitur occupari, quibus novit ſe non poſſe repleri. Non ignorat ad cujus imaginem conditus ſit, cujus magnitudinis capax ſit; nec ſuſtinet de modico creſcere, ut de maximo minuatur. Itaque *longitudine dierum replebo eum*, quem niſi lux vera reficere, niſi æterna implere non poteſt: ſiquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occaſum, nec ſatietas illa faſtidium habet. Erit enim ſecuritas de æternitate, gloriatio de veritate, exſultatio de ſatietate. *Et oſtendam illi ſalutare meum.* Nimirum extunc videre merebitur quod optavit, cum ſibi Rex gloriæ glorioſam exhibebit Eccleſiam, non habentem maculam ob ſplendorem diei, ſed neque rugam ob omnimodam plenitudinem ſui. Alioquin ad illius fulgorem luminis, ſicut non impuritus, ſic nec turbatus quidem in aliquo animus vel inquietus aſſurgit. Inde eſt quod nunc quoque (ut ſupra memini) ſanctimoniam ſimul & pacem ſectari præcipimur, quod ſine his nemo videat Deum. Cum ergo repleverit in bonis deſiderium tuum, ut non aliud ſit quod requiras, ſerenato penitus ex ipſa plenitudine animo, videre jam poteris ſerenitatem illam, illam plenitudinem majeſtatis, ſimilis Deo factus, quod videas eum ſicuti eſt: aut forte quia * plenus omni gloria in ſemetipſo, etiam foris ſalvationem, quam operatus eſt Deus, & plenam majeſtate ejus omnem terram undique circumſpiciet delicioſiſſimi ſæculi habitator. Ad hoc quoque referri poſſe videbitur quod adjecit: *Et oſtendam illi ſalutare meum.*

Terrena faſtidiens meretur æterna

Beatitudinis ſucceſſus & ſtatus

Hebr. 12. 14.

* al. jam.

7. Alioquin accipiamus, ſi magis placet, etiam hoc modo, ut ipſos quos promiſerat dies in hac oſtenſione ſalutaris exponat. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* Et tamquam quæreres, unde erit dies in civitate, de qua legimus, quia non lucebit ibi ſol per diem, nox enim non erit in ea: *Oſtendam illi*, ait, *ſalutare meum*: ut (quemadmodum & in illa Scriptura legitur) lucerna ejus ſit Agnus. *Oſtendam illi ſalutare meum.* Non jam in fide erudiam, non jam exercebo in ſpe, ſed in ſpecie adimplebo. *Oſtendam illi ſalutare meum*, oſtendam illi Jeſum meum, ut in æternum jam videat in quem credidit, quem dilexit, quem ſemper optavit. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Oſtende nobis, Domine, ſalutare tuum, & ſufficit nobis. Qui enim videt illud, videt & te: quia ipſum in te, & tu in ipſo. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcamus te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum. Itaque tunc dimittes ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, cum viderint oculi mei ſalutare tuum, Jeſum tuum, Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Apoc. 21. 23.

Pſal. 84. 8.

Johann. 17. 3.

DOMINICA PALMARUM.

SERMO PRIMUS.

De tribus ordinibus obſequentium Chriſto.

1. NOn ſine cauſa ſpiritum Sponſi pariter & Dei ſui habens Eccleſia proceſſionem hodie nova quadam & mira conjunctione addidit paſſioni. Nam proceſſio plauſum habet, paſſio planctum. Quoniam ergo ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, videamus quid utriſque conferat hæc conjunctio. Et prius quidem quid ſæcularibus indicet: quoniam non prius quod ſpirituale, ſed quod animale. Videat ergo ſæcularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propter hoc enim qui cetera quoque cœpit facere & docere, non ſolum verbis prædicans, ſed & exemplis; quod ante prædixerat per Prophetam, *Quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, tamquam flos fœni*, etiam apparens in carne manifeſte ſtuduit probare in ſeipſo. Unde & proceſſionis gloria voluit ſublimari, qui paulo poſt ſibi noverat imminere diem ignominioſiſſimæ paſſionis. Quis ergo ſperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipſo quoque qui peccatum non fecit, creatore temporum & conditore univerſitatis, poſt exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem ſequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem proceſſionis gloria & divinis eſt laudibus honoratus; poſtmodum vero interrogatus contumeliis & tormento, & cum ſceleratis deputatus. Hic eſt tranſitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Propheta, ut cantet Domino gloria ejus, & non compungatur, id eſt proceſſionem habeat, quam paſſio non ſequatur.

Proceſſionis hodiernæ & paſſionis conjunctio quid ſibi velit.

Iſa. 40. 6.

Mundi & gloriæ temporalis inconſtantia.

Pſal. 29. 13.

2. Vobis autem, cariſſimi, tamquam ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, in proceſſione quidem cæleſtis patriæ repræſentamus gloriam, in paſſione monſtramus viam. Nam ſi in proceſſione quidem venit tibi in mentem futura illa lætitia & exſultatio multa nimis, quando rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra; ſi tota concupiſcentia videre deſideras diem illam, quando ſuſcipietur in cæleſti Jeruſalem Chriſtus Dominus, caput cum omnibus membris, portans triumphum victoriæ, applaudentibus jam non popularibus turmis, ſed virtutibus angelicis, clamantibus undique populis utriuſque teſtamenti: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. ſi, inquam, conſideraſti in proceſſione quo properandum ſit, diſce in paſſione qua ſit eundum. Hæc eſt enim via vitæ, tribulatio præſens; via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni, ſecundum quod clamat latro de cruce: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Euntem in regnum vidit, quo cum perveniſſet, ſui memorem eſſe rogavit. Pervenit ergo & ipſe: ſed ſi vis noſſe quam compendioſa via; eadem die meruit cum Do-

Matt. 21. 9.

Paſſio & crux ſeu tribulatio via ad gloriam.

Luc. 23. 42.

Tom. III.

mino eſſe in paradiſo. Tolerabilem proinde reddit paſſionis laborem gloria proceſſionis, quoniam amanti nihil difficile eſt.

Hodierna proceſſio repræſentat cæleſtem.

3. Nec mireris quod præſenti proceſſione cæleſtem dixerim repræſentari, quando unus & idem in utraque ſuſcipitur, etſi longe aliter & ab aliis. In hac enim proceſſione irrationabili jumento Chriſtus inſidet: in illa vero jumentum quidem futurum eſt, ſed rationale: quoniam *homines & jumenta ſalvos facies, Domine*. Cui ſimile eſt illud: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*. Et vide ſi non de proceſſione loquitur, cum ſequatur: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Ibi certe ne ipſe quidem pullus deerit: quoniam etſi murmuret hæreticus [a] parvulos non ſinens venire, parvulorum baptiſmo detrahens: qui parvulus natus eſt, & primam parvulorum elegit aciem, (Innocentes loquor) hodie quoque parvulos à gratia non excludit: quia nec pietati incongruum, nec majeſtati ejus difficile eſt, ut ſuppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet natura poſſibile. Ibi non ramos arborum, non vilia veſtimenta popularis turma proſternet: ſed demittent pennas ſuas animalia ſancta, deponent coronas ſuas ante thronum Agni viginti quatuor ſeniores, & virtutes omnes angelicæ quicquid habent gloriæ vel decoris, totum ei adſcribent, totum ei attribuent.

Pſal. 35. 7.

Pſal. 72. 23.

Baptiſmus parvulorum.

Triplex obſequium in hodierna proceſſione Chriſto exhibitum.

4. Jam vero quoniam de jumento & veſtibus, & de ramis arborum mentio facta eſt, conſiderare diligentius libet triplex obſequium, quod in proceſſione hac exhiberi video Salvatori; primum quidem à jumento, cui inſidet: ſecundum ab eis, qui ſua illi veſtimenta ſternunt: tertium vero ab his, qui de arboribus ramos cædere perhibentur. Nonne tamen omnes reliqui ex eo quod abundat ſibi, mittunt, & quaſi ſine gravamine obſequuntur Domino; ſolum vero jumentum ſemetipſum exponit ejus obſequio? Silendum mihi eſt, ut elationem caveatis; an magis loquar, ut habeatis conſolationem? Jumentum certe, cui inſidet Chriſtus, nonne vos eſtis, juxta præceptum Apoſtoli, glorificantes & portantes Deum in corporibus veſtris? Expendunt enim ſæculares homines in obſequium Domini, non quidem corpora, ſed quæ adjacent, & neceſſaria ſunt corporibus, cum de terrena ſubſtantia eleemoſynas largiuntur. Prælati quoque ramos cædunt de arboribus, verbi cauſa, cum de fide & obedientia Abrahæ, de caſtitate Joſeph, de manſuetudine Moyſi, ceterorumque ſanctorum virtutibus evangelizant. Verumtamen & illi de promptuariis plenis largiuntur; & hi quæ acceperunt gratis, gratis nihilo minus dare jubentur. Omnes tamen, ſi fideliter ſuo quiſque intentus fuerit miniſterio, in proceſſione Salvatoris ſunt, & cum eo ingrediuntur in ſanctam civitatem: quoniam tres prævidit Propheta ſalvandos, Noë cædentem ramos in arcæ fabricam; Danielem in vili edulio, & labore abſtinentiæ factum tamquam jumentum, Salvatoremque portantem; tertium quoque Job, bene diſpenſantem ſubſtantiam hujus mondi, & de velleribus ovium ſuarum pauperum latera calefacientem. Cui tamen in proceſſione illa Jeſus propinquior, cui de tribus ordinibus ſalus vicinior, facile, credo, poteſtis advertere.

1. Cor. 6. 20.

Ezech. 14. 14.

DOMINICA PALMARUM,

Sermo secundus.

De Paſſione, & Proceſſione, & quatuor ordinibus Proceſſionis.

Proceſſionis & Paſſionis conjunctio quid ſignificet.

1. NEceſſe eſt ut loquamur hodie brevius propter anguſtiam temporis. Multa quidem nobis miniſtrat proceſſio, quam celebraturi ſumus: ſed eadem impedit ne dicere plura poſſimus. Celebraturi ſumus hodie proceſſionem, & paulo poſt audituri Paſſionem. Quid ſibi vult mirabilis iſta conjunctio, aut quid cogitaverunt Patres noſtri, Paſſionem addentes proceſſioni? Nam proceſſio quidem merito repræſentatur hodie, quæ facta eſt hodie: Paſſio vero cur addita eſt, quam ſexta feria conſtat eſſe ſecutam? Opportune utique proceſſioni Paſſio conjuncta eſt, ut diſcamus in nulla lætitia hujus ſæculi habere fiduciam: ſcientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propterea non ſimus ſtulti, ut occidat nos proſperitas noſtra: ſed in die bonorum non immemores ſimus malorum, & è converſo. Iſtis enim mixtum eſt præſens ſæculum, non ſæcularibus tantum, ſed etiam ſpiritualibus viris. Nam & ſæcularibus viris aliquando quæ placent, quandoque quæ diſplicent videmus accidere: & ipſis nihilo minus ſpiritualibus non ſemper triſtia, non ſemper læta ſuccedunt, ſed veſpere & mane dies unus, & illud: *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum*. Verum hoc interim dum præſens ſæculum manet, vel magis manat & fluit.

Lætitia hic permixta triſtitiæ.

Job 7. 18.

Contrà in alio.

2. Ceterum poſt hoc ſæculum duo futura ſunt ſæcula valde diviſa & diverſa: ita ut in altero non ſit niſi fletus & ſtridor dentium; in altero ſit ſola gratiarum actio, & vox laudis. *Abſterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: & mors jam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor, quoniam priora tranſierunt*. Interim ſicut amatores mundi multa patiuntur adverſa: ſic nec ipſis ſervis Dei omnia in hoc mundo optata ſuccedunt. In die ergo malorum memores ſunt bonorum, ne puſillanimes fiant & impatientes, ſicut is de quo legimus in Pſalmo: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. In die quoque bonorum non immemores ſunt malorum; ne extollantur, & dicant in abundantia ſua: Non movebimur in æternum. Sicut enim ſæcularium rerum proſperitas occidit ſtultum ſæcularem, ſic poteſt abundantia ſpiritualis proſperitatis occidere indoctum ſpiritualem, atque ideo non ſpiritualem. Spiritualis quippe dijudicat omnia. Unde autem eveniat quod ſtultum occidit proſperitas, & non ſapientem, alibi habemus: *Cor ſapientis ubi triſtitia, & cor ſtultorum ubi lætitia*. Merito proinde ait: *Bonum eſt magis ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*. Licet enim multos frangat adverſitas, tamen multo plures extollit proſperitas, ſicut ſcriptum eſt: *Cadent a latere tuo mille*, ſiniſtro ſcilicet, per quod ſignatur adverſitas; *& decem millia*, id eſt multo plures, *à dextris tuis*, in quibus proſperitas deſignatur. Denique quia utrobique periculum eſt, orat Sapiens & dicit: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*: ne forte aut divitiæ extollerent in ſuperbiam; aut paupertas dejiceret in impatientiam.

Apoc. 21. 4.

Pſal. 48. 19.

Proſperitas nimia, etiam ſpiritualis, nocet.

Prov. 1. 32.

Eccl. 7. 5.

Ibidem.

Pſal. 90. 7.

Prov. 30. 8.

3. Unde & Dominus ſicut in paſſione patientiam, ita in proceſſione humilitatem exhibere curavit. In illa enim tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os ſuum: qui cum percuteretur, non comminabatur, ſed magis orabat dicens: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. In proceſſione autem quid? Parabant ſeſe populi, ut exirent obviam ei, nec eum latebat qui noverat quid eſſet in homine. Propter quod & ipſe paratus eſt, non in curribus & in equis, nec in frenis argenteis, aut ſellis auro tectis: ſed humilis aſelli tergo ſedens, ſuppoſitis Apoſtolorum veſtibus, quas ego de pretioſioribus regionis fuiſſe non credo.

Luc. 23. 34.

Chriſti humilitas.

4. Sed quid fuit quod proceſſionem habere voluit, qui mox futuram noverat paſſionem? Forte ut amarior eſſet paſſio, quam proceſſio præceſſiſſet. Ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipſo tempore, pauciſſimis diebus interpoſitis, primo cum tanto triumpho ſuſceptus, poſtea crucifixus eſt. O quàm diſſimile eſt, *Tolle, tolle, crucifige eum*; &, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; *Hoſanna in excelſis*! Quàm diſſimile, *Rex Iſraël*; &, *Non habemus regem niſi Cæſarem*! Quàm diſſimiles rami virentes & crux, flores & ſpinæ! Cui

Chriſti plauſus quàm ſubito mutatus in planctum.

Johan. 19. 15.

Matt. 21. 9.

Johan. 12. 13.

Johan. 19. 15.

a Henricianos intelligit, de quibus in epiſtola 241. Eos ſequebantur Colonienſes, quorum dogmata refelluntur ſermonibus 65. & 66. in Cantica.

prius ſternebantur veſtimenta aliena, ecce ſuis exuitur, & ſors mittitur ſuper ea. Væ tibi, amaritudo peccatorum noſtrorum, propter quæ ſolvenda, tanta amaritudo neceſſaria eſt.

Quatuor ordines in hodierna proceſſione.

5. Jam vero ad proceſſionem accedens, tamquam quatuor ordines in ea mihi videor intueri: & fortaſſis in hac noſtra proceſſione hodie omnes poterunt inveniri. Præibant enim aliqui, & viam parabant.

Prælati.

Ipſi ſunt qui viam parant Domino ad corda veſtra, qui vos regunt, & dirigunt greſſus veſtros in viam pacis.

Simplices.

Alii ſequebantur: & hi ſunt qui propriæ inſcientiæ conſcii, devote ſequuntur, & adhærent ſemper veſtigiis præcedentium. Erant quoque diſcipuli, tamquam

Clauſtrales.

domeſtici, lateri ejus adhærentes. Ipſi ſunt qui optimam B partem elegerunt, qui in clauſtro ſoli Deo vivunt, ſemper Deo adhærentes, & ejus placitum conſiderantes.

Duri corde.

Ipſum quoque jumentum, cui inſidebat, non defuit: quod deſignat duros corde, & animos quodammodo beſtiales. Verum non fuit animalium ibi hujuſmodi copioſior multitudo; nec oportuit. Tales enim magis oneri ſunt quàm honori, nec propter eos proceſſio valde glorioſior eſt. Hujuſmodi namque cantare non norunt, ſed male ſonoros dant rugitus. Ipſi ſunt qui virga ſemper & calcaribus egent. Attamen nec ipſos relinquet Dominus, dum diſciplinam ferre voluerint.

Pſal. 2. 11.

His enim dicitur: *Servite Domino in timore*; &, *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*, C *& pereatis de via juſta*. Poſtquam enim jumentum hoc diſciplinam ferre noluerit, quid reſtat, niſi ut abjiciat eum Dominus cum indignatione quadam, & protinus exeat à via, currens ad ſpinas & tribulos, à quibus ſuffocatur verbum Dei: qui ſunt divitiæ hujus mundi, & voluptates carnis?

Religioſi tardi, duri & indevoti jumento comparantur.

6. Sed ſi qui tales ſunt hic, quibus gravis ſit Ordo, & omnia oneroſa; quos pungi frequenter oporteat & urgeri: obſecramus eos, ut ſtudeant de jumentis, ſi forte queant, in homines commutari, & computari inter aliquos ceterorum, ut aut de præcedentibus, aut de adhærentibus & collateralibus, aut de ſequentibus ſint. Quod ſi non faciunt, obſecro, ut vel in eo D quod ſunt permaneant, & patienter interim ferant quæ ſalubria ſunt, etſi minus ſuavia, donec complaceat Domino reſpicere humilitatem eorum, & in melius aliquid eos promovere. Vultis autem ut aliquatenus conſolemur jumentum noſtrum? Scimus equidem quia cantare non novit. Neque enim de eis eſt qui dicere poſſint:

Pſal. 118. 54.

Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Attamen unum eſt, quod nemini ceterorum tam prope eſt Dominus. Nam nec ipſi qui hinc inde adhærent, tam prope eum habent, ut jumentum cui inſidet. Et audi hoc ipſum à Propheta:

Pſal. 33. 19.

Prope eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Nam & mater quem ægrotantem novit filium, magis fovet, E & ſæpius amplectitur eum. Nemo igitur indignetur, nemo contemnat, dum voluerit eſſe Chriſti jumentum. Etenim qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, illum graviter offendit, qui eos tamquam mater gremio ſuæ fovet miſericordiæ, donec roborentur. Unde & morum infirmitates patientiſſime ferendas beatus

** S. Bened. Regul. c. 72.*

Benedictus * admonuit.

Spiritualium ordines 4.

7. Quatuor ergo ſunt genera in proceſſione Domini. Boni prudentes, & boni ſimplices: hi ſunt qui præeunt, & qui ſequuntur. Bonos autem addidi, quia

Jer. 4. 22.

prudentes non boni, iniqui ſunt, juxta illud: *Sapientes ſunt ut faciant mala*; & ſimplices non boni, ſtulti ſunt. In proceſſione autem Domini, nec iniquus locum ha- F bet, nec ſtultus. Porro qui adhærent ei, contemplativi ſunt. Qui portant eum & onerantur eo, ipſi ſunt duri corde, & parum devoti. Sed ecce omnes ſunt in proceſſione Domini, & nemo ex ipſis faciem ejus videt. Nam qui præcedunt, occupati ſunt in paranda via, ſolliciti circa peccata & tentationes aliorum. Qui ſequuntur, ipſi omnino faciem ejus videre non poſſunt:

Exod. 33. 23.

ſed, ſicut Moyſi dictum eſt, poſteriora ejus vident. Jumentum cui inſidet, numquam ad videndum levat oculos, ſed pronum eſt ſemper in terram. Qui vero A adhærent ipſi, aliquando videre poſſunt, ſed raptim &

Tom. III.

non continue, nec plene dum adhuc ſunt in via. Attamen quantum ad alios, ipſi magis facie ad faciem eum vident, juxta quod item * de Moyſe ſcriptum eſt, quia

** al. vere. Ibidem Moyſes quomodo Deum viderit.*

ceteris quidem Prophetis per viſiones & ſomnia, Moyſi vero facie ad faciem loquebatur. Quantum ad plenam ſane viſionem, nec ipſe Moyſes, dum viveret in hoc mundo, impetrare potuit faciei ipſius viſionem; quia, ſicut ipſe ait,

Exod. 33. 20.

Non videbit me homo, & vivet. Non videbor, inquit, in hac vita: non videbit quis faciem meam in hac via, & in proceſſione iſta. Ipſe itaque magna pietate ſua donet nobis ſic in ejus proceſſione perſeverare dum vivimus, ut in magna illa proceſſione, B qua cum ſuis omnibus à Patre ſuſcipiendus eſt, & traditurus regnum Deo & Patri, ſanctam civitatem ingredi mereamur cum eo, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

DOMINICA PALMARUM,

Sermo tertius.

De quinque diebus, Proceſſionis, Refectionis, Paſſionis, Requietionis, & Reſurrectionis.

Sap. 11. 21. Chriſti facta omnia non ſine myſterio.

1. Cum univerſa fecerit Deus in numero, pondere, & menſura; ſpecialius tamen ea tempora, quibus C in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, quæcumque in eis operatus, locutus, aut paſſus eſt, ita diſpoſuit, ut ne minimum quidem momentum, ne unum iota à ſacramento vacaverit, aut præterierit ſine myſterio. Evidentius tamen quatuor proximos dies, & ipſum quem hodie colimus, illuſtravit: diem Proceſſionis, diem Refectionis, Paſſionis, Requietionis, & Reſurrectionis ſuæ. Notabiles admodum dies, & inter ceteros inſignes magis.

1. Dies Proceſſionis.

Prima ſiquidem die gloriam ſuſcipere dignatus eſt humanam: & cum ingenti quodam tripudio, & exſultatione univerſæ terræ, Jeroſolymam non propriis (ut hactenus conſueverat) pedibus, ſed jumento vectus intrare.

Chriſtus cur gloriam mundanam admiſerit. Johan. 6. 15.

Et hæc quidem D præparatio ad paſſionem fuit, excitata hinc maxime invidia Sacerdotum. Sane venturas aliquando turbas ut raperent, & eum regem facerent, fugiens legitur declinaſſe. Nunc vero etiam non quæſitus affuit, ut tamquam Rex Iſraël ſuſciperetur, & prædicaretur ab eis: quin etiam in hæc ipſa præconia eorum (quod dubium non eſt) animos excitavit. Sic nimirum & de paſſione advertere eſt. Exiit quandoque, & abſcondit

Johan. 7. 1.

ſe ab eis, ſcilicet Judæis: nec volebat jam ambulare palam in Judæa, quia quærebant eum interficere. Sciens autem quod venerit hora ejus, tamquam poteſtatem habens, ſpontaneus ipſe ſe obtulit paſſioni. Decebat

Hebr. 4. 15.

nempe Pontificem noſtrum tentari per omnia pro ſi- E militudine abſque peccato: ut tamquam verus homo & proſpera hominum, & adverſa opportune vitaret, opportune ſuſciperet, & utrarumque rerum in ſeipſo nobis ſalutare præberet exemplum. Ut enim temperantiæ eſt, præconia populi & ſæculi hujus proſpera declinare: ſic interdum juſtitiæ eſt, certa quidem diſpenſatione admittere ea. Perſecutio quoque & temporalis omnis adverſitas pro loco & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cum autem neceſſe fuerit, viriliter toleranda.

2. Et in his quidem duobus (proſperitatem & adverſitatem loquor) humana omnis vita verſatur. Nihilo minus autem in illis quatuor notiſſimis utique F ſpeciebus virtus univerſa conſiſtit. Ita ergo omnem virtutem implere decuit eum, in quo plenius habitabat omnis plenitudo virtutis: ut notum fieret omnibus, quia is ſciret maxime abundare, ſciret & penuriam pati. Non enim Dei Sapientia de his erat, quos occidere proſperitas ſua; non Dei Virtus de his, quos perdere poſſet averſio. Utrumque enim ſcriptum eſt, quod

Prov. 1. 32.

proſperitas, non tamen omnium, ſed ſtultorum, occidat illos: & averſio utique, non quorumlibet, ſed parvulorum, perdat illos. Quàm modeſte tamen hanc ipſam videtur gloriam ſuſcepiſſe, ad triumphalem

Tom. III.
Marc. 11. 1.

occurſum in aſino veniens, non in curribus aut in A equis! Er dicebat : *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite : Quia Dominus his opus habet.* Opus magnum, opus ſalutis. Nempe homines & jumenta ſalvos facere venerat, multiplicans miſericordiam ſuam Deus. Initia noſtræ converſionis fovet iſta dignatio, ut primum ex ancilla filium generemus. Solutus eſt ad mandatum Domini qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere; aut utroque fortius vinculo alligatus, nec volens ſcilicet, nec valens. Non novit interim purius in Domino gratulari. Perſuaſum tenet placere ei quod agit, & conſolatur in eo quod ſibi eum quodammodo ſe facere reputet debitorem : ſæpius memorans, quia Dominus his opus habet. Nam proceſ- B ſu temporis in eo magis afficitur, ut ſuo ſollicitetur debito, & timeat, ne forte tantis beneficiis inveniatur ingratus, dicens, quia ſervus inutilis ſum, & bonorum meorum non eges. At hæc quidem verax affectio & fidelis : hic filius liberæ, cum quo ancillæ filius heres eſſe non poſſit. Ita ergo in hac proceſſione.

* al. affectuoſius
2. Dies Refectionis

3. Ceterum ante paſſionem affectuoſiſſimus * Paterfamilias refectionem ſuis curavit domeſticis exhibere : & in hoc quoque apparuit benignitas & humanitas Salvatoris. Cum enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, & dicebat : *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Oportebat enim. Expe- C tierat eos ſatanas, ut cribraret ſicut triticum : opus erat prævenire refectionem. Denique qui refecti paulo minus defecerunt, quid jejuni feciſſent? Hinc fuit, quod non modo corpora, ſed etiam corda refecit, & ea quàm maxime. Neque enim corporalis paſſio, ſed tentatio ſpiritualis inſtabat, quod ſingulariter ille futurus eſſet donec tranſiret. Ea nimirum hoſtia ſicut ſola prodeſſe potuit, ſic ſola ſuffecit : nec Chriſtum decuit ſimul & Petrum, aut Jacobum, vel Johannem pro ſalute hominum pati. Crucifixi tamen fuere cum eo alii duo, ſed duo nequam : de quibus nulla prorſus ſuſpicio poſſet haberi, tamquam ex eis minus efficax ſacrificium ſuppleretur.

Luc. 22. 15.
Chriſti ſolius paſſio nobis ſufficit.

Panibus quinque refecit Apoſtolos.
Johan. 4. 34.

4. Quibus ergo panibus in cœna refecit Apoſtolos? Ut ego arbitror, quinque. *Meus*, inquit, *cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Cibus utique, ſed cibus cordis. Quid enim æque confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni neceſſitate confortat & ſuſtentat, ut divinæ voluntatis exſecutio, velut in quemdam animæ ventrem, conſcientiam ſcilicet ejus, ingeſta? Sic & ſermonem divinæ exhortationis, & promiſſionum ejus conſolationem, & orantium * lacrymas, panes cordis eſſe ſolus ille ignorat, cujus jam aruit cor, pro eo quod ſuum ipſius panem comedere ſit oblitus. Super omnia autem caro Domini vere eſt cibus, & cibus vitæ, panis de cælo vivus. Nullum ex his in hac tam ſollemni Cœna Domini defuiſſe reperies, ſi diligenter advertas. Recumbentibus adhuc diſcipulis ſurgit à cœna, præcingitur linteo, aquam ponit in pelvim, diſcipulorum pedes abluit, & extergit. Non eſt voluntas carnis & ſanguinis hæc, ſed voluntas Patris, & ſanctificatio noſtra. Denique, *Si non lavero te*, ait Dominus ad Petrum obnixius repugnantem, *non habebis partem mecum.* Scimus autem quis dixerit : *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras : quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Opportune autem, & utique more ſuo, poſt exemplum operis, exhortationem ſermonis adjunxit. Inter loquendum quoque (nam copioſiſſimus exſtitit ſermo) multis eos promiſſionibus propter inſtantem maxime paſſionem refovere & refocillare curavit, de reſurrectione ſua, de adventu Paracliti, de eorum confirmatione, & aliquando aſſumptione ad ſeipſum. Nec multo poſt ventum eſt ad orationem, & uſque tertio factus in agonia orabat. Ubi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleviſſe videtur : ut totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, totius lacrymis corporis purgaretur. Nam de Sacramento quidem Corporis &

* al. orationum.
Johan. 6. 56.
Johan 13. 8
Johan. 6 37.
Chriſti oratio & ſudor in horto.

Sanguinis ſui, nemo eſt qui neſciat, hanc quoque tantam & tam ſingularem alimoniam ea primum die exhibitam, ea die commendatam & mandatam deinceps frequentari.

5. Dies Paſſionis.
Chriſti crux in 4. conſiſtit.

5. Ex hoc jam dies ſequitur Paſſionis, in qua nimirum ſicut totum hominem ſalvum fecit, ſic de toto ſe fecit hoſtiam ſalutarem, corpus exponens tantis ſuppliciis & injuriis, animum vero geminæ cujuſdam humaniſſimæ compaſſionis affectui : hinc quidem ſuper mærore inconſolabili ſanctarum feminarum, inde ſuper deſperatione & diſperſione diſcipulorum. In his quatuor crux Dominica fuit : & hæc omnia propter nos paſſus eſt, qui tanta caritate compaſſus eſt nobis. B Verumtamen quæ de ipſo erant, finem habuere, (ſicut ipſe lamentantibus mulieribus ait) finem utique celerrimum & celeberrimum, primo quidem requiem, deinde reſurrectionem. Nos quoque, ſi feſtinamus in illam ingredi requiem, per multas tribulationes nobis meminerimus tranſeundum. Et prius quidem donec ſumus in tribulatione, magnum nobis videtur * adſpirare ad requiem, tamquam nihil ſin..s amplius deſideraturi. Verum non erit nobis requies, ne in requie quidem ipſa, à deſiderio gloriæ, a deſiderio reſurrectionis. *Amodo*, inquit, *jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* A labore ergo requieſcunt, qui in Domino moriuntur : ſed non requieſ- C cunt interim à clamore. Denique ſub throno Dei clamant animæ occiſorum : quia etſi nihil habeant quod moleſtet; nondum tamen totum habent quod delectet, donec requiem reſurrectio, donec ſabbatum paſcha ſequatur, amen.

Luc. 23. 28.
6. Dies Requietionis, & 7. Reſurrectionis.
* al. videntur.
Apoc. 14. 13.

FERIA IV. HEBDOMADÆ SANCTÆ

SERMO.

De Paſſione Domini.

1. Vigilate animo, Fratres, ne infructuoſe vos hujus temporis ſacramenta pertranſeant. Co- D pioſa eſt benedictio : date receptacula munda; devotas animas, ſenſus vigiles, affectus ſobrios, puras conſcientias exhibete tantis chariſmatibus gratiarum. Nimirum admonet vos ſollicitudinis hujus, non modo ſpecialis ipſa converſatio quam profeſſi eſtis, ſed & generalis Eccleſiæ obſervatio, cujus filii eſtis. Univerſi ſiquidem Chriſtiani ſacra hac ſeptimana, aut præ ſolito, aut præter ſolitum, pietatem colunt, modeſtiam exhibent, humilitatem ſectantur, induunt gravitatem, ut Chriſto patienti quodam modo compati videantur. Quis enim tam irreligioſus, qui non compungatur? quis tam inſolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam de- E licioſus, ut non abſtineat? quis tam flagitioſus, ut non contineat? quis tam malitioſus, ut non pœniteat his diebus? Merito quidem. Nempe adeſt Paſſio Domini, uſque * hodie terram movens, petras ſcindens, aperiens monumenta. Prope eſt etiam Reſurrectio ejus, in qua ſollemnitatem celebrabitis altiſſimo Domino : utinam uſque in altiſſima quæ fecit magnalia alacritate & aviditate ſpiritus ſubeuntes. Nihil in mundo poterat melius fieri, quàm quod factum eſt à Domino his diebus. Nihil mundo poterat melius vel utilius commendari, quàm ut ritu perpetuo celebret ſingulis annis memoriale ejus in deſiderio animæ, & memoriam abundantiæ ſuavitatis ejus * eructet. F Utrumque autem propter nos, quod in utroque nobis ſalutis fructus, in utroque vita ſpiritus noſtri. Mirabilis Paſſio tua, Domine Jeſu, quæ paſſiones omnium noſtrum propulſavit, propitiata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nulli umquam peſti noſtræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte ſolvatur?

Chriſtiani in hebdomada ſancta religioſi ſunt.
* al. uſque.
* al. ſiet.
Paſſionis & mortis Chriſti vis & efficacia.

2. In hac igitur Paſſione, Fratres, tria ſpecialiter convenit intueri, opus, modum, cauſam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in cauſa caritas commendatur. Patientia autem ſingularis,

In paſſione tria conſideranda, opus, modus, cauſa.

quod videlicet cum ſupra dorſum ejus fabricarent peccatores; cum ſic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia oſſa ejus; cum fortiſſimum illud propugnaculum, quod cuſtodit Iſraël, undique foraretur; cum foderentur manus ejus & pedes: ſicut agnus ad occiſionem ductus ſit, & tamquam ovis coram tondente, non aperuerit os ſuum; non adverſus Patrem murmurans, à quo miſſus fuerat; non adverſus humanum genus, pro quo quæ non rapuit exſolvebat; non denique vel contra populum ipſum peculiarem ſibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis ſuis, & humiliter ſuſtinent: hoc ipſum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii, non tam purgandi, quàm probandi, coronandique; & major in eis patientia comprobatur, & commendatur. Quomodo non maxima cenſeatur in Chriſto, qui in funiculo hereditatis ſuæ, ab his, quibus ſpecialiter advenerat ſalvator, crudeliſſima morte mulctatur ſicut fur, nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, ſed nec in quo creſcere poſſet, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbratice, ſed corporaliter: in quo Deus eſt mundum reconcilians ſibi, non figurative, ſed ſubſtantialiter: qui denique plenus eſt gratiæ & veritatis, non cooperative *, ſed perſonaliter, ut faciat opus ſuum. *Alienum eſt opus ejus ab eo*, Iſaias loquitur: quia & opus ſuum fuit, quod dedit ei Pater ut faceret: & alienum ab eo, ut talis talia ſuſtineret. Ita ergo habes in opere patientiam.

In opere patientia.

* al. comparative.

Iſai. 28. 21.

3. Nam modum ipſum ſi diligenter attendas, non modo mitem, ſed & humilem corde cognoſces. Nempe in humilitate judicium ejus ſublatum eſt, cum nec ad tantas blaſphemias, nec ad falſiſſima quæ ſibi objiciebantur crimina reſponderet. *Vidimus*, inquit, *eum, & non erat ei aſpectus*, nec ſpecioſum forma præ filiis hominum, ſed opprobrium hominum, & tamquam leproſum; noviſſimum virorum, plane virum dolorum, à Deo percuſſum & humiliatum: ità ut nulla eſſet ei ſpecies, neque decor. O noviſſimum, & altiſſimum! ô humilem, & ſublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo ſublimior, neque humilior. Denique ſputis illitus eſt, opprobriis ſaturatus eſt, morte turpiſſima condemnatus eſt, cum ſceleratis deputatus eſt. Nihilne merebitur vel iſta humilitas, quæ hunc habet modum, immo quæ tam eſt ultra modum? Sicut eſt patientia ſingularis, ſic humilitas admirabilis, utraque ſine exemplo.

Modus in humilitate.

Iſai. 53. 2.

4. Utramque tamen magnifice cauſa ipſa commendat: nimirum caritas eſt. Propter nimiam enim caritatem ſuam, qua dilexit nos Deus, ut ſervum redimeret, nec Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit. Vere nimiam, quia & hæc menſuram excedit, modum ſuperat, plane ſupereminens univerſis. *Majorem*, inquit, *caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tu majorem habuiſti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, per mortem tuam & tibi reconciliati ſumus, & Patri. Quænam ergo alia videbitur eſſe, vel fuiſſe, vel fore huic ſimilis caritati? Vix pro juſto quis moritur: tu pro injuſtis paſſus es, moriens propter delicta noſtra, qui veniſti juſtificare gratis peccatores, ſervos facere fratres, captivos coheredes, exſules reges. Nec ſane aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem æque illuſtrat, quàm quod tradidit in mortem animam ſuam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgreſſoribus rogans, ut non perirent. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus! Quia enim voluit, oblatus eſt. Non modo voluit & oblatus eſt, ſed quia voluit. Solus nimirum poteſtatem habuit ponendi animam ſuam: nemo eam abſtulit ab eo; obtulit ultro. Cum accepiſſet acetum, dixit: *Conſummatum eſt.* Nihil reſtat implendum: jam non eſt quod exſpectem. *Et inclinato capite*, factus obediens uſque ad mortem, *tradidit ſpiritum.* Quis tàm facile quando vult dormit? Magna quidem infirmitas mori: ſed plane ſic mori, virtus immenſa. Nempe quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Poteſt humana veſania ſibi ipſi in mortem ſceleratas injicere manus: ſed hoc non eſt ponere animam ſuam; urgere eam magis, & violenter abrumpere, quàm ad nutum ponere eſt. Tibi, impie Juda, miſera plane facultas fuit non ponendi animam, ſed pendendi: nec tradente te, ſed trahente laqueo nequiſſimus ille ſpiritus tuus exivit, non emiſſus à te, ſed amiſſus. Solus in mortem tradidit animam ſuam, qui ſolus virtute propria regreſſus eſt ad vitam. Solus poteſtatem habuit ponendi, qui ſolus facultatem æque habuit liberam reſumendi, imperium habens vitæ & mortis.

Cauſa caritas.

Joan. 15. 13.

Chriſti mors ſpontanea.

Joan. 19. 30.

Tom. III.

5. Digna ergo caritas tam inæſtimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam inſuperabilis. Digna plane tam ſancta, tam immaculata hoſtia, tam acceptabilis. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico peccatum triplex, qood invaluit ſuper terram. Putatis quod dicere velim concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ? Funiculus triplex eſt, qui difficile rumpitur: propterea multi trahunt, immo trahuntur hoc funiculo vanitatis: ſed prior ille ternarius non immerito prævalet in electis. Quomodo enim non illius patientiæ recordatio omnem arceat voluptatem? quomodo non illius humilitatis conſideratio ſuperbiam vitæ prorſus extundat? nam caritas illa plane digna, cujus meditatio ſic mentem occupet, ſic totam ſibi vindicet animam, ut omnino vitium curioſitatis exſufflet. Fortis igitur contra hæc paſſio Salvatoris.

Chriſti mors omnia peccata expugnat.

6. Sed aliud ego triplex æque peccatum quemadmodum virtus crucis expungat, dicere cogitavi; & id forte utilius audiatur. Primum quidem originale, ſecundum perſonale dixerim, tertium ſingulare. Et originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur univerſi. Maximum plane, quod ſic totum non modo genus humanum, ſed & quemlibet ipſius generis occupat, ut non ſit qui evadat, non ſit uſque ad unum. A primo homine ad noviſſimum uſque protenditur: & in ſingulis quoque à planta pedis uſque ad verticem capitis diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilo minus in univerſam dilatatur ætatem, ab ea ſcilicet die, qua ſua quemque concipit, uſque ad eam, qua communis eum recipit mater. Alioquin unde grave jugum ſuper omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium? In ſordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miſeras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum quod non ipſi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingreſſi, ut nobis illud ſancti Job ex omni parte poſſit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.* Quàm verum * hoc ſit, non nos verba docuere, ſed verbera. *Homo*, inquit, *natus de muliere*: nihil abjectius. Et ne forte ex ipſa ſibi voluptate corporeorum ſenſuum, quam de ſenſibilibus hauriat, blandiatur; in ipſo ſtatim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur, *brevi vivens tempore.* Ac ne ſpatiolum illud, quod inter ingreſſum & egreſſum relinquitur, ſibi liberum putet, *repletur*, ait, *multis miſeriis.* Multis & multiplicibus, inquam, miſeriis corporis, miſeriis cordis; miſeriis cum dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quaquaverſum ſe vertat. Nimirum ipſe quoque natus ex Virgine, immo factus ex muliere, ſed benedicta in mulieribus, qui loquitur ad Matrem, *Mulier, ecce filius tuus*: etiam brevi vivens tempore ſuper terram, & nihilo minus multis eſt repletus miſeriis, in illa brevitate appetitus inſidiis, interrogatus

Triplex peccati genus cruce & morte Chriſti expugnatum.

1. Originale.

Job 14. 1.

* al. add. verbum.

Joan. 19. 26.

Tom. III.

contumeliis, pulſatus injuriis, vexatus ſuppliciis, conviciis laceſſitus.

7. Tunc hanc ſufficere dubites obedientiam, quæ reatum omnem primæ prævaricationis abſolvat? immo vero non ſicut delictum, ita & donum. Nam peccatum ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Et grave quidem omnino delictum illud originale, quod non ſolum perſonam infecit, ſed & naturam. Perſonale tamen cuique gravius eſt, cum jam laxatis habenis exhibemus undique membra noſtra arma iniquitatis peccato, non modo jam alieno *, ſed & proprio crimine compediti. Singulare vero eſt graviſſimum, quod commiſſum eſt in Dominum majeſtatis, cum viri impii virum juſtum injuſte occiderunt, & ſacrilegas manus in ipſum Dei Filium injecerunt, crudeliſſimi homicidæ, immo (ſi fas eſt dicere) etiam deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertium? Ad hoc expalluit & expavit tota machina mundialis, & pæne in antiquum chaos ſunt omnia revoluta. Ponamus aliquem de regni principibus terram regiam populaſſe in vaſtitate hoſtili: ponamus alium, qui cum eſſet de convivio, & conſilio regis, unicum ejus filium proditoriis manibus ſuffocarit. Numquid non primus reſpectu ſecundi innocens videbitur & immunis? Sic eſt omne peccatum quantum ad hoc peccatum: & tamen hoc peccatum in ſe pertulit, qui ſe ipſum fecit peccatum, ut de peccato damnaret peccatum. Per hoc enim omne peccatum, tam originale, quam perſonale, deletum eſt, & ipſum quoque ſingulare eliminatum eſt per ſeipſum.

Item perſonale & ſingulare.

* al. altero.

8. Argumentum mihi à maximo, quod duo minora ſunt exploſa: & ecce argumentum. Peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit, ut non perirent: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Volat irrevocabile verbum tuum, Domine, nec revertetur ad te vacuum, ſed faciet ad quod miſiſti. Vide nunc opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus: omnium tamen dolorum immemor, *Ignoſce*, ait, *illis.* Hinc multæ miſeriæ corporis, hinc miſericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miſerationes, hinc oleum exſultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram. Miſericordiæ Domini multæ, ſed & miſeriæ Domini multæ. Vincentne miſeriæ miſericordias, an miſericordiæ miſerias ſuperabunt? Vincant miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine, vincat ſapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas: ſed numquid non major pietas tua, Domine? Multum per omnem modum. *Numquid redditur pro bono malum*, ait, *quia foderunt foveam animæ meæ?* Plane foderunt impatientiæ foveam, occaſiones indignationis plurimas, & quàm maximas miniſtrantes. Sed quid horum fovea ad abyſſum manſuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foveam foderunt: ſed caritas non irritatur, non præcipitatur, numquam excidit, non in foveam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. Abſit ut muſcæ morituræ exterminent ſuavitatem unguenti, quod de tuo corpore fluit: quia apud ſinum tuum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Muſcæ morituræ, miſeriæ ſunt; muſcæ morituræ, blaſphemiæ ſunt; muſcæ morituræ, inſultationes ſunt, quas tibi reddit generatio prava & exaſperans.

Luc. 23. 34.

Chriſti cruciatus & miſericordia.

Jerem. 18. 20.

Chriſti patientia & benignitas.

9. Tu autem quid? in ipſa elevatione manuum tuarum, cum jam ſacrificium matutinum in holocauſtum veſpertinum tranſiret; in ipſa, inquam, virtute incenſi, quod cælos aſcendebat, terram operiebat, inferos reſpergebat, exaudiendus pro reverentia tua clamas: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* O quàm multus es ad ignoſcendum! ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! ô quàm longe ſunt cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris! ô quàm firmata eſt etiam ſuper impios miſericordia tua! Mira res! Ille clamat, *Ignoſce*: Judæi, *Crucifige.* Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & iſti ſunt jacula. O caritas patiens, ſed & compatiens! *Caritas patiens eſt*, ſufficit; *caritas benigna eſt*, cumulus eſt. *Noli vinci à malo*, caritas abundans; *ſed vince in bono malum*, ſuperabundans eſt. Non enim ſola patientia, ſed & benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adduxit: quia benigna caritas etiam quos tolerat amat, & amat tam ardenter. Patiens caritas diſſimulat, exſpectat, ſuſtinet delinquentem: ſed benigna trahit, adducit, converti facit ab errore viæ ſuæ, denique cooperit multitudinem peccatorum. O Judæi, lapides eſtis, ſed lapidem percutitis molliorem, de quo reſonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum caritatis! QUOMODO potabis, Domine, deſiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui ſic perfundis crucifigentes te oleo miſericordiæ tuæ?

Luc. 23. 34.

1. Cor. 13. 4.

Rom. 12. 21.

10. Patet igitur, quia hæc paſſio potentiſſima eſt ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis ſcit ſi data eſt mihi? Mihi data eſt, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non reſurgit. Denique non in ſimilitudinem Angelorum, abſit autem ut in ſimilitudinem dæmonum, ſed *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens. Filius erat, & factus eſt tamquam ſervus. Non ſolum formam ſervi accepit, ut ſubeſſet; ſed etiam mali ſervi, ut vapularet; & ſervi peccati, ut pœnam ſolveret, cum culpam non haberet. *In ſimilitudinem*, inquit, *hominum*, non hominis: quia primus homo nec in carne peccati, nec in ſimilitudine carnis peccati creatus eſt. Chriſtus enim in univerſali hominum miſeria preſſius & profundius ſe immerſit, ne ſubtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet ſacramentum. Ideo habitu, & omni habitu inventus eſt ut homo: nec in eo, quantum ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit. Quia enim ita inventus eſt, ideo crucifixus. Paucis autem revelavit ſeipſum, ut eſſent qui crederent; reliquis autem abſconditus eſt: *Quia ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ad hoc etiam illi ſingulari peccato ignorantiam copulavit, ut ſub aliqua juſtitiæ umbra ignorantibus poſſet ignoſci.

Philip. 2. 7.

1. Cor. 2. 8.

11. Duo autem nobis in hereditatem reliquerat ille vetuſtus Adam qui fugit à facie Dei, laborem videlicet, & dolorem: laborem in actione, dolorem in paſſione. Non hoc ipſe audierat in paradiſo, quem acceperat ut operaretur, & cuſtodiret illum; operaretur delectabiliter, cuſtodiret fideliter, & ſibi, & poſteris ſuis. Chriſtus Dominus laborem & dolorem conſideravit, ut traderet eos in manus ſuas; immo ſe magis in manus eorum, infixus in limo profundi, & intraverunt aquæ iſtæ uſque ad animam ejus. *Vide*, ad Patrem inquit, *humilitatem meam, & laborem meum: quia pauper ego ſum, & in laboribus à juventute mea.* Laboravit ſuſtinens, manus ejus in laboribus ſervierunt. De dolore vide quid dixerit. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Vere languores noſtros ipſe tulit, & infirmitates & dolores noſtros ipſe portavit.* vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia abſque peccato. Et in vita paſſivam habuit actionem, & in morte paſſionem activam ſuſtinuit, dum ſalutem operaretur in medio terræ. Proinde MEMOR ERO, quamdiu fuero, laborum illorum quos pertulit in prædicando [a], fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, conviciorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ per eum & ſuper eum abundantius tranſierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit ſimilitudo, ſed ſi acceſſerit etiam imitatio, ut ſequar veſtigia ejus. Alioquin etiam ex-

Labor & dolor ex peccato primi parentis.

Pſal. 68. 3.

Pſal. 24. 18.

Pſal. 87. 16.

Thren. 1. 12.

Iſa. 53. 4.

A Chriſto ſuſcepti.

Bernardi devotio in Chriſti paſſionem.

a Totidem verba repetit Bernardus ſermone 23. de diverſis num. 5. ſermone 43. in Cantica num. 3. Iiſdem pro ſuis uſus eſt Nicolaus Claræ-vallenſis in epiſtolâ 6.

Tom III

Chriſti imitatio neceſſaria.

quiretur à me ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, nec immunis ero ab illo tam ſingulari ſcelere Judæorum · quod videlicet tantæ caritati ingratus fuerim, quod ſpiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod ſanguinem teſtamenti pollutum duxerim, quod conculcaverim Filium Dei.

12. Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur; ſed neceſſitas in cauſa eſt, non voluntas: & hi non ſunt conformes imagini Filii Dei. Sunt qui ex voluntate ſuſtinent; ſed non eſt eis ſors, neque pars in ſermone iſto. Vigilat tota nocte luxurioſus, non ſolum patienter, ſed & libenter, ut ſuam expleat voluptatem: vigilat raptor veſtitus ferro, ut diripiat prædam: vigilat fur, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes, & horum ſimiles longe ſunt à labore & dolore, quem conſiderat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Chriſtiana voluntate divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tamquam habitas contempſerunt, relinquentes omnia propter ipſum, ſicut & ipſe reliquit omnia propter ipſos, ſequuntur eum quocumque ierit. Hujuſmodi autem imitatio validiſſimum argumentum mihi eſt, quod paſſio Salvatoris, & ſimilitudo humanitatis in meam tranſeunt utilitatem. Hic enim ſapor, hic fructus eſt & laboris, & doloris.

Paſſionis Chriſti in nobis fructificantia indicium.

13. Vide ergo quàm magnificaverit facere tecum illa majeſtas. De omnibus quæ in cælo & ſub cælo ſunt, dixit, & facta ſunt. Et quid facilius dictu? Sed numquid ſolo verbo factum eſt, cum te quem fecerat refecit? Triginta & tribus annis ſuper terram viſus, & cum hominibus converſatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis inſultatores, non habens ubi caput ſuum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à ſua ſubtilitate deſcenderat, & groſſius acceperat indumentum. Nam caro factum fuerat, & ideo groſſiori & moroſiori opere utebatur. Sicut autem cogitatio veſtit ſibi vocem corpoream abſque ſui diminutione vel ante vocem, vel poſt vocem: ſic Filius Dei aſſumpſit carnem, non commixtionem paſſus, neque diminutionem, nec ante carnem, nec poſt carnem. Apud Patrem inviſibilis: ſed hic manus noſtræ tractaverunt de Verbo vitæ; & quod erat ab initio, vidimus oculis noſtris. Hoc autem Verbum quia carnem puriſſimam & animam ſanctiſſimam unierat ſibi, libere moderabatur actiones corporis ſui: tum quia ſapientia & juſtitia erat, tum quia nullam habebat prorſus legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Meum verbum nec ſapientia, nec juſtitia eſt, ſed tamen utriuſque capax, & poſſunt ei hæc abeſſe & adeſſe; abeſſe autem facilius. Familiare enim magis jam nobis eſt carnis noſtræ ſervire vitiis, quàm actiones & paſſiones ejus ordinare: pro eo quod omnis ætas ab adoleſcentia prona eſt in malum, inter flagella quoque & gladios, etiam ſub diſcrimine mortis, ad ſuas ambiens voluptates.

Pſal. 148. 5. Redemtio quam ardua.

Chriſti libertas in moderandis actionibus corporis ſui.

14. Felix, cujus cogitatio (hoc eſt verbum noſtrum) omnes actiones ſuas ad juſtitiam dirigit, ut & intentio ſana ſit, & operatio recta. Felix, qui paſſiones corporis ſui propter juſtitiam ordinat, ut quicquid patitur, propter Dei Filiom patiatur: quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore verſetur gratiarum actio, & vox laudis. Qui ſic extulit ſe, iſte tollit grabatum ſuum, & vadit in domum ſuam. Grabatum noſtrum corpus eſt, in quo prius languidi jacebamus, ſervientes deſideriis & concupiſcentiis noſtris. Nunc vero portamus illud, cum ſpiritui obedire cogimur: & mortuum noſtrum portamus, quia corpus mortuum eſt propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*. Ambulamus etiam in domum noſtram. In quam domum? In matrem omnium, quia *ſepulcra eorum domus illorum in æternum*. Vel potius in domum noſtram, quam habemus ex Deo non manufactam, æternam in cælis. Qui ſub hoc onere ambulamus, poſito eo, quid putatis quomodo curremus? quomodo volabimus? Plane ſuper pennas ventorum.

Actiones & paſſiones noſtræ ut ordinandæ.

Sap. 9 15.

Pſal. 48 12. 2. Cor. 5. 1.

Amplexatus est nos Dominus Jeſus per laborem & dolorem noſtrum: amplectamur eum nos quoque vicariis quibuſdam amplexibus propter juſtitiam & ad juſtitiam ſuam; actiones ad juſtitiam dirigendo, paſſiones propter juſtitiam ſuſtinendo. Dicamus quoque cum ſponſa: *Tenuo eum, nec dimittam*. Dicamus etiam cum Patriarcha: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Quid enim jam ſupereſt, niſi benedictio? Quid poſt amplexum, niſi oſculum reſtat? Si ſic adhærerem Deo, quomodo non jam exclamare liberet: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* Ciba nos interim, Domine, lacrymarum pane, & potum da nobis in lacrymis in menſura: donec perducas nos ad menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, quam dabis in ſinus noſtros, qui es in ſinu Patris ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula, amen.

Brachia quibus Chriſtus nos amplexus eſt, & quibus eum amplectamur.

Cant. 3 4.

Gen. 32. 26.

Cant. 1 1.

IN COENA DOMINI.

SERMO.

De Baptiſmo, Sacramento altaris, & Ablutione pedum.

1. HI ſunt dies quos obſervare debemus, dies pleni pietate & gratia, quibus etiam ſceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta ſiquidem eſt vis ſacramentorum eorum, quæ diebus iſtis recoluntur, ut poſſint ipſa quoque lapidea ſcindere corda, & pectus omne, licet ferreum, emollire ſufficiant. Denique videmus uſque hodie ad paſſionem Chriſti non modo cæleſtia compati, ſed terram moveri, & petras ſcindi, & in confeſſione peccatorum aperiri monumenta. At vero quoniam ſic eſt in ſpiritualibus cibis, ſicut & in corporalibus, ut in quibuſdam ſtatim præſto ſit ſapor, in aliquibus oporteat laborare: quæ manifeſta ſunt, noſtro non indigent miniſterio; quæ vero clauſa ſunt, diligentem volunt habere conſiderationem *. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, ſed frangit eam, & nucleum porrigit. Sic & ego vobis, Fratres cariſſimi, ſi poſſem, ſacramenta quæ clauſa ſunt, aperire debueram: ſed quia minus poſſum, rogemus ut vobis pariter & mihi mater ſapientia frangat nuces iſtas, nuces inquam, quas protulit ſacerdotalis virga, virga virtutis, quam emiſit Dominus ex Sion. Multa quidem ſunt ſacramenta, & ſcrutandis omnibus hora non ſufficit. Fortaſſis etiam aliqui veſtrum imbecilles ſunt ad tanta ſimul capienda. De tribus itaque ſacramentis a, quæ ſatis congrua ſunt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipſe donaverit.

Sanctitas horum dierum.

* al. conſideratorem.

2. Sacramentum dicitur ſacrum ſignum, ſive ſacrum ſecretum. Multa ſiquidem fiunt propter ſe tantum: alia vero propter alia deſignanda: & ipſa dicuntur ſigna, & ſunt. Ut enim de uſualibus ſumamus exemplum, datur anulus abſolute propter anulum, & nulla eſt ſignificatio: datur ad inveſtiendum de hereditate aliqua, & ſignum eſt, ita ut jam dicere poſſit qui accipit: Anulus non valet quicquam, ſed hereditas eſt quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans paſſioni Dominus, de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur. Ad hoc inſtituta ſunt omnia ſacramenta, ad hoc Euchariſtiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipſe Baptiſmus, initium ſacramentorum omnium, in quo complantamur ſimilitudini mortis ejus: unde & trina merſio tridui, quod nunc celebrandum eſt, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diverſa ſunt ſigna, &, ut cœpto immoremur

Sacramentum quid.

Gratia inveſtitura eſt.

Inveſtitura diverſæ.

a Sacramenti nomen hic generaliter ſumitur, prout non tantum vera legis novæ Sacramenta, qualia ſunt Baptiſmus & Sacramentum altaris, ſed etiam Sacramentalia comprehendit, qualis eſt ablutio pedum, quam etiam Ernaldus Bonæ-vallis abbas in Sermone de ablutione pedum, qui unus eſt libri de cardinalibus Chriſti operibus, Sacramentum itidem appellat. Alias ſane Hugo à ſancto Victore, illius temporis ſcriptor, ſollemnem Sacramentorum numerum habet,

Tom. III. exemplo, variæ ſunt inveſtituræ ſecundum ea de quibus inveſtimur: verbi gratia, inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & anulum ſimul: ſicut, inquam, in hujuſmodi rebus eſt, ſic & diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ ſacramentis. Quæ eſt ergo gratia, unde per Baptiſmum inveſtimur? Utique purgatio delictorum. Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus, & in quem peccatum non cadit, Deus? Hujus quidem gratiæ ſacramentum prius erat Circumciſio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet: ſed veniente Domino, qui agnus eſt totus ſuavis & mitis, cujus jugum ſuave eſt & onus leve, optime ſatis mutatum eſt, ut inveteratam rubiginem cum unctione ſancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa ceſſaret.

Baptiſmi gratia.

Circumciſio olim vice baptiſmi.

3. Sed forte quærat aliquis, & dicat: Si deletum eſt in baptiſmo quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, & velut incentivum quoddam peccati? Neque enim dubium, quin à primis parentibus in nos traducta ſit lex iſta peccati. Omnes ſiquidem peccatrice voluntate generamur [a], & inde voluntas noſtra corrupta eſt tamquam ulceribus plena: unde licet inviti, pruritus quoſdam concupiſcentiarum, & tamquam beſtiales motus ſentimus. Dixi vobis ſæpius, nec mente excidere debet, quoniam in caſu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem ſuper acervum lapidum, & in luto: unde non ſolum inquinati, ſed etiam vulnerati, & graviter quaſſati ſumus. Lavari quidem cito poſſumus; ad ſanandum vero opus eſt curatione multa. Lavamur igitur in baptiſmo, quia deletur chirographum damnationis noſtræ: & hæc gratia nobis confertur, ut jam nihil nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen à conſenſu abſtineamus: atque ita tamquam ſanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & reſponſum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia ſubvenit, & ut ſecuri ſitis, ſacramentum* Dominici Corporis & Sanguinis pretioſi inveſtituram habetis. Duo enim illud ſacramentum operatur in nobis: ut videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujuſmodi; gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo; & gaudeat quod peſſimum ulcus accedat ad ſanitatem.

Peccato originali per baptiſmum deleto, cur in nobis maneat fomes cupiditatis.

Euchariſtiæ vis ad frangendos concupiſcentiæ motus.

** al. ſacramentali.*

4. Sed tamen quid agimus, quod in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non poſſumus eſſe ſine peccato? Numquid deſperabimus? Abſit. *Si dixerimus*, ait beatus Johannes, *quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis Deus eſt, qui remittat peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Nam ut de remiſſione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus ſacramentum, pedum ablutionem. Quæris forte unde ſciam, quod ſacramentum ſit hujus remiſſionis? maxime cum ipſe Dominus promiſerit Petro dicens, *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*; nihil autem de ſacramento locutus eſt: ſed tantum, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Verum multa habebat illis dicere, ſed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios & ſuſpectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem noſſe, quia pro ſacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum eſt: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Aliquid igitur latet quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quando ſine eo nec ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti & Dei. Vide enim ſi non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, ſi non agnoverit ſalutare eſſe myſterium, cum reſpondit: *Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.* Et unde ſcimus quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem, & à quibus plane cavere non poſſumus ante mortem, ablutio iſta pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput pariter ad abluendum reſponſum eſt: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Lotus enim eſt, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id eſt intentio, & manus, id eſt operatio & converſatio, munda eſt: ſed pedes, qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati plus quam oporteret, cedat animus vel ad horam: *In multis enim offendimus omnes.*

1. Johan. 1. 8.

Lotio pedum peccata venialia delet.

Johan. 13. 7.

Johan. 13. 9.

Jac. 3. 2.

5. Verumtamen hæc nemo contemnat aut parvi pendat. IMPOSSIBILE eſt enim cum eis ſalvari, impoſſibile eſt ea dilui, niſi per Chriſtum Jeſum, & à Chriſto. Nemo, inquam, pernicioſa ſecuritate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, quoniam (ut audivit Petrus ab ipſo) niſi laverit ea Chriſtus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis neceſſe eſt nimis eſſe ſollicitos: ignoſcet facile, immo & libenter, ſi modo nos agnoſcamus. In hujuſmodi namque, quaſi inevitabilibus, & negligentia culpabilis eſt, & timor immoderatus. Hinc eſt quod in oratione, quam ipſe inſtituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiſcentia diximus, quod licet damnationem abſtulerit, quia juxta Apoſtolum, *Nulla damnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu*: tamen ad humiliandos nos ipſam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut ſentiamus quid nobis gratia præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus: ſic & de minoribus iſtis peccatis pia diſpenſatione nobiſcum agitur, ut non penitus auferantur; ſed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non poſſumus, certi ſimus, quod non noſtris viribus majora ſuperemus: ſemperque timorati, & omnino ſolliciti ſimus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter neceſſariam eſſe ſentimus.

Venialia peccata cur non parvipendenda.

Nimis tamen anxietas vitanda.

Luc. 11. 4.

Rom. 8. 1.

[illegible]

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

SERMO.

De ſeptem ſignaculis quæ ſolvit Agnus.

1. *VIcit Leo de tribu Juda.* Vicit plane malitiam ſapientia, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & ſuaviter univerſa diſponens: ſed pro me fortiter, ſuaviter mihi. Vicit Judæorum blaſphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipſo mortis imperio triumphavit. Ubi enim ſunt opprobria tua, Judæe? ubi ſunt, zabule, vaſa captivitatis? ubi eſt, mors, victoria tua? Confuſus eſt calumniator, raptor ſpoliatus eſt. Novum genus potentiæ! hactenus victorioſa mors obſtupeſcit. Quid tu, Judæe, qui pridie ante crucem agitabas caput ſacrilegum? quid verum * hominis caput Chriſtum exagitabas opprobriis? *Chriſtus*, inquit, *Rex Iſrael deſcendat de cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, ſermo nequam! Non eſt hoc, Caipha, quod paulo ante dicebas: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo; & non tota gens pereat.* At illud quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non à temetipſo dicebas. *Si rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce*, hoc plane tuum eſt; magis autem ejus qui mendax eſt ab initio. Quid enim conſequentiæ videtur habere, ut deſcendat, ſi rex eſt; & non magis aſcendat? Sic non meminiſti, ſerpens antique, quàm confuſus abſceſſeris olim, cum dicere præſumpſiſſes: *Mitte te deorſum*, &, *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me?* Sic tibi, Judæe, excidit quod audiſti, quia *Dominus regnavit à ligno*,

Apoc. 5. 5.

Inſignia Chriſti victoriæ.

** al. ſacrum hominis Chriſti.*

Matt. 27. 42.

Johan. 11. 50.

Matt. 27. 42.

Matt. 4. 9.

Pſal. 95. 10

a In quibuſdam ſcriptis deeſt hoc membrum, *& inde . . . ulceribus plena*, quæ tamen verba recte cum ſequentibus cohærent, ubi de ſanie inveterati ulceris agitur.

ut

ut regem abneges, quia manet in ligno? Sed forſitan nec * audiſti, quia non Judæis, ſed nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite*, inquit, *in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno* a.

* al. legiſti.

Chriſti in cruce & opere redemptionis perſeverantia.

2. Merito proinde titulum regni Præſes gentilis inſcripſit ligno, nec potuit Judæus, ut voluit, corrumpere tituli inſcriptionem, nedom impedire Dominicam paſſionem, & noſtram redemptionem. *Deſcendat*, inquiunt, *ſi rex Iſraël eſt*. Immo vero quia rex Iſrael eſt, titulum regni non deſerat, virgam imperii non deponat, cujus nimirum imperium ſuper humerum ejus, ſicut præcinit Iſaias. *Noli*, inquiunt Judæi ad Pilatum, *noli ſcribere*, *Rex Judæorum; ſed quia ipſe dixit*. *Rex ſum Judæorum*. & Pilatus: *Quod ſcripſi, ſcripſi*. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit: Chriſtus non perficiet quod incœpit? Ipſe enim cœpit, & ſalvabit nos. Sed dicunt: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere*. Immo vero ſi deſcenderit, neminem ſalvum faciet. Cum enim ſalvus eſſe non poſſit, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, quanto minus poterit eſſe Salvator? Alios ergo ſalvos facit*: nam ſalvatione, cum ſit ſalus, ipſe non indiget. Operatur ſalutem noſtram, nec caudam deeſſe patitur ſacrificio veſpertino hoſtiæ ſalutaris. Novit, inique, quid cogites. Non dabit tibi occaſionem ſurripiendæ nobis perſeverantiæ, quæ ſola coronatur. Non faciet obmuteſcere prædicatorum linguas, conſolantium puſillanimes, & dicentium ſingulis: Tu locum tuum ne deſeras. quod ſine dubio ſequeretur, ſi reſpondere poſſent, quia Chriſtus ſuum deſeruit. Proni enim ſunt ſenſus hominis & cogitationes in malum. Sine cauſa, maligne, paraſti ſagittas tuas in pharetra; & diſcipulorum ſuſpiria cumolas opprobriis Judæorum. Illi quippe deſperant, iſti improperant: ſed Chriſto neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis diſcipulis, & aliud adverſariis confutandis.

Iſai. 9. 6. — Johan. 19. 21. — Matt. 27. 42. — * al. facit.

Quatuor virtutes in cruce Chriſti reſplendentes.

3. Interim patientiam magis exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit caritatem. His nempe virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: & eſt ſupereminentior caritas, à dextris obedientia, patientia à ſiniſtris, radix virtutum humilitas in profundo. His ditavit trophæum crucis conſummatio Dominicæ paſſionis: cum ad Judæorum blaſphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, clavis exterius pungeretur. Nam & caritas in eo perfecta eſt, quod pro amicis animam poſuit; & obedientia conſummata, cum inclinato capite tradidit ſpiritum, factus obediens uſque ad mortem. His ſpoliare dotibus, hac privare gloria Chriſti ſatagebant Eccleſiam, qui dicebant: *Si rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce*. Nimirum ut non ſit jam obedientiæ forma, non incentivum amoris, non patientiæ vel humilitatis exemplum: ſed deleri habeant ex Evangelio verba illa ſuaviſſima, & dulciora ſuper mel & favum: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Et ad Patrem: *Opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*. Itemque ad diſcipulos: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Et, *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Hoc eſt enim quod dolet venenati ſerpentis aſtutia, exaltatum in deſerto ſerpentem æneum, cujus intuitu ſanentur vulnera quæ inflixit. Alioqoin quonam alio inſtigante miſiſſe credimus uxorem Pilati ad ipſum, dicentem: *Nihil tibi & juſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum?* Timebat ergo jam tunc; ſed nunc maxime virtute crucis enervari ſe ſentiens inimicus, ſera ducitur pœnitentia: & quos inſtigavit ad crucifigendum, inſtigat ad ſuadendum, ut de cruce deſcendat. Denique *ſi rex Iſrael eſt*, inquiunt, *deſcendat de cruce, & credimus ei*. Hæc plane ſerpentis aſtutia, hæc adinventio nequitiæ ſpiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis, *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael*: & noverat, quantum pro ſalute illius populi zelum gerere videretur. Propterea malitioſe nimis linguas erudiens blaſphemorum, ſuggerebat ut dicerent: *Deſcendat, & credimus*. quaſi jam nihil poſſet obſtare quin deſcenderet, qui eorum credulitatem tantopere deſideraret.

Johan 15. 13. — Johan 17. 4. — Matth. 11. 29. — Johan 12. 32. — Num 21. 8. — Matt 27. 19.

Diabolus Chriſti patientia perſeverantiæ fruſtra inſidiatur.

Matt. 15. 24.

4. Sed quid machinatur, aut cui parat inſidias verſipellis? Nempe ei in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda: ſicut nec exprobratione blaſphema mitiſſimus omnium movebatur. Eo quippe tendebat malitioſa ſuaſio, non ut ipſi crederent, ſed noſtra quoque, ſi qua erat, fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim, *Dei perfecta ſunt opera*; quando fateremur Deum, qui ſalutis opus reliquiſſet imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Chriſtus reſpondeat per Prophetam. Quæris ſigna, Judæe? *Exſpecta me in die reſurrectionis meæ*. Si vis credere, majora jam tibi opera demonſtravi. Multiplicavi ſigna, ſanitates perfeci heri & pridie: hodie magis habeo conſummari. An non majus erat, quod vidiſti è corporibus obſeſſis ſpiritus exire malignos, & de grabatis ſuis exſilire paralyticos, quàm è manibus meis vel pedibus clavos reſilire quos infixiſti? Sed patiendi tempus eſt, non faciendi: & paſſionis horam ſicut prævenire fruſtra conatus es, ſic nec poteris impedire.

Deut 32. 4. — Soph. 3. 8.

5. Sed ſi adhuc generatio prava & adultera ſignum quærit, non ei dabitur niſi ſignum Jonæ Prophetæ: non ſignum deſcenſionis, ſed reſurrectionis. Quod ſi Judæus non quærit, amplectatur & gaudeat Chriſtianus. Vicit enim Leo de tribu Juda. Suſcitatus eſt paterna voce leonis catulus; clauſo prodiit tumulo, qui de patibulo non deſcendit. An vero id majus ſit, inimici noſtri ſint judices, qui tam curioſe munierant monumentum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Hunc enim lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ devotæ invicem querebantur, facta jam reſurrectione Dominica *revolvit Angelus, & ſedebat*, ſicut ſcriptum eſt, *ſuper eum*. Conſtat proinde clauſo exiiſſe tumulo redivivum corpus, quod clauſo Virginis utero natum proceſſit in vitam, & ad diſcipulos clauſis introivit januis in conclavim. Sed eſt locus unde clauſis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit ſiquidem ferreos vectes, repagula univerſa contrivit: ut libere ſuos educeret, quos redemerat de manu inimici; & plenis egrederentur portis agmina * dealbatorum, qui laverant ſtolas ſuas, & candidas eas fecerant in ſanguine Agni, candidas prorſus in ſanguine: quia exivit cum eo & in eo etiam aqua dealbans; & teſtimonium perhibet ipſe qui vidit. Aut certe candidas in ſanguine, ſed in ſanguine Agni novelli lacteo, candido & rubicundo, ſicut habes in Cantico canticorum: *Dilectus meus*, ait ſponſa, *candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Inde eſt, quod in ſtola candida & fulgureo vultu teſtis quoque reſurrectionis apparet.

Matt 12 39. Luc. 11. 29. — Matt. 28. 2. & Marc. 16. 3. — * al. add. ſanctorum. — Cant. 5 10.

6. Jam ſi confutandis Judæorum calumniis ſufficere videtur hoc ipſum, quod clauſo egreſſus eſt monumento, cui inſultantes dicebant, *Si rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce*: (curioſius namque monumentum claudere & ſignare ſtuduerant, quàm infigere clavos.) ſi igitur vicit Leo de tribu Juda in hoc ipſo proceſſu, & majus demonſtravit opus quàm peterent: ipſum jam reſurrectionis miraculum cui poterit comparari? Legimus quidem nonnullorum præceſſiſſe reſurrectiones, aut magis certe ſuſcitationes, ſed iſtius præambulas, quibus & duplici privilegio noſcitur præeminere. Nam ceteri quidem reſurrexerant * iterum morituri: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*. Illi mortui denuo opus habent iterum reſuſcitari: Chriſtus quod mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quod autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitate. Merito proinde reſurgentium primitiæ Chriſtus: qui ita reſur-

Mortuorum variæ reſurrectiones. — * al. add. mortui. — Rom 6. 9. — Chriſti reſurrectionis præcellentia.

a Sic etiam nunc legitur in verſione Romana ſeu Italica pſalmi 90. uti & in noſtro S. Germani Pſalterio Vide S. Juſtini Dialogum cum Tryphone.

Tom. III. rexerit, ut cadere non adjiciat, qui ſolus attigit immortalitatem.

7. Eſt aliud, in quo reſurrectionis hujus innoteſcat gloria ſingularis. Quis enim in ceteris omnibus ſuſcitavit aliquando ſemetipſum? Ineffabile iſtud eſt, ut à morte ſe excitet ipſe qui dormit: ſingulare eſt, non
4. Reg. 4. 35. eſt qui faciat, non eſt uſque ad unum. Eliſæus Propheta mortuum ſuſcitavit, ſed alterum, non ſemetipſum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à ſe non poteſt, ſperans ab alio ſuſcitari; ab eo utique, qui triumphavit mortis imperium in ſeipſo. Inde eſt quod ceteros quidem dicimus ſuſcitatos, Chriſtum reſurrexiſſe, qui ſolus virtute propria victor prodiit de ſepulcro. ſiquidem & in hoc vicit Leo B de tribu Juda. Quantum poterit, immo quid non poſ-
Pſal. 138. 18. ſe videbitur vivens, & dicens Patri, *Reſurrexi, & adhuc ſum tecum*; qui tam potens exſtitit deputatus cum mortuis, ſed inter mortuos liber?

8. Nec vero reſurrectionem diſtulit ultra tertiam
Oſe. 6. 3. diem, ut Propheta fidelis inveniatur, qui dixit: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.*
Chriſti triduum mortaliter. Decet nimirum, ut quemadmodum caput præceſſit, ſequantur membra. In patibulo ſexta feria redemit hominem, ipſa die qua fecerat hominem in initio: ſequenti die ſabbatizavit in monumento, conſummato opere quod ſuſceperat: tertia vero, quæ prima dierum eſt, primitiæ dormientium apparuit mortis victor, no- C
Perſeverantia in cruce ſeu pœnitentia. vus homo. Ita & nos quicumque ſequimur caput noſtrum, tota die hac qua plaſmati & redempti ſumus, non ceſſemus agere pœnitentiam, non ceſſemus tollere crucem noſtram, perſeverantes in ea, ſicut ipſe perſeveravit, donec dicat Spiritus, ut requieſcamus à laboribus noſtris. Neminem audiamus, Fratres, non carnem & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet, deſcenſum à cruce ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non noſtra levitate. Caput noſtrum depoſuere viri juſti: nos vero dignatione ſua Angeli ſancti deponant, ut conſummata viriliter die crucis, ſecunda quæ poſt mortem eſt, quieſcamus ſuaviter, dormiamus felici- D ter in ſepulcris, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, qui reſuſcitabit corpora noſtra tertia demum die, configurata corpori claritatis ſuæ. Fœtent quatriduani, ſicut de Lazaro ſcribitur:
Johan. 11. 39. *Jam fœtet, Domine, quatriduanus eſt enim.*

Dies quartus filiorum Adæ. 9. Adinventio filiorum Adam quartam formavit diem, quam à Domino non accepit. Propterea corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt tamquam jumenta, quæ in ſtercore ſuo putruerunt. Divinæ ſiquidem ordinationis eſt triduum quod prædiximus, in labore, in requie, in reſurrectione. Non placent hæc filiis hominum, ſed ſuam volunt præferre diem: differentes pœnitentiam, ut indulgeant voluptati. Non eſt E hæc dies quam fecit Dominus: quatriduani facti ſunt, & jam fœtent. Non novit hanc, quod de Maria natum eſt, Sanctum: tertia reſurrexit die, ne videret corrup-
Amos 3. 8. tionem. *Vicit* itaque *Leo de tribu Juda*. Occiſus eſt agnus, ſed leo vicit. Leo rugiet, quis non timebit? Leo, inquam, fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pavebit occurſum, ſcilicet Leo de tribu Juda. Paveant
Johan. 19. 15. qui abnegaverunt, qui dixerunt: *Non habemus regem*
Luc. 19. 14. *niſi Cæſarem*. Paveant qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare ſuper nos*. Redit ſiquidem accepto regno, & malos male perdet. Vultis noſſe, quia redit accepto re-
Matt. 28. 18. gno? *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cælo & in*
Pſal. 2. 8. *terra*. Sed & Pater in Pſalmo: *Poſtula a me*, ait, *& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Fortis ſiquidem leo eſt, non crudelis: gravis tamen indignatio ejus; & intolerabilis ira columbæ. Sed pro ſuis Leo rugiet, non in ſuos. Paveant alieni: tribus Juda magis exſultet.

10. Gaudeant qui induti ſunt confeſſione, quorum omnia oſſa dicunt: Domine, quis ſimilis tibi? *Leo de tribu Juda, radix David.* Dicitur enim David viſu de-
Pſal. 59. 10. ſiderabilis, vel manu fortis. & idem ait: *Ante te omne* A *deſiderium meum.* &, *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.*
Chriſtus radix David. *Radix*, inquit, *David*. Non David radix ejus, ſed ipſe radix David: quia portat, & non portatur. Merito, David ſancte, filium tuum vocas dominum tuum: quia non tu radicem portas, ſed radix te. Radix fortitudinis tuæ & deſiderii, radix deſiderabilis, ra-
Apoc. 5. dix fortis. *Vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Apocalypſis verba ſunt hæc. Diſcant qui non legerunt, recolant qui noverunt. *Vidi*, inquit Johannes, *in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſignatum ſigillis ſeptem, & non erat qui legeret, vel aperiret. Et ego*, ait, *flebam multum, quod nemo aperire librum dignus inveniretur. Et* B *unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris. ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David. Et vidi, & ecce in medio throni Agnum ſtantem, tamquam occiſum: & veniens accepit librum de dextera ſedentis in throno, & aperuit librum: factaque eſt lætitia magna, & gratiarum actio.* Leonem Johannes audierat, & agnum vidit. Agnus occiſus eſt, agnus accepit librum, agnus aperuit, & apparuit leo. Denique *dignus eſt*, aiunt ſeniores, *Agnus qui occiſus eſt, accipere fortitudinem.* Non manſuetudinem amittere, ſed accipere fortitudinem, ut & agnus maneat, & leo ſit. Plus dico, ut mihi videtur, idem etiam liber eſt qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc librum? Indignum C ſe profitetur & ipſe Baptiſta Johannes, quo inter na-
Marc. 1. 7. tos mulierum major nemo ſurrexit. *Non ſum*, inquit, *dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus.* Venerat enim ad nos calceata majeſtas, divinitas incarnata: venerat Dei Sapientia, ſed in libro clauſo utique & ſignato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant ſignacula libri.

11. Sed quid dicimus ſuper his ſeptem? An forte triplex animæ virtus, ratio, memoria, & voluntas; & quadrifaria corporis compoſitio, ex elementis videlicet quatuor, in his ſeptem eſt intelligenda, ut nihil de
Chriſti ſignacula ſeptem. V. Serm. 37. de diverſ. veritate humanitatis defuiſſe noverimus Salvatori? An magis humanitas ejus ipſe eſt liber, & quærenda ſunt D ſignacula ſeptem? Septem enim quædam arbitror inveniri, quibus maxime celabatur in carne præſentia majeſtatis, ut non poſſet aperiri liber, & ſapientia quæ latebat agnoſci. Sunt autem quæ occurrunt interim, Matris deſponſatio, qua partus virginis, & conceptionis puritas velabatur: ita ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. Infirmitas etiam corporis, qua nimirum plorans & vagiens, lactens & dormiens, & ceteris ſubjacens neceſſitatibus carnis, latebat inter hæc virtus divinitatis. Sic & circumciſionis ſignum ſuſcipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum: & item in Ægyptum fugiens à facie Herodis reguli, E nec Dei filius agnoſci poterat, nec rex cæli. Quid trina illa tentatio inimici in deſerto, in pinnaculo, ſu-
Matt. 4. 4. pra montem? *Si filius Dei*, inquit, *es, dic ut lapides iſti panes fiant.* & item: *Mitte te deorſum.* Neutrum Chriſtus fecit, ut ſignaretur liber, ut falleretur aſtutus. Denique eouſque ſeductus eſt, ut haberet jam pro conſtanti hominem eſſe purum, & in tantam veſaniam ſuperbia cæca prorumperet, ut non diceret ultra, *Si filius Dei es*: ſed, *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me.* Sextum eſt ſignaculum crucis, ubi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus eſt Dominus majeſtatis. Clauſit & ſepultura librum hunc: nec ullum ſignaculum omnino ſic adſtrinxit, ſic occultavit F magnum pietatis ſacramentum. Sepulto nimirum Domino, ſola reſtare deſperatio videbatur: adeo ut diſ-
Luc. 24. 21. cipuli ipſi dicerent: *Quia nos ſperabamus.* Quis non illo fleret in tempore clauſum arctius librum, & non eſſe qui aperiret?

12. Sed ne fleveris ultra, Johannes ſancte: etiam tu noli flere, Maria. Procul ſit luctus, triſtitiæ nebula diſ-
Pſal. 31. 11. ſipetur. Lætamini in Domino, & exſultate juſti, & gloriamini omnes recti corde. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, Leo qui reſurrexit, poſtremo liber ipſe dignus eſt aperire ſeipſum. Reſurgens nimirum à

mortuis, reſurgens autem virtute propria, & poſt tres dies, ſicut ipſe prædixerat, teſtimonium perhibentibus inimicis: & reſurgens in tanta majeſtate & gloria, indicat manifeſte quæcumque prædiximus ſignacula, vel operimenta voluntaria, non neceſſaria; nec conditionis fuiſſe, ſed dignationis. Quid tu nuper, Judæe, ſignabas lapidem monumenti? *Quia ſeductor ille dixerat adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam.* Vere ſeductor, ſed pius, non malitioſus. Denique *ſeduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum*, ait Propheta veſter in perſona veſtra, *fortior me fuiſti, & invaluiſti.* Seduxit vos, ô Judæi, in paſſione. nam in reſurrectione invaluit & prævaluit vinceos Leo de tribu Juda. *Etenim ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Quid ego facturus es? Et prædixit, & jam revixit. Diligenter explora ſignaculum ſepulturæ: apertum eſt enim. Datur tibi ſignum Jonæ Prophetæ, quia & prædixit ipſe. Egreditur Jonas de ventre ceti: Chriſtus de corde terræ tertia die procedit. Niſi quod manifeſte plus quam Jonas hic, qui ſemetipſum viriliter & ab ipſo utero mortis eduxit. Propterea viri Ninivitæ conſurgent contra vos in judicio: Propterea ipſi judices veſtri erunt, quia Prophetæ obtemperaverunt, vos nec Domino Prophetarum.

Matth 27.63. Jer. 20. 7. 1. Cor. 2. 8. Matt. 12. 39. Luc. 11. 29.

13. Ubi eſt quod dicebatis: *Deſcendat de cruce, & credimus ei?* Crucis ſignaculum dirumpere voluiſtis, promittentes ad fidem vos introituros. Ecce apertum, non diruptum eſt: introite. Alioquin ſi non creditis reſurgenti, utique nec crediidiſſetis deſcendenti. Si ſic vos ſcandalizabat crux Chriſti, *Verbum enim crucis Judæis quidem ſcandalum* eſt, ait Apoſtolus; excitet vos ſaltem novitas reſurrectionis. Invenimus nos in cruce gloriam. Nobis qui ſalvamur, Dei virtus eſt, & omnium (ut oſtendimus) plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in reſurrectione. Sed forte & illa, immo multo magis illa vos ſcandalizat, & odor vitæ nobis in vitam, vobis eſt odor mortis in mortem. Quid ergo inſiſtimus? Non ſuſtinet audire ſymphoniam & chorum ſenior frater, occiſum nobis ſaginatum vitulum indignatur. Foris ſtat, omnino non acquieſcit intrare. Ingrediamur nos, Fratres, & epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & caritatem.

Matt 27.42. 1. Cor. 1. 18. Luc. 15 28. 1. Cor. 5 7.

Chriſti reſurrectio à nobis exigit tranſitum ad meliorem vitam.

14. In hac quoque tam præcipua ſollemnitate quid commendetur nobis, ſedula cogitatione penſemus. Nempe reſurrectio, tranſitus & tranſmigratio. Chriſtus enim, Fratres, non recidit hodie, ſed reſurrexit: non redit, ſed tranſiit; tranſmigravit, non remeavit. Denique & ipſum quod celebramus Paſcha, tranſitus, non reditus interpretatur: & Galilæa, ubi videndus nobis promittitur qui reſurrexit, non remeationem ſonat, ſed tranſmigrationem. Credo jam aliquorum ingenia prævolant, & quorſum hæc velint tendere, ſuſpicantur. Dicimus tamen breviter: præſertim ne devotionem veſtram in tanta ſollemnitate ſermonis videatur prolixitas onerare. Si poſt conſummationem crucis in noſtram hanc mortalitatem & vitæ præſentis ærumnas Chriſtus Dominus revixiſſet; ego eum, Fratres, non tranſiiſſe dicerem, ſed rediiſſe; non tranſmigraſſe in ſublimius aliquid, ſed ad ſtatum remeaſſe priorem. Nunc autem quia tranſiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad tranſitum, vocat in Galilæam. Propterea ſiquidem quod mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quia quod jam vivit, vivit, non carni, ſed Deo.

15. Quid nos dicimus, qui ſacram Domini Reſurrectionem Paſchæ privamus nomine, ut ſit nobis in reditum magis, quàm in tranſitum? Luximus his diebus, compunctioni & orationi, gravitati & abſtinentiæ dediti, ceterorum negligentias temporum ſacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicavimus paſſionibus Chriſti, complantati ei denuo ſumus per baptiſmum quemdam lacrymarum, pœnitentiæ, confeſſionis. Si ergo mortui ſumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo? Si negligentias planximus, quid cauſæ eſt ut recidamus nunc in eaſdem? Inveniemur nunc iterum curioſi ut ante, verboſi ut ante, pigri & negligentes ut ante, vani, ſuſpicioſi, detractores, iracundi, ceteriſque implicìti vitiis, quæ tam noxie deploravimus his diebus. Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam, quomodo induam eam? Non eſt tranſmigratio hæc, Fratres: non ſic videbitur Chriſtus, non hoc iter quo oſtendat nobis Deus ſalutare ſuum. Denique qui retro reſpicit, indignus eſt regno Dei.

Tom. III. Cant 5. 3. Luc. 9 62.

Chriſtianorum in his feſtis abuſus notatur.

16. Sic amatores ſæculi, inimici crucis Chriſti, cujus in vanum accepto nomine dicuntur Chriſtiani, toto hoc tempore quadrageſimali ad inſtantes inhiant dies Reſurrectionis, heu! ut liberius indulgeant voluptati. Obnubilat, Fratres, ſollemnitatis lætitiam materia triſtior: ſed ipſius plangimus ſollemnitatis injuriam, quam diſſimulare non poſſumus nec in ipſa, immo minus in ipſa. Prôh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta eſt Reſurrectio Salvatoris! Ex hoc nempe comeſſationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiſcentiis frena. quaſi vero ad hoc ſurrexerit Chriſtus, & non magis propter juſtificationem noſtram. Sic honoratis, miſeri, Chriſtum, quem ſuſcepiſtis? Venturo paraſtis hoſpitium, confitentes peccata cum gemitu, caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes: & ecce ſuſceptum proditis inimicis, immo exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio eſſe poteſt luci ad tenebras, Chriſti cum ſuperbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præſenti debetur, quàm venturo? Quid minus reverentiæ Reſurrectionis tempus exigit, quàm Paſſionis? Sed vos (ut manifeſtum eſt) neutram honoratis. Nam ſi compateremini, & conregnaretis: ſi commoreremini, & conreſurgeretis.

Confeſſio Paſchalis.

Pœnitentia falſa, ejuſque pœna. 1. Cor. 11. 30.

17. Nunc autem ex ſola conſuetudine temporis & ſimulatione quadam humiliatio illa proceſſit, quam non ſequitur exſultatio ſpiritualis. *Propter hoc*, ut ait Apoſtolus, *multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Propter hoc crebra in diverſis regionibus hominum mortalitas, ſpecialiter his diebus. Quid enim? Deprehenſi eſtis inter anguſtias prævaricatores, non qui prævaricati eſtis, ſed qui perſiſtitis in peccato, addentes prævaricationem, aut penitus impœnitentes, aut tepide pœnitentes; nec periculoſa * fugientes, vel poſt miſeram experientiam, incentiva peccati. Irretivit vos inimicus perplexis (ut ait Scriptura) nervis teſticulorum. Si hac conſcientia Chriſti Sacramenta refugitis, nihil vobis commune cum Chriſto, non habetis vitam in vobis. Ipſum audite dicentem: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si indigne ſuſcipitis, judicium vobis manducatis, ſanctum corpus Domini non dijudicantes. Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde quærite Dominum, & odite malum: pœnitentes non verbo tantum & lingua, ſed ſpiritu & veritate. Quia vero non ſatis cecidiſſe piget hominem (ut videtur) qui adhuc manere diſponit in lubrico; aut erraſſe, qui ducem non quærit: ſit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis. Alioquin timendum valde, ne dies iſta (ſiquidem & ipſa poſita eſt in ruinam & reſurrectionem multorum) reprobet vos, vel tamquam manifeſte alienos à Chriſto, Chriſto non communicantes, vel tamquam ſocios Judæ, in quem intravit ſatanas poſt buccellam.

* al. pericula. Job 40. 12. Johan. 6. 54. Communio paſchalis. Pœnitentiæ falſæ indicium eſt nolle fugere occaſiones.

18. Sed quid ad nos, Fratres, de his qui foris ſunt judicare? niſi quod in eodem nos fuiſſe laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, ſola miſericordia operante, in quo miſerabiliter eos detineri fraterna caritate dolemus. Utinam autem vel nos jam ſanctificati, & penitus alieni ab hac miſera & ſacrilega conſuetudine inveniamur, nec quicquam in nobis pereat,

ant minuatur de exercitio ſpirituali ſacræ reſurrectionis adventu, ſed tranſire magis & excreſcere ſtudeamus. Quicunqua enim poſt lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit conſolationes, ſed in fiduciam divinæ miſerationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem, & gaudium in Spiritu-ſancto; nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria, & inflammatur æternorum deſiderio præmiorum: is plane eſt qui cum Chriſto reſurgit, qui Paſcha celebrat, qui feſtinat in Galilæam. Vos ergo, cariſſimi, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: ut quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis: ut à ſeculari lætitia & conſolatione mundi per compunctionem & triſtitiam, quæ ſecundum Deum eſt, ad devotionem ſanctam, & ſpiritualem vos tranſire gaudeatis exſultationem, ipſo præſtante, qui tranſivit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere poſt ſe, & in Galilæam vocare dignatur, ut ſemetipſum nobis oſtendat, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Reſurrectionis ſpiritualis notæ.] [Coloſſ. 3. 1.]

IN TEMPORE RESURRECTIONIS ad Abbates,

Sermo [a] secundus.

De lectione evangelica, *Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome, &c.*

1. Accepimus ab Apoſtolo, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Unde videtur non incongrue intelligi poſſe, tamdiu Chriſtum in nobis vivere, quamdiu vivit fides. At poſtquam fides noſtra mortua eſt, quodam modo Chriſtus mortuus eſt in nobis. Porro fidei vitam opera atteſtantur, ſicut ſcriptum eſt: *Opera quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Nec diſcrepare videtur ab hac ſententia, qui fidem ſine operibus mortuam aſſerit in ſemetipſa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, per quam movetur & ſentit: vita vero fidei caritas eſt, quia per illam operatur, ſicut in Apoſtolo legis: *Fides quæ per dilectionem operatur.* Unde & refrigeſcente caritate fides moritur, ſicut corpus anima recedente. Tu ergo ſi videris hominem in bonis operibus ſtrenuum, & fervore converſationis hilarem: vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Sed ſunt nonnulli, qui cum ſpiritu cœperint, heu! carne poſtea conſummantur. Scimus autem, quia jam tunc non permaneat in eis ſpiritus vitæ, quia ſcriptum eſt: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Quod ſi non permanet ſpiritus, haud dubium quin excidat caritas, quæ nimirum diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum qui datus eſt nobis.

[Epheſ. 3. 17. Chriſtus in nobis vivit per fidem.] [Johan. 5. 36.] [Jac. 2. 20. Fides ſine operibus & caritate mortua eſt.] [Galat. 5. 6.] [Vitæ ſpiritualis indicia.] [Gen. 6. 3.] [Rom. 5. 5.]

2. Porro fidei vitam (ut jam diximus) in caritate conſtituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur, recedente ſpiritu fidem mori: quoniam Spiritus eſt qui vivificat. Denique ſi ſapere ſecundum carnem mors eſt: non dubium, quin illi quos vivere lætabamur, quamdiu facta carnis ſpiritu mortificabant, ſecundum carnem viventes plangendi ſint tamquam mortui. Unde & in eodem Apoſtolo legis: *Si*, inquit, *ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Væ tibi quicumque es canis reverſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Non ad eos tantum loquor qui corpore, ſed etiam eos qui corde redeunt in Ægyptum, ſæculi hujus oblectamenta ſectantes, ac proinde fidei vitam, quæ eſt caritas, non habentes. Si quis enim diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. Quis magis mortuus eo, qui fovet ignem in ſinu, peccatum in conſcientia; nec ſentit, nec expaveſcit, nec excutit?

[Gal. 5. 6.] [Johan. 6. 64. Rom. 8. 13. Mortui qui ſecundum carnem vivunt.] [Rom. 8. 13.] [1 Johan. 2. 15.]

3. Ecce igitur Chriſtus in ſepulcro, fides mortua eſt in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt ſanctæ mulieres, quæ ſolæ ex omnibus ſuis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.* Numquid ut ſuſcitarent? Et nos ſcimus, Fratres, quia ſuſcitare noſtrum non eſt, ſed ungere nobis incumbit. Cur hoc? Nempe ne fœteat qui hujuſmodi eſt, ne ſit ceteris odor mortis, ne pereffluat, & penitus diſſolvatur. Emant proinde aromata ſua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim, ut arbitror, Petrus mandatum accepit tertio paſcere gregem Domini. Paſce, inquit, mente, paſce ore, paſce opere: paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

[Chriſtus in ſepulcro quomodo ungendus ut ſupra.] [Paſtorum triplex officium.] [Johan. 21. 16.]

4. Quærat igitur mens aromata ſua: ante omnia compaſſionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, & inter hæc diſcretionis ſpiritum non omittat. Quoties enim peccantem videris fratrem, continuo procedere debet compaſſionis affectus, tamquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex teipſo. *Vos*, inquit Apoſtolus, *qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Et cum exiret Dominus bajulans ſibi crucem, & plangerent ſuper eum, nondum quidem omnes tribus terræ, ſed mulieres paucæ, converſus ad eas, *Filiæ*, inquit, *Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Ordinem diligenter attende. *Super vos*, inquit, primo; deinde *ſuper filios veſtros*. Temetipſum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in ſpiritu lenitatis. Teipſum conſidera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficacius perſuadet & altius imprimit animo, mitto vos ad ſanctum illum Senem, qui cum audiſſet peccaſſe unum ex fratribus, amariſſime flebat, inquiens: Ille hodie, & ego cras *. Qui ſic flebat ſuper ſe, putas quia non compaſſus ſit fratri? Hic itaque compaſſionis affectus multis quidem prodeſt, quia animus liberalis contriſtare, quem pro ſe viderit anxium, erubeſcit.

[Aromata primæ mulieris, id eſt Mentis. 1. Compaſſionis affectus] [Gal. 6. 1.] [Luc. 23. 28.] [* In vitis Patrum.]

5. Sed quid agimus, quod nonnulli dura cervice & attrita ſunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis noſtra & compaſſione, & patientia abutantur? Nonne ſicut compatiebamur fratri, ita ipſi juſtitiæ compatiendum eſt, quam videmus tam impudenter abjici, tam imprudenter provocari? Scio quia ſi qua in nobis eſt caritas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non poſſumus. Hic eſt zelus juſtitiæ, quo adverſus delinquentes accendimur, tamquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus, juſtitiam Dei. Verumtamen oportet ut priora ſibi vindicet compaſſionis affectus. Alioquin in ſpiritu vehementi conterimus naves Tharſis, conterimus quaſſatum calamum, exſtinguimus linum fumigans.

[2. Zelus juſtitiæ.]

6. Sed cum uterque aderit, videlicet & compaſſionis affectus, & zelus juſtitiæ; neceſſe eſt ut adſit ſpiritus diſcretionis, ne forte cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, & indiſcretio ipſa confundat univerſa. Habeat itaque mens noſtra tertium, ſcilicet ſpiritum diſcretionis: ut miſcens apte temporibus tempora, opportune æmulari, & nihilo minus ignoſcere ſciat. Samaritanus ſit, cuſtodiens & obſervans, quando oleum miſericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne forte meum putetis inventum, Prophetam audite in pſalmo, hæc eadem & eodem ordine poſtulantem: *Bonitatem*, inquit, *& diſciplinam, & ſcientiam doce me.*

[3. Diſcretio.] [Pſal. 118. 66.]

7. Sed unde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis noſtri, ſed magis ſpinas & tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda ſunt? Ab eo utique qui ait: *Venite, emite abſque argento & abſque ulla commutatione*

[Aromata hæc à quo emenda.] [Iſa. 55. 1.]

[a] Sic veterem Sermonum paſchalium ordinem teſtificamur ex MSS. & primis editis, omiſſo hic ſermone 44. de diverſis, qui poſt ſequentem ſermonem tertium olim collocari ſolebat. Confer ſermonem 78. de diverſis.

vinum & lac. Non ignoratis, quid lactis dulcedo, quid vini deſignet auſteritas. Quid eſt autem emere ſine argento & ſine commutatione? Non talis eſt emptio apud amatores hujus ſæculi; ſed apud auctorem ſæculi alia eſſe non poteſt. Propheta enim dixit Domino: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (Pſal. 15. 2.) Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia ſua, qui nullius eget, & cujus ſunt univerſa? Gratia gratis datur; etiam cum emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

(Voluntatis propriæ nummo emenda.)

8. Tria ergo aromata mentis nummo propriæ voluntatis emenda ſunt: quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam & lucramur plurimum, commutantes illam in melius, ut communis fiat quæ propria fuit. Porro COMMUNIS voluntas caritas eſt. Emimus ergo abſque commotatione, recipientes quod non habuimus; & quod habuimus, melios retinentes. Quando vero compatietur fratri, qui in propria voluntate neſcit compati niſi ſibi? aut quando amans ſeipſum diliget juſtitiam, & odio habebit iniquitatem? Simulare quidem poteſt ante oculos hominum, etiam & ſemetipſum ſeducere, ut cum privato amore vel odio ducitur, compaſſionis affectum, aut zelum putet eſſe juſtitiæ. Verum facile eſt noſſe, quàm ſint aliena à propria voluntate, quæ propria ſunt caritatis, cui illa recta fronte contrariam ſe conſtituit. Nam caritas benigna eſt, caritas ſuper iniquitate non gaudet. (1. Cor. 13. 4.) Jam de ſpiritu diſcretionis ſcimus, quia nihil ſic illum exſtinguit, quomodo voluntas propria, ſubvertens corda hominum, & rationis oculos claudens. Emenda proinde ſunt tria mentis aromata, affectus compaſſionis, rectitudinis zelus, & ſpiritus diſcretionis, nummo (ut dictum eſt) propriæ voluntatis.

(Aromata ſecunda mulieris, id eſt, linguæ. 1 Moderata correptio.)

9. Linguæ quoque aromata tria nihilo minus ſunt: modeſtia in increpando, copia in exhortando, efficacia in perſuadendo. Vis habere hæc aromata? Eme illa à Domino Deo tuo. Eme, inquam, & ſicut priora, ſine ulla commutatione: ut aliquid recipias, perdas nihil. Eme à Domino moderatam correptionem, quia omnino magnum quoddam bonum & datum optimum eſt, & quod habeant pauci. *Linguam enim*, ut ait beatus Jacobus, *nemo domare poteſt.* (Jacob. 3. 8.) Videas multos, ſincera licet intentione, & benigno accedant animo, leviter dicere quod graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum: & quod ſanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exaſperat & exulcerat magis: quando negligentiæ additur impudentia, etiam & impatientia cumulatur: ut qui in ſordibus erat, ſordeſcat adhuc, declinans in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, ac more phrenetici non ſolum repellens, ſed & mordere tentans medici manum. (2. Copia ſermonis.) Multis quoque non ſuppetit verborum copia, ſed præ ſermonis inopia linguam ſuam palato adhæreſcere ſentiunt. quod & ipſum interdum ſolet audientibus obeſſe non parum. Aliis vero ad manum eſt abundantia multa ſermonis; ſed quæ dicunt, minus ſapiunt, minus acceptantur: & quia gratiam non habent, minus efficacia ſunt quæ loquuntur. (3 Efficacia ſermonis.) Vides ergo quàm neceſſe ſit emere ab eo, à quo omne bonum eſt, à quo omnis ſcientia, modeſtiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in perſoadendo.

(Confeſſionis nummo emenda.)

10. Proinde eme iſta nummo confeſſionis, ut prius peccata tua confitearis, quàm ad expurganda accedas aliena. Magnum prorſus & mirabile ſacramentum animæ ſuſcitatio eſt: vide ne ad illud inmundus accedas. Quod ſi forte non potes innocens, immo quia non potes; lava inter innocentes manus tuas, antequam circumdes monumentum Domini. Omnia ſiquidem in confeſſione lavantur. Et hæc ablutio in quamdam innocentiam tibi deputabitur, ut inter innocentes aſſiſtas. Ad altaris officium nemo accedit in veſte communi; ſed quiſquis acceſſurus eſt, albis induitur. Et tu ergo cum ad Domini monumentum properas, lavare, dealbare, induere veſtimentis gloriæ, ut dicatur tibi: *Confeſſionem & decorem induiſti.* (Pſal. 103. 2.) Quia ubi confeſſio, ibi in conſpectu Domini pulcritudo eſt. Hæc pro eo dicta ſunt, ut aromata linguæ, moderata increpatio, copioſa exhortatio, efficax perſuaſio nummo confeſſionis emantur. (Tom. III.)

11. Verumtamen legimus*, & quotidianis etiam experimentis didicimus, cujus vita deſpicitur, reſtat ut prædicatio contemnatur. Paret ergo & manus aromata ſua, ne ſubſannet nos Sapiens tamquam pigrum illum, cui labor ſit manum ad os porrigere (Prov. 19. 24.); ne poſſit dicere is quem arguis: Tu qui alium doces, teipſum non doces. (Rom. 2. 21.) Alligas enim onera gravia & importabilia, & imponis ea in humeros hominum, digito tuo nolens ea movere. Dico vobis: SERMO quidem vivus & efficax exemplum eſt operis, facile perſuadens quod intendimus, dum factibile probat eſſe quod ſuademus. (Exemplum efficacius quàm verbum.) Pro hujuſmodi habeat neceſſe eſt etiam manus aromata ſua, continentiam in carne, miſericordiam in fratre, patientiam in pietate. (Aromata tertia mulieris, id eſt, Manus.) Unde Apoſtolus ait: *Sobrie, & juſte, & pie vivamus.* (Tit. 2. 12.) Hæc enim tria ſunt converſationi noſtræ maxime neceſſaria: quoniam primum debemus nobis, ſecundum proximo, tertium Deo. Nam qui fornicatur, in corpus ſuum peccat, magno illud privans honore, & pavendo addicens pudendoque dedecori, tollens membrum Chriſti, & faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantum, quæ tam abominabilis eſt, ſed ab omni voluptate carnis continendum dico. (1 Continentia.) Ante omnia igitur perfectam hanc continentiam quære, quam debes tibi ipſi. nemo enim tibi propinquior eſt. Dehinc adde miſericordiam, quam debes proximo, (2. Miſericordia.) quia com eo ſalvandus es: deinde etiam patientiam quam debes Deo, quia ab eo ſalvandus es. (3. Patientia.) *Omnes enim qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* (2 Tim. 3. 12.) &, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* (Act. 14. 21.) VIDE ergo ne per impatientiam pereas, ſed univerſa pro eo ſuſtine, qui prior majora pro te ſuſtinuit, & apud quem infructuoſa patientia non erit, ſicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem.* (Pſal. 9. 19.)

* Apud Gregor. M. in Paſtoral.

(Subjectionis nummo emenda.)

12. Porro hæc manus aromata nummo ſubjectionis emuntur. Hæc eſt enim quæ dirigit greſſus noſtros, & ſanctæ converſationis gratiam promeretur. Nam ſi contraria lex inventa eſt in membris noſtris per inobedientiam, quis neſciat per obedientiam continentiam dari? Ipſa quoque eſt quæ miſericordiam ordinare novit, ipſa quæ patientiam & docet, & donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum, in quo fides mortua eſt. (Peccatoris converſio res divinæ virtutis.) Verum ſi conſideremus, quàm magnum ſit ad nos ſuſcitare eum qui hujuſmodi eſt, quàm difficile ſit vel accedere ad cor ejus, quod lapidea quædam obſtinatio & impudentia clauſit, puto quod dicere habeamus & nos: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Attamen dum ſic trepidi veremur accedere, cunctantes ad tam grande miraculum; fit nonnumquam ut ſolita pietate præparationem cordis noſtri audiat auris divina, & ad vocem virtutis ejus reſurgat qui erat mortuus. Et ecce Angelus Domini, hilaritas quædam in vultu illius, tamqoam in oſtio monumenti nobis apparet, & fulgor quidam index reſurrectionis, ot aperte videatur facies ejus immutata, acceſſum præbens nobis ad cor ſuum, immo & advocans, ipſumque obſtinationis ſuæ revolvens lapidem, & ſedens ſuper eum: ita ut ſuſcitata fide ipſa, etiam linteamina, quibus obvoluta fuerat, ipſe demonſtret. Dumque omnia quæ in corde ſuo prius actitabantur aperit, & confitetur quomodo ſeipſum ſepelierat intus. ipſam tepiditatem & negligentiam ſuam prodens: *Veni te*, inquit, *& videte locum, ubi poſitus erat Dominus.* (Matt. 28. 6.)

IN TEMPORE RESURRECTIONIS,

SERMO TERTIUS.

De merſione Naaman ſepties in Jordane, deque mundatione ſeptemplicis lepræ; & de ſeptem apparitionibus Domini reſurgentis, quibus ſeptem dona Spiritus-ſancti deſignantur.

1. SIcut in corporum medicina prius purgationes adhibentur, deinde refectiones, ut ſcilicet prius

Tom. III

Christus septem nobis dedit purgationes. — *4. Reg. 5. 10.*

exinaniatur corpus ab humoribus noxiis, dehinc cibis ſanioribus foveatur: ſic medicus animarum Dominus Chriſtus, cujus TOTA DISPENSATIO, quam exhibuit in carne, medicina ſalutis eſt; ante paſſionem ſuam ſeptem dedit purgationes, poſt reſurrectionem ſuam totidem cibos ſalubres pariter & ſuaves. Eliſæus noſter Naaman leproſum ſepties in Jordane mergi præcepit, qui interpretatur deſcenſus. In deſcenſu namque Domini noſtri Jeſu-Chriſti, id eſt in humilitate converſationis ejus, quam exhibuit ante paſſionem, mundamur & purgamur: in reſurrectione vero & vita quam oſtendit quadraginta diebus, reficimur, & delectabilibus paſcimur alimentis.

Septuplex lepra moraliter expenditur. — *1. Proprietas poſſeſſionum.* — *Chriſti paupertas* — *Luc. 2. 58.*

Septempliciter enim occupavit nos lepra ſuperbiæ, in proprietate poſſeſſio- B num, in gloria veſtium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, ſimiliter & in corde. Prima eſt lepra domus, qua divites eſſe volumus in hoc ſæculo. Sed ab iſta mundamur, ſi immergimur in Jordane, id eſt in Chriſti deſcenſu. Invenimus enim, quoniam ille, cum eſſet dives, propter nos pauper factus eſt. Deſcendit ab inenarrabilibus cæli divitiis, & veniens in mundum, nec iſtas qualeſcumque divitias habere voluit, ſed in tanta paupertate venit, ut natus continuo poneretur in præſepio, quia ei non erat locus in diverſorio. Denique quis neſciat, quoniam Filius hominis non habebat ubi caput ſuum reclina- C ret? Qui bene mergitur hic, quando quæret divitias hujus mundi? Et vere magna abuſio, & magna nimis, ut dives eſſe velit vermiculus vilis, propter quem Deus majeſtatis & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri.

2. Lepra, gloria veſtiũ. — *3. Voluptas corporis.* — *4. Murmuratio.* — *Iſai. 53. 7.* — *1 Pet. 2. 23.* — *2 Cor. 10. 17.* — *5. Jactantia.* — *Luc. 4. 14.* — *Marc 9. 30.*

2. Porro in lepra veſtis, omnem ſæculi hujus pompoſam intellige vanitatem. Nam ab illa nihilo minus in Jordanis merſione mundaberis, ubi invenies Chriſtum Domini vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum, & abjectionem plebis. A lepra quoque corporis mundamur in ipſo Jordane, ſi bene cogitantes Dominicam paſſionem, erubeſcimus ſequi corporis voluptatem. At in ore (ut diximus) duplex eſt lepra. Cum enim adverſi quicquam contigerit, D murmuramus, & impatientiæ verbum tamquam lepræ ſanies effluit. Sed ab hac mundamur, ſi illum attendimus, qui tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. In proſperis quoque contra eum qui dixit, *Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt*; commendamus noſmet ipſos, non in multa patientia, ſed in arrogantia: & inquinat nos altera lepra, verbum jactantiæ. Ut ergo mundemur ab illa, mergamur in Jordane, & imitemur eum, qui non quærebat gloriam ſuam. Unde & dæmonia quæ clamabant, quia ipſe eſſet Dei filius, præcipiebat obmuteſcere, & illuminatos cæcos dicere prohibebat.

6. Voluntas propria. — *Voluntatis propriæ pericula & damna.*

3. In corde duplex eſt lepra, propria voluntas, & proprium conſilium. Lepra utraque nimis peſſima, eoque pernicioſior, quo magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, ſed propter noſmet ipſos facimus, non intendentes placere Deo & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria eſt recta fronte caritas, quæ Deus eſt. Hæc enim adverſus Deum inimicitias exercens eſt, & guerram cru- F deliſſimam. Quid enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? CESSET voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem? Etiam nunc, cum frigus aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur niſi propria voluntas? Quod ſi voluntarie ſuſtinemus, ipſa jam voluntas communis eſt: ſed infirmitas quædam & velut pruritus voluntatis adhuc de proprio eſt, & in illo omnes pœnas ſuſtinemus, donec penitus conſumatur. Nam voluntas illa proprie dicitur, cui aſſentimur, & cui ſe liberum inclinat arbitrium.

Voluntas propria in Deum iniqua & crudelis.

A Hæc autem deſideria & concupiſcentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, ſed corruptio voluntatis eſt. Porro voluntas propria quo furore Dominum majeſtatis impugnet, audiant & timeant ſervi propriæ voluntatis. Primo namque ſeipſam & ſubtrahit, & ſubducit ejus dominatui, cui tamquam auctori ſervire jure debuerat, dum efficitur ſua. Sed numquid contenta erit hac injuria? Nequaquam: addit adhuc & quod in ſe eſt, omnia quoque quæ Dei ſunt, tollit, & diripit. Quem enim modum ſibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per uſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mundum lucrari conaretur univerſum, ſi non deeſſet poſſibilitas, ſi ſuppeteret volun- B tati facultas? Dico fiducialiter: Nemini qui ſit in propria voluntate, poſſet univerſus mundus ſufficere. Sed utinam vel rebus iſtis eſſet contenta, ne in ipſum (horribile dictu!) deſæviret auctorem. Nunc autem & ipſum (quantum in ipſa eſt) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ, quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut injuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis plane & omnino exſecranda malitia, quæ Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam perire deſiderat. Hæc eſt crudelis beſtia, fera peſſima, rapaciſſima lupa, & leæna ſæviſſima. Hæc eſt immun- C diſſima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem ſuam. unde & in paſſione: *Non mea*, inquit, *voluntas, ſed tua fiat.* *Luc. 22. 42.*

7. Lepra; proprium conſilium. — *Pertinaciã proprii ſenſus & judicii peſſimignãe.* — *1. Reg. 15. 23.* — *Matt. 18. 17.*

4. Lepra vero proprii conſilii eo pernicioſior eſt, quo magis occulta: & quanto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanior eſſe videtur. Hæc illorum eſt, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo, ita ut nullis velint conſiliis acquieſcere. Hi ſunt unitatis diviſores, inimici pacis, caritatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis, ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtitue- D re. Et quæ major ſuperbia, quàm ut unus homo toti congregationi judicium ſuum præferat, tamquam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei? *Idololatria ſcelus eſt non acquieſcere, & quaſi peccatum ariolandi repugnare.* Eant nunc qui ſe faciunt religioſiores aliis, qui non ſunt ſicut ceteri hominum. Ecce arioli & idololatræ facti ſunt, ſi tamen vel ei qui dixit hoc, plus quàm ſibi judicant eſſe credendum. Neque huic diſſonat Veritatis ſermo, quem dixit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sed ubi poterit hæc lepra mundari, niſi in Jordane? Ibi mergere, quicumque hujuſmodi es, & attende quid fecerit magni E conſilii Angelus, quomodo conſilium ſuum poſtpoſuerit conſilio, vel magis voluntati mulieris unius (beatam Virginem loqoor,) & fabri pauperis, ipſe eſt Joſeph. Inventus enim in medio doctorum, audiens eos & interrogans, quodammodo increpatus à Matre eſt: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* At ille: *Quid erat*, inquit, *quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? At illi non intellexerunt verbum.* Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in ſe: deſcendit, ita ut eſſet etiam ſubditus illis. Quis jam non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſuum Sapientia ipſa deſeruit? Sic mutavit conſilium ſuum, ut quod jam tunc ceperat, ex tunc uſque ad triceſimum ætatis ſuæ annum F prorſus dimiſerit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenis uſque ad annos triginta.

Luc. 2. 48. — *Chriſtus ſuum deſeruit conſilium.* — *Matt. 14. 36.* — *Luc. 22. 42.*

5. Sed forte quærendum ab ipſo eſt, quomodo voluntatem ſuam conſiliumve reliquerit. O Domine, voluntas, de qua dixiſti ut non fieret, ſi bona non erat, quomodo tua erat? ſi bona erat, quare derelicta eſt? Sic & conſilium ſi non bonum, quomodo tuum? ſi bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, & ejus erant: neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet ut fierent meliora. Neque enim oportebat

Cur Chriſtus voluntatem ſuam noluerit impleri. Matth. 26. 39. propria præjudicare communibus. Erat ergo voluntas A Chriſti, & bona erat, qua dicebat: *Si fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Sed ea de qua dicebat, *Fiat voluntas tua*, melior erat: quia communis non ſolum Patri, ſed & Chriſti ipſius; (oblatus eſt enim, quia ipſe voluit) & noſtra. Niſi enim granum frumenti cadens in terram mortuum eſſet, ipſum ſolum maneret: mortuum vero multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios: Chriſti erat, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: noſtra erat, quia pro nobis faciebat ut redimeremur. De conſilio idem dicimus. Chriſti enim erat, & bonum erat conſilium illud Luc. 2. 49. quod ait: *Quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me* B *eſſe.* Sed quia illi non intellexerunt, mutavit illud conſilium, ut nos mundaret ab ea lepra, quæ proprii conſilii eſt. Exemplum enim dedit nobis, ut & nos ita faciamus. Nam ab initio noverat quid eſſet facturus: ſed voluit formam nobis hujus humilitatis exhibere, & ad lavandam peſſimam hanc lepram divinum in ſe ipſo parare Jordanem. Audiant igitur utrique pariter, qui propriæ voluntatis, & qui proprii conſilii lepra ſordent: audiant quid Spiritus dicat eccleſiis, brevi uno verſiculo lepram utramque condemnans. Jacob. 3. 17. *Sapientia*, ait, *quæ deſurſum eſt, primum quidem pudica eſt*, contra propriæ voluntatis impuritatem: *deinde pacifica*, contra conſilii proprii obſtinatam rebellio- C nem.

6. Cum ab his ſeptem purgatus fuerit æger, tamquam poſt ſeptem cellas quærat ſeptem fercula, quæ ſunt ſeptem Spiritus-ſancti dona. Porro ſicut in vita Domini ante paſſionem ſeptem purgationes invenimus, ſic & in apparitionibus ſeptem quæ poſt reſurrectionem factæ leguntur, ſeptem illa dona Spiritus-ſancti poſſumus invenire. (In ſeptem apparitionibus Chriſti, ſeptem dona Spiritus-ſancti erunt.) In prima ſpiritum timoris accipe, quando mulieribus ſanctis venientibus deſcendit Angelus de cælo, & terræ motus factus eſt, ita ut ipſas timore perterritas oportuerit ab Angelo conſolari. Matt. 28. 2. Luc. 24. 4. In ſpiritu pietatis apparuit Simoni, quia magna omnino, & vere Domino Jeſu digna pietatis digna- D tio, quod ei quaſi ſingulariter & ante ceteros dignatus eſt apparere, quem præ ceteris de negatione ejus rea conſcientia confundebat: ut ubi abundavit delictum, ſuperabundaret & gratia. In ſpiritu ſcientiæ duobus pergentibus in Emmaüs Scripturas expoſuit, Luc. 24. 27. incipiens à Moyſe & Prophetis. In ſpiritu fortitudinis januis clauſis intravit, oſtendens manus & latus, ſicut ſolent in ſignum virtutis clypeorum foramina Johan. 20. 19. demonſtrari. In ſpiritu conſilii fruſtra in piſcatione Johan. 21. 6. laborantes mittere in dexteram rete conſuluit. In Luc. 24. 31. ſpiritu intellectus aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Act. 1. 9. In ſpiritu ſapientiæ die quadrageſima apparuit eis, quando videntibus illis elevatus eſt, E & viderunt Filium hominis aſcendentem ubi erat prius. Uſque ad illam enim diem quaſi per ſtultitiam prædicationis ſalvos faciebat credentes: poſtquam vero coram eis aſcendit ad Patrem, jam cœpit ſapientia declarari.

IN OCTAVA PASCHÆ,

SERMO PRIMUS.

De Fide vincente, & tribus teſtimoniis in cælo & in terra.

1. Johan. 5. 4. 1. OMne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Poſtquam Unigenitus Dei non rapinam arbitratus F eſt eſſe ſe æqualem Deo, hominis quoque dignatus eſt fieri filius, & habitu inventus ut homo, non immerito jam de cæleſti generatione exiguitas humana præſumit. (Chriſtianorum adoptio.) Neque enim dignum eſt Deo, eorum fieri patrem, quorum ſe Chriſtus fecerit fratrem. Hinc eſt quod beatus Johannes (qui ſæpius nobis ac ſtudioſius hanc commendat adoptionem filiorum Dei) Johan. 1. 12. in ipſo quoque Evangelii ſui principio, *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Huic ergo verbo ſimile eſt quod audivimus hodie de A ejus epiſtola recitari: *Omne*, inquit, *quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Quotquot enim ſunt Chriſti, cum Chriſto eos mundus odit; ſed cum Chriſto ſuperatur pariter & ab ipſis. Johan. 15. 18. *Nolite*, ait, *mirari ſi odit vos mundus: ſcitote quia priorem me vobis odio habuit.* Et item, Johan. 16. 33. *Confidite*, inquit, *quia ego vici mundum.* Sic nimirum manifeſta fit ſermonis illius veritas, quem ait Apoſtolus: Rom. 8. 29. *Quos præſcivit*, inquit, (haud dubium quin Deus Pater) *& prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui.* Vide conformationem. Poſt ipſum adoptamur, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: poſt ipſum odit mundus eos: poſt ipſum & ab eis vincitur mundus.

B 2. Bene ergo quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, ut ſit teſtimonium cæleſtis generationis victoria tentationis: (Tentationis victoria teſtimonium cæleſtis generationis.) & ſicut is qui filius eſt per naturam, mundum cum ſuo principe triumphavit, ſic & nos victores inveniamur quotquot ſumus filii adoptionis. Victores ſane, ſed in ipſo, qui confortat nos, in quo & poſſumus omnia: 1. Johan. 5. 4. (Fide vincimus hoſtes.) quia *hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Fide ſiquidem in Dei filios adoptamur: fidem in nobis mundus in maligno poſitus odit atque perſequitur: fide quoque & vincitur, ſicut ſcriptum eſt: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Quidni attribuatur fidei victoria, cujus eſt etiam vita? Hebr. 11. 33. Abac. 2. 4. & Rom. 1. 17. *Juſtus*, inquit, *ex fide vivit.* Quoties ergo tentationi reſiſtis, C quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te, ſed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi denique quid Dominici conſtitutus paſtor ovilis admoneat. 1. Petr. 5. 8. *Adverſarius*, inquit, *veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Hebr. 11. 33. Vides quemadmodum ſibi veritatis teſtimonia concinant. Paulus fide regna viciſſe ſanctos; Petrus principi mundi reſiſtendum in fide; 1. Petr. 5. 9. Johannes quoque, *Hæc eſt*, inquit, *victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.*

3. Sequitur: *Quis enim eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt filius Dei?* (Credentes cur tam pauci victores.) Certum id quidem, D Fratres, omnem qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipſo jam non modo victum eſſe, ſed etiam judicatum. Hebr. 11. 6. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Verumtamen poteſt forte movere, quod tam multos videmus credentes Jeſum Filium Dei eſſe, adhuc tamen mundi nihilo minus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait, *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quia Jeſus eſt filius Dei*, cum & ipſe jam mundus id credat? Annon ipſi quoque dæmones & credunt, & contremiſcunt? Sed dico: Putaſne filium Dei reputat Jeſum, quiſquis ille eſt homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit? Nonne is, etiamſi fateatur ſe noſſe Deum, factis tamen ne- E gat? Jacob. 2. 20. Porro *fides ſine operibus mortua eſt* in ſemetipſa. Nec ſane mirum videri poteſt ſi nequaquam vincit, qui nec vivit quidem.

4. Quæris quænam ſit vivida & victorioſa fides? (Fides vivida & victorioſa.) Illa ſine dubio, per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris. Chriſtus enim & virtus eſt, & vita noſtra. Coloſſ. 3. 4. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra*, ait Apoſtolus, *tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Unde gloria, niſi de victoria? aut quare cum ipſo apparebimus, niſi quia in ipſo & vincimus? Denique ſi his tantum data eſt poteſtas filios Dei fieri qui ſuſcipiunt Chriſtum, de his quoque ſolis intelligendum eſt quod dicitur: F *Omnis qui natus eſt ex Deo, vincit mundum.* Inde eſt quod hic quoque cum dixiſſet, *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quia Jeſus eſt filius Dei?* ut planius faceret eam commendari fidem, per quam (ut dictum eſt) Chriſtus in cordibus noſtris habitat, addidit continuo de ipſius adventu, dicens: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus-Chriſtus.* Adhuc autem ſupereminentiorem viam oſtendens: *Et Spiritus eſt*, inquit, *qui teſtificatur, quoniam Jeſus eſt filius Dei.* Sane quod interponit, ſignanter repetens, *Non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine*, ad Moyſi differentiam

Tom. III.

Tom. III.

arbitror accipiendum. Moyſes ſiquidem in aqua venit, à qua & nomen accepit ut Moyſes vocaretur.

5. Recolant quibus nota eſt hiſtoria veteris Teſtamenti, quemadmodum in Ægypto, dum parvuli omnes Iſraelitici germinis necarentur, expoſitum in aquis Moyſen tulerit filia Pharaonis. Et vide ſi non manifeſte Chriſti & in hoc ipſo videtur præceſſiſſe figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes ſuſpicione laborans, ad eadem converſus eſt crudelitatis argumenta, ſed eodem modo eſt ipſe deluſus. Utrobique pro unius ſuſpecta perſona trucidatur numeroſitas puerorum: utrobique qui quærebatur evadit. Et quomodo Moyſen filia Pharaonis, ita Chriſtum quoque Ægyptus (quæ non immerito Pharaonis intelligitur filia) ſuſcepit conſervandum. Manifeſte tamen pluſquam Moyſes hic, utpote qui venerit non in aqua tantum, ſed in aqua & ſanguine. *Aqua enim multæ, populi multi.* Venit ergo in aqua tantum, qui congregavit quidem populum, ſed populum non redemit. Nam & ipſa quoque de ſervitute Ægyptia liberatio, non Moyſi, ſed Agni ſanguine facta eſt, liberandos nos præfigurans à vana noſtra converſatione hujus ſæculi, ſanguine Agni immaculati Chriſti Jeſu. Hic eſt verus Legifer noſter, apud quem copioſa eſt redemptio. Mortuus eſt enim non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in unum. Memento ſane hunc eſſe Johannem, qui vidit, & teſtimonium perhibuit, (& ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus,) exiiſſe de latere Domini dormientis in cruce ſanguinem ſimul & aquam: quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere ſuo proferretur pariter & redimeretur Eccleſia.

Exod. 2. 3. — *Moyſes typus Chriſti.* — *Pharaonis & Herodis comparatio.* — *Apoc. 17. 15.* — *Teſtimonium aquæ & ſanguinis.*

6. Sic ergo hodie quoque ad nos per aquam & ſanguinem venit, ut ſit aqua & ſanguis teſtimonium adventus ejus, fideique victricis. Non ſolum autem, ſed teſtimonium eſt majus his, quod perhibet Spiritus veritatis. Horum trium teſtimonium verum certumque eſt, & felix anima quæ meretur illud accipere. *Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis.* In aqua quidem baptiſmum intellige, in ſanguine martyrium, in Spiritu caritatem. Spiritus enim eſt qui vivificat; & fidei vita, dilectio. Denique ſi quæris quid Spiritui & caritati, reſpondeat Paulus: *Quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis.* Neceſſario quoque Spiritus additur aquæ & ſanguini, cum, eodem Apoſtolo teſte, ſine caritate quicquid habeas, nihil proſit.

Teſtimonium Spiritus. — *Rom. 5. 5.* — *1. Cor. 13. 3.*

7. Jam vero quia baptiſmum aqua, martyrium diximus ſanguine deſignari, memento & unicum, & quotidianum eſſe baptiſmum, ſimiliter & martyrium. Eſt enim martyrii genus, & quædam effuſio ſanguinis in quotidiana corporis afflictione. Eſt & baptiſmus aliquis in compunctione cordis & lacrymarum aſſiduitate. Sic quippe infirmis & puſillis corde neceſſe eſt, ut quem ſemel pro Chriſto ponere non ſufficiunt, ſaltem mitiori quodam, ſed diuturniori martyrio ſanguinem fundant. Sic & baptiſmi ſacramentum, quoniam iterari non licet, his qui ſæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione ſuppleri. Unde & Propheta: *Lavabo*, inquit, *per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vis ergo noſſe quis eſt qui vincit mundum? Quæ in eo vincenda ſunt diligentius intuere. Siquidem & hoc ipſum beatus iſte Johannes indicat, dicens: *Cariſſimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Omne enim quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi.* Hæ ſunt tres turmæ, quas fecerunt Chaldæi. Sed memini quoque ſanctum Jacob feciſſe tres turmas, cum timeret à facie Eſaü, rediens de Meſopotamia. Et vobis ergo adverſus triplex genus tentationis triplici opus eſt munimento: ut carnis quidem concupiſcentia ipſius mortificatione vincatur, quam (ſi meminiſtis) in ſanguinis teſtimonio diximus intelligendam: oculorum vero concupiſcentiam ſuperet ſtudium compunctionis, & aſſiduitas lacrymarum: porro ambitionis vanitatem virtus caritatis excludat, quæ ſola caſtificat animam, ſola purgat intentionem. Certum quippe triumphati mundi teſtimonium eſt, ſi corpus caſtiges, & ſubjicias ſervituti, ne pernicioſa libertate ſerviat voluptati: ſi fletui præbeas oculos magis, quam petulantiæ, vel curioſitati: ſi denique ſpirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati.

Martyrium ſpirituale. — *Pſal. 6. 7.* — *1. Johan. 2. 15.* — *Gen. 32. 7.* — *Tentatio triplex, earumque remedia.* — *Mundi triumphati teſtimonium.*

8. Merito ſane unus eſt, qui in terra pariter & in cælo teſtimonium perhibet Spiritus: quia ſive corporis afflictio ceſſabit, ſive lacrymarum fons exſiccabitur; ſed caritas numquam excidit. Prælibatio quædam eſt in præſenti, conſummatio & plenitudo in futuro manet. Veruntamen licet maneat poſt aquam & ſanguinem Spiritus, (aqua quippe & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt) interim tamen aut vix, aut nullo modo invenire eſt Spiritum ſine illis, quoniam *hi tres*, inquit, *unum ſunt*: ut quolibet ex his tribus deficiente, adeſſe cetera non præſumas. Simul vero juncta teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis, nec poterit cui in terris ſuppetunt hæc, carere teſtimonio vel in cælis. Confitetur Dei Filium coram hominibus non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: & Filius quoque confitebitur eum coram Angelis Dei. An vero ei deeſſe poterit in teſtimonio Pater, cui Filium videat atteſtantem? Sine dubio confitebitur & ipſe quod viderit in abſcondito. Sed neque Spiritus quidem à Patre Filioque diſſentiet, quippe qui Patris Filiique ſit Spiritus. Denique quonam modo careat teſtimonio ejus in cælo, qui habere illud meruit & in terra? *Tres ergo ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater & Filius, & Spiritus-ſanctus.* Et ne quam forte diſſonantiam ſuſpiceris, hi tres unum ſunt. Magnum profecto habituri ſunt teſtimonium, quos in cælo Pater ſuſceperit tamquam filios & heredes, Filius adſciverit tamquam fratres & coheredes, Spiritus-ſanctus adhærentes Deo unum ſpiritum faciat eſſe cum eo. Eſt enim Spiritus ipſe indiſſolubile vinculum Trinitatis, per quem ſicut Pater & Filius unum ſunt, ſic & nos unum ſimus in ipſis, eo miſerante, qui pro diſcipulis hoc ipſum orare dignatus eſt, Jeſu-Chriſto Domino noſtro.

Trinitatis teſtimonium. — *1. Johan. 5. 7.*

IN OCTAVA PASCHÆ,

Sermo secundus.

De tribus teſtimoniis.

1. EX epiſtola beati Johannis hodie nobis eſt lectio recitata, in qua diſcimus teſtimonium dari triplex in cælo, triplex in terra. Et quidem pro meo ſapere, illud ſtabilitatis, hoc reparationis eſt ſignum; illud Angelos, iſtud homines; illud beatos à miſeris, iſtud juſtos diſcernit ab impiis. Angelis ſiquidem qui in prima illa prævaricatione, ſuperbiente Lucifero, in veritate ſteterunt, merito teſtimonium perhibet viſio Trinitatis: hominibus, quos divina miſeratio ſalvat, Spiritus, Aqua, & Sanguis. Quidni perhibeat teſtimonium Pater, à quibus honoratus eſt ut pater? Tibi vero, maligne, ſic loquitur: *Si ergo ego Pater, ubi eſt honor meus?* Careas omnino neceſſe eſt teſtimonio Patris, cujus tibi gloriam uſurpare conaris, non honorare eum cupiens, ſed æquare. *Sedebo*, inquit, *in monte teſtamenti, & ſimilis ero Altiſſimo.* Itane modo creatus, Patri ſpirituum conſedebis? Et certe necdum tibi dixit: *Sede a dextris meis.* Si neſcis, ô impudens, Unigenitus ille eſt, cui æterna generatione Patris æqualitas collata eſt & conſeſſus. Tu rapinam cogitans eſſe æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quaſi unigeniti à patre, ut ne ab ipſo quidem teſtimonium merearis habere. An vero poterit deteſtato à Patre & Filio, utriuſque Spiritus atteſtari? Abominatur ſuperbum profecto & inquietum, qui ſuper quietum & humilem requieſcit amator pacis; & unitatis conſecrator, adverſum te pro pace & unitate zelatur.

1. Johan. 5. 7. — *Teſtimonium in cælo ad diſcernendos Angelos bonos à ſuperbis.* — *Mal. 1. 6.* — *Iſa. 14. 14.* — *Pſal. 109. 1.* — *Luciferi ſuperbia.*

2. Quid mirum, Fratres, ſi timemus, ne forte puſillam

Singularitas reproborum Angelorum.

ſillam hanc vineam Domini depaſci ſingularis ferus incipiat? Quantos enim cæleſtis vineæ palmites prima illa ſingularitas conculcavit? Sed forte ſuperbiam quidem in eo facile advertiſtis, non autem ſingularitatem. Dico ergo: Ubi ſtabat univerſitas Angelorum, numquid caruit ſingularitatis vitio, qui ſedere velle præſumpſit? At forte quæritis, unde mihi nota ſit hæc ſtatio Angelorum? Duos teneo idoneos teſtes, quorum uterque quod vidit, hoc teſtatur. *Vidi Dominum ſedentem*, ait Iſaias: *Seraphim autem ſtabant.* Et Daniel: *Millia*, inquit, *millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* An & tertium deſideratis, ut in ore trium teſtium ſtet omne verbum? Apoſtolum profero, qui uſque ad tertium raptus eſt cælum, & rediens loquebatur: *Nonne omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus?* Siccine ubi ſtant omnes, univerſi miniſtrant; tu, pacis inimice, ſedebis? Plane contriſtas Spiritum, qui habitare facit unius moris in domo: offendis caritatem, quia ſcindis unitatem, rumpis vinculum pacis. Merito proinde Angelorum, qui ſuum nec ordinem, nec domicilium reliquere, caritati, unitati & paci Spiritus atteſtatur, à quo ſane tua & invidia, & ſingularitas, & inquietudo reprobatur. Et hæc quidem de eo teſtimonio, quod datur in cælis.

Iſai. 6. 1. — *Dan. 7. 10.* — *Hebr. 1. 14.*

Teſtimonium in terra ad diſcernendos juſtos ab impiis.

3. Eſt & aliud quod datur in terra, ad diſcernendos utique qui in ea ſunt exſules ab indigenis, hoc eſt cæli cives à civibus Babylonis. Quando enim ſine teſtimonio electos ſuos deſerat Deus? Aut certe quænam eis eſſe poterat conſolatio inter ſpem & metum ſollicitudine anxia fluctuantibus, ſi nullum omnino electionis ſuæ habere teſtimonium mererentur? Novit Dominus qui ſunt ejus; & ſolus ipſe ſcit quos elegerit à principio. Quis vero ſcit hominum, ſi eſt dignus amore, an odio? Quod ſi, ut certum eſt, certitudo nobis omnino negatur, numquid non tanto delectabiliora erunt, ſi qua forte electionis hujus ſigna poſſimus invenire? Quam enim requiem habere poteſt ſpiritus noſter, dum prædeſtinationis ſuæ nullum adhuc teſtimonium tenet? Fidelis proinde ſermo, & omni acceptione dignus, quo ſalutis teſtimonia commendantur. Hoc ſane verbo & electis conſolatio miniſtratur, & ſubtrahitur reprobis excuſatio. Cognitis ſiquidem ſignis vitæ, quiſquis hæc negligit, manifeſte convincitur in vano accipere animam ſuam, & pro nihilo habere terram deſiderabilem comprobatur.

Prædeſtinationis ſigna.

Hominis caſus & reparatio.

4. *Tres ſunt*, inquit, *qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Scitis, Fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipſo etiam cecidimus univerſi. Cecidimus ſane in carcerem, luto pariter & lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquaſſati, donec venit deſideratus gentium, qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Hic eſt enim qui ſanguinem proprium dedit in redemptionem, aquam ſimul produxit de latere ſuo in ablutionem, emiſit deinde de excelſo Spiritum ſuum, qui adjuvaret infirmitatem noſtram. Vis ergo noſſe an hæc aliquid opereutur in te, ne forte reus ſis ſanguinis Domini, quem evacuas quantum in te eſt: ſed & aqua ipſa quæ debuerat mundare, in ſordibus permanenti judicium damnationis accumulet: Spiritus quoque, cui reſiſtis, non liberet maledicum à labiis ſuis? Cavendum enim eſt, ne ſint tibi hæc infructuoſa, quia neceſſario eſſent pariter & damnoſa.

Redemtionis ſeu prædeſtinationis tria ſigna.

5. Quis eſt autem qui teſtimonium habet effuſi non ſine cauſa ſanguinis Chriſti, niſi qui continet à peccatis? Servus enim peccati eſt, qui peccatum facit: ut ſi deinceps continere potuerit, & jugum abjicere miſeræ ſervitutis, certiſſimum ſit teſtimonium redemptionis, quam operatur ſine dubio ſanguis Chriſti. Verum non ſufficit peccatori continentia, ſi non etiam adſit pœnitentia. Habet ergo & ab aqua teſtimonium, qui laborat in gemitu ſuo lavans per ſingulas noctes lectum ſuum. Sicut enim ſanguis ille redemit, ut non regnet peccatum in noſtro mortali corpore: ſic aqua illa abluit ab his peccatis, quæ commiſimus ante. Sed quid erit, quod longo catenarum uſu & carceris habitatione crudeli confracti ſumus, atque colliſi defecimus in via vitæ? Invocemus Spiritum vivificatorem & adjutorem, confidentes quia dabit Pater qui eſt in cælis, ſpiritum bonum petentibus ſe. Sane novum ſuperveniſſe ſpiritum certiſſime converſatio nova teſtatur. Jam ut breviter repetam, à ſanguine, & aqua, & ſpiritu habere eſt teſtimonium, ſi contines à peccatis, ſi dignos agis pœnitentiæ fructus, ſi facis opera vitæ.

Tom. III.

IN ROGATIONIBUS,

SERMO.

De tribus Panibus.

Luc. 11. 5. — *Amicus ille hoſpes quis.*

1. Q*uis veſtrum habebit amicum, &c.* Quid eſt quod amicum unum perhibet adveniſſe, nec tamen contentus eſt quærere panem unum? Putaſne tam voracem æſtimabat amicum, ut non poſſet uni ſufficere panis unus? Nam uni quidem tres apponere panes, inconſequens omnino videtur. Puta ergo cum uxore & mancipio hominem adveniſſe, ut ſuum cuique panem apponere velit amicus. Ego quidem amicum venientem ad me, non alium intelligo, quàm meipſum. Nemo quippe carior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergo de via venit amicus, cum tranſitoria deſerens, ad cor redeo, ſicut ſcriptum eſt: *Redite prævaricatores ad cor.* Deinde tunc vere ſibi quiſque amicus eſt, cum de via redit: quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. A die itaque converſionis meæ de via ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, ubi paſcere porcos, & ipſorum ſiliquas inſatiabiliter eſurire ſolebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus jejunio. Venit neceſſe habens invenire amicum; ſed, heu me! pauperem elegit hoſpitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico miſero & miſerabili? Omnino enim non habeo quod ponam ante illum. Fateor, amicus eſt, ſed ego mendicus. Quid veniſti ad me, amice, in neceſſitate tanta? Ego ſum mendicus, & non eſt in domo mea panis. Feſtina, inquit, diſcurre, ſuſcita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, ſed neque ſubſtantiam ampliorem. Quære, pete, pulſa: quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulſanti aperietur. Clama, & dic: *Amice, commoda mihi tres panes.*

Converſio hominis. — *Iſai. 46. 8.* — *Matt. 7. 7.* *Luc. 11. 5.*

Panes tres, Veritatis, Caritatis & Fortitudinis. V. ſerm. 19. de diverſ.

2. Qui ſunt iſti panes, Fratres? Utinam mereamur accipere eos. Forte enim & ipſos nemo ſcit, niſi qui accipit. Credo tamen petendos nobis eſſe tres panes, veritatis, caritatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem (ut dixi) cum uxore & mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipſe eſt enim vir) præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda ſunt, & voluntas minus diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut non quæcumque volumus, illa faciamus. Aruit cor meum, etiam & corpus meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, ſi jugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione veritatis, voluntas in deſiderio caritatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi, Amice, tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, dicente Scriptura: *Quoniam vita in voluntate ejus.*

Pſal. 29. 6.

IN ASCENSIONE DOMINI,

SERMO PRIMUS.

De evangelica lectione.

Marc. 16. 14.

1. R*ecumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis Jeſus.* Apparuit vere benignitas & humanitas Sal-

[Tom. III.] vatoris. Multam enim fiduciam præſtat, quod libentius adſit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adeſſe. Apparuit, inquam, benignitas ejus, qui cognovit figmentum noſtrum, nec dedignatur neceſſitates noſtras, ſed miſeratur, ſi tamen curam carnis non in deſiderio facimus, ſed in neceſſitate. Quod conſiderans idem Apoſtolus: [1. Cor. 10. 31.] *Sive manducamus*, inquit, *ſive bibimus, ſive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus.* Poteſt tamen quod recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quod alibi calumniantibus Judæis adverſus diſcipulos non jejunantes: [Matt. 9. 15.] *Non poſſunt*, inquit, *filii ſponſi lugere, quamdiu cum eis eſt ſponſus.* Sequitur: *Et exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* (B) Audis Christum diſcipulos increpantem, immo (quod durius ſonat) etiam exprobrantem, nec quandocumque, ſed ea hora [a], qua eis corporalem præſentiam ſubtracturus, videri poterat magis ab increpatione parcere debuiſſe. [Increpationes æquo animo ferendæ.] Noli ergo indignari de cetero, ſi te quoque aliquando Christi vicarius increpaverit. Id enim exhibet, quod aſcenſurus ab eis in cælum, ſuis Chriſtus legitur exhibuiſſe diſcipulis. Sed quid eſt, Fratres, quod dicit: *His qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt?* Aut qui fuere, quorum beati oculi glorioſum reſurrectionis Dominicæ meruerunt videre miraculum? (C) Neque enim reſurgentem illum quiſquam legitur, aut creditur vidiſſe mortalium. Reſtat ergo de Angelis accipiendum, quibus utique reſurrectionis teſtimonium perhibentibus, Apoſtolorum puſillanimitas haſitavit.

[Pſal. 118. 66.] 2. Jam vero ut faciat quod ſcriptum eſt, *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me*: viſitationis gratiam, exprobrationis cenſuram, prædicationis quoque doctrina ſequatur, & dicat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Sed quid ad hæc dicemus, Fratres? Magna nimis videtur ſæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereorque ne dare eam incipiant in occaſionem carnis, blandientes ſibi pluſquam oporteat ſine operibus de baptiſmo & credulitate. (D) Verumtamen conſideremus quod ſequitur: [In judicio ſigna non quærentur, ſed merita] *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur.* Nec minor fortaſſe videbitur ipſis quoque religioſis ex hoc verbo provenire deſperatio, quàm ex verbo priore vanæ ſpei data ſæcularibus occaſio videretur. Quis enim ea, quæ in præſenti loco ſcripta ſunt, ſigna videtur habere credulitatis, ſine qua nemo poterit ſalvari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*; &, [Hebr. 11. 6.] *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo?* Quis, inquam, dæmonia ejicit, linguis novis loquitur, ſerpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauci noſtris videntur habere temporibus; aut nemo ſalvabitur, aut hi ſoli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita ſunt (E) quàm indicia meritorum: adeo ut multi dicentes, [Matt. 7. 22.] *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in judicio: *Neſcio vos, diſcedite à me operarii iniquitatis.* Ubi eſt, quod ait Apoſtolus, [Rom. 2. 6.] cum de juſto judice loqueretur: *Qui reddet unicuique juxta opera ſua*: ſi (quod abſit) quærenda ſunt in judicio ſigna potius, quam merita?

3. Sunt tamen & ipſa merita ſigna quædam, certiora utique & ſalubriora. Nec difficile arbitror noſſe, quemadmodum intelligi ſigna poſſint præſentia, ut ſint indubitata ſigna credulitatis, ac per hoc & ſalutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio eſt, in qua ſine dubio ejiciuntur (F) [Signa hæc ſingulis fidelibus convenire an poſſint.] dæmonia, cum eradicantur e corde peccata. Exinde qui in Chriſtum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cetero vetuſta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Ubi vero componctione cordis & oris confeſſione priora ſunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, & jam ſint poſteriora pejora prioribus, (A) ſerpentes tollant neceſſe eſt, id eſt, ut venenatas ſuggeſtiones exſtinguant. Quid tamen agendum, ſi qua forte radix pullulat, quæ tam velociter nequeat exſtirpari, ſed ſtimulat animum concupiſcentia carnis? Profecto *ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*: [Marc 16. 18.] quoniam juxta Salvatoris exemplum, cum guſtaverint, nolent bibere, id eſt cum ſenſerint, nolent conſentire. Sic enim non eis nocebit (quia nulla damnatio eſt his qui ſunt in Chriſto Jeſu) concupiſcentiæ ſenſus abſque conſenſu. Quid tamen? Moleſta certe & periculoſa eſt ſic corruptæ & infirmæ affectionis lucta: ſed *qui crediderint, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*, id eſt ægras affectiones bonis operibus operient, (B) & hoc remedio curabuntur.

IN FESTO ASCENSIONIS,

SERMO SECUNDUS.

Quomodo aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia.

1. SOllemnitas iſta, Fratres cariſſimi, glorioſa eſt, [Aſcenſionis præconia.] & (ut ita dicam) gaudioſa, in qua & ſingularis Chriſto gloria, & nobis ſpecialis lætitia exhibetur. Conſummatio enim & adimpletio eſt reliquarum ſollemnitatum, & felix clauſula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit hodierna [Eph. 4. 10. Christo ab omnibus creaturis agnitus] (C) die ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia. Jam enim cum ſe dominum univerſorum, quæ ſunt in terra & in mari & in inferno, probaſſet, non reſtabat, niſi ut aëris & cælorum ſe eſſe dominum argumentis ſimilibus, vel certe potioribus comprobaret. Terra [*] enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamaſſet magna voce, *Lazare veni foras*, [* Ita Greg. M. homil. 10. in Evang. Johan 11.43. Matth 14 25. Marc. 6. 49. Pſal. 106. 16.] mortuum reddidit. Cognovit mare, quia ſolidum ſe præbuit ſub pedibus ejus, ita ut Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognovit infernus, cujus ipſe portas æreas & vectes ferreos confregit, ubi & ligavit illum inſatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus & ſatanas. [Apoc. 12. 9. & 20. 2.] Profecto qui mortuos ſuſcitavit, lepro- (D) ſos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnes exſufflavit infirmitates, dominus omnium fuit, & eadem manu qua fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic & qui in ore piſcis cum ipſo piſce ſtaterem [Matt. 17. 26] invenire prædixit, patet proculdubio, quia maris & omnium, quæ in mari moventur, dominus fuit. Qui vero traduxit aëreas poteſtates, & affixit eas cruci ſuæ, claret quia ſuper infernales officinas poteſtatem accepit. Hic eſt enim qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, [Act. 10. 38.] qui ſtetit in loco campeſtri ut doceret turbas; ante præſidem, ut alapas ſuſtineret; toto tempore quo in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus, in laboribus multis (E) ſtans, & operans ſalutem in medio terræ.

2. Ad claudendam igitur tunicam tuam inconſutilem, Domine Jeſu, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat, ut videntibus Diſcipulis per medium aëris, ſicut aëris dominus aſcendas ſuper omnes cælos. Extunc probabitur, quia Dominus univerſorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleſti, & jam tibi profecto debebitur, ut in nomine tuo omne genu [Philip. 2. 10.] flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria, & in dextera Patris. In hac dextera ſunt delectationes uſque in finem: & ideo monet Apoſtolus, [Coloſſ. 3. 1.] ut quæramus quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſe- (F) dens: quia illic profecto theſaurus noſter eſt Jeſus-Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, in quo habitat omnis plenitudo [Coloſſ. 2. 9.] divinitatis corporaliter.

3. Quid tamen putatis, Fratres, quantus dolor & timor [Apoſtolorum triſtitia in aſcenſu Chriſti] irruperit apoſtolica pectora, cum eum viderunt à ſe tolli, & attolli in aëra, non ſcalis adjutum, non ſublevatum funibus, etſi angelico comitatum obſequio, non tamen fultum auxilio, ſed gradientem in

a Idem ſenſit Gregorius M. homilia 29. in Evangelia: tametſi increpatio aliquot diebus aſcenſionem præceſſit ex Lucæ cap. 24. Conſule interpretes.

[illegible] ſuæ? Impletum eſt quod eis dixerat: *Quo [illegible] vado, tu non poteſtis venire.* Quocumque enim [illegible] rarum iſſet, cum indiviſibiliter ſequerentur: [illegible] ſicut Petrus fecit aliquando; cum eo etiam [illegible] intrarent: ſed hac ſequi non poterant: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Dolor ergo nimius erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, à ſuis ſenſibus & aſpectibus tolli, ut non poſſent, ablato à ſe ſponſo, filii ſponſi non lugere; timor, quia orphani relinquebantur in medio Judæorum, nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo eis ferebatur in cælum, forte concuſſis illius ſingularis miſericordiæ viſceribus, cum miſeros ſuos & pauperem ſuam ſcholam relinqueret, niſi quod veniebat parare eis locum, & quia expediebat, ut præſentiam eis ſubtraheret corporalem. Quam felix, quàm digna iſta proceſſio! ad quam ne ipſi quidem adhuc Apoſtoli digni fuerunt admitti, cum & animarum ſanctarum, & cæleſtium virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, ſedet à dextris Dei. Nunc vere adimplevit omnia, quia natus eſt inter homines, cum hominibus converſatus eſt, ab hominibus & pro hominibus paſſus & mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Agnoſco tunicam deſuper contextam per totum, quam ſuperna illa manſio claudit: ubi adimpletus eſt, & adimplevit omnia Dominus Jeſus-Chriſtus.

4. Verumtamen quid mihi & ſollemnitatibus iſtis? Quis me conſolabitur, Domine Jeſu, quia te non vidi in cruce ſuſpenſum, plagis lividum, pallidum morte; quia non ſum crucifixo compaſſus, obſecutus mortuo, ut ſaltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodo me dereliquiſti inſalutatum, cum formoſus in ſtola tua Rex gloriæ in alta cælorum te recepiſti? Prorſus renuiſſet conſolari anima mea, niſi me Angeli in voce exſultationis prævenissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Sic, inquiunt, veniet. Ergone veniet quærere nos in illa tam ſingulari, quam univerſali proceſſione, cum præcedentibus omnibus Angelis, & ſubſequentibus hominibus univerſis, deſcendet judicare vivos & mortuos? Proculdubio veniet: ſed quomodo aſcendit, non quomodo ante deſcendit. Humilis enim prius venit animas ſalvare: ſublimis autem veniet cadaver iſtud reſuſcitare, & configurare corpori claritatis ſuæ, ut infirmiori huic vaſculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum poteſtate magna & majeſtate, qui prius in infirmitate carnis latuerat. Intuebor & ego eum, ſed non modo; videbo eum, ſed non prope: ita ut hæc ſecunda glorificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifeſte præluceat.

5. Interim manipulus primitiarum noſtrarum Chriſtus oblatus eſt, ad dexteram Patris aſſumptus, & aſſiſtit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem, habens in dextera miſericordiam, in ſiniſtra judicium: & miſericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam, in ſiniſtra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit miſericordiam ſuper timentes ſe ſecundum altitudinem cæli à terra, ut majores cumulos miſerationum Domini ſentiant, quàm ſit ſpatii inter cælum & terram. Propoſitum namque Dei ſuper illos manet immobile: & miſericordia hæc * ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum; ab æterno per prædeſtinationem, in æternum per glorificationem. Similiter & in reprobis terribilis eſt ſuper filios hominum, & utrimque ſtat fixa ſententia æternitatis, & in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt. Quis ſcit ſi omnium veſtrum, quos hic video, nomina ſcripta ſunt in cælis, & in libro prædeſtinationis annotata? Vocationis enim & juſtificationis veſtræ aliqua ſigna mihi videor intueri in converſatione hujus *humilitatis. Quanto putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contigeret? Sed neſcit homo, utrum ſit dignus amore, an odio.

Joban. [illegible] — Matt. [illegible] — Sap. 9. 15. — Act. 1. 11 — Chriſti adventus primi & ſecundi diſcrimen. — Chriſti miſericordia & juſtitia — Pſal. 102. 8. — * al. Domini — Prædeſtinatio incerta — * al. add. tanta — Eccl. 9. 1.

6. Propterea, dilectiſſimi, perſeverate in diſciplina quam ſuſcepiſtis, ut per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis: quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potius, quam aſcendit: quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo creſceret vel aſcenderet, quia ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet à dextris Dei. Vade, & tu fac ſimiliter. Neque enim aſcendere potes, niſi deſcenderis: quia ut æterna lege fixum eſt, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* O perverſitas! ô abuſio filiorum Adam! quia cum aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum; ipſi & leviter aſcendunt, & difficilius deſcendunt, parati ad honores & celſitudines graduum eccleſiaſticorum, ipſis etiam angelicis humeris formidandos. Ad ſequendum autem te, Domine Jeſu, vix inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Alii enim trahuntur, qui poſſunt dicere: *Trahe me poſt te.* Alii ducuntur, qui dicunt: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Alii rapiuntur, ſicut Apoſtolus raptus eſt ad tertium cælum. Et primi quidem felices, qui in patientia ſua poſſident animas ſuas: ſecundi feliciores, quia ex voluntate ſua confitentur ei: tertii feliciſſimi, qui in profundiſſima Dei miſericordia, quaſi quodammodo ſepulta jam arbitrii ſui poteſtate, in divitias gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur, neſcientes ſive in corpore, ſive extra corpus: hoc ſolum ſcientes, quod rapti ſint. Beatus qui ubique te ducem habet, Domine Jeſu, non illum refugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & tota divinitatis dextera percuſſus eſt. Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, ſequamur te, per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita; via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Verba enim æternæ vitæ habes, & nos cognoſcimus & credimus, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui es ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Humilitas via ad [illegible] — Bram [illegible] — Luc. 14. 11. & 18. 14. Ambitioſi notantur. — Cant. 1. 3. Ad Jeſum alii trahuntur, alii ducuntur, alii rapiuntur. — Joban. 14. 6. — Joban. 6. 69.

IN ASCENSIONE DOMINI,

Sermo tertius.

De intellectu & affectu.

1. HOdie cælorum Dominus cælorum alta cæleſti potentia penetravit, & infirma carnis tamquam nubila quædam excutiens, induit ſtolam gloriæ. Elevatus eſt Sol in ortu ſuo, incaluit & invaluit: dilatavit & multiplicavit radios ſuper terram, nec eſt qui ſe abſcondat a calore ejus. Rediit ad regionem ſapientiæ Sapientia Dei; ubi omnes bonum & intelligunt & requirunt, intellectu perſpicaciſſimi, affectu paratiſſimi ad audiendam vocem ſermonum ejus. Nos autem in regione iſta ſumus, ubi plurimum eſt malitiæ, ſapientiæ parum: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Per ſenſum hic ego arbitror intellectum deſignari: qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit ſe circa illam unam & unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipſum. Hujuſmodi intellectum oportet deprimi, & diſtrahi per multa, multis & multiplicibus modis. Animam vero hic æſtimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diverſis paſſionibus afficiuntur, quæ mitigari numquam poſſunt, ne dicam ſanari, donec voluntas unum quærat, & tendat ad unum.

Sap. 9. 15.

2. Duo ergo ſunt quæ in nobis purganda ſunt, intellectus & affectus: intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. Felices, & vere felices illi duo viri Elias &

Purganda in nobis duo, intellectus & affectus.

Tom. III. Enoch, quibus omnes materiæ & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum: quia ſoli Deo viventes nec noverunt niſi Deum, nec cupiunt niſi Deum. Denique & de Enoch legitur [a], quia *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum* (Sap. 4. 11.) *ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Intellectus noſter turbatus erat, ne dicam cæcatus; affectus inquinatus erat, & multum inquinatus: ſed Chriſtus intellectum illuminat, Spiritus-ſanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus eſt, ut non immerito intellectum noſtrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit; ut ſemper cogitemus, & numquam cogitare ſufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latiſſimos nobis ad ſpatiandum intelligentiæ campos dereliquit; & torrens cogitationum iſtarum profundiſſimus eſt, qui juxta Prophetam (Ezech. 47. 5.) non poſſit tranſvadari. (Chriſti amor pro nobis) Quis enim ſufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, ſubvenerit nobis, & ſingularis illa majeſtas voluerit mori ut viveremus, ſervire ut regnaremus, exſulare ut repatriaremur, & uſque ad ſerviliſſima opera inclinari, ut conſtitueret nos ſuper omnia opera ſua?

3. Talem ſe obtulit Apoſtolis Apoſtolorum Dominus, ut jam non inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicerent, ſed ipſe facie ad faciem videretur qui omnia fecit. (Deus cur in carne ſe viſibilem præbuit) Et quia diſcipuli carnales erant, & Deus ſpiritus eſt, nec bene convenit ſpiritui & carni; umbra corporis ſui temperavit ſe eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, ſolem in nube, lumen in teſta, cereum in laterna. Spiritus enim oris noſtri Chriſtus Dominus, cui diximus (Thren. 4. 20.): *In umbra tua vivemus inter gentes.* In umbra, inquit, tua inter gentes, non inter Angelos, ubi puriſſimum lumen puriſſimis oculis intuebimur. Unde & virtus Altiſſimi obumbravit Virgini, ne nimio ſplendore præſtricta, divinitatis fulgur etiam illa ſingularis aquila tolerare non poſſet. Ad hoc autem carnem eis propoſuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem ſuam (qua & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret, & ſic de carne transferret ad ſpiritum: quia ſpiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare (Johan. 4. 24.). Nonne tibi videtur eis intellectum illuminaſſe, cum aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas (Luc. 24. 26.), oſtendens quia hæc oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam?

4. (Apoſtoli cur Chriſti diſceſſum ægre audirent.) Sed illi ſanctiſſimæ carni ejus aſſuefacti, verbum de diſceſſu ejus audire non poterant, ut eos relinqueret pro quo omnia reliquiſſent. Quare hoc? quia intellectus illuminatus erat, ſed nondum purgatus affectus. Unde & benignus Magiſter blande eos ac dulciter compellabat *, dicens (Johan. 16. 7. * al. conſolabatur.): *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* (Spiritum-ſanctum cur recipere non potuerint Chriſto præſente.) Quid eſt quod Chriſto commorante in terris, Spiritus-ſanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius conſortium abhorrebat, quæ de ipſo & per ipſum in Virgine & de Virgine matre concepta erat & nata? Abſit: ſed ut oſtenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem illis plorantibus elevatus in cælum, Spiritum-ſanctum miſit, qui affectum eorum, id eſt voluntatem, mundavit, immo potius alteravit: ut jam magis Dominum velint aſcendiſſe, qui prius detinuiſſe voluerant. Impletum eſt quod eis prædixerat (Joan. 16. 20.): *Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Sic ergo eorum intelligentia per Chriſtum illuminata eſt, & voluntas emundata per Spiritum; ut ſicut bonum noverint, ſic & velint: quod ſolum perfecta religio, vel religioſa perfectio eſt.

A 5. Recordor nunc Eliſæi ſancti, cui cum Elias dixiſſet, ut in diſceſſu vel aſcenſu ſuo poſtularet quod vellet, reſpondit: *Oro ut fiat ſpiritus tuus duplex in me.* (4. Reg. 2.) At ille: *Rem difficilem poſtulaſti. Attamen ſi videris quando tollar a te, erit quod petiſti.* Nonne tibi videtur Elias aſcendentis Domini ſignare perſonam; Eliſæus vero chorum apoſtolicum in aſcenſione Chriſti anxie ſuſpirantem? (Elias Chriſti typus) Sicut enim Eliſæus ab Elia nullo pacto avelli poterat, ſic nec Apoſtoli à Chriſti præſentia poterant ſeparari. Vix enim tandem eis perſuaſit, quia ſine fide impoſſibile eſſet placere Deo. Quis eſt ergo ſpiritus iſte duplex qui quæritur, niſi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? Res difficilis, quia B rarus in terris eſt qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit, *ſi videris quando tollar a te, erit quod petiſti.* Nihil eſt quod propter hoc habeant perdere vel debeant alumni tui, Domine Jeſu, quia videntibus illis es elevatus in cælum, & deſiderantibus oculis te ſecuti ſunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ. Vel certe ſpiritum duplicem dicere poſſumus [illegible], quod Salvator ad Diſcipulos ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* (Johan. 14. 12.) Nonne majora Chriſto, per Chriſtum tamen, fecit Petrus, de quo legitur: Quia *in plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut venienti Petro ſaltem* (Act. 5. 15.) C *umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis?* Nuſquam enim Dominus umbra ſua invenitur infirmitates ſanaſſe.

6. Non dubito ego intellectum omnium veſtrum, qui hic eſtis, illuminatum eſſe: ſed non affectum æque eſſe purgatum, manifeſtis approbabo conjecturis. (Religioſi pauci purgati. V. Serm. 3. num. 8) Omnes quod bonum eſt noſtis, & viam per quam incedere, & quomodo in ea incedere debeatis: ſed voluntas non una eſt. Quidam enim ad omnia viæ & vitæ hujus exercitia non ſolum ambulant, ſed & currunt, immo potius volant: ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, & panni ſuaves, & labores non ſolum tolerabiles, ſed & appetibiles videantur. Alii autem non ſic: ſed corde arido & affectione D recalcitrante, vix pudore [b] trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. (Religioſorum varia genera.) Quoſdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta eſt, & nolunt erubeſcere. Sunt, inquam, multi inter nos, qui nobiſcum de uno pane comedunt, nobiſcum dormiunt, nobiſcum cantant, nobiſcum laborant, miſeri & miſerabiles, utpote per omnia * (* al. deeſt per omnia.) participes tribulationis, ſed conſolationis non ita. Numquid abbreviata eſt manus Domini, ut omnibus donare non poſſit, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione? Quid ergo in cauſa eſt? Illud omnino: quia non vident Chriſtum cum (Tepiditas eorum unde.) E tollitur ab eis, id eſt non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quod peregrini & advenæ ſint ſuper terram, quod tamdiu fæculenti corporis horrido carcere teneantur, & non ſint cum Chriſto. Hujuſmodi autem, ſi diu ita permanſerint ſub onere, aut opprimuntur & ſuccumbunt, aut quodammodo in inferno ſunt, ut numquam ad plenum reſpirent in lucem miſerationum Domini, nec in libertatem ſpiritus, quæ ſola facit jugum ſuave, & onus leve.

7. Inde autem tam pernicioſa tepiditas emanat, quia affectus, id eſt voluntas eorum nondum purgata eſt, nec bonum ſic volunt ſicut noverunt, à propria concupiſcentia abſtracti graviter & illecti. Amant F enim in carne ſua terrenas conſolatiunculas, ſive in verbo, ſive in ſigno, ſive in facto, ſive in aliquo alio; & ſi hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde eſt, quod raro affectiones ſuas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, ſed horaria eſt, & (ut verius dicam) momentanea. IMPLERI autem viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ his diſtractionibus ſub-

a Nempe ex appropriatione. nam univerſim hæc efferuntur Sap. 4. verſ. 11. At [illegible] ſignanter legitur Eccleſiaſtici cap. 44. verſ. 16. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum.* Idem apud [illegible] infra ſermone 5. num. 9.

b In quibuſdam deeſt *vix pudore*, ut in Colbertino 1412. in quo poſt *compelluntur*, legitur *miſeri & miſerabiles*, ſex verſibus omiſſis. At *pudore* retinendum videtur, ut ſermone 5. num. 7. *quos denique non gehennæ metus incubet, vix pudor cohibet.*

Tom. III.

jacet & q[illegible] illi evacuabitur, tanto amplius ut [illegible] impl[illegible]r ſi multum, multum ſi parum, parum. Vel certe ſi magis probas, numquam iſtæ [illegible] poterunt in æternum. quia ubi vaſa vacua non inveniunt oleum, ſtare neceſſe eſt. nec mittunt vinum novum niſi in utres novos, ut ambo conſerventur. Neque enim ſpiritus & caro, ignis & [illegible]piditas, in uno domicilio commorantur: præſertim cum tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum provocare.

8. Si enim Apoſtoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola ſancta, quia Sancti ſanctorum, erat) Spiritu-ſancto repleri nequiverint, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ, quæ ſordidiſſima eſt, & diverſarum ſpurcitiarum phantaſiis repleta, adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum inceperis, triſtitia implebit cor tuum: ſed ſi perſeveraveris, triſtitia tua convertetur in gaudium. Tunc [illegible] purgabitur affectus, & voluntas renovabitur, [illegible] potius nova creabitur: ut omnia quæ prius difficilia, immo impoſſibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine & aviditate. *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Sicut per faciem exterior homo cognoſcitur, ſic per voluntatem demonſtratur interior. Emiſſo ergo Spiritu creatur & renovatur facies terræ, id eſt terrena voluntas fit cæleſtis, parata ad nutum nutu citius obedire. Beati qui tales ſunt: quia non ſolum malum non ſentiunt, ſed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos ſupra commemoravimus, terribiliter ait Deus: *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt*, id eſt carnales: & quicquid in eis ſpiritus fuerat, in carnem evanuit.

Carnis deliciis renuntiare oportet, velle ſanare.

Pſal. [illegible] 30.

Gen. 6. 3.

9. Quia igitur, cariſſimi, hodierna dies eſt, in qua Sponſus aufertur à nobis, & non ſine tumultu aliquo animorum noſtrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritum veritatis: ploremus & oremus, ut dignos nos inveniat, vel potius efficiat, & repleat domum iſtam, ubi ſumus ſedentes, quatenus non vexatio, ſed unctio ejus doceat nos de omnibus: ſicque & intellectu clarificato, & affectu purificato, veniat ad nos, & apud nos faciat manſionem. Et ſicut ſerpens Moyſi devoravit omnes ſerpentes magorum: ſic iſte cum venerit, abſorbebit omnes carnales affectiones & delectationes noſtras, & infundet * conſolationes, ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumelia gloriam habeamus; ſicut illi, quos repleverat, ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Spiritus enim Jeſu, ſpiritus bonus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus principalis, quicquid in hoc ſæculo nequam videtur, difficile & anguſtum, leve facit & lanim: opprobrium gaudium judicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet. Scrutemur ergo, juxta Prophetam, vias noſtras, & ſtudia noſtra; levemus corda noſtra cum manibus, ut in ſollemnitate ſancti Spiritus gaudeamus, & abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, ſicut promiſit Dei Filius, veritatem.

Exod. 7. 12.

* Infundet. al. aufſ.

Act. 5. 41.

Thren. 3. 40.

IN FESTO ASCENSIONIS,

SERMO QUARTUS.

De duabus malis aſcenſionibus, dæmonis & primo hominis; & ſex bonis, Chriſti & noſtris.

1. SI Nativitatis & Reſurrectionis Dominicæ digna devotione ſollemnia celebramus, hodiernum quoque Aſcenſionis diem non minus devote convenit celebrari. In nullo ſiquidem à feſtivitatibus illis iſta degenerat, ſed fini[illegible] & adimpleti[illegible] eſt. Merito quidem ſollemnitati[illegible] [illegible] dies agitur, quando Sol ille ſupercæleſtis, Sol juſtitiæ, noſtris ſe [illegible] obtutibus, nube carnis & mortalitatis ſacco fulgorem ſuum & lucem [illegible] ſuperans inacceſſibilem. Magna quoque lætitia & exſultatio multa nimis, quando conſciſſo ſacco, lætitia circumdatus eſt, factaque de medio ſacci ipſius non quidem ſubſtantia, ſed vetuſtate, ſed corruptione, ſed miſeria, ſed vilitate, noſtræ dedicavit primordia reſurrectionis. Verumtamen quid mihi & ſollemnitatibus iſtis, ſi converſatio mea uſque adhuc detinetur in terris? Quis vero vel deſiderare præſumeret aſcenſum cæli, niſi quia is qui deſcenderat, prior aſcendit? Dico [illegible] vobis: NON MULTO MIHI tolerabilior videretur [illegible] hujus habitatio, quam gehenna, niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen fiduciæ & exſpectationis, quando elevatus eſt in nubibus, & ſpem fecit credentibus [a]. Denique *niſi ego abiero*, inquit, *Paraclitus non veniet ad vos*. Quis Paraclitus? Utique per quem diffunditur caritas, & jam ſpes non confundit; ille Paraclitus, per quem in cælis ſit converſatio noſtra; virtus ex alto, per quam ſurſum ſint corda noſtra. *Vado*, inquit, *parare vobis locum: & ſi abiero, & preparavero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad meipſum. Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Videſne quemadmodum ceterarum ſollemnitatum ea, quam hodie celebramus, & conſummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiam?

Sol in [illegible] Chriſti

Johan. 16

Johan. 16. 7.

Johan. 14. 3.

2. Sicut enim cetera omnia ejus qui nobis natus eſt & nobis datus: ita ipſa quoque ipſius aſcenſio propter nos facta eſt, & facit pro nobis. In noſtra ſiquidem vita, multa, quantum in nobis eſt, videmur agere caſu, multa neceſſitate: ſed Chriſtus, Dei virtus & Dei ſapientia, neutri potuit ſubjacere. Quæ enim Dei virtutem neceſſitas cogeret, aut quid ageret Dei ſapientia caſu? Omnia proinde quæcumque locutus eſt, quæcumque operatus eſt, quæcumque paſſus eſt, ne dubites fuiſſe voluntaria, plena ſacramentorum, plena ſalutis. Hæc ſcientes, ſi quid aliquando eorum, quæ de Chriſto ſunt, in noſtram ſcientiam venire contingat, non ſic audiendum eſt, tamquam ſi inventicium quidpiam proferamus: ſed tamquam id, quod etiam priuſquam cauſa ſciretur, conſtaret nequaquam ſine cauſa fuiſſe. Sicut enim qui ſcribit, certis rationibus collocat univerſa: ita quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, maximeque ea, quæ præſens in carne eſt operata majeſtas. Sed væ anguſtiæ cognitionis *! væ paupertati ſcientiæ noſtræ, qui tantum ex parte cognoſcimus, & parte modica! Vix ſcintillulæ quædam nobis elucent de tanta luminis copia, de lucerna poſita ſuper candelabrum. Sane quanto minus ſinguli capimus, tanto fidelius ceteris communicanda ſunt quæ ſingulis revelantur. Et ego, Fratres, quæ mihi ad veſtram ædificationem de aſcenſione, immo de aſcenſionibus ſuis donare ipſe dignatur, nec volo, nec debeo ſubtrahere vobis: præſertim quod hæc ſit ſpiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuantur. Aliquibus fortaſſis hæc nota ſunt, quibus ſimiliter hæc revelata ſunt: ſed propter eos qui forte non adverterunt, ſublimioribus intenti, aut aliis occupati; ſeu etiam propter eos qui minus capacis intelligentiæ ſunt, mihi incumbit loqui quæ ſentio.

Chriſti geſta, magno conſilio & myſterio conſtant.

* al. cogitationis.

3. *Chriſtus qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit.* Apoſtoli verba ſunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipſo quod deſcenderit, aſcendiſſe. Sic enim oportebat Chriſtum deſcendere *, ut nos aſcendere doceremur. Cupidi quidem ſumus aſcenſionis: exaltationem concupiſcimus omnes. Nobiles enim creaturæ ſumus, & magni cujuſdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus deſiderio. Sed væ nobis, ſi voluerimus eum ſequi, qui ait: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*. Heu miſer, in lateribus Aquilonis!

Epheſ. 4. 10. Chriſtus deſcendendo nos docet aſcendere

* al. aſcendere.

Iſa. 14. 13.

a Quidam ita habent, *Æſtimo autem quod & illi qui ait*: NISI QUIA DOMINUS ADJUVIT ME, PAULO MINUS HABITASSET IN INFERNO ANIMA MEA. *unde & dicebat*: VITA MEA INFERNO APPROPINQUAVIT. *Nunc vero ſpe ſalvi facti ſumus, ob cujus altitudinem Chriſti nos aſcenſio ſublimavit.* VADO, &c.

Tom. III Frigidus eſt mons ille, non te ſequimur. Poteſtatis A habes concupiſcentiam, altitudinem præſumis potentiæ. Quam tamen uſque hodie fœda ſequuntur infeliciaque veſtigia! immo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Hinc eſt, quod benefici vocantur, qui poteſtatem habent; hinc, quod laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Potentibus ſiquidem omnes adulantur, invident omnes. Quem ſequimini, miſeri homines, quem ſequimini? Annon videtis ſatanam tamquam fulgur cadentem? Non iſte eſt mons, in quem aſcendit Angelus, & diabolus factus eſt? Vel illud advertite, quod poſt caſum ſuum invidia cruciante male ſollicitus de ſupplantando homine, illius tamen montis aſcenſum nullatenus auſus eſt ſuadere ei, in quo nimirum pro inani aſcenſu tam immane præcipitium cognoſceretur expertus.

Ambitioſi, ſectatores ſatanæ.

4. Sed non defuit verſuto hoſti quid ageret. Similem ei montem alterum demonſtravit. *Eritis*, inquiens, *ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Perniciosa etiam hæc aſcenſio, immo magis deſcenſio eſt de Jeruſalem in Jericho. Peſſimus mons inflans ſcientia, in quem tamen uſque hodie videas tanta concupiſcentia plurimos repere filiorum Adam, acſi non noverint, quantum pater eorum in illius montis aſcenſu deſcenderit, immo quàm graviter ceciderit, quantum tota dejecta ſit & conquaſſata poſteritas. Nondum ſanata ſunt vulnera, quæ tibi in aſcenſu montis illius inflicta ſunt, licet adhuc in patre lateres: & nunc iterum in propria perſona conaris aſcendere, ut ſit error noviſſimus pejor priore? Quænam miſeris tam dira libido? Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? An ignoratis, quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes? Non nos Dei comminantis terror revocat, perdituri ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobaturi; non patris exemplum, non denique ſenſus ipſe noſter, & duræ experientia neceſſitatis, cui ſumus addicti per inſipientem ſcientiæ appetitum.

Gen. 3. 5. — *Scientia inflans Adamo & poſteris ruinæ cauſa.* — *Pſal. 4. 3.* — *1. Cor. 1. 27.*

5. Ecce vobis, Fratres, montem demonſtravimus alium, non in quem aſcendatis, ſed quem fugiatis. Ipſe eſt in quem aſcendebat qui voluit eſſe ſicut Deus, ſciens bonum & malum: ipſe quem uſque hodie filii ejus accumulant & elevant, nihil invenientes tam vile, unde non velint montem elevare ſcientiæ. Videas alium litterarum, alium mundialis curæ, iſtum placitationum diſplicentium Deo, illum ſervilis cujuſlibet artis tam vehementer affectare ſcientiam, ut laborem non reputet, tantummodo ut poſſit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, ſic putant ad Dei ſe perventuros ſimilitudinem; ſic concupiſcunt quod non expedit, quod expedit omittentes. Quid E vobis & montibus iſtis, in quorum aſcenſu tanta difficultas eſt, & tam grande periculum? aut cur eum deſeritis montem, cujus & facilis eſt aſcenſus, & perutilis? Poteſtatis ambitio Angelum felicitate privavit angelica: ſcientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria ſpoliavit. Conetur quis aſcendere in montem poteſtatis: quantos putas contradictores habebit, quantos inveniet repulſores, obſtacula quanta, quàm difficilem viam? Quid ſi tandem eum adipiſci contigerit quod optabat? *Potentes*, ait Scriptura, *potenter tormenta patientur*: ut præſentes ſollicitudines & anxietates, quas poteſtas ipſa parit, omittam. Cupidus alter eſt inflantis ſcientiæ: quantum laborabit, quan- F tum anxiabitur ſpiritus ejus? Et tamen audiet: Nec ſi te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus ejus, quoties videre contigerit, qui ſe poſteriorem judicet, aut putet ab aliis reputari. Quid cum intumuerit multum? *Perdam*, inquit Dominus, *ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

Sap. 6. 8. — *Ambitus poteſtatis & ſcientiæ quàm multa mala obpunant.* — *1. Cor. 1. 19.*

6. Jam ne multis immorer, vidiſtis (ut arbitror) quàm fugiendus nobis ſit mons uterque, ſi præcipitium Angeli, ſi caſum hominis expaveſcimus. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos. Quid tamen agimus? Aſcendere ſic non expedit, & aſcendendi tenemur concupiſcentia. Quis docebit nos aſcenſum ſalubrem? Quis, niſi de quo legimus, quoniam *qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit*? Ab ipſo demonſtranda nobis erat aſcenſionis via, ne ductoris, immo ſeductoris iniqui aut veſtigium, aut conſilium ſequeremur. Quia ergo non erat quo aſcenderet, deſcendit Altiſſimus, & ſuo nobis deſcenſu ſuavem ac ſalubrem dedicavit aſcenſum. Deſcendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus: deſcendit de monte ſcientiæ, quoniam placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. B Quid enim tenello corpore & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui ſola matris ubera noverit? Quis impotentior eo, cujus omnia membra clavis affixa, cujus omnia dinumerantur oſſa? Quis inſipientior eo, qui tradebat in mortem animam ſuam, & quæ non rapuit tunc exſolvebat? Vides quam multum deſcenderit, quantum à potentia ſua, quantum à ſapientia ſua exinanierit ſemetipſum. Sed non potuit altius in montem bonitatis aſcendere, nec ſuam commendare expreſſius caritatem. Nec mirum ſi deſcendendo Chriſtus aſcendit, quando primum uterque cecidit aſcendendo. Et mihi quidem videtur montis hujus aſcenſorem quærere qui dicebat: *Quis aſcendet* C *in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Forte etiam Iſaias aſcenſionis deſiderio cadentes intuens homines ad hunc revocabat montem, exclamans: *Venite, aſcendamus in montem Domini.* Annon manifeſte eos de priorum montium aſcenſione redarguens, montis hujus prædicat ubertatem, qui ait: *Ut quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons coagulatus, mons pinguis.* Hic eſt igitur mons domus Domini præparatus in vertice montium, ſuper quos ſalientem ſponſum inſpexerat, qui dicebat: *Ecce venit iſte ſaliens in montibus.* Docebat enim ignarum viæ, trahebat parvulum, infantulum deducebat: ideoque velut quibuſdam paſſibus ibat, ut de virtute in virtutem vi- D deretur Deus deorum in Sion. Juſtitia enim ejus ſicut montes Dei.

2. Reg. 1. 21. — *Aſcenſus ſalutaris exemplo Chriſti deſcendentis.* — *Epheſ. 4. 10.* — *Pſal. 23. 3.* — *Iſa. 2. 3.* — *Pſal. 67. 17.* — *Cant. 2. 8.*

7. Sed jam (ſi placet) ſaltus etiam ipſos intueamur, quibus exſultavit ut gigas ad currendam viam, & cujus egreſſio à ſummo cælo, per gradus quoſdam uſque ad ſummum ejus occurrit. Primum ergo conſtitue montem illum, in quem aſcendit cum Petro & Jacobo & Johanne, ubi & transfiguratus eſt ante eos. Refulſit facies ejus ut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. Reſurrectionis gloria iſta eſt, quam in monte ſpei contemplamur. Ut quid enim aſcendit ut transfiguraretur, niſi ut doceret nos cogitatione aſcendere ad futuram illam gloriam, quæ revelabitur in nobis? Felix, cujus meditatio in conſpectu Domini eſt ſemper, qui in corde ſuo delectationes dexteræ Domini uſque in finem ſedula cogitatione revolvit! Quid enim grave illi poterit videri, qui ſemper mente tractat, quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiſcere poterit in ſæculo nequam, cujus oculus ſemper videt bona Domini in terra viventium, ſemper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum* (Propheta loquitur Domino) *tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.* Quis mihi tribuat, ut omnes ſurgentes ſtetis in excelſo, & videatis exſultationem, quæ ventura eſt vobis à Domino?

Pſal. 18. 6. — *Matt. 17. 2.* — *Aſcenſio prima, gloriæ contemplatio.* — *Pſal. 26. 8.*

8. Non ſit moleſtum vobis, obſecro, quod in monte hoc aliquando diutius immoramur: poterimus enim ceteros feſtinantius pertranſire. Verumtamen in iſto quem non detineat ſententia illa ſancti Petri, quam in eo protulit, & de eo: *Domine*, inquiens, *bonum eſt nos hic eſſe?* Quid enim tam bonum eſt, immo quid aliud videtur bonum, quàm in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non poteſt? Puto quod ejus qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei, in voce exſultationis

Matt. 17. 4.

Pſal. 41. 5. & confeſſionis, ſonus epulantis fuerit: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Quis enim ex vobis ſecum cogitans futuram illam vitam, ſed lætitiam, ſed jucunditatem, ſed beatitudinem, ſed gloriam filiorum Dei: quis inquam, talia tranquilla ſecum conſcientia volvens, non continuo de plenitudine intimæ ſuavitatis eructat: *Domine, bonum nos eſt hic eſſe?* Non ſane in hac ærumnoſa peregrinatione, ubi corpore detinetur, ſed in ſuavi

Pſal. 54. 7. ac ſalubri illa cogitatione, in qua corde verſatur. *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Vos autem filii hominum, filii hominis, qui deſcendit de Jeruſalem in Jericho, filii hominum uſquequo gravi corde? Aſcendite ad cor altum, & exaltabitur Deus. Hic eſt enim mons, in quo transfiguratur Chriſtus. Aſcendite, & ſcietis, quoniam Dominus ſanctum ſuum mirificavit.

Corda ſurſum levanda. 9. Obſecro vos, Fratres mei, non graventur corda veſtra in curis ſæcularibus. nam de crapula & ebrietate (gratias Deo) non magnopere neceſſe habeo vos admonere. Exonerate, obſecro, corda veſtra gravi mole terrenarum cogitationum, ut ſciatis mirificatum à Domino ſanctum ſuum. Levate corda veſtra cum manibus quibuſdam cogitationum, ut transfiguratum Dominum videatis. Formate in cordibus veſtris non modo Patriarcharum & Prophetarum tabernacula, ſed omnes domus illius cæleſtis multiplices manſiones ſecundum eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hoſtiam vociferationis, cantans, & pſalmum

Pſal. 83. 2. illum dicens Domino: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Circuite & vos, cariſſimi, cum pietatis & devotionis affectu vel hoſtia, viſitantes animo ſedes ſupernas, & multas, quæ in domo Patris ſunt, manſiones, humiliter proſternentes corda veſtra ante thronum Dei & Agni; cum reverentia ſupplicantes ſingulis ordinibus Angelorum; Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & ſenatum apoſtolicum ſalutantes, coronas Martyrum ſuſpicientes purpureis rutilantes floribus, redolentes liliis choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici ſonum, quantum prævalet infirmitas cordis, erigentes auditum.

Pſal. 41. 5. *Hæc recordatus ſum* (Propheta loquitur*) *& effudi in me animam meam.* Quæ? *Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.*

* al. add. Domino.

Pſal. 76. 4. Et item: *Memor fui*, inquit, *Dei, & delectatus ſum.* Quem viderunt Apoſtoli, vidit & iſte, nec diſſimili, ut arbitror, viſione: niſi quod ſpirituale totum habuit hujus viſio, corporeum nihil. Omnino non vidit

Iſai. 53. 2. eum ſicut is qui dicebat: *Vidimus eum, & non erat illi ſpecies neque decor.* Transfiguratum proculdubio vidit & ſpecioſum forma præ filiis hominum, qui delecta-

Matt. 17. 4. tum ſe perhibet, ſicut & Apoſtoli, *Bonum eſt*, inquiunt Domino, *nos hic eſſe.* Et ut nihil deſit propoſitæ ſimilitudini, illi quidem proni cecidiſſe leguntur, hic vero ſuum fatetur ſpiritum defeciſſe. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Aſcendentes igitur in hunc montem, & revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, haud dubium quin clamare habeatis & vos: Trahe nos poſt te. Quid enim prodeſt ſcire quo ſit eundum, ſiquidem qua debeas ire non noveris?

2. Aſcenſio, meditatio doctrinæ evangelicæ. 10. Alterum proinde montem aſcendas neceſſe eſt, in quo prædicantem audias, ſcalam erigentem octo diſtinctam ſcalaribus, cujus ſummitas cælos tangit. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Jam ſi primum aſcenderis montem jugi meditatione ſupernæ gloriæ, iſtum nihilo minus montem aſcendere non gravaberis, ut in lege ejus mediteris die ac nocte: ſicut idem Propheta non ſolum meditabatur in præmiis, ſed & in manda-

Pſal. 118. 47. tis Domini quæ dilexit. Sic enim audies & tu: *Et quo*

Johan. 14. 4. *eam, ſcitis*, propter aſcenſionem primam; *& viam ſcitis*, propter ſecundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne forte ſis de eorum numero, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem ſollicitus eſto aſcendere non modo cogitatio-

A ne cæleſtis gloriæ, ſed & converſatione, quæ cæleſtem gloriam mereatur. Tom. III.

11. Tertium nihilo minus montem lego, in quem aſcendit ſolus orare. Vides ergo quàm bene ſponſa in Canticis: *Ecce*, inquit, *venit iſte ſaliens in montibus.* In primo transfiguratus eſt, ut ſcires quo tenderes: in ſecundo verba vitæ locutus eſt, ut ſcires qua pervenires: oravit in tertio, ut eundi & perveniendi bonam obtinere ſtudeas voluntatem. *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Propterea ſciens quoniam in oratione datur bona voluntas; cum videris quæ agenda ſunt, ut convaleſcas ad agenda quæ videris, aſcende tu ad orationem: ora inſtanter, ora perſeve-

3. Aſcenſio, Oratio. Matth. 14. 23. Cant. 2. 8. Jac. 4. 17.

B ranter, ſicut ille pernoctabat in oratione: & dabit Pater bonus ſpiritum bonum petenti ſe. Et vide quàm utiliter orationis tempore etiam corporalis loci ſecretum quærimus, quando hoc ille non ſolum docuit verbo, *Intra*, inquiens, *in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum*: ſed & commendavit exemplo, nec domeſticorum quemquam admittens, ſed ſolus aſcendens ad orationem.

Oranti ſeceſſus neceſſarius. Matth. 6. 6.

12. Putas poterimus aliquid amplius de ejus aſcenſionibus invenire? Poterimus utique. Volo enim ut nec jumenti ipſius ſis immemor, ſuper quod legitur aſcendiſſe. Volo ut nec ipſam crucis aſcenſionem omittas. Nam & in illa exaltari oportebat Filium hominis.

C *Et ego*, inquit, *ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.* Itaque cum jam & cognitio ſuppetit, & velle adjacet; quid ages, quod perficere bonum non invenis; ſed aſinini quidam & beſtiales motus legem contrariam habent, & captivare te volunt? Quid, inquam, facies ſuper concupiſcentiis irrationabilibus, quæ ſunt in membris tuis? Urget te etiam, cum jejunare conſentis, gulæ illecebra; cum vigilare proponis, ſomnolentia premit. Quid faciemus huic aſino? Aſininum enim iſtud eſt, commune cum aſinis: quia homo *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Aſcende, Domine, ſuper aſinum iſtum, conculca hos beſtiales motus: quia domari de-

Johan. 12. 32. 4. Aſcenſio, mortificatio. Pſal. 48. 13.

D bent, ne dominari prævaleant. Niſi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; niſi premantur, opprimunt nos. Propterea ſequere anima mea & in hac aſcenſione Chriſtum Dominum, ut ſub te ſit appetitus tuus, & tu domineris illius. Nam ut in cælum aſcendas, prius neceſſe eſt levare te ſuper te, calcando carnalia deſideria, quæ in te militant adverſum te.

13. Sequere etiam aſcendentem in crucem, exaltatum à terra: ut non ſolum ſuper te, ſed & ſuper omnem quoque mundum mentis faſtigio colloceris, univerſa quæ in terris ſunt deorſum aſpiciens & deſpiciens, ſicut ſcriptum eſt: *Cernent terram de longe.* Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adverſita-

5. Aſcenſio, mundi contemptus. Iſai. 33. 17.

E tes dejiciant. Abſit tibi gloriari niſi in cruce Domini tui Jeſu-Chriſti, per quem tibi mundus crucifixus eſt: ut quæ mundus appetit, crucem reputes: & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

14. Jam vero quid ex hoc reſtat, niſi ut ad illum aſcendas, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula? Diſſolvi jam, & eſſe cum Chriſto, multo magis optimum. *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te*, ait Propheta ad Dominum: *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum; ibunt de virtute in virtutem uſque ad videndum Deum deorum in Sion.* Hæc eſt ultima aſcenſio, in qua implen-

6. Aſcenſio, viſio Dei. Pſal. 83. 6.

F tur omnia, ſicut ait Apoſtolus: *Chriſtus qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit, ut adimpleret omnia.* Sed de illa aſcenſione quid dicam? Quo aſcendemus, ut ubi Chriſtus eſt, & nos ſimus? Quid ibi erit? *Oculus, Deus, non vidit abſque te quæ præparaſti diligentibus te.* Deſideremus hanc, Fratres mei, ſuſpiremus ad eam jugiter: & eo magis affectus vigeat, quo deficit intellectus.

Epheſ. 4. 10. Iſai. 64. 4. & 1. Cor. 2. 9.

Tom. III.

IN ASCENSIONE DOMINI,

Sermo quintus.

De intellectu & affectu.

Isai. 4. 2.

Psal. 109. 1.

Matt. 9. 15.

Matt. 17. 4.

1. HOdie ſedenti in throno Antiquo dierum, conſeſſurus pariter oblatus eſt Filius hominis, & erit deinceps non modo germen Domini in magnificentia & gloria, ſed & fructus terræ ſublimis. Felix unio, & amplectendum ineffabilibus gaudiis ſacramentum! Idem enim & germen Domini, & fructus terræ: idem ipſe & Dei filius, & fructus ventris Mariæ eſt: idem filius David, & Dominus, de quo hodie gaudium ejus impletum eſt, unde olim præcinens aiebat: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.* Quomodo enim non germen Domini Dominus? Idem tamen & filius ejus, utpote fructus terræ ſublimis, fructus virgæ, quæ de radice Jeſſe proceſſit. Hodie igitur ſuum hunc & hominis Filium apud ſemetipſum Pater clarificat claritate quam habuit, priuſquam mundus fieret, apud ipſum. Hodie Veritatem, quæ de terra orta eſt, cælum ſibi redditam gloriatur. Hodie ſponſus auferetur à filiis, & lugendum eis eſt, ſicut ipſe prædixit. Non enim poterant filii ſponſi lugere, donec ſponſus cum eis erat: ſed venit dies ut auferatur ab eis, ut de cetero lugeant & jejunent. Ubi illud jam, Petre, quod dixeras: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula?* Ecce enim ingreſſus eſt amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt non hujus creationis.

Mundi ſeu vitæ hujus pericula & miſeriæ.

Corda ſurſum levanda.

2. Quomodo ergo jam bonum eſt nos hic eſſe? Immo vero moleſtum eſt, grave eſt, periculoſum eſt. Nimirum ubi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum, ſi tamen vel modicum invenitur: ubi viſcoſa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obſeſſa laqueis peccatorum: ubi periclitantur animæ, ubi ſpiritus affliguntur ſub ſole, ubi tantum vanitas & afflictio ſpiritus eſt. Levemus igitur, Fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, & aſcendentem Dominum ſequi velut quibuſdam paſſibus devotionis & fidei contendamus. Erit enim cum ſine mora, ſine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur, & id poterunt corpora ſpiritualia, quod merito interim nequeunt ſpiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare neceſſe eſt: quæ quidem (ut miſerabiliter ſatis in libro propriæ experientiæ legimus) & corruptio corporis aggravat, & terrena inhabitatio deprimit?

Coloſſ. 3. 1.

3 At forte tradendum eſt, quid ſit levare cor, aut quemadmodum illud oporteat elevari: ſed tradendum ſane ab Apoſtolo potius quàm à nobis. *Si conſurrexiſtis*, inquit, *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Ac ſi manifeſtius dicat: Si conſurrexiſtis, & coaſcendite: ſi convivitis, & conregnate. Sequamur, Fratres, ſequamur Agnum quocumque ierit: ſequamur patientem, ſequamur & reſurgentem, ſequamur multo libentius aſcendentem. Crucifigatur vetus homo noſter ſimul cum illo, ut deſtruatur corpus peccati: ut ultra non ſerviamus peccato, mortificatis nimirum membris noſtris, quæ ſunt ſuper terram. Sed & quomodo ipſe reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus eſt & reſurrexit, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.

Gal. 4. 26.

Pſal. 147. 12.

4. Ceterum quoniam vitæ novitas locum exigit tutiorem, & reſurrectionis dignitas altiorem expetit gradum: ſequamur etiam aſcendentem, quærere videlicet & ſapere quæ ſurſum ſunt ubi ille eſt, non quæ ſuper terram. Quæris quis ille ſit locus? Apoſtolum audi: *Quæ ſurſum eſt*, inquit, *Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Vis ſcire quænam ibi ſint? Viſio pacis eſt. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui poſuit fines tuos pacem.* O pax quæ exſuperas omnem ſenſum! ô pax etiam ſuper pacem! ô menſura ſuper menſuram, conferta, & coagitata, & ſupereffluens! Compatere igitur Chriſto, anima Chriſtiana: conreſurge, coaſcende: quod eſt, *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.* Sic nimirum Paulus in Actibus Apoſtolorum de continentia, & juſtitia, & ſpe vitæ æternæ memoratur docuiſſe diſcipulos. Sic Veritas ipſa monet in Evangelio præcingere lumbos, lucernas accendere, & deinceps hominibus exſpectantibus Dominum ſuum ſimiles inveniri.

Pſal. 33. 15.

Act. 13. b

Luc. 12. 35.

Aſcenſio duplex commendatur ab Apoſtolo.

Pſal. 33. 15.

Cordis plena pax & unio futuræ vitæ reſervatur.

5. Ceterum gemina quædam (ſi bene advertiſtis) aſcenſio nobis ab Apoſtolo commendatur, in eo quod & quærere, & ſapere monuit, non infima, ſed ſuperna. Quam fortaſſe diſtinctionem nec ipſe quoque Propheta præteriiſſe omnino videbitur, dicens, *Inquire pacem, & perſequere eam:* ut hoc ſit pacem ſequendam quærere, perſequi inquiſitam, quod eſt ſapienda quærere, quæſita ſapere, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Nimirum donec diviſa ſunt corda noſtra, & multos interim ſinus inveniuntur habere, nec ſibi omnino cohærere videntur; vel particulatim ea & membratim quodam modo levare neceſſe eſt, ut in ſuperna illa Jeruſalem colligantur, cujus participatio ejus in idipſum: ubi non tantum ſinguli, ſed & omnes pariter incipiant habitare in unum, non modo ſcilicet non diviſi in ſemetipſis, ſed nec inter ſeipſos. Ecce enim ut tamquam principalia cordis ipſius membra diſtinguam, eſt intellectus in nobis, eſt & affectus; & hi quoque ſæpius ſibi invicem adverſantes, ut alter ſumma petere, alter appetere infima videatur. Quantus vero is dolor, quàm gravis animæ cruciatus, dum ſic diſtrahitur, ſic dilaceratur, ſic abrumpitur à ſeipſa, vel ex ea ſaltem, quam omnibus experiri in promptu eſt, corporis ſciſſione conjiciat, ſi quis in ſuo ſpiritu animadvertere pernicioſa & periculoſa inſenſibilitate non neglexerit. Diſtrahuntur hominum crura, & longioris obice ligni removentur ab invicem pedes: & dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille eſt cruciatus?

Cordis membra intellectus & affectus, hic ſæpe diviſa.

Illuminati homines, ſed non bene affecti.

V. ſerm. 3. n. 6.

6. Sic, ſic affligi plangimus miſeros, qui corporaliter inter nos converſantes, illuminati forte ſimiliter, ſed diſſimiliter inveniuntur affecti. Intelligunt pariter bona quæ faciant, ſed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia, Fratres, quænam excuſatio nobis, quibus numquam doctrina cæleſtis, numquam divina lectio, numquam ſpiritualis eruditio deeſt? Quæcumque vera ſunt, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc diſcitis & accipitis, hæc auditis pariter & videtis, in exemplis videlicet & verbis eorum, qui inter vos ſunt perfecti, quorum & exhortatio, & converſatio plenius erudit univerſos. Utinam autem hæc ut intellectum admonent, moveant & affectum! ne ſit intus amariſſima contradictio, & diviſio moleſtiſſima, dum hinc quidem ſurſum trahimur, ſed retrahimur inde deorſum.

Religioſorum tepidorum & ferventium diſcrimen.

7. Nimirum advertere potes in omnibus fere religioſis congregationibus viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio, jucundos ſemper & hilares, ferventes ſpiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro ſuſpicientes in cælum, & puras manus in oratione levantes, ſollicitos obſervatores conſcientiæ, & devotos ſectatores bonorum operum: quibus amabilis diſciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor manuum delectabilis, & univerſa denique converſationis hujus auſteritas refrigerium videatur. Contra ſane invenire eſt homines puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes: quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt: quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida converſatio: quorum obedientia ſine devotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione: quos denique (ut videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coërcet. Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere ma-

num

rium ad opera f[illegible]rtium, qui cibo fortium minime ſuſtentantur [illegible] loci plano tribulationis, ſed non conſolationis? Exſu[illegible]gamus, obſecro, quietemque hujuſmodi ſumus, reſarciamus animas, ſpiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etſi non quia periculoſa eſt, & Deo ſolet (ut interdum miſerabiliter plangimus) etiam vomitum provocare; certe quia moleſtiſſima, plena miſeriæ & doloris, inferno plane proxima, & umbra mortis jure cenſetur.

T[illegible] dicas ab[illegible]

8. Si quærimus quæ ſurſum ſunt, etiam ſapere & prælibare interim ſtudeamus. Forte enim poterit intellectui & affectui non inconvenienter aptari, quod & quærere quæ ſurſum ſunt, & ſapere admonemur: ut in principalibus (quemadmodum ſupra dictum eſt) membris ſuis noſtra corda manibus quibuſdam piı conatus & exercitii ſpiritualis levare ſtudeamus ad Deum. OMNES (ni fallor) quæ ſurſum ſunt quærimus intellectu fidei & judicio rationis; ſed non æque forſitan ſapimus omnes quæ ſurſum ſunt, tamquam inescati his quæ ſunt ſuper terram, violento quodam præjudicio affectionis. Unde enim ea, quam paulo ante oſtendimus, animorum diverſitas, tanta diſparilitas ſtudiorum, converſationum tanta diſſimilitudo? Unde ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibuſdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profecto nec avarus, nec inops eſt gratiæ diſtributor: ſed ubi vacua vaſa deſunt, ſtare oleum neceſſe eſt. Undique ſeſe ingerit amor mundi: cum conſolationibus, immo deſolationibus ſuis obſervat aditus, per feneſtras irruit, mentem occupat, ſed non ejus qui dixit: *Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus ſum.* PRÆOCCUPATUM nempe ſæcularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat; nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, ut pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.

Quærunt multi [illegible] quæ ſurſum ſunt. *Ariditatis cauſa.* *Conſolatio carnalis obſtat divinæ.* *Pſal. 76. 3.*

9. Felices nimirum viri illi, per quos Dominica aſcenſio legitur præſignata, Enoch raptus, & tranſlatus Elias. Felices plane, qui ſoli jam Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Neque enim corpora quæ corrumpuntur, illas aggravant animas, aut terrena inhabitatio ſenſus eorum, tamquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulaſſe noſcuntur. Factum eſt impedimentum omne de medio, occaſio univerſa ſublata, materies nulla relicta eſt, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem ob hoc raptum Scriptura commemorat*, ne forte vincat malitia ſapientiam, & intellectus ejus vel anima ultra decipi valeat, aut mutari.

Eccl. 44. 16. 4 Reg. 2. 11. *Cap. 4. 11.* ** V. ſup. ſer. 3. num. 2.*

10. Nobis autem unde in his tenebris veritas, unde caritas in hoc ſæculo nequam, in hoc mundo, qui totus poſitus eſt in maligno? Putas erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit utique, ſi convertamur ad Chriſtum, ut velamen de cordibus auferatur. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Siquidem prioris ignorantiæ tempora deſpiciens Deus, annuntiavit hominibus, ut omnes ubique agerent pœnitentiam, ſecundum quod Paulus Athenienſibus tradit. Memento etenim Dei Verbum & Sapientiam incarnatam: cujus utique opus erat toto illo tempore, quo videri in terris, & inter homines converſari dignata eſt ineffabilis illa virtus, illa gloria, illa majeſtas, illuminare oculos cordis, & ſuadere fidem hominibus prædicatione pariter & oſtenſione ſignorum. Denique *Spiritus Domini*, ait, *ſuper me, ad evangelizandum pauperibus miſit me.* Et Apoſtolis loquebatur: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt, ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Nec modo ante paſſionem, ſed & poſt reſurrectionem in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; quando & ſenſum eis, ut Scripturas intelligerent, legitur aperuiſſe, intellectum potius informabat, quàm purgabat affectum.

Intellectus per Chriſtum illuminandus. *Iſa. 9. 2.* *Act. 17. 30.* *Iſa. 61. 1.* *Johan. 12. 35.* *Act. 1. 3.* *Luc. 24. 45.*

11. Quando enim ad ſpiritualia affici poſſent animales? Immo vero ne ipſam quidem meram lucem potерant aliquatenus ſuſtinere: ſed exhibere illis oportuit Verbum in carne, ſolem in nube, lumen in teſta, mel in cera, cereum in laterna. Spiritus ante faciem illorum Chriſtus Dominus: ſed non uſque ſine umbra, in qua viverent interim inter gentes, [illegible] & Virgini legitur obumbraſſe, ne vehementiori reverberata ſplendore, ad candidiſſimam illam lucem, puriſſimumque fulgorem divinitatis, etiam illius aquilæ poſſet acies hebetari. Minime tamen vel nubes ipſa levis eſſe potuit otioſa, ſed ea quoque uſus eſt in ſalutem; & diſcipulorum animos, qui nec ad fidei intellectum ſine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec aſſurgere adhuc ad ſpiritualia prævalebant, in ſuæ carnis provocavit affectum: ut amore quodam humano operanti mira, mira loquenti homini adhærerent, amore utique carnali adhuc, ſed tam valido, ut ceteris omnibus prævaleret. Nimirum hic erat ille Moyſi ſerpens, qui ſerpentes magorum Ægypti omnes pariter devoravit. Denique, *Ecce nos*, inquiunt, *reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Beati ſiquidem oculi, qui videbant Dominum majeſtatis in carne præſentem, auctorem univerſitatis inter homines converſantem, virtutibus coruſcantem, infirmos curantem, maria calcantem, mortuos ſuſcitantem, dæmoniis imperantem, & poteſtatem ſimilem hominibus conferentem; mitem & humilem corde, benignum, affabilem, miſericordiæ viſceribus affluentem, Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipſius incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, & nota faciebat quæcumque audiſſet à Patre: ut fluenta doctrinæ cæleſtis ab ipſius Veritatis puriſſimo fonte haurirent, univerſis poſtmodum gentibus propinanda, immo eructanda potarent.

Tom. III [illegible] Apoſtolis. *Luc. 1. 35.* *Exod. 7. 10.* *Matt. 19. 27.*

12. Quid mirum, Fratres, ſi implebat triſtitia cor eorum, eum ab eis ſeſe pronuntiaret iturum, & adderet: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire modo?* Quidni concuterentur viſcera, turbaretur affectus, hæſitaret animos, hæreret vultus, paveret auditus, nec omnino æquanimiter diſceſſionis ejus ſermo poſſet admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquiſſent? Ceterum non ut maneret in carne, ſed ut transferretur ad ſpiritum, totus ab eo in illam carnem Diſcipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere eſſet aliquando: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Unde & benigniſſimus ille Magiſter blandis eos refovens conſolationibus ait: *Rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vobiſcum maneat in æternum.* Et item: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Niſi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Grande myſterium, Fratres mei. Quid enim ſibi vult, *Niſi ego abiero, Paracletus non veniet?* Itane inviſa Paraclito præſentia Chriſti, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus-ſanctus horrebat, quæ (ſicut Angelo prænuntiante cognovimus) nec concipi quidem, niſi eo ſuperveniente potuerit? Quid eſt ergo, *Niſi ego abiero, Paracletus non veniet?* Niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.

Johan. 8. 21. *2. Cor. 5. 16.* *Johan. 14. 16.* *Johan. 16. 7.* *Spiritus ſanctus cur non venerit Chriſto præſente.* *Luc. 1. 35.*

13. Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita ſunt, immo quia ita ſunt, audeat quis de cetero phantaſticis quibuſdam illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis, aſſuetæ peccatis, in qua denique bonum non eſt, illum pariter exſpectare Paraclitum? Audeat, inquam, qui huic ſterquilinio ſemper inhæret, qui carnem fovet, in carne ſeminat, carnem ſapit; illam nihilo minus conſolationem ſupernæ viſitationis, torrentem voluptatis illum, illam ſperare gratiam Spiritus vehementis, quam (ut Veritas ipſa teſtatur) nec eum ipſa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apoſtoli potuerunt? Errat omnino, ſi quis cæleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſa-

Conſolatio Spiritus fruſtra ſperatur inter illecebras carnis.

Tom. III. mum huic veneno, chariſmata illa ſpiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur. Falleris, Thoma ſancte, falleris, ſi videre Dominum ſperas ab Apoſtolorum collegio ſeperatus. Non amat Veritas angulos, non ei diverſoria placent. In medio ſtat, id eſt diſciplina & vita communi, communibus ſtudiis delectatur. Uſquequo, miſer, diverticula captas, & conſolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid facio, inquis? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Nulla (ut dictum eſt) conventio veritati & vanitati, luci & tenebris, ſpiritui & carni, igni & tepiditati.

Commodis & communis vitæ prærogativa.

Gen. 21. 10.

14. Sed dum ille moratur, inquies, ſine aliqua conſolatione eſſe non poſſum. Immo vero ſi moram fecerit, exſpecta eum: quia veniet, & non tardabit. Apoſtoli decem dies in hac exſpectatione ſederunt, perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jeſu. Et tu igitur orare diſce, diſce quærere, petere, pulſare, donec invenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Novit Dominus figmentum tuum: fidelis eſt, non te patietur tentari ſupra quàm poſſis. Confido in ipſo, quod ſi fideliter exſpectaveris, nec diem decimum exſpectabit. Præveniet certe in benedictionibus dulcedinis deſolatam animam & orantem, ut feliciter & non ad inſipientiam tibi conſolari renuens, in ipſius memoria delecteris, inebriatus ab ubertate domus Dei, & voluptatis ejus torrente potatus. Sic nimirum & Eliſæus quondam oraſſe legitur, cum dulciſſimum illud ſolatium, Eliæ præſentiam ſibi plangeret ſubtrahendam. Sed conſidera diligentius qoid oraverit, quidve reſponſum ſit poſtulanti. *Oro*, inquit, *domine, ut fiat ſpiritus tuus duplex in me.* Nimirum duplicari ei ſpiritum oportebat, ut magiſtri abeuntis abſentiam gratia duplicata ſuppleret. Unde & Elias ad eum: *Si videris*, inquit, *quando tollar à te, fiet quod petiſti.* Duplicavit enim ſpiritum viſio abeuntis, cum evidenter raptus in cælum, univerſa pariter ejus deſideria ſecum tulit: ut inciperet ipſe quoque jam ſapere quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Duplicavit ſpiritum viſio abeuntis: ut intellectui ſpiritualis jungeretur affectus, cum ipſa utique, cui potiſſimum inhærebat, carne raptus in cælum.

Abac. 2. 3.

Act. 1. 14.

Oratio perſeverans neceſſaria ad gratiam Spiritus-ſancti.

4. Reg. 2. 9.

Eliæ ſpiritus duplex.

15. Quod evidentius in Apoſtolis invenitur impletum. Ubi enim videntibus illis ſuus ille Jeſus tam manifeſte elevatus eſt, & ferebatur in cælum, ut nemo eorum opus haberet interrogare, Quo vadis? ipſa jam (ut ita dixerim) oculata fide edocti ſunt ſupplices in cælum levare oculos, puras tendere manus, promiſſa ſibi dona chariſmatum poſtulantes: donec fieret repente de cælo ſonus advenientis ſpiritus vehementis, advenientis utique ignis, quem Dominus Jeſus mittebat in terram, volens vehementer accendi. Conſtat ſiquidem eos & prius Spiritum accepiſſe, cum videlicet inſufflavit eis, & dixit, *Accipite Spiritum-ſanctum*: ſed ſpiritum plane fidei & intelligentiæ, non fervoris, quo magis illuminaretur ratio, quàm inflammaretur affectio: quod duplicati utique ſpiritus opus fuit. Quos enim Verbum Patris diſciplinam & ſapientiam * ante docuerat, & intellectu adimpleverat corda eorum; adveniens utique poſtmodum ignis divinus, & inveniens jam receptacula munda, infudit uberius dona chariſmatum, & in ſpiritalem omnino mutavit amorem, ut accenſa in eis caritas fortis ut mors, jam non modo fores, ſed ne ipſa quidem ora propter metum Judæorum claudere dignaretur. Cui nos gratiæ pro noſtræ exiguitatis modulo præparantes, exinanire per omnia noſmetipſos, & à delectationibus miſeris, & caducis conſolationibus evacuare ſtudeamus, dilectiſſimi, corda noſtra; maximeque inſtante nunc die feſto, & ferventius, & fiducialius unanimiter perſeveremus in oratione, ut ſua nos viſitatione, ſua conſolatione & confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, ſpiritus dulcis, ſpiritus fortis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans, qui cum Patre & Filio idipſum, ſed non is ipſe eſt; ut tres unum, & unum tres eſſe veriſſime prorſus & fideliſſime catholica Eccleſia fateatur, a Patre adoptata, à Filio deſponſata, à Spiritu-ſancto confirmata, quibus ut una ſubſtantia, ſic & eadem nihilo minus gloria in ſæcula ſæculorum, amen.

Apoſtolorum typus.

Johan. 20. 22. Apoſtoli diverſimode Spiritum-ſanctum acceperunt.

** al. ſcientiam.*

Præparatio ad Spiritum-ſanctum

IN FESTO PENTECOSTES,

SERMO PRIMUS.

Quomodo Spiritus-ſanctus tria operatur in nobis.

1. CElebramus, dilectiſſimi, hodie Spiritus-ſancti ſollemnitatem, tota cum jucunditate celebrandam, dignam omni devotione. Dulciſſimum enim quiddam in Deo Spiritus-ſanctus eſt, benignitas Dei, & idem ipſe Deus. Proinde ſi celebramus Sanctorum ſollemnia, quanto magis ejus, à quo habuerunt ut ſancti eſſent quotquot fuere ſancti? Si veneramur ſanctificatos, quanto magis ipſum ſanctificatorem convenit honorari? Hodie itaque feſtivitas eſt Spiritus-ſancti, qua viſibiliter apparuit inviſibilis: ſicut & Filius, cum ſit nihilo minus inviſibilis in ſeipſo, dignatus eſt exhibere ſe in carne viſibilem. Hodie Spiritus-ſanctus revelat nobis aliquid de ſeipſo, ſicut ante de Patre & Filio aliquid noveramus. nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna eſt. Nunc autem ex parte cognoſcimus, reliqua credimus, quæ minime ſufficimus comprehendere. Et de Patre quidem novi creationem, clamantibus creaturis: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Inviſibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* At vero æternitatem & immutabilitatem ipſius comprehendere multum eſt à me: lucem habitat inacceſſibilem. De Filio autem magnum aliquid novi, ejus gratia, ſcilicet Incarnationem. Nam generationem ejus quis enarrabit? Quis comprehendat æqualem genitum genitori? Jam & de Spiritu-ſancto, ſi non proceſſionem, quo ex Patre Filioque procedit, (illa enim mirabilis facta eſt ſcientia ex me; confortata eſt, & non potero ad eam:) novi tamen aliquid, videlicet inſpirationem. Duo enim ſunt, unde procedat, & quo. Proceſſio à Patre & Filio poſuit tenebras latibulum ſuum: ſed proceſſio ad homines hodie cœpit innoteſcere, & eſt jam fidelibus manifeſta.

Feſti hujus dignitas.

Pſal. 99. 3.

Rom. 1. 20.

Quid de Deo cognoſcere poſſumus.

Iſa. 53. 8.

Spiritus-ſancti proceſſio duplex.

2. Et prius equidem (quoniam ſic oportebat) ſignis viſibilibus inviſibilis Spiritus ſuum declarabat adventum: nunc ejus ſigna quo ſpiritualiora ſunt, eo magis congrua, eo magis videntur Spiritu-ſancto digna. Venit tunc ſuper Diſcipulos in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Nemo conqueratur, quod minime nobis illa manifeſtatio Spiritus fiat: *Unicuique enim datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* Denique ſi dicere opus eſt, nobis iſta manifeſtatio potius quàm Apoſtolis facta eſt. Ad quid enim illis neceſſariæ linguæ gentium, niſi ad converſionem gentium? Fuit in eis alia quædam manifeſtatio magis ad eos pertinens: & hæc uſque hodie fit in nobis. Manifeſtum enim fuit indutos eſſe virtute ex alto, qui de tanta puſillanimitate ſpiritus ad tantam devenere conſtantiam. Non eſt jam fugere, non eſt abſcondi propter metum Judæorum; conſtantius modo prædicant, quàm delitеſcerent ante timidius. Denique mutationem illam dexteræ Excelſi manifeſte declarat Principis Apoſtolorum prius quidem inter ancillæ verba formido, poſtmodum inter principum verbera fortitudo. *Ibant*, ait Scriptura, *gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*: quem ſane prius, cum duceretur ad concilium, ſolum reliquerant fugientes. Quis dubitet adveniſſe Spiritum vehementem, qui mentes eorum inviſibili illuſtraret potentia? In hunc modum etiam modo quæ Spiritus operatur in nobis, teſtimonium perhibent * de eo.

1. Cor. 12. 7. Duplex ejus manifeſtatio facta Diſcipulis.

Apoſtolorum mutatio poſt acceptum Spiritum-ſanctum.

Act. 5. 41.

** al. add. in nobis*

3. Quia igitur mandatum accepimos, ut declinantes à malo, faciamus quod bonum eſt; vide quemadmo-

1. Pet. 3. 11. Pſal. 33. 15.

dum ſpiritus in utroque adjuvat infirmitatem noſtram. nam diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, ſupplicationem, remiſſionem. Initium enim revertendi ad Deum pœnitentia eſt, quam ſine dubio ſpiritus operatur, non noſter, ſed Dei. idque & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cum ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne veniſſe calorem, quem habere non poterat ſine illo? Sic ergo qui prius iniquitate erat frigidus, ſi poſtmodum fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium ſibi ſpiritum, qui ſuum arguit & dijudicat, non dubitet adveniſſe. Habes hoc & in Evangelio, ubi cum loqueretur de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato.*

Spiritus ſanctus tria operatur in nobis ad declinandum à malo.

1 Pœnitentiam ſeu compunctionem.

Joann 16. 8

4. Sed quid prodeſt pœnitere de culpa, & non ſupplicare pro venia? Neceſſe eſt ut etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam ſpei replens animum, per quam fiducialiter poſtules nihil hæſitans. Viſne oſtendam tibi etiam hoc opus eſſe Spiritus-ſancti? Utique dum abeſt ille, tale aliquid in tuo ſpiritu non invenies. Denique ipſe eſt in quo clamamus, Abba Pater: ipſe qui poſtulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus. Et hæc quidem in corde noſtro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis; ita in Patre delicta donat cum ipſo Patre, Advocatus noſter ad Patrem in cordibus noſtris, Dominus noſter in corde Patris. Itaque quod poſtulamus, idem ipſe donat, qui donat ut poſtulemus: & ſicut nos erigit pia quadam fiducia, ita Deum inclinat ad nos magis pia miſericordia ſua. Itaque ut omnino ſcias quia remiſſionem peccatorum Spiritus-ſanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apoſtoli: *Accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Et de malo quidem declinando ſic.

2 Supplicationem pro venia.

Rom 8 16

3 Peccatorum remiſſionem.

Joann 20 23.

5. Porro ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profecto monet, & movet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota conſiſtit anima noſtra. Memoriæ ſuggerit bona in cogitationibus ſanctis, atque ita ignaviam noſtram torporemque repellit. Propterea quoties hujuſmodi ſuggeſtionem boni ſenſeris in corde tuo, da honorem Deo, & age reverentiam Spiritui-ſancto, cujus vox ſonat in auribus tuis. Ipſe namque eſt qui loquitur juſtitiam. Et in Evangelio habes, quia ille *ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Et adverte quid præmiſerit: *Ille vos docebit omnia.* Dixeram enim quia docet rationem. Multi ſiquidem monentur, ut benefaciant: ſed minime ſciunt quid agendum ſit, niſi adſit denuo gratia Spiritus-ſancti; & quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Sed quid? *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi* *. Propterea non ſolum moneri & doceri, verum etiam moveri & affici ad bonum neceſſe eſt ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem noſtram, & per quem in cordibus noſtris diffunditur caritas, quæ eſt bona voluntas.

Tria itidem ad bonum faciendum.

1 Monet memoriam.

Joann 14.26.

2. Docet rationem.

Jacob. 4. 17

** al. add. gratis*

3. Movet voluntatem.

6. Itaque cum ſic adveniens Spiritus totam poſſederit animam, ſuggerendo, inſtruendo, afficiendo, loquens ſemper in cogitationibus noſtris, ut audiamus & nos quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem inflammans: non tibi videtur, quia totam domum impleverint diſpertitæ linguæ tamquam ignis? Nam in his tribus ſuperius dictum eſt animam conſiſtere totam. Sint autem diſpertitæ linguæ propter multiplices cogitationes; ſed earum multiplicitas & uno lumine veritatis, & uno caritatis fervore ſit tamquam ignis. Aut certe domus adimpletio fini potius reſervetur, quando menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus noſtros. Sed quando hæc erunt? Profecto cum completi fuerint dies Pentecoſtes. Felices vos, qui jam intraſtis quinquageſimam requiei, & jubileum annum. Fratres noſtros loquor, quibus jam dixit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. Etenim

Spiritus-ſancti affectus in nobis

A hoc quoque inter ejus opera reperimus. Duo namque tempora celebramus, Fratres, Quadrageſimæ unum, alterum Quinquageſimæ: illud ante Paſſionem, iſtud poſt Reſurrectionem: illud in compunctione cordis & lamentis pœnitentiæ, iſtud in devotione ſpiritus & ALLELUIA ſollemni. Prius quidem tempus ipſa eſt vita præſens: poſterius vero quietem Sanctorum ſignificat, quæ eſt poſt mortem. Cum autem venerit illius Quinquageſimæ finis, in judicio ſcilicet & reſurrectione, completis diebus Pentecoſtes, aderit plenitudo Spiritus, & totam replebit domum. Plena ſiquidem erit omnis terra majeſtate ejus, quando non ſolum anima, ſed & ipſum corpus ſpirituale reſurget,
B ſi tamen, juxta Apoſtoli monitum, dum adhuc eſt animale, fuerit ſeminatum.

IN FESTO PENTECOSTES,

SERMO SECUNDUS.

De operibus Trinitatis ſuper nos, & de triplici gratia Spiritus-ſancti.

1. HOdie, dilectiſſimi, cæli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael, & pluvia voluntaria ſegregata eſt hereditati Chriſti. Spiritus enim ſanctus procedens à Patre, largiori munere ſuæ ma-
C jeſtatis in Apoſtolos ſupervenit, & tribuit eis chariſmatum dona. Poſt magnificentiam enim reſurgentis, poſt gloriam aſcendentis, poſt reſidentis ſublimitatem, non reſtabat, niſi ut exſpectata * juſtorum lætitia adveniret, & cæli muneribus cæleſtes homines implerentur. Vide autem ſi non & ſententiarum pondere, & verborum ordine hæc omnia Iſaias longe ante prædixit. *Erit*, inquit, *in die illa germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exſultatio his qui ſalvati fuerint de Iſrael.* Germen Domini Jeſus-Chriſtus *, ſolus de mundiſſimo conceptus ſemine: quia etſi in ſimilitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Et ſi filius
D carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ: quia non fuit natura filius iræ, ſicut reliqui omnes, qui in iniquitatibus ſunt concepti. Iſtud ergo germen, quod de virga Jeſſe virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum reſurrexiſſet à mortuis: quia tunc, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confeſſionem & decorem induens, amictus lumine ſicut veſtimento. Quanta autem aſcendentis gloria, cum medius Angelorum & animarum ſanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cælis invectus, ſuſceptum hominem in ipſa divinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quam ſit fructus terræ ſublimis in conſeſſu ad dexteram Patris,
E quod utique cæleſtium oculos reverberat naturarum, quod angelicus intuitus contremit, non attingit? Veniat ergo exſultatio, Domine Jeſu, his qui ſalvati ſunt de Iſrael, Apoſtolis tuis, quos elegiſti ante mundi conſtitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus, qui ſordes abluat, & infundat virtutes, in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris *.

Pſal. 67, 10.

** al. exſpectationis.*

Iſai. 4. 2.

** al. non germen Adæ.*

Pſal. 103, 2.

** al. add. Dei*

2. Eia igitur, Fratres, cogitemus ſuper nos & in nos opera Trinitatis ab initio mundi uſque ad finem, & videamus quàm ſollicita fuerit illa majeſtas, cui adminiſtratio pariter & gubernatio ſæculorum incumbit, ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & ſapienter omnia gubernabat, &
F utrarumque rerum, tam potentiæ, quàm ſapientiæ, ſigna manifeſtiſſima tenebantur in creatione & conſervatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis: ſed latebat in corde Patris, cumulanda quandoque ſuper genus filiorum Adam in tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus, *Ego cogito cogitationes pacis*, ut mitteret nobis illum, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum: ut jam daret pacem ſuper pacem, pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Verbum igitur Dei in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſcenderet, propria benigni-

Dei bonitas eminet in hominis reparatione.

Jerem. 29. 11

Tom. III. tas invitavit, miſericordia traxit, veritas qua ſe promiſerat venturum compulit, puritas uteri Virginalis ſalva Virginis ſuſcepit integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, caritas verbis & miraculis manifeſtavit.

3. Prorſus ampliſſima mihi nunc materia & malorum meorum ſuppetit, & bonorum Domini mei, ut cum cogitaverim vias meas, convertam pedes meos in teſtimonia ſua. Illa enim bona ineffabilia ſunt, quia (ut brevi verbo cuncta concludam) nihil melius invenire potuit, unde nos redimeret Sapientia Dei in omni ſapientia ſua. Sed & mala circumdederant nos, quorum non erat numerus: quia *peccavi* (juſtus loquitur) *ſuper numerum arenæ maris.* &, *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* *Pſal. 24. 11.* Miſſus eſt coluber tortuoſus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem: miſſus eſt interim Gabriel angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipſius eructaret, ut eadem via intraret antidotum, qua venenum intraverat. Vere vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre: quia totum paternum eſt, quod de corde Patris Chriſtus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei niſi dulce, niſi paternum, humani generis trepidatio ſuſpicetur. A planta pedis uſque ad verticem non erat in nobis ſanitas. Erraveramus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato & in peccato concepti.

Chriſti conceptio noſtram reformat. 4. Chriſtus ergo ibi primum medicinam appoſuit, ubi primus vulneri patebat locus: & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus, de Spiritu-ſancto conceptus eſt; ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus, ſi non fecerat, tamen infecerat: ut non eſſet etiam in utero vita ipſius otioſa, dum novem menſibus purgat vulnus antiquum, ſcrutans, ut dicitur, uſque ad imum putredinem virulentam, ut ſanitas ſempiterna ſuccederet. *Maria medium terræ.* Et tunc jam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim, ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut prophetæ fideles inveniantur; qui ſequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicent omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli. *Luc. 1. 48.* Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cæli & terræ. *Epheſ. 3. 15.* *Pater ſpirituum,* ait Apoſtolus, *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam inveniunt * in æternum. ** al. invenerunt.* Merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quicquid creaverat recreavit.

Chriſti vita noſtram inſtruit. 5. Placebitne tibi, Domine Jeſu, ut dones mihi vitam tuam, ſicut dediſti conceptionem? quia non ſolum conceptio mea immunda, ſed mors perverſa, vita periculoſa, & poſt mortem reſtat mors gravior, mors ſecunda. Non ſolum, ait, conceptionem meam, ſed & vitam meam; & hoc per ſingulos ætatum gradus, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis, tibi donabo, adjiciens mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, & miſſionem Spiritus-ſancti. Hoc autem ideo, ut conceptio mea emundet tuam, vita mea inſtruat tuam, mors mea deſtruat tuam, reſurrectio mea præcedat tuam, aſcenſio mea præparet tuam, porro Spiritus adjuvet infirmitatem tuam. Sic enim plane videbis & viam per quam ambules; & cautelam qua ambules, & ad quam ambules manſionem. In vita mea cognoſces viam tuam, ut ſicut ego paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, caritatis & miſericordiæ indeclinabiles ſemitas tenui; ſic & tu eiſdem veſtigiis incedas, non declinans ad dexteram, neque ad ſiniſtram. In morte autem mea dabo tibi juſtitiam meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, & expugnans hoſtes qui ſunt in via, vel juxta viam, ut non apponant amplius nocere tibi. *Chriſti mors hoſtes noſtros debellat.* His autem completis, revertar in domum meam unde exivi; & ovibus illis, quæ in montibus remanſerant, & quas propter te reliqueram, ut te non reducerem, ſed reportarem, reddam faciem meam.

6. Et ne de abſentia mea vel murmures, vel contriſteris, mittam tibi Spiritum Paraclitum, qui tibi donet pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. *Spiritus-... dona. Pignus ſalutis.* Pignus ſalutis, ut ipſe Spiritus reddat teſtimonium ſpiritui tuo, quod filius Dei ſis: qui certiſſima ª ſigna prædeſtinationis tuæ cordi tuo imprimat & oſtendat: qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cæli, ſi non continue, tamen ſæpiſſime mentem tuam impinguet. *Robur vitæ.* Robur vitæ, ut quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam ejus non ſolum poſſibile, ſed & facile fiat: ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame & ſiti, & in omnibus obſervantiis iſtis (quæ niſi farinula iſta dulcorentur, prorſus mors in olla appareat) delectabiliter incedas, ſicut in omnibus divitiis. *Scientiæ lumen.* Scientiæ lumen, ut cum omnia bene feceris, te ſervum inutilem repures; & quicquid boni in te inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum, & ſine quo non parum aliquid, ſed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergo Spiritus iſte in tribus iſtis te docebit omnia, ſed omnia quæ ad tuam pertineant ſalutem, quia in ipſis eſt plena & abſoluta perfectio.

7. Hoc eſt quod per Prophetam idem Spiritus dicit: *Oſeæ 10. 12.* *Seminate vobis ad juſtitiam*, ubi pignus ſalutis oſtenditur: *metite ſpem vitæ*, ubi vitale robur accipitur: *illuminate vobis lumen ſcientiæ.* quod verbis propriis ſubinfertur. *Spiritus-ſanctus cur in igne apparuit.* Unde & Spiritus iſte ſuper Apoſtolos in igne apparuit, propter lucem pariter & ardorem. Quos enim repleverit, & ſpiritu fervere, & in veritate cognoſcere facit, quia ſola miſericordia eſt quæ eos & prævenit, & perducit. Multum ſibi de hac miſericordia undique contraxerat * puer Domini, cum diceret: ** al. conflaverat.* *Pſal. 58. 11.* *Miſericordia ejus præveniet me.* &, *Pſal. 25. 3.* *Miſericordia tua ante oculos meos eſt.* &, *Pſal. 22. 6.* *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* &, *Pſal. 102. 4.* *Qui te coronat in miſericordia & miſerationibus.* &, *Pſal. 58. 18.* *Deus meus, miſericordia mea.* Quàm dulciter, Domine Jeſu, cum hominibus converſatus es! quàm abundanter multa, & magna bona hominibus largitus es! quàm fortiter tam indigna, quàm aſpera pro hominibus paſſus es! ita ut liceat ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: duro ad verba, duriore ad verbera, duriſſimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Vides igitur quàm verum dixerit ille qui dixit: *Pſal. 39. 18.* *Dominus ſollicitus eſt mei.* Pater ut ſervum redimat, Filio non parcit: Filius ſeipſum libentiſſime tradit: Spiritum-ſanctum uterque mittit: & ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

8. O duri, & indurati, & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit! *Indurati & ad Dei beneficia ſtupidi compellit.* Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, ſed pretioſo ſanguine ſuo, quem effudit abunde: quia largiter undæ ſanguinis de corpore Jeſu per quinque partes emanaverunt. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, juſtificavit impios, triginta & tri-

ª Certiſſima vocat ſigna eo modo, quo Sermone 2. in Octava Paſchæ, num. 3. ubi *certitudo nobis omnino negatur.* Confer ſermonem 1. in Septuageſima num. 1. *Certitudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos . . . Propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis . . . ut quibus certitudinem negat cauſa ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet gratia conſolationis.* Vide ſi lubet Horſtii Notas

bus annis ſuper terram viſus, cum hominibus converſatus, pro hominibus mortuus, qui de Cherubim & Seraphim, & omnibus angelicis Virtutibus dixit, & facta ſunt; cui ſubeſt, cum voluerit, omnia poſſe. Quid ergo a te quærit qui tanta ſollicitudine te quæſivit, niſi te ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Hanc ſollicitudinem non facit niſi Spiritus-ſanctus, qui ſcrutatur profunda pectorum noſtrorum, diſcretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit; Spiritus dulcis & ſuavis, qui noſtram voluntatem flectat, immo erigat, & dirigat magis ad ſuam; ut eam & veraciter intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere poſſimus.

IN FESTO PENTECOSTES,

Sermo tertius.

De multiplici operatione Spiritus-ſancti in nobis.

1. QUàm libenter vobis communicem, ſi quid mihi ſuperna dignatione ſenſero inſpiratum, novit Spiritus ipſe, cujus hodie ſollemnitatem, & ſollemnitatem præcipuam celebramus, utinam devotione præcipua. Ipſe eſt enim, dilectiſſimi, qui vos ſedere facit non ſolum in civitate, ſed & in domo una, ut ſedeat ſuper ſedentes, & requieſcat ſuper humiles & trementes ad ſermones ſuos. Ipſe eſt qui Virgini obumbravit, Apoſtolos roboravit, ut & virgineo corpori temperaret deitatis acceſſum, & Apoſtolos indueret virtute ex alto, ferventiſſima ſcilicet caritate. Hanc nimirum apoſtolicus ille chorus loricam ſeſe induit, ſicut gigas ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Quia enim in domum fortis ligare eum & vaſa ejus diripere mittebantur, opus erat fortitudine ampliori. Alioquin quàm multum erat ad ipſos, ut de morte triumpharent, & ne ipſæ quidem portæ inferi prævalerent adverſus eos, ſi non vigeret in eis, quæ in eis vinceret, dilectio fortis ut mors, dura ſicut infernus æmulatio? Hunc ſibi zelum imbiberant, cum vino ebrii putarentur. Et vere ebrii vino, ſed non eo, quo ab incredulis ebrii credebantur. Plane, inquam, ebrii, ſed vino novo, quod veteres quidem utres nec merentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa Vitis fuderat de excelſo, vinum lætificans cor, non ſtatum mentis evertens; vinum germinans virgines, non apoſtatare faciens etiam ſapientes. Novum vinum, ſed habitantibus ſuper terram. Nam in cælis quidem olim copioſiſſime redundabat, non in utribus, nec in teſteis vaſis, ſed in cella vinaria, in ſpiritualibus apothecis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius civitatis vinum, in quo lætitia cordis, non carnis luxuria eſt. nam terrigenæ & filii hominum vinum ejuſmodi non habebant.

Spiritus-ſancti opera.

Pſal. 149. 7.

Act. 2. 13. *Vinum myſticum.*

2. Sic igitur cælum quidem vino proprio fruebatur, quod terra interim neſciebat: ſed ne ipſa quidem terra penitus inops, carne Chriſti gloriabatur, cujus præſentiam nihilo minus cælum ſitiebat. Quidni fideliſſimum fieret gratiſſimumque commercium inter cælum & terram, inter Angelos & Apoſtolos, ut exhiberetur illis caro Chriſti, iſtis vinum cæli; eſſetque in terra Spiritus, caro in cælis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum? *Niſi*, inquit, *ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Hoc eſt dicere: Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod deſideratis. Expedit ergo vobis ut ego vadam, vos quoque de terra ad cælum, de carne ad ſpiritum tranſlaturus. Filius enim ſpiritus, Pater ſpiritus, Spiritus-ſanctus ſpiritus eſt. Denique ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus. Sed & Pater, quia ſpiritus eſt, tales quærit adoratores, qui adorent eum in ſpiritu & veritate. Spiritus tamen ſanctus quaſi ſpecialiter ſpiritus dicitur, quod ab utroque procedat, firmiſſimum & indiſ-

Commercium cæli & terræ in Pentecoſte.

Johan. 16. 7.

A ſolubile vinculum Trinitatis: tamquam proprie ſanctus, quod ſit donum Patris & Filii, omnem ſanctificans creaturam; quamvis Pater quoque & Spiritus, & ſanctus: itemque & Filius, & Spiritus & ſanctus ſit: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ait Apoſtolus.

Rom. 11. 36.

3. Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid ſit, quomodo ſit, ad quid conſtitutus. Et in eſſe quidem rerum inæſtimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice ſunt creata. Sane in modo ipſo ſapientia ſingularis elucet: quod hæc quidem ſurſum, hæc vero deorſum, hæc in medio
B ordinatiſſime ſint locata. Si vero ad quid factus ſit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratiſſimos quoſque multitudine & magnitudine beneficiorum poſſit obruere. Potentiſſime ſiquidem ex nihilo omnia, ſapientiſſime pulcra, benigniſſime utilia ſunt creata. Verumtamen & fuiſſe novimus ab initio, & adhuc multos eſſe videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus ſenſibilis mundi hujus tota ſenſualitate depreſſi, totos ſe dederunt his quæ facta ſunt, quonam modo, vel ad quid facta ſint negligentes. Quid iſtos, niſi carnales dicamus? Pauciſſimos eſſe jam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuiſſe, quibus ſummum
C ſtudium fuit atque unica ſollicitudo, modum & ordinem inveſtigare factorum, adeo ut plerique non modo utilitatem rerum perquirere diſſimulaverint, ſed & ipſas magnanimiter ſpreverint, cibo parviſſimo viliſſimoque contenti. Ipſi quidem ſeſe philoſophos vocant, ſed à nobis curioſi & vani rectius appellantur.

Dei ſapientia in creatione.

Carnales qui.

Philoſophi curioſi & vani.

4. Utriſque igitur ſucceſſerunt viri prudentiores utriſque, qui nimirum & quæ facta ſunt, & quomodo facta ſunt tranſſilientes, intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta ſunt viderent. Nec latuit eos, quoniam omnia propter ſemetipſum fecit Deus, omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ſe, aliter propter ſuos. In eo quippe quod dicitur, *Omnia propter ſe*, præ-
D veniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur, *Omnia propter ſuos*, magis exprimitur fructus ſequens. Omnia fecit propter ſemetipſum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet utilitate: ut illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis. Hi ſunt ſpirituales viri, ſic utentes hoc mundo, tamquam non utentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere veſtigantes, quonam modo mundialis hæc machina volveretur: primi voluptate, ſecundi vanitate, tertii veritate impleti.

Sapientis eſt in rebus conditis ſpectare finem.

Prov. 16. 4.

Spirituales quinam.

5. Gaudeo vos eſſe de hac ſchola, de ſchola videlicet Spiritus, ubi bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam
E diſcatis, & dicatis cum Sancto: *Super omnes docentes me intellexi.* Quare inquam? Numquid quia purpura & byſſo me indui, & quia lautioribus epulis abundavi? Numquid quia Platonis argutias, Ariſtotelis verſutias intellexi, aut ut intelligerem laboravi? Abſit inquam: ſed *quia teſtimonia tua exquiſivi.* Felix, qui in hoc ſancti Spiritus thalamo commoratur, ut poſſit intelligere triplicem illum ſpiritum: de quo idem ipſe puer Domini ſuper ſenes intelligens clamabat, & decantabat: *Ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*
F Spiritum ſanctum, ipſum intellige proprio nomine deſignatum. Rogat ergo ne projiciatur à facie ejus tamquam aliquid immundum: quia Spiritus iſte odit ſordes, nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis. Cui enim proprium eſt peccata repellere, ipſi & proprium eſt peccata odiſſe: nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo ſancto Spiritu per ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem ejus apparere tamquam lotus & mundus: utpote qui contineat ſe ab omni malo, &

Pſal. 118. 99.

Spiritus triplex.

Pſal. 50. 13.

Spiritus ſanctus quis.

Tom. III.

qui actinnes, etſi non cogitationes frenaverit?

Sap. 1. 1.

6. Sed quia perverſæ & immundæ cogitationes ſeparant à Deo, orandum eſt ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, ſi ſpiritus rectus fuerit in noſtris viſceribus innovatus.

Spiritus rectus.

Spiritum rectum quod ait, Filio poteſt non inconvenienter aptari; qui nos veterem hominem exuens, novum induit. qui nos renovavit in ſpiritu mentis noſtræ, tamquam in viſceribus noſtris: ut cogitemus quæ recta ſunt, ut ambulemus in novitate ſpiritus, & non in litteræ vetuſtate. Formam enim rectitudinis de cælis attulit, reliquit in terris: immiſcens ſane & immittens dulcedinem rectitudini in omnibus operibus ſuis, ſicut de eo idem ipſe prædixerat: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via*

Pſal. 24. 8.

Caſtigato ergo corpore per ſanctitudinem operum, mundato corde, vel potius innovato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia ſalutaris, ut jam in lumine vultus Dei ambules, & in nomine ejus exſultes tota die

Spiritus principalis.

7. Quid igitur reſtat, niſi ut ſpiritu principali confirmeris? Patrem intellige ſpiritum principalem: non quod major, ſed quod ſolus à nullo, cum ab eo ſit Filius, Spiritus-ſanctus ab utroque. In quo autem confirmatio hæc, niſi in caritate? aut quod donum aliud tam dignum Patre? quod munus aliud tam paternum?

Rom. 8. 35.

Quis nos, ait Apoſtolus, *ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Certi ſitis, quia neque mors, neque vita, neque cetera alia, quæ Apoſtolus tam multipliciter, quam audacter enumerat, poterunt nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Numquid non hoc confirmationem ab omni hujus ſententiæ parte demonſtrat? Scis vas tuum poſſidere in ſanctificatione & honore, & non in paſſione deſiderii? Spiritum-ſanctum accepiſti tibi.

Spiritus-ſancti in nobis habitantis indicia.

Vis ut quæcumque tibi vis ab hominibus fieri, tu quoque facias illis, & quod tibi fieri non vis, alii non feceris? Spiritum rectum ad opus proximi ſuſcepiſti. Hæc eſt enim rectitudo, quam Lex utraque commendat, & quæ naturæ indita eſt, & quæ tradita per Scripturam. Jam ſi in utroque bono, & in his quæ ad utrumque pertinent, firmiter perſeveras; principalem ſpiritum, quem ſolum Deus approbat, recepiſti. alioquin quæ modo ſunt, modo non ſunt, is qui vere eſt, non acceptat, nec in caducis iſtis ſibi poteſt æternitas complacere. Itaque ſi deſideras, ut in te Deus eligat partem ſibi: eſto ſollicitus ſicut tibi Spiritum-ſanctum, ſicut proximo ſpiritum rectum, ſic ei quoque, tamquam vero principi, & patri ſpirituum, ſpiritum principalem exhibere.

Spiritus-ſanctus datur hominibus multipliciter.

8. Vere multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus. Si quidem conceditur eis ad uſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium, ad fervorem. Ad uſum quidem vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantiſſime tribuens, ita ut videatur hic diſcretionis limitem non tenere. Ingratus eſt qui in his quoque beneficium Spiritus non agnoſcit. Ad miraculum, in ſignis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur. Ipſe eſt antiqua miracula ſuſcitans, ut ex præſentibus fidem adſtruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam ſine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad ſalutem, cum in toto corde noſtro revertimur ad Dominum Deum noſtrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem noſtram. Nam cum teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus, ea inſpiratio eſt ad conſolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius ſpirans, validum ignem caritatis accendit: ut non ſolum in ſpe filiorum Dei, ſed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, deſpectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus eſt Spiritus ad ſalutem, ad fervorem non ita. Pauci enim ſunt qui hoc ſpiritu repleantur: pauci qui ſtudeant æmulari.

Pauci ad fervorem.

Contenti ſumus anguſtiis noſtris, nec reſpirare in libertatem illam, non ſaltem ad eam ſpirare conamur. Oremus, Fratres, ut compleantur in nobis dies Pentecoſtes, dies remiſſionis, dies exſultationis, dies veriſſimi jubilei: & inveniat nos ſemper Spiritus-ſanctus omnes propter præſentiam corporalem, pariter propter cordium unitatem, in eodem loco per promiſſam ſtabilitatem; ad laudem & gloriam ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN,

De David & Golia, & quinque lapidibus,

Sermo.

* *Hic ſermo Nicolai Clara-vallenſis Sermonibus novemdecim, Henrico V recenſitum Comiti nuncupatis, ſubjicitur in codicibus nonnullis: at nec in paucioribus, nec ſequioris nota, Bernardo tribuitur, atque etiam in Floribus Villelmi monachi Tornacenſis ex Bernardo collectis ante annos quadringentos, ut in hujuſce tomi Præfatione diximus.*

1. AUdivimus ex libro Regum, Goliam, virum proceræ ſtaturæ, præſumentem ſuper multa fortitudine & magnitudine corporis ſui, vociferantem adverſus phalangas Iſraël, & provocantem eas ad ſingulare certamen: audivimus etiam à Deo ſuſcitatum ſpiritum pueri junioris, ut indigne ferret virum ſpurium & incircumciſum, caſtris Iſraël & Dei ſummi exprobrantem agminibus. Spectavimus procedentem adoleſcentulum in funda & lapide adverſus monſtruoſæ magnitudinis hominem loricatum, & clypeo protectum ac galea, ceteriſque terribilem militaribus armis. Si qua in nobis erant viſcera pietatis, non potuimus non timere ſic ineunti conflictum, non congaudere vincenti. Laudavimus magnanimitatem parvuli, quod comederet animam ejus zelus domus Dei, & opprobria exprobrantium ei à ſe non duceret aliena; ſed tamquam ad propriam moveretur injuriam, & doleret ſuper contritione Joſeph. Mirati ſumus tantam in adoleſcente fiduciam, quanta non inveniretur in univerſo Iſraële. Collatam denique cælitus victoriam, & divina manifeſte patratam virtute, tam læti ſuſcepimus, quàm ſolliciti certamen ſpectavimus armati fide parvuli, & glorianris propria in virtute gigantis.

Rom. 7. 14.

2. Jam ſi ſpiritualem, ſecundum Apoſtoli teſtimonium, legem eſſe non ignoramus, & ſcriptam eſſe propter nos non ſolum exterioris ſuperficiei oblectandos aſpectu, ſed interiorum quoque ſenſuum guſtu, tamquam medulla tritici, ſatiandos: conſiderandum nobis eſt, quiſnam videatur iſte Golias, qui populo Dei, jam repromiſſionis terram ingreſſo, jamque multis ex hoſtibus triumphanti, ſolus exprobrare præſumit, elatus & inflatus ſpiritu carnis ſuæ. Credo enim non incongrue in ſuperbo homine ſuperbiæ vitium deſignari. Ipſum namque eſt peccatum maximum, quod Dei populo magis inſultat, & inſurgit ſpecialiter adverſus eos, qui cetera jam videantur viciſſe peccata.

Goliath ſuperbiæ typus.

Hinc eſt quod provocat ad ſingulare certamen, tamquam ceteris jam ſubactis. Nam & Philiſtæi illo in tempore timebant omnino adverſus Iſraël inire conflictum, niſi quod de Golia, enormis magnitudinis viro, eorum fiducia tota pendebat. Unde enim ejuſmodi animam ſuperbia tentet, quam ſibi ſubjugavit invidia, ſeu tepiditas ea, quæ ſolet Deo vomitum provocare; aut pigritia, quæ facit ut boum ſtercoribus lapidetur? Unde, inquam, ei ſuperbia, unde extollentia oculorum, cui adeo cetera vitia dominantur, ut dijudicari ſe ab univerſis tamquam male ſibi conſcius arbitretur? Quis denique niſi manu fortis, qui cetera jam ſibi potenti virtute vitia ſubjugavit, adverſus nequiſſimum ſuperbiæ vitium dimicaturus accedat? Procedat, inquam, David manu fortis, quoniam non eſt vincere tantum hoſtem, niſi in manu forti. Armetur ipſe contra Goliam, qui & urſum vicerit & leonem

Apoc. 3. 16.

Eccli. 22. 2.

3. Videat ſane, utrum Saülis ei arma poſſint prodeſſe, utrum ſæculari ſapientia & philoſophicis traditioni-

bus, ſeu etiam divinarum ſuperficie Scripturarum, A quam nimirum occidentem literam vocat Apoſtolus: videat, inquam, utrum his armis debellare ſuperbiam, utrum hac vi humilitatem apprehendere poſſit, ut onerari ſeſe magis quam roborari ſentiens, hujuſmodi arma atque impedimenta projiciat, jactans omnino cogitatum ſuum in Domino; & de propria penitus deſperans induſtria, ſola fide armatus, non reputet Goliæ proceritatem, ne forte magnitudinis ejus mole prematur, ſed potius pſallat ſpiritu, pſallat & mente: *Dominus*, inquiens, *defenſor vitæ meæ; a quo trepidabo?* Nam & Petrus dum nec ventorum violentiam, nec maris profundum, corporiſque pondus conſideraret, in verbo Domini jactans ſe metipſum, nec perire potuit, nec timere. At ubi vidit ventum validum venientem, timuit, ipſoque timore protinus mergi cœpit. Simile aliquid etiam nunc athletæ noſtro rex Saül ſuadere tentat. *Non potes*, inquiens, *reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare adverſus eum, quoniam puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua.* Verumtamen non acquieſcit ille tale aliquid meditari: ſed præſumens de virtute ejus, cujus auxilio priora certamina jam viciſſet, accedit intrepidus. Colligit igitur, abjectis armis Saülis, quinque lapides de torrente, quos nimirum, cum levia quæque tolleret, levigare torrens potuit, ſed non etiam tollere ſecum. Torrens quippe (quem utinam pertranſeat anima noſtra) ſæculum C præſens eſt, Scriptura teſte: quoniam *generatio advenit & generatio præterit*; tamquam tumens unda undam implens. Quia ergo *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos agri*, hujuſmodi levia facile ſecum trahit torrens inundans: verbum autem Domini, nullis fluctibus cedens, manet in æternum.

2. Cor. 3. 6.
Pſal. 26.
Matt. 14. Pe... mergi cœpit.
1. Reg. 17. 33.
Eccl. 1. 4.
Iſa. 40. 6.

4. Arbitror proinde non incongrue quinque lapidibus iſtis, quinque-partitum verbum intelligi, comminationis, promiſſionis, dilectionis, imitationis, & orationis. Horum quinque verborum late patens copia in divinarum reperitur ſerie Scripturarum. Et forte ipſa ſunt quinque verba, quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in ſenſu, quàm decem D millia in lingua. *Præterit enim figura hujus mundi*; & juxta aliud teſtimonium, *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus.* Hæc autem verba tranſeunte mundo non modo manent, verum etiam levigantur magis, dum pertranſeuntibus pluribus multiplex eſt ſcientia. Jam vero collectos iſtos lapides contra ſuperbiæ ſpiritum dimicaturus David in vaſe memoriæ ſuæ reponat, conſiderans quanta nobis comminetur Deus, quanta promittat, quantam nobis exhibeat caritatem, & quàm multa nobis ſanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendet inſtantiam. Hos, inquam, lapides ſecum tollat, quiſquis ſuperbiæ vitium debellare feſtinat: ut E quoties venenatum audet erigere caput, quilibet ex his lapidibus manui cogitationis ejus primus occurrat, percuſſus in fronte Golias dejiciatur, opertus confuſione. In quo ſane conflictu funda quoque neceſſaria eſt, longanimitatis formam habens, quam huic maxime certamini nulla ratione deeſſe neceſſe eſt.

Lapides jaciendi in ſuperbiæ vitium.
1. Cor. 14. 19.
1. Cor. 7. 31.
1. Johan. 2. 17.
Funda, longanimitas.

5. Quoties ergo vanitatis cogitatio mentem pulſat, ſi ex intimo cordis affectu divinas expaveſcere cœperis comminationes, ſeu promiſſiones ejus deſiderare, non ſuſtinet Golias utriuſlibet lapidis ictum *, ſed reprimitur ilico tumor omnis. Quod ſi venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus ma- F jeſtatis exhibuit: an non ilico inardeſcens ad caritatem, prorſus abominari incipis & abjicere vanitatem? Sic & exempla Sanctorum ſi diligenti tibi conſideratione proponas, erit ſine dubio ad reprimendam elationem cogitatio iſta perutilis. Jam vero ſi forte inſurgente ſubito elatione, nihil ex his quæ diximus apprehendere quiverit manus tua; toto fervore ad eam convertere, quæ ſola reſtat, orationem: & continuo quem elevatum videras & exaltatum ſicut cedros Libani; ſubverſus impius, jam non erit.

* al. jactum

6. Sed quæras fortaſſe, quemadmodum ſuo ipſius gladio Goliæ poſſis abſcindere caput: id enim tanto tibi jucundius, quanto moleſtius hoſti. D'co breviter, quoniam expertis loquor, & qui facile capiant & advertant ſine mora, quod in ſemetipſis crebro ſentiunt actitari. Quoties te, provocante vanitate, ad recordationem comminationis divinæ, ſeu promiſſionis, aut ceterorum, quæ ſupra diximus, confundi cœperis & erubeſcere; devictus * eſt quidem Golias, ſed forſitan adhuc vivit. Accede itaque propius, ne forte reſurgat; & ſtans ſuper eum mucrone proprio caput ejus abſcinde, de ea ipſe quæ te appetit vanitate perimens vanitatem. Elata ſiquidem cogitatione pulſatus, ſi ex ea B ipſa materiam & occaſionem ſumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps & abjectius, tamquam de ſuperbo homine, ſentias de te ipſo; Goliam utique Goliæ gladio peremiſti.

Tom. III. Goliath ſuo ipſius gladio ut perimendus.
* al. dejectus

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN,

De evangelica lectione, ubi turba triduo ſuſtinens Dominum ſeptem panibus reficitur.

Sermo primus.

1. *Miſereor ſuper turbam, quia jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Evangelium, Fra- C tres, ob hoc ſcriptum eſt, ut legatur, nec ob aliud legitur, quàm ut rationabilem conſolationem vel deſolationem exinde capiamus. Eſt enim ſæcularibus conſolatio vana de terrenarum affluentia rerum, vana nihilo minus de earum penuria deſolatio. At Evangelium, ſpeculum veritatis, nemini blanditur, nullum ſeducit. Talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit: ut nec ibi timore trepidet, ubi non eſt timor; nec lætetur cum male fecerit. Sed quid dicit Scriptura? *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Nos autem, Fratres, non ſic, obſecro, non D ſic: ſed conſideremus noſmetipſos in ipſa, quam audivimus, ſacri Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, & corrigamus ſecundum eam, ſi qua in nobis deprehendamus corrigenda. Propter hoc enim optat Propheta dirigi vias ſuas, ad cuſtodiendas juſtificationes Domini: *Tunc*, inquiens, *non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Et ego quidem non confundor, ſed glorior pro vobis, Fratres mei, quoniam Salvatorem in deſerto ſecuti, ſecuri exiſtis ad eum extra caſtra: ſed vereor ne quis forte in triduana exſpectatione puſillanimis inveniatur, & in Ægyptum ſæculi hujus nequam vel corde, vel etiam & corpore revertatur. Merito proinde clamat divina Scriptura, & di- E cit: *Exſpecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Sed quamdiu neceſſe eſt ſuſtinere? Prorſus donec miſereatur tui. Quæris quando? *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam, quia jam triduo ſuſtinent me.*

Marc. 8. 2.
Evangelium cur legatur.
Jacob. 1. 23.
Pſal. 118. 5.
Ibid. 6.
Pſal. 26. 14.

2. Viam enim trium dierum eas neceſſe eſt in deſerto, ſi gratum Deo tuo offerre volueris ſacrificium: & triduo ſuſtineas Salvatorem, ſi miraculi panibus deſideras ſatiari. Prima eſt dies Timoris; dies, inquam, declarans & illuminans tenebras tuas, interiores ſcilicet, & horrendum gehennæ ſupplicium demonſtrans, in quo ſunt tenebræ exteriores. Hujuſcemodi ſiquidem cogitatio, ſicut ipſi noſtis, noſtræ ſo- F let exercere primordia converſionis. Secunda eſt Pietatis dies, qua reſpiramus in luce miſerationum Dei. Tertia dies eſt Rationis, in qua veritas innoteſcit, ut tamquam ex debito quodam naturæ ſine aliqua contradictione Creatori ſubjecta ſit creatura, ſervus ſerviat Redemptori. Exhinc jubemur jam diſcumbere, ut caritas ordinetur in nobis; exhinc aperit Dominus manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Verum quoniam Apoſtolis dicitur, *Facite homines diſcumbere*; quorum nos (licet ad confuſionem noſtram) habetis vicarios qualeſcumque, diſ-

Triduum myſticum quo ſuſtinendus Salvator.
Diſcubitus ſpiritualis

Tom. III.

cumbere vos admonemus, Fratres cariſſimi, ut refecti pane benedictionis ſubſiſtere poſſitis in via, ne forte miſera neceſſitate compulſi deſcendatis & vos in Ægyptum, & incipiant vobis illudere, qui necdum vobiſcum in deſerto ſecuti ſunt Salvatorem. Miſeri ſane & ipſi, qui non exiere cum exeuntibus: ſed plane miſerabiliores omnibus hominibus, qui profecti quidem cum aliis, ſed non cum aliis ſunt refecti.

3. Porro ſi fuere qui diſcumbentibus aliis, poſt dumeta ſeu diverſoria quævis abſconditi latuere, homines ejuſmodi jejunos vacuoſque remanſiſſe quis neſciat? Sic & eos nihilo minus, qui levitate & curioſitate ducti, circumquaque vagantes, minime reſederunt; aut ſi qui reſederunt quidem, ſed non in ordine, nec in numero ceterorum. Hortamur proinde caritatem veſtram, & paſtorali ſollicitudine admonemus, ne quis ex vobis inveniatur angulos amare, ſectari latebras, quærere diverticula: quoniam *qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Sed nec inveniantur in vobis, qui circumferantur omni vento doctrinæ, inſtabiles & inquieti, nihil in ſe ſoliditatis, nihil gravitatis habentes, tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Nam de his quid dicam, quorum manus contra omnes, & manus omnium contra ipſos? Hi ſunt qui ſeparant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes: quoniam *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu.* Nequiſſima plane & pernicioſiſſima peſtis: quoniam univerſos unius obſtinatio turbat, & fit omnibus diſcordiæ fomes, materia ſcandalorum. Denique Prophetam audi, qui de vinea Domini loquens, *Singularis*, inquit, *ferus depaſtus eſt eam.* Pro hujuſmodi rogo & obſecro vos, Fratres mei, fugite ſimulationem omnem, & angulos propriæ voluntatis: fugite inquietudinem & ſpiritum levitatis, fugite obſtinationem, & nequiſſimum vitium ſingularitatis: niſi forte (quod abſit) fraudare vultis animas veſtras panis edulio benedicti.

Singularitas vitanda.
Johann. 3. 20.
Inconſtantia item & obſtinatio.
1. Cor. 12. 3.
Pſal. 79. 14.

4. Jam vero ne longius protraham vos, ſeptem panes quibus reficiamini, iſti ſunt. Primus panis, verbum Dei; in quo vita hominis eſt, ſicut & ipſe teſtatur. Secundus panis, obedientia eſt; quoniam *meus cibus eſt*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Tertius panis, meditatio ſancta, de qua ſcriptum eſt: *Cogitatio ſancta conſervabit te*; & æque alio in loco nominari videtur panis vitæ & intellectus. Quartus panis, orantium lacrymæ. Quintus vero, pœnitentiæ labor eſt. Nec miraberis, quod laborem aut lacrymas panem dixerim, niſi forte excidit tibi quod in Propheta legiſti: *Cibabis nos pane lacrymarum.* & item in alio Pſalmo: *Labores*, inquit, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Sextus panis eſt jucunda unanimitas ſocialis; panis, inquam, ex diverſis granis confectus, fermentatuſque * gratia Dei. Porro ſeptimus panis eſt Euchariſtia: quoniam *panis*, inquit, *quem ego do, caro mea eſt pro mundi vita.*

Luc. 4. 4.
Johann. 4. 34.
Panes ſeptem myſtici.
Prov. 2.
Eccli. 15. 3.
Pſal. 79. 6.
Pſal. 127. 2.
* al. atque ſapientia.
Joh. 6. 52.

** Hic in mſſ. interponuntur Sermo XXXVI. & tres conſequentes de diverſis; præterquam in codice Ciſtercienſi, in quo notatur, eos transferendos eſſe inter diverſos. Qui vero hic ſubſequuntur Sermones duo de ſeptem miſericordiis, multum variant in vetuſtis libris: ſed hæc varietas non mutat ſenſum.*

IN EADEM DOMINICA,

De ſeptem miſericordiis.

SERMO SECUNDUS.

Pſal. 88. 2.

1. MIſericordias Domini in æternum cantabo. Ut quid enim mihi inſipiens neſcio quæ cogitatio de pœnitentiæ hujus onere murmurat, ut aggravet illud ſuper cervicem meam? Aliud onus ſentio, ſuavius quidem, ſed utique multo majus. Sic enim onerat me miſerationibus ſuis Deus, ſic concludit, ſic obruit beneficiis ſuis, ut onus aliud ſentire non poſſim. Quid enim retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Tanta tribuit, & tanta retribuit: & tu mihi de alio onere loqueris? Deficit ſpiritus meus, prorſus deficit in tanta beneficiorum conſideratione. Et licet dignas non ſufficiam gratias agere, ſed ingratitudinem prorſus odit anima mea. Peremptoria ſiquidem res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Dico ego vobis, cariſſimi, quoniam pro meo ſapere nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filiis gratiæ, in hominibus converſionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obſtruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia acceſſum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, Fratres, triſtitia magna, & dolor continuus eſt cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad riſum, ad otioſa, & ad ſcurrilia verba tam faciles video: ut pertimeſcam valde, ne forte pluſquam expediat, divinæ miſericordiæ ſint immemores, & ingrati tam multis beneficiis ſuis, aliquando deſerantur a gratia, quam non ut gratiam venerantur *.

Onus Dei beneficiorum.
Ingratitudinis [illegible]
* al. habent

2. Nam de eo quid dicam, qui in murmure & impatientia obſtinato perdurat animo; aut quem pœnitet adhæſiſſe Deo, & contra morem, & contra rationem, bonum factum pœnitentia commutatur, qui ſine dubio miſerationibus Dei non modo non habet gratiam, ſed & contumeliam reddit? Omnino enim, quantum in ſe eſt, inhonorat [a] eum à quo vocatus eſt, quiſquis in ejus ſervitio in triſtitia permanet & rancore; eam dico triſtitiam, quæ ſecundum carnem eſt, & mortem operatur. Putas ergo quia major illi detur gratia; & non magis etiam quod videtur habere, auferatur ab eo? Nonne enim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum eſt? aut dediſſe non pœnitet, quod periiſſe videtur? Oportet proinde gratum eſſe hominem & devotum, qui percepta gratiæ munera non modo manere ſibi deſiderat, ſed & multiplicari. Nemo ſane eſt qui non facile, ſi quærit, inveniat, unde plurimum ſit obnoxius Deo, quoniam non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Sed nos maxime, quos ſegregavit ſibi, & aſſumpſit ad ſerviendum ſibi ſoli, ſi juxta Apoſtolum non accipimus ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis; omnino plurima inveniemus, unde continuas ei gratias agere debeamus. Quis enim in nobis eſt, qui non confiteri poſſit, quoniam miſericordia tua magna eſt ſuper me? Itaque de tanta multitudine miſerationum Domini vobis breviter aliquas proponere volo, ut qui ſapiens eſt, occaſione accepta ſapientior fiat.

Triſtitia & [illegible] Deum inhonorat.
a
1. Cor. 2. 12.
Gratitudinem debemus erga Deum omnes tenemur, ſed & religioſi maxime.
1. Cor. 2. 12.

3. Septem ego in me video miſericordias Domini, quas & vos ipſi, credo facile invenietis in vobis. Prima eſt, quod à multis peccatis adhuc in ſæculo poſitum cuſtodivit me: prima quidem, inquam, non inter omnes quas mihi impendit, ſed prima inter has ſeptem. Quis enim non videat, quod ſicut in multa cecidi, ſic & in alia cecidiſſem peccata, niſi Omnipotentis pietas me conſervaſſet? Fateor & fatebor, niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidiſſet in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quod ingratum & parvipendentem ſic gratia conſervabat, quod in multis contrarium & contemnentem nihilo minus ab aliis benigniſſime protegebat? At ſecunda miſeratio tua ſuper me, Domine, quonam poterit explicari ſermone, quàm benigna, quàm liberalis, quamque gratuita fuerit? Ego peccabam, & tu diſſimulabas: non continebam à ſceleribus, & tu à verberibus abſtinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam; & tu, Domine, pietatem tuam. Sed quid prodeſſet exſpectatio, niſi ſequeretur pœnitudo? Cumulus eſſet damnationis, dicente Domino: *Hæc feciſti, & tacui.*

Miſericordiæ Dei ſeptem in hominem pium.
Pſal. 49. 21.

4. Tertia proinde miſeratio fuit, quod viſitavit cor meum & immutavit, ut amara fierent quæ male dulcia prius erant: & qui lætabar cum male facerem, & exſultabam in rebus peſſimis, inciperem demum recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc, Domine, commoviſti terram cordis mei, &

a Alii, parum honorat . . . quiſquis ei ſervit in triſtitia & rancore: ſi tamen ſervire ei quis poteſt in ea triſtitia, quæ ſecundum carnem eſt.

conturbaſti

Tom. III.

conturbaſti eam ſana contritiones ejus, quia commota eſt. Multi enim pœnitentia ducti ſunt, ſed infructuoſa: quoniam ipſa quoque eorum pœnitentia reprobata eſt, ſicut & prior culpa. Itaque & hæc miſeratio quarta fuit, quod pœnitentem miſericorditer ſuſcepiſti, ut in eorum numero invenirer, de quibus Pſal-

Pſal. 31. 1.

miſta: *Beati*, inquit, *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

5 Gratia continendi, & cavendi relapſum.

5. Sequitur miſericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps, & emendatius vivendi præſtitiſti virtutem, ne recidivum paterer, & eſſet noviſſimus error pejor priore. Omnino enim manifeſte tuæ eſt, Domine Deus, & non humanæ virtutis, ſuſceptum ſemel peccati jugum à cervicibus ſuis excutere: quoniam

Joan. 8. 34.

Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: nec eſt jam liberari niſi in manu forti. Jam vero poſtquam in his quinque miſerationibus à malo liberaveris, ut fiat quod

Pſal. 36. 27.

ſcriptum eſt, *Declina à malo, & fac bonum*: in duabus aliis bona largiris. Hæ autem duæ ſunt, gratia promerendi, qua videlicet munus bonæ converſationis indulges: & ſpes obtinendi, qua donas homini indigno & peccatori de tua toties experta bonitate uſque ad cæleſtia ſperanda præſumere.

IN EADEM DOMINICA,

De fragmentis ſeptem miſericordiarum.

Sermo tertius.

1. SCitis quid fecerim, ſeptem vobis hodie miſericordias proponendo? Septem utique panes diſtribui. Nam ſi factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quanto magis divinæ miſerationes? Multo enim dulcius iſtæ ſapiunt, reficiunt multo melius, ampliuſque confirmant cor hominis. Verum multa nobis, ni fallor, ex his panibus hodie cecidere fragmenta. Nam & ego ipſe ſentiebam inter frangendum multas è manibus evadere micas, atque inter digitos properantis elabi: utrum ipſi collegeritis aliqua, vos videritis. Ego (ſi nondum faſtiditis) noſtra, quæ mihi collegeram, ſine invidia communicabo, ne forte in-

Prov. 11. 26.

curram maledictionem abſcondentis frumenta in populis. Primus itaque panis, ſi bene memini, conſervatio gratiæ fuit, quæ me, licet indignum, à multis peccatis prorſus adhuc in ſæculo poſitum cuſtodivit.

Præſervatio à peccato fit tribus modis.
b ſerm 13. de diverſ. num 4.

Hujus ergo tria teneo fragmenta, habentia magnum prorſus delectamentum ſaporis, & alimoniam vitæ. Tribus ſiquidem modis à peccato memini me conſervatum. occaſionis ſubtractione, reſiſtendi data virtute, affectionis ſanitate. Multa enim in peccata facile cecidiſſem, ſi data eſſet occaſio: ſed Dei miſeratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulo minus cecidiſſem, graviter impulſus violentia tentationis: ſed virtutem dedit Dominus rex virtutum, ut ſub me eſſet appetitus meus, & ei quam ſentiebam concupiſcentiæ minime conſentirem. Sed à quibuſdam tam longe me fecit miſeratio tua, Domine, ut penitus abominarer ea, & ne ulla quidem eorum me tentatio moleſtaret.

Peccati ultionem cur Deus tardat.

2. Secundus quoque panis fuit exſpectatio, qua tardabat ultionem, quia indulgentiam cogitabat. Et hujus ergo panis tria fragmenta accipite, cogitantes longanimitatem quam exhibuit, electionem prædeſtinationis ſuæ quam impleri voluit, & caritatem nimiam qua me dilexit. Propter hoc enim exſpectans exſpectavit me Dominus, & non intendit mihi, ſed oculos ſuos avertit à peccatis meis, quaſi nolens advertere quantum delinquerem. Propter hoc, inquam, diſſimulabat, ut commendaret patientiam ſuam, ut impleret electionem ſuam, ut confirmaret caritatem ſuam.

Pœnitentiã quomodo Deus in nobis operetur.

3. De tertio quoque pane, ejus ſcilicet miſericordiæ qua convertit nos ad pœnitentiam, tria non tam fragmenta quàm fruſta vobis appono. Tunc enim, ut bene memini, concuſſit cor meum, excitans illud ut ad-

A verteret ſuorum vulnera peccatorum, & vulnerum ſentiret dolorem. Etiam & terruit, deducens ad portas inferi, & præparata iniquis ſupplicia monſtrans. Et ut nihil jam noxiæ remaneret delectationis, meliorem mihi conſolationem inſpirans, ſpem indulgentiæ dedit. In his ergo tribus converſus ſum: credo quod & vos ipſi.

Dei indulgentia erga peccatores viſibilis.

4. Jam vero quarti panis (ipſa eſt indulgentia) obſecro vos diligenter colligite fragmenta ne pereant. Sunt enim ſalubria valde, & dulciora ſuper mel & favum. Sic nimirum ex toto indulſit, & tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam nec damnet ulciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat

B imputando. Sunt enim aliqui ſic donantes injuriam, ut non ulciſcantur, ſæpius tamen improperent. Sunt & alii, qui licet ſileant, manet tamen alta mente repoſta, & rancorem tenent in animo: quarum utique neutra plena indulgentia eſt. Longe ab his omnibus benigniſſima eſt divinitatis natura. Liberaliter agit, ignoſcit plenarie, ita ut propter fiduciam peccatotum, ſed pœnitentium, ubi abundavit delictum, ſoleat & gratia ſuperabundare. Teſtis eſt Paulus gentium Doctor, qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Teſtis eſt Matthæus, de telonio electus in Apoſtolum, cui etiam novi Teſtamenti primum Scriptorem eſſe donatum eſt. Teſtis & Petrus, cui poſt trinam negatio-

C nem, totius Eccleſiæ paſtoralis cura commiſſa eſt. Teſtis denique etiam famoſiſſima illa Peccatrix, cui ut ipſo converſionis initio tanta multitudo dilectionis conceſſa eſt, tanta poſtmodum indulta gratia familiaritatis. Quis accuſavit Mariam, & pro ſe eam oportuit reſpondere? Si Phariſæus murmurat, ſi Martha conqueritur, ſi ſcandalizantur Apoſtoli, Maria tacet: Chriſtus excuſat eam, etiam & laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogativæ, quantæ excellentiæ fuit, quod reſurgentem a mortuis prima [a] videre, prima tangere meruit?

5. Sed jam tranſeamus ad alia. Bonum quidem eſt nos hic eſſe, ubi datur fiducia peccatoribus; ſed oportet

D etiam cetera non tacere. Itaque & in continentia ipſa, quæ eſt panis quintus, tria nihilo minus invenio, unde merito clamare poſſim: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Forte parvum aliquid reputatis continentiam

Luc. 1. 49.

veſtram: ſed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, & quantæ illam neceſſe ſit eſſe virtutis, ut poſſit reſiſtere talibus. Primus ſiquidem continentiæ noſtræ hoſtis caro eſt, adverſus ſpiritum concupiſcens. Quàm domeſticus hoſtis, quàm periculoſa lucta, quam inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus, ô anima mea, nec fugare: circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis. nam (quod periculoſius eſt & miſerabi-

Continentiæ primus hoſtis, Caro noſtra.

E lius) hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet. Vide ergo quàm ſollicite te cuſtodire neceſſe ſit ab ea, quæ dormit in ſinu tuo. Verumtamen non eſt hic ſolus adverſarius mihi; alium adhuc habeo, qui circumcinxit & obſedit me undique: & ſi ignoratis, hoſtis ille eſt præſens ſæculum nequam. Concluſit inimicus vias meas, & per quinque portas, quinque videlicet corporis ſenſus, jaculis ſuis vulnerat [a] me, & mors intrat per feneſtras meas. Sufficere nimis poterant iſti duo: ſed, heu me! ecce video ventum validum venientem ab Aquilone, à quo panditur omne malum. Et nunc quid ſupereſt aliud? *Domine, ſalva nos, perimus.* Ecce enim malleus univerſæ terræ; ecce

2 Mundus.
a al. appetit.
3 Diabolus.

F ſerpens callidinr cunctis animantibus; ecce inimicus ille, quem nec videre poſſum: quanto minus cavere? Neque enim eſt colluctatio ſervare volentibus continentiam (continentiam autem dico non à ſola luxuria, ſed à ceteris quoque, ſicut neceſſe eſt, vitiis & peccatis) non eſt illis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem tantum, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et quis eſt qui jacula

Epheſ. 6. 12.

a Hic Magdalena confunditur cum Maria ſorore Lazari, & Peccatrice, ut ſermone 2. in Aſſumtione. Dubius Bernardus ſermone 123 in Cantica.

Tom. III

Pſal. 10. 3. Pſal. 63. 6.

eorum ignea poſſit exſtinguere? Paraverunt enim ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde: ſed & narraverunt ut abſconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit eos? Nunc quidem aperte & violenter, nunc occulte & fraudulenter, ſemper autem malitioſe & crudeliter impugnant & perſequuntur nos. Et ad hæc toleranda, ne dicam ſuperanda, quis idoneus? Credo jam vobis aliquatenus innoteſcit continentiæ difficultas, ut juxta Apoſtolum ſciatis quæ à Deo donata ſunt vobis. Omnino enim in Domino facimus hanc virtutem, & ipſe ad nihilum deducit tribulantes nos. Ipſe eſt qui non modo carnem noſtram cum concupiſcentiis ſuis, ſed & præſens ſæculum nequam cum curioſitatibus & vanitatibus ſuis, etiam & ipſum cum tentationibus ſuis conterit ſatanam ſub pedibus noſtris. Numquid non merito dixeram inveniendum in continentia, unde clamarem: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt?*

1. Cor. 2. 12. Dei virtute hoſtes noſtros vincimus.

6. Jam vero ſexti panis fragmenta accipite. Eſt autem panis iſte gratia promerendi, bona ſcilicet æternæ vitæ. quam gratiam in tribus maxime conſtare arbitror: in odio præteritorum malorum, & contemptu præſentium bonorum, & deſiderio futurorum. Septimus quoque panis eſt ſpes obtinendi, cujus nihilo minus teneo fragmenta tria; & eorum ſapor dulcis admodum gutturi meo. Tria, inquam, ſunt quæ ſic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ vilitatis, nulla æſtimatio cæleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei dejicere poſſit in ea firmiter radicatum. Deſideratis ea, an reſervanda ſunt propter eum qui dixit: *Mel invenisti? comede quod ſufficit tibi.* Sic completur quotidie quod de ſe ipſa Sapientia prophetavit: & nunc idipſum video, quoniam *qui edunt me*, ait, *adhuc eſurient*. Proinde non vos protraham ultra, ſed nec veſtram fraudabo eſuriem: quoniam quidem ſic paratos vos video, ac ſi necdum ſumpſeritis quicquam. Tria conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit, caritatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, inſipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta eſt illa gloria, quibuſve meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondebo: Scio cui credidi, & certus ſum, quia in caritate nimia adoptavit me, quia verax in promiſſione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod voluerit. Hic eſt funiculus triplex qui difficile rumpitur, quem nobis à patria noſtra in hunc carcerem uſque demiſſum firmiter, obſecro, teneamus: ut ipſe nos ſublevet, ipſe nos trahat & pertrahat uſque ad conſpectum gloriæ magni Dei, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

Gratia promerendi in tribus.

Spei noſtræ tria momenta.

Prov. 25. 16

Eccli. 24. 29.

DOMINICA I. NOVEMBRIS,

De verbis Iſaiæ, *Vidi Dominum ſedentem*, &c.

Sermo Primus.

Iſa. 6. 1.

1 *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. & plena erat omnis terra majeſtate ejus.* Sublimis quædam viſio prophetico nobis ſermone deſcribitur. *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem*. Magnum ſpectaculum, Fratres, & beati oculi qui viderunt. Quis non toto deſiderio concupiſcat tantæ majeſtatis gloriam contemplari? Hoc quippe Sanctorum omnium unicum ſemper deſiderium fuit. Ipſe eſt enim in quem deſiderant Angeli proſpicere, quem videre vita æterna eſt. Sed aliam, Fratres, audio Prophetæ ejuſdem, & ejuſdem Domini longe diſſimilem viſionem. Siquidem Iſaias iſte eſt, qui in alio loco ſic loquitur: *Vidimus eum, & non erat ei ſpecies neque decor; & æſtimavimus eum tamquam leproſum*, &c. Ubi illud primum conſiderandum eſt, quod communis illa, hæc propheticæ prærogativæ propria videatur. Non ſine cauſa ſane ibi, *vidimus*, ſcriptum eſt; & hic, *vidi*: niſi ut illam quidem intelligas eſſe communem, hanc vero excellentiæ ſingularis. Siquidem abſque ſpecie & decore vidit eum, & ſprevit Herodes: viderunt ipſi quoque Judæi, qui & dinumeraverunt omnia oſſa ejus. Jam vero ſuper hac viſione beata manifeſte Propheta denuntians ait: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Viſio Dei duplex, in majeſtate & humilitate.

Iſa. 53. 2.

Iſai. 26. 10.

2. Multifarie ergo multiſque modis non ſolum locutus in Prophetis, ſed & viſus eſt à Prophetis. Agnovit eum David minoratum ab Angelis; Jeremias etiam vidit eum in terris cum hominibus converſantem; Iſaias modo ſuper ſolium excelſum, modo non ſolum infra angelos, aut inter homines, ſed tamquam leproſum ſe vidiſſe teſtatur, id eſt, non in carne tantum, ſed in ſimilitudine carnis peccati. Tu quoque ſi deſideras videre ſublimem, humilem prius Jeſum videre curato. Intuere prius exaltatum in deſerto ſerpentem, ſi videre deſideras Regem in ſolio reſidentem. Iſta te humiliet viſio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & ſanet iſta tumorem tuum, ut illa repleat & ſatiet deſiderium tuum. Exinanitum vides? non ſit otioſa viſio, quia exaltatum otioſe videre non poteris. Similis eris illi, cum videris eum ſicuti eſt: eſto & nunc ſimilis ei, videns eum ſicut propter te factus eſt. Si enim ne in humilitate quidem ſimilitudinem ejus abnuis, certa tibi ſublimitatis quoque ſimilitudo debetur. Numquam ille ſocium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Denique uſque adeo non dedignatur paſſionis ſuæ conſortem & in regnum admittere ſecum, ut in cruce confitens Latro eadem die cum eo fuerit in paradiſo. Hinc eſt quod ait etiam ad Apoſtolos: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis, & ego diſpono vobis regnum.* Quia ergo ſi compatimur, & conregnabimus: ſit interim meditatio noſtra, Fratres, Chriſtus, & hic crucifixus. Ipſum ponamus ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium noſtrum. Ipſum amplectamur brachiis quibuſdam vicariæ dilectionis, ipſum ſequamur ſtudio piæ converſationis. Hoc enim iter, quo oſtendatur & nobis ipſe, qui eſt ſalutare Dei: ſane non jam ſine ſpecie & decore, ſed in claritate tanta, ut majeſtas ejus repleat orbem terrarum.

Chriſtus prius in humilitate videndus, quàm in gloria.

Patiendo commendatur caritas Chriſti.

Luc. 22. 28.

3. Opportune ſiquidem viſione prima, tamquam hiemali adhuc tempore, non ſuper ſolium, ſed in inferiori atque humiliori habitatione videtur. Duplicem quippe ſolet habere magna domus quælibet manſionem, æſtivam ſuperius, inferius hiemalem. Igitur dum ipſa etiam diſcipulorum corda brumali adhuc glacie ſtringerentur, & Petrus quoque non minus gelido corde, quàm corpore calefaceret ſe ad prunas; tempus omnino non erat habitandi in ſolio, vel potius apparendi. At ubi cantabitur canticum novum, *Hiems abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra:* opportune jam tunc aſcendetur in ſolium, & habitabit Dominus in excelſo.

Cant. 2. 11.

4. Puta ergo Iſaiam, cum hæc loqueretur, illius gloriam temporis oculo prævidiſſe prophetico: *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*, &c. Sed quid putamus, quale eſt ſolium iſtud, Fratres? Neque enim Altiſſimus in manifeſtis, vel manufactis inhabitat. Nulla omnino materia corporalis apta tanto ſolio, tantæ fabricæ congrua, digna tanto habitatore videtur. Vivis eſt conſtruenda lapidibus fabrica ſpiritualis, quam vera & æterna Vita ſua inhabitatione dignetur. Quod ſi minus tanto ædificio ſufficit angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio: ſuſcitet certe de terra inopem, & de pulvere erigat pauperem, ut collocet eum cum principibus, & ſolium gloriæ compleat. Et fortaſſis propterea ipſe qui vidit, non modo excelſum ſolium, ſed & elevatum quoque deſcribit: ut proinde & Angelorum ſtabilis celſitudo, & hominum miſericors elevatio deſignetur. Quæ ſequuntur, diligentiorem & ipſa conſiderationem deſiderare videntur: ideoque ſufficiat hodie vel cœpiſſe.

Iſai. 6. 1.

Pſal. 112. 7.

[Tom. III.]

SERMO SECUNDUS[a]

De verbis Iſaiæ Prophetæ.

[Iſa. 6. 3.]

1. PLena erat, ait contemplator noſter de eo, quem ſuper ſolium videbat, *majeſtate ejus omnis terra.* Adveniat, Domine, regnum tuum, ut majeſtate tua ſicut cælum repletur, repleatur & terra. Ut quid enim princeps hujus mundi tanto ubique furore debacchatur, niſi quia terra data eſt in manus impii? Sed hæc eſt hora ejus, & poteſtas tenebrarum. Erit certe quando qui in cælo locum non habuit, & ab ipſa quoque terræ ſuperficie exturbabitur miſer, cavernis unique ſubterraneis recludendus. Hinc quippe propheta David ſanctorum proſperitate præmiſſa, de maligno & angelis ſeu membris ejus adjecit, & ait: *Non ſic impii non ſic, ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Nulla jam tunc tentandi facultas erit, inquietandi nulla libertas, poſſibilitas nulla nocendi. Replebitur majeſtate Domini omnis terra, quando jam voluntatis ejus tranſgreſſio nulla erit: magis autem quando creatura ipſa liberabitur à ſervitute corruptionis hujus, propter quam ingemiſcit & parturit uſque adhuc. Erit enim cælum novum, & terra nova: ut quaqua verteris oculos, in ipſa tibi rerum facie, divina videatur quodam modo reſplendere majeſtas.

[Terra majeſtate Domini replenda exclusa ab ea ſatana.]

[Pſal. 1. 4.]

2. Sed & eſt tibi altera quædam terra propinquior, & ſuper hac amplior, juſtiorque ſollicitudo. *Nemo quippe carnem ſuam odio habuit.* Conſolare ergo eam, ut & ipſa requieſcat in ſpe: audiens nimirum, quia replebitur majeſtate Domini omnis terra. Quomodo enim nunc carnem noſtram, dilectiſſimi, majeſtas divina repleat, cum & magnus ille Paulus, primitias tantum ſpiritus habens, ingemiſcat miſerabiliter ſatis, & dicat: *Scio quia non eſt in me, hoc eſt in carne mea, bonum?* Et certe jam non dominabatur peccatum in ejus mortali corpore. Nota tamen adhuc, & corpus mortale perhiberi, & peccati quoque ſolum dominium negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris ejus, quam quidem majeſtatis plenitudo cum venerit, prorſus excludet. Non ſolum autem, ſed & noviſſima inimica deſtruetur mors. Replebitur ergo majeſtate Domini terra noſtra, quando prorſus de medio fiet & peccati omnis ſenſus, & debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra noſtra Domini majeſtate, quando reſurrectionis gloria veſtietur, induet immortalitatis ſtolam, configurabitur denique claritati corporis Chriſti. *Salvatorem* ſiquidem *exſpectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Quid adhuc murmuras, caro miſera, quid adhuc recalcitras, & adverſus ſpiritum concupiſcis? Si te humiliat, ſi caſtigat, ſi redigit in ſervitutem: id profecto in tuo genere non minus tua intereſt quàm ipſius. Quid eis invides, qui de operibus vermium, & murium pellibus ingloriam plane gloriam mendicare non erubeſcunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus; ſemetipſos dehoneſtantes potius quàm ornantes? Reforment ipſi, aut magis certe deforment corpora ſua; te, ſi fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formavit. Illam, ſi non deſipis, præſtolabere manum, ut quod fecit, ipſa reficiat.

[Eph. 5. 29. Caro noſtra replenda quoque majeſtate Domini.]

[Rom. 7. 18.]

[Ibid.]

[Rom. 7. 23.]

[Philip. 3. 20.]

[Si mortificata fuerit.]

3. Jam vero quid in ipſa prophetica viſione ſequatur attende. *Et ea,* inquit, *quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Propterea ſane dixi: *Humiliare ſub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore viſitationis.* VIDE ut ſub ipſo inveniaris, alioquin non poteris eſſe cum ipſo. Quid enim? putas indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipſos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non diſcernet inter glebas, qui diſcrevit inter ſtellas? Examinabit certe argentum, qui ipſum quoque aurum probavit, & reprobavit. Qualem ergo, putas, neceſſe eſt hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli ſortiatur? Plane immunem ab omni iniquitate, ſed ab ea maxime, quæ in ipſo quoque Angelo, non ad levem offenſam, non ad momentaneam iram inventa eſt, ſed ad odium ſempiternum. Semel turbavit ſuperbia regnum illud, concuſſit muros, etiam proſtravit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? Facilene deinceps admittenda videtur? Numquid non odit civitas illa, & vehementer hujuſmodi peſtem abominatur? Certi eſtote, Fratres, eum qui ſuperbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non eſt contrarius ſibi ipſi, non eſt perſonarum acceptor; ſimilia ſunt judicia ejus. Sola ei placet humilitas, ſive in Angelo, ſive in homine: & qui ſedet in throno, ſolos eligit ſubditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe eſt: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra?* Vide autem ne forte Michaëlis verbum ſit, ſuperbo illi dicenti, *Similis ero Altiſſimo,* in faciem reſiſtentis. Michael quippe interpretatum dicitur, *Quis ut Deus?*

[Iſa. 6. 1.]

[1 Petr. 5. 6. Humilitas ad hoc neceſſaria.]

[Superbia quæ [illegible] exclusa cælo.]

[Pſal. 112. 5.]

[Iſai. 14. 14.]

4. Bene ergo Propheta cum dixiſſet, vidiſſe ſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum; ne forte aut excelſum intelligeres de eo dictum qui ait, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium;* aut elevatum referres ad eos homines, qui in ſuperbiam eriguntur; addidit: *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum,* ut manifeſte intelligas, non eam altitudinem commendari, quæ extollitur adverſus eum: ſed eos in templo, ſive in ſolio fore, qui ſub eo ſunt, alios quidem excelſos ſtabilitate ſolida, alios ex imo levatos miſeratione divina. Ac ne forte objicias, ditioni ejus univerſa ſubeſſe, nec quicquam determinationis habere quod ait, *Quæ ſub ipſo erant:* ut ſolam, quæ voluntaria eſt, & ex fervore caritatis procedit, approbaret & commendaret Dei ſubjectionem, addidit & de Seraphim, de quibus, & nos loco ſuo dicemus, quod ab eo fuerit datum.

[Ibidem.]

5. *Et ea,* inquit, *quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Ab initio ſiquidem creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius templi plenitudo conſtaret: ſed non in omnibus beneplacitum eſt ei, quia *& in ipſis* (ut ſcriptum eſt) *Angelis ſuis reperit pravitatem.* Fuit quippe in eis qui diceret: *Ponam ſedem meam ad Aquilonem;* & populum qui ſibi crederet, habuit. Miſer ipſe, qui ſine Deo eſſe maluit, quàm ſub Deo; miſeri & illi, qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exierunt infelices, & vacuus relictus eſt locus, quem accipiat alter. Nonne Deo ſubjecta eris anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia *quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Fruſtra pulſabunt fatuæ virgines, in vanum clamabunt, ubi impletæ fuerint nuptiæ diſcumbentium, & janua clauſa erit. Infelix anima, cui à nuptiis illis contigerit excludi! Infelix de quo clamabitur: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Ut quid enim lucem hanc temporalem miſer ille videt, qui gloriam illam non merebitur intueri? Utinam nihil umquam vidiſſet oculus meus, ſi illa (quod avertat Deus) fruſtrandus eſt viſione. Eant ſuperbi, inſoleſcant magis; extollantur, inflentur, appetant ſemper in cumulo apparere: ut cum venerit æquitatis linea, à plenitudine ejiciantur. Tu vero non ſic, ſed Deo ſubjecta eſto, anima mea, ſubjecta ſane ex animo, ſubjecta cum fervore devotionis: quia *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Cum quibus ſtemus & nos hodie, Fratres, nec dimoveamur à templo iſto, in quo omnes dicunt gloriam, quia gloriam contemplantur Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Job 4. 18.]

[Iſai. 14. 13. Angelorum ſuperborum lapſus.]

SERMO TERTIUS

De verbis Iſaiæ Prophetæ.

1. NOn vobis arbitror excidiſſe de duobus Seraphim hodie nobis habendum eſſe ſermonem, propter

[a] In pleriſque mſſ. continua ſerie Sermones tres ſequentes conjunguntur; & fere deeſt quintus, qui nova commentatio eſt in verba Iſaiæ: ſed tamen in Colbertino & Albo-mantellorum codicibus reperitur. Et in libris Florum quoque iſti ſermones laudantur. Vide lib. 10. cap. 9. & 10. Obſerva voces *Seraphim* & *Cherubim* in ſingulari ſcribi cum litera *m*, in plurali cum *n* in vetuſtis libris.

Tom. III

Iſai. 6. 1.

illud Iſaiæ, qui poſtquam Dominum ſeſe vidiſſe teſtatus eſt ſuper ſolium reſidentem, addidit, Seraphim ſtare ſuper illud. Seraphim quidem, dilectiſſimi, ſicut frequenter audiſtis, nomen eſt ſupernorum ſpirituum, ordinis unius de novem, ipſiuſque ſummi atque ſupremi. Verum hoc loco, ut arbitror, non in ea ponitur ſignificatione, præſertim cum innumera illa ſint agmina, hic vero duo tantum Seraphim deſcribantur. Et ego quidem, Fratres, ſi licet in hac parte unicuique abundare in ſuo ſenſu, in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, angelicam ſcilicet & humanam. Nec mireris hominem Seraphim factum: memento quia Creator & Dominus Seraphim factus eſt homo. Ad contumeliam tuam, ô ſuperbe, qui creatus inter Angelos, inter Angelos ſtare non meruiſti, ecce Rex noſter novos in terra angelos fabricaturus advenit. Atque ut tabeſcas amplius, & livore proprio torquearis; non qualeſcumque, nec inferioris alicujus ordinis angelos, ſed Seraphim. Audi enim quid ipſe loquatur. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram: & quid volo, niſi ut accendatur?* Vult ergo Seraphim fabricari, ut ibi ſtent, unde tu corruiſti. *Seraphim*, inquit, *ſtabant ſuper illud.* Ut quid ergo tu, qui mane oriebaris Lucifer, in veritate non ſtetiſti, niſi quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur. Tu vero habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non habuiſti. Bonum erat tibi, ſi ignifer magis eſſes quàm lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipſe, frigidam quoque eligeres regionem. Dixiſti enim: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſedebo in lateribus Aquilonis.* Quid feſtinas mane oriri, Lucifer? quid gloriaris ſuper ſidera, quibus aliquanto clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur te Sol juſtitiæ, quem te eſſe vana ſimulatione jactabas, cujus fervore pariter & ſplendore in nihilum redactus omnino diſpareas. Fruſtra quoque paras venturum in fine ſæculorum Dominum, tamquam veri Solis ortum, in damnato illo quem aſſumpturus es homine prævenire, & extolli ſuper omnè quod dicitur, aut colitur Deus; quia & tunc adventus ejus illuſtratione penitus deſtruêris.

Seraphim duo ſignificant creaturam angelicam & humanam.

Angeli ſunt homines.

Luc. 12. 49.

Iſai. 14. 14.

Lucifer lucem habuit, ſed non ardorem.

2. Quàm melius, & certe non ad inſipientiam ſibi, Johannes Baptiſta, ſiquidem & ipſe lucifer fuit, non ſua præſumptione, ne & ipſe fur eſſet & latro, ſed Dei Patris auctoritate præmiſſus eſt ante Dominum! *Ecce*, inquit, *mitto Angelum meum ante faciem tuam*, *&c.* Habes & in pſalmo de eodem: *Paravi lucernam Chriſto meo.* Ille enim erat lucerna ardens & lucens: & voluerunt Judæi ad horam exſultare in lumine ejus, ſed non ipſe. Unde ergo? Ipſum interroga, ipſe de ſe loquatur. *Amicus*, inquit, *ſponſi ſtat, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Stat ergo Johannes: neque enim arundo eſt vento agitata. Stat quia amicus eſt, ſtat quia ardens eſt, & Seraphim ſtare deſcribuntur. Vere amicus ſponſi, qui procedentis de thalamo ſuo non æmulatur gloriam, ſed parat viam, ſed prædicat gratiam: ut & ipſe de plenitudine ejus accipere mereatur. Lucet ergo Johannes, tanto utique clarius, quanto amplius fervet; tanto verius, quanto minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis juſtitiæ non uſurpare venerit, ſed prænuntiare ſplendorem. *Non ſum ego*, inquit, *Chriſtus; venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti.* & illud: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu ſancto & igne.* Ac ſi manifeſte lucifer dicere videatur: Quid admiramini intuentes ſplendorem meum? Non ſum ego ſol: longe alium videbitis eum, in cujus comparatione tenebræ ſum, & non lux. Ego, tamquam ſidus antelucanum, matutino vos rore perfundo: ille emittet in fervore radios ſuos, ſolvet glacies, paludes ſiccabit, algentes calefaciet, pauperibus erit pro veſtimento. Nec ſane diſſonat à verbo Judicis vox Præcurſoris, ſed manifeſte ignem à Johanne promiſſum Chriſtus exhibuit, dicens: *Ignem veni mittere in terram.*

Luc. 7. 27.

Pſal. 131. 17.

Johannes Bapt. lucerna lucens, & ardens.

V. infra ſerm. de S. Johanne Bapt.

Johan. 3. 29.

Johan. 1. 20.

Johannes Chriſti gloriam ſibi non uſurpat.

Luc. 12. 49.

3. Dicas fortaſſis, in igne ut fervorem, ſic & ſplendorem eſſe. Non contendo: licet fervor ei quodam modo ſubſtantialior videatur. Ipſum potius audiamus, quid magis in igne commendet. *Ignem*, ait, *veni mittere in terram: & quid volo, niſi ut ardeat?* Cognoviſti certe quid velit. Sed ne illud quidem ignoras, quod *vita in voluntate ejus*; & ſervus ſciens, nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare. Quid lucere feſtinas? Nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt juſti, ſicut ſol, in regno Patris eorum. Interim pernicioſus eſt iſte appetitus lucendi: fervere enim multo melius. Denique ſi tam vehementer ſplendorem deſideras: quod videri vis, eſſe curato; & primum quære fervorem, nec dubium quin & ſplendor adjiciatur tibi. Alioquin incaſſum laboras: quia vanus ſplendor abſque fervore. Mutuata, aut magis certe ſimulata lux eſt, quæ non ab igne procedit. Quod autem alienum eſt, ad modicum poteris uſurpare. Erit major confuſio, quod non erat tuum, tuum voluiſſe videri. Luna (ut aiunt) habet abſque fervore ſplendorem, ſed & ipſum mutuatur à ſole; ideoque tam frequenter, immo & ſemper mutatur, nec umquam in eodem ſtatu permanet. Sic profecto *ſtultus ut luna mutatur, ſapiens permanet ut ſol.* Ille, inquam, ſtultus, qui in decore ſuo perdidit ſapientiam, id eſt qui refriguit in ſplendore.

Pſal. 29. 6.

Luc. 12. 47.

Splendoris praepoſterum deſiderium ſine errore.

Eccli. 27. 12.

4. Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cælo; *Seraphim vero ſtant ſuper illud.* Stant plane Seraphim: *quia caritas numquam excidit.* Stant attoniti & ſuſpenſi in contemplatione ſedentis in throno, ſtant in æterna incommutabilitate, & æternitate incommutabili. Tu ſedere tentaſti, ô impie, propterea tui moti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus tui. Filius eſt qui ſedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquillitate judicans omnia. Sola ſedet Trinitas, quæ ſola habet immortalitatem *, ſola eſt apud quam non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Seraphim vero ſtant immutabiles quidem, ſed ſuo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes ſe & intendentes in eum, in quem proſpicere concupiſcunt. Qui ſedere præſumpſit, ſeipſo voluit eſſe contentus. unde ſolam hodieque malitiam eſurit: quia ſolam habet hanc à ſemetipſo. Cum loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia *mendax eſt, & pater ejus.* Quod audis de verbo mendacii, intellige & de opere malitiæ. Et liceт male ſibi in malo complaceat, ſufficere tamen ſibi numquam poterit nec in ipſo. Sola proinde ſedet Trinitas ſumma, quæ ſola habet in ſe eſſe: in ſe eſt, & ideo ſola vere eſt; ſola ſe fruitur, ſola nullius eget, ſola ſufficit ſibi ipſi.

1. Cor. 13. 8.

Statio Seraphim incommutabilitatem denotat.

Trinitas ſola ſedet.

** al. immutabilitatem.*

Johan. 8. 44.

SERMO QUARTUS

De verbis Iſaiæ Prophetæ.

Iſai. 6. 2.

1. CUm dixiſſet Propheta, quia *Seraphim ſtabant*, adjunxit deinde, & ait: *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri.* Quid ſibi volunt alæ iſtæ, Fratres? Ergone etiam cum hiems tranſierit, & ſedebit Rex ſuper ſolium, volandum adhuc erit & ipſis Seraphim, ut poſſint diverſis occurrere neceſſitatibus diverſorum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione poſitos conſolari? Abſit ut in illo æternæ beatitudinis regno neceſſitas, aut periculum, aut labor, aut tribulatio ſit, cui oporteat ſubveniri. At quid ergo tunc alæ? Placet mihi ſtatio illa, omnino ſic volo manere, nec aliquid prorſus admitto, quo mihi ſtabilitas illa depereat. Verumtamen ſcio, beate Iſaia, quod propheta es tu, & ſpiritum ejus habes, qui abundantia pietatis excedit hominum non modo merita, ſed & vota. Salva mihi ſit illa tam amata ſtabilitas: jam ſi quid alæ iſtæ ad beatitudinem addiderint, non recuſo. Credo autem ſicut in ſtatione immutabilitatem, ſic & in volatu alacritatem promitti, ne videlicet inſenſibilis quædam & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur. Sed dicas: Etſi alas habere neceſſe eſt, quare tam multas? Quid ſibi vult multi-

plicitas iſta pennarum? Audi quod ſequitur: *Duabus alis velabant caput, duabus pedes, & duabus volabant.* In quibus verbis videre mihi videor, quod de ſtatione dictum eſt, volatu manifeſtius explicari. Quo enim Seraphim volant, niſi in eum, cujus ardent amore? Vide flammam quaſi volantem, & ſtantem ſimul; nec miraberis jam Seraphim ſtantes volare, ſtare volantes.

Alæ duæ, cognitio & devotio

2. Sed quia diximus quo volant; ipſas quoque quibus volant alas exigere religioſa curioſitas veſtra videtur. Certius poſſet & credibilius teſtimonium perhibere, cui datum eſt & videre. Ego tamen opinor non incongrue pennas iſtas agnitionem & devotionem intelligi poſſe, quibus in eum, qui ſupra ipſos eſt, Seraphim rapiuntur. Levat quippe cognitionis ala, ſed ſola non ſufficit. Ruit citius qui una tantum ala volare contendit: & quo magis attollitur, pejus colliditur. Experti ſunt hoc philoſophi gentium, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Denique traditi in reprobum ſenſum, uſque in ipſas etiam paſſiones ignominiæ corruerunt, adeo vera probatur illa ſententia: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Sic & zelus abſque ſcientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingens nimirum atque reſiliens. Ubi vero intelligentiam caritas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecure quiſquis ejuſmodi eſt, volet ſine fine, quia volat in æternitatem.

Rom. 1. 21.

Jacob. 4. 17. Zelus ſine ſcientia corruit

Capitis & pedum velatio quid ſignificet

3. Jam ſuper ea, quæ præmittitur, capitis & pedum velatione extat a Patribus probata ſententia, Dei caput, pedeſque velari, eo quod lateat quid ante mundum fuerit, quidve futurum ſit poſt ejus conſummationem. Et hoc quidem pro eo, quod diſtincte in Latinis codicibus ſcriptum eſt, *caput ejus & pedes ejus.* Teſtatur autem interpres noſter * in Hebræo verbum eſſe commune, quod interpretari poſſit *ejus*, & *ſuam*: ut Seraphim juxta Hebræi ſermonis ambiguitatem, vel faciem pedeſque Dei, vel ſuam faciem ac pedes operire dicantur. Unde & mirum videri poteſt, cur e duobus eum magis in interpretatione elegerit ſenſum, quem viſionis ipſius conſequentia minus videtur admittere, ut videlicet volarent, & velarent pariter caput pedeſque ſedentis, niſi quod Origenis expoſitionem ſecutus eſt in hac parte.

* S. Hieronymus. Interpretatio duplex.

4. Quod ſi de ipſis quoque Seraphim licet accipere, ſic pinge ea, ut operto capite & pedibus, ſolum appareat corpus medium, ſed & ipſum quoque non penitus, propter eas nimirum alas, quibus volare perhibentur. Conſidero ſiquidem quaſi quoddam caput, corpus, & pedes meos in verbis Apoſtoli, quibus ait: *Quos enim præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: & quos prædeſtinavit, hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & magnificavit.* Itaque initium meum ſolius ª gratiæ eſt, & non habeo quid mihi in prædeſtinatione attribuam, ſive vocatione. Non ſic ſane ab opere juſtificationis alienus ſum: operatur & illud gratia, ſed plane mecum. Videſne quemadmodum Seraphim in medio appareat aliquatenus? Porro conſummatio quidem & ipſa ſolius gratiæ eſt: nec eſt mihi in hac parte, vel cum ea, ſive in ea gloriari, quaſi coadjutor videar, aut cooperator. Velat itaque Seraphim caput ſuum duabus pennis, ſi & veraciter cognoverit, & humiliter fateatur, quia miſericordia eum ſola prævenerit. Velat & pedes alis æque duabus, ſi miſericordiæ quoque, quæ ſubſecutura eſt, nec ignarus exſtiterit, nec ingratus. Quam ſane capitis & pedum velationem & nunc quoque negligere non oportet, licet tunc maxime perficienda ſit, quando Judex ſedebit ſuper ſolium, & adſtantes ſibi Seraphim & agnitione veritatis ſubtilius illuſtrabit, & inflammabit vehementius caritatis ardore. In quorum numero indignos nos ſervos nominis ſui ipſa, de qua locuti ſumus, conſtituere dignetur miſericordia, quæ ab æterno eſt & uſque in æternum ſuper electos, in medio quidem aliquatenus oſtendens liberum arbitrium merenti gratia; principium vero & finem omnino ſoli vindicans ſibi: ut ſit nobis Alpha & Omega Dominus Deus noſter, & pro utroque jure clamemus: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Amen.

Rom. 8. 29.

ª Prædeſtinationis initium & finis ſoli gratiæ, opus etiam nobis tribuendum. V. ſerm. 105 de diverſ.

Pſal. 113

Sermo Quintus*

* Eſt nova commentatio.

De verbis Iſaiæ Prophetæ.

1. COmmendant ᵇ nobis ſacræ litteræ Chriſtum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre, etiam & ſub Patre. Quod dicitur, ex Patre, ineffabilis eſt nativitas: quod in Patre, conſubſtantialis unitas: quod cum Patre, æqualitas majeſtatis. Sane enim tria hæc ab æterno. Ceterum ſi ex Patre naſcens; quid in Patre, aut cum Patre? Non incongrue forſitan in Patre cubans, cum Patre ſedens dicatur. Et audite conſeſſus hujus, & hujus accubitus rationem. Sicut enim ſeſſio majeſtatem, ſic conſeſſio æqualitatem exprimit majeſtatis, præſertim cum ſit ei ſedes à dextris Patris, non ſane ſub pedibus, vel quaſi à tergo. Et ſedere quidem jam quieſcere eſt, ſed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius eſſe videbitur Filio, quod in Patre eſt, an quod cum Patre omnibus præeſt? In quo putas borum ſumma illa pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, & ſingularis requies Domini competentius aſſignetur? Et ſi digne ſatis ore id exprimi nequeat, corde tamen forſitan pie concipimus: ut ſalva quidem in omnibus illius indiviſibili ſimplicitate eſſentiæ, inter gloriæ æqualitatem, & ſubſtantiæ unitatem, velut ſimilis quædam ei, quæ inter conſeſſum & accubitum eſt, cogitari poſſe diſtinctio videatur.

ᵇ Chriſtus ex Patre;

In Patre & cum Patre.

2. Denique parum videtur ſponſæ videre ſedentem: cubantem ſibi flagitat indicari. *Indica mihi*, ait, *quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Sed & animæ omni, quæ ſanum ſapit, dulcius ſapit per omnem modum quod Apoſtolus ait, *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*; quàm quod Apoſtolis dicitur, *Cum ſederit Rex in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos judicantes.* Haud minus utique jucundior ſeſſione cubatio. *Ego in Patre*, ait Filius, *& Pater in me eſt.* Non potuit expreſſius ſubſtantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quaſi exterius licet, nihil interius cogitari; ſimpliciſſimam magis credi neceſſe eſt in ambobus ſubſtantiæ unitatem. Verumtamen aliquatenus huic ſimile eſt quod dicitur: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* niſi quod hic quidem ſpiritualis quædam unio, ſecundum quod ſupra memoravimus, *Qui adhæret Deo*; non quidem unum, id eſt, non una ſubſtantia, *ſed unus ſpiritus eſt*: illic vero naturalis potius & ſubſtantialis unitas deſignatur. Unde & habes in Evangelio: *Ego & Pater unum ſumus.* Illud proinde juxta præfatam ſimilitudinem, tamquam cubiculum Unigeniti, & quaſi ſumma quædam requies Domini eſt. Nos quoque per hanc voluntatum unionem & adhæſionem ſpiritus, quam nimirum caritas facit, pro noſtro quidem modulo, in hoc ſuum cubiculum & in ſuam requiem factus etiam primogenitus introducit.

Cant. 1. 6.

1 Cor. 6. 17.

Matt. 19. 28.

1 Johan. 4. 16.

Johan. 10. 30.

3. Jam vero quod dicitur à Patre, ambulantem ſignificat, & ad eum, quem proxime ipſo præſtante celebraturi ſumus, ſpectat Incarnationis ejus adventum. Hinc nimirum & ipſe ait: *Ego enim à Deo proceſſi & veni.* In terris denique viſus, & cum hominibus converſatus, medius noſtrum, quem neſciebamus, ſtetit; verus quidem Emmanuel, nobiſcum Deus, nobiſcum ſtans, ſed pro Patre. Quod enim nobiſcum ſtetit, adjutorium: quod pro Patre ſtetit, zelum deſignat. Paternam nempe quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Ceterum ſi pendentem

Chriſtus à Patre;

Johan. 8. 42.

Ibid. 1. 8. Pro Patre.

a Hæc ex dictis Bernardi citantur in Florum lib. 5. cap. 10.

b Iſtud initium refertur in lib. 10. eorumdem Florum cap. 19.

[Tom III] conſideres, ſi Chriſtum, & hunc crucifixum attendas, ibi maxime evidentiſſimeque eum ſub Patre reperies. [*Sub Patre.*] Hoc enim proprie ac ſpecialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, ſecundum quam ipſe ait: [*Johan 14. 28.*] *Pater major me eſt.* Dicerene audebimus, quod aliquando etiam fuerit ſine Patre? [*Sine Patre.*] Nemo id præſumeret, ſi non prior ipſe dixiſſet: [*Matt 27. 46.*] *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Quaſi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta neceſſitate virtutis exhibitio, nulla oſtenſio majeſtatis.

4. Habemus itaque Chriſtum ex Patre naſcentem, in Patre cubantem, cum Patre ſedentem, à Patre ambulantem, pro Patre ſtantem, ſub Patre pendentem, ſine Patre quodammodo morientem. Quonam igitur

B

modo ex his vidiſſe eum credemus Iſaiam, cum diceret: [*Iſa. 6. 1.*] *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum?* Longe enim per omnem modum diſſimilis ea viſio fuit, de qua alibi idem Propheta: [*Ibid. 53. 2.*] *Vidimus eum*, inquit, *& non erat ei ſpecies neque decor: & æſtimavimus eum tamquam leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Idem utrobique vidit eumdem: ſed non vidit eodem modo, ac per hoc quodam modo non eumdem. Ibi enim vidit eum lividum plagis, ſaturatum opprobriis, afflictum ſuppliciis, laceſſitum injuriis. Vidit denique contemptibilem, vidit pendentem, vidit propter nos morientem, & ait: [*Ibidem. 5.*] *Attritus eſt propter ſcelera noſtra, cujus livore ſanati ſumus.* Ibi, inquam, no-

C

viſſimus virorum apparuit & deſpectus: hic autem plena erat omnis terra majeſtate ipſius. [*Chriſti viſio apud Iſaiam diverſa.*] Ibi vir dolorum, & ſciens infirmitatem; hic Dominus ſedens. Et illa quidem communis viſio verbo pluralis numeri deſignatur: hæc autem tam ſingularis eſt, quàm ſublimis. Ibi ergo tamquam unus de multitudine, *Vidimus* ait: hic vero tamquam ſolus & ſolitarius, levans ſe ſupra ſe, *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem*, *&c.* Sane competenter Dominus dicitur, qui ſedere conſpicitur. Sedere enim præſidentis eſt, ſedere dominantis eſt & regnantis. Maxime vero ſedere ſuper ſolium, dominationem notat; nam ſedere ſimpliciter, aliquando & humiliationem. Ceterum, ut prædiximus, qui

D

in Patre cubat delicians, cum Patre imperans ſedet; ibi ſponſus amabilis, hic dominus admirabilis; denique glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in majeſtate ſua.

5. *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & plena erat omnis terra majeſtate ejus: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Quæ enim ſub ipſo erant. Numquid ipſum quod dixerat ſolium? Quamlibet excelſum & elevatum; ſub ipſo tamen nihilu minus erat, Si enim ipſe ſuper ſolium ſedens, ſolium plane ſub ipſo. Et quomodo illud replebat templum? [*Angeli, ſolium Dei.*] Deinde quando & ipſa jam terra omnis plena eſt majeſtate ejus; quomodo templum adhuc vel unde repletur?

E

Enimvero diſce ex his quæ audis, ſolium non machinam imaginati corpoream, ſed angelicam intelligere creaturam. Si enim ſedes ſapientiæ eſt anima juſti, quàm dignior ſedes Angeli ſancti? Hoc plane ſolium gloriæ ejus, excelſum per naturam, ſed multo magis per gratiam elevatum. Excelſos enim fecit eos natura conditionis, elevatos gratia confirmationis, de qua dicitur: [*Pſal. 32. 6.*] *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* Ea igitur agmina Angelorum, in quibus ſedet Deus, & quæ ſub ipſo ſunt, templum replent, licet jam terra omnis ipſius plena ſit majeſtate. Ubique enim regnat, ubique imperat, ubique majeſtas ejus, ſed gratia forte non ita.

F

Non, inquam, ubique ſicut poteſtas, ſic & voluntas ejus bona, & beneplacens & perfecta. Alioquin quid eſt quod dicimus, [*Matt. 6. 10.*] *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra?* Fit enim voluntas ejus de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis ſpiritibus fit voluntas Dei, quando eis efficitur cum ipſo una voluntas. Hæc ſane adhæſio ſpiritualis unum ſpiritum faciens, ſicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur exſtitiſſe. [*Act. 4. 32.*] *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Replebant omni benedictione ſpirituali, re-

A

plebant conſolatione divina, replebant diviſionibus gratiarum, replebant denique fructu ſanctificationis: ſiquidem *domum tuam, Domine, decet ſanctitudo.* Replebant diverſis chariſmatum donis, ſpiritu ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis; & replebant illud ſpiritu timoris Domini.

6. *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Nomen eſt ordinis Angelorum ſummi atque ſupremi, ut merito ſtare ſuper ceteros deſcribantur: [*Statio Domini, Angeli & hominis diverſa.*] & ipſi tamen quamlibet ceteris præſtent, adſtant nibiln minus Domino præſidenti, devotum utique miniſterium, & plenum reverentiæ obſequium exhibentes. Aliter enim Domini, aliter Angeli, aliter hominis intelligi convenit ſtatio-

B

nem. Stat Chriſtus pro Patre zelans, Patris gloriam quærens; & tamquam fidelis Unigenitus, immo & primogenitus Patris, zelo Patris adjuvans adoptivos. Sic illum Stephanus ſtantem vidit, quem habuit adjutorem: [*Act. 7. 55.*] ſic Propheta in adjutorium eum ſurgere precabatur: *Exſurge*, inquiens, *Domine, adjuva nos.* [*Pſal. 43. 26.*] Sane angelica ſtatio miniſtratio eſt, dicente Propheta: [*Dan. 7. 10.*] *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant.* Nam hominis quidem ſtare, perſiſtere eſt in vigore animi, & obſervatione propoſiti. Sic Moyſes ſtetit in confractione in conſpectu Domini, ut averteret iram ejus: [*Pſal. 105. 30.*] ſic ſtetit Phinees, & placavit. *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Quid ſibi vult, quod non unum, [*Seraphim duo quid.*]

C

non plurimos ſtantes vidiſſe ſe perhibet Propheta, ſed duos? Duos ſiquidem ei apparuiſſe conſtat ex eo quod ſecutus adjunxit: *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri.* [*Eccl. 4. 10.*] Et bene duo ſtabant: *Væ enim ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* Væ tibi ſuperbiæ ſpiritus, ſolitudinis & ſolitariæ præſumptionis amator: non ſtetiſti in veritate; expulſus es; pes ſuperbiæ ſtare non potuit. Solus ſedere volens, tamquam fulgur cecidiſti de cælo, non habiturus aliquando ſublevantem.

7. *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri.* Ad quid multiplicitas iſta pennarum? [*Pennarum multiplicitas ad quid.*] *Duabus*, inquit, *velabant caput ejus, & duabus pedes; & duabus volabant.* Grande myſterium, & profundum utique ſacramentum! Atten-

D

tas in vobis hæc verba deſiderant aures, ſed multo magis diſertam in nobis linguam exigunt, maximeque animum ſpiritalem. Dico autem utcumque quod ſentio, nec ſane affirmans dico, ſed conjectans quodammodo & opinans. Quid enim æſtimare vetat, dejecto Lucifero, ad pervigiles excubias Seraphim conſtitutos; ſicut ejecto homine, teſte Scriptura, Cherubim ad cuſtodiam poſuit Deus? [*Gen. 3. 24.*] Nec incongrue forſitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ inciſio pariter & incenſio, quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. [*Lucifero poſt caſum abſcondita Dei gloria.*] Porro Seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum ſpiritalem.

E

Denique *duabus*, inquit, *velabant caput ejus, & duabus pedes:* [*Iſa. 6. 2.*] ut nec alta Dei, nec profunda ejus iniquus ille valeat contemplari. Erit cum revelabitur gloria Domini: ſed non erit hoc niſi factum fuerit ante quod ſcriptum eſt: [*Iſa. 26. 10.*] *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Interim ſane velatur caput, velantur pedes, ut medium quidem aliquid eidem impio videndum, ſed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ nimirum ſic illum arceant, ut iſtos ſuſtineant & ſuſtollant.

8. Quærendum tamen prius, quibus alis volare dicantur; quia *duabus*, inquit, *volabant.* [*Alæ duæ; naturæ & gratiæ.*] Nec incongrue forſitan duas iſtas naturæ, & gratiæ dicimus: præ-

F

ſertim cum prius quoque in his ipſis etiam ſolii celſitudo & elevatio à nobis fuerit aſſignata. Vivaci ſiquidem per naturam intellectu, & ferventi nihilo minus affectu per gratiam in eum qui ſupra ipſos eſt extenti jugiter & intenti, ſtare quidem (ut diximus) per miniſterium, ſed & volare per ſtudium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent etiam pedes; ſed ſibi iſta non velant, magis autem ſedule volant & volitant inter iſta, & alta potentiæ ejus, & profunda ſapientiæ veſtigantes. Nec ſane ſcrutatores ſunt majeſtatis, ut proinde opprimantur à gloria: quod non minus diligant, quàm intelligant, utpote quos

(Lucifer una [illegible] ala volitare tentans cecidit.)

ille regit & agit Spiritus, qui ſcrutatur etiam alta Dei. Superbus ille Lucifer, lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alæ, caſum facere potuit, non volatum. Exſultavit enim lucidus eſſe, non fervidus, non incenſus, quod Seraphim ſonat. Non ergo ſtetit, quia contempſit; ſed nec volare potuit, quod præſumpſit. Suſtulit cum naturæ vivacitas, ſed in ſuam plane perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox dejecit. Nec diſſimilis ſane illorum caſus, qui cum cognoviſſent Deum, non glorificaverunt, aut gratias egerunt: quo tandem merito traditi ſunt in reprobum ſenſum, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Denique & ipſi eorum principi interpoſitum eſt velamen, quod nulla jam naturæ vivacitate pertranſeat, ut ipſius, qui ſuper ſolium ſedet, caput aut pedes valeat intueri. Siquidem Seraphim ſtantes & adſtantes duabus alis caput velant, duabus pedes.

(Nihil corporeum in Deo fingendum.)

9. Non eſt corporalis divina ſubſtantia, nec in formam hominum membris diſtincta corporeis. Spiritus eſt Deus. & quæ de eo dicuntur, ſpiritaliter veſtiganda. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput, & pedes iſtos, quos geminis alis Seraphim velant, niſi Spiritus ipſe, qui novit omnia quæ in eo ſunt, & ſcrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipſa eſſe, quæ in hoc loco capitis nomine deſignantur. Itaque ſecundum hunc ſenſum caput ejus, majeſtas ejus, poteſtas ejus, ſempiterna virtus atque divinitas. Caput ejus, juxta illud propheticum: *Juſtitia tua ſicut montes Dei.* Nempe quod ſequitur, *Judicia tua abyſſus multa.* non incongrue forte videtur pedum poſſe appellatione ſignari. Sunt enim velut quidam pedes ejus, inveſtigabiles viæ ejus, inſcrutabilia judicia ejus, profundum ſapientiæ ejus, & irreprehenſibilis quædam, ſed incomprehenſibilis diſpoſitio ejus. Ad hos pedes ipſum quoque Dominicæ incarnationis myſterium ſpecialiter noſcitur pertinere, & omnis pariter operatio noſtræ ſalutis. Cernere eſt quàm ſit juſtitia illa ſublimis, quam ſicut montes Dei Propheta eſſe miratur. Noſtra enim (ſi qua eſt) humilis eſt juſtitia, recta forſitan, ſed non pura. Niſi forte meliores nos eſſe credimus, quàm patres noſtros, qui non minus veraciter quàm humiliter aiebant: *Omnes juſtitiæ noſtræ, tamquam pannus menſtruatæ mulieris.* Quomodo enim pura juſtitia, ubi adhuc non poteſt culpa deeſſe? Recta proinde interim videri poteſt juſtitia hominum, ſi tamen peccato non conſentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modo recta, ſed etiam pura fuit, quamdiu ei datum eſt nec ſentire peccatum. Ceterum & hæc ipſa, quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit, & ne ipſam quoque retinuit rectitudinem ſuam. Sane apud Angelos juſtitia recta, pura, & firma eſt; ſublimis quidem, ſed adhuc longe inferior quàm divina. Non enim innata eſt eis, ſed à Deo collata: ut natura ipſa, quod ex ſe eſt, non modo juſtitiæ, ſed etiam injuſtitiæ capax inveniatur. Numquid non iſta eſt pravitas quædam, quam in Angelis ſuis vera illa Juſtitia legitur inveniſſe? *Non enim juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, ait is qui Dei juſtitiam minime ignorabat. Nec ait, *Omnis homo*, ſed, *omnis vivens*. forte, ut ne ipſos angelicos eum noveris ſpiritus excepiſſe. Vivunt enim & ipſi, tanto verius, quanto propius adſtant ei, apud quem eſt fons vitæ. Nihilo minus etiam juſti ſunt, ſed ex eo, non coram eo; munere ejus, non in ejus comparatione. Ipſe enim ſibi juſtitia eſt, cujus voluntas non tam æqua, quàm ipſa æquitas: & utraque non aliud, quàm ipſa ſubſtantia eſt. Illa ergo juſtitia veriſſime ſicut mons eſt, quæ recta eſt, quæ pura eſt, quæ firma eſt, & (ut ita dixerim) etiam ſubſtantia eſt. Quanta in hoc capite latet altitudo! Quanta gloria eſt, quantaque ſublimitas in hoc umbroſo & condenſo monte repoſita!

(Dei caput, divinitas. — Pſal. 35. 7 — Pedes, judicia. — Iſai. 64. 6. — Juſtitiæ divinæ, humanæ, & angelicæ, differentia. — Job 4. 18. — Pſal. 142. 2.)

10. Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velant, ut nulla ſublimitate naturæ, nulla rationis perſpicacitate nequam oculus in illam queat irrumpere veri luminis claritatem? Duabus, ni fallor, alis; ſuæ videlicet ipſorum gloriæ, & felicitatis. Ineffabili [illegible] ſiquidem delectantur in admiratione contempl[illegible] illius; nec minus gloriantur in ipſius veneratione. Iniquus ille admirationem quidem, ſed non venerationem habens, quia ſubdi noluit per venerationem, figi non valuit per admirationem. Denique admirationem ipſam in æmulationem convertit; nec venerari dignatus, ſed conatus eſt imitari. Quàm melius Seraphim ſua ipſa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in ipſo habentes gloriam, cui ſervire regnare eſt, & apud quem omnis qui ſe humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipſum, quod diximus, caput Domini, ne iniquus ille inſpiciat, velare Seraphim videantur. Quoties enim ſurſum dirigit aciem, in angelicam ſtatim felicitatem & gloriam malignus offendit; & offundit [a] oculum peſſimus humor, livor proprius, ut penetrare ultra non poſſit. Sic nimirum quaſi gemino quodam velamine, ne ſublimiora proſpiciat, invidus præpeditur; ad illorum, quos ſuperiores habere dolet, modo quidem felicitatem, modo gloriam, modo utramque ſimul, reverberata acie contabeſcens. Quis enim tam gravis pruritus oculi, quàm invidia eſt? Nec vero aliis livor invidus, quàm aliena gloria & felicitate torquetur. Miſeria enim (ut aiunt) invidia caret.

(Tom. II. — Alæ quibus [illegible] Dei [illegible] velant [illegible] admiratio & veneratio. — Lucifero una defuit. — Invidi tormentum, gloria aliena.)

11. Sed & pedes Domini, quibus nimirum impenetrabilem judiciorum ejus abyſſum, & diſpoſitionis ejus vias diximus inveſtigabiles deſignari, duabus æque alis velant Seraphim. Ego autem dico, prudentia & fidelitate. Cum enim & fideles pariter miniſtri ſint, & prudentes; ſic divina negotia gerunt, & ſaluti provident electorum, ut malignus ille deprehendere omnino non poſſit. Ex hoc pedum velamento factum reor, ut neſciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc quotidie fieri, ut ſalutis noſtræ negotiis ignorans ſerviat & invitus, ſero poſtmodum plangens, quod dum obeſſe voluit, inventus eſt profuiſſe. Sic nimirum per adminiſtratorios ſpiritus illuditur ejus aſtutiæ, quod & fideles ſint qui detegere nolint, & prudentes qui norint tegere divinæ erga nos providentiæ & diſpoſitionis arcana.

(Alæ quibus pedes velant, prudentia & fidelitas. — Diabolus ſervit electorum ſaluti inſcius & invitus.)

12. Ceterum ſicut è ſupremis duabus alis nequiſſimus ille admirationem habuit, ſed non venerationem, ut diximus: ſic è mediis quoque ſpiritalem ei intellectum natura, ſed non etiam gratia affectum dedit. Sed nihilo minus ex infimis iſtis facile ſatis animadvertere eſt, quàm inventus ſit fidelitatis expers, non autem ſimiliter caruiſſe prudentia. Niſi tu forte alium aliquem putas eſſe, qui dictus eſt *callidior cunctis animantibus* ſerpens. Forte etiam non incongrue dicimus, quoniam eo ipſo tam irrevocabilis caſus ejus, irreparabiliſque colliſio fuerit, quod ex his quas diximus alis, ſicut in parte dextra nulla affuerit, ſic in læva nulla defuerit. Non ita ſane duo illi, quos prophetica nobis viſio commendavit ſtantes, & adſtantes Domino majeſtatis. Cujus etiam duabus (ut dictum eſt) alis caput velant; ipſa equidem ſua admiratione, in qua delectantur feliciter; ac veneratione, in qua ſublimiter gloriantur: duabus etiam pedes, fidelitate videlicet atque prudentia. Porro duabus volant, naturæ (ut diximus) perſpicacia, & efficacia gratiæ. Sane mediam quaſi quamdam longanimitatem nudam viſibilemque relinquunt, longitudinem dico & benignitatem Dei, ad pœnitentiam homines invitantis. Omnibus enim cernere eſt, quemadmodum ſolem ſuum ſuper bonos & malos oriri faciat, & pluat ſuper juſtos pariter & injuſtos. Hac nimirum caritate verus ille Salomon quaſi quædam media ſua conſtravit propter filias Jeruſalem: ut quibus altiora ſe quærere, & profunda veſtigare non licet; in his ſaltem mediis valeant exerceri, & ad ſubtilium, ſublimiumque exinde re-

(Diabolis quæ alæ competant, quæ manus. — Gen. 3. 1. — Dei longanimitas & benignitas in peccatores. — Cant. 3. 10.)

[a] Hic locus in Florum lib. 6. cap. 3. adducitur ex ſermone 5. de verbis Iſaiæ. Alia vide lib. 9. cap. 29.

Tom. III. rum contemplationem promoveri aliquando mereantur. Ceterum nequiſſimus ille ex hac viſione & in præſenti torquetur acrius, & gravius cruciabitur in futuro. Primum quidem, quod ipſam nobis longanimitatem benignitatis invideat: deinde, quod nequaquam ſibi ipſi hac ſaltem occaſione provideat, ut ad pœnitentiam adducatur.

S. BERNARDI ABBATIS
SERMONES DE SANCTIS.

XXV. Janu.

IN CONVERSIONE S. PAULI,

SERMO PRIMUS.

Quomodo ad exemplum ejus converti debemus.

Paulus conversus convertit gentes, etiam hodie, tripliciter.

1. MErito quidem, dilectiſſimi, Converſio Doctoris Gentium ab univerſitate Gentium feſtivis gaudiis hodie celebratur. Multos enim ab hac radice ramos prodiiſſe videmus. Converſus Paulus, converſionis miniſter factus eſt univerſo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, ſed non jam ſecundum carnem ambulans, prædicationis officio convertit ad Deum; nunc quoque in ipſo felicius vivens, & apud ipſum, ne adhuc quidem ceſſat ab hominum converſione: dico autem exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique Converſionis ejus memoria frequentatur, quod & ipſa quoque memorantibus utilis inveniatur. In hac enim memoria & peccator ſpem veniæ concipit, ut provocetur ad pœnitentiam; & qui jam pœnitet, perfectæ converſionis accipit formam. Quis deſperet ultra pro magnitudine cujuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos Domini, ſubito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere preſſus: Aſſurgere jam ad ſtudia meliora non valeo: quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto pectore virus efflabat, perſecutor crudeliſſimus in fideliſſimum repente mutatus eſt prædicatorem? Magnifice ſiquidem in hac una Converſione & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.

Act. 9. 4.

2. *Subito*, ait Lucas, *circumfulſit eum lux de cælo*. O vere inæſtimabilis divinæ dignatio pietatis! Illuſtrat cæleſti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem: qui necdum infundi poterat, divina ſaltem circumfunditur claritate. *Et vox facta eſt*. Lucis & vocis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis, nec dubitate eſt de veritate, quæ ſeſe ingerit per utraſque, oculorum ſcilicet auriumque feneſtras. Sic nimirum, ſic in Jordane quoque ſupra caput Domini & columba apparuit, & vox ſonuit: ſic & in monte, quando transfiguratus eſt coram Diſcipulis, & claritas viſa eſt, & vox nihilo minus Patris audita: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Vere deprehenſus eſt Saulus: non eſt diſſimulandi locus, non eſt facultas ulla negandi. In manibus ſunt epiſtolæ crudeliſſimæ legationis, auctoritatis exſecrandæ, poteſtatis iniquæ. *Quid me perſequeris*, inquit? Annon perſequebatur Chriſtum, qui Chriſti membra trucidabat in terris? An vero perſecuti ſunt Chriſtum, qui ſacratiſſimum illud corpus crucis affixere patibulo, & non perſequebatur eum qui adverſus corpus ejus, quod eſt Eccleſia (eſt enim corpus ejus etiam ipſa) odio furebat iniquo? Denique ſi proprium ſanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas quas redemit, quàm à Judæo qui ſanguinem illum fudit?

Fidelium perſecutio, ipſius Chriſti cenſetur.

Perſecutio Chriſtiano, [illegible] Chriſto nunquam deeſt.

3. Agnoſcite, dilectiſſimi, & expaveſcite conſortia eorum, qui ſalutem impediunt animarum. Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt. Videbatur jam ceſſaſſe perſecutionis tempus: ſed, ut palam factum eſt, numquam deeſt perſecutio Chriſtiano, ſed neque Chriſto. Et nunc, quod gravius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur, qui ab eo utique Chriſtiani dicuntur. Amici tui, Deus, & proximi adverſum te appropinquaverunt & ſteterunt. Conjuraſſe videtur contra te univerſitas populi Chriſtiani à minimo uſque ad maximum: à planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas ulla: egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non eſt jam dicere, Ut populus, ſic ſacerdos; quia nec ſic populus, ut ſacerdos. Heu, heu! Domine Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt muniriones, & univerſam deinceps libere & poteſtative tradunt incendio civitatem. Miſera eorum converſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubverſio eſt. Atque utinam ſola hac parte nocerent! Eſſet forte qui Dominica præmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam ipſorum non exempla imitari, ſed obſervare præcepta, juxta illud: *Quæ dicunt facite, & ad opera eorum nolite reſpicere.* Nunc autem dati ſunt ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtum æſtimant pietatem. Copioſiſſimæ ſiquidem pietatis inveniuntur in ſuſcipienda, immo accipienda magis animarum cura: ſed hæc apud eos cura minor, & de animarum ſalute noviſſima cogitatio eſt. An vero Salvatori animarum gravior ulla eſſe poterat perſecutio? Inique agunt & ceteri contra Chriſtum, multique ſunt noſtris temporibus antichriſti. Merito tamen & crudeliorem eam cenſet perſecutionem pro acceptis beneficiis, & graviorem ſentit pro poteſtate, quam propriis ſuſtinet à miniſtris; licet alii quoque multi contra proximorum ſalutem multifarie, multiſque modis & variis occaſionibus agere videantur. Hæc videt Chriſtus, & ſilet; hæc Salvator patitur, & diſſimulat. Propterea diſſimulemus & nos quoque neceſſe eſt, & ſileamus interim, maximeque de prælatis noſtris, magiſtris eccleſiarum. Sic nimirum, ſic placet & ipſis, ut evadant nunc humana judicia, veniatque ſemel judicium grave his qui præſunt, & potentes patiantur tormenta potenter.

A prælatis & [illegible] judicibus [illegible]

Matth. 23. 3.

Eccleſiæ dignitatum [illegible]

4. Vereor, dilectiſſimi, ne quis forte ſit & in nobis Domini perſecutor: quia manifeſta docuit ratio, impedire ſalutem, eſſe perſequi Salvatorem. Quas ego de ſalute animæ meæ fratri illi gratias agere poſſum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Merito detractores Deo odibiles deſcribuntur, tamquam perſecutores. Quid & is qui exemplo ſuo ad remiſſius agendum ceteros provocat, aut ſingularitate turbat, aut inquietat curioſitate, aut impatientia ſua & murmuratione moleſtat; aut quocumque modo contriſtat Spiritum Dei qui in eis eſt, ſcandalizans unum de minimis iſtis credentibus in eum? Nonne & hic manifeſte perſequitur Chriſtum? Ut ergo perſecutorum & nomen, & crimen longe ſit ſemper à nobis, obſecro vos, dilectiſſimi, benignos ſemper & mites exhibeamus nos, invicem ſupportantes in omni patientia, & ad id quod melius & perfectius eſt, alterutrum provocantes. Quis enim ſervus ſufficere ſibi putat non perſequi Dominum, ſed nec obſequi Domino? Quam habiturus eſt gratiam, ſi ut non reſiſtit, ſic nec aſſiſtit quidem? Denique ſi quis adeo puſillanimis eſt, ut ſatis ſibi reputet nec perſecutorem eſſe, nec coadjutorem Dei,

Chriſti perſecutores etiam detractores & ſcandalizatores.

Rom. 1. 30.

Matt. 12. 30. Dei, audiat quid ipſe loquatur *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.*

5. *Saule, Saule, quid me perſequeris? Et ille: Quis es, Domine?* Hinc profecto datur intelligi, quia vere circumfuſa erat illi claritas, non infuſa. Audiebat Paulus vocem Domini, ſed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem: & ut ipſe poſtea docuit, *Fides ex auditu.* Quis es, inquit? Ignotum enim perſequebatur, & ideo conſecutus eſt miſericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Diſcite ex hoc, Fratres, juſtum-judicem Deum, non modo quid fiat, ſed & quo animo fiat, conſiderare: & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quàmlibet parva ſcienter delinquere convincatur *. Nemo dicat in corde ſuo: B Levia ſunt iſta, non euro corrigere; non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum-ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Paulus quidem blaſphemus fuit, ſed non in Spiritum-ſanctum, quia ignorans fecit in incredulitate. Non in Spiritum-ſanctum dixit blaſphemiam: ideo conſecutus eſt miſericordiam.

Peccata, etiam levia, ſtudioſe cavenda.

* al. videntur.

6. *Quis es, Domine? Et Dominus ad eum: Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Ego ſum Salvator, quem tu perſequendo peris. Ego ſum, de quo tu in lege tua legis prædictum quod neſcis impletum: Matth. 2. 23. *Quia Nazaræus vocabitur.* Et ille: *Domine, quid me vis* C *facere?* Hæc plane, fratres, perfectæ converſionis eſt Pſal 107. 2. forma. *Paratum*, inquit, *cor meum. Deus, paratum cor* Pſal. 118. 6. *meum. Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere?* O verbum breve, ſed plenum, ſed vivum & efficax, ſed dignum omni acceptione! QUAM PAUCI inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipſum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: *Domine, quid me vis facere?* Et illud Samuelis: 1 Reg. 3. 10. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Heu! plures habemus evangelici illius cæci, quàm novi Apoſtoli imitatores. D *Quid vis*, ait Dominus ad cæcum illum, *ut faciam tibi?* Luc. 18. 41. Quanta eſt miſeratio tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, ut ſervi faciat voluntatem? Vere cæcus ille, quia non conſideravit, non expavit, non exclamavit: Abſit hoc, Domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis, Fratres, quia vere neceſſaria erat hoc in loco converſio. Sic profecto, ſic multorum uſque hodie puſillanimitas & perverſitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: Quid vis ut faciam tibi? non ipſi quærant: *Domine, quid me vis facere?* E Conſiderare neceſſe habent miniſtri & vicarii Chriſti, quid ſibi præcipi velint: non ipſi conſiderant quæ voluntas ſit præceptoris. Non eſt obedientia eorum plena, non in omnibus parati ſunt obſequi, non per omnia ſequi propoſuerunt eum, qui non ſuam, ſed Patris venit facere voluntatem. Diſcernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, immo in quibus præceptorem ſuum ipſorum obedire neceſſe ſit voluntati. Hujuſmodi itaque, etſi tolerari ſe videant, & condeſcendi ac morem geri infirmitati ſuæ, proficiant, obſecro, pudeatque ſemper parvulos inveniri, ne quando forte audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia & benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miſe- F rationis cumulus juſtæ damnationis.

Pauli obedientia, & propriæ voluntatis abdicatio commendatur.

Religioſi propriæ voluntatis ſtudioſi perſtringuntur.

7. *Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad illum: Surge, & ingredere civitatem; ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* O Sapientia ſuaviter vere univerſa diſponens! Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut ſocialis vitæ commendetur utilitas; & edoctus per hominem, diſcat & ipſe ſecundum datam ſibi gratiam hominibus ſubvenire. A *Ingredere civitatem.* Videtis, Fratres, non ſine divino conſilio factum eſſe, ut hanc civitatem Domini virtutum ingrederemini, divinam diſcere voluntatem. Plane qui te ſalubriter terruit, & convertit cor tuum ad deſiderandam voluntatem ſuam, ipſe tibi dixit. *Surge, & ingredere civitatem.* Sed audi quàm manifeſte in his quæ ſequuntur, voluntaria ſimplicitas & Chriſtiana commendatur manſuetudo: *Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum.* Felix cæcitas, qua male quondam illuminati in prævaricatione, tandem in converſione oculi ſalubriter excæcantur. Sane quod triduo Paulus ſine cibo manet perſiſtens in oratione, ad eos maxime B pertinet, qui noviter ſæculo abrenuntiantes, necdum in cæleſti conſolatione reſpirant. Suſtineant ergo & ipſi Dominum in omni patientia; orent ſine intermiſſione, quærentes, petentes, pulſantes: quia exaudiet eos Pater cæleſtis in tempore opportuno. Non obliviſcetur eorum in finem; veniet, & non tardabit. Si triduo ſuſtinueris eum non habens quod manduces, confide quia miſerator & miſericors Dominus jejunum te non dimittet.

Cœnobiticæ ſeu ſocialis vitæ utilitas.

Tom. III.

Converſis recenter & carentibus conſolatione cæleſti quid faciendum.

8. Exinde jubetur Ananias manus imponere Saulo: ſed tamquam bene eruditus, non continuo acquieſcit. Vide enim ſi non etiam Paulus ipſe doctrinam hanc deinde tradidit diſcipulo. *Nemini*, inquiens, *cito ma-* 1 Tim. 5. 22. C *nus impoſueris. Vidit*, ait Dominus [a], *virum imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.* Fratres, Paulus hoc cum vidiſſet, non continuo illuminatus eſt. Numquid non exſpectavit Ananiæ manum, quia venturum eum forte in ſomnis prævidit? Hæc dico vobis, cariſſimi, quia vereor ne quis forte ſit inter vos, qui ſolo ſe ſomnio præſumat illuminatum eſſe; nec jam æquanimiter patiatur ad manum trahi, ſed ductorem ſeſe profiteatur aliorum. Cui enim necdum adminiſtrationis cura injuncta eſt, cui necdum credita diſpenſatio, cui necdum præceptum ut videat, & provideat his qui apertos oculos habentes nihil vident: quid hoc præſumere tentat, niſi quia meditatur inania, & quaſi ſomnia D vana ſectatur? Caveamus ab hoc vitio, Fratres: ſemper, quod in nobis eſt, abjecti eligamus eſſe, & ad manus trahi, manſuetudinem & humilitatem diſcentes à Chriſto Domino, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, amen.

a

Religioſi alium ſequantur.

IN CONVERSIONE S. PAULI,

SERMO SECUNDUS.

1. CONverſus eſt hodie Paulus, immo Saulus converſus verſus eſt in Paulum. Siquidem factus eſt tamquam evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut par-* Matt. 18. 3. E *vulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum.* Forte enim ſeipſum dicebat. Nimirum ipſe magnus Dominus & laudabilis nimis, ipſe parvulus qui datus eſt nobis; nec tamen magnus interim, ſed parvulus exhibetur, ut ſeipſum faciat gratum & efficax neceſſariæ parvitatis exemplum. Ad parvulum ergo ſit converſio tua, ut diſcas parvulus eſſe: tu quoque cum converteris, parvulus ſias. Enimvero audi, quàm evidenter ipſum tibi, in quo conſtituit formam converſionis, parvulum manifeſtat, ſignanter ea quæ ſunt parvuli, in ſeipſo imitanda proponens. *Diſcite à me*, inquit, *quia mitis ſum,* Matt. 11 29. *& humilis corde.* Gemina parvitas, humilitas & manſuetudo. Et illa interior, iſta exterior parvitas. Utraque F tamen non parva virtus eſt: nempe quam parvulus ille tam magnus unicum magiſterium profitetur. Hodie ergo converſus eſt Paulus, hodie deſiit eſſe Saulus. Hodie factus eſt humilis, & mitis corde. Probat oris confeſſio cordis humiliationem, dum clamat: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 8. Magis autem probat ipſa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, niſi multum humili, data non fuit.

Converſio noſtra ad parvuli exemplum.

Parvitas duplex.

2. Ceterum manſuetudo, quoniam exterior quæ-

a Hæc verba, parentheſi in actis incluſa, Lucæ narranti tribuenda, non Chriſto.

Tom. III. dam (ut diximus) parvitas, & ob hoc manifeſtior eſt, triplicíter nobis in converſione hac commendatur. Triplici quidem velut ariete manſuetudo noſtra pulſatur, verborum injuriis, damnis rerum, corporis læſione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio manſuetudinis. Probata eſt illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuiſſe. Conſiderare libet, quemadmodum Paulus ſuper his omnibus in ipſa ſtatim ſua converſione tentatus, vere jam Paulus inventus ſit, in hac parte vere jam mitis & patiens. *Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Durum equidem verbum, verbum increpatorium, plenum comminatione. Sane quod ad corpus pertinuit, concuſſus eſt & proſtratus in terram. An vero & damno quoque probatus eſt? Et valde; ſiquidem ipſum ei lumen ademptum eſt oculorum, *& apertis*, ut ſcriptum eſt, *oculis nihil videbat.* Experta eſt in his tribus & exercitata patientia Job, quem in hac virtute opinatiſſimum Deus exemplar dedit. Sed veſtræ hoc induſtriæ relinquimus veſtigandum. Sufficit nos monere, formam veræ converſionis magna ex parte in hac manſuetudine conſtitutam: ut pudeat eos, qui ennverſi eſſe debuerant, vel in corporum læſione, vel in damno rerum, vel (quod magis indignum eſt) in verborum injuriis inveniri perverſos penitus & averſos.

Manſuetudo triplici ariete pulſatur.

Paulus ſtrenuus ob utrumque.

Ibid. 4.

Ibid. 8.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ,

II. Febr.

Sarmo primus.

De triplici miſericordia.

Chriſti proceſſio prima ejuſque ratio.

1. HOdie templi Dominum in templum Domini Virgo Mater inducit: Joſeph quoque ſiſtit Domino, non ſuum, ſed ejus filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoſcit Simeon juſtus quem exſpectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna proceſſio celebrata eſt, quæ poſtmodum exſultatione univerſæ terræ in omni loco & ab omni gente celebraretur. Nec ſane mirum, ſi tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui ſuſcipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit: omnes juſti, omnes ſancti, omnes fuere perfecti. Sed numquid hos tantum ſalvabis, Domine? Creſcat corpus, creſcat & miſeratio. Homines & jumenta ſalvabis, Domine, quemadmodum multiplicaveris miſericordiam tuam, Deus. In ſecunda jam proceſſione præeunt turbæ, turbæ ſequuntur; nec virgo portat, ſed aſellus. Neminem itaque dedignatur, nec ipſos qui computruerunt tamquam jumenta in ſtercore ſuo: non dedignatur, inquam, ſed ſi apoſtolica veſtimenta non deſint, ſi doctrina eorum, ſi morum juſtitia, ſi obedientia, ſi caritas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam proceſſionis ſuæ gloria non cenſebit indignos. Magis vero & ipſam, quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipſo invenire eſt reſervatam. Quidni reſervaret poſteris, quam & prærogavit antiquis?

Chriſti proceſſio.

2. David, rex & propheta, exſultavit ut videret diem iſtum: vidit, & gaviſus eſt. Alioquin ſi non viderat, unde pſallebat: *Suſcepimus*, inquit, *Deus miſericordiam tuam in medio templi tui?* Suſcepit hanc miſericordiam Domini David, ſuſcepit Simeon, ſuſcepimus & nos, & quicumque ſunt præordinati ad vitam: ſiquidem Chriſtus heri, & hodie, & in æternum. In medio enim templi miſericordia eſt, non in angulo aut diverſorio, quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum. In communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus: nihilo minus tamen fons tuus tibi proprius eſt, & non bibit alienus ex eo. Qui tuus eſt, non videbit mortem, donec viderit Chriſtum Domini, ut ſecurus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qoi Chriſtum Domini habet in pectore? Ipſe enim eſt pax noſtra, qui per fidem habitat in cordibus noſtris. Tu quomodo hinc exibis, anima miſera, quæ ducem itineris Jeſum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Unde hoc? nempe quia Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Et Lux*, inquit, *in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt.* Acſi dicat: Et in plateis derivantur aquæ, & alienus non bibit ex eis; & miſericordia in medio templi eſt: nemo * tamen accedit ex his qoos manet æterna damnatio. Medius veſtrum ſtat, ô miſeri, quem vos neſcitis: ut morientes, antequam videritis Chriſtum Domini, non in pace dimittamini: ſed potius rapiamini à rugientibus præparatis ad eſcam.

Pſal. 47. 10.

Dei miſericordia omnibus oblata.

Johan. 1. 5.

* al. nec tamen accedunt.

3. *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.* Longe eſt hæc gratiarum actio à voce illa gementis: *Domine, in cœlo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes.* Quid enim? Videturne tibi in medio fuiſſe miſericordia, cum apud ſolos cœligenas ſpiritus haberetur? At ubi ſane minoratus eſt Chriſtus paulo minus ab Angelis, factuſque eſt Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per ſanguinem ſuum quæ in cœlis ſunt, & quæ ſuper terram; ex hoc plane jam ſuſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filii iræ, ſed conſecuti ſumus miſericordiam. Cujus iræ filii, & quam miſericordiam conſecuti? Nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis: & conſecuti ſumus ſapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris ſeductæ excæcaverat nos: mollities viri abſtracti & illecti à propria concupiſcentia enervaverat nos: malitia diaboli expoſitos juſte à Deo captivaverat nos. Sic ergo naſcimur univerſi, primum quidem viæ civitatis habitaculi prorſus ignari; deinde imbecilles & ignavi, ut etſi nota nobis eſſet via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia; poſtremo captivi ſub peſſimo crudeliſſimoque tyranno, ut licet prudentes eſſemus atque robuſti, ipſa tamen miſeræ ſervitutis opprimeremur conditione. Numquid non miſericordia & miſeratione multa opus habet tanta miſeria? Aut certe ſi jam ſalvi facti ſumus ab hac triplici ira per Chriſtum, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo Patre, & juſtitia & ſanctificatio, & redemptio: quanta nobis vigilantia opus eſt, dilectiſſimi, ne forte (quod abſit) inveniantur noſtra noviſſima pejora prioribus, ſi denuo contingat iram incidere, utpote qui non natura jam, ſed propria voluntate filii iræ ſumus?

Pſal. 47. 10.

Pſal. 35. 6.

Miſericordiam conſecuti ſumus triplicem contra triplicem miſeriam.

4. Amplectamur itaque miſericordiam, quam in medio templi ſuſcepimus, & cum beata Anna non dimoveamur à templo. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ait Apoſtolus. Prope eſt hæc miſericordia, prope eſt verbum in ore veſtro, & in corde veſtro. Denique in cordibus veſtris per fidem habitat Chriſtus. Hoc templum ejus, & hæc ſedes ejus: niſi forte excidit vobis, quoniam *anima juſti ſedes ſapientiæ eſt* a. Quod ergo frequenter, immo & ſemper admonere cupin fratres meos, obſecro & nunc, ambulemus non ſecundum carnem in carne, ne diſpliceamus Deo. Non ſimus amici hujus ſæculi, ne Dei conſtituamur inimici. Reſiſtamus quoque * diabolo, & fugiet à nobis, ut libere jam ambulemus in ſpiritu, & in corde ſit converſatio noſtra. Siquidem corpus quod corrumpitur, aggravat, & enervat, & effeminat animam; & terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem deprimit, ut ad cœleſtia non aſſurgat. Unde & ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum; & à maligno quis ſuperatur, ei & ſervus addicitur. Porro in corde ſuſcipitur miſericordia, in corde habitat Chriſtus, in corde loquitur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.

1. Cor. 3. 17.

* al. ergo.

Sap. 9. 15.

1. Cor. 3. 19.

a Hic locus tamquam ex Scriptura paſſim laudatur à ſanctis Patribus, Gregorio M. aliiſque, & à Bernardo, ut Sermone 27. in Cantica, ubi vide Horſtii Notas.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ,

Sermo ſecundus.

De ordine & modo proceſſionis Chriſti in templum.

1. GRatias Redemptori noſtro, qui tam copioſe prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, ſacramentis infantiæ ſuæ gaudia noſtra multiplicans. Celebratis ſiquidem paulo ante Nativitate, Circumciſione, & Apparitione ejus, feſtus hodie nobis Oblationis ipſius dies illuxit. Hodie namque ſiſtitur Creatori terræ fructus ſublimis: hodie placabilis & Deo placens hoſtia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à ſenibus exſpectatur. Offerunt Joſeph & Maria ſacrificium laudis, ſacrificium matutinum; Simeon & Anna ſuſcipiunt. Ab his quatuor celebrata proceſſio eſt, quæ per quatuor orbis climata ſollemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo feſtivam hodie & nos ipſi, præter ceterarum conſuetudinem [a] ſollemnitatum, acturi ſumus proceſſionem, non inutile arbitror modum ipſius & ordinem diligentius intueri. Proceſſuri ſumus bini & bini, candelas habentes in manibus, ipſas quoque ſuccenſas, nec quolibet igne, ſed qui prius in eccleſia ſacerdotali benedictione fuerit conſecratus. Ad hæc futuri ſunt in proceſſione noſtra noviſſimi primi, & primi noviſſimi: & cantabimus in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

Proceſſionis hodiernæ ritus tropologice explicatur.

2. Merito ſane bini & bini procedimus: ſic enim ob commendationem fraternæ caritatis & ſocialis vitæ miſſos à Salvatore diſcipulos Evangelia ſacra teſtantur. Turbat proceſſionem, ſi quis ſolitarius incedere curat: nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam ceteris eſt moleſtus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes, nec ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Jam vero ſicut non eſt bonum eſſe hominem ſolum, ſic in conſpectu Domini vacuum apparere eſt prohibitum. Cum enim arguantur otioſitatis ipſi quoque quos nemo conduxit: qui jam conducti ſunt, ſi otioſi inventi fuerint, quid merentur? *Fides quippe ſine operibus mortua eſt.* Ipſa denique opera noſtra in fervore agenda ſunt, & in deſiderio cordis: ut ſint lucernæ ardentes in manibus noſtris. Alioquin timendum eſt, ne forte tepidos nos evomere incipiat, qui in Evangelio loquitur, dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Hic plane ſacer & benedictus eſt ignis, quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, & cui benedicitur in eccleſiis, ſicut ſcriptum eſt: *In eccleſiis benedicite Deo Domino.* Habet enim etiam adverſarius noſter, utpote perverſus divinorum operum æmulator; habet, inquam, ignem ſuum & ipſe, ignem concupiſcentiæ carnalis; ignem invidiæ & ambitionis, quem Salvator in nobis non accendere, ſed exſtinguere venit. Denique ſi quis alienum hunc ignem in divino offerre præſumpſerit ſacrificio, etiamſi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate ſua.

Singularitas notatur. Luc. 10. 1.
Eccl. 23. 33. Matt. 20. 6.
Jacob. 2. 26. Cerei ardentes quid ſignificent.
Luc. 12. 49. Ignis benedictus.
Pſal. 67. 27.
Ignis maligni quis.

3. Porro ſuper hæc quæ de ſociali vita & fraterna dilectione, de bonis operibus, & fervore ſancto dicta ſunt; humilitatis virtus maxima, maximeque neceſſaria eſt, ut honore præveniamus invicem: nec modo priores, ſed & ipſos juniores ſibi quiſque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio eſt, & juſtitiæ plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligit Deus, & fructus caritatis eſt gaudium in Spiritu-ſancto; cantemus, ut dictum eſt, in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini: cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. In quibus omnibus ſi quis forſitan proficere diſſimulat, & proficici de virtute in virtutem; noverit quiſquis hujuſmodi eſt, in ſtatione, non in proceſſione ſe eſſe, immo vero & in regreſſione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi eſt, cum nihil adhuc in eodem ſtatu permaneat. Porro PROFECTUS NOSTER in eo conſiſtit, (ut ſæpius me dixiſſe memini) ut numquam arbitremur nos apprehendiſſe, ſed ſemper extendamur ad anteriora, inceſſanter conemur in melius, & imperfectum noſtrum divinæ miſericordiæ obtutibus jugiter exponamus.

Humilitas commendatur.
2. Cor. 9. 7.
Tom. III. Non proficere, eſt deficere.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ,

Sermo tertius.

De Puero, Maria, & Joſeph.

1. PUrificationem beatæ Mariæ virginis hodie celebramus, quæ ſecundum legem Moyſi facta eſt, tranſactis à nativitate Domini quadraginta diebus. In Lege enim ſcriptum erat, ut mulier quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet filium, immunda eſſet ſeptem diebus, & octava die circumcideretur puer: dehinc ablutioni & purificationi intenta, abſtineret ab ingreſſu templi triginta tribus diebus: quibus expletis, offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipſo ſententiæ hujus initio, liberam omnino Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyſes mulierem, quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper Matre Domini blaſphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiſerit, *ſuſcepto ſemine?* Alioquin niſi parituram prævidiſſet ſine ſemine Virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet itaque quod lex iſta Matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine filium peperit, ſicut prædictum erat per Jeremiam, quia *novum faciet Dominus ſuper terram.* Quæris quod novum? *Mulier,* inquit, *circumdabit virum.* Non ab altero viro virum ſuſcipiet, non humana lege concipiet hominem: ſed intra viſcera intacta & integra virum claudet: ita ſane ut intrante & exeunte Domino, juxta alium Prophetam, porta orientalis clauſa jugiter perſeveret.

Levit. 12. 2. Purificationis ratio & inſtitutio.
Matrem Domini non fuiſſe legi purif. obnoxiam.
Jerem. 31. 22.
Ezech. 44. 2.

2. Putas ergo non poterat moveri animus ejus, & dicere: Quid mihi opus purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cujus uterus neſciens virum, templum factus eſt Spiritus-ſancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? Vere, ô beata Virgo, vere non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tamquam una earum: nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum. Circumcidi voluit: & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum, Virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræſenta. Offer ad noſtram omnium reconciliationem hoſtiam ſanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, & pretioſiſſimam hoſtiam, de qua ipſe ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sed oblatio iſta, Fratres, ſatis delicata videtur, ubi tantum ſiſtitur Domino, redimitur avibus, & ilico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio, quia redemptionem eum miſit Deus Pater populo ſuo. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum. Iſtud quidem jucundius, ſed illud plenius. Iſtud enim tempore nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis. De utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Nam & modo oblatus eſt, non quia opus habuit, non quia ſub Legis edicto fuit, ſed quia ipſe voluit: & in cruce nihilominus oblatus eſt, non quia meruit, non quia Judæus potuit, ſed quia ipſe voluit. Voluntarie ſacrifi-

Matth. 3. 17.
Oblationis hodiernæ & oblationis in cruce collatio.
Iſai. 53. 7.

a Huc pertinet Abaëlardi objectio in epiſtola 5. ad Bernardum: *Proceſſionum ſive totam venerationem à vobis excluſiſtis.*

cabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea ſalute, non pro tua neceſſitate.

Offerre Deo nos ipſos debemus.

3. Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem quam habuit, nimirum qua pretioſior eſſe non potuit: & nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus utique noſmetipſi. Ille ſeipſum obtulit: tu quis es qui teipſum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majeſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfecte poſſim in ſacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi, longeque glorioſius atque utilius eſt, ut tibi magis offerar, quam ut deſerar mihi ipſi. Nam ad me ipſum anima mea conturbatur, in te vero exſultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Judæus mortuas hoſtias offerebat: ſed jam nunc, *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.* (Ezech. 33. 11.) Non vult Dominus mortem meam: & non libenter offero illi vitam meam? Hæc eſt enim hoſtia placabilis, Deo placens hoſtia, hoſtia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuiſſe leguntur: & in oblatione noſtra tria nihilo minus à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joſeph ſponſus Matris Domini, cujus filius putabatur: fuit & ipſa virgo Mater, & puer Jeſus qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione noſtra conſtantia virilis, ſit continentia carnis, ſit conſcientia humilis. Sit, inquam, in propoſito perſeverandi animus virilis, ſit in continentia caſtitas virginalis, ſit in conſcientia ſimplicitas & humilitas puerilis, amen.

Oblationis noſtræ tres conditiones.

IN NATALI SANCTI VICTORIS[a] Confeſſoris,

XXVI. Febr.

Sermo primus.

* al. virtus.

1. VIctoris vita * & gloria ſpecialis non tam ad gloriam, quàm ad virtutem provocat omnes qui recto ſunt corde. Non recti plane, ſed perverſi eſt animi, ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari qui legitime non certaverit. *Vanum eſt vobis*, inquit, *ante lucem ſurgere.* (Pſal. 126. 2.) Ita eſt. Frustra ad celſitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute. Fruſtra fatuæ virgines ſponſo obviam ſurgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Abſit mihi gloriari niſi in gloria illorum, quibus Propheta congratulans ait: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exſultabunt tota die, & in juſtitia tua exaltabuntur.* (Pſal. 88. 16.) Et infert: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Pulcre non eorum, ſed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim ſine virtute eſt gloria, profecto indebita venit, præpropere affectatur, periculoſe captatur. Virtus, gradus ad gloriam: virtus, mater gloriæ eſt. Fallax gloria & vana eſt pulcritudo, quam illa non parturivit. Sola eſt, cui gloria jure debetur, & ſecure impenditur.

Gloria ſine virtute inanis.

2. Sancto Victori nec virtus, nec gloria deeſt: ſed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homine proceſſerunt, id operæ pretium intueri. Pugnavit fortiter, viriliter ſuperavit: & ſic demum gloria & honore coronatur. Quomodo nempe inglorius remanſiſſet bellator fortis, humilis victor? Quamquam nec in die virtutis ſuæ ſine gloria fuit, ſignis & prodigiis admirandus. Habemus, dilectiſſimi, in vita Victoris, & quod digne miremur, & quod ſalubriter imitemur. Miror vina dediſſe in eremo, non vitem, ſed fontem. Miror & ſtupeo infantem adhuc in utero pavori fuiſſe pavendis dæmoniis, quippe ab ipſis præcognitum, & jam tunc ex nomine deſignatum. Nec vacuum nomen, ubi hoſtium fuga & extorta confeſſio victoriam conceſſit infantulo. Quis item non miretur furem à dæmone deprehenſum, & rurſum à dæmone mox hominem liberatum? Quis non etiam omni admiratione ſtupendum ducat, carne circumdatum hominem, cælis patentibus, carnis oculos ſuperno inſigere lumini, & videre viſiones Dei, angelico inſuper mulceri cantico, doceri oraculo? Hæc atque ſimilia in ſancto homine veneramur, non æmulamur. Merito quidem, quando & ſine ſalutis periculo poſſunt non fieri, & ſine ſalutis periculo nequeunt uſurpari. Tutius ſane æmulanda ſolidiora, quàm ſublimiora; & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus.

In Sanctis quædam miranda, quædam imitanda.

S. Victoris nonnulla mirabilia.

3. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus ſimilari, etſi volumus, non valeamus. Æmulemur in viro ſobrium victum, devotum affectum: æmulemur manſuetudinem ſpiritus, caſtimoniam corporis, oris cuſtodiam, animi puritatem: ponere frenum iræ & modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere noſmetipſos pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus: diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare. Æmulemur chariſmata meliora. Diſcamus ab ipſo, quod mitis & humilis corde fuit. Æmulemur, inquam, quod extitit liberalis in pauperes, jucundus ad hoſpites, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma eſt cui imprimamur, in miraculis gloria à qua reprimamur. Illa lætificent, iſta ædificent; moveant illa, iſta promoveant. Epulemur, dilectiſſimi, ad menſam divitis vocati, menſam abundantem panibus, deliciis cumulatam. Annon dives, qui exemplis nos reficit, protegit meritis, lætificat ſignis? Dives plane, in cujus hodie convivio ſollemni Angeli & homines pariter congregantur: hi ut reficiantur, illi ut delicientur; iſti ut proficiant, illi ut gaudeant. Cujus vita repleta bonis, quid niſi menſa referta cibis? Nec tamen omnibus omnia apponuntur, ſed ut tollat quiſque quod ſibi expedire & convenire videbit.

Sancti potius in moribus quàm in mirabilibus æmulandi.

4. Et ego quidem conſilio ſalubriori diligenter conſidero quæ mihi apponuntur. Cautum eſt mihi eligere mea, & aliena non tangere. Non extendam manum ad gloriam miraculorum: ne ſi attentavero quod deſuper non accepi, perdam merito & quod videor accepiſſe. Non levo cum illo oculos ad rimanda ſecreta cæleſtia, ne oppreſſus à gloria confuſus reſiliam, ſero confugiens ad conſilium Sapientis, qui ait: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* (Eccli. 3. 22.) Infertur menſis vinum novum aquarum rubentium: non tango, quia non mihi appoſitum ſcio, qui ſimiliter elementa mutare, naturas innovare non valeo. Cerno item in menſa Victoris Angelos illum audiſſe canentes. Numquid videbo & ego mihi ſupernos exhiberi cantores: aut certe citharœdos illos de Apocalypſi coram me citharizare in citharis ſuis? (Apoc. 14. 2.) Imperat ille dæmonibus adhuc in corpore vivens, vinctum in corpore ſolvit corpore jam ſolutus. Cibi ſunt, ſed non mei, equidem jucundi & ſapidi: ſed non tangit illos anima mea, quoniam non eſt inopi mihi, unde ſufficiam talia redhibere. At ſi diligenter conſidero, ecce præ oculis in menſa Sancti, cenſura judicii, diſciplinæ vigor, ſanctitatis ſpeculum, vitæ forma, virtutis inſigne. Hæc à me & abſque præſumptione ſumuntur, & ſalubriter inſumuntur: & ſi diſſimulo, diſtricte repoſcuntur.

Sanctorum vita, quaſi menſa plena ferculis.

5. Audi adhuc quænam mihi jure appoſita putem. Si panem doloris & vinum compunctionis de divitis menſa obtuleris, tollo ſecurus qui ſum pauper & inops. Erunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, (Pſal. 41. 4.) & poculum meum cum fletu miſcebo. (Pſal. 101. 10.) Pars mea hæc, qui dolenda commiſi. Nec me tamen pigebit, ut æſtimo, cibi hujus; quoniam qui appoſuit ſcientiam, addidit & dolorem. Sed & ſi temperantiæ, ſi juſtitiæ, ſi prudentiæ vel fortitudinis exempla appareant, ea incunctanter ſumo, ſciens quia talia oportet me præparare. Hæc mihi apponi, hæc à me repetitum iri non dubito. Numquid ſigna & prodigia exigenda à nobis

Virtutes à nobis, non prodigia exigenda.

[a] Ejus corpus aſſervatur in monaſterio Arremarenſi, vulgo *Montier-Ramey*, diœceſis Trecenſis; depoſitio vero celebratur IV. Kal. Martii. Ejuſdem officium habes ſub finem hujuſce tomi. Vide epiſtolam modo 398.

ſunt, ut ea diviti viciſſim præparemus? Fratres, vaſa ſunt in honorem illi qui nos invitavit, non tibi pauperum. Tu ergo qui invitatus es, diligenter conſidera quid tibi ille, quid ſibimet appoſuerit. Non enim quicquid in menſa apponitur, tibi apponitur. Quid ſi in poculo aureo fuerit propinatum? Non poculum tibi, ſed potus apponitur: ſume potum, & pone aurum. Ergo EXEMPLA bonorum operum & rectitudinem morum Paterfamilias communicat ita domeſticis, ut prærogativam ſibi retineat in miraculis. In his tamen atque illis ille glorificandus eſt, cujus eſt munus ſancte vivere, cujus virtus ſigna facere, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, amen.

IN NATALI S. VICTORIS CONFESS.

SERMO SECUNDNS.

1. GAudete in Domino, dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit hominem mundo, cujus multi ſalvarentur exemplo. Iterum dico, gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures ejus interceſſione ſalventur. Habet ex hominibus, cui hominum peccata donet miſericors & miſerator Dominus: habet tempus & locum intercedendi pius & miſericors advocatus; equidem locum quietum & tempus feriatum. In terris viſus eſt, ut eſſet exemplo: in cælum levatus eſt, ut ſit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui ſibi jam poſtulans nihil, totum in nos transferre deſiderat, & ſupplicantis affectum, & ſupplicationis fructum. Quid enim quærat ſibi, qui nullius eget? Dominus conſervat eum, & vivificat eum, & beatum facit eum in gloria: nihil illi deerit in loco paſcuæ collocato. Hæc dies glorioſæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus; exſultemus & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini; gaudeamus, quia nunc potentior eſt ad ſalvandum.

Sancti in terris nos informant ad vitam, in cælis invitant ad gloriam.

2. Hodie Victor poſito corpore, quo ſolo præpediri ab inrroitu gloriæ videbatur, tanto alacrior, quanto expeditior, penetravit in ſancta, ſimilis factus in gloria Sanctorum. Hodie de noviſſimo & humili loco, quem ſibi ex conſilio Salvatoris elegerat, ipſo ſummo Patrefamilias evocante, verus amicus aſcendit ſuperius, & eſt illi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Hodie deſpecto mundo, & mundi principe triumphato, ſupra mundum vere Victor aſcendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Aſcendit autem cum immenſa ſupellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis glorioſus. Pauſat miles emeritus, & poſt labores ſudoreſque ſacræ peractæ militiæ locatur feliciter, coronatur ſublimiter. Anima ejus in bonis demorabitur. Quæris ubi? cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum. Ita cum talibus & tali in loco ſibi ſedet: ſedet excelſa & fulgida, ſedet lætabunda & laudans: ſedet delicata & ornata monilibus ſuis, ſtipata malis, fulcita floribus: ſedet, inquam, ſibi, vacua curis, deliciis affluens, abundans otii & quietis ad vacandum ſapientiæ. Quæ ſedit & flevit ſuper flumina Babylonis, ſedet modo ad fontem vitæ, & converſatio illi ſecus torrentem voluptatis, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Invenit ſibi fontem hortorum, puteum aquarum viventium, & cum Samaritana potatur aqua ſapientiæ ſalutaris, ut non ſitiat in æternum. Datur illi de fructu manuum ſuarum, & laudant eam in portis opera ejus, & gloriatur teſtimonio conſcientiæ; conſcientiæ dico ſuæ, non alterius. Sedet media Angelorum, digna plane eorum conſortio, quorum deſiderio flagrat, puritate nitet, caſtimonia decoratur. Sedet inter Apoſtolos vir apoſtolicæ gratiæ: nec eſt quod ſe abſcondat à cuneo Prophetarum, qui quem illi prædixerunt, glorificavit, & portavit in corpore ſuo. Neque ſe putat à victorioſis Martyrum choris Victor noſter arcendum, qui duro & diuturno martyrio viventem ſui corporis hoſtiam immolavit.

Animæ in cælis beatæ elogia.

3. Sedet veteranus miles, debita jam ſuavitate & ſecuritate quietus: ſecurus quidem ſibi, ſed noſtri ſollicitus. Non enim cum putredine carnis ſimul ſe exuit viſceribus pietatis: nec ſibi ſic induit ſtolam gloriæ, ut noſtræ pariter miſeriæ, ſuæque ipſius miſericordiæ oblivionem indueret. Non eſt terra oblivionis, quam anima Victoris inhabitat: non terra laboris, ut occupetur in ea: non denique terra, ſed cælum eſt. Numquid cæleſtis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria privat, aut ſpoliat pietate? Fratres, latitudo cæli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, ſed extendit. In lumine Dei ſerenatur memoria, non obſcuratur: in lumine Dei diſcitur quod neſcitur, non quod ſcitur dediſcitur. Superni ſpiritus illi, qui ab initio cælos inhabitant, numquid quia incolunt cælos, deſpiciunt terras, & non magis eas viſitant & frequentant? Numquid quod ſemper vident faciem Patris, miniſterium evacuat pietatis? Omnes nihilo minus adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Quid ergo? Diſcurrunt Angeli, & ſuccurrunt hominibus: & qui ex nobis ſunt, neſciunt nos, nec norunt jam compati, in quibus paſſi ſunt & ipſi? Qui dolores neſciunt, ſentiunt tamen noſtros: & qui venerunt de magna tribulatione, non recognoſcunt jam in quo fuerunt? Scio qui dixit: *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.* Juſtus eſt Victor, etiam exſpectans noſtram procul dubio retributionem. Non eſt ille pincerna Pharaonis, qui inventam gratiam retinuit ſibi, prophetæ ſui pariter & captivi minime recordatus. Miniſter Chriſti eſt, Chriſtum ſequitur. Non eſt ille oblitus ſuæ promiſſionis, nec ſocio paſſionis regni conſortium denegavit. Non eſt diſcipulus contra Magiſtrum; non poteſt Victor quicquam facere, niſi quod viderit Magiſtrum facientem. Opera quæ ille fecit, & iſte fecit ſimiliter.

Sancti in cælis ſecuri de ſe, at pro nobis ſolliciti.

Hebr. 1. 14.

Sancti nobis compatiuntur.

Pſal. 141. 8.

Gen. 40. 23.

4. Jam cælos ingreſſus, quos & ante apertos beatis oculis ſuſpiciebat, vere nunc revelata facie ſpeculatur gloriam Dei, abſorptus quidem, ſed non oblitus clamorem pauperum. Beata viſio, qua in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Parvulus ad pugnam, magnus ad victoriam, matris viſcera necdum exiens, & jam ejiciens dæmonia, cum incremento virtutum ac meritorum Victor vivens inter peccatores tranſlatus eſt. O virum præcipuæ ſanctitatis! qui ante ſanctus quàm natus, ante opere quàm nomine Victor. Adhuc utero clauſus jam de hoſte triumphavit. O venerandam etiam ipſis Angelis ſanctitatem! quam pari ſtudio, etſi diſpari voluntate, & mali fugitant & frequentant boni. Nec facile dixerim quid virum adſtruat ſanctiorem, horum favor, aut pavor illorum. Corpore denique terras, mente cælos inhabitans, aliquando familiarius aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantus ſuavitate plauſibiles ſupernorum voces ſpirituum audiebat. Vere anima tua, Victor, una ex gemmis, quæ tibi in cruce apparuerunt. Vere infixa cruci, cum divinæ inſerta gloriæ, eamdem ſibi claritatis imaginem induit, quam invenit. Vincenti expandit gremium ſuum, qui pugnanti dederat ſpiritum ſuum. O victrix anima, quæ ſicut paſſer tranſvolans, mundi laqueos evaſiſti! reſpice ad incautas animas intricatas illis, periclitantes in illis, ut tuo patrocinio eruamur.

Viſitur Angelis familiaris, dæmonibus terribilis.

5. O miles emerite, qui chriſtianæ militiæ duris laboribus angelicæ felicitatis requiem commutaſti! reſpice ad imbelles, & imbecilles commilitones tuos, qui inter hoſtiles gladios & ſpirituales nequitias tuis laudibus occupamur. O Victor inclyte, qui & de terra, & de cælo glorioſiſſime triumphaſti, illius gloriam nobiliter ſuperbus deſpiciens, & hujus regna pie violentus diripiens! reſpice de cælo ad vinctos terræ, ut hæc ſit tuorum conſummatio triumphorum, ſi & nobis demum viciſſe te ſentiamus. Nam ſi ex re nomen tibi, perfecta veritas nominis ex noſtra liberatione cenſebitur. Et certe deeſt interpretationi, quamdiu nos, qui tui ſu-

Oratio ad S. Victorem.

Tom. III.

mus, minime liberamur. Quàm pium, quàm dulce, quàm ſuave, ô Victor, in hoc loco afflictionis & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum & memoriale tuum favus diſtillans in labiis captivorum; mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exſurge in adjutorium nobis, ut & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris. O omnipotens Pater, peccavimus tibi facti filii alieni: ſed appropiavimus in Victore, qui dum vicit cupiditatem ſuam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratiam potenter reſtituat. O victor Jeſu, te in noſtro Victore laudamus, quia te in illo viciſſe cognoſcimus. Da ei, piiſſime Jeſu, ſic de ſua in te victoria gloriari, ut non ſubeat oblivio noſtri. Fili Dei, immitte ei noſtri ſemper in conſpectu tuo memorem eſſe, noſtram in tuo tremendo judicio ſuſcipere & agere cauſam, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

IN NATALI S. BENEDICTI ABBATIS, SERMO.

XXI. Martii.

1. CONvenientibus vobis in unum ad audiendum verbum ſalutis, magnus mihi timor eſt, Fratres mei, ne quis forte minus digne illud recipiat, & non ſicut recipiendum eſt verbum Dei. Scio enim terram, quæ ſæpius ſupervenientem in ſe receperit imbrem, ſi fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto. Et ego utique, ſi poſſem, benedictiones vobis dare mallem, & non maledictiones. Immo vero ipſam benedictionem cæleſtis utique Patris noſtri, non meam (quam tamen ipſo quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere ſemper, nec in maledictionem poſſe mutari.

Heb. 6. 8.

2. Celebramus hodie magiſtri noſtri glorioſi Benedicti natale: pro eo vobis & de eo ſollemnis ex more ſermo debetur[a]. Cujus dulciſſimum nomen, cum omni vobis jucunditate amplectendum eſt & honorandum: quoniam ipſe dux noſter, ipſe magiſter & legifer noſter eſt. Delector quidem & ego in ipſius memoria, licet non meo ſine rubore beati hujus Patris nomen audeam memorare. Eſt enim mihi de ipſius imitatione vobiſcum ſæculi abrenuntiatio, & monaſticæ profeſſio diſciplinæ: ſed ſingulariter ſine vobis cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O Abbas, & Abbas! Nomen unum, ſed in altero ſola magni nominis umbra. Miniſterium unum, ſed heu me! quam diſſimiles miniſtri, quantum miniſtratio ipſa diſſimilis! Væ mihi, ſi tam longe à te fuero, ô beate Benedicte, in futuro, quàm à tuæ veſtigiis ſanctitatis longe eſſe reperior in præſenti. Sed non mihi hæc apud vos perorare neceſſe eſt. Scio quod ſcientibus me loquar: tantum peto, ut pudorem hunc, & hunc timorem meum fraterna compaſſione levetis.

Bernardi modeſtia.

3. Quando tamen omnino diſpenſatio mihi credita eſt, etſi non habeo apud me quod vobis apponam, quæram à beato Benedicto tres panes, quibus vos paſcam. Reficiat vos ſanctitas ejus, juſtitia ejus, pietas ejus. Recolite, dilectiſſimi, quod non omnes qui in proceſſione Domini fuerunt, ſua illi proſtraverint veſtimenta. In illa, inquam, proceſſione, quam annuente Domino in proximo ſumus celebraturi, quando venienti Domino ad paſſionem, & ſedenti ſuper aſellum populi occurrerunt, non omnes veſtimenta ſua proſternebant in via, ſed cædebant aliqui ramos de arboribus. Non erat hoc magnum: quod gratis acceperant, gratis dabant. Verumtamen ne ipſi quidem penitus otioſi fuerunt, ſed nec à proceſſione leguntur excluſi. Fratres mei, pium Chriſti jumentum, qui cum Propheta dicere poteſtis, *Ut jumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum*: vos quibus inſidet Chriſtus, quoniam *anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*; & Apoſtolus prædi-

Pſal. 72. 23.

A cat *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: ſi non habeo veſtes quas pedibus veſtris proſternam, tentabo vel ramos cædere de arboribus, ut tantæ proceſſioni vel parum aliquid non deſit miniſterii mei. 1 Cor. 1. 24.

4. Arbor fuit beatus Benedictus, grandis atque fructifera, tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Ubi ſunt decurſus aquarum? Profecto in vallibus: quia inter medium montium pertranſibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem ſemper divertere vallis? Sic profecto, ſic Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Securus hic fige pedem, quicumque es jumentum Chriſti; ſuper hunc

Pſal. 1. 3. B. Benedictus arbori frugiferæ comparatus. Jacob. 4. 6.

B ramum innitere, ſemitam vallis incede. Nimirum in monte ſibi ſedem conſtituit ſerpens antiquus, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro: propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in ſerendis arboribus montana ſolemus eligere, quod frequenter arida ſint & petroſa. In vallibus pinguedo eſt; ibi proficiunt plantæ, ibi plena ſpica, ibi centeſimus oritur fructus, juxta illud: *Et valles abundabunt frumento*. Audis quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. Ibi ergo plantare, ubi decurſus aquarum: quia ibi copia gratiæ ſpiritualis; & aquæ quæ ſuper cælos ſunt,

Pſal. 64. 14.

C laudant nomen Domini, id eſt, cæleſtes benedictiones faciunt ut laudetur. Stemus in hac, cariſſimi, & plantati ſtemus, ut non areſcamus. Non moveamur quocumque flatu, ſicut ſcriptum eſt: *Si ſpiritus habentis poteſtatem ſuper te irruerit, locum tuum ne deſeras*. Nulla enim tentatio vobis prævalebit, ſi non in magnis & in mirabilibus ſuper vos ambuletis, ſed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati atque fundati. Sic plantatus ſecus decurſus aquarum ſanctus iſte Confeſſor Domini, fructum ſuum dedit in tempore ſuo.

Eccl. 10. 4. Humilitas ſecurior & tuta.

5. Sunt enim qui fructum non faciunt: ſunt qui faciunt, ſed non ſuum: ſunt qui faciunt ſuum, ſed non in tempore ſuo. Sunt, inquam, arbores infructuoſæ, ut quercus & ulmus, & ſilveſtres aliæ arbores: ſed hujuſmodi

Arborum ſpiritualium diſcrimen.

D nemo plantat in horto ſuo, quia non faciunt fructum; & ſi quem faciunt, non humano eſui aptus eſt, ſed porcino. Tales ſunt filii hujus ſæculi, agentes in comeſſationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus & impudicitiis. Hæc namque porcorum cibus ſunt, quos Judæus verus prohibetur comedere, Chriſtianus ſcilicet, qui his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cum comeditur, noſtræ adhæret carni, ut jam ſit una caro: ſic tranſgreſſor præcepti Dominici ſpurcos ſibi ſociat ſpiritus, & adhærendo eis unus cum eis efficitur dæmon. Nam & idcirco in ſacrificiis prohibetur animal illud offerri, quod ſpurcos ſpiritus immundoſque deſignet: qui relicta omni munditia, ſolis

Arbores infructuoſæ.

Deut. 14. 8.

Porci cur Judæis interdicti.

E ſibi in ſpurcitiis complacentes, vitiorum & criminum ſemper cœno delectantur involvi. Unde & in Evangelio, legio illa maledicta, dum ejiceretur ab homine, tamquam ſimile ſibi animal porcos poſtulat, nec negantur. His fructum ferunt arbores infructuoſæ, ad quarum radices ſecuris poſita jam videtur.

Marc. 5. 12.

6. Arbores autem quæ fructum faciunt, ſed non ſuum, hypocritæ ſunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non ſuam: qui religioſa intentione carentes, angariantur; & quæ non amant, amore gloriæ quam deſiderant, facere compelluntur. Jam in eo quod dicitur, *in tempore ſuo*, arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nonne enim & arboribus noſ-

Arbores fructuoſæ.

Pſal. 1. 3.

F tris, citius quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino floribus intempeſtivis? Sic ſunt aliqui, quorum fructus, quia nimis propere, minus proſpere oriuntur. Hi ſunt, qui in initio converſionis ſuæ aliis fructificare continuo velle præſumunt, contra legis decreta arare in primogenito bovis, & ovis primogenita tondere feſtinantes. Vultis noſſe quàm ſollicite id vitaverit ſanctus iſte Magiſter noſter? Ex hunc ramum vobis appono: quoniam tribus annis ſoli Deo notus, ho-

Tempore opportuno fructificandum.

a In codice Majoris-monaſterii multa eſt in conſequentibus verborum varietas, ſed idem ſenſus, & tota lectio præferenda.

S. Benedictus tribus annis latuit.

minibus manſit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipſi cernitis; ſed in tempore ſuo. Neque enim credebat tempus eſſe fructificandi, quando tanta carnis tentatione gravatus eſt, ut pæne cederet, pæne diſcederet. Ego enim nec iſtum quidem ramum præteribo, quoniam etſi hirſutus quodammodo ſpinarum aculeis, quibus ſeipſum Domini Benedictus injecit; tamen utilis eſt omnino: utilis jumento Domini propter foveas tentationum, ne in eas incidat conſentiendo, ſed magis reſiſtat, & viriliter agat, ſuſtineatque Dominum ne deſperet. Hic ergo fige pedem, Chriſti jumentum, & diſce quantumcumque acerba tentatio ſæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te eſſe à Domino, ſed memineris ſcriptum eſſe: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Pſal. 49. 15.

S. Benedicti tres fructus.

7. Ergo, ut dicere cœperam, non credebat beatus Benedictus tunc eſſe fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus urgebatur: ſed venit tempus, & in tempore ſuo fructum dedit. De fructu ejus ſunt illa tria quæ ſuperius tetigi: Sanctitas ejus, Juſtitia ejus, Pietas ejus. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita juſtitiam. Vides, ô jumentum Chriſti, ramos foliis virentes, vernantes floribus, onuſtos fructu. Super iſtos innitere, ut greſſus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono ejus miracula? numquid ut miracula facere velis? Nequaquam, ſed ut miraculis ejus innitaris: videlicet ut confidas & gaudeas, quod ſub tali poſitus es paſtore, quod tantum meruiſti habere patronum. Omnino enim valde potens eſt in cælis, qui tam potens exſtitit in terris; ſecundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & juxta radicum quantitatem rami prodire noſcuntur: & quot radicibus arbor innititur, tot ramis, ſicut aiunt, decoratur. Sic ergo, licet non habeamus noſtra, conſolatio magna nobis eſſe debent patroni noſtri miracula. Doctrina vero inſtruit nos, & dirigit greſſus noſtros in viam pacis. Porro vitæ juſtitia omnino roborat & animat nos: ut tanto magis accendamur ad agenda quæ docuit, quanto certi ſumus eum non alia docuiſſe quàm fecerit. Sermo quidem vivus & efficax, exemplum operis eſt, plurimum faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur.

Miracula ſanctorum quorsum nobis proponantur.

Exemplum efficacius docet.

8. In hunc ergo modum Sanctitas confortat, Pietas informat, Juſtitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quod non ſolum præſentibus profuit, ſed etiam pro futuris ſollicitus fuit? Non ſolum his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor, ſed uſque hodie fructus ejus & manet, & creſcit. Dilectus plane Deo & hominibus: cujus non ſola præſentia in benedictione fuit, ſicut ſunt multi dilecti Deo ſoli, quia ſoli Deo jam cogniti: ſed & memoria ejus etiam nunc in benedictione eſt. Nam & uſque hodie in triplicem amoris Domini confeſſionem, triplici hoc fructu paſcit Domini gregem. Paſcit vita, paſcit doctrina, paſcit & interceſſione. Per quam inceſſanter adjuti, fructificate & vos, cariſſimi, quoniam in hoc poſiti eſtis, ut eatis & fructum afferatis. Unde eatis? Utique à vobiſipſis, ſicut ſcriptum eſt: *A voluntatibus tuis avertere.* Nam & de Domino legimus, quia *exiit ſeminare ſemen ſuum.* Ecce & hic habemus ſemen ſuum, ſicut & prius fructum ſuum. Imitemur & hunc, Fratres: quoniam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, & viam demonſtraret.

Paſcit vita, doctrina, interceſſione.

Eccli. 18. 30.

Matt. 13. 3.

9. Fortaſſis & ipſe Dominus arbor eſt, & debemus ab eo quoque ramos accipere, quos veſtris pedibus apponamus: immo non fortaſſe, ſed magis vere arbor eſt ipſe & planta cæleſtis, ſed in terris plantata, ſicut ſcriptum eſt: *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit.* Ab eo igitur hunc ramum vobis appono, ut ſicut ſe ipſum exinanivit, hoc ipſum ſentiatis in vobis, niſi quod non tam ego appono, quàm Apoſtolus, apud quem legiſtis: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et vos itaque, Fratres cariſſimi, exinanite vos, humiliate vos, ſeminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale. Perdite animas veſtras, & in vitam æternam ſervabitis eas. Vultis noſſe quomodo id fecerit Apoſtolus ipſe qui docuit? *Sive*, inquit, *mente excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus, vobis.* Quid ergo tibi? *Ego*, inquit, *factus ſum tamquam vas perditum.* BENE SEIPSUM PERDIT, qui nihil umquam pro ſe facit: ſed omnis ejus intentio & omne deſiderium tendit ad Dei placitum, & utilitatem fratrum ſuorum. *Infelix enim qui ſeminat in carne, quia de carne metet corruptionem.* Alibi vero ſcriptum eſt: *Beati qui ſeminant ſuper omnes aquas.* Sed quomodo ſuper omnes aquas? Forte & ſuper aquas, de quibus legitur: *Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini*: quæ ſunt virtutes angelicæ, & cæleſtes populi. Ita plane: *Quoniam ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Chriſtus arbor myſtica.

Pſal. 84. 12.

Philip. 2. 5.

Tom III.

Claudit humilitas ubique.

2. Cor. 5. 13.

Pſal. 30. 13.

Gal. 6. 8.

Iſai. 32. 20.

Pſal. 148. 4.

1. Cor. 4. 9.

10. Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera: ſeminemus Angelis gaudium magnum per occulta ſuſpiria, & per cetera hujuſmodi, quæ ſolis eis ſunt nota. Gaudium enim eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Hinc dicebat Apoſtolus: *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Nam Deo omnino noti ſumus: ſed *coram Deo* dixit, id eſt coram eis, qui vultui ejus ſemper aſſiſtunt. Ipſis enim maxime placet, cum vos vident occulte orantes, aut ruminantes pſalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sic ſeminate & vos, ſic fructificate, cariſſimi. Seminate & vos, quia tam multi ante vos ſeminaverunt; fructificate, quia vobis ſeminaverunt. O genus Adam, quàm multi ſeminaverunt in te, & quàm pretioſum ſemen! quàm male peribis, & quàm merito, ſi perierit in te tantum ſemen, ſimul & ſeminantium labor! Cui perditioni traderis ab agricola, ſi in te perierint hæc univerſa? Seminavit in terra noſtra tota Trinitas, ſeminaverunt Angeli pariter & Apoſtoli, ſeminaverunt Martyres, & Confeſſores, & Virgines. Seminavit Deus Pater; quoniam eructavit cor ejus Verbum bonum. Dominus enim dedit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuum. Seminavit & Filius, ipſe enim eſt qui exiit ſeminare ſemen ſuum. Pater enim non exiit, ſed Filius à Patre proceſſit, & venit in mundum: ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in utero Matris. Seminavit & Spiritus-ſanctus, quia & ipſe venit, & apparuerunt diſcipulis diſpertitæ linguæ tamquam ignis. Ita tota Trinitas ſeminavit: Pater ſcilicet pacem de cælo, Filius veritatem, Spiritus-ſanctus caritatem.

Seminare quid debeamus.

2. Cor. 8. 21.

Seminatores myſtici.

1. Deus.

Matt. 13. 3.

& Luc. 8. 5.

11. Angeli quoque ſeminaverunt, quando cadentibus aliis ipſi ſteterunt. Dixit enim Lucifer ille, non jam lucifer, ſed tenebrifer & veſperus: *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo.* O impudens, & imprudens! Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt; & tu ſedebis? *Cherubim*, ait Propheta, *ſtabant*, & non ſedebant: quid laboraſti, ut jam ſedeas? Omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis; & tu ſedebis? quid ſeminaſti, ut jam metas? Non eſt tuum, non eſt tuum hoc, ſed quibus paratum eſt à Patre. Quid eis invides? Profecto ipſi ſedebunt; ipſi, inquam, vermiculi terræ judicantes ſedebunt, & tu non modo non ſtabis, ſed judicandus adſtabis. *Neſcitis*, ait Apoſtolus, *quia & Angelos judicabimus?* Ipſi utique qui ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exſultatione portantes manipulos ſuos. Duo manipuli ſunt quos quæris, honoris ſcilicet, & quietis. Seſſionem affectas & altitudinem; ſed non ſic, impie, non ſic: non colliges, quia non ſeminaſti. Qui ſeminaverunt laborem & vilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confuſione enim ſua duplici & rubore *, in terra ſua duplicia poſſidebunt. Unde & dicebat quidam: *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Hodie utique audiſtis in Evangelio promittentem Dominum, & di-

2. Angeli.

Iſai. 14. 13.

Dan. 7. 10.

1. Cor. 6. 3.

Pſal. 125. 6.

Honor & quies quibus reſervata in futuro.

* al. labore.

Pſal. 24. 18.

Tom. III. Matt. 19. 28.

centem diſcipulis: *Sedebitis ſuper ſedes, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Ecce quies ſeſſionis, & honor judicii. Nam & ipſe Dominus ad hæc noluit pervenire, niſi per humilitatem & laborem. Unde & morte turpiſſima condemnatus eſt, interrogatus tormentis, & opprobriis ſaturatus: utique ut inimicus induatur confuſione, ipſe pariter & omnes qui imitantur eum, & prætergrediuntur viam. Ipſe eſt, ô inique, ipſe eſt qui ſeſſurus eſt in ſede majeſtatis ſuæ ſimilis Altiſſimo, & coaltiſſimus ei. Hoc utique cogitaverunt Angeli ſancti, qui cadente maligno apoſtatiæ illius non conſenſerunt, nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum ipſi elegerunt miniſtrare, ſic & nos faciamus.

Honorum cupidi, & laborum inimici, ſimiles diabolo.

Nam etiam qui laborem fugiunt, & honorem captant, illum ſe noverint imitari, qui ſeſſionem altitudinemque quæſivit: & ſi non ſatis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus ſit ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus ſit illi. Ad hæc vitanda prudentiam nobis ſeminaverunt ſancti Angeli, qui prius eam aliis cadentibus tenuerunt.

3. Seminantes Apoſtoli.

11. Sed & Apoſtoli hanc ipſam ſeminaverunt nobis, quando recedentibus his, qui ſapientiam hujus mundi ſequebantur, quæ ſtultitia eſt apud Deum; & prudentiam carnis, quæ mortem operatur, & inimica eſt Deo; ipſi Domino adhæſerunt. Scandalizati enim illi audientes de Sacramento carnis & ſanguinis, ultra non ibant cum eo. Diſcipuli vero interrogati, an & ipſi vellent abire, reſponderunt: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* (Joann. 6. 69.) Neceſſe habemus, Fratres, hanc prudentiam imitari: quia multi adhuc ambulant cum Jeſu, donec veniatur ad edendam ejus carnem, & bibendum ſanguinem illius, ad communicandum ſcilicet paſſionibus ejus: (hoc enim & verbum illud, & ipſum Sacramentum ſignificat:) extunc autem ſcandalizantur, & abeunt retro dicentes, quia *durus eſt hic ſermo.* (Ibidem. 61.) Nos cum Apoſtolis prudentes ſimus, & dicamus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Non diſcedimus à te, vivificabis nos. Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. (Deut. 8. 3. & Matt. 4. 4.) Non ſolus mundus habet delectationem, ſed multo major eſt in verbis tuis. Unde & Propheta ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* (Pſal. 118. 103.) Ad quem igitur eamus? Verba vitæ æternæ habes, Domine: & ea ſunt ſuper omnia, quæ mundus habere poteſt. Non ſolum ipſa vita, ſed & promiſſio vitæ æternæ & exſpectatio juſtorum, lætitia eſt, & tanta lætitia, ut omne quod concupiſcitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis Apoſtoli ſancti ſeminaverunt.

4. Martyres, Confeſſores, & Virgines.

Martyres vero manifeſtum eſt fortitudinem ſeminaſſe. Porro Confeſſores ſeminaverunt juſtitiam, quam in omni vita ſua ſecuti ſunt. Hoc enim intereſt inter Martyres & Confeſſores, quod inter Petrum ſimul omnia relinquentem, & Abraham ſubſtantiam mundi in bonos uſus expendentem. Sic enim illi conſummati in brevi expleverunt tempora multa: iſti vero longa & multimoda traxere martyria. Virgines ſanctæ planum eſt quia temperantiam ſeminarunt, quæ ſic libidinem calcaverunt.

xxv. Martii.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS

Beatæ Mariæ Virginis

Sermo primus[a],

De verbis Pſalmi, *Ut inhabitet gloria in terra noſtra.*

Pſal. 84. 10. 2. Cor. 1. 12. Luc 18. 11. Conſcientiæ teſtimonium in tribus.

1. *Ut inhabitet gloria in terra noſtra, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Gloria noſtra hæc eſt,* ait Apoſtolus, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Non quidem tale teſtimonium, quale ille ſuperbus Phariſæus habebat, ſeducta & ſeductrice cogitatione teſtimonium perhibens de ſeipſo, & teſtimonium ejus verum non erat: ſed cum Spiritus ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro. Porro hoc teſtimonium in tribus conſiſtere credo. Neceſſe eſt enim primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei: deinde quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe: poſtremo quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis tibi detur & illa. Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus? (Job 14. 4.) Utique quod factum eſt, non poteſt non fieri: ipſo tamen non imputante, erit quaſi non fuerit. Quod Propheta quoque conſiderans ait: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* (Pſal. 31. 2.) De operibus vero bonis certum omnino eſt, quod nemo hæc habeat à ſeipſo.

Homo ſibi relictus continuo tendit in nihilum.

Nam ſi ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per ſeipſam reſurgere jam corrupta? Certum eſt ad ſuam originem univerſa, quantum in eis eſt, tendere, & in eam ſemper eſſe partem procliviora. Sic & nos, qui de nihilo creati ſumus, conſtat quia ſi nobis ipſis relinquimur, in peccatum ſemper, quod nihil eſt, declinamus.

Merita noſtra ſunt Dei dona.

2. Jam vero de æterna vita ſcimus; quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec ſi unus omnes ſuſtineat. Neque enim talia ſunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam ut taceam quod merita omnia dona Dei ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quàm Deus homini: quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior eſt Propheta, cui Dominus ipſe tam inſigne teſtimonium perhibet, dicens: *Virum inveni ſecundum cor meum?* (1. Reg. 13. 14. & Act. 13. 22.) Verumtamen & ipſe neceſſe habuit dicere Deo: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine.* (Pſal. 142. 2.) Nemo itaque ſe ſeducat: quia ſi bene cogitare* voluerit, inveniet proculdubio, quod nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. (* al. computare. Luc. 14. 31.)

3. Verum hæc, quæ nunc diximus, non omnino ſufficiunt, ſed magis initium quoddam & velut fundamentum fidei ſunt habenda. Ideoque ſi credis peccata tua non poſſe deleri niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium quod perhibet in corde tuo Spiritus-ſanctus, dicens: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus, gratis juſtificari hominem per fidem. (Rom. 3. 28.) Ita de meritis quoque ſi credis non poſſe haberi niſi per ipſum, non ſufficit, donec tibi perhibeat teſtimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas neceſſe eſt teſtimonium Spiritus, quod ad eam divino ſis munere perventurus. Ipſe enim peccata condonat, ipſe donat merita, & præmia nihilo minus ipſe redonat.

Paſſioni Chriſti tribuitur remiſſio peccatorum.

4. Porro teſtimonia iſta credibilia mihi facta ſunt nimis. Nam de remiſſione quidem peccatorum validiſſimum teneo argumentum, Dominicam paſſionem. Vox ſiquidem ſanguinis ejus invaluit multo plus, quàm vox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remiſſionem omnium peccatorum. *Traditus eſt enim propter peccata noſtra:* (Rom. 4. 25.) nec dubium, quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quàm peccata noſtra in malum.

Reſurrectioni juſtificatio. Ibid. Aſcenſioni glorificatio.

De bonis autem operibus argumentum nihilo minus efficax mihi eſt reſurrectio ejus, quia *reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Porro de ſpe præmiorum teſtimonium ejus eſt aſcenſio, quia aſcendit propter glorificationem noſtram. Hæc tria in Pſalmis habes, dicente Propheta: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* (Pſal. 31. 2.) Et alibi: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te.* (Pſal. 83. 6.) Item alibi: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, habitabit in atriis tuis.* (Pſal. 64. 5.) Hæc eſt gloria vera, gloria inhabitans: quia ab eo eſt, qui per fidem habitat in cordibus noſtris. Filii vero Adam gloriam quæ ab invicem eſt quærentes, gloriam quæ à ſolo Deo eſt non volebant: & ſic gloriam extrinſecus fluentem ſectantes, habebant gloriam, non in ſemetipſis, ſed magis in aliis.

[a] In codice Fuliensi tertius, & qui hic tertius eſt ſecundus, tertius vero ex noſtris ibidem primus.

5. Vis

Vera & inhabitans gloria unde homini contingat.

5. Vis noſſe unde ſit homini inhabitans gloria? Dico breviter, quoniam ad myſtica feſtinat intentio. Nam & ea ſola propoſueram in verbis illis propheticis diligentius veſtigare, ſed reflexit ad moralia occurrens prima fronte apoſtolicus ſermo de interna gloria & teſtimonio conſcientiæ. Sic ergo inhabitat hæc gloria etiam hic in terra noſtra, ſi miſericordia & veritas obviaverint ſibi, & ſeſe juſtitia & pax oſculentur. Prævenienti ſiquidem miſericordiæ veritas noſtræ confeſſionis * occurrat neceſſe eſt, ac de cetero ſanctimoniam ſectemur & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. Ubi enim compungitur quis, jam tunc eum miſericordia prævenit: ſed nequaquam ingredietur, donec ei veritas confeſſionis occurrat. *Peccavi Domino*, ait ipſe David ad Nathan prophetam, cum de adulterio & homicidio argueretur. *Et tranſtulit Dominus peccatum tuum à te*, ait Propheta. Nimirum miſericordia & veritas obviaverunt ſibi. Et hoc quidem, ut declines à malo. Jam vero ut facias bonum, in tympano & choro tibi pſallendum eſt, ut ipſa mortificatio carnis tuæ, & pœnitentiæ fructus, ac juſtitiæ opera in unitate & concordia fiant, (quoniam unitas ſpiritus, vinculum eſt perfectionis:) neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinaveris. Sunt enim quorum dextera eſt dextera iniquitatis. Phariſæus ille, cujus ſupra meminimus, non erat ſicut ceteri hominum: ſed ipſe ſibi (ut diximus) teſtimonium perhibuit, ſed non verum. Sane quiſquis ille eſt, in quo miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt, ſecure glorietur: ſed glorietur in eo qui ſibi teſtimonium perhibet, in ſpiritu utique veritatis.

* al. converſionis.
2. Reg. 12. 13.
Luc. 18. 11.

6. *Ut inhabitet gloria in terra noſtra: miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Si gloria patris filius ſapiens, cum ſit Sapientia ipſa ſapientior nemo; liquet profecto gloriam Patris Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam eſſe. Quia ergo multifarie, multiſque modis de eo prædictum fuerat in Prophetis, quod in terris videndus eſſet, & inter homines converſaturus; quonam modo id factum ſit, & impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum prædicta fuerant, habitaverit gloria in terra noſtra, Pſalmiſta indicat his verbis; ac ſi manifeſtius dicat: Ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis, *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Magnum ſacramentum, Fratres, & diligentius perſcrutandum, niſi & intellectus myſterio, & ipſi quoque intellectui verba deeſſent. Dico tamen utcumque modicum id quod ſentio, ſi forte vel occaſionem dediſſe videar ſapienti. Videre mihi videor, dilectiſſimi, quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipſo ſuæ creationis exordio, & (ut Propheta meminit) veſtimento ſalutis indutum. Eſt enim in his quatuor ſalutis integritas, nec ſine his omnibus poteſt conſtare ſalus; præſertim cum nec poſſint eſſe virtutes, ſi ab invicem ſeparentur. Acceperat ergo homo Miſericordiam, cuſtodem ſcilicet atque pediſſequam, ut ipſa præveniret, ipſa & ſequeretur eum, ipſa quoque protegeret & conſervaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvulo ſuo Deus, qualem dedit pediſſequam homini recens orto. Sed erat illi neceſſarius etiam eruditor, tamquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non ſicut jumentum aliquod cuſtodiretur, ſed tamquam parvulus educaretur. Cui ſane magiſterio nemo poterat aptior inveniri, quàm Veritas ipſa, quæ eum in agnitionem ſummæ perduceret aliquando Veritatis. Interim vero ne ſapiens inveniretur ut malum faceret, eſſetque peccatum ei tamquam ſcienti bonum, & minime facienti; Juſtitiam quoque, qua regeretur, accepit. Adhuc autem & Pacem, qua foveretur & delectaretur, addidit manus benigniſſima Creatoris: pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores, id eſt nec caro concupiſceret adverſus ſpiritum, nec eſſet ei creatura ulla formidini. Nam & beſtiis omnibus libere impoſuit nomina, & ſerpens ipſe, quod violentia non præſumpſit, fraude magis eum aggreſſus eſt. Quid huic deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat juſtitia, pax fovebat?

Hebr. 1. 1.
Pſal. 84. 11.
Homo ab inſtanti ipſo creationis quatuor virtutibus inſtructus.
Iſai. 61. 10.
1. Miſericordia.
2. Veritate.
3. Juſtitia.
4. Pace.
Tom. III.

7. Sed heu! homo iſte ad multam perniciem & inſipientiam ſibi, deſcendit de Jeruſalem in Jericho. ſiquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur deſpoliatus. Annon deſpoliatus, qui Domino venienre nudum ſe eſſe conqueritur? Nec vero poterat reveſtiri, vel ablata ſibi recipere veſtimenta, niſi Chriſtus amitteret ſua. Sicut enim vivificari in anima niſi interveniente corporali morte Chriſti non potuit, ita nec reveſtiri ſine ejus deſpoliatione. Et vide, ſi non propter has quatuor partes veſtimenti, quod amiſerat primus & vetus homo, in totidem quoque diviſa ſunt ſecundi & novi hominis veſtimenta. An forte quæris & tunicam inconſutilem, quæ non dividitur, ſed ſorte provenit? Ego divinam arbitror eſſe imaginem, quæ nimirum non aſſuta, ſed inſita atque ipſi impreſſa naturæ, dividi ſcindique non poteſt. Ad imaginem nempe & ſimilitudinem Dei factus eſt homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in ſimilitudine. Et ſimilitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertranſit homo. Imago ſiquidem in gehenna ipſa uri poterit, non exuri; ardere, ſed non deleri. Hæc ergo non ſcinditur, ſed ſorte provenit. Et quocumque perveniat anima, ſimul & ipſa ibi erit. Nam ſimilitudo non ſic: ſed aut manet in bono, aut, ſi peccaverit anima, mutatur miſerabiliter, jumentis inſipientibus ſimilata.

Luc. 10. 30. Homo per peccatum ſic ſpoliatus, nudus factus.
Imagine nobilita.

8. Sed quia ſpoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo ſingulis ſit ſpoliatus, congruum eſt ut dicamus. Perdidit homo juſtitiam, cum Eva ſerpentis, Adam mulieris voci obedivit potius quàm divinæ. Erat tamen reſiduum aliquid, quod apprehendere poſſent, idque Dominus ſuo illo ſcrutinio innuebat: ſed abjecerunt etiam illud, converſi in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Prior enim juſtitiæ portio non peccare, ſecunda per pœnitentiam damnare peccatum. Perdidit & miſericordiam, cum ſic exarſit Eva in concupiſcentia ſua, ut nec ſibi, nec viro, nec filiis parceret naſcituris, ſimul omnes terribili maledicto & neceſſitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ mulierem, pro qua peccaverat, objecit, quaſi poſt tergum ejus volens declinare ſagittam. *Vidit enim mulier lignum quod eſſet pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuave*, & à ſerpente audierat tamquam deos ſe futuros. Funiculus triplex difficile rumpitur, curioſitatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc ſola mundus habet, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. His abſtracta & illecta miſericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam, qui mulieri male miſertus eſt ut cum ea peccaret, bene noluit miſereri *, ut pœnam ſuſtineret pro ea. Privata eſt etiam mulier veritate, primo quidem male detorquens quod audierat, *Morte morieris*; & dicens, *Ne forte moriamur:* demum ſerpenti credens, penitus abneganti & dicenti, *Nequaquam moriemini*. Privatus eſt & Adam veritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc eſt excuſationum operimenta, prætendens. Siquidem ipſa dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo.* Pacem quoque protinus amiſerunt, quia non eſt pax impiis, dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant in membris ſuis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? *Timui ego*, inquit, *eo quod nudus eſſem*. Non ſic miſer, non ſic paulo ante timebas: non quærebas folia, licet corpore nudus, ſicut & modo.

Quomodo ſpoliatus prædictis virtutibus.
Juſtitiæ duæ partes.
Gen. 3. 6.
Ex peccatum triplex
* al. ut pœnam ſuſtineret.
Gen. 3. 4.
Luc. 9. 26.
4. Pace.
Gen. 3. 10.

9. Ex hoc ſane (ut Prophetæ ipſius parabolam proſequamur, qui ſibi obviaſſe eas, & reconciliatas in oſculo memoravit) gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas & juſtitia miſerum affligebant: pax & miſericordia zeli hujus expertes judicabant magis eſſe parcendum. Sunt etenim collactaneæ hæ duæ ſibi, quemadmodum & priores. Unde & factum eſt, ut perſeverantibus illis in ultione, & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præſentes

Virtutum contentio poſt Adæ peccatum coram Deo.

Tom. III.

moleſtias ſurori cumulantibus comminatione ſupplicii, illæ ſecederent in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus ſiquidem ipſe cogitabat cogitationes pacis, cum afflictionis plena omnia videientur. Siquidem non ceſſabat pax, non ei miſericordia dabat ſilentium, ſed pio quodam ſuſurrio paterna pulſantes viſcera loquebantur: *Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior ſit adhuc? Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Et quamvis diu multumque viſus ſit diſſimulare Pater miſerationum, ut interim ſatisfaceret zelo juſtitiæ & veritatis: non tamen infructuoſa fuit ſupplicantium importunitas, ſed exaudita eſt in tempore opportuno.

Pſal. 76. 8.

B

10. Forte enim interpellantibus tale dicatur dediſſe reſponſum: Uſquequo preces veſtræ? Debitor ſum & ſuroribus veſtris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus, juſtitiæ & veritati. Vocentur, veniant, & ſuper hoc verbo pariter conferamus. Feſtinant ergo legati cæleſtes, & ut viderunt miſeriam hominum & crudelem plagam, ut Propheta loquitur: *Angeli pacis amare flebant.* Qui enim fidelius quærerent aut rogarent quæ ad pacem ſunt, quàm Angeli pacis? Sane ex deliberatione communi aſcendit veritas ad conſtitutam diem, ſed aſcendit uſque ad nubes: necdum plane lucida, ſed ſubobſcura & obnubilata adhuc zelo indignationis. Factumque eſt ut legimus in Propheta: *Domine, in cælo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes.* Medius autem Pater luminum reſidebat, & utraque pro parte ſua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit intereſſe, & indicabit nobis? Quis audivit, & enarrabit? Forte inenarrabilia ſunt, & non licet homini loqui. Summa tamen controverſiæ totius hæc fuiſſe videtur. Eget miſeratione creatura rationalis, ait Miſericordia, quoniam miſera facta eſt, & miſerabilis valde. Venit tempus miſerendi ejus, quia jam præteriit tempus. Econtra Veritas: Oportet, inquit, impleri ſermonem quem locutus es, Domine. Totus morietur Adam neceſſe eſt cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione guſtavit. Utquid ergo, ait Miſericordia, utquid me genuiſti pater citius perituram? Scit enim Veritas ipſa, quoniam miſericordia tua periit, & nulla eſt, ſi non aliquando miſerearis. Similiter autem è contrario & illa loquebatur: Quis enim neſciat, quod ſi prædictam ſibi prævaricator ſententiam mortis evaſerit, periit, nec permanebit jam in æternum veritas tua, Domine?

Iſai. 33. 7.

C

Pſal. 35. 6.

D

11. Ecce vero unus de Cherubin *, ad Regem Salomonem ſuggerit eſſe mittendas: quoniam filio, inquit datum eſt omne judicium. Et in ejus ergo conſpectu Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, eadem quæ ſupra meminimus verba querimoniæ repetentes. Pateor, ait Veritas, zelum bonum Miſericordia habet, ſed utinam ſecundum ſcientiam. Nunc autem quid prævaricatori potius, quàm ſorori judicat eſſe parcendum? At tu, inquit Miſericordia, neutri parcis, ſed tanta indignatione ſævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & ſororem. Quid mali merui? Si quid habes adverſum me, dicito mihi: ſin autem, quid me perſequeris? Grandis controverſia, Fratres, & intricata nimium diſceptatio. Quis non illic diceret: Bonum nobis erat, ſi natus non fuiſſet homo iſte? Sic erat, dilectiſſimi, omnino ſic erat: non videbatur quomodo ſimul poſſent erga hominem Miſericordia & Veritas conſervari. Cumque adjiceret Veritas in ipſum quoque Judicem partis ſuæ injuriam * retorqueri, dicens, cavendum omnino, ne fieret irritum verbum Patris, ne ſermo vivus & efficax qualibet occaſione evacuaretur: Parcite quæſo, ait Pax, parcite verbis hujuſmodi. Non nos talis altercatio decet: virtutum eſt inhoneſta contentio.

* add. id eſt magni conſ. In Angelus. Joan. 5. 22

E

F

* al. metitu retorqueret.

12. Porro Judex inclinans ſe, digito ſcribebat in terra. Erant autem verba ſcripturæ, quæ Pax ipſa legit in auribus omnium (ea ſiquidem propius aſſidebat.) Hæc dicit, Perii, ſi Adam non moriatur; & hæc dicit,

Judicis ſententia.

A Perii, niſi miſericordiam conſequatur. FIAT MORS BONA, & habet utraque quod petit. Obſtupuere omnes in verbo ſapientiæ & forma compoſitionis pariter atque judicii. ſiquidem manifeſtum fuit nullam eis querimoniæ occaſionem relinqui: ſiquidem fieri poſſet quod utraque petebat, ut & moreretur, & miſericordiam conſequeretur. Sed id quomodo fiet, inquiunt? Mors crudeliſſima, & amariſſima eſt, mors terribilis, & ipſo horrenda auditu. Bona fieri quanam ratione poterit? At ille: Mors, inquit, peccatorum peſſima, ſed pretioſa fieri poteſt mors ſanctorum. An non pretioſa erit, ſi fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Pretioſa, inquiunt. Sed quomodo fiet iſtud? Fieri, ait, B poteſt, ſi ex caritate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neque enim detinere poterit mors innoxium, ſed forabitur (ut ſcriptum eſt) maxilla Leviathan, & deſtruetur paries medius, ſolveturque chaos magnum, quod inter mortem vitamque firmatum eſt. Nimirum caritas fortis ut mors, immo & fortior morte, ſi fortis illius intraverit atrium, alligabit eum, & diripiet utique vaſa ejus, ſed & ipſo tranſitu ſuo ponet profundum maris viam, ut tranſeant liberati.

Job 40. 19.

13. Bonus viſus eſt ſermo, utpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, ſed ex voluntate, non ex malo merito, ſed ex beneplacito ſuo? Circuit C Veritas orbem terræ; & nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Sed & Miſericordia cælum omne perluſtrat, & in Angelis quoque, ne dixerim pravitatem, minorem tamen invenit caritatem. Nimirum hæc victoria alii debebatur, quo majorem caritatem nemo haberet, ut animam ſuam poneret pro ſervis inutilibus, & indignis. Nam etſi ipſe jam non dicit nos ſervos, hoc ipſum immenſæ dilectionis eſt, & eximiæ dignationis. Nos autem etſi omnia quæ præcepta ſunt nobis faceremus, quid aliud dicere deberemus, niſi quod ſervi inutiles ſumus? Sed quis eum ſuper hoc convenire præſumeret? Redeunt ad conſtitutam diem Veritas & Miſericordia, D anxiæ plurimum, non invento quod deſiderabant.

Sententiæ approbatio.

Job 15. 14. Redemptor quæritur.

Luc. 17. 10.

14. Tunc vero ſeorſum Pax conſolans eas: Vos, inquit, neſcitis quicquam, nec cogitatis. Non eſt qui faciat bonum hoc, non eſt uſque ad unum. Qui conſilium dedit, ferat auxilium. Intellexit Rex quid loqueretur, & ait: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit ſuſtinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit: Ecce venio. Non enim poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum. Et acceſſito protinus Gabriele, Vade, inquit, dic filiæ Sion: *Ecce Rex tuus venit.* Feſtinavit ille, & ait: *Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe Regem.* Porro venturum Regem Miſericordia & Veritas præ- E venerunt, ſicut ſcriptum eſt: *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Juſtitia thronum præparat, ſecundum illud: *Juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ.* Pax cum Rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur qui dixerat: *Pax erit in terra noſtra cum venerit.* Inde eſt quod nato Domino Angelorum chorus canebat: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Sed & tunc Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt, quæ non modice videbantur hactenus diſſidere. Prior enim, ſi qua erat ex lege juſtitia, non oſculum, ſed aculeum magis habebat, urgens magis timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, ſicut habet nunc quæ ex fide noſcitur eſſe juſtitia. Alioquin quid erat quod nec F Abraham, nec Moyſes, nec ceteri juſti temporis illius, in obitu ſuo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introire, niſi quod minime adhuc juſtitia & pax ſeſe fuerant oſculatæ? Ex hoc ſane, dilectiſſimi, ferventiore nobis zelo ſectanda juſtitia eſt; ſiquidem juſtitia & pax oſculatæ ſunt, & indiſſolubile amicitiarum iniêre fœdus: ut cuicumque teſtimonium juſtitiæ ſecum tulerit, hilari vultu jam & amplexibus lætis excipiatur à pace, in idipſum jam dormiens & requieſcens.

Deus ſolus ad hoc idoneus.

Gen. 6. 7.

Incarnatio ut præparata.

Zach. 9. 9.

Pſal. 84. 11.

Luc. 2. 14.

IN ANNUNTIATIONE B. MARIÆ,

SERMO SECUNDUS.

De ſeptiformi ſpiritu in Chriſto.

Myſterii ſumma.

1. CONſiderare eſt, Fratres, in ſollemnitate hodierna Dominicæ Annuntiationis, velut amœniſſimam quamdam planiciem, ſimplicem noſtræ reparationis hiſtoriam. Injungitur nova legatio angelo Gabrieli, & novam Virgo profeſſa virtutem, novæ ſalutationis honoratur obſequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiſcentiam neſcit, ut ſpiritu ſuperveniente Altiſſimi pariat Filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadem porta ſalutis antidotum, qua venenum ſerpentis ingrediens, univerſitatem generis humani occuparat. Innumeros hujuſcemodi flores ex his facile eſt legere pratis: ſed intueor mediam metuendæ profunditatis abyſſum. Abyſſus plane imperſcrutabilis, incarnationis dominicæ ſacramentum; abyſſus impenetrabilis, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Quis enim inveſtiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus eſt, & in quo hauriam non eſt mihi. Verumtamen ſolet interdum ſuperpoſita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea ſane licet irrumpere verear propriæ conſcius infirmitatis, frequenter tamen velut ſuper os hujus putei expando ad te, Domine manus meas, pro eo quod anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Et nunc ſi quid eſt quod, aſcendente deorſum nebula, tenuis ebiberit cogitatio; vobis, Fratres, modicum illud ſine invidia communicare curabo, velut expreſſo linteamine vel exigua refundens cæleſtis ſtillicidia roris.

Incarnationis myſterium inſcrutabile.

Filius cur potius incarnatus, quam Pater aut Spiritus-ſanctus.

2. Quæro igitur, qua ratione Filius magis incarnatus ſit, quam Pater, aut Spiritus-ſanctus, cum totius Trinitatis non modo æqualis ſit gloria, ſed una eademque ſubſtantia? Sed quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Altiſſimum eſt myſterium, nec nos oportet temere ſuper hujuſcemodi præcipitare ſententiam. Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugiſſe confuſionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maxime congruum, ut is ſpecialiter filius fieret, qui filius erat, ne quid eſſet ambiguitatis in nomine. Denique ipſa eſt Virginis noſtræ gloria ſingularis & excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam ſane periiſſe conſtat, ſi non filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari poſſet occaſio ſimilis ſperandæ ſalutis & hereditatis. Factus ſiquidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, adſciſcet eos ſine dubio in hereditatem, quos vocarit in adoptionem. Si enim fratres, & coheredes. Hic ergo Chriſtus Jeſus, mediator fidelis, ſicut in perſona una Dei hominiſque ſubſtantiam copulavit ineffabili ſacramento: ſic & in ipſa reconciliatione, conſilio uſus altiſſimo, mediam non deſeruit æquitatem, utrique tribuens quod oportebat, honorem Deo, homini miſerationem. Hæc enim optima inter offenſum Dominum & reum ſervum forma compoſitionis, ut nec honorandi Domini zelo ſervus opprimatur auſteriori ſententia: nec rurſum, dum huic immoderatius condeſcenditur, ille debito fraudetur honore.

Luc. 2. 14. Septiformis ſpiritus in Chriſto.

3. Audi igitur & diligenter obſerva angelicam in hujus Mediatoris ortu diſtributionem. *Gloria*, inquiunt, *in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hujus denique gratia obſervationis fideli reconciliatori Chriſto nec timoris ſpiritus defuit, quo Patri ſemper reverentiam exhiberet, ſemper ei deferret, ſemper gloriam ejus quæreret: nec ſpiritus pietatis, quo miſericorditer compateretur hominibus. Unde & neceſſarium habuit ſpiritum quoque ſcientiæ, per quem timoris pariter & pietatis diſtributio fieret inconfuſa. Et nota quod in primo illo parentum noſtrorum peccato tres quidem auctores exſtiterunt: ſed manifeſte defuerunt iſta tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit Eva ſcientiam, quæ, ut ait Apoſtolus, ſeducta eſt in prævaricationem. Verum hæc quidem ſerpenti non defuit, qui callidior deſcribitur ceteris animantibus: ſed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus eſt homicida. Adam vero pius forte videtur, mulierem non contriſtando: ſed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens, quàm divinæ. Utinam magis timor Domini prævaluiſſet in eo! ſicut de Chriſto ſignanter legitur: Quia replevit eum, non pietatis ſpiritus, ſed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus eſt, & ſolus ipſe eſt, qui totum ſibi hominem debeat vindicare. In his igitur tribus, timore, pietate & ſcientia, Mediator noſter reconciliavit homines Deo: nam in conſilio, & fortitudine de manu adverſarii liberavit. Conſilio ſiquidem priſtino jure privavit hoſtem, data poteſtate, ut manus injiceret innocenti: fortitudine prævaluit, ne violenter poſſet retinere redemptos, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo ſurrexit.

Tom. III. 1. Tim. 2. 14.

Iſai. 11. 3. Timor Domini præferendus pietati proximi.

Chriſtus quibus virtutibus nos redemit.

4. Exinde cibat nos pane vitæ & intellectus, & potat aqua ſapientiæ ſalutaris. Eſt enim intellectus rerum ſpiritualium & inviſibilium, verus animæ panis, confirmans cor noſtrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione ſpirituali. Carnalis autem homo, qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſtultitia ei videntur, gemat & lugeat, dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Ecce enim mera & perfecta veritas eſt, non prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum faciat. Sed quando id capere poſſit avarus? Sine cauſa laborat, quiſquis ei id perſuadere conatur. Ut quid hoc? Nempe quia ſtultitia illi videtur. Quid verius, quàm jugum Chriſti eſſe ſuave? Appone homini ſæculari, & vide ſi non magis lapidem quàm panem reputabit. Et certe hujuſmodi intelligentia veritatis internæ vivit anima, & hic eſt ſpiritualis cibus. *Non enim in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Verumtamen DONEC ſapiat tibi veritas, non ſine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi vero cœperis in ea oblectari, jam non cibus, ſed potus eſt: & ſine difficultate intrat in animam, quo videlicet ſpiritualis cibus intelligentiæ poto ſapientiæ digeratur, ne ipſius interioris hominis artubus, id eſt affectibus, ſiccitate laborantibus, oneri magis ſit quam utilitati.

Pſal. 101. 5.

Deut. 8. 3.

Veritas primo ardua, dein facilis.

5. Ex omnibus ergo quæ ſalvandis populis fuerant neceſſaria, nihil penitus defuit Salvatori. Ipſe eſt enim, de quo præcinit Iſaias: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Illud ſane diligenter attende, quod florem hunc de radice, non de virga dixerit aſcenſurum. Etenim ſi nova Chriſti caro in Virgine creata eſſet ex nihilo, (quod æſtimaverunt nonnulli:) non de radice flos, ſed forte de virga dici poterat aſcendiſſe. Nunc autem qui prodiit ex radice, ſine dubio ab origine communem probatur habuiſſe materiam. Nam quod ſuper eum Spiritus requievit, nihil in eo contradictionis fuiſſe declarat. In nobis enim quia non omnino ſuperior eſt ſpiritus, non requieſcit, carne nimirum adverſus ſpiritum, & ſpiritu adverſus carnem concupiſcente: à quo conflictu nos liberet, in quo nihil ſimile fuit, novus homo & verus homo, qui veram carnis noſtræ ſuſcepit originem, ſed fermentum vetus concupiſcentiæ non ſuſcepit.

Iſai. 11. 2.

IN ANNUNTIATIONE B. MARIÆ

SERMO[a] TERTIUS

De Suſanna & B. Maria.

1. QUàm dives es in miſericordia, quàm magnificus in juſtitia, in gratia quàm munificus, Domine Deus noſter! Non eſt qui ſimilis ſit tibi, munerator copioſiſſime, remunerator æquiſſime, piiſſime liberator. Gratis reſpicis humiles, juſte judicas innocentes, miſericorditer ſalvas etiam peccatores. Hæc ſiunt, dilectiſſimi, quæ nobis in menſa divitis hujus Patrisfamilias ſanctarum teſtimoniis ſcripturarum, B hodie quidem, ſi diligenter advertimus, ſolito copioſius apponuntur. Nimirum hanc nobis copiam præſtant, quæ pariter convenerunt, ſacrum videlicet tempus Quadrageſimæ, & ſacratiſſima dies Annuntiationis Dominicæ. Hodie enim in auribus noſtris deprehenſam in adulterio mulierem indulgentia Redemptoris abſolvit, hodie innoxiom Suſannæ ſanguinem liberavit, hodie quoque beatam Virginem ſingulari munere gratuitæ benedictionis implevit. Magnum convivium, ubi pariter nobis miſericordia, juſtitia, & gratia apponuntur! Numquid non miſericordia eſca hominum? Salutaris omnino & efficax ad medelam. Numquid non etiam juſtitia panis cordis? Et quidem C optime confirmans illud, utpote cibus ſolidus ad nutrimentum. Denique beati qui eſuriunt illum, quoniam ipſi ſaturabuntur. Numquid non cibus animæ gratia Dei ſui? Dulciſſimus ſane, & omnem habens in ſe ſuavitatem, & delectamentum ſaporis: immo vero hæc ſibi omnia pariter vindicans, non modo delectat, ſed & reficit, & medetur.

Animæ cibus miſericordia, juſtitia, & gratia.

Matt. 5. 6.

2. Accedamus ad menſam hanc, Fratres mei, & ex ſingulis dapibus vel modicum aliquid deguſtemus. *In lege Moyſes mandavit hujuſmodi lapidare*, aiunt de peccatrice peccatores, de adultera Phariſæi. Sed ad duritiam lapidei cordis veſtri ille locutus eſt. *Jeſus autem inclinavit ſe.* Domine, inclina cælos tuos, & deſcende. D Inclinans ſe, & ad miſericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat) *digito ſcribebat*, non jam in lapide, ſed *in terra*. Neque hoc tantum ſemel, ſed hic quoque duplex ſcriptura, ſicut apud Moyſen tabulæ duæ. Et forte veritatem & gratiam ſcribens, & iterum ſcribens terræ impreſſiſſe videtur, ſecundum quod Johannes Apoſtolus ait: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Conſidera denique an videri poſſit de tabula veritatis legiſſe, unde refelleret Phariſæos: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.* Verbum quidem abbreviatum, ſed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm graviter enim ad verbum hoc ſa- E xea corda transfoſſa, quàm vehementer hoc uno lapillo contritæ ſint lapideæ frontes, rubor ipſe confuſionis & clandeſtinus probavit abſceſſus. Meruit quidem adultera lapidari: ſed is punire geſtiat, qui dignus non eſt etiam ipſe puniri. Is præſumat à peccatrice exigere ultionem, qui eamdem excipere non meretur. Alioquin ipſe ſibi vicinior, à ſe incipiat: in ſe prius ſententiam ferat, exerceatque vindictam. Hæc Veritas.

Johann. 8. 5.

Pſal. 143. 5.

Johann. 1. 17.

Correctio faciendo per innocentem.

3. Ceterum adhuc minus eſt: & ſi accuſatores refellit hæc Veritas, ſed ream necdum abſolvit. Scribat iterum, ſcribat gratiam, legat, & audiamus. *Nemo te condemnavit mulier? Nemo, Domine. Nec ego te con-* F *demnabo: vade, & amplius noli peccare.* O vox miſericordiæ, ô auditus lætitiæ ſalutaris! Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam; quia in te ſperavi, Domine. SOLA nimirum SPES apud te miſerationis obtinet locum; nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Sed eſt infidelis fiducia, ſolius utique maledictionis capax, cum videlicet in ſpe peccamus. Quamquam nec fiducia illa dicenda ſit, ſed inſenſibilitas A quædam, & diſſimulatio pernicioſa. Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor ſentitur, nec materia ipſa timoris? Fiducia ſolatium eſt: nec eget ille ſolatio, qui lætatur cum male fecerit, & in peſſimis rebus magis exſultat. Rogemus itaque, Fratres, reſponderi nobis, quantas habeamus iniquitates & peccata, ſcelera noſtra & delicta nobis deſideremus oſtendi. Scrutemur vias noſtras & ſtudia noſtra; periculaque univerſa vigili intentione penſemus. Dicat quiſque in pavore ſuo: Vadam ad portas inferi; ut jam nonniſi in ſola Dei miſericordia reſpiremus. HÆC VERA hominis fiducia, à ſe deficientis, & innitentis Domino ſuo. Hæc, B inquam, vera fiducia, cui miſericordia non denegatur, Propheta atteſtante: *Quoniam beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Nec parva utique ſuppetit nobis: in nobis quidem timoris, in ipſo autem cauſa fiduciæ. Suavis & mitis eſt, copioſæ miſericordiæ; præſtabilis ſuper malitia, multus ad ignoſcendum. Credamus ſane vel inimicis, qui in eo nihil aliud, unde occaſionem ſtruendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur, aiunt, peccatrici, nec ſibi oblatam ullatenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifeſtus adverſarius legis, cum abſolverit lege damnatam. In veſtrum, ô Phariſæi, caput tota veſtræ malignitatis adinventio C retorquetur. Diffiditis cauſæ, qui judicium ſubterfugitis. Nam illa quidem ſine injuria legis abſolvitur, quæ non accuſatori * relinquitur.

Pſal. 142. 8.

Spes vera capaces non reddit miſericordiæ.

Spes ſeu fiducia falſa.

Spes vera quænam.

Christus ab inimicis habet teſtimonium miſericordiæ.

4. Sed conſideremus, Fratres, quonam hinc abeant Phariſæi. Videtiſne duos ſenes (nam à ſenioribus exire cœperunt) quomodo in pomerio * Joachim abſconduntur? Suſannam quærunt uxorem ejus: ſequamur eos. nam iniqua cogitatione pleni ſunt contra eam. *Conſentire nobis*, aiunt ſenes, aiunt Phariſæi, aiunt lupi, qui ab alterius paulo ante, licet errantis oviculæ, fuerant devoratione fruſtrati. *Conſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.* Inveterati dierum malorum, modo accuſabatis adulterium, modo adul- D terium ſuadetis. Sed hæc eſt tota juſtitia veſtra, & quæ palam arguitis, eadem agitis in occulto. Hinc fuit quod exiſtis unus poſt unum, cum ille omnium conſcius occultorum veſtras tam valide percuſſiſſet conſcientias, dicens: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.* Merito proinde ad Diſcipulos Veritas ait: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Alioquin dicemus, aiunt, contra te teſtimonium. Semen Chanaan, & non Juda, nec hoc quidem Moyſes in Lege mandavit. An qui decrevit adulteram lapidare, mandavit accuſare pudicam? An qui juſſit adulteram lapidibus opprimi, etiam juſſit contra inſontem teſti- E monium ferri? Immo vero ſicut adulteram, ſic etiam falſum teſtem non impunitum eſſe præcepit. Sed qui gloriamini in lege, per legis prævaricationem Deum inhonoratis.

** al. qui ſine accuſatore.*

Johan. 8. 9.

** Vulgata Pomario Suſannæ hiſtoria.*

Daniel. 13.

Johan. 8. 7.

Matt. 5. 20.

Deut. 19. 18. Prov. 19. 5.

5. *Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtia mihi ſunt undique.* Undique enim mors; hinc quidem corporea, inde ſpiritualis. *Si hoc*, inquit, *egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Veſtras, ô Phariſæi, manus nec adultera effugit, nec pudica: veſtras accuſationes nec ſanctus, nec peccator evadit. Diſſimulatis peccata veſtra, ubi inveneritis aliena: alioquin ſi quis forte ſuum non habet, veſtrum ei impingitis crimen. Quid tamen Suſanna facit, F inter mortem & mortem, animæ ſcilicet & corporis, undique anguſtata? *Melius eſt mihi*, inquit, *abſque opere incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei.* Nimirum ſciebat iſta, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viventis. Nam homines quidem, cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant: ille autem timendus eſt, qui poteſtatem habet & corpus, & animam mittere in gehennam. Quid familia Joachim tardat? Irruat per

Anima ſolus corporis damno redimenda.

Matt. 10. 28.

[a] Habitus anno 1150. quo Annuntiatio celebrata fuit ſabbato poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ: qua die legitur Suſannæ hiſtoria, & Evangelium de muliere adultera.

poſticum, nam in pomerio clamor auditur; clamor autem luporum gravium, & balantis oviculæ inter eos. Sed non patitur ab eis innoxiam devorari, qui ab ipſis eorum faucibus tam dignanter eripuit etiam eripi non merentem. Merito proinde *cum duceretur ad mortem, erat cor ejus fiduciam habens in Domino*, quem uſque adeo timuiſſet, ut timorem omnem poſtpoſuiſſet humanum, & ipſius legem & ſimul vitæ præpoſuiſſet, & famæ. *Non enim dictus fuerat ſermo hujuſcemodi aliquando de Suſanna. Sed & parentes ejus juſti erant, & vir ejus honoratior omnium Judæorum.* Merito igitur à juſto Judice juſtam de injuſtis obtinuit ultionem, quæ tam vehementer juſtitiam eſurivit, ut propter eam contemneret mortem corporis, opprobrium generis, luctum inconſolabilem amicorum.

Patientia pie viventibus neceſſaria.

6. Et nos, Fratres, ſi à Chriſto audivimus, *Nec ego te condemnabo*, ſi peccare jam nolumus contra ipſum, ſi in Chriſto volumus pie vivere; neceſſe eſt ſuſtineamus perſecutionem, ne malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin QUI PATIENTIAM NON SERVAVERIT, perdet juſtitiam, hoc eſt, vitam perdet, hoc eſt, perdet animam ſuam. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Ita prorſus eſt. Ipſe retribuet, ſed ſi ei vindictam ſerves, ſi non tollas ab eo judicium, ſi non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet judicium, ſed injuriam patienti: in æquitate judicabit, ſed pro manſuetis terræ. Jam vobis (ni fallor) moleſtum eſt, quod deliciæ tardant. Non miremini: deliciæ ſunt. Non onerabunt quàmlibet ſatiatos, nec à ructantibus quidem poterunt faſtidiri.

Rom. 12. 19.

Luc. 1.

Annuntiationis circumſtantiæ expenduntur.

7. *Miſſus eſt Gabriel angelus à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Miraris quod Nazareth, parva civitas, & tanti Regis nuntio illuſtretur, & tanto? Sed magnus latet in hac parva civitate theſaurus; latet, inquam, ſed homines latet, non Deum. Annon theſaurus Dei Maria? ubicumque illa eſt, & cor ejus. Oculi ejus ſuper eam, ubique reſpicit humilitatem ancillæ ſuæ. Novit cælum Unigenitus Dei Patris? Si novit cælum, novit & Nazareth. Quidni ſciat patriam ſuam? quidni noverit hereditatem ſuam? Cælum ex Patre, Nazareth ex Matre vindicat ſibi, ſicut ipſe ſe & Filium David, & Dominum eſſe teſtatur. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Cedat ergo ei utrumque neceſſe eſt in poſſeſſionem, quia non modo Dominus, ſed & filius hominis eſt. Audi etiam quomodo terram ſibi tamquam filius hominis vindicat, ſed & communicat tamquam ſponſus. *Flores*, inquit, *apparuerunt in terra noſtra.* Neque hinc diſcrepat, quod Nazareth interpretatur flos. Amat florigeram patriam flos de radice Jeſſe, & libenter inter lilia paſcitur flos campi, & lilium convallium. Commendat enim flores pulcritudo, ſuaveolentia, & ſpes fructus; gratia triplex. Teque florem reputat Deus; & bene ei complacet in te, ſi tibi nec honeſtæ converſationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, nec intentio deſit futuræ retributionis. Fructus enim ſpiritus eſt vita æterna.

Pſal. 113. 16.

Cant. 2. 12.

Mariæ gratia ſingularis & generalis.

8. *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Dominum.* Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam ſingularem. Singularem, an generalem? Utramque ſine dubio, quia plenam, & eo ſingularem, quo generalem: ipſa enim generalem ſingulariter accepiſti. Eo, inquam, ſingularem, quo generalem. nam ſola præ omnibus gratiam inveniſti. Singularem quod ſola hanc inveneris plenitudinem; generalem, quod de ipſa plenitudine accipiant univerſi. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Singulariter quidem fructus ventris tui eſt: ſed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, ſic olim ros totus in vellere, totus in area: ſed in nulla parte areæ totus, ſicut in vellere fuit. In te ſola Rex ille dives & prædives exinanitus; excelſus, humiliatus; immenſus, abbreviatus, & Angelis minoratus eſt: verus denique Deus & Dei Filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate ſublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus eſſe ſpiritus cum eo.

Luc. 1 28.

Judic. 6 37.

Tom. III.

9. Sed quid dicimus, Fratres? cuinam potiſſimum vaſi grana infundetur? Si (ut ſupra meminimus) capax quidem eſt miſericordiæ fiducia, patientia vero juſtitiæ: quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balſamum eſt puriſſimum, & ſolidiſſimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam ſolidum, quàm humilitas cordis? Merito proinde humilibus dat gratiam: merito reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Quonam merito, quæris? Eo utique, quo animum humilem meritum non occuparet humanum, quominus libere influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hanc nobis humilitatem quibuſdam erit gradibus aſcendendum. Primo enim cor hominis, quem adhuc peccare delectat, nec miſeram conſuetudinem propoſito meliore mutavit, ne ſit gratiæ capax, propriis vitiis præpeditur. Secundo quoque, ubi jam corrigere mores, & priores nequitias de cetero non iterare proponit; ipſa tamen peccata præterita, licet jam amputata quodam modo videantur, dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confeſſione laventur, donec ſuccedentibus dignis fructibus pœnitentiæ de medio fiant. Sed væ tibi, ſi forte vitiis & peccatis pernicioſior ſucceſſerit ingratitudo. Quid enim tam evidenter gratiæ adverſatur? Tepeſcimus proceſſu temporis à fervore converſationis noſtræ, paulatim refrigeſcit caritas, abundat iniquitas, ut conſummemur carne, qui ſpiritu cœperamus. Inde enim eſt ut minus ea ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, indevoti pariter & ingrati. TIMOREM Domini relinquimus, religioſam omittimus ſolitudinem, verboſi, curioſi, faceti, etiam detractores & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes laboris & diſciplinæ, quoties ſine nota id licet; quaſi vero confeſtim ſit etiam ſine noxa. Quid ergo tantis repulſam obſtaculis gratiam nobis deeſſe miramur? Jam vero ſi quis, juxta Apoſtolum, ut verbum Chriſti, verbum gratiæ in eo habitet, gratus eſt; ſi quis devotus, ſi quis ſollicitus, ſi quis ſpiritu fervens: caveat ſibi ne ſuis fidat meritis, ne ſuis operibus innitatur. alioquin nec hujuſcemodi animum intrat gratia. Nimirum plenus eſt, nec in eo jam invenit gratia locum ſibi.

Gratiæ idoneos nos efficit humilitas.

Gratiæ impedimenta quatuor.

Coloſſ. 3. 16.

10. Conſideraſtis Phariſæum illum orantem? Non erat raptor, non injuſtus, non adulter. An ſine fructibus pœnitentiæ erat? Jejunabat bis in ſabbato, decimas dabat omnium quæ poſſidebat. Sed ingratum forſitan ſuſpicamini. Audite quid dicat: *Deus gratias ago tibi.* Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis, ſed elatus. Non enim quid ſibi deeſſet, ſcire ſtuduit, ſed exaggeravit meritum ſuum: nec erat illa SOLIDA PLENITUDO, ſed tumor. Vacuus proinde rediit, qui plenitudinem ſimulavit. Nam Publicanus ille, qui exinanivit ſeipſum, quoniam vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. Nos ergo, Fratres, ſi gratiam cupimus invenire, ſic de cetero abſtineamus à vitiis, ut de præteritis quoque peccatis digne pœniteamus. Nihilo minus quoque ſolliciti ſimus, & devotos nos Deo, & vere humiles exhibere. Hujuſmodi nempe animas gratanter reſpicit pio illo reſpectu, de quo Sapiens ait: *Quoniam gratia & miſericordia Dei eſt in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius.* Et forte propterea quater revocat animam quam reſpicit, dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te:* quo videlicet nec in peccandi conſuetudine, nec in conſcientia peccatorum; ſed nec in tepore & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate perſiſtat. A quo nos quadripertito periculo revocare & eripere dignetur, qui factus eſt nobis à Deo Patre ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

Luc. 18. 12.

Phariſæi orantis arrogantia, & elatio vacua.

Sap. 4. 15.

Cant. 6 12.

Tom. III. XXIV. Jun.

IN NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTÆ,

SERMO.

De lucerna ardente tripliciter, & tripliciter lucente.

1. SIt procul ab his conventibus, Fratres, increpatio illa Prophetæ, Judaica reprobantis conventicula, & dicentis: *Iniqui ſunt cœtus veſtri*. (Iſai. 1. 13) Hi nimirum cœtus non iniqui, ſed plane ſancti, ſed religioſi, ſed pleni gratia, digni benedictione. Convenitis ſiquidem ad audiendum Deum: convenitis ad laudandum, ad orandum, ad adorandum eum. Sacer eſt conventus uterque, placens Deo, Angelis familiaris. State ergo in reverentia, Fratres, ſtate in ſollicitudine & devotione mentis: maximeque in loco orationis, & in hac ſchola Chriſti, & auditorio ſpirituali. Nolite conſiderare, dilectiſſimi, quæ videntur & temporalia ſunt, ſed magis quæ non videntur, æterna: ſecundum fidem, non ſecundum faciem judicate. Terribiliter ſiquidem metuendus eſt locus uterque: nec major adeſſe credendus eſt numerus hominum, quàm Angelorum. Patet utrobique ſine dubio porta cæli, ſcala illa erecta eſt, aſcendunt & deſcendunt Angeli ſuper filium hominis. Gigas nempe eſt iſte filius hominis: cælum ei ſedes eſt, terra ſcabellum pedum ejus. Elevata eſt magnificentia ejus ſuper cælos: manet tamen nobiſcum uſque ad ſeculi conſummationem. Aſcendunt & deſcendunt itaque ad Deum Angeli ſancti, quia caput & corpus unus eſt Chriſtus.

Quanta cum reverentia ſacris conventibus intereſſe oporteat.

2. Nec tamen ubi caput, ſed ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, licet non poſſit caput à corpore ſeparari. Denique & ipſe ait: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*. (Matth. 18. 20.) Sed forte quis dicat: Ubi eſt modo Chriſtus? Oſtende nobis Chriſtum, & ſufficit nobis. Quid curioſos circumducitis oculos? Num ad videndum, & non magis ad audiendum conveniſtis? *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait Propheta. (Iſai. 50. 5.) Aurem meam aperuit, ut audiam quid loquatur: non oculum, ut videam vultum ejus, illuminavit. Aut certe ſuam mihi aperuit aurem, non faciem revelavit. Poſt parietem ſtat, audit, & auditur: ſed necdum apparet. Audit orantes, erudit audientes. (2. Cor. 13. 3.) An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Ego, inquit, qui loquor juſtitiam. Quidni loquatur ore, quod ipſe plaſmavit? Quidni ſuo utatur, ut libet, artifex inſtrumento? Non tantum aures eorum, ſed & labia mea aperi, Domine: ego enim labia mea non prohibebo, Domine, tu ſciſti. Bene enim omnia facis, & ſurdos facis audire, & mutos loqui.

3. Audite ergo, Fratres, quid de Johanne loquatur, cujus ſollemnius hodie Nativitas celebratur. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens*. (Johann. 5. 35.) Magnum teſtimonium, Fratres mei: magnus enim eſt cui perhibetur, ſed major eſt ipſe qui perhibet. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens*. Eſt enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum: ardere & lucere perfectum. Audi quid dicat Scriptura: *Sapiens permanet ut ſol, ſtultus autem ut luna mutatur*. (Eccli 27. 12.) Quia enim ſplendet luna ſine fervore; modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum ſiquidem lumen numquam in eodem permanet ſtatu, ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modo magni, modo parvi ſunt, modo nulli, ſecundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero ſolis ſplendor igneus eſt, & cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic ſapientis ardor internus foris lucet: & ſi non ei datur utrumque, curat ſemper ardere magis, ut Pater ſuus qui videt in abſcondito, reddat ei. Væ nobis, Fratres, ſi luxerimus tantum. Nam lucemus quidem, & magnificamur ab hominibus: ſed mihi pro minimo eſt, ut ab humano judicer die. Qui enim judicat me, Domi-

Fervor & ſplendor perfectum efficiunt. *V. ſupra ſerm. 3. de verbis Iſaiæ.*

Qui ex hominum judicio pendent, inſtabiles.

Fervor præferendus ſplendori.

A nus eſt, qui fervorem ab omnibus exigit, ſplendorem vero non ita. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur?* (Luc. 12. 49.) Hoc nempe commune mandatum, hoc eſt quod exigitur ab univerſis, nec ulla, ſi deeſſe contigerit, admittitur excuſatio.

4. Ceterum ſingulariter Apoſtolis & apoſtolicis viris dicitur: *Luceat lux veſtra coram hominibus*, (Matt. 5. 16.) nimirum tamquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet aut impulſione ventorum. Dictum eſt & Johanni, ſed illi in aure audiunt: Johannes in ſpiritu tamquam Angelus eruditur. Nimirum tanto propinquior Deo, quanto vox Verbo vicina, cui nulla voce alia media quod foris ſonet

B oporteat intimari. Neque enim Johannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit, quem replevit Spiritus in utero matris ſuæ. VERE ARDENS, & vehementer accenſus, quem ſic præoccupavit flamma cæleſtis, ut jam Chriſti ſentiret adventum, qui necdum ſentire poterat vel ſeipſum. Nimirum novus ille ignis, qui recens elapſus e cælo, per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, rurſum per os Virginis & matris aurem introivit ad parvulum: ut ab ea hora vas electionis ſuæ Spiritus-ſanctus impleret, & lucernam Chriſto Domino pararet. Fuit ergo jam tunc ardens lucerna, ſed interim adhuc ſub modio, donec ſuper candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant

C in domo Domini. Illo enim in tempore ſolum adhuc potuit illuminare modium ſuum; ſoli interim lucere matri, magnum ei pietatis ſacramentum revelans ipſo motu novæ exſultationis. *Unde mihi hoc*, inquit, *ut veniat Mater Domini mei ad me?* (Luc. 1. 43.) Quis enim tibi indicavit matrem Domini, mulier ſancta? Unde me noſti? *Ut facta eſt*, inquit, *vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exſultavit in gaudio infans in utero meo*. (Ibidem 44.)

S. Johannis prærogativa. *Johannes vere ardens.*

5. Illuminavit ergo jam tunc modium, ſub quo latebat: ſed quem non latebat ardens lucerna ſub modio, totum paulo poſt mundum novis illuſtratura fulgoribus. *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens, & lucens*. (Johan. 5. 35.) Non ait, lucens, & ardens: quia Johannis ex fervore ſplendor,

D non fervor prodiit ex ſplendore. SUNT enim qui non eo lucent, quia fervent: ſed magis fervent ut luceant: at iſti plane non fervent caritatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis. Vultis noſſe quemadmodum arſit Johannes, & luxit? Ego utrumque in eo triplicem poſſe arbitror inveniri, & ardorem ſcilicet, & ſplendorem. Ardens enim erat in ſeipſo vehementi auſteritate converſationis: erga Chriſtum intimo quodam & pleno fervore devotionis: erga peccantes proximos conſtantia liberæ increpationis. Luxit nihilo minus (ut paucis dixerim) exemplo, digito, verbo, & ſeipſum oſtendens ad imitationem, & luminare majus quod latebat, ad peccatorum remiſſionem, & ipſas quoque

E tenebras noſtras illuminans, ſicut ſcriptum eſt: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus illumina tenebras meas*, (Pſal. 17. 29.) utique ad correctionem.

Fervor & ſplendor in Johanne triplex.

6. Conſidera igitur hominem angelico promiſſum oraculo, conceptum miraculo, ſanctificatum in utero, & novum in novo homine pœnitentiæ mitare[a] fervorem. *Victum & veſtitum*, ait Apoſtolus, *habentes, his contenti ſimus*. (1. Tim. 6. 8.) Apoſtolica perfectio iſta eſt; ſed Johannes etiam hæc contempſit. Denique audi Dominum in Evangelio: *Venit*, inquit, *Johannes Baptiſta non manducans, nec bibens*, (Matt. 11. 18.) plane nec veſtiens. Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi aliquorum forte irrationabilium animalium: ſic nec pilus cameli huma-

F num eſt indumentum. Quid tu pilos tuos, camele, depoſuiſti? (Luc. 7. 25.) Utinam gibbum magis depoſuiſſes. Quid vos irrationabiles feræ & reptilia deſerti, cibos exquiritis delicatos? Johannes, ſanctus homo, miſſus à Deo, immo Angelus Dei, ſicut ait Pater: *Ecce mitto Angelum meum ante te*: hic ergo Johannes, quo nullus major in natis mulierum, innocentiſſimum illud corpus ſic caſtigat, ſic extenuat, ſic affligit: vos indui feſtinatis byſſo & purpura, & ſplendide epulari? Heu! hic eſt præſentis totus honor diei, hæc Baptiſtæ reverentia tota; hæc nativitatis ejus prophetata quondam læ-

[a] al. imitari.

Religioſos delicatos arguit.

Abuſus in celebrando Natali ſancti Johannis.

titia eſt? Cujus enim memoriam agitis, ô nimis de- A licati cultores? cujus celebratis natalem? Nonne illius qui in eremo fuit hirſutus veſte, confectus inedia? Quid exiſtis in deſertum videre, filii Babylonis? arundinem vento agitatam? Quid igitur? hominem mollibus veſtitum? nutritum mollibus? In his nempe tota verſatur hæc veſtra celebritas: in popularis favoris aura ſectanda, in gloria veſtium, & voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Johannem? Neque enim Johannes fecit ſic, aut talibus unquam potuit delectari.

Luc. 1. 14.

Gaudium in feſto S. Johannis.

7. *Multi*, inquit Angelus, *in nativitate ejus gaudebunt*. Verum id quidem; multi in nativitate ejus gaudent: & paganis ipſis (ut audivimus) læta eſt & B ſollemnis. Illi celebrant quod ignorant, ſed non ita debuerant Chriſtiani. Nunc vero & ipſi in hac beati Johannis Baptiſtæ Nativitate gaudent; ſed utinam de nativitate, non de vanitate. Quid eſt enim niſi vanitas vanitatum quicquid ſub ſole eſt? aut quid amplius habet homo de univerſo labore ſuo, quo ſub ſole laborat? Fratres, ſub ſole eſt quidquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci ſubjacere videtur. Quid vero illud, niſi vapor ad modicum parens? Quid

Jacob. 4. 15. Iſai. 40. 6.

illud, niſi fœnum, & flos fœni? *Omnis caro fœnum*, ait Dominus, *& omnis gloria ejus quaſi flos fœni. Fœnum aruit, & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum*. In hoc verbo laboremus, Fratres; in quo C & vivere, & gaudere poſſimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Quis ille?

Matt. 4. 4. Luc. 4. 4. & Deut. 8. 3.

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Seminemus in hoc verbo, cariſſimi, ſeminemus in ſpiritu: quoniam qui in carne ſeminant, ſolam habent metere corruptionem. Gaudeamus intus, & non ſub ſole, ſed, juxta

2. Cor. 6. 10.

Apoſtolum, *tanquam triſtes*, propter humilitatem & gravitatem: *ſemper autem gaudentes*, propter internam conſolationem. Gaudeamus, dilectiſſimi, in Nativitate beati Johannis, & gaudeamus de ipſa nativitate.

Gaudii materia duplex.

8. Copioſa ſiquidem nobis in ejus recordatione læ- D titiæ cauſa, multiplex eſt materia gaudiorum. Ille erat lucerna ardens & lucens, & Judæi voluerunt exſultare in luce ejus: ipſe vero potius gaudebat in fervore devotionis, gaudebat ad vocem ſponſi tamquam amicus ſponſi. Nobis in utroque gaudendum eſt: in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim ſibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in fervore ejus ad imitationem: gaudeamus & in lumine, non tamen ibi manentes, ſed ut in lumine ejus videamus lumen, lumen utique verum, quod non eſt ipſe, ſed cui teſtimonium perhibet ipſe.

Matt. 11. 18.

Venit Johannes, ait Dominus, *nec manducans, nec bibens*. Incentivum fervoris id mihi eſt, & materia humili- E tatis. Quis enim in nobis eſt, Fratres, qui Johannis pœnitentiam intuens, ſuam, non dico magnificare, ſed alicujus ſaltem momenti reputare præſumat? Quis

Johannis pœnitentia nos ad eamdem excitare debet.

audeat murmurare in laboribus ſuis, & dicere: Satis eſt quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ ſacrilegia, aut quæ flagitia ſic puniebat Johannes in ſeipſo? Accendamur ad pœnitentiam, Fratres, interrogemus conſcientias noſtras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum poſſimus evadere judicium Dei viventis. Quicquid vero minus eſt fervoris, humilitas ſuppleat puræ confeſſionis. Fidelis enim Deus, & ſi confiteamur iniquitates noſtras, ſi miſerias noſtras exponamus, ſi non ex- F cuſemus infirmitates noſtras; dimittet nobis peccata noſtra.

9. Ex hoc ſane & erga proximorum delicta fervorem intuere Johannis. Hic nempe dignus eſt & rationi conſentaneus ordo, ut incipiendum tibi memineris à te ipſo.

Pſal. 18. 13.

Ab occultis, inquit, *meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Genimina viperarum*, ait Johannes,

Luc. 3. 7.

quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? De quanto mentis fervore procedere putas ſcintillas iſtas, immo carbones deſolatorios? Sic neque Phariſæis parcens, *Nolite*, inquit, *dicere quia patrem habemus*

Ibidem.

Abraham: potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Sed minus hoc videatur, ſi vel ipſum veretur potentis vultum, & non tota libertate ſpiritus arguit peccantem regem, crudelem atque ſuperbum; ſacra quadam vehementia ad hoc ipſum prodiens de deſerto, ſi vel blanditiis ejus, vel ipſo mortis terrore movetur.

S. Johannis zelus in corripiendis impiis.

Marc. 6. 20.

Metuebat, inquit, *Herodes Johannem, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*. Ac ille nihil ob hoc parcens, *Non licet*, ait, *tibi habere eam*. Ligatus quoque, & in carcerem truſus, nihilo minus fortiter ſtetit in veritate, & occubuit pro veritate feliciter. Ferveat etiam in nobis zelus iſte, cariſſimi: ferveat amor juſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo, Fratres, vitia palpet, peccata diſſimulet nemo. Nemo dicat: Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Nemo, quod in ſe eſt, æquanimiter ferat, cum viderit Ordinem deperire, minui diſciplinam. Eſt enim conſentire, ſilere, cum arguere poſſis: & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat & conſentientes.

Religioſis incumbit zelus diſciplinæ.

10. Jam vero ſuper humili & omnino ferventiſſima devotione Johannis erga Dominum quid loquemur? Inde enim exſultavit in utero; inde expavit in Jordane baptizaturus eum; inde non modo Chriſtum, qui putabatur, ſed vel ipſam corrigiam calceamenti ejus ſolvere dignum ſe eſſe negabat; inde gaudebat amicus ſponſi ad vocem ſponſi; inde gratiam ſe accepiſſe pro gratia fatebatur: illum autem non ad menſuram habere Spiritum, ſed plenitudinem de qua omnes acciperent, clamitabat.

Luc. 1. 44. Matt. 3. 14. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Johan. 3. 34.

Ibidem.

Pſal. 61. 2.

Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Alioquin non ero lucerna ardens, niſi toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim eſt caritas quæ accendit ad ſalutem; ſola quam infundit & inflammat Spiritus, quem exſtinguere prohibemur. Habes quemadmodum Johannes arſerit: & in hoc ipſo quemadmodum luxerit, indicatum eſt, ſi advertiſti. Neque enim ardorem ejus noſſe poteras, niſi luxiſſet.

1. Theſſ. 5. 19.

11. Luxit ergo, ut ſupra memini, exemplo, digito, verbo: opere ſeipſum, Chriſtum indice, noſmetipſos nobis ſermone declarans.

Luc. 1. 76.

Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, ait pater, *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Ad dandam*, inquit, non ſalutem, (neque enim ille lux,) ſed *ſcientiam ſalutis*, ut teſtimonium perhiberet de lumine; *Scientiam*, inquit, *ſalutis, in remiſſionem peccatorum*. Num ſalutis ſcientiam ſapiens parvi pendere poteſt? Ponamus tamen necdum veniſſe Johannem, necdum ſignificaſſe nobis de Chriſto. Ubi ſalutem quæremus? Peccavi peccatum grande, quod ſanguine vitulorum vel hircorum deleri non poteſt, quia non holocauſtis delectatur Altiſſimus. Memoria mea infecta eſt fæce hujus amurcæ: non eſt novacula quæ membranam hanc radere poſſit, quia tota totam imbibit fæcem. Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus: ſi in memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Johannem, & audiam vocem lætitiæ, miſericordiæ vocem, ſermonem gratiæ, verbum remiſſionis & pacis.

Chriſtus ſalutis noſtræ auctor.

Johan. 1. 29. Johan. 3. 29.

Ecce, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et alibi: *Qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt*. Oſtendit igitur quia venit Deus, quia Sponſus, quia Agnus. Quia Deus, certum eſt quod peccata remittere poſſit: ſed utrum velit, adhuc in quæſtione eſt. Vult profecto, quia Sponſus eſt, quia amabilis eſt. Et Johannes amicus ſponſi eſt, quia ſponſus niſi amicos habere non novit. Et licet velit glorioſam ſponſam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi: non tamen quærit talem, (ubi enim illam inveniret?) ſed talem potius ipſe facit, talem ſibi exhibet ipſe. Audi denique quid dicat per Prophetam.

Chriſtus venit ut Deus, ut ſponſus, ut agnus.

Jer. 3. 1.

Vulgo dicitur: Numquid mulier, ſi dormierit cum altero viro, revertetur ad virum ſuum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Revertere tamen

Tom. III. *men ad me, & ego ſuſcipiam te.* Ecce quod poſſit, ecce quod velit.

11. Sed tu fortaſſis timeas eam quam facere venit delictorum purgationem, ne uſtione & ſciſſione oſſa & medullas oſſium collidat, ne dolorem inferat morte graviorem. Audi: Agnus eſt, in manſuetudine venit cum lana & lacte, ſolo verbo juſtificans impium. Quid enim eſt, juxta Comicum *, facilius dictu? Tantum, inquit, dic verbo, & ſanabitur puer meus. Ut quid ergo deinceps hæſitemus, Fratres, & non omni fiducia ad thronum gloriæ accedamus *? Agamus Johanni gratias, & eo mediante tranſeamus ad Chriſtum, quia, ut ait ipſe, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quomodo minui? Splendore utique, non fervore. Retraxit radios, collegit ſe *, ne fieret ſicut is qui totum profert ſpiritum ſuum. *Illum*, inquit *oportet creſcere*, qui exhauriri non poteſt, de cujus plenitudine omnes accipiunt: me autem minui, cui datus eſt ſpiritus ad menſuram, & danda magis opera ut ardere ſemper valeam, quàm lucere. Præceſſi ſolem, tamquam ſidus matutinum: abſcondi neceſſe eſt, orto jam ſole. Non eſt mihi niſi modicum olei quo ungar: volo illud in vaſe tutius, quàm in lampade poſſidere.

* Terent.
Matt. 8. 8.
* al. aſcendamus.
Johan. 3. 30.
* al. recollegit

IN VIGILIA SS. PETRI ET PAULI Apoſtolorum,

xxviii. Jun.

SERMO.

De triplici auxilio, quod à Sanctis accipimus.

Feſtorum vigiliæ quomodo celebrandæ.

1. IN Sanctorum Vigiliis neceſſe eſt vigilare hominem ſpiritualem, qui ſollemnitates eorum celebrare deſiderat in ſpiritu & veritate. Aliæ enim carnaſium, aliæ ſpiritualium vigiliæ. Illi & nitidiores cultus, & epulas præparant lautiores; & fortaſſis in ipſis vigiliis operantur opera tenebrarum, lætantur cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis. Vos non ita didiciſtis Chriſtum, qui Chriſtum ſecuti eſtis, qui omnia reliquiſtis, qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigiliæ proponuntur, ut evigilemus, ſi in aliquo peccato vel negligentia dormitamus, & præoccupemus faciem Sanctorum in confeſſione. Non ſic filii hujus ſæculi, non ſic, qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem; qui obdormierunt in flagitiis & facinoribus ſuis. Illud vos non lateat, quia qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt; & qui dormiunt, nocte dormiunt: & fruſtra ſonat eis nomen Vigiliarum ſanctarum, cum ipſi magis dormire ſtudeant, quàm vigilare. Vos autem non eſtis filii noctis, neque tenebrarum, ſed lucis & diei, ut non vos præoccupent natalitii Sanctorum dies, & inveniant imparatos.

1 Theſ. 5. 7.

Tria in Feſtivitatibus SS. præcipue conſiderandа.

2. Tria ſunt igitur quæ in feſtivitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus: auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram. Auxilium ejus, quia qui potens in terra fuit, potentior eſt in cælis ante faciem Domini Dei ſui. Si enim dum hic viveret, miſertus eſt peccatoribus, & oravit pro eis: nunc tanto amplius, quanto verius, agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria caritatem ejus non immutavit, ſed augmentavit. Neque enim quia impaſſibilis omnino, ideo & incompaſſibilis factus eſt: ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ aſſiſtit *. Eſt & alia cauſa, quæ magis urget Sanctos ut ſolliciti ſint de nobis, quia, juxta vocem Apoſtoli, Deus providet pro nobis, ne ſine nobis conſummentur, ſicut ait ſanctus David: *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.* Debemus etiam attendere exemplum ejus, quia quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit: *Ego ſum via, veritas & vita.* Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus, & tunc videbitis, quomodo tam verbo, quàm exemplo luxerit inter homines: qualia nobis veſtigia dereliquerit, ut ambulemus per ea, & non erremus in eis. Vere, juxta Prophetam, *Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum.*

1 Auxilium & oratio.
* al. exiſtit
Pſal. 141. 8.
2. Exemplum
Johan. 14. 6
Iſai. 26. 7.

3 Confuſio noſtra ex collatione eorum.

3. Sed & diligentiori intuitu confuſionem noſtram inſpiciamus: quia homo ille ſimilis nobis fuit paſſibilis, ex eodem luto formatus ex quo & nos. Quid ergo eſt, quod non ſolum difficile, ſed & impoſſibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, ut ſequamur veſtigia ejus? Confundamur, Fratres, & contremiſcamus ad vocem iſtam, ſi forte hæc confuſio adducat nobis gloriam, ſi forte generet gratiam nobis timor iſte. Homines iſti fuerunt qui præceſſerunt nos, qui tam mirabiliter proceſſerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuiſſe credamus. Sic ergo in Sanctorum feſtivitatibus & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmiſimus; confundi, quia eos imitari non poſſumus. Ita ſemper gaudium noſtrum in hac valle lacrymarum, lacrymarum pane condiri debet, ut ſemper non ſolum extrema, ſed & prima gaudii luctus occupet: quia etſi magna eſt gaudiorum materia, ſed maxima eſt dolorum. *Memor fui Dei*, clamat juſtus, *& delectatus ſum*: ſed & ſtatim ſubjungit: *Defecit ſpiritus meus, turbatus ſum, & non ſum locutus.*

Pſal. 76 4.

4. Quod ſi hæc in Vigiliis uniuſcujuſque Sancti cogitare debemus, quid faciemus in ſollemnitate ſanctorum & ſummorum Apoſtolorum? Petrum & Paulum loquor. Sufficeret unius feſtivitas ad infundendam exultationem univerſæ terræ: ſed amborum juncta eſt ad cumulum gaudiorum, ut quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita in morte non ſint ſeparati. Quid illis potentius dum fuerunt in terris; quorum alteri traduntur claves regni cælorum, alteri magiſterium gentium: alter Ananiam & Sapphiram occidit in verbis oris ſui, alter donat quicquid donat in perſona Chriſti: & cum infirmatur, tunc fortior eſt & potens? Quàm potentiores ſunt in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris! Et qui nobis reliquerunt majora exempla, quàm illi qui in fame & ſiti, in frigore & nuditate, & in omnibus illis, quæ Paulus enumerat, jugiter ſunt afflicti, & demum felici martyrio regna cæleſtia conſcenderunt? Vere nobis rubor confuſionis ſunt, quos vix audeamus reſpicere, ne dicam imitari. Oremus ergo eos, ut ipſi propitium nobis reddant amicum ſuum, judicem noſtrum, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, amen.

SS. Petri & Pauli dotes.
2. Cor. 11. 27.
Hebr. 11. 36.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI & Pauli,

xxix. Jun.

SERMO PRIMUS.

De triplici cuſtodia, quam Apoſtoli habent ſuper nos; & de tribus gradibus converſationis noſtræ.

Petrus & Paulus duo luminaria, magiſtri & mediatores.

1. GLorioſa nobis ſollemnitas illuxit, quam præclari Martyres, Martyrum duces, Apoſtolorum principes morte clariſſima conſecrarunt. Iſti ſunt Petrus & Paulus, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Eccleſiæ ſuæ conſtituit quaſi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi ſunt in magiſtros & in mediatores, quibus ſecure me committere poſſim: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum Mediatorem aſcendere potero, qui venit pacificare per ſanguinem ſuum & quæ in cælis, & quæ in terris ſunt. Ille enim in utraque natura puriſſimus eſt, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Quomodo ergo ad illum accedere audebo, qui ſum ſupra modum peccans peccator, qui peccavi ſupra numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior eſſe non poſſim? Verendum ne incidam in manus Dei viventis, ſi illi appropinquare vel inhærere præſumpſero, quem à me tanta differentia dividit, quantum diſtat inter bonum, & malum. Propterea dedit mihi Deus homines iſtos, qui & homines eſſent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in ſeipſis & de ſeipſis diſcerent, qualiter

alis

Utrumque ex peccatore. — *Act. 9. 15.* — *Tom. III.*

aliis miſereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facile donabunt veniam, & in qua menſura menſum eſt eis, remetientur nobis. Peccavit peccatum grande Petrus apoſtolus; & fortaſſis quo grandius nullum eſt: & tam velociſſime, quàm faciliſſime veniam conſecutus eſt, & ſic, ut nihil de ſingularitate ſui primatos amitteret. Sed & Paulus qui in ipſa viſcera naſcentis Eccleſiæ tam ſingulariter, quàm incomparabiliter graſſatus eſt, per ipſius Filii Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus eſt, ut Vas electionis fieret ad portandum nomen ejus coram gentibus, & regibus, & filus Iſraël: vas dignum, & cæleſtibus ferculis repletum: de quo & ſanus eſcam, & infirmus accipiat medicinam.

Paſtorum tres dotes in eis.

2. Tales decebat humano generi paſtores & doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & nihilo minus ſapientes. Dulces, ut me blande & miſericorditer ſuſciperent; potentes, ut fortiter protegerent; ſapientes, ut ad viam, & per viam ducerent quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad ſe omnes convocat peccatores, ſicut & Actus apoſtolici, & Epiſtolarum ejus ſeries atteſtatur? Quid illo potentius, cui & terra obedivit, cum mortuos reddidit, & mare ſub pedibus ejus ſe calcabile præbuit; qui Simonem Magum ſpiritu oris ſui in aere attigit, qui claves regni cælorum tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam cæli? Denique *quodcumque ligaveris*, inquit, *ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quid autem illo ſapientius, cui non caro & ſanguis, ſed [a] Pater qui in cælis eſt, ſapientiam illam, quæ de cælis eſt, multa largitate revelavit? Libentiſſime Paulum ſequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam: qui fortior eſt omni principatu & poteſtate: qui ſapientiam & medullam ſacrorum ſenſuum non à primo vel ſecundo, ſed à tertio cælo largiter aſportavit.

Act. 9. 34. — Matt. 14. 29. — Act. 8. 20. — Matt. 16. 19. — 2. Cor. 12. 8. — Rom. 5. 20. — 2. Cor. 12. 4.

Apoſtoli quid nos doceant.

3. Hi ſunt magiſtri noſtri, qui à Magiſtro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos uſque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docent nos Apoſtoli ſancti? Non piſcatoriam artem, non ſcenofactoriam, vel quicquid hujuſmodi eſt: non Platonem legere, non Ariſtotelis verſutias inverſare, non ſemper diſcere, & numquam ad veritatis ſcientiam pervenire. DOCUERUNT ME VIVERE. Putas, parva res eſt ſcire vivere? Magnum aliquid, immo maximum eſt. Non vivit qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur, qui ceteris inficitur peſtibus: quoniam non eſt hoc vivere, ſed vitam confundere, & appropinquare uſque ad portas mortis. BONAM autem VITAM ego puto, & mala pati, & bona facere, & ſic perſeverare uſque ad mortem. Dicitur vulgo, quia qui bene ſe paſcit, bene vivit. Sed mentita eſt iniquitas ſibi: quia non bene vivit, niſi qui bonum facit.

Scientia bene vivendi, potiſſima. — Bona vita in quo

In congregatione vivendum ordinabiliter, ſociabiliter & humiliter.

4. Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, ſi vivis ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter: ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in omni converſatione tua ſollicitus ſis obſervare vias tuas, & in conſpectu Domini, & in conſpectu proximi: cavens & tibi à peccato, & illi à ſcandalo. Sociabiliter, ut ſtudeas amari, & amare; blandum te & affabilem exhibere: ſupportare non ſolum patienter, ſed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quàm corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, ſpiritum vanitatis ſtudeas exſufflare, qui ex hujuſmodi naſci ſolet; & quantumcumque illum ſenſeris, negare omnino conſenſum. Sic & in patiendo malum, quoniam triplex eſt, triplicem providentiam adhibere te oportet. Eſt enim quod a te pateris, quod à proximo, quod à Deo. Primum eſt auſteritas pœnitentiæ: ſecundum vexatio alienæ malitiæ: tertium flagellum correctionis divinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntarie ſacrificare: quod à proximo, patienter ferre: quod à Deo, ſine murmure & cum gratiarum actione ſuſtinere. Non ſic multi filiorum Adam, qui erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo. Erraverunt plane, & errant à via veritatis, qui in ſolitudinem ſuperbiæ recedentes, ſocialem vitam habere non volunt, quorum ſingularitas aſſociari non poteſt. Sed & in inaquoſo: quia nullo imbre lacrymarum compuncti, in terra ſterili & arenti perpetua ſiccitate morantur. Propterea viam civitatis habitaculi non invenerunt: quia inveterati in terra aliena, coinquinati ſunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno ſunt.

Patiens triplici providentia eget. — Pſal. 106. 4.

Thren. 3. 27. — Boni ſolitarii conditiones.

5. Non erat ita ſolitarius ille, de quo ſanctus Jeremias ait: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe.* Illi erraverunt, ſed iſte ſedebit. Semper enim illi errant corde: iſte autem non ſedet, ſed ſedebit ſolitarius, cum habuerit honorem ſingularitatis, illius videlicet judiciariæ poteſtatis inſigne, quod ſancti in terra ſua poſſidebunt, cum lætitia ſempiterna erit eis [b]. Tacebit etiam, id eſt cum tranquillitate judicabit, ſicut Dominus Sabaoth cum tranquillitate judicat omnia. Quare? *Quia levavit ſe ſuper ſe*, id eſt, cum adoleſcens eſſet, & ætatis lubricæ ſentiret ardores, ſenem induit, relinquens quod erat, aſſumens quod non erat. *Levavit*, inquit, *ſe ſuper ſe*: quia non reſpicit ad ſe, ſed ad illum qui eſt ſuper ſe. Sedebit enim, & tacebit etiam modo à ſtrepitu diabolicarum ſuggeſtionum, à ſtrepitu carnalium deſideriorum, à ſtrepitu mundi. Felix anima, quæ linguas iſtas non exaudit, audiat licet: illa multum felicior (ſi tamen aliqua eſt) cui penitus non loquuntur. Hæc eſt ſapientia, quam Apoſtolus loquitur inter perfectos, abſcondita in myſterio, quam nemo principum ſæculi hujus cognovit. Sic me Apoſtoli & vivere & conſcendere * docuerunt. Gratias tibi ago, Domine Jeſu, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis iſtis qui te ſecuti ſunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum.

*1. Cor. 2. 8. — * al. credere.*

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI & Pauli,

SERMO SECUNDUS.

** al. moræ. Verbum Dei quanti faciendum.*

1. SAncti iſti, quorum ſollemnis hodie paſſio celebratur, multam nobis de ſe loquendi cauſam, multam quoque materiam præbuere. Verum ego unum timeo, ne toties audita verba ſalutis vileſcere nobis incipiant tamquam verba. Vilis ſiquidem & volatilis res verbum hominis, nullius molis *, nullius ponderis, nullius pretii, nullius ſoliditatis. Aerem verberat, unde & verbum dicitur: & ſicut folium quod vento rapitur, effluit, & non eſt qui conſideret. Nemo veſtrum, Fratres, ſic accipiat: immo nemo ſic deſpiciat verbum Dei. Dico enim vobis: Bonum illi fuiſſet, ſi non audiſſet homo ille. FRUCTUS VITÆ ſunt verba Dei, non folia; & ſi folia, ſed aurea ſunt. Proinde non parvipendantur, non pertranſeant, non prætervolent. Ipſa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim, quæ ſæpius ſupervenientem ſuſceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba eſt, proxima maledicto. Sic & ea quæ in Evangelio ſterilis ficulnea legitur, ſi poſtea quam foderit circa eam vineæ cultor, atque miſerit ſtercora, nihilo minus ſterilis inventa fuerit: nonne jam ſecuris ad radicem illius arboris eſt ponenda?

Hebr. 6. 7. — Luc. 13. 6. — Matt. 21. 19.

Religioſos infructuoſos Deus gravius fert quàm ſæculares.

2. Et ego dico vobis, ſi minus boni in ſæcularibus invenerit, majorem in eis Dominus habiturus eſt patientiam, quàm in nobis, quibus cæleſtium conſolationum pluviam voluntariam ſegregavit: quibus non ſarculus diſciplinæ, non paupertatis & vilitatis

a Alii editi ſic legunt, *cui non caro & ſanguis revelavit*, ceteris omiſſis.

b Sequens periodus deeſt in aliis editis & quibuſdam mſſ.

Tom. III.

ſtercora defuerunt. An non ſtercora ſunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo noſtro? Stercora plane vilia ad aſpectum, ſed ad fructum utilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcunditatem deſiderat: ſiquidem ex deformi ſtercorum acervo, qui portatur in agrum, formoſos ſurget acervus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vileſcat vobis VILITAS PRETIOSA: ſed pretioſius cunctis theſauris Ægypti, Chriſti improperium æſtimate. Verumtamen terrenum habeoribus ſterquilinium, ipſa quoque cæleſtis non deeſt pluvia: quæ eſt orationum devotio, jucunda ruminatio pſalmodiæ, dulcis meditatio, conſolatio ſcripturarum. Denique & hæc ipſa pluvia eſt, quam accipitis per os meum, ſi quando de flumine, cujus impetus lætificat Dei civitatem, & torrente voluptatis illius aliqua ſuper vos, dum de eis loquimur, ſtillicidia ſtillare contigerit.

Agricultura ſpiritualis elegans tropologia.

Paſtores ſunt quaſi cuſtodes & cultores vineæ.

3. Sed neceſſe habeo interdum circumfodere, quandoquidem poſuerunt me cuſtodem & cultorem in vineis. Heu! qui meam non colui, nec cuſtodivi, neceſſe habeo tamen, dum hunc occupo locum, & circumfodere nonnumquam, & apponere ſtercora. Moleſtum id quidem, ſed diſſimulare non audeo: ſciens multo amplius ſecurim nocituram, quam ſarculum; ignem, quàm fimum. Itaque & arguere, & increpare interdum neceſſe eſt: nec ignoro fimum eſſe verbum increpatorium [a], verbum improperii, & quod ſi non excuſet neceſſitas, ipſum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo etſi aliquos impinguari, ſed alios plane & lapidari, & indurari videmus? Hinc namque ſcriptum eſt: *De ſtercore boum lapidabitur piger.* Annon impinguatur, qui increpatus benigne accipit, manſuete reſpondet, libenter emendare conatur? Hæc plane ſalubris & fœcunda impinguatio eſt, ut corripiat me juſtus in miſericordia, & increpet; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea ſiquidem pinguedine, quam generat oleum peccatoris, abundantius pullulant ſpinæ & tribuli, & omnis radix amaritudinis germinat copioſius. Itaque qui juſtorum increpationem miſericordiam nominat, ſatis indicat, quemadmodum ſuſcipienda ſit, quàm benigno animo, quàm devota mente: quantaque ei gratia ſit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio ſalubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris, ſed fructus illius, quem ſecundum Apoſtolum habemus in ſanctificatione. Quid autem facimus tibi, ô piger, qui ad hanc miſericordiam irritaris magis, & exaſperaris? Nonne bonum fimum ſparſi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu, inimice homo, (quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*) tu, inquam, inimice homo, hoc feciſti: qui deſidiam tuam non excutere, ſed excuſare pergens, fimum tibi perverſis in lapides, & unde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta ſunt, Fratres, ut noveritis, quàm benigne audiendum ſit, quàm devote ſuſcipiendum, quàm ſollicite conſervandum quicquid ad animarum ſalutem pertinet, & non ſicut verbum hominum, ſed ſicut (quod vere eſt) verbum Dei, ſive illud conſolatorium, ſive commonitorium, ſive etiam increpatorium audiatur*. Exceſſi, fateor, ipſios propemodum feſtivitatis oblitus, ſed (ut arbitror) non ad inſipientiam vobis, ſi firmiter inhæſerint animo quæ audiſtis.

Eccli. 22. 2.

Increpatio benigne ſuſcipienda.

Rom. 6. 22.

Pſal. 10. 6.

** al. videatur*

4. Et nunc jam de ſollemnitate ipſa vel breviter aliquid loqui tentemus. Apoſtolorum Chriſti feſtus agitur dies, quibus ſane plurimum à nobis honorem deberi ſcio: ſed utrum poſſit aliquis exhiberi, hæſito ſatis. *Nimis enim honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Quid enim? ſi in terra adhuc poſiti omnia poterant, non quidem in ſe, ſed in Chriſto: quid non poterunt hodie viventes in æterna felicitate cum ipſo? Mortales adhuc & morituri imperium vitæ & mortis videbantur habere, ſolo nimirum verbo mortificantes vivos, & mortuos ſuſcitantes: quanto magis nunc, cum honorati ſunt nimis, nimis confortatus eſt principatus eorum? Sed quid eſt, Fratres? Cum Apoſtolorum beata hodie memoria celebretur, numquid nativitatis ſeu converſionis eorum, aut certe vitæ vel miraculorum ſollemnis agitur commemoratio? Non eſt, Fratres, nativitatis humanæ ſollemnitas iſta, ſicut paulo ante beati Johannis diem natalitium celebraſtis. Ille enim naſcens honoratur, quia naſcitur ſanctificatus. Denique in Johanne ſolo celebrior eſt paſſione Nativitas: quia etſi paſſus pro Chriſto eſt, cum pro juſtitia & veritate occubuit; evidentius tamen natus pro eo eſt, nimirum homo miſſus à Deo, qui in hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, ut perhiberet teſtimonium veritati. Sed neque converſionem Apoſtolorum, aut eorum miracula hodie recenſemus, ſicut certis diebus aliis, alterius quidem Converſio, alterius de carcere Liberatio facta per Angelum feſtivis Eccleſiæ gaudiis ad memoriam revocatur. Mortem ſpecialius veneramur, qua nihil inter homines humano judicio plus horretur.

Pſal. 138. 17.

Apoſtolorum hodie mors celebratur.

S. Johannis Baptiſtæ Nativitas celebrior morte.

Johan. 1. 7.

Sanctorum mortem cur celebret Eccleſia.

5. Conſiderate, Fratres, Eccleſiæ ſanctæ judicium, ſecundum fidem, non ſecundum faciem judicantis. Mortem ſiquidem Apoſtolorum in eorum recolit ſollemnitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus eſt, hodie decollatus eſt Paulus. Hæc hodiernæ cauſa feſtivitatis, hæc præſentium materia gaudiorum. In his igitur feſtum agens diem & lætum, ſine dubio ſpiritum ſponſi habet Eccleſia, ſpiritum Domini: in cujus conſpectu (ſicut habes in pſalmo) *pretioſa eſt mors ſanctorum.* Quantos enim, dum paterentur Apoſtoli, credimus aſtitiſſe, qui nequaquam pretioſis mortibus illorum inviderent? Viſi ſunt enim oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus eorum, & ſic quidem viſi ſunt oculis inſipientium mori: *Mihi autem*, ait Propheta, *nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Fratres, amici Dei mori videntur oculis inſipientium; ſed in oculis ſapientium judicantur potius obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia amicus erat: &, cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.

Pſal. 115. 15.

Mors SS. pretioſa.

Pſal. 138. 17.

Johan. 11. 11.

Pſal. 126. 2.

Sanctorum vita deſideranda, ſed mors vel maxime.

6. Studeamus, Fratres, vivere vita juſtorum, ſed morte eorum mori multo magis deſideremus. Sapientia enim juſtorum noviſſima præfert, ibi nos judicans, ubi nos invenerit. Omnino neceſſe eſt vitæ præſentis finem futuræ cohærere principio, nec ibi tolerabilis diſſimilitudo eſt. Sicut enim ſi quis duo ſibi (ut ita dixerim) cinctoria conſuere, aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipſa quæ ſibi copulanda ſunt capita, uniformiter parat, ne diſſideant à ſeipſis: ita dico vobis, quantumlibet exſtiterit converſatio ſpiritualis, ſi carnalis fuerit conſummatio noſtra, vitæ illi ſpirituali penitus non cohæret, nec caro & ſanguis regnum Dei poterunt poſſidere. *Fili*, ait Sapiens, *memorare noviſſima tua, & non peccabis.* Nimirum quod hæc maxime recordatio faciat timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat.

Eccli. 7. 40.

Deut. 32. 29.

Spiritualis vitæ ſeu exercitii ſumma.

7. Hinc & Moyſes de quibuſdam: *Utinam*, ait, *ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* In quibus utique verbis tria quædam nobis video commendari, ſapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror ſane tribus eas aſſignari poſſe temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præſentia moderantibus per ſapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, noviſſima providentibus ad cautelam. Hæc nempe ſpiritualis eſt exercitii ſumma, hæc forma ſtudii ſpiritualis: ut ſapienter diſponamus præſentia noſtra, recogitemus in amaritudine animæ noſtræ præterita; futura quoque

a Codices nonnulli addunt, *verbum amarum*, quod in aliis editis & ſcriptis deeſt.

Tit. 2. 12.

ſollicite provideamus. *Sobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo*, ait Apoſtolus: ut videlicet in præſenti ſobrietas obſervetur; ut juſta ſatisfactione præterita, quæ nobis ſine fructu ſalutis præteriêre, tempora redimantur; ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus.

Noviſſima quomodo providenda.

Sola eſt enim quæ ad omnia valet pietas, cultus ſcilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis eſt providere noviſſima, niſi ut univerſa, quæ nobis imminere videntur pericula, ſedula nobiſcum cogitatione verſantes, diſcamus de noſtra omnino induſtria, magis autem de noſtris diffidere meritis, & ſoli divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu, & effectu * piæ intentionis in ipſum, cujus datum optimum, & donum perfectum eſt, conſummatio felix, & mors pretioſa.

** & effectu. al. deeſt.*

8. Habes in Evangelio tria hæc ipſa, tibi ſermone Domini commendata: *Beati*, inquit, *pauperes, beati mites, beati qui lugent.* Beati qui futura ſapiunt, præ deſiderio cæleſtium interno quodam ſapore mentis præſentia reſpuentes. Beati qui noviſſima provident, in manſuetudine ſuſcipientes inſitum verbum, quod eorum ſalvare animas poteſt, & pietate cordis ad futuram tendunt hereditatem. Beati qui priſtinum intelligentes errorem, crebris lavant lacrymis lectum ſuum. Vides quid optat vir ſanctus, quid obtinere cupit eis, pro quibus orat? *Utinam*, inquit, *ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Ac ſi manifeſtius dicat: Utinam eſſet in eis ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ, atque conſilii! Utinam hæc in nobis inveniantur, Fratres, ut ſuaviter omnia noſtra per ſapientiam diſponamus, ut intellectu præterita peccata damnemus, ut provideamus futura conſilio! Utinam ſapiamus ad præſentis vitæ moderationem: utinam intelligamus ad præteritæ correctionem: utinam devota in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipſo miſerante, conſummationem! Hic enim est funiculus triplex, quo trahimur ad ſalutem, ordinata converſatio, rectum judicium, fides devota.

Matt. 5. 3. — *Deut. 32. 29.* — *Salutis tria media.*

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI

Sermo tertius.

De lectione libri Sapientiæ, *Hi ſunt viri miſericordiæ.*

1. Merito, Fratres, Apoſtolis ſanctis attribuit mater Eccleſia, quod in Sapientiæ libris legitur: *Hi ſunt viri miſericordiæ, quorum juſtitiæ oblivionem non acceperunt: cum ſemine eorum permanent bona.*

Eccli. 44. 10.

SS. Apoſtoli cur viri miſericordiæ.

Sunt enim hi plane viri miſericordiæ, ſive quia miſericordiam conſecuti, ſive quia miſericordia pleni, ſeu quia miſericorditer à Deo nobis donati ſunt. Et vide, quam miſericordiam conſecuti ſunt. Paulum interroga de ſeipſo, vel magis ſponte confitentem auſculta. *Qui fui blaſphemus, & perſecutor, & iniquus: ſed miſericordiam conſecutus ſum.* Quis enim non audivit, quanta mala fecerit ſanctis in Jeruſalem? nec ſolum in Jeruſalem, ſed & per totam Judæam inſaniæ ferebatur habenis, ut Chriſti membra laniaret in terris.

1. Tim. 1. 13.

Mira in Paulum Dei miſericordia. — *Act. 9. 1.*

Denique hac furia vectus ibat, ſed præventus à gratia eſt. Ibat ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, & diſcipulus Domini factus eſt, cui oſtenderetur, quanta eum oporteret pro nomine ipſius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, & ſubito in electionis vas mutatus eſt, ut jam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium, & diceret: *Domine, quid me vis facere?* Hæc utique, hæc mutatio dexteræ Excelſi. Merito proinde loquebatur: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quoniam Dominus Jeſus venit peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Hoc ergo apud beatum Paulum fiduciæ & conſolationis accipite, Fratres, ut ad Dominum jam converſos non nimis cruciet præteritorum conſcientia delictorum; ſed tantum humiliet vos, ſicut & ipſum. *Ego ſum*, inquit, *minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Ita & nos humiliemur ſub potenti manu Dei, & fiduciam habeamus, quia & nos miſericordiam conſecuti ſumus, abluti ſumus, ſanctificati ſumus. Et hoc quidem omnibus nobis: quoniam omnes peccavimus, & egemus hac gloria Dei.

Ibid. 6. — *1. Tim. 1. 15.* — *1. Cor. 15. 9.* — *Tom. III.*

Ingens Dei in Petrum miſericordia.

2. Verum apud beatum Petrum aliud habeo quod apponam, eo carius, quo rarius; & quo ſingularius, eo ſublimius. Nam peccavit Paulus, ſed ignorans fecit in incredulitate ſua: Petrus cum cecidit, apertos habebat oculos. Porro ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit & gratia. Eorum ſiquidem qui peccant antequam Deum noverint, antequam miſerationes ejus experti ſint, antequam portaverint jugum ſuave & onus leve, priuſquam devotionis gratiam, & conſolationes acceperint Spiritus-ſancti: eorum, inquam, copioſa redemptio eſt. Et tales omnes nos fuimus. At eorum qui poſt converſionem ſuam peccatis & vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & poſt miſſam manum ad aratrum retro reſpiciunt, tepidi & carnales facti, aut poſt agnitam viam veritatis retro eunt apoſtatæ manifeſti: eorum utique perpaucos invenias, qui poſt hæc redeant in gradum priſtinum, ſed magis in ſordibus poſiti ſordeſcant adhuc. Super quos Propheta deplorat: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* &c. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.*

Semel converſi, iterumque perverſi, raro reſipiſcunt. — *Thren. 4. 1.*

Non tamen de eis deſperandum.

3. Nec tamen ſi quis hujuſmodi eſt, deſperamus de eo, tantum ut reſurgere velit cito. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius. Beatus vero qui tenebit, & allidet parvulos Babylonis ad petram: etenim ſi creverint, vix poterunt ſuperari. Filioli, hæc dico ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, qui poteſt quod nos minime poſſumus: tantum qui cecidit, non adjiciat in malum ut profundius cadat, ſed magis ut reſurgat, confidens quod nec ei negabitur venia, ſi tamen ex corde confiteatur peccata ſua. Si enim is, de quo loquimur, Petrus poſt tam gravem lapſum ad tantam rediit eminentiam ſanctitatis; quis de cetero deſperet, ſi tantum egredi voluerit à peccatis? Attende quod ſcriptum eſt: *Egreſſus foras, flevit amare.* In egreſſu confeſſionem oris, in amaro fletu compunctionem cordis intellige. Et attende, quod tunc primum recordatus eſt verbi quod dixerat Jeſus: tunc primum cordi fuit verbum, quo prædicta fuerat ejus infirmitas, cum evanuit præſumpta temeritas. Væ tibi, qui poſt lapſum fortiorem te nobis exhibes. Ut quid tam rigidus es in tuam ipſius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi quod diſtortum eſt, ut poſſis melius ſolidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. *Pluviam voluntariam*, ait Pſalmiſta, *ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt.* Bona infirmitas, quæ ſegregatur hereditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim, tamquam vas figuli in virga ferrea conteret: *& hereditas infirmata eſt*, ait, *tu vero perfeciſti eam.*

Petri pœnitentis exemplum animat peccatores. — *Matt. 26. 75.* — *Contumaces obſtinati poſt lapſum abominabiles.* — *Pſal. 67. 10.*

4. Audiſtis certe quam miſericordiam conſecuti ſint Apoſtoli noſtri, ut jam nemo ex vobis ſuper peccatis præteritis ultra quàm neceſſe ſit confundatur, in cubili conſcientiæ ſuæ compunctus. Quid enim? Forte peccaſti in ſæculo. numquid amplius Paulo? Quod ſi & ipſa in Religione: numquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo ſalutem, ſed & ſanctitatem conſecuti ſunt: etiam & ſalutis miniſterium, & magiſterium adepti ſunt ſanctitatis. Et tu ergo fac ſimiliter, quoniam propter te Scriptura loquitur, viros illos eſſe miſericordiæ: utique propter multam miſericordiam, quam conſequi meruerunt.

Conſolatoria verba ad religioſos.

Apoſtoli erga nos miſericordiæ viri appellandi.

5. Potes tamen in hoc verbo etiam illud non inconvenienter accipere, viros miſericordiæ fuiſſe Apoſtolos, id eſt plenos miſericordia, ſeu viros miſericordiæ, id eſt miſericorditer datos Eccleſiæ univerſæ. Scimus enim quod viri iſti nec ſibi vixêre, nec ſibi mortui ſunt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt; magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum juſtitia, quando ipſa quoque, ſicut

Tom. III.

oſtenſum eſt, tantum profuêre peccata? Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipſa. etenim in converſione continentiam, in prædicatione ſapientiam, in paſſione ſua patientiam nobis beati Apoſtoli contulerunt. Quartum uſque hodie conferre non ceſſant miſericordia pleni, quod eſt ſanctarum fructus orationum. Quamvis & in ipſa eorum vita adhuc invenias quod annumeres, fiduciam ſcilicet, quam nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret, quàm multa nobis per eos beneficia provenerunt? Bene ergo de eis Scriptura loquitur, quoniam *Hi ſunt viri miſericordiæ.* Et addidit, *quorum juſtitia oblivionem non acceperunt.*

6. Vis ut nec tua accipiat oblivionem? A triplici caveto periculo: & florebit in æternum ante Dominum. Legis enim, *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Legis, *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, &c. omnium juſtitiarum ejus non recordabor.* Legis quibuſdam dicendum in judicio; *Non novi vos*; illis ſine dubio, qui receperunt mercedem ſuam. Ergo OMNIS JUSTITIA tepida, omnis tranſitoria, omnis vendita, erit in oblivione coram Deo. Sed non ita Apoſtolorum juſtitiæ, quod ex eo ſatis apparet, quod ſequitur: *Cum ſemine eorum permanent bona.* Manent enim uſque hodie in nobis Apoſtolorum veſtigia: & eorum religio, quia ex Deo eſt, non poteſt diſſolvi. Veſtes Iſraelitici populi quadraginta annis in deſerto perſeveraverunt integræ: multo magis Apoſtolorum veſtes ſuper jumentum Salvatoris impoſitæ. *Cum ſemine*, inquit, *eorum.* Quod eſt ſemen, quia ſecutus adjungit, *Hereditas ſancta nepotes eorum?* Idem profecto & ſemen ſunt, & nepotes. Meminiſtis credo (ſcientibus enim legem loquor) meminiſtis, inquam, legalis mandati, ut ſuſcitet frater ſuperſtes ſemen fratri defuncto ſine ſemine. Quis ſine ſemine? *Singulariter*, ait, *ſum ego donec tranſeam.* Ideoque reſurgens, *Vade*, inquit, *dic fratribus meis.* Acſi dicat: Fratres ſunt, faciant quod fratres. Ergo per Evangelium ipſi nos genuerunt: non tamen ſibi, ſed Chriſto, quia per Evangelium Chriſti. Hinc eſt quod moleſte tulit Paulus quoſdam eorum dici, à quibus geniti fuerant per Evangelium, indignans adverſus eos qui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ, ego Apollo*; Chriſti magis omnes & fieri volens, & dici. Itaque ſemen Apoſtolorum ſumus per prædicationem: ſed per adoptionem & hereditatem ſemen Chriſti, & Apoſtolorum nepotes.

Quatuor nobis præſtant. — *Juſtitiæ periculum triplex.* — *Apoc. 3. 16.* — *Ezech. 18. 24.* — *Matt. 7. 23.* — *Juſtitia coram Deo in oblivione quæ.* — *Apoſtolorum juſtitia permanens.* — *Deut. 8. 4.* — *Gen. 38. 8.* — *Deut. 25. 5.* — *Pſal. 140. 10.* — *Joan. 20. 17.* — *Apoſtolorum ſemen ſumus.* — *1 Cor. 1. 12. & 3. 4.*

XV. Auguſti.

IN ASSUMPTIONE B. V. MARIÆ,

SERMO PRIMUS.

De gemina ſuſceptione, Chriſti ſcilicet & Mariæ.

1. VIrgo hodie glorioſa cælos aſcendens, ſupernorum gaudia civium copioſis ſine dubio cumulavit augmentis. Hæc eſt enim, cujus ſalutationis vox & ipſos exſultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi parvuli necdum nati anima liquefacta eſt ut Maria locuta eſt: quid putamus quænam illa fuerit cæleſtium exſultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata ejus frui præſentia meruerunt? Nobis vero, cariſſimi, quæ in ejus Aſſumptione ſollemnitatis occaſio, quæ cauſa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis: adeo ut & ipſa jam cæleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde reſonat in excelſis gratiarum actio & vox laudis; ſed plangendum nobis quàm plaudendum magis eſſe videtur. Quantum enim de ejus præſentia cælum exſultat, numquid non conſequens eſt, ut tantum lugeat hic noſter inferior mundus ejus abſentiam? Ceſſet tamen querela noſtra, quia nec nobis hic eſt manens civitas; ſed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In qua ſi conſcripti cives ſumus, dignum profecto eſt etiam in exſilio, etiam ſuper flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudiis, ejus participare lætitiam, maxime que eam, quæ tam copioſo impetu lætificat hodie civitatem Dei, ut ſentiamus & ipſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam glorioſe ſuſcepta eſt, ut fiducialiter ſequantur Dominam ſervuli clamantes: Trahe nos poſt te; in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tamquam Judicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit.

Luc. 1. 41. — *Cæleſtium gaudia in Aſſumptione B. Mariæ.* — *Virgo in cælum præceſſit Advocata noſtra.*

2. Pretioſum hodie munus terra noſtra direxit in cælum, ut dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrena cæleſtibus, ima ſummis. Illo enim aſcendit fructus terræ ſublimis, unde data optima, & dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cælorum eſt, miſericors eſt; denique Mater eſt unigeniti Filii Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus ſeu pietatis magnitudinem commendare. niſi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem; aut dubitare quis poteſt omnino in affectum caritatis tranſiiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo eſt Caritas novem menſibus corporaliter requievit.

3. Et hæc quidem propter nos dixerim, Fratres, ſciens difficile eſſe, ut in tanta inopia caritas illa perfecta, non quærens quæ ſunt, valeat inveniri. Ut tamen interim ſileam beneficia, quæ pro illius glorificatione conſequimur; ſi eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad Filium. Plane, inquam, congratulabimur ei, niſi forte (quod abſit) inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in caſtellum mundi hujus intrantem prius ipſa ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur hodie ſanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exſultatione, cum quanta gloria? NEC IN TERRIS locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit; nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimavit. Felix nimirum utraque ſuſceptio: ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis eſt. Utquid enim ea hodie in eccleſiis Chriſti evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepiſſe intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc quam celebramus, ex illa ſuſceptione aliquatenus æſtimetur, immo ut juxta illius inæſtimabilem gloriam inæſtimabilis cognoſcatur & iſta. Quis enim, etiamſi linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum ſuperveniente Spiritu, obumbrante virtute Altiſſimi, caro factum ſit Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia; & Dominus majeſtatis, quem non capit univerſitas creaturæ, intra virginea ſeſe clauſerit viſcera factus homo?

Cæli commercium hac die cum terra. — *Aſſumptionis Deiparæ gloria.* — *Evangelicæ lectionis ratio.*

4. Sed & illud quis vel cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta; quàm placido vultu, quàm ſerena facie, quàm lætis [a] amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum numquid non feliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dextera Patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cum aſcenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, & dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? QUANTUM enim gratiæ in terris adepta eſt præ ceteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: quod præparavit gignenti ſe, & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix plane Maria, & multipliciter felix, ſive cum excipit Salvatorem, ſive cum à Salvatore ſuſcipitur: utrobique miranda dignitas Virginis Matris: utrobi-

[a] al. divinis

Chriſti generatio & Mariæ Aſſumptio inenarrabiles.

Luc. 10. 38. que amplectenda dignatio majeſtatis. *Intravit*, inquit, *Jeſus in quoddam caſtellum. & mulier quædam excepit illum in domum ſuam.* Sed laudibus magis vacandum eſt, quod feſtivis præconiis hæc dies debeatur. Quia vero copioſam nobis materiam lectionis hujus verba miniſtrant; cras quoque, convenientibus nobis in unum, communicandum erit ſine invidia quod fuerit deſuper datum, ut in memoria tantæ Virginis non modo affectus devotionis excitetur, ſed & mores ædificentur ad profectum converſationis, in laudem & gloriam Filii ejus Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ,

SERMO SECUNDUS.

De domo mundanda, ornanda, implenda.

Luc. 10. 38. 1. INtravit Jeſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Opportune ſatis hoc mihi loco prophetica exclamatio aſſumenda videtur: Baruch 3. 24. *O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* An non ingens, cujus comparatione caſtellum dicitur terræ hujus ſpatioſiſſima latitudo? An non ingens patria & regio inæſtimabilis, quando ab ea Salvator adveniens, cum ingrederetur orbem terræ, dicitur introiſſe caſtellum? Niſi forte caſtellum quis aliud intelligendum putet, quàm atrium fortis armati, principis mundi hujus, cujus vaſa diripere fortior ſupervenit. Feſtinemus in illam ingredi beatitudinis amplitudinem, Fratres, ubi nemo alium coanguſtat: ut poſſimus cum omnibus ſanctis comprehendere, quænam ſit longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum. Neque id deſperemus, quandoquidem ipſe cæleſtis habitator patriæ, etiam & creator, noſtri hujus caſtelluli anguſtias non refugit.

2. Sed quid introiſſe eum dicimus in caſtellum? Etiam in anguſtiſſimum virginalis uteri diverſorium introivit. Denique & *mulier quædam excepit illum in domum ſuam.* Felix mulier, quæ non jam exploratores Jericho, ſed ipſum potius fortiſſimum exſpoliatorem ſtulti illius, qui vere ut luna mutatur; non legatos Jeſu filii Nave, ſed ipſum magis ſuſcipere meruit verum Jeſum Filium Dei. Felix, inquam, mulier, cujus domus Salvatore ſuſcepto inventa eſt munda quidem, ſed plane non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam ſalutat Angelus gratia plenam? Neque hoc ſolum: ſed adhuc quoque in eam ſuperventurum aſſerit Spiritum-ſanctum. *Maria ſuperplena gratia, ut in nos redundet.* Ad quid putas, niſi ut etiam ſuperimpleat eam? Ad quid, niſi ut adveniente jam Spiritu plena ſibi, eodem ſuperveniente nobis quoque ſuperplena & ſupereffluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, chariſmata ſcilicet gratiarum, ut de plenitudine tanta omnes accipiamus! Ipſa nempe mediatrix noſtra, ipſa eſt per quam ſuſcepimus miſericordiam tuam, Deus: ipſa eſt per quam & nos Dominum Jeſum in domos noſtras excipimus. *Caſtelli myſtica expoſitio.* Et nobis enim ſingulis caſtra ſunt ſingula, & ſingulæ domus: & Sapientia pulſat ad oſtia ſingulorum. ſi quis ei aperuerit, introibit, cœnabitque cum eo. Eſt vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde verſatur: Bonum, inquiunt, ſervat caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum. Sapiens tamen non ſic, ſed magis inquit: Prov. 4. 23. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.*

3. *Corporis noſtri cuſtodia quæ probanda.* Eſto tamen, cedendum ſit multitudini: bonum caſtrum cuſtodiat, qui cuſtodierit corpus ſuum. Illud ſane quærendum, quænam huic ſit adhibenda cuſtodia caſtro. Rectene cuſtodiſſe tibi videtur anima illa corporis ſui caſtrum, cujus membra, velut conjuratione facta, inimico ejus dominium tradidêre? Sunt enim qui cum morte fœdus inierunt, pactum pepigerunt cum inferno. Iſai. 28. 15. *Incraſſatus eſt*, inquit, *dilectus, & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.* Deut. 32. 15. Hæc plane cuſtodia, quæ laudatur à peccatoribus in deſideriis carnis ſuæ. Quid vobis, videtur, Fratres? Num & in hac parte cedendum eſt multitudini? Abſit. Paulum magis interrogemus, utpote ducem ſtrenuum Tom. III. militiæ ſpiritualis. Dic nobis, Apoſtole, quæ ſit tui cuſtodia caſtri? *Ego*, ait, *ſic curro, non quaſi in incertum;* 1. Cor. 9. 26. *ſic pugno, non quaſi aërem verberans. Caſtigo enim corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Et alio in loco: Rom. 6. 12. *Non regnet*, inquit, *peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentiis ejus.* Utilis profecto cuſtodia, & felix anima, quæ ſic cuſtodierit corpus ſuum, ut numquam ſibi vindicet illud inimicus. Fuit enim aliquando, cum hoc meum caſtrum tyrannidi ſuæ impius ille ſubjecerat ſibi, poteſtative membris imperans univerſis. *Peccati clades in corpore & anima.* Quantum eo nocuerit tempore, præſens adhuc indicat deſolatio & egeſtas. Heu! nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminavit vineas, meſſuit ſegetes, arbores exſtirpavit: quippe etiam oculus iſte meus deprædabatur animam meam. Denique niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, ubi nulla confeſſio, unde nemini datur exire.

4. *Peccatoris carcerem, tortores & infernum depingit.* Ceterum etiam tunc nec carcer illi deerat, nec infernus Ab ipſo nempe conjurationis & proditionis peſſimæ deprehenſa principio, non alibi quàm in domo propria carcerali eſt mancipata cuſtodiæ, nec aliis quàm ſuæ ipſius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conſcientia carcer, erant tortores ratio & memoria, atque hi quidem crudeles, auſteri & immiſericordes: ſed longe minus à rugientibus illis præparatis ad eſcam, quibus erat jam jamque tradenda. Sed benedictus Deus, qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedictus, inquam, Dominus, qui viſitavit, & fecit redemptionem. Cum enim inferiori eam carceri tradere malignus * accelerarct, ſed & caſtrum ipſum ignibus cremare perpetuis, ut digna perjuris etiam fieret retributio membris, fortior ſupervenit. (* *add. al.* & *tortoribus.*) Intravit in caſtellum Jeſus, qui fortem alligans, ejus vaſa diripuit: ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem. *Redemptio per Chriſtum.* Contrivit portas æreas, & confregit ferreos vectes, vinctum de domo carceris & umbra mortis educens. Porro egreſſus ejus in confeſſione. Ipſa eſt enim ſcopa, qua mundatus carcer & ornatus, deinceps regularium inſtitutionum juncis quibuſdam pulcre virentibus de carcere redit in domum. Habet ergo mulier jam domum ſuam, habet ubi ſuſcipiat eum, cui ſuper tantis beneficiis exſtat obnoxia. Alioquin væ ei, ſi eum excipere renuit, ſi non detinet, ſi non cogit manere ſecum, quoniam adveſperaſcit. Rediens enim qui prius ejectus eſt, mundatam quidem & ornatam domum invenit, ſed vacantem.

5. *Religioſo non prodeſt cultus exterior ſine interiori.* Relinquitur ſiquidem mulieri domus ſua deſerta, quam * Salvatoris hoſpitio dignam exhibere neglexit. (* *al.* quia) Quomodo, inquis? Poteritne domus mundata confeſſione priorum delictorum, & obſervatione regularium inſtitutionum ornata, indigna adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingreſſu? Poterit ſine dubio, ſi ſuperficie tenus emundata, & juncis (ut dictum eſt) ſtrata virentibus, interius plena ſit luto. Quis enim ſuſcipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum ſepulcris, quæ videntur à foris ſpecioſa, intrinſecus autem ſpurcitia & ſanies univerſa replevit? Eſto ſiquidem ut aliquando tamquam ipſa ſuperficie delectatus, incipiat velut primum apponere pedem, ei qui hujuſmodi eſt, primam aliquam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo: numquid non reſiliet ilico cum indignatione? numquid non aufugiet clamitans, Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia? Pſal. 68. 3. Virtutis enim ſpecies, & non veritas, quaſi qualitas eſt, non ſubſtantia. Neque vero ingreſſum ejus exterioris poteſt converſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus ejus habitatio eſt. Sap. 1. 5. Quod ſi nequaquam ſpiritus diſciplinæ ſubditum manifeſte peccatis corpus inhabitat, fictum utique non modo declinat, ſed & effugit, atque elongatur ab eo. *Peccata radicitus evellenda.* An vero aliud eſt quàm fictio exſecranda, ſi peccatum ſuperficie tenus radas,

Tom. III.

non intrinſecus eradices? certus eſto, quoniam pullulabit uberius, & mundatam, ſed vacantem domum cum nequioribus ſeptem, qui ejectos fuerat, hoſpes* malignus ioſtabit, Reverſus enim ad vomitum canis, odibilis erit multo pluſquam ante: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuo ſordes inciderit, ut ſus lota in volutabro luti.

* al. hoſtis.

Exterioris hominis cura ſine interiori multos fallit.

6. Vis videre mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confeſſus eſt, & deſeruit manifeſta peccata præcedentia ad judicium, & nunc ſolas movet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus conſuetudine quadam, plane quaſi vitula Ephraim, docta diligere trituram. Exteriorum quæ ad modicum valent, ne unum iota præterit aot apicem unum; ſed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim ſervus eſt propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut ſingula quæque intus vitia fovens: & mentitur iniquitas ſibi, ſed Deus non irridetur. Videas enim interdum ſic palliatum hominem, ut ſeducat etiam ſemetipſum, penitus non attendens vermem, qui interiora depaſcitur. Manet enim ſuperficies, & ſalva ſibi omnia arbitratur. *Comederunt*, ait Propheta, *alieni robur ejus, & ignoravit.* Dicit, Quia dives ſum, & nullius egeo: cum ſit pauper, & miſer, & miſerabilis. Nam & inventa occaſione ebullire ſaniem, quæ latebat in ulcere, & exciſam, non exſtirpatam arborem in ſilvam pullulare videas denſiorem. Quod periculum ſi volumus declinare, securim ponamus neceſſe eſt ad radices arborum, non ad ramos. Non ſola inveniatur in nobis exercitatio corporalis, ad modicum valens: ſed inveniatur utilis ad omnia pietas, & exercitium ſpirituale.

Oſee 7. 9. Apoc. 3. 17.

7. *Mulier*, inquit, *Martha nomine, excepit illum in domum ſuam; & huic erat ſoror, nomine Maria.* Sorores ſunt, & debent eſſe contubernales. Occupatur hæc circa frequens miniſterium, illa dominicis eſt intenta ſermonibus. Ad Martham ſpectat ornatus, ſed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino, ut non ſit domus vacans. Sed mundationem cui poſſumus attribuere? Erit enim, ſi & hoc invenerimus, domus, in qua Salvator ſuſcipitur, & munda, & ornata, & non vacans. Demus eam Lazaro, ſi & vobis ita videtur. Et ei ſiquidem fraternitatis jure cum ſororibus eſt domus iſta communis. Dico autem Lazarum, quem quatriduanum, jam jamque fœtentem à mortuis excitat vox virtutis: ut videatur ſatis congrue formam gerere pœnitentis. Intret ergo domum Salvator, & frequenter viſitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi.

Mariæ, Marthæ & Lazari officia.

Domus ſpiritualis præparatio.

8. Sed forte curioſius quiſquam requirat, cur in præſenti evangelica lectione nulla prorſus Lazari mentio fiat. Arbitror ſane ne id quidem à propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, ſiluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. Abſit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, ut in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur. Quod ſi originalem a parentibus maculam traxit; ſed minus à Jeremia ſanctificatam in utero, aut non magis à Johanne Spiritu-ſancto repletam credere prohibet pietas Chriſtiana: nec enim feſtis laudibus naſcens honoraretur [a], ſi non ſancta naſceretur. Poſtremo cum omnimodis conſtet, ab originali contagio ſola gratia mundatam eſſe Mariam, quippe cum & nunc in baptiſmate ſola hanc maculam lavet gratia, & ſola eam raſerit olim petra circumciſionis: ſi, ut omnino pium eſt credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilo minus ab innocentiſſimo corde etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos, quorum neceſſe eſt ab operibus mortuis conſcientias emundari: ſecedat inter vulneratos dormientes in ſepulcris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha & Maria tantum. Ipſa eſt enim quæ Elizabeth gravidæ & grandævæ quaſi menſibus tribus humili deſervivit officio; ipſa quæ verba, quæ de Filio dicebantur, conſervabat conferens in corde ſuo.

B. Maria ſanctificata potior aliis.

Proprium delictum non habuit.

Luc. 2. 51. Luc. 2. 19.

9. Neminem ergo moveat, quod ſuſcipiens mulier Dominum, non Maria, ſed Martha vocatur: quando in hac una & ſumma Maria & Marthæ negotium, & Mariæ non otioſum otium invenitur. Omnis quidem gloria filiæ regis ab intus: nihilo minus tamen in fimbriis aureis circumamicta eſt varietate. Non eſt de numero fatuarum virginum: prudens eſt virgo; lampadem habet, ſed in vaſe oleum portat. An forte excidit vobis evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat quidem domus earum munda, virgines enim erant: erat ornata, quia ſimul omnes, id eſt fatuæ cum prudentibus, lampades ornaverunt: ſed erat vacans, quia in vaſis ſuis oleum non acceperunt. Hinc eſt, quod nec ab eis ſuſcipi in domos ſuos, nec admittere eas dignatur ſponſus cæleſtis ad nuptias. Non ſic mulier illa fortis, quæ ſerpentis caput contrivit. Habes enim poſt multa in laudibus ejus, quia *non exſtinguetur in nocte lucerna ejus.* In ſuggillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte ſponſo, conqueruntur ſero, & dicunt: *Quia lampades noſtræ exſtinguuntur.* Proceſſit igitur glorioſa Virgo, cujus lampas ardentiſſima ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol?* Clarius enim ceteris rutilabat, quam repleverat oleo gratiæ præ participibus ſuis Chriſtus Jeſus, Filius ejus, Dominus noſter.

In Maria Deipara & Marthæ negotium, & Mariæ otium invenitur.

Matt. 25. 12. Prov. 31. 18. Matt. 25. 8. Cant. 6. 9.

IN ASSUMPTIONE B.V. MARIÆ,

Sermo tertius.

De Maria, Martha, & Lazaro.

1. *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.* Quid eſt, Fratres, quod è duabus ſororibus altera tantum Dominum legitur excepiſſe, & ea ipſa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teſte ipſo quem Martha ſuſcepit. Sed prior natu Martha videtur, & salutis initium ſibi magis actio, quàm contemplatio noſcitur vindicare. Laudat Chriſtus Mariam, ſed à Martha ſuſcipitur. Amat Rachelem Jacob, ſed Lia ſupponitur ignoranti. Si de fraude queritur, audiet non eſſe conſuetudinis, ut juniores prius tradantur ad nuptias. Quod ſi luteam hanc cogites domum, facile erit noſſe, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat quàm Maria. Quod enim ait Apoſtolus, *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro,* Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc nimirum corporis utitur inſtrumento, cum illi potius ſit impedimento. Denique *corpus*, inquit, *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Numquid & operantem? Martha igitur in domum ſuam excipit Salvatorem in terris: Maria potius cogitat, quemadmodum ſuſcipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in cælis. Forte tamen & ipſa Dominum ſuſcepiſſe videtur, ſed in ſpiritu: Dominus enim ſpiritus eſt.

Luc. 10. 38. Salutis initium ab actione. Gen. 29. 23. 1. Cor. 6. 20. Sap. 9. 15.

2. *Huic*, inquit, haud dubium quin Marthæ, *ſoror erat, nomine Maria: quæ etiam ſedens ſecus pedes Jeſu, audiebat verbum illius.* Vides quod utraque ſuſcepit Verbum, hæc in carne, illa in voce. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Putas in domo, in qua Chriſtus ſuſcipitur, vox murmurationis audietur? Felix domus, & beata ſemper congregatio eſt, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorſus indignum, prorſus illicitum eſt. Alioquin ubi legis Mariam cauſantem, quia ſoror mea reliquit me ſolam vacare? Abſit, abſit, ut qui Deo vacat, ad tumultuo-

Felix congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur.

[a] Male apud Horſtium, *Nec enim feſtis laudibus naſcens honoratur*, Poſtremo.

ſam adſpiret fratrum officialium vitam. Martha ſemper inſufficiens ſibi & minus idonea videatur, aliuſque magis in operis quod adminiſtrat optet imponi. *Reſpondit autem ei Jeſus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Vide prærogativam Mariæ [a], quem in omni cauſa habeat advocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, conqueritur ſoror, etiam Diſcipuli murmurant: ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam*, inquit, *partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea* in æternum. Hoc unum illud quod neceſſarium eſt; hæc una, quam Propheta tam ſedulo requirebat: *Unam*, inquit, *petii à Domino, hanc requiram.*

Maria Chriſtum habet advocatum. — *Pſal. 26. 4.*

3 Quid tamen ſibi vult, Fratres, quod optimam partem Maria dicitur elegiſſe? Ubi jam erit, quod adverſus eam proferre ſolemus, ſi quando forte adminiſtrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare voluerit: *Melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier?* Ubi erit & illud: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus?* & illud: *Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter?* Poſtremo quæ conſolatio eſt laboranti, quaſi in ejus ſuggillationem, partem ſororis attollere? Unum ergo arbitror è duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quod pars ipſa, quantum in nobis eſt, ſit omnibus eligenda: aut certe ut neutrum dicatur defuiſſe, nec in partem quamlibet præcipitaſſe ſententiam, ſed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet ſit parata. Quis enim ſicut David fidelis, ingrediens & egrediens, & pergens ad imperium regis? Denique *paratum*, inquit, *cor meum, paratum cor meum*; non ſemel tantum, ſed & ſecundo, & vacare tibi, & proximis miniſtrare. Hæc plane pars optima, quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur quocumque vocaveris eam. *Bonum*, inquit, *acquirit gradum, qui bene miniſtraverit.* Forte meliorem qui bene vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus eſt in utroque. Unum adhuc dico, ſi tamen id de Martha liceat ſuſpicari. Nonne enim quaſi otioſam reputaſſe videtur, quam ſibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis eſt, & omnino non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei, ſi quis forte vacantem animam ſua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam eſſe hanc partem, quæ maneat in æternum. Numquid enim non rudis quodammodo videtur anima, quæ divinæ contemplationis penitus expers, illam intraverit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum ſtudium, eadem vita?

Optima pars quæ. — *Eccli. 42. 14.* — *Joan. 12. 26.* — *Matt. 20. 26.* — *Vitæ mixtæ commendatio.* — *1. Reg. 22. 14.* — *Pſal. 56. 8.* — *1. Tim. 3. 13.*

4. Sed conſideremus, Fratres, quemadmodum in hac domo noſtra tria hæc diſtribuerit ordinatio caritatis, Marthæ adminiſtrationem, Mariæ contemplationem, Lazari pœnitentiam. Habet hæc ſimul quæcumque perfecta eſt anima: magis tamen videntur ad ſingulos ſingula pertinere, ut alii vacent ſanctæ contemplationi, alii dediti ſint fraternæ adminiſtrationi, alii in amaritudine animæ ſuæ recogitent annos ſuos, tamquam vulnerati dormientes in ſepulcris. Sic plane, ſic opus eſt, ut Maria pie & ſublimiter ſentiat de Deo ſuo, Martha benigne & miſericorditer de proximo, Lazarus miſere & humiliter de ſeipſo. Gradum ſuum quiſque conſideret. *Si inventi fuerint in civitate hac Noë, Daniel, Job, ipſi juſtitia ſua liberabuntur, ait Dominus, ſed filium aut filiam non liberabunt.* Nemini nos blandimur: utinam nec veſtrum quiſpiam ſe ſeducat. Quibus enim nulla credita eſt diſpenſatio, adminiſtratio nulla commiſſa, his omnino ſedendum erit, aut ſecus pedes Jeſu cum Maria, aut certe cum Lazaro intra ſepta ſepulcri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ ſollicita eſt pro multis? Tibi vero cui neceſſitas hæc non incumbit, è duobus unum eſt neceſſarium: aut non turbari penitus, ſed delectari magis in Domino: aut, ſi id necdum potes, turbari non erga plurima, ſed (ut de ſe Propheta loquitur) ad teipſum.

Religioſæ domus tres ſtatus ſeu gradus. — *Ezech. 14. 14.* — *Pſal. 41. 7.*

5. Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excuſationem: Oportet te, Frater, ad quem de fabricanda ſeu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, ut Daniel erat; aut cum beato Job virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te & nauſeam provocantem evomat ex ore ſuo, qui te invenire cupit, aut ſui conſideratione calidum & caritatis igne flagrantem; aut una ipſius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli jacula reſtinguentem. Sed & ipſam quoque Martham admonitam eſſe neceſſe eſt, id maxime quæri inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Erit autem fidelis, ſi neque quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Jeſu-Chriſti, ut ſit intentio pura: nec ſuam faciat, ſed Domini voluntatem, ut ſit actio ordinata. Sunt enim quorum non ſimplex eſt oculus, & recipiunt mercedem ſuam. Sunt qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata ſunt univerſa quæ offerunt, quippe cum voluntates eorum inveniantur in eis. Veni nunc mecum ad nuptiale carmen, & conſideremus quemadmodum ſponſus, ubi ſponſam vocat, nec ullum omiſerit ex his tribus, nec his addiderit quidquam. *Surge*, inquit, *propera amica mea, formoſa mea, columba mea, & veni.* An non amica eſt, quæ dominicis lucris intenta, fideliter ipſam quoque pro eo ponit animam ſuam? Quoties enim pro uno ex minimis ejus ſpirituale ſtudium intermittit [b], toties pro eo ſpiritualiter ponit animam ſuam. An non formoſa, quæ revelata facie gloriam Domini ſpeculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu? An non columba, quæ plangit & gemit in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, tamquam ſepulta ſub lapide?

Tom. III. Religioſis ab officiis externis vacantibus quid incumbat. — *Activæ vitæ cultoribus utile monitum.* — *Cant. 2. 10.* — [b] *al. interponit.*

6. *Mulier, ait, Martha nomine, excepit eum in domum ſuam.* Certum eſt hujus tenere locum fratres officiales, quos fraternæ caritatis intuitus variis adminiſtrationibus deputavit. Utinam autem & ego ipſe inter diſpenſatores fidelis merear inveniri. Quibus enim convenientius videtur aptandum quod Dominus ait, *Martha, Martha, ſollicita es*, quàm Prælatis, ſi tamen digna in ſollicitudine præſunt? Aut quis turbatur erga plurima, niſi cui & Mariæ vacantis, & Lazari pœnitentis, ſed & ipſorum, quibus onera ſua partitur, univerſa incumbit ſollicitudo? Vide Martham ſollicitam, vide Martham erga plurima turbatam. Apoſtolum loquor, qui Prælatos ſollicitudinis admonens, gerit ipſe ſollicitudinem omnium eccleſiarum. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Suſcipiat igitur Martha Dominum in domum ſuam, cui nimirum credita eſt diſpenſatio domus. Mediatrix eſt, ut ſibi pariter & ſubjectis ſalutem obtineat, ſuſcipiat gratiam, ſicut ſcriptum eſt: *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.* Suſcipiant ceteri coadjutores ejus ſinguli pro qualitate miniſterii ſui: excipiant Chriſtum, ſerviant Chriſto, miniſtrent ei in membris ſuis, ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hoſpitibus & peregrinis.

Paſtores Marthæ officio funguntur. — *2. Cor. 11. 29.* — *Pſal. 71. 3.*

7. Quibus ita ſollicitis circa frequens miniſterium, videat Maria quemadmodum vacet, & videat quoniam ſuavis eſt Dominus. Videat, inquam, quàm devota mente, quàm tranquillo ſedeat animo ſecus pedes Jeſu, providens eum ſemper in conſpectu ſuo, & verba ex ore ejus excipiens, cujus & aſpectus delectabilis, & eloquium dulce. Diffuſa eſt enim gratia in labiis ejus, & eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, immo etiam ſuper omnem gloriam Angelorum. Gaude & gratias age Maria, quæ partem optimam elegiſti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audire quod audis. Beata plane, quæ venas ſuſurrii divini percipis in ſilentio, in quo utique bonum eſt homini Dominum exſpectare. Simplex eſto, non tantum ſine dolo & ſimulatione, ſed & abſque multiplicitate occupationum, ut tecum ſit ſermocinatio ejus, cujus & vox dulcis, & facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in ſenſu tuo, & velis plus

Contemplativis utile monitum.

a Hic unam agnoſcit Mariam Bernardus, ut ſupra ſermone 3. in dominica 6. poſt Pentecoſten, & ſermone 4. de dedicatione eccleſiæ num. 3. Confer ſermonem 12. & 13 in Cantica, ubi hac de re dubius hæret.

Tom. III.

ſapere quàm oportet ſapere : ne forte dum lucem ſectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano, de quo non eſt hujus temporis diſputare. Nam Lazarus quo devenit ? Ubi poſuiſtis eum? Sorores alloquor, quæ ſepelierunt fratrem prædicatione & miniſterio, exemplo & oratione. Ubi ergo poſuiſtis eum ? Abſconditus eſt foſſa humo, ſub lapide jacet, non facile invenitur. Propterea non erit incongruum quatriduano quartum reſervare ſermonem, ut juxta Salvatoris exemplum audientes, *Ecce quem amas, infirmatur*, & nos maneamus hic die iſto.

Johan. 11. 3.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ,

Sermo quartus

De quatriduo Lazari, & præconio Virginis.

1. TEmpus loquendi eſt omni carni, cum aſſumitur incarnati Verbi Mater in cælum; nec ceſſare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in Virgine. Sed de ejus gloria nec ſilere devotio patitur, nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire. Hinc eſt quod & ipſi cæleſtis curiæ principes in conſideratione tantæ novitatis clamant non ſine admiratione : *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Acſi manifeſtius dicant : Quanta eſt hæc, aut unde ei aſcendenti utique de deſerto affluentia tanta deliciarum ? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis torrente * potamur. Quæ eſt iſta, quæ de ſub ſole, ubi nihil eſt niſi labor & dolor, & afflictio ſpiritus, aſcendit deliciis ſpiritualibus affluens ? Quidni delicias dixerim, virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem caritatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis ? Aſcendens igitur de deſerto Regina mundi, etiam Angelis ſanctis, ut canit Eccleſia, *ſpecioſa facta eſt & ſuavis in deliciis ſuis*. Deſinant tamen deſerti hujus mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuum. Quid mirantur de terra deſerta Mariam aſcendere deliciis affluentem ? Mirentur potius pauperem Chriſtum de cæleſtis regni plenitudine deſcendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab Angelis minorari, quàm Dei Matrem ſuper Angelos exaltari. Illius ſiquidem exinanitio, facta eſt repletio noſtra: illius miſeriæ, mundi deliciæ ſunt. Denique cum dives eſſet, propter nos pauper factus eſt, ut nos ejus inopia ditaremur. Sed & crucis ignominia, credentium facta eſt gloria.

Cant. 8. 5. Angeli admirabundi in cælum Virginis.

* al. gloriæ.

Pſal. 44. 13. Chriſti de cælo deſcenſus mirabilior.

2. Cor. 8. 9.

2. Adhuc autem & ad monumentum properat Vita noſtra, ut quatriduanum reducat à monumento : & eum, de quo vobis hodie (ſi bene meminit caritas veſtra) ſermo debetur, Lazarum quærit, ut quæratur, & inveniatur à Lazaro. In hoc enim eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos. Age igitur, Domine, quære quem amas, ut & amantem facias, & quærentem. Quære ubi poſuerunt eum : jacet enim clauſus, ligatus, oneratus. Jacet in ergaſtulo conſcientiæ, tenetur vinculis diſciplinæ, & tamquam lapide ſuperpoſito premitur & opprimitur onere pœnitentiæ, maxime quod deſit interim fortis ut mors dilectio, & caritas omnia ſuſtinens ; & in his omnibus jam fœtet, Domine: quatriduanus eſt enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum : eum ſine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit ſibi parietem, ut videat abominationes multas, & malas pravi & inſcrutabilis cordis ſui, & juxta Prophetam alium ingreſſus eſt in petram, abſconditus foſſa humo à facie furoris Domini.

Lazari ſepulti conſideratio tropologica.

Ezech. 8. 8.

Iſaiæ 2. 19.

3. Sed quid eſt, *Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim?* Forte enim fœtorem iſtum, & quatuor dies iſtos non continuo quivis intelligat. Ego primam arbitror timoris diem, qua nimirum irradiante cordibus noſtris peccato morimur, & quodam modo ſepelimur in conſcientiis noſtris. Secunda (ni fallor) agitur in labore certaminis. Solet nempe inter primordia converſionis acrius inſurgere tentatio pravæ conſuetudinis, & vix exſtingui poſſunt jacula ignita diaboli. Tertia nihilo minus doloris eſſe videtur : dum recogitat quis annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quod hos dixerim dies ? Sed tales ſepulturæ debentur, dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur dies pudoris, non diſſimilis tribus : quando jam horribili confuſione operitur anima miſeranda, dum nimis conſiderat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras verſat imagines peccatorum. Animus hujuſmodi nihil diſſimulat, ſed dijudicat, ſed aggravat, ſed exaggerat univerſa : non ſibi parcit durus judex in ſemetipſum. Utilis quidem exacerbatio, & digna miſeratione crudelitas, facile ſibi divinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur etiam contra ſeipſam. Verumtamen Lazare veni foras, ne in tanto fœtore diutius immoreris. Caro putida putredini proxima eſt : & qui confunditur vehementius & tabeſcit, prope eſt ut deſperet. Propterea Lazare veni foras. Abyſſus abyſſum invocat : abyſſus luminis & miſericordiæ, abyſſum miſeriæ & tenebrarum. Major illius bonitas quam iniquitas tua : & ubi peccatum abundat, ſuperabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras*. Ac ſi manifeſtius dicat: Quouſque conſcientiæ tuæ caligo te detinet? Quamdiu in cubili tuo gravi corde compungeris ? Veni foras, procede, reſpira in lucem miſerationum mearum. Hoc enim eſt quod in Propheta legiſti : *Infrenabo os tuum laude mea, ne pereas*. Evidentius quoque Propheta alius de ſeipſo : *Ad meipſum*, inquit, *anima mea turbata eſt, propterea ero memor tui*.

Peccatoris reſipiſcentis quatriduum.

Dei infinita bonitas ad erigendos pœnitentes.

Iſai. 48. 9.

Pſal. 41. 7.

4. Jam vero quid ſibi vult quod ait, *Tollite lapidem*, & poſt pauca, *ſolvite eum?* Numquid poſt viſitationem gratiæ conſolantis ceſſabit agere pœnitentiam, quoniam appropinquavit regnum cælorum : aut abjiciet diſciplinam, ſi forte iraſcatur Dominus, & pereat de via juſta? Abſit hoc. Tollatur lapis, ſed pœnitentia maneat, non jam premens & onerans, ſed vividam & robuſtam mentem roborans magis atque confirmans : nimirum cujus cibus ſit, quem antea neſciebat, Domini facere voluntatem. Sic & diſciplina non jam conſtringit liberum, ſecundum illud, *Juſtis non eſt lex poſita* : ſed voluntarium regit, & dirigit in viam pacis. Super hac Lazari ſuſcitatione manifeſtius pſallit Propheta : *Non derelinques animam meam in inferno*. quia, ut dixiſſe me memini ſecundo hujus feſtivitatis die, infernus quidam & carcer animæ, rea conſcientia eſt. *Nec dabis ſanctum tuum* (non ſuum ipſius, ſed tuum utique, quem ipſe ſanctificas) *videre corruptionem* Corruptione ſiquidem proximus erat quatriduanus, qui cœperat jam fœtere. Prope erat ut penitus diſſolveretur, & veniens in profundum malorum contemneret impius ; ſed præventus voce virtutis, & ab ea vivificatus gratias agit dicens : *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Ad ipſius ſiquidem contemplationem evocaſti & eduxiſti ab inferno animam meam : dum anxiaretur ſuper me ſpiritus meus, intuens conſcientiæ propriæ faciem nimis abominandam. *Clamavit*, inquit, *voce magna: Lazare veni foras* ; magna utique voce, non tam ſono clamoſa, quàm pietate & virtute magnifica.

Pœnitentia jam ſuavis.

1. Tim. 1. 9.

Pſal. 15. 10.

Ibid.

Ibidem.

5. Sed quo devenimus ? Numquid non ſupra cælos Virginem proſequebamur euntem? Et ecce cum Lazaro deſcendimus in abyſſum. A ſplendore virtutis ad fœtorem quatriduani proclivis decurrit oratio. Cur hoc, niſi quia pondere proprio ferebamur ; & trahebat nos materia, tanto uberior utique, quanto familiarior ? Fateor imperitiam meam, puſillanimitatem propriam non abſcondo. Non eſt equidem quod me magis delectet, ſed nec quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Matris habere ſermonem. Ut enim ſileam interim ineffabile privilegium meritorum, & prærogativam

Quàm arduum loqui de laudibus Virginis.

gativam penitus ſingularem, tanto eam devotionis A affectu ampleſtuntur, honorant, ſuſcipiunt (ut dignum eſt) univerſi, ut licet de ea loqui geſtiant omnes: tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipſo quod dici potuerit, minus gratum ſit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus ſapiat, quicquid de incomprehenſibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim ſi in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines poſt eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur forte vel pauci, qui, docente Filio ejus, mites facti ſunt, & humiles corde. [Matt. 11. 29.] Si magnificare voluero miſericordiæ ejus multitudinem, ſunt aliqui miſericordiæ viri, etiam & mulieres. Unum eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, B nec habere ſequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. [Quid magis mirandum in Virgine.] Optimam, inquit, partem elegit ſibi Maria. Optimam plane: quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem caſtitas virginalis: prorſus autem optima eſt fœcunditas virginea, ſeu fœcunda virginitas. Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare eſt, ſed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo aſſequi poſſit, ſic nec eloqui quidem. Quid ſi & illud adjicias, cujus mater? Quæ jam poterit lingua, etiam ſi angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem; matrem autem non cujuſcumque, ſed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa: duplex miraculum, ſed digne prorſus C aptiſſimeque conveniens. Neque enim filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter.

[Virtutes ejus ſingulares.] 6. Verumtamen non hoc tantum, ſi diligenter attendas, ſed ceteras quoque virtutes ſingulares prorſus invenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes. [1. Puritas.] Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus-ſancti ſacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate penſamus, quæ prima in terris angelicam propoſuit ducere vitam, ſuper omnes eſt. [Luc. 1. 34.] *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Immobile propoſitum virginitatis, quod nec Angelo filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo*, inquit, D *fiet iſtud?* Neque enim eo modo, quo fieri ſolet in ceteris. Virum penitus non cognoſco, nec filii deſiderio, nec ſpe prolis.

[2. Humilitas.] 7. Quanta vero & quàm pretioſa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conſcientia prorſus abſque delicto, immo cum tanta gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas, & tanta humilitas, ô beata? Digna plane quam reſpiceret Dominus, cujus decorem concupiſceret Rex, cujus odore ſuaviſſimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifeſte ſibi concinant Virginis noſtræ canticum, & nuptiale carmen: nimirum cujus uterus, ſponſi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: [Ibid. 48.] *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ.* E Audi eamdem in epithalamio: [Cant. 1. 11.] *Cum eſſet Rex*, inquit, *in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Nardus quippe herba humilis eſt, & pectus purgat: ut manifeſtum ſit humilitatem nardi nomine deſignari, cujus odor & decor invenerit gratiam apud Deum.

[3. Miſericordia.] 8. Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſervuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potius nobis ipſis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius, miſericordiam amplectimur carius, recordamur ſæpius, crebrius invocamus. Hæc eſt enim quæ totius mundi reparationem F obtinuit, ſalutem omnium impetravit. Conſtat enim pro univerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: [Luc. 1. 30.] *Ne timeas, Maria, inveniſti gratiam*, utique quam quærebas. Quis ergo miſericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem & latitudinem, ſublimitatem & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus uſque in diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic & A ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus ſedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cæleſtis Jeruſalem, exſpectantibus miſeris vita perdita data. Sic potentiſſima & piiſſima caritas & affectu compatiendi, & ſubveniendi abundat effectu, æque locuples in utroque.

9. Ad hunc igitur fontem ſitibunda properet anima noſtra: ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis aſcendentem te ad Filium deduximus, & proſecuti ſumus ſaltem à longe, Virgo benedicta. [Invocatio B. Virginis.] Sit dein- B ceps pietatis tuæ ipſam, quam apud Deum gratiam inveniſti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die ſollemnitatis & lætitiæ dulciſſimum Mariæ nomen cum laude invocantibus ſervulis per te, Regina clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ,

SERMO.

C De duodecim prærogativis B. V. Mariæ, ex verbis Apocalypſis, *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

1. VEhementer quidem nobis, dilectiſſimi, vir unus & mulier una nocuere: ſed, gratias Deo, per unum nihilo minus virum, & mulierem unam omnia reſtaurantur; nec ſine magno fœnore gratiarum. Neque enim ſicut delictum, ita & donum; ſed excedit damni æſtimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus & clementiſſimus artifex, quod D quaſſatum fuerat, non confregit, ſed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. [Reparationi noſtræ cooperatur ſexus uterque.] Et quidem ſufficere poterat Chriſtus; ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt: ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum. Congruum magis, ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Fidelis plane & præpotens mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſed divinam in eo reverentur homines majeſtatem. Abſorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata. Non ſola illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & judicium: quia etſi didicit ex his quæ paſſus eſt compaſſionem, ut miſeri- E cors fieret, habet tamen & judiciariam poteſtatem. Denique Deus noſter ignis conſumens eſt. [Deut. 4. 24. & Hebr. 12. 29.] Quidni vereatur peccator accedere, ne, quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei?

2. Jam itaque nec ipſa mulier benedicta in mulieribus videbitur otioſa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. [Maria mediatrix ad Mediatorem.] Opus eſt enim mediatore ad Mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit: [Eva & Maria antitheſis.] ſed fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum & viris, & mulieribus propinavit. Illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis: illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc F ingeſſit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile: tota ſuavis eſt, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius evangelicæ hiſtoriæ ſeriem univerſam: & ſi quid forte increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero ſuſpectam habeas, & accedere verearis. Quod ſi (ut vere ſunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena manſuetudinis & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent inveneris; age [Maria quàm ſuavis & benefica omnibus.]

Tom. III. gratias ei, qui talem tibi mediatricem benigniſſima miſeratione providit, in qua nihil poſſit eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima caritate debitricem ſe fecit. Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam; denique tota Trinitas gloriam, Filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.

Maria ſoli comparatur.

3. Putaſne ipſa eſt ſole amicta mulier? Eſto ſiquidem, ut de præſenti Eccleſia id intelligendum propheticæ viſionis ſeries ipſa demonſtret; ſed id plane non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirum ea eſt, quæ velut alterum ſolem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita: ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. Nam & defectus omnis ſub ea: & quicquid fragilitatis ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ ceteris omnibus excedit & ſupergreditur creaturis, ut merito ſub pedibus ejus luna eſſe dicatur. Alioquin nihil magnum dixiſſe videbimur, ut ſit luna iſta ſub pedibus ejus, quam ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Cherubin quoque & Seraphin exaltatam nefas eſt dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, ſed & ſtultitiam mentis, nonnumquam vero & Eccleſiam hujus temporis deſignare; illam quidem propter mutabilitatem, hanc ſane propter ſuſceptum aliunde ſplendorem. Utraque vero (ut ita dixerim) luna ſub Mariæ pedibus congrue ſatis ponitur, alio tamen atque alio modo. ſiquidem *ſtultus ut luna mutatur; ſapiens autem permanet ut ſol*. In ſole nimirum & fervor, & ſplendor ſtabilis; in luna ſolus ſplendor, atque is omnino motabilis & incertus, qui numquam in eodem ſtatu permanet. Jure ergo Maria ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ ſapientiæ, ultra quàm credi valeat, penetravit abyſſum: ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphin accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis undique, & circumfundi, & tamquam ipſo igne concludi. Candidiſſimus ſane, ſed & calidiſſimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed ne ſubobſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſſimum, liceat ſuſpicari.

Luna ſub pedibus ejus quomodo.

Eccli. 27. 11.

Mariæ fervor & ſplendor ſtabilis.

Iſai. 6. 6.

4. Inſipientia vero omnis longe ſub pedibus ejus eſt, ut penitus abſit hæc ab inſipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Immo vero & unicus ille ſtultus, & totius ſtultitiæ princeps, qui vere mutatus ut luna, ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Mariæ pedibus conculcatus & contritus, miſeram patitur ſervitutem. Nimirum ipſa eſt quondam à Deo promiſſa mulier, ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus plane calcaneo in multis verſutiis inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa. Sola enim contrivit univerſam hæreticam pravitatem. Alius non de ſubſtantia carnis ſuæ Christum ediſſe dogmatizabat: alius parvulum non peperiſſe, ſed reperiſſe ſibilabat: alius, vel poſt partum, viro cognitam blaſphemabat: alius Dei Matrem audire non ſuſtinens, magnum illud nomen Theotócos impiiſſime ſuggillabat. Sed contriti ſunt inſidiatores, conculcati ſupplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuo per Herodem draco inſidiatus eſt parienti, ut naſcentem excipiens filium devoraret, quod inimicitiæ eſſent inter ſemen mulieris & draconis.

Gen. 3. 15.

Hæreſes variæ in Mariam.

5. Jam ſi Eccleſia lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo qui dicit, *Sine me nihil poteſtis facere*: habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendavimus, evidenter expreſſam. *Mulier*, inquit, *amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus*. Amplectamur Mariæ veſtigia, Fratres mei, & devotiſſima ſupplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens eſt enim. Nempe vellus eſt medium inter rorem & aream, mulier inter ſolem & lunam, Maria inter Christum & Eccleſiam conſtituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam ſole mulierem. Magna ſiquidem familiaritas, ſed mira omnino vicinitas ſolis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura ſubſiſtit? Merito quidem admiraris, Moyſes ſancte, & curioſius deſideras intueri. Verumtamen ſolve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, ſi accedere concupiſcis. *Vado*, inquit, *& videbo viſionem hanc magnam*. Magna plane viſio, rubus ardens ſine combuſtione; magnum ſignum, mulier illæſa manens amicta ſole. Non eſt rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilo minus incombuſtum: non mulieris potentia, ut ſuſtineat ſolis amictum. Non eſt virtutis humanæ, ſed nec angelicæ quidem: ſublimior quædam neceſſaria eſt. *Spiritus-ſanctus*, inquit, *ſuperveniet in te*. Et tamquam reſponderet illa, Quoniam ſpiritus eſt Deus, & Deus noſter ignis conſumens eſt; *Virtus*, ait, non mea, non tua, ſed *Altiſſimi obumbrabit tibi*. Nihil itaque mirum, ſi ſub tali obumbraculo talis etiam à muliere ſuſtineatur amictus.

Joan. 15. 5.

Apoc. 12. 1.

Maria inter Christum & Eccleſiam media conſtituta.

Exod. 3. 3.

Rubus incombuſtus, typus Mariæ.

Luc. 1. 35.

6. *Mulier*, inquit, *amicta ſole*. Plane amicta lumine tamquam veſtimento. Non percipit forte carnalis; nimirum ſpirituale eſt, ſtultitia illi videtur. Non ſic videbatur Apoſtolo, qui dicebat: *Induimini Dominum Jeſum-Christum*. Quàm familiaris ei facta es Domina! quàm proxima, immo quàm intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud eum! In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ majeſtatis. Veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quàm Christum, de quo dicitur: *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Novum quoque fecit in cælo, ut mulier ſole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Verum hoc alias. Interim ſane ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius ſuus.

Rom. 13. 14.

Jer. 31. 22.

Zach. 6. 12.

Cant. 3. 11.

7. *In capite*, inquit, *ejus corona ſtellarum duodecim*. Dignum plane ſtellis coronari caput, quod & ipſis longe clarius micans, ornet eas potius quàm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera quam Sol veſtit? Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Nimirum læva ſponſi ſub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas? Quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Supra hominem eſt coronæ hujus rationem exponere, indicare compoſitionem. Nos tamen pro modulo noſtræ exiguitatis, abſtinentes à periculoſo ſcrutinio ſecretorum, non incongrue forſitan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur *, quibus Maria ſingulariter adornatur. Siquidem invenire eſt in Maria prærogativas cæli, prærogativas carnis, prærogativas cordis: & ſi fuerit ternarius iſte per quaternarium multiplicatus, habemus forte ſtellas duodecim, quibus Reginæ noſtræ diadema præfulgeat univerſis. Mihi ſane ſingularis rutilat fulgor, primo quidem in Mariæ generatione, ſecundo in angelica ſalutatione, tertio in Spiritus ſuperventione, quarto in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque ſidereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod ſine corruptione fœcunda, quod ſine gravamine gravida, quod ſine

Apoc. 12. 1.

Prærogativæ 12 gratiarum in Maria.

** al. videamus.*

dolore puerpera. Nihilo minus etiam ſpeciali quodam ſplendore in Maria coruſcant manſuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Veſtræ quidem ſodulitatis erit ſingula quæque diligentius intueri. Nos interim ſatisfeciſſe videbimur, ſi breviter ea potuerimus demonſtrare.

7 Prærogativa Mariæ generatione.

8. Quid ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob ſingulare privilegium ſanctitatis divinitus noſcitur eſſe conceſſa; quod longe ante eiſdem Patribus cælitus repromiſſa; quod myſticis præfigurata miraculis; quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim ſacerdotalis virga, dum ſine radice floruit; hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit; hanc in Ezechielis viſione orientalis porta, quæ nulli umquam patuit, præſignabat. Hanc denique præ ceteris Iſaias nunc virgam de radice Jeſſe orituram promittebat; nunc evidentius virginem parituram. Merito ſignum hoc magnum in cælo apparuiſſe ſcribitur, quod tanto ante de cælo noſcitur fuiſſe promiſſum. Dominus ait: *Ipſe dabit vobis ſignum. Ecce virgo concipiet.* Magnum profecto ſignum dedit, quia & magnus ipſe qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quod tam reverenter atque officioſiſſime ab Archangelo ſalutata eſt, ut jam tunc in regali ſolio ſupra omnes cæleſtium ordines legionum exaltatam cernere videretur, & paulo minus adoraturus feminam, qui ſolebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari; excellentiſſimum nobis Virginis noſtræ meritum, & ſingularis gratia commendatur.

Num. 17. 8. Judic. 6. 37. Ezech. 44. Iſa. 11. 1. Iſa. 7. 14.

4 In Archangeli ſalutatione.

5 & 6. In Spiritus obumbratione, & novo conceptionis modo.

9. Nihilo minus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum ceteræ omnes, ſed ſupervenienie Spiritu-ſancto, ſola, & de ſola ſanctificatione Maria conciperet. Nam quod verum Deum, & Dei Filium genuit, ut idem ipſe Dei atque hominis filius, unus omnino Deus & homo prodiret ex Maria, abyſſus eſt luminis: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cetero ſane & virginitatem carnis & propoſitum virginitatis, maxime & ipſius quoque propoſiti novitas evidenter illuſtrat: quod videlicet in libertate ſpiritus legis Moſaicæ decreta tranſcendens, illibatam Deo corporis ſimul & ſpiritus ſanctimoniam vovit. Probat enim propoſiti inviolabile fundamentum, quod jam conſtanter promittenti filium Angelo reſpondit: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Forte enim propterea primo turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, quod benedictam ſeſe audiſſet in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus ſemper optabat. Et extunc quidem cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quod jam videretur eſſe ſuſpecta. Ubi vero in promiſſione filii manifeſtum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra diſſimulare quin diceret: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Merito proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amiſit; ut longe glorioſior fiat & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis ſeſe radiis illoſtrare hæc duo ſidera videantur. Magnum enim eſt virginem eſſe: ſed virginem matrem eſſe, longe amplius per omnem modum. Jure etiam illud moleſtiſſimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noſcuntur, ſola non ſenſit, quæ ſola ſine libidinoſa voluptate concepit. Unde & in ipſo ſuæ conceptionis initio, quando potiſſimum ceteræ mulieres miſerabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conſcendit, ut Elizabeth miniſtraret. Sed & aſcendit Bethleem imminente jam partu, portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sic & in partu quam lucidum eſt quod nova exſultatione novam edidit prolem, ſola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena. Si rerum pretia de raritate penſamus, nihil his poteſt rarius inveniri. Siquidem in omnibus iſtis nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. E quibus nos, ſi ea fideliter intuemur, ſine dubio admirationem concipimus, ſed venerationem, ſed devotionem, ſed conſolationem.

7. Virginitatis propoſitum novum & inviolabile. Luc. 1. 34.

** al. benedictio.*

6. Fœcunditas ſine corruptione.

9 Graviditas ſine gravamine.

8 Puerperium ſine dolore.

Hæc non imitabilia, ſed ſequentia.

10. Ceterum quæ reſtant adhuc, & imitationem requirunt. Non eſt nobis ante ortum tam multifarie multiſque modis promitti divinitus, cælitus prænuntiari: ſed nec ab archangelo Gabriele tam novæ ſalutationis obſequiis honorari. Minus autem cetera duo communicat nobis: plane ſecretum ſuum ſibi. Sola enim eſt, de qua dicitur: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt;* ſola cui dicitur, *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Offerantur regi virgines; ſed poſt eam: nam primatum ſola vindicat ſibi. Multo magis autem ſolà ſine corruptione concepit, ſine gravamine tulit, ſine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum à nobis exigitur: ſed exigitur plane nonnihil. Numquid enim, ſi defuerit nobis etiam manſuetudo pudoris, ſi humilitas cordis, ſi magnanimitas fidei, ſi compaſſio mentis, negligentiam noſtram munerum ſingularitas excuſabit? Gratiſſima ſane gemma in diademate, micans in capite ſtella, rubor in facie hominis verecundi. An vero quis putat, quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præſumptuoſa fuiſſe videtur? Foris ſtabat quærens loqui Filio, nec materna auctoritate aut ſermonem interrupit, aut habitationem irrupit, in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum (ſi bene meminimus) non niſi quater Maria loquens auditur. Primo quidem ad Angelum, ſed cum jam ſemel atque iterum allocutus eam fuiſſet: ſecundo ad Elizabeth, quando vox ſalutationis ejus Johannem exſultare fecit in utero, & ea magnificante Mariam, ipſa magis Dominum magnificare curavit: tertio ad Filium, cum jam eſſet annorum duodecim, quod ipſa & pater ejus dolentes quæſiſſent eum: quarto in nuptiis ad Filium & miniſtros. Et is quidem ſermo certiſſimus index ingenitæ manſuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam ſuam reputans, ſuſtinere non potuit, non potuit vini diſſimulare defectum. Ubi ſane increpata eſt à Filio; tamquam mitis & humilis corde, nec illi reſpondit, nec tamen deſperavit, miniſtros admonens facere quod diceret eis.

Matt. 1. 20. Luc. 1. 35.

Manſuetudo pudoris. Matt. 12. 46.

Nonniſi quater Maria locuta legitur. Luc. 1. 34. Luc. 1. 46. Luc. 2. 48. Johan. 2. 3.

11. Numquid non ab initio veniſſe paſtores, & primam omnium Mariam inveniſſe leguntur? *Invenerunt,* ait Evangeliſta, *Mariam & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Sic & Magi quoque, ſi recolis, non ſine Maria matre ejus puerum invenerunt, & inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem à Simeone audivit tam de eo, quàm de ſeipſa, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo:* ſed in his omnibus neque de ipſo incarnationis dominicæ ſacramento quodcomque verbum feciſſe reperies. Væ nobis, qui ſpiritum habemus in naribus! Væ qui totum proferimus ſpiritum, qui, juxta illud Comici*, pleni rimarum effluimus undique. Toties denique Maria filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, ſed & Diſcipulis ſeorſum regni Dei myſteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit exſpirantem, vidit reſurgentem, vidit & aſcendentem: ſed in his omnibus quoties verecundiſſimæ virginis, quoties pudiciſſimæ turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus Apoſtolorum, quod redeuntes à monte Oliveti unanimiter perſeverabant in oratione. Qui? Si forte Maria adfuit, nominetur prima, quæ ſupra omnes eſt, tam Filii prærogativa, quam ſuæ privilegio ſanctitatis. *Petrus & Andreas,* ait, *Jacobus & Johannes,* & ceteri qui ſequuntur. *Hi omnes perſeverabant unanimiter cum mulieribus, & Maria matre Jeſu.* Itane & mulierum ſeſe ultimam exhibebat, ut noviſſima om-

Luc. 2. 16. Maria ſtudioſa culturis ſilentii. Matt. 2. 11. Luc. 2. 24. Luc. 2. 19.

** Terent. in Eunucho.*

Maria humilitas.

Tom. III. nium poneretur? Vere carnales adhuc Diſcipuli, quibus necdum Spiritus erat datus, quia Jeſus necdum fuerat glorificatus, quando facta eſt inter illos contentio de primatu: cum Maria, quanto major erat, humiliaret ſe non modo in omnibus, ſed & præ omnibus. Merito facta eſt noviſſima prima, quæ cum prima eſſet omnium, ſeſe noviſſimam faciebat. Merito facta eſt omnium domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam. Merito denique ſuper Angelos exaltata eſt, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant ſeptem dæmonia, ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat. Obſecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, ſi Mariam diligitis: ſi contenditis ei placere, æmulamini modeſtiam ejus. NIHIL enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Chriſtiano, maximeque monachum nihil adeo decet.

Modeſtia maxime decet monachum.

10 Excellens humilitas.

12. Et quidem manifeſta ſatis in Virgine ex hac ipſa manſuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactaneæ ſunt humilitas & manſuetudo, in eo confœderatæ germanius, qui dicebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Sicut enim mater præſumptionis elatio, ſic manſuetudo vera nonniſi ex vera humilitate procedit. Nec in ſola tamen Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, ſed evidentius reſonat in ſermone. Audierat, *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei:* & nihil aliud, quàm ancillam ejus ſe eſſe reſpondit. Inde ventum eſt ad Elizabeth, & continuo Virginis gloria ſingularis eidem per Spiritum revelatur. Denique & mirabatur perſonam venientis, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Commendabat & vocem ſalutantis, adjiciens: *Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exſultavit in gaudio infans in utero meo.* & beatificabat fidem credentis: *Beata*, inquiens, *quæ credidiſti, quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Magna quidem præconia: ſed & devota humilitas nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis univerſa refudit, cujus in ſe beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas Matrem Domini: ſed *magnificat anima mea Dominum.* In voce mea filiom perhibes exſultaſſe in gaudio: ſed *exſultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo:* & ipſe quoque, tamquam amicus ſponſi, gaudio gaudet ad vocem ſponſi. Beatam eſſe dicis quæ crediderit: ſed credulitatis & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generationes*, quia ancillam humilem & exiguam reſpexit Deus.

Mat. 11. 29. Manſuetudo & humilitas cognatæ virtutes.

Luc. 1. 35.

Ibidem.

Luc. 1. 45. B. Maria laudem a ſe rejicit in Deū.

13. Verumtamen numquid putamus, Fratres, Elizabeth ſanctam in eo, quod per Spiritum utique loquebatur, erraſſe? Abſit. Beata plane quam reſpexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ reſpectionis exſtitit fructus. Ineffabili ſiquidem artificio Spiritus ſupervenientis tantæ humilitati magnanimitas tanta in ſecretario virginei cordis acceſſit, ut (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæ quoque nihilo minus fiant ſtellæ ex reſpectu mutuo clariores, quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: ſed cum in ſua æſtimatione tam humilis eſſet, nihilo minus & in promiſſionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud quàm exiguam ſeſe reputabat ancillam, ad incomprehenſibile hoc myſterium, ad admirabile commercium, ad inſcrutabile ſacramentum nullatenus ſe dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram. AGIT HOC nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur ſibi, ut non ſolum nulla ex magnanimitate ſubintret elatio, ſed hinc maxime provehatur humilitas: ut inveniantur eo amplius timorati, & largitori munerum non ingrati; ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſubrepat: ſed quo minus de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſuevit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de divina virtute confidat.

11 Magnanimitas credulitatis.

Humilitas non reddit puſillanimes, nec magnanimitas arrogantes.

14. Martyrium ſane Virginis (quam nimirum inter ſtellas diadematis ejus, ſi meminiſtis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prophetia, quam in ipſa dominicæ paſſionis hiſtoria commendatur. *Poſitus eſt hic*, ait ſanctus Senex de parvulo Jeſu, *in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam* (ad Mariam autem dicebat) *pertranſibit gladius.* Vere tuam, ô beata Mater, animam gladius pertranſivit. Alioquin non niſi eam pertranſiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem poſteaquam emiſit ſpiritum tuus ille Jeſus, (omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus:) ipſius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet) aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat: ſed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus.

12 Martyrium cordis.

Luc. 2. 35.

15. An non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille, revera pertranſiens animam, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus: *Mulier, Ecce filius tuus?* O commutationem! Johannes tibi pro Jeſu traditur, ſervus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro; filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero! Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licet ſaxea, licet ferrea pectora ſola recordatio ſcindit? Non miremini, Fratres, quod Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Miretur, qui non meminerit ſe audiſſe Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod ſine affectione fuiſſent. Longe id fuit à Mariæ viſceribus, longe id ſit etiam à ſervulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum præſcierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non ſperabat continuo reſurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quiſnam tu, frater, aut unde tibi hæc ſapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud caritas, qua majorem nemo habuit: fecit & hoc caritas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit. Jam te, Mater miſericordiæ, per ipſum ſinceriſſimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna *, mediatricem ſibi apud Solem juſtitiæ conſtitutam devotis ſupplicationibus interpellat: ut in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit præ omnibus, & ornavit, ſtola gloriæ induens, & coronam pulcritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cæleſti, innixa ſuper dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, Domina; ipſi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantum, ſed & camelis potum tribuas de ſupereffluenti hydria tua: quia tu vere puella es prælecta & præparata Altiſſimi Filio, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Johan. 19. 26.

Dolor & afflictio Mariæ in paſſione & morte filii.

Rom. 1. 31.

Supplicatio ad B. Virginem.

** id eſt, Eccleſia.*

IN NATIVITATE [a] B. V. MARIÆ,

viii Sept.

SERMO.

De Aqua-ductu.

Ft. FOEcundæ Virginis amplectitur cælum præſentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic recordatio invenitur: ibi ſatietas, hic tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hic nomen. *Domine*, inquit, *nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione & generationem.* Generatio & generatio, non Angelorum profecto, ſed hominum eſt. Vis ſcire quia nomen & memoriale ejus in nobis eſt, præſentia in excelſo? *Sic orabitis*, inquit: *Pater noſter qui es in cælis*,

Pſal. 101. 13.

Matt. 6. 9.

a De hoc feſto vide epiſtolas 86. 151. 174 & 420. Item de Octavis ejuſdem feſti lege Anſelmum epiſcopum Cantuarienſem lib. 4. epiſtola 41. ad Ernulfum Priorem Cantuarienſem.

ſanctificetur nomen tuum. Fidelis oratio, cujus ipſa pri-
mordia & divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinatio-
nis admoneant: ut hoc ſcientes, quod quamdiu non
ſumus in cælo, peregrinamur à Domino, gemamus in-
tra noſmetipſos, adoptionem filiorum exſpectantes,
præſentiam utique Patris. Signanter proinde & de
Thren. 4. 20. Chriſto Propheta loquitur, dicens: *Spiritus ante faciem
noſtram Chriſtus Dominus; in umbra ejus vivemus inter
gentes.* Nam inter cæleſtes quidem beatitudines non in
Pſal. 109. 3. umbra vivitur, ſed potius in ſplendore. *In ſplendoribus
ſanctorum*, inquit, *ex utero ante luciferum genui te.* Ve-
rum id quidem Pater.

2. At Mater ſane eumdem ipſum in ſplendore non
genuit, ſed in umbra, nonniſi ea tamen, qua obum-
bravit Altiſſimus. Merito proinde canit Eccleſia, non
illa quidem Eccleſia Sanctorum, quæ in excelſis & in
ſplendore eſt, ſed quæ interim peregrinatur in terris:
Cant. 2. 3. *Sub umbra ejus quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus
dulcis gutturi meo.* Lucem quippe meridianam, ubi paſ-
cit ſponſus, ſibi petierat indicari: ſed repreſſa eſt, &
pro plenitudine luminis umbram, pro ſatietate inte-
rim guſtum recepit. Denique non ait, Sub umbra
ejus quam deſideraveram, ſed, *Sub umbra ejus quem de-
ſideraveram ſedi.* Neque enim ipſius expetierat um-
bram, ſed ipſum profecto meridiem, lumen plenum
de lumine pleno. *Et fructus ejus*, ait, *dulcis gutturi
meo:* acſi dicat, *guſtui meo.* Uſquequo non parcis mihi,
nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam? Quouſ-
Pſal. 33. 9. que manet illa ſententia, *Guſtate, & videte quoniam
ſuavis eſt Dominus?* Et quidem ſuavis guſtui, & dulcis
gutturi, ut merito etiam ſuper hoc ſponſa proruperit
in vocem gratiarum actionis & laudis.

Cant. 5. 1. 3. Sed quando dicetur: *Comedite amici, & bibite, &
Pſal. 67. 4. inebriamini cariſſimi? Juſti epulentur*, ait Propheta, ſed
in conſpectu Dei, utique non in umbra. Et de ſeipſo:
Pſal. 16. 15. *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua.* Sed & Domi-
Luc. 22. 28. nus ad Apoſtolos ait: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in
tentationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mi-
hi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam
meam.* Sed ubi? *in regno meo*, inquit. Beatus plane qui
manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque
nomen tuum, per quod utcumque interim in nobis es,
Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam no-
men tuum jam invocatum eſt ſuper nos. Adveniat re-
gnum tuum. Veniat utique quod perfectum eſt, & eva-
Rom. 6. 22. cuetur quod eſt ex parte. *Habetis*, ait Apoſtolus, *fructum
veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.*
Vita æterna, fons indeficiens, qui univerſam irrigat
ſuperficiem paradiſi. Nec modo irrigat, ſed inebriat,
fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt
impetu de Libano: & fluminis impetus lætificat civi-
tatem Dei. Quis vero fons vitæ, niſi Chriſtus Domi-
Coloſſ. 3. 4. nus? *Cum Chriſtus*, inquit, *apparuerit vita veſtra, tunc
Chriſtus fons vitæ ad nos. & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Sane ipſa ſeſe ple-
nitudo exinanivit, ut fieret nobis juſtitia, & ſanctifi-
catio, & remiſſio; necdum apparens vita, aut gloria,
aut beatitudo. Derivatus eſt fons uſque ad nos, in
plateis derivatæ ſunt aquæ, licet non bibat alienus ex
Prov. 5. 16. eis. Deſcendit per aquæ-ductum vena illa cæleſtis, non
tamen fontis exhibens copiam, ſed ſtillicidia gratiæ
arentibus cordibus noſtris infundens, aliis quidem plus,
aliis minus. Plenus equidem aquæ-ductus, ut accipiant
ceteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſam.

4. Advertiſtis jam, ni fallor, quem velim dicere
Maria aquæ-ductus aquæ-ductum, qui plenitudinem fontis ipſius de cor-
de Patris excipiens, nobis edidit illum, ſi non prout
eſt, ſaltem prout capere poteramus. Noſtis enim cui
dictum ſit: *Ave gratia plena.* An vero inveniri potuiſ-
ſe miramur, unde talis ac tantus fieret aquæ-ductus,
cujus nimirum ſummitas, inſtar profecto ſcalæ illius
quam vidit Patriarcha Jacob, cælos tangeret, immo
Gen. 28. 12. & tranſcenderet cælos, & vividiſſimum iſtum aqua-
rum, quæ ſuper cælos ſunt, poſſet attingere fontem?
Mirabatur & Salomon, & velut deſperanti ſimilis aie-
Prov. 31. 10. bat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Nimirum propter-
ea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defue-

runt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, Tom. III.
tam deſiderabilis aquæ-ductus. Nec mirabere diutius
exſpectatum, ſi recordaris, quot annis Noe, vir juſtus,
in arcæ fabrica laborarit, in qua paucæ, id eſt octo ani-
mæ, ſalvæ factæ ſunt, idque ſatis ad modicum tempus.

5. Sed quomodo noſter hic aquæ-ductus fontem il-
lum attigit tam ſublimem? Quomodo putas, niſi ve- Aquæ ductus hujus aſcenſus.
hementia deſiderii, niſi fervore devotionis, niſi puri-
tate orationis? ſicut ſcriptum eſt: *Oratio juſti penetrat
cælos.* Et quis juſtus, ſi non Maria juſta, de qua Sol
juſtitiæ ortus eſt nobis? Quomodo ergo illa inacceſ-
ſam attigit majeſtatem, niſi pulſando, petendo, quæ-
rendo? Denique & quod quærebat invenit, cui dictum
eſt: *Invenisti gratiam apud Deum.* Quid? Plena eſt Eccli. 35. 21.
gratia, & gratiam adhuc invenit? Digna prorſus in- Per fervorem devotionis.
venire quod quærit, cui propria non ſufficit plenitu-
do, nec ſuo poteſt eſſe contenta bono: ſed, quemad-
modum ſcriptum eſt, *Qui bibit me, adhuc ſitiet*; petit Eccli. 24. 29.
ſupereffluentiam ad ſalutem univerſitatis. *Spiritus- Maria non ſibi tantum plena ſed & nobis.
ſanctus*, ait, *ſuperveniet in te*, & pretioſum illud bal-
ſamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet,
ut copioſiſſime effluat circumquaque. Ita eſt: jam ſen-
timus, jam exhilarantur facies noſtræ in oleo. Jam
clamamus: *Oleum effuſum nomen tuum*, & memoriale Cant. 1. 2.
tuum in generatione & generationem. Verum id qui-
dem non in vanum: & ſi oleum effunditur, ſed non
perit. Propterea ſiquidem & adoleſcentulæ, parvulæ
ſcilicet animæ, ſponſum diligunt, idque non parum;
& unguentum deſcendens de capite, non modo bar-
ba, ſed & ipſa veſtimenti ora ſuſcepit.

6. Intuere, ô homo, conſilium Dei, agnoſce conſi-
lium Sapientiæ, conſilium pietatis. Cæleſti rore aream
rigaturus, totum vellus prius infudit: redempturus
humanum genus, pretium univerſum contulit in Ma-
riam. Ut quid hoc? Forte ut excuſaretur Eva per fi-
liam, & querela viri adverſus feminam deinceps ſo-
piretur. Ne dixeris ultra, ô Adam, *Mulier quam de-* Gen. 3. 12.
diſti mihi, dedit mihi de ligno vetito: dic potius, Mu-
lier quam dediſti mihi, me cibavit fructu benedicto.
Piiſſimum ſane conſilium; ſed latet forſitan aliud, nec
totum hoc eſt. Verum id quidem, ſed parum eſt (ni
fallor) deſideriis veſtris. Dulcedo lactis eſt; elicietur
forte, ſi fortius premimus, & pinguedo butyri. Al-
tius ergo intueamini, quanto devotionis affectu à no-
bis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudi-
nem poſuit in Maria: ut proinde ſi quid ſpei in nobis
eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus
redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Hortus plane
deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, ſed
& perflaverit ſuperveniens auſter ille divinus, ut un-
dique fluant & effluant aromata ejus, chariſmata ſcili-
cet gratiarum. Tolle corpus hoc ſolare, quod illumi-
nat mundum: ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris
ſtellam, maris utique magni & ſpatioſi: quid niſi ca-
ligo involvens, & umbra mortis, ac denſiſſimæ te-
nebræ relinquuntur?

7. Totis ergo medullis cordium, totis præcordio- Maria quanto affectu veneranda & invocanda.
rum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc vene-
remur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos ha-
bere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus
eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidem & per om-
nia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur,
fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, eri-
git puſillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere,
ſolo auditu territus, ad folia fugiebas: Jeſum tibi de-
dit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius
talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua:
Pater enim diligit Filium. An vero trepidas & ad ip-
ſum? Frater tuus eſt & caro tua, tentatus per omnia
abſque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi fra-
trem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo majeſtatem
vereare divinam, quod licet factus ſit homo, man-
ſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ip-
ſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas Advocata noſtra apud Filium.
in Maria, non modo pura ab omni contaminatione,
ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim,

Tom. III.

exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne Filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam; non audire, aut non audiri Filius poteſt? Neutrum plane. *Inveniſti*, ait Angelus, *gratiam apud Deum*. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & ſola eſt gratia qua egemus. Prudens Virgo non ſapientiam, ſicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia, qua ſalvamur.

Luc. 1. 30.

Gratia apud Deum per Mariam quærenda.

8. Quid nos alia concupiſcimus, Fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam ſtudeamus. Quid enim? Num gratiæ eſt quod hic ſumus? Profecto miſericordiæ Domini eſt, quod non ſumus conſumpti nos. Qui nos? Nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utique mundi hujus. Conſulite conſcientias veſtras, Fratres, & videte, quia ubi abundavit delictum, ſuperabundat & gratia. Maria non prætendit meritum, ſed gratiam quærit. Denique uſque adeo fidit gratiæ, & non altum ſapit, ut ſalutationem angelicam vereatur. *Maria*, inquit, *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Nimirum ſeſe ſalutatione angelica reputabat indignam. Et forſitan talia meditabatur: Unde hoc mihi, ut veniat Angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris Angelum venientem: & major Angelo venit. Ne mireris Angelum Domini: & Dominus Angeli tecum. Poſtremo quidni videas Angelum, cum jam angelice vivas? Quidni viſitet Angelus vitæ ſociam? Quidni ſalutet civem Sanctorum, & domeſticam Dei? Angelica plane vita virginitas: & qui non nubent, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei.

Religioſorum qualis ſenſus eſſe debeat de ſua vocatione.

Virginitas angelica vita.

9. Videſne quod & hoc nihilo minus modo aquæductus noſter aſcendit ad fontem; nec ſola jam oratione cælos penetrat, ſed etiam incorruptione, quæ proximum Deo facit, ſicut Sapiens ait? Erat enim virgo ſancta corpore & ſpiritu, cui ſpecialiter eſſet dicere: *Converſatio noſtra in cælis eſt*. Sancta, inquam, corpore & ſpiritu, ne quid forſitan ſuper hoc dubites aquæductu. Sublimis equidem valde, ſed nihilo minus integerrimus manet. Hortus concluſus, fons ſignatus, templum Domini, ſacrarium Spiritus-ſancti. Nec enim eſt fatua virgo, cui non modo oleum eſt, ſed olei plenitudo in vaſe recondita. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, converſatione pariter (ſicuti jam diximus) & oratione aſcendens. Denique abiit in montana cum feſtinatione, & ſalutavit Eliſabeth, & in miniſterio ejus erat quaſi menſibus tribus, ut jam tunc poſſet dicere matri Mater, quod tanto poſt filio dixit Filius: *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*. Plane montana conſcendens, cujus juſtitia ſicut montes Dei. Tertius enim hic aſcenſus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficile rumperetur. Fervebat ſiquidem in quærenda gratia caritas, ſplendebat in carne virginitas, humilitas in obſequio eminebat. Etenim ſi omnis qui ſe humiliat exaltabitur, quid hac humilitate ſublimius? Veniſſe eam mirabatur Eliſabeth, & dicebat: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sed jam magis miretur, quod inſtar utique Filii & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. Merito proinde Cantor ille divinus in ipſius admiratione præcinens, aiebat: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Aſcendit plane ſupra humanum genus, aſcendit uſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcendit, & cæleſtem omnem ſupergreditur creaturam. Nimirum ſupra Angelos hauriat neceſſe eſt, quam refundat hominibus aquam vivam.

2. Aſcenſus per incorruptionem.

Sap. 6. 20.

Philip. 3. 20.

Matth. 3. 15.

3. Aſcenſus per humilitatem.

Luc. 1. 43.

Cant. 6. 9.

10. *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco*. Vere ſancta corpore & ſpiritu, & integritatem carnis habens, & propoſitum integritatis. Reſpondens autem Angelus, dixit: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ne me interrogaveris, inquit: ſupra me eſt, & non potero ad illud. Spiritus-ſanctus, non angelicus, ſuperveniet in te; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, non ego. Ne ſteteris vel intra Angelos Virgo ſancta: ſublimius aliquid tuo ſibi miniſterio propinandum terra ſitiens præſtolatur. Paululum cum pertranſieris eos, invenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam: non quia non incomparabiliter ſuperemineat, ſed quod inter eum & ipſos medium nihil invenias. Tranſi ergo Virtutes & Dominationes, Cherubin quoque & Seraphin, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur ad invicem: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Fons ſapientiæ, Verbum Patris in excelſis. Hoc Verbum mediante te caro fiet: ut qui dicit, *Ego in Patre, & Pater in me*; dicat nihilo minus, *quia ego à Deo proceſſi & veni*. *In principio*, inquit, *erat Verbum*. Jam ſcatet fons: ſed interim tantum in ſemetipſo. Denique *& Verbum erat apud Deum*, lucem profecto habitans inacceſſibilem; & dicebat Dominus ab initio: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*. Sed penes te eſt cogitatio tua, & quid cogites, nos neſcimus. Quis enim cognoverat ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus erat? Deſcendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum eſt, & habitat jam in nobis. Habitat plane per fidem in cordibus noſtris, habitat in memoria noſtra, habitat in cogitatione, & uſque ad ipſam deſcendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, niſi forſitan idolum corde fabricaret?

Iſai. 6. 3.

Johan. 14. 10.

Johan. 1. 1.

Jer. 29. 11.

Deus ante incomprehenſibilis, nunc comprehendi potuit.

11. Incomprehenſibilis erat & inacceſſibilis, Inviſibilis & inexcogitabilis omnino. Nunc vero comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirum jacens in præſepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, aut in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans, ſeu etiam tertia die reſurgens, & Apoſtolis loca clavorum victoriæ ſigna demonſtrans, noviſſime coram eis cæli ſecreta conſcendens. Quid horum non vere, non pie, non ſancte cogitatur? Quicquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia ipſe eſt Deus meus. Hæc ego meditari dixi ſapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam ſuavitatis, quam in hujuſcemodi nucleis virga ſacerdotalis copioſe produxit; quam in ſupernis hauriens, uberius nobis Maria refudit. In ſupernis plane, & ultra Angelos, quæ Verbum ex ipſo Patris corde ſuſcepit, ut ſcriptum eſt: *Dies diei eructat verbum*. Utique dies Pater: ſiquidem dies ex die ſalutare Dei. An non etiam Virgo dies? Et præclara. Rutilans plane dies, quæ procedit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol.

Pſal. 18. 3.

12. Intuere igitur quemadmodum uſque ad Angelos plenitudine gratiæ, ſupra Angelos ſuperveniente Spiritu-ſancto pervenit. Eſt in Angelis caritas, eſt puritas, eſt humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Sed oſtenſum eſt ſuperius, ut quidem à nobis oſtendi potuit: ſupereminentiam proſequamur. Cui enim Angelorum aliquando dictum eſt, *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei?* Denique Veritas de terra orta eſt, non de angelica creatura: nec Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Magnum eſt Angelo ut miniſter ſit Domini; ſed Maria ſublimius quiddam meruit, ut ſit Mater. Fœcunditas itaque Virginis ſupereminens gloria eſt, tantoque excellentior Angelis facta munere ſingulari, quanto differentius præ miniſtris nomen Matris accepit. Hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut caritate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilo minus ſine viri cognitione gravida, ſine muliebri dolore puerpera. Parum eſt: Quod ex ea natum eſt, Sanctum vocatur, & eſt Filius Dei.

S. Maria ſupra omnes Angelos omnimoda ſublimitur.

Luc. 1 35.

13. De reliquo, Fratres, curandum nobis ſummopere eſt, ne Verbum, quod de ore Patris ad nos egreſ-

ſum eſt Virgine mediante, vacuum revertatur: ſed per eamdem nihilo minus Virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præſentiam ſoſpiramus, & ſuæ reddantur origini fluenta gratiæ, ut uberius fluant. Alioquin niſi ad fontem redeant, exſiccantur, & infideles in modico, quod maximum eſt accipere non meremur. Modicum plane memoria ad præſentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longe infra deſiderium, ſed nihilo minus ſupra meritum. Sapienter proinde ſponſa & pro hoc modico oon modice * gratulatur. Cum enim dixiſſet, *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie*: recipiens exigua pro immenſis, & pro paſtu meridiano libans ſacrificium veſpertinum, minime tamen, ut ſolet fieri, murmurat aut triſtatur, ſed gratias agit, & in omnibus ſeſe exhibet devotiorem. Novit enim quod ſi fidelis fuerit in umbra memoriæ, lucem præſentiæ ſine dubio obtinebit. Itaque qui reminiſcimini Domini oe taceatis, & ne detis ſilentium. Nimirum qui præſentem habent Dominum, exhortatione non indigent: & quod ait Propheta alius, *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*; congratulationis eſt potius, quàm commonitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant, & ne dederint ſilentium ei. Loquitur enim, & loquitur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor. Ceterum *cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*: & audientem ſeſe audiet, & loquenti ſibi loquetur. Alioquio ſilentium ei dediſti ſi taceas. Sed unde ſi taceas? A laude. *Ne taceatis*, inquit, *& ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Jeruſalem laudem in terra.* Laus Jeruſalem, jucunda & decora laudatio. Niſi forte Angelos cives Jeruſalem mutuis opinamur laudibus delectari, & decipere de vanitate in idipſum.

Gratiæ fluenta originii ſuæ reddenda, ut fluant uberius.

* al. gloriatur.

Cant. 1. 6.

Dei laus & gratia memoria frequentanda, dum differtur præſentia.

Pſal. 147. 1.

Pſal. 17. 26.

Iſai. 62. 7.

14. Fiat voluntas tua, Pater, ſicut in cælo & in terra, ut laus Jeruſalem ſtabiliatur in terra. Quid enim modo eſt? Non quærit Angelus ab Angelo gloriam in Jeruſalem, & homo ab homine laudari cupit in terra? Exſecranda perverſitas! ſed eorum ſit, qui ignorantiam Dei habent, qui obliti ſunt Domini Dei ſui. Vos qui reminiſcimini Domini, ne taceatis à laude ejus, donec ſtabiliatur & perficiatur in terra. Eſt enim ſilentium irreprehenſibile, immo & laudabile magis. Eſt & ſermo non bonus. Alioquin non diceret Propheta, bonum eſſe homini præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Bonum ſilentium à jactantia, boour à blaſphemia, bonum à murmure & detractione. Alius enim ob laboris magnitudinem & pondus diei exaſperatus, animo murmurat; & dijudicat eos qui pro anima ſua pervigilant, tamquam reddituri utique rationem. Clamor eſt, ſed ſupra omne ſilentium clamor iſte animi obdurati ſilere facit, quam audiri non patitur, vocem verbi. Alius puſillanimitate ſpiritus in exſpectatione deficit: peſſimumque hoc verbum blaſphemiæ eſt, quod nec in hoc ſæculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat, & in mirabilibus ſuper ſe, dicens, Manus noſtra excelſa; putans ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim, quia dives ſum, & nullius egeo. Porro Veritatis ſententia eſt: *Væ vobis divitibus, quia habetis hic conſolationem veſtram.* Contra vero: *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blaſphema, lingua magniloqua: quoniam bonum eſt in hoc triplici ſilentio ſalutare Domini præſtolari, ut dicas: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Ejuſmodi quippe voces non ad eum ſunt, ſed adverſus eum, ſicut Legiſlator murmurantibus ait: *Non enim contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.*

Thren. 3. 17.

Bonum & laudabile ſilentium triplex.

Luc. 6. 24.

Matth. 5. 5.

1. Reg. 3. 10.

Exod. 16. 8.

15. Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis ſilentium ei. Loquere illi contra jactantiam in confeſſione, ut obtineas veniam de præteritis. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, ut ampliorem invenias gratiam in præſenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, ut conſequaris & gloriam in futuro. Confitere, ioquam, præterita, & pro præſentibus gratias age, ac deinceps ora ſtudioſius pro futuris: ut ne ipſe quidem ſileat a remiſſione, ab immiſſione, à promiſſione. Ne taceas, inquam, & ne dederis ſilentium ei. Loquere, ut & ipſe loquatur, & dicere poſſit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Jucunda vox, & eloquium dulce. Nimirum non vox murmuris hæc, ſed vox turturis eſt. Et ne dixeris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Non jam aliena reputabitur, de qua ſponſus ait: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Audierat enim dicentem: *Capite nobis vulpes parvulas.* & forte ex eo in vocem exſultationis erupit, ut diceret: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Plane vox turturis, quæ tam viventi, quàm mortuo, ſingulari utique caſtimonia, ſuo compari perſeverat, ut eam neque mors, neque vita à Chriſti ſeparet caritate. Intuere etenim, utrumnam aliquid hunc dilectum avertere potuerit à dilecta, quominus ei & peccanti, & averſæ perſeveraret. Glomeratæ oubes radios offundere contendebant, ut iniquitates noſtræ ſepararent inter nos & Deum: ſed incaluit * Sol, & univerſa diſſolvit. Alioquin quando rediſſes ad eum, niſi ille tibi perſeveraſſet, niſi clamaſſet: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te?* Eſto ergo illi & tu nihilo minus perſeverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris.

Sermo bonus & utilis itidem triplex.

Tom. III.

Cant. 2. 16.

Pſal. 136. 5.

Cant. 2. 12.

Ibidem 15.

Dei erga hominem conſtans & fortis amor.

* al. invaluit.

Cant. 6. 12.

16. Luctare cum Angelo, ne ſuccumbas; quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. An non lucta, *Dilectus meus mihi, & ego illi?* NOTAM fecit dilectionem ſuam; experiatur & tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat ſæpius, avertit faciem, ſed non in ira. PROBATIONIS iſtud eſt, non reprobationis. SUSTINUIT te dilectus; ſuſtine tu dilectum, ſuſtine Dominum, viriliter age. NON ILLUM vicere peccata tua; te quoque ipſius flagella oon ſuperent, & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cum aurora fuerit, cum adſpiraverit jam dies, cum ſtabilierit Jeruſalem laudem in terra. *Ecce*, inquit, *vir luctabatur cum Jacob uſque mane.* Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, qoia ſperavi in te, Domine. Non tacebo, nec dabo tibi ſilentiom uſque mane; utinam nec jejunium. Nimirum dignaris & paſci, ſed inter lilia. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Nimirum & ſupra, ſi meminiſti, in eodem Cantico evidenter expreſſum eſt, quod florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende, quod locum, non cibum indicare videtur; nec quibus paſcitur exprimit, ſed ioter quæ. Forte enim non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorum: nec liliis veſcitur, ſed verſatur. Nimirum odore potius, quàm ſapore lilia placent; & viſui magis ſunt apta, quàm eſui.

Matth. 11. 12.

Tentationibus vel adverſis non cedendum.

Gen. 32. 24.

Cant. 2. 16.

Cant. 2. 12.

17. Ita ergo paſcitur inter lilia, donec adſpiret dies, & venuſtati florum fructuum ſuccedat ubertas. Interim * quippe florum, non fructuum tempus eſt, dum in ſpe magis, quàm in re ſumus: & per fidem, non per ſpeciem ambulantes, exſpectatione magis quàm experientia gratulamur. Conſidera denique floris teneritudinem, & memento verbi, quod ait Apoſtolus, quia *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Quanta enim videntur imminere pericula floribus! Quàm facile ſpinarum aculeis lilium perforatur! Merito proinde canit dilectus: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* An non erat lilium inter ſpinas, qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Ceterum etſi juſtus germinat ſicut lilium, ſed non ad lilium ſponſus paſcitur, nec in ſingularitate complacet ſibi. Audi denique inter lilia commorantem. *Ubi*, inquit, *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Amat ſemper media Jeſus, diverticula ſemper & reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei & hominum mediator. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Curemus habere lilia,

* al. Iam.

2. Cor. 4. 7.

Cant. 2. 2.

Pſal. 119. 6.

Singularitas exoſa Chriſto.

Matt. 18. 20.

Tom. III.

Fratres, exſtirpare ſpinas & tribulos, & inſerere lilia feſtinemus: ſi quando forte & ad nos paſcendus dignetur dilectus deſcendere.

18. Apud Mariam utique paſcebatur, idque copioſius pro multitudine liliorum. Annon lilia virginitatis decus, humilitatis inſigne, ſupereminentia caritatis? Erunt tamen & nobis lilia, quamvis inferiora valde: ſed ne inter hæc quidem dedignabitur paſci ſponſus; ſiquidem eas, quas prædiximus, actiones gratiarum devotionis hilaritas illuſtraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confeſſionem indulgentia dealbaverit, ſicut ſcriptum eſt: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ceterum quicquid illud eſt, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, & ſine hoc aquæ-ductu infundere gratiam, prout vellet: ſed tibi vehiculum voloit providere. Forte enim manus tuæ, aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excuſſiſti. Ideoque [a] modicum iſtud quod offerre deſideras, gratiſſimis illis & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nimirum candidiſſima quædam lilia ſunt: nec cauſabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quicquid illud ſit quod inter Mariæ manus invenerit, amen.

Iſai. 1. 18.

Mariæ commenda quicquid offers Deo.

[a] *al.* Itaque.

XXIX Sept.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS,

Sermo primus.

De Angelorum erga nos officiis, & noſtra erga ipſos reverentia [a].

[a] *al.* De triplici cauſa, qua pro nobis ſolliciti ſunt Angeli.

1. ANgelorum hodie memoria celebratur, & exigitis debitum pro tanta ſollemnitate ſermonem. Sed quid de angelicis ſpiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus ſane, & indubitata fide tenemus, divina eos præſentia & viſione beatos ſine fine lætari in bonis Domini, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus, quæ nec ipſe quidem cogitare, nec illi ſaltem audire ſufficiant? Profecto ſi ex abundantia cordis os loquitur, ſileat nihilo minus lingua neceſſe eſt ex inopia cogitationis. Attamen ſi multum eſt ad nos loqui de ea claritate & gloria, qua in ſemetipſis, immo in Deo ſuo Angeli ſancti noſtris omnino ſupereminent cordibus: de ea loquamur, quam nobis exhibent, gratia & caritate. In ſupernis enim ſpiritibus non ſolum admirabilis dignitas, ſed & dignatio amabilis invenitur. Dignum eſt proinde, Fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur miſericordiam, qua nimirum conſtat nihilo minus abundare domeſticos Dei, cæli cives, principes paradiſi. Teſtatur denique Apoſtolus ipſe, qui raptus uſque ad tertium cælum, beatæ illi curiæ meruit intereſſe, atque ejus noſſe ſecreta: *Quoniam omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.*

Angelorum eminentia, ſeu dignitas.

Eorumdem erga nos dignatio & caritas.

Heb. 1. 14.

2. Neque id cuiquam incredibile videatur; quandoquidem ipſe quoque Creator & Rex Angelorum venit, non miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare pro multis. Ut quid ergo miniſteriom illud Angelorum quiſpiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelſis tota cum aviditate & felicitate miniſtrant? Si & hinc dubitas, utique qui vidit, teſtimonium perhibuit: *Millia*, inquiens, *millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Alius quoque Propheta ad Patrem de Filio loquens, ait: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Sic plane, ſic decet ut vincat & humilitate, qui ſublimitate vincebat; ſitque tanto minor Angelis, quanto inferiori ſeſe miniſterio mancipavit: qui tanto excellentior eſt, quanto differentius præ eis nomen hereditavit. Sed quæras fortaſſe, in quo minoratus videatur ab Angelis, cum miniſtrare venit, quandoquidem (ut ſupra meminimus) in miniſterium mittuntur & illi? In eo utique quod non modo miniſtravit, ſed & miniſtratus eſt, eratque unus & idem qui miniſtrabat, & qui miniſtrabatur. Merito proinde ſponſa in Canticis canticorum: *Ecce*, inquit, *venit iſ ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Miniſtrans enim ſalit inter Angelos: ſed & ipſos tranſilit miniſtratus. Miniſtrant enim Angeli, ſed de alieno, offerentes Deo bona opera, non ſua, ſed noſtra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde & Scriptura dicens, *Quoniam aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli*; ſollicite præmiſit, *data ei fuiſſe incenſa multa.* Noſtros enim ſudores, non ſuos; noſtras, non ſuas lacrymas offerunt Deo: nobis quoque ejus munera referunt, & non ſua.

Matt. 20. 28.

Dan. 7. 10.

Pſal. 8. 6.

Chriſtus & Angeli miniſtrare venerunt, quo diſcrimine.

Cant. 2. 8.

Apoc. 8. 4.

3. Non ſic Miniſter ille ſublimior cunctis, ſed & humilior univerſis, qui ſemetipſum obtulit ſacrificium laudis, qui Patri offerens animam ſuam, nobis miniſtrat uſque hodie carnem ſuam. Hujus utique tanti Miniſtri gratia nihil mirum, ſi dignanter nobis, immo & libenter Angeli ſancti miniſtrent. Ipſi enim amant nos, quia nos Chriſtus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos vero, ô beati Angeli, catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis; catelli, inquam, cupientes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa dominorum noſtrorum, qui eſtis vos. Et hæc dixerim, Fratres, ut ampliorem de cetero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni neceſſitate veſtra eorum invocetis auxilia: ſed & dignius in eorum præſentia converſari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam ſtudeatis. Cujus rei gratia neceſſarium duco alias quoque caritati veſtræ exponere cauſas, quæ & ipſæ beatos Angelos pro noſtra infirmitate reddant ſollicitos; abſque ſua ſane anxietate, ſed non abſque utilitate noſtra; nec ad detrimentum felicitatis ſuæ, ſed ad noſtræ ſalutis augmentum.

Angeli cur pro nobis ſolliciti.

4. Conſtat ſine dubio, rationis participes & capaces beatitudinis humanas animas angelicæ (ſi dicere id audeamus) cognatas eſſe naturæ: nec decet vos, ô beati Spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam viſitare debetis, ſpeciem veſtram, licet in multam (ut ipſi cernitis) dejecta ſit vilitatem. Sed neque arbitramur vos, ſuperni cives, civitatis veſtræ excidio delectari, & ruina murorum, quos ſemirutos eſſe ipſi videtis. Cujus inſtaurationem ſi deſideratis, (ut dignum eſt;) frequenter quæſo ante thronum gloriæ verbum precis iterate, dicentes: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Si diligitis decorem domus Dei, immo quia vere diligitis; experiantur zelum veſtrum vivi & rationales lapides, qui ſoli in inſtaurationem ejus vobis poſſunt coædificari. Hic eſt, dilectiſſimi, funiculus triplex, quo de excelſo cælorum habitaculo ad conſolandos, ad viſitandos, ad adjuvandos nos attrahitur ſupereminens caritas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter ſeipſos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos miſericordiæ viſcera ipſi quoque (ut dignum eſt) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem miſerantur. Propter ſeipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur. In ore enim parvulorum qui lacte modo veſcuntur, & nondum ſolido cibo, perficienda eſt laus illa majeſtatis divinæ, cujus habentes primitias angelici ſpiritus, beata nimirum delectatione fruuntur: ſed tanto avidius nos exſpectant, quanto conſummationis ejus exſpectatione & expetitione ſollicitantur.

Pſal. 50. 20.

5. Quæ cum ita ſint, penſate, quanta etiam nobis ſollicitudine opus eſt, dilectiſſimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo converſemur in conſpectu Angelorum, ne forte ſanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, ſi quando provocati

Angelorum offenſis quâ ſollicitudine cavenda.

[illegible] & n[illegible]nis noſtr[illegible] indignos nos ju[illegible] præ[illegible]nt & viſitatione ſua, ut jam n[illegible] habeamus & [illegible] p[illegible]ang[illegible]re, & dic[illegible]re cum Propheta:

Pſal. [illegible] *Amici mei & prox[illegible] mei adverſum me appropinquave[illegible], & ſteterunt. [illegible] qui juxta me erant, de long[illegible] ſteterunt [illegible] vim faciebant qui quærebant animam meam;* elo[illegible] eis, quorum præſentia prote[illegible]ere nos & prop[illegible]lſare poterat inimicum. Quod [illegible] tam nec[illegible]ſariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis eorum offenſa, & in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plu[illegible]ma quæ ei[illegible] placent, & quæ in nobis invenire delectat: ut eſt ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, [illegible] in cælum gemitus, & orationes [illegible] lacrymis, & cordis intentione. Attamen ſuper omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni [m]axime delectentur in his, quæ formam quamdam civitatis ſuæ repræſentant in nobis, ut mirentur Jeruſalem novam in terra? Dico autem, ut quomodo civitatis illius participatio eſt in idipſum, ſic & nos idipſum ſentiamus, idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata: ſed magis omnes ſimul unum corpus ſimus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

Virtutes & exer[illegible] An[illegible] gratæ.

[U]nitas & pax maxime.

Pſal. 121. 3.

Diſcordia & [illegible] diſplice[illegible].

6. Econtra vero nihil æque offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo diſſenſiones & ſcandala, ſi forte inveniantur in nobis. Audiamus quidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus. *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* In epiſtola quoque Judæ Apoſtoli legimus ſic: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes.* Videte eſt animam hominis quemadmodum univerſa corporis membra vivificet cohærentia ſibi. Separa ergo quodvis à junctura ceterorum, & vide an de cetero illud vivificet. Sic eſt omni qui dicit anathema Jeſu: quod nemo dicit loquens in Spiritu Dei, quia anathema ſeparatio eſt. Sic eſt, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, nec dubites quin ab eo receſſerit ſpiritus vitæ. Digne igitur contentioſos, & qui ſeparant ſemetipſos, Apoſtoli carnales vocant & animales, Spiritum non habentes. Dicunt ergo ſancti illi & beati Spiritus, ubi ſcandala invenerint & diſſenſiones: Quid nobis & generationi huic Spiritum non habenti? Nam ſi adeſſet Spiritus, per eum utique caritas diffunderetur, & unitas non ſcinderetur. Et dicunt: Non permanemus cum hominibus iſtis in æternum, quia caro ſunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis & pacis ſumus, & homines iſtos in eamdem unitatem & pacem ſperabamus eſſe venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui diſſident à ſeipſis? Videtis quàm congruat huic ſollemnitati evangelica lectio, quæ ſic deterret nos à ſcandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer Angelis diſplicent ſcandala. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis: dictum eſt quod ſequitur. Sed jam præterit hora, ad Miſſas nobis eundum eſt. Peto ne ſit vobis moleſta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, ſi capitulum præſens ſermone altero diligentius proſequamur.

1. Cor. 3. 3.

Judæ v. 19.

Pacis & concordiæ ſymbolum anima in corpore.

1. Cor. 12. 3

Matt. 18. 6

IN FESTO SANCTI MICHAELIS,

Sermo secundus.

In illud, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, &c.*

1. Audiſtis, Fratres, evangelicam lectionem adverſus eos, qui puſillos ſcandalizant, ſatis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum ſeducit, aperte denuntians, quoniam *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Natus ſane dedno, natus ad vitam, natus de Spiritu, qui nimirum carne poſtmodum conſummatur. Expedit ei (ſi quis eſt) qui ſcandala ſuſcitat in hac domo, in hac ſancta, Deo placita, & Angelis ejus admodum grata

Matt. 18. 7

Matt. 26. 24

A ac familiari con[illegible]ne, ut ſ[illegible] ejus mola aſinaria, & pro[illegible]ſuavi [illegible] Salvatoris gravi mole terrenæ cupid[illegible] ejus impoſita, demergatur in profundum maris hujus magni & ſpatioſi manibus, quod eſt ſine dubio ſæculum nequam. Minus enim damnabile erat [illegible] in ſæculo magis perire, quam in monaſterio. Perire ſiquidem neceſſe eſt hominem, qui caritatem non habet, etiamſi tradiderit corpus ſuum ita ut ardeat. Et hoc dixerim, Fratres, non quaſi minus bene de vobis ſentiam, aut regnare videatur in vobis n[e]quiſſimum iſtud vitium: ſed ut in ea caritate, & unanimitate, & pace in qua ſtatis in Domino, ſolliciti ſitis perſeverare, &

B abundare magis. Quæ eſt enim ſpes noſtra, & gaudium noſtrum, & corona gloriæ? Nonne unitas & unanimitas veſtra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobiſmetipſis caritatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis? Propter quod obſecro vos, ſic ſtate in Domino, cariſſimi. In hoc enim cognoſcunt omnes etiam Angeli ſancti, quod Chriſti eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

Unitas ſeu [illegible] gloria [illegible] gloſorum

2. Denique ſi tenetis memoria, quam vobis præcedenti ſermone tradidimus triplicem angelicæ erga nos

C caritatis & ſollicitudinis cauſam, poteſt hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnifice commendari. Facile ſiquidem conſiderare eſt homini, qui non diligit proximum, nullam ex his, quas tunc diximus, ſuppetere cauſam. Numquid enim Chriſti gratia diligemur ab Angelis, ſi de mutuæ dilectionis inopia cognoverint, nequaquam ejus nos eſſe diſcipulos? Numquid diligemur ab eis propter noſipſos, id eſt ſpiritualis naturæ ſimilitudinem*, ſi invenimur non diligere humanæ naturæ noſtræ conſortes? immo vero ſi ex eis quæ inter nos ſunt contentionibus, carnales nos magis, quàm ſpirituales eſſe conſtiterit? Denique numquid diligent nos propter ſeipſos, & futuram de nobis civitatis ſuæ reſtaurationem, ſi (quod abſit) unum illud, quo ſolo uniri & coædificari eis poſſu-

D mus, defuerit glutinum caritatis? Quomodo ſperabunt reædificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, ſi cognoverint, ſi viderint nos, non lapides eſſe vivos, qui poſſint invicem cohærere: ſed magis pulverem, quem projiciat ventus à facie terræ, quem unius verbi flatus in turbinem excitet, & ſuſpicionis cujuſlibet leviſſima aura diſpergat? Et hæc quidem dixiſſe ſufficiat pro eo quod ait Dominus: *Si quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis.* Credo enim quod majori ſollicitudine deinceps ab hac tam nequiſſima peſte cavebitis.

Angelica erga nos dilectionis & ſollicitudinis obſtacula.

** al. ſimilitudine.*

Matt. 18. 6

3. Jam vero quem non moveat quod ſequitur in Evangelio: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum?* Num-

E quid enim corporalem hunc oculum monemur eruere, aut unam ex manibus iſtis, ſimiliter & unum abſcindere pedem? Abſit à nobis hujuſmodi carnalis omnino, & nimis ridiculoſa cogitatio. Immo vero poſtquam ab exterioribus ſcandalis deterruit nos ſermo divinus aſpere ſatis, ſicut audiſtis, conſilium dat quid de eo nobis agendum ſit ſcandalo, quod interius patimur, contrariam invenientes legem in membris noſtris. Ipſe enim novit figmentum noſtrum, quod ejuſmodi ſcandalum non tam facile à nobis valeat evitari. Porro tripliciter fieri ſcandalum iſtud, quotidiano nobis noſſe licet experimento. Interdum enim eſt in nobis ſpiritualis intentionis oculus ſimplex, & qui

F gratiæ magis quàm noſter dicendus ſit: ſed ſcandalizat nos oculus noſter, & qui vere à nobis eſt, dum voluntas noſtra aliam minus caſtam importune ingerit intentionem. Sed habemus jam ſuper hoc ſalubre conſilium Salvatoris: *Erue eum*, inquit, *& projice abs te.* Hoc autem fiet, ſi non conſentias, ſi abjicias, ſi reſiſtas. Simili modo de manu ac pede eſt intelligendum. Cum enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus noſtra eſt quæ ſcandalizat nos: ſed abſcindi debet & projici à nobis, ut non ei conſentiamus.

Matt. 18. 9.

Scandalum duplex, internum & externum.

Internum tripliciter modo fieri poteſt.

Ibidem v. 9

Voluntatis propriæ damna.

Tom. I. 4. Sic etiam proficere in ſancta converſatione, & aſcendere per gradus ſcalæ quæ Jacob apparuit, ac juxta
Pſal. 83. 8 quod ait Pſalmiſta, de virtute in virtutem ire deſiderantes, ſæpius ſcandalum patimur a pede quodam puſillanimitatis & negligentiæ noſtræ, qui nimirum deſcendere magis ac remiſſius ire conatur: ſed abſcindi eum neceſſe eſt, ut pes gratiæ, qui ſtat in directo, currere poſſit ſine offenſione, ſine ſcandalo, ſine impedi-
Matt. 18. 9. mento. Quod autem dicit, *Bonum nobis eſſe ad vitam intrare cum uno oculo, aut manu, aut pede, quàm duos habentes ire in gehennam ignis*: eos notat qui voluntatem ſuam, ſive bona, ſive mala ſit, æque ſequuntur, & ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala ſectantes, ſecundum quod variantur deſideria ſua. Quibus merito utilius fuerat gratiæ in omnibus inhærere, & ubi obviat propria voluntas, abſcindere & a ſeipſis abjicere eam. Eſt autem cum multo tempore in abſciſſione propriæ voluntatis noſtræ exercitati aliquatenus eam domamus, ut diſcat jam non ſuperbire, ſed magis ſine omni ſcandalo vel contradictione Deo ſubjecta ſit anima noſtra; nec jam abjicere neceſſe ſit oculum noſtrum, nempe qui ſimplici adhærens oculo factus eſt & ipſe ſimplex, aut certe jam non alter eſt oculus,
1. Cor. 6. 17. ſed unus cum eo, Apoſtolo teſte: *Quoniam qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum eo.* Quod autem de oculo dictum eſt, de manu quoque & pede eodem modo
Perfectus quiſnam. eſt intelligendum. Cujus enim voluntas ex affectione & cum deſiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiſcat mala agere, nec bona minora, nec minus bene, quam gratia ſuggerit; hic plane perfectus eſt vir. Sed pax iſta potius eſt felicitatis: abſciſſio vero ſcandalorum, & tentationum victoria, fortitudinis: illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM,

1. Novembr.

SERMO PRIMUS.

De lectione Evangelica, *Videns Jeſus turbas, &c.*

1. FEſtivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum eſt celebrari. Nimirum ſi magna videtur, & eſt, beati Petri ſollemnitas, ſeu beati Stephani, aut cujuſlibet ceterorum: quanta iſta eſt, quæ non unius tantum eſt, ſed univerſorum? Verum non ignoratis, Fratres, ſæcularibus id moris eſſe, ut diebus feſtis feſtiva ſibi convivia parent: & quanto fuerit ſollemnitas clarior, tanto ſplendidius
Feſtivitates piis & religioſis non more ſæcularium celebrandæ. epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciæ ſunt quærendæ, & ſpiritualibus ſpiritualia comparanda? Propterea jam paratum eſt convivium noſtrum, Fratres, jam cocta ſunt omnia, & epulandi tempus advenit. Dignum eſt enim, ut prius anima ſatietur, quod hæc portio ſine dubitatione, & ſine comparatione ſit potior: præſertim cum Sanctorum ſollemnitates manifeſtum ſit ad animas magis, quàm ad corpora pertinere: & quæ animarum ſunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ. Quibus propterea quoque Sancti iſti compatiuntur amplius, propterea magis deſiderant animarum bona, & plus earum refectionibus delectantur, quoniam & ipſi ſimiles nobis fuere paſſibiles: & ipſi peregrinationis hujus & exilii miſerabilis deploravere moleſtias; & ipſi grave hujus corporis onus, & tumultus ſæculi, & tentationes experti ſunt inimici. Nihil itaque dubium, quin gratior eis ſit & multo acceptabilior illa feſtivitas, qua intenditur epulis animarum, quàm ſit ea, quæ celebratur à ſæcularibus, curam carnis perficientibus in deſideriis voluptatum.

Convivium ſpirit... ad ... ſuis ... 2. Verumtamen unde nobis animarum panis in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis? Unde nobis ſub ſole ſpirituali cibus, ubi nihil eſt niſi labor & dolor, & afflictio ſpiritus? Sed ſcio quis di-
Matt. 7. 7 xerit: *Petite & accipietis*, & illud: *Si vos, cum ſitis mali,*
Luc. 11. 13. *noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Nec igno-

A ro, quam obnixe tota hac nocte & die petieritis mendicantes, dari vobis panem de cælo vivum, non eum qui corpus roborat, ſed qui confirmat cor hominis. Nam convivas quidem non auſim dicere, ſed mendici ſumus, in præbenda Dei viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam Regis prædivitis, ulceribus pleni, & cupientes ſaturari, immo & ſuſtentari de micis, quæ cadunt de menſa dominorum noſtrorum, quorum celebramus hodie ſollemnitatem. Nempe deliciis affluunt, & menſuram accipiunt bonam, & confertam, & ſupereffluentem. Confidimus autem, quoniam erit qui det nobis: chaos enim magnum & diſtantia eſt multa nimis inter liberalitatem & benignitatem Dei, &
B avari divitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noſter panem (Patrem enim miſericordiarum, patrem eſſe neceſſe eſt etiam miſerorum;) dedit, inquam, nobis panem de cælo, & cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur. Mendici ſumus ante januam Regis.

3. Siquidem ad præparanda fercula veſtra, tota hac nocte concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis: ille ſine dubio, quem Dominus Jeſus miſit in terram, & voluit vehementer accendi. Nam ſpiritualem cibum, & coquinam, & ignem habere neceſſe eſt ſpiritualem. Supereſt jam ut diſtribuam quæ paravi: vos autem conſiderate potius dan-
C tem Dominum, quàm miniſtrum diſtribuentem. Ego enim, quantum in me eſt, nihil aliud ſum quam conſervus veſter, qui vobiſcum pariter, & mihi, & vobis (ſicut ipſe Dominus novit) mendico panem de cælo, & alimoniam vitæ. Propterea non ego do vobis, ſed Pater veſter ipſe eſt, qui dat vobis panem de cælo vivum: ipſe vos paſcit, & operibus, & ſermonibus, etiam & carne Filii ſui, quæ eſt vere cibus. Nam & de operibus lego: *Meus cibus eſt, ut faciam volunta-* Joan. 4. 34.
tem Patris mei. & de verbis, quoniam *non in ſolo pane* Deut. 8. 3.
vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Er- Communio hic dat.
go nunc quidem cibari habemus factis ejus & verbis;
D poſt hæc etiam illibatum Dominici corporis Sacramentum in altaris menſa ſacroſancta, ipſo propitio, percepturi.

4. Legimus in Evangelio hodie, quoniam *Videns tur-* Matth. 5. 1.
bas Jeſus, aſcendit in montem. Prædicantem enim Do- Cordis ſuavitas trahit omnes.
minum de civitatibus & caſtellis populi ſequebantur: quorum ſalvabat animas, ſanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter & aſpectu illius delectati: cujus nimirum vox ſuavis, & facies ejus decora, ſicut ſcriptum eſt: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffu-* Pſal. 44. 3.
ſa eſt gratia in labiis tuis. Talis eſt quem nos ſequimur, cui adhæremus; totus deſiderabilis, in quem non ſolum populi, ſed & ipſi quoque Angeli ſancti deſide-
E rant proſpicere. Quid vobis ſuavius apponemus? Nimirum hæ ſunt deliciæ Angelorum. Guſtate proinde, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Et huic ſuavitati, huic ſapori, huic ſapientiæ, quæ vere trahitur de occultis, omne quod deſideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in ſole ſplendorem, in flore Perfectiones omnium rerum continentur in Deo.
pulcritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem? Sed à Deo hæc univerſa donata ſunt: nec dubium, quin multo amplius reſervaverit ſibi, quàm dederit creaturis.

5. Jam ne hoc quidem otioſum putemos, quod aſcendit in montem, nimirum quod tanto ante prædictum eſt, tamquam à longe clamante Propheta: *Super montem* Iſa. 40. 9.
F *excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jeruſalem.* In qua aſcenſione, ſi vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto, quod initio Actuum Apoſtolorum beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem ſermonem* Act. 1. 1. Chriſtus fecit & docuit.
feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jeſus facere, & docere. Utique non juxta Phariſæorum morem, qui alligabant onera gravia & importabilia, & imponebant ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolebant ea movere. An non bonus animæ panis eſt iſte, & plurimum confirmans cor hominis? Fiducialiter ſe- Matt. 19. 44
quor te, Domine, quocumque ieris, & ſecure incedo

viam mandatorum tuorum, ſciens quod per eam præ- A ceſſeris ipſe. Secure, inquam, viam mandatorum tuorum curro, quandoquidem novi quod à ſummo cælo egreſſio tua ad currendum hanc viam, & occurſus tuus uſque ad ſummum ejus fuerit per hanc viam. Non poſſum modo, Fratres, in hunc modum ſingula maſticare: vos eſtote animalia munda & ruminantia, ut fiat ſicut ſcriptum eſt: *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis.* (Prov. 21. 20.) Cogit enim ſuccingere forſitan & præſcindere verbum tam brevitas horæ, quàm materiæ magnitudo.

(Prædicatorum converſatio ad ſublimia tendere debet.)

6. *Videns turbas Jeſus, aſcendit in montem.* Videns miſerationis intuitu, quoniam erant ſicut oves errantes, non habentes paſtorem. Quid eſt quod priuſquam B docere inciperet, aſcendit in montem, niſi quod in hoc ipſo docuit neceſſe habere prædicatores verbi Dei deſideriis animi & converſatione ſancta ad ſublimia tendere, & virtutum conſcendere montem? *Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus. Cum ſediſſet,* inquit. Alioquin quis ad excelſum illum gigantem poſſet accedere? Benigniſſime prorſus inclinavit ſe, & exinanivit uſque ad ſeſſionem, ita ut dicat Patri: *Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.* (Pſal. 138. 1.) Sedit enim, ut ad eum, quem ne ipſi quidem Angeli ſtantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant, accedat Maria Magdalene, accedat & Latro de cruce. *Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli* C *ejus.* Acceſſerunt non tam inceſſu pedum, quàm affectu cordis, & imitatione virtutum. Bene autem non turbæ, non quilibet de populo, ſed Diſcipuli acceſſiſſe dicuntur: (Exod. 24. 14.) quatenus ſicut Teſtamentum vetus datum legitur in monte Sina, ſolo Moyſe aſcendente, & populo exſpectante deorſum: ſic & modo ſuſciperent montes pacem populo, & colles juſtitiam; & velut in tenebris quibuſdam, & in occulto diceretur Apoſtolis, quod poſtea dicerent in lumine; & audirent in aure, quod prædicarent poſtmodum ſuper tecta. Unde & ſequitur:

7. *Et aperiens os ſuum, docebat eos.* Aperuit nunc os ſuum, qui Prophetarum prius aperuerat ora. Hinc eſt D quod legitur in Pſalmo, Propheta dicente: (Pſal. 50. 17.) *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Nunc autem qui multifarie, multiſque modis olim locutus fuerat in Prophetis, demum ſuo ipſius ore locutus eſt, tamquam ſi diceret: Et qui loquebar, ecce adſum. Beati qui audierunt loquentem in carne Sapientiam: beati qui Verbi Dei verba, quæ ab ipſius ore proceſſerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt illi, adhuc reſervatur nobis: quia & nos audire poſſumus, quamvis non ab ipſo. (Matt. 5. 2.) *Aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu.* Vere apertum eſt os ejus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi. Et vere ejus hæc doctrina, qui in Apocalypſi E loquitur, (Apoc. 21. 5.) *Ecce nova facio omnia:* qui per Prophetam ante prædixerat, (Pſal. 77. 2.) *Aperiam os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.*

(Pauperes beati.)

Quid enim tam abſconditum, quàm paupertatem eſſe beatam? Attamen Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere poteſt; & ipſa eſt quæ dicit, quoniam (Matt. 5. 3.) *beati pauperes ſpiritu.* Sic vos, inſenſati filii Adam, divitias quæritis, divitias deſideratis uſque adhuc: cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita ſit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui ſine Deo vivit: quærat Judæus, qui terrenas promiſſiones accepit: ſed qua fronte, magis autem qua mente Chriſtianus divitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædica- F vit? Quouſque filii alieni, quouſque vanitatem loquetur os veſtrum, ut beatum dicatis populum cui hæc ſunt, hæc viſibilia, hæc præſentia; cum Filius Dei os ſuum aperiens locutus ſit veritatem, beatos eſſe pauperes, & væ divitibus?

(Quinam.)

8. Sed diligenter attende, quod non ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud divinæ bonitatis miſericordiam hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam: ſcio ta- A men Dominum hoc in loco non de hujuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his qui poſſunt dicere cum Propheta: (Pſal. 53. 8.) *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. nam & philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, ut expediti mundialibus curis, ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius, & nolebant cenſu abundare terreno, ut abundarent magis in ſenſu ſuo. Hos diſcernit quod dictum eſt, *ſpiritu*, id eſt ſpirituali voluntate. *Beati* ergo *pauperes ſpiritu*, ſpirituali ſcilicet intentione, deſiderio ſpirituali, propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem: *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Sed quis eſt qui ſic loquitur, qui ſic B beatificat pauperes, & ſic ditat? Putas poterit verum eſſe? Erit ſine dubio: ſiquidem verax & potens eſt qui promittit. Si murmurat inimicus, reſpondebitur ei: An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Si tu jure humiliatus es pro eo quod adverſum me exaltare te voluiſti; nonne qui ſe humiliant propter me, merito ſunt exaltandi? Et vere, Fratres, ſi miſerrimus ille è cælo dejectus eſt, quoniam affectavit celſitudinem, altitudinem concupivit, ſublimitatem præſumpſit; nonne conſequens eſt beatos eſſe, qui ſponte in paupertatis humilitatem ſeſe deponunt, & juxta Domini promiſſionem, *ipſorum eſt regnum cælorum*, quod per- C didit iſte? Et attende quàm ſapienter ordinaverit Sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac ſi apertius dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit ſuperbiens Angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Sequitur:

(Beati mites.)

9. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Bene, optime. Sic enim oportebat, commendata paupertate, etiam manſuetudinem prædicari: quoniam relinquentibus omnia, prima ſolet eſſe tentatio de moleſtiis corporis, & afflictione carnis inſolita. Quid vero paupertas proderit, ſi (quod abſit) pauper in murmurationem deveniat, factus exaſperans, & impatiens diſ- D ciplinæ? Optime quoque poſt regni promiſſionem minus aliud regnum velut in arrham datur, ut ſecundum Scripturam, (1. Tim. 4. 8.) *promiſſionem habeamus vitæ quæ nunc eſt, pariter & futuræ*; & de exhibitione præſentium firma ſit exſpectatio futurorum. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Hanc ego terram corpus noſtrum intelligo: (Terræ nomine corpus intelligit.) quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt ut ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubjecta: quoniam TALE inveniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. Armatur enim creatura ad ulciſcendam ſui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem ſibi invenit carnem ſuam, ſe quoque minus, quàm E oporteat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubjectam. Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu Altiſſimi; & ſubjecta ſit Deo, & his pariter quibus vice ejus habet obedire Prælatis: & continuo corpus ſuum inveniet obediens & ſubjectum. Veritas enim eſt quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et vide, ſi non adverſus ſecundi peccati vulnus ſecunda proceſſerit medicina. Prima ſiquidem poſt angelicæ prævaricationis ruinam Eva peccavit, (Eva prœpoſtere beatitudinem ambiens, amiſit.) inquietudine ſpiritus agitata, & interdicti dominici jugum ſuave, & leve onus abjiciens: quoniam exſpectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cetera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, ſed præri- F pere illam ſerpentis conſilio attentavit. Propter hoc paradiſum perdidit, terram deliciarum: propter hoc in ipſo corpore ſuo contrariam legem invenit. Sed jam fortaſſis ad hanc Domini vocem deſiderio manſuetudinis æſtuas, & conquereris ſuper aſperitate cordis tui, & belluinis quibuſdam motibus, atque indomita feritate. Attende ergo quod ſequitur:

(Beati qui lugent.)

10. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Equum indomitum flagella domant: animam immitem contritio ſpiritus, & aſſiduitas lacrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare noviſſima

[Tom. III.] tua: mortis horrorem, judicii tremendum diſcrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miſeriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ; cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam: & in hujuſmodi cogitatione ſi perſeveraveris, dico tibi, parum ſenties quicquid foris videtur eſſe moleſtum, dum toto corde circa interiorem moleſtiam occuparis. Sed nec patietur Dominus ſine conſolatione te eſſe, quoniam Pater miſericordiarum eſt, & Deus totius conſolationis; & complebitur omnino quod Veritas pollicetur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Concordat autem huic ſententiæ etiam illud, quod in Salomone legiſti: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* Propterea beata eſſes Eva, ſi poſt culpam conſolationem quæreres lacrymarum, & converſa ad pœnitentiam veniam citius obtineres. Nunc autem miſerrimam quæſiſti conſolationem de ſimili caſu viri tui; & veneno peſſimo, nequiſſimo videlicet vitio, totam infeciſti poſteritatem tuam: ut uſque hodie perditionem alterius, alter ſuam reputet conſolationem. Miſera prorſus Evæ conſolatio, & eorum qui miſeriam hanc imitantur! Sed *beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Verum quid aliud eſt hæc conſolatio, quàm procedens de ſpe veniæ gratia devotionis, & ſuaviſſima delectatio boni, & guſtus ſapientiæ, licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigetat animam? Sed guſtus ille nihil aliud eſt, quàm irritamentum deſiderii, & incentivum amoris, ſicut ſcriptum eſt: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Propterea ilico ſubinfertur:

[Legendi ſcripſit materia.] [Eccl. 7. 3.] [Eva poſt triſtem lapſum perverſa conſolatio.] [Eccli. 24. 29.] [Matt. 5. 6.]

11. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Qui eſurit, eſuriat amplius; & qui deſiderat, abundantius adhuc deſideret: quoniam QUANTUMCUMQUE deſiderare potuerit, tantum eſt accepturus. Immo vero non ſecundum imperfectionem modumve deſiderii, quoniam quidem donec perfecte habeat, perfecte deſiderare non poteſt; ſed nec & perfecte habere, donec perfecte deſideret: ſed menſuram accepturus eſt bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Infirmiori palato cordis, & animæ languenti adhoc dura & inſipida res videtur eſſe juſtitia: ſed qui guſtaveruot, ecce ipſi ſciunt, quam beati ſunt qui eſuriunt illam, *quoniam ipſi ſaturabuntur.* O vere felix & glorioſa ſatietas! ô ſanctum convivium! ô deſiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidium, quoniam ſatietas ſumma, & ſummum inerit deſideriom. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Jam vero hoc verbum adverſus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuiſſe juſtitiæ, in eo quod mulieri compaſſus eſt: ſed ſi eſuriſſet juſtitiam, curaſſet ſine dubio reddere quod debebat, non modo uxori, ſed multo magis Creatori. Debebat enim uxori compaſſionem utique & diſciplinam, tamquam inferiori. Caput enim mulieris vir. Debebat autem Deo obedientiam atque ſubjectionem. Sed quid putamus, Fratres, quàm plurimi uſque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen inſipienter imitantur? Indignantur adverſus Adam, quod obedierit voci uxoris ſuæ, pluſquam Dei; & ipſi quotidie Evam ſuam, carnem videlicet, audiunt pluſquam Deum. Fratres, ſi modo præſentem videremus Adam in eo articulo poſitum, aſcendentibus cogitationibus in cor ejus, coarctari inter precem uxoris, & præceptum Creatoris; nonne clamaremus adverſus illum, dicentes: Cave tibi miſer, vide ne feceris; ſeducta eſt mulier, non acquieſcas ei? Utquid ergo, quoties apprehendit nos tentatio ſimilis, non perſuademus ſimiliter nobis ipſis? *Beati* enim *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Sed quid poteſt eſſe omnis juſtitia noſtra coram Deo? Nonne juxta Prophetam, *velut pannus menſtruatæ* reputabitur: & ſi diſtricte judicetur, injuſta invenietur omnis juſtitia noſtra, & minus habens? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipſa quidem pro ſe poterit reſpondere juſtitia? Propterea obnixe cum Propheta clamantes, *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine*, tota humilitate ad miſericordiam recurramus, quæ ſola poteſt ſalvare animas noſtras, & ſollicite penſemus quod ſequitur:

[Juſtitiam eſurientes accipiunt ultra deſiderium.] [Adamo defuit vera eſuries juſtitiæ.] [Ephes. 5. 23.] [Adæ imitatores, quinam.] [Iſa. 64. 6.] [Pſal. 142. 2.]

12. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et attende, quemadmodum Zacchæus breviter uno verbo utrumque complectitur, dicens: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quempiam defraudavi, reddo quadruplum.* Vides quantum eſurit iſte juſtitiam, cui non ſufficit æqua menſura reddere, niſi reddat quadruplum. Miſericordia quoque magna eſt, quod dimidium bonorum ſuorum dat pauperibus. Verumtamen non ſilebo ego quod ſentio. Laudem Domini loquetur os meum: Domini plane, non veſtram. Neque enim vobis, ſed nomini ejus do gloriam. Zacchæus certe, cujus laus eſt in Evangelio, dimidium bonorum ſuorum dedit pauperibus: ſed ego multos Zacchæos hic video, qui nihil ſibi ex omnibus reliquere. Quis mihi ſcribet hoc Evangelium de Zacchæis iſtis, immo de Petris iſtis, qui fiducialiter loquantur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te?* Sed ſcriptum eſt jam in Evangelio æterno, in libro vitæ ſcriptum eſt & ſignatum. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Jam vero, Fratres, Adæ crudelitatem hæc ſententia tangit, qui videbatur prius uxoris amore peccaſſe. Ecce enim ſcimus, ô Adam, quia os de oſſibus tuis, & caro de carne tua eſt, & ejus amore peccaſti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricatioois; oppone te diſcrimini propter illam, & dic: Domine, mulier infirmior eſt, mulier ſeducta eſt: mea eſt iniquitas, meum peccatum, in me ſolum vindicta procedat. Sed non loquitur ſic: *Mulier*, inquit, *quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* O perverſitas! Pœnam pro ea ſuſcipere refugis, & culpam admittere non recuſaſti! Quomodo, pro dolor! omnia confudiſti, pernicioſe miſericors, ubi ſeverus eſſe debueras; & pernicioſius crudelis, ubi miſericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, ſatisfacere vero pro ea libenti animo debuiſti. Sic enim oportet fieri, Fratres, ut numquam propter alium homo peccet, quod eſt juſtitiæ: & libenter aliena peccata portet, quod eſt miſericordiæ. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Sequitur:

[Beati miſericordes.] [Luc. 19. 8.] [Zacchæi juſtitia & miſericordia.] [Matt. 19. 27.] [Adæ inhumanitas erga uxorem.] [Gen. 3. 12.]

13. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Beati plane, & omnino beati, qui videbunt in quem deſiderant Angeli proſpicere, quem videre vita æterna eſt. Tibi dixit cot meum, exquiſivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei! qua impediente, necdum mereor ad beatam illam viſionem admitti. Quanta ſollicitudine, Fratres, quanto ſtudio danda eſt opera, ut mundari poſſit oculos, quo videodus eſt Deus? Et ego quidem triplici ſorde inquinari me ſentio, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia gloriæ temporalis, & præteritorum conſcientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque deſideriorum, quos nec ratione, nec viribus exſtinguere poſſum, quamdiu ſum in hoc ſæculo nequam, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra ſordes iſtas orationis oppono remedium; & propterea ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri, qui ſolus mundus eſt, & poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Sic & contra peccati conſcientiam remedium Confeſſionis eſt inſtitutum; & omnia in confeſſione lavantur. Ecce hæc ſunt quæ mun-

[Beati mundo corde.] [Mentis oculus ad videndum Deum purgandus triplici inquinamento.] [Oratio remedium contra pravos motus concupiſcentiæ.] [Confeſſio contra peccatum.]

dant oculum cordis, Oratio & Confeſſio. Porro *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Videbunt quidem in fine facie ad faciem: videbunt etiam nunc, ſed per ſpeculum in ænigmate: & nunc cognoſcunt ex parte, perfecte poſtea cognituri. Omnis enim in cujus conſcientia clauſum adhuc peccatum vivit, aut peccat in ſpe, & ita ſentit de Deo, tamquam ſi minus ei peccata diſpliceant: aut peccat in deſperatione, immiſericordem ſentiens Deum. Quorum utrique merito dicitur, *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis:* quoniam neuter Deum videt, ſed mentitur iniquitas ſibi, formans ſibi idolum pro eo, quod non eſt ipſe. Beati vero mundo corde, quoniam ipſi ſoli Deum vident, ſoli de eo ſentiunt in bonitate: ſicut vere bonus eſt, ita ut nemo bonus ſit niſi ipſe. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Miſeri proinde Adam & Eva, qui converſi in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, dum confeſſionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & à facie Domini ejiciuntur. Sequitur:

Alii peccant in ſpe, alii ex deſperatione.

Pſal. 49. 21.

Beati pacifici.

14. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Merito filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint. Ipſe enim eſt, per quem reconciliati pacem habemus ad Deum: ipſe qui pacificavit in ſanguine ſuo quæ in cælis ſunt, & quæ ſuper terram, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus ſibi ipſi reconciliatur anima, in duobus quæ ſequuntur proximo, in ſexto Deo: in ſeptimo etiam alios reconciliat, tamquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, manſuetudine, fletu renovatur in anima ſimilitudo quædam & imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum paupertate futura meretur, manſuetudine ſibi præſentia vindicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat, ſicut ſcriptum eſt: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Porro juſtitia & miſericordia perfecte proximo cohæremus, dum quiequid nolumus nobis fieri, aliis non faciamus per juſtitiam: & quæcumque volumus ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis per miſericordiam. Jam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis reconciliamur Deo. Beati vero, qui de ſua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus ſuis pie ſolliciti, eos quoque, quantum prævalent, & ſibi, & Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui ſine querela converſans inter fratres, tota ſollicitudine cavet, ne quid in eo ſit quod ab aliis portari oporteat; & quicquid in aliis eſt oneroſum, patientiſſime portat? qui ſingulorum ſcandala ſua reputat; qui cum Apoſtolo loquitur, *Quis ſcandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur & ego non infirmor? Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Non eſt enim Deus diſſenſionis, ſed pacis: ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum eſt appellari.

Reconciliatio multiplex, quomodo fiat.

Iſai. 38. 15.

2. Cor. 11. 29.

Matt. 5. 9.

Perſecutionē pauci pati volunt.

15. Jam quæ ſequitur octava Beatitudo, Martyrum eſt prærogativa: cujus nobis tolerantiæ nec tempus videtur eſſe, nec virtus. Honoratur nunc juſtitia magis quantum in facie eſt: aut nulli, aut pauci pro ea ſuſtinent perſecutionem. Feliees tamen, ſi qui ſunt, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, ut * eos nemo perſequatur. Quod ſi multiplex fuerit tribulatio, tunc quoque multiplicius exſultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda; ſed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. *Beati*, inquit, *eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos, & ejecerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me. Gaudete in illa die, & exſultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.* copioſior longe quàm ſit labor in terris. Verumtamen quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus & martyribus, niſi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria eſt? *Beatus vir*, ait Propheta, *qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in theſauris pecunia. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter ipſe appetitus? An non merito coronabitur qui ſic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod glorioſius eſt) de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.

* al. ubi.

Pauperibus & martyribus eadem promiſſio facta.

Eccli. 31. 8.

Tom III.

Paupertas martyrium.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

Sermo secundus.

De ſtatu Sanctorum ante reſurrectionem.

1. QUia Sanctorum omnium feſtivam hodie, dilectiſſimi, omnique digniſſimam devotione memoriam celebramus, operæ pretium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfruuntur, & futura quam præſtolantur conſummatione, adjuvante Spiritu-ſancto ſermonem facere caritati veſtræ, ita ſane, ut non opinionis propriæ conjecturas, ſed divinorum librorum ſequar auctoritatem; ne prophetare videar de corde meo, ſed innitar, quoad potero, teſtimoniis Scripturarum. Erit enim præſtante Domino triplex ſermonis hujus utilitas, quatenus agnita, vel ex parte aliqua, felici retributione Sanctorum, abundantiori deinceps ſollicitudine ipſorum inhærere veſtigiis, ac ferventiori deſiderio ad eorum ſuſpirare conſortia, propenſiori quoque devotione eorumdem nos commendare patrociniis ſtudeamus. Fidelis quippe ſermo, & omni acceptione dignus, ut quos ſollemni veneratione proſequimur, etiam ſimili converſatione ſequamur: quos beatiſſimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, ſublevemur eorum patrociniis. Nec ſane parum fructuoſa invenitur memoria feſtiva Sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens: eum eorum intereeſſione juvetur infirmitas noſtra, conſideratione beatitudinis excitetur negligentia noſtra; ignorantia quoque noſtra ipſorum erudiatur exemplis. Propterea cum perfecte eruditos vos ad imitanda Sanctorum veſtigia, hodierna ſancti Evangelii lectione, & ipſius Domini ſermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos veſtros ſcala, per quam univerſus, quem hodie veneramur, Sanctorum chorus aſcendit; nec ignorem implorandis eorum ſuffragiis totum paulominus noctis & diei hujus religioſa devotione tempus expenſum: jam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donaverit ipſe, qui eos & magnificat jam & glorificat, quos vocavit prius atque juſtificavit.

Feſta Sanctorum quam fructuoſe celebrentur.

2. Legimus in Propheta: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.* & in alio pſalmo: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Multa quoque ſimilia in divinarum reperiſſe mihi videor ſerie Scripturarum verba hominum, qui liberatos ſe eſſe non ſine multa admiratione lætantur, verba perfectæ ſecuritatis, & felicitatis immenſæ, vocem gratiarum actionis & lætitiæ, quam pro meo ſapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, & in ſudore vultus ſui comedunt panem ſuum, omnino non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur caſtum ſe habere cor? Quis audeat gloriari contritum eſſe laqueum, liberatos pedes ſuos à lapſo, reclamante nimirum Apoſtolo, & dicente: *Qui ſtat, videat ne cadat?* Unde & de ſemetipſo: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et alio in loco: *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ retro ſunt obliviſcens, & in ea quæ ante me ſunt extentus, ſequor ad palmam,*

Pſal. 114. 7.

Pſal. 123. 7.

1. Cor. 10. 12.

Rom. 7. 24.

Philipp. 3. 13.

Tom. III. 1. Cor. 9. 26.

&c. itemque, *Ego*, ait, *ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum & ſervituti ſubjicio, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Hæc plane tuba militiæ eſt, hæc verba ducis ſtrenui ſortiter dimicantis. Nam ſuperiora quidem videntur potius triumphantis, aut certe necdum quidem triumphantis, ſed cum victoria jam redeuntis de prœlio, & futuram magni triumphi diem læta ac ſecura conſcientia præſtolantis.

Pſal. 114. 7. Quia nulla in hac vita.

3. Quid enim loquitur reverſus de prœlio fortis miles, ſervus fidelis? *Convertere jam*, inquit, *anima mea in requiem tuam.* Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde ſuccumbendi metus gravius ſollicitabat. Habebat tamen, Fratres, etiam tunc gloriam miles Chriſti, licet requiem non haberet. Ait ſiquidem ſtrenuus ille & fortiſſimus miles, cujus & paulo ante fecimus mentionem: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Quod conſcientiæ teſtimonium non ſic intelligendum puto, tamquam ipſa ſibi conſcientia atteſtetur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Eſt ergo teſtimonium conſcientiæ, in quo gloriatur Apoſtolus, non quod perhibeat conſcientia, ſed quod loquitur Spiritus veritatis in ipſa, teſtimonium perhibens ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Eſt enim teſtimonium conſcientiæ non perhibentis, ſed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum juſtitia atteſtatur, Dei ſine dubio commendantis vox eſt, & Spiritus-ſancti teſtimonium perhibentis, ac ſi decertanti viriliter militi Rex ſuus, pro cujus amore & honore decertat, prope aſſiſtens lætus applaudat, laudet fortia facta, proximam clamitet eſſe victoriam, parata jam præmia, & coronam polliceatur æternam. In quo teſtimonio gloriatur quidem probatus & ſtrenuus miles; minime tamen quieſcit, ſed tanto acrius viriliuſque decertat. Itaque dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, ſed tantum de primitiis Spiritus, qui & infirmitatem eorum adjuvat virtute ſua, & puſillanimitatem ſua conſolatur atteſtatione. Unde & is, de quo loquebamur, Apoſtolus: *Non eſt*, inquit, *regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto.*

2. Cor. 1. 12. Conſcientiæ teſtimonium quale.

2. Cor. 10. 18.

Rom. 14. 17.

4. Jam vero conſummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in ſpiritu ſuo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini ſui, gaudium habituri & in ipſo corpore ſuo. Sic enim habemus in pſalmo: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Unde? Plane ex his quæ ſequuntur: *A fructu frumenti, vini & olei ſui.* Audivit enim ejuſmodi anima vocem dicentis: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Unde & Johannes ſcribere jubetur in Apocalypſi, quoniam *beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quare beati? *Amodo enim jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Unde & in ipſo de quo paulo ante loquebamur pſalmo, eis quæ ſupra poſuimus verbis adjunctum eſt: *In pace in idipſum, dormiam & requieſcam.* Et de operibus habemus in Apocalypſi: *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Ad quid vero ſequuntur, niſi ut laudent eos in portis? Ad quid ſequuntur, niſi ut multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum ſuarum, ſaginentur vituli, quos ex prophetico teſtimonio, cum reædificabuntur muri Jeruſalem, ſuper altare Domini novimus imponendos? Interim quippe ſub altari eos eſſe, & non ſupra, ipſe nos doceat, cujus teſtimonium credibile factum eſt nimis, qui, ut ſcribit in Apocalypſi, ſub altari ipſo eorum etiam voces audivit. Adhuc ergo ſignatum [a] eſt ſuper eos lumen vultus Dominici: & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde ſuo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu ſuo. Interim, inquam, convertuntur animæ illæ in requiem ſuam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera ſua, donec veniat, cum erit unicuique laus à Deo. Videtis, Fratres, quanta eſt unitas Scripturarum, quàm uno ſenſu & eiſdem pæne verbis de beatitudine loquantur animarum.

Pſal. 4. 7.

Prov. 31. 31.

Apoc. 14. 13.

Pſal. 4. 10.

Apoc. 14. 13.

Pſal. 50. 20.

Apoc. 6. 9. Sancti ante generalem reſurrect. non plene beati.

5. Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiam ſuſpicetur eorum, qui ab omni penitus moleſtia liberi recogitant annos ſuos in dulcedine animæ ſuæ: lætantur pro diebus quibus humiliati ſunt, annis quibus viderunt mala: cum jucunda admiratione & mira jucunditate conſiderant pericula quæ evaſerunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt: & pro his omnibus certa & indubitata fide exſpectant beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris ſui, qui reſuſcitabit & reformabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati.

Beatorum triplex gaudium.

1. De certa exſpectatione futuræ conſummationis.

6. Quanta eſt felicitas eorum, quàm immenſa lætitia! qui nimirum triplici gaudio, de recordatione tranſactæ virtutis, de exhibitione præſentis quietis, de certa exſpectatione futuræ conſummationis exſultant. Nam de futura illa conſummatione habemus vocem eorum in fine ejus pſalmi, de quo ſuperius loquebamur. Dicunt enim ſingulæ animæ, quibus jam datum eſt ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Singulariter, inquam, in ſpe, non jam inter ſpem & metum, ubi prius non ſine ſollicitudine & anxietate plurima fluctuabam. Sic & de præſenti Sanctorum requie habemus in alio pſalmo ſcriptum: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene, inquam, fecit, quamvis necdum optime. Denique audi quam bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu:* id eſt à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque & à periculo recidendi penitus liberavit. Hoc eſt ſuaviſſimum animæ ſtratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. Hoc cubile, in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna ſua, dum configitur ſpina. Exiit enim de terra illa, quæ ſpinas ei & tribulos germinabat. Hoc plane ſtratum animæ, quod minime jam verſatur in infirmitate ejus: quoniam univerſa quæ infirmitatis erant, pariter tranſierunt. Hæc eſt, inquam, animæ ſuaviſſima & ſaluberrima requies, conſcientia munda, quieta, ſecura. Sit ergo beatæ animæ culcitra conſcientiæ ſuæ puritas, ſit capitale tranquillitas, ſit opertorium ejus ſecuritas: ut in hoc interim ſtrato dormiat delectabiliter, feliciter requieſcat.

Pſal. 4. 10.

2. De exhibitione præſentis quietis.

Pſal. 114. 7.

Lectus animæ.

7. Jam vero de recordatione tranſactæ virtutis habes in pſalmo centeſimo viceſimo tertio manifeſte verba eorum, quæ ſuperius quoque commemoravi. Conſiderant enim & multa cum admiratione recogitant, à quibus laqueis, quantiſque periculis divino meruerint auxilio liberari, & exſultantes in Domino dicunt: *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis, cum exſurgerent homines in nos, forte vivos deglutiſſent nos. Torrentem pertranſivit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Et addunt: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Sed & verba quæ jam tempore ſuæ reſolutionis inſtante loquebatur Apoſtolus, de eo in quo nunc feliciter requieſcit ſtatu præſumpta, videntur & nunc ei multo melius convenire. nunc enim jam ſecure loquitur: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem juſtus judex.* Hæc ſunt, dico vobis, Fratres, hæc modo ſunt univerſa Sanctorum negotia, hic cibus, hic ſomnus eorum: & propterea

3. De recordatione tranſactæ virtutis.

Pſal. 123. 1.

2. Tim. 4. 7.

[a] Id eſt obſignatum, nondum reſeratum & manifeſtatum, uti apparet tum ex conſequentibus, tum ex ſermone 4. num. 2. ubi ait, animabus beatorum nunc ſolam conſpicuam eſſe Chriſti humanitatem, non ipſam divinitatem. Vide tamen Horſtii Notas in hunc locum.

voluit Spiritus-ſanctus ſcribi verba ea quæ protulimus, c[et]eraque [illegible]a, ut ex his aliquatenus innoteſceret nobis ſtatus [illegible]orum.

8. [illegible] tamen afficiuntur in hujuſmodi meditationibus & m[illegible] amplius delectantur, quam noſtra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi [illegible] quomodo laboret Propheta inculcans, & multiplicans verba, nec tamen ſic digne magnificare valens quod intendit. *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Quid tamen addidit? [*P*]*erfeciſti*, inquit, *eis qui ſperant in te, in conſpectu* [*filiorum*] *hominum*. Eſt e[rgo] multitudo dulcedinis, quæ abſcondita eſt, magna quidem, & magna valde: needum tamen perfecta: quoniam in manifeſto perficietur, non in abſcondito, quando non ſub altari requieſcent Sancti, ſed ſuper thronos tamquam judices reſidebunt. Ad requiem enim exutæ à corporibus animæ ſanctæ protinus admittuntur: ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me exſpectant juſti*, ait Propheta, cum adhuc detineretur in cuſtodia corporis hujus, *donec retribuas mihi*. Et vox divina ad animas ſanctas corporum ſuorum reſurrectionem flagitantes: *Suſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.* Sed jam ſermo claudendus eſt: vocant enim nos Miſſarum adhuc celebranda ſollemnia. Quod ergo reſtat adhuc de eadem materia, ſermoni alteri reſervemus.

Pſal. 30. 20. — *Pſal. 141. 8.* — *Apoc. 6. 11.*

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

Sermo tertius.

Quomodo animæ ſanctæ erunt ſine macula & ruga.

Animarum ſanctarum tres ſtatus.

1. ADvertiſtis, niſi fallor, ex his quæ præcedente ſermone ſunt dicta, tres eſſe ſanctarum ſtatus animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, ſecundum ſine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in militia, ſecundum in requie, tertium in beatitudine conſummata: primum denique in tabernaculis, ſecundum in atriis, tertium in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* multo magis tamen atria concupiſcibilia, ſecundum quod addit: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Sed quoniam in ipſis quoque atriis nonnullus (ut audis) defectus eſt, beati omnino qui habitant in domo tua, Domine. Lætatus ſum plane in his quæ dicta ſunt mihi, Fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod ſi quæritis, unde id tam fiducialiter præſumam: unde ſine dubio, quod jam multi ex nobis in atriis ſtent, exſpectantes donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. Neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur; nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam. Propterea cum reſurrectionem expeterent corporum, ſicut priore ſermone jam diximus, acceperunt divinum reſponſum, dicens: *Suſtinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum veſtrorum.* Acceperunt tamen jam ſingulas ſtolas: ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos: quomodo de Patriarchis & de Prophetis ait Apoſtolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non ſine nobis conſummarentur.* Stola enim prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas & requies animarum: ſecunda vero immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt: *Vindica, Domine, ſanguinem ſanctorum tuorum qui effuſus eſt*, non tamquam vindictæ cupidi, nec de propriæ ultionis zelo: ſed ex deſiderio reſurrectionis & glorificationis corporum ſuorum, quam nimirum uſque in diem judicii differendam eſſe non dubitant.

Pſal. 83. 2. — *Sanctorum plena & conſummata felicitas quando.* — *Apoc. 6. 11.* — *Hebr. 11. 40.* — *Apoc. 6. 10.*

Animæ ſeparatæ minus perfecte feruntur in Deum.

2. Sed unde hoc tibi, ô miſera caro, ô fœda, ô fœtida, unde tibi hoc? Animæ ſanctæ, quas propria Deus inſignivit imagine, te deſiderant; quas redemit proprio ſanguine, te exſpectant: & ipſarum ſine te complen[illegible] læ[illegible] [illegible]oria, non [illegible] be[illegible] poteſt. Ad[illegible] viget in eis d[illegible] hæc na[illegible], ut [illegible]ta earum affect[illegible] De[illegible] [illegible]tur quodam modo, & rugam faciat, d[illegible]tur deſiderio tui. Unde & beatus Johannes, qui [illegible] nobis de eo ſtatu, in quo feliciter beatæ animæ requieſcunt, per Spiritum reſeravit: *Sine macula*, inquit, *ſunt ante thronum Dei.* Sine macula, inquam, [illegible] ſine ruga: donec veniat dies, cum ſibi gl[illegible] Chriſtus exhibebit Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam. In his namque qui adhuc morantur, nec ſine macula quidem Eccleſia eſt: quoniam nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram: quam utique vitam beatus Job militiam eſſe teſtatur. In his vero qui ſub altare Domini requieſcunt, jam quidem ſine macula eſt Eccleſia, ſicut habes in pſalmo: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *ſine macula.* Hic ergo requieſcet in monte Domini, qui ingreditur ſine macula: qui vero fuerit ſine ruga, exaltabitur ſupra montem. Sed ſi vis ſcire quando erunt ſine ruga animæ ſanctæ, quando extendentur cæli ſicut pellis, quæ dilatatur penitus, ut nec minima quidem ruga inveniatur in ea: tunc ſine dubio, quando jam ſequentur Agnum quocumque ierit. Vere enim extendi & dilatari neceſſe eſt animas, quibus utique ſequendus eſt Agnus. Quo enim vadit? Attingit profecto à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.

Apoc. 14. [illegible] — *de ſine macula & ruga* — *Job 7. 1.* — *Pſal. 14. 1.*

Sanctorum perfecta requies, delectatio in omnibus.

3. Vis adhuc noſſe quo eat Agnus, & quo neceſſe habeant beatæ animæ ſequi eum? *In omnibus requiem quæſivi.* Hæc eſt plane requies Domini, non interciſa, non circa aliquid certum reſtricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, & invenit. Nam & bona ei placent in ſeipſis, & delectatur nihilo minus bona ordinatione malorum. Diligit miſericordiam & judicium: nec modo in bonorum gloria ſibi complacet, ſed in ipſis quoque, utpote juſtis, ſuppliciis impiorum. Quid ergo? Putaſne poterit humana anima in hoc gaudium Domini ſui, & in hanc ejus requiem intrare, ut & ipſa quoque in omnibus delectetur; nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, ſed tranſeat in affectum quemdam generalem atque divinum? Poterit ſine dubio, ſi fidelis inveniatur ſuper pauca, quæ accepit militiæ ſuæ tempore, id eſt ſuper artus, ſuper ſenſus, ſuper appetitus ſuos, quos ſuſcepit regendos, ut in his probetur, quàm fidelis ſit Domino ſuo. Sciat igitur ſervus Chriſti vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, glorificet & portet Deum in corpore ſuo: nec dubium quin fidelem in modico ſervum ſupra multa conſtituat Dominus liberalis & dives. Supra multa plane, quoniam conſtituet eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Neque id vobis incredibile videatur, Fratres, tamquam à meipſo id loquar: quoniam Veritas ipſa manifeſte id pollicetur, cujus de promiſſione omnino dubitare non licet. *Beatus*, ait, *ſervus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Tunc enim fidelis ſervus conſtituitur ſuper omnia bona Domini ſui, cum in gaudium ejus meretur intrare, & cum eo deinceps lætari in univerſis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim *qui adhæret Deo*, Apoſtolo teſte, *unus cum eo ſpiritus efficitur*: & voluntas ejus omnino divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam, quod contra eam ſit, inveniatur in omnibus creaturis; ſed univerſa fiant, vel magis maneant pro ejus arbitrio.

Servus fidelis quinam. — *Matt. 24. 46.* — *1. Cor. 6. 17.*

Animæ ſanctæ orant pro ſui conſummatione.

4. Hæc eſt ergo beata ſpes, quam exſpectant animæ ſanctæ: & licet in gratiarum actione verſentur pro ea felicitate, in qua jam requieſcunt, adhuc tamen orant & clamant ad Deum pro ea conſummatione, quam præſtolantur. Unde quemadmodum ſine macula quidem vetuſtatis, ſed non ſine ruga contractionis eas diximus eſſe: ſic ad gratiarum actionem jam perveniſſe videntur, ſed needum ad vocem laudis: quoniam perfectum

Tom. III. Ver... ... competit.

perfectos laudare decet, ut laudetur cum hereditate A ſua, quando jam & ipſi laudabunt eum, & erit unicuique laus à Deo. Unde & Propheta ſignanter futuri temporis verbo uſus videtur: *Beati*, inquiens, *qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* (Pſal. 83. 5.) Nam & beatus Johannes in Apocalypſi non vocem laudis, ſed potius vocem precis audivit. Sic enim habes: *Sub altare Dei audivi voces occiſorum.* (Apoc. 6. 10.) Quas voces? *Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum qui effuſus eſt.* Vox precis, non laudis eſt iſta. Sed quouſque à longe circumdamus altare iſtud, & veremur accedere? Deſiderat, niſi fallor, caritas veſtra audire ſacramentum altaris hujus, & ſacrum ſecretumque noſſe myſterium. Sed quis ego ſum, qui Sanctorum cubiculum facile au- B deam temerarius perſcrutator irrumpere? (Prov. 25. 27.) Quaſi vero non legerim ſcrutatorem majeſtatis opprimendum à gloria. Verumtamen pauſemus hic, ſi placet, hodie, ſi forte pulſantibus nobis aperire dignentur myſterium altaris illius inhabitatrices animæ ſanctæ, non noſtro merito ſane, ſed propter eum qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: agnoſcentes & nos inter cives & domeſticos Dei, nec tamquam hoſpites & advenas à ſecreta illa habitatione cenſeant propulſandos.

IN SOLLEMNITATE OMNIUM

SANCTORUM,

SERMO QUARTUS.

De ſinu Abrahæ, & altari ſub quo Sanctorum animas B. Johannes audivit, & ſeptem panibus, ex quibus totidem ſporta remanſiſſe leguntur.

Apoc. 6. 9.

1. CUm de Altari illo cæleſti, ſub quo beatus Johannes Sanctorum voces audivit, ſermo incidiſſet, diſtulimus (ſicut meminiſſe arbitror caritatem veſtram) ut oratione præmiſſa ſecurior nobis ad tam ſacrum, ſecretumque cubiculum pateret acceſſus. (Quæſtio de Altari Apocalypſis.) Tempus eſt, ut jam dicamus quod de eo nobis ſentire datum eſt, ſine præjudicio ſane, ſi cui forte aliter fuerit D revelatum. Illud ergo primum movere poteſt, quid ſibi velit, quod beatus Johannes ſub altare Dei audiſſe ſe perhibet ſanctarum voces animarum, cum Salvator in Evangelio de Lazari anima loquens, non ſub altare Dei, ſed in ſinum Abrahæ dicat eam ab Angelis deportatam. (Luc. 16. 22.) Nam & ſanctus Job, ut apparet, nequaquam ad altare Dei auſus eſt adſpirare, cum diceret: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* (Job 14. 13.) Sed jam venerat tempus, Fratres, illud, quod beatus Job poſtulabat, jam recordandi tempus, jam venerat tempus miſerendi, quando Sanctorum voces ſub altare Dei beatus Johannes audivit. E Donec enim veniret deſideratus ille, qui ſanguine ſuo deleret chirographum damnationis noſtræ, & flammeum extinguens gladium, aperiret credentibus regna cælorum; nullus omnino cuiquam Sanctorum ad ea patebat acceſſus: ſed providerat eis Dominus in inferno [a] ipſo locum quietis & refrigerii, chaos magnum firmans inter ſanctas illas animas, & animas impiorum. Quamvis enim utræque in tenebris eſſent, non utræque erant in pœnis: ſed cruciabantur impii, juſti vero conſolabantur. (Sinus Abrahæ, ſeu limbus Patrum, in ipſo inferno.) Quod autem in tenebris eſſent, beati Job teſtimonio didicimus, qui ſe quoque in lo- F cum tenebroſum & opertum mortis caligine perhibebat iturum. (I. ſerm. 72. in Cant. Job 10. 21.) Hunc ergo locum, obſcurum quidem, ſed quietum, ſinum Abrahæ Dominus vocat: pro eo, ut arbitror, quod in fide & exſpectatione quieſceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifeſte probata eſt, & approbata, ut primus ipſe futuræ incarnationis Chriſti meruiſſet accipere promiſſionem. In hunc ergo locum Salvator deſcendens, contrivit portas æreas, & (Chriſtus deſcendens ad inferos quid egerit.) vectes ferreos confregit, eductoſque vinctos de domo carceris, ſedentes quidem, hoc eſt quieſcentes, ſed in tenebris & umbra mortis, jam tunc quidem ſub altare Dei collocavit, abſcondens eos in tabernaculo ſuo in die malorum, & protegens eos in abſcondito tabernaculi ſui, donec veniat tempus, quo procedant completo jam numero fratrum, & percipiant regnum, quod eis paratum eſt ab origine mundi. Jam vero ſicubi forte præſens quoque Sanctorum requies Abrahæ ſinus [b] vocatur, certum eſt de Evangelio hanc inoleviſſe conſuetudinem: licet neminem oporteat dubitare, longe alium hunc ſinum eſſe, quam illum: (b Præſens Sanctorum requies non ſinus Abrahæ.) quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa; in inferno ille fuerit, iſte in cælo. Non incongrue tamen etiam nunc dictum videtur Patriarcharum filios paternum in ſinum recipi, cum ad eorum conſortium ab hoc ſæculo tranſire merentur *. (* al. merentur.)

2. Porro altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, ego pro meo ſapere nihil aliud arbitror [c] eſſe, quàm corpus ipſum Domini Salvatoris. (Altare illud, Chriſti humanitas.) Credo autem quod & ego ſuper hoc ſenſum ejus habeam, præſertim cum audiam eum in Evangelio promittentem: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* (Luc. 17. 37.) Interim ergo ſub Chriſti humanitate feliciter * ſancti quieſcunt, (* al. ſolute. Quæ Apocalypſis.) in quam nimirum deſiderant etiam Angeli ipſi C proſpicere, donec veniat tempus, quando jam non ſub altari collocentur, ſed exaltentur ſuper altare. Sed quid dixi? Numquid humanitatis Chriſti gloriam, non dicam hominum, ſed vel Angelorum aſſequi poterit quis, nedum ſuperare? Quonam igitur modo ſuper altare dixerim exaltandos eos, qui nunc ſub altare quieſcunt? Viſione utique & contemplatione, non prælatione. Oſtendet enim nobis Filius (ut pollicitus eſt) (Johan. 14. 21.) ſemetipſum, non in forma ſervi, ſed in forma Dei. Oſtendet etiam nobis Patrem & Spiritum-ſanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis: quoniam hæc eſt vita æterna, ut cognoſcamus Patrem verum Deum, & quem miſit Jeſum-Chriſtum, & in eis (quod non eſt dubium) etiam Spiritum utrinſque. (Johan. 17. 3.) Tranſiens quippe miniſtrabit nobis, novas utique, & uſque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifeſtæ ſuæ contemplationis. Unde & beatus Johannes in epiſtola ſua: *Nunc*, inquit, *filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus.* (1. Johan. 3. 2.) Et addit: *Scimus autem quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Audi denique ſponſam in Cantico canticorum fiducialiter loquentem, & ſpe quidem jam ſuper altare locatam. *Læva ejus*, haud dubium quin ſponſi, *ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* (Cant. 2. 6.) Tranſcendit enim beata anima Chriſti incarnationem & humanitatem, quæ nimirum læva ejus jure vocatur; ut divinitatem ejus & majeſtatem ejus, quam non incongrue dexteram nominat, ſublimius contempletur.

3. Tripliciter enim, Fratres, in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, (Deus in perfecta beatitudine triplici fruitione.) videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipſis, & (quod his omnibus ineffabiliter jucundius ſit atque beatius) ipſam quoque cognoſcentes in ſemetipſa Trinitatem, & gloriam illam ſine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoſcamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu, & videamus Deum ſicuti eſt: (Æterna vita beatitudo in quo conſiſtat.) id eſt non modo ſicut ineſt nobis videlicet, aut ceteris creaturis, F ſed ſicut eſt in ſemetipſo. Unde duo illa velut circumjacentia eſſe videntur quæ prædiximus, & quaſi cortex tritici: hæc vero cognitio, ſumma beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum civitas ſancta Jeruſalem ſatiatur. (Pſal. 147. 14.) Verum quàm magna eſt beatitudo illa, tam abſcondita eſt ab oculis noſtris: quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor

a Huic ſententiæ adverſatur Auguſtinus in lib. 12. de Geneſi ad litt. cap. 33. num. 63. ubi putat antiquos juſtos numquam inferis fuiſſe detentos, & inferorum appellationem in Scripturis non competere niſi loco pœnarum.

b Sic Bernardus ipſe vocat in lib. 5. de Conſideratione num. 9.

c Hæc Bernardi non abſoluta definitio, ſed opinio eſt, ut patet ex num. 1. ubi id dictum vult accipi ſine præjudicio ſane, ſi cui forte aliter fuerit revelatum. Lege Præfationem ad hunc tomum, num. XX. & XXI.

hominis

hominis aſcendit, quanta claritas, quanta ſuavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei eſt illa, quæ exſuperat omnem intellectum: quanto magis omnem ſermonem noſtrum? Quod ergo nulli datum eſt experiri, nullus conetur effari. *Menſuram*, ait Dominus, *plenam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros.* Plenam univerſitate creaturarum, confertam in interiore homine noſtro; coagitatam in exteriore, ſupereffluentem in Deo ipſo. Ibi cumulus felicitatis, ibi ſupereminens gloria, ibi ſupereffluens beatitudo.

Luc. 6, 38

Deus quomodo in videndus in creaturis.

4. Nam quomodo videndus ſit in creaturis, quomodo in nobis habendus, poſſumus vel ex parte conjicere, ex ipſis nimirum, quas accepimus jam, primitiis ſpiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita eſt: mirabilis facta eſt; confortata eſt, ut non poſſimus ad eam. At vero quemadmodum in creaturis videndus ſit, poſſumus aliquatenus intelligere, nimirum cum & modo videatur in ipſis. unde & Philoſophi, Apoſtolo teſte, per ea quæ facta ſunt, Dei inviſibilia conſpexere. Verum quantumcumque proficiat quis intelligendo conſpicere, quàm potentiſſime, quàm prudentiſſime, quàm benigniſſime majeſtas æterna omnia fecerit, cuncta regat, ordinet univerſa; prorſus modicum ab eo quod eſt comprehendit. Veniet autem, quando jam (ut in præcedenti ſermone diximus) ſequemur Agnum quocumque ierit, & in omnibus conſequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod eſt gaudium Domini Dei noſtri. Gaudeamus ſane in omnibus, ſed non aliunde quàm de ipſo, ſicut & ipſe non aliis fruitur, ſed ſemetipſo.

Rom. 1, 20.

5. Jam vero quemadmodum in nobis habendus ſit; & hoc vel ex parte poſſumus cogitare. Conſtat enim animarum triplicem eſſe naturam. Unde & Sapientes mundi hujus animam humanam, rationalem, iraſcibilem, concupiſcibilem eſſe tradiderunt: quam utique triplicem vim animæ ipſa quoque natura & quotidiana experimenta nos docent. Porro quemadmodum circa rationale noſtrum, & ſcientia, & ignorantia conſtat, tamquam habitus & privatio: ſic & circa concupiſcibile, deſiderium & contemptus: & circa id quod dicitur iraſcibile, & lætitia pariter, & ira verſatur. Implebit ergo Deus rationale noſtrum luce ſapientiæ, ita ut penitus nobis nihil deſit in ulla ſcientia. Implebit concupiſcibile noſtrum fonte juſtitiæ, ut omnino deſideremus eam, & ea penitus repleamur, ſicut ſcriptum eſt: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nulla enim alia res implere poteſt deſiderium animæ, nulla alia præter juſtitiam beatificare animam poteſt. Cum ergo repleverit Deus concupiſcibile noſtrum juſtitia; quicquid reſpuere debet anima, reſpuet; quicquid debet concupiſcere, concupiſcet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Merito denique concupiſcibili noſtro juſtitiam attribuimus, ex quo nimirum aut juſti, aut injuſti reputamur. Jam vero quod dicitur in nobis iraſcibile, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in ſummam jucunditatem atque lætitiam replebimur pace divina. Et vide ſi non etiam in his tribus perfecta, quantum ſane ad animam ſpectat, beatitudo conſiſtit: quando ſcientia jam non inflabit propter juſtitiam; jam non contriſtabit propter lætitiam, ut ceſſet proverbium illud, *Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem:* quando juſtitia nec indiſcreta erit propter ſcientiam; nec oneroſa propter lætitiam: quando lætitia nec inepta * erit propter ſcientiam, nec impura propter juſtitiam.

Animæ triplex potentia quomodo implenda Deo.

Matt. 5, 6.

Beatitudo hominis quoad animam.

Eccli 1, 18.

* al. ſuſpecta

6. Sed in his omnibus nihil adhuc exterior homo noſter accepit. Ipſi ergo, ut inhabitet gloria etiam in terra noſtra, & juxta alium Prophetam repleatur majeſtate Domini omnis terra, quatuor ſunt quærenda, quem nimirum conſtat ex elementis quatuor eſſe compactum. Nec mireris quod pluribus indigere videtur qui miſerior eſt, cum & in pſalmo legeris, dicente Propheta: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* Habeat ergo terra noſtra immortalitatem, ne jam timeat denuo ſe in pulverem redigendam. Reſurgens enim corpus noſtrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid prodeſſet, ſi forte contingat in æternum vivere in miſeriis & ærumnis paſſibilitatis hujus, qua nimirum inceſſanter corruptibile hoc corpus affligitur; & ſi non ſemel, utique ſemper moritur? Habeat certe etiam aliquando omnimodam impaſſibilitatem. Ab humoribus enim inordinatis cauſas aiunt procedere paſſionum. Sed jam deſiderat corpus noſtrum etiam levitatem, ſecundum eam nimirum quam habet ex aëre portionem, ne vel ipſo onere ſit moleſtum. Tanta itaque futura credenda eſt corporum levitas & agilitas beatorum, ut poſſint, ſi velint, abſque omni mora ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deeſt ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulcritudo. Hanc perfectiſſimam habituri, non immerito poſſumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne. *Salvatorem enim exſpectamus*, ut ait Apoſtolus, *qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, exhibens quod pollicitus eſt, quoniam *fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum.* Sic ergo replebit animas noſtras Deus, cum perfecta in eis ſcientia fuerit, perfecta juſtitia, perfecta lætitia. Sic replebitur majeſtate ejus omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impaſſibile, agile, configuratum denique corpori claritatis ſuæ. Et vide ne forte iſti ſint ſeptem panes, quibus quatuor hominum millia Salvator legitur ſatiaſſe, è quibus ejuſdem numeri ſportas plenas Apoſtoli reſervandas ſuſtulerunt. Nunc enim reficimur panibus iſtis, cum jucunda meditatione beatam ſpem ruminamus: donec veniat, cum jam non de ſpe, ſed de re ipſa & exhibitione gaudentes, quaſi plenas ſportas recipere pro panibus ſingulis mereamur.

Pſal. 71, 19.

Beatitudo hominis quoad corpus.

Pſal. 62, 2.

Tom III. Corporis gloriæ quatuor dotes.

Philip. 3, 20.

Matth. 13, 43.

Matt. 15, 38.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM,

Sermo quintus.

1. FEſtiva nobis eſt dies, & inter præcipuas ſollemnitates hodierna ſollemnitas numeratur. Quid ergo dicimus? cujus Apoſtoli, cujus Martyris, cujus Sancti? Non unius alicujus ſingulariter, ſed pariter univerſorum. Omnes ſiquidem novimus feſtivitatem Omnium Sanctorum dici, & eſſe, quam hodie celebramus. Omnium, inquam, ſive cæleſtium, ſive terreſtrium. Sunt enim Sancti de cælo, & ſunt Sancti de terra: itemque eorum qui de terra ſunt, quidam adhuc in terra, aliqui jam in cælo. Celebratur ergo feſtivitas omnium horum communiter, ſed forſitan non uniformiter. Neque hoc mirum, cum non ſit ne ipſa quidem ſanctitas omnium uniformis, ſed inter ſanctos & ſanctos diſtet, idque non parum. Nec modo dico, quia alius alio ſanctior, (hæc enim quantitatis potius, quam qualitatis diſtantia eſt:) ſed quod non modo magis & minus, verum etiam aliter atque aliter ſanctos dici, & vere dici inveniamus. Et forte inter Angelos atque homines aſſignari poſſit iſta diverſitas ſanctitatis pariter & celebritatis. Neque enim tamquam triumphantes honorari poſſe videntur, qui numquam pugnaſſe noſcuntur. Aliter tamen honorandi ſunt nimis etiam ipſi, tamquam amici tui, Deus, cujus nimirum voluntati ſemper adhæſerunt, tanta utique felicitate, quanta facilitate. Niſi forte in eo pugnaſſe creduntur, quod peccantibus aliis viriliter perſtiterunt, non abeuntes in concilio impiorum, ſed ſinguli quique dicentes: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Celebranda ergo in eis gratia præveniens in benedictione dulcedinis: honoranda benignitas Dei, non ad pœnitentiam adducens, ſed abducens ab omnibus, quibus pœnitentia deberetur; non eripiens à tentatione, ſed à tentatione conſervans.

Sollemnitas hodierna etiam ſanctos de terra comprehendit.

Angeli ſancti quare honorandi.

2. Aliud ſane in his ſanctitatis genus, & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, & dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine

Sancti alii triumphantes.

Tom. III.

Agni: qui poſt multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati, quoniam legitime certaverunt. Eſtne adhuc Sanctorum aliquod tertium genus? Eſt, ſed occultum. Sunt enim ſancti qui adhuc militant, adhuc pugnant; currunt adhuc, necdum comprehenderunt. Temerarie forſitan hujuſmodi videar dicere ſanctos; ſed tamen novi unum ex his non veritum dicere Deo: *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum.* Sic & Apoſtolus, divinorum conſcius ſecretorum, evidentius ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Hæc nimirum diverſitas appellationis in nomine ſanctitatis, ut alii quidem jam ſecundum conſummationem ſancti vocentur, alii juxta ſolam adhuc prædeſtinationem. Latet ergo hujuſmodi ſanctitas penes Deum; clauſa eſt, & clauſe quodammodo celebratur. Siquidem *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia reſervantur incerta.* Sit ergo iſtorum celebritas ſanctorum in corde Dei: quoniam novit Dominus qui ſunt ejus, & ipſe ſcit quos elegerit à principio. Sit etiam apud adminiſtratorios illos Spiritus, qui mittuntur in miniſterium propter eos, qui hereditatem capient ſalutis: nos in vita ſua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque ſecura laudatio, ubi nec ipſa vita ſecura? *Non coronabitur niſi qui legitime certaverit*, ait tuba illa cæleſtis. Et legem certaminis ab ore ipſius Legiſlatoris auſculta: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Neſcis quis ſit perſeveraturus, neſcis quis ſit legitime certaturus, neſcis quis coronam ſit accepturus.

Alii militantes. — Pſal. 85. 2. — Rom. 8. 28. — Eccleſ. 9. 1. — Ante obitum nemo debet dici beatus. — 2. Tim. 2. 5. — Matt. 10. 22. & 24. 13.

3. Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria eſt: illos devotis extolle præconiis, quorum ſecure potes adgaudere coronis. Cantavimus Sanctis hac nocte, dicentes, *Timete Dominum omnes ſancti ejus!* ſed non iſtis. Non, inquam, eos qui perſeveraverint uſque in finem, timere hortabamur, quia ſcriptum eſt: *Jam non erit timor in finibus noſtris.* Illis potius dicebamus ſanctis, quibus cuſtodia multiplex neceſſaria eſt pro multitudine periculorum. Siquidem non eſt eis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem tantum, ſed adverſus principatus quoque & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Egent plane cuſtodia, qui tam multipliciter, non modo comminus, ſed eminus appetuntur. Et ubi tot pugnæ foris, non debent intus deeſſe timores, ut merito his dicatur: *Timete Dominum omnes ſancti ejus.* TOTA interim BEATITUDO NOSTRA eſt timere Deum, dicente Scriptura: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Et item Pſalmiſta ait: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Ceterum longe aliter beati, in quibus jam perfecta caritas foras miſit timorem, nec jam timent ambulantes in viis, ſed laudant potius habitantes in domo, ſicut idem ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* NOSTRA ergo felicitas, noſtra interim feſtivitas in timore Dei: nam illorum magis in exſultatione & laude verſatur.

Pſal. 33. 10. — Sanctis in hac vita ſemper timendum. — Epheſ. 6. 12. — Beatitudo mortalium in timore Dei. — Pſal. 33. 10. — Prov. 28. 14. — Pſal. 127. 1. — Pſal. 83. 5.

4. Inde eſt quod ſecure laudantur homines, qui non ſua jam vivunt vita, ſed Dei. nam hominum utique vita tentatio eſt. Eſt autem gemina quædam ſecuritas laudis hujus: niſi quod forte videbitur (ſi diligenter attendimus) intra alteram altera comprehendi. Siquidem non eſt quod laudare vereamur veriſſime, certiſſimeque laudabiles: non eſt quod glorificare cunctemur ſic abſorptos in gloria, ut noſtra omnino nequeant laudatione moveri. Non enim eſt quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quænam, inquies, gloria Sanctis? Neque enim ſinguli ſeſe glorificant, quia ſcriptum eſt: *Non te laudet os tuum.* Non viciſſim alter alterum laudat, quia in laudem Conditoris intenti & extenti, in quo nimirum tota eis repoſita eſt beatitudo, mutuis numquam vacare laudibus poſſunt, dicente Propheta, ſicut ſupra quoque meminimus: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Verumtamen non acquieſco expertes gloriæ credere Sanctos, maxime propter illud quod Apoſtolus ait: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitatem æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Et Propheta; *Viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hereditate tua.* Non enim ait, ut lauderis ab hereditate tua: ſed, *cum hereditate tua*, ut communis intelligatur futura laudatio. Quod ſi ipſa laudat hereditas Dominum; hereditatem quis laudet, ab Apoſtolo audiamus. *Tunc*, inquit, *unicuique laus erit.* A quo? *à Deo.* Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio. FELIX COMMUTATIO laudis, ubi & laudare beatum eſt, & laudari.

Sancti in cælis ſecure laudantur. — Prov. 27. 2. Sanctorum laus & gloria unde. — Pſal. 83. 5. — 2. Cor. 4. 17. — Pſal. 105. 4. — 1. Cor. 4. 5.

5. Ad quid ergo Sanctis laus noſtra, ad quid glorificatio noſtra, ad quid noſtra hæc ipſa ſollemnitas? Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promiſſionem honorificat Pater cæleſtis? Quo eis præconia noſtra? Pleni ſunt. Prorſus ita eſt, dilectiſſimi, honorum noſtrorum Sancti non egent, nec quicquam eis noſtra devotione præſtatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, noſtra intereſt, non ipſorum. Vultis ſcire quantum intereſt noſtra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione ſentio deſiderium vehemens inflammari, & deſiderium triplex. Vulgo dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea: & cogitare de Sanctis, quodam modo eos videre eſt. Sic nempe portio noſtra in terra viventium, nec modica ſane portio: ſi tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur. Sic, inquam, converſatio noſtra in cælis eſt: verumtamen non ſic noſtra, ſicut illorum. Ipſorum enim ſubſtantia ibi eſt, noſtra autem deſideria; ipſi per præſentiam, nos per memoriam ibi ſumus. Quando & nos addemur ad patres noſtros? quando eſſentialiter præſentabimur eis? Hoc enim primum deſiderium, quod in nobis Sanctorum memoria vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili ſocietate fruamur, & mereamur conciνes & contubernales eſſe ſpirituum beatorum, miſceri cœtui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, ſenatui Apoſtolorum, Martyrum exercitibus numeroſis, Confeſſorum collegiis, Virginum choris; in omnium denique colligi & collætari communione Sanctorum.

Sanctorum laus noſtra inutilis. — Excitat in nobis triplex deſiderium. — Sodalitatis eorum.

6. Singulorum quippe recordationes, quaſi ſcintillæ ſingulæ, immo quaſi ardentiſſimæ faces, devotos accendunt animos, ut eorum & conſpectum ſitiant* & complexum: adeo ut plerumque etiam inter eos eſſe ſe reputent, modo ad omnes ſimul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate & vehementia corda vibrantes. Alioquin quid iſtud negligentiæ, quid pigritiæ, immo quid vecordiæ eſt, ut non crebris ſuſpiriis & ferventiſſima affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina jaculari animos ſtudeamus? Væ nobis à duritia cordis noſtri! væ à peccato gentium, quas Apoſtolus memorat ſine affectione fuiſſe. Præſtolatur nos Eccleſia illa primitivorum, & negligimus: deſiderant nos ſancti, & parvi pendimus: exſpectant nos juſti, & diſſimulamus. Excitemur aliquando, Fratres: reſurgamus cum Chriſto, quæramus quæ ſurſum ſunt, quæ ſurſum ſunt ſapiamus. Deſideremus deſiderantes nos, properemus ad præſtolantes nos, exſpectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac noſtra communione ſecuritatis, nihil perfectionis, nihil quietis: & tamen hic quoque quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum? Quicquid enim, ſive interius, ſive exterius, moleſtum occurrit, ipſis utique tam germanorum conſortio fratrum, cum quibus eſt nobis cor unum & anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior unio, ubi nulla ſuſpicio eſſe poterit, nulla diſſenſionis occaſio, ubi omnes perfecta caritas indiſſolubili fœdere colligabit? ut ſicut Pater &

* al. ſentit. — Rom. 1. 31. — Fratrum cohabitatio hic grata, quanto gratior in cælis.

Filius unum ſunt, ſic & nos unum ſumus in ipſis.

a Felicitas Sanctorum deſideranda

7. Non tantummodo ſocietas, ſed etiam felicitas nobis eſt optanda Sanctorum, ut quorum deſideramus præſentiam, gloriam quoque ferventiſſimis ſtudiis ambiamus. Neque enim pernicioſa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenus periculoſa eſt. Nam quod dicimus, *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, hujus temporis vox eſt, quando & ipſi Angeli clamant: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Noli me tangere*, ait, *nondum enim aſcendi ad Patrem meum*. Verbum Gloriæ eſt. Nempe filius ſapiens gloria patris. Noli ergo, ait Gloria, noli me tangere. Noli interim quærere gloriam, fuge potius: & vide omnino ne me tetigeris, B donec perveniamus ad Patrem, ubi ſit gloriatio omnis jam ſecura. Ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur. Numquid non videtur audiſſe dicentem, *Noli me tangere, nondum aſcendi ad Patrem meum*, quæ in Cantico clamat: *Fuge dilecte mi, fuge?* Hoc eſt enim quod ſupra meminimus: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Unde & „ in hymno hodie nos canimus: Des pacem famulis, „ nos quoque gloriam per cuncta tibi ſæcula, juxta angelicam ſcilicet diſtributionem.

Pſal. 113. 1.
Luc. 2. 14.
Johan. 20. 17.
Cant. 8. 14.

Pax, non gloria homini hic quærenda.
Job 7. 20.
Ubi homo Deo contrarius

8. Quia enim tentatio eſt vita hominis ſuper terram, merito in terra homini, non gloria, ſed pax eſt quærenda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax in ſeipſo. *O cuſtos hominum! quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis?* Vicina nimirum lucta & inteſtina ſeditio, bellum non civile, ſed domeſticum, ſpiritus adverſus carnem, & caro adverſus ſpiritum concupiſcens. Unde hoc, niſi quia poſuiſti me contrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu ſufficientia, tu beatitudo: ego pauper, & miſer, & miſerabilis, confuſus & humiliatus uſquequaque, mortuus propter peccatum, venumdatus ſub peccato. Denique tu perfecta & ſancta voluptas, & requies ſpirituum beatorum, poſuiſti me ab initio contra Eden (quod voluptatem ſonat) in labore utique & ærumna. Attamen dicis; *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. D Liquet quia ſumus averſi, quos ut revertamur hortaris: liquet quia contrarii, quos revocas ut convertamur. Sed quomodo? *In jejunio*, inquit, *& fletu, & planctu*. Mira res! Itane in jejunio tu verſaris, & in fletu degis, & in planctu habitas? Procul à te omnia iſta: procul ipſe ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Jeruſalem, quam ſatias adipe frumenti; nec ibi luctus aut clamor, ſed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio, & vox laudis. *Juſti*, inquit, *epulentur in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia & exſultatione*. Quomodo ergo in jejunio, & fletu, & planctu convertemur ad ipſum? An vero juſtus cum in lætitia & exſultatione; qui vero nondum E juſtus eſt, non niſi in jejunio, & fletu, & planctu reperiet? Ita plane, ſed juſtus, qui jam conſpectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirum quod ait Dominus, *Cum ipſo ſum in tribulatione*, ad eum pertinet qui per fidem ambulat; non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem utriſque eſt caput unum, ſed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibuſdam enim oſtenditur caput hirſutum ſpinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter, pariter & compungantur. Quibuſdam glorioſum apparet, ut ab ipſo glorificentur, ut in ipſo glorientur facta ei ſimi- F lia, quem * vident ſicuti eſt.

Joel. 2. 12.
Pſal. 67. 4.
Pſal. 90. 15.
Sanctis Deus aliter quàm nobis exhibetur
* al. quod.

9. Hoc ergo ſecundum deſiderium, quod ex Sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut ſicut illis, ſic nobis etiam Chriſtus appareat vita noſtra, & nos quoque cum ipſo appareamus in gloria. Interim nempe non ſicuti eſt, ſed ſicut pro nobis factum eſt, caput noſtrum nobis repræſentatur, non coronatum gloria, ſed peccatorum noſtrorum circumdatum ſpinis, dicente Scriptura: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua*. O Regem! ô diadema! Mater ſiquidem Synagoga, non matrem ſeſe exhibens, ſed novercam, Regem noſtrum A corona ſpinea coronavit. Pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur, non habens ſpeciem aut decorem, vel aliquid ejuſmodi. Nimirum Salomon eſt, quod interpretatum eſt Pacificus, ſane quod in præſenti eſt; non utique beatificus, aut glorificus: ut in omnibus angelicum illud elogium commendetur, quo *terris pacem, cœlis gloriam* tradiderunt. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris ſit, quàm irriſionis. Videre eſt tamen hodie multis in locis, non ſine multa ambitione & comeſſatione, præſentem diem honorari. Honorari, an dehoneſtari dicam? Ipſi viderint qui hæc agunt. Ipſo- B rum eſt enim hujuſmodi celebritas, non Sanctorum: quod ſibi libet faciunt, non quod Sanctis. Erit cum venerit Chriſtus, nec mors ejus ultra annuntiabitur, ut ſciamus quoniam ipſi quoque mortui ſumus, & cum eo abſcondita eſt vita noſtra. Apparebit caput glorioſum, & cum eo membra glorificata fulgebunt, cum videlicet reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum gloriæ capitis, quod eſt ipſe. Hanc ergo gloriam tota & tuta ambitione concupiſcamus, ne forte audiamus & nos: Quia gloriam quæ ab invicem eſt quæritis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non vultis.

Cant. 3. 11.
Tom. III.
Luc. 2. 14.
Abuſus celebrantiū ſollemnia SS.
Johan. 5. 44.

C 10. Sane ut eam nobis ſperare liceat, & ad tantam beatitudinem adſpirare, ſummopere nobis deſideranda ſunt ſuffragia quoque Sanctorum: ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorum nobis interceſſione donetur. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Noſtis ipſi periculum noſtrum, noſtis figmentum noſtrum: noſtis ignorantiam noſtram, & dolos adverſariorum: noſtis eorum impetus, & noſtram fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuiſtis; qui eoſdem ſuperaſtis conflictus, eoſdem laqueos evaſiſtis; qui didiciſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſionem. Confido equidem & de Angelis, quod nec ipſi ſuam viſitare ſpeciem dedignentur, maxime quia ſcriptum eſt: *Viſitabis ſpeciem tuam, & non peccabis*. D Ceterum etſi de eis mihi arbitror præſumendum ob ſpiritualis ſubſtantiæ & rationalis formæ ſimilitudinem; ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum *, quos habere me noverim & in ipſa humanitate conſortes, ut oporteat eos familiarius & ſpecialius miſereri oſſi de oſſibus ſuis, & carni de carne ſua.

y Suffragia SS deſideranda & ſperanda.
Job 19. 21.
Prima ratio noſtræ fiduciæ.
Job 5. 24.
* al. utendum.

11. Denique tranſeuntes ex hoc mundo ad Patrem, ſancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos ſiquidem corpora eorum in pace ſepulta ſunt, quorum nomina vivent in ſæculum, id eſt quorum numquam gloria ſepelitur. Abſit, abſit à vobis, animæ ſanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Jo- E ſeph ſancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla ſocietas Iſraëlitæ ad Ægyptium, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus tenebræ, Iſraël vero videns Deum: atque ideo ubicumque Iſraël erat, lux erat. Non ſic noſter Jeſus crucifixi ſecum Latronis potuit oblivïſci: factum eſt utique quod promiſſum eſt: ipſa die qua compaſſus eſt, & conregnavit. Nos quoque ſi non ſumus ipſius capitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſollemnibus hodie votis, & tanto gratulamur affectu? F Ceterum qui dixit, *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra*: hoc quoque nihilo minus ait, *quod ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Hæc igitur noſtra & eorum cohærentia eſt, ut nos congratulemur eis, ipſi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipſi in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec eſt quod de eorum pia erga nos ſollicitudine dubitemus, quando quidem non conſummandi ſine nobis, ſicut ſupra meminimus, exſpectant nos uſque dum retribuatur nobis: ut videlicet in noviſſimo die magno feſtivitatis omnia ſimul in virum perfectum cum ſuo tam excelſo capite membra concurrant, & laudetur

Secunda.
Gen. 40. 23.
Tertia.
1. Cor. 12. 26.
Quarta.

Tom. III.

cum hereditate ſua Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus, & laudabilis, & glorioſus in ſecula, amen.

21 Novemb.
* Obiit anno 1148. Vitam ejus habes Tom. 2.

IN TRANSITU S. MALACHIÆ * EPISCOPI

Sermo primus.

1. DE cælo vobis hodie, dilectiſſimi, copioſa quædam eſt benedictio deſtinata: & fideliter eam non diſtribui, vobis quidem damnoſum eſſet; mihi vero periculoſum, cui nimirum hæc diſpenſatio videtur eſſe commiſſa. Timeo itaque damnum veſtrum, timeo damnationem meam, ſi forte dicatur: *Parvuli petierunt panem, & non fuit qui porrigeret illis.*

Thren. 4. 4.

Scio enim quàm neceſſaria vobis ſit è cælo veniens conſolatio, quos conſtat illecebris carnalibus & oblectamentis ſæcularibus viriliter abrenuntiaſſe. Nemo ſane beneficii eſſe cæleſtis, & ſuperno dubitet conſilio diffinitum, ut epiſcopus Malachias hodie inter vos obdormiret, & deſideratam inter vos haberet ſepulturam.

Malachias Claram vallem venit.

Cum enim nec folium quidem arboris ſine divino nutu cadat in terram; quis tam hebes, ut non evidenter in hujus beati viri adventu & tranſitu magnum prorſus conſilium ſupernæ pietatis advertat? A finibus terræ, terram hic poſiturus advenit, alia quidem occaſione feſtinans, quamvis ob ſpecialem erga nos caritatem id plurimum deſideraſſe noſcatur. Multa quidem in itinere ipſo impedimenta ſuſtinuit, nec tranſfretare permiſſus eſt, donec appropinquaret tempus conſummationis ejus, & terminus qui non poterat præteriri. Quem quidem multis ad nos pervenientem laboribus, tamquam Angelum Dei pro reverentia ſanctitatis ſuæ ſuſcepimus: ſed & nos ipſe pro ſua manſuetudine & humilitate altius radicata, longe ſupra quàm merere-mur, devoto ſuſcipiebat affectu. Paucos deinde apud nos dies fecit in incolumitate ſua, dum ſocios præſtolaretur, qui diſperſi in Anglia fuerant, cum Regis illius vana ſuſpicio Dei hominem impediret. Jamque omnibus ad eum collectis, ad Romanam, pro qua venerat, curiam parabat iter: cum ſubito infirmitate præventus, ſenſit protinus ad cæleſte magis ſeſe palatium evocari, Deo melius aliquid providente pro nobis, ne à nobis egreſſus alibi conſummaretur.

Mortis ſuæ præſcius.

2. Nullum quidem in eo, non dico mortis, ſed vel gravis ægritudinis ſignum medicis apparebat: ille tamen exhilaratus ſpiritu, aiebat omnimodis oportere, ut hoc anno Malachias ab hac vita egrederetur. Laboratum eſt econtra, & devotis precibus apud Deum, & quibuſcumque potuimus modis: ſed illius prævaluere merita, ut deſiderium cordis ejus tribueretur ei, & non fraudaretur voluntate labiorum ſuorum. Sic enim pro votis omnia ei concurrere, ut hunc maxime locum divina ſibi inſpirante clementia elegiſſet: & hunc quoque ex longo optaret ſepulturæ habere diem, quo Fidelium omnium generalis memoria celebratur.

Sepultus in die Commemorat. Fidelium Animarum.

Sed & illud noſtra hæc gaudia merito cumulavit, quod fratrum noſtrorum oſſibus [a], de priore cœmeterio huc aſportandis & recondendis, eadem nobis dies auctore Deo fuiſſet electa. Quæ nimirum deportantibus nobis, & ex more pſallentibus, idem vir ſanctus plurimum ſeſe illo cantu delectari dicebat: & non multo poſt ipſe quoque ſecutus eſt, ſomno ſuaviſſimo & feliciſſimo ſoporatus. Agimus itaque gratias Deo ſuper omnibus diſpoſitionibus ſuis, quod indignos nos beatæ mortis ejus honorare præſentia, quod pauperes ſuos pretioſiſſimo corporis ejus locupletare theſauro, quod infirmos nos tanta Eccleſiæ ſuæ voluit fulcire columna. Alterum ſiquidem è duobus ſignum iſtud, quod nobis in bonum factum eſt, perſuadet, quod aut placitus Deo ſit locus, aut ſibi placitum facere velit, ad quem tantæ ſanctitatis virum à finibus terræ moriturum, ſepeliendumque perduxit.

3. Ceterum populo illi affectuoſius condolere, & ejus quæ tam miſerabili Eccleſiæ dirum hoc vulnus A non perpercit inferre, crudelitatem mortis vehementius abhorrere, beati hujus Patris caritas ipſa compellit. Dira profecto & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem unius percuſſione mulctavit: cæca & improvida, quæ Malachiæ ligavit linguam, impedivit greſſus, diſſolvit manus, oculos clauſit.

Dira mors quæ Malachiam ſuſtulit.

Illos, inquam, devotos oculos, qui piiſſimis fletibus divinam peccatoribus reconciliare gratiam conſuevere: illas mundiſſimas manus, quæ laborioſis & humilibus operibus exerceri ſemper amaverant, quæ Dominici corporis hoſtiam ſalutarem pro peccatoribus toties offerebant; & ſine ira & diſceptatione in oratione levabantur in cælum; quæ infirmis multa B beneficia præſtitiſſe, & ſignis variis effulſiſſe noſcuntur: illos quoque ſpecioſos greſſus evangelizantis pacem, evangelizantis bona; illos pedes, qui toties fatigati ſunt ſtudio pietatis; veſtigia illa, digna quæ ſemper devotis oſculis premerentur: ſancta denique labia illa ſacerdotis, quæ cuſtodiebant ſcientiam; os juſti, quod ſapientiam meditabatur: & linguam ejus, quæ judicium loquens, immo & miſericordiam, tantis mederi ſolebat vulneribus animarum. Nec mirum, Fratres, iniquam mortem eſſe, quam generavit iniquitas: inconſideratam, quam noſcitur ſeductio peperiſſe. Nihil, inquam, mirum, ſi ferit ſine diſcretione, quæ venit ex prævaricatione: ſi ſit crudelis & fa-C tua, quæ ex antiqui ſerpentis fallacia, & mulieris inſipientia prodiit.

Sed neque Chriſto pepercit.

Quid tamen cauſamur, quod Malachiam auſa ſit attentare, fidele equidem membrum Chriſti, quando & ipſum Malachiæ pariter & omnium electorum caput furibunda pervaſit? Pervaſit utique immunem, ſed non immunis evaſit. Impegit in vitam mors, & incluſit intra ſe vita mortem, & abſorpta eſt mors à vita. Hamum ſibi devorans, inde teneri cœpit, unde viſa eſt tenuiſſe.

Mors à Chriſto ut ſuperata.

4. At fortaſſe quis dicat: Quomodo mors à capite ſuperata videtur, quæ tanta adhuc libertate ſævit in membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si victa, quomodo adhuc prævalet univerſis; & D non eſt homo qui vivat, & non videat mortem? Victa plane mors, opus diaboli, & peccati pœna: victum peccatum, cauſa mortis: victus & malignus ipſe, & peccati auctor, & mortis. Nec modo victa ſunt hæc, ſed & judicata jam & damnata. Diffinita quidem, ſed nondum promulgata ſententia eſt. Denique jam diabolo ignis paratus, etſi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari. Tamquam malleus cæleſtis Opificis factus eſt, malleus univerſæ terræ: terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem.

Diabolus & mors quid juſtis ad bonum ſubſerviant.

Qualis ergo paterfamilias, tales & domeſtici ejus, peccatum ſcilicet & mors. Nam & peccatum, licet ſimul cum Chriſ-E to cruci ipſius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, ſed habitare etiam in ipſo, dum viveret, Apoſtolo permittebatur. Mentior ſi non ipſe ait: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Rom. 7. 17.

Sic & mors ipſa minime quidem adhuc abeſſe cogitur, ſed cogitur non obeſſe. Erit autem cum dicetur: *Ubi eſt mors victoria tua?* Et ipſa ſiquidem inimica noviſſima deſtruetur. Nunc vero moderante eo qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipſum certis littorum coercet metis, mors ipſa dilectis Domini ſomnus refrigerii eſt, Propheta atteſtante, qui ait: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.*

Pſal. 126. 2.

F Peſſima quidem mors peccatorum, quorum & nativitas mala, & vita pejor: ſed *pretioſa eſt mors ſanctorum.*

Pſal. 115. 15.

Pretioſa plane, tamquam finis laborum, tamquam victoriæ conſummatio, tamquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.

5. Congratulemur itaque, Fratres, congratulemur, ut dignum eſt, Patri noſtro: quia & pium eſt defunctum plangere Malachiam, & pium magis Malachiæ congaudere viventi. Numquid non vivit? Et beate. Nimirum viſus eſt oculis inſipientium mori, ille,

[a] Viſuntur hodie apud Claram-vallem oſſa primorum illorum Sanctorum monachorum in ſacello ſubterraneo, ad pietatem ſane tote compoſito.

autem eſt in pace. Denique jam concivis Sanctorum & domeſticus Dei, pſallit pariter & gratias agit, dicens: [Pſal. 65. 12.] *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Tranſivit plane viriliter, & feliciter pertranſivit. Verus Hebræus Paſcha celebravit in ſpiritu, & nobis tranſiens loquebatur: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare apud vos. Tranſivit per ignem & aquam, quem nec triſtia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Eſt enim deorſum nos locus, quem ſibi totum vindicat ignis, adeo ut ne minimam quidem aquæ guttam de Lazari digito miſer ille dives ibi habere potuerit. Eſt & ſurſum civitas Dei, quam lætificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians quam præclarus. In hoc ſane medio boni & mali ſcientia continetur, & voluptatis & tribulationis hic capere eſt experimentum. Infelix Eva in has viciſſitudines nos induxit. Hic plane dies & nox: nam in inferno tantum nox, & in cælo tantum dies. Beata proinde anima, quæ utrumque pertranſit, nec voluptati inhærens, nec deficiens in tribulatione.

[Malachias quid pro eccleſia ſua fecerit]

6. Breviter vobis unum aliquod ex multis hujus viri magnificis actibus arbitror referendum, in quo ſtrenue ſatis & ignem, & aquam noſcitur pertranſiſſe. Magni illius Patricii Hibernienſium Apoſtoli ſedem metropolitanam tyrannica ſibi progenies, ſucceſſionis ordine creans archiepiſcopos, vindicabat, hereditate poſſidens ſanctuarium Dei. Rogatus itaque à fidelibus Malachias noſter, ut tantis ſeſe malis opponeret; animam ſuam in manibus ſuis ponens, acceſſit intrepidus, ſuſcepit archiepiſcopatum, tradens ſeſe diſcrimini manifeſto, ut tanto crimini finem daret. Inter pericula rexit eccleſiam: poſt pericula ſibi continoo ſucceſſorem alterum canonice ordinavit. Ea ſiquidem conditione ſuſceperat, ut poſtquam ceſſante perſecutionis rabie alter ſecure poſſet inſtitui, ad ſedem propriam remeare permitteretur: ubi ſine eccleſiaſticis ſæcularibuſve redditibus in congregationibus religioſis, quas ipſe exſtruxerat, degens inter eos tamquam unus eorum, uſque ad hoc tempus vixit abſque ulla proprietate. Sic Dei hominem examinavit, non exinanivit tribulationis incendium, (ſiquidem aurum erat:) ſic nec illecebra tenuit aut reſolvit: nec curioſus ſpectator in via ſubſtitit, propriæ peregrinationis oblitus.

7. Quis veſtrum, Fratres, non vehementer ejus imitari cupiat ſanctitatem, ſi id audeat vel ſperare? Credo igitur libentius audituros, ſi dicere forte poterimus, quid ſanctum fecerit Malachiam. [Sanctum duo fecere Malachiam. Eccli. 45. 4.] Sed ne noſtrum forſitan minus acceptabile teſtimonium videatur, Scripturam audite dicentem: *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum.* Fide calcabat mundum, Johanne atteſtante, qui ait: [1 Johan. 5. 4.] *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Nam in ſpiritu lenitatis dura quælibet & adverſa æquo animo tolerabat. Hinc quidem poſt Chriſtum fide calcabat maria, ne caperetur illecebris: inde in patientia ſua poſſidebat animam ſuam, ne moleſtiis frangeretur. [Pſal. 90. 7. Plures dejicit proſperitas quàm adverſitas.] De his enim duobus habes in pſalmo, cadiros à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: quod multo plures proſperitatis fallaciæ, quàm adverſitatis flagella dejiciant. Nemo itaque noſtrum, cariſſimi, plana mollioris viæ [al. undæ] * ſuperficie delectatus, iter illud marinum * [al. maximum.] ſibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, inviſibiles quidem, ſed eo ipſo perieuloſiores. Laborioſior forte via videtur inter ardua collium, & aſpera rupium: ſed expertis longe ſecurior & deſiderabilior invenitur. Utrobique tamen laborem, utrobique periculum eſſe noverat, qui dicebat: [2. Cor. 6. 7.] *Per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris:* ut merito congratulemur eis, qui tranſierunt per ignem & aquam, & in refrigerium ſunt educti. Refrigerium vultis audire? Utinam id vobis alius loqueretur! nam ego quod non guſtavi, eructare non poſſum.

8. Videor tamen mihi hodie ſuper hoc refrigerio [Pſal. 114. 7.] Malachiam audire dicentem: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, &c.* In quibus verbis quid intelligam, paucis audite: ſiquidem inclinata eſt jam dies, & longius quam ſperaveram ſermo proceſſit, quod invitus avellar à paterni dulcedine nominis, & Malachiam ſilere lingua formidans, finem facere vereatur. Mors animæ, Fratres mei, peccatum eſt. niſi forte excidit vobis quod in Propheta legiſtis: [Ezech. 18. 4. Sanctorū triplex congratulatio.] *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Triplex proinde congratulatio eſt hominis, ab omni peccato, & labore, & periculo liberati. Ex hoc ſiquidem nec peccatum in eo habitare dicitur, nec pœnitentiæ luctus indicitur, nec ab ullo deinceps lapſu ei prædicitur eſſe cavendum. Poſuit Elias pallium: non eſt quod timeat, non eſt quod tangi, nedum teneri ab adultera vereatur. Currum conſcendit; non eſt jam trepidare ne cadat: ſuaviter ſcandit; non laborans volatu proprio, ſed celeri in vehiculo ſedens. Ad hoc nos refrigerium, dilectiſſimi, tota animi aviditate curramus in odore unguentorum hujus beati Patris noſtri, qui noſtrum hodie torporem in ferventiſſimum deſiderium viſus eſt excitaſſe. Curramus, inquam, poſt eum, crebrius illi clamantes, Trahe nos poſt te: & affectu cordis, & profectu converſationis devotas omnipotenti miſericordiæ gratias referentes, quod indignis ſervulis ſuis, quibus propria deſunt merita, aliena ſaltem voluit ſuffragia non deeſſe.

DE S. MALACHIA EPISCOPO

SERMO SECUNDUS.

1. Liquet, dilectiſſimi, quod dum corpore retinemur, peregrinamur à Domino: ac per hoc luctum magis, quàm gaudium, miſerandum nobis indicit exſilium & conſcientia delictorum. Quia tamen apoſtolico ore gaudere cum gaudentibus admonemur, [2 Cor. 5. 8. Rom. 12. 15.] in omnem nos ſuſcitari lætitiam, tempus & cauſa requirit. Nam ſi vere, quod Propheta ſenſit, exſultent [Pſal. 67. 4.] juſti in conſpectu Dei, exſultat ſine dubio Malachias, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus. In ſanctitate & juſtitia coram ipſo miniſtravit: placuit miniſterium, placuit & miniſter. Quidni placuerit? Poſuit ſine ſumptu Evangelium, replevit Evangelio patriam, ſuorum maxime feralem edomuit barbariem Hibernorum: levi jugo Chriſti in gladio ſpiritus exteras ſubdidit nationes, uſque ad extrema terræ reſtituens hereditatem ſuam illi. O miniſterium fructuoſum! ô miniſtrum fidelem! Numquid non per ipſum Filio eſt paterna adimpleta promiſſio? Numquid non hunc olim intuebatur Pater, cum ad Filium loqueretur: [Pſal. 2. 8.] *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?* Quàm libens Salvator recipiebat quod emerat, & emerat pretio ſanguinis ſui, ignominia crucis, horrore paſſionis! Quàm libens de manibus Malachiæ, pro eo quod gratis miniſtraret! Ergo in miniſtro quidem gratum erat muuus gratuitum, in miniſterio autem placita converſio peccatorum. Grata, inquam, & placita in miniſtro ſimplicitas oculi, in miniſterio autem ſalus populi.

[Opera Deus ex intentione judicat.]

2. Quamquam etſi miniſterii quidem minor efficientia ſequeretur, nihilo minus tamen ad Malachiam & ad opera ejus ille merito reſpexiſſet, cui amica puritas, cui familiaris ſimplicitas: cujus juſtitiæ eſt de intentione penſare opus, & de oculi qualitate totius æſtimare corporis ſtatum. Nunc vero magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates & ſtudia Malachiæ: magna & multa, & bona valde, etſi pro bona caſtæ intentionis origine meliora. Quod opus pietatis præteriit Malachiam? Pauper ſibi, ſed dives pauperibus erat. Pater orphanorum, maritus viduarum, patronus exſtitit oppreſſorum. Hilaris dator, petitor rarus, acceptor verecundus. Pacis reformandæ inter diſcordantes fuit illi cura maxima, & efficacia multa. Quis æque pius ad compatiendum, ad ſubveniendum promptus, ad corripiendum liber? Nam & zelans erat, nec deerat [Scientia zeli moderatrix.] ſcientia, zeli ipſius moderatrix. Et quidem infirmus infirmis, ſed nihilo minus potentibus potens, ſuperbis reſiſtebat, tyrannos verberabat, regum magiſter ac

Tom. III

principum. Ipſe eſt, qui Regi orando viſum & maliguanti tulit, & humiliato reſtituit. Ipſe eſt, qui pacis quam fecerat violatores, ſpiritui erroris traditos, fruſtratus eſt in malo quod facere cogitabant: ac denuo coegit ad pacem, confuſos quidem & ſtupefactos in eo quod ſibi contigerat. Ipſe enim eſt, cui adverſus alios, pacti æque prævaricatores, rivus officioſiſſime adfuit, miro modo objectu ſui evacuans molimina impiorum. Imbres non erant, non illuvies aquarum, non concurſus nubium, non liquefactio nivium: cum ſubito factus eſt in fluvium magnum, qui rivulus erat: & rivus ibat, & intumeſcebat inundans, & negans omnino tranſitum volentibus malignari.

Rivulus excrevit ſubito in fluvium.

3. Quanta audivimus, & cognovimus ea de zelo viri, & ultione inimicorum, cum tamen eſſet ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus neceſſitatem patientibus? Qui quaſi unus omnium parens, vivebat omnibus: quaſi gallina pullos ſuos, ſic fovebat omnes, & in velamento alarum ſuarum protegebat. Non ſexus, non ætas, non conditio diſcernebatur, aut perſona: deerat nemini, expanſo omnibus gremio pietatis. De quacumque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat. niſi quod in ſua patiens, in aliena compatiens erat, plerumque & impatiens. Nonnumquam ſiquidem repletus zelo, pro aliis in alios movebatur, ut eripiens inopes, & reprimens fortes, conſuleret proinde omnibus in ſalutem. Itaque iraſcebatur, ſed ne * non iraſcendo peccaret, juxta illud de pſalmo: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Non ira illi, ſed ipſe animo dominabatur. Erat ſuimet potis. Sane victor ſui, ira ſuperari non poterat. Ira ejus in manu ejus. Vocata veniebat, exiens, non erumpens: nutu non impetu ferebatur. Non urebatur illa, ſed utebatur. Magna illi tam in hoc, quàm in cunctis utriuſque hominis ſui motibus regendis, vel cohibendis, cenſuræ diligentia, & circumſpectio multa. Non enim ita omnibus intendebat, ut ſe ſolum exponeret, ſolum curæ exciperet generali. Erat & ſui ſollicitus. Seipſum cuſtodiebat. Ita denique totus ſuus, & totus omnium erat, ut nec caritas à cuſtodia ſui, nec proprietas ab utilitate communi eum impedire vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem mediis immerſum turbis, & implicitum curis, diceres patriæ natum, non ſibi. Si videres hominem ſolum, & ſecum habitantem, putares ſoli vivere Deo & ſibi.

Gallinæ evangelicæ comparatur Malachias.

* al. ne iraſc. Pſal. 4. 5. Ira ut uſus ſit S. Malachias.

Intentus ſibi & aliis quomodo.

4. Sine turbatione verſabatur in turbis: ſine otio tempus, quod otio dederat, tranſigebat. Quomodo otioſus, quando exercebatur in juſtificationibus Domini? Nam etſi habebat tempus liberum à neceſſitatibus plebium, non tamen à ſanctis meditationibus feriatum, non orandi ſtudio, non ipſo otio contemplandi. Sermo illi in tempore otii aut ſerius, aut nullus. Aſpectus ejus aut officioſus, aut demiſſus, & cohibitus intra ſe. Nempe (quod non mediocri laudi inter ſapientes ducitur) oculus ejus in capite ejus, nuſquam avolans, niſi cum virtuti paruiſſet. Riſus aut indicans caritatis, aut provocans: rarus tamen & ipſe. Equidem interdum eductus, excuſſus numquam: qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minueret, ſed augeret. Tam modeſtus, ut levitatis non poſſet eſſe ſuſpectus: tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni triſtitiæ nævo vel nubilo vindicare ſufficeret. O munus perfectum! ô holocauſtum pingue! ô obſequium gratum mente & manu! Quàm bonus odor Deo in orationibus otioſi! quàm bonus hominibus in ſudoribus occupati!

In turbis & otio qualis.

Eccl. 2. 14. Riſus ejus, qualis.

5. Pro hujuſmodi ergo dilectus à Deo & hominibus, non immerito hodie Malachias in conſortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate, quàm nomine: ſed nunc felicius glorioſi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Congratulemur itaque, Fratres, congratulemur, ut dignum eſt, Patri noſtro: quia & pium eſt, defunctum plangere Malachiam; & pium magis, Malachiæ congaudere viventi. Numquid non vivit? Et beate. Nimirum viſus eſt oculis inſipientium mori: ille autem eſt in pace. Denique jam concivis Sanctorum & domeſticus Dei, pſallit pariter, & agit gratias, dicens: *Tranſivimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Tranſivit plane viriliter, & feliciter pertranſivit. Verus Hebræus paſcha celebravit in ſpiritu, & nobis tranſiens loquebatur: Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare apud vos. Tranſivit per ignem & aquam, quem nec triſtia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Lætemur, quod Angelus noſter aſcendit ad cives ſuos, pro filiis captivitatis legatione fungens, corda nobis concilians beatorum, vota illis intimans miſerorum. Lætemur, inquam, & exſultemus, quia cæleſtis illa curia ex nobis habet, cui ſit cura noſtri, qui ſuis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, miraculis confirmavit.

Sancti ſtatim à morte in conſortium Angelorum recipiuntur.

Ex Leo in ſup. ſerm. n. 3.

Pſal. 65. 12.

Sanctis in cælo qui præſunt nobis.

6. Sanctus Pontifex, qui in ſpiritu humilitatis hoſtias pacificas cælis frequenter invexerat, hodie per ſemetipſum introivit ad altare Dei, ipſe hoſtia & ſacerdos. Migrante ſacerdote, ſacrificii ritus in melius mutatus eſt; fons lacrymarum ſiccatus eſt, holocauſtum omne conditur in lætitia & exſultatione. Benedictus Dominus Deus Malachiæ, qui tanti Pontificis miniſterio viſitavit plebem ſuam, & nunc aſſumpto eo in ſanctam civitatem, tantæ recordatione ſuavitatis noſtram non deſinit conſolari captivitatem. Exſultet in Domino ſpiritus Malachiæ, quod levatus pondere corporeæ molis, nulla jam fæculenta vel terrena materia prægravatur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem & incorpoream tranſiens creaturam, pergat totus in Deum, & adhærens illi, unus ſit cum eo ſpiritus in æternum.

7. Domum iſtam decet ſanctitudo, in qua tantæ frequentatur memoria ſanctitatis. Sancte Malachia, ſerva eam in ſanctitate & juſtitia, miſertus noſtri, qui inter tot & tantas miſerias memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructamus. Magna eſt ſuper te divinæ diſpenſatio pietatis, qui te parvum fecit in oculis tuis, magnum in ſuis: qui magna fecit per te, ſalvans patriam tuam; magna fecit tibi, introducens te in gloriam ſuam. Feſtivitas tua, quæ merito tuis virtutibus votiva impenditur, tuis nobis efficiatur meritis & precibus ſalutaris. Gloria ſanctitatis tuæ, quæ à nobis frequentatur, continuatur ab Angelis, ſic erit nobis digne jucunda, ſi fuerit & fructuoſa. Liceat nobis aliquas, te migrante, retinere reliquias de fructibus ſpiritus, quibus onuſtus aſcendis, qui in tuo hodie tam delicioſo convivio congregamur.

Invocatio.

S. Malachiæ feſtivitas.

8. Eſto nobis, quæſumus, Malachia ſancte, alter Moyſes, vel alter Elias, impertiens & tu de ſpiritu tuo nobis: ipſorum ſiquidem in ſpiritu & virtute veniſti. Vita tua, lex vitæ & diſciplinæ: mors tua, mortis portus, & porta vitæ: memoria tua, dulcedo ſuavitatis & gratiæ: præſentia tua, corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliva fructifera in domo Dei! ô oleum lætitiæ ungens & lucens, fovens beneficiis, coruſcans miraculis! fac nos ejus, qua frueris, lucis ſuavitatiſque participes. O odoriferum lilium, in æternum ante Dominum germinans, & florens, & ſpargens ubique vivificum ſuavitatis odorem: cujus apud nos memoria in benedictione eſt, apud ſuperos præſentia in honore! da canentibus te tantæ plenitudinis participio non fraudari. O luminare magnum, & lux in tenebris lucens, ſignorum radiis & meritorum illuminans carcerem, lætificans civitatem! fuga de cordibus noſtris, virtutum ſplendoribus tenebras vitiorum. O ſtella matutina, eo ceteris clarior, quo diei * vicinior, ſimilior Soli! dignare præire nobis, ut & nos in lumine ambulemus, quaſi filii lucis, & non filii tenebrarum. O aurora deſcens ſuper terram, ſed ſuperiores cæli plagas lux meridians perluſtrans! recipe nos in conſortio luminis, quo illuminatus & late foris luces, & intus ſuaviter ardes, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Pa-

S. Malachias invocatus.

* al. Deo.

tre & Spiritu-ſancto regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, amen.

1. Novemb.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI,

SERMO.

De exemplis obedientiæ.

1. PUto ſermonem à nobis expetit tam veſter iſte conventus, quàm adventus harum honorabilium perſonarum, quas de longinquo gratulamur adeſſe. Sane audirem eos ipſe libentius: ſed quoniam eligunt, immo & exigunt magis ut loquar, mihi ſi non licet audire eos, eis neceſſe eſt obaudire. Et quidem vivus eſt nobis ſermo tam multa manſuetudo eorum, qua videlicet meritis ſanctiores, dignitate ſuperiores, ſapientia locupletiores, non modo ad viſitandos, ſed etiam ad audiendos nos dignati ſunt declinare. Efficax eruditio, & omni digna acceptione doctrina. Siquidem non verbo & lingua, ſed opere & veritate nos admonent imitatores ſuos eſſe, ſicut ipſi ſunt Chriſti; & diſcere quod ab ipſo utique didicerunt, mites eſſe, & humiles corde. Sic Maria Elizabeth petiit, conjugatam virgo, ancillam domina; Præcurſoris matrem, Judicis mater; Dei genitrix, ſervuli genitricem. Sic poſtmodum Jeſus etiam ipſe Johannem adiit, & adiit baptizandus, utpote quem decebat implere omnem juſtitiam. Vos quoque, reverendi Patres, * deteriorem vobis non facitis partem veſtram: ad audiendum quippe quàm ad loquendum velociores, etiam inter ipſos, qui veſtro magis eguerant documento. Nam nos quidem, quia omnem non poſſumus implere juſtitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus, juſtum eſſe non ignorantes inferiorem ſuperioribus obedire.

Humilitatem in auditoribus ſuis commendat. — *Luc. 1. 39.* — *Matt. 3. 1.* — ** al. deteriorem nobis facitis partem noſtram.*

2. Sed unde loquemur? *Qui de terra eſt, de terra loquitur*, ait vox illa clamantis. De terra ergo loquamur, quia de terra ſubſiſtimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filii hominum: vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra moramur, in terra morimur, revertentes in eam unde ſumus aſſumpti. Hic nobis anguſtus introitus, mora brevis, ſola mors certa. Cogitur totus Adam judicium portare quod meruit. Dilatatus eſt vehementer, multiplicatus eſt, & replevit terram. Attamen velit, nolit, quantumcumque recalcitret, univerſus adhuc fert ſententiam quam excepit. *Terra*, inquit, *es, & in terram ibis*. Gravis equidem ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento. Dura admodum, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena. Siquidem non minus juſte peccanti diceretur: Terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis. Juſtus foret etiam tunc juſtus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus plane qui laudaretur, ſed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilo minus vere dicerem, ſi tamen dicere poſſem: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum*. At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: ſed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ nominis tui, ut deſcendentem de Jeruſalem, minime tamen uſque in Jericho patereris abduci. Semivivus adhoc relictus in via ſemilaudare poſſum: ubi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia oſſa mea: Domine, quis ſimilis tibi? Propter hoc nempe cum iratus fuiſſes, miſericordiæ meminiſti, non damnans hominem in loco perditionis, ſed in loco afflictionis humilians. Quid cauſaris homo? quid ſententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus è terra, ut ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit.

Johan. 3. 31. — *In terra orimur & morimur.* — *Gen. 3. 19.* — *Pſal. 118. 137.*

3. Sed audire, inquies, velim; quia ſpiritus es, & ad ſpiritum ibis. Siquidem etiam ſpiritus ſum, quod ad animam pertinet; nec portionem hanc mei dubitaverim potiorem. Audivi ſane ab Apoſtolo, quia *Dominus ſpiritus eſt*, & ab ipſo Domino, quia *ſpiritus eſt Deus*. Nec modo ſpiritus, ſed & ſpirituum pater. Utquid ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte; ſpirituum Pater non recipit, cum ex parte ſim ſpiritus? Scio, ſcio, agit hoc non tam ſubſtantia ipſa, quàm culpa. Sicut enim peccatores ſpiritus inter cælum & terram ventoſum hoc medium tenent, unde & poteſtates hujus aeris nominantur: ſic peccata noſtra inter nos & Deum ſeparant, inter creatorem patremque ſpirituum, & ſpiritualem utique creaturam. Traxit animam corpus in regionem ſuam, & ecce prævalens opprimit peregrinam. Factum eſt nempe talentum plumbi, non aliunde tamen, niſi quia ſedet iniquitas ſuper illud. Corpus enim aggravat animam, ſed utique quod corrumpitur: corrumpitur autem, immo etiam, Apoſtolo teſte, mortuum eſt propter peccatum. Itaque licet quodammodo cælum ſit homo, cæleſtibus ſine dubio ſpiritibus ſimilis, ſubſtantia ſimul & forma; ſubſtantia quidem quoniam ſpiritualis, forma vero quia rationalis eſt: minime tamen jam levare eum duo iſta ſufficiunt, ut mereatur audire, quia cælum es, & in cælum ibis. Fruſtra glorietur de libertate arbitrii, quæ in mente eſt: captivus ducitur in legem peccati, quæ in carne eſt. Nam etſi forſitan videretur duplex funiculus poſſe alteri æque duplici prævalere, ut videlicet quem ſibi terra gemino quodam jure tamquam patria pariter & materia vindicat, ob geminam nihilo minus, quæ prædicta eſt, ſubſtantiæ ſcilicet & formæ ſimilitudinem, cælum quoque recipiat ut cæleſtem: ſed jam triplicatus inferior ille & deorſum trahens peccato equidem accedente funiculus, niſi illinc quoque occurrerit gratia, non rumpetur. Sane ubi illa adfuerit, haud dubium quin ſolvatur facile gravis iſte quo trahimur, immo quem trahimus, funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos & Deum non ſeparans intervenit, ſed reparans & conjungens.

2. Cor. 3. 17. — *Johan. 4. 24.* — *Tom. III.* — *Epheſ. 2. 14.* — *Sap. 9. 15.* — *Rom. 8. 10.* — *In homine cæleſtis portio cur non prædominetur terrenæ.*

4. Itaque ibo mihi ad montem gratiæ, & colles miſerationum, quarum theſauros omnes repoſitos audio penes Chriſtum. Ibo ad eum qui eſt plenus gratiæ & veritatis, ſi forte accipiam aliquid de plenitudine illa, immo ſi forte accipiar in plenitudinem illam: ut cum ceteris aliquando membris occurram in* menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Nemo quippe aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. Fideliſſimus plane & benigniſſimus Mediator, qui quidem non diſcrevit, ſed fecit utraque unum, medium parietem maceriæ ſolvens, donans nobis omnia delicta, delens quod adverſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos, pacificanſque per ſanguinem ſuum quæ ſunt in cælo, & quæ ſuper terram. Propter hanc nempe ſalutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confeſtim ſub terra poſuit hominem, ſicut peccando meruerat; ſed in terra. Siquidem reſpirandum eſt nobis, & nullatenus deſperandum, donec in terra adhuc interim conſtituti, & ſuſpicere cælum poſſumus, & ſuſcipere data optima & dona perfecta deſurſum à Patre luminum, à patre ſpirituum, à patre miſericordiarum. Nam & propterea rectum fecit hominem, etiam corpore ipſo, & os homini ſublime dedit, cum prona utique ſpectent animantia cetera terram: ut attollens ad ſidera vultus illo ſuſpiret, ubi tam beatam & perennem conſpicit manſionem.

Gratia hic quàm neceſſaria. — *Johan. 3. 13.* — *Coloſſ. 2. 14.* — *Deus hominem peccantem cur non illico deleverit.* — *Homo rectus corpore, cur.*

5. Nonne enim pie & fideliter intuentibus nobis vehementiſſimum quoddam incentivum amoris, & provocatio flagrantiſſimi deſiderii eſt viſio ipſa tam luci- diſſimæ regionis? Non ſunt ſtellæ cæli ſimiles glebis terræ. Inter ſplendorem ſolis, & caliginem ſoli hujus, non parva diſtantia eſt. Forte tamen hic quoque nonnulla, ſed in ſuo genere pulcra videntur: & hæc ipſa undique mixta non pulcris, ut aurum in luto, gemma in ſterquilinio, lilium inter ſpinas. Tota pulcra es, patria mea, & macula non eſt in te: tota pulcra es, abſque eo quod intrinſecus latet. Quid illud? Nempe illi beati angelici ſpiritus, & animæ ipſæ Sanctorum, quæ jam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Sicut enim

Cœli & terræ diſcrimen.

Tom. III. ſunt corpora terreſtria, ſunt & corpora cæleſtia; longe vero alia eſt cæleſtium gloria, quàm terreſtrium: ſic ſunt cæleſtes ſpiritus & terreſtres, nec minor ſane diſtantia inter eos. Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Throni, Cherubin atque Seraphin. Bene nomina novi. Forte hoc totum eſt. Quid enim amplius capiam terrigena de cæleſtibus, carnalis homo de ſpiritualibus & divinis? Verumtamen etſi ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certiſſime novi, quod magnum & mirabile aliquid ſub hac tanta verborum majeſtate clauſum ſit & ſignatum. Non ſine cauſa cælum hoc dicitur: plane eximium neſcio quid celatur in eo. Celatur, inquam, ſed tamen non negatur fidei B uſquequaque. Videre enim nobis datur in terra ipſam exteriorem cæli pulcritudinem, non adire: internam quoque gloriam ſecretorum ejus, etſi non comprehendere, conceditur vel audire. Videmus patriam, ſed à longe ſalutamus: odoramur illas delicias, non guſtamus.

Ordines Angelorum, & eorum nomina myſteriis plena.

6. Enimvero non ſine cauſa Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis in regione hac umbræ mortis, quam inhabitamus, cæleſtium gloriam ſpirituum ſane per fidem enarrat, corporum vero per ſpeciem manifeſtat. *Audi*, inquit, *filia*, *& vide*. (Pſal. 44. 11.) Et factum eſt. Quorſum iſta? *Inclina*, ait, *aurem tuam*, *& obliviſcere populum tuum*, *& domum patris tui*. Vult nos ponere C contumaciam, diſcere obedientiam, apprehendere diſciplinam. Vult etiam nos obliviſci poſteriora, deſpicere inferiora, terrenos mores & vitia * genuina deſerere, cæleſtia ſapere, ſuperna quærere, anterioribus inhiare. Vult & illum tantum decorem domus ſuæ ingenuam concupiſcere creaturam, quo ſcilicet in eamdem imaginem transformetur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu; ac proinde concupiſcat etiam rex decorem illius, utique ſpiritualem. Sed in quo viſus ille, inquies, vel auditus inclinare me aurem, & obaudire monet? Nam quod deſiderium pariat, manifeſtum eſt.

* al. vitiata germina.

Obedientiam commendat ab exemplis cælorum, Angelorum.

7. Sane ergo conſidera univerſam hanc cæleſtium D gloriam corporum inceſſanter legibus obtemperare divinis, nec unquam ſibi poſitas in tam continuis motibus metas excedere temporum, aut locorum terminos tranſgredi conſtitutos. Sed & ipſos ſpiritus tam ſublimes audi omnes adminiſtratorios eſſe, & in miniſterium mitti dignantiſſimum, ut ne indignum dicam: minime tamen puto reperies in Scripturis aliquando quemquam illorum vel contradixiſſe mittenti, vel erga ipſos tam inferiores ſe, propter quos in miniſterium mittebantur, ſaltem tenuiter fuiſſe commotum. Exempla ſunt obedientiæ, ſi diligenter attendas, eo ſane acceptabiliora, quo in materia digniori. Sed novi quid ad iſta ſubmurmuret ſenſus hominis, E & cogitatio prona ſemper ad malum. Quid tu mihi, inquit, elementorum proponis obedientiam ſupernorum? Quaſi vero aut ſenſus ullus in eis, aut ulla vigeat deliberatio rationis, & non potius agi ipſa, quam agere videantur. Quid vero vel ipſorum Angelorum obedientiam ſic commendas? Sentiunt quidem Angeli, ſed delectabilia ſola; obedientes equidem Creatori, ſed tam felici quàm facili voluntate. Quidni obediant? Semper enim vident faciem Patris, quem videre perfecta beatitudo, æterna gloria, ſumma voluptas eſt.

8. Produc nobis, Domine, Patriarchas & Prophetas, viros obedientes præceptis tuis, obedientes ex F voluntate, obedientes contra propriam voluntatem. Factum eſt. Exhibetur nobis (ut ceteros brevitatis cauſa prætercam) exhibetur, inquam, nobis Abraham ad præceptum Domini exiens de terra ſua, ejiciens ancillam & filium ejus, etiam cariſſimum filium Iſaac immolare paratus. Quid hic humana aſtutia poterit cavillari? Forte reſpondeat, quoniam multifarie, multiſque modis apparens ei Deus, ſuſcipiebatur hoſpitio, participabat convivio, animabat alloquio, inſtruebat conſilio, donabat filiis, illuſtrabat victoriis,

Abraham.

A divitiis cumulabat. Quid dices, cum venerit Chriſtus factus obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis? Multum, inquit, per omnem modum. Quando enim Unigenitum Dei Patris, Dei virtutem, & Dei ſapientiam Chriſtum, quando præſumerem æmolari? Oblatus eſt quia ipſe voluit, quando & quantum voluit paſſus eſt, utpote verus quidem homo, ſed verus nihilo minus Deus. Immo vero ne ipſam apoſtolicam obedientiam afferas velim; quos nimirum juxta propheticam promiſſionem oculis ſuis vidiſſe conſtat Præceptorem ſuum, & auribus ſuis vocem audiſſe monentis. Unde & unus eorum expreſſius ſcribens ait: *Quod audivimus*, *quod vidimus oculis noſtris*, *quod perſpeximus*, *& manus noſtræ tractaverunt de Verbo vitæ*. (1. Johan. 1. 1.) Quidni relinquerent omnia? quidni ad omnia ſequerentur tantæ præſentiam majeſtatis? Quid ego non facerem, ſi mihi eadem copia præſtaretur? Sed non fecit taliter omni nationi, non præeunti utique, non ſequenti. Siquidem ut multi reges optaverunt videre, & non viderunt; ſic nihilo minus venerunt jam dies, quando deſideremus videre diem unum Filii hominis, nec tamen mereamur.

Chriſti Domini.

9. Opportune ergo jam Martinus ad medium veniat, ut de medio fiat occaſio peccatorum. Hodie enim ille per omnia ſimilis nobis, plane & ſenſibilis, & paſſibilis; ſed & longe poſt illa patriarchalium, & propheticarum tempora viſionum, & homo purus, nihil de natura divinitatis habens, credens autem in eum quem non vidit; plenus fructu obedientiæ, & virtutum locuples, ſolum deſeruit, polum ſubiit, terræ commendans quod habebat è terra; ſpiritum dirigens ad Patrem ſpirituum, cui fideliter in adoptionis ſpiritu deſervivit. Non fuit cæleſte corpus, ſed nec ſpiritus quidem cæleſtis: rationale animal, etiam & mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus eſt, in terra educatus, in terra exercitatus & probatus, in terra etiam conſummatus. Nec vero Patriarcha erat, aut unus ex Prophetis, de quibus ſane in Evangelio Veritas ait: *Quia Lex & Prophetæ uſque ad Johannem*. (Matt. 11. 13.) Multo magis non erat ipſe Chriſtus, ſed erat tamen Chriſtus in ipſo, haud aliter utique quàm per fidem.

B. Martini.

10. Enimvero juxta hunc modum etiam modo prope eſt verbum in corde tuo & in ore tuo, tantum ſi recto quæſieris corde. (Deut. 30. 14.) Nempe Apoſtolo interpretante verbum fidei iſtud eſt, de quo Moyſes ait. (Rom. 10. 8.) Unde & alibi idem Apoſtolus: *Jeſus-Chriſtus*, inquit, *heri*, *& hodie*, *& in æternum*. (Hebr. 13. 8.) Heſternum quidem ab initio ſæculi uſque ad aſcenſionem Dominicam; hodiernum vero diem exinde uſque ad ſæculi conſummationem; porro in æternum intellige poſt communem omnium reſurrectionem. Nulli horum deeſt Chriſtus, nulli deeſt Jeſus; nulli deeſt unctio, nulli ſalus. Patriarchis & Prophetis in viſione exhibitus eſt, Apoſtolis in humanitate, Martino in fide, Angelis jam in ſpecie. Quam ſane ſpeciem & electis omnibus oſtenſurum ſeſe promiſit, non quidem hodie, ſed in æternum. Denique jam tranſierat heri, jam iſtud noſtrum illuxerat hodiernum, cum Apoſtoli loquerentur: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem*, *ſed nunc jam non novimus*. (2. Cor. 5. 16.) Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus Agni nonnihil eſſe ſervatum: ſed quod reſiduum eſt, utique jam datur igni: quod videlicet uſque hodie eadem caro nobis, ſed ſpiritualiter utique, non carnaliter exhibeatur.

Chriſtus de verſionde omnibus præſens & manifeſtus.

11. Neque enim eſt quod cauſemur noſtro huic negatam tempori, ſive eam quæ ad Patres veteris Teſtamenti facta eſt, apparitionem; ſive eam, quæ Apoſtolis exhibita eſt, præſentiam carnis ejus. Siquidem fideliter conſiderantibus neutram deeſſe liquebit. Adeſt enim nobis etiam nunc carnis ipſius VERA SUBSTANTIA, haud dubium ſane quin in Sacramento. Adſunt revelationes, ſed in ſpiritu & virtute: ut tempori gratiæ, quod nunc eſt, nihil in ulla gratia deeſſe probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, nobis tamen revelavit per Spiritum ſuum.

Chriſti præſentia in Euchariſtia.

ſium. Nec mireris, quod carnales eis manifeſtationes exhibuit, qui carnalem ejus præſtolabantur adventum. Nobis enim tanto efficacior gratia & revelatio dignior neceſſaria eſt, quanto nimirum excellentiora conſtat eſſe quæ exſpectamus.

12. Itaque (ut ſupra diximus) Martinus iſte Chriſtus non fuit, ſed tamen Chriſtum habuit: non quomodo Angeli in præſentia majeſtatis; non quomodo Apoſtoli in viſione humanitatis; non quomodo olim locutus eſt in viſione ſanctis ſuis: ſed quomodo eum etiam nunc habet Eccleſia, in fide & ſacramentis. Non erat ille lux, ſed lucerna plane ardens & lucens, de Johanne dictum eſt. Sed ſi illum protulero, puto dicetis: Maximus hominum eſt, pluſquam Propheta eſt, etiam Angelus eſt Dei Patris, ſicut ipſe teſtatur: *Ecce mitto Angelum meum, &c.* Et Martinus lucerna erat ardens & lucens: eum ſaltem non pigeat imitari; ſed imitari in eo quod eſt imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. Ad menſam divitis ſedes hodie: diligenter conſidera quæ tibi apponuntur. Diſcerne inter cibos, & vaſa ciborum. Illos enim juberis tollere, ſed non illa. Dives eſt iſte Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in ſignis. Diligenter ergo conſidera quæ apponuntur tibi, quænam videlicet ad admirationem, quæ vero ad imitationem. Aut certe quia ſequitur in Scriptura illa, *quoniam talia oportet te præparare:* diligenter conſidera quid apponitur, & in quo. Suſcitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat ſuſcitaſſe. Reddidit viſum cæcis, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, aridis ſoſpitatem. Evaſit divina virtute pericula, proprii corporis obice flammas repulit, immanem ſacrilegæ machinæ molem columna parili è cælo deſcendente proſtravit, leproſum mundavit oſculo, curavit oleo paralyticum, dæmones vicit, Angelos vidit, futura prævidit.

Johan. 5. 35. — *Luc. 7. 27.* — *In Sanctis alia imitanda, alia miranda.* — *Prov. 23. 1. juxta lxx.* — *S. Martini miracula.*

13. Verum hæc quidem, ceteraque ejuſmodi altiſſima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vaſa dixerim divitis hujus, auro gravia, gemmis nitentia, pariterque materia & opere pretioſa? Noli in his ſaporem quærere, ſed mirare ſplendorem. Luceat in hujuſmodi lucerna noſtra, ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum, prout in ſe eſt, necdum prævales intueri. Non enim eſt iſte lux, ſed ut teſtimonium perhibeat de lumine; & appareat tibi interim glorioſus Deus in Sancto ſuo, dum non potes ad gloriam ejus, ſicut eſt in ſeipſo. Ceterum ne putaveris ornatas quidem Martini lampades, ſed vacuas inveniri: non eſt fatua virgo, habet in vaſis oleum. Habet vinum in phialis, habet intra paropſides iſtas ciborum copiam, delicias utique ſpirituales: ut non modo videant & mirentur, ſed edant pauperes, & ſaturentur; atque in illis quidem Dominum laudent, porro in his vivant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te, Domine? Ut ergo ſit jucunda decoraque laudatio in admiratione, etiam vivant ex imitatione; & ut avidius ſumant delicias, ipſas quoque divitias curioſius contemplentur. Sic nimirum inter ſplendorem & fervorem lucernæ hujus vicariis quibuſdam affectibus diſcurrendum, ut nobis alter ex altero commendetur, & ex mutua collatione uterque complacitior fiat. Siquidem humilis fuit & ſpiritu pauper iſte Martinus, ſicut evidentiſſime probat effectus ipſe divinæ gratiæ, quam profecto tam multam niſi multum humili non dediſſet.

Miracula Sanctorum, gloriæ divinæ teſtimonia. — *Sanctorum laus exigit imitationem.*

14. Ut tamen pauca virtutum ejus indicia promam, pauperem illum ſpiritu beatus novit Hilarius, cum imponere ei diaconatus officium tentans, nec prævalens, quod indignum ſeſe vociferaretur; exorciſtam eum eſſe præcepit: in quo quidam locus injuriæ videretur, ſciens nimirum, quod humiliorem ordinationem minime repudiaret. Pauper fuit, veſte ſordidus, crine incultus, facie deſpicabilis: quæ quidem licet in electione ejus à quibuſdam malevolis objecta fuiſſent, in ipſo tamen epiſcopatu, ſicut ſcriptum eſt*, penitus non mutavit. Denique quia vere pauper fuit ſpiritu Martinus, pauper & modicus meruit nominari. Audi vero manſuetudinem ejus, ſuo illo Sulpitio ſic ſcribente. „Tantam adverſus omnes injurias „patientiam aſſumpſerat, ut cum eſſet ſummus Sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur: „nec propter id eos aut loco umquam amoverit, „aut à ſua, quantum in ipſo fuit, caritate repulerit. quod quidem in Briccio manifeſte probatum, omnes vos arbitror meminiſſe. Eum nempe ex omnibus ſibi ſucceſſorem elegit, & de tanta poſt futura adverſitate præmonuit: poſtremo in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, ad cujus os aures ſuæ fuerant, cum reſponderet homini, qui de eo ſciſcitabatur: Si illum delirum quæris, proſpice eminus; ecce cælum ſolito ſicut amens reſpicit. Crebro ſiquidem homo Dei, utpote terram deſpiciens, cælum ſuſpiciebat. Nempe ſciebat ad hoc ſeſe (ut ſupra meminimus) rectam & in ipſo corpore accepiſſe ſtaturam. Sciebat illic eſſe theſaurum ſuum, ſciebat illic ſedere in Patris dextera Chriſtum ſuum, ſciebat numquam ſeſe, donec illuc perveniret, quod deſiderabat, aſſecuturum. Unde & hoc ipſum, quod delirus vocabatur in terra, merito non attendit, cujus nimirum converſatio eſſet in cælis, cujus oculi in capite ſuo. Sane illuc etiam lacrymæ ejus à maxilla aſcendere conſueverant, quibus ſic abundabat, ut ſoleret pro illorum quoque, qui obtrectatores ſui videbantur, flere peccatis.

S. Martini humilitas & paupertas. — ** Sulpic. de vita Mart. cap. 7.* — *Manſuetudo ejus.* — *Sulpic. Dial. 3. cap. 10.* — *Injuriarum oblivio, & benevolentia erga Briccium.*

15. Sane quantum juſtitiam eſurierit, tum in ceteris ejus actibus, tum ſpecialiter in idololatriæ perſecutione probatum eſt, in templorum deſtructione, in ſtatuarum dejectione, in ſuccisione lucorum. Ubi ſe quoque aliquando non eſt veritus dare diſcrimini, ut occaſio tanti criminis de medio tolleretur. Nam miſericordem eum in paupere ſe expertem Salvator ipſe apud Angelos gloriabatur, datam ſibi medietatem veſtis oſtentans. Utinam nobis etiam miſeris apud ſummum Judicem, in cujus admirabile tabernaculum introivit, miſericordiam illam exhibere dignetur; qua & illos olim morti deſtinatos, & tormentis variis deputatos eripuit, pro quibus ante terreni judicis januam nocte media ſcribitur jacuiſſe. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porro munditiam cordis ejus illud vel maxime indicat, quod non eſt confuſus inimico loquens in porta. „Nihil in „me funeſte reperies, Abrahæ me ſinus recipiet. Nam in opere pacificorum feliciter plane conſummans labores ſuos, licet dierum ſuorum finem non ignoraret, clericos tamen adiit diſſidentes, inter quos reformata pace, in pace ipſe quievit.

Zelus & ſitis juſtitiæ. — *Caritas & miſericordia erga proximos.* — *Munditia & ſtudium concordiæ.*

16. Ceterum perſecutiones, quas ſuſtinuit propter juſtitiam, longum eſt numerare, quomodo apud Julianum Auguſtum in civitate Wangionum* intrepidus, immo & illato terrore conſtantior, cuſtodiæ mancipatus eſt, ut inermis poſtero die barbaris opponeretur: quomodo circa Alpes ſub ſecuri, quam in verticem ejus latro vibrabat, ſecuriſſimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter inſectatus, multiſque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit: quomodo & alibi prius adverſus ſacerdotum perfidiam acerrime pugnans, ſuppliciis fuit affectus, publice virgis cæſus, inde quoque exire compulſus eſt: quomodo item in cujuſdam fani everſione, cum gentilis eum ſtricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percuſſuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit reſupinus: quomodo alter eum cultro ferire voluit, ſed ferrum de manibus ejus clapſum, repente diſparuit. Pro quibus omnibus dubium non eſt multipliciter coronari eum, qui quidem etſi non ſemel effectu conſummatæ paſſionis, ſed toties martyr fuit affectu devotiſſimæ voluntatis. Comedite jam amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi. Sic enim vivitur, & in talibus vita ſpiritus veſtri. Niſi forte beatos prædicat ſermo divinus, qui mor-

Patientia perſecutionum. — ** Wormes.* — *Sanctos non faciunt miracula ſed virtutes.*

Tom. III. tuos ſuſcitant, cæcos illuminant, morbidos ſanant, leproſos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænuntiant, miraculis coruſcant; & non magis pauperes ſpiritu, mites, lugentes, eſurientes & ſitientes juſtitiam, miſericordes, mundicordes, pacificos, perſecutionem propter juſtitiam ſuſtinentes.

Martini mira obedientia & reſignatio.

17. Ignoſcite mihi, Fratres: exemplum obedientiæ paulo minus præterivi, quod quidem vel ſolum juxta propoſitum ordinem in Martino quoque nobis convenit exhiberi. Sane moram facimus, ſed, ut arbitror, bonum eſt nos hic eſſe: tardius enim hodie venitus ad Martinum. Domine, inquit *, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua. O vere ſanctiſſimam animam! ô inæſtimabilem caritatem! ô obedientiam ſingularem! Bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti; de reliquo ſupereſt tibi corona juſtitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie juſtus judex; & adhuc dicis: Non recuſo laborem, fiat voluntas tua! Obtuliſti plane Iſaac, unicum illum quem diligis, quod in te eſt, jugulaſti: immolaſti ſingulare gaudium tuum pia devotione, paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo ſubire laborem, ſuſtinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu deſiderata ſocietate Spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipſo introitu gloriæ revocari; poſtremo (quod maximum eſt) à Chriſto tuo peregrinari diutius, ſi modo ipſe voluiſſet. Nec ſane dubium, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum ſe exhibeat etiam ante mandatum, quàm qui obedire ſatagit poſt mandatum. Magna quidem obedientia veſtra, Angeli ſancti: ſed, quod dicere audeam pace veſtra, neſcio an inveniatur in vobis quiſquam paratus in tale aliquando miniſterium mitti, in quo neceſſe habeat non videre faciem Patris. Magnum eſt, Petre, quod Dominum ſecuturus, omnia reliquiſti: ſed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus eſt coram vobis: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula.* Non eſt hoc, Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, ſive manere in corpore, ſive diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

** Sulpic. epiſt. 3. ad Baſſul.*

Matth. 17. 4.

18. Et magna quidem in horrenda morte ſecuritas; magna in viſione Chriſti deſideranda, & tam ferventer ac ſingulariter deſideranda perfectio reperitur: ſed id quidem longe amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, immo qui tanto deſiderio præſentiam Domini concupiſcis, vivere quoque non renuis, & exſpectatione moleſtiſſima fatigari. In quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam devote clamabat: *Fiat voluntas tua?* Hæc ergo pars noſtra ſit, Fratres, in convivio hodierno, hanc nobis obedientiam in menſa pauperis, immo jam divitis hujus appoſitam diligenter conſideremus, ſcientes quoniam ipſa eſt quæ à nobis exigitur, ipſa quam oportet nos præparare, ut ſinguli quique dicamus: quia *paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* Nec modo ſemel, aut in parte: ſed paratum cor meum Deus, paratum cor meum; paratum ad utrumque, & in nullo tuæ præſcribens diſpoſitioni. Forte hoc cupio, & ſpecialiter, & vehementer: ſed ne quidem illud recuſo: ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. Deſidero requiem, ſed non recuſo laborem, fiat voluntas tua.

Pſal. 118. 60

XXIII. Nov.

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE, SERMO.

De tribus aquis.

Pſal. 115. 5. & 6.

PRetioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum ejus. Audiat peccator, & iraſcatur; dentibus ſuis fremat, & tabeſcat. Deprehenſus eſt in aſtutia ſua, cecidit in foveam quam fecit, in laqueum incidit quem tetendit. Invidia ſiquidem diaboli mors intravit in orbem terrarum: ſed ecce pretioſa facta eſt mors ſanctorum. Audi igitur hoſtis vitæ, mortis auctor attende. Quid valet jam fraus tua, verſutia tua quid nocet? Immo vero, ut plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Neque enim aliter quàm ipſa (quæ tui eſt operis) de te hodie beatus Martyr, cujus ſollemnia celebramus, morte corporis triumphavit. Fecit ſiquidem de neceſſitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutavit: fidelem ſe probavit in modico, ut dignus inveniretur ſupra multa conſtitui. Modicum namque erat, & omnino modicum, quicquid prius acceperat anima illa beata, quantum ad eam gloriam, quam præſenti promeruit paſſione. Omnis enim delectatio hujus mundi, univerſa ejus gloria, quicquid denique in eo concupiſcitur, proſus modicum eſt in illius felicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis comparatione: ſi tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Accepetat beatus Clemens nobile genus, amplas poſſeſſiones, hereditatem multam, ſcientiam quoque quamplurimam, ita ut optimus quidam illius temporis philoſophus haberetur. Acceperat hæc univerſa à Domino: Dei enim dona ſunt etiam hæc. Fidelem ergo ſe probavit ei qui dederat, cum pro ejus amore univerſa contempſit, omnia detrimentum faciens, & arbitratus ut ſtercora, ut lucrifaceret Chriſtum.

Rom. 8. 28

Sancti ipſa morte de diabolo triumphant.

Omnia hujus vitæ bona comparatione futurorum vana.

2. Sed forte murmurat etiam nunc inimicus: *Pellem, inquiens, pro pelle, & omnia quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Quid ergo? Putas quod in ipſa corporis ſui vita, quam accepit à Domino, infidelis inveniatur, ut vel ipſam præferat illi? Ecce habes poteſtatem: irrue in eum per ſatellites tuos, ut coarctetur è duobus, aut à Domino neceſſe habens, aut à corpore ſeparari. Varia & immania exquire genera tormentorum: ſed noveris te Martyri noſtro fabricare coronas. Sicut enim ipſa vitæ hujus ornamenta & adjumenta contempſit, ſic contemnit & ipſam. Corpus omne tibi exponit in mortem, & in faciem maledicit tibi, atque idola tua ſacro ore blaſphemat, Dominum Deum ſuum etiam inter tormenta tua libere prædicat, ingenue * confitetur. Coronabitur ergo, quia legitime certavit, quia fideliter vicit, quia nec blandimentis vitæ hujus, nec mortis horrore à caritate Chriſti potuit ſeparari. Dic quæſo nobis anima ſancta, quæ ſic corpus tuum ſuppliciis exponebas: obſecro, diligebas illud, an non? Utique diligebam, inquit. Nemo enim umquam odio habuit carnem ſuam. Diligebam ergo eam: ſed parum diligebam, tamquam ancillam; & molto magis diligebam Dominum Deum. Utque probatio eſſet dilectionis, operis exhibitio; libenter ipſam quoque pro ejus gloria mortem corporis amplectebar.

Job 2. 4.

Sancti omnia impendunt pro Deo.

** al. lingua*

Epheſ. 5. 29.

3. Quid nos ad hæc dicimus, Fratres? Congratulamur Martyri, ſed jam gloria ejus non ſine noſtra confuſione eſt. Ecce enim beatus Clemens homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, eadem circumdatus infirmitate, & carni ſuæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens. Si ergo ille ſic glorificavit Chriſtum in corpore ſuo, & calicem ſalutaris accepit: quid nos retribuimus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Eadem certe nos inſignivit imagine, eodem ſanguine nos redemit, & vocavit in eamdem hereditatem, incorruptibilem, & incontaminatam, æternam, conſervatam in cælis. Ut quid ergo non poſſumus & nos cum beato Clemente Chriſti bibere calicem? Sed forte reſpondent aliqui: Poſſemus, ſi opportunitas non deeſſet: ſed perſecutionis tempus ceſſavit. At ego, fateor, non ſatis crediderim iſta dicentibus. Quid enim? QUOTIDIE ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini poſſe reſiſtere? In minimis probate conflictibus, quàm

Quàm longe abſimus à ado & fervore Martyrum.

Martyrio impares [illegible] qui minima vix [illegible].

viriliter in majori certamine ſtare poſſitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis, & vivite; aut ſi hoc non vultis, oportet vos diverſis ſuppliciis interire. Novit Dominus figmentum noſtrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit ut vinceret, & diſceret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.

Religioſorum imperfectorum ignavia.

4. Veſtrum autem certamen quale eſt, Fratres mei? Quotidie vobis ſuggeritur in cordibus veſtris: Frange Ordinem tuum, murmura, detrahe, age remiſſius, infirmitatem ſimula, reſponde ei qui forte durius tibi locutus eſt, ut ſatisfacias deſiderio tuo; nec dicitur cuiquam: Niſi hæc feceris, morieris: ſed ut multum, cum difficultate & labore reſiſtes animo tuo. Et quis ſuſtineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc reſpondere conſuevimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus Spiritui-ſancto. Si ergo in hujuſmodi certamine periclitamur, ſi vix reſiſtimus, ſi interdum etiam ſuccumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? Si juncis fragilibus cedit infirmitas noſtra, quomodo telis reſiſteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti ſumus, & ſicut ſolent mulieres aut parvuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipſi non poſſumus. Quid tamen agimus? Omnes certe ad nuptias Agni vocati ſumus, & in conſpectu ejus vacuos apparere non licet. Diligenter ergo conſideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Conſideravit beatus Clemens vinum ſibi appoſitum eſſe à Domino, & ipſe quoque, quoniam dives fuit, ad nuptias illas vinum nihilo minus proprii ſanguinis effuſione portavit. Sed nos pauperes ſumus, & vinum, Domine, non habemus. At ille, *Implete*, inquit, *hydrias aqua*. Ergone & ipſa ſuſcipietur aqua, ſi attulerimus eam? Utique ſuſcipietur. Nam & ipſam cum vino nobis appoſitam inveniet, qui ſecundum monita Sapientis, diligenter conſideraverit quæ ſibi apponuntur, ab eo nimirum qui venit non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Teſtimonium enim perhibuit qui vidit, quod aperto latere Domini dormientis in cruce exierit ſanguis & aqua.

Joan. 2. 7. — Prov. 23. 1. — Joan. 19. 35.

Martyrium quale nobis curandum.

5. Et nos ergo, Fratres, ut vel fideles nos probemus Deo noſtro, ſi martyrium ſanguinis non habemus, (martyrium enim teſtimonium eſt,) quæramus vel teſtimonium aquæ, & ne ipſum quidem deſpiciet Deus. Tres ſunt enim qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis. Beati quibus trinum ſuppetit teſtimonium, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur. Nos ſi ſanguinis teſtimonium non habemus, habeamus ſpiritum & aquam: quoniam ſine ſpiritu nec ſanguis, nec aqua ſufficiet. Immo vero ſi ſpiritus ipſe ſine aqua aut ſanguine invenitur, ſufficit teſtimonium ejus: quoniam ſpiritus veritatis eſt, nec ſanguis, nec aqua quicquam proderunt à ſeipſis, ſed ſpiritus eſt qui teſtificatur in illis. Sane tamen aut vix, aut numquam ſine aqua aut ſanguine ſpiritum arbitror inveniri. Propterea, cariſſimi, quæramus vel aquam, qui ſanguinem non habemus. Et quoniam hydriarum ſupra fecimus mentionem, quæramus menſuras binas, vel ternas, quas hydriæ capiebant. Nam & Chriſtus triplicem nobis apponit aquam, & perfectus omnis qui fuerit in nobis ſicut ipſe, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim ſub diſtinctione dicitur, binas vel ternas, ut duas ad minus conſtet neceſſarias eſſe; tertiam non ab omnibus exigendam.

Eccl. 4. 12.

Aqua triplex Salvatoris.

6. Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit. Plorat ſuper Lazarum & ſuper civitatem Jeruſalem; & hæc eſt aqua prima. Sudat imminente jam paſſionis hora; & hæc eſt aqua ſecunda, non ab oculis tantum, ſed à toto corpore manans. Hæc autem rubea eſt, ſanguineique coloris, ſicut ſcriptum eſt: *Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Jam vero tertia eſt aqua, quam & prædiximus de latere ejus una cum ſanguine emanaſſe. Et tu ergo primam quidem habes, ſi rigas lacrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, ſi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum caſtigas, ac reſtringis concupiſcentiæ flammam. Eſt autem ſanguinei coloris, ſive propter laborem, ſeu etiam propter ipſum quem extinguit concupiſcentiæ ignem. Jam vero ſi proficere potes uſque ad devotionis gratiam, potaberis aqua ſapientiæ ſalutaris; & ſpiritus Chriſti, qui ſuper mel dulcis eſt, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et memento hanc eſſe aquam, quæ procedit de latere dormientis, & ſine omni moleſtia fluit. Oportet enim jam mortuum eſſe mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo, ut breviter repetam, prima quidem à præteritis delictis abluit conſcientiam: ſecunda ut futura caveas, extinguit concupiſcentiam: tertia, ſi ad eam pervenire merueris, potat animam ſitientem.

Luc. 22. 44. Aqua hominis itidem triplex.

Tom. III.

Devotionis aqua ſine moleſtia.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOSTOLI,

xxix Nov.

SERMO.

Quomodo jejuniis prævenire debeamus ſollemnitates Sanctorum.

Jejunia cur majoribus feſtis præmiſſa.

1. SAnctorum feſta præcipua Patrum ſanxit auctoritas votivis præveniendа jejuniis: utiliter plane, & non ad inſipientiam nobis, ſi adfuerit qui advertat. Multa ſiquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes: nec tutum omnino eſt celebrandas ſuſcipere feſtivitates ſacras, maximeque eas quæ maximæ ſunt, niſi prius abſtinentiæ purificatione præmiſſa, quo & digniores, & capaciores inveniamur ſpiritualium gaudiorum. Sic enim juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui, nec niſi à propria reprehenſione laudes incipit alienas. Quod ſi etiam juſtus trepidat ſollicitus prævenire eum, qui ipſas quoque paratus eſt juſtitias judicare: quid agimus nos, quorum interim judicata non fuerint & tecta peccata? Timendum valde eſt, ne forte manifeſta inveniantur præcedentia ad judicium. Si nec juſtus ſine modeſtia & verecundia quadam ad Sanctorum præſumit accedere laudes: quanto magis peccator, in cujus ore non eſt laus ſpecioſa, timeat ſemper neceſſe eſt vocem illam: *Quare tu enarras juſtitias meas?* ſive illam: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Beati proinde, qui ſtolam ſuam, dico autem gloriam conſcientiæ ſuæ, ſolliciti ſunt omni tempore conſervare immaculatam, ſemper ſplendidam exhibere. Sed quia pauci ſunt, qui ſic omni cuſtodia ſervent cor ſuum; pauciores autem (ſi tamen vel pauciores) qui in omni ſanctimonia conſervent illud: neceſſe eſt frequenti abſtinentia maculas diluere ſobiintrantes, præcipue cum præcipua quælibet ſollemnitas advenerit celebranda.

Cauſa 1.

Pſal. 49. 16. — Matth. 22. 12.

Cauſa 2.

2. Nec modo tamen præparatio eſt ad proximam celebritatem obſervatio præmiſſa jejunii; eſt & admonitio quædam, eruditioque non parva. Diſcimus ex hoc ipſo, quænam vera ſit via feſtivitatis æternæ. Quid eſt enim quod jejuniis ſollemnia prævenimus, niſi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe ſollemni lætitia eſt, qui ſtatutam vigiliæ abſtinentiam non obſervat. Plane, inquam, ſi renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure cenſeris requie & exſultatione feſtiva. Eſt autem univerſum præſentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam ſollemnitatis magnæ, & æterni ſabbatiſmi quem præſtolamur. Nec cauſaberis vigiliam longiorem, ſi æternitatem feſtivitatis attendas. Licet enim habere præparationem ſoleant ſollemnia diurna diurnam: illa cum æterna ſit, non exigit tamen æternam. Sed quo nos rapit jucundior illius memoria felicitatis? Hoc enim nomine & ſæpius, & forte dignius nominatur illa feſtivitas. Redeundum nobis eſt ad id quod præ manibus eſt,

Tom. III.

Jejunium in vigilia S. Andreæ.

3. Hodierni itaque jejunii, & ejus quam præſtolamur A ſollemnitatis & lætitiæ, cauſa eſt beata paſſio Andreæ apoſtoli. Dignum eſt enim, ut ſi cum eo pendere non poſſumus, cum eo vel jejunemus. Nam & ipſum cum biduo penderet in cruce, etiam jejunaſſe quis dubitet? Inveniamur ergo vel in exiguo communicantes paſſioni ejus, & ſi non ſimul affixi patibulo, ſimul afflicti jejunio: ut miſerante Deo etiam coronæ participes ſimus; & in præſenti quoque ſpiritualium ſocii gaudiorum. Quomodo enim non exſultemus in memoria triumphi ejus, quem in ipſa ſui præſentia ſupplicii tam vehementer novimus exſultaſſe? An non erit læta feſtivitas, ubi & crux ipſa plena eſt gaudio? Siquidem & feſtivum ſolemus nominare quod lætum eſt; B & crux à cruciatu utique dicitur, aut certe cruciatus à cruce. Quanta proinde exſultatione univerſæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam magnificum opus divinæ virtutis? Andreas homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & tam vehementi ardore ſpiritus crucem ſitiebat, tam inaudito à ſæculis gaudio tripudiabat, cum paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet. O crux, inquit [a], diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata! ſecurus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exſultans ſuſcipias me. Videtis quia non ſe capit præ magnitudine gaudii. Ita, inquit, ut & tu exſultans. Ergone tanta eſt exſultatio, ut exſultet & ipſa crux, nec læti quicquam habeat, C ſed totum lætitiæ ſit? Aut quis dicat minus contra conſuetudinem, ſupra rationem, ultra naturam, crucem exſultare, quàm crucifixum *? Illi ſenſum lætitiæ natura negavit: huic ſi quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Amator, ait, tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te. Fratres, ignis vibrans eſt, non lingua loquens: & ſi lingua, certe ignea eſt. Carbones ſunt ignis illius, quem de excelſo Chriſtus miſerat in oſſibus ejus. Atque utinam deſolatorii nobis ſint, conſumentes & exurentes quicquid in nobis eſt carnalis affectionis. Quales enim ſcintillæ ſunt iſtæ, aut à quanto interiori incendio D micant?

Andreæ ad crucem anhelitus.

* al. crucifixum exſultare quam crucem.

4. Plane, beate Andrea, granum ſinapis eſt fides tua, quæ tam inſperatum, ubi teri cœpit, cœpit ex ſe proferre fervorem. Quid ſi paulo amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa ſuſtinere poſſet auditus? Dum enim minus minaretur Ægeas, adhuc granum ſinapis deſpicabile videbatur. Integrum erat, neſciebamus quid intus lateret. Dominus, inquit, me miſit ad iſtam provinciam, in qua non parvum ei populum acquiſivi. Accedat comminationis piſtillum: longe jam acrius ſapiet, conſtantiuſque loquetur. Terrendum eum putat Ægeas, crucis ſupplicium minitans: ſed non eſt ita. Accenditur magis in E verbo hoc, & libere clamat: Ego ſi patibulum crucis expaveſcerem, crucis gloriam non prædicarem. At ubi paratum ſibi lignum intuitus eſt, ex hoc jam plane totus igneſcens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ ſuæ: officioſiſſime ſalutabat, devotiſſime ſuſcipiebat *; magnifice attollebat eam, & in ipſius præconio gloriabatur, clamans magis affectione quàm voce: Salve crux pretioſa, quæ decorem & pulcritudinem de membris dominicis accepiſti! Salve crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris ejus tamquam margaritis ornata! Merito proinde crucis amatorem venerantur quicumque ſunt ſervi crucis: ſed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui ſpe- F cialius propoſuerunt tollere crucem ſuam. Vobis hoc & de vobis dico, Fratres mei, qui non ſurda aure audiſtis illam evangelicam tubam: *Qui non bajulat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Parati eſtote totam animi diligentiam huic adhibere ſollemnitati, & corde magno celebrare eam: quia magnus omnino conſolationis pariter & exhortationis theſaurus vobis repoſitus eſt in ea, ſi fuerit qui fodiat & ſcrutetur.

B. Andreæ fides inſtar grani ſinapis.

Non terretur minis aut ſuppliciis.

* al. ſuſpiciebat.

Crucem cupidiſſime ſalutat.

Luc. 14. 27.

a Hæc relata ex ſancti Andreæ actis, quæ presbyteris Achaiæ tribuuntur, quorum meminit ante annos nongentos Beatus abbas Hiſpanus ſub finem libri 1. contra Elipandum, haud ſcio an alius ante eum.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI,

30. Novem.

SERMO PRIMUS.

De tribus generibus piſcium, qui ſunt in mari, in flumine, & ſtagno *.

* al. De mundo piſcibus.

1. CElebrantes hodie glorioſum beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, exſultavimus & delectati ſumus. Neque enim locus poterat eſſe triſtitiæ, ubi tam vehementer lætabatur & ipſe. Nemo ex nobis compaſſus eſt ſic patienti: nemo auſus eſt plangere exſultantem. Alioquin & nobis ipſe non incongrue dicere poterat, quod Salvator crucem bajulans ſequentibus ſe & lugentibus ait: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Denique cum duceretur ipſe beatus Andreas ad crucem, populus qui ſanctum & juſtum dolebat injuſte damnari, prohibere voluit ne puniretur: ſed magis ipſe inſtantiſſima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, immo ne non pateretur. Deſiderabat ſiquidem diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, ſed in cruce, quam ſemper amaverat: deſiderabat regnum intrare, ſed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ ſuæ? Per te, inquit, me recipiat, qui per te me redemit. Ergo ſi diligimus eum, congaudemus ei, non ſolum quia coronatus, ſed & quia crucifixus: quia deſiderium animæ ejus tribuit ei Dominus, & poſuit in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Verumtamen dum congratulamur ei, quod diu deſideratæ crucis frui mereatur amplexu; mirum valde eſt, ſi non ipſum ejus miramur gaudium, cui congratulamur.

Luc. 23. 28.

2. Dum enim noctis hujus vigilias celebrantes, in verbis tantæ exſultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis, qui ſecum cogitaret & diceret: Quid ſibi vult hoc, aut unde tam nova lætitia? Certe & crux pretioſa eſt, & crux amari poteſt, & crux habet exſultationem? Ita eſt, Fratres mei. Si fuerit qui colligat, ſemper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſilveſtris arbor: lignum vitæ eſt apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor ſalutifera eſt. alioquin quomodo dominicam occuparet terram? Illam dico pretioſiſſimam glebam, cui clavorum eſt infixa radicibus. Si non eſſet hæc pretioſior cunctis, fructuoſior univerſis; numquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Denique quid mirum ſi cruci ſuavitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodo crux judicatur inſipida, ubi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio ignis ille, cum rideret carnifices, judicem ſubſannaret? Quid nos ad iſta dicemus, Fratres? Cur non ſapit etiam nobis, quæ pro Chriſto eſt tribulatio, nec guſtamus & nos manna iſtud abſconditum? Sic enim victus eſſet omnino diabolus, nec haberet penitus quod * afferret. Sufficeret nobis hoc unum adverſus duplicem malitiam inimici.

Crux pretioſa, nobilis, & jucunda.

* al. auferret.

3. Habet quippe nequiſſimus ille laqueos, habet & jacula, utpote callidiſſimus venator hominum, ſolum ſitiens ſanguinem animarum. Alios telis appetit malitioſæ cujuſlibet ſuggeſtionis: & in eis vulnerat multos, quorum tenuis eſt patientia. Alios voluptatibus irretire laborat: & in his certe includit multitudinem copioſam eorum, qui in terra repunt, aut volitant juxta eam. SIT ergo GAUDIUM in tribulatione; & jam non habet malignus unde illiciat, non habet unde dejiciat: liberati ſumus à laqueo venantium, pariter & à verbo aſpero. NIHIL enim proficiet inimicus in eo, quem crux Chriſti delectat, ſi carnalem ſuggeſſerit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, ſi ad exaſperandum animum ejus quamlibet immittere tentaverit

Diabolus quibus laqueis capiat homines.

Crucis amor ab eis nos tutos facit.

amaritudinem. Non curat delicias, qui jejunio paſcitur: multo minus murmurare pro eo poteſt, in quo etiam delectatur. Plane altiſſimum poſuit refugium ſuum, ubi nec muſcipula inimici timenda ſit, nec ſagitta: immo vero mundus piſcis eſt, ſquamas pariter & pinnulas habens. Porro ſicut fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, ſic fruſtra jacitur telum in ſquamas loricatorum. Hujuſmodi ſiquidem piſces mundos eſſe legalis ſanctio judicabat, qui & pinnis levantur, & proteguntur ſquamis: ſive illi in mari ſint, ſive in flumine, ſive in ſtagno. Habet enim etiam mare hoc magnum & ſpacioſum piſces mundos, & dominica dignos menſa: quia ex his qui in ſæculi latitudine habitu, actuque verſantur, reliquit ſibi multa millia, quos apoſtolica ſagena trahit, ut cum educta fuerit, ſegregentur à malis. Ubi ſane ſedebit & hic noſter piſcator hominum, qui totam nunc poſt ſe Achaiam trahit. Habet & flumen piſces mundos, quicumque inter diſpenſatores fideles inveniuntur. Fluvius quippe eſt prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, ſed extendens ſe & currens, ut diverſas irriget terras. Sunt & in ſtagnis mundi piſces, qui in clauſtris Deo ſerviunt in ſpiritu & veritate. Merito ſiquidem ſtagnis monaſteria comparantur, ubi quodam modo incarcerati piſces evagandi non habeant libertatem, quo videlicet parati ſint ſemper ad epulas ſpirituales, dicentes ſinguli intra ſe: Quando veniet qui me deferat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea.

Lev. 11. 10. Piſces myſtici triplices, primo in mari. 2. In fluvio. 3. In ſtagnis, id eſt monaſteriis.

4. Porro, ut de Lege ſupra meminimus, ſive in mari, ſive in flumine, ſive in ſtagno, illi mundi ſunt piſces, qui ſquamas & pinnulas habent. Sunt autem ſquamæ multæ, ſed una ex eis quodammodo lorica contexitur: quia una eſt patientiæ virtus, licet ſingulis tribulationibus exhibere ſingulas videamur. Jam vero ſicut ſquamas ad patientiam, ſic pinnulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongrue poſſe referri. Hilaritas quippe levat & ſublevat, ut ſaltus quoſdam in altum dare videatur, quiſquis exhilaratur. Sane ut duas habeamus pinnulas, duplex nobis hilaritas quærenda eſt. Ex forte propterea docet Apoſtolus (ille enim vere pennas habebat, quibus & in tertium uſque cælum raptus eſt, & volavit etiam in paradiſum) non ſolum *Gloriari in ſpe*, ſed etiam *gloriari in tribulationibus*. Prorſus ſublime volat quiſquis iſte eſt, quem non modo futurorum exſpectatio bonorum, ſed præſentium quoque malorum exhibitio ipſa delectat, ita ut in ea etiam glorietur. Talem invenimus hunc beatum Apoſtolum, talem miramur, talem merito prædicamus.

Pinnulæ & ſquamæ in piſcibus mundis quid ſignificent. Hilaritas duplex. Rom. 5. 3.

5. Unde & triplicem hic licet conſiderare gradum, incipientium, proficientium, perfectorum. Initium enim ſapientiæ, timor Domini; medium, ſpes; caritas, plenitudo. Denique Apoſtolum audi, quia *plenitudo legis eſt caritas*. Qui initiatur à timore, crucem Chriſti ſuſtinet patienter: qui proficit in ſpe, portat libenter: qui vero conſummatur in caritate, amplectitur jam ardenter. Solus etenim iſte eſt qui dicere poſſit, quia amator tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te. Longe eſt vox iſta ab eo qui ſuſtinet quidem, ſed optaret omnino, ſi poſſet, non veniſſe in hanc horam. Denique (ſi non videor temerarius) longe eſt ab ea voce: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*. Quid enim? Certe ſuper aſellum aſcenderat, ut ne hic quidem hoſtibus relinqueretur. Agnoſco plane in duce belli puſillanimorum trepidationem, agnoſco ægroti vocem in medico, agnoſco infirmantem gallinam cum pullis: conſidero caritatem, ſtupeo miſerationem, expaveſco dignationem. Miſericors Dominus non beati Andreæ robuſtum ſibi ſuſcepit affectum: quia non eſt ſanis opus medicus, ſed male habentibus. Si quem forte dignatio ſcandalizat, plane meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus?* Huic enim odor vitæ in mortem eſt.

Eccli. 1. 16. Rom. 13. 10. Crucem ferentium tres gradus. Matth. 26. 39. Chriſtus deprecatur mortem, Andreas deſiderat. Matth. 20. 15.

6. Quid magnum fuerat, Domine Jeſu, ſi accedente hora, propter quam veneras, intrepidus ſtares, tamquam qui poteſtatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? Aut non longe glorioſius fuit, quando quidem totum propter nos agebatur, ut non modo paſſio corporis, ſed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos vivificabat mors tua, tua nihilo minus & trepidatio robuſtos, & mæſtitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, deſolatio conſolatos? Lego quidem in Lazari reſurrectione, quia *infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum*. Sed eſto interim, quia ſe ipſe turbavit: non conditionis neceſſitate, ſed ſuæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid jam amplius audio. Uſque adeo ſiquidem prævaluit ea quæ fortis eſt ut mors dilectio, ut Chriſtum Angelus Dei confortaverit. Quis, quem? Evangeliſtam audi: *Apparuit*, inquit, *Angelus confortans eum*. Quem eum? Plane eum, cui naſcituro clauſus patuit Virginis uterus; cujus nutu in vinum aqua mutata eſt; cujus tactu lepra fugata; ſub cujus plantis ſolidum mare ſtetit; ad cujus vocem mortui ſurrexerunt: denique eum, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ; per quem facta ſunt omnia; per quem univerſa ſubſiſtunt, etiam & Angelus ipſe. Et quid dicam? Quem eum? Minus enim mirarer, ſi non penitus eſſet indicibilis. Confortans ergo eum, cujus ne ipſe quidem confortator ſuus capere poterat majeſtatem.

Joan. 11. 38. Luc. 22. 43. Chriſtus ab Angelo confortari voluit, cur.

7. Rogo te, Angele, quem conſolaris? An ignorabas quis eſſet, ad quem conſolandum veniebas? Certe conſolator eſt, certe paraclitus eſt: alioquin non diceret, alium Paraclitum à Patre mittendum Apoſtolis, ſi non eſſet & ipſe paraclitus. Denique agnoſco & in hoc ipſo paraclitum maximum, agnoſco paraclitum benigniſſimum, qui prope ſit his qui tribulato ſunt corde. Non deſpero jam, Domine, etiamſi moleſta mihi videatur tribulatio quam patior, etiamſi puſillanimis ſum, etiamſi deſidero ut transferatur calix à me. Non deſpero, inquam, dummodo addam & ipſe: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Didici etiam ex hoc ipſo, non ad carnalem ſive caducam recurrere conſolationem, ſed ad angelicam, ſed ad ſpiritualem, ſed ad cæleſtem. Ita plane, dummodo non murmurem: (id enim penitus ſepararet à te, ſi non citius reſipiſcerem:) non renuo, etiamſi opus habeo conſolari. Quid enim? Agnoſco vocem meam in Salvatore, & de ſalute deſperem? Plane in patientia mea poſſidebo animam meam.

Joan. 14. 16.

8. Verumtamen proficere volo, ſi poſſum, nec ſtatim adepta ſalute eſſe contentus. *Qui timet Deum*, ait Sapiens, *faciet bona*. Sed parum eſt: ſcriptum eſt enim, *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam*. Noli eſſe ſalute contentus: quære pacem, ne tibi ſit in periculo etiam ſalus ipſa. Audi ergo Angelum nato eo, qui factus eſt pax noſtra, exſultantem atque canentem: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Quæ autem bona, niſi ordinata voluntas? Quænam eſt illa, inquis? Profecto quæ rationi conſentanea eſt, dicenti, *quia non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hoc ſi jam ſentire cœpiſti, haud dubium quin libenter feras crucem Domini, & dicas: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua*.

2. Gradus ferentium crucem libenter. Eccli. 15. 1. Pſal. 36. 27. Luc. 2. 14. Voluntas bona, quæ. Rom. 8. 18. Pſal. 118. 60.

9. Attamen ſi vis perfectus eſſe, unum adhuc tibi eſt neceſſarium. Quid illud, inquis? profecto gaudium in Spiritu-ſancto. Siquidem & is qui timore coërcetur, & patiens eſt; & qui ratione ſpei ducitur, & benevolus eſt; niſi etiam fuerit fervens ſpiritu, facile labi poteſt. Porro quæ per Spiritum diffunditur caritas, & patiens, & benigna eſt; & (quod eſt amplius) numquam excidit. In primo denique mandato quod parentibus noſtris datum eſt, ſi diligenter conſideres, & Eva patiens, & Adam benevolus fuiſſe videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quod ſtabili non erat ille vel illa gradu. *Vidit mulier lignum*, ait Scriptura, *quod eſſet pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuave*. Non tibi videtur vix continere manum? Sic & ubi à ſerpente interrogata eſt, vide ſi non manifeſte ſonant verba ejus mulctum ei fuiſſe mandatum. *Ex omni*, inquit, *ligno*

3. Gradus ferentium crucem gaudenter. Gen. 3. 6.

Tom. III. Gen. 3. 4. Primorum parentum lapsus ex instabilitate, & defectu caritatis. 1. Tim. 2. 14

paradiſi comedimus: de ligno autem ſcientiæ boni & mali A *dixit nobis, ne comedamus*. Non dicit, Sic eſt voluntas Creatoris: quare ſic, ipſe novit: nobis ſufficit obedire, quia vita noſtra in voluntate ejus. Itaque facile ſeducta eſt mulier & promiſſioni credere, & acquieſcere perſuaſioni. Vir autem non ſeductus eſt, ſed ſubverſus mulieris amore. Optaret enim ſemper ſervare mandatum, quod ſibi utile noverat, ſi non mulier ei aliud ſuaderet. Nec aliquam in ſervando mandaro viſus eſt pati difficultatem: ſed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem.

Cant. 8. 6. Trium graduum diſcrimen.

10. Fortis quippe eſt ut mors, non patientia aut ſpes, ſed dilectio: non timor aut ratio, ſed ſpiritus fortitudinis eſt. Dicit patientia, Sic oportet fieri: quia ti- B more urgetur. Dicit voluntas bona, Sic expedit, & ſic agendum eſt: quia ſpei attrahitur ratione. Caritas vero quæ inflammatur à ſpiritu, neque, Sic oportet, dicit, neque, Sic expedit; ſed, Sic volo, inquit, ſic cupio, ſic deſidero vehementer. Videtis quanta ſublimitas, videtis quanta ſecuritas, quantaque ſuavitas caritatis. Felix anima, quæ ad hunc caritatis pervenerit ſtatum!

Caritatis vis & efficacia.

Nec ſane deſperandum nobis, quandoquidem ejus, qui ad hunc pervenit gradum, ob hoc maxime memoria celebratur: ut ipſius & invocemus auxilium, & provocemur exemplo. Plus dico: & ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatum Andream apoſtolum eſſe, nec poſſe te, qui puſillus es, C ejus ſeqoi veſtigia: pudeat certe vel eos qui tecum ſunt, non imitari. Nemo repente fit ſummus: aſcendendo, non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Aſcendamus igitur, velut duobus quibuſdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio ſiquidem docet quid deſit; oratio ne deſit obtinet. Illa viam oſtendit, iſta deducit. Meditatione denique agnoſcimus imminentia nobis pericula; oratione evadimus, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.

Aſcendimus meditatione & oratione.

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO,

Sermo secundus.

De quatuor cornibus Crucis.

Obedientiæ nummus.

1. BEati Andreæ apoſtoli ſollemnitas hodie celebratur: quam ſi pia ſollicitudine perſcrutemur, multa invenimus in ea quæ ædificent animas noſtras. In ipſo ſiquidem converſionis ſuæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præſtat exemplum. Quod quidem Chriſtianis omnibus neceſſarium, nobis tamen eſt carius amplectendum, qui nimirum ſpecialiter ex ipſa profeſſione noſtra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius* eſt, immo ipſa Sapientia, cui neceſſe habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec ſuſcipiet eum, niſi & integer inveniatur, & ſine aliqua E falſitate. Nam ſi diſcutimus, ſi dijudicamus, & in hoc quidem præcepto obedimus, ſed non in illo; fractus eſt nummus: non ſuſcipiet eum Chriſtus, à quo nimirum tenemur nummi, non fracti, ſed integri debitores. Omnes enim obedientiam ſimpliciter, & ſine ulla exceptione promiſimus. Quod ſi quis obediat quidem, ſed ſimulatorie & ad oculum, murmuret autem in abſcondito; falſus eſt nummus ejus: plumbum habet non argentum, & iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi. Doloſe agit, ſed in conſpectu Dei, quoniam Deus non irridetur.

* al. mercator.

Obedientia vitioſa.

Matt. 4. 18. Obedientiæ perfectæ exemplum in Petro & Andrea.

2. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? *Vidit Dominus*, ait Evangeliſta, *Petrum & Andream mittentes rete in mare; & ait illis: Venite poſt me, faciam vos fieri* F *piſcatores hominum*. Faciam, inquit, de piſcatoribus piſcatores, immo prædicatores. At illi continuo, nihil dijudicantes aut hæſitantes, non ſolliciti unde viverent, non conſiderantes quonam modo rudes homines & ſine litteris prædicatores fieri poſſent; nihil denique interrogantes, ſine omni mora *relictis retibus & navi ſecuti ſunt eum*. Agnoſcite, Fratres, quoniam propter vos ſcripta ſunt hæc, propter vos ſingulis annis in Eccleſia A recitantur: ut diſcentes veræ obedientiæ formam, caſtigetis corda veſtra in obedientia caritatis. Hæc nimirum eſt quæ ſola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum eſt probatum atque purgatum. Sola enim eſt caritas, quæ obedientiam gratam facit & acceptabilem Deo. *Hilarem* quippe *datorem diligit Deus*. Et item: *Si tradidero*, inquit, *corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. 2. Cor. 9. 7. 1. Cor. 13. 3.

B. Andreæ ardor in cruce.

3. Vultis ut de ipſa quoque beati hujus Apoſtoli paſſione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Chriſti, & ad ædificationem veſtram? Audiſtis certe, cum perveniſſet beatus Andreas B ad locum ubi crux parata erat, quomodo confortatus ſit in Domino; & per Spiritum, quem una cum ceteris Apoſtolis in igneis linguis acceperat, verba vere ignea loqueretur. Videns enim paratam eminus crucem, nequaquam (ut exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit, nequaquam ſanguis ejus gelatus eſt: non ſtetêre comæ, aut vox faucibus hæſit: non contremuit corpus, non mens ejus turbata eſt; non receſſit, ut aſſolet, intellectus. Ex abundantia cordis os locutum eſt, & caritas quæ fervebat in corde, quaſi ſcintillas quaſdam ardentiſſimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas, cum ſibi paratam, ut dixi, crucem eminus cerneret, loquebatur? "O crux, inquit, C "diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata! "ſecurus & gaudens venio ad te; ita ut & tu exſultans ſuſ- "cipias me, diſcipulum ejus, qui pependit in te: quia ama- "tor tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te. Obſecro, Fratres, homo eſt qui loquitur hæc? an non eſt homo, ſed Angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane ſimilis nobis, paſſibilis. Nam paſſibilem eum paſſio ipſa teſtatur, qua appropinquante tam lætabundus exſultat. Unde ergo in homine nova hæc exſultatio, & lætitia hactenus inaudita? Unde in tanta fragilitate tanta conſtantia? Unde in homine tam ſpiritualis mens, tam fervens caritas, animus tam robuſtus? Abſit ut à ſeipſo tantam ei credamus ineſſe virtutem. Donum perfectum eſt, deſcendens à Patre luminum, ab D eo utique qui facit mirabilia magna ſolus.

Crucem exſultabundus ſalutat.

Longius ad ſpiritualia in nobis unde

4. Plane ſpiritus erat, dilectiſſimi, qui adjuvabat infirmitatem ejus, per quem diffundebatur in corde ipſius caritas fortis ut mors, immo & fortior morte. Cujus ô ſi & nos participes inveniamur! Ecce enim moleſtus eſt nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio gravis, abſtinentia oneroſa. In vigiliis dormitat anima noſtra præ tædio, non ob aliud ſane, quam propter inopiam ſpiritus. Ipſe enim ſi adeſſet, adjuvaret ſine dubio infirmitatem noſtram: & ſicut beato Andreæ crucem & mortem ipſam, ſic nobis quoque laborem, & pœnitentiam noſtram faceret, non ſolum non moleſtam, ſed etiam deſiderabilem, atque omnino delectabilem E eſſe. *Spiritus enim meus*, ait Dominus, *ſuper mel dulcis*, ita ut ne ipſa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amariſſima licet, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit eſſe dulciſſimam? Quæ reſiſtere poſſit aſperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit ſuaviſſimam? *Cum dederit*, ait, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini*. Quam moleſtiam non expellet gaudium illud, quod mortem quoque ipſam facit eſſe lætiſſimam? Quæramus hunc ſpiritum, Fratres: tota ſollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc ſpiritum, immo ut quem jam habemus, abundantius adhuc habeamus. Quicumque enim ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt F ejus. Nos autem non accepimus ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Teſtimonium præſentiæ ejus præbent opera ipſa ſalutis & vitæ, quæ nullatenus agere poſſemus, niſi ſpiritus Salvatoris adeſſet qui vivificat animas noſtras. Quæramus igitur ut dona ſua multiplicet Deus in nobis, & ſpiritum ſuum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omnino præſentiæ ejus certius teſtimonium eſt, quàm deſiderium gratiæ amplioris; quoniam ipſe dicit: *Qui edunt*

Eccli 24. 27. Pſal. 126. 2. Rom 8. 9. Gratia majoris deſiderium eſt teſtimonium præſentiæ Dei.

Eccli 24. 29. *me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Orantes cur ſæpe non exaudiamur.

5. Sed fortaſſe multorum nobis conſcientiæ jam reſpondent: Deſideramus quidem hunc Spiritum, qui ſic adjuvet infirmitatem noſtram: ſed invenire non poſſumus. Et ego dico: Propterea non invenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis, & non accipitis, eo quod negligenter a petatis. Nihil enim aliud exſpectat, nihil aliud quærit Deus, niſi ut ſedule & cum deſiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur ut petant? *Si vos*, inquit, *cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Petite ergo, cariſſimi, petite ſine intermiſſione, B petite ſine hæſitatione: & in omnibus operibus veſtris dulciſſimi ſemper hujus ac ſuaviſſimi Spiritus præſentiam & auxilium invocate. Et nos enim, Fratres, cum beato Andrea neceſſe habemus tollere crucem noſtram, immo cum eo, quem & ipſe ſecutus eſt, Domino Salvatore. Inde enim ſic lætabatur, inde ſic exſultabat, quod non ſolum pro eo, ſed etiam cum eo mori videretur, & complantari ſimilitudini mortis ejus, ut compatiens etiam conregnaret. Cum quo ut ſimul crucifigamur & nos, attentis auribus cordis audiamus vocem dicentis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ac ſi dicat: Qui me deſiderat, ſe deſpiciat: qui vult facere voluntatem meam, diſcat frangere ſuam.

Matt. 7. 11.

Crux cuique tollenda.

Luc. 9. 23.

Arma contra hoſtem capienda.

6. Sed continuo bella inſurgunt, armantur protinus adverſum nos inimici. Et nos armemur contra: imitemur arma Regis noſtri, ut tollamus & nos crucem noſtram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi enim quid Pſalmiſta promiſerit, immo Spiritusſanctus per os ejus. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus*, haud dubium quin Altiſſimi; de eo ſiquidem loquebatur, ſicut manifeſte indicant ipſius pſalmi præcedentia verba. Ad quid, Fratres, ſcuto circumdamur, niſi quia nos undique bella circumdant? Denique quid cauſæ ſit ut te ſcuto circumdet, attende. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus.* Ad quid enim? *Non timebis*, D inquit, *a timore nocturno; a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Videſne quam neceſſe ſit, ut ſcuto circumdet te veritas, quem ſic hoſtium tela circumdant? Ab inferiori enim parte timor nocturnus inſurgit, à ſiniſtris ſagitta volat in die, à dextris perambulat negotium tenebroſum: & ut nihil ſit vacuum, à ſuperiori parte dæmonium meridianum * inſurgit. Nos autem miſeri & miſerabiles, vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis undique volantibus, undique inſurgentibus inimicis, nihilo minus pernicioſa ſecuritate & negligentia dormitamus, torpemus otio, vanitatibus & ſcurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad ſpiritualia exercitia, E acſi jam pax ſit & ſecuritas, & non ſit militia vita hominis ſuper terram. HOC EST, dico vobis cariſſimi, quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbiſſimi gladio transverberat animam meam: quod inter tanta pericula minus timorati, minus * exercitati, minus quàm neceſſe ſit ſolliciti videamur. Siquidem UNUM E DUOBUS hæc ipſa negligentia noſtra probat, aut omnino traditos nos hoſtibus, & neſcire a: aut certe, ſi inter hæc conſervamur, ei, qui tuetur nos, ingratos nimium inveniri. Quorum utrumque quid periculi habeat, ſatis manifeſtum eſt. Propterea obſecro F vos, dilectiſſimi, ipſa nos excitet hoſtium malitia pervigil, & inſtantia eorum maligna, qua tam ſeduli, tam ſolliciti ſunt in noſtram perditionem*, nos quoque ſollicitos faciat & circumſpectos, ut in timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur.

Pſal. 90. 5.

Armorum ſpiritualium neceſſitas.

Tentationes quatuor.

* al. occurſu.

Securitas hic pernicioſa.

* al. exerciti.

* al. perſecutionem.

7. Ecce enim in cruce eſt ſalus noſtra: tantum ut ei A viriliter inhæreamus. *Verbum crucis*, ait Apoſtolus, *pereuntibus quidem ſtultitia, his autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt.* Ipſa eſt ſcutum quo circumdamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hoſtium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id eſt adverſus puſillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit, ut id quod ſub nobis eſt, corpus caſtigare viriliter ſtudeamus, ac ſubjicere ſervituti. Si quis vero nobis in faciem maledicit, ſi quis aperte mala ſuadere conatur; in die volat ſagitta, & à ſiniſtris eſt, ſiniſtro nihilo minus cornu crucis excipienda. Quod ſi adulatur, ſi quaſi conſulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium ſeminare conatur, ſi denique iniquum aliqoid tamquam juſtum perſuadere tentat, à dextris eſt mihi iſte: ſed Judas eſt, oſculo me prodit, & dextro cornu crucis negotium perambulans in tenebris neceſſe eſt propulſari. Sed ecce dæmonium meridianum, ſuperbiæ ſcilicet ſpiritus, qui nimirum in ſplendore majori virtutum acrius inſurgere ſolet. Hæc autem quàm pernicioſa ſit, ſæpius vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati, & cauſa totius perditionis, ſuperbia eſt. Propterea quiſquis es qui ſalutem tuam operari ſtudes, adverſus hanc ſuper caput tuum cornu crucis habere memento, ut non eleveris in ſuperbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis, neque in C mirabilibus ſuper te: ſed tela ea, quæ de ſublimi veniunt, ſupereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sane hoc ſolum eſt, cui ſalutis pariter & regni titulus inſcribitur: quia ſolus qui ſe humiliat, ſalvari & exaltari meretur.

Tom. III. 1. Cor. 1. 18.

Crucis 4. cornua myſtice contra 4 tentationes.

Superbia maxime cavenda.

8. Jam ut breviter repetam, quatuor hæc cornua ſunt continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur, in hac cruce triumphat! tantum ut perſeveret in ea, & nullis valeat tentationibus dejici. Oret igitur quiſquis in hac cruce eſt, oret cum beato Andrea Dominum & Magiſtrum ſuum, ne patiatur eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præſumat impius attentare? Quod Ægeæ manibus de Diſcipulo, hoc Judæorum linguis facere cogitaverat & de Magiſtro. In utroque tamen ſera pœnitentia ductus, victus & confuſus abſceſſit. Utinam abeat ſimiliter & à nobis, eo vincente, qui & in ſe, & in diſcipulo triumphavit! Faciat ipſe, ut mereamur & nos in hac noſtra qualicumque cruce pœnitentiæ, quam pro ipſius nomine tulimus, feliciter conſummari, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Perſeverantiæ dæmon inſidiatur.

Moriendum in cruce.

IN OBITU b DOMNI HUMBERTI

MONACHI CLARÆ-VALLENSIS

SERMO.

b

Anno 1148.

1. HUmbertus famulus Domini mortuus eſt, devotus famulus, ſervus fidelis. Ipſi vidiſtis, quomodo nocte præterita inter manus noſtras exſpiravit, tamquam unus ex vermiculis terræ. Per hoc triduum fatigavit eum mors, & demolita eſt intra fauces ſuas, ut ſatiaretur ſanguine quem ſitivit. Eia fecit quod potuit: occidit carnem, & ecce recondita eſt in corde terræ. Separavit à nobis dulcem amicum, prudentem conſiliarium, auxiliarium fortem. Nec mihi, nec vobis pepercit inſatiabilis homicida, mihi autem minus. Siccine ſeparas amara mors? O beſtia crudelis! ô amaritudo amariſſima! ô terror * & horror filiorum Adam! quid feciſti? Occidiſti. Sed quid? Carnem utique ſolam: animæ enim non habes quid facias. Volat ad Creatorem ſuum, quem tam ardenter concupierat, tam fortiter ſecuta fuerat omnibus diebus vitæ ſuæ. Sed

* al. fœtor.

Mortis poteſtas tantum in corpus, nulla in animam.

a Ingratitudinem in cauſa eſſe dicit ſermone 27. de diverſis.

b In codice regio poſt ſermones de dedicatione habetur hic ſermo ſub hoc titulo, *In obitu reverendiſſimi patris Humberti*, ſcilicet abbatis Igniacenſis, ad quem epiſtola 141. ubi à Bernardo arguitur, quod regimen inconſulto abdicaſſet. Mirum eſt, nullam hic de Humberti abbatiali dignitate fieri mentionem. Fuit & alter Humbertus itidem Claræ-vallenſis, de quo Nicolaus Bernardi Notarius in epiſtola 15. *Humbertus ille, qui hominem exuit, non eſt ille communis Pater, de quo tu dubitas.* Porro ſimiles in obitu ſuorum funebres orationes habebat vir ſanctus, ut de Gerardo fratre Sermonem 26 in Cantica: item de quodam Converſo in lib. 7. Vitæ cap. 16. De Humberto abbate vide lib. 1. Vitæ num. 48. & Exordium magnum Ciſtercienſe variis in locis, maxime lib. 3. cap 4. ubi hujus Sermonis fit mentio.

Tom. III.

& ipſum corpus quod vidêris habere, auferetur à te: cum tu noviſſima inimica deſtruêris, & abſorbeberis in victoria. Reddes utique, reddes aliquando corpus iſtud, quod ad ſignum adventus tui tantis heſterna die ſputis & exſecrationibus, ac multiplici ſordium ſqualore repleveras, lætabunda & laudans, quia & hunc tuis laqueis irretiſſes. Veniet Unigenitus Patris cum poteſtate magna & majeſtate Humbertum quærere, & illud idem cadaveroſum corpus configurare corpori claritatis ſuæ. Tu autem quid? Profecto (quod in Jeremia ſcriptum eſt) in noviſſimo dierum ſtulta remanebis, & Humberto in æternum vivente, tu in perpetuum morieris. Evomuit Prophetam marina beſtia, quem deglutierat: & tu Humbertum reddes, quem videris tuo vaſtiſſimo ventre concluſiſſe.

Jer 17. 11.
Jonæ 2. 11.

2. De cetero, fratres, factitium [a] vobis ſermonem in omni forma ſanctitatis iſte Dei ſervus exhibuit, quem & longum fecit, & magnum. Longum, quantum ad longinquitatem [*] viæ: magnum, quantum ad vitæ ſublimitatem. Non oportet me amplios aperire os meum, ſi bene retinuiſtis ſermonem ejus, ſi veſtris illum cordibus impreſſiſtis. Quinquaginta annos, & eo amplius, vixit in ſervitio illius, cui ſervire regnare eſt: quia à puerilibus annis locatus eſt in ſanctuario [b] Dei. Nobiſcum triginta [c] annis ab ipſo pæne principio monaſterii hujus converſatus eſt, non ſolum ſine querela, ſed & cum gratia: cujus ex hoc memoria in benedictione erit nobis, & generationi quæ ventura eſt. Sicut advena & peregrinus pertranſiit viam & vitam iſtam, quantum minus potuit de mundi rebus accipiens, utpote ſciens, quia non erat de hoc mundo. Non habebat hic manentem civitatem, ſicut nec patres ſui: ſed in anteriora extentus, ſequebatur ad palmam ſupernæ vocationis. Nihil habet mundus, quod jure clamet in eo, vel de eo: quia nec mundus ei placuit, nec ipſe mundo. Quantum parcius potuit, de ſubſtantia ejus accepit: & minus accepiſſet, ſi non obedientia coëgiſſet. Victum & veſtitum habens, his contentus fuit, non ad ſuperfluitatem, ſed ad neceſſitatem: niſi quod ipſam quoque neceſſitatem, ſuperfluitatem eſſe ſæpius cauſabatur. Ante hos paucos dies, ſi bene memini, dum colloqueremur ad invicem, dicebat ſe monaſterii hujus præbendarium [d] eſſe, & tamquam nullius utilitatis hominem paſci in domo Dei. Erat enim vere mitis, & humilis corde: & cum ceteris floreret virtutibus, gratiam tamen manſuetudinis ſpecialiter obtinebat. Ideo ſeſe amabilem & affabilem omnibus exhibebat, ſicut erat amabilis valde.

Vita prioris ſermo eſſe cæt.
[*] al. vitæ.
Quinquaginta annos egit in Ordine.
Eminebant in eo amor paupertatis.
Manſuetudo & humilitas.

3. Verumtamen in his omnibus quàm circumciſum fuerit os ejus & lingua, omnes vos pleniſſime cognoviſtis, qui tamdiu vidiſtis ejus converſationem, & ſermonem ejus audiſtis. Quis umquam ex ore ejus ſonum detractionis, verbum ſcurrilitatis, ſermonem gloriæ, invidiæ vocem audivit? Quis eum vel alios judicantem, vel judicanti conſentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? immo quis non ab eo timuit, ſi talia forte loqueretur, audiri? Nimirum ſollicite cuſtodiebat vias ſuas, ut non delinqueret in lingua ſua: ſciens, quia qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Longe à te, Humberte, væ illud evangelicum: *Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis.* Numquid aliquis veſtrum eum ridentem, etiam inter multos ridentes, invenit? Serenabat quidem vultum ſuum aſſidentium gratia, ne fieret oneroſus: ſed riſum integrum, ſi bene recolitis, non admiſit. Porro quanti fervoris in opere Dei diebus & noctibus fuerit, non ſolum vidiſtis, ſed etiam admirati eſtis uſque ad diem mortis ſuæ. Cum enim fere jam ad decrepitam perveniſſet ætatem, præter incommoda ſenectutis, etiam tot & tantis infirmitatibus, quas multi veſtrum non ignorant, laſſatus atque quaſſatus; erat tamen, ut dicitur, animus victor annorum, & cedere neſcius infirmitati. Denique in frigoribus & caloribus per montes & valles aſcendens & deſcendens, juvenum laborem proſequebatur, ita ut admirationi eſſet omnibus & ſtupori. Si eum quandoque propter multitudinem negotiorum conſilii gratia retinuiſſem, triſtis perſeverabat & nubilus, donec veſtro conſortio redderetur. Rariſſime umquam ſollemnibus vigiliis, quas tamen non raro anticipabat, rariſſime ceteris horis pſallentium choro inventus eſt defuiſſe: nec niſi ea neceſſitate, ut ex inſtanti reſponſum mortis habens, infirmitas ſequeretur.

Taciturnitas.
Maturitas & riſus fuga. Jacob. 3. 2.
Luc. 6. 25.
Vigilantia & induſtria.
Fervor in infirmitatibus.
Aſſiduus in officio divino.

4. Porro in refectorio vix communibus utens cibis, ſi quid forte aliud [e] apponeretur, aut non accipiebat, aut tam moleſte accipiebat, ut ſuper hoc univerſitatem noſtram ſæpius moleſtaret. Decreverat aquam bibere ſemper, ſi non totis viribus reſtitiſſem. Vinum ſi quandoque bibere cogeretur, erat vinum colore potius quàm ſapore, adeo illud aquis nimiis obruebat. Vix umquam obedientia compellente infirmitorium introivit; vix, cum intraſſet, teneri potuit. Fateor minus obediens in hac parte, quod auctoritatis ſuæ mole me premeret. Laudo eum, in hoc non laudo: quia, ſicut vos ſcitis, non parum in hujuſmodi perſtitit obſtinatus. Credo quia ſi quid triſte ſenſit, propter hoc ſenſit, quod nobis minus conſenſit [f] de neceſſitate corporis ſui. Sed qualis erat in conſiliis? Purus utique & diſcretus: quod ego tanto melius novi, quanto ſæpius tetigi pectus ejus. Non ſolus autem novi hoc ſ novit & univerſitas veſtra. Quis denique multitudine vel magnitudine tentationum percuſſus, non audivit ab ore ejus & radicem tentationis, & curationis remedium? Ita enim percurrebat omnes angulos conſcientiæ infirmantis, ut credere poſſet qui confitebatur, eum vidiſſe omnia, omnibus interfuiſſe.

Sobrietas & abſtinentia.
Diſcretio in conſiliis & tentationum remediis.

5. Quantæ autem caritatis erat? Sic ſe induerat viſcera pietatis, ut omnes excuſaret, pro omnibus intercederet, neſcientibus illis pro quibus loquebatur; non perſonarum acceptor, ſed neceſſitatum. Erat ergo humilis corde, dulcis ſermone, ſtrenuus opere, fervens caritate, in commiſſo fidelis, in conſilio circumſpectus & prudens. Compoſitus erat ſuper omnes homines, quos viderim in diebus iſtis; unus & idem perſeverans omni tempore, & omni hora. Plane in ſemitis Domini Jeſu poſuit veſtigia, nec retraxit pedem, donec curſum itineris conſummaret. Ille fuit pauper, pauper & iſte fuit. Vixit ille in laboribus, & hic in laboribus multis. Crucifixus eſt ille, & iſte multis & magnis crucibus affixus, ſtigmata Domini Jeſu tulit in corpore ſuo, adimplens ea quæ deerant paſſionum Chriſti etiam in carne ſua. Reſurrexit ille, & iſte reſurget. Ille aſcendit in cælum, & iſte creditur aſcenſurus. Aſcenſurus plane, cum Rex gloriæ propter nos deſcendet, ſicut prius aſcenderat, ut notam faciat potentiam ſuam: cum non minoris excellentiæ ſit deſcendere per aëra, quàm per aërem aſcendiſſe. Sic enim olim Angeli prædixerunt: quia *hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Ne laudaveris hominem in vita ſua, dicit Scriptura, pro eo quod non eſt ſecura laudatio niſi poſt mortem. Hoc & ego in eo ſtudioſe ſervavi, qui dum adviveret, in hujuſmodi non aperui os meum; ne forte poſſemus vel ego adulationis notam, vel ille culpam incurrere vanitatis. Ex hoc ſane neutrum jam timetur: nec ego eum video, & ille forſitan me non audit. Sed etſi audiat, non movetur hominum verbis, fortius inhærens atque felicius Verbo Dei. Nihil proficiet inimicus

Caritas ejus dotes.
Conſtantia.
Act. 1. 11.
Eccli. 11. 30.

a Id eſt factorum ſeu exemplorum, quæ Humbertus exhibuit.

b Nempe in monaſterio Caſæ-Dei, ubi viginti à prima ætate annos monachus vixit, antequam ad Claram-vallem ſe reciperet. quod factum ſub annum 1118.

c Totidem annos habet Exordium Magnum Ciſtercienſe lib. 3 cap. 4.

d Præbendarii vocabantur etiam pauperes, qui quotidianum alimentum ab aliis accipiebant. Ita Bernardus ſermone 2. in feſto omnium Sanctorum num. 2. *Mendici ſumus, ex præbenda Dei viventes.*

e Ergo infirmis aliud nonnumquam in refectorio ſanctus Pater præberi curabat præter communes cibos, ut in ſermone 36. de diverſis num 2. De vini uſu vide Notas in epiſtolam 1.

f Idem legitur de eo in jam laudato Exordio. Conferendus Bernardi Sermo 30. in Cantica num 7. ubi religioſos in ejuſmodi auſteritatibus propriæ voluntati nimis quam addictos arguit.

in

in eo, & vanitatis ſuggeſtor non apponet nocere ei.

Bernardi apoſtrophe ad Humbertum, & lamentatio.

6. Ecce jam coram te eſt, Pater dulciſſime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi ſitiebas: ecce immerſus es in illam divinæ pietatis abyſſum, cujus memoriam abundantiæ ſuavitatis tam devote eructare ſolebas. Quis enim tam devotus prædicator pietatis divinæ, quis humanæ puritatis commendator tam ſtudioſus, quis utriuſque rei tam affectuoſus amator erat? aut cui aliquando quinque verba locutus es, in quibus non vera puritas reſonaret, in quibus non ſancta Dei pietas audiretur? Non ergo ſuper te doleo, cui deſiderium animæ tuæ tribuit Deus: mihi potius ademptum doleo fidele conſilium, auxilium grande, virum unanimem, hominem ſecundum cor meum. In me hæc omnia mala reciderunt. In me tranſierunt iræ tuæ, Domine Jeſu, & terrores tui conturbaverunt me. Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria extrahens, me in miſeriis reliquiſti. Abſtuliſti mihi germanus carne, germaniores ſpiritu, & in tuis negotiis, & in ſecularibus ſecundum te ſapientes. Suſtuliſti hinc alios atque alios, qui onus meum portabant, onus grande, quod mihi impoſuiſti. Unus mihi & prope ſolus Humbertus ſupererat è tantis neceſſariis meis, eo ſuavior amicus, quo antiquior: & hunc tuliſti, quoniam tuus erat. Ego, ego ſolus ad verbera relinquor, ego morior in ſingulis, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Utinam quem flagellas, occidas ſemel, & non miſerum hominem tot & tantis mortibus ſerves. Verumtamen non contradico ſermonibus ſancti; ſed qui cœpit, ipſe me conterat: & hæc mihi conſolatio ſit, quod affligens dolore, non parcat. Ego in flagella paratus ſum, ſi forte pius Pater in beneficia flagella commutet. Unde & verba mea non murmure plena ſunt, ſed dolore. Non ploro Humbertum (neque enim ille plorandus eſt, qui vocatus eſt ad menſam divitis) ſed ſuper me & ſuper vos ploro, ſuper domum iſtam, ſuper ceteros fratres noſtros, qui omnes ab ejus ore conſilium exſpectabant. Sic & Salvator crucem ſuam, tamquam latro ſuum laqueum, portans, cum mulieres, quæ eum à Galilæa ſecutæ fuerant, ſuper

Luc 23. 28.

ſe lamentantes reſpiceret, converſus ad eas dixit: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, &*

Luc 22. 37.

ſuper filios veſtros. Etenim ea quæ de me ſunt, finem habent. Quæ videtis mihi præparari, temporalia ſunt; quæ non videtis, æterna. Si temporalia ſunt, tranſitoria ſunt: ſi tranſitoria ſunt, & mortalia ſunt: & tranſeundi vel moriendi argumentum hoc ſolum eſt, quia videri poſſunt. Temporalia fuerunt quæ in Humberti morte conſpeximus: ſed jam obtinet gaudium & lætitiam in perpetuas æternitates.

7. Non eſt ergo lugendus nobis, cui nec luctus, nec dolor eſt. Sed nec pro nobis, quibus ille ſublatus eſt, murmurandum: magis gratias agamus, quod tamdiu conceſſus eſt nobis. Siquidem, ut ego arbitror, decennium [a] jam decurſum eſt, quod non vixit niſi nobis, & pro nobis: atque hic timor meus eſt, ne ideo tranſlatus ſit, quia non eramus jam digni conſortio illius. Quis ſcit tamen ſi idcirco ſublatus fuerit, ut nos ſuis interceſſionibus protegat apud Patrem? Utinam ita ſit. Si enim tantæ caritatis erat dum eſſet nobiſcum, ut omnia quæ ad corpoream neceſſitatem ſpectant, libentius mihi quàm ſibi cederet: quanto magis nunc, cum illi ſummæ caritati, quæ Deus eſt, inhæret, majorem habet in me gratiam & caritatem? Sed forſitan nunc de me & de converſatione mea plenius novit veritatem: nec compatitur, ut ſolebat, ſed, ut vereor, indignatur. Quod ſi etiam propter peccata noſtra abſtulit eum Deus: utinam idem ipſe obtineat, ut nobis hoc ipſum miſericorditer relaxetur, ne pœnam ſuper pœnam ſuſtineamus.

Interceſſio Sanctorum.

Tom. III. Otioſos ſermones in ſuis arguit.

8. De reliquo, fratres, dico vobis, ſi ſequeremini veſtigia ejus, non tam facile in vanis cogitationibus & otioſis ſermonibus, in jocis & ſcurrilitatibus laberemini: quia in his multum perditis & de vita veſtra, & de tempore veſtro. Volat irrevocabile tempus; & dum creditis vos cavere pœnam iſtam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur uſque ad noviſſimum quadrantem. Scio ego quia durum eſt homini diſſoluto apprehendere diſciplinam, verboſo ſilentium pati, vagari ſolito ſtabilem permanere: ſed durius, & multo durius erit, futuras illas moleſtias tolerare. Et homo iſte qui hic ſepultus eſt, multa in principio (ſicut ipſe cognovi) ſuper hujuſmodi tentamenta ſuſtinuit, ſed cum multo luctamine pugnavit & vicit: & ſicut tunc ei durum erat pugnam in tentationibus ſuſtinere, ſic ei modo durius eſſet ad illas ineptias revolare, quia bona conſuetudo venerat in naturam. Exercete vos in doctrina iſta, & attendite formam illam, quam vidiſtis in eo & audiſtis: ut ad eum perveniatis, ad quem ipſe pervenit, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, amen.

IN DEDICATIONE [b] ECCLESIÆ,

Sermo primus.

De quinque ſacramentis Dedicationis.

1. FEſtivitas hodierna, Fratres, tanto nobis debet eſſe devotior, quanto familiarior eſt. Nam ceteras quidem Sanctorum ſollemnitates cum eccleſiis aliis habemus communes: hæc vero ſic nobis eſt propria, ut neceſſe ſit, vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. Noſtra eſt, quia de eccleſia noſtra: magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Miramini forſitan & erubeſcitis celebrari feſta de vobis: ſed nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Quid enim lapides iſti potuerunt ſanctitatis habere, ut eorum ſollemnia celebremus? Habent utique ſanctitatem, ſed propter corpora veſtra. An vero corpora veſtra ſancta eſſe quis dubitet, quæ templum ſancti Spiritus ſunt, ut ſciat unuſquiſque poſſidere vas ſuum in ſanctificatione? Itaque ſanctæ ſunt animæ propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis; ſancta ſunt corpora propter animas; ſancta eſt etiam propter corpora domus. Adhuc certe corruptibili tenebatur in carne, & in corpore peccati, in quo & grave adulterii crimen admiſit illius anima, qui dicebat: *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum.* Mirabilis plane Deus in Sanctis ſuis, non modo in cæleſtibus, ſed etiam in terrenis. Utrobique ſanctos habet, & in utriſque mirabilis eſt, illos quidem beatificans, iſtos ſanctificans.

Dedicationis feſtivitas non tam templi materialis, quàm noſtri ſpiritualis.

Pſal. 85. 2.

2. An experimentum quæritis ejus, de qua loquimur, ſanctitatis, & ſanctorum vobis iſtorum miracula deſideratis oſtendi? Multi certe ex vobis à peccatis & vitiis, in quibus computruerunt tamquam jumenta in ſtercore ſuo, exiére viriliter; & quotidie impugnantibus eis potenter reſiſtunt, juxta Apoſtolum, qui de ſanctis loquens utique, *Convaluerunt*, inquit, *de infirmitate, fortes facti ſunt in bello.* Quid mirabilius, quando is qui prius vix per biduum poterat à luxuria, e crapula, & comeſſationibus, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis, ceteriſque ſimilibus & diſſimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota utique vita ſua? Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adoleſcentes, tot nobiles, univerſi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo Dei timore confixi: quod in tanta perſeverant afflictione pœnitentiæ, ultra

Hebr. 11. 34.

Miracula piorum in hac vita qualia.

a Humbertus abbas anno 1138. ſe recepit ad Claram-vallem. Si *decennium* ibi ſupervixit, non anno 1145 ut Manrico placet, ſed anno 1148. mors ejus conſignanda. Idem Manricus ſupremum Humberti diem 7. Decembris, Chalemotus 7. Septembris aſſignat.

b Chalemotus dedicationem baſilicæ Claræ-vallenſis memorat tertio Idus Octob. ſed poſteriorem ea, de qua hic Bernardus, nempe novæ baſilicæ, quæ, Bernardo è vivis migrante, necdum perfecta erat. Si Sermones de Dedicatione recte in vetuſtis libris ordinati ſunt, veteris baſilicæ dedicatio poſt feſtum S. Andreæ celebrabatur.

Tom. III.

virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem? Ipſi, credo, videtis quanta jam poſſemus invenire miracula, ſi perſcrutari ſingillatim liceret ſingulorum exitum de Ægypto, & deſerti viam, id eſt abrenuntiationem ſæculi, introitum monaſterii, in monaſterio converſationem. Quid vero ſunt hæc, niſi manifeſta inhabitantis in vobis Spiritus-ſancti argumenta? Nam habitare in corpore animam probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita ſpiritualis. Illud ex viſu & auditu dignoſcitur: iſtud ex caritate & humilitate, ceteriſque virtutibus.

Spiritualis unde noſcendus.

3. Veſtra eſt igitur, fratres cariſſimi, veſtra eſt hodierna feſtivitas. Vos dedicati eſtis Domino, vos elegit & aſſumpſit in proprios. *Tibi*, inquit Propheta, *derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Quàm bene commutaſtis, dilectiſſimi, quicquid habere potuiſtis in ſæculo, quando nunc relinquendo ea, proprii eſſe meruiſtis auctoris ſæculi, & eum habere propriam poſſeſſionem, qui ſine dubio portio & hereditas eſt ſuorum. Neque enim, ſicut dixerunt filii iniquitatis, *Beatus populus cui hæc ſunt*, temporalia ſcilicet quæ præmiſerat, *promptuaria eructantia ex hoc in illud, oves fœtoſa*, & ſimilia: non, inquam, beatus populus cui hæc ſunt: ſed *beatus populus cujus Dominus Deus ejus*. Videte ergo, ſi non dignum ſit ut feſtum agamus diem, quo nos aſſumpſit in proprios, & inveſtivit ſe per miniſteriales & vicarios ſuos, ut fiat ſicut ipſe jam olim promiſerat: *Ego*, inquiens, *in medio eorum ero eorum Deus*: nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus. Quando enim domus iſta per manus Pontificum dedicata eſt Domino, propter nos ſine dubio factum eſt; non ſolum qui tunc præſentes fuimus, ſed & quicumque uſque in finem ſæculi Domino ſunt in hoc loco militaturi.

Pſal. 9. 14. Qui reliquerunt omnia, relicti ſunt Deo.

B

Pſal. 143. 15

Religioſi Deo proprii

Ezech. 2. 5.

C

4. In nobis proinde ſpiritualiter impleri neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibiliter præceſſerunt. Et ſi vultis ſcire, hæc utique ſunt: aſperſio, inſcriptio, innuctio, illuminatio, benedictio. Hæc quidem in hac viſibili domo fecere Pontifices; hæc Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum inviſibiliter quotidie operatur in nobis. Primo ſiquidem aſpergit nos hyſſopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur, dicaturque de nobis: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata?* Lavat, inquam, nos in confeſſione, lavat nos lacrymarum imbre, lavat ſudore pœnitentiæ: magis autem lavat nos aqua illa pretioſiſſima, quæ de fonte pietatis, id eſt ab ejus latere, emanavit. Aſpergit nos hyſſopo, quæ humilis herba eſt, & pectoris purgativa: aqua ſapientiæ ſalutaris, quæ eſt timor Domini, initium ſapientiæ, & fons vitæ: etiam condimentum ſalis admiſcens, ne ſit inſipidus timor ſine ſpe, ſine devotione. Non ſolum autem, ſed inſcribit digito Dei, in quo ejiciebat dæmonia, haud dubium quin in Spiritu-ſancto. Inſcribit, inquam, legem ſuam, non jam in lapide, ſed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promiſſionem, qua ſe pollicitus eſt ablaturum cor lapideum, & carneum cor eſſe daturum, id eſt non durum, non obſtinatum, non Judaicum; ſed pium, ſed manſuetum, ſed tractabile, ſed devotum. *Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Beati, inquam, qui docti & *memores ſunt mandatorum ejus*, ſed *ad faciendum ea*. Alioquin *ſcienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi*; & *Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis.*

Dedicationis ritus quoque ad mores.

D

Cant. 8. 5.

1. Aſperſio

2. Inſcriptio.

E

Ezech. 11. 19.
Pſal. 93. 12.
Pſal. 102. 18.
Jacob. 4. 17.
Luc. 12. 47.

5. Unde neceſſe eſt ut unctio ſpiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem noſtram, obſervantiarum iſtarum & multimodæ pœnitentiæ cruces devotionis ſuæ gratia liniens: quia nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtum; & ſine unctione crucis aſperitatem ferre quis poſſet? Hinc eſt quod multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, ſed non etiam unctionem. Vos qui experti eſtis, ecce ipſi ſcitis, quia vere crux noſtra uncta eſt, & per gratiam Spiritus adjuvantis, ſuavis & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, &, ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima. At poſtquam unctio gratiæ hujus præceſſerit, jam lucernam ſuam Chriſtus non ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum:

3. Unctio.

F

4. Illuminatio.

A

quia tempus eſt ut luceat lux noſtra coram hominibus, & videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum qui in cælis eſt.

Matt. 5. 16.

6. Jam vero benedictionem quidem exſpectamus in fine, quando aperiet manum ſuam, & implebit omne animal benedictione. Nam in quatuor præmiſſis merita conſtant, in benedictione ſunt præmia. In benedictione tota complebitur gratia ſanctificationis, quando jam in domum tranſibimus non manufactam, æternam in cælis. Ipſa eſt quæ conſtruitur vivis ex lapidibus, Angelis ſcilicet & hominibus. Simul enim ædificatio, & dedicatio ipſa complebitur. Disjuncta nimirum ligna & lapides, domum non faciunt, nec in eis habitare quis poteſt; ſola vero conjunctio domum facit. Sic cæleſtium ſpirituum perfecta unitas, ſine ulla ſibi diviſione connexa, integram & congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria majeſtatis. Quis enim ſic ſciret univerſa regum conſilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta ſic noſſet, quomodo palatii ligna & lapides, ſi non deeſſet illis intelligentiæ ſenſus? Itaque cæleſtis illius curiæ lapides vivi ac rationabiles divinis interſunt conſiliis, & Trinitatis myſteria norunt, audiuntque verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Quanto enim plus vident, plus intelligunt, plus agnoſcunt: tanto plus diligunt, tanto magis laudant, tanto amplius admirantur.

5. Benedictio.

Domus Dei ex Angelis & hominibus conſtituitur

Pſal. 83. 5.

7. Verum quia cohærere quidem ſibi domum illam & perfecte connexam eſſe jam diximus: ſupereſt ut juncturam & connexionem ipſam aliquatenus exprimamus. Legimus in Iſaia: *Glutino bonum eſt.* Duplici igitur ſibi cohærent lapides illi glutino, cognitionis plenæ, & perfectæ dilectionis. Tanto ſiquidem majori ad ſe invicem dilectione copulantur, quanto ipſi caritati, quæ Deus eſt, viciniores aſſiſtunt. Sed nec ulla ſeparare eos ab invicem ſuſpicio poteſt, ubi nihil omnino quod in altero ſit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*: nihil dubium eſt, quin perfecte adhærentes ei beati Spiritus cum eo pariter & in eo penetrent univerſa. Ad hanc domum ſi pervenire deſideras, ſic concupiſcat & deficiat anima tua in atria Domini, ſicut Propheta clamat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Ipſum nihilo minus imitare Prophetam, qui *ſicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob, ſi introiero in tabernaculum domus meæ, &c.* Sed hinc alio ſermone nobis tractandum erit, quod Dominus ipſe donaverit.

Iſai. 41. 7.

Lapides vivi domus Dei quali glutino cohærent.

1. Cor. 6. 17.

Pſal. 26. 4.

Pſal. 131. 2.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ,

SERMO SECUNDUS.

Quomodo & nobis, & aliis cohærere debeamus.

1. OLim rex glorioſus & propheta Domini, David ſanctus, religioſa quadam cœpit cogitatione moveri, indignum judicans, quod nullam adhuc Dominus Sabaoth domum haberet in terris: ipſe vero domum inhabitaret regiæ dignitatis. Hoc ipſum, Fratres, nos quoque decet cogitare fideliter, & viriliter effectui mancipare. Nam quod, licet Deo placuerit cogitatio illa Prophetæ, opus tamen reſervatum eſt Salomoni: alia ratio eſt, forte prolixiore indigens diſputatione. Jam vero, ô anima, tu quidem ſublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata eſt. Corpus hoc dico: quod ſic compegit, quod ſic aptavit, quod ſic ornavit & ordinavit, ut glorioſe in eo & delectabiliter habitares. Sed & ipſi corpori domum fecit excelſam, aptiſſimam & decoram. Dico autem ſenſibilem hunc & inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, ut tibi ipſe fecerit domum, tu vero ei templum ædificare diſſimules? Adhuc domum quidem habes, ſed certa eſto quoniam in brevi caſura eſt domus tua: & tu niſi prius provideris aliam, eris pluviæ, vento,

2. Reg. 7. 2.
1. Par. 17. 1.

Templum Deo a nobis ædificandum

& frigori exponenda. Heu! à facie frigoris ejus quis ſuſtinebit? Felix proinde, & multum felix anima, quæ dicere poteſt:

Cor 5. 1.

Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manu-factam, æternam in cælis. Propterea jam ne dederis, ô anima, ſomnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem,

Pſal. 131. 3.

donec invenias locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

2. Sed quid putamus, Fratres? Ubi invenitur hujus ædificii locus, aut quis poterit eſſe architectus? Nam viſibile iſtud templum utique propter nos factum eſt ad noſtram habitationem. neque enim Altiſſimus in manufactis habitat. Quod ergo ædificabimus templum

Jer. 23. 24.

ei qui dicit, & vere dicit: *Cælum & terram ego impleo!*

B

Tribularer valde, & anxiaretur ſuper me ſpiritus meus,

Johan. 14. 23.

niſi quod audio eum de quodam dicentem: *Quia ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Itaque jam ſcio, ubi præparanda ſit domus ei, quoniam non capit eum niſi imago ſua. Anima capax illius eſt, quæ nimirum ad ejus imaginem eſt creata. Propter quod jam feſtina, adorna thalamum tuum, Sion: quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exſulta ſatis, filia Sion: habitabit in te

Luc. 1. 38.

Deus tuus. Dic cum Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Dic juxta beatæ Elizabeth ver-

Ibidem 43.

ba: *Et unde hoc mihi, ut veniat* majeſtas *Domini mei ad me?*

C

Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus univerſorum, & qui nullam habet indigentiam, templum ſibi fieri jubet in illis?

Quomodo.

3. Itaque, Fratres, toto cum deſiderio, & digna gratiarum actione ſtudeamus ei templum ædificare in nobis: primo quidem ſolliciti, ut in ſingulis, deinde ut in omnibus ſimul inhabitet: quia nec ſingulos dedignatur, nec univerſos. Primo igitur loco ſtudeat unuſquiſque, ne diſſideat ipſe à ſemetipſo: quoniam omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus

Matt. 12. 25.

ſupra domum cadet: nec intrabit Chriſtus, ubi fuerint

1. Stude ne diſſideas ipſe a ſemetipſo.

parietes declinati, & maceriæ depulſæ. Nonne enim corporis ſui domum integram anima volt habere, & exire illam neceſſe eſt, ſi fuerint à ſe invicem membra

D

diſperſa? Videat ergo & ipſa, ſi deſiderat habitare Chriſtum per fidem in corde ſuo, id eſt in ſeipſa: ſollicite caveat, ne à ſe invicem membra ejus diſſideant, id eſt, ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo ſine errore ratio, ut bene congruat voluntati: talem enim

Concordia ſui ipſius quæliter conſtet.

voluntas amat. Sit & voluntas ſine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Alioqui ſi ſeſe judicat anima propter voluntatis pravitatem in eo quod per rationem probat, bellum inteſtinum eſt, & diſcordia periculoſa: quoniam voluntatem hujuſmodi ratio ſemper ſuggillat, ſed accuſat, ſed dijudicat, ſed condemnat.

Matt. 5. 25.

Propter quod ait Dominus in Evangelio: *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum illo, ne forte adver-*

E

ſarius tradat te judi.i, & judex tradat te tortoribus, & in carcerem mittaris. Sit etiam memoria ſine ſorde, ut nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confeſſione & dignis fructibus pœnitentiæ deleatur. Alioquin conſcientiam, in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio exſecratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perverſa, nec memoria fuerit inquinata.

2. Curà, ut caritate conjungatur proximo.

4. Jam vero ſic ſe habentibus ſingulis, etiam omnes nos connecti & conglutinari neceſſe eſt, mutua utique caritate, quæ eſt vinculum perfectionis. Nam cognitio quidem perfecta in hac vita haberi non poteſt, forſitan nec oportet. In cæleſti ſiquidem domo cognitio

F

dilectionis eſt nutrimentum; hic vero eſſe poterat detrimentum. Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor? Propterea facile erat & confundi cognitum, & cognoſcentem offendi. Ibi jucunda erit cognitio, ubi macula jam non erit. Illa ergo domus connexa firmius eſt, tamquam in æternum manſura: hæc, tamquam tabernaculum bellatorum, minus ſibi perfecte cohæret. Illa nimirum domus lætitiæ, iſta militiæ eſt: illa do-

A

mus laudis, iſta orationis. Hæc, inquam, eſt urbs fortitudinis noſtræ, illa eſt civitas requiei noſtræ. Proinde ſi victorioſi fuerimus hic, illic erimus glorioſi, habentes loco galeæ diadema, ſceptrum & palmam pro gladio, pro ſcuto chlamydem deauratam, pro thorace ſtolam jucunditatis. Interim ſane premi magis quàm perimi videtur utilius; & ſuſtinere pondus clypei & loricæ, quàm maligni jaculis igneis vulnerari: à quibus nos ſuperna ſua protectione cuſtodiat, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO TERTIUS.

B

De triplici apparatu, quem habemus ad cuſtodiam Dei.

Caſtrum Dei ciuuale.

1. DOmus hæc, Fratres, æterni Regis eſt oppidum, ſed obſeſſum ab inimicis. Quotquot igitur in ipſius arma jurati ſumus, & ejus militiæ dedimus nomina, triplici nobis opus eſſe noverimus apparatu ad cuſtodiam caſtri hujus: munitione videlicet, & armis, & alimentis. Quæ eſt ergo munitio?

Iſai. 26. 1.

Urbs fortitudinis noſtra Sion, ait Propheta, *Salvator, ponetur in ea murus & antemurale.*

Murus, continentia;

Murus continentia, antemurale patientia eſt. Bonus continentiæ murus, qui ſic ondique circumdat & circumcingit: ut nec per oculorum feneſtras, nec per ceteros ſenſus detur ingreſſus morti. Bo-

Antemurale, patientia.

C

num antemurale patientiæ, quod primos hoſtium ſuſtinet impetus, ut inter plurima tentamenta ſtemus viriliter, & perſeveremus jugiter inconcuſſi. Unicum quippe remedium eſt, dum continentia quatitur & quodam modo nutat, objicere patientiam, & quantumcumque ferveat ſenſus peccati, negare omni modo conſenſum.

Luc. 21. 19.

In patientia veſtra, inquit, *poſſidebitis animas veſtras.* Ponitur ergo in civitate ſua Salvator ipſe murus & antemurale, factus nobis a Deo Patre juſtitia, & Prophetæ patientia, ſicut idem ait:

Pſal 70. 5.

Quoniam tu es patientia mea, Domine. Murus, inquam, ponitur in converſatione, antemurale in paſſione, ab omnibus carnis & ſæculi præſentis illecebris abſtinens, & adverſa ſuſtinens fortiter univerſa.

D

Arma ſpiritualia.

2. Oportet autem & arma parare, ſed arma ſpiritualia, potentia Deo, non modo ad reſiſtendum, ſed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum.

Epheſ. 6. 11.

Induite vos armaturam Dei, ait Apoſtolus, &c. Quid enim putamus, Fratres? Gravis equidem nobis eſt inimici tentatio: ſed longe gravior illi oratio noſtra. Lædit nos iniquitas ejus atque verſutia; ſed multo amplius noſtra eum ſimplicitas & miſericordia torquet. Humilitatem noſtram non ſuſtinet: uritur caritate noſtra, manſuetudine & obedientia cruciatur.

Commeatus ſacer, triplex.

Jam vero nec fame quidem urgeri poſſumus, ut hoſtibus caſtrum tradere compellamur: quoniam, gratias Deo, non venit ſuper nos terribilis illa comminatio Prophetæ,

E

Amos 8. 11.

immo Domini per Prophetam, famis videlicet & ſitis; non panis & aquæ, ſed * verbi Dei. Sic enim habemus:

* al. audiendi verbi.

Matth. 4. 4. & Deut. 8. 3.

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Itaque non nobis alimenta deſunt, qui & ſermones frequenter, & frequentius ſacras lectiones audimus; & interdum quoque ſpiritualis devotionis guſtamus delicias, tamquam ſi catuli edant de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum: cæleſtes illos convivas dico, qui replentur ab ubertate domus Dei. Habemus etiam panem lacrymarum, qui licet minus ſuavis, optime tamen confirmat cor hominis. Habemus & obedientiæ panem, de quo loquitur ad Diſcipulos Dominus: *Meus*, inquiens, *cibus eſt, ut faciam*

F

voluntatem Patris mei. Habemus ſuper omnia de cælo panem vivum, corpus Domini Salvatoris, in cujus utique fortitudine cibi, omnis adverſæ partis dejicitur fortitudo.

3. Sic ergo munita eſt caſtri Dominici fortitudo, ut nihil jam timere oporteat, ſi tamen fideliter & viriliter agere voluerimus; ut videlicet nec proditores, nec pavidi, nec deſides inveniamur. Nam proditores quidem

Proditio caſtri cavenda.

fiunt, quicumque in hoc Domini caſtrum inimicos ejus

Tom. III.

introducere moliuntur, quales ſunt utique detractores, Deo odibiles, qui diſcordias ſeminant, & nutriunt ſcandala inter fratres. Sicut enim in pace factus eſt locus Domini; ſic in diſcordia locum diabolo fieri manifeſtum eſt. Non miremini, Fratres, ſi durius loqui videor: quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem ſeſe noverit, ſi quis forte (quod abſit) vitia qualibet in hanc domum conatur inducere, & templum Dei ſpeluncam facere dæmoniorum. Gratias Deo, non multos hic invenimus hujuſmodi. Sed tamen deprehendimus interdum forte nonnullos, qui colloquantur hoſtibus, & paciſcantur fœdus cum morte, hoc eſt moliantur (quod in eis eſt) imminuere Ordinis diſciplinam, intepeſcere fervorem, turbare pacem, lædere caritatem. Verum nos quidem caveamus ab eis, quantum poſſumus; ſicut ſcriptum eſt de quibuſdam: *Jeſus autem non credebat ſe eis*. Dico autem vobis, quia licet portentur modo, ſed portabunt cito grave judicium, niſi ſe citius emendaverint, ſicut grave damnum moliuntur inferre. Quid enim, frater? Vanitati, aut tepiditati, ſeu cuilibet alteri vitio fidem ſervas operibus, & Deo per tonſuram mentiris? Optimum certe caſtrum tuliſti Chriſto, ſi inimicis ejus tradideris Claram-vallem. Optimos inde ſingulis annis, & pretioſos in oculis ſuis redditus accipit: & prædam multam, quam hoſtibus eripit, in hunc munitionis ſuæ locum ſolet inducere, & habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Quibus ergo proditorem caſtri hujus, poſtquam deprehenſus & comprehenſos fuerit; (neque enim latere aut fugere poteſt:) quibus, inquam, putas exponendum eſſe ſuppliciis? Non utique communi ceterorum morte damnabitur, ſed exquiſitis illum neceſſe eſt interire tormentis. Sed non modo plus immoror circa iſta: credo melius deinceps ab hac tam exſecrabili proditione cavebimus, ſtudentes de cetero majori ſollicitudine non attrahere, ſed repellere vitia, quæcumque illa ſint, ſeu carnalia, ſeu etiam ſæcularia, ne proditorum notam vel pœnam incurrere mereamur.

Proditores quinam. — Religionis proditores increpat. — Johan. 2. 24. — Clara-vallis caſtrum Chriſti.

4. Secundo loco etiam illud cavendum, ne quis forte puſillanimitate dejectus, fugiat à munitione, ibi trepidans timore ubi non eſt timor; ubi vero ſummum periculum eſt, inſana temeritate ſecurus. Hoſtilibus enim manibus, hoſtilibus gladiis ſe exponit, quicumque eſt ille qui fugit, acſi ignoret, quoniam hoſtes illi omnino carent miſericordia, crudeles quidem in alienos, ſed multo crudeliores in ſuos, quippe crudeliſſimi in ſeipſos.

Proditio ne cavenda.

5. Jam vero tertium quoque periculum breviter dico, quia jam hora præteriit, dum veſtræ (ut dignum eſt) ſalutis plurimum cupidus, diverſis morum infirmitatibus remedia diverſa conquiro. Quid prodest, ſi nec prodere caſtrum, nec relinquere velis, ſed ſegnis & deſidioſus in eo permaneas? Toto proinde animo, tota virtute, dilectiſſimi, commiſſum nobis caſtrum Domini & Regis noſtri manu-tenere laboremus, ſolliciti contra omnes inimici verſutias, & adverſus omnia ejus machinamenta parati, ſicut ſcriptum eſt: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* At quoniam ſcimus à quo dictum ſit, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*: humiliemur ſub potenti manu Altiſſimi, & nos, & domum iſtam tota devotione ejus miſericordiæ committentes, ut ipſe nos cuſtodiat ab omnibus inſidiis inimicorum omnium, ad laudem & gloriam nominis ſui, quod eſt benedictum in ſæcula, amen.

Languidi & ſegnes notantur. — Jacob. 4. 7. — Pſal. 126. 1.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ,

Sermo quartus.

De triplici manſione.

1. Votivis laudibus celebramus hanc diem, & feſtivis eam gaudiis honoramus. Quod ſi nec religioſis competit nec ſapientes decet ignorare quid venerentur, aut celebrare quod neſciant; quærendum nobis eſt, in cujus id agitur, vel in quorum commemoratione Sanctorum. Nec vero id mihi ex me arbitror præſumendum: prior loquatur alter, cujus teſtimonium majus ſit, & credibilius videatur. Miramini fortecur iſta præloquimur, cum veſtris ſeſe obtutibus eccleſia præſens manifeſtius ingerat, cujus anniverſaria Dedicatio celebratur. Quid enim parietes ejus ſanctos dicere vereamur, quos manus ſacratæ Pontificum tantis ſanctificavere myſteriis? Extunc quoque & deinceps ſanctarum inibi lectionum reſultare frequentia, ſanctarum orationum devota murmurare ſuſurria, ſanctarum reliquiarum honorari beata præſentia, ſanctorum ſpirituum indefeſſa noſcitur cuſtodia vigilare. Dicas forſitan, cetera quidem evidentia ſunt: ſed quia angelicas ſeſe vidiſſe excubias gloriatur? Etſi tu forte non vides, eſt tamen qui videt, ipſe qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per Prophetam: *Super muros tuos, Jeruſalem, conſtitui cuſtodes.* Eſt quidem ſurſum Jeruſalem, quæ eſt libera, mater noſtra: ſed minime crediderim ſuper muros ejus conſtitutos eſſe cuſtodes, in cujus laudibus Propheta decantat: *Qui poſuit fines tuos pacem.* Tu vero ſi id parum judicas, perge audire quod ſequitur in teſtimonio præcedenti: *Tota die,* inquit, *& tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Siquidem advertere eſt vel ex hoc, non hanc eſſe Jeruſalem de qua legiſti: *Porta ejus non claudentur per diem; nox enim non erit in ea.* Illa ergo Jeruſalem nec viciſſitudines patitur, nec cuſtodibus eget: noſtris potius cuſtodes neceſſe eſt, & diebus, & noctibus deputari. *Super muros tuos, Jeruſalem, conſtitui cuſtodes.*

Eccleſiarum noſtrarum ſanctitas. — Iſa. 62. 6. — Pſal. 147. 14. — Apoc. 21. 25.

2. Benignus es, Domine, nec noſtrorum hac fragili protectione murorum potes eſſe contentus, ſed ipſis hominum prælatis hominibus angelicam quoque cuſtodiam ſuperponis, ut & muros defenſent, & eos qui murorum ambitu continentur. Ita, Pater, quoniam ſic eſt placitum ante te, ſic neceſſarium nobis. Inſufficiens enim eſt adminiſtratio noſtra, niſi & nobiſcum, & pro nobis adminiſtratorios illos ſpiritus in miniſterium mittas, ut hereditatem capiamus ſalutis. Quid enim ſi non videmus obſequium, cum experiamur auxilium? Quid ſi non meremur aſpectum, cum ſentiamus effectum? Diſcimus certe vel ex hoc ipſo inviſibilia viſibilibus præferenda. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Denique in inviſibilibus viſibilium cauſa conſiſtit, ut ſecundum Apoſtolum, *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, à creatura viſibili intellecta conſpiciuntur.* Sic nimirum Judæos olim, de inviſibili peccatorum indulgentia ſanctum Dei blaſphemantes, ſanitatis corporeæ ſigno viſibili confutavit: *Ut ſciatis quia Filius hominis poteſtatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.*

Angelorum cuſtodia necessaria. — 2. Cor. 4. 18. — Rom. 1. 20. — Marc. 2. 10.

3. Sic & Phariſæum illum murmurantem adverſos medicum qui ſalutem operabatur, & ſuccenſentem languidæ quæ ſalvabatur, manifeſtis revicit indiciis, obſequia mulieris enumerans. Errabat ſiquidem qui tamquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens veſtigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, oſculo premebat, ungebat unguento. Quis enim crimina jam deleta recenſeat, quis tangenti ſuccenſeat, quis eam peccatricem cenſeat, quæ dum commiſſa deplorat, odit iniquitatem; dum oſculatur pedes Domini, diligit juſtitiam; & rurſum dum tergit crinibus, exhibet humilitatem; dum ungit unguento, manſuetudinem præfert? Numquid poſſibile eſt regnare peccatum in animo contrito & ſpiritu ingemiſcenti, aut non multa caritas operit multitudinem peccatorum? *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Merito proinde jam non peccatrix juxta tuam, Phariſæe, ſententiam, ſed ſancta diſcipula Chriſti vocabitur, à quo etiam didicit in tam brevi eſſe mitis & humilis corde. Nimirum hoc eſt quod in Propheta legiſti, ſed forſitan neglexiſti: *Verte impios, & non erunt.* Sic cariſſimi, ſic & antiquus ille accuſator fratrum, ſi in quibus & vos erubeſcitis, præterita peccata veſtra

Luc. 7. 38. — Mulier non amplius peccatrix, quando pœnitens. — Luc. 7. 47. — Prov. 12. 7.

vobis improperet Apoſtolum audite magnifice conſolantem vos, & dicentem: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* & illud: *Habetis nunc quidem fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et manifeſtius exprimens: *Templum Dei*, ait, *ſanctum eſt, quod eſtis vos*

1. Cor. 6. 11.
Rom. 6. 22.
1. Cor. 3. 17

Templorum ſanctitas cur honoranda

4. Nimirum ipſe eſt, cujus reverentiæ primam in hujus ſermonis principio reſervavimus vocem, dum quæreremus ſanctos, quorum ſanctimoniæ congratulamur devotione ſollemni. Licet enim parietes hos & dici ſanctos, & eſſe faciat conſecratio Epiſcoporum, frequentatio Scripturarum, inſtantia orationum, reliquiæ Sanctorum, viſitatio Angelorum: minime tamen eorum ſanctitas propter ſe credenda eſt honorari, quos nec propter ſe certum eſt ſanctificari. Quinimmo ſancta eſt propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter Spiritum inhabitantem. Neque hinc dubitet quis, cum inviſibilis ejus gratiæ viſibile nobis ſignum fiat in bonum. Dico autem in eo quod & ipſi inſtar illius evangelici paralytici ſurgitis; quod corporeum hoc grabatum, in quo jacebatis languidi, tam facile tollitis; quod denique ambulatis in domum veſtram; illam ſane domum, de qua lætamini, dicentes cum Propheta: *In domum Domini ibimus.* O admirabilis domus, & dilectis tabernaculis, & atriis concupiſcibilibus præferenda! *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Verum multo magis *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Siquidem glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei. In tabernaculis enim gemitus eſt pœnitentiæ, in atriis guſtus lætitiæ, in te ſatietas gloriæ. Hæc quidem eſt infima domus orationis, media exſpectationis, tu gratiarum actionis & laudis. Felix proinde qui hic declinaverit à malo, quod eſt culpa, & fecerit bonum: ut illic a malo, quod eſt pœna, liberetur, & in te recipiat bonum. Hic nimirum primitiæ ſpiritus, illic divitiæ, in te plenitudo: ubi bona illa menſura, conferta, & coagitata, & ſupereffluens detur in ſinus noſtros. Hic denique fiunt ſancti, illic ſecuri, in te beati. Hæ ſiquidem primitiæ ſpiritus, quæ militantibus interim prærogantur; ſanctitas in converſatione, pietas in intentione, virtus in colluctatione. In ſanctitate converſationis, pœnitentiæ fructus intellige, & corporalia quæque divinorum exercitia mandatorum. Et quoniam hæc, niſi ſimplex fuerit oculus, ſimplicia eſſe non poſſunt; neceſſario pietas intentionis & puritas cordis exigitur, ne vel honoris ambitus, vel laudis ſurrepat appetitus: ſed ſolus ille deſideretur, qui ſolus deſiderium replet, & ad proprii fontis originem omnis, quam accepimus, gratia revertatur. Memento tamen ſolam ex omnibus perſeverantiam coronari, nec eam facile poſſe inter tot diſcrimina vindicari, niſi multiplicem obtineas in tam multiplici colluctatione virtutem. Hæc in tabernaculis.

Pſal. 121. 1.
Pſal. 83 2.
Manſiones tres diſtinguit, infimam, mediam, & ſupremam
Primitiæ ſpiritus, quæ.
Intentio ſit pia & pura.

5. Porro in atriis, quæ poſt moleſtos conflictus amœna jucunditate fovendos excipiunt exeuntes, jam divitiæ ſpiritus erogantur, requies à laboribus, ſecuritas à ſollicitudinibus, pax ab hoſtibus. Ipſe enim amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, qui tanto fervore otium hactenus interdicere, labores indicere conſuevit. Ipſe ſeorſum à curis faciet, & ab omni ſollicitudine ſequeſtrabit, qui modo conſilia ponit in anima ſua, & ſollicitam facit erga multa turbari. Ipſe jam parta victoria in pace in idipſum ſuaviter dormire præſtabit, qui dum adhuc leo rugiens fremit, & ad vigilias excitat, & accingit ad pugnam. Verum in his, ut ſupra tetigimus, liberatio magis à malo, quàm boni muneratio eſt. niſi quod dura nos noſtræ neceſſitatis experientia cogit, abſentiam mali, boni cumulos æſtimare: quemadmodum conſcientia graviorum immunitatem criminum, plenitudinem reputat ſanctitatis. Hinc advertere eſt, quàm longe agimus à ſummo bono, qui carere culpa, juſtitiam; carere miſeria, beatitudinem judicamus.

Atria animarum carne ſolutarum 3. ſerm. 2. de omnib. Sanctis & Notas.

6. Abſit autem, ut talem quis putet ubertatem domus illius, & torrentem voluptatis, & ſi qua ſunt alia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Ne ergo audire velis, ô homo, quod auris hominis non audivit; nec ab homine quæras, quod humanus nec oculus videt, nec animus capit. Ne tamen hinc penitus taceamus, noſtram hanc patriam à longe ſalutantes; triplicem quamdam odorari videmur, potentiæ ſcilicet, & magnificentiæ, & gloriæ repromiſſionem. Siquidem homo erat, & filius captivitatis hujus, qui dicebat: *Introibo in potentias Domini.* Ceterum nos ſcire poſſumus, quid ſit infirmitate carere, tamquam infirmitate circumdati: quid vero ſit virtute indui, & potentiam introire, nec modo potentiam, ſed & multam potentiam, forte & omnipotentiam, interim ſcire non poſſumus. Clamat etiam teſtis fidelis: *Quia quos juſtificavit, illos & magnificavit.* At magnificentiam, eam præſertim quam procedere deceat à magnitudine, cujus nec finis, nec numerus eſt, utinam noſtræ interim exiguitati liceat exſpectare; nam æſtimare non licet. Jam vero ne ipſius quidem vereri neceſſe eſt, aut habere ſuſpectam gloriæ promiſſionem: feliciter tunc & fiducialiter hauries gloriam, à cujus interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus à Deo, ſecura certe & ſempiterna, finis pariter & diſcriminis expers; &, ut ſcriptum eſt, *Jucunda, decoraque laudatio.* Eia ergo, Fratres, viriliter interim in tabernaculis militemus, ut ſuaviter deinde in atriis requieſcamus, ut noviſſime in domo ſublimiter gloriemur, cum momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublime, æternum pondus gloriæ operabitur in nobis, cum in Domino laudabimur tota die, in veritate utique, non in vanitate.

Tom III.
Beatitudinis ſummæ tria bona.
Pſal. 70. 16.
Rom. 8. 30.
Gloria ſola ſecura, quæ in cælis exſpectatur.
Pſal. 146. 1.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ,

SERMO QUINTUS.

De gemina conſideratione ſui.

1. Etiam hodie, Fratres, ſollemnitatem agimus, & præclaram. Atque id quidem facile dixerim: ſed ſi pergitis quærere cujus Sancti, illud forte jam non ita. Quoties enim Apoſtoli, ſeu Martyris, vel Confeſſoris alicujus memoria celebratur, haud difficile eſt dicere cujus; utpura ſancti Petri, & Stephani glorioſi, aut ſancti Patris noſtri Benedicti, vel alicujus ceterorum magnorum principum magnæ curiæ cæli. Nunc vero nullius eorum ſollemnitas agitur: agitur tamen nonnulla ſollemnitas. Nec modo nonnulla, ſed non parva. Et ſi jam vultis audire, feſtivitas eſt domus Domini, templi Dei, civitatis Regis æterni, ſponſæ Chriſti. Nemo ſane ambigit ſanctam eſſe ſponſam Sancti ſanctorum, & omni celebritatis honore digniſſimam. An vero domum Dei ſanctam eſſe quis dubitet, de qua legitur, *Domum tuam decet ſanctitudo?* Sic & *ſanctum eſt templum ejus, mirabile in æquitate.* ſed & civitatem ſanctam Johannes ſeſe vidiſſe teſtatur: *Vidi*, inquit, *ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cælo a Deo, paratam tamquam ſponſam, ornatam viro ſuo.* In quibus ſane verbis aperire jam cœpi, quod adhuc, fateor, diſſimulare volebam. Dico autem quod eadem ſponſa, quæ civitas eſt, ſed & templum quoque, & domus nihilo minus ſit. Neque id mirum, præſertim cum ſimiliter unus ſit, qui ſe ei & Sponſum dignatur, & Regem, & Deum, & Patremfamilias exhibere.

Dedicationis feſtum quale
Pſal. 92. 5.
Pſal 64. 6.
Apoc. 21. 2.

2. Necdum tamen vobis arbitror ſatisfactum, donec evidentius quæ domus hujus Patrisfamilias, quod hoc templum Dei, quæ civitas Regis iſtius, quænam denique hujus tam glorioſi Sponſi ſponſa dici, & eſſe meruerit, addiſcatis*. At ego ſuper hoc quidem non parum vereor loqui quid ſentiam, ne quem veſtrum (quod abſit) aut minus fideliter, aut minus humiliter audire contingat: ne quis forſitan ab hoc auditorio aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incredulus exeat præ puſillanimitate ſpiritus ſui. Opto enim ſemper vos & fideles, & humiles inveniri, quod utrumque

* al. audiatis.
Conſideratio noſtri duplex. Humiliationis & exaltationis

Tom. III.

ſummopere ſit neceſſarium ad ſalutem. Solis namque humilibus ipſe dat gratiam, cui etiam ſine fide placere impoſſibile eſt. Opto igitur & omnibus modis cupio, ut & parvulos & magnos, immo (ut plus miremini) & nihil & aliquid, etiam grande aliquid ei vos exhibere curetis. Neque enim ſine magno animo bona illa tam magna capere, aut vim facere poteritis regno cælorum: non plus quàm idem cælorum regnum intrare, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli. Non ſum homo profundi ſenſus, nec poſſim vobis quod non guſtaverim eructare. Dicam tamen quid interdum in me ſentiam actitari, ut ſi quis forte ſibi utile judicaverit, imitetur. Quia enim olim perſuaſum eſt mihi, ut miſerear animæ meæ, placiturus exinde Deo meo, frequenter de ea recogito: utinam autem * ſemel, ſemperque liceret. Erat quando id actitari minime libebat, nempe quod minus (ſi tamen minus, & non magis minime) diligerem eam. Quomodo enim amat quis, cujus mortem amat? Quod ſi, ut verum eſt & indubitabile, mors animæ iniquitas eſt, abſolutam proinde liquet eſſe ſententiam, quod *iniquitatem qui diligit, odit animam ſuam*. Oderam ergo eam, & odiſſem adhuc, niſi hoc mihi quodcumque amoris ejus initium is, qui prior eam dilexerat, contuliſſet.

* al. nihil aliud quàm grande.
Matt. 18. 3
Eccl. 30. 24.
* al. magis ſemper.
Pſal. 10: 6.

3. Ipſius proinde beneficio nonnumquam de ea cogitans, videor mihi in ea, fateor, velut duo quædam contraria invenire. Si ipſam, prout in ſe eſt & ex ſe, juxta rei veritatem intueor, nihil de ea verius ſentire poſſum, quam ad nihilum eſſe redactam. Quid modo neceſſe eſt ſingulas ejus miſerias numerare, quàm ſit onerata peccatis, offuſa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiſcentiis, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona ſemper ad malum, in vitium omne proclivis, poſtremo totius confuſionis, & ignominiæ plena? Nimirum ſi ipſæ quoque juſtitiæ noſtræ omnes, ad lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ inveniuntur: injuſtitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? Facile eſt cuique noſtrum, ſi ſua plenius * univerſa & ſine diſſimulatione veſtiget, & judicet ſine acceptione perſonæ, atteſtari per omnia apoſtolicæ veritati, & libere proclamare: *Qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Quid eſt homo quia magnificas eum*, aut fidelis & devota confeſſio, *aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quid? Sine dubio vanitati ſimilis factus eſt homo, ad nihilum redactus eſt homo, nihil eſt homo. Quomodo tamen penitus nihil eſt, quem magnificat Deus? Quomodo nihil eſt, erga quem appoſitum eſt cor divinum?

Humiliationis conſideratio animæ miſeriæ.
Iſai. 64. 6.
Homo totus miſer & nihil
* al. melius.
Gal. 6. 3.
Job 7. 17.

4. Reſpiremus, Fratres, & ſi nihil ſumus in cordibus noſtris, forte in corde Dei poteſt aliud latere de nobis. O Pater miſericordiarum! ô Pater miſerorum! quid apponis erga eos cor tuum? Scio, ſcio: ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Quomodo ergo nihil ſumus, ſi theſaurus tuus ſumus? Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt ante te, & tamquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem ante te, ſed non ſic intra te. Sic in judicio veritatis tuæ, ſed non ſic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. Et non ſunt ergo, quia quæ non ſunt vocas: & ſunt, quia vocas. Licet enim non ſint quantum ad ſe, apud te tamen ſunt, utique, juxta Apoſtolum, *non ex operibus juſtitiæ, ſed ex vocante*. Sic nimirum, ſic conſolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliaſti: ut magnifice dilatetur in tuis, qui merito anguſtiatur in viſceribus ſuis. Siquidem univerſæ viæ tuæ miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum tuum & teſtimonia tua; teſtamentum utique pietatis, & teſtimonia veritatis.

Rom. 9. 10.
Pſal. 24. 10.

5. Lege, homo, in corde tuo, lege juxta teipſum de teipſo teſtimonia veritatis: etiam hac communi luce judicabis te indignum. Lege in corde Dei teſtamentum, quod firmatum eſt in ſanguine Mediatoris: & invenies, quàm longe aliud ſpe poſſidere, quàm re tenere videris. *Quid eſt*, inquit, *homo quia magnificas eum?* Magnus utique, ſed in illo: ſiquidem magnificatus eſt ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura eſt de eo? *Ipſi enim cura eſt de nobis*, ait Apoſtolus Petrus. Et Propheta: *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei*. Plane artificioſa connexio utriuſque conſiderationis, qua velut uno momento deſcendens pariter & aſcendens, & ſe pauperem & mendicum, & Deum pro ſe ſollicitum vidit. Angelicum eſt iſtud, aſcendere & deſcendere ſimul. *Videbitis*, ait, *Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*. Neque enim talis aliqua viciſſitudo in eorum aſcenſionibus & deſcenſionibus eſt. Simul & mittuntur in miniſterium propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, & aſſiſtunt vultui majeſtatis: Deo miſericorditer providente, ut & nobis ſit conſolatio & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimiter paterentur ab illo vultu gloriæ, in quem ſemper proſpicere deſiderant, propter nos vel ad modicum ſeparari? Denique ipſam audi in Evangelio Veritatem. *Angeli eorum*, ait, haud dubium quin parvulorum, *in cælis ſemper vident faciem Patris*; ſic videlicet parvulorum cuſtodiæ deputati, ut non privati ullo modo beatitudine ſua. Hinc eſt quod Johannes ſanctus civitatem Jeruſalem deſcendentem vidit, ſtantem non potuit intueri. Et adverte quod deſcendentem dixerit, non cadentem. Cecidit enim quondam non minima pars civitatis illius, ſed ea quidem minime ſancta, quippe cui graviſſimus caſus fuit, quod totius inimica facta eſt ſanctitatis.

Exaltationis conſideratio.
Job 7. 17.
1. Pet. 5. 7
Pſal. 39. 18.
Vi. Johan. 1. 51.
Matt. 18. 10.
Apoc. 21. 2.

6. Verum hanc equidem ruinam & terribilem caſum Johannes videre non potuit, quia necdum erat: ſed vidit Verbum quod in principio erat, vidit Principium quod Apoſtolis loquebatur: *Videbam ſatanam tamquam fulgur cadentem de cælo*. Itaque pars illa quæ cecidit, à Deo reparanda eſt, cum implebit ruinas, & reædificabit muros Jeruſalem, non tamen ex his qui ceciderunt. Hæc autem quæ deſcendens apparuit, jam parata erat, ſicut ſecutus adjunxit: *A Deo paratam*. Siquidem quod deſcendunt, non cadunt Angeli ſancti, divina præparatio facit: à quo nimirum hæc ipſa eis & voluntas præparata eſt, & facultas. Unde non ſolum adminiſtratorios, ſed & miſſos in miniſterium Apoſtolus quoque teſtatur. Quidni mittat Angelos, pro quibus & ipſe à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipſe quoque cælorum Rex inclinavit ſe, ita ut digito in terram ſcriberet? Domine, inclina cælos tuos, (parum eſt:) & deſcende. Quid ultra? Ut quibus condeſcendit, faciat etiam coaſcendere ſibi. Ceterum, ut jam diximus, angelicus aſcenſus & deſcenſus caret viciſſitudine: nos autem modo hac, modo illac verſari neceſſe eſt: quod nec ſupra diutius ſtare liceat, nec expediat infra longius demorari. *Aſcendunt*, ait, *uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat*. Ut quid hoc? Propterea ſane anima eorum in malis interim plus tabeſcit, quàm delectetur in bonis, quod hæc in re, illa vero tantum in ſpe videantur haberi. *Quis poterit ſalvus eſſe?* dicunt Diſcipuli Salvatori. Et ille: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, ſed non apud Deum*. Hæc tota fiducia noſtra, hæc unica conſolatio noſtra, hæc tota ratio ſpei noſtræ.

Luc. 10. 18.
Apoc. 21. 2.
Hebr. 1. 14.
Pſal. 106. 26
Matt. 19. 25.

7. Sed de poſſibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis ſcit ſi eſt dignus amore an odio? Quis novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Hic jam plane fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere * veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipſius Spiritum reveletur, & Spiritus ejus teſtificans perſuadeat ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Perſuadeat autem vocando & juſtificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam tranſitus eſt ab æterna prædeſtinatione ad futuram magnificationem. Propterea ſane geminam illam conſiderationem, alteram quidem judicii & veritatis, alteram vero non incongrue vocari credimus fidei & pietatis. Nec mirabere in humanis qualitatibus tam diſſimilia reperiri, ſi ſollerter advertas quanta & in ipſa ejus ſubſtantia conveniſſe videtur diverſitas

Rom. 11. 34.
* al. pietatem.
Geminam conſideratio hominis ... Veritatis.
In hominis ... naturam ... ſubſtantiam diverſitas.

naturarum. Quid enim ſpiritu vitæ ſublimius? Quid vero humilius limo terræ? Quam profecto tam diſcohærentium in homine cohærentiam rerum ipſos quoque ſapientes ſeculi hujus arbitror non latuiſſe, cum hominem diffinirent, animal rationale mortale. Mirabilis ſiquidem copula rationis & mortis, mira ſocietas diſcretionis & corruptionis. Sic nimirum, ſic in moribus, ſic in affectibus, ſic in ſtudiis hominum non minor, forte & amplior contrarietas invenitur: ut ſi totam, ſicut eſt, pravitatem ſeorſum intuearis, ac rurſum quidquid boni videtur ineſſe conſideres ſingillatim, plenum cenſeas eſſe miraculo, quod tam adverſa convenerint. Inde homo nunc quidem *Bar-Jona*, nunc vero *ſatana* meretur audire. Nolite mirari hoc. Recolite ex Evangelio, cui dictum ſit (& utrumque in veritate, nam utrumque ab ipſa Veritate dictum) prius quidem, *Beatus es Simon Bar-Jona*; nec multo poſt, *Vade retro ſatana*. Unus ergo utrumque, etſi non utrumque ex uno. Illud enim ex Patre, iſtud ex homine, ipſe tamen utrumque erat. Unde Bar-Jona? Quia non caro nec ſanguis, ſed Pater ei quod locutus eſt revelavit. Unde ſatanas? Quia ſapuit quæ erant hominum, non quæ Dei. Jam ſi in utraque conſideratione diligenter inſpexerimus nos quid ſumus, immo in una, quàm nihil, in altera quàm magnificati: quippe pro quibus etiam ſollicitudinem gerat tanta majeſtas, & cor ſuum appoſuerit erga nos; puto temperata videtur gloriatio noſtra, ſed forſitan magis aucta eſt, ſolidata tamen, ut non in nobis, ſed in Domino gloriemur, quibus nimirum in hoc ſolo reſpirare eſt, ut dicamus: Si decreverit ſalvare nos, continuo liberabimur.

Matt. 16. 17. — *Ibidem 23.* — *Pletenda* [?] *ſine glorificatione.* [margin notes]

8. Ex hoc jam in illa ſuperiori ſpecula vel paululum immorantes, quæramus domum Dei, quæramus templum, quæramus civitatem, quæramus & ſponſam. Neque enim oblitus ſum, ſed cum metu & reverentia dico: Nos ſumus. Nos, inquam, ſumus, ſed in corde Dei: nos ſumus, ſed ipſius dignatione, non dignitate noſtra. Non uſurpet quod Dei eſt, ut non apponat homo magnificare ſeipſum. alioquin quod illius erat faciens Deus, exaltantem ſe humiliabit. Quod etſi nos puerili animoſitate gratis ſalvari volumus, merito non ſalvamur. Excludit miſeriæ diſſimulatio miſerationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præſumptio dignitatis: provocat vero compaſſionem humilis confeſſio paſſionis. Sane hæc ſola facit, ut nos ipſe tamquam dives paterfamilias alat in fame; & ſub eo panibus abundantes inveniamur. Proinde domus ejus, cui numquam deeſt alimonia vitæ. Et memento quod domum ſuam domum orationis eſſe diffiniat: quia & hoc prophetico ſatis videtur teſtimonio convenire, qui ab ipſo nos, in orationibus utique, cibandos pane lacrymarum, & in lacrymis potum aſſerit accepturos. Ceterum juxta eumdem Prophetam, ſicut ſupra quoque meminimus, domum iſtam decet ſanctitudo: ut videlicet pœnitentiæ lacrymas puritas continentiæ comitetur, & quæ jam domus eſt, fiat ſubinde etiam templum Dei. *Sancti eſtote*, inquit, *quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter*. Et Apoſtolus: *Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus-ſancti, & Spiritus-ſanctus habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, diſperdet eum Deus.*

Homo miſeriam ſuam non agnoſcens, expers divinæ miſerationis. V. ſerm. 1. in Epiphania num. 1. — *Matt. 21. 13. Templum Dei quomodo ſimus.* — *Pſal. 79. 6.* — *Pſal. 92. 5.* — *Levit. 19. 2. & 44.* — *1 Cor. 6. 19.* [margin notes]

9. Numquid tamen vel ipſa jam ſanctimonia ſufficit? Pax quoque neceſſaria eſt, Apoſtolo teſte, qui ait: *Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Hæc eſt quæ facit unius moris habitare fratres in unum, novam utique Regi noſtro, vero pacifico, ædificans civitatem, quæ & ipſa Jeruſalem nominetur, quod eſt viſio pacis. Ubi enim ſine fœdere pacis, ſine obſervantia legis, ſine diſciplina & regimine acephala multitudo congregata fuerit; non populus, ſed turba vocatur: non eſt civitas, ſed confuſio: Babylonem exhibet, de Jeruſalem habet nihil. Sed quemadmodum fieri poſſe videbitur, ut Rex tantus in ſponſum tranſeat, civitas promoveatur in ſponſam? Sola hoc poteſt, quæ nihil non poteſt, caritas fortis ut mors. Quomodo non facile iſtam levet, quæ illum jam inclinavit? Verum hinc tibi nullatenus conſulenda prior illa, quam diximus, conſideratio tui: hic quam potiſſimum fidei magnanimitas exercetur. Denique & ipſe ait: *Deſponſavi te mihi in fide, deſponſavi te in judicio & juſtitia:* (ejus, non tuam intellige,) *deſponſavi te in miſericordia & miſerationibus.* Si non fecit ille quod ſponſus, ſi non tamquam ſponſus amavit, ſi non zelatus eſt tamquam ſponſus, noli acquieſcere ſponſam te arbitrari.

Hebr. 12. 14. — *Civitas quoque ſummi Regis.* — *Tom. III.* — *Denique ſponſa celeſtis ſponſi.* — *Oſee 2. 19.* [margin notes]

10. Itaque, Fratres mei, ſi per abundantem refectionem magni Patrisfamilias domus eſſe probamur, ſi templum Dei per ſanctificationem, ſi civitas ſummi Regis per ſocialis vitæ communionem, ſi ſponſa immortalis Sponſi per dilectionem; puto jam non eſt quod dicere verear noſtram eſſe ſollemnitatem. Nec miremini quod in terris agitur hæc celebritas, ſiquidem agitur & in cælis. Nempe ſi (ut Veritas ait, & non poteſt non eſſe verum) ſuper uno peccatore pœnitentiam agente gaudium eſt in cælis, etiam Angelis Dei: non eſt dubium, quin ſit eis hodie gaudium multiplex ſuper tam multo peccatore pœnitentiam agente. Adhuc amplius vultis audire? Etiam *gaudium Domini, fortitudo noſtra*. Collætemur ergo Angelis Dei, congaudeamus Deo, & in gratiarum actione præſens ſollemnitas agatur: quia quanto nobis domeſtica, tanto amplius debet eſſe devota.

Luc. 15. 10. — *2. Eſdr. 8. 10.* [margin notes]

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ,

Sermo sextus.

De reverentia ſacris locis debita.

1. DOmeſtica nobis celebritas dedicatio domus noſtræ; magis autem domeſtica noſtra ipſorum dedicatio eſt. Noſtra ſiqoidem illa aſperſio, noſtra illa benedictio, noſtra conſecratio fuit, quæ per manus ſanctorum celebrata Pontificum, etiam hodie anniverſario reditu votivis laudibus ad memoriam revocatur. Numquid de lapidibus cura eſt Deo? Non parietes dicunt, ſed homines: *Ipſi enim cura eſt de nobis.* Unus homo erat Jacob, & dormiens vidit deſcendentes Angelos & aſcendentes. Parum eſt hoc; etiam Dominum Angelorum adeſſe teſtatus eſt, dicens; *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Miratur enim gratiam, & dignationis magnitudinem expaveſcit. Quàm terribilior eſt iſte locus, quàm evidentius certiuſque Dominus eſt in loco iſto! ubi nimirum non modo duo aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſeverant. Nemo jam neſciat, nemo veſtrum ignoret. Siquidem non accepimus ſpiritum mundi hujus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo data ſunt nobis. Terribilis plane locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant; quem Angeli ſancti [a] frequentant; quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur.

Dedicatio propter animas. — *1. Petr. 5. 7.* — *Gen. 28. 16.* — *Eccleſiarum dignitas unde colligenda.* — *1. Cor. 2. 12.* [margin notes]

2. Quomodo enim tantus Patriarcha neſcire potuerat, quod non eſſet locus, ubi non eſſet Deus? Sed forte aliud eſſe miratus eſt, ubi ait: *Vere Dominus eſt in loco iſto.* Ibi vere eſt, & vere Dominus eſt, ubi in ejus nomine Angeli ſimul & homines congregantur. Licet enim in omni loco ſit, qui nullo clauditur loco: ſignanter tamen dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis*; quod aliter illic & proprio quodam modo præſentem ſe exhibeat, non quidem ipſe diverſus, ſed diverſa diſtinguens. Eſt ergo in omni loco, omnia univerſaliter continens, omniaque diſponens: ſed longe tamen aliter atque aliter. Apud homines malos eſt præſtans atque diſſimulans: apud electos homines operans & ſervans: apud ſuperos paſcens & cubans: apud inferos arguens & damnans. Facit ſolem ſuum oriri etiam ſuper malos: ſed ubi malorum interim diſſimulatio

Deus quomodo alicubi dicatur eſſe peculiariter. [margin note]

a Hæc ſpectare videtur Johannes Eremita in lib. 2. de vita S. Bernardi num. 7. ubi ejus verba refert ex ſermone in dedicatione eccleſiæ habito: *Nunc ſancti Angeli ſollemnitationi veſtræ interfuerunt, &c.* tomo 6. col. 1287.

Tom. III. eſt,quodam modo veritas non eſt. Itaque,ſi dicere licet, A
apud impios eſt in diſſimulatione ; apud juſtos in ve-
ritate ; apud Angelos in felicitate ; apud inferos in fe-
ritate ſua. Durum vobis ſonat quod de feritate dixi?
Pſal 6. 2. ego vero & iram vereor , & furorem. *Domine ne in*
furore tuo arguas me. &c. Vere, inquit, *Dominus eſt in*
loco iſto. Ubi enim pluit ſuper juſtos & injuſtos , pater
eſt , & pater miſericordiarum , exſpectans homines ad
pœnitentiam. Ubi damnat obſtinatos , judex eſt , &
Hebr. 10. 31. horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Ubi
cubat , ſponſus eſt : & beata anima, quam introduxerit
in cubiculum ſuum.

3. Ceterum in loco iſto vere Dominus eſt , ſi ta-
Luc 6. 46 men ſerviamus ei in ſpiritu & veritate. Non enim ve- B
re Dominus erat apud eos, quibus dicebat : *Quid voca-*
Gen. 2. 15. *tis me. Domine, Domine ; & non facitis quæ dico?* Teſtan-
tur ſacræ litteræ in paradiſo olim poſitum primum
Adam , ut operaretur , & cuſtodiret illum. Sic ſecun-
dus Adam in eccleſia Sanctorum , in congregatione
ſuorum , in horto deliciarum (ſiquidem deliciæ ſuæ
eſſe cum filiis hominum) ita , inquam , & ipſe Domi-
nus eſt in loco iſto, ut operetur atque cuſtodiat. Alio-
quin ſicut *Niſi Dominus ædificaverit domum , in vanum* Pſal. 126. 1.
laboraverunt qui ædificant eam : ſic nihilo minus, niſi ip-
ſe cuſtodierit civitatem , fruſtra vigilat qui cuſtodit
eam. Porro Angelos aſcendentes & deſcendentes eſſe Gen. 28. 12.
in loco iſto , patriarchalis ipſa viſio manifeſtat ; aſcen-
dentes , ut videant faciem Patris ; deſcendentes , ut
provideant nobis. Quid ergo ? Nos quomodo hic eſſe
debemus , in quanta reverentia ſtare in loco iſto, ubi
Deus eſt operans , & ſervans ; Angeli aſcendentes &
deſcendentes ? Nimirum pœnitentes & exſpectantes Reverentia
eſſe nos convenit. Hoc eſt enim obliviſci quæ retro in loco ſacro quanta.
ſunt , ignorare , reprobare , recogitare annos illos in
amaritudine animæ noſtræ , ac deinceps cogitatione
ſimul & aviditate extendere nos in anteriora. Ad hoc
venimus , in hoc poſiti ſumus. HÆC SUNT QUÆ
EXIGUNTUR A NOBIS , præteritorum pœnitudo
peccatorum , & futurorum exſpectatio præmiorum.

FINIS SERMONUM DE TEMPORE, ET DE SANCTIS.

S. BERNARDI ABBATIS
SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO I.

De fallacia & brevitate vitæ præſentis.

Job 7. 1. VERA omnino ſententia, Fratres , quoniam
Vita homi- *tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* ſiqui-
num quam dem fallax eſt , nec ſimpliciter fallere con-
fallax ſuevit. Ut enim multipliciter illudat [a] ho-
a minibus , mutat faciem , mutat vocem : modo ait,
modo negat , nec erubeſcit : de ipſa quantitate ſua di-
verſis diverſa loquitur , immo & eidem diverſo tempo-
re contraria quoque ſuggerit & adverſa. Modo enim
ſe brevem eſſe cauſatur, modo ſimulat longiorem. Cum
peccare delectat adhuc , gemit altius pro brevitate D
Vita longa ſua. Nec brevitas falſa, ſed gemitus fallax, quod id me-
malis non moret cum mærore , unde magis oportuerat gratulari.
expedit. Siquidem bonum eſt ei , ſi ſic agere perſeverat, ut fla-
gitiis ejus, quibus voluntas modum non ponit , vel ne-
ceſſitas finem ponat. Expedit ei qui ſemper anima mo-
ritur , ut corpore citius moriatur : magis autem ei bo-
num erat , ſi natus non fuiſſet homo ille. Et ipſa de-
nique vitæ memoria brevioris remedium magis, quàm
incentivum debuerat eſſe peccati , ſicut ſcriptum eſt :
Eccli 7. 40. *Memorare noviſſima tua , & in æternum non peccabis.*
Quod ſi uſque adeo regnat in te peccatum , immo uſ-
que adeo delectat te ſervire peccato , ut doleas tibi
modicum tempus eſſe quo ſervias ei , ſed eouſque la- E
tam diligis viam , ut omnimodis optes, ſi poſſes, eam
etiam facere longam ; velis, nolis , non longe eſt fi-
nis ejus , ſed tu , fateor , longe es à regno Dei , & fir-
miſſimum pepigiſſe videris cum morte fœdus , pactum
cum inferno.

Pſal. 106. 4. 2. *Erraverunt* , ait Propheta , *in ſolitudine, in inaquo-*
ſo : viam civitatis habitaculi non invenerunt. Solitudo
Superbia im- hæc ſuperborum eſt , quia ſolos ſeſe reputant , ſolos
pœnitentiæ con- appetunt reputari. Litteratus eſt : odit ſocium. Aſtu-
ſociata. tus in negotiis ſæcularibus neminem vellet ſibi ſimi-
lem inveniri. Pecunioſus eſt : ſi diteſcere viderit al-
terum , cruciatur. Fortis eſt aut formoſus : da ei pa-
rem , & contabeſcit. Solitarius eſt , ſed erroneus. Er- F
rat in ſolitudine ſua : non enim ſolos habitare pote-
rit ſuper terram. Nec mirum quod ſolitudini huic
C *inaquoſum* additur : ut dicatur , *in ſolitudine , in inaquo-*
ſo. Sicut enim in ſolitudinibus aquæ deeſſe ſolent , &
loca deſerta ſterilia quoque & arida eſſe conſueverunt:
ſic ſuperbiam impœnitentia comitatur. ELATUM
enim cor, durum & expers eſt pietatis , ignarum com-
punctionis , ſiccum ab omni rore gratiæ ſpiritualis:
quia *ſuperbis Deus reſiſtit , humilibus vero dat gratiam.* Jac 4. 6.
Qui emittit fontes in convallibus , inter medium montium, Pſal. 103. 10.
ait Propheta, *pertranſibunt aquæ.* Hinc eſt quod de ſeip-
ſo miſerabiliter conquerens ait : *Anima mea ſicut ter-* Pſal 142. 6.
ra ſine aqua tibi. Siquidem aquæ inopia non modo ari-
dum , ſed & ſordidum facit , dum non eſt quo lave-
ris : & humanum cor lacrymas neſciens, non modo
durum , ſed & impurum eſſe neceſſe eſt. *Lavabo*, ait, Pſal. 6. 7.
per ſingulas noctes lectum meum , ut conſcientiæ maculas
diluam. *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo* , ne in me,
quoque fiat quod ſcriptum eſt de ſemine quod ceci- Matt 13 5
dit ſupra petram , & natum aruit , quia non habe-
bat humorem.

3. *Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo : viam civita-*
tis habitaculi non invenerunt. Erraverunt plane in in- Via perditio-
vio , & , non in via. Neque enim via eſt lata via. Rec- nis lata,
titudo quippe ad viam , latitudo ad planitiem magis adeoque non
quàm ad viam pertinet. Solitudo in via lata eſt via: via.
& tibi nulla eſt via , totum eſt via. Sic eſt vita
expoſita vitiis , latiſſimos habens hinc inde termi-
E nos , quia nullos terminos habens. Nec vita ſane di-
cenda eſt, qua nimirum ſoli vivitur morti , Apoſtolo
teſte , qui ait : *Quia ſi ſecundum carnem vixeritis , mo-* Rom. 8. 13.
riemini. Sic nec circuitus via , & tamen impiorum eſt
via , ſicut ſcriptum eſt : *In circuitu impii ambulant.* Ipſa Pſal. 11. 9.
eſt ſpatioſa via , cujus latitudinis ſpatium nullis clau-
ditur metis , ubi nec lex eſt , nec prævaricatio. Hujuſ-
modi ergo filiis diffidentiæ , qui totos ſeſe corporeis
voluptatibus & propriis voluntatibus tradiderunt , fi-
ducialiter fallax vita brevem ſeſe eſſe fatetur, ut carna-
liter doleant , quod inſtar principis ſui [b] modicum
tempus ſe habere cognoſcant , atque eo vehementius
ad omne flagitium inardeſcant , ſicut quidam dicere
F referuntur : *Non nos prætereat flos temporis , coronemus* Sap 2. 7.
nos roſis antequam marceſcant. Nullum pratum ſit quod
non pertranſeat luxuria noſtra , nullus ſit expers luxuriæ

a Hic locus & ſequentia citantur in Florum lib. 6 cap 30. & infra , *litteratus odit ſocium, &c.* in eodem lib. cap. 1.

b Nempe diaboli, de quo Apocal. 12. *Deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.*

noſtra: ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars, & hæc eſt ſors noſtra. Et manifeſtius: *Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* Verum id quidem, reſpondebit eis cras injuſtitia ſua: nec manentem hic civitatem habent vel ipſi, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Sed quod eo magis peccare feſtinant, prorſus inſaniunt. Sane eiſdem ipſis, ſi quando forte imminentis ſibi mortis cœperint horrere memoriam, & terribilem exſpectationem judicii contremiſcere, continuo vitæ hujus fallacia longam ſe eſſe mentitur: ut quam paulo ante brevem eſſe dolebant peccato vitam, nunc eamdem repente inveniant uſque adeo prolongatam, ut ſecure ſe poſſe putent non modicam adhuc partem conſumere in peccatis, quod reliqua longa ſit, & ſufficiat ad agendam pœnitentiam pro peccatis. Ceterum ſicut prioribus, niſi reſipuerint, timor quem timent eveniet, immo gravius quàm quod verentur accidet eis, ut non modo flagitiorum tempus velociter tranſeat, ſed & ſuccedat tempus, aut magis æternitas ſuppliciorum: ita & his cum dixerint, Pax & ſecuritas; repentinus ſuperveniet interitus, ut non poſſint nec dimidiare dies, quibus ſeſe ſomniant adhuc eſſe victuros; non illam, quam ſibi interim pollicentur, dimidiationem explere dierum.

Vitam modo brevem, modo longam ſibi fingunt carnales

Tentatio plurium de vitæ longitudinis.

4. Vobis, Fratres, nec ab inani triſtitia veræ brevitatis, nec à fallaci conſolatione ſimulatæ longitudinis timeo, quod certiſſime jam cœperitis ire in civitatem habitationis, nec ambuletis in invio, ſed in via. Vereor autem ne vobis quoque, ſed aliter, vita ipſa ſimulatione longitudinis illudere velit, non conſolationem hinc afferens, ſed magis inferens deſolationem. Vereor, inquam, ne longiorem ſibi vitam ſupereſſe quis reputans, & grandem ſibi reſtare autumans viam, obruatur à puſillanimitate ſpiritus, & labores tantos, & tam diuturnos ſuſtinere poſſe deſperet. Quaſi vero non ſecundum multitudinem dolorum ſuorum in corde ſuo, conſolationes divinæ lætificent animas electorum. Et nunc quidem ſecundum multitudinem dolorum, dum adhuc quaſi ad menſuram dantur. Ceterum poſt hæc delectationes, non jam conſolationes in dextera ejus uſque in finem. Concupiſcamus illam dexteram, Fratres, quæ totos amplexabitur nos: ſuſpiremus ad delectationes illas: ut ſicut breve eſt omnino tempus, etiam pauci videantur nobis dies præ amoris magnitudine. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Jucunda promiſſio, & votis omnibus amplectenda. Non enim adſtabimus quaſi inanes & vacui ſpectatores, nec gloria illa quaſi extrinſecus revelabitur nobis, ſed in nobis. Videbimus enim Deum facie ad faciem, ſed non extra nos: quia in nobis erit, utique omnia in omnibus. Nimirum plena erit gloria illa etiam omnis terra: quanto magis anima ipſa replebitur? *Replebimur*, inquit, *in bonis domus tuæ.* Et quid dico, quod non aderit nobis gloria, ſed inerit? Nunc quoque in nobis eſt, ſed tunc revelabitur. Nunc enim filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus.

Remedium.

Rom. 8. 18.

Remedium

Pſal. 64. 5.

5. Fratres mei, ſi non accepimus ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Ego enim dico, quoniam omnia. Et ſi mihi non creditis, Apoſtolo credite. *Qui proprio*, ait, *Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non omnia etiam cum illo nobis donavit?* Hæc nempe poteſtas filiorum Dei, quam dedit his qui receperunt eum. Hæc gloria cujuſque fidelis, gloria quaſi adoptati à Patre, per eum utique cujus gloriam vidimus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Audi denique poteſtatem. *Omnia*, inquit, *poſſibilia ſunt credenti.*

Rom. 8. 32.

Marc. 9. 22.

Homini quomodo donata omnia.

6. Sed adhuc multa, inquies, graviter inquietant, multa evidentius adverſantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus fere nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, ſed cum labore noſtro: nec niſi prius ſervierimus eis. Jumenta ipſa, niſi fuerint à nobis nutrita, niſi domita, niſi fuerint pabulo ſuſtentata, non adjuvant. Terra ipſa, quæ debuerat nobis eſſe germanior, non ſine ſudore vultus noſtri panem nobis miniſtrat: immo & cum coluerimus eam, ſpinas & tribulos germinat nobis. Et cetera omnia denique, ſi diligenter conſideremus, ſervitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis: ut ea interim ſileam quæ ſunt parata nocere, ut eſt ignis ad exurendum, aqua ad ſubmergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita ſe habent: ſed tamen non mentitur Apoſtolus etiam alio loco manifeſtius aſſeverans ſcire ſe, *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Verumtamen ſollerter attende, quod non ad libitum famulari, ſed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem ſerviunt, ſed ad utilitatem: non ad voluptatem, ſed ad ſalutem; non ad votum, ſed ad commodum noſtrum. Uſque adeo ſiquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea quæ nihil ſunt numerentur, moleſtia, morbus, & ipſa mors, etiam & peccatum; quæ quidem conſtat naturas non eſſe, ſed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipſa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, ſollicitior, timoratior & cautior invenitur?

Tom. III.

Rom. 8. 28.

Piis omnia cooperantur in bonum.

Etiam peccata.

Primitiæ ſpiritus.

7. Hæ ſunt ergo primitiæ ſpiritus, hæ primitiæ regni, hæc gloriæ prælibatio, hoc poteſtatis initium, & arrha quædam paternæ hereditatis. Ceterum cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt, ut ad votum deinceps omnia diſponantur, quod indiſſolubili vinculo copulata ſibi utile & jucundum, ſeparari ultra non poſſint. Hoc nempe erit illud æternum gloriæ pondus, de quo identidem ait Apoſtolus: *Momentaneum*, inquit, *hoc & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* I, perge ergo murmurare, & dicere: Longum eſt, grave eſt, non poſſum tam immania & tam diuturna portare. Apoſtolus momentaneum & leve perhibet eſſe quod tolerat. Et certe necdum à Judæis quinquies quadragenas una minus accepiſti; necdum nocte ac die in profundo maris fuiſti, necdum plus omnibus laboraſti, poſtremo necdum uſque ad ſanguinem reſtitiſti. Vide ergo quàm non ſunt condignæ ad gloriam paſſiones. Quod tribulationis eſt, momentaneum eſt & leve: quod gloriæ, æternum eſt, & pondus etiam ſupra modum in ſublimitate. QUID IN INCERTUM tibi dies & annos numeras? TRANSIT HORA, tranſit & pœna; nec accedunt ſibi, ſed cedunt potius & ſuccedunt. Non ſic gloria, non ſic remuneratio, non ſic merces ipſa laboris. Neſcit viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul, & manet in æternum. *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Sufficit enim nunc cuique diei malitia ſua, nec laborem ſuum poteſt reſervare ſequenti; ſed omnium merces laborum in una illa die reddetur, cui altera non ſuccedit. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, ait Apoſtolus, *quam reddet mihi*, non in illis, ſed *in illum diem juſtus Judex.* Melior eſt enim dies una in atriis illis ſuper millia. GUTTATIM pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit: nam in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ *, & flumen pacis. Flumen plane eſt, ſed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur, non quod tranſeat vel pertranſeat, ſed quod abundet.

2. Cor. 4. 17.

Labores noſtri collati cum præmio.

Pſal. 126. 2.

2. Tim. 4. 8.

Pſal. 83. 11.

* al. gratiæ.

8. *Æternum*, inquit, *gloriæ pondus.* Non enim nobis glorioſa veſtis, non glorioſa domus, ſed ipſa gloria promittitur. Si quid vero illorum aut ſimilium aliquando dicitur, figura eſt. Nam in veritate juſtorum exſpectatio, non aliquid lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent & in vitiis homines; ſed luctus extrema occupat ejuſmodi gaudiorum, quod GAUDIUM in materia convertibili mutari neceſſe ſit re mutata. Accenditur cereus: non purum lumen eſt, ſed lucerna: ſiquidem ignis ipſe propria fomenta conſumit,

Gloria & lætitia ipſa nobis promiſſa.

Prov. 10. 28.

Gaudium mundanorum breve.

Tom. III.

nec niſi ipſa conſumptione fovetur. Porro deficiente A materia etiam ipſe deficiet, & ubi illam videris prorſus exuſtam, hunc quoque nihilo minus exſtinctum eſſe reperies. Sicut ergo flammæ illius noviſſima fumus occupat & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſtitiam commutatur. Nobis autem non favum mellis, ſed puriſſimum & liquidiſſimum mel repoſuit Deus, ipſam plane lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, jucunditatem & exſultationem theſaurizavit nobis Dominus Deus noſter: & hæc omnia unum, ut ſit participatio Jeruſalem in idipſum. Et hoc unum & idipſum non niſi ipſe, ſicut ſupra meminimus, dicente Apoſtolo: *Quoniam erit Deus omnia in omnibus.* Hæc merces noſtra, hæc corona noſtra, hoc bravium noſtrum: ad quod utinam ſic curramus, ut comprehendamus. B Fratres, numquam prudens agricola ſeminandi opportunitatem reputat longiorem, qui futuræ meſſis deſiderat ubertatem. Veſtri autem dies, non minus utique quàm capilli, omnes numerati ſunt: & ſicut pilus de corpore, ſic & momentum de tempore non peribit. Habentes ergo talem promiſſionem, cariſſimi, non deficiamus aut fatigemur aliquando: nec grave cauſemur onus Chriſti, quod teſte ipſo leve eſt; vel jugum, quod revera ſuave eſt: ſed ad omne quod videmur portare pondus diei, æternum gloriæ pondus cogitemus. Ad quam nos ſua miſeratione perducat virtutum Dominus & Rex gloriæ; cui interim devota humili- C tate clamemus: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Gaudium piorum ſtabile & perpetuum.

1. Cor. 15. 28.

Pſal. 113. 9.

SERMO II.

De Obedientia, Patientia, & Sapientia; ſeu, *de noſcendo ſeipſum, quod homines ſumus.*

Religioſorum vocatio & vacatio.

1. OBſecro vos, Fratres, per communem ſalutem, ſtudioſe ſuſcipire datam vobis opportunitatem operandæ ſalutis. Obſecro per miſericordiam, pro qua tam miſerabiles vos facere ſtuduiſtis, facite ad quod veniſtis, ad quod aſcendiſtis de fluminibus Babylonis. *Super flumina Babylonis*, ait Propheta, *illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* D Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura, nulla ſollicitudo quomodo placeatis uxoribus: non de nundinis, non de negotiis ſæcularibus, non de ipſo victu & veſtitu neceſſe eſt cogitare. Procul à vobis, magna quidem ex parte, diei malitia & ſollicitudo vitæ. Sic abſcondit vos Deus in abſcondito tabernaculi ſui. *Vacate*, itaque, dilectiſſimi, *& videte, quoniam ipſe eſt Deus.* Verum ut hoc quandoque poſſitis, curandum eſt vobis prius, ut videatis quid eſtis vos, & juxta ejuſdem Prophetæ vocem, *Sciant gentes quoniam homines ſunt.* Huic duplici conſiderationi tota hæc veſtra vocatio tribuatur, ſicut Sanctus orabat *: Deus noverim me, E noverim te. Quomodo enim notus ſibi videtur homo, laboris fugitans & doloris? Aut quomodo ſcit ſe eſſe hominem, qui ad id paratus non eſt ad quod natus? *Homo*, inquit, *naſcitur ad laborem.* Nam ad dolorem natum ſe dubitet, qui non natus eſt in dolore. Sed dolorem parturientis clamor, laborem prolis fletus indicat & vagitus. *Quoniam tu laborem & dolorem conſideras*, ait Propheta. Labor in actionibus, dolor in paſſionibus eſt. Proinde qui ſe noverat hominem, ad utrumque paratus ſupplici confeſſione dicebat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et geminam hanc præparationem evidentius exprimens, de actione quidem, *Paratus ſum*, ait, *& non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* F De paſſione vero, *Ego*, inquit, *in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Pſal. 136. 1.

Pſal. 45. 11.

Cognitio Dei & ſui neceſſaria.

Pſal. 9. 21.

** S. Auguſtin.*

Job 5. 7.

Homo natus ad laborem & dolorem.

Pſal. 9. 14.

Pſal. 56. 8.

Pſal. 118. 60.

Pſal. 37. 18.

Nemo hic ſine labore & dolore.

2. Nemo ſane in hac miſera vita geminam hanc vexationem ſe evadere glorietur. Nemo quippe ex omnibus filiis Adæ ſine labore hic vivit, nemo ſine dolore. Eſt qui declinat aliquos, ſed incidit proculdubio in graviores. *In labore*, inquit, *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Non tamen continuo ſine labore ſunt, aut minime flagellantur. Denique *propterea*, inquit, *tenuit eos ſuperbia.* Gravis equidem labor. *Operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Gravibus plane flagellis; ſiquidem non eſt gaudere impiis, dicit Dominus. Quod enim nec laboris anxietatem, nec flagelli ſentiunt læſionem, ipſa jam inſenſibilitas vehementiam indicat paſſionis. Sudat pauper in opere foris: ſed numquid minus anxie dives intus in ipſa ſua cogitatione laborat? Aperit iſte os ſuum in oſcitatione, aperit ille in eructatione; & interdum ille gravius faſtidio, quàm iſte inedia cruciatur. Poſtremo velint, nolint, non modo homines, ſed etiam dæmones & faciunt, & patiuntur quod providentia ſumma diſpoſuit.

Pſal. 72. 5.

Iſai. 57. 21.

3. Ceterum nec leproſa obedientia, nec canina patientia commendatur. Inde eſt quod non ſimpliciter petimus ut fiat voluntas Domini, quam in omnibus & per omnia fieri certiſſime conſtat, (voluntati enim ejus quis reſiſtit?) ſed ut fiat *ſicut in cælo, & in terra.* Quam nimirum adjectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilo minus reor aptandam, ut Patrem noſtrum qui in cælis eſt exoremus, quatenus & nomen ejus ſanctificetur, & regnum ejus adveniat, & voluntas fiat. Hæc omnia *ſicut in cælo, ſic & in terra.* Alioquin ubi non ſanctificatur nomen ejus? Ubi jam regnum ejus non venit, quando in nomine Jeſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum? *Scio te quia es Sanctus Dei*, ait etiam ipſe malignus. At longe aliter & diſſimili prorſus affectione nomen iſtud ſanctificatur in cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth.* Sic & regnat non in terra ſolum, verum etiam in gehenna, imperium habens vitæ & mortis. Sed omnino diſſimiliter regnat in his qui inviti ſerviunt, & qui voluntarie famulantur.

Matt. 6. 10.

Dei regnum ubique.

Philip. 2. 10.

Marc. 1. 24.

Iſai. 6. 3.

4. Bonus cibus obedientia, de qua nimirum & ipſe Dominus ait: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Et Propheta: *Labores*, ait, *manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* Bonus cibus patientia pauperum, quæ non peribit in finem, panis lacrymarum, panis doloris. Verumtamen utrique neceſſarium eſt condimentum, ſine quo uterque inſipidus non modo non reficiat, ſed guſtatus afferat mortem. Duriſſimus equidem cibus uterque, Fratres, & niſi aliquod tertium ſaporabile apponatur, utique mors in olla. Quid vero tam ſaporabile quàm ſapientia? Nempe lignum vitæ eſt, quod & ipſas aquas Marath per Moyſen dulcoravit. Farinula eſt, quæ pulmentum prophetarum per Eliſæum ſaporavit. Ignis eſt, qui ſemper ardere præcipitur in altari. Oleum eſt, ob cujus inopiam virginibus fatuis oſtium clauditur nuptiarum. Sal eſt, quod nulli ſacrificio deeſſe jubetur. Inde eſt quod inſulſos homines dicimus, quos intelligi volumus minime ſapientes. Et Dominus ſal in nobis habere præcipit. Apoſtolus quoque omnem noſtrum ſermonem ſale monet eſſe conditum.

Joan. 4. 34.

Pſal. 127. 2.

Sapientia condimentum ſpiritualis cibi.

Exod. 15. 25.

4. Reg. 4. 41.

Levit. 6. 12.

Matt. 25. 10.

Levit. 2. 13.

Marc. 9. 49.

Coloſſ. 4. 6.

5. Puto tamen hanc ipſam, quam obedientiæ & patientiæ tertiam addi volumus, ſapientiam nihilo minus triplicem inveniri, ut noſtrum hoc condimentum velut tribus quibuſdam herbis conficiatur. Opus eſt enim ut juſtitia ſit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione. Inſipida namque Deo & inſulſa quodam modo noſtra obedientia, ſeu etiam patientia eſt, niſi omnium quæ vel agimus, vel patimur, ipſe ſit cauſa: quia & quicquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei; & non ſi quid patimur, ſed ſi quid propter juſtitiam patimur, beati. Oportet autem puſillanimitatem quoque & triſtitiam in omnibus, quæ agenda ſunt vel toleranda, caveri: quia *hilarem datorem diligit Deus.* Denique hilaritas ipſa & devota voluntas ad eam, quam ſupra diximus, præparationem ſpecialiter noſcitur pertinere. Porro elationem ſuper omnia fugere neceſſe eſt. Quiſquis enim altum ſapit, & opus ejus, & patientia vanum

Sapientia triplex.

2. Cor. 9. 7.

ſapit; nec gravior ullus ſapor, aut magis contrarius eſt A veritati. Videſne quàm ſit utile homini ſcire ſe hominem, ut proinde ſit paratus ad mandatorum obedientiam, & tolerantiam flagellorum: ac deinceps ſtudeat, ut qui nec laborem interim poteſt effugere, nec dolorem; ſic ſaltem laboret & doleat, ut hæc ſibi in cibos tranſeant ſalutares? Siquidem *melior eſt obedientia quàm victima*, &, *Melior eſt patiens viro forti*. (1. Reg. 15. 22. Prov. 16. 32.) Inobedientia eſt cauſa mortis: omnes experimur, omnes morimur propter eam. Impatientia, animæ perditio eſt, dicente Domino: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. (Luc. 21. 19.) Nihilo minus autem ſapientia quoque, quam diximus, neceſſaria eſt ad ſalutem. Siquidem non ſolum propter inobedientiam quibus obedientia defuit, B aut propter impatientiam qui patientia caruerunt; ſed & qui non habuerunt ſapientiam, propter ſuam inſipientiam perierunt.

Actu conditio in ſtatu naturæ integræ.

6. Et hæc quidem ut ſciant homines quoniam homines ſunt, actionibus jam & paſſionibus deputati; erat quando in actione & meditatione poſitus erat homo, ſine paſſione habens actionem, habens etiam ſine labore meditationem. Dico autem quando poſitus eſt in paradiſum, ut operaretur & cuſtodiret. Verum hinc quoque ſi non caderet, erat aliquando promovendus, ut ſola jam frueretur contemplatione: ſicut & ex hoc inferiori gradu, quem modo tenet, niſi reſurgere ſatagat, in infimum eſt quandoque caſurus: videlicet C ut in ſola jam paſſione verſetur, quod nec opus, nec ratio, ſed tantum paſſio apud inferos ſit. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia nec corrumpebatur. Sed longe felicior, ſi ad hoc perveniſſet, ut minoratus actu, plenius perfectiuſque perciperet ſapientiam, gratis diligens corpus, tamquam in nullo indigens corpore. Eſſet enim hic pulcherrimus ordo, & erit adhuc quando erit. Neque enim aliquatenus deſperandum, ut videlicet ſicut anima Deo, ſic animæ caro dicere videretur: *Quoniam bonorum meorum non eges*; (Pſal. 15. 2.) *Adimplebis me lætitia*, ait, *cum vultu tuo*. (Gloria ſtatus poſt reſurrectionem.) Inde plenitudo, inde ſatietas, cum apparuerit gloria tua. Nam quod de corporum reformatione, & conformatione D claritati corporis ejus exſpectamus, ex abundanti quodam modo & menſuræ ſupereffluentia erit: ut feliciter quidem in ipſius glorificatione, ſed non principaliter gaudeamus. *Uxor*, inquit, *tua, ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*. (Pſal. 127. 3.) Honorabitur caro, ſed juxta menſuram ſuam, non in medio domus habitans, ſed ſeorſum; nec in facie nobis, ſed in latere conſtituta. *Filii tui, ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ*. (Ibidem.) Nimirum opera etiam ipſa non deerunt, ſed quæ nunc fiunt, non quæ fient tunc; ſicut ſcriptum eſt: *Opera enim illorum ſequuntur illos*. (Apoc. 14. 13.) Verum etſi gratulemur & agamus gratias Deo ſuper his quæ ipſius adjutorio geſſimus, non primum tamen eis locum dabimus, ſed in E circuitu locabuntur.

Naturæ corruptæ ſtatus.

7. Nunc vero in regione corporum habitantes, corporibus ſumus obnoxii: & ex quo diſſipaverunt legem Domini parentes noſtri, non modo faciendi tempus eſt, ſed etiam patiendi, & omnium noſtrum amplius labor & dolor. Durus equidem cibus eſt hordeaceus panis: ſed offenſo rege, pulſus palatio miles quamlibet delicatus, ad unum forte quem ſolum habet ſervulum divertere opus habebit: ibi fovere latebras, & inſolita capere prandia apud eum: regales delicias pultibus ruſticanis, ac nobiles ſtratus ſterquilinio mutare ſervuli, juxta illud propheticæ lamentationis: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora*. (Thren. 4. 5.) Ibique F hoc maxime Propheta deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam diſſimulare miſeriam: nec modo non reputare quod tolerant, ſed tamquam bona magna complecti, quæ paulo minus extrema ſunt mala. Propterea ſiquidem & de ſeipſo ait: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*. (Ibid. 3. 1.)

8. Gemamus nos ſub hoc onere, Fratres, & præſentes deploremus ærumnas. (Miſeriæ noſtræ remedia.) Frequenter quiſque noſtrum in vocem piæ querimoniæ erumpat, & clamet: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7. 24.) Studeamus etiam furari aliquando noſmetipſos, & à peſſimis occupationibus iſtis ſurripere vel ad horam: jaculari animos, vibrare corda in id quod ſuum eſt, & quod quanto naturalius, tanto ſuavius eſt. Hoc enim eſt quod dicitur: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*. (Pſal. 45. 11.) Neque enim eſt oculorum viſio iſta, ſed cordium, cum Dominus dicat: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. (Matth. 5. 8.) Proprium hoc cordis bonum; nec ſervili ad hoc indiget inſtrumento. Proprius enim animæ cibus eſt, de quo Propheta: *Aruit*, inquit, *cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. (Pſal. 101. 5.) Sane quod dicimus, Dictu facilius nihil eſt; in comparatione dicimus operum: quod longe ſit volubilior lingua, quàm dextera; & levius hæc ad verbum, quàm ad actum illa moveatur. Alioquin & dictu, & actu cogitatus facilior eſt, quod in eo quidem ſuo ipſius ore loquatur anima, ſuis videat oculis, ſuis manibus operetur. Quamvis & hic interdum laborare eam neceſſe eſt etiam in gemitu ſuo, & intra proprium quoque cubile compungi. Siquidem uſque adeo vita noſtra inferno appropinquavit, qui ſolus utique paſſionis eſt locus, ut & actionem paſſio, immo & ipſam quoque cogitationem actio & paſſio pariter occuparint. Nonne enim nobis quodam modo paſſivæ [a] ſunt actiones, & in cogitationibus etiam dolor & labor? Heu vitula Ephraim docta diligere trituram, aſſueta jugo, ignara quietis! (Oſee 10. 11.) quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Quando ceſſabunt hæc omnia, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor, neque labor ullus? Quando inebriabit animam ubertas domus Dei, & torrens ille indeficiens voluptatis divinæ? (Suſpirium ad patriam.) Quando totam ſibi eam ſereniſſimi contemplatio luminis vindicabit? Filioli, concupiſcamus in atria Domini: crebro ſuſpiremus illoc. Patria noſtra ipſa eſt, odoremus * ſaltem, & à longe D ſalutemus eam, amen. (* al. adoremus.)

SERMO III.

De Cantico Ezechiæ regis, *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, &c.

1. Viri ſanguinum [b] & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, perſeverantes in ſua vetuſtate uſque ad mortem; (Pſal. 54. 24.) & hoc quia non timent Dominum. Verum qui timore Dei initiatur ad ſapientiam, is continuo dimidiat dies ſuos, exclamans præ timore: *Vadam ad portas inferi*. Cujus utique inferi metu cum cœperit E quieſcere à malis, incipit de bonis quærere conſolationem, quia neceſſe eſt in alterutro conſolari. Eſt autem bona conſolatio de ſpe ſalutis æternæ, in quam, ſublatis peccatis quæ ſeparabant inter ipſum & Deum, per Dei gratiam reviviſcit, & hilareſcit. In quo cum cœperit proficere, quia hoc eſt pie vivere in Chriſto, neceſſe eſt, teſte Scriptura, perſecutionem patiatur: (2. Tim. 3. 12.) ut recens gaudium vertatur in mærorem, & dulcedo boni vix ſummis (ut ita dicam) labiis attacta, in amaritudinem commutetur, ita ut libeat dicere: *Verſa eſt cithara mea in luctum, & cantatio mea in plorationem*. (Job 30. 31. Viciſſitudo tentationis & deſolationis quo utilis.) Plorat ergo amarius amiſſam dulcedinem, quàm prius fleverat admiſſam peccatorum amaritu- F dinem: & hoc tamdiu facit, donec Deo miſerante conſolatio redit. Qua denuo redeunte, cognoſcit eam quam paſſus eſt tentationem, probationem fuiſſe, non deſolationem: porro probationem fuiſſe ad eruditionem, non ad deſtructionem, ſicut ſcriptum eſt: *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum*. (Ibid. 7. 18.) Unde & cognito ſuo de tentatione profectu, non tantum non refugit, ſed etiam tentari appetit: *Proba me*, inquiens, (Pſal. 25. 2.)

a Sic alibi Bernardus ait, Chriſtum in vita paſſivam habuiſſe actionem, in morte activam paſſionem ſuſtinuiſſe, ſermone in feria 4. majori num. 11.

b Hujus ſermonis fragmentum refert Florum Collector in lib. 8. cap. 33.

Tom. III. *& tenta me.* Crebris itaque hujuſcemodi viciſſitudinibus inter gratiæ viſitationem & tentationis probationem in ſchola virtutum proficiens, faciente utique viſitatione ne deficiat, tentatione ne ſuperbiat: tali tandem exercitio mundato oculo interiori, ſtatim adeſt lux, coi fideliter inhærere cupiens, ſed corpore preſſus non prævalens, ad ſeipſum nolens dolenſque reſilit. Guſtato tamen aliquatenus quàm dulcis eſt Dominus, ejus etiam, cum ad ſua redierit, in cordis palato ſaporem retinet: quo fit, ut jam ipſum, non ipſius quæcumque bona deſideret. Et hæc eſt caritas non quærens quæ ſua ſunt: hæc facit filium non quærentem ſua, ſed Patrem diligentem. Timor quippe faceret ſervum in ſua commoda declinantem, ſpes mercenarium ſua lucra ſectantem.

2. Per hos proculdubio gradus Ezechias tranſiit, & *Isai. 38. 10* innotuit tranſituris: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi.* Ac ſi diceret: Cum depoſita imagine terreſtris hominis, imaginem cæleſtis velle portare cœpi; à timore, ut ſcriptum eſt, concipiens *Isai. 26. 18.* exclamavi: *Vadam ad portas inferi.* Quo tamen timore nequaquam deſperans, *quæſivi reſiduum annorum meorum*, ut jam mihi vivere inciperem, qui contra me vixeram uſque adhuc. Quæſivi autem ab illo qui *Iohan. 15. 5.* dixit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Neque enim ad ipſum ſine ipſo, non dicam reverti, ſed nec cooverti quidem poteram: utpote ſpiritus vadens, & non rediens. *Quæſivi*, ergo, *reſiduum annorum meorum.* Quo accepto (oon enim negat qui incitat ad quærendum) ſtatim veram experior ſententiam Sapientis, qui ait: *Eccli. 2. 1.* *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Tentationibus itaque cum urgerer, & ſpes recens quam conceperam ſalutis, mihi jamjamque intercludi videretur, *Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viventium:* quod *Psal. 77. 19.* utique in abundantia præſumpſeram. *Dixi* enim *in abundantia mea, Non movebor in æternum*; non attendens, quod in voluntate tua, non in poteſtate mea præſtitiſti decori meo virtutem. Quamobrem *avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* nequa- D quam jam viſurus Dominum Deum, id eſt Patrem, in terra viventium. *Non aſpiciam hominem ultra*, videlicet Filium, de quo dictum eſt: *Et homo eſt, & quis* *Jer. 17.* *cognovit eum?* Sed *nec habitatorem quietis*, id eſt Spiritum-ſanctum, de quo ſcriptum eſt: *Super quem* *Isa. 66. 2.* *requieſcit Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?*

3. Addit quoque, *Generatio mea ablata eſt & convoluta eſt a me*, hoc eſt bonorum operum proles, quam ex timore cœperam parturire, ut de anima noſtra poſſit dici: *Et quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Ablata eſt* autem pia hæc ſoboles, *& convoluta eſt à me quaſi tabernaculum paſtorum:* ad tempus utique credita, non tradita in æternum. Item adjecit, *Præciſa eſt ve-* E *lut à texente vita mea:* ut diſcerem profectus vitæ meæ non in mea, ſed in manu Omnipotentis, ſicut tela in manu texentis: quandoquidem *dum adhuc ordirer*, hoc eſt ſtatim in initio, *ſuccidit me*, quatenus eodem pæne tempore & dederit, & tulerit quod donarat. Sed ſi defecit virtus mea, non tamen dereliquit me; ne qui cœperat, non poſſe perficere videretur. *2. Cor. 12. 9.* Quid multa? In veritate mox comperi, quia *virtus in infirmitate perficitur*; & aio: *Bonum mihi quia humiliaſti* *Psal. 118. 71.* *me.* Cognovi enim, quia *de mane uſque ad veſperam* *Perfectio hominis in quo.* *finies me*, id eſt conſummabis me. Non in ſolo mane viſitationis, aut tantum in veſpera tentationis, ſed in utroque ſimul erit perfectio mea. Stultus ego, qui F *Psal. 129. 6* tantum *ſperabam uſque ad mane*. cum David dicat: *A cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino.* Et quoniam puſillus in ſpe, *quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea*: robur omne videlicet, de quo adhuc ſub tutela gratiæ futurorum improvidus confidebam. Contrivit autem quis, niſi adverſarius noſter *1. Pet. 5. 8.* diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret? Tu ergo, Domine, ex hac contritione humiliatum & probatum, *de mane uſque ad veſperam* A *finies me*, quoniam & factum eſt mane & veſpere dies unus.

4. Quamobrem ego, ut didici, benedicam Dominum in omni tempore, hoc eſt mane & veſpere; non ſicut *Psal. 48. 19.* ille qui confitebitur tibi cum benefeceris ei: non ſicut illi, qui ad tempus credunt, & in tempore ten- *Luc. 8. 13.* tationis recedunt: ſed dicam cum ſanctis, *Si bona ſuſ-* *Iob 2. 10.* *cepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus?* *Deus in omni ſtatu laudandus.* Et in mane quidem *ſicut pullus hirundinis ſic clamabo*, in veſpere autem *meditabor ut columba:* quatenus & cum gratiæ matutinum arriſerit, in modum hirundinis exſultans & clamitans gratias agam pro vi- B ſitatione: & cum veſpera ingruerit, non deerit ſacrificium veſpertinum, cum inſtar columbæ gemens, lacrymas fundam in tribulatione. Sic enim deſerviet tempus utrumque Deo, cum & ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Mærens mærebo in veſpera, quo lætus fruar matutino. Placet uterque Deo, & peccator compunctus, & juſtus devotus: cui è regione diſplicet tam ingratus juſtus, quàm peccator ſecurus. Aut certe *ſicut pullus hirundinis* hac illacque diſcurrens, Marthæ me officiis mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni neceſſitatem patienti: *& meditabor ut columba*; gemendo utique quod obſtat, dum quod reſtat intueor. Hoc autem faciam mane & veſpere, hoc eſt prius & C poſterius, juxta quod in typum utriuſque vitæ dictum eſt à Laban: *Non eſt conſuetudinis, ut minores ante* *Gen. 29. 26.* *tradamus ad nuptias.* quamquam indifferenter de altera ad alteram tranſeatur. Quod ſignificare Job puto, ubi ait: *Si dormiero, dico: Quando ſurgam? &* *Iob 7. 4.* *rurſum exſpectabo veſperam.* Quieſcens quippe in veſpera contemplationis, mane deſiderabat, quo ſurgeret ad actionem: rurſumque negotiis fatigatus exſpectabat veſperam, libenter repetens otia contemplationis.

5. Poteſt & per garrulam aviculam cantus ſimul pſallentiom in Eccleſia; & per gementem columbam privata orationum ſuſpiria deſignari. Sed mediam ſen- D tentiam magis velle videtur ſequens verſiculus: *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſo.* Sive enim dicatur, *attenuati*, hoc eſt ſubtiles facti, pro aſſiduitate ſuſpiciendi in excelſo, videlicet ſublimia atque excelſa contemplandi; ſive intelligatur, *attenuati*, id eſt reverberati, & à ſuo quodam modo acumine imminuti, juxta illud: *Defecerunt oculi mei in eloquium* *Psal. 118.* *tuum.* & rurſum: *Memor fui Dei, & delectatus ſum,* *Psal. 76. 4.* *& exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* Sive ergo illo, ſive hoc modo accipiatur, non aliud quàm contemplatio deſignatur. Ceterum poſterior expoſitio ſequentibus magis convenire videtur. Ait enim: *Domine, vim patior.* Quaſi dicat: Domine, non ſponte, ſed invitus retrahor & arceor à tui contempla- E tione: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam,* *Sap. 9. 15.* *& deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* *Reſponde* ergo tu, ô Conditor, *pro me*, qui noſti naturæ conditionem. Aut ſi peccata mea hoc faciunt, nec eſt culpa naturæ, ſed meæ peſſimæ conſuetudinis: etiam ſic nihilo minus reſponde pro me, affigens peccata cruci, & ſanguine tuo delens, ut oon ſit quod me impediat contemplantem. *Nam quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?* Ad quem me videlicet alium vertam, aut quis alius reſpondebit pro me? cum ipſe, non alius, hanc mihi difficultatem, immo impoſſibilitatem impoſuerit, dando ſuper me illam ſententiam: *In ſudore vultus tui comedes* *Gen. 3. 19.* F *panem tuum.*

6. Quod ſi non, *fecerit*, legitur, ſed, *fecerim*; ar- *Alia expoſitio juxta aliam lectionem.* guit ſe, quod quaſi culpam in auctorem retorſerit, cum de natura cauſatus eſt; & totum ſibi imputat & ſuis peccatis, dicens: *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* hoc eſt, id quod patior, peccando meruerim. Quamobrem unum eſt quod facere poſſum: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nempe non ſum dignus ut valeam te recogitare cum dulcedine: faciam quod

poſſum : cogitabo meipſum in amaritudine animæ meæ. Lucem habitas inacceſſibilem, nec queo diu infirmam mentis aciem radio tui fulgoris infigere, & ob hoc confuſus redeo ad conſuetas & familiares mihi tenebras vitæ meæ priſtinæ : non quidem in eis iterum jacendo cum mortifera delectatione, ſed puniendo eas, & recogitando in amaritudine animæ meæ. Oportebat quidem, ſi fieri poſſet, revivere me (ut ita loquar) denuo, quod male vixi : ſed quia hoc non poſſum, ſaltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ : faciam recogitando, quod reoperando non poſſum. Recogitabo autem tibi, quia tibi ſoli peccavi: ut in quo ego me condemno, tu juſtificeris, & vincas miſericordia, cum de me judicabis. Jam quidem & ante cogitaveram ea : ſed quia non ſatis punita ſunt, quæ me adhuc impedire poſſunt ; rurſum redeo ad ea recogitanda in amaritudine animæ meæ, quouſque ita penitus exſtirpata ſint, ut jam impedire non poſſint.

Vitæ prioris damna ut emendanda

7. Nec infructuoſum (ut arbitror) erit hoc ſtudium. Nempe *ſi ſic vivitur*, immo quia ſic vivitur, non quidem carne, ſed ſpiritu, *& in talibus vita ſpiritus mei*, hoc eſt tam in mei conſideratione, quàm in tui contemplatione ; magis ac magis *corripies me, & vivificabis me*. Siquidem corripior, cum me cogitando compungor: reviviſco, cum te ſublevatus utcumque intueor. Itaque oſtendendo me mihi, corripies ; oſtendendo te, vivificabis. Porro vivifices neceſſe eſt: quia *ecce in pace amaritudo mea amariſſima*. Amaram paſſus ſum amaritudinem pro peccatis in principio converſionis, unde exclamavi, *Vadam ad portas inferi* : amariorem pro terroribus in profectu converſationis, quando dixi: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Sed ecce jam peccatis pœnitentia punitis, & ſopitis terroribus, quæ impugnare ſolebant; in hac tamen pace amariſſimam ſuſtineo amaritudinem pro defectu contemplationis. Verum qui & mihi peccata miſerando donaſti, & tentationes juvando ſuperaſti, etiam nunc, ô Domine, reddes mihi lætitiam ſalutaris tui. Hoc quippe eſt quod ait : *Tu autem eruiſti animam meam ut non periret*, in conflictu videlicet vitiorum, ſive in impetu tentationom : *projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea*, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum.

8. Nec immerito ; neque enim *infernus confitebitur tibi*, quo utique ego pene deſcenderam, cum irruentibus pulſarer tentationibus : quippe quia *niſi Deus adjuviſſet me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea*. Sed *neque mors laudabit te*, qua nimirum aliquando detinebar, dum adhuc jacerem mortuus in peccatis. *Nec exſpectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam* : qui ſcilicet poſt guſtatam dulcedinem contemplationis in lacum deſcendunt deſperationis. Mors ſiquidem eſt jacenti in peccatis ante converſionem : infernus ſuccumbenti tentationibus poſt acceptam remiſſionem ; lacus vero deſperanti poſt expertam contemplationem. Nam QUANTO quis ad altiora profecerit, tanto gravius, ſi corruerit, colliditur, quando ruit. *Non itaque infernus confitebitur tibi*. hoc eſt qui jam quidem ſunt converſi, ſed tentationibus ſuperantur : *neque mors laudabit te*, hi utique qui necdum converſi aut confeſſi, lætantur potius cum malefecerint, & exſultant in rebus peſſimis. A mortuo quippe, quaſi qui non ſit, perit confeſſio. *Nec exſpectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam* · quos de faſtigio divinæ contemplationis in lacum propriæ diffidentiæ forte devolvi contigerit. Quod proculdubio ſit, cum nimia quis triſtitia poſt acceptam tantam lætitiam abſorbetur. At vero *vivens, vivens ipſe confitebitur tibi*. Eſt qui vivens carne, mortuus eſt ſpiritu : & eſt qui mortuus carne, nihilo minus mortuus eſt ſpiritu : ſed horum neuter laudabit te, aut confitebitur tibi. Ceterum *vivens, vivens ipſe confitebitur tibi* : qui videlicet non tantum carne, ſed & ſpiritu vivit, ipſe confitebitur tibi, *ſicut & ego* hodie. Hac me duplici vita tuo munere vivere confido. Sequitur :

Pſal. 93. 17.

Mors, infernus & lacus quibus competant.

Prov. 2. 14. Eccli. 17. 26.

9. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*. Non revelatur ſervo veritas, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatem ſuam, quem audit dicentem : *Verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu, Pater*. Revelatur itaque ſervo Dei poteſtas ; mercenario felicitas, filio veritas. Non quod in Deo iſta diſcreta ſint, cui idem poſſe, quod felicem & veracem eſſe : ſed quod à creatura Creator pro diverſis ejuſdem creaturæ affectibus, diverſis ſentiatur reſpectibus. Cum ſancto enim ſanctus, & cum perverſo erit perverſus. Audi denique vocem filii. *Domine, ſalvum me fac*. Quare ? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio ? Non, inquit : *ſed pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro ſalutem, ut pœnas vitem, aut in cælo regnem : ſed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus ſcriptum eſt : *Beati qui habitant in domo tua Domine ! in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Servus dicit, *Vadam ad portas inferi*. Mercenarius, *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Filius, *Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini*. Cui ſimile eſt illud : *Aperite mihi portas juſtitiæ ; ingreſſus in eas confitebor Domino*. Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem ſui, uterque profecto quærit quæ ſua ſunt. Porro qui pſalmos cantare deſiderat in domo Domini, non ſua vel pericula fugit, vel lucra appetit : ſed illum proculdubio diligit, quem laudare geſtit cunctis diebus vitæ ſuæ. Laudatur non immerito in æternum, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

Johan. 15. 15.

Matt. 26. 39. Differentia ſervi, mercenarii & filii.

Pſal. 17. 26.

Pſal. 83. 5.

Pſal. 117. 19.

SERMO. IV.

De quærendo Deo, & triplici vinculo, quo cohæremus Deo.*

** al. De triplici cohærentia vinculorum, &c.*

1. NOn hic ſtamus tota die otioſi. Scimus enim & quid quærimus, & quis eſt qui nos conduxit. Deum quærimus, Deum exipectamus. Non eſt parva res, nec parvi animi, cum illa, quæ ſingulari pietatis nomine gloriatur, ſæpius ſeſe queratur eſſe fruſtratam, dicens : *Quæſivi illum, & non inveni*. Eſt enim ſicut amabilis, ita etiam admirabilis : quia cum non quæritur invenitur, & non invenitur cum quæritur. SI NATI ESSEMUS ex quo factus eſt homo ſuper terram, & uſque ad centum millia annorum vita noſtra extenderetur ; non eſſet tamen condigna quæſitio hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce nunc tempus quærendi, ecce nunc dies inveniendi præ manibus ſunt. *Quærite*, inquit, *Dominum dum inveniri poteſt ; invocate eum dum prope eſt*. Erit tempus, quando non erit locus, cum ille fons miſerationis interminabili ſiccabitur ſiccitate. *Quæretis me*, inquit, *& non invenietis*. Bonus es, Domine, animæ quærenti te. Si quærenti, quanto magis invenienti ? Si tam dulcis eſt memoria, qualis erit præſentia ? Si mel & lac dulce eſt ſub lingua, quid erit ſuper linguam ?

Cant. 3. 1.

Quærere Deum, quando.

Iſa. 55. 6.

Johan. 7. 34.

2. Hinc probate vos, Fratres, ſi in via eſtis, ſi non exorbitatis. *Lætetur*, inquit, *cor quærentium Dominum*. Si gaudetis ad labores, ſi inoffenſo, ſi indefeſſo pede curritis viam mandatorum Dei, ſi quotidie utriuſque hominis ſtatus recentior eſt ad proficiendum, quàm ad incipiendum ; profecto quæritis faciem ejus ſemper. Quo ergo abiit dilectus ex dilecto, & quæremus eum ? Ubi eſt a ? Quid dixi miſer ? Sed ubi non eſt ? Altior eſt cælo, inferno profundior, latior terra, mari diffuſior. Noſquam eſt, & ubique eſt : quia nec abeſt ulli, nec ullo capitur loco. Ipſe hic eſt, ſed ego hic non ſum. Quàm veri ſimilius videretur, ut tu hic non eſſes, & ego hic eſſem, Domine ! Sed ego nec hic, nec alibi ſum : quia *ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*. Vere ad nihi-

Pſal. 104. 3. Quærere Deum, quinam cenſendi.

Deus ubique, homo nullibi.

Pſal. 72. 22.

a Hæc in lib. 5. Florum cap. 3. quaſi ex Sententiis.

Tom. III. lum, id eſt ad peccatum, & neſcivi: quia non fui ibi, A cum primus parens meus devoravit me morſu amariſſimo. Hinc eſt, quod corde confractus & corpore, diffluo in voluptates, in amaritudines, habens innatam culpam, pœnam cognatam, totus fluidus & enervis. Ille autem qui idem ipſe eſt, qui dixit, *Ego ſum qui ſum*: veraciter eſt, cui eſt eſſe quod eſt.

Exod. 3. 4.

3. Quæ ergo participatio, quæ conventio illius qui non eſt, ad illum qui eſt? Quomodo poſſunt tam diverſa conjungi? *Mihi*, ait Sanctus, *adhærere Deo bonum eſt*. Immediate ei conjungi non poſſumus: ſed per medium aliquod poterit fieri fortaſſis iſta conjunctio. Et ne diutius vos protraham, tria ſunt vincula quibus ei adſtringimur: & ſic tria, ut ſola: cum ſolis iſtis, B vel iſtorum ſimilibus, omne quod ligatur, ligetur. Et primum accipite funes; ſecundum clavos ligneos vel ferreos; tertium gluten. Primum adſtringit fortiter & dure: ſecundum fortius & durius: tertium ſuaviter & ſecure. Fune quodam modo alligatus eſt Redemptori, ſi quis forte, dum vehementiori tentatione turbatur, proponit ſibi honeſtatis intuitum, memoriam promiſſionis; & hoc interim ſe fune retinet, ne propoſitum penitus abrumpatur. Durum profecto vinculum & moleſtum, ſed & periculoſum nimis, & quod diu tenere non poſſit. ſiquidem putreſcunt funes, & pudoris vinculum aut obliviſcimur, aut abrumpimus cito. Eſt C autem qui clavis configitur Domino majeſtatis, quem timor Dei ligat, qui non expaveſcit ad vultus hominum, ſed ad memoriam gehennalium tormentorum; & hic quidem peccare non metuit, ſed ardere. Durius tamen & fortius primo imprimitur: quia cum ille vacillet in propoſito, iſte propoſitum non amittit. Tertius vero glutine ei conglutinatur, id eſt caritate, qui tam ſuaviter, quàm ſecure ligatus adhærens Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Iſte eſt, qui quæcumque, undecumque, ſive quæ facit, ſive quæ ei fiunt, ad ſuum commodum revocat, & retorquet. Beatus hujuſmodi homo, & abundantis ſpiritus influens majeſtate, qui ſuavis & unctus portat omnes, & neminem onerat D ipſe: qui terribilius & horribilius ipſa gehenna judicat in re vel leviſſima vultum Omnipotentis ſcienter offendere. *Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël. Hic eſt qui multum orat pro populo, & pro civitate ſancta Jeruſalem. Glutino bonum eſt*, ait Iſaias. Bonum eſt revera & jucundum, quia alia duo, ne mala dixerim, comparatione iſtius gravia & importabilia ſunt.

Pſal. 72. 28. Tria vincula, quibus adſtringimur Deo.

1. Funibus, id eſt pudore.

2. Clavis, id eſt timore.

3. Glutine, id eſt amore.

2. Mac. 15. 14.

Iſai. 41. 7.

4. Sed ille miſericors oculus, qui novit figmentum noſtrum, neminem ſalvandorum dimittit in primo, ſed provehit ad ſecundum; & ne ibi quidem deſerens, de ſecundo perducit ad tertium. Primo ſiquidem quia pudet deſerere, æſtuantes vix ſuſtinemus ad horam: ſecundo jam timentes & ſperantes proficimus: tertio E perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus timore pariter & pudore excluſis, in ſolius amoris reclinatorio commoramur. Ita & Chriſtus prius quidem ligatur, ſecundo crucifigitur, tertio glutinoſa aromatum inunctione linitur. non quod opus haberet corpus illud hujuſmodi aromatibus ſolidari, quod diſſolvi omnino non poterat, aut videre corruptionem: ſed qui propter nos Judæorum ſputa ſuſtinuit, propter nos quoque fidelium non eſt dedignatus unguenta. Et attende, quod vix unius diei ſpatio in funibus & clavis moratus, cum unctione victor, & victurus perenniter reſurrexit. Sic & electos in duobus prædictis non diutius patitur immorari, ſed ungit eos unctione mi- F ſericordiæ ſuæ, ut crucifixi mundo, & mundus illis, jam reſurgant in novitate ſpiritus, & dicant: *Quis nos ſeparabit a caritate Dei?*

Iſque perfectiſſimus modus, quo alligamur Deo.

Triplex ille ligandi modus in Chriſto adumbratus.

Rom. 8. 35.

5. Hoc glutino agglutinavit nos ſibi ille divinus intuitus à conſtitutione mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate. Scimus enim quia qui *natus eſt ex Deo, non peccat, quia generatio cæleſtis ſervat eum*. Generatio cæleſtis eſt æterna prædeſtinatio, qua Deus prævidit nos conformes fieri imagini Filii ſui. Ex his nullus peccat [a], id eſt in peccato perſeverat: quia novit Dominus qui ſunt ejus, & propoſitum Dei manet immobile. Etſi horrendorum criminum nota David inuritur, etſi Maria Magdalene ſeptem dæmoniis cumulatur, etſi princeps Apoſtolorum in profundum negationis ſubmergitur: non eſt tamen qui de manu Dei poſſit eruere. *Quos enim prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit*. Nonne huic adhærere Deo bonum eſt? Quærite, Fratres, *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper. Quærite Dominum, & vivet anima veſtra. Et anima mea*, inquit, *illi vivet*, quæ mundo mortua eſt. Quæ enim mundo vivit, non illi vivit. B Sic ergo quæramus eum, ut & ſemper quæramus, & cum venerit quærere nos, dicat de nobis: *Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob*. Sicque aperiantur portæ æternales, & introeat Rex gloriæ, & nos cum illo, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, amen

1 Johan. 3. 18. Natus ex Deo quomodo non peccat.

Rom. 8. 30.

Pſal. 12. 34.

Pſal. 23. 6.

SERMO V.

De verbis Abacuc, *Super cuſtodiam meam ſtabo*.

1. LEgimus in Evangelio, quod prædicante aliquando Salvatore, & ſub myſterio edendi corporis C ſui diſcipulos ad communicandum paſſionibus ſuis admonente, dixerint quidam, *Durus eſt hic ſermo*; & ex hoc jam non fuerint cum eo. Interrogati vero diſcipuli an & ipſi vellent abire: *Domine*, inquiunt, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Ita dico vobis, Fratres, uſque hodie quibuſdam manifeſtum eſt, quoniam verba quæ loquitur Jeſus, ſpiritus & vita ſunt; & propterea ſequuntur illum: aliis dura videntur, & miſeram alibi quærunt conſolationem. Sapientia ſiquidem in plateis clamitat, in lata videlicet & ſpatioſa via quæ ducit ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Denique *quadraginta annis*, inquit, *proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde*. Habes & in D alio pſalmo: *Semel locutus eſt Deus*. Semel utique, quia ſemper. Una enim, & non interpolata, ſed continua & perpetua locutio eſt.

Johan. 6. 61.

Verba Jeſu aliis dulcia ſunt, aliis dura.

Pſal. 94. 10.

Pſal. 61. 12.

2. Revocat autem peccatores ad cor, de cordis errore redarguit, pro eo quod ibi habitet ipſe, ibique loquatur, faciens nimirum quod docuit per Prophetam dicentem: *Loquamini ad cor Jeruſalem*. Nam Babylon, quoniam terra eſt, nec poteſt ſuſtinere univerſos ſermones ejus; elongatur à corde, & in carne magis ambulat, tamquam mortua à corde, immo tamquam columba ſeducta non habens cor. Vult enim lætari cum malefecerit, & exſultare in rebus peſſimis: audienſque vocem Domini hujuſmodi gaudia nullatenus E approbantem, ſed deteſtantem, ſed arguentem, ſed condemnantem, fugit, & abſcondit ſe in ſimilitudine prævaricatoris Adæ. Sed heu me! quàm vile operimentum quæris miſera anima! quàm inutile quæris operimentum! Folia enim ſunt quæ intexis; folia inquam, quæ nil tibi caloris præbeant, nil habeant ſoliditatis. Orto denique ſole areſcent, & ventus urens diſperget illa: tu vero nuda & miſera remanebis. Tunc ergo nihil opertum quod non reveletur, quoniam veniet Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Non erit jam quo lateas, miſera Fruſtra dices montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos: quoniam nudam & apertam F oportebit te ſtare ante tribunal Chriſti, ut audias vocem judicii, quæ vocem conſilii contempſiſti. Ecce enim quid loquitur Deus: *Agite*, inquit, *pœnitentiam*: & diſſimulant multi, & continent aures ſuas, & dicunt: Durus eſt hic ſermo. Non ſic impii, non ſic diſſimulare poteritis, cum ſonabit aſperum illud verbum, & auditio mala: *Ite maledicti in ignem æternum*.

Iſa. 40. 2.

Carnales & peccatores operimentum quærunt.

Matt. 3. 2.

Matt. 25. 41.

3. Videtis, Fratres, quàm ſalubriter admoneat nos Propheta, ut ſi vocem ejus audierimus hodie, non obduremus corda noſtra. Eadem enim pæne verba & in

Pſal. 94. 8.

a Confer ſermonem 23. in Cantica num. 15. & lib. de Gratia & libero arbitrio num. 29. cum ſermone 1. de Septuageſima.

Evangelio legitis, & in Propheta. Ait enim Dominus A in Evangelio: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et ſanctus David in pſalmo: *Populus*, inquit, *ejus* (haud dubium quin Domini) *& oves paſcuæ ejus, hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Utilius namque & multo ſalubrius eſt hodie audire eum conſulentem, conſolantem, admonentem, docentem; &, ut multum, arguentem, increpantem, corripientem: quam in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebroſa audire illum judicantem, indignantem, ulciſcentem, ſævientem, condemnantem. Bonum, inquam, mihi, ut humilier, ut corripiat me juſtus in miſericordia, & increpet me, quàm ut oleum peccatoris impinguet caput meum, ne forte terra inveniar, quam percutiat virga B oris ſui, quando vaſa figuli virga ferrea conterentur. Bonum mihi propter verba labiorum ejus cum Propheta cuſtodire vias duras, quàm pariter cum impio interfici ſpiritu labiorum ejus.

4. Nunc autem ſi quid amaritudinis ſentio in voce ejus, non ſine dulcedine eſt: quoniam cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur: immo vero & ipſa indignatio non aliunde, quàm de miſericordia eſt. Quos enim amat, arguit & caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit: viſitans in virga iniquitates ejus, & in verberibus peccata ipſius: miſericordiam autem ſuam non diſpergit ab eo. Propterea qui prudentes ſunt, non operiunt vulnera ſua, ſed detegunt; & confiten- C tur Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus; & ſic vinum reprehenſionis infundit, ut non deſit oleum conſolationis. Propterea, inquam, ſapiens apprehendit diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & jam ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quærat, ſed recedat zelus ejus ab ipſo. Inde eſt enim quod ſapientis cor, ubi triſtitia: cor vero ſtultorum, ubi lætitia: ſed triſtitia illius convertetur in gaudium, & extrema gaudii illorum luctus occupabit. Audi denique Abacuc prophetam, quomodo dominicam non diſſimulet increpationem; ſed ſedula ac ſollicita circa eam cogitatione verſatur. Ait enim: *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum in munitionem: ut videam* D *quid dicas mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Et nos ergo, Fratres, obſecro, ſuper cuſtodiam noſtram ſtemus, quoniam tempus militiæ eſt. Nec in ſterquilinio hujus miſeri corporis, ſed in corde, ubi Chriſtus habitat, in judicio & conſilio rationis ſit converſatio noſtra: ita ſane ut non in ipſa habeamus fiduciam, nec fragili innitamur cuſtodiæ, ſed figamus gradum in munitionem, firmiſſimæ petræ Chriſto totis viribus innitentes, ſicut ſcriptum eſt: *Qui ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Sic ergo conſtituti & ſtabiliti, jam contemplemur, ut videamus quid dicat nobis, & quid reſpondeamus ad arguentem nos.

5. Primus enim contemplationis gradus iſte eſt, di- E lectiſſimi, ut inceſſanter conſideremus quid velit Dominus, quid placeat ei, quid acceptum ſit coram ipſo. Et quoniam in multis offendimus omnes, & tortitudo noſtra in illius rectitudinem voluntatis offendit, nec conjungi ei aut coaptari poteſt: humiliemur ſub potenti manu Dei altiſſimi, & omnino ſolliciti ſimus miſerabiles nos exhibere in oculis miſericordiæ ejus, dicentes: *Sana me Domine, & ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero.* Et illud: *Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccavi tibi.* Poſtquam enim in hujuſmodi cogitationibus mundatus eſt oculus cordis, jam non F in ſpiritu noſtro cum amaritudine, ſed in divino magis ſpiritu cum multa delectatione verſamur: nec jam conſideramus quæ ſit voluntas Dei in nobis, ſed quæ ſit in ſeipſa. Vita enim in voluntate ejus, ut hoc nobis in omnibus utilius atque omnino commodius eſſe non dubitemus, quod ejus congruit voluntati. Et propterea quàm ſollicite conſervare volumus vitam animæ noſtræ, tam ſolliciti ſimus, quoad poſſumus, ab ea non deviare. Deinde cum jam in ſpirituali exercitio aliquatenus profecerimus, ducem ſequentes Spiritum, qui ſcrutatur etiam alta Dei; cogitemus quàm ſuavis ſit Dominus, quàm bonus in ſemetipſo, orantes cum Propheta, ut videamus voluntatem Domini, & viſitemus jam non cor noſtrum, ſed templum ejus; & cum eodem Propheta nihilo minus dicentes: *Ad meipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui.* In his enim duobus tota ſpiritualis converſationis ſumma verſatur, ut in noſtra conſideratione turbemur & contriſtemur ad ſalutem, in divina reſpiremus; ut de gaudio Spiritus-ſancti habeamus conſolationem; & hinc timorem & humilitatem, inde vero ſpem concipiamus & caritatem.

Tom. III. Pſal. 26. 4. Pſal. 41. 7. Spiritualis converſatio conſiſtit in duobus.

SERMO VI.

De cute, carne, & oſſibus animæ.

Subjicitur ſermonibus Nicolai Claræ-vallenſis, ſed non eſt Bernardo indignus, tametſi quædam accedant ad ea quæ leguntur in ſermone xxxii de diverſis num 3. Citatur in lib. 8. Florum cap. 65. Editus primum Rotomagi abſque anni deſignatione ſub nomine Bernardi.

1. Beatus David in Pſalmo de juſtis loquitur, dicens: *Multæ tribulationes juſtorum, ſed de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Quod nemo dictum eſſe de corporeis oſſibus arbitretur: præſertim cum tot beatorum Martyrum oſſa confracta ſint manibus hominum impiorum, & contrita dentibus beſtiarum. Sed miranda prorſus & miſeranda humanarum conditio animarum, quæ licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, nulla tamen perſpicacitate ſemetipſas, ſicut ſunt, noſſe aut cogitare ſufficiant; ſed egeant omnino figuris & ænigmatibus quibuſdam corporearum ſimilitudinum, ut ex viſibilibus & exterioribus poſſint vel aliquatenus inviſibilia atque interna conjicere. Ponamus itaque velut quamdam animæ cutem cogitationem, carnem affectionem, ut conſequenter os ejus intentionem poſſimus accipere. Sic enim erit in oſſis integritate animæ vita, in carnis incorruptione ſanitas, in cutis ſpecie pulcritudo. Quæ ſunt ergo tribulationes juſtorum, niſi quod interdum decoloratur cutis, cum videlicet inutilis cogitatio in corde verſatur? Nonnumquam vero etiam caro vulneratur, quando ſcilicet ad hoc uſque cogitatio pernicioſa procedit, ut delectatione corrumpatur affectio. Nam oſſa quidem juſtorum omnino integra atque illæſa cuſtodiuntur à Domino, ut numquam frangatur propoſitum cordis eorum, numquam ſalutis* intentio conteratur: ut videlicet concupiſcentiæ titillanti etiam detur aſſenſus. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat; ſic conſenſus omnino animam necat.

Pſal. 33. 20. Anima quomodo cognoſcat ſeipſam. Animæ cutis, caro, & oſſa. * al. ſalubris.

2. Caveamus ergo, dilectiſſimi, cogitationes inutiles, ut animarum noſtrarum facies decora permaneat: ut obliti quæ retro ſunt, id eſt populum noſtrum & domum patris noſtri, concupiſcat Rex ſpeciem noſtram. Exeamus de terra noſtra, ut non comprehendat nos cogitatio ſpectans ad voluptatem carnis. Exeamus & de cognatione noſtra, id eſt à cogitationibus curioſitatis, quæ nimirum cum in ſenſibus corporeis habitet, carnali utique cognata eſt voluptati. Exeamus etiam de domo patris noſtri, ut fugiamus cogitationes ſuperbiæ & vanitatis. Eramus nos aliquando, ſicut & ceteri, filii iræ: eramus & nos ex patre diabolo, qui nimirum rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, & in montibus elationis ſedem ſibi atque habitaculum infeliciſſimum præparavit. Quod ſi forte aliquando talis aliqua cogitatio mentem ſubierit, tota ſollicitudine laboremus citius abluere & eradere ſordem, qua nos maculari conſpicimus, clamantes cum Propheta, ac dicentes: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Jam vero ſi quando forte per incuriam & negligentiam noſtram tranſierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis, ſcientes quoniam non macula eſt jam, ſed plaga; tota feſtinatione ad auxilium Spiritus, qui adjuvat infirmitatem noſtram, recurramus, clamantes illud de pſalmo, & dicentes: *Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccavi tibi.*

Cogitationibus noxiis ſedulo reſiſtendum. Pſal. 50. 9. Pſal. 40. 5.

Tom. III. Humanæ enim ſunt tentationes iſtæ, nec ex toto caveri poſſunt, quamdiu in hoc corpore mortis peregrinamur à Domino. Nemo tamen parvi pendat aut diſſimulet iſta: quoniam etſi non mortifera ſunt, certe periculoſa.

Peccatum ex deliberatione vitam perdit.

3. Intentionem vero & propoſitum mentis ea ſollicitudine cuſtodiamus, Fratres, qua vitam animarum noſtrarum volumus cuſtodire: quoniam iſtud omnino eſt peccatum ad mortem, cum ex conſenſu & deliberatione delinquimus, proprio judicio condemnati. Nec ideo ſane id dixerim, ut deſperet, ſi quis forte delicti hujus ſibi conſcius eſt: ſed ut expaveſcat præcipitium, & qui cecidit, adjiciat citius ut reſurgat. Noverit enim excidiſſe ſe à juſtitia, quicumque hujuſmodi eſt. Cujus os confractum eſt & comminutum, noveſit præciſum ſe à corpore Chriſti, de quo nimirum legitur: *Os non comminuetis ex eo.* Unde & in paſſione ſua, licet plagis virgarum in livorem decolorata ſit cutis, ut livore ejus nos ſanaremur; licet clavis vulnerata ſit caro, & lancea latus ejus apertum, ut ſanguine ejus redimeremur: os tamen non eſt comminutum ex eo. Propterea & ſanctus David: *Non eſt*, inquit, *occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto.* Et in alio pſalmo: *Oſſa*, inquit, *mea ut cremium aruerunt.* Quod tunc fit, cum omnem delectationem boni prorſus amiſiſſe videtur anima, ſolamque ſibi aridæ intentionis fortitudinem reſervaſſe. Et vide ne forte tale aliquid etiam beatus Job pateretur cum diceret: *Pelli mea conſumptis carnibus adhæſit os meum:* ut videlicet corrupta affectione vix ſolam ſibi intentionem ſpiritualis cogitatio vindicaret.

Exod. 12. 46. Pſal. 138. 15. Pſal. 101. 4. Job 19. 20.

SERMO VII.

De triplici gloria, in illud Apoſtoli, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Et hic ſermo Nicolai ſermonibus ſubjectus eſt: ſed Bernardi genium omnino ſapit, exſtatque inter hoſce Bernardi ſermones in omnibus editis & mſſ. ut & ſuperior.

1. Cor. 1. 31. Pſal. 42. 8. Luc. 2. 14. Pſal. 113. 9.

1. QUi gloriatur, in Domino glorietur. Noverat Apoſtolus gloriam propriam eſſe Creatoris, non creaturæ, ſecundum illud: *Gloriam meam alteri non dabo.* &, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* itemque, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Sed conſideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut numquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit: quippe quæ ad imaginem facta eſt Creatoris. Propterea ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam, ſaluberrimum adinvenit conſilium, dicens: Quandoquidem perſuaderi nobis non poteſt non gloriari; ſaltem qui gloriatur, in Domino glorietur. Et conſidera, quantum ſuperexcedat Pauli philoſophia philoſophiam ſapientium mundi hujus, quæ nimirum ſtultitia eſt apud Deum. Cum enim nonnullos viderint philoſophi alienis delectari laudibus, & gloriam ab invicem quærere: qui inter eos fuere præcipui, prudenter adverterunt vanam eſſe hujuſcemodi gloriam, & penitus contemnendam. Sed conſiderantes deinde, ac ſtudioſius inquirentes, quænam appetenda eſſet gloria ſapienti; hic jam plane evanuerunt in cogitationibus ſuis, propriam cuique ſufficere gloriam arbitrantes. quaſi vero anima, quæ à ſemetipſa eſſe non poteſt, à ſe poſſit eſſe beata. Sicut ergo cupidi laudis alienæ tota ſollicitudine operam dabant ea operari quæ mirarentur homines, & laudarent: ſic iſti ſola ea judicabant ſectanda eſſe, quæ interior arbiter animus approbaret.

Gloriæ innatum homini deſiderium. 1. Cor. 3. 19. Philoſophi gloriæ laudiſque avidi, ſed diſſentiunt.

2. Et hæc quidem ſumma philoſophia ſapientium hujus mundi eſt, ipſa quoque minus habens, licet propinquior veritati. Unde & utramque gloriam ſublimi veritatis contemplatione tranſcendens Apoſtolus: *Qui gloriatur*, inquit, non in altero, non in ſe, ſed *in Domino glorietur.* Et eam, quæ veritati videbatur eſſe vicinior, majori proinde redarguens ſollicitudine, & condemnans certo judicio veritatis: *Non enim* inquit, *qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus* A *commendat.* Ut quid enim aut de alterius hominis, aut de meo ipſius judicio ſollicitus ſum, cujus nec vituperio reprobus, nec laude probatus inveniar? Fratres, ſi me ante veſtrum oporteret tribunal adſtare, merito ſuper veſtris laudibus gloriarer. Quod ſi vel meo ipſius eſſem judicandus examine, jure meo ipſius teſtimonio contentus, propriis laudibus delectarer. Nunc autem cum nec veſtro, nec meo, ſed Dei ſim judicio præſentandus; quantæ inſipientiæ, immo & inſaniæ eſt, aut in veſtro me, aut in meo ipſius teſtimonio gloriari? præſertim cum ipſe ſit, cujus oculis omnia nuda ſunt & aperta, & cui nequaquam opus ſit, ut quis eis teſtimonium perhibeat de homine. Merito proinde A- B poſtolus ipſe vanæ & fallacis gloriæ reprobator: *Mihi*, inquit, *pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* In quibus verbis illud quoque diligenter conſiderandum eſt, quod alienum quidem judicium pro minimo habens, ſuum quoque nequaquam ſequeretur, quamvis non illud adeo pro minimo judicaret habendum. Nemo enim ſcit hominum quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt: ut comparatione interioris teſtimonii, exterius omnino pro nihilo ſit habendum. QUID enim mihi cum eorum laudibus, quibus ignotus ſum? Quod ſi vel ipſe qui C in homine eſt ſpiritus omnia quæ hominis ſunt noſſe poſſet, profecto ſufficeret teſtimonium ejus. Nunc autem pravum eſt cor hominis, & imperſcrutabile etiam ſibiipſi, adeo ut præſentia quoque magna ex parte ignoret, futura vero ſua omnino noſſe non poſſit. Quia tamen aliquatenus novit præſentia, ſi non reprehendat nos conſcientia noſtra, non quidem gloriam, ſed *fiduciam habemus ad eum*, ſicut beatus Johannes ait. Cum autem veritatis ipſius, quam nihil latet, ſententiam de nobis tenere meruerimus, in ea plane ſecurius poterimus gloriari.

Gloria ſolius Dei ex homine. 1. Cor. 4. 3. 1. Cor. 2. 11. Jer. 17. 9. 1. Johan. 3. 21.

3. Interim vero *nolite ante tempus judicare*, ait Apoſtolus, *donec veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum.* D Illa enim perfecta omnino erit & ſecura gloriatio, cum erit unicuique laus à Deo. Nunc quoque licet non plenarie, licet non ſine timore & ſollicitudine multa, aliquatenus tamen in Domino gloriamur, teſtimonium perhibente Spiritu-ſancto ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Hinc enim vere poſſumus gloriari, quod tantum habemus Patrem, quod majeſtati ineffabili cura eſt de nobis. Unde & Propheta: *Domine*, inquit, *quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Itaque qui gloriatur, jam non in meritis ſuis glorietur. Quid enim habet quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quaſi non acceperit? In eo ergo à quo accepit, glo- E rietur, non quaſi ipſe magnus ſit, ſed quia magnificet eum Deus: hoc eſt, ut in illis quæ acceperit, non quaſi ea non acceperit, ſed quaſi qui ea acceperit, glorietur. Neque enim ait Apoſtolus, Si autem accepiſti, quid gloriaris? ſed, *Quid gloriaris*, inquit, *quaſi non acceperis?* ut non prohibeat, ſed doceat gloriari.

1. Cor. 4. 5. Quatenus in hac vita gloriari liceat. Job 7. 17. 1. Cor. 4. 7.

4. Sed quid ſibi vult quod ait, *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt. ſed quem Deus commendat?* Quis eſt enim quem in hoc ſæculo commendat Deus? Quomodo commendabit Veritas eum, qui adhuc reprehenſibilis invenitur? Denique *ego*, inquit, *quos amo arguo, & caſtigo.* Hæccine commendatio eſt tota? Prorſus, quantum mihi videtur, ipſa eſt. Quæ eſt enim melior & efficacior commendatio, quàm divinæ erga F nos atteſtatio caritatis? TESTIMONIUM vero amoris ejus nullum credibilius, nullum certius in hac vita, quam quod deſiderat Propheta, ubi ait: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.* Hæc namque increpatio, qua jugiter nobis ſuggerit in occulto Spiritus veritatis quid deſit nobis, ſuperbiam, negligentiam, ingratitudinemque repellit. Quo triplici vitio omne paulo minus religioſorum hominum genus periculoſe laborat, pro eo quod minus attenta cordis aure percipiant, quid intus loquatur is, qui neminem palpat,

2. Cor. 10. 17. Deus quomodo hominem commendet. Apoc. 3. 19. Pſal. 140. 5. Correptio Dei quid in nobis operetur. Religioſi triplici vitio obnoxii.

Spiritus veritatis. Quod nonnullis exinde provenit, (niſi fallor) quod propriæ gloriæ cupidi, nulla ratione quieſcere poſſunt, cum in ſeipſis penitus nihil inveniunt, unde poſſint aliquatenus gloriari. Perfecta autem & ſecura gloriatio eſt, cum veremur omnia opera noſtra, ſicut teſtatur beatus Job de ſeipſo: & cum Iſaia Propheta, omnes juſtitias noſtras non aliud quàm pannum menſtruatæ reputandas eſſe cognoſcimus. Nihilo minus tamen confidimus etiam & gloriamur in Domino, cujus miſericordia tanta eſt ſuper nos, ut à gravioribus quidem, & quæ ad mortem peccata ſunt, cuſtodiat nos, & tam benigne ipſa imperfectionis noſtræ delicta, & converſationis impuritatem nobis manifeſtare, & agnitam condonare dignetur, quatenus in humilitate & ſollicitudine & gratiarum actione firmiter radicati, jam non in nobis, ſed in Domino gloriemur.

Job 9. 28.
Iſai. 64. 6

SERMO VIII.

De diverſis affectionibus, vel ſtatibus, quibus anima eſt ſub Deo.

Guerrico abbati Igniacenſi tribuitur in Bibliotheca Patrum: ſed non reperitur inter Guerrici Sermones in codice Colonienſi, immo inter Bernardi ſermones de diverſis in editis & mſſ. omnibus occurrit, & in Floribus citatur.

Quinque gradus ſive ſtatus hominum ſub Deo.

1. QUod diverſis nominibus Deum, nunc quidem Patrem, nunc Magiſtrum vocamus, aut Dominum, non illius ſimpliciſſimæ & omnino invariabilis naturæ diverſitas ulla in cauſa eſt; ſed affectionum noſtrarum multiplex variatio ſecundum diverſos profectus animæ vel defectus. Videntur enim quædam animæ ſub Patrefamilias agere, quædam ſub Domino, quædam ſub Magiſtro, quædam quoque ſub Patre, & nonnullæ cum Sponſo: ut cum proficientibus proficere, cum immutatis mutari videatur & ipſe, qui juxta Prophetam mutat quidem creaturas, & mutabuntur, licet idem ipſe ſit, & anni ejus non deficiant. Denique quid in alio pſalmo idem Propheta ad ipſum loquatur attende. *Cum ſancto*, inquit, *ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris*: atque ut magis miremur, *& cum perverſo*, inquit, *perverteris*. Et quemadmodum ſic mutetur, immo ſic mutet immutabilis ipſe, ſecutus adjungit: *Quoniam tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.*

Pſal. 101. 27.
Pſal. 17. 26.

4. Status hominis ante converſionem. a

2. At vero quoniam non prius quod ſpirituale, ſed prius quod animale, deinde quod ſpirituale: videntur [a] mihi quatuor interdum converſionem noſtram præcedere ſtatus, unus ſub nobis ipſis, tres ſub principe mundi hujus. Eſt enim anima ſub ſeipſa, cum propriam ſequitur voluntatem, libertate pernicioſa gaudens. Hic eſt filius ille prodigus, qui portionem paternæ ſubſtantiæ, quæ ſe contingebat, accepit: ingenium ſcilicet, memoriam, vires corporis, ceteraque ſimilia bona naturæ: quibus non ad divinam, ſed ad ſuam uteretur voluntatem, eſſetque tamquam ſine Deo in hoc ſæculo. Eſt autem interim homo ſub ſe, cum propriæ ſatisfaciens voluntati, necdum tamen poſſidetur à vitiis & peccatis: quoniam qui facit peccatum, jam non ſui ipſius ſervus eſt, ſed peccati. Jam hinc vero proficiſcitur in regionem longinquam, qui prius quidem ſeparatus erat, ſed necdum elongatus à patre. Accepta ſiquidem portione ſubſtantiæ, factus eſt ſui juris: & quamvis receſſerit ab auctore, proximus tamen fuit, quamdiu ab opere non receſſit. Hoc autem tamdiu fit, dum licita quidem, ſed non expedientia pro ſua ſequitur voluntate. At poſtquam receſſerit & à ſeipſo, declinans ſcilicet in peccatum, tunc jam in longinquam vere proficiſcitur regionem: quoniam ab eo qui ſumme & ſingulariter eſt, nihil longius eo quod nullo modo eſt: nihilque remotum magis ab eo, à quo, & per quem, & in quo ſunt omnia,

1 Anima ſub ſeipſa.
Luc. 15. 12.
Parabola de filio prodigo tropologica expoſitio.

A quàm peccatum, quod nihil eſt inter omnia.

Tom. III.

3. Porro juſtum divinæ ultionis judicium eſt, ut fugitivum patris filium alter ſibi uſurpet in ſervum. Unde & profectus in regionem longinquam, uni civium legitur adhæſiſſe: quem ego non alium, quàm unum ex malignis ſpiritibus intelligendum puto, qui pro eo quod obſtinatione irreparabili peccant, & tranſierunt in affectum malitiæ & nequitiæ, jam non ſunt hoſpites & advenæ, ſed quaſi cives & inhabitatores peccati. Quid eſt autem, quod civi dicitur adhæſiſſe pauper adoleſcens & peregrinus, niſi quod factus eſt ſubditus illi? Denique quomodo adhæſerit, ſequentia manifeſtant. Sic enim habes: *Adhæſit uni civium regio-* B *nis illius, & miſit eum in villam ſuam paſcere porcos.* Et nota, quod famis neceſſitate civi maligno dicitur adhæſiſſe, ſicut Iſraël tempore famis deſcendiſſe legitur in Ægyptum. Periculoſa plane & pernicioſa eſuries, quæ liberos addicat miſeræ ſervituti, ſubjiciat operibus luti & lateris, porcis aſſociet, immo & ſervos faciat eſſe porcorum. Unde autem egeſtas tanta ei qui dives advenerat, collectis nimirum omnibus, quæ de paterna ſubſtantia in ſuam acceperat portionem? Ex eo ſine dubio quod præmiſſum eſt, diſſipaſſe eum bona ſua, vivendo luxurioſe cum meretricibus: *Propterea*, inquit, *cœpit egere.*

Luc. 15. 15.
Gen. 42. 6.

4. Porro meretrices iſtas concupiſcentias carnis in- C telligе, cum quibus luxurioſe vivendo diſſipat bona naturæ, dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc, ut jam diximus, egeſtas ſuccedit pernicioſa, teſte Scriptura, quod non ſatietur oculus viſu, nec auris impleatur auditu. Mittitur ergo paſcere porcos, corporeos ſcilicet ſenſus, qui volutabro luti & ſpurcitiis oblectantur. Et vide ne forte hi ſint porci, quos ejecti ab homine maligni ſpiritus intrant. Ejectum enim à rationali noſtro, id eſt à mente, peccatum ſenſibus corporis hæret, Apoſtolo teſte, quod mente conſentiat legi Dei, carne vero legi peccati, quæ eſt in membris noſtris. Unde & in alio loco: *Scio*, inquit, *quod non eſt in me bonum, hoc eſt in carne mea.* Quid ta- D men agendum eſt, cum ſic ejecti ab homine, porcos inhabitant ſpurci ſpiritus, niſi quærenda remedia lacrymarum, & currendum ad aquas, quarum abundantia male vivida radix peccati ſuffocetur in eis? Quamvis hæc omnimoda peccati exſtinctio fini potius reſervata videtur.

Eccl. 1. 9.
Rom. 7. 25.
Ibid. 18.

5. Hæc in excurſu quodam ſunt dicta, ut proinde manifeſtius aſſignarem, quonam modo eum, quem ſub ſemetipſo reperit, ſibi malignus ſubjiciat, tamquam fortis armatus intrans & poſſidens atrium, in quo pauper & debilis inventus eſt habitator. Verumtamen tripliciter mihi videntur homines eſſe ſub principe tenebrarum. Primum quidem nec volentes, nec no- E lentes, quod convenit his qui necdum habent voluntatis uſum; ſunt tamen vaſa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vaſa ejus diripiat fortior per Sacramentum adveniens, verus utique Moyſes, qui in aqua venit, nec in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Secundo modo volentes, cum jam voluntarie peccant. Tertio quoque modo nolentes, cum jam quidem reſipiſcere vellent, niſi quod peccati conſuetudine miſerabiliter obligati, juſto Dei judicio qui in ſordibus ſunt, ſordeſcant adhuc. In quo tertio ſtatu laboraſſe videtur prodigus ille filius, & F vere prodigus nimis, qui non modo diſſiparat ſua, ſed & ſemetipſum ſubjecerat miſeræ ſervituti, infelix, venumdatus ſub peccato, cum ad ſe reverſus ait: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* Si quis expertus eſt in ſemetipſo, facile, credo, in his verbis animum miſerabilem recognoſcet. Quis enim peccati conſuetudine obligatus, non ſe felicem reputaret, ſi datum eſſet ei eſſe tamquam unum ex his, quos in ſæculo tepidos videt, viventes ſine crimine, minime tamen quærentes quæ ſurſum ſunt, ſed quæ ſuper terram? *Quanti*, inquit,

2 Status hominis ſub diabolo, iſque triplex.
Conſuetudo peccati quàm gravis.
Luc. 15. 17.

a Florilegus hæc verba refert ex dictis Bernardi in lib. 9. cap. 2. Adde lib. 10 cap. 57.

Tom. III. *mercenarii in domo patris mei abundant panibus*! id eſt A conſolantur in innocentia ſua, & fruuntur propriæ conſcientiæ bono; *ego autem hic fame pereo*, id eſt inſatiabilibus crucior peccatorum deſideriis, & affectibus vitiorum. Poteſt tamen intelligi, quod non fame panis, nec ſiti aquæ; ſed fame & ſiti divini verbi,

Amos 8. 11. quam & Judææ Propheta minatur, ſeſe perhibeat laborare. Et hæc dixerim non quod ita ſit, ſed quod ita ſentiat miſer humiliatus ſub peccato. Neque enim gloriantur conſcientiæ teſtimonio, quorum ſæcularis & mercenaria intentio eſt: ſed peccator compunctus reputat ſanctiſſimum, quacumque ex cauſa alterum videat innocentem. *Fac me*, inquit, *ſicut unum ex mercenariis tuis.*

Quinque ſtatus hominis ſub Deo. 6. Ecce hic jam primus eſt ſtatus, quo ſub Deo eſſe incipiunt, qui tamquam mercenarii ſub Patrefamilias vivunt. Hi ſunt quos in ſæculo videmus aut nullo, aut exiguo deſiderio æternorum, velut ſub mercede ſervire Deo, & ab eo terrena petere quæ & deſiderant. Jam vero ſecundo ſtatu incipit eſſe ſub Domino, qui tamquam ſervus carcerem timet, & metuit ne ſubigatur pœnis. In quo ſane ſtatu converſio eſt, exituſque à ſæculo, & introitus vitæ. unde & legis:

Eccli. 1. 16. *Principium ſapientiæ timor Domini.* Et alius quidam Propheta:

Iſai. 26. 18. *A timore*, inquit, *tuo concepimus, & parturivimus ſpiritum ſalutis.* Huic gradui tertius admodum proximus & quaſi permixtus eſt, eorum ſcilicet, qui parvuli adhuc in Chriſto lac concupiſcunt, tamquam ſub C

Novitiorum indoles. Magiſtro & pædagogo viventes. Id namque convenit maxime novitiis, qui nimirum ſi forte in conſolationibus meditationis ſanctæ, lacrymarum, pſalmodiæ & ceterorum hujuſmodi cœperint delectari, quaſi pueriliter timent ne magiſtrum offendant, ne vapulent, defraudentur munuſculis, quibus ſolet eos eruditor ille benigniſſimus allicere. Hi ſunt, qui provident Dominum in conſpectu ſuo ſemper; & commoventur ſi vel ad horam abeſſe contigerit: nec jam ſerviliter timent ſupplicia, ſed tamquam parvuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes diſciplinam magiſtri, nequando iraſcatur, & pereant de via juſta: ne devo- D tionis gratia ſubtrahatur, & moleſta eis omnia fiant, & laborent tædio quodam, & quaſi vapulent intus in anima, amaritudine ſcilicet cogitationum. Hæc ſunt enim verbera, quibus caſtigat ſuos parvulos Deus, quæ melius experimento dignoſcimus, quàm ſermone. Unde & ipſe Dominus loquitur per Prophetam:

Pſal. 88. 31. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, &c. viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

7. In his itaque primordiis, & quaſi infantili ætate, ſic viciſſim ſibi ſuccedunt timor Domini, & diſciplina magiſtri, ut nunc in iſto, nunc in ſtatu illo ſeſe inveniat, quiſquis ſollicitus fuerit diligenter hoc obſervare. E Inde eſt, quod novellæ adhuc Eccleſiæ loquens,

Johan. 13. 13. ſimul utriuſque nominis meminit, dicens: *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis: ſum etenim.* Agnoſcant hic locum ſuum novitii noſtri, ut ſolliciti ſint de cetero ſedule magis circa iſta verſari. Ante omnia ſiquidem timor eis neceſſarius eſt, quo nimirum peccata

Eccli. 1. 27. poſſint præterita delere, cavere futura. *Timor* enim *Domini*, ut ait Scriptura, *expellit peccatum*, ſive quod jam

Pædagogus parvulis ſeu novitiis neceſſarius. admiſſum eſt, ſive quod tentat intrare. Expellit ſane, illud quidem, pœnitendo; hoc, reſiſtendo. Sed quoniam arcta & ardua eſt via quæ ducit ad vitam: tamquam parvulis in Chriſto pædagogus vobis, ô filioli, ac nutritius neceſſarius eſt, qui doceat, deducat, foveat F vos, & tamquam alludat parvulis, ac blanditiis quibuſdam conſoletur, ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, ſed magis Eccleſiæ Princeps & Paſtor vos

1. Petr. 2. 2. admonet: *Quaſi modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite*, ita ſane ut in eo nequaquam permaneatis, ſed in eo creſcatis in ſalutem. Quod alia quædam ſcriptura manifeſtius exprimens loquitur ſic:

Iſai. 66. 10. *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis ſuper eam* (haud dubium quin ſuper Jeruſalem, de ea ſiquidem loquebatur) *ut potemini*, ait, *à lacte, & ſatiemini ab uberibus conſolationis ejus; & cum avulſi fueritis à lacte, epulemini ab introitu gloriæ ejus.*

8. Ipſe eſt enim ſtatus filii jam robuſtæ ætatis, qui ſub Patre vivit, nec lacte jam potatur, ſed veſcitur ſolido cibo, oblitus ſane quæ retro ſunt, in quibus ſervilis oculus in amaritudine morabatur: ſed ne ipſa quidem præſentia conſiderans, nec parvas parvulorum conſolationes captans, magis autem extendens ſe in anteriora, ad palmam ſupernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis, exſpectans beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, B nec circa hujuſmodi ſuaves quidem, ſed non perennes conſolationes hactenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum; in his quæ patris ſunt, oportet eum eſſe, ſuſpirare ad hereditatem, ſedulaque circa eam meditatione verſari. Numquid enim mercenarium eum quis æſtimet, qui paternæ inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit & exſpectat, quam nimirum filii mercedem eſſe, non mercenarii Propheta teſtatur? *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum. ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* *Pſal. 126. 2.*

9. Invenitur tamen alter gradus ſublimior, & affectus dignior iſto, cum penitus caſtificato corde nihil aliud deſiderat anima, nihil aliud à Deo quærit, quàm C ipſum Deum. Crebro ſiquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti ipſum, ita ut jam ex affectu cordis atque ex ſententia clamet illud de pſalmo: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* *Pſal. 72. 25.*

Neque enim ſuum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam, tamquam privato ſui ipſius amore deſiderat anima quæ ejuſmodi eſt: ſed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum deſiderium eſt, ut introducat eam Rex in cubiculum ſuum, ut ipſi adhæreat, ipſo fruatur. Unde & jugiter revelata facie, quoad poteſt, cæleſtis Sponſi gloriam ſpecu- D lando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Ex hoc plane audire meretur: *Tota pulcra es amica mea.* Audet *Cant. 4. 7.* & ipſa loqui: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Atque hu- *Cant. 2. 16.* juſmodi feliciſſima & jucundiſſima confabulatione delectatur glorioſa cum ſponſo.

SERMO IX.

De verbis Apoſtoli, *Inviſibilia Dei à creatura mundi, &c.* & de verbis Pſalmi, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, &c.*

E 1. *INviſibilia Dei*, Apoſtolo teſte, *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Et eſt velut communis quidam liber, & catena alligatus (ut aſſolet) ſenſibilis mundus iſte, ut in eo ſapientiam Dei legat quicumque voluerit. *Rom. 1. 20. Mundus liber, in quo Dei ſapientiam legimus.* Erit tamen cum cælum plicabitur ſicut liber, in quo utique nemo deinceps legere habeat neceſſe, quoniam *erunt omnes docibiles Dei*: *Johan. 6. 45.* & quemadmodum creatura cæli, ſic & creatura mundi, jam non per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum videbit, & ſapientiam ejus ad liquidum contemplabitur in ſeipſa. Interim vero opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris aſſurgat: cum econtra longe F beatius perfectiuſque angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ. Ad quam nimirum excellentiam, licet ad modicum, rapta fuiſſe videtur anima illa beata [a], quæ collectum ſub uno ſolis radio mundum univerſum conſpexit: de quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum ſcribens: Videnti, inquit, Creatorem anguſta eſt omnis creatura. Felices proinde qui ſatiantur ex adipe frumenti, nec opus habent ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo; *S. Gregor. lib. 2. Dial. cap. 35.*

a Nimirum S. Benedictus, quem Bernardus cenſet vidiſſe Deum, licet raptim, abſque *vehiculo creaturæ*, ac proinde in ſeipſo, & quidem *in Dei lumine*, ut loquitur Gregorius. tametſi Bernardus in Sermone 31. in Cantica num. 2. ait, quod *nec Sapiens, nec Sanctus nec Propheta, videre illum, ſicuti eſt, poteſt, aut potuit in corpore hoc mortali.*

qui videlicet inviſibilia Dei non viſibilibus rimando A perquirunt, ſed in ipſis ad liquidum intellecta conſpiciunt. Verum, ut jam diximus, angelicæ felicitatis iſtud eſt, non fragilitatis humanæ.

Homo inter creaturas quæ ſub cælo, Deo propinquior.

2. Quæramus igitur per ea ſaltem quæ facta ſunt, intellectum inviſibilium Dei: quæ ſi in ceteris creaturis intellecta conſpicit anima, neceſſe eſt ut longe amplius conſpiciat, & intelligat multo ſubtilius in creatura, quæ facta eſt ad imaginem Creatoris, hoc eſt in ſeipſa. Nullus enim Deo vicinior gradus inter omnes quæ ſub ſole habitant creaturas, quam anima humana, ut merito Propheta dicat ad ipſum: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te! aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et poſt pauca: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Propterea inceſſanter hortamur vos, Fratres, ut ambuletis vias cordis, & ſit anima veſtra in manibus veſtris ſemper, ut audiatis quid loquatur in vobis Dominus Deus, *quoniam loquetur pacem.* Quibus loquetur pacem? Utique *in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos.* Quæ eſt plebs, aut qui ſunt ſancti? Ipſi nimirum qui convertuntur ad cor. Unde & ſequitur: *& in eos qui convertuntur ad cor.*

Pſal. 83. 6.

Pſal. 84. 9.

Ezech. 14. 14. Pacem Deus tribus hominum generibus loquitur.

3. Nos tamen in his verbis tria ſolemus intelligere hominum genera, quibus ſolis Deus loquitur pacem, ſicut & Propheta alios tres tantum prævidit ſalvandos, Noë, Danielem, & Job: contrario quidem ordine, ſed eoſdem ordines exprimens, continentium ſcilicet, C prælatorum, & conjugatorum: ſi tamen continentes à carnalibus illecebris ad ea quæ cordis ſunt, id eſt, ad ſpiritualia deſideria, convertantur; unde & Daniel *vir deſideriorum* ab Angelo nominatur: & Prælati prodeſſe magis ſtudeant, quàm præeſſe, quoniam ipſos maxime decet ſanctitudo, unde & in pſalmo *ſancti* ſpecialiter appellantur: & conjugati mandata non tranſgrediantur, ut merito plebs Domini, & oves paſcuæ ejus debeant nominari.

Dan. 10. 11.

Pſal. 84. 9.

Monachorum tres ſtatus.

4. Immo vero & in nobis ipſis (quoniam inde eſt nobis amplior ſollicitudo) tres iſtos ordines aſſignare ſolemus; plebem quidem intelligentes officiales fratres, D qui exterioribus & quaſi popularibus negotiis occupantur. At vero qui convertuntur ad cor, ipſi ſunt clauſtrales, quos nulla impedit occupatio, ſed libere vacant, ut videant quoniam ſuavis eſt Dominus. Super utrumque parietem Deus loquitur pacem, quoniam ad idem tendunt, licet non eadem via. Eſt pſalterium jucundum cum cithara, nec minus jucundus eſt ſonus citharæ, quàm pſalterii, licet hæc ab inferioribus reddat ſonum, illud à ſuperioribus. Verumtamen optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortaſſe meriti ſit apud Deum humilis converſatio Marthæ: ſed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omnino (quod ad nos ſpectat) eligenda: E hæc vero, ſi injungitur, patienter eſt toleranda.

Prælatis utraque vita, & Mariæ & Marthæ, neceſſaria.

5. Jam quod interponitur, *ſuper ſanctos ſuos*, ad Prælatos pertinet, quibus nimirum otraque vita neceſſaria eſt. Et ipſorum eſt utriſque providere, & copulare ſibi parietes e diverſo venientes: qooniam angularis lapidis, qui eſt Chriſtus Jeſus, vicarii conſtituti ſunt. Nec dubium quin longe periculoſior ceteris eorum ſit adminiſtratio. Tamen ſi bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & majorem abundantiam & ſupereffluentem menſuram accipient pacis, ut de eis merito dicatur: *Quoniam ſuper ſanctos pacem loquitur Deus.* An vero dubitet quis quos dixerit F ſanctos? Audiat Iſaiam. *Vos*, inquit, *ſancti Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri.* Propoſueram exemplum aliquod dare, quemadmodum ex ſua ipſius conſideratione ad ſpiritualem intelligentiam aſſurgere humanus debeat animus: ſed neceſſe eſt in diem alterum, & ſermonem alterum differre.

Iſai. 61. 6.

SERMO X.

De vita & quinque ſenſibus animæ.

1. MAgna eſt [a], dico vobis, cariſſimi, & nimium inexcuſabilis negligentia noſtra, qui cogitationibus otioſis vacantes, tempus amittimus, quibus nimirum nec penetrandæ nubes, nec maria tranſfretanda, ut ſalubres inveniamus cogitationes, ſed prope eſt (ut ait Moyſes) verbum in ore noſtro & in corde noſtro: & infinitas in nobiſmetipſis utilium cogitationum occaſiones & ſeminaria poſſumus invenire. Denique ſi tam inerudita & negligens fuerit anima, B ut nec interiora ſua ſufficiat perſcrutari, attendat vel ea quæ foris agit palam & manifeſte: & in ipſis quoque, ſi diligenter quæſierit, inveniet ſapientiam. Ecce enim (quoniam ſcriptum eſt, *Da occaſionem ſapienti, & ſapientior erit*) conſidera, ô anima, quid impendas corpori tuo, & invenies ſine dubio, quod vitam ei ſenſumque miniſtras: & vitam quidem in toto corpore invenies uniformem, (neque enim, verbi gratia, aliter vivit oculus quàm articulus) ſenſum vero non ita. Quære ergo, ut tibi quoque anima tua (quæ eſt ſine dubio Deus tuus) ſimilia largiatur. Neque enim vivere dicenda eſt anima, quæ veritatis non habet cognitionem, ſed adhuc mortua eſt in ſemetipſa; C quemadmodum & ea ſine ſenſu, quæ necdum habet dilectionem. Est ergo ANIMÆ VITA, VERITAS; SENSUS, CARITAS. Nec mireris quod interdum animæ impiorum notitiam habent veritatis, quæ tamen expertes ſunt caritatis: quando & in corporibus nonnullis vitam reperis ſine ſenſu, ut ſunt arbores ceteraque ſimilia, animata quidem, ſed animatione, & non anima. Quemadmodum & animæ iniquorum veritatis habent notitiam naturali ratione, quæ tamen interdum adjuvantur à gratia, cum nullatenus ſane animentur ab ea. In his autem quibus & cognitionem veritatis, & dilectionem anima ſpiritualis infundit, non exteriori quolibet modo, ſed tanquam anima ip- D ſorum, cui adhærentes unus ſpiritus fiunt cum ea; in his, inquam, individia eſt cognitio veritatis, ſecundum quod dictum eſt de vita corporis. Eadem enim cognitione & minima, & maxima comprehendis.

Deut. 30. 14.

Sanctas cogitationes non procul petere neceſſe eſt.

Prov. 9. 9.

Animæ vita veritas, ſenſus caritas. V. ſerm. 116. infra.

2. Porro dilectionem quidem, ſi diligenter advertas, variam, & fortaſſis ſecundum quinque ſenſus corporis quinquepertitam poteris invenire. Eſt enim amor pius, quo parentes diligimus: eſt amor jucundus, quo ſocios diligimus: eſt & erga omnes homines amor juſtus; erga inimicos amor violentus; erga Deum ſanctus ſive devotus. In his omnibus, ſi diligenter attendis, proprium erga ſingulos, & omnino diverſum ab aliis modum invenies. Denique ſi curioſius conſi- E derare delectat, non immerito fortaſſe videbitur primus, id eſt parentum amor, tactui convenire, quod hic ſenſus ſola proxima & corpori juncta percipiat: quemadmodum amor ille nullis exhibetur niſi proximis carnis noſtræ. Sed nec illud quidem diſcrepat à ratione ſimilitudinis, quod hic ſolus è ſenſibus per corpus diffunditur univerſum: quoniam & amor ille naturalis eſt omni carni, adeo ut ipſa quoque animalia bruta & diligant fœtus ſuos, & diligantur ab eis. Amor quoque ſocialis videre licet quàm proprie dicatur guſtui convenire, ob majorem profecto dulcedinem, & quoniam hic ſenſus ſolus eſt, quo magis eget humana vita. Nec video qua ratione vivere dicendus eſt, ſal- F tem hac communi vita, qui non eos diligit, inter quos vivit. Amor autem generalis, quo videlicet omnes homines diliguntur, odoratus habet ſimilitudinem, in eo utique quod hic ſenſus jam remotiora percipiat, & quod non ex toto carnalis delectationis expers, eo tamen tenuiorem eam habeat, quo diffuſiorem. Auditus autem multo magis remotiora capit, nec inter homines ab amante quiſquam remotior eſt, quàm non amans. Denique cum in ceteris ſenſibus nonnulla

Amor ſecundum 5. ſenſus corporis quintuplex.

1 Amor in parentes comparatur Tactui.

2 Amor in ſocios Guſtui.

3 Amor in omnes Odoratui.

4 Amor in inimicos Auditui.

a Hic locus ex *quibuſdam Sententiis* refertus in lib. 7. Florum cap. 50.

Tom. III. carnis ipſios oblectatio ſit, & magis ad carnem pertinere videantur, auditus pæne totus exit à carne, & ei dilectioni non immerito convenire videtur, cujus tota canſa obedientia eſt: quam pertinere ad auditum ſatis evidens eſt, cum ceterarum, ut diximus, dilectionum nonnulla à carne ſumatur occaſio.

Amor in Deum Viſui.

3. Porro viſus quidem in eo ſibi vindicat amoris divini ſimilitudinem, quod ceteris omnibus excellentior & ſingularis cujuſdam naturæ, perſpicacior quoque ceteris invenitur, & diſcernit multo remotiora. Denique odoratus quidem & auditus videntur utique remota ſentire: ſed ad ſe magis quem ſentiant aërem creduotur attrahere. Viſus autem non ita, ſed magis ipſe exire videtur, & ad remota procedere. Sic & in dilectionibus eſt. Quodam modo enim attrahimus proximos, quos tamquam ooſipſos diligimus: attrahimus & ioimicos, quos ad hoc diligimus, ut ſint & ipſi ſicut nos, id eſt ut ſint amici. Deum vero ſi, ut dignum eſt, tota virtute, tota anima, toto corde diligimus, ipſi magis in eum pergimus, & tota feſtinatione in eum, qui ineffabiliter ſupra nos eſt, properamus.

Ordo dignitatis & utilitatis in ſenſibus corporis & animæ.

4. Jam vero & id manifeſtum eſt, quoniam in corporis ſenſibus viſus quidem ceteris omnibus, auditus vero reliquis tribus dignior eſt; odoratus quoque & guſtum, & tactum, etſi non utilitate, dignitate tamen ſuperare videtur; & guſtus tactui ſuperexcellere: quod manifeſtat etiam diſpoſitio ipſa membrorum. Oculis ſiquidem in ſummitate locatis, aures inferiores eſſe quis oeſciat? Sic & auribus nares, & fauces naribus, ipſis quoque faucibus manus pariter, & reliquas corporis partes, ad quas pertinet tactus, ſubeſſe manifeſtum eſt. Secundum ergo hunc modum, & in ſenſibus animæ conſiderare licet alterum altero digniorem: quod quia facile jam poteſtis advertere, brevitatis cauſa prætereo. Illud quoque veſtræ nihilo minus diligentiæ conſiderandum relinquo, quod quemadmodum artus corporis cadere neceſſe eſt, quàm cito deſierit eos anima vegetare: ſic & eas, quas diximus, affectiones, quæ ſunt velut quædam animæ membra, ſine anima ipſius animæ (quæ Deus eſt) cadere omnino neceſſe eſt: quatenus videlicet aut ex toto ooo diligatur quod diligendum eſt; aut non diligatur ad quod debet, aut quomodo debet. Sunt enim qui parentes carnaliter tantum diligunt: & ipſi quoque confitentur Domino, cum benefecerit eis. Sed hujuſmodi dilectio aut omnino vocaoda dilectio non eſt, aut caduca eſt, & decidens in terram.

Sine amore Dei ceteri amores caduci.

SERMO XI.

De duplici Baptiſmo, & de relinquenda propria voluntate.

Abrenuntiatio in Baptiſmo.

1. Scitis, Fratres (firmiſſime enim teneris catholicam veritatem) quod in Baptiſmate abrenuntiantes diabolo Pater cæleſtis adoptet, & in regnum Filii claritatis ſuæ de poteſtate transferat tenebrarum. Nimirum ipſa eſt ſtola prima, quam vere cito proferre miniſtros paternus jubet affectus, non oris petitionem, non deſiderium cordis exſpectans, ſed & ipſum intellectum præveniens in benedictionibus dulcedinis. Quotquot enim baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, Chriſtum induimus. De quo & alius clamat teſtis & ipſe fidelis, quia *quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Nec vero inanis eſt, aut infirma poteſtas: quia nimirum certi ſumus continuo & nos, quoniam neque mors, neque vita, neque Virtutes, neque Angeli, neque altitudo, neque profundum poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt io Chriſto Jeſu. Sed attende quanta enumeravit Apoſtolus (ejus enim verba ſunt) minime tamen adjiciens, *nec nos ipſi.* Nimirum hæc eſt libertas, qua Chriſtus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos, aut vim facere poſſit. Soli id deſerere poſſumus, propria voluntate abſtracti, & illecti à propria concupiſcentia. Præter hanc enim nihil eſt quod timeamus. Denique donec voluntatis uſum & facultatem deliberandi tenatus quiſque recipiat, à caritate Dei ſeparari omnino non poteſt. Securus interim degit ſub protectione & advocatione Domini Dei ſui: oon eſt quod vereatur ex omnibus. At ubi ſane diſcretionis annos ingrediens redditur ſibi, ceterorum utique violentiam nec hunc quidem formidare neceſſe eſt: ſed ab ea quæ dormit in ſinu ſuo caveat, propria ſcilicet voluntate. Erit forte peccatum in foribus, ſed appetitus ejus ſub eo eſt: tantum ipſe aperire renuat, conſentire recuſet.

Gal. 3. 27. Johann. 1. 12. Rom. 8. 35.

Sola propria voluntas à Deo nos avellere poteſt.

2. Denique primos parentes non orſus, aut leo, ſed potius ſerpens, callidior utique, non fortior ceteris aoimantibus, ſupplantavit; nec mulierem vir, ſed mulier virum. Serpens, ô Eva, decepit te: decepit profecto, non impulit, aut coegit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit: ſed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neque enim poteſtate illius, ſed tua factum eſt voluntate, ut ejus voci plus obedieris, quam divinæ. Ceterum ſi ille ſibi non præcavit ignarus, nos ſaltem nobis tot exemplis præmoniti caveamus. Immo vero quoniam periclitati ſumus & nos miſerabiliter in hac parte, de cetero jam remedium aliquod tantis providere malis ſollicite ſtudeamus. Quando enim fortis ille armatus, quem fortior ſuperveniens alligavit, atrium illud olim ſuum valuit violentia aliqua obtinere? Sed vacuum, ſibique inſipienter expoſitum domicilium reperit, & cum aliis ſeptem nequioribus, non fortioribus, ingrediens, non irruens, libere habitavit. Quis vero illum admiſit, niſi propria voluntas? Ipſa eſt quæ io poteſtatem tenebrarum denuo reddit, quæ nos iterum ſubdidit mortis imperio.

Primi parentes non coacti, ſed decepti peccarunt.

Propria voluntas nos ſubjicit diabolo.

3. Veni Domine Jeſu, veni etiam nunc Jeſu bone, ejice iterum fortiter, quem nos inſipienter admiſimus. Tunc enim vere liberi erimus etiam nunc, ſi nos liberaveris. Irritum fecimus fœdus primum: tibi peccavimus Domine, ſatanæ & operibus ejus obligantes denuo noſmetipſos, jugo iniquitatis colla ultronea ſubmittentes, & ſobjicientes nos miſeræ ſervituti. Itaque, Fratres mei, rebaptizari oos convenit; ſecundum fœdus inire neceſſe eſt: opus eſt profeſſione ſecunda; nec jam ſufficit abrenuntiare diabolo & operibus ejus: mundo pariter abrenuntiandum eſt, & propriæ voluntati. Ille enim ſeduxit, illa [a] traduxit nos. In priori nimirum baptiſmate, quando nihil nobis adhuc voluntas noſtra nocuerat, ſatis fuit abrenuntiare diabolo, cujus profecto invidia peccatum pariter & mors per unum ingrediens, in omnes homines pertranſivit. Ceterum poſtquam mundi fallentis illecebras, & infidelitatem propriæ voluntatis manifeſte ſumus experti; de cetero jam in ſecundo (ut ita dixerim) converſionis noſtræ baptiſmate [b] merito prorſus, & non ad inſipientiam nobis, non reſarcire tantummodo fœdus primum, ſed etiam roborare ſolliciti, ipſis quoque affectibus pariter abrenuntiamus. Studeamus proinde, dilectiſſimi, immaculatos nos ab hoc ſæculo cuſtodire, ſcientes, quoniam religio monda & immaculata coram Deo hæc eſt. Caveamus autem à propria voluntate, tamquam à vipera peſſima & nequiſſima, & quæ ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.

In 2 Baptiſmo abrenuntiandum propriæ voluntati.

Jacob. 1. 27.

SERMO XII.

De primordiis, mediis, & noviſſimis, in illud Eccleſiaſtici, *Memorare noviſſima tua*, &c.

1. *Fili, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Recole primordia, attende media, memorare noviſſima tua. Hæc pudorem adducunt, iſta dolorem ingerunt, illa metum incutiunt. Cogita unde veneris, & erubeſce; ubi ſis, & ingemiſce; quo vadas, & contremiſce. Vide ne adjicias adhuc ignorare, ne

Eccli. 7. 40.

a Sic ex codice Cæleſtinorum Pariſienſium emendata lectio vulgata, *ille t' ad dit nos*

b Profeſſionem religioſam veteres non pauci alterum Baptiſma nuncuparunt, ut Bernardus ipſe in ſermone 37. de diverſis num. 3. & lib. de Præcepto & diſpenſatione. Vide Hieronymum in epiſtola ad Paulam de obitu Bleſillæ ubi ait, eam *ſecundo quodam modo propoſiti* (ſic monaſticam profeſſionem vocat) *ſe baptiſmo laviſſe*.

forte ſuper te veniat terribilis illa comminatio, qua Sponſus intonat, dicens: *Si ignoras te, ô pulcra inter mulieres, egredere, & abi poſt greges ſodalium tuorum.* Primo ſiquidem cum in honore eſſes, ô homo, non intellexiſti: unde & comparatus es jumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis. Jam ſi nec vexatio intellectum dederit auditui, etiam poſt greges abibis, illis nihil mali ſentientibus, malis expoſitus univerſis. Agnoſce ergo primordia tua, & erubeſce comparatum te eſſe jumentis: memorare noviſſima tua, & time ne abeas etiam poſt jumenta. Erubeſce, inquam, quod pro conſortio Angelorum, conſortium ſortitus es pecorum, non modo in neceſſitatibus corporis, ſed etiam in af- B fectibus cordis. Cum jumentis partiris cibum terræ, quia panem angelicum, panem faſtidiſti cæleſtem. Non ſolum autem, ſed etiam, quod pejus eſt, in recto corpore curva eſt anima: & in corpore manet humanæ animæ ſimilitudo; in anima vero, beſtiali ſimilitudine mutata eſt ſimilitudo Dei.

Cant. 1. 7. Primo vide unde ſis. — *Pſal. 48. 13. 21.* — *Homo ſimilis & ſocius factus jumentis.*

2. An non confunderis ſurſum caput habere, qui ſurſum cor non habes? corpore rectus ſtare, qui corde repis in terra? An non repere eſt in terra, carnem ſapere, carnalia deſiderare, carnalia quærere? Verumtamen quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus es, ſi perdidiſti ſimilitudinem, ſimilis factus jumentis; ſed in imagine pertranſiſti. Ergo ſi in ſubli- C mi poſitus non intellexiſti quoniam limus eſſes; noli infixus in limo profundi ignorare quia imago Dei es, & erubeſce quod peregrinam ei ſuperduxeris ſimilitudinem. Memor eſto nobilitatis tuæ, & pudeat te tantæ dejectionis. Ne ignores pulcritudinem tuam, ut de fœditate amplius confundaris. Hæc eſt, juxta Salomonem, *confuſio adducens gloriam*, quando à tanta gloria cecidiſſe confunderis. Eras enim aliquando gloria & honore coronatus, conſtitutus ſuper opera manuum Domini, incola paradiſi, Angelorum concivis, & domeſticus Domini ſabaoth. Hinc dejeciſti teipſum in has interiores tenebras, unde ad exteriores quoque & palpabiles tenebras ejiciendus eris aliquando, ſi non ca- D ves. Ab iſta, inquam, gloria filiorum Dei depoſuiſti temetipſum: à felici illa & dulciſſima patria, ab horto voluptatis exſulem te feciſti.

Turpe homini ſurſum caput habere, cor deorſum. — *Eccli. 4. 25.*

3. Ecce unde veniſti: vis noſſe quo deveniſti? In locum utique afflictionis: ſiquidem vita tua inferno appropinquavit. Quid enim hic, niſi labor & dolor, & afflictio ſpiritus? Sed nunc ita contigit tibi, ac ſi puer in carcere natus ſit, & in carcere ſit nutritus; & quia numquam viderit lucem, miretur ſuper triſtitia & anxietate matris ſuæ. Illa enim ſcit unde doleat; & quia novit bona, graviora ſunt ei mala, & recordatione pacis amaritudo ejus amariſſima eſt. Tibi magna bona videntur minora mala; & præ majoribus compedibus, E quibus aſſuetus es, minores anulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Utrumque labor eſt; ſed quia fames gravior magis, comedere neſcis eſſe laborem. Denique poſtquam fames depulſa fuerit, vide ſi non gravius ducis comedere, quàm eſurire. Sic ſe habent univerſa ſub ſole: ut nihil ſit in eis vere jucundum, ſed ab uno ſemper tranſire velit homo ad aliud, ſolaque viciſſitudine relevetur utcumque, acſi proſiliat ab aqua in ignem, & inde rurſus in aquam reſiliat, utpote qui neutrum ferre poſſit. Omne ſiquidem laboris remedium, alterius laboris initium eſt. Nemo in hoc ſæculo nequam quod vult habere poteſt: quando quidem nec juſtus juſtitia ſatiatur, nec volu- F ptuoſus voluptate, nec curioſitate curioſus, nec ambitioſus inani gloria. Ecce unde doleas, ſi nondum inſenſibilis factus es; ecce unde doleas, quod in exſilio poſitus es, in deſerto moraris, & in tenebris ambulas & in lubrico, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. An non in amaritudine moratur oculus tuus, quoties iſta conſiderat, & deplorat pariter cum Propheta: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt?*

Secundo vide ubi ſis. — *Sola viciſſitudo placet in creaturis.* — *Pſal. 119. 5.*

4. Habes jam primordia, habes etiam media: ſed noviſſima quæ ſunt? Nam de eis dicitur, quod eorum memor non peccabis. Ipſa ſunt mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil poteſt intolerabilius cogitari. Quid metuet, ſi quis ad iſta non trepidat, non expaveſcit, non timore concutitur? O homo, ſi pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem; ſi dolorem non ſentiebas afflictionis, quod eſt etiam carnalium: vel timorem non omittas, quoniam ille eſt etiam jumentorum. Oneramus aſinum, & fatigamus in laboribus plurimis; & non curat, quia aſinus eſt. At ſi in ignem impellere, ſi in foveam præcipitare velis; cavet quantum poteſt, quia vitam diligit, & mortem timet. An non tibi ergo juſtum videtur, ut qui modo jumentis inſenſibilior fuerit, poſt jumenta quoque ipſa compellatur abire, & in tormentis poſitus locum teneat poſteriorem? Time ergo, ô homo, quod in morte ſeparandus es à bonis omnibus hujus corporis, & tam dulce carnis & animæ vinculum amariſſimo ſecandum eſt divortio. Time, quod in terribili judicio ei præſentandus es, in cujus manus horrendum eſt incidere: & eo examinante quem nihil latet, ſiquidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab univerſitate quietis & gloriæ, & ſegregandus à numero beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis & immenſis exponendus es, in ſorte diaboli & angelorum ejus, in igne æterno, qui paratus eſt eis. Hic ergo timor initium ſapientiæ dicitur, non pudor, non dolor: quia neuter eorum ſic initiat ad ſapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde eſt quod non dicitur, *Memorare* primordia, aut media, ſed *noviſſima*; *& non peccabis.* Validior enim eſt & vehementior ſpiritus timoris ad reſiſtendum peccato, quàm pudor aut dolor: quia pudor de multitudine, & dolor de qualicumque hujus mundi conſolatione capit ſolatium: timor vero non invenit unde conſoletur. Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis hujus mundi tecum delaturus es: in judicio nec fallere, nec reſiſtere poſſibile erit: in gehenna nulla penitus conſolatio; ſed perpetuum væ, ululatus, & fletus, & ſtridor dentium.

Eccli. 7. 40. Tertio vide quo vadas. — *Hebr. 10. 31. Mors, judicium, gehenna timenda.* — *Pſal. 110. 10.* — *Timor efficacius peccato reſiſtit, quam pudor aut dolor.*

SERMO XIII.

De triplici miſericordia, & quatuor miſerationibus.

1. Sicut ſunt peccata minima, ſunt mediocria, ſunt & magna: ſic eſt miſericordia parva, mediocris, & magna. Magnus ergo peccator magna miſericordia opus habet; ut ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia. Parvam miſericordiam dico exſpectationem, qua non ſtatim punit peccantem, ſed exſpectat ad pœnitentiam. Parvam autem non in ſe, ſed ad comparationem aliarum. Alioquin magna plane, magna omnino miſericordia, exſpectatio Domini. Nam peccantem angelum omnino non exſpectavit, ſed præcipitavit de cælo: hominem quoque peccantem non diſtulit, ſed protinus expulit de paradiſo. Nunc jam exſpectat, diſſimulat, ſuſtinet decem annis, viginti, uſque ad ſenectam & ſenium. Et ſi conſideremus quanta, & quàm plurima peccata quotidie fiunt; nonne levia reputabimus illa, quæ tamen continuo damnationis excepêre ſententiam? Nihil proinde mirum, ſi ipſius quoque Prophetæ pæne moti ſunt pedes, pæne greſſus effuſi, quoniam zelabat ſuper iniquos pacem peccatorum videns; ſi peccatores ipſi dicunt, *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Sed hæc eſt gratia crucis Chriſti, & virtus. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.* Quantum vero mihi videtur, vox Chriſti reſurgentis eſt iſta. ac ſi dicat: Velit, nolit Judæus, vivo ego; nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus: volo ut fructuoſa ſit mors mea, & copioſa per eam redemptio.

Miſericordia Dei parva, mediocris, & magna. — *Parva, quæ.* — *Pſal. 72. 2.* — *Pſal. 72. 11.* — *Ezech. 33. 11.*

2. Hanc ergo miſericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoſcere; parvam, non quidem in ſeipſa, ſed aliarum comparatione nominavi: quod hæc, ſiquidem ſola fuerit, nullatenus ſufficit ad ſalutem; immo vero judicium damnationis accumulat, ut dicatur;

Longanimitas Dei culpam obſtinati cumulat.

Tom. III

Pſal. 49. 21.
Rom. 2. 4. 5.

Hæc feciſti, & tacui. Apoſtolum proinde audiamus, A more ſuo terribiliter intonantem: *An divitias bonitatis ejus*, inquit, (haud dubium quin Dei) *& longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem, ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Theſaurizas, inquit, tibi theſauros iræ pro prærogatis theſauris miſericordiæ quos contemnis, & evacuas in te miſericordiam Dei. Sed ſecundum quid? *Secundum duritiam tuam*, ait, *& cor impœnitens.* Quis autem ſcindet duritiam iſtam, niſi qui paſſione ſua petras ſcidit? Quis dabit cor pœnitens, niſi à quo eſt omne datum optimum?

Miſericordia mediocris.

Venialium remiſſioni quid neceſſarium, quid mortalium.

3. Hæc eſt ſecunda miſericordia, omnino major prio- B re, quæ facit ne prima ſit infructuoſa, & convertatur in damnationem mortis, dando ſcilicet pœnitentiam, ſine qua exſpectatio non modo non prodeſt, ſed obeſt plurimum. Et hæc quidem in levibus peccatis poteſt ſufficere: quoniam in his à quibus abſtinere omnino non poſſumus dum geſtamus corpus peccati, ad ſalutem ſufficere poteſt pœnitentia quotidiana. At in gravioribus quidem, & quæ peccata ad mortem ſunt, opus eſt non modo pœnitentia, verum etiam continentia. Difficilis prorſus res, & ſoli divinæ virtuti poſſibilis, ſuſceptum ſemel peccati jugum à cervicibus ſuis excutere: quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, C nec eſt jam liberari niſi in manu forti.

Miſericordia magna.
Pſal. 50. 2.
* Vide ſer. 3 in Dominica 6. poſt Pent.
4. Effectus quatuor ſiliæ.
* al. tollitur.

4. Hæc eſt magna miſericordia, magnis neceſſaria peccatoribus, de qua dicitur: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, &c.* De quatuor filiabus magnæ miſericordiæ dictum eſt*, quæ ſunt immiſſio amaritudinis, ſubtractio opportunitatis, virtus reſiſtendi, & ſanitas affectionis. Quandoque enim ei, qui peccato quovis obligatus tenetur, pie immittit Dominus amaritudines quaſdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt pernicioſam delectationem peccati. Quandoque ſubtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat reſiſtendi, quod majus eſt: ut ſcilicet tentationem D ſentiens viriliter agat, & non conſentiat. Quandoque affectionem ſanat, quod perfectiſſimum eſt, & in quo prorſus eradicatur * tentatio: ut non ſolum non conſentiatur ei, ſed nec ſentiatur quidem.

SERMO XIV. [a]

De ſeptem donis Spiritus-ſancti contra ſeptem vitia.

Sap. 7. 30.
Sap. 8. 1.
Septiformis ſpiritus adverſus ſeptem peccati gradus.
1 Timor contra negligentiam.
Eccli. 7. 19

1. SApientia vincit malitiam, dum ſatanam conterit Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter*, in cælo quidem dejiciendo ſuperbum, in mundo ſuperando malignum, in inferno ſpoliando avarum. *Et diſponit omnia ſuaviter*, in cælo ſtantes Angelos confirmando, in mundo E venumdatos redimendo, in inferno captivos liberando. Aut, ſi melius placet, accipiamus hoc modo. Ordinata procedit acie adverſus ſeptem peccati gradus Spiritus ſeptiformis. Et primus contra negligentiam Timor exſurgit. Nimirum ipſe eſt, quo concutitur anima, diſcutitur conſcientia, excutitur ſopor letalis, incutitur ſollicitudo. Denique *qui timet Deum, nihil negliget*, ſed veretur omnia opera ſua.

Negligentiæ damna.
Prov. 27. 15.

2. Ceterum ut gravior ſit conflictus, ſquama ſquamæ jungitur, & comitantia ſunt in humano corde negligentia ſui, & curioſitas ceterorum. Triplex enim (ut ait Sapiens) incommodum ejicit de domo inhabi- F tantem, fumus, ſtillicidium, mala uxor. Quando vero hæc deerunt negligenti? Propria quippe qui negligit, fumum non abigit, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata, nullo miſericordiæ ſtudio, nullis lacrymarum undis exſtincta; & fumus ille teterrimus & intolerabilis. Malignatur voluntas, ipſo neglectu quotidie deterior ſemetipſa. Stillat ſuperni Judicis indignatio ex defectu utique caritatis, quæ ſola operit multitudinem peccatorum. Egrediatur itaque foras neceſſe eſt, & curioſius exteriora conſideret, qui ſic interna deſpicit, præterita non reſpicit, præſentia non inſpicit, futura non proſpicit. Evidenter proinde curioſitati Pietas adverſatur, & quem illa à corde evocat, iſta revocat. Nimirum pietas illa eſt cultus Dei; & in corde colitur, qui in corde cognoſcitur habitare. Parit autem curioſitas experientiam mali, ut facile qui per multa vagatur, offendat, facile cadat in laqueum, facile inveniat quod pernicioſe delectet. Confligit ſane adverſus hanc Scientiæ ſpiritus, docens eligere bonum, reprobare malum; docens quid periculoſum ſit, quidve expediat experiri.

2 Pietas contra curioſitatem.
3. Spiritus Scientiæ contra experientiam mali.
Gen. 34. 2.
Pſal. 72. 7.
4 Fortitudo contra concupiſcentiam.
Joan. 8. 34.

3. Verumtamen in multis jam in concupiſcentiam experientia tranſire videtur. Habes hos gradus in Dina filia Jacob, quam nimirum, ad videndum alienigenas mulieres egreſſam, Emor filius Sichem rapuiſſe, corrupiſſe, ac deinde triſtem blanditiis deliniſſe legitur, ita ut illius animæ anima ejus adhæſerit. Dico autem in concupiſcentiam, &, ut Propheta meminit, in affectum cordis tranſiiſſe hominem qui legem ſprevit, honeſtatem abjecit, valefecit pudori, timorem autem Domini penitus tranſſiliit; ſoloque vehitur appetitu, ſequitur concupiſcentiam ſolam, ſola trahitur voluptate, & eſt apud eum pro ratione voluntas. Contra hanc igitur concupiſcentiam mali dimicat Fortitudo: neque enim ulla jam, niſi in manu forti, liberatio eſt. Indicat ſibi homo jejunia, corpus caſtiget & ſubjiciat ſervituti, ne forte jam de radice colubri egrediatur regulus, de concupiſcentia conſuetudo. Quemadmodum enim miſera nimium & miſerabilis humana fragilitas ſine pruritu concupiſcentiæ, aut impetu deſiderii, ſola conſuetudine ipſa ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare. Nimirum peccatum faciens, ſervus eſt peccati, ſervus plane diaboli, ad prava quæque prout trahitur ſequens, à quo nimirum captivus tenetur, ad ipſius voluntatem.

5 Conſilium contra pravam conſuetudinem.
Exemp. Eremitæ fornicationis ſpiritu ſolicitati. Vid. 5 Heremit. ad Rufinum.

4. Eſt autem conſuetudo hæc gravis quædam & pernicioſa catena, ſolvenda utique facilius, quàm rumpenda: ut hic maxime vulgare illud proverbium videatur uſurpari, Induſtriam violentia potiorem: ut quemadmodum vis vi repellitur, & fervore ſpiritus fervor exſtinguitur deſideriorum; ſic maligni artem arte deludas, & conſuetudini Conſilium opponas. Alioquin ſi forte violentiam quæras, & caſtigationem corporis ſperes conſuetudini prævalere, timendum omnino eſt ne ſit pernicioſus labor, & prius ipſa ſubſtantia deficiat, quàm inolita concupiſcentia, præſertim quod altera quædam natura ſit ipſa conſuetudo. Neceſſarium itaque eſt conſilium, vel ab ipſo magni conſilii Angelo miniſtratum, vel ab homine aliquo ſpirituali, qui cogitationes ſatanæ, ſpiritualiaque remedia non ignoret. Subtrahenda nobis occaſio eſt, & opportunitas fugienda peccati. Legimus, Fratres, in eremo fornicationis ſpiritu graviter quempiam impugnatum, laudabili prorſus induſtria à Patre curatum. Advocans enim ſenior fratrem alterum ſecreto, juſſit ut eumdem laceſſeret injuriis; & prior ipſe, quaſi accepta ab eo injuria, quereretur. Anxiabatur ille, & confuſus vehementer, ſic in brevi oblitus eſt priſtinæ tentationis, ut querenti de ea non ſine admiratione pluriima reſponderet: Papæ! vivere non licet, & fornicari liberet?

Prov. 18. 3.
6 Intellectus contra contemptum.

5. Sed forte necdum venit cui victoria repoſita eſt, quem triumphus manet, cui corona debetur, & contemptus ex conſuetudine prodit: ut tanto liberius, quanto deſperatius peccans, totas jam concupiſcentiæ laxet habenas, toto impetu feratur in præceps, ſicut ſcriptum eſt: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Hunc ergo contemptum neceſſe eſt ut ſpiritus Intellectus impugnet, illuminans tenebras cordis, & lucem divinæ miſericordiæ & copioſæ miſerationis infundens. Intelligentia nempe divinis & altiſſimis rebus attribuenda eſt, quas quidem ratio hu-

[a] Multa eſt varietas hujus ſermonis in codice Ciſtercienſi: ſed hæc parum ad ſenſum refert, ut in aliis. Citatur in Floribus lib. 7. cap. 46.

mana nullatenus, difficile autem vel fides ipſa comprehendere poſſit, ut eſt illud: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* (Rom. 5. 20.)

6. Jam ſi contemptus perſtiterit, accedere neceſſe eſt & malitiam, ut quam poteſt conſolationem deſperatus miſer admittat; & cui non eſt pars in bonis, lætetur vel in malis, lætetur cum male fecerit, & exſultet in rebus peſſimis. Ex his ergo ſolum hoc remedium eſt, ut ipſa adverſus malitiam Sapientia congrediatur, propriaque dextera prœlietur, quæ ſuccumbere omnino non novit. (*Sapientia contra malitiam.*) Quando enim liberetur qui in Babylonem * deſcendit, niſi præveniatur in benedictionibus ſupernæ dulcedinis, ut clavum clavus expellat; & peſtiferam dulcedinem vitiorum jucunditas ſpiritualis unctionis excludat? (* *al. habitationem.*)

7. Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter ſapientia victrix, eradicando ſingula vitia, ſingulaſque inſerendo virtutes. (*Recapitulatio præmiſſorum.*) Excutitur ſiquidem negligentia, ut timoris ſpiritus repleat mentem; abjicitur curioſitas, ut ſuccedat pietas; experientia mali fugatur, apponiturque ſcientia. Sic & concupiſcentiæ prævalet fortitudo, & conſilium conſuetudinem amputat, & intellectus vigens contemptum amovet, & diſparente omnino malitia, ſapientia regnat. Qua quidem triumphante, de cetero miſeram illam animam, quam pernicioſe negligentia ſoporaverat, pejus excitaverat curioſitas, attraxerat experientia, tenuerat concupiſcentia, ligaverat conſuetudo, contemptus in carcerem truſerat, malitia jugulaverat; timor ſuſcitat, pietas blande demulcet, ſcientia quid actum ſit indicans dolorem apponit; quod ſuum eſt fortitudo erigit, conſilium ſolvit, intellectus educit de carcere, ſapientia menſam ponit, refocillat eſurientem, & ſalutaribus reparat alimentis.

SERMO XV.

De quærenda Sapientia.

1. QUid in hoc mundo agimus, Fratres, aut quid facimus de hoc mundo? Si ſalvari contendimus à præſenti ſæculo nequam, quid adhuc de hoc mundo decernimus? (*Mundi compedes quo aureis ſint relinquendi.*) Si exire volumus, quid compedes noſtros nobiſcum trahere laboramus? Ponamus aureos eſſe: ſed multo melius eſt ſine his liberari, quàm eorum occaſione teneri. Non æſtimemus pretium, ſed impedimentum conſideremus: ne præter ipſam, quæ dura ſatis reputanda eſt, conditionis neceſſitatem, etiam cupiditatis viſco inhærere his incipiamus, & inanis ſollicitudinis nexibus irretiri. Quid enim in compedibus faciat quis, percunctari forte minus congruum judicetur, quod videlicet ad patiendum magis, quàm ad aliquid faciendum ſoleant homines compediri: & actionis impedimenta compedes ſunt, adminicula paſſionis. Agendum tamen nobis aliquid in hoc mundo; agenda utique pœnitentia: ſed ad paſſionem hæc potius, quàm ad actionem videbitur pertinere. Nihilo minus tamen agendum hic nobis aliquid: non quidem de hoc mundo, ſed in hoc mundo. Cùm enim legatur Adam in loco voluptatis ab initio poſitus, ut operaretur: quis ſanum ſapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum poſitos arbitretur? (Geneſ. 2. 15.) Operemur ergo, ſed cibum qui non perit: operemur opus ſalutis noſtræ. Operemur in vinea Domini: ut denarium diurnum accipere mereamur. Operemur in Sapientia, quæ dicit, *Qui operantur in me, non peccabunt.* (Eccli 24. 30.) Ager eſt mundus, ait Veritas. (Matt 13. 38.) Fodiamus, in eo: theſaurus abſconditus latet; effodiamus eum. Ipſa eſt enim ſapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiſcimus eam.

2. Sed fruſtra quærit, qui in lectulo ſuo quærit: neque enim in terra ſuaviter viventium invenitur. (*Sapientia ubi invenienda.*) Lectulus eſt, & ibi gigantem quæris? Tuus eſt; & ibi ſperas invenire eum, qui diverſoria ſemper ignorat? *Si quæritis*, inquit, *quærite: convertimini, & venite.* (Iſai. 21. 12.) Quæris unde? A lectulo tuo. Quæris unde convertaris? (Eccli. 18. 30.) *A voluntatibus*, inquit, *tuis avertere.* Et ſi in voluntatibus meis non invenio, ubi, inquis, invenio ſapientiam? Vehementer enim eam deſiderat anima mea: nec inveniſſe ſufficiet, ſi contigerit invenire, niſi menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem ponam in ſinum meum. Merito quidem. *Beatus enim homo qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia.* Quære ergo dum inveniri poteſt: & dum prope eſt, invoca illam. Vis audire, quàm prope ſit? *Prope eſt verbum in corde tuo, & in ore tuo:* (Rom. 10. 8.) tantum illud recto ſi quæſieris corde. Erige cor, ſurge de lectulo tuo, ut non fruſtra audias admonentem ſurſum habere cor. Sic enim invenies corde ſapientiam, ore afflues prudentia; ſed affluere, non effluere vel evomere cura.

3. Nimirum mel inveniſti, ſi inveniſti ſapientiam; tantùm ne multum comedas, ne ſatiatus evomas illud. Sic comede ut ſemper eſurias. Nam ipſa dicit: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* (Eccli 24. 29.) (*Satietas mellis, id eſt ſapientiæ, cavenda.*) Noli multum reputare quod habes; noli ſatiari ne evomas, & hoc ipſum quod videris habere, auferatur à te, quippe qui ante tempus quærere deſtitiſti. Neque enim dum poteſt inveniri, dum prope eſt, ab inquiſitione vel invocatione ceſſandum eſt. Aliter quoque *ſicut qui mel comedit multum* (ut ait idem Salomon) *non eſt ei bonum: ita qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* (Prov. 25. 27.) Quid tu, Pilate, ſeorſum interrogas Dominum, ut tibi ſuſurret in aurem, quid ſit veritas? Multum eſt ad te: non dabitur ſanctum cani, nec margarita porco. Quære potius fidei guſtum; ſatietatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito, Fratres, reverberata acie protinus reſilivit: & reſponſum non ſuſtinens, egreſſus eſt ad Judæos, qui attribulare cœperat in magnis & mirabilibus ſuper ſe, quid eſſet veritas percontatus. (Johan 18 38.)

4. Quocirca QUÆRAMUS ſapientiam in corde, & ſapientiam quæ eſt ex fide, quemadmodum Apoſtolus ait: *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* (Rom 12 3.) SOBRIA ſiquidem ſapientia [a] eſt in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemptu præſentium commodorum, in deſiderio futurorum præmiorum. (*Sapientia ſobria conſiſtit in tribus.*) Inveniſti plane ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi hujus ſæculi deſiderabilia parvi pendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Inveniſti ſapientiam, ſi tibi horum ſingula ſapiunt prout ſunt, ut hæc quidem amara & omnino fugienda, iſta quoque velut caduca & tranſitoria contemnenda; illa vero ut perfecta bona totis appetenda deſideriis, intimo quodam animi ſapore dijudices & diſcernas. Atque hæc quidem ſobria eſt ſapientia, & vomitum neſcit, ubi & timoris frigus ex recordatione peccatorum, & caritatis fervor ex appetitu divinarum promiſſionum, tepiditatem amovet earum, quæ nunc ſunt, peſſimarum occupationum: ut nec evomas ſapientiam, nec evomaris ab ea. Sicut enim beatus homo qui invenit ſapientiam: ſic etiam beatus vir, vel beatior etiam qui morabitur in ſapientia: (Eccli. 14. 22.) forte enim hoc ad affluentiam ſpectat.

5. Sane in his tribus ore affluis ſapientia vel prudentia, ſi ſit in ore confeſſio propriæ iniquitatis, ſi gratiarum actio & vox laudis, ſi etiam ſermo ædificationis. (*Sapientia in ore & in corde.*) Nimirum *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* (Rom. 10. 10. Prov. 18. 17.) Atque in principio quidem ſermonis juſtus accuſator eſt ſui: nam in medio magnificare Dominum; in tertio quoque (ſi eatenus affluit ſapientia) ædificare proximum debet. An vero & in opere affluendum eſt ſapientia? Et maxime. (*In opere.*) Quæramus ergo & in opere triplicem affluentiam: nam & olim dictum eſt à Sapiente quodam, quod ſapientia tripliciter deſcriberetur. (Prov. 22. 20.) Itaque, ſi vos melius non habetis, puto ego, quod ad opus pertinet, copioſe ſatis affluere ſapientia, (*Sapientia quis affluat.*) quicumque inter vos continenter, patienter, & obedienter converſatur: tantum ut fidelis obedientia propriam mortificet voluntatem; humilis continentia carnalem pariter & ſæcularem amputet voluptatem; hilaris patientia utramque ſimul, & corporalem ſcilicet, & mundialem, viriliter ſuſtineat adverſitatem.

[a] Hunc locum habes in lib. 8. Florum cap. 30.

Tom. III.

SERMO XVI.

De triplici genere bonorum, & vigilantia ſuper cogitationibus.

a Religioſos à malis cogitationibus quàm alienos eſſe oportere.

1. ET a propenſius ſtudium, & cura vigilantior noſtris eſſet cogitationibus adhibenda, Fratres mei: noſtris, inquam, quibus tam ſanctarum meditationum aſſidue materia miniſtratur. Nocte enim & die nobis propheticæ & evangelicæ, ſed & apoſtolicæ voces canuntur & leguntur, quæ & pœnam minantur inferni, & gloriam regni pollicentur. Unde ergo nobis tam vanæ, tam noxiæ, tam obſcœnæ cogitationes, quæ nunc immunditia & elevatione, nunc ſuperbia & ambitione, ceteriſque paſſionibus contorquent nos, ut vix aliquando in ſerenitatem ſanctarum cogitationum reſpiremus? Væ nobis à torpore & tepore cordis noſtri! qui permittimus nos his vanitatibus occupari, & non magis ex inſtanti tranſſilimus in bona Domini, ſive in naturalia, ſive in ſpiritualia, ſeu etiam in æterna. Et quidem naturalia bona b magna, ſpiritualia majora, ſed maxima ſunt æterna. In primis reparamur, in ſecundis exercitamur, extendimur & beatificamur in tertiis. Si non potes oculum meditationis in illam ſublimitatem æternalium bonorum infigere, quia diſtantia ſunt, & omnem ſenſum exſuperant: in bonis gratiæ, quæ ſunt in exercitio virtutum, viſum reflecte, ut videas quàm puræ conſcientiæ, quàm liberæ frontis ſit verſari & converſari in caſtitate & caritate, in patientia & humilitate, ceteriſque virtutibus, quæ amabilem Deo, placabilem & imitabilem hominibus reddunt. Quod ſi & hæc nimis ſublimia ſunt, & tranſgredientia infirmitatem tuam; demitte oculos tuos in bona naturæ, quæ tibi tam familiaria eſſe debent, quantum tu familiaris es tibi. Nec ſic dicimus bona naturæ, quaſi gratiæ non ſint: ſed ideo quod ipſi naturæ quodam modo ingenita & complantata fuerint, antequam fieret peccatum illud, quod non ſolum perſonam infecit, ſed etiam naturam. Extunc non ita nobis ad manum perveniſſe monſtrantur propter vulnus inflictum, cum tamen nos illa in nobis & circa nos eſſe tam rationibus, quàm affectionibus plerumque ſentiamus. Et quia nos ex anima & corpore conſtitimus; juxta vocem Apoſtoli, ab animali parte, id eſt à bonis corporis, incipiamus, ut non ſit prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale.

b Triplicia bona, naturalia, ſpiritualia, æterna.

1. Cor. 15. 46

1 Bona corporis. Debemus corpori ſanitatem non voluptatem.

2. Sunt autem omnia bona corporis, & quæ ei ſolummodo debeamus, ſanitas. Nihil autem ei ultra dandum eſt vel quærendum, ſed hoc termino ligandum, & frenandum eſt, cum fructus ejus nullus ſit, & mors ſit finis illius. Sed hic fovea eſt, quæ nolo vos lateat. Inſidiatur enim voluptas ſanitati, & tam ſubtili malignitate proſequitur, ut vix eam quis vel poſſit cavere, vel noverit. Quod ſi voluptati ſervitur, non ſanitati; hoc jam de natura non eſt, ſed ſub natura, quæ morti manus dat, cum magiſtram conſtituit voluptatem. Inde etiam eſt quod multi ad tam beſtiales & rebelles impetus deſcenderunt, vel (ut dicam verius) ceciderunt, ut voluptatem præferant ſanitati, illis ipſis ſæpiſſime volutentur, quæ ſciunt difficiles & acutiſſimas ſubſequi paſſiones. Sicut autem corporis natura eſt ſanitas, ita cordis natura eſt puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus; & cor humanum ad hoc factum eſt, ut ſuum videat Creatorem. Si vero ſanitati corporis ſollicita eſt providenda cuſtodia, puritati cordis tanto ſollicitior eſt impendenda, quanto pars iſta dignior illa eſſe convincitur. Hic tamen ſimpliciter accipimus puritatem, ut videlicet omnia quæ agimus, pure & humiliter confiteamur Domino in oratione, homini in confeſſione, & dicamus: *Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Lege S. Auguſtin. L. 10 Conf. cap. 13.

2. Cordi puritatem.

Pſal. 31. 5.

3. Et quia ſociale animal ſumus, ex his quæ in nobis ſunt, ad ea quæ circa nos ſunt tranſeamus: ut, ſi fieri poteſt, quod ex nobis eſt, pacem habeamus cum omnibus hominibus. Hæc enim eſt lex naturalis ſocietatis, ut omnia quæcumque nobis fieri nolumus, aliis non faciamus: & quæ nobis fieri volumus, aliis impendere ſtudeamus. Sicut ergo debemus ſanitatem corpori, puritatem cordi: ſic & fratri pacem. Jam hinc tranſeundum eſt ad ſanctorum animas, quæ de hujus mortalitatis carcere ad cælorum gaudia volaverunt. His profecto debemus imitationem: quia ſimiles fuere nobis paſſibiles, & notas nobis fecerunt vias vitæ, quas tam infatigabiliter, quàm interminabiliter tenuerunt. Sed & illis qui non in tanta ſanctitate ſeu peracta pœnitentia exierunt, compaſſionem debemus & orationem, propter ſimilis naturæ conſortium: ut pius Pater auferat ſcoriam eorum, & in beneficia flagella commutet, & ſic tandem reconſignet ad beatæ gaudia civitatis. Si enim tauri, cum taurum mortuum invenerint, plorant, mugiunt, & quaſi quibuſdam debitis humanitatis obſequiis fraterna funera proſequuntur: quid debet homo homini, quem & ratio docet, & trahit affectio? Sicut ergo ſanctis animabus imitationem, ſic minus ſanctis compaſſionem debemus, illinc exemplum, hinc gemitum haurientes.

3. Proximo debemus pacem.

4. Sanctis imitationem.

5. Defunctis compaſſionem & orationem.

4. A ſanctis vero Angelis auxilium quærendum eſt, & occultis ſuſpiriis, & frequentia lacrymarum: ut illi ſupereminenti majeſtati preces noſtras offerant, referant gratiam, qui adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi propter nos, ut hereditatem capiamus ſalutis. Ab illo autem rerum omnium Domino pietas quærenda eſt, ut ille cujus natura bonitas, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, non reſpiciat multitudinem iniquitatum noſtrarum; ſed ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum miſereatur noſtri. Ipſi enim nos & amorem debemus, & ſubjectionem cum omni reverentia & humilitate. Amorem, quia fecit nos, & benefecit nobis: ſubjectionem, quia ſuper nos eſt, & hoc præcipit * nobis, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Ita ergo & ſanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem ſanctis, compaſſionem mortuis debemus: auxilium ab Angelo, pietatem à Deo c ex arca naturalium bonorum habere debemus & quærere: ut ſciamus, quia cum hæc quæ mandata ſunt & data naturæ fecerimus, ſervi inutiles ſumus: quæ debuimus facere, fecimus. Aut vix enim, aut numquam invenitur aliquod præceptum datum hominibus, quod tranſeat terminos poſſibilitatemque naturæ. In his autem bonis, ſicut prædiximus, reparamur, & quaſi quodam modo reſtituimur in antiquum, dum ad ingenitam naturæ ſuavitatem revertimur, dum etiam nobis, & his qui circa nos ſunt, & eis qui ſupra nos ſunt, debitum rerum ordinem exhibemus. Et hæc quidem pro bonis naturalibus.

A S. Angelis quærendum auxilium.

Hebr. 1. 14.

A Deo pietas & miſericordia.

6 Deo debemus amorem & ſubjectionem.

* al. præcellit nobis.

c

5. Spiritualia autem bona, in quibus exercemur, ut ad æterna tendamus, ipſa eadem ſunt: ſed alia, quia alio intuitu conſiderata, cum plurimis tamen aliis, quæ longum eſt enumerare. Illa enim juxta naturam; hæc ſupra naturam eſſe noſcuntur. Nam & in ſpirituali exercitio non ſanitatem debemus corpori, ſed ſervitutem, ſed afflictionem, ſed laborem, juxta vocem illius ſpiritualis & ſumme ſpiritualis hominis, qui dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Nec iſtam tantum cordi puritatem debemus, ut pure & humiliter confiteamur peccata noſtra; ſed ut in intentione, cogitatione, & opere hanc circumſpectionem exhibeamus, ut & vita noſtra ſit fructuoſa, & fama glorioſa: non quæ fructificet ſibi, ſed Deo; non quæ glorificet ſe, ſed Patrem ſuum qui in cælis eſt. Pacem quoque non ſolum fratribus exhibendam dicimus in via iſta; ſed cum his qui oderunt pacem, eſſe pacificum, portare omnes, & à nemine velle portari. Confitemur etiam non modo compaſ-

Bona ſpiritualia.

Corpori quid debeamus in via ſpirituali.

1. Cor. 9. 27

Quid puritatis.

Quid debeatur.

a Simili modo Nicolaus Claræ-vallenſis, *Et quietum ſtudium, & attentum ſilentium, &c.* orſus eſt ſermonem in feſto ſancti Andreæ, in quo idem his ſermo habitus eſt infra, num. 6.

b Hic locus citatur in lib. 5. Florum S. Bernardi cap. 4. & 5. alter ex num. 7. in eodem lib. cap. 90.

c Alias, à *Deo poſtulemus.* Ex arca, &c.

ſionem

ſionem mortuis & orationem, ſed in ſpe etiam congratulationem adhibendam: quia etſi contriſtandum eſt, quod in locis purgatoriis patiuntur; multo amplius collætandum, quod prope eſt, ut abſtergat Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & jam non ſit neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor, quia prima abierunt. Sanctis vero animabus non jam imitationem, nec à ſanctis Angelis tantummodo quærere debemus auxilium; ſed ardenter deſiderare conſpectum eorum, & eſſe cum illis, & videre quæ ſint illæ columnæ cæli, quæ ſuſtinent orbem terrarum, in quibus rutilat & relucet tantum, & tam excellens divinitatis inſigne. A Domino autem non ſolum pietas quærenda eſt, ſed & in eum tota affectio dirigenda, ut diligamus nos propter ipſum, & ſuſpiciamus quæ ſit illa majeſtas quæ cuncta faciat, cuncta contineat, & in quam deſiderant rationabiles creaturæ proſpicere.

Quid Sanctis & Angelis.

Quid Deo.

6. Hæ ſunt ſemitæ ſpiritualis exercitii, in quibus religioſa mens & dilatatur, & delectatur, unde eorum quæ ſunt retro oblita, & ad anteriora, id eſt, æterna bona, ſe extendens, ſequitur ad palmam ſupernæ vocationis. Numquid non ſupra naturam beatus iſte Andreas apoſtolus, cujus ſollemnitas præ manibus eſt, tranſilierat, qui dicebat: „O bona crux, diu deſiderata, „& jam concupiſcenti animo præparata! ſecurus & gau„dens venio ad te. Alterati hominis eſt iſta vox, & qui de bonis naturæ ad gratiæ bona ſurrexerat: ut non ſolum gloriaretur in ſpe, ſed & in tribulationibus, & gaudens iret à conſpectu concilii, quod dignus eſſet pro nomine Jeſu contumeliam pati. Non modo enim patienter, ſed & libenter, verum & ardenter ad tormenta ſicut ad ornamenta, ad pœnas ſicut ad delicias properabat.

S. Andreæ Apoſtoli elogium.

7. Porro æterna illa bona, bona ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, & quæ numquam exeunt ab illa patria, quæ neſcit niſi gaudium & jubilationem. Ibi nihil deeſt; ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas. Quæ eſt iſta copia, ubi nihil quod nolis ſit, totum ſit quod velis? *Fiat pax*, ait Propheta ad Jeruſalem, *in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. In illis, inquam, turribus, quæ juxta Prophetam alium gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice ſacramenti ſatiabit nos Deus. Quod ſi nihil deerit nobis, aliquid autem nobis latuerit, numquid erit gloria conſummata? Ideo nihil latebit nos; & ecce ſapientia, qua curioſitas hominis ſatietur. O ſapientia, qua tunc omnia quæ in cælo, & quæ in terra ſunt, perfectiſſime cognoſcemus, in ipſo fonte ſapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes! Non metuam ſuſpiciones, non timebo conſilia: quia civitas illa, juxta Johannem, puriſſimo vitro ſimilis erit, ut ſicut per vitrum lucidiſſime cernimus, ſic aliorum conſcientias clariſſime videamus. Quid ſi & nihil defuerit, & nihil latuerit; maneat autem timor & anxietas amittendi? Ideo nihil terret; & ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. *Qui poſuit*, inquit, *fines tuos pacem, & confortavit ſeras portarum tuarum*: ita ut nullus inimicus intret, nullus exire poſſit amicus. Ubi ergo ſumma abundantia, ſumma ſapientia, ſumma potentia eſt; puto quod nihil deſit plenitudini beatitudinis, quantum ſpectat ad ſummam felicitatis humanæ. Hæc ſunt bona naturæ, gratiæ, gloriæ; bona humanitatis, bona virtutis, bona æternitatis. Hæc cogitemus, hæc ruminemus, Fratres, & juxta præceptum Legis revocemus ruminationem, quia ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus noſtri. Sic enim cogitatio ſancta ſervabit nos, ut dicamus cum Sancto: *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper, Domine adjutor meus, & redemptor meus.*

Bona æterna. *Pſal. 121. 7.* *Apoc. 21. 19.* *Bonorum abundantia in cælo.* *Sapientia.* *Apoc. 21. 18.* *Potentia.* *Pſal. 147. 3.* *Levit. 11. 3.* *Pſal. 18. 15.*

SERMO XVII.

Tom III.

De triplici cuſtodia, manus, linguæ, & cordis.

1. OMnes nobis cauſamur deeſſe gratiam: ſed juſtius forſitan ipſa ſibi queritur gratia deeſſe nonnullos. Nempe res cordis eſt gratia devotionis iſta, quam quærimus; & hoc munere ipſe ſe fraudat, qui internum ei diſſimulat receptaculum exhibere. Ceterum unde illi cura cordis, cui ne ipſa quidem adhuc oris circumſpectio, ſeu manus cuſtodia ſubeſt? Non ſibi deeſſe miretur conſummationem, qui nec initium apprehendit: ſed ne is quoque qui initium jam tenere videtur, ſi ad medium non pervenit. Magnum eſt homini ſæculari mundas habere manus: monacho non eſt magnum, ſed plane magnum ei malum eſſe probatur, ne ipſarum quidem contagia declinare. Immo vero & in ipſis quoque manibus longe amplior munditia, & juſtitia abundantior à nobis exigitur, quàm ab illis. Nimirum illis dicitur, *Fugite fornicationem*; & *Qui furabatur, jam non furetur*, ceteraque ſimilia: quæ qui fecerint, regnum Dei non conſequentur. Numquid & nobis ab hujuſmodi contagiis operum, & tam gravi manuum contaminatione timendum eſt? Sed quo nitidiores manus, eo gravius quoque minor in eis nævus offendit: & ſicut pretioſam veſtem exigua quævis macula turpius decolorat; nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia ſufficit; nec jam nævus eſt, ſed gravis macula, ſi in actionibus noſtris vel minorum reſidet negligentia mandatorum. Hæc igitur operum diligentia ſervandorum initia noſtræ converſationis exercet, dum adhuc quidem modicum, ſed tamen jam lumen in nobis eſt, niſi forte magnum ſe putant habere lumen, quibus Veritas ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Quia ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* Sed hoc, inquies, propter humilitatem monuit eſſe dicendum. Plane propter humilitatem: ſed numquid contra veritatem? Ceterum ſi circa factorum quoque cuſtodiam invenimur adhuc negligentiores, nemo ſapiens eum liquare culicem moneat, qui utinam non glutiat vel camelum.

Gratia non tam nobis deeſt quàm nos gratiæ. *Prima cura ſit manuum, id eſt operum, major in Religioſis.* *1. Cor. 6. 18. Epheſ. 4. 28.* *In Religioſis minimus etiam nævus graviter offendit.* *Luc. 17. 10.*

2. At ſi jam manus mundatæ fuerint, nec ſic quidem continuo ad cor tranſitur: labiis ſane mundandis ſecundum ſtudium & media ſollicitudo debetur. Quod ſi dixeris, Rarus eſt qui ſermones ſuos in judicio diſponere videatur; vel ex hoc diſces, quàm ſit rara perfectio, cum nec profectum inveneris omnibus eſſe communem. Quis ſane numeret, quantas modicum linguæ membrum contrahat ſordes; quàm multiplex in labiis incircumciſis immunditia coaguletur; quanta ſit perniciei oris in circumſpecti? Eſt enim lingua diſſoluta in ſermonibus otioſis; eſt lingua impudica, eſt & magniloqua: quarum prima laſciviæ, ſequens arrogantiæ famulatur. Eſt etiam lingua doloſa, & item lingua maledica: quarum altera in falſiloquam & adulatoriam ſubdividitur: altera vero nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod ſi de omni vel otioſo verbo, quodcumque locuti fuerint homines, Deo ſunt reddituri rationem in die judicii: quanto diſtrictius de verbo mendaci, mordaci & injurioſo, de elato vel laſcivo, de adulatorio aut detractorio judicabuntur?

Secunda cura linguæ ſeu verborum. *Linguæ multiplex peccatum.* *Matt. 12. 36.*

3. Quàm vera ſententia, Fratres, *In multiloquio non effugies peccatum.* Ut enim prætercam cetera, ſi propterea otioſum eſt verbum, quod nullam rationabilem cauſam habeat: quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter rationem? Nemo veſtrum, Fratres, parvi æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: ſiquidem tempus, acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora [a] prætereat. O donec

Prov. 10. 19. Verbum otioſum quodnam ſit. *Temporis jactura in verbis otioſis.*

[a] Hinc colligunt nonnulli, Ciſtercienſibus horam aliquando ad confabulandum conceſſam fuiſſe, ut infra num. 5. *poſt longas confabulationes*. Unde vir ſanctus ſupra in ſermone de Humberto num. 8 otioſos ſuorum ſermones, jocos, ſcurrilitates, alibi etiam detractiones arguit. Alias ſane magna erat apud eos ſilentii religio ex ſermone 3. de Adventu num. 5 & ex aliis locis.

Tom. III. prætereat hora! ô donec pertranſeat tempus! donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio Conditoris indulget! donec tranſeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem; properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hereditatem, adſpirare ad promiſſam felicitatem; excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem! Sic nimirum, ſic agricolæ, cum diu deſiderata affuerit opportunitas ſeminandi; ſic vinitores, cum exſpectatum tempus putationis advenerit; inveniſſe occupationes, & quaſi irreprehenſibiliter ſine opere diem tranſegiſſe lætantur? Sic inſtantibus nundinis inſtitores nectere moras, occaſiones quærere ſolent, ne quem forte ſibi ex B eis quæſtum provenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus evocatus tandem affuerit eleemoſynarum diſtributor, diverticula captant, & concurrentibus ſociis vacuos ambiunt occupare receſſus, & fovere latebras in angulis platearum?

Detractio tres perimit. 4. Utinam tamen vel ſolum tempus vitæ amitteretur in verbis! ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modo ipſi amittere, ſed adimere quoque; & hoc fratribus ſuis. An non amittunt vitam detractores, Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit Vita quos odit: & quos Vita fugit, mori neceſſe eſt. An non & ipſe moritur, qui venenum bibit, quod ei maleſuada C detractoris lingua propinat? ſiquidem furtim ei dilectionis vita ſubtrahitur: & dum neſcit, paulatim in eo fraterna caritas refrigeſcit. Auditurus eſt forſitan ipſe quoque cui detrahitur. Undique enim verba volant, & multorum prius ora ſermo pertranſiens, difficile fieri poteſt quin ſingulorum creverit linguis, & quaſi jam provectus referatur ad eum, ad cujus ſpectat offenſam. Itaque ſcandalizabitur audiens, & tabeſcet; eoque facilius exſtinguetur in eo caritas, quo amplius ante vivere videbatur. *Si inimicus*, ait, *meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*. Et quidem cavet ſibi prudens auditor; cavet & ipſe, ſi non deſipit, qui ſibi noverit eſſe detractum: ille, ne veneno inficiatur; iſte, ne ſcandalo perturbetur. Sed, quod in ſe eſt, tamen lin- D gua maledica, & illius percutiens conſcientiam, & iſtius vulnerans caritatem, ſecum pariter utrumque peremit. Numquid non vipera eſt lingua iſta? Ferociſſima plane: nimirum quæ tam letaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea eſt iſta lingua? Profecto & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua*, inquit, *eorum gladius acutus*. Gladius equidem anceps, immo triceps eſt lingua detractoris.

Psal. 54. 13.

Detractoris lingua lancea, ſpinis & clavis Chriſti crudelior. 5. Nec vero ejuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro; nec jam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpi- E nis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit; ſeu etiam clavis ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illis & pedibus conſummata Judaicæ gentis iniquitas infixit. Niſi enim hujus, quod nunc pungitur & tranſfoditur, corporis vitam ſui vitæ corporis prætuliſſet; numquam illud pro iſto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidiſſet. Et dicimus: Levis res eſt ſermo; tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis: quis ſapiens magni pendat? Levis quidem res ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat. Leviter tranſit, ſed graviter urit: leviter penetrat animum, ſed non leviter exit: profertur leviter, ſed non leviter revocatur: F facile volat, atque ideo facile violat caritatem. Vilis res eſt muſca moriens, ſed exterminat oleum ſuavitatis. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri poteſt: ſubſtantia quidem infirmum atque exiguum, ſed oſſi magnum & validum invenitur. Modicum membrum eſt; ſed, niſi caveas, magnum malum. Tenuis eſt & lata, aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumentum,

Eccl. 10. 1. Lingua quantum mala.

A ſicut multorum mihi inter vos conſcientias arbitror atteſtari. niſi forte omnes tam perfecti ſumus, ut numquam nobis poſt longas confabulationes inventa ſit mens quodam modo vacua, meditatio minus devota, ſicca magis affectio, & holocauſtum orationis non adeo pingue propter verba, ſive quæ diximus, ſive etiam quæ audivimus; verba tamen.

6. Facile enim lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi: ita ut multis inter loquendum minus profuerit quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis eſt frater qui tibi loquitur, ſapiens eſt, religioſus ac timens Deum; plus dico, angelus eſt, & angelus lucis: etiam ſic cave tibi, ne audias unde lædaris. Nec perſonam tibi velim ſuſpectam eſſe, ſed B linguam, præſertim in ſermocinatione communi. Bona quidem columbæ ſimplicitas; ſed in hac parte ſerpentis quoque aſtutiam non omittas. Maria ne angelicum quidem verbum ſine diſcuſſione prætereiens, *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Tu quoque, qui crebris ſaltem experimentis ſollerter advertiſti, quantum noceant verba; non deſipies, ſi ſollicitus fueris (quandoquidem intereſſe neceſſe eſt collocutioni) non modo ori circumſpectionem, ſed & auri nihilo minus adhibere cautelam. Non miremini quod huic gradui proficientium diutius immoremur: plures ſiquidem inter nos proficientes eſſe credimus, quàm perfectos.

Luc. 1. 29.

7. Forte tamen nimii videamur in ſuggillatione ver- C borum. Sed mementote quoniam lingua eſt, quæ contra vitia linguæ loquitur, ut in eo vel maxime haberi debeat excuſata, quod nec ſibi parcat, & adverſus propria quoque ſui ipſius pericula muniat audientes. Ventus eſt ſermo, ſed non ſemper eſt ventus urens. *Surge*, inquit, *Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius*. Eſt quoque magna nihilo minus ſermonis utilitas, & frequenter in lingua fructus pretioſiſſimus reperitur. Nempe juſti vita ex fide eſt, & fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo enim vivet quis, niſi crediderit? Quomodo credet, niſi audierit? Quomodo audiet, niſi annuntietur ei? Sane propterea majorem ei diligentiam, & diligentiorem cuſtodiam convenit exhiberi, quod ſit, D juxta Scripturam, *mors & vita in manibus linguæ*. Alioquin ſi ſola ineſſet vita, nec circumciſio quidem ei; ſi ſola mors, etiam abſciſſio deberetur. Nunc vero ponenda * ori noſtro cuſtodia, & oſtium circumſtantiæ labiis, ut nec vitalem ædificationem clauſura damnet æterna, nec letalis pernicies liberum ſortiatur egreſſum. Vigilemus [a] itaque ſuper opera noſtra, Fratres, ne vel omittamus quod præceptum eſt, vel quod prohibitum eſt committamus. Hortatur nos ad bipertitam hanc cuſtodiam Propheta, cum dicit: *Declina a malo, & fac bonum*. Vigilemus etiam nihilo minus ſuper verba noſtra, ne in eis vel offendere Deum, vel proximum nocere contingat. Felix ſiquidem, quem in om- E ni confabulatione duplex timor ille ſollicitat, & duorum conſideratio ſtimulat auditorum: primum quidem divinæ majeſtatis, in cujus manus incidere prorſus horrendum: dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilo minus perfacile eſt offendiculum dare.

Cant. 4. 16.

Lingua bona magna utilitas.

Prov. 18. 21.

* al. add. in labia.

Psal. 36. 27.

8. Puto tamen ne eum quidem, qui in verbo cavet offenſionem, perfectum adhuc dici oportere, niſi forſitan comparatione prioris, qui tantum ſuper opera vigilabat. Nam & Veritas in Evangelio de vigilantibus ſervis, & adventum Domini præſtolantibus loquens: *Si*, inquit, *in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi*. Quod nequaquam de prima, ſed nec de ſecunda quidem dictum eſſe reperies. Eſt autem vi- F gilia hæc ſuper cor, cui ſane omnem jam cuſtodiam adhibendam Sapiens monet: nimirum *quia ex ipſo vita procedit*. Ego tamen etiam hanc conſtare arbitror ſpecialiter in duobus: ut videlicet ſuper affectionum pariter & cogitationum ſuarum greges mens ſollicita vigilanter intendat. Et bene huic datur omnis cuſtodia, à quo ceteras quoque duas procedere conſtat: niſi

Luc. 12. 38.

Prov. 4. 23.

a Citatur hic locus in lib. 2. Florum Bernardi cap. 34.

forte (quod abſit) ſimulationis gerantur ſtudio, & pietatis habeant ſpeciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena ſcaturiens, niſi foſſas ante repleverit adjacentes, nec refluere, nec ſedari, nec in altum ſeſe tollere prævalebit, quod videlicet alias occupetur: ſic humanus animus, donec eas, quas prædiximus, manus & linguæ cuſtodias ſollerter impleat; nec ad perfectam haoc ſui ipſius poterit reflecti curam, nec jucunda devotionis tranquillitate frui, nec io ſublimem divinæ contemplationis proficere gradum. Eia, fratres, ſi ſupernæ viſitationis gratiam quærimus, ſic quæramus: ſi ſpiritales conſolationes deſideramus percipere, ſic petamus: ſi cælum nobis aperiri cupimus, ſic pulſemus. Hoc denique triplici modo vigilemus, ſi ad nuptias volumus intrare cum ſponſo Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui eſt benedictus [a] in ſecula, amen.

Cordis cuſtodia ... & ... nequit.

SERMO XVIII.

De gaudio ſpirituali, ſeu de verbis Apoſtoli, *Non eſt regnum Dei eſca & potus, &c.*

Rom. 14.

1. QUid prætergredimur viam, qui ad gaudium properamus? Eſt quidem gaudium in * regno Dei, ſed non primum * eſt. Eſt gaudium de regno Dei, ſed non gaudium carnale, non gaudium ſæculare, non gaudium cujus extrema luctus occupat, ſed in quod magis triſtitia vertitur: non denique gaudium eorum qui lætantur cum male fecerint, nec exſultatio quæ in rebus peſſimis eſt, ſed gaudium in Spiritu-ſancto. Unde autem hoc gaudium interim, niſi de juſtitia & pace procedit? Ipſa ergo procedant tamquam cellulæ mellis, ut facile adhuc labilem liquorem ſuavitatis ſolidior poſſit materia continere. Erit quando jam ipſo ſimplici melle fruemur, & gaudium noſtrum plenum & purum erit, ut non modo in Spiritu, ſed de ipſo quoque Spiritu gaudeamus. Erit quando omnimodis erit gaudium ſpirituale, ut nullis jam corporeis occaſionibus excitetur, non operibus miſericordiæ, non lacrymis pœnitentiæ, non exercitatione juſtitiæ, non probatione patientiæ, ſed ipſa magis præſentia Spiritus, in quem deſiderant ipſi etiam Angeli proſpicere. Interim ſane velut ſalis loco ſapientia mihi cetera condit, tamquam non ſit & ipſa cibus. Interim priuſquam comedam, ſuſpiro; & nec tunc quidem permittor, ut glutiam ſalivam meam. Eſt enim ſapiens, cui quæque res ſapiunt prout ſunt. Cui vero ipſa jam in ſe, prout eſt, ſapientia ſapit, is non modo ſapiens, ſed etiam beatus eſt. Nempe hoc eſt videre Deum ſicuti eſt; atque hic quidem fluminis impetus lætificans civitatem Dei; hic torrens voluptatis; hæc denique uberias inebrians eſt.

* al. de.
* al. præmium.
Gaudii ſpiritualis origo.
Gaudii ſancti deſcriptio, & origo.
Sapiens & beatus quis.

2. Nunc vero, Domine, vinum non habent: deficit enim in his interim nuptiis vinum, vinum utique carnalis illecebræ, & concupiſcentiæ ſæcularis. *Fel draconum*, inquit, *vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Semper nobis hoc vinum deficiat, Fratres mei, quia non eſt hoc vinum bonum. Bonum vinum, non ex vinea impuritatis, ſed ex hydria purificationis hauritur. Bonum vinum, non ex uva Gomorrhæ conficitur, ſed ex aqua Judææ. *Servaſti*, inquit, *bonum vinum uſque adhuc.* Nam optimum quidem vinum ſervatur etiam uſque adhuc, quod videlicet non ex aqua conficiendum, ſed exprimendum magis ex botro illo magno terræ promiſſionis, qui interim in vecte portatur, dum ſecundum carnem novimus Chriſtum, & hunc crucifixum. Numquid non illi vinum defecerat, qui dicebat: *Renuit conſolari anima mea?* Sed & vinum aquam factum guſtaſſe viſus eſt, cum ſubjunxit: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Quid enim faciet in præſentia, qui in ſola memoria delectatur? Sic & Apoſtoli plane vinum aquam factum guſtaverunt, quando *ibant gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Quomodo non vinum ex aqua, gaudium de contumelia? Nimirum implebatur jam promiſſio Veritatis, quæ ad eos facta erat hoc modo: *Triſtitia veſtra convertetur in gaudium.* hoc eſt, aqua veſtra vertetur in vinum. Miraris quod in vinum aqua mutatur? etiam tranſit in panem, niſi forte oblitus es comedere panem tuum, eum de quo legiſti: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.* Denique audi menſuram. *Erant*, ait, *lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum.* Si verus Judæus es, non carne, ſed ſpiritu; ſex annis ſervies, in ſeptimo liber egredieris: in ſex hydriis purificaberis, ſex diebus operaberis, in ſex tribulationibus liberaberis; & in ſeptima non tanget te malum. Non ſolum autem liberaberis in eis, ſed & vinum bibes ex eis, ubi cœperis juxta Apoſtolum gloriari non ſolum in ſpe, ſed etiam in tribulationibus.

Deut. 32. 33.
Vinum carnalis illecebræ.
Johan. 2. 10.
Vinum bonum ſanctæ voluptatis.
Pſal. 76.
Act. 5. 41.
Johan. 16. 20.
Pſal. 79. 6.
Johan. 2. 6.
Vide ſerm. 18. de diverſ.
Rom. 5. 3.

3. Hoc enim eſt duplex interim gaudium, quod habes in Spiritu-ſancto, de memoria futurorum bonorum, & malorum præſentium tolerantia. Nil quippe in his carnale ſapit, nil ſæculare, nil vanum: ſed Spiritus veritatis & cæleſtis ſapientia eſt, cujus in utraque ſuavitas prælibatur. *Gaudete in Domino ſemper*, ait Apoſtolus, *iterum dico, gaudete.* Et duplicis hujus gaudii materiam ſecutus adjunxit: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus; Dominus prope eſt.* Quid modeſtia noſtra, niſi manſuetudo & patientia eſt? Gaudeamus ergo de his quæ exſpectamus, quoniam Dominus prope eſt. Iterum gaudeamus de his quæ ſuſtinemus, ut modeſtia noſtra omnibus nota ſit. Nimirum *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.*

Gaudium duplex in hac vita.
Philip. 4. 4.
Modeſtia quid.
Rom. 5. 4.

4. Sane ut idoneus fiat animus geminæ huic ſpirituali lætitiæ capeſſendæ, duo æque ad juſtitiam exercendam, duo nihilo minus ad conſervandam pacem neceſſe eſt præmittantur, quæ quidem utraque copioſius nobis Scriptura ſacra commendat. Siquidem juſtitiæ exercitatio in his duobus mandatis tota pendere videtur, ut quod ſibi quis fieri non vult, alii non faciat, ſicut ad Gentes miſſa epiſtola Apoſtolorum continet; & quemadmodum ad eoſdem Apoſtolos Dominus dicit, *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines, ita & vos facite illis.* Ceterum quoniam in multis offendimus omnes, impoſſibile eſt in hoc loco & tempore ſcandalorum, (neque enim adhuc venerunt Angeli, qui de regno Dei tollant omnia ſcandala, ſed nec ſumus in illa beata civitate, cujus fines pacem poſuit Deus:) propterea impoſſibile eſt hic & modo pacem inter nos conſervari omnino, niſi & is qui in aliquo forte offendit proximum, animoſam elationem; & is qui offenſus eſt, nihilo minus caveat inexorabilem obſtinationem.

Juſtitia duo neceſſaria.
Act. 15. 28.
Matt. 7. 12.
Luc. 6. 3.
Pacī ibidem.

5. Studeamus itaque, Fratres mei, & humiles ad ſatisfaciendum his, qui aliquid habent adverſum nos; & ad remittendum his, qui offenderunt nos, faciles inveniri: quia non ſolum mutuæ inter nos pacis conſervatio conſtat in his duobus, ſed nec ipſa quoque divina ſine his propitiatio poterit obtineri, quod nec munus ab eo recipiat, qui non prius ierit ut fratri reconcilietur; & dimiſſum etiam debitum ab eo diſtrictius exigat, qui conſervo ſuo debitum non remittit. Jam ſi manent in nobis juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu-ſancto, tria hæc; non quaſi ſecuri ſimus pro eo quod regnum Dei intra nos eſt, ſed eo magis in timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur, ſcientes nimirum, quod hunc tantum theſaurum adhuc in vaſis fictilibus habeamus.

Matt. 5. 24

SERMO XIX.

De eiſdem verbis Apoſtoli, *Non eſt regnum Dei eſca & potus.*

1. SOlet [b] Apoſtolus Paulus in verbis eſſe brevis, in ſententiis copioſus. Non ignoravit hoc ille * tam eloquentiæ, quàm ſapientiæ dotibus approbatus,

* S. Hieronymus

a Hæc clauſula Bernardo familiarior eſt cum in aliis, tum maxime in Sermonibus ſuper Cantica.

b Hunc ſermonem memorat Nicolaus Claræ-vallenſis in epiſtola 24. ad Abbatem Cellenſem, ut in Præfatione hujus tomi dictum eſt.

Tom. III. qui ſingula Pauli verba tonitrua judicabat. Tam ſignanter enim univerſa depromit, & ſic intonat ſpiritu & virtute; ut in ſerie ordinem, in ſenſu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter oſtendat. *Non eſt*, inquit, *regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto*. Quid ad hæc dicitis vos, guloſi & luxurioſi, quorum Deus venter eſt, quorum omnis uſus aut in ventre, aut ſub ventre eſt, qui (ut ait Jacobus apoſtolus) *in luxuriis enutriſtis corda & corpora veſtra?* Audite, audite, *Quia eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem hunc & has deſtruet*. Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defæcatum, & primis ungimini unguentis. *Filii hominum, uſquequo gravi corde*, quia corpore pingui: *ut quid diligitis vanitatem*, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, ſaturitas ventris, aut ante mortem vos deſerent, aut vos in morte illas relinquetis: *Quoniam*, inquit Sanctus, *cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Sicut oves in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos*. Quàm bene, *ſicut oves*: quia detracto vellere mundialium divitiarum dure preſſeque detonſi, ſempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depaſcet eos*: quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur: donec rurſus infelici collegio colligati, tormentis pœnalibus ſocientur, qui ſocii fuerunt in vitiis.

Rom. 14. 17. — Jacob. 5. 5. — 1. Cor. 6. 13. — Amos 6. Luxum & delicias hominum arguit. — Pſal. 48. 18. — Ibidem 15.

2. O delicate, qui deliciis & divitiis circumfuſus atque confuſus, confuſionem exſpectas & mortem; *Non eſt regnum Dei eſca & potus*. non purpura & byſſus: quia dives ille utroque circumfluus, in puncto ad inferna deſcendit. Quid ergo? *ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto*. Attendis & intendis quia gaudium in fine eſt? Sic fatui filii Adam, & præcipiti ſaltu juſtitiam tranſſilientes & pacem, rem finalem in principium convertere & pervertere vultis? Nemo enim eſt qui gaudere non velit. Non ſtabit & non erit iſtud: quia ſicut *non eſt pax impiis*, ſic nec gaudere impiis, dicit Dominus. Non ſic impii, non ſic. Prius eſt juſtitiam facere, inquirere pacem, & perſequi eam; & ſic demum apprehendere gaudium, immo à gaudio comprehendi. Sic angelicus ille conventus prius juſtitiam fecit, cum ſtetit in veritate, & veritatis deſeruit deſertorem. Poſt hæc, illa pace firmati ſunt quæ exſuperat omnem ſenſum: quia cum diverſis honorum primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus.

Luc. 16. 19. Carnales ordine præpoſtero gaudium quærunt. — Iſa. 48. 22.

3. Lauda tu Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem. Lauda, & laudes replica, quia munitiſſimis vectibus & inconvulſibilibus ſeris clauſæ ſunt portæ tuæ; nullus inimicus intrat, nullus exit amicus. Benedicti filii tui in te, omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus cum Chriſto. Jam non eſt timor in finibus tuis, quia poſuit fines tuos pacem. Nullæ tibi tentationes, nulla ſeſe cogitationum turma confundit: quia verſipellis ille tortor longe eſt à muris tuis & à filiis tuis; & ille qui idem eſt, omnia identitate conſolidat atque conjungit, *Cujus participatio*, inquit, *in idipſum*. Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis (ut ita dicam) oculis divinitatis intuentur eſſentiam, nulla corporeorum phantaſmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, ſed ſine fine.

Pax & gaudium in cælo. — Pſal. 147. 1. — Pſal. 121. 3.

4 Miſeri nos, qui ab illa felici regione repulſi, in hanc deſcendimus, immo cecidimus vanitatem. *Filii Sion*, ait Propheta, *inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* Filii Sion, illius videlicet ſpeculativæ civitatis, quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria ſua: filii ſupernæ Jeruſalem, quæ libera eſt, quæ eſt mater noſtra; inclyti per dignitatem conditionis, amicti auro primo per divinitatis imaginem. Quomodo ergo ex his nos quidem reputati ſumus in vaſa teſtea, in hæc lutea & fragilia corpora degeneravimus? Exhibent enim Angeli, Fratres cariſſimi, juſtitiam Deo, pacem inter ſe, gaudium ſibi. Sic & tu, homo, noli prius rapere quod tuum eſt; & juſtitiam quam Deo, & pacem quam proximo debes, contemnere. Juſtitia virtus eſt, qua redditur unicuique quod ſuum eſt. Tu non ſolum juſtitiam, ſed multas & multiplices juſtitias debes Creatori. *Juſtus enim Dominus, & juſtitias dilexit. Juſtitia tua ſicut montes Dei*. Bene, *ſicut montes*, quia plures cumulos miſerationum ſuarum ingeſſit tibi.

Thren. 4. 2. — Juſtitiam debemus Deo, pacem proximo. — Pſal. 10. 8. — Pſal. 35. 7.

5. Et prius quidem te cum ceteris, & inter cetera creavit, non ſine magnæ prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus; & facta ſunt. Poſt hæc vehementiſſimo tui amore inflammata majeſtas illa redemit te. Numquid verbi facilitate? Non: ſed triginta & tribus annis operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus. Deus tuus factus eſt frater tuus, non Angelorum frater: quia nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Commune quidem habes quod factus es; quod frater es, ſpeciale. Adjecit adhuc erga nos ſpecialius quiddam, quod de lata nos & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, digito ſuo traxit, & poſuit in concilio juſtorum & congregatione. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Cujus vel ſaxeum pectus tanta & talis, à tanto & tali collata beneficiorum multitudo non emolliat? Quicquid igitur es, quicquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti.

Deo ergo nos beneficiis; in creatione, redemptione, vocatione.

6. Sed cum juſtitiam feceris, fac & pacem. Quamdiu enim ſumus in hoc vaſe teſteo & fragilitate complexionis humanæ, non poſſumus inveniri ſcandalorum prorſus immunes. Si igitur recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te, ſis humilis ad veniam petendam: ſi tu habes adverſus illum, ſis facilis ad dandam; & omnia membra erunt in pace. Sic enim ad duo iſta, caritatem & humilitatem, paratiſſimi, non poterimus diſſenſionem ſentire. *Diſcite*, inquit, *a me, quia mitis ſum & humilis corde: mitis*, quod pertinet ad caritatem, quia caritas patiens eſt, benigna eſt: *humilis*, quod ad ipſam verbi ſpectat proprietatem. Sic procedentibus erit gaudium in Spiritu-ſancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat; *Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*. Numquid non plerumque orantibus nobis omnia viſcerum ſuccutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod eſt in Jeruſalem quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra; & lacrymarum unda vultus meditantium ſuperfundit? O ſi duraret! *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ*. Vere in principio lætitiæ, quia finis illic repoſitus eſt.

In quo debemus pacem, ſequendo caritatem & humilitatem. — Matth. 11. 29. — Pſal. 136. 5.

7. Quando conſcindes ſaccum meum, Domine Jeſu, & circumdabis me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudii illius, quod hic quandoque ſentimus, ſtilla eſt, guttula eſt de flumine illo deſcendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quando veniet tempus, ut perennibus gaudiis in ipſo divinitatis fonte profundius immergamur, ubi unda undam ſine intercapedine & interpolatione continuet? Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Quando tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei? Quando, ſicut audivimus, ſic videbimus in civitate Domini virtutum? Eia igitur, Fratres, huic felici ternario fideliter inſiſtamus, & ſemper ſimus memores verbi illius: *Amice, ad quod veniſti?* Quia non ad hoc venimus, ut ſimulatoria ſpecie Regem interficiamus: ſed ut ei ſerviamus, qui eſt benedictus in ſecula, amen.

Aſpirandum ad cæleſtem patriam. — Matth. 26. 50.

SERMO XX.

De verbis Domini, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur*.

1. SI conſideremus diligenter, Fratres, gradus hominum quatuor inveniemus: dico autem ſum-

Hominum 4. gradus, ſed ſuperbi.

mam felicitatem in cœlo, ad quam ſuſpiramus; mediam felicitatem in paradiſo, unde cecidimus; itemque mediam infelicitatem in hoc mundo, pro qua gemimus; & in inferno extremam infelicitatem, quam merito formidamus. Brevius tamen dicere poſſum, vitam, & umbram vitæ; umbram mortis, & mortem. Itaque nec in ſummo, nec in imo poſiti, timemus deſcendere, aſcendere cupimus, eo magis anxii, quo videmur viciniores infimis, quàm ſupremis; & ecce dicitur nobis: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quidnam ſibi vult cancellata hæc connexio exaltationis & humiliationis? Itane parum eſt, Domine, quod in veritate tua humiliaſti nos, B qui adhuc exigis ut apponat homo humiliare ſeipſum? Et quidem reſtat adhuc quo poſſimus humiliari: ſed qui illo ceciderit, jam non adjiciet, ut reſurgat; & qui humiliatus fuerit uſque illuc, fruſtra ſperet exaltationem: ſiquidem humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. Uſque adeo vita noſtra inferno appropinquavit: quo nos humiliabimus ultra? Quæ utilitas in ſanguine noſtro, ſi deſcenderimus in corruptionem? Sane nihil aliud infra nos eſt, quàm irreparabilis illa corruptio. Poſt umbram mortis non reſtat niſi mors; poſt locum afflictionis, ſolus ſupereſt locus mortis.

Luc. 18. 14.

Humiliatio & exaltationis mira connexio.

Humiliatio quædam ad infernum.

2. *Qui ſe*, inquit, *humiliat, exaltabitur.* Si dixiſſet, Qui humiliatus fuerit, exaltabitur; exſultaſſem utique, C tamquam certiſſime humiliatus, & vehementer. Nunc vero cum dicat, *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, anguſtiæ mihi ſunt undique; nec ignoro quid eligam, ſed quid agam. Exaltari cupio, quia ſummopere id neceſſarium: ſiquidem neque hic manentem habeo civitatem; nec bonum eſſet hic manere, etiamſi liceret. Porro inferius adhuc ire, perire eſt. Jam enim locum teneo inferiorem, & qui ſolum habeat infra ſe infimum, hoc eſt infernum. Si me illuc humiliavero, non eſt ſpes exaltationis; ſi me non humiliavero, identidem deſperatio eſt exaltationis: quia *qui ſe humiliaverit, exaltabitur*, & is tantum. Si hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero; ab exaltatione repulſus, nec D ſic effugiam manus mortis. Sed ſi hoc difficile paret, ſaltem quod præmiſſum eſt conſideremus.

Humiliationis neceſſitas.

3. *Omnis qui ſe exaltat*, ait, *humiliabitur.* Quem enim Veritas humiliat, ipſe quomodo ſe exaltat? Neque hic dicimus quo, ſed quomodo: quia non locus videtur deeſſe, ſed virtus. Non, inquam, deeſt homini quo exaltare ſe poſſit, ſed deeſt omnino qui poſſit. Eſt quidem voluntas multa, ſed nulla facultas. Nempe, velint, nolint homines, communis totius Adæ, totius humani generis vox eſt: *In veritate tua humiliaſti me.* Quiſquis autem in veritate humiliatur, veraciter humiliatur, nec niſi fallaciter exaltatur. Quid eſt autem fallaciter exaltari, niſi vere non exaltari? Gratias ei, quia non dixit: Omnis qui ſe exaltaverit, exaltabitur. Quo- E modo enim conaremur in vanum exaltari, ſi id arbitraremur; quando ne ipſa quidem nunc deſperatio proficiendi, appetitum cohibet exaltandi? Et forte hoc eſt, quod ait, *Qui ſe exaltat, humiliabitur*: nec pertinet ad effectum, qui nullus eſt; ſed ad affectum, qui ſtultus eſt.

Humiliatio veritatis, quæ.

Pſal. 118. 75.

4. Quantos enim videmus humiliatos, ſed non humiles; percuſſos, ſed non dolentes: curatos quidem à Domino, ſed nec ipſa curatione ſanatos? Hi ſunt qui ſub ſentibus [a] eſſe delicias computant, diſſimulantes peccata quæ actitant, lubricum in quo titubant, tenebras quibus caligant, laqueos inter quos ambulant, locum af- F flictionis quem inhabitant, corpus mortis quod geſtant, jugum grave quod tolerant, graviorem conſcientiam quam occultant, graviſſimam ſententiam quam exſpectant. Talis ille erat, cui Johannes in Apocalypſi ſcribere jubebatur: *Dicis, Quia dives ſum, & nullius egeo; & neſcis quia tu es pauper, & miſer, & miſerabilis, & cæcus, & nudus.* Nec mirum ſi ſit vana & mendax exaltatio filiorum hominum, ſiquidem vani ſunt & mendaces. Hu- A miliat eos veritas, exaltat vanitas: & dilexerunt magis tenebras quàm lucem, amplectentes exaltantem ſe vanitatem, & quærentes mendacium: porro contra veritatem quæ ſe humiliat, votis & ſtudiis quibus poſſunt, diſſimulationibus & conatibus frivolis recalcitrantes.

Multi humiliati, ſed non humiles.

a V. ſerm. 34 in Cant. num. 3.

Apoc. 3. 17.

5. Fecimuſne aliquid? Puto quia invenimus etiam quomodo humiliet homo ſeipſum. Dico autem ut ADHÆREAT * HUMILIANTI SE VERITATI, nec diſſimulet, ſed cooperetur ei devoto pietatis affectu. Proinde cavebo deinceps, quam ſollicite potero, duritiam cordis: ſentiam & plangam dolorem meum, ne, ſi forte inſenſibile fuerit, ſit etiam inſanabile vulnus meum. Ero igitur vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, ne veniat anima mea in conſortio eorum, de quibus Veritas ait: *Percuſſi eos, & non doluerunt.* & iterum: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Gravis curatio humiliatio hæc, ſed gravior morbus ſuperbia eſt: quæ utinam ſic curetur, ut ſanetur hac cura. Conſentiam itaque adverſario meo, acquieſcam judici meo, cedam denique urgenti aculeo, ne bis pungar. Tale enim reor eſſe quod Dominus ait: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ac ſi dicat: Quiſquis contra ſtimulum recalcitraverit, duplo pungetur: parcetur autem ei qui conſenſerit, & dederit locum iræ.

Quomodo homo humiliet ſeipſum. al. adhibeat voluntatem.

Jer. 6. 2.

Jer. 51. 9.

SERMO. XXI.

De verbis Sapientiæ, *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*, &c.

Tribuitur alicubi Nicolao Clara-vallenſi in Octava ſancti Andreæ. At cum non ſit unus ex illis novemdecim, quos Nicolaus Henrico Trecenſium Comiti nuncupavit, Bernardo hunc tribuere malim.

1. Eſt juſtus, qui in principio ſermonis accuſator eſt ſui; & eſt juſtus, qui ex fide vivit; & eſt juſtus, qui abſque terrore eſt. Et primus quidem bonus, quia accedit ad viam: ſecundus melior, quia currit per viam; tertius optimus, quia jam appropinquat ad finem viæ. D Hic tamen accipiamus primum, quem velocius invenimus. Hunc deduxit Dominus, & non alius: quia ipſius eſt de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere, & ducere per eam. *Per vias*, inquit, *rectas.* Viæ Domini viæ rectæ, viæ pulcræ; viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ ſine errore, quia ducunt ad vitam: pulcræ ſine ſorde, quia docent munditiam: plenæ multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam: planæ ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve. *Et oſtendit illi regnum Dei.* Regnum Dei conceditur, promittitur, oſtenditur, percipitur. Conceditur in prædeſtinatione, promittitur in vocatione, oſtenditur in juſtificatione, in glorificatione percipitur. Unde eſt illud: *Ve-* E *nite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei.* Sic enim ait Apoſtolus: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, illos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & magnificavit.* In prædeſtinatione eſt gratia, in vocatione potentia, in juſtificatione lætitia, in magnificatione eſt gloria.

Juſtorum tres gradus.

Prov. 18. 17.

Rom. 1. 17.

Prov. 28. 1.

Sap. 10. 10.

Viæ Domini quæ & quales.

Matt. 11. 30.

Matt. 25. 34.

Rom. 8. 30.

2. *Et dedit illi ſcientiam ſanctorum.* Scientia ſanctorum eſt, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum. Et in contrarium ſcientia malorum relabitur. Alia eſt ſcientia mundi, quæ docet vanitatem; & alia ſcientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tamquam pater, iſta tamquam mater nobis eſt. Sicut enim mater filio ſuo ſemper optat quietem, & omnem prorſus laborem clau- F dit à filio ſuo: ſic caro incraſſata, impinguata, dilatata, recalcitrat, nec minimis ſaltem digitis patitur ſe contingi. Et ſicut pater vult filium ſuum huc illucque diſcurrere, ut addiſcat unde aliquando magnificetur: ſic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde ſuperbiat, unde infletur, & deſipiat de vanitate in idipſum. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ: id eſt propriæ voluntatis, quæ quaſi radix eſt, duæ filiæ ſunt, va-

Scientia ſanctorum, mundi, & carnis, quæ.

Voluntatis propriæ duæ filiæ inſatiabiles.

a Hæc loquendi formula occurrit in lib. 3. de Imitatione Chriſti cap. 10. in fine. Eadem rurſus infra in ſermone 28.

Tom. III. nitas & voluptas, clamantes: Affer, affer. Hæ numquam ſatiantur, numquam dicunt, Sufficit. Si quis has plenius in ſe contriverit, non immerito ſibi illam vocem poterit coaptare: *Quoniam*, inquit, *pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* (Pſal. 26. 16.)

3. *Honeſtavit illum in laboribus.* Nonne nos & in ipſis laboribus noſtris honeſtamur, cum omnia quæ facimus, ad unitatis vinculum adunamus, ut non in nobis ſit pondus & pondus, menſura & menſura, quia utrumque abominabile eſt apud Deum? Nonne & hæc vilitas, hæc deformitas, hæc ſemicinctia [a] honorantur & adorantur à principibus terræ? Væ nobis, ſi exſultaverimus niſi in Chriſto, & pro Chriſto! væ nobis, ſi vendibilem obtulerimus paupertatem! *Et complevit labores illius*, vel hic in perſeverantia, ut uſque in finem juſtitiam non derelinquat: vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completio, cum & hic moritur juſtus plenus dierum, & illic oritur in plenitudine* dierum: utrobique plenus, & hic gratia, & illic gloria, quia gratiam & gloriam dabit Dominus, amen. (* al. longitudinem. Pſal. 83. 12.)

SERMO XXII.

De quadruplici debito.

(Religioſis facilior aſcenſus ad cælū.)

1. IN via eſtis, Fratres, quæ ducit ad vitam, in via recta & impolluta, quæ ducit ad civitatem ſanctam Jeruſalem illam, quæ libera eſt, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra. Arduus quidem aſcenſus ejus, utpote per ipſam montis ſummitatem inciſus: ſed via compendioſior laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autem tam felici facilitate, quam facili felicitate viam iſtam non ſolum itis, ſed curritis: quia exonerati eſtis & accincti, nihil ponderis ſuper dorſa portantes. Non ſic aliqui, non ſic, qui quadrigas & quadrigalia onera pertrahentes, montis circuitum ambire decernunt, & plerumque per devexa montis præcipitantur, ut vix finem inveniant vitæ ſuæ. Felices igitur vos, qui vos & veſtra ſine omni exceptiuncula reliquiſtis, per ipſum montis verticem iter facitis ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi. Illi vero qui quamvis Ægyptum fugerint, tamen ad quæque Ægyptia tenerrime reſuſpirant, viam civitatis habitaculi non invenerunt: ſed voluntatum ſuarum graviſſimis ſarcinis prægravati, vel ſub onere, vel cum onere cadunt, ut vix ad curſum perveniant deſtinatum.

(Religioſi vitæ apoſtolicæ ſectatores.)

2. Quid enim eſt (gratias illi, cujus gratia hoc totum factum eſt) quod vita veſtra vitam apoſtolicam [b] repræſentet? Illi reliquerunt omnia, & in ſchola Salvatoris ſub ejus præſentia congregati, hauſerunt aquas in gaudio de fonte Salvatoris, ipſum vitæ fontem in ipſo fonte bibentes. Beati oculi qui viderunt. Numquid non & vos, non in præſentia, ſed in abſentia ipſius; non ad verba oris ejus, ſed ad vocem nuntiorum ejus, ſimile aliquid feciſtis? Defendite vobis hanc prærogativam, quod illi ad viſum & ad verbum, vos ad auditum & nuntium credidiſtis. Sic ſtate in Domino, cariſſimi, ut quemadmodum illi in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus & jejuniis, & vigiliis, & ceteris obſervantiis juſtitiæ viam regiam tenuerunt: ſic & vos, etſi non eorum meritis, tamen exercitiis aliquatenus coæquati, dicatis Domino Deo veſtro, cum veneritis ante thronum gloriæ ipſius: *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.* (Pſal. 89. 17.) In veritate dico vobis, quia in veritate eſtis, in via recta, in via ſancta, quæ perducat ad Sanctum ſanctorum. Mentior (quod ad conſolationem veſtram dico) ſi non ex manibus hujus peccatoris, monachorum, novitiorum, & converſorum animæ ad cæleſtia gaudia volaverunt, tam liberæ, quàm liberatæ de carcere noſtræ mortalitatis. Si quæritis unde id ſciam, ſcitote quia certiſſima mihi ſigna inde facta ſunt & oſtenſa. (Claræ-vallenſium animas in cælum evolaſſe novit Bernardus.)

3. Non eſt igitur quod vobis vel pro vobis timeam à viribus ſatanæ & miniſtrorum ejus, cum noverim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam & deductam ad nihilum. In ſpiritu enim fortitudinis fortem fortior ille contrivit, portas æreas & vectes ferreos confringens. A verſutiis & aſtutiis illius formido mihi eſt pro vobis, in quibus partim ſubtilitate naturæ, partim experientia temporum ſub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ, quaquaverſum ſe verterit, non ignorat. Sic ille inſatiabilis homicida primis parentibus noſtris non urſos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit: ſed tortuoſum & callidum ſerpentem, qui per ſinuoſa volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere conſuevit. Denique & ſerpens non fortior erat, ſed *callidior cunctis animantibus terræ*, ait Scriptura. (Gen. 3. 1.) Unde & ab interrogatione incœpit, mentem mulieris explorans, ſciens, ingenio, non viribus laborandum. *Cur præcepit vobis Dominus Deus*, inquiens, *ne comederetis de ligno ſcientiæ boni & mali? Quæ reſpondit: Ne forte moriamur.* Quod Deus pro certo poſuerat, dicens, *Quacumque die comederitis, morte moriemini*; (Gen. 2. 17.) iſta ſub dubio ſupponit, *ne forte*, inquiens, *ſi comederimus, moriamur*. Et audi ingenium malitiamque ſerpentis. *Nequaquam*, inquit, *moriemini.* Deus affirmat, mulier dubitat, ſatan negat. Sic & ego timeo, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & ſenſus veſtri corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

4. Putaſne aliquis in vobis eſt, cui dicat in cogitationibus ſuis: Cur præcepit vobis Deus, ut iſtam Regulam teneretis? Secundum enim impetum ſpirituum veſtrorum huic tepido remiſſionem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc ſolum expetens & exſpectans, ut quoquo modo tollat eum à concilio juſtorum & congregatione. Profecto ſpiritus ille, qui tibi hoc ſuggerit, ſpiritus mendax eſt, ſpiritus poteſtatem habens, qui tibi invidet locum tuum. Unde & Sapiens hujus rei non ignarus: *Si ſpiritus poteſtatem habentis ſuper te aſcenderit*, ait, *locum tuum ne dimiſeris.* (Eccl. 10. 4.) Abſit enim ut Spiritus veritatis, qui te huc adduxit, te reducere velit: quia non eſt in ore ejus, Eſt & Non: ſed eſt in illo, Eſt, ſicut irrefragabilis auctoritas teſtatur. *Nemo*, ait Apoſtolus, *loquens in Spiritu Dei, dicit anathema Jeſu.* (1. Cor. 12. 3.) Jeſus ſalvator ſive ſalus; anathema, ſeparatio interpretatur. Qui vero tibi ſeparationem à ſalute ſubmurmurat, nec Dei Spiritus eſt, nec à Deo: quia Spiritus-ſanctus non diſpergere, ſed colligere venit, qui ſemper revocat diſperſos Iſraël in terram ſuam.

5. Quid? vitam fortiorem aliquis quærat? Dico vobis, quia iſta fortiſſima eſt, & quæ ex omni parte, ſi diſſimulare nolueris, primæ illi ſcholæ Salvatoris pro ſua poſſibilitate reſpondeat. An audes ad molliorem vel cogitando deſcendere? O ſi cognoviſſes & tu, quàm multa & quàm multis debeas! videres quàm nihil ſit quod facis, quàm nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum. Vis ſcire [c] quæ & quibus debeas? Primo Chriſto Jeſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro vita tua; & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres. Quid tibi dirum vel durum eſſe poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis ſuæ, in ſplendoribus ſanctorum ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) uſque ad cubitos in limo profundi? Quid non ſuave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis, primum quidem illarum infantilium neceſſitatum [d]; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo: poſtremo

a His verbis deſignatur Ciſtercienſium vilis habitus, regibus nihilo minus venerabilis. Vide Præfationem ad hunc tomum num. 45.
b Id explicat Bernardus infra ſermone 27. de diverſis num. 3. & ſermone 37. num. 7.
c Locus iſte refertur in lib. 9. Florum cap. 16.
d Iiſdem verbis uſus eſt Bernardus in ſermone Feriæ 4. majoris hebdomadæ num. 11. & ſermone 43. in Cantica num. 3. Sic & ipſe quandoque exſcribit, ut ſupra in ſermonibus de S. Malachia num. 5.

periculorum in falſis fratribus, conviciorum, ſputorum, colaphorum, flagellorum, irriſionum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis triginta & tribus annis operatus & paſſus eſt in medio terræ? O quàm indebita miſeratio, quam gratuita & ſic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quam invicta manſuetudo! Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vernaculo, immo vermiculo crucifigi! Quis audivit umquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Vix enim pro juſto quis moritur: ipſe pro injuſtis & inimicis mortuus eſt, eligens exſulare à cælis, ut nos reportaret ad cælos, amicus dulcis, conſiliarius prudens, adjutor fortis.

6. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne ſi conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies ſæculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, qui ſunt, & qui erunt; nihil eſſet ad comparationem corporis illius, quod ſpectabile & ſtupendum eſt Virtutibus etiam ſupernis, in conceptu de Spiritu-ſancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia *, in coruſcationibus miraculorum, in revelationibus ſacramentorum? Vides igitur, quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltata eſt vita illa à vita noſtra: quæ tamen poſita eſt pro vita noſtra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem; ita & vita noſtra nullam habet ad vitam illius proportionem; cum illa dignior, iſta miſerior eſſe non poſſit. Nec me putes rem exaggerare ſermonibus: quia hic deficit omnis lingua, nec ſufficit oculus * vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero quicquid ſum, quicquid poſſum; nonne iſtud ſic eſt, ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluvium, lapis ad turrim, pulvis ad montem, granum ad acervum? Non habeo niſi minuta duo, immo minutiſſima, corpus & animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto ſe totum me comparavit? Alioquin ſi illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conſcientia vado ad viſcera miſericordiæ Dei noſtri; & audeo perfodere illud fortiſſimum propugnaculum, quod cuſtodit Iſraël; & illius ſanguinis, non guttas, ſed undas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? O generatio perverſa, & infideles filii! quid facietis in die calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium?

Ipſam ſerm. 43 in Cant. num. 9.

* al. fluentia

* al. animus.

Quid retribuendum

Voluntas propria maxime.

7. Sed numquid huic ſoli debitor ſum, cui vix parum aliquid retribuere poſſum? Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis idoneus? Peccavi ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata mea, & non ſum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam, & malum coram te feci. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Quod ergo ſine numero eſt, quomodo numerabo? Quomodo ſatisfaciam, cum cogar reddere debitum uſque ad noviſſimum quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Ait illa cæleſtis fiſtula [a] Ambroſius: „Facilius inveni eos, „qui innocentiam ſervaverunt, quàm qui congruam „egerunt pœnitentiam. Sed & quantumlibet pœniteat, quantumlibet ſe affligat & maceret; *Propter nomen tuum*, non propter meum * meritum, *propitiaberis peccato meo, Domine*, ait juſtus, *multum eſt enim.* Cum ergo quicquid vivis, quicquid ſapis, quicquid habes, quicquid potes, huic uni rei dedicaveris; numquid eſt, vel inter aliqua computandum? Paulo ante vitam tuam pro vita ſua Chriſto reddideras: & nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. Numquid (ut vulgo dicitur) de una filia duos generos ſtatuiſti facere?

2. Peccatis rependo.

Pſal. 39. 13

Ambroſ. l. 2 de pœnit. c. 10.

* al. pœnitentiæ

Pſal. 24. 11.

A 8. Quid ſi tertium tibi debitorem oſtendam, qui non minus acriter, quàm veraciter vindicat eam ſibi? Puto quod & tu poſſidere deſideras civitatem, de qua dicitur, *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei*; gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, regnum omnium ſæculorum, vivere in æternum, in perpetuas æternitates. Credo quod velis eſſe æqualis Angelis Dei in cælo, eſſe etiam heres Dei, coheres Chriſti, & in plateis ſupernæ Sion melos angelicum auſcultare, & videre quicquid illud ſit, cum Chriſtus tradiderit regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus; poſtremo eſſe ſimilis Deo, & videre eum ſicuti eſt. Nec dubito quin & concupiſcas B ſuſpicere & umbras declinantes, & diem adſpirantem, cum illuxerit illa ſollemnis dies, & nubila rerum excuſſerit; quando jam non inclinabitur dies, ſed erit æterna meridies; quando erit plenitudo fervoris & lucis, ſolis ſtatio, tenebrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio. Nonne ad hoc emendum totum te, quæcumque, & undecumque contrahere poteris, dare oportebit? Et cum univerſa compleveris, non tamen putes eſſe condignas paſſiones hujus temporis vel corporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. An ſic impudens es, vel imprudens, ut minutum tuum, quod ſibi tam Chriſti vita, quàm peccati pœnitentia certatim rapiunt, etiam ad hoc conC quirendum vel audeas numerare?

Tom. III.

3. Gloriæ æternæ comparanda.

Pſal. 86. 1.

Ipſam ſerm. 33. in Cant. num. 6.

9. Quid dices, ſi & quartum debitorem in medium adduxero, qui ſibi etiam jure primatus ſui ſuperiores tres cedere velit? Ecce in januis eſt qui fecit cælum & terram: & Creator tuus eſt, tu creatura; tu ſervus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes; illi præcipue Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi miniſtrat ſiderum curſus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus ſerviendum: ne forte indignationis oculo te reſpiciat, & deſpiciat, & conterat in æternum & in ſæculum ſæculi. Non arbitror D autem quod te tanta raptet inſania, ut & hic minutum tuum nominare, nedum numerare præſumas. Expone ergo mihi, cui horum quatuor propoṅas reddere quod debes: cum unuſquiſque tantus [b] exactor ſit, ut te poſſit ſingulariter ſuffocare. Eia Domine, vim patior, reſponde pro me. In manus tuas Domine commendo minutum meum: tu perſolve omnibus, tu ab omnibus libera, quia tu es Deus, & non homo; & quod hominibus impoſſibile eſt, poſſibile eſt tibi. Quod habui, & feci: Domine, habe me excuſatum, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis ergo amplius grunniet, dicens: Nimium laboramus, nimium jejunamus, nimium vigilamus: cum nec milleſimæ, immo E nec minimæ parti debitorum ſuorum valeat reſpondere? Hæc eſt fortaſſe, Fratres, illa vera veſtra Quadrageſima, non exterior, ſed interior, quæ non corticem ſacramenti, ſed adipem frumenti contineat. Si enim unicuique iſtorum quatuor & pro ſe, & per ſe omnem decalogi perfectionem debetis: profecto decem quater ducta quadrageſimam veſtram faciunt, quam cuſtodire vos oporteat omnibus diebus vitæ veſtræ. Et ipſe qui vos congregavit in loco iſto, vitam veſtram conſervet in opere ſancto: ut cum ipſe apparuerit vita veſtra, & vos appareatis cum ipſo in gloria.

4. Deo ut auctori ſe totum debet.

a eligioſi immerito queruntur de viæ præſentis laboribus.

SERMO XXIII.

F *De diſcretione ſpirituum* *.

* al. de ſeptē Spiritibus.

1. MAgiſter gentium Paulus ex occaſione ipſius ſpiritualis naturæ, qua vivimus, ad ſpiritualem converſationem excitans diſcipulos, ait: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Ac ſi dicat: Si caro non prodeſt quicquam, ſed ſpiritus eſt qui vivificat ipſam; ſeparare oportet pretioſum à vili, & digniorem præponere partem, ut ſecundum ſpiritum ambulemus.

Gal. 5. 25.

a Sic Norberti os cæleſtem fiſtulam appellat epiſtola 56.

b In vulgatis, *unuſquiſque tam internus, quàm externus exactor ſit*,

Tom. III. non ſecundum carnem. Ad ſpiritum enim debet fieri A
Caro ſervire debet ſpiritui, non contra. converſio carnis, ut ſerviat ipſa, & non ſerviatur ei,
ut dicat ſpiritus ſervo ſuo, Veni; & veniat: Fac hoc;
& faciat illud. Sic enim erit uxor noſtra ſicut vitis
abundans, & ſalvabitur per generationem filiorum,
qui ſunt opera bona, ſi fuerit ipſa quidem in lateribus
domus noſtræ, id eſt in abſcondito & humili loco:
anima vero reſideat in medio tamquam domina, tam-
quam paterfamilias, tamquam judex: ut fiat quod ſcri-
Pſal. 118. 109 ptum eſt: *Anima mea in manibus meis ſemper.* Maledic-
tus enim ſpiritus ille, qui partem ſuam deteriorem fa-
cit. Maledictus homo, qui paſcit ſterilem, & viduæ non
Rom. 8. 13. benefacit. Denique, ut teſtatur idem Apoſtolus, ſi ſe- B
cundum carnem vixerimus, moriemur: quoniam qui in
carne ambulant, Deo placere non poſſunt: & qui ſe-
Ibidem minant in carne, de carne metent corruptionem. Si
autem ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus:
quoniam qui ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt, &
qui ſeminant in ſpiritu, de ſpiritu metent vitam æter-
nam

2. Prudenter proinde, Fratres, & non ad inſipien-
Spirituum diverſa genera. a tiam nobis, ſpiritualem elegimus vitam, caſtigare ſci-
licet corpus, & ſervituti ſubjicere; & Deum, qui Spiri-
tus eſt, adorare in ſpiritu & veritate. Sed quia [a] ſpiri-
tuum diverſa ſunt genera, neceſſaria eſt nobis eorum
1. Johan. 4. 1. diſcretio, præſertim cum ab Apoſtolo didicerimus, non C
omni ſpiritui eſſe credendum. Videri enim poteſt mi-
nus eruditis, & qui parum exercitatos habent ſenſus,
omnem cogitationem non alterius, quàm ipſius hu-
mani ſpiritus eſſe ſermonem: quod non ita eſſe & cer-
ta fidei veritas probat, & divinarum teſtimonia Scri-
Pſal. 84. 8 pturarum. *Audiam*, inquit Propheta, non quid ego lo-
quar, ſed *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et alius
Zach. 1. 9 Propheta: *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me*, &c. &
Pſal. 77. 49 in Pſalmo didicimus fieri immiſſiones etiam per An-
2. Cor. 11. 3. gelos malos. Unde & timet Apoſtolus, ne, ſicut ſer-
pens decepit Evam aſtutia ſua, ſic & diſcipulorum qui-
bus loquitur corda decipiantur, ab eo utique, cujus ip-
Epheſ. 6. 12. ſe Paulus aſtutias non ignorat. unde & dicit: *Non eſt* D
*nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed ad-
verſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores te-
nebrarum harum.* Eſſe autem ſpiritum carnis non bo-
num, manifeſte idem Apoſtolus indicat, ubi inflatos
ſpiritu carnis ſuæ quoſdam eſſe teſtatur. Et eſſe etiam
ſpiritum hujus mundi declarat, ubi gloriatur in Domi-
no pro ſe pariter & pro diſcipulis ſuis, non quod eum
1. Cor. 2. 12. acceperint, ſed ſpiritum qui à Deo eſt, *ut ſciamus*, in-
quit, *quæ à Deo donata ſunt nobis*.

3. Sunt ergo hi duo ſatellites maligni illius principis
tenebrarum; ut dominetur ſpiritus nequitiæ ſpiritui
carnis, & ſpiritui hujus mundi. Quiſquis ergo ex his
tribus ſpiritibus ſpiritui noſtro loquatur, ne credamus E
ei: quoniam ſanguinem ſitiunt, non quidem corpo-
Spiritus unde diſcernendi. rum, ſed (quod gravius eſt) animarum. Sed quoniam
ſpiritualis omnium natura eſt, à ſermonibus eorum co-
gnoſcemus eos: & quis ſpiritus ſit qui loquatur, ipſa
ſuggeſtio declarabit. Semper enim ſpiritus carnis mol-
lia, ſpiritus mundi vana, ſpiritus malitiæ ſemper ama-
Spiritus carnis quibus indiciis ſe prodat ra loquitur. Quoties ergo importune (ut aſſolet) car-
nalis cogitatio mentem pulſat: verbi gratia, cum de
cibo, de potu, de ſomno, ceteriſque ſimilibus ad car-
nis curam pertinentibus cogitantes, humano quo-
dam modo inardeſcimus deſiderio; certum ſit nobis ſpi-
ritum carnis eſſe qui loquitur, & tamquam adverſa-
Marc. 8. 33. rium repellamus eum, dicentes: *Vade retro ſatana, quo-
niam non ſapis ea quæ Dei ſunt*: ſed magis ſapientia tua
inimica eſt Deo. Cum autem non de illecebris carnis,
ſed de ambitione ſæculi, de jactantia & arrogantia,
ceteriſque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordi-
Item ſpiritus mundi. bus noſtris; ſpiritus mundi eſt qui loquitur, longe per-
nicioſior hoſtis, & majori ſollicitudine repellendus.
Interdum vero ſatellitibus iſtis terga vertentibus, prin-
Et ipſe ſpiritus malignus. ceps ipſe habens iram magnam, tamquam leo rugiens,
inſurgit adverſus nos; cum videlicet non ad volupta-
tem carnis, aut ſæculi vanitatem, ſed ad iram, ad im-
A patientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi pro-
vocamur: importune ingerendo, ſi quid minus amica-
biliter, minuſve diſcrete factum videtur aut dictum: ſi
qua denique aut in ſigno, aut in opere quolibet data
videtur indignationis occaſio, materia ſuſpicionis.
Huic ergo cogitationi non aliter, quàm ipſi dia-
bolo reſiſtendum eſt: nec aliter ab ea, quàm ab ipſa
perditione cavendum. Scriptum eſt enim: *In patientia* Luc. 21. 19.
veſtra poſſidebitis animas veſtras.

4. Fit tamen aliquando, ut ſpiritus noſter à quolibet Spiritus noſter quandoque ex ſe tentationes ſuggerit.
horum trium crebro ſuperatus, & ſervus illi addictus,
in ſuam ipſius perniciem (heu!) vices illius agat, ut jam
B ſine omni alterius ſpiritus ſuggeſtione ipſa ex ſe anima
aut voluptuoſas, aut vanas, aut amaras pariat cogita-
tiones. Jam vero non facile arbitror poſſe diſcerni,
quando noſter ipſe loquatur ſpiritus, quandove lo-
quentem alterum audiat quemlibet è tribus illis. Sed
quid refert quicumque loquatur, dum unum & idem
ſit quod loquuntur? Quid refert loquentis noſſe per- [b]
ſonam, dum conſtat pernicioſum eſſe quod loquitur?
Si inimicus eſt, reſiſte viriliter inimico: ſi tuus ipſe
ſpiritus eſt, argue eum, & miſerabiliter plange, quod
in tantam miſeriam & tam miſerabilem deveneris ſer-
vitutem.

5. Quoties vero ſuper caſtigando corpore, humi- Spiritus Dei unde cognoſcatur
C liando corde, ſervanda [*] unitate, & caritate fratribus [*] al. reguem perſonam
exhibenda, ſeu ceteris virtutibus acquirendis, conſer-
vandis, amplificandis, ſalubris cogitatio in mente ver-
ſatur; divinus ſine dubio Spiritus eſt qui loquitur, aut
per ſeipſum ſane, aut per Angelum ſuum. Et quemad-
modum de humano atque maligno ſpiritu dictum eſt,
ſic de angelico, & de divino: nec facile eſt quis lo-
quatur diſcernere, nec ignorare periculoſum: præſer-
tim cum certum ſit, Angelum bonum numquam loqui
ex ſemetipſo, ſed Deum eſſe qui loquitur in ipſo.

6. Studioſius igitur deinceps conſideremus, quonam Suggeſtiones mala quàm ſollicite repellenda.
modo malignorum illorum ſpirituum ſuggeſtiones au-
dire, immo quanta indignatione abjicere debeamus,
D avertentes aures noſtras ne audiamus ſanguinem, &
ſapientiam quam revelat caro & ſanguis: parvulos quo-
que Babylonis, cogitatus ſcilicet mundanos [*], ab ipſo [*] al. malignos.
initio tenentes, & allidentes ad petram: ipſum etiam
malignum cum tentationibus ſuis à conſpectu cordis
noſtri abjicientes, & deducentes ad nihilum. Eas ve-
ro cogitationes, quæ juſtitiæ & veritatis nos admonent,
tota devotione ſuſcipientes, divinæ dignationi gratiam
habeamus: nec aliquando tantæ benignitati invenia- Divina inſpirationes qua diligenter obſervanda.
mur ingrati, ſcientes quoniam ipſe eſt qui loquitur
juſtitiam; ipſe cujus ſermo veritas eſt. Quantæ enim [*]
temeritatis, immo quantæ inſaniæ eſt, ſi forte, dum al- [*] al. perverſitatis.
loquitur nos Dominus majeſtatis, nos inſenſati averta-
E mus aurem, & ad neſcio quas animum ineptias conver-
tamus? Quanta eſt hæc injuria, & quàm graviter vindi-
canda, cum viliſſimus vermis clamantem ad ſe audire
dedignatur Creatorem univerſitatis? Quanta vero &
quàm ineffabilis divinæ dignatio bonitatis, quæ quo-
tidie concipit nos infelices avertentes aures, obduran-
tes corda; & nihilo minus clamat ad nos, & jugiter
clamitat in plateis? Vere in plateis, quia in latitudine
caritatis. Ecce enim bonorum meorum non eges, Do-
mine: & tamen dicis, *Convertimini ad me filii homi-* Cant. 6. 12.
num; & iterum clamitas, *Revertere, revertere, Sunami-
tis; revertere, revertere, ut intueamur te.*

7 Propterea obſecro vos, dilectiſſimi, qui reminiſ-
F cimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei:
audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus
Deus, quoniam loquetur pacem. Felix proinde & beata
anima, quæ venas ſuſurrii divini percipit in ſilentio, fre-
quenter iterans illud Samuelis: *Loquere Domine, quia* 1. Reg. 3. 10.
audit ſervus tuus. Hic ergo hodiernus ſermo finem acci-
piat, ut etiam tacentibus nobis Deum intus audiamus
loquentem & ſuadentem de regno ſuo, tanto utilius,
quanto ſubtilius, per internam ſcilicet inſpiratio-
nem. Si qua tamen adhuc de audienda hac Domini
voce ipſe ſuggeſſerit, alio ſermone tractabimus, ne

a Hæc verba exhibet Collector Florum lib. 10 cap. 25. ubi hic ſermo de ſeptem ſpiritibus inſcribitur.

præſertim

præſertim in tam utili ac ſpirituali materia, mentes veſtras longitudine ſermonis oneremus.

SERMO. XXIV.

De multiplici utilitate verbi Dei.

1. TEnetis, credo, quemadmodum heſterno ſermone de ea, quæ nobis admodum neceſſaria eſt, diſcretione ſpirituum admonuerimus ſollicitudinem veſtram: ut contra venenatos ſerpentis antiqui ſibilos, contra mortiferos ſirenæ cantus, aures cordis jugiter obturare ſtudeatis; ut nec ſpiritum carnis loquentem mollia, nec ſpiritum mundi vana ſuggerentem, nec ſpiritum nequitiæ audiatis immittentem amaritudines, & ſcandala ſeminantem. Sed hujus ſpecialiter aſtutias noſſe neceſſe eſt, hujus cogitationes non expedit ignorare. Interdum enim transfigurat ſe malignus ille & nequam ſpiritus in angelum lucis, ut virtutis ſimulatione plus noceat. Sed & tunc quoque, ſi diligenter advertimus, numquam niſi amaritudinis & diſcordiæ ſeminaria ſpargit. Suadet enim nonnullis ſingularia jejunia quædam, unde ceteri ſcandalizentur; non quia jejunium diligat, ſed quia ſcandalo delectetur. Multa quoque in hunc modum ſolet afferre, quæ tamen à divina ſapientia facile diſcernantur, ſi apoſtolicam illam beati Jacobi diffinitionem præ oculis habeamus, qui divinam deſcribens ſapientiam, ait: *Sapientia quæ à Deo eſt, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica.* Omnem ergo cogitationem, in qua hæc duo non concurrunt, à Dei ſapientia alienam eſſe non dubites. Eam vero quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit aperte, ſed virtutis prætendit imaginem; tunc demum à Deo noveris eſſe, ſi pacifica ſit, ſi Prælati tui atque ſpiritualium fratrum approbatur judicio: quoniam non faciet Dominus Deus verbum, quod non revelaverit ſervis ſuis.

2 Cor. 11. 14.

Jacob. 3. 17.

Sapientia quæ à Deo eſt, unde noſcenda.

2. Quanta vero devotione, quanta humilitate, quanta ſollicitudine cogitatio ſalubris non aliter quam divinæ dignationis ſermo ſuſcipi debeat, & heſterno ſermone partim jam diximus, & hodierno nihilo minus aliquanto latius perſuadere conabimur. *Beati* enim *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Vultis noſſe quam beati? Primum quidem ſonans in auribus animæ vox divina, conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuo, ſi non avertis aurem, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, reſurrectio quoque & conſummatio noſtra. Nec mireris quod verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus eſſe, quantum ſpectat ad juſtificationem: ſiquidem & futurum eſt omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat illud peccator, & conturbabitur venter ejus; à voce illa carnalis anima contremiſcet. Omnia namque cordis ſecreta rimatur atque dijudicat ſermo vivus & efficax, cordium atque cogitationum perſcrutator. Unde & licet mortuus in peccato, ſi audieris vocem Filii Dei, vives. Sermo enim quem loquitur, ſpiritus & vita eſt. Si cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.* Et item: *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.* Si tepidus es, & evomi jam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium ejus ignitum eſt valde. Quod ſi tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus: & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen ſemitis tuis.

Luc. 11. 28

Verbi Dei mira vis & multiplex utilitas.

Pſal. 147. 17.

Cant. 5. 6.

3. At fortaſſis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiam minima illuminatus agnoſcis: ſed ſanctificabit te Pater in veritate, quæ eſt utique ſermo ejus, ut inter Apoſtolos audire merearis: *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Jam vero cum laveris inter innocentes manus tuas, ecce paravit in conſpectu tuo menſam, ut non de ſolo pane vivas, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum ejus. Ubi ſi conſiſtunt adverſum te caſtra, & prœlium tentationis inſurgit: arripe gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & in eo facile triumphabis. Quod ſi forte (ut eſt certaminis conſuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum ſuum, & ſanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis: ut in te quoque impleatur quod ait Centurio, cujus fides tam magnifice commendatur: *Domine*, inquit, *dic tantum verbo, & ſanabitur puer meus.* Sed & ſi titubas adhuc, confitere & clama: *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei.* & in verbis ſuis confirmabit te: ut experimento diſcas, quoniam verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Johan. 15. 3.

Tom. III

Matt. 8. 8.

Pſal. 72. 2.

4. In his atque hujuſmodi perſevera, in talibus jugiter exercere, donec jam dicat Spiritus, ut requieſcas à laboribus tuis. In hoc verbo quieſces dulciter, ac ſuaviter ſoporaberis, donec veniet hora, cum omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent. Sed quo? Alii quidem in judicium, alii vero in vitam æternam. Et quis ſcit ſi eſt dignus amore vel odio? Tunc maxime memor eſto verbi tui ſervo tuo, Domine, in quo mihi ſpem dediſti, ut ab auditione mala non timeam: ſed beata magis auditio perducat ad viſionem, cum dices, *Venite benedicti Patris mei*, &c. *Quicumque* enim *confitebitur me coram hominibus*, ait ipſe, *hunc & ego confitebor in conſpectu Patris mei* & Angelorum ſanctorum: quod nobis conferre dignetur ipſe, qui conſtitutus eſt judex vivorum & mortuorum, amen.

Matt. 25. 34.

Luc. 12. 8.

In Mſ. S. Ebrulfi ſic finitur hic ſermo, incipiendo à n. 4.

In his atque hujuſmodi interim exercere, donec ipſa, quæ certantem adjuvat, vox Domini ad requiem evocet triumphantem, ſitque in magnificentia quæ nunc eſt in virtute, amodo jam dicente ſpiritu, ut requieſcas à laboribus tuis. Erit ſane quando & ipſum corpus de pulvere vox eadem ſuſcitabit, quando omnes, *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent.* Opus eſt etiam ut tunc quoque memor ſit verbi ſui ſervo ſuo, in quo tibi ſpem dedit, ut non timeas ab auditione mala: ſed verbum bonum, *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei.*

Apoc. 14. 13.

Johan. 5. 28.

Matt. 25. 34.

Hæc eſt vox quæ perducit ad vultum, ut jam dicere merearis & tu, *Quia auditu auris audivi te, & nunc oculus meus videt te.* Non facile ego crediderim quia pigeat tunc [illegible] comminationes, correptiones ſuſtinuiſſe, tolerasse increpationes, in quibus iter erat quo oſtenderet tibi ſalutare ſuum. Jam vero cum hæc omnia ita ſe habeant, & alias quoque innumeras audientiæ divinæ vocis utilitates perhibeant non tam ſcripturarum teſtimonia, quam animarum experimenta, quid nos miſeri tanta varietate diſtrahimur, caducam mendicantes utique conſolationem? Quaſi vero non ſit nobis ad manum abſque omni difficultate in verbo, quod prope eſt utique in ore & corde noſtro, quicquid ſalutis, quicquid jucunditatis, quicquid delectationis eſt invenire. Bene proinde *beati qui verbum hoc vitæ audiunt & cuſtodiunt illud.* Cuſtodiunt ſane diceres, non aliter quam depoſitum pretioſiſſimum, ut ibi cor habeant, ubi eſt theſaurus eorum.

Job 42. 6.

Rom. 10. 8.

Luc. 11. 28.

Dico autem breviter quæ occurrunt interim ex his quæ huic videntur cuſtodiæ neceſſaria. Primum quidem ut [illegible] audire diligenter quid loquatur, propter illud quod ſcriptum eſt: *Qui ignorat, ignorabitur.* Deinde ut opere impleas quod audiſti, quia *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Poſtremo ut quæcumque occurrerint adverſa, ſuſtineas patienter: quia verbum hoc non ſolum quid agere debeas docet, ſed & oſtendit tibi quanta te oporteat pati. Hæc plane latria eſt, cultus debitus ſoli Deo, ut ſollicitus ſis voluntatem ejus prudenter intelligere, & ubi neceſſe eſt, aut potenter implere, aut ſuſtinere patienter.

1 Cor. 14. 38.

Jacob. 4. 17.

SERMO XXV.

De verbis Apoſtoli. *Volo primum fieri obſecrationes, orationes, &c.*

1. QUatuor [a] mihi videntur orandi modos exprimere Apoſtoli verba, dicentis: *Volo primum fieri obſecrationes; deinde orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Sunt enim quos adhuc peccati conſcientia terret & cruciat, nondum accepta reſiſtendi virtute, tunc ſcilicet cum primum ipſos in peccatorum cœno jacentes Spiritus veritatis irradiat, & excitans erubeſcere facit, & timere Deum *, dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem; & velut ardentem coram ſe gehennam expaveſcentes, quoniam in ſeipſis boni nil inveniunt, aliunde apprehendunt unde tegantur. Sciunt enim quod non ſit tutum in conſpectu Domini Dei ſui vacuos apparere contra Legis præceptum, & multo minus id præſumere plenis ſtercore manibus audent. Quia ergo timent, & merito timent per ſeipſos accedere, ſtudent quaſi per alios ſupplicare. Tale eſt illud orationis genus, quo ſolemus ut

1 Tim. 2. 1.

1 Obſecrationem tribuit infirmis conſcientiis.

* Mſ. eos.

Exod. 23. 15.

Sanctorum interceſſio.

a Hæc verba referuntur à Florilego in lib. 9. cap. 10.

TOM. III.

dicentes : *Sancte Petre, ora pro nobis*, & ſimilia. Maxime vero illud obſecratio eſt manifeſta : *Per crucem & paſſionem tuam, libera nos Domine* ; & cetera in hunc modum. Tale enim videtur, ac ſi latro deprehenſus, & jam vicinus ſuſpendio, quando penitus deſperat, nec invenit in ſe unde veniam * deprecetur, extendens brachia dicat : quia ſic paſſus eſt Chriſtus ; ut eorum à quibus tenetur, animos moveat ad pietatem.

* al. miſericordiam.

Matt. 11. 12. Luc. 16. 16.

2. Credo ego de talibus dici poſſe, quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Vim faciebat regno cælorum Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cælum levare, ipſum cælum ad ſe potuit inclinare. Simile aliquid mulier illa egiſſe videtur, quæ profluvium ſanguinis habens, dum timeret ad Chriſtum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim tetigit fimbriam, & curata eſt ab infirmitate. unde & dedignantis quodam modo verbum videtur, quod de ea Dominus ait : *Quis me tetigit?* Et addidit : *Senſi a me exiiſſe virtutem*. Non credo quod ſit inter nos quiſpiam : ſed forte nonnulli in habitu vel ſæculari converſatione potuerunt aliquando experiri quod loquor, ut inviti fluxum ſanguinis paterentur, ejus, inquam, ſanguinis qui regnum Dei non poſſidebit. Etenim *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* : nec ſua ſe poterit continere virtute, etiam cum volet. Huic ergo minime expedit per ſeipſum ad Chriſtum accedere, ſed tangere, ſi quam invenerit, ejus fimbriam, hoc eſt eum conſiderare hominem, quem humiliorem * viderit, & extremum in Eccleſia, quæ eſt veſtis Chriſti. Eum, inquam, qui elegit abjectus eſſe in domo Dei, oportet conſiderare : quoniam is vere eſt fimbria poſita in ora veſtimenti, ad quam utique ſpiritualis unguenti deſcendens à capite copia tota decurrit. Hunc ſi beneficiis aliquibus, ſeu prece humili, aut confeſſione pura tetigerit, ut affectum ejus erga ſe moveat ad compatiendum ſibi ; habeat fidem, & ſine dubitatione ſanabitur. Illud tamen noverit fimbria, non à ſe, ſed à Chriſto exiiſſe virtutem, qui & tangi ſe proteſtatur in fimbria. Expreſſi nunc vobis, quantum potui, quale ſit, & cui animæ neceſſarium genus obſecrationis.

Luc. 8. 43.

Allegoria hæmorrhoiſſæ.

Ibid. 46.

1 Cor. 15. 50. Joan. 8. 34.

* al. meliorem

2. Orationem attribuit pænitentibus

Luc. 7. 38.

3. At vero jam continendi virtute accepta, ſecurus accedit, qui ſibi conſcius fuerit, pro delictis præteritis veniam quærens ; & oratione utitur, quæ nimirum oris eſt ratio, quando jam ore ſuo loquitur cum Deo ſuo. Hinc illud eſt quod Maria Magdalene, quamquam non minus humilis hæmorrhoiſſa illa, non ſic tamen veretur accedere, ſed rigat lacrymis pedes, capillis tergit, ungit unguento, oſculatur ore devoto. Unde ſatis liquet, quod omnino jam propoſuerat in corde ſuo à peccatis deinceps abſtinere : & quaſi profluvium ſtabat. Quod ſi jam conſecutus es & tu, primum eſt ut ipſi Domino in oratione loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ.

3. Poſtulationem aſſignat jam receptis in gratiam.

* al. jam.

Humilitas proficientiũ aliqua ſenſu & experientia imperfectionum

* al. profecerit.

a

Matt. 9. 2.

4. Dehinc poſtquam in lamentis pœnitentiæ aliquamdiu perſeverans, hilaritatem quamdam & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad poſtulationes ; ut ſecure, tamquam receptus in gratiam Domini, tibi & conſervis tuis audeas petere quod oportet. At fortaſſis requiras, unde aut quomodo noſſe poteris, utrum * hanc conſecutus ſis indulgentiam. Sic nimirum conſervandæ humilitatis gratia, divina ſolet pietas ordinare ; ut quanto quiſque plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe. Nam & uſque ad ſupremum exercitii ſpiritualis gradum, ſi quis eouſque * pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix ſibi primum videatur adeptus. Attamen ſcio quid hodie a lectum ſit in Evangelio. Dixerat Jeſus paralytico : *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* : & reputatum eſt ei ad blaſphemiam. At ille, cui nimirum cogitatio homi-

A nis confitetur : *Quid*, inquit, *cogitatis mala in cordibus veſtris?* Blaſphemare me blaſphematis, & quaſi ad excuſandum viſibilis curationis virtutem, me inviſibilem b dicitis uſurpare. Sed ego vos potius blaſphemos eſſe convinco, ſigno probans viſibili inviſibilem poteſtatem. *Ut ſciatis*, inquit, *quia poteſtatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*. Et tu ergo ſi jam ſurgis deſiderio ſupernorum, ſi grabatum tuum tollis, corpus ſcilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiſcentiis ejus, ſed magis ipſa, ut dignum eſt, regat illud, & ferat quo non vult : ſi demum ambulas, quæ retro ſunt obliviſcens,

B & ad ea quæ ante ſunt, te extendens deſiderio & propoſito proficiendi, curatum te eſſe non dubites. Neque enim ſurgere poteras, ſi non aliquatenus onus eſſet alleviatum ; nec grabatum tollere, niſi exoneratus magis : quia nec ambulare in fervore converſationis cum peccatorum gravi mole poſſibile eſt.

b

Curationis ſpiritualis ſigna & indicia.

Modus recte poſtulandi

Jac. 4. 3.

5. Propter quod fiducialiter jam poſtulare poteſt qui ejuſmodi eſt : tantum caveat, ne forte aut poſtulet non poſtulanda ; aut nimis poſtulet quæ a Deo ſunt poſtulanda : aut ea tepide quærat, quæ toto affectu, & omni tempore ſunt quærenda. *Petitis, & non accipitis*, ait Jacobus, *eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis*. Sic agit omnis qui terrena quærit ultra neceſ-

C ſitatem, qui mundialem gloriam ſectatur, aut voluptatem. Tale eſt etiam quod ſolent ſæculares homines mortem inimicorum in orationibus poſtulare, ceteraque ſimilia quæ non oportet. At vero temporalia, ſi defuerint, petenda quidem ſunt, quantum neceſſitas humana requirit : ſed juxta beati Gregorii ſententiam, non ſunt hæc nimie requirenda. In quo genere etiam illa ſpiritualia ſunt, ſine quibus nihilo minus ſalus conſtare poteſt, ut ſermo ſcientiæ, gratia curationum, omniaque, de quibus certum non habemus quod expediant nobis : utpote ſi te fatiget tentatio, ſupplicandum quidem pro ea ut auferatur à te, ſed non nimis obnixe, quoniam in talibus meminiſſe ſemper oportet apoſto-

Temporalia & gratiæ gratis datæ ſub conditione petenda.

D licæ illius ſententiæ : *Nos enim quid oremus, ſicut oportet, neſcimus* ; & Deo magis committere, quàm temere aliquid apud nos definire. Hæc autem ſunt toto affectu, & omni tempore poſtulanda : hæc ſunt, pro quibus inceſſanter & quàm obnixe poterunt, ad Deum clament deſideria tua : ut habeas gratiam ejus bonam, & placere poſſis in oculis pietatis ipſius, & in eo vivas, & moriaris in ipſo, ut gloriam ejus videre, & ipſo frui in perpetuum merearis. De his enim dictum eſt : *Sine intermiſſione orate*. Unde & Propheta : *Exquiſivit*, inquit, *te facies mea ; faciem tuam, Domine requiram*. Et alibi : *Unam*, ait, *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*.

Rom. 8. 26.

Gratia quæ tum ſaltem & gloria æterna ſimpliciter & abſolute.

Luc 18. 1.

Pſal. 26. 8.

Pſal. 26. 4.

E 6. Porro ad quartum genus orationis, quod eſt gratiarum actio, perpaucos c attingere credo ; & quo rarius, eo pretioſius eſt. Multam enim prorſus gratiam inveniet apud Deum, quem juxta promiſſionem ſuam exaudit antequam invocetur : & teſtimonium reddet ſpiritui ejus Spiritus quem habet ex Deo, quoniam exauditum eſt deſiderium ejus, ita ut certus jam non orare, ſed gratias agere poſſit. Sic enim habes in Lazari reſuſcitatione, ubi Dominus, licet prius nihil oraſſet : *Pater*, inquit, *gratias ago tibi, quia audiſti me*. Prima igitur, id eſt *obſecratio*, verecundo fiat af-

4. Orationis genus in gratiarum actione, pretioſum eſt

Iſai. 65. 24.

c

Joan. 11. 41.

Recapitulatio

F fectu. Secunda, quàm proprie diximus *orationem*, affectu puro : ut videlicet non diſſimulemus peccata, non nos palpemus : ſcientes quod ſic quiſque miſericordiam invenit apud Deum, ſi inventus fuerit durus judex in ſemetipſum. Tertia, id eſt *poſtulatio*, amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem, ſicut ſcriptum eſt. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Credo enim propterea dictum : *Quemcumque locum calcaverit pes veſter, veſter erit* ; quod tantum impetrabimus, quantum porrexerimus pedem fidei. Quarta, quæ eſt *gratia-*

Jac. 1. 6.

Joſue 1.

a Hinc patet, hunc Sermonem habitum fuiſſe Dominica 18. poſt Pentecoſten

b Ita in mſſ. Colbertino & Majoris-monaſterii ; in editis, *ad excuſandum vim viſibilis curationis, virtutem mihi inviſibilem uſurpare*. Idem ſenſus.

c Id explicatur infra ſermone 27. de diverſis num. 5. & 6.

rum actio, ipſa debet eſſe devotione pleniſſima, & delicüs affluens.

7. Jam vero de reverentia Orationis, in eo quod lectum eſt in Capitulo, ipſius Regulæ * vos modo ſollicitavit auctoritas, ex cujus occaſione aliqua de oratione dicenda putavi. Illud tamen breviter dico, nonnullos (ut arbitror) experiri interdum in oratione ariditatem, & hebetudinem quamdam mentis: ut ſolis orantes labiis, non ſatis attendant neque quid dicant, neque cui loquantur, pro eo quod velut ex conſuetudine quadam, cum minus digna reverentia & ſollicitudine acceſſerunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quàm propheticum illud: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei?* Omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem, illam utique curiam, in qua Rex regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu. Unde & ipſe qui viderat, quia majorem numerum non invenit: *Millia*, ait, *millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quàm ſupplex, quam humilis, quam denique ſollicitus, & toto intentus animo majeſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in concilio juſtorum & congregatione ſanctorum C aſſiſtere poterit miſer homuncio?

* Regul. Bened. c. ... Orationis ... dum.

Pſal. 41. 4.

B

Dan. 7. 10.

8. In cunctis igitur actionibus noſtris multa opus eſt animi vigilantia, ſed præcipue in oratione. Etenim, ſicut in Regula * noſtra legimus, licet hora omni & omni loco oculi Domini nos * ſpeculentur, maxime tamen in oratione. Licet enim ſemper videamur, ſed tunc etiam præſentamus & oſtendimus nos, quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porro quamvis ubique ſit Deus, in cælo tamen orandus eſt, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens noſtra non Oratorii tecto, non aeris ſpatio, non ipſa retardetur nubium denſitate, juxta eam formam, quæ nobis à Chriſto tradita eſt, ubi ait: *Sic orabitis, Pater noſter qui es in cælis.* Cælum D enim quadam prærogativa etiam ſedes ſive thronus Dei vocatur: quia ad eam comparationem, qua Deum in cælis Angeli ſancti & Electorum animæ vident, nos miſeri & peregrini ſuper terram vix ſolum nomen habere videmur. Sic igitur oret qui orat, tamquam aſſumptus & præſentatus ei, qui ſedet ſuper excelſum thronum in Angelis, qui minime ceciderunt; & elevatum in hominibus, quos ſuſcitavit de pulvere inopes, & erexit de ſtercore pauperes. ſic, inquam, ſemetipſum conſideret & ſic attendat, tamquam præſentatum Domino majeſtatis, ut dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis.* Et quia tuo E præcepto commonitus, tua inſtitutione formatus, id præſumo, Domine fons pietatis.

* Regul. S. Bened. cap. 19.

Oratio præcipue vigilantiam exigit.

* al. add. & Angeli ſuper nos.

Matt. 6. 9.

Orationis tempore mens in cælum dirigenda.

Gen. 18. 27.

SERMO XXVI.

De voluntate noſtra divinæ voluntati ſubjicienda.

1. AUdiſtis nunc ex Regula * noſtra, Fratres, de humilitate ſententiam Chriſti: cui ego, quoties legitur, toto animo intentos vos eſſe volo. INSIPIENS eſt enim & inſanus, quicumque in aliis vitæ meritis, quicumque in alia religione ſeu ſapientia, niſi in ſola humilitate confidit. Apud Dominum, Fratres, jus habere non poſſumus, quoniam in multis offendimus omnes. ſed nec fallere eum; ipſe enim novit abſcon- F dita cordis: quanto magis opera manifeſta? utique nec reſiſtere viribus, quoniam omnipotens eſt. Quid ergo reſtat, niſi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quicquid in aliis minus habemus, de ea ſupplere? Sed, ô mira vanitas! ô mira fatuitas cordis noſtri! cujus * elationem perfecte reprimere, cujus cervicoſos motus omnino domare, humilitatis materia tanta non ſufficit, quin * ſuperbiat adhuc terra & cinis.

* Reg. S. Bened. cap. 7.

* al. dorſi Chriſti.

In ſola humilitate confidendum.

* al. elevationem

* quin, &c. cinis deeſt in Colbert. mſſ.

2. Porro totius humilitatis ſumma in eo videtur A conſiſtere, ſi voluntas noſtra divinæ (ut dignum eſt) ſubjecta ſit voluntati, ſicut ait Propheta. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Scio [a] quidem creaturam omnem, velit, nolit, ſubjectam eſſe Creatori: ſed à creatura rationali voluntaria ſubjectio quæritur, ut voluntarie ſacrificet Domino, & confiteatur nomini ejus: non quia terribile & ſanctum, non quia omnipotens, ſed quia bonum eſt. At vero ſubjectionem iſtam triplicem eſſe neceſſe eſt: ut quod certum eſt Deum velle, id nos velimus omnino: & quod certum eſt eum nolle, ſimiliter execremur & nos: quod autem incertum eſt utrum velit an nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus. Hic certe, Fratres, in hoc me- B dio totum periculum eſt Religioſorum, dum infeliciter blandimur nobis, & palpantes ſeducimus noſmetipſos. Hinc accidit, ut diſſimulemus Domini quærere voluntatem, dum & noſtram facere, & aliquam de ignorantia habere volumus excuſationem. Quis enim eſt ille tam infelix monachus, qui id nolle audeat; quod certus eſt Deum velle; aut quod certus eſt eum nolle, id velle præſumat? Sed in medio periculum eſt his, qui jam egreſſi de ſæculo, in loco converſionis habitant, tamquam in paradiſo voluptatis: ſicut in medio paradiſi lignum tranſgreſſionis poſitum erat, in quo prævaricati ſunt parentes primi; lignum ſcientiæ boni & mali; non tantum boni, vel mali ſolius, ſed C boni & mali.

Tom III.

... Humilitatis ſumma in ſubjectione voluntatis noſtræ.

Subjectio iſta triplex.

Religioſis periculum in medio.

3. Propterea rogo vos, Fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit quod utilius poſſitis audire. Ubi certa eſt Dei voluntas, omnino noſtra ſequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus, aut ipſe Spiritus manifeſte clamat in cordibus noſtris quid ſentiendum ſit, ut eſt caritas, humilitas, caſtitas, obedientia, ceteræque virtutes; hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ placere Deo ſcimus indubitanter. Sic & ea omnimodis odiſſe debemus, de quibus certum eſt quod oderit ea Deus, ut eſt apoſtaſia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his vero rebus, de quibus nihil certi poſſumus D invenire, nihil certum voluntas noſtra definiat: ſed magis pendeat inter utrumque, aut ſaltem neutri parti nimis adhæreat, cogitans ſemper, ne forte altera pars Deo magis placeat; & parati ſimus voluntatem ejus ſequi, in quamcumque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo ſuper his quæ certa ſunt hæſitet: nemo dubia pro certis admittat: nemo ſibi in dubiis judicium vindicet, præcipiterve ſententiam; & experiemur quod ſcriptum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Unde enim ſunt ſcandala, unde * turbatio, niſi quod propriam ſequimur voluntatem, & temere quod volumus in corde noſtro definientes, ſi quo modo id prohiberi contingat aut im- E pediri, continuo etiam in impatientiam, in murmurationem & in ſcandalum proni ſumus, non attendentes, quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: & ipſe, qui nobis caſus videtur, ſermo quidam Dei eſt, ſuam nobis indicans voluntatem? At quicumque nihil certum de hujuſmodi in corde ſuo poſuerit; in quamcumque partem poſtea convertatur, ſcandalizari non poterit. Aut ſi quid facere cogitat, unde mandatum certum non habet, ſi voluntatem ſuam ſuſpenſam tenuerit, donec Prælatum ſuum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipſius obedit; non conturbabitur quicquid ei præcipiatur: quoniam vere pax F multa diligentibus legem Domini, & non eſt illis ſcandalum.

Voluntas Dei ubi incerta eſt quid agendum.

Pſal. 118. 165.

* al. tribulatio.

Voluntatis propriæ damna.

4. Porro quod dixi, voluntatem ſuſpenſam teneat, aut voluntatem ſuam divinæ ſubjiciat voluntati; non de concupiſcentiis deſideriorum, non de affectionibus dico. Illud enim impoſſibile eſt, dum adhuc in hoc peccati corpore, in hoc corpore mortis anima detinetur. Quid enim eſſet aliud quàm vita æterna, tota affectione divinam in omnibus ſequi voluntatem? Sed conſenſum noſtrum neceſſe eſt divinæ ſubjicere vo-

Voluntatis plena ſubjectio impoſſibilis in hoc mortali corpore.

[a] Hæc in lib 8. Florum cap 58.

Tom. III. Joan. 14. 27. Pſal. 88. 17.

luntati, ſi pacem æternam, ſi pacem deſideramus habere præſentem, ſicut ſcriptum eſt: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* *Domine*, ait Propheta, *in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exſultabunt tota die.* Alius enim ambulat in lumine vultus ſui, ſollicitus facere ſuam voluntatem, & beneplacitum cordis ſui conſiderans. Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo ſemper intentus quid hominibus placeat, quid mundus judicet, de quo dic Propheta loquitur: *Diem hominis non concupivi, Domine, tu ſcis.* Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum. Nam qui timorem Dei ſemper habet præ oculis; viæ ejus, viæ pulcræ, & omnes ſemitæ ejus pacificæ. *Venite ad me*, inquit, *omnes qui laboratis, & onerati eſtis*, quos veſtræ, ſeu alienæ voluntatis dura premit ſervitus; *& invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quanto enim benignior & dulcior * eſt divina clementia quolibet homine, tanto ſuavius eſſe manifeſtum eſt jugum ejus ceteris oneribus. Propterea homines ſibi ipſis aut aliis hominibus placere ſtudentes, confuſi ſunt: ſed qui in lumine vultus tui ambulant, Domine, id ſolum cogitantes, quomodo tuam faciant voluntatem, & toto corde contendentes placere tibi; tunc quidem in nomine tuo exſultabunt tota die, & non erit illis ſcandalum, ſed demum in juſtitia tua exaltabuntur, quando exuentes infirmitates ſuas, & intrantes in potentias tuas, memorabuntur juſtitiæ tuæ ſolius, ut eam tunc teneant ſine labore, quam modo ſequi laborant.

Jer. 17. 16. Pſal. 13. 7. Prov. 3. 17. Matt. 11. 30. Servitus Dei ſuavior omni ſervitute. * al. ſuavior.

SERMO XXVII.

Contra peſſimum vitium Ingratitudinis.

Religioſa vocatio quanti faciendo. Ezech. 18. 4. & 20.

1. MAgna eſt ſuper nos, dilectiſſimi, magna valde miſericordia Dei noſtri, quos tam ineffabili Spiritus ſui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ ſuæ eripuit de vana noſtra converſatione hujus ſæculi, in quo eramus aliquando tamquam ſine Deo, aut certe (quod exſecrabilius eſt) etiam contra Deum, non ignorantiam ejus habentes, ſed contemptum. Cujus vitæ, aut potius mortis (*Anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur*) utinam frequenter in oculis cordis noſtri tetra verſetur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta perverſitas illa fuerit: ut ſedula meditatione penſantes miſeriæ pondus, etſi non tam perfecte ſicut eſt, aliquatenus tamen æſtimare poſſimus liberatricis miſericordiæ quantitatem. Jam vero ſi quis ex nobis diligenter conſiderare non negligat, non modo unde erutus, ſed & ubi ſit conſtitutus; non ſolum quid evaſerit, ſed & quid acceperit; non tantum unde revocatus ſit, ſed etiam quo vocatus: inveniet ſine dubio cumulum hujus miſericordiæ omnino menſuræ prioris excedere quantitatem. Neque enim fecit taliter omni nationi, ut non ſolum judicia, ſed & conſilia ſua manifeſtaret eis: ſed omnino magnificavit facere nobiſcum, non ſolum in ſervos aſſumens, ſed & eligens in amicos. Neque enim nos elegimus eum, ſed ipſe elegit nos, & poſuit nos ut eamus, & fructum afferamus: fructum, inquam, non ſolum non peremptorium, quod ad judicium pertinens, notum fit etiam ſervis; ſed nec periturum quidem, quod de conſilio eſt, & revelatur amicis.

2. In hoc ſiquidem poſiti ſumus, ut nec peccato ſerviamus, (ipſe enim eſt peremptorius labor:) nec ſæculo quoque, quemadmodum hi quos videmus ſubditos curis terrenis, etſi non culpis; corporalibus officiis, etſi non flagitiis implicatos, & in ea quæ præterit hujus mundi figura pro ſuas ſuorumque præſenti ſuſtentatione laborantes: quorum utique labor etſi non ad damnationem, minime tamen pertinet ad ſalutem; ita ut, etſi conſervaverint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus quæ ſuperædificaverant; ipſi vero ſalvi ſint, ſic tamen quaſi per ignem. Nobis autem quid dicitur? Quod conſilium datur amicis? *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Nec ceſſamus ab operando hoc cibo, etiam cum terrenis forte occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ caritatis intuitu: quoniam diſſimilis nobis intentio eſt ab his, quorum laborem periturum eſſe prædiximus. Diſſimili proinde radici inhærens labor ſimilis, non ſimiliter habet perire: quoniam radicatus eſt in ea, quæ numquam * perit, æternitate.

Religioſorum labores quàm præcellant laboribus ſæcularium. Joan. 6. 27. * al. excidit.

3. Denique ſi forte non quidem illicita, nec tamen expedientia ſectantes, priori forſitan fornicatione relicta, ſtetiſſemus in conjugii caſtitate, non capientes quod de cælibe vita datum novimus eſſe conſilium: ſed à rapinis & fraudibus abſtinentes, licite propriis rebus uteremur, necdum tamen ad perfectionem evangelicam attingentes, ſicut ſcriptum eſt, *Si vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & veni, ſequere me*: hoc ipſum quantæ pietatis eſſet, ſi à tantis criminibus, in quibus multi ex vobis involuti, ſolum in ſe reſponſum mortis & judicium certæ damnationis haberent, datum eſſet vel in inferiori aliquo reſpirare gradu? Prodigus certe filius ad filiorum numerum adſpirare timebat, beatum ſe reputans, ſi forte vel in mercenariorum numero recipi mereretur: minime tamen ſufficere potuit paternæ pietati, niſi tam copioſam ei miſericordiam exhiberet, cui poſſet & ipſe, qui numquam à patre receſſerat, ſenior filius invidere. Sic & nos, dilectiſſimi, abundanter effuſa ſuper nos miſericordia Dei noſtri, de filiis iræ & diffidentiæ non ſolum in electorum recepit numerum, ſed vocavit ad collegium perfectorum. Nam etſi forte aliquorum negligentia ad perfectionem non aſſurgit, ipſi viderint quid excuſationis poſſint afferre: quoniam apoſtolicam omnes nos vitam profeſſi ſumus, apoſtolicæ perfectioni * nomina dedimus univerſi. Quod ſane non de ea gloria ſanctitatis dixerim, quam non ſibi tantum, ſed univerſo orbi ſuſcipere meruerunt, ſicut ſcriptum eſt, *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam*: ſed de eorum potius profeſſione, quam pro omnibus Petrus loquitur, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Matt. 19. 11. Matt. 19. 21. Luc. 15. 19. Apoſtolicæ profeſſionis monachi. * al. profeſſioni. Pſal. 71. 3. Matt. 19. 27.

4. Sed jam omnino me movet, fratres mei, quid ſibi velit, quod minus erga nos liberalis nunc divina clementia videatur, ut quibus tanta contulit non rogantibus, non deſiderantibus, immo & fortaſſe recuſantibus: nunc orantibus, obſecrantibus, poſtulantibus ſæpiſſime, immo continue, videatur multo minora negare. Quid enim putamus, cariſſimi? Abbreviata eſt manus Domini, an forte theſauri gratiæ defecerunt? Quid, inquam, putamus, utrum voluntas mutata ſit, an imminuta * facultas? Neutrum ſane de eo æſtimare licet, neutrum fas eſt credere de omnipotenti & immutabili majeſtate. Quid ſibi vult ergo, quod inceſſanter orantes, obſecrantes, poſtulantes, non exaudimur, quibus tantam & tam gratuitam miſericordiam prærogavit? Nam ſi reſpondeat quis quod Apoſtolo Paulo reſponſum eſt, ſufficere nobis gratiam Dei: plane omnino fallitur, cum pro ea quam maxime univerſæ orationes, obſecrationes, & poſtulationes noſtræ fiant, ne ambulemus in magnis, aut in mirabilibus ſuper nos, orantes nobis dari humilitatem, quanta decet, non dico ſanctos, ſed monachos peccatores: obſecrantes patientiam nobis tribui, quanta non dico in Martyribus inventa, ſed profeſſioni noſtræ neceſſaria eſt; poſtulantes caritatem, quantam non dico Angelis, ſed Patribus noſtris, qui fuere homines ſimiles nobis paſſibiles, etiam & peccatores, divino munere collatam agnovimus ex teſtimonio Scripturarum.

Omnibus cur Deus plerumque non largiatur. * al. imminuta. 2. Cor. 12. 9.

5. Væ generationi huic miſeræ ab imperfectione ſua, cui ſufficere videtur inſufficientia, immo inopia tanta! Quis enim ad perfectionem illam, quam Scripturæ tradunt, vel adſpirare videtur? Non ſine cauſa ſane, cum ſint nobis eadem cum Patribus converſionis initia, diſpar valde converſationis profectus invenitur: adeo ut cum ipſos profeciſſe de die in diem, & curſum

Religioſos longe dum proficeret.

conſummaſſe legamus; apud nos magnus [a] æſtimaretur ſi quis vel ipſa converſionis ſuæ primordia conſervaret, ut non minus humilis aut timoratus, non minus ſollicitus & circumſpectus, non minus fervens ſpiritu, non minus patiens ac manſuetus in medio, quam in initio videretur. Quantos enim videmus quaſi oblitos ſui & peccatorum ſuorum, Dei quoque & beneficiorum ejus immemores, ſic non redimere, ſed amittere tempus, ut de moribus & affectionibus ſuis vix ultima apud ipſos mentio ſiat? Quid iſtos aliud agere dixerim, qui ſcurrilitates & detractiones, jactantiæ & impatientiæ verba non reputant; facile contriſtant proximos, immo Spiritum Dei qui in eis eſt; puſillorum ſcandala parvi pendunt, ad increpationem aliorum aut negligentia quadam dormitare videntur, aut iracundiæ facibus inflammantur; & cum his quaſi gens quæ fecerit juſtitiam, accedunt libere ad eccleſiam; pſallunt cum aliis, ſed non ſpirito neque mente; orationis tempore neſcio quas ineptias meditantur; & ne ipſi quidem tremendo Angelis participare verentur Dominici corporis ſacramento? Quid, inquam, iſtos aliud agere dixerim, quam ſecuros jam de gratia Domini ſui, fiducialiter de ea, quam longo tempore promeruerunt, familiaritate præſumere? Hoc nempe eſt quod vulgari proverbio dicitur: Familiaris dominus fatuum nutrit ſervum. Sed ubi eſt, dilectiſſimi, quod toties canitis: *Quoniam advena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei?* Heu, heu! non invenitur qui redeat, & agat gratias Deo, niſi hic alienigena. *Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt?* Meminiſtis, credo, verba Salvatoris hæc eſſe, novem illorum ingratitudinem arguentis. Bene ſiquidem oraſſe, obſecraſſe, poſtulaſſe leguntur, qui levaverunt vocem, dicentes: *Jeſu fili David, miſerere nobis.* Sed defuit eis quarta, quam adjecit Apoſtolus, gratiarum actio, quoniam non redierunt, nec egerunt gratias Deo.

Religioſorum tepidorum notæ ſeu indicia.

Pſal. 38. 13.

Luc. 17. 17.

1. Tim. 2. 1.

6. Multos quoque videmus uſque hodie ſatis importune petentes quod ſibi deeſſe cognoverint: ſed paucos admodum novimus, qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile eſt quod inſtanter petimus: ſed plane petitioni negat effectum, quod invenimur [b] ingrati. Et forte hoc etiam clementiæ eſſe videtur, ingratis negare quod poſtulant: ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitudine judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur exſtitiſſe. Ergo MISERICORDIÆ res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam, quemadmodum iræ & indignationis, miſericordiam exhibere, eam ſane, de qua per Prophetam ipſe Pater miſericordiarum loquitur, dicens: *Miſereamur impio, & non diſcet facere juſtitiam.* Quàm multos enim videmus & plangimus Fratres, qui, dummodo maneat habitus & tonſura, ſalva ſibi omnia arbitrantur? non conſiderantes miſeri, quemadmodum ingratitudinis vermis [c] interiora corrodens, ob hoc tantum corticem, quem vident, transforare diſſimulet, ne forte recogitent & erubeſcant, ipſaque verecundia emendentur. Qui ſic interdum in nonnullis conſumpta eſſe interiora univerſa præſumit, ut non vereatur ad ea quoque, quæ foris apparent, venenatum producere caput: niſi forte quos videmus manifeſte apoſtatare à Deo, repente fieri peſſimos arbitramur; & non magis paulatim defeciſſe, cum comederint alieni robur eorum, & neſcierunt.

Gratitudo in Deum paucorum eſt.

Oratio hinc inefficax, ex clementia Dei.

Iſa. 26. 10.

Religioſos exteriora parum juvant ſine ceteris.

7. Vides ergo non omnibus prodeſſe, quod à lepra ſæcularis converſationis, cujus peccata manifeſta ſunt, emundantur: ſed nonnullis pejus in occulto ingratitudinis ulcus oriri, quod tanto periculoſius fit, quanto interius. Et bene Salvator hinc in Evangelio novem illos ubi ſint quærit, quoniam longe à peccatoribus ſalus. Sic enim & primum hominem poſt peccatum ubi ſit interrogat; & in judicio neſcire ſeſe profitebitur operarios iniquitatis, cum legamus in pſalmo: *Quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.* Nec ſine cauſa in novenario inventi ſunt, qui non redeunt ad Salvatorem: in quo nimirum numero quaternario quinarius jungitur; & eſt non bona commixtio corporeæ ſenſualitatis, & evangelicæ traditionis. Quod tunc fieri ſolet, cum ſic volumus quatuor Evangeliis obedire, ut quinque corporis ſenſus pariter oblectare velimus.

Religioſis quam noxia ingratitudo.

Luc. 17. 17.

Gen. 3. 9.

Luc. 13. 27.

Pſal. 1. 6.

8. Felix autem Samaritanus ille, qui cognovit ſe nihil habere quod non accepiſſet: & idcirco ſervavit depoſitum, & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reverſus. Felix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum: cui dum nos pro acceptis * non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. OMNINO enim SOLA nos à profectu converſationis impedit ingratitudo noſtra, dum quodam modo amiſſum reputans dator quod ingratus accepit, cavet ſibi de cetero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Felix proinde, qui ſe alienigenam reputans, etiam pro minimis quibuſque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum eſſe non dubitans neque diſſimulans, quod alieno impenditur & ignoto. Nos autem miſeri & miſerabiles, cum in initio, dum adhuc alienos nos æſtimamus, timorati ſatis, ſatis devoti & humiles inveniamur; tam facile poſtmodum oblivíſcimur, quàm gratuitum ſit quicquid accepimus, & præſumentes non bene quaſi de familiaritate Dei, nequaquam advertimus quod mereamur audire, quoniam *inimici Domini, domeſtici ejus.* Facilius [d] enim tunc offendimus eum: quaſi non gravius tunc quæ à nobis committuntur, judicanda noverimus eſſe, cum in pſalmo legamus: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* Obſecro itaque, Fratres mei, humiliemur magis ac magis ſub potenti manu Dei, & ab hoc tam maximo, tam nequiſſimo vitio ingratitudinis longe fieri ſtudeamus: ut tota devotione in gratiarum actione verſantes, conciliemus nobis gratiam Dei noſtri, quæ ſola poteſt ſalvare animas noſtras. Nec verbo tantum vel lingua, ſed opere & veritate exhibeamus nos gratos: quia gratiarum actionem magis quàm dictionem à nobis exigit dator gratiarum Dominus Deus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

Luc. 17. 15.

Gratitudo nova beneficia meretur.

** al. poſt acceptum beneficium.*

Ingratitudo claudit manum benefactoris.

Pſal. 54. 13.

SERMO XXVIII.

De eo quod legitur in Job, *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.*

Exſtat inter ſermones Guerrici abbatis in Bibliotheca Patrum; deeſt in Colonienſi codice Guerrici ſermones continente, teſte Horſtio; nec Bernardo abjudicandus, cum in libro 6. Florum citetur, & clauſulam habeat Bernardinam.

1. DIgnum valde eſt, & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus à conſtitutione mundi regnum paratur, ipſi etiam ſeſe regno parare non negligant; ne parato regno inveniantur forſitan, qui regnaturi fuerant, imparati. Sic enim legimus de cœna quadam, dicente Domino, quoniam *cœna quidem parata eſt, ſed qui vocati erant, non fuerunt digni.* Quærimus ergo, quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. Et ſi pie quærimus cum Propheta Domini, audiemus utique à Domino cum Propheta: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *ſine macula.* Sed hæc, inquies, præparatio ſoli Chriſto convenire videtur. Nemo enim ceterorum omnium mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt vita unius diei ſuper terram. Itaque ſolus intrabit, qui ſolus agnus eſt ſine macula, ſolus

Matt. 22. 8.

Pſal. 14. 1.

Cælum ſoli paret immaculatis, quomodo.

Job 25. 4.

Levit. 14. 2.

a Ex hoc loco accepta videntur quæ leguntur in lib. 1. de Imitatione Chriſti cap. 11. *Nunc pro magno videtur, ſi quis primi fervoris partem poſſit retinere.*

b Aliam cauſam indicat ſupra ſermone 3. in feſto ſancti Andreæ num. 5. Hic loquo tanquam ex Sancto citatur in Floribus lib 5. cap. 18.

c Eadem fere verba ſermone 2. in capite jejunii num. 2.

d Sic tres mſſ. at in editis, *Tanto enim acrius nunc offendimus eum, quanto ea graviùs, quæ à nobis committuntur, &c.*

Tom. III.

argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum eſt, nec in eo inventum. Solus plane ſummus Pontifex meus nec in patre, nec in matre contaminatus eſt, ut Lex dicit: patrem quippe, ſed Deum; matrem quoque, ſed virginem habens. Unde & ſolus ingreditur ſancta ſanctorum, & *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis qui eſt in cælo.* (Joan. 3. 13.)

2. Quid ergo nos? Itane continuo deſperabimus? Immo vero ſperabimus, & hinc maxime. Licet enim ſolus, ſed profecto totus intrabit, & os non comminuetur ex eo. Non ſine membris caput invenietur in regno, ſi tamen membra fuerint conformia & cohærentia, ſcilicet capiti ſuo; conformia ſane moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quam poteſt, habet & cohærentiam ipſa etiam minor ætas, dum & ſimilitudini mortis ejus merſione illa triplici complantatur, & fidem in involucro [a] quodam recipit, quod necdum capax ſit evolutæ. Benignus nimirum eſt Spiritus ſapientiæ: & quem traducta culpa ligaverat, indulta juſtitia ſolvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum à labiis ſuis. *Voluntarie enim peccanti poſt agnitam gratiam non relinquitur hoſtia pro peccato.* (Hebr. 10. 26.) Sed neque ſic liberabit à ſuis, quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, Fratres, gravis eſt macula, & ſcimus quoniam non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod de ore egreditur. (Matth. 15. 11.) Inde ergo macula, inde maledictio à labiis ſuis, ſed non ſemper à propriis. Neque enim de corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui non modo conſenſus, ſed ne ullus quidem interim poteſt ſenſus eſſe peccati. Quomodo tamen maledictum à labiis ſuis non liberat Spiritus, aut voluntarie peccantibus non relinquitur hoſtia; niſi quia non illi denuo crucifigitur Chriſtus, nec complantatur iterum ſimilitudini mortis ejus per baptiſmum? Propria jam ab eo lacrymarum unda exigitur, propriam bajulare crucem, propria mortificare membra, & propriam immolare hoſtiam neceſſe eſt. Sine cauſa aliter diceret, Credo. Propriis labiis expietur oportet propriorum maledictio labiorum. Per multas enim tribulationes in regnum Dei intrare neceſſe eſt; (Act. 14. 21.) & nemo niſi per tribulationes ingreditur, aut proprias, aut alienas.

Infantes quomodo cohæreant Chriſto per fidem.

Adulti non niſi propria pœnitentia expiantur.

3. Sola nimirum ſecundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminavit offenſio ſola prioris. Non quod propria cuiquam ſufficere poſſit ſatisfactio. Quid enim eſt univerſa pœnitentia noſtra, niſi quod ſi non compatimur, omnino non poſſumus conregnare? Quod enim in nobis minus eſt, ipſe ſupplet. Modicum tamen illud, quodcumque noſtrum eſt, non patitur reſervari. Quod ſi fidei cohærentia ſine morum conformitate nequaquam ſalvat adultos, longe minus ſalvare poterunt opera ſine fide. Facilius enim membrum inhærens capiti, ſi deforme eſt, reformatur, quàm divulſum, quàmlibet ſimile, copulatur. Et ipſum tamen quod deforme eſt, aut conforme fieri imagini Filii ſui & capitis ſui, aut certe tandem avelli ab eo neceſſe eſt, & anathema eſſe à Chriſto; ne in illa plenitudine corporis ejus inveniatur quippiam indecorum.

Fides ſine operibus non ſalvat adultos.

4. Ubi ergo macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur: & ſi contaminatio multiplex, opus eſt etiam tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio; niſi dum reſiſtitur contaminationi, concupiſcentiæ repugnatur? Quid vero in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inveniri? Ab intus manat, de corde exit peſtiferum virus, ac deinceps corpus occupat univerſum: mentem deſideriis [b] afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia; inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in univerſo corpore mollitiei ſenſus, & libido pernicioſa tangendi; inde intus in anima ebrietas illa deſideriorum, & fornax quædam, ambitionis, avaritiæ, invidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accenſa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur; tot patitur tribulationes, tot ſuſtinet tentationes vir juſtus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, ſenſuum voluptate delectatur, & delicias [c] computat eſſe ſub ſentibus: ſic & omnis qui in ſpiritu ſeminare deſiderat, ſpinas & tribulos, quos propria terra ex maledicto utique germinat, potius eradicare, quàm propagare contendit: quippe qui convertitur in ærumna ſua, quoties configitur ſpina.

Concupiſcentia, omnium vitiorum & malorum ſcaturigo.

5. Huic ergo tam multifariæ peſti per ſingula quæque reſiſtere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis uſque ad verticem non eſt in me ſanitas. Totum infecit concupiſcentia, lex peccati in membris omnibus invenitur. Undique per feneſtras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculoſius ſævit, crudelius malignatur. Minime tamen in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut deſperatione cedendum eſt. Licet enim abundent tribulationes pro Chriſto, ſed abundant & conſolationes per ipſum. Denique audi conſolationem. Peccatum in foribus eſt: niſi ipſe aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, ſed ſub te eſt: niſi ſponte ceſſeris, nil nocebit. (Gen. 4. 7.) Audi conſolationem. Conſenſum cohibe, ne prævaleant hæc: & immaculatus eris, ut ſine macula ingrediaris & ipſe ad habitandum in tabernaculo, & requieſcendum in monte ſancto Domini Dei tui. (Pſal. 18. 14.) Si enim tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum plane delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat univerſum. Audi adhuc conſolationem. *In ſex*, inquit, *tribulationibus liberaberis, & in ſeptima non tanget te malum.* (Job 5. 19.) Si puer Hebræus es, ſex annis ſervies, liber egredieris in ſeptimo. Sex tibi tribulationes ſunt contra deſideria cordis, & quinquepertitam ſenſualitatis corporeæ voluptatem: ſed in his ſex liberaberis à ſeptima, non quidem ne veniat, ſed ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors, (ipſa enim eſt ſeptima tribulatio:) ſed ſomnus erit dilectis Domini, & ecce hereditas ejus. Erit janua vitæ, erit initium refrigerii, erit ſancti illius montis ſcala, & ingreſſus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus, & non homo. In ſeptima itaque non tanget te malum. Malum utique triplex, quod eos manet in ſeptima, qui in ſex tribulationibus diſſimulant perfecto interim liberari, nec in ſex hydriis purificantur ad liquidum, ut exhibeantur in nuptiis ſponſi non habentes maculam neque rugam. MANET enim eos horror in exitu, dolor in tranſitu, pudor in conſpectu gloriæ magni Dei.

Concupiſcentia [illegible] conſenſu.

Mors piis non damnum affert, ſed lucrum.

Negligentibus triplex malum.

6. Unde nobis iſta diſſimulatio eſt, Fratres mei? Unde hæc tam pernicioſa tepiditas, unde hæc ſecuritas maledicta? Quid ſeducimus miſeri noſmetipſos? Forſitan jam divites facti ſumus, forſitan jam regnamus. Nonne oſtium domus noſtræ horribiles illi ſpiritus obſident? Nonne exitum noſtrum larvales illæ facies præſtolantur? Quis ille pavor erit, ô anima mea, cum dimiſſis omnibus, quorum tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpectus, cohabitatio ipſa tam familiaris; ſola ingrediens incognitam penitus regionem, occurſantia tibi catervatim ruere teterrima illa monſtra videbis? Quis tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc noviſſima noſtra, ne peccemus. Nam & per ignem nobis tranſeundum eſt: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Ibi aurum noſtrum vertetur in ſcoriam, ibi revelabitur univerſa impuritas, ibi Veritas ipſa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, juſtitias judicabit. Quid vero illic omnes juſtitiæ noſtræ, niſi pannus menſtruatæ reputabuntur? Quicquid nunc parvi pendendo tranſimus, palpando tegimus, diſſimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma conſumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo

a Eadem fere Bernardi verba in ſermone 66. ſuper Cantica num. 9.

b Hic locus refertur ex Sententiis in lib. 6 Florum cap. 5.

c Eadem verba ſupra in ſermone 20. num 4.

aquas, & oculis meis fontem lacrymarum: forte enim non [a] periret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluiſſet.

[Judicii pudor.] 7. Jam vero poſt ignem illum, putas reſiduum aliquid invenietur in nobis? aut tantum erit, ut audeamus illud vultui majeſtatis offerre; aut ejus ſic adſtare conſpectui? Quis ille pudor erit, quæve confuſio, poſt tanta beneficia tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Domini Dei noſtri? [Gen. 3. 8.] Fugiebat Adam ut abſconderetur ab eo, poſt unius utique pomi vetiti guſtum: quid nos poſt tanta flagitia, poſt tanta facinora præſumemus? Quando ab hac confuſione purgabitur oculus cordis, cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius B Solis radios valeat intueri? Sicut fluit cera à facie [Pſal. 67. 3.] ignis, ſic peribunt peccatores à facie Dei. Ingrediatur [Abac. 3. 16] itaque putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis hujus ſeptimæ, & in ea non tangat me malum. Malum hoc triplex, horroris, doloris, & pudoris. Felix ſiquidem anima, quæ fiducialiter inimicis ſuis loquetur in porta. Quid hic adſtas, cruenta beſtia? Nihil in me funeſte * reperies. [Ita S. Martinus jam moriturus, cujus vitæ Sulpit. * al. funeſti.] Felicior, cujus opus non arſerit, quem ſuperædificaſſe aurum, argentum, lapides pretioſos, examen illud inveniet. Feliciſſimus, qui ſine ulla nube confuſionis, revelata penitus facie gloriam Domini ſpeculando, in eamdem imaginem transformabitur, & ſimilis erit illi, videns eum ſicuti eſt, utique ſuper omnia Deus benedictus, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XXIX.

De triplici Dilectione Dei *.

[* al. De diligendo Deo.]

[1 Joan. 2. 17.] 1. N*Olite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Omnia enim quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi, quæ non ſunt ex Patre.* Quid ergo? Sunt aliqua ex Patre, quibus nobis iſta recompenſentur? Sunt utique, omnino dulciora his & amabiliora: ſed hæc non creduntur ſervis, multo minus inimicis. Quiſquis vero amicus voluerit eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituitur. [Joan. 15. 15.] Amicis creditur conſilium, quibus dicitur: *Quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Exponit beatus Gregorius, quia amor ipſe, notitia eſt. Eſt ergo triplex amor, qui tria illa excludat quæ non ſunt ex Patre. [Amor triplex.] Et propterea, credo, ter interrogatur [Joan. 21. 15.] Petrus: *Amas me, amas me, amas me?* Sed & forte hæc ſunt, de quibus in lege præcipitur: [Deut. 6. 5] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua:* id eſt, diliges dulciter ſive affectuoſe, [Dulcis, prudens, fortis.] diliges prudenter, diliges fortiter. Siquidem amor cordis ſimile quiddam habet carnali amori. nam affectiones proprie cordis eſſe dicuntur. Anima vero aliquanto jam ſuperius ſonat, unde & dicitur ſedes ſapientiæ, ut merito videatur illi attribuendum prudenter diligere Deum.

[Incarnationis & Paſſionis Chriſti meditatio, incentivum dulcis amoris.] 2. Sane ad affectuoſum illum, quem dicimus, cordis amorem plurimum valet Incarnationis Chriſti cogitatio, ſed & totius diſpenſationis quam geſſit in carne, & maxime Paſſionis. Videns enim Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut duriſſimi cordis ſit quiſquis eum toto affectu non diligat. Volens ſiquidem nobilem creaturam hominem recuperare: Si inquit, invitum coegero, aſinum habebo, non hominem: quandoquidem non libens veniet, nec ſpontaneus, ut poſſit [Pſal. 53. 8] dicere: *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Numquid aſinis dabo regnum meum? Aut numquid de bobus cura eſt Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, ſi forte convertatur, & vivat. Et comminatus eſt acerbiora quæ excogitari poſſunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inexſtinguibilem. Cum autem nec ſic homo revocaretur, ait: Non ſolum timidus, ſed etiam A cupidus eſt: promittam ei quod potiſſimum deſiderabile videatur. Deſiderant homines aurum, & argentum, & ſimilia; ſed ſuper hæc omnia vitam deſiderant. Manifeſtum eſt hoc, & valde manifeſtum. Si, inquit, tantopere deſiderant miſeram hanc & laborioſam vitam & momentaneam, quantum diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promiſit itaque vitam æternam; promiſit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.

3. Videns autem quod nihil proficeret: Unum, inquit, reſtat adhuc. Ineſt homini non ſolum timor & cupiditas, ſed & amor, nec quicquam in eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, & tam amaB bilem ſe exhibuit, ut illam nobis impenderet caritatem, qua majorem nemo habet, ut animam ſuam daret pro nobis. Quiſquis ſane nec ob hoc quidem converti voluerit, nonne merito audiet: *Quid debui facere tibi, & non feci?* [Iſa. 5. 4.] Et vere in nullo ſic commendat Deus caritatem ſuam, quomodo in myſterio Incarnationis ejus & Paſſionis; in nullo ſic revelatur ejus pietas, in nullo ſic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apoſtolo teſte, qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* [ad Tit. 3. 4.] Nam potentia quidem occultata eſt, quoniam in infirmitate venit. Unde Abacuc, *Ibi*, inquit, *abſcondita eſt fortitudo ejus*, [Abac. 3. 4.] haud dubium quin in cruce, cujus *cornua in manibus* C *ejus*. Sapientia quoque abſcondita eſt & incarnata: placuit enim ei per ſtultitiam verbi, ſalvos facere credentes. Nonne quodam modo ſtultum ſe fecerat, qui tradidit in mortem animam ſuam, & tulit peccata multorum, & quæ non rapuit, tunc exſolvebat? Nonne ebrius erat vino caritatis, & immemor ſui, contra Petri conſilium, dicentis: *Propitius eſto tibi?* [Matt. 16. 22.] Itaque abſcondita eſt fortitudo, maximeque velata & incarnata ſapientia: ſed benignitas non potuit amplius * declarari, [* al. apertius.] non abundantius exprimi, non evidentius commendari.

[Amor dulcis ſeu affectuoſus excludit concupiſcentiam carnis.] 4. Porro id quidem ad affectuoſum cordis amorem diximus pertinere. Nam & videre eſt homines ſic afD fectos erga hujuſmodi, ut vix ſine lacrymis vel audiant, vel recordentur. Hic ergo amor contra concupiſcentiam carnis eſt. [Amor prudens curioſitatem.] Quid enim dulce ſit ei in carne, cui tanta dulcedo eſt in Chriſti paſſione? Verum hæc dulcedo falli poteſt, ſi deſit prudentia; & jam difficile caveri poterit in melle venenum. Neceſſe eſt igitur adeſſe prudentiam, qua diligenter interiora myſteria * inveſtigare poſſimus, [* al. Sacramentorum poſſint inveſtigari.] ut parati ſimus omni poſcenti reddere rationem. Hic amor prudens excludit curioſitatem. Siquidem animus his intentus, temporalium non poterit eſſe curioſus, dicens cum Propheta: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea eſt.* [Pſal. 118. 97.]

E [Amor fortis ambitionem.] 5. Tertium eſt, ut fortiter quiſque diligat, quatenus ſicut falli non poteſt, ita nec cogi poſſit, paratus omnia pati propter juſtitiam. Quis autem neſciat eum, qui rex cæli ſit, terrena regna & honores non ambire, ſed magis abjicere? Porro *beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* [Matt. 5. 10.] Itaque de his tribus nunc Petrus interrogatur, quia prius inventus fuerat minus habens. Audiens enim primo de paſſione Domini, ferre non potuit, tamquam dulciter diligens; ſed, *Abſit*, inquit, *à te*, utpote inſipienter amans. Unde & audire meruit: *Vade retro ſatana, quoniam non ſapis ea quæ Dei ſunt.* [Matt. 16. 23.] Simile aliquid in F Apoſtolis erat, quibus dicebatur: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* [Joan. 14. 28.] immo vero quia diligunt, dolent. Et diligunt, & non diligunt: diligunt dulciter, ſed non diligunt ſapienter. Nocte vero ipſa qua tradendus erat Dominus, & dulciter, & prudenter diligebat Petrus, cum diceret: *Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire.* [Luc. 22. 33.] ſed non diligebat fortiter: quoniam,

Qui [a] cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

[a Boët. de conſol. Philoſ. lib. 1. metro 1.]

Nondum venerat virtus ex alto, qua accepta, non ne-

a Hunc verſum itidem refert ſupra in ſermone 1. de S. Andrea num. 9.

Tom. III.

Act. 5. 29

Paſtor amore ſit præditus.

Johan. 21. 15.

gavit, ſed libera voce uſus: *Vos*, inquit, *judicate, utrum* A *Deo magis obedire oporteat, an hominibus.* Annon congrue de dilectione requiritur, qui paſcendo præponitur gregi? Ille enim præeſſe debet aliis, qui vino caritatis debriatus æſtuat, immemor ſui, ut non quærat quæ ſua ſunt, ſed magis quæ Jeſu-Chriſti. Et nota, quia requiſitus Petrus, an diligat plus his; tantum reſpondit ſe diligere, non audens affirmare quod prius ſe dixiſſe temere confundebatur: & fortaſſe propterea contriſtatus eſt *. Dixerat enim prius: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego.*

* Cap. deſunt in cod. Ciſterc. Matt. 26. 33.

SERMO XXX.

De ligno, fœno, & ſtipula.

Nuſquam ſecuritas.

1. NUſquam eſt ſecuritas, Fratres, neque in cælo, neque in paradiſo; multo minus in mundo. In cælo enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis; Adam in paradiſo de loco voluptatis; Judas in mundo de ſchola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis ſibi de loco iſto blandiatur, quia dicitur: Locus iſte ſanctus eſt. quia non locus homines, ſed homines locum ſanctificant. Sunt enim etiam inter nos tria genera hominum, ipſaque ſatis incongrua & Ordini, & homini, qui hanc viam ingreſſus eſt. Sunt enim qui bene incœperunt, ſed ſtatim defecerunt. Et ſunt qui numquam incœperunt, ſed in ſua mollitie permanſerunt, & per- C manent. Et ſunt qui raptantur ſpiritu levitatis, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum, paratiſſimi curſim enumerare quod faciunt, ſi quid faciunt tamen. Numquid vel iſtos repellet * Deus? Non, ſi in fundamento permanſerint: ſed ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Per quem ignem? Dicit Apoſtolus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis ædificaverit ſuper fundamentum hoc lignum, fœnum, ſtipulam; detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Fundamentum Chriſtus eſt; lignum fragile eſt, fœnum molle, ſtipula levis. Lignum ſunt qui fortiter incœperunt, ſed fracti non renodantur. Fœnum ſunt, D qui fugienda mollitie tepefacti, nec ſummitate digiti (ut dicitur) labores arduos attingere volunt. Stipula ſunt, qui levitatis motibus exſultati, numquam in eodem ſtatu permanent.

Religioſi triplicis generis, fragiles, molles, leves.

* al. abjiciet.

1. Cor. 3. 11

Comparantur ligno, fœno, ſtipulæ.

Ad ſalutem quid illis neceſſarium.

2. Et timendum quidem eſt de iſtis, ſed non deſperandum: quia ſi in fundamento Chriſtum habuerint, hoc eſt in hac via vitam finierint, ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Ignis tria habet, fumum, lucem, ardorem. Fumus excitat lacrymas, lux vicioa illuminat, ardor adurit. Ita & qui ejuſmodi eſt, fumum, hoc eſt amaritudinem, in mente habere debet, quia tepidus eſt, quia remiſſus eſt, quia levis; quia Ordinem, quantum in ſe eſt, ſubruit & perturbat. Sed & lucem in ore, E ut qualis eſt in mente, talem ſe in confeſſione & dicat, & plangat, ut & linguam acuat conſcientia, & conſcientiam arguat lingua. Neceſſe eſt quoque ut ardorem ſentiat in corpore, id eſt, pœnitentiæ tribulationem, etſi non multimodam, aliquam tamen. Putas quia ſic compunctos corde, ore confeſſos, corpore fatigatos abjiciet, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & neminem vult perire? Sunt & alii qui ædificant ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, & lapides pretioſos; qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementiſſime perficiunt, non attendentes quid caro poſſit, ſed quid ſpiritus velit.

F

SERMO XXXI.

De ſollicita cura cogitationum.

* Reg. cap. 7.

Prov. 4. 23. Cogitationũ tria genera cavenda.

1. ADmonet nos beatus Benedictus *, Fratres, ſollicitos eſſe circa cogitationes noſtras, Sapientis utique conſilium ſequens, qui omni cuſtodia cor cuſtodire ſuadet, *quoniam ex ipſo vita procedit.* Tria igitur occurrunt mihi genera cogitationum, à quibus multa ſollicitudine cavere neceſſe ſit eos qui convertuntur ad cor, & dignum Deo in ſemetipſis templum exhibere A feſtinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitus otioſæ, & ad rem non pertinentes: quas tam facile abjicere, quàm recipere facile poſſit anima, dummodo ſit ſecum habitans in corde ſuo, & aſſiſtens dominatori univerſæ terræ.

1. Otioſæ.

2. Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortius adhærentes, quæ videlicet ad neceſſitates naturæ pertinent, & quaſi ex eodem aſſumptæ limo, de quo & nos facti ſumus; ſi paululum inſederint, avelli nequeunt ſine læſione & difficultate. Sæpe enim ſic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu, ſive veſtimento, ut vix eradicari queat de cordibus noſtris: quod non aliunde eſt, niſi quod & ipſa limoſa & viſ- B coſa quodam modo, limoſam nihilo minus & glutinoſam invenerit terram. Non ſine cauſa enim dictum eſt, hominem plaſmatum non de terra qualibet, ſed de limo. Vide enim quàm limoſum ſit corpus, quod ipſi quoque ſpiritui tam fortiter & pæne indiſſolubiliter inhæret, ut vix cum multa afflictione poſſit aliquando ſeparari. Quid ergo agendum, cum limoſa illa cogitatio mentem ſubierit? Plane exclamandum nobis eſt cum ſancto Jacob, atque dicendum: *Ruben, primogenitus meus, non creſcas: aſcendiſti enim cubile patris tui.* Rubea enim & carnalis atque ſanguinea hujuſmodi concupiſcentia eſt: quæ tunc cubile noſtrum aſcendit, cum non ſolum memoriam tangit cogitatione, C ſed & ipſum voluntatis ſtratum ingreditur, & polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noſter dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipſo nimirum initio vitæ noſtræ in nobis pullulat, cum cetera vitia proceſſu temporis ex malitia mundi hujus, variiſque occaſionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non poſſumus appetitum: ut quàm cito cubile noſtrum ingreditur, creſcere eum nullatenus patiamur, ſed ſub nobis ſit, quemadmodum dicit Scriptura: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

2. Limoſæ, corporis neceſſitati concernentes.

Gen. 2. 7

Gen. 49. 4. Hic quomodo obviandum.

Gen. 4. 7.

3. Jam vero tertium cogitationum genus immundum nimis ac fœtidum eſt, quod nec admittere qui- D dem ulla ratione debemus, ſed à longe præſentire fœtorem, & tota virtute repellere, toto animo propulſare, & converſi ſtatim ad gemitus, lacrymis atque ſuſpiriis invocantes Spiritum, qui adjuvet infirmitatem noſtram. Sic nimirum confuſus abſcedens, non tam facile deinceps ſimile aliquid viriliter reſiſtentibus nobis malignus hoſtis offerre, vel afferre præſumet. Dico autem cogitationes illas immundas penitus ac fœtidas, quæ ad luxuriam, ad invidiam & vanam gloriam pertinent, ceteraque vitia deteſtanda. Oportet enim, ſi mundas conſervare volumus animas noſtras, adhuc longe agentibus cogitationibus hujuſcemodi multa cum indignatione occurrere, & exſuf- E flare à nobis, ut nullus eis detur acceſſus. Et primum quidem genus cogitationum, otioſarum ſcilicet & ad rem non pertinentium, lutum eſt, ſed lutum ſimplex, id eſt, non inhærens nec fœtens, niſi forte diutius immoretur in nobis, & per incuriam ac negligentiam noſtram in alterum genus cogitationum vertatur: quod quotidie experimur. Dum enim otioſa tamquam minima ſpernimus, ad turpia atque inhoneſta dilabimur. Secundum vero cogitationum genus, non lutum ſimplex, ſed, ut jam diximus, viſcoſum ac limoſum eſt. Nam tertium quidem ſic cavendum eſt, non tamquam lutum aut limus, ſed tamquam immundiſſimum ac fœtidiſſimum cœnum.

3. Cogitationes fœdæ & immundæ.

Quomodo hæ propulſandæ.

Luto variæ comparantur.

SERMO XXXII.

De triplici judicio, proprio, humano, & divino.

1. Cor. 4. 1.

1. *SIc nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Miniſter Chriſti ſic debet converſari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, exiſtimetur compoſitio interioris animi qui non videtur, ne vel ab alio, vel à ſeipſo poſſit judicari, ſed dicat cum eodem Apoſtolo: *Mihi pro minimo eſt ut a vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque me ipſum*

Ibidem.

[Judicia tria: humanum, proprium, & divinum.] *ipſum judico; qui autem judicat me, Dominus eſt.* In quibus verbis notanda ſunt tria judicia, humanum, ſuum cujuſque proprium, & divinum. Et humanum quidem poteſt judicare de rebus exterioribus, quæ ſenſibus corporis percipiuntur; de interioribus vero non poteſt. [1 Cor. 2. 11.] Hinc enim ſcriptum eſt: *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus qui eſt in eo?* Quapropter de his quæ ſunt in homine, poteſt judicare ſpiritus hominis qui in ipſo eſt: longe vero præſtantius de his ipſis judicat Deus, cujus necdum ſe fatetur Apoſtolus evaſiſſe judicium, qui tamen jam humanum tranſſcendiſſet, & proprium. Porro humanum contemnebat qui dicebat: *Mihi autem pro minimo eſt ut* B *à vobis judicer, aut ab humano die.* Sed neque proprium timebat qui dicebat: *Sed neque meipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum.* Solum ergo reſtabat divinum, de quo ait: *Qui autem judicat me, Dominus eſt.*

2. Debet tamen [a] quiſque, quantum poteſt, ſe irreprehenſibilem exhibere, primum quidem coram Deo, ſed deinde etiam coram hominibus. Hoc nempe eſt quod alibi loquitur idem Apoſtolus, dicens: [Rom. 12. 17] *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* [Providenda bona coram hominibus & Deo tripliciter.] Tribus ſiquidem modis providemus bona coram hominibus, id eſt, habitu, actione, ſermone; habitu, ne ſit notabilis; actione, ne ſit reprehenſibilis; ſermone, ne ſit contemptibilis. Tribus C etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, & intentione. Nam & cogitatio debet eſſe ſancta, unde ſcriptum eſt, *Cogitatio ſancta ſervabit te*; & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria iſta, id eſt cogitatio, affectio, & intentio, in anima. Sed in ea quoque propriis ſingula locis diſtincta videntur. Nam cogitatio in memoria eſt, affectio in voluntate, intentio in ratione conſiſtit.

3. [Peccati gradus pulcra ſimilitudine declarati.] Atque ut eorum uſum ac differentiam clarius videamus, ſumamus nobis exemplum de rebus exterioribus. In corporibus ſi quilibet deformis color cutem tantum inficiat, corpus quidem turpius redditur, ſed nil ei de ſua ſanitate ex hoc adimitur. Si vero carni D putredo aliqua, vel lividus tumor inſederit, jam non ſolum decus corporis, ſed & ſalus quoque perturbatur. Quod ſi languor forſitan invaleſcens, cum ipſa carne oſſa quoque medullitus occuparit, tunc demum de vita non immerito poteſt deſperari. Eodem modo in anima, ſi peccatum ſuggeritur memoriæ per cogitationem, nullum tamen præbuerit aut voluntas affectum, aut deliberatio ipſa conſenſum: fateor quidem deformitas eſt, nec audire interim anima illa meretur, [Cant. 4. 7.] *Tota pulcra es, amica mea.* Ceterum etſi nævus eſt, ſed non morbus. Quod ſi voluntas quoque præoccupata ſenſu delectationis afficitur, reſiſtit tamen adhuc deliberatio rationis; infirmatur quidem, ſed E necdum moritur anima: clamet tamen neceſſe eſt, [Jer. 17. 14.] *Sana me Domine, & ſanabor.* Tunc vero mori dicitur, quando & ipſa ratio ad peccatum per intentionem curvatur. [Ezech. 18. 4.] Tunc enim conſentit; & de tali dicitur: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Hunc triplicem gradum deploravit David ex perſona peccatoris *, [* al. Adam.] dicens Domino expellenti de paradiſo in latam hujus ſæculi evagationem: [Pſal. 37. 3.] *Confirmaſti ſuper me manum tuam.* Et quoniam carnalia deſideria ſunt pœna peccati, *Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ.* Jam vero nec robur eſt rationis: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* [Pſal. 76. 4.] Qui rurſus eoſdem gradus ex perſona juſti decantat, dicens: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum.* Delectatus enim per voluntatem, exercitatus per rationem.

4. [Memoria contra cogitationes munienda recordatione propriæ profeſſionis.] Ne ergo à memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ ſolent effluere tamquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen eſt recordatio propriæ profeſſionis: ut cum turpibus ſeſe cogitationibus ſenſerit animus prægravari, increpet ſe, & dicat ſibi: Tunc hæc debes cogitare, qui ſacerdos es, qui clericus es, qui A monachus es? [Tom. III.] Cultor juſtitiæ debet iſtic quicquam iniquum admittere? Decet ſervum Chriſti, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? Hæc dicendo, excludet fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ profeſſionis. [Voluntas contra affectione recordatione cæleſtis patriæ.] Similiter ad portam voluntatis, in qua ſolent manere carnalia deſideria, tamquam in domo domeſtica familia; ſtatuatur oſtiarios, qui vocatur recordatio cæleſtis patriæ. Hic enim poteſt pravum deſiderium, quaſi cuneus cuneum, expellere; & ipſum qui ait, [Apoc 3. 20.] *Ecce ſto ad oſtium & pulſo,* ſine cunctatione recipere. [Ratio contra malam intentionē recordatione gehennæ.] Jam vero ad thalamum rationis talis & tam ferox adhibendus eſt cuſtos, qui nemini parcat: ſed quicumque hoſtis, ſive clam, ſive palàm ingredi præſumpſerit, procul eum arceat; & hic ſit recordatio gehennæ. In ceteris ſiquidem, id eſt memoria & voluntate, non ita eſt intolerabile, ſi vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem; vel voluntas impuram affectionem: hoc vero graviſſimum & omnino damnoſum, ſi umquam ratio perdiderit rectitudinem intentionis.

SERMO XXXIII.

De verbis Pſalmi, *Quis aſcendet in montem Domini?*

1. [Cœlum mōti comparatum.] VErbum exhortationis eſt, Fratres mei, ut quandoquidem omnes aſcendere nitimur, omnes tendimus in ſublime, ſurſum adſpiramus omnes, omnes conamur in altum: illoc ſtudeamus aſcendere, ubi bonum ſit nos eſſe, ubi ſecurum ſit nos eſſe, unde cadere non oporteat, ubi ſtare poſſimus. Nec modo ut deſiderium provocet, aſcenſorem montis hujus Propheta requirit: verum etiam ut aſcendere cupientem modum doceat aſcendendi. Felix, qui hujus montis aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, concupiſcens & deficiens in atria Domini. Siquidem mons iſte mons uber, bonorum omnium cumulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei eſt. [Pſal. 83 5.] Et *beati qui habitant in domo tua Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Audi teſtem fidelem, quia mons eſt domus iſta. [Baruc. 3. 24.] *O Iſraël, quàm magna domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus! magnus, & non habens conſummationem, excelſus & immenſus.* Immo vero non ſolum mons eſt, ſed & mons montium, multæ in eo manſiones, multi montes. [Pſal. 86. 1.] Denique etiam fundamenta ejus in montibus ſanctis.

2. [Iſa 2. 2.] Et ne hoc quidem ſanctus tacuit Iſaias: *Erit,* inquit, *mons domus Domini præparatus in vertice montium, & elevabitur ſuper colles.* [Cœlum mons montium, ubi omnium bonorum copia.] Quidni montium mons, fundatus exſultatione univerſæ terræ, ubi tam multiplex omnium delectabilium copia, ubi una copiarum omnium plenitudo? Erit enim mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ: & hi omnes montes unus mons conſummatæ felicitatis. Annon mons pacis, pax ſuper pacem, pax quæ exſuperat omnem ſenſum? Plane mons magnus pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipſis dæmonibus, pax cum Deo; & pacis non erit finis. [Johan. 16. 22.] Erit gaudium, ſed quale Dominus ait, *gaudium plenum,* ſecurum gaudium, quod nemo tollet à nobis. Sed & vitam habituri ſumus, & abundantius habituri, quod non poſſit inefficax eſſe tanti Paſtoris adventus, qui ad hoc ipſum venit ad oves, ſicut ipſe teſtatur, [Johan. 10. 10.] *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Numquid non etiam mons tibi videtur æternum gloriæ F pondus ſupra modum in ſublimitate? Porro ex his omnibus, & ſi qua poſſunt ſimiliter deſiderabilia cogitari, una eſt beatitudinis menſura bona, conferta, coagitata, ſupereffluens. [Luc. 6. 38.] ac ſi plurimos montes, alium quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis & ſmaragdis, atque omnium gemmarum gloria; alium quoque ex vermiculo, purpura & byſſo, ceteriſque ejuſmodi opibus pariter coacervans, in unum redigas montem. Omnia enim nobis multiplicata reddentur. Et qui aurum & argentum, lapides pretioſos ſuperædifi-

a Totum hunc locum exhibet liber 7. Florum cap. 41.

Tom. III caverit fundamento, ædificium humile in immenſos A montes excreviſſe mirabitur; & ex modico ſemine magnos metet, non tam manipulos, quàm acervos manipulorum.

Cæli aſcenſu quis dignus.

3. *Quis* ergo *aſcendit in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.* Beatus ille, ſi quis tamen ille eſt. Sed quis gloriabitur innocentes manus, aut caſtum ſe habere cor? Job 15. 14. *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Solus Chriſtus innocens. Unus tantum eſt inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber unus eſt, & non æſtimabitur alius abſque eo. Ipſe eſt Joban. 3. 13. de quo legiſti: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.* Erat enim inno- B cens manibus, qui peccatum non fecit, ſed multa bo- Johan 8. 46. na operatus, Judæis libere aiebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* An vero mundiſſimum cor fuiſſe quis dubitat, unitum perſonaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit; attingit autem ubique propter Johan. 10. 18. ſuam munditiam? Sed non in vano accepit animam ſuam, qui ſolus poteſtatem habuit ponendi animam ſuam, & iterum reſumendi. Non in vano accepit naſcens, non in vano poſuit moriens, non in vano accepit reſurgens.

Nobis etiam mundis aſcenſum.

4. At quomodo non in dolo juravit proximo ſuo, quomodo non in vano accepit animam ſuam, quo- Luc. 24. 26. modo non in vano omnia illa perfecit, ſi hic ſolus ac- C cipiat benedictionem? Itane oportebat Chriſtum pati, reſurgere, & ſic introire in gloriam ſuam? Sua erat. Quæ utilitas in ſanguine ejus, dum omnes deſcendimus in corruptionem? Quæ veritas in promiſ- Johan 3. 13 ſione, ſi (ut ſupra meminimus) *nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit?* Eſto, hic accipiat benedictionem: miſericordiam quare? At non ſolus hic accipiet, aut certe magis non ſoli ſibi accipiet, ſi advertas. Perge enim per ſacra verba prophetica, & vide quonam modo, velut occulte, multitudinem ſubinducit. Loquebatur de uno & dicebat, *Hic accipiet:* ſed continuo transfudit in hanc generationem, & ait, *Hæc eſt generatio quærentium:* ut in uno non perſonæ D ſingularitatem intelligas, ſed ſpiritus unitatem. Nimirum hic ſponſus, & hæc ſponſa eſt; & ſcimus quis di- Epheſ 5. 31. xerit: *Jam non ſunt duo, ſed una caro.* Ita ergo hic aſcendet, hic accipiet benedictionem: ſed aſcendent etiam cum eo, vel magis in eo, quia ab eo accipient benedic- Pſal. 83. 8. tionem. Audi hoc à Propheta: *Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.* Atque hoc eſt Luc. 24. 46. propter quod oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis; ut prædicetur in nomine ejus pœnitentia, & Pœnitentia pro innocentia reputatur remiſſio peccatorum: & pœnitentia ad innocentiam, remiſſio ad munditiam deputetur. *Beatus* enim, non in quo non invenerit, ſed *cui non imputabit Dominus* Pſal 31. 2. Act. 13 22. *peccatum. Inveni*, ait, *hominem ſecundum cor meum.* E Numquidnam gloriari poſſit caſtum ſe habere cor? Non: Job 25. 5. quia *ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus*: ſed cor Pſal. 50. 19. contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Cor contritum proximum cordi mundo; & hoc eſt eſſe juxta cor Dei: ſiquidem prope eſt his qui tribulato ſunt corde. Samaritanus eſt, proximus ei qui Pſal. 23 4. incidit in latrones. Non jurabit in dolo huic proximo Matt 19. 28 ſuo, ſed faciet quod promiſit: *Amen dico vobis, ſedebitis vos judicantes.*

Innocentia manuum & cordis munditia ſectanda.

5. Simus ergo & nos, dilectiſſimi, pro noſtro quidem modulo, & manuum innocentiæ, & cordis munditiæ ſectatores. Ante omnia quidem ſolliciti, etſi penitus cavere pro humana fragilitate non prævalemus, F quantum tamen declinare à malo poſſumus, non modo actionis, ſed & cogitationis. De cetero quoque ne in vano acceperimus animas noſtras rationales, exerceamus nos in operibus bonis, & conſilio rationis utamur. Quomodo enim non fruſtra humanam accipit homo animam, qui, tamquam unum ex irrationabilibus animantibus, incubans corporeis voluptatibus, ſolum ſequitur carnis appetitum? Addidit quoque Propheta: *Nec juravit in dolo proximo ſuo.* Sicut enim munditiam intra nos, erga proximum innocentiam A convenit obſervari: ſic & in nobis, & erga proximum exercenda virtutis opera, opera pietatis. Non ergo ſimus nobis inutiles, ne in vano receperimus animas noſtras: non ſimus inutiles proximo noſtro, ne in vano ei juraſſe probemur. Novit figmentum Proximis quid debeamus. noſtrum Spiritus qui loquebatur per Prophetam, nec de utilitate proximi ſimpliciter voluit commonere. De juramento nos convenit, ut agnoſcamus debitum, ut promiſſam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati ſumus, cum quibus in Eccleſiæ venimus unitatem. Et hæc profeſſio fidei Chriſtianæ, ut qui vivit, jam non ſibi vivat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt.

B 6. Nec mihi dicat quis: Ei vivam, ſed tibi non. quandoquidem ille non ſolum pro omnibus vixit, ſed & pro omnibus mortuus eſt. Quomodo enim ei vi- 2. Cor. 5. 15 vit, qui negligit ſic ab eo dilectos? Quomodo ei vivit, qui legem ejus non implet, qui mandatum ejus non ſervat? Quæris legem? quæris mandatum? *Hoc eſt*, inquit, *mandatum meum, ut diligatis invicem, ſicut* Johan. 15. 12. *dilexi vos.* & Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Gal 6. 2. Noli ergo putare gratuitum bonum quod exhibes proximo, ut liceat etiam diſſimulare ſi velis. Debitor es ſacramenti cautione, & propria profeſſione teneris. *Hic* ergo *accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari* C *ſuo.* Hic, quia unus accipit bravium. Sed ne unum hominem putes, *hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Hic accipiet benedictionem: quia caput & corpus unus eſt 1. Cor 9. Chriſtus. Sed hæc eſt generatio: quia in menſura ætatis plenitudinis Chriſti omnes pariter occurremus. Epheſ. 4. 13.

7. Et forte idem ipſe Dominus mons Domini eſt, Chriſtus Dominus mons allegoricè de quo dicitur: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Nimirum ipſe eſt abſciſſus ſine manibus lapis, qui in montem crevit immen- Dan. 2. 35. ſum: ipſe qui exaltatus à terra omnia trahit ad ſe, *mons* Joan. 12. 32 *coagulatus, mons pinguis.* Pſal. 67. 16. Ut quid vos Judæi, ut quid ſuſpicamini montem coagulatum, montem in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo? *In Beelzebub,* Matt 12. 24. D inquiunt, *principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Exſecranda ſuſpicio, & blaſphemia reprehenſibilis! Princeps eſt Chriſtus, & magnus princeps, cujus ne ipſi quidem dæmones poſſunt effugere principatum. At illorum regnum in ſe ipſis diviſum deſolabitur: hujus re- Ibid. 25. gnum integrum atque perfectum, & regni ejus non Luc. 1. 33. erit finis. Diſtat ergo inter Principem & principes, nec ulla comparatio inter montem coagulatum & pinguem, & montes tantum coagulatos. Veſter iſte Beelzebub mons coagulatus, ſed non pinguis, magis autem ſterilitate perpetua maledictus. Mons, quia elatus eſt: coagulatus, quia ſquama ſquamæ conjungitur, & coagulatum eſt ſicut lac cor eorum.

E 8. Chriſtus Dominus mons eſt, mons coagulatus, Chriſtus mons coagulatus & pinguis. & mons pinguis. Mons eſt ſublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis caritate. Et nunc vide quomodo trahat ad ſe omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate ſubſtantiali, perſonali, ſpirituali, ſacramentali. Habet in ſe Patrem, cum quo eſt una ſubſtantia; habet aſſumptum hominem, cum quo eſt una perſona; habet adhærentem ſibi fidelem animam, cum qua eſt ſpiritus unus; habet ſponſam Eccleſiam unam omnium electorum, cum qua eſt caro una. Et forte carnalis hæc unio dicenda fuiſſe videbitur: ſed ſacramentalem dicere malui, dignius hoc vocabulum arbitratus, præſertim occaſionem dante Apoſtolo, ubi F ait: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Epheſ. 5. 32. Pinguiſſimus plane & uberrimus mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: Pſal 67. 17. ſiquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ partici- Pſal 44 8. pibus ſuis. Mons cæleſtium aromatum, mons chariſmatum ſpiritualium, non ad menſuram accipiens ſpiritum, ſed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt, in quo tota humanitatis veritas, tota divinitatis inhabitat plenitudo; excelſus & immenſus: in quo omnia inſtaurantur quæ in

cælis, & quæ ſuper terram, ut ſit Deus omnia in omnibus.

Ad Chriſtum quomodo aſcendendum.

9. Venite, aſcendamus in hunc montem, fratres: & ſi via nobis videtur ardua, exoneremus nos; ſi arcta, etiam exinanire nos non parcamus; ſi longa, tanto magis feſtinemus; ſi laborioſa, clamemus ei: *Trahe nos poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus.* (*Cant. 1. 3.*) Felix qui ſic cucurrerit, ut comprehendat, immo ut ipſe comprehendatur, & in illam amplitudinem montis & plenitudinem corporis Chriſti mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam deſideranter & perſeveranter aſcenderit, ut in loco ſancto locum accipiens ſtationis, Deo Patri in ſancto ejus appareat, ſimul & videat virtutem ejus & gloriam, haud aliam ſane quam eumdem ipſum montem montium, montem coagulatum & pinguem, (*Pſal. 67. 16.*) Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. In quo nimirum per prædeſtinationem ab æterno apparuimus ei qui dilexit nos, & gratificavit in dilecto Filio ſuo, in quo elegit nos ante mundi conſtitutionem. (*Epheſ. 1. 4.*) Sed jam tunc cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus, cum plenius & perfectius exaltatus altiſſimus & uberrimus ille mons omnia trahet ad ſe, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXXIV.

De verbis Origenis.

Origenis verba.

1. NOcere poſſunt, ut vereor, forte nonnullis verba quæ heri lecta ſunt vobis, ex homilia ſcilicet Origenis ſuper capitulum illud Legis, (*Levit. 10. 9.*) ubi Aaron & filii ejus vinum bibere prohibentur, cum acceſſuri ſunt ad altare: ſi recipiant ea ſimpliciter, ſicut ſonare videntur. Salvator meus, inquit, luget etiam nunc peccata mea, & tamdiu eſt in mærore, quamdiu nos perſiſtimus in errore. Plurima quoque alia in hunc modum abundantius forſitan, quam circumſpectius dicta, nec tam ſobrie quàm diſerte. Quidnam ſibi vult inſolitus iſte grunnitus, aut quis inter vos neſcio quid ſubmurmurat? Scio quidem doctos in lege divina hujuſmodi verba ridere: ſed nihilo minus etiam minus ſapientibus me confiteor debitorem. Nec modo de intellectu Origenis quæſtio eſt. (*Origenis ſcripta, caute legenda.*) Potuerit forſitan hyperbolice loqui: ipſe viderit, nihil intereſt noſtra. Quamvis ne hoc quidem ſilendum arbitror, quod evidentiſſime illum contra fidem nonnulla ſcripſiſſe ſanctorum Patrum tradat auctoritas, atque ideo non ſine circumſpectione monet eſſe legendum. Verum nos in præſenti non quid ipſe ſenſerit quærimus, ſed id agere cupimus, ut vos omnes quod ad ſanam doctrinam pertinet ſentientes, nihil moveamini verbis illis.

In cælo nullus triſtitiæ aut culpæ locus.

2. Abſit enim ut in cælo credatur locus eſſe triſtitiæ, ſicut nec culpæ. Nemo ibi delinquere, nemo lugere poteſt: ſicut nec in terra quidem pœna ulla fuiſſet, niſi iniquitas præceſſiſſet. In cælo utique ſola juſtitia, ſola nihilo minus lætitia eſt: in inferno ſolum peccatum, & pœna peccati: porro in medio utraque inveniuntur, atque ideo neutra conſummata. In multis offendimur, quia *in multis offendimus omnes.* (*Jacob. 3. 2.*) Quoniam enim nullus in cælo paſſionis locus eſſe poterat vel doloris, propterea ſane Unigenitus Dei Patris, paſſione ſua hominem redempturus, ſicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in divinitate) ſuſcepit, ſic etiam *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt,* (*Baruc. 3. 38.*) ut humiliaret etiam ſemetipſum in loco afflictionis. (*Chriſtus carnem ſuſcepit in qua pati poſſet.*) Hic ergo turbare ſe, pavere quoque dignatus eſt & tædere, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. In terra, inquam, vere lacrymatus eſt Jeſus, vere contriſtatus, vere paſſus, vere mortuus, vere ſepultus: ſed ubi ſurrexit, vetera tranſierunt. Noli ultra dilectum tuum in tuo quærere lectulo: ſurrexit, non eſt hic. Vox ſponſæ eſt: *In lectulo meo quæſivi quem diligit anima mea; quæſivi, & non inveni.* (*Cant. 3. 1.*) Maria fuit quæ Dominum quæſivit in lectulo, quæſivit in tumulo, nec invenit. Magis autem invenerunt eam vigiles, & dixerunt: *Quid quæris viventem cum mortuis?* (*Matt. 28. 5.*) Fuit quidem cum mortuis, ſed jam non eſt: fuit inter mortuos, ſed & tunc liber fuit. (*Tom. III.*) Siquidem ipſe ſeſe turbavit, ipſe animam ſuam poſuit, *quia ipſe voluit oblatus eſt.* (*Chriſtus voluntate paſſus. Iſa. 53. 7.*) Omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de neceſſitate. Unde & quod infirmum erat Dei, fortius erat hominibus: (*1. Cor. 1. 25.*) quod eſſet tunc quoque etiam inter parvulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber.

3. Videtur quidem & in noſtris aliquando tribulationibus eſſe nonnulla libertas, cum videlicet pro peccatis proximorum libera & liberali caritate laborem pœnitentiæ ſuſtinemus, lugentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, & quæ non rapuimus exſolventes. Unde & Paulus: *Cum liber eſſem*, inquit, *ex omnibus, omnium me ſervum feci.* (*1. Cor. 9. 19.*) Ceterum nihil hoc ad libertatem illius, qui nihil proprii delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. Nam à nobis quidem etiam voluntarias illas tribulationes etſi proximus exigere forſitan ex jure non poteſt, exigit tamen Deus: & ſi proximo forte videtur quis reddere pluſquam debeat, Deo tamen nemo umquam totum reddidit quod debebat. (*Deo nemo umquam dat quod debet.*) *Mihi autem*, inquit Apoſtolus, *pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die; ſed neque meipſum judico.* (*1. Cor. 4. 3.*) Nota ſane quod alibi ait: *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur.* (*1 Cor. 11. 31.*) & item: *Spiritualis homo omnia dijudicat.* (*1. Cor. 2. 15.*) Non enim judicare hic poſuit, ſed *dijudicare*: quod utique diſcernere & probare eſt: ſicut item ait: *Beatus qui ſe non judicat in eo quod probat.* (*Rom. 14. 22.*) Itaque pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus nihil ſeſe debiti officii ſubtraxiſſe ſciebat, nihil peccaſſe in aliquem, ſed magis omnibus præſtitiſſe, adeo ut ſecura conſcientia ingenue loqueretur: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* (*2. Cor. 11. 29.*) Nam & Judæis Judæus factus eſt, ut Judæos lucrifaceret, & his qui ſine lege erant, tamquam ſine lege: poſtremo omnibus omnia factus eſt, ut omnes ſalvos faceret. (*1. Cor. 9. 22.*) Merito proinde pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus uſque adeo ſeſe ſine offenſione præbuerat, inter quos ſic honorificaverat miniſterium ſuum. (*Paulus non hominum, ſed Dei judicium æſtimat.*) Sed neque ipſe ſe dijudicabat in eo quod probabat, perfecte etiam ſibi quod debebat impendens, corporis caſtigationem, animæ miſerationem, atque omnem cuſtodiæ ſollicitudinem cordi ſuo, ut nec in ſe quoque peccati conſcius haberetur. *Sed non in hoc*, inquit, *juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* (*1. Cor. 4. 4.*) Illius enim prorſus nequeo declinare judicium: & ſi juſtus fuero, non levabo caput, quoniam omnes juſtitiæ meæ tamquam pannus menſtruatæ coram illo. (*Iſa. 64. 6.*) Non eſt qui in conſpectu ejus juſtificetur, non eſt uſque ad unum.

4. Ceterorum ſiquidem nemo eſt quem non oporteat dicere Deo, *Tibi peccavi*: (*Pſal. 50. 6.*) ſed magnus qui in veritate poteſt dicere, *Tibi ſoli.* (*Chriſtus poſt reſurrectionem impaſſibilis.*) Solus ille etiam inter mortuos penitus liber fuit, qui peccatum non fecit, cujus juſtitia ſicut montes Dei. Ceterum jam nec inter mortuos eſt, ſed aſſumptus ab eis, mutatus corpore, mutatus & corde, ingreſſus in potentias Domini, & omni infirmitate privatus, exutus nimirum ſordidas illas veſtes, quibus ſane apud Zachariam Prophetam (*Zach. 3. 3.*) primo veſtitus apparuit, & indutus ſplendidis, ſicut loquitur in Pſalmo: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* (*Pſal. 29. 12.*) Quia enim veram humanæ carnis & animæ ſubſtantiam ſuſcepit, veram utriuſque naturam; nec corporis illi defuerunt, nec animæ paſſiones: ſed ex hoc jam glorificatus eſt in utroque. Puto autem quod utriuſque glorificationem brevi uno verſiculo Propheta comprehendit, dicens: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* (*Pſal. 92. 1.*) Decorem ſane in corpore claritatis, fortitudinem vero in * imperturbabili ſtatu mentis. (* *al. mendoſè perturbabili*) Denique *triſtis eſt*, inquit, *anima mea uſque ad mortem.* (*Matt. 26. 38.*) Unde & inclinans caput dixit, *Conſummatum eſt*: (*Johan. 19. 30.*) ne quid deinceps infirmitatis in eo liceat ſuſpicari.

5. Sed ait iſte: Si Apoſtolus ipſius luget quoſdam qui ante peccaverunt, nec pœnitentiam egerunt in his

Tom III. Origenis alia dicta minus congrua. Luc. 19. 41.

» quæ geſſerunt : quid dicam de ipſo, qui Filius dici- » tur caritatis ? Et deinde : Cum ergo quæ noſtra ſunt » quæſierit, nunc jam nos non quærit, nec quæ noſtra » ſunt cogitat, nec de erroribus noſtris mæret, nec » perditiones noſtras deflet & contritiones, qui flevit » ſuper Jeruſalem ? Item : Nunc, inquit, quia miſeri- » cors & miſerator eſt Dominus, majori affectu, quàm » Apoſtolus ſuus, flet cum flentibus, & luget eos qui » ante peccaverunt. Nec enim putandum eſt quod Pau- » lus lugeat pro peccatoribus & fleat, Dominus autem » meus abſtineat à fletu. Hæc quidem ſic accipere, quidni adhuc dilectum in lectulo quærere dicam ? Neſcit mortuus extra tumulum, neſcit infirmus extra lectum, neſcit parvulus extra lectulum quærere quem diligit anima ſua. Verum ille (ut ſupra meminimus) non minus corde, quàm corpore glorificatus (immo tanto amplius, quanto amplior anima, & gloriæ capacior eſt quam caro) ſicut non poteſt negligere ſuos, ſic nec lugere pro eis. Sed quando humana fragilitas hujuſmodi capere poſſit affectum, qui ſine miſeria miſereatur, & ſic diligat, & vehementer diligat eum qui doler, aut qui periclitatur, ut tamen ipſe omnino nec doleat, nec turbetur ? Verumtamen etſi id longe ſupra noſtram experientiam eſt, Deo tamen nihil impoſſibile eſt. Poteſt igitur non modo ſibi, ſed & ſuis omnibus, quos infirmitate carnis exutos virtute induit, & in potentias introduxit, eam conferre dilectionem, quæ gaudeat cum gaudentibus, non autem fleat cum flentibus ; & ſic eos quos amat, efficaciſſime & affectuoſiſſime uniat, ut ipſa tamen imperturbabilis perſeveret. Nec dubium ſane quin longe præſtantior ſit ea dilectio, quemadmodum medicina (ſi quæ tamen ejuſmodi eſt) pretioſior utique judicatur, quæ ſic curat vulnera, ut inter curandum nec virtus ejus in aliquo, nec ſubſtantia minuatur ; quàm ea quæ ſic curat, ut curando deficiat, aut corrumpatur. Licet ergo fleverit Dominus ſuper Jeruſalem, ex hoc jam omnino non flebit : ſicut mortuus eſt, ſed reſurgens ex mortuis jam non moritur : ſicut fuit in lectulo, ſed exſurgens jam in lectulo non invenitur.

Christus & beati non amplius paſſionibus obnoxii.

Luc. 19. 41. Rom. 6. 9.

Miſericordia tamen non expertes.

6. Habet tamen etiam nunc ineffabiliter ampliorem affectum & efficaciorem, quam habeant qui lugent pro delinquentibus, aut pro fratribus ponunt animas : quamvis ipſe quidem, conſummato nimirum opere ſuo, neutrum deinceps ſit facturus. Noſtræ infirmitatis illud eſt, quorum adhuc in mari ſagena trahitur, & ex omni genere piſcium congregat, nihil omnino diſcernens. Ille enim, nec modo ille, ſed & Apoſtoli, & ceteri qui cum eo ſunt ſancti, ad littus utique pervenerunt, nec mixtos piſces in vaſis poſuere, ſed electos, & bonos tantum : nam malos utique foras miſerunt. Quantos ego interim cogor trahere malos piſces, quantos anxios & moleſtos intra ſagenam meam congregavi, quando vobis adhæſit anima mea ! Congratulor proficientibus : jucunda affectio, bonus eſt piſcis. Condoleo deficientibus, fleo cum flentibus, angor pro periclitantibus, infirmor cum infirmantibus, uror cum ſcandalizatis. Gravia ſunt hæc & acerba, utique mali piſces. Malos autem dixerim, non propter culpam, ſed propter pœnam. Faciat Deus, ne à multitudine malorum piſcium obruamur puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, donec perveniamus ad optati littoris ſtationem, ubi malos ſeparemus & ſecludamus à bonis, ut videlicet de cetero nec luctus, nec clamor, ſed nec ullus dolor, aut etiam timor ſit in finibus noſtris, ſed gratiarum actio, & vox exſultationis.

Matt. 13. 48

SERMO XXXV.

De tribus Ordinibus Eccleſiæ, ad Patres in Capitulo habitus.

1. HOc mare magnum [a] & ſpatioſum (in quo utique certum eſt nihil aliud quàm præſens ſeculum amarum fluctuans deſignari) tribus hominum generibus ſuo cuique modo pervium eſt, ut tranſeant liberati. Tres enim ſunt Noë, Daniel, & Job *. quorum primus navi, ſecundus ponte, tertius vado tranſiit. Porro tres homines, tres ordines Eccleſiæ ſignant. Noë quidem arcam rexit ne periret in diluvio, ubi protinus rectorum Eccleſiæ formam agnoſco : Daniel vir deſideriorum abſtinentiæ & caſtimoniæ deditus, ipſe eſt ſoli Deo vacans pœnitentium & continentium ordo : Job quoque ſubſtantiam hujus mundi bene diſpenſans in conjugio, fidelem deſignat populum terrena licite poſſidentem. De primo igitur & ſecundo nobis habendus eſt ſermo ; quoniam adſunt venerabiles Fratres & coabbates noſtri de numero Prælatorum ; adſunt & monachi de pœnitentium ordine : à quo tamen nec nos Abbates alienos reputare debemus, niſi forte (quod abſit) officii noſtri gratia, noſtræ fuerimus profeſſionis immemores. Tertium igitur, conjugatorum videlicet ordinem, magis ſuccincte tranſcurro, tamquam minus ad nos pertinentem. Ipſe eſt qui maxime mare magnum vado pertranſit, laborioſum prorſus & periculoſum, etiam & longum habens iter, quippe qui nulla viæ compendia captet. Nam quod periculoſum ſit iter, in eo patet, quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus, ſicut neceſſe eſt, pertranſire. Valde enim difficile eſt, præſertim diebus iſtis, quibus malitia nimis invaluit, inter undas hujus ſeculi *, voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foveas declinare.

* Ezech. 14. 14. Tres ordines ſeu ſtatus Eccleſiæ : Prælatorum Continentium, Conjugatorum. *Serm. de Naſtag.* n. 7.

Conjugatorum ſtatus periculoſus.

* al. mali.

2. At continentium quidem ordo & ponte pertranſit ; quod iter brevius & facilius, etiam & ſecurius eſſe nemo eſt qui neſciat. Sed omitto laudes, pericula magis oſtendo : hoc enim multo melius atque utilius eſt. Recta quidem ſemita veſtra, cariſſimi, & ſecurior conjugatorum viâ, non tamen omnino ſecura. Timendum enim periculum triplex, id eſt, ne forte aut æquare ſe alteri, aut reſpicere retro, aut certe in medio ponte ſtare ſeu reſidere quis velit. Neque enim ullum ex his tribus pontis patitur anguſtia, & arcta via quæ ducit ad vitam. Contra primum ergo periculum oremus ſinguli cum Propheta : *Ne veniat nobis pes ſuperbiæ, quoniam ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Nam de eo qui mittens manum ſuam ad aratrum, poſtea retro convertitur, certum eſt quoniam labitur ſtatim, & pelagus operit caput ejus. Sed & qui ſtare voluerit, non quidem relinquens Ordinem, ſed proficere in eo diſſimulans, cadat neceſſe eſt, ab his qui ſequuntur, impulſus & everſus. Arcta enim eſt via ; & impedimento eſt proficere & proficiſci volentibus. Hinc eſt quod jugiter arguunt & reprehendunt, quod ferre nequeunt tepiditatis ejus ſegnitiem, quod velut quibuſdam ſtimulis urgent & impingunt manibus : ut UNUM neceſſe ſit è duobus, aut proficere ſcilicet, aut prorſus deficere. Minime igitur oportet ſiſtere greſſum : reſpicere quoque retro, aut æquare nos aliis, multo minus expedit : ſed tota humilitate currendum nobis & properandum, ne quando forte is qui egreſſus eſt ut gigas ad currendam viam, longe à nobis fiat : quem, ſi bene ſapimus, providentes in conſpectu noſtro ſemper, & in ejus odore tracti, facilius citiuſque curremus.

Religioſorum ſtatus non omnino ſecurus.

Pſal. 35. 12. Triplex in eo periculum.

Proficere debemus cadere.

3. Nec vero anguſta nimis invenietur pontis ſemita currere in ea volentibus. Tribus enim compactus eſt lignis : ut qui perfecte eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem ſunt, pœna corporis, paupertas ſubſtantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ. Nam & *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum : & qui volunt divites fieri in hoc ſeculo, incident in tentationem & laqueum diaboli* : & quem à Deo ſuo exturbavit inobedientia, ſine dubio per obedientiam recto tramite ad eum redit. Hæc itaque ſibi invicem compacta eſſe neceſſe eſt. Nam & pœna corporis nec inter divitias ſtabilis, nec ſine obedientia facile poteſt eſſe diſcreta ; & paupertas in voluptate &

Religioſorum tria perfidia.

Act. 14. 21. 1. Tim. 6. 9.

[a] Hic ſermo in codice Colbertino optimæ notæ locatur ante ſermonem de Nativitate B. Mariæ, in regio poſt, cum hoc titulo, *Sermo ad Abbates venientes ad Capitulum Ciſtercii.* In Fulienſi gallico, inter ſermones de Quadrageſima. Olim Capitulum Ciſtercienſe Idibus Septembris celebrari mos erat. In libro Florum citatur hic ſermo in lib. 5. cap. 58. & lib. 8. cap. 36. 37. &c.

voluntate propria nullius meriti, nullſus apud Deum poteſt eſſe munienti: & obedientia in divitiis & voluptate nec ſtabilis eſt, nec glorioſa.

Mundi tria pericula hic evadere licet

4. At vero his rite compoſitis, vide ſi non perfecte tria maris hujus pericula evaſiſti, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Rite, inquam, compoſitis, ut in pœna quidem nodum impatientiæ, in paupertate vero cupiditatis ſcrupulum, in obedientia nævum caveas propriæ voluntatis. Nam & qui murmuraverunt, à ſerpentibus perierunt: *& qui volunt divites fieri* (non ait qui ſunt, ſed qui *volunt fieri*) *incidunt in tentationes & in laqueum diaboli*. Sed & illud quid refert, ſi forte (quod abſit) non quidem divitias, ſed ea ipſa quæ paupertatis ſunt, tanto affectu deſideres, aut etiam ardentius, quàm divitias cupiant homines ſæculares? Quid diſtat quæcumque ſubſtantia deſideretur, dum æqualiter ſit corruptus affectus? niſi quod tolerabilius illud videri poteſt, quæ utcumque pluris eſſe videntur, plurimum deſiderare. Porro quiſquis vel aperte vel occulte ſatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat; ipſe ſe ſeducit, ſi forte ſibi quaſi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit.

1. Cor. 10. 9.
1. Tim. 6. 9.

Paupertatis & obedientiæ profeſſio quomodo vitietur.

Marc 4. 24

5. Verumtamen quia juxta ſententiam Salvatoris, in qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis: bonum eſt homini hoc ad cumulum dare, ut de eorum ſit numero, quibus menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus ſuos. Sufficit enim ad ſalutem corporis moleſtias patienter ferre: ſed cumulus eſt, etiam libenter in fervore ſpiritus eas amplecti. Sufficere poteſt ſuperflua non requirere, ſed nec propter ipſa, ſi forte deſint, neceſſaria murmurare: ſed cumulus eſt etiam exſultare & libenter quærere, quomodo alius magis habeat neceſſaria, & ipſe penuriam patiatur. Sufficit quoque ad ſalutem, ſi nec impatientia, nec ſimulatione aliqua ad id quod deſideras, invitum velis Prælati animum inclinare: ſed cumulus eſt etiam fugere ea, quibus voluntatem propriam ſenſeris oblectari, quantum ſane bona cum conſcientia poteſt.

Patientiæ, Paupertatis, & Obedientiæ cumulus

Prælatorum conditio & officium.

6. Porro Prælati quidem ipſi ſunt qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Neque enim certa pontis aliqua ſeu vadi ſemita coarctantur, ut libere poſſint uſquequaque diſcurrere, & occurrere ſingulis ut oportet, ac dirigere pontis ſemitam ſeu vadi *, ordinate gradientes, pericula inveſtigare ac declinare, excitare tepidos, puſillanimes ſuſtentare. Denique aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad inferos, nunc quidem ſpiritualia tractantes atque ſublimia, nunc infernalia & horribilia facta dijudicantes. Sed quæ poterit navis inveniri, quæ tam immanes ſuſtineat fluctus, & in tanto ſecura poſſit eſſe diſcrimine? Utique *fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*: quia, juxta quod alibi habes, *Aquæ multæ non poterunt exſtinguere caritatem*. Neceſſaria eſt, & omnino neceſſaria navis iſta Prælatis, tribus compacta lateribus, quæ eſt utique forma navium, ut ſit nimirum juxta Pauli doctrinam, *caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Puritatem quidem cordis in eo Prælatus habeat, ut prodeſſe deſideret, non præeſſe: ut ſcilicet proprium commodum, vel honorem ſæculi, ſeu aliud quippiam ſuum in prælatione non quærat, præter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem. Sed cum intentione pura, irreprehenſibilis quoque neceſſaria eſt converſatio, ut forma factus gregis incipiat facere & docere: & ſecundum Magiſtri noſtri Regulam *, quæcumque docuerit diſcipulis eſſe contraria, hæc in ſuis actibus indicet non agenda: ne forte ſubmurmurare poſſit frater quem arguit, & dicere: *Medice, cura te ipſum*. Talis enim occaſio, plurima damnatio Prælati, plurima ſubditorum perditio eſt. Non quod ego bene id caveam, idcirco ſic loquor: ſed & mihi, & omnibus pariter Veritas clamat: Quoniam oportet irreprehenſibilem eſſe eum qui præeſt, ita ut ſecura conſcientia cum Domino reſpondeat exprobrantibus ſibi verbum: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non quod ſine peccato penitus eſſe poſſit in hac miſera vita: ſed quod ea quæ arguit in diſcipulis, oporteat ſummopere vitare magiſtrum.

* al. vadum inveſtigare.

Caritas præcipue Prælatis neceſſaria, ut navis.
Cant. 8. 7

1. Tim. 1. 5.
Intentionis item puritas.

Et ſanctitas converſationis.

* S. Bened. in Reg. cap. 2.

Luc. 4. 23.
Prælatus alios corripiens, ipſe culpa vacet

1. Tim. 3. 2.

Johan. 8. 46

7. Ob hoc, qualis eſt in converſatione, talis ſit neceſſe eſt etiam in occulta cogitatione: ne videlicet foris humilis, intus elatus ſit in corde ſuo, præſumens de ſapientia, ſeu virtute aut ſanctitate ſua: quæ eſt ſine dubio fides ficta, quando non, ſicut oſtendit humilitas converſationis, in ſola Domini pietate confidit. Et vide quam proprie his tribus, cordis ſcilicet puritati, conſcientiæ bonæ, & fidei non fictæ, convenire videantur alia quoque ipſius Apoſtoli verba dicentis: *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die. &c. Non me judico*, inquit, *quia nihil mihi conſcius ſum*, quod meum aliquid quæram, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Sed & pro minimo mihi eſt ut à vobis judicer, propter conſcientiam bonam, & irreprehenſibilem converſationem *. *Qui autem judicat me*, inquit, *Dominus eſt*, ut etiam in eo ſolo ſpem ſuam poſitam eſſe doceret, humiliatus ſub potenti manu Dei. Sed & illud tu judica, utrum poſſit his convenienter aptari trina Petri interrogatio, ut hoc ſit dicere: Amas me, amas me, amas me? Habes caritatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Merito ſiquidem de navi interrogatur, an caritatem habeat, piſcator hominum conſtituendus.

1. Cor. 4. 3.

* al. vitam.

Johan. 21 15.

SERMO [a] XXXVI.

De altitudine & baſſitudine cordis.

1. DE eo quod nuperrime dictum eſt *, ſurſum alios, alios deorſum aſpicere, habeo adhuc aliquid quod veſtræ non ſileam caritati. Nam earum quidem cogitationum, quas expreſſimus tunc, ſi bene meminiſtis, licet una ſit perfectior altera, utraque tamen utilis eſt. Sunt autem qui alio modo aut ſurſum cor habeant, ſicut fecit Deus hominem rectum, & ſecure reſpondeant ad exhortantis vocem Presbyteri: *Habemus ad Deum*. Sunt & alii, qui ſimiles brutis animalibus inclinati deorſum, deriſui ſeſe faciant eſſe immundis ſpiritibus, qui profecto clamitant illudentes: *Incurvare ut tranſeamus*. Scitis enim quod in congregatione plurimorum impoſſibile eſt unius omnes fortitudinis eſſe, ſeu corporum, ſeu morum. nam utramque infirmitatem patienter ferre Regulæ * noſtræ monet auctoritas, & utrique aliquatenus condeſcendere jubet caritas. Videt hoc alter quiſpiam, & fortaſſis incipit invidere cui condolere debuerat. Hinc accidit, ut ſæpe beatificet eum in corde ſuo ea de re, unde miſerum ſe ille reputat, moleſte ferens neceſſitatem ſuam. Omnino igitur incurvatum ſe eſſe, & baſſo corde carnem ſapere probat, apud quem ne ipſa quidem miſeria caret invidia. Sed eis quas certa caritatis conſideratione alienæ neceſſitati diſpenſationes Prælatus impendit, talibus apponit cor ſuum; ſimilia quærit, murmurat adverſus eum qui denegat irrationabiliter poſtulanti. Hinc ſuſpiciones, detractiones, & ſcandala ſuſcitantur.

* Serm. 21. de diverſ. num. 6.

Iſa. 51. 23
Alii ſurſum, alii deorſum cor habent.

* Reg. c. 72.
Compatiendum alienæ infirmitati.

2. Non idcirco id loquor, cariſſimi, quaſi magnopere de vobis habeam conqueri ſuper hac re: ſed præmonere vos & præmunire neceſſarium duxi propter multos, qui inter vos ſunt teneri & delicati, quibus aut ætas, aut infirmitas rigorem communis [b] regulæ exigit aliquatenus temperari. Gratias ei de cujus munere venit: quia multos hic video, quorum mens intenta Deo, tam longe facta eſt ab illo infimo cogitatu, ut juxta ſe poſitos debiliores prorſus ignorent, ſe minus omnibus facere conquerantur. Nimirum quia ſuperiores ſemper attendunt, cum Apoſtolo obliti quæ

Philipp. 3. 13.

a Hic ſermo, fient & tres ſequentes, collocatur in omnibus mſſ. inter ſermones de tempore, poſt ſermones in dominica vi. poſt Pentecoſten: at in Ciſtercienſi codice notatur, eos transferendos eſſe poſt ſermonem 32. de diverſis, tametſi in editis omnibus poſt ſermonem 35 collocantur.

b Confer ſermonem de Humberto monacho ſupra, num. 4.

Tom. III. Clara vallenſium elogium.

retro ſunt, & extenti in anteriora. Quantum, putas, A illos ego admiror, quantum veneror in corde meo, quantum amplector caritatis affectu, qui velut neſcientes eos quos ſecum quotidie vident; unum forte aut duos, ſeu etiam plures, quos in majore fervore ſpiritus viderint, ſibi ex omnibus eligunt: & cum ipſi forte meliores ſint, ſemper tamen illorum ſibi præponunt & proponunt ſancta in Domino ſtudia & exercitia corporalia, ſeu etiam ſpiritualia.

V. Vitam S. Bern. lib. 7. cap. 23. * al. frater

3. Memini me altera quoque jam vice dixiſſe, ſed iterum repetere non gravabor, quàm ſublimi aliquando meditationi monachus * quidam laicus toto intendit ſpatio vigiliarum. Etenim ſummo mane apprehenſum " me in auditorium trahit, & proſtratus pedibus; Væ mi- " hi, inquit, quia monachum in vigiliis unum conſide- B " ravi, in quo triginta virtutes numeravi; quarum ne " unam quidem in me invenio. Et fortaſſe nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipſa erat religioſæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus ſit noſtri hujus ſermonis, ne aliorum altiora ſemper attendas, quia in eo plenitudo conſtat humilitatis. Nam ſi forte in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur: ſed in multis (ſi bonus æmulator fueris) judicare te poteris inferiorem. Quid enim ſi forte laborare aut jejunare plus illo potes, & ille te patientia ſuperat, præcedit humilitate, ſupereminet caritate? Quid enim tota die circa id quod videris habere, inſipienti cogitatione verſaris? Eſto magis ſollicitus, ut C ſcias quid deſit tibi. Hoc enim melius. Utinam, Fratres, ſic nos eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus certe, & multum debuimus vincere in bono malum, & tanto amplius deſiderare, quanto pretioſius eſt quod deſideramus: ſed utinam vel æquales eſſe poſſimus. Magna enim confuſio, magna valde, quod ardentius illi pernicioſa deſiderant, quam nos utilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Quanto enim deſiderio pecuniæ crucietur avarus, quanto gloriæ appetitu ambitioſus exæſtuet, quàm violenter denique ſua trahat quemque voluptas, quis explicet? Videas certe eos quicquid adepti ſunt parvi pendere, non attendere quanto labore & deſiderio ea vix tandem conſequi potuere: quoniam viluſcunt eis omnia præ deſiderio minoris forte rei, quam alteri cœperint invidere.

Humilitatis plenitudo.

Humilitas ex aliorum conſideratione augenda.

Religioſi pudori eſſe debent ſtudia ſæcularium.

4. Et tu ergo non magnopere cogites quæ tibi videris habere, niſi forte interdum, ut gratias agere poſſis, & te noveris debitorem ei qui dedit: ſeu gratia conſolationis, cum id neceſſe fuerit, ne qualibet ex cauſa triſtior fias. De cetero ea ſemper magis attende quæ alius habet, tu non babes: quod hæc cogitatio in humilitate te cuſtodiat, & à deſcenſu tepiditatis elonget, magis autem & accendat deſiderio proficiendi. Vide autem quanta è regione mala cogitatio illa parturiat, qua ſedule verſas in animo quod tibi habere videris, & alterum quempiam æſtimas non habere. Hinc enim elevaris in ſuperbiam, dum te præponis alteri; hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris; hinc demum incipis & deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egiſſe videris: ſicque in tepiditatem incidis, & incipis remiſſius agere. Scimus autem quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; & quia *maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit*. Beati vero qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quia ſi ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus: ſi vero ſecundum carnem vixerimus, moriemur.

Humilibus quid in ſe conſiderandum, quid in aliis.

Jacob. 4. 6.

Jer. 48. 10.

SERMO XXXVII.

I. In labore [a] meſſis, de verbis pſalmi, *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*

s. E Diverſis & diverſa quærentibus hominum turbis animo fatigatus, quàm deſideranter ad hunc cuneum hodie ſpiritum refocillaturus acceſſi! Gratias Deo, non ſum fraudatus à deſiderio meo, non fruſtratus à ſpe mea. Concupivi [b] videre: vidi, & liquefacta eſt anima mea. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio, omnia interiora mea nomini Domini benedicunt, & omnia oſſa mea dicunt: *Domine, quis ſimilis tibi?* Nempe proſpiciens eminus cum B accederem, fateor videre mihi corporaliter viſus ſum, quos in ſpiritu quondam Propheta prævidit: & continuo ſubiit animum, quod ore ille depromſerat, ut cum eo pſallerem, dicens: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum.*

Pſal. 23. 6.

2. Multæ ſunt generationes hominum, & (ni fallor) tertia iſta eſt generatio, quæ nunc viget & apparet in vobis. Prima ſiquidem generatio nec quærens adhuc Dominum, nec quæſita fuit à Domino: cum in oblivione mentis & reatu iniquitatis unumquemque genuit mater ſua. Secunda proinde ſtatim (ſicut neceſſe erat) ex aqua & ſpiritu remedium nobis exhibuit feſtinatum: & fuit illa generatio nondum quidem generatio C quærentium, ſed tamen jam quæſitorum; quod nec ſcientes adhuc quærere Dominum, nec valentes ipſe quæſierit. Quæſivit igitur nos, & acquiſivit in generatione ſecunda, ut eſſemus jam populus acquiſitionis. Si adhuc forte ſenior frater murmurat, & invidia contabeſcit, dicitur ei: *Quoniam epulari & gaudere oportebat, quia hic frater tuus perierat, & inventus eſt.*

Hominum generatio triplex.

Luc. 15. 32.

3. Ceterum ad hoc ſtatim quæſivit nos Dominus, ut quæreretur tempore oportuno, cum jam poſſet quæri, poſſet & inveniri. Væ nobis, quoniam tamdiu diſſimulavimus & neglexirnus quærere vitam, quærere eum qui ſolus bonus eſt quærentibus ſe, animæ ſperanti in ſe! Væ tibi generatio prava & exaſperans, mala & adultera generatio, mendacium uſque hodie quæritans, D & diligens vanitatem, nec ſervans fidem! cui deſponſata fueras veritati. Numquid non opus habet ejuſmodi generatio naſci denuo, iterum generari? Et maxime. Nempe genimina viperarum facti; tanto magis nunc neceſſe habent in ventrem matris gratiæ iterato introire & renaſci, quanto facta noſcuntur poſteriora eorum deteriora prioribus. Gratias ipſi gratiæ, & (ſi dici poteſt) pluſquam gratuitæ miſerationi, quæ beneficiis obruit non modo immeritos, ſed nimium male meritos & ingratos. Gratias ei, qui regeneravit vos etiam hac vice in ſpem vitæ, ut adoptionem filiorum reciperetis. Voluntarie enim nunc proprie genuit vos, verbo utique veritatis. Nam quod prius vos genuit E ſacramento equidem pietatis, etſi voluntarium generanti, genitis tamen voluntarium eſſe non potuit, in quibus adhuc nullus voluntatis uſus, nullum rationis exercitium fuit; ac proinde nulla generationis ipſius agnitio, nulla tanti notitia genitoris. Nunc demum voluntaria generatio voluntarium exhibet ſacrificium, juxta illud: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.*

Religioſi genitiſſ ad regenerationem. Jacob. 1. 18.

Pſal. 53. 8.

4. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique & quærentium: alioquin non poſſent quærere non habentes. Sed quid habentes, aut quid quærentes? Vel potius quomodo habentes, quomodo requirentes? Verbo geniti F Verbum habent. Numquid non Verbum Dominus? Johannem audi: *Et Deus erat Verbum.* Quid ergo jam amplius quærit generatio quærentium * Dominum? Conſidera quid ſequatur in pſalmo: *Hæc eſt*, inquit, *generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Eumdem proinde habent pariter & requirunt,

Quærentes Deum, jam ipſum habent.

Joan. 1. 1.

* al. habentium.

a Confer lib. 1. de vita Bernardi num. 24. & Guerrici abbatis ſermonem 3. in Aſſumptione B. Mariæ num. 2. ubi de labore meſſis.

b Habitus proinde hic ſermo in reditu ex longo quodam itinere, forte Romano.

Tom III.

quia unus idemque & Verbum Patris, & ſplendor paternæ gloriæ eſt. Et is quidem non quæſitus haberi forſitan poteſt; non habitus autem quæri omnino non poteſt. Denique ipſa eſt quæ de ſe loquitur Sapientia:

Eccli. 24. 29.

Qui edit me, adhuc eſuriet. Potens ipſe eſt præſtare ſe etiam non quærenti, qui (ut ſupra oſtendimus) de cumulo gratiæ & benedictione dulcedinis quærit, & prævenit adhuc quærere non valentes. Nemo autem ante idoneus quærere, quàm habere: quia *nemo*, inquit,

Johan. 6. 44.

venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Adeſt ergo qui trahit, & quodam modo necdum adeſt, qui non aliò trahit quam ad ſeipſum. Numquam enim, nec uſquam ſine Filio Pater adeſt per fidem, ut ad ſpeciem trahat. Quomodo ergo nunc non exſultet ſpiritus meus? quomodo non ſine modo jucundetur in generatione iſta quærentium Dominum? Nempe teſtimonium credibile nimis guſtatæ ſapientiæ eſt eſuries ipſa tam vehemens. CERTISSIMA mihi probatio & indubitabile argumentum, quia habetis quem ſic quæritis, & in vobis habitat, qui tam valide trahit vos ad ſeipſum. Non enim humanæ poſſibilitatis eſt curſus iſte: ejus dextera facit virtutem, cui ſemper neceſſe eſt ut clametis:

Cant. 1. 3.

Trahe nos poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus. Non, inquam, ab homine forma iſta converſationis: nec aliud experimentum quærimus ejus qui in vobis habitat Chriſtus, quàm quod ita quæritis Chriſtum.

5. Videtis enim, Fratres, qualem ſpiritum accepiſtis, ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciatis quæ à Deo donata ſunt vobis. Audivimus apoſtolicum, audivimus & propheticum, etiam & angelicum gradum, quibus nihil à nobis arbitror poſſe ſublimius affectari. Sane è ſingulis mihi videor in vobis aliquid, & magnum aliquid invenire. Quis enim cælibem vitam, vitam cæleſtem & angelicam dicere vereatur? Aut quod in reſurrectione futuri ſunt omnes electi, quomodo non jam nunc eſtis, ſicut Angeli Dei in cælo, à nuptiis penitus abſtinentes? Amplectimini, fratres, pretioſiſſimam margaritam, amplectimini ſanctimoniam vitæ, quæ vos efficit ſanctorum ſimiles, & domeſticos Dei, dicente Scriptura: *Incorruptio facit proximum Deo.* Ita ergo non veſtro quidem merito, ſed gratia Dei eſtis quod eſtis: quod ad caſtitatem & ſanctimoniam ſpectat, angeli quidam terreni, aut potius cæli cives; ſed interim in terra peregrini. Quamdiu enim ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.

Religioſorum cælebs vita, cæleſtis & angelica.

Sap. 6. 20.

6. De prophetia quid dicemus? *Lex & prophetæ uſque ad Johannem*, Veritas ait. Verumtamen non erat ille adverſarius, ſed diſcipulus utique Veritatis, qui dicebat etiam poſt Johannem: *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Ceſſavit ergo prophetia, quia jam cognoſcimus: necdum tamen tota ceſſavit, quia adhuc ex parte. *Cum venerit*, inquit, *quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Siquidem ante Johannem qui fuerunt Prophetæ, utrumque adventum Domini prophetabant: & quaſi neutra adhuc pars ſalutis in notitia, ſed utraque in prophetia erat. Magnum ſane prophetandi genus, cui vos deditos eſſe conſpicio; magnum prophetiæ ſtudium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe juxta Apoſtolum non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſine dubio prophetare eſt. AMBULARE IN SPIRITU, ex fide vivere, quæ ſurſum ſunt quærere, non quæ ſuper terram; oblíviſci quæ retro ſunt, & extendi in anteriora, ex magna parte prophetare eſt. Alioquin quonam modo, niſi per ſpiritum prophetiæ, converſatio noſtra in cælis eſt? Sic nimirum Prophetæ olim quaſi non inter homines erant ſui temporis, ſed virtute & impetu quodam ſpiritus dies illos tranſſilientes, exſultabant ut viderent diem Domini; & videbant, & lætabantur in ea.

Luc. 16. 16.
Et quodam modo prophetica.
1. Cor. 13. 9.
Ibidem. 10.
2. Cor. 4. 18.
Prophetiæ genus, ambulare in ſpiritu ſeu ex fide vivere.

7. Sed & profeſſionem apoſtolicam audiamus. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Si gloriari licet, habemus gloriam: ſed ſi ſapimus, habere curabimus apud Deum. Hæc enim vera eſt gloriatio, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam neque manus noſtra excelſa, ſed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna qui potens eſt, ut merito magnificet anima noſtra Dominum. Ipſius enim magno munere factum eſt, ut magnum illud propoſitum, unde magni gloriabantur Apoſtoli, magnifice ſequeremur. Forte etiam ſi in hoc quoque gloriari voluero, non ero inſipiens; veritatem enim dicam; eſſe hic aliquos, qui plus quàm navem [a] & retia reliquere. Quid vero illud? quod ipſi quidem Apoſtoli reliquerunt omnia, ſed ut præſentem in carne Dominum ſequerentur. Non eſt noſtrum dicere: ſecurius ipſum Dominum audiamus. *Quia vidiſti me*, inquit, *Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Forte etiam prophetandi genus excellentius eſſe videbitur, non intendens quibuſcumque temporalibus rebus & tranſituris aliquando, ſed ſpiritualibus & æternis; & nihilo minus in vaſe fictili theſaurus caſtitatis illuſtrior; & in carne fragili ex aliqua parte probabilior virtus.

Matt. 19. 27.
Religioſorum vita apoſtolica.
Johan. 20. 29.

8. Ubi ergo angelica in hoc corpore converſatio, in corde prophetica exſpectatio, in utroque apoſtolica perfectio invenitur, quantus eſt iſte cumulus gratiarum? Quid retribuetis Domino pro omnibus quæ retribuit vobis? Sublimis gradus: ſed eo amplius periculoſa ruina. Numquid non tres cæli ſunt, quos aſcendimus? Itaque qui ſtat, videat ne cadat. *Videbam*, inquit, *ſatanam tamquam fulgur de cælo cadentem.* Ex alto corruit: confractus & comminutus eſt, deſperata eſt plaga ejus; factus eſt ſpiritus vadens, & non rediens. Numquid & vos vultis abire? Satanas ruit: numquid ruitis & vos ſecum? Quàm ſalubrius vobis ſtare in viis Domini, ſtare in gratia in qua ſtatis. Non enim beatus vir qui [*] abiit in via peccatorum: beatus magis, cujus eſt auxilium abs te, Domine. Ibunt enim hujuſmodi de virtute in virtutem, ad videndum Deum deorum in Sion, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ut lauderis cum hereditate tua. Ipſi nempe hereditas; ipſi ſunt dii, & filii Excelſi omnes.

Luc. 10. 18.
Sublimis ſtatus ſublimis, ſed periculoſa ruina.
* al. add. non

9. Itaque, Fratres mei, quandoquidem veriſſime certiſſimeque hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, quid vobis dixerim aliud, quàm quod idem Propheta ait: *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum & confirmamini; quærite faciem ejus ſemper?* & quod alius quidam dicit: *Si quæritis, quærite.* Quid eſt, *ſi quæritis, quærite?* *In ſimplicitate cordis quærite illum.* Non aliud tamquam illum, non aliud præter illum, non aliud poſt illum. *In ſimplicitate cordis quærite illum.* Simplex natura ſimplicitatem cordis exquirit. Denique & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Non poteſt quem quæritis inveniri ab his qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Æternitas eſt: quæ niſi perſeveranter quæſita, minime invenitur. *Væ* etiam *peccatori terram ingredienti duabus viis.* *Nemo* enim *duobus dominis ſervire poteſt.* Ne hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo. Indignum enim eſt ei, ut inveniendam ſe præbeat, niſi perfecto eam quæſieris corde. Ceterum ſi odibilis eſt *canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti;* ſed & ipſum quoque quem invenerit tepidum, ex ore ſuo evomere incipit Deus: ſimulator & proditor ubi parebunt? Si maledictus qui facit opus Dei negligenter: qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc duplicitatem, Cariſſimi, & à fermento Phariſæorum omnimodis caveamus. Veritas eſt Deus, & tales quæſitores requirit, qui quærant eum in ſpiritu & veritate. Si nolumus fruſtra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perſeveranter: ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, ſed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius eſt enim cælum & terram tranſire, quàm ut ſic quærens non inveniat, ſic petens non accipiat, ſic pulſanti non aperiatur.

Pſal. 104. 3.
Iſa. 21. 12.
Sap. 1. 1.
Deus quomodo quærendus.
Jacob. 1. 8.
Eccli. 2. 14.
Luc. 16. 13.
2. Petr. 2. 22.
Apoc. 3. 16.

a Certe primorum ordinum homines per id tempus in Ordinem Ciſtercienſem, maxime in Claram-vallem, confluebant, quod Bernardus ipſe agnoſcit in ſermone 3. de Dedicatione eccleſiæ num. 6. Lege Arnaldi prologum ad lib. 2. de vita S. Bernardi, & epiſtolam Petri de Roya num. 9 ſupra col. 396.

Tom. III.

SERMO XXXVIII.

II. In labore meſſis [a], in illud Apoſtoli, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

(* al. ſumus, ſcimus tamen quæ à Deo, &c. * al. gratia. Iohan. 1. 12.)

1. PAuperes quidem videmur, & ſumus *: ſed ſi ſpiritum qui ex Deo eſt accepimus, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis; magna ab eo gloria *, magna nobis eſt collata poteſtas. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* An non poteſtas filiorum Dei eſt iſta, quando etiam nobis ſerviunt univerſa? Sciebat enim Apoſtolus ipſe, quoniam *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8. 28.) Sed forte dicat aliquis veſtrum: Quid hoc ad me? & in puſillanimitate cordis ſui talia meditetur: Glorientur certe de poteſtate filiorum Dei, in quibus filialis erga eum fervet amor, viget affectus; & præſumant omnia ſibi cooperari in bonum, qui Deum diligunt in veritate: ego vero mendicus ſum & pauper, carens affectu filiali, expers dignæ devotionis. Sed attende quod ſequitur. Nullum enim deſperationi locum reliquit in Scriptura ſua, qui alio loco ſic loquitur: *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* (Rom. 15. 4.) Affectus enim ille quem quæris, pax eſt, non patientia; in patria eſt, non in via: nec eos qui ejuſmodi ſunt, à Scriptura opus eſt conſolari.

2. Ergo per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus, etiamſi nondum poſſumus apprehendere pacem. Propterea cum dixiſſet diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, ſollerter addidit, *his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* (Rom. 8. 28. Sanctus quis hic dici mereatur.) In quo verbo non te terreat ſanctitatis nomen, quando non ſecundum meritum, ſed ſecundum propoſitum; non ſecundum affectionem, ſed ſecundum intentionem ſanctos vocat, juxta illud Prophetæ: *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum.* (Pſal. 85. 2.) Illam enim quam putas ſanctitatem nec ipſe quidem Paulus, corruptibili adhuc gravatus corpore, arbitrabatur ſe comprehendiſſe. *Unum autem*, inquit, *quæ retro ſunt obliviſcens, & in ea quæ ante ſunt me extendens, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis.* (Philip. 3. 13.) Vides, quia licet nondum apprehendiſſet bravium, habebat tamen jam ſanctitatem propoſiti, & propoſitum ſanctitatis. Et tu ergo ſi propoſueris in corde tuo declinare à malo, & facere bonum; tenere quod cœpiſti, & proficere ſemper in melius; ſed & ſi quid aliquando minus recte egeris (ut eſt humana fragilitas) non in eo perſiſtere, ſed pœnitere, & corrigere quantum prævales: eris ſine dubio ſanctus & tu, ſed cui interim adhuc clamare neceſſe ſit, *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum.*

3. Vis ergo noſſe quemadmodum hujuſmodi ſanctis omnia cooperantur in bonum? Non modo curro per ſingula, quia in longum protrahi ſermonem hora non patitur. Eundum nobis eſt: jam enim campanam audivimus, jam veſpertinæ tempus orationis advenit. Audite ergo verbum abbreviatum, quemadmodum nobis univerſa ſerviant, omnia cooperentur in bonum. Inimici noſtri ſint judices. Etenim ſiquidem illi pro nobis, quis contra nos? Si pro nobis faciunt hoſtes noſtri, quomodo non omnia ſimul cum illis?

(Hoſtium duo genera nobis adverſa.)

4. Porro duo nobis (ut manifeſtum eſt) adverſantur hoſtium genera, malum videlicet duplex, quod facimus, & quod patimur. Hæc autem, ut apertius dixerim, ſunt culpa & pœna. Itaque cum ſit nobis utraque contraria, erit, ſi voluerimus, utraque pro nobis: ut hæc quidem ab illa liberet, & item adverſus iſtam juvet illa, nec parum. (Peccatum & pœna quomodo nobis cooperentur in bonum.) Ecce enim compungimur in cordibus noſtris & in cubili conſcientiæ ſuper delictis præteritis: ſed delinit conſcientiam, & corrodentium peccatorum dentes conterens, reducit ad ſpem veniæ pœnitentia iſta, & voluntaria pœna quam patimur. Non ſolum autem præterita, ſed & futura repellit, nam & tentantia propulſat vitia, & nonnulla ſic perimit, ut raro, aut numquam erigere caput audeant venenatum. Sic pœna facit pro nobis adverſus culpam, ut vel omnino non ſit, vel ſit minor. Culpa vero nihilo minus agit, ut aut non ſit, aut minor ſit pœna. Non quidem ut omnino non ſit, ſive à quantitate ſua minoretur, quod nullatenus expediret; ſed ut non ſit pœna, aut minor ſit pœna, videlicet ut aut non ſit, aut minus ſit oneroſa. (Peccati ſenſus facit ut minor ſit ſua pœna.) Quiſquis enim perfecte ſenſerit onus peccati, & animæ læſionem; exteriorem utique aut parum ſentiet, aut ex toto non ſentiet corporis pœnam; nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri. Sic enim ſanctus David convicianris ſervi non reputavit injurias, memor filii perſequentis. (2. Reg. 16. 11.)

SERMO XXXIX.

III. In labore meſſis, *de duabus menſis*, ſeu *de ſuperiori & inferiori irriguo.*

1. LAbor iſte, Fratres, exſilii & paupertatis noſtræ nos admonet, profecto & iniquitatis. Ut quid enim morte afficimur tota die, in jejuniis multis, in vigiliis abundantius, in laboribus & ærumnis? Numquid ad hoc creati ſumus? Abſit. (Homo natus, ſed non creatus ad laborem.) Nam licet homo natus ſit ad laborem, ſed minime ad laborem creatus eſt. Nativitas eſt in culpa, ideo & in pœna. Omnes enim oportet nos gemere cum Propheta, dicentes: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* (Pſal. 50. 7.) Aliena ab utriſque prima creatio: quia ſicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea quæ major eſt omnium, morte videlicet, aperte Scriptura teſtatur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* (Sap. 2. 24.) & in alio loco: *Deus mortem non fecit.* (Ibid. 1. 13.) Itaque ſicut laborantibus manibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abſtinet ab auditu: ſic, immo & multo melius, laborante corpore mens quoque ipſa ſuo intenta ſit operi, & non vacet. Cauſam laboris cogitet in labore, ut ipſa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur repræſentet: & dum videt vulnerum ligaturam, ipſa ſub pannis vulnera meditetur. Hujuſmodi ſiquidem cogitatione humiliamur ſub potenti manu Dei, & dulci quadam pietate mens plena, miſerabilem ſe exhibet in oculis ejus. Hinc quippe Scriptura nos admonet: *Miſerere*, inquiens, *animæ tuæ placens Deo.* (Eccli. 30. 24.) Nec dubium quin ea quæ Deo placet miſeria facile poſſit ejus miſericordiam obtinere. Et ne dixerimus, unde miſerendum ſit animabus noſtris. Niſi enim inſipienter diſſimulaverimus, multa in eis miſeratione digna poterunt inveniri.

(Religioſi velut inter duas menſas, mundanorum & cœlicorum, poſiti.)

2. Unum tamen dico, ut occaſionem vobis dediſſe videar, & cetera quoque ſimiliter advertatis. Nonne velut inter duas menſas poſiti, epulantes hinc inde ſpectamus jejuni? Sic ſumus omnino, ſic ſumus. Unde ergo ſic poſitis riſus, unde jocus, unde levitas, unde ſuperbia, unde extollentia oculorum? An forte non agnoſcimus menſas, non conſideramus epulas, delicias non videmus? Hinc mihi ſunt, quos video delicioſe viventes in omnibus bonis ſenſibilis hujus mundi: inde contemplor alios, quibus diſpoſuit Chriſtus regnum, ut edant & bibant ſuper menſam ejus in regno Patris ſui. (Luc. 22. 30.) Utrobique video ſimiles mei homines, fratres meos; &, heu me! ad neutram licet extendere manum. Ab utraque menſa prohibeor: ab hac quidem profeſſionis, ab illa corporis vinculo: ut nec ad inferiorem audeam, nec ad ſuperiorem accedere poſſim. (Illa reſpondo ad hanc ſuſpendendam.) Quid inter hæc reſtat, niſi comedere panem doloris, ut ſint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ſi quis forte cæleſtium convivarum miſericordia motus, in os latrantis ſub menſa catelli vel exigua aliqua deliciarum illarum fragmenta demittat? Nam inferior quidem conſideratio, qua nobis ipſis compatimur, eorum reſpectu, quos novimus delicioſe viventes in hoc ſæculo, infirmæ adhuc animæ eſt, nec omnino talis mihi placet affectio in anima ſpirituali. Longius enim poſitus eſt à judicio veritatis, qui beatificat quos velut miſer- (Sæculares conſuetudo non ſunt beati.)

[a] In Florum lib. 7. cap. 41. vocatur primus Sermonum, qui inſcribuntur, *Conſolatorii ad Fratres*: ſequens vero ſecundus.

rimos

rimos lugere debuerat, qui peccant & non agunt pœnitentiam: & ſe miſerum reputat non ſane conſenſu judicii, ſed affectionis ſenſu, quod non ſit ſicut illi, qui id magis optare debuerant, ut omnes eſſent ſicut ipſe.

3. Hoc tamen ſolum tali in cogitatione laudabile eſt, ſi miſeriam ipſam quam reputat, pro amore ſive timore Dei patienter ferre deliberat, & cum pietate quadam dicit Deo: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* (Pſal. 16. 4.) Et hæc quidem cogitatio inchoantium eſt, tamquam lac parvulorum. At vero cum jam proficere cœperit anima, & affectione ſequi judicium rationis; omnia proculdubio detrimentum faciet, & quaſi ſtercora arbitratus lugebit cum Propheta (Thren. 4. 5.) ſuper eos, qui amplexati ſunt ſtercora. Ipſe vero ſancta quadam humilique ſuperbia hæc univerſa deſpiciet, & magna in altitudine animi collocatus, non beatum dicet populum cui hæc ſunt, ſed miſerum plane; beatum vero, cujus Dominus Deus ejus. Verum dum hic ita ſui comparatione miſeretur illis, inveniet utique quorum comparatione, ſui quoque miſereatur, ſi ſuſpexerit ad cæleſtes divitias, & delectationes in dextera Domini uſque in finem. Unde fit, ut qui prius de inferiori irriguo lacrymas fundens plangebat dicens, (Rom. 8. 16.) *Quoniam propter te mortificamur tota die*; jam de ſuperiori abundantiores emittat fletus dicens: (Pſal. 119. 5.) *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!*

SERMO XL.

De ſeptem gradibus Confeſſionis.

Sequentes duo ſermones in editione Lugdunenſi anni 1514. in qua primum prodiere, extra claſſem genuinorum Bernardi, ſermonum locati, uni; nec ſtilum ejus plene aſſequi videntur. Sed tamen eos hoc loco movere tanti non duximus: tum quia in codice Vaticano num. 653. Bernardi ſermonibus de diverſis accenſentur: tum quia ambo familiari Bernardi clauſula preditis ſunt: tum denique quia eamdem, quam ſanctus Doctor, ſententiam de ſanctis animabus corpore ſolutis tradit poſterior num. 12. Idem cenſendum de tertio ſequenti, qui Bernardo itidem tribuitur in eodem codice Vaticano.

(Pſal. 15. 10.) 1. NOtas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem. Ad te quidem libenter accedimus, Domine Jeſu, diſcipuli ad magiſtrum, infirmi ad medicum, ſervi ad Dominum. Tu es enim magiſter & dominus, cujus ſchola eſt in terris, cathedra in cælis. Tu es ille eximius medicus, qui ſolo verbo reſtauras univerſa. Vias tuas, Domine, demonſtra nobis, & ſemitas tuas (Pſal. 24. 4.) edoce nos: *Via enim tua via pulcra, & omnes ſemitæ tuæ pacificæ.* (Prov. 3. 17.) Beati qui ambulant in via tua, Domine virtutum: beatiores qui currunt viam mandatorum tuorum; qui currunt in odore unguentorum tuorum. Exſultas enim ut gigas ad currendam viam: & non ſolum currens, ſed & ſaliens in montibus, & tranſiliens colles. (Pſal. 18. 6.) Exſultaverunt gigantes Philoſophi non ad currendam viam tuam, ſed ad quærendam vanam gloriam, evaneſcentes in cogitationibus ſuis, non in humilitate aut in virtutibus tuis, ſed ſuis. Viam enim ſapientiæ neſcierunt, neque meminerunt ſemitarum ejus. (Baruc. 3. 22.) Non eſt audita in Chanaam, neque viſa eſt in Theman. (Job 21. 14.) Maledicti qui dixerunt Domino Jeſu: Recede à nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus. Nos quærimus te de die in diem, & ſcire vias tuas volumus.

(Confeſſio & obedientia duæ principales viæ Domini.) 2. Principales viæ tuæ, duæ ſunt: Confeſſio, & Obedientia. In confeſſione omnia lavantur; in obedientia virtutes ſolidantur. Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Si peccata ſunt, in confeſſione lavantur: ſi bona, confeſſione commendantur. (Confeſſio duplex, criminis & laudis.) Cum mala tua confiteris, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo ſacrificium laudis. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio igitur eſt peccatoris vita, juſti gloria. Video David dicentem, (2. Reg. 12. 13.) *Peccavi*, & audientem: *Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris.* Conſidero Mariam, ſi A non verbis, tamen operibus publice ſua crimina confitentem, (Tom. III.) & Dominum pro ea reſpondentem: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (Luc. 7. 47.) Reſpicio Principem Apoſtolorum negantem timide, amariſſime flentem, (Luc. 22. 62.) Chriſtum illum reſpicientem. Felicem illum Latronem intueor ſe accuſantem, excuſantem Chriſtum, & Dominum promittentem: *Hodie mecum eris in paradiſo.* (Luc. 23. 43. Confeſſionis vis & efficacia.) O quàm ſublimis iſta confeſſio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad cælum, de cruce Latro damnatus ac crucifixus ad paradiſum aſcendit! Glorioſa confeſſio, quæ Petrum apoſtolum trinæ negationis crimine liberavit, & ab apoſtolatus culmine cadere non permiſit! Fidelis inſtitutio, quæ Mariæ B multum diligenti multum dimiſit, & amoris molti titulo inſignitam diſcipulorum corpori ſociavit! Præclara miſeratio, quæ Regem & Prophetam multiplici criminum inundatione mundavit, & in antiquæ gloriam dignitatis perduceodo reduxit! Hæc eſt via, quæ viatorem ſuum numquam fefellit, quæ numquam deſeruit niſi deſerentem ſe.

3. Hujus multæ viæ, multiplicesque ſunt ſemitæ ad inveniendum, difficiles ad tenendum, ad enumerandum inexplicabiles. (Confeſſionis gradus. Cognitio ſui: quæ in tribus conſiſtit.) Prima ſemita, & primus gradus in via iſta eſt Cognitio ſui. De cælo cecidit iſta ſententia: Noſce teipſum, homo. Vide ſi non & Sponſus in amoris Cantico ſponſæ idem loquatur. *Si ignoras te*, inquit, (Cant. 1. 7.) ô C *pulcra inter mulieres, egredere, & abi, &c.* Cognitio ſui ſtat in tribus, ut cognoſcat homo quid fecit, quid meruit, quid amiſit. Quid vilius, ô nobilis creatura, imago Dei, creatoris ſimilitudo, quàm carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, & pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatis? Quid furioſius, quàm rapi mentem ira, ſuperbia extolli, vexari invidia, & anxietate torqueri? Quæ in croceis es nutrita, quare ſtercora amplexaris? Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babylonis, domus mortis, anxietatis domicilium, flammarum globus, acerbitas frigoris, tenebræ ſempiternæ. Conſidera ordinem tormentorum, tortorum D facies, mutationem pœnarum, miſeriarum infinitatem; & intellectualibus oculis iſta diſcurre, & poteris dicere: Melius erat mihi, ſi natus non fuiſſem. Reflecte oculos, & quid amiſeris animadverte. Reminiſcere qualis ſit civitas glorioſa, cæleſtis habitatio, locus vitæ, ſuavitatis palatium, ſplendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum, gaudentium vultus, præmiorum viciſſitudinem, multitudinem deliciarum, & potes exclamare: Qui te perdidit, totum perdidit, Domine Deus. Si hoc triplici funiculo ligaveris animam tuam, intelliges & animadvertes, quia initium ſalutis notitia peccati eſt *. (* Seneca epiſt. 28.)

(2. Pœnitentia, eaque triplex.) 4. Secundus gradus eſt Pœnitentia. Hæc duo ita ſibi E invicem conjuncta ſunt, ut cognoſcere ſe non poſſit, niſi pœniteat: pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat. Pœniteat igitur anima, compunctionis jaculo vulnerata, pœnitentia triplici: quia innocentiam amiſit, amiſſam non requiſivit, & neglexit patientiam Dei. (1. Ob amiſſ. innocentiam.) Scio, Domine Jeſu, quia primam ſtolam innocentiæ nobis in baptiſmate reddidiſti: & amictu niveo candidati, in juſtitiæ ſolio relocati, cito receſſimus à via quam oſtendiſti nobis, & portionem ſubſtantiæ, quæ nobis contingebat, cum prodigo filio in diſſimilitudinis regione expendimus. Venerunt ad nos viliſſimi ſpiritus, & æternorum ignium reges; ad mundatos immundi, ad ſalvandos damnati, curvi ad rectos, & F dixerunt animæ noſtræ: *Incurvare ut tranſeamus.* (Iſa. 51. 23.) Audivimus illos, & incurvati ſumus: tranſierunt per nos, & innocentiam amiſimus. (2. Ob non requiſitam perditam.) Si culpa eſt perdidiſſe, quid putas erit non requiſiſſe perditam? Perdit aliquis aliquid in hac mortalitate: quærit judices, amicos convocat, trahit in cauſam, nihil intentatum relinquit, donec vel amiſſa inveniat, vel ablata reſtituantur, & cuſtodiat reſtituta: nos hereditatem noſtram incorruptibilem, immarceſſibilem, incontaminatam in cælis, verſutiis illius inſatiabilis homicidæ perdidimus, & non requirimus? & incurvavit nos, & nos

[Tom. III.] non reſurgimus ? Surgamus & eamus ad Patrem noſ- [A] trum, dicentes ei: [Luc. 15. 21.] *Pater, peccavimus in cælum & coram te.* Et omnem evangelicæ lectionis textum percurrentes, offeramus Patri pœnitentiam mentis, cordis contritionem, ſi forte, cum adhuc longe ſumus, videat nos Pater, & miſericordia moveatur, & accurrens cadat ſuper collum noſtrum, & oſculetur nos oſculo oris ſui. Forſitan jubebit proferri ſtolam primam innocentiæ, & indui nos veſtimentis virtutum, & dari anulum ſecretorum in manu noſtra, & calceari pedes noſtros in præparationem evangelii pacis. Præcipiet fortaſſis adduci vitulum ſaginatum, & occidi in ſatisfactionem revertentium, epulari & exſultare, & in ſymphonia & choro reduci ad ſupernæ gaudia civitatis, ubi gau- [B] dium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. [Ibid. 10.] Scimus, Domine Jeſu, quia non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia, [Pſal. 83. 13.] ſed nec illos qui ambulant in pœnitentia. Quia enim peccatum non fecit niſi unus; beatus vir tamen, cui non imputavit Dominus peccatum. [Pſal. 31. 2.] [3 Ob abuſum patientiæ Dei.] Omne quod ipſe mihi non imputare decreverit, ſic eſt quaſi non fuerit. Cogita etiam quanta ſuperbia patientia Dei uſus, imo abuſus ſis. Videbat te peccantem, & diſſimulabas, quaſi non videns: vocabat, & non audiebas: minabatur, & non timebas: promittebat, & contemnebas, nec promiſſis illectus, nec terrore percuſſus. Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adduxit? [Rom. 2. 4.] Time timore [C] magno, ne theſaurizaveris tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, & memento, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. [Hebr. 10. 31.] Liga igitur hoc triplici cataplaſmate pœnitentiæ vulnus animæ tuæ, & dic: [Pſal. 6. 3.] *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me, &c.*

[4 Dolor de peccatis, & is triplex] 5. Tertius gradus eſt Dolor; ſed & ipſe trina ligatione connexus. Vere poſt cognitionem & pœnitentiam dolor meus renovatus eſt, & in meditatione mea ignis incanduit, quia creatorem offendi, Dominum non timui, ſprevi benefactorem. [Jer. 18. 6.] *Numquid non ſicut lutum in manu figuli, etiam vos in manu mea, dicit Dominus?* Si ipſe fecit te vas in honorem, cur te in contumeliam [D] facere præſumpſiſti? [Rom. 9. 20] *Numquid dicit figmentum figulo: Cur me feciſti ſic?* Creatura Creatorem, figmentum [1. Quia Creatorem offendit.] factorem, opus opificem auſus es provocare? Memento, viliſſima teſta, quia ſi cecideris ſuper lapidem iſtum, confringeris: ſi vero ipſe ſuper te ceciderit, conteret te contritione timenda, ita ut ne veſtigium minimum pareat. Tu autem ſanguinem ſanguini miſcuiſti, & Creatorem offendens, & Dominum non [2 Quia Deū non timuit.] timens. Servus eras illius Domini, cujus iræ reſiſtere nemo poteſt; & in præceptis ejus acceperas voluntatem. Noluiſti intelligere ut bene ageres, ſed recalcitrans Dominantis imperio, propria lege intra ſuam rempublicam vivere decreviſti. Num audiſti [E] [Luc. 12. 47] quam ſententiam excipiat ſervus nequam, qui ſciens voluntatem Domini, & non faciens, multitudini verberum reſervatur? Aſſiſtunt Angeli ad audiendam vo- [Pſal. 102. 20] cem ſermonum ejus; ſtellæ vocantur, & dicunt, Ad- [Baruch. 3. 35.] ſumus. Venti & mare obediunt ei, & omnia legem [Matt. 8. 27.] præfixam inconcuſſa retinent firmitate: tu ſolus peregrinus es, & imperatoriæ decreta majeſtatis non curas? Audi quia poteſt te mittere in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium perpetua infelicita- [3 Quia ſprevit benefactorem.] te crebreſcunt. Quod ſi te non movet Creatoris offenſio, reverentia poteſtatis; moveat ſaltem ingratitudo, quod tantum benefactorem in tantis beneficiis contempſiſti. Ubinam ſimilem benefactorem invenies, [F] qui tibi miniſtrat ſiderum curſus, temperiem aëris, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem! Ad extremum, ut omnium tibi vitæ beneficiorum cumulum [Rom. 8. 32.] aggregaret, *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum*: tradens Unigenitum pro adoptivis, Dominum pro ſervis, Juſtum pro impiis. Quid tibi ultra debuit facere, & non fecit? Si ergo iſto do- [Jerem. 4. 19.] lore dolueris, poteris dicere cum Propheta: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei turbati ſunt.*

6. Quartus gradus eſt Confeſſio oris. [5 Confeſſio oris, eaque triplex] Poſt cognitionem ſui, poſt pœnitentiam mentis, poſt dolorem cordis, ſequitur confeſſio oris. In his omnibus [Rom. 10. 10.] *corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Sed & ipſa triplex eſt, ſi virtutem ſalutis aſſequitur. Debet enim eſſe vera, nuda & propria. Veritatem quærit Altiſſimus: & ubi vult falli, qui fallere non intendit? [1 Vera] Novimus pleroſque & experti ſumus, qui ad confeſſionis gratiam venientes, magis onerati, quàm liberati à peccatis, ad ſuam conſcientiam redierunt. Dicunt enim, ſi clerici, ea quæ litterario; ſi milites, ea quæ gladiatorio geſſere conflictu: ut ſub humilitatis pallio ſuperbiam inducant, in tanto ſe ſignaculo condemnantes, ſub quo totius humanæ ſalutis ſumma conſiſtit. Sunt & alii, quos timor impellit ad confeſſionem: alii, quos ſimulatio ducit. Ad hoc enim confitentur, ut ſaltem ſpecie videantur confeſſi. An tu veram illam putas eſſe confeſſionem, quam aut timor extorſit, aut ſimulatio fecit; cum Spiritus-ſanctus diſciplinæ effugiat fictum, [Sap. 1. 5.] & gratuitam ſatisfactionem Omnipotens quærat? Illa vera confeſſio eſt, quæ de mentis contritione deſcendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; ſed in ſpiritu contribulato profert ea quæ ſentit. [2 Nuda.] Nudam autem eam eſſe oportet, & totius abſconſionis exutam velamine. Quid enim prodeſt partem peccatorum dicere, & partem celare; ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deſervire? Numquid de uno eodemque vaſe dulce & amarum, ſapidum & inſipidum ſtillare poteſt? [Hebr. 4. 13.] Omnia nuda & aperta ſunt oculis Dei: & tu illi aliquid abſcondis, qui Dei locum in tanto obtinet ſacramento? Oſtende & denuda quæcumque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ut ſentias operam medicantis. In ſimplicitate cordis oportet te quærere Dominum, non in duplicitate: [Sap. 1. 1.] quia væ illis qui loquuntur in corde & corde, & terram duabus viis ingrediuntur. [Eccli. 2. 14.] [3 Propria.] Debet autem eſſe & propria. Sunt enim plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & ſociorum exceſſus multiformi declamatione loquuntur: neſciunt ſua, aliena vero perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices & miſeri, quibus datum eſt aliena plangere, relinquere ſua! An non legiſti, quia *juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui?* [Prov. 18. 17.] *Sui*, dicit ſcriptura, non alterius. Numquid oblitus es apoſtolum Jacobum dicentem: *Confitemini alterutrum peccata veſtra? Veſtra* dixit, non aliena. [Jacob. 5. 16.] *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* [Pſal. 50. 5.] *Meam* dixit Propheta, non tuam.

7. Quintus gradus eſt Maceratio carnis; ſed & ipſa [5 Maceratio carnis, quæ triplex eſſe debet.] ternario numero conſecrata. Convenit enim ut fiat occulte, licentioſe, diſcrete. [Matt. 6. 3.] Teneros artus tuos, & exquiſitis educatos deliciis, diuturno confringe martyrio, ut tanto te noveris à licitis abſtinere, quanto memineris illicita perpetraſſe. Hoc autem occulte faciendum eſt, ut neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. [1 Occulte.] Non enim eſt in ore hominum tanti boni reponenda cuſtodia, ſed in abſconſo cordis tui, [2. Cor. 1. 12.] ut ſit gloria tua teſtimonium conſcientiæ tuæ. Nec hoc dicimus, ut non luceat lux tua coram hominibus, ut glorificent Patrem tuum qui in cælis eſt: [Matt. 5. 16.] ſed ne intentionem tuam in vilis gloriæ brevitate recondas. Nihil enim infelicius eſt, quàm hic carnem [2 Licentioſe.] macerare jejuniis, vigiliis affligere: & hic accipere gloriam, illic gehennam. Licentioſe vero facienda eſt: quia quicquid fit Paſtoris * licentia, gratioſius [V. Epiſt.] eſt in conſpectu Dei: & illam hoſtiam ſingulariter [1 Joann. 46.] accipit Altiſſimus, quæ non eſt de propriæ ſententia voluntatis, ſed de præcipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam ſuperbiam, propriæ voluntatis excluſio: quam exſtirpare non poteſt qui mundi hujus diligit vanitatem. [3 Diſcrete.] Diſcretio autem in hac diſtrictione tenenda eſt, ne dum nimis flagellare cupimus, ſalutem perdamus; & dum hoſtem ſubigere quærimus, civem occidamus. Conſidera corpus tuum & corporis tui poſſibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ diſtrictioni.

Cuſtodi corpus tuum incolume ad obſequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem ſuam verberaſſe, & diſcretionis infregiſſe repagula, ut inhabiles laudum ſollemniis redderentur, & apparatu lautiori diuturnis foverentur temporibus. A

(*Correctio operis & hæc triplex.*) 8. Sextus gradus eſt correctio operis; ſed & ipſe numero trinitatis conſecratus, videlicet ut tibi malum non facias, alteri non noceas, nec conſentias nocenti. Expertus es quàm fragilis ſit voluptatum immerſio, & tu iterum vadis illuc? Animadvertiſti quia tranſiit voluptas, & peccatum remanſit. (*1. Ut tibi malum non facias*) Reprime pedem ab infandis itineribus immundiſſimæ libidinis. Colla ſubſterne mandatis Altiſſimi, ne ſit iniquitas in manibus tuis. Deſævienti gulæ ſollemnes epulas, & vana B reſcinde colloquia. (*Pſal. 118 37. Iſa 33. 15.*) *Averte oculos tuos ne videant vanitatem. obtura aures tuas ne audiant ſanguinem*; & tunc dicere poteris: (*Pſal. 117. 18*) *Caſtigans caſtigavit me Dominus.* Quid autem prodeſt intra rectitudinis lineam tui curſus opera cohibere, ſi aliis nocere deſideras? (*2 Alteri non noceas.*) Qui non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos, (*Pſal. 14. 3.*) requieſcet in monte ſancto Dei, accipiens benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. (*Pſal 23. 5*) Non autem te innocentem præſumas, niſi impios & contra virtutem gradientes quanta poteris auctoritate redarguas, & opponas te murum pro domo Iſrael, caſtigans te, non nocens alteri, nec nocenti conſentiens. (*3 Nec conſentias nocenti*) Vera eſt enim illa ſententia: C Qui cum emendare poſſit, negligit, participem ſe proculdubio delicti conſtituit. (*Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet. Publ. Mim.*) Cum enim cauſa Dei ventilatur in medium, & falſitas præponitur veritati; qui pro perſona quam gerit non reſiſtit, de ſuo damnabitur ſilentio.

(*7. Perſeverantiæ, cui tria ſubſerviunt. 1 Imitatio Sanctorum.*) 9. Septimus gradus eſt perſeverantia; ſed & ipſa ternarii numeri ſanctificatione dicata. Perſeverantiam namque faciunt imitatio Sanctorum, brevitas temporum, fragilitas corporum. Quid namque pati non poſſis, cum videas juvenes, pueros, virgines, anus, ſenes, decrepitos, diverſa pro Chriſto, non ſolum excepiſſe, ſed & exquiſiſſe tormenta? Conſidera puerorum ætatem, juvenum ignem, virginum teneritudinem, anuum D fragilitatem, ſenum infirmitatem, impoſſibilitatem decrepitorum; & ubicumque reflexeris oculos, invenies in his ætatibus multitudinem exemplorum ad palmam martyrii viriliter cucurriſſe. Numquid de eodem luto formatus es & tu, & eodem ſpiritu inſpiratus? Et forſitan non ingruit perſecutio, ut martyrium patiaris; nec damnaris, ſi Chriſto ſervis: immo laudaris, & ab omnibus prædicaris. Quod ſi & perſecutio imminet, (*2 Brevitas temporum.*) contemnenda eſt propter brevitatem. Bene enim natura nobis providit, quæ nullum dolorem vel longum, vel magnum eſſe demonſtrat. Si enim magnus eſt, longus eſſe non poteſt. Conjunctio enim corporis & animæ exquiſita diu tormenta non ſuſtinet, ſed ſtuporis E magnitudine tremefacta, ſumma velocitate diſſolvitur. Magni ergo animi eſt magna tormenta contemnere, quæ in brevi tantam pariunt mutationem, ut de labore ad requiem, de miſeria ad gloriam, patientem faciant evolare. (*3 Fragilitas corporum.*) Conſideranda eſt etiam fragilitas corporis, quàm ſæpe aut aliquis leviſſimus caſus, aut incandentis febriculæ cumulata congeries, brevi poſſunt ſuffocare momento. Tribue ergo virtuti, ſi neceſſitas fuerit, quod quandoque debes neceſſitati, pro brevi periculo ſempiternum præmium adepturus.

10. Vides ergo quàm difficilis ſit via confeſſionis ad currendum, quàm multiplices ſemitæ ad tenendum. Verum eſt quod ille tantus Eccleſiæ Magiſter ait*: F (** S. Ambroſ. l. 2 de Pœnit. cap. 10.*) „Facilius inveni eos qui innocentiam ſervaverunt, quàm „qui congruam egerunt pœnitentiam. Hæc de via confeſſionis pro modulo noſtro locuti ſumus, ſublimioribus ſublimioris ſententiæ pondera reſervantes. Ceterum obedientiæ viam ſub alio ſermonis principio aperire tentabimus, ne unquam in faſtidium veniant verba Domini Salvatoris, qui eſt benedictus in ſæcula.

SERMO XLI.

De virtute Obedientiæ, & ſeptem ejus gradibus.

1. *NOn poſſumus nos cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* (*2 Cor. 3. 5.*) Quid enim in hoc vaſe teſteo & fragilitate complexionis humanæ, cogitare ſufficiat ſpiritus carcere incluſus, peccato corruptus, depreſſus terrenis? *Corpus* enim *quod corrumpitur, aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* (*Sap. 9. 15. Sap. 1. 4.*) Benignus tamen eſt Spiritus ſapientiæ, qui & ſpiritum incluſum illuminat, & corruptum ſanat, & allevat depreſſum. Eſt enim Spiritus B pietatis, compeditos ſolvens, cæcos illuminans, & erigens eliſos. Eſt etiam Spiritus veritatis, qui docet nos omnem veritatem: (*Johan 14 26.*) non ſolum autem docet, ſed etiam ſuggerit. Suggerit videlicet ut quæramus, docet ut intelligamus. Ipſe eſt, quem Dominus Jeſus poſt Patris obedientiam uſque ad mortem crucis, miſit Apoſtolis ſuis, obedientibus ſuis. An non tibi videntur ſingularis obedientiæ conſcendiſſe faſtigium, qui accepta licentia ſedendi in civitate, intra unius domunculæ ſæpta concluſi, *unanimiter in oratione perſeverabant?* (*Act. 1. 14.*) Intellexiſti quia *ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati?* (*Actor. 5. 41.*) O quantis obedientiæ viribus innituntur, (*Obedientia commendatur in Apoſtolis.*) C qui gaudent pro Chriſto ad concilium trahi, dignitatem ducunt pro eo cædi, gloriam quærunt pro eo mori! Beatæ animæ, & abundanti majeſtate Spiritus influentes: quibus vilitas, ſublimitas; contumelia, gloria; patientia, victoria, mirabili mutabilitate videntur. Multum repleta eſt anima eorum, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. (*Pſal. 122. 4.*) Cernis quam libera fronte Pontificum faciem, Phariſæorum ſupercilium, tumultum plebis irrumpant dicentes: *Magis oportet Deo obedire quam hominibus.* (*Actor. 5. 29.*) Intuere illa duo magna luminaria Petrum & Paulum, & univerſum ordinem apoſtolici ſenatus obambula; & ibi videbis obedientiæ firmitatem inter tormentorum multitudinem viriliter perſtitiſſe. (*In Chriſto Domino*) D Nonne ipſe Filius Regis, Rex regionis illius, quæ continuis gaudiis inclareſcit, *factus eſt Patri obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, (*Philip. 2. 8.*) & didicit obedientiam ex his quæ paſſus eſt? Audiſti miſeriam, audi & coronam: vidiſti periculum, vide præmium: attendiſti infirmitatem, attende poteſtatem. *Propter quod*, inquit, *& Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* (*Ibidem. 9.*)

2. Sed taceamus interim de illius obedientia, quæ ſingulari prærogativa clauditur & ſignatur. (*In Abrahami Patriarcha. Gen 12. 1.*) Procedat in medium magnus ille Patriarcha, fidei lumen, obedientiæ forma, juſtitiæ principatus. Audit ab Omnipotente: *Egredere de terra tua. & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam* E *monſtravero tibi*: & ad unius juſſionis vocem, patriam fugit, relinquit parentes, deſerit hereditatem, & aliorum fines hoſpes ingreditur novus. Magna res, & primitivæ dignitatis privilegio in patre multarum gentium conſecrata! Primus primum ſuis facultatibus renuntiat, & obedientiæ viam indefeſſa velocitate percurrit. Denique cum accepiſſet filium in ſenectute ſua, in quo totius mundi benedictio fuerat cumulanda, dicit ei Deus: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum.* (*Gen 22. 2.*) O quanta in verbis iſtis amaritudo, quanta à corde patris ſeparatio pietatis! Jubetur namque filium occidere, os F ex oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua: filium magnæ promiſſionis, extremæ ſenectutis, propriæ mulieris: filium mirabiliter promiſſum, feliciter natum, educatum innocenter. Et ne quid deeſſet, ut tenerrimum intra paterna viſcera doloris incendium exundaret, additur, *unigenitum.* Sunt namque multi filii, ſed non unigeniti. Iſte ſic eſt filius, ut & unigenitus. Iſte unicus patri, unigenitus matri, hereditati reſervatus. Ne reſpicias ad Iſmaël, quia qui in ſervitute & ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem & hereditatem minime pertinebat. Quia vero multi ſunt filii & uni-

Tom. III.

geniti, ſed non dilecti; ad exaggerandam in corde patris tribulationem, & comprobandam in mente juſti obedientiam, Dominus ſubjungit, *quem diligis*. Ut vero teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recrudeſceret, & interior pietas ad dilectæ vocis ſonum tota ferveret, *puer* nominatur ex nomine, quod vocatum erat à Domino, priuſquam in utero conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahæ pietas feriatur, cui præcipitur ut filium tollat, occidat unigenitum, quem diligit immolet, Iſaac percutiat? Multum tentatus, multum probatus, adustus eſt multum: dulcis relatio filii ad patrem, patris ad filium. Hanc dulcedinem & omnium affectus neceſſitudinum obliviſcitur Abraham; ſternit aſinum ſuum, ligna componit, ignem accendit, eximit gladium. Non à Domino quærit, quare; non murmurat, non conqueritur, non ſaltem vultum dolentis oſtendit: ſed omnium quæ præcipiuntur ignarus*, in mortem filii pia crudelitate feſtinat. Ideo ſummæ & admirabilis obedientiæ virtus in Abraham, & ſingularis excellentiæ laudibus prædicanda.

* al. gnarus.

Obedientia triplex.

3. Fortiſſima res eſt obedientia vera, & quæ in animum deſcendere non poteſt, niſi à mundi hujus aſpergine pure preſſeque detersum. Ut autem via ejus evidentius eluceſcat, oſtendamus quantum poſſumus, quæ ſit obedientia ſpecialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum & hominem. Sunt quædam ſumma mala, quædam ſumma bona. Summa bona ſunt, diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, non falſum teſtimonium dicere, non adulterare, & alia multa, quæ ſermonis brevitas numerare prohibet. Summa mala ſunt eorum contraria, & ſimilia illis. Bona præcipit Deus ut faciamus; à malis jubet ut abſtineamus. Præcepti hujus ſancta & incommutabilis auctoritas non valet quoquo modo refelli: quia illius eſt charactere conſignata, qui dicit: *Ego Dominus, & non mutor*. Si ergo homo ille, quem impoſuit Deus ſuper capita noſtra, aliter ſentire voluerit, ponens tenebras lucem, & lucem tenebras, ut præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere; audacter refutandum eſt præcipientis imperium, & libera voce dicendum: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*. Hæc eſt ſpecialis obedientia ad Deum, quæ nequaquam eſt hominis arbitrio temperanda, ſed immutabili conſervanda propoſito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio Prælatorum prædicta bona relinquas, vel facias mala. Inter ſumma vero mala & ſumma bona, quædam media ſunt, quæ ad alterutrum ſe habentia, boni malique nomen aſſumunt. Media ſunt ambulare, ſedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, & ſi qua ſunt ſimilia: quæ ſi paſtoris licentia fiant, ſummam exſpectant retributionem. In his igitur mediis ſubditi eſſe & obedientes debemus ad nutum præpoſitorum, nihil interrogantes, propter conſcientiam: quia in his nullum præfixit opus Deus, ſed prælatorum* dereliquit imperio diſponenda. Non autem te moveat magiſter imperitus, indiſcreta poteſtas: ſed memento quia non eſt poteſtas niſi à Deo; & qui reſiſtit poteſtati, reſiſtit Dei ordinationi. Hæc eſt propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini ſubditi ſumus. Communis eſt etiam iſta inter Deum & hominem: quia quicquid obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur qui dicit: *Qui vos audit, me audit*. Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum: quia & multi gradus ibidem deliteſcunt, quorum qui unum reliquerit, ceteros ſine retributione tenebit.

Mala. 3. 6. Prælatis quouſque obediendum.

Act. 5. 29.

Propria ad Prælatum.

1. Cor. 10. 23.

Rom. 13. 2.

Luc. 10, 16.

4. Primus autem gradus eſt obedire libenter. Omnis ætas ab adoleſcentia ſua prona eſt in malum, & unuſquiſque voluntatem pravi cordis ſui ſectatur. Ab illa enim primæ prævaricationis anguſtia innatus eſt homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem ſui Creatoris relinquens, ibi ſubdita eſt ſervituti, ubi voluit dominari. Difficile eſt ergo ſuam relinquere voluntatem, & alterius voluntati deſervire. Quamlibet autem grave ſit, non poteſt tamen primum obedientiæ aſcendere gradum, qui voluntatem præcipientis ſuam non fecerit. In voluntate ſua juſtus gloriatur ſeſe Domino confiteri. Unde *Voluntarie*, inquit, *ſacrificabo tibi*. Sola ergo voluntas eſt, quæ totius operis ornat effectum, ſine qua nec bene aliquid agitur, etiam ſi bonum eſſe videatur*. Ex voluntate igitur ſuſcipienda ſunt imperia Prælatorum, & ipſum cor à ſuis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum diligat imperantis. Hoc eſt ergo libenter obedire, Prælatorum voluntatem voluntarie adimplere.

Gen. 8. 21. 1 Obedientiæ gradus. Obedire libenter.

Pſal. 53. 8.

* S. August. [illegible]

5. Secundus gradus eſt obtemperare ſimpliciter. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. In ſimplicitate cordis ſui lætus obtulit Salomon univerſa; & in ſimplicitate cordis quærere Dominum Scriptura præmonſtrat. Multos videmus poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones; cur, quare, quamobrem, ſæpius interrogare, crebras ingeminare querelas; quærere, Quare hoc præcipit, unde hoc venit, quis hoc adinvenit conſilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem ſonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens excuſatio, ſimulatio impoſſibilitatis, advocatio amicorum. Non ſic Abraham. Audi quid Dominus de ſimplici populo proteſtetur. *In auditu*, inquit, *auris obedivit mihi*: ut videlicet oſtenderet, uno eodemque momento proceſſiſſe & imperantis imperium, & obſequium obſequentis. *Nolite errare, Deus non irridetur*. Murmuras contra Prælatum in tabernaculo corporis tui? elevat manum ſuam ad proſternendum te dextera Dei. Incede igitur ſimpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati ſimplicitatem, intentioni illuminationem. Fortitudo enim ſimplicis via Domini, quæ obedientia eſt. Fortitudinem igitur induunt qui obedientes ſunt, & ſimpliciter incedunt.

Prov. 10. 9. 2. Obedire ſimpliciter. Sap. 1.

Pſal. 17. 45.

Gal. 6. 7.

Prov. 10. 29.

6. Tertius gradus eſt hilariter obedire. *Hilarem enim datorem diligit Deus. Non ex triſtitia*, inquit Apoſtolus, *aut ex neceſſitate*. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermonibus, multum colorant obedientiam obſequentis. Unde & gentilis ille poeta ſic ait: Super omnia vultus acceſſere boni.* Quis enim locus obedientiæ, ubi triſtitiæ cernitur ægritudo? Oſtendunt plerumque voluntatem animi ſigna exteriora, & difficile eſt ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem. Nubiloſa corporis compoſitio, & facies tenebris triſtitiæ obfuſcata, devotionem ab animo receſſiſſe ſignant. Reſpice David ante arcam Domini hilariter ſaltantem, & quàm ſapienter ſuperbientis feminæ reprimat indignationem. *Ludam*, inquit, *& vilior ero in conſpectu Domini*. Cernis igitur quam neceſſaria & conveniens ſit hilaritas in obedientiæ executione. Quis enim imperat homini libenter, triſtitiam efflanti? Si vis ergo perfectus eſſe, hilariter & cum magna vultus alacritate ſuſcipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, ſimplicitati operis, vultus hilaritatem adjungas.

3. Obedire hilariter. 2. Cor. 9. 7. Ibid.

* Ovid. 2. Amor.

2. Reg. 6. 22.

7. Quartus gradus eſt obſecundare velociter. Velociter currit ſermo Dei, & velocem habere deſiderat ſequentem. Vides cum quanta velocitate currat ille, qui dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum ſe colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum feſtinanter præcipientem, & hominem feſtinanter obedientem. *Zacchæe*, inquit, *feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens*. Animadvertiſti quia & feſtinanter deſcenderit, & gaudenter

4. Obedire velociter. Pſal. 147. 15.

Pſal. 118. 32.

Luc. 19. 5.

* Prælatorum ſcilicet eorum auctoritati, qui Regulas monaſticas condiderunt, immo aliorum etiam Prælatorum diſpenſationi, ubi cauſa & neceſſitas poſtulare videtur. Alias *abſque neceſſitate remiſſio voti*, id eſt Regulæ promiſſæ, *non diſpenſatio, ſed prævaricatio eſt*, inquit Bernardus de præcepto & diſpenſatione cap. 5.

exceperit. Audiſti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem. *Quia hodie ſalus huic domui facta eſt.* Intuere etiam ex occaſione hujus obedientiæ concluſionis grande myſterium, & obſignatam ſignaculo miſericordiæ ſententiam: *Venit enim*, inquit, *Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* (*Ibid. 10.*) Nonne legiſti quod filiis Iſraël præcipitur, ut agnum comedant feſtinanter? (*Exod. 12. 11.*) Feſtinanter quippe veri Agni comeſtio ſignatur implenda: quia verba illa, quæ per legem dedit, quæ per ſemetipſum præſens exhibuit, quæ per Eccleſiæ præpoſitos tradenda reliquit, veloci ſunt obedientia conſummanda. Et tu ergo cum voluntatem cordi, ſimplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde & velocitatem; ut ſis juxta Apoſtolum Jacobum, *velox ad audiendum*, & ad implendum velocior. (*Jac. 1. 19.*)

8. Quintus gradus eſt adimplere viriliter. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.* (*Pſal. 30. 25.* — 5 Adimplere viriliter.) Non eſt fortitudinis ire ad inobedientiam, ſed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, ſi perſecutio reſultat, ſi peccatores tibi laqueum ponunt, ſi maligni tuum iter impediunt: tu obedientiæ viam non deſeras, ſed dic: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* (*Pſal. 118. 60.*) Quid enim ſuperius enumerata pariunt utilitatis, ſi fortitudo deſit, quæ in arce conſtantiæ virtutes collocat, & eo vallo munit, quo furentium impetus adſpirare non poſſit? Manum tuam miſiſti ad fortia? agendum eſt inſtanter, & conſtanter obediendum: nec inter verborum ſeu verberum aſperitatem tam regalis eſt ſemita relinquenda, ſed tenaciori eſt retinenda fervore. Et ut breviter dotes fortitudinis concludamus, virtus eſt virtutes ſervans ac muniens. Junge igitur velocitati fortitudinem, conſtantiam inſtantiæ, & tunc decantabis ſecurus: *Manus peccatoris non movebit me.* (*Pſal. 35. 12.*)

9. Sextus gradus eſt humiliter obedire. (*Pſal. 135. 23.* — 6 Humiliter obedire.) In humilitate noſtra memor fuit noſtri qui fecit nos. Magna virtus humilitas, ſine cujus obtentu virtus fortitudinis, non ſolum virtus non ſit, ſed etiam in ſuperbiæ vitium erumpat. Quàm fortiter currebat Saul, cum eſſet parvulus in oculis ſuis! quanta Philiſtæorum agmina proſternebat! quantis viribus exercebat gladium! Poſtquam autem tenuit eum ſuperbia, & tranſivit in affectum cordis, debilis & impotens factus, incircumciſorum armis facile proſtratus occubuit. Aſpice regem, in quo humilitas ſublimis, & humilis ſublimitas felici compoſitione niteſcunt. *Domine*, inquit, *non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei:* (*Pſal. 130. 1.*) & totum itinerarium ejus ſedula intentione recurre; & quaquaverſum oculos reflexeris, invenies humilitatis floribus eſſe reſperſum. Audi namque alibi quid dicat: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* (*Pſal. 58. 10.*) Quam vere loquitur juſtus juſtitiæ exſecutor! Sunt namque plurimi, qui fortitudinem ſuam non ad Deum, ſed ad inanem gloriam cuſtodiunt; qui confidunt in virtute ſua; qui de acceptis virtutibus, quaſi non acceperint, gloriantur; Conditori facientes injuriam, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. (*Jac. 1. 17.*) Ne ergo fortitudo in ſuperbiam tranſeat, condienda eſt ſale humilitatis, quia nihil proderit fortiter obedire, ſi contigerit infeliciter ſuperbire. Illi ergo fortitudinem ſuam ad Deum cuſtodiunt, qui cum fecerint quod facere debent, dicere poſſunt: *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* (*Luc 17. 10.*)

10. Septimus gradus eſt, indeſinenter obtemperare. (7. Perſeveranter obtemperare. *Matt. 10. 22. & 24. 13.*) Non qui incœperit, ſed qui perſeveraverit, hic ſalvus erit. Incipere multorum eſt; perſeverare paucorum. Perſeverantia ſingularis eſt filia ſummi Regis, virtutum fructus, earumque conſummatio, totius boni repoſitorium; virtus ſine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur: finis eſt ad juſtitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum ſibi thalamum conſecravit. Quid enim currere prodeſt, & ante metam curſus deficere? *Sic currite ut comprehendatis* (*1. Cor. 9. 24.*) dicit Apoſtolus. O quàm perſeveranti pede curſum ſuum perfecerat qui dicebat: *Curſum conſummavi.* (*2. Tim. 4. 7.*) O quàm longum curſum felix ille Latro complevit[a]! qui conſummatus in brevi explevit tempora multa. (*Sap. 4. 13.*) Denique & Dominus Prophetarum per Prophetam loquitur: *Si converſus fuerit juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem; omnium juſtitiarum ejus non recordabor.* (*Ezech. 18. 24.*) Vides ergo quàm profunda oblivione virtutes illæ ſepeliantur, quas perſeverantia non inſignierit. Sola eſt, quæ amatorem obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, ut eum videat in decore ſuo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. (*1. Pet. 1. 12.*) In via igitur iſta, in qua ambulamus, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. (*Pſal. 139. 6.*) Difficilis eſt via iſta, & gravis ſpinoſis anfractibus, multiplicium vinculorum nexibus innodata. An tu ibi putas obedientiæ fructum, cum ſubditus audit obedientiam, quam multis expetierat votis, cum ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio & lætitia fluitet, potentiæ fulciatur imagine? (Obedientia falſa.) E contrario autem an tu illi obedientiæ meritum aſſignas, quæ cum adverſitate procedens, animum terret audientis, gravis ad audiendum, gravior ad implendum, ad tenendum graviſſima? Non eſt ita. Faciendum eſt ut à proſperitate animo ſeparemur, & adverſitatem animo complectamur; ſi volumus illum ſequi, qui regnum fugit, & ad paſſionem voluntarius venit. (*Johan 6. 15. Iſa. 53. 7.*)

11. Animadvertis igitur, quia viæ iſtæ, viæ vitæ ſunt, ducentes ad vitam. (*Matt. 5. 4.*) *Beati mites*, quoniam mites docebit Dominus vias ſuas: (*Pſal. 24. 9.*) continget enim eis quod ſequitur: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* (*Pſal. 15. ult. 2. Cor. 5. 6.*) Quia quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, longe ſumus à facie Dei, à vultu gloriæ, à contemplatione majeſtatis, niſi quia plerumque miſericors & miſerator Dominus illuminat vultum ſuum ſuper nos. Hoc autem fit, cum remota nube illa, quæ oppoſita erat ne tranſiret oratio, accedimus ad illum, & illuminamur, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes. Non autem ita proprie revelata facie accipiamus, cum videamus adhuc per ſpeculum & in ænigmate, & carcerali corpore teneamur: *Revelata* vero dicit, quantum ad caliginem corporum. (*2. Cor. 3. 18.*) Unde ſpiritus iſte creatus aliquando ad Creatorem ſpirituum emergit, & adhærens ei unus cum eo ſpiritus efficitur. Nullius autem momenti eſt iſta contemplatio: quia ſpiritus clauſtris corporeis circumdatus, frequenti carnis contagione reliditur, & ſupra creaturam conſtitutus, infra quæque viliſſima protinus reperitur. Sed & creator Spiritus, cujus magna ſunt opera, exquiſita in omnes voluntates ejus, (*Pſal. 110. 2.* — Spiritus divini occulti acceſſus & receſſus.) modo accedit neſcientibus nobis, modo ignorantibus nobis recedit; quia neſcimus unde veniat, aut quo vadat. (*Johan. 3. 8. Cant. 3. 1.*) Et plerumque quanto frequentius quæritur, tanto velocius elongatur, juxta quod & ipſe loquitur ſponſæ: *Averte oculos tuos a me, quia ipſi me avolare fecerunt.* (*Cant. 6. 4.*) Contingit etiam ut cum non quæritur, veniat; cum quæritur, fugiat, ſicut ſponſa ſe in Canticis multipliciter oſtendit quæſiſſe, & non inveniſſe. Non eſt autem vultus iſte, vultum gloriæ Domini inveniſſe, qui eſt ſuper Cherubim: (Deus in hac vita ſicuti eſt videri non poteſt.) quia univerſitati Angelorum puriſſimus & clariſſimus exhibetur; nobis vero ſpeculatoriis & umbratilibus adumbratur imaginibus.

12. Quia igitur hic vultum Dei, ſicuti eſt, videre non poſſumus; adimpletionem lætitiæ non habemus, donec trahat nos ad ſeipſum, & accedat caput corpori, & ſit Deus omnia in omnibus. (Animæ ſanctorum corporibus exutæ non plene beatæ, niſi poſt reſurrectionem corporum.) Illic erit adimpletio, hic eſt guſtus. Guſtamus enim hic & videmus quoniam ſuavis eſt Dominus: ſed guſtus iſte non tranſit in potum, quia licet videamus, non tamen penetramus. In guſtu eſt ſuavis, in adimpletione mirabilis. Sanctorum autem animæ terrenis exutæ corporibus, quæ jam ad ſedes æthereas evolaverunt, licet bibant, non tamen adimplentur, non tamen inebriantur*. (* *V. Tomo 2. Tract. de diligendo Deo c. 11.*) Quamvis enim multa beatitudine perfruantur; exſpectant tamen reſurrectionem mortuorum corporum, ut cum

a Quidam addunt, *quem perſeverantia pœnitentem invenit, conſummatus*, &c.

in terra ſua duplicia poſſederint, ſempiterna perfundantur lætitia. Modo enim illis ſingulis ſingulæ ſtolæ albæ datæ ſunt; & injunctum, ut ſuſtineant tempus adhuc modicum, donec impii conterantur duplici contritione, & ipſi gemina beatitudine coronentur. Cum ergo nondum habeant quod habere deſiderant; inebriari non poſſunt, ſed eſt eis illa viſio potus: ut ſicut abſque labore bibitur, ita ſine labore quieſcant, donec ſatientur cum apparuerit gloria ejus. Cum autem reſurgemus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & glorioſa illa civitas margaritis ornabitur, & ſicut lætantium omnium habitatio erit in ea: tunc adimplebit nos lætitia cum vultu ſuo, quia videbimus eum ſicuti eſt. Tunc inebriabimur ab ubertate domus ſuæ, & torrente voluptatis ſuæ potabit nos, dicetque nobis: *Bibite, & inebriamini cariſſimi*: quia & anima illuminationem, & corpus glorificationem jure perpetuo poſſidebunt.

13. Sequitur: *Delectationes in dextera tua uſque in finem*. Siniſtra Dei, vita præſens eſt. Et quia pro ſiniſtro dicimus, quicquid non multum curamus; per ſiniſtram præſens vita accipitur, in qua Dominus electos ſuos ſic ab impiis permittit flagellari, ut etiam patiatur occidi. Annon tibi videntur oblivioni dari qui dicunt: *Propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis? quare faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ?* Per dexteram vero illa beata vita ſignatur, quæ neſcit niſi gaudia, de qua nihil aliud dicere poſſumus, niſi quia *glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei*. Ibi ſunt delectationes illæ, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. In ſiniſtra tribulationes, in dextera delectationes. Uſquequo autem? *Uſque in finem*. Quis eſt iſte finis? Finis ad juſtitiam, Chriſtus omni credenti. Finis ille, de quo Sapientia dicit: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Deum enim cernere, finis eſt conſummatus. Ipſe eſt finis, ad quem cum venerimus, nihil amplius ſitiemus, Jeſus-Chriſtus ſponſus Eccleſiæ, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XLII.

De quinque negotiationibus, & quinque regionibus.*

1. VErbum Patris, Unigenitus Dei, Sol juſtitiæ, ſummus ille negotiator, de ultimis cælorum finibus noſtræ redemptionis pretium apportavit. Fidelis iſta negotiatio & omni acceptione digniſſima, in qua Rex filius Regis efficitur negotiatio, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus eſt juſtus. O quàm indebita miſeratio, quàm gratuita & ſic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quàm invicta manſuetudo, quàm vilis negotiatio, ubi Filius Dei pro ſervo traditur, pro creatura Creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur! Tua ſunt hæc, Chriſte, opera, qui de lumine cæli ad tenebras inferni, à dextera majeſtatis ad miſeriam humanitatis, à gloria Patris ad mortem crucis deſcendiſti, infernum illuſtrando, hominem redimendo, ſuperando mortem, & mortis auctorem. Unus es, & ſecundum non habes: quem ad nos redimendum propria benignitas invitavit, miſericordia traxit; veritas qua te venturum promiſeras, compulit, puritas uteri virginalis ſuſcepit, ſalva virginitatis integritate potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, caritas verbis & miraculis manifeſtavit. Abſint procul negotiatores terræ Theman, recedant filii Agar, qui exquiſierunt prudentiam; elongentur à me gigantes à ſæculo nominati, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ meruerunt, propterea perierunt: ſed dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Abſcondiſti enim hæc, Domine, à ſapientibus & prudentibus, gigantibus & nominatis, qui magni facti ſunt videlicet in oculis ſuis, & revelaſti ea parvulis & humilibus tuis. Libenter amplector negotiationem tuam, quia negotium meum eſt. Hæc mercimonia cum ſumma ſuavitate ruminat anima mea. Non ſolum autem ruminat, ſed & revocat ruminationem tuam: quia & intelligit quæ diligit, & commendat memoriæ quæ elegit. In his negotiationibus præcipis eſſe animam meam, ut fiat navis inſtitoris de longe portans panem ſuum. Negotiabor donec venias, venienti lætus occurram, & utinam audiam: *Euge ſerve bone*. Tui ſunt cæli, & tua eſt terra; in regionibus tuis negotiabor ſecurus, te ſolum habens in itinere ducem, in periculis protectorem, conſortem in tribulatione.

2. Regiones tuæ quinque ſunt, quas perambulant ad negotiandum inſtitores tui, ubi te quærunt dilecti tui, & inveniunt electi tui. Prima regio eſt regio diſſimilitudinis. Nobilis illa creatura in regione ſimilitudinis fabricata, quia ad imaginem Dei facta; cum in honore eſſet, non intellexit, & de ſimilitudine ad diſſimilitudinem deſcendit. Magna prorſus diſſimilitudo, de paradiſo ad infernum; de angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum! Exſecranda converſio, gloriam in miſeriam, vitam in mortem, pacem in pugnam perpetua captivitate convertere! Maledicta deſcenſio, de divitiis ad paupertatem, de libertate ad ſervitutem, & de requie ad laborem deſcendere! Miſeri nos, & miſerabiliter nati: quibus datum eſt naſci in mærore, vivere in labore, in dolore mori. De peccatore peccatores, de debitore debitores, de corrupto corrupti, de ſubacto ſubacti, geniti & generantes ſumus. Gens peccatrix, populus gravis iniquitate, ſemen peſſimum, filii ſcelerati, addentes prævaricationem. Ecce quaſi non ſimus, ſic ſumus coram eo, quaſi nihilum & inane reputati, putantes nos aliquid eſſe, cum nihil ſimus. Vulnerati ſumus ingredientes mundum, converſando in mundo, exeundo de mundo: à planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas in nobis. Noverat hæc ille ſublimis Propheta, qui ſtatum humanæ miſeriæ deplorans, in hæc verba prorupit: *Grave jugum eſt ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*.

3. In hac diſſimilitudinis regione quid negotiamur Domine Deus? Aſpicio genus humanum ab ortu ſolis uſque ad occaſum hujus mundi nundinas perambulare; alios divitias quærere, alios honoribus inhiare, alios favoralis auræ ſuavitate raptari. Sed quid de divitiis? Nonne cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, cum dolore amittuntur? Theſaurizas & ignoras cui congregabis ea. Vide quantum laborem pro perituris divitiis aſſumpſiſti. Tranſis maria, & alium tibi orbem aperis navigando, ſecundum Sapientem tribus digitis diſtans à morte; patriam fugis, relinquis parentes, divelleris ab uxore, filios neſcis, & omnium neceſſitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. *Filii hominum, uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ eſt iſta dementia, filii Adam, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigiliis multis, in jejuniis crebris, in mortibus frequenter? Ecce quales divitiæ. Sed quid de honoribus? In ſublimi loco poſitus es, ducem te conſtituerunt. Vide ſi non judicandus es ab omnibus, ab omnibus ſpectandus, ab omnibus lacerandus. Si miles es, excubas ante limina principis, ut principatum acquiras, & ferrato veſtitus amictu, propior es vulneri quàm honori, morti quàm vitæ, periculo quàm præmio. Si de ſorte Domini es, nonne Epiſcopus Romanum Pontificem, archidiaconus vel diaconus Epiſcopum pertimeſcit? Vide etiam utrum excuſſeris manus tuas ab omni munere, ne cum Simone audias: *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto: quia voluiſti donum Spiritus-ſancti cum pecunia poſſidere*. Nihil ad nos de rectoribus Eccleſiæ judicare: videant ipſi amici Sponſi, cum de ſponſa cœperit exigere rationem, qui judicat orbem terræ in æquitate. Numquid in honore

ſine dolore, in prælatione ſine tribulatione, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poteſt? Ecce quales honores. Quid autem de gloria? Gloria tibi unde, fœtide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, ſed nomini Domini gloriam cede. Illi permitte gloriam ſuam, qui glorioſus eſt in ſanctis ſuis. Illum lauda, quem laudant Angeli in excelſis. Numquid & ipſa inanis gloria, quæ nihil aliud eſt quàm aurium inflatio vana, quæ haberi vix poteſt ſine invidia? Reſpice quos antecedis, & cogita, quia omnibus invidiæ ſemina præbuiſti. Omnes ergo adverſum te torvis lominibus inflammantur, tua felicitate torquentur, tua uruntur gloria. Ecce unde glorioſus, inde odioſus; unde ſublimis, inde humilis: inde ſollicitus, unde ſecurus. Animadverte quia ſi per gloriam curris, incurris invidiam; ſi felicitatem ſequeris, corrumperis infelicitate. Vides ergo quia vane conturbatur omnis homo. Hæc ſunt mercimonia, quæ inveniuntur in regione diſſimilitudinis. Prudens ergo negotiator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit ſarcinam ſuam, mundi contemptum: & fugit.

Vana gloria

Pſal. 38. 12

Contemptus mundi, hinc mundi nace.

4. Secunda regio eſt paradiſus clauſtralis. Vere clauſtrum eſt paradiſus, regio vallo diſciplinæ munita, in qua pretioſarum eſt mercium fœcunda fertilitas. Glorioſa res, homines unius moris habitare in domo; bonum & jucundum habitare fratres in unum. Videas illum peccata ſua deflentem, alium in Dei laudibus exſultantem, hunc omnibus miniſtrantem, illum alios erudientem, hunc orantem, illum legentem; hunc miſerentem, illum peccata punientem; hunc caritate flagrantem, illum humilitate pollentem; hunc in proſperis humilem, illum in adverſitate ſublimem; hunc in activa laborantem, illum in contemplativa quieſcentem; & poteris dicere: *Caſtra Dei ſunt hæc. Quam terribilis eſt locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Quid tibi ergo, fidelis anima, in his nundinis eſt conſiderandum? Perambula virtutes cohabitantium in domo Domini virtutum, & fac inde ſarcinam tuam, formam vivendi. Quæ prius habitabas in regione umbræ mortis, tranſi ad regionem vitæ & veritatis.

2. Regio eſt paradiſus clauſtralis.

Pſal. 132. 1.

Pſal. 45. 7

Gen. 32. 2.

Forma vivendi hic comparanda

5. Tertia regio eſt regio expiationis. Tria ſunt loca, quæ mortuorum animæ pro diverſis meritis ſortiuntur, infernus, purgatorium, cælum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in cælo perfecti. Qui in inferno ſunt, redimi non poſſunt: quia in inferno nulla eſt redemptio. Qui in purgatorio ſunt, exſpectant redemptionem, prius cruciandi, aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicujus gravitate doloris. Qui in cælo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem Dei, Chriſti fratres in natura, coheredes in gloria, ſimiles in æternitate jucunda. Quia igitur primi redimi non merentur, tertii redemptione non indigent; reſtat ut ad medios tranſeamus per compaſſionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in iſtam regionem, & videbo viſionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem; non ad iram, ſed ad miſericordiam; non ad deſtructionem, ſed ad inſtructionem: ut jam non ſint vaſa iræ apta in interitum, ſed vaſa miſericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adjutorium illis: interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus intercedam, ſatisfaciam ſacrificio ſingulari: ut ſi forte videat Dominus, & judicet, laborem convertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujuſmodi officiis poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna. Percurre ergo, quæcumque es fidelis anima, regionem expiationis, & vide quid in ea fiat; & in nundinis iſtis fac ſarcinam tuam, affectum compatiendi.

3. Regio eſt regio expiationis ſeu Purgatorium.

Tria animarum poſt mortem receptacula.

Affectus compaſſionis hinc ſumendus.

6. Quarta regio eſt regio gehennalis. O regio dura & gravis, regio extimeſcenda, regio fugienda! terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat! Locus letifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confuſio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles dæmonum facies! Totus tremo atque horreo ad memoriam iſtius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? Omnis lapis pretioſus operimentum tuum: modo ſubter te ſternitur tinea, & operimentum tuum vermis. O Deus quanta diſtantia inter operimentum pretioſi lapidis, & operimentum vermis; inter delicias paradiſi, & tineam corrodentem inferni! Scio quia paratus eſt ille ignis diabolo, & angelis ejus, & hominibus ſimilibus ejus; ubi ſine fine finientur, ſine morte morientur, torquebuntur ſine ceſſatione. Vivens igitur in infernum deſcende; percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge ſcelera & vitia, pro quibus ſcelerati homines & vitioſi perierunt. Habe odio iniquitatem, & dilige legem Domini, & in tam formidoloſis nundinis fac ſarcinam tuam, odium peccati.

4. Regio eſt infernalis.

Iſa. 14. 12.

Ezech. 28. 13.

Iſa. 14. 11.

Matth. 25. 41.

Odium peccati inde compara.

7. Quinta regio eſt paradiſus ſupercæleſtis. O beata regio ſupernarum virtutum, ubi beata Trinitas à Beatis facie ad faciem videtur, ubi illa ſublimia agmina ſublimi pennarum applauſu, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, clamare non ceſſant! Locus eſt voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur juſti: locus ſplendoris, ubi juſti fulgent ſicut ſplendor firmamenti: locus lætitiæ, ubi lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: locus abundantiæ, ubi nihil deeſt videntibus eum: locus ſuavitatis, ubi apparet Dominus ſuavis univerſis: locus pacis, ubi in pace factus eſt locus ejus: locus admirationis, ubi ſunt mirabilia opera ejus: locus ſatietatis, ubi ſatiabimur cum apparuerit gloria ejus: locus viſionis, ubi videbitur magna viſio. O regio ſublimis, plena divitiarum! de valle lacrymarum ſuſpiramus ad te, ubi ſapientia ſine ignorantia, memoria ſine oblivione, intellectus ſine errore, ratio ſine obſcuritate ſplendebit. Regio in qua Dominus tranſiens miniſtrabit electis ſuis, id eſt talem ſe qualis eſt oſtendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum univerſitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur ſpiritualis anima oculis deſideriorum per regionem iſtam, & vide Regem gloriæ in decore ſuo glorioſum, ſtipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem ſuperbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Cum ergo mente perceperis tam pretioſas nundinas, mercimonia tam præclara; conſtrue ſarcinam tuam, amorem Dei. Vidiſti regiones, animadvertiſti nundinas, ſarcinam conſtruxiſti, & beatus es. Negotiare ergo dum veniat Dominus Deus tuus, ut ei dicere poſſis: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*; & audire merearis: *Intra in gaudium Domini tui*, ſponſi Eccleſiæ, qui eſt benedictus in ſæcula, amen.

5. Regio paradiſus cæleſtis.

Iſa. 6. 3.

Ejus felicitas & amœnitas.

Pſal. 83. 5.

Amor Dei hinc comparandus.

Matth. 25. 20.

SERMO XLIII.*

De magnanimitate, longanimitate, unanimitate.

* Hic ſermo in præcedentibus editis erat 3. in feſto Aſcenſionis.

1. Triplicem nobis in Eccleſia primitiva virtutem ſanctus Lucas brevi ſermone commendat, ubi poſt dominicam aſcenſionem unanimiter eos in oratione perſeveraſſe deſcribit, exſpectantes cæleſtem conſolationem, cujus acceperant repromiſſionem. Laudabili ſiquidem magnanimitate puſillus grex, Paſtoris ſolatio deſtitutus, minime tamen dubitans quoniam illi cura eſſet de eis, ſed paternam pro eis gereret ſollicitudinem; devotis pulſabat ſupplicationibus cælum, certus quod penetrarent illud juſtorum orationes, nec pauperum preces ſpernerentur à Domino, aut ſine copioſa benedictione redirent. Sed nec ſine longanimitate perſiſtebant indeficientes, juxta illud propheticum: *Si moram fecerit, exſpecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Porro unanimitas quidem legitur evidenter expreſſa, quod hæc ſola divini ſpiritus chariſmata mereatur. Neque enim eſt Deus diſ-

Act. 1. 14.

Abac. 2. 3.

1. Cor. 14. 33.

Tom. III. Pſal. 67. 7. ſenſionis, ſed pacis; neque habitare facit niſi unius A moris in domo.

2. Jure igitur præparationem cordis eorum audivit auris divina: nec ab exſpectatione ſua confudit eos, qui & magnanimes, & longanimes, & unanimes eſſent. Certiſſima namque hæc teſtimonia ſunt fidei, ſpei, caritatis. Et quidem evidenter ſpes longanimitatem, unanimitatem caritas operatur. Numquid fides quoque magnanimum facit? Et ſola. Quicquid enim ſine fide præſumitur, non eſt illa animi ſolida magnitudo, ſed ventoſa quædam inflatio, & tumor inanis. Vis audire magnanimum virum? *Omnia*, inquit, *poſſum in eo qui me confortat*. (Philip. 4. 13) Imitemur triplicem hanc præparationem, Fratres, ſi deſideramus ſupereffluentem menſuram Spiritus obtinere. Omnibus enim præter Chriſtum ad B menſuram datur Spiritus; ſed menſuræ cumulus ſupereffluentis videtur quodam modo exceſſiſſe menſuram. Evidens fuit magnanimitas in converſione noſtra: ſit etiam in conſummatione longanimitas, ſit unanimitas in converſatione. Hujuſmodi ſiquidem animabus cæleſtis illa Jeruſalem deſiderat inſtaurari, quibus nec fidei magnitudo deſit in ſuſcipiendo onere Chriſti, nec longitudo ſpei in perſiſtendo; nec caritatis junctura, quod eſt vinculum perfectionis.

SERMO XLIV.*

** Hic ſermo in mſſ. eſt ſermo in Reſurrectione.*

De his in quibus myſteria Chriſti necdum videntur impleta.

1. OMnia quæ de Salvatore legimus, medicamina ſunt animarum noſtrarum. Videamus ergo ne quando forte dicatur de nobis: *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata*. (Jer. 51. 9.) Cogitet unuſquiſque, quantum operentur in eo tam ſalutaria medicamenta. Sunt enim quibus nondum natus eſt Chriſtus, ſunt quibus nondum eſt paſſus, ſunt quibus non reſurrexit uſque adhuc. Aliis quoque nondum aſcendit; aliis nondum miſit Spiritum-ſanctum. Quomodo enim operatur ejus humilitas, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*? (Philipp. 2. 6. Chriſtus quibus nondum natus.) quomodo, inquam, Dei humilitas in ſuperbo homine operatur? Quæ illius humilitatis veſtigia in his, qui adhuc toto deſiderio terrenis divitiis & ho- D noribus inhiant? An non modo exhilaratur conſcientia veſtra, Fratres mei, quod dicere poteſtis, *Parvulus natus eſt nobis*? (Iſa. 9. 6. Quibus nondum paſſus.) Sunt quibus nondum eſt paſſus Chriſtus: qui labores fugiunt, & mortem metuunt uſque adhuc, quaſi vero ille & labores ſuſtinendo, & mortem moriendo non vicerit.

4. Sunt quibus nondum ſurrexit, qui in laborum anxietate & afflictione pœnitentiæ morte afficiuntur tota die, nondum ſpirituali conſolatione recepta. Sed niſi breviati fuiſſent dies illi, quis poſſet ſuſtinere? (Quibus nondum ſurrexit, quibus nondum aſcendit.) Aliis ſurrexit Chriſtus, ſed nondum aſcendit: immo cum eis adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his E ſcilicet qui in devotione ſunt tota die, flent in orationibus, ſuſpirant in meditationibus ſuis, & omnia feſtiva & jucunda ſunt eis, & per omnes dies illos continuum Alleluia cantatur. Sed oportet lac eis ſubtrahi, ut diſcant veſci ſolido cibo; & expedit eis, ut Chriſtus vadat, & hæc temporalis devotio ſubtrahatur. Sed quando hoc capere poterunt? (Quibus nondum Spiritus ſanctus miſſus.) Deſertos ſeſe à Domino, privatos gratia conqueruntur. Sed exſpectent paululum, ſedeant in civitate, donec induantur ſolidiori quadam virtute ex alto, & majora percipiant chariſmata Spiritus-ſancti; ſicut Apoſtoli promoti ſunt in gradum altiorem, & ſupereminentiorem viam caritatis ingreſſi, non jam ſolliciti quomodo flerent pau- F lulum, ſed quomodo magna quadam victoria de communi adverſario triumpharent, & conculcarent ſatanam ſub pedibus ſuis.

Sequuntur Sermones, vulgo PARVI *nuncupati, quos Horſtius Sermonibus de* Diverſis *accenſuit, nonnullis inter Sententias rejectis. Hos fortaſſe Bernardi* Flores verborum *a Petro-Cellenſi petebat Johannes Sareſberienſis epiſtolis* XCVI. *&* XCVII.

SERMO XLV.*

** al. 1 ex Parvis.*

De varia Trinitate, Dei ſcilicet & Hominis.

1. BEata illa & ſempiterna * Trinitas, Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, unus Deus ſcilicet, ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma benignitas, creavit quamdam trinitatem ad imaginem & ſimilitudi- B nem ſuam, animam videlicet rationalem: quæ in eo præfert veſtigium quoddam illius ſummæ Trinitatis, quod ex memoria, ratione, & voluntate conſiſtat. (In anima rationali eſt quoddam veſtigium ſummæ Trinitatis.) Creavit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus eſſet beata: averſa ab illo, quocumque ſe conferret, remaneret miſera. Sed hæc trinitas creata elegit potius per motum propriæ voluntatis cadere, quam ex gratia * conditoris per liberum arbitrium ſtare. (* al. creatoris.) Cecidit ergo per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, ab illa ſumma & pulcra trinitate, ſcilicet potentia, ſapientia, puritate, in quamdam contrariam & fœdam trinitatem, ſcilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. (Trinitas ſceleratæ ? animæ in miſerationem miſe ? commutata ?) Memoria enim facta C eſt impotens & infirma, ratio imprudens & tenebroſa, voluntas impura. Porro memoria, quæ ſimplicis divinitatis potentiam ſtans cogitabat, ab illa cadens & velut ſupra ſaxa corruens, in tres partes confracta diſſiluit, ſcilicet in cogitationes affectuoſas, oneroſas, otioſas. (Memoriæ caſus triplex.) Affectuoſas voco illas, in quibus ipſa afficitur, ut in curis rerum neceſſariarum, edendi, bibendi, ceterarumque * ſimilium: oneroſas, ut in exterioribus adminiſtrationibus & occupationibus duris: (* al. innumerabilium.) otioſas, quibus nec afficitur nec oneratur, & tamen ab æternorum contemplatione per illa diſtenditur: ut ſi cogitet, verbi gratia, equum currentem, aut avem volantem.

2. Rationis quoque triplex caſus eſt. (Rationis quoque triplex caſus.) Siquidem ejus D erat diſcernere inter bonum & malum, verum & falſum, commodum & incommodum; in quibus diſcernendis tanta modo caligine cæcatur, ut ſæpe in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falſum pro vero, noxium pro commodo, & è converſo. Numquam vero in his falleretur, ſi numquam lumine, à quo creata eſt, privaretur. Sed quia & ipſa inde cecidit, proculdubio nihil aliud quàm tenebras ſuæ cæcitatis invenit. Unde factum eſt, ut & inſtrumentum perderet, quo illa adminiſtraret, ſcilicet illud trivium Sapientiæ, Ethicam, Logicam, Phyſicam: (Trivium ſapientiæ.) quas nos poſſumus aliis vocare nominibus, Moralem, Inſpectivam, & Naturalem ſcientiam. Siqui- E dem per Ethicam eligitur bonum, reprobatur malum: per Logicam cognoſcitur verum & falſum: per Phyſicam commodum & incommodum, id eſt, quid in uſum aſſumendum ſit, quid reſpuendum.

3. Sequitur voluntas, cujus ruina ſimiliter tripertita eſt. (Voluntatis eidem ruina triplex.) Quæ enim ſummæ benignitati & puritati inhærere, & eam ſolam diligere debuit; per propriam iniquitatem à ſupernis in hæc infima lapſa, per concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ambitionem ſæculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius caſu poteſt æſtimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ ſubſtantia peri- F mitur?

4. Verumtamen hunc tam gravem, tam tenebroſum, tam ſordidum lapſum noſtræ naturæ reparavit illa beata Trinitas, memor miſericordiæ ſuæ, immemor culpæ noſtræ. (Naturæ nostræ triplicem lapſum reparavit ſumma Trinitas.) Venit ergo à Patre miſſus Dei Filius, & dedit fidem: poſt Filium miſſus eſt Spiritus-ſanctus, & dedit docuitque caritatem. Itaque per hæc duo, id eſt fidem & caritatem, facta eſt ſpes redeundi ad

* Hic ſermo magna ex parte refertur in lib. 8. Florum cap. 1. & cap. 25. ubi de caritate, quæ infra num. 5.

Patrem

Idque per fidem, ſpem, caritatem

Patrem. Et hæc eſt trinitas, ſcilicet Fides, Spes, Caritas; per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amiſſam beatitudinem illa incommutabilis & beata Trinitas mutabilem, lapſam, & miſeram trinitatem. Et Fides quidem illuminavit rationem; Spes erexit memoriam; Caritas vero purgavit voluntatem. Cum ergo venit (ut dictum eſt) Deus Filius & factus eſt homo, qui erat Deus; tamquam medicus bonus dedit præcepta, quibus obſervatis reformaretur ſalus amiſſa. Ut vero præceptis faceret fidem, exhibuit ſigna: ut eorumdem præceptorum perſuaderet utilitatem, promiſit beatitudinem.

Fides triplex, præceptorum, ſignorum, & promiſſorum. Credere in Deum, Deũ, & Deo.

5. Eſt igitur Fides alia præceptorum, alia ſignorum; B alia promiſſorum: id eſt qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum eſt in eum ſperare & eum diligere. Per fidem ſignorum credimus Deum, qui talia poteſt, & omnia poteſt. Per fidem promiſſorum credimus Deo, qui quicquid promittit, veraciter complet.

Spes triplex, veniæ, gratiæ, gloriæ.

Similiter quoque Spes triplex eſt, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur ſpes veniæ: de fide ſignorum, ſpes gratiæ: de fide promiſſorum, ſpes gloriæ.

Caritas quoque triplex; de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.

Caritas itidem ternario numero colligitur, *de corde puro, & de conſcientia bona, & fide non ficta.* Puritatem debemus proximo, conſcientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem eſt, ut quicquid agitur, C aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei.

1. Tim. 1. 5.

Maxime autem exhibenda eſt proximo, quia Deo manifeſti ſumus: proximo autem non poſſumus, niſi in quantum illi cor noſtrum aperimus.

Conſcientiam bonam duo faciunt

Conſcientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia & continentia: quando ſcilicet per pœnitentiam peccata commiſſa punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus: & hanc debemus nobis. Poſt hæc ſupereſt fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda eſt, ut nec propter proximum, cui nos impendimus caritatem, offendamus Deum; nec propter conſcientiam, quam per pœnitentiam & continentiam in humilitate cuſtodire volumus, minus exſequamur D mandatorum Dei obedientiam: & hæc eſt fides non ficta.

Fides mortua, & ficta quæ.

Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei, & fictæ. Mortua fides eſt, quæ ſine operibus eſt: Fides ficta, quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit; unde etiam ficta, id eſt fragilis, dicitur.

Anacephalæoſis dictorum Trinitas varia.

6. Hæc omnia brevius poſſumus colligere, ut facilius commendentur memoriæ. Dicamus ergo: Eſt Trinitas creatrix, Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, ex qua cecidit creata trinitas, Memoria, Ratio, & Voluntas. Eſt eſt trinitas per quam cecidit, videlicet per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum. Et eſt trinitas in quam cecidit, videlicet impotentia, cæcitas, immunditia. Rurſus trinitas quæ cecidit, id eſt Memoria, E Ratio, Voluntas. Singulæ cujuſque tripertitus exſtitit caſus. Memoria cecidit in tres ſpecies cogitationum; affectuoſas, oneroſas, otioſas. Ratio in triplicem ignorantiam; boni & mali, veri & falſi, commodi & incommodi. Voluntas in concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ambitionem ſæculi. Eſt trinitas per quam reſurgit, ſcilicet Fides, Spes, Caritas. Quæ trimembres habent ſubdiviſiones. Eſt enim Fides præceptorum, ſignorum, promiſſorum: eſt & Spes veniæ, gratiæ, gloriæ: & eſt Caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

SERMO XLVI[a].

a al. 2. ex parvis.

De Virginitatis & Humilitatis connexione.

Luc. 1. 28.

A*Ve Maria gratia plena.* Non in ſola virginitate conſtare poterat gratiæ plenitudo: neque enim omnibus eſt de ea accipere. Felices qui non in-A quinaverunt veſtimenta ſua, & cum Regina noſtra virginitatis privilegio gloriantur. Sed num unam tantum benedictionem habes, ô Domina? Et mihi obſecro ut benedicas. Periit virtus illa à me [b], non eſt jam vel adſpirare ad illam. Computrui in ſtercore meo, & ut jumentum factus ſum: ſed numquid non erit mihi etiam aliquid apud te? non erit ubi poſſim eſſe tecum, quia jam ſequi non valeo quocumque ieris? Quærit Angelus puellam, quam præparavit Dominus filio domini ſui. Bibit ipſe de hydria tua, cognata ſibi virtute delectatus: ſed numquid non & jumentis potum tribues? Bibit Angelus, quod virum non cognoſcis: bibant & jumenta, quod de humilitate ſingulariter glorĭaris. *Reſpexit*, inquit, *Dominus humilitatem ancillæ ſuæ.* Nam virginitas ſine humilitate habet fortaſſe gloriam, ſed non apud Deum. Humilia ſemper Excelſius reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Humilibus dat gratiam, ſuperbis reſiſtit. Sed forte ne in his quidem duabus metretis plena eſt hydria tua: capax eſt etiam tertiæ, ut non modo Angelus & jumenta, ſed ipſe jam bibat architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod ſervavimus uſque adhuc, miniſter Angelus haurit, ſed ut ferat architriclino. Patrem loquor, qui principium Trinitatis, architriclinus jure vocatur. Ait ſane Angelus, fœcunditatem Mariæ commendans, quæ tertia eſt metreta: *Quod ex te naſcetur* C *Sanctum, vocabitur Filius Dei*; ac ſi dicat: Cum eo ſolo tibi eſt generatio iſta communis.

Tom. III.

Luc. 1. 48.

Pſal. 137. 5.

Jacob. 4. 6.

Luc. 1. 35.

SERMO XLVII[b].

b al. 3 ex parvis.

De quadruplici ſuperbia.

A*Ve Maria gratia plena.* Bene plena; quia Deo, & Angelis, & hominibus grata. Hominibus per fœcunditatem, Angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. In hoc tertio à Domino ſe reſpectam teſtatur, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Sicut enim oculi ſatanæ omne ſublime vident, ita oculi Domini omnem humilem intuentur. Unde ait in D Cantico canticorum: *Revertere, revertere Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.* Quater dicit, *revertere*, propter quadruplicem ſuperbiam, per quam averſa à Domino non videbatur. Eſt enim ſuperbia [b] cordis, ſuperbia oris, ſuperbia operis, ſuperbia habitus. Superbia cordis eſt, quando homo in oculis ſuis magnus eſt. Contra quam Sapiens orat, dicens: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Et alibi: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris.* Superbia oris vel linguæ, quæ & jactantia dicitur, eſt quando homo non ſolum magna de ſe ſentit, ſed etiam loquitur. Unde Pſalmiſta: *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Superbia operis eſt, quando homo exteriori quadam ſuperbia, ut magnus E appareat, agit. De qua idem Pſalmiſta ait: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Superbia habitus eſt, quando homo, ut glorioſus videatur, pretioſis ſe ornat veſtibus. Unde Paulus: *Non in veſte pretioſa.* Et Dominus: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt*, ubi ſuperbia abundat. Sunt autem quinque, quæ ad remedium tam mortiferæ peſtis à Domino rationali animæ ſunt poſita, locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Chriſti, & ejus converſatio. Locus, quia exſilium: corpus, quia oneroſum: tentatio, quia inquietat: Chriſti prædicatio, quia ædificat: & ejus converſatio, quia informat. His quaſi quinque ſenſibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim F anima vita eſt corporis, ita Deus vita eſt animæ: & ſicut corpus mortuum eſt, quod per quinque ſenſus ab anima non vegetatur: ita anima mortua eſt, quæ per hæc à Domino non humiliatur.

Pſal. 137. 6.

Cant. 6. 12.

Superbia quadruplex, cordis, oris, operis, & habitus.

b

Eccli 23. 5.

Iſa. 5. 21.

Pſal. 11. 4.

Pſal. 100. 7.

1. Tim. 2. 9.

Matt. 11. 8.

Remedium quintuplex adverſus ſuperbiam.

a Bellarminus ex his verbis dubitat, an iſte ſermo auctorem habeat Bernardum, in quo ſemper illibata viguit carnis integritas. Sed quid vetat id dictum modeſtiæ cauſa, habito reſpectu ad humanos lapſus; aut etiam in perſona auditorum? ut Horſtius in aliis Notis. Certe hic ſermo habetur in editis antiquis.

b Hoc fragmentum refert Floriſlegus lib. 9. cap. 29.

Tom. III.

SERMO XLVIII*.

* al. 4. ex Parvis.

De paupertate voluntaria.

Luc. 10. 38.

INtravit Jeſus in quoddam caſtellum, & mulier quadam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Caſtellum ubi Chriſtus intravit, voluntaria eſt paupertas, quæ habitatores ſuos à gemina impugnatione, qua hujus mundi amatores expugnantur, reddit ſecuros, ſcilicet propria invidia, & aliena. PAUPERTAS enim, dum putatur miſera, aliena caret invidia: & quia eſt voluntaria, nemini quicquam invidet. Duæ iſtæ ſorores duas vitas amatorum paupertatis ſignificant. Quidam cum Martha ſolliciti Domino Jeſu duo pulmentaria præparant, ſcilicet correctionem operis cum ſalſamento contritionis, & opus pietatis cum condimento devotionis. Hi vero qui cum Maria ſoli Deo vacant, conſiderantes quid ſit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, qoid in ſeipſo, qoid in reprobis; cootemplantur quia Deus eſt mundi rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, Angelorum ſapor & decor, io ſeipſo principium & finis, reproborum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis deſiderabilis, in ſeipſo incomprehenſibilis, in reprobis intolerabilis.

Paupertas vacat invidia, propria, & aliena.

Contemplationis objectum.

SERMO XLIX*.

* al. 5. ex Parvis.

De triplici Verbo.

Pſal. 17. 2.

DIes diei eructat verbum. Dies diei, Angelus Virgini. Dies Angelus propter beatitudinem; Virgo dies propter integritatis virtutem. *Et nox nocti indicat ſcientiam.* Serpens nox propter malitiam: mulier nox propter ignorantiam. *Dies diei eructat verbum.* Deitas virginitati, de utero paternæ majeſtatis, in utero maternæ integritatis. Aliter: *Dies diei eructat verbum;* Deus Pater animæ rationali per fidem illominatæ. *Et nox nocti indicat ſcientiam;* creatura rationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ. Unde Apoſtolus:
D *Invisibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur à creatura mundi.* Unde nos dicimus verbum indicatum, verbum inſpiratum [a], verbum eructatum. Primum fecit cognitionem, ſecundum converſionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, ſecundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit: *quia cum cognovissent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Secundum non profuit: quia non data eſt lex, quæ poſſet vivificare. Tertium vivificavit: qoia per crucem redemit. Primum totum deforis, ſecundum foris & intus, tertium totum intus. Et nota, quia quod eructatur, de plenitudine
E eructantis cum quodam ipſius ſubſtantiæ ſapore profertur. Et idcirco Sapientia incarnata dicitur habens in ſe omnem plenitudinem, in miraculis cognitionem, in doctrina converſionem, in paſſione vivificationem. Unde ait Propheta: *Venite & revertamur ad Dominum: quia ipſe cepit, & ſanabit nos; percutiet, & curabit nos. Vivificabit nos poſt duos dies,* ſcilicet cognitionis & converſionis: *in die tertia ſuſcitabit nos,* voce Verbi incarnati per primam ſuam reſurrectionem: *& vivemus in conſpectu ejus,* vivificati per paſſionem, ſerenius illuminati per miraculorum cognitionem: *ſequemurque ut cognoſcamus Dominum,* inſtructi per doctrinæ converſionem.

Rom. 1. 20.

Verbum triplex.

Ibidem 21.

Joh. 1. 16.

Oſee 6. 1.

SERMO L*.

* al. 6. ex Parvis.

De affectionibus recte ordinandis.

Cant. 3. 11.

1. EGredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem. Non dicit Eccleſiaſten, aut Ididam *. Nam & his nominibus appellatus eſt rex ille: & ſignificat Je-
A ſum-Chriſtum noſtrum verum Salomonem, qui eſt Salomon, id eſt pacificus, in exſilio: Eccleſiaſtes, id eſt concionator, in judicio: Idida, id eſt, dilectus Domini, in regno; ubique Rex. In exſilio rector morum, in judicio diſcretor meritorum, in regno diſtributor præmiorum [b]. In exſilio manſuetus, in judicio juſtus, in regno glorioſus. In exſilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis. *In diademate quo coronavit eum mater ſua.* Eſt autem hæc corona miſericordiæ, & in hac imitabilis. Coronavit eum & oovercaſua corona miſeriæ, & in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quæ ſe ei non matrem exhibuit, ſed novercam. Coronabit eum familia ſua corona juſti-
B tiæ, & in hac terribilis: coronat eum Pater ſuus corona gloriæ, & in hac deſiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miſeriæ, id eſt ſpinea, & compungantur: videant eum filiæ Sion, animæ affectuoſæ, in corona miſericordiæ, & imitentur: videbunt eum impii in corona juſtitiæ, & peribunt: videbunt eum ſancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt.

* Idida vocatus Salomon Hebr. Iedidiah. * Notas

Chriſtus ubique Rex

2. *Egredimini filiæ Sion,* animæ delicatæ, de ſenſu carnis ad intellectum mentis; de ſervitute carnalis concupiſcentiæ ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ, *& videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua.* Coronantur quidem & alii imitatores ipſius, ſed
C hoc ex induſtria adjuti per gratiam. Solus iſte à matre coronatus eſt, quia ſolus cum ordinatis affectionibus tamqoam ſponſus è thalamo proceſſit ex utero matris. Sunt autem affectiones iſtæ quatuor [c] notiſſimæ, amor & lætitia, timor & triſtitia. Abſque his non ſubſiſtit humana anima: ſed quibuſdam ſunt in coronam, quibuſdam in confuſionem. Purgatæ enim & ordinatæ glorioſam in virtutum corona reddunt animam: inordinatæ per confuſionem dejectam & ignomitioſam. Purgantur autem ſic. Si amantur quæ amanda ſunt, ſi magis amantur quæ magis amanda ſunt, ſi oon amantur quæ amanda non ſunt, amor purgatus erit. Sic & de ceteris. Ordinantur autem ſic. In initio timor, deinde lætitia,
D poſt triſtitia, in conſummatione amor. Compoſitio quarum talis eſt. De rimore & lætitia naſcitur prudentia, & eſt timor cauſa prudentiæ, lætitia fructus. De lætitia & triſtitia naſcitur temperantia, cujus eſt triſtitia cauſa, lætitia fructus. De triſtitia & amore naſcitur fortitudo, & eſt triſtitia cauſa fortitudinis, amor fructus. Clauditur circulus coronæ. De amore & timore naſcitur juſtitia, & eſt timor cauſa juſtitiæ, amor fructus.

Quomodo purganda.

Quomodo ordinanda.

3. Conſidera ergo quomodo iſtæ affectiones ordinatæ virtutes ſunt; inordinatæ, perturbationes. Si timorem ſequatur triſtitia, deſperationem generat: ſi amorem lætitia, diſſolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, quia timor futura cavet, lætitia de præſenti gau-
E det, prudentis cautelæ finem lætitia poſſidet. Probet ergo lætitia timorem. Probatus timor nihil aliud quàm prudentia eſt. Comitetur lætitiam triſtitia, quia moderate læta amplectitur, qui triſtia reminiſcitur. Temperet ergo lætitiam triſtitia. Temperata lætitia nihil aliud quam temperantia eſt. Jungatur amor triſtitiæ, quia fortiter ſuſtinet triſtitia, qui per amorem quæ ſunt amanda deſiderat. Confortet ergo amor triſtitiam. Confortata vero triſtitia nihil aliud quam fortitudo eſt. Jungatur amor timori: quia ordinate amandis inhæret, qui timenda non negligit. Ordinet ergo amor timorem. Ordinatus timor nihil aliud quàm juſtitia eſt. Duæ affectiones, lætitia & triſtitia, non ſe ex-
F tendunt ad alia: in nobis enim lætamur, & in nobis triſtamur. Amor & timor ad alia ſe extendunt. Timor enim affectio eſt naturalis, quæ nos conjungit ſuperiori per inferiorem partem; & habet ſe ad ſolum Deum. Amor affectio eſt, quæ nos conjungit ſuperiori, & inferiori, & æquali; & habet ſe ad Deum & proximum. In his autem duobus perfecta conſiſtit juſtitia, ut timeamus Deum propter potentiam, amo-

Ordinatæ virtutes, inordinatæ ſunt perturbationes.

Ordinate amandis inhæret, qui timenda non negligit.

Perfecta juſtitia quæ.

a Florum collector hunc locum exhibet lib. 8. cap. 2.
b Hactenus fere ex ſermone 2. in Epiphania num. 2.

c De his affectionibus confer notata ad ſermonem 2. in capite jejunii num. 3. Citatur locus iſte in Florum lib. 9. cap. 2.

mus propter bonitatem, & proximum propter naturæ ſocietatem.

** al. 7. & 1. ex Parvis.*

SERMO LI*.

De Mariæ Purificatione, & Chriſti Circumciſione.

Chriſti circumciſio & Mariæ purificatio quid nos doceant.

QUid eſt quod dicimus beatam Mariam purificari? Quid vero quod ipſum Jeſum dicimus circumcidi? Enimvero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumciſione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per ipſam continentiam circumcidamur, deinde à commiſſis per pœnitentiam purificemur. Quid eſt autem quod Maria portat Jeſum in utero, Joſeph in humero, in Ægyptum ſcilicet iens & inde rediens; Simeon portat in brachiis? Significant iſti tres electorum ordines; Maria prædicatores, Joſeph pœnitentes, Simeon bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quaſi Jeſum in utero portat, ut eum aliis, vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* (*Gal. 4. 19.*) Qui vero pro Chriſto laboribus fatigantur, qui perſecutiones patiuotur, qui oulli mala inferunt, ſed ab aliis illata patienter ferunt, merito iſti portare eum in humeris dicuntur: quibus & ab ipſa Veritate dicitor: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c.* (*Luc. 9. 23.*) Si quis autem eſt qui porrigat panem eſurienti, potum ſitienti, ceteraque miſericordiæ opera ſollicite impendat egenti, nonne iſte recte videtur eum portare in brachiis? Hujuſmodi enim dicturus eſt in judicio Dominus: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis.* (*Matt. 25. 40.*)

** al. 5. ex Parvis.*

SERMO LII*.

De domo divinæ Sapientiæ, id eſt Virgine Maria.

1. SApientia ædificavit ſibi domum, &c. (*Prov. 9. 1.*) Cum multis modis ſapientia intelligatur, quærendum eſt quæ ſapientia ædificavit ſibi domum. Dicitur enim ſapientia carnis, quæ inimica eſt Deo (*Rom. 8. 7.*): & ſapientia hujus mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum (*1. Cor. 3. 19.*). Utraque iſta ſecundum Jacobum apoſtolum terrena *eſt, animalis, diabolica.* (*Jacob. 3. 15.*) Secundum hanc ſapientiam dicuntur ſapientes, ut faciant mala, bene autem facere neſciunt: & in ipſa ſua ſapientia arguontur & perduntur, ſicut ſcriptum eſt: *Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum, & perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* (*1 Cor. 1. 19.*) Et utique talibus ſapientibus videtur mihi digne & competenter dictum Salomonis aptari, quo ait: *Eſt malitia quam vidi ſub ſole, virum qui videtur apud ſe ſapiens eſſe.* Nulla talis ſapientia, ſive carnis, ſive mundi, ædificat, immo deſtruit quamcumque domum inhabitat. Eſt ergo alia ſapientia quæ deſurſum eſt; primum quidem pudica, deinde pacifica. Hic eſt Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, de quo Apoſtolus: *Qui factus eſt*, inquit, *nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* (*1. Cor. 1. 30.*)

B. Virgo domus divinæ Sapientiæ.

2. Hæc itaque Sapientia quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu Patris ad nos veniens, ædificavit ſibi domum, ipſam ſcilicet matrem ſuam virginem Mariam: io qua ſeptem columnas excidit. Quid eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignum ſibi habitaculum fide & operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter ſanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes.

Ejus tres columnæ, fides SS. Trinit.

Quod autem in beata Maria ſancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præſentiam majeſtatis) ubi ſolus Filius erat per ſuſceptionem humanitatis: teſtatur Nuntius cæleſtis, qui ei arcana myſteria referans, ait: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* (*Luc. 1. 28.*) & poſt pauca: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ecce habes Dominum, habes virtutem Altiſſimi, habes Spiritum-ſanctum: habes Patrem & Filium & Spiritum-ſanctum. Neque enim poteſt eſſe, aut Pater ſine Filio, aut ſine Patre Filius, aut ſine utroque procedens ab utroque Spiritus-ſanctus, ipſo Filio dicente: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* (*Johan. 14. 10.*) & iterum: *Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Manifeſtum eſt fuiſſe in corde Virginis fidem ſanctæ Trinitatis.

Aliæ columnæ hujus domus quatuor virtutes cardinales.

3. Utrum autem & quatuor principales virtutes tamquam quatuor columnas poſſederit, inquiſitione dignum videtur. Primum ergo videamus an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abeſſe potuit, quæ abjectis ſæcularibus pompis, ſpretiſque voluptatibus carnis, ſoli Deo in virginitate vivere propoſuit? Niſi fallor, hæc Virgo eſt quæ apud Salomonem legitur: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* (*Prov. 31. 10.*) Quæ adeo fortis fuit, ut illius ſerpentis caput contereret, cui à Domino dictum eſt: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* (*Gen. 3. 15.*) Porro quod temperans, prudens & juſta fuerit, ex Angeli collocutione, & ſua ipſius reſponſiooe luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo, *Ave gratia plena, Dominus tecum:* noo ſe extulit, quaſi quæ ex ſingulari gratiæ privilegio benediceretur, ſed ſiluit: & qualis eſſet inſolita hæc ſalutatio, ſecum cogitavit. Qua io re quid niſi temperans fuit? At vero cum de cæleſtibus myſteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæſivit quomodo conciperet ac pareret, quæ virum otique non cognoſceret: & in hoc ſine dubio prudens extitit. Juſtitiæ autem præfert inſigne, ubi ſe ancillam Domini confitetur. Nam quod juſtorum ſit confeſſio, teſtatur qui ait: *Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.* (*Pſal 139. 14.*) Et alibi juſtis dicitur: *Et dicetis in confeſſione, opera Domini univerſa bona valde.* (*Eccli. 39. 21.*)

4. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, juſta in confeſſione. His itaque quatuor morum columnis, & tribos fidei prædictis extruxit in ea ſibi domum Sapientia cæleſtis; quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur & caro, ac virgo ſingulari gratia eamdem ipſam Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat. Nos quoque ſi ejuſdem Sapientiæ fieri domus volumus, neceſſe eſt ut eiſdem ſeptem columnis extruamur, id eſt ut fide & moribus ei præparemur. Et in moribus quidem ſolam puto ſufficere juſtitiam, ceteris tamen virtutibus circumfultam. Itaque ne errore fallatur ignorantiæ, ſit ei prævia prudentia: ſint hinc inde temperantia atque fortitudo, ne forte labatur, vel in dexteram, vel in ſiniſtram partem declinando.

** al. 10. ex Parvis.*

SERMO LIII*.

De nominibus Salvatoris.

1. ET *vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* (*Iſa. 9. 6.*) *Admirabilis* eſt in nativitate; *Conſiliarius* in prædicatione; *Deus* in operatione; *Fortis* io paſſione; *Pater futuri ſæculi* in reſurrectione, *Princeps pacis* in perpetua beatitudine. Hæc etiam nomina poſſint ei congrue aſſignari in opere noſtræ ſalutis. Nam primo dicitur *Admirabilis* in converſione noſtræ voluntatis, quæ mutatio eſt ſolius dexteræ Excelſi. Poſtmodum dicitur *Conſiliarius* in revelatione ſuæ voluntatis, quando revelat qoid ſequendum ſit jam converſis. Unde Paulus converſus dicebat: *Domine quid me vis facere?* (*Act. 9. 6.*) Converſi autem neceſſe eſt compungantur pro præteritis delictis, in quorum remiſſione dicitur *Deus*, cujus tantum eſt; peccata remittere. Hinc eſt quod Salvatore noſtro in terra remittente peccata, Judæi dicunt eum blaſphemare, quaſi qui aſſumeret ſibi quod erat ſolius Dei. (*Matt. 9. 3.*) Quarto dicitur *Fortis*: juxta ſententiam enim Apoſtoli neceſſe eſt, ut *omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiantur.* (*2. Tim. 3. 12.*)

Tom. III.

2. Sed quis ſuſtineret, niſi ille juvaret? Unde David: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.* Cum ergo nos in tribulatione protegit, cum ipſas aerias poteſtates arcet à nobis ac repellit, quid aliud in hoc opere dici poteſt, niſi fortis? Unde dictum eſt: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et quoniam ipſa converſio, & vita noſtra in Chriſto agenda eſt, non intuitu temporalium rerum, ſed ſpe futurorum bonorum: ideo quinto loco ponitur, *Pater futuri ſæculi.* Pater ſcilicet in regeneratione corporum noſtrorum. Quia vero *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*: ut diſcernat immortationem juſtorum ab iniquorum reſurrectione, ponitur ſexto loco *Princeps pacis.* Qua obtenta, tota perfectio impletur, nec jam ultra aliud quicquam appetendum relinquitur. Ipſa eſt enim, in cujus exſultatione concinit Pſalmiſta, dicens: *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem.* Horum ſex nominum conſequentiam & virtutem breviter atque eleganter comprehendit uno nomine Angelus loquens ad Joſeph: *Et vocabis,* inquit, *nomen ejus Jeſum.* Cujus videlicet nominis exponens rationem: *Ipſe enim,* ait, *ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.*

Pſal. 93. 17. — Pſal. 23. 8. — 1. Cor. 15. 51. — Pſal. 147. 1. — Matth. 1. 21. — Ibidem.

SERMO LIV[*].

** al. 31. ex Parvis*

De Apparitione Chriſti.

Chriſtus venit ut adjuvaret nos & erudiret.

FIlius Dei apparuit, ut nos adjuvaret & erudiret: quod poteſt, quia eſt Virtus Patris, & Sapientia. Virtus adjuvat, Sapientia erudit & informat. Infirmitati auxilium eſt neceſſarium: cæcitas eruditione indiget & doctrina. Erudivit ſane, faciens abnegare impietatem & ſæcularia deſideria, ut ſobrie, & juſte, & pie vivamus. Impietas erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Deum enim ſicut pium eſt colere, ſic impium eſt abnegare. Sæcularia deſideria ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ: quæ trahunt & inclinant ad amorem ſæculi. Iſtis abnegatis vivit homo ſobrie, refrenans concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, ſuperbiam vitæ. Poſtquam vero incipit eſſe ſobrius, contra duplicem ebrietatem duplicem ponit ſobrietatem. Ebrietas exterior voluptatum effuſio, interior curioſitatum occupatio. E contra ſobrietas exterior voluptatum refrenatio, interior curioſitatum excluſio. Ita vivit homo ſobrie quantum ad ſeipſum, juſte quantum ad proximum, cui exhibet quod juſtum eſt. Juſtitia eſt in duobus, in innocentia & in beneficentia. Innocentia juſtitiam inchoat, beneficentia conſummat. Pie quantum ad Deum. Pietas eſt in duobus, ut de nobis non præſumamus, ſed in Deo perfecte confidamus; ut per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non eſt diffidendum, ſed ſecure & fiducialiter eſt agendum. Ipſe, tamquam pius & laudabilis medicus, prius bibit potionem quam parabat ſuis, id eſt paſſionem & mortem ſuſtinuit: & ſic ſanitatem immortalitatis accepit, & impaſſibilitatis, docens ſuos ut confidenter biberent potionem, quæ generat ſanitatem & vitam: & qui poſt paſſionem vita æterna vivit, ſpem dat nobis ut idem ſperemus ab eo ſecuri.

Tit. 2. 12. — *Impietas quid.* — *Sæcularia deſideria.* — *Sobrietas duplex.* — Flor. lib. 8. cap. 12. — *Juſtitia in duobus; Pietas itidem.*

SERMO LV[*].

** al. 32. ex Parvis.*

De ſex hydriis ſpiritualibus.

Sex hydriæ tropologice.

1. ERant ibi poſitæ lapideæ ſex hydriæ ſecundum purificationem Judæorum. Intelligamus has ſex hydrias ibi poſitas, eſſe ſex obſervantias ſervis Dei propoſitas, in quibus tamquam Judæi purificari debeant. Sunt autem iſtæ, Silentium [a], Pſalmodia, Vigiliæ, Jejunium, Opus manuum, Carnis munditia. In hydria Silentii purificamur à peccatis, quæ verboſitate contrahimus. Cujus vitii ſunt octo ſpecies. Eſt enim verbum ſtultum, vanum, mendax, otioſum, doloſum, maledicum, impudicum, excuſatorium. Quæ nimirum peſtis de loquacitate naſcitur, & per ſilentii cenſuram aut evertitur funditus, aut certe ne multum noceat, reprimitur. In pſalmodia fit duplex confeſſio, ubi & peccator de culpis compungitur, & Deo laudes ſuper judicia juſtitiæ ſuæ dicuntur. In hac ergo hydria Judæus quiſque, qui ſcilicet recte confitetur [*], purificatur ab immundo ſpiritu blaſphemiæ, cui ante converſionem ſubjacebat. Dum enim ſeipſum laudaret, ac Deum accuſaret, quid aliud quàm blaſphemus erat? An non ſunt blaſphemi, qui dicunt: *Non eſt æqua via Domini?* An non inſipiens ille blaſphemus, qui dicit in corde ſuo, *Non eſt Deus?* Jam vero converſus & confeſſus, canticiſque divinis inſtructus, correcta vita corrigit & verba; ſeque ipſum accuſans, mala ſibi computat; Deum autem laudans, bonum quod in ſe videt, non ſibi, ſed illi applicat: & hoc totum agitur in pſalmodia. Per pſalmodiam accipe quicquid Deo agitur cum mentis melodia, ſive ſint pſalmi, ſive hymni, ſive etiam quæcumque cantica.

Johan. 2. 6. — *a Silentium.* — *Loquacitatis octo ſpecies.* — *2 Pſalmodia.* — ** Judæus idem confeſſor.* — Ezech. 18. 25. — Pſal. 13. 1.

2. Tertiam hydriam poſui ſuperius Vigilias. Has ſemper debet comitari orationum inſtantia. Unde & Dominus in Evangelio legitur in oratione pernoctaſſe: & diſcipulos ſuos exhortans, utrumque ſimul conjunxit, dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Tales vigiliæ abluunt nos à ſordibus, quas contraximus per ſomnolentiam reſoluti, dum oblivione quadam à via ſalutis intepuimus ac torpuimus. Quarta hydria eſt Jejunium, de quo quis dubitet an & ipſum purificet? Vera eſt illa ſententia: Contrariis curantur contraria. Si ergo per gulam peccavimus & ingluviem, quid reſtat niſi ut per abſtinentiam reparemur? Nec ſolum hujus vitii fit per jejunium purificatio; inſuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio.*

3 Vigiliæ. — Luc. 6. 12. — Luc. 22. 46. — *4 Jejunium.* — Marc. 9. 28.

3. Sequitur quinta hydria, quæ dicitur Opus manuum: in quo ſi quæratur an ſit aliqua purificatio, facile poteſt inveniri per multa. Nam ut plurima prætercam, hoc ſolum quanti ſit præconii, quantæ gratiæ, quis digne æſtimet, ſuo ſe quemque labore transigere, ac nullius aliquid deſiderare? Ac ne me quiſquam putet hæc magis declamatorie, quàm ex veritate proferre; audiat ipſum doctorem noſtrum in fide & veritate apoſtolum Paulum ſcribentem ad Theſſalonicenſes, hæc ipſa docentem & præcipientem. *Rogamus vos,* inquit, *fratres, ut abundetis magis & operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis; & ut honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.* Audiat eumdem ipſum facientem quæ docebat. *Ipſi enim ſcitis,* inquit, *quemadmodum oporteat vos imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus.* Item audiat docentem quæ faciebat: *Cum eſſemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Vides quàm ſollicite obſervandum præcepit Doctor gentium opus manuum? Cur hoc tantopere curavit, niſi quia, ſicut bonus & diligens paſtor, hoc ovium ſaluti plurimum expedire providit?

5 Opus manuum. — *Commendatur teſtimonio & exemplo Apoſt.* — 1. Theſſ. 4. 10. — 2. Theſſ. 3. 7. — Ibidem 10.

4. Reſtat ultima, Carnis munditia. In hac fit purificatio ab illa quinquepertita corporis illecebra, viſus, auditus, guſtus, odoratus, tactus. Et cetera quidem prædicta, id eſt ſilentium, pſalmodia, vigiliæ, jejunium, opus manuum, exerceri ſine iſta poſſunt: ſed ſi lombi præcincti non ſint, id eſt ſi deſit carnis munditia, lucernæ ardentes quid proderunt? Hinc ergo colligendum eſt, quod ſit neceſſaria hujus hydriæ purificatio, quæ ſola omnibus ſupradictis æquipollentem obtinet vim ſalutis. Et notandum quod in his omnibus obſervantiis quatuor primas debemus nobis,

6 Munditia carnis. — *Ejus neceſſitas.*

a Eadem aſſignantur ſermone 2. poſt octavam Epiphaniæ à num. 7. ſed ordine paululum immutato.

quintam proximo, ſextam Deo. Nam ſilentium, pſalmodiam, vigilias, jejunium debet quiſque exercere propter ſeipſum, hoc eſt propter ſuam diſciplinam: opus manuum propter proximum, ne quem gravet, ſed magis habeat unde tribuat neceſſitatem patienti: carnis munditiam propter Deum, ut illi placeat, & ejus voluntatem faciat. Unde ſcriptum eſt: *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.* Quod autem illæ hydriæ lapideæ dicuntur, ſignificat quod ſine aliqua difficultate obſervari non poſſunt, & quod dura & aſpera eſt via quæ ducit ad vitam. Vel certe lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facile frangantur aut diſſolvantur, & effundatur liquor gratiæ qui in eis continetur. quod utique cito contingere poſſet. ſi vel fictiles eſſent, vel ligneæ, ſeu cujuſlibet alterius fragilis materiæ. Vel etiam lapideæ, id eſt Chriſtianæ, à lapide Chriſto, ut ſcilicet in fide Chriſti fiant.

Ordinatio illarum hydriarum.

1. Theſſ. 4. 3.

SERMO LVI*.

*al. 13 Ex Parvis. Ita profecto ſuperiori.

De hydriis myſticis implendis triplici timore.

Joban. 2. 6.

1. *Capientes ſingula metretas binas vel ternas.* Hic primum ſciendum eſt, quod hujuſmodi hydriæ aliquando ſunt vacuæ, aliquando ſunt plenæ. Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aqua, interdum etiam vino. Vacuæ quippe & inanes ſunt, cum pro inani gloria, vel aliquo temporali emolumento fiunt. Plenæ veneno ſunt, ſi cum murmure & animi rancore gerantur. Aqua plenæ dicuntur, cum ex timore Dei obſervantur: ſiquidem per aquam timor intelligitur. Unde & apud Salomonem legitur: *Timor Domini fons vitæ.* Vino autem plenæ ſunt, cum timor vertitur in amorem; cum caritas excludit timorem; cum ea quæ prius obſervabantur timore pœnæ, jam exercentur delectatione & amore juſtitiæ. Ut vacuæ vel veneno infectæ ſint non vult Dominus; ut impleantur aqua jubet Dominus: ut autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. Sed quibus implere hydrias aqua imperat Dominus? Miniſtris utique, quos & conſtituit ſuper familiam ſuam, ut dent illi in tempore tritici menſuram. quibus tamen Maria primum ſuggeſſerit, dicens: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quo exemplo innuitur, quod officium prædicationis non debent uſurpare ſibi, niſi quos Maria, id eſt mater gratiæ, prius inſtruxerit. Alioquin dicetur eis: *Regnaverunt, & non ex me, principes exſtiterunt, & ego ignoravi.* Implent ergo miniſtri hydrias aqua: prædicant mira de dulcedine regni, intentant horrenda de terrore ſupplicii: fit ſummus auditoribus de utroque timor, ne vel illo fraudentur, vel iſto plectantur; & ita capiunt hydriæ metretas binas. Quid eſt autem vel ternas? Addatur illis duobus tertius timor, & capiunt hydriæ metretas ternas. Et illi quidem duo prædicti timores de futuro, ſunt valde utiles: ſed eſt alius timor de præſenti multo probabilior, quo timet homo, & ſemper eſt pavidus, ne interna gratia deſeratur. Quiſquis igitur hoc timore repletus fuerit, profecto binis metretas ternas addidit.

Prov. 14. 27.

Johan. 2. 5.

Oſee 8. 4. Timor triplex.

2. Notandum autem, quod cum hydriæ plenæ factæ ſunt uſque ad ſummum, tunc aqua verſa eſt in vinum bonum: quia nimirum ordo rationis eſt, ut ſi timor eſt initium caritatis, perfectum ſequatur etiam plenitudo dilectionis. Unde etiam architriclinus dicit ad ſponſum: *Omnis homo primum vinum bonum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti vinum bonum uſque adhuc.* Conſuetudinis eſt ſæcularium hominum, ut cum aliquem honorem adipiſci deſiderant, ceteros ſibi prius per amorem acquirant. Cum vero adepti fuerint, elati poteſtate, eos ipſos per timorem ſibi poſtmodum ſubjiciunt, quibus prius privati non terrorem, ſed amorem exhibuerant. Iſti ponunt primum bonum vinum, id eſt amorem: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt, id eſt, timorem. E contrario facit Sponſus noſter. Semper enim ſervat ad ultimum bonum vinum: quod vero in ejus comparatione deterius eſt, ante propinat, dicens: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei ſta in timore.* Si ex timore te feceris ipſius ſervum, faciet te ex caritate amicum ſuum. Et ſic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis. Ad hoc enim purificaris in illis ſex hydriis aquis timoris, ad hoc in timore accedis ad ipſum, tamquam ſervus ad dominum, ut de ſervo proveharis in filium.

Johan. 2. 10.

Timor tandem convertitur in amorem.

Eccli. 2. 1.

SERMO LVII*.

*al. 14 ex Parvis.

De ſeptem ſignaculis per Chriſtum ſolutis.

1. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Septem ſignacula ſunt, temporalis nativitas, legalis circumciſio, Matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis neceſſitudo, baptiſmus, paſſio. Hæc ſiquidem ſunt veræ quædam humanitatis inſignia, quibus ſe teneri ac ligari voluit incarnata Dei Sapientia. Ipſa quippe eſt ſecunda in Trinitate perſona: & licet eamdem incarnationem ſimul fecerint Pater & Filius & Spiritus-ſanctus; non tamen Pater aut Spiritus-ſanctus eſt incarnatus, ſed ſolus Filius. Implevit quidem & Pater & Spiritus-ſanctus carnem Filii, à quo neuter eorum poterat ſeparari; ſed implevit majeſtate, non ſuſceptione. Ideoque Filius oſtendit in carne potentiam Patris per opera, exhibuit bonitatem Spiritus-ſancti remittendo peccata; & quod ſuum erat, immo quod ipſe erat, id eſt Sapientia, ſe occultavit per illa prædicta ſignacula. Facta eſt igitur res mira & obſtupenda. Infirmata eſt virtus ſumma, & (ut ita dicam, ſi dici liceat, quod tamen reverenter dico) quaſi infatuata eſt ſapientia. Nec erubeſco dicere, quod non erubuit Doctor Gentium docere. Sic nempe credidit, ſic docuit, ſic ſcriptum reliquit. *Nos, inquit, prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

Apoc. 5. 5.

V. ſerm. 1. in feſto Paſch. 4.

SS. Trinitatis operatio circa incarnationem Chriſti.

1. Cor. 1. 23.

2. Verumtamen hæc virtus abſcondenda erat, & in humilitate perficienda: ut omnium implerentur oracula Prophetarum. Paſſus eſt ergo in cruce impaſſibilis Deus, & in carne noſtra mortali mortuus ac ſepultus immortalis Dei Filius. Sed ecce tertia die reſurrexit à mortuis: & qui Agnus exſtiterat in paſſione, Leo factus eſt in reſurrectione. *Surrexit & vicit Leo de tribu Juda:* quia mortem, quam ea infirmitate noſtra pertulit, ea virtute ſua reſurgendo calcavit. *Reſurgens enim à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Reſurgendo autem & in cælum aſcendendo, librum aperuit, quia nimirum ex auctoritate ſacræ Scripturæ, quod Deus eſſet, innotuit manifeſte. Unde ſcriptum eſt: *Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Septem quoque ejuſdem libri ſignacula ſolvit, quando intellectum eloquii ſacri fidelium mentibus reſeravit: & quicquid de myſteriis ſuis, Lex & Prophetæ ſub allegoriis prædixerant, de his ſcilicet, quæ per hominem temporaliter geſſit; hæc de ſe prædicta, & in ſe ac per ſe completa, luce clarius indicavit.

Chriſti virtus & ſapientia in opere redemptionis abſcondita.

Rom. 6. 9.

Pſal. 107. 6.

SERMO LVIII*.

*al. 15 ex Parvis.

De tribus mulieribus mortuum ungentibus, id eſt, mente, manu, lingua, ſalutem proximi curantibus.

1. Quid eſt quod poſt mortem ejus tres illæ ſanctæ mulieres emerunt aromata, ut in monumento poſitum ungerent eum? Quid in ſua actione nobis reliquerunt imitandum? Res enim geſta, ut ait beatus Gregorius*, aliquid in ſancta Eccleſia ſignat gerendum. Et nos ergo ſi Chriſtum mortuum, id eſt fidem Chriſti mortuam in corde cujuſpiam fratris ſenſerimus, danda nobis opera eſt, ut ad ungendum corpus

Marc. 16. 1.

V. ſerm. 2. in Reſurrect.

*S. Greg. in Homil. Paſcha.

Tom. III. mortuum emptis aromatibus accedamus. Significant A autem tres illæ mulieres tres in nobis efficientias, quæ ſibi congrua comparant aromata. Quæ ſunt illæ? Mens, manus, lingua. Omnis enim qui emit, dat & accipit aliquid: & quod dat, perdit, ut poſſideat quod accipit. Dat igitur mens nummum propriæ voluntatis, & comparat affectum compaſſionis, zelum juſtitiæ, diſcretionem conſilii. Dat manus obedientiam, & emit in tribulatione patientiam, in opere perſeverantiam, in carne continentiam. Dat lingua nummum confeſſionis, & accipit modum in correctione, copiam in exhortatione, efficaciam in perſuaſione.

Tres mulieres tropolog.

2. Talibus unguentis compoſitis, dum ad monumentum ſimul venerint, colloquuntur invicem, & dicunt: B *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Lapis iſte eſt, vel nimia triſtitia, vel pigritia, vel duritia: quæ dum cordis aditum obſtruit, fruſtra ad ungendum mortuum mens, vel manus, vel lingua cum quibuſlibet aromatibus venit. Sed quoniam ſcriptum eſt, *Præparationem cordis ejus audivit auris tua:* vident lapidem revolutum, introeunt in monumentum: & quem ungere volebant mortuum, audiunt ſuſcitatum. Quis hoc indicat? Quis hoc prædicat? Angelus utique teſtis reſurrectionis. Videtur ſcilicet hujus in quo Chriſtus reſurrexit, vultus lætior, aſpectus venuſtior, ſermo purior, inceſſus modeſtior, & ad omne opus bonum ſpiritus promptior. Quæ omnia quid C ſunt aliud, quàm quidam internæ reſurrectionis hilaris nuntius? Cetera quoque, quæ in Chriſti reſurrectione geſta vel dicta ſunt, utpute de invento ſudario, ac de ipſo Domino in Galilæa videndo, & aliis quæ evangelica continet hiſtoria, poſſunt nimirum juxta cœptam tropologiam interpretari: ut quod hiſtorice præceſſit in capite, conſequenter etiam credatur fieri moraliter in ejus corpore.

Ibidem. Pſal. 9. 17.

SERMO LIX*.

* al. 17. ex Parvis. Rejectus eſt 96. inter Sententias. Luc 11. 5. V. ſerm. 10 Rogationibus.

De tribus panibus hominis ſpiritualis.

AMice, *commoda mihi tres panes.* Veniens ad nos D de via noſter amicus, id eſt quilibet converſus proximus, tribus panibus reficiendus eſt. Primus panis eſt continentia, qua reſtringitur corpus, ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secundus eſt humilitas, qua inſtruitur anima, ne de ipſa ſua continentia ſuperbiat. Tertius eſt fervor caritatis, quo accenditur ſpiritus, ut utrumque, id eſt corpus & animam, in caſtitate & humilitate perſeveranter cuſtodiat. His tribus virtutibus, id eſt, caſtitatis, humilitatis, caritatis, tamquam tribus panibus reficitur homo Dei & roboratur; ut ſecundum Apoſtolum in die adventus Domini ſit integer ſpiritus, anima, & corpus. Spiritum au- E tem voco gratiam, quæ juxta Apoſtolum eumdem adjuvat infirmitatem noſtram ne deficiamus, donec ſuo tempore metamus bonum quod ſeminavimus. Vocatur primus panis carnalis vel corporalis, ſecundus rationalis, tertius ſpiritualis. Hi panes quoties deſunt, à Deo requirendi ſunt. Merito autem tres quæruntur, quia tres reficiendi veniunt: Anima quaſi vir, Caro quaſi conjunx, Spiritus velut utriuſque vernaculus. Et notandum quod non ait, da, ſed *commoda mihi tres panes*, quaſi redditurus: quia ſacerdos peccatori convertenti debet quidem gratiam divinitus impetrare, fructum vero ejuſdem gratiæ non ſibi debet, ſed Deo referre.

1. Theſ. 5. 23. Rom. 8, 26.

SERMO LX*.

* al. 18. ex Parvis.

De Chriſti itemque noſtro deſcenſu, & aſcenſu.

1. NEmo *aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cælo.* Dominus a & Salvator noſter Jeſus-Chriſtus volens nos docere quomodo in cælum aſcenderemus, ipſe fecit quod docuit, aſcendit in cælum. Et quoniam aſcendere non poterat, niſi prius deſcenderet; deſcendere autem eum vel aſcen- A dere non patiebatur divinitatis ſuæ ſimplicitas, quippe quæ nec minui poteſt, nec augeri, aut aliquo modo variari: aſſumpſit in unitatem ſuæ perſonæ naturam noſtram, id eſt humanam, in qua deſcenderet & aſcenderet; viamque nobis, qua & nos aſcenderemus, oſtenderet. Quod totum indicant ſancti Evangelii verba propoſita. In eo enim quod dictum eſt, *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit*, aſſumptio humanæ naturæ exprimitur: in eo autem quod infertur, *qui eſt in cælo*, divinitatis ſuæ incommutabilitas oſtenditur. In quibus verbis illud etiam innuitur, quod ipſe ſit via per quam aſcendamos; ipſe patria ubi maneamus: via ſcilicet tranſeuntibus, patria pervenientibus. Manens B itaque quod erat in natura ſua, deſcendit & aſcendit propter nos in noſtra: attingens nimirum à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter. Deſcendit ſiquidem quo inferius non decuit; aſcendit quo celſius non potuit: ipſumque deſcenſum egit fortiter, quia virtus erat; aſcenſum diſpoſuit ſuaviter, quia ſapientia erat. *Deſcendit* autem dictum eſt, non, cecidit: quia qui cadit, ſine gradu ruit: qui autem deſcendit, gradatim pedem ponit.

Johan. 3. 13. Sap. 8. 1.

2. Sunt ergo gradus in deſcendendo, ſunt in aſcendendo. In deſcendendo primus quidem gradus eſt à ſummo cælo uſque ad carnem; ſecundus uſque ad crucem; tertius uſque ad mortem. Ecce quouſque deſcen- C dit. Numquid amplius potuit? Poterat jam certe Rex noſter dicere, & quaſi quodam operis affectu clamare: *Quid ultra debui facere, & non feci? Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Vidimus deſcenſum, videamus & aſcenſum. Sed & ille quoque triplex eſt, & ejus primus gradus gloria reſurrectionis; ſecundus poteſtas judicii; tertius conſeſſus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit reſurrectionem; de cruce judicii poteſtatem: ut quoniam in illa injuſte judicatus eſt, de illa juſtam obtineret judicis cenſuram, ipſo poſt reſurrectionem dicente: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Ipſam vero ſervi formam, id eſt carnem, in qua paſſus & mor- D tuus eſt, reſuſcitatam evexit ſuper omnes cælos, & ſuper omnes Angelorum choros, uſque ad dexteram Patris. Quid hac diſpoſitione ſuavius, ubi mors abſorbetur in victoria, ubi ignominia crucis vertitur in gloriam? ut de illa dicant ſancti: *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti:* ubi & ipſa carnis humilitas ex hoc mundo tranſit ad Patrem. Hac aſcenſione nihil ſublimius, hoc honore nihil glorioſius dici poteſt aut cogitari. Sic per incarnationis ſuæ myſterium deſcendit & aſcendit Dominus, relinquens nobis exemplum ut ſequamur veſtigia ejus.

Deſcenſus tripl. tot etiam gradus. Iſa. 5. 4. Johan. 15. 13. Aſcenſus triplex gradus. Matt. 28. 18. Galat. 6. 14.

3. Sumamus & nos de myſterio ejus moribus noſtris exemplum. *Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, de-* E *bet ſicut ipſe ambulavit & ipſe ambulare.* Deſcendamus per viam humilitatis, ponaturque nobis primus ejus gradus, id eſt primus profectus, nolle dominari; ſecundus velle ſubjici; tertius in ipſa ſubjectione quaſlibet contumelias, & injurias illatas æquanimiter pati. Primo gradu caruit in cælo Lucifer ille, qui dixit in corde ſuo: *In cælum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Hæc dicens irreparabiliter cecidit de cælo: & hoc ideo forte, quia omnino intolerabilis ſuperbia eſt, velle dominari. Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiſo, qui licet ſua maluerint voluntate abuti, quàm Creatori ſubjici: non tamen præſum- F pſerunt ceteris ſuæ ſortis dominari. Ideoque culpa eorum & pœna longe exſtitit diſſimilis ſuperbiæ atque ruinæ diaboli: unde & divina clementia quandoque meruerunt reparari. Tertium gradum non habent qui ad tempus credunt, ſed in tempore tentationis recedunt.

1. Johan. 2. 6. Chriſti deſcenſus & aſcenſus quomodo à nobis imitandi. Iſa. 14. 13. Deſcenſus nobis tres gradus.

4. Hæc dicimus, ut ſciamus à quorum imitatione declinare debeamus. Nam & diabolus, & homo uterque aſcendere præpoſtere voluit: hic ad ſcientiam, illa

a Hæc in lib. 7. Florum cap. 1. ſequentia item cap. 2. relata,

ad potentiam, ambo ad ſuperbiam. Non ſic aſcendere A velimus, quin potius audiamus Propbetam quærentem quomodo aſcendendum ſit. (Pſal. 23. 3.) *Quis*, inquit, *aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.* Ubi notandum, (Aſcenſus noſtri tres gradus) quod triplicem gradum aſcendendi conſtituit. Primus gradus eſt innocentia operis; ſecundus, munditia cordis; tertius, fructus ædificationis. Quos gradus miro modo invenimus in ſuperioribus gradibus aſcenſionis. Ibi quippe fuerat tertius gradus, tolerantia injuriarum. Ipſa eſt enim quæ probat hujus aſcenſionis primum gradum, id eſt innocentiam operis. Ibi ſecundus fuerat patientia ſubjectioois: & ipſam B operatur munditia cordis, quæ eſt ſecundus aſcenſionis gradus. Ad hoc enim doctores prælatos habemus, ut cor mundemus, dicente Domino (Johan. 15. 3.): *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Ibi etiam primus gradus fuerat contemptus dominationis: hic tertius eſt fructus ædificationis. Quiſquis autem dominari non appetit, is profecto fructuoſe præeſt ceteris inſtituendis.

SERMO. LXI[a].

(a al. 19. ex Parvis.)

De quatuor montibus aſcendendis.

(Pſal. 23. 3. Duæ ſpecies peccatorum, flagitia & facinora.)

1. Q*Uis aſcendet in montem Domini?* Aſcendit quidem ſemel Chriſtus corporaliter ſuper altitudinem cælorum; ſed & nunc aſcendit quotidie ſpiritualiter in cordibus electorum. Si ergo volumus & nos cum eo aſcendere, aſcendendum nobis eſt in montes virtutum de vallibus vitiorum. Eſt autem gemina ſpecies ipſorum [a] viriorum. Alia enim ſunt quæ nocent nobis, alia quæ proximis; illa flagitia, iſta vocantur facinora: & hæc omnia dicuntur vallis lacrymarum, quia omni fletus fluvio plangenda eſt vita peccatorum. De valle flagitiorum aſcenditur ad montem caſtitatis (Mons caſtitatis.) triplici continentia, membrorum, ſenſuum, cogitationum. In prima continentia cohibetur actus, in ſecunda vitatur aſpectus, in tertia reſecatur affectus. Item de valle facinorum aſcenditur in montem innocentiæ (Mons innocentiæ. Matt. 7. 12. & Tob. 4. 16.). Hic erigitur ſcala, *Quod tibi non vis fieri, alii ne facias:* & ponitur in ea triplex gradus timoris; vel ejus ſcilicet qui patitur, ne reddat talionem; vel ſuperioris poteſtatis, ne inferat ultionem; vel interni Judicis, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua. Cum autem ad hunc montem aſcenderint, jam juſti ſunt, & ex fide vivunt, ſed neceſſe eſt eos ſecundum Apoſtolum (2. Tim. 3. 12.) perſecutionem pati.

(Mons patientiæ.)

2. Itaque confugiendum eſt de monte innocentiæ ad montem patientiæ: & hic quoque erigitur ſcala triplicis gradus. Primus eſt Domini paſſio; ſecundus Martyrum fortitudo; tertius præmii magnitudo. Poſſunt ſane gradus iſti dici gradus pudoris; ſicut in innocentia fuerunt gradus timoris. Et nota, quod mons iſte patientiæ ſecundum hos gradus eſt arduus, ſpinoſus, aridus. Arduus, propter difficultatem imitandi paſſionem Domini; ſpinoſus, propter aculeos tentationum quæ multiplices ſunt, damna ſcilicet rerum, contumeliæ verborum, cruciatus corporum, in quibus ſancti Martyres examinantur; aridus, propter retributionem præmiorum, quæ non in hoc ſæculo ſperatur, ſed in futuro. Poſt hunc montem (Mons pacis.) reſtat ei alius mons aſcendendus, mons ſcilicet montium; ad quem cum pervenerit, jam in eo Deus requieſcit. Unde ſcriptum eſt (Pſal. 75. 2.): *Factus eſt in pace locus ejus.* Sed & in hoc monte pacis erigitur ſcala caritatis, unde Dominus dicit (Matt. 7. 12. & Tob. 4. 16.): *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Volumus ſiquidem retribui nobis, volumus ignoſci, volumus gratis dari.

SERMO LXII[a].

(a al. 20. ex Parvis. Sermones 20 & 21 extant inter Sententias.)

De varia & vera ſequela Chriſti.

Q*Ui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Quidam ſunt qui non ſequuntur Chriſtum, ſed fugiunt: alii non ſequuntur, ſed præeunt: nonnulli ſequuntur, ſed non aſſequuntur: alii vero ſequuntur, & conſequuntur. Non ſequuntur, ſed fugiunt, qui necdum peccare deſiſtunt (Johan. 12. 26. Johan. 3. 20. Pſal. 72. 27.), de quibus ſcriptum eſt: *Omnis qui male agit, odit lucem.* & Propheta: *Ecce iſti qui elongant ſe à te, peribunt.* Non ſequuntur, ſed præeunt, qui magiſtrorum ſententiis ſuas præferunt. Quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro ſalute noſtra volentem pati Dominum increparet, dicens (Matt. 16. 23.): *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sequuntur, ſed non aſſequuntur, qui ſegniter ac remiſſe agunt, vel uſque ad finem non perſeverantes de medio itinere revertuntur. Talibus dicit Apoſtolus (Hebr. 12. 12.): *Remiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Sequuntur & conſequuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perſeveranter imitantur. Hujuſmodi vere ſequuntur Dominum. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur*, id eſt, me imitetur (Johan. 12. 26.). Quo fructu? *Ut ubi ſum ego*, inquit, *ibi ſit & miniſter meus.* Fructus itaque hujus imitationis C manſio eſt æternæ beatitudinis.

SERMO LXIII[a].

(a al. 21. ex Parvis.)

De tribus mediis recuperandæ beatitudinis à Chriſto præſcriptis, in illud, *Qui vult venire poſt me, &c.*

QUi vult [b], veniat poſt me, per me, ad me. Poſt me, quia veritas ſum: per me, quia via ſum: ad me, quia vita ſum. (Luc. 9. 23.) *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Tria propoſuit Chriſtus, Dei virtus & Dei ſapientia, Angelus magni conſilii, animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, ſcilicet ſervitutem, vilitatem, aſperitatem. D In abnegatione ſui ſervitus; in toleratione crucis vilitas; in imitatione Chriſti deſignatur aſperitas: ut quæ per inobedientiam de ſtatu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miſeriæ per obedientiam reſurgat. Ceciderat enim à ſeipſa, a ſocietate Angelorum, à viſione Dei, id eſt à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiat ergo conſilium, ut abnegando ſemetipſam, id eſt propriam voluntatem, ſui libertatem recuperet: tollendo crucem ſuam, id eſt carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo, per continentiæ bonum recuperet ſocietatem Angelorum: ſequendo Chriſtum, id eſt ejus paſſionem imitando, recuperet claritatis ejus viſionem: quia ſi (Rom. 8. 17.) E compatimur ei, & conregnabimus.

SERMO LXIV[a].

(a al. 24 & 25 ex Parvis.)

De pretioſa vita & morte ſanctorum.

(Pſal. 115. 5. Mors ſanctorum tripliciter pretioſa.)

1. P*Retioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Pretioſam in conſpectu Domini mortem ſanctorum ejus facit aliquando vita, aliquando cauſa, aliquando vita ſimul cum cauſa. In Confeſſoribus [c], qui in Domino moriuntur, facit pretioſam vita. In Martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam pretioſam aliquando ſola cauſa, aliquando cauſa pariter & vita. Et illa quidem mors pretioſa eſt, quam commen- F dat vita: pretioſior, quam facit cauſa: pretioſiſſima vero, quam prævenit vita ſimul cum cauſa.

(Tria faciunt hominem ſanctum.)

2. Porro tria ſunt quæ ſanctam faciunt hominis vitam; victus ſobrius, actus juſtus, ſenſus pius. Victus ſobrius erit, ſi continenter, ſi ſocialiter, ſi obedienter, id eſt caſte, caritative, humiliter, vixerimus. Per continentiam enim caſtitas, per ſocialitatem caritas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc eſt virtus, quæ animam perfecte Deo ſubditam, ſub umbra alarum

a Hunc contextum refert liber 7. Florum cap. 32.
b Hæc apud Florilegum in lib. 8. cap. 31.

c Item hæc in lib. 8. cap. 54. uti & alia ex initio num. 2 in lib. 8. cap. 77.

Tom. III. ipſius ſecure facit vivere. Actus juſtus erit, ſi fuerit rectus, diſcretus, fructuoſus. Rectus per bonam intentionem, diſcretus per menſuram poſſibilitatis, fructuoſus per utilitatem proximorum. Senſus pius erit, ſi fides noſtra Deum ſentit ſumme potentem, ſumme ſapientem, ſumme bonum: ut per ejus potentiam, noſtram credamus adjuvari infirmitatem; per ejus ſapientiam, noſtram credamus corrigi ignorantiam; per ejus bonitatem, noſtram credamus dilui iniquitatem.

Tria faciunt mortem pretioſam. Tria ſunt quæ mortem ſanctorum faciunt pretioſam, quies à labore, gaudium de novitate, ſecuritas de æternitate.

SERMO LXV*.

* al. 26. ex Parvis.

Matt. 13. 44. De connexione triplicis Parabolæ apud Matth. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, &c.*

1 Parabola Theſauri in agro.

1. TRiplicem nobis commendat gradum parabola triplex lectionis unius. Ager eſt corpus. Huic dum adhuc dominantur paſſiones deſideriorum, jacet incultus, & obnoxius maledicto, ſpinas & tribulos germinat; quid intus lateat ignoratur. Quis enim eo tempore idoneum reputet ferre dignos pœnitentiæ fructus? Quid tam inſipienter exponis anima corpus tuum? Neſcis quid abſconditum ſit in eo? Quid, niſi regnum cælorum? Invenire eſt in eo ſalutis opera, quibus regnum cælorum poteris adipiſci. Eme ergo agrum, & à concupiſcentiis tuis tibi vindica corpus tuum, dato nimirum pretio fomentis & occaſionibus ipſarum concupiſcentiarum.

2. Negotiatoris emenstis margaritas.

2. Ubi vero theſaurum effoderis, eſto jam negotiator, & pretioſas margaritas quære. Si pretioſiſſimam unam inveneris, etiam tunc vende quicquid habes, & eme eam. Quæ eſt tamen una tam pretioſa? Neque enim mirum ſi pro theſauro vendidit quæcumque habebat, id eſt pro divitiis ſalutis & peccata, & peccati fomenta deſeruit. Hæc quippe ſola prius habebat. Nunc autem, ubi theſaurum hunc reperit, quomodo quærit bonas margaritas, & pro una omnia vendidit? Ego unam hanc nihil aliud quàm unitatem arbitror eſſe. Quærit autem bonas margaritas, qui in opere ſalutis ſuæ non eſt contentus inferioribus bonis, ſed ſumma quæque & excellentiora perquitit. Nihil ergo pretioſius inveniens unitate, non parcat omnibus ceteris propter eam: jejuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat unitatem.

3 Sagenæ miſſæ in mare.

3. Volo autem, ut in ea quoque ſic maneat, non quaſi unus ex omnibus, ſed quaſi cum omnibus unus. Latum expandat ſinum, ex omni genere affectionum claudat intra viſcera ſua, omnibus omnia fiat, & congaudere paratus, & compati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Erit enim cum ad littus veniens, malos piſces à ſagena caritatis excludet, & quicquid moleſtum eſt, foras mittetur.

SERMO LXVI*.

* al. 37. ex Parvis.

De octo beatitudinibus oppoſitis totidem peccatis.

1. Peccatum ſuperbiæ huic oppoſitus 1. beatitudo.

1. EOdem ordine quo præceſſit culpa, ſubſecuta eſt etiam culpæ medicina. Primum peccatum a eſt factum in cælo per ſuperbiam prævaricatoris angeli, qui dixit in corde ſuo: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ero ſimilis Altiſſimo.* In ſeipſo tumuit, & de ſorte beatorum ſpirituum ejectus, cælorum regnum amiſit. Contra hoc peccatum dictum eſt: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Secundum peccatum commiſſum eſt per inobedientiam mulieris in paradiſo. Ex hoc peccato facta eſt caro rebellis ſpiritui, ut quoniam ſpiritus ejus non fuit ſubjectus Creatori, nec caro ſit ſubjecta ſpiritui. Contra hoc eſt dictum: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis* A *corde.* Tertium peccatum fuit, quod ipſa mulier virum quoque ſecum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum ſuum deflere, nec adddere peccatum peccato: ſed in hoc ſe putavit habere conſolationem, ſi virum faceret peccati ſui participem. Quodammodo enim naturale eſt unumquemque velle, ſive in vitiis, ſive in virtutibus, aſſociare ſibi conſortem. Contra hoc peccatum eſt iſtud remedium: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Iſa. 14. 13. — Matt. 5. 3. — 2. Peccat. Inobedientia, huic oppon. 2. Beatitudo. — Ibid. — Matt. 11. 29 — 3 Peccat. Seductio Adami, huic oppon. 3 beat. — Matt. 5. 5.

2. Quartum peccatum commiſit Adam, qui conſenſit. *Adam* enim, ſicut ait Apoſtolus, *non eſt ſeductus,* B *mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Illa per ignorantiam, iſte peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, ſed quia eam voluntati prætulit divinæ. Unde & à Domino ei dictum eſt: *Pro eo quod obediſti voci uxoris tuæ pluſquam meæ, maledicta terra in opere tuo.* Juſtum quippe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis vero ambigat plus eum debere conditori, quàm uxori? Siquidem uxori erat adſtrictus tantum per amorem, Deo autem per timorem ſimul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quàm unum tantum erga conjugis affectum. Contra hoc quartum pec- C catum adhibitum eſt remedium: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Habuit quidem Adam juſtitiam, à juſto Deo creatus juſtus: ſed quia non eam ex libero arbitrio direxit, facile ab ea per idem liberum arbitrium defluxit. Quo contra dicitur per Pſalmiſtam de Chriſto: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Quintum æque peccatum commiſit, qui propriam culpam retorſit in uxorem, cum ait: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Primo quidem crudelis in ſe, qui peccatum ſuum excuſavit: ſecundo in uxorem, quam accuſavit. Et utique ſatis ſumpta eſt digna de peccato vindicta, quando eam accuſavit, cujus amore peccavit. Contra hoc pec- D catum dictum eſt: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

4 Peccat. Conſenſus, huic oppon. 4 Beatitudo. 1 Tim. 2. 14. — Gen. 3. 17. Adam plus debebat creatori quam uxori. — Matt. 5. 6. — Pſal. 44. 8. — 5 Peccat. Excuſatio ſuæ & accuſatio uxoris, huic opp. 5. Beatitudo. — Gen. 3. 12. — Matt. 5. 7.

3. Sextum peccatum fecit Eva, quæ cum increparetur à Domino cur hoc feciſſet, reſpondit ei: *Serpens decepit me, & comedi.* Sic declinavit & ipſa in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, refundens culpam in ſerpentem, quaſi immunis à crimine, cum nil obfuiſſet ſuggeſtio ſerpentis, ſi illa negaſſet aſſenſum propriæ voluntatis: & forte præceſſit in ea aliquis motus ſuperbiæ, unde ſeduci meruit à ſerpente. Contra quod dictum eſt: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Septimum peccatum factum eſt extra paradiſum, quando Caïn conſurrexit adverſus Abel fratrem E ſuum, & interfecit eum. Ex eo jam tempore inveteratum eſt, ut mali inſurgant in bonos, & opprimant eos. Hujus peccati remedium eſt illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quod ſi ab infeſtatione ceſſare noluerint iniqui, patienter tolerent eos juſti, audientes conſolationem quæ ſequitur, & dicit: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ecce quàm neceſſarius fuit adventus Chriſti, qui carnem ſubjiceret ſpiritui, hominem pacificaret ſibi, Deum reconciliaret homini.

6. Peccat. Excuſatio culpæ in ſerpentem, huic opp. 6 beatitudo. — Gen. 3. 13. — Pſal. 140. 4. — Matt. 5. 8. — 7 Pecc. Inſultatio in bonos, huic opp. 7. beatitudo. — Gen. 4. 8. — Matt. 5. 9. — Ibid. — 8 Beat. oppoſita Perſecutionem malorum.

SERMO LXVII*.

* al. 38. ex Parvis.

De duplicibus Legis præceptis, moralibus, & figuralibus.

F 1. L*Ex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Duplex in lege veteri præceptorum genus invenio. Sunt enim moralia quædam, ut eſt, *Non concupiſces; Non adulterabis; Honora patrem tuum,* & his ſimilia. Sunt etiam figurativa & umbratilia quædam, ut eſt taurorum immolatio, & ſanguis hircorum. Verumtamen carnalis ille populus nec illa implere poterat, nec in his obtinere ſalutem. Unde & Salvator in Evangelio legis præcepta improperat Phariſæis, quod propter traditiones ſuas irrita facerent Dei mandata, ipſa ſine dubio, in quibus eſſet ædificatio

Joan. 1. 17 — Matt. 19. 18. Rom. 7. 7. Exod. 20. 12. — Matt. 15. 6.

morum

a Hæc carptim relata in lib. 10. Florum cap. 1.

morum. Nam de ceteris ipſe loquitur per Prophetam: Ezech. 20. 25. *Dedi eis præcepta non bona*: ipſa plane, in quibus eſſet umbra futurorum. Quæ enim conſequentia rationis, ut homine peccante aries mulctaretur, & diceret cum Psal. 68. 5. Propheta: *Quæ non rapui, tunc exſolvebam?* Merito ſane non bona præcepta populus non bonus accepit, di- Psal. 17. 26. cente Propheta: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Noverat enim Judæorum corda carnalia: unde & carnalia eis tradidit ſacramenta, quæ non poſſent juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem in juſtitiis carnis. Venit proinde plenus gratia & veritate Chriſtus Dominus noſter, ut ex hoc jam moralia quidem impleantur per gratiam: quæ vero umbratilia & myſtica fuerant, revelata veritate deinceps non ad litteram obſerventur, ſed ſecundum ſpiritum ſpiritualiter intelligantur. Propterea jam non aries vel taurus homine peccante mactatur, ſed viva corporis hoſtia, rationale & acceptabile ſacrificium, in jejuniis & laboribus veniam meretur pariter & gratiam.

* SERMO LXVIII. *ſeu 29. ex* PARVIS *cum in nullo differat à Sermone* 32. de diverſis, *hic conſulto omiſſus eſt.*

* Eſt 30 ex Parvis

SERMO LXIX[a].

De triplici renovatione triplicis vetuſtatis.

1.Cor. 15. 49. 1. S*Icut portavimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem cæleſtis.* Duo [a] homines ſunt, vetus & novus: Adam vetus, Chriſtus novus. Ille terrenus, iſte cæleſtis: illius imago vetuſtas, iſtius imago novitas. Triplex vetuſtas. Eſt autem triplex vetuſtas, & è contrario triplex novitas. Eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde ſunt deſideria carnalia & ſæcularia, id eſt amor carnis, & amor ſæculi. V. ſerm. 3. in adv. num. 3. Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis, & hæc omnia renovanda ſunt in nobis. Si non eſſet vetuſtas in corde, non diceret Apoſtolus: Ephes. 4. 23. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Item ſi non eſſet vetuſtas in ore, non diceret Scriptura: 1. Reg. 2. 3 *Recedant vetera de ore veſtro.* Et Apoſtolus dicit: Ephes. 4. 29 *Omnis ſermo malus non procedat de ore veſtro, ſed qui bonus eſt, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Sed & de vetuſtate corporis mentionem facit, cum dicit: Rom. 6. 19. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem.* De cujus renovatione etiam ſubjungit: *Ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Triplex renovatio. 2. Renovetur ergo cor noſtrum à carnalibus & ſæcularibus deſideriis: ut excluſis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cæleſtis. Recedant ab ore noſtro arrogantia & derogatio: & ſuccedant pro his vera peccatorum noſtrorum confeſſio, & bona de proximis æſtimatio. Pro flagitiis & facinoribus, quæ vetuſtas eſt corporis, aſſumatur continentia & innocentia, ut ſcilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc ſupradictam renovationem facit Chriſtus habitans in nobis per fidem, ſicut ipſe ait: Apoc. 21. 5. *Ecce nova facio omnia.* Unde & ad ſponſam loquitur in Cant. 8. 6. Canticis: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Habitans igitur in corde eſt ſapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore juſtitia.

* al. 31. ex Parvis.

SERMO LXX[a].

De vigilantia & ſollicitudine curanda ſalutis.

1 Cor. 4. 10. S*Pectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Ita plane, & malis, & bonis pariter. Illos enim ſollicitat invidiæ paſſio, iſtos compaſſio miſericordiæ, ut in nos inceſſanter intendant: illi quidem defectum A noſtrum, iſti profectum deſiderantes. Nimirum in probatione ſumus, inter paradiſum & infernum interim medii, velut inter clauſtrum & ſæculum conſtituti. Diligenter conſideratur utrinque quid agimus, utrimque dicitur: O ſi ad nos tranſeat! intentione quidem diſſimili, ſed non diſpari forſitan voluntate. Quod ſi ita omnium oculi in nos: noſtri quo abierunt, aut quare ſoli ipſi receſſerunt à nobis? A dextris ſiquidem & à ſiniſtris tanto ſtudio circumſpecti, ſoli diſſimulamus inſpicere vitam noſtram, ſoli noſmet ipſos negligimus intueri: nec verentes deceptorios, nec adminiſtratorios ſaltem ſpiritus reverentes. Psal. 141. 8. *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.* Et item: Psal. 118. 95. *Me exſpectaverunt peccatores ut perderent me.* B Hinc mihi gehenna, inde corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugari libet, oſcitare delectat? uſque adeo nec trahor deſiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane, nec pavidus, in quibus magis fuerat neceſſarium: pernicioſiſſime inſenſibilis ad utrumque. Deſidia noſtra in negotio ſalutis præſtringitur. Exſurgamus aliquando, Fratres, nec in vano accipiamus animas noſtras, pro quibus alii tanto zelo, vel in bonum vigilant, vel in malum. Non eſt res parva, quam ſic inſectantur hoſtes, cives ſic præſtolantur.

SERMO LXXI[a].

* al. 34 ex Parvis. Sermonibus 32. & 33. in Sentent. connexorum redactis.

C 1. INtegra & perfecta moralitas in duobus præcipue conſiſtit, in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus: quoniam non ſufficit à malo abſtinere, ſi non & bonum faciamus. Inde Pſalmiſta: Psal. 36. 27. *Declina à malo, & fac bonum.* Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes. Hiſtorias igitur ſummatim delibantes, moralitatis fructus decerpamus. Fames coegit Iſraël intrare in Ægyptum: ſtatim reperit ibi novum dominum, & Gen. 42. 1. & 43. 2. de libero ſervus efficitur. Ex illius regionis inhabitatione redigitur ſub poteſtate Pharaonis: qui maſculos præcepit interfici, feminas reſervari. Exod. 1. 14. Iſraël operibus luti & lateris duriter affligitur, Pharao paleas miniſtrat laborantibus: fames coegit.

2. Non fames panis, neque ſitis aquæ; ſed audiendi verbum Dei, compellit multos intrare Ægyptum. Iſraelitæ cauſa famis in Ægyptum profecti quid tropologice. Hoc D verbum Dei eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Johan. 1. 9. Unde Pſalmiſta: Psal. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Qui hanc lucem ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ. De luce præceptorum tranſitur ad lumen præmiorum. Qui hujus divini verbi patitur egeſtatem, cogitur intrare Ægyptum, id eſt tenebras. Involvitur enim tenebris ignorantiæ, & ſubjacet dominio Pharaonis, id eſt diaboli, qui princeps eſt Ægypti, hoc eſt tenebrarum, juxta illud Apoſtoli: Ephes. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Sub jugo Pharaonis E fiunt lutea opera, id eſt diſſoluta & ſordida. Ab ipſo dantur paleæ, id eſt leves cogitationes. Palearum eſt leviter accendi, & in momento conſumi. Sic & malæ cogitationes à diabolo immiſſæ cito in mentibus noſtris accenduntur, carnis mollitie conſentiente. Sed ſi viriliter ſtudeamus reſiſtere, Deo juvante protinus extinguuntur. Paleis accenſis coquebatur lutum, & ſolidabatur in lateres: & pravæ cogitationes, quæ ſunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cum tranſeunt in actum, tunc decoquuntur: cum vero ducuntur in conſuetudinem, tunc ſolidantur.

SERMO LXXII[a].

* al. 35. ex Parvis.

F 1. B*Eatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Psal. 1. 1. Pii ſunt qui in Deum credunt, & ipſum colunt. Eſt enim pietas cultus Dei [a]. Hic autem cultus in tribus conſiſtit, fide, ſpe, & caritate, quæ ſunt inviſibilia. * Vide in ſermo LXX. His tribus carent impii, qui Deum non colunt; & quorum conſilium eſt viſibilia inviſibilibus, terrena cæleſtibus præponere. Horum caput & princeps eſt diabolus, qui primus à pietate receſſit, & impius factus, etiam homines in paradiſo poſitos, ab eadem pietate fraude ſua de-

a In lib. 7. Florum cap. 56 hic ſermo partim refertur, uti & ſequens in eodem lib. cap. 55.

Tom. III. jecit, volens eos habere ſocios ſui erroris, & participes A iniquitatis. Ille enim Evam ſeduxit, & illa virum ſibi ſubdidit. Similiter adhuc dæmon ſuggerit carni, caro ſpiritui, & fit impiorum conſilium. Dicunt enim ſibi invicem: *Omnium noſtrum ſit unum marſupium.* Ponunt ergo in memoria, quaſi in marſupio, quiſque obolum ſuum: dæmon ſcilicet ſuggeſtionem, caro delectationem, ſpiritus conſenſum. Inde, tamquam de ſymbolo, comparant ſibi victum competentem: caro quidem combuſtionem, ignem ſcilicet qui non extinguitur: ſpiritus malam conſcientiam, id eſt vermem qui non moritur: dæmon autem emit utriuſque ſanguinem.

Prov. 1. 14. Conſilium impiorum cujus auctor & ſuggeſtor dæmon.

2. Ad hoc conſilium [a] impiorum itur quatuor modis. B Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii ſeducuntur ignari, alii ſequuntur ſpontanei. Illis neceſſariæ ſunt quatuor virtutes, per quas armati reſiſtant, ne in conſilio eant. Invitis neceſſaria eſt fortitudo, qua reſiſtant uſque ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, quæ reprimit illicita deſideria, nec cedit promiſſionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui ſeducuntur ignari, eſt opus prudentia, quæ ab utilibus inutilia diſcernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum ſit. Juſtitia indigent illi qui ſequuntur ſpontanei. Juſtitia eſt rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato conſentire. Juſtitia & fortitudo C ſedem habent voluntatem: quia voluntas juſta debet eſſe, & fortis. Eſt autem juſtitia ordinata hoc modo, ſcilicet mala reſpuens, bonis meliora præponens. Hanc non videtur habuiſſe Adam, qui malo conſentiens, quod utile erat deſeruit. Prudentia & temperantia ſedem habent in ratione: quia ratio prudens debet eſſe, & temperata. Eſt quippe prudentia, ratio docta, ſcilicet à gratia, vitare contagia injuſtitiæ propter juſtitiam. Vitat quidem non ſolum injuſtitiam apertam, ſed etiam illa quæ ſunt aliquo modo contra juſtitiam, attendens non quod licet, ſed magis quod expedit: vitans divitias & quædam alia, non quia illicita, ſed quia juſtitiæ ſolent eſſe impedimenta. Sed propter D quoſdam qui ex hypocriſi hoc faciunt; additur, *propter juſtitiam.* Juſtitia eſt perfectio animæ rationalis. Aliæ virtutes ſunt ad ejus acquiſitionem vel conſervationem, fortitudo, temperantia, prudentia, quæ juſtitiam conſervant ne amittatur, aut minuatur. Poſtquam vero perfecta eſt juſtitia, & tranſit in affectum cordis, idem eſt quod illa tria: quia fortis eſt, prudens, temperata.

Quatuor ad hoc conſilium viæ. Totidem virtutes in oppoſitum.

Juſtitia ordinata quæ. Juſtitia virtus generalis, cui ceteræ ſubſerviunt.

3. *Qui non abiit.* Abire pertinet ad illos qui ſunt inconſtantes, & leviter poſſunt impelli. Quod quidam volentes evitare, fiunt evidenter obſtinati, nullius conſilio acquieſcentes, propoſitum ſuum immobiliter tenentes. & ideo adjunctum eſt, *& non ſtetit*, ſcilicet, ut nec levis ſit, nec obſtinatus. Via peccatorum eſt E mundus, vel propria voluntas, quæ eſt ſuperbia, ex qua omnia mala: ſicut ex communi ſunt bona. *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Sedet, qui docet exemplo ſuo faciens peccare alios. Cathedra eſt hæc, & quatuor pedibus ſubſiſtit. Primus pes eſt malitia; ſecundus contemptus Dei; tertius irreverentia, quartus aſtutia. Malitia eſt amare malum, & ſaporem mali habere; & malum, quia malum eſt diligere, ſicut facit diabolus, & nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando, ut tales timeant Deum non timore bono, ſed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum: ut amplius fiant mali, contemnunt & ipſum Deum; & fit ſecundus pes contemptus Dei. Item poſſet fieri ut malum amarent, F Deum contemnerent, ſed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant: ideo ad augmentum mali ſequitur tertius pes irreverentia, ut nec Deum timeant, nec homines revereantur. Ad conſummationem vero malitiæ adeſt quartus pes aſtutia, ut ſciant uti tribus prædictis, miſcentes oleo venenum, & melli acetum. Eminens pars cathedræ, cui ſedens inhæret, eſt potentia. Si enim potens eſt qui prædicta habet, tunc plurimum nocet: vel ſi potentem ſibi allicere poteſt, quem conſilio ſuo ſeducat, & ad malum impellat. Deinde apponitur pulvinar, ut ſuaviter ſedeat. Pulvinar fit de levibus pennis avium, ſignificans vanam gloriam, & favorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. Scabellum pedibus ſupponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, ſed ſpirituales ſimulant, ut magis decipiant. Horum doctrina eſt quaſi peſtilentia, multa loca occupans & vaſtans.

Cathedra peſtilentiæ. i. malum exemplum, ſubſiſtit 4 pedibus.

Eminens ejus pars potentia.

Pulvinar ejus vana gloria.

Scabellum hypocriſis.

4. *Sed in lege Domini voluntas ejus.* Superiori verſu dictum eſt quid ſit reſpuendum: in hoc autem dicitur quid ſit appetendum. In illo dictum eſt tamquam *declina à malo*: hoc autem, *& fac bonum*: quod utique eſt ambulare in lege. Sed quoniam hæc via agitur non greſſu corporis, ſed affectu mentis: ideo dictum eſt, *In lege Domini voluntas ejus.* Velle enim, teſte beato Gregorio, mente ire eſt. Per hanc viam incedunt, & quaſi quemdam curſum ducunt tria genera hominum, ſervus, mercenarius, filius. Trahunt autem eumdem currum jumenta, quorum nomina ſunt, comminatio & promiſſio. Super comminationem ſervus ſedet, ſuper promiſſionem mercenarius. Horum uterque trahit currum; alter timore, alter cupiditate; & uterque propriis ſtimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate, ſed ſpiritu dilectionis agitur, ſine labore aut læſione vehitur in curru: *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei.* Habet etiam currus ille quatuor rotas, illas ſcilicet quatuor animi affectiones notiſſimas, amorem & lætitiam, timorem & triſtitiam. Amant enim reprobi temporalia, & lætantur cum male fecerint: ſed hunc amorem & hanc lætitiam ſequitur timor & triſtitia ſempiterna. Electi vero, quibus dicitur, *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*; ponunt primas rotas timorem & triſtitiam, poſteriores amorem & lætitiam. Ipſis enim commutatur timor in caritatem, triſtitia in lætitiam ſempiternam.

Ibidem. 2.

Tria hominum genera per viam legis Domini incedunt.

Rom. 8. 14.

Joan. 16. 20.

5. Notandum autem, quod hæc via legis Domini conſummatur ſex diebus. Et prima quidem dicta eſt gemitus cordis, ſecunda confeſſio oris, tertia largitio propriæ poſſeſſionis, quarta labor corporis, quinta abnegatio propriæ voluntatis, ſexta contemptus mortis. In ſeptima fit quies ab omnibus prædictis, ſperans octavam reſurrectionis. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* In quocumque ſtatu ſit homo poſitus, numquam recedendum eſt illi à lege Domini, ſed ſemper in die bonorum non immemor ſit malorum, & in die malorum memor ſit ſemper bonorum. Poteſt etiam per diem & noctem contemplativa & activa vita intelligi, quæ ambæ continentur in lege Domini.

SERMO LXXIII [*].

[*] al. 36. ex Parvis. Pſal. 13. 1.

Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Deus, licet unus ſit & unum ſit, tamen non ſui varietate, ſed animi noſtri mutatione, guſtantibus nobis diverſos videtur habere ſapores. Sapit enim timenti, juſtitiam & potentiam; ſapit amanti, bonitatem & miſericordiam. Unde & alibi ait idem iſte Propheta: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* Idem quippe eſt audire hoc, quod guſtare: quia utrumque fit una & ſimpliciſſima mente. Itaque ſemel locutus eſt Deus: quia unum genuit Verbum. Ceterum nos per unum Verbum duo hæc audimus ſive ſapimus, *quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* At is quidem penitus inſipiens eſt, cui nec timorem Deus ſapit, nec amorem. Diſcat quantum vult; ego ſapientem non dixerim, dum nec timebit, nec diliget Deum. Quomodo enim dixerimus in ſapientia conſummatum, quem video nec initiatum? Nam, *Initium ſapientiæ timor Domini*: conſummatio amor; media ſibi vindicat ſpes. Cui ergo nec juſtitiam ſapit Deus per timorem, nec miſericordiam per amorem; is plane dicit in corde ſuo, Non eſt Deus. Deum enim non putat, quem nec juſtum, nec pium reputat.

Deus pro diverſitate affectuum variè nobis ſapit.

Pſal. 61. 12.

Pſal. 110. 10. Eccli. 1. 16. & Prov. 1. 7. Inſipiens quis.

[a] VVillelmus Floriegus refert hæc verba lib. 9. cap. 20. Idem cap. 21. refert alia ex num. 3.

SERMO LXXIV[a].

a al. 37. ex Parvis. Pſal. 13. 1. & 52. 7.

COrrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Habet anima corruptionem ſuam[a], habet & corpus ſuam. Corruptio animæ tripertita eſt; quadripertita eſt corporis. Corpus ſiquidem conſtat ex quatuor elementis: anima vero in triplici vi ſubſiſtit. Eſt enim rationalis, concupiſcibilis, iraſcibilis. Rationalis, cujus ſanitas eſt cognitio veritatis, corrumpitur ſuperbia. Corrupta autem fallitur duobus modis: in cognitione ſui, & cognitione Dei. Concupiſcentiam corrumpit vana gloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio; & fit quatuor modis, ſecundum quatuor elementa ex quibus conſtat. Quatuor enim ſunt quæ corpus corrumpunt, curioſitas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus ſingulis maxime vigent ſingula elementa. Nam in oculis eſt ignis: in lingua, quæ vocem format, aër: in manibus, quarum proprie tactus eſt, terra: in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadripertita peſtis: oculos ſcilicet curioſitas, linguam loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic ſunt homines *corrupti & abominabiles*, corrupti in anima, abominabiles in corpore; corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Quatuor genera ſunt hominum, quorum omnium nullum eſt quod faciat bonum, niſi unum. Quidam enim ſunt, qui Deum nec intelligunt, nec requirunt; & hi mortui ſunt. Alii intelligunt quidem, ſed non requirunt; & hi impii ſunt. Alii requirunt, non autem intelligunt; & hi fatui ſunt. Alii vero & intelligunt, & requirunt; & hi ſancti ſunt: de quibus ſolis dici poteſt, quia ipſi ſunt qui faciunt bonum.

Anima corruptio triplex.

Corporis quadruplex.

Elementa in quatuor corporis partibus ſingulariter vigentia.

Hominum quatuor ſortes, quarum una tantum facit bonum.

SERMO LXXV[*].

* al. 38. ex Parvis. Pſal. 15. 1.

MUltiplicata ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Quid diſſimulant homines in vita ſua agere pœnitentiam, & extrema de confeſſione præſu- D munt? Quomodo ſub unius horæ articulo revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & ubique terrarum velut quodam viſco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium ſalvem aliquos: potens ſum enim in momento omnia revocare: ſed *non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus*, id eſt, qui in ſanguine perſeverant, donec multiplicatis infirmitatibus deſerantur à peccatis, antequam deſerant ea. Non magna talium conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone Scripturarum unum Latronem invenies ſic ſalvatum. Noli ergo huic tam periculoſæ exſpectationi credere temetipſum. Et qui- E dem ſpiritus non modo ubi vult, ſed quando vult, ſpirat; nec ei difficile eſt de ſubito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii conſequuntur: ſed unde ſcis, quod tunc tibi ita ſubvenire velit, quem tu interim ſic repellis? Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ: ſed non liberabit maledictum à labiis ſuis. Audi quis ille ſit: *Maledictus qui peccat in ſpe.*

Salutem eorum in mortem uſque differre periculoſum.

Ibid.

Johan. 3. 8.

Sap. 1. 6.

SERMO LXXVI[a].

a al. 32. ex Parvis. Pſal. 20. 3.

PRævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Triplex nobis neceſſaria[b] eſt benedictio, præveniens, adjuvans, & conſummans. Prima miſericordiæ, ſecunda F gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit miſericordia converſionem, adjuvat gratia converſationem, perficit gloria conſummationem. Niſi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra noſtra fructum ſalutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à miſericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia; aut conſummari in bono poſſumus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immerito dulcius ſapit ea, quæ non modo immeritos, A ſed & male meritos prævenit: ut dum adhuc filii ſumus iræ, & operamur opera mortis, ipſe cogitet ſuper nos cogitationes pacis, & ne petentibus[*] quidem, immo & impetentibus[*]; non invocantibus, ſed provocantibus; non interpellantibus, ſed etiam repellentibus, ſpiritum bonum, ſpiritum vitæ, adoptionis ſpiritum largiatur. Quid illi animæ dulce ſapiat, cui miſericordia tanta non ſapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ conſummat, plenitudinis eſt.

b

Benedictio triplex nobis neceſſaria.

Gratiæ neceſſitas ad bonum inchoandum & peragendum.

Tom. III.

* al. pœnitentibus.

* al. impœnitentibus.

SERMO LXXVII[*].

* al. 40. ex Parvis. Pſal. 17. 45.

POpulus quem non cognovi, ſervivit mihi. Non eſſet B magnæ admirationis, ſi populus à Deo cognitus ſerviret illi. Cum vero incognitus illi ſerviat, & in auditu auris obediat, magnæ laudi adſcribendum eſt. Ex hoc genere cognitorum & non cognitorum, & cognoſcentium & non cognoſcentium, ſunt quatuor differentiæ. Quidam enim ſunt qui à Deo cognoſcuntur, & Deum cognoſcunt: alii non cognoſcuntur, nec cognoſcunt: alii cognoſcuntur quidem, ſed ipſi non cognoſcunt: alii non cognoſcuntur, & tamen cognoſcunt. Cognoſcere Dei, eſt felicem facere: cognoſcere hominis, eſt gratias agere. Qui ergo cognoſcuntur à Deo, & Deum cognoſcunt, ſancti Angeli ſunt: qui ab eo felices facti, ejus laudibus ſemper vacant, & ob- C ſequiis deſerviunt. Qui nec cognoſcuntur, nec cognoſcunt, pauperes ſunt neceſſarii: quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat ſervitus divina. Qui autem cognoſcuntur, ſed non cognoſcunt, divites ſunt hujus ſæculi: qui acceptis quidem opibus affluunt, ſed carnalibus deſideriis hujus ſæculi preſſi, numquam ad cæleſtia cor ſuſpendunt. Qui vero non cognoſcuntur & cognoſcunt, pauperes ſunt voluntarii: quos nec tribulatio, nec anguſtia, nec alia quæcumque pericula poſſunt ſeparare à caritate Dei. Et hi nimirum multis modis probantur adverſis, duriſque fatigantur tribulationibus, ſicut ſcriptum eſt: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* D Ex quorum item perſona loquitur Pſalmus: *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Numquid non incogniti videntur, qui orant ut reſpiciantur? Verumtamen licet derelicti videantur, ipſi tamen Deum cognoſcunt; & ex perſona cognoſcentium ſtatim in eodem pſalmo ſubinfertur: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* De his ergo vox divina dicit: *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi.* Acſi aperte diceret Angelis ſuis: Quid, ſi vos mihi ſervitis, quos felices facio, quandoquidem illi mihi ſerviunt, quos in ſua paupertate derelinquo? Et quid, ſi vos mihi obeditis qui faciem meam videtis, cum & illi obediant, qui me tantum audiunt, & non vident? E Vident quippe Angeli, audiunt homines. Audiunt ſcilicet & obediunt, ut quandoque ſimiles Angelis facti, mereantur ipſi quoque videre. Itaque auditus eſt meritum videndi, viſio præmium audiendi. Et prius eſt audire, videre poſterius, ſicut ſcriptum eſt: *Audi filia, & vide.* Quiſquis ergo in futuro Deum videre deſiderat, profecto neceſſe eſt ut in præſenti prius Deum audiat, & in auditu auris obediat.

Hominum quatuor differentiæ, cognitorum & non cognitorum à Deo.

Eccli. 27. 6.

Pſal. 21. 2. Pauperes voluntarii quaſi incogniti & derelicti à Deo.

Pſal. 44. 11.

SERMO LXXVIII[*].

* al. 41 ex Parvis Extat 41. inter Sententias.

TRia ſunt; Tabernacula, Atria, Domus. In tabernaculis ſunt omnes juſti in carne viventes & laborantes: quia tabernacula laborantium ſunt & mili- F tantium. Tabernaculum vero habet tectum, ſed fundamento caret, & portabile eſt: quia juſti in præſentibus non ſunt fundati, ſed inquirunt civitatem, deſurſum fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ eſt fundamentum, non eſt in terrenis, ſed in Domino. Tectum habent, id eſt, munimentum gratiæ & protectionem. Atria ſunt domui vicina, amplitudinem habentia. In illis ſunt animæ ſanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine ſunt, depoſita carnis anguſtia. Atria habent fundamentum, ſed non tectum: quia animæ

Quid Tabernacula, Atria, & Domus, & cui competant.

b Et hunc ſermonem laudat Florilegus lib 8 cap. 8.

Tom. III. *Pſal. 121. 2.*

quæ in amore Dei ſunt, non ruunt, unde *ſtantes erant pedes noſtri*: ſed non habent tectum adhuc exſpectantes augmentum, quod non erit niſi in reſurrectione corporum ſuorum. Poſt ipſam ſane reſurrectionem cum Angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum & tectum. Fundamentum eſt ſtabilitas æternæ beatitudinis, tectum conſummatio & perfectio ipſius.

SERMO LXXIX*.

* al. 43. ex Parvis. *Pſal. 56. 1. Gen. 21. 10. Gen. 22. 2.*

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum. Via regia, Fratres, nec ad dexteram declinat, nec ad ſiniſtram. Porro invenire eſt hominem ſemel quidem paratum, non quidem ſecundo. Si dixerit ei Deus, *Ejice ancillam & filium ejus*, dico autem opera carnis: non cunctatur. Si dixerit, *Immola mihi filium tuum quem diligis Iſaac*: hoc plane jam patienter audire non poteſt, ut fraternæ utilitatis aut unitatis gratia, ſpiritualis ſuſtinere videatur ſtudii detrimenta. Quidni abjiciat facile ſervus Chriſti, quicquid ad corpoream pertineat voluptatem? At vero ſpirituali jucunditate æquanimiter fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ caritatis ratio poſtulat; hoc plane magnum, & Deo gratum offerre eſt holocauſtum. Memento tamen, non Iſaac in hoc ſacrificio, ſed arietem contumaciæ jugulari.

Quàm difficile propriam relinquere voluntatem.

SEMO LXXX*.

* al. 44. ex Parvis. *Pſal. 132. 1.* Unitas multiplex. *Gen. 2. 24. Pſal. 26. 4. Pſal. 67. 6. 1. Cor. 6. 17.*

1. ECce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Eſt unitas naturalis, unitas carnalis, unitas virtualis, unitas moralis, unitas ſpiritualis, unitas ſocialis, unitas perſonalis, unitas principalis. Unitas naturalis eſt inter corpus & animam. Unitas carnalis inter virum & mulierem, de qua dictum eſt: *Erant duo in carne una*. Unitas virtualis eſt, quæ hominem ſibi ipſi conjungit, ut non per diverſa effluat, ſed cum Propheta, unam petat à Domino. Unitas moralis eſt quæ nos conjungit proximo. Unde Pſalmiſta: *Qui habitare facit unius moris in domo*. Unitas ſpiritualis eſt, quæ nos conjungit Deo. Unde Apoſtolus: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. Unitas ſocialis inter Angelos, quibus omnimodis idem velle eſt, idem nolle. Unitas perſonalis in Chriſto. Unitas principalis, quæ & ſubſtantialis, eſt in Trinitate.

Quid & quotuplex bonum jucundum, & contra.

2. *Ecce quàm bonum & quam jucundum.* Sunt quædam bona, & jucunda; ſunt quædam nec bona, nec jucunda: ſunt quædam bona, & non jucunda; ſunt quædam jucunda, & non bona. De bonis & non jucundis pervenitur ad bona & jucunda. De jucundis & non bonis pervenitur ad non bona & non jucunda. Bona & non jucunda ſunt continentia, patientia, diſciplina. Jucunda & non bona, voluptas, curioſitas, & vanitas. Nec bona nec jucunda, invidia, triſtitia, acedia. Bona & jucunda, honeſtas, caritas & puritas. Ad hoc bonum & jucundum obtinendum neceſſaria eſt unitas virtualis, & unitas moralis. Primam diſturbant puſillanimitas & levitas. Puſillanimitas facit propoſitum relinquere, levitas mutare. Alteram obſtinatio, ſuſpicio & ſimulatio diſturbant. Obſtinatio non recipit proximum, ſuſpicio non credit proximo, ſimulatio non ſe jungit proximo. Spes æternorum expellit puſillanimitatem, humilis obedientia levitatem. Obſtinatio humilitate, ſuſpicio & ſimulatio caritate pelluntur.

Unitas duplex. Duo oppoſita.

SERMO LXXXI*.

* al. 45. ex Parvis. *Eccli. 15. 9.*

NOn eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Etiam quæ eſt in ore peccatoris pœnitentis, non videtur ſpecioſa: quia adhuc de peccati recordatione & memoria confuſionem patitur, & frequenter inde compungitur. Sed tamen in eo eſt utilis & fructuoſa confeſſio, etſi non ſpecioſa decoraque laudatio. Poſtquam vero de beneficiis Dei proficiens adhæret divinæ laudi, & in ea aſſiduæ delectatur & proficit, ita ut nihil aliud placeat ei: tunc in ore ejus eſt ſpecioſa laus Dei, ad ſimilitudinem agricolæ, qui dum ſtercorat agrum ſuum, totus in luto eſt & ſtercoribus, & non eſt pulcher labor ejus, etſi ſit fructuoſus: quando colligit manipulos ſegetis, tunc labor eſt ſpecioſius & dulcis.

Simile.

SERMO LXXXII*.

* al. 46. ex Parvis.

De diligenti cuſtodia cordis.

Prov. 4. 23. Rom. 10. 10. Rom. 1. 17. Matth. 5. 8. Joan. 17. 3. Epheſ. 3. 17. Coloſſ. 3. 4. Philipp. 3. 21. 1. Joan. 3. 2.

1. OMni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Duobus autem ª modis vita à corde procedit: aut quia corde creditur ad juſtitiam; & juſtus ex fide vivit; & fide mundatur cor; & mundo corde Deus videtur, id eſt agnoſcitur; & hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te unum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum: aut quia Chriſtus vita noſtra, qui nunc per fidem habitat in cordibus noſtris, erit cum apparebit, & nos cum ipſo apparebimus in gloria: & qui nunc latet in corde, tunc quaſi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Unde & alius Apoſtolus ait: *Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.*

Prov. 4. 23. Galat. 6. 8. Animæ caſtrum quàm multipliciter impugnatur. *Hebr. 10. 31. Job 31. 23.*

2. Sed conſiderandum eſt quomodo dicat: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* Solent dicere homines hujus ſæculi: Bonum caſtellum cuſtodit, qui corpus ſuum cuſtodit. Nos autem non ſic: ſed ſterquilinium vile cuſtodit, qui cuſtodit corpus ſuum, Apoſtolo teſte: *Quoniam qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: qui vero*, inquit, *in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Ac ſi dicat, colendum, cuſtodiendum magis animæ caſtrum, quoniam æterna ex ipſo vita procedit. Sed caſtrum iſtud in terra inimicorum ſitum undique impugnatur: & idcirco omni cuſtodia, id eſt ex omni parte, vigilanti ſollicitudine eſt muniendum, inferius, ſuperius, ante & retro; à dextris & ſiniſtris. Inferius impugnat concupiſcentia carnis, quæ militat adverſus animam; quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Superius imminet judicium Dei: Horrendum eſt enim incidere in manus Dei viventis. Sollicite ſatis hac parte cor ſuum cuſtodierat, qui dicebat: *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Retro mortifera delectatio eſt, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum: ante, inſtantia tentationum: à ſiniſtris vero arrogantium fratrum & murmurantium inquietudo: à dextris obedientium fratrum devotio. Poſſunt enim hi quoque (niſi caveatur) duobus nocere modis: aut bonis eorum actibus invidendo; aut ſingularem gratiam æmulando.

Quibus armis reſiſtendum. 1. Cor. 11. 31.

3. Vigilet ergo adverſus carnem rigor diſciplinæ: contra judicium Dei, judicium propriæ confeſſionis; & hoc ſit duplex, manifeſtum de manifeſtis, occultum de occultis. Unde ait Apoſtolus: *Si noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Contra delectationem, quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis: contra inſtantiam tentationis, inſtantia ſupplicis orationis: contra fratrum inquietudinem, patientia & compaſſio: adverſus obedientium fratrum fervorem, congratulatio & diſcretio. Congratulatio enim expellit invidiam, diſcretio nimiam æmulationem.

SERMO LXXXIII*.

* al. 47. ex Parvis. *Prov. 25. 16.*

MEl inveniſti? noli multum comedere, ne forte ſatiatus evomas illud. Poteſt non incongrue hoc loco mellis nomine favor humanæ laudis intelligi: meritoque non ab omni, ſed immoderato mellis hujus edulio prohibemur. Eſt enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ dumtaxat intuitu caritatis, & ad ſalutem eorum, qui nobis propterea faciliùs acquieſcunt. Hac ergo parcitate ſervata, mellis hujus moderata comeſtio non nocebit. Si quid vero amplius eſt, à malo eſt, & in perniciem convertetur. Invento enim melle immoderatius veſcitur, quiſquis apponens omnino cor ſuum, favore humanæ laudis inflatur, incraſſatur, impinguatur: à quo ſe Propheta ſanctus cuſtodiri deprecatur à Domino, non quidem mellis, ſed olei ſatis

Laudes humanæ quomodo admittendæ.

ª Florum collector hunc locum habet lib. 7. cap. 45.

vicina appellatione ipſum quem prædiximus favorem exprimens, ubi ait: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vis noſſe quando evomat immoderatus epulator mellis edulium, quod uſque ad ſatietatem ſumens, modum parcitatis exceſſit? Tunc ſine dubio laudes, quibus ſatiabatur, non alium fructum quærens, ſed favore ipſo contentus humano; tunc, inquam, multa cum anxietate evomit, quod cum pernicioſa delectatione comedit, cum alium quemlibet laudari audiens invidia contabeſcit. Mens enim dedita vanitati, & arrogantia tumens, laudem alterius, ſuam reputat vituperationem.

Pſal. 140. 5.

SERMO LXXXIV*.

* al. 48. ex Parvis.

1. DUo loca ſunt animæ rationalis: inferior, quem regit; & ſuperior in quo requieſcit. Inferior quem regit, corpus; ſuperior, in quo quieſcit, Deus. De utroque poteſt recte intelligi quod ſcriptum eſt: *Si aſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habentis, locum tuum ne dimiſeris:* vel inferiorem ſcilicet, regendo; vel ſuperiorem, quieſcendo. Sed hoc quod prius dixi, convenit rudibus adhuc & imperfectis, quibus loquitur Apoſtolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Habet quippe anima tria facere in corpore, vivificare, ſenſificare, regere. Sed ſive auferatur vita, ſive ſenſus perturbetur, de neutro condemnatur. Sin vero tentatori victa ſuccumbit, hoc illi ad peccatum reputatur. Dicitur ei ergo ne aſcendente ſuper eam ſpiritu, locum ſuum deſerat, hoc eſt ne ingruente tentatione membra ſua arma iniquitatis peccato exhibeat.

Eccli. 10. 4. — Rom. 6. 19. — Animæ tria erga corpus officia.

2. Notandum autem quod dicitur: *Si aſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habentis.* Nihil quippe adverſus nos malignus ſpiritus poteſt, niſi miſſus aut permiſſus. Unde cum ejus ſit voluntas ſemper mala: numquam poteſtas eſt niſi juſta. Nam voluntas quidem mala ex ſeipſa ſibi ineſt, poteſtatem vero non aliunde quàm à Deo habet. Quam tamen poteſtatem ſemper moderatur Dominus, ne ſcilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quàm eorum exigunt merita qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta ſint. Ceterum de ſuperiori hoc intelligitur, ne quietem mentis, quam in Deo habet, tentante diabolo deſerat, ſed undecumque ille tentaverit, ipſa in Deo fixa conſtanter in tranquillitate permaneat. Hæc poſterior ſententia convenit perfectis, qui cum Elia dicere poſſunt: *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto.* Et illud de Johanne Apoſtolo, *quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Hæc, inquam, ſententia convenit perfectis, qui jam in ſua converſatione quodam modo imitantur ſtatum æternitatis.

Voluntas diaboli ſemper mala; poteſtas numquam niſi juſta & à Deo limitata. — 4. Reg. 3. 14. — 1. Johan. 4. 17.

SERMO LXXXV*.

* al. 49. ex Parvis.

SIve ad auſtrum, ſive ad aquilonem arbor ceciderit, ibi erit. Auſtri calor & lenitas in ſacra Scriptura bonam ſolet habere ſignificationem: ab aquilone vero panditur omne malum. Porro homines ſicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte: & quocumque ceciderit, ibi erit; quia ibi te judicabit Deus ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter & irretractabiliter. Videat quo caſura ſit antequam cadat: quia poſtquàm ceciderit, non adjiciet ut reſurgat, ſed nec ut ſe vertat. Quo vero caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos ejus attende. Unde major eſt copia ramorum & ponderoſior, inde caſuram ne dubites, ſi tamen fuerit tunc exciſa. Rami noſtri, deſideria noſtra ſunt: quibus ad Auſtrum extendimur, ſi ſpiritualia fuerint: ſi carnalia, ad Aquilonem. Quæ vero præponderent, medium corpus indicat. Ea namque præponderant, quæ ſecum traxerint corpus. Sic enim eſt corpus noſtrum inter ſpiritum cui ſervire debet, & carnalia deſideria quæ militant adverſus animam, ſive poteſtates tenebrarum, ac ſi vacca ſit inter raptorem & ruſticum conſtituta. Quicquid ille minetur, quicquid intendat, ſi vaccam non duxerit, ruſticus vicit. Sic quantumcumque ſæviat malignus, quantumcumque prava deſideria crucient; ſi vas ſuum ſibi vindicat anima, viciſſe credenda eſt, ut, quemadmodum ait Apoſtolus, *Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore:* ſed ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ſic exhibeamus ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*.

Eccle. 11. 4. — Jerem. 1. 14. — Marc. 8. 24. — Mors mala incorrigibilis. — Mortis qualitas quo indicio colligenda. — Simile. — Tom III. — Rom. 6. 12. — * V. S. Greg. l. 12. Mor. c. 4.

SERMO LXXXVI*.

* al. 51. ex Parvis, 20. inter Sentent. — Sap. 11. 21.

1. OMnia feciſti in pondere, & menſura, & numero. Ad differentiam ipſius divinæ eſſentiæ dictum eſt. Creaturæ enim in pondere, & menſura, & numero factæ ſunt: ſolus Creator his omnibus caret. Pondus in dignitate rei conſideratur. In pondere igitur facta eſt, quæ rei ſui generis eſt comparanda, aut ſecundum majus, aut ſecundum minus, aut ſecundum æquale. Pondus habet, quæ quanti valeat æſtimari poteſt. Menſura vero in loco & tempore conſideratur. Quod ſi locum ſolum accipimus corporalem, incorporeorum menſura in tempore erit, & non in loco. Neque enim anima in loco poteſt eſſe corporeo; nec corpus, de quo magis videtur, locus animæ eſt. Quomodo enim corpore clauditur, quæ ſic vegetat exteriora, ſicut interiora. Sic eſt in ſuperficie cutis, ſicut in viſceribus intimis.

Anima non eſt in corpore ut in loco.

2. Sed ex affectione carnali & conſuetudine corporum ſic errat anima, ut ſeipſam neſciat niſi corpoream cogitare. Ubi eſt enim theſaurus ejus, ibi eſt & cor. Hoc ſapit quod diligit. Affectionibus ſiquidem obligata & illita terrenis, ſuam ipſius faciem conſiderare non poteſt. Infixa eſt in limo profundi, & ſeipſam non videt, ſed putat formam ſuam eſſe luteam illam quam portat imaginem. Sed omnino aliter eſt: & aliter conſideratur menſura animæ ſecundum locum. Locus ſiquidem unicuique rei, finis eſt ſuæ ſubſtantiæ. Subſtantia vero animæ in ratione, in memoria, in conſilio, in judicio, ceteriſque ſimilibus eſt: quæ omnia ſuo quoque fine clauduntur. In menſura eſt ergo factus omnis ſpiritus, præter divinum: quia & ratio ejus, & memoria, & cetera omnia ſuam habent menſuram. In numero facta ſunt omnia, vel ſecundum partium compoſitionem, ut ſunt corpora: vel ſecundum varietatem & mutabilitatem, ut ſunt etiam incorporea. Solus Deus eſt, in quem nec pondus, nec menſura cadit omnino, nec numerus. Unus Deus eſt, non habet ſui generis cui valeat comparari. Unus eſt & ſolus ipſe penitus inæſtimabilis: æternus quoque & immenſus, indiviſus & omnino invariabilis.

Matth. 6. 21. — Omnia facta in pondere, menſura & numero præter Deum.

SERMO LXXXVII*.

De oſculo Sponſi, ſeu gratia contemplationis.

* al. 52. ex Parvis. Confer. hunc cum ſerm. 3. & 4. in Cant. — Cant. 1. 1.

1. OSculetur me oſculo oris ſui. Tria ſunt oſcula: primum, pedum: ſecundum, manuum: tertium, oris. Cum primo convertimur, pedes Domini oſculamur. Duo autem ſunt pedes Domini, miſericordia & veritas. Hunc utrumque pedem Deus convertentium cordibus imprimit, & utrumque pedem peccator quiſque, ſi vere convertitur, amplectitur. Si enim ſolam miſericordiam ſine veritate reciperet, per præſumptionem caderet. Rurſus ſi veritatem ſine miſericordia reciperet, nihilo minus per deſperationem periret. Sed ut fiat ſalvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur: ut per veritatem peccata damnet, & per miſericordiam veniam ſperet: & hoc primum oſculum. Secundum oſculum fit, cum primum ad bona opera conſurgimus. Tunc manus Domini oſculamur, cum ei noſtra bona opera offerimus; vel cum ab eo virtutum dona recipimus. At vero tertium oſculum tunc fit, cum jam conſumpto luctu pœnitentiæ, jam acceptis virtutum donis, mens cæleſti deſiderio inſpirata, ad ſecreta interioris cubiculi gaudia impatiens amoris introduci deſiderat: cum dulcibus ſuſpiriis, vocem animi interrumpentibus, pio cordis affectu decantat: *Vultum tuum Domine requiram.* Et ita ex vehementi deſiderio fit ei præſens ſponſus: quem ſic amat,

Duo pedes Domini, miſericordia & veritas. — Oſculum triplex. — Pſal. 26. 8.

Tom. III. quem ſic affectat, cui ſic ſuſpirat. Primum itaque oſculum ſit in remiſſione peccatorum, & dicitur propitiatorium. Secundum ſit in donis virtutum, & vocatur muneratorium. Tertium ſit in contemplatione cœleſtium, & vocatur contemplatorium.

Contemplationis duo genera.

2. Sciendum eſt autem eſſe duo genera contemplationis. Quidam enim ſunt qui aſcendunt, & cadunt: alii vero qui rapiuntur, & deſcendunt. Aſcendunt ſicut illi, de quibus ſcriptum eſt: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Gratias non egerunt: quia viribus ſuis & ingenio tribuerunt quod Deus revelavit illis. Ideo ſequitur caſus eorum: *& evanuerunt in cogitationibus ſuis. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Electi vero rapiuntur, ſicut Paulus & ſui ſimiles. Sed & deſcendunt, ut ea quæ per exceſſum mentis viderint, loquantur parvulis: eo ſane modo quo capiantur ab ipſis. Rapitur Paulus cum dicit: *Sive mente excedimus, Deo.* Deſcendit cum dicit: *ſive ſobrii ſumus, vobis.* Hoc poſteriori genere contemplationis rapi deſiderat anima perfecta in caſtiſſimos amplexus ſponſi ſui, dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi diceret: Ego non viribus meis, non induſtria, non meritis ad contemplanda gaudia Domini mei aſſurgere valeo: ſed ipſe *oſculetur me oſculo oris ſui*, id eſt ejus gratia fiat; non per doctrinam, non per naturam, ſed per gratiam ſuam *oſculetur me oſculo oris ſui.* Miro autem modo gratiam operantis, & opus, & modum operis eleganter expreſſit. Cum enim dicit, *oſculetur*, operantia gratia monſtratur: cum autem ſopponit, *oſculo*; ipſum opus, id eſt contemplatio, deſignatur: cum vero adjungit, *oris ſui*; modum operis, ſcilicet quo fiat contemplatio, evidenter expreſſit. Per os quippe verbum intelligitur.

Rom. 1. 21. Ibidem. 2 Cor. 5. 13. Ibid. Cant. 1. 1.

Contemplatio fit ex condeſcenſione Verbi Dei ad humanam naturam.

3. Fit autem contemplatio ex condeſcenſione Verbi Dei ad humanam naturam per gratiam, & exaltationem humanæ naturæ ad ipſum Verbum per divinum amorem. Nec abſurdum cuiquam videri debet, ſi in contemplatione Verbi Dei hæc ita diſtinguamus: cum ejuſdem quoque Verbi Dei incarnationem eodem ordine factam Evangelium teſtetur. Ibi etenim gratia præmittitur, cum ab Angelo Virgo ſalutatur: *Ave*, inquit, *gratia plena.* Etenim cujus ſit, & quanta ſit ipſa gratia, ſubjungit, dicens: *Dominus tecum.* Opus etiam ejuſdem gratiæ ſubinfertur, cum dicitur: *Benedictus fructus ventris tui.* Fructus namque ventris tui, incarnatio eſt Verbi. Modus vero tanti operis edocetur, ubi dicitur: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* In quibus operibus Verbi, ſive his quæ de Evangelio protulimus, ſive his quæ de Canticis canticorum expoſuimus; manifeſte ſtat, & iſtam ſcilicet incarnationem ex ſola ubertate divinæ gratiæ eſſe factam: nec illam, id eſt contemplationem, quandoque humana voluntate, ſed divino tantum munere provenire poſſe.

Luc. 1. 28. Ibidem. 35

Contemplatio tribus modis diſtinguitur.

4. Et notandum, quod hæc ipſa contemplatio tribus modis pro diverſo ſtatu temporum diſtinguitur. Et primo quidem vocatur cibus, ſecundo potus, tertio ebrietas. Unde & in conſequentibus electi quoque voce ſponſi invitantur, dicentis: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi.* Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Poſtmodum vero corpore exuti, & in cælum tranſlati, jam bibere dicuntur eadem quæ prius comederant: quia jam per ſpeciem contemplantur ſine labore, quæ prius per fidem crediderant, dum in corpore poſiti peregrinarentur à Domino, & in ſudore vultus ſui veſcerentur pane ſuo: ſicut & nos facilius ſumimus ea quæ bibimus, quàm illa quæ mandimus: quia in illis nonnullus labor, in his levis eſt tranſitus. In hoc ergo ſtatu poſiti ſancti bibere quidem poſſunt, ſed inebriari non poſſunt: quoniam à perfectiſſima contemplatione divinitatis quodam modo retardantur, dum adhuc reſurrectionem ſui corporis in fine ſeculi præſtolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil ſit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari poſſit. Prima itaque invitatione qui co-

Cant. 5. 1.

Beati contemplationis perfectione ante reſurrectionem corporum non potiuntur.

a V. ſupra Serm. 41. num. 3.

A medunt, vocantur amici, id eſt cari: in ſecunda quia bibunt, cariores: in tertia quia inebriantur, cariſſimi.

5. *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* Duo ſunt ubera ſponſæ, unum congratulationis, alterum compaſſionis. Unde Apoſtolus his duobus parvulos fovens, *gaudere*, ait, *cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Vinum accipitur deſiderium ſæculare, de quo ſcriptum eſt: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

Cant. 1. 1. Rom. 12. 15. Deut. 32. 33.

6. *Fragrantia unguentis optimis*, innuit quod aliqua ſunt unguenta bona, aliqua meliora, quibus omnibus ſuperferantur hæc optima. Dicamus ergo tria genera eſſe unguentorum. Primum ſit de recordatione pecca-

B torum, cum pro ipſis compungimur, & veniam petimus. Et hoc unguentum bonum eſt: quia cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Effunditur autem ad pedes Domini, ibique remunerationem accipit, ſcilicet remiſſionem peccatorum, cum Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Secundum onguentum ſit de recordatione beneficiorum Dei. Et hoc recte ad caput effunditur: quia virtutes non niſi ad Deum, à quo ſunt, referuntur. Hoc autem unguentum jam carius eſt: quia de hoc ſcriptum eſt: *Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? Poterat enim venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus.* Sed hanc perditionem approbat Domi-

C nus, cum dicit: *Sinite eam. Quid illi moleſti eſtis? Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Non ſolum approbat, ſed etiam remunerat, cum dicit: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Tertium ergo onguentum componitur de pretioſis aromatibus, ſicut de quibuſdam ſanctis mulieribus ſcriptum eſt, quod *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.* Sed hujus tertii unguenti non ſit aliqua effuſio vel perditio: quia noluit Dominus illud ſuper corpus ſuum mortuum effundi, ſed ſervari vivo corpori ſuo, id eſt Eccleſiæ ſanctæ, cui nimirum mulieres, quæ cum unguentis vene-

D rant, mittuntur reſurrectionem evangelizare. Primum itaque unguentum vocatur unguentum compunctionis, & abſumitur igne contritionis: ſecundum devotionis, & abſumitur igne caritatis: tertium vocatur unguentum pietatis, quod non abſumitur, ſed integrum conſervatur.

Unguentorum triplex genus. Compunctionis. Pſal. 50. 19. Luc 7. 47. Devotionis. Matt. 26. 8. Ibid. 10. Ibid. 13. Pietatis. Marc. 16. 1. a Serm. 10. Cant.

SERMO LXXXVIII[a].

a al. 53. in Parv.

De recto uſu donorum Dei.

1. SIcut de Chriſto duo ſunt, unum nobis incognitum, ſcilicet generatio divina, de qua ſcriptum eſt, *Generationem ejus quis enarrabit?* alterum co-

E gnitum, ut generatio vel opera humana: ita etiam de Spiritu-ſancto aliud ejus noſtris eſt mentibus occultum, ſcilicet, quomodo procedat à Patre & Filio, cum ſit æqualis & coæternus eidem Patri & Filio: aliud vero ipſo docente manifeſtum, videlicet quibus modis operetur gratiam ſuam in nobis. Duplex quippe eſt operatio ſancti Spiritus. Operatur enim in nobis aliud propter nos; aliud propter proximos. Propter nos, id eſt propter utilitatem noſtram, operatur in nobis primo compunctionem, conſumendo peccata: ſecundo devotionem, ungendo & ſanando vulnera: tertio creando intellectum, tamquam pane confirmat nos & roborat: quarto hæc ipſa multiplicius augendo, &

F amorem infundendo, quaſi vino inebriat. Cetera chariſmata, id eſt ſapientiæ conſilia, & hujuſmodi, dantur nobis ad utilitatem aliorum. Unde Apoſtolus cum de diſtributione donorum loqueretur, non ait ſimpliciter, *Alii datur* ſapientia, alii ſcientia, ſed addidit dicens *ſermo ſcientiæ, ſermo ſapientiæ*: ut oſtenderet quod hujuſmodi dona propter alios dantur, ſcilicet ut alii ædificentur.

Iſa. 53. 8. Spiritus-ſanctus alia operatur propter nos, alia propter proximos. 1. Cor. 12. 8.

2. In quibus operibus cavendum eſt duplex periculum: ne vel illa quæ dantur propter nos, dividamus proximis: vel illa quæ propter proximos, reſervemus

In donis Spiritus-ſancti ubi cavendum, duplex periculum. Eccli. 20. 32.

nobis. Si enim quæ pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantum nobis, caritatem non habemus, & dicitur nobis: *Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Rurſus ſi de donis Dei volumus innoteſcere hominibus, non Deo in occultis cordis placere; humilitatem perdimus, & merito illa voce increpamur: *Quid habes quod non accepiſti?* Sic utroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo caritatem. Et quis ſine humilitate & caritate poteſt ſalvus fieri? Rectus ergo profectus noſtri ordo eſt, ut illis donis, ſcilicet compunctione & ceteris, ſtudeamus impleri primum: deinde ſi per gratiam Spiritus-ſancti cetera ſupercreverint, id eſt ſapientia & ſcientia, curemus illa proximis partiri. Ita ſane obtinebimus illud Spiritus-ſancti donum, quod vocatur diſcretio ſpirituum, ſi & ea quæ nobis tantum congruunt, nobis reſervemus: & ea quæ ad aliorum utilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximis.

1. Cor. 4. 7.

SERMO LXXXIX*.

* al. 54 ex Parvis.

De oſculo à ſponſa deſiderato, id eſt Spiritu-ſancto.

Cant. 1. 1. Matt. 11. 27.

1. OSculetur me oſculo oris ſui. Os Patris intelligitur Filius. *Nemo autem novit Filium niſi Pater, & nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* At vero cuicumque fit iſta revelatio, ſive Patris, ſive Filii, non fit niſi per Spiritum-ſanctum. Hinc eſt quod cum Petrus dixiſſet Domino, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi:* ille reſpondit, *Beatus es Simon Barjona*, quod interpretatur, filius columbæ: *quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.* Et Apoſtolus cum præmiſiſſet, quod *oculus non vidit, & auris non audivit*, & cetera; ſtatim ſubjunxit, *nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Videtur ergo ſponſa gratiam habere Spiritus-ſancti, per quam cognoſcat Filium æqualem Patri. Nec dicit, *Oſculetur me* ore ſuo, quod ſolius Filii eſt dicere, non cujuſquam creaturæ, quippe quæ nullo modo poteſt eſſe æqualis Patri: ſed *oſculo oris ſui.* Porro oſculum commune eſt oſculantis & oſculati. Si igitur ſe invicem oſculantur Pater & Filius, quid eſt eorum oſculum niſi Spiritus-ſanctus?

Oſculum Patris & Filii Spiritus-ſanctus. Matt. 16. 17. 1. Cor. 2. 10.

2. Hoc itaque flagrat ſponſa oſculari: *Oſculetur me*, inquiens, *oſculo oris ſui.* Hoc oſculum teſtatur etiam Paulus eam accepiſſe, cum dicit: *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba, Pater.* Hoc oſculum pollicebatur & ipſe Salvator, cum ad inſtantiam orationis exhortaretur diſcipulos: *Si vos*, inquit, *cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona.* id eſt *Spiritum bonum, petentibus ſe?* Ex hujus oſculi impreſſione ſuſcipit anima rationalis ab ipſo ſponſo ſuo Verbo Dei cognitionem, & amorem veritatis, quæ duo quaſi labia imprimit ei ipſa Dei virtus & Dei ſapientia. Siquidem ſapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet & ipſa anima ſimiliter duo labia, quibus oſculatur ſponſum ſuum, id eſt rationem & voluntatem. Rationis eſt percipere ſapientiam, voluntatis virtutem. Si ſola ratio percipiat ſapientiæ cognitionem, & voluntas non habet virtutis amorem, non eſt plenum oſculum: aut ſi ſola voluntas obtineat amorem, & ratio minime percipiat cognitionem, nihilo minus eſt ſemiplenum. Tunc vero plenum & perfectum eſt, quando & ſapientia illuſtrat rationem, & virtus afficit voluntatem.

Gal. 4. 6. Per oſculum ſponſa deſiderat cognitionem Verbi Dei, & veritatis amorem. Matt. 7. 11.

Confer ſerm. 8 in Cant.

SERMO XC*.

* Sermonibus 55 & 56. ex Parvis inter Sententias rejectis, hic ex 57. & 58 conflatus eſt, exſtantque ad verbum in Tract. de Amore à n. 5 quem habes Tomo 5 col. 263.

De triplici unguento, Compunctionis, Devotionis, Pietatis.

1. DUo ſunt pedes Dei, miſericordia & judicium. His circuit & perambulat jugiter ſpirituales mentes, exſultans ut gigas ad currendam viam: ſi tamen tales ſunt, de quibus merito dicat: *Habitabo in illis, & deambulabo in eis.* Hos ergo pedes primo ungit anima peccatrix illo primo unguento, quod dicitur compunctionis. Denique Maria, quæ peccatrix erat, unxit pedes Jeſu. Nec mediocre ſane unguentum hoc videatur, de quo ſcriptum eſt: *Et domus impleta eſt ex odore unguenti.* Nec mirum, cum etiam in cæleſtibus ſentiatur hujuſmodi unguenti fragrantia, Veritate atteſtante quæ ait: *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Verum quantumlibet unguentum hoc pretioſum videatur, tamen comparatum alteri, quod appellatur devotionis, & conficitur ex memoria beneficiorum divinorum, quo & ungitur caput Domini, vile & nullius pretii intelligitur. Denique de illo dicitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* De iſto vero: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Caput ex eo ungis, cum de ſuis donis Deo gratias agis: ſiquidem caput Chriſti, Deus. Deitas ergo in Chriſto tangitur, quoties ad laudem ipſius ejus beneficia memoramus: ſicut non tam deitas quàm humanitas neceſſe eſt ut cogitetur, cum non ejus dona, ſed noſtra peccata recordamur.

Tom. 3. Duo pedes Dei miſericordia & judicium. 2. Cor. 6. 16. Unguentum compunctionis. Johan. 12. 3. Luc. 15. 10. Unguentum devotionis. Pſal. 50. 19. Pſal. 49. 23. 1. Cor. 11. 3. Illud pedibus, hoc capiti convenit.

2. Nam in carnis aſſumptione duos illos pedes ad hoc accepiſſe cognoſcitur, id eſt miſericordiam & judicium, ut peccator, qui ad caput, id eſt ad deitatem, acceſſum non habebat, ad pedes, id eſt ad humanitatem, accederet. Niſi enim pes ille, quem diximus miſericordiam, ad hominem aſſumptum pertineret, Paulus de illo non diceret: *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, ut miſericors fieret.* Et niſi judicium æque ad hominem pertineret, ipſe homo Deus de ſeipſo non dixiſſet: *Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Itaque ad hos pedes viri doloris, & ſcientis infirmitatem, peccator accedere non dubitans, fidenter loquitur: *Nunc autem cum fiducia accedamus ad thronum gratiæ. Non enim habemus Pontificem, qui non ſciat compati infirmitatibus noſtris.* Peccatrix ergo ad pedes, juſta ad ungendum caput accedit. Tanto autem unguentum capitis illo alio, quod pedibus apponitur, pretioſius eſt æſtimandum, quanto ſpecies quibus conficitur, illis conſtat eſſe pretioſiores. Has quippe facile & abſque labore in noſtra regione reperimus. Peccatores ſiquidem omnes ſumus. Porro illas difficile ac de longinquo valde, utpote de paradiſo Dei, aſportatas ſuſcipimus. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quid denique hujuſcemodi unguento excellentius, de cujus effuſione etiam Apoſtoli murmuraſſe dicuntur, dicentes: *Ut quid perditio hæc? potuit enim venundari, & dari pauperibus.*

Chriſti caput Deitas, pedes humanitas. Heb. 4. 15. Johan. 5. 27. Hebr. 4. 16. Unguentum capitis quanto pretioſius altero pedum. V. Serm. 12. in Cant. n. 16. Jac. 1. 17. Matt. 26. 8.

3. Sed & nunc quoque cum forte videtur quiſpiam vacare Deo, tantæque devotionis & gratiæ, ut merito credatur ungere caput Chriſti, perſiſtens jugiter in ſancta quiete, & gratiarum actione, & divinæ delectatione devotionis; non deſunt qui hoc perditionem dicant, & juſto, ut ſibi videtur, murmure conqueruntur, quod is qui pluribus prodeſſe poterat, quieſcat ſibi: non quod ſanctitati invideant, ſed quod provideant caritati. Ceterum ipſa caritas Deus hujuſcemodi animæ plerumque parcit, quam videt ſpiritualibus ſtudiis delectari, maximeque ſi talem eam noverit, quæ adhuc puſillanimitate & imbecillitate ut mulier ſit, & necdum in virum perfectum profecerit. quod utique melius ipſe diſcernit qui intuetur cor, quàm homines qui in facie tantum vident, & ſecundum faciem judicant, cum videlicet minime attendunt, non eſſe ejuſdem facilitatis devote quieſcere, & fructuoſe occupari: humiliter ſubeſſe, & utiliter præeſſe: regi ſine querela, & regere ſine culpa: obedire ſponte, & imperare diſcrete: bonum denique eſſe inter bonos, & bonum inter malos: immo etiam eſſe pacatum inter filios pacis, & his qui oderunt pacem, exhiberi pacificum. Sciens ergo Jeſus qui ſint, quive non ſint idonei implicari curis; pro tali delicata anima, quam pro ſui adhuc teneritudine tractandis negotiis minus ſufficere ſentit, adverſus aliud ſentientes, & ob hoc ejus quietem, tamquam infructuoſam, bono quidem zelo, ſed non ſecundum ſcientiam inſimulantes, ipſo reſpondet effectu: *Quid moleſti eſtis*

Contemplativæ alii, alii activæ vitæ magis idonei. Deus ſolet unicuique juxta capacitatem novit.

Tom. III. *huic mulieri?* Nam etſi (quod fatendum eſt) melius A eſt ad quod illam trahere tentatis, bonum tamen opus eſt quod operata eſt in me. Sinite eam interim operari bonum quod poteſt. Novi enim ego quod adhuc mulier ſit. Cum autem mutatione dexteræ Excelſi de muliere factus fuerit vir, (quod & me, quando tamen erit, latere non poterit, quia me provocante promovebitur, me quoque ſervante tenebitur:) tunc melior erit iniquitas viri, quàm nunc benefaciens mulier. Unde & illud melius ſpero. Nec reputo perditionem unguenti hujus effuſionem, in quo & mulieris devotio deſignatur, & mea præfiguratur ſepultura. Huc accedit, quod tam late ſuam fragrantiam circumquaque diffundit: quare ubicumque prædicatum fuerit B hoc Evangelium, dici etiam habeat, quod & hæc fecit in ejus commemorationem.

Eccli. 42. 14.

Matt. 26. 13.

Unguentum tertium pietatis.

4. Jam ad tertium unguentum accedamus. Sane in duorum præmiſſorum alterutra collatione, priore ſequens abſque omni ambiguitate cognoſcitur eſſe melius, longeque excellentius. Illud autem mirum videtur, ſi tertium aliquod inveniri queat, quod ambobus jure debeat anteponi, juxta quod optimum unguentum ſponſa ſua redolere ubera glorietur. Alioquin optima non ſunt, ſi non vincunt & meliora: ſicut & meliora veraciter non dicuntur, niſi quæ ſuperant bona. Porro tantæ excellentiæ unguentum illud ſecundum, quo caput ungitur, inventum eſt, ut vix qualibet C ei divitiæ, non dico præferri, ſed nec ſaltem conferri poſſe videantur. Ego tamen non crediderim ſponſam eſſe mentitam; quippe quæ habeat ſponſum ipſam Veritatem, cujus & hic verba loquitur, qui utique ſicut fallere non vult, ita nec falli poteſt. Alioquin fruſtra deſiderat & ſuſpirat veritatis amplexibus jungi, mentiens veritati. Quæ enim mendacio ſocietas cum veritate? Quin potius veritas perdit omnes qui loquuntur mendacium.

Pſal. 5. 7.

5. Fortaſſis in Evangelio ſi quærimus, inveniemus præceſſiſſe & hujus figuram. *Maria*, inquit, *Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.* Videſne in prima fronte propo- D ſiti capituli, quanti æſtimandum ſit etiam hoc materiale unguentum, cujus aromatibus comparandis non una vel duæ ſufficere potuerunt? Una primum, una & ſecundum attulit unguentum. Ad hoc autem comparandum & præparandum tres pariter convenerunt, ut ſimul videlicet emerent quod per ſe ſingulæ non poterant, & ſic venientes ungerent Jeſum. Non ſolum pedes, aut ſolum caput, ſed, *ut venientes*, inquit, *ungerent Jeſum*, id eſt totum corpus. Sed attende, quod tam pretioſi hujus unguenti Chriſtus pati noluerit perditionem fieri: & ideo non invento corpore reportarunt illud, & juſſæ ſunt exhibere vivo, quod præparaverant mortuo. Quod & fecerunt, cum protinus E nuntiato gaudio reſurrectionis, Diſcipulorum, qui proculdubio membra Chriſti, & membra viva erant, triſtia corda delinire curarunt. Quæ utique membra niſi plus illo crucifixo corpore Chriſtus diligeret, pro his illud crucifigendum non tradidiſſet. Liquet itaque, quod duo illa tanto hoc ultimum præcellit unguenta, quanto Chriſtus hoc ſuum corpus, id eſt Eccleſiam, cui exhibetur, illo quod ex eo ungi voluit, quod & propter hujus redemptionem tradi voluit, conſtat eſſe amabilius.

Marc. 16. 1.

Cur Chriſtus noluerit ſuū corpus mortuum ungi per mulieres.

Chriſtus myſticum ſuum corpus pluſquam verum dilexit.

SERMO XCI*.

*Conſtat ex Parvis Serm. 60. & 61.

De tribus emiſſionibus.

Cant. 4. 13. Emiſſiones tres. Prima eſt Pœnitentia ſæcularium.

1. *Emiſſiones tuæ paradiſus.* Vox illius cæleſtis Jeruſalem, congaudentis huic quæ peregrinatur in terris. Sunt autem tres emiſſiones. Prima conjugatorum, pœnitentium in mundo: ſecunda converſorum continentium in clauſtro: tertia Prælatorum prædicantium, & orantium pro Dei populo. De prima emiſſione, id eſt pœnitentia, dicunt Angeli, quibus gaudium eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, &c.* Aſcendere autem dicitur hæc anima pœnitens *per deſertum*, terram ſcilicet inviam & inaquoſam, peccatorum ſuorum recordando. Aſcendit *ſicut virgula*, eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confeſſio recte fieri *ſicut virgula fumi* dicitur, quia per plures peccatorum ſpecies, tamquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum quod cum fumus numquam habeat ſplendorem, nonnumquam tamen habere poſſit odorem. Quod hic fumus confeſſionis odorem quemdam pietatis habeat, innuitur ex his quæ ſubjunguntur: *Ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii.* Confeſſionem debet ſemper comitari myrrha & thus, id eſt mortificatio carnis, & oratio cordis. Alterum enim ſine altero, aut parum, aut nihil prodeſt. Nam ſi quis carnem mortificet, & orare diſſimulet, ſuperbus eſt, & dicitur ei: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Item ſi oraverit, & carnem ſuam mortificare neglexerit, audiet: *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Et illud: *Qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit exſecrabilis.* Utrumque ergo alteri ſuffragatur, dum conſtat quod alterum ſine altero reprobatur.

Luc. 15. 10.

Cant. 3. 6.

Confeſſio comites habere debet mortificationem & orationem.

Pſal. 49. 13.

Luc. 6. 46.

Prov. 28. 9.

2. Sequitur: *Et univerſi pulveris pigmentarii.* Poſt recordationem & confeſſionem peccatorum, poſt mortificationem & orationem exhibendus eſt fructus eleemoſynarum. Quæ bene *pulvis* dicuntur, quia de terrena ſubſtantia fiunt: *pigmentarii* vero, quia ſuaviſſimum odorem emittunt. Hinc eſt quod Cornelio bene agenti dictum eſt: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt.* Vel *univerſi pulveris pigmentarii* ideo dicitur, quia non ſolum magna, ſed etiam minima quæque peccata conterenda ſunt per confeſſionem, & diluenda per compunctionem. Hæc de prima emiſſione dicta ſufficiant.

Cant. 3. 6.

Act. 10. 4.

3. Secunda eſt vita continentium in clauſtro vel eremo. In hac emiſſione nulla fit deſerti mentio, aut fumi ſeu pœnitentiæ: ſed lucis, ſplendoris, atque virtutis. Denique in hujus laude angelica voce cantatur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* In quibus verbis triplex virtus ejus oſtenditur, humilitas, caſtitas, caritas. Aurora quippe finis eſt noctis, & initium lucis. Nox autem vitam peccatoris, lux ſignificat vitam juſti. Aurora ergo quæ fugat tenebras, lucem nuntiat, merito humilitatem deſignat: quia ſicut illa diem & noctem, ita iſta dividit juſtum & peccatorem. Nam hinc, id eſt ab humilitate, juſtus quiſque incipit, & inde proficit. Unde etiam ipſa *aurora conſurgens* dicitur, ut videlicet virtutum ſtructura ſurgens ab humilitate, tamquam proprio fundamento erigatur. Igitur ad oſtendendam ejus humilitatem dictum eſt: *Sicut aurora conſurgens.* Illud vero quod ſequitur, *Pulcra ut luna*, caſtitatem demonſtrat. Porro luna dicitur ſplendorem ſuum non à ſe habere, ſed à ſole trahere: quantoque magis ſolis conſpectui cernenda opponitur, tanto majore ſui parte ab ejuſdem ſolis lumine illuſtratur. Similiter congregatio, ſeu quæque fidelis anima, ſi veri Solis obtutibus offeratur intuenda, ſine dubio ex viſione illius admittit protinus in ſe decus quoddam pulcritudinis, & venuſtatem caſtitatis. Unde fit, ut ex ejus lumine creſcens & proficiens, etiam ad perfectionem provehatur, ut recte dicatur de illa quod ſequitur:

Emiſſio ſecunda, vita continentium.

Cant. 6. 9. Humilitas per auroram deſignatur.

Caſtitas per pulcritudinem lunæ.

Simile.

4. *Electa ut ſol.* Quare ut ſol? An ideo quia fulgebunt F juſti ſicut ſol in regno Patris eorum? Sed ibi unde ſicut ſol fulgebunt, niſi de ſplendore veſtis nuptialis? Ipſa eſt enim, qua utique in terris poſiti veſtiendi erant illi, quibus dictum eſt: *Vos autem ſedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Hac virtute caritatis, quam veſtis illa nuptialis ſignificat, quiſquis indutus fuerit, eamque in ſe recte ordinaverit, erit proculdubio terribilis hoſtibus ſuis ut caſtrorum acies ordinata. Nam de ceteris quidem virtutibus quantaſcumque ſine caritate habuerit, non curant dæmones. Cum vero caritatem & ipſam ordinatam in acie viderint,

Caritas per ſplendorem ſolis.

Matt. 13. 43.

Luc. 24. 49.

Virtute caritatis induti hoſtibus ſunt terribiles.

viderint, ilico præcipites aguntur in fugam. Poteſt in eo quod dicitur *electa ut ſol*, perſeverantia intelligi, quæ tantum electorum eſt. In eo autem quod ſequitur, *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, diſcretio mater virtutum, per quam terrentur & fugantur dæmones, acquiruntur & conſervantur virtutes. Poſſunt & alia multa in hac ſecunda emiſſione congrue & intelligi & dici: ſed hæc pauca de multis dixiſſe ſufficiat.

Emiſſio tertia. Prælatorum vita & doctrina. Cant. 8. 5.

5. Tertia emiſſio convenit ſanctis prædicatoribus, de quorum vita & doctrina etiam vox illa ſub admiratione profertur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* In prima emiſſione dictum fuerat, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum*, in hac autem, *Quæ aſcendit de deſerto*: quia nimirum ibi pœnitentes compunguntur ſpinæ, per quas incedunt; hic vero doctores quicquid de ſæculo ſubripere potuerunt, ſublimi mente calcaverunt. Ideo dictum eſt, *de deſerto deliciis affluens*. Sed quærendum eſt, quæ ſint illæ deliciæ, quibus affluere dicuntur; & quis ille dilectus, aut cur ſuper eum inniti dicantur.

Pectorum bonorum quæ deliciæ.

Neque enim parvæ æſtimandæ ſunt, quæ à ſupernis civibus deliciæ nominantur. Siquidem hujuſcemodi deliciæ mentis ſunt, non ventris; animi, non corporis; ſpiritus, non carnis; rationis, non ſenſualitatis; interioris, non exterioris hominis. Quas ut breviter aliquo modo deſcribam, ipſæ ſunt abundans infuſio gratiæ ſpiritualis. Beata illa anima, cui talis gratia infunditur, quæ in benedictionibus ſupernæ dulcedinis prævenitur, ut templum Dei & oraculum Spiritus-ſancti efficiatur. Tali quippe animæ deeſſe non poſſunt divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia, & ejuſdem ſalutis optimus theſaurus timor Domini. Quibus deliciis cum abundaverit & repleta fuerit, exaltet jam in eccleſiis Dominum, & in cathedra ſeniorum laudet eum. Quod in aure audivit in cubiculis, prædicet jam ſuper tecta, & ſic affluet deliciis. Affluere enim dictum eſt, verbo doctrinæ inſiſtere, exemplo vitæ lucere, opus ſpirituale inſtanter exercere.

Omnis profectus prædicatorum Deo tribuendus. Cant. 2. 16. Luc. 9. 35.

6. Sed neceſſe eſt ut in his omnibus non ſuam, ſed auctoris ſui quærat gloriam. Ipſe eſt enim dilectus ejus, de quo ſcriptum eſt: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*. Et de quo Pater: *Hic eſt filius meus dilectus: ipſum audite*. Super quem innitendum eſt, ut videlicet illius gratiæ auxilio adſcribatur opus ejus, à quo omnia, per quem omnia, & ad quem omnia referuntur. Cur autem ſuper eum inniti debeat, ipſe dilectus qui docet hominem ſcientiam, plenius nos doceat. Ait ille diſcipulis, quos hujuſmodi deliciis implebat: *Ego ſum vitis, vos palmites. Sicut palmes non poteſt facere fructum, niſi manſerit in vite; ſic & vos niſi in me manſeritis.* Et iterum: *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*. Ac ſi aperte diceret: Si deliciis vultis affluere, innitimini ſuper me. Sed jam videamus, quomodo illi affluant & innitantur. Veniat in medium unus pro omnibus ille Prædicator egregius. Eia, beatiſſime Paule, afflue deliciis tuis. Certe cum Evangelium ab Jeruſalem per circuitum ad Illyricum prædicaſſes; cum ſine ſumptu ipſum Evangelium poſuiſſes; cum cæleſtes theſauros fideique ſacramentum Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, ut prudens ac fidelis diſpenſator, erogaſſes; cum mortificationem Jeſu in tuo mortali corpore circumtuliſſes; & inter multas admirandas virtutes tuas, quas tu potuiſti facere, nos vix poſſumus enarrare, etiam illud cum omni auctoritate, ſine omni arrogantia, cum eſſes Apoſtolorum tuo judicio minimus, tamen auſus es dicere: *Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed abundantius omnibus illis laboravi*. Magnæ, &, ut ita dicam, delicioſæ deliciæ! Sed ne illas amittas, innitere ſuper dilectum tuum. *Non autem ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum*. Rurſum afflue: quoniam, ut verum fatear, delectant valde tales deliciæ. *Omnia poſſum in eo*. Iterum innitere. *In eo*, inquit, *qui me confortat*. Item dicit Apoſtolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: hoc eſt, qui deliciis affluit, ſuper dilectum ſuum innitatur.

Joan. 15. 5. Sine Dei gratia omnis prædicantium labor inanis. Id Paulus in primis agnovit. 1. Cor. 15. 10. Ibidem. Philipp. 4. 13. 2. Cor. 10. 17.

7. Hæc de tribus emiſſionibus in ſignificatione trium

A generum hominum, qu in hac vita continet ſancta Eccleſia, quos etiam apud Ezechielem deſignant Noë, Daniel, & Job, adjuvante Domino diximus: quamvis in ſingulis quibuſque perfectis poſſint non inconvenienter aſſignari. Et in his quoque prima emiſſio eſt pœnitentia, ſecunda juſtitia, tertia doctrina. Primo enim pœnitendo convertuntur, ſecundo bene vivendo juſtitiam exercent, tertio, ſi bene profecerint, ipſam juſtitiam, quam vita tenent, verbo docent. Sed quoniam virtutibus inſidiantur vitia, & ita juxta ſunt poſita, ut qui ab illis deviaverit, iſtorum laqueos incurrat: oportet ut ſit pœnitentia ſine pudore, ne ſcilicet erubeſcat confiteri commiſſa peccata; caveat juſtitia B ſimulationem, eliminet prælatio elationem. Ubi enim magnitudo gratiarum eſt, ibi etiam magnitudo diſcriminis eſt.

Tom. III. Ezech. 14. 14.

SERMO XCII[a].

De triplici introductione, in hortum, in cellarium, & in cubiculum.

[a] Conſtat ex ſerm. 23. & 63 ex parte. Conf. … 23. in Cant.

Cant. 5. 1. Cant. 2. 4. Cant. 1. 3. Introductio triplex. 1. In hortum ubi triplex ſenſus Scripturarum.

1. VEni in hortum meum, ſoror mea ſponſa. Alibi dicitur, *Introduxit me rex in cellarium ſuum*: alibi dicitur, *in cubiculum ſuum*. Hæc triplex introductio fit animæ rationali a ſponſo ſuo, Verbo ſcilicet Dei, ſecundum triplicem ſenſum Scripturarum, hiſtoricum, C moralem, myſticum. In horto eſt hiſtoricus, in cellario moralis, in cubiculo myſticus. In horto, id eſt in hiſtoria, continetur triplex Trinitatis operatio: creatio cæli & terræ, renovatio cæli & terræ, confirmatio cæli & terræ. Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus-ſanctus confirmavit. Et aliud tempus eſt creationis, aliud reconciliationis, aliud confirmationis: ſicut & in horto aliud eſt tempus plantationis, aliud fructus colligendi, aliud veſcendi. Creatio & reconciliatio ſunt præſentis, confirmatio futuri ſæculi. In principio temporis creavit Pater, in plenitudine temporis reconciliavit Filius, poſt omne præſens tempus confirmabit Spiritus-ſanctus. De Patre dixit Filius: *Pater meus uſ-* D *que modo operatur*. & de ſe ſubjunxit; *Et ego operor*. Similiter & Spiritus-ſanctus in conſummatione ſæculi vere poterit dicere: Pater & Filius uſque modo operantur; & ex hoc jam operor ego: cum ſcilicet jam fecerit corpora noſtra ſpiritualia, corpuſque adhæſerit ſpiritui, & ſpiritus Deo, hoc ipſum corpus eodem Spiritu-ſancto ſic confirmante, ut jam deinceps abſque ullo temporis intervenientis momento fiat quod ſcriptum eſt: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. De creatione inſtruit nos vetus Teſtamentum, & promittit reconciliationem. Reconciliationem exhibet novum Teſtamentum, & ſpondet confirmationem.

Joan. 5. 17. Ibidem. 1. Cor. 6. 17.

2. Introductio in cellarium. In aliis Edit. male hic inchoatur novus ſermo. Triplex cella.

2. Secunda introductio eſt in cellarium. Hoc cella- E rium continet moralem ſcientiam, & habet tres diſtinctas manſiones. Prima dicitur aromatica: ſecunda fructuaria: tertia cella vinaria. In prima ſunt qui bene ſe habent cum Prælatis; in ſecunda, qui cum æqualibus; in tertia, qui cum ſubditis. Eſt ergo prima cella diſciplinæ, ſecunda naturæ, tertia gratiæ. Qui enim perfectæ converſationis nititur cumulum attingere, fit primum diſcipulus, & ingreditur cellam diſciplinæ, in qua mores ejus à magiſtro variis virtutibus, velut à pigmentariis aromata diverſis ſpeciebus componuntur. Unde & iſta cella dicitur aromatica, quia tales quique dum ultro amplectuntur diſciplinæ laborem, optimum aliis exemplo ſuo effundunt imitationis odorem. Inde F conſequenter ingrediuntur in ſecundam cellam naturæ: quoniam illi quidem ceteris condiſcipulis concordare facile poſſunt, qui ſub magiſtro propriam voluntatem frangere didicerunt. Et hæc cella, ubi cum ceteris communiter vivitur, congrue cella naturæ dicitur: quia omnes homines æquales quidem natura genuit; ſed alios aliis meritorum cauſa vel præpoſuit, vel ſuppoſuit. Dicitur etiam fructuaria: quia magnæ utilitatis eſt, ſi quiſque gratiam quam accepit, in alterutrum adminiſtrat. unde ſcriptum eſt: *Frater fratrem adjuvans, exaltabitur ſicut civitas munita*. Et item dicit Propheta:

Diſciplina. Natura. Prov. 18. 19.

Tom. III. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in* A
unum. At vero cum conſummati plene fuerint in hac ſe-
cunda cella naturæ, tunc tandem ingredi poſſunt ter-
tiam, quæ eſt gratiæ: ut etiam ceteris inſtituendis
præſint, qui cum ceteris juſte & ſine querela vixerint.
Gratiæ. V. ſerm. 49. in Cant. num. 6. & 7. Et hæc quoque cella dicitur vinaria: ut ſcilicet ferveant
caritate, qui ceteris præſunt in regimine. Dicitur etiam
cella gratiæ, quod nomen ſcilicet aliis quoque duabus
poſſit eſſe commune. Nam & diſciplina, & ſocialis
vita donum gratiæ eſt. Iſta tamen ſibi illud vindicat
ſpecialiter: quoniam quidem multum facile eſt ſubjici
vel ſociari: rarum vero & difficile ad aliorum regimen
utiliter quemvis poſſe transferri.

3. His tribus cellis continentur & formantur om- B
nium hominum mores. Omnes enim homines vel ſunt
Prælati, vel æquales, vel ſubditi. Quemadmodum au-
tem eliguntur de hortis quæque potiora, & in cellariis
repoountur, ubi etiam diſtincta habent loca, in quibus
ſerventur: ita de hiſtoria ſumitur, & quaſi reconditur
in cellario moralis ſenſus, unde omnis humana vi-
ta inſtruatur. Legunt etenim ibi Prælati, quales ſe exhi-
1 Pet. 5. 3. bere ſubditis debeant, cum eis dicitur: *Non dominantes*
2 Cor. 1. 23. *in clero, ſed forma facti gregis*. & illud: *Non quia domi-
namur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. &
Johan. 10. 11. Dominus in Evangelio: *Bonus paſtor animam ſuam dat
pro ovibus ſuis*. Inveniunt etiam in eadem Scriptura
æquales, qualiter ſe habere debeant invicem, cum le- C
Gal. 6. 2. gunt: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis le-
Rom. 12. 10. gem Chriſti*. & illud: *Honore invicem prævenientes*; &
multa in hunc modum. Habent ibi & ſubditi quod eo-
rum mores componat, quomodo ſcilicet ſubdi eos
Hebr. 13. 17. majoribus oporteat, quibus dicitur: *Obedite præpoſitis
veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi ratio-
nem reddituri pro animabus veſtris**.

* De introductione in cubiculum vide Serm. 23. in Cant. num. 13.

SERMO XCIII*.

* al. 64. ex Parvis

Cant. 4. 2. *Dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro,
omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.*

1. SPiritus-ſanctus, de cujus ſecretiori fonte Canti- D
corum flumen emanat, in his (ut ſentio) denti-
bus myſteria nobis non parva commendat. Non ſunt
Pſal. 57. 7. hi dentes de quibus dicitur, *Deus conteret dentes eorum in
ore ipſorum*: vel de quibus ad virum ſanctum vox divi-
Job 41. 5. na proclamat, *Per gyrum dentium ejus formido*: ſed den-
tes iſti lacte candidiores; quippe ſponſæ ſunt, cujus
ſpeciem concupivit Altiſſimus, quæ non habet macu-
lam neque rugam. Cum enim tota candida ſit: candi-
dior probatur in dentibus. Nova tamen & inaudita
comparatione in illius laudes perorat, dicens: *Dentes
tui ſicut grex tonſarum*. Quid in hac, rogo, ſimilitudi-
ne dignum eſt, ut eam de cæleſtibus arcanis deſcendiſ-
ſe credamus? Magnum prorſus, & magno animo ma- E
gnifice ſentiendum. Spiritus enim eſt qui loquitur:
qui cum loquitur, nec unum poteſt iota vacuum præ-
terire. Aliquid profecto eſt in his dentibus involutum,
quod evolutum ſacratioris intelligentiæ præſignet ar-
canum.

Dentium proprietates, attributæ pulcra tropologia vitæ religioſæ. 2. Dentes enim candidi ſunt & fortes: carnem non
habent: carent corio: nihil intra ſe pati poſſunt: non
eſt dolor ſicut dolor eorum: clauſi ſunt labiis ne vi-
deantur: indecens eſt cum videntur niſi ridendo: toti
corpori maſticant cibum: nullum inde ſaporem ha-
bent: non facile conſumuntur: per ordinem poſiti
ſunt, ſuperiores alii, & alii inferiores: & cum infe-
riores moveantur, ſuperiores numquam. Hujuſmodi F
dentes ergo arbitror homines monaſticæ profeſſionis,
* al. religioſam qui viam compendioſiorem *, & ſecuriorem vitam
eligentes, de toto Eccleſiæ corpore quod candidum
1. eſt, candidiores eſſe videntur. Quid enim illis candi-
dius, qui totius immunditiæ ſpurcitias evitantes, co-
2. gitationum, ſicut actionum, peccata deplorant? Quid
fortius illis, quibus tribulatio pro ſolatio, contumelia
3. pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Iſti carnem
non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab
Rom. 8. 9. Apoſtolo: *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu*.

A Corio carent: quia nitorem & diſtenſionem munda- 4.
narum ſollicitudinum non habentes, in pace in id-
ipſum dormiunt & requieſcunt. Nihil morari intra ſe 5.
patiuntur: quia nec modicum quidem offendiculum to-
lerabile reputant aut intra ſe, aut in conſcientiis ſingu-
lorum. Hinc eſt illa veſtra opportuna importunitas,
qua tam ſæpe fatigatis nos, ut multoties, etiam cum
neceſſe non ſit, multum in his dici expendatis. Non eſt
dolor ſicut dolor eorum: quia nihil tam horrendum
& horribile eſt ſicut murmur & diſſenſio in congrega-
tione. Clauſi ſunt labiis, ne videantur: ſic & nos
materialibus vallis circumcingimur, ne ſæcularium 6.
oculis & acceſſui pateamus. Indecens eſt ſi appareant, 7.
B niſi interdum forte ad riſum: quia nihil turpius quam 8.
monachus per urbes & caſtella diſcurrens, niſi cum illa
cogit quæ operit multitudinem peccatorum caritas. Ca-
ritas enim riſus eſt, quia hilaris eſt. Læta quidem, non
tamen diſſoluta. Toti corpori maſticant cibum dentes: 9.
quia ipſi pro toto Eccleſiæ corpore, videlicet tam vivis
quam mortuis, orare ſunt conſtituti. Nullum inde 10.
ſaporem habere debent: quia nullam ſibi gloriam de-
bent aſſignare, ſed dicere cum Propheta: *Non nobis,* Pſal. 113. 19.
Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Non faci- 11.
le conſumuntur: quia quanto annoſiores, tanto fer-
ventiores; & eo rapidius currunt, quo vicinius appro-
pinquant ad palmam. Per ordinem poſiti ſunt. Ubi 12.
C enim aliquid ordinatum eſt, ſi hic non eſt, ubi cibus
& potus, vigilare & dormire, laborare & quieſcere,
ambulare & ſedere, & cetera omnia, in numero &
menſura & pondere conſtituuntur? Superiores & in- 13.
feriores ſunt: quia inter nos Prælati & ſubditi ſunt, &
ſic ſuperiores inferioribus junguntur, ut inferiores à
ſuperioribus non diſcordent. Cum autem inferiores
moveantur, ſuperiores numquam moveri debent: 14.
quia etſi ſubditi quandoque turbentur, Prælatorum eſt
in mente compoſita perdurare. *Sicut grex tonſarum*, in- Cant. 4. 2.
quit. Quam bene monachi tonſis ovibus comparan-
tur: quia revera tonſi ſunt, quibus nec corda, nec cor-
pora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum
D eſt. *Quæ aſcenderunt de lavacro*. Lavacrum baptiſmus Ibid.
eſt, de quo aſcendit qui ad celſitudinem vitæ perfec-
tioris intendit: deſcendit autem qui ſe vitæ mancipat
inhoneſtæ. *Omnes gemellis fœtibus*: quia & verbo pa- Ibid.
riunt, & exemplo. *Et ſterilis non eſt in eis*, quia nullus
eſt infœcundus.

Nuys / Quæ reliqua [illegible] Bernardi.

SERMO XCIV*.

* al. 65. ex Parvis.

*De proceſſu vitæ Chriſtianæ ſive ſpiritualis, juxta tropolo-
giam Eliæ, Jezabel fugientis.*

1. TImuit Elias Jezabel, & ſurgens abiit quocumque 3 Reg. 19. [illegible]
tulit eum voluntas; venitque in Berſabee Juda, &
E dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum. Cumque
veniſſet ſubter umbram juniperi, & ſederet, projecit ſe, &
dormivit. Et Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Sur-
ge, & comede. Et reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcine-
ricius panis, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit, & ambu-
lavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & qua-
draginta noctibus uſque ad montem Dei Oreb. Per Eliam
quippe, qui interpretatur Dominus, vel Dominus for-
tis, intelligitur quilibet juſtus, qui perſecutionem pa-
titur propter juſtitiam. Unde illud: *Beati qui perſecu-* Matt. 5. 10.
tionem patiuntur propter juſtitiam. Qui metuens Jezabel,
id eſt malitiam ſæculi, vel tyrannidem diaboli, ſurgit
de tentatione peccaminum, & abit quocumque eum
F tulerit voluntas à Domino ſibi collata. Venitque in
Berſabee Juda, in ſanctam Eccleſiam, quæ dicitur
Berſabee, id eſt puteus ſeptimus, propter abundantem
ſeptiformis Spiritus gratiam, quæ ibi fidelibus dividi-
tur: vel puteus ſatietatis, propter myſteriorum Dei pro-
funditatem, & ſanctarum Scripturarum refectionem.
De hac profunditate habemus in pſalmo: *Tenebroſa aqua* Pſal. 17. 12.
in nubibus aëris. & rurſus: *Judicia tua abyſſus multa*. Ad Pſal. 35. 7.
ejuſdem conſiderationem Apoſtolus expaveſcens, &
paveſcendo deficiens, clamare compellitur: *O altitudo* Rom. 11. 33.
divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c.

Pſal. 22. 2. Pſal. 35. 9. 2. De hac ſatietate legis in pſalmo: *Super aquam refectionis educavit me.* & item: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Hujuſmodi ebrietas non inducit faſtidium, ſed indeficientem quibuſdam deſideriis provocat appetitum. In hoc ſacræ lectionis pelago agnus ambulat, & elephas natat. In catholicæ doctrinæ menſa juxta modulum intelligentiæ ſufficientes ſingulis epulæ apponuntur. Hæc eſt paradiſus deliciarum, hic eſt hortus omnium pomorum. Veniens itaque in Berſabee, in ſanctam Eccleſiam, ut dictum eſt, currit ad confeſſionem, quæ per Judam notatur: & dimittit ibi puerum ſuum, id eſt puerilem ſenſum, vel priſtinorum actuum debilitatem, & pergit in deſertum, id eſt iſtius mundi contemptum. Quo poſtquam venit, ſedet, id eſt à ſæculari tumultu quieſcit, cantans cum Propheta:
Pſal. 131. 14. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* Projicit ſe, id eſt vilem ſe reputat, ſuis abrenuntians deſideriis, juxta illud evangelicum:
Luc 9. 23 *Qui vult venire ad me, abneget ſemetipſum.* Obdormivit in umbra juniperi, quia in atriis domus Dei ſecundum ſenſus corporis vacat omnino ab omnibus pravitatibus, dicens cum Pſalmiſta:
Pſal. 4. 9. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Tunc angelica viſio tangit eum, excitans ad bonum operandum, & ad altiora conſurgendum. Reſpicit ad caput ſuum, id eſt ad Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ: & ecce ſubcinericius panis, id eſt paſtus divini dogmatis, forinſecus quidem rudis, ſed medullitus ineffabiliter confortativus & dulcis: & vas aquæ, hoc eſt, fons lacrymarum cum cordis compunctione. Comedit & bibit, id eſt adimplet quæ audit: & pergit in fortitudine ad montem Dei, ad celſitudinem videlicet beatitudinis.

SERMO XCV*.

* al. 68. ex Parvis.

De doctrina amaritudine per prædicatores temperanda.

4. Reg. 4. 40. 5. *Erat fames in terra, & filii prophetarum habitabant coram Eliſæo: quibus fecit apponi pulmentum. Cumque guſtaſſent de coctione, exclamaverunt: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille: Afferte, inquit, farinam. Et miſit in ollam, & ait: Infunde turbæ. Et comedit: & non fuit quicquam amplius amaritudinis in olla.* Fames in terra, penuria verbi Dei in mente humana: filii prophetarum, filii prædicatorum. Propheta interpretatur Videns. Et ſancti prædicatores non ab re prophetæ appellantur: qui & arcana myſteriorum Dei contemplantur, & prout vident mores hominum, adhibent modos curationum. Eliſæus ſalus Domini interpretatur: quo nomine quivis Prælatus & doctor Eccleſiæ decenter cenſetur; cujus ſalubri perſuaſione Domini ſalus populis annuntiatur, & annuntiando impertitur. Hic talis ex debito ſui officii apponit ſubjectis ollam grandem, herbas agreſtes continentem; id eſt, admonitionem de gravibus diſſerentem, acerbitate refertam, ſed tamen igne ſancti Spiritus ſuccenſam. Subditi ergo perhorreſcentes ſermonum auſteritatem, clamant, *Mors in olla*; & non poſſunt guſtare.

Caritas omnia condit amara. 2. Sapiens igitur diſpenſator non affert, immo afferri jubet farinam: quoniam non præbet, ſed hortatur habere caritatem, cujus condimento redduntur dulcia quæ prius videbantur amara. Poteſt namque prædicator monita ſalutis auribus circumſtantium inſonare; ſed nemo, niſi ſolus Deus, valet ſaporem caritatis palato cordis infundere. Unde Gregorius:
S. Greg. Hom. 30. in Evang. „ Niſi ſit intus „ Spiritus qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum „ laborat. Alius eſt ſapor cæli, alius eſt ſapor terræ. Haudquaquam nobis placere poteſt ſapor cæli, dum ſaporem quærimus coci noſtri. In deſerto dantur coturnices & manna, id eſt in loco diſciplinæ majora & minora mandata.
Exod. 16. 15. *Cum vidiſſent filii Iſraël manna, dixerunt ad invicem, Manhu? quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis quem dedit Dominus vobis ad veſcendum.* Hujus facti myſterium in Evangelio Johannis convenienter aperitur, ubi Dominus ait:
Johan. 6. 54. *Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Multi ergo ex diſcipulis audientes dixe-*
A *runt: Durus eſt hic ſermo: quis poteſt eum audire? Ex hoc multi abierunt retro.* Ad hunc itaque modum, cum aliqui ſimplices ad converſionem veniunt, ſeveritatem Regulæ expaveſcunt. Si fiat eis ſermo de mundi contemptu, de virtutum vitiorumque conflictu; ſi anxietas vigilandi, aſſiduitas orandi, parſimonia jejunandi ab ipſis requiritur, dicunt conquerendo inter ſe: Quid eſt hoc? quis tot & tanta implere ſufficiat? Neſciunt enim quanta ſit virtus aſſumpti Ordinis. Sed paſtor eis conſolatorie habet reſpondere, & de afferenda eos ſollicitare farina. Tom. III. Novitiorum tentatio

SERMO XCVI*.

* al. 69 ex Parvis. Confer ſerm. 1. de Nativitate Domini, & ſer. 117 infra.

B *De quatuor fontibus Salvatoris, & aquis inde hauriendis.*

Iſa. 12. 3. 1. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Pro paradiſo quem perdidimus, reſtitutus eſt nobis Chriſtus Salvator. Sicut ergo de uno fonte paradiſi derivantur quatuor flumina ad irrigandum paradiſum: ita de pectoris ejus arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per univerſum mundum rigatur Eccleſia. Sunt autem quatuor fontes, veritas, ſapientia, virtus, & caritas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex ſingulis ſcilicet ſingulæ. Nam de fonte veritatis, ſumuntur aquæ judiciorum: de fonte ſapientiæ,
C aquæ conſiliorum: de fonte virtutis, aquæ præſidiorum: de fonte caritatis, aquæ deſideriorum. In aquis judiciorum cognoſcimus quid liceat, vel quid non liceat. In aquis conſiliorum diſcernimus quid expediat, vel quid non expediat. Sed quia electis viris recte per hæc gradientibus non deſunt tentationes; tentantur autem de duobus, aut terroribus, ut concutiantur; aut blandimentis, ut ſeducantur: idcirco armandi ſunt contra terrores præſidiis divinæ virtutis; contra blandimenta deſideriis ſupernæ caritatis. Deſideriis enim meliorum ſuperantur (ut ait quidam Sanctus) deſideria deteriorum. Vel ſic poſſumus procedere. Quid prodeſt noſſe quid liceat & expediat, (quod utique docent ju-
D dicia atque conſilia) ſi poſſe perfici minime contingat? Ideo poſt aquas judiciorum & conſiliorum, quærendæ ſunt aquæ præſidiorum. Rurſum & poſſe quid valeat, ſi horum omnium non ſit finis caritas? Recte itaque poſt judicia, poſt conſilia, poſt præſidia, hauriuntur de fonte caritatis deſideria, ut videlicet quicquid ſapimus aut loquimur, quicquid operamur aut patimur, æternæ vitæ finis concludat.

2. Sed ut hæc quæ dicta ſunt de fontibus & aquis clarius eluceant, Scripturarum teſtimoniis teor eſſe comprobanda, aurique ſimilitudines, quas protulimus, vermiculandas argento. Ac primum quod dictum eſt, quatuor illos fontes de pectore Jeſu manare, nullum Ex fonte Veritatis hauriuntur judicia.
E arbitror ambigere. Quomodo autem ex eiſdem fontibus hauriantur prædictæ aquæ, id elaborandum eſt. Veniat ergo David, & dicat quod ex fonte veritatis procedant judicia. Hoc certe videtur ſenſiſſe cum diceret: *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Neque Pſal. 16. 2. enim vir ſanctus judicium ſuum diceret, quod de vultu Dei, id eſt de veritate, non prodiret. Noverat enim electos Dei veritatis judiciis, tamquam virga ferrea regi, & quia ſub eorum regimine ſe eſſe ſentiebat, exſultans pſallebat: *Judicia Dei vera, juſtificata in ſemetipſa; deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum.* Pſal. 18. 10. A quibus ne forte per incuriam devient, audiant vocem Pa-
F tris per eumdem Prophetam comminantis: *Si in judiciis*, inquit, *meis non ambulaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Pſal. 88 32. Hæc myſteria divini judicii teſerabat cæleſtis regni clavicularius, cum diceret: *Tempus eſt ut incipiat judicium de domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non crediderunt Dei Evangelio?* 1. Pet. 4. 17. Et hoc de electis dictum eſt. Ceterum eſt aliud de reprobis judicium, quod nihilo minus ab ipſa Veritate procedit. Unde & per Paulum dicitur: *Scimus enim quoniam judicium eſt ſecundum veritatem in* Rom. 2. 2.

TOM. III. *eos qui talia agunt.* Et utrumque quidem judicium com- A plectitur ipſa Veritas, dicens: Johan. 9. 39. *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Utrumque autem diſcernit, cum item dicit: Matth. 25. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*

3. Si vidimus quomodo de fonte veritatis hauriuntur judicia, videamus quomodo de fonte ſapientiæ propinentur conſilia. Quis dubitet apoſtolum Paulum eſſe ſapientem, cum & Petrus ejus coapoſtolus ſapientiam 2. Pet. 3. 15. ei datam eſſe adſtruat, & ejuſdem Apoſtoli tota verborum ſeries nil aliud quàm ſapientiam redoleat? Proferat igitur conſilia, & per ipſa nos doceat, quid peregrinantibus & ad cæleſtem patriam feſtinantibus expe- B diat. 1. Cor. 7. 25. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe*, hoc eſt in virginitate manere. Si de virginibus præceptum haberet, nil aliud, quàm quod præciperetur, liceret. Nunc vero cum utrumque liceat, vel nubere, vel non nubere: quid compendioſius dici potuit, quàm *bonum eſt homini ſic eſſe?* præſertim cum & neceſſitatis inſtantia frequenter obrepere ſoleat, & cito mori ipſa temporis brevitas urgeat, totiuſque mundi figura prætereat. Item cum de vidua loqueretur: Ibidem 40. *Beatior*, inquit, *erit ſi ſic*, id eſt innupta, *permanſerit* C *ſecundum conſilium meum.* Ac ne de proprio corde, & non potius de fonte ſapientiæ videretur hoc ipſum conſilium depromſiſſe, ſubjecit dicens: *Puto quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Sed cur ego paucis immoror exemplis, cum in ejus verbis omnis ſexus, omnis conditio conſilium inveniat, ſi diligenter quærat, ſalutis? Quod ſi quis curioſius velit perſpicere, utrum verum ſit quod dictum eſt, de ſapientia conſilia manare, legat libros qui inſcribuntur *SAPIENTIÆ, ubi totus orationis contextus conſilia parare videtur. Si vero conſultius & utilius ſtudet vitam inde eligere, audiet ipſam ſalubriter invitantem Sapientiam: *Si vis*, inquit, *ad vitam venire, ſerva mandata.* Quæris cujus? D Matt. 19. 17. Eccl. 12. 13. *Deum*, inquit, *time, & mandata ejus obſerva.* Audiat eam Prov. 23. 26. ipſam materno affectu inclamantem: *Da mihi cor tuum.* O quantum vellem, & ego cor meum in ejus verbum ſuſpendere, de cujus ore mirifico tam dulcia vitæ conſilia audio perſonare! Utinam autem & linguæ meæ calamum in ejus fonte poſſem intingere, quo idoneus eſſem ea quoque quæ reſtant de duobus fontibus, id eſt virtutis & caritatis, utiliter exarare!

*Nempe Proverbia, Eccleſiaſtes, Cant. canticorum, Eccleſiaſticus, & Sapientia.

De fonte virtutis, aquæ præſidiorum.

4. Et quoniam quatuor iſti fontes ita ſibi invicem ſaporem transfundunt, ut qui de uno biberit, quadam ineffabili dilectionis dulcedine invitetur ad alium: libet jam de ſapientia ad virtutem tranſire, & qualiter illinc hauriantur aquæ præſidiorum, quantum ab ipſa virtu- E te adjuvor, oſtendere. Sicut autem ſuperius dixi gemina eſſe veritatis judicia, quia ſcilicet determinant quid liceat, vel quid non liceat: itidem ſapientiæ duo, hoc eſt quid expediat, vel quid non expediat: ita & hic agnoſcamus de fonte virtutis hauriendas duplices præſidiorum aquas, quæ vel abluant electos à culpis, vel refrigerent in tormentis. De utriſque ſumamus exemplum. Luc. 8. 43. Refert Lucas evangeliſta, quod quædam mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, erogata in medicos tota ſubſtantia cum minime curari potuiſſet, acceſſerit retro, & tetigerit fimbriam veſtimenti Domini, & confeſtim ſteterit fluxus ſanguinis: Jeſum vero dixiſſe, *Quis me tetigit?* Cumque diſcipuli reſponde- F rent, *Turba te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit?* rurſum repetiiſſe, *Tetigit me aliquis: nam & ego novi virtutem de me exiiſſe.* Ecce quas aquas præſidii hauſerit mulier de fonte virtutis, quibus abluta eſt à profluvio ſanguinis, quæ nulla medicorum arte poterat ſanari. Quod ſi quis objiciat, prolatum teſtimonium nihil ad rem præſentis operis pertinere, eo quod illa mulier nequaquam abluta eſſe videatur à culpis, ſed tantum ab ægritudine carnis: noverit moris eſſe divinæ virtutis prius cordi mederi, quàm corpori. Unde &

Moris eſt divinæ virtutis prius mederi cordi, quàm corpori.

alibi, cum quidam ei paralyticus offerretur curandus, tamquam bonus & pius medicus, volens ſanare prius quod erat potius, id eſt mentem, quàm carnem, ait eidem paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matt. 9. 2. Itaque ſanata conſcientia, conſequenter ſanatur corpus, cum dicitur: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ibidem. Sic ergo & hujus cor mulieris prius abluit intus per donum fidei, ſicut ſcriptum eſt: *Fide mundans corda illorum*, Act. 15. 9. per quam meruit exterius impetrare ſalutem corporis. Hoc enim innuit ipſe Dominus, cum dicit: *Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Luc. 8. 48. Quod autem de hoc ipſo fonte virtutis hauriantur aquæ præſidii in tormentis, oſtendunt & illi tres pueri in fornacis incendio æſtuantis poſiti, quibus ipſa flamma refriguit: & præcipue inclytus ille martyr Vincentius, qui cum graviter torqueretur, non ſolum tolerâſſe, ſed etiam tortorem ſuum conſtanter provocaſſe fertur his verbis: "Inſurge, inquit, & toto malignitatis ſpiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor, quàm poſſis ipſe qui torques." Poſſent plura de hoc fonte virtutis copioſius dici, ſed eum ſuccincte prætereo: quia de fonte virtutis *bibere potius, quàm ſcribere deſidero.

Vincentius martyr fortitudo in tormentis.

*al. ad animandum.

5. Ad hunc fontem invitamur Redemptoris noſtri voce dicentis: *Si quis ſitit, veniat, & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Johan. 7. 37. Et ſecutus Evangeliſta expoſuit ad quem fontem nos invitaret, dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ibidem 39. Quem, niſi Spiritum caritatis, quem mundus non poteſt accipere, ſed ſoli accipiunt qui vere credunt in eum? Ex hoc ergo fonte hauriamus nobis aquas deſideriorum, ipſaſque partiamur in geminos rivulos, ut ſicut ejuſdem caritatis duo ſunt præcepta, ita ſint & deſideria gemina, quibus impleantur ipſa præcepta. Aliud eſt enim deſiderium quo Deus propter ſeipſum, aliud quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus, ſed ex toto corde, tota anima, tota virtute diligitur Deus: in hoc autem præſcribitur quidam modus, cum dicitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Matt. 22. 39. Illo flagrabat Propheta, cum diceret: *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſal. 41. 2. & item: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Pſal. 83. 3. Hoc exhibebat Apoſtolus Romanis, quibus ſcribebat: *Deſidero enim videre vos, ut aliquid gratiæ ſpiritualis impertiar vobis.* Rom. 1. 11. & Dominus in Evangelio diſcipulis ſuis: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Luc. 22. 15.

De fonte caritatis hauriendæ aquæ deſideriorum.

6. Et notandum, quod ad illud excitatur mens humana ſpecialiter tribus affectionibus, ac provehitur: unde & Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute jubetur. Prima quidem dulcis, ſecunda prudens, tertia fortis eſt. Primam habuit Petrus, cum Domino mori diſſuaderet: ex corde enim dulciter diligebat, cujus paſſionem expaveſcebat. Sed cum audiret, *Vade retro, ſatana, non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominis:* Matt. 16. 23. his verbis eruditus, & intelligens quid boni haberet mors Chriſti, cœpit tota anima prudenter diligere, quem prius tantum diligebat dulciter toto corde, necdum vero diligebat tota virtute. Quod ſi faceret, nec propter mortis diſcrimen eum negaret. At vero poſt reſurrectionem & aſcenſionem, dato deſuper Spiritu, tunc demum tota virtute dilexit, pro quo etiam horrendum crucis ſupplicium poſtmodum ſubire non expavit. Erga caritatem quoque proximi exercemur tripliciter, vel ut ædificetur ipſa caritas ubi non eſt, vel certe ne pereat, vel minuatur ubi eſt. Quiſquis autem hanc puro affectu erga proximum operatur, illam proculdubio, quæ Deus eſt, ulterius promeretur.

Dilectio Dei tribus affectionibus excitatur & provehitur.

Dilectio proximi triplex exercetur.

SERMO XCVII.

De ſuavitate verbi ac jugi Chriſti, foris quidem duri, ſed intus dulciſſimi.

1. MEl *& lac ſub lingua ejus.* Cant. 4. 11. Id quidem neceſſe. Nam quod in lingua eſt, durum ſonat. *Verba ſapientis quaſi ſtimuli, & ſicut clavi in altum defixi.* Eccl. 12. 11. Aliud eſt

Pſal. 54. 22. cujus molliti ſunt ſermones ſuper oleum; ſed oleum *Pſal. 140. 5.* peccatoris non impinguet caput meum. Corripiat me magis juſtus & increpet, nam hoc in miſericordia eſt: quàm illud oleum impinguet caput meum, in quo eſt dolus. Pulcre enim non molles, ſed *molliti* dicuntur ſermones vel ſuaſoris adulatoris, vel ſuaſoris iniqui, quod ſit in eis non tam vera & ſolida, quàm ſuperducta & ſimulata ſuavitas: *Pſal. 54. 22.* ſiquidem ipſi ſunt jacula. Denique ſub lingua ejus quid? *Pſal. 9. 7.* Audi Prophetam: *Labor & dolor.* Porro ſub lingua ejus mel & lac, qui juxta *Pſal. 93. 20.* eumdem Prophetam laborem fingit in præcepto. Miraris fingere Veritatem. nam mirari licet, dubitare non licet. Si & alterum teſtem quæris, lege in Evangelio, *Luc. 24. 28.* quia *finxit ſe longius ire.* Quidni figmentum figmento B exhibeat? Siquidem ipſe novit figmentum noſtrum, utique laboris impatiens, dilationem non ſuſtinens, fragile ad utrumque. Pie ergo providit, ut haberet pietas promiſſionem vitæ ejus quæ nunc eſt, & futuræ; *1. Tim. 4. 8.* nec laborem verum imponeret, ſed magis fingeret in præcepto. Audi quomodo laborem fingere ipſe ſe prodat. *Matt. 11. 28.* *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quomodo non fictus * labor, ubi non labor, ſed requies invenitur? ** V. Declamat. num. 38 num. 5.*

2. Ita ergo labor in lingua, mel ſub lingua. Qoid ſupra linguam? *2. Cor. 12. 4.* Ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Miſeri! qui ſolum quod in lingua ſonuit attendentes, C nec quod ſub lingua reconditum, nec quod ſupra repoſitum fuit, capere potuerunt. *Johan. 6. 61.* *Durus eſt hic ſermo*, inquiunt. Durus equidem, ſed tamen idem eſt verbum vitæ. *Matt. 10. 38. Luc. 14. 26.* *Qui non bajulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam ſuam, non eſt me dignus.* Quid durius poterat dici? Noli errare. Lapis videtur: panis eſt. *Sermo Dei durus in cortice, ſuaviſſ. in medulla.* Durus in cortice, ſed ſuaviſſimus in medulla. Tentat te Dominus Deus tuus. Fidei exercitatio, & probatio dilectionis eſt fictio iſta laboris. Eſto tamen lapis ſit. Num tu credis quod & dæmones credunt? *Matt. 4. 3.* *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Omnes novimus quis hoc dixit. Non dubitat ille poſ- D ſe ſolo dictu (quo quidem facilius nihil eſt) ex lapide panem facere, quem filium Dei eſſe credit. Fas eſt & ab hoſte doceri. Dicamus & nos Filio Dei: Dic ut lapides iſti panes fiant. Nam & ille qui hominum utique, non dæmonum venerat in ſalutem, ſic confutavit adverſarios, ut parvulos erudiret. Non enim dicens quod ille voluit, ſed quod oportuit nos audire, ut videlicet noſter hic lapis panis fieret, non illius. *Ibid. 4.* *Non*, inquit, *in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

3. Quid tu ad hæc, veritatis inimice, ſubmurmuras? *Dæmonis impoſtura eſt, Dei verba & mandata reputare dura.* Quod quidem ipſe fateris, & negare omnino non potes, potens eſt Filius Dei dicere, ut lapides panes E fiant. Ubi ergo de verbis Dei ait, & generaliter ait, quia ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei; quid tu mihi ſubſibilas ad quodvis eorum, dicens: *Durus eſt hic ſermo?* Quæ Dei Filius dixit, & facta ſunt alimenta vitæ; tunc ſaxa dixeris, qui filius Dei non es? Non ſum ego qui te arbitrer (quod temeraria prorſus rapina arbitratus es ipſe) eſſe te æqualem Deo, ut decoote te panis in lapidem revertatur. Qui filius Dei non es, ſine cauſa dicas, ut lapides iſti panes fiant. *Error hominum in veris & falſis deliciis diſcernendis.* Nec minus fruſtra tuum nobis apponas pro pane lapidem, ſcorpionem pro ovo, pro piſce ſerpentem. Væ enim *Iſa. 5. 20.* his qui panem lapidem, lapidem panem dicunt, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: jugum Chriſti aſperum, & eſſe ſub ſentibus delicias reputan- F tes. *Pſal. 33. 8.* Has delicias nolim. Opto magis guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus. Hoc enim non fruſtra is *Pſal. 118. 103.* ipſe, qui monet, ſtuduerat experiri. Denique ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* *Pſal. 30. 20.* Et rurſum: *Quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Ubi putas abſconditur? Nempe ſub *Cant. 2. 6.* lingua ſua, ſub capite ejus, quæ dicit: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Licet enim in promiſſione vitæ ejus quæ nunc eſt, dulcedo & mul- A titudo dulcedinis, & magna quoque, & perquàm magna ſit multitudo; perfectio tamen nonniſi in promiſſione futuræ. *Tom. III.* *Pſal. 30. 20.* *Perfeciſti*, inquit, *his qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.* Quid perfecit? Non eſt hic ſermo in lingua, ſed ſupra linguam. Ideo enim auris non audit, quia nec lingua protulit quod præparavit Deus his qui diligunt eum. Nec ſane in abſcondito conſummatio illa, ſed in conſpectu filiorum hominum erit. Congrue vero non adhuc perfectum, ſed jam perfeciſſe cum ſperantibus ait: *Rom. 8. 24.* *Spe enim ſalvi facti ſumus.*

SERMO XCVIII.

De filiis pacis, in quibus habitat Deus.

Pſal. 75. 3. F*Actus eſt in pace locus ejus.* Eſt pax ficta, ut in Juda: eſt inordinata, ut in Adam & Eva. *Pax ficta, inordinata, & Chriſtiana.* Harum neutra eſt locus Dei. Sola pax Chriſtiana, quam Dominus reliquit & dat diſcipulis ſuis, ipſa eſt in qua Dominus requieſcit. Hæc offertur per ſanctos prædicatores univerſo generi humano: ſed eam quidam repellunt, aliqui recipiunt. Nos vero excutientes pulverem pedum noſtrorum ſuper odientes pacem, ad dilectorem ejoſdem pacis nos conferamus. Eorum alii dicuntur recipientes pacem, alii retinentes pacem, alii facientes. Poſſunt & aliis nominibus vocari, ſcilicet pacati, pa- C tientes, pacifici. Et hæc nomina ſortiuntur ſecundum diverſos ſtatus pacis, in quibus proficiunt. Nam pacati per hanc pacem poſſident terram corporis ſui, quia mites ſunt. *Matt. 5. 4.* Patientes poſſident animam ſuam, quibus dicitur: *Luc. 21. 19.* *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Pacifici poſſident non ſolum ſuam, ſed etiam aliorum, in quibus faciunt pacem. Unde merito filii Dei vocantur. Pacati ergo dicuntur, qui pacem recipiunt, de quibus ſcriptum eſt: *Luc. 10. 6.* *Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra.* Sed quia puſilli ſunt, ſcandalis exagitati, cito pacem quam receperant perdunt. Patientes autem ſunt qui receptam retinent, nec quavis injuria exaſperati eam amittunt. Iſtis tamquam robuſ- D tioribus præcipitur: *Hebr. 12. 14.* *Pacem diligite & ſanctimoniam, ſine qua nemo videt Deum.* Pacifici vero qui non ſolum in ſe & in aliis eam faciunt, ſed etiam volentes auferre diligunt, ſicut ſcriptum eſt: *Pſal. 119. 6.* *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ecce iſti ſunt, quos ſicut filios Deus diligit, & de quibus tamquam vivis lapidibus templum ſibi Sapientia conſtruit. De quo ædificio, ne ullo impulſu poſſint labefactari, ipſo Deo inhabitante pariter & operante, ad ſimilitudinem lapidis quadrantur quatuor modis, ſuperius, inferius, à dextris, & à ſiniſtris. Superius, cum divinæ voluntati ſuam humiliter & prudenter ſubjiciunt: inferius, cum carnem ſubjectam temperanter regunt: à dextris, juſte bonos amplec- E tendo; à ſiniſtris, malos fortiter tolerando.

SERMO XCIX.

De quatuor generibus hominum cælum obtinentium.

Flor. lib. 9. cap. 14. QUatuor ſunt genera hominum regnum cælorum poſſidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Rapiunt qui dereliquerunt omnia, & ſequuntur Chriſtum, de quibus dicitur: *Matt. 5. 3.* *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Sunt alii inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia, dum eis ſpiritualia ſeminantur: & his loquitur in Evangelio Dominus: *Luc. 16. 9.* *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant* F *vos in æterna tabernacula.* *Divites mercantur cælum à pauperibus.* Tales dicuntur mercatores, quia dant in præſenti pauperibus temporalia quæ poſſident, ut in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non niſi per eos habere merentur. Neceſſe eſt enim omnes qui in futuro judicio examinandi ſunt, vel eſſe Judicis amicos, vel apud Judicem interceſſores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locum qui intercedunt: habent hi pro quibus intercedunt ſecundum. Sunt alii qui nonnulla bona occulte faciunt, pro quibus merentur regnum cælorum: ſed tamen furari illud

Tom. III. dicuntur, quia laudem humanam vitantes, ſolo divino A teſtimonio contenti ſunt. Horum figuram tenuit mulier in Evangelio, quæ fluxum ſanguinis patiens cogitavit intra ſe, dicens: *Si attigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* Quo dicto, acceſſit occulte, & tetigit, & ſalva facta eſt. Alii ſunt qui compelluntur: verbi gratia ut pauperes neceſſarii, quos ſcilicet hic ignis paupertatis Deo diſpenſante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus ſcriptum eſt: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Compelluntur multi variis neceſſitatibus & oppreſſionibus afflicti: qui mira Dei providentia, dum temporalem pœnam, ſi non libenter, tamen patienter ſuſtinent, vitam conſequuntur æternam.

Luc. 8. 43. Marc. 5. 28. Luc. 14. 23.

SERMO C.

De diſcrimine inter plebem & Præſulem.

QUantum diſtat inter Paſtorem & gregem, tantum debet diſtare inter Epiſcopum & plebem. Stat ille ſublimis & rectus, curvat iſte caput ſolo depreſſus. Unde Poëta:

Ovidius Metamorph. 1.

> Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram,
> Os homini ſublime dedit.

Ille regit, iſte regitur: ille paſcit, iſte paſcitur: ut ex ipſa forma & habitu uterque diſcernatur. Habet ille in manu virgam qua feriat, vel potius ducat & reducat ovem. Quid eſt autem habere in manu virgam, niſi in opere diſciplinam, ut ſubjectos ſuos exemplo magis inſtruat, quàm verbo? Erubeſcunt enim ſuperbi eſſe diſcipuli, ſi eos in humilitate præceſſerint magiſtri. Unde de Domino ſcriptum eſt: *Quæ cœpit Jeſus facere, & docere.* Habet etiam baculum, quo feriat lupum, virga ovem, baculo lupum. Hoc eſt mites & obedientes debet lenius corripere, duros vero corde & improbos acrius arguere; cumque neceſſe fuerit, etiam anathematis ſententia ferire. Tenet canem in fune, zelum ſcilicet in diſcretione, ne ſit de illis de quibus ſcriptum eſt: *Habent zelum* * *Dei, ſed non ſecundum ſcientiam.* Habet etiam paſtor bonus panem in pera, hoc eſt verbum Dei in memoria.

Paſtoribus exemplo potius quàm verbo docendum. Act. 1. 1. Rom. 10. 2. * al. æmulationem.

SERMO CI.

De quatuor modis diligendi.

Amores duo, carnalis & ſpiritualis.

DUo ſunt amores, carnalis & ſpiritualis: ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi, ſcilicet diligere carnem carnaliter, ſpiritum carnaliter; carnem ſpiritualiter, ſpiritum ſpiritualiter. In his fit quidam profectus & aſcenſus ab inferioribus ad ſuperiora. Nam ut homines, qui tantum noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc proficerent, ut Deum quoque diligerent ſpiritualiter; Deus caro factus eſt, & loquendo, & converſando cum hominibus, primum ab eis carnaliter dilectus eſt. Cum autem pro amicis ſuis animam ponere vellet, jam ſpiritum diligebant, ſed adhuc carnaliter. Unde & Petrus loquenti de paſſione ſua reſpondit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed cum per eamdem paſſionem fieri myſterium redemptionis agnoſcerent, in ipſa paſſione jam carnem ſpiritualiter diligebant. Reſurgente autem eo & aſcendente, ſpiritum ſpiritualiter amant, lætique decantant: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus.* Nos quoque carnem noſtram carnaliter diligimus, cum ejus deſideria diligimus & perficimus. Spiritum carnaliter, quando eum flendo, ſuſpirando, gemendo in oratione conterimus. Carnem ſpiritualiter, cum eam ſpiritui ſubjectam in bonis ſpiritualiter exercentes, cum diſcretione ſervamus. Spiritum ſpiritualiter, cum etiam ipſa ſpiritualia ſtudia noſtra fraternæ utilitati ex caritate poſtponimus.

Matt. 16. 22. 2. Cor. 5. 16.

SERMO CII.

De modo redeundi ad Deum.

Adæ caſus per quos gradus.

1. EST ad Deum quidam redeundi modus, primi hominis caſui oppoſitus. Adam quippe in paradiſo poſitus, primo perdidit circumſpectionem Dei. Teſtatur enim beatus Auguſtinus, quod nequaquam tentator hominem de paradiſo ejeciſſet, niſi aliqua elatio in anima hominis præceſſiſſet, cum veriſſime ſcriptum ſit: *Ante ruinam exaltatur cor.* Secundo perdidit juſtitiam, quando uxoris voci pluſquam divinæ obedivit. Juſtitia enim eſt virtus, quæ ſuum cuique reddit. Tertio B amiſit judicium, cum poſt peccatum correctus, oblique per mulierem retorſit propriam culpam in auctorem, dicens: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Eiſdem ergo virtutum gradibus redeundum eſt homini in exſilio poſito, quibus primus expelli meruit de paradiſo. Primum itaque faciendum eſt judicium, deinde exercenda juſtitia, tandem circumſpectio adhibenda. Et judicium quidem nobis, ut nos ipſos judicemus & accuſemus; juſtitiam proximo, circumſpectionem debemus Deo.

Auguſt. l. 14. de Civ. c. 13. Prov. 16. 18. Gen. 3. 12. Converſio ſeu reditus ad Deum quibus gradibus fiat.

2. Hanc redeundi viam oſtendit nobis Micheas Propheta, dicens: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & C quid Deus requirat a te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ambulare ſollicite cum Deo tuo.* Hanc ſalutis viam teſtatur Apoſtolus Chriſtum docuiſſe, dicens: *Apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo,* &c. *Sobrie* ſcilicet quantum ad nos, *juſte* ad proximum, *pie* ad Deum. Qui etiam manifeſtius intulit circumſpectionem Dei, dicens: *Exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti.* Et in multis aliis Scripturæ ſacræ locis, ſi hic ordo viæ & inſtitutio vitæ quæratur, poteſt inveniri, ut illud: *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia meditabitur, & in ſenſu cogitabit circum-D ſpectionem Dei.* Moratur ſiquidem in ſapientia, & ſapiens eſt qui ſemetipſum hic dijudicat, ut æternum Dei judicium evadat. *Si enim,* ait Apoſtolus, *noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Sapiens eſt, non ſecundum ſapientiam hujus ſæculi, ſed ſecundum illam quæ trahitur de occultis, per quam utique miro Dei opere agitur, ut electi quique tunſionibus & preſſuris hic attriti, in ædificio veri Salomonis ſine ſonitu mallei poſtmodum collocentur.

Mich. 6. 8. ad Tit. 2. 11. Ibid. 13. Eccli. 14. 22. 1. Cor. 11. 31.

SERMO CIII.

De quatuor gradibus, quibus electorum profectus diſtinguitur.

Profectus electorum primus gradus, quo homo fit amicus animæ ſuæ.

E 1. QUatuor gradibus diſtinguitur omnium electorum profectus. Primo enim fit quiſque amicus ſuæ animæ; ſecundo fit amicus juſtitiæ; tertio ſapientiæ; quarto fit ſapiens. In primo profectu vitat omnia quæ animam poſſunt offendere, & diligit ea quæ eam poſſunt mulcere. Horret ergo infernum, & cælum concupiſcit. Ita poteſt implere illud divinum præceptum, quod in prima converſione ſua accepit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Nam dum ſecundum carnem ambulat, nullo modo poteſt: cum autem ſpiritu Dei agitur, facile poteſt. Quid enim habeat emolumenti homo, ſi proximus ejus ardeat in inferF no? aut quid perdiderit, ſi ſecum fuerit in paradiſo? Neque enim talis eſt illa paradiſi hereditas, ut poſſidentium numero minuatur. Diligit ergo proximum, quem non vult malum pati, ſicut nec ſeipſum, & quem ſicut ſeipſum vult poſſidere cælum. Hoc autem ſuo, id eſt hominis ſpiritu, quando poſſet, ut ſcilicet expaveſceret gehennam, ac cæleſtia deſideraret? Sed poteſt hoc illius ſpiritu, cui dictum eſt: *Si aſcendero in cælum tu illic es,* &c. Spiritus quippe ſapientiæ ubique præſens, novit quid in cælo, & quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam replevit, & de pœnis inferni incutit timorem, & cæleſtium amorem infundit:

Matt. 22. 39. Pſal. 138. 8.

Eccli. 30. 24. ſicque facit hominem amare ſeipſum, & dicit ei: *Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* Primum igitur eſt diligere ſe, deinde proximum. Non enim dictum eſt, diliges te ſicut proximum, ſed *diliges proximum ſicut te.* Hoc modo fit amator animæ ſuæ per Spiritum-ſanctum, quem ex fide accepit.

2. Accepto autem hoc dono, non debet eo ſolo contentus eſſe, ſed ad majora provehi, & in melius proficere. Vivit autem jam per Spiritum. Sed ſi per Spiritum vivimus, ait Apoſtolus, *ſpiritu & ambulemus.* Et alibi dicit: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* Hoc ipſum & Pſalmiſta de ſanctis videtur ſenſiſſe. *Benedictionem*, inquit, *dabit legiſlator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Ambulet & iſte, quem in manibus habemus: eat & proficiat, donec ad quartum gradum perveniat. Ibi ſine dubio factus ſapiens, videbit Deum deorum in Sion. Porro eo ipſo quod dixi, qui bene diligit animam ſuam, debet etiam diligere juſtitiam. Alioquin ſi diligit iniquitatem, odit plane, non diligit, animam ſuam.

Galat. 5. 25. *2. Cor. 3. 18.* *Pſal. 83. 8.* *Pſal. 10. 6.*

3. Diligendo autem juſtitiam tranſit ad ſecundum gradum, & audit illud Sapientiæ præceptum: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram.* Quam ſi perfecte dilexerit, debet pro ea ferre patienter omnem pœnam & quamcumque illatam contumeliam. Duo quippe præſtabit ei juſtitia: unum, ut faciat quod debet: alterum, ut patiatur quod debet: ſcilicet, ut ſi bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiatur. Sic miro modo ne deſerendo quidem juſtitiam ab ipſa deſerimur, dum per ipſam quilibet prævaricationis reatus punitur. Neque enim eſt qui ſe abſcondat a calore ejus. Hanc autem pœnam non ſolum vir juſtus non horret, verum etiam libenter excipit, dum per eam præteritæ vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim ſcriptum eſt: *Non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit.* Opponit igitur variis voluptatibus quibus corruit, contraria medicamenta per quæ reſurgat. Verbi gratia, cecidit per inobedientiam; per obedientiæ laborem redit ad vitam: lubricus exſtitit ac diſſolutus; per continentiæ ſtudium rigoremque diſciplinæ reparatur. Patitur ab ipſis elementis mundi pœnam, quorum uſu dudum defluxerat ad voluptatem. Quibus cruciatibus cum diu; tamquam aurum in fornace probatus fuerit, quantum ſcilicet dignum judicabit is qui in pane lacrymarum nos cibat, & potum dat nobis in lacrymis in menſura; incipit jam conſolari, & audit illam Iſaiæ vocem dicentis: *Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam, quoniam completa eſt malitia ejus,* id eſt, afflictio: *dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Poſtquam vero conſolationem receperit, ſollicitus eſt & quærit quomodo placeat ei cui ſe probavit. Facit quicquid boni facit, ut ſoli placeat ſuo conditori.

Sap. 1. 1. *Tranſitus ad ſecundum gradum, per amorem juſtitiæ.* *Juſtus duo per juſtitiam habet.* *Prov. 12. 21.* *Iſa. 40. 1.*

4. Tranſit ad tertium gradum ſui profectus: ut ſit ſcilicet amicus ſapientiæ, quæ materno affectu loquitur ſibi, cum dicit: *Præbe fili cor tuum mihi.* Cum ergo ad hunc gradum pervenerit, nihil aliud ei reſtat, niſi ut ad quartum aſcendat, ubi dicitur eſſe ſapiens. Hoc autem fit, quando jam operatur, non ut ipſe Deo placeat, quod utique in tertio gradu fecerat; ſed quia placet ei Deus, vel quia placeat Deo quod operatur. Quiſquis talis eſt, poteſt cum tota fiducia ac ſecuritate conſcientiæ illud Sapientis canticum decantare: *In omnibus requiem quæſivi, &c.* Hic enim requieſcit in omnibus, cum per omnia ei placeat Deus, qui non Dei voluntatem ad ſuam curvare, ſed ſuam didicit ad Dei voluntatem erigere. *Morabitur in hereditate Domini*, ſicut ei ejuſdem Domini voce promittitur, cum dicitur: *Terram in qua dormis tibi dabo:* hoc eſt, quietem iſtam, ad quam perveniſti labore tuo & munere meo, ſtabilem tibi faciam atque perpetuam. Quod autem ſubjungit, *& ſemini tuo*, ſic poſſumus intelligere, ut non ſolum ſpiritui detur tranquillitas iſta, & hic, & in futuro; ſed etiam ſemini tuo, id eſt, operibus tuis dabitur corporis tui glorificatio.

Tranſitus ad tertium gradum per amorem ſapientiæ. Et hinc ad quartum per uſum ſapientiæ. *Prov. 23. 26.* *Eccl. 24. 11.* *Gen. 28. 13.* *Tom. III.*

SERMO CIV.

De quatuor impedimentis Confeſſionis.

1. Quatuor ſunt quæ impediunt confeſſionem, pudor, timor, ſpes, deſperatio. Quoſdam enim impedit pudor, qui ſcilicet pro ſola confuſione dicere erubeſcunt peccata quæ commiſerunt. De quo per Salomonem dicitur: *Eſt confuſio adducens peccatum.* Quo contra de his qui confitentur, iterum dicitur: *Et confuſio adducens gloriam.* Quos etiam commendat Propheta, dicens: *Confeſſionem & decorem induiſti.* Et alibi: *Confeſſio & magnificentia opus ejus.* Alios impedit timor. Timent enim ſi confiteantur, ne gravis eis pœnitentia injungatur. & hos arguit Job, dicens: *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.* Sunt autem nonnulli, qui in hoc mundo adhuc aliquid concupiſcunt, nec putant ſe adepturos quod deſiderant, ſi hominibus quales ſint innoteſcant. Horum confeſſionem impedit ſpes, id eſt cupiditas potiendi deſiderii. Talibus comminatur Dominus in Evangelio: *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Sunt item alii qui nil horum verentur, ſed ſolum hoc timent, quia poſt peccatorum confeſſionem ab ipſis abſtinere minime poſſent. Et his obeſt deſperatio. Quibus non incongrue illud poteſt aptari: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Fit vero nonnumquam, ut hæc omnia ſimul confeſſionem impediant. Sed qui quatuor his malis premitur, recte jam in monumento jacet, & velut ille evangelicus quatriduanus fœtet. Scriptum eſt enim: *A mortuo velut qui non ſit, perit confeſſio.* Quod ſi is mortuus eſt qui non confitetur, utique reviviſcet qui confitebitur. Veniat ergo Jeſus, & dicat, *Veni foras:* & ad vocem ejus ilico ſuſcitabitur mortuus. Excipiat hic noſter mortuus exhortationem, & non differat confeſſionem.

Confeſſionis 4. impedimenta. 1 Pudor. *Eccl. 4. 25.* *Ibidem.* *Pſal. 103. 1.* *Pſal. 110. 3.* *2 Timor.* *Job 6. 16.* *3. Spes.* *Matt. 24. 19.* *4. Deſperatio* *Prov. 18. 3.* *Joan. 11. 39.* *Eccli. 17. 26.* *Joan. 11. 44.*

2. Dicatur ergo illi quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubeſcis Deo confiteri, cujus oculis non potes abſcondi? Quod ſi forte pudor eſt tibi uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus expoſita tua conſcientia patebit? Hæc itaque tria proponenda ſunt contra pudorem, ſcilicet conſideratio rationis, reverentia intuentis Dei, comparatio majoris confuſionis. Similiter contra timorem opponenda ſunt tria. Conſiderandum enim eſt, quàm ſit longa pœna inferni, quàm gravis, quàm infructuoſa. E contrario vero præſentis temporis pœnitentia brevis eſt, & levis, & fructuoſa. Contra ſpem quoque itidem tria opponuntur, bona ſcilicet futuri ſæculi, præſentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora: ad quorum comparationem, quicquid in hoc mundo deſiderari poteſt, modicum eſt & incertum: &, ut ita dicam, momentaneum. Ita contra deſperationem vincendi peccatum, tria ſunt remedia. Primum eſt vigor ipſe propoſiti boni, quem aſſumit ex confeſſione. Secundum eſt gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium eſt auxilium, quod ex ejus habet cui confitetur compaſſione.

Antidotum pudoris. *Timoris.* *Spei.* *Deſperationis.*

SERMO CV.

De requiſitis ad juſtificationem & ſalutem.

1. Duo ſunt in quibus conſiſtit noſtra ſalus, juſtificatio, & glorificatio. Altera initium, altera perfectio eſt. In illa labor, in hac autem fructus laboris eſt. Et nunc quidem juſtificatio fit per fidem: nam glorificatio erit per ſpeciem. Quanta autem ſit in futura vita glorificatio ſanctorum, humanus interim non poteſt attingere intellectus. De illa enim ſcriptum eſt, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Hac ergo interim omiſſa, quoniam vires noſtras excedit, de juſtificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem Fratrum noſtrorum, quod neceſſarium viſum eſt, lo-

V. ſupra ſerm. 4. de diverſis Iſa. 64. 4.

Tom. III. Rom. 8. 30. quamur. Ipſa eſt enim via, per quam fit tranſitus ad glo- A rificationem, dicente Apoſtolo: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & magnificavit.* Neque enim poterit obtineri magnificatio, niſi juſtificatio præceſſerit: cum iſta meritum, illa præmium ſit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cum Diſcipulis evangelizaret regnum Dei, primum eis propoſuit juſtitiam, di- Matt. 5. 20. cens: *Nam niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

2. Notandum autem, quod ſicut in illo beatitudinis regno præſentem ſe electis ſuis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam ſe eiſdem ipſis exhibet in via B peregrinationis ad juſtificationem; ut à quo ſcilicet glorificandi ſunt per ſpeciem, ab ipſo prius juſtificentur per fidem. Et quidem tria ſunt, à quibus abſtinere debent quicumque juſtificari deſiderant. Primo utique ab operibus pravis, ſecundo à carnalibus deſideriis, tertio à curis ſæculi. Item tria ſunt, quibus debent inſiſ- Matt. 5. 1. tere, quæ etiam continet ſermo Domini in monte, eleemoſyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur juſtificatio; dum ab interdictis vitiis abſtinent, & bona quæ præcepta ſunt fideliter exercent. Opponantur ergo pravis operibus opera miſericordiæ, contra carnalia deſideria adhibeantur jejunia, & pro curis ſæculi ſuccedat amor Dei, & frequentia orationis. C

SERMO CVI.

De tribus ad agendam pœnitentiam neceſſariis.

Pœnitentiæ tria neceſſaria. 1. TRes ſunt ſtatus animæ: in corpore, poſito corpore, recepto corpore. Primus datus eſt ei ad agendam pœnitentiam, reliqui duo ad habendam requiem vel pœnam, ſcilicet prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Ad agendam vero pœnitentiam tria ſunt neceſſaria, tempus, corpus, & locus. 2. Cor. 6. 2. 1. Tempus. Quod tempus ſit neceſſarium, dicit Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Simili- 2. Cor. 5. 10. ter & de corpore idem ſcribit: *Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut referat quiſque propria corporis prout geſſit.* Sed & de hoc loco loquitur Scriptura, Eccl. 10. 4. dicens: *Si aſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habentis, locum tuum ne deſeras.* Porro tempus in tria dividitur, in præteritum, in præſens, in futurum. Horum nullum perdit, quiſquis recte pœnitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdiderat reſtaurat, dum in amaritudine animæ ſuæ omnes annos ſuos recogitat: præſens autem tenet jam per exercitium operis: futurum vero per conſtantiam boni propoſiti. De præterito Epheſ. 5. 16. loquitur Apoſtolus, cum dicit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Ad præſentis vero operationem Galat. 6. 10. hortatur nos, cum dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.* Futuri Matt. 10. 22. nos admonet Dominus, cum ait: *Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.*

2. Corpus. 2. Corpus quoque neceſſarium eſt ad agendam pœnitentiam. In corpore quippe poſſumus mala pati, & bona operari. Pati ſcilicet pro commiſſis delictis, operari pro adipiſcendis æternis præmiis. Qui ergo corpore caret, dignos pœnitentiæ fructus facere quomodo valet? Et notandum, quod pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis eſt & levis. Brevis, quia corporis morte terminatur: levis, quia per ſocietatem corporis fertur facilius. Gravis ſiquidem eſſet, ſi eam ſolus animus portaret. Cum vero & ipſi corpori ejus partitur pondus, quanto magis inde corpus oneratur, tanto 3. Locus. amplius animus exoneratur. Locus etiam videtur neceſſarius eſſe & utilis, Eccleſia ſcilicet vitæ præſentis: in qua quiſquis dum in corpore vivit, pœnitentiam recte agere negligit, nullum in futuro ſalutis remedium obtinere poterit.

SERMO CVII.

De affectionibus orantium.

1. SIcut æger ad medicum, ſic eſſe debet peccator ad Creatorem ſuum. Qui ergo peccator eſt, debet orare Deum, ſicut æger medicum. Duobus autem modis impeditur oratio peccatoris: vel nulla, vel nimia luce. Nulla luce illuſtratur, qui peccata ſua nec videt, nec confitetur. E contrario nimia luce obruitur, qui ea tanta videt, ut de indulgentia deſperet. Horum neuter orat. Quid ergo? Temperanda eſt lux, ut peccata ſua videat peccator, & confiteatur; ac pro ipſis oret, ut remittantur. Primo ergo ejus oratio debet fieri verecundo affectu. Hoc autem fit, cum necdum peccator audet per ſeipſum accedere ad Deum, ſed quærit aliquem ſanctum virum; aliquem ſanctum pauperem ſpiritu, qui ſit in ora veſtimenti Domini tamquam fimbria, per quem habeat acceſſum. Hujus orationis tenuit typum illa evangelica mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur; cupienſque ſanari acceſſit, & intra ſe cogitavit dicens: *Si tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* Secunda oratio fit puro affectu: & hoc fit quando ſcilicet peccator jam per ſeipſum accedit, & ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa Peccatrix, quæ lacrymis rigavit pedes C Domini, & capillis capitis ſui terſit, de qua dictum eſt à Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertia oratio effunditur amplo affectu: & hoc fit, quando is qui pro ſe oraverat, orat jam pro aliis. Sic oraverunt Apoſtoli pro muliere Chananæa pro filia ſua rogante: *Dimitte*, inquiunt, *illam, quia clamat poſt nos.* Quarta oratio emittitur devoto affectu, quæ de cordis puritate ſine ulla hæſitatione cum gratiarum actione depromitur. Talem orationem fecit ipſe Dominus, quando quatriduanum de monumento Lazarum reſuſcitavit, & ait; *Pater, gratias ago tibi, quia audiſti me.* Tales orationes docuit nos Apoſtolus facere frequentes, dicens: *Sine intermiſſione orate, in omnibus* D *gratias agite.* Has quæ dictæ ſunt quatuor orationum ſpecies, id eſt, verecundam, puram, amplam, devotam, nuncupat Apoſtolus aliis nominibus, & ad eas nos hortatur dicens: *Obſecro primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Nam obſecrationes verecundo, orationes puro, poſtulationes amplo, gratiarum affectiones fiunt affectu devoto.

Oratio duobus modis impeditur.

Affectus quatuor, quibus orandum. 1. — Matt. 9. 21. 2. — Luc. 7. 47. 3. — Matt. 15. 23. 4. — Joan. 11. 41. — 1. Theſſ. 5. 17. — 1. Tim. 2. 1.

2. Diximus de generibus affectionum & orationum: dicamus etiam qua puritate ſit orandum. Et quidem tria videntur mihi hic eſſe neceſſaria, quibus orationis intentio firmiter eſt adſtringenda. Conſiderare namque debet is qui orat, & quid petit, & ipſum quem E petit, & ſeipſum qui petit. In eo autem quod petit, duo debet attendere, ut ſecundum Deum ſit quod poſtulat, & ut hoc ipſum in ſummo affectus deſiderio habeat. Verbi gratia, ſi mortem inimici, ſi læſionem ſeu dejectionem proximi orando petierit, non eſt ſecundum Deum talis oratio, cum ipſe præcipiat, & dicat: Luc. 6. 27. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Si vero peccatorum remiſſionem, ſi Spiritus-ſancti gratiam, ſi virtutem atque ſapientiam, ſi fidem, veritatem, juſtitiam, humilitatem, patientiam, manſuetudinem, & cetera ſpiritualia chariſmata quæſierit, & ea cogitan- F do vehementer affectaverit; hæc ſecundum Deum eſt oratio, & hæc vere meretur audiri. De hujuſmodi enim orationibus loquitur per Iſaiam Deus: *Antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam.* Iſa. 65. 24. Sunt & alia, quæ cum deſint, à Deo dantur, & poſſunt eſſe vel non eſſe ſecundum Deum, quantum dumtaxat intereſt finis ad quem referuntur: ut eſt corporis ſanitas, pecunia, ceterarumque rerum affluentia: quæ etſi à Deo ſint, non tamen ſunt magni pendenda, nec ex deſiderio poſſidenda. Similiter & in ipſo quem petit, debet duo conſiderare, bonitatem, & majeſtatem. Secundo, quem petit. Bonitatem, qua gratis velit; & majeſtatem, qua plane poſſit

Orans tria conſideranda: quid petat:

Tertio, q. p.

poſſit dare quicquid petitur. Sed & in ſeipſo qui petit, debet nihilo minus duo attendere, id eſt, ut pro ſuis meritis nihil accepturum putet, ſed de Dei miſericordia tantum quicquid rogaverit, impetraturum ſperet. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria hæc quæ dicta ſunt, & eo modo quo dicta ſunt, cogitat. Et quiſquis hac puritate & intentione cordis oraverit, exaudiri ſe ſciat: quia, ſicut teſtatur Petrus

Act. 10. 34

apoſtolus, *Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.*

SERMO CVIII.

De ſpirituali minutione ſanguinis.

MInuendi ſanguinis duplex eſt cauſa. Interdum qualitas, interdum quantitas obeſt: nec minus pernicioſa immoderata abundantia, quàm corruptio. Sanguis animæ meæ, voluntas mea. Naturæ ſiquidem cognatus præ ceteris humoribus ſanguis dicitur, & animæ vita in voluntate eſt. Minuatur ergo prava voluntas, quæ morbi cauſa eſt ſpiritualis. Minuatur, inquam, dum penitus exhauriri exſiccarique non poteſt. Scindatur & aperiatur vena ferro compunctionis, ut peccati, etſi non omnis ſenſus, certe conſenſus effluat & abjiciatur. An dubitas inveniri & in anima ſanguinis non inutilis inutilem abundantiam? audi ſapientem medicum, qui & ipſum docet juſtitiæ ſanguinem minuendum. *Noli*, inquit, *nimium eſſe juſtus.* Simile eſt & illud Apoſtoli: *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Cui putas venæ parcendum eſt, ſi & juſtitia, & ſapientia egent minutione? Quis enim ſanguis utilior? Illud tamen memento, nec nimis juſtum, juſtum: nec ebriam (ut ita loquar) ſapientiam oportet ſapientiam nominari. Sic nimirum & in ſanguine corporis invenire eſt, ubi excreverit nimis, non jam nutrimentum afferre corpori, ſed detrimentum. Quamobrem ſi peccare delectat adhuc, ſanguis vitioſus eſt, & minuere feſtinato. Si vis agere pœnitentiam, caſtigare * oportet membra, corpus affligere, judicare temetipſum, ut non incidas in manus Dei viventis. Juſtum id quidem, ſed ne quid nimis. Alioquin reprimendus eſt fervor immoderatus, ne noceat unitati, ſerviat indiſcretioni.

Sanguis vitioſus ſeu abundans in anima minuendus, quia.

Eccl. 7. 17.

Rom. 12. 3

Exceſſus in ipſa etiam juſtitia & ſapientia datur.

* al. punire.

SERMO CIX.

De inani ſplendore virtutum cavendo.

CAveamus, Fratres, ne vaſorum interim vacuo ſplendore decepti, ſero conqueri habeamus quod lampades noſtræ exſtinguuntur. Ego enim reor minime fuiſſe accenſas, quæ tunc videntur exſtingui. Sic nempe habes: *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas.* Accipientes dixit, non accendentes. Quomodo enim accenderunt, quæ non ſumpſerunt oleum ſecum? Aut ubi ignis materia defuit, quomodo ignis fuit? At lucet caſtitas etiam ex ſeipſa. Sed quanto lucidior lampas ardens, quàm ſine igne, tanto pulcrior caſta generatio cum caritate. Sic & à ceteris voluptatibus temperantia, & patientia in adverſitatibus, honeſtas in converſatione, & circumſpectio in ſermone, eleemoſyna quoque & ejuſmodi opera pietatis, naturali quadam placere gratia, & velut ingenito decore etiam apud fatuas virgines renitere videntur. At quoniam vitrea magis quàm ignea claritate fulgebant, eo ipſo lampades ſuas arbitrabantur exſtingui, quo nimirum inanem hunc ſplendorem ab æterna conſpexerint luce reprobari.

Matth. 25. 1.

SERMO CX.

De allocutione hominis ad ſeipſum vel animam ſuam.

QUanta eſt miſeria noſtra, & indigentia noſtra quàm multiplex! Etiam verbis opus habemus. Et cum utrumque ſit miſerum, non jam mirum quod

A inter nos: mirum magis, quod etiam ad nos ipſos. *Nemo ſcit quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo.* Chaos magnum inter nos firmatum eſt, niſi interveniente quaſi inſtrumento verborum fiat ad invicem tranſitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hac neceſſitate inventa ſunt verba: quis neſciat? Verumtamen & nos ipſos verbis jam alloqui neceſſe eſt, *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Propheta ait: *Ab ipſo enim ſalutare meum.* Et cui non frequenter neceſſe eſt animam revocare ſuam, advocare rationem ſuam, ſuos convocare affectus? Cui non opus eſt crebro ſeipſum convenire verbis, increpare minis, ſollicitare monitis, urgere accuſationibus? Quin etiam B ratiociniis ſuadere expedit: quale eſt, *Ab ipſo enim ſalutare meum:* & conſolari aliquando, juxta illud, *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* & interdum velut excitare, & dicere, *Lauda anima mea Dominum:* & nonnumquam diligentius commonere de quibus oportet, ut eſt, *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Nempe cor meum dereliquit me, & neceſſe habeo ad meipſum, immo ad me alterum loqui. Atque id interim tanto amplius, quanto minus ſum adhuc reverſus ad cor, reverſus in me, unitus denique mihi ipſi. Nam ne invicem quidem erit jam verbis uti, ubi in unum utique virum perfectum occurremus omnes. Opportune igitur linguæ C ceſſabunt; nec medius requiretur interpres, ubi uſque adeo medium omne caritate conſtraverit ille unicus Mediator, ut & nos in unum facti ſimus in ipſis, qui vere ſempiterneque unum ſunt, Deo Patre, & ipſo Domino Jeſu-Chriſto.

Tom III. 1 Cor. 2. 11.

Pſal. 61. 2.

Pſal. 41. 6.

Pſal. 145. 2.

Pſal. 102. 2.

SERMO CXI.

De Fide vita & moribus conteſtanda; ſeu de ſex teſtimoniis Deo perhibendis.

1. ÆTernam cæleſtis patriæ, ad quam noſtra peregrinatio ſuſpirat, felicitatem, & è contra gehennæ paratos impiis cruciatus, omnem excedere D humani non modo corporis ſenſum, ſed etiam intellectum cordis, nemo dubitat, qui vel nomine tenus ſit fidelis. Atque utinam viveret in omnibus fides iſta, & credulitatem, ut dignum erat, ſequeretur; hinc quidem deſiderium, inde timor! Quid eſt enim, quod non optamus etiam per medios enſes, aut, ſi oporteat, ſemiuſti declinare miſeriam tantam, & ad tantam accelerare gloriam, niſi quod inſenſibilis eſt, & mortua fides noſtra? Accedit ſane ad cumulum infelicitatis, ſalutis impedimentum, occaſionem perditionis noſtræ, quod in æſtimatione quidem finis utriuſque affectio noſtra judicio non conſentit; ſed in conſideratione viarum ne ipſum quidem ſatis tenemus judicium E veritatis. Nec mirum ſi nulla virtutum delectatione movetur deſiderium, quod etiam circa illam æternam beatitudinem torpet: aut ſi præſentem non metuit amaritudinem peccatorum, qui ne ipſa quidem parata diabolo & angelis ejus æterna ſupplicia pertimeſcit. niſi quod in ceteris utique conſuevimus ipſa, quorum vicinior nobis experientia eſt, etſi longe minora ſunt, vehementius & jucunda appetere, & formidare moleſta.

Fidei languor & torpor cauſa noſtræ in curanda ſalute tepiditatis.

2. Illud ſatis mirari nequeo, cur fides noſtra in præſentibus titubat, quæ de futuris tam certa videtur. Sic fatui filii Adam non judicantes, neque quod ve- F rum eſt diſcernentes, cum promiſſiones habeatis vitæ ejus quæ nunc eſt, pariter & futuræ, in ea quam protinus eſt experiri, omnino incredulos vos exhibetis & infideles; ut palam fieri videatur, nonniſi ad cumulum damnationis relictam vobis fidem futuræ promiſſionis? Idipſum ſane conſiderare eſt & de comminatione. Nonne enim idem ipſe, qui paratum aſſerit electis regnum, reprobis ignem, eodem ore & eadem veritate teſtatur, laborare & oneratos eſſe, quicumque ad ipſum non accedunt: accedentes autem non defecturos, ut eſt trepidatio puſillanimitatis humanæ, ſed reficiendos ab ipſo? Qui regnum

1 Tim. 4. 8. Promiſſiones, & comminationes divinæ cur tam parum nos moveant.

Matt 25. 34.

Matt. 11. 28.

Ibid.

Tom. III ineffabiliter delectabile pollicetur, ipſe jugum ſuum A ſuave & onus leve eſſe teſtatur. (Ibid. 29.) Qui æternam beatitudinem promittit in patria, præſentem quoque requiem & refectionem repromittit in via. Denique Propheta loquitur, dicens (Iſa. 4. 64.): *Nec oculus vidit, nec aures audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*; & facile credimus univerſi. Loquitur ipſe Dominus Prophetarum (Mat. 11. 28.): *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*; & quam multi avertunt cordis aurem? nam corporis jam forte non audent. Quid incredulitatis iſtud eſt? immo quid inſaniæ? Quaſi vero aut falli Sapientia, aut fallere Veritas poſſit? Quaſi aut Caritas quod offert, dare nolit: aut Omnipotentia non valeat reddere quod pro- B mittit.

(Peccata ex fidei defectu.) 3. Quia enim hominum adeo voloptati & luxuriæ deditus eſt, qui non ſobrietatem & caſtitatem magis eligeret, ſi certus eſſet, eas ſibi delectabiliores fore? Quis tam ambitioſus, qui non inciperet vilitate omni & extremitate eſſe contentus; ſi, ut vere eſt, caritatem quæ non quærit quæ ſua ſunt, dignitatibus univerſis ſciret amabiliorem? Quis tam avarus, qui non omnino divitias ſperneret, ſi jucundiorem crederet paupertatem? (Fideles male viventes Chriſtum ut mendacem & fallacem faciunt.) Nunc autem Chriſtus fruſtra clamat de levitate oneris ſui: ſine cauſa jugum ſuum ſuave prædicat: quandoquidem & ab ipſis qui Chriſtiano cenſentur nomine, onus diaboli, & jugum carnis atque ſæculi hujus delectabilius reputatur. Sed unde tibi vel incon- C ſideratio tanta, quanta ab ipſis imponitur, Domine Deus meus? Cur tam publice polliceris, quod tam facile deprehenderis non implere? Dulciorem ſuper mel & favum ſpiritum tuum aſſeris: & ecce iſti dulciorem invenerunt carnem venationis; carnem, prô pudor! meretricis; ſæculi vanitatem. Væ miſeris! de parte judicant, & tamquam amarum faſtidiunt manna tuum abſconditum, quod non guſtaverunt! Sane qui probaverunt utraque (Rom 3. 4.), ecce hi ſciunt, quia Deus verax, omnis autem homo mendax. Ipſorum proinde teſtimonia eſſe debuerant credibilia nimis: ſed cum promiſſionibus tuis, tuorum quoque experientia contemnitur & ridetur. Carnalis ſiquidem homo non percipit D quæ ſunt ſpiritus Dei (1 Cor. 2. 14.), ſed ſtultitia illi videntur. Nec mirum, ſi experto non credit homini, qui Deo non credit promittenti. (Carnales ridens ſpem futurorum.) Ergo inſani reputamur, qui crucem Domini prædicamus eſſe ſuavem; qui delectationem paupertatis magnificamus, extollimus humilitatis gloriam, eructamus delicias caſtitatis. Inſanus nobiſcum æſtimetur & Propheta (Pſal. 118. 14), qui dicit delectatum ſe eſſe in teſtimoniis Domini, ſicut in omnibus divitiis.

4. Vos qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, non omnes, ſed paucas, quas utcumque mendicare poteſtis, divitias, divinis præferte teſtimoniis, ut nullum umquam habeat teſtimonium fides veſtra. Penes vos ſit in occulto, in abſcondito (Matt. 6. 4.), ubi ne ipſe quidem videat Pa- E ter qui eſt in cælis; ſed dicere poſſit, quia *neſcio vos* (Matt. 25. 12.). Firmiter creditis Deum juſtum, veracem, remuneratorem, omnipotentem, ſumme bonum, æternum. Exhibete vos aſpides ſurdas, & obdurantes aures, nequando audiatis vocem improperantis, & dicentis (Iacob. 2. 18.): *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus*. Credere quanti vobis conſtat? Viam autem teſtimoniorum nolite ingredi, quoniam ardua eſt, aſpera, & inambulabilis. Miſeri & infelices! qui viam civitatis habitaculi non inveniſtis; & ideo erratis in invio, & non in via! Finis nempe viarum, quæ videntur vobis bonæ, quas delectabiles vos eſſe judicatis, (neque enim veræ quicquam delectationis habent) demergitur in profundum inferni: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Expergiſci- F mini ebrii & flete, ne fletus ille perpetuus apprehendat incautos (1. Theſſ. 5. 3.). Cum enim dixeritis, Pax & ſecuritas; tunc ſubitaneus vobis ſuperveniet interitus, tamquam in utero habenti, & non effugietis. Merito plane, qui nunc fugiendi tempus ſcienter amittitis, & refugitis effugiendi viam.

5. *Orate*, inquit Dominus, *ut non fiat fuga veſtra hieme, vel ſabbato*. (Matt. 24. 20.) Fugite, dum tempus eſt acceptabile, & via delectabilis exhibetur. Fugite ſex diebus, quibus operari licet. Fugite in teſtimoniis ſex illorum quæ ſupra tetigimus, juſtitiæ, veritatis, remunerationis, omnipotentiæ, ſummæ bonitatis, æternitatis: (Sex teſtimonia ... divinis attribuenda) ne forte ſeptimum, divini ſcilicet zeli teſtimonium, non tam detis, quàm ſuſtineatis inviti. Genimina viperarum (Luc. 3. 7), quis vos docuit fugere à ventura ira? Via mortis eſt, in qua curritis; via perditionis, via cujus finis demergit in profundum inferni. Adhuc tamen ſpes eſt, quia necdum viæ, id eſt vitæ, finis advenit. Feſtinate prævenire finem: ne ſubito præoccupati, quocumque cecideritis, ibi ſitis. Venite filii, audite me: viam ſalutis docebo vos, viam teſtimoniorum B Dei, in qua delectemini & vos ſicut in omnibus divitiis.

6. Sit prima dieta uſque ad cor. (Iſa. 46.) Illuc nempe prævaricatores vocat vox divina; ubi teſtimonium juſtitiæ (Teſtimonia juſtitiæ.) ejus compunctionem generet & timorem. Hinc ſane procedatur ad confeſſionem oris, ut non cunctemur etiam contra noſmet ipſos perhibere teſtimonium veritati. (Veritatis.) Quiſquis enim coram hominibus erubuerit illam; hunc & illa erubeſcet coram Patre ſuo. (Luc. 9. 26.) Sequatur deinde poſſeſſionum diſtractio, diſtributio facultatum, ſicut ſcriptum eſt (Pſal. 111. 9.): *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*. Et iterum (Mat. 19. 21.): *Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo*. Eſt enim in hac liberali proprie- C tatis effuſione teſtimonium largitatis divinæ & copioſæ retributionis (Liberalitatis.), ut qui ſponte diſtribuit ſua, indubitanter ſperare videatur de manu Domini ampliora. Adhuc autem & quartum quoque præbeas neceſſe eſt teſtimonium omnipotentiæ (Omnipotentiæ.): dico autem in corporis afflictione. Seminandum quippe eſt animale corpus, ſed ut ſpirituale reſurgat. Non tibi ergo qui parcis corpori, de reſurrectione & immutatione hæſitare videtur? Sic & qui non compungitur animo, de juſtitia; & qui non confitetur, de veritate; & qui avarus eſt, de retributione futura. Eodem quoque modo conſiderare eſt & cetera quæ ſequuntur. Etenim ſi euſque proficias, ut propriæ abrenunties voluntati, D certiſſimum iſtud eſt divinæ teſtimonium bonitatis. (Bonitatis.) Veniens nimirum non tuam, ſed ipſius facere voluntatem, commendas magnifice, quam ſic præfers; clamans non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: quia nemo bonus, niſi ſolus Deus. (Luc. 18. 19.)

7. Supereſt ut perſeverantiæ ſtudeas. (Æternitatis.) Hæc enim viæ conſummatio eſt, & teſtimonium habet æternitatis. Imago ſiquidem æternitatis divinæ, perſeverantia eſt converſationis noſtræ; ut quomodo ipſe eſt, ita & nos ſimus in hoc ſæculo, incommutabilitatem illam pro modulo poſſibilitatis noſtræ imitantes. Hinc quippe Sapiens ait (Eccli. 27. 12.): *Stultus ut luna mutatur, ſapiens permanet ut ſol*. Hæc eſt ergo via, dilectiſſimi, ambulate in ea: E quoniam aſcendendo de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion. (Pſal. 83. 8.) Ad cujus gloriam viſionis ipſe nos perducat Dominus virtutum & Rex gloriæ, qui eſt via, veritas, & vita (Joan. 14. 6.), Jeſus-Chriſtus Dominus noſter.

SERMO CXII*.

(* Ex editione Parvis.)

1. *Converte re anima mea in requiem tuam.* Laborat & requieſcit anima in conſcientia (Conſcientia quadruplex. ... Conſcientia ... Lib. 4. cap. 7.), quia conſcientia alia bona, & non tranquilla: alia tranquilla, & non bona: alia nec tranquilla, nec bona: alia bona, & tranquilla. Tranquilla, & non bona eorum eſt, qui in ſpe peccant, & dicunt in corde ſuo, quod Deus non requiret: & iſta maxime adoleſcentium. Bona, & non F tranquilla, eorum eſt, qui jam converſi ad Dominum, recogitant annos ſuos in amaritudine. Nec bona, nec tranquilla, eorum, qui præ multitudine peccatorum deſperant. Bona, & tranquilla eorum, qui carnem ſpiritui ſubdiderunt: qui cum his qui oderunt pacem, ſunt pacifici. Hic eſt lectus animæ: in hoc requiem capit anima, ſed non perfectam. Oportet autem ut perfectam

poſſit præſtare requiem, non ſolum bona & tranquilla A ſit conſcientia, ſed etiam ſecura. unde ſubjungit: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos à lapſu.* De morte, dando bonam conſcientiam: à lacrymis, dando tranquillam & bonam: à lapſu, dando ſecuram.

Pſal. 114. 8

SERMO CXIII.

Pſal. 18. 13. Tria occulta.

A*B occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Tria ſunt occulta: illicita actio, doloſa intentio, impudica affectio. Prava operatio inquinat memoriam, doloſa intentio rationem vel mentem, impudica affectio voluntatem. Mundatur memoria per confeſſionem, mens per lectionem, affectio vel B voluntas per orationem. Ab alienis mundus eris, ſi non inſultes, ſi non diſcedas, ſi non conſentias, ſi non diſſimules. Juſtitiæ eſt non conſentire, ſed cum rigore reſiſtere: fortitudinis, non diſcedere, ſed mala proximi patienter tolerare: temperantiæ, non inſultare, ſed cum moderamine compati: prudentiæ, non diſſimulare, ſed ſollicite ut mala deſinant providere.

Munditiès à peccatis alienis quomodo obtineri poſſit.

SERMO CXIV.

Ex libris Auguſt. de civ. Dei. Pax multiplex.

PAx corporis eſt ordinata temperantia partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, cogitationis actioniſque conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus ani- C mantis. Pax hominis ac Dei, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis ſimilis eſt. Pax cæleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & vivendi in eo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.

SERMO CXV.

Pſal. 63. 7. Cor triplex Florum lib. 8. cap. 63. Iſa. 46. 8.

A*Ccedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Eſt cor altum, cor humile, cor mediocre. Dicit Propheta: *Redite prævaricatores ad cor.* Prima acceſſio prævaricatoris ſervi ad cor humile: ad quod trahitur per D judicium. Secunda acceſſio mercenarii ad cor mediocre: ad quod vocatur per conſilium. Tertia filii ad cor altum: ad quod levatur per deſiderium. Et tunc exaltatur Deus, id eſt ſupra cor elevatur: ut dum non poteſt comprehendi per rationem, deſideretur per affectionem & amorem. Et nota, quod acceſſiones iſtæ ſive aſcenſiones in corde aguntur. Unde dicit Propheta: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum.* Sed aliquando homo interior rationem excedit, & ſupra ſe rapitur, & dicitur exceſſus mentis. Unde & quatuor gradus aſcenſionis eſſe dicimus. Primus ad cor, ſecundus in corde, tertius de corde, quartus ſupra cor. E In primo timetur Dominus, in ſecundo auditur conſiliarius, in tertio deſideratur ſponſus, in quarto videtur Deus.

Pſal. 83. 6.

Quatuor gradus aſcenſionis.

SERMO CXVI.

Coloſſ. 3. 1. Mortes duæ, & totidem reſurrectiones. Flor. lib. 9. cap. 8.

S*I conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.* Duæ ſunt mortes, & totidem reſurrectiones. Prima mors animæ, ſecunda corporis. Mors animæ, ſeparatio à Deo: mors corporis, ſeparatio animæ à corpore. Hanc operatur peccatum, illam pœna peccati. Item, prima reſurrectio animæ operatus eſt humilis & occultus Chriſti adventus: reſurrectionem corporis, glorioſus & manifeſtus Chriſti perficiet adventus. F Sed anima inviſibilis eſt ad imaginem Dei creata. unde dicit Scriptura: *Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Rectum quidem. Unde & exterior homo, id eſt corpus, in forma ſua rectus apparet, habens vitam & ſenſum: ut per hunc exteriorem & viſibilem, illum interiorem & inviſibilem intelligeremus: qui rectus factus eſt in voluntate, vivus in cognitione, ſenſibilis in amore. Et ſicut corpus, id eſt exterior homo, in reſurrectione ſua vitam & ſenſum recipiet: ita & in reſurrectione ſua vitam & ſenſum anima, id eſt interior homo, recipit, id eſt cognitionem & amorem. Quod autem cognitio vita ſit, Veritas atteſtatur, dicens: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum.* Et quod amor ſit ſenſus, hinc accipe. Sicut homo interior in vita non diſcernitur, quia in toto ſuo æqualiter vivit; in ſenſu autem diſcernitur in quinque partes notiſſimas, ſcilicet viſum, guſtum, auditum, odoratum, & tactum: quia aliter ſentit in oculo, aliter in ore, & ſic in ceteris: ita interior homo in cognitione quidem non diſcernitur, ſed in amore. Et ſicut ille in quinquepertitos ſenſus dividitur: ita iſte circa quinque inviſibilia Dei afficitur, quæ ſunt veritas, juſtitia, ſapientia, caritas, æternitas. Aliter enim afficitur circa veritatem, quam diligit propter libertatem: aliter circa juſtitiam, quam diligit propter ſuavitatem: aliter circa caritatem, quam diligit propter virtutem: aliter circa æternitatem, quam diligit propter ſecuritatem.

Gen. 1. 26.

Tom III. Cognitio vita. Johan. 17. 3. Caritas ſenſus. V. ſerm. 10.

SERMO CXVII.

Paradiſi ſpirituales fontes quatuor. Flor. lib. 9. cap. 8.

HAbet fidelis anima paradiſum ſuum, ſpiritalem quidem, non terrenum: & idcirco priori illo delectabiliorem & ſecretiorem. In hoc delectatur anima, ſicut in omnibus divitiis. De hoc paradiſo prodeunt fontes quatuor, id eſt, veritas, caritas, virtus, ſapientia. De his fontibus laboranti animæ ſalubres aquæ hauriuntur. Laborat enim anima humana quadruplici morbo vitiorum, ſcilicet timoris, concupiſcentiæ, propriæ iniquitatis, ignorantiæ. Timore enim victa in vitium cogitur, concupiſcentia illecta in vitium trahitur, propria iniquitate voluntarie vitium ſequitur, ignorantia ſeducta in vitium labitur. His malis laborantes & gementes animas conſolatur Propheta, dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Contra puſillanimitatem *, quæ provenit de vitio timoris, aqua præſidiorum de fonte virtutis; contra concupiſcentiam temporalis voluptatis, aqua deſideriorum de fonte caritatis; contra malitiam voluntariæ iniquitatis, aqua judiciorum de fonte veritatis: contra fallaciam ignorantiæ, aqua conſiliorum de fonte ſapientiæ. Et hoc in gaudio; ut quæ prius gemebat ſub pondere vitiorum, modo gaudeat in adeptione virtutum, comparando ſibi de aquis conſiliorum prudentiam, de aqua præſidiorum fortitudinem, de aqua deſideriorum temperantiam, de aqua judiciorum juſtitiam: ut in adverſis fortitudo expellat puſillanimitatem; in proſperis temperantia refrenet laſciviam: in agendis juſtitia excludat iniquitatem: in dubiis prudentia inſtruat ignorantiam. Talibus anima refocillata aquis, & ornata virtutibus, extendat ſe & comprehendat cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, ſublimitas & profundum. Hæc quatuor Dei duobus brachiis comprehendi poſſunt, vero ſcilicet amore, & vero timore. Timore ſublimitatem & profundum, id eſt, potentiam & ſapientiam: amore latitudinem & longitudinem, id eſt, caritatem & veritatem. Timetur enim Deus, quia omnia per potentiam poteſt: & veraciter timetur, quia nihil eum per ſapientiam latet. Amatur Deus, quia caritas eſt: & veraciter amatur, quia veritas, id eſt æternitas eſt.

Animæ quadruplici vitiorum morbo laborat.

Iſa. 12. 3. * V. ſer. 96. de diverſis.

Epheſ. 3. 18.

SERMO CXVIII.

Jerem. 6. 16.

S*Tate in viis Domini, & interrogate ſemitas ejus.* In via Domini ſtat, qui corporales obſervantias boni propoſiti ſervat. Sed quia corporale exercitium ad modicum valet, ut Paulus dicit, idcirco ſubjungit: *Et interrogate ſemitas æternas ejus*, id eſt, deſiderate ſanctorum Patrum vitas, & invenietis viam; ambulate in ea. Viam invenit, qui ad cor revertitur: ambulat in ea, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Prima aſcenſio hujus viæ eſt contritio, ſecunda confeſſio, tertia affectio, quarta proprietatis abjectio, quinta abnegatio propriæ voluntatis, ſexta humiliatio voluntariæ ſubjectionis, ſeptima perſeverantia.

Pſal. 83. 6. Aſcenſionis 7. gradus.

SERMO CXIX.

Incarnatio 3. continet conſideranda. Flor. lib. 8. cap. 3.

MYſterium incarnationis tria in ſe conſideranda continet: ſcilicet formam humilitatis, probamentum dilectionis, ſacramentum redemptionis. Formam humilitatis demonſtrat vagitus parvuli, locus diverſorii, reclinatio in præſepio, pannorum involutio. Johan. 15. 13. Probamentum dilectionis, pia mors: quia *majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sacramentum redemptionis triplicem oſtendit potentiam Deïtatis: ſcilicet de nihilo aliquid fecit, inveteratum innovavit, temporale perpetuavit.

SERMO CXX.

Miniſterium triplex. Flor. lib. 8. cap. 86.

MInisterium miniſtrorum Chriſti triplex eſt: ſervitutis, caritatis, dignitatis. Miniſterium ſervitutis, corporis caſtigatio: caritatis, mentis devotio; dignitatis, corporis Chriſti conſecratio. Primum fit in afflictione, ſecundum in hilaritate, tertium in humilitate. Primum eſt ſacrificium timoris, ſecundum amoris, tertium laudis.

SERMO CXXI.

IN ſchola Chriſti ſumus, in qua duplici doctrina erudimur: quia aliud per ſeipſum ille unus & verus Magiſter docet, aliud per miniſtros. Per miniſtros timorem; per ſeipſum dilectionem. Unde deficiente vino præcipit miniſtros implere hydrias aqua: (Johan. 2. 7. Timor comparatur aquæ.) & adhuc quotidie refrigeſcente caritate, miniſtri Chriſti implent hydrias aqua, id eſt, mentes hominum timore. Et bene per aquam timor intelligitur: quia ſicut aqua ignem, ita timor exſtinguit libidinem: & ſicut aqua ſordes corporum, ita timor ſordes purgat animorum. Impleamus ergo aqua iſta hydrias, id eſt mentes noſtras: quia qui timet, nihil negligit: & bene plenus eſt, ubi negligentia cadere non poteſt. Sed quia aqua gravat, id eſt, timor pœnam habet; (Caritas vino) accedendum eſt ad eum qui de aqua vinum facit, id eſt, timorem pœnalem in amorem convertit: ut audire poſſimus quod ipſe de dilectione docet. Dicit enim: (Johan. 15. 12.) *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* quaſi diceret: Multa per miniſtros præcipio, ſed hoc ſpecialiter per meipſum commendo. Et alibi: (Johan. 13. 34.) *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ut ergo veritatis nos diſcipulos eſſe probemus, diligamus invicem. Et in hac dilectione triplici ſollicitudine vigilemus: quia (1. Johan. 4. 8.) *Deus caritas eſt.* Et omnem ſollicitudinem noſtram illi debemus: id eſt, ut naſcatur, ut creſcat, ut ſervetur. Naſcitur ſi cibaveris inimicum, ſi potum dederis ei: (Rom. 12. 20. Quomodo Deus naſcatur, creſcat, & ſervetur in nobis.) quia hoc faciens *carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* Carbones ignis, opera ſunt caritatis: quæ congeruntur ſuper diabolum, qui eſt caput omnium iniquorum: ut ablato eo naſcatur eis caput Deus, qui caritas eſt. Creſcit, ſi neceſſitatem patienti ſubveneris, ſi volenti mutuare præſtiteris, ſi amico animum tuum aperueris. Servatur, ſi loquendo vel exhibendo etiam quæ non videntur neceſſaria, amicorum voluntati ſatisfeceris. Servatur etiam & augetur bono vultu, dulci ſermone, hilari operatione: ut caritatem, quam vultus & ſermo indicant, pia & hilaris operatio confirmet: quia exhibitio operis probatio eſt dilectionis*.

* S. Greg. in Homil. Paſchæ.

SERMO CXXII.

Matt. 6. 17.

TU *autem cum jejunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Hoc autem dixit Dominus propter duplex vitium, vanæ gloriæ ſcilicet, & impatientiæ, quod ſolet jejunantes ſubvertere. (Jejunantes duplici vitio monentur.) Per hoc quod jubet faciem lavare, præcipit nobis intentionem puram ſervare: quia ſicut decor corporis in facie, ita decor totius operationis animæ conſiſtit in intentione. Per unctionem capitis, qua quod aſperum erat lenitur, præcipit nobis lenitatem mentis in jejunio tenere. Pura erit intentio, ſi in omni actione A noſtra aut honorem Dei, aut utilitatem proximi, aut bonam conſcientiam noſtram quæramus.

SERMO CXXIII.

SPiritu *ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Galat. 5. 16. Sunt qui carne ambulant, qui omnem ſollicitudinem in hoc ponunt, quomodo moleſtias carnis evitent. Hi ſunt, qui licet virtutes probent, tamen dum moleſtias carnis omnino evitare volunt, concupiſcentiis ejus pravis nequeunt reſiſtere. Talibus dicit Apoſtolus: *Spiritu ambulate*, id eſt, ſollicitudinem veſtram, quomodo moleſtias carnis evitetis, deponite. In hac vita ſpiritus duo gradus ſunt, ſuperior, & inferior. B In inferiori gradu homo in ſuo ſpiritu ambulat; in ſuperiori gradu in ſpiritu Dei. In inferiori gradu ambulat homo, quando reverſus ad cor, circa affectiones ſuas ſollicitus, in ſe reprehendit quod virtuti contrarium eſſe cognoſcit. In hoc gradu ſacrificium Deo contribulati ſpiritus & cordis humiliati per compunctionem offert. De hoc gradu ad ſuperiorem aſcendens, incipit cogitare beneficia Dei: & converſus ad gratiarum actiones, offert Deo per devotionem ſacrificium laudis. In utroque gradu videt Chriſtum: in primo crucifixum, in ſecundo gloria & honore coronatum. In primo erat Iſaias, quando dixit: *Et vidimus eum, & non erat ei ſpecies neque decor.* (Iſa. 53. 2.) In ſecundo C erat, quando dixit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* (Iſa. 6. 1.) Et nota quod in primo dixit, *Vidimus*: in ſecundo, *Vidi*: quia illud multorum eſt, & peccatorum: iſtud paucorum, & ſolius Prophetæ. Unde Apoſtolus: *Ex parte cognoſcimus Chriſtum, & hunc crucifixum: ex parte prophetamus; quia nondum videmus ſicuti eſt.* (1. Cor. 13. 9.) *Scimus enim quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt.* (1. Johan. 3. 2.) Vidit Propheta, ſed oculo prophetico, Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, id eſt, ſuper angelicam creaturam: & elevatum, id eſt, ſupra humanam: quia ipſe ſuſcitabit de pulvere egenum, & de ſtercore eriget pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. *Et plena erat* (Iſa. 6. 3.) D *omnis terra majeſtate ejus.* (Philipp. 3. 21.) Omnis terra, hoc eſt, omnia electorum corpora, plena erunt majeſtate ejus, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* (Iſa. 6. 1.) Projectis hypocritis, & his qui invitati venire excuſant, in tenebras exteriores; humiles & Deo ſubditi replebunt templum: quoniam ipſe populum humilem ſalvum faciet, & oculos ſuperborum humiliabit. (Pſal. 17. 28.)

2. *Seraphin ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri.* (Iſa. 6. 2.) Seraphin, id eſt ardentes, ſignificant eos qui in fervore Deo ſerviunt: quos Dominus vigilantes invenit, & ſuper omnia bona ſua conſtituet eos. *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri*: quia non ſolum prælati, ſed E etiam ſubjecti alas habent, & Seraphin ſunt, ſi ferventes fuerint. *Duabus tegebant caput, & duabus pedes, & duabus volabant.* (Ibid. Alæ animæ.) Habent ferventes animæ alas quibus volant, ſpem & timorem: quia volantis eſt aliquando alta petere, aliquando ima. Per ſpem enim alta petunt, quia in cæleſtibus habitant. Unde quidam ex eis dicunt: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* (Philipp. 3. 20.) Per timorem ima. Condeſcendendo enim infirmis, inſtruunt eos, conſiderantes ſeipſos, ne & ipſi tententur. *Duabus tegebant pedes.* Pedes eorum affectiones ſunt, quibus proximis junguntur. Sed quia his duobus modis offenditur, ſcilicet nimio rigore infirmos dejiciendo, ac nimia lenitate eorum vitiis conſentiendo, velabant il- F los Seraphin duabus alis: contra nimium rigorem, conſideratione propriæ fragilitatis: contra nimiam lenitatem, zelo rectitudinis. *Duabus velabant caput.* Caput, intentio contemplationis eſt, ſive intellectus ſpiritualis. Et hoc velant Seraphin, propter inimicos, propter vanam gloriam, & occultam ſuperbiam, duabus alis: contra vanam gloriam una ala, ſcilicet amore veritatis: contra ſuperbiam, ſtudio humilitatis.

SERMO CXXIV.

[Sermo Dei duo operari debet] 1. SErmo Dei duo [a] operari debet, & animas vitioſas ſanare, & bonas admonere. Vitioſas dico, non omnes quibus ineſt vitium, ſed quæ vitio ex voluntate conſentiunt, nec reſiſtunt quantum poſſunt. Tali animæ loquitur Veritas in Evangelio, dicens: [Matt. 5. 25.] *Eſto conſentiens adverſario tuo, quamdiu cum illo es in via, &c.* Non dixit, vitio; ſed, adverſario. Adverſarius iſte, ſermo Dei eſt, qui ſemper vitiis adverſatur. Huic [Pſal. 50. 4.] conſentit, qui cum Propheta dicere poſſit: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Bonas dico animas, non ſolum perfectas, ſed incipientes; quæ licet vitium habeant, non tamen conſentiunt, ſed repugnant. Tales animæ, licet ex infirmitate vel ignorantia ſæpe cadant, B [Prov. 24. 16] ſicut ſcriptum eſt, *Septies in die cadit juſtus;* tamen per voluntatem, quam habent bonam, reſurgunt. Hæc eſt enim quæ bonam facit animam: quia cum multa ſint animæ bona naturaliter inſita, ſicut ingenium bonum, memoria capax, vigil ratio, & cetera animæ bona; ſola tamen voluntas, ſi fuerit bona, bonam facit animam: ſi fuerit vitioſa, vitioſam. Sed quia *homo* (ſicut [Job 14. 2.] Job ait) *nunquam in eodem ſtatu permanet:* aut enim deficit aut proficit: proficiendum eſt in hac voluntate, [Iſa. 30. 21.] quia ipſa eſt via, de qua ait Propheta: *Hæc eſt via, ambulate in ea.* [Pſal. 83. 6.] & Pſalmus: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te! aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum.* In corde, id eſt voluntate.

[Voluntatis bonæ 4. gradus.] 2. Primus hujus viæ gradus eſt recta voluntas, ſecundus valida, tertius devota, quartus plena voluntas. In primo gradu anima mente legi Dei conſentit: ſed carne repugnante, bonum quod diligit, perficere non invenit; ſed ſæpe malum quod odit, per infirmitatem [Rom. 7. 16.] facit. In hoc tamen recta eſt ejus voluntas, quod adverſario ſuo conſentiens, in ſe odit quod ille reprehendit. In ſecundo gradu anima non ſolum malum quod odit non agit, ſed etiam bonum quod diligit, licet cum gravedine, fortiter tamen perficit, dicens [Pſal. 16. 4.] cum Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* In tertio gradu jam dilatato corde currit viam mandatorum Dei, & delectatur in eis, ſicut in omnibus divitiis: quia inuncta pellis oleo ſpiritualis [2. Cor. 9. 7.] gratiæ, & ſciens quod *hilarem datorem diligat Deus,* cum hilaritate ad quodlibet bonum ſe extendens, cla[Pſal. 118. 32.]mat cum Propheta David: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* In quarto gradu ſunt Angeli: qui ea facilitate, qua ſemper volunt, bonum plenarie perficiunt. Hunc gradum deſiderare quidem poteſt anima, aſcendere non poteſt in corpore, ob hoc [Voluntatis bonæ impedimenta.] quod corpore aggravatur. Qui nondum rectam habet voluntatem, ſciat quia impedit eum carnalis intentio. Qui habet rectam, & non validam; ſciat quia impedit eum prava conſuetudo. Qui habet devotam, & nondum plenam; ſciat quia impedit eum terrena inhabitatio. Cujus adhuc vitioſa voluntas eſt, oret & dicat, [Matt. 6. 10.] *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra:* ſe intelligens terram; illum autem qui rectam habet voluntatem, cælum: quia quantum cælum diſtat à terra, tantum diſtat recta voluntas à vitioſa. Ita oret qui rectam habet voluntatem, ſed non validam, ſe intelligens terram; illum autem, cui jam valida eſt, cælum. Et ita de ceteris, ut ſemper attendat anima proficere: quia [Proficiendum ſemper.] SICUT condemnatus eſt, qui in vitioſa permanet voluntate, ita reprehenſibilis eſt, qui in aliis non ſtudet proficere.

SERMO CXXV.

[1 Cor. 6. 20.] 1. GLorificate & portate Deum in corpore veſtro. Alibi [Matt. 11. 19.] dicit Scriptura: *Juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* [Matt. 6. 9.] Et in oratione dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Chriſtus, Dei virtus [b] & Dei ſapientia, juſtificatur, ſanctificatur, glorificatur à filiis ſuis. Dicamus ergo primum, [Hebr. 12. 6.] quomodo ſapientia juſtificatur à filiis ſuis. *Flagellat Deus omnem filium quem diligit.* Sed in initio flagelli, dum A adhuc ſub lege ſervus Dei eſt, & neſcit quomodo filius Dei erit, murmurat; ſe autem innocentem, Deum vero crudelem pronuntiat. Huic autem Chriſtus Dei virtus apparet, ſed nondum ſapientia: quia per flagellum potentiam virtutis ſentit, ſed nondum ſapientiæ ſuavitatem per intellectum capit. Hunc talem *ſapientia attingit fortiter* per flagellum, & *diſponit ſuaviter* [Sap. 8. 1.] per intellectum, dum illud Apoſtoli ei inſpirat, ſcilicet *gaudere in tribulationibus;* ſcire quoniam *tribulatio* [Rom. 5. 3.] *patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit.* Et jam ſe non quaſi ſervum puniri, ſed quaſi filium per flagellum erudiri cognoſcit, ut hereditatem capiat: ſe peccatorem, Deum vero juſtum pronuntians, juſtificat in ſe maB trem ſapientiam.

2. Sed quid prodeſt peccata inter flagella confiteri, ſi non ab eiſdem per continentiæ ſanctitatem abſtineas? ſicut ſcriptum eſt, *Sancti eſtote, ſicut & ego ſanctus ſum:* [Levit. 19. 2.] ut qualis pater, talis ſit filius: & in ſanctimonia filiorum nomen Patris ſanctificetur. Quod & quutidie in oratione petimus, ut ſicut de quibuſdam pravis & incontinentibus Pater conqueritur dicens, *Quotidie nomen meum blaſphematur per vos inter gentes:* ita & per [Iſa. 52. 5. & Rom. 2. 24.] ſanctos ſanctificetur. Sed ne meum putes inventum, quod ſanctitas continentia ſit, audi Apoſtolum dicentem ad Theſſalonicenſes: *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* [1. Theſſ. 4. 3.] Et ne aliud putes ſanctificationem, C quàm continentiam, audi quod ſequitur: *Ut abſtineatis à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum, ſuum vas poſſidere in ſanctificatione.* Unde & ſanctos eos dicimus, quos firmos in propoſito continentiæ, ab hujus ſæculi non ſolum illicitis actionibus, ſed etiam impudicis locutionibus abſtinere videmus. Unde ſcriptum eſt, *Sapiens ut ſol permanet: ſtultus ut luna mutatur.* [Eccli. 27. 12.]

3. Sed quia ſapiens filius gloria eſt patris, neceſſe eſt ut non ſolum ſanctificetur ab eo mater ſapientia per continentiæ ſtabilitatem, ſed etiam glorificetur per boni operis fructificationem, ſicut in Evangelio Veritas dicit: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant* [Matth. 5. 16.] *opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cæD lis eſt.* Unde Pſalmiſta Sapientiæ filium deſcribens ait: *Jucundus homo, qui miſeretur & commodat.* [Pſal. 111. 5.] Et vere brevis & perfecta definitio ſapientis. Jucundus enim inter flagella confitendo delictum, gaudet illud per præſentem tribulationem deleri. Miſeretur animæ ſuæ placens Deo per continentiæ decorem: commodat proximo fructum bonæ operationis. Et hic eſt juſtus, [Juſtus quis.] reddens cuique quod ſuum eſt, Deo confeſſionem, ſibi miſericordiam, proximo caritatem. Sic autem juſtificatur ſapientia à filiis ſuis per confeſſionem peccatorum: ſanctificatur per continentiæ bonum: glorificatur per boni operis fructificationem. Primus conflictus timoris Dei eſt contra negligentiam. [Pugna ſpiritualis.] Timor enim E ad cuſtodiam ſui excitat. Quod ſi prævaluerit negligentia, generat curioſitatem. Dum enim per negligentiam terra cordis inculta, ſpinas & tribulos germinat; quæ in ſeipſa non invenit requiem, foras cogitur evagari. Sic curioſitas à corde exit, contra quam dimicat pietas. Pietas enim Dei cultus eſt, & in corde colitur, qui in corde cognoſcitur habitare. Curioſitas ſi non vincitur, generat experientiam mali: quia dum animus evagatur per multa, facile invenit ubi noxiam experiatur delectationem. Hanc impugnat ſcientia, docens quid tutum ſit experiri, quid non. Si vero prævaluerit experientia, generat concupiſcentiam, ut F tranſeat in affectum cordis.

S. BERNARDI SENTENTIÆ.

1. TRes ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater & Filius & Spiritus-ſanctus. [1. Johan. 5. 7.] Tres in terra; ſpiritus, aqua, & ſanguis. Similiter in inferno, ut in Iſaia legimus: [Iſa. 66. 24.] *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur,*

---

a Verba iſta referuntur in lib. 7. Florum cap. 23. Alio etiam in cap. 12.

b Hæc in lib. 8. Florum cap. 10. Alia item habes ex hoc ſermone lib. 6. cap. 17.

Tom. III. Duo mala ſunt vermis & ignis: altero roditur conſcientia, altero concremantur corpora. Tertium additur deſperatio, quæ in eo utique intelligitur quod dicitur, *non morietur*, & *non exſtinguetur*. His qui in cælo ſunt, datur teſtimonium beatitudinis: his qui in terra, juſtificationis: his qui in inferno ſunt, damnationis. Primum teſtimonium eſt gloriæ, ſecundum gratiæ, tertium iræ.

2. De Spiritu-ſancto teſtatur Scriptura, quia procedit, ſpirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde, & quo. Unde? à Patre & Filio. Quo? Ad creaturam. Procedendo prædeſtinat: ſpirando vocat quos prædeſtinavit: inhabitando juſtificat quos vocavit: replendo accumulat meritis, quos juſtificavit: glorificando ditat præmiis, quos accumulavit meritis.

3. Spiritus-ſanctus arguit mundum de peccato quod diſſimulat: de juſtitia quam non ordinat, dum ſibi non Deo eam dat: de judicio quod uſurpat, dum tam de ſe, quàm de aliis temere judicat.

4. Uſque hodie in civibus Babylonis aquarum effuſio, id eſt confuſio cogitationum, terram facit inanem & vacuam. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio univerſa, nullum ex ea ſperare eſt fructum ſalutis.
Gen. 1. 6. Dividantur ergo aquæ ab aquis, quatenus anima quoque (ut dignum eſt) partem ſibi vindicet ſollicitudinis & meditationis. Sane inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alveis, neceſſitatis terminos non excedant; proinde ſuperiores copioſius
Pſal. 84. 13. dilatentur. Ex hoc ſane dat Dominus benedictionem, & terra noſtra dabit fructum ſuum

5. Cum in populo Dei carnales alii ſint, & alii ſpirituales: nec illi tamen æternorum, nec iſti carent omni modo temporalium deſiderio. In eo ſane diſtant, quod plus alia appetunt alii, & ſecundum ea quæ præferunt, aut ſpirituales, aut carnales judicantur. Hinc eſt quod in benedictionibus Jacob & Eſau, & ros cæli, & terræ pinguedo nominatur, ſed non eodem ordine in utroque. *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam*, ait Iſaac ad Jacob. Ad Eſau vero: *In pinguedine terræ*, inquit, *& in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Quid autem ſinguli præferant, à ſtudiis eorum, & ſollicitudinibus innoteſcit.

6. *Mors peccatorum peſſima.* Mala in amiſſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo quem diligunt. Pejor in diſſolutione carnis, à qua evelluntur eorum animæ à ſpiritibus malignis. Peſſima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis ſimul addicuntur ignibus. E contrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit jucunditas de novitate, fit ſecuritas de æternitate.

Eccli. 22. 2. 7. *De ſtercore boum lapidatus eſt piger.* Boves ſunt qui in opere Dei ſtrenue exercentur: qui ſeminant in lacrymis, ſed in gaudio metent. Iſti ſane quæcumque ſunt mundi hujus, arbitrantur ut ſtercora. Piger vero, cujus ſabbata videntes hoſtes derident, dehoneſtatur ab hoſtibus in otio ſuo, ſicut boves ſtrenui in laboribus ſuis honeſtantur à Deo. Quem enim maligni ſpiritus pigrum vident ad ſpiritualia exercitia, in cogitationibus ejus ingerunt importune terrena: velut de ſtercoribus boum maſſas coagulantes, & pigrum, ſicut dignus eſt, lapidantes.

Cant. 1. 1. 8. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Tria ſunt oſcula, reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium. Primum ad pedes, ſecundum ad manum, tertium ad os ſumitur. In primo accipitur remiſſio peccatorum, in ſecundo munus virtutum, in tertio cognitio ſecretorum. Vel ita, oſculum doctrinæ, naturæ, gratiæ.

9. Duo ſunt ubera ſponſæ: congratulatio & compaſſio. Gemina lactis ſpecies, exhortatio & conſolatio. Tria unguenta: compunctio, devotio, pietas. Compunctio de recordatione peccatorum, devotio de recordatione beneficiorum, pietas ex conſideratione miſerorum.

Cant. 6. 12. 10. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te.* Revertere primo ab inepta lætitia, revertere ſecundo ab inutili triſtitia, revertere tertio ab inani gloria, quarto revertere à latenti ſuperbia. Inanis gloria eſt, quæ ab ore hominum venit extrinſecus. Superbia latens oritur intrinſecus. Cum hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam ſponſus ejus. Ob hoc autem debet ab aliis abſtinere, ut digna fiat ejus complexibus. Unde & ad eam dicitur: *Revertere, revertere, ut intueamur te.*

11. Paſtorum eſt vigilare ſuper gregem propter tria neceſſaria, videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces. Ad diſciplinam, propter morum correctionem, ne grex commiſſus propria moleſtia deficiat. Ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem, ne hoſtili ſeducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum inſtantiam, ne vincatur à puſillanimitate. In diſciplina rigor juſtitiæ, in cuſtodia ſpiritus conſilii, in prece affectus compaſſionis.

12. Duas ad intelligendum ſe condidit univerſitatis Auctor creaturas, Hominem & Angelum. Hominem juſtificant fides & memoria: Angelum beatificant intellectus & præſentia. Et quia homines quandoque perducendi ſunt ad æqualitatem Angelorum, neceſſe eſt ut interim juſtificentur per fidem, & proficiant ad intellectum. Scriptum eſt enim: *Niſi credideritis, non* Iſa. 7. 9.
intelligetis. Itaque fides, via eſt ad intelligendum: nam mundatur cor fide, ut intellectus videat Deum. Similiter & memoria Dei, via eſt ad præſentiam Dei. Qui enim hic habet mandatorum ejus, ut ea faciat, memoriam; merebitur quandoque, ut ejus quoque videat præſentiam. Habeant igitur intellectum & præſentiam Angeli Dei in cælo: habeamus & nos ejus fidem & memoriam in mundo.

13. Pars tua ſumus Domine, quam tuliſti de manu Gen. 48. 22.
Amorrhæi in gladio & arcu tuo. Gladius tuus ſermo vivus & efficax: arcus tuus incarnatio tua. Ibi enim velut curvato ſapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa divinitate, nervus carnis vehementer extenſus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur. Pars ergo tua ſumus & populus acquiſitionis tuæ, quem acquiſiſti 1. Pet. 2. 9.
verbo prædicationis, & myſterio incarnationis.

14. In circumciſione Domini nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robuſtiora quæque & firmiora ſerventur illæſa. Aperitur autem cutis, amputatur caro, ſanguis effunditur, ut illecebroſa mollities caſtigetur. In carne quidem peccatum, quod in ea manet, intellige: porro in cute operimentum ejus, in ſanguine vero incentivum. Hæc igitur vera circumciſio ſpiritu, non littera, ſi velamen excuſationis & diſſimulationis per compunctionem cordis, & confeſſionem oris amoveas: ſi peccati conſuetudinem correctione converſionis abſcindas: ſi denique, ut neceſſarium eſt, occaſiones quoque peccati & fomitem fugias concupiſcentiarum.

15. *Obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham.* Matt. 2. 11.
Hæc fortaſſis pro loco & tempore neceſſaria videbantur. Auri pretium ob paupertatem: myrrhæ unguentum ob infantilis (ut aſſolet) corporis teneritudinem: thuris odoramentum ob ſordidam ſtabuli manſionem. Nos vero quoniam illa jam omnia tranſierunt, offeramus ei acceptabiliora munera; myrrhæ unctionem in communionem ſocialis vitæ, thuris ſpeciem in ſuaveolentiam bonæ famæ, auri ſplendorem in conſcientiæ puritatem: quo videlicet nec de officioſa converſatione familiarem gratiam, nec de laudabili opinione inanem gloriam, ſed honorem Dei, & fratrum utilitatem quærere ſtudeamus.

16. Ante omnia ſine murmuratione ſint fratres. Forte aliqui leve peccatum æſtimant murmurare: ſed non hic*, qui ante omnia monet eſſe cavendum. Puto autem ne illum quidem leve reputaſſe, qui murmurantibus aiebat: *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Nos enim quid ſumus?* Sed ne illum quoque qui dixit: *Non murmuraveritis, ſicut quidam murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Illo nimirum exterminatore, qui poſitus eſt in hoc ipſum, ut à terminis beatæ illius civitatis arceat murmurantes, & longe faciat à finibus ejus, cui dicitur: *Lauda*

Margin notes (right column): * S. Bened. Reg. cap. 34. — Exod. 16. 8. — 1. Cor. 10. 10. — Pſal. 147. 12.

Jeruſalem Dominum. Lauda Deum tuum Sion, qui poſuit fines tuos pacem. Nihil enim commune habent murmur & pax, gratiarum actio & detractio, zelus amaritudinis & vox laudis. Itaque in ore trium & talium teſtium ſtet hoc verbum, ut peſtem iſtam murmurationis ſummopere nobis noverimus eſſe cavendam.

17. Tres ſunt [a] quibus reconciliari debemus, hominibus, Angelis, Deo. Hominibus per aperta opera, Angelis per occulta ſigna, Deo per puritatem cordis. Nam de operibus quæ coram hominibus facienda ſunt, ſcriptum eſt; *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra opera bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* De Angelis dicit David: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Occulta autem ſigna ſunt gemitus, ſuſpiria, uſus cilicii, & cetera pœnitentiæ inſignia, quæ Angelis placent. Unde eſt illud: *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Ut autem Deo reconciliemur, nec operibus, nec ſignis, ſed puritate & ſimplicitate cordis indigemus. Scriptum eſt enim: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et illud: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c.*

Matt. 5. 16. — Pſal. 137. 1. — Luc. 15. 10. — Matt. 5. 8. — Matt. 6. 22.

ALIÆ S. BERNARDI SENTENTIÆ.

Ex Bibliotheca Dunenſi. 1. Cor. 3. 17. Clauſtrum Religioſorum, templum Dei.

28. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Templum Dei eſt clauſtrum Religioſorum. Duo parietes clauſtri ſunt, activi & contemplativi, Maria & Martha, interior & exterior. Interiori neceſſarii ſunt duo ordines lapidum, cavere ſcilicet vitium voluptatis, & curioſitatis. Exteriori ſimiliter duo, ne ſint fraudulenti, & turbulenti. Unde Dominus; *Fidelis ſervus & prudens.* Fidelis, ne ſit fraudulentus; prudens, ne ſit turbulentus. Paries ex adverſo qui hunc utrumque conjungit, ſunt Prælati, & hi qui fideliter ingrediuntur & egrediuntur, ſicut de Domino dictum eſt: *A ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

Matt. 24. 45. — Pſal. 18. 7.

Diſcentium varii fines. V. Serm. 36. in Cant. n. 3.

19. Quinque de cauſis addiſcit homo, ut ſciat, ut ſciatur ſcire, ut vendat, ut ædificet, ut ædificetur. Ut ſciat, curioſitas eſt; ut ſciatur ſcire, vanitas; ut vendat, ſimonia; ut ædificet, caritas; ut ædificetur, humilitas. Qui nutriti erant in croceis, amplexati ſunt ſtercora, id eſt curam ventris.

20. Initium ſapientiæ timor Domini. Timor primus revocat euntes ad mortem, cui ſuccedit triſtitia ſæcularis: hanc excludit ſpes æternitatis.

Amor Dei an præcedat dilectionem proximi.

21. Dubitari ſolet, utrum dilectio Dei præcedat tempore dilectionem proximi. Quod per hoc videtur, quod proximum propter Deum diligere non poſſumus, niſi prius diligamus Deum: & contra dilectio proximi videtur præcedere dilectionem Dei, quia ſcriptum eſt: *Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Sed ſciendum eſt, quod dilectio Dei duobus modis conſideratur, incipiens & nutrita. Incipit enim homo diligere Deum, antequam proximum: ſed quia illa dilectio non poteſt perfici, niſi nutriatur, & creſcat per dilectionem proximi, oportet ut proximus diligatur. Sic ergo dilectio Dei præcedit ut incipiens, & præceditur à dilectione proximi, ut illâ nutrienda. Si qui forte pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coërce cum dilectione, cum caritate, attendens ſalutem æternam: ne cum parcis carni, anima pereat. Fac hæc, & multos paſſurus es, in quos non poteris exercere diſciplinam. Fer minas, ſecurus eſto: faciet enim Dominus miſericordiam & judicium omnibus injuriam accipientibus.

1. Joban. 4. 20.

Matt. 19. 19.

22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Debet unuſquiſque proximum ſuum diligere tamquam ſeipſum, ut quem poterit hominem vel beneficentiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel coërcitione diſciplinæ, adducat ad Deum colendum. Hæc qui ſola diſcretione eligit, prudens eſt: qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis eſt: qui nulla alia delectatione, temperans eſt; qui nulla elatione, juſtus eſt.

Tom. III. Bern. 3. 1.

Confeſſionis 4. impedimenta.

23. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris,* in pœnitente peccatore fructuoſa, in juſtificato eſt ſpecioſa. Sicut cum ſtercorantur agri, non eſt ſpecioſum, ſed fructuoſum; poſtea vero in frugum collectione fit ſpecioſum.

24. Quatuor ſunt quæ impediunt confeſſionem; timor ne perdat, pudor ne vileſcat, ſpes honoris vel alicujus terreni commodi, ſi innocens putetur; deſperatio earumdem rerum, ſi innocens non putetur.

Octo Trinitates. Eadem habes eodem ſerm. 45 de diverſ.

25. Octo ſunt Trinitates, quarum prima eſt illa ſumma & individua Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus. Secunda eſt quæ cecidit. Tertia per quam cecidit. Quarta in quam cecidit. Quinta per quam reſurgit, quæ in tres dividitur trinitates. Trinitas quæ cecidit, eſt memoria, ratio, & voluntas. Memoria infirmata eſt tribus modis, videlicet per cogitationes affectuoſas, oneroſas, & otioſas. Ratio tribus modis exæcata eſt, quia ſæpe recipit vera pro falſis, & è converſo; licita pro illicitis, & è converſo *. Voluntas tripliciter fœdata eſt, per concupiſcentiam carnis, per deſiderium oculorum, & ambitionem ſæculi. Trinitas per quam cecidit, ſuggeſtio, delectatio, conſenſus. Trinitas in quam cecidit, infirmitas, fœditas, cæcitas. Trinitas per quam reſurgit, fides, ſpes, caritas. Fides eſt trina, præceptorum, ſignorum, promiſſionum. Spes quoque trina eſt, ſpes veniæ, ſpes gratiæ, & ſpes gloriæ. Caritas etiam trina eſt, ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute.

* adde commoda pro incommodis, & e converſo.

Congregationis tres parietes.

26. Duo parietes debent eſſe in congregatione, unus interior, alter exterior. Interior clauſtrales, exterior obedientiarii. Illi non debent eſſe curioſi, nec voluptuoſi: iſti vero nec turbulenti, nec fraudulenti. Et quia raro pax inter iſtos eſt, ideo tertius paries eſt, ex adverſo veniens, qui conjungat diviſos parietes; Abbas videlicet & Prior, & alii fratres ſpirituales: fundamentum eſt ſanctum propoſitum.

Dona 7 Spiritus-ſancti ſeptem Chriſti apparitionibus applicata.

27. Adaptatio ſeptem donorum Spiritus-ſancti ad apparitiones Domini reſurgentis. Primo apparuit mulieribus, quibus dictum eſt ab Angelo, *Nolite timere:* ecce ſpiritus timoris. Apparuit Petro, qui negaverat: ecce ſpiritus pietatis. Apparuit mulieri, cui dictum eſt, *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum:* ecce ſpiritus ſcientiæ. Apparuit illis undecim in monte, ubi conſtituerat, quando dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* ecce ſpiritus fortitudinis. Apparuit duobus euntibus in Emmaus, de quibus ſcriptum eſt, *Et aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas:* ecce ſpiritus intellectus. Ad ultimum apparuit illis recumbentibus, quando aſcendit in cælum, quia de eo dictum eſt, *Ego ſapientia in altiſſimis habito:* ecce ſpiritus ſapientiæ.

Matt. 28. 5. — Johan. 20. 17 — Matt. 28. 18. — Luc. 24. 45. — Eccli. 24. 7.

Gratia quadruplex.

28. Gratia quadripertita eſt: gratia creans, gratia redimens ſive miſerans, gratia donans, gratia remunerans. Prima, omnia per ipſum facta ſunt. Secunda, Verbum caro factum eſt. Tertia, plenum gratiæ. Quarta, & veritatis.

Pax quadruplex.

29. Pax quadripertita eſt, erga Deum, erga proximum, in carne, in ſpiritu. Quæ ut firma ſit, ſubſternendum eſt unicuique fundamentum, paci carnis temperantia; paci ſpiritus fortitudo; paci cum proximo prudentia; paci cum Deo juſtitia. *Gloria in excelſis,* ecce pax cum Deo: *& in terra hominibus bonæ voluntatis,* pax cum proximo: *Pax vobis, videte manus & pedes meos,* pax carnis: *Accipite Spiritum-ſanctum,* pax ſpiritus.

Luc. 2. 14. — Luc. 24. 39. — Johan. 20. 22.

Devotionem tria exterminant.

30. *Muſcæ morientes exterminant ſuavitatem unguenti,* id eſt Vanitas, Curioſitas, & Voluptas: quæ quia in Ægypto & circa ſacrificia Ægyptiorum abundant, non poſſumus in Ægypto ſacrificare Domino Deo noſtro ſacrificium juſtitiæ & caritatis. Ideo proficiſcimur in deſertum, id eſt in ſolitudinem cordis, *via trium*

Cant. 5. 1.

a Nicolaus Claræ-vallenſis in fine epiſtolæ XXIV. ad Petrum Cellenſem: *Libellulum autem qui ita incipit,* TRIA SUNT QUIBUS RECONCILIARI DEBEMUS; *& Horas noſtras, quas habemus de Domina noſtra, remittimus.*

Tom. III. *ditrum.* De prima die dicit ſponſus ſponſæ: *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa*; hoc eſt in plantaria bonarum virtutum. De ſecunda gaudet ſponſa, & dicit:
Cant. 1. 3. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, id eſt, inter delicias ſcripturarum. Tertia dies eſt thalamus, plenitudo amoris, in quo ſe invicem fruuntur ſponſus & ſponſa.
Trio ratione dia
Et nota contra vanitatem, ſoliditatem virtutum; contra curioſitatem, variam delectationem ſcripturarum; contra voluptatem, ſummi illius amoris thalamum.

Ubera duo. 31. Duo ſunt ubera caritatis, compaſſio & congratulatio. Ex compaſſione lac ſugitur conſolationis: ex congratulatione lac ſugitur exhortationis.

Unitatem tria ſervant. 32. Tria ſunt quibus ſervatur unitas: patientia, humilitas, & caritas. His armari debet miles Chriſti, patientiam habens quaſi ſcutum, quod ferat & circumferat contra omnia adverſa: humilitatem quaſi loricam, quæ conſervet interiora præcordia: caritatem quaſi lanceam, per quam, ſicut dicit Apoſtolus, omnes
Hebr. 10. 24. impetens in provocatione caritatis, & omnibus omnia ſe faciens belligeratur bellum Domini. Oportet etiam ut habeat galeam ſalutis, quæ eſt ſpes, caput, id eſt principale mentis, muniens & conſervans. Habeat etiam gladium verbi Dei, & equum boni deſiderii. Goliad ſuo gladio occidendus eſt, vana gloria conſideratione ipſius vanæ gloriæ.

33. Duo ſunt noviſſima, mors, & vita. Ad hæc volamus duabus alis, timore & ſpe. Duabus velamus pedes, pœnitentia cordis, & confeſſione oris, ſecundum
Rom. 10. 10. illud: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Duabus velamus caput, dilectione Dei &
2. Cor. 5. 13. proximi. Unde Apoſtolus: *Sive mente excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus, vobis.*

Dona 7. Spiritus-ſancti. 34. Nota, quod ex timore compunctio, ex compunctione omnium rerum abrenuntiatio, ex qua vera humilitas, ex qua vera confeſſio, in qua omnium vitiorum purgatio. Ex confeſſione virtutum pullulatio: concretæ virtutes faciunt cordis puritatem, in qua vera ſapientia & perfecta caritas. Ad hoc ſciendum quod ſpiritus timoris dat timorem, ſpiritus pietatis compunctionem, ſpiritus ſcientiæ præſentium abrenuntiationem, ſpiritus fortitudinis veram humilitatem. Humilitas enim vincit omnia; ſpiritus conſilii confeſſionem, ſpiritus intelligentiæ virtutum acquiſitionem, ſpiritus ſapientiæ perfectam cordis puritatem & amorem.

Ordines 4. in domo Dei. 35. Quatuor ſunt ordines in domo Domini. Quidam enim procidunt ad pedes Jeſu, ſicut Æthiopes, ſicut Maria pœnitens & confitens: quidam ſedent ad pedes ejus, ut eadem Maria audiens verbum ejus: quidam jacent in ſinu ejus: quidam ſedent ad latus ejus. Duo ordines primi ſibi vivunt, tertius ſibi & proximo, ut Johannes Evangeliſta, ſuſcipiens & ſugens pacem de ſino Domini, & nuntians eam populo. Quartus
2. Tim. 4. 7. proximo, ſicut Apoſtolus, qui ait: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Unde ſecurus
Philipp. 1. 23. ſubjungit: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Et ideo *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.* Iſti nec mori timent, nec vivere recuſant.

Superbia triplex. 36. Superbia alia eſt cæca, alia vana, alia cæca ſimul & vana. Cæca, quando homo putat in ſe eſſe quod non eſt. Vana, quando gloriatur in hoc quod homines putant eum eſſe quod non eſt. Cæca ſimul & vana eſt, quando de bono quod non habet, & gloriatur in ſemetipſo, & aliorum gloriam quærit.

37. Humilitas, alia ſufficiens, alia abundans, alia ſuperabundans. Sufficiens, ſubdi majori, nec præferre ſe pari. Abundans, ſubdi pari, nec præferre ſe minori. Superabundans, ſubdi minori. Inde Dominus ad Jo-
Matt. 3. 15. hannem: *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.*

Caſtitas quintuplex. 38. Quicumque volunt perfecte placere Deo, tam caſtitate, quàm caritate ſplendere debent. Caſtitas autem quinquepertita eſt, videlicet in auribus, in oculis, in odoratu, in guſtu, & in tactu. Caritas autem
Caritas quadruplex. 1. Cor. 13. 7. quadrifaria eſt, quæ, ſecundum Apoſtolum, *omnia credit*, id eſt non eſt ſuſpicioſa; *omnia ſperat*, non eſt pigra;
A *omnia ſuffert*, non murmurat; *omnia ſuſtinet*, non eſt impatiens. Ecce novem, quæ qui perfecte habet, perfectus eſt, & ſecundum novem ordines Angelorum degit in terra. Unde Apoſtolus: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Et ut ita dicam, majus meritum habet homo taliter vivens, quàm Angelus. Homini enim eſt virtutis, Angelo dignitatis. Philipp. 3. 20.

39. Sancta anima carnem ſuam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes voluptates mundi per continentiam abnegat: & tunc quaſi myrrham morituro corpori adhibet, ut poſt judicium à corruptione æterna maneat ſanum. Cum vero ad cæleſtia majori deſiderio ſe accendit, & a cordis cubiculo omnes ſu-
B perfluas cogitationes ferventer abjicit; quaſi thuribulum cor ſuum coram Deo facit, in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quaſi carbones in thuribulo coaptat, in quo ſeipſam mens in conſpectu Dei igne caritatis incendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto ſuave redoleat, & proximos quoſque ad ejus amorem per bona opera concitare non deſinat.

40. *Non coques hœdum in lacte matris.* Hœdus, peccator; mater, primi parentes, ex quibus omnes procreati ſumus; lac, vitia quæ de originali peccato venerunt. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*, id eſt non ſinatur Exod. 23. 19.
C peccator uſque ad diem mortis ſuæ in peccatis permanere, ſed ante mortem ad bona opera revocetur, ne pereat.

41. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis.* Veniens Dominus circumciſionem & alia baptiſmata fecit ceſſare: Baptiſmum vero inſtituit, in quo tria prædicta, quaſi teſtimonium Chriſtianitatis in terra dantia operari voluit. Audi quomodo ſanguis Chriſti facit, & ſignum eſt ut moriamur peccato, ſecundum Apoſtolum: *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Aqua, quæ quaſi quodam tumulo corpus includit, ſignum eſt ut ultra non ſerviamus peccato: 1. Joh. 5. 8. Rom. 6. 3.
D *Conſepulti enim ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem.* Spiritus vivificat & facit, ut qui in illo aquarum elemento ſepelimur, renovati per ipſum Spiritum reſurgamus, *ut quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et hi tres quia unum operantur, unum ſunt, ſicut dicit Johannes. Unum in myſterio, non in natura. Sanguis igitur teſtis mortis, aqua ſepulturæ, Spiritus vitæ. Sanguis ſpectat ad pretium, aqua ad lavacrum, Spiritus mentem renovat. Sanguis Domini nos redemit, ſacri fontis unda nos abluit, Spiritus per adoptionem filios Dei nos facit.

42. *Quarta vigilia venit ad eos* (Apoſtolos) *ambulans* Matt. 14. 25. *Dormitio quadruplex.*
E *ſuper mare.* Prima dormitio eſt timor nocturnus, ſcilicet de adverſis; ſubſequens vigilia, per prudentiam. Secunda dormitio, ſagitta volans per diem, id eſt tentatio per proſpera; vigilia, per fortitudinem. Tertia dormitio, negotium perambulans in tenebris, ſcilicet vana gloria; vigilia, juſtitia. Quarta dormitio, incurſus & dæmonium meridianum, id eſt intemperantia. Tunc venit ad eos Dominus, ambulans ſupra mare. Dominus ſupra, ſed Petrus mergitur. Primo putatur eſſe phantaſma, ſed poſt agnoſcitur. Alii tepidiores, ſed tamen fideles, magnificant Dominum in talibus.

43. Septem debent eſſe in oratione. Oratio enim debet eſſe fidelis, juxta illud: *Quidquid orantes petitis,* *Orationis conditiones 7.*
F *credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Deinde munda, juxta exemplum Abrahæ, qui aves de ſacrificio abigebat. Tertio juſta, quarto aſſidua, quinto humilis, ſexto fervens, hæc duo habens in grano ſinapis. ſeptimo devota. Marc. 11. 24.

Finis Sententiarum.

PARABOLÆ

PARABOLÆ S. BERNARDO vulgo adſcriptæ.

PARABOLA I.

De Pugna ſpirituali *.

al. De fuga & reductione filii prodigi.

Hominis dignitas in creatione.

1. REx dives & præpotens Deus omnipotens filium ſibi fecit hominem, quem creaverat, cui ſicut puero delicato pædagogos delegavit Legem, Prophetas, ceteroſque tutores & actores uſque ad præfinitum tempus ejus conſummationis. Inſtruxit eum & monuit, dominum eum paradiſi conſtituens; omneſque theſauros gloriæ ſuæ ei oſtendens & repromittens, ſi ſe non deſereret. Et ne quid deeſſet bonis ejus, etiam liberum arbitrium ei indulſit, ut bonum ejus eſſet voluntarium, non coactum. Accepta licentia boni & mali, cœpit eum tædere bonorum ſuorum, à concupiſcentia ſciendi bonum & malum. Egreſſus igitur de paradiſo bonæ conſcientiæ, nova quærens quæ neſciebat, qui nulla adhuc niſi bona noverat; paternis * legibus & pædagogis relictis, manducavit de ligno ſcientiæ boni & mali contra vetitum Patris: & abſcondens ſe miſer, & fugiens à facie Domini, cœpit vagari puer inſipiens per mootes altitudinis, per valles curioſitatis, per campos licentiæ, per nemora luxuriæ, per paludes voluptatum carnalium, per fluctus curarum ſæcularium.

Ejus lapſus deſcribitur.

* *al. patriis*

2. Videns autem antiquus prædo laſcivum puerum ſine cuſtode, ſine rectore, procul à domo Patris vagantem; acceſſit, & pomula illa inobedientiæ manu malæ perſuaſionis ei porrigens, poſtquam ab eo conſenſum elicuit, aggreſſus eſt miſerum, & in rerram, id eſt in terrena eum deſideria, præcipitans, pedeſque, id eſt mentis affectiones, ne reſurgat, fortiſſimis ei ſæcularis concupiſcentiæ vinculis alligans, manuſque operationis, & oculos mentis; miſit eum in navim malæ ſecuritatis, & flante vehementer vento adulationis, tranſvexit eum in longinquam regionem diſſimilitudinis. Veniens ille in regionem non ſuam, venalis factus eſt omnibus, qui prætergrediuntur viam. Diſcit porcos paſcere, ſiliquas porcorum manducare: dediſcit omnia quæ didicerat, & diſcit quæ neſciebat, ſervilia ſcilicet opera. Vinctuſque in deſperationis carcere, ubi in circuitu impii ambulant, in mola impiæ circuitionis cogitur molere emolumenta malæ conſcientiæ. Prô dolor!

A Deo revocatur.

3. Et ubi modo eſt Pater ille potentiſſimus & dulciſſimus atque liberaliſſimus? Numquid poteſt oblivisci filium uteri ſui? Abſit, abſit. Non obliviſcitur, ſed miſeretur, condolet & conqueritur de abſentia & perditione filiö ſui. Mandat amicis, ſollicitat ſervos, omneſque ſuſcitat ad requirendum eum. Unus ſervorum Timor, ad imperium Domini, filii fugitivi veſtigia proſequens, in profundo carceris invenit filium Regis, carnalibus peccatorum ſordibus obſitum, vinculis & catenis malæ conſuetudinis ligatum, miſerum & amentem, in miſeriis ſecurum & ridentem: quem verbis & verberibus urgens ot exiret & rediret, tanta miſerum confuſione dejecit, ut ſicut morti jam vicinus jaceret, & adhæreret in terra venter ejus. Egreſſus è veſtigio alius, cui nomen Spes, videnſque filium Regis à timore non erutum, ſed obrutum; non adjutum, ſed dejectum: acceſſit leniter, & ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, levanſque caput ejus, & coacta in unum conſolationis veſte, oculos ejus detergens & faciem: Heu, inquit, quanti mercenarii in domo Patris tui abundant panibus, tu autem hic fame peris! Surge, obſecro, & vade ad Patrem tuum, & dic ei: Pater, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis. Tunc ille tandem vix ad ſe modicum reverſus: Tune es, inquit, Spes? Et quomodo Spei introitus potuit patere in tantum & tam horribile profundum deſperationis meæ? Ego, ego, inquit, ſum Spes, à Patre tibi tranſmiſſa, te adjutura, te non deſertura, donec te iotroducam in domum patris tui, & in cubiculum genitricis tuæ. Et, O, inquit ille, dulce levamen laborum, dulcis conſolatio miſerorum! ô una, & non infima de tribus cubiculi regii aſſiſtricibus! vides carceris mei profundum immane; vides vincula, quæ tamen ad ingreſſum tuum jam maxima ex parte dirupta ſunt & diſſoluta; vides captivorum * meorum immanem multitudinem, fortitudinem, velocitatem, aſtutiam: & quis tibi locus hic? At Spes, Ne timeas, inquit, qui nos adjuvat, miſericors eſt: qui pro nobis pugnat, omnipotens eſt: plureſque ſunt nobiſcum, quàm cum illis. Super hæc omnia, adduxi tibi à Patre miſſum equum Deſiderii: cui cum inſederis, me duce ab his omnibus ſecurus proficiſceris. Dixit, & mollibus ſtramentis piæ Devotionis ſubmiſſis, & bonorum exemplorum calcaribus additis, equo Deſiderii impoſuit filium Regis, ſed frenum defuit, tanta erat feſtinatio fugiendi. Ilico equus currit infrenis, trahit Spes ante. Timor autem retro verberibus urget & minis. Tunc videotes hoc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes inhabitatores Chanaan. Irruat ſuper eos formido & pavor in magnitudine brachii tui; fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat filius tuus, Domine, filius iſte, quem poſſediſti. Sed cum ſic ferantur præcipites, effugiunt quidem, ſed non ſine periculo: quia ſine modo, ſine conſilio.

1 Per Timorem.

2. Per Spem.

* *1. captivantium.*

Exod. 15. 15.

4. Propter quod à Patre tranſmiſſa accurrit Prudentia, ona de ſummis principibus palatii, in comitatu amicam habens Temperantiam; & tenens currentes: Parcius, inquit, obſecro parcius. dicit enim Salomon noſter: *Qui feſtinus eſt, pedibus offendit.* Si ſic curritis, offenditis: ſi offenditis, caditis: ſi caditis, filium Regis, quem ſuſcepiſtis liberandum, inimicis redditis. Nam ſi ceciderit, ilico manus eorum erit ſuper eum. Hæc dicens, frenum Diſcretionis impoſuit fervido illi equo Deſiderii, ejuſque habenas Temperantiæ regendas commiſit. Cumque Timor retro de vicinia & virtute inimicorum, & tarditate fugæ cauſaretur: Vade, inquit Prudentia, retro ſatana, ſcandalum es nobis. Fortitudo & laus noſtra Dominus, & factus eſt nobis in ſalutem. Et ecce Fortitudo, miles Dei egregius, accurrens per campum Fiduciæ, extracto gladio lætitiæ; Nolite, inquit, turbari, plures nobiſcum ſunt quàm cum illis. Tunc Prudentia curiæ cæleſtis aſſueta conſiliis: Cavete, inquit, obſecro, *quia hereditas illa, ad quam feſtinatur in initio*, ſicut dicit Salomon noſter, *in fine benedictione carebit.* Proficiſcimini igitur, non tam feſtinanter, quàm prudenter. Inimici enim non ſunt in itinere, ſed juxta iter ſcandalum ponere ſolent, in biviis & triviis, & viarum anfractibus. Præcedam itaque; vos autem tenete viam Juſtitiæ: & velociter introducemus vos in caſtra Sapientiæ, quæ jam non procul ſunt à nobis. Sapientia enim eſt, de qua dicitur: *Concupiſcens ſapientiam, diſce juſtitiam.*

3. Per 4 virtutes Cardinales.

Prov. 19. 2.

Prov. 20. 21.

5. Sic itaque dum viam carpunt, urget Timor, Spes trahit, munit Fortitudo, Temperantia moderatur, providet & inſtruit Prudentia, ducit & perducit Juſtitia. Appropinquat filius Regis caſtris Sapientiæ: quæ novi hoſpitis audito adventu, præoccupat eum, qui ſe concupiſcit, occurrit & oſtendit ſe in viis hilariter. Foſſa vero profundæ Humilitatis caſtra cingebat: ſuper quam fortiſſimus & pulcherrimus murus Obedientiæ ædificatus cælos penetrabat, quem bonorum exemplorum hiſtoriæ undique depictæ mirabiliter decorabant. Ædificatus autem erat cum propugnaculis: mille clypei ex eo dependebant, omnis armatura fortium. Porta Profeſſionis omnibus patens: janitor in limine dignos inducens, & indignos abjiciens. Præco ſuper portam clamans: *Si quis diligit ſapientiam, ad me declinet, & eam inveniet; & eam cum invenerit, beatus eſt ſi tenuerit eam.* Hoc filius Regis, occurrentis ſibi Sapientiæ ducatu introductus, immo ulnis deportatus, familiæ regiæ vallatus obſequiis, ad mediæ civitatis arcem perducitur, ubi ipſa ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, ſubdidit ſibi gentes, ſuperborumque & ſublimium colla propria virtute calcavit. Ibi collocatur in lecto Sapientiæ, quem ambiunt ſexaginta fortiſſimi ex fortibus Iſraël: uniuſcujuſque enſis ſuper fe-

Aliiſque virtutes.

Tom. III.

mur ſuum. Adeſt David in tympano & choro, in chordis & organo; ceterique cæleſtis curiæ paranymphi, gaudentes & exſultantes magis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.

6. Et ecce veniens ab aquilone ventus turbinis & ignis involvens totam concuſſit domum, Sapientiæ caſtra turbavit. Egreſſus eſt enim Pharao cum curribus & equitibus, perſequens fugientem Iſrael. Cogitaverunt etiam unanimiter ſimul adverſus eum, teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur, ille magnus exterminator diabolus, venit cum illis. Quid multa? Obſeſſa eſt civitas. Jam ſurgunt tentationum machinæ: urget undique inimicus ille, in inſidiis draco, in aperto leo: cogit ſocios, ignes injicit, perfodit muros, bella ſuſcitat, inſidias ſubmittit, totius urbis minitans excidium. Intus vero timor & anguſtiæ; & à vehementi & improviſo hoſtium impetu omnes turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt, & clamaverunt ad Dominum cum tribularentur. Curritur ad arcem Sapientiæ: mala nuntiantur; conſilium quæritur. Reverſa enim ad ſe Prudentia conſulit Sapientiam, quid facto opus ſit. Illa accelerandum teſtatur, & quærendum ſummi Regis auxilium. Et quis, inquit, ibit nobis? At Sapientia: Oratio, inquit. Et ne moram faciat in eundo, aſcendat ſuper equum Fidei. Quæſita diu Oratio, & in tanto tumultu vix tandem inventa eſt. Aſcendit ſuper equum Fidei, proficiſcitur per viam cæli, nec ceſſat, donec intret portas Domini in confeſſione, atria ejus in hymnis. Et, ſicut familiare mancipium, cum fiducia accedens ad thronum gratiæ ejus, exponit neceſſitatis ſuæ negotium. Audito Rex filii periculo, converſus ad conſortem regni ſui Caritatem: O, inquit, quem mittam, & quis ibit nobis? At illa: Ecce ego, inquit, mitte me. Tunc Rex: Prævalens, inquit, prævalebis, & liberabis eum. Egredere; & fac ita. Ilico egreſſam à facie Domini reginam cæli, Caritatem, tota comitatur militia cæleſtis: venienſque & deſcendens in caſtra, virtute & lætitia præſentiæ ſuæ ilico omnia exhilaravit, commota compoſuit, turbata pacavit. Reddita eſt miſeris lux, timidis fiducia. Redit coram Spes, quæ pæne aufugerat; Fortitudo, quæ pæne corruerat. Reſumit conſtantiam tota Sapientiæ militia. At inimici civitatem obſidentes: Quænam eſt, inquiunt, exſultatio in caſtris? Non fuit tanta exſultatio heri & nudiuſtertius. Væ nobis, venit Deus in caſtra! væ nobis! Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis. Sic fugientibus inimicis, gratiæ Dei impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna; dedit vocem ſuam, mota eſt terra. Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Jacob. Suſcipiens ergo puerum Dei, puerum ſuum regina Caritas evexit ad cælum, Patrique Deo repræſentavit. Cui Pater placidus ac ſerenus occurrens: *Cito*, inquit, *proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus. Et producite vitulum ſaginatum, & occidite illum. Epulari enim & gaudere oportet, quia iſte filius meus mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt.*

Pſal. 106.

Præcipue Fidem & Caritatem.

Pſal. 45. 5.

Luc. 15. 22. Denique filius repræſentatur Patri; & indutus ſtola gloriæ.

7. Nota hic quatuor in pueri noſtri liberatione. Primo pœnitentiam, ſed fatuam: ſecundo fugam, ſed temerariam & irrationabilem: tertio pugnam, ſed trepidam & meticuloſam: quarto victoriam validam & ſapientem. quæ omnia in uno quolibet fugiente de ſæculo invenies. Primo enim eſt egens * & inſipiens: poſtea præceps & temerarius in proſperis: deinde trepidus & puſillanimis in adverſis: poſtremo providus, & eruditus, & perfectus in regno caritatis.

* al. hebes

PARABOLA II.

De Pugna ſpirituali *.

* al. De Conflictu vitiorum & virtutum.

Bellum inter Babylonem & Jeruſalem.

1. INter Babylonem & Jeruſalem nulla pax eſt, ſed guerra continua. Habet unaquæque civitas regem ſuum. Rex Jeruſalem Chriſtus Dominus eſt, rex Babylonis diabolus. Et cum alterum in juſtitia, alterum in malitia regnare delectet, rex Babylonis quos poteſt de civibus Jeruſalem per miniſtros ſuos, ſcilicet ſpiritus immundos, ſeducere, ut ſervire eos faciat iniquitati ad iniquitatem, in Babylonem trahit. Unde dum unum de civibus ſuis conſtitutus ſpeculator ſuper muros Jeruſalem trahi cerneret, nuntiavit Regi captam prædam in Babylonem duci. Rex vero Jeruſalem advocans ſpiritum Timoris, militem in talibus ſtrenuum: Vade, inquit, eripe prædam noſtram. Ille ut ſemper ad omnia imperata paratus, cum velocitate hoſtes perſequitur, & in auribus eorum factus eſt repente ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis. Timor enim ſuper eos intonuit, & ad vocem virtutis ejus hoſtium robur omne contremuit: quos in fugam converſos Timor non longius perſecutus eſt, ſed ereptum concivem reducebat ad propria. Verum unus ex adverſariis, Triſtitiæ ſpiritus, non erat cum eis, quando Timor advenit. Hic cum cerneret ſocios ſubito fugientes, ab inſidiis, in quibus latebat, ocius advolavit. A Timore, inquiunt, ſolo factum eſt iſtud, & eſt opprobrium omnibus nobis. At ille: Ne timeatis à Timore iſto. ſcio enim quid facto opus ſit. Ibo & ero ſpiritus mendax in angulis ſemitarum, & amicum me ſimulabo Timoris. Novi enim hominem, nec eſt agendum cum eo vi, ſed fraude. Vos autem exſpectate finem. Fecit ut dixerat, & viarum compendia captans, præceſſit Timorem. Referenſque iter per viam, qua gradiebatur Timor, obvius ei factus eſt, amica, ſed iniqua cum eo colloquia commiſcens, ita ut ſeducere eum cœperit: & Timor neſcius bono animo ſequebatur. Prope jam erat, ut eum in foveam deſperationis impelleret. Sed ſpectator Regi indicat quid agatur. Rex autem unum de militibus ſuis, Spem ſcilicet, præcepit accerſiri, quem cum equo Deſiderii, & enſe Lætitiæ in auxilium jubet accelerare Timoris. Fidelis miles ad imperium egrediens, cum perveniſſet ad locum, vibrans enſem lætitiæ, Triſtitiam effugavit. Sicque liberatum concivem, & impoſitum equo Deſiderii præcedens, trahebat funiculo promiſſionum: & Timor ſequens urgebat facto flagello de funiculis peccatorum.

Homo opprimitur à timore triſtitiæ.

a à Spe.

2. Ibat igitur voluntarius equus, hinc attractus, inde compulſus: ſed in tam rapido curſu timendum ei fuerat ab incurſu. Unde & collegerunt milites Babylonici conſilium, dicentes: Quid facimus, quia ſic evadit, quem jam quaſi cum ſecuritate poſſidebamus? Quomodo plauſus inferni verſus eſt in planctum, & per ſolos duos milites gaudium eſt in cælis ſuper ſui liberatione concivis? Quomodo periit verſutia diabolicæ fraudis? Unus autem ex eis ceteris nequior, cum ſceleris hujus opifex eſſet, profanum protulit conſilium, dicens: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia modo ad capiendum facilior ſit; & ſi captus, difficilius eripi poſſit. Vos igitur à longe proſequimini. ego me in angelum lucis transfiguro, ut ignaros viæ, tamquam advenas & peregrinos, docendi ſimulatione decipiam. Hunc igitur in modum fraude diſpoſita, Regi noſtro ſpeculator annuntiat, venire quidem hominem equo impoſitum deſiderii, ſed pluſquam oporteat properare, eo quod frenum & ſella deeſſet. Hoſtes, inquit, à longe proſequuntur: alii; tamquam inveterati malorum, viarum compendia captant. Sed & nunc unum video, in quo armorum noſtrorum relucet effigies; à nobis tamen ille non exivit. Neceſſe eſt eat qui interrogare noverit eum: Noſter es, an adverſariorum?

3. Porro Rex, cujus animum cura ſemper ſollicitat animarum, duos conſiliarios ſuos emittit, Prudentiam & Temperantiam. Quarum Temperantia quidem

p. à Viatoribus cantabiliter.

equo frenum Diſcretionis impoſuit, & Spem moderatius incedere perſuaſit. Prudentia vero Timorem increpans & arguens improbitatis, de futuro commonuit: & equo ſellam circumſpectionis appoſuit, ut non caderet aſcenſor ejus retro: ſed retro præteriti confeſſioni peccati, ante meditationi judicii, à ſiniſtris patientiæ inniteretur, à dextris humiliati. Porro Spes & Timor dedere calcaria, Spes in dextro pede exſpectationem præmii, Timor in ſiniſtro ſupplicii metum.

4. Et facta mora cum adveſperaſceret, & inclinata eſſet jam dies; rurſus congregati ſunt hoſtes in multitudine, ut dimicent contra eos. Pavet Timor, Spes accelerat: ſed vix tandem ad conſilium eos Prudentia, Temperantiaque revocavit. Et illa: Videtis, inquit, quia dies præceſſit, & nox appropinquavit: & qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat? Porro vobis grandis reſtat via, nec parva eſt hoſtium multitudo. Eſt autem miles quidam Regi noſtro fideliſſimus, quem ego novi, caſtrum habens prope nos poſitum, & firmiſſimum eſt habitaculum: quia in petra poſuit nidum ſuum. Divertamus ad illum, ſi placet, quia bonum eſt illic eſſe. Quod cum placuiſſet omnibus, & ducem itineris quæſiſſent, ait Prudentia: Armiger meus Ratio præcedet nos. Eſt enim gnarus viarum, & notus Juſtitiæ, utpote conſanguineus ejus. Præcedente itaque Ratione, ceteris ſubſequentibus, antevenit Ratio: & ſalutata Juſtitia, nuntiavit hoſpites adventare. Quærit illa qui ſint: unde, ad quid veniant, ſciſcitatur. Et cum Regem cognoviſſet, hilari vultu ſurgens fugientibus occurrit cum panibus, & obviavit illis quaſi mater honorificata, ſuſceptamque Animam ab equo depoſuit, & in penetralibus domus avida collocavit.

5. Inſequitur hoſtilis exercitus, & caſtrum obſidens, undique inquirit, ſi quis forte pateret ingreſſus, ac tamquam leo circuit quærens quem devoret. Sed cum undique illud munitum inveniunt, tentoria figunt, & excubias ordinant: ne quis ingredi, aut egredi valeat, ut mane facto inſtructis machinis diruant, & irruant ſuper eos. Interim pavor paviditate & ſollicitudine non piger, nec umquam ſecurus, commutationes excitat, Juſtitiam convenit, de munitione loci, de præparatione armorum quærit, adjiciens & illud, ne forte ſuſtentationi deficiant alimenta. Ad hæc Juſtitia reſpondit: Situs loci, ut animadvertere poteſtis, ſaxoſus & inacceſſibilis eſt, nec in armis, nec in machinis inimicorum timet inſultum. Sed quia aridus eſt, paucos habet indigenas, quos arido hordeacei panis cibo utcumque ſuſtentat. Et nunc ſuperſunt nobis quinque panes hordeacei, & duo piſces. Et Timor: Quid hæc, inquit, ſunt inter tantos? Cœpit igitur magis pavere & tædere: & arguens Animam, quod ab equo deſiderii deſcendiſſet, illud ſæpius memorabat, eſſe noviſſima hominis illius pejora prioribus. Equus enim ille præpeti curſu feſtinus advolabat ad urbem, nunc ſolius rationis commiſſus ducatui. Ipſe, inquit, videris, ſi non melius erat tibi tunc magis, quàm nunc.

6. Prope jam erat ut adverſus Spem contraria ſentientem Timor inſurgeret; ſed Temperantia Prudentiam advocavit. Accerſita Prudentia improbitatem Timoris objurgans; In adverſarios, inquit, tuus, ô Timor, mucro deſæviat. Neſcis quia Rex noſter, rex virtutum eſt, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio? Eat igitur nuntius, qui ſuorum neceſſitates exponat, adjutorium flagitet, auxiliatorem adducat. Et quis ire poterit? ait Timor. Tenebræ operiunt terram, & muros obſidet hoſtium pervigil multitudo; & ignari viæ, tamquam in regione longinqua. Advocaverunt igitur hoſpitem ſuum Juſtitiam. Si quid, inquiunt, potes, adjuva nos. Quibus illa: Bono animo eſtote. Eſt enim mihi nuntius fideliſſimus Regi, bene notus curiæ, Oratio ſcilicet, qui in ſecreto noctis ſilentio per ignotas ſemitas arcana cæli penetrare, & cubiculum Regis adire, & opportuna importunitate pium Regis animum flectere non indoctus, ſupplicatione miſerabili laborantibus auxilium ſolitus impetrare. Eat ille ſi placet: ecce enim præſto eſt. Cumque reſpondiſſent omnes, Placet: Prudentia quid Regi inſinuet, dictante Juſtitia ut fideliter agat, & ne vacuus revertatur præcipiente, ceteris, & maxime Timore, ut iter acceleraret deprecantibus, per occultos quoſdam muri exitus dimiſſus eſt. At ille hoſtium cuneos penetrans ſecurus, omni ave velocior, in momento, in ictu oculi uſque ad portas novæ Jeruſalem pervenit. Quas cum clauſas reperiſſet & pulſaſſet, janitoribus ægre ferentibus, quod intempeſtæ noctis ſilentio civitatem impleret clamoribus, & Regi ipſi importunus eſſe non vereretur; ille perſeverabat pulſans, & amplius loquebatur: Aperite mihi, inquit, portas juſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino Regi noſtro in ore meo ſecundum multitudinem dolorum meorum, qui ſunt in corde meo. Hæc, inquit, porta Domini mei. Juſtitia me miſit ad vos, ut introducar ad Regem, quia ad ipſum habeo ſecreta quæ perferam. Vox turbuus audita eſt in terra noſtra.

4 Per Orationem. — *Tom III.*

7. Rex cum cognoviſſet nuntium eſſe Juſtitiæ, introduci eum præcepit. Ingreſſa Oratio ad Regem, adoravit, & ait: Rex, in æternum vive. Et ille: Rectene ſunt omnia circa dominum tuum, & quæ illius ſunt? Et Oratio: Recte, Domine, veſtri gratia. Porro unum eſt neceſſarium. Servus ille veſter à cornibus unicornium ad imperium Regis ereptus, divertit ad militem veſtrum dominum meum: &, Domine mi, terra illa auſtralis & arens eſt, & cibum non habet. Det Dominus benedictionem, & terra noſtra det fructum ſuum. En congregati hoſtes in multitudine, ut dimicent contra nos. da nobis, Domine, auxilium de tribulatione: quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. Porro Rex noſter, cujus natura bonitas, motus his lacrymis ait: Quem mittemus? Ad quem Caritas: Ecce ego. Domine, mitte me. Rex autem quærebat de ſociis: ſed Caritas domeſticam ſibi familiam reſpondit ſufficere. Exit ergo una cum nobili illo comitatu ſuo, gaudio, pace, patientia, longanimitate, benignitate, bonitate, manſuetudine. His ſtipatus dux inſignis progreditur, certuſque de victoria, erecto ſigno triumphali primam pertranſit inimicorum, ſecundamque cuſtodiam. Cumque veniſſet ad portam, ultro aperta eſt ei. Ad cujus ingreſſum facta eſt lætitia magna in oppido. Cumque ſuadente gaudio vociferarentur omnes & acclamarent, exortus clamor exterorum caſtra perterruit. Et illi: Quæ eſt iſta, inquiunt, vox exſultationis in auribus noſtris de caſtris Iſraël? Non ita heri & nudiuſtertius. Forte venit eis auxilium, & impetum facient in nos. Fugiamus ergo Iſraelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Interim Caritas moræ impatiens, ordinari exercitum, aperiri portas, & perſequi præcipit inimicos, aperte denuntians: Vadam ad portas inferi. Sicque uno impetu univerſus Caritatis exercitus procedit, quos Babylonii non ferentes fugiunt, ſed non effugiunt. Cadunt à latere Timoris mille, & à dextris Caritatis decem millia.

1 Per Caritatem.

PARABOLA III.

De pugna ſpirituali.

Belli inter David & Nabuchodonoſor allegorica expoſitio.

1. INter Jeruſalem & Babylonem ordinatæ ſunt acies ad bellum. Hinc David manu fortis aciem producit virtutum terribilem & ordinatam: inde Nabuchodonoſor Babylonis ſpiritualia nequitiæ, ſuumque vitiorum tumultuoſum exercitum dirigit ex adverſo. Procedit de caſtris David tirunculus novitius, nuper in militiam regis juratus, & per manus ipſius æterni David verbi Dei gladio accinctus, & ſpiritualibus armis inſignitus, ingentes gerens animos, & contra regis edictum, ad faciendum ſibi nomen pluſquam ad hoſtem vincendum impatientiſſimus. Equus erat ei fervidus, proprium corpus: de ſucco adhuc ſæculi fortis, viridis, laſcivus, animuſque ejus conveniens, cui inſidens ferebatur inſignis; caſtrorumque ſuorum dedignans diſciplinam, contemptis ſociis, ſtolida quadam præſumptione longe præ ceteris progrediebatur, æſtuans &

Tom. III.

anhelans ad faciendum ſibi nomen. Videns David impetuoſam ejus præſumptionem, per filium ſuum Salomonem ſub interminatione ei mandavit: *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habebit ſublevantem.* Cujus ille monita parvi pendens, cum ſibi vel aliis oſtendere magnæ virtutis ſuæ quæreret occaſiones, & præclarum aliquod facinus moliretur; conſpicatur eminus in parte hoſtili unum de inimicis fortis malitiæ, aſtutæ nequitiæ, arma habentem ignea, manuſque plenas jaculis igneis, multos vulnerantem, vulneratos occidentem, occiſos conculcantem, facile capientem, difficile relaxantem; ſpiritum Fornicationis.

Vitia capitalia Davidi adverſantur.

2. Hic ſe oſtenſurum præſumens præclaram virtutem ſuam, impetum in eum dirigit, & promptum illum equum ſuum jejuniorum verberibus, & vigiliarum calcaribus perurgens, totus fertur in illum. Clamat à tergo Prudentia: Parce, parce. Clamat Diſcretio: Suſtine, ſuſtine. totuſque eum concrepat Davidicus exercitus. quos ille omnes ſurda aure præteriens, fertur miſer totus in malum ſuum, & neſcit. Videns Nabuchodonoſor infremit, & malum ei parans dolos præmittit. Occurrunt enim illi à latere in præceps ruenti ſorores duæ, Superbia & Vana gloria, acclamantes ei in dolo: Euge, euge. Quibus ille miſer nimis credulus, totus fertur in præceps, & neſcit quæ jam undique eum circumvallent inſidiæ. Spiritus quidem Fornicationis, jam crebro tales & talium impetus expertus, fugam ſimulat, & deluſum miſerum ſequi provocat, donec per patentem portam in medio Babylonis introductum ſuis illum ſociis tradidit illudendum. Gaſtrimargia & Fornicatio equum ſibi vindicant, nec dominum ſuum jus in eo habere ultra permittunt. Jam quippe deficiebat, jam fatigatus divertere quærebat. In medio quippe pugnæ ſub pugnante ceciderat, & caſu ſuo vehementer attriverat ſeſſorem ſuum. quem illi cibis Babylonis refectum, reimpinguatum ſuis ſubdidere ſervitiis. In miſerum vero ira, invidia, ceteraque vitiorum turba conſurgit, & fiducialiter ſupra dorſum ejus fabricant peccatores. Sed & Fornicatio, cujus niſi terga fugientis nil adhuc ille viderat, aperta jam facie & impudenti fronte in eum conſurgit, & ſpicula ignea in cor ejus torquet, gladiumque in cervicem ejus exſerit, projectumque in terram conculcat; & coquo regis Babyloniorum Nabuzardam eum tradens, ejus immundis gurgitationibus ſubdidit illudendum. Nec jam patitur, ut honeſta in eum vitia manum mittant: ſed immundis ſcurris de coquina regis, id eſt fœdis & horrendis vitiis, exhibet irridendum. Sic igitur captus ab inimicis, ligatur funibus malæ conſuetudinis, & præcipitatur in carcerem deſperationis.

3. Rex autem David cooperto capite lugebat, dicens: Abſalon fili mi, fili mi Abſalon. Vocanſque unum regiæ clientelæ ac ſedis in hujuſmodi utilem & probatum, Timorem ſcilicet, ad requirendum eum dirigit, & Obedientiam ſecum mandavit, ut ereptum de carcere tutelæ committeret Obedientiæ. Miſſus Timor venit, & ſuſcitat miſerum, ereptumque de carceralibus clauſtris & vinculis, ſicut ſibi juſſum fuerat, Obedientiæ tradidit: equum ſuum ei reſtituit, ſed ferocem & rebellem, & qui vix ultra dominum dignaretur agnoſcere. Quem Obedientia apprehendens, & freno ferreo cohibens, licet renitentem plurimum & recalcitrantem, antiquo domino ſubdidit, docuitque eum mutare fortitudinem.

Sed prævalent 7. dona Spir. ſancti.

4. Suſceptum itaque à timore obedientia deducens militem Chriſti, per aliam viam reduxit in regionem ſuam, primamque ei manſionem apud Pietatem conſtituit: ut ſcilicet animos ejus, quos Timor exacerbaverat, Pietas patris revocantis refocillaret. Secundam apud Scientiam, ut ſciret unde & quo ſibi eſſet redeundum: ſciretque uti & pietate, & timore, ne Pietas extolleret, Timor frangeret. Tertiam apud Fortitudinem, quæ eum ad peragendum reditus ſui iter confortaret. Quartam apud Conſilium, ut alterius cum conſilio omnia faceret, nec à ducatu obedientiæ in aliquo declinaret. Quintam apud Intellectum, ut non jam conſilio tantum hominum, ſed ipſe jam intelligere inciperet, quæ ſit voluntas Domini bona, beneplacens & perfecta. Ad ſextam manſionem pervenit miles Chriſti Sapientiæ, hoſpitibus ſuis eum proſequentibus, nec iter ejus deſerentibus, ut jam ei ſapiant bona Domini, & exinde cum Moyſe, velut de monte Abarim, repromiſſiones Dei incipiat contemplari. Et hinc jam pervenitur in Jeruſalem, in regnum & civitatem David, in viſionem pacis: ubi beati pacifici filii Dei interius & exterius omnibus pacificatis ingreſſi, gaudium Domini ſui celebrant, ſabbatum ſabbatorum, amen. Deut. 32. 49.

PARABOLA IV.

De Chriſto & Eccleſia.

Inter ſpuria locum habet in antiquis editionibus, uti & ſequens.

1. *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Cumque dies inſtaret nuptiarum, conſuluit Pater Filium, quam vellet ducere. Ille ſe elegiſſe & prælegiſſe Eccleſiam reſpondit à ſæculo. At pater: Sed captiva, inquit, tenetur in Ægypto: ibique ſervit in luto & latere, venumdata ſub peccato. Induratum eſt cor Pharaonis ſuper eam, & aggravata manus: nec dimittet eam niſi in manu forti. Et ego, inquit Filius, manus tua & brachium fortitudinis tuæ, intrabo Ægyptum in manu forti & brachio extento, & liberabo eam. Et ut obſtruam os loquentium iniqua, & redimam eam à calumniis hominum. Appendam in ſtatera juxta pretium quo venumdata eſt ſub peccato, voluntatem ſcilicet peccati; & è contra pretium ſanguinis mei: & invenietur illa minus habens, & perveniet ad victoriam judicium meum. At Pater: Plane, inquit, perveniet: ſed lex eſt conjugii, ſponſæ requirere aſſenſum. Requiretur, inquit. Inveni David ſervum meum, virum ſecundum cor meum. Mittam eum cum cithara, ut loquatur ad cor ejus, & advocet eam, & demulceat animos ejus, in luto Ægypti aſſuetos & putrefactos. Miſſus David Ægyptum ingreditur; & præparatum habens dulciſſimum epithalamii canticum, eructavit de corde ſuo hoc verbum bonum: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Juſſus etiam Iſaias è veſtigio ſubſequitur, videnſque illam in vinculis captivitatis, *Conſurge*, inquit, *conſurge, induere fortitudinem brachii Domini. Elevare, elevare, conſurge Jeruſalem, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

Matt. 22. 2. — Exod. 1. 14. — Exod. 3. — Eccleſiam captivam ſub Pharaone, typus captivitatis noſtræ ſub diabolo. — Chriſtus ſibi deſponſat Eccleſiam. — Patres prophetæ ejus intermediis. — Pſal. 44. 11. — Iſa. 51. 9.

2. Cumque etiam alii multi intraſſent Patriarchæ & Prophetæ, omnes eadem nuntiantes, tandem aliquando intelligens illa gratiam Dei, ſurgenſque de pulvere, dixit: *Recordatus es mei, Domine Deus meus. Miſereris, cujus miſereris; & miſericordiam præſtas, cujus miſertus eris.* Et ſubſequens quod ſapiens illa Abigail: *Quis*, inquit, *me det in ancillam ſervorum Domini mei, ut lavem pedes ſervorum domini mei?* Moxque exſurgens, ſicut ipſa Abigail, aſcendit ſuper aſinam, id eſt, ſubdidit ſibi carnem ſuam, & ſecuta eſt ſervos Regis. Occurrit ſponſus feſtivus & hilaris: tenenſque manum dexteram ejus, & in voluntate ſua deducens eam, & cum gloria ſuſcipiens eam, introduxit in civitatem regni ſui, & in cubiculum genitricis ſuæ. Et in lectulo caritatis ſuæ eam collocans, & gratiæ ſuæ ornamentis eam condecorans, lævamque ſuam ſub capite ejus ponens, & dextera ſua eam amplexans: *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jeruſalem, ut non ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Poſuitque ſexaginta ex fortiſſimis Iſraël, qui ambirent lectum, ad bella doctiſſimos: & uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos. Oſculanſque eam oſculo oris ſui, & valedicens ei abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti. Mandavitque ei per Oſee prophetam: *Multo tempore me exſpectabis, & non erit tibi ſacerdos, nec ſacrificium.*

Exod. 33. — 1. Reg. 25. 41. — Cant. 2. 7. — Cant. 1. 1. — Sponſus abiit in regionem longinquam. — Oſee. 3. 3.

3. Cujus Pharao ille Ægyptius captans abſentiam, convocato exercitu: Veni, inquit, perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea:

Eccleſiæ perſecutiones premunt.

evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Surgenſque cum omni malitiæ ſuæ nequitia, Eccleſiæ perſecutionem indixit. Moxque ejus caſtra aggrediens, comprehenſum Petrum, fratremque ejus Andream crucifixit, Paulum decollavit, Johannem exſiliavit, Bartholomæum decoriavit, Stephanum lapidavit, Laurentium & Vincentium uſtulavit, & ſanctorum mortibus, mortiumque & tormentorum generibus omnia complevit. *Poſuerunt morticina ſervorum Dei eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem innocentem tamquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Videns Eccleſia defenſores ſuos poſitos ut oves eſcarum, ingemuit, & facta eſt amaritudo ejus amara. Sed terra Eccleſiæ ſanguine Martyrum impinguata, fidelium ſegetes multiplici quodam germine refundebat: & in præciſione unius centum vel mille reddens, unde vinci ſperabatur, vincebat.

[Margin: 1. à Tyrannis. — Pſal. 78. 2.]

4. Quod barbara illa inimici nequitia deprehendens infremuit, & ad nota calliditatis ſuæ arma refugiens, à perſecutione interim conquievit, vireſque contraxit, gladium revocavit, conſilium mutavit. Nullus pejor, inquit, quàm domeſticus inimicus. Effundam igitur contentionem ſuper principes eorum, & errare eos faciam in invio, & non in via. Et cum dicent, Pax, pax; non erit pax. Sed ſuſcitabo inter eos hæreſes & ſchiſmata, & civili & inteſtino quodam bello omnia turbabo: & facilius ſuo eos gladio faciam interire, quàm meo. Dixit, & mox terribilis illa hactenus Eccleſiæ acies ordinata, facta eſt non terribilis: quia deordinata. Mutuis quippe ſe vulneribus impetentes, ſeque invicem hoſtiliter concidentes, hoſtibus à longe ſtantibus & ridentibus, riſum & inſultationem, Eccleſiæ vero luctum & intolerabilem incuſſere dolorem. Amaritudo enim ejus prius amara, nunc facta eſt amarior, cum vipereo quodam malo à filiis ſuis deflebat diſcerpi viſcera ſua. Sed continuo egregii curiæ Chriſtianæ milites prævalere videntes aſtutam inimici malitiam, ſpiritum reſumpſerunt, arma fidei corripuerunt: & malum ex ſemet ipſis viriliter auferentes, Alexander * cum multis Arium; Auguſtinus Manichæum, multoſque alios, Hieronymus Epicuræum Jovinianum, ceterique ceteras hæreſum & ſchiſmatum peſtes pervadentes, vel fortiter trucidaverunt, vel prudenter à caſtris propulerunt, pacemque Eccleſiæ & gaudium reſtituerunt.

[Margin: Pſal. 106. 40. Hier. 8. 14. — 2. Ab hæreticis & ſchiſmaticis. — * Alexander Epiſc. Alexandr. egregius antagoniſta Arii, vide Baron. anno Dom. 315. & 318.]

5. Sed heu, heu! nec mare fluctibus, nec iſta vita carere poteſt tentationibus; nec poteſt eſſe pax firma & ſolida, niſi in regione ſua. Videns enim peccator, & invide iraſcitur, dentibus fremit & tabeſcit, & nova parans bella ad ſpiritualia malitiæ arma ſe convertit. Convocanſque ſui exercitus egregios illos duces, ſpiritum ſcilicet fornicationis, ſpiritum gulæ, ſpiritum avaritiæ: Videtis, inquit, quia nihil proficimus, & jam totus mundus poſt ipſos abiit. Sed adhuc experiri habent vires noſtras, qui gloriantur ſe jam effugiſſe vel eluſiſſe artes meas. Dixit, & caſtris eos Eccleſiæ immittens, & dormientes omnes & ebrios nocte inveniens (qui enim dormiunt, & qui ebrii ſunt, nocte dormiunt, & nocte ebrii ſunt) continue omnia turbavit. Mox enim omnes ſeipſos amantes, quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jeſu-Chriſti; hereditate ſibi vindicaverunt ſanctuarium Dei, & polluerunt tabernaculum nominis ejus: non Deo in eo, ſed voluntatibus & voluptatibus ſuis ſervientes, quæque Deo oblata vel ſacrata, in ſuos uſus vertentes. Facientes enim ſibi de nominibus & officiis religionis nomina & auctoritates avaritiæ, elationis & vanitatis, tunicam illam caritatis inconſutilem deſuper textam per totum, purpureumque illud fidei pallium pretioſo ſanguine tinctum, quibus nuditatem ſponſæ Sponſus operuerat, ceteraque religionis ornamenta, reluctanti & reclamanti Eccleſiæ detraxerunt: eamque denudantes, nec ſe veſtientes, quam cuſtodire debuerant, nudam reliquerunt, & de ſtatu quietis eam exturbantes, quantum in ipſis eſt, de mundo fugere compulerunt.

[Margin: Dæmonum graviſſime à malis Chriſtianis & Clericis. Confer Serm. 33 in Cant. & Serm. 12 Conver. S. Pauli. — 1. Theſſ. 5. 7. — Pſal. 73. 7. — Abuſus bonorum & bonorum Eccleſiæ notatur. — Johan. 19. 23.]

6. Sed illa clamans, plorans, & nudata turpitudine, & diſcoopertis natibus, omnia occulta & pudenda ſua riſui omnium deflens expoſita, orat filios uteri ſui, nec miſerentur: obſecrat, & irridetur. Et utraque manu totis viribus panniculos quoſdam canonicæ vel monaſticæ religionis, qui vix manus diripientium effugerant, circa cor & vitales illas partes adſtringens, hos ſaltem dimitti ſibi precatur, nec auditur. Et ipſos enim ſui illi, non cuſtodes, ſed latrones, diripere conantur: ut vel nuditatem ſuam non ferens, de hoc mundo fugiat, vel inter eos in frigore malitiæ eorum moriatur. Fingentes tamen nonnumquam ſe miſereri, veſtem de ſimulatione virtutum & diſſimulatione vitiorum, manu hypocriſis utrimque contextam vendere illi conantur. Quam illa deteſtans & abominans, non ſuſcipit, non recognoſcit. Novit illam ſapientiæ manibus contextam, tinctam & ſacratam Agni ſanguine, à ſponſo ſibi derelictam, à filiis ſublatam. Aliam neſcit, ſed abjicit & reſpuit. Ideo abjicitur, reſpuitur, conſpuitur, & omnibus opprobrio habetur.

[Margin: Tom. III.]

7. Hæc ſunt noſtra, hæc ſunt Eccleſiæ periculoſa tempora: in quibus in pace facta eſt amaritudo ejus amariſſima. Sed tria væ abierunt: adhuc reſtat unum væ, ſcilicet angelus ſatanæ, in angelum lucis ſe transfiguraturus, ſeſſurus in templo Dei, & oſtenſurus ſe tamquam ſit Deus. Qui jam myſteria iniquitatis operatur, prænuntiis ejus jam undique Eccleſiæ ſuggillantibus: *Ecce hic, & ecce illic.* Sed, ô ſponſa Chriſti, noli credere, noli exire: ſed ſuſtine ſponſum tuum, qui te non deſpicit, nec obliviſcitur in tribulatione: ſed quarta vigilia veniet ad te ambulans ſuper mare. Et veni Domine, veni ad liberandum eam Domine Deus virtutum, qui vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum, amen.

[Margin: Iſa. 33. 17. — Ultima perſecutio Eccleſiæ ab Antichriſto. 2. Theſſ. 2. 7. Matt. 14. 25.]

PARABOLA V.

De Fide, Spe, & Caritate.

1. Rex nobilis & potens tres habuit filias, Fidem, Spem, & Caritatem. His delegavit civitatem eximiam, humanam Animam. In qua cum tres ſint arces, Rationabilitas, Concupiſcibilitas, Iraſcibilitas; unicuique ſuam contradidit: Fidei primam, Spei ſecundam, Caritati tertiam. Rationabilitati præficitur Fides, quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum *. Concupiſcibilitati Spes, quia concupiſcere nos non licet quæ videmus, ſed quæ ſperamus: & ſpes quæ videtur, non eſt ſpes. Iraſcibilitati Caritas, fervor ſcilicet fervori: ut fervor virtutis fervori naturæ dominetur, immo fervor naturalis attollat ſe in fervorem virtutis. Ingreſſæ illæ, unaquæque pro poſſe ſuo domum ſuam ordinat & procurat. Cuſtodem ergo domus ſuæ in Rationabilitate Fides poſuit Prudentiam, ut ſuum jus in ea ſibi conſervet, & rationem ſub legibus fidei & intra terminos à fide poſitos cohibeat. Ut autem fiducialiter in domo ageret, addidit & Obedientiam. Ut obedientia proceſſum operis, & tolerantiam haberet laboris, ſubdidit & Patientiam. Ut autem etiam inferiorem actuum vel ſenſuum familiam regere bene poſſet & diſpenſare, ipſam ei Diſpenſationem ſuffecit. Ut ſecundum Apoſtolum honeſte & ſecundum ordinem omnia fierent, addidit etiam & Ordinem. Ne maledictio intraret domum (Maledicta omnis domus indiſciplinata) cuſtodem in porta poſuit Diſciplinam.

[Margin: Tres filiæ Regis, Fides, Spes, Caritas. — * S. Greg. M. Homil. 26. in Evang. — His commiſſa una civitas, Anima hum. in qua tres arces. Singulis ſingula ad cuſtodiam tradita. — Fides quos cuſtodes adhibeat. — 1. Cor. 14. 40.]

2. Spes autem in Concupiſcibilitate domui ſuæ Sobrietatem præfecit, ut jus ſuum in ea ſibi conſervaret, & principales ejus ſibi ſemper ſervire compelleret. Ut autem inferiorem voluntatum & voluptatum familiam diſcrete regere ſufficeret, ipſa ei ſubdidit Diſcretionem. Cui etiam contra concupiſcentiam carnis addidit Continentiam; contra concupiſcentiam oculorum Conſtantiam; contra ambitionem ſeculi Humilitatem. Et ne egeſtas intraret domum (*ubi enim multa verba ſunt*, ſicut dicit Salomon, *ibi multa egeſtas*) Silentium cuſtodem poſuit in limine.

[Margin: Item Spes. — Prov. 14. 23.]

3. At Caritas ſuam domum ad auſtrum & meridiem

[Margin: Item Caritas.]

Tom. III.

poſitam, amicæ ſibi Pietati commiſit; juſque ſuum omne ei tradidit, ſubdens ei ad obſequium primum Munditiam corporis, deinde congruas exercitationes, videlicet lectiones, meditationes, orationes, & ſpirituales affectiones. Et ne ingreſſa domum miſeria conturbaret, Beatitudinem filiorum Dei, qui in ſeptimo gradu *, id eſt in perfectione beatitudinis poſiti, in domo caritatis ludunt & jucundantur: ipſam Pacem cuſtodem in porta conſtituit. Sic ordinatis domibus ſuis, totius civitatis quaſi præpoſitum quemdam & œconomum poſuerunt Liberum arbitrium.

** Id eſt Pacifici.*

Inimicus homo civitatem invadit, occupans primo domum Fidei.

4 Quo peracto, redeunt in domum patris puellæ regiæ Inimicut homo ſuperveniens, ordinem & gloriam civitatis videns, & invidens, machinatur inſidias: & ingredi cupiens, corruptis duobus de præcipuis civi- B bus, Diſcretione & Diſpenſatione, univerſæ malitiæ ſuæ exercitum introduxit per portas Rationabilitatis & Concupiſcibilitatis. Præpoſitus civitatis Liberum arbitrium, qui totius civitatis dimiſſus erat cuſtos & arbiter (paterfamilias quippe peregre proficiſcens dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis) ligatur vinculis ferreis, & in carcerem mittitur. Præcipitatis de arce rationabilitatis cuſtodibus ſuis, mox contra Fidem Blaſphemia inducitur. Cum qua irruentes contradictiones, commotiones & confuſiones, ceteraque hujuſmodi turba, cunctaque * ſibi diripientes, ſibique quicquid libebat vindicantes, in rationabilitate nihil rationis reliquerunt; & janitore perempto, ſcilicet C Diſciplina, omnibus intrandi & exeundi copiam præbuerunt

** forte, ſibi.*

Deinde Spei.

5. Porro in domum Spei, concupiſcibilitatem ſcilicet, ingreſſa, & omnia ſibi vindicans domina Luxuria, totam eam de ſuperioribus dejectam ad ima devolvit, & concupiſcentiæ carnis Continentiam, concupiſcentiæ oculorum Conſtantiam, ambitioni ſæculi Humilitatem conculcandam tradidit & illudendam. Et perempto Silentio janitore omnibus & intrantibus & exeuntibus fecit portam patere. Sobrietatem vero & ſocias ſobrietatis virtutes aut occidit, aut incarceravit, aut in exſilium deſtinavit. Exinde ad ſuperiorem civitatis arcem conſcenditur, & Pace janitore & cuſtode ſummæ beatitudinis perempto, Miſeria ingreditur. Mox enim do- D mina Superbia aſcendens in arcem (*ſuperbia enim eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*,) Pietatem de ea impie deturbavit, totamque illam Pietatis & Pacis familiam morte vel exſilio damnavit. Jam quicumque vult, ſanctuarium Dei ingreditur: quæcumque ſancta in eo, quæcumque hactenus filiis Levi tantum acceſſibilia erant & viſibilia, jam profanata, jam direpta ab inimicis, in Babylonem transferuntur; & de vaſis Templi concubinis regis Babylonii propinatur. Sic capta eſt & confuſa tota civitas: ſecundum gloriam ejus facta eſt ignominia ejus.

Demum caritatis.
Pſal. 73. 23

Filiæ à patre poſcunt auxilium

6. Confuſis omnibus, ad dominas triſtis nuntiut venit perditæ civitatis. Conturbatæ illæ pedibus Patris E provolvuntur, auxilium deprecantes. Cauſante illo, & cuſtodis Liberi arbitrii arguente negligentiam: Quid, inquiunt, ô Pater, Liberum arbitrium poteſt ſine adjutrice gratia? Et ego, inquit, dabo gratiam: ſed præmittendus eſt Timor. Ipſe enim præibit ante illam parare vias ejus. Egreſſus Timor à facie Domini, venit ad civitatem, baculum habens diſciplinæ in manu ejus: invenitque portam difficultatis obſeratam, & obfirmatam vectibus malæ conſuetudinis. Janitor procax & improbus Carnis laſcivia in portis aderat, qui timori ſatis infeſtus, opprobriis & conviciis eum fatigabat. At ille facto impetu fiduciæ, frangens vectes malæ con- F ſuetudinis, portas diruens difficultatis, miſerum illum corripit, & baculo eum diſciplinæ quem tenebat, uſque ad mortem perurget: ſtatimque ſignum advenientis gratiæ ſuper portas elevans, totam civitatem vertit in timorem. Poſt quem Gratia ingreditur civitatem, ſecum totum illum Virtutum cæleſtium exercitum adducens. Mox pars inimica diſparuit, virtutes vero ad nota præſidia recurrunt. Procedentes ilico & ſe ipſas deceptas fuiſſe accuſantes Diſcretio & Diſpen- A ſatio, veniam precantur: prodit de vinculit & ad occurſum dominæ Gratiæ feſtinat Arbitrium, ſub regno gratiæ nunc tandem ſe ſperans fore liberum. Fercula præparantur filiabus Regis domus ſuæ, & menſæ ponuntur congruæ. In menſa quippe fidei panis ponitur doloris, & aqua anguſtiæ, & cetera pœnitentiæ fercula. In menſa Spei panis confortans, & oleum exhilarans faciem, & cetera conſolationis fercula. In menſa Caritatis panis vitæ, vinumque lætificans; & omnes deliciæ paradiſi. Jam ingrediuntur & epulantur, & cuſtodiunt civitatem. Sed *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* *Pſal. 126. 1.*

Ille gratiam promittit, ſed præmiſſo timore.

Sic fugantur hoſtes.

Et civitas recuperatur.

CONFESSIONIS PRIVATÆ FORMULA,

ſeu, Oratio Pœnitentis ad Chriſtum devotiſſima, quæ B. Bernardo non male adſcribitur.

1. IN unione acerbiſſimi doloris tui, qui cauſam doloris mei aſſumpſiſti, & emendationem pro peccatis meis ſuſcepiſti, Domine Jeſu-Chriſte, cum univerſitate dolentium, vere pœnitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commiſſa, & bona omiſſa, vel non pure aut negligenter facta, ſicut tu ea melius noſti in numero, pondere & menſura: & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui, & à te ſummo bono cecidi, & proximum in caſum traxi. Suſcipe ergo, Domine, de mea miſera vita reſiduum annorum C meorum: pro his vero quos male vivendo perdidi, quibus perdite vixi, cor contritum & humiliatum, Deus, ne deſpicias. Dies mei declinaverunt, & perierunt ſine fructu. Impoſſibile eſt ut eos revocem: ſed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animæ meæ. Domine, abyſſut profundiſſima miſeriæ meæ abyſſum invocat altiſſimæ miſericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miſerationes tuas, & fontem inexhauſtum miſericordiæ tuæ circa me exſiccari ne permittas propter peccata mea, qui miſereris omnium, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Tuum eſt, Domine, remittere peccata: miſerere mei, dum tempus eſt gratiæ & miſerationis: & dum tempus eſt emendationis, da mereri D gloriam benedictionis, ne in die conſummationis me feriat verbum maledictionis.

** Iſa. [illegible]*

2. Fac me, quæſo, Domine, aſſueta mala relinquere, & quæ tibi placent peragere; & ſtudium, quod huc uſque in peccatis exercui, te adjuvante, deinceps in tua voluntate da ut exerceam: ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet. Rogo te propter temet ipſum, & per amorem piiſſimæ Matris tuæ glorioſæ virginis Mariæ, & per interceſſionem omnium ſanctorum tuorum, atque electarum tuarum, ignoſce omnibus peccatis, negligentiis & ignorantiis meis, & ne perdat me cum omnibus iniquitatibus meis, neque in finem iratus reſerves mala mea. Recordare, Domine Jeſu, quia tuum E non eſt perdere quicquam eorum quæ Pater tuus dedit tibi; quin tibi proprium eſt miſereri ſemper & parcere, neminem perdere, ſed ſalvare. Nam Pater tuus miſit te in mundum, non ut judices mundum, ſed ut vitam habeamus per te; ut ſis propitiatio noſtra, & advocatus noſter, non contra nos. Quod enim nos debuimus, tu ſolviſti; quod nos peccavimus, tu luiſti; quod nos neglexìmus, tu ſuppleſti.

3. Proficiat ergo nunc, Domine, & in extremis meis, plenaria, immo ſuperflua ſatisfactio, amariſſima mors tua, & pretium ineſtimabile fuſi ſanguinis tui, commemoratio ſatisfactionis tuæ, venerabile myſterium Corporis & Sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur F in Eccleſia pro ſalute fidelium ſervorum tuorum: in quo es tu ipſe ſacerdos & ſacrificium; ille qui offert pariter & cui offertur, & hoc ipſum quod offertur; ad promerendam in præſenti gratiam, quam non mereor; ab obtinendam in futurum requiem & gloriam, quam tua amariſſima mors impetravit. Imperfectum meum, Domine Jeſu, oculi tui viderunt: ſed tu pie, miſericors & præſtabilis ſuper malitia, ne quæſo imputes mihi ad æternum ſupplicium, qui omnia ad ſummum &

A perfectum bonum optime, & perfectiſſime, & ſapientiſſime præordinaſti; & ne permittas me deleri de libro vitæ; ſed offer mihi portionem, quæ me contingit, in ſubſidium tuæ videlicet pretioſæ paſſionis, pro qua voluiſti hominem habere tibi coheredem in terra viventium.

4. Te igitur, Domine, moveat & inclinet ad miſericordiam humanæ fragilitatis conſideratio, qui noſti quæ ſit hominis ſubſtantia, & quod non vane conſtitueris hominem ſuper terram: & conſerva me opus tuæ pietatis, ne incaſſum circa ipſum laboraveris, neve infructuoſa ſit in me immaculati cruoris tui effuſio. Tu qui es purificationem faciens peccatorum, præſta, ut emundatis per te peccatorum ſordibus, illuſtrata- B que mentis facie cognoſcam te, teque agnoſcens in directione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jeſu-Chriſte Deus meus & Dominus meus, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivis, &c.

OFFICIUM DE S. VICTORE CONFESSORE, à ſancto BERNARDO, rogatu Guidonis abbatis Arremarenſis, compoſitum *.

** V. Epiſt. num. 398. & duos Sermones de S. Victore.*

AD I. VESPERAS,

Antiphona ſuper Pſalmos.

VIctrix anima, quæ ſicut paſſer tranſvolans, laqueos venantium evaſiſti; da ut tuo ab his patrocinio eruamur.

O miles emerite, qui debitam poſt certamen requiem accepiſti, reſpice in nos, qui & inter hoſtiles gladios tuis laudibus occupamur.

O Victor Jeſu, quem in noſtro Victore viciſſe cognoſcimus, da ei ſic ſibi in te gloriari, ut non ſubeat oblivio noſtri.

Capitulum.

DIlectus à Deo & hominibus ſanctus Victor, cujus memoria in benedictione eſt, ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum.

℟. *prolixum.* O vere Victor, qui ex quo vixiſti, viciſti ab utero uſque ad tumulum, continuos promerendo triumphos: * Da nobis ut ſicut tuis animamur victoriis, muniamur & armis.

℣. Ut poſſimus reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare. Da nobis.

Hymnus.

VIta Victoris [a] meritis præclara, Hominem terris, qui non ſit de terra, Velut è cælo datum repræſentat Ad imitandum.

Chriſtus in illo vixit, & non ipſe, Speculum vitæ mortuis de mundo, Homo caleſtis præbuit ſeipſum, Similes quærens.

Aliquid quoque ſanctius profeſſus, Exſtitit Victor forma ſanctitatis, Integrum ſervans atque incorruptum Decus honeſti.

Unde & vidit viſiones Dei, Vidit & cælos aperiri ſibi. Nempe pudicos viſio cæleſtis Quærit aſpectus.

Gloria ſummæ Trinitati Deo, Gloria trina una perſonarum, Tota cujuſque non diviſa trium, Tres enim unum.

Ad Magnif. Antiphona. Magna eſt virtus Domini tui Victor, nec minor pietas: & utinam per te nobis tam ſit propitius ad ſalutem, quàm tibi magnificus exſtitit ad virtutem! Magnifica Victor Dominum, qui magna fecit tibi, magnum te faciens, ut faceres mirabilia, in quibus mirabilis fieres: dedit certare, ut vincere daret, & Victorem coronaret.

Collecta. Exaudi Domine quæſumus tibi ſupplicantium preces: ut quos corporali beati confeſſoris tui Victoris feciſti præſentia gloriari, concedas ejus benigna interceſſione undique præmuniri. Per Dominum Jeſum, &c.

Ad Matutinum.

Invitat. Confidite, Victor vicit mundum: * Gaudeamus in ejus victoria, ut vincamus.

Hymnus.

MErito dulces angelorum voces Corpore gravi audiebat homo, Carneos luxus perimens, in carne Angelum vivens.

Sic oportebat ut jam deſignatum Vas in honorem ſanctius maneret, Sanctitas cujus dedicata fuit Matris in alvo.

Denique carne gravidam cernentes Matrem non ferunt, fugitant paventes, Indicant nomen, confitentur ſanctum Utero clauſum.

B Neque tenello huic tam mature Vita ſecura, gloriæ invidit, Et quidem magis cumulavit eam Fœnore multo.

Gloria ſummæ Trinitati.

In primo Nocturno antiphona.

Beatus vir, qui legem dilexit, & cathedram non affectavit.

Servivit Domino in timore, & jam ſine tremore exſultat ei.

Domine in lumine vultus tui ambulavit, & nunc ſignatum eſt ſuper eum.

Verba tua, Domine, Victor auribus & corde percepit, ac per ea vicit.

C In ore Victoris perfecta laus, quia in corde ejus perpetua pax.

Confidenti in Domino fruſtra inſidiati ſunt, qui ſagittant in obſcuro rectos corde.

Lectio I.

VIctoris vita & gloria, &c. *Vide ſupra inter Serm. de SS. ad diem 26. Febr.*

℟. O virum præcipuæ ſanctitatis, qui ante ſanctus quam natus, ante Victor opere, quàm nomine fuit, ita ut clauſus in utero, jam de hoſte triumpharet.

℣. Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Ita ut, &c.

Lectio II.

D HAbeamus dilectiſſimi in vita Victoris, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. O jucundum & inuſitatum miraculum! Leo rugiens fugit à facie parvuli, necdum vagientis.

℣. Sicut fluit cera à facie ignis; ſic pereant peccatores. A facie, &c.

Lectio III.

EPulemur dilectiſſimi, vocati ad menſam divitis, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. O felix mater, cujus uterus ſenſit novitatem, nulli matrum compertam à diebus Johannis Baptiſtæ.

℣. Non eſt inventus ſimilis illi. A diebus, &c.

Lectio IV.

E SI diligenter itaque, fratres reverendiſſimi, conſidero, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. O Jeſu bone, tua eſt virtus tua victoria, quod agniculus unus luporum multitudinem exturbavit.

℣. Antequam ſciret puer vocare patrem aut matrem, Luporum, &c.

In ſecundo Nocturno antiphona.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, ut ſui nominis ſervaret veritatem.

Domine in virtute tua lætabitur Victor, ſciens non in ſua virtute feciſſe victoriam.

Non accepit in vano animam ſuam, qui de ratione rexit vitam ſuam, & ideo aſcendit in montem Do- F mini.

A timore inimici eripuiſti Domine animam ſancti, cui peracta victoria non reſtat pugna.

Te decet hymnus, te decet laus, cujus opus fuit, ut carne ſolutus Victor noſter hominem ſolveret catenatum.

Bonum eſt confiteri Domino, cujus munera ſanctorum merita, cui ſanctus Victor, & quod ſanctus eſt, & quod victor eſt, debere ſe confitetur.

[a] Hic in mentem revocanda Bernardi verba ex epiſtola 398. num. 3. ubi ait ſe his in hymnis metrum neglexiſſe, ne ſenſui deeſſet,

Lectio V.

GAudete in Domino dilectiſſimi, qui, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. Dum tranſiret Rex Francorum, & veniret ſecus ubi habitabat eremita, admiratus eſt ſuper his quæ dicebantur de viro hoc.

℣. Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis. Super his, &c.

Lectio VI.

PAuſat miles emeritus, & poſt labores, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. Jam theſaurum abſconditum fama delatrix prodiderat, & non potuit præterire regem prætereuntem, ſed divertit ad tugurium pauperis, excitus fama ſanctitatis.

℣. Ut videret opera Domini & mirabilia ejus in deſerto. Excitus, &c.

Lectio VII.

FRatres, latitudo cæli dilatat corda, non arctat, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. Ingreſſo rege pauperis cellam, ſollicitus hoſpes quod vinum non haberet, hauſtam de proximo fonte aquam benedicens convertit in vinum, & bibit rex, & qui cum eo erant.

℣. Repleti ſunt omnes ſtupore & ecſtaſi in eo quod contigerat illis. Et bibit, &c.

Lectio VIII.

PArvus ad pugnam, magnus ad victoriam, &c. *Vide ſupra loco cit.*

℟. Novum genus potentiæ! aquæ rubeſcunt hydriæ, vinum juſſa fundere mutavit unda originem.

℣. Dextera Domini fecit virtutem. Vinum, &c.

In tertio Nocturno antiphona.

Quàm pium, quàm dulce, quàm ſuave, ô Victor, in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari.

℟. Homo quidam non veritus malignari in ſanctum, furatus eſt triticum ejus, & abſcondit in terram, & ecce miſer traditur maligno ſpiritui.

℣. Maledictus homo qui abſcondit frumenta in populis. Traditur.

℟. Triſte miraculum, ſed juſtitiæ plenum. Ut quem ſuggeſtorem, ipſum & ultorem ſceleris homo dæmonem pateretur.

℣. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Ut quem, &c.

℟. Revelantur iniquitatis myſteria: dæmon hominem cogit, homo dæmonem prodit. Victor medius dijudicat inter illos: dum dæmonem fugat, & hominem ſanat, frumentum prodente ipſa malignitate recuperat.

℣. In fraude circumvenientium affuit illi, & honeſtum fecit illum. Dum dæmonem, &c.

℟. Suſpiciens Victor, vidit cælos apertos, & crucem auream gemmis ornatam, & vox ad eum: Gemmæ ſunt animæ, crucis gloriam aſſecutæ, * Cujus ignominiam portaverunt. ℣. Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exſultent in rege ſuo: Cujus.

Ad Laudes, Antiph.

COrpore terras, mente cælos Victor inhabitans, aliquando aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantus ſuavitate plauſibiles voces angelicas audiebat.

Jam cælos ingreſſus, quos & ante oculis apertis ſuſpiciebat, vere nunc revelata facie ſpeculatur gloriam Dei.

Beata viſio! qua in eamdem imaginem Victor transformaris de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.

Vere anima tua, Victor, una ex gemmis quæ tibi in cruce apparuerunt, vere infixa cruci, cum divinæ inſerta gloriæ, eamdem ſibi induit claritatis imaginem, quam invenit.

Omnipotens Pater, peccavimus tibi, Facti filii alieni: ſed appropiavimus in Victore noſtro, qui cum vicerit cupiditatem ſuam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratia potenter reſtituat.

℟. Filiæ Jeruſalem, ſancta anima migrat: * Exite obviam ei.

℣. Veniens venit cum exſultatione. Exite, &c.

Hymnus.

VIna de fonte non de vite manant, Muſta pro rivis colorata fluunt, Benedicentis manu bene uſa Pro torculari.

Subito ſapor ſubiens novellus, In novos uſus latices coegit, Rege mirante, ubi non putabat Regium potum.

Dæmone tortus publicat ſe homo, Furta fatetur miſer vel invitus. Pellitur tortor fure deprehenſo, Tortus & ipſe.

Hæc satis probant aliaque multa Prærogativam gloriæ Victoris; Nec minoratam, quo præventus fuit Spiritu bono.

Gloria ſummæ Trinitati Deo, &c.

Ad Bened. Antiph. Felix generatio, cui exortum eſt lumen in tenebris. Victor, illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant.

Alia. Benedictus Dominus Deus Victoris, qui ipſum in medio ſtatuens, cornu ſalutis erexit nobis, & rurſum de medio tollens cum principibus collocavit, ut habeat ex hominibus, cui hominum peccata donet.

℣. Hæc dies tantæ ſollemnitatis ejus, hæc dies lætitiæ gentis ejus. ℟. Exſultemus & lætemur in ea.

Ad Primam, Antiph.

Hodie poſito corpore Victor, quo ſolo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, dives meritis, ſignis clarus, expeditus penetravit in ſancta, ſimilis factus in gloria ſanctorum.

Ad Tertiam.

Nomen tuum & memoriale tuum, Victor, favus diſtillans in labiis captivorum. Eia ergo, fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exſurge in adjutorium nobis, ut de plena victoria glorieris.

Ad Sextam.

Vincenti expandit gremium ſuum, qui pugnanti dederat ſpiritum ſuum. Ibi, ibi, tu qui ubique es, cogitare de miſeris inſpira ei Deus, ſupplicantem pro miſeris ſuſcipe eum Deus, exorantem pro miſeris exaudi eum Deus.

Ad Nonam.

Abſorptus eſt Victor in gloria Filii Dei: immitte ei noſtri ſemper memorem fieri; noſtram in tuo tremendo judicio ſuſcipere & agere cauſam.

Ad II. Veſperas.

Sancte Victor, quis digne explicet laudes tuas, caſtimoniæ decus, animi virtutem, conſcientiæ puritatem?

Sancte Victor, quis det nobis, ut cum memoria abundantiæ ſuavitatis tuæ inſideat nobis forma rectitudinis vitæ tuæ?

Sancte Victor, mitte nobis auxilium de ſancto, & de Sion tuere nos, qui de terra te laudamus.

Sancte Victor ſanctitas tua, victoria tua, quo nobis ſalubrior, eo tibi glorioſior invenitur.

℣. Ecce appropinquat Victor glorioſus, cito proferte coronam.

℟. Jam intrat in gaudium Domini ſui.

Ad Magnif. Antiph. O magnifice Victor, etſi elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos, ſed non terræ inopes tua jugis munificentia derelinquat.

FINIS TOMI TERTII.

SANCTI

SANCTI
BERNARDI
CLARÆ-VALLENSIS
ABBATIS
OPERUM
TOMUS QUARTUS.

Sermones ejus in Cantica, numero LXXXVI. complectens.

PRÆFATIO

IN SANCTI BERNARDI TOMUM IV.

I. CUM omnia ſancti BERNARDI Opera ſolidæ pietatis ac doctrinæ ſucco referta ſunt, tum duo præcipue apud omnes in pretio eſſe debent, nimirum libri de Conſideratione, & Sermones in Cantica canticorum. In illis ſiquidem libris, quidquid ſanctius in ſacris litteris & in conciliis, quidquid ſalubrius in ſcriptis veterum Patrum & in decretis Pontificum ad regimen Eccleſiæ præſcribitur; id omne ſub eleganti compendio comprehenſum habetur. In his vero Sermonibus, quæcumque per alia ſancti Doctoris opera ad mores informandos & ad pietatem accendendam, quæcumque de vitiis & virtutibus, atque de tota vita ſpirituali reſperſa ſunt; in his, inquam, Sermonibus hæc omnia ſolidius ac ſublimius pertractantur, & ex myſticarum allegoriarum involucris ac figuris, totius perfectionis eruuntur arcana, non minus jucundo atque utili, quam ſublimi modo: ita ut hi Sermones quaſi caſtæ quædam piorum hominum deliciæ cenſendæ ſint. Jucundum atque utilem hunc ſcribendi modum appellamus. Hæc enim eſt, teſte ipſo Bernardo, *miranda prorſus & miſeranda humanarum conditio animarum*, ut *licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, egeant omnino figuris & ænigmatibus quibuſdam corporearum ſimilitudinum, ut ex viſibilibus & exterioribus poſſint vel aliquatenus inviſibilia atque interna conjicere.* Quod quidem his in Sermonibus præclare omnino præſtatur.

Horum Sermonum dignitas.

Bern. Serm. 8 de diverſ. num. 1.

II. Hoc inſigne opus Bernardus aggreſſus eſt anno MCXXXV. poſt ſuum ex Aquitania reditum, ut patet ex libro ſecundo de ipſius vita capite VI. *Nactus verò vir Dei aliquod quietis tempus, aliis ſe negotiis occupavit, & ſecedens in caſulam, piſatiis torquibus circumtextam, ſolus meditationibus divinis vacare diſponit. Et repente occurrunt ei in diverſorio humili, quaſi ad præſepe Domini conſiſtenti, amatoria Cantica, & ſpiritualium fercula nuptiarum. Multo tempore in harum meditatione verum animam ſuam effudit; & multipliciter hæc exponens, quantum in ſe profecerit, qui in illis quotidie epulabatur deliciis; quantum nobis profuerit, quibus ejuſdem benedictionis reliquias in Scriptura ſervavit, manifeſtum eſt legentibus eam.* Ita Gaufridus: qui rurſus in libri tertii capite VIII. *In Sermonibus ſuper Cantica*, inquit, *& inveſtigator myſteriorum, & morum ædificator magnificus innoteſcit.* Id autem Operis tempore Adventûs prædicti anni MCXXXV. inchoatum fuiſſe intelligimus ex Sermonis ſecundi exordio. *Ecce enim quàm multi in hac ejus, quæ proximè celebranda eſt, Nativitate gaudebunt*, &c.

Tempus & occaſio.

III. Bernardum de Portis Carthuſianum iſtius ſuſcepti, ſi non auctorem, ſaltem incentorem fuiſſe conſtat ex Bernardi ad ipſum epiſtola CLIII. in qua vir ſanctus expoſitionem in Cantica, ſeu aliquid ſpirituale obnixè flagitanti ſuam tenuitatem prætendit: ſed tandem inſtanti obſequitur; ſive id de ſuſceptione, ſive de publicatione & miſſione operis jam inchoati interpretandum ſit. Placet ſecunda interpretatio, præſertim quod Gaufridus in locis modò adductis Bernardi de Portis ad iſtud aggrediendum auctoritatem interveniſſe non dicit, immo virum ſanctum ſponte ſua huic meditationi applicuiſſe animum ſatis innuit. Favent huic ſententiæ verba epiſtolæ CLIII. *Cedo importunitati tuæ, ut vel* EXHIBITIO *tollat ſuſpicionem. Res eſt cum amico. Non parco jam verecundiæ. Prorſus, dum fiat quod tu vis, inſipientia meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis, recens dictatos, en facio tranſſcribi, & tibi, cùm necdum ediderim, quàm citius mitto. In quo opere, cùm accepero tempus, Chriſto imperante curis, tentabo procedere.* Ex quibus verbis id tantùm eruitur, Bernardum Portenſem aliquid ſpiritualis operis à Bernardo noſtro poſtulaſſe, eique miſſos fuiſſe Sermones primos in Cantica. Neſcio an de hoc Bernardo explicandus ſit locus in Sermone I. num. 2. *Puto autem quod jam non habebis unde adverſum nos murmuret is, qui nobis de via venit amicus, cùm & tertium iſtum inſumpſerit panem.* quod aliis æſtimandum permitto. Denique ad ipſum Bernardum Portenſem priores Sermones directi ſunt cum epiſtola CLIV. in qua hæc legimus. *Sermones ſuper principia Canticorum, quos tu petiiſti, & ego promiſeram, tranſmitto tibi: quibus lectis peto, ut quàm citiùs opportunè poteris, tuo reſcripto moneamur vel ad procedendum, vel ad ſuperſedendum.* quod de ipſa deſcriptione & miſſione operis itidem interpretari licet.

Incentor.

IV. Etſi verò Bernardus continuis fere diebus hos Sermones habebat ad ſuos Claravallenſes; non potuit tamen intra annos octodecim, quibus ſupervixit, incœptum opus perficere, variis ſubinde Eccleſiæ ac regni negotiis interpellatus, quin etiam adventantium importunâ frequentiâ, de qua non ſemel conqueritur, ut in fine Sermonis tertii. *Sed ecce avocat nos diei malitia. Hi ſiquidem qui modò ſuperveniſſe nuntiantur, gratum cogunt rumpere magis, quam finire Sermonem. Ego exibo ad hoſpites, ne quid deſit officiis ejus, de qua loquimur, caritatis.* Et in Sermone LII. num. 7. *Rara ſatis mihi ad feriandum à ſupervenientibus conceditur hora.* Mirum verò eſt, ſanctum Patrem, magnæ familiæ & irruentium negotiorum curis diſtractum, parem fuiſſe meditandis tam altæ ſapientiæ Sermonibus, uſque in dies recitandis. Quod etiam ipſe conteſtatur Sermone XXII. num. 2. *Nonnullius profecto fatigationis eſt atque laboris, quotidie ſcilicet exire, & haurire etiam de manifeſtis rivulis Scripturarum*, &c. Nam hos Sermones feriatis diebus habebat, & quidem pæne continuis, ut patet ex Sermone LXXXIII. ubi triduum jam conſequenter ad explicandum unum locum ſe inſumſiſſe dicit. Hos porro Sermones viva voce proferebat. Unde in fine Ser-

Sermones iſti cur imperfecti.

Feriatis etiam diebus habiti.

monis XLII. hæc loquitur. *Infirmitas mea, quam noſtis, non ſinit ulterius progredi.* Et in fine Sermonis XLIV. *Et de hoc ſatis. Nam & infirmitas mea pauſandum indicit, ſicut & ſæpe facit.*

V. Meditationem quidem vir ſanctus diſponendæ Sermonum materiæ cum oratione adhibebat:
Ex tempore aliquando prolati. ſed eos ex animi copia & plenitudine nondum ſcriptos nonnumquam depromebat, ut varia loca probant. Nam & multa in iſtis Sermonibus ex tempore dicuntur, quale eſt illud, cùm in Sermone XXXVI. ſomnolentos increpat, aitque. *Putabam me uno Sermone implere quod promiſi de duplici ignorantia; & feciſſem, niſi faſtidioſis longior videretur. Quoſdam ſiquidem oſcitantes, quoſdam & dormientes intuear. Nec mirum: præcedentis noctis vigilia (longiſſima quippe fuerunt) excuſant eos.* At extemporanea illa dicta nihil æque probat, quàm locus ex Sermone IX. num. 6. *Occurrit & alius ſenſus, quem quidem non propoſueram: ſed minimè præteribo.* Accedit quod recitatos Sermones poſtea à diſcipulis fuiſſe deſcriptos innuit vir ſanctus his verbis. *Scripta ſunt ut dicta ſunt*, ait Sermone LIV. num. 2. *& excepta ſtilo, ſicut & Sermones cæteri, ut facilè recuperetur quod fortè exciderit.* Huc ſpectat quod legitur in Sermone LXXVII. num. 2. *Sed etſi litteris forſitan mandentur iſta quæ dicimus, dedignabuntur legere.*

VI. Hos porro Sermones paſſim declamabat Bernardus *in auditorio* Fratrum, & quidem Novitiis præſentibus, ex Sermone LXIII. num. 6. non verò Converſis, qui ejuſmodi conventibus
Quo in loco, & quibus horis. non interérant. Unde ſæpe innuit auditores ſuos fuiſſe in Scripturis ſacris peritos, quos *ingenio* dicendis *prævolare* teſtatur in Sermonibus XV. num. 2. XVI. num. 1. & XXXIX. num. 2. Ceterum hora, quâ Sermones iſti habebantur, aliquando matutina, ante Miſſam, (ut de aliis Sermonibus in ſuperioris tomi Præfatione dictum eſt) aliquando veſpertina erat. De matutino tempore interpretare duo loca, in quibus concionem dimittit propter laborem manualem & officium divinum. Sic in fine Sermonis I. *Sed præterit hora*, inquit, *quâ nos exire urget ad opera manuum & paupertas, & inſtitutio regularis.* At expreſſior eſt hanc in rem locus in Sermone XLVII. quem interrupit ob inſtantem horam officii divini. De veſpertino tempore perſpicuum eſt teſtimonium in Sermone LXXI. num. 15. *Jam enim diſputante me longiùs, inclinata eſt dies.* At ſatis minutiarum, quæ tamen huic loco non male conveniunt.

VII. Sermones omnino quatuor & viginti abſolverat Bernardus anno MCXXXVII. quo
Anno 1137. interrupti. anno in Italiam ad componendum ſchiſma profectus eſt. Inde reverſus anno ſequenti, ad opus intermiſſum denuo ſe recepit, Sermone XXIV. repetito cum alio exordio & alia clauſula: ex quibus nata eſt illa, de qua ſuo loco agemus, lectionis diverſitas. Sermones autem ſexageſimum quintum & ſequentem, qui ab expoſitione iſtius verſus, *Capite nobis vulpes parvulas*, incipiunt, compoſuit vir ſanctus adverſus Colonienſes hæreticos, occaſione epiſtolæ ad ſe ſcriptæ per Evervinum Præpoſitum Steinteldenſem: quam epiſtolam idcirco duobus illis Sermonibus præfigere viſum eſt. Denique Sermo octogeſimus habitus eſt poſt Concilium Remenſe, anno MCXLVIII. præſente Eugenio celebratum, in quo damnatus eſt error Gilberti Porretani epiſcopi Pictavenſis, prout Bernardus ipſe in eo Sermone commemorat.

VIII. In pleriſque mſſ. habentur Sermones numero LXXXVI. in paucis LXXXVII. ſed
Num. 86. vel ob repetitionem Sermonis vigeſimi quarti, ut in codice Colbertino, vel ob diviſionem alterius Sermonis, ut in noſtro Germanenſi. Ex quinque Vaticanis, quos rogatu meo conſuluit noſter Johannes Durandus, unus habet Sermones omnino LXXXVI. ſed in alio, qui ſignatus eſt num. 665. habetur Præfatio, quæ nec in editis, nec in ſcriptis ullis legitur. Ejus exordium ſic habet. *Incipit Præfatio beati Bernardi Claravallis abbatis ſuper Cantica canticorum. Summum incentivum virtuti propoſuit Deus, futuræ beatitudinis delectationem: vehemens quoque calcar erroris delectationem eſſe diabolus excogitavit. Utriuſque enim ſententiæ præſtat indicium princeps humani generis Adam, à Domino Deo in paradiſo poſitus voluptatis, ut æterna felicitate frueretur ad virtutem futuris ſæculis provocandam.* Tum ſubditur, amiſsâ per peccatum innocentiâ, amiſſam utique delectationem, ſed reparari per Pſalmorum & Canticorum dulcedinem & concentum. Nihil in ea Præfatione ad Bernardi ſtilum aut genium accedit. Præfationi ſubjiciuntur Sermones tantùm LXXXIII. ſub hoc titulo: *Incipit expoſitio beati Bernardi Claravallenſis abbatis in Canticis canticorum.* Alius codex: *Incipit Bernardus ſuper Cantica cant.* Alii: *Incipit Tractatus beati Bernardi abbatis de Clara-valle ſuper Cantica cant.* In uno Colbertino dicuntur *Tractatus*, non *Sermones*, pro veteri more. Sed hæc leviuſcula ſunt. Expoſitio iſta deſinit in caput tertium Cantici, ad hunc verſum: *In lectulo meo quæſivi per noctes*, à quo Gillebertus de Hoylandia, & ipſe Ciſtercienſis Hibernus, eam continuavit uſque ad quinti capitis hunc verſum: *Dilectus meus candidus & rubicundus*, editis Sermonibus octo & quadraginta, vir ſanè Bernardo dicendi gravitate & pietate non multum inferior. Conantem verò ulterius explanando progredi mors ex humanis abſtulit, veluti huic indignata, ſi Sixto Senenſi credimus, quod interruptum à ſe Bernardi laborem iterum continuare, & ad finem deducere velle auderet. Fallitur Sixtus, qui Bernardi opus *ultimo vitæ ſuæ anno* inceptum dicit. Gilleberti Sermones in tomo ſequenti adducemus.

IX. Præter hanc expoſitionem Bernardus aliam breviorem dictavit Guillelmo S. Theoderici abbati, uti Guillelmus ipſe teſtatur in libro I. de ejus vita capite XII. ſed commodior erit de hac dicendi locus in tomo quinto, ubi compendioſam in duo priora Cantici capita ex Bernardo commentationem referemus.

X. In primo Sermone fuſioris expoſitionis Bernardus innuere videtur, ſe commentarios edidiſſe in Parabolas Salomonis, & in Eccleſiaſten. Sic enim ait num. 2. *Nam de verbis Eccleſiaſtes ſatis (ni fallor) per Dei gratiam inſtructi eſtis mundi hujus cognoſcere & contemnere vanitatem. Quid & Paro-*

bolas? An non vita & mores veſtri juxta eam, quæ in ipſis invenitur, doctrinam ſufficienter emendati & informati ſunt? Proinde illis ambobus prælibatis, quos nihilominus de amici arca præſtitos accepiſtis; accedite & ad tertium hunc panem, ut probetis forſitan potiora. Verùm hæc verba id unum ſignificare videntur, Claræ-vallenſes dediſſe operam legendis Parabolis & Eccleſiaſtæ, & ad eorum regulas mores ſuos compoſuiſſe. Sanè Gaufridus, qui ſatis accuratum Bernardi operum indicem texuit, nec ullus (quem ſciam) veterum ejus generis commentationes Bernardo tribuit. An fortaſſe *amici* nomine aliquem alium illius temporis auctorem intelligit? qualis fuit Hugo Victorinus, qui homilias XIX. in Eccleſiaſten compoſuit.

XI. Redeo ad Sermones in Cantica, de quibus quid ſentiret Guerricus abbas Igniacenſis, & ipſe ſancti Doctoris diſcipulus piiſſimus, aperit in Sermone III. de ſanctis Petro & Paulo, qui cum aliis habetur in tomo VI. *Magiſter noſter, ille interpres Spiritus-ſancti, de toto illo carmine nuptiali loqui inſtituit, ſpemque nobis dedit ex iis quæ jam edidit, quia ſi pervenerit ad locum de quo quæritis,* DONEC ADSPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ, *umbras ipſas ponet in lucem intelligentiæ; quod dictum eſt, vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine.* Hæc Guerricus.

INDEX

SANCTI BERNARDI SERMONUM IN CANTICA qui in Tomo IV. continentur.

SERMO I. *In Cantica canticorum præambulis.*
II. *De incarnatione Chriſti per Patriarchas & Prophetas prænunciata, & ardentiſſime ab eis exſpectata.*
III. *De oſculo pedis, manus, & oris Domini, &c.*
IV. *De triplici profectu animæ, qui fit per oſculum pedis, manus, & oris Domini.*
V. *De quatuor generibus ſpirituum: videlicet Dei, Angeli, Hominis, & Pecoris.*
VI. *De ſummo & incircumſcripto Spiritu, qui eſt Deus: & quomodo Miſericordia & Judicium dicantur pedes Domini.*
VII. *De amore ardenti quo anima diligit Deum: Item de attentione tempore Orationis vel Pſalmodiæ procuranda.*
VIII. *Quomodo per oſculum oris Dei ſignificatur Spiritus-ſanctus, quem Eccleſia ſibi petit dari ad notitiam ſanctæ Trinitatis.*
IX. *De uberibus ſponſi, id eſt Chriſti: quorum unum eſt longanimitas exſpectandi peccatores: alterum benignitas ſeu facilitas eos recipiendi.*
X. *De tribus unguentis ſpiritualibus, ſcilicet Contritionis, Devotionis, & Pietatis.*
XI. *De duobus, hoc eſt fructu & modo, pertinentibus ad opus humanæ redemptionis.*
XII. *De pretioſo unguento pietatis, deque veneratione à ſubditis erga Prælatos ſuos exhibenda.*
XIII. *De gloria & laude Deo ſemper attribuenda pro omnibus bonis ejus nobis impenſis.*
XIV. *De Eccleſia fidelium Chriſtianorum, & de Synagoga Judæorum perfidorum.*
XV. *Qualiter nomen Jeſus eſt medicina ſalubris fidelibus Chriſtianis in omnibus adverſis.*
XVI. *De cordis contritione, & de tribus ſpeciebus veræ confeſſionis.*
XVII. *De acceſſu & receſſu Spiritus-ſancti obſervando, deque invidia diaboli erga genus humanum.*
XVIII. *De duabus operationibus Spiritus-ſancti, quarum una vocatur Effuſio, & alia Infuſio.*
XIX. *De natura, modo, ac proprietatibus amoris angelici erga Deum juxta ſingulos Angelorum ordines differentis.*
XX. *De triplici modo dilectionis, qua Deum diligimus.*
XXI. *Qualiter Sponſa, id eſt Eccleſia, trahi ſe optat poſt Sponſum, id eſt Chriſtum.*
XXII. *De quatuor unguentis Sponſi, & totidem virtutibus cardinalibus.*
XXIII. *De tribus modis contemplationis circa Deum ſub figura trium cellarum.*
XXIV. *Agit præcipue contra deteſtabile vitium detractionis, & quâ in re rectitudo hominis potiſſimum conſiſtat.*
XXV. *De nigredine & formoſitate Sponſæ, id eſt Eccleſiæ.*
XXVI. *In quo B. Bern. obitum fratris ſui Gerardi in Claræ-valle monachi pathetice deplorat; & vim ſui erga ipſum amoris graphice depingit.*
XXVII. *De ornatu Sponſæ, & qualiter anima ſancta cælum dicatur.*
XXVIII. *De nigredine & formoſitate Sponſi, & quomodo auditus potius quam viſus valeat in rebus fidei, & ad notitiam veritatis.*
XXIX. *De querimonia Eccleſiæ contra ſuos impugnatores, vel contra illos qui impugnant unitatem fraternam.*
XXX. *Qualiter populus fidelium ſeu animæ Electorum per vineas ſignificantur, quarum Eccleſia cuſtos dicitur: & de prudentia carnis, quæ eſt mors.*
XXXI. *De excellentia divinæ viſionis, & quomodo in præſenti ſanctis verus guſtus divinæ præſentiæ varietur pro variis animæ deſideriis.*
XXXII. *Qualiter Chriſtus ſuſcipitur ab anima ſancta tamquam ſponſus, & ab anima infirma tanquam medicus. Item de differentia cogitationum, unde oriantur.*
XXXIII. *De his quæ ſemper ſectanda ſunt à mente devota; quid ſit meridies, & de quatuor generibus tentationum ſemper evitandis.*
XXXIV. *In quo tractatur de Humilitate & Patientia.*
XXXV. *De increpatione dura, quam fecit ſponſus ad ſponſam, & duplici ignorantia nimium pavenda & fugienda.*
XXXVI. *Quod ſcientia litterarum ſit bona ad inſtructionem, ſed ſcientia propriæ infirmitatis ſit utilior ad ſalutem.*
XXXVII. *De duplici notitia & duplici ignorantia; deque malis ſeu damnis quæ pariunt.*
XXXVIII. *Qualiter ex ignorantia Dei naſcitur deſperatio, & qualiter ſponſa dicatur pulcra inter mulieres.*
XXXIX. *De curribus Pharaonis, id eſt diaboli, & de principibus exercitus, qui ſunt malitia, luxuria, & avaritia.*
XL. *Quod intentio ſit facies animæ: quæ ſit ejus pulcritudo aut deformitas, quæ ejuſdem ſolitudo & pudicitia.*
XLI. *Qualiter ſponſa recipit interim magnam conſolationem de contemplatione divinæ caritatis, antequam perveniat ad claram ipſius viſionem.*
XLII. *De duplici humilitate, una videlicet quam parit veritas, & altera quam inflammat caritas.*
XLIII. *Qualiter conſideratio paſſionis & laborum Chriſti facit ſponſam, id eſt animam, pergere illæſam inter proſpera & adverſa hujus mundi.*
XLIV. *De correptione pro ingenio peccantium moderanda, ut nempe humiles & morigeri leniter, duri & obſtinati auſterè corrigantur.*
XLV. *De duplici pulcritudine animæ, & qualiter anima loquitur ad Dei Verbum, & Verbum ad animam: & quæ ſint eorum linguæ.*
XLVI. *De ſtatu & compoſitione totius Eccleſiæ. Item, quomodo per activam vitam, quæ ſub obedientia agitur, per-*

SANCTI BERNARDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES [a] IN CANTICA CANTICORUM.

a Inchoati anno 1135.

SERMO PRIMUS.

1. VOBIS, Fratres, alia quàm aliis de ſæculo, aut certe aliter dicenda ſunt. Illis ſiquidem lac potum dat, & non eſcam, qui Apoſtoli formam tenet in docendo. Nam ſpiritualibus ſolidiora apponenda eſſe, itidem ipſe ſuo docet exemplo: *Loquimur*, inquiens, *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* item, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, quales vos nimirum eſſe confido: niſi fruſtra forte jam ex longo ſtudiis eſtis cœleſtibus occupati, exercitati ſenſibus, & in lege Dei meditati die ac nocte. Itaque parate fauces, non lacti, ſed pani. Eſt panis apud Salomonem, iſque admodum ſplendidus ſapidusque; librum dico, qui CANTICA CANTICORUM inſcribitur: proferatur, ſi placet, & frangatur.

1. Cor. 3. 1. — 1. Cor. 2. 13. — 1. Cor. 2. 6.

2. Nam de verbis Eccleſiaſtes ſatis (ni fallor) per Dei gratiam inſtructi eſtis mundi hujus cognoſcere & contemnere vanitatem. Quid & Parabolas? An non vita & mores veſtri juxta eam, quæ in ipſis invenitur, doctrinam ſufficienter emendati ſunt & informati? Proinde illis ambobus prælibatis, quos nihilo minus de amici arca [a] præſtitos accepiſtis; accedite & ad tertium hunc panem, ut probetis forſitan potiora. Cum enim duo ſint mala, quæ vel ſola, vel maxime militant C adverſus animam, vanus ſcilicet amor mundi, & ſuperfluus ſui: peſti utrique duo illi libri obviare noſcuntur; alter ſarculo diſciplinæ prava quæque in moribus, & carnis ſuperflua reſecans: alter luce rationis in omni gloria mundi fucum vanitatis ſagaciter deprehendens, veraciterque diſtinguens à ſolido veritatis. Denique univerſis humanis ſtudiis, ac mundanis deſideriis prætulit Deum timere, ejuſque obſervare mandata. Merito quidem. Veræ etenim ſapientiæ primum illud, initium; ſecundum, conſummatio eſt: ſi tamen conſtat vobis non aliud veram & conſummatam eſſe ſapientiam, quàm declinare à malo, & facere bonum, D itemque recedere à malo neminem poſſe perfecte abſque timore Dei, nec bonum opus omnino eſſe præter obſervantiam mandatorum.

Eccleſiaſtes & Parabolæ quam utiles.

Animæ duo mala, amor mundi, & ſui.

3. Depulſis ergo duobus malis duorum lectione librorum, competenter jam acceditur ad hunc ſacrum theoricumque ſermonem: qui cum ſit amborum fructus, nonniſi ſobriis mentibus & auribus omnino credendus eſt. Alioquin ante carnem diſciplinæ ſtudiis edomitam & mancipatam ſpiritui, ante ſpretam & abjectam ſæculi pompam & ſarcinam, indigne ab impuris lectio ſancta præſumitur. Quomodo nempe lux incaſſum circumfundit oculos cæcos vel clauſos, ita E *animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Quippe *Spiritus-ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*, quod eſt vita incontinens: ſed nec erit ei umquam pars cum mundi vanitate, cum veritatis ſit Spiritus. Quæ enim ſocietas ei quæ deſurſum eſt ſapientiæ, & ſapientiæ mundi, quæ A ſtultitia eſt apud Deum; aut ſapientiæ carnis, quæ & ipſa inimica eſt Deo? Puto autem quod jam non habebit unde adverſum nos murmuret is, qui nobis de via venit amicus, cum & tertium iſtum inſumpſerit panem.

Canticorum liber nonniſi ſobriis mentibus & auribus credendus.

1. Cor. 2. 14. — Sap. 1. 5. — Johan. 14. 17. — 1. Cor. 3. 19. — Tom. IV. — Rom. 8. 7.

4. Sed quis franget? Adeſt Paterfamilias: cognoſcite Dominum in fractione panis. Quis enim alter idoneus? Non equidem ego mihi iſtud temere arrogaverim. Sic ſpectetis ad me, ut ex me non exſpectetis. Nam & ego unus ſum de exſpectantibus, mendicans & ipſe vobiſcum cibum animæ meæ, alimoniam ſpiritus. Revera pauper & inops pulſo ad eum, qui aperit & nemo claudit, B ſuper ſermonis hujus profundiſſimo ſacramento. Oculi omnium in te ſperant, Domine. Parvuli petierunt panem: non eſt qui frangat eis; ſperatur id à benignitate tua. O piiſſime, frange eſurientibus panem tuum, meis quidem (ſi dignaris) manibus, ſed tuis viribus.

Ea explicare ſolius Dei eſt.

5. Dic quæſo nobis, à quo, de quo, ad quemve dicitur: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* aut quale eſt iſtud ita ſubitaneum, & factum repente de medio ſermonis exordium? Sic quippe in verba prorumpit, quaſi quempiam loquentem præmiſerit, cui conſequenter reſpondentem & hanc introducat perſonam, quæcumque eſt ipſa quæ oſculum flagitat. Deinde ſi ſe oſculari a neſcio quo vel petit, vel præcipit; cur ſignanter & nominatim ore, & ore ſuo; quaſi aliud quàm os, aut alienum, & non potius ſuum, exhibere ſibi ſoleant oſculantes? Quamquam ne hoc quidem dicit, *Oſculetur me ore ſuo*: ſed aliud * profecto inuſitatius, *Oſculo*, inquit, *oris ſui*. Et quidem jucundum eloquium, quod ab oſculo principium ſumit, & blanda ipſa quædam Scripturæ facies facile afficit & allicit ad legendum, ita ut quod in ea latet, delectet etiam cum labore inveſtigare, nec fatiget inquirendi forte difficultas, ubi eloquii ſuavitas mulcet. Verum quem non valde attentum faciat iſtiuſmodi principium ſine principio, & novitas locutionis in veteri libro? Unde conſtat hoc opus non humano ingenio, ſed Spiritus arte ita compoſitum, ut quamvis difficile intellectu, ſit tamen inquiſitu delectabile.

Abruptum hujus libri exordium quid ſibi velit.

* aliquid.

6. Sed quid? titulum præterimus? Non oportet ne unum quidem iota; quando & minutias jubemur colligere fragmentorum, ne pereant. Titulus talis eſt: INCIPIUNT CANTICA CANTICORUM SALOMONIS. Obſerva in primis Pacifici nomen, quod eſt Salomon, convenire principio libri, qui incipit à ſigno pacis, id eſt ab oſculo; ſimulque adverte hujuſcemodi principiis ſolas ad hanc intelligendam ſcripturam mentes invitari pacificas, quæ ſeſe jam à vitiorum vindicare perturbationibus & curarum tumultibus prævalent.

Tituli expoſitio. Matt. 5. 18. Johan. 6. 12.

7. Dehinc ne hoc quoque otioſum putes, quod non ſimpliciter Cantica, ſed Cantica canticorum habet inſcriptio. Multa quippe legi cantica in Scripturis, & nullum illorum memini taliter appellari. Cecinit Iſraël carmen Domino, quod gladium pariter & jugum

Cantica Scripturæ varia.

a Alludit ad illud Lucæ 11. 5. *Amice, commoda mihi tres panes.* An vero his verbis aliqua in duos hoſce libros commentatio deſignetur, in Præfatione hujus Tomi expendimus.

Tom IV. evaſerit Pharaonis, gemino maris mirabiliter liberatus ſimul & vindicatus obſequio. Non tamen quod cecinit, dictum eſt Canticum canticorum, ſed, ſi bene recolo, *cecinit*, ait Scriptura, *Iſraël carmen hoc Domino*. Cecinit etiam Debbora, cecinit & Judith, cecinit & mater Samuelis, Prophetæ quoque aliqui cecinerunt; & nemo eorum legitur appellaſſe canticum ſuum Cantica canticorum. Sane omnes (ni fallor) cecinisse reperies pro quocumque ſuo, ſuorumve percepto commodo: verbi gratia pro obtentu victoriæ, pro evaſione periculi, aut pro concupitæ rei qualiſcumque adepto beneficio. Ita ergo plerique cecinerunt, ſinguli pro ſingulis cauſis, ne ingrati divinis beneficiis invenirentur, juxta illud: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*. At vero rex B iſte Salomon, ſapientia ſingularis, ſublimis gloria, rebus affluens, pace ſecurus, nullius talium eguiſſe cognoſcitur, pro quo accepto iſta decantare libuerit. Sed nec Scriptura ipſa ſui uſpiam tale aliquid ſignificare videtur.

Exod. 15. 1. Judic. 5. 1. Judith 16. 2. 1. Reg. 2. 1. Pſal. 48. 19.

Argumentũ hujus libri. 8. Itaque divinitus inſpiratus, Chriſti & Eccleſiæ laudes, & ſacri amoris gratiam, & æterni connubii cecinit ſacramenta; ſimulque expreſſit ſanctæ deſiderium animæ; & epithalamii carmen, exſultans in ſpiritu, jucundo compoſuit eulogio, figurato tamen. Nimirum velabat & ipſe inſtar Moyſi faciem ſuam, non minus forſitan in hac parte fulgentem, eo quod illo adhuc in tempore nemo, aut rarus erat, qui revelata facie C gloriam iſtam ſpeculari ſufficeret. Igitur pro ſui excellentia reor nuptiale hoc carmen hujuſmodi titulo præſignitum *, ut merito *Cantica canticorum* ſingulariter appelletur, ſicut is quoque cui canitur, ſingulariter eſt dictus *Rex regum, & Dominus dominantium*.

Exod. 34. 6. * *al. præſignatum.* *1. Tim. 6. 15.*

Religioſis ſua quoque cantica conveniunt. 9. Ceterum vos, ſi veſtram experientiam advertatis ᵃ, nonne in victoria, qua vicit mundum fides veſtra, & in exitu veſtro de lacu miſeriæ & de luto fæcis, cantaſtis & ipſi Domino canticum novum, quia mirabilia fecit? Rurſus cum adjecit primum ſupra petram ſtatuere pedes veſtros, & dirigere greſſus veſtros; puto quod & tunc nihilo minus pro indulta novitate vitæ D immiſſum ſit in os veſtrum canticum novum, carmen Deo noſtro. Quid cum pœnitentibus vobis non ſolum peccata dimiſit, ſed inſuper promiſit & præmia; non multo magis ſpe gaudentes futurorum bonorum, cantaſtis in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini? At ſi cui forte veſtrum clauſum vel obſcurum aliquid de Scripturis interdum eluxerit; tunc prorſus neceſſe eſt pro percepta cæleſtis panis alimonia divinas mulceat aures in voce exſultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Sed & in quotidianis exercitiis & bellis, quæ nulla hora pie in Chriſto viventibus deſunt à carne, à mundo, à diabolo, ſicut militiam eſſe vitam hominis ſuper terram inceſſanter experimini in vobiſmet ipſis; quotidiana neceſſe eſt cantica pro E aſſecutis victoriis innovari. Quoties tentatio ſuperatur, aut vitium ſubjugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus inſidiantis deprehenditur, aut annoſa & inveterata quæcumque animæ paſſio ſemel perfecteque ſanatur, aut multum diuque cupita & ſæpius petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur: quid niſi toties, juxta Prophetam, perſonat gratiarum actio & vox laudis, & ad ſingula quæque beneficia benedicitur Deus in donis ſuis? Alioquin ingratus reputabitur, cum diſcuſſio venerit, qui non poterit dicere Deo: *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*.

Job. 7. 1. Iſa. 51. 3. Pſal. 118. 54.

Cantica Graduum unde vocentur. 10. Arbitror vos in vobis ipſis illa jam recognoſcere, F quæ in pſalterio, non Cantica canticorum, ſed *Cantica Graduum* appellantur, eo quod ad ſingulos profectus veſtros, juxta aſcenſiones quas quiſque in corde ſuo diſpoſuit, ſingula ſint cantica depromenda ad laudem & gloriam promoventis. Quonam modo impleatur aliter ille verſiculus non video: *Vox exſultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum*, aut certe Apoſtoli illa pulcherrima ſaluberrimaque exhortatio: *In pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino*.

Pſal. 117. 15. Epheſ. 5. 19.

11. Sed eſt canticum, quod ſui ſingulari dignitate & ſuavitate cunctis merito quæ memoravimus, & ſi qua ſunt alia, antecellit: & jure hoc appellaverim *Canticum canticorum*, quia ceterorum omnium ipſum eſt fructus. Iſtiuſmodi canticum ſola unctio docet, ſola addiſcit experientia. Experti recognoſcant, inexperti inardeſcant deſiderio, non tam cognoſcendi, quam experiendi. Non eſt enim ſtrepitus oris, ſed jubilus cordis; non ſonus labiorum, ſed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum conſonantia. Non auditur foris, nec enim in publico perſonat: ſola quæ cantat audit, & cui cantatur, id eſt ſponſa & ſponſus. Eſt quippe nuptiale carmen, exprimens caſtos jucundoſque complexus animorum, morum concordiam, affectuumque conſentaneam ad alterutrum caritatem.

Canticum ſingulare ſponſi & ſponſæ.

12. Ceterum non eſt illud cantare ſeu audire animæ puerilis & neophytæ adhuc, & recens converſæ de ſæculo, ſed provectæ jam & eruditæ mentis; quæ ſuis nimirum profectibus, Deo promovente, in tantum jam creverit, quatenus ad perfectam ætatem, & ad nubiles quodam modo pervenerit annos, annos dico meritorum, non temporum; facta nuptiis cæleſtis ſponſi idonea, qualis denique ſuo loco plenius deſcribetur. Sed præterit hora, qua nos exire urget ad opera C manuum & paupertas, & inſtitutio regularis. Cras in nomine Domini quod cœperamus proſequemur de oſculo, quia de titulo hodiernus ſermo nos expedivit.

Tironum non idoneum hujus cantici auditum.

SERMO II.

De Incarnatione Chriſti per Patriarchas & Prophetas nuntiata, & ardentiſſime ab eis exſpectata.

1. Ardorem deſiderii Patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſime cogitans, compungor & confundor in memetipſo; & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis torporiſque miſerabilium temporum horum. Cui namque noſtrum D tantum ingerat gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum Sanctis veteribus accenderat deſiderium promiſſio? Ecce enim quàm multi in hac ejus, quæ proxime celebranda eſt, Nativitate gaudebunt! ſed utinam de nativitate, non de vanitate! Illorum ergo deſiderium flagrans & piæ exſpectationis affectum ſpirat mihi vox iſta: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Senſerat nimirum in ſpiritu, quiſquis tunc ſpiritualis eſſe poterat, quanta foret gratia diffuſa in labiis illis. Propterea loquens in deſiderio animæ aiebat, *Oſculetur me oſculo oris ſui*; nimirum omnimodis cupiens tantæ ſuavitatis participio non fraudari.

Patrum deſiderium ad Chriſti incarnationem noſtri ſuperat teporem. *Cant. 1. 1.*

2. Dicebat enim perfectus quiſque: Quo mihi ora E hæc feminiverbia Prophetarum? Ipſe potius ſpecioſus forma præ filiis hominum, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non audio jam Moyſen: impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt mihi. Iſaiæ labia immunda ſunt: Jeremias neſcit loqui, quia puer eſt: & Prophetæ omnes elingues ſunt. Ipſe, ipſe quem loquuntur, ipſe loquatur: ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non in eis jam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebroſa aqua in nubibus aëris: ſed ipſe me oſculetur oſculo oris ſui, cujus gratioſa præſentia, & admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Quem unxit Pater oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, numquid non ex ipſo mihi uberior infunditur F gratia? ſi tamen dignetur me oſculari oſculo oris ſui. Cujus utique ſermo vivus & efficax oſculum mihi eſt, non quidem conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animorum; ſed plane infuſio gaudiorum, revelatio ſecretorum, mira quædam & quodam modo indiſcreta commixtio ſuperni luminis & illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo, unus ſpiritus eſt. Merito proinde viſiones & ſomnia non recipio, figuras & ænigmata nolo; ipſas quoque angelicas faſtidio ſpecies.

Exod. 4. 10. Iſa. 6. 5. Jer. 1. 6. Pſal. 44. 8. 1. Cor. 6. 17.

ᵃ Addit codex Ciſtercienſis, *quæ cantica per ſingulos profectus cantare debeamus*, quod lemma eſſe videtur.

Quippe

[* ipſus.] Quippe & ipſos * longe ſuperat Jeſus meus ſpecie ſua & pulcritudine ſua. Non ergo alium ſive angelum, ſive hominem, ſed ipſum peto oſculari me oſculo oris ſui. Nec ſane præſumo me oſculatum iri ab ore ipſius, (eſt enim hoc aſſumpti hominis unicæ felicitatis & prærogativæ ſingularis:) ſed humilius ab oſculo oris ſui peto me oſculari. quod commune utique eſt multorum, qui dicere poſſunt: [Johan. 1. 16.] *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus.*

[Oſculantis, oſculati, & oſculi explicatio.] 3. Intendite. Sit os oſculans, Verbum aſſumens; oſculatum, caro quæ aſſumitur: oſculum vero, quod pariter ab oſculante & oſculato conficitur, Perſona ipſa ſcilicet ex utroque compacta, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Hac ergo ratione Sanctorum nemo dicere præſumebat, Oſculetur me ore ſuo; ſed tantum oſculo oris ſui: ipſi ſane ſervantes prærogativam iſtam, cui ſingulariter ſemelque os Verbi impreſſum tunc eſt, cum ei ſe corporaliter plenitudo omnis divinitatis indulſit. Felix oſculum, ac ſtupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, ſed Deus homini unitur. Et ibi quidem contactus labiorum complexum ſignificat animorum: hic autem confœderatio naturarum divinis humana componit, quæ in terra ſunt, & quæ in cælis pacificans. [Eph. 2. 14.] *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Ad hoc igitur oſculum ſanctus quiſque antiqui temporis ſuſpirabat; eo quod jucunditatem & exſultationem theſaurizari ſuper eum, & theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ in ipſo abſconditos præſentirent, [Coloſſ. 2. 3.] cuperentque & ipſi de plenitudine ejus accipere.

4. Sentio, placet vobis quod dicitur: ſed accipite [Alius ſenſus.] & alium ſenſum. Non latuit Sanctos & ante adventum Salvatoris, Deum ſuper mortalium genus cogitare [Jer. 29. 11.] cogitationes pacis. Nec enim faceret verbum ſuper [Amos 3. 7.] terram, quod non revelaret ſervis ſuis Prophetis. Erat [Luc. 18. 34.] tamen verbum hoc abſconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodum ſpes in pluribus quoque illorum, qui exſpectabant redemptionem Iſrael. Qui vero præſciebant, ipſi & prædicebant Chriſtum in carne venturum, & [Mich. 5. 5.] cum ipſo pacem. Unde quidam eorum: *Et pax erit*, inquit, *in terra noſtra, cum venerit.* Immo per ipſum Dei gratiam homines recuperaturos cum omni fiducia, ſicut divinitus acceperant, prædicabant. Quod & præcurſor Domini Johannes ſuo tempore impletum agnovit, & perhibuit: [Johan. 1. 17.] *Gratia*, inquiens, *& veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt:* & ita verum eſſe omnis nunc Chriſtianus populus experitur.

[Querimonia veterum de mora Meſſiæ.] 5. Ceterum illis prænuntiantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis, nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui ſalvum faceret. Itaque cauſabantur homines moras, quod ille toties nuntiatus necdum veniret Princeps pacis, ſicut locutus fuerat per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus: & ſuſpectas habentes promiſſiones, ſignum promiſſæ reconciliationis (quod eſt oſculum) flagitabant; acſi nuntiis pacis unus quilibet de populo reſponderet: Quouſque tollitis animas noſtras? Jam olim prædicitis pacem, & non venit: promittitis bona, & adhuc turbatio. Ecce hoc ipſum multifarie, multiſque modis & Angeli patribus, & patres [Jer. 6. 14.] noſtri annuntiarunt nobis, dicentes, *Pax, pax; & non eſt pax.* Si mihi vult eſſe perſuaſum Deus, quod de ſuæ beneplacito voluntatis tam crebra jam legatione reſpondet, nec exhibet; oſculetur me oſculo oris ſui, ſicque in ſigno pacis faciat de pace ſecurum. Nam verbis jam quomodo credam? Opus magis eſt opere verba firmari. Probet veridicos nuntios ſuos Deus (ſi tamen nuntii ejus ſunt) & ſequator eos ipſe, ut ſæpius promiſerunt, quia ſine ipſo poſſunt facere nihil. [Johan. 1. 3.] [4 Reg. 4. 31.] Miſit puerum, tulit baculum, & necdum eſt vox neque vita. Non ſurgo, non ſuſcitor, non excutior de pulvere, non reſpiro in ſpem, ſi non Propheta ipſe deſcendat, & oſculetur me oſculo oris ſui.

[1. Tim. 2. 5.] 6. Huc accedit, quod is qui noſtrum profitetur ſe mediatorem ad Deum, Dei Filius eſt, & Deus eſt. Et quid eſt homo ut innoteſcat ei, aut filius hominis, ut reputet eum? Quæ mihi fiducia, ut tantæ me audeam credere majeſtati? Unde, inquam, terra & cinis præſumo Deum curam habere mei? Ad hæc diligit Patrem ſuum, me vero opus non habet, bonorum meorum non eget. Unde ergo conſtabit mihi, quod [Mediatorem eſſe Deum & hominem oportebat.] mediator meus in parte nequaquam ſit? Tamen ſi vere, ut dicitis, decrevit miſereri Deus, cogitatque ut complacitior ſit adhuc; ſtatuat teſtamentum pacis, & fœdus perpetuum feriat mihi in oſculo oris ſui. Ut quæ procedunt de labiis ſuis, non faciat irrita; exinaniat ſe, humiliet ſe, inclinet ſe, & oſculetur me oſculo oris ſui. Ut ex æquo partibus congruens mediator neutri ſuſpectus ſit, Deus Filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc oſculo oris ſui. Securus ſuſcipio mediatorem Dei Filium, quem agnoſco & meum. Minime plane jam mihi ſuſpectus erit: frater enim & caro mea eſt. Puto enim ſpernere me jam non poterit, os de oſſibus meis, & caro de carne mea.

7. Ita ergo vetus querela ſacroſanctum oſculum, id eſt incarnandi Verbi myſterium, exigebat, dum longa & moleſta exſpectatione fatigata fides deficeret, & infidelis populus adverſus promiſſa Dei victus tædio murmuraret. Adinventio mea eſt, ſi non hoc idem & vos recognoſcitis de Scripturis. Inde profecto erant querulæ illæ & plenæ murmure voces: [Iſa. 28. 10.] *Manda, remanda: Exſpecta, reexſpecta: Modicum ibi, modicum ibi.* Inde anxiæ illæ & plenæ pietate preces: [Eccli 36. 18.] *Da mercedem, Domine, ſuſtinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Item, [Ibidem 17.] *Suſcita, Domine, prædicationes*[a], *quas locuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores.* Inde blandæ illæ & plenæ conſolatione promiſſiones: [Abac. 2. 3.] *Ecce apparebit Dominus, & non mentietur: ſi moram fecerit, exſpecta eum; quia veniens veniet, & non tardabit.* Item, [Iſa. 14. 1.] *Prope eſt ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur.* Et ex perſona promiſſi: [Iſa. 66. 12.] *Ecce ego*, inquit, *declino in vos ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloria gentium.* In quibus verbis ſatis apparet & prædicatorum inſtantia, & diffidentia populorum. Sic itaque & plebs murmurabat, & fides nutabat: &, juxta Iſaiæ vaticinium, [Iſa. 33. 7.] *Angeli pacis amare flebant.* Ne ergo univerſum genus humanum, moram faciente Chriſto, deſperatione periret, dum ſe contemni ſuſpicaretur infirma mortalitas, ſuæque reconciliationis cum Deo de gratia toties repromiſſa diffideret: Sancti qui de ſpiritu certi erant, certitudinem de carnis præſentia exoptabant, ac ſignum reformandæ pacis propter puſillanimes & incredulos omni inſtantia requirebant.

8. O radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populorum! [Iſa. 11. 10.] quam multi reges & prophetæ voluerunt te videre, & non viderunt! Felix tamen ex omnibus Simeon, [Luc. 2. 25.] cujus ſenectus in miſericordia uberi! Is nempe exſultavit ut videret deſiderii ſignum: & vidit, & gaviſus eſt; acceptoque oſculo pacis in pace dimittitur, ante tamen aperte pronuntians, Jeſum eſſe natum in ſignum, cui contradicendum erat. Omnino ita fuit. Contradictum eſt exorto ſigno pacis, ſed ab his qui oderunt pacem. nam pax hominibus bonæ voluntatis, male- [Luc. 2. 14.] volis autem petra ſcandali, & lapis offenſionis. He- [Matth. 2. 3.] rodes denique turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo: ſiquidem in propria venit, & ſui eum non rece- [Johan. 1. 11.] perunt. Felices illi in ſua pernoctatione paſtores, qui ſigni hujus viſione digni habiti ſunt. Jam tunc ſe abſcondebat à ſapientibus & prudentibus, & revelabat parvulis. Et Herodes videre voluit: ſed quia non bona voluntate, non meruit. Pacis ſiquidem ſignum erat, datum tantum hominibus bonæ voluntatis: Herodi vero & ſimilibus ejus non dabitur niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Porro ad paſtores, [Luc. 2. 12.] *Et hoc*, ait Angelus, *vobis ſignum*, vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta ſapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte; *Hoc*, inquit, *vobis ſignum.* Quod? quod Angeli promittebant, quod

[a] Sic legebatur olim in Bibliis ante Romanam Sixti correctionem. Septuaginta habent τὰς προφητείας.

populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, hoc fecit Dominus nunc, & oſtendit vobis: in quo recipiant increduli fidem, puſillanimes ſpem, perfecti ſecuritatem. Hoc ergo vobis ſignum. Cujus rei ſignum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, & pacis, cujus non erit finis. Hoc eſt ergo ſignum: *Invenietis infantem pannis* quidem *involutum, & poſitum in præſepio.* Deus eſt tamen in ipſo *mundum reconcilians ſibi.* Morietur propter peccata veſtra, & reſurget propter juſtificationem veſtram, ut juſtificati per fidem, pacem habeatis ad Deum. Hoc ſignum pacis Propheta quondam regi Achaz proponebat petendum à Domino Deo ſuo, ſive in excelſo ſuprà, ſive in inferno deorſum. Sed impius rex recuſavit, non credens miſer, quod in ſigno hoc ima ſummis in pace ſocianda eſſent: quatenus & inferi Domino deſcendente ſalutati, in oſculo ſancto ſignum pacis & ipſi recipiant; & ſoperni ſpiritus idipſum nihilo minus, cum ad cælos redierit, æterna ſuavitate participent.

Luc. 2. 12. — 2. Cor. 5. 19. — Rom. 5. 1. — Iſa. 7. 11. — Signum divinæ clementiæ.

Summa præmiſſorum.

9. Sermo finiendus eſt: ſed ut quod in eo diſputatum eſt, brevi recolligam ſumma, patet hoc ſanctum oſculum duabus ex cauſis neceſſàrie indultum mundo: ut & infirmis faceret fidem, & deſiderio ſatisfaceret perfectorum: porro ipſum oſculum eſſe non aliud quàm mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum-Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO III.

De oſculo pedis, manus, & oris Domini, &c.

Oſculum oris nonniſi experti.

1. HOdie legimus in libro experientiæ. Convertimini ad vos ipſos, & attendat unuſquiſque conſcientiam ſuam ſuper his quæ dicenda ſunt. Explorare velim, ſi cui umquam veſtrum ex ſententia dicere datum ſit, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Non eſt enim cujuſvis hominum ex affectu hoc dicere: ſed ſi quis ex ore Chriſti ſpirituale oſculum vel ſemel accepit, hunc proprium experimentum profecto ſollicitat, & repetit libens. Ego arbitror neminem vel ſcire poſſe quid ſit, niſi qui accipit: eſt quippe manna abſconditum; & ſolus qui edit, adhuc eſuriet. Eſt fons ſignatus, cui non communicat alienus; ſed ſolus qui bibit, adhuc ſitiet. Audi expertum, quomodo requirit. *Redde mihi*, inquit, *lætitiam ſalutaris tui.* Minime ergo id ſibi arroget mei ſimilis anima, onerata peccatis, ſuæque adhuc carnis obnoxia paſſionibus, quæ ſuavitatem ſpiritus necdum ſenſerit, internorum ignara atque inexperta penitus gaudiorum.

Pſal. 50. 14.

Pœnitentibus congruit oſculum pedum. — Luc. 18. 13.

2. Oſtendo tamen ei quæ hujuſmodi eſt, locum in ſalutari ſibi congruentem. Non temere aſſurgat ad os ſereniſſimi Sponſi, ſed ad pedes ſeveriſſimi Domini mecum pavida jaceat, & cum Publicano terram tremens non cælum aſpiciat: ne confuſa in luminaribus cæli facies aſſueta tenebris, opprimatur à gloria; atque inſolitis reverberata ſplendoribus majeſtatis, denſioris rurſum cæcitate caliginis obvolvatur. Non tibi, ô quæcumque es talis anima, non tibi ille locus vilis aut deſpicabilis videatur, ubi ſancta Peccatrix peccata depoſuit, induit ſanctitatem. Ibi Æthiopiſſa * mutavit pellem, & in novum reſtituta candorem, jam tunc fiducialiter veraciterque reſpondebat exprobrantibus ſibi verbum: *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem.* Miraris quanam id arte potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Flevit amare, & de intimis viſceribus longa ſuſpiria trahens, ſalutaribus intra ſe ſuccuſſa ſingultibus, felleos humores evomuit. Cæleſtis medicus celerrime ſubvenit: quia velociter currit ſermo ejus. Numquid non potio eſt ſermo Dei? Eſt utique, & fortis & vehemens, & ſcrutans corda & renes. Denique *ſermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum.* Hujus ergo beatæ Pœnitentis exemplo proſternere & tu, ô miſera, ut deſinas eſſe miſera: proſternere & tu in terram; amplectere pedes, placa oſculis, riga lacrymis, quibus tamen non illum laves, ſed te, & fias una de grege tonſarum, quæ aſcendunt de lavacro: ita ſane ut ſuffuſum pudore ac mærore vultum non ante ſuſtollere audeas, quàm audias, & ipſa, *Dimittuntur tibi peccata tua*; quam audias, *Conſurge, conſurge captiva filia Sion, conſurge, excutere de pulvere.*

* Mulier peccatrix. — Cant. 1. 4. — Pſal. 147. 15. — Pſal. 7. 10. — Heb. 4. 12. — Luc. 7. 48. — Iſa. 52. 2.

Tranſitus ad oſculum manuum.

3. Sumpto itaque ad pedes primo oſculo, nec ſic quidem præſumes ſtatim ad oſculum oris aſſurgere, ſed erit tibi gradus ad ipſum medium quoddam aliud oſculum, quod ſecundo loco ad manum accipies, de quo & talem accipe rationem. Si dixerit mihi Jeſus, *Dimittuntur tibi peccata tua*; niſi ego peccare deſiero, quid proderit? Exui tunicam meam: ſi reinduero eam, quantum profeci? Si rurſus pedes meos, quos laveram, inquinavero; numquid aliquid laviſſe valebit? Sordens omni genere vitiorum jacui diu in luto fæcis: ſed erit ſine dubio recidenti, quàm jacenti deterius. Denique qui me ſanum fecit, ipſum mihi dixiſſe recordor: *Ecce ſanus factus es, vade, jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus eſt ut addat & continendi virtutem: ne iterem pœnitenda: faciamque noviſſima mea pejora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, ſi ſtatim ſubtraxerit manum, ſine quo nihil poſſum facere. Nihil inquam: quia nec pœnitere, nec continere. Audio proinde, quod conſulit Sapiens: *Verbum*, inquit, *in oratione ne iteres.* Paveo & quod Judex intentat arbori non facienti fructum bonum. Fateor pro hujuſmodi non ſum omnino contentus priori gratia, qua jam malorum ſum pœnitens, niſi & ſecundam accepero, ut videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus; & deinceps non revertar ad vomitum.

Joan. 5. 14. — Oſculum manuum, quid. — Eccli. 7. 15. — Matth. 3. 8.

Verecundia pœnitenti ad Deum accedenti neceſſaria.

4. Hoc ergo reſtat mihi prius petendum & accipiendum, quàm præſumam altiora & ſacratiora contingere. Nolo repente fieri ſummus: paulatim proficere volo. Quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Citius placas eum, ſi menſuram tuam ſervaveris, & altiora te non quæſieris. Longus ſaltus & arduus eſt de pede ad os, ſed nec acceſſus conveniens. Quid enim? Recenti adhuc reſperſus pulvere, ora ſacra contingeſ? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris? Per manum tibi tranſitus ſit. Illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? Dando unde præſumas. Quid illud? Decor continentiæ, & digni pœnitentiæ fructus, quæ ſunt opera pietatis. Hæc te de ſtercore erigent in ſpem audendi potiora. Sane accipiendo donum, oſculare manum: hoc eſt, non tibi, ſed nomini ejus da gloriam. Da ſemel, & da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus. Aut certe videto unde munias frontem contra ictus iſtos: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

1. Cor. 4. 7.

Oſculum oris perfectorum.

5. Jam tandem in oſculis duobus geminum habens divinæ dignationis experimentum, forſan non confunderis præſumere ſanctiora. Quantum quippe creſcis in gratiam, tantum & in fiduciam dilataris. Inde fit, ut & ames ardentius, & pulſes fidentius pro eo quod tibi deeſſe ſentis. Porro pulſanti aperietur. Jam ſummum illud, quodcumque eſt ſummæ dignationis & miræ ſuavitatis oſculum, credo non negabitur ſic affecto. Hæc via, hic ordo. Primo ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secundo manum quærimus ſublevantis, & roborantis genua diſſoluta. Poſtremo cum iſta multis precibus & lacrymis obtinemus, tum demum audemus forſitan ad ipſum os gloriæ caput attollere, pavens & tremens dico, non ſolum ſpeculandum, ſed etiam oſculandum: quia ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; cui adhærentes in oſculo ſancto, unus ſpiritus ipſius dignatione efficimur.

Aſpiratio ad Jeſum.

6. Tibi, Domine Jeſu, tibi merito dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. Nempe auditam feciſti mihi mane miſericordiam tuam, cum jaceoti primum in pulvere, tuaque deoſculanti reverenda veſtigia, quod male vixeram remiſiſti. Porro in progreſſu diei lætificaſti animam ſervi tui, cum deinde in oſculo manus etiam bene vivendi gratiam indulſiſti. Et nunc quid reſtat, ô bone Domine, niſi ut jam in plenitudine lucis, in fervore ſpiritus ad oris quoque oſculum dignanter admittens, adimpleas me lætitia cum vultu tuo? Indica mihi, ô ſuaviſſime, ô sereniſſime, indica mihi ubi paſcis, ubi cubas in meridie. Fratres, bonum eſt nos hic eſſe: ſed ecce avocat nos diei malitia. Hi ſiquidem, qui modo ſuperveniſſe nuntiantur, gratum cogunt rumpere magis quam finire ſermonem. Ego exibo ad hoſpites, ne quid deſit officiis ejus, de qua loquimur, caritatis, ne forte & de nobis audire contingat: *Dicunt enim & non faciunt.* Vos orate interim, ut voluntaria oris mei beneplacita faciat Deus ad veſtram ipſorum ædificationem, & laudem & gloriam nominis ſui.

Matt. 23. 3.

SERMO IV.

De triplici profectu animæ, qui fit per oſculum pedis, manus, & oris Domini.

Tria oſcula tres denotant animæ ſtatus.

1. Triplicem quemdam animæ profectum ſub nomine trium oſculorum ſermo heſternus complexus eſt. Numquid excidit vobis? Is mihi hodierna diſputatione proſequendus erit, prout parare dignabitur in dulcedine ſua pauperi Deus. Diximus, ſi recolitis, illa oſcula ſumi ad pedes, ad manum, ad os, ſingula ſingulis referentes. In primo ſane primordia dedicantur noſtræ converſionis: ſecundum autem proficientibus indulgetur: porro tertium ſola experitur, & rara perfectio. Ab hoc ſolo, quod ultimum poſitum eſt, ſumpſit exordium Scriptura iſta quam tractare ſuſcepimus, & ipſius cauſa reliqua duo à nobis adjuncta ſunt. An vero neceſſarie, vos judicabitis. Puto enim facies ipſa eloquii facile admonet & iſta requirere. Mirum vero ſi non & vos advertitis, oportere revera eſſe aliud, ſive alia oſcula, à quibus illud oris diſtinguere voluit qui dixit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cur enim, cum ſufficere poterat dixiſſe ſimpliciter, *oſculetur me*, præter morem tamen uſumque loquendi, diſtincte & ſignanter adjecit, *oſculo oris ſui*, niſi ut oſtenderet ipſum, quod petebat oſculum, ſummum eſſe, non ſolum? Nonne denique ita invicem loquimur, Oſculare me, vel, Da mihi oſculum: & nemo ſequitur ut dicat, ore tuo, ſive, oſculo oris tui? Quid? alterutrum oſculari parantes, num verſus invicem ora tendimus, quæ tamen ab invicem non requirimus nominatim? Denique qui narrat, verbi gratia, à Domino ſuſceptum in oſculo proditorem, *Et oſculatus eſt*, ait, *eum*; nec addidit, ore ſuo, vel, oſculo oris ſui. Sic nimirum omnis & qui ſcribit, & qui loquitur, conſuevit. Sunt ergo hi tres animarum affectus ſive profectus, expertis dumtaxat ſatis noti & manifeſti, cum aut de actis malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipſius etiam indultoris & benefactoris ſui præſentiam, eo quidem modo quo in corpore fragili poſſibile eſt, obtinent intueri.

Cant. 1. 1.

Marc. 14. 45.

Oſculum pedum, pacis indicium.

2. Ceterum primum & ſecundum qua ratione oſcula nominaverim, manifeſtius accipite. Oſculum, pacis indicium eſſe omnes novimus. Porro autem ſi, ut Scriptura loquitur, *peccata noſtra ſeparant inter nos & Deum*; tollatur de medio quod intereſt, & pax eſt. Cum ergo ſatisfacimus, ut ablato quod ſeparat peccato reconciliemur; indulgentiam quam recipimus, quid niſi quoddam oſculum dixerim pacis? Idque interim non alibi, quàm ad pedes ſumendum. Humilis quippe & verecunda debet eſſe ſatisfactio, qua emendatur ſuperba tranſgreſſio.

Iſa. 59. 2.

3. At cum etiam ad vivendum emendatius, Deo que dignius converſandum, placita quadam amplioris gratiæ familiaritate donamur; ampliori fiducia caput jam levamus de pulvere, largitoris, ut aſſolet, manum oſculaturi; ſi tamen de accepto munere non noſtram, ſed auctoris gloriam quærimus, eique ſua dona, & non nobis adſcribimus. Alioquin ſi in te, & non magis in Domino gloriaris, propriam profecto, & non Domini manum oſculari convinceris: quod juxta beati Job ſententiam, eſt iniquitas maxima, & negatio in Deum. Si ergo, ad Scripturæ teſtimonium, propriam gloriam quærere, propriam eſt oſculari manum: profecto qui dat gloriam Deo, Dei dicitur non incongrue manum oſculari. Et in hominibus quidem ita eſſe videmus, ſervos videlicet offenſorum dominorum oſculari ſolere pedes, cum ab ipſis veniam petunt; & pauperes divitum manus, cum ab eis munus accipiunt.

Tom. IV. Oſculum manus, gloriam Deo dare.

Job 31. 28.

4. Verum quia ſpiritus eſt Deus, & nullis ſimplex illa ſubſtantia membris diſtincta corporeis: erit forſan qui nullatenus de illo recipiat tale aliquid, ſed à me ſibi Dei manus vel pedes flagitet demonſtrari, ſicque probari quod de oſculo pedum manuſve diſſinio. Sed quid ſi & ego viciſſim ab ipſo meo ſciſcitatore de ore quoque Dei requiſiero, quatenus quod de oris oſculo Scriptura loquitur, ad Deum pertinere demonſtret? Nempe aut cum iſto ſimul & illa habet, aut cum illis pariter & iſto caret. Sed enim & os habet Deus, quo docet hominem ſcientiam; & manum habet, quæ dat eſcam omni carni; & pedes habet, quorum terra ſcabellum eſt, ad quos nimirum peccatores terræ converſi atque humiliati ſatisfaciunt. Hæc, inquam, habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Invenit profecto apud Deum & verecunda confeſſio, quo ſe humiliando dejiciat; & prompta devotio, ubi ſe innovando reficiat; & jucunda contemplatio, ubi excedendo quieſcat. Omnia omnibus eſt qui omnia adminiſtrat, nec quicquam eſt omnium proprie. Nam, quod in ſe eſt, *lucem habitat inacceſſibilem*, & *Pax ejus exſuperat omnem ſenſum*; & *Sapientia ejus non eſt numerus*, & *magnitudinis ejus non eſt finis*; nec poteſt eum videre homo ut vivat. Non quod longe ab unoquoque ſit qui eſſe omnium eſt, ſine quo omnia nihil: ſed (ut tu plus mireris) & nil eo præſentius, & nil incomprehenſibilius. Quid nempe cuique rei præſentius, quàm eſſe ſuum? Quid cuique tamen incomprehenſibilius, quàm eſſe omnium? Sane eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt quod eſt ille; ſed quia *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Eſſe eſt ergo omnium quæ facta ſunt ipſe factor eorum, ſed cauſale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa majeſtas ſuis eſſe creaturis, omnibus quidem quod ſunt; animantibus autem quod & vivunt; porro ratione utentibus lux, recte vero utentibus virtus, vincentibus gloria.

Joan. 4. 24. De quomodo tribuantur membra corporea.

1 Tim. 6. 16. Philip. 4. 7. Eccli. 31. 19.

Rom. 11. 36. Quomodo Deus ſit eſſe omnium rerum.

5. Et in his omnibus creandis, gubernandis, adminiſtrandis, movendis, promovendis, innovandis, firmandis, nullis corporeis indiget inſtrumentis, qui omnia ſolo verbo & corpora creavit, & ſpiritus. Animæ corporibus & corporeis egent ſenſibus, quibus ſibi invicem innoteſcant, & valeant. At non ita omnipotens Deus, cui de ſola voluntate celeris ſuppetit efficientia tam creandis rebus, quàm ordinandis prout voluerit. Valet cui vult, quantum vult, & abſque corporalium officio, obſequiove membrorum. Quid? ad intuenda quæ condidit ipſe, putas ſibi requirat corporei ſenſus adjutorium? Nihil omnium omnino latet, aut effugit lucem ubique præſentem: nec tamen ut agnoſcat aliquid, neceſſarium habet renuntiantis ſenſus miniſterium. Nec ſolum univerſa noſcat ſine corpore, ſed & innoteſcit mundis corde ſine corpore. Dico autem idem latius, ut planius fiat. Sed forte quia finiendi jam ſermonis anguſtia non admittit, conſilii magis eſt ut in craſtinum differamus.

Deus non eget corpore ad ſuas operationes.

SERMO V.

De quatuor generibus ſpirituum, videlicet Dei, Angeli, hominis, & pecoris.

Spirituum 4. genera.

1. QUatuor ſpirituum genera nota ſunt vobis, pecoris, noſter, angelicus, & qui condidit iſtos. Non eſt ex omnibus, cui ſive propter ſe, ſive propter alium, ſive propter utrumque, neceſſarium corpus non ſit, corporisve ſimilitudo, excepto dumtaxat illo, cui omnis tam corporalis, quàm ſpiritualis creatura merito confitetur, & dicit, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et primum quidem ita corpore egere conſtat, ut nec ſubſiſtere abſque illo utcumque poſſit. Simul quippe & vivificare deſinit, & vivere ille ſpiritus, quando moritur pecus. Verum nos vivimus quidem poſt corpus: ſed ad ea quibus beate vivitur, nullus nobis acceſſus patet, niſi per corpus. Senſerat hoc qui dicebat: *Invisibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Ipſa ſiquidem quæ facta ſont, id eſt corporalia & viſibilia iſta, nonniſi per corporis inſtrumentum ſenſa, in noſtram notitiam veniunt. Habet ergo neceſſarium corpus ſpiritualis creatura quæ nos ſumus, ſine quo nimirum nequaquam illam ſcientiam aſſequitur, quam ſolam accepit gradum ad ea, de quorum fit cognitione beata. Hic ſi mihi objicitur de parvulis regeneratis, quod abſque ſcientia rerum corporalium exeuntes de corpore, ad beatam vitam nihilo minus tranſire credantur; breviter reſpondeo hoc illis conferre gratiam, non naturam. Et quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus diſſero?

Pſal. 15. 2. — Pecus quiegeat corpore. — Item anima. — Rom. 1. 20.

Item angeli. — Heb. 1. 14.

2. Jam quod & ſupercæleſtes ſpiritus opus corporibus habeant, illa maxime certos nos faciat vera, & vere divina ſententia: *Nonne omnes*, ait, *adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* Quonam ergo modo implent miniſterium ſuum abſque corpore, præſertim apud viventes in corpore? Denique non eſt diſcurrere, nec de loco ad locum tranſire, niſi corporum: quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quàm nota probat auctoritas. Hinc eſt quod & viſi ſunt Patribus, & ad eos intraverunt, & manducaverunt, & pedes laverunt. Ita inferior ſuperiorque ſpiritus propriis corporibus egent, ſed tantum * quibus juvent, non etiam juventur.

* al. tamen.

3. At pecus quidem ex debito ſervitutis, & ad uſus tantum temporalium corporaliumque neceſſitatum juvando ſervit: ideoque ille ſpiritus & cum tempore tranſit, & cum corpore deficit. Servus quippe non manet in domo in æternum; licet qui bene eo utuntur, omnem uſum hujus temporalis ſervitutis ad quæſtum referant æternorum. Angelus vero curat ſatagitque in libertate ſpiritus adminiſtrare officium pietatis, futurorum bonorum promptum mortalibus alacremque miniſtrum ſeſe exhibens, utpote ſuis in æternum futuris civibus*, & coheredibus ſupernæ jucunditatis. Ille ergo ut jure ſerviat, iſte ut pie ſubveniat, ambo proculdubio ſuis corporibus egent ut juvent. Nam in quo ipſi eis juventur, non video, ad profectum dumtaxat æternitatis. Irrationalis nempe ſpiritus, etſi corporalia per corpus & ipſe hauriat; numquid tamen eouſque juvatur corpore ſuo, ut per corporalia & ſenſibilia quæ per illud ſentit, etiam ad ſpiritualia & intelligibilia proficiendo pertingat? Ad quæ tamen capeſſenda pro ſuo corporali temporalique obſequio noſcitur juvare illos, qui omnem uſum rerum temporalium ad fructum transferunt æternarum, utentes hoc mundo, tamquam non utentes.

* concivibus.

Pecora etiã ſerviunt hominibus ad profectum æternitatis.

4. Porro autem ſupercæleſtis ſpiritus abſque adjutorio corporis, & abſque intuitu horum quæ per corpus ſentiuntur, ſola profecto ſuæ vicinitate ac vivacitate naturæ ſufficit apprehendere ſumma, & intima penetrare. An non hoc Apoſtolus intellexit, qui cum diceret, *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*; adjecit protinus, *a creatura mundi?* Nimirum quoniam à creatura cæli non ita. Quo enim is involutus carne & terræ incola ſpiritus, ex conſideratione ſenſibilium proficiens, gradatim quodam modo paulatimque nititur pervenire: eo ille cæleſtium habitator ingenita ſubtilitate ac ſublimitate ſua, in omni velocitate facilitateque pertingit, nullo utique ſenſus corporei adminiculo fultus, nullo corporei membri adjutus officio, nullo corporeæ cujuſcumque rei informatus intuitu. Cur enim inter corpora ſpirituales ſcrutetur ſenſus, quos in libro vitæ & abſque contradictione legit, & abſque difficultate intelligit? Cur in ſudore vultus ſui laboret excutere grana de paleis, de uvis vina, & de amurca oleum, qui ex omnibus ſatis abundeque ad manum habet? Quis mendicet victum ſuum per domos alienas, in ſua abundans panibus? Quis puteum fodere curet, & in terræ viſceribus venas aquarum cum labore rimari, cui ultro affatim aquas limpidas fons vivus emanat? Nec brutus ergo, nec angelicus ſpiritus ad ea capeſſenda, quæ beatam ſpiritualem faciunt creaturam, ſuis ullo modo corporibus adjuvantur; ille quidem pro innata ſtoliditate non capiens, iſte vero pro excellentioris gloriæ prærogativa non indigens.

Rom. 1. 20. — Perfectio intellectus angelici præ humano.

5. Porro hominis ſpiritum, qui medium quemdam inter ſupremum & infimum tenet locum, uſque adeo ad utrumque neceſſarium habere corpus manifeſtum eſt, ut abſque eo nec ipſe proficere, nec alteri prodeſſe poſſit. Nam, ut taceam membra cetera corporis, officiave membrorum; quonam modo, quæſo, aut ſine lingua inſtruis audientem, aut ſine auribus percipis inſtruentem?

Spiritus humanus eget adminiculo corporis.

6. Itaque cum abſque corporis adminiculo nec beſtialis ſpiritus ſervilis conditionis ſolvere debitum, nec ſpiritualis cæleſtiſque creatura implere miniſterium pietatis, nec rationalis anima tam proximo, quàm etiam ſibi ſufficiat conſulere ad ſalutem; liquet omnem creatum ſpiritum, ſive ut juvet, ſive ut juvetur ſimul & juvet, corporeo prorſus indigere ſolatio. Quid enim ſi qua animantia, quantum ad uſum ſui, reperiantur incommoda, nulliſque apta uſibus humanarum neceſſitatum? Proſunt profecto viſu, etſi non uſu; utiliora cordibus intuentium, quàm utentium eſſe corporibus poſſent. Etſi nociva, etſi etiam pernicioſa temporali hominum conſtet eſſe ſaluti; non tamen deeſt eorum corporibus unde cooperentur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti; & ſi non cedendo in cibum, aut exhibendo miniſterium, certe ingenium exercendo, juxta eum, qui utique omni utenti ratione præſto eſt, communis diſciplinæ profectum, quo *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Nam & diabolus ejuſque ſatellites, cum ſit ſemper eorum maligna intentio, nocere quidem ſemper cupiunt, ſed bonis æmulatoribus, quibus dicitur, *Quis vobis nocere poterit, ſi boni æmulatores fueritis?* abſit ut poſſint: magis autem proſunt & * nolentes, cooperanturque in bonum bonis.

Animantia omnia, etiã quæ noxia videntur, homini utilia. — Diabolus ipſe, etſi nolens, bonis prodeſt. — 1. Pet 3. 13. — * inviti.

7. Ceterum angelica corpora, utrumnam ipſis ſpiritibus naturalia ſint, ſicut hominibus ſua; & ſint animalia ſicut homines, immortalia tamen, quod nondum ſunt homines; porro ipſa corpora mutent & verſent in forma & ſpecie qua volunt quando apparere volunt, denſantes & ſolidantes ea quantum volunt, cum tamen in ſui veritate præ ſubtilitate naturæ atque ſubſtantiæ ſuæ impalpabilia ſint, & noſtris omnino inattingibilia viſibus: an vero ſimplici ſpirituali ª ſubſtantia ſubſiſtentes, corpora cum opus eſt ſumant, rurſumque expleto opere ponant in eamdem, de qua ſumpta ſunt, materiam diſſolvenda; nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujuſmodi diverſa ſenſiſſe; nec mihi perſpicuum eſt, unde alterutrum doceam; & neſcire me fateor. Sed & veſtris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.

Dubia circa Angelorum corpora.

8. Illud autem ſcitote, nullum creatorum ſpiri-

ª Idem dubium proponit Bernardus in lib. 5. de Conſideratione cap. 4. Vide hic Horſtii Notas.

Ipſius in ... ſoli Deo competit. tuum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet, nullo mediante noſtri ſuve corporis inſtrumento, ita nobis immiſceatur vel infundatur, quo ejus participatione docti ſive doctiores, vel boni ſive meliores efficiamur. Nullus a Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt, nullius ego capax. Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt. Sequeſtretur proinde prærogativa hæc ſummo ac incircumſcripto Spiritui, qui ſolus, cum docet Angelum ſive hominem ſcientiam, inſtrumentum non quærit noſtræ corporeæ auris, ſicut nec ſibi oris. Per ſe infunditur, per ſe innoteſcit, purus capitur à puris. Solus nullius indiget; ſolus & ſibi, & omnibus de ſola omnipotenti voluntate ſufficiens.

Deus tamen ad ſuas actiones utitur opera creaturæ. 9. Operatur tamen immenſa & innumera per ſubjectam creaturam corporalem, ſive ſpiritualem: ſed quaſi imperans, non quaſi mendicans. En, verbi gratia, quod linguam meam corporalem aſſumpſit nunc in opus ſuum, docere videlicet vos, cum per ſe abſque dubio facilius ſuaviuſque id poſſet; profecto indulgentia eſt, non indigentia. In profectu ſiquidem veſtro meritum quærit mihi, non ſibi ſolatium. Idipſum ſapere opus eſt omni homini operanti bonum, ne forte in ſe de bonis Domini, & non in Domino glorietur. Eſt tamen qui bonum operatur non volens, ſive homo malus, ſive angelus malus: & conſtat non fieri propter eum, quod fit per eum, cum prodeſſe nullum bonum poſſit invito. Igitur ei quidem diſpenſatio tantum credita eſt: ſed neſcio quomodo gratius jucundiuſque ſentimus bonum, quod per malum diſpenſatorem miniſtratur. Ipſa eſt ergo cauſa, cur & per malos Deus faciat bona bonis; non autem, quod opera eorum indigeat in benefaciendo.

10. Porro his quæ ratione vel ſenſu carentia ſunt, multo minus Deum egere quis dubitet? Sed quando in opus bonum & ipſa concurrunt, apparet quoniam omnia ſerviunt ei, cui merito eſt dicere: *Pſal. 49. 12.* *Meus eſt orbis terræ.* Aut certe quia novit quæ per quæ convenientius fiant; de ſervitute corporeæ creaturæ non efficaciam quærit, ſed congruentiam. Eſto deinde quod corporum miniſteria opportune plerumque divinis operibus applicentur, ut verbi gratia, pluviæ vivificandis ſeminibus, vel multiplicandis ſegetibus, vel fructibus maturandis; quid proprio, quæſo, de corpore facere habet, cui ad nutum indifferenter univerſa corpora cæleſtia atque terreſtria obſequi conſtat? Plane ſuperfluo haberet ſuum, qui nullum ſibi reperit alienum. Verum ſi cuncta, quæ hoc loco dicenda b occurrunt, præſenti volumus ſermone concludere, ſermo modum excedet, & vires forſitan aliquorum: propterea quæ reſtant, ſub alio ſervemus abſolvenda principio.

SERMO VI.

De ſummo & incircumſcripto Spiritu, qui eſt Deus: & quo modo Miſericordia & Judicium dicantur, pedes Domini.

Solus Deus non indiget corpore. 1. UT præcedenti ſequens ſermo cohæreat, teneti ſine datum ſuperius, ſolum ſummum & incircumſcriptum Spiritum ad omne quod facere vel fieri vult, corporis inſtrumento ſive obſequio non egere? Demus ergo ſecuri veram ſoli Deo, ſicut immortalitatem, ita & incorporeitatem: quod ſolus ſpirituum univerſam corpoream naturam eo uſque tranſcendat, ut quocumque corpore in quocumque opere non indigeat, ſolo ſpirituali nutu, cum vult, ad quæcumque vult agenda contentus. Sola igitur eſt quæ nec propter ſe, nec propter alium, ſolatio corporei inſtrumenti opus habet illa majeſtas, cujus omnipotenti arbitrio incunctanter præſto eſt omne opus, omne altum inclinat, omne adverſum cedit, omne creatum favet, etiam nullo interveniente vel ſubveniente ſolatio corporali, ſive ſpirituali. Docet vel monet ſine lingua; præbet vel tenet ſine manibus; ſine pedibus currit & ſuccurrit pereuntibus. *Tom. IV.*

Unde gentiles ... non ſentiebant. 2. Actitabat iſta & cum patribus prioribus ſæculis: experiebantur homines ſedula beneficia, ſed latebat eos beneficus. Ille quidem attingebat à fine uſque ad finem fortiter: ſed diſponens omnia ſuaviter, non ſentiebatur ab hominibus. Et gaudebant de bonis Domini; & Dominum ſabaoth, eo quod cum tranquillitate judicaret omnia, omnino neſciebant. Ab ipſo erant, ſed non cum ipſo: per ipſum vivebant, ſed non ipſi: ex ipſo ſapiebant, ſed non ipſum, alienati, ingrati, inſenſati. Hinc demum factum eſt, ut quod erant, quod vivebant, quod ſapiebant, non auctori tribuerent, ſed naturæ adſcriberent, aut certe (quod inſipientius erat) fortunæ: propriæ quoque induſtriæ atque virtuti multi multa arrogabant a. *a arrogarent.* Quanta ſibi uſurparunt ſeductorii ſpiritus, quanta ſoli & lunæ data ſunt; quanta terris & aquis attributa, quanta etiam manufactis fabrilibuſque mortalium deputata operibus! Herbis, arbuſtis, minutiſſimis viliſſimiſque ſeminibus pro numinibus deferebatur.

Pſal. 105. 20. 3. Heu! ſic homines perdiderunt & commutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum! Quorum Deus miſeratus errores, de monte umbroſo & condenſo dignanter egrediens, in ſole *Pſal. 18. 6.* *Deus ideo in carne viſibilis apparere voluit.* poſuit tabernaculum ſuum. Obtulit carnem ſapientibus carnem, per quam diſcerent ſapere & ſpiritum. Nam dum in carne & per carnem facit opera, non carnis, ſed Dei, naturæ utique imperans, ſuperanſque fortunam, ſtultam faciens ſapientiam hominum, dæmonumque debellans tyrannidem; manifeſte ipſum ſe indicat eſſe, per quem eadem & ante fiebant quando fiebant. In carne, inquam, & per carnem potenter ac patenter operatus mira, locutus ſalubria, paſſus indigna, evidenter oſtendit, quia ipſe ſit qui potenter, ſed inviſibiliter ſæcula condidiſſet, ſapienter regeret, benigne protegeret. Denique dum evangelizat ingratis, ſigna præbet infidelibus, pro ſuis crucifixoribus orat; nonne liquido ipſum ſe eſſe declarat, qui cum Patre ſuo quotidie oriri facit ſolem *Matth. 5. 45.* ſuum ſuper bonos & malos, pluit ſuper juſtos & injuſtos? Hoc enim eſt quod ipſe aiebat: *Si non facio* *Johan. 10. 37.* *opera Patris mei, nolite credere.*

4. En aperit os carnis ſuæ docens in monte diſcipulos, qui in ſilentio Angelos in cæleſtibus docet. En ad tactum corporeæ manus curatur lepra, fugatur cæcitas, auditus reparatur, lingua muta reſolvitur, diſcipulus prope merſus erigitur; & is indubitanter agnoſcitur, cui dixerat longe ante David: *Aperis tu* *Pſal. 144. 16.* *manum tuam, & imples omne animal benedictione:* & item, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bo-* *Pſal. 103. 28.* *nitate.* En ſecus corporales pedes jacens ac pœnitens audit Peccatrix, *Remittuntur tibi peccata tua:* & reco- *Matt. 9. 2.* gnoſcit eum, de quo ex multis retro temporibus ſcriptum legerat: *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* *Abac. 3. 5.* Ubi nempe peccatum remittitur, ibi procul dubio diabolus de corde peccatoris expellitur. Hinc univerſaliter de cunctis pœnitentibus dicit: *Nunc judicium eſt* *Johan. 12. 31.* *mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras:* quod ſcilicet humiliter confitenti remittat Deus peccatum; & diabolus eum, quem in hominis corde invaſerat, amittat principatum.

5. Denique ambulat ſuper undas carnalibus pedibus, cui necdum carne veſtito jam Pſalmiſta præcinuerat: *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis.* *Pſal. 76. 20.* quod eſt, conculcas corda tumentia ſuperborum, & fluxa deſideria carnalium comprimis; juſtificans im-

a Recte hoc argumentum tractat Bernardus in lib. 5. de Conſideratione num. 12. *Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur & participetur, ita ut unum perinde cum noſtro ſpiritum eſſe dicere quis non timuerit. Angelus ergo cum anima, Deus in anima.* Adi Horſtii Notas ad hunc ſermonem, & ſermonem 31. num. 6.

b Confer ea quæ de hoc argumento diximus in Opuſculo 9. de Gratia & libero arbitrio, cap. 13. num. 44. & 45 in Tomo 2.

[Amor ejus caſtus, ſanctus, & ardens.] *mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Amat [A] profecto caſte, quæ ipſum quem amat, quærit; non aliud quicquam ipſius. Amat ſancte, quia non in concupiſcentia carnis, ſed in puritate ſpiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio debriatur amore, ut majeſtatem non cogitet. [Pſal. 103. 32.] Quid enim? *Reſpicit terram, & facit eam tremere:* & iſta ſe ab eo poſtulat oſculari. Ebriane eſt? Ebria prorſus. Et forte tunc, cum ad [Cant. 1. 3. & 2. 4.] iſta prorupit, exierat de cella vinaria, quo ſe nimirum introductam poſtmodum gloriatur. Nam & David [Pſal. 35. 9.] de quibuſdam dicebat Deo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* O quanta amoris vis! quanta in ſpiritu libertatis fiducia! [1. Johan. 4. 18.] Quid manifeſtius, quam quod perfecta caritas foras [B] mittit timorem?

4. Verecunde tamen non ad ipſum ſponſum ſermonem dirigit, ſed ad alios, tamquam de abſente: *Oſculetur me*, inquiens, *oſculo oris ſui.* Grandis quippe res petitur, & opus eſt verecundia comitari precem, commendari petentem. Itaque per domeſticos & intimos, acceſſus ad intima quæritur, ambitur ad deſideratum. [Angeli adſtant orantibus, cur.] Quinam illi? Credimus Angelos ſanctos adſtare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum: ubi tamen ſine ira & diſceptatione levari puras manus perſpexerint. Probat hoc Angelus ita loquens [Tob. 12. 12.] ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abſcon-* [C] *debas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas: ego obtuli orationem tuam Domino.* Puto id vobis ſatis & ex aliis Scripturæ teſtimoniis perſuaſum. Nam quod pſallentibus quoque dignanter admiſceri ſancti Angeli [Pſal. 67. 26.] ſoleant, quid eo manifeſtius quod Pſalmiſta ait: *Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum?* [Pſal. 137. 1.] Unde & dicebat: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* [Pſallentes ſomnolentos increpat.] Doleo proinde aliquos veſtrum gravi in ſacris vigiliis deprimi ſomno, nec cæli cives revereri, ſed in præſentia principum tamquam mortuos apparere, cum veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſollemniis delectentur. Vereor, ne veſtram deſidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant [a], & incipiat unuſquiſque veſ- [D] [Pſal. 87. 9.] trum ſero cum gemitu dicere Deo: *Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.* & illud: [Ibidem, 19.] *Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria.* [Pſal. 37. 12.] Item, *Qui juxta me erant, de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Pro certo enim ſi ſe à nobis boni ſpiritus elongaverint, impetus malignorum quis ſuſtinebit? Dico ergo his qui [Jere. 48. 10.] ejuſmodi ſunt: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter.* [Apoc. 3. 15.] Dicit quoque, non ego, ſed Dominus: *Utinam te calidum aut frigidum inveniſſem! ſed quia te tepidum inveni, incipiam te evomere ex ore meo.* Ea propter attendite principes veſtros, cum ſtatis ad orandum vel pſallendum, & ſtate cum reverentia & diſciplina; [E] [Matth. 18. 10.] & gloriamini, quia Angeli veſtri quotidie vident faciem Patris. [Heb. 1. 14.] Nimirum miſſi in miniſterium propter nos, qui hereditatem capimus ſalutis, devotionem noſtram in ſuperna ferunt, referunt gratiam. Uſurpemus officium quorum ſortimur conſortium, [Pſal. 8. 3.] ut in ore infantium & lactentium perficiatur laus. [Pſal. 46. 7.] Dicamus eis, *Pſallite Deo noſtro, pſallite;* atque audiamus eos viciſſim reſpondentes: *Pſallite Regi noſtro, pſallite.*

[Pſalmis unde ſapor & ſuavitas concilianda.] 5. Laudem ergo cum cæli cantoribus in commune ducentes, utpote cives ſanctorum & domeſtici Dei, pſallite ſapienter. Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit. Tantum illum terere non negligat fidelis & pru- [F] dens anima quibuſdam dentibus intelligentiæ ſuæ, ne ſi forte integrum glutiat & non manſum, fruſtretur palatum ſapore deſiderabili, & dulciori ſuper mel & favum. Offeramus cum Apoſtolis in cæleſti [Luc. 24. 42.] convivio & in dominica menſa favum mellis. Mel in [2. Cor. 14. 15.] cera, devotio in littera eſt. Alioquin littera occidit, ſi abſque ſpiritus condimento glutieris. Si autem cum Apoſtolo pſallas ſpiritu, pſallas & mente; [Tom. IV. 1 Cor 14. 15] cognoſces & tu de illius veritate ſermonis, quem dixit [Johan. 6. 64.] Jeſus: *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* [Eccli. 24. 27] & item quem legimus dicente Sapientia: *Spiritus meus ſuper mel dulcis.*

[Pſallentium devotio recreat Angelos] 6. Sic delectabitur in craſſitudine anima tua, ſic holocauſtum tuum pingue fiet. Sic placabis Regem, ſic placebis principibus, ſic denique totam tibi curiam benevolam reddes; & odorati odorem ſuavitatis in cæleſtibus, de te quoque dicent: [Cant. 3. 6.] *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* [Pſal. 67. 28.] *Principes*, inquit, *Juda, duces eorum, principes Zabulon, principes Neptalim*, hoc eſt confitentium, continentium, contemplantium. [Quales ſunt confitentes, continentes, & contemplantes.] Norunt ſiquidem principes noſtri Regi ſuo acceptam eſſe pſallentium confeſſionem, continentium fortitudinem, contemplantium puritatem: & ſolliciti ſunt exigere à nobis iſtiuſmodi primitias ſpiritus, quæ profecto non aliud ſunt, quam primi & puriſſimi fructus ſapientiæ. Quod enim non ignoratis, Judas laudans vel confitens, & Zabulon habitaculum fortitudinis, Neptalim cervus emiſſus interpretatur: qui nimirum agilitatis ſuæ ſaltibus exprimit ſpeculantis exceſſus, ſed & opaca penetrare nemorum, ut ille ſenſuum, conſuevit. Scimus autem qui dixerit: [Pſal. 49. 23.] *Sacrificium laudis honorificabit me.*

[Eccli. 15. 9.] 7. Verum ſi non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; [Continentia & puritas intentionis neceſſaria oranti.] nonne pernneceſſariam habetis continentiæ virtutem, per quam fiat, ut non regnet peccatum in veſtro mortali corpore? Porro continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Ideoque maxime opus eſt etiam puritate intentionis, qua ſoli mens veſtra Deo & placere appetat, & valeat inhærere. Neque enim aliud eſt inhærere Deo, quam videre Deum; quod ſolis mundicordibus ſingulari felicitate donatur. Cor mundum habebat David, qui [Pſal. 62. 9.] dicebat Deo: *Adhæſit anima mea poſt te.* [Pſal. 72. 28.] Item, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Videndo adhærebat, & adhærendo videbat. [Orationes noſtræ per Angelos Deo innoteſcunt.] Animæ ergo in his exercitatæ cæleſtes ſeſe nuntii familiares exhibent & frequentes, præſertim ſi frequenter orantem perſenſerint *. [* al. proſpiciant.] Quis dabit mihi per vos, ô benigni Principes, petitiones meas innoteſcere apud Deum? Non enim Deo, cui etiam cogitatio hominis confitetur, ſed apud Deum, hoc eſt ipſis qui cum Deo ſunt, tam beatis Virtutibus, quam carne ſolutis Spiritibus. Quis ſuſcitabit me de terra inopem, & de ſtercore eriget pauperem, ut ſedeam cum principibus, & ſolium gloriæ teneam? Non ambigo quin gratanter in palatio colligant, quem dignanter in ſterquilinio viſitant. Denique lætati ſunt de converſione; & in aſſumptione non agnoſcent?

8. Hos itaque puto inter orandum alloqui ſponſam, & ipſis, tamquam ſponſi domeſticis ac ſodalibus, deſiderium cordis ſui aperire, cum ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et vide familiare amicumque colloquium animæ in carne ſuſpirantis cum cæleſtibus poteſtatibus. Geſtit in oſcula, petit quod cupit; non tamen nominat quem amat: quia illos noſſe non dubitat, utpote de quo ſibi frequens cum illis ſoleat eſſe confabulatio. Propterea non dicit, Oſculetur me ille vel ille; ſed *Oſculetur* me tantum: ſicut & Maria Magdalena non exprimebat ex nomine quem quæreret, ſed tantum aiebat ei quem putabat hortulanum: [Johan. 20. 15.] *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum.* Quem eum? Non aperit; quia palam omnibus eſſe credit, quod à ſuo corde nec ad momentum recedere poteſt. Ita ergo & iſta loquens ſodalibus ſponſi ſui, tamquam conſciis & quibus ſe noverat manifeſtam, tacito nomine repente in hæc de dilecto verba prorumpit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* De quo jam oſculo nolo vos diutius protrahere, ſed ſermone craſtino audietis quidquid orantibus vobis ſuggerere mihi inde dignabitur unctio docens de omnibus. Neque enim hoc ſecretum revelat caro & ſanguis: ſed is qui ſcrutatur profunda Dei Spiritus-

a Non ſecundum locum localemve cuſtodiam, ſed ſecundum opem & efficaciam, uti interpretatur Sixtus Senenſis in ſuſioribus Notis.

Tom. IV. ſanctus, qui à Patre Filioque procedens, cum ipſis pariter vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO VIII.

Quomodo per oſculum oris Dei ſignificatur Spiritus-ſanctus, quem Eccleſia ſibi petit dari ad notitiam ſanctæ Trinitatis.

1. HOdie vobis, ſicut heſterna promiſſione renetis, de ſummo, id eſt de oris oſculo, diſputare propoſitum eſt. Audite attentius quod ſapit ſuavius, & guſtatur rarius, & intelligitur difficilius. Mihi videtur (ut paulo altius inchoem) ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ oſculum deſignaſſe, qui ait: *Nemo novit Filium niſi Pater; & nemo novit Patrem niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare.* Pater enim diligit Filium, & ſingulari dilectione amplectitur, ſummus æqualem, æternus coæternum, unus unicum. Sed enim non minori ipſe à Filio affectione adſtringitur: quippe pro cujus amore & moritur, ipſo atteſtante cum ait: *Ut ſciant omnes quia diligo Patrem, ſurgite, eamus*; haud dubium quin ad paſſionem. Illa itaque mutua gignentis genitique cognitio pariter & dilectio, quid niſi oſculum eſt ſuaviſſimum, ſed ſecretiſſimum?

Matt. 11. 27. — *Oſculum in divinis quid ſit.* — *Matt. 16. 2.*

2. Ego pro certo ad tantum & tam ſanctum divini amoris arcanum ne ipſam quidem angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim, Paulo hoc ipſum ſapiente, pax illa exſuperat omnem, etiam angelicum, ſenſum. Unde nec iſta (quamquam multum præſumens) audet tamen dicere, Oſculetur me ore ſuo; ſoli illud ſcilicet reſervans Patri: ſed aliquid minus poſtulans, *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui.* Videte novam ſponſam novum oſculum accipientem, non tamen ab ore, ſed ab oſculo oris. *Inſufflavit*, inquit, *eis*, haud dubium quin Jeſus Apoſtolis, id eſt primitivæ Eccleſiæ; *& dixit, Accipite Spiritum-ſanctum.* Oſculum profecto fuit. Quid? corporeus ille flatus? Non, ſed inviſibilis Spiritus: qui propterea in illo dominico flatu datus eſt, ut per hoc intelligeretur & ab ipſo pariter tamquam à Patre procedere, tamquam vere oſculum, quod oſculanti oſculatoque commune eſt. Itaque ſufficit ſponſæ, ſi oſculetur ab oſculo ſponſi, etiamſi non oſculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat oſculari ab oſculo: quod non eſt aliud niſi infundi Spiritu-ſancto. Nempe ſi recte Pater oſculans, Filius oſculatus accipitur: non erit ab re oſculum Spiritum-ſanctum intelligi, utpote qui Patris Filiique imperturbabilis pax ſit, gluten firmum, individuus amor, indiviſibilis unitas.

Angelis non conceſſum. — *Philip. 4. 7.* — *Spiritus ſancti donum, oſculum Eccleſiæ.* — *Johan. 20. 22.*

3. De ipſo igitur audet ſponſa, ipſumque infundi ſibi fidenter ſub oſculi nomine petit. Tenet quippe aliquid, unde non deſit occaſio præſumendi. Dicens enim Filius, *Nemo novit Filium niſi Pater, & nemo novit Patrem niſi Filius*; adjecit, *aut cui voluerit Filius revelare.* Non autem diffidit ſponſa quin ſibi velit, ſi cui voluerit. Petit ergo audenter dari ſibi oſculum, hoc eſt Spiritum illum, in quo ſibi & Filius reveletur & Pater. Alter enim ſine altero nequaquam innoteſcit. Unde eſt illud: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* & illud Johannis: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur Filium, & Patrem habet.* Ex quibus liquido conſtat, quia nec Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre agnoſcitur. Merito proinde non in alterius tantum, ſed in utriuſque cognitione conſtituit ſummam beatitudinem qui dicit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum.* Denique & qui ſequuntur Agnum, referuntur habere nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis: quod eſt de utriuſque notitia gloriari.

Matt. 11. 27. — *Johan 14. 9.* — *1. Joan 2. 24.* — *Johan 17. 3.* — *Apoc. 14. 1.*

4. Sed dicit aliquis: Ergo & Spiritus-ſancti agnitio non eſt neceſſaria, ut cum dixerit eſſe vitam æternam noſſe & Patrem & Filium, de Spiritu-ſancto tacuerit? Eſt utique: ſed ubi Pater & Filius perfecte agnoſcitur, utriuſque bonitas, quæ Spiritus ſanctus eſt, quomodo ignoratur? Neque enim integre homo homini innoteſcit, quamdiu latet, utrumnam bonæ, an malæ ſit voluntatis. Quamquam & cum dictum eſt, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum*: profecto ſi miſſio illa beneplacitum tam Patris benigne mittentis, quam Filii voluntarie obedientis demonſtrat, non omnino tacitum eſt de Spiritu-ſancto, ubi tantæ utriuſque gratiæ mentio facta eſt. Utriuſque ſiquidem amor & benignitas Spiritus-ſanctus eſt.

Johan. 17. 3.

5. Trinæ ergo hujus agnitionis infundi ſibi gratiam, quantum quidem capi in carne mortali poteſt, ſponſa petit, cum oſculum petit. Petit autem à Filio: quia Filii eſt cui voluerit revelare. Revelat ergo Filius ſeipſum cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem ſine dubio per oſculum, hoc eſt per Spiritum-ſanctum, Apoſtolo teſte qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.* At vero dando Spiritum per quem revelat, etiam ipſum revelat: dando revelat, & revelando dat. Porro revelatio, quæ per Spiritum-ſanctum fit, non ſolum illuſtrat ad agnitionem, ſed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et ideo forſan de his, qui cognoſcentes Deum, non tamquam Deum glorificaverunt, non legitur quod Spiritu-ſancto revelante cognoſcerent: quia cum cognoſcerent, non amaverunt. Sic quippe habes: *Deus enim illis revelavit.* Nec adjunctum eſt, per Spiritum ſuum: ne ſibi ſponſæ oſculum mentes impiæ uſurparent, quæ contentæ ea quæ inflat, eam quæ ædificat neſcierunt. Denique ipſe Apoſtolus dicat per quid cognoverunt. *Per ea*, inquit, *quæ facta ſunt, intellecta conſpexerunt.* Unde & conſtat, quia nec perfecte cognoverunt, quem minime dilexerunt. Si enim integre cognoviſſent, bonitatem qua pro eorum redemptione in carne naſci & mori voluit, non ignoraſſent. Audi denique quid eis de Deo revelatum fuerit: *Sempiterna*, ait, *virtus ejus & divinitas.* Vides quia quod ſublimitatis, quod majeſtatis eſt, in præſumptione ſpiritus, non Dei, ſed ſui rimari ſint: quod autem mitis ſit & humilis corde, non intellexerint. Nec mirum, quia & caput eorum Behemoth nihil humile, ſed (ſicut de eo legitur) *omne ſublime videt.* Quo contra David non ambulabat in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe, ne ſcrutator majeſtatis opprimeretur à gloria.

1 Cor 2. 10. — *Qui illuminat ſimul & accendit.* — *Rom. 5. 5.* — *Profani ſapientes lumen dono accepta ...* — *Rom. 1. 20.* — *Ibidem.* — *Job 41. 25.* — *Pſal. 130. 1.* — *Prov. 25. 27.*

6. Vos quoque, ut caute in arcanis ſenſibus pedem figatis, mementote ſemper, quod Sapiens admonet: *Altiora*, inquit, *te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* In ſpiritu ambulate in illis, & non in ſenſu proprio. DOCTRINA Spiritus non curioſitatem acuit, ſed caritatem accendit. Merito proinde ſponſa, quem diligit anima ſua inquirens, non ſe ſuæ carnis ſenſibus credit, non curioſitatis humanæ inanibus ratiociniis acquieſcit: ſed petit oſculum, id eſt Spiritum-ſanctum invocat, per quem accipiat ſimul & ſcientiæ guſtum, & gratiæ condimentum. Et bene ſcientia, quæ in oſculo datur, cum amore recipitur: quia amoris indicium oſculum eſt. SCIENTIA ergo quæ inflat, cum ſine caritate ſit, non procedit ex oſculo. Sed nec qui zelum Dei habent, & non ſecundum ſcientiam, ſibi ullatenus arrogent illud. Utrumque enim munus ſimul fert oſculi gratia, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Eſt quippe Spiritus ſapientiæ & intellectus, qui inſtar apis ceram portantis & mel, habet omnino & unde accendat lumen ſcientiæ, & unde infundat ſaporem gratiæ. Neuter ergo ſe oſculum percepiſſe putet, ſive qui veritatem intelligit, nec diligit; ſive qui diligit, nec intelligit. Sane in oſculo iſto nec error locum habet, nec tepor. Quamobrem geminæ gratiæ ſacroſancti oſculi ſuſcipiendæ paret e regione duo labia ſua quæ ſponſa eſt, intelligentiæ rationem, ſapientiæ voluntatem, ut de pleno oſculo glorians mereatur audire: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Itaque Pater Filium oſculans, pleniſſime illi arcana ſuæ divinitatis

Eccli. 3. 22. — *Scientia inflans & caritate carens non eſt ab eo.* — *Sed ſcientia cum devotione.* — *Pſal. 44. 3.*

vinitatis eructat, & ſpirat ſuavitatem amoris, Scriptura hoc ſignificante cum ait: *Dies diei eructat verbum.* (Pſal.) Cui ſane ſempiterno ſingulariterque beato complexui nulli omnino, ut jam dictum eſt, creaturæ intereſſe donatur, ſolo utriuſque Spiritu teſte ac conſcio mutuæ agnitionis & dilectionis. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* (Rom. 11. 34.)

7. Sed dicat mihi fortaſſe aliquis. Tibi ergo unde innotuit, quod nulli fateris creditum creaturæ? Profecto Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit, (Johan. 1. 18.) dixerim, non mihi miſero & indigno, ſed plane Johanni * amico ſponſi, cujus hæc verba ſunt; (* Baptiſtæ.) non ſolum autem, ſed & Johanni Evangeliſtæ, utique diſcipulo quem diligebat Jeſus. Placita enim fuit B Deo & anima illius, digna prorſus nomine & dote ſponſæ, digna ſponſi amplexibus, digna denique quæ recumberet ſuper pectus Domini. Hauſit Johannes de ſinu Unigeniti, quod de paterno hauſerat ille. Nec ſolus ipſe tamen, ſed & omnes, quibus idem aiebat magni conſilii Angelus: *Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (Johan. 15. 15.) Hauſit & Paulus, cujus evangelium non eſt ab homine, neque per hominem illud accepit, ſed per revelationem Jeſu-Chriſti. (Galat. 1.) Profecto hi omnes tam feliciter, quam veraciter dicere poſſunt: *Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis.* (Johan. 1. 18.) Et illa enarratio quid eis niſi oſculum fuit? Sed oſculum de oſculo, & non de ore. C Audi ſiquidem oſculum de ore. *Ego & Pater unum ſumus.* (Johan. 10. 30.) item, *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Oſculum eſt ore ad os ſumptum: ſed nemo appropiat. (Oſculum de ore, oſculum de oſculo.) Oſculum plane dilectionis & pacis: ſed dilectio illa ſupereminet omni ſcientiæ; & pax illa omnem ſenſum exſuperat. Verumtamen quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, Paulo revelavit Deus per Spiritum ſuum, hoc eſt per oſculum oris ſui. Igitur Filium in Patre, & Patrem eſſe in Filio, oſculum de ore eſt. Quod autem legitur, *Non enim accepimus ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis:* (1. Cor. 2. 12.) oſculum ſane de oſculo eſt.

8. Et ut apertius alterutrum diſtinguamus; (Diſcrimen utriuſque.) qui ple- D nitudinem capit, oſculum de ore ſumit: qui vero de plenitudine, oſculum de oſculo recipit. Magnus quidem Paulus: ſed quantumlibet ſurſum porrigat os, etiamſi ſe uſque ad tertium cælum extendat, citra os Altiſſimi tamen neceſſe eſt ut remaneat, & modo ſuo contentus in ſe ſubſiſtat: & cum pertingere ad vultum gloriæ non valebit, condeſcendi ſibi, & ex alto tranſmitti oſculum humiliter petat. (Philip. 2. 6.) Qui vero non rapinam arbitratur eſſe ſe æqualem Deo, ita ut audeat dicere, *Ego & Pater unum ſumus;* (Johan. 10. 30.) quia ex æquo conjungitur, ex æquo complectitur, non oſculum de loco inferiori mendicat, ſed pari celſitudine os * ori conjungit, (* al. os ore contingit.) & ſingulari prærogativa oſculum de ore ſu- E mit. Chriſto igitur oſculum eſt plenitudo, Paulo participatio: ut cum ille de ore, iſte tantum de oſculo oſculatum ſe glorietur.

9. Felix tamen oſculum, per quod non ſolum agnoſcitur Deus, ſed & diligitur Pater: qui nequaquam plene cognoſcitur, niſi cum perfecte diligitur. (Pater non perfecte cognoſcitur, niſi cum perfecte diligitur.) Quæ in vobis anima ſenſit aliquando in ſecreto conſcientiæ ſuæ Spiritum Filii clamantem, *Abba, pater?* Ipſa, ipſa, paterno ſe diligi præſumat affectu, quæ eodem ſe ſpiritu, quo & Filius, affectam ſentit. Confide, quæcumque es illa, confide nihil hæſitans. In ſpiritu Filii filiam cognoſce te Patris, ſponſam Filii vel ſororem. Utroque vocabulo eam, quæ hujuſmodi eſt, F invenies appellari. Ad manum eſt unde id probem: non multum laborabo. Vox ſponſi eſt ad ipſam: *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa.* (Cant. 5. 1. Anima ſancta, & ſoror, & ſponſa, & filia vocatur.) Soror ſiquidem eſt, quia ex uno Patre: ſponſa, quia in uno Spiritu. Nam ſi carnale matrimonium conſtituit duos in carne una, cur non magis ſpiritualis copula duos conjunget in uno ſpiritu? Denique qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Sed audi etiam de Patre, quam amanter A quamque dignanter & filiam eam nominat, & nihilo minus tamquam nurum propriam ad Filii dulces invitat amplexus. (Tom. IV.) *Audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* (Pſal. 44. 11.) Ecce à quo illa flagitat oſculum. O ſancta anima, reverentiam habe, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & fortaſſe non oſculandus, ſed adorandus cum Patre & Spiritu-ſancto in ſecula ſeculorum, amen.

SERMO IX.

De uberibus ſponſi, id eſt Chriſti, quorum unum eſt Longanimitas exſpectandi peccatores: alterum Benignitas ſeu facilitas eos recipiendi.

1. ACcedamus jam ad librum, verbiſque ſponſæ rationem demus & conſequentiam. Pendent B enim, & prærupta nutant abſque principio. Ideoque præmittendum cui competenter cohæreant. Ponamus proinde iſtos, quos ſponſi ſodales diximus, viſitandi (Textus conſequentia.) ſalutandique gratia, ſicut heri & nudiuſtertius, acceſſiſſe nunc quoque ad ſponſam; ipſamque ſubmurmurantem & tædentem reperiſſe, mirari cauſam, & quaſi alloqui in hunc modum. Quid novi accidit? quid te cernimus ſolito triſtiorem? quæ inopinati murmuris cauſa? Certe cum averſa & alienata ires poſt amatores tuos, cum quibus male erat tibi, com- C pulſa tandem reverti ad virum tuum priorem, nonne ut ſaltem merereris tangere pedes, multis precibus & fletibus inſtitiſti? Recolo, inquit. Quid? Obtento eo, ſimulque accepta in oſculo pedum indulgentia de offenſis, numquid non rurſus facta impatiens, & tanta nequaquam dignatione contenta, ſed majoris familiaritatis cupida, ſecundam quoque gratiam eadem qua prius inſtantia poſtulaſti, & impetraſti, ita ut in oſculo manus adepta ſis virtutes non paucas, & non parvas? Non diffiteor, ait. Et illi: Enimvero num tu es quæ jurare & obteſtari ſolebas, ſi umquam ad oſculum manus pervenire daretur, ſufficere jam tibi, nil te de cetero petituram? Ego. D Quid igitur? Forte horum quæ acceperas quippiam ablatum cauſaberis? Nihil. An vero times repetitum iri, quod tibi de mala tua priſtina converſatione indultum præſumpſeras? Non.

2. Age tamen, dic unde queamus ſatisfacere tibi. (Amoris ardor impatiens.) Non quieſco, ait, niſi oſculetur me oſculo oris ſui. Gratias de oſculo pedum, gratias & de manus: ſed ſi cura eſt illi ulla de me, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Non ſum ingrata, ſed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis. Deſiderio feror, non ratione. Ne quæſo cauſemini præſumptionem, ubi affectio urget. Pudor ſane reclamat: ſed ſuperat amor. Nec ignoro, quod honor regis judicium (Pſal. 98. 4.) E diligit: ſed præceps amor nec judicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi ſubjicitur. Rogo, ſupplico, flagito, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* En gratia ipſius multis jam annis caſte ſobrieque vivere curo, (Animæ religioſæ exercitia.) lectioni inſiſto, reſiſto vitiis, orationi incumbo frequenter; vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantum in me eſt, converſari inter fratres; ſuperioribus poteſtatibus ſubdita ſum, egrediens & regrediens ad imperium ſenioris. Aliena non cupio: mea potius & me pariter dedi. (Aridæ pia querimonia.) In ſudore vultus mei comedo panem meum: ceterum quod in his omnibus eſt, totum F conſtat de conſuetudine, de dulcedine nihil. Quid niſi, juxta Prophetam, *vitula Ephraim* ſum, *docta diligere trituram?* (Oſee 10. 11.) Denique in Evangelio qui hoc ſolum quod facere debet, facit, ſervus inutilis reputatur. (Luc. 17. 10.) Mandata forſan utcumque adimpleo: ſed anima mea ſicut terra ſine aqua in illis. Ut igitur holocauſtum meum pingue fiat, *Oſculetur me, quæſo, oſculo oris ſui.*

3. Plerique veſtrum mihi quoque (ut memini) in (Bernardi diſcipuli idipſum conquerebantur.) privatis [a] confeſſionibus ſuis conqueri ſolent ſuper hu-

a Sic in ejuſmodi privatis confeſſionibus revelabant ipſas etiam negligentias, quales vocat Bernardus in ſermone 2. de Circumciſione num 5. Guigo, Cartuſiæ Prior V. privatas appellat confeſſiones, quæ fiebant in cellis privatis: communes, quæ ab omnibus fiebant ſingulis ſabbatis, tametſi privatim. Confer lib. 1. de vita S. Bernardi num. 18.

[Tom. 1 v.] juſcemodi animi arentis languore atque hebetudine ſtolidæ mentis. quod Dei ſcilicet alta atque ſubtilia penetrare nequeant, quod de ſuavitate ſpiritus aut nil, aut parum ſentiant. Quid iſti, niſi ad oſculum ſuſpirant? Suſpirant plane, & inhiant ſpiritui ſapientiæ & intellectus: intellectus utique quo pertingant; ſapientiæ, quâ guſtent quod intellectu apprehenderint. Ego in hoc ipſo affectu ſanctum puto oraſſe Prophetam, cum diceret: [Pſal. 62. 6.] *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exſultationis laudabit os meum.* Oſculum omnino petebat, & illud oſculum, in cujus tactu perfuſis labiis pinguedine gratiæ ſpecialis [* al. ſpiritualis.], ſequeretur quod alibi idem ipſe precatur: [Pſal. 70. 8.] *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Denique & eructavit ubi guſtavit: [Pſal. 30. 20.] *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Satis hoc oſculum detinuit nos, & necdum me illud (ut verum fatear) digne ſatis expreſſiſſe confido. Sed tranſeamus ad reliqua: quia id melius impreſſum, quam expreſſum innoteſcit.

[Cant. 1. 1.] 4. Sequitur: *Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et hæc verba cujus ſint, auctor non loquitur, relinquens nobis libere commentari, cui potiſſimum perſonæ conveniant. Mihi vero non deeſt, unde illa congruenter aſſignem ſive ſponſæ, ſive ſponſo, ſive etiam ſponſi ſodalibus. Et primum ſponſæ qualiter congruant, indicabo. Interim confabulantibus illa pariter atque illis, acceſſit ipſe, de quo ſermo erat. Utique libens appropiat de ſe loquentibus. Sic ſolet. [Luc. 24. 15.] Sic euntibus in Emmaus, & conferentibus inter ſe, jucundum ſe facundumque exhibuit comitem. Nempe hoc eſt quod in Evangelio pollicetur: [Matth. 18. 20.] *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego ſum in medio eorum.* & per Prophetam: [Iſa. 65. 24.] *Antequam*, ait, *clament, ego exaudiam; & adhuc loquentibus illis dicam, Ecce adſum.* [Piorum preces Deus prævenit.] Ita ergo nunc non vocatus affuit, & delectatus verbis prævenit preces. Arbitror quod interdum nec verba exſpectat, ſed ſolis cogitationibus advocetur. Denique ait homo qui inventus eſt ſecundum cor Dei: [Pſal. 9. 17.] *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Attendite & vos vobis in omni loco, ſcientes quoniam omnia veſtra novit, ſcrutans corda & renes Deus, qui finxit ſingillatim corda veſtra, & intelligit omnia opera veſtra. Sponſa ergo ſponſum adeſſe perſentiens, ſubſtitit. (Pudet enim præſumptionis in qua ſe deprehenſam intelligit. nam verecundius id moliri per internuntios exiſtimarat) moxque converſa ad ipſum, temeritatem, prout valet, excuſare conatur: *Quia meliora ſunt*, inquiens, *ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Acſi dicat: Si altum ſapere videor, tu feciſti, ô ſponſe, qui in dulcedine uberum tuorum tanta me dignatione lactaſti, quatenus omni metu, tui caritate, non mea temeritate depulſo, audeam plus forte quam expediat. Audeo ſane pietatis memor, immemor majeſtatis. Hæc pro verborum conſequentia dicta ſint.

[Ubera Sponſi, Longanimitas & Benignitas.] 5. Nunc qualis ſit iſta uberum ſponſi commendatio, videamus. Duo ſponſi ubera, duo in ipſo ſunt ingenitæ manſuetudinis argumenta, quod & patienter exſpectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo ſuavitatis exuberat in pectore Domini Jeſu, longanimitas videlicet in exſpectando, & in donando facilitas. Et audi quia non ſit hoc inventum meum. Legis profecto de longanimitate: [Rom. 2. 4.] *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* item, [Ibidem.] *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ad hoc ſiquidem diu ſuſpendit ſententiam ultionis à contemnente, ut quandoque exhibeat gratiam remiſſionis in pœnitente. [Ezech. 33. 11.] *Non enim vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Ponamus exempla & de altero ubere, quod dictum eſt remittendi facilitas. Legis & de ipſa: [Ibidem. 12.] *Quacumque hora ingemuerit peccator, peccatum ſuum remittetur ei.* Legis, [Iſa. 55. 7.] *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Pulcre David [Pſal. 102. 8.] paucis comprehendit utrumque, dicens: *Longanimis, & multum miſericors.* Hujus ergo geminæ bonitatis experimento in eam ſe fiduciam excreviſſe fatetur ſponſa, ut auderet petere oſculum. Quid mirum, dicens, ſi ſic præſumo de te, ô ſponſe, quæ de tuis uberibus tantam ſum experta abundantiam ſuavitatis? Ergo ad audendum me provocat dulcedo uberum tuorum, non meorum confidentia meritorum.

6. Quod autem dicit, *Meliora ſunt ubera tua vino*, [Gratia est ca. ad compescenciam] hoc eſt: Pinguedo gratiæ, quæ de tuis uberibus fluit efficacior mihi eſt ad ſpiritualem profectum, quam mordax increpatio prælatorum. Nec ſolum meliora vino, ſed *& fragrantia unguentis optimis*: quia non modo internæ dulcedinis lacte præſentes alis, ſed bonæ quoque opinionis grato odore reſpergis abſentes, bonum habens teſtimonium & ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt. Habes, inquam, lac intus, & foris unguenta: quoniam quidem non eſſent quos lacte reficeres, ſi non prius odore attraheres. Sane de his unguentis, ſi quid dignum conſideratione contineant, videbitur poſt hæc, cum eo ventum fuerit, ubi dicit in conſequentibus: *In odore unguentorum tuorum curremus.* [Cant. 1.] Nunc juxta promiſſum noſtrum hæc ipſa verba, quæ Sponſæ data ſunt, an & Sponſo congruant videamus.

7. Sponſa loquente de Sponſo, repente (ut dixeram) adeſt ille, annuit voto, dat oſculum, impletque in ea ſermonem qui ſcriptus eſt: [Pſal. 20. 3.] *Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum.* Quod & probat ex ejus uberum repletione. [Ubera ſponſæ.] Tantæ nempe efficaciæ oſculum ſanctum eſt, ut ex ipſo mox, cum acceperit illud, ſponſa concipiat, tumeſcentibus nimirum uberibus, & lacte quaſi pingueſcentibus in teſtimonium. Quibus ſtudium eſt orare frequenter, experti ſunt quod dico. Sæpe corde tepido & arido accedimus ad altare, orationi incumbimus. [In orationibus ... gratia ... infuſio.] Perſiſtentibus autem repente infunditur gratia, pingueſcit pectus, replet viſcera inundatio pietatis: & ſi ſit qui premat, lac conceptæ dulcedinis uberum fundere non tardabunt. Dicat ergo: Habes ſponſa quod petiſti, & hoc tibi ſignum, quia meliora facta ſunt ubera tua vino. [Scientia ſæcularis ...] Hinc te ſcilicet noveris oſculum accepiſſe, quod te concepiſſe ſentis. Unde & ubera tibi intumuerunt, facta in ubertate lactis meliora vino ſcientiæ ſæcularis, quæ * quidem inebriat, ſed curioſitate, non caritate; implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans. [* al. quod.]

[Activa vita magis neceſſaria quam contemplativa.] 8. Sed demus & ſodalibus iſta depromere. Injuſte, inquiunt, murmuras adverſus ſponſum: quia id plus valet quod ille jam dedit, quam quod tu petis. Quod enim poſtulas, te quidem delectat: ſed ubera, quibus parvulos alis, quos & paris, meliora, hoc eſt neceſſariora, ſunt vino contemplationis. Aliud ſiquidem eſt quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod ædificat multos. Nam etſi Rachel formoſior, ſed Lia fœcundior eſt. Noli ergo nimis inſiſtere oſculis contemplationis: quia meliora ſunt ubera prædicationis.

[Alius ſenſus.] 9. Occurrit & alius ſenſus, quem quidem non propoſueram, ſed minime prætcribo. Utquid enim verba hæc non magis convenire dicamus eis ipſis, quibus præeſt in ſollicitudine, tamquam parvulis mater aut nutrix? Nec enim æquanimiter ferunt juvenculæ & teneræ adhuc animæ, illam vacare quieti, cujus plenius erudiri doctrina, & exemplis informari deſiderant. An non denique talium in ſubſequenti compeſcitur inquietudo, ubi ſub gravi conteſtatione prohibentur ſuſcitare dilectam, quouſque ipſa velit? [Cant. 3. Prælatos non ſuſpendi.] Hæ itaque ſentientes oſculis inhiare ſponſam, ſecretum quærere ſibi, fugitare publicum, declinare turbas, & curæ ipſarum propriam præferre quietem: Noli inquiunt, noli; quia major in uberibus, quam in amplexibus fructus exſiſtit. Per ea ſiquidem nos vindicas à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam; eripis mundo, & acquiris Deo. Hoc ergo eſt quod aiunt: *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* Carnis, inquiunt, voluptatem, qua paulo ante, tamquam vino, ebriæ tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis ubera ſtillant, deliciæ ſpirituales.

Carnalis affectus vino ſimilis.

10. Et pulcre vino comparant carnalem affectum. Ut enim uva ſemel expreſſa non habet jam quod denuo fundat, ſed perpetua ariditate damnatur: ſic caro in preſſura mortis ab omni prorſus ſua delectatione ſiccatur, nec ultra revireſcit ad libidines. Unde Propheta: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* (*Iſa. 40. 6.*) & Apoſtolus: *Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem.* (*Galat. 6. 8.*) & rurſum: *Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc, & has deſtruet* (*1. Cor. 6. 13.*) Vide autem ne non carni tantum, ſed & mundo forte competat iſta proportio. Siquidem & ipſe tranſit, & concupiſcentia ejus: & cum omnia quæ in mundo ſunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non ſic. (*Ubera ſponſæ meliora.*) Hæc enim cum exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt quod propinent ſugentibus. Merito proinde meliora carnis, ſæculive amore aſſeruntur ubera ſponſæ, quæ nullo umquam lactentium numero areſcunt, ſed ſemper abundant de viſceribus caritatis, ut iterum fluant. Flumina ſiquidem fluunt de ventre ejus, fitque in ea fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. (*Johan. 7. 38.*) Cumulatur deinde laus uberum fragrantia unguentorum, quod non ſolum verborum ſapore paſcant, ſed & factorum opinione redoleant. Jam quæ ſint ubera, quo tumida lacte, qualibus delibuta unguentis, ſub alio ſermonis principio Chriſto adjuvante monſtrabimus: qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſæculorum, amen.

SERMO X.

De tribus unguentis ſpiritualibus, ſcilicet Contritionis, Devotionis, & Pietatis.

1. NOn ſum ego profundi ſenſus, neque adeo perſpicacis ingenii, ut novi quippiam ex me adinvenire poſſim: ſed eſt fons magnus & indeficiens os Pauli, quod patet ad nos. De ipſo haurio mihi etiam nunc in oſtenſione uberum ſponſæ, ſicut & frequenter ſoleo. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus.* (*Rom. 12. 15.*) Materni breviter exprimuntur affectus, quia nec dolere parvuli, nec valere queunt abſque illa quæ genuit: utrobique neceſſe eſt ſuis eam conformari viſceribus. (*Duo ſponſæ ubera, compaſſio & congratulatio.*) Igitur juxta Pauli ſententiam *, duas illas affectiones duobus ſponſæ uberibus aſſignabo, Compaſſionem uni, & Congratulationem alteri. (** al. ſapientiam.*) Alioquin parvula eſt, & nondum nubilis, ſi nondum ubera miſit, ſi ſe videlicet neque ad congaudendum ſentiat promptam, neque pronam ad condolendum. (*Prædicatori neceſſaria.*) Talis ſi forte ad regimen animarum, ſeu ad officium prædicationis aſſumitur, aliis quidem non prodeſt, ſibi vero obeſt plurimum. Porro ſeſe ingerere, quantæ impudentiæ eſt?

2. Sed redeamus ad ubera ſponſæ, ac pro diverſitate uberum, diverſas & lactis ſpecies proponamus. Nam Congratulatio quidem exhortationis, Compaſſio vero conſolationis lac fundit. Porro utramque ſpeciem ubertim cælitus irrorari pio pectori ſuo ſpiritualis mater toties ſentit, quoties oſculum ſumit. Videas eam mox plenis uberibus parvulis incubare lactandis; & ex uno quidem conſolatoria, ex altero vero exhortatoria uberius miniſtrare, prout ſingulis convenire videbit. Verbi cauſa, ſi quem forte ex his quos genuit in Evangelio, deprehenderit forti aliqua tentatione concuſſum, & inde turbatum ac triſtem, puſillanimemque factum, non poſſe jam ferre vim tentationis; (*Boni Prælati erga filios affectus.*) quomodo condolet, quomodo mulcet? quomodo plangit, quomodo conſolatur? quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat deſolatum? E contra ſi promptum, ſi alacrem, ſi bene proficientem cognoverit; exſultat, aggreditur ſalutaribus monitis, accendit amplius, inſtruit de quibus poteſt ut perſeveret, utque in melius ſemper proficiat exhortatur. Omnibus ſe conformat, omnium in ſe transfert affectus, matrem ſe denique probat non minus deficientium, quam proficientium.

3. Quanti hodie ſecus affectos ſe oſtendunt? de his dico, qui animas regere ſuſceperunt. (*Prælatorum [illegible] præſentis ætatis.*) Quod enim ſine miſerabili gemitu dicendum non eſt, Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquiſitionem turpis quæſtus, & pretium univerſitatis ſuis marſupiis includere feſtinant; hoc ſolo ſane à Juda Iſcariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum paucorum denariorum numero compenſavit; iſti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His inſatiabili deſiderio inhiant, pro his ne amittant, timent; & cum amittunt, dolent: harum in amore quieſcunt, quantum dumtaxat liberum eis eſt à ſervandi, vel augmentandi cura. Animarum nec caſus reputatur, nec ſalus. Non ſunt profecto matres, qui cum ſint de Crucifixi patrimonio nimium incraſſati, impinguati, dilatati, non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Quæ mater eſt, non diſſimulat: habet ubera, & non vacua. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus novit, nec ceſſat exprimere de ubere quidem congratulationis lac exhortationis; de ubere vero compaſſionis lac conſolationis. Et de ſponſæ uberibus vel uberum lacte iſta ſufficiant.

4. Jam qualibus etiam unguentis eadem ubera redoleant, indicabo, ſi tamen veſtris orationibus juver, ut quod inde mihi ſentire datum eſt, detur & eloqui digne ad audientium utilitatem. Alia ſponſi, atque alia ſponſæ unguenta ſunt; quemadmodum & ſua cuique ubera. Sed de ſponſi quo in loco tractandum ſit, ſuperius præfixum eſt: nunc ſponſæ unguentis intendamus, idque attentius, tamquam his quæ Scriptura non mediocriter commendavit, ita ut ea pronuntiaverit non ſimpliciter bona, ſed *optima*. Et pono diverſas ſpecies unguentorum, quo ex pluribus ea, quæ potiſſimum ſponſæ uberibus congruant, eligamus. Eſt unguentum Contritionis, & eſt unguentum Devotionis, eſt & Pietatis. (*Unguentum triplex: contritionis, devotionis, & pietatis.*) Primum pungitivum, dolorem faciens; ſecundum temperativum, dolorem leniens; tertium ſanativum, etiam morbum expellens. Nunc de ſingulis latius diſſeramus.

5. Eſt ergo unguentum, quod ſibi conficit anima multis irretita criminibus, ſi, cum incipit cogitare vias ſuas, colligat, congerat, conteratque in mortariolo conſcientiæ multas ac varias ſpecies peccatorum ſuorum, & intra æſtuantis pectoris ollam ſimul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ & doloris, ut poſſit dicere cum Propheta: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* (*Unguentum contritionis unde conficiatur.*) (*Pſal. 38. 4.*) Ecce hoc eſt unum unguentum, quo anima peccatrix ſuæ converſionis primordia condire debet, plagiſque ſuis recentibus adhibere. Primum namque ſacrificium Deo, ſpiritus contribulatus. (*Pſal. 50. 19.*) Quamdiu ergo non habet, tamquam pauper & inops, unde ſibi melius ac pretioſius componat unguentum; non negligat parare interim illud, licet de vilibus ſpeciebus: quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. (*Ibidem.*) Tanto autem minus vile divinis apparebit conſpectibus, quanto plus ſibi illa viluerit in recordatione peccatorum ſuorum.

6. Tamen ſi illo viſibili, quo viſibiliter uncti à Peccatrice corporei pedes Dei referuntur in Evangelio, invisibile hoc & ſpirituale fuiſſe dicimus figuratum, non omnino vile reputare poterimus. (*Vis ejus & fragrantia.*) Quid enim de illo legitur? *Et domus*, inquit, *impleta eſt ex odore unguenti.* (*Johan. 12. 3.*) Peccatricis [a] manibus diſtillabatur, & extremis membris corporis, id eſt pedibus, fundeba-

a Hoc in loco (uti & alibi non ſemel, ſermone 3. de Aſſumptione, &c.) confunditur Peccatrix illa mulier, de qua apud Lucam cap. 7. cum Maria, Lazari & Marthæ ſorore, quæ Chriſti Domini pedes in caſtello Bethaniæ unguento perfudit apud Johannem cap. 12. ubi *domus ex odore unguenti repleta* dicitur. Verum plerique veterum ante Gregorium Magnum recentiores non pauci, gravibus ſane argumentis, alteram ab altera diſtinguunt, atque etiam à Maria Magdalena, de qua Chriſtus ejecerat ſeptem dæmonia Marci XVI. quæ Lucæ cap. 8. ſecuta eſt Chriſtum cum aliis, & quidem ante converſionem (ut eis videtur) Peccatricis. Confer ſermonem 12. infra, num. 6.

Tom. IV. tur: & tamen non uſque adeo contemptibile aut vile A fuit, quin totam domum vis aromatum & ſuavitas repleret odoris. Quod ſi attendamus, quanta in unius peccatoris converſione fragrantia reſpergatur Eccleſia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam quivis pœnitens, ſi publice perfecteque pœniteat; profecto & de hoc æque indubitanter pronuntiabimus, quia *domus impleta eſt ex odore unguenti*. Denique & ſupernas beatorum manſiones attingit pœnitentiæ Luc. 15. 10. odor, ita ut, teſte ipſa Veritate, magnum gaudium ſit inter Angelos Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Gaudete pœnitentes, puſillanimes confortamini. Vobis dico, quos nuper converſos de ſæculo, & à viis veſtris pravis recedentes, exce- B pit mox amaritudo & confuſio animi pœnitentis, ac velut recentium adhuc vulnerum dolor nimius excruciat & perturbat. Securæ manus veſtræ diſtillent myrrhæ amaritudinem in ſalubrem hanc unc- Pſal. 50. 19. tionem: quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Non eſt omnino ſpernenda, nec vilis æſtimanda hujuſcemodi unctio, cujus odor non ſolum homines provocat ad correctionem, ſed & Angelos ad exſultationem invitat.

Devotionis unguentum unde conficiendum.

7. Sed eſt unguentum tanto iſto profecto pretioſius, quanto de melioribus compoſitum ſpeciebus. Hujus ſiquidem ſpecies ne longe quærantur, penes nos & abſque difficultate reperimus, ac de noſ- C tris hortulis talium perfacile copiam tollimus, quotieſcumque neceſſitas poſcit. Quis enim non ſatis de proprio, cum vult, ad manum habet iniquitates & peccata, ſi non diſſimulat? Hæ autem ſunt (ſicut recognoſcitis) ſpecies unguenti primi, quod jam deſcripſimus. At vero ſecundi hujus aromata terra noſtra nequaquam profert, ſed procul & de ultimis finibus ea nobis conquirimus. Nempe om- Jac. 1. 17. ne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Fit enim unguentum iſtud de divinis collatis humano generi beneficiis. Felix, qui ipſa ſibi ſtudioſe colligere, & ante mentis ſuæ oculos digna cum gra- D tiarum actione reducere curat. Profecto cum fuerint in vaſculo pectoris piſtillo crebræ meditationis contuſa atque contrita, deinde igne ſancti deſiderii ſimul decocta omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ; erit unctio longe pretioſior, excellentiorque priore. Sufficit ad probandum ejus teſtimonium qui Pſal. 49. 23. ait: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio.

Pſal. 50. 19. Præſtantius eſt priori.

8. Porro cum Scriptura hoc ſolum teſtetur de illo alio, quia nequaquam deſpicitur; liquet amplius eſſe commendatum, quod & honorificat. Denique illud pedibus apponitur, hoc capiti. Si enim in Chriſto ca- 1. Cor. 11. 3. put ad divinitatem referendum eſt, dicente Paulo, *Ca-* E *put Chriſti Deus*, proculdubio caput ungit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit, non hominem. Non quia non ſit homo qui Deus eſt, ſiquidem Deus & homo unus eſt Chriſtus: ſed quia omne bonum à Deo, non ab homine eſt, etiam ipſum quod per ho- Joan. 6. 64. minem miniſtratur. Profecto enim ſpiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Propterea & Jer. 17. 5. maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine: quoniam etſi ſpes noſtra tota merito pendet ex homine Deo; non tamen quia homo, ſed quia Deus eſt. Itaque illud pedibus, hoc capiti exhibetur: quo- F niam & humiliatio contriti cordis humilitati congruit carnis, & majeſtatem decet glorificatio. En quale unguentum propoſui vobis, quo ſe nimirum tangi caput illud tremendum principatibus non ducit indignum, immo & honoris inſigne judicat, dicens: Pſal. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me*.

Puſillanimis non competit.

9. Quamobrem non eſt pauperis & inopis, ſeu puſilli cordis animæ, conficere iſtiuſmodi unctionem, nempe cujus aromata & ſpecies ſola confidentia poſſidet, quæ tamen de libertate ſpiritus & cordis puritate deſcendat. Quæ enim puſillanimis eſt & modicæ fidei mens, rei ſuæ familiaris tenuitate conſtringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum divi- A nis laudibus, ſeu his, quæ laudes pariunt, intuendis beneficiis. Et ſi quando certe conatur aſſurgere, confeſtim domeſticarum neceſſitatum curis urgentibus revocatur ad ſua, & in ſe comprimi propria egeſtate compellitur. Quod ſi hujus miſeriæ quæritur à me cauſa, dicam quod ipſi in vobis (niſi fallor) aut eſſe, aut fuiſſe recognoſceris. Duabus de cauſis videtur mihi hujuſcemodi animi ægritudo & diffidentia ſolere contingere, aut de novitate videlicet converſionis, aut certe de converſationis tepore, etiamſi in converſione longum tempus habuerit. Utrumque profecto humiliat & dejicit conſcientiam, & inquietam facit, dum ſive pro tempore, ſive pro tepore B antiquas animi paſſiones necdum in ſe emortuas ſentit: & neceſſe proinde habens reſecandis intendere de cordis hortulo ſpinis iniquitatum & urticis cupiditatum, longius a ſemetipſa evagari non ſinitur. Quid enim? qui laborat in gemitu ſuo, poteritne ſimul & in Dei laudibus exſultare? Quonam modo in ore gementis & plangentis ſonabit pariter illud Iſaiæ, Iſa. 51. 3. *gratiarum* ſcilicet *actio, & vox laudis*? Nam ſicut à Sapiente accipimus, *Muſica in luctu, importuna narratio eſt*. Eccli. 22. 6. Denique gratiarum actio beneficium ſequitur, non præcedit. Quæ autem adhuc in triſtitia eſt anima, beneficio non gaudet, ſed indiget. Habet ergo unde preces offerat; non autem unde referat gra- C tes. Quomodo enim recolet beneficium, quod non accepit? Merito proinde dixi, non eſſe animæ pauperis conficere hoc unguentum, quod de recolendis divinis beneficiis componi debet: quoniam non poteſt videre lucem, donec tenebras intuetur. Nempe in amaritudine eſt, occupatque memoriam triſtis recordatio peccatorum, nec libet lætum quippiam ſimul admittere. Idcirco talibus denuntiat ſpiritus pro- Pſal. 126. 2. pheticus, dicens: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*. Quod eſt, Fruſtra ſurgitis ad intuenda beneficia quæ delectant, niſi prius recepto lumine conſolationis de reatibus qui conturbant. Non eſt ergo pauperum hoc unguentum.

Quorum hoc unguentum proprium.

D 10. Sed videte quinam de ejus copia non immerito Act. 5. 41. glorientur. *Ibant gaudentes* Apoſtoli *a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Multum ſibi profecto inſtillaverant de pinguedine ſpiritus, quorum lenitas non dico verbis, ſed nec verberibus ceſſit. Erant enim divites in caritate, quæ nullis exhauritur expenſis, & de ipſa facile holocauſta medullata offerre ſufficiebant. Fundebant paſſim ſudantia pectora liquorem ſanctum, quo imbuta plenius erant, quando loquebantur variis linguis Act. 2. 11. magnalia Dei, prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis. Nec dubium quin & illi abundarent iiſdem unguentis, quibus Apoſtolus teſtimonium perhibebat, E dicens: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia* 1. Cor. 1. 4. *Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quia in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia*. Utinam & pro vobis ego has ipſas gratias referre poſſim, ut videam vos divites in virtutibus, alacres in laudibus Dei, ſpirituali hac pinguedine abundantius redundantes in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

SERMO XI.

F *De duobus, hoc eſt fructu & modo, pertinentibus ad opus humanæ redemptionis.*

Unguentum hoc bonum eſt propter duo.

1. DIxi in fine ſermonis, nec me iterare piget, quod cupiam vos omnes fieri ſacræ unctionis participes, illius videlicet, in qua Dei beneficia cum lætitia & gratiarum actione recolit ſancta devotio. Hoc enim bonum eſt, tum propter relevandos vitæ præſentis labores, qui utique tolerabiliores nobis fiunt exſultantibus in laude Dei: tum quia nihil ita proprie quemdam terris repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum, Scriptura dicente: *Beati qui habitant in domo tua Domine! in* Pſal. 83. 5. *ſæcula ſæculorum laudabunt te*. De hoc præcipue unguento

Pſal. 132. 1.

puto dixiſſe Prophetam : *Ecce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in unum ; ſicut unguentum in capite*. Neque enim priori videtur poſſe congruere. Illud enim etſi bonum ſit, non eſt tamen jucundum : quia recordatio peccatorum amaritudinem facit, non jucunditatem. Sed nec qui illud faciunt, in unum habitant, cùm quiſque peccata propria lugeat atque deploret. Qui vero in gratiarum actione verſantur, Deum ſolum intuentur & cogitant ; ac per hoc ipſi vere habitant in unum. Bonum eſt autem quod faciunt, quia ſervant ei juſtiſſime gloriam cujus eſt : & nihilo minus jucundum, quia delectat.

2. Quamobrem ſuadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem à moleſta & anxia recordatione via-

B

rum veſtrarum, & evadere in itinera planiora ſerenioris memoriæ beneficiorum Dei ; ut qui in vobis confundimini, ipſius intuitu reſpiretis. Volo vos experiri illud quod ſanctus Propheta conſulit, dicens :

Pſal. 36. 4.

Delectare in Domino. & dabit tibi petitiones cordis tui.

Recordatio peccatorum memoriâ divinorum beneficiorum condienda.

Et quidem neceſſarius dolor pro peccatis, ſed ſi non ſit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione divinæ benignitatis, ne forte præ triſtitia induretur cor, & deſperatione plus pereat.. Miſceamus abſinthio mel, ut ſalubris amaritudo ſalutem dare tunc poſſit, cum immixto temperata dulcore bibi poterit. Audi denique Deum, quomodo ipſe contriti cordis temperat amaritudinem, quomodo puſillanimem à

C

deſperationis barathro revocat, quomodo blandæ & fidelis promiſſionis melle mœrentem conſolatur, erigit diffidentem.

Iſa. 48. 9.

Ait per Prophetam : *Ego infrenabo os tuum laude mea, ne intereas*. Hoc eſt, Ne intuitu facinorum tuorum nimiam incurras triſtitiam, atque inſtar effrenis equi deſperatus in præceps ruas, & pereas; freno te, inquit, inhibebo indulgentiæ meæ, & meis laudibus erigam, reſpirabiſque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me ſane benigniorem, quàm te culpabiliorem invenies. Hoc freno ſi infrenatus fuiſſet Caïn, nequaquam deſperando dixiſſet:

Gen 4: 13.

Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear. Abſit, abſit. Major enim eſt ejus pietas, quàm quævis iniqui-

D

Prov. 18. 17.

tas. Ideo juſtus non continue, ſed tantum in principio ſermonis accuſator eſt ſui : porro autem in Dei laudes extrema ſermonis claudere conſuevit. Videte denique juſtum hoc ordine procedentem. *Cogitavi*,

Pſal. 118. 59.

ait, *vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua*. ut qui videlicet contritionem & infelicitatem in viis propriis perpeſſus fuerat, in via teſtimoniorum Dei delectaretur, ſicut in omnibus divitiis. Et vos igitur exemplo juſti, ſi de vobis in humilitate ſentitis, ſentite & de Domino in bonitate. Sic enim legitis apud Sa-

Sap. 1. 1.

pientem : *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum*. Hoc autem facile menti perſuadet

* al. magnificentiæ.

divinæ munificentiæ * frequens, immo continua re-

E

cordatio. Alioquin quomodo implebitur apoſtolicum

1. Theſſ. 5. 17.

illud, *In omnibus gratias agentes*. ſi ea pro quibus gratiæ debentur, à corde receſſerint ? Nolo vos Judaico notari opprobrio, de quibus Scriptura teſtatur, quòd

Pſal. 77. 11.

non fuerint memores benefactorum ejus, & mirabilium ejus quæ oſtendit eis.

Redemtio præcipue meditanda.

3. Verum quoniam bona, quæ largiri mortalibus non ceſſat miſericors & miſerator Dominus, recolere & recolligere omnia, omni homini impoſſibile eſt ;

Pſal 105. 2.

(Quis enim loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?) id ſaltem, quod præcipuum eſt & maximum, opus videlicet noſtræ redemptionis,

Duo præcipue in ea conſideranda, modus & fructus.

à memoria redemptorum aliquatenus non recedat. In

F

quo opere duo potiſſimum, quæ nunc occurrunt, veſtris ſtudiis intimare curabo. Et hoc quàm paucis ad

Prov 9. 9.

compendium potero, memor illius ſententiæ : *Da occaſionem ſapienti, & ſapientior erit*. Duo ergo illa ſunt, Modus & Fructus. Et modus quidem Dei exinanitio eſt ; fructus vero noſtri de illo repletio. Hoc meditari, ſanctæ ſpei ſeminarium eſt ; illud ſummi amoris incentivum. Utrumque profectibus noſtris neceſſarium, ne aut ſpes mercenaria ſit, ſi amore non comitetur ; aut amor tepeſcat, ſi infructuoſus putetur.

A

Tom IV.

4. Porro fructum talem exſpectamus noſtri amoris, qualem ipſe quem amamus, promiſit : *Menſuram*, inquiens, *plenam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*. Menſura iſta, ut audio, erit ſine menſura.

Luc. 6 . Fructus plenitudo ex Deo.

Sed velim ſcire, cujus rei futura ſit illa menſura, vel potius illa immenſitas quæ repromittitur. *Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te*.

Iſa. 64. 4.

Dic nobis tu qui præparas, quid præparas ? Credimus, confidimus, revera ſicut promittis : *Replebimur in bonis domus tuæ*.

Pſal 64. 5.

Sed quibus, quæſo, bonis, vel qualibus ? Forte frumento, vino, & oleo, auro, atque argento, lapidibuſve pretioſis ? Sed hæc novimus & vidimus ; & videmus, & faſtidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Hoc placet, hoc ſapit, hoc delectat inquirere, quodcumque eſt illud. *Erunt*, inquit, *omnes docibiles Dei, & ipſe erit omnia in omnibus*.

Johan 6 45.

Ut audio, plenitudo quam exſpectamus à Deo, non erit niſi de Deo.

Bona futura vera quoad animam.

5. Quis vero comprehendat, quàm magna multitudo dulcedinis in brevi iſto ſermone ſit comprehenſa, *Erit Deus omnia in omnibus* ! Ut de corpore taceam, in anima tria intueor : Rationem, Voluntatem, Memoriam : & hæc tria ipſam animam eſſe. Quantum cuique horum in præſenti ſæculo deſit de integritate ſua & perfectione, ſentit * omnis qui ambulat in ſpiritu.

* al. novit.

Quare hoc, niſi quia Deus nondum eſt omnia in omnibus ? Hinc eſt quod & ratio ſæpiſſime in judiciis fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione jactatur, & memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura ſubjecta eſt non volens, in ſpe tamen. Nam qui replet in bonis deſiderium animæ, IPSE rationi futurus eſt plenitudo lucis, ipſe voluntati multitudo pacis, ipſe memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, caritas, æternitas ! O beata & beatificans Trinitas ! ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat, quoniam à te infeliciter exſulat. Diſcedens à te quantis ſe intricavit erroribus, doloribus, timoribus ! Heu me ! qualem pro te commutavimus trinitatem ! *Cor meum conturbatum eſt*, & inde dolor : *dereliquit me virtus mea*, & inde pavor ; *& lumen oculorum meorum non eſt mecum*, & inde error. En quàm diſſimilem trinitatem, ô animæ meæ trinitas, exſulans oſtendiſti.

Pſal. 37. 11.

6. Verumtamen quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me ? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi ; cum error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis receſſerit ; & ſucceſſerit illa quam ſperamus mira ſerenitas, plena ſuavitas, æterna ſecuritas. Primum illud faciet veritas Deus, ſecundum caritas Deus, tertium ſumma poteſtas Deus : ut ſit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexſtinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem conſequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. Videritis vos, recte ne primum illud Filio, Spiritui-ſancto ſequens, Patri ultimum aſſignetis ; ſic tamen ut nihil horum vel Patri, vel Filio, vel Spiritui-ſancto ſubtrahatis ; ne cui forte perſonarum aut plenitudinem minuat diſtinctio, aut proprietatem tollat perfectio. Simul & hoc advertite, quid ſimile filii hujus ſæculi experiantur de carnis illecebris, de mundi ſpectaculis, & de pompis ſatanæ : cum tamen hoc totum ſit, unde vita præſens eludit miſeros amatores ſuos, dicente Johanne : *Quicquid in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi*. Hæc de redemptionis fructu.

Pſal. 42. 6.

1. Johan 2 17.

7. In modo quoque, quem, ſi recolitis, Dei eſſe exinanitionem diffinivimus, tria item præcipue vobis intuenda commendo *. Non enim ſimplex aut modica illa exinanitio fuit : ſed ſemetipſum exinavivit uſque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis digne penſet, quantæ fuerit humilitatis, manſuetudinis, dignationis, Dominum majeſtatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce ? Sed dicit aliquis : Non valuit opus ſuum reparare Creator abſque iſta difficultate ?

In modo redemptionis tria conſideranda.

* al. committo

Philip. 2. 7.

Cur tam laborioſe nos redemit Deus.

Tom. IV. Valuit, ſed maluit cum injuria ſui, ne peſſimum atque odioſiſſimum vitium ingratitudinis occaſionem ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis aſſumſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret; commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus eſſe devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus ſum, ſed nullo auctoris gravamine vel labore: ſiquidem dixit, & factus ſum, quemadmodum & univerſa. Quid magnum eſt, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde ſumebat, unde amoris cauſam habere debuerat *, idque ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo pro te, ô homo, diſpendium fecit: de Domino ſervus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis filius fieri non deſpexit. Memento jam te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At vero per totos triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit ſuſtinens! Carnis neceſſitates, hoſtis tentationes, nonne ſibi crucis aggravavit ignominia, mortis cumulavit horrore? Neceſſarie quidem. Sic, ſic homines & jumenta ſalvaſti, Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.

* al. debebat.

Quantum Chriſtus propter hominem paſſus. Pſal. 35. 8.

8. Hæc meditamini, in his verſamini. Talibus odoramentis refovete viſcera veſtra, quæ diu torſit odor moleſtior peccatorum, ut abundetis & his unguentis, non minus ſuavibus, quàm ſalutaribus. Nec tamen adhuc vos putetis habere illa optima, quæ in ſponſæ uberibus commendantur. De quibus incipere modo, finiendi jam ſermonis anguſtia prohibet. Quæ dicta ſunt de aliis, tenete memoria, probate vita; & de his juvate me precibus veſtris, ut digne loqui poſſim quod & dignum ſit tantis ſponſæ deliciis; & veſtras animas ad amorem ædificet ſponſi Domini noſtri Jeſu Chriſti, amen.

SERMO XII.

De pretioſo unguento pietatis; & de veneratione à ſubditis erga Prælatos ſuos exhibenda.

1. DUo me unguenta vobis tradidiſſe recordor: unum Contritionis, delicta multa complectens: alterum Devotionis, multa continens beneficia; ambo ſalubria, ſed non ambo ſuavia. Primum ſiquidem pungitivum ſentitur, quia movet ad compunctionem amara recordatio peccatorum, & dolorem facit: cum ſequens mitigatorium ſit, divinæ bonitatis intuitu conſolationem dante, & ſedante dolorem. Sed eſt unguentum, quod ambobus longe antecellit: & hoc appellaverim Pietatis, eo quod fiat de neceſſitatibus pauperum, de anxietatibus oppreſſorum, de perturbationibus triſtium, de culpis delinquentium, & poſtremo de omnibus quorumlibet miſerorum ærumnis, etiamſi fuerint inimici. Deſpicabiles videntur ſpecies iſtæ: ſed eſt ſuper omnia aromata unguentum, quod ex eis conficitur. Sanativum eſt; *Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Igitur multæ miſeriæ collectæ, atque oculo pietatis inſpectæ, ipſæ ſunt ſpecies, ex quibus unguenta optima componuntur, ſponſæ digna uberibus, ſponſi ſenſibus grata. Felix mens, quæ talium collectione aromatum ſeſe ditare & impinguare curavit, infundens ea oleo miſericordiæ, & ardore decoquens caritatis. Quis, putas, eſt jucundus homo qui miſeretur & commodat, pronus compati, ſubvenire promptus, dare quàm accipere beatius judicans; ignoſcere facilis, iraſci difficilis, ulciſci penitus non acquieſcens, & per omnia proximorum æque ut proprias reſpiciens neceſſitates? O quæcumque es anima ſic affecta, ſic imbuta rore miſericordiæ, ſic affluens pietatis viſceribus, ſic te omnibus omnia faciens, ſic facta ipſa tibi tamquam vas perditum, ut ceteris præſto ubique ſemper occurras atque ſuccurras; ſic denique mortua tibi, ut vivas omnibus: tu plane tertium optimumque unguentum felix poſſides, & manus tuæ diſtillaverunt totius ſuavitatis liquorem. Non exſiccabitur in tempore malo, nec fervor perſecutionis ebibet illud: ſed ſemper Deus memor erit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiet.

Pietatis unguentum prioribus præſtantius.

Matt. 5. 7. Ex alienis miſeriis confectum.

Pſal. 111. 5.

2. Sunt viri divitiarum in civitate Domini virtutum: quæro an apud aliquos hæc unguenta inveniantur. Et primus occurrit, ſicut ubique ſolet, mihi Paulus vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni pulvere pigmentario. Chriſti enim erat bonus odor Deo in omni loco. Multæ profecto ſuavitatis fragrantiam longe lateque ſpargebat pectus illud, quod ſic affecerat ſollicitudo omnium eccleſiarum. Vide enim quales ſpecies & qualia aromata coacervaverat ſibi. *Quotidie*, inquit, *morior per veſtram gloriam.* Et rurſum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Et multis talibus, quæ vobis bene nota ſunt, abundabat dives iſte in componendis unguentis optimis. Decebat namque primis & puriſſimis aromatibus redolere ubera, quæ Chriſti membra lactarent, quorum Paulus mater erat pro certo, parturiens ſemel & iterum, donec Chriſtus formaretur in eis, ac membra capiti ſuo reformarentur.

1 Paulus [illegible]

2. Cor. 2. 15. 1. Cor. 15. 31. 2. Cor. 11. 29.

Gal. 4. 19.

3. Audi & de alio divite, quomodo ad manum habebat electas ſpecies, de quibus optima unguenta conficeret: *Foris*, inquit, *non manſit peregrinus. Oſtium meum viatori patuit.* Item, *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Si negabam quod volebant pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. Si deſpexi prætereuntem* [a], *eo quod non haberet indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt.* Quanto putamus vir iſte odore terram reſperſerat in his operibus? Singula opera ſingula erant aromata. His propriam repleverat conſcientiam, ut fœtorem putidæ carnis internæ ſuavitatis exhalatione ſibi temperaret.

Item Job 31. 32. Job 29. 15. Job 31. 16.

4. Joſeph poſtquam univerſam Ægyptum poſt ſe fecit currere in odore unguentorum ſuorum, etiam ſuis venditoribus eamdem demum fragrantiam propinavit. Et quidem increpatoria verba vultu proferebat irato; ſed erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices, ſed gratiæ proditrices. Samuel lugebat Saül, qui ſe quærebat occidere, & ad ignem caritatis incaleſcente pectore liquefactus intus, pietatis adeps foras emanabat per oculos. Ob bonum denique quem circumquaque diffuderat ſuæ opinionis odorem, refert de eo Scriptura: *Quia cognoverunt omnes a Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuël propheta eſſet Domini.* Quid de Moyſe dicam? quanto adipe & pinguedine & ipſe repleverat viſcera ſua? Nec domus illa exaſperans, in qua pro tempore verſabatur, potuit umquam in omni murmure & furore ſuo unctionem ſpiritus, qua ſemel imbutus fuerat, exterminare, quominus inter aſſiduas lites & quotidiana jurgia ipſe in ſua manſuetudine perduraret. Merito teſtatus eſt Spiritus-ſanctus de eo, quod eſſet *mitiſſimus omnium hominum, qui morabantur ſuper terram.* Siquidem cum his qui oderant pacem, erat pacificus, in tantum ut populo ingrato & rebelli non modo non iraſceretur, ſed & iraſcentem Deum ſuo interventu leniret, ſicut ſcriptum eſt: *Dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus, ut averteret iram ejus ne diſperderet eos.* Denique, *Si dimittis*, ait, *dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* O vere hominem unctum unctione miſericordiæ! Loquitur plane parentis affectu, quam nulla poſſit delectare felicitas,

Joſeph qualis.

Gen. 42. 9.

[illegible] Samuel.

1. Reg. 15. 35.

1. Reg. 3. 20.

Et Moyſis.

Num. 12. 3.

Pſal. 105.

Pſal. 105. 23.

Exod. 32. 32.

a Hæc vocis lectio: nunc Vulgata habet, *pereuntem*, ſecundum textum hebraicum & græcum LXX. Interpretum.

exſortibus [illegible]. Verbi gratia, ſi dives qui-A piam mul[illegible] dicat: Ingredere tu ad prandium meum [illegible] quem geſtas [illegible] lum relinque foris, quoniam plorat, & moleſtus eſt nobis: numquid faciet? Nonne magis eliget jejunare, quàm expoſito pignore caro, ſola prandere cum divite? Ita nec Moyſi ſedet ſi ſinit ſe introduci in gaudium Domini ſui, foris ſcilicet remanente populo, cui, licet inquieto & ingrato, vice pariter & affectione matris inhæret. Dolent viſcera, ſed tolerabiliorem ſibi judicat tortionem, quàm evulſionem.

Item David. 2. Reg. 1. 11. 5. Quid David manſuetius, qui illius mortem lugebat qui ſuam ſemper ſitierat? Quid benignius, ut ejus moleſte ferret deceſſum, cui ſuccedebat in re-B gnum? Sed & de morte parricidæ filii, quàm difficile 2. Reg. 18. 4. conſolationem admiſit? Magnam profecto optimæ unctionis copiam præferebat tuus affectio. ideo & ſe- Pſal. 131. 1. curus orabat, dicens: *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus.* Ergo hi omnes habuerunt unguenta optima, quibus hodieque per univerſas eccleſias ſuaviſſime redolent. Nec ſolum ipſi, ſed & quicumque ſe in hac vita ita benevolos & benevolos Quinam communi utilitate. præbuerunt, ita inter homines humane vivere ſtuduerunt, quatenus omnem, quam viſi ſunt habuiſſe gratiam, non ſibi tenerent, ſed in commune deducerent, æſtimantes ſe amicis pariter & inimicis, ſapientibus & inſipientibus debitores. Cumque fuiſſent C utiles omnibus, humiles in omnibus, & præ omnibus extiterunt dilecti Deo & hominibus: quorum fragrantia in benedictione eſt. Quotquot, inquam, tales præceſſerunt, fragrârunt ſuis temporibus, fragrant & hodie unguentis optimis. Tu quoque ſi donum quod deſuper accepiſti, nobis contubernalibus tuis libenter impertiaris, ſi te exhibeas ubique inter nos officioſum, ſi affectuoſum, ſi gratum, ſi tractabilem, ſi humilem: teſtimonium habebis ab omni- Boni Religioſi nota & elogia. bus, quòd fragres & ipſe unguentis optimis. Omnis in vobis, qui fraternas infirmitates, tam corporum, quàm animorum, non ſolum patienter ſupportat, ſed inſuper, ſi licet, & ſi valet, juvat obſequiis, confor-D *aliq. addunt, & relevat tat alloquiis, conſiliis informat*: ſi hoc non poteſt * V. ſerm. 3. de adventu num. 3. propter diſciplinam*, ſollicitis ſaltem orationibus ſolatiari non ceſſat infirmo: omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino ſpargit odorem inter fratres, & odorem de unguentis optimis. Balſamum in ore, hujuſcemodi frater in congregatione: 2. Mach. 15. 14. monſtratur digito, & dicunt de eo omnes: *Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael; hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate.*

6. Sed recurramus ad Evangelium, atque aliquid, quod forte ſpectet & ad hæc unguenta, requiramus. Marc. 16. 1. *Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.* Quænam iſta un-E guenta, tam pretioſa ut Chriſti corpori parentur & comparentur, tam copioſa ut toti ſufficiant? Neu- *emptum deeſt pluribus mſſ. trum quippe duorum præcedentium aut emptum*, aut factum ſpecialiter ad opus Domini, aut toto in corpore legitur fuiſſe diffuſum. Sed deſubito intro- Joban. 12. 3. ducitur mulier, uno quidem in loco oſculans pedes, & unguento ungens: in altero vero vel ipſa, vel al- Marc. 14. 3. tera, habens alabaſtrum unguenti, & illud mittens in caput. Ceterum nunc, *emerunt*, ait, *aromata ut venientes ungerent Jeſum.* Emunt non unguenta, ſed aromata: & unctio in obſequium Domini non facta aſſumitur, ſed nova conficitur: nec ad ungendam tantum aliquam corporis partem, verbi gratia pedes aut F caput; ſed ſicut ſcriptum eſt, *Ut venientes ungerent Jeſum.* quod eſt totius complexio, non partis diſtinctio.

7. Tu quoque ſi te induas viſcera miſericordiæ, liberalem benignumque exhibeas, non tantum parentibus ſive cognatis tuis, aut quos tibi vel benefactores Matth. 5. 47. teneſ, vel benefacturos ſperas, nam & ethnici hoc Gal. 6. 10. faciunt; ſed, juxta Pauli conſilium, ſtudeas operari bonum ad omnes, ita ut propter Deum nec inimico officium humanitatis corporale ſeu ſpirituale negan-

A du[illegible] ſubtrahendumve [illegible] abundar[illegible] optim[illegible] Do[illegible] tantum, ſed paſſion, quantum [illegible] gere ſuſcepit e totum corpus, quod [illegible] forte p[illegible]de ob hoc Dominus Jeſus [illegible] confectionem expendi noluit in ſuo [illegible] tuo, ut ſervaret vivo. Vivit enim [illegible] manducat panem vivum, qui de cælo deſcendit [illegible] eſt unus corpus Chriſti, quod ne mortem [illegible] morti illud alterum traditum fuiſſe nullus C[illegible] nus ignorat. Ipſam ungi, ipſam foveri deſiderat [illegible] ſius infirma membra cupit fomentis accuratioribus relevari. Ipſi ergo pretioſa unguenta retinuit, cum B anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum devotionem non eluſit, ſed inſtruxit. Renuit ungi, ſed parcens, non ſpernens; non recuſans obſequium, ſed reſervans proficuum. Proficuum dico, non hujus materialis atque corporalis unguenti, ſed plane ſpiritualis, quod in iſto deſignatum eſt. In iſto ergo pepercit Magiſter pietatis unguentis optimis pietatis, quæ membris ſuis indigentibus tam corporaliter, quam ſpiritualiter omnino cuperet exhiberi. Denique paulo ante, cum in caput ejus, aut etiam in pedes funderetur unguentum, ipſumque ſatis pretioſum, numquid prohibuit? Immo & obſtitit prohibentibus. Nam & Simoni indignanti, quod ſe tan-C gi a peccatrice permitteret, longam texuit reprehenſionis parabolam; & aliis perditionem unguenti cauſantibus reſpondit, dicens: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Matt. 26. 10.

8. Nonnumquam ego, ut modicum faciam exceſ- Bernardi devotio. ſum, eum ſederem mihi ad pedes Jeſu mærens, & offerens ſacrificium ſpiritus contribulati in recordatione peccatorum meorum; aut certe ad caput, ſiquando vel raro ſtarem, & exſultarem in recordatione beneficiorum ejus, audivi dicentes: *Ut quid* Ibidem v. 8. *perditio hæc?* Cauſantes videlicet quod ſoli viverem mihi, qui, ut putabant, multis prodeſſe poſſem. Et dicebant: *Potuit enim venundari multo, & dari paupe-D ribus.* Sed non bonum mercatum mihi eſt, etiamſi univerſum mundum lucrer, meipſum perdere, & detrimentum mei facere. Unde intelligens verba hæc illas eſſe, quas Scriptura loquitur, muſcas morituras, Eccl. 10. 1. quæ perdunt ſuavitatem unguenti; recordatus ſum divinæ illius ſententiæ: *Populus meus, qui te beatificant,* Iſa. 3. 12. *in errorem inducunt.* Verum audiant excuſantem Dominum, & reſpondentem pro me, qui me quaſi de otio incuſant: *Quid*, inquit, *moleſti eſtis huic mulieri?* Matt. 26 10. quod eſt, Vos videtis in facie, & ideo ſecundum faciem judicatis. Non eſt vir, ut putatis, qui poſſit mittere manum ad fortia, ſed mulier. Quid tentatis ei imponere jugum, ad quod ego eum minus ſuffi-E cientem intueor? Bonum opus operatur in me. Stet in bono, quamdiu non convaleſcit ad melius. Si quando de muliere in virum, & virum perfectum profecerit, poterit & in opus perfectionis aſſumi.

9. Fratres, revereamur epiſcopos, ſed vereamur Epiſcopis non obloquendum. labores eorum. Si labores penſamus, non affectabimus honores. Agnoſcamus impares vires noſtras, nec delectet molles & femineos humeros virorum ſupponere ſarcinis; nec obſervemus eos, ſed honoremus. Inhumane nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Temerarie objurgat virum de prælio revertentem mulier nens in domo. Dico enim, ſi is qui de clauſtro eſt, eum qui verſa-F tur in populo, interdum minus diſtricte minusve circumſpecte ſeſe agere deprehenderit, verbi gratia Monachus maxime id decere. in verbo, in cibo, in ſomno, in riſu, in ira, in judicio; non ad judicandum confeſtim proſiliat, ſed meminerit ſcriptum: *Melior eſt iniquitas viri, quam* Eccli. 42. 14. *benefaciens mulier.* Nam tu quidem in tui cuſtodia vigilans bene facis: ſed qui juvat multos, & melius facit, & virilius. Quod ſi implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, id eſt abſque quadam inæqualitate vitæ & converſationis ſuæ; memento quia *caritas operit multitudinem peccatorum.* Hæc dicta ſint con- 1. Pet. 4. 8.

Tom. IV. tra geminam tentationem, qua ſæpe vi… religioſi A epiſcoporum vel ambire gloriam, vel exceſſus temere judicare diabolicis inſtigationibus incitamur.

10. Sed redeamus ad unguenta ſponſæ. Videſne quàm ſit præferendum ceteris iſtud pietatis unguentum, de quo ſolo permiſſum non eſt perditionem fieri? In tantum perditio de ipſo non fit, ut nec
Matt. 10. 42. aquæ frigidæ munus irremuneratum ſinatur. Bonum tamen Contritionis unguentum, quod de recorda-
Unguenta Contritionis. tione peccatorum conficitur, mittiturque in pedes
Pſal. 50. 19. Domini: quia *cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.* Ceterum longe melius eſſe arbitror id quod
Devotionis dicitur Devotionis, factum de recordatione benefi- B ciorum Dei, quippe quod & capiti idoneum reputa-
Pſal. 49. 23. Et Pietatis. tur, ita ut perhibeat de ipſo Deus: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Porro utrumque vincit unctio Pietatis, quæ de reſpectu miſerorum fit, & per univerſum Chriſti corpus diffunditur. Corpus dico, non illud crucifixum, ſed quod illius acquiſitum eſt paſſione. Optimum revera unguentum, in cujus com-
Matth. 9. 13. paratione cetera nec reſpicere ſe oſtendit, qui ait: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Hanc ergo potiſſimum inter ceteras virtutes redolere puto ubera ſponſæ, quæ ſponſi per omnia geſtit congruere voluntati. Annon odore miſericordiæ Thabita etiam in
Act. 9. 39. morte fragrabat? Et ideo cito de morte convaluit, C quia prævaluit odor vitæ.

11. Sed audite verbum abbreviatum ſuper præſenti capitulo. Quiſquis & inebriat verbis, & fragrat
Cant. 1. 1. Eccleſiæ hæc verba optime congruere. beneficiis, ſibi dictum putet, *Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et ad hæc quis idoneus? Quis noſtrum unum ſaltem horum integre perfecteque poſſideat, ut non videlicet interdum & in dicendo ſterilior, & in operando tepidior ſit? Sed eſt quæ merito & non dubie hoc præconio glorietur, Eccleſia utique, cui numquam de univerſitate ſua deeſt & unde inebriet, & unde fragret. Quod enim ſibi deeſt in uno, habet in altero, ſe-
Eph. 4. 7. cundum menſuram donationis Chriſti, ac modera- D tionem Spiritus, dividentis ſingulis prout vult. Fragrat Eccleſia in his, qui ſibi faciunt amicos de mammona iniquitatis; inebriat in miniſtris verbi, qui vino lætitiæ ſpiritualis infundunt terram, & inebriant eam, & fructum referunt in patientia. Ipſa audacter ſecureque ſeſe nominat ſponſam, tamquam quæ vere habet ubera meliora vino, & fragrantia unguentis optimis. Quod etſi nemo noſtrum ſibi arrogare præſumat, ut animam ſuam quis audeat ſponſam Domini appellare: quoniam tamen de Eccleſia ſumus, quæ merito hoc nomine, & re nominis gloriatur; non immerito gloriæ hujus participium uſurpamus. Qnod enim ſimul omnes plene integreque poſſide- E mus, hoc ſinguli ſine contradictione participamus. Gratias tibi, Domine Jeſu, qui nos cariſſimæ Eccleſiæ tuæ aggregare dignatus es, non ſolum ut fideles eſſemus, ſed ut etiam tibi vice ſponſæ in amplexus jucundos, caſtos, æternoſqne copularemur, revelata & ipſi facie ſpeculantes gloriam tuam, quæ tibi communis pariter eſt cum Patre & Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XIII.

De gloria & laude Deo ſemper attribuenda pro omnibus bonis ejus nobis impenſis.

Omnis boni auctor Deus. 1. ORigo fontium & fluminum omnium mare eſt: virtutum & ſcientiarum Dominus Jeſus-Chriſtus. Quis enim Dominus virtutum, niſi ipſe eſt Rex gloriæ? Sed & juxta Annæ canticum, idem ip-
1. Reg. 2. 3. ſe *Deus ſcientiarum Dominus eſt.* Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fome manant. Non ſolum autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, in-
Col. 2. 3. de eſt. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo. Theſauri ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid? Caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria, nonne rivuli fontis illius ſunt? Quod ſi copiæ aquarum terr…is, ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter æquora repetunt, ut inde rurſus ad viſus uſuſque noſtros jugi & infatigabili erumpant obſequio; cur non etiam ſpirituales rivi, ut arva mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertan-
tur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur Gratiæ unde ſemper agendæ Deo.
ad ſuum principium cæleſte profluvium, quò uberius terris refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit
Apoſtolus: *In omnibus gratias agentes.* Quicquid ſa- 1. Theſ. 5. 18.
pientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei ſapientiæ deputa Chriſto.

2. Et quis tam inſanus, ais, ut aliunde præſumat?
Nemo plane, adeo ut & Phariſæus gratias agat, cu- Luc. 18. 11.
jus tamen juſtitiæ non eſt laus à Deo. Nec enim illa gratiarum actio (ſi bene recolis Evangelium) gratiorem eum facit. Quare? Quia quicquid in ore devotum ſonuerit, cordis non ſufficit excuſare tumorem apud
eum, qui alta à longe cognoſcit. Deus, ô Phariſæe, non Pſal. 137. 6.
irridetur. Putas, tu habes aliquid quod non accepiſti? Nil, inquis; & ideo gratias refero largitori. Si omnino nihil; ergo nec meritum præceſſit in te ullum, ut illa, de
quibus gloriaris, acciperes. Quod ſi & fatearis, pri- Ut Phariſæi.
mo quidem fruſtra inſlaris adverſus Publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit ut tu. Deinde vide etiam ne non integre ſua dona reſignes Deo, & tibi inflectens aliquid de gloria & honore ipſius, fraudis merito arguaris, & fraudis in Deum. Si enim de his quæ jactas, ex te tibi quippiam forte arrogares, falli te magis quàm velle fraudare crederem, & errorem corrigerem. Nunc vero quia gratias agendo, probas te tibi nihil tribuere, ſed Dei eſſe dona tua merita, prudenter agnoſcere; certe ceteros aſpernando prodis te, quod in corde, & corde locutus ſis, altero commodans linguam mendacio, altero veritatis uſurpans gloriam. Non enim judicares Publicanum contemnendum præ te, ſi non præ illo te honorandum cenſeres. Sed quid reſpondes Apoſtolo, præſcribenti
& dicenti, *Soli Deo honor & gloria?* Quid Angelo diſ- 1. Tim. 1. 17.
tinguenti & docenti, quid ſibi retinere placeat Deo,
& quid partiri dignetur hominibus? Nam, *Gloria,* in- Luc. 2. 14.
quit, *in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cernitiſne Phariſæum agentem gratias, labiis quidem honorare Deum, cordis autem ſententia
ſe? Sic uſu quodam magis, quàm ſenſu vel affectu per- Perverſa gratiarum actio.
ſonare in ore multorum gratiarum actionem advertere eſt, in tantum ut homines quoque ſceleratiſſimi ad quæque flagitia & facinora ſua ſoleant gratias Deo agere, quod bene proſpereque, ut quidem ipſi ſapiunt, ceſſerit ſibi in adimpletione perverſarum voluntatum ſuarum. Audias, verbi gratia, furem, cum impiæ machinationis male cupitum manipulum reportarit, exſultantem clam, & dicentem: Deo gratias, non inanes vigilias feci, nocturnum laborem meum non perdidi. Similiter qui hominem interfecit, nonne gloriatur, & refert gratias, quod prævaluit adverſus æmulum, aut de hoſte ſe vindicavit? Et nihilo minus adulter tripudians geſtit in Dei laudes, quod diu optato concubitu tandem potitus ſit.

3. Non ergo omnis gratiarum actio accepta eſt Deo, Gratiarum actio quæ Deo grata.
niſi quæ de cordis pudica, & mera ſimplicitate procedit. Pudica ſane dixerim, propter eos qui & de malis actibus ſuis gloriantes, Deo gratias agere ſo- F lent: quaſi Deus more ipſorum lætetur cum male fecerint, & exſultet in rebus peſſimis. Audiet qui hujuſ-
modi eſt: *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis; arguam* Pſal. 49. 21.
te, & ſtatuam contra faciem tuam. Mera vero adjunxi propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis ſuis, ſed verbo tenus glorificantes, corde retinent quod ore præbuerant: & quoniam doloſe agunt in conſpectu ejus, invenitur iniquitas eorum ad odium. Illi impie mala ſua Deo, iſti Dei bona fraudulenter intorquent ſibi. Et quidem primum illud tam ſtultum, tamque ſæculare, ac quodam modo etiam beſtiale eſt, ut neceſſe non habeam de ipſo monere vos: ceterum

ſequens Religioſis maximè & ſpiritualibus viris inſidiari ſolet.

Magna & rara virtus, ſibimagnum videri, ſibi minimum.

Magna & rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te, tamen tranſeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat.

Fidelis hic Dei famulus.
Iſa. 33. 15.
Matt. 5. 16.

Tunc juxta Prophetam projicis avaritiam ex calumnia, & excutis manus tuas ab omni munere. Tunc juxta mandatum Domini, lux tua lucet coram hominibus, ad glorificandum non te, ſed Patrem qui in cœlis eſt.

Philip. 2. 21.

Sed & imitator Pauli fideliumque prædicatorum, non prædicantium ſemetipſos, æque nec tu quæ tua ſunt quæris, ſed quæ Jeſu-Chriſti.

Matt. 25. 21

Quamobrem audies & tu: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.*

Joſeph exemplo.
Gen. 39. 8.

4. Joſeph cum domum & omnia bona Ægyptii domini ſui ſibi credita ſciret, dominam non ignoravit exceptam; & ob hoc non acquievit contingere. *Non eſt*, inquit, *ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea poteſtate ſit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es.* Mulierem noverat gloriam eſſe viri, & iniquum ſibi judicavit vice contraria inglorium facere eum, qui ſe fecerat glorioſum. Advertit homo Dei ſapientia prudens, virum uxorem fortiter, tamquam C propriam zelare gloriam, ſibique ipſi retinuiſſe ſervandam, non alii credidiſſe; & manum ad non conceſſum extendere non præſumpſit. Quid ergo? Homo zelat gloriam ſuam, & Deum audet velle fraudare de ſua quaſi non zelantem? Sed audi quid dicat:

Iſa. 48. 11.
Johan. 14. 27.
Deus non dat nobis his gloriam, ſed pacem.

Gloriam, inquit, *meam alteri non dabo.* Quid ergo dabis Domine, quid dabis nobis? *Pacem*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis.* Sufficit mihi: gratanter ſuſcipio quod relinquis, & relinquo quod retines. Sic placet, ſic mea intereſſe non dubito. Abjuro gloriam prorſus, ne forte ſi uſurpavero non conceſſum, perdam merito & oblatum. Pacem volo, pacem deſidero, & nihil amplius. Cui non ſufficit pax, non D ſufficis tu.

Eph. 2. 14.
Job. 7. 20.

Tu es enim pax noſtra, qui feciſti utraque unum. Hoc mihi neceſſarium, hoc ſatis eſt, reconciliari tibi, reconciliari mihi. Nam ex quo poſuiſti me contrarium tibi, factus ſum etiam mihimet ipſi gravis. Cautus ſum, nec ingratus fore beneficio datæ pacis, nec ſacrilegus invaſor gloriæ tuæ. Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata: mecum bene agitur, ſi pacem habuero.

David & aliorum.

5. Golia proſtrato lætatus eſt populus pace recepta, ſed David ſingulariter exſtitit glorioſus. Joſue, Jephte, Gedeon, Samſon, Judith quoque, quamquam femina, glorioſe in diebus ſuis triumpharunt de hoſtibus; ſed pace cum gaudio fruentibus ceteris, nemo E eis communicavit in gloria. Judas Macchabæus, multis & ipſe inclytus victoriis, cum frequenter exſultanti populo pacem fortiter pugnando tribuiſſet, numquid gloriam quandoque eſt partitus alicui?

1. Mac. 4. 58.

Denique & facta eſt, inquit, *non gloria*, *ſed lætitia magna in populo.* Quid minus ab his omnibus Conditor omnium fecit, quominus & ipſe debeat gloriari ſingulariter? Solus cuncta creavit, ſolus de hoſte triumphavit, ſolus captivos liberavit: & ſocium habebit in gloria?

Iſa. 63. 5.
Ibidem. 3.
Soli Deo gloria.

Et brachium, inquit, *meum auxiliatum eſt mihi.* item, *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Quid mihi ergo cum victoria, ſi nec in prœlio fui? Impudentiſſime mihi arrogo vel gloriam abſque victoria, vel victoriam ſine F pugna. Sed ſuſcipite montes pacem populo, pacem ſuſcipite vobis, non gloriam, ipſi ſoli eam ſervantes, qui ſolus & pugnavit, & vicit. Ita quæſo, ita ſit:

Pax hominibus.
Luc. 2. 14.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At verò non bonæ, ſed plane iniquæ voluntatis eſt, qui nequaquam pace contentus, ſuperbo oculo & inſatiabili corde inquietus anhelat & ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens. Quis credat parieti, ſi ſe dicat

A parturire radium, quem ſuſcipit per feneſtram? aut ſi glorientur nubes quod imbres genuerint, quis non irrideat? Mihi liquido conſtat, nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ, etſi ſenſus ultra corporeus non * attingat. — Tom. IV.

* al. diſt. non.

Laus & gloria Sanctorum debetur Deo.

6. Si qua ſane in ſanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis diſcutiens, profecto reperio laudabilem ſive mirabilem alium apparere, atque alium eſſe: & laudo Deum in ſanctis ſuis, ſive ſit Eliſæus, ſive ille magnus Elias, mortuorum utique ſuſcitatores. Ipſi quidem ſuo non imperio, ſed miniſterio foris exhibent nobis nova & B inſueta: Deus vero in ipſis manens ipſe facit opera. Inviſibilis & inacceſſibilis in ſe, in ſuis ſpectabilis atque mirabilis eſt, & ſolus mirabilis, qui facit mirabilia ſolus.

Pſal. 71. 18.

Nec laus calami, laudabilis eſt pictura ſive ſcriptura; nec gloria linguæ aut labiorum, ſermo bonus. Tempus eſt ut & Propheta loquatur.

Iſa. 10. 15.

Numquid gloriabitur, inquit, *ſecuris contra eum qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? Quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus qui utique lignum eſt: ſic contra Dominum omnis qui gloriatur, ſi non in Domino glorietur.* Si gloriandum eſt, Paulus me docuit unde, & in quo.

2. Cor. 1. 12.
Gloriandum in Deo.

Gloria, inquit, *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ* C *noſtræ.* Securus glorior, ſi teſte conſcientia de gloria Conditoris nihil mihi uſurpo; ſecurus plane, quia jam non contra Dominum, ſed in Domino. Hæc nobis gloriatio non ſolum non prohibetur, ſed & ſuadetur, cum dicitur:

Johan. 5. 44.

Gloriam ab invicem quæritis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non vultis. Revera gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt. Nec mediocris iſta gloria, quippe tam vera, quàm de veritate, & in veritate tam rara, ut vix vel paucitas perfectorum perfecte glorietur in ea. Eant ergo vani filii hominum, mendaces filii hominum; eant, & decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

Pſal. 61. 10.

Nam ſapiens gloriator probabit opus ſuum, atque ad lumen veritatis D diligenter examinabit: & ſic habebit in ſemetipſo gloriam, & non in ore alterius.

Non in ore hominum.

Stultus ſum, ſi ciſtellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te cum habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio eſt probare me, vel improbare, prout volueris? Sed retineo penes me, ipſe fidelius ſervo mihi. Immo nec mihi eam credo: ipſi potius repono ſervandam, qui potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem, cautus in cuſtodiendo, fidelis in reſtituendo.

2. Tim. 1. 12.

Secura tunc erit unicuique laus à Deo, his dumtaxat qui humanas laudes contempſerint. Nam gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt, dicente etiam David: *Qui hominibus placent, confuſi* E *ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.*

Pſal. 52. 6.

Laus in hac vita non ambienda.

7. Fratres, ſi hæc ſcitis, nemo veſtrum velit laudari in vita iſta: quia quidquid hic favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipſi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde? De vitæ ſanctitate? Sed Spiritus eſt qui ſanctificat, ſpiritus dico, non tuus, ſed Dei. Etſi prodigiis ac ſignis effulgeas, in manu tua fiunt, ſed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum, & forte bene depromſeris? Sed Chriſtus donavit os & ſapientiam. Nam lingua tua quid, niſi calamus ſcribæ? Et hoc ipſum mutuo accepiſti. Talentum creditum eſt, repetendum cum uſura. Si in- F ventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quo minus, tolletur à te talentum, & nihilo minus exigetur lucrum, & vocaberis ſervus nequam & piger.

Laus omnis rectè factorum in Deum refundenda.

Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipſum laus, laudabilium ſiquidem univerſorum auctorem & largitorem; idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis; nec ſola conſuetudine, ſicut à ſæcularibus; ſed nec neceſſitate quidem, ut jumenta ferendis oneribus applicantur: ſed ſicut decet ſanctos, ſinceritate fida,

Tom. IV. devotione ſollicita, hilaritate grata, ſed non diſſo- A luta. Immolantes itaque hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra de die in diem, curemus omni vigilantia jungere ſenſum uſui, affectum ſenſui, exſultationem affectui, gravitatem exſultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati: quo interdum liberis purgatæ mentis paſſibus procedamus, & excedamus per inuſitatas quaſdam affectiones ſpiritales lætitias in jubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in ſuavitate, in Spiritu ſancto; probantes nos comprehenſos in his, quos Propheta intuebatur, cum
Pſal. 88 16. diceret: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exſultabunt tota die, & in juſtitia tua exaltabuntur.*

8. At fortaſſe aliquis mihi dicat: Bene admones, ſed ſi ea diceres quæ tuo propoſito convenirent. Exſpectate pauliſper; non ſum immemor. Nonne in
Cant. 1. 2. manibus eſt id tractare quod dicitur, *Oleum effuſum nomen tuum?* Hoc opus, hic labor eſt. Et quæ præmiſimus, an fuerint neceſſaria, vos videritis. Nunc quod ad me attinet, quia hinc aliena non ſint, paucis advertite. Non recordamini in ſponſæ uberibus extremam commendatam eſſe ſuaveolentiam unguentorum? Quid ergo conſequentius, quàm ut eamdem fragrantiam ſponſa, ne ſibi arrogare putetur, de ſponſi beneficio recognoſcat? Cui plane ſenſui illa omnia, quæ prætaxavimus, ſubſervire cognoſcitis. C Quod ubera, inquit, mea ſic redolent, & ſic placent; nec ſtudiis, nec meritis adſcribo meis, ſed tuæ, ô ſponſe, tribuo largitati; de oleo utique effuſo, nomine tuo. Hoc pro litteræ conſequentia.

9. Ceterum explanatio ipſius capituli, cujus occaſione ſuper nequiſſimo vitio ingratitudinis præſentem ſermonem tam in longum protraximus, tempus aliud, & aliud exordium ſermonis deſiderat. Nunc hoc ſolum admonitos vos eſſe ſufficiat, ſi ſponſa utique de omni virtute ſua vel gratia minime audet ſibi quippiam arrogare, quanto minus adoleſcentulæ, forte quæ nos ſumus? Dicamus proinde &
Pſal. 113 1. nos ſponſæ veſtigia inſectantes, dicamus: *Non nobis* D *Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Dicamus non verbo & lingua tantum, ſed opere & veritate, ne forte (quod nimis vereor) dicatur & de
Pſal. 77 36. nobis: *Quoniam dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* Dicamus ergo, dicamus, clamantes plus medullis cordis, quàm
Pſal. 105 47. labiis oris: *Salvos fac nos Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini ſancto tuo*, non noſtro; *& gloriemur in laude*, non noſtra, ſed *tua*, in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XIV.

De Eccleſia fidelium Chriſtianorum; & de Synagoga Judæorum perfidorum.

Pſal. 75. 2. Iſa. 9. 2. 1. NOtus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus. *Populus* gentium *qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*, quæ erat in Judæa, & in Iſraël,
1. Pet. 2. 10. voluitque accedere & illuminari, ut qui aliquando non populus, nunc populus eſſet; lapiſque unus angularis ambos in ſe parietes venientes è diverſo reciperet, & eſſet de cetero in pace locus ejus. Porro fiduciam dabat invitantis vox quæ jam ſonuerat: *La-*
Rom. 15. 10. ex Deut 32. ſecundum LXX. *tamini gentes cum plebe ejus.* Ergo accedere voluit; ſed vetuit Synagoga, immundam aſſerens Eccleſiam de gentibus & indignam, idololatriæ fæcem & ignorantiæ cæcitatem improperans, & dicebat: Tu enim quo me-
Rom. 3. 29. rito? Noli me tangere. Cur inquit? *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium?* Et ſi mihi certe meritum deeſt, ſed non illi miſeratio. Numquid ſolummodo
Pſal. 118 77. Ibid. 156. juſtus eſt? Eſt & miſericors. Domine, *Veniant mihi miſerationes tuæ & vivam.* & rurſum: *Miſericordiæ tuæ multæ Domine, ſecundum judicium tuum vivifica me*: quod utrumque temperatum, miſericordia eſt. Quid faciet juſtus & miſericors Dominus, altera gloriante in lege, A & applaudente juſtitiam ſibi, nec indigente miſericordia, ſed deſpiciente ipſam quæ indiget; altera è regione propria cognoſcente delicta, confitente indignitatem, renuente judicium, flagitante miſericordiam? quid, inquam, faciet Judex, & ille Judex, cui & judicare, & miſereri ſic utrumque familiare eſt, ut neutrum altero familiarius? Quid ſane poſſit convenientius, quàm ut pro ſuo quæque accipiat voto, judicium illa, iſta miſericordiam? Judæus judicium quærit, & habeat: Gentes autem ſuper miſericordia honorent Deum. Et eſt judicium, ut qui contemnunt Dei miſericordem juſtitiam, & ſuam volunt conſtituere, (quæ profecto non juſtificat, ſed accuſat) eidem ſuæ B juſtitiæ relinquantur, opprimendi magis, quàm juſtificandi. Judæis judicium, Gentibus miſericordia obtigit.

2. Eſt quippe ex lege, quæ neminem umquam duxit ad perfectum: eſt jugum, quod neque ipſi, neque patres eorum umquam portare potuerunt. Sed ſynagoga fortis eſt, non curat onus leve nec jugum ſuave. Sana eſt, non eſt ei opus medicus, nec unctio Spiritus. Confidit in lege, liberet eam ſi poteſt. Non autem data eſt lex quæ poſſit vivificare, inſuper & occidit: *Littera enim occidit. Propterea*, inquit, *dixi vobis: Moriemini in peccatis veſtris.* Hoc ergo judicium, 2. Cor 3. 6. Joan. 8 24.
ô Synagoga, quod flagitas errori tuo. Cæca & contentioſa deſerêris, donec plenitudo Gentium (quas ſu- C perba ſpernis, & invida repellis) introeat, & agnoſcat etiam ipſa ipſum qui notus eſt in Judæa Deus, quodque eſt in Iſraël magnum nomen ejus. Hoc quippe in judicium venit Jeſus in hunc mundum; *ut qui* Joan. 9 39.
non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Ex parte tamen: *quia non repellet Dominus plebem ſuam* ex toto, Pſal. 93. 14.
ſervans ſibi ad ſemen Apoſtolos & multitudinem credentium, quorum erat cor unum, & anima una. Sed nec repellet in finem, reliquias ſalvaturus. Iterum enim ſuſcipiet Iſraël puerum ſuum; & recordabitur Luc. 1. 54.
miſericordiæ ſuæ, ut ne ibi quidem judicium deſerat comes miſericordia, ubi nullum ipſa reperit locum. Alioquin ſi pro meritis recepiſſet; judicium profecto Jacob. 2. 13.
D ſine miſericordia ei qui non facit miſericordiam. Habet quippe Judæa oleum multum divinæ notitiæ, idque in ſe tamquam in vaſe clauſum avara retinet. Peto, & non miſeretur, nec commodat. Sola Dei cultum, ſola notitiam, ſola vult poſſidere magnum nomen ejus: nec zelat ſibi, ſed invidet mihi.

3. Ergo tu, Domine, judica judicium meum, & nomen tuum magnum magnificetur adhuc, & oleum quod multum eſt, multiplicetur magis. Creſcat, ebulliat, effundatur, derivetur & in Gentes, & ſentiat omnis caro ſalutare Dei. Quo pacto, ut vult Judæus ingratus, tota in barba Aaron remaneat unctio ſalutaris? Non barbæ, ſed capitis eſt. Caput autem non E barbæ ſolius, ſed & totius eſt corporis. Capiat ſane prima, non ſola. Refundat & inferioribus membris quod accepit ipſa deſuper. Deſcendat, deſcendat & in ubera Eccleſiæ ſupernus liquor, (avida quippe nimis hunc ſibi exprimere de barba non deſpicit:) perfuſaque rore gratiæ, ut ſe non ingratam probet, dicat: *Oleum effuſum nomen tuum.* Sed exuberet quæſo Cant 1. 2.
adhuc & perveniat uſque in oram veſtimenti. In me utique omnium noviſſimo atque indigniſſimo, de veſtimento tamen. Nam & ego illud mihi de maternis uberibus, tamquam parvulus in Chriſto, jure profecto pietatis efflagito. Quod ſi murmuret ho- F mo, cui de bonitate oculus nequam eſt; Domine reſponde pro me, de vultu tuo judicium meum prodeat, & non de ſupercilio Iſraël. Immo reſponde pro te, & dic calumniatori (tibi quippe calumniatur, quod tribuas gratis.) dic proinde illi: *Volo &* Matt 20 14.
huic noviſſimo dare ſimiliter. Diſplicet Phariſæo. Quid muſſitas? Jus meum, voluntas eſt Judicis. Quid juſtius ad meritum, quid ad præmium ditius? An non licet ei quod vult facere? Mihi quidem miſericordia, ſed tibi minime injuria fit. Tolle quod tuum eſt, & vade. Si decreverit ſalvare & me, quid tu perdis? Eccleſia totum, pro gratia Synagoga diffuſione.

Pſal. 62, 4.
Onus ejus leve.
* al. plutis.
Synagoga præſumptio.

4. Exaggera quantumvis merita, & extolle ſudores: melior eſt miſericordia Domini ſuper vitas. Fateor, non ſuſtinui pondus diei & æſtus: ſed jugum ſuave & onus leve pro beneplacito Patrisfamilias porto. Opus meum vix unius eſt horæ: & ſi plus *, præ amore non ſentio. Judæus proprias exercitet vires: mihi probare libet, quæ ſit voluntas Domini bona, & beneplacens, & perfecta. Ex ea ſane operis ac temporis damna mihi reſarcio. Ille pacto conventionis, ego placito voluntatis innitor; credo, & non ad inſipientiam mihi. nam vita in voluntate ejus. Illa mihi reconciliat Patrem, illa hereditatem reſtituit, etiam cumulatiori gratia: ſymphoniæ, & cantus, & epularum, ac totius exſultantis familiæ celeberrima gaudia ſuſcitat mihi. Si indignatur frater meus ſenior ille, qui hœdum comedere mavult cum amicis ſuis foris, quam mecum in paterna domo vitulum ſaginatum, reſpondebitur illi: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, & revixit; perierat & inventus eſt.* Adhuc ſynagoga foris epulatur cum amicis ſuis dæmonibus, quibus ſatis placet, quod hœdum peccati inſipiens devorat tranſglutiens, atque quodam modo occultans, & reponens ſibi illud in ventre ſocordiæ & inſipientiæ ſuæ, dum contemnens Dei juſtitiam, & ſuam volens conſtituere, dicit ſe non habere peccatum, nec morte egere vituli ſaginati, mundam ſiquidem juſtamque ex legis operibus ſe reputans. At vero Eccleſia, ſciſſo velo occidentis litteræ in morte Verbi crucifixi, audacter ad ejus penetralia præeunte ſpiritu libertatis irrumpit, agnoſcitur, placet, ſortitur æmulæ locum, fit ſponſa, fruitur præreptis amplexibus; & in calore ſpiritus Chriſto Domino, cui confricatur, inhærens, ſtillante ac fundente undique ſuæ oleum exſultationis, hoc illa præ participibus ſuis excipiens, ait: *Oleum effuſum nomen tuum.* Quid mirum ſi ungitur, quæ unctum amplectitur?

Luc. 15. 32.
Synagogæ repudium & Eccleſiæ connubium.

Unio perfectorum cum ſponſo.

5. Eccleſia ergo recumbit intus, ſed Eccleſia interim perfectorum. Spes tamen eſt & nobis. Excubemus pro foribus qui minus perfecti ſumus, ſpe gaudentes. Sponſus & ſponſa ſoli interim intus ſint, mutuis ſecretiſque fruantur amplexibus, nullo ſtrepitu carnalium deſideriorum, nullo corporeorum phantaſmatum perturbante tumultu. Turba vero adoleſcentularum, quæ abſque hujuſmodi inquietudinibus nondum eſſe poſſunt, foris exſpectent; exſpectentque ſecure, ſcientes ad ſe illud ſpectare quod legunt: *Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi.* Et ut quæque ſciat cujus ſpiritus ſit, virgines dico illas, quæ ante Chriſto fœderatæ, quam fœdatæ mundi complexibus, ipſi firmiter perſeverant, cui ſe tanto felicius, quanto maturius devoverunt: proximas vero, quæ priſtinam ſuam deformitatem, in qua mundo huic quandoque conformes, mundi principibus, id eſt ſpiritibus ſpurcis, in omni carnali concupiſcentia ſeſe turpiter proſtituerant, tandem aliquando erubeſcentes & exeuntes, in novi hominis formam, quanto ſerius, tanto ſincerius reformare feſtinant. Et hæ & illæ ſane proficiant, non deficiant neque fatigentur: etſi necdum plene in ſe ſentiunt, unde dicant & ipſæ: *Oleum effuſum nomen tuum.* Nec enim audent adoleſcentulæ per ſe facere verba ſponſo. Tamen ſi magiſtræ veſtigiis preſſius inhærere ſtudent, effuſi olei ſaltem odore delectabuntur, & incitabuntur etiam de odoris perceptione cupere & quærere potiora.

Pſal. 44. 15.

Perfectorum memoria recreatus Bernardus.

6. Frequenter ego ipſe (quod fateri non verecundor) maximeque in initio converſionis meæ, corde durus & frigidus, & quærens quem vellet diligere anima mea; (nec enim adhuc diligere poterat quem nondum invenerat, aut certe minus quam vellet diligebat, & ob hoc quærebat ut magis diligeret; quem nequaquam quæreret, niſi jam aliquatenus dilexiſſet.) Cum ergo eum quærerem, in quo recaleſceret atque requieſceret ſpiritus meus, ubique torpens & languens; nec ulla de parte occurreret qui

Tom. IV.
* al. pruina.

ſuccurreret, per quem videlicet bruma * rigens, quæ ſenſus ſtringebat internos, diſſolveretur, & vernalis illa ſuavitas ac ſpiritualis amœnitas reverteretur: tunc magis ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea; præ tædio, triſtis & pæne deſperans, & muſſitans ſecum illud: *A facie frigoris hujus quis ſuſtinebit?* cum ſubito forte ad affatum, vel etiam aſpectum cujuſpiam ſpiritualis perfectique viri, interdum & ad ſolam defuncti ſeu abſentis memoriam, flabat ſpiritus, & fluebant aquæ; & erant mihi lacrymæ illæ panes die ac nocte. Quidnam iſtud, niſi odor exhalantis unctionis, qua erat ille perfuſus? Non enim unctio, quæ ad me nimirum niſi homine mediante non pertingebat. Ea propter etſi gaudebam de munere, confundebar tamen & humiliabar, quod ſola ad me tenuis exhalatio, & non pinguis aſperſio perveniſſet. Odoratu quippe delectatus, non tactu, indignum me proinde cognoſcebam, cui per ſe ipſum dulceſceret Deus. Et nunc idipſum ſi accidat, avidus quidem ſuſcipio munus indultum, gratumque habeo: ſed dolens doleo per me ipſum non meruiſſe, atque (ut dicitur) de manu in manum minime accepiſſe, cum obnixe id peterem. Pudet nimirum magis ad hominis, quàm ad Dei moveri memoriam. Et tunc cum gemitu clamo: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Exiſtimo & aliquos veſtrum idem eſſe expertos, & experiri interdum adhuc. Qua in re quid ſentiendum, niſi quod noſtra aut ſuperbia convincitur, aut humilitas cuſtoditur, aut fraterna caritas nutritur, aut deſiderium excitatur? Unus idemque cibus & ægrotis eſt medicina, & ægrotativis diæta: porro & debiles confortat, & delectat valentes. Unus idemque cibus & languorem ſanat, & ſervat ſanitatem: & corpus nutrit, & palato ſapit.

Pſal 147. 17.
Pſal. 41. 3.
Cauſa hujus rei.

Profectus ex convicio.

7. Sed redeamus ad verba ſponſæ, & ſic curemus audire quæ ait, ut ſtudeamus & ſapere quod ſapit. Sponſa (ut dixi) Eccleſia eſt. Ipſa eſt cui plus dimiſſum eſt, & quæ plus diligit. Quod æmula improperat ei ad convicium, hoc ſibi ipſa inflectit ad commodum. Inde manſuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem; inde ardentior ad amorem, inde ſagacior ad cautelam; inde humilior pro conſcientia, inde acceptior pro verecundia; inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior ac ſollicitior. Denique illa (ut dictum eſt) murmurante & memorante merita ſua, & labores, & pondus diei & æſtus, Eccleſia beneficium recolit dicens: *Oleum effuſum nomen tuum.*

8. Hoc plane teſtimonium Iſraël ad confitendum nomini Domini: non tamen Iſraël ſecundum carnem, ſed ejus qui ſecundum ſpiritum eſt. Nam hoc ille quo pacto dicat? Non quod non habeat oleum, ſed non habet effuſum. Habet, ſed reconditum; habet in codicibus, ſed non in cordibus. Foris hæret in littera: contrectat manibus vas plenum, ſed & clauſum, nec aperit ut ungatur. Intus, intus eſt unctio ſpiritus: aperi & ungere, & jam non eris domus exaſperans. Quid facit oleum in vaſis, ſi non ſentias & in membris? Quis tibi prodeſt pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus? Oleum eſt: effunde, & ſenties virtutem ejus, quæ triplex eſt. Sed Judæus iſta faſtidit, vos audite. Volo dicere cur nomen ſponſi oleo comparetur, quod nondum dixeram. Et tres hujus rei occurrunt cauſæ. At quoniam pluribus vocabulis appellatur, eo quod nullum quo proprie dicatur invenitur, (ineffabilis quippe eſt:) prius nobis invocandus eſt Spiritusſanctus, ut de multis unum, quod vult hoc loco intelligi, (quoniam ſcripto deſignare non placuit) per ſe nobis aperire dignetur. Sed hoc quoque alias. Nam etſi in promptu nunc eſſent omnia, & neque vos onerati, nec ego fatigatus eſſem, hora tamen finem indicit. Tenete in quo attentos vos reddidi, ut non ſit cras neceſſe repetere. Hoc incumbit, hoc in manibus eſt, docere ſcilicet, cur nomen ſponſi oleo comparetur: & quod de nominibus. Et quoniam non poſſum

Pietas non in libris ſed in moribus habenda.

Tom. IV. ego à me dicere quicquam, indicta oratio eſt, ut nobis ſponſus ipſe revelet per Spiritum ſuum Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XV.

Qualiter nomen JESUS *eſt medicina ſalubris fidelibus Chriſtianis in omnibus adverſis.*

Sap. 1. 6. 1. BEnignus eſt Spiritus ſapientiæ, & non conſuevit eſſe difficilis ſe invocantibus, qui ſæpe & antequam invocetur, dicit, *Ecce adſum.* *Iſa. 65. 24.* Audite jam quod orantibus vobis per me indicare dignatur de eo, quod heri ad hoc ipſum diſtulimus, & orationum veſtrarum fructum tempeſtivum percipite. En oſtendo nomen, quod oleo merito comparatur; & quo merito, dicam. *Sponſi nomina, alia majeſtatis, alia pietatis.* Multa quidem Sponſi vocabula ſparſa per omnem divinam paginam legitis, ſed in duo ea vobis univerſa complectar. Nullum, ut arbitror, reperietis, quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam majeſtatis ſonet. Spiritus ita dicit etiam per ſibi familiarius organum: *Pſal. 61. 12.* *Duo hæc audivi, Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* *Pſal. 110. 9.* Ergo ſecundum majeſtatem *ſanctum & terribile nomen ejus;* ſecundum pietatem, *Non eſt nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* *Act. 4. 12.* Sed exemplis magis perſpicuum fiet. *Hoc eſt,* inquit, *nomen quod vocabunt eum, Dominus, juſtus noſter* *Jer. 23. 6.* Nomen potentiæ eſt. Item, *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel;* *Iſa. 7. 14.* pietatem inſinuat. Item ipſe de ſe: *Vos vocatis me,* ait, *Magiſter, & Domine.* *Joan. 13. 13.* Primum gratiæ eſt, ſecundum majeſtatis. Non enim minus pium eſt docere animum ſcientiam, quàm præbere eſcam corpori. Rurſum Propheta: *Vocabitur,* inquit, *nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* *Iſa. 9. 6.* Primum, tertium, quartum, majeſtatem ſonant; reliqua pietatem. *Effuſio nominum Dei in invicem.* Quod horum ergo effunditur? Profecto majeſtatis ac potentiæ nomen, in id quod eſt pietatis & gratiæ, quodam modo transfunditur, ipſumque effunditur abunde per Jeſum-Chriſtum Salvatorem noſtrum. Nomen (verbi cauſa) quod *Deus* eſt, nonne in id quod eſt *Nobiſcum Deus,* hoc eſt in *Emmanuel,* liqueſcit & deficit? Sic *Admirabilis* in id quod eſt *Conſiliarius;* ſic *Deus* & *Fortis* in ea quæ ſunt *Pater futuri ſæculi* & *Princeps pacis;* & *Dominus juſtus noſter* in *Miſericors* & *miſerator Dominus.* Non dico novum quid: quondam quoque nihilo minus Abram in Abraham, & Sarai in Saram effuſa ſunt; & jam tunc ſalutiferæ effuſionis celebratum præfiguratumque myſterium recordamur.

Exod. 20. 2. *Nomina Dei olim terribilia, nunc delectabilia.* 2. Ubi jam illud, quod apud antiquos tam terribiliter, quàm frequenter intonare ſolebat: *Ego Dominus, ego Dominus?* Mihi dictatur oratio cujus principium, nomine dulce paterno, ſequentium obtinendarum petitionum præbet fiduciam. Servi nominantur amici, & reſurrectio non ſaltem * Diſcipulis, ſed fratribus nuntiatur. ** Sic MSS. al. tantum.* *Joan. 15. 14.* *Matt. 28. 10.* *Joel 2. 28.* Nec miror, ſi cùm venit plenitudo temporis, facta eſt effuſio nominis, Deo quippe quod per Joelem promiſerat adimplente, & effundente de Spiritu ſuo ſuper omnem carnem, cum tale aliquid & apud Hebræos olim contigiſſe legam. Credo vos prævolare, & ſcire jam quid dicere velim. Quale erat, inquam, quod ſciſcitanti Moyſi primo reſponſum eſt: *Ego ſum qui ſum?* & , *Qui eſt, miſit me ad vos?* *Exod. 3. 14.* Neſcio an vel ipſe Moyſes caperet ſic, ſi non videlicet effunderetur. Sed fuſum eſt, & captum eſt; nec modò fuſum, ſed & effuſum: nam infuſum jam erat. Jam cæli habebant illud, jam Angelis innotuerat. Eſt autem foris miſſum; & quod Angelis ita erat infuſum ut eſſet & privatum, effuſum & in homines eſt, ita ut jam tunc meritò clamaretur de terra, *Oleum effuſum nomen tuum:* *Cant. 1. 2.* ſi non ingratæ plebis exoſa pervicacia obſtitiſſet. Ait enim: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob.* *Exod. 3. 6.*

3. Currite gentes: ad manum eſt ſalus, effuſum eſt nomen, quod quicumque invocaverit, ſalvus erit. Angelorum Deus, etiam hominum Deum ſe nominat. Oleum miſit in Jacob, & cecidit in Iſraël. Dicite fratribus veſtris: *Date nobis de oleo veſtro.* *Vocem Gen. l. um.* Si noluint, rogate Dominum olei, ut mittat & vobis. Dicite, *Aufer opprobrium noſtrum.* Ne quæſo inſultet malevolus dilectæ tuæ, quam à finibus terræ evocare placuit tibi, tanto utique dignantiùs, quanto minùs dignam. Decetne obſecro, ut benigni patrisfamilias invitatos ſervus nequam excludat? *Ego ſum,* ais, *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Et non amplius? Effunde, effunde; aperi manum tuam adhuc, & imple omne animal benedictione. Veniant ab Oriente & Occidente, & recumbant cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum. *Mat. 8. 11.* Veniant, veniant tribus, tribus Domini; teſtimonium Iſraël ad *Pſal. 121. 4.* confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant, epulentur & delectentur in lætitia, & unus ubique reſonet in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. *Pſal. 41. 5.* *Oleum effuſum nomen tuum.* Unum ſcio, ſi Philippum & Andream habuerimus oſtiarios, repulſam omnino non patimur quicumque oleum petimus, quicumque volumus Jeſum videre. Incunctanter Philippus dicet Andreæ: Andreas autem & Philippus dicent Jeſu. Jeſus autem quid? Profectò quod Jeſus. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* *Joan. 12. 24.* Moriatur igitur granum, & ſurgat gentium ſeges. Oportet pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, non ſolùm in Judæam, ſed etiam in omnes gentes: quatenus ab uno nomine, quod eſt Chriſtus, millia millium credentium Chriſtiani dicantur, & dicant: *Oleum effuſum nomen tuum.*

4. Agnoſco enim nomen, quod in Iſaia legi: *Servos ſuos,* inquit, *vocabit nomine alio, in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Domino. amen.* *Iſa. 65. 15.* *Chriſti nomen effuſum in omnem terram.* O nomen benedictum! O oleum uſquequaque effuſum! Quouſque? De cælo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit; & de toto orbe clamat Eccleſia: *Oleum effuſum nomen tuum.* Effuſum plane, quod non ſolum cælos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeò ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, *Philip. 2. 10.* terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & dicat: *Oleum effuſum nomen tuum.* Ecce Chriſtus, ecce Jeſus, utrumque infuſum Angelis, utrumque effuſum in homines, & illos homines, qui computruerant tamquam jumenta in ſtercore ſuo, homines & jumenta ſalvans, quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam Deus. Quàm carum, quam vile! vile, ſed ſalubre. Si vile non eſſet, non mihi effunderetur: ſi ſalubre non eſſet, non me lucraretur. *Chriſtus ipſe in omnem effuſus:* Particeps nominis ſum, ſum & hereditatis. Chriſtianus ſum; frater Chriſti ſum. Si ſum quod dicor, heres *Rom. 8. 17.* ſum Dei, coheres autem Chriſti. Et quid mirum, ſi Sponſi effuſum eſt nomen, cum ipſe quoque effuſus ſit? Nam *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* *Philip. 2. 7.* Denique ait: *Sicut aqua effuſus ſum.* *Pſal. 21. 15.* Effuſa eſt plenitudo divinitatis, habitans ſuper terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis geſtamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effuſum nomen tuum.* En quod nomen effuſum, & qualiter, & quatenus.

5. Cur verò oleum? nam hoc nondum dixi. *Olei proprietates nomen Jeſu aptant.* In ſermone ſuperiore dicere cœperam: ſed intervenit ſubitò aliud quod prædicendum videbatur. Quamquam intermiſerim ultra quam credidi: quod non aliud eſſe reor, niſi quod fortis mulier Sapientia miſit manum ad colum, *Prov. 31. 19.* & digiti ejus apprehenderunt fuſum. Novit enim modicam lanam vel linum in longum producere filum, atque in telæ extendere latitudinem, & ſic omnes domeſticos ſuos veſtire duplicibus. Eſt proculdubio inter *Oleum* & *Nomen* Sponſi ſimilitudo: nec otioſe Spiritus-ſanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, paſcit, & ungit: ſi vos melios non habetis. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus.

1. Lucet. medicina. Vide idem nunc & de Sponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit & ungit. Et percurramus ſingula.

6. Unde putas in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato Jeſu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat merito Paulus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* (Eph. 5. 8.) Hoc denique nomen coram regibus, & gentibus, & filiis Iſraël portare juſſus eſt idem Apoſtolus; (Act. 9. 15.) & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſte ambulemus.* (Rom. 13. 12.) Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuntians in omni loco Jeſum, & hunc crucifixum. Quomodo lux iſta inſplenduit ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur, egrediens, claudi unius corporales plantas ſolidavit & baſes, multoſque ſpiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem ſparſit, cum ait, *In nomine Jeſu-Chriſti Nazareni ſurge & ambula?* (Act. 3. 6.) Nec tantum lux eſt nomen Jeſu, ſed eſt & cibus. (2. Paſcit.) An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi niſi legero [a] ibi Jeſum. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed eſt & medicina. (3. Ungit & medetur animæ morbis.) Triſtatur aliquis veſtrum? Veniat in cor Jeſus, & inde ſaliat in os; & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi invocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis duritia (ut aſſolet) cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? cui fons forte ſiccatus lacrymarum, invocato Jeſu, non continuo erupit uberior, fluxit ſuavior? Cui, in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui, quæſo, in dubiis æſtuanti & fluctuanti, non ſubito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adverſis diffidenti, jam jamque deficienti, ſi nomen adjutorii ſonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina. Denique & probare licet: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* (Pſal. 49. 15.) Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jeſum hominem, mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eumdemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cum inſonuerit Jeſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente; illa tamquam pigmentarias ſpecies, hoc tamquam unde acuam eas: & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poſſit.

7. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli hujus, quod eſt Jeſus, ſalutiferum certe, quodque nulli umquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in Jeſum & ſenſus dirigantur, & actus. Denique & invitaris: *Pone me*, inquit, *ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo.* (Cant. 8. 6.) Sed hoc A alias. Nunc vero habes unde & brachio medearis, & cordi. (Tom. IV.) Habes, inquam, in nomine Jeſu, unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas; itemque unde tuos ſenſus aut ſerves, ne corrumpantur; aut, ſi corrumpantur, ſanes.

8. Habuit & Judæa quoſdam Jeſus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. (Jeſus ſuper omnes ejuſdem nominis.) Illa enim nec lucent, nec paſcunt, nec medentur. Idcirco ſynagoga in tenebris eſt uſque adhuc, fame & infirmitate laborans; & non ſanabitur nec ſatiabitur, quouſque ſciat meum Jeſum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad veſperam, & famem patiatur ut canes, & circumeat civitatem. Et illi quidem præmiſſi ſunt, B tamquam baculus ad mortuum Prophetam præveniens, & ſua interpretari nomina nequiverunt; vacua quippe erant. Superpoſitus mortuo baculus eſt, (4. Reg. 4. 29.) & non erat vox neque ſenſus, quoniam baculus erat. Deſcendit qui baculum miſit: & mox ſalvum fecit populum ſuum à peccatis eorum, probans ſe eſſe quod dicebatur: *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* (Luc. 7. 49.) Nimirum qui dicit, *Salus populi ego ſum.* Jam vox, jam ſenſus eſt; & patet eum non inane portare nomen inſtar priorum. Sentitur infuſa ſalus, & beneficium non tacetur. Intus ſenſus, foris vox. Compungor, & confiteor, & confeſſio vitam indicat: *A mortuo enim, tamquam qui non eſt, perit confeſſio.* (Eccli. 17. 26.) Ecce vita, C ecce ſenſus. Suſcitatus perfecte ſum, integra eſt reſurrectio. An aliud mors corporis eſt, niſi cum ſenſu privatur & vita? Peccatum, quod mors animæ eſt, nec compunctionis mihi ſenſum, nec confeſſionis reliquerat vocem, & eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, & utrumque reſtituit, & dicit animæ meæ: *Salus tua ego ſum.* (Pſal. 34. 3.) Quid mirum ſi cedit mors, ubi Vita deſcendit? Jam corde creditur ad juſtitiam, (Rom. 10. 10.) & ore confeſſio fit ad ſalutem. Jam oſcitat puer, & (4. Reg. 4. 35.) oſcitat ſepties, & dicit: *Septies in die laudem dixi tibi Domine.* (Pſal. 118. 164.) Videte hunc ſeptenarium. Sacer numerus eſt: non vacat. Sed melius hoc alii ſervamus ſermoni, quo famelici & non faſtidioſi ad tam bonas epulas D accedamus, invitante nos Sponſo Eccleſiæ Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XVI.

De cordis contritione; & de tribus ſpeciebus veræ confeſſionis.

1. QUid ſibi ergo vult ſeptenarius iſte? (Septenarius numerus expenditur.) Neſcio enim an ita ſimplex quiſpiam in nobis ſit, qui otioſas eſſe has vices, & numerum hunc putet fortuitum. Ego nec illud vacare reor, quod Propheta incumbens ſuper mortuum, (4. Reg. 34.) ad menſuram puerilis corporis ſeſe contraxit, os ſuum ori illius conjunxit, oculiſque oculos, & manibus manus. E Spiritus-ſanctus ſic omnia fieri, & ſic ſcribi fecit, ad eruditionem proculdubio illorum ſpirituum, quos corrupti corporis circumvenit infida ſocietas, ac ſtulta mundi ſapientia deſipere docuit. *Corpus quippe quod corrumpitur, aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* (Sap. 9. 15.) Propterea nemo miretur aut moleſte accipiat, ſi in his ſcrutandis, tamquam quibuſdam Spiritus-ſancti apothecis, curioſus exiſto, cum ſciam quia ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei. Dico tamen his qui prævolantes ingenio, in omni ſermone ante pene flagitant finem, quam principium teneant, debitorem me etiam tardioribus eſſe, & maxime; ſed nec ſtudium tam eſſe mihi ut exponam verba, quam ut imbuam corda. (Bernardi ſcopus, non tam ut exponat verba, quam imbuat corda.) F Et haurire, & propinare me oportet: quod non fit celeriter percurrendo, ſed tractando diligenter, & exhortando frequenter. Quamquam & præter ſpem quoque meam diu nos diſcuſſio detinuit ſacramentorum. Putavi, fateor, unum ad hoc ſermonem ſufficere, ſilvamque iſtam umbroſam, latebroſamque allegoriarum pertran-

[a] Auguſtinus in lib 3. Confeſſ. cap. 4. idem ſibi accidiſſe ait in legendo Hortenſii libro. *Hoc ſolum me*, inquit, *in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Chriſti non erat ibi . . . . & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis litteratum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.*

Tom. IV. — *Prolixitatem excusat.*

ſire nos cito, & ad planitiem moralium ſenſuum itinere diei quaſi unius pervenire: ſed ſecus contigit. Biduum quippe jam in eo expendimus, & adhuc reſtat via. Ictus oculi eminus ſummitates ramorum & montium cacumina pervolabat: ſed vallium ſubterjacens vaſtitas, & denſitas dumetorum fruſtrabatur obtutus. Numquid, verbi gratia, Eliſæi miraculum prævidere valebam, quia nobis videlicet de Gentium vocatione & repulſione Judæorum diſſerentibus, ita de ſubito in medium proſiliret? Et nunc, quandoquidem incidimus, non pigeat nos paululum immorari, conſequenter ad id quod intermittimus poſtea reverſuros, ſiquidem animarum cibus nihilo minus eſt iſte. Canibus quoque ac venatoribus plerumque contingit à beſtia, quam aggreſſi erant, deſiſtere; & ſequi aliam, quæ inopinantibus forte occurrerit.

Eliſæus puerum mortuum reſuſcitans, figura Chriſti.

2. Non parvum fiduciæ robur præſtat mihi, quod magnus ille vir Propheta, potens in opere & ſermone, de excelſo monte cælorum deſcendens, viſitare dignatus eſt me, cum ſim cinis & pulvis; miſereri mortuo, inclinare ſe jacenti, contrahi & coæquari parvo, cæco partiri lumen oculorum ſuorum, & os mutum oris proprii oſculo ſolvere, debileſque manus ſuarum roborare contactu. Suaviter rumino iſta; & replentur viſcera mea, & interiora mea ſaginantur, & omnia oſſa mea germinant laudem. Hoc ſemel contulit univerſitati: hoc quotidie ſinguli in nobis actitari ſentimus, & cordi ſcilicet tribui intelligentiæ lumen, & ori ædificationis verbum, & manibus opus juſtitiæ. Dat ſentire fideliter, dat proferre utiliter, dat efficaciter adimplere. Et eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas poſt ſe ad regna cæleſtia, ſi recte ſentias, ſi digne proloquaris, ſi vivendo confirmes. Oculis ſuis tetigit meos, interioris hominis frontem * claris luminaribus ornans, fide & intellectu. Ori meo junxit ſuum, & mortuo ſignum pacis impreſſit: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, reconciliavit nos Deo, juſtitiæ mortuos. Os ori applicuit, iterato inſpirans in faciem meam ſpiraculum vitæ, ſed ſanctioris quam primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me: ſecundo in ſpiritum vivificantem reformavit me. Manus ſuas meis ſuperpoſuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ. Aut certe manus ſuas miſit ad fortia, ut doceret manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum.

In corde, ore, & manibus quid operatur. — *Prædicantium funiculus triplex.* — * al. [illegible]

Septem oſcitationis myſteria. — 4. Reg. 4. 35.

3. Et *oſcitavit*, inquit, *puer ſepties*. Sufficiebat ad gloriam manifeſtandi miraculi oſcitaſſe ſemel: ſed multiplicitas & inſignis numerus myſterii admonent. Si illud ingens univerſi humani generis primum quidem exanime corpus attendas, vides ubique Eccleſiam, ex quo vitam Propheta incumbente recepit, quaſi ſepties oſcitare: quia ſepties in die laudem dicere conſuevit. Si teipſum advertas, in hoc te noveris vita vivere ſpirituali, ac myſticum hunc implere numerum, ſi ſenſualitatis tuæ quinarium caritatis binario ſubjicis, exhibeſque juxta Apoſtolum membra tua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, quæ prius exhibuiſti ſervire iniquitati ad iniquitatem: aut certe ſi eumdem quinarium proximorum ſaluti impertiens, ad perficiendum ſeptenarium duo hæc adjicias, miſericordiam ſcilicet & judicium cantare Deo.

Rom. 6. 19.

Septem indicia veræ reſuſcitationis.

4. Habeo & alias ſeptem oſcitationes, ſeptem videlicet experimenta, ſine quibus vera & certa ſalus redivivi ſpiritus minime conſtat: quatuor ad ſenſum compunctionis, tria ad confeſſionis ſonum pertinentia. Si vivis, ſi vox, ſi ſenſus eſt, tu quoque eadem in re recognoſcis. Porro ſenſum ex integro recuperaſſe te ſcias, ſi tuam conſcientiam quadruplici ſentis compunctione morderi, pudore gemino, & gemino metu. nam vitam ad perficiendum ſeptenarium triplex confeſſionis ſpecies atteſtatur, de quibus poſtea videbitur. Nonne & ſanctus Jeremias in ſuo planctu obſervat hunc numerum? Et tu igitur in tua pro te lamentatione formam habens propheticam, Deum cogita Factorem tuum, cogita & Benefactorem, cogita Patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es: plange per ſingula. Ad primum & ultimum reſpondeat timor tuus: ad duo media pudor. Pater ſane non metuitur, cum pater ſit. Patris enim eſt miſereri ſemper & parcere. Et ſi percutit, virga non baculo percutit; & cum percuſſerit, ſanat. Paterna vox eſt: *Percutiam, & ego ſanabo*. Non eſt proinde quod à Patre formides, qui etſi quandoque feriat ut emendet, numquam tamen ut vindicet. At vero cogitantem quod Patrem offenderim, eſt certe quod pudeat, etſi non quod terreat. Voluntarie genuit me verbo veritatis, non ſtimulo carnalis cupiditatis excuſſit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde etiam non pepercit Unigenito pro ſic genito. Ita ipſe quidem Patrem ſe exhibuit mihi, ſed non ego me illi viciſſim filium. Quanam fronte attullo jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto Patre vixiſſe degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei: operiat confuſio faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat, occupetque caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Prô pudor! quem fructum habui in quibus nunc erubeſco? Si in carne ſeminavi, de carne non metam niſi corruptionem; ſi in mundo, & ipſe tranſit, & concupiſcentia ejus. Quid? Caduca, vana, & prope nulla; & quorum finis mors eſt, infelix & inſanus præferre non erubui æterni Patris amori & honori. Confundor, confundor audire: *Si ego pater, ubi eſt honor meus?*

Conſiderationis motiva quatuor. — 1. Offenſus Pater. — Deut. 32. 39. — & inde pudor. — Gal. 6. 8. — 1. Joan. 2. 17. — Malac. 1. 6.

5. Sed & ſi Pater non eſſet, obrueret me beneficiis. Inſtaurat adverſum me teſtes (ut alia innumera taceam) hujus corporis victum, & uſum temporis hujus, & ſuper omnia ſanguinem dilecti Filii clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quamquam ad confuſionis cumulum, arguar etiam reddidiſſe mala pro bonis, & odium pro dilectione. Minime quidem mihi à Benefactore, ſicut nec à Patre timendum. Verus quippe beneficus eſt, dans affluenter, & non improperans. Non improperat dona, quia dona ſunt: & beneficia ſua mihi dedit, non vendidit. Denique ſine pœnitentia ſunt dona ejus. At quanto de illo benignius, tanto de me indignius ſentire cogor. Erubeſce, & dole nihilo minus anima mea: quoniam etſi illum non repetere & non improperare decet, nos tamen omnino dedecet ingratos immemoreſque extitiſſe. Heu! quid vel nunc tandem retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

2. Beneficus. — & hic etiam pudor. — Jac. 1. 5.

6. Quod ſi ſegnior forte ſuas partes minus exſequitur pudor, timor ſane excitetur in adjutorium. Excitetur, ut excitet. Sepone parum pia vocabula Benefactoris & Patris, atque ad auſteriora convertere. Nempe qui legitur *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*; legitur nihilo minus *Deus ultionum Dominus*; legitur *Deus judex juſtus & fortis*; legitur *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*; legitur *Deus zelans*. Quod pater eſt, quod beneficus eſt, tibi eſt: quod Dominus ac creator, ſibi; etenim *propter ſemetipſum fecit omnia*, Scriptura teſte. Qui ergo quod tuum eſt tibi defendit ac ſervat; putas, & pro ſe aliquando non zelabit? putas ſui non requiret principatus honorem? Propter hoc *irritavit impius Deum*, quia *dixit in corde ſuo, Non requiret*. Et quid eſt in corde ſuo dicere, *Non requiret*, niſi non metuere quod requirat? Sed requiret uſque ad noviſſimum quadrantem: requiret & *retribuet abundanter facientibus ſuperbiam*. Requiret à redempto ſervitium, honorem & gloriam ab eo quem plaſmavit.

3. Dominus. — 2. Cor. 1. 3. — Pſal. 93. 1. — Pſal. 7. 12. — Pſal. 65. 5. — Exod. 20. 5. — Hinc timor. — Prov. 16. 4. — Pſal. 9. 4. — Pſal. 30. 24.

7. Eſto quod diſſimulet Pater, ignoſcat Beneficus: ſed non Dominus & Creator; & qui parcit filio, non parcet figmento, non parcet ſervo nequam. Penſa cujus ſit formidinis & horroris, tuum atque omnium contempſiſſe Factorem, offendiſſe Dominum majeſtatis. Majeſtatis eſt timeri, Domini eſt timeri, & maxime hujus Majeſtatis, hujuſque Domini. Nam ſi reum regiæ majeſtatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti

4. Creator.

capite ſancitum ſit: quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? Tangit montes, & fumigant: & tam tremendam majeſtatem audet irritare vilis pulviſculus, uno levi flatu mox diſpergendus, & minime recolligendus? Ille, ille timendus eſt, *qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittere & in gehennam.* Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipſis quoque tremendum angelicis poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, à voce Archangeli, & à verbo aſpero. Contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium, nec conſumentium? Heu me, mater mea! ut quid me genuiſti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combuſtionem, & cibus ignis?

Pſal. 143. 5. — *Luc. 12. 5.* — Timor judicii & gehennæ. — *Jer. 9. 1.*

8. Qui ſic afficitur, ſenſum proculdubio recuperavit, & in duplici metu iſto, itemque pudore illo æque duplici habet oſcitationes quatuor. Tres quæ reſtant ex voce confeſſionis adjiciet, & nequaquam dicetur jam de eo, quod non ſit vox neque ſenſus: ſi tamen de corde humili, ſimplici, fidelique proceſſerit illa confeſſio. Omne ergo quod remordet conſcientiam, confitere humiliter, pure, fideliter; & has vices impleſti. Sunt qui gloriantur *cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis.* quos notans Propheta, *Peccata ſua*, inquit, *prædicaverunt ſicut Sodoma.* Verum hos ab hac diſputatione, tamquam ſeculares amoveo. nam quid ad nos de his qui foris ſunt?

Reſuſcitationis tria poſtrema ſigna. — Confeſſionis tres conditiones. — *Prov. 2. 14.* — *Iſa. 3. 9.*

9. Quamquam & de his, qui religioſe veſtiti, & religionem profeſſi ſunt, nonnumquam audivimus aliquos reminiſci & jactitare impudentiſſime mala ſua præterita, quæ (verbi gratia) aliquando vel fortiter gladiatorio, vel argute litteratorio geſſere conflictu, ſeu aliud qoid ſecundum mundi quidem vanitatem favorabile, ſecundum animæ vero ſalutem nocivum, perniciosum, damnoſum. Secularis adhuc animi indicium eſt hoc: & humilis habitus qui geſtatur à talibus, non ſanctæ novitatis eſt meritum, ſed priſcæ vetuſtatis operculum. Nonnulli talia, quaſi dolendo & pœnitendo rememorant; ſed gloriam intentione captantes, commiſſa ſua non diluunt, ſed ſeipſos illudunt. nam *Deus non irridetur.* Veterem hominem non exuerunt, ſed novo palliant. Non proditur aut projicitur vetus fermentum illa confeſſione; ſed ſtatuitur, ſecundum illud: *Inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Pudet reminiſci quorumdam tantam proterviam, ut non pudeat eos cum exſultatione lugenda jactitare, quod & poſt ſuſceptum ſanctum habitum callide quempiam ſupplantaverint, & circumvenerint in negotio fratrem *: aut quod talionem pro convicio vel maledicto, id eſt malum pro malo; aut maledictum pro maledicto audacter reddiderint.

Monachi quidam notantur, peccata in ſeculo facta jactitantes. — Alii ficte pœnitentes. — *Gal. 6. 7.* — *Pſal. 31. 3.* — Alii male dicta aut facta jactantes. — [* ſuum]

10. Sed eſt confeſſio eo periculoſius noxia, quo ſubtilius vana, cum ipſa etiam inhoneſta & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles ſumus, ſed ut eſſe putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis eſt, non virtus, ſed ſubverſio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſane ſuperbus, quod laudes contemnit. Quid perverſius, quidve indignius, quam ut humilitatis cuſtos confeſſio ſuperbiæ militet, & inde velis videri melior, unde videris deterior? Mirabile jactantiæ genus, ut non poſſis putari ſanctus, ſi non appareas ſceleratus. At talis confeſſio ſpeciem habens humilitatis, non virtutem, non ſolum veniam non meretur, ſed & provocat iram. Numquid profuit Saül, quod ſe ad increpationem Samuelis peccaſſe confeſſus eſt? Culpabilis proculdubio fuit illa confeſſio, quæ culpam non diluit. Quando enim humilem contemneret confeſſionem humilitatis Magiſter, & cui humilibus dare gratiam certe ingenitum eſt? Omnino non poterat non placari, ſi quæ in ore ſonuit, in corde radiaſſet humilitas. Ecce cur humilem eſſe debere confeſſionem dixi.

1. Confeſſio debet eſſe humilis. — Vera & falſa humilitas. — *Tom. I. V. 1. Reg. 15. 30.*

11. Oportet autem eſſe & ſimplicem. Non intentionem (forte quia latet homines) excuſare delectet, ſi ſit rea; nec levigare culpam, quæ gravis eſt; nec alieno adumbrare ſuaſu, cum invitum nemo coëgerit. Primum illud non confeſſio eſt, ſed defenſio; nec placat, ſed provocat. Sequens monſtrat ingratitudinem; & quo minor reputatur culpa, eo minuitur & gloria indultoris. Sed enim minus libenter beneficium datur, quod minus grate minuſve neceſſarie provenire ſentitur. Veniam proinde ſibi abjudicat, qui munus largitoris attenuat. quod quidem omnis qui reatum ſuum verbis alleviare conatur, facit. Jam à poſtremo primi hominis dehortetur exemplum, nec culpam ſiquidem diffitentis, nec tamen conſequentis veniam, non dubium quin ob reatus mulieris admixtionem. Genus excuſationis eſt, cum argueris tu, alium incuſare. Porro excuſare te velle quando corriperis, quam ſit non modo minime fructuoſum, ſed & perniciosum, ſanctum David interroga. *Verba* nempe *malitiæ, excuſationes in peccatis* appellat, ne in ea declinet cor ſuum rogans & ſupplicans. Merito quidem. In animam etenim ſuam peccat qui ſe excuſat, repellens proinde à ſe indulgentiæ medicinam, & ſic vitam ſibi proprio ore intercludens. Et quænam major malitia, quam propriam armari in ſalutem, & linguæ tuæ temetipſum mucrone confodere? Denique *qui ſibi nequam, cui eſt bonus?*

2. Debet eſſe ſimplex. — *Gen. 3. 2.* — Excuſationis remota. — *Pſal. 140. 4.* — *Eccli. 14. 5.*

12. Sit autem & fidelis confeſſio, ut confitearis in ſpe, de indulgentia penitus non diffidens, ne tuo te ore non tam juſtifices, quam condemnes. Judas certe proditor Domini, & Caïn fratricida confeſſi ſunt, & diffiſi ſunt: alter, *Peccavi*, inquit, *tradens ſanguinem juſtum*: alter, *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*: & verax licet, nil eis profuit infidelis confeſſio. Hæ itaque tres confeſſionis obſervantiæ, junctæ quatuor ſuperioribus compunctionis, ſeptenarium implent.

3. Debet eſſe fidelis. — *Matth. 27. 4.* — *Gen. 4. 13.*

13. Jam vero ſic compunctus, & ſic confeſſus, ac propria proinde certus de vita, certus quoque nihilominus es (ut arbitror) vacuo nequaquam nomine appellari Jeſum, eum, qui in te talia valuit & voluit operari, nec vacue ſubſecutum fuiſſe baculum quem præmiſerat. Non venit vacue, quia non venit vacuus. Nam quomodo vacuus, in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus eſt ad menſuram ſpiritus. Denique & venit *in plenitudine temporis*, plenum proinde venire ſe indicans. Bene plenum, quem *unxit* Pater *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*; unxit & miſit *plenum gratiæ & veritatis.* Unxit ut ungeret. Omnes ab eo uncti ſunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Ideo ait: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me: ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino.* Veniebat (ut audis) ungere contritiones noſtras, ac lenire dolores: ideoque venit unctus, venit manſuetus & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus ſe. Sciebat ſe ad infirmos deſcendere, exhibuitque qualem oportuit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque providus medicus medicamina curavit afferre. Attulit ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, & ſpiritum timoris Domini.

Gal. 4. 4. — *Pſal. 44. 8.* — *Iſa. 61. 1.*

14. Vides quot phialas plenas odoramentis cæleſtis Medicus præparavit ad ſananda vulnera illius miſeri, qui incidit in latrones? Septem ſunt numero, ſeptem

Chriſtus vino & oleo uſus in nos.

[Tom. I v.] fortaſſe præfatis oſcitationibus excitandis accommodatæ. Spiritus enim vitæ erat in phialis. Ex his profecto infudit oleum meis vulneribus; infudit & vinum, ſed minus quam olei. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, ut miſericordiam ſuperexaltaret judicio, quemadmodum vino oleum ſuperfertur infuſum. Attulit proinde quinque cados olei, vini nonniſi duos. Vinum ſiquidem timor tantum & fortitudo fuere: reliqua quinque oleum propria ſuavitate deſignant. [Pſal. 77. 65.] In ſpiritu denique fortitudinis, tamquam potens crapulatus à vino, deſcendit ad inferos, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit; alligavit fortem, & vaſa captivitatis eripuit. Deſcendit nihilo minus in ſpiritu timoris, ſed timendus, non timidus.

15. O Sapientia! quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras, fortiter ſuavis, & ſuaviter fortis! fortis pro me, & ſuavis mihi. Denique attingis à fine uſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter, propellens inimicum, & infirmum ſovens. Sana me Domine, & ſanabor; pſallam & confitebor nomini tuo, & dicam: [Cant. 1. 2.] *Oleum effuſum nomen tuum.* Non vinum effuſum (nolo enim ut intres in judicium cum ſervo tuo,) ſed oleum, quia [Pſal. 102. 4.] coronas me in miſericordia & miſerationibus. Oleum plane, quod dum ſupernatat cunctis quibus immiſcetur liquoribus, liquido illud deſignat nomen, quod eſt ſuper omne nomen. O nomen præſuave & prædulce! ô nomen præclarum, prælectum & præexcelſum, & ſuperexaltatum in ſæcula! Hoc vere oleum quod exhilarat faciem hominis, quod caput jejunantis impinguat, ut oleum peccatoris non ſentiat. Hoc [Iſa. 62. 2.] *nomen novum, quod os Domini nominavit, Quod & vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur.* [Luc. 2. 21.] Hoc non ſolum Judæus, ſed [Joel. 2. 32.] *quicumque invocaverit ſalvus erit*, in tantum uſquequaque effuſum eſt. Hoc Pater donavit Filio, ſponſo Eccleſiæ Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XVII.

De acceſſu & receſſu Spiritus-ſancti obſervando, deque invidia diaboli erga genus humanum.

1. PUtamuſne ſatis proceſſum eſt in ſanctuario Dei, dum ſcrutamur mirabile ſacramentum; an ad perſcrutandum adhuc, ſi quid reſtat, audemus ſpiritum ad interiora ſequi? Spiritus nempe iſte ſcrutatur non ſolum hominum corda & renes, ſed etiam profunda Dei: & ſive ad noſtra, ſive ad alta*, ſecurus ſequor eum quocumque ierit. [* ſic mſſ. non alia.] Tantum ut cuſtodiat corda noſtra & intelligentias noſtras, ne forte cum non aderit, adeſſe putemus, noſtrumque pro ipſo ſequamur ſenſum deviantes. [Johan. 3. 8.] Venit namque, & vadit prout vult; & nemo facile ſcit, unde veniat, aut quo vadat. At iſtud ſine damno fortaſſe ſalutis neſcire licet: ceterum quando veniat, vel quando vadat, id plane periculoſiſſime ignoratur. [Spiritus ſancti acceſſus & receſſus diligenter obſervandus.] Cum enim hæ Spiritus-ſancti circa nos diſpenſatoriæ quidem viciſſitudines vigilantiſſime non obſervantur, fit ut nec abſentem deſideres, nec præſentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit ut avidius requiratur; quonam modo, ſi abeſſe neſcitur, requiritur? Et rurſum qui dignanter ad hoc redit ut conſoletur; qualiter digne pro ſua majeſtate ſuſcipitur, ſi nec adeſſe ſentitur? Mens ergo quæ ignorat abſceſſum, patet ſeductioni: & quæ reditum non obſervat, erit ingrata viſitationi.

[4. Reg. 2. 9.] 2. Periit quondam aliquid Eliſæus à magiſtro, cum diſceſſum ejus imminere perſenſit; nec obtinuit, ſicut ſcitis, niſi ea quidem conditione, ſi videret quando tolleretur à ſe. In figura contigit hoc illis, ſcriptum eſt autem propter nos. Vigiles eſſe & ſolliciti circa opus noſtræ ſalutis (quod mira ſubtilitate ac ſuavitate divinæ ſuæ artis inceſſanter actitat Spiritus in intimo noſtri) prophetico docemur & monemur exemplo. Numquam ſanè ſine noſtra conſcientia magiſtra unctio, quæ docet de omnibus, tollatur à nobis, ſi duplicato volumus munere non fraudari. Numquam, cum venerit, inveniat imparatos, ſed ſemper vultus ſuſpenſos, expanſoſque habentes ſinus ad largam Domini benedictionem. Quales denique quærit? *Similes hominibus exſpectantibus dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis:* [Luc. 12. 36.] qui utique ab illis ſupernæ menſæ copioſis deliciis vacua numquam revertitur manu. Vigilandum proinde, & vigilandum omni hora, quia neſcimus qua hora Spiritus venturus ſit, ſeu iterum abiturus. It & redit Spiritus; & qui ſtat eo tenente, deſerente cadat neceſſe eſt: ſed non colliditur, quia Dominus rurſum ſupponit manum ſuam. Et has alternare vices non ceſſat in his qui ſpirituales ſunt, vel quos potius ſpirituales proinde ipſe creare intendit, viſitans diluculo, & ſubito probans. Denique *ſepties cadit juſtus, & ſepties reſurgit:* [Prov. 24. 16.] ſi tamen cadit in die, ut ſe cadere videat, & cecidiſſe ſciat, & reſurgere cupiat, & requirat manum adjuvantis, & dicat: *Domine, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem; avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* [Pſal. 29. 8.]

3. Aliud eſt dubitare de veritate, quod patiaris neceſſe eſt, cum Spiritus minime ſpirat: & aliud ſapere falſitatem, quod facile caves, ſi eamdem tuam ignorantiam non ignoras, quatenus dicas & tu: *Et ſiquid ignoravi, ignorantia mea mecum eſt.* [Job. 19. 4.] Sancti Job ſententia eſt; agnoſcite. Peſſimæ matris ignorantiæ, peſſimæ itidem filiæ duæ ſunt, falſitas & dubietas: [Ignorantiæ duæ filiæ, falſitas & dubietas.] illa miſerior, iſta miſerabilior; pernicioſior illa, iſta moleſtior. Cum loquitur Spiritus, cedit utraque: & eſt non ſolum veritas, ſed & certa veritas. Eſt quippe veritatis ille Spiritus, cui contraria falſitas eſt: eſt & ſapientiæ, quæ cum ſit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam ſuam, obſcurum ambigui non admittit. Cavenda ſane, cum Spiritus iſte non loquitur, etſi non moleſta dubietas, certe falſitas exſecranda. Aliud eſt enim ſub incerto, hoc vel illud opinando ſentire, aliud temere affirmare quod neſcias. Aut ergo loquatur ſemper ſpiritus, [Optima regula loquendi.] quod noſtri quidem minime arbitrii eſt: aut quando ſilere placet, hoc ipſum indicet, & loquatur ſaltem ſuum ſilentium, ne ipſum nobis falſo præire putantes, noſtrum pro ipſo male ſecuri ſequamur errorem: & ſi ſuſpenderit ambiguo, non relinquat mendacio. Eſt qui dubie profert mendacium, nec mentitur: [Attende quæ.] & eſt qui veritatem quam neſcit affirmat, & mentitur. Nam & ille, non quidem quod non eſt, eſſe; ſed ſe quod credit, credere dicit, & verum dicit, etiamſi hoc verum non ſit quod credit: & is, cum ſe certum unde non eſt certus, dicit; verum non dicit, etiamſi verum ſit de quo aſſerit.

4. His præmiſſis ad cautelam talia inexpertorum, ſequar jam Spiritum, ſicut confido, præeuntem, eadem tamen cautela, ſi potero, quam præmiſi; & tentabo facere ipſe quod doceo, ne dicatur & mihi: *Tu qui alios doces, teipſum non doces.* [Rom. 2. 21.] Diſtinguendum ſane inter manifeſta & dubia, nec illa ſcilicet adduci in dubium, nec iſta temere affirmari. [De dubiis nil temere pronuntiandum.] Quod quidem ipſum de magiſterio ſperandum eſt Spiritus: nec enim noſtra ad illud omnino induſtria ſufficit. Quis novit hominum, an id quod inter homines judicatum à Deo* ſermo ſuperior (à quo videlicet, ſi bene memini, quartus eſt iſte) patefecit, in ſupernis quoque judicium jam factum præceſſerit. [a] [* ſcil. inter Synagogam & Eccleſiam.]

5. Quod dico, tale eſt. Putaſne Lucifer ille, qui mane oriebatur, ſed præpropere elevabatur, [De potentia & invidia Luciferi.] antequam verteretur in tenebras, generi humano inviderit & ipſe olei infuſionem*, ut per ſe ipſum jam tunc indignabundus muſſitaret, dicens intra ſe quodammodo: [* al. effuſionem] Ut quid perditio hæc? Hoc ego non aſſero dicere Spiritum, ſed nec contradicere dico; neſcio enim. Potuit autem contingere, (ſi tamen incredibile non putetur) plenum ſapientia & perfectum decore, homines præſcire potuiſſe futuros, etiam & profecturas in

a In pleriſque ſcriptis reſecta parentheſi legitur, præceſſerit, utrumnam videlicet Lucifer, qui &c. ut in num. ſeq. & ſic habet prima editio.

pari

pari gloria. Sed ſi præſcivit, in Dei Verbo abſque A dubio vidit, & in livore ſuo invidit, & molitus eſt habere ſubjectos, ſocios dedignatus. Infirmiores ſunt, inquit, inferioreſque natura: non decet eſſe concives nec æquales in gloria. An forte prodit impiam hanc ejus machinationem illa præſumpta aſcenſio, ſeſſioque ſignificans magiſterium,

Iſa. 14. 13.

Aſcendam, inquit, *ſuper montem excelſum. & ſedebo in lateribus Aquilonis*, quo Altiſſimi quondam proinde ſimilitudinem obtineret, ſi, quemadmodum ille ſuper Cherubin ſedens, gubernat omnem angelicam creaturam; ita & ipſe altus ſederet, regeretque genus humanum? Abſit. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, mentiatur iniquitas ſibi. Nos alium non agnoſcimus judicem, B quam auctorem. Non diabolus, ſed Dominus judicabit orbem terræ; & ipſe Deus noſter in ſæculum. ſæculi; ipſe reget nos in ſæcula.

6. Ergo in cælo concepit dolorem, & in paradiſo peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum; omniumque prima parens ſuperbia.

Sap. 2. 24. Eccli. 10. 15

Nam etſi *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*, *initium* tamen *omnis peccati ſuperbia*. Verum quid illi profuit? Nihilo minus tu in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos; & dicit populus acquiſitionis, dicit Eccleſia redemptorum:

Cant. 1. 2. Diabolus princeps ſuperborum.

Oleum effuſum nomen tuum. Cum ejicior ego, tu illud effundis poſt me, & in me: quoniam cum C iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Accepit tamen ſatan regnum ſuper omnes filios ſuperbiæ, factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis etiam ſuperbia militet, dum in uno ſuo principatu temporali, & tali, multos humiles excelſos æternoſque reges conſtituit.

Humilibus neſciens fabricat coronas.

Jucundum judicium, ut ſuperbus ille humilium malleator, eiſdem ipſis neſciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus ſuccumbendo. Siquidem ubique & ſemper judicabit Dominus populos, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Ubique, & ſemper defenſabit ſuos, propulſabit nocentes, & tollet virgam peccatorum

Pſal. 124. 3.

deſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas; eritque tandem cum ex toto arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Tu tibi, miſer, ſedem collocas in Aquilone, plaga nebuloſa & frigida; & ecce ſuſcitantur de pulvere inopes, & de ſtercore pauperes, ut ſedeant cum principibus, & ſolium gloriæ teneant, doleaſque impleri illud:

Pſal. 73. 21.

Pauper & inops laudabunt nomen tuum.

7. Gratias tibi, Pater orphanorum & judex pupillorum, incaluit ſuper nos mons coagulatus, mons pinguis; cæli diſtillaverunt à facie Dei Sinai, effuſum eſt oleum, dilatatum eſt nomen, quod nobis & cui nos invidebat iniquus; dilatatum, inquam, E uſque ad corda & ora parvulorum, & in ore infantium & lactentium perficitur laus. Porro peccator videbit & iraſcetur; & erit ſicut ira implacabilis, ſic flamma inexſtinguibilis, quæ jam parata eſt ei & angelis ejus. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

Dei amor erga homines contra dæmones.

Quomodo me amas, Deus meus, amor meus? quomodo me amas, ubique recordatus mei, ubique zelans ſalutem egeni & pauperis, non ſolum adverſum homines ſuperbos, ſed etiam adverſus ſublimes angelos? In cælo & in terra judicas, Domine, nocentes me, expugnas impugnantes me: ubique ſubvenis, ubique aſſiſtis, ubique à dextris es mihi, Domine, ne commovear. Hæc cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum. F Hæ virtutes ejus, hæc mirabilia ejus quæ fecit.

Luc. 1. 52.

Hoc primum & maximum judicium, quod mihi illa conſcia ſecretorum aperuit virgo Maria: *Depoſuit*, inquiens, *potentes de ſede. & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.*

Tom. I. V. ...

Secundum autem ſimile eſt huic quod jam audiſtis, *ut qui non vident videant; & qui vident, cæci fiant*. In his duobus judiciis conſoletur ſe pauper, & dicat: *Memor fui judiciorum tuorum a ſæculo, Domine, & conſolatus ſum.*

Spiritu ... ...

8. Sed revertamur ad nos ipſos, ſcrutemurque vias noſtras: & ut in veritate id poſſimus, invocemus Spiritum veritatis, & revocemus ab alto quo nos eduxerat, quatenus antecedat nos etiam ad nos, quoniam ſine ipſo poſſumus nihil. Nec verendum quod dedignetur condeſcendere nobis, qui potius, ſi vel exiguum quid abſque ipſo conamur, indignatur. B Non eſt enim ille vadens & non rediens, ſed ducit nos & reducit de claritate in claritatem, tamquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad ſe in lumine ſuo, quandoque * contemperans, & illuminans tenebras noſtras, ut ſive ſupra nos *, ſive apud nos, ſemper in luce, ſemper ut filii lucis ambulemus.

* al. add. nobis

* apud ipſum.

Pſal. 17. 29.

Tranſivimus allegoriarum umbras: ventum eſt ad indaganda moralia. Ædificata eſt fides, inſtruatur vita: exercitatus eſt intellectus, dirigatur * actus. Siquidem intellectus bonus omnibus facientibus eum. ſi tamen & actus, & intelligentia dirigantur in laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus be- C nedictus in ſæcula, amen.

* al. dicetur.

SERMO XVIII.

De duabus operationibus Spiritus-ſancti, quarum una vocatur Effuſio, & alia Infuſio.

Cant. 1. 2.

1. O*Leum effuſum nomen tuum.* Quid certum demonſtrat Spiritus-ſanctus nobis in nobis occaſione hujus capituli? Profecto (quod interim occurrit) geminæ cujuſdam ſuæ operationis experimentum:

Duplex gratia Spiritus-ſancti.

unius quidem, qua nos primo intus virtutibus ſolidat ad ſalutem: alterius vero, qua foris quoque muneribus ornat ad lucrum. Illas nobis, hæc noſ- D tris accipimus. Verbi gratia, fides, ſpes, caritas nobis propter nos dantur: abſque his quippe ſalvi eſſe non poſſumus. Porro ſcientiæ ſeu ſapientiæ ſermo, gratia curationis, prophetia, ſimiliaque, quibus carere cum integritate etiam ſalutis propriæ poſſumus, proximorum procul dubio in ſalutem expendenda donantur. Et has Spiritus-ſancti operationes, quas vel in nobis, vel in aliis experimur, ut ex re nomina accipiant, Infuſionem, ſi placet, atque Effuſionem nominemus. Cuinam ergo harum convenit *Oleum effuſum nomen tuum?* Nonne effuſioni? Nam de infuſione infuſum potius, quam effuſum dixiſſet. [a] Deni- E que ob bonum odorem uberum extrinſecus perfuſorum, ait ſponſa, *Oleum effuſum nomen tuum*: adſcribens ipſum odorem nomini ſponſi, tamquam oleo effuſo ſuper ubera. Et quicumque munere gratiæ exterioris perfuſum * ſe ſentit, quo & ipſe aliis refundere poſſit, etiam huic dicere eſt: *Oleum effuſum nomen tuum.*

* al. perfundi.

2. Sed ſane cavendum in his, aut dare quod nobis accepimus; aut quod erogandum accepimus, retinere.

Quid in his donis cavendum.

Serm. 81, num. 8.

Rem profecto proximi retines tibi, ſi (verbi cauſa) plenus virtutibus cum ſis, foriſque nihilo minus donis ſcientiæ & eloquentiæ adornatus, metu forte aut ſegnitie, aut minus diſcreta humilitate, verbum bonum, quod poſſet prodeſſe multis, inutili, F immo & damnabili ligas ſilentio; certe maledictus, quod frumenta abſcondis in populis. Rurſum quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi priuſquam infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere, contra legem arans in primogenito bovis, & ovis primoge-

Deut. 15. 19.

[a] Apud Horſtium & alios, hic inſeritur periodus ſequens. *Denique de uberum foris ſpirante fragrantia, & non de interius Sponſæ virtutibus prolatum eſt*, OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM. *Denique ob bonum odorem, &c.* ſed eam omittunt pleraque mſſ. & prima editio. Habet quidem codex Uticenſis, ſed omiſſa ſequente periodo, *Denique ob bonum &c.* Sic verò ſuperflua eſt alterutra.

Tom. I V.

nitum tondens. Nimirum vita atque ſalute, quam alteri das, te fraudas, dum ſana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & letali apoſtemate turgens interis.

Prædicator concha ſit non canalis.

3. Quamobrem, ſi ſapis, CONCHAM te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem pene ſimul & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur, exſpectat; & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum qui partem ſuam facit deteriorem. Et ne meum conſilium cootemptibile ducas, audi ſapientiorem me: *Stultus*, ait Salomon, *profert totum ſpiritum ſuum ſimul, ſapiens reſervat in poſterum.*

Prov. 29. 11

Verum canales hodie in Eccleſia multos habemus, conchas vero perpaucas. Tantæ caritatis ſunt per quos nobis fluenta cæleſtia manant, ut ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt. Ego nullum ad ſalutem pietatis gradum illi gradui anteponendum exiſtimo, quem Sapiens poſuit, dicens: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Quod ſi non habeo niſi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi, & omnioo niſi ad Prophetæ juſſionem non profero. Si inſtiterint rogitantes aliqui ex his, qui forte exiſtimant de me ſupra id quod vident in me, aot audiunt aliquid ex me, reſpondebitur eis: *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Sed *caritas*, inquis, *non quærit quæ ſua ſunt.* Et tu ſcis quam ob rem? Non quærit quæ ſunt ſua, profecto quia non deſunt. Quiſnam quærat quod habet? Caritas quæ ſua ſunt, id eſt, propriæ ſaluti neceſſaria, numquam non habet; nec modo habet, ſed etiam abundat. Vult abundare ſibi, ut poſſit & omnibus; ſervat ſibi quantum ſufficiat, ut nulli deficiat. Alioquin ſi plena noo eſt, perfecta non eſt.

Imperfectorum præpoſtera in alios caritas.

Eccli. 30. 24.

Anima propria cura alienæ præferenda.

Matt. 25. 9.

1. Cor. 13. 5.

4. Ceterum tu, frater, cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui caritas adhuc aut nulla eſt, aut adeo tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circumferatur vento doctrinæ; immo cui caritas tanta eſt, ut ultra mandatum quidem diligas proximum tuum pluſquam teipſum: & rurſum tantilla, ut contra mandatum favore liqueſcat, pavore deficiat, perturbetur triſtitia, avaritia contrahatur, protrahatur ambitione, ſuſpicionibus inquietetur, conviciis exagitetur, curis eviſceretur, honoribus tumeat, livore tabeſcat: tu, inquam, ita in propriis teipſum ſentiens, quanam dementia, quæſo, aliena curare aut ambis, aot acquieſcis? Sed enim audi quid conſulat cauta vigilque caritas. *Non quod aliis*, inquit, *ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. Noli nimium eſſe juſtus.* Sufficit ut diligas proximom tuum tamquam teipſum, hoc quippe eſt ex æqualitate. Dicit David: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exſultationis laudabit os meum:* infundi nimirum prius volens & ſic effundere; nec ſolum infundi prius, ſed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de inanitate. Caute quidem: ne quod aliis remiſſio, ſibi tribulatio eſſet; & nihilo minus caſte, imitans illum, de cujus plenitudine omnes accepimus. DISCE & tu nonniſi de pleno effundere, nec Deo largior eſſe velis. Concha imitetur fontem. Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis. NON PUDEAT concham non eſſe ſuo foote profuſiorem. Denique ipſe Fons vitæ plenus in ſeipſo, & plenus ſeipſo, nonne primum quidem ebulliens & ſaliens in proxima ſecreta cælorum, omnia implevit bonitate; & tunc demum impletis ſuperioribus ſecretioribuſque partibus erupit ad terras, ac de ſuperfluo homines & jumenta ſalvavit, qoemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam? Prius interna replevit: & ſic exundans in multis miſerationibus ſuis viſitavit terram, & inebriavit eam multiplicavit locupletare eam. Ergo & tu fac ſimiliter. Implere prius, & ſic curato effundere. Benigna prudenſque caritas affluere conſuevit, non effluere. *Fili mi, ne perefflua*s, ait Salomon. & Apoſtolus: *Propterea*, inquit, *debemus intendere his quæ dicuntur, ne forte pereffluamus.* Quid enim? Tunc Paulo ſanctior, ſapientior Salomone? Alioquin nec mihi ſedet ditari ex te exinanito. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo, ſi vales, adjuva me: ſin autem, parcito tibi.

Prædicatorum imperfectorum indicia.

2. Cor. 8. 13.

Eccl. 7. 17.

Pſal. 62. 6.

Heb. 2. 1.

Pœnitentia commemorata.

5. Sed jam audite, quæ & quanta ſaluti propriæ neceſſaria ſint, quæ & quanta infundi oporteat, prius quam effundere præſumamus, quæ tamen in præſentiarum breviter colligere potero. Hora ſiquidem jam multum aſcendit, & ſermonis urget ad finem. Accedit medicus ad vulneratum, ſpiritus ad animam. Quam enim noo reperias gladio diaboli vulneratam, etiam poſt ſanatum vulnus antiqui delicti medicamento baptiſmatis? Ergo ad illam animam, quæ dicit, *Putruerunt & corrupti ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ*; cum accedit ſpiritus, quid primo opus eſt? Ut tumor vel ulcus, quod forte ſupercrevit in vulnere, & poteſt impedire ſanitatem, ante omnia amputetur. Abſcindatur itaque ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ conſuetudinis. Sed eſt acerbus dolor: leniatur proinde unguento devotionis, quod non eſt aliud, niſi concepta de ſpe indulgentiæ exultatio. Hanc continendi parit facultas, & victoria de peccato. Jam gratias agit, & dicit: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Deinde apponitur medicamentum pœnitentiæ, malagma jejuniorum, vigiliarum, orationum, & ſi qua ſunt alia pœnitentium exercitia. In labore cibandus eſt cibo boni operis, ne deficiat. Quod opus ſit cibus, inde doceris: *Meus cibus eſt*, inquit, *ut faciam voluntatem Patris mei.* Itaque comitentur pœnitentiæ labores pietatis opera quæ conforient. *Magnam*, ait, *fiduciam præſtat apud Altiſſimum eleemoſyna.* Cibus ſitim excitat: potandus eſt. Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in ſtomacho conſcientiæ quod bene geſtum eſt, & commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem. Humectat interiora arentis conſcientiæ, eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, ſpem confortans, vegetans ordinanſque caritatem, & impinguans mores.

Pſal. 37. 6.

1. Compunctio.

2. Devotio.

Pſal. 115. 17.

3. Opera pœnitentiæ.

Johan. 4. 34.

Tob. 4. 12.

4. Oratio.

6. Sumpto cibo potuque, quid jam reſtat, niſi ut pauſet ægrotus, & quieti contemplationis poſt ſudores actionis incumbat? Dormiens io contemplatione Deum ſomniat; per ſpeculum ſiquidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen ſic non tam ſpectari, quam conjectari, idque raptim, & quaſi ſub quodam coruſcamine ſcintillulæ tranſeuntis, tenuiter vix attacti inardeſcit amore, & ait: *Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis.* Talis amor zelat; hic decet amicum ſponſi, hoc neceſſe eſt ardeat fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Hic replet, hic fervet, hic ebullit, hic jam ſecurus effundit, exundans & erumpens, ac dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Prædicet, fructificet, innovet ſigna, & immutet mirabilia: oon eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi totum occupat caritas. Siquidem plenitudo legis & cordis eſt caritas, ſi tamen plena. *Deus* denique *caritas eſt*. & NIHIL EST in rebus quod poſſit replere creaturam factam ad imaginem Dei, niſi caritas Deus, qui ſolus major eſt illa. Eam nondum adeptus periculoſiſſime promovetur, quantuslibet aliis videatur pollere virtutibus. Si habuerit omnem ſcientiam, ſi dederit omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſi tradiderit corpus ſuum ita ut ardeat: abſque caritate vacuus eſt. En quanta prius

5. Contemplatio.

Iſa. 26. 9.

6. Caritas perfecta.

2. Cor. 11. 29.

Rom. 13. 10.

1. Johan. 4. 16.

Sola caritas Deus animam implere poteſt.

infundenda ſunt, ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes; primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus ſecundum operationem, quæ Infuſio appellatur: quatenus illa quæ effuſio dicta eſt, pure, & ob hoc tute jam adminiſtretur ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XIX.

De natura, modo, ac proprietatibus amoris angelici erga DEUM, *juxta ſingulos Angelorum ordines differt.*

Cant. 1. 2.

1. ADhuc ſponſa amatoria loquitur, adhuc pergit amplius proſequi laudes ſponſi: & gratiam provocat, dum monſtrat eam, quam jam acceperat, in ſe vacuam non fuiſſe. Audi etenim quid ſecura adjungit: *Propterea*, inquit, *adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Quaſi dicat: Non fruſtra nec inaniter nomen tuum exinanitum eſt, ô ſponſe, atque effuſum in ubera mea: propterea enim adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Propter quid? Propter nomen effuſum, & propter ubera ex eo perfuſa. Inde quippe excitatæ ſunt in amorem ſponſi, inde ſumpſerunt ut diligant. Sponſa infuſum munus excipiente, illæ mox ſenſêre fragrantiam, quæ longe à matre minime eſſe poterant; atque illa ſuavitate repletæ dicunt: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum qui datus eſt nobis.* Ergo ipſarum devotionem ſponſa commendans, Hic, inquit, fructus, ô ſponſe, effuſi nominis tui, quod propterea adoleſcentulæ dilexerunt te. Effuſum ſiquidem ſentiunt, quod integrum capere non valebant: propterea dilexerunt te. Effuſio quippe nomen facit capabile, captus* amabile, ſed adoleſcentulis duntaxat. Qui capaciores ſunt, integro gaudent, effuſo non indigent.

Rom. 5. 5.

* al. captum.

Angeli quanto amore in Chriſtum ferantur.

2. Angelica creatura irrepercuſſa mentis acie intuetur divinorum judiciorum abyſſum multam, quorum ſummæ æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur inſuper effectui ea mancipari per ſuum miniſterium, ac palam fieri: & propterea diligit merito Dominum Chriſtum. *Nonne omnes*, ait, *adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* Porro Archangelos (ut eis aliquid differentius ab his, qui ſimpliciter Angeli ſunt, tribuamus) mirabiliter, credo, delectat, quod ipſis quoque æternæ Sapientiæ conſiliis familiarius admittuntur, eademque per ipſos locis quæque ſuis atque temporibus ſummo moderamine diſpenſantur. Et hæc cauſa quod diligunt Dominum Chriſtum & ipſi. Illæ quoque beatitudines, quæ Virtutes ex eo forſitan appellatæ ſunt, quod virtutum ac prodigiorum occultas perpetuaſque cauſas felici curioſitate rimari ac mirari divinitus ordinatæ, ſigna, quæ & quando volunt, ex omnibus elementis terris potenter exhibeant: & ipſæ ergo exinde non immerito inardeſcunt diligere Dominum virtutum, & Dei virtutem Chriſtum. Plenum quippe eſt ſuavitatis & gratiæ, incerta & occulta ſapientiæ in ipſa ſapientia intueri: plenum nihilo minus honoris & gloriæ, cauſarum in Dei Verbo abſconditarum mundo ſpectandas mirandaſque in manu ipſorum dirigi efficientias.

Heb. 1. 14.

Archangeli.

Virtutes.

Poteſtates.

3. Sed & illi ſpiritus, qui Poteſtates nominantur, dum Crucifixi noſtri divinam omnipotentiam ubique fortiter attingentem intueri ac magnificare delectantur, exturbare & debellare dæmonum hominumque contrarias poteſtates pro his, qui hereditatem capiunt ſalutis, accipiunt poteſtatem. Et hi nonne juſtiſſimam habent cauſam, ut diligant Dominum Jeſum? Sunt & ſuper iſtos Principatus, qui ipſum altius ſpeculantes, & liquido pervidentes univerſitatis eſſe principium, & primogenitum omnis creaturæ, tanta proinde principatus dignitate donantur, ut ubique terrarum habeant poteſtatem, quaſi de ſummo quodam rerum cardine, regna, & principatus, & quaſlibet pro arbitrio mutare & ordinare dignitates; pro quorumque meritis facere primos noviſſimos, & noviſſimos primos; deponere potentes de ſede, & exaltare humiles. Et hæc iſtis quoque ratio diligendi. Sed diligunt & Dominationes. Cur? Neſcio quid ſubtilius ſublimiuſque indagare de Chriſti interminabili atque irretragabili dominatu, laudabili quadam præſumptione feruntur: quod ſcilicet ubique univerſitatis non ſolum potens, ſed & præſens, ſupra infraque obſequi rectiſſimæ voluntati ſuæ curſus temporum, motus corporum, nutus mentium, ordine utique pulcherrimo cogat; idque cura tam vigili, ut ne puncto quidem aut iota, uni (ut dicitur) horum omnium debitum ſubtrahere famulatum ullatenus liceat: opera tamen tam facili, ut turbationem ſeu anxietatem ullam omnino gubernator non ſentiat. Intuentes ergo Dominum ſabaoth tanta cum tranquillitate omnia judicantem, intentiſſimæ ſuaviſſimæque contemplationis ſtupore nimio, ſed ſenſato rapti in illud divinæ claritatis tam ingens pelagus, recipiunt ſeſe in ſecretiori quodam miræ tranquillitatis receſſu, ubi tanta pace ac ſecuritate fruuntur, ut quieſcentibus ipſis, pro reverentia prærogativæ, tamquam vere dominationibus miniſtrare & militare videatur cetera multitudo.

Principatus.

Dominationes.

Throni.

4. In Thronis ſedet Deus. Et puto quod his ſpiritibus ſupra omnes qui memorati ſunt, & juſtior cauſa, & copioſior ſit materia diligendi. Etenim ſi intres hominis regis cujuſcumque palatium, nonne cum plenum ſic ſellis, ſcamnis, cathedriſque, regia ſedes in eminenti poſita cernitur? Et non eſt neceſſe quærere ubi rex ſedere ſolitus ſit: nimirum mox occurrit manifeſta ſedes ejus, ceteris altior ornatiorque ſedibus. Sic quoque omni decoris ornatu cunctis aliis præeminere ſpiritibus iſtos intellige, in quibus ſpeciali quodam ſtupendæ dignationis munere divina elegit reſidere majeſtas. Quod ſi ſeſſio ſignificat magiſterium; puto illum, qui unus eſt nobis magiſter in cælo & in terra, Dei ſapientiam Chriſtum, cum alias quidem ubique attingat propter munditiam ſuam, ſpecialius tamen iſtos, atque principalius tamquam propriam ſedem ſua illuſtrare præſentia, & inde tamquam de ſollemni auditorio docere Angelum, docere hominem ſcientiam. Inde Angelis divinorum notitia judiciorum, inde conſiliorum Archangelis: ibi Virtutes audiunt, quando, & ubi, & qualia proferant ſigna. Ibi denique univerſi, ſive ſint Poteſtates, ſive Principatus, ſive Dominationes, diſcunt profecto quid ex officio debeant, quid pro dignitate præſumant, & (quod præcipue cautum eſt omnibus) accepta poteſtate ad propriam voluntatem ſeu gloriam non abuti.

Cherubin.

5. Illa tamen cæli agmina, quæ Cherubin nuncupantur, ſi eis ſui vocabuli ſervetur interpretatio, arbitror nil habere quod ab ipſis, aut per ipſos accipiant: cum de ipſo fonte ad plenum haurire liceat, ipſo ea per ſe Domino Jeſu dignanter introducente in omnem plenitudinem veritatis, theſauros ſapientiæ ſcientiæque, qui in eo omnes abſconditi ſunt, largiſſime revelante. Sed nec ea quæ appellata ſunt Seraphin, quippe quæ ipſa caritas Deus in ſe adeo traxit & abſorbuit, atque in eumdem rapuit ſanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo eſſe ſpiritus videantur: inſtar profecto ignis, qui aërem, quem inflammat, dum ſuum ei totum calorem imprimit, induitque colorem, non ignitum, ſed ignem feciſſe cernitur. Amant itaque præcipue contemplari in Deo illi quidem ſpiritus ſcientiam cujus non eſt numerus; hi vero caritatem, quæ nequaquam excidit. Unde & nomina iſta ſortiti ſunt ex eo quique, in quo præeminere videntur. nam Cherubin quidem plenitudo ſcientiæ; Seraphin vero incendentia vel incenſa dicuntur.

Seraphin.

Tom. IV. Antcaphs. leoſis prædi. ſtorum.

6. Diligitur ergo ab Angelis Deus ob judiciorum ſuorum ſummam æquitatem; ab Archangelis ob conſiliorum ſummam moderationem; porro à Virtutibus ob benigniſſimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos dignantiſſime trahit ad fidem; à Poteſtatibus vero ob illam juſtiſſimæ potentiæ vim, qua ſolet à piis malignantium propulſare & arcere crudelitatem; verum à Principatibus ob æternam & originalem illam virtutem, qua dat eſſe & eſſendi principium omni creaturæ ſuperiori & inferiori, ſpirituali & corporali, attingens à fine uſque ad finem fortiter: à Dominationibus quoque ob placidiſſimam voluntatem, qua licet ubique dominetur in fortitudine brachii ſui, virtute tamen potentiori pro ſua ingenita lenitate & imperturbabili tranquillitate diſponit omnia ſuaviter. Diligitur & à Thronis ob benevolentiam magiſtræ ſapientiæ ſine invidia ſeſe communicantis, & unctionem, quæ gratis docet de omnibus. Ceterum à Cherubin propterea diligitur, quia Deus ſcientiarum dominus eſt; & ſciens quid cuique opus ſit ad ſalutem, diſcrete provideque dona ſua digne poſcentibus, prout novit expedire, diſtribuit: à Seraphin quoque, quia caritas eſt, & nihil odit eorum quæ fecit, & vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

7. Hi ergo omnes, prout capiunt, diligunt. Sed enim adoleſcentulæ, quoniam minus ſapiunt, minus & capiunt, nec omnino ſufficiunt ad tam ſublimia: parvulæ quippe in Chriſto ſunt, lacte & oleo nutriendæ. Ergo ex uberibus ſponſæ opus ſumere habent unde diligant. Habet oleum effuſum ſponſa, ad cujus illæ excitantur odorem, guſtare & ſentire quam ſuavis eſt Dominus. Cumque amore flagrantes perſenſerit, convertens ſe ad ſponſum: *Oleum*, ait, *effuſum nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Quid eſt *nimis*? Valde, vehementer, ardenter. Vel certe magis ex obliquo vos, qui nuper veniſtis, tangit ſpiritualis ſermo: veſtram illam (quam & nos frequenter reprimere conati ſumus) minus diſcretam vehementiam, immo intemperantiam prorſus nimium obſtinatam redarguens. Non vultis eſſe communi contenti vita. Non ſufficit vobis regulare jejunium, non ſollemnes vigiliæ, non impoſita diſciplina, non menſura, quam vobis partimur in veſtimentis & alimentis: privata præfertis communibus. Qui veſtri curam ſemel nobis crediditis, quid rurſum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum, conſcientiis veſtris teſtibus, offendiſtis, propriam ſcilicet voluntatem veſtram, ecce nunc iterum magiſtram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquieſcere, non obtemperare ſeniorum conſilio vel exemplo, non obedire nobis. An ignoratis quia *melior eſt obedientia, quam victima?* Non legiſtis in Regula veſtra, quod quicquid ſine voluntate vel conſenſu Patris ſpiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi? Non legiſtis in Evangelio, quam formam obediendi puer Jeſus pueris ſanctis tradiderit? Nam cum remanſiſſet in Jeruſalem, & dixiſſet in his quæ Patris ſui erant oportere ſe eſſe; non acquieſcentibus parentibus ejus, ſequi illos in Nazareth non deſpexit, Magiſter diſcipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabrum & feminam. Quid? Etiam addit ſacra hiſtoria: *Et erat*, inquit, *ſubditus illis.* Quouſque vos ſapientes eſtis in oculis veſtris? Deus ſe mortalibus credit & ſubdit; & vos in viis veſtris adhuc ambulatis? Bonum receperatis ſpiritum: ſed non bene utimini eo. Vereor ne alium pro iſto recipiatis, qui ſub ſpecie boni ſupplantet vos: & qui ſpiritu cœpiſtis, carne conſummemini. An neſcitis, quia angelus ſatanæ multoties transfigurat ſe in Angelum lucis? Sapientia eſt Deus, & vult ſe amari non ſolum dulciter, ſed & ſapienter. Unde Apoſtolus: *Rationabile*, inquit, *obſequium veſtrum.* Alioquin FACILLIME zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas: nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſit, ut in ea incaute, & non cum ratione ambuletur. Quamobrem ego cogito modos quoſdam tradere vobis, quos operæ pretium eſt Deum diligentibus obſervare. Sed quia hic ſermo finem deſiderat, cras eos, ſi Deus vitam mihi & otium, quod nunc habemus ad differendum, ſervaverit, explicare conabor. Tunc enim recreatis nocturna quiete ſenſibus, & (quod eſt præcipuum) oratione præmiſſa alacriores, ut juſtum eſt, ad ſermonem de dilectione conveniemus, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum, amen.

Cant. 1. 2. — Nimis quid. — Religioſos ſingularium ſtudioſos arguit. — V. Serm. 19. num. 1. — V. Tom. 3 ſer. in obitu Humberti, num. 1. — Voluntatis propriæ amatores notat. — 1. Reg. 15. 22. — Reg. S. Ben. cap. 49 — Chriſti miranda obedientia. — Luc. 2. 51. — 2. Cor. 11. 14. — Rom. 12. 1. — Deus ſapienter amandus.

SERMO XX.

De triplici modo dilectionis, quâ Deum diligimus.

1. UT à Magiſtri verbis ſermo exordium ſumat: *Qui non amat Dominum Jeſum, anathema ſit.* Valde omnino mihi amandus eſt, per quem ſum, vivo, & ſapio. Si ingratus ſum; & indignus. DIGNUS plane eſt morte, qui tibi, Domine Jeſu, recuſat vivere, & mortuus eſt: & qui tibi non ſapit, deſipit; & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Denique quid eſt homo, niſi quia tu innotuiſti ei? Propter temetipſum Deus feciſti omnia: & qui eſſe vult ſibi & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia. *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt*, inquit, *omnis homo.* Ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo. Inclina tibi, Deus, modicum id quod me dignatus es eſſe; atque de mea miſera vita ſuſcipe, obſecro, reſiduum annorum meorum: pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicias. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & præterierunt ſine fructu. Impoſſibile eſt ut revocem: placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Jam de ſapientia, ante te eſt omne deſiderium meum, & propoſitum cordis mei: ſi qua eſſet in me, ſervarem ad te. Sed, Deus, tu ſcis inſipientiam meam: niſi quod hoc ipſum fortaſſe ſapere eſt, quod & ego agnoſco eam, & quidem ex munere tuo. Auge illud mihi, minime quidem ingrato pro munuſculo; ſed ſollicito pro eo quod deeſt. Pro his ergo ita ſum amans te, quantum poſſum.

1. Cor. 16. 22. — Dignus morte qui Chriſto recuſat vivere. — Pſal. 143. 3. — Eccl. 12. 13. — Præteritæ animæ ad Deum aſpiratio.

2. Sed eſt quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jeſu bone, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vindicat totum ſibi. Hoc, inquam, eſt quod noſtram devotionem & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. Illa denique dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt. At vero hic & in dictis ſuis ſuſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Adde quod hanc ipſam dilectionem non reddidit, ſed addidit. Nam *quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Sed ut ſanctus Johannes evangeliſta ait: *Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos.* Denique dilexit etiam non exiſtentes; ſed adjecit & reſiſtentes diligere, juxta Pauli teſtimonium dicentis: *Quoniam cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per ſanguinem Filii ejus.* Alioquin ſi non dilexiſſet inimicos, nondum poſſediſſet amicos: ſicut nec dum quos ſic diligeret eſſent, ſi non dilexiſſet qui nondum eſſent.

Chriſtus plus amandus ob opus redemptionis, quam creationis. — Pſal. 32. 9. — Rom. 11. 35. — 1. Johan. 4. 10. — Rom. 5. 10.

3. Dilexit autem dulciter, ſapienter, fortiter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit; cautum, quod culpam cavit; forte, quod mortem ſuſtinuit. Nam quos ſane in carne viſitavit, carnaliter tamen nequaquam amavit, ſed in prudentia ſpiritus. *Spiritus* quippe ânte faciem noſtram *Chriſtus Dominus*, æmulans nos Dei æmulatione, non hominis, & certe ſaniori, quàm primus Adam Evam ſuam. Itaque quos in carne quæſivit, dilexit in ſpiritu, redemit in

Chriſtus dilexit nos dulciter, ſapienter, fortiter. — Thren. 4. 20.

virtute. Plenum proſus omni ſuavitatis dulcedine, videre hominem hominis Conditorem. At dum naturam prudenter ſelegit à culpa, etiam potenter mortem propulit à natura. In carnis aſſumptione condeſcendit mihi, in culpæ vitatione conſuluit ſibi, in mortis ſuſceptione ſatisfecit Patri; amicus dulcis, conſiliarius prudens, adjutor fortis. Huic ſecurus me credo, qui ſalvare me velit, noverit, poſſit. Quem quæſivit, hunc & vocavit per gratiam ſuam: numquid venientem ejiciet foras? Sed nec vim, nec fraudem metuo profectò ullam, quod me videlicet de manu ejus poſſit eruere; qui & vincentem omnia vicit mortem, & ſeductorem univerſitatis ſerpentem, arte utique ſanctiore deluſit; iſto prudentior, illa potentior. Carnis quidem aſſumit veritatem, ſed peccati ſimilitudinem: dulcem prorſus in illa exhibens conſolationem infirmo, & in hac prudenter abſcondens laqueum deceptionis diabolo. Porro ut Patri nos reconciliet, mortem fortiter ſubit & ſubigit, fundens pretium noſtræ redemptionis ſanguinem ſuum. Ergo niſi amaſſet dulciter, non me in carcere requiſiſſet illa majeſtas: ſed junxit affectioni ſapientiam, qua tyrannum deciperet; junxit & patientiam, qua placaret offenſum Deum Patrem. Hi ſunt modi, quos vobis promiſeram: ſed præmiſi eos in Chriſto, ut commendabiliores haberetis.

Chriſto ſecure ſe credit homo.

Deus ſic amandus exemplo Chriſti.

4. Diſce, ô Chriſtiane, à Chriſto, quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his ſapientia Chriſtus: ne ſeducaris ſpiritu mendacii & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus: ne adverſitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Chriſtus. ZELUM tuum inflammet caritas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus. Nec teporem habeat, nec careat diſcretione, nec timidus ſit. Et vide ne fortè tria iſta tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Mihi videtur (ſi alius competentior ſenſus in hac trina diſtinctione non occurrit) amor quidem cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis; animæ vero amor ad induſtriam ſeu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia & circumſpectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas, ſicut ſcriptum eſt in conſequentibus: *Quoniam fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Sit ſuavis & dulcis affectui tuo Dominus Jeſus, contra male utique dulces vitæ carnalis illecebras; & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. Sed ſit nihilo minus intellectui prævia lux & dux rationi, non ſolum ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum verſutiis cuſtodiendam, verùm ut cautus quoque ſis nimiam & indiſcretam vehementiam in tua converſatione * vitare. Sit etiam fortis, & conſtans amor tuus, nec cedens terroribus, nec ſuccumbens laboribus. Ergo amemus affectuoſe, circumſpecte, & valide: ſcientes amorem cordis, quem affectuoſum dicimus, abſque eo qui dicitur animæ, dulcem quidem, ſed ſeducibilem: iſtum vero abſque illo qui virtutis eſt, rationabilem eſſe, ſed fragilem.

Zeli boni conditiones.

Deut. 6. 5.

Cant. 8. 6.

* al. converſione.

Amor noſter in Chriſtum qualis eſſe debeat.

5. Et vide in manifeſtis exemplis hoc ita eſſe ut dicimus. Cum ægre ferrent Diſcipuli quod de aſcenſuri Magiſtri diſceſſu ab eodem ipſo audierant, audierunt: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Quid ergo? non diligebant de cujus diſceſſione dolebant? Sed diligebant quodam modo, & non diligebant. Diligebant dulciter, ſed minus prudenter; diligebant carnaliter, ſed non rationabiliter; denique diligebant toto corde, non autem tota anima. Dilectio eorum contra ſalutem eorum. Unde & aiebat: *Expedit vobis ut ego vadam,* culpans conſilium, non affectum. Loquenti item de morte ſua futura, obviare ſibi conantem Petrum, qui eum tenere diligebat, cum ita, ut meminiſtis, increpando repreſſit, quid in eo aliud quàm imprudentiam reprehendit? Poſtremo quid eſt, *Non ſapis quæ Dei ſunt,* niſi non ſapienter diligis, humanum ſequens affectum, contra divinum conſilium? Et vocavit *Satanam,* eo quod ſaluti, etſi neſciens, adverſaretur, qui Salvatorem mori prohiberet. Unde & correctus, repetentem poſtmodum triſte verbum minime jam mori vetuit, ſed ſe commoriturum eſſe promiſit. Non autem implevit, quia necdum ad tertium pervenerat gradum, in quo virtute tota diligitur. Erat tota anima doctus diligere, ſed adhuc infirmus; bene inſtructus, ſed parum adjutus; non ignarus myſterii, ſed martyrii pavidus. Non plane illa fortis ut mors dilectio tunc fuit, quæ morti ſuccubuit: fuit autem poſtea, cum ex promiſſione Jeſu-Chriſti indutus virtute ex alto, tanta tandem cœpit virtute diligere, ut in concilio prohibitus prædicare nomen ſanctum, conſtanter prohibentibus reſponderet: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Tunc demum tota virtute dilexit, cum nec vitæ ſuæ pepercit pro dilectione. *Majorem* ſiquidem *caritatem nemo habet, quam ſi animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* quam etſi minime tunc poſuit, jam tamen expoſuit. Ergo NON ABDUCI blanditiis, nec ſeduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt.

Joan. 14. 28.

Diſcipulorum in Chriſtum amor dulcis, non prudens & fortis.

Tom. IV.

Joan. 16. 7.

Petri amor.

Matth. 8. 33.

Act. 5. 29.

Joan. 15. 13.

Amor Dei verus.

6. Et nota amorem cordis quodam modo eſſe carnalem, quod magis erga carnem Chriſti, & quæ in carne Chriſtus geſſit vel juſſit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore, facile ad omnem de hujuſmodi ſermone compungitur. Nihil audit libentius, nihil legit ſtudioſius, nihil frequentius recolit, nihil ſuavius meditatur. Inde holocauſta orationum, tamquam ex adipe vituli ſaginati impinguat. Adſtat oranti Hominis-Dei ſacra imago, aut naſcentis, aut lactentis, aut docentis, aut morientis, aut reſurgentis, aut aſcendentis; & quicquid tale occurrerit, vel ſtringat neceſſe eſt animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, deſideria ſedet. Ego hanc arbitror præcipuam inviſibili Deo fuiſſe cauſam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo converſari, ut carnalium videlicet, qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem. Nonne denique in hoc gradu adhuc ſtabant qui aiebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te?* Solo profectò corporalis præſentiæ amore reliquerant omnia, adeo ut ſalutaris futuræ paſſionis & mortis ne audire quidem verbum æquanimiter ſuſtinerent, ſed nec gloriam aſcendentis poſtmodum niſi cum gravi mœrore ſuſpicere *. Hoc enim eſt quod eis dicebat: *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Itaque in ſola interim gratia præſentis ſuæ carnis eos ab amore omnis carnis ſuſpenderat.

Carnalis erga Chriſtum amor.

Incarnationis finis præcipuus.

Matt. 19. 27.

* al. ſuſcipere.

Joan. 16. 6.

7. Monſtrabat autem poſtea eis altiorem amoris gradum, cum diceret: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Puto hunc aſcenderat jam qui dicebat: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Fortaſſis & nihilo minus Propheta in hoc ipſo ſtabat, cum diceret: *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.* Nam quod ſubjungit, *Sub umbra ejus vivemus inter gentes*; mihi videtur ex perſona incipientium addidiſſe, ut quieſcant ſaltem in umbra, qui ſolis ferre ardorem minus validos ſe ſentiunt; & carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere quæ ſunt Spiritus Dei. Umbram ſiquidem Chriſti, carnem reor eſſe ipſius, de qua obumbratum eſt & Mariæ, ut ejus objectu fervor ſplendorque Spiritus illi temperaretur. In carnis

Joan. 6. 64.

2. Cor. 5. 16.

Thren. 4. 20.

Ibidem.

Luc. 1. 35.

Mariæ obumbratio.

v. Serm. 31. n. 9.

Tom. IV.

ergo devotione interim conſoletur, qui vivificantem Spiritum needum habet, eo dumtaxat modo, quo habenr illi qui aiunt: *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.* & item: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Nam alias quidem nequaquam ſine Spiritu-ſancto vel in carne diligitur Chriſtus, etſi non in illa plenitudine. Cujus tamen menſura devotionis hæc eſt, ut totum cor illa ſuavitas occupet, totum ſibi ab amore univerſæ carnis ac carnalis illecebræ vindicet. Hoc quippe toto corde diligere eſt. Alioquin ſi carnis meæ quamlibet conſanguinitatem vel voluptatem forte præfero carni Domini mei, per quod me videlicet minus ea implere contingat, quæ in carne manens verbo & exemplo me docuit: nonne liquido conſtat, quod toto nequaquam diligo corde, cum id diviſum habens, partem impendere videar carni ejus, partem intorquere ad propriam? Denique ait: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam pluſquam me, non eſt me dignus.* Ergo, ut breviter dicam, toto corde diligere, eſt omne quod blanditur de carne propria vel aliena, ſacroſanctæ carnis ejus amori poſtponere. In quo & mundi æque gloriam comprehendo, quia gloria mundi gloria eſt carnis; & qui ea delectantur, carnales eſſe non dubium eſt.

(Margin: 2. Cor. 3. 17. — 2. Cor. 5. 16. — Toto corde diligere quid ſit. — Matt. 10. 37.)

8. Licet vero donum, & magnum donum Spiritus ſit iſtiuſmodi erga carnem Chriſti devotio: carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris reſpectu, quo non tam Verbum caro jam ſapit, quàm Verbum ſapientia, Verbum juſtitia, Verbum veritas, Verbum ſanctitas, pietas, virtus; & ſi quid aliud quod ſit, hujuſmodi dici poteſt. Et hæc nempe omnia Chriſtus, *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* An tibi æque & uno modo affecti videntur, is quidem qui Chriſto paſſo pie compatitur, compungitur, & movetur facile ad memoriam horum quæ pertulit, atque iſtius devotionis ſuavitate paſcitur, & confortatur ad quæque ſalubria, honeſta, pia; itemque ille, qui juſtitiæ zelo ſemper eſt accenſus, qui veritatem ubique zelat, qui ſapientiæ fervet ſtudiis; cui amica ſanctitas vitæ, & morum diſciplina; cujus mores erubeſcunt jactantiam, abhorrent detractionem, invidiam neſciunt, ſuperbiam deteſtantur, omnem humanam gloriam non ſolum fugiunt, ſed & faſtidiunt & contemnunt; omnem in ſe carnis & cordis impuritatem vehementiſſime abominantur & perſequuntur; omne denique tamquam naturaliter & malum reſpuunt, & quod bonum eſt amplectuntur? Nonne ſi compares utriuſque affectiones, conſtat quodam modo illum ſuperiorem, reſpectu quidem hujus, amare quaſi carnaliter?

(Margin: 1. Cor. 1. 30. — Amatorum Chriſti diſparitas.)

9. Bonus tamen amor iſte carnalis, per quem vita carnalis excluditur, contemnitur & vincitur mundus. Proficitur autem in eo, cum fit & rationalis; perficitur, cum efficitur etiam ſpiritualis. Porro rationalis tunc eſt, cum in omnibus quæ oportet de Chriſto ſentiri, fidei ratio ita firma tenetur, ut ab eccleſiaſtici ſenſus puritate nulla veri ſimilitudine, nulla hæretica ſeu diabolica circumventione aliquatenus devietur. Itemque cum in propria converſatione illa cautela ſervatur, ut diſcretionis meta nulla ſuperſtitione vel levitate, vel ſpiritus quaſi ferventioris vehementia excedatur. Et hoc eſſe tota anima Deum diligere, jam ſupra diximus. Quod ſi etiam adjuvantis Spiritus vigor tantus accedat, ut nulla vi laborum vel tormentorum, ſed nec mortis metu juſtitia umquam deſeratur; in hoc etiam tota virtute diligitur, & eſt amor ſpiritualis. Quod nimirum nomen huic ſpecialiter amori congruere puto, ob prærogativam utique plenitudinis ſpiritus, qua præcellit. Et hæc ſufficiant pro eo quod ſponſa dicit: *Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* In his quæ ſequuntur, dignetur nobis aperire theſauros miſericordiæ ſuæ ipſe cuſtos eorum Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

(Margin: Amor triplex. — Ex tota anima diligere, quid. — Ex tota virtute. — Cant. 1. 2.)

SERMO XXI.

Qualiter ſponſa, id eſt Eccleſia, trahi ſe optat poſt ſponſum, id eſt Chriſtum.

1. TRahe me poſt te: *in odore* [a] *unguentorum tuorum curremus.* Quid? Sponſane ergo neceſſe habet trahi, & hoc poſt ſponſum? Quaſi vero invita eum, & non libens ſequatur. Sed non omnis qui trahitur, invitus trahitur. Nec enim infirmum aut debilem, cum videlicet qui per ſe ire non valet, trahi ad balneum, ſeu ad prandium piget, etſi reum pigeat trahi ad judicium, vel ad pœnam. Denique trahi vult quæ & hoc rogat: non autem rogaret, ſi ſequi per ſeipſam dilectum, prout vellet, valeret. Ut quid vero non valet? an infirmam fateamur & ſponſam? Si una quævis ex adoleſcentulis infirmam ſe diceret, & peteret trahi, nequaquam miraremur. At vero de ſponſa, quæ trahere & alios, utpote fortis & perfecta, poſſe ſufficere videbatur: cui non durum ſonet, quod & ipſa trahi, tamquam infirma vel debilis, neceſſe habeat? De quanam anima jam confidimus, quod valida ſit & ſana, ſi illam infirmam dici conſenſerimus, quæ pro ſui ſingulari perfectione & excellentiori virtute ſponſa Domini nominatur? An Eccleſia forte id dixerit, cum intueretur dilectum aſcendentem, geſtiens eum ſequi, atque aſſumi cum ipſo in gloria? Quamquam & quantævis perfectionis anima, quamdiu quidem gemit ſub corpore mortis hujus, & hujus ſæculi nequam retinetur incluſa carcere, vincta neceſſitatibus, torta ſceleribus, lentius ſegniuſque aſſurgat neceſſe eſt ad contemplanda ſublimia, nec omnino liberum habet ſequi ſponſum quocumque ierit. Hinc lacrymoſa vox illa gementis: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hinc ſupplex illa precatio: *Educ de carcere animam meam.* Dicat proinde, dicat cum gemitu etiam ſponſa: *Trahe me poſt te;* quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* An hoc dicat cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, præſertim dum videat eas, propter quas manere ipſam in carne neceſſarium videbatur, bene proficientes amare jam ſponſum, & ſtare in tuto caritatis? Siquidem hoc præmiſerat: *Propterea,* inquiens, *adoleſcentulæ dilexerunt te.* Nunc ergo quaſi dicat, Ecce adoleſcentulæ amant te, & amando firmiter inhærent tibi, meque minime jam opus habent, nulla mihi cauſa in hac vita ulterius commorandi; idcirco ait, *Trahe me poſt te.*

(Margin: Cant. 1. 3. — Trahi quid, & quibus competat. — Rom. 7. 24. — Pſal. 141. 8. — Sap. 9. 15. — Philip. 1. 23. — An cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto.)

2. Hoc ſentirem, ſi dixiſſet, Trahe me ad te. Nunc vero quia dicit *poſt te*, magis illud mihi poſtulare videtur, ut converſationis ejus valeat veſtigia ſequi, ut poſſit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere diſciplinam. In his quippe maxime opus eſt adjutorio, quo valeat abnegare ſemetipſam, & tollere crucem ſuam, & ſic ſequi Chriſtum. Hic prorſus trahi neceſſe habet ſponſa, nec ſane trahi ab alio, quàm ab eo ipſo qui ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Scio, inquit, me nequaquam poſſe pervenire ad te, niſi gradiendo poſt te; ſed neque hoc quidem, niſi adjutam abs te: ideoque precor ut trahas me poſt te. *Beatus* ſiquidem *cujus eſt auxilium abs te! aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum*, perventurus quandoque ad te in montibus gaudiorum. Quam pauci poſt te, ô Domine Jeſu, ire volunt! cùm tamen ad te pervenire nemo ſit qui nolit, hoc ſcientibus cunctis, quia de-

(Margin: Maxime ſequendus Chriſtus. — Joan. 15. 5. — Pſal. 83. 6. — Chriſti gloriam plures quàm crucem deſiderant. — Pſal. 15. 11.)

a Sic veteres libri, ſic primi editi, non *in odorem*, ut in aliis vulgatis, quod jam notatum Nempe curremus non in odorem, ſed *ſpirantibus unguentis curremus*, num. 4. *odore excitati*, num. 9. & num. 11. *curremus in odore unguentorum tuorum, non noſtrorum fiducia meritorum;* ad hæc, *tu curris in ipſa unctione, nos in illius odore curremus; tu in plenitudine, nos in odore.*

lectationes in dextera tua uſque in finem Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari; conregnare cupiunt, ſed non compati. Ex his erat ille, qui [Num. 23. 10.] dicebat: *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.* Optabat ſibi extrema juſtorum, ſed non ita & principia. Mortem ſpiritualium optant ſibi etiam carnales, quorum tamen vitam abhorrent, ſcientes pretioſam mortem eſſe ſanctorum: quoniam [Pſal. 126. 2.] *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini*; & quia [Apoc. 14. 13.] *beati mortui qui in Domino moriuntur*: cum è contrario juxta Prophetæ ſententiam, [Pſal. 33. 22.] *Mors peccatorum peſſima* ſit. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire; cupientes conſequi, ſed non & ſequi. Non ſic illi, quibus aiebat: [Luc 22. 28.] *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Beati qui digni habiti ſunt teſtimonio tuo, benigne Jeſu! Ipſi revera ibant poſt te, & pedibus, & affectibus. Notas eis feciſti vias vitæ, vocans eos poſt te, qui via & vita es, & dicis: [Matt. 4. 19.] *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* item, [Johan. 12. 26.] *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Dicebant ergo glorianteſ: [Matt. 19. 27.] *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

3. Sic itaque & dilecta tua, relictis omnibus propter te, concupiſcit ſemper ire poſt te, ſemper tuis inhærere veſtigiis, ac ſequi te quocumque ieris: ſciens quoniam viæ tuæ viæ pulcræ, & omnes ſemitæ tuæ pacificæ; & quia qui ſequitur te, non ambulat in tenebris. Precatur autem ſe trahi, quoniam juſtitia tua ſicut montes Dei, nec ſufficit ad illam ſuis viribus. Precatur ſe trahi, ut aſſolet: quia [Johan. 6. 44.] nemo venit ad te, niſi Pater tuus traxerit eum. Porro quos Pater trahit, trahis & tu. Opera quippe quæ Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit. Sed familiarius à Filio poſtulat trahi, tamquam à ſponſo proprio, [a] quem Pater miſit obviam ei ducem ac præceptorem, qui ſibi præiret in via morum, & præpararet iter virtutum, & erudiret eam ſicut ſemetipſum, & viam prudentiæ doceret, & traderet ei legem vitæ & diſciplinæ; & ſic merito ipſe concupiſceret decorem ejus.

[Gratiæ neceſſitas.] 4. *Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paululum in nobis ignis amoris tui; nec valemus à facie frigoris hujus currere modo, ſicut heri & nudiuſtertius. Curremus autem poſtea, cum reddideris lætitiam ſalutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ, cum Sol juſtitiæ iterum incaluerit, & pertranſierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad lenem flatum auræ blandioris ſolito cœperint unguenta liqueſcere, & [Curſus pro modo gratiæ.] aromata fluere, & dare odorem ſuum. Tunc curremus, in odore illo curremus. Spirantibus, inquam, unguentis curremus, quoniam abſcedet torpor qui nunc eſt, & revertetur devotio, & jam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut ſponte curramus. Nunc vero interim *trahe me poſt te.* [Gratiæ ſtatus varii.] Videſne illum qui in ſpiritu ambulat, nequaquam permanere in uno ſtatu, nec eadem ſemper facilitate proficere, & quod non ſit in homine via ejus; ſed quemadmodum ei ſpiritus moderator, prout vult, diſpenſat, nunc ſegnius, nunc alacrius quæ retro ſunt oblivіſci, & ad anteriora ſeſe extendere? Puto quod hoc ipſum, ſi attenditis, veſtra vobis experientia intus reſpondet quod ego foris loquor.

5. Ergo cum te torpore, acedia, vel tædio affici ſentis, noli propterea diffidere aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali: ſed juvantis require manum, trahi te obſecrans ſponſæ exemplo, donec denuo ſuſcitante gratia factus promptior alacriorque, curras, & dicas: [Pſal. 118. 32.] *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* [De præſenti gratia numquam eſto ſecurus.] Sic autem, quamdiu adeſt gratia, delectare in ea, ut non te exiſtimes donum Dei jure hereditario poſſidere, ita videlicet ſecurus de eo, quaſi numquam perdere poſſis: ne ſubito, cum forte retraxerit manum, & ſubtraxerit donum, tu animo concidas, & triſtior A quàm oportet fias. Denique ne dixeris in abundantia [Tom. IV.] tua, [Pſal. 29. 7.] *Non movebor in æternum*: ne etiam illud quod ſequitur, dicere cum gemitu quidem cogaris: [Ibidem.] *Avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.* Curabis potius, ſi ſapis, pro conſilio Sapientis, [Eccli. 11. 27.] in die malorum non immemor eſſe bonorum, atque in die bonorum non immemor eſſe malorum.

6. Ergo in die virtutis tuæ noli eſſe ſecurus, ſed clama ad Deum cum Propheta, & dic: [Pſal. 70. 9.] *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Porro in tempore tentationis conſolare, & dic cum ſponſa: [Quomodo ſe gerendum in conſolatione & tentatione.] *Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Sic te non deſeret ſpes in tempore malo, nec in bono providentia B deerit, eriſque inter adverſa & proſpera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcuſſam conſtantis animi æqualitatem, [Æqualitas animi ut ſervanda.] benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in hujus nutabundi ſæculi dubiis eventibus, certiſque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis ſtatum, dum te cœperis renovare & reformare in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, [Jac. 1. 17.] *apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quippe ſicut ipſe eſt, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adverſis timidus, nec in proſperis diſſolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem C & ſimilitudinem ejus qui ſe fecit, antiqui honoris dignitatem receptare, jam jamque & recuperare ſe indicat, cum ſibi indignum ducit huic labenti ſæculo conformari, reformari magis ſatagens, juxta Pauli doctrinam, [Rom. 12. 2.] in novitate ſui ſenſus, in eam ſimilitudinem in qua ſe conditam novit; ac per hoc etiam cogens, [Hominem huic ſæculo conformari indignum.] ut dignum eſt, ſæculum iſtud, quod propter ſe factum fuit, verſa vice mirum in modum conformari ſibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tamquam in propria & naturali forma, abjecta degeneri ſpecie recognoſcentia Dominum ſuum, cui ad ſerviendum creata fuere.

7. Unde arbitror illum ſermonem, quem dixit de ſe D Unigenitus, [Johan. 12. 32. Homo qui omnia trahat ad ſeipſum.] videlicet ſi exaltaretur à terra, omnia traheret ad ſeipſum: cunctis quoque ejus fratribus poſſe eſſe communem, his utique quos Pater præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Et ego igitur ſi exaltatus fuero à terra, audacter dico, omnia traham ad meipſum. Nec enim temerarie uſurpo mihi, fratres mei, vocem, cujus me induo ſimilitudinem. Quod ſi ita eſt, non putent divites hujus ſæculi, fratres Chriſti ſola poſſidere cæleſtia, quia audiunt, dicentem: [Matt. 5. 3. Paupertas Evangelica etiam terrena poſſidet.] *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Non eos, inquam, æſtiment ſola cæleſtia poſſidere, qui ea ſola audiunt in promiſE ſione. Poſſident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, ſed omnia poſſidentes: non mendicantes, ut miſeri, ſed ut domini poſſidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum eſt. Totus plane: quia tam adverſa, quàm proſpera ipſius, æque omnia ſerviunt ei, & cooperantur in bonum.

8 Ergo avarus terrena eſurit ut mendicus, fidelis [Avarus non dominus, ſed ſervus.] contemnit ut dominus. Ille poſſidendo mendicat, iſte contemnendo ſervat. Quære à quovis eorum qui inſatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his ſentiat, qui ſua vendentes & dantes pauperibus, regna cælorum pro terrena mercantur ſubſtanF tia, ſapienter agant necne? Proculdubio reſpondebit; Sapienter. Quære item cur quod approbat, ipſe non facit? Non poſſum, inquiet. Quare? Profecto quia domina avaritia non permittit; quia liber non eſt; quia non ſunt ſua quæ poſſidere videtur; ſed nec ipſe ſui juris. Si vere tua ſunt, expende ad lucra, & pro terrenis cæleſtia commutato. Si non vales, fatere te pecuniæ tuæ, non dominum eſſe ſed ſervum; cuſtodem, non poſſeſſorem. Denique & conformaris crumenæ tuæ, tamquam ſervus dominæ ſuæ, dum quo-

a Addunt ſcripti quidam, *qui concupivit decorem ejus.*

Tom. IV.

modo ille illi neceſſario & congaudet gaudenti, & dolenti condolet: tu quoque cum creſcente tuo marſupio creſcis pariter animo, & cum decreſcente decreſcis. Nam & contraheris triſtitia, cum illud exinanitur: & lætitia ſolveris, aut certe inflaris ſuperbia, cum impletur. Hoc ille. Nos vero ſponſæ curemus æmulari libertatem atque conſtantiam, quæ ſicut bene inſtructa in omnibus, & erudita corde in ſapientia, ſcit abundare, ſcit & penuriam pati. Cum ſe rogat trahi, oſtendit quid deſit ſibi, non pecuniæ, ſed virtutis. Rurſum cum ſe nihilo minus de ſpe redituræ gratiæ conſolatur; etſi deficere, non tamen diffidere ſe probat.

9. Dicit ergo: *Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Et quid mirum ſi indiget trahi, quæ poſt gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum qui ſalit in montibus, tranſilit colles? *Velociter*, ait, *currit ſermo ejus.* Non valet ex æquo currere, non poteſt pari cum illo celeritate contendere, qui *exſultat ut gigas ad currendam viam*; non poteſt ſuis viribus, & propterea rogat ſe trahi. Feſſa ſum, inquit, deficio, noli me deſerere, ſed *trahe me poſt te*, ne incipiam vagari poſt amatores alios, nec curram quaſi in incertum. *Trahe me poſt te*: quia ſatius mihi eſt ut me trahas, ut ſcilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore male ſecuram derelinquas. Trahe quodam modo invitam, ut facias voluntariam: trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntarie & cum omni alacritate curremus. Non curram ego ſola, etſi ſolam me trahi petierim: current & adoleſcentulæ mecum. Curremus pariter, curremus ſimul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odore unguentorum tuorum curremus. Habet ſponſa imitatores ſui, ſicut & ipſa eſt Chriſti. & ideo non ait ſingulariter: *Curram*, ſed *curremus*.

Pſal. 147. 15. — *Pſal. 18. 6.* — *Tractio viæ exponitur.*

10. Sed oritur quæſtio, cur ſimiliter, cum ſe petiit trahi, etiam adoleſcentulas non adjunxit, ut non *Trahe me*, ſed Trahe nos diceret. Quid enim? Fortene ſponſa indiget trahi, & adoleſcentulæ non indigent? O pulcra, ô felix, ô beata, ediſſere nobis hujus diſtinctionis rationem. *Trahe me*, ais. Quare *me*, & non *nos*? An hoc bonum invides nobis? Abſit. Neque enim protinus dixiſſes adoleſcentulas tecum eſſe curſuras, ſi ſola poſt ſponſum ire voluiſſes. Cur ergo pluraliter mox ſubjunctura *curremus*, trahi te ſingulariter poſtulaſti? Caritas, inquit, ita poſtulabat. Diſce per hoc verbum à me in ſpirituali exercitio duplex auxilium deſuper ſperare, correptionem, & conſolationem. Altera foris exercet, altera viſitat intus. Illa reprimit inſolentiam, iſta in fiduciam erigit: illa operatur humilitatem, iſta puſillanimitatem conſolatur: illa cautos, iſta devotos facit. Timorem Domini docet illa, iſta ipſum timorem infuſo temperat gaudio ſalutari, ſicut ſcriptum eſt: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* item. *Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore.*

Adoleſcentulas cur trahi non petat. — *Auxilium Dei duplex, correptio & conſolatio.* — *Pſal. 85. 11.* — *Pſal. 2. 11.*

11. Trahimur, cum tentationibus & tribulationibus exercemur; currimus, cum internis conſolationibus & inſpirationibus viſitati, tamquam in ſuaveolentibus unguentis reſpiramus. Ergo quod auſterum & durum videtur, retineo mihi, tamquam forti, tamquam ſanæ, tamquam perfectæ, & dico ſingulariter, *Trahe me*. Quod ſuave & dulce, tibi tamquam infirmo communico, & dico, *Curremus*. Novi ego adoleſcentulas delicatas & teneras eſſe, & minus idoneas ſufferre tentationes: & propterea mecum volo ut currant, ſed non ut mecum trahantur; volo habere ſocias conſolationis, non autem & laboris. Quare? Quoniam infirmæ ſunt, & vereor ne deficiant, ne ſuccumbant. Me, inquit, ô ſponſe, corripe, me exerce, me tenta, me trahe poſt te: quoniam ego in flagella parata ſum, & potens ad ſuſtinendum. Ceterum ſimul curremus: ſola trahar, ſed ſimul curremus.

Hinc tractio & curſus.

Curremus, curremus, ſed in odore unguentorum tuorum, non noſtrorum fiducia meritorum: nec in magnitudine virium noſtrarum currere nos confidimus, ſed in multitudine miſerationum tuarum. Nam & ſi quando cucurrimus ac voluntarie fuimus, non fuit volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Revertatur miſeratio, & curremus. Tu quidem in virtute tua, tamquam gigas & potens, curris: nos, niſi unguenta tua ſpiraverint, non curremus. Tu, quem Pater unxit oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, curris in ipſa unctione; nos in illius odore curremus: tu in plenitudine, nos in odore. Tempus eſſet ut perſolverem quod de unguentis ſponſi longe ſupra promiſiſſe me memini, ſi non hujus ſermonis longitudo vetaret. Differo ergo: nam & materiæ dignitas arctari moleſta brevitate non patitur. Rogate Dominum unctionis, ut voluntaria oris mei beneplacita facere dignetur ad inſinuandam veſtris deſideriis memoriam abundantiæ ſuavitatis ſuæ, quæ eſt in ſponſo Eccleſiæ Jeſu-Chriſto Domino noſtro, amen.

Curſus noſter à gratia dependet. — *Rom. 9. 16.* — *Pſal. 44. 8.*

SERMO. XXII.

De quatuor unguentis Sponſi; & totidem virtutibus cardinalibus.

1. SI ita pretioſa, ita magnifica ſponſæ unguenta inventa ſunt, quemadmodum cum tractarentur audiſtis: ſponſi qualia ſunt? Et ſi digne ea nos, prout ſunt, non ſufficimus explicare; haud dubium tamen quin excellentior horum virtus, & gratia efficacior ſit, quorum ſolus non ſolum adoleſcentulas, ſed ipſam quoque ſponſam odor excitat ad currendum. Si enim advertis, nil tale de propriis unguentis auſa eſt polliceri. Et quidem illa optima eſſe gloriatur: ſed non dicit tamen, quia in eis cucurriſſet, aut curreret; quod in iſtorum ſolo odore promittit. Quid ſi ipſam unctionem in ſe effuſam ſentiret, cujus ita tenui exhilarata fragrantia permovetur ut currat? Mirum ſi non & volaret. Sed dicit aliquis: Deſine jam commendare: ſatis, cum ea cœperis aſſignare, apparebit quid ſint. Non. Minime ego iſtud polliceor. Sane an vel ipſa ſint quæ animo ſuggeruntur dicenda, crede mihi, adhuc neſcire me fateor. Exiſtimo enim ſponſum varias aromatum atque unguentorum habere ſpecies, & non paucas: & alias quidem eſſe in quibus ſingulariter oblectatur ſponſa, tamquam propinquior ac familiarior; alias vero quæ uſque ad adoleſcentulas perveniunt; alias quæ pertingunt etiam ad longe poſitos & extraneos, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus. Sed licet ſuavis Dominus univerſis, maxime tamen domeſticis; & quanto quis ei familiarius pro vitæ meritis ac mentis puritate appropiat, tanto eum arbitror recentiorum aromatum & unctionis ſuavioris ſentire fragrantiam

Deus varie ſapit pro diverſis animis.

2. Porro in hujuſmodi non capit intelligentia, niſi quantum experientia attingit. Ego vero haud temere mihi arrogarim ſponſæ prærogativam. Novit ſponſus quibus deliciis ſpiritus foveat dilectam, quibus ſingulariter refocillet ſenſus ejus inſpirationibus, & mulceat odoramentis. Sit tibi fons proprius, in quo ei non communicet alienus, nec indignus bibat ex eo; eſt quippe *hortus concluſus, fons ſignatus*. Ceterum derivantur aquæ inde in plateas. Eas me habere ad manum fateor, dum tamen nemo mihi moleſtus ſit aut ingratus, ſi de publico haurio & propino. Nam ut pauliſper miniſterium meum in hac parte commendem; nonnullius profecto fatigationis eſt atque laboris, quotidie ſcilicet exire, & haurire etiam de manifeſtis rivulis Scripturarum, & ex eis ſingulorum neceſſitatibus inſervire, ut abſque ſuo labore quiſque veſtrum præſto habeat aquas ſpirituales ad omne opus, verbi gratia ad lavandum, ad potandum, ad cibos coquendos. Eſt nimirum aqua ſapientiæ ſalutaris ſermo divinus, non modo potans, ſed & lavans, dicente Domino: *Et vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Sed & crudos carnis cogitatus igne

Spiritus-

Experientia ad hæc neceſſaria. — *Cant. 4. 12.* — *Prædicandi labor non exiguus.* — *Verbi divini uſus triplex.* — *Johan. 15. 3.*

Spiritus-ſancti accendente coquit divinum eloquium, ac vertit in ſenſus ſpirituales & cibos mentis, ita ut dicas: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.*

Pſal. 38. 4.

3. Qui mente ſane puriori per ſeipſos apprehendere ſublimiora ſufficiunt, quàm per nos proferantur; non ſolum non prohibeo, ſed & multum congratulor, dum & ipſi nos patiantur ſimpliciora ſimplicioribus miniſtrare. Quis dabit mihi ut omnes prophetent? Utinam mihi neceſſe non eſſet in his occupari! Utinam aut alteri cura incumberet iſta, aut certe, quod mallem, nemo in vobis eſſet qui ea indigeret, eſſentque omnes docibiles Dei, & ego poſſem vacare & videre quoniam ſponſus eſt Deus! Nunc vero quem minime interim, non dico intueri, ſed ne inquirere quidem licet, quod ſine lacrymis non loquor, Regem in decore ſuo ſedentem ſuper Cherubin, ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, in ea forma, qua æqualis Patri in ſplendoribus ſanctorum ante luciferum genitus eſt, in qua & ſemper deſiderant Angeli eum proſpicere, Deum apud Deum: ipſum ſaltem hominem homo hominibus loquor ſecundum eam formam, in qua, ut ſe manifeſtum nimia ſua dignatione & dilectione præberet, minoratus ab Angelis, in ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Suavem magis quàm ſublimem, & unctum, non altum loquor, qualem denique Spiritus Domini unxit, & miſit evangelizare pauperibus; mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, prædicare annum placabilem Domino.

De Chriſti humanitate quàm de divinitate loqui promptius.

Pſal. 18. 6.

4. Salvo igitur cuique, quod forte ſublimius ſubtiliuſque de Sponſi unguentis ſpeciali munere ſentire ſibi & experiri donatum eſt, ego quod de communi accepi, profero in commune. Ipſe ſiquidem fons vitæ, ipſe fons ſignatus, de intra hortum concluſum erumpens, per os Pauli fiſtulam ſuam, tamquam vere illa ſapientia, quæ juxta beati Job ſententiam *trahitur de occultis*, in quatuor ſeſe rivos diffudit, & derivavit in plateas, ubi videlicet & aſſignat nobis eum factum à Deo ſapientiam, & juſtitiam, & ſanctificationem, & redemptionem. Ex his utique quatuor rivis, tamquam pretioſiſſimis unguentis, (nil enim obſtat utrumque intelligi, & aquam, & unctionem: aquam, quia mundant; unctionem, quia fragrant:) ex his, inquam, quatuor præmiſſis, tamquam unguentis pretioſiſſimis, ſuper montes aromatum de cæleſtibus ſpeciebus confectis, tanta Eccleſiæ nares odoris ſuavitas replevit, ut mox à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine, ſupernum properaret ad ſponſum, tamquam vere illa regina Auſtri feſtinans à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, opinionis ſiquidem odore provocata.

Job 28. 18.

1. Cor. 1. 30. Verbi incarnati odore & ſuavitate tracta demum eſt Eccleſia.

3 Reg. 10. 1.

5. Sane & Eccleſia non ante currere valuit in odore ſui Salomonis, quouſque is qui ab æterno ex Patre ſapientia erat, factus eſt ei in tempore à Patre ſapientia, qua ipſius odorem percipere poſſet. Sic juſtitia, ſic ſanctificatio, ſic & redemptio nihilo minus ei factus eſt, ut horum quoque in odore currere poſſet, cum hæc æque omnia in ſe ante omnia eſſet. Nam & in principio quidem erat Verbum: ſed tunc demum ad videndum ipſum paſtores venerunt feſtinantes, cum nuntiatum eſt factum. Denique & loquuntur ad invicem: *Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis.* Et ſequitur, quia *venerunt feſtinantes.* Prius non ſe movebant, dum Verbum erat tantum apud Deum. At ubi Verbum, quod erat, factum eſt, ubi hoc Dominus fecit & oſtendit: tunc venerunt feſtinantes; tunc cucurrerunt. Quomodo ergo in principio erat Verbum, ſed Verbum erat apud Deum, factum eſt autem quatenus eſſe inciperet & apud homines: ſic nihilo minus in principio ſapientia erat, erat juſtitia, erat ſanctificatio & redemptio, ſed Angelis; ut eſſet & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique *qui factus eſt*, inquit, *nobis ſapientia à Deo.* Non ait ſimpliciter, qui factus eſt ſapientia, ſed qui factus eſt nobis ſapientia: quoniam quod erat Angelis, factus eſt & nobis.

Chriſtus nobis Sapientia.

Johan. 1. 1.

Luc. 2. 15.

Et redemptio

1. Cor. 1. 30.

6. At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit, non video. Nec enim auctoritas Scripturarum uſpiam aſſentire videtur, eos aliquando aut peccato extitiſſe captivos, aut morti obnoxios, ut neceſſariam haberent redemptionem, exceptis dumtaxat illis, qui ſuperbiæ lapſu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli numquam redempti ſunt, alii utique non egentes, alii non promerentes; alii quidem quia nec lapſi ſunt, hi autem quia irrevocabiles ſunt: quo pacto tu dicis Dominum Jeſum-Chriſtum eis fuiſſe redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti * Angelo ne laberetur, ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum. Liquet ergo ſanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemptionem, ſicut juſtitiam, ſicut ſapientiam, ſicut ſanctificationem: & nihilo minus tamen hæc ipſa quatuor eſſe factum propter homines, qui inviſibilia Dei nonniſi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicere poſſunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus eſt nobis. Quid? Sapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio. Sapientia in prædicatione, juſtitia in abſolutione peccatorum, ſanctificatio in converſatione, quam habuit cum peccatoribus; redemptio in paſſione, quam ſuſtinuit pro peccatoribus. Ubi ergo hæc à Deo factus eſt; tunc Eccleſia odorem ſenſit, tunc cucurrit.

Chriſtus et in Angelis factus redemptio, & quomodo. V. Serm. 1. de Circumc. num. 2.

** al. ſtatum.*

Rom. 1. 20. Chriſtus quid nobis factus.

7. Vide jam quadrifariam unctionem, vide affluentiſſimam atque inæſtimabilem ſuavitatem ejus, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Sedebas, ô homo, in tenebroſis * & umbra mortis per ignorantiam veritatis; ſedebas vinctus catenis delictorum. Deſcendit ad te in carcerem, non ut torqueret, ſed ut erueret de poteſtate tenebrarum. Et primo quidem veritatis doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ luce ſapientiæ ſuæ. Per Juſtitiam deinde, quæ ex fide eſt, ſolvit funes peccatorum, gratis juſtificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit ſermonem illum ſancti David: *Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Addidit quoque ſancte inter peccatores vivere, & ſic tradere formam vitæ, tamquam viæ, qua redires ad patriam. Ad cumulum poſtremo pietatis tradidit in mortem animam ſuam, & de proprio latere protulit pretium ſatisfactionis, quo placaret Patrem; per quod illum plane ad ſe verſiculum traxit: *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Prorſus copioſa: quia non gutta, ſed unda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit.

** al. tenebris.*

Pſal. 145. 7.

Pſal. 129. 7.

8. Quid tibi debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcum, ſolvit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non poſt illum libenter atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata diſſimulat; qui deinde merita vivendo tradit, præmia moriendo conquirit? Quam excuſationem habet qui in odore horum unguentorum non currit, niſi ad quem forte odor minime pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ: quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Ergo qui vitalem hanc ſparſam ubique fragrantiam non ſentit; & ob hoc non currit; aut mortuus eſt, aut putidus *. Fragrantia fama eſt. Pervenit * opinionis odor, excitat ad currendum, perducit ad unctionis experimentum, ad bravium viſionis. Vox una lætantium, omnium pervenientium: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum.* Omnino propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te, Domine Jeſu, audientes quod non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruiſti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſeden-

Quem indignum non currere poſt Chriſtum.

Excitare nos ad hoc debet.

** al. putridus.*

** al. provocat.*

Pſal. 47. 9.

1. Chriſti manſuetudo

Tom. IV. tem in telonio, non ſupplicantem Publicanum, non negantem Diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odore horum currimus. [1. Sapientia.] Porro ſapientiæ tuæ odorem ex eo percipimus quod audivimus, [Jac. 1. 5.] quia ſi quis indiget ſapientia, poſtulet eam à te, & dabis ei. Aiunt ſiquidem quod des omnibus affluenter, & non improperes. [2. Juſtitia.] At vero juſtitiæ tuæ tanta ubique fragrantia ſpargitur, ut non ſolum juſtus, ſed etiam ipſa dicaris juſtitia, & juſtitia juſtificans. Tam validus denique es ad juſtificandum, quàm multus ad ignoſcendum. Quamobrem quiſquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitit juſtitiam, credat in te qui juſtificas impium, & ſolam juſtificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. [3. Sanctimonia.] Sanctitatem quoque ſuaviſſime & copioſiſſime tua redolet non ſolum converſatio, ſed & conceptio. Peccatum ſiquidem non commiſiſti, nec contraxiſti. Qui ergo juſtificati à peccatis ſectari deſiderant deliberantque ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum; audiant te clamantem: [Levit. 19. 2.] *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Conſiderent vias tuas, & diſcant à te, quia [Pſal. 144. 17.] *Juſtus ſis in omnibus viis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis.* [4. Redemptionis beneficium.] Jam redemptionis odor quantos currere facit? Cùm exaltaris à terra, tunc prorſus omnia trahis ad teipſum. Paſſio tua ultimum refugium, ſingulare remedium. Deficiente ſapientia, juſtitia non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Quis enim de ſua vel ſapientia, vel juſtitia, vel ſanctitate præſumat ſufficientiam ſibi ad ſalutem? [2. Cor. 3. 5.] *Non quod ſufficientes*, inquit, *ſimus cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Itaque cum defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio quid faciam: [Pſal. 115. 13.] *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Illumina oculos meos, Domine, ut [Sap. 9. 10.] *ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore*, & ſapiens ſum. [Pſal. 24. 7.] *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, & juſtus ſum. [Pſal. 85. 11.] *Deduc me Domine in via tua*, & ſanctus ſum. Verumtamen niſi interpellet ſanguis tuus pro me, ſalvus non ſum. Pro his omnibus currimus poſt te: dimitte nos, quia clamamus poſt te.

[Diſcrimen currentium poſt Chriſtum.] 9. Nec currimus æqualiter omnes in odore omnium unguentorum: ſed videas alios vehementius ſtudiis flagrare ſapientiæ, alios magis ad pœnitentiam ſpe indulgentiæ animari, alios amplius ad virtutum exercitium vitæ & converſationis ejus provocari exemplo, alios ad pietatem paſſionis memoria plus accendi. Putamus nos de ſingulis poſſe reperire exempla? [Alii currunt in odore ſapientiæ.] Currebant in odore ſapientiæ, qui miſſi fuerant à Phariſæis, cum reverſi dicerent: [Johan. 7. 46.] *Numquam homo ſic locutus eſt*; utique admirantes doctrinam, & confitentes ſapientiam. [Johan. 3. 2.] Currebat in hoc ipſo odore ſanctus Nicodemus, qui *venit ad Jeſum nocte*, in ſplendore multo ſapientiæ: de multis quippe inſtructus edoctuſque receſſit. Verum in odore juſtitiæ cucurrit Maria Magdalena, cui [Luc 7. 47.] *dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* [Alii in odore juſtitiæ.] Juſta profecto & ſancta, & non jam peccatrix, quemadmodum Phariſæus exprobrabat, neſciens juſtitiam ſeu ſanctitatem Dei eſſe munus, non opus hominis; & quia non modo juſtus, ſed & beatus, cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat, quomodo vel ſuam ipſius, vel alterius corporalem tangendo lepram fugarat, non contraxerat? Sic tactus à peccatrice juſtus juſtitiam impertit, non perdit; nec ſorde peccati, qua illam mundat, ſe inquinat. Cucurrit & Publicanus, qui cum propitiationem peccatis ſuis humiliter imploraret, [Luc. 18. 14.] *deſcendit juſtificatus*, teſte ipſa Juſtitia. Cucurrit Petrus, qui lapſus [Luc. 22. 62.] *flevit amare*, quatenus culpam dilueret, recuperaret juſtitiam. Cucurrit David, qui reatum agnoſcens & confitens, audire meruit: [2. Reg. 12. 13.] *Et Dominus tranſtulit à te peccatum tuum.* [Alii in odore ſanctificationis.] Porro in ſanctificationis odore Paulus currere ſe teſtatur, cum Chriſti ſe imitatorem eſſe gloriatur, dicens ad diſcipulos: [1. Cor. 11. 1.] *Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Chriſti.* [Matt. 19. 27.] Cucurrerunt & omnes qui aiebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Deſiderio quippe ſequendi Chriſtum reliquerant omnia. Hortatur generaliter univerſos ad eumdem odorem iſta ſententia: [1. Johan. 2. 6.] *Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* [Alii in odore paſſionis ſeu redemptionis.] Jam qui in odore cucurrerint paſſionis, ſi audire vis, univerſos Martyres accipe. [Hæc ſponſi unguenta.] En quatuor unguenta aſſignata habetis, primum Sapientiæ, ſecundum Juſtitiæ, tertium Sanctificationis, quartum Redemptionis. Tenete nomina, percipite fructum: & compoſitionis modum, vel numerum ſpecierum, quibus confecta ſunt, nolite requirere. Non enim facile in ſponſi unguentis hæc præſto eſſe poſſunt nobis, quemadmodum in ſuperioribus illis ſponſæ fuerunt. In Chriſto nempe rerum plenitudo eſt ſine numero, & ſine modo. Nam & [Pſal. 146. 5.] *ſapientiæ ejus non eſt numerus*; & *juſtitia* ipſius [Pſal. 35. 7.] *ſicut montes Dei*, ſicut montes æterni; & ſanctitas ſingularis, & redemptio inexplicabilis.

[Veræ virtutes ſolùm in Chriſto.] 10. Dicendum & hoc: quia fruſtra hujus ſæculi ſapientes de quatuor virtutibus tam multa diſputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum neſcierint, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia docens prudentiam, & juſtitia delicta donans; & ſanctificatio, in exemplum temperantiæ continenter vivens; & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. Forſitan dicit aliquis: Cetera bene conveniunt, ſed ſanctificatio ad temperantiam minus proprie referri videtur. Ad quod reſpondetur primum, id eſſe continentiam, quod temperantiam. Deinde uſitatum in Scripturis, ſanctificationem pro continentia ſeu munditia poni. Denique quid illæ apud Moyſen tam crebræ ſanctificationes aliud erant, quàm quædam purificationes hominum temperantium ſe à cibo, à potu, concubitu, hiſque ſimilibus? Sed audi ipſum præcipue Apoſtolum, quàm familiare habeat vel uti, vel uſurpare ſanctificationem in hoc ſenſo. [1. Theſſ. 4. 3.] *Hæc eſt*, inquit, *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione, & non in paſſione deſiderii.* item, [Ibid. 7.] *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Liquet quod ſanctificationem pro temperantia ponit.

11. Educto itaque in lucem quod ſubobſcurum videbatur, redeo ad id unde digreſſus eram. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Chriſtum ignoratis? [Sine Chriſto nulla vera virtus.] Ubinam, quæſo, vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? Unde vera juſtitia, niſi de Chriſti miſericordia? Ubi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? Ubi vera fortitudo, niſi in Chriſti paſſione? Soli ergo qui ejus doctrina imbuti ſunt, prudentes dicendi ſunt; ſoli juſti, qui de ejus miſericordia veniam peccatorum conſecuti ſunt; ſoli temperantes, qui ejus vitam imitari ſtudent; ſoli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adverſis tenent. Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat, quàm à Domino virtutum: cujus doctrina, ſeminarium prudentiæ; cujus miſericordia, opus juſtitiæ; cujus vita, ſpeculum temperantiæ; cujus mors, inſigne eſt fortitudinis. Ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. amen.

SERMO XXIII.

De tribus modis contemplationis circa Deum, ſub figura trium cellarum.

1. [Cant. 1. 3.] *INtroduxit me Rex in cellaria ſua.* Ecce unde odor, ecce quo curritur. Dixerat quia currendum, & in quo currendum: ſed quo currendum eſſet, non dixerat. Ergo ad cellaria curritur, & curritur in odore qui ex ipſis procedit, ſponſa illum ſolita ſua ſagacitate præſentiente, & cupiente in ipſius plenitudinem introduci. Verum de cellariis his quid ſentiendum putamus? Cogitemus ea interim loca quædam redolentia penes ſponſum, plena odoramentis, referta deliciis. In iſtiuſmodi nempe offici-

na potiora quæque ex horto, ſive ex agro ſervanda reponuntur. Illuc ergo pariter currunt. Qui? Spiritu ferventes animæ. Currit ſponſa, currunt adoleſcentulæ: ſed quæ amat ardentius, currit velocius, & citius pervenit. Perveniens, non dico repulſionem, ſed nec cunctationem patitur. Sine mora aperitur ei, tamquam domeſticæ, tamquam cariſſimæ, tamquam ſpecialiter dilectæ, & ſingulariter gratæ. Adoleſcentulæ autem quid? Sequuntur à longe. neque enim, cum adhuc infirmæ ſint, pari poſſunt devotione cum ſponſà currere, nec ipſius omnino imitari deſiderium & fervorem. ideoque tardius pervenientes, foris remanent. At caritas ſponſæ non quieſcit, neque inſoleſcit, ut aſſolet, ſucceſſibus ſuis, ut eas obliviſcatur, conſolans magis & hortans ad patientiam, quatenus æquanimiter & ſui ferant repulſam, & illius abſentiam. Denique & nuntiat eis gaudium quod percepit, non ob aliud ſane, niſi ut ſibi congaudeant, dum confidant minime alienum fore à ſe, quicquid gratiæ matri acceſſerit. Nam nec illa ita proficere curat, quò ipſarum negligat curam; nec juvandos ſuos profectus putat illarum damno. Quocumque proinde meritorum prærogativa tollatur ab illis, caritate abſque dubio & pia ſollicitudine neceſſe eſt eam ſemper eſſe cum illis. Oportet denique eam ſponſum ſuum imitari, & petentem nimirum cælos, & nihilo minus in terris cum ſuis ſe fore uſque ad conſummationem ſæculi pollicentem. Sic & iſta, quantumvis proficiat, quantumlibet promoveatur; cura, providentia atque affectu ab his, quas in Evangelio genuit, numquam amovetur, numquam ſua viſcera obliviſcitur.

Ferventes animæ currunt pro aliis.

Affectus perfectiorum erga imperfectiores.

2. Dicat itaque eis: Gaudete, confidite. *Introduxit me rex in cellaria ſua* *: putate & vos pariter introductas. Sola introducta videor: ſed ſoli non proderit. Veſtrum omnium eſt meus omnis profectus: vobis proficio, vobiſcum partibor quicquid plus forte vobis meruero. Vis indubitanter ſcire, quia in hoc ſenſu & affectu locuta ſit? Audi quid illæ reſpondeant. *Exſultabimus & lætabimur in te. In te*, inquiunt, *exſultabimus & lætabimur:* nam in nobis necdum meremur. Et addunt: *Memores uberum tuorum.* hoc eſt, æquanimiter ſuſtinemus dum venias, ſcientes te plenis ad nos reverſuram uberibus. Tunc nos confidimus exſultare & lætari, memores interim uberum tuorum. Quod adjungunt, *ſuper vinum*, ſignificant ſe adhuc quidem pro ſui imperfectione carnalium deſideriorum, quæ vino deſignantur, recordatione pulſari, vinci tamen eadem deſideria memoria abundantiæ ſuavitatis, quam jam ex uberibus fluentem expertæ ſunt. Dicerem de uberibus, ſi non me ſatis dixiſſe ſuperius * meminiſſem. Nunc vero vides quomodo de matre præſumunt, quomodo ejus lucra & gaudia ſua reputant, propriæ repulſæ injuriam illius introductione conſolantes. Minime ita confiderent, niſi matrem agnoſcerent. Audiant hoc Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, utilitati raro. Erudimini qui judicatis terram. Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos; ſtudete magis amari, quàm metui: & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem; ſuſpendite verbera, producite ubera: pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morſus à ſerpente parvulus fugit conſcientiam ſacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tamquam ad ſinum recurrere matris? Si ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis; conſiderans unuſquiſque ſeipſum, ne & ipſe tentetur. Alioquin ille *in peccato ſuo morietur: ſanguinem autem ejus*, ait, *de manu tua requiram.* Sed hæc alias.

** al. cubiculum.*

** Serm. 9.*

Prælati ſubditorum matres, non dominos ſe reputent.

Gal. 6. 1.

Ezech. 3. 20.

3. Nunc quoniam litteræ conſequentia ex his quæ prætaxavimus manifeſta eſt, videamus jam de cella-

Hortus, cellarium, cubiculum quid tropologice.

A riis quid ſpiritualiter ſentire debeamus. In conſequentibus mentio fit etiam de horto & de cubiculo, quæ ambo nunc adjungo iſtis cellariis, & in præſentem diſputationem aſſumo. nam ſimul tractata melius ex invicem innoteſcent. Et quæramus, ſi placet, tria iſta in Scripturis ſanctis, hortum, cellarium, cubiculum. In ipſis nempe libenter Deum ſitiens anima verſatur & moratur, ſciens ſe ibi abſque dubio inventuram quem ſitit. Sit itaque *Hortus* ſimplex ac plana hiſtoria; ſit *Cellarium* moralis ſenſus; ſit *Cubiculum* arcanum theoricæ contemplationis.

Tom. IV.

4. Et primum quidem hiſtoriam ad hortum puto non immerito deputari, quod in ea inveniantur viri B virtutum, tamquam ligna fructifera in horto ſponſi & in paradiſo Dei, de quorum bonis actibus ac moribus quot ſumis exempla, tot carpis poma. An forte quis ambigat Dei eſſe plantationem bonum hominem? Audi ſanctum David de viro bono quid canat. *Erit*, ait, *tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet.* Audi Jeremiam eodem ſpiritu concinentem, & eiſdem pæne verbis. *Erit tamquam lignum*, inquit, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus.* Item Propheta: *Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani mul-* C *tiplicabitur.* Et de ſeipſo: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei.* Eſt ergo Hiſtoria hortus, & ipſa tripertita. Continetur namque in ea cæli & terræ Creatio, Reconciliatio, & Reparatio. Creatio quidem, tamquam horti ſatio ſive plantatio. Reconciliatio autem, quaſi germinatio ſatorum vel plantatorum. Tempore nempe ſuo rorantibus cælis deſuper, & nubibus pluentibus juſtum, aperta eſt terra & germinavit Salvatorem, per quem facta eſt cæli, terræque reconciliatio. *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum*, pacificans in ſanguine ſuo quæ in terris ſunt, & quæ in cælis. Porro reparatio futura eſt in fine ſæculi. Erit enim cælum novum, & terra nova: & col- D ligentur boni de medio malorum, tamquam fructus de horto, in Dei promptuaria reponendi. *In die illa*, ut ſcriptum eſt, *erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis.* Habes igitur tria tempora in horto hiſtorici ſenſus.

Hortus eſt ſenſus hiſtoricus.

Pſal. 1. 3.

Jer. 17. 8.

Pſal. 91. 13.

Pſal. 51. 10.

Tria in hiſtoria, Creatio, Reconciliatio, Reparatio.

Iſa. 45. 8.

Eph. 2. 14.

Iſa. 4. 2.

5. In Morali quoque diſciplina tria æque advertere eſt, cellas quaſi tres in cellario uno. Et idcirco forſitan pluraliter *cellaria* dixit, & non cellarium, cellarum videlicet hunc numerum cogitans. Infra denique introductam ſe gloriatur *in cellam vinariam.* Nos ergo, quia legimus, *Da occaſionem ſapienti, & ſapientior erit:* habentes occaſionem ex vocabulo quod Spiritus-ſanctus cellæ huic cenſuit imponendum, re- E liquis quoque duabus nomina imponamus, Aromaticam uni, & Unguentariam alteri. Cauſas horum vocabulorum videbimus poſtea. Nunc autem adverte cuncta apud ſponſum ſalubria, cuncta ſuavia reperiri, vinum, unguenta, aromata. *Vinum*, Scriptura teſte, *lætificat cor hominis.* Exhilarari nihilo minus faciem in oleo legis, quo utique pulvis pigmentorum infunditur, ut unguenta fiant. Aromata non modo grata ſuavitate odoris, ſed vi quoque medendi utilia ſunt. Merito ſe introductam illuc exſultat ſponſa, ubi tanta redundat ubertas gratiæ.

Tria quoque in morali diſciplina ſcilicet tres cellæ.

Cant. 2. 4.

Prov. 9. 9.

Cellarum nomina duo.

Pſal. 103. 15.

Ibidem.

6. Sed habeo & alia nomina; puto & evidentio- F rem ſui gerentia rationem. Et ut ſuo ordine nominentur, primam nuncupaverim Diſciplinæ, ſecundam Naturæ, poſtremam Gratiæ. In priori diſcis juxta ethicæ partis rationem inferior eſſe, in ſequenti par, in poſteriore ſuperior: hoc eſt ſub alio, cum alio, ſuper alium; vel ſic, ſubeſſe, coëſſe, præeſſe. Primo ergo diſcis eſſe diſcipulus, ſecundo ſocius, tertio & magiſter. Et quidem omnes homines natura æquales genuit. At quoniam bono naturæ in moribus ſuperbia depravato, facti ſunt homines æqualitatis impatientes, contendentes invicem ſu-

Alia earumdem nomina.

Diſciplina ſeu obedientia neceſſitas.

Tom. IV. periores conſtitui, atque alterutrum ſupergredi cupientes, & inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes: primo omnium in cella priori, jugo diſciplinæ inſolentia morum domanda eſt, quouſque duris ac diutinis ſeniorum attrita legibus humilietur & ſanetur cervicoſa voluntas, bonumque in ſe naturæ, quod ſuperbiendo amiſerat, obediendo recipiat: dum ſolo jam naturali affectu, non metu diſciplinæ, cum univerſis naturæ ſuæ ſociis, id eſt cum omnibus hominibus ſocialiter, quantum in ſe eſt, quieteque ſeſe habere didicerit, in cellam tandem naturæ tranſiens, experienſque quod ſcriptum eſt: *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum! ſicut unguentum in capite.* Accedit

Pſal. 132. 1.

A tamen idonei magiſterio. Prioribus ergo ſequentes quidem in moribus antecellunt: ſed utriſque ſuperiores exſiſtunt, qui ſuperiores eſſe ſciunt. Denique & accipiunt in promiſſione qui bene præſunt, conſtitui ſuper omnia bona Domini ſui. At pauci profecto qui utiliter; pauciores, qui & humiliter præſint. Facile tamen utrumque adimplet, qui matrem virtutum diſcretionem perfecte adeptus, vino nihilo minus caritatis uſque ad contemptum propriæ gloriæ, uſque ad ſui ipſius oblivionem, & non ad quærenda quæ ſua ſunt debriatur; quod ſolo ac miro Spiritusſancti magiſterio intra cellam vinariam obtinetur. Virtus ſiquidem diſcretionis abſque caritatis fervore

Matt. 24. 47. — Pauci humiles.

Diſcretionis & fervoris neceſſaria copula in Prælato.

B nimirum diſciplinatis moribus, tamquam tritis ſpeciebus, oleum lætitiæ, bonum naturæ; & fit unguentum bonum atque jucundum. Quo quaſi unctus redditur homo ſuavis & mitis, homo ſine querela, neminem circumveniens, neminem concutiens, neminem lædens, nemini ſe ſuperextollens aut præferens, inſuper & libenter communicans in ratione dati & accepti.

jacet, & fervor vehemens abſque diſcretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deeſt: quatenus & fervor diſcretionem erigat, & diſcretio fervorem regat. Ergo taliter oportet eſſe moratum eum qui præeſt. Optimum autem in moribus dixerim, & ſummam diſciplinæ hujus perfecte apprehendiſſe, cui totas has cellas abſque offendiculo percurrere & circuire donatum eſt: qui in nullo prorſus aut reſiſtat prioribus, aut invideat paribus, aut ſubjectis vel deſit in cura, vel in ſuperbia præſit; prælatis obediens, ſociis congruens, ſubditis utiliter condeſcendens. quod quidem perfectionis inſigne haud dubius ſponſæ annuerim. Innuit hoc etiam ſermo quem dixit, quia *Introduxit me rex in cellaria ſua:* dum non in unam aliquam cellam, ſed *in cellaria* pluraliter ſe introductam oſtendit.

Boni Prælati [illegible]. — Cant. 1. 3.

7. Puto, ſi bene, intellexiſti utriuſque cellæ proprietates, non incongrue me hanc Unguentariam, illam Aromaticam appellaſſe * teſtaberis. In illa denique, ſicut pigmentorum vires atque fragrantiam piſtilli extorquet & exigit violenta contuſio, ſic rec-

* [illegible] quoque.

C torum morum elicit quodammodo & exprimit naturalem vim vis magiſterii, & diſtrictio diſciplinæ. In hac autem voluntariæ & tamquam innatæ affectionis grata manſuetudo ſponte officioſa currit, inſtar plane unguenti quod eſt in capite, ad levem caloris tactum deſcendentis ac diffluentis per totum. Itaque in cella Diſciplinæ, tamquam ſiccæ ac ſimplices aromatum ſpecies continentur, & inde Aromaticam eam denominandam putavi. In ea vero quæ Naturæ dicta eſt, quoniam jam quaſi confecta reponuntur & ſervantur unguenta, nihilo minus ex re nomen & ipſa accepit, ut Unguentaria nuncupetur. Nam Vinariam quoque cellam, non aliam ſane ſui

Cella diſciplinæ. — Naturæ.

9. Jam ad cubiculum veniamus. Quid & iſtud? Et id me præſumo ſcire quid ſit? Minime mihi tantæ rei arrogo experientiam, nec glorior in prærogativa, quæ ſoli ſervatur beatæ ſponſæ, cautus juxta illud Græcorum, ſcire meipſum; ut ſciam etiam cum Propheta, *quid deſit mihi*. Tamen ſi nihil omnino ſcirem, nihil dicerem. Quod ſcio, non invideo vobis, nec ſubtraho: quod neſcio, doceat vos *qui docet hominem ſcientiam*. Dixi, & meminiſtis, in theoricæ contemplationis arcano Regis eſſe quærendum cubi-

Cubiculum quid ſit. — Pſal. 38. 5. — Pſal. 93. 10.

D nominis arbitror ferre rationem, niſi quod in ea vinum zeli in caritate ferventis reconditur. Nec debet omnino præeſſe aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorſus hoc vino æſtuet, qui aliis præſidet, quemadmodum Doctor Gentium æſtuabat, quando dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Alioquin improbe ſatis præeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas: & quorum non zelas ſalutem, ſubjectionem nimis ambitioſe vindicas tibi. Hanc ego cellam quoque Gratiæ nominavi: non quod abſque gratia vel reliquas duas obtinere omnino quis poſſit, ſed ob plenitudinem quæ ſingulariter in iſta percipitur. Denique

Zelus Prælato neceſſarius. — 2. Cor. 11. 29.

culum. Sed quomodo de unguentis dixiſſe me ſcio, multa videlicet & diverſa penes ſponſum ea eſſe, nec omnia præſto omnibus, ſed ſua quibuſque pro diverſitate indulta meritorum: ſic quoque non unum puto cubiculum Regi eſſe, ſed plura. Nam nec una eſt regina profecto, ſed plures: & concubinæ multæ ſunt, & adoleſcentularum non eſt numerus. Et unaquæque invenit ſecretum ſibi cum ſponſo, & dicit: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Non omnibus uno in loco frui datur grata & ſecreta ſponſi præſentia, ſed ut cuique paratum eſt à Patre ipſius. Non enim nos eum elegimus, ſed ipſe elegit nos, & poſuit nos; & ubi ab eo quiſque poſitus eſt, ibi eſt.

Cubicula Sponſi varia. — Iſa. 24. 16.

E *plenitudo legis eſt caritas*; &, *qui diligit* fratrem, *legem implevit*.

Rom. 13. 10.

Denique mulier una compuncta ſecus pedes Domini Jeſu ſortita eſt locum, cum altera ſuæ devotionis fructum ad caput invenerit, ſi tamen altera[a]. Porro Thomas in latere, Johannes in pectore, Petrus in ſinu Patris, Paulus in tertio cælo, ſecreti hujus gratiam ſunt aſſecuti.

Luc. 7. 38. Matt. 26. 7. — 5

8. Vidiſti rationem vocabulorum: vide & differentiam cellarum. Nec enim paris facilitatis ſeu facultatis ejuſdem eſt, petulantes vagoſque ſenſus atque intemperantem carnis appetitum magiſtri comprimere metu, ac rigida diſciplinæ cohibere cenſura; & ſpontaneo affectu bene cum ſociis convenire; caſtigatis ſub ferula vivere moribus, & ſola magiſtra voluntate gratum paribus gerere morem. Nam neque unius rurſum quis dicat eſſe meriti, uniuſve virtutis, ſocialiter vivere, & utiliter præeſſe. Quàm multi denique ſub præceptore quieti vi-

Differentia cellarum. — Multi boni privati, qui Prælati mali.

10. Quis noſtrum digne diſtinguere ſufficiat has varietates meritorum, vel potius præmiorum? Ne omnino tamen præteriiſſe quod ipſi novimus * videamur; prior mulier ſtravit ſibi in tuto humilitatis, poſterior in ſolio ſpei, Thomas in ſolido fidei, Johannes in lato caritatis, Paulus in intimo ſapientiæ, Petrus in luce veritatis. Sic ergo apud ſpon-

Comm[illegible]

F vunt, quos ſi jugo abſolvas, videas non poſſe quieſcere, nec ſe ullo modo æqualibus ſervare innoxios? Itemque innumeros cernes ſimpliciter ac ſine querela inter fratres converſari, ſuper fratres non ſolum inutiliter, ſed & inſipienter, & nequiter. Quadam ſiquidem bona mediocritate contenti ſunt qui hujuſmodi ſunt, ſicut eis menſuram gratiæ partitus eſt Deus; minime quidem egentes magiſtro, nec

ſum manſiones multæ ſunt, & ſive regina, ſive concubina, ſive etiam de numero ſit adoleſcentularum, congruum quæque pro meritis accipit ibi locum terminumque, quouſque liceat ſibi contemplando procedere, & introire in gaudium Domini ſui, & rimari dulcia ſecreta ſponſi. Quod ſuo loco diſtinctius, quantum dignabitur ipſe ſuggerere, demonſtrare conabor. Nunc vero id noſſe ſufficiat, nulli adoleſcentularum, nulli concubinarum, nulli

a Eadem verba ſunt Auguſtini in Johannem tractatu 9. num. 3. Idem dubium Bernardus movit ſupra in Sermone 12. num. 6. Vide Notas fuſiores.

vel reginarum patere omnino acceſſum ad ſecretum illud cubiculi, quod ſuæ illi columbæ formoſæ, perfectæ uni, unicum ſponſus ſervat. Unde nec ego ſane indignor, ſi non ad illud admittor, præſertim cum conſtet mihi ne ipſam quidem ſponſam interim adhuc ad omne quod vult pervenire ſecretum. Denique & flagitat indicari ſibi, ubi paſcat, ubi cubet in meridie.

Cant. 1. 6.

In primo providentia conſideratur.

11. Sed audite quouſque pervenerim, aut me perveniſſe putaverim. Nec enim jactantiæ deputandum eſt, quod in veſtros pando profectus. Eſt locus apud ſponſum, de quo ſua jura decernit, & diſponit conſilia ipſe univerſitatis gubernator, leges conſtituens omni creaturæ, pondus, & menſuram, & numerum. Et locus iſte altus & ſecretus, ſed minime quietus. Nam etſi ipſe (quantum in ſe eſt) diſponit omnia ſuaviter, diſponit tamen; & contemplantem, qui forte eo loci pervenerit, quieſcere non permittit; ſed mirabiliter, quamvis delectabiliter, rimantem & admirantem fatigat, redditque inquietum. Pulcre utrumque in conſequentibus ſponſa exprimit, & delectationem videlicet iſtiuſmodi contemplationis, & inquietudinem, ubi & ſe dormire, & cor ſuum vigilare fatetur. Nam in ſomno quidem ſuaviſſimi ſtuporis, placidæque admirationis ſentire quietem; in vigilus vero inquietæ nihilo minus curioſitatis ac laborioſæ exercitationis pati ſe fatigationem ſignificat. Hinc beatus Job: *Si dormiero*, ait, *dico: Quando conſurgam? & rurſus exſpectabo veſperam.* Sentiune in his verbis ſanctam animam velle interdum moleſtam quodam modo declinare ſuavitatem, eamdemque rurſum ſuavem moleſtiam affectare? Non enim dixiſſet, *Quando conſurgam*, ſi ex toto ei quies illa ſuæ contemplationis placuiſſet: ſed & ſi ex toto diſplicuiſſet, non denuo exſpectaſſet horam quietis, id eſt *veſperam*. Non igitur locus eſt iſte cubiculi, ubi nequaquam per omnem modum quieſcitur.

Cant. 5. 2.
Ubi delectatio & inquietudo.

Reprobatio in ſecundo.

12. Eſt item locus, de quo ſuper rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat ſecretiſſima & ſeveriſſima animadverſio juſti judicis Dei, terribilis in conſilus ſuper filios hominum. Cernitur, inquam, à timorato contemplatore hoc loco Deus, juſto, ſed occulto judicio ſuo, reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona; inſuper & corda indurans, ne forte doleant, & reſipiſcant, & convertantur, & ſanet eos. Et hoc non abſque certa & æterna ratione, quod tanto formidoloſius conſtat eſſe, quanto immobilius fixum exſtat in æternitate. Pavendum valde quod in Propheta de hujuſmodi legimus, ubi loquens ad Angelos ſuos Deus ſic ait: *Miſereamur impio.* Quibus paventibus atque quærentibus: *Non* ergo *diſcet facere juſtitiam?* Non, inquit. ſubdenſque cauſam, *In terra*, ait, *ſanctorum iniqua geſſit; & non videbit gloriam Domini.* Timeant clerici, timeant miniſtri Eccleſiæ, qui in terris ſanctorum quas poſſident, tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis, quæ ſufficere debeant, minime contenti, ſuperflua quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacrilegeque ſibi retineant; & in uſus ſuæ ſuperbiæ atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.

Iſa. 26. 10.

Ibidem.
Clericorum ſuperfluitas notatur.

13. Talibus ergo cum in præſentiarum parcere ac miſereri, ne in æternum parcat, cujus judicia abyſſus multa, advertitur: quis hoc loco requiem quærat? Habet hæc viſio tremorem * judicii, non ſecuritatem cubiculi. Terribilis eſt locus iſte, & totius expers quietis. Totus inhorrui, ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me replicans cum tremore ſententiam: *Quis ſcit, ſi eſt dignus amore, an odio?* Nec mirum ſi titubo ego ibi, (folium utique quod à vento rapitur, & ſtipula ſicca) ubi & maximus ille contemplator ſuos quoque fatetur pæne motos fuiſſe pedes, pæne effuſos greſſus; & dicebat: *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Quare? *In labore*, inquit, *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagel-*

* *al. terrorem.*

Eccle. 9. 1.

Job 13. 25.

Pſal. 72. 3.

Ibidem. 5.

A *labuntur; ideoque tenuit eos ſuperbia*, ne humilientur ad pœnitentiam, ſed damnentur propter ſuperbiam cum ſuperbo diabolo & angelis ejus. Nam qui in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum profecto erunt, dicente Judice: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Eſt tamen Dei locus & iſte, plane non aliud quam domus Dei, & porta cæli. Hic nempe timeri dicitur Deus; hic ſanctum & terribile nomen ejus, & tamquam ingreſſus gloriæ: *Initium* plane *ſapientia timor Domini.*

Tom. IV.

Matth. 25. 41.

Pſal. 110. 9.
Ibidem 10.

14. Nec te moveat, quod initium ſapientiæ huic demum loco dederim, & non priori. Ibi quippe in
B quodam quaſi auditorio ſuo docentem de omnibus magiſtram audimus Sapientiam, hic & ſuſcipimus; ibi inſtruimur quidem, ſed hic afficimur. Inſtructio doctos reddit, affectio ſapientes. Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: ſic Sapientia multos, quos docet quid ſit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas divitias ſcire, aliud & poſſidere: nec notitia divitem facit, ſed poſſeſſio. Sic prorſus, ſic aliud eſt noſſe Deum, & aliud timere: nec cognitio ſapientem, ſed timor facit, qui & afficit. Tune ſapientem dixeris, quem ſua ſcientia inflat? Quis illos ſapientes niſi inſipientiſſimus dicat, qui cum cognoviſſent Deum, non tamquam
C Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? Ego magis cum Apoſtolo ſentio, qui *inſipiens cor eorum* manifeſte pronuntiat. Et bene *initium ſapientiæ timor Domini*: quia tunc primum Deus animæ ſapit, cum eam afficit ad timendum, non cum inſtruit ad ſciendum. Times Dei juſtitiam, times potentiam: & ſapit tibi juſtus & potens Deus, quia timor ſapor eſt. Porro ſapor ſapientem facit, ſicut ſcientia ſcientem, ſicut divitiæ divitem. Quid ergo prior locus? Tantum præparat ad ſapientiam. Illic præpararis, ut hic initieris. Præparatio, rerum cognitio eſt. Verum hanc facillime ſequitur elationis tumor, ſi non reprimat timor, ut merito dicatur *Initium ſapientiæ*
D *timor Domini*, qui ſe peſti inſipientiæ primus opponit. Ibi itaque quidam acceſſus eſt ad ſapientiam, hic & ingreſſus. Porro nec hic, nec ibi ſpeculanti perfecta eſt quies: quia illic Deus apparet tamquam ſollicitus, hic tamquam turbatus. Non ergo cubiculum quæſieris in his locis, quorum alter auditorium quaſi docentis, alter prætorium judicis magis apparet.

Timor Dei quomodo initium ſapientiæ.

Rom. 1. 21.

Scientiam ſequitur tumor, ſi non reprimat timor.

15. Sed eſt locus, ubi vere quieſcens & quietus cernitur Deus; locus omnino, non judicis, non magiſtri, ſed ſponſi: & qui mihi quidem (nam de aliis neſcio) plane cubiculum ſit, ſi quando in illum contigerit introduci. Sed, heu! rara hora, & parva
E mora! Clare ibi agnoſcitur miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Et felix qui dicere poteſt: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua* Stat propoſitum Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum, ipſorum & diſſimulans mala, & remunerans bona: ut miro modo eis non modo bona, ſed & mala cooperetur in bonum. O ſolus vere *beatus, cui non imputabit Dominus peccatum!* Nam qui non habuerit peccatum, nemo. *Omnes* enim *peccaverunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accuſabit* tamen *adverſus electos Dei?* Sufficit mihi ad omnem juſtitiam ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi. Omne quod mihi ipſe
F non imputare decreverit, ſic eſt quaſi non fuerit. NON PECCARE, Dei juſtitia eſt: hominis juſtitia, indulgentia Dei. Vidi hæc, & intellexi illius ſententiæ veritatem: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: quia generatio cæleſtis ſervat eum.* Generatio cæleſtis, æterna prædeſtinatio eſt, qua electos ſuos Deus dilexit & gratificavit in dilecto Filio ſuo ante mundi conſtitutionem, ſic in ſancto apparentes ſibi, ut viderent virtutem ſuam, & gloriam ſuam, quo ejus forent conſortes hereditatis, cujus & apparerent conformes imaginis. Hos ergo adverti quaſi

Miſericordia in tertio ſtatu conſideratur.

Pſal. 118. 63.

Prædeſtinatorum felix ſtatus.

Pſal. 31. 2.

Rom. 3. 23.
Rom. 8. 33.

1. Johan. 3. 9.

Quomodo non peccent.

Tom. IV. numquam peccaſſe: quoniam etſi qua deliquiſſe vi- A dentur in tempore, non apparent in æternitate: quia caritas [a] Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum. Et dixit beatos, *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*; cum ſubito tanta mihi quoque de me ſuborta fiducia & infuſa lætitia eſt, quantus certe in loco horroris, id eſt in loco ſecundæ viſionis, non præceſſerat timor, ita ut mihi viſus ſim tamquam unus ex illis beatis eſſe. O ſi duraſſet! Iterum, iterumque viſita me Domine in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ.

Pſal. 31. 1. — *Pſal. 105. 4.*

Contemplationis hujus quies.

16. O veræ quietis locus, & quem non immerito cubiculi appellatione cenſuerim! in quo Deus, non quaſi B turbatus ira, nec velut diſtentus cura proſpicitur; ſed probatur voluntas ejus in eo bona, & beneplacens, & perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet; inquietam curioſitatem non excitat, ſed ſedat; nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat. Hic vere quieſcitur. TRANQUILLUS Deus tranquillat omnia; & quietum aſpicere, quieſcere eſt. Cernere eſt Regem poſt diurnas forenſium quaſi lites cauſarum, dimiſſis à ſe turbis, curarum moleſtias declinantem, petentem de nocte diverſorium, cubiculum introeuntem cum paucis, quos hoc ſecreto & hac familiaritate dignatur, eo certe ſecurius, quo ſecretius quieſcentem; eo ſerenius ſe C habentem, quo placidius ſolos intuentem quos diligit. In hoc arcanum & in hoc ſanctuarium Dei ſi quem forte veſtrum aliqua hora ſic rapi & ſic abſcondi contigerit, ut minime avocet aut perturbet vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporearum phantaſmata; poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum.* Quod tamen an ipſum ſit de quo exſultat ſponſa, non temere affirmaverim. Eſt tamen cubiculum, & cubiculum Regis: quia nimirum de tribus, quos triplici aſſignavimus viſioni, ſolus factus eſt in pace locus iſte. Ut enim D aperte monſtratum eſt, & in priori exigua, & in ſecundo nulla percipitur quies: cum & illic apparens admirabilis, ad indagandi ſtudium exerceat curioſitatem; & hic innoteſcens terribilis, infirmitatem concutiat. At vero tertio iſto in loco, non plane terribilis, nec tam admirabilis quam amabilis apparere dignatur, ſerenus & placidus, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus intuentibus [*] ſe.

Quibus competat. — *Cant. 1. 3.* — In duobus prioribus locis non quies, ſed in tertio.

* al. invocantibus. — Summa ſuperiorum.

17. Jam ut horum quæ de cellario, horto, cubiculo, longiori ſunt diſputata ſermone, memoria veſtra compendium teneat; mementote trium temporum, trium meritorum, trium quaſi præmiorum. In horto advertite tempora, merita in cellario, præ- E mia in triplici illa contemplatione cubiculum inquirentis. Et de cellario quidem iſta ſufficiant. Porro de horto vel cubiculo ſi qua addenda, aut alia forte quam dicta ſunt, modo advertenda occurrerint, loco ſuo non prætereamus. Sin autem, ſufficiant quæ dicta ſunt, & minime iterentur, ne umquam in faſtidium (quod abſit) veniant ea, quæ proferuntur ad laudem & gloriam ſponſi Eccleſiæ Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXIV.[a]

Agit præcipue contra deteſtabile vitium detractionis; & qua in re rectitudo hominis potiſſimum conſiſtat.

* Habitus anno 1138. compoſito Schiſmate, poſt iter ex Italia reditum.

1. HOc demum tertio, Fratres, reditum ab Urbe noſtrum clementior oculus è cælo reſpexit, & vultus tandem ſerenior deſuper arriſit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Eccleſia pacem recepit. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, qui eam per hoc fermè octennium diro ſchiſmate conturbarat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Veſtris deſideriis do- B natus ſum, veſtris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere ſtudiis & ſaluti. Quodque dudum cœpta in Canticis me exſequi vultis, libenter quidem accipio, & dignum arbitror interruptum potius reſarcire ſermonem, quam novi ordiri quippiam. Vereor autem ne diſſuetum per id temporis animum & diſtentum diu habitum, non ſolum ad tam diverſa, ſed etiam ad tam indigna, dignitas materiæ, prout oportet, non admittat. Sed ſi quod habeo, hoc vobis dò: poterit & fideli obſequio meo Deus, etiam quod non habeo, dare ut dem. Si non; culpetur ſane ingenium, non voluntas.

C 2. Locus autem unde incipere debemus (ni fallor) iſte eſt: *Recti diligunt te.* Quod antequam explanare incipiamus, quid ſit videamus, cujus ſit, quiſnam hoc videlicet dicat. A nobis namque exigitur quod auctor non loquitur. Et fortaſſe melius adoleſcentulis id damus, ut ſuis verbis & hoc addant. [b] Siquidem cum dixiſſent, *Exſultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum*, (nec dubium quin matri loquerentur) continuato ſermone hoc quoque inferunt: *Recti diligunt te.* Puto propter aliquas de numero ipſarum, quæ non idem ſaperent, licet pariter currere viderentur; quæ ſua ſunt quærentes, & non ambulantes ſimpliciter neque ſincere, ſed ſpeciali D gloriæ matris invidentes, & captantes occaſionem murmurandi adverſus eam, ex eo nimirum quod ſola in cellaria introiſſet. Quod non eſt aliud niſi quod Apoſtolus ait, *Periculum in falſis fratribus.* Ipſæ ſunt, denique quibus exprobrantibus ſubinde pro ſe ſatisfacere cogitur, ubi eis ita reſpondet: *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem.* Itaque propter murmurantes & blaſphemantes dicitur ab his quæ bonæ, quæ ſimplices, quæ humiles & manſuetæ ſunt; ab his, inquam, dicitur ſponſæ conſolandi gratia: *Recti diligunt te.* Non ſit tibi, inquiunt, cura de iniqua reprehenſione blaſphemarum harum, cum conſtet, quia *Recti diligunt te.* Bona profecto conſolatio, cum E blaſphemamur à malis bene facientes, ſi recti diligant nos. Omnino ſufficit adverſus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum teſtimonio conſcientiæ. *In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur. Manſueti*, inquit, *lætentur.* Manſuetis placeam, & æquanimiter audio quidquid in me jactare voluerit livor perditarum.

Cant. 1. 3. — *Ibidem.* — *2. Cor. 11. 26.* — *Cant. 1. 4.* — Laus à bonis & rectis ſufficere debet. — *Pſal. 33. 3.*

3. Ergo in hoc ſenſu puto appoſitum, *Recti diligunt te.* Nec abſurde, ut æſtimo: cum ubique pæne in choro adoleſcentularum tales inveniantur, quæ acta ſponſæ curioſe obſervent, derogandi, non imitandi cauſa. Torquentur in bonis ſeniorum ſuorum, malis paſcuntur. Videas ambulare ſeorſum, convenire ſibi F & ſedere pariter, moxque laxare procaces linguas in deteſtandum ſuſurrium. Una uni conjungitur, nec

Detractorum ingenium & morum perſona pi.

[a] Eodem ſenſu in lib. de Gratia & libero arbitrio, num. 29. peccata prædeſtinatorum dicuntur *abſcondi in caritate*, nempe Dei. Confer ſermonem 4. de diverſis num. 5. & Sermonem 1. de Septuageſima cum Notis.

[b] Ab initio Sermonis ad hunc locum inſignis eſt in ſcriptis diverſitas. In quibuſdam, omiſſo hoc exordio, Sermo ita incipit. RECTI DILIGUNT TE. *Et hoc cui potiſſimum perſonæ congruere judicamus? Si adoleſcentulis, matri ſine dubio id loquuntur, ſiquidem cum dixiſſent ei*, EXSULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM, *continuato ſermone hoc quoque inferunt.* RECTI &c. Alii ſcripti noſtram lectionem habent. Ex hac varietate nata eſt magna confuſio in pleriſque editis, in quibus refertur utrumque exordium, ſed perperam. Hæc enim varietas inde orta eſt, quod Bernardus bis hunc eumdem Sermonem pronuntiavit, primo quidem cum exordio breviori anno 1137 antequam Romam tertio proficiſceretur: ſecundo vero, cum inde rediit anno 1138. eumdem repetiit cum altero exordio, ut interruptum opus ab ultimo hoc ſermone reſumeret. Codex unus Regius num. 4511. conſequenter eumdem ſermonem ſub duplici exordio repetit: unus item Thuano-Colbertinus ſemel hoc loco cum uno exordio; & iterum poſt ſermonem 60. cum altero.

ſpiraculum incedit in eis; tanta eſt libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad diſcordiam. Conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias, & pari conſentaneæ malignitatis affectu celebratur odioſa collatio. Haud ſecus egere quondam Herodes & Pilatus, de quibus narrat Evangelium, quia *facti ſunt amici in illa die*, hoc eſt in die dominicæ paſſionis. Convenientibus ſic in unum, non eſt dominicam cœnam manducare, ſed magis propinare & bibere calicem dæmoniorum; dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe juxta Prophetam *intrat mors per feneſtras noſtras*. cum prurientes auribus & oribus, letale poculum detractionis invicem nobis miniſtrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apoſtolo: *Detractores Deo odibiles*. Quam ſententiam Deus ipſe loquens in pſalmo, audi quomodo confirmat: *Detrahentem*, inquit, *proximo ſuo, hunc perſequebar.*

Luc. 23. 12. — Jer. 9. 21. — Detractores Deo odibiles. — Rom. 1. 30. — Pſal. 100. 5.

4. Nec mirum, cum id præcipue vitium caritatem, quæ Deus eſt, & quidem ceteris acrius, impugnare & perſequi cognoſcatur, quemadmodum vos quoque poteſtis advertere. Omnis qui detrahit, primum quidem ſeipſum prodit vacuum caritate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, niſi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipſis, apud quos detrahit? Ferit ergo caritatem in omnibus qui ſe audiunt lingua maledica, & quantum in ſe eſt, necat funditus & exſtinguit: non ſolum autem, ſed & in abſentibus univerſis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præſentes ſunt, pervenire contigerit. Vides quam facile & in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo tabe malitiæ hujus inficere poſſit. Propterea dicit de talibus propheticus ſpiritus: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Utique tam veloces, quam velociter currit ſermo. Unus eſt qui loquitur, & unum tantum verbum profert: & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Cor ſiquidem felle livoris amarum per linguæ inſtrumentum ſpargere niſi amara non poteſt, dicente Domino: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et ſunt ſpecies peſtis hujus, dum alii quidem nude atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomant detractionis: alii autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conentur. Videas alta præmitti ſuſpiria, ſicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæſto, dimiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitioſe proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum ſatis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo iſtud: ſed per me numquam innotuiſſet. At quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum: dolens dico, revera ita eſt. Et addit: Grande damnum. nam alias quidem in pluribus valet, ceterum in hac parte (ut verum fateamur) excuſari minime poteſt.

Detractio caritatem impugnat & perimit. — Detractionis ingentia nocumenta. — Pſal. 13. 3. — Luc. 6. 45. — Detractionis variæ ſpecies & modi.

5. His paucis adverſus maligniſſimum vitium commemoratis, revertamur ad explanandi ordinem, & demonſtremus, qui ſint hoc loco intelligendi *Recti*. Non enim arbitror ſentire quempiam rectæ intelligentiæ, ſecundum corpus rectos dici eos, qui ſponſam diligunt. Propterea demonſtranda nobis eſt ſpiritualis, id eſt animi cordiſve, rectitudo. Spiritus eſt qui loquitur, ſpiritualibus ſpiritualia comparans. Ergo ſecundum animum, non ſecundum terrenam & fæculentam materiam, Deus hominem rectum fecit. *Ad imaginem* quippe *& ſimilitudinem ſuam creavit illum.* Ipſe vero, quemadmodum pſallis, *Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Rectus itaque Deus rectum fecit hominem ſimilem ſibi; id eſt ſine iniquitate, ſicut non eſt iniquitas in eo. Porro iniquitas, cordis eſt, non carnis vitium: ut per hoc noveris in ſpirituali portione tui, & non in craſſa luteaque ſubſtantia Dei ſimilitudinem conſervandam fore, ſive reparandam. Spiritus enim eſt Deus, & eos qui volunt ſimiles ei vel perſeverare, vel fieri, oportet intrare ad cor, atque in ſpiritu id negotii actitare: ubi revelata facie ſpeculantes gloriam Dei, in eamdem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.

Rectitudo hominis qua in re conſiſtat. — Tom. IV. — Gen. 1. 27. — Pſal. 91. 16.

6. Quamquam & corporis ſtaturam dedit homini Deus rectam: forſitan ut iſta corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus eſt, ſpiritualis ſuæ ſervandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perverſa res eſt & fœda, luteum vas, quod eſt corpus de terra, oculos habere ſurſum, cælos libere ſuſpicere, cælorumque luminaribus oblectare aſpectus: ſpiritualem vero cæleſtemque creaturam ſuos è contrario oculos, id eſt internos ſenſus atque affectus, trahere in terram deorſum; & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tamquam unam de ſuibus, amplexarique ſtercora. Erubeſce, anima mea, divinam pecorina commutaſſe ſimilitudinem: erubeſce volutari in cœno, quæ de cælo es. Erubeſce anima, ait corpus, in mei conſideratione. Creata creanti ſimilis recta, me quoque accepiſti adjutorium ſimile tibi, utique ſecundum lineamenta corporeæ rectitudinis. Quocumque te vertas, ſive ad Deum ſurſum, ſive ad me deorſum, (nemo ſiquidem carnem ſuam umquam odio habuit) ubique occurrit tibi ſpecies decoris tui, ubique pro ſtatu tuæ dignitatis habes de magiſterio ſapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tui gratia accepi, retinente & ſervante prærogativam; tu quomodo non confunderis amiſiſſe tuam? Cur ſuam in te Conditor intuetur abolitam ſimilitudinem, cum tuam in me tibi conſervet, aſſidueque repræſentet? Jam omne adjutorium, quod tibi ex me debebatur, vertiſti tibi in confuſionem: abuteris obſequio meo, indigne humanum corpus inhabitas, brutus & beſtialis ſpiritus.

Hominem ſtatura rectum cur Deus condiderit.

7. Iſtiuſmodi ergo curvæ animæ non poſſunt diligere ſponſam, quoniam non ſunt amicæ ſponſi, cum ſint mundi. *Qui vult*, inquit, *amicus eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituitur*. Ergo quærere & ſapere quæ ſunt ſuper terram, curvitas animæ eſt: & e regione meditari ac deſiderare quæ ſurſum ſunt, rectitudo. [a] Et ipſa ut perfecta ſit, in ſenſu diffiniatur & conſenſu. RACTUM revera te dixerim, ſi recte in omnibus ſentias, & factis non diſſentias. Inviſibilis animi ſtatum nuntiet fides, & actio. Rectum judica, ſi fide catholicum, & juſtum opere probaveris. Si quo minus, curvum cenſere non dubites. Sic nempe habes: *Si recte offers, & recte non dividis, peccaſti.* Recte quidem quodcumque horum offers, recte autem ab alterutro ea non dividis. Noli eſſe rectus oblator, & pravus diviſor. Quid dividis actum à fide? Inique dividis, fidem perimens tuam. nam *fides ſine*

Jacob. 4. 4. — Rectitudo animi eſt quærere cæleſtia. — Rectus quis dicendus.

a Hunc etiam locum, ob præmiſſam rationem, in editis turbavit diſcrepantia veterum codicum. Quibus enim, prolixius deeſt procemium hujus ſermonis, in his ita efferttur hicce textus. *Rectitudo. Et hanc rectitudinem, ut ſit perfecta in omnibus, inveniri neceſſe eſt ſenſu atque conſenſu. Illum vero rectum corde dixerim, qui & recte in omnibus ſentiat, & à recto quod ſenſerit, in nullo diſſentiat. Ecce de quibus dicitur ad ſponſam:* RECTI DILIGUNT TE, *qui videlicet in omnibus & recte, & recto acquieſcunt.* Tum concluditur ſermo his verbis. *Utinam & nos de illis ſimus, annumerati dilectoribus ſponſi, præſtante eodem Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæc. amen.* Noſtram vero lectionem alii codices præferunt.

Tom. IV. *operibus mortua eſt.* Munus mortuum offers Deo? Si enim quædam anima fidei ipſa devotio eſt, quid fides quæ non operatur ex dilectione, niſi cadaver exanime? Bene honoras Deum munere fœtido? bene placas tuæ fidei interfector? Quomodo hoſtia pacifica, ubi tam ſæva diſcordia eſt? Non mirum ſi Cain inſurrexit in fratrem, qui ſuam prius occiderat fidem. Quid miraris, ô Cain, ſi ad tua non reſpicit munera qui te deſpicit? Nec hoc mirum ſi non reſpicit ad te, qui ita diviſus es in te. Si manum devotioni, quid animum das livori? Non conciliAS Deum tibi, diſcors tecum; non placas, ſed peccas: & nondum quidem impie feriendo, ſed tamen dividendo non recte. Etſi necdum fratricida, jam tamen fideicida teneris. Numquid rectus, vel quando manum porrigis Deo, cujus cor in terram trahit livor & fraternum odium? Quomodo rectus, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla devotio, amaritudo multa? Erat quidem in offerente fides, ſed non in fide dilectio: recta oblatio, ſed crudelis diviſio.

Fidei anima, devotio & actio. Jacob. 2. 20. Gen. 4. 5. Cain obliſio cur repudiata.

8. Mors fidei eſt ſeparatio caritatis. Credis in Chriſtum? fac Chriſti opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus, quem fides cæleſtium erigit. Qui te dicis in Chriſto manere, debes ſicut ipſe ambulavit, & tu ambulare. Quod ſi propriam gloriam quæris, florenti invides, abſenti detrahis, reponis lædenti te: hoc Chriſtus non fecit. Confiteris te noſſe Deum, factis autem negas. Non recte plane, ſed impie linguam Chriſto, animam dediſti diabolo. Audi ergo quid dicat: *Homo iſte labiis me honorat, cor autem ejus longe eſt à me.* Non es profecto rectus, qui tam non recte dividis. Non potes attollere caput preſſum diaboli jugo. Non te ſurrigere prævales, cui dominatur iniquitas. Iniquitates tuæ ſupergreſſæ ſunt caput tuum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper te. Iniquitas denique ſedet *ſuper talentum plumbi.* Vides quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. At qui ſine dilectione eſt, non habet unde diligat ſponſam. Sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere ſufficiunt ſine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? *Sine fide* autem *impoſſibile eſt placere Deo.* Qui non placet Deo, non poteſt illi placere Deus. Nam cui placet Deus, Deo diſplicere non poteſt. Porro cui non placet Deus, nec ſponſa ejus. Quomodo ergo rectus, qui nec Deum diligit, nec Eccleſiam Dei, cui dicitur: *Recti diligunt te?* Si ergo nec fides ſine operibus, nec opera ſine fide ſufficiunt ad animi rectitudinem: nos qui in Chriſtum credimus, fratres, rectas ſtudeamus facere vias noſtras & ſtudia noſtra. Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum, ut toti recti inveniamur, fidei noſtræ rectitudinem rectis actibus comprobantes, dilectores ſponſæ, dilecti à ſponſo Jeſu-Chriſto Domino noſtro, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, amen.

Fides operibus comprobanda. Iſa. 29. 13. Pſal. 37. 5. Zach. 5. 7. Opera ſine fide non faciunt hominem rectum. Heb. 11. 6. Nec ſine amore Dei & Eccleſiæ.

SERMO XXV.

De nigredine & formoſitate ſponſæ, id eſt Eccleſiæ.

1. ECce quod dixeram in ſermone, quia æmulis laceſſentibus ſponſa reſpondere cogatur, quæ corpore quidem de numero adoleſcentularum eſſe videntur, animo autem longe ſunt. Ait nempe, *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem.* Patet quod detraherent ei, nigredinem improperantes. Sed adverte ſponſæ patientiam ac benignitatem. Non modo enim non reddidit maledictum pro maledicto, ſed inſuper benedixit, *filias Jeruſalem* vocans, quæ magis pro ſua nequitia filiæ Babylonis, vel filiæ Baal, aut ſi quod aliud nomen improperii occurriſſet, appellari meruerant. Sane didicerat à Propheta, immo ab ipſa unctione quæ docet ſuavitatem, calamum quaſſatum non conterendum, & linum fumigans non extinguendum. Propterea non putavit amplius irritandas ſatis commotas per ſe, nec quicquam addendum ſtimulis invidiæ, qua torquebantur. Magis autem cum his qui oderunt pacem, ſtuduit eſſe pacifica, ſciens ſe etiam inſipientibus debitricem. Maluit ergo ipſas favorabili demulcere vocabulo, quia curæ fuit ei infirmarum potius operam dare ſaluti, quam propriæ ultioni.

Cant. 1. 4. Maledictis non referendam vicem. Iſa. 42. 3.

2. Omnibus quidem optanda eſt iſta perfectio: proprie autem optimorum forma eſt Prælatorum. Sciunt quippe boni fideleſque Præpoſiti, languentium ſibi creditam animarum curam, non pompam. Cumque internum murmur cujuſpiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, etſi in ipſos uſque ad convicia & contumelias prorumpentis; medicos ſe, & non dominos agnoſcentes, parant confeſtim adverſus phreneſim animæ, non vindictam, ſed medicinam. Hæc igitur ratio, cur ſponſa *filias Jeruſalem* dicat eas ipſas, quas malevolas ſuſtinet atque maledicas: videlicet ut in blando ſermone deliniat murmurantes, commotionem ſedet, ſanet livorem. Scriptum eſt enim: *Lingua pacifica compeſcit lites.* Alias vero filiæ revera Jeruſalem quodam modo ſunt quæ hujuſmodi ſunt, nec falſo ita eas nominat ſponſa. Sive enim propter Sacramenta Eccleſiæ, quæ indifferenter quidem cum bonis ſuſcipiunt; ſive propter fidei æque communem confeſſionem; ſive ob fidelium corporalem ſaltem ſocietatem, ſeu etiam propter ſpem futuræ ſalutis, à qua omnino non ſunt, quamdiu hic vivunt, vel tales deſperandæ, quantumlibet vivant deſperate; non incongrue filiæ Jeruſalem nominantur.

Prælatos bonos eſſe animarum medicos potius quam proprie ultores. Prov. 15. 17.

3. Videamus jam quid illud fuerit dicere: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Nullane in his verbis repugnantia eſt? Abſit. Propter ſimplices dico, qui inter colorem & formam diſcernere non noverunt, cum forma ad compoſitionem pertineat, nigredo color ſit. Non omne denique quod nigrum eſt, continuo deforme eſt. Nigredo (verbi cauſa) in pupilla non dedecet; & nigri quidam lapilli in ornamentis placent; & nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent & gratiam. Sic tibi quoque facile advertere eſt in rebus innumeris. Quamquam ſine numero ſunt, quæ in ſuperficie quidem reperies decoloria, in compoſitione vero decora. Tali fortaſſis modo poteſt ſponſa, cum pulcritudine utique compoſitionis, nævo non carere nigredinis: ſed ſane in loco peregrinationis ſuæ. Alioquin erit cum eam ſibi in patria exhibebit Sponſus gloriæ glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. At vero nunc ſi diceret, quia nigredinem non haberet, ſeipſam ſeduceret, & veritas in ea non eſſet. Quamobrem ne mireris quia dixit, *Nigra ſum*; & rurſum nihilo minus, quia *formoſa* ſit, gloriatur. Quomodo enim non formoſa, cui dicitur, *Veni formoſa mea?* Cui autem dicitur, *Veni*, nondum pervenerat. ne forte quis putet hoc dictum, non quidem huic nigræ, quæ adhuc laborat veniendo in via; ſed beatæ illi, quæ jam prorſus abſque nigredine regnat in patria.

Non omnis nigredo deformis.

4. Sed audi unde nigram, & unde formoſam ſe dixerit. An nigram quidem ob tetram converſationem, quam prius habuit ſub principe hujus mundi, imaginem terreſtris hominis adhuc portans: formoſam vero de cæleſti ſimilitudine, quam poſtea commutavit, ambulans jam in novitate vitæ? Sed ſi hoc eſt, cur non magis de præterito, Nigra fui & non *Nigra ſum*, dicit? Si cui tamen placet hic ſenſus, id quod ſequitur, *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*, ſic oportet intelligi, ut de veteri quidem converſatione Cedar, de nova vero Salomonis ſe dixerit tabernaculum. Hoc enim eſſe pelles, quod tabernaculum, Propheta oſtendit dicens: *Repente vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubito pelles meæ.* Prius igitur

Sponſa unde nigra, & unde formoſa. Cant. 1. 4. Jer. 4. 20.

nigra, ſicut viliſſima tabernacula Cedar : poſtea *formoſa*, ſicut pelles glorioſi Regis.

Nigredo in ſanctis etiam locum habet.

5. Sed videamus quomodo ad ſtatum potius vitæ potioris utrumque reſpiciat. Si conſideremus habitum exteriorem ſanctorum, eum qui in facie eſt, quam ſit humilis utique & abjectus, & quadam neglectus incuria ; cum tamen identidem intus revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu : nonne una quælibet talis anima merito nobis videbitur poſſe reſpondere exprobrantibus ſibi nigredinem : *Nigra ſum, ſed formoſa?* Vis tibi denique demonſtrem animam & nigram pariter, &

2. Cor. 10. 10.

formoſam? *Epiſtola*, inquiunt, *graves ſunt : ſed præſentia corporis infirma, & ſermo contemptibilis*. Paulus hic erat. Itane Paulum, ô filiæ Jeruſalem, de præſentia corporis æſtimatis, & tamquam decolorem deformemque contemnitis, quia cernitis homuncu-

2. Cor. 11. 23. & 27.

lum affligi *in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus plurimis, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter?* Hæc ſunt quæ denigrant Paulum. Pro hujuſmodi Doctor gentium reputatur inglorius, ignobilis, niger, obſcurus ; tamquam denique peripſema hujus mundi. Enimvero nonne ipſe eſt qui rapitur in paradiſum, qui unum alterumque perambulans, uſque ad tertium ſui puritate penetrat cælum? O vere pulcherrima anima! quam, etſi infirmum inhabitantem corpuſculum, pulcritudo cæleſtis admittere non deſpexit, angelica ſublimitas non rejecit, claritas divina non repulit. Hanc vos dicitis nigram? Nigra eſt, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem. Nigra veſtro, formoſa divino angelicoque judicio. Etſi nigra eſt, forinſecus eſt. Sibi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicetur, aut ab his qui ſecundum faciem judicant.

1. Reg. 16. 7.

Homo ſiquidem *videt in facie, Deus autem intuetur cor*. Propterea etſi nigra foris, ſed intus formoſa, ut ei placeat cui ſe probavit. Non enim vobis : quibus ſi adhuc placeret, Chriſti ſervus non eſſet. Felix nigredo, quæ mentis candorem parit, lumen ſcientiæ, conſcientiæ puritatem.

6. Audi denique quid per Prophetam Deus promittat iſtiuſmodi nigris, quos aut humilitas pœnitentiæ, aut caritatis zelus, tamquam ſolis æſtus, decoloraſſe

Iſa. 1. 18.

videtur. *Si fuerint*, ait, *peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur ; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. Non plane contemnenda in ſanctis iſta nigredo extera, quæ candorem operatur internum, & ſedem proinde præparat ſapientiæ. *Candor*

Sap. 7. 26.

eſt enim *vitæ æternæ* ſapientia, ut Sapiens diffinit : & candidam oportet eſſe animam, in qua ipſa ſedem elegerit. Quod ſi *anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*, haud dubie dixerim animam juſti eſſe candidam. Et fortaſſis juſtitia ipſa candor eſt. Juſtus autem erat Paulus,

2. Tim. 4. 8.

cui *repoſita* fuerat *corona juſtitiæ*. Candida proinde Pauli anima erat, & ſapientia ſedebat in ea, ita ut ſapientiam loqueretur inter perfectos, ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum mundi hujus agnovit. Porro hunc in eo ſapientiæ, juſtitiæque candorem nigredo illa exterior de præſentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de jejuniis ac vigiliis multis, aut operabatur, aut promerebatur. Ideoque & quod nigrum eſt Pauli, ſpecioſius eſt omni ornatu extrinſecu, omni etiam regio cultu. Non comparabitur ei quantalibet pulcritudo carnis, non cutis utique nitida & arſura, non facies colorata vicina putredini, non veſtis pretioſa obnoxia vetuſtati, non auri ſpecies, ſplendorve gemmarum, ſeu quæque talia, quæ omnia ſunt ad corruptionem.

Pauli pulcritudo & candor.

Nigredo ſpecioſa.

Cura ſanctorum præcipua circa animam.

7. Merito proinde omnis cura ſanctorum, ſpreto ornatu cultuque ſuperfluo exterioris ſui hominis, qui certe corrumpitur, omni ſe diligentia præbet & occupat excolendo ac decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei eſt, & renovatur de die in diem. Certi ſunt enim Deo non poſſe eſſe quicquam acceptius imagine ſua, ſi proprio fuerit reſtituta decori. Propterea & omnis gloria eorum intus, non foris eſt, hoc eſt non in flore fœni, aut in ore vulgi, ſed in Domino. Unde & dicunt, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ* : quod conſcientiæ ſolus ſit arbiter Deus, cui ſoli placere deſiderant ; & cui placere, ſola vera & ſumma gloria eſt. Non mediocris plane gloria illa quæ intus eſt, in qua gloriari dignatur & Dominus gloriæ, dicente David : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Et tutior ſua cuique gloria, dum habet eam in ſemetipſo, & non in altero. At non in ſolo fortaſſis candore interno, ſed in exteriori quoque nigredine & exteriore gloriandum, ne quid omnino ſanctis depereat, ſed omnia cooperentur in bonum. Non ſolum igitur in ſpe, ſed & gloriari in tribulationibus. *Libenter*, ait, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Optanda infirmitas, quæ Chriſti virtute compenſatur. Quis dabit mihi non ſolum infirmari, ſed & deſtitui ac deficere penitus à memetipſo, ut Domini virtutum virtute ſtabiliar? *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Denique ait : *Quando infirmor, tunc fortis ſum & potens*.

Tom. IV.

2. Cor. 1. 12.

Sanctorum gloria interior, & externa.

Pſal. 44. 14.

2. Cor. 12. 9.

Ibidem.

8. Quod cum ita ſit, pulcre ſponſa convertit ſibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur ; non modo *formoſam*, ſed & *nigram* eſſe ſe glorians. Non enim erubeſcit nigredinem, quam novit præceſſiſſe & in ſponſo : cui ſimilari quantæ etiam gloriæ eſt? Nil ſibi glorioſius proinde putat, quam Chriſti portare opprobrium. Unde vox illa prorſus exſultationis & ſalutis : *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini mei Jeſu-Chriſti*. Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non eſt. Nigredo eſt, ſed forma & ſimilitudo Domini. Vade ad ſanctum Iſaiam, & deſcribet tibi, qualem in ſpiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *virum dolorum, & ſcientem infirmitatem* ; & quia *non erat ei ſpecies neque decor?* Et addidit : *Nos putavimus eum tamquam leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra ; & livore ejus ſanati ſumus*. Ecce unde niger. Junge & illud ſancti David, *Specioſus forma præ filiis hominum* ; & habes totum in ſponſo, quod ſponſa de ſe hoc in loco teſtata eſt.

Crucifixo conformari gloria Chriſtiani.

Gal. 6. 14.

Iſa. 53. 3.

Ibidem. 4.

Pſal. 44. 3.

9. Num tibi recte & ipſe videtur ſecundum ea quæ dicta ſunt, æmulis poſſe reſpondere Judæis : Niger ſum, ſed formoſus, filii Jeruſalem? Niger plane, cui *non erat ſpecies, neque decor* ; niger, quia *vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Denique ſeipſum *fecit peccatum* : & nigrum dicere verear? Intuere ſane pannis ſordidum, plagis lividum, illitum ſputis, pallidum morte ; & nigrum vel tunc profecto fatebere. Percunctare etiam Apoſtolos, eumdem ipſum qualem in monte perſpexerint ; aut certe Angelos, in qualem proſpicere concupiſcant ; & nihilo minus formoſum mirabere. Ergo formoſus in ſe, niger propter te. Quam formoſum & in mea forma te agnoſco, Domine Jeſu! non ob divina tantum quibus effulges miracula, ſed & propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Beatus qui te in his hominem inter homines converſantem diligenter obſervans, ſeipſum præbet pro viribus imitatorem tui. Hoc jam beatitudinis munus formoſa tua primitias ſuæ dotis accepit ; nec quod formoſum eſt tui, imitari pigra ; nec quod nigrum ſuſtinere confuſa. Unde & dicebat : *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem*. Et addidit ſimilitudinem, *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*. At iſtud obſcurum eſt, nec attingendum omnino fatigatis. Habetis tempus ad pulſandum. Si non diſſimulatis, aderit qui revelat myſteria : nec cunctabitur aperire, qui & ad pulſandum invitat. Ipſe eſt enim qui aperit, & nemo claudit, ſponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, amen.

Pſal. 21. 7.

Chriſtus quomodo niger & formoſus.

2. Cor. 5. 21.

Apoc. 3. 7.

Tom. IV.

SERMO XXVI.*

* Habitus anno 1138.

In quo beatus Bernardus obitum fratris ſui Girardo a luget.

Cant. 1. 4.

1\. *Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis* Hinc incipiendum, quia hic deſiit ſermo ſuperior. Hoc exſpectatis audire quid ſit, & qualiter ei quod proximo tractatum eſt capitulo coaptetur, quia ſimilitudo eſt. Poteſt enim hoc ita ſubjunctum fuiſſe, ut utraque pars ſimilitudinis ad id ſolum reſpondeat, quod ibi præceſſerat, *Nigra ſum*. Poteſt & ita, ut duobus illis duo iſta, id eſt ſingula ſingulis referantur. Ille ſenſus ſimplicior, iſte obſcurior eſt. Sed teneamus utrumque: & prius quidem hunc, qui difficilior apparet. Non autem in duobus primis, ſed in duobus dumtaxat extremis difficultas eſt. Nam *Cedar* quidem (quod interpretatur tenebræ) apertè ſatis cum nigredine convenire videtur: ſed *pelles Salomonis* cum formoſitate non ita. Porro tabernacula in eamdem nihilo minus concurrere convenientiam quis non videat? Quid enim tabernacula, niſi noſtra ſunt corpora, in quibus peregrinamur? Nec enim

Heb. 13. 14.

habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. Sed & militamus in eis, tamquam in tabernaculis; prorſus violenti ad regnum. Denique

Job 7. 1. — Corpus noſtrum tabernaculum tenebroſum.

militia eſt vita hominis ſuper terram: & quamdiu militamus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, id eſt à luce. Nam Dominus lux eſt: & in quantum quiſque cum eo non eſt, in tantum in tenebris eſt, hoc eſt in Cedar. Flebilem proinde vocem illam

Pſal. 119. 5.

agnoſcat ſuam: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Eſt ergo hoc habitaculum noſtri corporis, non civis manſio, aut domus indigenæ; ſed aut tabernaculum militantis, aut ſtabulum viatoris. Eſt, inquam, hoc corpus tabernaculum, & tabernaculum Cedar, quod nimirum animam, quaſi objectu ſui, incircumſcripti luminis interim nunc fraudat aſpectu; nec ſinit omnino videre illud, niſi per *ſpeculum* quidem & *in ænigmate*, non autem *facie ad faciem*.

1\. Cor. 13. 12.

2\. Videſne unde Eccleſiæ nigredo, unde pulcherrimis quoque animabus nonnulla rubigo inhæſerit?

Nigredo Eccleſiæ unde.

De tabernaculo profecto Cedar, de exercitio laborioſæ militiæ, de diuturnitate miſeri incolatus, de anguſtiis ærumnoſi exſilii, de corpore denique fragili & gravi: quia *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Propterea & cupiunt diſſolvi: ut corpore levatæ, Chriſti avolent in amplexus. Unde & gemens una de miſeris aiebat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Scit nimirum quæ hujuſmodi eſt, quod non poſſit in tabernaculo Cedar carere ad purum macula aut ruga, non quantulacumque nigredine: & cupit exire, ut ſe poſſit exuere. Et hæc ratio, cur ſponſa nigram ſe dixerit *ſicut tabernacula Cedar*. Sed enim quomodo formoſa, *ſicut pelles Salomonis*? At neſcio quid ſublime ac ſacrum ſentio in his pellibus involutum, quod minime auſim omnino contingere, niſi ad nutum ſane ipſius, qui repoſuit & ſignavit. Legi nimirum: *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Superſedeo igitur & differo. Vobis interim curæ erit ſolito impetrare favorem veſtris precibus: ut eo alacriores, quo fidentiores redeamus ad id, quod attentioribus eget animis. Et fortaſſis inveniet pius pulſator, quod temerarius ſcrutator non poſſet. Quamquam & mœror finem imperat, & calamitas quam patior.

Sap. 9. 15. — Rom. 7. 24. — Mortem cur pii optent. — Prov. 25. 27.

3\. Quouſque enim diſſimulo b, & ignis quem intra meipſum abſcondo, triſte pectus adurit, interiora depaſcitur? Clauſus latius ſerpit, ſævit acrius. Quid mihi & cantico huic, qui in amaritudine ſum? Vis doloris abducit intentionem, & indignatio Domini ebibit ſpiritum meum. Subtracto ſiquidem illo, per quem mea in Domino ſtudia utcumque libera eſſe ſolebant; ſimul & cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac diſſimulavi uſque huc; ne affectus fidem vincere videretur. Denique plorantibus aliis, ego (ut advertere potuiſtis) ſiccis oculis c ſecutus ſum inviſum funus, ſiccis oculis ſteti ad tumulum, quouſque cuncta peracta ſunt exſequiarum ſollemnia. Indutus ſacerdotalibus, ſolitas in eum orationes proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci ſuper dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur flebant, & mirabantur, quod non flerem ipſe: cum non illum quidem, ſed me potius, qui illum amiſiſſem, omnes miſerarentur. Cujus enim vel ferreum pectus ſuper me ibi non moveretur, quem videret Girardo ſuperſtitem? Commune damnum: ſed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel invitus non moveri fruſtra addictione naturæ, univerſitatis debito, conditionis uſu, potentis juſſu, judicio juſti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro hujuſmodi ſemper extunc & deinceps exegi à memetipſo non indulgere multo fletui, multum tamen turbatus & mœſtus. Nec potui imperare triſtitiæ, qui potui lacrymæ; ſed, ut ſcriptum eſt, *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* At ſuppreſſus dolor altius introrſum radicavit, eo (ut ſentio) acerbior factus, quo non eſt exire permiſſus. Fateor, victus ſum. Exeat neceſſe eſt foras quod intus patior. Exeat ſane ad oculos filiorum, qui ſcientes incommodum, planctum humanius æſtiment, dulcius conſolentur.

Bernardus funus fratris ſiccis oculis proſecutus. — Conſolatio ſua mœſta. — Pſal. 76. 5.

4\. Scitis, ô filii, quam juſtus ſit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe, quam fidus comes deſeruit me in via hac quam ambulabam, quam vigil ad curam, quam non ſegnis ad opus, quam ſuavis ad mores. Quis ita mihi pernecеſſarius? cui æque dilectus ego? Frater erat genere, ſed religione germanior. Dolete, quæſo, vicem meam vos, quibus hæc nota ſunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me; puſillus corde eram, & confortabat me; piger & negligens, & excitabat me; improvidus & oblivioſus, & commonebat me. Quo mihi avulſus es? quo mihi raptus è manibus, homo unanimis, homo ſecundum cor meum? Amavimus nos in vita: quomodo in morte ſumus ſeparati? Amariſſima ſeparatio! & quam non poſſet omnino efficere niſi mors. Quando enim me vivus vivum deſereres? Omnino opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tam ſuavi vinculo mutui noſtri non pepercíſſet amoris, niſi totius ſuavitatis inimica mors? Bene mors, quæ unum rapiendo, duos furioſa peremit.

Quam juſtus dolor Bernardi ob amiſſum fratrem. — Nemo amor ſine ... [illegible]

a De ejus converſione lege Guillelmum in lib. 1. de vita Bernardi num. 11. & 12. Cellerarius erat apud Claram-vallem ibid. num. 27. Ejus mors incidit in annum. 1138. poſt ſuum ex Italia cum Bernardo reditum, hic num. 14. Similem orationem funebrem de Humberto habes in tomo. 3.

b Hic incipit Bernardi de Girardo fratre oratio funebris, quam Berengarius, ille Abaelardi impudens diſcipulus, immerito ſugillat, in primis quod *triſtia laus confunderet*: deinde quod quibuſdam Ambroſii verbis utatur, ex ejus oratione funebri de morte Satyri fratris *ſyllabatim* depromtis. At iſta nec in hoc Sermone leguntur: nec, ſi legerentur, Bernardo facerent injuriam. Loca duo hæc referre juvat. En primum: *Deceſſit frater à vita, immo, ut rectius fatear, mortem reliquit pro vita. Frater, inquam, deceſſit, tenor conſcientiæ, morum ſpeculum, vinculum religionis. Quis ulterius vegetabit ad laborem? quis amplius leniet tæedentem?* Alterum hoc eſt: *Bos bovem requirit, & ſe quaſi ſolum putat, frequenti mugitu pium teſtatur affectum. Bos, inquam, bovem requirit, cum quo ducere collo aratrum conſuevit.* Poſterior quidem locus exſtat poſt initium apud Ambroſium: neuter apud Bernardum. Caute præmiſit Berengarius: *ni fallor*, ne mendacii atque impoſturæ argueretur.

c Idipſum teſtatur Gaufridus in lib. 3. de vita Bernardi cap. 21. *Nam extraneum quemlibet*, inquit Gaufridus, *vix aut numquam ſine lacrymis ſepeliret.*

Separatio durior morte.

Annon mors etiam mihi? Immo plus mihi, cui utique omni morte infelicior vita ſervata eſt. Vivo ut vivens moriar: & hoc dixerim vitam? Quam mitius me privares, ô auſtera mors, vitæ uſo, quam fructu! nam vita ſine fructu gravior mors. Denique duplex malum

Matt. 3. 10.

ligno paratur infructuoſo, ſecuris & ignis. Ergo meis laboribus invidens, elongaſti à me amicum & proximum, per cujus maxime ſtudium erant (ſi quando erant) fructuoſi. Satius proinde mihi fuiſſet periclitari vita, quam tua, ô Girarde, præſentia, qui meorum in Domino ſtudiorum eras ſollicitus incitator,

** al. factis.*

fidelis * adjutor, cautus examinator. Cur, quæſo, aut amavimus, aut amiſimus nos? Dura conditio, ſed mea miſeranda fortuna, & non illius! Nam tu, care frater, ſi caros amiſiſti, cariores utique recepiſti. Me vero quænam jam miſerum conſolatio manet poſt te unicum ſolatium meum? Placita fuit pariter utrique ſocietas corporum pro morum concordia: ſed ſolum me diviſio vulneravit. Commune quod libuit; quod triſte & lugubre, meum: in me tranſierunt iræ, in me confirmatus eſt furor. Erat ambobus alterutrum grata præſentia, dulce conſortium, ſuave colloquium: ſed tantas utrinque delicias ego perdidi, tu mutaſti. Et quidem immutatus illis retributio multa.

a Mors beatis non jactura ſed lucrum.

5. Quanto fœnore [a] gaudiorum ac benedictionum cumulo cares hodie nobis, frater cariſſime! Habes certe pro me tantillo repoſitam tibi Chriſti præſentiam: nec diſpendium ſentis abſentiæ à nobis tuæ, Angelorum admixtus choris. Non eſt igitur quod causeris tu de noſtra quaſi ſubtracta tibi præſentia, cui affatim ſui, ſuorumque copiam Dominus majeſtatis indulſit. At ego pro te quid? Quam vellem ſcire quidnam ſentias nunc de me illo unico tuo, mediis nutante curis & pœnis, deſtituto te baculo imbecillitatis meæ! ſi tamen licet adhuc cogitare de miſeris, ingreſſo abyſſum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis abſorpto. Forte enim, etſi noſti nos ſecundum carnem, ſed nunc jam non noſti: & quoniam introiſti in potentias Domini, memoraris juſtitiæ

1. Cor. 6. 17.

ejus ſolius, immemor noſtri. Ceterum *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*, & in divinum quemdam totus immutatur affectum: nec poteſt jam ſentire aut ſapere niſi Deum, & quod ſentit & ſapit Deus, ple-

Beati in cælo pro nobis ſolliciti.

nus Deo. Deus autem caritas eſt, & quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior caritate. Porro impaſſibilis eſt Deus, ſed non incompaſſibilis, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Ergo & te neceſſe eſt miſericordem eſſe, qui inhæres miſericordi, quamvis jam minime miſer ſis: & qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non eſt imminutus, ſed immutatus; nec quoniam Deum

b

induiſti, noſtri [b] cura te exuiſti: & ipſi enim cura eſt

1. Pet. 5. 7.
1. Cor. 13. 8.

de nobis. Quod infirmum eſt abjeciſti, ſed non quod pium. Caritas denique numquam excidit: non obliviſceris me in finem.

6. Videor mihi quaſi audire fratrem meum dicen-

Iſa. 49. 15.

tem: *Numquid mater oblıviſci poterit filii uteri ſui?* Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Non expedit prorſus. Scis ubi verſer, ubi jaceam, ubi reliqueris me; non eſt qui porrigat manum. Ad omne quod emerſerit, reſpicio ad Girardum ut conſueveram, & non eſt. Heu! tunc ingemiſco miſer, ſicut homo ſine adjutorio. Quem conſulam in ambiguis? cui in adverſis fidam? quis portabit onera? quis pericula propulſabit? Nonne ubique greſſus

** al. animabant*
c

meos Girardi oculi anteibant *? Nonne tuum, Girarde, pectus curæ [c] meæ notius, quam meum ipſius habebant, familiarius incurſabant, acrius urgebant? Nonne in lingua tua illa placabili & potenti, meam à ſermonibus ſæculi frequentiſſime vindicabas, & amico reddebas ſilentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, ut ſciret quando deberet proferre

Girardi prudentia & induſtria in negotiis.

ſermonem. Ita denique in prudentia reſponſorum ſuorum, & in gratia data ſibi deſuper, & domeſticis ſatisfaciebat & exteris, ut pæne me nemo requireret, cui prior forte Girardus occurriſſet. Occurrebat autem adventantibus, opponens ſe, ne ſubito meum otium incurſarent. Si quibus ſane per ſe ſatisfacere non quibat, hos perducebat ad me, ceteros emittebat. O virum induſtrium! ô amicum fidelem! & amico gerebat morem, & officiis caritatis non deerat. Quis vacua ab eo receſſit manu? Si dives, conſilium; ſi pauper, ſubſidium reportabat. Nec quærebat quæ ſua ſunt, qui ſe mediis ingerebat curis, ut ego vacarem. Sperabat enim, ſicut erat humillimus, majorem de noſtra quiete fructum, quam ſi vacaret ipſe. Interdum tamen poſtulabat abſolvi, & alteri cedere, quaſi qui melius provideret. Sed ubi ille inveniretur? Nec petulanti aliquo (ut aſſolet) in eo officii detinebatur affectu, ſed ſolo intuitu caritatis. Siquidem plus omnibus laborabat, & minus omnibus accipiebat, ita ut ſæpe, cum aliis neceſſaria miniſtraret, egeret ipſe in pluribus, verbi cauſa, cibo aut veſte. Denique cum ſe ſentiret deceſſui

Bernardus fratri ſuo profectus ſuos adſcribit.

propinquare: Deus, inquit, tu ſcis quod quantum in me fuit, ſemper optavi quietem; mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, voluntas fratrum, & ſtudium obediendi, ſuper omnia Abbatis pariter & fratris germana dilectio. Ita eſt. Gratias tibi, Frater, de omni fructu meorum, ſi quis eſt, in Domino ſtudiorum. Tibi debeo ſi profeci, ſi profui. Tu intricabaris, & ego tuo beneficio feriatus ſedebam mihi, aut certe divinis obſequiis ſanctius occupabar, aut doctrinæ filiorum utilius intendebam. Cur enim ſecurus intus non eſſem, cum te ſcirem agentem foris manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum, & linguam meam? Et quidem indefeſſa manus, oculus ſimplex, pectus conſilii, lingua loquens judicium, ſicut ſcriptum

Pſal. 36. 30.

eſt: *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.*

Girardus etiam internorum ac ſpiritualium peritus.

7. Sed quid dixi foris agentem illum? quaſi interna Girardus neſciret, ac ſpiritualium expers eſſet donorum. Norunt qui illum norunt ſpirituales, quam verba ejus ſpiritum redolerent. Norunt contubernales, quam mores ejus & ſtudia non carnem ſaperent, ſed ferventem ſpiritu. Quis illo rigidior in cuſtodia diſciplinæ? quis in caſtigando corpus ſuum diſtrictior, ſuſpenſior vel ſublimior in contemplando, ſubtilior in diſſerendo? Quoties cum eo diſſerens ea didici quæ neſciebam; & qui docturus adveneram, doctus magis abſceſſi? Nec mirum de me, cum magni ac ſapientes viri idipſum nihilo minus ex illo ſibi acci-

Etſi abſque litteris.

diſſe teſtentur. Non cognovit litteraturam: ſed habuit litterarum inventorem ſenſum, habuit & illuminantem Spiritum. Nec in maximis tantum, ſed in minimis

Rerum œconomicarum peritus.

maximus erat. Quid (verbi cauſa) in ædificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis denique artibus ſeu operibus ruſticorum? quid, inquam, vel in hoc rerum genere Girardi ſubterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris, agricolis, hortulanis, ſutoribus, atque textoribus facile magiſter erat. Cumque omnium judicio omnibus eſſet ſapientior, ſolis in ſuis oculis non erat ſapiens. Uti-

Iſa. 5. 21.

nam multos, etſi minus ſapientes, non plus tangeret illa maledictio: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris!* Scientibus iſta loquor, & adhuc plura his de illo, & majora compertis. Parco tamen, quia caro mea, & frater eſt. Hoc tamen ſecurus addo, mihi utilis in omnibus, & præ omnibus: fuit utilis in parvis & magnis, in privatis & publicis, foris & intus. Merito ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat

a Id eſt, *cum quanto fœnore.* Quidam codices ſcripti & editi poſt *fratres cariſſime*, addunt, *tanto*, ut reſpondeat *quanto*, ſed perperam.

b Hanc curam colligere licet ex duabus Gerardi apparitionibus, in lib. 4. de vita Bernardi num. 10. & lib. [illegible] num. [illegible]

c Id teſtatur Bernardi per Gerardum increpatio de miraculis, ne is inde inſoleſceret, in lib. 1. Vitæ num. 41.

Tom. IV. Fratris vices agens.

Solum pæne reliquerat mihi proviſoris honorem & nomen; nam opus ipſe faciebat. Ego vocitabar Abbas, ſed ille præerat in ſollicitudine. Merito requievit in illo ſpiritus meus, per quem licebat delectari in Domino, prædicare liberius, orare ſecurius. Per te, inquam, mihi, frater mi, mens ſobria, & grata quies, ſermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, & ferventior affectus.

Bernardus jacturam ſuam deflet.

8. Heu! ſublatus es, & hæc omnia ſimul. Tecum omnes pariter abiere deliciæ, & lætitiæ meæ. Jam curæ irruunt, jam moleſtiæ hinc inde pulſant, & anguſtiæ undique ſolum me repererunt, ſolæ mihi te abeunte remanſerunt, ſolus ſub ſarcina gemo. Aut ponere, aut opprimi neceſſe eſt, quia tu tuos humeros ſubduxiſti. Quis mihi tribuat cito mori poſt te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloria. Porro ſupervivere tibi, labor, & dolor. Vivam, quoad vivam, in amaritudine, vivam in mærore: & hæc ſit mihi conſolatio, ut mærendo affligar. Non parcam, & juvabo manum Domini: etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit & percuſſit, non illum, quem vocavit ad requiem: me occidit, cum ſuccidit illum. Numquid enim occiſum quis dixerit, quem plantavit in vita? At quod illi vitæ janua fuit, mihi plane eſt mors: neque illa morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormivit in Domino. Exite, exite lacrymæ jampridem cupientes: exite, quia is qui vobis meatum obſtruxerat, commeavit. Aperiantur cataractæ miſeri capitis, & erumpant fontes aquarum, ſi forte ſufficiant ſordes diluere culparum, quibus iram merui. Cum conſolatus fuerit ſuper me Dominus, tunc fortaſſis & ego merear conſolari, ſi tamen non pepercero à mærore: nam qui lugent, ipſi conſolabuntur. Propterea condeſcendat mihi omnis ſanctus, & in ſpiritu lenitatis qui ſpiritualis eſt, ſuſtineat lamentantem. Luctus meus humano, quæſo, penſetur affectu, non uſu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos ſuos: fletum multum, & fructum nullum. Non culpamus affectum, niſi cum excedit modum; ſed cauſam. Ille nimirum naturæ eſt, & ejus turbatio pœna peccati: hæc vanitas & peccatum. Etenim ibi ſola (niſi fallor) plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præſentis incommoda. Et plorandi qui ita plorant. Numquid ego ſic? Similis mihi affectus, ſed altera cauſa, diſſimiliſque intentio. Nulla mihi ſane querela de omnibus quæ ſunt mundi. In his profecto quæ ſunt Dei, ademptum doleo fidele auxilium, ſalutare conſilium. Girardum lugeo: Girardus eſt in cauſa, frater carne, ſed proximus ſpiritu, ſocius propoſito.

Matt. 5. 5.

Plorandi qui temere mortuos plorant.

9. Adhæſit anima mea animæ illius; & unam fecit de duabus, non conſanguinitas, ſed unanimitas. Carnis quidem neceſſitudo non defuit: ſed plus junxit ſocietas ſpiritus, conſenſus animorum, morum conformitas. Cum ergo eſſemus cor unum & anima una, hanc meam pariter atque ipſius animam pertranſivit gladius, & ſcindens, mediam partem locavit in cælo, partem in cœno deſeruit. Ego, ego illa portio miſera in luto jacens, truncata parte ſui, & parte potiori; & dicitur mihi, Ne fleveris? Avulſa ſunt viſcera mea à me; & dicitur mihi, Ne ſenſeris? Sentio, ſentio vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt: ſentio prorſus & doleo, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Non ſane nos poterit duritiæ & inſenſibilitatis arguere ille qui verberat, quomodo illos, de quibus ait: *Percuſſi eos, & non doluerunt.* Affectum meum confeſſus ſum, & non negavi. Carnalem quis dixerit: ego humanum non nego, ſicut nec me hominem. Si nec hoc ſufficit, nec carnalem negaverim. Nam & ego carnalis ſum, venumdatus ſub peccato, addictus morti, pœnis & ærumnis obnoxius. Non ſum, fateor, inſenſibilis ad pœnas, mortem horreo meam & meorum. Meus Girardus erat, meus plane. An non meus, qui frater ſanguine fuit, profeſſione

Vis mutui amoris inter Bernardum & Girardum.

Jer. 5. 3. Bernardus ſtoicæ apathiæ expers.

A filius, ſollicitudine pater, conſors * ſpiritu, intimus affectu? Is receſſit à me: ſentio, læſus ſum, & graviter.

* al. unanim.

10. Ignoſcite, filii: immo ſi filii, vicem dolete paternam. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, qui certe conſideratis, quam gravia pro peccatis recepi de manu Domini. In virga indignationis ſuæ percuſſit me, digne pro meritis, dure pro viribus. An leve quis dixerit vivere me abſque Girardo, niſi qui ignorat quid mihi cum Girardo? Nec tamen contradico ſermonibus Sancti: nec reprehendo judicium, quo recepit quiſque quo dignus eſt, ille coronam quam meruit, ego quam de-B buí pœnam. Numquid quia ſentio pœnam, reprehendo ſententiam? Humanum eſt illud, hoc impium. Humanum, inquam, & neceſſe affici erga caros, ſive delectabiliter cum præſto ſunt, ſive cum abſunt, moleſte. Non erit otioſa ſocialis converſatio, præſertim inter amicos: & quid effecerit mutuus amor in ſibi præſentibus, horror indicat ſeparationis; & dolor de invicem ſeparatis. Doleo ſuper te, Girarde cariſſime, non quia dolendus, ſed quia ablatus. Et ideo fortaſſis dolendum mihi potius ſuper me, qui bibo calicem amaritudinis. Et ſolus dolendus, quia ſolus bibo: non enim & tu. Solus ego patior quod ſolent pariter pati qui ſe diligunt, cum C ſe amittunt.

Pœnam mortem ſuam reprehendit [illegible] judicium.

11. Utinam non te amiſerim, ſed præmiſerim! utinam vel tarde aliquando ſequar te quocumque ieris! Non enim dubium, quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cum in vultu & voce exſultationis ſubito erupiſti in illud Davidicum, ſtupentibus qui aſſiſtebant: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.* Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media dieſcebat, & nox ſicut dies illuminabatur. Prorſus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus ſum ego ad id miraculi, videre exſultantem in morte hominem, & inſultantem morti. Ubi eſt mors victoria D tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Jam non ſtimulus, ſed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Uſurparis ad lætitiam mater mæroris, uſurparis ad gloriam gloriæ inimica, uſurparis ad introitum regni porta inferi, & fovea perditionis ad inventionem ſalutis: idque ab homine peccatore. Juſte nimirum, quia tu inique in hominem innocentem & juſtum poteſtatem temeraria uſurpaſti. Mortua es, ô mors, & perforata hamo quem incauta glutiiſti, cujus illa vox eſt in Propheta: *O mors, ero mors tua, morſus tuus ero, inferne.* Illo, inquam, hamo perforata, tranſeuntibus per medium tui fidelibus latum lætumque exitum pandis ad vitam. Girardus te non E formidat, larvalis effigies. Girardus per medias fauces tuas tranſit ad patriam, non modo ſecurus, ſed & lætabundus & laudans. Cum ergo ſuperveniſſem, & extrema jam pſalmi me audiente clara voce compleſſet, ſuſpiciens in cælum, ait: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et repetens eumdem ſermonem, ac frequenter ingeminans *Pater, Pater*, converſus ad me, exhilarata quidem facie, Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum eſſe! quanta hominum gloria, Dei filios Dei eſſe & heredes! Nam ſi filii, & heredes. Sic cantabat quem nos lugemus: in quo & meum, fateor, luctum pæne in cantum convertit, dum intentus gloriæ ejus, propriæ fere miſeriæ obliviſcor.

Pſal. 148. 1.

Girardus amor [illegible]

Luc. 23. 46.

Rom. 8. 17.

F 12. Sed revocat me ad me pungens dolor, facileque à ſereno illo intuitu, tamquam à levi excitat ſomno perſtringens anxietas. Plangam igitur, ſed ſuper me, quia ſuper illum jam vetat ratio. Puto enim ſi opportunitas daretur, modo diceret nobis: Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flere. Planxit merito David ſuper parricida filio, cui perpetuo ſciret obſtructum exitum de ventre mortis mole criminis. Merito ſuper Saül & ſuper Jonatham; quibus æque

Moeſtus cauſa in Bernardo.

2. Reg. 19. 1.

2. Reg. 1. 17.

a A abſorptis ſemel, emerſio jam non ſperatur [a]. Et quidem reſurgent, ſed non ad vitam: immo ad vitam, ut vivi in morte infelicius moriantur. Quanquam de Jonatha poſſit non immerito hærere ſententia. At mihi etſi non iſta ſuppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primum ſuper mea ipſius plaga, atque hujus jactura domus: plango deinde ſuper pauperum neceſſitatibus, quorum Girardus pater erat; plango certe & ſuper univerſo ſtatu noſtri Ordinis noſtræque profeſſionis, qui de tuo, Girarde, zelo, conſilio & exemplo robur non mediocre capiebat: plango poſtremo, etſi non ſuper te, propter te tamen. Hinc prorſus, hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi moleſtus ſit, dicens B non debere ſic affici; cum benignus Samuël ſuper reprobo rege, & pius David ſuper parricida filio ſatisfecerint affectioni, & non ad injuriam fidei, non in ſuperni ſuggillationem judicii. *Abſalon fili mi*, ait ſanctus David, *fili mi Abſalon*: & ecce plus quam Abſalon hic. Salvator quoque videns civitatem Jeruſalem, & prævidens ruituram, *flevit ſuper eam*. Et ego propriam, & quæ in præſenti eſt deſolationem non ſentiam? Plagam meam recentem, & gravem non doleam? Ille flevit compatiendo, & ego patiendo non audeam? Et certe ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, inſuper & flevit cum flentibus: *Et lacrymatus eſt*, inquit, *Jeſus*. Fue- C runt lacrymæ illæ teſtes profecto naturæ, non indices diffidentiæ. Denique & prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium dolentis affectum.

1. Reg. 16. 1.
2. Reg. 18. 33.
Luc. 19. 41.
Exemplis luctum ſuum tuetur.
Joan. 11. 35.

13. Sic nec fletus utique noſter infidelitatis eſt ſignum, ſed conditionis indicium: nec quia percuſſus ploro, arguo ferientem, ſed provoco pietatem, ſeveritatem flectere ſatago. Unde & verba mea dolore ſunt plena, non tamen & murmure. Numquid non plenum juſtitiæ protuli, quod unius ſententiæ complemento & punitus eſt qui debuit, & coronatus qui meruit? Et adhuc dico: Bene utrumque fecit dulcis & rectus Dominus. Miſericordiam & judicium D cantabo tibi, Domine. Cantet tibi miſericordia, quam feciſti cum ſervo tuo Girardo: cantet & judicium, quod nos portamus. In altero bonus, in altero juſtus laudaberis. An ſolius laus bonitatis? Eſt & juſtitiæ. *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Girardum tu dediſti, Girardum tu abſtuliſti: & ſi dolemus ablatum, non tamen obliviſcimur quod datus fuit, & gratias agimus quod habere illum meruimus, quo carere in tantum non volumus, in quantum non expedit.

Pſal. 118. 137.

14. Recordor, Domine, pacti mei & miſerationis tuæ, ut magis juſtificeris in ſermonibus tuis, & E vincas cum judicaris. Cùm pro cauſa Eccleſiæ anno præterito Viterbii [b] eſſemus, ægrotavit ille, & invaleſcente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere aliena, nec reſignare his qui mihi eum commiſerant, quoniam amabatur ab omnibus, ſicut erat amabilis valde; converſus ad orationem cum fletu & gemitu: Exſpecta, inquam, Domine uſque ad reditum. Reſtitutum amicis tolle jam eum, ſi vis, & non cauſabor. Exaudiſti me, Deus: convaluit, opus perfecimus quod injunxeras, redivimus cum exſultatione reportantes manipulos pacis. Porro ego oblitus pæne ſum meæ conventionis, ſed non tu. Pudet ſingultuum horum, F qui prævaricationis me arguunt. Quid plura? Repetiiſti commendatum, recepiſti tuum. Finem verborum indicunt lacrymæ; tu illis, Domine, finem modumque indixeris.

Bernardus fratri de vita periclitanti inducias obtinuit.
b

SERMO XXVII.

De ornatu ſponſæ, & qualiter anima ſancta Cælum dicatur.

1. QUia debitis humanitatis officiis amicum revertentem in patriam proſecuti ſumus, redeo, Fratres, ad propoſitum ædificandi quod intermiſeram. Incongruum namque eſt diu flere lætantem; & ſedenti ad epulas lacrymas multas ingerere, importunum. Sed & ſi noſtras defleamus ærumnas, ne id quidem oportet nimia, ne non tam amaſſe illum, quam noſtra quæſiſſe de illo commoda videamur. Temperet ſane dilecti gaudium mæſtitiam deſolatorum; & tolerabilius fiat nobis quod nobiſcum non eſt, quia cum Deo eſt. Fretus ergo orationibus veſtris, volo in lucem, ſi poſſum, prodere quicquid illud eſt, quod opertum illis pellibus ſentio, quæ in exemplum decoris ſponſæ productæ ſunt. Hoc (ſi [*] recolitis) tactum fuit, ſed indiſcuſſum remanſit: porro diſcuſſum & declaratum, quomodo *nigra ſit ſicut tabernacula Cedar*. Quomodo ergo *ſicut pelles Salomonis formoſa*? quaſi vero Salomon in omni gloria ſua quicquam habuerit condignum decore ſponſæ, & gloria ornatus ejus. Et quidem ſi non ad decorem ſponſæ, ſed ad nigredinem potius neſcio quas *pelles* iſtas, ſicut & *tabernacula Cedar* reſpicere diceremus, fortaſſis competeret, nec deeſſet unde id congruere monſtraremus, ſicut & monſtrabimus. At vero ſi ſponſæ claritati quarumcumque decorem pellium comparandum putamus, hic prorſus opus nobis eſt ejus ad quem pulſaſtis auxilio, quatenus myſterium hoc digne aperire poſſimus. Quid namque eorum quæ in facie lucent, ſi internæ cujuſpiam ſanctæ animæ pulcritudini comparetur, non vile ac fœdum recto appareat æſtimatori? Quid, inquam, tale in ſe oſtendit ea quæ præterit figura hujus mundi, quod æquare ſpeciem animæ poſſit illius, quæ exuta terreni hominis vetuſtatem, ejus qui de cælo eſt, decorem D induit, ornata optimis moribus pro monilibus, ipſo purior ſicut & excelſior æthere, ſole ſplendidior? Noli ergo reſpicere ad iſtum Salomonem, cum indagare cupis, cujuſmodi ſe pellibus ſimilem in decore ſponſa glorietur.

Luctus non ducendus.
* al. ſicuti
Internæ pulcritudini nulla exterior comparabilis.

2. Quid eſt ergo quod dicit: *Formoſa ſum ſicut pelles Salomonis*? Magnum & mirabile quiddam, ut ego æſtimo: ſi tamen non hunc, ſed illum hic attendamus, de quo dicitur: *Ecce pluſquam Salomon hic*. Nam uſque adeo is meus Salomon Salomon eſt, ut non modo Pacificus (quod quidem Salomon interpretatur) ſed & Pax ipſa vocetur, Paulo perhibente, quia *ipſe eſt pax noſtra*. Apud iſtum Salomonem E non dubito poſſe inveniri quod decori ſponſæ omnino comparare non dubitem. Et præſertim de pellibus ejus adverte in pſalmo: *Extendens*, ait, *cælum ſicut pellem*. Non ille profecto Salomon (etſi multum ſapiens, multumque potens) extendit cælum ſicut pellem: ſed is potius, qui non tam ſapiens, quàm ipſa Sapientia eſt, ipſe prorſus extendit & condidit. Iſtius ſiquidem, & non illius illa vox eſt: *Quando præparabat cælos*, haud dubium quin Deus Pater, *ego aderam*. Aderat ſine dubio præparanti cælos ſua virtus, ſuaque ſapientia. Nec putes adſtitiſſe otioſam, & quaſi ad ſpectandum ſolummodo, quia dixit, *aderam*, non etiam, præparabam. Reſpice pauliſper F inferius, & invenies aperte ſubjungentem, quia *eram cum eo componens omnia*. Denique ait: *Quæcumque enim Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit*. Et ipſe itaque extendit cælum ſicut pellem. Pulcherrima pellis, quæ in modum magni cujuſdam tentorii univerſam operiens faciem terræ, ſolis, lunæ, atque ſtellarum varietate tam ſpectabili humanos oblectat aſpectus. Quid hac pelle formoſius? quid

Cant. 1. 4.
Matt. 12. 42.
Quis ille Salomon.
Eph. 2. 14.
Pſal. 103. 2.
Quæ pelles.
Prov. 8. 27.
Ibidem. 30.
Joan. 5. 19.
Cælorum ornatus & decor.

a Ita omnes ſcripti cum primis editis: recentiores *ſperabatur*. De Jonathæ ſalute non omnino dubitat Bernardus, ut de Saülis. Vide Horſtii Notas.

b Viterbii in Italia Bernardus duplicem moram fecit, primam anno 1133. teſte epiſtola 152. alteram anno 1137. cujus hic mentio.

Tom. IV. ornatius cælo? Minime tamen vel ipſum ullatenus A
conferendum gloriæ & decori ſponſæ, eo ipſo ſuc-
cumbens, quod præterit & hæc figura ipſius, ut-
2. Cor. 4. 18. pote corporea, & corporeis ſubjacens ſenſibus. *Quæ*
enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non viden-
tur, æterna.

Spiritualis ſponſæ decor in ornatu virtutum. 3. Sed eſt rationalis quædam ſponſæ ſpecies, &
ſpiritualis effigies; ipſaque æterna, quia imago æter-
nitatis. Decor ejus, verbi gratia, caritas eſt, *& ca-*
1. Cor 13. 8. *ritas*, ſicut legitis, *nunquam excidit.* Eſt certe &
Pſal. 111. 3. juſtitia; *& juſtitia ejus*, inquit, *manet in ſæculum ſæ-*
culi. Eſt etiam patientia; & legitis nihilo minus,
Pſal. 9. 19. quia *patientia pauperum non peribit in finem.* Quid vo-
Matt 5. 3. Luc. 14. 11. luntaria paupertas? quid humilitas? Nonne altera re- B
gnum æternum, altera æque exaltationem promeretur
Pſal. 18. 10. æternam? Eo quoque ſpectat, & *timor Domini ſanctus*
permanens in ſæculum ſæculi. Sic prudentia, ſic tem-
perantia, ſic fortitudo, & ſi quæ ſunt virtutes aliæ,
quid niſi margaritæ ſunt quædam in ſponſæ ornatu,
ſplendore perpetuo coruſcantes? Perpetuo, inquam,
quia ſedes & fundamentum perpetuitatis. Nec enim
perpetuæ beatæque vitæ omnino locus in anima eſt,
niſi mediis quidem interjectiſque virtutibus. Unde
Pſal. 88. 15. Propheta Deo, qui utique vita beata eſt, *Juſtitia*,
inquit, *& judicium præparatio ſedis tuæ.* Et Apoſtolus
Epheſ. 3. 17. dicit *Chriſtum habitare*, non omni modo quidem, ſed
ſignanter *per fidem in cordibus noſtris.* Domino quo- C
Matt. 21. 7. que ſeſſuro ſuper aſellum, veſtes ſuas diſcipuli ſub-
ſtraverunt: ſignificantes Salvatorem ſeu ſalutem ne-
quaquam inſidere nudæ animæ, quam non videlicet
veſtitam invenerit doctrina & moribus Apoſtolorum.
Et ideo Eccleſia promiſſionem habens futuræ felicita-
Pſal. 44 10. tis, curat interim præparare & præornare ſe in veſti-
tu deaurato, circumdata varietate gratiarum atque
a virtutum [a], quo digna & capax plenitudinis gratiæ
inveniatur.

4. Ceterum ſpirituali huic tam pulcræ varietati,
quam de prima interim ſtola in quadam veſte ſuæ
ſanctificationis accepit, nullo pacto ego comparave-
rim in decore cælum hoc viſibile atque corporeum, D
quamvis in ſuo genere quidem ſiderea varietate pul-
cherrimum. Sed eſt cælum cæli, de quo Propheta:
Pſal. 67. 33. *Pſallite*, inquit, *Domino, qui aſcendit ſuper cælum cæli*
ad Orientem. Et hoc cælum intellectuale ac ſpiritua-
Pſal. 135 5. le: & qui fecit cælos in intellectu, creavit illud & ſta-
tuit in ſempiternum, ipſumque inhabitat. Ne vero
putes ſponſæ devotionem citra illud remanere cæ-
lum, in quo ſcit habitare dilectum: ubi enim the-
Matt. 6. 21. ſaurus ejus, ibi & cor ejus. Æmulatur ſane aſſiſten-
tes vultui ad quem ſuſpirat: & quibus ſe interim
non valet videndo aſſociare, ſtudet conformare vi-
Pſal. 25. 8. vendo, moribus magis, quam vocibus clamans: *Do-*
mine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis E
gloriæ tuæ.

5. Prorſus de hoc cælo minime ſibi indignum du-
cit ducere ſimilitudinem. Hoc extentum ſicut pel-
lis, non ſpatiis tamen locorum, ſed affectibus ani-
morum; hoc miris variiſque artificis diſtinctum ope-
b ribus. Diviſiones autem ſunt, non colorum [b], ſed
Diverſi Angelorum ordines. beatitudinum. Nam alios quidem poſuit Angelos,
alios autem Archangelos, alios vero Virtutes, alios
Dominationes, alios Principatus, alios Poteſtates,
alios Thronos, alios Cherubin, atque alios Sera-
phin. Sic ſtellatum cælum hoc; ſic depicta hæc pel-
lis. Hæc una de pellibus mei Salomonis, & hæc præ-
cipua in omni ornatu multiformis gloriæ ejus. Ha- F
bet autem grandis iſta pellis quàm plurimas in ſe æque
Salomonis pelles, quoniam unuſquiſque beatus &
Beatorum ſpirituum caritas erga nos. ſanctus, qui ibi eſt, pellis eſt utique Salomonis. Be-
nigni ſiquidem ſunt atque extenti in caritate, pertin-
gentes uſque ad nos, quibus gloriam, quam habent,

non invident, ſed optant, ità ut ex ipſis hujus rei
gratia demorari apud nos non graventur, ſeduli cir-
ca nos, & curam gerentes noſtri, *omnes adminiſtrato-* Hebr. 1. 14.
rii ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditá-
tem capiunt ſalutis. Quamobrem ſicut *cælum cæli* ſingu-
lariter dicitur univerſa illa multitudo collecta beato-
rum; ſic & *cæli cælorum* propter ſingulos, qui utique
cæli ſunt, nominantur; & ad ſingulos ſpectat quod
dicitur: *Extendens cælum ſicut pellem.* Videtis, credo, Pſal. 103 2.
quænam illæ pelles, & cujus ſint Salomonis, de qua-
rum ſponſa ſimilitudine gloriatur.

6. Nunc jam intueamini ejus gloriam, quæ & cæ- Anima è cælo ducit originem.
lo ſe comparat, & illi cælo, quod tanto eſt glorioſius,
B quanto divinius. Nec immerito uſurpat inde ſimili-
tudinem, unde originem [c] ducit. Nam ſi propter c
corpus, quod de terra habet, tabernaculis Cedar ſe
aſſimilat; cur non & propter animam, quæ de cælo
eſt, cælo æque ſimilem ſe eſſe glorietur, præſertim
cum vita teſtetur originem, teſtetur naturæ dignita-
tem & patriæ? Unum Deum adorat & colit, quo-
modo Angeli; Chriſtum ſuper omnia amat, quomodo
Angeli; caſta eſt, quomodo Angeli; idque in carne
peccati & fragili corpore, quod non Angeli; quæ-
rit poſtremo, & ſapit quæ apud illos ſunt, non quæ
ſuper terram. Quod evidentius cæleſtis inſigne ori-
ginis, quàm ingenitam, & in regione diſſimilitudi-
C nis, retinere ſimilitudinem; gloriam vitæ cælibis in
terra, & ab exſule, uſurpari; in corpore denique pe-
ne beſtiali vivere angelum? Cæleſtis ſunt iſta po-
tentiæ, non terrenæ; & quod vere de cælo ſit ani-
ma quæ hæc poteſt, aperte indicant. Audi tamen
apertius. *Vidi*, inquit, *civitatem ſanctam Jeruſalem* Apoc. 21. 2.
novam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, tamquam
ſponſam ornatam viro ſuo. & addidit: *Et audivi vocem* Ibidem 3.
magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum
hominibus, & habitabit cum eis. Ad quid? Credo ut
ſibi acquirat ſponſam de hominibus. Mira res! Ad
ſponſam veniebat, & abſque ſponſa non veniebat.
Quærebat ſponſam, & ſponſa cum ipſo erat. An duæ
D erant? Abſit. *Una eſt enim*, ait, *columba mea.* Sed ſi- Cant 6. 8.
cut de diverſis ovium gregibus unum facere voluit,
ut ſit *unum ovile, & unus paſtor*: ita cum haberet ſpon- Iohan. 10. 16.
ſam inhærentem ſibi à principio multitudinem Ange- Sponſa una ex Angelis & hominibus.
lorum, placuit ei & de hominibus convocare Ec-
cleſiam, atque unire illi quæ de cælo eſt, ut ſit una
ſponſa, & ſponſus unus. Ergo ex adjecta iſta, per-
fecta eſt illa, non duplicata; & agnoſcit de ſe dictum:
Una eſt perfecta mea. Porro unam conformitas facit, Cant. 6. 8.
nunc quidem in ſimili devotione, poſtea vero & in
pari gloria.

7. Habes itaque utrumque de cælo, & ſponſum
ſcilicet Jeſum, & ſponſam Jeruſalem. Et ille qui-
E dem ut videretur, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi ac-* Philipp. 2. 7.
cipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu in-
ventus ut homo. At illam in quanam putamus forma
ſeu ſpecie, aut in quo habitu videlicet deſcendentem
vidit ille qui vidit? An forte in frequentia Angelo-
rum, quos vidit *deſcendentes & aſcendentes ſuper Fi-* Iohan. 1. 51.
lium hominis? Sed melius dicimus, quod ſponſam
tunc viderit, cum Verbum in carne vidit, agnoſ-
cens duos in carne una. Dum enim ſanctus ille Em-
manuel terris intulit magiſterium diſciplinæ cæleſ-
tis; dum ſupernæ illius Jeruſalem, quæ eſt mater noſ-
tra, viſibilis quædam imago & ſpecies decoris ejus
per ipſum nobis & in ipſo expreſſa innotuit; quid
F niſi in ſponſo ſponſam perſpeximus, unum eumdem-
que Dominum gloriæ admirantes, & ſponſum deco-
ratum corona, & ſponſam ornatam monilibus ſuis?
Ipſe igitur qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit:
ut nemo aſcendat in cælum, niſi qui de cælo deſ-
cendit, unus idemque Dominus, & ſponſus in ca-

a Addit Horſtius, *qualem quidem ex parte deſcripſimus*: quæ deſiderantur in primis editis & omnibus noſtris mſſ.

b Omnes ſcripti noſtri habent *colorum*, præter unum Gemeticenſem, qui *locorum*, editi *cælorum*.

c Hic iterum occurrit petulantiſſimus ille Berengarius, Bernardum inſimulans, quod animarum è cælo originem aſſerat, nimirum quod à Deo creatæ & infuſæ in corpora, non ex terrena materia eductæ. Sed hæc commodius in aliis Notis noſtris.

pite, & ſponſa in corpore. Nec fruſtra in terris viſus eſt homo cæleſtis, cum de terrenis cæleſtes quàm plurimos fecerit ſibi ſimiles, ut ſit quod legitur: *Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Extunc igitur in terra vivitur more cæleſtium, dum inſtar ſupernæ illius beatæque creaturæ, hæc quoque, quæ à finibus terræ venit audire ſapientiam Salomonis, cæleſti viro nihilo minus caſto inhæret amore, etſi necdum quomodo illa juncta per ſpeciem, tamen ſponſata per fidem, juxta promiſſum Dei dicentis per Prophetam: *Sponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide.* Unde magis magiſque conformari ſatagit formæ, quæ de cælo venit, diſcens ab ea verecunda eſſe & ſobria, diſcens pudica & ſancta, diſcens patiens atque compatiens, poſtremo diſcens mitis & humilis corde. Et ideo moribus hujuſcemodi contendit & abſens placere ei, in quem Angeli proſpicere concupiſcunt: ut dum deſiderio fervet angelico, probet ſe proinde civem ſanctorum, & domeſticam Dei; probet dilectam, probet ſponſam.

Chriſtus de cælis deſcendit, ut nos cæleſtes faceret.

1. Cor. 15. 48.

Oſeæ 2. 19.

Eccleſia Angelis aſſimilari cupit.

8. Ego puto omnem animam talem non modo cæleſtem eſſe propter originem, ſed & cælum ipſum poſſe non immerito appellari propter imitationem. Et tunc liquido oſtendit, quia vere origo ipſius de cælis eſt, cum converſatio ejus in cælis eſt. Eſt ergo cælum ſancta aliqua anima, habens ſolem intellectum, lunam fidem, aſtra virtutes. Vel certe ſol, juſtitiæ zelus aut fervens caritas; & luna continentia. Quomodo enim claritas, ut aiunt, lunæ non niſi à ſole eſt: ſic abſque caritate ſeu juſtitia continentiæ meritum nullum eſt. Hinc denique Sapiens: *O quam pulcra es*, inquit, *caſta generatio cum caritate.* Porro ſtellas dixiſſe virtutes non me pœnitet, conſiderantem congruentiam ſimilitudinis. Quomodo nempe ſtellæ in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in adverſis. Illud ſane cautelæ eſt, hoc neceſſitatis. Ergo virtus eſt ſidus, & homo virtutum, cælum. Niſi quis forte cùm Deum per Prophetam dixiſſe legit, *Cælum mihi ſedes eſt*: cælum hoc volubile viſibileque intelligendum exiſtimet, & non potius illud, de quo alibi apertius Scriptura commemorat: *Anima*, inquiens, *juſti ſedes eſt ſapientiæ* ᵃ Qui autem ex doctrina Salvatoris ſapit ſpiritum eſſe Deum, atque in ſpiritu adorandum: etiam ſedem ei non ambigit aſſignare ſpiritualem. Ego vero fidenter id fecerim, non minus in hominis juſti, quàm in angelico ſpiritu. Confirmat me in hoc ſenſu maxime illa fidelis promiſſio: *Ego & Pater*, ait Filius, *ad eum*, id eſt ad ſanctum hominem, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Prophetam quoque non de alio dixiſſe cælo arbitror: *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.* Manifeſte autem Apoſtolus dicit, *habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.*

Anima ſancta eſt quaſi cælum.

Sap. 4. 1.

Virtutes ſtellis comparantur.

Iſai. 66. 1.

a

Johan. 4. 24.

Johan. 14. 23.

Pſal. 21. 4.

Epheſ. 3. 17.

9. Nec mirum ſi libenter inhabitat cælum hoc Dominus Jeſus, quod utique, non quomodo ceteros, dixit tantum ut fieret, ſed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret. Ideo & poſt laborem voto potitus, ait: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo; quoniam elegi eam.* Et beata cui dicitur: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Quid tu triſtis es nunc, ô anima mea, & quare conturbas me? Putaſne & tu penes te invenias locum Domino? Et quis nobis locus in nobis huic idoneus gloriæ, ſufficiens majeſtati? Utinam vel merear adorare in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Quis dabit mihi ſaltem veſtigiis adhærere ſanctæ cujuſpiam animæ, quam elegit in habitationem ſibi? Tamen ſi dignetur infundere & meam animam unctione miſericordiæ ſuæ, atque ita extendere ſicut pellem, quæ utique cum ungitur, dilatatur, quatenus & ego dicere valeam, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum;* potero etiam ipſe fortaſſis oſtendere in meipſo, etſi non cœnaculum grande ſtratum, ubi poſſit recumbere cum Diſcipulis ſuis; attamen ubi ſaltem reclinet caput. A longe ſuſpicio illos certe beatos, de quibus dicitur: *Et inhabitabo in eis, & deambulabo in illis.*

In anima pia, velut in cælo Deus habitat.

Pſal. 131. 14.

Tom. IV.

Pſal. 118. 32.

2. Cor. 6. 16.

10. O quanta illi animæ latitudo, quanta & meritorum prærogativa, quæ divinam in ſe præſentiam, & digna invenitur ſuſcipere, & ſufficiens capere! Quid illa, cui & ſpatioſa ᵇ ſuppetunt deambulatoria, ad opus quidem majeſtatis? Non eſt profecto intricata forenſibus cauſis curiſve ſæcularibus, nec certe ventri & luxuriæ dedita; ſed nec curioſa ſpectandi, ſeu cupida omnino dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namque primo quidem his omnibus vacuam eſſe animam, ut cælum fiat, atque habitatio Dei. Alioqoin quomodo poterit vacare & videre, quoniam ipſe eſt Deus? Sed & odio ſive invidiæ aut rancori minime prorſus indulgendum, quoniam *in malevolam animam non introibit ſapientia.* Deinde neceſſe eſt eam creſcere ac dilatari, ut ſit capax Dei. Porro latitudo ejus, dilectio ejus, ſicut dicit Apoſtolus: *Dilatamini in caritate.* Nam etſi anima minime, cum ſit ſpiritus, quantitatem corpoream recipit: tamen confert illi gratia, quod negatum eſt à natura. Creſcit quidem & extenditur, ſed ſpiritualiter; creſcit non in ſubſtantia, ſed in virtute; creſcit & in gloria; creſcit etiam in templum ſanctum in Domino; creſcit denique & proficit in virum perfectum, *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ergo quantitas cujuſque animæ æſtimetur de menſura caritatis quam habet, ut verbi gratia, quæ multum habet caritatis, magna ſit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil, dicente Paulo: *Si caritatem non habuero, nihil ſum.* Quod ſi quantulamcumque habere cœperit, ut ſaltem diligentes ſe diligere curet, ac ſalutare vel fratres ſuos, & eos qui ſe ſalutant: jam nonnihil quidem illam animam dixerim, quæ in ratione dati & accepti ſocialem ſaltem retinet caritatem. Verumtamen juxta ſermonem Domini, *quid amplius facis?* Nec amplam proinde, nec magnam, ſed plane anguſtam modicamque cenſuerim animam, quam adeo modicæ caritatis eſſe cognoverim.

Quomodo in hunc ſtatum evadat.

ᵇ al. ſpatia.

Sap. 1. 4.

2. Cor. 6. 13.

Anima quomodo creſcat, & dilatetur.

Epheſ. 4. 13.

Pro menſura caritatis.

1. Cor. 13. 2.

Matt. 5. 47.

Anima anguſta.

11. At ſi grandeſcat & proficiat, ita ut tranſiens limitem anguſti obnoxiique amoris hujus, latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate ſpiritus apprehendat, quatenus largo quodam gremio bonæ voluntatis ad omnem ſeipſam curet extendere proximum, diligendo unumquemque tamquam ſeipſam: numquid jam illi recte dicetur, Quid amplius facis? quippe quæ ſeipſam tam amplam facit. Amplum, inquam, gerit caritatis ſinum, quæ complectitur univerſos, etiam quibus nulla ſe novit carnis neceſſitudine junctam, nulla ſpe percipiendi commodi cujuſquam illectam, nulla percepti redhibitione obnoxiam, nullo denique omnino adſtrictam debito, niſi illo ſane, de quo dicitur: *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis.* Verum ſi adjicias etiam uſquequaque vim facere regno caritatis, ut uſque ad ultimos ejus terminos occupare illud pius invaſor prævaleas, dum ne inimicis quidem claudenda viſcera pietatis exiſtimes; benefacias his quoque qui te oderunt, ores & pro perſequentibus ac calumniantibus te, necnon & cum his qui oderunt pacem, eſſe pacificus ſtudeas: tunc prorſus latitudo cæli, latitudo tuæ animæ; & altitudo non diſpar, ſed nec diſſimilis pulcritudo; impleturque tunc demum in ea quod dicitur: *Extendens cælum ſicut pellem*; in quo jam miræ latitudinis, altitudinis, ac pulcritudinis cælo ſummus & immenſus atque glorioſus, non modo dignanter habitat, ſed & ſpatiose deambulat.

Animæ ampla ſeu lata.

Caritas ampla.

Rom. 13. 8.

Anima latiſſima, cujus latitudo ſimilis cælo.

Pſal. 103. 2.

ᵃ Idem locus laudatur in Sermone 1. de Purificatione num. 4. & Sermone 5. de verbis Iſaiæ num. 5. item ſupra Sermone 23. num 6. Hunc ex Scriptura paſſim adducunt, præter Bernardum, Auguſtinus & Gregorius M. Quidam hæc accerſunt Proverbiorum XII. 28. *In ſemita juſtitiæ, vita.* Alii ex Sapientia VII. 7. *invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*, ut Horſtius in aliis Notis. Gregorius M. in homilia 38. in Evangelia locum hunc Salomoni tribuit.

Tom. IV.

12. Videſne quales in ſe habeat Eccleſia cælos, cum ſit nihilo minus ipſa, in ſua quidem univerſitate, ingens quoddam cælum, extentum à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum? Vide etiam conſequenter, cui & in hoc ipſo aſſimiles eam, ſi tamen non tibi excidit illud, quod paulo ante memoratum eſt * hujus rei exemplar, de *cælo* videlicet *cæli*, & *cælis cælorum*. Ergo exemplo illius quæ ſurſum eſt mater noſtra, hæc quoque quæ adhuc peregrinatur, habet cælos ſuos, homines ſpirituales, vita & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos caritate, contemplatione ſuſpenſos. Et hi pluentes pluviam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis. Hi enarrant gloriam Dei, hi extenti, ſicut pelles, ſuper omnem terram, legem vitæ & diſciplinæ digito quidem Dei ſcriptam in ſemetipſis oſtendunt, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: oſtendunt & Evangelium pacis, quoniam Salomonis ſunt pelles.

* ſup. num. 9.

Cæli in Eccleſia quinam.

13. Agnoſce jam in his pellibus ſupernarum illarum imaginem, quæ in ſponſi ornatu non longe ſuperius deſcribebantur *. Agnoſce ſimiliter & reginam adſtantem à dextris ejus, circumamictam ſimilibus ornamentis, non tamen paribus. Nam etſi huic etiam in loco peregrinationis ſuæ, & in die virtutis ſuæ, in ſplendoribus ſanctorum, non minima claritatis atque decoris eſt portio: differenter tamen illum * coronat integritas & conſummatio gloriæ beatorum. Quamquam & ſponſam dixerim perfectam atque beatam, ſed ex parte. Nam ex parte tabernaculum Cedar: formoſa tamen, ſive in illa portione ſui, quæ jam beata regnat; ſive etiam in illuſtribus viris, quorum, etiam in hac nocte, ſua ſapientia atque virtutibus, tamquam cælum ſuis ſideribus, adornatur. Unde Propheta: *Qui docti*, inquit, *fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

* ſup. num. 9.

Pſal. 44. 10.

* i. ſponſum

Dan. 12. 3.

14. O humilitas! ô ſublimitas! Et tabernaculum Cedar, & ſanctuarium Dei; & terrenum habitaculum, & cæleſte palatium; & domus lutea, & aula regia; & corpus mortis, & templum lucis; & deſpectio denique ſuperbis, & ſponſa Chriſti. *Nigra eſt*, ſed *formoſa*, filiæ Jeruſalem: quam etſi labor & dolor longi exſilii decolorat, ſpecies tamen cæleſtis exornat, exornant pelles Salomonis. Si horretis nigram, miremini & formoſam; ſi deſpicitis humilem, ſublimem ſuſpicite. Hoc ipſum quam cautum, quàm plenum conſilii, plenum diſcretionis & congruentiæ eſt, quod in ſponſa dejectio iſta, & iſta celſitudo, ſecundum tempus quidem, eo moderamine ſibi pariter contemperantur, ut inter mundi hujus varietates & ſublimitas erigat humilem, ne deficiat in adverſis; & ſublimem humilitas reprimat, ne evaneſcat in proſperis? Pulcre omnino ambæ res, cum ad invicem contrariæ ſint, ſponſæ tamen pariter cooperantur in bonum, ſubſerviunt in ſalutem.

Sponſa partim nigra & formoſa, humilis & ſublimis.

Contemperatio apta.

15. Et hæc pro eo quod ſponſa videtur de pellibus Salomonis inducere ſimilitudinem. Reſtat tamen aperiendus ille ſuper eodem capitulo ſenſus, quem in principio commemoravi & promiſi, qualiter videlicet tota ad ſolam nigredinem ſimilitudo referatur: qua quidem non eſtis promiſſione fraudandi. Ceterum id differendum in aliud ſermonis principium: tum quia hoc jam hujus flagitat longitudo; tum etiam ut præveniat ex more oratio ea, quæ in laudem & gloriam ſunt referenda ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XXVIII.

De nigredine & formoſitate Sponſi, & quomodo Auditus potius quam Viſus valeat in rebus fidei, & ad notitiam veritatis.

1. TEnetis credo, cujus & quibus Salomonis pellibus decorem ſponſæ ſentiam comparatum, ſi tamen ad oſtenſionem commendationemque referatur decoris data ex his ſimilitudo. At ſi ad nigredinem magis referenda putetur, ª ſicut & illa de tabernaculis Cedar: non equidem aliunde occurrit mihi quicquam de hujuſmodi pellibus Salomonis, niſi quas forte rex in uſum tabernaculi ſoleret aſſumere, ſi quando in tentoriis habitare liberet; quas utique (ſi quæ tamen fuerunt) obſcuras ſine dubio & tetras eſſe neceſſe fuit, tamquam quæ quotidiano forent expoſitæ ſoli, & frequentium injuriis pluviarum. Neque id fruſtra, ſed ut is qui intus repoſitus erat ornatus, nitidior ſervaretur. Hoc exemplo ſponſa non negat nigredinem, ſed excuſat; nec probro ducit qualemcumque habitum, quem caritas formet, judicium veritatis non improbet. Denique quis infirmatur, cum quo non infirmetur? quis ſcandalizatur, & non uritur? Induit ſe compaſſionis nævum, ut morbum in altero paſſionis levet, vel ſanet: nigreſcit candoris zelo, lucro pulcritudinis.

1. Cor. 11. 29.

Compaſſione ſe obſcurat.

2. Multos candidos facit unius denigratio, non cum tingitur culpa, ſed cum cura afficitur. *Expedit*, inquit, *ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat:* expedit ut unus pro omnibus denigretur ſimilitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati. Splendor & figura ſubſtantiæ Dei obnubiletur in forma ſervi pro vita ſervi. Candor vitæ æternæ nigreſcat in carne, pro carne purganda. Speciosus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obſcuretur in paſſione, turpetur in cruce, palleat in morte: ex toto non ſit ei ſpecies neque decor, ut ſibi ſpecioſam atque decoram acquirat ſponſam Eccleſiam ſine macula & ſine ruga. Agnoſco pellem Salomonis, immo ipſum in pelle nigra Salomonem amplector. Habet & Salomon nigredinem, ſed in pelle: foris niger, in cute niger, non intus: alioquin *omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Intus divinitatis candor, decor virtutum, ſplendor gloriæ *, innocentiæ puritas: ſed tegit hæc deſpicabilior infirmitatis color; & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, dum tentatur per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Agnoſco denigratæ formam naturæ; agnoſco tunicas illas pelliceas, Protoplaſtorum peccantium habitum. Denique ſemetipſum denigravit *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Agnoſco ſub pelle hœdi, qui peccatum ſignificat, & manum quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non tranſivit; ideoque non eſt inventus dolus in ore ejus. Novi quod ſis lenis natura, mitis & humilis corde, blandus aſpectu, ſuavis ſpiritu: & quidem unctus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Unde ergo nunc ad inſtar Eſaü piloſus & hiſpidus? Cujuſnam rugoſa & tetra imago hæc, & unde hi pili? Mei ſunt. nam piloſæ manus ſimilitudinem exprimunt peccatoris. Meos agnoſco hos pilos: & in pelle mea video Deum Salvatorem meum.

Candor fecit unus niger ut multos candidos.

Johan. 11. 50.

Pſal. 44. 3.

Pſal. 44. 14.

* al. gratiæ

Gen. 3. 21.

Philip. 2. 7.

Iſa. 53. 9.

Pſal. 44. 8.

3. Non tamen Rebecca ſic illum induit, ſed Maria, tanto digniorem qui benedictionem acciperet, quanto ſanctior quæ peperit. Et bene in meo habitu: quia mihi benedictio vindicatur, mihi poſtulatur hereditas. Siquidem audierat: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* *Tuam*, inquit, *hereditatem*, tuamque *poſſeſſionem* dabo tibi. Quomodo dabis ei, ſi ſua eſt? Et quomodo ſuam mones ut poſtulet? aut quomodo ſua, ſi neceſſe habet ut poſtulet? Mihi proinde poſtulat, qui

Pſal. 2. 8.

ª Aliter habent tres ſcripti poſt *putetur*; *reducenda ad memoriam illa, quibus olim Salomon tabernaculum operuit. Erant procul dubio nigra, quotidiano expoſita ſoli, quotidianarum injuriis pluviarum. Neque id fruſtra, &c.*

etiam

meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam.
Iſa. 53. Quippe *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, dicente Pro-
pheta: *& Dominus in eo poſuit iniquitatem omnium noſ-
trum.* unde *debuit fratribus per omnia ſimilari*, ſicut ait
Heb. 2. 17. Apoſtolus, *ut miſericors fieret.* Propterea *vox quidem*,
Gen. 27. 22. *vox Jacob eſt; manus autem, manus ſunt Eſau.* Suum eſt
quod auditur ex eo: quod in eo videtur, noſtrum.
Quod loquitur, ſpiritus & vita eſt: quod apparet,
Chriſtus foris deformis, intus formoſus. mortale & mors. Aliud cernitur, & aliud creditur.
Nigrum ſenſus renuntiat, fides candidum & formo-
ſum probat. Niger eſt, ſed oculis inſipientium. nam
fidelium mentibus formoſus valde; niger eſt, ſed for-
moſus; niger reputatione Herodis, formoſus confeſ-
ſione latronis, Centurionis fide.

4. Quàm formoſum adverterat qui exclamavit:
Marc. 15. 39. *Vere homo hic Filius Dei erat.* Sed in quo advertit, ad-
vertendum. Si enim attenderet quod apparebat,
Centurionis fides ex auditu. quomodo formoſus, quomodo Filius Dei? Quid niſi
deforme & nigrum oculis ſpectantium occurrebat,
cùm expanſis in cruce manibus, medius duorum ne-
quam, riſum malignantibus daret, fletum fidelibus?
Et ſolus erat riſui, qui ſolus poterat eſſe terrori, ſolus
honori debuerat. Unde igitur advertit pulcritudinem
Iſa. 53. 12. Crucifixi, & quod is ſit Filius Dei, qui *cum iniquis re-
putatus eſt?* Reſpondere aliquid ad id noſtrum nec fas,
nec opus eſt: nec enim Evangeliſtæ hoc diligentia
Marc. 15. 39. præterit. Sic enim habes: *Videns autem Centurio qui
ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Vere
hic homo Filius Dei erat.* Ergo ad vocem credidit, ex
voce agnovit Filium Dei, & non ex facie. Erat enim
Johan. 10. 14. fortaſſe ex ovibus ejus, de quibus ait: *Oves meæ vocem
a *meam audiunt.*[a]

5. Auditus invenit quod non viſus: oculum ſpecies
Auditum prærogativa in negotio fidei fefellit, auri veritas ſe infudit. Oculus pronuntiabat
infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus
morte turpiſſima condemnatum: auri Dei Filius, auri
formoſus innotuit; ſed non Judæorum, quia erant
incircumciſi auribus. Merito Petrus abſcidit auricu-
lam ſervi, ut viam faceret veritati, & veritas libe-
raret eum, id eſt liberum faceret. Erat ille Centu-
rio incircumciſus, ſed non aure, qui ad unam exſpi-
rantis vocem ſub tot infirmitatis indiciis Dominum
majeſtatis agnovit. Ideoque non deſpexit quod vidit,
quia credidit quod non vidit. Non autem credidit
ex eo quod vidit: ſed ex eo proculdubio quod audi-
Rom. 10. 17. vit, quia *fides ex auditu.* Dignum quidem fuerat per
ſuperiores oculorum feneſtras veritatem intrare ad
animam: ſed hoc nobis, ô anima, ſervatur in poſte-
rum, cum videbimus facie ad faciem. Nunc autem
unde irrepſit morbus, inde remedium intret, & per
eadem ſequatur veſtigia vita mortem, tenebras lux,
venenum ſerpentis antidotum veritatis: & ſanet ocu-
lum qui turbatus eſt, ut ſerenus videat quem turba-
tus non poteſt. Auris prima mortis janua, prima ape-
riatur & vitæ; auditus, qui tulit, reparet viſum:
quoniam niſi crediderimus, non intelligemus. Ergo
Auditus ad meritum, viſus ad præmium. AUDITUS ad meritum, viſus ad præmium. Unde
Propheta: *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium & læti-
Pſal. 50. 10. tiam:* quod fidelis retributio auditionis beata viſio ſit,
Matt. 5. 8. & beatæ meritum viſionis fidelis auditio. *Beati* autem
mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Porro fide
oportet mundari oculum qui videat Deum, quemad-
Act. 15. 9. modum habes: *Fide mundans corda eorum.*

6. Interim ergo dum necdum paratus eſt viſus, au-
b ditus excitetur, auditus exercitetur[b], auditus exci-
piat veritatem. Felix, cui Veritas atteſtatur, dicens:
Pſal. 17. 45. *In auditu auris obedivit mihi.* Dignus qui videam, ſi
priuſquam videam, obediſſe inveniar: ſecurus vide-
bo, ad quem meæ obedientiæ munus præceſſerit. Quàm
Iſa. 50. 5. beatus qui ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego
non contradico, retrorſum non abii.* Ubi & voluntariæ
habes obedientiæ formam, & longanimitatis exem-
plum. Qui enim non contradicit, ſpontaneus eſt;
& qui retro non abiit, perſeverat. Utrumque neceſ-
A ſarium, quoniam hilarem datorem diligit Deus: & Tom. IV. 2. Cor. 9. 7.
qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Uti- Matt. 10. 22.
nam & mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor
meum ſermo veritatis, mundet oculum, & lætæ præ-
paret viſioni, ut dicam Deo etiam ipſe: *Præparationem* Pſal. 9. 17.
cordis mei audivit auris tua. ut audiam à Deo, etiam
ipſe cum ceteris obedientibus: *Et vos mundi eſtis prop-* Johan. 15. 3.
ter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Nec omnes mun-
dantur qui audiunt, ſed qui obediunt. *Beati qui au-* Luc. 11. 28.
diunt, & cuſtodiunt illud. Talem requirit auditum qui
mandat dicens: *Audi Iſraël.* talem offert qui ait: *Lo-* Deut. 6. 4.
quere, Domine, quia audit ſervus tuus. talem ſpondet 1. Reg. 3. 9.
qui dicit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Pſal. 84. 9.

B 7. Et ut ſcias etiam Spiritum ſanctum hunc in ani-
mæ ſpirituali profectu ordinem obſervare, ut videli-
cet prius formet auditum, quam lætificet viſum: *Au-
di*, inquit, *filia, & vide.* Quid intendis oculum? Au-
rem para. Videre deſideras Chriſtum? Oportet te
prius audire eum, audire de eo, ut dicas cum videris:
Sicut audivimus, ſic vidimus. Immenſa claritas, viſus Pſal. 44. 11.
anguſtus, & non potes ad eam. Potes auditu, ſed non Pſal. 47. 9.
aſpectu. Clamantem denique Deum, *Adam ubi es?* Gen. 3. 9.
non videbam jam peccator, audiebam tamen. Sed au- Auditus qualis eſſe debeat ad meritum.
ditus aſpectum reſtituet, ſi pius, ſi vigil, ſi fidelis præ-
ceſſerit. Fides purgabit, quem turbavit impietas: &
quem inobedientia clauſit, aperiet obedientia. De-
C nique *à mandatis tuis*, inquit, *intellexi:* quod intellec- Pſal. 118. 104.
tum reddat obſervatio mandatorum, quem tulit tranſ-
greſſio. Adverte adhuc in ſancto Iſaac, quomodo præ
ceteris ſenſibus auditus in jam ſene viguerit. Cali-
gant oculi Patriarchæ, palatum ſeducitur, fallitur
manus, non fallitur auris. Quid mirum ſi auris per-
cipit veritatem, cum *fides ex auditu, auditus per verbum* Rom. 10. 17.
Dei, verbum Dei veritas ſit? *Vox*, inquit, *vox Jacob* Gen. 27. 22.
eſt. Nihil verius. *Manus autem manus ſunt Eſau.* Nihil
falſius. Falleris: manus ſimilitudo decepit te. Nec in
guſtu veritas, etſi ſuavitas eſt. Nam quomodo habet
veritatem, qui ſe putat edere venationem, cum do-
meſticis veſcatur hœdorum carnibus? Multo minus
D oculus qui nihil videt. Non eſt veritas in oculo, non
ſapientia. *Væ qui ſapientes eſtis*, ait, *in oculis veſtris.* Iſa. 5. 21.
Non bona ſapientia, cui maledicitur. Mundi eſt, ac
per hoc *ſtultitia apud Deum.* 1. Cor. 3. 19.

8. Bona & vera *ſapientia trahitur de occultis*, ut ſapit Job 28. 18.
beatus Job. Quid foris eam quæris in corporis ſenſu? Sapientia in corde.
Sapor in palato, in corde ſapientia eſt. Non quæras
ſapientiam in oculo carnis, quia caro & ſanguis non Matt. 16. 17.
revelat eam, ſed ſpiritus. Non in guſtu oris: nec enim
invenitur in terra ſuaviter viventium. Non in tactu ma- Job 28. 13.
nus, cum ſanctus dicat: *Si oſculatus ſum manum meam* Job 31. 27.
ore meo, quod eſt iniquitas maxima, & negatio in Deum.
Quod tunc fieri arbitror, cum donum Dei, quod eſt ſa-
E pientia, non Deo, ſed meritis adſcribitur actionum.
Sapiens fuit Iſaac, ſed tamen erravit in ſenſibus. So-
lus habet auditus verum, qui percipit verbum. Me-
rito carnem redivivam Verbi tangere prohibetur mu- Johan. 20. 17.
lier carnaliter ſapiens, plus quippe tribuens oculo, Maria Magdalena prohibetur Chriſtum tangere.
quàm oraculo, id eſt carnis ſenſui, quàm verbo Dei.
Quem enim mortuum vidit, reſuſcitatum * non cre-
didit, cum tamen hoc promiſerit ipſe. Denique non * al. reſurrecturum.
quievit oculus, uſque dum ſatiatus eſt viſus: quoniam
non erat conſolatio fidei, nec Dei rata promiſſio.
Nonne cælum & terra, & quicquid omnino carnis
oculus attingere poteſt, ante habent tranſire & pe-
rire, quàm iota unum aut unus apex ex omnibus
F quæ locutus eſt Deus? Et tamen ceſſavit à fletu in vi-
ſu oculi, quæ noluit conſolari in verbo Domini; plu-
ris habens experimentum, quàm fidem. At experi-
mentum fallax.

9. Mittitur ergo ad certiorem fidei cognitionem;
quæ utique apprehendit quod ſenſus neſcit, experi-
mentum non invenit. *Noli me tangere*, inquit. hoc eſt, Johan. 20. 17.
Diſſueſce huic ſeducibili ſenſui: innitere verbo, fidei Fallax ſenſus, non fides.
aſſueſce. Fides neſcia falli, fides inviſibilia compre-

a Sic codices duo: alius cum editis addit, *& cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.* Colbertinus tantum, *& cognoſcunt me meæ.*

b Quibuſdam deeſt, *auditus exercitetur.* Forſan id adſcribendum ſcribæ, qui utrum legendum eſſet dubitans, utrumque poſuit.

Tom. IV. hendens, ſenſus penuriam non ſentit: denique tranſ- A greditur fines etiam rationis humanæ, naturæ uſum, experientiæ terminos. Quid interrogas oculum ad quod non ſufficit? Et manus quid explorare conatur quod ſupra ipſam eſt? Minus eſt quicquid ille, vel illa renuntiet. Sane fides pronuntiet de me, quæ majeſtati nihil minuat. Diſce id habere certius, id tutius ſequi, quod illa ſuaſerit. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Quaſi vero cum jam aſcenderit, tunc tangi ab ea velit, aut poſſit. Et utique poterit, ſed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non ſenſibus. Quid tu me, ait, modo tangere quæris, quæ ſenſu corporis gloriam æſtimas reſurrectionis? Neſcis quod tempore adhuc meæ mortalitatis transfigurati B ad horam morituri corporis gloriam oculi Diſcipu-

Matth. 17. 9. lorum ſuſtinere nequiverint? Adhuc quidem tuis ſenſibus gero morem, formam ingerendo ſervilem, quam de conſuetudine recognoſcas. Ceterum mirabilis facta eſt gloria mea ex te, confortata eſt, & non poteris ad eam. Differ ergo judicium, ſuſpende ſententiam, & tantæ rei diffinitionem ne credas ſenſui, fidei reſervato. Illa dignius, illa diffiniet certius; quæ plenius comprehendet. Denique comprehendit ſuo illo myſtico ac profundo ſinu, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit; illa in ſe quaſi quodam involucro clauſum portat, ſer- C vatque ſignatum.

Fides digne tangit Chriſtum jam glorificatum.

10. Illa igitur digne me tanget, quæ Patri conſedentem ſuſcipiet, non jam in humili habitu, ſed in cæleſti; carne ipſa, ſed altera ſpecie. Quid deformem vis tangere? Exſpecta ut formoſum tangas. Nam qui deformis modo, tunc formoſus; deformis tactui, deformis aſpectui; deformis denique deformi tibi, quæ ſenſibus plus inhæres, fidei minus. Eſto formoſa, & tange me: eſto fidelis, & formoſa es. Formoſa formoſum & dignius tanges, & felicius. Tanges manu fidei, deſiderii digito, devotionis amplexu; tanges oculo mentis. At numquid adhuc nigrum?

Cant. 5. 10. Abſit. Dilectus tuus *candidus & rubicundus*. Formoſus D plane, quem circumdant flores roſarum, & lilia convallium, hoc eſt Martyrum, Virginumque chori: & qui medius reſideo, utrique non diſſideo choro, virgo & martyr. Quomodo denique candidis non congruo Virginum choris, virgo, Virginis filius, virginiſque ſponſus? Quomodo non roſeis Martyrum, cauſa, virtus, fructus & forma martyrii? Talem talis taliterque tange, & dic: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Millia millium cum dilecto, & decies centena millia circa dilectum, & nemo ad dilectum. Num tibi verendum erit, ne forte in quempiam de multitudine errore incidas, quærendo quem diligis? Non prorſus ambiges quemnam eligas. Faci- E le occurret electus è millibus, cunctis inſignior, & di-

Iſa. 63. 1. ces: *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Non ergo in pelle nigra, quæ hactenus ſane ingerenda fuit oculis perſequentium, ut contemnerent occidendum; aut etiam amicorum, & recognoſcerent redivivum. Non, inquam, jam in pelle occurret nigra, ſed in veſte alba, ſpecioſus forma, non modo præ filiis hominum, ſed etiam præ vultibus Angelorum. Quid me vis tangere in humili habitu, ſervili forma, ſpecie contemptibili? Tange cæleſti decorum ſpecie, gloria & honore coronatum; divina quidem majeſtate tremendum, ſed ingenita ſerenitate gratum ac placidum.

Sponſa ſponſum ſub infirmitate carnis agnoſcit.

11. Inter hæc advertenda prudentia ſponſæ, & profunditas ſermonum ejus, quæ ſub figura pellium Salomonis, ſcilicet in carne, rimata eſt Deum, in morte Vitam; ſummam gloriæ & honoris inter opprobria, & ſub nigro denique habitu crucifixi candorem innocentiæ, ſplendoremque virtutum: ſicut illæ utique pelles, cum eſſent nigræ atque deſpectæ, pretioſa & præcandida prædivitis regis in ſe ornamenta ſervabant. Merito nigredinem non contemnit in pellibus, decorem qui ſub pellibus eſt advertens. Et ideo quidam

A illam contempſerunt, quia hunc minime cognoverunt. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Non cognovit Herodes, & idcirco deſpexit; non cognovit ſynagoga, quæ nigredinem illi paſſionis & infirmitatis improperans, *Alios*, ait, *ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Chriſtus rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed cognovit Latro de cruce, licet in cruce, qui & innocentiæ puritatem confeſſus eſt. *Hic autem*, inquiens, *quid mali fecit?* Et gloriam regiæ majeſtatis ſimul eſt proteſtatus: *Memento mei*, dicens, *dum veneris in regnum tuum.* Cognovit Centurio, qui filium Dei clamat; cognoſcit Eccleſia, quæ & æmulatur nigredinem, ut B decorem participet. Non confunditur nigra videri, nigra dici, ut dilecto dicat: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* At ſane nigra inſtar pellium Salomonis, foris ſcilicet, & non intus: neque enim intus nigredinem meus Salomon habet. Denique non ait, *Nigra ſum* ſicut Salomon, ſed *ſicut pelles Salomonis*: quod in ſuperficie tantum ſit veri nigredo Pacifici. Peccati nigredo intus eſt: & prius interiora culpa commaculat, quàm ad oculos prodeat. Denique *de corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, blaſphemia; & hæc ſunt quæ coinquinant hominem*: ſed abſit ut Salomonem. Minime prorſus apud verum Pacificum iſtiuſmodi inquinamenta re- C peries. Oportet namque eſſe ſine peccato eum qui tollit peccata mundi, quò ad reconciliandos peccatores inventus idoneus, jure ſibi nomen vindicet Salomonis.

1. Cor. 2. 8.
Matth. 27. 42.
Luc. 23. 41.
Ibidem 42.
Matth. 27. 54.
Pſal. 68. 10.
Chriſtus abſ. que peccato
Matth. 15. 19.

12. Sed eſt nigredo affligentis Pœnitentiæ, cum aſſumitur lamentatio pro delictis. Hanc fortaſſis non abhorreat in me Salomon, ſi ſponte tamen induam mihi pro peccatis meis: quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Eſt & afficientis Compaſſionis, ſi afflicto condoleas; & fraternum te decoloret incommodum. Nec hanc profecto rejiciendam putat noſter Pacificus, quippe quam & ſibi ipſe pro nobis dignanter induit, *qui peccata noſtra tulit in cor-* D *pore ſuo ſuper lignum.* Eſt & Perſecutionis: quæ etiam pro ſummo ornamento habetur, ſiquidem ſuſcipiatur pro juſtitia & veritate. Unde eſt illud: *Ibant gaudentes diſcipuli à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Denique *beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Hac potiſſimum gloriari Eccleſiam arbitror, hanc libentius imitari de pellibus ſponſi. Denique & habet in promiſſione: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.*

Nigredo Pœnitentiæ.
Pſal. 50. 19.
Compaſſionis.
1. Petr. 2. 24.
Perſecutionis.
Act. 5. 41.
Matth. 5. 10.
Joan. 15. 20.

13. Unde & addit ſponſa: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.* hoc eſt, Nolite me notare quaſi deformem, quia cernitis pro ingruente E perſecutione minus florentem, minus ſecundum gloriam ſæculi coloratam. Quid exprobratis nigredinem, quam fervor perſecutionis, non converſationis pudor invexit? Vel ſolem dicit zelum juſtitiæ, quo accenditur & accingitur adverſus malignantes, dicens Deo: *Zelus domus tuæ comedit me.* & illud: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* illud quoque, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* item, *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Etiam illud Sapientis caute obſervat: *Filiæ*, ait, *tibi ſunt? noli oſtendere latum vultum ad ipſas*: ut ſcilicet remiſſis & mollibus & fugitantibus diſcipli- F nam, non candorem ſerenitatis, ſed obſcurum ſeveritatis exhibeat. Vel decolorari à ſole, eſt igneſcere caritate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad ſcandala ſingulorum. Vel ſic: Sol juſtitiæ decoloravit me Chriſtus, cujus amore langueo. Languor iſte, coloris quædam exterminatio eſt, & defectus in deſiderio animæ. unde & dicit: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* Ergo, inſtar urentis ſolis, deſiderii ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit

Cant. 1. 5.
Decoloratio ſolis varie exponitur.
Primo.
Secundo.
Pſal. 68. 10.
Pſal. 118. 139.
Ibid. 53.
Pſal. 138. 21.
Eccli. 7. 26.
Tertio.
Pſal. 76. 4.

repulſa, & excruciat amantem dilatio. Quis noſtrum A ita ſancto amore ardet, ut deſiderio videndi Chriſtum, omnem colorem præſentis gloriæ, lætitiæque faſtidiat & deponat, illa ei prophetica voce conteſtans: *Et diem hominis non deſideravi, tu ſcis?* Item cum ſancto David: *Renuit conſolari anima mea*, id eſt præſentium bonorum inani lætitia deſpicit colorari.

Jer. 17. 16. *Pſal. 76. 3.*

Quarto.

Vel certe *Decoloravit me ſol*, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum appropians illi, ex eo me obſcuram deprehendo, nigram invenio, fœdam deſpicio. Ceterum alias quidem formoſa ſum. quid fuſcam dicitis, ſolius Solis pulcritudini ſuccumbentem? At ſenſui priori videntur magis aſſentire ea quæ ſequuntur. Adjiciens ſiquidem, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*; B perſecutionem paſſam ſe eſſe aperte ſignificat. Sed hinc aliud ſermonis principium ordiemur, quoniam ſufficere hac vice poſſunt, quæ accepimus de gloria ſponſi Eccleſiæ Domini noſtri Jeſu-Chriſti, dono ipſius, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXIX.

De querimonia Eccleſiæ contra ſuos impugnatores, vel contra illos, qui impugnant unitatem fraternam.

1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Annas & C Caiphas, & Judas Iſcarioth, filii ſynagogæ fuerunt: & hi contra Eccleſiam, æque ſynagogæ filiam, in ipſo exortu ipſius acerbiſſime pugnaverunt, ſuſpendentes in ligno collectorem ipſius Jeſum. Jam tunc ſiquidem Deus implevit per eos, quod olim præſignaverat per Prophetam, dicens: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.* Et fortaſſis illius vox illa eſt in cantico Ezechiæ: *Præciſa eſt velut à texente vita mea; dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* De his ergo atque aliis, qui de illa gente Chriſtiano nomini contradixiſſe ſciuntur, puta dictum à ſponſa: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et pulcre filios matris ſuæ, non autem & patris ſui illos vocat, qui non ha- D bebant patrem Deum, ſed ex patre diabolo erant; homicidæ utique, ſicut & ille homicida erat ab initio. Propterea non dicit, *Fratres mei*, aut *filii patris mei*, ſed, *Filii*, inquit, *matris meæ pugnaverunt contra me.* Alioquin ſi non ita diſtingueret, videretur etiam apoſtolus Paulus comprehenſus in his, de quibus conqueritur, quod & ipſe aliquando perſecutus ſit Eccleſiam Dei: ſed miſericordiam conſecutus eſt, quia ignorans hoc fecit manens in incredulitate; & probavit Deum ſe habere patrem, fratrem Eccleſiæ tam ex patre, quam ex matre eſſe.

Zach. 13. 7. *Iſa. 38. 12.* Eccleſia cur impugnatores ſuos vocet filios matris ſuæ, & non patris. *Johan. 8. 44.* *1. Cor. 15. 9.* *1. Tim. 1. 13.*

2. Sed attende quomodo nominatim filios matris ſuæ, & ſolos incuſat, quaſi ſoli in culpa ſint. Quan- E ta & ab exteris paſſa eſt? juxta illud apud Prophetam: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*, &, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Quid ergo ſingulariter filios matris tuæ cauſaris, quæ te minime ignoras & ex aliis atque aliis nationibus ſæpiſſime impugnatam? *Ad menſam divitis vocatus, diligenter*, inquit, *conſidera quæ tibi apponuntur.* Fratres, ad menſam Salomonis ſedemus. Quis ditior Salomone? Non de terrenis dico divitiis, quamquam & ipſis Solomon abundaret: ſed intuemini præſentem menſam, quomodo ſupernis eſt referta deliciis. Spiritualia ſunt & divina, quæ nobis in ea apponuntur. *Diligenter ergo*, inquit, *conſidera quæ tibi apponuntur*, F *ſciens quia talia te oportet præparare.* Ego utique, quod in me eſt, diligenter attendo id mihi apponi in his verbis ſponſæ, & ad meam prorſus doctrinam cautelamque reſpicere, quod ita ex nomine ac ſola exprimitur perſecutio à domeſticis; & tacentur tot & tam gravia quæ ubique terrarum nihilo minus ex omni natione quæ ſub cælo eſt, ab infidelibus, ab hæreticis & ſchiſmaticis pertuliſſe cognoſcitur. Novi ſponſæ prudentiam; nec putaverim caſu hæc illam, aut quaſi immemorem præteriiſſe. Sed profecto id ex-

Cur ſolos incuſet domeſticos. *Pſal. 128. 1.* *Prov. 23. 1.* Mala à domeſticis illata acerbiora.

preſſius plangit, quod & ſentit differentius, quodque Tom. IV. vigilantius nobis cavendum exiſtimat. Quidnam hoc? Malum utique inteſtinum atque domeſticum. Hoc tibi manifeſte in Evangelio ore ipſius Salvatoris exprimitur, cum dicit: *Et inimici hominis domeſtici ejus.* Hoc & in Propheta: *Homo*, inquit, *pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Item, *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* hoc eſt, quod à te patior conviva & contubernali meo, id moleſtius ſentio, fero ægrius. B Scitis hæc querimonia cujus, & de quo ſit.

Matth. 10. 36. *Pſal. 40. 10.* *Pſal. 54. 13.*

3. Agnoſcite ergo & ſponſam eodem de filiis matris ſuæ conquerentem affectu, quoniam in eodem ſpiritu, cum ait: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Unde & alibi loquitur: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.* Longe, quæſo, a vobis facite ſemper hoc tam abominabile & deteſtabile malum, vos qui experti eſtis, & quotidie experimini, quàm bonum ſit, & quàm jucundum habitare fratres in unum, ſi tamen in unum, & non in ſcandalum. Alioquin nec jucundum plane, nec bonum, ſed peſſimum ac moleſtiſſimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum jucun- C dum turbatur! Judicium profecto portabit quicumque eſt ille. Ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam juſte clamitantem: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Nonne præſentis congregationis tamquam unius matris filii omnes vos eſtis, ſinguli alterutrum fratres? Quid ergo à foris vos conturbare, aut contriſtare poſſit, ſi intus bene eſtis, & fraterna pace gaudetis? Denique *quis vobis nocere poterit*, inquit, *ſi boni æmulatores fueritis?* Quamobrem *æmulamini chariſmata meliora*, ut bonos vos probetis æmulatores. Chariſma peroptimum caritas eſt; plane incomparabile, quod novæ ſponſæ cæleſtis ſponſus toties inculcare curabat, nunc qui- D dem dicens, *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: nunc vero, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; &, *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*; itemque orans unum eos fore, *ſicut ipſe & Pater unum ſunt.* Et vide ſi non ipſe Paulus, qui te ad chariſmata meliora invitat, inter cetera caritatem in ſummo ponit, ſive cum fide & ſpe dicit eam eſſe majorem, & ſupereminentem ſcientiæ; ſive cum enumeratis pluribus ac mirabilibus ſupernæ gratiæ donis, tandem ad ſuperexcellentiorem viam nos mittit; haud aliam profecto illam, quàm caritatem diffiniens. Denique quidnam huic comparandum putemus, quæ E ipſi præfertur martyrio ac fidei transferenti montes? Hoc igitur eſt quod dico: Pax vobis à vobis ſit; & omne quod extrinſecus minari videtur, non terret, quia non nocet. Nam è contrario quicquid foris blandiri appareat, nulla eſt profecto conſolatio, ſi intus (quod abſit) ſeminarium diſcordiæ germinaverit.

Schiſmata & diſcidia quantum malum. *Pſal. 37. 12.* *Pſal. 132. 1.* *1. Pet. 3. 13.* *1. Cor. 12. 31.* Caritas chariſma optimum. *Johan. 13. 35.* *Johan. 13. 34.* *Johan. 15. 12.* *Johan. 17. 21.* *1. Cor. 13. 13.* *Ibidem.* *1. Cor. 13. 2.* Pax & caritas commendatur.

4. Proinde, dilectiſſimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non ſigno qualicumque: & ne quis forte exacerbatus & præoccupatus à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, Deum interpellare cogatur adverſus eos, qui ſe læſerint aut contriſtaverint, & prorumpere in ver- F bum grave contingat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Sic enim peccantes in fratrem, in Chriſtum peccatis, qui ait: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Nec cavendum à gravioribus tantum offenſis, verbi gratia, ab aperto convicio ſeu maledicto, ſed à clandeſtino quoque & venenato ſuſurrio. Non, inquam, ſufficit os cuſtodire ab his & his ſimilibus: cavenda ſunt & levia. ſi tamen leve debeat dici, quodcumque in fratrem præſumpſeris voluntate lædendi; cum hoc ſolo, ſi iraſceris illi, divini reus judicii tenearis. Merito quidem. nam quod

Matt. 25. 40. Suſurria quantopere cavenda. *Matth. 5. 22.*

Tom. IV. tu leve putas, & ob hoc levius præcipitas, plerum- A que alius aliter accipit, tamquam homo videns in facie, & ſecundum faciem judicans, paratus feſtucam trabem ſuſpicari, & ſcintillam putare fornacem. Non enim eſt omnium caritas illa, quæ omnia credit. Proni ſunt autem ſenſus hominis & cogitationes ad malum potiùs ſuſpicandum, quàm ad bonum credendum: præſertim ubi diſciplina ſilentii nec te, qui in cauſa es, excuſare permittit; nec illum vulnus ſuſpicionis aperire quod patitur, ut curetur. Ita uritur ille, & moritur clauſo & letali vulnere, intra ſemetipſum gemens, dum totus in ira & diſceptatione poſitus, nil aliud ſilens verſare in mente poſſit, niſi injuriam quam accepit. Non poteſt orare, non B poteſt legere, non ſanctum aut ſpirituale aliquid meditari: & ita intercepto vitali ſpiritu, dum ſuis deſtituta alimentis vadit ad mortem anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, quid tu interim quæſo animi habes? Quid oratio tua, aut opus, quodcumque interim feceris, ſapit tibi, contra quem nimirum Chriſtus anxie clamat de pectore fratris tui quem contriſtaſti: Filius, inquiens, matris meæ pugnat contra me; & qui ſimul mecum dulces capiebat cibos, replevit me amaritudine?

Non leve, quo læditur proximus. — *1. Cor. 13. 7.* — *Remedia damna.*

5. Quod ſi dixeris illum non tam graviter pro tam levi cauſa debuiſſe turbari; reſpondeo: quanto levior eſt, tanto à te levius potuit non committi. Quam- C quam neſcio quomodo leve dicas (ut jam dixi) quicquid amplius eſt quàm iraſci, cum vel hoc ipſum obnoxium eſſe judicio ex ore ipſius acceperis Judicis. Quid enim? Tune leve dixeris, in quo offenditur Chriſtus, unde ad Dei judicium pertrahi habes, cum horrendum ſit incidere in manus Dei viventis? Tu ergo accepta forte injuria (quod quidem interdum non accidere in his conventibus difficile eſt) non continuo more ſæcularis, obliqua referire fratrem reſponſione feſtines: ſed neque, ſub ſpecie quaſi corripiendi, verbo acuto & urenti transfigere audeas ullatenus animam, pro qua Chriſtus affigi cruci dignatus eſt; non grunnire quaſi increpando, non la- D biis muſſitare quaſi murmurando, non narem contrahere, aut cachinnare quaſi ſubſannando, non frontem rugare, quaſi invehendo aut comminando. Sanè commotio tua ibi moriatur ubi oritur, nec permittatur exire quæ mortem portat, ne perimat, ut dicere poſſis & tu cum Propheta: *Turbatus ſum, & non ſum locutus.*

Matth. 5. 22. — *Heb. 10. 31.* — *Injuria accepta ut ſe gerendum.* — *Pſal. 76. 4.*

6. Quoſdam altius intellexi ſentire iſtud, quaſi de diabolo & angelis ejus dictum, qui cum fuerint & ipſi filii Jeruſalem illius, quæ ſurſum eſt mater noſtra, ex quo lapſi ſunt, non ceſſant ſororem ſuam Eccleſiam impugnare. Sed neque contendo, ſi quis uſurpet hoc etiam in bonam ſignificationem, ſecundum E quod ſpirituales, qui ſunt in Eccleſia, adverſus carnales fratres ſuos dimicant in gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, vulnerantes eos ad ſalutem, atque ad ſpiritualia iſtiuſmodi impugnationibus provehentes. Utinam corripiat me juſtus in miſericordia, & increpet me, percutiens & ſanans, occidens & vivificans, quo audeam & ego dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Eſto*, inquit, *conſentiens adverſario tuo, dum es cum eo in via, ne tradat te judici, & judex tortori.* Bonus adverſarius, cui ſi conſentiens ero, non erit unde aut judex me calumnietur, aut tortor. Ego profecto ſi quos veſtrum aliquando pro hujuſmodi contriſtavi, non me pœnitet; contriſtati enim ſunt F ad ſalutem. Et quidem neſcio id me feciſſe umquam abſque mea quoque magna triſtitia, ſecundum illud: *Mulier cum parit, triſtitiam habet.* Sed abſit ut jam meminerim preſſuræ, tenens fructum doloris mei, dum perinde videam Chriſtum formatum in ſobole. Neſcio autem quomodo etiam tenerius mihi adſtricti ſunt, qui poſt increpatoria, & per increpatoria tandem convaluerunt de infirmitate, quàm qui fortes ab initio permanſerunt, non indigentes iſtiuſmodi medicamento.

Alii per filios matris intelligunt dæmones; alii ſpirituales — *Eph. 6. 17.* — *Adverſarius bonus, correptor* — *Gal. 2. 20.* — *Matth. 5. 25.* — *Bernardi animus in corripiendo* — *Joan. 16. 21.*

7. Ergo in hunc ſenſum poterit Eccleſia, ſeu anima diligens Deum dicere, quod decoloravit eam ſol, mittendo ſcilicet & armando de filiis matris ejus qui eam ſalubriter expugnarent, & captivam ducerent ad fidem amoremque ipſius, multis utique confixam ſagittis illis, de quibus ſcriptum eſt: *Sagittæ potentis acutæ.* & item, *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Ideoque ſequitur & ait, *quoniam non eſt ſanitas in carne mea*; ut ſecundum animam ſanior proinde fortiorque factus dicat: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* & cum Apoſtolo: *Quando enim infirmor, tunc potens ſum & fortis.* Vides quia carnis infirmitas robur ſpiritui augeat, & ſubminiſtret vires? Ita è contrario noveris B carnis fortitudinem debilitatem ſpiritus operari. Et quid mirum, ſi hoſte debilitato, tu fortior efficeris? Niſi forte illam tibi inſaniſſime ducas amicam, quæ non ceſſat concupiſcere adverſus ſpiritum. Vide ergo ſi non prudenter ſagittari & impugnari ſalubriter poſtulat Sanctus, cum dicit in oratione: *Confige timore tuo carnes meas.* Optima timor iſte ſagitta, qui configit & interficit carnis deſideria, ut ſpiritus ſalvus ſit. Sed & qui caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit, nonne is tibi videtur etiam manum contra ſe pugnantis ipſe juvare?

8. Eſt & ſagitta ſermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, de quo Salvator: C *Non veni*, inquit, *pacem mittere, ſed gladium.* Eſt etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena. Aut certe pertranſivit eam, ut veniret uſque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater caritatis, cujus pater eſt caritas Deus, parturiens & in ſole ponens tabernaculum ejus, ut ſcriptura impleretur, quæ dicit: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Hoc enim impletum eſt per Mariam, quæ in carne viſibilem edidit, quem inviſibilem, nec de car- D ne, nec cum carne ſuſcepit. Et illa quidem in tota ſe grande & ſuave amoris vulnus accepit: ego vero me felicem putaverim, ſi ſumma ſaltem quaſi cuſpide hujus gladii pungi interdum me ſenſero, ut vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea: *Vulnerata caritate ego ſum.* Quis mihi tribuat in hunc modum non modo vulnerari, ſed & expugnari omnino uſque ad exterminationem coloris & caloris illius, qui militat adverſus animam?

9. Si exprobraverint filiæ hujus ſæculi illi animæ quæ hujuſmodi eſt, dicentes pallidam & ſine colore eſſe; nonne tibi congrue poſſe reſpondere videbitur: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit* E *me ſol*: Et ſi ſe ad hoc meminerit perveniſſe adhortationibus ſeu increpationibus aliquorum ſervorum Dei, æmulantium eam Dei æmulatione; nonne conſequenter veraciterque inferre poterit, quia *filii matris meæ pugnaverunt contra me*? Erit ergo ſenſus, juxta quod dictum eſt, ut Eccleſia ſeu ſtudioſa quævis anima id loquatur, non quaſi gemens aut conquerens, ſed quaſi gaudens & gratias agens, inſuper & glorians, quod pro nomine & amore Chriſti digna ſit fuſca ſeu decolor eſſe & dici: atque hoc ipſum adſcribat non ſuæ induſtriæ, ſed gratiæ & miſericordiæ prævenientis ſe, & mittentis ad ſe. Nam quomodo crederet ſine prædicante? F Quomodo autem prædicarent niſi mitterentur? Filios matris ſuæ contra ſe pugnaſſe memorat, non ut irata, ſed ut non ingrata. Unde & ſequitur: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Quod verbum utique ſi ſpiritualiter examinetur, puto nil in ſe querimoniæ aut rancoris habere videbitur, ſed magis favorabile aliquid redolere. Verum ad id contingendum prius ſane quàm manum apponere audeamus (locus enim ſanctus eſt) conciliandus eſt nobis ſolitis precibus, & ſic conſultandus ille Spiritus, qui ſcrutatur alta Dei; aut certe Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ſponſus

Pſal. 119. 4. — *Pſal. 37. 3.* — *Matt. 26. 41.* — *2. Cor. 12. 10.* — *Gal. 5. 17.* — *Pſal. 118. 120.* — *Heb. 4. 12.* — *Matt. 10. 34.* — *Amore Chriſti ſagittata Maria pertranſita.* — *Iſa. 49. 6.* — *Rom. 10. 15.*

Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXX.

Qualiter populus fidelium ſeu animæ electorum per Vineas ſignificantur, quarum Eccleſia cuſtos dicitur: & de prudentia carnis, quæ eſt mors.

Correptionis utilitas.

1. *POſuerunt me cuſtodem in vineis.* Qui? Tuine illi oppugnatores, quos proxime memoraſti? Audite & intelligite, ſi non ſe ab illis ipſis fatetur iſta promotam, à quibus & paſſam. Nec mirum tamen, ſiquidem fuerit cauſa pugnandi intentio corrigendi. Nam quis neſciat multos amicabiliter militerque multoties oppugnatos? Quam multos quotidie experimur piis impugnationibus Prælatorum ad meliora proficere, provehi ad altiora? Ergo illud potius demonſtremus, ſi poſſumus, quemadmodum adverſus Eccleſiam pugnatum ſit à filiis matris ſuæ, & hoſtili animo, & damno utili. Id enim jucundius, cum qui nocere intendunt, proſunt & nolentes. Utrumque vero ſenſum tenet ſuperior interpretatio: quoniam quidem non defuerunt, & qui bene, & qui male æmularentur eam, diverſa intentione pugnantes; ſed utrique profuerunt. In tantum denique ſe profeciſſe ex iis, quæ ab æmulis paſſa eſt, gloriatur, ut pro una vinea, quam ſibi abſtuliſſe viſi ſunt, ſuper multas ſe gaudeat conſtitutam. Hoc mihi, inquit, præſtitere pugnando contra me & contra vineam meam, qui dicunt, *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*, ut unam pluribus commutarim. Hoc quippe eſt quod infert, *Vineam meam non cuſtodivi*: tanquam cauſam ſubjungens unde hoc illi contigerit, ut non in una jam, ſed in pluribus cuſtos poſita ſit. Et littera quidem ſic eſt.

Hoſtes Eccleſiæ proſunt nolentes.

Pſal. 136. 7.

2. Sed ſi eam ſimpliciter ſequimur, contenti eo ſolo quod ſonare in ſuperficie illa videtur, putabimus nos legere in Scriptura ſancta de his vineis corporeis & terrenis, quas quotidie cernimus de rore cæli & de pinguedine terræ accipere, unde fundunt vinum, in quo eſt luxuria: & ſic nihil, non dico Domini ſponſæ dignum, ſed nec cuivis ceterarum congruum quid de tam ſancta & divina Scriptura attuliſſe videbimur. Quæ enim convenientia ſponſis & cuſtodiæ vinearum? Sed & ſi convenire putetur, unde docebimus, fuiſſe aliquando Eccleſiam iſtiuſmodi deputatam officio? Numquid de vineis cura eſt Deo? Si autem ſpirituali ſenſu vineas eccleſias, id eſt fideles interpretamur populos, juxta Prophetæ ſenſum dicentis, *Vinea Domini ſabaoth domus Iſraël eſt*: incipiet fortaſſis elucere nobis, quomodo ſponſæ minime indignum ſit fieri cuſtodem in vineis.

De quibus vineis hic ſermo ſit.

Iſa. 5. 7.

3. Puto quod & non parva inſuper & in hoc ipſo apparebit prærogativa, ſi quis diligentius curet advertere, quantum ubique per orbem in hujuſmodi vineas dilataverit terminos ſuos à die illa, qua Jeroſolymis à filiis matris ſuæ expugnata eſt & exturbata, una cum prima illa ſua novella plantatione; multitudinem dico credentium, quorum legitur fuiſſe *cor unum & anima una*. Et ipſa eſt, quam modo fatetur ſe minime cuſtodiſſe, ſed non ad inſipientiam ſibi. Nec enim ita inde evulſa in perſecutione fuit, ut non alibi plantaretur, atque aliis locaretur agricolis, qui reddant fructus ejus temporibus ſuis. Non prorſus, non periit, ſed migravit; etiam crevit & dilatata eſt, tanquam cui benedixit Dominus. Denique leva oculos tuos, & vide ſi non *operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei*; ſi non *extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus*. Nec mirum, *Dei enim ædificatio eſt, Dei agricultura eſt*. Ipſe fœcundat, ipſe propagat, ipſe putat & purgat eam, *ut fructum plus afferat*. Quando nempe ſua deſtitueret cura vel opera, quam plantavit dextera ejus? Non plane habenda neglectui, in qua Apoſtoli palmites, Dominus vitis, & Pater ejus agricola eſt. In fide plantata, in caritate mittit radices, defoſſa ſarculo diſciplinæ, ſtercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis: & ſic ſane exuberans vino, in quo eſt lætitia, ſed non luxuria; vino totius ſuavitatis, nullius libidinis. Hoc certe vinum lætificat cor hominis; hoc conſtat & Angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in converſione & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominum ſitientes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quòd in illis vitæ odor, ſapor gratiæ ſit, indulgentiæ guſtus, reconciliationis jucunditas, ſanitas redeuntis innocentiæ, ſerenatæ ſuavitas conſcientiæ.

Act. 4. 32.

Eccleſia perſecutione aucta.

Pſal. 79. 11.

1. Cor. 3. 9.

Johan. 15. 2.

Vineæ proprie Eccleſiæ applicatæ.

Tom. IV.

Lacrymæ pœnitentium, vinum Angelorum.

4. Ergo ex illa una vinea, quam ſævæ perſecutionis viſa eſt deleviſſe tempeſtas, quantæ in univerſa terra propagatæ refloruerunt? Et in his omnibus cuſtos poſita ſponſa eſt, ut non contriſtetur, quod primam vineam non cuſtodivit. Conſolare, filia Sion: ſi cæcitas ex parte contigit in Iſraël, quid tu perdis? Mirare myſterium, & noli plangere detrimentum; dilata ſinum, & collige plenitudinem gentium. Dic civitatibus Judæ, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos judicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Moyſi ſane oblatum eſt à Deo, ſi prævaricatorem populum vellet dimittere, & divinæ exponere ultioni, ipſum quidem fieri poſſe in gentem magnam; ſed ille renuit. Quare? Ob nimiam profecto dilectionem, qua illi fortiter devinctus populo tenebatur; & quoniam non requirebat quæ ſua ſunt, ſed Dei honorem; & non quod ſibi utile foret, ſed quod multis. Et ille quidem ſic.

Act. 13. 46.

Exod. 32. 9.

5. Ego autem conſilio ſecretiori puto hoc munus divinitus pro ſui magnitudine ſervatum ſponſæ, ut ipſa potius, & non Moyſes, mitteretur in gentem magnam. Non enim oportebat amicum ſponſi præripere ſponſæ benedictionem; & propterea non quidem Moyſes, ſed nova ſponſa, cui dicitur, *Ite in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*; ipſa, inquam, prorſus miſſa eſt in gentem magnam. Num in majorem potuit, quam in univerſitatem? Et facile univerſitas ceſſit portanti pacem, gratiam offerenti. Sed non ſicut gratia, ita & lex. Quam diſſimili vultu ad omnem conſcientiam ſe offerunt ſuavitas hujus, & illius auſteritas? Quis ſane ex æquo reſpiciat condemnantem & conſolantem, repoſcentem & ignoſcentem, plectentem & amplectentem? Non pari profecto acceptabitur voto umbra & lux, ira & pax, judicium & miſericordia, figura & veritas, virga & hereditas, frenum & oſculum. Graves denique Moyſi manus, teſtibus Aaron & Hur; grave Legis jugum, teſtibus ipſis Apoſtolis, qui hoc & ſibi, & patribus importabile clamitant; grave jugum, & vile præmium: nam terra eſt in promiſſione. Pro hujuſmodi non eſt Moyſes miſſus in gentem magnam. Verum tu, mater Eccleſia, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ, facile in duplici gratia obtines ab univerſis te recipi, & propter jugum ſuave, & propter regnum ſublime. Pulſa de civitate, ab univerſitate exciperis, dum ſic provocat quod promittis, ut quod imponis non terreat. Quid adhuc unius vineæ plangis damnum, quod tanto tibi fœnore compenſatum eſt? Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non fuit qui per te tranſiret: *Ponam te*, inquit, *in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & generationem; & ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis; & ſcies quia ego Dominus ſalvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.* Tali itaque modo dicit ſe ſponſa poſitam cuſtodem in vineis, & quia vineam ſuam non cuſtodivit.

Eccleſiæ prærogativa, dilatatio in mundum univerſum.

Marc. 16. 15.

Synagogæ & Eccleſiæ diſcrimen.

Exod. 17. 12.

Act. 15. 10.

Iſa. 60.

6. Ego loci hujus occaſione meipſum reprehendere ſoleo, quod animarum ſuſceperim curam, qui meam non ſufficerem cuſtodire, vineas animas interpretans. Quod ſi probas & tu hanc noſtram interpretationem, vide etiam conſequenter, an recte quoque dicamus fidem, vitem; virtutes, palmites;

Queritur de impoſita ſibi prælatura.

Tom. IV. botrum, opus; devotionem, vinum. Siquidem nec palmes abſque vite, nec virtus ſine fide aliquid eſt: *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo*, fortaſſe & diſplicere neceſſe erit. Denique *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt* Hoc ergo conſiderare oportuit illos qui me poſuerunt cuſtodem in vineis, ſi videlicet propriam cuſtodiſſem. At quanto tempore inculta jacuit & deſerta, redacta in ſolitudinem! Prorſus defecerat vinum ex ea, arefactis, præ ſterilitate fidei, virtutum palmitibus. Erat fides, ſed mortua. Quomodo enim non mortua ſine operibus? Et id quidem in ſæculari vita. Ceterum converſus ad Dominum, meliuſcule cœpi, fateor, cuſtodire: non tamen prout oportuit. Et quis nempe ad hoc idoneus? Nec ſanctus Propheta, qui ait: *Niſi dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Quantis etiam tunc memini me patere inſidiis illius, qui ſagittat in occultis immaculatum? Quantum nobis, ô vinea mea, furtivis ſubreptum eſt machinamentis eo ipſo tempore, quo vigilantius intendere cœpimus curæ & cuſtodiæ noſtri? Quot & quales piorum botros operum aut præfocavit ira, aut tulit jactantia, aut fœdavit inanis gloria? Quanta ab illecebra gulæ, quanta ab acediæ ſpiritu, quanta à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate ſuſtinuimus? Sic eram: & nihilo minus tamen poſuerunt me cuſtodem in vineis, non conſiderantes quid de mea ego facerem vel feciſſem, nec audientes arguentem magiſtrum ac dicentem: *Si quis domus ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?*

Heb. 11. 6 · Rom. 14. 23 · Bernardi ſententia de ſeipſo. · Pſal. 126. 1 · 1. Tim. 3. 5.

7. Miror audaciam plurimorum, quos videmus de ſuis vineis non colligere, niſi ſpinas & tribulos; vineis tamen dominicis etiam ſe ingerere non vereri. Fures ſunt & latrones, non cuſtodes, neque cultores. Hoc illis. Væ autem mihi etiam nunc à periculo vineæ meæ! immo magis nunc, quando pluribus intentus, minus circa unam diligens, minuſque ſollicitus fieri cogor. Nec ſæpem circumdare, nec torcular fodere in ea licet. Heu! deſtructa eſt maceria ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam! Patet expoſita triſtitiæ, iracundiæ atque impatientiæ pervia. Demoliuntur eam ſedulæ quædam vulpeculæ inſtantium neceſſitatum; irrumpunt undique anxietates, ſuſpiciones, ſollicitudines; turbæ diſcordantium, cauſarum moleſtiæ rara hora deſunt. Non eſt prohibendi facultas, non copia declinandi, ſed nec orandi ſpatium. Quo imbre lacrymarum perfundere ſufficiam ſterilitatem animæ meæ? Vineæ meæ volui dicere, ſed de pſalmo ſic incidit propter uſum, & ſenſus idem eſt; nec piget erroris qui admonet ſimilitudinis, quia non de vinea ſermo eſt, ſed de anima. Ergo anima cogitetur, cum vinea legitur: ſiquidem ſub hujus ſpecie & nomine illius ſterilitas deploratur. Quibus ergo lacrymis rigabo ſterilitatem vineæ meæ? Omnes palmites ejus aruerunt præ inopia; jacent ſine fructu, eo quod non habeant humorem. Jeſu bone! quos faſciculos ſarmentorum ex eis in tuo quotidie ſacrificio uſtio contriti cordis mei te teſte abſumit? Sit, obſecro, ſacrificium tibi ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus ne deſpicias.

Pſal. 79. 13 · Anima ſterilitatem deſcribit & deplorat in ſeipſo. · Pſal. 34. 12 · Pſal. 50. 19.

8. Et ego quidem ſic pro imperfecto meo traho ad me capitulum præſens. Perfectus autem omnis erit qui alias dicere poterit: *Vineam meam non cuſtodivi*, illo videlicet ſenſu, quo Salvator loquitur in Evangelio: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Idoneus plane & dignus qui ponatur cuſtos in vineis, quem propriæ cura vineæ à commiſſarum diligentia & ſollicitudine non impedit aut retardat, dum non quærit quæ ſua ſunt, neque quod ſibi utile eſt, ſed quod multis. Propterea ſane Petro cura iſta credita eſt in tam multis vineis, quæ erant de circumciſione, quia homo paratus erat *& in carcerem, & in mortem ire*: uſque adeo ſuæ vineæ, id eſt ſuæ animæ, non detinebatur amore, quominus curæ intenderet creditarum. Merito & Paulo inter gentes tam ingens ſilva credita eſt vinearum, quòd & ipſe in ſuæ cuſtodia vineæ minime curioſus inventus ſit, ita ut non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus fuerit propter nomen Domini Jeſu-Chriſti. Denique, *Nihil horum vereor*, inquit, *nec facio animam meam pretioſiorem quam me.* Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimet.

Matt. 10. 39. · Ad cuſtodiam vineæ Dominicæ quis dignus. · Luc. 22. 33. · Act. 21. 13. · Act. 20. 24.

9. Quam multi ſaluti propriæ modicam viliſſimamque pecuniam prætulerunt! Paulus nec animam. *Non*, inquit, *facio eam pretioſiorem quam me.* Ergo differentiam facis inter te, & animam tuam? Prudenter quidem tu tibi pluris es, quam quidvis tuum. Sed quomodo non tua anima tu? Arbitror quod quia Paulus jam tunc in ſpiritu ambularet, & mente conſentiret legi Dei quoniam bona eſt; idcirco hanc ipſam mentem ſuam, tamquam principale ac ſupremum quiddam ſui, dignum duxerit ſuimet potius, quam ſuæ cujuſpiam rei nomine deſignare: reliquum vero, quod conſtat naturæ eſſe inferioris, & inferiori proinde viliorique eſſentiæ (quod eſt corpus) inhærere, non modo officio vivificandi ac ſenſificandi, ſed & fovendi nutriendique deſiderio: hoc, inquam, ſenſuale atque carnale appellatione ſui homo ſpiritualis indignum judicans, inter ſua magis cenſuit deputandum, quam ſe perſonaliter exprimendum per illud. Cum me dico, inquit, excellentius quod in me eſt, in quo & ſto per gratiam Dei, id eſt mentem rationemque, intellige. Cum loquor animam meam, hoc inferius accipe, quod carni animandæ vides accommodatum, etiam & junctum in concupiſcentia. Id me fuiſſe quidem, ſed jam non eſſe agnoſco: quia *non ſecundum carnem* adhuc ambulo, *ſed ſecundum ſpiritum. Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Secundum mentem ego, ſecundùm carnem non ego. Quid enim ſi carnaliter etiam nunc anima concupiſcit? *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et ideo non me quidem, ſed tamen meum dixerim quod in me carnaliter ſapit, idque non aliud quam ipſam animam. Revera enim animæ portio eſt carnalis affectio ejus, & vita, quam adminiſtrat corpori. Hanc ergo animam ſuam Paulus ſpernebat præ ſe, paratus pro Domino non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem, & ſic perdere animam ſuam juxta conſilium Domini.

Paulus cur diſtinguat inter ſe & animam ſuam. · Rom. 7. 22. · Rom. 8. 4. · Gal. 2. 20. · Rom. 7. 17. · Matt. 10. 39.

10. Tu quoque ſi propriam deſeras voluntatem, ſi corporis voluptatibus perfecte renunties, ſi carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiſcentiis, ſed & mortifices membra tua, quæ ſunt ſuper terram: probabis te Pauli imitatorem, qui non facias animam tuam pretioſiorem teipſo; probabis & Chriſti diſcipulum, etiam illam perdendo ſalubriter. Et quidem prudentius eam perdis ut cuſtodias, quam cuſtodis ut perdas. Nam *qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam.* Quid hic vos dicitis obſervatores ciborum, morum negléctores? Hippocrates & ſequaces ejus docent animas ſalvas facere in hoc mundo: Chriſtus & ejus Diſcipuli perdere. Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit qui ſic diſputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet. Profecto unuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legiſti has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorum? Caro & ſanguis pro certo revelavit tibi hanc ſapientiam, non ſpiritus Patris; eſt enim carnis hæc ſapientia. Sed audi quid de ipſa noſtri medici ſentiant. *Sapientia*, inquiunt, *carnis mors eſt.* Item, *Sapientia carnis inimica eſt Deo.* Num Hippocratis ſeu Galeni ſententiam, aut certe de ſchola Epicuri debui proponere vobis? Chriſti ſum diſcipulus; Chriſti diſcipulis loquor: ego ſi peregrinum dogma induxero, ipſe peccavi. Epicurus atque Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert: meus Magiſter utriuſque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam, quam ſummo ſtudio iſte unde ſuſtentet, ille

Anima quomodo perdenda. · Matt. 16. 25. · Religioſi ſectatores medicorum... · Rom. 8. 6. · Ibidem. 7.

Tom IV.

unde & delectet, inquirit atque inquirere docet, Salvator monet & perdere.

Johan. 12. 25.
Mortificatio carnis genus est martyrii.

11. Quid enim tibi aliud de Chriſti auditorio ſonuit, cum paulo ante clamatum eſt: *Qui amat animam ſuam, perdet eam?* Perdet eam dixit, ſive ponendo ut martyr, ſive affligendo ut pœnitens. Quamquam genus martyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Videſne hac ſententia Magiſtri mei carnis ſapientiam condemnari, per quam utique aut in luxum voluptatis diffluitur, aut ipſa quoque bona valetudo corporis ultra quam oporteat appetitur? Denique quod vera ſapientia in voluptates non effluat, audiſti profecto à Sapiente, ne inveniri quidem hanc *in terra ſuaviter viventium*. Qui autem invenit, dicit: *Super ſalutem & omnem pulcritudinem dilexi ſapientiam.* Si ſuper ſalutem & pulcritudinem, quanto magis ſuper voluptatem & turpitudinem? Quid vero prodeſt temperare à voluptatibus; & inveſtigandis diverſitatibus complexionum, ciborumque varietatibus inquirendis, quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua, meæ penitus complexioni non congruunt. Quale eſt hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellarıſve reperiri vix poſſit quod comedas?

Job 28. 13.
Sap. 7. 10.
Senſualium dicta de cibis.

Obſervatio ciborum non decet monachum.

12. Puta te, quæſo, monachum eſſe, non medicum; nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione. Parce, obſecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium, parce gravamini domus, parce conſcientiæ. Conſcientiæ dico, non tuæ, ſed alterius; illius videlicet, qui prope ſedens, & edens quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari jejunio murmurat. Scandalo quippe eſt ei aut tua odioſa ſuperſtitio, aut duritia, quam forte putat illius, qui tibi habet providere. Scandalizatur, inquam, in tua ſingularitate frater judicans te ſuperſtitioſum, tamquam ſuperflua quæritantem; aut certe me durum cauſans, qui non perquiram victui tuo neceſſaria. Fruſtra ſibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli, hortantis diſcipulum non bibere aquam, ſed *modico uti vino propter ſtomachum & frequentes ſuas infirmitates*. Qui attendere debent primum quidem Apoſtolum minime ſibi ipſi rem hujuſmodi ſuadere, ſed nec diſcipulum æque expoſcere ſibi. Deinde non monacho hoc intimari, ſed epiſcopo, cujus vita teneræ adhuc & naſcenti Eccleſiæ pernéceſſaria eſſet. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum; & ego cibo eum, ſi vis, etiam auro, & poto balſamo. Ceterum tu tibimetipſi diſpenſas, miſertus tui. Suſpecta eſt mihi, fateor, tua ipſius in te diſpenſatio; & vereor tibi illudi ſub tegmine & nomine diſcretionis à carnis prudentia. Id te ſaltem volo admonitum eſſe, ut ſi tibi ita auctoritas Apoſtoli placet de bibendo vino, *modico* (quod ille adjunxit) non prætermittas. Et de hoc ſatis. Sed revertamur ad ſponſam, & diſcamus ab ea vineas proprias ſe utiliter [a] non cuſtodire, præſertim nos qui videmur deputati cuſtodes in vineis ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

1. Tim. 5. 23.
Modicum vini quomodo permiſſum Timotheo ab Apoſtolo.

Monacho indigna carnis tanta cura.

a

SERMO XXXI.

De excellentia divinæ viſionis; & quomodo in præſenti ſanctis viris guſtus divinæ præſentiæ variatur, pro variis animæ deſideriis.

Cant. 1. 6.

1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Studioſis mentibus Verbum ſpon-A ſuis frequenter apparet, & non ſub una ſpecie. Quid ita? Profecto quoniam nondum videtur *ſicuti eſt*. Nempe illa viſio ſtat, quia forma ſtat quæ tunc videtur; eſt enim: nec ullam capit ex eo quod eſt, fuit, vel erit, mutationem. Tolle nempe *fuit* & *erit*, unde jam tranſmutatio aut viciſſitudinis obumbratio? At quicquid veniens ex eo quod *fuit* non ceſſat tendere in id quod *erit*, tranſitum ſane habet per *eſt*, ſed omnino non eſt. Nam quomodo eſt, quod numquam in eodem ſtatu permanet? Solum proinde vere eſt, quod nec à *fuit* præciditur, nec ab *erit* expungitur: ſed ſolum atque inexpugnabile remanet ei *eſt*, & manet quod eſt. Nec *fuit* ſane tollit illi eſſe ab B æterno; nec *erit* eſſe in æternum: ac per hoc ſibi vindicat verum eſſe, id eſt increabile, interminabile, invariabile. Cum igitur ipſe qui ſic eſt, immo qui non ſic aut ſic eſt, videtur ſicuti eſt; ſtat, ut dixi, illa viſio, quia nulla eam interpolat viciſſitudo. Et tunc ille de Evangelio unus omnibus, qui ſic vident, denarius redditur in una ſpecie quæ offertur. Nam & quod apparet, ut invariabile in ſe eſt, ita invariabiliter intuentibus præſtò eſt: & quibus apparet, nil videre deſiderabilius volunt, nil poſſunt delectabilius. Quando ergo illa vel faſtidiet aviditas, vel ſe ſubtrahet ſuavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod ſi in æternum extenditur vi-C dendi copia pariter & voluntas; quomodo non plena felicitas? Nil quippe aut deeſt jam ſemper videntibus, aut ſupereſt ſemper volentibus.

1. Johan. 3. 2.
Eſt neque immutabilitatem.
Matt. 20. 9.
Ac proinde beatitudinem.

2. At talis viſio non eſt vitæ præſentis, ſed in noviſſimis reſervatur, his dumtaxat qui dicere poſſunt: *Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et nunc quidem apparet quibus vult: ſed ſicut vult, non ſicuti eſt. Non Sapiens, non Sanctus, non Propheta videre illum, ſicuti eſt, poteſt, aut potuit [b] in corpore hoc mortali; poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Itaque videtur & hic, ſed ſicut videtur ipſi, & non ſicuti eſt. Nam neque hoc luminare magnum (ſolem lo-D quor iſtum, quem quotidie vides) vidiſti tamen aliquando ſicuti eſt, ſed tantum ſicut illuminat, verbi cauſa aërem, montem, parietem. Quod nec ipſum quidem aliquatenus poſſes, ſi non aliqua ex parte ipſum lumen corporis tui, pro ſui ingenita ſerenitate & perſpicuitate, cæleſti lumini ſimile eſſet. Non denique alterum membrum corporis capax eſt luminis, ob multam utique diſſimilitudinem. Sed nec ipſe oculus, cum turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amiſſam ſimilitudinem. Qui ergo turbatus, nullatenus ſerenum ſolem videt propter diſſimilitudinem: ſerenus aliquatenus videt propter nonnullam ſimilitudinem. Profecto ſi pari prorſus E puritate vigeret; videret omnino inoffenſa acie eum, ſicuti eſt, propter omnimodam ſimilitudinem. Ita & Solem juſtitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo, ſicut illuminat, illuminatus poteſt, tamquam jam in aliquo ſimilis: ſicuti eſt, omnino non poteſt, tamquam nondum perfecte ſimilis. Propterea dicit: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* Ita ſane, ſed ſi quantum ſatis eſt illuminamur, ut revelata facie ſpeculantes gloriam Dei, in eamdem imaginem transformemur *de claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.*

1. Johan. 3. 2.
Dei viſio impoſſibilis in hac vita.
b
Puritas ad videndum Deum neceſſaria.
Pſal. 33. 6.
2. Cor. 3. 18.

3. Ergo accedendum ad eum, non irruendum, ne F irreverens ſcrutator majeſtatis opprimatur à gloria. Nec locis ſane accedendum, ſed claritatibus; ipſiſque non corporeis, ſed ſpiritualibus; tamquam à Domini Spiritu. A Domini plane, & non à noſtro, quamvis in noſtro. Qui itaque clarior, ille propinquior: eſſe autem clariſſimum, perveniſſe eſt. Porro jam præſentibus non aliud eſt videre ſicuti eſt, quam eſſe ſicuti eſt, & aliqua diſſimilitudine non confundi. Sed

Prov. 25. 27.
Deo propinquior, qui clarior.
Primus modus videndi Deum competens beatis.

a Id eſt ad propriam ejus utilitatem. ſic veteres ſcripti & editi primi: Hoſtius & alii, *proprias utiliter non cuſtodire*
b Confer quæ Bernardus de S. Benedicto habet in Sermone 7. de diverſis; & infra de Moyſe Sermone 33. in Cantica num. 6, & Sermonem 34. num. 2.

Tom. 3 V. id tunc, ut dixi. Interim vero tanta hæc formarum A varietas, atque numeroſitas ſpecierum in rebus conditis, quid niſi quidam ſunt radii Deitatis, monſtrantes quidem quia vere ſit à quo ſunt, non tamen quid ſit prorſus diffinientes? Itaque de ipſo vides, ſed non ipſum. Cum autem de eo, quem non vides, cetera vides, ſcis indubitanter exſiſtere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuſet. Verum hoc genus videndi commune. In promptu enim eſt, juxta Apoſtolum, omni utenti ratione, inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicere.

2. Videndibus, itque communis. — Rom. 1. 20.

4. Alius proculdubio ille modus, quo quondam Patribus crebra illa atque ambitioſa divinæ præſen- B tiæ familiaritas dignanter indulta eſt, quamquam nec ipſis ſicuti eſt, ſed ſicut dignata eſt. Nec uno omnibus modo, ſed, ut ait Apoſtolus, *multifarie multiſque modis*, cum ipſe in ſe ſit unus, dicente ipſo ad Iſraeli *Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*. Et hæc demonſtratio, non quidem communis; ſed tamen foris facta eſt, nimirum exhibita per imagines extrinſecus apparentes, ſeu voces ſonantes. Sed eſt divina inſpectio, eo differentior ab his, quo interior, cum per ſeipſum dignatur inviſere Deus animam quærentem ſe, quæ tamen ad quærendum toto ſe deſiderio & amore devovit. Et hoc ſignum iſtiuſmodi adventus ejus, ſicut ab eo qui expertus eſt edocemur: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Oportet namque ut ſancti deſiderii ardor præveniat faciem C ejus ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus, qui omnem conſumat rubiginem vitiorum, & ſic præparet locum Domino. Et tunc ſcit anima quoniam juxta eſt Dominus, cum ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam, & dixerit cum Propheta: *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me*. & illud: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*.

3 Patribus antiquis. — Heb. 1. 1 — Deut 6. 4. — 4. Piis & juſtis. — Pſal. 96. 3. Viſio Dei requirit ardens deſiderium. — Thren. 1. 13. — Pſal. 38. 4.

5. Tali animæ ſuſpiranti frequenter, immo ſine intermiſſione oranti, & affligenti ſe præ deſiderio, cum interdum deſideratus ille, qui ita quæritur, miſe- D ratus occurrit; puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum ſancto Jeremia: *Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te*. Sed & Angelus ejus, qui unus eſt de ſodalibus ſponſi, in hoc ipſum deputatus, miniſter profecto & arbiter ſecretæ mutuæque ſalutationis; is, inquam, Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur & condelectatur, & converſus ad Dominum dicit: Gratias ago tibi, Domine majeſtatis, quia deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eam. Ipſe eſt qui in omni loco ſedulus quidam pediſſequus animæ non ceſſat ſollicitare eam, & aſſiduis ſuggeſ- E tionibus monere, dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. & rurſum: *Exſpecta Dominum, & cuſtodi viam ejus*. Item, *Si moram fecerit, exſpecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*. Ad Dominum autem: *Sicut cervus*, inquit, *deſiderat ad fontes aquarum ita deſiderat anima* iſta *ad te Deus*. Deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritus tuus in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te. Et iterum: Tota die expandit ad te manus ſuas, dimitte illam quia clamat poſt te: convertere aliquantulum, & deprecabilis eſto ſuper eam. Reſpice de cælo, & vide, & viſita deſolatam. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non invidus, non ſuam quærit, ſed Domini gratiam: diſcurrit me- F dius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat iſtam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræſentat eos pariter ſibi, ſive hanc rapiens, ſive illum adducens. ſiquidem domeſticus eſt & notus in palatio, nec veretur repulſam, & quotidie videt faciem Patris.

Thren. 3. 25. Angelorum erga pias animas officium. — Pſal. 36. 4. Ibidem. — Abac. 2. 3. — Pſal 41. 2. Iſa. 26. 9. Pſal. 87. 10. — Matt. 15. 23. Pſal. 89. 13. — 7.

6. Vide autem tu ne quid nos in hac verbi animæque commixtione corporeum ſeu imaginatorium ſentire exiſtimes. Id loquimur quod Apoſtolus dicit: quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Exceſſum puræ mentis in Deum, ſive Dei pium deſcenſum in animam, noſtris quibus poſſumus exprimimus verbis, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Itaque in ſpiritu fit iſta conjunctio, quia ſpiritus eſt Deus, & concupiſcit decorem animæ illius, quam forte adverterit in ſpiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in deſiderio, præſertim ſi ſui amore flagrantem conſpexerit. Non ergo ſic affecta & ſic dilecta, contenta erit omnino vel illâ, quæ multis per ea quæ facta ſunt; vel, illa quæ paucis per viſa & ſomnia facta eſt manifeſtatio ſponſi, niſi & ſpeciali prærogativa intimis illum affectibus atque ipſis medullis cordis cælitus illapſum ſuſcipiat, habeatque præſto quem deſiderat non figuratum, ſed infuſum: non apparentem ſed afficientem: nec dubium quin eo jucundiorem, quo intus, non foris. Verbum nempe eſt, non ſonans, ſed penetrans; non loquax, ſed efficax; non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Facies eſt non formata, ſed formans, non perſtringens oculos corporis, ſed faciem cordis lætificans: grata quippe amoris munere, non colore.

Verbi animæque commixtio nihil corporeum ſonat. — 1. Cor. 6. 17. — Anima pia [illegible] — Illapſus Dei [illegible]

7. Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quam quod eſt. Neque enim vel ſic continue præſto erit, quamvis devotiſſimis mentibus, ſed nec uniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ deſideriis divinæ guſtum præſentiæ variari, & infuſum ſaporem ſupernæ dulcedinis diverſa appetentis animi aliter atque aliter oblectare palatum. Denique advertiſti in hoc amatorio carmine, quoties mutaverit vultum, & in quanta multitudine dulcedinis ſuæ coram dilecta dignatus ſit transformari; & quomodo nunc quidem inſtar verecundi ſponſi ſanctæ animæ ſecretos petat amplexus, & oſculis delectetur; nunc vero in oleo & unguentis medicum exhibere appareat, nimirum propter teneras & infirmas animas iſtiuſmodi adhuc indigentes fomentis & medicamentis: unde & delicato adoleſcentularum nomine deſignantur. Si muſſitet quis, audiet, quia *non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus*. Nunc rurſum quaſi viator quiſpiam itinerantibus ſponſæ ſimul atque adoleſcentulis ſeſe aſſocians, jucundiſſimis confabulationibus ſuis à labore viæ omnem relevat comitatum, ita ut eo diſcedente loquantur: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis de Jeſu, dum loqueretur nobis in via?* Facundus comes, qui in ſermonum & morum ſuavitate ſuorum, tamquam in quadam ſuaveolentia ſpirantium unguentorum, poſt ſe currere faciat univerſos; unde & dicunt: *In odore unguentorum tuorum curremus*. Item aliquando occurrens, quaſi prædives aliquis paterfamilias, qui in domo ſua abundet panibus; immo tamquam rex magnificus & potens, qui ſponſæ pauperis videatur puſillanimitatem erigere, provocare cupiditatem, demonſtrans illi omnia deſiderabilia gloriæ ſuæ, divitias torcularium ac promptuariorum, hortorum & agrorum copias, demum etiam introducens eam in ipſa ſecreta cubiculi. Nimirum confidit in ea cor viri ſui, & non eſt ex omnibus quod ab illa exiſtimet abſcondendum, quam redemit inopem, probavit fidelem, amplexatur amabilem. Atque ita non ceſſat, ſive hoc, ſive illo modo interno, jugiter apparere conſpectui quærentium ſe, ut ſermo impleatur, quem dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*.

Divinæ præſentiæ guſtus pro variis animi affectibus variatur. — Matt. 9. 12. — Luc. 24. 32. — Chriſtus ſuavitate ſua cunctos trahit. — Cant 1. 3. — Matt 28. 20.

8. Et in his omnibus ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ. Nam in oſculis quidem affectuoſum & blandum, in oleo autem & in pigmentis atque unguentis clementem & affluentem viſceribus pietatis & compaſſionis. Porro in via hilarem, affabilem, plenum gratiæ & ſolatii; in oſtenſione vero divitiarum ac poſſeſſionum munificum ſe, ac largum pro regia liberalitate remuneratorem demonſtrat. Ita per omnem hujus carminis textum reperies Verbum iſtiuſmodi ſimilitudinibus adumbrari. Unde ego puto id ſignificatum apud Prophetam, ubi ait: *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; in umbra ejus vivemus*

Qualis Chriſtus erga ſe quærentes. — Thren 4. 20.

vivimus inter gentes : quod ſcilicet videamus nunc per ſpeculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem. At iſtud ſane donec vivimus inter gentes. nam inter Angelos aliter : quando jam indifferenti omnino felicitate cum ipſis videbimus eum & nos, ſicuti eſt, hoc eſt in forma Dei, & non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem umbram figuramque dicimus exſtitiſſe, nobis autem per gratiam Chriſti in carne præſentis ipſam per ſe illuceſcere veritatem : ita nos quoque reſpectu futuri ſæculi in quadam interim veritatis umbra vivere non negabit, niſi qui non acquieſcit Apoſtolo dicenti : *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* & illud : *Non arbitror me comprehendiſſe.* Quomodo enim non eſt diſtinctio ejus, qui per fidem ambulat, & illius qui per ſpeciem ? Ergo juſtus ex fide vivit, beatus exſultat in ſpecie : & ideo ſanctus homo vivit interim in umbra Chriſti, ſanctus Angelus in ſplendore vultus gloriæ gloriatur.

[1. Cor. 13. 9. — Philipp. 3. 13. — Abac. 2. 4.]

9. Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. ſcriptum eſt enim : *Fide mundans corda eorum.* FIDES itaque lucem non exſtinguit, ſed cuſtodit. QUICQUID ſane eſt illud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei ſervat, fideli ſinu repoſitum, in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis ? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum eſt : *Et beata quæ credidiſti.* Habuit & de Chriſti corpore umbram, quæ audivit : *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Nec enim vilis umbra, quæ de virtute Altiſſimi formatur. Et vere virtus in carne Chriſti, quæ virgini obumbravit, ut quod impoſſibile erat mortali feminæ, objectu tamen involucri vivifici corporis ferret præſentiam majeſtatis, & lucem ſuſtineret inacceſſibilem. Virtus plane, in qua omnis contraria fortitudo debellata eſt ; & virtus & umbra fugans dæmones, tutans homines ; aut certe virtus vegetans, umbra refrigerans.

[Fides comparatur umbræ. — Act. 15. 9. — Luc. 1. 45. Ibid. 35. Mariæ obumbratio. * V. ſerm. 20. num. 7.]

10. Vivimus proinde in umbra Chriſti, qui per fidem ambulamus, & carne ipſius paſcimur ut vivamus. Caro enim Chriſti vere eſt cibus. Et vide ne propterea etiam nunc deſcribatur hoc loco apparens, tamquam in ſchemate paſtorali, ubi illum ſponſa, quaſi unum quempiam de paſtoribus videtur alloqui, dicens : *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Bonus Paſtor, *qui animam ſuam dat pro ovibus ſuis :* animam pro illis, carnem illis ; illam in pretium, iſtam in cibum. Res mira ! ipſe paſtor, ipſe paſcua eſt, ipſe redemptio. Verum ſermo in longum pergit, quoniam locus amplus eſt, & grandia continens, & non explicabitur paucis : atque hac neceſſitate videtur mihi jam rumpendus potius, quàm finiendus. Oportet autem, ut, quoniam materia pendet, memoria vigilet : quatenus ubi pauſatum erit, inde mox reſumatur & pertractetur, prout Dominus dabit, Jeſus-Chriſtus ſponſus Eccleſiæ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Johan. 6. 56. — Johan. 10. 11.]

SERMO XXXII.

Qualiter Chriſtus ſuſcipitur ab anima ſancta tamquam ſponſus, & ab anima infirma tamquam medicus. *Item de differentia cogitationum, unde oriantur.*

1. INdica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie. Hic ſumus, hinc progredimur. Sed antequam tractari incipiat viſio iſta & allocutio, recapitulandum breviter arbitror de aliis viſionibus quæ præceſſerunt, quomodo nobis aptari ſpiritualiter poſſint pro votis & meritis ſingulorum, ut apprehenſis illis (ſi tamen hoc datum fuerit) facilior & in hujus diſcuſſione eluceat intellectus. Verum id difficillimum. Nam etſi illa verba, quibus ipſæ viſiones ſeu ſimilitudines deſcribuntur, ſonare corpora atque corporea videantur ; ſpiritualia tamen ſunt quæ nobis miniſtrantur in his, ac per hoc in ſpiritu quoque cauſas & rationes earum oportet inquiri. Et quis idoneus inveſtigare & comprehendere tam multos animæ affectus profectuſque, quibus hæc de præſentia ſponſi tam multiformis gratia diſpenſatur ? Tamen ſi intremus ad nos, & Spiritus-ſanctus in lumine ſuo dignetur oſtendere nobis, quod opere ſuo non dedignatur aſſidue actitare in nobis, puto non omnino nos in his ſine intellectu remanſuros. Confido enim non accepiſſe nos ſpiritum hujus mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

[Cant. 1. 6. — Tom. IV. — 1. Cor. 2. 12.]

2. Ergo ſi cui noſtrum cum ſancto Propheta adhærere Deo bonum eſt, & (ut loquar manifeſtius) ſi quis in nobis eſt ita deſiderii vir, ut cupiat diſſolvi & cum Chriſto eſſe, cupiat autem vehementer, ardenter ſitiat, aſſidue meditetur ; is profecto non ſecus quàm in forma ſponſi ſuſcipiet verbum in tempore viſitationis, hora videlicet qua ſe adſtringi intus quibuſdam brachiis ſapientiæ, atque inde ſibi infundi ſenſerit ſancti ſuavitatem amoris. Siquidem deſiderium cordis ejus tribuetur ei, etſi adhuc peregrinanti in corpore, ex parte tamen, idque ad tempus, & tempus modicum. Nam cum vigiliis, & obſecrationibus, & multo labore * & imbre lacrymarum quæſitus affuerit, ſubito dum teneri putatur elabitur : & rurſum lacrymanti & inſectanti occurrens, comprehendi patitur, ſed minime retineri, dum ſubito iterum quaſi è manibus evolat. Etſi inſtiterit precibus & fletibus devota anima, denuo revertetur, & voluntate labiorum ejus non fraudabit eam : ſed rurſum mox diſparebit, & non videbitur, niſi iterum toto deſiderio requiratur. Ita ergo & in hoc corpore poteſt eſſe de præſentia ſponſi frequens lætitia, ſed non copia : quia etſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat viciſſitudo. Et hoc tamdiu neceſſe eſt pati dilectam, donec ſemel poſita corporeæ ſarcina molis, avolet & ipſa levata pennis deſideriorum ſuorum, libere iter carpens per campos contemplationis, & mente ſequens expedita dilectum quocumque ierit.

[Sponſi præſentia quibus conceſſa. — Pſal. 72. 28. — Viciſſitudo præſentiæ ejus & abſentiæ. * labore deeſt quibuſdam mſſ.]

3. Nec tamen vel in tranſitu præſto erit ſic omni animæ, niſi illi dumtaxat, quam ingens devotio, & deſiderium vehemens, & prædulcis affectus ſponſam probat, & dignam, ad quam gratia viſitandi acceſſurum Verbum decorem induat, formam ſponſi accipiens. Qui enim nondum invenitur ita affectus, ſed compunctus magis actuum recordatione ſuorum, loquens in amaritudine animæ ſuæ dicit Deo, *Noli me condemnare ;* aut forte etiam adhuc periculoſe tentatur à propria concupiſcentia abſtractus & illectus : hic talis non ſponſum requirit, ſed medicum ; ac per hoc non oſcula quidem vel amplexus, ſed tantum remedia vulneribus accipiet ſuis, in oleo utique & unguentis. An non ſæpenumero ſic ſentimus, & ſic experimur orantes, nos, qui noſtris quotidie adhuc exceſſibus tentamur præſentibus, mordemur præteritis ? A quanta me amaritudine frequenter liberaſti adveniens, Jeſu bone ? Quoties poſt anxios fletus, poſt inenarrabiles gemitus & ſingultus, ſauciam conſcientiam meam unxiſti unctione miſericordiæ tuæ, & oleo lætitiæ perfudiſti ? Quoties me oratio, quem pæne deſperantem ſuſcepit, reddidit exſultantem, & præſumentem de venia ? Qui ſimiliter afficiuntur, ecce hi ſciunt, quod vere medicus ſit Dominus Jeſus, *qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Qui experti non ſunt, credant inde eidem ipſi dicenti : *Spiritus Domini unxit me, ad evangelizandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde.* Si adhuc dubitant, accedant certe & probent, & ſic in ſemetipſis diſcant quid ſit, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Sed videamus & reliqua.

[Sponſi conſolatio hæc quibus competat. — Job 10. 2. — Qui ad ſponſi amplexus inhabiles, eum ut medicum requirant. — Pſal. 146. 3. — Iſa. 61. 1. — Matt. 9. 13.]

4. Sunt qui in ſtudiis ſpiritualibus fatigati, & verſi in teporem, atque in defectu quodam ſpiritus poſiti, ambulant triſtes vias Domini, corde arente & tædente accedunt ad quæque injuncta, frequenter murmurant ; longos dies, longas conqueruntur & noctes, loquentes cum ſancto Job : *Si dormiero, dicam, Quando conſurgam ? & rurſum exſpectabo veſperam.* Ergo ubi contingit tale aliquid pati, ſi miſertus Dominus appropiet nobis in via qua ambulamus, & incipiat loqui de cælo qui de cælo eſt, necnon favorabile quippiam cantare nobis

[Languidis & tepidis quomodo ſubinde ſuccurrat Dominus. — Job 7. 4.]

Tom. IV.

de canticis Sion, narrare etiam de civitate Dei, de pace civitatis, de æternitate pacis, de ſtatu æternitatis: dico vobis, erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, ita ut pellat omne faſtidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati, vel petere ille videtur, qui ait: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis?* Et nonne cum obtinuerit, clamabit: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea eſt?* Sunt enim quædam verba Verbi ſponſi ad nos, noſtræ meditationes de ipſo & ejus gloria, elegantia, potentia, majeſtate. Non ſolum autem, ſed & cum avida mente verſamus teſtimonia ejus & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte; ſciamus pro certo adeſſe ſponſum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, ſermonibus delectati.

Pſal. 118. 28. — *Ibidem 97.*

De diſcernendis cogitationibus utilis doctrina. — *Iſa. 63. 1.*

5. Tu ergo cum tibi aliqua talia volvi animo ſentis, non tuam putes cogitationem, ſed illum agnoſce loquentem, qui apud Prophetam dicit: *Ego qui loquor juſtitiam.* Simillima enim ſunt noſtræ cogitata mentis ſermonibus Veritatis in nobis loquentis: nec facile quis diſcernit, quid intus pariat cor ſuum, quidve audiat, niſi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem, *quia de corde exeunt cogitationes malæ*, & illud: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* &, *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur.* Apoſtolus autem, *Non quod ſufficientes*, inquit, *ſimus cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis*, ſubaudis bonum; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Cum ergo mala in corde verſamus, noſtra cogitatio eſt: ſi bona, Dei ſermo eſt. Illa cor noſtrum dicit, hæc audit. *Audiam*, ait, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Itaque pacem, pietatem, juſtitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Ceterum homicidia, adulteria, furta, blaſphemiæ, & his ſimilia, de corde exeunt, nec audimus ea, ſed dicimus. Denique *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Et propter hoc irritavit impius Deum, quia dixit in corde ſuo, non requiret. Sed eſt præterea quod corde quidem ſentitur, non tamen cordis eſt verbum. Nec enim de corde exit, ſicut noſtra cogitatio; ſed neque illud eſt quod ad cor fieri diximus, verbum videlicet Verbi, cum ſit malum. Immittitur autem à contrariis poteſtatibus, ſicut ſiunt immiſſiones per angelos malos, quale (verbi cauſa) fuit quod legitur miſiſſe in cor diabolus, ut traderet Dominum Judas Simonis Iſcariotis.

Matt. 15. 19. — *Ibidem.* — *Johan. 8. 44.* — *2. Cor. 3. 15.* — *Cogitationes bonæ à Deo, malæ à nobis vel à diabolo.* — *Pſal. 84. 9.* — *Matt. 15. 19.* — *Pſal. 13. 1.* — *Pſal. 9. 13.*

Cogitationum malarum originem diſcernere difficile. — *V. ſerm. 23. de diverſ. n. 4. & Meditat. num. 5 & 14.* — *1. Cor. 12. 10.* — *Prov. 4. 23.* — *Pſal. 18. 13.* — *Ibidem 14.*

6. Verum quis ita vigil & diligens obſervator motionum internarum ſuarum, ſive in ſe, ſive & ex ſe factarum, ut liquido ad quæque illicita ſenſa cordis ſui diſcernat inter morbum mentis, & morſum ſerpentis? Ego nulli hoc mortalium poſſibile puto, niſi qui illuminatus à Spiritu-ſancto ſpeciale accepit donum illud, quod Apoſtolus inter cetera chariſmata quæ enumerat, nominat Diſcretionem ſpirituum. Quantumlibet enim quis, ſecundum Salomonem, omni cuſtodia ſervet cor ſuum, & omnia quæ intra ſe moventur, vigilantiſſima intentione obſervet: etiamſi diuturnum forte in his habuerit exercitium, & frequens experimentum; non poterit tamen ad purum in ſe dignoſcere diſcernereve ab invicem malum innatum, & malum ſeminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert noſtra ſcire, unde ineſt nobis malum, dummodo ineſſe ſciamus: vigilandum potius & orandum undecumque ſit, ne conſentiamus. Denique orat Propheta contra utrumque malum, dicens: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Et ego, non poſſum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi, fateor, unde aſſignem certam notionem inter partum cordis, & ſeminarium hoſtis. Quippe utrumque malum, utrumque à malo; utrumque in corde, ſed non utrumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, etſi incertum quid cordi, quid hoſti tribuam. Et id quidem (ut dixi) abſque periculo.

Cogitationes bonæ non nobis, ſed Deo adſcribendæ. — *Matt. 7. 18.* — *a* — *2. Cor. 3. 15.* — *Gratia neceſſaria.* — *Iſa. 55. 11.* — *1. Cor. 15. 10.* — *Epheſ. 5. 16.* — *Prov. 12. 21.*

7. Sed ſane eſt ubi periculoſe, immo damnabiliter erratur, atque ibi merito nobis certa præfigitur regula, ne quod Dei eſt in nobis, demus nobis, putantes Verbi viſitationem noſtram eſſe cogitationem. Ergo quantum diſtat bonum à malo, tantum iſta duo à ſe: quoniam nec de Verbo malum, nec de corde exiet bonum, niſi quod prius forte de Verbo conceperit: quia non poteſt bona arbor malos fructus facere, nec arbor mala fructus bonos. At ſatis dictum eſſe credo, quid Dei, quid noſtrum in noſtro ſit corde; nec ſuperflue, ut arbitror: ſed ut ſciant inimici [a] gratiæ, abſque gratia nec ad cogitandum bonum ſufficere cor humanum, ſed ſufficientiam ipſius ex Deo eſſe; Dei vocem, bonum quod cogitatur, non cordis prolem exſiſtere. Tu ergo ſi vocem ejus audis, non jam neſcias unde veniat, aut quo vadat; ſciens quia à Deo exit, & ad cor vadit. Vide autem quomodo verbum, quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, ſed proſperetur & faciat omnia ad quæ miſit illud, ut dicere poſſis & tu, quia *gratia Dei in me vacua non fuit.* Felix mens, cui Verbum individuus comes, ubique ſe affabile præbet, cujus indeſinenter oblectata ſuavitate facundiæ, à carnis moleſtiis & vitiis ſeſe vindicet omni hora, redimendo tempus à diebus malis. Non laſſabitur, non moleſtabitur, quoniam, ſicut dicit Scriptura, *Non contriſtabit juſtum, quicquid ei acciderit.*

Magnanimitate & fide magna & ſublimia videntur & obtinentur. — *Exod. 33. 13.* — *Johan. 14. 8.* — *Johan. 20. 25.* — *b* — *Pſal. 26. 8.* — *Deut. 11. 24.* — *Num. 12. 8.* — *Johan. 14. 9.* — *Johan. 14. 10.* — *Pſal. 131. 4.* — *Luc. 1. 49.* — *Iſa. 33. 17.*

8. Jam vero magni Patrisfamilias ſeu regiæ majeſtatis ſchema apparere exiſtimo his, qui accedentes [b] ad cor altum, de majori ſpiritus libertate & puritate conſcientiæ magnanimiores facti, conſueverunt audere majora, inquieti prorſus & curioſi ſecretiora penetrare, & apprehendere ſublimiora, & tentare perfectiora, non modo ſenſuum, ſed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inveniuntur qui inducantur in omnem plenitudinem; nec eſt omnino in omnibus apothecis ſapientiæ, à quo Deus ſcientiarum Dominus arcendos cenſeat cupidos veritatis, vanitatis non conſcios. Talis erat Moyſes, qui audebat dicere Deo: *Si inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi teipſum.* Talis Philippus, qui ſibi & ſuis condiſcipulis Patrem flagitabat oſtendi: talis & Thomas, qui niſi ſua manu tangeret vulnus & foſſum latus, credere recuſabat. Puſilla fides, ſed de magnitudine animi [b] miro modo deſcendens. Talis quoque David, qui & ipſe dicebat Deo: *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.* Tales itaque magna audent, quoniam magni ſunt: & quæ audent, obtinent juxta verbum promiſſionis ad ipſos, quod eſt iſtiuſmodi: *Quemcumque locum calcaverit pes veſter, veſter erit.* Magna ſiquidem fides magna meretur: & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.

9. Denique Moyſi ore ad os loquitur Deus; & palam, non per ænigmata & figuras Dominum videre meretur, cum Prophetis aliis tantum in viſione apparere ſe dicat, & per ſomnium loqui. Philippo quoque ſecundum petitionem cordis ſui oſtenſus eſt Pater in Filio, in eo proculdubio quod incontinenti audivit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* &, *Quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Sed & Thomæ juxta deſiderium cordis ejus palpandum ſe præbuit, & voluntate labiorum ejus non fraudavit eum. Quid David? Nonne & ipſe voto ſe non omnino fraudari ſignificat, ubi ait non daturum ſe ſomnum oculis ſuis, nec palpebris ſuis dormitationem, donec inveniret locum Domino? Igitur iſtiuſmodi magnis ſpiritibus magnus occurret ſponſus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem ſuam, & veritatem ſuam, eoſque deducens & adducens in montem ſanctum ſuum, & in tabernacula ſua, ita ut dicat qui ejuſmodi eſt: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus, præeuntem ſe ad ſpecioſa deſerti, ad flores roſarum, & lilia convallium, ad amœna hortorum, irrigua fontium,

a Abælardum, ut puto, intelligit, qui gratiam Chriſti pene ad rationem & exemplum redigebat, ut dictum eſt tomo 3. in Opuſculo XI.

b Puſillitas fidei in eo quod non vult credere abſque conditione: magnitudo animi, quod talem conditionem interponere auſus eſt præ fiducia in Deum, ex aliis Notis.

ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum, A poſtremo ad ipſa ſecreta cubiculi.

Edocti à Deo alios docere debent. 10. Iſti ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ penes ſponſum abſconditi, hæc vitæ paſcua præparata in refectionem animarum ſanctarum. Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis. Hoc ſolum admonitus ſit, ne ſolus habere velit quæ poſſunt ſufficere pluribus. Propterea enim fortaſſis poſt iſta omnia ſponſus, tamquam paſtor apparere deſcribitur: ut proinde admoneatur aſſecutor tantorum munerum paſcendi gregis ſimpliciorum, qui ſcilicet tam non valent per ſemetipſos apprehendere iſta, quàm non audent ſine paſtore oves exire in paſcua. Denique hoc ipſum ſponſa pru-
Cant. 1. 6. denter advertens poſtulat ſibi indicari, ubi ipſe paſcat B & cubet ſub meridiano fervore, parata (ut quidem ex
Periculoſum agere gregem ſeorſum à paſtore. hoc intelligi datur) paſci & paſcere cum illo, & ſub illo. Nec enim tutum arbitratur longe agere gregem à ſummo Paſtore, nimirum ob incurſiones luporum, eorum maxime qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium: & propterea ſatagit in eiſdem cum ipſo pariter paſcere paſcuis, & cubare umbris. Et cauſam ponit: *Ne incipiam*, inquiens, *vagari poſt greges ſodalium tuorum.* Ipſi ſunt qui ſe volunt videri amicos ſponſi, & non ſunt: & cum ſuos, non illius greges paſcere
Marc. 13. 21. cura ſit eis; hinc inde tamen inſidiantes dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt*, videlicet ut multos ſeducant, & abducant à Chriſti gregibus, & ſocient ſuis. C Hoc pro litteræ textu. Jam vero ſpiritualem ſenſum qui in ea latet, ſub alio ſermonis principio exſpectate, quicquid illud erit, quod mihi inde vobis orantibus ſua miſericordia parturi dignabitur ſponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXXIII.

De his quæ ſemper ſectanda ſunt à mente devota. Quid ſit meridies, & de quatuor generibus tentationum ſemper evitandis.

1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Et alius quidam: *Indica*, inquit, *mihi*
Job 10. 2. *cur me ita judices.* Ubi non ſane ſententiam cauſatur, ſed ſcrutatur cauſam, erudiri flagellis petens, non erui.
Pſal. 24. 4. Item alius precatur, dicens: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Quas dixerit vias vel ſe-
Pſal. 22. 3. mitas, manifeſtat alibi: *Deduxit me*, inquit, *ſuper ſemitas juſtitiæ.* Ergo tria iſta anima curioſa Dei non ceſſat
Anima Deum amans tria indeſinenter inquirit. inquirere, juſtitiam, & judicium, & locum habitationis gloriæ ſponſi: tamquam viam in qua ambulet, cautelam qua ambulet, & ad quam ambulet manſionem. De
Pſal. 26. 4. qua manſione ſic habes in Propheta: *Unam petii*, inquit, *à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Do-*
Pſal. 25. 8. *mini omnibus diebus vitæ meæ.* & iterum: *Domine dilexi* E *decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Porro
Pſal. 88. 15. de reliquis duobus: *Juſtitia & judicium*, ait, *præparatio ſedis tuæ.* Merito tria iſta mens devota requirit, utpote ſedem Dei, & ſedis præparationem. Et pollere in ſponſæ prærogativam concurrunt pariter omnia ad conſummationem virtutum, ut de forma juſtitiæ ſit formoſa, de judiciorum notitia cauta, de deſiderio præ-
Sponſæ dotes. ſentiæ ſeu gloriæ ſponſi caſta. Talem prorſus decet eſſe ſponſam Domini, pulcram, eruditam, & caſtam. Ergo petitio, quam ultimam poſui, iſtius eſt loci. Petit ſiquidem ab eo quem diligit anima ſua, indicari ſibi, ubi paſcat, & ubi cubet in meridie.

Paſtio & cubatio in meridie quid. 2. Et primo adverte, quàm eleganter amorem ſpiritus F à carnis diſcernat affectu, dum dilectum exprimere magis ipſa affectione, quàm nomine volens, non ſimpliciter quem diligo, ſed, O, inquit, quem diligit anima mea, ſpiritalem deſignans dilectionem. Deinde quidnam eam in loco paſcuæ adeo delectet, diligenter attende. Sed nec illud prætereat te de hora meridiana, & quod is potiſſimum exploratur locus, in quo qui paſcit, cubat ſimul: quod eſt magnæ ſecuritatis indicium. Arbitror enim ob hoc additum, cubat, quod eo loci minime neceſſe ſit ſtare, & vigilare ſuper cuſtodiam gre-
gis, quando grex, etiam cubante paſtore & pauſante *Tom. IV.* ſub umbris, libere nihilo minus diſcurrat in paſcuis. Felix regio, in qua pro libitu oves ingrediuntur & egrediuntur, & non eſt qui exterreat. Quis mihi tribuat videre vos, meque pariter in montibus paſci una cum illis nonaginta novem quæ illic relictæ leguntur, cum *Matt. 18. 12.* Paſtor earum dignanter ad unam deſcendit quæ erraverat? Secure procul dubio cubat prope, qui & longe *Paſci ſponſo quàm dulce.* recedere minime dubitavit, ſciens quia in tuto eas relinqueret. Merito ſponſa illò ſuſpirat, merito inhiat loco paſcuæ ſimul & pacis, ſed quietis, ſed ſecuritatis, ſed exſultationis, ſed admirationis, ſed ſtuporis. Nam & me miſerum, heu! longe agentem & de longe ſalutantem, en ipſa ejus recordatio ad lacrymas provocat, plane juxta affectionem & vocem dicentium: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, dum re-* *Pſal. 136. 1.* *cordaremur tui Sion.* Libet exclamare & me cum ſponſa pariter & cum Propheta: *Lauda Deum tuum Sion, quo-* *Pſal. 147. 1.* *niam confortavit ſeras portarum tuarum. benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Quis non illic vehementer cupiat paſci & propter *Ibi pax, adeps, & ſatietas.* pacem, & propter adipem, & propter ſatietatem? Nihil ibi formidatur, nihil faſtiditur, nihil deficit. Tuta habitatio Paradiſus, dulce pabulum Verbum, opulentia multa nimis Æternitas.

3. Habeo & ego Verbum, ſed in carne; & mihi ap- *Angeli boni & hominis viatoris diſpar conditio.* C ponitur veritas, ſed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti ſaginatur, & nudo ſaturatur grano; me oportet interim quodam ſacramenti cortice eſſe contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei. *Veritas in Euchariſtia.* Et hæc talia ſunt quæ guſtata afferunt mortem, ſi non de primitiis ſpiritus quantulumcumque accipiant condimentum. Prorſus mors mihi in olla, niſi ex *4. Reg. 4. 40.* Prophetæ farina dulcoretur. Denique abſque ſpiritu & Sacramentum ad judicium ſumitur, & caro non prodeſt quicquam, & littera occidit, & fides mortua eſt. Sed ſpiritus eſt qui vivificat, ut vivam in eis. At quantalibet ſane abundantia ſpiritus pingueſcant iſta, non pari omnino jucunditate ſumitur cortex ſacra- D menti, & adeps frumenti, fides & ſpecies *, memo- ** al. memoria ſpes.* ria & præſentia, æternitas & tempus, vultus & ſpeculum, imago Dei & forma ſervi. Nempe in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Numquid vero par ſapor intellectui fideique, cum ſit in meritum iſta, ille in præmium? Vides ergo tantum diſtare inter pabula, quantum & inter loca: & ſicut exaltantur cæli à terra, ita habitantes in eis, bonis potioribus abundare?

4. Feſtinemus proinde, Filii, feſtinemus ad locum tu- *Beatorum felicitas.* tiorem, ad paſtum ſuaviorem, ad uberiorem & fertiliorem agrum. Feſtinemus ut habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio. Tu enim E Domine ſabaoth, qui cum tranquillitate judicas omnia, etiam cum ſecuritate æque omnia ibi paſcis. Idem ipſe & Dominus exercituum, & paſtor ovium. Ergo & paſcis, & cubas pariter, ſed non hic. Denique ſtabas cum è cælo proſpiceres unam ex tuis oviculis (Stephanum *Act. 7. 55.* loquor) à lupis circumdari ſuper terram. Et propterea quæſo *indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie*, hoc eſt tota die: etenim illa meridies tota eſt dies, & ipſa *Beata æternitas eſt meridies neſciens veſperam.* neſciens veſperam. Et ideo melior dies illa in atriis tuis ſuper millia, quia neſcit occaſum. At matutinum forſitan habuit, cum primum videlicet dies ſanctificatus *Pſal. 83. 11.* illuxit nobis, per viſcera utique miſericordiæ Dei noſ- *Luc. 1. 78.* tri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Vere tunc F ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi *Pſal. 47. 10.* tui, cum in medio umbræ mortis exortus matutini lux orta eſt nobis, & mane vidimus gloriam Domini. Quanti reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt? Quare? niſi quia nox erat, & necdum venerat illud exſpectatum mane, cui fuerat repromiſſa miſericordia? Unde & orabat quis dicens: *Auditam fac* *Pſal. 142. 8.* *mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperavi.*

5. Fuit namque quædam hujus aurora diei, ex quo *Aurora hujus diei quæ.* Sol juſtitiæ per archangelum Gabrielem nuntiatus eſt terris, & Virgo Deum in utero de Spiritu-ſancto con-

[Tom. IV.] cepit & peperit Virgo, ac deinceps, quoad in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Nam uſque adeo per totum id temporis lux puſilla, & tamquam lux revera auroræ apparuit, ut diem eſſe interim apud homines pæne univerſitas ignoraret. [1. Cor. 2, 8.] Denique *ſi cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et [Johan. 12. 35] utique ipſis paucis Diſcipulis dicebatur: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt:* eo quod aurora eſſet & initium, vel potius indicium diei, dum Sol adhuc abſconderet radios ſuos, & minime eos ſpargeret ſuper terram. [Rom. 13. 2.] Paulus quoque dicebat, quoniam *nox præceſſit, dies autem appropinquavit:* ſignificans eſſe tunc adhuc adeo modicum lumen, ut propinquaſſe, quàm veniſſe diem dicere maluerit. Quando autem hoc dicebat? Profecto quando Sol reverſus ab inferis, jam ſe ad alta cæli ſuſtulerat. [Chriſti converſatio ſuper terram, quaſi aurora] Quantò magis cum adhuc ſimilitudo carnis peccati inſtar denſæ nubis operiret auroram, juxta omnes nimirum noſtri corporis paſſiones, ita ut neque amara mors, nec crux probroſa defuerit? quanto magis, inquam, tunc exigua tenuiſque admodum lux fuit, & quæ de auroræ magis, quàm de Solis prodire præſentia videretur?

6. Erat ergo aurora, & ipſa ſubobſcura ſatis, tota illa Chriſti videlicet converſatio ſuper terram, uſque dum occumbens & rurſum exoriens, ſolaris ſuæ præſentiæ lumine clariori fugavit auroram, & mane facto abſorpta eſt nox in victoria. [Marc. 16 2.] Denique habes: *Et valde mane una ſabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam ſole.* [Mane, reſurrectio.] An non mane fuit, quando ortus eſt Sol? Attulit autem novum de reſurrectione decorem, & ſereniorem ſolito lucem, quoniam [2. Cor. 5. 16.] *etſi noveramus eum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Eſt ſcriptum in [Pſal. 92. 1.] Propheta: *Decorem induit, induit fortitudinem, & præcinxit ſe*, quod carnis infirma, tamquam nubila quædam excuſſerit, ſtolam gloriæ induens. Sane extunc elevatus eſt Sol, & ſenſim demum diffundens ſuos radios ſuper terram, cœpit paulatim ubique clarior apparere, fervidiorque ſentiri. Verum quantumlibet incaleſcat & invaleſcat, multiplicet & dilatet radios ſuos per omne hujus noſtræ mortalitatis curriculum, (erit enim [Matt. 28. 20.] nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi:) non tamen ad meridianum perveniet lumen, nec in illa ſui plenitudine videbitur modo, in qua videndus eſt poſtea, ab his dumtaxat, quos hac viſione ipſe dignabitur. [Meridies, viſio beata.] O vere meridies, plenitudo fervoris [a] & lucis, ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio! [Deſiderium animæ devotæ ad meridiem ſuciæ æternæ.] O perenne ſolſtitium, quando jam non inclinabitur dies! ô lumen meridianum, ô vernalis temperies, ô æſtiva venuſtas, ô autumnalis ubertas, & (ne quid videar præteriiſſe) ô quies & feriatio hiemalis! Aut certe, ſi hoc magis probas, ſola tunc hiems abiit & receſſit. Hunc locum, inquit, tantæ claritatis & pacis & plenitudinis indica mihi, ut quemadmodum [Gen. 32. 30.] Jacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima ejus; vel certe ſicut Moyſes vidit eum, non per figuras & ænigmata, [Num. 12. 8.] ſeu per ſomnia, uti Prophetæ alii, ſed modo plane præcellenti atque inexperto ceteris, ſibi noto & Deo; [Iſa. 6. 1.] vel ſicut Iſaias revelatis oculis cordis vidit eum ſuper ſolium excelſum & elevatum; vel etiam quomodo [2. Cor. 12. 4.] Paulus raptus in paradiſum audivit verba ineffabilia, & Dominum ſuum Jeſum-Chriſtum vidit oculis ſuis; ita ego quoque te in lumine tuo & in decore tuo per mentis exceſſum merear contemplari paſcentem uberius, quieſcentem ſecurius.

7. [Hujus ſtatus ab illo diſcrimen.] Nam & hic paſcis, ſed non in ſaturitate; nec cubare licet, ſed ſtare & vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec manſio tuta: & ideo *indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* [Matth. 5 6.] Beatam me dicis cum eſurio, & ſitio juſtitiam. Quid hoc ad illorum felicitatem, qui [Pſal. 64. 6] repleti ſunt in bonis domus tuæ, qui [Pſal. 67. 4] epulantur & exſultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia? [Matt. 5 9.] Sed & ſi quid patior propter juſtitiam, nihilo minus beatam pronuntias. Et certe paſci ubi timeas pati, jucunditatem habet, ſed non ſecuritatem. [Tutum hic nihil] Porro autem paſci & pati ſimul, nonne moleſta jucunditas eſt? Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, & tutum nihil. [Pſal. 15. 11.] Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? [Pſal. 26. 8.] Vultum tuum, Domine, requiram. Vultus tuus meridies eſt. *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Scio ſatis ubi paſcas non cubans: indica mihi ubi paſcas & cubes. Non ignoro ubi aliis temporibus paſcere ſoleas: ſed ſcire velim ubi in meridie paſcas. [Sponſa ſub Sponſi cuſtodia paſta.] Nam in tempore quidem mortalitatis meæ, & in loco peregrinationis meæ conſuevi ſane ſub tua cuſtodia paſci, & paſcere in Lege, & Prophetis, & Pſalmis de te: necnon in evangelicis paſcuis, & apud Apoſtolos ſimiliter requievi: frequenter etiam de geſtis Sanctorum, & verbis, & ſcriptis eorum, victum mihi atque attinentibus mihi mendicavi ut potui: frequentius autem (quoniam is magis ad manum fuit) manducavi panem doloris, & vinum compunctionis bibi; & [Pſal. 41. 4.] *facta ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Niſi quod de menſa tua (ſiquidem [Pſal. 22. 5.] *paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me*) de ipſa, inquam, tuæ quidem beneficio miſerationis, accipio, in quo utcumque reſpiro, quoties triſtis eſt anima mea, & quoties conturbat me. [illegible] Hæc paſcua novi & frequentavi te ſecuta paſtorem: ſed indica, quæſo, etiam quæ non novi.

8. [Paſtores à Chriſto diſtinctos. ..da paſcua.] Sunt quidem & alii paſtores, qui dicunt ſe eſſe ſodales tuos, & non ſunt, habentes greges ſuos, & fines ſuos pabulo mortis refertos, in quibus paſcunt nec tecum, nec per te, quorum utique terminos non intravi, nec appropiavi eis. Ipſi ſunt qui dicunt, [Matt. 24. 23.] *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt:* promittentes ſapientiæ & ſcientiæ paſcua uberiora, & creditur eis, & confluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ duplo quàm ſe. Cur hoc? niſi quia non eſt ibi meridies & perſpicua lux, ut liquido veritas cognoſcatur, facileque pro ea recipitur falſitas propter veri ſimilitudinem, quæ non facile in obſcuro à vero diſcernitur, præſertim quia [Prov. 9. 17.] *aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior!* Et propterea quæſo, ut indices mihi, *ubi paſcas, ubi cubes in meridie*, id eſt in manifeſto: ne ſeducta incipiam vagari poſt greges ſodalium tuorum, quemadmodum & ipſi vagi ſunt, nulla ſtabiles certitudine veritatis, *ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* [Hi Philoſophi & hæretici.] Hæc ſponſa propter philoſophorum & hæreticorum varia & vana dogmata.

9. [Meridies ... perceſſa ... à diab. ...] Mihi vero videtur non ſolum propter ea, ſed & propter dolos inviſibilium poteſtatum, ſicut ſunt ſeductorii ſpiritus, ſedentes in inſidiis, & parantes ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde: propter hos, inquam, & maxime, videtur mihi illa meridies optanda etiam nobis, ut clara luce deprehendamus aſtutias diaboli, atque angelum ſatanæ illum, [2. Cor. 11. 14.] qui ſe transfigurat in Angelum lucis, ab Angelo noſtro facillime diſcernamus. [Pſal. 90. 6. Dæmonium meridianum.] Non enim aliter nos cuſtodire ſufficimus ab incurſu & dæmonio meridiano, niſi in meridiano æque lumine. Quod quidem dæmonium idcirco meridianum [b] dictum exiſtimo, quia ſunt aliqui de numero malignorum, qui cum merito tenebroſæ obſtinatæque voluntatis ſuæ nox & nox perpetua ſint, diem tamen ſe ad fallendum ſimulare noverunt, nec modo diem, ſed & meridiem: ſicut eorum princeps non contentus eſſe æqualis Deo, etiam [2. Theſſ. 2. 4.] *adverſatur, & extollitur ſupra id quod dicitur, aut quod colitur Deus.* [Tentatio ſub ſpecie boni.] Itaque niſi cordi illius, quem forte aliquod iſtiuſmodi dæmonium meridianum tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum convincat & prodat; non poterit omnino caveri, ſed tentabit & ſupplantabit ſine dubio ſub ſpecie boni, pro bono ſcilicet malum incauto & improvido perſuadens. Et tunc meridies, id eſt major claritas, apparet, tentans, cum quaſi boni majoris imaginem prætert.

a Eadem verba in ſermone 22. de diverſis num. 5.

b Hunc locum Bernardus ipſe laudat in fine ſerm. 6. in pſal. 90.

Dæmon multis modis ſpecie decipit. 10. Quoties, verbi cauſa, ſuggeſſit, anticipare vigilias, quo ad ſollemnia fratrum illuderet dormitanti? Quoties produci jejunia, ut divinis obſequiis eo inutilem redderet, quo imbecillem? Quoties bene proficientibus in cœnobiis invidens, obtentu quaſi majoris puritatis eremum petere perſuaſit, & cognoverunt miſeri tandem, quàm verus ſit ſermo quem fruſtra legerant: *Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, non habet ſublevantem?* (Eccli. 4. 10.) Quoties ad opus manuum plus, quàm opus fuerat, incitavit; & fractum viribus, ceteris regularibus exercitiis invalidum reddidit? Quàm multis exercitationem corporis (quæ juxta Apoſtolum ad modicum valet) (1. Tim. 4. 8.) non modicam perſuaſit, & pietate fraudavit? Denique ipſi experti eſtis, quomodo quidam (ad verecundiam illorum dico) qui ante inhiberi non poterant, (ita in ſpiritu vehementi ad omnia ferebantur) poſt ad tantam ignaviam devenerunt, ut ſecundum illud Apoſtoli, cum ſpiritu cœperint, nunc carne conſummentur (Galat. 3. 3.): quàm turpe iniêre fœdus cum ſuis corporibus, quibus crudele ante indixerant bellum. Videas, prô pudor, importune ſuperflua quæritare, qui prius neceſſaria obſtinatiſſime recuſabant. Quamquam ſi qui in ſua forte invicti obſtinatione perdurant, indiſcretius abſtinentes, & ſingularitate notabili conturbantes eos, cum quibus habitare debent unius moris in domo: haud ſcio ſane an ſe exiſtiment pietatem retinere, cum hujuſmodi mihi videantur & longius abjeciſſe. Nam qui ſapientes in oculis ſuis decreverunt apud ſe nec conſilio acquieſcere, nec præcepto; videant quid reſpondeant, non mihi, ſed dicenti: *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* (1. Reg. 15. 23.) Præmiſerat autem, quia *melior eſt obedientia quàm victima, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum* (Ibid.), id eſt abſtinentiam contumacium. Unde Dominus per Prophetam: *Numquid manducabo*, ait, *carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* (Pſal. 49. 13.) ſignificans minime ſibi accepta fore jejunia ſuperborum vel immundorum.

Singularitatis amantes, & proprii judicii ſequaces peſſimè ſtringuntur. V. ſerm. 19 num. 7. & ſerm. 77 n. 6.

Obedientia præſtat victimis.

Tentationũ 4 genera. 11. Sed ſane vereor, ne damnantes ſuperſtitioſos, videamur frena laxare guloſis; & audiant illi ad periculum ſui, quod ad remedium his dicitur. Quamobrem audite utraque pars, quatuor eſſe tentationum genera, & ipſa nobis ita prophetico ſermone deſcribi. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* (Pſal. 90. 5. V. ſerm. 6 in Pſal. Qui habitat in ſine ſua.) Attendite nihilo minus & vos alii, quod omnibus ſpero profuturum. Illud omnes in nobis ſentimus & ſenſimus qui converſi ſumus ad Dominum, quod ſancta Scriptura dicit: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccli. 2. 1.) Itaque primordia noſtræ converſionis, juxta communis quidem experientiæ rationem, primus exagitat timor, quem intrantibus ſtatim horror vitæ ingerit arctioris, & inſuetæ auſteritas diſciplinæ. Atque is timor nocturnus dicitur, vel quia nox in Scripturis deſignare ſolet adverſa, vel quoniam propter quod adverſa pati aggredimur, id nondum revelatum eſt. Si enim dies ille luceret, in cujus lumine pariter & labores & præmia videremus; timor omnino quorumvis laborum nullus eſſet præ deſiderio præmiorum, dum clara luce appareret, quoniam *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom. 8. 18.) Nunc vero quoniam abſcondita ſunt ab oculis noſtris, & nox eſt interim in hac parte; tentamur nimirum à timore nocturno, & pro bonis quæ non videmus, formidamus quæ in præſentiarum ſunt adverſa tolerare. Vigilandum proinde & orandum primo intrantibus contra hanc primam tentationem, ne ſubito præoccupati à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, à bono cœpto (quod abſit) reſiliant.

1 Horror vitæ arctioris in Novitiis.

2 Vana gloria. 12. Superata autem hac tentatione, armemus nos nihilo minus & adverſus hominum laudes, quæ de laudabili potiſſimum vita ſumunt materiam. Alioquin patebimus vulneri à *ſagitta volante in die*, quæ eſt inanis gloria. Fama ſiquidem volat: & ideo in die, quia ex

A operibus lucis. Si hæc exſufflatur tamquam inanis aura, reſtat ut ſolidius aliquid afferatur de divitiis & honoribus ſæculi, ſi forte qui non curat laudes, appetat dignitates. Et vide, ſi non hic ordo tentandi ſervatus eſt in Domino noſtro, cui poſt ſuggeſtum ad ſolam vanitatem præcipitium, oſtenſa ſunt omnia regna mundi atque oblata. (Matt. 4. 8.) Tu ergo exemplo Domini & iſta renue. Aliter neceſſe eſt circumveniri te *à negotio perambulante in tenebris*, quod eſt hypocriſis. Etenim iſta de ambitione deſcendit, & in tenebris habitatio ejus, quippe abſcondit quod eſt, & quod non eſt mentitur. Negotiatur autem omni tempore, formam retinens pietatis ad ſeſe occultandum, virtutem autem ejus vendi-
B cans, & emens honores.

Tom. I v. 3 Ambitio

Pſal. 90 6. Seu hypocriſis.

13. Poſtrema tentatio eſt dæmonium meridianum, quod ſoleat maxime inſidiari perfectis, qui videlicet, tamquam viri virtutum, omnia ſuperaverint, voluptates, favores, honores. Quid enim jam ſupereſt ei qui tentat, in quo poſſit pugnare palam adverſus hujuſmodi? Venit proinde occultus, qui manifeſtus non audet: & quem ſatis expertus eſt apertum omne horrere malum, falſo bono ſupplantare molitur. Qui autem dicere poſſunt cum Apoſtolo, *Non enim ignoramus aſtutias ejus*; (2. Cor. 2. 11.) quo plus proficiunt, eo magis ſolliciti ſunt cavere à laqueo iſto. Hinc eſt quod Maria angelica ſalutatione turbatur, dolum (niſi fallor) ſuſpi- (Luc. 1. 29. Joſ. 5. 13.)
C cans; & Joſue non prius amicum Angelum ſuſcipit, quàm eſſe amicum noverit. Denique ſciſcitatur, ſuuſne ſit, an adverſariorum, tamquam qui expertus ſit dæmonii meridiani verſutias. Apoſtoli quoque aliquando cum laborarent in remigando, vento adverſante & jactante naviculam, videntes Dominum ambulantem ſuper mare, & putantes eſſe phantaſma, ita ut clamarent præ timore: (Marc. 6 49.) nonne apertam meridiani ſuſpicionem dæmonii prætenderunt? Et recordamini Scripturæ dicentis, quia *quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans ſupra mare.* (Ibid. 48.) Quarto igitur, id eſt ſupremo demum loco, hæc tentatio formidetur, & quo ſe in ſummo ſtare quis viderit, eo ſibi vigilantius ab in-
D curſu & dæmonio meridiano cavendum intelligat. Porro Diſcipulis verus ſe manifeſtavit Meridies in eo quod audierunt: *Ego ſum, nolite timere*; (Ibid. 50.) & falſi ſuſpicio ab eis depulſa eſt. Utinam & nobis, quoties palliata falſitas molitur irrepere, emittat lucem ſuam & veritatem ſuam ad prodendam illam oriens ex alto verus Meridies, & dividat lucem à tenebris, ut non notemur à Propheta tamquam *ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* (Iſa. 5. 20.)

4 Palliata iniquitas, quæ eſt tentatio perfectorum.

14. Adhuc, niſi tædio fuerit longitudo ſermonis, has quatuor tentationes tentabo ſuo ordine aſſignare ipſi corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. Et ecce quàm brevius poſſim percurro. Videte primitivam Eccleſiam,
E ſi non primo pervaſa eſt acriter nimis à *timore nocturno*. Erat enim nox, quando omnis qui interficeret ſanctos, arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo. Hac autem tentatione devicta & ſedata tempeſtate, inclyta facta eſt, & juxta promiſſionem ad ſe factam, in brevi poſita in ſuperbiam ſæculorum. Et dolens inimicus quod fruſtratus eſſet, à timore nocturno convertit ſe callide ad ſagittam volantem in die, & vulneravit in ea quoſdam de Eccleſia. Et ſurrexerunt homines vani, cupidi gloriæ, & voluerunt ſibi facere nomen: & exeuntes de Eccleſia, diu eamdem matrem ſuam afflixerunt in diverſis & perverſis dogmatibus. Sed hæc
F quoque peſtis depulſa eſt in ſapientia Sanctorum, ſicut & prima in patientia Martyrum.

Eccleſiæ ſidem 4. tentationes

1. Tyrannorum.

2 Hæreticorum.

15. En tempora iſta libera quidem Deo miſerante ab utraque illa malitia: ſed plane fœda *à negotio perambulante in tenebris*. Væ generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis! ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latius, eo deſperatius; eoque periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & areſceret: ſi violentus inimicus, abſconderet ſe forſitan

3 Falſorum filiorum ſcilicet malorum Clericorum, & Prælatorum.

Tom. IV.

ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici: omnes neceſſarii, & omnes adverſarii: omnes domeſtici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis & calcaribus: & plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis, & ſcyphis; inde commeſſationes & ebrietates; inde cithara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Pro hujuſmodi volunt eſſe & ſunt eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negotio illi, quod perambulat in tenebris.

Similia vide ſupr. ſerm. 77. & ſerm. 6. in Pſal. Qui habitat. & Opuſc. tomo 2.

Iſa. 38. 7. Perſecutio graviſſima Eccleſiæ à domeſticis.

16. Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Amara prius in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt: ita invaluerunt, & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ: & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis; ſed non profecto à filiis. Vox plangentis in tempore iſto: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæſtu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Supereſt ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad ſeducendos ſi qui in Chriſto reſidui ſunt, adhuc permanentes in ſimplicitate ſua. Siquidem abſorbuit fluvios ſapientium, & torrentes potentium, & *habet fiduciam ut Jordanis influat in os ejus*, id eſt ſimplices & humiles qui ſunt in Eccleſia. Ipſe enim eſt Antichriſtus, qui ſe non ſolum diem, ſed & meridiem mentietur, *& extollitur ſupra id quod dicitur, aut quod colitur Deus:* quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui, utpote verus & æternus Meridies, ſponſus & advocatus Eccleſiæ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Iſa. 1. 2. — 4. Antichriſti. — *Job 40. 18.* — *2. Theſſ. 2. 4.*

SERMO XXXIV.

In quo tractatur de Humilitate & Patientia.

Cant. 1. 7.

1. *SI ignoras te, ô pulcra inter mulieres, egredere, & abi poſt greges ſodalium tuorum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Olim ſanctus Moyſes, quoniam multum præſumebat de gratia & familiaritate, quam invenerat apud Deum, adſpirabat ad quamdam viſionem magnam, ita ut diceret Deo: *Si inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi teipſum.* Accepit autem pro ea viſionem longe inferiorem, ex qua tamen ad ipſam quam volebat, poſſet aliquando pervenire. Filii quoque Zebedæi in ſimplicitate cordis ſui ambulantes, magnum aliquid & ipſi auſi ſunt, ſed ad gradum nihilo minus ſunt reducti, per quem fuerat aſcendendum. Ita & modo ſponſa, quoniam rem grandem poſtulare videtur, reprimitur ſane auſteriori reſponſione, ſed plane utili & fideli. Oportet namque humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora: ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minime obtinentur, propterea qui provehendus eſt, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto id ſignum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Nam ſicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum ſcilicet & ſuperbis reſiſtere, & humilibus dare gratiam. Nonne denique ſervum ſuum Job, cum poſt inſignem

Exod. 33. 13. — *Matt. 20. 21.* — Humiliter de ſe ſentiat, qui ad altiora nititur. — Humiliatio à Deo, ſignũ gratiæ propinquantis. — *Prov. 16. 18.* — *Jac. 4. 6.* — *Job 42. & ſeq.*

A triumphum, tantam & tam probatam ipſius patientiam larga remunerandam benedictione cenſeret, prius in multis & diſtrictis percunctationibus humiliare curavit, & ſic parare viam benedictioni?

2. At parum eſt cum per ſeipſum humiliat nos Deus, ſi tunc libenter accipimus, niſi quando & per alium hoc facit, ſapiamus ſimiliter. Quamobrem accipite hujus rei mirabile documentum de ſancto David. Aliquando maledictum eſt illi & à ſervo: at ille nec cumulatam injuriam ſenſit, quia præſenſit gratiam. *Quid mihi, ait, & vobis, filii Sarviæ?* O vere hominem ſecundum cor Dei, qui SE ULCISCENTI, potius, quàm EXPROBRANTI ſuccenſendum putavit. Unde & B ſecura conſcientia loquebatur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Vetuit ergo prohiberi maledicum convicianteın, QUÆSTUM æſtimans maledicta. Et addit: *Dominus miſit illum ad maledicendum David.* Prorſus ſecundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat ſententiam. SÆVIEBAT lingua maledica, & ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat ſe ad benedictionem. Numquid in ore blaſphemi Deus? Abſit. Sed eo uſus eſt ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtaverat Deus, & ideo dicit: *Bonum mihi quod humiliaſti me, ut diſcam juſtifica- C tiones tuas.*

Humiliatio ab [illegible] accipienda. — *2. Reg. 16. 10.* — [illegible] — *Pſal. 7. 5.* — *Pſal.* [illegible] — *Pſal. 118. 71.*

3. Vides quia humilitas juſtificat nos? Humilitas dixi, & non humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non ſunt? Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii & libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxii, ultimi juſti. Quamquam & innocentia portio juſtitiæ eſt, ſed conſummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere poteſt, *Bonum mihi quia humiliaſti me,* is vere humilis eſt. Non poteſt hoc dicere qui invitus tolerat; minus, qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur: etſi ſane longe hi duo à ſe differant, & alter quidem in patientia ſua poſſideat animam ſuam, alter in ſuo murmure pereat. D Sed enim etſi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur; quoniam NON HUMILIATIS, ſed humilibus Deus dat gratiam. Eſt autem HUMILIS, qui humiliationem convertit in humilitatem, & ipſe eſt qui dicit Deo: *Bonum mihi quod humiliaſti me.* Nemini prorſus, quod patienter fert, bonum eſt, ſed plane moleſtum. Scimus autem, quod hilarem datorem diligit Deus. Unde & cum jejunamus, jubemur caput noſtrum ungere oleo, & faciem lavare, ut noſtrum ſcilicet opus bonum ſpirituali quodam gaudio condiatur, & holocauſtum noſtrum pingue fiat. Etenim ſola gratiam, quam præfert, meretur læta & abſoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique eſt E in viro patiente illo qui poſſidet animam ſuam; hæc, inquam, humilitas, etſi vitam obtinet propter patientiam, propter triſtitiam tamen gratiam [a] non habebit. Non enim congruit ei, qui ejuſmodi eſt, illud Scripturæ, *Glorietur humilis in exaltatione ſua:* quoniam non ſponte humiliatur, neque libenter.

Humilitas & non humiliatio juſtificat. — Humiliatis promittitur gratia [illegible]. — *Jacob. 4. 6.* Humilibus [illegible] — *Pſal. 118. 71.* — *2. Cor. 9. 7.* — *Matt. 6. 17.* — *Luc. 1. 52.*

4. Vis autem videre humilem recte gloriantem, & vere dignum gloria? *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Non dicit patienter ſe ferre infirmitates ſuas; ſed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam ſibi bonum eſſe, quod humiliatur: nec ſufficere omnino, ut poſſideat animam ſuam tamquam patienter humiliatus, niſi F & gratiam accipiat tamquam ſponte humiliatus. Generalem vero hinc audi regulam: *Omnis qui ſe humiliat*, ait, *exaltabitur.* Significat profecto, non omnem exaltandam eſſe humilitatem, ſed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex triſtitia, nec ex neceſſitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit: ſed tantum qui ſe exaltat, humiliabitur, nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, ſed qui ſponte ſe humiliat, exaltabitur,

Paulus vere humilis. — *2. Cor. 12. 9.* — *Luc. 14. 11.* — Humiliatio [illegible] quæ ſponte, & [illegible].

a Nimirum peculiarem gratiam veris humilibus repromiſſam, his verbis, *Deus humilibus dat gratiam*, peculiarem inquam gratiam, non modo internam, ſed etiam externam, nempe exaltationem etiam in hac vita.

utique ob meritum voluntatis. Eſto enim quod humilitatis materia per alium miniſtratur, verbi gratia, probra, damna, ſupplicia: non tamen idcirco rectè ab alio, quàm à ſemetipſo humiliatus ille dicetur, qui illa omnia tacita & læta conſcientia, cauſa Dei ſubeunda decreverit.

* video.

5. Sed quo progredimur? Patienter, ut ſentio *, ſuſtinetis exceſſum in verbo de Humilitate & Patientia: ſed revertamur ad locum, de quo digreſſi fumus. Id namque incidit nobis ex occaſione reſponſi, quo grandia præſumentem ſponſam reprimendam cenſuit ſponſus, & non ad inſipientiam illi: ſed ut ſane ex eo probabilioris & majoris humilitatis daretur occaſio, per quam dignior potiorum, atque eorum ipſorum quæ petebat, capacior efficeretur. Verumtamen quia adhuc in januis ſumus præſentis capituli, diſcuſſionis ejus initium principio, ſi placet, ſermonis alterius ordiamur, præſertim ne verba ſponſi vel recenſeantur cum tædio, vel audiantur. Quod ipſe avertat à ſervis ſuis Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXXV.

De increpatione dura, quam facit ſponſus ad ſponſam; & duplici ignorantia nimium pavenda & fugienda.

Cant. 1. 7.

1. *SI te*, inquit, *ignoras, egredere*. Dura & aſpera increpatio, quod dicit, *egredere*. Hoc quippe verbum ſervi audire ſolent à valde iraſcentibus & indignantibus dominis, vel ancillæ à dominabus ſuis, cum graviter illas offenderint: Exi hinc, exi à me, egredere à conſpectu meo & à domo iſta. Hoc ergo verbo aſpero & amaro ſatis, nimiumque increpatorio utitur modo ſponſus contra dilectam, ſub conditione tamen, ſi ſeipſam ignoraverit. Nil quippe validius efficaciuſve ad terrendum potuit in eam intendere, quàm ut egredi minaretur. Quod & tu advertere potes, ſi bene attendas, unde, quo egredi jubeatur. Unde enim, quo putas, niſi de ſpiritu ad carnem, de bonis animi ad ſæcularia deſideria, de interna requie mentis ad mundi ſtrepitum, & inquietudinem curarum exteriorum? In quibus omnibus non eſt niſi labor & dolor, atque afflictio ſpiritus. Quæ enim anima ſemel à Domino didicit & accepit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem ejus ſemper (ſpiritus eſt enim Deus; & qui quærunt eum, oportet eos in ſpiritu ambulare, & non in carne, ut ſecundum carnem vivant.) talis, inquam, anima neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſve ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudii hujus guſtatam ſemel ſuavitatem exire denuo ad illecebras, vel potius ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem, dicente Eccleſiaſte: *Oculus non impletur viſu, nec auris auditu*. Audi enim hominem expertum quæ loquimur. *Bonus es*, inquit, *Domine, ſperantibus in te, animæ quærenti te*. Ab hoc bono ſi quis avertere ſanctam illam animam conaretur, puto haud ſecus accepiſſet, quàm ſi ſe de paradiſo, & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari. Audi adhuc & alium ſimilem huic. *Tibi dixit cor meum*, ait, *exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Unde & dicebat: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. & item loquens ad animam ſuam dicit: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Dico ergo vobis: NIHIL EST quod in tantum formidet, quiſquis hoc beneficium ſemel accepit, quàm ne gratia derelictus, neceſſe habeat denuo egredi ad carnis conſolationes, immo deſolationes; rurſumque carnalium ſenſuum ſuſtinere tumultus.

Animam à Deo ad creaturas remitti, gravis pœna.

Eccle. 1. 8.

Thren. 3. 25.

Pſal. 26. 8.

Pſal. 72. 28.

Pſal. 114. 7.

2. Terribilis proinde & nimis formidoloſa comminatio: *Egredere, & paſce hædos tuos*. Quod eſt, Indignam te noveris illa tua familiari & ſuavi rerum contemplatione cæleſtium, intelligibilium, divinarum. Quamobrem egredere de ſanctuario meo, corde tuo, ubi ſecretos ſacroſque veritatis ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas; & magis tamquam una de ſæcularibus, paſcendis & oblectandis tuæ carnis ſenſibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum ſignificant, & in judicio collocandi ſunt à ſiniſtris) dicit vagos & petulantes corporis ſenſus, per quos peccatum, tamquam mors per feneſtras, intravit ad animam. Cui & bene congruit quod ſequitur in Scriptura, *juxta tabernacula paſtorum*. Non enim ſupra, ſicut agni, ſed juxta tabernacula paſtorum hœdi paſcuntur. Paſtores ſiquidem, qui veri paſtores ſunt, licet tabernacula habeant de terra & in terra, corpora videlicet ſua, in diebus quibus nunc militant; non tamen de terra, ſed de cæleſtibus paſcuis greges dominicos paſcere conſueverunt: neque enim ſuam eis, ſed Domini prædicant voluntatem. At hœdi (qui ſunt corporis ſenſus) cæleſtia non requirunt; ſed juxta tabernacula paſtorum, in omnibus videlicet bonis ſenſibilibus hujus mundi (quæ eſt regio corporum) ſumunt, unde ſua deſideria non tam ſatient, quàm irritent.

Tom. IV.

Cant. 1. 8.
Paſtores veri quibus paſcuis ſoleant animas paſcere.

3. Turpis mutatio ſtudiorum! ut cui ante ſtudii fuerat, peregrinantem & exſulem animam ſuam ſacris meditationibus, tamquam cæleſtibus paſcere bonis, Dei beneplacitum & myſteria voluntatis ejus inquirere, penetrare devotione cælos, & mente ſupernas circuire manſiones, ſalutare Patres atque Apoſtolos & choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos ordines Angelorum: nunc omnibus his omiſſis, turpi ſe mancipet corporis ſervituti ad obediendum carni, ad ſatisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in univerſa terra, unde ex ea quæ præterit mundi hujus figura, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur. Exitus aquarum deducant oculi mei ſuper hujuſmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplexatur ſtercora. Pavit enim, juxta beati viri ſententiam, ſterilem quæ non habebat filios, & viduæ non benefecit. Et vide, quia non ſimpliciter, *egredere*; ſed, *egredere*, inquit, *& abi poſt greges ſodalium tuorum, & paſce hædos tuos*. In quo (ut mihi videtur) magnæ cujuſdam rei nos admonet. Quid iſtud? Heu! quod egregia creatura, jam olim facta de grege, & nunc in pejus miſerabiliter proruens, non ſaltem inter greges remanere permittitur, ſed poſt abire jubetur. Quomodo, inquis? Quomodo legis: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Ecce quomodo de grege facta eſt egregia creatura. Puto, dicerent jumenta, ſi loqui fas eſſet: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*. *Cum in honore eſſet*, inquit. In quo honore, quæris? Habitabat in paradiſo, & in loco voluptatis converſatio ejus. Nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſentiebat, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum Plaſmatoris: magis autem ob inſigne divinæ ſimilitudinis præcellebat; & erat illi ſors & ſocietas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cæleſtis exercitus.

Studiis ſpiritualibus relictis ad carnalia converti, indignum.

Job 24. 21.

Cant. 1. 7.

Pſal. 48. 13.

Gen. 3. 22.
Degeneratio hominis à nobilitate ſua in vilitatem jumentorum.

4. Sed mutavit iſtam gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Inde eſt quod panis Angelorum factus eſt fœnum poſitum in præſepio, appoſitum nobis tamquam jumentis. *Verbum* quippe *caro factum eſt*, & juxta Prophetam, *Omnis caro fœnum*. At fœnum iſtud minime deſiccatum eſt, nec ex eo cecidit flos, quia requievit ſuper ipſum Spiritus Domini. Propter hoc namque aliquando finis venit univerſæ carnis, quia ſpiritus receſſerat vitæ. Denique ait: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*. Carnis nomine hoc loco vitium deſignari intellige, non naturam: nec enim ſpiritum natura expungit, ſed vitium. Propter vitium ergo *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni. Exſiccatum eſt*, inquit, *fœnum, & cecidit flos*: ſed non ille flos, qui de virga & radice Jeſſe aſcendit, eo quod requievit ſuper eum Spiritus Domini: nec illud fœnum, quod *Verbum factum eſt*, pro eo quod ſequitur in Propheta: *Verbum autem Domini manet in æternum*. Si enim fœnum Verbum, &

Johan. 1. 14.

Iſa. 40. 6.

Gen. 6. 3.

Iſa. 40. 6.
Omnis caro fœnum, ſed non caro Verbi.
Ibid. 7.

Johan. 6. 52.

Verbum in æternum manet, fœnum quoque neceſſe eſt maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam, ſi ipſum minime manet in æternum? Ait enim: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et quem panem dicat, aperit cum ſubjungit: *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quomodo ergo æternum non eſt, quo æternaliter vivitur?

Pſal. 15. 10.

5. Sed recole nunc mecum vocem Filii ad Patrem loquentis in Pſalmo: *Non dabis*, inquit, *Sanctum tuum videre corruptionem.* Haud dubium quin de corpore dicat, quod in ſepulcro jacebat exanime. Hoc enim ſanctum & Angelus qui nuntiavit Virgini, locutus eſt dicens: *Et quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Quo ergo pacto ſanctum fœnum poterat videre corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus paſcuis ortum, etiam avidos Angelorum in ſe figere poſſit obtutus, inſatiabiliter oblectandos? Perdat ſane fœnum viriditatem, ſi Maria virginitatem amiſerit. Ergo cibus hominis mutavit ſe in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu triſtis & lacrymoſa mutatio! ut homo paradiſi accola, terræ dominus, cæli civis, domeſticus Domini ſabaoth, frater beatorum ſpirituum, & cæleſtium coheres virtutum; repentina ſe converſione invenerit & propter infirmitatem jacentem in ſtabulo, & propter ſimilitudinem pecorinam indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præſepio, ſicut ſcriptum eſt: *In camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Agnoſce tamen, ô bos, poſſeſſorem tuum, & tu aſine, præſepe Domini tui, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur, qui iſta ſunt Dei mirabilia prælocuti. Cognoſce, pecus, quem non cognoviſti homo; adora in ſtabulo quem fugiebas in paradiſo; honora præſepium cujus contempſiſti imperium; comede fœnum, quem panem, & panem angelicum faſtidiſti.

Luc. 1. 35.

Triſtis & luctuoſa mutatio hominis.

Pſal. 31. 9.

Mutationis hujus cauſa, ignorantia.

6. Sed quænam cauſa, inquis, tantæ dejectionis? Profecto quod homo cum in honore eſſet, non intellexit. Quid non intellexit? Non dicit: nos dicamus. Poſitus in honore non intellexit, quod limus eſſet, honoris faſtigio delectatus: & continuo in ſe expertus eſt, quod tanto poſt tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit, dicens: *Qui ſi putat aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Væ miſero, quod non fuit qui jam tunc diceret ei: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Hinc egregia creatura gregi admixta eſt, hinc beſtiali ſimilitudine Dei ſimilitudo mutata eſt, hinc ſocietas cum jumentis pro conſortio Angelorum inita eſt. Vides quàm ſit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum univerſo noſtro generi provenerunt? Ait enim propterea hominem jumentis inſipientibus comparatum, quia non intellexit. Cavenda proinde omnimodis ignorantia, ne forte, ſi adhuc ſine intellectu, & poſt vexationem, inventi fuerimus, multo plura & graviora prioribus mala inveniant nos, dicaturque de nobis: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Merito quidem, quod nec vexatio dederit intellectum auditui.

Galat. 6. 3.

Ignorantia quam damnoſa.

Pſal. 48. 1.

Jer. 51. 9.

Ignorantia ſecunda reddit hominem beſtiis inferiorem & infeliciorem.

7. Et vide ne forte etiam hinc ſponſus, cum dilectam ab ignorantia tanto increpationis tonitruo deterreret, propterea minime dixerit, Egredere cum gregibus, aut egredere ad greges; ſed, *egredere*, ait, *poſt greges ſodalium tuorum.* Ut quid hoc? ſane ut ſecundam proinde ignorantiam priore magis pavendam pudendamque oſtenderet, quod illa hominem beſtiis parem feciſſet, iſta & poſteriorem. Nam homines quidem merito ignorantiæ ignorari, id eſt reprobari, & ad tremendum illud judicium ſtare, & igni perpetuo tradi habent, non autem & pecudes. Nec dubium fore deterius his qui ſic erunt, quàm his qui omnino non erunt. *Melius ei fuerat*, inquit, *ſi natus non fuiſſet homo ille.* Non utique ſi natus non fuiſſet omnino, ſed ſi natus non fuiſſet homo, ſed verbi gratia, aut pecus, aut alia quæpiam creatura: quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad ſupplicium. Sciat ergo anima rationalis, quæ ſe ob priorem ignorantiam erubeſcit, pecudes habere ſodales in perfruendis utique bonis terræ; non etiam ſimiliter ſocias habituram in perferendis tormentis gehennæ; & tum demum etiam ab ipſis gregibus ſuorum ſodalium jumentorum cum dedecore exturbandam; nec jam vel cum ipſis ituram, ſed plane poſt, quando illis nihil mali ſentientibus, ipſa malis omnibus exponetur: à quibus non liberabitur in æternum, ſiquidem ſecundo ignorare adjecerit. Egreditur itaque homo, & ſolitarius abit poſt greges ſodalium ſuorum, cum ſolus in inferno inferiori retruditur. An non tibi poſteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus & pedibus projicitur in tenebras exteriores? Et erunt profecto noviſſima hominis illius pejora prioribus, quando qui prius beſtiis æquabatur, nunc & poſtponitur.

In inferno

Marc. 14. 21.

Etiam in hac vita.

8. Puto quod & in præſenti vita, ſi bene advertas, poſteriorem ire pecoribus hominem judicabis. An non ſiquidem tibi videtur ipſis beſtiis quodam modo beſtialior eſſe homo ratione vigens, & ratione non vivens? Nam pecus quidem ſi ſe ratione non regat, excuſationem habet à natura, à qua hoc ei penitus munus negatum eſt: non habet homo, cui ab ipſa ſpeciali prærogativa donatum eſt. Merito proinde eo ipſo cenſetur homo egredi, & poſtire gregalibus animantibus, quod ſolum hoc animal converſatione degeneri jura naturæ tranſgrediens, rationis compos rationis expertia moribus & affectibus imitatur. Convincitur ergo ire poſt greges homo, & nunc quidem depravatione naturæ, poſtmodum autem & extremitate pœnæ.

Ignorantia duplex, Dei & ſui, utraque damnabilis.

9. Ecce ſic maledicetur homo qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit. Dei dicam, an ſui? Utrumque ſine dubio: utraque ignorantia damnabilis eſt, utralibet ſufficit ad perditionem. Vis ſcire quia ita eſt? Sed de Dei minime dubitas, ſi tamen conſtat tibi non aliam vitam eſſe æternam, quàm ut Patrem cognoſcas Deum verum, & quem miſit Jeſum-Chriſtum. Audi ergo ſponſum liquido & aperte in anima etiam animæ ignorantiam condemnantem. Quid enim dicit? Non utique ſi Deum, ſed, *Si ignoras te*, inquit, &c. Patet ergo quia *ignorans ignorabitur*, ſive ſe, ſive Deum ignorare contingat. De qua utraque ignorantia erit nobis (ſi tamen Deus manum apponit) utilis admodum diſputatio. Non modo tamen: ne fatigari, & non præmiſſa ex more oratione, aut ego minus diligenter rem neceſſariam proſequar, aut vos minus attente, quæ non niſi magno ſuſcipienda ſunt deſiderio, audiatis. Etenim ſi corporis cibus, cum abſque appetitu & ſatiatus illum ſumis, non modo non prodeſt, ſed & nocet plurimum: multo magis panis animæ cum faſtidio ſumptus, non ſcientiæ nutrimentum, ſed magis tormentum conſcientiæ importabit. Quod à nobis avertat ſponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Joan. 17. 3.

1. Cor. 14. 38.

Verbum Dei more ſumptum cum faſtidio damnat.

SERMO XXXVI.

Quod ſcientia litterarum ſit bona ad inſtructionem, ſed ſcientia propriæ infirmitatis ſit utilior ad ſalutem.

1. EN ego meæ promiſſioni; en ego deſideriis veſtris; en ego etiam Deo pro debito famulatu. Triplici, ut videtis, ratione urgeor ad loquendum, pacti veritate, caritate fraterna, timore Domini. Si tacuero, os meum condemnabit me. Quid ſi loquar? Profecto vereor idem judicium, ne loquentem videlicet, & non facientem, identidem os meum condemnet me. Juvate me orationibus veſtris, ut ſemper poſſim & loqui quæ oportet, & opere implere quæ loquor. Non ignoratis hodiernum nobis propoſitum eſſe ſermonem de ignorantia, vel potius de ignorantiis: quoniam duæ, ſi meminiſtis, propoſitæ ſunt, noſtri una, & altera Dei. quas & monuimus ambas eſſe cavendas, quod ambæ damnabiles ſint. Supereſt ut clarius hoc ipſum faciam, ediſſeram plenius. Sed prius quærendum exiſtimo, ſitne ignorantia omnis damnabilis.

Ignorantia duplex.

Sit

Ignorantia omnis non damnabilis.

Et mihi quidem videtur non eſſe, (neque enim omnis ignorantia damnat) ſed multa & innumera eſſe, quæ neſcire liceat abſque diminutione ſalutis. Verbi gratia, ſi ignoras fabrilem artem, ſeu carpentariam, aut cæmeotariam, & quæcumque iſtiuſmodi ſunt artes, quæ ad uſus vitæ hujus præſentis ab hominibus exercentur, oumqoid impedit ad ſalutem? Etiam abſque omnibus illis artibus, quæ liberales dicuntur, (quamvis honeſtioribus utilioribuſque ſtudiis & diſcantur, & exerceantur,) quàm plurimi hominum ſalvi facti ſunt, placentes moribus atque operibus: quantos enumerat Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, factos dilectos, non in ſcientia litterarum, ſed in conſcientia pura, & fide non ficta. Omnes placuerunt Deo in vita ſua, vitæ meritis, non ſcientiæ. Petrus, & Andreas, & filii Zebedæi, ceterique condiſcipuli omnes, non de ſchola rhetorum aut philoſophorum aſſumpti ſunt; & nihilo minus tamen Salvator per ipſos operatus eſt ſalutem in medio terræ. Non in ſapientia, quæ in ipſis eſſet plus quàm in cunctis viventibus, (quemadmodum Sanctus aliquis de ſemetipſo confeſſus eſt) ſed in fide & lenitate ipſorum ſalvos fecit illos, etiam & ſanctos, etiam & magiſtros. Denique notas mundo fecerunt vias vitæ, & non in ſublimitate ſermonis, aut in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed ſicut placuit Deo per ſtultitiam prædicationis eorum ſalvos facere credentes, quia mundus eum in ſua ſapientia non cognovit.

Vt ignorantiæ ſcium.

Hebr. 11. 4. Apoſtoli omnes ...

Eccl. 1. 16.

1. Cor. 2. 1.

Scientia non ideo damnanda.

2. Videar forſitan nimius in ſuggillatione ſcientiæ, & quaſi reprehendere doctos, ac prohibere ſtudia litterarum. Abſit. Non ignoro quantum Eccleſiæ profuerint & proſint litterati ſui, ſive ad refellendos eos qui ex adverſo ſunt, ſive ad ſimplices inſtruendos. Denique legi, *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, ut non fungaris mihi ſacerdotio.* Legi, *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Sed & ſcio ubi legerim: *Scientia inflat.* & rurſum, *Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem.* Vides quia differentia eſt ſcientiarum, quando alia inflans, alia contriſtans eſt. Tibi vero, velim ſcire, quænam harum videatur utilior ſeu magis neceſſaria ad ſalutem, illane quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito quin dolentem tumenti præferas: quia ſanitatem, quam tumor ſimulat, dolor poſtulat. Qui autem poſtulat, propinquat ſaluti: quoniam qui petit accipit. Denique qui ſanat contritos corde, exſecratur inflatos, dicente Sapientia: quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et Apoſtolus aiebat: *Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Non prohibet ſapere, ſed plus ſapere quàm oportet. Quid eſt autem, *ſapere ad ſobrietatem?* Vigilantiſſime obſervare, quid ſcire magis, priuſve oporteat. Tempus enim breve eſt. Eſt autem, quod in ſe eſt, omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed tu qui cum timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis brevitate feſtinas, ea ſcire prius, ampliuſque curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in ſumendis cibis, quid prius, quid poſterius, & ad quem modum quidque ſumi oporteat? Nam etſi bonos conſtat eſſe cibos, quos Deus creavit; tu tamen ipſos tibi, ſi in ſumendo modum & ordinem non obſerves, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc ſentire & de ſcientiis.

Oſee 4. 6.

Dan. 12. 3.

1. Cor. 8. 1. Eccl. 1. 18. Scientia alia inflans, alia contriſtans.

Luc. 11. 10.

Iac. 4. 6.

Rom. 12. 3.

Ordo ſciendi.

Saluti neceſſaria prius diſcenda.

3. Sed melius mitto vos ad Magiſtrum. Non eſt enim noſtra iſta ſententia, ſed illius; immo & noſtra, quoniam Veritatis. *Qui ſe,* inquit, *putat aliquid ſcire, nondum ſcit quomodo oporteat eum ſcire.* Vides quoniam non probat multa ſcientem, ſi ſciendi modum neſcierit. Vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? quid? niſi ut ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat? Quo ordine; ut id prius, quod maturius ad ſalutem: quo ſtudio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt eo fine [a] tantum, ut ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Qui profecto non evadent ſubſannantem Satyricum, & ei qui ejuſmodi eſt decantantem:

1. Cor. 8. 2. Scientiæ utilitas conſiſtit in modo ſciendi.

Modus triplex.

Studentium ſeu diſcentium fines varii.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Perſius ſatyra 1.

Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, ut ædificent: & caritas eſt. Et item qui ſcire volunt, ut ædificentur: & prudentia eſt.

4. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut bene faciant. Denique *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Reliqui omnes audiant: *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt ei.* ac ſi per ſimilitudinem dicat: Sumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei. Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne caritatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus, transfuſa atque digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ noverit, vita atteſtante & moribus bona efficiatur: nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus converſus in pravos noxioſque humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores pravi mores? An non inflationes & tortiones in conſcientia ſuſtinebit qui hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum, & non faciens? An non reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, quoties in mentem venerit ſermo, quem dixit Deus, quia *ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis?* Et vide ne forte in perſona talis animæ Propheta plangeret, dicens: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo.* Niſi quod ipſa ingeminatio geminum videtur innuere ſenſum, ut præter hunc quem diximus, etiam alium requiramus. Puto enim quod in ſua perſona potuit hoc dixiſſe Propheta, quod videlicet ſcientia plenus, & æſtuans caritate, & omnino effundere cupiens, non inveniret qui curaret audire: & ſic quaſi oneri ſua ſibi ſcientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Eccleſiæ doctor, tam illos qui ſcire contemnunt quomodo ſit vivendum, quàm illos qui ſcientes, male nihilo minus vivunt. Et hoc pro eo quod eumdem ſermonem Propheta repetit.

Boni & laudabiles duo.

Pſal. 110. 10. Iacob. 4. 17.

Similitudo optima.

Scientia otioſa vel infructuoſa eſt veluti cibus crudus & indigeſtus. V. Gilbert. ſerm. 19. in Cant. num. 6.

Luc. 12. 47.

Ier. 4. 19.

5. Advertiſne jam quàm verum ſenſit Apoſtolus, quia *ſcientia inflat?* Volo proinde animam primo omnium ſcire ſeipſam, quod id poſtulet ratio & utilitatis, & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos ſumus primum eſt nobis: utilitatis vero, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum. Niſi enim ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, ſpirituale ædificium ſtare minime poteſt. Porro ad ſe humiliandum nihil anima invenire vivacius ſeu accommodatius poteſt, quàm ſi ſe in veritate invenerit: tantum non diſſimulet, non ſit in ſpiritu ejus dolus, ſtatuat ſe ante faciem ſuam, nec ſe à ſe avertere abducatur. Nonne ſe ita intuens clara luce veritatis, inveniet ſe in regione diſſimilitudinis: & ſuſpirans miſera, quam jam latere non poterit quod vere miſera ſit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: *In veritate tua humiliaſti me?* Nam quomodo non vere humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cum ſe perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille

1. Cor. 8. 1. Cognitio ſui ipſius ante omnia neceſſaria.

Humilitatis eſt cauſa.

Pſal. 118. 71. Humilitatis motiva.

[a] Eædem ſententiæ, & verba fere eadem ſunt Johannis Sareberienſis in Polycratici lib. 7. cap. 15. *Alios ut ſciant, curioſitas excitat: alios ut ſcire videantur, elationis ſtimulo vanitas urget: alios ad quæſtum cupiditas inflammat. Rarus eſt qui caritatis, aut humilitatis pede ſapientiæ vias ſcrutetur, ut doceatur, aut doceat.* Confer Bernardi ſententias tomo 3. col. 1241.

Tom. IV.

difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſſitatibus ærumnoſam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna ſua, dum configitur ſpina? Convertetur, inquam, ad lacrymas, convertetur ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Porro converſa ad Dominum recipiet conſolationem, quia Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.

Pſal. 91. 6.
Hinc converſio ad Deum.
Pſal. 40. 4.

6. Ego quamdiu in me reſpicio, in amaritudine moratur oculus meus. Si autem ſuſpexero & levavero oculos ad divinæ miſerationis auxilium; temperabit mox amaram viſionem mei viſio læta Dei, cui & dicos *Ad meipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui.* Nec mediocris Dei viſio, pium & deprecabilem experiri, ſicut revera benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia: quippe cujus natura bonitas, & cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Tali itaque experimento & tali ordine ſalubriter innoteſcit Deus, cum prius ſe homo noverit in neceſſitate poſitum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum, & dicet: *Eruam te, & honorificabis me.* Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio tui: & ex imagine ſua, quæ in te renovatur, ipſe videbitur, dum tu quidem revelata facie gloriam Domini cum fiducia ſpeculando, in eamdem imaginem transformaris de claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.

Pſal. 41. 7.
Cognitio Dei ſequitur cognitionem ſui
Joel 2. 13.
Pſal. 49. 15.

7. Sed jam demum adverte, quomodo utraque cognitio ſit tibi neceſſaria ad ſalutem, ita ut neutra carere valeas cum ſalute. Nam ſi ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An vero ſine timore Dei & ſine humilitate de ſalute præſumas, tu videris. Bene feciſtis grunniendo ſignificare, quod minime ita ſapiatis, immo quod non ita deſipiatis, ne in eo quod planum eſt immoremur. Sed attendite cetera. An potius pauſandum eſt nobis propter ſomnolentos? Putabam me uno ſermone implere quod promiſi de duplici ignorantia: & feciſſem, niſi faſtidioſis longior videretur. Quoſdam ſiquidem oſcitantes, quoſdam & dormitantes intueor. Nec mirum: præcedentis noctis vigiliæ a(longiſſimæ quippe fuerunt) excuſant eos. Verum illis quid dicam, qui & tunc dormierunt, & modo nihilo minus dormiunt? Sed non pergo nunc ulterius exagitare verecundiam eorum: ſufficit tetigiſſe. Puto quod melius deinceps vigilabunt, noſtræ obſervationis cauterium vеrituri. In hac ſpe gerimus eis hac vice morem; & quod continuandom ratio exigebat, eorum caritate, pendente licet diſputatione, partimur, facientes finem, ubi non erat finis. Ipſi vero ſuper ſibi facta indulgentia nobiſcum glorificent ſponſum Eccleſiæ, Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Cognitio utraque neceſſaria.
Somnolentos præſtringit.

SERMO XXXVII.

De duplici notitia, & duplici ignorantia; deque malis ſeu damnis quæ pariunt.

1. PUto non habemus nunc opus hortari ad vigilandum, cum abſque dubio ſermo ille ſuggillatorius vigilet, utpote adhuc recens, qui heri à nobis caritative prolatus, bene aliquos expergefecit. Ergo tenetis memoria quod teneam aſſenſum veſtrum, neminem abſque ſui cognitione ſalvari: de qua nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipſe ſicut initium ſapientiæ, ita eſt & ſalutis. Nemo dico abſque illa cognitione ſalvatur, qui tamen ætatem habeat ac facultatem cognoſcendi. Quod propter parvulos loquor, & propter fatuos, quorum alia ratio eſt. Quid ſi ignoras Deum? Poteritne ſpes eſſe ſalutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quem neſcias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas: noveris ipſum, ut æque ipſum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam, in altero & conſummaris: quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis eſt caritas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda eſt tibi, quam ſine timore & amore Dei ſalus eſſe non poteſt. Cetera indifferentia ſunt, nec ſalutem, ſi ſciantur; nec damnationem, ſi neſciantur, habentia.

Ex cognitione ſui timor Dei & humilitas.
Cognitio Dei quàm neceſſaria.
Pſal. 110. 9.
Rom. 13. 10.

2. Non tamen dico contemnendam aut negligendam ſcientiam litterarum, quæ ornat animam, & erudit eam, & facit ut poſſit etiam alios erudire. Sed duo illa, oportet & expedit ut præcedant, in quibus ſummam ſalutis conſtitui ſuperior ratio declaravit. Et vide ſi non intuebatur, & ſi non docebat hunc ordinem qui dicebat: *Seminate vobis ad juſtitiam, metite ſpem vitæ;* & tunc demum *illuminate vobis*, ait, *lumen ſcientiæ.* Ultimam poſuit ſcientiam, tamquam picturam, quæ ſtatum habere nequeat ſuper inane: & ideo illa duo præmiſit & ſubjecit illi, tamquam ſi ſolidum aliquid picturæ ſubſterneret. Securus jam intendam ſcientiæ, ſi vitæ prius per beneficium ſpei ſecuritatem accepero. Tu ergo ſeminaſti tibi ad juſtitiam, ſi ex vera notitia tui evigilaſti timere Deum, temetipſum humiliaſti, fudiſti lacrymas, eleemoſynas profudiſti, ceteriſque te pietatis actionibus mancipaſti, ſi jejuniis & vigiliis afflixiſti corpus, ſi pectus tunſionibus, cælos clamoribus fatigaſti. Hoc ſi quidem ſeminare eſt ad juſtitiam. Semina ſunt bona opera, bona ſtudia; ſemina lacrymæ ſunt. *Ibant*, inquit, *& flebant mittentes ſemina ſua.* Sed quid? ſemper flebunt? Abſit. Sed *venient cum exſultatione portantes manipulos ſuos.* Merito *cum exſultatione*, cum reportant manipulos gloriæ. At iſtud, inquis, in reſurrectione in noviſſimo die, & eſt nimis longa exſpectatio. Noli animo frangi, noli deficere à puſillanimitate ſpiritus; habes interim de primitiis ſpiritus, quod ad præſens in exſultatione metas. *Seminate*, ait, *vobis ad juſtitiam, metite ſpem vitæ.* Non te modo mittit ad diem noviſſimum, quando res jam erit in re, & non in ſpe, ſed de præſenti loquitur. Prorſus magna lætitia & exſultatio multa nimis, cum vita venerit.

Scientia utilis.
Oſe. 10. 12.
Pſal. 125. 6.

3. Sed numquid tantæ lætitiæ ſpes erit ſine lætitia? *Spe gaudentes*, ait Apoſtolus. Et David non læturum, ſed *lætatum* ſe dixit, quod in domum Domini ſe ſperaret iturum. Nondum vitam tenebat, ſed ſpem profecto vitæ meſſuerat; atque in ſemetipſo experiebatur veritatem ſcripturæ perhibentis, quia non modo remuneratio, ſed ipſa quoque *exſpectatio juſtorum lætitia.* Hanc parit in animo illius, qui ſibi ad juſtitiam ſeminavit, præſumpta indulgentia delictorum: ſi tamen ipſam indulgentiam efficacia atteſtatur acceptæ gratiæ ad vivendum ſanctius deinceps. Omnis in vobis qui hæc ſentit intra ſe actitari, ſcit quid loquitur Spiritus, cujus vox atque operatio minime inter ſe umquam diſſentiunt. Propterea ergo intelligit quæ dicuntur, quoniam quæ foris audit, intus ſentit. Nam qui in nobis loquitur, operatur in vobis *unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult:* aliis quidem loqui, aliis autem operari quod bonum eſt.

Rom. 12. 12.
Pſal.
Prov. 10. 28.
1. *Cor.* 12. 11.

4. Quiſquis itaque veſtrum poſt illa amara & lacrymoſa converſionis ſuæ primordia reſpiraſſe in ſpem, atque in quoddam ſerenum ſupernæ conſolationis pennis gratiæ ſublevatum ſe evolaſſe lætatur; is profecto jam metit, ſuarum recipiens fructum temporaneum lacrymarum; & ipſe vidit Deum, & audivit vocem dicentis: *Date ei de fructibus manuum ſuarum.* Nam quomodo non vidit Deum, qui guſtavit & vidit, quoniam ſuavis eſt Dominus? Quàm dulcem & ſuavem te ſenſit, Domine Jeſu, cui à te non modo peccata donata ſunt, ſed & munus ſanctitatis indultum eſt: neque id ſolum, ſed & addita inſuper ad cumulum bonorum vitæ æternæ promiſſio! Felix qui tantum jam meſſuit, habens interim quidem fructum ſuum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam! Merito qui ſe invento flevit, gaviſus eſt viſo Domino: ad cujus utique miſerationis intuitum tantos jam levavit manipulos, remiſſionem, ſanctificationem, ſpem vitæ. O quàm verus eſt ſermo qui in Propheta legitur: *Qui ſeminant*

Prov. 31.
Manipuli
Eze. 11.

a Sic Matutinorum quod vocamus officium appellat ex mente S. Benedicti.

in lacrymis, in exſultatione metent. [illegible]bi breviter comprehenſa utraque cognitio eſt: & noſtri quidem in lacrymis ſerens, quæ autem Dei, metens in gaudio.

[illegible] *Rom. 5.*

5. Hæc ergo in nobis geminata præeunte no[illegible]a, jam ea quæ forte ſupercreverit ſcientia minime inflat, utpote quæ nihil afferre valeat terreni commodi vel honoris, quod non ſit ſane inferius ſpe concepta, lætitiaque ſpei jam altius radicata in animo. *Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ideo illa non confundit, quia iſta infundit certitudinem. Per hanc enim ipſe Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Quidnam igitur nobis de noſtra quantacumque ſcientia provenire poſſit, quod non ſit minus hac gloria, qua inter Dei filios numeramur? Parum dixi: nec reſpici in ejus comparatione poteſt orbis ipſe & plenitudo ejus, etiamſi totus cedat unicuivis noſtrum in poſſeſſionem. Ceterum ſi nos ignorantia Dei tenet, quomodo ſperamus in eum quem ignoramus? ſi noſtri, quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid eſſe, cum nihil ſimus? Scimus autem nec ſuperbis, nec deſperatis partem eſſe vel ſocietatem in ſorte ſanctorum.

Rom. 8. 16. Spei omnibus terrenis præ[illegible]. — Ex duplici notitia naſcitur.

Ignorantia Dei [illegible]que quam fugienda.

6. Intuere ergo nunc mecum, quanta cura & ſollicitudine ambas iſtas repellere à nobis ignorantias debeamus, quarum omnis peccati altera initium parit, altera conſummationem: ſicut duarum e regione notitiarum initium ſapientiæ una, perfectionem altera gignit: illa timorem Domini, iſta caritatem. At iſtud de notitiis ſupra oſtenſum eſt. Nunc de ignorantiis vide. Etenim ſicut initium ſapientiæ timor Domini, ſic initium omnis peccati ſuperbia: & quomodo perfectionem ſibi ſapientiæ vindicat amor Dei, ita deſperatio ſibi omnem malitiæ conſummationem. Et quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia Dei itidem amor: ſic e contrario de ignorantia tui ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio. Sic autem ſuperbiam parit tibi ignorantia tui, cum meliorem quàm ſis, decepta & deceptrix tua cogitatio te eſſe mentitur. Hoc quippe eſt ſuperbia, hoc initium omnis peccati, cum major es in tuis oculis quàm apud Deum, quàm in veritate. Et ideo qui primus peccavit hoc grande peccatum, (diabolum loquor) de ipſo dictum eſt, quia *in veritate non ſtetit, ſed mendax eſt ab initio:* quoniam quod in ſua fuit cogitatione, non fuit in veritate. Quid ſi in eo diſcordaret à veritate, ut minorem ſe inferioremque putaret, quàm veritas haberet? Excuſaret eum ſua proculdubio ignorantia, & minime reputaretur ſuperbus, nec tam inveniretur iniquitas ejus ad odium, quàm humilitas forſitan ad gratiam. Si enim IN QUONAM STATU unumquemque noſtrum habeat Deus, liquido cognoſceremus; nec ſupra ſane, nec infra ſecedere deberemus, veritati[a] in omnibus acquieſcentes. Nunc autem quia conſilium hoc poſuit tenebras latibulum ſuum, & ſermo abſconditus eſt à nobis, ita ut nemo ſciat ſi dignus ſit amore, vel odio: juſtius tutiuſque profecto, juxta ipſius Veritatis conſilium, noviſſimum nobis locum eligimus, de quo poſtmodum cum honore ſuperius educamur, quàm præſumimus altiorem, unde cedere mox oporteat cum rubore.

Eccli. 1. 16. *Eccli. 10. 15.* Ignorantia Dei deſperationem, ſui parit ſuperbiam. *Joan. 8. 44.* NOTA Humilitas neceſſaria, ent. Pulcra ejus idea. *Eccl. 9. 1.* *Luc. 14. 10.*

7. Non eſt ergo periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque repures minorem quàm ſis, hoc eſt, quam te veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modice plus vero te extollas, ſi vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi Veritas judicat, aut etiam ſuperiorem. Quemadmodum enim ſi per oſtium tranſeas, cujus ſuperliminare (ut ad intelligentiam loquar) nimium baſſum ſit, non nocet, quantumcumque te inclinaveris; nocet autem, ſi vel tranſverſi digiti ſpatio plus quam oſtii patitur menſura, erexeris, ita ut impingas, & capite quaſſato collidaris: ſic in anima non eſt plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere [illegible]ſumpta erectio. [illegible] homo, comparare maj[illegible]ribus, n[illegible]ibus, noli uni. Quid ſcis enim [illegible] homo [illegible] quem forte omnium viliſſimum atque [illegible]as, cujus vitam ſceleratiſſimam ac ſing[illegible]mam horres, & propterea illum putas ſp[illegible]dum non modo præ te, qui forte jam ſobrie, & ju[illegible], & [illegible] vivere te confidis, ſed etiam præ c[illegible] omnibus [illegible]atis tamquam omnium ſceleratiſſimum: quid [illegible], inquam, ſi melior & te, & illis mutatione dexteræ Excel[illegible] in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero jam ſi[illegible]? Et propterea non mediocrem, non vel pænultimum, non ipſum ſaltem inter noviſſimos eligere locum nos voluit: ſed *recumbe*, inquit, *in noviſſimo loco:* ut ſolus videlicet omnium noviſſimus ſedeas, teque nemini, non dico præponas, ſed nec comparare præſumas. En quantum malum venit de ignorantia n[illegible]i, utique peccatum diaboli, & initium omnis peccati, ſuperbia. Quid etiam Dei parturiat ignorantia, alias videbimus. Nam nunc horæ brevitas non permittit: quoniam hodie tarde convenimus. Itaque ſufficiat unumquemque modo, ne ſeipſum ignoret, admonitum eſſe, non ſolum ſermone noſtro, ſed ipſius quoque dignatione ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Humilitas, quantumvis profunda, non nocet: at elatio etſi minima, noxia eſt. — Tom. IV. Nu[illegible] [illegible] vel præferre. — *Luc. 14. 10.* — *Eccli. 10. 15.*

SERMO XXXVIII.

Qualiter ex ignorantia Dei naſcitur deſperatio, & qualiter ſponſa dicatur pulcra inter mulieres.

1. Quid igitur Dei ignorantia parturit? Nam hinc incipiendum eſt, ſicut recordamini hic heri fuiſſe terminatum. Quid itaque parturit? Diximus deſperationem: ſed quonam modo, dicamus. Forte aliquis reverſus in ſe, & diſplicens ſibi in omnibus malis quæ fecit, cogitanſque reſipiſcere, & redire ab omni via mala & carnali converſatione ſua; ſi ignorat, quàm ſit bonus Deus, quàm ſuavis & mitis, & quam multus ad ignoſcendum: nonne ſua carnalis cogitatio arguet eum, & dicet: Quid facis? Et vitam iſtam vis perdere, & futuram? Peccata tua maxima ſunt, & nimium multa: nequaquam pro tot & tantis, nec ſi te excories, ſufficies ſatisfacere. Complexio tenera eſt, vita extitit delicata, conſuetudinem difficile vinces. Pro his & ſimilibus deſperatus reſilit miſer, ignorans quàm facile omnipotens Bonitas *, quæ neminem vult perire, cuncta iſta diſſolveret: ſequiturque impœnitentia, quæ eſt delictum maximum, & blaſphemia irremiſſibilis. Ipſe vero aut conturbatus nimia triſtitia abſorbebitur, & fertur in profundum, minime jam ut conſolationem recipiat, emerſurus, ſicut ſcriptum eſt, *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit:* aut certe diſſimulans, & ſibi qualicumque veri ſimili blandiens ratione, revocat ſe irrevocabiliter in ſæculum, ad perfruendum & deliciandum in omnibus bonis ejus, quoad licuerit. Cum autem dixerit, Pax & ſecuritas, tunc repentinus ei ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habentis, & non effugiet. Ita ergo & de ignorantia Dei univerſæ malitiæ conſummatio venit, quæ eſt deſperatio.

Ignorantia Dei parit deſperationem. — Deſperationis cauſa & effectus. — * al. Omnipotens quia — *Prov. 18. 3.* — *1. Theſſ. 5. 3.*

2. Apoſtolus dicit, quod ignorantiam Dei quidam habent. Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad Deum. Neque enim ob aliud proculdubio renuunt, niſi quia gravem & ſeverum imaginantur, qui pius eſt; durum & implacabilem, qui miſericors eſt; ferum & terribilem, qui amabilis eſt: & mentitur iniquitas ſibi, formans ſibi idolum pro eo quod non eſt ipſe. Quid timetis modicæ fidei? ut peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum ſuis manibus. Quod teneri & delicati eſtis? Sed ipſe novit figmentum noſtrum. Quod male aſſueti, & ligati peccandi conſuetudine? Sed *Dominus ſolvit compeditos.* Forte ne irritatus immanitate & multitudine criminum, cunctetur porrigere manum adjutorii? Sed ubi abundavit delictum, ſuperabundare & gratia conſuevit,

1. Cor. 15. 34. Converſionem nolle, eſt Deum ignorare. — Converti nolentium vanæ rationes. — *Pſal. 145. 8.* — *Rom. 5. 20.*

a Inſignis hæc notio humilitatis, cujus ratio in ipſa veritate conſiſtit. Confer ſermonem 50. de diverſis.

Tom. IV. An de veſtimento ſolliciti eſtis, vel cibo, ceteriſque A corpori veſtro neceſſariis; & propterea cunctamini relinquere veſtra? Sed ſcit quia his omnibus indigetis. Matt. 6. 32. Quid vultis amplius? quid jam impedit à ſalute? Sed hoc eſt quod dico: Deum ignoratis, ſed nec creditis auditui noſtro. Vellem vos vel expertis credere, quia niſi credideritis, non intelligetis. Sed non eſt omnium fides.

Sponſa cur repreſſa. 3. Abſit autem ut de tali, hoc eſt de Dei ignorantia, ſponſam commonitam ſentiamus, quæ tanta ſponſi pariter & Dei ſui, non dico agnitione, ſed amicitia & familiaritate donata eſt, ut ejus crebra colloquia & oſcula mereretur, & nunc familiari auſu loquitur: Cant. 1. 6. *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Ubi ſane non B ipſum, ſed locum habitationis gloriæ ejus ſibi indicari requirit: quamquam non aliud ipſe, & aliud locus ejus vel gloria. Sed reprimenda cenſetur propter præſumptionem, & de ſua ipſius commonenda cognitione, in qua nimirum viſa eſt aliquatenus caligare, quæ tantæ ſe æſtimarit idoneam viſioni: ſive minus attendens præ exceſſu ſuo, quod eſſet in corpore: ſive fruſtra ſperans, etiam manentem in corpore ad illam ſe poſſe inacceſſibilem accedere claritatem. Ergo ad ſeipſam protinus revocatur, & ignorantia convincitur, & inſolentia caſtigatur. *Si ignoras te*, inquit, *egredere.* Terribiliter ſponſus intonat in dilectam, non tamquam ſponſus, ſed tamquam magiſter; & non quaſi iratus, C ſed ut territa purgaretur, purgata idonea redderetur huic ipſi, cui inhiat, viſioni. Mundicordibus nempe illa viſio ſequeſtratur.

4. Pulcre autem pulcram, non omnimode quidem, ſed pulcram inter mulieres eam dicit, videlicet cum diſtinctione: quatenus & ex hoc amplius reprimatur, & Animæ carnales mulierum nomine ſignificantur. ſciat quid deſit ſibi. Ego enim puto mulierum nomine hoc loco appellatas animas carnales ac ſæculares, nihil in ſe virile habentes, nihil forte aut conſtans in ſuis actibus demonſtrantes, ſed totum remiſſum, totum femineum & molle quod vivunt, & quod agunt. Anima ſpiritualis, quatenus pulcra. Spiritualis autem anima, etſi inde jam pulcra quod non ſecundum carnem ambulat, ſed ſecundum ſpiritum; ex eo tamen quod adhuc in corpore vivit, citra perfectum adhuc pulcritudinis proficit: ac proinde non pulcra omni modo, ſed pulcra inter mulieres, id eſt inter animas terrenas, & quæ non ſunt, ſicut ipſa, ſpirituales, non autem inter angelicas beatitudines, Gen. 6. 9. non inter Virtutes, Poteſtates, Dominationes. Sicut Patrum aliquis olim inventus & dictus eſt *juſtus in generatione ſua*, id eſt præ omnibus ſui temporis ſuæque Gen. 38. 6. Luc. 18. 14. generationis; & Thamar juſtificata perhibetur ex Juda, hoc eſt præ Juda: & in Evangelio Publicanus deſcendiſſe refertur de templo juſtificatus, ſed juſti-Luc. 7. 28 ficatus à Phariſæo: & quomodo magnus ille Johannes E magnifice quondam commendatus eſt, quod videlicet ſuperiorem non haberet, ſed hoc inter natos mulierum, non autem inter choros beatorum cæleſtiumque ſpirituum: ita & ſponſa modo dicitur pulcra, ſed interim adhuc inter mulieres, & non inter cæleſtes beatitudines.

5. Deſinat proinde, quamdiu in terris eſt, quæ in cælis ſunt curioſius inveſtigare, ne forte ſcrutatrix majeſtatis opprimatur à gloria. Deſinat, inquam, donec inter mulieres verſatur, inquirere quæ apud ſublimes illas ſunt poteſtates, ſolis ipſis perſpicua, ſolis licita, tamquam cæleſtibus cæleſtia ad videndum. Mirabilis facta eſt, inquit, viſio iſta ex te, ô ſponſa, quam tibi F poſtulas demonſtrari: nec modo prævales intueri meridianam & miram, quam inhabito, claritatem. Di-Cant. 1. 6. xiſti enim: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Anima in mortali corpore degens inhabilis ad intuitum divinitatis. Sed enim induci in nubes, penetrare in plenitudinem luminis, irrumpere claritatis abyſſos, & lucem habitare inacceſſibilem, nec temporis eſt hujus, nec corporis. Id tibi in noviſſimis reſervatur, cum te mihi exhibuero glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. An neſcis quia quamdiu vivis in hoc corpore, peregrinaris à lumine? Quomodo quæ necdum tota pulcra es, idoneam te exiſtimas univerſitatem pulcritudinis intueri? Quomodo denique quæris me in mea claritate videre, quæ adhuc ignoras te? Nam ſi te plenius noſſes, ſcires utique, corpore quod corrumpitur aggravatam nullatenus poſſe attollere oculos, & figere in illum fulgorem, in quem proſpicere Angeli concupiſcunt. Erit, cum apparuero, quod tota pulcra eris, ſicut ego pulcher ſum totus: & ſimillima mihi, videbis me ſicuti ſum. Tunc audies, *Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te.* Nunc vero, Cant. 4. etſi ex parte jam ſimilis, ex parte tamen diſſimilis contenta eſto ex parte cognoſcere. Teipſam attende & altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutata fueris. Alioquin ſi ignoras te, ô pulcra inter mulieres, B (nam & ego te dico pulcram, ſed inter mulieres hoc eſt ex parte: *cum autem venerit quod perfectum eſt, tunc evacuabitur quod ex parte eſt.*) *Si ergo ignoras te.* ſed quæ ſequuntur, dicta ſunt, & non oportet iterum dici. Promiſeram me de duplici ignorantia utiliter diſputaturum: ſi quo minus impleſſe videor, date veniam volenti. Nam velle adjacet mihi, perficere autem non invenio, niſi quantum ſua benignitate ad veſtram ædificationem largiri dignabitur ſponſus Eccleſiæ Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XXXIX.

C *De curribus Pharaonis, id eſt diaboli, & de principibus exercitus, qui ſunt malitia, luxuria, & avaritia.*

1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea.* Ante omnia in his verbis libenter accipimus Eccleſiæ typum in Patribus præceſſiſſe, & noſtræ ſacramenta ſalutis præoſtenſa eſſe. In exitu Iſrael de Ægypto, geminoque illo admirabili maris obſequio, & tranſitum ſcilicet populo dantis, & ultionem de hoſtibus, Baptiſmi gratia evidenter exprimitur, ſalvantis homines, & crimina ſubmergentis. *Omnes*, inquit, *ſub nube fuerunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Sed oportet conſequentiam, D ſicut ſolemus, ſignare verborum, & ſequentia prioribus copulare; & ita demum elicere ſuave quippiam, ſi poſſumus, quod proſit moribus inſtruendis. Ubi itaque ſponſæ præſumptio dura & auſtera increpatione repreſſa eſt; ne triſtior remaneret, bona illi aliqua, quæ jam acceperat, ad memoriam reducuntur, & aliqua, quæ nondum acceperat, promittuntur: ſed & pulcra denuo perhibetur, & appellatur amica. Quod tibi, inquit, dure locutus ſum, amica mea, nulla in me tibi ſuſpicio ſit odii vel rancoris. Nam ſigna amoris mei in te evidentia ſunt ipſa mea munera, quibus te honoravi & ornavi. Nec mihi animi eſt illa retrahere, ſed magis addere ampliora. Vel ſic: Non ægre E feras, amica mea, minime te accipere modo quod poſtulas, quæ tanta à me jam accepiſti: & majora horum accipies, ſi in præceptis meis ambulaveris, & in amore meo perſeveraveris. Hæc pro litteræ conſequentia.

2. Nunc jam videamus, qualia ſint quæ ſe donaſſe commemorat. Et primum quidem eſt, quod eam aſſimilavit equitatui ſuo in curribus Pharaonis, liberando utique à jugo peccati, mortificatis univerſis operibus carnis, quemadmodum ille populus liberatus eſt a ſervitute Ægypti, ſubverſis & ſubmerſis cunctis curribus Pharaonis. Id quidem miſeratio maxima, in qua Exod. 14. ego quoque ſi gloriari voluero, non ero inſipiens: ve-F ritatem enim dicam. Fateor & fatebor: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima* Pſal. *mea.* Non ſum ingratus, non ſum oblitus: miſericordias Domini in æternum cantabo. Verum hactenus mihi cum ſponſa. De reliquo, illa ſingulari dignatione, poſtquam liberata eſt, adſciſcitur in amicam, decorem induitur tamquam Domini ſponſa, interim tamen in genis dumtaxat & in collo. Ad hæc illi promittuntur murenulæ pro ornatu, ipſæque aureæ pro pretio, ſed & diſtinctæ argento pro decore. Cui non admodum placeat ordo ipſe donationum? Primum miſericorditer liberatur, ſecundo dignanter adamatur, tertio benigne

abluitur & purgatur poſtremo optimi ornamenti accipit promiſſionem [illegible]

3. Non ambigo [illegible] jam veſtrum in ſemetipſis recognoſcere quæ dicuntur, proprioque experimento commonitos ad intelligentiam prævolare. Sed tamen memor verſiculi illius, *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*, pro hujuſmodi dignum duco eadem modice latius explananda. Benignus eſt enim Spiritus ſapientiæ, & placet illi doctor benignus & diligens, qui ita cupiat ſatisfacere ſtudioſis, ut morem gerere tardioribus non recuſet. Denique *qui elucidant me, vitam æternam habebunt*, ait ipſa Sapientia: quo quidem præmio ego fraudari noluerim. Quamquam in his etiam quæ plana videntur, B quandoque talia latent, quæ ipſis quoque, qui capaciores videntur & prævolantes ingenio, non erit inutile ſi diligentius declarentur.

Pſal. 118. 130.
Eccli. 1. 6.
Eccli. 24. 31.

4. Sed vide jam ſimilitudinem de Pharaone & exercitu ejus, & Domini equitatu. Non inter ipſos exercitus ſimilitudo data eſt, ſed de ipſis. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli? Sed inter ſanctam ſpiritalemque animam, & equitatum Domini plane comparatio eſt, & inter Pharaonem & diabolum, amborumque exercitus. Nec miraberis unam animam equitatus multitudini ſimilatam, ſi advertas quantæ in ipſa una, quæ tamen ſancta anima ſit, virtutum acies habeantur: quanta in affectio- C nibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum. Denique in conſequentibus legitur: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* & item, *Quid videbis*, inquit, *in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Aut ſi id tibi non placet, noveris hujuſmodi animam numquam eſſe ſine Angelorum cuſtodia, qui eam æmulantur Dei æmulatione, ſolliciti ſuo viro ſervare, & virginem caſtam exhibere Chriſto. Et ne dixeris in corde tuo: Ubi ſunt? Quis eos vidit? Vidit eos Propheta Eliſæus, inſuper & fecit orando, ut videret etiam Giezi. Tu D non vides, quia non es Propheta, nec puer Prophetæ. Vidit Patriarcha Jacob, & ait: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Vidit & Doctor gentium, qui dicebat: *Nonne omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?*

Animæ ſanctæ [illegible] aſſimilatas.
Cant. 6. 3.
Cant. 7. 1.
Angelorum cuſtodia ſemper præſto eſt animæ piæ.
4. Reg. 6. 17.
Gen. 32. 2.
Hebr. 1. 14.

5. Ergo angelicis fulta miniſteriis, & ſuperno ſtipata agmine ſponſa incedens, ſimilis eſt equitatui Domini, illi utique, qui quondam in curribus Pharaonis tam ſtupendo divini adjutorii miraculo triumphavit. Si enim diligenter advertas, cuncta, quæ ibi miraris magnifice perpetrata, invenies hic nihilo minus admiranda. Niſi quod in eo nunc magnificentius triumphatur, quod quæ illic corporaliter præceſſe- E runt, hic ſpiritualiter adimplentur. An non tibi nempe multo fortius longeque glorioſius eſſe videtur, diabolum proſternere, quàm Pharaonem; atque aerias debellare poteſtates, quàm currus Pharaonis ſubvertere? Ibi denique pugnatum eſt adverſus carnem & ſanguinem; hic adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et proſequere modo mecum ſingula proportionis membra. Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de ſæculo: ibi proſternitur Pharao, hic diabolus: ibi ſubvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & ſæcularia deſideria, quæ militant adverſus animam ſubruuntur; illi in fluctibus, iſti in fletibus: F marini illi, amari iſti. Puto & nunc clamitare dæmonia, ſi forte contingat incidere in talem animam: *Fugiamus Iſraëlem, quia Dominus pugnat pro eo.* Viſne etiam aliquos de principibus Pharaonis propriis tibi deſignem nominibus, & de curribus deſcribam, ad inſtar quorum tu quoque alios, ſi qui ſunt, per te ipſum valeas invenire? Magnus quidam princeps ſpiritualis atque inviſibilis regis Ægypti profecto Malitia eſt, magnus

Exod. 14. 28.
Analogia devicti Pharaonis & diaboli.
Epheſ. 6. 12.
Exod. 14. 25.
Principes Pharaonis myſtici.

Luxuria, magnus Avaritia. [illegible] territorios ſuos [illegible] ſunt. Nam [illegible] in omni [illegible] atque facinorum dominatur. Luxuria [illegible] & turpitudini carnis præeſt. Avar[illegible] & fraudis ſortita eſt principatum.

6. Accipe nunc quoque quales [illegible] principibus Pharao præparaverit currus ad pe[illegible] populum Dei. Habet namque Malitia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem: Sævitia, Impatientia, Audacia, Impudentia. Valde etenim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, B nec inhibetur pudore. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, terrena Potentia, & ſæculari Pompa. Tunc namque quadriga iſta malitiæ currit valde velociter, cum hinc quidem potentiæ effectus ſubeſt ejus adimplendis malitioſis conatibus: inde plauſus pompæ arridet perpetratis ſceleribus, ut ſermo impleatur qui ſcriptus eſt: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* & iterum alia ſcriptura: *Hæc eſt*, inquit, *hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Porro præſident duobus his equis aurigæ duo, Tumor & Livor: & tumor quidem pompam, livor vero potentiam agit. Is enim rapido fertur diabolicarum amo- C re pomparum, cujus apud ſe cor prius intumuit. Nam quod in ſe firmiter ſtat timore compreſſum, gravitate modeſtum, humilitate ſolidum, puritate ſanum; aura hujus vanitatis nequaquam leviter rapietur. Item terrenæ jumentum potentiæ nonne invidia agitur, & quaſi quibuſdam livoris urgetur hinc inde calcaribus, ſuſpicione utique decedendi, & metu ſuccumbendi? Aliud eſt enim quod ſuſpectus eſt ſucceſſor, & aliud quod timetur invaſor. His itaque ſtimulis terrena potentia continue agitatur. Et currus quidem malitiæ ſic ſe habet.

Tom. IV.
Currus malitiæ.
Equi currus Malitiæ.
Pſal. 9. 3.
Luc. 22. 53.
Aurigæ totidem.
Calcaria.

7. Luxuriæ vero currus quadriga nihilo minus volvitur vitiorum, Ingluvie videlicet ventris, Libidine coi- D tus, Mollitie veſtium, otii ſoporiſque Reſolutione. Trahitur equis æque duobus, Proſperitate vitæ, & rerum Abundantia, & qui his præſident duo, ignaviæ Torpor, & infida Securitas: quia & copia ignaviam ſolvit, &, ſecundum ſcripturam, *Proſperitas ſtultorum perdet illos:* non ſane ob aliud, niſi quoniam male ſecuros reddat. *Cum autem dixerint, Pax & ſecuritas; tunc ſubitaneus ſuperveniet eis interitus.* Hi calcaria minime habent, neque flagella, vel aliquid hujuſmodi: ſed pro his utuntur conopeo [a] ad faciendam umbram, & flabello ad citandum ventum. Porro conopeum Diſſimulatio eſt, umbram faciens, & protegens ab æſtu curarum. Proprium namque eſt mollis & delicatæ animæ etiam ne- E ceſſarias diſſimulare curas, & ne æſtuantes ſollicitudines ſentiat, ſub latibulo diſſimulationis abſcondi. Flabellum vero Effuſio eſt, ventum adulationis apportans. Largi ſunt enim luxurioſi, ementes auro ventum de ore adulatorum. Et de hoc ſatis.

Currus ſeu quadriga Luxuriæ.
Equi duo, & Aurigæ.
Prov. 1. 32.
1. Theſſ. 5. 3.
Diſſimulatio delicatorum.
Prodigalitas luxurioſorum.

8. Jam vero Avaritia rotis & ipſa vehitur quatuor vitiorum, quæ ſunt Puſillanimitas, Inhumanitas, Contemptus Dei, mortis Oblivio. Porro jumenta trahentia, Tenacitas, & Rapacitas: & his unus auriga ambobus præſidet, habendi Ardor. Sola ſiquidem Avaritia, quoniam conducere plures non patitur, uno contenta eſt ſervitore. Ipſe vero injuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, urgendis ſane F jumentis trahentibus, flagris utitur acerrimis, Libidine acquirendi, & Metu amittendi.

Currus Avaritiæ.
Equi, Auriga.
Scuticæ.

9. Sunt & alii principes regis Ægypti, habentes & ipſi currus ſuos in expeditione Domini ſui: ſicut Superbia, quæ unus eſt de majoribus principibus: ſicut inimica fidei Impietas, magnum & ipſa tenens locum in domo & regno Pharaonis: & multi adhuc ſunt alii inferioris ordinis ſatrapæ & equites, quorum non eſt numerus in Pharaonis exercitu; quorum & nomina, &

Alii principes Pharaonis.

[a] a In editis pleriſque additur, *parvulo papilione*, quod gloſſema eſt marginale in ſcriptis.

Tom. IV. officia; necnon & arma, & apparatus eorum veſtris A ſtudiis (ut in his exerceamini) inquirenda relinquo. In iſtorum itaque principum fortitudine, curruumque ſuorum, inviſibilis Pharao ubique diſcurrens, in omnem familiam Domini, quibus poteſt viribus, more tyrannico debacchatur, in his etiam his diebus exeuntem Iſrael de Ægypto inſequitur. At ille nec ſubvectus curribus, nec protectus armis; nihilo minus tamen ſola Domini manu confortatus, ſecure decantat: *Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare.* Item, *Hi in curribus & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* Et hæc dicta ſint pro adducta ſimilitudine de equitatu Domini, & curribus Pharaonis.

Exodi 15. 1. Pſal. 19. 9

Anima pia vocatur amica.

10. Poſt hæc *amica* appellatur. Nam ipſe quidem & ante liberationem amicus erat, alioquin non liberaſſet quam non amaſſet: ſed illa beneficio liberationis adducta eſt ut eſſet amica. Audi denique confitentem. *Non quia dilexerimus eum nos*, inquit, *ſed ipſe prior dilexit nos.* Recordare nunc mihi Moyſi & Æthiopiſſæ, & agnoſce jam tunc præfiguratum conjugium Verbi & animæ peccatricis; & diſcerne, ſi potes, quid tibi dulcius ſapiat in conſideratione ſuaviſſimi ſacramenti, Verbine nimium benigna dignatio, an animæ inæſtimabilis gloria, an inopinata fiducia peccatoris. Sed non potuit Moyſes Æthiopiſſæ mutare pellem, potuit Chriſtus. Sequitur enim: *Pulcra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.* Sed hoc ſermoni alteri reſervetur; ut ſemper quæ in menſa ſponſi nobis apponuntur, cum aviditate ſumentes, eructemus in ipſius laudem & gloriam, Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Johan. 4. 10.

SERMO XL.

Quod intentio ſit facies animæ: quæ ſit ejus pulcritudo aut deformitas; quæ ejuſdem ſolitudo & pudicitia.

Cant. 1. 9.

1. PUlcra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis. Tenera eſt ſponſæ verecundia; & ad increpationem ſponſi, puto, facies ejus rubore ſuffuſa eſt, pulcriorque ex eo apparens, ilico audit: *Pulcra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.* Vide autem ne carnaliter cogites coloratam carnis putredinem, & purulentiam flavi ſanguineive humoris, vitreæ cutis ſuperficiem ſummatim atque æqualiter ſuffundentem: è quibus ſibi invicem moderate permixtis, ad venuſtandam genarum effigiem rubor ſubpallidus in efficientiam corporeæ pulcritudinis temperatur. Alioquin incorporea illa animæ inviſibiliſque ſubſtantia, nec corporeis diſtincta membris, nec viſibilibus exſtat fucata coloribus. Tu vero ſpiritalem eſſentiam ſpiritali, ſi potes, attinge intuitu, & ad coaptandum propoſitæ ſimilitudinis ſchema cogita animæ faciem, mentis Intentionem; ex qua nimirum rectitudo operis, ſicut ex facie pulcritudo corporis, æſtimatur. Porro verecundiam intellige, tamquam colorem in facie, quod hæc potiſſimum virtus & venuſtatem ingerat, & augeat gratiam. *Pulcra* ergo *ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.* Poterat uſitatius faciem ponere & deſcribere pulcram, ſicut ſolet, cujus pulcritudo laudatur, pulcra facie ſeu decora facie dici: ſed neſcio quid ſibi voluerit, ut magis genas pluraliter dicendum putaverit, niſi quod minime id crediderim otioſum. Spiritus namque ſapientiæ loquitur, cui non eſt fas vel modicum quid omnino adſcribere otioſum, aut ſecus dictum quàm oportuerit. Eſt itaque ſine dubio cauſa, quæcumque illa ſit, cur pluraliter genas maluerit, quàm ſingulariter faciem dicere. Et ſi tu melius non habes, ego quod mihi videtur aperio.

Intentio mentis eſt facies animæ.

2. Duo quædam in Intentione, quam faciem animæ eſſe diximus, neceſſario requiruntur, Res & Cauſa, id eſt quid intendas, & propter quid. Et ex his ſane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur, ut (verbi cauſa) anima, quæ ambo iſta recta atque pudica habuerit, illi merito veraciterque dicatur: *Pulcra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.* Quæ vero altero A horum caruerit, non poterit dici de ea, quod pulcræ ſint genæ ejus ſicut turturis, propter eam quæ adhuc ex parte erit, deformitatem. Multo autem minus illi hoc poterit convenire, quæ neutrum horum habere laudabile invenitur. At id totum fiet planius in exemplis. Si (verbi cauſa) intendat quis animum inquirendæ veritati, atque id ſolo veritatis amore; nonne is tibi videtur & rem, & cauſam habere honeſtam meritoque ſibi vindicare quod dicitur: *Pulcræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis?* quippe cui in neutra genarum nævus reprehenſionis appareat. Quod ſi minime quidem veritatis deſiderio, ſed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiſcumque commodi temporalis obtentu in B veritatem intenderit: jam etſi unam genarum videatur habere formoſam; non tamen, ut arbitror, dubitabis judicare vel ex parte deformem, cujus alteram faciem cauſæ turpitudo fœdaverit. Si autem videns hominem nullis honeſtis ſtudiis intendentem, ſed carnis illecebris irretitum, ventri & luxuriæ deditum quales ſunt illi, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt*: quid illum nonne ex utraque parte fœdiſſimum judicabis, in cujus utique intentione & res, & cauſa reproba invenitur?

Duo ad rectam intentionem requiſita.

3. Ergo intendere non in Deum, ſed in ſæculum, ſæcularis animæ eſt, nec ullam prorſus genarum ſpe- C cioſam habentis. Intendere autem quaſi in Deum, non propter Deum, hypocritæ plane animæ eſt: cujus etſi una facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione reſpiciat; ipſa tamen ſimulatio omne in ea decorum exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel ſolum, vel maxime ob vitæ præſentis neceſſaria ad Deum convertent intentionem; non quidem fæce hypocriſis putidam, puſillanimitatis tamen vitio dicimus ſubobſcuram, & minus acceptam. Porro è contrario intendere in aliud quàm in Deum, tamen propter Deum; non otium Mariæ, ſed Marthæ negotium eſt. Abſit autem ut quæ hujuſmodi eſt, quicquam illam dixerim habere defor- D me. Nec tamen ad perfectum affirmaverim perveniſſe decoris: quippe quæ adhuc ſollicita eſt & turbatur erga plurima, & non poteſt terrenorum actuum vel tenui pulvere non reſpergi. Quem tamen cito facileque deterget vel in hora ſanctæ dormitionis caſta intentio, & bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum. Ergo ſolum inquirere Deum propter ipſum ſolum, hoc plane eſt utramque bipertitæ Intentionis faciem habere pulcherrimam: atque id proprium ac ſpeciale ſponſæ, cui merito ſingulari prærogativa audire conveniat: *Pulcra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.*

4. Cur vero *ſicut turturis?* Pudica avicula eſt, & converſatio ejus non cum multis, ſed ſolo degere fer- E tur contenta compare: ita ut ſi illum amiſerit, alterum non requirat, ſed ſola deinceps converſetur. Tu ergo qui hæc audis, ut ſane non otioſe audias ea quæ ſcripta ſunt propter te, & nunc propter te verſantur & diſputantur: tu, inquam, ſi ad hujuſmodi Spiritus-ſancti incitamenta moveris, & inardeſcis dare operam, quomodo animam tuam facias ſponſam Dei: ſtude ambas ſpecioſas habere has genas tuæ Intentionis, ut imitator caſtiſſimæ volucris, ſedeas ſecundum Prophetam *ſolitarius*, quoniam levaſti te ſupra te. Omnino ſupra te eſt, Angelorum Domino deſponſari. An non ſupra te, adhærere Deo atque unum ſpiritum eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius, ſicut turtur. Nihil F tibi & turbis, nihil cum multitudine ceterorum: etiamque ipſum obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum. O ſancta anima, ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos: ſecede ab amicis & intimis, etiam & ab illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus ceteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore: ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Spiritus enim ante faciem

tuam Chriſtus Dominus, ſpirituſque requirit, non corporis ſolitudinem. quamquam & corpore interdum non otioſe te ſeparas, cum opportune potes, præſertim in tempore orationis. Tenes etiam in hoc & mandatum Sponſi, & formam: *Tu*, inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora*. Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modo ſe abſcondens à turbis, ſed nec ullum quidem diſcipulorum, nec ullum domeſticorum admittens. Denique tres ſecum intimos ſibi adduxerat, cum ultro properaret ad mortem; avulſus eſt & ab ipſis orare volens. Ergo & tu fac ſimiliter, quando orare volueris.

Et corporis tempore orationis. *Matt. 6. 6.* *Christi exemplo.* *Luc. 6. 12.* *Matt. 26. 37.*

5. De cetero ſola indicitur tibi mentis & ſpiritus ſolitudo. Solus es, ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant, ſi jurgia devites, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis injuriarum. a Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus * es. Videſne poſſe eſſe te & ſolum, cum inter multos; & inter multos, cum ſolus es? Solus es in quantacumque hominum verſeris frequentia: tantum cave alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius judex. Etiamſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilo minus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: Vehemens fuit nimis tentatio. quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem? Et memento, me modo alloqui ſponſam, & non amicum ſponſi inſtruere, cui alia ratio eſt diligentius obſervandi ne quis peccet, & explorandi an peccet, & emendandi ſi peccatum fuerit. A qua ſane neceſſitate ſponſa libera eſt, ſoli vivens ſibi, & ipſi quem diligit Sponſo pariter & Domino ſuo, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Solitudo mentis in quo. *Judicium de proximo et vitandum privatis.* *Non Paſtori.*

SERMO XLI.

Qualiter ſponſa recipit interim magnam conſolationem de contemplatione divinæ claritatis, antequam perveniat ad claram ejus viſionem.

Cant. 1. 9.

1. COllum tuum ſicut monilia. Solet ornari collum monilibus, non ipſis comparari. Sed hoc illæ faciant, quibus quia de proprio non ineſt decor, aliunde neceſſe eſt ut mendicent, unde ſe ſpecioſas mentiantur. Nam ſponſæ collum ita in ſeipſo formoſum, & tam decenter quaſi natura formatum eſt, ut extrinſecus non requirat ornatum. Quid enim opus eſt peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria, & tamquam innata ſufficit pulcritudo, in tantum ut ipſorum quoque, quæ ad ornandum quæruntur monilium poſſit adæquare nitorem? Hoc nempe intelligi voluit, qui minime quidem à collo (ut aſſolet) pendere monilia, ſed ipſum potius eſſe *ſicut monilia* dixit. Nunc jam invocandus eſt nobis Spiritusſanctus, ut ſicut ſpirituales ſponſæ genas ſua dignatione tribuit invenire, ita etiam ipſius ſpirituale collum demonſtrare dignetur. Et meo quidem intellectui (quia mihi incumbit loqui quæ ſentio) nihil interim veri ſimilius probabiliuſve elucet, quàm ipſum animæ intellectum colli nomine deſignari. Tu quoque idem (ut arbitror) approbabis, ſi advertas ſimilitudinis rationem. An non ſiquidem tibi videtur colli quodam modo vice fungi intellectus, per quem tua anima trajicit in ſe ſpiritus vitalia alimenta, atque in quædam transfundit viſcera morum, affectuumque ſuorum? Hoc ergo ſponſæ collum, id eſt purus & ſimplex intellectus, cum nuda & aperta veritate ſatis per ſeipſum reniteat, non indiget ornamento; ſed ipſum magis, tamquam pretioſum monile, animam decenter exornat, ac proinde ſimile monilibus ipſis deſcribitur. Bonum monile veritas, bonum puritas ſive ſimplicitas, bonum plane monile ſapere ad ſobrietatem. Philoſophorum vel hæreticorum intellectus non habet hunc in ſe puritatis, veritatiſque nitorem: & ideo multam curam gerunt ipſum colorare & fucare phaleris verborum, & verſutiis ſyllogiſmorum, ne, ſi nudus appareat, falſi etiam appareat turpitudo.

Intellectum colli nomine deſignari. *Tom. IV.* *Monilia veritas & ... Hæreticorum intellectui, in coloranda ſi ... ſtudentibus.*

2. Sequitur, *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*. Si, faciam, ſingulariter, & non pluraliter, *faciemus*, dixiſſet, abſolute & indubitanter hoc etiam loqui ſponſum pronuntiaſſem. Nunc autem vide ne forte magis ſodalibus ejus congruentiuſque aſſignemus, ſponſam quaſi conſolantibus tali promiſſione, quod donec perveniat ad viſionem ejus, cujus ſic flagrat deſiderio, facturi ſint illi murænulas pulcras & pretioſas, quæ ſunt aurium ornamenta. Atque hoc propterea, ut opinor, quia fides ex auditu: & quamdiu per fidem ambulatur & non per ſpeciem, danda opera potius inſtruendo auditui, quàm viſui exſerendo*. Fruſtra namque intenditur oculus, qui non ſit fide mundatus: cum ſolis, qui mundo corde ſunt, videndi copia promittatur. Scriptum vero eſt: *Fide mundans corda eorum*. Quia ergo fides ex auditu, & ex illa viſus purgatio eſt; merito illi ornandis auribus intendebant, dum auditus, ſicut ratio docuit, viſus ſit præparatio. Tu, inquiunt, ô ſponſa, intuendæ dilecti nimias claritati: ſed hoc alterius temporis eſt. Damus autem in præſentiarum ornamenta auribus tuis, quod erit tibi interim conſolatio, erit & præparatio ad hoc ipſum quod poſtulas. acſi illud Prophetæ ei dicant: *Audi filia, & vide*. Videre deſideras, ſed audi prius. Gradus eſt auditus ad viſum. Proinde audi, & inclina aurem tuam ornamentis quæ tibi facimus, ut per auditus obedientiam ad gloriam pervenias viſionis. Nos auditui tuo damus gaudium & lætitiam. Nam viſui non eſt noſtrum dare, (in quo gaudii plenitudo, & tui deſiderii adimpletio eſt:) ſed illius quem diligit anima tua. Ipſe ut gaudium tuum plenum ſit, oſtendet ſeipſum tibi; ipſe adimplebit te lætitia cum vultu ſuo. Tu interim accipe ad conſolationem murænulas has de manu noſtra: ceterum delectationes in dextera ejus uſque in finem.

Murænulæ quid. ** al. exercendo.* *Matt. 5. 8.* *Act. 15. 9.* *Fides mundat & præparat oculum mentis ad viſionem Dei.* *Pſal. 44. 11.*

3. Advertendum cujuſmodi ei murænulas offerunt: *Aureas*, inquit, *& vermiculatas argento*. Aurum divinitatis eſt fulgor, aurum ſapientia quæ deſurſum eſt. Hoc auro fulgentia quædam quaſi veritatis ſignacula ſpondent ſe figuraturos hi, quibus id miniſterii eſt, superni aurifices, atque internis animæ auribus inſerturos. Quod ego non puto eſſe aliud, quam texere ſpirituales quaſdam ſimilitudines, & in ipſis puriſſima divinæ ſapientiæ ſenſa animæ contemplantis conſpectibus importare, ut videat, ſaltem per ſpeculum & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri. Divina ſunt, & niſi expertis prorſus incognita quæ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente ſtatum, & necdum propalata perſpicui ſubſtantia luminis, jam tamen * puræ interdum contemplatio veritatis partes ſuas agere intra nos vel ex parte præſumit, ita ut liceat uſurpare etiam alicui noſtrum, cui hoc datum deſuper fuerit, illud Apoſtoli: *Nunc cognoſco ex parte*. item, *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*. Cum autem divinius aliquid raptim & veluti in velocitate coruſci luminis interluxerit menti ſpiritu excedenti, ſive ad temperamentum nimii ſplendoris, ſive ad doctrinæ uſum: continuo (neſcio unde) adſunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines, infuſis divinitus ſenſis convenienter accommodatæ, quibus quodam modo adumbratus puriſſimus ille ac ſplendidiſſimus veritatis radius, & ipſi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Exiſtimo tamen ipſas formari in nobis ſanctorum ſuggeſtionibus Angelorum, ſicut è contrario con-

Cant. 1. 10. *Quid murænulæ aureæ, vermiculatæ argento.* *Spirituales in anima contemplantis ſimilitudines.* ** al. interim.* *1. Cor. 13. 12.* *At ex his formatæ imaginatoriæ ſpecies.* *Angelorum opera.*

a Confer epiſtolam ad Fratres de Monte-Dei num. 9. quæ eſt in tomo 5. col. 204.

Tom. IV. trarias & malas ingeri immiſſiones per angelos malos A non dubium eſt.

4. Et fortaſſis hinc illud eſt ſpeculum atque ænigma, ut dixi, per quod videbat Apoſtolus ex iſtiuſmodi puris pulcriſque imaginationibus Angelorum quaſi manibus fabricatum: quatenus & Dei eſſe, quod purum & abſque omni phantaſia corporearum imaginum cernitur, ſentiamus; & elegantem quamlibet ſimilitudinem, qua id digne veſtitum apparuerit, miniſterio deputemus angelico. Quod ſignaſſe expreſſius videtur alia interpretatio, dicens: *Similitudines auri fabri faciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti.* Unum eſt, *cum diſtinctionibus argenti, & vermiculatas argento.* In quo mihi ſignificare videtur non modo ſimilitudines intus per Angelos ſug- B geri, ſed nitorem quoque eloquii per ipſos extrinſecus miniſtrari, quo congrue atque decenter ornatæ, & facilius ab auditoribus capiantur, & delectabilius. Quod ſi dixeris: Quid eloquio & argento? dicit tibi Propheta: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Ita ergo illi cæleſtes adminiſtratorii ſpiritus peregrinanti in terris ſponſæ faciunt murænulas aureas, vermiculatas argento.

(1. Cor. 13. 12.) (Ita legunt LXX.) (Pſal. 11. 7.)

5. Vide autem quomodo illa aliud cupit, & aliud accipit; & nitenti ad contemplationis quietem labor prædicationis imponitur; & ſitienti ſponſi præſentiam, filiorum ſponſi pariendorum, alendorumque ſollicitudo injungitur. Neque nunc tantum accidit il- C li hoc; ſed & alia vice, ut memini, cum ſponſi amplexus & oſcula ſuſpiraret, reſponſum eſt ei: *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* ut ex hoc ſe intelligeret matrem, atque ad dandum lac parvulis, nutriendumque filios revocari. Fortaſſis & in aliis cantici hujus locis hoc ipſum tu quoque (niſi piger ſis ad inquirendum) per te ipſum advertere poteris. An non res iſta quondam in ſancto patriarcha Jacob præfigurabatur, cum fruſtratus optatis diuque exſpectatis Rachelis amplexibus, pro ſterili & decora fœcundam & lippam invitus atque ignarus accepit? Ita ergo nunc ſponſa ſcire cupiens & inquirens, ubi in meridianis horis dilectus paſcat & cubet, murænulas pro D eo reportat aureas, vermiculatas argento, id eſt ſapientiam cum eloquentia; haud dubium quin ad prædicationis opus.

(Contemplationis avidis labor prædicationis imponitur.) (Cant. 1. 1.) (Gen. 29. 25.) (Murænulæ aureæ quid.)

6. Docemur ex hoc ſane, intermittenda plerumque dulcia oſcula propter lactantia ubera; nec cuiquam ſibi, ſed [a] omnibus eſſe vivendum. Væ qui bene de Deo & ſentire, & eloqui acceperunt, ſi quæſtum æſtiment pietatem; ſi convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum; ſi alta ſapientes, humilibus non conſentiant. Paveant quod in Propheta legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum & argentum meum; ipſi autem de argento & auro meo operati ſunt Baal.* Tu ergo audi quid ſponſa, ac- E cepta hinc quidem increpatione, inde vero promiſſione, reſponderit. Neque enim vel de promiſſis extollitur, vel pro repulſa iraſcitur; ſed, ſicut ſcriptum eſt, *Corripe ſapientem, & amabit te;* & item quod ad donationes & promiſſiones ſpectat, *Quanto major es, humilia te in omnibus.* quod ex ejus reſponſione melius utrumque patebit. Sed ipſa, ſi placet, diſcuſſio in aliud ſermonis principium differatur: & de iis quæ dicta ſunt, glorificemus ſponſum Eccleſiæ Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

(Concionatori fugienda vanitas & quæſtus.) (Oſee 2. 8.) (Cautio pro concionatoribus.) (Prov. 9. 8.) (Eccli. 3. 20.)

SERMO XLII.

De duplici humilitate, una videlicet, quam parit veritas; & altera, quam inflammat caritas.

(Cant. 1. 11.) 1. *CUm eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Hæc ſunt verba ſponſæ, quæ in hodiernum diem diſtulimus; hoc reſponſum, quod dedit ubi increpata eſt à ſponſo, non tamen ſponſo, ſed ejus ſodalibus. quod facile eſt advertere ex verbis ipſis. Cum enim non dicit, quaſi ad ſecundam perſonam, cum eſſes rex in accubitu tuo, ſed, *Cum eſſet in accubitu ſuo;* patet quod non ad ipſum loquitur, ſed de ipſo. Puta proinde ſponſum, ubi eam (quatenus viſum fuit) aut corripuit, aut repreſſit; comperta ex ſuffuſione genarum verecundia, ceſſiſſe loco, ut illa ſe abſente loqueretur liberius quæ ſentiret: ſed & ſi pavidior (ut aſſolet) quàm oportuerit, & dejectior animo facta eſſet, ſodalium eam conſolationes erigerent. Quod tamen & per ſeipſum facere non neglexit, quantum judicavit pro tempore oportere. Nam ut clarum relinqueret quantum ſibi in illa correptione complacuit, quippe quam ſenſit digne, & prout oportuit acceptari; non ſane ante ſe abſentavit, quam ex abundantia (quod non eſt dubium) cordis prorumperet in laudes ejus, & genarum collique ipſius pulcritudinem commendaret. Propterea & qui cum ipſa remanent, blande loquuntur illi, & munera offerunt, ſcientes Domini voluntatem. Ad ipſos ergo reſponſio ejus. Et litteralis quidem contextio ſchematis ita ſe habet.

2. Sed priuſquam ex hac teſta nucleum ſpiritus elicere inchoemus, dico unum breviter. Felix, cui ſua objurgatio ſic reſpondet, quemadmodum habemus formam præſentis loci. Utinam magis neminem objurgare neceſſe ſit! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes; mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget caritas. Quod ſi arguero & fecero quod meum eſt, illa autem increpatio procedens minime quod ſuum eſt faciat, neque id ad quod miſi illam, ſed revertatur ad me vacua, tamquam jaculum feriens & reſiliens: quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nonne angor [b], nonne torqueor? Et ut mihi uſurpem aliquid ex verbis Magiſtri *, quia de ſapientia * non poſſum; prorſus coarctor è duobus, & quid eligam neſcio: placeretne mihi in eo quod locutus ſum, quoniam quod debui feci; an pœnitentiam agere ſuper verbo meo, quia quod volui, non recepi. Volui nimirum perimere hoſtem, & eripere fratrem; & non feci ſic, magis autem contrarium accidit. nam læſi animam, & culpam auxi, ſiquidem acceſſit & contemptus. *Nolunt audire te,* inquit, *quia nolunt audire me.* Vides quæ majeſtas contemnitur. Non te putes me ſolum ſpreviſſe. Dominus locutus eſt; & quod dixit Prophetæ, dixit & Apoſtolis: *Qui vos ſpernit*, ait, *me ſpernit.* Non ſum Propheta, non ſum Apoſtolus; & Prophetæ tamen & Apoſtoli (audeo dicere) vice fungor: & quibus non æquor meritis, eorum implicor curis; etſi ad meam multam confuſionem, etſi ad grande periculum mihi, ſuper cathedram Moyſi ſedeo, cujus tamen non vindico mihi vitam, nec experior gratiam. Quid tamen? num ideo cathedræ non deferetur, quoniam occupata eſt ab indigno? Etiamſi Scribæ & Phariſæi in ea ſedeant, inquit: *Quæ dicunt facite.*

(Phil. 1.) (Ezech. 3. 7.) (Luc. 10. 16.)

3. Plerumque etiam impatientia contemptui jungitur, ita ut aliquis non ſolum non curet corrigi objurgatus, ſed inſuper objurganti indignetur, more phrenetici manum medici repellentis. Mira perverſitas! Medicanti iraſcitur, qui non iraſcitur ſagittanti! Eſt enim qui ſagittat in obſcuro rectos corde, qui & teipſum nunc ſagittavit ad mortem; & in illum non F commoveris? Mihi indignaris, qui ſanum te fieri cupio? *Iraſcimini*, inquit, *& nolite peccare.* Si peccato iraſceris, non ſolum minime peccas, ſed & quod peccaras, exterminas. Nunc vero & peccatum retines medicamentum reſpuendo, & peccare apponis irrationabiliter iraſcendo; & eſt ſupra modum peccans peccatum.

(Pſal. 4. 5.)

4. Aliquoties additur & impudentia, ut non modo

a Editi primi habent, *ſed omnes illi qui mortuus eſt pro omnibus, eſſe vivendum.*

b *Nam etſi dicimus quod dicendum eſt*, ait in eadem cauſa Auguſtinus ſermone 269. num. 9. *tamen nolumus mercedem noſtram ſecuram eſſe vobis perditis, ſed vobis inventis.*

impatientes

5. Impudentia

impatienter ferat quod corripitur, ſed etiam id unde reprehenditur, impudenter defendat. Hoc plane deſperatio. *Frons*, inquit, *mulieris meretricis facta eſt tibi; noluiſti erubeſcere.* & ait: *Receſſit zelus meus à te, ultra non iraſcar tibi.* Solo auditu contremiſco. Sentiſne quanti periculi, quantique horroris & tremoris res ſit peccati defenſio? Dicit iterum: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* SI ERGO TE ZELUS DESERUIT; & amor: nec eris amore dignus, qui indignus caſtigatione cenſeris. Vides quia tunc magis iraſcitur Deus, dum non iraſcitur. *Miſereamur impio*, inquit, *& non diſcet facere juſtitiam.* Miſericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miſeratio iſta, ſæpiens mihi vias juſtitiæ. Satius profecto mihi, juxta Prophetæ conſilium, apprehendere diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & peream de via juſta. VOLO IRASCARIS MIHI, Pater miſericordiarum: ſed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadverſio parit, hoc formidoloſa nutrit diſſimulatio. Non enim cum neſcio, ſed cum ſentio te iratum, tunc maxime confido propitium: etenim cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. *Deus*, inquit, *tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum.* Moyſen loquitur & Aaron, atque Samuelem, quos modo præmiſerat; & hoc vocat propitiationem, quod eorum Deus non pepercit exceſſibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum, defendendo errorem, & accuſando correptionem. An non iſtud eſt malum dicere bonum, & bonum malum? An non ex hac odioſa impudentia pullulabit mox impœnitentia, mater deſperationis? Quem enim pœniteat ſuper bono quod putat? *Væ illis*, inquit. *Væ* iſtud æternum eſt. Aliud eſt quemque tentari à propria concupiſcentia abſtractum & illectum; & aliud ſponte appetere malum tamquam bonum, ad mortem quaſi ad vitam male ſecurum properare. Pro hujuſmodi, dico, mallem aliquando tacuiſſe & diſſimulaſſe quod agi perperam deprehendi, quàm ad tantam reprehendiſſe perniciem.

Jerem. 3. 3.
Ezech. 16. 42.
Apoc. 3. 19.
Iſa. 26. 10.
Graviſſima Dei ira cum ſinit impune peccare
Pſal. 2. 12.
Pſal. 98. 8.
Iſa. 5. 20.

Paſtori pio non ſuffic it ſua correptio, ſi adhuc periclitetur inferior.

5. Dicas forſan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, & quia liberavi animam meam, & mundus ſum à ſanguine hominis, cui annuntiavi & locutus ſum, ut averteretur à via ſua mala, & viveret. Sed etſi innumera talia addas, me tamen minime iſta conſolabuntur, mortem filii intuentem. Quaſi vero meam illa reprehenſione liberationem quæſierim, & non magis illius! Quæ enim mater, etiamſi omnem quam potuit curam & diligentiam ægrotanti filio adhibuiſſe ſe ſciat, ſi deinum fruſtratam ſe viderit, & omnes labores ſuos eſſe penitus inefficaces, illo nihilo minus moriente, propterea umquam à fletibus temperavit? Et illa quidem hoc pro morte temporali: quanto magis me pro morte æterna mei filii manet utique ploratus & ululatus multus, etiamſi nihil mihi conſcius ſum, quominus annuntiaverim illi? Vides etiam à quantis è regione malis & ſe, & nos liberat, qui correptus manſuete reſpondet, verecunde acquieſcit, modeſte obtemperat, humiliter confitetur. Huic ego animæ in omnibus me profitear debitorem, huic me miniſtrum & ſervum, tamquam digniſſimæ Domini mei ſponſæ, & quæ revera dicere poſſit: *Cum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.*

Cant. 1. 11.

Nardus humilitatem deſignat.

Humilitas duplex, cognitionis & affectus.
V. ſerm. 4. in Adventu num. 4.

6. Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis aſcendens, perfuſis circumquaque vicinis regionibus, ipſum quoque regium accubitum grata ſuavitate reſpergat. Eſt nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ hi, qui herbarum vires curioſius explorarunt. Et ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea ſane dico, quoniam eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas, quam caritas format & inflammat. Atque hæc A quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intus ad lumen veritatis & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes proculdubio, quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te Veritatem habere cognoſcis. Sane quod in te B eſt dixerim: quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia quæ nos ſcimus de nobis, atque ipſa veritatis caritate, & caritatis veritate vetamur palam fieri velle, quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore tui tentus detines pariter intra te judicium veritatis incluſum; cui dubium eſt minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum, vel honorem?

Illa neceſſitatis, hæc voluntatis eſt.
Philipp. 2. 7.

7. Vides igitur non eſſe idipſum, hominem de ſeipſo non altum jam ſapere, veritate luminis redargutum; & humilibus ſponte conſentire, munere caritatis adjutum. Illud enim neceſſitatis eſt, hoc voluntatis. *Semetipſum exinanivit*, inquit, *formam ſervi accipiens*, C & formam humilitatis tradens. Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit, non neceſſitate judicii, ſed noſtri caritate. Poterat nimirum vilem ſe & contemptibilem demonſtrare, ſed plane non reputare, quoniam ſciebat ſeipſum. Voluntate proinde humilis fuit, & non judicio, qui talem ſe extolit, qualem ſe eſſe neſcivit [a]: magis autem placuit minimum reputari, qui ſe ſummum non ignorabat. Denique ait: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Corde dixit, cordis affectu, id eſt voluntate. Itaque neceſſitatem excluſit, qui voluntatem confeſſus eſt. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferiorita- D te, dignos etiam ſuppliciis, dignos plagis: non, inquam, ita & ille. quæ tamen omnia expertus eſt, quia voluit, tamquam humilis corde; humilis videlicet illa humilitate, quam cordis ſuaſit affectio, non quam extorſit diſcuſſio veritatis.

Chriſtus perfecte humilis.

Vera humilitas non tam à veritate, quam à caritate naſcitur.

8. Propterea dixi, hanc voluntariæ humilitatis ſpeciem, non redargutione veritatis, ſed caritatis intra nos infuſione creari, quia cordis eſt, quia affectionis, quia voluntatis: an vero recte, tu judica. Itemque etiam hoc tuo æque examinetur judicio, dignene camdem Domino aſſignarim, quem caritate conſtat exinanitum, caritate minoratum ab Angelis, caritate parentibus ſubditum, caritate Baptiſtæ manibus inclinatum, caritate carnis infirma paſſum, caritate poſtremo morti E obnoxium, cruce inglorium exſtitiſſe. Sed & hoc unum adhuc tui ſit conſiderare arbitrii, rectene etiam hanc ipſam humilitatem ita caritate calentem, herba humili & calida, id eſt nardo, putaverim deſignatam. Et ſi ita cuncta probaveris, (probabis enim rationi manifeſtiſſimæ acquieſcens) tunc ſi jam apud te ipſum humiliatus es neceſſaria illa humilitate, quam ſcrutans corda & renes Veritas ſenſibus ingerit animæ vigilantis; adhibe voluntatem, & fac de neceſſitate virtutem, quoniam nulla eſt virtus ſine convenientia * voluntatis. Sic autem fiet iſtud, ſi nolis alter apparere foris, quàm te invenis intus. Alioquin time, ne de F te ipſo legas: *Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Pondus*, inquit, *& pondus abominatio eſt apud Deum.* Quid enim? Tu te depretiaris in ſecreto apud teipſum, veritatis trutina ponderatus; & foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quàm ab ipſa accepiſti? Time Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim reſiſtere eſt veritati, hoc pugnare contra Deum. Ma-

* al. conniventia.
Cave aliter foris velle videri quam ſis.
Pſal. 35. 3.
Prov. 20. 10.

a Aliis, *qualem eſſe neſcivit*, ſubaudiendo *ſi* ex proximo membro, id eſt qualem ſe non eſſe intellexit, nempe vilem & contemtibilem.

Tom. IV. gis autem acquieſce Deo, & ſit voluntas ſubdita veritati: nec tantum ſubdita, ſed & devota. *Nonne Deo*, inquit, *ſubjecta erit anima mea?* (Pſal. 61. 1.)

9. At parum eſt eſſe ſubjectum Deo, niſi ſis & omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Abbati, tamquam præcellenti; ſive Prioribus, tamquam ab eo conſtitutis. Ego plus dico, ſubdere paribus, ſubdere & minoribus. *Sic enim decet nos*, inquit, *omnem implere juſtitiam.* Vade & tu ad minorem, ſi vis in juſtitia eſſe perfectus; defer inferiori, juniori te inclinato. Hoc enim faciens, trahes & ipſe ad te ſponſæ ſermonem quem dixit: *Quia nardus mea dedit odorem ſuum.* Odor devotio eſt, odor bona opinio, quæ ad omnes pervenit, ut Chriſti ſis bonus odor in omni loco, ſpectabilis omnibus, amabilis omnibus. Non poteſt hoc ille humilis, quem veritas ad humilitatem cogit; quoniam ſibi habet illam, & exire non patitur, ut ſparſa foris redoleat. Magis autem non habet odorem, quia non habet devotionem, utpote qui non ſponte, neque libenter ſe humiliat. Sponſæ vero humilitas, tamquam nardus, ſpargit odorem ſuum, amore calens, devotione vigens, opinione redolens. Sponſæ humilitas voluntaria eſt, perpetua eſt, fructifera eſt. Odor ejus nec reprehenſione exterminatur, nec laude. Audierat: *Pulcra ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & collum tuum ſicut monilia.* Acceperat & repromiſſionem ornatus aurei, & nihilo minus tamen cum humilitate reſpondet: & quanto majorem ſe audit, tanto humiliat ſe in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas humilitatis obliviſcitur, quam & humiliter confitetur ſub nardi nomine, ac ſi voce virginis Mariæ dicat: Nullius mihi meriti conſcia ſum ad tantam dignationem, niſi quod *reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ.* Nam quid eſt aliud, *nardus mea dedit odorem ſuum*, quam placuit mea humilitas? Non mea, inquit, ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulcritudo, quæ nulla erant mihi, ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorem ſuum, id eſt ſolitum. Solito placet Deo humilitas; ſolito plane atque ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit. & ideo cum eſſet Rex in accubitu, id eſt in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit. *In altis habitat*, inquit, *& humilia reſpicit in cælo & in terra.*

Humilitas etiam in pares & inferiores extendenda. — Matt. 3. 15.

Humilitas coactionis ſola imperfecta.

Cant. 1. 9. — Luc. 1. 48. — Cant. 1. 11.

Humilitas quàm grata Deo. — Pſal. 112. 5.

10. Ergo cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus ſponſæ dedit odorem ſuum. Accubitus Regis, ſinus eſt Patris: quia ſemper in Patre Filius. Nec dubites Regem hunc eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paternæ benignitatis diverſorium. Merito clamor humilium aſcendit ad eum, cui fons pietatis eſt manſio, cui familiaris ſuavitas, cui ſubſtantialis, vel potius conſubſtantialis bonitas eſt: cui ideo totum quod eſt, de Patre eſt, ut nil prorſus in regia majeſtate, niſi paternum, humilium trepidatio ſuſpicetur. Denique *propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus.* Horum igitur conſcia ſponſa (utpote domeſtica atque cariſſima) non ſe putat arcendam * ſponſi gratia penuria meritorum, ſola de humilitate præſumens. Regem denique nominat, nam ſponſum interim territa increpatione non audet; & in alto habitare fatetur, nec ſic tamen diffidit humilitas.

Cant. 1. 11. — Pſal. 11. 6. — * al. arſtandam.

11. Primitivæ Eccleſiæ potes hunc congruentiſſime aptare ſermonem, ſi recordaris dies illos, quibus, aſſumpto Domino ubi erat prius, & ſedente in dextera Patris, illo ſuo antiquo nobili atque glorioſo accubitu, Diſcipuli erant congregati in loco uno, perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus. Nonne tibi videtur revera tunc temporis nardum parvulæ & trepidantis ſponſæ dare odorem ſuum? Denique cum *factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes*, an non merito paupercula tunc dicere potuit: *Cum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum?* Patuit pro certo omnibus in loco manentibus, quàm gratus humilitatis, & quàm beneplacitus odor aſcenderat, cui mox tam copioſa & glorioſa remuneratione reſponſum eſt. Ceterum illa non ingrata beneficii fuit. Audi enim quomodo mox repleta devotione parat ſe ad omnia mala perferenda pro nomine ejus. nam ſequitur: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Infirmitas mea, quam noſtis, non ſinit ulterius progredi. Hoc ſolum dico: quia tribulationum amaritudines ſub myrrhæ nomine dicit ſe ſubire paratam amore dilecti. Reliquum capituli alias proſequemur, ſi tamen exoratus à vobis Spiritus-ſanctus adfuerit, qui nos intelligere faciat verba ſponſæ, quæ ipſe inſpirando formavit, ſicut novit illius, cujus ipſe Spiritus eſt, laudibus convenire, ſponſi Eccleſiæ Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Eccleſiæ primitivæ quomodo iſta conveniant. — Act. 2. 2. — Cant. 1. 12. — Ibid. 12.

SERMO XLIII.

Qualiter conſideratio paſſionis & laborum Chriſti faciat ſponſam, id eſt animam, pergere illæſam inter proſpera & adverſa hujus mundi.

1. FAſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Ante rex, modo dilectus: ante in accubitu regio, modo inter ſponſæ ubera. MAGNA humilitatis virtus, cui etiam deitatis majeſtas tam facile ſe inclinat. Cito reverentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum eſt: & qui longe erat, in brevi factus eſt prope. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Myrrha, amara res, dura & aſpera tribulationum ſignificat. Ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſubituram. *Ibant*, inquit, *gaudentes Diſcipuli à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Propterea denique non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipſius ducat, quicquid laboris immineat & doloris. Bene faſciculus, quia parvulus natus eſt nobis. Bene faſciculus, *quia non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Id enim*, inquit, *quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo eſt faſciculus myrrhæ. An non faſciculus, cujus *jugum ſuave eſt, & onus leve?* Non quia levis in ſe (nec enim levis paſſionis aſperitas, mortis amaritudo:) ſed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus:* ſed *mihi*, inquit, quæ diligo, faſciculus eſt. Unde & dilectum nominat, monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam, & quia fortis eſt ut mors dilectio. Et ut ſcias non in ſe illam, ſed in Domino gloriari, neque de propria virtute, ſed de Domini adjutorio præſumere fortitudinem; dicit illum inter ubera ſua commoraturum, cui ſecura decantet: *Etiamſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Act. 5. 41. — Iſa. 9. 6. — Rom. 8. 18. — 2. Cor. 4. 17. — *Jugum Chriſti ſuave, ad amanti.* — Matt. 11. 30. — Cant. 1. 6. — Pſal. 22. 4.

2. Memini me in uno ſuperiorum ſermonum * duo ſponſæ ubera Congratulationem diffiniſſe atque Compaſſionem, juxta Pauli doctrinam, dicentis: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Quia vero inter adverſa & proſpera verſans, novit utrobique pericula non deeſſe; medium hujuſcemodi uberum ſuorum vult habere dilectum, cujus adverſus utraque continua protectione munitam nec læta extollant, nec triſtia dejiciant. Tu quoque, ſi ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens, quo poſſis dicere & tu: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

* Serm. 10. num. 1. — Rom. 12. 15. — *Paſſionis Chriſti memoria quomodo ſponſæ in adverſis proficua.*

3. Et ego, Fratres, ab ineunte mea converſione, pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei, primum videlicet in-

Bernardi devotio erga paſſionem Chriſti.

familiūm illarum neceſſitatum; deinde laborum [a] quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, poſtremo periculorum in falſis fratribus, conviciorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſilva evangelica copioſiſſime noſcitur protuliſſe. Ubi ſane inter tot odoriferæ myrrhæ hujus ramuſculos minime prætermittendam putavi etiam illam myrrham, qua in cruce potatus eſt; ſed neque illam, qua unctus eſt in ſepultura. Quarum in prima applicuit ſibi meorum amaritudinem peccatorum: in ſecunda futuram incorruptionem mei corporis dedicavit. Memoriam abundantiæ ſuavitatis horum eructabo, quoad vixero: in æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum.

[Pſal. 118. 77.]

4. Has olim ſanctus David cum lacrymis requirebat: *Veniant mihi*, inquiens, *miſerationes tuæ, & vivam.* Has & alius quidam Sanctorum cum gemitu memorabat, dicens: Miſericordiæ Domini multæ. Quàm multi reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt! Ipſi laboraverunt, & ego in labores eorum introivi: ego meſſui myrrham, quam illi plantaverunt; mihi hic ſalutaris faſciculus ſervatus eſt: nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi ſapientiam, in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis, ex his rurſum ſuavis unctio conſolationis. Hæc me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt, & inter læta, triſtiaque vitæ præſentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum poteſtatibus mitem humilemque figurant, dum non ſolum placabilem, ſed & imitabilem repræſentant eum, qui inacceſſibilis eſt principatibus, terribilis apud reges terræ. Propterea HÆC MIHI IN ORE frequenter, ſicut vos ſcitis: hæc in corde ſemper, ſicut Deus ſcit: hæc ſtilo meo admodum familiaria, ſicut apparet: hæc mea ſublimior interim philoſophia, ſcire Jeſum, & hunc crucifixum. Non requiro, ſicut ſponſa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi paſcat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illud ſublimius, iſtud ſuavius; panis illud, hoc lac; hoc viſcera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum: & ideo inter ubera mea commorabitur.

[Meditationis hujus utilitas.]

[Cant. 1. 6.]

[Eam ſuis quoque commendat.]

5. Hunc & vos, dilectiſſimi, tam dilectum faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum ſemper non retro in humeris, ſed ante præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia *accepit eum Simeon in ulnas ſuas*; Maria geſtavit in utero, fovit in gremio, ſponſa ſibi inter ubera collocavit. Et, ne quid prætermittam, factum eſt verbum in manu Zachariæ prophetæ, necnon & quorumdam aliorum. Arbitror & Joſeph virum Mariæ ſuper genua frequenter illi arriſiſſe. Hi omnes ante ſe eum habuerunt, & nullus retro. Exemplo ergo ſint vobis, ut & vos ſimiliter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, levius veſtras portabitis, ipſo auxiliante Eccleſiæ ſponſo, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Luc. 2. 28]

SERMO XLIV.

De correptione pro ingenio peccantium moderanda: ut nempe humiles & morigeri leniter, duri & obſtinati auſtere corrigantur.

[Cant. 1. 13.]

1. BOtrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Si dilectus in myrrha, multo magis in botri ſuavitate. Ergo Dominus meus Jeſus myrrha mihi in morte, botrus in reſurrectione, ſeipſum mihi ſaluberrimum temperavit in potum, in lacrymis in menſura. Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus. Itaque tu ſi peccata luxiſti, bibiſti amaritudinem: ſi autem jam reſpiraſti in ſpem vitæ vita ſanctiori, mutata eſt tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis. Et fortaſſis hoc illud ſignificaverit, quod Salvatori oblatum eſt in cruce * myrrhatum; & ideo noluit bibere, quoniam iſtud ſitiebat. Tu ergo poſt myrrhæ (ut dixi) amaritudines, vinum jucunditatis experiens, haud temere & ipſe dicere poteris: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Engaddi duplicem habet interpretationem, & utraque intellectui ſerviunt. Dicitur namque fons hœdi, & baptiſma gentium; lacrymaſque peccantium aperte deſignat. Dicitur & oculus tentationis, qui & lacrymas æque fundat; & tentationes, quæ minime umquam deſunt vitæ hominis ſuper terram, proſpiciat. Sed & populus gentium, qui ambulabat in tenebris, numquam per ſe laqueos tentationum agnoſcere, ac per hoc nec evadere potuit, donec per gratiam illius qui illuminat cæcos, recepit oculos fidei; donec venit ad Eccleſiam, quæ habet oculum tentationis; donec ſe tradidit viris ſpiritualibus inſtruendum, qui illuminati ſpiritu ſapientiæ, ſuo & experimento docti, poſſunt veraciter dicere, quia non ignoramus aſtutias diaboli, & cogitationes ejus.

[Rom. 4. 25.]

[* al. add. vinum.]

[Engaddi interpretatio.]

[2. Cor. 2. 11]

2. Ferunt in Engaddi arbuſculas balſami creſcere, quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur: & inde forſitan *vineas* appellavit. Alioquin quid faceret botrus Cypri in vineis Engaddi? Quis umquam botros de vineis in vineas tranſportavit? Solet ſiquidem vinum, ubi deeſt, aliunde evehi, non ubi adeſt. Ergo vineas Engaddi dicit plebes Eccleſiæ, quæ habet balſami liquorem, ſpiritum manſuetudinis, in quo parvulorum adhuc in Chriſto teneritudinem blande fovet, & dolores pœnitentium conſolatur. Sed & ſi quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir eccleſiaſticus, qui hunc ſpiritum jam accepit, curabit hujuſmodi mox inſtruere in eodem ſpiritu lenitatis, conſiderans ſeipſum, ne & ipſe tentetur. In hoc typo quotquot baptizandi ſunt, etiam corporaliter Eccleſia oleo materiali ungere conſuevit.

[Vineæ Engaddi allegoricè.]

[Gal. 6. 1.]

3. Quia vero vulnera illius qui incidit in latrones, & jumento corporis pii Samaritani, Eccleſiæ eſt deportatus in ſtabulum, non in ſolo oleo, ſed in vino ſimul & oleo ſanitatem recipiunt: neceſſarium habet ſpiritualis medicus etiam vinum fervidi zeli cum oleo manſuetudinis, cui ſane convenit non modo conſolari puſillanimes, ſed & corripere inquietos. Si enim viderit illum qui vulneratus eſt, id eſt qui peccavit, blandis ac lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata ſunt, minime emendatum, magis autem forte etiam abutentem ſua manſuetudine, & patientia negligentiorem fieri, & in peccato ſuo etiam ſecurius obdormire: fruſtratu tam ſuavium oleo monitorum, oportebit ſane mordacioribus uti medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo increpationibus atque invectionibus agere, &, ſi cauſa requirit, & duritia tanta eſt, etiam cenſuræ eccleſiaſticæ baculo percellere contemptorem. Sed unde illi hoc vinum? Nec enim in vineis Engaddi vinum invenitur, ſed oleum. Quærat ergo in Cypro; (nam illa inſula ferax eſt vini, & vini optimi;) tollenſ-

[Luc. 10. 30.]

[Correptionis aſperitas manſuetudine lenienda.]

[Duri & contumaces durius corripiendi.]

[Cenſura eccleſiaſtica.]

a Eadem verba leguntur in ſermone feriæ 4. majoris hebdomadæ num 11. & ſermone 22. de diverſis num. 5.

Tom. IV.

Num. 13. 24.

que inde ſibi ingentem botrum, quem olim exploratores de Iſraël in vecte ferebant, chorum propheticum præcedentem, & ſubſequentem apoſtolicum, medium autem Jeſum pulcro ſchemate figurantes; hunc ergo botrum accipiens ſibi, dicat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

Cant. 1. 13.

4. Vidimus botrum: videamus qualiter zeli vinum exprimatur ex eo. Etenim ſi peccanti homini homo peccator minime indignatur, ſed magis quaſi quemdam ei ſuaviſſimi balſami rorem ſudans pium exhibet compaſſionis affectum; hoc ſcimus unde venit, & jam audiſtis, ſed non advertiſtis forſitan. Dictum namque eſt, quod ex conſideratione ſui ipſius cuique veniat manſuetum eſſe ad omnes, dum homo conſilio ſapientiſſimi Pauli, ut pie condeſcendere ſciat præoccupatis in peccato, conſiderat ſeipſum, ne & ipſe tentetur. An non hinc denique amor proximi radicem trahit, de quo in lege mandatur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum?* Ex intimis ſane humanis affectibus primordia ducit ſui ortus fraterna dilectio, & de inſita homini ad ſeipſum naturali quadam dulcedine, tamquam de humore terreno, ſumit proculdubio vegetationem & vim, per quam, ſpirante quidem gratia deſuper, fructus parturit pietatis: ut quod ſibi anima naturaliter appetit, naturæ conſorti, id eſt alteri homini, jure quodam humanitatis, ubi poterit & oportuerit, non exiſtimet denegandum, ſed ſponte ac libens impertiat. Ineſt ergo naturæ, ſi peccato non obſoleſcat, iſtiuſmodi gratæ & egregiæ quaſi ſuavitatis liquor, ut molliorem magis ad compatiendum peccantibus, quàm ad indignandum aſperiorem ſeſe ſentiat & exhibeat.

Unde manſuetudo & fraterna dilectio oriantur.

Galat. 6. 1.

Luc. 10. 27.

Eccl. 10. 1.

5. Verum quia juxta Sapientis ſententiam, muſcæ morituræ exterminant hoc ſuavitatis unguentum, & minime habet in ſe natura, unde id reparet ſibi ſemel amiſſum; ſentit ſe dolenda mutatione corruere in illud, quod veraciter ait Scriptura: *Proni ſunt ſenſus hominis & cogitationes in malum ab adoleſcentia.* Non bona adoleſcentia, in qua filius junior portionem ſibi paternæ ſubſtantiæ poſtulat ſequeſtrari, & bonum incipit velle dividere, quod in commune dulcius poſſidetur; & habere ſolus, quod participatione non minuitur, partitione amittitur. Denique *omnia*, inquit, *bona ſua diſſipavit, vivendo luxurioſe cum meretricibus.* Quænam hæ meretrices? Vide ne ipſæ ſint, quæ exterminant ſuavitatis unguentum, carnales videlicet concupiſcentiæ, de quibus ſaluberrime Scriptura te admonens, *Poſt concupiſcentias*, inquit, *tuas non eas.* Et merito morituras deſcribit Sapiens: quoniam *& mundus tranſit, & concupiſcentia ejus.* His ergo dum ſatisfacere ſingulariter volumus, boni nos ſocialis atque communis ſingulari ſuavitate privamus. Hæ prorſus muſcæ ſordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis & ſollicitudinibus lacerant, ſocialis gratiæ ſuavitatem exterminant. Hinc homo junior filius appellatur, quod natura quodam inſenſatæ lubrico adoleſcentiæ depravata, omnem virilis maturitatis ac ſapientiæ ſuccum amiſerit; & verſus in aſperum, arente animo præter ſe univerſos deſpiciat, factus ſine affectione.

Gen. 8, 21.

Luc. 15. 13.

Eccl. 18. 30.

1. Joan. 2. 17.

Concupiſcentiæ carnales tollunt compaſſionis affectum.

6. Igitur ab ineunte adoleſcentia iſta peſſima atque miſerrima proni ſunt ſenſus hominis & cogitationes in malum, & natura ad indignandum, quàm ad compatiendum paratior. Inde homo tamquam omnino exutus hominem, in quo vult ſibi, cum opus habet, ab hominibus ſubveniri, non vult ipſe hominibus opus habentibus ſubvenire. Magis autem judicat, ſpernit, irridet homo homines, delinquentes peccator, non conſiderans ſeipſum, ne & ipſe tentetur. A quo malo minime per ſe (ut dixi) natura reſurget, neque recuperabit oleum ingenitæ manſuetudinis, quod ſemel eſt exterminatum in ea. Verumtamen quod non poteſt natura, poteſt gratia. Quem ergo hominum unctio ſpiritus miſerata, perfundere denuo ſua benignitate dignabitur, is continuo revertetur in hominem, inſuper & aliquid melius à gratia, quàm à natura recipiet. In fide & lenitate ſanctum faciet illum, & dabit illi, non oleum, ſed balſamum in vineis Engaddi.

Homo ad indignationem quàm ad compaſſionem pronior.

Gratia id reformat.

7. Nec enim dubium ex fonte hædi profluere chariſmata meliora, cujus utique unctio hædos vertit in agnos, & de ſiniſtra transfert in dexteram peccatores, abundantius quidem ante perfuſos unctione miſericordiæ, ut ubi abundaverunt delicta, ſuperabundet & gratia. An non vere videtur tibi rediiſſe quodammodo is homo in hominem, qui animi ſecularis feritate depoſita, & recuperata, etiam cum fœnore gratiæ, humanæ unctione manſuetudinis, quam in ipſo muſcæ carnalium cupiditatum penitus exterminarant; de ſuo quem geſtat homine, immo qui ipſe eſt, & materiam ſumit, & formam miſerendi hominibus aliis, ita ut tamquam feralem quemdam rictum * exhorreat, non ſolum cuiquam facere hominum quod pati ipſe nolit, ſed etiam non facere omnia omnibus quæcumque ſibi fieri velit?

Rom. 5. 20.

* al. morſum

8. Eo unde oleum. Vinum unde? Profecto ex botro Cypri. Etenim ſi amas Dominum Jeſum toto corde, tota anima, tota virtute tua; numquid ſi videris ejus injurias, contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poteris? Minime: ſed mox arreptus ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris, & tamquam potens crapulatus a vino, repletus zelo Phinees, dices cum David: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* & cum Domino: *Zelus domus tuæ comedit me.* Vinum eſt ergo fervidiſſimus zelus iſte, expreſſum de botro Cypri, & calix inebrians Chriſti amor. Denique *Deus noſter ignis conſumens eſt*, & Propheta ignem dicebat de excelſo miſſum in oſſibus ſuis, eo quod divino amore flagraret. Habens itaque ex fraterno oleum manſuetudinis, & ex divino amore vinum æmulationis, ſecurus accede ad ſananda vulnera illius qui incidit in latrones, piiſſimi Samaritani optimus imitator. Secure quoque dicito & tu cum ſponſa, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*: hoc eſt, Zelus juſtitiæ, amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis. Et de hoc ſatis. Nam & infirmitas mea pauſandum indicit, ſicut & ſæpe facit, ita ut plerumque cogar imperfectas (ut ipſi ſcitis) relinquere diſputationes, reſiduaque capitulorum in diem alterum reſervare. Sed quid? Ego in flagella paratus ſum, ſciens me adhuc recipere longe imparia meritis. Vapulem ſane, vapulem ut male operans, ſi forte verbera in merita reputentur: fortaſſis miſerebitur flagellato, qui bonum in me non invenit quod remuneret, ſponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Amor Jeſu non patitur ejus injuriam.

Pſal. 77. 65.

Pſal. 118. 139.

Pſal. 68. 10.

Deut. 4. 24.

Thren. 1. 13.

Pſal. 37. 18.

Quale ſermonis ...

SERMO XLV.

De duplici pulcritudine animæ; & qualiter anima loquatur ad Dei Verbum, & Verbum ad animam: & quæ ſint eorum linguæ.

Cant. 1. 14.

1. *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra; oculi tui columbarum.* Pulcre, optime; ex amore, ſponſæ præſumptio; ex amore indignatio ſponſi. Hoc rei exitus probat. Etenim præſumptionem correptio, correptionem emendatio, emendationem remuneratio ſecuta eſt. Adeſt dilectus, amovetur magiſter, rex diſparet, dignitas exuitur, reverentia ponitur. Cedit quippe faſtus, ubi invaleſcit affectus. Et ſicut quondam quaſi amicus ad amicum Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat: ita & nunc inter Verbum & animam, acſi inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. Nec mirum. Ex uno amoris fonte utrique influit diligere invicem, confovere pariter. Ergo dulciora melle volant hinc inde verba, mutui in ſe totius ſuavitatis feruntur aſpectus, ſancti indices amoris. Denique is illam amicam nuncupat, pulcram pronuntiat, pulcram iterat, eadem ab illa viciſſim recipiens. Nec otioſa iteratio, quæ amoris confirmatio eſt, & fortaſſis aliquid innuit requirendum.

Familiaris inter Verbum & animam ...

A 2. Quæramus geminam animæ pulcritudinem : hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ humilitas eſt. Non à meipſo hoc dico, cum Propheta prior dixerit : *Aſperges me hyſſopo, & mundabor* ; humili herba & pectoris purgativa humilitatem ſignificans. Hac ſe poſt gravem lapſum Rex & Propheta lavari confidit, & ſic niveum quemdam innocentiæ recuperare candorem. Verum in eo qui graviter peccavit, etſi amanda, non tamen admiranda humilitas. At ſi quis innocentiam retinat, & nihilo minus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem? Sancta Maria ſanctimoniam non amiſit, & humilitate non caruit: & ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ ſociavit. denique *reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ*. Ergo beati qui cuſtodiunt veſtimenta ſua munda, videlicet ſimplicitatis & innocentiæ, ſi tamen & decorem induere humilitatis adjiciant. Profecto audiet quæ hujuſmodi invenitur : *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra*. Utinam vel ſemel dicas animæ meæ, Domine Jeſu : *Ecce tu pulcra es*. Utinam mihi humilitatem cuſtodias ! nam primam veſtem ego male ſervavi. Servus tuus ſum ego. Nec enim audeo profiteri amicum, qui teſtimonium decoris mei cum repetitione non audio. Sufficit mihi ſi ſemel audiam. Sed quid ſi & hoc in quæſtione ſit? Scio quid faciam : venerabor amicam ſervus, cumulatum in ea decorem deformis homunculus admirabor : gaudebo ad vocem ſponſi, tantam nihilo minus pulcritudinem admirantis. Quis ſcit, ſi ſaltem ex hoc inventurus ſim gratiam in oculis amicæ, ut gratia ipſius & ipſe inveniar inter amicos ? Denique amicus ſponſi ſtat, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. En vox ejus in auribus dilectæ : audiamus & gaudeamus. Adſunt ſibi, loquuntur pariter ; ſtemus ſimul : nulla nos huic ſubducat colloquio ſæculi cura, nulla illecebra corporis.

Pſal. 50. 9.
Animæ decor duplex,
Humilitas juncta innocentiæ.
Luc. 1. 48.

3. *Ecce*, inquit, *tu pulcra es amica mea : ecce tu pulcra*. *Ecce* admirationis vox eſt, reliquum laudis. Merito admiranda, cui ſanctitas amiſſa humilitatem non attulit, ſed ſervata admiſit. Merito pulcra repetitur, cui neutra defuit pulcritudo. RARA AVIS IN TERRIS, aut ſanctitatem non perdere, aut humilitatem ſanctimonia non excludi : & ideo beata quæ utramque retinuit. Denique probatum eſt : nihil ſibi conſcia eſt, & correptionem non abnuit. Nos & cum magna delinquimus, vix ferimus reprehendi : hæc autem æquo animo audit contra ſe amaritudines nihil peccans. Nam ſi deſiderat videre claritatem ſponſi, quid mali eſt? magis & laudis eſt. Et tamen increpata pœnitentiam agit, & dicit : *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hoc eſt, Sufficit mihi, nolo jam ſcire niſi Jeſum, & hunc crucifixum. Magna humilitas! Actu innocens ſuſcipit pœnitentis affectum; & quæ non habet unde pœniteat, habet tamen ut pœniteat. Cur ergo, inquis, increpata eſt, ſi nihil mali fecit? Sed enim audi nunc diſpenſationem & prudentiam ſponſi. Sicut Abrahæ olim obedientia ſane tentata eſt, ita & nunc humilitas ſponſæ. Et quomodo ille impleta obedientia tunc audivit, *Nunc cognovi quod timeas Deum* : ſic & huic modo quaſi ſub aliis verbis dicitur, Nunc cognovi quod humilis ſis. hoc enim eſt quod ait : *Ecce tu pulcra es*. Et ideo præconium iterat, ut gloriæ ſanctitatis additum ſignet humilitatis decorem. *Ecce tu pulcra es, amica mea. ecce tu pulcra*. Nunc cognovi quod pulcra ſis, non ſolum ex meo amore, ſed etiam ex tua humilitate. Non dico nunc pulcram inter mulieres, nec pulcram in genis, nec in collo, ſicut ante dicebam : ſed pulcram ſimpliciter fateor, non utique pulcram ex comparatione, non cum diſtinctione, non ex parte.

Cant. 1. 14.
Rarum hoc in terris.
Probatio ex correptione exoriæ.
Cant. 1. 12.
Correptio ad probationem.
Gen. 22. 12.

4. Et addit : *Oculi tui columbarum*. Aperte adhuc commendatur humilitas. Ad hoc ſiquidem reſpicit, quod illa reprehenſa de alta inquiſitione ſua, continuo non cunctata eſt ad ſimpliciora deſcendere, ita ut diceret : *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. Multum profecto diſtat inter vultum gloriæ, & faſciculum myrrhæ : & ideo magnum humilitatis inſigne, inde huc acquieſcere revocari. Ergo *oculi tui columbarum*. Jam, inquit, non ambulas in magnis, neque in mirabilibus ſuper te : ſed inſtar ſimpliciſſimæ volucris contenta es ſimplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans, & libenter ea, quæ ſunt de me dumtaxat incarnato & paſſo, oculo intueris columbino.

Cant. 1. 14.
Columba ſymbolum humilitatis.

5. Aut certe quia in ſpecie avis hujus Spiritus-ſanctus apparuit, ſpiritualis magis quàm ſimplex in ea intuitus columbæ nomine commendatur. Et ſi hoc placeat, oportet referas capitulum præſens ad id, quod paulo ante ſodales murænulas ei facere aureas promi-B ſerunt, non intendentes (ut tunc docui) ornare aures corporis, ſed informare auditum cordis. Potuit itaque fieri, ut fide, quæ eſt ex auditu, corde amplius mundato, ad videndum quod ante non poterat, inſtructior redderetur. Et quoniam de acceptis murænulis in viſu acutiori ad intelligentiam ſpiritualem viſa eſt profeciſſe ; placuit ſponſo, cui ſemper (quod in ſe eſt) placet magis videri in ſpiritu ; & annumerans id quoque ejus laudibus, ait : *Oculi tui columbarum*. Jam me, inquit, intuere in ſpiritu, quia ſpiritus ante faciem tuam Chriſtus Dominus. Et habes unde id poſſis, quia *oculi tui columbarum*. Ante non habebas, & ideo reprimenda fuiſti : ſed nunc copiam habeto vi-C dendi, quia oculi tui columbarum, id eſt ſpirituales. Non ſane copiam quam petebas : nec enim vel modo adhuc ad illam potes, ſed quæ tamen interim ſufficere poſſit. Sane ducenda es de claritate in claritatem : & propterea vide, ut potes, modo ; & cum plus poteris, plus videbis.

Et Spiritus-ſancti.
Thren. 4. 20.

6. Non puto, fratres, non puto mediocrem hanc, neque communem eſſe omnibus viſionem, etſi ſit inferior illa, qua videndus eſt in futuro. Denique ex his quæ ſequuntur advertite. Sequitur enim : *Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher*. Vides quàm in excelſo ſtat, & in ſublime mentis verticem extulit, quæ univerſitatis Dominum quadam ſibi proprietate vindicet in dilectum. D Attende enim quomodo non ſimpliciter dilecte, ſed, *dilecte mi*, inquit, ut proprium deſignaret. Magna viſio prorſus, de qua iſta in id fiduciæ & auctoritatis excrevit, ut omnium Dominum, dominum neſciat, ſed dilectum. Exiſtimo enim nequaquam hac vice ejus ſenſibus importatas imagines carnis, aut crucis, aut alias quaſcumque corporearum ſimilitudines infirmitatum. In his namque, juxta Prophetam, *non erat ei ſpecies neque decor*. Hæc autem eum intuita, nunc pulcrum decorumque pronuntiat, in viſione meliori illum ſibi apparuiſſe ſignificans. Ore enim ad os (ſicut quondam cum ſancto Moyſe) loquitur cum ſponſa ; & palam, non per ænigmata & figuras, Deum videt. Talem de-E nique ore pronuntiat, qualem & mente conſpicatur, viſione plane ſublimi & ſuavi. Regem in decore ſuo viderunt oculi ejus, non tamen ut regem, ſed ut dilectum. Viderit ſane eum quis ſuper ſolium excelſum & elevatum ; & alius quoque facie ad faciem ſibi apparuiſſe teſtatus ſit : mihi tamen videtur eminentia in hac parte eſſe apud ſponſam, quod ibi viſus legitur Dominus, hic dilectus. Sic enim habes : *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum*. & item : *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. Sed *ſi ego Dominus*, inquit, *ubi eſt timor meus?* Quod ſi illis facta eſt revelatio cum timore ; quia ubi Dominus, ibi timor : ego profecto, ſi optio daretur, tanto liben-F tius, tantoque carius ſponſæ amplecterer viſionem, quanto in meliori affectione, quæ eſt amor, factam adverto. Nam *timor pœnam habet, perfecta autem caritas foras mittit timorem*. Multum ſane intereſt apparere terribilem in conſiliis ſuper filios hominum, & apparere ſpecioſum forma præ filiis hominum. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*. Verba iſta plane amorem reſonant, non timorem.

Cant. 1. 15.
Familiaritas ſponſæ cum ſponſo.
Iſa. 53. 2.
Exod. 33. 11.
Gen. 32. 30.
Iſa. 6. 1.
Gen. 32. 30.
Malac. 1. 6.
1 Johan. 4. 18.
Pſal. 65. 5.
Pſal. 44. 3.

7. Sed forte aſcendunt cogitationes in corde tuo, & quæris dubius apud te, dicens : Qua ratione verba Verbi facta ad animam referuntur, & rurſum animæ ad

Tom. I V. Verbum, ut illa audierit vocem loquentis ſibi, & perhibentis quod pulcra ſit, viciſſimque idem præconium ſuo mox reddiderit laudatori? Quomodo poſſunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itemque anima non habet unde loquatur, niſi os corporis ſibi verba formaverit ad loquendum. Bene quæris: ſed attende ſpiritum loqui, & ſpiritualiter oportere intelligi quæ dicuntur. Quoties proinde audis vel legis, Verbum atque animam pariter colloqui, & ſe invicem intueri; noli tibi imaginari quaſi corporeas intercurrere voces, ſicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potius quid tibi ſit in hujuſmodi cogitandum. Spiritus eſt Verbum, ſpirituſque anima, & habent linguas ſuas, quibus ſe alterutrum alloquantur, præſenteſque indicent. Et Verbi quidem lingua Favor dignationis ejus: animæ vero Devotionis fervor. Elinguis eſt anima atque infans quæ hanc non habet, & non poteſt ipſi ullatenus ſermocinatio eſſe cum Verbo. Ergo hujuſcemodi linguam ſuam cum Verbum movet, volens ad animam loqui, non poteſt anima non ſentire. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus.* Et rurſum cum ſuam anima * movet, Verbum latere multo minus poterit, non ſolum quia ubique eſt præſens, ſed propter hoc magis, quod niſi ipſo ſtimulante, devotionis lingua minime ad loquendum movetur.

Verbi & animæ colloquium ſpirituale.

Verbi quæ lingua, quæ animæ.

Hebr. 4. 12.

* al. male animam.

8. Verbo igitur dicere animæ, *pulcra es*, & appellare *amicam*; infundere eſt unde & amet, & ſe præſumat amari. Ipſi vero Verbum viciſſim nominare *dilectum*, & fateri *pulcrum*; quod amat & quod amatur, ſine fictione & fraude adſcribere illi, & mirari dignationem, & ſtupere ad gratiam. Siquidem pulcritudo illius dilectio ejus: & ideo major, quia præveniens. Medullis proinde cordis & intimarum vocibus affectionum tanto amplius atque ardentius clamitat ſibi diligendum, quanto id prius ſenſit diligens quàm dilectum. Itaque locutio Verbi infuſio doni, reſponſio animæ cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod ſe ſentit in diligendo victam: & ideo plus miratur, quod præventam agnoſcit. Unde non contenta eſt ſemel dicere *pulcrum*, niſi repetat & *decorum*, eminentiam decoris illa repetitione deſignans.

9. Aut certe in utraque Chriſti ſubſtantia dignum expreſſit omni admiratione decorem, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Jeſu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Patris, & quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ! Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipſa tui hujus poſitione decoris! Etenim ubi te exinaniviſti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti; ibi pietas magis emicuit, ibi caritas plus effulſit, ibi amplius gratia radiavit. Quàm clara mihi oriris *Stella ex Jacob*, quàm lucidus *Flos de radice Jeſſe* egrederis, quàm jucundum lumen in tenebris viſitaſti me, Oriens ex alto! Quàm ſpectabilis & ſtupendus etiam Virtutibus ſupernis in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruſcationibus miraculorum, in revelationibus ſacramentorum! Quàm denique rutilans poſt occaſum, Sol juſtitiæ, de corde terræ reſurgis! quàm formoſus in ſtola tua demum, Rex gloriæ, in alta cælorum te recipis! Quomodo non pro his omnibus omnia oſſa mea dicent: *Domine quis ſimilis tui?*

Jeſus quàm pulcher Angelis in divinitate, nobis in humanitate.

Num. 24. 17. Iſa. 11. 1.

Eadem ſerm. 12. de diverſ. num. 6.

10. Hæc ergo ſimiliaque puta in dilecto intuentem ſponſam advertiſſe, cum diceret: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Neque hæc ſola, ſed inſuper aliquid proculdubio de naturæ decore ſuperioris, quod noſtrum omnino prætervolat intuitum, & effugit experimentum. Ergo iteratio utriuſque decorem ſubſtantiæ deſignavit. Audi deinde quomodo tripudiat ad aſpectum affatumque dilecti, & coram ipſo nuptiali carmine quæ amoris ſunt gratulabunda decantat. Sequitur enim: *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Sed ſervemus re-

Cant. 1. 16.

A centiori principio ſponſæ cantilenam, ut & nos de quiete facti alacriores, liberius exſultemus & lætemur in ea ad laudem & gloriam ſponſi ipſius Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XLVI.

De ſtatu & compoſitione totius Eccleſiæ. Item, quomodo per activam vitam, quæ ſub obedientia agitur, pervenitur ad contemplativam.

1. LEctulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. Epithalamium canit, cubile & thalamos pulcro ſermone deſcribens, Cant. 1. 16.
B Sponſum invitat ad requiem. Hoc enim melius, quieſcere & cum Chriſto eſſe. Neceſſarium autem exire ad lucra propter ſalvandos. Verum nunc opportunitate (ut putat) inventa, ornatum nuntiat thalamum, lectulumque velut digito monſtrans, dilectum (ut dixi) invitat ad requiem, & cum euntibus in Emmaüs cordis ardorem non ſuſtinens, ad mentis pertrahit hoſpitium, ſecum pernoctare compellit, & cum Petro loquitur: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Matt. 17. 4.

2. Jam quid ſpiritualiter iſta contineant, requiramus. Et in Eccleſia quidem *lectum* in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe & monaſteria, in quibus quiete a curis vivitur ſæculi, & ſollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonſtratur, cum exemplis & inſtitutis Patrum, tamquam quibuſdam bene olentibus reſperſa floribus, fratrum converſatio & vita refulget.
C Porro *domos* populares conventus intellige Chriſtianorum: quos hi qui in ſublimitate poſiti ſunt, Chriſtiani utique utriuſque ordinis principes, quaſi *tigna* parietes, juſtis impoſitis legibus fortiter ſtringunt, ne ſua quique lege vel voluntate viventes, tamquam parietes inclinati & maceriæ depulſæ diſſideant a ſemetipſis, & ſic omnis ſtructura ædificii corruens diſſipetur. *Laquearia* vero quæ à tignis firmiter pendent, & domos inſigniter ornant, puto bene inſtituti Cleri manſuetos & diſciplinatos mores, riteque adminiſtrata officia deſignare. Quomodo namque ſtabunt Ordines cleri-
D corum, & adminiſtrationes eorum, ſi non principum, tamquam tignorum beneficio & munificentia ſuſtententur, & protegantur potentia?

3. Quod autem *tigna cedrina*, & *cypreſſina laquearia* deſcribuntur, natura abſque dubio habet in his ſpeciebus lignorum, quod congruat præfatis ordinibus. Et cedrus quidem quoniam imputribile eſt, necnon & odoriferum, altæque proceritatis lignum, ſatis indicat, quales oporteat aſſumi viros in vices tignorum. Ergo validos & conſtantes neceſſe eſt eſſe eos, qui ſuper alios ordinantur, necnon & longanimes in ſpe, atque ad ſuperna mentis verticem attollentes, qui etiam bo-
E num fidei ſuæ & converſationis ubique odorem ſpargentes, dicere cum Apoſtolo poſſint: *Chriſti enim bonus odor ſumus Deo in omni loco.* Cypreſſus item, boni æque odoris & imputribile ſimiliter lignum, incorruptæ vitæ & fidei etiam quemvis de Clero debere eſſe demonſtrat, ut merito decori domus ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum eſt enim: *Domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Ubi ſane & ſanctimoniæ decus, & indeficientis gratiæ expreſſa perſeverantia eſt. Oportet ergo virum, qui ad ornamentum & decorem aſſumitur domus, bonis ornatum moribus eſſe; & quamvis ſemper ipſe ſit intus,
F bonum tamen teſtimonium habere & ab his qui foris ſunt. Sunt & alia in natura lignorum horum competentia his, quæ ſpiritualiter diſſeruntur: ſed brevitatis cauſa prætereo.

4. Notandum vero pulcre omnem Eccleſiæ ſtatum brevi uno verſiculo comprehenſum, auctoritatem ſcilicet Prælatorum, Cleri decus, populi diſciplinam, monachorum quietem. In horum prorſus, cum recte ſunt omnia, ſancta mater Eccleſia conſideratione lætatur, & tunc ea quoque offert intuenda dilecto, cum ad ejus, tamquam omnium auctoris, refert omnia

bonitatem, nihil ſibi ex omnibus tribuens. Nam quod ait, *noſter* & *noſtrarum*, non uſurpationis eſt ſignum, ſed dilectionis: quod nimiæ videlicet fiducia caritatis, nihil ejus, quem valde diligit, à ſe æſtimet alienum. Nec enim ſe ſponſi contubernio, aut quietis ejus putat arcendam conſortio, quæ ſemper non quæ ſua, ſed quæ illius ſunt, quærere conſuevit: & hæc cauſa, cur ſibi & ſponſo ſimul, ſive lectulum, ſive domos auſa ſit pronuntiare communes. Dixit enim *lectulus noſter*, & *tigna domorum noſtrarum*, & *laquearia noſtra*: audacter ſe in poſſeſſione aſſocians, cui junctam non dubitat in amore. Non ita illa, quæ propriæ voluntati nondum abrenuntiavit, ſed per ſe jacet, per ſe habitat: magis autem non per ſe, ſed cum meretricibus luxurioſe vivendo converſatur, concupiſcentias loquor carnis, cum quibus diſſipat bona ſua, & portionem ſubſtantiæ, quam ſibi dividi poſtulavit.

Animæ Dei amanti omnia cum Deo communia.

Luc. 15. 12.

5. Ceterum tu qui has Spiritus-ſancti voces audis vel legis, putaſne aliqua horum quæ dicuntur, valeas applicare tibi, ac de felicitate ſponſæ, quæ hoc amoris carmine ab ipſo Spiritu canitur, aliquid recognoſcere in temetipſo, ne dicatur & tibi, quia vocem ejus audis, & non ſcis unde veniat, aut quo vadat? En forte appetis & ipſe contemplationis quietem, & bene facis: tantum ne obliviſcaris flores, quibus lectulum ſponſæ legis adſperſum. Ergo cura & tu tuum ſimiliter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tamquam flore, fructum ſanctum otium prævenire. Alioquin delicato ſatis otio dormitare voles, ſi non exercitatus quieſcere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, ſolis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præpoſterus ordo eſt, ante meritum exigere præmium, & ante laborem ſumere cibum, cum dicat Apoſtolus: *Qui non laborat non manducet*. *A mandatis tuis intellexi*, inquit: ut ſcias, niſi obedientiæ mandatorum contemplationis guſtum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, ſanctæ obedientiæ actibus, ſeniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum ſponſus in * lecto uno, illo præſertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ adſperſiſti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatuſque non veniet. nec enim dabit inobedienti copiam ſui tantus obedientiæ amator, ut * mori quàm non obedire maluerit. Sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per Prophetam, *Laboravi ſuſtinens*: ſignificans tempus, quo exſul cælo & patria ſummæ quietis, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Magis autem vereor, ne te quoque involvat formidoloſa illa ſententia, ita intonans in perfidiam Judæorum: *Neomenias veſtras, & ſabbata, & feſtivitates alias non feram.* item, *Kalendas veſtras & ſollemnitates veſtras odit anima mea; facta ſunt mihi moleſta.* Et lugebit ſuper te Propheta, & dicet: *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata ejus* Cur enim quod dilectus repudiat, non irrideat inimicus?

Contemplatio non appetenda ante bona opera.

1. Theſ. 3. 10.

Pſal. 118. 104.

Obedientia maxime præmittenda.

* al. lectulo.

* al. qui.

Jer. 6. 11.

Iſa. 1. 13.

Thren. 1. 7.

6. Miror valde impudentiam aliquorum qui inter nos ſunt, qui cum omnes nos ſua ſingularitate turbaverint, ſua impatientia irritaverint, ſua contumacia & rebellione contempſerint a, audent nihilo minus ad tam fœdum conſcientiæ ſuæ lectulum omni orationum inſtantia totius puritatis Dominum invitare. At *cum extenderitis*, ait, *manus veſtras, avertam oculos meos, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Quid enim? Lectulus non eſt floridus, magis autem & putidus eſt; & tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pauſandum hoc facis, an ad cauſandum? Centurio vetat illum intrare ſub tectum ſuum propter ſuam indignitatem, cujus tamen fides in univerſo redolet Iſraël: & tu ad te compellis intrare, tantorum ſordens ſpurcitia vitiorum? Clamat Apoſtolorum Princeps, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*: & tu dicis, Intra ad me Domine, quoniam ſanctus ſum? *Omnes*, inquit, *unanimes in oratione eſtote, fraternitatem diligite.* Et Vas electionis: *Levantes puras manus*, ait, *ſine ira & diſceptatione.* Videſne quomodo concordent ſibi, & eodem ſpiritu de pace & tranquillitate animi (quam habere debet ille qui orat) loquantur Princeps Apoſtolorum, & Doctor gentium? Perge ergo tu tota die expandere ad Deum manus tuas, qui fratres tota die moleſtas, unanimitatem impugnas, ab unitate te ſeparas.

Indiſciplinatos è ſuis notat Bernardus.

Iſa. 1. 15.

Matt. 8. 8.

Luc. 5. 8.

Tom IV.

1. Pet. 3. 17.

1. Tim. 2. 8.

7. Et quid me vis facere, inquis? Profecto ut primo quidem emundes conſcientiam ab omni inquinamento iræ & diſceptationis, & murmuris, & livoris; & quicquid omnino adverſari cognoſcitur aut paci fratrum, aut obedientiæ ſeniorum, de cordis habitaculo eliminare feſtines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum, id eſt quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ; hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad iſtiuſmodi ſecure vocabis ſponſum: quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu, quia *lectulus noſter floridus*, redolente nimirum conſcientia pietatem, ſed pacem, ſed manſuetudinem, ſed juſtitiam, ſed obedientiam, ſed hilaritatem, ſed humilitatem. Et de lectulo quidem ſic.

Præparatio ad contemplationem quæ his neceſſaria.

8. Domum vero Dei ſpiritualem ſeipſum quiſque agnoſcat, qui tamen jam non in carne ambulet, ſed in ſpiritu. *Templum enim Dei*, ait, *ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Curate ergo, Fratres, ſpirituali huic ædificio, quod vos eſtis, ne forte cum in ſuperiora proficere cœperit, vacillet & corruat, ſi lignis fortibus non fuerit ſubnixum & colligatum: curate, inquam, illi tigna dare imputribilia & immobilia, Timorem videlicet Domini caſtum, illum, qui permanet in ſæculum ſæculi: Patientiam, de qua ſcriptum eſt, quia *patientia pauperum non peribit in finem*: Longanimitatem quoque, quæ ſub quovis ſtructuræ pondere inflexibilis perſeverans, in infinita ſæcula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Magis autem ſuper omnia Caritatem, quæ numquam excidit, quia *fortis eſt*, inquit, *ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Studere deinde his tignis ſubſternere & alligare ligna alia æque pretioſa & pulcra, cui tamen illa ad manum fuerint in opus laquearium ad decorem domus, ſermonem ſcilicet ſapientiæ ſive ſcientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem ſermonum, & cetera talia, quæ magis noſcuntur ſane apta ornatui, quàm neceſſaria fore ſaluti. De his præceptum non habeo, conſilium autem do: quoniam quidem iſtiuſmodi ligna conſtat & laborioſe quæri, & difficile inveniri, & periculoſe elaborari, (nam & rara ea, præſertim his temporibus, terra noſtra producere reperitur) conſulo ſane & moneo non multopere iſta requiri: magis autem ex lignis aliis laquearia præparari, quæ etſi minus appareant ſplendida, non minus tamen valida eſſe probantur, inſuper & facilius poſſidentur, & tutius.

Domus Dei ſpiritualis homo.

1. Cor. 3. 17.

Tigna hujus domus timor Domini & patientia, &c.

Pſal. 9. 19

Matt. 10. 22.

Cant. 8. 6.

Laquearia gratiæ gratis datæ.

Rara hæc dona

9. Utinam & mihi illorum ſuppetat copia lignorum, quibus hortus Sponſi Eccleſia copioſe denſatur, pax, bonitas, benignitas, gaudium in Spiritu-ſancto, miſereri in hilaritate, tribuere in ſimplicitate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. An non tu illam domum (quod ad laquearia ſpectat) ſatis abundeque ornatam cenſeas, quam talibus lignis inſpexeris ſufficienter compoſitaque tabulatam? Domine, dilexi decorem domus tuæ. Semper da mihi ligna hæc, quæſo,

Item ſtructura Spiritus-ſancti.

Rom. 12. 15.

Pſal. 25. 8.

a In editis paſſim hic additur, *ſua inobedientia coinquinaverint*. at hoc comma deeſt in pleriſque mſſ. & vero in idem recidit cum ſuperiori. In primis quidem editis legitur, ſed omiſſo præcedenti, *ſua contumacia & rebellione contempſerint*. Hic vero obſtupeſcere licet, in tam ſancto monachorum cœtu tam indiſciplinatos, paucos quidem, ſed tamen aliquos extitiſſe. quod amplius patet tum ex ſermone 84. num. 4. tum ex lib. 7. de S. Bernardi vita Confeſ. ſermonem 3. in Dedicatione, num. 3. & ſermonem 34. de diverſis num. 6. Nimirum hic mali ubique bonis permiſti.

[Tom. IV. Quæ dona poſſidenda.] quibus tibi ſemper ornatum exhibeam thalamum conſcientiæ: conſcientiæ dico & meæ, & alterius. His contentus ero. Erunt & qui meo in hac re conſilio acquieſcere volent, quia & te puto fore contentum: cetera ſanctis Apoſtolis, & viris apoſtolicis derelinquo. Sed & vos dilectiſſimi, tametſi illa ligna non habeatis; nihilo minus tamen, ſi hæc habetis, confidite; nihilo minus cum omni fiducia accedite ad lapidem ſummum, angularem, electum, pretioſum; nihilo minus ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, per Jeſum-Chriſtum, Sponſum Eccleſiæ, Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

SERMO XLVII.

De triplici flore, ſcilicet Virginitatis, Martyrii, & bonæ Operationis; & de devotione habenda circa divinum officium.

[Cant. 2. 1.] 1. EGo flos campi, & lilium convallium. Ad hoc reſpicere puto, quod ſponſa de reſperſia lectulum floribus commendarat. Ne cnim ſibi flores adſcriberet illos, quibus lectulus decoratus, & venuſtatus thalamus videbatur, infert Sponſus ſe eſſe florem campi; nec de thalamo ſane prodire flores, ſed de campo; & ſuo munere & ſui participatione fieri quod renitet, & quod redolet. Ne quis ergo exprobrare illi poſſet, & dicere, [1. Cor. 4. 7.] *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ipſe dilectæ ſuæ, [Textus tenor.] ſicut ambitioſus amator, ita informator benignus, pie illi dignanterque demonſtrat, cui nitorem, de quo gloriabatur, ac ſuaveolentiam lectuli debeat deputare. *Ego flos campi*, inquit: de me eſt quod gloriaris. Saluberrime admonemur & ex hoc loco, quia nequaquam gloriari oportet: & *ſi quis gloriatur, in Domino glorietur.* Et ſecundum litteram iſtud: nunc jam ſcrutemur, ipſo de quo loquitur adjuvante, ſpiritualem qui in ea tegitur intellectum.

[Florum ordo triplex.] 2. Et primo adverte nunc mihi trifarium quemdam floris ſtatum, in *campo*, in *horto*, in *thalamo*: ut poſt hoc etiam illud facilius compertum fiat, cur ſe potiſſimum *campi florem* elegerit appellare. Et in campo quidem atque in horto oritur flos, in thalamo autem minime. Redolet & lucet in eo, non tamen erectus & ſtans, ut in horto vel campo; ſed plane jacens, tamquam qui illatus ſit, non innatus. Propterea & neceſſe eſt ſane reparare frequenter, & ſemper recentiores apponere flores, quod diu odorem ſuum minime retineant, nec decorem. Quod ſi (ut in alio ſermone præfatus ſum *) lectulus reſperſus floribus conſcientia eſt bonis referta operibus; [* Serm. præced. num. 7. Perſeverantia in bonis operibus neceſſaria.] vides certe, ut ſimilitudo ſervetur, nequaquam ſufficere ſemel vel ſecundo operari quod bonum eſt, niſi inceſſanter addas nova prioribus, quatenus ſeminans in benedictionibus, de benedictionibus & metas. Alioquin jacet & marcet flos boni operis, atque in brevi omnis ex eo & nitor exterminatur, & vigor, ſi non aliis atque aliis ſuperjectis pietatis actibus continue reparetur. Hoc in thalamo.

[Flos in horto & campo quo diſcrimine.] 3. In horto autem non ita: ſed neque in campo ſimiliter. Ex ſe enim ſemel productis floribus aſſidue ſubminiſtrant, unde diu in ipſis decus ingenitum perſeveret. Differunt tamen & ipſi inter ſe, quod hortus quidem ut floreat, hominum manu & arte excolitur: campus vero ex ſemetipſo naturaliter producit flores, & abſque omni humanæ diligentiæ adjutorio. Putaſne jam tibi videris advertere quiſnam ille ſit campus, nec ſulcatus vomere, nec defoſſus ſarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis ſeminatus; honeſtatus * [* al. venuſtatus.] tamen nihilo minus nobili illo flore, ſuper quem conſtat requieviſſe Spiritum Domini? [Gen. 27. 27.] *Ecce*, inquit, *odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Necdum ſpeciem ſuam ille flos agri induerat, & jam dabat odorem ſuum, quando eum, ut hoc præ gaudio exclamaret, præſenſit ſpiritu, corpore marcens ſanctus & ſenex Patriarcha, caligans viſu, ſed odoratu ſagax. [Chriſtus flos campi.] Non ſe proinde debuit florem thalami proteſtari, qui flos eſt perpetuo vigens: ſed neque item horti, ne humano videretur opere generatus. Pulcre autem & convenientiſſime *flos campi ſum*, ait, qui & abſque humana induſtria prodiit, & ſemel prodeunti nulla eſt deinceps dominata corruptio, ut ſermo impleatur quem dixit; *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* [Pſal. 15. 10.]

[Alia diſpoſitio partitionis.] 4. Sed, ſi placet, accipe & aliam hujus rei rationem (ut arbitror) non ſpernendam. Non enim ſine cauſa ſane multiplex ſpiritus à Sapiente deſcribitur, niſi quod ſub uno litteræ cortice diverſos plerumque ſapientiæ intellectus tegere conſuevit. Itaque juxta præfatam de floris ſtatu partitionem, flos eſt Virginitas, flos Martyrium, flos Actio bona. [Virginitas, Martyrium, Actio bona.] In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. Et bene in horto Virginitas, cui familiaris verecundia eſt, fugitans publici, latibulis gaudens, patiens diſciplinæ. Denique in horto flos clauditur, qui in campo exponitur, ſpargiturque in thalamo. Et habes: *Hortus conclusus, fons ſignatus.* [Cant. 4. 12.] Quod utique clauſtrum pudoris ſignat in virgine, & inviolatæ cuſtodiam ſanctitatis: ſi tamen talis fuerit, quæ ſit ſancta corpore & ſpiritu. Beoe item in campo Martyrium, [Martyrium campo.] dum Martyres ludibrio omnium exponantur, ſpectaculum facti & Angelis, & hominibus. Nonne illorum miſeranda vox eſt in pſalmo: *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt?* [Pſal. 78. 4. Actio bona thalamo.] Bene quoque in thalamo Actio bona, quæ conſcientiam & quietam facit, & tutam. Poſt bonum denique opus ſecurius in contemplatione dormitur, & tanto qius fiducialius ſublimia intueri & inveſtigare aggreditur, quanto ſibi conſcius eſt minime ſe propriæ amore quietis caritatis operibus defuiſſe.

[Chriſtus hæc omnia complectitur.] 5. Et hæc omnia ſecundum aliquid Dominus Jeſus. Ipſe flos horti, virgo Virga virgine generatus. Idem flos campi, martyr, martyrum corona, martyrii forma. Denique foras civitatem eductus eſt, extra caſtra paſſus eſt, in ligno elevatus eſt, ſpectandus hominibus, ſubſannandus ab omnibus. Ipſe item thalami flos, ſpeculum, & exemplum totius beneficentiæ, quemadmodum ipſe Judæis proteſtatus eſt, dicens: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo.* [Joan. 10. 32.] & item ſcriptura de eo: *Qui pertranſiit*, ait, *benefaciendo & ſanando omnes.* [Act. 10. 38.] Si igitur hæc tria Dominus, quæ fuit cauſa, ut e tribus ſe *campi florem* maluerit appellare? Profectò ut eam ad tolerantiam animaret, cui noverat imminere (ſiquidem vellet pie vivere in Chriſto) [Amans quietem, ſed Chriſtus hortatur ad laborem.] perſecutionem pati. Id ſe ergo libentius profitetur, ad quod potiſſimum vult habere ſequacem; atque hoc eſt, quod alias dixi, quoniam ſemper & illa appetit quietem, & ille incitat ad laborem, denuntians ei, quod *per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* [Act. 14. 21.] Unde cum nova in terris Eccleſia noviter deſponſata ſibi redire ad Patrem diſponeret, dicebat ei: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* [Joan. 16. 2.] item, *Si me*, ait, *perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* [Joan. 15. 20.] Potes & tu in Evangelio multa colligere huic denuntiationi malorum perferendorum ſimilia.

[Cant. 2. 1. Chriſtus ſe nobis certantibus & exemplum proponit & præmium.] 6. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Illa ergo monſtrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium provocat. Nec putat quicquam perſuaſibilius fore illi ad ineundum certamen, quàm ſi ſeipſum certantis aut exemplum proponat, aut præmium. *Ego flos campi.* Sane utrumvis in hoc ſermone intelligi datur, vel quod ſit videlicet pugnantis forma, vel quod gloria triumphantis. UTRUMQUE ES MIHI, Domine Jeſu, & SPECULUM PATIENDI, & PRÆMIUM PATIENTIS. Utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum poſt victoriam tuæ coronas præſentia majeſtatis, ſive quia pugnantem te ſpecto, ſive

quia

Tom IV.

quia te exſpecto non ſolum coronantem, ſed & coronam: in utroque mirabiliter tibi me allicis; uterque funis violentiſſimus ad trahendum. Trahe me poſt te: libenter te ſequor, libentius fruor. Si ſic bonus es, Domine, ſequentibus te, qualis futurus es conſequentibus? *Ego flos campi.* Qui diligit me, veniat in campum, non refugiat mecum, & pro me inire certamen, ut poſſit dicere: *Bonum certamen certavi.*

2. Tim. 4. 7.

Humiles tantum martyrio idonei.

7. Et quoniam non ſuperbi vel arrogantes, ſed humiles potius, qui de ſe præſumere neſciunt, martyrio idonei ſunt; addit ſe etiam *lilium* eſſe *convallium*, id eſt humilium coronam, ſpecialem gloriam futuræ exaltationis ipſorum hujus eminentia floris deſignans. Erit namque cum *omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur:* & tunc candor ille vitæ æternæ, B lilium plane, non collium, ſed convallium, apparebit. *Juſtus germinabit ſicut lilium*, inquit. Quis juſtus, niſi humilis? Denique cum ſe manibus Baptiſtæ ſervi Dominus inclinaret, & ille expaveſceret majeſtatem: *Sine*, inquit, *ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam;* conſummationem profecto juſtitiæ in humilitatis perfectione conſtituens. Juſtus ergo humilis, juſtus *convallis* eſt. Et ſi humiles inventi fuerimus, germinabimus & nos ſicut lilium, & florebimus in æternum ante Dominum. An non vere vel tunc maxime ſe lilium convallium comprobabit, cum *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ?* Non ait corpus noſtrum, ſed *corpus humilitatis noſtræ:* ut hujus lilii miro & ſempiterno candore ſolos ſignificet C humiles illuſtrandos. Et hæc dicta ſint pro eo quod ſponſus ſe *florem campi*, & *lilium* eſſe *convallium* proteſtatus eſt.

Iſa. 40. 4.

Oſee 14. 6.

Matt. 3. 15.

Juſtitiæ perfectio in humilitate.

Philipp. 3. 21.

8. Jam etiam quid de ſua conſequenter cariſſima proteſtetur, bonum eſſet audire: ſed hora non patitur. Ex Regula namque noſtra* nihil operi Dei præponere licet. Quo quidem nomine laudum ſollemnia, quæ Deo in Oratorio quotidie perſolvuntur, pater Benedictus ideo voluit appellari, ut ex hoc clarius aperiret, quàm nos operi illi vellet eſſe intentos. Unde vos moneo, dilectiſſimi, pure ſemper ac ſtrenue divinis intereſſe laudibus. Strenue quidem, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis, non D pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes; ſed virili (ut dignum eſt) & ſonitu, & affectu voces ſancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nil aliud dum pſallitis, quàm quod pſallitis cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas: vitandæ ſunt & illæ, illa dumtaxat hora, & illo loco, quas Officiales ª fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſario, frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc conſuluerim, quæ forte paulo E ante, in clauſtro ſedentes, in codicibus legeratis, qualia & nunc me viva voce diſſerente ex hoc auditorio Spiritus-ſancti recentia reportatis. Salubria ſunt, ſed minime illa ſalubriter inter pſallendum revolvitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quiequid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Cujus ſemper facere voluntatem ad ejus voluntatem ipſo inſpirante poſſimus, gratia & miſericordia ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

* Reg. S. Bened. cap. 43

Officio divino ut aſſiſtendum.

a

Cogitationes quales ejiciendæ.

SERMO XLVIII.

De laude reciproca, quæ fit inter ſponſum & ſponſam: & qualiter per umbram Chriſti intelligatur corpus & fides ejus.

Cant. 2. 2.

Gen. 3. 18

1. SIcut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Non bonæ filiæ quæ pungunt. Attende peſſimum germen ejus, cui maledictum eſt, terræ noſtræ. *Cum*, A inquit, *colueris eam, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Donec ergo in carne eſt anima, inter ſpinas profecto verſatur, & neceſſe eſt ut patiatur inquietudines tentationum, tribolationumque aculeos. Quod ſi lilium eſt ipſa juxta ſponſi verbum, videat quàm vigilem ſollicitamque eſſe oporteat ſuper cuſtodia ſui, ſæpta undique ſpinis, hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel leviſſimam ſpinæ ſuſtinet ullatenus punctionem floris teneritudo, ſed mox ut modice premitur, perforatur. Sentis quàm merito neceſſarieque hortetur nos Propheta ſervire Domino in timore; & item Apoſtolus, cum timore nihilo minos & tremore noſtram ipſorum operari ſalutem? Tenebant nimirum proprio experimento hujus ſententiæ veritatem, utpote B amici ſponſi, qui minime prorſus ambigerent, & ad ſuas animas pertinere quod dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Denique unus eorum, *Converſus ſum*, ait, *in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Bene confixus, qui converſus exinde eſt. Bene pungeris, ſi compungeris. Multi cum ſentiunt pœnam, corrigunt culpam; & talis dicere poteſt: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus.

Vita præſens agitur inter ſpinas & aculeos.

Pſal. 2. 11.

Philip. 2. 12.

Pſal. 31. 4.

Spinæ quæ.

2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* O candens lilium! ô tener & delicate flos! increduli & ſubverſores ſunt tecum: vide qoomodo caute ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus C ſpinis: in terra ſunt, in aere ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his, & minime lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Sed *confidite*, inquit, *quia ego vici mundum.* Etſi igitur undique tibi intendi proſpicias tribulationum, tamquam tribulorum, aculeos; non turbetur cor tuum neque formidet, ſciens *quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent & nitent. Si fœnum quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus ſic cuſtodit, quanto magis amicam & ſponſam ſuam cariſſimam? Denique *cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* D Non mediocris titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem: magis autem ſi his qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipſis te exhibeas inimicis. Id plane tibi ſimilitudinem datam de lilio jure quodam proprietatis ſpecialiter vindicabit, quod ipſas utique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare & venuſtare non ceſſat. An oon proinde lilium tibi videtur, implere quodam modo Evangelii perfectionem, qua orare jubemur pro calumniantibus & perſequentibus nos, benefacere his qui oderunt nos? Ergo & tu fac ſimiliter, E & erit anima tua amica Domini, & laudabit te de te, dicens: quia *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.*

Verſari inter ſpinas & non lædi, difficile.

Johan. 16. 33.

Rom. 5. 3.

Facile tamen protegente Deo.

Pſal. 144. 20

Inter malos bonum eſſe eximia virtus.

Luc. 6. 28.

3. Sequitur: *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Reddit ſponſa præconii vicem commendanti ſe ſponſo, à quo laudari eſt laudabilem fieri; & quem laudare, intelligere & admirari laudabilem. Et ſicut ex eminenti flore figurata à ſponſo laus ejus eſt, ita è regione & ex excellenti ligno ipſa illius ſingularem gloriam eminentiamque demonſtrat. Movet tamen me de ligno hoc, quod non tantæ eſſe excellentiæ videatur, quantæ aliqua ceterorum; & F ideo minus digne aſſumi in opus ſimilitudinis: utpote quod non ſufficiat laudis vicem implere. *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Denique nec ſponſa magni æſtimaſſe videtur, quæ hoc in lignis ſilvarum tantum efferre curavit, nimirum ſterilibus, nec fructus humano victui aptos ferentibus. Cur ergo omiſſis melioribus & nobilioribus lignis, hujus mediocritas arboris adducta in medium eſt ad formandum ſponſi præconium? Itane ad men-

Cant. 2. 3.

Sponſus cur malo comparatur.

a Officiales, qui exterioribus officiis deputati ſunt, diſtingui à Clauſtralibus in ſermone 9. de diverſis num. 4. & infra Sermone 57. num. 11.

ſuram laudem recipere debuit, qui ad menſuram Spiritum non accepit ? Hoc nempe data de illa arbore ſimilitudo facit, ne videatur habere ſuperiorem, qui parem non habet. Quid dicemus ad hæc ? Fateor, parva laus, quoniam parvi laus. Non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus & laudabilis nimis, ſed parvus Dominus & amabilis nimis, parvulus utique, qui natus eſt nobis. [Iſa. 9. 6.]

4. Ergo non majeſtas attollitur hic, ſed commendatur humilitas; digneque ac rationabiliter quod infirmum & ſtultum eſt Dei, hominum fortitudini & ſapientiæ anteferturr. Ipſi ſunt namque ligna ſilveſtria & infructuoſa: quoniam, ſecundum Prophetam, *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* [Pſal. 13. 3.] *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* [Cant. 2. 3.] Una inter ligna ſilvarum Dominus Jeſus arbor faciens fructum, ſecundum hominem ſane, etſi prælatus hominibus, ſed ab Angelis minoratus. Miro etenim modo & Angelis ſeſe factus caro ſubjecit, & Angelos ſibi manens Deus ſubjectos retinuit. [Pſal. 8. 6.] Denique *videbitis*, inquit, *Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* [Johan. 1. 51.] quod in uno eodemque homine Chriſto Jeſu & infirmitatem foveant, & ſtupeant majeſtatem. Quia ergo ſponſæ id dulcius, quod ſe imminuit, ſapit; libentius attollit gratiam, præfert miſericordiam, ſtupet dignationem. Libuit proinde hominem inter homines admirari, non inter Angelos Deum: tamquam malus inter ligna excellit ſilvarum, & non plane inter hortorum plantaria. Nec putat minui laudes, ubi de conſideratione infirmitatis, pietatis bonitas exaltatur. Quo enim juxta aliquid à laudibus temperat, eo item juxta aliquid magis laudat, minus proſequens gloriam dignitatis, ut gratia dignationis emineat. Sicut ergo Apoſtolus quod ſtultum & infirmum eſt Dei, ſapientius fortiuſque dicit eſſe hominibus, ſed non Angelis; [1 Cor. 1. 25.] & ſicut Propheta ſpecioſum prædicat forma præ filiis hominum, & non præ Angelis: [Pſal. 44. 3.] ſic iſta certe in eodem ſpiritu loquens, ſub typo fructiferæ arboris ſilveſtriumque lignorum hoc loco efferre voluit Hominem-Deum ſuper omnem gratiam hominum, non autem ſuper excellentiam Angelorum.

[Chriſtus excellentior filiis per gratiam.]

5. *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Et bene *inter filios*: quia cum eſſet unicus Patris ſui, multos illi & abſque invidia filios acquirere ſtuduit, quos non confunditur vocare fratres, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Jure autem præponitur univerſis adoptatis per gratiam is, qui per naturam filius eſt. *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Merito *ſicut malus*, qui inſtar fructiferæ arboris & umbram refrigerii habet, & fert fructum optimum. An non vere fructiferum lignum, cujus *flores fructus honoris & honeſtatis?* [Eccli. 24. 23.] Denique lignum vitæ eſt apprehendentibus eum. [Prov. 3. 18.] Non comparabuntur huic omnia ligna ſilvarum: quia etſi ſint arbores pulcræ & magnæ, quæ opem ferre videantur orando, miniſtrando, docendo, exemplis juvando: ſolus tamen Dei Sapientia Chriſtus lignum eſt vitæ, ſolus panis vivus qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. [Johan. 6. 41.]

[Cant. 2. 3. Chriſti umbra deſiderabilis.]

6. Ideo ait: *Sub umbra ejus quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Merito ejus deſideraverat umbram, de quo & refrigerium eſſet, & refectionem pariter acceptura. Nam cetera quidem ſilvarum ligna, etſi umbram ſolatii habent, ſed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos ſalutis. Unus eſt enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, [1. Tim. 2. 5.] qui dicit ſponſæ ſuæ: *Salus tua ego ſum.* *Non Moyſes*, inquit, *dedit vobis panem hunc de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* [Johan. 6. 32.] Propterea ergo Chriſti potiſſimum deſideraverat umbram, quod ſolus ſit, qui non ſolum ab æſtu refrigerat vitiorum, ſed & replet delectatione virtutum. *Sub umbra ejus quem deſideraveram ſedi.* [Umbra Chriſti, caro ejus, & fides.] Umbra ejus, caro ejus: umbra ejus, fides. Mariæ obumbravit proprii Filii caro, mihi Domini fides. Quamquam & mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in myſterio manduco eam ? Et ſancta nihilo minus Virgo fidei & ipſa experta eſt umbram, cui dictum eſt: *Et beata quæ credidiſti.* [Luc. 1. 45.] *Sub umbra ejus quem deſideraveram ſedi.* Et Propheta: *Spiritus*, inquit, *ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; in umbra ejus vivemus inter gentes.* [Thren. 4. 20.] In umbra in gentibus, in luce cum Angelis. In umbra ſumus, quamdiu per fidem ambulamus, & non per ſpeciem: & ideo juſtus in umbra, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus eſt: quia non in umbra jam, ſed in lumine. Juſtus erat David, & ex fide vivebat, cum dicebat Deo: *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua, & vivam*: [Pſal. 118. 73.] ſciens ſucceſſurum fidei intellectum, intellectui revelandum lumen vitæ, & luminis vitam. Prius eſt venire ad umbram, & ita ad id, cujus umbra eſt, pertranſire: quoniam *niſi credideritis*, ait, *non intelligetis.* [Iſa. 7. 9.]

[Vita in deliciis agens, eſt, & umbra mortis.]

7. Vides fidem & vitam eſſe, & vitæ umbram. Nam è regione vita in deliciis agens, quoniam non eſt ex fide, & mors eſt, & umbra mortis. *Quæ enim*, inquit, *vidua in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* [1 Tim. 5. 6.] Denique *ſapientia carnis mors eſt.* [Rom. 8. 6.] Sed & mortis eſt umbra, illius ſcilicet quæ cruciat in æternum. Sedimus & nos aliquando in tenebroſis & umbra mortis, carnaliter converſantes, & non ex fide viventes, mortui jam quidem juſtitiæ, à morte vero ſecunda paulo minus abſorbendi. Quantum etenim umbra prope eſt corpori cujus eſt umbra, tantum pro certo vita illa noſtra inferno appropinquavit. Denique *niſi quia Dominus adjuvit me*, inquit, *paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.* [Pſal. 93. 17.] Nunc autem de umbra mortis ad vitæ tranſivimus umbram, magis autem tranſlati ſumus de morte ad vitam, in Chriſti umbra viventes, ſi tamen viventes, & non mortui. Nec enim, reor, continuo, ut quis in umbra ejus fuerit, quod vivat in ea: quia non plane omnis qui fidem habet, ex fide vivit. [1. Johan. 3. 14. Fides ſine operibus mortua.] Nam fides ſine operibus mortua eſt; nec poteſt dare vitam, quam minime ipſa habuerit. Ideo Propheta cum dixiſſet, *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus*, [Thren. 4. 20.] non contentus fuit ſequi & dicere: In umbra ejus ſumus, ſed *in umbra*, inquit, *ejus vivemus inter gentes.* Et tu ergo vide ut vivas exemplo Prophetæ in umbra ejus, ut quandoque & regnes in lumine ejus. Nec enim tantum umbram habet, habet & lucem. Ipſe per carnem umbra eſt fidei, ipſe intelligentiæ lumen per ſpiritum. Et caro eſt enim, & ſpiritus. Caro in carne manentibus, ſpiritus ante faciem noſtram, id eſt in futuro: ſi tamen quæ retro ſunt obliviſcentes, ad ea quæ ante ſunt noſmetipſos extendimus, quo pervenientes experiamur de verbo quod dixit: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* [Johan. 6. 64.] Nec ignoro, quod in carne adhuc manens quis dixerit: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* [2. Cor. 5. 16.] At hoc ille: nos vero qui nondum in paradiſum, nondum ad tertium cælum rapi meruimus, Chriſti interim carne paſcamur, myſteria veneremur, exempla ſectemur, fidem ſervemus; & vivimus, profecto in umbra.

[Vivere in umbra & ſedere quid differant.]

8. *In umbra ejus quem deſideraveram ſedi.* Fortaſſis felicius aliquid iſta expertam ſe gloriatur in eo, quod ſe in umbra dicit, non, ut Propheta, vivere, ſed ſediſſe. Sedere enim quieſcere eſt. Plus eſt autem quieſcere in umbra, quàm vivere: ſicut vivere plus eſt, quàm tantummodo eſſe in ea. Igitur quod eſt commune multorum Propheta aſſumens ſibi, *In umbra ejus vivemus*, inquit: [Thren. 4. 20.] ſponſa vero habens prærogativam, etiam quod ſub ea ſingulariter ſederit, gloriatur. Non enim ut ille pluraliter, *Vivimus*, ita & hæc, *Sedimus* dixit; ſed ſingulariter, *ſedi*, ut agnoſcas prærogativam. Ubi itaque nos cum labore vivimus, qui conſcii peccatorum ſub timore ſervimus, ibi hæc devota & amans ſuaviter requieſcit. Denique timor pœnam habet, amor ſuavitatem. Unde ait: *& fructus ejus dulcis gutturi meo*, guſtum contemplationis ſignificans, quem obtinuerat per amorem ſuaviter ſublevata. At iſtud in umbra, quia per ſpeculum & in ænigmate. Erit cum declinaverint umbræ creſcente lumine, immo penitus diſparuerint, & ſubintrabit ſicut perſpicua, ita &

perpetua viſio; eritque non modo ſuavitas gutturi, ſed A
Cant. 2. 3. & ſatietas ventri; ſine faſtidio tamen. *Sub umbra ejus quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Nos quoque ubi ſponſa pauſat, pauſemus pariter, de ſumpto guſtu Patremfamilias glorificantes, qui nos ad tales epulas invitavit, ſponſum Eccleſiæ Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO XLIX.

Qualiter per diſcretionem ordinatur Caritas, ut omnia membra Eccleſiæ, id eſt electi, invicem colligentur.

Cant. 2. 4. 1. INtroduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. B Ut quidem propoſiti capituli videtur ſonare littera, habito pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte ſponſa regreditur ad adoleſcentulas, aſpectu ita ipſius affatuque refecta atque accenſa, quatenus ebriæ ſimilis appareret. Et quaſi illis ſtupentibus novitatem, & quærentibus cauſam, reſpondit mirum minime eſſe, ſi vino æſtuaret, quæ in cellam vinariam introiſſet. Et ſecundum litteram ita. Secundum ſpiritum quoque non negat ebriam, ſed amore, non vino, niſi quod amor vinum eſt. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quando præſens eſt ſponſus, & ſponſa ad ipſum ſermonem dirigit; tunc *ſponſus* dicitur aut *dilectus*, aut *quem diligit anima mea*: C inquit: loquens vero de ipſo adoleſcentulis, *regem* nominat. Ut quid hoc? Propterea credo, quia & ſponſæ amanti atque dilectæ conveniat uti familiarius (quod ad ſe eſt) amoris nominibus: & adoleſcentulis, tamquam diſciplina indigentibus, opus ſit reverendo premi vocabulo majeſtatis.

Modus loquendi ſponſæ de ſponſo varius.

2. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quænam iſta ſit cella vinaria, prætereo dicere, quia dixiſſe me recolo. Tamen ſi ad Eccleſiam referatur ſermo, cum repleti Spiritu-ſancto Diſcipuli muſto ebrii à populo putarentur; tunc tamquam amicus ſponſi pro ſponſa ſtans Petrus in medio eorum: *Non*, inquit, *ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt.* D Attende interim, quod non omnino ebrios, ſed ebrios, ſicut ab illis æſtimati ſunt, denegavit. Erant enim ebrii, ſed Spiritu-ſancto, non muſto. Et quaſi teſtificarentur ad plebem, revera ſe in cellam fuiſſe vinariam introductos, rurſum Petrus pro omnibus: *Sed hoc eſt*, ait, *quod dictum eſt per Prophetam Joël: Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ. Juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt.* An non tibi cella videtur fuiſſe vinaria illa domus, in qua erant Diſcipuli pariter congregati, *cum factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes*, adimplevitque prophetiam Joel? E Et nonne unuſquiſque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere merito quibat: *Quoniam introduxit me rex in cellam vinariam?*

Act. 2. 15. Apoſtolorum ebrietas poſt acceptum Spiritum ſanctum qualis.

Joel 2. 28.

Act. 2. 2.

3. Sed & tu quoque, ſi collecto tuo ſpiritu, mente ſobria & vacua curis, orationis domum ſolus introeas, & ſtans coram Deo ad unum aliquod de altaribus, cæli januam tangas ſancti deſiderii manu, & præſentatus choris Sanctorum, tua penetrante devotione (ſiquidem oratio juſti penetrat cælos) in ipſorum præſentia miſerandus deplores miſerias & calamitates quas pateris; crebris ſuſpiriis & gemitibus inenarrabilibus F prodas neceſſitatem, flagites pietatem: ſi, inquam, hoc egeris, confido in eo qui dixit, *Petite, & accipietis*, quia ſi perſeveraveris pulſans, non exibis vacuus. Verum cum te nobis reddideris plenum gratia & caritate, nec poteris ſpiritu fervens diſſimulare munus acceptum, quod ſine invidia communicabis; eriſque omnibus in gratia, quæ data eſt tibi, non modo gratus, ſed fortaſſis etiam admirandus: poteris & ipſe veraciter proteſtari, quia *introduxit me rex in cellam vinariam*: tantum cautus eſto, non in te, ſed in Domino gloriari. Nec omne donum, quamvis ſpirituale, prodire

Alia introductio in cellam vinariam.

Matt. 7. 7.

A dixerim de cella vinaria, cum ſint & aliæ penes ſponſum cellæ vel apothecæ, diverſa in ſe recondita habentes dona atque chariſmata, ſecundum divitias gloriæ ejus: de quibus cellis memini me alibi * latius diſputaſſe. *Nonne hæc condita ſunt*, inquit, *apud me, & ſignata in theſauris meis?* Ergo pro diverſitate cellarum, diviſiones gratiarum ſunt, & unicuique manifeſtatur Spiritus ad utilitatem. Et quamquam alii quidem detur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ, alii vero prophetia, alii gratia curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, aliaque aliis his ſimilia: non tamen quis horum pro hujuſmodi dicere poterit, quod introductus fuerit in cellam vinariam. B Ex aliis quippe cellis ſive theſauris iſta ſumuntur.

Tom. I V. Omne donum de cella vinaria non depromitur. * Sup. ſer. 23. Deut. 32. 34.

1. Cor. 12. 8.

4. Sed ſi quis orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementiſſime flagrans, & æſtuans juſtitiæ zelo, necnon & in cunctis ſpiritualibus ſtudiis atque officiis pernimium fervens, ita ut poſſit dicere, *Concaluit cor meum intra me, & in meditationibus meis exardeſcit ignis*: is plane, cum ex caritatis abundantia bonam & ſalutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introiſſe. Cum enim duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu unus, & alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; C unus in agnitione, alter in devotione: pius ſane affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ devotionis infuſio, etiam & vehemens ſpiritus repletus zelo, non plane aliunde, quàm è cella vinaria reportantur: & cuicumque cum horum copia ſurgere ab oratione donatur, poteſt in veritate loqui: quia *introduxit me rex in cellam vinariam.*

Item alia introductio in cellam vinariam.

Pſal. 38. 4.

Contemplationis duplex exceſſus.

5. Sequitur: *Ordinavit in me caritatem.* Omnino neceſſarie. Importabilis ſiquidem abſque ſcientia eſt zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maxime diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio caritatis. SEMPER quidem zelus abſque ſcientia minus efficax, minuſque utilis invenitur; plerumque autem & perniciosus valde D ſentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior ſpiritus, profuſiorque caritas; eo vigilantiori opus ſcientia eſt, quæ zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet caritatem. Proinde ſane ne tamquam nimia & importabilis pro impetu ſpiritus, quem e cella videtur vinaria reportaſſe, præſertim ab adoleſcentulis ſponſa timeatur; jungit quod diſcretionis eſt etiam ſe pariter accepiſſe, id eſt ordinem caritatis. DISCRETIO quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Denique ait: *Ordinatione tua perſeverat dies*, diem virtutem appellans. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, E & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. *Ordinavit in me caritatem.* Factum eſt autem hoc, cum in Eccleſia quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum. Oportet autem ut hos una omnes caritas liget, & contemperet in unitatem corporis Chriſti: quod minime omnino facere poterit, ſi ipſa non fuerit ordinata. Nam ſi ſuo quiſque feratur impetu ſecundum ſpiritum quem accepit, & ad quæque volet indifferenter, prout afficitur, & non rationis judicio convolarit; dum ſibi aſſignato officio nemo contentus erit, ſed omnes omnia indiſcreta adminiſtratione pariter attentabunt, non plane unitas erit, ſed magis confuſio.

Zelus abſque ſcientia ac diſcretione non raro noxius.

Diſcretio ordo & auriga virtutum. Pſal. 118. 91.

Apoſt. 4. 11. Diſcretionis regula quàm neceſſaria.

6. *Ordinavit in me caritatem.* Utinam & in me Dominus Jeſus tantillum ordinet caritatis quod dedit, ut ſic mihi curæ ſint univerſa quæ ſunt ipſius, ut tamen quod mei potiſſimum propoſiti ſeu officii eſſe conſtiterit, ante omnia curem: ſed ſane ita id prius, ut tamen ad multa, quæ mihi ſpecialiter non attinent, afficiar amplius. Non enim ſemper quod prius curandum, id etiam diligendum amplius erit: cum ſæpe quod prius

Caritas in Prælato quomodo recte ordinanda.

Tom. IV.

eſt ad ſollicitudinem, minus ſit ad utilitatem, ac per hoc minus eſſe oporteat & in affectu. Frequenter proinde quod pro injuncto [a] præponitur, de judicio poſthabetur: & quod veritas judicat præponendum, id carius amplectendum ordo poſtulat caritatis. Nonne, verbi gratia, ex injuncto incumbit mihi cura omnium veſtrum? Jam quicquid huic forte prætulero operi, quo minus ipſi invigilem digne & utiliter pro viribus exſequendo, etſi ex caritate fortaſſis id facere videar, ordinis tamen ratio non conſentit. Quod ſi ante omnia quidem (ut debeo) huic intendo curæ, non autem magis ad majora gaudeo Dei lucra, quæ per alterum fieri forte comperero; patet me ordinem caritatis ex parte tenere, ex parte nequaquam. Si vero me & ad id amplius, quod ſpecialius incumbit, ſollicitum, & nihilo minus ad illud, quod majus eſt, magis affectum exhibeam; utrobique profecto in veriorem caritatis ordinem aſſecutus, & non eſt cur dicere non poſſim etiam ipſe, quia *ordinavit in me caritatem*.

Alieno bono plus aliquando gaudendum quàm ſuo. Confer ſerm. ſeq. num. 5 & 6.

7. Si autem dicas difficile quemquam plus alieno gaudere magno bono, quàm proprio parvo: advertes certe vel ex hoc excellentiam gratiæ apud ſponſam, & quoniam * non cuilibet animæ dicere ſit, quia *ordinavit in me caritatem*. Quare facies deciderunt quorumdam veſtrûm modo ad hunc ſermonem? Nam alta ſuſpiria teſtantur triſtitiam animorum, conſcientiarumque dejectionem. Nimirum metientes noſmetipſos nobis, ſentimus aliqui noſtrum pro noſtræ imperfectionis experientia, quàm rara virtus ſit alienæ non invidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tanto plus quàm ad propriam quemque gratulari, quanto ſe perpenderit in virtute ſuperatum. Adhuc modicum lumen in nobis eſt, Fratres, quotquot de nobis ita ſentimus. *Ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant.* Ambulare, proficere eſt. Ambulabat Apoſtolus, qui dicebat: *Non arbitror me comprehendiſſe.* & addit: *Unum autem, quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea quæ ante ſunt, me extendo.* Quid eſt, *unum autem?* Unum autem, inquit, quaſi remanſit mihi ad remedium, ad ſpem, ad conſolationem. Quid illud? *Quæ retro ſunt* videlicet *obliviſcens, ad ea quæ ante ſunt me extendo.* Magna fiducia! quod magnum electionis Vas perfectum abnuens, profectum fatetur. Ergo non ambulantem, ſed ſedentem à mortis tenebris comprehendi periculum eſt. Et quis ſedens, niſi qui non curat proficere? Id caveto: & ſi morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris. Dices Deo: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo* nihilo minus, inquit, *omnes ſcribentur.* Qui omnes? Profecto qui in deſiderio proficiendi inveniuntur. Sequitur enim: *Dies formabuntur, & nemo in eis*, ſubaudis peribit. Dies proficientes intellige, qui ſi morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deeſt perficiendi ſunt. Formabuntur, & nemo in eis informis relinquetur.

** al. quàm*

Rara virtus de aliena gaudere virtute, non invidere.

Johan. 12. 35.

Philipp. 3. 13.

Salvabuntur qui ſunt in deſiderio proficiendi. V. epiſt. 254. num. 1.

Pſal. 138. 16.

8. Et quomodo, ais, ego proficere poſſum, qui fratri proficienti invideo? Si doles quod invides, ſentis, ſed non conſentis. Paſſio eſt, quandoque ſananda, non actio condemnanda. Tantum non illic reſideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foveas morbum, ſatisfacias peſti, perſequaris inſontem, bene ab illo geſta calumniando, deprimendo, pervertendo, atque impediendo gerenda. Alioquin non nocet ambulanti & extendenti ſe ad meliora, quod jam non ipſe operatur, ſed quod habitat in eo peccatum. Non eſt ergo damnatio illi, qui non dat membra ſua arma iniquitati, non linguam ad detrahendum, non quicquam reliqui corporis ad lædendum nocendumve aliquo modo: magis autem confunditur ſic ſe eſſe male affectum: & inolitum ex longo vitium confitendo, flendo, orando conatur expellere; & cum non prævalet, mitior inde ad omnes, atque apud ſe humilior invenitur. Quis ſanum ſapiens hominem damnet, qui à Domino didicit mitis eſſe, & humilis corde? Abſit ut inveniatur expers ſalutis imitator Salvatoris, ſponſi Eccleſiæ Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Non ſenſus, ſed conſenſus peccatum facit.

Rom. 7. 20.

Matt. 11. 29.

SERMO L.

De duplici Caritate, ſcilicet actuali & affectuali; & ejus ordinatione.

1. VOs forſitan exſpectatis tractari ſequentia, explicitum putantes verſiculum, qui noviſſime tractabatur. Verum ego aliud molior: habeo enim quod adhuc vobis apponam de fragmentis heſterni convivii, quæ mihi collegeram ne perirent. Peribunt autem, ſi nulli appoſuero: nam ſi voluero ea habere ſolus, ipſe peribo. Nolo proinde veſtram illis, quam bene novi, fraudare ingluviem: præſertim cum ſint de ferculo caritatis, eo dulcia, quo ſubtilia: eo ſapida, quo minuta. Alioquin contra caritatem eſt valde nimis de ipſa caritate fraudare. Itaque hic ſum: *Ordinavit in me caritatem*.

Cant. 2. 4.

2. Eſt caritas in actu, eſt & in affectu. Et de illa quidem quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur. Cujus initium quidem, profectumque vitam quoque præſentem experiri divina poſſe gratia non negamus: ſed plane conſummationem defendimus futuræ felicitati. Quomodo ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum, non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minime in vita iſta ab aliquo hominum poſſit, vel potuerit adimpleri. Quis enim ſibi arrogare id audeat, quod ſe Paulus ipſe fatetur non comprehendiſſe? Nec latuit Præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires: ſed judicavit utile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri, & ut ſcirent ſane, ad quem juſtitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impoſſibilia, non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: *quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Accipientes quippe mandatum, & ſentientes defectum, clamabimus in cælum, & miſerebitur noſtri Deus: & ſciemus in illa die, quia *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

V. Tract. de dilig. Deo, c. 10. num. 29. Philipp. 3. 13.

Rom. 3. 19.

Tit. 3. 5.

3. Atque hoc dixerim, ſiquidem conſenſerimus affectualem legem fuiſſe mandatam. Sed actuali [b] id potius convenire inde vel maxime apparere videtur, quod cum dixiſſet Dominus, *Diligite inimicos veſtros*, mox de operibus infert: *Benefacite his qui oderunt vos.* Item Scriptura: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi.* Et hic de actu habes, non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de ſui dilectione mandantem: *Si diligitis me*, inquit, *ſermones meos* [c] *ſervate.* Atque hic quoque ad opera mittimur per injunctam obſervantiam mandatorum. Supervacue autem

Luc. 6. 27.

Rom. 12. 20.

Johan. 14. 15.

a Ita ſcripti noſtri omnes, atque editi primi. Subſequentes, *Dei judicio, &c.* Horſtius, *proinde quod veritas judicat, præponitur de judicio, &c.*

b Bernardi ſententia eſt, præceptum de diligendo convenire potius caritati actuali, quàm affectuoſæ. Sed affectuoſæ nomine intelligit amorem illum perfectiſſimum, qui ſolis beatis, aut certe perfectis competit: actualem vero, qui non ſiſtit in ſimplici affectu, ſed in effectum prorumpit, ita ut internum dilectionis actum nequaquam excludat. *Neque hoc dico*, inquit num. 4. *ut ſine affectione ſimus*, imino potius includat dilectionem internam, *quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit.* Et hic eſt amor internus, *quo contenta eſt caritas actualis*, num. 6. Vide Admonitionem ad librum de diligendo Deo, ſupra col. 581.

c *Ubi autem ſervandi ſunt? Haud dubium quin in corde*, uti Bernardus in ſermone 5. de Adventu num. 2. immo & ex corde, ſicut ibidem explicat, ita ut ſint inſtar cibi, qui tranſeat in affectiones, & in mores.

de opere monuiſſet, ſi in affectione jam fuiſſet dilectio. Sic te ergo neceſſe eſt & illud accipere, quod juberis diligere proximum tuum ſicut teipſum, etſi non ita aperte expreſſum ſit. An non denique ſatis tibi eſſe judices ad implendum iſtud de proximi dilectione mandatum, ſi id perfecte obſerves, in quo omni homini recte de lege naturæ præſcribitur: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris?* & item illud: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Matt. 22. 40.
Matt. 7. 12.

4. Neque hoc dico, ut ſine affectione ſimus, & corde arido ſolas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ ſcribit Apoſtolus magna & gravia hominum mala, hoc quoque adnumeratum, *ſine affectione* ſcilicet eſſe. Sed eſt affectio quam caro gignit; & eſt quam ratio regit, & eſt quam condit ſapientia. Prima eſt, quam Apoſtolus legi Dei dicit non eſſe ſubjectam, nec eſſe poſſe: ſecunda, quam perhibet è regione conſentientem legi Dei, quoniam bona eſt: nec dubium diſtare inter ſe contentioſam, & conſentaneam. Longe vero tertia ab utraque diſtat, quæ & guſtat, & ſapit quoniam ſuavis eſt Dominus, primam eliminans, ſecundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis: ultima pinguis, & ſuavis eſt. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa caritas ſedet, non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pinguèſcens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini: ſed quædam potius actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit. *Non diligamus*, ait, *verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.*

Rom. 1. 31.
Affectio triplex, carnis, rationis, & ſapientiæ.
Rom. 8. 7.
Rom. 7. 16.
Pſal. 33. 9.
Johan. 3. 18.

5. Vides quomodo caute medius incedit inter vitioſum atque affectuoſum amorem, ab utroque pariter hanc diſtinguens actualem & ſalutiferam caritatem? Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum, nec rurſum afficientis exigit ſapientiæ guſtum. *Opere*, inquit, *diligamus & veritate*: quod videlicet moveamur ad bene operandum magis quodam vividæ veritatis impulſu, quàm ſapidæ illius caritatis affectu. *Ordinavit in me caritatem.* Quam putas harum? Utramque, ſed ordine oppoſito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis ſuperiora. Etenim in bene affecta mente non dubium (verbi cauſa) quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione ſæpe, aut etiam ſemper, ordo oppoſitus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur; & infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus; & paci terræ magis, quàm cæli gloriæ jure humanitatis & ipſa neceſſitate intendimus; & temporalium inquietudine curarum vix aliquid ſentire de æternis permittimur; & languoribus noſtri corporis, poſtpoſita animæ cura, pæne continue inſervimus; & ipſis denique infirmioribus membris noſtris abundantiorem honorem, juxta ſententiam Apoſtoli, circumdamus: per hoc quodam modo facientes verbum Domini, de quo habes: *Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde caritate jubente abducimur & avellimur propter eos, qui noſtra indigent opera vel loquela? Quoties pie cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conſcientia ponitur codex, ut operi manuum inſudetur? Quoties pro adminiſtrandis terrenis, juſtiſſime ipſis ſuperſedemus celebrandis [a] Miſſarum ſollemniis? Ordo præpoſterus: ſed neceſſitas non habet legem. Agit ergo ſuum actualis caritas ordinem juxta Patris-familias juſſionem, incipiens à noviſſimis. Pia certe & juſta, quæ non ſit acceptrix perſonarum; nec pretia conſideret rerum, ſed hominum neceſſitates.

Cant. 2. 4.
An res proximi & temporalia Dei rebus præferri poſſint.
1. Cor. 12. 23.
Matt. 20. 16.
Tom. IV.
Ibidem 8.

6. At non ita affectualis: nam à primis ipſa ducit ordinem. Eſt enim ſapientia, per quam utique quæque res ſapiunt prout ſunt: ut (verbi gratia) quæ pluris natura habet, pluris quoque ipſa affectio ſentiat, minora minus, minima minime. Et illum quidem ordinem caritatis veritas facit, hunc autem veritatis caritas vindicat ſibi. Nam & vera in hoc eſt caritas, ut qui indigent amplius, accipiant prius: & rurſus in eo cara apparet veritas, ſi ordinem tenemus affectu, quem illa ratione. Tu ergo ſi diligas Dominum Deum tuum toto corde, tota anima, tota virtute tua; & amorem amoris [b] illum, quo contenta eſt caritas actualis, affectu ferventiori tranſſiliens, ipſo comminus divino amore (ad quem is eſt gradus) accepto in plenitudine ſpiritu, totus igneſcas: ſapit tibi profecto Deus, etſi non digne omnino prout eſt, (quod utique impoſſibile eſt omni creaturæ) certe prout tuum ſapere eſt. Deinde ſapies etiam ipſe tu tibi prout es, cum te ſenſeris nil habere prorſus, unde te ames, niſi in quantum Dei es: quippe qui totum unde amas, in illum effuderis. Sapies, inquam, tibi prout es, cum ipſo experimento amoris tui, & affectionis quam ad teipſum habebis, nihil dignum te eſſe invenies, quod vel à teipſo ametur, niſi propter ipſum, ſine quo ipſe es nihil.

Sapientia, ordo affectionum.
Matt. 22. 37.
Hoc Deus homini ſapit prout eſt.
Homo ſibi ipſi.

7. Jam vero proximus, quem vere te oportet diligere tamquam teipſum, ut tibi & ipſe ſapiat prout eſt, haud aliud profecto ſapiet tibi, quàm tu tibi, qui hoc eſt quod tu: eſt enim homo. Qui itaque te non diligis, niſi quia diligis Deum; conſequenter omnes qui ſimiliter diligunt eum, diligis tamquam teipſum. Porro inimicum hominem, quoniam nihil eſt, pro eo quod non diligit Deum; non potes quidem diligere tamquam teipſum, qui Deum diligis: diliges tamen ut diligat. Non eſt autem idipſum, diligere ut diligat, & diligere quia diligit. Proinde ut tibi & ipſe ſapiat prout eſt, ſapiet tibi, non quidem quod eſt, qui utique nihil eſt; ſed quod futurus forſitan eſt, quod eſt prope nihili, quippe quod adhuc pendet ſub dubio. Etenim de quo conſtat quod ad amorem Dei non ſit deinceps rediturus, ſapiat tibi neceſſe eſt, non prope jam nihil, ſed nihil ex toto, utpote quod in æternum nihil eſt. Illo igitur excepto, qui non modo jam non diligendus, inſuper & odio habendus eſt, ſecundum illud, *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* de cetero nulli vel inimiciſſimo homini negari quantulumcumque affectum caritas ſane in hac parte ambitioſa permittit. Quis ſapiens, & intelliget hæc?

Et proximus.
Inimicus quomodo aut quare diligendus.
Pſal. 138. 21.

8. DA MIHI HOMINEM, qui ante omnia quidem ex toto ſe diligat Deum; ſe vero & proximum, in quantum diligunt ipſum; inimicum autem, tamquam aliquando forſitan dilecturum; porro parentes carnis ſuæ germanius propter naturam, ſpirituales vero eruditores ſuos profuſius propter gratiam; atque in hunc modum ad cetera quæque Dei ordinato intendat amore, deſpiciens terram, ſuſpiciens cælum, utens hoc mundo tamquam non utens, & inter utenda & fruenda intimo quodam mentis ſapore diſcernens, ut tranſitoria tranſitorie, & ad id dumtaxat quod opus, & prout opus eſt curet, æterna deſiderio amplectatur æterno: talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum ſapientem pronuntio, cui nimirum quæque res revera ſapiunt prout ſunt, & cui in veritate atque ſecuritate competit gloriari, & dicere, quia *ordinavit in me caritatem.* Sed

Sapiens quis vere dicendus.
Cant. 2. 4.

a Apud Ciſtercienſes olim intermittebantur Sacra tempore meſſis. Unde Philippus Auguſtus audito, apud Barbellenſes monachos *tempore meſſionum, monachis ad granchias commeantibus, temporalium occaſione à Miſſarum ſollemnitate* ceſſari, ſingulis diebus mane Miſſarum ſollemnia pro anima patris ſui ibidem ſepulti celebrari præcepit. Litteræ has de re exſtant in lib. 6. de re diplomatica pag. 603. Alias Bernardus oblationem hoſtiæ ſalutaris *uſque ad defectum ultimum* vix aliquando intermiſit, teſte Gaufrido in lib. 5. de ejus vita cap. 1.

b In quibuſdam codicibus deeſt *amoris* hoc loco. Sed non eſt contra mentem Bernardi, qui de caritate actuali ſuperius agens, *amore tamen amoris ipſius*, inquit, *vehementer accendit.*

Tom. IV. ubi ille, aut quando iſta? Quod flens dico, quouſque oderamus, & non guſtamus, proſpicientes patriam, & non apprehendentes, ſuſpirantes, & de longe ſalutantes? O veritas exſulum patria, exſilii finis! video te, ſed intrare non ſinor carne retentus, ſed nec dignus admitti, peccatis ſordens. O Sapientia, quæ attingis à fine uſque ad finem fortiter in inſtituendis & continendis rebus; & diſponis omnia ſuaviter in beandis & ordinandis affectibus! dirige actus noſtros, prout noſtra temporalis neceſſitas poſcit; & diſpone affectus noſtros, prout tua veritas æterna requirit, ut poſſit unuſquiſque noſtrum ſecure in te gloriari & dicere, quia *ordinavit in me caritatem.* Tu es enim Dei virtus & Dei ſapientia, Chriſtus ſponſus Eccleſiæ, Dominus noſter, ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LI.

Qualiter ſponſa petit ſibi accumulare fructus bonorum Operum cum floribus, & odoramentis Fidei; item de Spe, & Timore.

Cant. 2. 5. — Connexio & ſenſus litteræ.

1. F*Ulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Crevit amor, quia incentiva amoris plura ſolito proceſſerunt. Vides ſiquidem, quanta hac vice non videndi tantum, ſed & colloquendi copia fuit. Ipſa quoque viſio apparet vultu indulta ſereniori, & ſermo jucundior, & ſermocinatio longior atque protractior. Nec ſolum oblectata colloquio, ſed & gloriata præconio eſt. Ad hæc, ejus quem deſideraverat refrigerata eſt umbra, cibata fructu, potata calice. Nec enim ſitibunda putanda eſt exiſſe de cella vinaria, in quam ſe introductam modo noviſſime gloriatur. immo vero ſitibunda, quoniam *qui bibit me,* inquit, *adhuc ſitiet.* (Eccli. 24. 29.) Poſt iſta omnia, ſponſo more ſuo ſecedente, illa languere amore ſe perhibet, id eſt præ amore. Quo enim gratiorem fuerat experta præſentiam, eo poſtmodum abſentiam moleſtiorem ſenſit. SUBTRACTIO nempe rei quam amas, augmentatio deſiderii eſt; & quod ardentius deſideras, cares ægrius. Rogat proinde iſta interim odoramentis florum ac fructuum conſoveri, quouſque denuo revertatur, quem moleſtiſſime ſuſtinet demorantem. Atque is ordo ſermonum.

Senſus myſticus.

2. Nunc jam ſpiritualem fructum, qui in ipſis eſt, ſpiritu duce veritatis tentemus eruere. Et ſi communis Eccleſia ſanctorum hic recipitur loquens, nos in floribus fructibuſque deſignati ſumus; ſed & quique converſi de ſæculo in toto ſæculo. In *floribus* quidem novella & tenera adhuc incipientium converſatio demonſtratur, in *fructibus* vero proficientium fortitudo & maturitas perfectorum. His ſtipata mater peregrinans & fructificans, cui vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; profecto æquanimius fert moleſtiam ſuæ dilationis, quoniam, juxta ſcripturam, datur *ei de fructu manuum ſuarum,* (Prov. 31. 31.) tamquam ex primitiis ſpiritus, & laudant eam in portis opera ejus. Si autem ſecundum moralem ſenſum in una anima vis tibi utraque hæc aſſignari, & *flores* videlicet, & *fructus*; fidem florem, fructum actum intellige. (Fides flos, fructus opera.) Nec incongrue (ut opinor) id tibi videbitur, ſi advertas, quomodo inſtar floris neceſſario præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præveniri. Alioquin *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* (Hebr. 11. 6.) Paulo atteſtante, magis autem æque ipſo docente, *Omne quod non eſt ex fide, etiam peccatum eſt.* (Rom. 14. 23.) Itaque nec ſine flore fructus, nec ſine fide opus bonum. Sed & fides ſine operibus mortua eſt, (Jac. 2. 20.) ſicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non ſequitur fructus. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* (Cant. 2. 5.) Ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit conſolationem mens aſſueta quieti, quoties ſibi (ut aſſolet) lux contemplationis ſubtrahitur. Quis enim, non dico continue, ſed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? (Actionis & contemplationis viciſſitudo.) At quoties (ut dixi) corruit à contemplativa, toties in activam ſe recipit, inde nimirum tamquam è vicino familiarius reditura in idipſum: quoniam ſunt invicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter; eſt quippe ſoror Mariæ Martha. Neque enim, etſi à contemplationis lumine cadit, patitur tamen ullatenus ſe incidere in tenebras peccati, ſeu ignaviam otii, ſane in luco bonæ operationis ſe retinens. Et ut ſcias etiam opera lucem eſſe: *Luceat lux veſtra,* inquit, *coram hominibus.* (Matt. 5. 16.) quod non eſt dubium de operibus fuiſſe dictum, quæ homines poterant intueri.

3. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* CUM PRÆSTO EST quod amatur, viget amor; languet cum abeſt. Quod non eſt aliud, quam tædium quoddam impatientis deſiderii, quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis abſente quem amat, dum totus in exſpectatione, quantamlibet feſtinationem reputat tarditatem. Et ideo iſta poſtulat ſibi accumulari bonorum operum fructus cum fidei odoramentis, in quibus moram faciente ſponſo interim requieſcat. Loquor vobis experimentum meum quod expertus ſum. Si quando ſane comperi profeciſſe aliquos veſtrum ex meis monitis, tunc non me piguit, fateor, curam prætuliſſe ſermonis proprio otio & quieti. Cum enim (verbi gratia) poſt ſermonem iracundus quiſpiam reperitur mutatus in mitem, ſuperbus in humilem, puſillanimis in fortem: porro mitis, humilis, fortis, in ſua quiſque gratia excreviſſe, & ſeipſo melior factus eſſe agnoſcitur; ſed & qui forte tepuerant & languebant circa ſpirituale ſtudium torpentes & dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referbuiſſe & evigilaſſe videntur; & qui deſerto fonte ſapientiæ, foderant ſibi propriæ voluntatis ciſternas non valentes aquas continere, proptereaque ad omne injunctum gravati corde arido murmurabant, nullum in ſe habentes devotionis humorem: hi, inquam cum de rore verbi, & pluvia voluntaria, quam ſegregavit Deus hereditati ſuæ, refloruiſſe probantur in opera obedientiæ, facti in omnibus voluntarii & devoti, non eſt (dico vobis) unde ſubeat mentem, quaſi pro intermiſſo ſtudio jucundæ contemplationis, triſtitia, cum talibus fuero circumdatus floribus atque fructibus pietatis. Patienter avellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, ut de Lia mihi exuberent fructus profectuum veſtrorum. Minime prorſus pigebit me intermiſſæ * quietis pro cura ſermonis, cum videro in vobis germinare ſemen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Caritas enim quæ non quærit quæ ſua ſunt, (1. Cor. 13. 5.) id mihi jamdudum facile perſuaſit, nil ſcilicet deſiderabilium meorum veſtris præferre utilitatibus. Orare, legere, ſcribere, meditari, & ſi qua ſunt alia ſpiritualis ſtudii lucra, hæc arbitratus ſum propter vos detrimenta.

4. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hoc itaque locuta eſt ſponſa adoleſcentulis in ſponſi abſentia, monens eas in fide proficere & operibus bonis donec veniat, ſentiens in eo fore & beneplacitum ſponſi, & filiarum ſalutem, & ſuam ipſius conſolationem. Scio me hunc locum in libro de Dilectione Dei plenius explicuiſſe, & ſub alio intellectu: potiorine an deteriori, Lector judicet, ſi cui utrumque videre placuerit. Non ſane à prudente de diverſitate ſenſuum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur; & caritas, cui Scripturas ſervire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus ſuum veros eruerit intellectus. Cur enim hoc diſpliceat in ſenſibus Scripturarum, quod in uſibus rerum aſſidue experimur? In quantos (verbi cauſa) ſola aqua noſtrorum aſſumitur corporum uſus? Ita unus quilibet divinus ſermo non erit ab re, ſi diverſos pariat intellectus, diverſis animarum neceſſitatibus & uſibus accommodandos.

5. Sequitur: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Et inſuper hoc quoque in præfato opuſculo memini uberius diſputatum: ſed ſignemus ſermonis ordinem. Liquet denuo adeſſe ſponſum,

credo, ut ſua præſentia languentem erigat. Quomodo A enim non in præſentia ejus convaleſceret, quam abſentia conſternarat? Ergo non ſuſtinet dilectæ moleſtiam: adeſt, neque enim moram facere poteſt tantis deſideriis evocatus. Et quia illam compererat, donec abſens fuit, fidelem ad opera, & ſollicitam ad lucra, in eo nimirum, quod flores ſibi & fructus præceperat adunari; etiam cum propenſiori hac vice remuneratione gratiæ eſt reverſus. Denique uno brachiorum ſuorum ſuſtentat caput jacentis, alterum ad amplexandum parans, ut ſinu foveat. Felix anima quæ in Chriſti recumbit pectore, & inter Verbi brachia requieſcit. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Non ait, amplexatur, B ſed, *amplexabitur me*: ut noveris priori gratiæ adeo non ingratam, ut ſecundam gratiarum actione prævenerit.

Prov. 19. 2. Gratiæ Deo agendæ de omnibus donis.

6. Diſce in referendo gratiam non eſſe tardus aut ſegnis, diſce ad ſingula dona gratias agere. *Diligenter*, inquit, *conſidera quæ tibi apponuntur*: ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, id eſt nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit quod donatur ingrato. INGRATITUDO inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Propter hoc denique ſponſa mox ut gratiam de læva ſenſit, gratias egit, non exſpectans plenitudinem quæ in dextera eſt. Neque enim ubi memorata eſt lævam jam eſſe ſub capite ſuo, etiam ſecuta eſt à dextera ſe ſimiliter amplexatam, ſed *amplexabitur me*, inquit.

Johan. 6. 12. Ingratitudinis vitium deteſtabile.

7. Ceterum quid putamus Verbo ſponſo *lævam* eſſe, ſive *dexteram*? Num id quod dicitur hominis verbum iſtiuſmodi corporeas partes habet in ſe diviſas, & lineamenta diſtincta, ac diſtinguentia inter ſiniſtram & dexteram? Quanto magis is, qui Dei & Deus eſt, Sermo varietatem prorſus aliquam non admittit, D ſed *eſt qui eſt*, in ſua nimirum natura tam ſimplex ut non habeat partes, tam unus ut non habeat numeros. Eſt enim Dei Sapientia, de qua ſcriptum eſt: *Et ſapientiæ ejus non eſt numerus.* At ſi quod invariabile eſt, id incomprehenſibile, ac per hoc etiam ineffabile eſſe neceſſe eſt: ubi quæſo invenias verba, quibus illam majeſtatem vel digne aſſignes, vel proprie proloquaris, vel competenter diffinias? Tamen utcumque loquamur, quod utcumque de ea Spiritu-ſancto revelante ſentimus. DOCEMUR auctoritate Patrum, & conſuetudine Scripturarum congruentes de rebus notis licere ſimilitudines uſurpare; ſed & verba non nova invenire, ſed nota mutuari *, quibus digne & competenter eædem ſimilitudines veſtiantur. Alioquin ridicule ignota per ignota docere conaberis.

Verbum, ſermo ſimplex & unus.

Pſal. 146. 5.

De divinis quomodo loquendum.

* al. transferre.

8. Ergo quia per dextrum & ſiniſtrum adverſa ſolent atque proſpera deſignari: videtur mihi hoc loco intelligi poſſe *lævam* quidem Verbi, comminationem ſupplicii; *dextram* vero regni promiſſionem. Eſt autem cum mens noſtra formidine pœnæ ſerviliter premitur: & tunc nequaquam *ſub capite*, ſed ſuper caput læva eſſe dicenda eſt: nec poteſt ſic affecta anima omnino dicere, quia *læva ejus ſub capite meo.* At vero ſi proficiens ex hoc ſpiritu ſervitutis tranſierit in quemdam ſpontanei obſequii digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potius provocetur quàm arctetur ſuppliciis, magis autem ſi amore boni ipſius agatur: tunc indubitanter dicere poterit, quia *læva ejus ſub capite meo*: quippe qui illum ſervilem metum, qui in ſiniſtra eſt, meliori atque excellentiori habitudine animi ſuperarit, & dignis deſideriis etiam ipſi appropiaverit dexteræ, in qua ſunt omnes promiſſiones, dicente Propheta ad Dominum: *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* Unde & certa ſpe concepta cum fiducia loquitur: *Et dextera ejus amplexabitur me.*

Dextrum & ſiniſtrum in Deo, quid.

Timor ſervilis.

Amor boni melior.

Pſal. 15. 10.

Cant. 2. 6.

Tom. IV.

9. Tu jam mecum videris, an ita affectæ & aſſecutæ hunc tantæ ſuavitatis locum, illud quoque conveniat de Pſalmo uſurpare, ut dicat etiam ipſa: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*: præſertim cum ſuppetat cauſa quæ ſequitur, *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Quod equidem tale eſt. Donec quis premitur à ſpiritu ſervitutis, parumque habet de ſpe, de timore plurimum; non eſt ei pax neque requies, fluctuante nimirum conſcientia inter ſpem & timorem, maximeque quod à ſuperexcellente timore abundantius crucietur. nam timor pœnam habet. Et ideo non eſt illi dicere, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, quando necdum ſe B ſingulariter in ſpe conſtitutum dicere poteſt. Ceterum ſi paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere ſpes; cum demum ad hoc ventum fuerit ut totis viribus exſurgens caritas in adjutorium ſpei foras mittat timorem: nonne ejuſmodi anima ſingulariter in ſpe conſtituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipſum dormire jam & requieſcere?

Pſal. 4. 9.

Timore prævalente pax nulla.

Spes proficit eo minuto.

10. *Si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ.* Quod propterea dictum puto, quoniam eſt locus inter timorem & ſecuritatem, tamquam inter lævam & dexteram, media videlicet ſpes, in qua mens & conſcientia, molli nimirum ſuppoſito C caritatis ſtratu, ſuaviſſime requieſcit. Et forte in conſequentibus hujus ipſius cantici hic locus fuerit deſignatus, ubi in deſcriptione ferculi Salomonis inter cetera habes: *Media caritate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Nam qui ſe ſingulariter in ſpe conſtitutum ſentit, non jam in timore ſervit, ſed requieſcit in caritate. Denique requieſcit & dormit ſponſa, pro qua dicitur: *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas cervoſque camporum, ne ſuſcitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.* Magna & ſtupenda dignatio, quod quieſcere facit animam contemplantem in ſinu ſuo, inſuper & cuſtodit ab infeſtantibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionum, & moleſtiis D negotiorum; nec patitur omnino ſuſcitari, niſi ad ipſius utique voluntatem. At iſtud non in anguſtiis finiendi jam ſermonis adoriendum eſt, magis autem hinc alius inchoetur, quatenus locus delectabilis debita in tractando diligentia non fraudetur. Non quod vel tunc ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, præſertim in tam digna, tamque excellente & omnino ſupereminente materia, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ſponſo Eccleſiæ Jeſu-Chriſto Domino noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Pſal. 67. 14. In ſpe anima requieſcit.

Cant. 3. 10.

Cant. 2. 7.

SERMO LII.

E *De exceſſu, qui contemplatio dicitur, in qua ſponſus facit quieſcere animam ſanctam, pro ejus quiete zelans.*

1. *ADjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas cervoſque camporum, ne vos excitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.* Prohibentur adoleſcentulæ: (has enim *filias Jeruſalem* dicit, quia etſi delicatæ & molles, & quaſi femineis adhuc affectibus & actibus infirmæ, ſponſæ tamen inhærent ſpe proficiendi, & proficiſcendi Jeruſalem.) Prohibentur ergo ab infeſtatione ſponſæ dormientis, ne ſcilicet præter voluntatem ipſius ullatenus eam excitare præ- F ſumant. Propterea enim dulciſſimus ſponſus lævam ſuam capiti ejus ſuppoſuit, ſecundum ea quæ præmiſſa ſunt, quatenus in ſinu ſuo eam quieſcere faceret & dormire. Et nunc ſicut ſubinde Scriptura proſequitur, ipſe cuſtos illius dignantiſſime & benevolentiſſime vigilat ſuper eam, ne adoleſcentularum crebris minutiſque neceſſitatibus inquietata evigilare cogatur. Iſta eſt litteralis cohærentia textus. Sed enim conteſtatio illa facta per *capreas cervoſque camporum*, nihil omnino ſecundum litteram conſequentiæ rationabilis habere videtur, adeo totam ſibi eam

Cant. 2. 7.

Tom. IV.

vindicat intelligentia ſpiritualis. At quoquo modo A illa ſe habeat, interim bonum eſt nos hic eſſe, & intueri pauliſper naturæ divinæ bonitatem, ſuavitatem, dignationem. Quid namque tu, homo, in humanis umquam affectibus expertus es dulcius, quàm modo tibi exprimitur de corde Altiſſimi? Et exprimitur ab illo qui ſcrutatur alta Dei, & non poteſt neſcire quæ in eo ſunt, quia Spiritus ipſius eſt: nec aliud plane loqui, quàm quod apud ipſum vidit, quoniam veritatis Spiritus eſt.

Dei dignatio in animam.

2. Denique nec deeſt in noſtro genere, qui hoc munere felix lætificari meruerit, & ſic in ſemetipſo ſuaviſſimi arcani hujus habuerit experimentum: niſi tamen Scripturæ loco, qui præ manibus eſt, omnino B decredimus, ubi manifeſte inducitur cæleſtis Sponſus vehementiſſime zelans pro quiete cujuſdam dilectæ ſuæ, ſollicitus ſervare inter brachia propria dormientem, ne qua forte moleſtia vel inquietudine à ſomno ſuaviſſimo deturbetur. Non me capio præ lætitia, quod illa majeſtas tam familiari dulcique conſortio noſtræ ſe inclinare infirmitati minime dedignatur, & ſuperna deitas animæ exſulantis inire connubia, eique ſponſi ardentiſſimo amore capti exhibere affectum non deſpicit. Sic, ſic in cælo eſſe non ambigo, ut lego in terra, ſentietque pro certo anima quod continet pagina: niſi quod non ſufficit iſta omnino exprimere, quantum capere illa tunc poterit, ſed nec quantum C jam poteſt. Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti ſe ſentiat, Dei ſinu foveri, Dei cura & ſtudio cuſtodiri, ne dormiens forte à quopiam, donec ultro evigilet, excitetur?

Somnus dilectæ qualis.

3. Age jam itaque, dicamus ſi poſſumus, quiſnam ille ſit ſomnus, quo dilectam ſuam ſponſus obdormire velit, nec patiatur omnino, niſi ad ipſius arbitrium, excitari: ne forte cum legerit quis apud Apoſtolum, *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, ſive apud Prophetam exorari ab ipſo Deum, illuminari oculos ſuos ne umquam obdormiat in morte, nominum æquivocatione turbetur, nec inveniat omnino, quid digne de dormi- D tione ſponſæ quæ hoc loco memoratur, ſentire poſſit. Nam ne illud quidem ſimile eſt huic, quod de Lazaro ait in Evangelio Dominus: *Lazarus amicus noſter dormit, eamus & à ſomno excitemus eum.* Hoc enim dicebat de morte corporis ejus, cum Diſcipuli de dormitione ſomni dictum putarent. Non autem is ſponſæ ſomnus dormitio corporis, vel placida, quæ ſeſſus carnis ſuaviter ſopit ad tempus, vel horrida, quæ funditus vitam tollere conſuevit. Multo magis vero & ab illa alienus exſiſtit qua obdormitur morte, cum videlicet in peccato quod eſt ad mortem, irrevocabiliter perſeveratur. Magis autem iſtiuſmodi vitalis vigilque ſopor ſenſum interiorem illuminat, & morte propul- E ſata vitam tribuit ſempiternam. Revera enim dormitio eſt, quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat. Eſt & mors, (quod non dubius dixerim) quoniam Apoſtolus quoſdam in carne adhuc viventes commendando ſic loquitur: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Rom. 13. 11.
Pſal. 12. 4.
Johan. 11. 11.

Non mors corporis aut animæ.

Coloſſ. 3. 3.

4. Proinde & ego non abſurde ſponſæ ecſtaſim vocaverim mortem, quæ tamen non vita, ſed vitæ eripiat laqueis, ut poſſit dicere: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties ſancta aliqua & vehementi cogitatione anima à ſemetipſa abripitur: ſi tamen couſque F mente ſecedat & avolet, ut & hunc communem tranſſcendat uſum & conſuetudinem cogitandi. etenim *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita ſentitur? Excedente quippe anima, etſi non vita, certe vitæ ſenſu, neceſſe eſt etiam ut nec vitæ tentatio ſentiatur. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non ſentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut obſtupeſcam ad ſenſum libidinis, ad æſtum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ ſtimulos, ad angores ſollicitudinum, & moleſtias curarum! Moriatur anima mea morte juſtorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius; bona, qua non corpus cadit, ſed anima ſublevatur.

Pſal. 123. 7.
Somnus dilectæ mors quædam ſeu ecſtaſis.
Prov. 1. 17.
Pſal. 54. 7.
Mors hujuſmodi optanda.

Mors ſuperiorum, contemplatio.

5. Verum hæc hominum eſt. Sed moriatur anima mea morte etiam (ſi dici poteſt) Angelorum, ut præſentium memoria excedens, rerum ſe inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque ei pura cum illis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo. Talis (ut B opinor) exceſſus aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis eſt; corporum vero ſimilitudinibus ſpeculando non involvi, angelicæ puritatis eſt. Utrumque tamen divini muneris eſt, utrumque excedere, utrumque * teipſum tranſſcendere eſt, ſed longe unum, alterum non longe. Beatus qui dicere poteſt: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Non fuit contentus exire, niſi & longe ſe faceret, ut poſſet quieſcere. Tranſſiliſti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiſcentiis ejus, nec tenearis illecebris: profeciſti, ſeparaſti te, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia undique phantaſ- C mata corporearum ſimilitudinum tranſvolare mentis puritate prævaleas. Hucuſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi citra invenire te exiſtimas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis ſerenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc pervenerit, & incunctanter fateor quieſcentem, qui merito dicat: *Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi.* Atque hic vere in ſolitudine locus & in lumine habitatio, prorſus juxta Prophetam, tabernaculum in umbraculum diei ab æſtu, in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia; de quo & ſanctus David: *Abſcondit me*, inquit, *in tabernaculo ſuo in die malorum, protexit me in abſcondito tabernaculi* D *ſui.*

* *al. temet.*
Pſal. 54. 8.
Phantaſmata ejicienda.
Pſal. 114. 7.
Iſa. 4. 6.
Pſal. 26. 5.

Quid adjuratio per capreas & cervos camporum.

6. Puta ergo in ſolitudinem hanc ſeceſſiſſe ſponſam, ibique præ amœnitate loci inter amplexus ſponſi ſuaviter obdormiſſe, id eſt in ſpiritu exceſſiſſe, quando prohibitæ ſunt adoleſcentulæ expergefacere illam, quoad uſque ipſa voluerit. At iſtud qualiter? Non enim ſimpliciter, neque levi (ut aſſolet) commonitione prohibitæ ſunt: ſed omnino nova & inſueta conteſtatione, *per capreas* ſcilicet *cervoſque camporum.* Quo quidem genere ferarum videntur mihi ſatis congruenter expreſſæ ſanctæ animæ exutæ corporibus, ſimul & qui cum Deo ſunt Angeli, nimirum propter acumen viſus, & ſaltus celeritatem. Utrum- E que hoc ſiquidem utriſque ſpiritibus convenire cognoſcimus. nam facile & petunt ſumma, & intima penetrant. Quorum quoque in campis deſignata converſatio evidenter liberos atque expeditos ſignat in contemplatione diſcurſus. Quid ſibi vult ergo adjuratio facta per iſtos? Profecto ne inquietæ adoleſcentulæ audeant levi ex cauſa evocare dilectam à tam reverendo collegio, cui abſque dubio toties admiſcetur, quoties contemplando excedit. Pulcre itaque horum auctoritate terrentur, à quorum ſocietate conſtat avelli illam ipſarum importunitate. Attendant adoleſcentulæ quos offendant, pariter cum matrem inquietant; & minime ita materna de caritate confi- F dant, ut non in illum cæleſtem conventum ſine magna neceſſitate irruere vereantur. Id quippe ſe agere cogitent, quoties in contemplatione quieſcenti plus juſto moleſtæ ſunt. Ponitur ſane in voluntate ipſius, & vacare ſibi, & curæ illarum intendere prout oportere judicaverit, cum vetatur excitari ab illis, quouſque ipſa velit. Novit ſponſus, quanta flagret dilectione etiam erga proximos ſponſa, & ſatis propria caritate ſollicitari matrem de profectibus filiarum, nec ſe ullo pacto illis ſubtracturam ſeu denegaturam quantum & quoties opus fuerit: proptereaque ſecure diſcretioni

Contemplatio quando intermittenda.

tioni ejus credendam cenſuit hanc diſpenſationem. Non enim eſt talis, quales multos videmus prophetica inuſtione notatos, qui quod craſſum eſt & forte aſſumentes, quod debile eſt projiciunt. Numquid medicus valentes requirit, & non potius ægrotantes? Si contingat, facit forſitan ut amicus, ſed non ut medicus. Quos docebis, magiſter bone, ſi omnes indoctos repuleris? Quibus, quæſo, adhibebis diligentiam diſciplinæ, ſi indiſciplinatos vel effugaveris omnes, vel fugeris? In quibus obſecro tuam probabis patientiam, ſi ſolos admiſeris manſuetos, inquietos excluſeris?

Paſtores ob imperfectos. *Ezech. 34. 3.*

7. Sunt tamen de hic ſedentibus, qui utinam præſens capitulum attentius obſervarent. Cogitarent certe, quanta præpoſitis reverentia debeatur, quos temere inquietando, cæli quoque civibus ſe reddunt infeſtos: & nobis forte pluſculum ſolito parcere demum inciperent, nec tam irreverenter leviterque ſe jam ingererent cum vacamus. Rara ſatis mibi ad feriandum à ſupervenientibus (ut bene norunt) conceditur hora, etiam cum ipſi me in omni patientia ſuſtinebunt. Verum ego ſcrupuloſius moveo iſtiuſmodi querelam, ne quis forte puſillanimis ſupra vires propriæ patientiæ diſſimuler à neceſſitatibus ſuis, dum me inquietare veretur. Superſedeo igitur, & ne magis impatientiæ exemplum videar dare infirmis. Puſilli Domini ſunt credentes in eum: non patior ut ex me ſcandalum patiantur. Non utor hac poteſtate: magis autem ipſi me utantur ut libet: tantum ut ſalvi fiant. Parcent mihi ſi non pepercerint, & in eo potius requieſcam, ſi non me inquietare timuerint pro neceſſitatibus ſuis. Geram eis morem quoad potuero, & in ipſis ſerviam Deo meo, quamdiu fuero, in caritate non ficta. Non quæram quæ mea ſunt, nec quod mihi eſt utile, ſed quod multis, id mihi utile judicabo*. Hoc ſolum deprecor, ut fiat acceptum eis fructuoſumque miniſterium meum, ſi forte vel ex hoc inveniam in die mala miſericordiam in oculis Patris eorum ſimul & ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui cum eo eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

Bernardus à ſuis interpellatus. *Matt. 18. 6.* *Sibi parci non vult à ſuis.* ** V. ſerm. præc. num. 4.*

SERMO LIII.

Per montes *&* colles *ſignificari cæleſtes ſpiritus, quos tranſſilit Sponſus per ſuum in terras adventum, ſeu per myſterium Incarnationis ſuæ.*

1. V*Ox dilecti mei.* Videns ſponſa novam adoleſcentularum verecundiam, & verecundum timorem, quod ſcilicet de novo cœpiſſent non audere ſe ingerere ſancto otio ipſius, nec ſicut heri & nudiuſtertius moleſtæ fieri quieſcenti in contemplatione præſumerent: agnoſcit hoc ſibi proveniſſe cura & opera Sponſi; & exſultans in ſpiritu, ſive pro illarum profectu, quæ à nimia & ſuperflua inquietudine compeſcuntur; ſive pro ſua deinceps futura liberiori quiete, ſive etiam pro dignatione & favore Sponſi, adeo pro hac ipſa ejus quiete zelantis, & tanto ſtudio defenſantis ſuaviſſima otia ſua, immo ſtudia ferventiſſima; ait hoc facere vocem dilecti ſui, hujus rei gratia factam ad illas. Etenim is qui aliis præeſt in ſollicitudine, vix umquam, vel raro ſecure vacat ſibi, dum ſemper timet ſui penuriam facere ſubditis, & non placere Deo, quod communi utilitati propriam præfert quietem, & contemplationis dulcedinem. Non autem parum gaudii & ſecuritatis accedit interdum ſuaviter ferianti, cum ex metu quodam & reverentia erga ſe immiſſa divinitus cordibus ſubditorum, intelligit ſuam Deo placere quietem, qui facit ut illi æquo magis animo ſuas neceſſitates ſuſtineant, quàm patris ſpiritualis grata audeant otia temere perturbare. Nam juſta trepidatio parvulorum manifeſte ſignat, audiſſe eos iotus quaſi minacem atque increpatoriam illius proculdubio vocem, qui in Propheta loquitur: *Ego qui loquor juſtitiam.* VOX EIUS, inſpiratio ejus eſt, ac juſti timoris incuſſio.

Prælati ſollicitæ vix vacant ſibi, ne ſe ſubtrahant ſubditis. *Iſa. 63. 1.* *Vox Dei.*

2. Comperta ergo hac voce, ſponſa gaudens & exA ſultans: *Vox*, inquit, *dilecti mei.* Amica eſt, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Et addit: *Ecce iſte venit ſaltens in montibus, tranſſiliens colles.* Comperta e[ſt] auditu vocis dilecti præſentia, incunctanter intendit bene curioſos oculos ad videndum quem audierat. Auditus ducit ad viſum, quia fides ex auditu, qua corda mundantur, ut poſſit videri Deus. ſic enim habes: *Fide mundans corda.* Videt itaque venientem, quem loquentem audierat, obſervante etiam hic ordinem illum Spiritu-ſancto, qui apud Prophetam deſcriptus eſt ita: *Audi filia, & vide.* Et ut certius advertas, non caſu, neque fortuito, ſed de ſtudio magis & induſtria, ob illam ſcilicet rationem quam præmiſimus, auditum hoc B loco præmiſſum viſui; vide ſi non hie ordo verborum à ſancto quoque Job obſervatus invenitur, ubi ſic loquitur Deo: *Auditu auris audivi te, & nunc oculus meus videt te.* Sed & ubi Spiritus-ſanctus ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes deſcendiſſe memoratur, nonne auditus viſum præveniſſe deſcribitur? Ait enim; *Factus eſt repente de cælo ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis.* & infra: *Et apparuerunt illis diſpertita linguæ tamquam ignis.* Et hic ergo Spiritus-ſancti adventum primo auditus, dehine viſus percepiſſe refertur. Sed de hoc ſatis: quoniam tu quoque, ſi curas operam dare hujuſcemodi inquiſitioni, poteris & ipſe fortaſſis in aliis ſcripturæ locis nonnulla ſimilia reperire.

Tom. IV. Cant. 2. 8. *Rom. 10. 17.* *Act. 15. 9.* *Pſal. 44. 11.* *Fides præcat animam ad Dei viſionem* *Job 42. 5.* *Act. 2. 2.*

C 3. Nunc jam illud conſideremus, quod diligentioris eget inquiſitionis, & difficiliores habet acceſſus: ad quod nimirum omnino me egere fateor adjutorio Spiritus-ſancti, ut ponere in lucem poſſim, qui ſint illi *montes ſeu colles*, ſuper quos ſalientem, & tranſſilientem eos, Eccleſia ſponſum læta ſpectavit obtutibus, credo cum properaret ad ipſius redemptionem, cujus concupierat decorem. Nam id quidem propterea ita & non dubie ſenſerim, quoniam ſimile quid de Propheta occurrit mihi, evidenter in ſpiritu prævidente & exprimente Salvatoris adventum: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exſultavit ut gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Curſus D & recurſus is notiſſimus eſt; à quo, & ad quid initus conſummatuſque, notiſſimum. Quid igitur? Pingemus nobis, ſive in pſalmis iſta legentes, ſive in præſenti cantico, virum gigantem proceræ ſtaturæ, abſentis cujuſpiam mulierculæ amore captum, &, dum properat ad cupitos amplexus, tranſſilientem montes colleſque hos, quos videmus mole corporea ſuper plana terræ tanta altitudine eminentes, ut & ſupra nubes aliqui illorum verticem extuliſſe cernantur? Verum non decet iſtiuſmodi corporeas phantaſias imaginari, præſertim tractantes hoc canticum ſpirituale: ſed nec licet omnino nobis, qui meminimus legiſſe in Evangelio, quia *ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in* E *ſpiritu oportet adorare.*

Quinam iſti montes ſeu colles *Pſal 18. 6.* *Pro intellectu hujus cantici deponenda phantaſmata* *Johan. 4. 24.*

4. Qui ſunt ergo hi ſpirituales *montes & colles*, ut poſtmodum conſequenter agnoſcamus, ſponſus (qui Deus, ac per hoc & ſpiritus eſt) quales & cujuſmodi dabat ſaltus in illis, vel ſuper illos? Si illos putamus, in quibus Evangelium refert olim fuiſſe relictas nonaginta novem oves, cum pius Paſtor earum venit unam in terris quærere quæ perierat; nihilo minus adhuc in obſcuro res eſt, & intellectus hæret: dum difficile ſit invenire ſpirituales illas & ſupercæleſtes beatitudines (nam ipſæ ſunt ſine dubio, quæ ibi memoratæ ſunt oves) quos vel quales alios habeant ſpirituales ſimiliter montes vel colles ad habitandum, F paſcendumve in illis. Verumtamen ſi non in veritate aliqui eſſent, Veritas hoc non dixiſſet. Sed neque Propheta longe ante de civitate ſuperna Jeruſalem protuliſſet, quia fundamenta ejus ſunt in montibus ſanctis, ſi non vere ibi eſſent montes ſancti. Denique quod cæleſtis habitatio illa vere habeat, non modo ſpirituales, ſed & vivos ac rationales montes colleſque, audi Iſaiam: *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes.*

Montes & colles quid. *Matt. 18. 12.* *Pſal. 86. 1.* *Iſa. 55. 12.*

5. Quinam igitur iſti, niſi iidem ipſi cæli inhabitato-

Angeli quomodo oves & montes.

res ſpiritus, quos dominica voce oves diximus appellatos, ut ipſi ſint montes qui oves? Niſi forte abſurdum tibi videatur, aut in montibus montes, aut in ovibus oves paſci. Et juxta litteram quidem durum ſonat; ſecundum ſpiritualem autem intelligentiam dulce ſapit, ſi ſubtiliter advertamus, quomodo utrarumque ovium paſtor, Dei ſcilicet ſapientia Chriſtus, unum idemque pabulum veritatis aliter in terria, aliter in cæleſtibus gregibus ſuis adminiſtret. Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis noſtræ, in ſudore vultus noſtri comedere panem noſtrum neceſſe habemus, foris illum in labore & ærumna mendicantes, id eſt vel à doctis viris, vel à ſacris libris, vel certe per ea quæ facta ſunt, inviſibilia Dei intellecta conſpicientes. Angeli autem in omni plenitudine, etſi non à ſemetipſis, tamen in ſemetipſis, tanta facilitate, quanta & felicitate accipſunt, unde & beate vivunt. Sunt enim omnes docibiles Dei: quod ſane electos hominum quandoqoe aſſecuturos certa veritate promittitur, & nondum experiri tribuitor felicitate ſecura.

Cibi Hominum & Angelorum diſcrimen.

6. Paſcuntur proinde in montibus montes, vel oves in ovibus, cum ſane ſupernæ illæ ſubſtantiæ ſpirituales intra ſemetipſas de Verbo vitæ, unde ſuam beatam perpetuent vitam, affluenter inveniunt, iidem ipſi & montes, & oves: montes, propter plenitudinem vel celſitudinem; oves, propter manſuetudinem. Pleni quippe Deo, celſi meritis, cumolati virtutibus, nihilo minus tamen erectos vertices tota & humili obedientia ſubmittunt & inclinant illius longe ſupereminentis imperio majeſtatis, tamquam oves manſuetiſſimæ ad nutum ſui paſtoris per omnia ambulantes, & ſequentes eum quocumque ierit. Et in his, ſecundum prophetam David, vere montibus ſanctis, tamquam prima omnium creata ſapientia, fundamenta civitatis Domini ab initio firmiter ſtabilita conſiſtunt; quæ utique una eſt in cælo & in terra, licet ex parte peregrinans, & ex parte regnans. Et ex his nihilo minus, juxta Iſaiam, tamquam quibuſdam vitalibus cymbalis bene ſonantibus, jugis reſonat gratiarum actio, & vox laudis, ſuavi & inceſſabili voce implentibus, quod ex eodem Propheta paulo ante memoravimus, quia *montes & colles cantabunt coram* Deo *laudes*; & item quod ille alius loquens ad Dominum Deum: *Beati*, ait, *qui habitant in domo tua, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Pſal. 86. 1. Eccleſia una, etſi alia peregrinans, alia regnans. Iſa 51. 3. Iſa 55. 12. Pſal. 83. 5.

7. Hi ergo (ut ad id recurramus, unde aliquantulum, ſed, ut puto, neceſſarie digreſſum eſt) illi ſunt *montes* atque *colles*, in quibus Eccleſia vidit cæleſtem Sponſum mira alacritate ſalientem, cum ad ſuos properaret amplexus; nec modo ſalientem, ſed & tranſſilientem eos. Vis tibi hos ſaltus ex litteris Prophetarum, Apoſtolorumque demonſtrem? Non quod nunc omnia, quæ de hac re apud illos ab otioſis inveniri queunt, teſtimonia replicare incipiam, (hoc enim longum eſt, & opus non eſt:) ſed ea tantum modo pono, quæ breviter & aperte adſtruere videantur id quod dicitur de Sponſi ſaltibus. Dicit de illo David, quia *poſuit in ſole tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: exſultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus.* En quantum ſaltum dedit, à ſummo cælo ad terras. Sane enim non invenio alibi, ubi in ſole poſuerit tabernaculum ſuum, id eſt in luce & in manifeſto ſuam dignatus ſit exhibere præſentiam ipſe lucis inacceſſibilis habitator, niſi utique in terris. Denique *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. In terris, inquam, palam, quod eſt in ſole, poſuit tabernaculum ſuum, corpus videlicet, quod de Virginis corpore ad hoc ſibi aptare dignatus eſt, ut in eo in ſe inviſibilis videretur; & ſic videret omnis caro ſalutare Dei, cum in carne veniſſet.

Saltus Sponſi quinam. Pſal 18. 6. Baruc. 3. 38.

Chriſtus ſponſus quomodo tranſſilierit montes & colles.

8. Saliit ergo in montibus, id eſt in illis ſupremis ſpiritibus, cum ad eos uſque deſcendit, ſacramentum à ſæculis abſconditum, & magnum pietatis myſterium eis dignanter aperiens. Sed tranſſiliens hos ſuperiores atque eminentiores montes, Cherubin ſcilicet atque Seraphin, necnon Dominationes, Principatus & Poteſtates, Virtuteſque, etiam ad inferiorem uſque Angelorum ordinem deſcendere, tamquam ad colles dignatus eſt. Sed numquid vel in illis remanſit? Tranſſiliit & colles. *Non enim*, inquit, *Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, quod utique Angelis inferius eſt. ut ſermo impleretur, quem dixit memoratus Propheta, loquens ita ad Patrem de Filio: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Quamquam hoc ſane ad commendationem naturæ humanæ dictum poſſit intelligi, quod homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus, ac præditus ratione ad inſtar utique Angeli, modicum tamen diſtet ab Angelo propter corpus de terra. Sed audi apoſtolum Paulum aperte pronuntiantem de eo: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitrabatur eſſe ſe æqualem Deo: quia ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* & rurſum: *Ubi venit*, inquit, *plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret.* Qui ergo factus ex muliere, factus & ſub lege eſt, proculdubio non ſolum montes, id eſt majores ſuperioreſque beatitudines, ſed etiam minores Angelos deſcendendo tranſſiliit, qui quidem in comparatione ſuperiorum, merito collium nomine deſignantur. Ceterum qui minor eſt in regno cælorum, major eſt quovis carnem portante ſuper terram, etiamſi ſit ille magnus Johannes Baptiſta. Nam etſi ſane Deum hominem fateamur, etiam in homine ſuper omnem Principatum & Poteſtatem longe incomparabiliter præeminere; certum tamen, quia etſi præit majeſtate, ſed infirmitate ſuccubuit. Ita ergo ſaliit in montibus, & tranſſiliit colles, cum non ſolum ſuperioribus, ſed & inferioribus ſpiritibus dignantiſſime ſe inferiorem exhibuit. Nec modo illis ſupernis ſpiritibus, ſed & ipſis, qui domos luteas inhabitant, ſubjectum ſe exhibuit, tranſſiliens & vincens humilitate etiam hominum humilitatem. Erat denique ſubditus Mariæ & Joſeph, cum eſſet duodennis in Nazareth: & apud Jordanem Johannis ſe manibus jam juvenis inclinavit. Sed & inclinata eſt dies, nec adhuc omnino de his montibus deſcendere libet.

Hebr. 2. 16. Pſal. 8. 6. Philipp. 2. 6. Gal. 4. 4. Luc. 7. 28. Luc. 2. 51. Matt. 3. 13.

9. Ceterum ſi hac vice voluerimus cuncta horum, prout delectat, explorare amœna, abdita perſcrutari; verendum ne aut ſermo grata brevitate careat, aut larga excellenſque materies debita diligentia feſtinatione fraudetur. Pauſemus proinde hodie jam, ſi placet, in montibus iſtis: quoniam bonum eſt nos hic eſſe, ubi à paſtore Chriſto una cum ſanctis Angelis in loco paſcuæ collocati, & jucundius paſcimur, & uberius. Et nos ſiquidem oves paſcuæ ejus. Ruminemus ergo, tamquam munda animalia boni Paſtoris, quæ de hodierno ſermone tota aviditate glutivimus, ſermone altero reſidua capituli ejuſdem attentius percepturi, largiente ſponſo Eccleſiæ Jeſu-Chriſto Domino noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LIV.

Qualiter iterum per montes *ſignificantur Angeli & homines, & per* colles *dæmones. Item de triplici Timore, quo quiſque timere debet, ne gratiam bene operandi à Deo acceptam perdat.*

1. SUper eodem capitulo, quod heſterno * ſermone verſatum eſt, dicturus ſum & alium intellectum, quem hodierno ſervavi: vos probate, & eligite potiora. Non eſt opus ſuperiora repetere, quæ excidiſſe non arbitror in tam brevi. Si quo minus tamen, ſcripta ſunt ut dicta ſunt, & excepta ſtilo, ſicut & ſermones ceteri, ut facile recuperetur quod forte exciderit. Quapropter accipite alia. *Ecce venit iſ*, inquit, *ſaliens in montibus, tranſſiliens colles.* Sponſum loquitur: qui profecto tunc in montibus ſaliit, cum miſſus à Patre ad evangelizandum pauperibus, Angelorum fungi non eſt dedignatus officio, factus magni conſilii angelus, qui Dominus erat. Per ſe deſcendit ad terras, qui

* al. in

Cant. 2. 8.

alios delegare ſolebat; per ſe notum fecit Dominus ſa- A lutare ſuum, Pſal. 97. 2. per ſe in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam. Cum itaque omnes, Hebr. 1. 14. juxta Pauli ſententiam, adminiſtratorii ſpiritus ſint, miſſi in miniſterium propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis: qui erat ſuper illos, factus eſt inter illos tamquam unus ex illis, diſſimulans injuriam, accumulans gratiam. Sed audi ipſum. Matt. 20. 28. *Non veni*, inquit, *miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam meam dare pro multis*. Quod quidem ceterorum nemo feciſſe inventus eſt, ut omnes quotquot miniſtraſſe viſi ſunt, ipſe devotis tranſierit fidelibuſque obſequiis. Transſilit colles, alacritate miniſtrandi eos vincens. Bonus miniſter, qui carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum, animam miniſtravit in pretium. Bonus plane, qui ſpiritu alacer, caritate fervens, pie- B tate devotus, non ſolum ſalit in montibus, ſed & tranſſilit colles, Pſal. 44. 8. id eſt ſuperat & vincit alacritate miniſtrandi, utpote quem unxit Deus Deus ſuus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis; in quo utique ſingulariter exſultavit ut gigas ad currendam viam. Denique tranſſilit Gabrielem, & prævenit [a] ad Virginem, eodem Archangelo atteſtante, Luc. 1. 28. cum ait: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Quid? Quem modo reliquiſti in cælo, nunc * in utero reperis. * al. hunc Quonam modo? Volavit & prævolavit ſuper pennas ventorum. Victus es, ô Archangele: tranſſililit te qui præmiſit te.

Alia interpretatio. 2. Aut certe ſaliebat in montibus, cum in Angelis olim Patribus apparebat: quod utique proprietati lit- C teræ magis convenire videtur. Non enim ait, *ſaliens in montes*, ſed *in montibus*, ut ipſe in eis videatur ſalire, qui facit & dat ut ſaliant, quemadmodum loquitur in Prophetis; operatur in juſtis, cum illis verba, & iſtis opera tribuit. Adde quod aliqui eorum perſonam ejus gerebant, ita ut loqueretur quiſque illorum, non tamquam Angelus, ſed tamquam Dominus. Verbi gratia, ille Angelus qui cum Moyſe loquebatur, dicebat, non, Ego Domini, ſed, *Ego Dominus*; atque id frequentius iterabat. Saliebat ergo *in montibus*, id eſt in Angelis, in quibus & loquebatur, & ſuam hominibus exhibebat præſentiam. Ad homines enim ſaliebat, ſed in Angelis, non in ſe: non in ſua natura, ſed D in ſubjecta creatura. Qui enim ſalit, de loco ad locum vadit: quod non cadit in Deum. Ergo in montibus, id eſt in Angelis, ſaliebat, qui in ſe non poterat: & ſaliebat uſque ad colles, id eſt Patriarchas & Prophetas, ceteroſque ſpirituales viros de terra. Sed tranſſiliebat & colles, cum non ſolum magnis & ſpiritualibus viris, ſed & aliquibus de populo, etiam & nonnullis mulieribus æque in Angelis loqui & apparere dignatus eſt. Dæmones colles ob ſuperbiam ſe... Vel *colles* dicit aerias poteſtates, quæ inter montes quidem minime jam numerantur, pro eo quod à virtutum celſitudine defluxerunt per ſuperbiam; nec tamen uſque ad humilia vallium, ſive ad valles humilium per pœnitentiam detumeſcunt. De his arbi- E tror illud dictum in pſalmis: Pſal. 96. 5. *Montes, ſicut cera, fluxerunt à facie Domini*. Hos itaque tumentes ac ſteriles colles, tamquam medios poſitos inter montes perfectorum & valles pœnitentium, proculdubio tranſſiliit, qui in montibus ſalit; hiſque præteritis & deſpectis deſcendit ad valles, ut valles abundent frumento. Porro illi è regione æterna ariditate ac ſterilitate damnantur, ſicut habes Prophetæ ſuper illos imprecationem: 2. Reg. 1. 21. *Nec ros*, inquit, *nec pluvia deſcendant ſuper vos*. Atque ut noveris quod ad Angelos qui prævaricati ſunt, ſub figura montium Gelboë iſta loquatur, *ubi*, inquit, *ceciderunt vulnerati multi*. Quàm multi in his maledictis montibus de exercitu Iſraël ceciderunt à principio, F & quotidie cadunt! De quibus & habes in eodem Propheta, Pſal. 87. 6. cum dicit Domino: *Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt*.

3. Non eſt ergo mirum, ſi ſteriles & infructuoſi permanent iſti, non montes cælici, ſed aërii colles, ſuper quos nec ros, nec pluvia deſcendit, quippe auctore gratiæ & benedictionum largitore tranſſiliente eos, & A deſcendente ad valles, ut cæleſti imbre perfundat humiles qui ſunt ſuper terram, & fructum afferant in patientia; fructum trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Denique viſitavit terram, & inebriavit eam: Pſal. 64. 10. multiplicavit locupletare eam. Terram viſitavit, non aërem: quia *miſericordia Domini plena eſt terra*. Pſal. 32. 5. Denique *operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Pſal. 73. 12. numquid & in medio aeris? Hoc adverſum Origenem, qui in aëre Dominum gloriæ denuo pro dæmonibus impudenti Origenis error. crucifigit mendacio: cùm hujus conſcius myſterii Paulus affirmet, Rom. 6. 9. quod reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

4. Verum non ſolum viſitavit terram, qui aërem Pſal. 35. 6. Sponſus ſalit in Angelis bonis, non in malis. B tranſſilivit, ſed etiam cælum, dicente Scriptura: *Domine, in cælo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes*. Uſque ad nubes enim cælum eſt quod inhabitant ſancti Angeli, quos non tranſſiliit Sponſus, ſed ſalit in eis, ita ut imprimat ipſis duo quædam veſtigia pedum ſuorum, miſericordiam & veritatem: de quibus Domini veſtigiis memini me in ſuperioribus ſermonibus plenius diſputaſſe *. * Sermone 6. in Cant. A nubibus vero & infra dæmonum habitatio eſt in aëre iſto infimo & caliginoſo; Dæmonum habitatio in aëre, cur. in quibus non ſalit ſponſus, ſed tranſſilit illos & præterit, nec ullum in ſe retinent Dei tranſeuntis veſtigium. Nam quomodo in diabolo veritas eſt, de quo in Evangeliis Veritatis ſententia exſtat, quod C in veritate non ſtetit, ſed mendax exſtitit ab initio? Joan. 8. 44. Sed nec miſericordem quis dixerit eum, qui nihilo minus ab initio homicida fuiſſe eadem ipſa Evangelii Ibidem. veritate convincitur. Porro autem qualis paterfamilias, tales & domeſtici ejus. Pulcre proinde de ſponſo Eccleſia pſallens, quod in altis habitet, & humilia reſpiciat in cælo & in terra; Pſal. 112. 5. nullam omnino mentionem facit de his qui in aere verſantur ſpiritibus ſuperbis: quoniam *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam*. Jacob. 4. 6.

5. Videt ergo illum ſalientem in montibus & tranſſilientem colles, juxta imprecationem David dicentis: *Omnes montes qui in circuitu ejus ſunt*, id eſt in circuitu 2. Reg. 1. 21. D Gelboë, *viſitet Dominus; à Gelboë autem tranſeat*. Diabolo nempe, qui per Gelboë deſignatur, hinc inde ſunt montes quos viſitat Dominus, ſupra Angeli, infra homines. In pœnam ſiquidem ſuam locum in aëre iſto, medium inter cælum & terram, de cælo cadens ſortitus eſt, ut videat & invideat, ipſaque invidia torqueatur, Scriptura dicente: Pſal. 111. 10. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet*. Quàm miſer, cum ſuſpicit cælos, in quibus innumeros montes intuetur divina claritate fulgentes, divinis laudibus reſultantes, ſublimes in gloria, abundantes in gratia! Quàm miſerior, Quàm pœnalis ille locus dæmonibus. cum reſpicit terram, montes nihilo minus quàm plurimos de populo acquiſitionis habentem, fide ſolidos, E ſpe excelſos, caritate ſpatioſos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cæli tamquam de ſaltu ſponſi quotidianam capientes benedictionem! Cum quanto putamus dolore & rancore aſpiciat ille cupidiſſimus gloriæ iſtos in circuitu ſuo tam glorioſos montes, cum ſe & ſuos è regione incultos, tenebroſos, bonis omnibus infœcundos deſpiciat, ita ut ſe ſentiat eſſe opprobrium hominum & Angelorum, qui omnibus exprobrabat, ſecundum illud in pſalmis: Pſal. 103. 26. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*.

6. Atque hoc, quia ob ipſorum ſuperbiam tranſſilit Dæmones ob ſuperbiam divinæ gratiæ incapaces. eos ſponſus, ſaliens in montes qui in circuitu ejus ſunt, tamquam fons aſcendens de medio paradiſi, irrigans F univerſa, & implens omne animal benedictione. Beati qui torrente voluptatis hujus potari interdum vel raro promerentur, in quibus etſi non continue fluit, ſaltem per horas ſalit aqua ſapientiæ & fons vitæ, ut fiat in ipſis quoque fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et quidem hujus fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſane perenniter & affluenter. In noſtros autem montes qui in terra ſunt, utinam interdum facta quaſi inundatione ſaltus dare aliquos non deſpiciat, quibus

a. Sic legendum cum mſſ. non *pervenit*, ut in editis.

Tom. IV.

ſufficienter irrigati, nobis quoque, qui valles ſumus, ſtillare vel raras guttulas poſſint, ne omnino aridi & ſteriles remaneamus. Miſeria, & egeſtas, & omnino fames valida in regione illa, quæ nollis unquam iſtiuſmodi vel ſaltibus, vel inſtillationibus humectatur, præterfluente & tranſſiliente illam fonte ſapientiæ:

Baruch 3. 28.

Et quia non habuerunt, inquit, *ſapientiam*, *perierunt propter ſuam inſipientiam.*

Cant. 2. 8.

7. *Ecce venit iſte ſaliens in montibus, tranſſiliens colles.* Ad hoc ſalit ut tranſſiliat, qui non vult ad omnes pertingere: neque enim in omnibus beneplacitum eſt Deo. Fratres, ſi juxta ſapientiam Pauli ſcripta ſunt iſta ad correptionem noſtram, obſervemus Sponſi diſcretos & circumſpectos ſaltus, quemadmodum videlicet tam apud Angelos, quàm apud nos, & in humiles ſaliat, & ſuperbos tranſiliat. ſiquidem excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Hæc, inquam, attendamus, quo cauti ſimus Sponſi nos ſalutiferis ſaltibus præparare, ne veluti à montibus Gelboë forte tranſeat & à nobis, ſi indignos nos ſua viſitatione conſpexerit. Quid ſuperbis, terra & cinis? Et de Angelis tranſſilit Dominus, exſecrans eorum ſuperbiam. Ergo repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum: ſcripta eſt enim ad ipſorum correptionem. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum, & lavem manus meas in ſanguine peccatoris. Qualiter, inquis? Audi. Superbo certe diabolo horrenda & formidoloſa maledictio intorquetur, propheta David in ſpiritu dicente de illo ſub typo Gelboe, ut ſupra memoratum eſt *: *Montes*, inquit, *qui in circuitu ejus ſunt, viſitet Dominus, à Gelboë autem tranſeat.*

1. Cor. 10. 11.
Deus ſuperbos præterit, humiles viſitat.
Pſal. 137. 6.
Dæmonum ruina, hominum ſit cautela.
* Verba e quodam Reſp. eccleſiaſtico alias vide
2 Reg. 1. 21.
Bernardi humilis confeſſio.

B

C

8. Sane ego hoc legens, referenſque oculos in me, & intuens diligenter, invenio me peſte ipſa infectum, quam in Angelo Dominus in tantum exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo, cum omnes in circuitu ejus montes, ſive de Angelis, ſive de hominibus, viſitationis ſuæ gratia dignaretur: & pavens tremenſque aio ad memetipſum: Si ſic actum eſt cum Angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cælo intumuit, ego in ſterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite ſuperbiam, quàm in paupere ducat? Væ mihi! ſi tam dure in potente illo animadverſum eſt pro eo quod elevatum eſt cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus ſuperbia eſſe cognoſcitur: quid de me exigendum & miſero, & ſuperbo? Denique jam luo pœnas, jam acerbiſſime vapulo. Non ſine cauſa ſane ab heri & nudiuſtertius invaſit me languor iſte animi, & mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus. Currebam bene: ſed ecce lapis offenſionis in via; impegi, & corrui. Superbia inventa eſt in me, & Dominus declinavit in ira à ſervo ſuo. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & devotionis inopia quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine aqua? Nec compungi ad lacrymas queo; tanta eſt duritia cordis. Non ſapit pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non invenio. Ubi illa inebriatio ſpiritus? ubi mentis ſerenitas, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, ſegnior obtuſiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Num collis non ſum ex his quos tranſilit ſponſus? Nam alium quidem intueor ſingularis abſtinentiæ, alium vero patientiæ admirandæ, alium autem ſummæ humilitatis & manſuetudinis, alium multæ miſericordiæ & pietatis; illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulſare & penetrare cælos orationum inſtantia, alioſque in aliis præeminere virtutibus. Hos, inquam, conſidero omnes ferventes, omnes devotos, omnes in Chriſto unanimes, omnes donis cæleſtibus & gratia affluentes, tamquam ſpirituales revera montes qui à Domino viſitantur, & ſponſum in ſe ſalientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me invenio nihil, quid me aliud putem, quàm unum

D

Superbia damno in ſeipſo repræſentat

E

Ariditas & languor ex ſuperbia.

F

Pia æmulatio conſiderationis aliorum virtutis excitatur.

A

de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione ſua ille ceterorum omnium benigniſſimus viſitator?

9. Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, ſponſi ſaltibus præparat. Hæc ego in me transfiguravi propter vos, ut & vos ita faciatis. Imitatores mei eſtote. Quod non de exercitio dico modo virtutum, aut morum diſciplina, aut gloria ſanctitatis (nec enim de hujuſmodi quicquam mihi temere arrogaverim imitatione dignum:) ſed volo vos non parcere vobis, ſed accuſare voſmetipſos, quoties forte in vobis, vel ad modicum tepere gratiam, virtutem langueſcere deprehenditis, ſicut & ego pro hujuſmodi memetipſum accuſo. Hoc facere hominis eſt, qui curioſus circumſpector eſt ſui, & ſcrutator viarum ſuarum ac ſtudiorum, atque in omnibus ſemper ſuſpectum habet arrogantiæ vitium ne ſubrepat. IN VERITATE DIDICI, nil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Time ergo cum arriſerit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur; & hoc eſt ſemper pavidum eſſe. Succedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundum quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterum redire placata ſentietur. Cum adeſt, time ne non digne opereris ex ea. nam hoc monet Apoſtolus: *Videte*, inquiens, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* & ad diſcipulum: *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te eſt.* & de ſemetipſo dicebat: *Quia gratia Dei in me vacua non fuit.* Sciebat homo, conſilium Dei habens, redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere ad quod donatum eſt; idque intolerabilem eſſe ſuperbiam judicabat: & propterea ſtudioſiſſime hoc malum & ipſe cavebat, docebatque cavendum. Sed rurſum latet fovea hic, quæ nolo vos lateat, de qua is ipſe ſuperbiæ ſpiritus tanto periculoſius, quanto occultius, ſicut habetis in pſalmo, *inſidiatur quaſi leo in ſpelunca ſua.* Nam ſi impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, ſuggerens & ſuadens, quatenus effectum gratiæ arroges tibi. Quod quidem ſuperbiæ genus longe illo priore intolerabilius eſſe non ambigas. Quid enim odioſius illa voce, qua quidam dixerunt: *Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia?*

Scrutinio opus contra arrogantiam vitium.
Prov. 28. 14.
Timoris neceſſitas & utilitas.
1. Timendū præſente gratia
2. Cor. 6. 1.
1. Tim. 4. 14.
1. Cor. 15. 10.
Ne gratiam negligamus.
Ne gloriam operis boni nobis tribuamus.
Deut. 32. 27.

10. Si ergo timendum manente gratia; quid ſi receſſerit? num multo magis tunc timendum? Plane multo magis: quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quid dator gratiæ dicat. *Sine me*, ait, *nihil poteſtis facere.* Time ergo ſubtracta gratia, tamquam mox caſurus; time & contremiſce, Deo tibi, ut ſentis, irato; time, quia reliquit te cuſtodia tua. Nec dubites in cauſa eſſe ſuperbiam, etiamſi non appareat, etiamſi nihil tibi conſcius ſis. Quod enim tu neſcis, ſcit Deus; & qui te judicat, ipſe eſt. Sed nec qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Numquid commendat te Deus, cum gratia privat? Aut numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo ARGUMENTUM ſuperbiæ, privatio eſt gratiæ. Quamquam tamen interdum ſubtrahitur gratia, ſive retrahitur, non pro ſuperbia quæ jam eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum de Apoſtolo, qui ſtimulos carnis ſuæ ſuſtinebat invitus, non quia extolleretur, ſed ne extolleretur. Sed ſive jam exſiſtens, ſive nondum; ſuperbia tamen ſemper cauſa erit ſubtractæ gratiæ.

2. Timendū recedente gratia
Joban. 15. 5.
Superbia eſt cauſa ſubtractionis gratiæ.
2. Cor. 10. 18.
Jacob. 4. 6.
2. Cor. 12. 7.

11. Jam ſi gratia repropitiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne forte contingat recidivum pati, juxta illud de Evangelio: *Ecce ſanus factus es, vade & amplius jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat.* Audis recidere, quàm incidere eſſe deterius. Proinde invaleſcente periculo, invaleſcat & metus. BEATUS ES, ſi cor tuum triplici iſto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amiſſa, longe plus pro recuperata. Hoc fac, & eris hydria in

3. Timendū quoque redeunte gratia.
Joban. 5. 14.
Beatus qui ſic timet.

Chriſti convivio, impleta uſque ad ſummum, conti- A
nens nimirum metretas, non binas tantum, ſed &
ternas, ut Chriſti merearis benedictionem, quæ aquas
1. Johan. 4. 18 tuas convertat in vinum lætitiæ, & perfecta caritas
foras mittat timorem.

12. Quod dico, tale eſt. Aqua timor eſt, quoniam ab
Pſal. 110. 10 Timor aqua comparatur. æſtu refrigerat deſideriorum carnalium: *Initium*, in-
quit, *ſapientiæ timor Domini.* & habes: *Aqua ſapientiæ*
ſalutaris potavit illum. Si timor ſapientia, & ſapientia
Prov. 14. 27. aqua; timor aqua eſt. denique *timor Domini*, inquit,
fons vitæ. Porro hydria mens tua. *Capientes*, inquit,
ſingulæ metretas binas vel ternas. Tres metretæ, timores
Johan. 2. 6. tres. *Et impleverunt eas*, inquit, *uſque ad ſummum.* Non
unus timor, non duo quoque, ſed toti tres ſimul re- B
Hydriæ in Cana Gal. vino impletæ tropolog. explicatæ. plent uſque ad ſummum. Omni tempore time Deum,
& ex omni corde tuo, & impleſti hydriam tuam uſ-
que ad ſummum. Amat Deus integrum munus, affec-
tum plenum, perfectum ſacrificium. Cura proinde
nuptiis cæleſtibus plenam inferre hydriam, ut de te
Iſa. 11. 3. Timor Domini excludit omnia vitia quoque dicatur: *Quia replevit eum ſpiritus timoris Do-*
mini. Qui ſic timet, nihil negligit. Unde namque negli-
gentia intret in plenitudinem? Alioquin quod capere
adhuc aliquid poteſt, plenum non eſt. Eadem ſane ra-
tione non poteſt ſimul & ſic timere, & altum ſapere.
Non ſit enim quo admittas ſuperbiam, repletus timo-
re Domini. Et ſic de ceteris vitiis ſentiendum, quia
Timor ſine caritate pœnalis eſt neceſſe eſt omnia plenitudine timoris excludi. Tunc C
demum ſi plene, ſi perfecte timueris, dabit caritas
ſaporem aquis tuis ad Domini benedictionem. Sine
caritate enim timor pœnam habet. Et quidem caritas
Pſal. 103. 15 1. Johan. 4. 18. Caritas, vinum vinum, quod lætificat cor hominis. Perfecta autem
caritas foras mittit timorem, ut ubi aqua fuerat, vi-
num eſſe incipiat ad laudem & gloriam Sponſi Eccle-
ſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia
Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LV.

Qualiter homo per veram pœnitentiam poteſt evadere judi-
cium Dei.

Cant. 2. 9. 1. SImilis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.
Ex præcedenti verſiculo pendet. Quem enim ſa-
lientem & properantem modo deſcripſerat, conſe-
quenter comparat capreæ hinnuloque cervorum. Apte
quidem, quod hoc genus animantium curſu velox, &
ſaltu agile ſit. Porro ſermo de ſponſo eſt, & ſermo
Pſal. 147. 15. ſponſus eſt. Et Propheta dicit de Deo, quia *velociter*
currit ſermo ejus; ſane congruens huic loco, ubi ſpon-
ſus, qui Sermo Dei eſt, ſaliens tranſſilienſque de-
ſcribitur, ſimilis proinde factus capreæ hinnuloque cer-
Ratio ſimilitudinis ſponſi cum caprea & hinnulo. vorum. Et hæc ratio ſimilitudinis. Adde tamen, ne nulla
ſimilitudinis ipſius vel minima proportiuncula vacet,
quia caprea quidem non modo curſus pernicitate, ſed
& acumine viſus eminet. Quod utique proprie illam
reſpicit narrationis partem, qua Sponſus, non ſo-
lum *ſaliens*, ſed & *tranſſiliens* apparere refertur: quia
niſi acuto & perſpicaci intuitu non poſſet omnino,
præſertim inter currendum, diſcernere in quos ſalire,
& quos tranſſilire deberet. Alioquin poterat ſufficere,
ad deſignandam feſtinantis velocitatem, de ſolo hin-
nulo comparatio; is quippe rapidiori ſe ferre noſcitur
curſu. Nunc vero quoniam ſponſus iſte, etſi ardenter
amans, curſim ruere in dilectæ videatur amplexus;
nihilo minus tamen greſſus, vel potius ſaltus ſuos pru-
denti conſideratione dirigere novit, cautus ubi opor-
teat figere pedem: oportuit profecto cum hinnulo etiam
de caprea ſimilitudinem dari, quatenus & per illum
deſiderium ſalvantis, & per hanc eligentis exprimere-
tur judicium. Chriſtus nempe juſtus & miſericors,
1. Tim. 2. 4. ſalvator & judex: & quia amat, vult omnes homi-
nes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:
Johan. 13. 18. & quia judicat, novit qui ſunt ejus, & ipſe ſcit quos
elegit à principio.

Sponſi miſericordiam & juſtitiam in his animantibus 2. Igitur duo hæc bona Sponſi, miſericordiam ſcili-
cet & judicium, in his duobus animantibus commen-
data à Spiritu-ſancto nobis interim ſentiamus, ut in

A teſtimonium integritatis & perfectionis fidei noſtræ, Tom. IV. tibus deſignata
nos quoque Prophetam imitantes, miſericordiam &
judicium cantemus Domino. Ego autem non dubito, Pſal. 100. 1.
& alia de horum natura ab his quidem, qui talium cu-
rioſi & gnari ſunt, poſſe monſtrari, quæ Sponſo ap-
tari utiliter & congruenter queant: ſed hæc, ut arbi-
tror, ſufficere poſſunt ad dandam rationem adductæ
ſimilitudinis. Pulcre tamen Spiritus-ſanctus non de
cervo, ſed de hinnulo cervorum ſimilitudinem dedit,
in quo & Patrum fecit mentionem, e quibus Chriſtus
ſecundum carnem, & infantiæ meminit Salvatoris. Ut
hinnulus quippe apparuit parvulus qui natus eſt no-
his. Verum tu qui adventum deſideras Salvatoris, ti- Iſa. 9. 6.
B me ſcrutinium Judicis, time oculos capreæ, time il-
lum qui per Prophetam dicit: *Et erit in die illa, & ego* Soph. 1. 12.
ſcrutabor Jeruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt: nihil in-
ſcrutatum relinquet oculus ejus. Scrutabitur renes & Pſal. 7. 10.
corda, ipſaque cogitatio hominis confitebitur illi.
Quid tutum in Babylone, ſi Jeruſalem manet ſcruti- Chriſti judicium quàm timendum.
nium? Puto enim hoc loco Prophetam Jeruſalem no-
mine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt
religioſam, mores ſupernæ illius Jeruſalem converſa-
tione honeſta & ordinata pro viribus imitantes; &
non veluti hi, qui de Babylone ſunt, vitam in pertur-
batione vitiorum, ſcelerumque confuſione vaſtantes.
Denique illorum peccata manifeſta ſunt, præcedentia
C ad judicium, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio.
Mea autem, qui videor monachus & Jeroſolymita, Bernardi humilitas.
peccata certe occulta ſunt, nomine & habitu monachi
adumbrata: & idcirco neceſſe erit ſubtili ea inveſtiga-
ri diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in
lucem prodi.

3. Poſſumus afferre aliquid & de pſalmo ad confir-
mandum id quod dicitur de ſcrutanda Jeruſalem. Ait
namque ſub perſona Domini: *Cum accepero tempus,* Pſal. 74. 3. Ipſæ juſtitiæ noſtræ judicandæ.
ego juſtitias judicabo. Vias juſtorum, ni fallor, & ac-
tus eorum diſcuſſurum ſe & examinaturum dicit.
Verendum valde cum ad hoc ventum fuerit, ne ſub
tam ſubtili examine multæ noſtræ juſtitiæ (ut pu-
D tantur) peccata appareant. Unum eſt tamen, ſi noſ- 1. Cor. 11. 31
metipſos dijudicaverimus, non utique judicabimur.
Bonum judicium, quod me illi diſtricto divinoque
judicio ſubducit & abſcondit. Prorſus horreo incidere
in manus Dei viventis: volo vultui iræ judicatus præ-
ſentari, non judicandus. *Spiritualis homo omnia dijudi-* 1. Cor. 2. 15.
cat, & ipſe à nemine judicatur. Judicabo proinde ma- Judicare nos quomodo debemus.
la mea, judicabo & bona. Mala melioribus curabo
corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis,
ceteriſque ſanctæ laboribus diſciplinæ. In bonis de
me humiliter ſentiam, &, juxta præceptum Domini, Luc. 17. 10
ſervum me inutilem reputabo, qui quod facere de-
bui, tantum feci. Dabo operam nec lolia pro granis,
nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ego vias
E meas & ſtudia mea, quo is qui ſcrutaturus eſt Jeruſa- Soph. 1. 12.
lem in lucernis, nihil inſcrutatum in me ſive indiſ-
cuſſum inveniat. Neque enim judicaturus eſt bis in
idipſum.

4. Quis mihi det ita ad liquidum proſequi & perſe-
qui univerſa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri
oculos capreæ, in nullo ad lumen contingat erubeſce-
re lucernarum? Et nunc videor, ſed non video: præſto Oculi Judicis omnia videntis timendi.
eſt oculus cui omnia patent, etſi non patet ipſe. Erit
quando cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: at nunc
quidem cognoſco ex parte; non tamen ex parte cogni-
tus, ſed ex toto. Vereor aſpectum exploratoris illius,
F qui poſt parietem ſtat. Hoc enim ſcriptura addit de
illo, quem pro acumine viſus *caprea* aſſimilavit: *En ipſe* Cant. 2. 9.
ſtat, inquit, *poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſ-*
piciens per cancellos. De quo ſuo loco videbimus. Hunc
ergo vereor occultum occultorum exploratorem.
Sponſa nihil veretur, quia nihil ſibi conſcia eſt.
Quid denique vereatur, amica, columba, formoſa?
Nempe ſubinde habes: *En dilectus meus*, inquit, *loqui-* Ibidem 10.
tur mihi. Nihil non loquitur; & ideo formido aſpectum,
quoniam non habeo teſtimonium. Tu quid audis de
te, ô Sponſa? Quid tibi loquitur dilectus tuus? *Surge*,

Tom. IV.

inquit, *propera amica mea, columba mea, formoſa mea.* Verum hoc quoque alteri ſervabo principio, nec brevitate arctabo ea quæ diligenriam deſiderantia ſunt; ne ſorte & de hoc reus inveniar, ſi quo minus vos inveniamini in hac parte ædificati ad intelligentiam & amorem Sponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus io ſæcula, amen.

SERMO LVI.

Quod peccata & vitia ſunt tamquam parietes, mediantes inter Deum & peccatorem.

Cant. 2, 9.

1. *EN ipſe ſtat poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Secundum litteram quidem videtur dicere, quia is qui cum ſalibus adventare proſpiciebatur, appropiaſſet uſque ad contubernium ſponſæ, & ſtans poſt parietem curioſius introſpiceret per feneſtras & rimas, & verecunde non præſumeret ſeſe ingerere. Secundum ſpiritum autem appropiaſſe quidem nihilo minus intelligitur, ſed aliter, ita ſane quemadmodum & à cæleſti ſponſo agi oportuit, & à Spiritu-ſancto dici. Nil quippe quod vel auctorem dedeceat, vel narratorem, verus & ſpiritualis intellectus admittet. Ergn appropiavit parieti, cum adhæſit carni. Caro paries eſt: & appropiatio Sponſi, Verbi incarnatio. Porro cancellos & feoeſtras per quas reſpicere perhibetur, ſenſus (ut opinor) carnis, & humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanſruni neceſſitatum. Denique languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Humanis ergn affectionibus ſenſibuſque corporeis pro foraminibus uſus eſt & feneſtris, ut miſerias hominum homn factus experimento ſciret, & miſericors fieret. Sciebat & ante, ſed aliter. Sciebat denique virtutem obediendi ipſe Dominus virtutum, & tamen, teſte Apoſtolo, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam. In hunc modum & miſericordiam didicit, etſi miſericnrdia Domini ab æterno. Docet hnc quoqu: idem gentium Doctor, ubi cum aſſerit tentatum per omnia pro ſimilitudioe abſque peccato, ut miſericors fieret. Videſne ſactum eſſe quod erat, & quod noverat didiciſſe, & ſibi apud nos quæſiſſe rimas & feneſtras, per quas calamitates noſtras diligentius exploraret? Tot autem in noſtro ruinoſo & pleno rimarum pariete inveoit foramina, quot noſtræ infirmitatis & corruptionis in ſuo corpore ſenſit experimenta.

Incarnatio Chriſti hic ſignificata.

Iſa 53. 4. Humanæ affectiones & ſenſus corporei quorſum in Chriſto.

Hebr. 5. 8. Scientia Chriſti experimentalis. V. tractat. de gradibus Humilitatis. Heb. 4 15.

Chriſtus ſtans poſt parietem quomodo.

2. Sic itaque ſponſus poſt parietem ſtans, & per feneſtras & cancellos reſpiciens erat. Et bene *ſtans*, quia ſolus revera in carne ſtetit, qui carnis peccatum non ſenſit. Poſſumus & hoc fideliter ſapere, quia ſtetit per divinitatis potentiam, qui per carnis infirmitatem occubuit, dicente ipſo: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Ego autem puto etiam illud huic ſententiæ ſuffragari, quod ſanctus David in hoc myſterio, utpote Propheta Domini & prophetans, de Domino loquebatur; & quidem Moyſen loquens, ſed Dominum intuens. Ipſe enim verus eſt Moyſes, qui vere per aquam venit, & non in aqua tantum, ſed in aqua & ſanguine. Ait itaque memoratus Propheta: *Dixit ut diſperderet eos*, (Patrem ſiquidem loquebatur) *ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus, ut averteret iram ejus, ne diſperderet eos.* Quonam modo, quæſo, Moyſes ſtetit in confractione? Quemadmodum, inquam, aut ſtetit, ſi confractus eſt; aut ſi ſtetit, quomodo confractus eſt? At ego tibi oſtendo, ſi vis, qui vere ſtetit in confractione. Ego alium novi neminem qui hoc potuerit, oiſi Dominum meum Jeſum, qui certe in morte vivebat, qui corpore fractus in cruce, divinitate ſtabat cum Patre; in uno nobiſcum ſupplicans, in altero cum Patre propitians. Et ſtabat poſt parietem, dum, quod jacebat in illo, manifeſtum erat in carne; & quod ſtabat in ipſo, quaſi poſt carnem latebat; ſane unus idemque homo manifeſtus, & Deus abſconditus.

Matt. 26 41.

Pſal. 105. 23.

3. Sed & unicuique noſtrum, qui deſideramus adventum ipſius, puto illum nihilo minus poſt parietem ſtare, dum corpus hoc noſtrum, quod certe peccati eſt, abſcondat interim nobis faciem ejus, & præſentiam intercludat. Denique *quamdiu ſumus in hoc corpore*, inquit, *peregrinamur a Domino.* Non quia in corpore, ſed quia in corpore hoc, quod utique de peccato eſt, & ſine peccato non eſt. Et ut ſcias quoniam obſtant non corpora, ſed peccata, audi Scripturam: *Peccata noſtra*, inquit, *ſeparant inter nos & Deum.* Et utinam unus mihi tantum obſtet paries corporis, ſolumque obicem patiar id quod eſt in carne peccatum, & non multæ interſint maceriæ vitiorum. Vereor enim ne etiam præter illud quod in natura eſt, quam plurima de propria iniquitate adjecerim, quorum à me interjectu nimium eloogaverim ſponſum, ita ut, ſi verum dicere velim, poſt parietes magis mihi illum ſtare fatear, non poſt parietem.

2. Cor. 5 6.

Parietes, quibus à Chriſto ſejungimur, peccata ſunt. Iſa 59 2.

4. Sed dico hoc planius. Sponſus quidem æqualiter atque indifferenter præſto ubique eſt, divinæ utique præſentia majeſtatis, & magnitudine virtutis ſuæ. Gratiæ tamen exhibitione ſeu inhibitione quibuſdam longe, quibuſdam prope eſſe dicitur, Angelorum dumtaxat & hominum, id eſt rationalium creaturarum. Denique longe à peccatoribus ſalus. Et ſanctus David nihilo minus dicit: *Ut quid Domine receſſiſti longe?* Ceterum à ſanctis pia diſpenſatione ad tempus, & non ex toto, ſed juxta aliquid aliquando longe ſe facit. Peccatoribus autem de quibus dicitur, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*; & item, *Inquinata ſunt viæ illorum in omni tempore*: ſemper, valdeque longe eſt, atque in ira hoc, & non in miſericordia. Quamobrem orat ad Deum ſanctus, & ait, *Ne declines in ira à ſervo tuo*: ſciens quia & in miſericordia potuerit declinare. Prope eſt ergn Dominus ſanctis & electis ſuis, etiam cum longe eſſe videtur, & non æqualiter omnibus, ſed aliis plus, aliis minus, pro meritorum diverſitate. Nam etſi prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, & juxta eſt his qui tribulato ſunt corde; non tamen omnibus forſitan, ita ut dicere poſſint, quia *ipſe ſtat poſt parietem.* Sponſæ vero quàm prope eſt, qui uno tantum pariete dividitur. Propterea cupit diſſolvi, & rupto medio pariete cum illo eſſe, quem poſt parietem eſſe confidit.

Chriſtus quibuſdam longe, quibuſdam prope.

Pſal. 118 155.

Pſal. 9 1.

Pſal. 73 23.

Pſal. 9. 5.

Pſal. 26 9.

5. Ego autem, quoniam peccator ſum, diſſolvi non cupio, ſed formido, ſciens quia *mors peccatorum peſſima.* Quomodo non peſſima mors, ubi non ſubvenit Vita? Formido exire, & in ipſo contremiſco portus ingreſſu, dum non confido prope aſſiſtere qui excipiat exeuntem. Quid enim? Securene exeo, ſi non Dominus cuſtodiat exitum meum? Heu! ero ludibrio dæmonum intercipientium me: non aſſiſtente qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui ab aſpectu & amplexu dilecti unus tantummodo paries obſiſtebat, videlicet lex peccati, quam inveniebat in membris ſuis. Ipſa eſt carnis coocupiſcentia, qua carere omnino non potuit, donec in carne fuit. Hoc ſane uoo interjecto pariete non longe peregrinabatur à Domino. unde & optabat clamans: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ſciens ſe mortis compendio continuo ad vitam perventurum. Hac ergo Paulus ſe fatebatur una lege teneri, ſcilicet concupiſcentia, quam carni ſuæ immobiliter inſitam tolerabat invitus; de cetero *nihil*, ioquit, *mihi conſcius ſum.*

Pſal. 33 22.

Horret mortem peccator.

Varii parietes inter nos & Chriſtum. 1. Concupiſcentia. Rom. 7 24.

1. Cor. 4. 4.

6. Verum quis ſimilis Paulo, qui non videlicet huic interdum conſentiat concupiſcentiæ ad obediendum peccato? Noverit proinde is qui peccato conſenſerit, & alterum ſibi ſe oppoſuiſſe parietem, ipſum utique pravum illicitumque conſenſum: oec poteſt gloriari qui hujuſmodi eſt, quia ſtet ſibi poſt parietem ſponſus, quando jam parietes interſint, non paries. Multo minus ſi conſenſus pervenerit ad effectum, cum tertius quoque jam paries ſponſi arceat impediatque acceſſum, actus videlicet ipſe peccati. Quid ſi & conſuetudo forte peccatum in uſum, aut uſus etiam in contemptum perduxerit? ſicut ſcriptum eſt: *Impius cum*

2. Conſenſus.

3. Actus peccati.

4. Conſuetudo

5. Contemptus.

Prov. 18. 3.

veneris in profundum malorum, contemnit. Nonne ſi ita exieris, millies ante à rugientibus præparatis ad eſcam poteris devorari, quam pervenire ad ſponſum, non uno ſiquidem jam, ſed tanta à te parietum numeroſitate interclusum? Primus, concupiſcentia; ſecundus, conſenſus; tertius, actus; quartus, conſuetudo; quintus, contemptus.

Concupiſcentiæ reſiſtendum.

Cura ergo concupiſcentiæ priori totis reſiſtere viribus, ut non pertrahat in conſenſum; & omnis deinceps malignitatis fabrica evaneſcit: nec eſt omnino quod ſponſum prohibeat appropinquare tibi, præter ſolum parietem corporis, quatenus gloriari poſſis & tu dicens de illo: quia *en ipſe ſtat poſt parietem.*

7. Sed & hoc tibi tota vigilantia providendum, ut apertas ſemper inveniat feneſtras & cancellos quoſdam confeſſionum tuarum, per quos te ejus benigne reſpiciat: quoniam RESPECTUS EJUS, PROFECTUS TUUS. Aiunt cancellos anguſtiores eſſe feneſtras, quales utique hi qui libros deſcribunt, aptare ſibi ſolent ad recipiendum lumen paginis.

Cancellarii unde dicti.

Unde & puto Cancellarios eos appellari, qui chartis conſcribendis ex officio deputantur.

Compunctionis duo genera.

Cum ergo ſint duo genera compunctionis, unum in mœrore pro noſtris exceſſibus, alterum in exſultatione pro divinis muneribus: quoties ſane eam, quæ ſine anguſtia cordis minime fit, peccatorum ſcilicet meorum facio confeſſionem; videor mihi cancellum, id eſt, anguſtiorem aperire feneſtram.

Confeſſio duplex.
Pſal. 50. 19.

Nec dubium quin libenter per iſtam reſpiciat is, qui ſtat poſt parietem pius explorator: quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Denique & hortatur ad hoc ipſum: *Dic tu*, inquiens, *iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.*

Iſa. 43. 26.

Quod ſi interdum corde dilatato in caritate, pro conſideratione divinæ dignationis ac miſerationis, libet animum laxare in vocem laudis, & gratiarum actionem: puto me non jam anguſtam, ſed ampliſſimam ſtanti poſt parietem ſponſo aperire feneſtram, per quam (ni fallor) tanto libentius reſpicit, quanto amplius ſacrificium laudis honorificat eum. Ad manum eſt de ſcripturis utramque hanc approbare confeſſionem: ſed ſcientibus iſta loquor, & non eſtis ſuperfluis onerandi, qui vix neceſſariis indagandis ſufficitis. Tanta quippe ſunt ſacramenta epithalamii hujus, & laudum præconia, quæ in eo decantantur Eccleſiæ & Sponſo ejus Jeſu-Chriſto Domino noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LVII.

De viſitationibus Domini obſervandis; quibus indiciis vel ſignis ea deprehendi poſſint.

Cant. 2. 10.

1. EN *dilectus meus loquitur mihi.* Videte proceſſus gratiæ, & dignationis divinæ advertite gradus. Attendite ſponſæ devotionem atque ſollertiam, quam vigili utique oculo Sponſi obſervat adventum, & deinceps ipſius omnia diligentius intuetur.

Sponſæ devotio ac ſollertia in obſervando ſponſi adventu.

Venit ille, accelerat, appropiat, adeſt, reſpicit, alloquitur; & nihil horum momentorum ſponſæ induſtriam effugit, anticipatve notitiam. Venit in Angelis, accelerat in Patriarchis, appropiat in Prophetis, adeſt in carne, reſpicit in miraculis, alloquitur in Apoſtolis. Vel ſic. Venit affectu & ſtudio miſerendi, accelerat ſubveniendi zelo, appropiat humiliando ſemetipſum, adeſt præſentibus, proſpicit in futuros, loquitur docens & ſuadens de regno Dei. Sic ergo eſt adventus Sponſi. Benedictiones & divitiæ ſalutis cum eo, & univerſa quæ de ipſo ſunt, affluunt deliciis, redundantia certe jucundis ac ſalutaribus ſacramentis. Porro quæ amat, vigilat & obſervat. Et beata, quam Dominus invenerit vigilantem. Non tranſibit illam, nec prætenbit ab ea, ſed ſtabit & loquetur ei, loqueturque amatoria: loquetur ſiquidem ut dilectus. Sic quippe habes: *En dilectus meus loquitur mihi.* Bene dilectus, qui venit amatoria locuturus, non autem increpatoria.

2. Neque enim de illis eſt, qui a Domino merito arguuntur, quod faciem cæli dijudicare noſſent, tempus vero adventus ejus minime cognoviſſent.

Matt. 16. 4.

Tom. IV.

Hæc namque tam ſollers, & prudens, ac bene vigilans, & venientem à longe proſpexit, & ſalientem pro feſtinatione advertit, & tranſſilientem ſuperbos, ut humili ſibi per humilitatem propinquaret, vigilantiſſime obſervavit; & demum cum jam ſtaret, & occultaret ſe poſt parietem, nihilo minus præſentem agnovit, ſed & reſpicientem per feneſtras cancelloſque perſenſit; & nunc pro remuneratione tantæ devotionis & religioſæ ſollicitudinis loquentem audit. Sane enim ſi reſpexiſſet, & minime locutus fuiſſet, ſuſpectus poterat eſſe ille reſpectus, ne forte magis indignationis foret, quàm dilectionis. Denique reſpexit Petrum, & non fecit ei verbum: & ideo fortaſſis flevit ille, quod reſpiciens ſe, tacuerit.

Luc. 22. 61.

Hæc autem, quoniam poſt aſpectum meruit & affatum, non modo non flet, ſed & gloriatur præ lætitia clamans: *En dilectus meus loquitur mihi.* Vides intuitum Domini, cum in ſe ſemper maneat idem, non tamen ejuſdem ſemper efficaciæ eſſe; ſed conformari meritis ſingulorum quos reſpicit, & aliis quidem incutere metum, aliis vero magis conſolationem & ſecuritatem afferre.

Dei reſpectus varius, aliis metum, aliis conſolationem affert.

Denique reſpicit terram, & facit eam tremere: cum è regione reſpexerit Mariam, & infuderit gratiam. *Reſpexit*, ait, *humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Luc. 1. 48.

Non ſunt hæc verba plorantis aut trepidantis, ſed gaudentis. Reſpexit ſimiliter hoc loco ſponſam, & nec tremuit illa, nec flevit ad inſtar Petri, quia non ſapiebat terram, ſicut ille: dedit vero lætitiam in corde ejus, affatu teſtificans, quo eam reſpexerit affectu.

3. Denique verba quæ loquitur, audi quàm non indignantis ſint, ſed amantis. Sequitur: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea.*

Cant. 2. 10.

Tempus viſitationis divinæ diligenter obſervandum.
Luc. 12. 36.

Felix conſcientia, quæ de ſe iſta meretur audire! Quis putas in nobis eſt adeo vigilans & obſervans tempus viſitationis ſuæ, ſponſumque adventantem ita per ſingula ejus momenta diligenter explorans, ut cum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiat ei? Non enim ſic iſta de Eccleſia referuntur, ut non ſinguli nos, qui ſimul Eccleſia ſumus, participare his ejus benedictionibus debeamus. Etenim in hoc generaliter omnes atque indifferenter vocati ſumus, ut benedictiones hereditate poſſideamus. Unde & audebat dicere ad Dominum quidam: *Hereditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum, quia exſultatio cordis mei ſunt*; illa puto hereditate, qua ſe eſſe præſumebat filium Patris ſui, qui eſt in cælis.

Pſal. 118. 111.

Porro ſi filium, & heredem; heredem Dei, coheredem autem Chriſti. Magnam vero rem gloriatur ſe acquiſiviſſe hereditate iſta, teſtimonia Domini. Utinam ego de me vel unum meruerim tenere teſtimonium Domini! quia is non in uno, ſed in multis exſultat teſtimoniis. Denique ait iterum: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.*

Pſal. 118. 14.
Teſtimonia divinæ viſitationis quænam.

Et revera quid divitiæ ſalutis, quid deliciæ cordis, quid animæ vera & cauta ſecuritas, niſi Domini atteſtationes? *Non enim*, inquit, *qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.*

2. Cor. 10. 17.

4. Utquid nos hactenus adhuc fraudamur commendationibus ſeu atteſtationibus his divinis, & paterna hereditate privamur? Quaſi minime & nos voluntarie genuerit verbo veritatis, ſic in nullo nos meminimus ab illo taliter commendatos, nec ulla de nobis aſſecutos teſtimonia ejus. Ubi eſt quod Apoſtolus dicit, quia *ipſe Spiritus Dei teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus?*

Rom. 8. 16.

Quomodo filii, ſi expertes hereditatis?

Quid facto opus, ut viſitemur à Deo.

Arguit nos pro certo negligentiæ & incuriæ ipſa inopia noſtra. Nam ſi quis noſtrum integre & perfecte, juxta verbum Sapientis, cor ſuum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecetur, ſimulque votis, omnibus ſtudeat ſecundum Iſaiam Prophetam parare vias Domini, rectas facere ſemitas Dei ſui, cui cum Propheta ſit dicere, *Oculi mei ſemper ad Dominum*; & quia *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*: nonne hic *accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo*

Eccli. 39. 6.
Iſa. 40. 3.
Pſal. 24. 15.
Pſal. 15. 8.
Pſal. 23. 5.

Tom. IV.

ſalutari ſuo? Viſitabitur profectò frequenter, nec umquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ, quantumlibet is qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus veniat & furtivus, utpote verecundus amator. Adhuc ergo longe agentem bene vigilans anima ſobria mente proſpiciet, & deinceps univerſa comperiet, quæ in dilecti adventu ſponſam tam ſollerter, quàm ſignanter adverti ſſe monſtravimus, quia ipſe ait: *Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* (Prov. 8. 17.) Nam & deſiderium feſtinantis agnoſcet: & quando prope, & quando præſto jam erit, continuo ſentiet; ſed & reſpicientis ſe oculum, quaſi ſolis radium per feneſtras & rimas parietis ſubeuntem, beato oculo cernet; & demum audiet voces exſultationis & amoris, appellata amica, columba, formoſa.

5. Quis ſapiens & intelliget hæc, ita ut ea etiam digne ab invicem diſtinguere, & deſignare ſingula queat, ac diffinire ad intelligentiam aliorum? Si à me illud ſperatur, ego ea mallem ab experto audire, & qui aſſuetus ſit & exercitatus in talibus. At quoniam quiſque qui hujuſmodi eſt, verecunde magis ſilentio abſcondere eligit quod ſilentio percipit, & ſervare ſecretum ſuum ſibi, id ſibi tutius arbitratur: dico ego, cui ex officio loqui eſt, nec tacere licet, quicquid illud eſt quod de hujuſmodi vel proprio, vel alieno teneo experimento, & quod facile experiri plures queunt, ſane altiora relinquens apprehendere illa valentibus. Si igitur admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus à Spiritu, de tuenda juſtitia & ſervanda æquitate; iſtiuſmodi ſalutaris ſuaſio erit mihi profectò prænuntia imminentis adventus Sponſi, & præparatio quædam ad digne ſuſcipiendum ſupernum viſitatorem, Propheta id mihi indicante, dicendo, quia *juſtitia ante eum ambulabit.* (Pſal. 84. 14.) & item loquitur Deo ſic: *Juſtitia & judicium,* inquit, *præparatio ſedis tuæ.* (Pſal 88. 15.) Nihilo minus vero ſpes eadem arridebit, ſi ſermo inſonuerit de humilitate vel patientia, ſeu etiam de fraterna caritate & obedientia deferenda Prælatis: maxime autem de ſectanda ſanctimonia & pace, & cordis puritate quærenda, quoniam quidem Scriptura ait: *Domum Domini decet ſanctitudo;* (Pſal. 92. 5.) &, *Factus eſt in pace locus ejus;* (Pſal. 75. 3) &, *Mundi corde Deum videbunt.* (Matt. 5. 8.) Quicquid itaque ſive de his, ſive de aliis quibuſlibet virtutibus ſuggeſtum animo fuerit; ſignificatio, ut dixi, erit mihi, viſitationem Domini virtutum imminere animæ meæ.

Viri pii ſingulosis Dei beneficiis celare ſtudent.

Indicia divinæ viſitationis.

1. Suggeſtio bona.

2. Correptio.

6. Sed & ſi corripuerit me juſtus in miſericordia, & increpaverit me, idipſum ſentiam, ſciens quia æmulatio juſti & benevolentia iter faciunt ei qui aſcendit ſuper occaſum. BONUS OCCASUS, cum ad correptionem juſti ſtat homo, & corruit vitium, & Dominus aſcendit ſuper illud, conculcans hoc pedibus, & conterens ne reſurgat. NON ergo contemnenda increpatio juſti, quæ ruina peccati, cordis ſanitas eſt, necnon & Dei via ad animam. Sed nec ullus omnino ſermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter eſt audiendus: quoniam & illic iter quo oſtenditur ſalutare Dei. Quod ſi ſermo gratus venit & placitus *, quatenus pulſo faſtidio cum deſiderio audiatur: jam non modo venire ſponſus, ſed & accelerare, id eſt cum deſiderio venire, credendus eſt. ILLIUS namque DESIDERIUM, tuum creat; & quod tu ejus properas ſermonem admittere, inde eſt quod ipſe feſtinat intrare. non enim nos eum, ſed *ipſe,* inquit, *prior dilexit nos.* (1. Johan. 4. 10.) Jam ſi etiam ignitum eloquium ſentis, atque ex eo conſcientiam uri in recordatione peccati; recordare tunc de quo Scriptura dicit, quia *ignis ante ipſum præcedet;* (Pſal. 96. 3) & ipſum prope eſſe non dubites. Denique *juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* (Pſal. 33. 19.)

3. Exhortatio grata.

** al. placidus.*

4. Compunctio.

5. Converſio.

7. Si vero non ſolum compungeris in ſermone illo, ſed & converteris totus ad Dominum, jurans & ſtatuens cuſtodire judicia juſtitiæ ejus: etiam adeſſe ipſum jam noveris, præſertim ſi te inardeſcere ſentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipſum præcedere, & ipſum nihilo minus ignem eſſe Moyſes ſiquidem de illo dicit, quia *ignis conſumens eſt.* (Deut. 4. 24.) Differunt autem, quod is qui præmittitur ignis ardorem habet, ſed non amorem: coquens, ſed non exequens; movens, nec promovens. Tantum ad excitandum præmittitur & præparandum, ſimulque ad commonendum, quid ex te ſis, quo dulcius ſapiat poſtmodum quod ex Deo mox eris. At vero IGNIS QUI DEUS EST, conſumit quidem, ſed non affligit: ardet ſuaviter, deſolatur feliciter. Eſt enim vere carbo deſolatorius: ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præſentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. (Pſal. 117. 16.) Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelſi, niſi in fervore ſpiritus, & in caritate non ficta, ita ut dicat qui hujuſmodi eſt: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis.* (Pſal. 38. 4.)

Dei ignis duplex.

Utriuſque differentia.

8. Porro hoc igne conſumpta omni labe peccati, & rubigine vitiorum, ſi jam emundata ac ſerenata conſcientia ſequatur ſubita quædam atque inſolita latitudo mentis, & infuſio luminis illuminantis intellectum vel ad ſcientiam ſcripturarum, vel ad myſteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari: oculus reſpicientis proculdubio eſt iſte, educens quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem, juxta illud Prophetæ Iſaiæ: *Orietur,* inquit, *tamquam ſol lux tua,* &c. (Iſa. 58. 10.) Sed ſane non per oſtia aperta, ſed per anguſta foramina is tantæ claritatis radius ſe infundet, ſtante adhuc dumtaxat hoc ruinoſo pariete corporis. Erras ſi aliter ſperas, ad quantamcumque cordis proficias puritatem, cum ille præcipuus contemplator dicat: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* (1 Cor. 13. 12.)

6. Dilatatio & illuminatio mentis.

9. Poſt hunc tantæ dignationis ac miſerationis reſpectum, ſequitur vox blande & leniter divinam inſinuans voluntatem, quæ non eſt aliud quàm ipſe amor, qui otioſus eſſe non poteſt, de his quæ Dei ſunt ſollicitans & ſuadens. Denique audit ſponſa, ut ſurgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. (Cant. 2. 10.) Hoc ſiquidem vera & caſta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo & deſiderio acquirendi Deo qui eum ſimiliter diligant, ut otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſime intermittat: & rurſum potita votis, aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipſum, quanto ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit; & item ſumpto contemplationis guſtu, valentius ad conquirenda lucra ſolita alacritate recurrat. Ceterum inter has viciſſitudines plerumque mens fluctuat, metuens, & vehementer exæſtuans, ne forte alteri horum, dum ſuis affectionibus hinc inde diſtrahitur, plus juſto inhæreat; & ſic in utrolibet vel ad modicum à divina deviet voluntate. Et forſaſſe tale aliquid ſanctus Job patiebatur, cum diceret: *Si dormiero, dico, quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam.* (Job 7. 4.) hoc eſt, Et quietus, neglecti operis; & occupatus, perturbatæ nihilo minus quietis me arguo. Vides virum ſanctum inter fructum operis, & ſomnum contemplationis graviter æſtuare: & in bonis licet ſemper verſantem, ſemper tamen quaſi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis ſingulis inquirere voluntatem. UNICUM quippe in hujuſmodi remedium ſeu refugium oratio eſt, & frequens gemitus ad Deum: ut quid, quando, & quatenus nos facere velit, aſſidue nobis demonſtrare dignetur. Habes, ut ego opinor, tria hæc, id eſt prædicationem, orationem, contemplationem, in tribus commendata & deſignata vocabulis. Etenim merito *amica* dicitur, quæ ſponſi lucra ſtudioſe ac fideliter prædicando, conſulendo, miniſtrando conquirit. Merito *columba*, quæ nihilo minus pro ſuis delictis in oratione gemens & ſupplicans, divinam ſibi non ceſſat conciliare miſericordiam. Merito quoque *formoſa*, quæ cæleſti deſiderio fulgens, ſupernæ contemplationis decorem ſe induit, horis dumtaxat, quibus commode & opportune id poteſt.

7. Inſinuatio divinæ voluntatis.

Contemplationis fructus vis & natura.

Contemplationis & actionis alternatio.

Oratio his neceſſaria.

10. Sed & illud vide, ſi valeat coaptari huic triplici unius

unius animæ bono, de tribus videlicet perſonis illis in domo una commanentibus, amicis utique Salvatoris, & admodum familiaribus ei. Martham loquor miniſtrantem, & Mariam vacantem, & Lazarum quaſi gementem ſub lapide, & reſurrectionis gratiam flagitantem. Hæc dicta ſunt pro eo quod ſponſa deſcribitur adeo ſollers & pervigil in obſervando ſemitas Sponſi, ut minime eam latere poſſit, quando, & in quanta feſtinatione ad ſe veniat; ſed & quando longe, & quando prope, & quando præſens ſit, nulla ſubitatione præoccupari valeat ut ignoret: & quia proinde meruerit, non ſolum reſpici miſericorditer, ſed & dignanter lætificari amoris vocibus, & gaudere gaudio propter vocem ſponſi.

Lu. 10. 38. [margin reference only partly legible]

11. Nos quoque ad hæc, quamvis audacter, adjecimus, quod quævis etiam de nobis anima, ſi ſimiliter vigilet, ſimiliter & ſalutabitur ut amica, conſolabitur ut columba, amplexabitur ut formoſa. PERFECTUS omnis reputabitur, in cujus anima tria hæc congruenter atque opportune concurrere videbuntur, ut & gemere pro ſe, & exſultare in Deo noverit, ſimul & proximorum utilitatibus potens ſit ſubvenire; placens Deo, cautus ſibi, utilis ſuis. Sed ad hæc quis idoneus? Utinam ipſa in univerſis nobis, etſi non tota in ſingulis, ſaltem ſingula in diverſis, ſicut hodie haberi videntur, longis reſerventur temporibus! Habemus ſiquidem Martham, tamquam Salvatoris amicam, in his qui exteriora fideliter adminiſtrant. Habemus & Lazarum, tamquam columbam gementem, Novitios utique, qui nuper peccatis mortui, pro recentibus adhuc plagis laborant in gemitu ſuo ſub timore judicii; & ſicut vulnerati dormientes in ſepulcris, quorum nemo eſt memor amplius, ſic ſe non putant reputari, donec ad Chriſti juſſionem ſublato pondere timoris, tamquam prementis lapidis mole, reſpirare in ſpem veniæ poſſint. Habemus quoque Mariam contemplantem in illis, qui proceſſu longioris temporis, cooperante gratia Dei, in aliquid melius & lætius proficere potuerunt; quando jam de indulgentia præſumentes, non tam verſare intra ſe ſolliciti ſunt triſtem imaginem peccatorum, quam certe in lege Dei meditari die ac nocte inſatiabiliter delectantur; interdum etiam revelata facie gloriam Sponſi cum ineffabili gaudio ſpeculantes, in eamdem imaginem transformantur de claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu. Jam ad quid ſponſam ſurgere & properare hortetur is, qui paulo ante defenſare viſus eſt eam, ne dormiens ſuſcitaretur, alio ſermone videbimus. Adſit ipſe, ut & hujus nobis ſacramenti rationem aperire dignetur, Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Perfectus quis.

Mariam & Martham, quinam repræſentent; qui Lazarum.

SERMO LVIII.

Quomodo ſponſus hortatur ſponſam, id eſt viros perfectos, ad regimen imperfectorum. Item de putatione vitiorum in eis facienda, ut virtutes ſuccreſcant.

Cant. 2. 10.

1. SUrge, *propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Quis hoc dicit? Abſque dubio Sponſus. Et nonne ipſe eſt, qui paulo ante ſuſcitari dilectam tantopere prohibebat? Quo pacto ergo nunc non ſolum ut ſurgat, ſed ut & acceleret jubet? Venit in mentem ſimile quid ex Evangelio. Ea quippe nocte qua Dominus tradebatur, cum fatigatos productioribus vigiliis Diſcipulos qui ſecum erant, dormire demum ac requieſcere præcepiſſet, in ipſa hora [a], *Surgite, eamus*, inquit, *ecce appropinquavit qui me tradet.* Nunc quoque ſimiliter uno pæne momento & prohibet ſuſcitari ſponſam, & ſuſcitat: *Surge*, inquiens, *& veni.* Quid ſibi itaque vult tam ſubita hæc mutatio voluntatis ſive conſilii? Putamuſne levitate uſum ſponſum, & aliquid voluiſſe prius, quod mox noluerit? Minime. Sed agnoſcite eas quas vobis ſupra, ſi meminiſtis, commendavi, & non ſemel, viciſſitudines utique ſanctæ quietis, ac neceſſariæ actionis; & quia non ſit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii & operis cogentior urget inſtantiorque utilitas. More igitur ſuo Sponſus, ubi dilectam paululum in ſinu proprio quieviſſe perſentit, ad ea denuo quæ utiliora viſa ſunt, trahere non cunctatur. Non tamen quaſi invitam; (nec enim quod fieri vetuit, faceret ullatenus ipſe:) ſed trahi ſane à ſponſo ſponſæ, eſt ab ipſo accipere deſiderium quo trahatur, deſiderium bonorum operum, deſiderium fructificandi ſponſo; quippe cui vivere ſponſus eſt, & mori lucrum.

Matt. 26. 45.

Viciſſitudo ſanctæ quietis & actionis.

Tom. IV.

Tractio deſiderium.

2. Et eſt deſiderium vehemens, quod eam non tantum ſurgere, ſed & ſurgere feſtinanter ſollicitat. ſic quippe habes: *Surge, propera, & veni.* Nec parum confortat quod audit, *veni*, & non, vade: per hoc ſe intelligens non tam mitti, quam duci, & ſecum pariter ſponſum eſſe venturum. Quid enim difficile ſibi illo comite reputet? *Pone me*, inquit, *juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* item, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Non itaque ſuſcitatur præterquam velit, quando ſit prius ut velit: quod non eſt aliud, niſi ſancti quæſtus immiſſa aviditas. Animatur etiam ad opus injunctum, & de temporis opportunitate redditur alacrior. Tempus faciendi, inquit, ô Sponſa, quia *hiems tranſiit*, quando operari nemo poterat. *Imber* quoque, qui inundatione facta operiebat terram, culturas impediebat, & vel ſata necabat, vel ſeri vetabat; is, inquam, imber excurrit, *abiit & receſſit; flores apparuerunt in terra noſtra*, vernalem profecto temperiem adeſſe ſignantes, operandi commoditatem, frugum vicinitatem ac fructuum. Deinde ſubdit, ubi & quid primum operari oporteat: *Tempus*, inquiens, *putationis advenit.* Ad vineas ergo excolendas ducitur: quæ ut poſſint uberioribus fructibus reſpondere colonis, ante omnia neceſſe eſt ſarmenta ſterilia projici, ſuccidi noxia, putari ſuperflua. Hæc juxta litteram.

Job 17. 3. [part illegible]

Pſal. 22. 4.

Cant. 2. 11.

Ibid. [margin reference partly illegible]

Ibidem.

3. Nunc jam videamus, quid iſtiuſmodi quaſi hiſtorico ſchemate ſpiritualiter nobis innuatur intelligendum. Et vineas quidem animas eſſe vel eccleſias, ſimulque hujus rei rationem quænam ſit, dixi vobis jam, & audiſtis, nec opus habetis iterato audire. Ad has itaque reviſendas, corrigendas, inſtruendas, ſalvandas, anima perfectior invitatur, quæ tamen id miniſterii ſortita ſit, non ſua ambitione, ſed vocata à Deo tamquam Aaron. Porro invitatio ipſa quid eſt, niſi intima quædam ſtimulatio caritatis pie nos ſollicitantis æmulari fraternam ſalutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus? Iſtiuſmodi itaque circa Deum religioſis affectibus quoties is qui animas regere, aut ſtudio prædicationis ex officio intendere habet, hominem ſuum interiorem ſenſerit permoveri; toties pro certo Sponſum adeſſe intelligat, toties ſe ab illo ad vineas invitari. Ad quid, niſi ut evellat & deſtruat, & ædificet & plantet?

Animæ vel eccleſiæ ſignificatæ per vineas.

Vocatio ad curam animarum quibus indiciis agnoſcatur.

4. Verum quoniam operi huic, ſicut & omni rei ſub cælo, non omne tempus ſuppetit & aptum eſt, addit is qui invitat, tempus putationis adveniſſe. Adeſſe hoc noverat qui dicebat: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; neminem dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Vitioſa ſine dubio atque ſuperflua, & omne denique quod offendiculum dare, & impedire fructum ſalutis poſſit, putare jam & reſecare monebat, ſciens quia tempus putationis advenerit. Ideo & aiebat fideli cuidam cultori vinearum; *Argue, increpa, obſecra*; in primo & ſecundo horum putationem vel exſtirpationem, in ultimo plantationem indicens. Et hæc quidem

Tempus putationis idoneum obſervandum.

2. Cor. 6. [part illegible]

2. Tim. 4. [part illegible]

a Addunt editi recentiores, *ſurgere cogit*: quæ verba deſunt pleriſque mſſ. & primis editis. Et quidem ſine ipſis lectio gratior & expeditior.

Tom. IV. ſponſus per os Pauli de tempore operandi. Sed audi A quid per proprium os de temporum conſideratione, ſub alio quidem rerum ſchemate & nomine, cum Johan. 4. 35. nova ſponſa ſit locutus. *Nonne vos dicitis*, inquit, *quia quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros & videte regiones, quia albæ ſunt* Matt. 9. 37. *jam ad meſſem.* item, *Meſſis quidem multa, operarii pauci: rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Sicut igitur ibi metendi animarum ſegetes tempus adeſſe monſtrabat, ita & hic vineas æque intelligibiles, id eſt animas vel eccleſias, tempus putandi adveniſſe denuntiat; id forſitan inter utraſque res volens vocabulorum diverſitate diſtingui, ut meſſes plebes, vineas congregationes ſanctorum cohabitan- B tium intelligamus.

Tempus hiemale myſticè. 5. Porro hiemale tempus, quod præteriiſſe ſignificat, illud mihi deſignare videtur, cum Dominus Jeſus jam non palam ambularet apud Judæos, eo quod conſpiraſſent adverſus eum, volentes eum in- Johan. 7. 6. terficere. Unde & dicebat ad quoſdam: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt para-* Ibidem. 8 *tum.* & rurſum: *Aſcendite vos ad diem feſtum hunc, ego non aſcendam.* Aſcendit tamen poſtea & ipſe, non palam, ſed quaſi in occulto. Extunc ergo & deinceps uſque ad adventum Spiritus-ſancti, quo recaluerunt torpentia fidelium corda, tamquam igne, quem Dominus ad hoc ipſum miſit in terram, hiems C Luc. 12. 49. fuit. Tunc negaveris hiemem tunc fuiſſe, cum Petrus ſederet ad prunas, non minus gelido corde, Johan. 18. 18. quam corpore? Denique *erat frigus*, inquit. Magnum Petri frigus revera frigus cor negantis conſtrinxerat. Nec mirum tamen, cum ignis ab eo ablatus eſſet. Nam paulo ante non parvo fervebat zelo, quippe adhuc igni proximus, qui evaginato gladio, ne ignem perderet, ſervi auriculam amputavit. Sed non erat tempus Luc. 22. 50. putationis: & ideo audit, *Converte gladium tuum in lo-* Matt. 26. 52. *cum ſuum.* Intempeſtivus ejus zelus. Erat enim hora & poteſtas tenebrarum: & quiſquis tunc Diſcipulorum levaret gladium vel ferri, vel verbi; aut ferro truncandus erat, & neminem lucraretur, nec quippiam fructus afferret; aut D Gladius timoris. certe timoris gladio ad negandum cogendus; & ſic magis ipſe periret, juxta verbum Domini quod ſubjun- Ibidem. xit mox, ita dicens: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quis nempe ceterorum ante pavendam mortis imaginem impavidus ſtaret, trepidante & cedente principe ipſo, & qui voce confortatoria ſui Imperatoris Luc. 22. 32. fuerat præmunitus, & præmonitus alios confortare?

6. Ceterum nec is, nec illi ſibi adhuc induerant virtutem ex alto; & ob hoc tutum non erat eis exire in vineas, exſerere linguæ ſarculum, & gladio Spiritus putare vites, purgare palmites, ut fructum plus afferrent. Denique ipſe Dominus tacebat in paſ- Matt. 27. 12. ſione, & in multis interrogatus non reſpondebat, E Pſal. 37. 15. *factus*, juxta Prophetam, *ſicut homo non audiens, & non* Luc. 22. 67. *habens in ore ſuo redargutiones.* Dicebat autem: *Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi*; ſciens tempus putationis nondum adveniſſe, nec reſponſuram prorſus vineam ſuam impenſis laboribus, id eſt nec fidei, nec boni operis fructum aliquem relaturam. Quare? Quia hiems erat in cordibus perfidorum, & hiemales quidam malitiæ imbres occupaverant terram, jacta ſemina verbi ſuffocare, quam fovere paratiores; ſed & cultui vinearum omnem nihilo minus impendendam operam fruſtraturi.

7. Quos vos me nunc putatis dicere imbres? Iſtoſne, quos videmus currentes per aera nubes turbulen- Imbres noxii plantis ſpiritualibus. to ſpiritu ſpargere ſuper terram? non eſt ita. Sed quos de terra in aërem ſurſum ferunt homines turbulenti ſpiritus, ponentes in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiens in terram, tamquam pluvia amariſſima, terram ipſam paluſtrem ac ſterilem facit, & tam plantis quam ſatis inutilem, non quidem his viſibilibus atque corporeis ad noſtros utique corporeos uſus datis, de quibus nulla plane, ſicut nec de bobus cura eſt Deo. Sed quibus? Profecto quæ A ſevit & plantavit Dei manus, & non hominis; quæ & vel germinare, vel radicari in fide & caritate poterant, & fructus parturire ſalutis, ſi bonis & temporaneis imbribus rigarentur. Animæ denique ſunt, Imbres boni & temporanei iidem mali. pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Væ nubibus pluentibus iſtiuſmodi imbres ſuper eas, quæ lutum faciant, fructum non afferant! Nam ſicut ſunt & bonæ, & malæ arbores, ferentes quæque fructus pro ſui diſſimilitudine differentes, bonæ videlicet bonos, & malæ malos: ita & arbitror nubes & bonas, quæ bonos; & malas eſſe, quæ malos pluant imbres. Et vide ne forte innuerit nobis hanc nubium, imbriumque differentiam, qui dicebat: *Mandabo nubibus meis, ne pluant ſu-* Iſa. 5. 6. B *per eam* (haud dubium quin ſuper vineam) *imbrem.* Imbres ſpirituales noxii quinam. Cur putas adjunxiſſe ſignanter, *meis*, niſi quia ſunt & malæ nubes, quæ non ſunt ejus? *Tolle, tolle*, in- Johan. 19. 15. quiunt, *crucifige eum.* O nubes violentas & turbidas! O imbrem procelloſum! ô torrentem iniquitatis, evertere magis, quam fœcundare idoneum! Nec minus malus minutve amarus, minori licet impetu proruens, imber ille qui ſubſecutus eſt: *Alios ſalvos* Matth. 27. 42. *fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Chriſtus rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Philoſophorum ventoſa loquacitas non bonus imber eſt, qui ſterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem. Multo magis prava dogmata hæreticorum mali imbres C ſunt, quæ pro fructibus ſpinas producunt & tribulos. Mali imbres etiam traditiones Phariſæorum, quas Salvator redarguit, & ipſi nubes malæ. Et niſi exiſtimes me injuriam facere Moyſi, (nam bona nubes eſt illa,) non omne quod pluit vel ipſa, bonum tamen dicam, ne illi contradicam, qui ait: *Dedi illis* Ezech. 20. 25. id eſt Judæis, *præcepta non bona* (haud dubium quin per Moyſen) *& juſtificationes, in quibus non vivent in eis.* Litteralis illa, verbi cauſa, obſervatio ſabbati, ſonantis requiem, non donantis; indictus ſacrificiorum ritus, interdictus porcinæ carnis eſus, nonnullorumque ſimilium, quæ immunda à Moyſe cenſentur, pluvia eſt hoc totum ex illa nube deſcendens: D ſed nolo in agrum vel hortum meum quandoque deſcendat. Fuerit ſane bona ſuo tempore: poſt tempus ſi venerit, non bonam jam cenſeo. Omnis etiam lenis & leniter deſcendens pluvia, ſi ſit intempeſtiva, moleſta eſt.

8. Donec ergo iſtiuſmodi aquæ peſtilentes occupaverunt terram, & invaluerunt ſuper eam; tempus ſuum vineæ non habuerunt, nec fuit quod ſponſa invitaretur ad putandas vineas. Ceterum illis decurrentibus terra apparuit arida, & flores apparuerunt in ea, ſignificantes tempus putationis adeſſe. Quæris quando hoc fuit? Quando putas, niſi cum Tempus putationis quodnam. refloruit caro Chriſti in reſurrectione? Et hic pri- E mus & maximus flos, qui apparuit in terra noſtra. nam *primitiæ dormientium* Chriſtus. Ipſe, inquam, flos 1. Cor. 15. 20. campi, *& lilium convallium* Jeſus, *ut putabatur filius* Cant. 2. 1. *Joſeph à Nazareth*, quod interpretatur flos. Is ergo Luc. 3. 23. flos apparuit primus, non ſolus. Nam & *multa cor-* Flores qui. *pora ſanctorum, qui dormierant, pariter ſurrexerunt*, qui Matt. 27. 52. veluti quidam luci diſſimi flores ſimul apparuerunt in terra noſtra. Denique *venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Ibidem. Flores etiam fuerunt qui primi crediderunt de populo, primitiæ ſanctorum. Flores eorum miracula, inſtar florum producentia fructum fidei. Nam poſtquam ille infidelitatis imber aliquantulum, vel ex parte, abiit & receſſit, F ſecuta mox eſt pluvia voluntaria, quam ſegregavit Deus hereditati ſuæ, & flores apparere cœperunt. Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra dedit flores ſuos, ita ut una die tria millia, in alia quin- Act. 2. 41. Ibidem. 4. 4. que millia de populo crederent: adeo in brevi crevit florum numerus, id eſt credentium multitudo. Et non potuit gelu malitiæ prævalere adverſus flores qui apparebant, nec præripere (ut aſſolet) fructum vitæ, quem promittebant.

9. Nam cum omnes qui crediderant, induerentur virtute ex alto; ſurrexerunt ex eis homines, qui minus

hominum contempſerunt, fortes in fide. Paſſi ſunt quidem quam plorimos contradictores: ſed non ceſſerunt, neque ſubterfugerunt, quo minus & facerent, & annuntiarent opera Dei. Nam juxta illud in pſalmo ſpiritualiter quidem, *Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis.* [Pſal. 106. 37.] Proceſſu temporis tempeſtas ſedata eſt, & pace reddita terris, creverunt vineæ, & propagatæ, & dilatatæ ſunt, & multiplicatæ ſuper numerum. Et tunc demum ſponſa ad vineas invitatur, non quidem ad plantandum, ſed ad putandum quod plantatum jam erat. Opportune quidem: nam id opus pacis tempus requirebat. Quando etenim perſecutionis tempore id liceret? Alioquin ſumere in manus gladios ancipites, facere vindictam in nationibus, increpationes in populis; alligare reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; & facere in eis judicium conſcriptum, (hoc quippe putare vineas eſt:) [Pſal. 149. 7.] hæc, inquam, omnia vix vel pacis tempore actitantur in pace. Et de his ſatis.

10. Poterat etiam finiri ſermo, ſi prius quemque veſtrum juxta morem meum de ſua vinea monuiſſem. Quis enim ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur. [Putandi vinea ſpiritualis ſemper incumbendum.] Parum eſt ergo ſemel putaſſe; ſæpe putandum eſt, immo (ſi fieri poſſit) ſemper: quia ſemper quod putari oporteat (ſi non diſſimulas) invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, ſed non exterminari. [Judic. 1. 21.] *Scio*, inquit, *quia non habitat in me bonum.* Parum eſt niſi & malum ineſſe fateatur. Ait namque: *Non quod volo* [a], *hoc ago; ſed quod odi, illud facio. Si autem quod odi illud facio; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* [Rom. 7. 18. Ibid. 19.] Aut te ergo, ſi audes, præfer Apoſtolo, (nempe ipſius iſta vox eſt:) aut fatere cum illo te quoque vitiis non carere. Medium denique * vitiorum virtus tenet; [* al. namque] ac proinde ſedula eges non ſolum putatione, ſed & circumciſione. Alioquin verendum, ne circumquaque à lambentibus, vel potius à rodentibus vitiis illa, dum neſcis, paulatim elangueat; aut, ſi ſupercreverint, ſuffocetur. Unum in tanto diſcrimine conſilium eſt, obſervare diligenter, & mox ut renaſcentium capita apparebunt, prompta ſeveritate ſuccidere. Non poteſt virtus cum vitiis pariter creſcere. Ergo ut illa vigeat, iſta creſcere non ſinantur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt. Utilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, ut virtus roboretur.

11. Nobis, fratres, putationis ſemper eſt tempus, ſicut ſemper eſt opus. [Religioſis quomodo non ſit hiems, ſed æſtas.] Confido enim, quia nobis hiems jam tranſiit. Scitis quam hiemem dicam? Timorem illum, qui non eſt in caritate, qui cum omnes initiet ad ſapientiam, neminem conſummat: quoniam ſuperveniens caritas extrudit illum, tamquam hiemem æſtas. Æſtas enim caritas eſt: quæ ſi jam venit, immo quia venit, (ſicut juſtum eſt mihi ſentire de vobis) ſiccaverit neceſſe eſt omnem hiemalem imbrem, omnem videlicet anxietatis lacrymam, quam amara recordatio peccati, & timor ante extorquebat judicii. Itaque (quod non dubius dico, etſi non de omnibus vobis, profecto de pluribus) hic jam imber abiit & receſſit. [Timor ſervilis inſtar hiemis, caritas æſtatis.] nam & flores apparent, indices pluviæ ſuavioris. Habet & æſtas pluvias ſuas ſuaves & uberes. Quid dulcius lacrymis caritatis? [Lacrymæ caritatis.] Flet quippe caritas, ſed ex amore, non ex mærore; flet ex deſiderio, flet cum flentibus. Tali imbre non ambigo rigatos uberius actus obedientiæ veſtræ, quos lætus intueor, non murmure tetros, non triſtitia ſubobſcuros, ſed quodam ſpirituali gaudio jucundos & floridos. Sic ſunt, ac ſi ſemper flores geſtetis in manibus.

12. Ergo ſi hiems tranſiit, imber abiit & receſſit; ſi demum flores apparuerunt in terra noſtra, & ſubinde quædam ſpiritualis gratiæ vernalis temperies tempus putationis indicit: quid reſtat, niſi ut de cetero toti incumbamus huic operi tam ſancto, tam neceſſario? Scrutemur, juxta Prophetam, vias noſtras & ſtudia noſtra, [Thren. 3. 40. Examen ſui ipſius commendat.] & in eo ſe quiſque judicet profeciſſe, non cum non invenerit quod reprehendat, ſed cum quod invenerit, reprehendet. Tunc te non fruſtra ſcrutatus es, ſi rurſum opus eſſe ſcrutinio advertiſti: & toties non te fefellit inquiſitio tua, quoties iterandam putaveris. Si autem ſemper hoc, cum opus eſt, facis, ſemper facis. Semper ergo opus eſſe tibi memineris ſuperni auxilii, & miſericordiæ Sponſi Eccleſiæ Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

SERMO LIX.

De gemitibus animæ ſuſpirantis ad cæleſtem patriam, & de commendatione caſtitatis & viduitatis.

1. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* [Cant. 2. 12.] Minime jam diſſimulare queo, quod ecce ſecundo is, qui de cælo eſt, de terra loquitur: utique tam dignanter, tam ſocialiter, quaſi unus e terra. Sponſus eſt iſte: qui cum præmitteret flores apparuiſſe in terra, adjunxit, *noſtra*: & nunc nihilo minus, *Vox*, inquit, *turturis audita eſt in terra noſtra.* Ergone ratione carebit Deo quidem tam inſueta, ne dicam indigna, locutio? Nuſquam (ut opinor) de cælo ſic locutum reperies, nuſquam alibi de terra. Adverte igitur, quantæ ſuavitatis ſit Deum cæli dicere, *in terra noſtra*. Quique terrigenæ & filii hominum, audite: magnificavit Dominus facere nobiſcum. [Pſal. 125. 3.] Multum illi cum terra, multum cum ſponſa, quam de terris ſibi adſciſcere placuit. *In terra*, inquit, *noſtra*. Non plane principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſed familiaritatem. Tamquam Sponſus hoc dicit, non tamquam Dominus. Quid? Conditor eſt, & conſortem ſe reputat! Amor loquitur, qui dominum neſcit. [Deus amat; & eſt amor ipſe.] Carmen nimirum amoris eſt, nec aliis hoc quàm amatoriis fulciri oportuit. Amat & Deus, nec aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt unde amat. Et ideo vehementius, quia non amorem tam habet, quam hoc eſt ipſe. Verum quos amat, amicos habet, non ſervos. Denique amicus fit de magiſtro: nec enim amicos diſcipulos diceret, ſi non eſſent.

2. Vides amori cedere etiam majeſtatem? [Majeſtas cedit amori.] Ita eſt, fratres, neminem ſuſpicit amor, ſed ne deſpicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfecte ſe amant, & in ſeipſo celſos humileſque contemperat: nec modo pares, ſed unum eos facit. Tu Deum forſitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas: ſed *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* [1. Cor. 6. 17.] Quid miraris hoc? Ipſe factus eſt tamquam unus ex nobis. Minus dixi: non tamquam unus, ſed unus. Parum eſt parem eſſe hominibus: homo eſt. Inde terram noſtram vindicat ſibi, ſed quaſi patriam, non quaſi poſſeſſionem. Quidni vindicet? Inde illi ſponſa, inde ſubſtantia corporis: inde ſponſus ipſe, inde duo in carne una. Si caro una, cur non & patria una? *Cælum cæli Domino*, inquit, *terram autem dedit filiis hominum.* [Pſal. 113. 16.] Ergo ut filius hominis hereditat terram, ut dominus ſubjicit, ut conditor adminiſtrat, ut ſponſus communicat. Dicendo nempe, *in terra noſtra*, proprietatem profecto abnuit, ſocietatem non reſpuit. Et hæc pro eo, quod Sponſus tam benigno uſus eſt verbo, ut dignatus ſit dicere, *in terra noſtra*. Nunc cetera videamus.

3. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* [Cant. 2. 12.] Et hoc indicium eſt tranſactæ hiemis, tempus nihilo minus putationis adeſſe denuntians. [Turturis conſideratio myſtica.] Id juxta litteram. Alias turturis vox non dulce admodum ſonat, ſed ſignat dulcia. Ipſa avicula, ſi emis, non magni; ſi diſcutis, non parvi pretii eſt. Et vox quidem gementi, quam

[a] Sic primi editi & potiores mſſ. quinque: alii addunt *bonum*, ut in Vulgata.

Tom. IV. canenti ſimilior, peregrinationis noſtræ nos admonet. A

Utile monitum prædicatoribus. Illius doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, ſi gemere doceas: & ſi perſuadere Exemplo potius docendum quam verbo. vis, gemendo id magis, quam declamando ſtudeas oportebit. Exemplum ſane tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio, verbo efficacius eſt. Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi illud cognoſceris perſuaſiſſe. Validior operis, quam oris vox. Fac ut loqueris, & non ſolum me facilius emendas, ſed te quoque non levi liberas probro. Non jam pertinebit ad te, ſi quis dicat: *Matth. 23. 4.* *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* B Sed neque illud verearis oportet: *Rom. 2. 21.* *Tu qui alios doces, teipſum non doces?*

Deſiderium cæleſtis patriæ novæ legi poſſiſſimum convenit. 4. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Donec homines pro Dei cultu mercedem tantum in terra, & tantum terram acceperunt, illam utique lacte & melle manantem, minime ſe cognoverunt peregrinos ſuper terram, nec more turturis ingemuerunt veluti patriæ reminiſcentes: magis autem pro patria exſilio abutentes, dederunt ſe comedere pinguia, & bibere mulſum. Ita tamdiu non eſt vox turturis audita in terra noſtra. Ubi ergo regni cælorum promiſſio facta eſt, tunc intellexerunt homines ſe non habere hic civitatem manentem, ſed futuram inquirere tota aviditate cœperunt; C & tunc primum manifeſte ſonuit in terra vox turturis. Nam dum ſancta quæque jam anima Chriſti præſentiam ſuſpiraret, regni dilationem moleſte ferret, deſideratam patriam gemitibus & ſuſpiriis à longe ſalutaret: nonne tibi videtur vice fungi gemebundæ ac caſtiſſimæ turturis, quæcumque anima in terris ita feciſſet? Extunc ergo & deinceps vox turturis audita eſt in terra noſtra. Quidni moveat mihi crebras lacrymas & gemitus quotidianos Chriſti abſentia? *Pſal. 37. 10.* Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. *Pſal. 6. 7.* Laboravi in gemitu meo, tu ſcis; ſed beatus, qui dicere potuit, *Ibidem.* *Lavabo per ſingulas* D *noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus iſti comperti ſunt. *Matt. 9. 15.* Hoc quippe eſt quod ipſe aiebat: *Numquid poſſunt*, inquit, *filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc lugebunt.* acſi diceret: Et tunc vox turturis audietur.

5. Ita eſt, Jeſu bone, venerunt dies illi. Nam ipſa creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc, revelationem filiorum Dei exſpectans. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem cor- E poris noſtri: hoc ſcientes, quia quamdiu ſumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino. Nec vacui gemitus, quibus è cælo tam miſericorditer reſpondetur: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus.* Fuit & in tempore Patrum vox iſta gementium: ſed rara, & penes quemque ſuus gemitus. Unde & dicebat quis: *Iſa. 24. 16.* *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Sed & qui aiebat, *Pſal. 37. 10.* *Gemitus meus à te non eſt abſconditus*, profecto monſtrabat abſconditum eſſe, qui ſoli Deo non eſſet abſconditus. Et ideo tunc dici non potuit, *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*: quoniam ſecretum adhuc paucorum jam tunc in multitudinem non exivit. At F ubi palam clamatum eſt, *Col. 3. 1.* *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*; ad omnes jam cœpit pertinere gemitus iſte turtureus, & una omnibus eſſe gemendi ratio, quia omnes ſciebant Dominum, ſecundum quod in Jeremia legitur: *Jer. 31. 34.* *Et cognoſcent me omnes à minimo uſque ad maximum, dicit Dominus.*

Cur unius turturis ſit mentio. 6. Ceterum ſi multi gementes, quid ſibi vult unius expreſſio? *Vox turturis*, inquit. Quare non turturum? Forte Apoſtolus id ſolvit, ubi ait, quia ipſe A Spiritus poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. *Rom. 8. 26.* Ita eſt. Ipſe induciitur gemens, qui gementes facit. Et quamlibet multi ſint, quos ita gemere audias, unius per omnium labia vox ſonat. Quidni illius, qui ipſam in ore ſingulorum pro quorumque neceſſitatibus format? Denique *unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* *1 Cor. 12. 7.* Sua vox quemque manifeſtum facit, & præſentem indicat. Et audi ex Evangelio, quod vocem habeat Spiritus-ſanctus. *Joan. 3. 8.* *Spiritus*, inquit, *ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis: & neſcis unde veniat, aut quo vadat.* Etſi ille neſciebat, qui litteram occidentem docebat mortuos magiſter mortuus *; nos ſciamus, qui tranſlati de morte ad ** ſcil. Nicodemus.* B vitam per vivificantem Spiritum, certo & quotidiano experimento, ipſo nos illuminante, probamus vota & gemitus noſtros ab ipſo venire, & ad eum ire, illicque invenire miſericordiam in oculis Dei. Quando enim ſui Spiritus vocem irritam faceret Deus? At ipſe ſcit quid deſideret Spiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis.

7. Nec ſoli commendant turturem gemitus: commendat & caſtitas. Turtur cur oblata in purificatione. Hujus denique merito digna fuit dari hoſtia pro virgineo partu. Sic quippe habes: *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* *Luc. 2. 24.* Et licet alias quidem per columbam Spiritus-ſanctus ſoleat deſignari; quia tamen libidinoſa avis eſt, non decuit C offerri eam in ſacrificium Domini, niſi ea ſane ætate, qua neſciret libidinem. At turturis non deſignatur ætas, quoniam agnoſcitur caſtitas in quacumque ætate. Denique compare uno contenta eſt, quo amiſſo alterum jam non admittit, numeroſitatem in hominibus nuptiarum redarguens. Nam etſi forſitan culpa propter incontinentiam venialis eſt; ipſa tamen tanta incontinentia turpis eſt. Pudet ad negotium honeſtatis rationem non poſſe in homine, Turtur polygamos redarguit. quod natura poſſit in volucre. Cernere enim eſt turturem tempore ſuæ viduitatis, ſanctæ viduitatis opus ſtrenue atque infatigabiliter exſequentem. Videas ubique ſingularem, ubique gementem audias; nec D umquam in viridi ramo reſidentem proſpicies: ut tu ab eo diſcas voluptatum virentia virulenta vitare. Adde quod in jugis montium & in ſummitatibus arborum frequentior illi converſatio eſt: ut, quod vel maxime propoſitum pudicitiæ decet, doceat nos terrena deſpicere, & amare cæleſtia.

8. Ex quibus colligitur, quod vox ſit turturis etiam prædicatio caſtitatis. Neque enim à principio vox iſta in terris audita fuit, ſed magis illa: *Gen. 1. 28.* *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Incaſſum profecto vox illa pudicitiæ ſonuiſſet, necdum propalata reſurgentium patria: in qua longe felicius homines neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei *Luc. 20. 36.* E in cælis. Tunc voci illi tempus fuiſſe tunc dicas, Tempus legis inopportunum prædicandæ continentiæ. cùm maledicto omnis ſubjacebat ſterilis in Iſraël, cum patriarchæ ipſi plures ſimul habebant uxores, cùm frater fratris abſque liberis defuncti ſemen ſuſcitare ex lege compellebatur? At ubi inſonuit ex ore cæleſtis turturis commendatio illa ſpadonum, qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei; *Matt. 19. 12.* & item alterius cujuſdam caſtiſſimæ turturis * conſilium de virginibus ubique invaluit; ** Pauli 1. Cor. 7. 25.* tunc primum dici veraciter potuit, quia *vox turturis audita eſt in terra noſtra.*

9. Ergo ſi in terra noſtra & flores apparuerunt, & Fides ex auditu, ex viſu confirmata eſt. vox turturis audita eſt; profecto & viſu veritas com- F perta eſt, & auditu. Vox quippe auditur, flos cernitur. Flos miraculum eſt, ut noſtra ſuperior interpretatio habet, quod voci accedens fructum parturit fidei. Etſi fides ex auditu, ſed ex viſu confirmatio eſt. Sonuit vox, ſplenduit flos, & veritas de terra orta *Pſal. 84. 12.* eſt per fidelium confeſſionem, verbo ſignoque pariter concurrentibus in teſtimonium fidei. Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis, dum flos voci, auri oculus atteſtatur. Audita viſa confirmant, ut duorum teſtimonium (auris loquor & oculi) ratum ſit. Propterea Dominus aiebat: *Ite renuntiate Johanni* *Luc. 7. 22.*

(ejus nempe diſcipulis loquebatur) *quæ audiſtis & vidiſtis.* Nec brevius illis, nec planius intimari fidei valuit certitudo. Eadem ſane in brevi etiam univerſæ terræ perſuaſio facta eſt, & eodem argumenti compendio. *Quæ audiſtis*, inquit, *& vidiſtis.* O verbum abbreviatum, attamen vivum & efficax! Haud dubius profecto aſſero, quod auribus oculiſque percepi. Intonat tuba ſalutaris, coruſcant miracula, & mundus credit. Cito perſuadetur quod dicitur, dum quod ſtupetur, oſtenditur. Habes autem, quia *profecti Apoſtoli prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Habes in monte ſtupenda claritate transfiguratum, & nihilo minus ſuperna teſtificatum voce. Habes in Jordane ſimiliter & columbam deſignantem, & vocem teſtificantem. Ita hæc duo ubique pariter, vox & ſignum, ad introducendam fidem ex divina largitate concurrunt: ut latus ad animam per utraſque feneſtras ingreſſus pateat veritati.

Marc. 16. 20. — Matth. 17. 5 — Matth. 3. 17. — Vox & ſignum pariter ad introducendam fidem concurrunt.

Cant. 2. 13. 10. Sequitur: *Ficus protulit groſſos ſuos.* Non comedamus ex eis: nec enim eſui habiles ſunt ob immaturitatem ſui. Bonarum ficuum habent ſpeciem, ſed ſimilitudinem, non ſaporem, forte hypocritas deſignantes. Non abjiciamus tamen, alias forſitan his opus habebimus. Alioquin ſatis per ſeipſos leviter, & ante tempus cadent, ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur exaruit. quod ego de hypocritis dictum reor. *Pſal. 128. 6* Non ſine cauſa tamen in carmine nuptiali eorum mentio facta eſt. Erunt ſine dubio, etſi non eſui, uſui qualicumque. Multa in nuptiis præter dapes neceſſarie procurantur. Ego vero iſtud adeo minime prætereundum exiſtimo, ut quicquid illud eſt, inter anguſtias extremitatum ſermonis hujus diſcutere nolim: ſed differo in diem alterum, & horam liberiorem. An vero neceſſarie, vobis tunc experiri licebit: tantum mihi opportunitatem facultatemque obtineant vota veſtra ad proferendum quod ſentio, in veſtram ipſorum ædificationem, in laudem & gloriam Sponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LX.

De incredulitate Judæorum, qui compleverunt menſuram patrum ſuorum, occidendo Chriſtum.

Cant. 2. 13. 1. **F**icus protulit groſſos ſuos. Ex ſuperioribus pendet præſens locus. Dixerat enim tempus putationis veniſſe, tam ex floribus qui jam apparebant, quàm ex audita turturis voce hoc aſſerens. Idipſum adhuc ex groſſorum productione affirmat: quia non ſolum ex floribus & voce turturis experimentum capitur temporis: capitur & ex ficu. Non enim non eſt aër indulgentior tunc, cum ficus groſſos ſuos protulerit. *Senſus litteralis.* Ficus flores non habet, ſed pro floribus groſſos mittit tempore quo ceteræ arbores florent. Et quomodo flores apparent & tranſeunt, ad nihil utiles, niſi quod ſecuturi fructus quidam prænuntii ſunt: ita & groſſi. Oriuntur, ſed immature cadunt, & dant locum maturandis, ipſi minime habiles ad veſcendum. Et hinc ergo, ut dixi, ſumit ſponſus experimentum temporis, & argumentum ſuaſionis, ut non pigritetur pergere ſponſa ad vineas, quia non perit opera, quæ tempeſtiva venit. Et littera quidem ſic.

Ficus deſignat populum. 2. Quid vero ſpiritus? ut plane hoc loco non ficum intueamur, ſed populum. nempe de hominibus cura eſt Deo, non de arboribus. Vere ficus eſt populus, fragilis carne, parvulus ſenſu, animo humilis, cujus primi fructus (ut interim nomini alludamus) groſſi utique & terreni. *Matt. 6. 33.* Nec enim popularis eſt ſtudii primum quærere regnum Dei & juſtitiam ejus, *1. Cor 7. 33.* ſed, ut ait Apoſtolus, cogitare quæ mundi ſunt, quomodo placeant uxoribus, vel illæ viris. Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi: ſed in noviſſimis non negamus eos fructus fidei aſſecuturos, ſi bonam habuerint noviſſimam confeſſionem, maximeque ſi carnis opera eleemoſynis redemerint. Ergo primi plebium fructus nec fructus ſunt, non magis quàm ficuum groſſi. Denique ſi dignos poſtmodum fructus pœnitentiæ fecerint, (non enim prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale) dicetur illis: *Quem fructum habuiſtis tunc in quibus nunc erubeſcitis?*

Tom. IV. — 1. Cor 15. 46. — Rom. 6. 21.

Præſertim Judaicum. 3. Ego tamen hoc loco non quemvis populum interpretari liberum puto: unus ſignanter exprimitur. Neque enim, protulerunt, dixit, quaſi de pluribus, ſed quaſi de una, *protulit*, inquit, *ficus groſſos ſuos*. Et, ut ſentio ego, quæ eſt plebs Judæorum. Quanta in hanc Salvator parabolice in Evangelio loqui videtur? ut eſt illud, *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua*. &c. item, *Videte ficulneam & omnes arbores*. *Luc. 13. 6. — Luc 21. 29* & Nathanaëli dictum eſt, *Cum eſſes ſub ficu, vidi te*. *Johan. 1. 48.* Et rurſum maledicit ficulneæ, pro eo quod non invenit in ea fructum. *Marc. 11. 13.* Bene ficus, quæ bona licet Patriarcharum radice prodierit, numquam tamen in altum proficere, numquam ſe humo attollere voluit, numquam reſpondere radici proceritate ramorum, generoſitate florum, fœcunditate fructuum. Male prorſus tibi cum tua radice convenit, arbor puſilla, tortuoſa, nodoſa. Radix enim ſancta. Quid ea dignum tuis apparet in ramis? *Ficus*, inquit, *protulit groſſos ſuos.* *Populi Judaici ruditas.* Non hos nobili à radice traxiſti, ſemen nequam. Quod in ea eſt, de Spiritu-ſancto eſt; ac per hoc ſubtile totum ac ſuave. Tibi unde hi groſſi? Et vere quid non groſſum in gente illa? Nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, ſed nec ritus, quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat, intellectus in craſſitudine litteræ, cultus in ſanguine pecudum & armentorum.

4. At dicit aliquis: Cum iſtiuſmodi groſſos non aliquando proferre gens illa ceſſaverit, ergo non aliquando tempus putationis non exſtitit, quia unum utrique rei tempus exiſtere perhibetur. Non ita eſt. Dicimus mulieres filios procreaſſe, non cum parturiunt, ſed cum jam pepererunt. Dicimus & arbores edidiſſe flores ſuos, non cum cœperint florere, ſed potius cum defecerint. Ita hîc quoque dictum eſt, quia *ficus protulit groſſos ſuos*, non cum aliquos edidit, ſed cum totos, id eſt, cum ad finem pervenit editio. Quæris quo tempore iſtiuſmodi complementum illi populo accidit? Cum Chriſtum occidit, tunc completa eſt malitia ejus, juxta quod ipſe eis prædixerat: *Implete menſuram patrum veſtrorum.* *Matt. 23. 32.* Unde in patibulo traditurus jam ſpiritum, *Conſummatum eſt*, inquit. *Johan. 19 30.* O qualem conſummationem dedit groſſis ſuis ficus hæc maledicta, & ſubinde æterna ariditate damnata! O quàm ſunt noviſſimi pejores prioribus! Incipiens ab inutilibus, ad pernicioſos pervenit & venenatos. O groſſum vipereumque affectum, odire hominem, qui hominum & corpora ſanat, & animas ſalvat! O nihilo minus intellectum groſſum & certe bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei!

Judæorum ſtupiditas. 5. Nimium me fortaſſe queratur in ſui ſuggillatione Judæus, qui intellectum illius dico bovinum. Sed legat in Iſaia, & plus quam bovinum audiet. *Cognovit*, inquit, *bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael non cognovit me, populus meus non intellexit.* *Iſa. 1. 3.* Vides me, Judæe, mitiorem tibi Propheta tuo. Ego te comparavi jumentis, ille ſubjicit. Quamquam in ſua perſona Propheta non dixit hoc, ſed in Dei, qui Deum ſe & ipſis operibus clamat: *Etſi mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite: & ſi non facio opera Patris mei, nolite credere*; *Johan. 10. 38.* nec ſic tamen evigilant ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum, beſtialem hanc, & plus quàm beſtialem hebetudinem ab eis depellere quivit: de qua non minus mirabili, quàm miſerabili cæcitate factum eſt, ut in illud tam horrendum, tamque enormiter groſſum facinus proruerint, Domino majeſtatis injicientes manus ſacrilegas. *Judæi unde in tantum ſcelus lapſi.* Extunc itaque dici potuit, quia *ficus protulit groſſos ſuos*, cum jam videlicet legitima illius populi eſſe cœperunt quaſi in exitu ſuper ſummum: ut novis, juxta veterem prophetiam, ſupervenientibus vetera *Levit. 26. 10.*

Tom. IV.

projicerentur. Non aliter ſane, quàm quomodo groſſi cadunt, & cedunt ſuborientibus ficubus bonis. Quamdiu, inquit, non ceſſavit ficus producere groſſos ſuos, non te vocavi, ô ſponſa, ſciens non poſſe una prodire optimas ficus. Nunc autem productis qui prius producendi erant, non jam intempeſtive te invito, cum boni ac ſalutares fructus in proximo eſſe noſcantur, inutiles expuncturi.

Cant. 2. 13.

Serpentes non ferunt floreſcentes vineas.

Novitiis id applicat.

6. Nam *vineæ*, inquit, *florentes odorem dederunt*, quod nihilo minus appropinquantis fructos indicium eſt. Hic odor ſerpentes fugat. Aiunt floreſcentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant Novitii noſtri, & fiducialiter agant, cogitantes qualem ſpiritum acceperunt, cujus primitias dæmones non ſuſtinent. Si ſic novitius fervor, quid erit abſoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, & ſaporis virtus ex vi æſtimetur odoris. *Vineæ florentes odorem dederunt.* Et in principio quidem ſic fuit. Ad prædicationem novæ gratiæ ſecuta eſt novitas vitæ in his qui crediderant, qui converſationem ſuam inter gentes habentes bonam, Chriſti erant bonus odor in omni loco. Odor bonus, teſtimonium bonum. Hoc de bono opere, tamquam de flore odor procedit. Et quoniam tali flore & tali odore inter primordia naſcentis Fidei fideles animæ, veluti quædam ſpirituales vineæ, refertæ apparuerunt, habentes teſtimonium bonum & ab his qui foris erant; non incongrue, ut opinor, de ipſis dictum ſentimus, quia *vineæ florentes odorem dederunt*. Ad quid? ut eo ſane provocati etiam qui necdum crediderant, ex bonis operibus illos conſiderantes, glorificarent & ipſi Deum, atque ita eis odor vitæ ad vitam eſſe inciperet. Idcirco ergo dediſſe odorem non immerito referuntur; qui non ſuam gloriam, ſed aliorum de ſua bona opinione quæſiere ſalutem. Alioquin poterant more quorumdam quæſtum æſtimare pietatem, verbi gratia, oſtentationis, mercedis. At iſtud eſſet non dare odorem, ſed vendere. Nunc vero quia omnia ſua in caritate faciebant, non plane vendiderunt odorem, ſed dederunt.

2. Cor. 2. 15.

Primi fideles comparantur vineis florentibus.

Fructus vitis, Martyrium.

Pſal. 126. 4.

7. Ceterum ſi vineæ animæ, flos opus, odor opinio eſt: fructus quid? Martyrium. Et vere fructus vitis, ſanguis eſt Martyris. *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini filii, merces fructus ventris.* Propemodum dixiſſem, fructus vitis. Quidni ſanguinem uvæ dixerim meraciſſimum, ſanguinem innocentis, ſanguinem Juſti? Quidni muſtum rubens, probatum, pretioſum, plane de vinea Sorech *, torculari paſſionis expreſſum? Denique *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. Hæc pro eo quod dictum eſt, vineas florentes odorem dediſſe.

* al. Soreth

Pſal. 115. 5.

Iſa. 5. 7.

Senſus allegoricus de Chriſto.

8. Ita ſi ad tempora gratiæ hunc locum reſpicere malimus, aut ſi placet magis referri ad Patres, (nam *vinea Domini ſabaoth domus Iſrael eſt*) erit ſenſus: Chriſtum in carne naſciturum & moriturum odoraverunt Prophetæ & Patriarchæ, ſed non dederunt tunc eumdem odorem ſuum, quia non exhibuerunt in carne, quem in ſpiritu præſenſerunt. Non dederunt odorem ſuum, nec ſecretum ſuum publicaverunt, exſpectantes ut revelaretur in ſuo tempore. Quis ſane tunc caperet ſapientiam in myſterio abſconditam, in corpore non exhibitam? Ita vineæ tunc quidem non dederunt odorem ſuum. Dederunt autem poſtea, cum per ſucceſſiones generationum naſcentem ex ſe Chriſtum ſecundum carnem partu virgineo ſæculis ediderunt. Tunc plane, inquam, ſpirituales illæ vineæ dederunt odorem ſuum, cum *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei*; & cœpit præſentem habere mundus, quem pauci adhuc abſentem præſenſerant. Vir ille, verbi cauſa, qui Jacob tangens, & Chriſtum ſentiens, *Ecce*, inquit, *odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: cum hoc dicebat, habebat delicias ſuas ſibi, nec cuiquam illas communicabat. At ubi venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret; tunc prorſus odor, qui in illo erat, ſeſe ubique ſparſit, adeo ut à finibus terræ ipſum ſentiens clamaret Eccleſia, *Oleum effuſum nomen tuum*; currerentque adoleſcentulæ in odore olei hujus. Ita iſta vinea dedit odorem ſuum, & eo temporis dederunt & ceteræ, in quibus hic ipſe odor vitæ exſtiterat. Quidni dederunt, è quibus Chriſtus ſecundum carnem? Dictum eſt itaque vineas dediſſe odorem, ſive quia fideles animæ bonam de ſe ubique opinionem ſpargunt, ſive quod palam facta ſunt mundo oracula & revelationes Patrum, & in omnem terram exivit odoratus eorum, dicente Apoſtolo: *Manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

Tit. 3. 4.

Gen. 27. 27.

Gal. 4. 4.

Cant. 1. 2.

1. Tim. 3. 16.

Senſus moralis.

9. Mirum vero, ſi nec ficus, nec vineæ iſtæ aliquid habent quod mores ædificet. Ego hunc locum arbitror eſſe & moralem. Dico autem per gratiam Dei quæ in nobis eſt, & ficus nos habere, & vineas. Ficus quidem, qui ſuaviores in moribus ſunt; vineas vero, qui ſpiritu ferventiores. Omnis qui ſe inter nos communiter ſocialiterque agit, & non ſolum ſine querela converſatur inter fratres, ſed & multa cum ſuavitate fruendum ſe omnibus præbet in omni officio caritatis, quidni illum vicem agere ficus convenientiſſime dicam? Qui tamen groſſos ſuos prius protulerit, projeceritque oportet, timorem utique judicii, quem perfecta caritas foras mittit: & amaritudinem peccatorum, quæ veræ confeſſioni & infuſioni gratiæ, crebrarumque profuſioni lacrymarum cedat neceſſe eſt, ceteraque talia, inſtar groſſorum præeuntia fructuum ſuavitatem: quæ vos quoque per voſmetipſos cogitare poteſtis.

Religioſos ſuaves in moribus comparat ficubus.

Spiritu ferventes vineis.

10. Ut tamen adhuc ego aliquid adjiciam de ejuſmodi quod occurrit, videte ne forte etiam hæc inter groſſos deputari poſſint, ſcientia, prophetia, linguæ, ſimiliaque. Etenim iſta more groſſorum deficere habent, & cedere melioribus, dicente Apoſtolo, quia & ſcientia deſtruetur, & prophetiæ evacuabuntur, & linguæ ceſſabunt. Fidem quoque ipſam intellectus excludet, ſpeique ſuccedat viſio neceſſe eſt. Quod enim videt quis, quid ſperat? Sola non excidit caritas, ſed illa, qua Deus toto corde, tota anima, tota virtute diligitur. Ideo hanc minime groſſis annumeraverim, ne ad ficum quidem dixerim pertinere, ſed ad vineas. Jam qui vineæ ſunt, ſeveriores nobis, quàm ſuaviores ſe exhibent, in ſpiritu vehementi agentes, zelantes pro diſciplina, vitia acerrime corripientes, aptantes ſibi congruentiſſime vocem illam: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* item, *Zelus domus tuæ comedit me.* Et mihi quidem illi in dilectione proximi, iſti in dilectione Dei eminere videntur. Sed libet pauſare ſub hac vite & ſub hac ficu, ubi Dei proximique obumbrat dilectio. Utramque teneo cum te amo, Domine Jeſu-Chriſte, qui meus proximus es, quoniam homo es, & feciſti mecum miſericordiam; & nihilo minus es ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Groſſi, ſcientia, &c.

1. Cor. 13. 8.

Fructus vitis, Caritas.

Luc 10. 27.

Vineæ ſunt zelo pleni.

Pſal. 138. 21.

Pſal. 68. 10.

SERMO LXI.

Quomodo Eccleſia reperit divitias divinæ miſericordiæ in foraminibus vulnerum Chriſti: & de fortitudine Martyrum, quam à Chriſto receperunt.

1. SUrge, [a] *amica mea, ſponſa mea, & veni.* Commendat Sponſus multam dilectionem ſuam iterando amoris voces. Nam iteratio affectionis expreſſio eſt: & quod rurſum ad laborem vinearum ſollicitat dilectam, oſtendit quàm ſit de animarum ſalute ſollicitus. Nam vineas animas eſſe jam audiſtis. Non immoremur ſupervacue in his quæ dicta ſunt. Videte ſequentia. Sponſam tamen nuſquam, ut memi-

a Cant. 2. 4.

Sponſa hic primò dicta.

* In vulgatis additur *propera*, quod verbum deeſt Miſſ. & primis editis.

ni, in toto hoc opere aperte adhuc nominarat, niſi modo cum ad vineas itur, cum vino caritatis appropinquatur. Quæ cum venerit & perfecta fuerit, faciet ſpirituale conjugium; & erunt duo, non in carne una, ſed in uno ſpiritu, dicente Apoſtolo: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.*

1. Cor. 6. 17.

Cant. 2. 14.

2. Sequitur: *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Amat & pergit amatoria loqui. Columbam denuo blandiendo vocat; ſuam dicit, & ſibi aſſerit propriam; quodque ipſe rogari obnixius ab illa ſolebat, ipſius nunc verſa vice & conſpectum poſtulat, & colloquium. Agit ut Sponſus: ſed ut verecundus, publicum erubeſcit, decernitque frui deliciis ſuis in loco ſequeſtri, utique in foraminibus petræ, & in cavernis maceriæ. Puta ergo ſic dicere ſponſum: Ne timeas amica, quaſi hæc, ad quam te hortamur, opera vinearum negotium amoris impedire ſeu interrumpere habeat. Erit certe & aliquis uſus in ea ad id quod pariter optamus. Vineæ ſane macerias habent, & hæ diverſoria grata verecundis. Hic litteralis luſus. Quidni dixerim luſum? Quid enim ſerium habet hæc litteræ ſeries? Ne auditu quidem dignum quod foris ſonat, ſi non intus adjuvet Spiritus infirmitatem intelligentiæ noſtræ. Ne ergo remaneamus foris, ne & turpium, quod abſit, amorum videamur lenocinia recenſere, afferte pudicas aures ad ſermonem qui in manibus eſt de amore: & cum ipſos cogitatis amantes, non virum & feminam, ſed Verbum & animam ſentiatis oportet. Et ſi Chriſtum & Eccleſiam dixero, idem eſt, niſi quod Eccleſiæ nomine non una anima, ſed multarum unitas, vel potius unanimitas deſignatur. Nec ſane foramina petræ, aut cavernas maceriæ, latebras putetis operantium iniquitatem: ne qua prorſus ſuſpicio ſubeat de operibus tenebrarum.

Litteralis ſenſus

Pudicas aures & animum purum ad intelligentiam hujus cantici exigit.

3. Alius hunc locum ita expoſuit, foramina petræ vulnera Chriſti interpretans. Recte omnino; nam petra Chriſtus. Bona foramina, quæ fidem adſtruunt reſurrectionis, & Chriſti divinitatem. *Dominus meus,* inquit, *& Deus meus.* Unde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ? In his paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos: in his ſe columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo ait: *Columba mea in foraminibus petræ.* Vox columbæ: *In petra exaltavit me.* & item, *Statuit,* inquit, *ſupra petram pedes meos.* Vir ſapiens ædificat domum ſuam ſupra petram, quod ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto. Securus ab hoſte, fortis à caſu; & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps eſt enim & caducum, terrenum omne. Converſatio noſtra in cælis ſit, & nec cadere, nec dejici formidamus. In cælis petra, in illa firmitas atque ſecuritas eſt. *Petra refugium herinaciis.* Et revera ubi tuta firmaque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur: non cado; fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccavi peccatum grande: turbabitur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſolvatur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla jam poſſum morbi malignitate terreri.

Foramina petræ, vulnera Chriſti.

Johan. 20. 28

Pſal. 83. 3.

Pſal. 26. 6.
Pſal. 39. 3.
Matth. 7. 24.

In vulneribus Salvatoris habitatio ſecura.

Pſal. 103. 18.

Iſa. 53. 5.

4. Et ideo liquet erraſſe illum qui ait: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Niſi quod non erat de membris Chriſti, nec pertinebat ad eum de Chriſti merito, ut ſuum præſumeret, ſuum diceret quod illius eſſet; tamquam rem [a] capitis membrum. Ego vero fidenter quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia affluunt: nec deſunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latuſque lancea foraverunt: & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, id eſt guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? At clavis reſerans, clavus penetrans factus eſt mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Ferrum pertranſiit animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut non jam non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu, Domine, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ? Majorem enim miſerationem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis.

Gen. 4. 13.
Chriſti paſſio hic quàm efficacis ad ſpem Chriſtianam.

Tom. IV.

Ingens hominis ſolatium ex miſericordia Domini.

5. Meum proinde meritum, miſeratio Domini. Non plane ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum non fuerit. Quod ſi miſericordiæ Domini multæ, multus nihilo minus ego in meritis ſum. Quid enim ſi multorum ſim mihi conſcius delictorum? Nempe *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Et ſi *miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum,* ego quoque *miſericordias Domini in æternum cantabo.* Numquid juſtitias meas? *Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.* Ipſa eſt enim & mea; nempe factus es mihi tu juſtitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne non una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve, quod, ſecundum Prophetam, non poſſit operire duos. *Juſtitia tua, juſtitia in æternum.* Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna juſtitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum; in te autem, Domine, quid niſi pietatis theſauros, divitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ repoſitæ mihi. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem, ſed in his qui pereunt! Ut quid enim ſanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum, etiam & apertis foraminibus introduxit in ſancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum!

Meritum hominis, miſeratio Domini.

Rom. 5. 20.
Pſal. 102. 17.
Pſal. 88. 2.
Pſal. 70. 16.

Iſa. 28. 20.
Pſal. 118. 142.

6. Ibo mihi ad illa ſic referta cellaria, atque ad admonitionem Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra. Ero quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis, ut cum Moyſe poſitus in foramine petræ, tranſeunte Domino merear ſaltem poſteriora ejus proſpicere. Nam faciem ſtantis, id eſt incommutabilis claritatem, quis videat, niſi qui introduci jam meruit, non in ſancta, ſed in ſancta ſanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda poſteriorum contemplatio. Contemnat Herodes: ego tanto magis non contemno, quanto magis contemptibilem ſe oſtendit Herodi. Habent etiam aliquid & poſteriora Domini quod videre delectet. Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Erit cum oſtendet faciem ſuam, & ſalvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique, quas poſt ſe relinquere conſuevit. Nunc dignationis ſuæ poſteriora demonſtret, alias in gloria dignitatis faciem ſuam demonſtraturus. Sublimis in regno, ſed ſuavis in cruce. In hac me viſione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me,* ait, *lætitia cum vultu tuo.* Utraque viſio ſalutaris, utraque ſuavis: ſed illa in ſublimitate, iſta in humilitate: illa in ſplendore, hæc in pallore eſt.

Jer. 48. 28.

Exod. 33. 23.

Non faciem, ſed poſteriora Domini videre quid.

Pſal. 15. 11.

[a] Ita conſtanter libri veteres cum antiquioribus editis Horſtio male, *ſuum capitis membrum*; Picardo, *veri capitis membrum.* Lectio noſtra genuina & facilis, ſi *membrum* in recto intelligas, ſupplendo *ſuam dicit* ex ſuperiori commate: ut ſit ſenſus, *ſicut membrum rem capitis ſuam dicit.*

(Tom. IV.) (Iſai. 63. 14.) 7. Denique inquit, *Et poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Quomodo non in morte palleſcat? Sed melius pallens aurum, quàm fulgens aurichalcum; & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. Aurum Verbum, aurum Sapientia eſt. Hoc aurum ſemetipſum decoloravit, abſcondens formam Dei, & formam ſervi prætendens. Decoloravit & Eccleſiam, quæ ait: (Cant. 1. 5.) *Noliti me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.* Ergo & poſteriora ipſius in pallore auri, quæ fuſcum non erubuit crucis, uſtionem paſſionis non horruit, livorem vulnerum non refugit. Etiam complacet ſibi in illis, & optat noviſſima ſua fore horum ſimilia. Idcirco denique audit: (Paſſio & vulnera Chriſti, martyrum confortatio.) *Columba mea in foraminibus petræ*, quod in Chriſti vulneribus tota devotione verſetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrii tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum Altiſſimum. Non eſt quod vereatur Martyr exſanguem lividamque levare ad eum faciem, cujus livore ſanatus eſt, glorioſam repræſentare ſimilitudinem mortis ejus, utique in pallore auri. (Cant. 2. 14.) Quid vereatur cui etiam à Domino dicitur, *Oſtende mihi faciem tuam?* Ad quid? Ut mihi videtur, ſe magis oſtendere vult. Ita eſt: videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non eſt ei opus ut quis ſe oſtendat, à quo nil non videtur, nec ſi ſe abſcondat. Vult ergo videri, vult benignus dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem.

(Martyribus unde in ſuppliciis conſtantia, unde.) 8. Enimvero non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore; & rimante latera ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus Jeſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profecto ſentiret; dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, ſi exſul à corpore, dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Ergo ex petra Martyris fortitudo, inde plane potens ad bibendum (Pſal. 22. 5.) calicem Domini. Et calix hic inebrians quàm præclarus eſt! Præclarus, inquam, atque jucundus non minus Imperatori ſpectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium etenim Domini, fortitudo noſtra. Quidni gaudeat ad vocem fortiſſimæ confeſſionis? Deni- (Cant. 2. 14.) que & requirit eam cum deſiderio. *Sonet*, inquiens, *vox tua in auribus meis.* Nec cunctabitur rependere vicem ſecundum ſuam promiſſionem: continuo ut ſe (Matt. 10. 32.) confeſſus fuerit coram hominibus, confitebitur & ipſe eum coram Patre ſuo. Rumpamus ſermonem, nec enim poteſt finiri modo: ne ſit ſine modo, ſi cuncta quæ adhuc ex propoſito capitulo reſtant, uno iſto velimus ſermone complecti. Ergo quod ſupereſt ſervemus principio alteri, ut de noſtro ſane & verbo, & modo gaudeat Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXII.

Quid ſit animam fidelem commorari in foraminibus petræ; *& quid* in cavernis maceriæ. *De Dei voluntate potius, quàm majeſtate ſcrutanda. Denique de puritate mentis neceſſaria ad prædicationem veritatis.*

(Cant. 2. 13.) 1. **C**Olumba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ. Non tantum in foraminibus petræ tutum reperit columba refugium: reperit & in cavernis maceriæ. Quod ſi *maceriam* non congeriem lapidum, ſed ſanctorum communionem accipimus, videamus ne forte cavernas maceriæ dixerit Angelorum, qui ob ſuperbiam lapſi ſunt, loca quaſi vacua derelicta: quippe quæ repleri ex hominibus habent, tamquam ruinæ de lapidibus vivis reficiendæ. Unde Apoſtolus Petrus: *Accedentes*, inquit, *ad lapidem vivum, & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domos ſpirituales.* (1. Pet. 2. 4.) Nec puto ab re eſſe, ſi intelligimus Angelorum cuſtodiam vicem exhibere maceriæ in vinea Domini, quæ eſt Eccleſia prædeſtinatorum, cum (Angelorum cuſtodia Eccleſiæ maceria.) Paulus dicat: *Nonne omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* (Heb. 1. 14.) Et Propheta: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* (Pſal. 33. 8.) Et ſi ita ſedet, erit ſenſus, quia Eccleſiam tempore & loco peregrinationis ſuæ duæ res conſolentur: (Eccleſiam duæ res conſolantur.) de præterito quidem memoria Paſſionis Chriſti: de futuro autem, quod ſe in ſortem Sanctorum cogitat & confidit recipiendam. Ambo hæc, veluti ante & retro oculata, inſatiabili deſiderio contuetur: & uterque illi intuitus admodum gratus, uterque eſt illi refugium à tribulatione malorum & dolore. Integra conſolatio, cum non ſolum quid ſibi exſpectandum, ſed & unde id ſit præſumendum noverit. Exſpectatio læta nec dubia, quæ Chriſti morte firmata eſt. Cur paveat ad præmii magnitudinem, quæ pretii dignitatem conſiderat? Quàm libens mente inviſit foramina, per quæ ſibi ſacroſancti ſanguinis pretium fluxit! Quàm libens cavernas perambulat, & diverſoria, & manſiones, quæ ſunt in domo Patris multæ atque diverſæ, in quibus habet collocare filios ſuos pro quorumque diverſitate meritorum. Et nunc quidem (quod ſolum interim poteſt) ſola in his memoria requieſcit, cæleſte habitaculum, quod deſurſum eſt, jam animo induens. Erit autem cum implebit ruinas, cum cavernas & corpore inhabitabit, & mente; cùm vacua domicilia, quæ antiqui reliquerunt habitatores, ipſa ſuæ univerſitatis illuſtrabit præſentia, nec ulla ultra apparebit caverna penitus in cæleſti maceria, felici de cetero perfectione ſui atque integritate gaudente.

2. Aut ſi id magis probas, dicemus has cavernas à ſtudioſis & piis mentibus non inveniri, ſed fieri. Quonam modo, inquis? Cogitatione & aviditate. (Cogitatione & aviditate anima in cælo commoratur.) Cedit nempe in modum maceriæ mollioris pia maceries deſiderio animæ, cedit puræ contemplationi, cedit crebræ orationi. Denique oratio juſti penetrat (Eccli. 35. 21.) cælos. Non utique aëris hujus corporei ſpatioſas altitudines, veluti quodam remigio alarum ſuarum inſtar volucris volantis ſcindet, aut quaſi gladius acutus ipſius firmamenti ſolidum celſumque verticem perforabit: ſed ſunt cæli ſancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui ſavorabili quadam pietate noſtris ſe votis libenter inclinant, & ſinuatis ad tactum noſtræ devotionis affectibus in ſua nos recipiunt viſcera, quoties digna ad eos intentione pulſamus. Pulſanti enim aperietur. Licebit itaque unicuique noſtrum, etiam hoc tempore noſtræ mortalitatis, cavare ſibi, quacumque parte volet, cavernas ſupernæ maceriæ: nunc quidem Patriarchas reviſere, nunc vero ſalutare Prophetas, nunc ſenatui immiſceri Apoſtolorum, nunc Martyrum inſeri choris: ſed & beatarum Virtutum ſtatus & manſiones à minimo Angelo uſque ad Cherubin & Seraphin, tota mentis alacritate percurrendo luſtrare, prout quemque ſua devotio feret. Apud quos magis afficietur, immittente ſibi Spiritu prout vult; ſi ſteterit & pulſaverit, confeſtim aperietur ei, & facta quaſi caverna in montibus, vel potius mentibus ſanctis, dum ſe ultro inflectunt ad pietatem, requieſcet vel paululum apud illos. Omnis animæ ſic facientis & facies, & vox Deo grata exſiſtit: facies propter puritatem, vox propter confeſſionem. Etenim *confeſſio & pulcritudo in conſpectu ejus.* (Pſal. 95. 6.) Unde & dicitur illi qui ejuſmodi eſt: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* (Cant. 2. 14.) Vox admiratio in animo contemplantis, vox gratiarum actio eſt. (Vox animæ quid.) Delectatur admodum iſtiuſmodi cavernis Deus, è quibus ſibi vox reſonat gratiarum actionis, vox admirationis & laudis.

3. Felix mens, quæ ſibi in hac maceria frequenter cavare

Jtem in arcanos divinitatis

cavare ſtuduerit : ſed quæ in petra, felicior. Licet quidem cavare & in petra : ſed ad hoc puriore mentis acie opus eſt, & vehementiori omnino intentione, etiam & meritis potioribus ſanctitatis[a]. Et ad hæc quis idoneus? Nempe ille qui dixit : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum.*

Johan. 1. 1.

Nonne tibi videtur ipſis ſe Verbi penetralibus immerſiſſe, & de abditis pectoris ejus quamdam intimæ ſapientiæ ſacroſanctam eruiſſe medullam? Quid ille qui *ſapientiam loquebatur inter perfectos, ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum mundi hujus cognovit?*

1. Cor. 2. 6

Nonne uno & altero cælo acuta, ſed pia curioſitate terebratis, è terin tandem hanc pius ſcrutator evexit? At ipſam non ſiluit nobis, verbis quibus potuit fidelibus fideliter intimans. Audivit autem verba ineffabilia, quæ non licuit illi loqui.

2. Cor. 12. 4

Non utique homini, nam ſibi illa loquebatur & Deo. Puta ergo Deum quaſi ſollicitam Pauli caritatem hoc modo conſolari, & dicere : Quid anxiaris quod conceptum tuum auditus non capit humanus? *Sonet vox tua in auribus meis.* hoc eſt, Si quod ſentis, non licet revelare mortalibus, conſinlare tamen, quod vox tua divinas queat mulcere aures.

Quid inde pro ſe & pro aliis referant

Vides ſanctam animam, nunc quidem caritate ſobriam nobis, nunc vero puritate excedentem Deo? Vide etiam de ſancto David, ne forte ille ſit ipſe homo, de quo cum Deo, quaſi de alio loquitur : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.*

Pſal. 75. 11.

Ergo quod de cogitatione prophetica verbo & exemplo Prophetæ venire ad medium poterat, id Propheta in publicam mox laxabat confeſſionem, & ex eo confitebatur in populis Domino, reliquum ſibi & Deo ſervans, unaque feſtivum ducens in lætitia & exſultatione. Hoc ergo eſt quod nobis intimare memorato verſiculo voluit. Quicquid videlicet ſua illa ſcrutabunda & avida cogitatione ex arcano ſapientiæ eruere prævalebat, partem quam poterat in ſalutem populorum ſollicita prædicatione impertiebatur : reliquum qund capere plebes non poterant, feſtiva jubilatione in Dei laudibus expendebat. Vides ſanctæ contemplationi deperire nihil, dum quod expendi in plebium ædificationem non poteſt, id vel maxime Deo ſit jucunda decoraque laudatio.

Contemplationis duo genera.

4. Quæ cum ita ſint, duo liquet contemplationis genera eſſe : unum de ſtatu & felicitate & gloria civitatis ſupernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cæleſtium civium occupata ſit multitudo : alterum de Regis ipſius majeſtate, æternitate, divinitate. Illa in maceria, iſta in petra. Sed hæc quanto difficilius cavatur, tanto ſuavius quod inde eruis ſapit. Nec verearis illud quod Scriptura minatur ſcrutatoribus majeſtatis.

Prov. 25. 27. Majeſtatem Dei quomodo ſcrutari liceat.

Tantum affer purum & ſimplicem oculum : non opprimêris à gloria, ſed admittêris, niſi non Dei, ſed tuam quæſieris gloriam. Alioquin ſua quiſque opprimitur, non Dei gloria, dum proclivis in iſtam, ad illam levare cervicem non finitur, nimirum gravem cupiditate. Hac excuſſa, ſecure ſcrutemur* in Petra, in qua theſauri abſconditi ſapientiæ & ſcientiæ ſunt.

** al. fodiamus.*

Si adhuc dubitas, audi ipſam Petram. *Qui operantur*, inquit, *in me, non peccabunt. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*

Eccli. 24. 30. Pſal. 54. 7.

Ibi requiem invenit manſuetus & ſimplex, ubi doloſus opprimitur, vel elatus, & cupidus inanis gloriæ. Eccleſia columba eſt, & ideo requieſcit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in manſuetudine ſuſcipit inſitum verbum. Et requieſcit in Verbo, hoc eſt in petra. nam petra eſt Verbum. Eccleſia ergo in foraminibus petræ, per quam introſpicit, & videt gloriam Sponſi ſui, nec opprimitur tamen à gloria, quoniam non ſibi uſurpat eam. Non opprimitur, quia non ſcrutatrix majeſtatis eſt, ſed voluntatis. Nam quod majeſtati attinet, interdum quidem & in ipſam intendere audet, ſed quaſi admirans, non quaſi ſcrutans.

Eccleſia Dei potius voluntatem quàm majeſtatem ſcrutatur.

Sed & ſi quando per exceſſum rapi in illam contingat, digitus Dei eſt iſte, dignanter levans hominem, non hominis temeritas inſolenter Dei alta pervadens. Cum enim Apoſtolus raptum ſe memoret*, ut auſum excuſet : quiſnam alter præſumat mortalium huic ſe divinæ majeſtatis horrendo ſcrutinio propriis intricare conatibus, & importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana?

*2. Cor. 12. 2. * al. commemoret.*

Scrutatores proinde majeſtatis, tamquam irruptores dici reor, non qui ſcilicet rapiuntur in eam, ſed qui irruunt. Ipſi itaque opprimuntur à gloria.

Voluntatis ſcrutatio tutior, quam majeſtatis.

5. Ergo formidoloſa ſcrutatio majeſtatis : at voluntatis, tam tuta, quàm pia. Quidni tota diligentia ſcrutando inſtem ſacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia ſcio? Suavis gloria, quæ non aliunde, quàm de ipſius ſuavitatis contemplatione procedit, quam de divitiarum bonitatis ac multæ miſerationis intuitu. Denique vidimus gloriam hanc, gloriam quaſi Unigeniti à Patre.

Johan. 1. 14.

Totum nempe benignum & vere paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria iſta, totis licet viribus intendentem in ſe : ego potius imprimar illi. Etenim revelata facie ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.

2. Cor. 3. 18.

Transformamur cum conformamur. Abſit autem ut in majeſtatis gloria, & non magis in voluntatis modeſtia, Dei ab homine conformitas præſumatur. Gloria mea hæc eſt, ſi umquam de me audiero : Inveni hominem ſecundum cor meum. Cor Sponſi, cor Patris ſui. Ipſum quale? *Eſtote*, ait, *miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

Luc. 6. 36.

Hæc forma quam videre deſiderat, cum Eccleſiæ dicit, *Oſtende mihi faciem tuam* : forma pietatis & manſuetudinis.

Cant. 2. 14.

Hanc cum omni fiducia levat ad Petram, cui ſimilis eſt. *Accedite*, inquit, *ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.*

Pſal. 33. 6.

Quo pacto humilis ab humili confundetur, à pio ſancta, & à manſueto modeſta? Non plane abhorrebit à puritate Petræ pura facies ſponſæ, non magis quam à virtute virtus, à lumine lumen.

Perfectioribus tamen id competit.

6. Sed quia non ex omni interim parte adhuc ad petram forandam Eccleſia accedere poteſt, (neque enim omnium eſt, qui in Eccleſia ſunt, ſacramenta divinæ voluntatis inſpicere, aut apprehendere per ſemetipſos profunda Dei :) ideo non ſolum *in foraminibus petræ*, ſed & *in cavernis maceriæ* habitare oſtenditur. Ergo in perfectis quidem, qui rimari ac penetrare arcana ſapientiæ & puritate conſcientiæ auſent, & intelligentiæ acumine poſſunt, habitat* in foraminibus petræ.

** ſubl. Eccleſia.*

De reliquo in cavernis maceriæ : ut qui in petra per ſemetipſos fodere aut non ſufficiunt, aut non præſumunt; in maceria fodiant, contenti vel gloriam Sanctorum mente intueri.

Aliis gloriæ Sanctorum conſideratio, vel Paſſionis.

Si cui ne hoc quidem poſſibile ſit, huic ſane proponet Jeſum, & hunc crucifixum : ut & ipſe abſque ſuo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laboravit. Judæi in his laboraverunt, & ipſe in labores infidelium introibit, ut ſit fidelis. Nec verendum quod patiatur repulſam, qui & vocatur ut intret. *Ingredere*, inquit, *in petram, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis ejus.*

Iſa. 2. 10.

Infirmæ adhuc & inerti animæ (quæ juxta quod in Evangelio quidam de ſemetipſo confitetur, fodere non valet, & mendicare erubeſcit) foſſa oſtenditur humus ubi lateat, donec convaleſcat & proficiat, ut poſſit & ipſa per ſe cavare ſibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora Verbi, animi utique vigore & puritate.

Luc. 16. 3.

7. Et ſi intelleximus foſſam humum, illam quæ ait, *Foderunt manus meas, & pedes meos* : non erit ambigendum de ſanitate in ea citius adipiſcenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur.

Pſal. 21. 17.

Quid enim tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Verum donec purgata & ſanata perfecte fuerit, non video qualiter illi aptari

Vulnerum Chriſti vis ad curanda animæ vulnera.

[a] Plerique codices omittunt *Sanctitatis*, quam tamen vocem habent omnes, etiam primæ editiones.

Tom. IV. Cant. 2. 14. Iſa. 2. 10. Videre gloriam Dei & videri, eſt perfectorum.

poſſit quod dicitur : *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Quomodo denique faciem ſuam oſtendere audeat, vel levare vocem ſuam, cui & latere indicitur? *Abſcondere*, inquit, *in foſſa humo.* Quare? Quia non eſt pulcra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit videre idonea. Cum autem per inhabitationem foſſæ humi in ſanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie ſpeculari gloriam Dei & ipſa poſſit: tunc demum quæ videbit, fiducialiter jam loquetur, voce & facie placens. PLACEAT neceſſe eſt facies, quæ in Dei claritatem intendere poteſt. Neque enim id poſſet, niſi clara ipſa quoque eſſet & pura, utique transformata in eamdem quam conſpicit claritatis imaginem. Alioquin ipſa diſſimilitudine reſiliret, inſolito reverberata fulgore. Ergo cum pura puram intueri potuerit veritatem, tunc faciem ipſius Sponſus videre cupiet, conſequenter & vocem ejus audire.

Cant. 2. 14. Puritatem mentis requirit prædicatio.

8. Nam quantum illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, oſtendit cum ſubinde infert: *Vox enim tua dulcis.* Quia enim non placeat vox ſi diſpliceat facies, demonſtrat cum ilico ſubdit: *Et facies tua decora.* Quid internæ decor faciei, niſi puritas? In pluribus hæc abſque prædicationis voce complacuit, illa abſque iſta in nemine. Impuris non ſe oſtendit Veritas, non ſe credit Sapientia. Quid ergo loquuntur quam non viderunt? *Quod ſcimus*, inquit, *loquimur, & quæ vidimus teſtamur.* I ergo tu, & aude teſtari quod non vidiſti, & loqui quod ignoras. Quæris quem dicam impurum? QUI LAUDES requirit humanas, qui non ponit ſine ſumptu Evangelium, qui evangelizat ut manducet, qui quæſtum æſtimat pietatem, qui non requirit fructum, ſed datum. Impuri ſunt tales; & cum non habeant unde videant veritatem propter impuritatem, habent tamen unde illam loquantur. Quid præpropere agitis? Cur lucem non exſpectatis? Cur opus lucis ante lucem præſumitis? Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Lux eſt puritas, lux caritas, quæ non quærit quæ ſua ſunt. Hæc præcedat, & pes linguæ in incerto non ponitur. Superbo oculo veritas non videtur, ſincero patet. Non eſt quod ſe veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. *Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Multi puritate neglecta, ante loqui, quam videre conati ſunt, & aut graviter erraverunt neſcientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent: aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, ſeipſos non docuiſſent. A quo nos gemino malo ſemper cuſtodiat exoratus à vobis Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Vindicatores impuri, quinam. 1. Cor. 13. 5. Pſal. 49. 16.

SERMO LXIII.

De vinea viro pio & ſapienti, id eſt ſua cuique vita, ſeu mente & conſcientia, ſerio colenda, & de duobus vulpium generibus, ſcilicet adulatoribus & detractoribus; & de tentationibus monachorum novitiorum.

Cant. 2, 15.

1. C*Apite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Liquet quod non otioſe ad vineas itum ſit, quando ibi inventæ ſunt vulpes demolientes eas. Littera quidem iſtud. Spiritus autem quid? Ante omnia ſane, ut communem & uſitatum litteræ ſenſum ab hac explanatione penitus reſpuamus, utpote ineptum & inſulſum, indignumque plane, qui recipiatur in ſcriptura tam ſancta, tam authentica. Niſi quis forte ita vecors & animo ſtolidus ſit, ut pro magno habeat didiciſſe ex ea, inſtar filiorum hujus ſæculi, curam gerere terrenarum poſſeſſionum, cuſtodire & defenſare vineas ab incurſantibus beſtiis, ne forte contingat amittere fructum vini, in quo eſt luxuria; ſimulque pereat opera & impenſa. Grande ſcilicet damnum, ut propterea librum ſanctum tanto ſtudio & tanta cum veneratione legamus, quod docemur in eo à vulpibus vineas cuſtodire, ne in excolendis illis fruſtra marſupia vacuentur, ſi in cuſtodiendis pigri fuerimus. Non eſtis tam rudes, neque adeo ſpiritualis gratiæ expertes, ut ita carnaliter ſapiatis. Ergo in ſpiritu iſta quæramus. Ibi ſane invenimus, ſano quidem intellectu, ſenſuque nihilo minus digno, & vineas florentes, & vulpes demolientes, in quibus capiendis vel amovendis & honeſtius laboratur, & fructuoſius. An vos dubitatis longe vigilantius inſiſtendum mentibus ſervandis, quam frugibus; longe curioſius invigilandum cavendis propter illas ſpiritualibus nequitiis, quam capiendis propter iſtas fraudulentis vulpeculis?

Scriptura non ad carnis ſed ſpiritus commodum interpretanda.

2. Sed jam à me demonſtrandæ ſunt ſpiritales iſtæ tam vites, quàm vulpes. Veſtra intererit, filii, ſuæ quemque vineæ providere, cum me diſputante adverterit, in quibus ſibi, & à quibus maxime ſit cavendum. VIRO SAPIENTI ſua vita vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia. Nil quippe incultum deſertumve in ſe ſapiens derelinquet. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta & ſordida. Non eſt vinea ſtulto. Quomodo vinea, ubi nil plantatum, nil elaboratum uſpiam paret? Tota ſpinis ſilveſcit & tribulis ſtulti vita: & vinea eſt? Etſi fuit, jam non eſt, redacta nimirum in ſolitudinem. Ubi vitis virtutis? ubi botrus boni operis? ubi vinum lætitiæ ſpiritualis? *Per agrum hominis pigri tranſivi*, inquit, *& per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Audis Sapientem irridentem ſtultum, quod bona naturæ & dona gratiæ, quæ forte per lavacrum regenerationis acceperat, tamquam illam, quam plantavit Deus & non homo, primam ſuam vineam, in non vineam negligendo redegit. Denique non poteſt vinea eſſe, ubi vita non eſt. Nam ſtultus quod vivit, mortem potius, quàm vitam eſſe cenſuerim. Quomodo vita cum ſterilitate? Arbor arida & in ſterilitatem verſa, nonne mortua judicatur? Et ſarmenta mortua ſunt. *Et occidit*, inquit, *in grandine vineas eorum*; monſtrans vita privatas, quæ ſterilitate damnatæ ſunt. Sic ſtultus eo ipſo quod inutiliter vivit, vivens mortuus eſt.

Vinea ſapienti colenda, ſua eſſe ſua conſcientia. Stulto vinea nulla eſt. Prov. 24. 30. Vita ſtulti potius mors. Pſal. 77. 47.

3. Soli itaque convenit ſapienti habere, vel potius eſſe vineam, qui vitam habet. Eſt lignum fructiferum in domo Dei, ac per hoc lignum vivens. Siquidem & ipſa ſapientia, qua ſapiens dicitur & eſt, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam. Quidni vivat apprehenſor ejus? Vivit, ſed ex fide. Juſtus nempe eſt ſapiens, & *Juſtus ex fide vivit.* Et ſi anima juſti ſedes eſt ſapientiæ, ſicut eſt; profecto is ſapiens, qui juſtus. Is ergo ſive juſtum nomines, ſive ſapientem, numquam abſque vinea vivet, quia numquam non vivet. Hoc quippe eſt illi vinea quod vita. Et bona vinea juſti, immo bona vinea juſtus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcular expreſſionis. Denique *gloria noſtra hæc eſt*, inquit, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Vides apud ſapientem vacare nihil? Sermo, cogitatio, converſatio, & ſi quid aliud eſt ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio eſt, & vinea Domini ſabaoth? Quid denique illi de ſe perire poſſit, quando & folium ejus non defluet?

Soli ſapienti convenit habere vineam. Prov. 3. 18. Heb. 10. 38. Juſtus qui vinea. 2. Cor. 1. 12.

4. Ceterum tali vineæ numquam infeſtationes, numquam inſidiæ deerunt. Nempe *ubi multæ opes, multi ſunt & qui comedunt eas.* Sapiens erit ſollicitus ſervare vineam ſuam non minus quàm excolere, nec ſinet eam vorari à vulpibus. Peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minus nequam adulator blandus. Cavebit ſapiens ab his. Dabit operam, ſane quod in ipſo eſt, capere illos qui talia agunt; ſed capere beneficiis atque obſequiis, monitiſque ſalutaribus, & orationibus pro eis ad Deum. Non ceſſabit iſtiuſmodi carbones ignis congerere ſuper caput maledici, & item ſuper adulatoris, quouſque (ſi fieri poteſt) & illi invidiam, & iſti ſimulationem de corde tollat, faciens

Vinea ſapientis numquam deeſt infeſtatio vulpium. Eccl. 5. 10. Detractor & adulator vulpes. Quomodo capiendæ.

mandatum ſponſi, dicentis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* An non tibi captus ille videtur, qui ſuffuſus ora rubore, quippe proprium erubeſcens judicium, ipſe ſuæ confuſionis & pœnitudinis teſtis eſt: ſive quod oderit hominem amore digniſſimum, ſive quod dilexerit tantum verbo & lingua eum, à quo ſe diligi opere & veritate vel ſero expertus eſt? Captus plane, & captus Domino, ſecundum quod nominatim ipſe expreſſit: *Capite*, inquiens, *nobis*. Utinam ego omnes adverſantes mihi ſine cauſa ita capere poſſim, ut Chriſto eos vel reſtituam, vel acquiram! Sic, ſic confundantur & revereantur qui quærunt animam meam, avertantur retrorſum & erubeſcant, qui volunt mihi mala: quatenus inveniar & ipſe obediens ſponſo, ut capiam [a] & ipſe vulpes, non mihi, ſed ipſi. Sed reflectatur ſermo ad ſui principium, ut ſuo ordine ſeries explanationis procedat.

Cant. 2. 15. 5. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Locus moralis eſt; & juxta morum diſciplinam nos jam oſtendimus, ſpirituales has vineas non niſi ſpirituales viros eſſe: quorum cum omnia interiora culta ſint, omniaque germinantia, omnia fructificantia & parturientia ſpiritum ſalutis, quomodo de regno Dei dictum eſt: ita de his vineis Domini ſabaoth æque dicere poſſumus, quoniam intra nos ſunt. (Luc 17. 21.) Denique in Evangelio legitur, datum iri gentibus regnum Dei facientibus fructus ejus. (Matt. 21. 43.) Hi ſunt quos Paulus enumerat, dicens: *Fructus autem Spiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* (Gal. 5. 22. Fructus Spiritus.) FRUCTUS ISTI, PROFECTUS NOSTRI. Hi accepti ſponſo, quia ipſi cura eſt de nobis. (Chriſtus noſtros profectus amat ut ſuos.) Num de virgultis cura eſt Deo? Homines, non arbores amat Homo-Deus, & noſtros profectus ſuos fructus reputat. Tempus horum diligenter obſervat, arridet apparentibus, & ſollicitus ſatagit ne pereant nobis, cum apparuerint; immo vero ne pereant ſibi: ſe enim reputat tamquam nos. Ideoque providens capi ſibi jubet inſidiantes vulpeculas, ne novellos fructus ipſæ præripiant. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Et quaſi quis dicat, Præpropere times, nondum venit fructuum tempus. Non eſt ita, inquit: *nam vinea noſtra floruit.* Poſt flores non eſt fructuum mora: adhuc illis cadentibus iſti erumpunt ilico, ilico incipiunt apparere.

(Novitii in Religione, vinea florentes.) 6. Parabola iſta inſtantis eſt temporis. Videtis iſtos Novitios? Nuper venerunt, nuper converſi ſunt. Non poſſumus de ipſis dicere, quia vinea noſtra floruit: floret enim. Interim quod in eis apparere videtis, flos eſt: fructuum tempus nondum advenit. Flos novella converſatio eſt, flos formula recens vitæ emendatioris eſt. Induerunt ſibi faciem diſciplinatam, & bonam totius corporis compoſitionem. (Novitiorum virtutes.) Placent, fateor, quæ in facie ſunt: negligentior utique is qui foris apparet corporum cultus & veſtium, ſermo rarior, vultus hilarior, aſpectus verecundior, inceſſus maturior. Verum quia hæc noviter cœpere, ipſa ſui novitate flores cenſenda ſunt, & ſpes fructuum magis, quàm fructus. Vobis, filioli, non timemus à fraude vulpium, quæ fructibus magis, quàm floribus invidere noſcuntur. (Pericula eorum.) Veſtrum aliunde periculum eſt. Uſtionem certe metuo floribus; non ſubreptionem, ſed uſtionem à frigore. Aquilo mihi ſuſpectus eſt, & frigora matutina, quæ intempeſtivos flores ſolent perdere, fructus præripere. Itaque ab Aquilone panditur veſtrum malum. *A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit?* (Pſal. 147. 17.) Hoc frigus ſi ſemel animam (animæ quidem, ut aſſolet, incuria ſpiritu dormitante) pervaſerit, ac nemine deinde, quod abſit, inhibente ad interiora ejus pervenerit, deſcenderit in viſcera cordis & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupaverit conſilii ſemitas, perturbaverit judicii lumen, liber- (Novitiorum defectionem & ruinam apud deſcribit.) A tatem addixerit ſpiritus: mox (ut in corpore ſolet evenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur [*] jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. (* al. abſcinditur) Dantur poſtremo impudentiæ manus: præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & B confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo [b] in infernum. Principium & originem hujus peſtis, & vel qua arte vitetur, vel qua ſuperetur virtute, non eſt hujus temporis demonſtrare: alias erit hoc; nunc cœpta proſequamur.

(Provecti, vinea quæ floruit.) 7. Ad provectiores & firmiores ſermo eſt retorquendus, ad vineam quæ jam floruit, cui quidem etſi non eſt quod floribus formidet à frigore, ſed non fructus ſecuri ſunt à vulpibus. Dicendum apertius quid ſint ſpiritualiter hæ vulpes, cur puſillæ dicantur, cur jubeantur potiſſimum capi, & non abigi, vel occidi: C etiam introducenda diverſa genera harum beſtiarum ad majorem audientium notitiam & cautelam; non ſane ſermone iſto, ut faſtidio conſulamus, & noſtræ devotionis alacritas perpetuetur in gratia & confeſſione gloriæ magni Eccleſiæ Sponſi Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXIV.

De tentationibus monachorum provectorum: quas patiantur vulpes, ſeu tentationes magis ſibi infeſtas. Item de hæreticis, vulpibus Eccleſiæ, capiendis.

D 1. ADſum promiſſioni meæ. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* (Cant. 2. 15.) Vulpes, tentationes ſunt. (Tentationes, vulpes.) Neceſſe eſt ut veniant tentationes. Quis enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit? (2. Tim. 2. 5.) aut quomodo certabunt, ſi deſit qui impugnet? Tu ergo accedens ad ſervitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem; (Eccli. 2. 1.) certus omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem paſſuros. (2. Tim. 3. 12.) Porro tentationes diverſæ ſunt, pro temporum diverſitate. (Tentationes incipientium apertæ, proficientium occultæ.) Et initiis quidem noſtris, tamquam novellarum teneris floribus plantationum, in evidenti vis algoris incumbit, cujus meminimus in ſermone altero, & incipientes ab hac peſte cautos E reddidimus. Jam vero proficientium ſanctioribus ſtudiis minime quidem ſeſe opponere contrariæ virtutes aperte audent, ſed ſolent in occulto inſidiari, quaſi quædam fraudulentæ vulpeculæ; ſpecie quidem virtutes, re autem vitia. Quantos, verbi gratia, ingreſſos vias vitæ, progreſſos ad meliora, ſuper ſemitas juſtitiæ bene ſecureque proficiſcentes & proficientes, fraude, prò pudor! vulpium harum turpiter ſupplantatos expertus ſum, & ſero in ſe virtutum ſuffocatos plangere fructus!

(Proficientium.) 2. Vidi ego hominem currentem bene; & ecce cogitatio. quidni vulpecula fuit? Quantis, inquit, bonum, quo ſolus fruor, ſi eſſem in patria, poſſem utiF que impertiri fratribus & cognatis, notis & amicis? (1. Spes lucrandi alienæ ſalutis procurandæ.) Amant me, & facile acquieſcerent ſuadenti. Ut quid perditio hæc? Vado illuc, & ſalvo multos ex illis, & me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim dum benefaciam, quid intereſt ubi? niſi quòd illic proculdubio ſatius, ubi fructuoſius degam. Quid plura? It, & perit miſer, non tam exſul ad patriam, quàm canis reverſus ad vomitum. Et ſe perdidit in-

a Sic tres mſſ. et duo alii cum editis, *non modo in capiendo vulpes, ſed & in capiendo ipſi.*

b Stupendum eſt, & noſtris temporibus neſcio an ferendum, quod de novitiorum lapſu ſcribit hoc loco Bernardus, itidemque in epiſtolis 107 & 108. atque 395. ſed id ex aliis etiam Patribus facile eſſet demonſtrare, ſi nunc liceret ac juvaret.

Tom. IV. felix, & ſuorum acquiſivit neminem. En una vulpecula, iſta videlicet fruſtratoria ſpes, quam habuit in acquiſitione ſuorum. Potes tu quoque per teipſum in teipſo alias atque alias ſimiles huic invenire ſeu advertere, ſi non negligas.

2. Deſiderium prædicandi.

3. Vis tamen ut unam adhuc ego oſtendam tibi? Facio etiam & tertiam, & quartam quoque demonſtrabo, ſi te ad capiendas eas, quas forte ex his in tua adverteris vinea, invenero vigilantem. Interdum bene proficientis cujuſpiam, cum ſibi profuſius aliquid ſupernæ gratiæ ſenſerit irrorari, ſubit animum deſiderium prædicandi, non quidem ad parentes & propinquos, juxta illud, *Continuo non acquievi carni & ſanguini*: (Gal. 1. 16.) ſed quaſi purius, fructuoſius, fortiuſque, paſſim B ad extraneos & ad omnes. Caute omnino. Sane timet propheticum incurrere maledictum, (Prov. 11. 26.) ſi quæ in abſcondito accepit frumenta, abſcondat in populis: & contra Evangelium facere, (Matt. 10. 27.) niſi quæ in aure audivit, prædicaverit ſuper tecta. Vulpes eſt, atque illa priore eo nocivior, quo occultior veniens. Sed capio tibi eam. Primus Moyſes dicit: *Non arabis in primogenito bovis*. (Deut. 15. 19.) Hoc Paulus interpretans, *Non neophytum*, inquit, *ne in ſuperbiam elatus, incidat in judicium diaboli*. (1. Tim. 3. 6.) & rurſum: *Nec quiſquam*, inquit, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. (Heb. 5. 4.) Item ipſe: *Quomodo prædicabunt*, ait, *niſi mittantur?* (Rom. 10. 15.) Et ſcimus monachi officium eſſe non docere, ſed lugere. (S. Hieron. cont. Vigil.) Ex his C ſimilibuſque collectis mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam. Ex his nempe claret & certum eſt, quod publice prædicare nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non miſſo licet. Porro contra hæc tria venire, quanta conſcientiæ demolitio eſt? Ergo quicquid tale animo ſuggeratur, ſive ſit illud tua cogitatio, ſive immiſſio per angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, id eſt malum ſub ſpecie boni.

3. Præpoſterus amor vitæ eremiticæ.

4. Sed aſpice aliam. Quantos ex monaſteriis ſpiritu ferventes eremi ſolitudo ſuſcepit, & aut tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi legem, non modo remiſſos, ſed etiam diſſolutos? ſicque apparuit D vulpeculam affuiſſe, ubi tanta facta eſt vaſtatio vineæ, id eſt vitæ & conſcientiæ hominis detrimentum. Cogitabat, ſi ſolus degeret, multo ſe copioſiores fructus ſpiritus percepturum, quippe qui in communi vita tantum ſpiritualis gratiæ fuiſſet expertus. Et bona viſa eſt ſua cogitatio ſibi: ſed rei exitus indicavit, magis eamdem illi cogitationem vulpem demolientem fuiſſe.

4. Superſtitioſa & indiſcreta abſtinentia.

5. Quid illud quod nos quoque toties in domo iſta, & tam graviter inquietat, notabilem loquor quorumdam, qui inter nos ſunt, ſuperſtitioſamque abſtinentiam, (V. ſupra col. 1062. n. 4.) ex qua ſe omnibus, ſibique omnes moleſtos reddunt? Quomodo non hæc ipſa diſcordia tam generalis, & ſuæ ipſius conſcientiæ diſſipatio eſt, &, E quod in ipſo eſt, grandis vineæ hujus, quam plantavit dextera Domini, veſtræ ſcilicet omnium unanimitatis, demolitio? Væ homini, per quem ſcandalum venit! (Matt. 18. 7.) *Qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de his puſillis*. (Marc. 9. 41.) durum eſt quod ſequitur. Quanto duriora meretur, qui tantam, & tam ſanctam multitudinem ſcandalizat? Judicium prorſus duriſſimum portabit quicumque eſt ille. Sed hæc alias.

Vitia quæ nos fallunt ſpecie virtutum, ſunt vulpes.

6. Nunc vero intendamus his, quæ à Sponſo dicuntur ſuper puſillis & aſtutis his animalibus demolientibus vineas. Puſillis dixerim, non malitia, ſed ſubtilitate. Aſtutum ſiquidem natura hoc genus eſt animantis, promptumque admodum ad nocendum in F occulto: & videtur mihi congruentiſſime deſignare ſubtiliſſima quædam vitia ſpecie palliata virtutum, qualium utique formam præmiſſis ad notitiam exemplis, paucis licet, jam aliquantiſper expreſſi. Nec enim aliter nocere queunt, niſi quod ſe virtutes virA tutum quadam ſimilitudine mentiuntur. Sunt autem aut cogitationes hominum vanæ, aut factæ immiſſiones per angelos malos, angelos ſatanæ, qui ſe transfigurant in Angelos lucis, (2. Cor. 11. 14.) parantes *ſagittas ſuas in pharetra*, hoc eſt in occulto, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*. (Pſal. 10. 3.) Unde & puſillas eas propter hoc reor dici, quod cum cetera vitia quadam quaſi corpulentia ſui manifeſta ſe præbeant, hoc genus pro ſui ſubtilitate haud facile agnoſci, & ideo nec caveri poſſit, niſi dumtaxat à perfectis & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis ad diſcretionem boni & mali, maximeque ad diſcretionem ſpirituum, qui cum Apoſtolo poſſint dicere, quia *non ignoramus* (2. Cor. 2. 11.) B *aſtutias ſatanæ, neque cogitationes ejus*. Et vide ne forte ob hoc à ſponſo jubeantur, non quidem exterminari, vel abigi vel occidi, ſed capi: quod videlicet (Quomodo capiendæ.) hujuſmodi ſpirituales, doloſaſque beſtiolas omni vigilantia & cautela obſervari oporteat & examinari, & ſic capi, id eſt comprehendi, in aſtutia ſua. Ergo cum proditur dolus, cùm fraus aperitur, cum convincitur falſitas; rectiſſime tunc dicitur capta vulpes puſilla, quæ demoliebatur vineam. Denique dicimus hominem in ſermone capi, ſicut habes in Evangelio, quia *convenerunt Phariſæi in unum, ut caperent Jeſum in ſermone*. (Matt. 22. 15.)

6. Ita ergo Sponſus capi jubet vulpes puſillas, quæ C demoliuntur vineas, id eſt deprehendi, convinci, prodi. Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum jam minime noceat, ita ut agnoſci ſit illi expugnari. Quis enim, niſi demens, comperta decipula ſciens & prudens pedem mittit in illam? Sufficit proinde ſi capiantur quæ ejuſmodi ſunt, hoc eſt ſi prodas & deducas ad medium, quippe quibus apparere, perire eſt. Non ſic cetera vitia. Nempe manifeſte veniunt, manifeſte nocent; ſcientes captivant, ſuperant reluctantes, utpote vi, non dolo agentia. (Aliæ vulpes ſeu vitia, quæ aperte infurgunt.) Ergo contra hujuſmodi aperte ſævientes beſtias non inveſtigatione opus eſt, ſed refrenatione. Solas has vulpes parvulas, diſſimulatrices maximas, (quia proditæ jam non nocent) ſufficit educi in lucem, & capi in calli D ditate ſua. nam foveas habent. Tali itaque ex cauſa vulpes iſtæ & capi jubentur, & parvulæ deſcribuntur. Vel ideo parvulæ, ut naſcentia vitia in ipſo ortu, donec utique parvula ſunt, vigilanter obſervans ilico comprehendas, ne creſcentia plus noceant, & difficilius capiantur.

8. Et ſi juxta allegoriam eccleſias vineas, vulpes hæreſes, vel potius hæreticos ipſos intelligamus: (Hæretici capiendi potius argumentis quam armis.) ſimplex eſt ſenſus, ut hæretici capiantur potius, quàm effugentur. Capiantur, dico, non armis [a], ſed argumentis, quibus refellantur errores eorum: ipſi vero, ſi fieri poteſt, reconcilientur Catholicæ, revocentur ad veram fidem. Hæc eſt enim voluntas ejus, *qui* (1. Tim. 2. 4.) E *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Hoc denique velle ſe perhibet, qui non ſimpliciter *capite vulpes*: ſed, *capite*, inquit, *nobis vulpes*. Sibi ergo & ſponſæ ſuæ, id eſt Catholicæ, jubet acquiri has vulpes, cum ait: *Capite eas nobis*. Itaque homo de Eccleſia exercitatus & doctus, ſi cum hæretico homine diſputare aggreditur, illo intentionem ſuam dirigere debet, quatenus ita errantem convincat, ut & convertat, cogitans illud apoſtoli Jacobi: quia *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum*. (Qualis habenda intentio diſputando contra hæreticos. Jac. 5. 20.) Quod ſi reverti noluerit, nec convictus poſt primam jam & ſecundam admonitionem, utpote qui F omnino ſubverſus eſt; erit ſecundum Apoſtolum devitandus. (Tit. 3. 10.) Ex hoc jam melius (ut quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam religatur [b], quàm ſinitur vineas demoliri.

9. Nec propterea ſane nihil ſe egiſſe putet qui hæreticum vicit & convicit, hæreſes confutavit, veri

a Et tamen idem Bernardus infra in Sermone 66. num. 12. licit hæreticos aliquando *melius gladio coerceri* à Principe, quàm ſi ſuum *errorem multos trajicere permittantur*. Confer epiſtolam 365. & vide hic Notas Horſtii.

b Quid ſit hæreticum religari apud Bernardum, intelligitur ex ſequentis Sermonis num. 2. ubi hæreticus dicitur *foris relegatus, condemnata impietate, & ipſo foras miſſo*.

Labor in confutandis hæreticis non fruſtraneus, etſi jactatus.

ſimilia à vero clare aperteque diſtinxit; prava dogmata, plana & irrefragabili ratione prava eſſe monſtravit; pravum denique intellectum, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, in captivitatem redegit. Nempe cepit nihilo minus, qui talia operatus eſt, vulpem, etſi non ad ſalutem illi; & cepit eam ſponſo & ſponſæ, quamvis aliter. Nam etſi hæreticus non ſurrexit de fæce, Eccleſia tamen confirmatur in fide: & quidem de profectibus ſponſæ ſponſus ſine dubio gratulatur, *Gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra*. Denique non putat à ſe aliena lucra noſtra, qui ſe nobis tam dignanter aſſociat, dum jubet capi vulpes, non ſibi, ſed nobis ſecum. *Capite*, inquiens, *nobis*. Advertere eſt enim quod ait, *nobis*. Quid hac voce ſocialius? An non tibi videtur hoc dicere, quaſi quidam paterfamilias, qui per ſe nihil habeat, ſed omnia communia cum uxore & filiis atque domeſticis? Et qui loquitur Deus eſt: minime tamen ut Deus id loquitur, ſed ut Sponſus.

2. Eſd. 8. 10. Deus Eccleſiæ profectus, ſuos reputat.

Vis amoris in Deo.

10. *Capite nobis vulpes.* Vides quam ſocialiter loquitur, qui ſocium non habet? Poterat dicere, *mihi*, ſed maluit, *nobis*, conſortio delectatus. O ſuavitatem! ô gratiam! ô amoris vim! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor, dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique *ſemetipſum exinanivit*: ut ſcias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt. Cum quonam tibi, ô admirande Sponſe, tam familiare conſortium? *Nobis*, inquis, *capite*. Cui tecum? an Eccleſiæ de gentibus? De mortalibus & peccatoribus collecta eſt. Illam ſcimus quæ ſit. Sed tu quis es, Æthiopiſſæ hujus tam devotus, tam ambitioſius amator? Sane non alter Moyſes, ſed pluſquam Moyſes. Num tu ille es *Speciosſus forma præ filiis hominum*? Parum dixi: Candor es vitæ æternæ, ſplendor, & figura ſubſtantiæ Dei; poſtremo ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Philip. 2. 7.

Num. 12. 1.
Pſal. 44. 3.
Heb. 1. 3.
Rom. 9. 5.

ADMONITIO.

Opportunè admodum hoc loco ſuccurrit epiſtola Evervini Præpoſiti Steinfeldenſis prope Coloniam, ad Bernardum de iſtius temporis hæreticis ſcripta, quæ duobus ſequentibus ſermonibus occaſionem dedit. Exiſtimaveram cum Horſtio & aliis, in his agi de Henricianis, contra quos Bernardus edidit epiſtolam CCXL. At ex ſubjecta Evervini epiſtola intelligitur, iſtos, quorum in duobus ſequentibus ſermonibus dogmata refelluntur, alios ab Henricianis fuiſſe hæreticos: cum hi Colonienſem & circumpoſitos pagos, illi maxime Aquitaniam infeſtarent. Quamquam utroſque in eoſdem errores conveniſſe, & fortaſſe ex eodem capite exortos fuiſſe fatendum eſt. Plura de his in Præfatione generali, articulo VI. Evervinum porro eum eſſe non dubitem, qui Ebervvinus ſeu Hervinus abbas Steinveldenſis laudatur in lib. VI. de miraculis S. Bernardi num. 22. & 26. haud dubie Ordinis Præmonſtratenſis, cujus Ordinis abbatia ibidem hodie quoque ſuperſtat.

EVERVINI Steinfeldenſis Præpoſiti epiſtola ad S. Bernardum abbatem,

De hæreticis ſui temporis.

1. REverendo domino ſuo & patri BERNARDO, Claræ-vallenſium abbati, EVERVINUS Steinfeldenſis miniſter humilis, in Domino confortari, & confortare Eccleſiam Chriſti. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa, qui nobis memoriam abundantis ſuavitatis Dei eructare in omnibus dictis & ſcriptis veſtris ſoletis, maxime in Cantico amoris ſponſi & ſponſæ, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ, ita ut eidem ſponſo dicere veraciter poſſimus: *Servaſti bonum vinum uſque adhuc.* Hujus vini tam pretioſi pincernam te nobis ipſe conſtituit: non ceſſes propinare: non hæſites, hydrias non poteris evacuare. Nec te excuſet, Pater ſancte, debilitas tua: cum plus operetur pietas in officio, quam corporalis ædificationis exercitatio. Nec dicas te occupatum: neſcimus aliquid huic tam neceſſario operi communi præponendum. De hydris quantum, ſanctiſſime Pater, habes nobis modo propinare! De prima propinatum eſt ſatis, & reddidit eos ſapientes & fortes contra doctrinam & impetum Scribarum & Phariſæorum: ſecunda contra argumenta & tormenta Gentilium: tertia contra ſubtiles deceptiones hæreticorum: quarta contra falſos Chriſtianos: quinta contra hæreticos circa finem ſæculi venturos, de quibus per Apoſtolum manifeſte Spiritus dicit: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* De ſexta inebriabuntur, fideles confortando contra illum, qui in hac nimirum diſceſſione à fide revelabitur, ſcilicet ille peccati filius, homo perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur aut quod colitur Deus; cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Poſt hanc ſeptima non erit neceſſaria, quando filii hominum inebriabuntur ab ubertate domus Dei & torrente voluptatis ejus. O bone Pater, ſatis interim propinaſti de quarta hydria omnibus nobis ad correctionem, ad ædificationem, ad conſummationem, incipientibus, proficientibus atque perfectis; uſque in finem ſæculi profuturus contra teporem ac pravitatem, quæ eſt in falſis fratribus. Jam tempus eſt ut de quinta haurias, & in medium proferas contra novos hæreticos, qui circumquaque jam ferè per omnes eccleſias ebulliunt de puteo abyſſi, quaſi jam princeps illorum incipiat diſſolvi, & inſtet dies Domini. Et in epithalamio amoris Chriſti & Eccleſiæ locus, qui à te, Pater, ſicut tu ipſe mihi retuliſti, jam eſt tractandus, videlicet, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, huic myſterio congruit, & te ad quintam hydriam perduxit. Rogamus igitur, Pater, ut omnes partes hæreſis illorum, quæ ad tuam notitiam pervenerunt, diſtinguas, & contra poſitis rationibus & auctoritatibus noſtræ Fidei, illas deſtruas.

2. Nuper apud nos juxta Coloniam quidam hæretici detecti ſunt, quorum quidam cum ſatisfactione ad Eccleſiam redierunt. Duo ex eis, ſcilicet qui dicebatur Epiſcopus eorum cum ſocio ſuo, nobis reſtiterunt in conventu clericorum & laïcorum, præſente ipſo domino Archiepiſcopo cum magnis viris nobilibus, hæreſim ſuam defendentes ex verbis Chriſti & Apoſtoli. Sed cum vidiſſent ſe non poſſe procedere, petierunt ut eis ſtatueretur dies, in quo adducerent de ſuis viros Fidei ſuæ peritos: promittentes ſe velle Eccleſiæ ſociari, ſi magiſtros ſuos viderent in reſponſione deficere, alioquin ſe velle potius mori, quam ab hac ſententia deflecti. Quo audito, cùm per triduum eſſent admoniti, & reſipiſcere noluiſſent; rapti ſunt à populis nimio zelo permotis, nobis tamen invitis: & in ignem poſiti, atque cremati; & (quod magis mirabile eſt) ipſi tormentum ignis non ſolum cum patientia, ſed & cum lætitia introierunt & ſuſtinuerunt. Hic, ſancte Pater, vellem, ſi præſens eſſem, habere reſponſionem tuam, unde iſtis diaboli membris tanta fortitudo in ſua hæreſi, quanta vix etiam invenitur in valde religioſis in Fide Chriſti.

3. Hæc eſt hæreſis illorum. Dicunt apud ſe tantum Eccleſiam eſſe, eo quod ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhæreant; & apoſtolicæ vitæ veri ſectatores permaneant, ea quæ mundi ſunt non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium poſſidentes: ſicut Chriſtus non poſſedit, nec diſcipulis ſuis poſſidenda conceſſit. Vos autem (dicunt nobis) domum domui, & agrum agro copulatis, & quæ mundi ſunt hujus quæritis: ita etiam ut qui in vobis perfectiſſimi habentur, ſicut Monachi vel regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, ſed poſſident ut communia; poſſident tamen hæc omnia. De ſe dicunt:

Tom. IV. felix, & ſuorum acquiſivit neminem. En una vulpecula, iſta videlicet fruſtratoria ſpes, quam habuit in acquiſitione ſuorum. Potes tu quoque per teipſum in teipſo alias atque alias ſimiles huic invenire ſeu advertere, ſi non negligas.

2. Deſiderium prædicandi. 3. Vis tamen ut unam adhuc ego oſtendam tibi? Facio etiam & tertiam, & quartam quoque demonſtrabo, ſi te ad capiendas eas, quas forte ex his in tua adverteria vinea, invenero vigilantem. Interdum bene proficientis cujuſpiam, cum ſibi profuſius aliquid ſupernæ gratiæ ſenſerit irrorari, ſubit animum deſiderium prædicandi, non quidem ad parentes & propinquos, juxta illud, *Continuo non acquievi carni & ſanguini* (Gal. 1. 16.): ſed quaſi purius, fructuoſius, fortiuſque, paſſim ad extraneos & ad omnes. Caute omnino. Sane timet propheticum incurrere maledictum (Prov. 11. 26.), ſi quæ in abſcondito accepit frumenta, abſcondat in populis: & contra Evangelium facere (Matt. 10. 27.), niſi quæ in aure audivit, prædicaverit ſuper tecta. Vulpes eſt, atque illa priore eo nocivior, quo occultior veniens. Sed capio tibi eam. Primus Moyſes dicit: *Non arabis in primogenito bovis* (Deut. 15. 19.). Hoc Paulus interpretans, *Non neophytum*, inquit, *ne in ſuperbiam elatus, incidat in judicium diaboli* (1. Tim 3. 6.). & rurſum: *Nec quiſquam*, inquit, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron* (Heb. 5. 4.). Item ipſe: *Quomodo prædicabunt*, ait, *niſi mittantur?* (Rom. 10. 15.) Et ſcimus monachi officium eſſe non docere, ſed lugere (S. Hieron. cont. Vigil.). Ex his ſimilibuſque collectis mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam. Ex his nempe claret & certum eſt, quod publice prædicare nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non miſſo licet. Porro contra hæc tria venire, quanta conſcientiæ demolitio eſt? Ergo quicquid tale animo ſuggeratur, ſive ſit illud tua cogitatio, ſive immiſſio per angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, id eſt malum ſub ſpecie boni.

3. Præpoſterus amor vitæ eremiticæ. 4. Sed aſpice aliam. Quantos ex monaſteriis ſpiritu ferventes eremi ſolitudo ſuſcepit, & aut tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi legem, non modo remiſſos, ſed etiam diſſolutos? ſicque apparuit vulpeculam affuiſſe, ubi tanta facta eſt vaſtatio vineæ, id eſt vitæ & conſcientiæ hominis detrimentum. Cogitabat, ſi ſolus degeret, multo ſe copioſiores fructus ſpiritus percepturum, quippe qui in communi vita tantum ſpiritualis gratiæ fuiſſet expertus. Et bona viſa eſt ſua cogitatio ſibi: ſed rei exitus indicavit, magis eamdem illi cogitationem vulpem demolientem fuiſſe.

4. Superſtitioſa & indiſcreta abſtinentia. 5. Quid illud quod nos quoque toties in domo iſta, & tam graviter inquietat, notabilem loquor quorumdam, qui inter nos ſunt, ſuperſtitioſamque abſtinentiam (V. ſupra col. 1063. n. 4.), ex qua ſe omnibus, ſibique omnes moleſtos reddunt? Quomodo non hæc ipſa diſcordia tam generalis, & ſuæ ipſius conſcientiæ diſſipatio eſt, &, quod in ipſo eſt, grandis vineæ hujus, quam plantavit dextera Domini, veſtræ ſcilicet omnium unanimitatis, demolitio? Væ homini, per quem ſcandalum venit! (Matt. 18. 14.) *Qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de his puſillis* (Marc. 9. 41.). durum eſt quod ſequitur. Quanto duriora meretur, qui tantam, & tam ſanctam multitudinem ſcandalizat? Judicium prorſus duriſſimum portabit quicumque eſt ille. Sed hæc alias.

Vitia quæ nos fallunt ſpecie virtutum, ſunt vulpes. 6. Nunc vero intendamus his, quæ à Sponſo dicuntur ſuper puſillis & aſtutis his animalibus demolientibus vineas. Puſillis dixerim, non malitia, ſed ſubtilitate. Aſtutum ſiquidem natura hoc genus eſt animantis, promptumque admodum ad nocendum in occulto: & videtur mihi congruentiſſime deſignare ſubtiliſſima quædam vitia ſpecie palliata virtutum, qualium utique formam præmiſſis ad notitiam exemplis, paucis licet, jam aliquantiſper expreſſi. Nec enim aliter nocere queunt, niſi quod ſe virtutes virtutum quadam ſimilitudine mentiuntur. Sunt autem aut cogitationes hominum vanæ, aut factæ immiſſiones per angelos malos, angelos ſatanæ, qui ſe transfigurant in Angelos lucis (2. Cor. 11. 14.), parantes *ſagittas ſuas in pharetra*, hoc eſt in occulto, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde* (Pſal. 10. 2.). Unde & puſillas eas propter hoc reor dici, quod cum cetera vitia quadam quaſi corpulentia ſui manifeſta ſe præbeant, hoc genus pro ſui ſubtilitate haud facile agnoſci, & ideo nec caveri poſſit, niſi dumtaxat à perfectis & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis ad diſcretionem boni & mali, maximeque ad diſcretionem ſpirituum, qui cum Apoſtolo poſſint dicere, quia *non ignoramus aſtutias ſatanæ, neque cogitationes ejus* (2. Cor. 2. 11.). Et vide ne forte ob hoc à ſponſo jubeantur, non quidem exterminari, vel abigi vel occidi, ſed capi: quod videlicet hujuſmodi ſpirituales, doloſaſque beſtiolas omni vigilantia & cautela obſervari oporteat & examinari, & ſic capi, id eſt comprehendi, in aſtutia ſua (Quomodo capiendæ.). Ergo cum proditur dolus, cùm fraus aperitur, cum convincitur falſitas; rectiſſime tunc dicitur capta vulpes puſilla, quæ demoliebatur vineam. Denique dicimus hominem in ſermone capi, ſicut habes in Evangelio, quia *convenerunt Phariſæi in unum, ut caperent Jeſum in ſermone* (Matt. 22. 15.).

6. Ita ergo Sponſus capi jubet vulpes puſillas, quæ demoliuntur vineas, id eſt deprehendi, convinci, prodi. Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum jam minime noceat, ita ut agnoſci ſit illi expugnari. Quis enim, niſi demens, comperta decipula ſciens & prudens pedem mittit in illam? Sufficit proinde ſi capiantur quæ ejuſmodi ſunt, hoc eſt ſi prodas & deducas ad medium, quippe quibus apparere, perire eſt. Non ſic cetera vitia. Nempe manifeſte veniunt, manifeſte nocent; ſcientes captivant, ſuperant reluctantes, utpote vi, non dolo agentia (Aliæ vulpes ſeu vitia, quæ aperte ſubrogant.). Ergo contra hujuſmodi aperte ſævientes beſtias non inveſtigatione opus eſt, ſed refrenatione. Solas has vulpes parvulas, diſſimulatrices maximas, (quia proditæ jam non nocent) ſufficit educi in lucem, & capi in calliditate ſua. nam foveas habent. Tali itaque ex cauſa vulpes iſtæ & capi jubentur, & parvulæ deſcribuntur. Vel ideo parvulæ, ut naſcentia vitia in ipſo ortu, donec utique parvula ſunt, vigilanter obſervans ilico comprehendas, ne creſcentia plus noceant, & difficilius capiantur.

8. Et ſi juxta allegoriam eccleſias vineas, vulpes hæreſes, vel potius hæreticos ipſos intelligamus (Hæretici capiendi potius argumentis quam armis.): ſimplex eſt ſenſus, ut hæretici capiantur potius, quàm effugentur. Capiantur, dico, non armis [a], ſed argumentis, quibus refellantur errores eorum: ipſi vero, ſi fieri poteſt, reconcilientur Catholicæ, revocentur ad veram fidem. Hæc eſt enim voluntas ejus, *qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim. 2. 4.). Hoc denique velle ſe perhibet, qui non ſimpliciter *capite vulpes:* ſed, *capite*, inquit, *nobis vulpes*. Sibi ergo & ſponſæ ſuæ, id eſt Catholicæ, jubet acquiri has vulpes, cum ait: *Capite eas nobis*. Itaque homo de Eccleſia exercitatus & doctus, ſi cum hæretico homine diſputare aggreditur, illo intentionem ſuam dirigere debet, quatenus ita errantem convincat, ut & convertat, cogitans illud apoſtoli Jacobi: quia *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum* (Quæ ſit habenda intentio diſputando contra hæreticos. Jac. 5. 20.). Quod ſi reverti noluerit, nec convictus poſt primam jam & ſecundam admonitionem, utpote qui omnino ſubverſus eſt; erit ſecundum Apoſtolum devitandus (Tit 3. 10.). Ex hoc jam melius (ut quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam religatur [b], quàm ſinitur vineas demoliri.

9. Nec propterea ſane nihil ſe egiſſe putet qui hæreticum vicit & convicit, hæreſes confutavit, veri

a Et tamen idem Bernardus infra in Sermone 66. num. 12. dicit hæreticos aliquando *melius gladio coerceri* à Principe, quàm *in ſuum errorem multos trajicere permittantur*. Confer epiſtolam 363. & vide hic Notas Horſtii.

b Quid ſit hæreticum religari apud Bernardum, intelligitur ex ſequentis Sermonis num. 2 ubi hæreticus dicitur *foris relegatus, condemnata impietate, & uſque foras miſſo*.

Labor in confutandis hæreticis non fruſtraneus, etſi inefficax.

ſimilia à vero clare aperteque diſtinxit ; prava dogmata, plana & irrefragabili ratione prava eſſe monſtravit ; pravum denique intellectum, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, in captivitatem redegit. Nempe cepit nihilo minus, qui talia operatus eſt, vulpem, etſi non ad ſalutem illi ; & cepit eam ſponſo & ſponſæ, quamvis aliter. Nam etſi hæreticus non ſurrexit de fæce, Eccleſia tamen confirmatur in fide : & quidem de profectibus ſponſæ ſponſus ſine dubio gratulatur. *Gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.* Denique non putat à ſe aliena lucra noſtra, qui ſe nobis tam dignanter aſſociat, dum jubet capi vulpes, non ſibi, ſed nobis ſecum. *Capite*, inquiens, *nobis*. Advertere eſt enim quod ait, *nobis*. Quid hac voce ſocialius ? An non tibi videtur hoc dicere, quaſi quidam paterfamilias, qui per ſe nihil habeat, ſed omnia communia cum uxore & filiis atque domeſticis ? Et qui loquitur Deus eſt : minime tamen ut Deus id loquitur, ſed ut Sponſus.

2. Eſd. 8. 10. Deus Eccleſiæ profectus, ſuos reputat.

Vis amoris in Deo.

10. *Capite nobis vulpes.* Vides quam ſocialiter loquitur, qui ſocium non habet ? Poterat dicere, *mihi*, ſed maluit, *nobis*, conſortio delectatus. O ſuavitatem ! ô gratiam ! ô amoris vim ! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium ? Quis hoc fecit ? Amor, dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius ? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum ? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam ? Denique *ſemetipſum exinanivit* : ut ſcias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt. Cum quonam tibi, ô admirande Sponſe, tam familiare conſortium ? *Nobis*, inquis, *capite*. Cui tecum ? an Eccleſiæ de gentibus ? De mortalibus & peccatoribus collecta eſt. Illam ſcimus quæ ſit. Sed tu quis es, Æthiopiſſæ hujus tam devotus, tam ambitioſus amator ? Sane non alter Moyſes, ſed pluſquam Moyſes. Num tu ille es *Speciosus forma præ filiis hominum* ? Parum dixi : Candor es vitæ æternæ, ſplendor, & figura ſubſtantiæ Dei ; poſtremo ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Philip. 2. 7. Num. 12. 1. Pſal. 44. 3. Heb. 1. 3. Rom. 9. 5.

ADMONITIO.

Opportunè admodum hoc loco ſuccurrit epiſtola Evervini Præpoſiti Steinfeldenſis prope Coloniam, ad Bernardum de iſtius temporis hæreticis ſcripta, quæ duobus ſequentibus ſermonibus occaſionem dedit. Exiſtimaveram cum Horſtio & aliis, in his agi de Henricianis, contra quos Bernardus edidit epiſtolam CC XL. At ex ſubjecta Evervini epiſtola intelligitur, iſtos, quorum in duobus ſequentibus ſermonibus dogmata refelluntur, alios ab Henricianis fuiſſe hæreticos : cùm hi Colonienſem & circumpoſitos pagos, illi maxime Aquitaniam infeſtiverint. Quamquam utroſque in eoſdem errores convenisse, & fortaſſe ex eodem capite exortos fuiſſe fatendum eſt. Plura de his in Præfatione generali, articulo VI. Evervinum porro eum eſſe non dubitem, qui Eberwinus ſeu Hervinus abbas Steinveldenſis laudatur in lib. VI. de miraculis S. Bernardi num. 22. & 26. haud dubie Ordinis Præmonſtratenſis, cujus Ordinis abbatia ibidem hodie quoque ſuperſtat.

EVERVINI Steinfeldenſis Præpoſiti epiſtola ad S. Bernardum abbatem,

De hæreticis ſui temporis.

1. REverendo domino ſuo & patri BERNARDO, Claræ-vallenſium abbati, EVERVINUS Steinfeldenſis miniſter humilis, in Domino confortari, & confortare Eccleſiam Chriſti. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa, qui nobis memoriam abundantis ſuavitatis Dei eructare in omnibus dictis & ſcriptis veſtris ſoletis, maxime in Cantico amoris ſponſi & ſponſæ, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ, ita ut eidem ſponſo dicere veraciter poſſimus : *Servaſti bonum vinum uſque adhuc.* Hujus vini tam pretioſi pincernam te nobis ipſe conſtituit : non ceſſes propinare : non hæſites, hydrias non poteris evacuare. Nec te excuſet, Pater ſancte, debilitas tua : cum plus operetur pietas in officio, quam corporalis ædificationis exercitatio. Nec dicas te occupatum : neſcimus aliquid huic tam neceſſario operi communi præponendum. De hydriis quantum, ſanctiſſime Pater, habes nobis modo propinare ! De prima propinatum eſt ſatis, & reddidit eos ſapientes & fortes contra doctrinam & impetum Scribarum & Phariſæorum : ſecunda contra argumenta & tormenta Gentilium : tertia contra ſubtiles deceptiones hæreticorum : quarta contra falſos Chriſtianos : quinta contra hæreticos circa finem ſæculi venturos, de quibus per Apoſtolum manifeſte Spiritus dicit : *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* De ſexta inebriabuntur, fideles confortando contra illum, qui in hac nimirum diſceſſione à fide revelabitur, ſcilicet ille peccati filius, homo perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur aut quod colitur Deus ; cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Poſt hanc ſeptima non erit neceſſaria, quando filii hominum inebriabuntur ab ubertate domus Dei & torrente voluptatis ejus. O bone Pater, ſatis interim propinaſti de quarta hydria omnibus nobis ad correctionem, ad ædificationem, ad conſummationem, incipientibus, proficientibus atque perfectis ; uſque in finem ſæculi profuturus contra teporem ac pravitatem, quæ eſt in falſis fratribus. Jam tempus eſt ut de quinta haurias, & in medium proferas contra novos hæreticos, qui circumquaque jam fere per omnes eccleſias ebulliunt de puteo abyſſi. quaſi jam princeps illorum incipiat diſſolvi, & inſtet dies Domini. Et in epithalamio amoris Chriſti & Eccleſiæ locus, qui à te, Pater, ſicut tu ipſe mihi retuliſti, jam eſt tractandus, videlicet, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, huic myſterio congruit, & te ad quintam hydriam perduxit. Rogamus igitur, Pater, ut omnes partes hæreſis illorum, quæ ad tuam notitiam pervenerunt, diſtinguas, & contra poſitis rationibus & auctoritatibus noſtræ Fidei, illas deſtruas.

Tom. I V.

2. Nuper apud nos juxta Coloniam quidam hæretici detecti ſunt, quorum quidam cum ſatisfactione ad Eccleſiam redierunt. Duo ex eis, ſcilicet qui dicebatur Epiſcopus eorum cum ſocio ſuo, nobis reſtiterunt in conventu clericorum & laicorum, præſente ipſo domino Archiepiſcopo cum magnis viris nobilibus, hæreſim ſuam defendentes ex verbis Chriſti & Apoſtoli. Sed cum vidiſſent ſe non poſſe procedere, petierunt ut eis ſtatueretur dies, in quo adducerent de ſuis viros Fidei ſuæ peritos : promittentes ſe velle Eccleſiæ ſociari, ſi magiſtros ſuos viderent in reſponſione deficere. alioquin ſe velle potius mori, quam ab hac ſententia deflecti. Quo audito, cùm per triduum eſſent admoniti, & reſipiſcere noluiſſent ; rapti ſunt à populis nimio zelo permotis, nobis tamen invitis : & in ignem poſiti, atque cremati ; & (quod magis mirabile eſt) ipſi tormentum ignis non ſolum cum patientia, ſed & cum lætitia introierunt & ſuſtinuerunt. Hic, ſancte Pater, vellem, ſi præſens eſſem, habere reſponſionem tuam, unde iſtis diaboli membris tanta fortitudo in ſua hæreſi, quanta vix etiam invenitur in valde religioſis in Fide Chriſti.

3. Hæc eſt hæreſis illorum. Dicunt apud ſe tantum Eccleſiam eſſe, eo quod ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhæreant ; & apoſtolicæ vitæ veri ſectatores permaneant, ea quæ mundi ſunt non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium poſſidentes : ſicut Chriſtus non poſſedit, nec diſcipulis ſuis poſſidenda conceſſit. Vos autem (dicunt nobis) domum domui, & agrum agro copulatis, & quæ mundi ſunt hujus quæritis : ita etiam ut qui in vobis perfectiſſimi habentur, ſicut Monachi vel regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, ſed poſſident ut communia ; poſſident tamen hæc omnia. De ſe dicunt :

Tom. IV. Nos pauperes Chriſti, inſtabiles, de civitate in civitatem fugientes, ſicut oves in medio luporum, cum Apoſtolis & Martyribus perſecutionem patimur: cùm tamen ſanctam & artiſſimam vitam ducamus in jejunio & abſtinentiis, in orationibus & laboribus die ac nocte perſiſtentes, & tantum neceſſaria ex eis vitæ quærentes. Nos hoc ſuſtinemus, quia de mundo non ſumus: vos autem mundi amatores, cum mundo pacem habetis, quia de mundo eſtis. Pſeudoapoſtoli adulterantes verbum Chriſti, quæ ſua ſunt quæſiverunt, vos & patres veſtros exorbitare fecerunt: nos & patres noſtri generati apoſtoli, in gratia Chriſti permanſimus, & in finem ſæculi permanebimus. Ad diſtinguendos nos & vos, Chriſtus dixit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Fructus noſtri ſunt veſtigia Chriſti. In cibis ſuis vetant omne genus lactis, & quod inde conficitur, & quicquid ex coitu procreatur. Hoc de converſatione ſua nobis opponunt. In Sacramentis ſuis velo ſe tegunt: tamen nobis aperte confeſſi ſunt, quod in menſa ſua quotidie cùm manducant, ad formam Chriſti & Apoſtolorum, cibum ſuum & potum in corpus Chriſti & ſanguinem per dominicam orationem conſecrant, ut inde ſe membra & corpus Chriſti nutriant. Nos vero dicunt in Sacramentis non tenere veritatem, ſed quamdam umbram & hominum traditionem. Confeſſi ſunt etiam manifeſte ſe præter aquam, in ignem & Spiritum baptizare, & baptizatos eſſe: adducentes illud teſtimonium Johannis Baptiſtæ baptizantis in aqua, & dicentis de Chriſto: *Ille vos baptizabit in Spiritu-ſancto & igne*. Et in alio loco: *Ego baptizo in aqua. major autem veſtrum ſletit, quem vos neſcitis*, quaſi alio baptiſmo præter aquam vos baptizaturus. Et talem baptiſmum per impoſitionem manuum debere fieri conati ſunt oſtendere teſtimonio Lucæ, qui in actibus Apoſtolorum deſcribens baptiſmum Pauli, quem ab Anania ſuſcepit ad præceptum Chriſti nullam mentionem fecit de aqua, ſed tantum de manus impoſitione: & quicquid invenitur, tam in actibus Apoſtolorum, quàm in epiſtolis Pauli de manus impoſitione, ad hunc baptiſmum volunt pertinere. Et quemlibet ſic inter eos baptizatum dicunt Electum, & habere poteſtatem alios qui digni fuerint baptizandi, & in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conſecrandi. Prius enim per manus impoſitionem de numero eorum, quos Auditores vocant, recipiunt eum inter Credentes: & ſic licebit eum intereſſe orationibus eorum, uſquedum ſatis probatum eum faciant electum. De Baptiſmo noſtro non curant. Nuptias damnant, ſed cauſam ab eis inveſtigare non potui; vel quia eam fateri non audebant, vel potius quia eam ignorabant.

4. Sunt item alii hæretici quidam in terra noſtra, omnino ab iſtis diſcordantes, per quorum mutuam diſcordiam & contentionem utrique nobis ſunt detecti. Iſti negant in altari fieri corpus Chriſti, eo quod omnes ſacerdotes eccleſiæ non ſunt conſecrati. Apoſtolica enim dignitas (dicunt) corrupta eſt, implicans ſe negotiis ſæcularibus; & in cathedra Petri non militans Deo, ſicut Petrus, poteſtate conſecrandi, quæ data fuit Petro, ſe privavit: & quod ipſa non habet, Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui in Eccleſia ſæculariter vivunt, ab ea non accipiunt ut aliquos conſecrare poſſint, advertentes illud de verbis Chriſti: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; quæ vobis dicunt facite*. quaſi iſtis talibus conceſſa ſit poteſtas tantum dicendi & præcipiendi, & nihil amplius. Et ita evacuant ſacerdotium Eccleſiæ, & damnant ſacramenta, præter Baptiſmum ſolum, & hunc in adultis, quos dicunt baptizari per Chriſtum, quicumque ſit miniſter ſacramentorum. De Baptiſmo parvulorum fidem non habent, præter illud de Evangelio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Omne conjugium vocant fornicationem, præter quod contrahitur inter utroſque virgines, maſculum & feminam, adſtruentes hæc de verbis Domini, quibus reſpondit Phariſæis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. quaſi Deus tales conjungat, tamquam ad ſimilitudinem primorum hominum. & quod eiſdem ei opponentibus de libello reſpondit repudii, *Ab initio non fuit ſic*. & item quod ibidem ſequitur: *Qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. & illud de Apoſtolo: *Honorabile connubium ſit omnibus, & thorus immaculatus*.

5. In ſuffragiis ſanctorum non confidunt; jejunia ceteraſque afflictiones, quæ fiunt pro peccatis, adſtruunt juſtis non eſſe neceſſaria, nec etiam peccatoribus: quia *in quacumque die ingemuerit peccator, omnia peccata remittuntur ei*: ceteraſque obſervantias in Eccleſia, quas Chriſtus & Apoſtoli ab ipſo diſcedentes non condiderunt, vocant ſuperſtitiones. Purgatorium ignem poſt mortem non concedunt: ſed animas ſtatim, quando egrediuntur, de corpore in æternam vel requiem, vel pœnam tranſire, propter illud Salomonis: *Lignum in quamcumque partem ceciderit, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ibi manebit*. Et ſic Fidelium orationes vel oblationes pro defunctis adnihilant.

6. Contra hæc tam multiformia mala rogamus, ſancte Pater, ut evigilet ſollicitudo veſtra, & contra feras arundinis ſtilum dirigatis. Nec nobis reſpondeatis, quod turris illa David, ad quam confugimus, ſatis ſit ædificata cum propugnaculis, quod mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Sed volumus, Pater, ut hæc armatura propter nos ſimpliciores & tardiores, veſtro ſtudio in unum collecta, contra hæc tot monſtra ad inveniendum ſiat paratior, & in reſiſtendo efficacior. Noveritis etiam, domine, quod redeuntes ad eccleſiam nobis dixerunt, illos habere maximam multitudinem ferè ubique terrarum ſparſam, & habere eos plures ex noſtris clericis & monachis. Illi vero qui combuſti ſunt, dixerunt nobis in defenſione ſua, hanc hæreſim uſque ad hæc tempora occultatam fuiſſe à temporibus Martyrum, & permanſiſſe in Græcia, & quibuſdam aliis terris. Et hi ſunt illi hæretici, qui ſe dicunt Apoſtolos, & ſuum Papam habent. Alii Papam noſtrum adnihilant, nec tamen alium præter eum habere fatentur. Iſti Apoſtolici ſatanæ habent inter ſe feminas (ut dicunt) continentes, viduas, virgines, uxores ſuas, quaſdam inter electas, quaſdam inter credentes; quaſi ad formam Apoſtolorum, quibus conceſſa fuit poteſtas circumducendi mulieres. Vale in Domino.

SERMO LXV.

De clandeſtinis hæreticis, quorum præpoſteram religionem & ſtudium occultandi myſteria ſua, necnon ſcandaloſum feminarum contubernium præſtringit.

1. DUos vobis ſuper uno capitulo diſputavi ſermones: tertium * paro, ſi audire non tædeat. Et neceſſarium reor. Nam quod ad noſtram quidem ſpectat domeſticam vineam, quæ vos eſtis, ſatis me arbitror in duobus feciſſe ſermonibus pro munimento illi adverſus inſidias tripertiti generis vulpium, qui ſunt adulatores, detractores, ac ſeductorii quidam ſpiritus, gnari & aſſueti mala ſub ſpecie boni inducere. Verum dominicæ vineæ non ita. Illam loquor, quæ implevit terram, cujus & nos portio ſumus: vineam grandem nimis, Domini plantatam manu, redemptam ſanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, fœcundatam ſpiritu. Ergo plus proprii curam gerens, in commune minus profui. Movet me autem pro ipſa multitudo demolientium eam, defenſantium paucitas, difficultas defenſionis. Difficultatem occultatio facit. Nam cum Eccleſia ſemper ab initio ſui vulpes habuerit, cito omnes compertæ & captæ ſunt. Confligebat hæreticus palam, (nam inde hæreticus maxime, quod palam vincere cupiebat) & ſuccumbebat. Ita ergo facile illæ capiebantur vulpes. Quid enim ſi poſita in lucem veritate hæreticus in ſuæ pertinaciæ tenebris remanens, ſolus foris religatus areſceret?

Triplices vulpes.
* al. edere paro.
Eccleſia vinea Domini.
Hæretici vulpes.

Nihilo minus capta reputabatur vulpes, condemnata impietate, & impio foras miſſo, oſtenſui utique jam victuro, non fructui. Ex hoc, juxta Prophetam, erant illi ubera arentia, & venter ſterilis: quia non repullulat error publice confutatus, & falſitas aperta non germinat.

Oſee 9. 14.

6. Quid faciemus his malignissimis vulpibus, ut capi queant, quæ nocere quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, ſed ſerpere? Omnibus una intentio hæreticis ſemper fuit captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ. Sola iſta malignior ceteris verſutiorque hæreſibus, damnis paſcitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Docta, credo, exemplis veterum, quæ proditæ evadere non valebant, ſed confeſtim capiebantur, cauta eſt novo maleficii genere operari myſterium iniquitatis, eo licentius, quo latentius. Denique indixere (ut dicitur) latebras ſibi, firmaverunt ſibi ſermonem nequam. Jura, perjura: ſecretum prodere noli. Enimvero aliàs ne tenuiter quidem jurare ullatenus acquieſcunt, propter illud de Evangelio: *Non jurare, neque per cælum, neque per terram, &c.* O ſtulti & tardi corde, repleti plane phariſaico ſpiritu, liquantes culicem, & camelum glutientes. Jurare non licet, & pejerare licet? An in hoc ſolo utrumque licet? De quonam mihi Evangeliorum loco producitis iſtam exceptionem, qui ne iota quidem (ut falſo gloriamini) præteritis? Patet vos & ſuperſtitioſe obſervare de juramento, & flagitioſe præſumere de perjurio. O perverſitatem! Quod ad cautelam conſultum eſt, videlicet, *non jurare*; hoc iſti mandati vice tam contentioſe obſervant: & quod immobili jure ſancitum eſt, non pejerandum ſcilicet, hoc tamquam indifferens pro ſua voluntate diſpenſant. Non, inquiunt, ſed ne myſterium publicemus. Quaſi gloria Dei non ſit revelare ſermonem. An Dei invident gloriæ? Sed magis credo quod pandere erubeſcant, ſcientes inglorium. Nam nefanda & obſcœna dicuntur agere in ſecreto, ſiquidem & vulpium poſteriora fœtent.

Hæreticorum genius. Superbus.

Novi illi cauta.

Matt. 5. 34.

Averſantur juramenta, non perjuria.

5. Sed taceo quæ negarent: ad manifeſta reſpondeant. An juxta Evangelium cavent ſanctum dare canibus, & margaritas porcis? At iſtud aperte fateri eſt, ſe non eſſe de Eccleſia, qui omnes qui de Eccleſia ſunt, canes cenſent & porcos. Sine exceptione enim omnibus qui de ſua ſecta non ſunt; ſuum illud, quicquid eſt, ſubtrahendum exiſtimant. Ceterum hoc etſi ſentiant, non reſpondebunt, ne manifeſti ſiant, nempe quod omni modo fugiunt, ſed non effugient. Reſponde mihi, ô homo, qui plus quam oportet ſapis, & plus quam dici poteſt deſipis. Dei eſt, an non, myſterium quod occultas? Si eſt, cur non ad ejus gloriam pandis? Nam gloria Dei, revelare ſermonem. Si non, cur fidem habes in eo quod non eſt Dei, niſi quia hæreticus es? Aut igitur Dei ſecretum ad Dei gloriam prodant; aut Dei negent myſterium, & minime ſe hæreticos negent: aut certe nihilo minus manifeſtos ſe fateantur inimicos gloriæ Dei; qui nolunt manifeſtum fieri, quod ei norunt fore ad gloriam. Stat nempe Scripturæ veritas: *Gloria regum celare* [a] *verbum, gloria Dei revelare ſermonem.* [a] Non vis tu revelare? Non ergo vis Deum glorificare. Sed forte non recipis ſcripturam hanc. Ita eſt: ſolius Evangelii ſe profitentur æmulatores, & ſolos. Reſpondeant proinde Evangelio. *Quod dico*, ait, *in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Jam non licet ſilere. Uſquequo occultum tenetur, quod palam Deus fieri jubet? Uſquequo opertum eſt Evangelium veſtrum? Suſpicor: veſtrum non eſt Pauli. nam ille ſuum fatetur opertum non eſſe. *Etſi*, inquit, *opertum eſt Evangelium meum, in his opertum eſt qui pereunt.* Videte ne vos diceret, apud quos Evangelium invenitur opertum. Quid apertius quod pereatis? An forte nec Paulum recipitis? De quibuſdam ita audivi. Non enim inter vos omnes per omnia concordatis, etſi à nobis omnes diſſentiatis.

Matt. 7. 6.

Suſpectum eorum ſtudium in occultandis myſteriis ſuis.

Prov. 25. 2. a

Matt. 10. 27.

2. Cor. 4. 3.

Tom. I V.

4. At vero eorum verba, & ſcripta, & traditiones, qui corporaliter cum Salvatore fuerunt, pari auctoritate Evangelii cuncti (ni fallor) indifferenter recipitis. Numquid illi opertum tenuere Evangelium ſuum? Numquid in Deo carnis infirma, mortis horrida, crucis ignominiam tacuere? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum. Ubi apoſtolica forma & vita, quam jactatis? Illi clamant, vos ſuſurratis: illi in publico, vos in angulo: illi *ut nubes volant*, vos in tenebris ac ſubterraneis domibus delitеſcitis. Quid ſimile illis in vobis oſtenditis? An quod vobiſcum mulierculas non utique circumducitis, ſed includitis? Non æque comitatio, ut cohabitatio, ſuſpicioni patet. Verum quiſnam de illis ſiniſtrum quippiam ſuſpicaretur, qui mortuos ſuſcitabant? Fac tu ſimiliter, & una recubantem putabo feminam virum. Alioquin temere tibi uſurpas illorum diſpenſationem, quorum ſanctitatem non habes. Cum femina ſemper eſſe, & non cognoſcere feminam, nonne plus eſt quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes; & quod majus eſt vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ eſt in menſa; lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipſius in opere: & continens vis putari? Eſto ut ſis: ſed ego ſuſpicione non careo. Scandalo mihi es: tolle ſcandali cauſam, quo te probes verum (ut jactitas) Evangelii æmulatorem. Qui ſcandalizaverit unum de Eccleſia, nonne Evangelium condemnat illum? Tu Eccleſiam ſcandalizas. Vulpes es demoliens vineam. Juvate me, ſocii, ut capiatur: vel potius capite vos nobis eam, ô Angeli ſancti. Verſuta eſt valde, operta eſt iniquitate & impietate ſua. Plane tam puſilla atque ſubtilis, ut facile quidem humanos fruſtretur obtutus. Numquid & veſtros? Propterea vox illa ad vos, utpote ſodales ſponſi: *Capite nobis vulpes parvulas.* Ergo facite quod jubemini: capite nobis hanc tam verſipellem vulpeculam, quam ecce jamdiu fruſtra inſequimur. Docete & ſuggerite, qualiter fraus deprehendatur. Hoc enim eſt cepiſſe vulpem: quia longe plus nocet falſus Catholicus, quam ſi verus appareret hæreticus [b]. Non eſt autem hominis ſcire quid ſit in homine, niſi quis forte ad hoc ipſum fuerit vel illuminatus Spiritu Dei, vel angelica informatus induſtria. Quod ſignum dabitis, ut palam fiat peſſima hæreſis hæc, docta mentiri non lingua tantum, ſed vita?

Pſal. 18. 4.

Iſa. 60. 8.

Hæretici quam alieni à moribus Apoſtolorum.

Familiaritas cum feminis periculo & ſcandalo patet.

Cant. 2. 15.

Plus nocet falſus catholicus, quam verus hæreticus. b

5. Et quidem recens vaſtatio vineæ vulpem indicat affuiſſe: ſed neſcio qua arte fingendi ita ſua confundit veſtigia calidiſſimum animal, ut qua vel intret, vel exeat, haud facile queat ab homine deprehendi. Cumque pateat opus, non apparet auctor: ita per ea quæ in facie ſunt, cuncta diſſimulat. Denique ſi fidem interroges, nihil chriſtianius: ſi converſationem, nihil irreprehenſibilius: & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in teſtimonium ſuæ fidei frequentare eccleſiam, honorare presbyteros, offerre munus ſuum, confeſſionem facere, ſacramentis communicare. Quid fidelius? Jam quod ad vitam moreſque ſpectat, neminem circumvenit, neminem ſupergreditur, neminem concutit. Pallent inſuper ora jejuniis, panem non comedit otioſus, operatur manibus unde vitam ſuſtentat. Ubi jam vulpes? Tenebamus eam: quomodo elapſa eſt è manibus? Quomodo tam repente diſparuit? Inſtemus, inveſtigemus: à fructibus ejus cognoſcemus eam. Et certe vinearum demolitio teſtatur vulpem. Mulieres relictis viris, & item viri dimiſſis uxoribus, ad iſtos ſe conferunt. Clerici & ſacerdotes, populis eccleſiiſque relictis, intonſi & barbati apud eos inter textores & textri-

Hæretici verſipelles & hypocritæ.

Ex fructibus cognoſcendi.

a Hic locus in Vulgata nunc contrario ſenſu effertur Proverbiorum 25 v. 2. *Gloria Dei eſt celare verbum: & gloria regum inveſtigare ſermonem.* Vulgatæ favet græcum LXX. Interpretum. Vide Horſtii Notas.

b Quidam codices ſimpliciorem lectionem habent, *quam verus hæreticus.* Editi primi noſtram præferunt cum aliis ſcriptis.

 ces plerumque inventi ſunt. Annon gravis demolitio iſta? annon opera vulpium hæc?

6. Verum noo apud omnes forte iſta tam manifeſta deprehenduntur: & ſi ſint, non eſt unde probentur. Quonam modo capimus illos? Revertamur ad conſortium & contubernium feminarum: hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo unum quempiam horum. Heus tu bone vir! quænam hæc mulier, & unde hæc tibi? Uxorne tua? Non, inquit, nam voto meo iſtud non convenit. Filia ergo? Non. Quid igitur? Non ſoror, non neptis, non aliquo ſaltem propinquitatis vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorſus. Et quomodo tuta tibi cum iſta continentia tua? Sane nec licet tibi iſtud. Cohabitationem (ſi neſcis) virorum & feminarum in iis, qui vovere continentiam, Eccleſia * vetat. Si non vis ſcandalizare Eccleſiam, ejice feminam. Alioquin ex hoc uno cetera, quæ non adeo manifeſta ſunt, proculdubio credibilia fiunt.

Feminarum contubernium continentiam profeſſis vetitum.

** ac à Nobis de cohabit. cler. Synod. Nicæna, can. 3. & c. Interdixit, diſt. 27. &c.*

7. Sed quo mihi, inquit, Evangelii loco monſtras prohibitum iſtud? Evangelium appellaſti? ad Evangelium ibis. Si obedias Evangelio, non facies ſcandalum: prohibet enim plane Evangelium ſcandalum fieri. Facis autem tu, iſtam non amovendo juxta conſtitutum Eccleſiæ. Suſpectus eras, at nunc manifeſte cenſebere & contemptor Evangelii, & Eccleſiæ adverſator. Quid judicatis, fratres? Si pertinax fuerit ut nec obediat Evangelio, nec Eccleſiæ acquieſcat, quid jam tergiverſari poteſt? Nonne aperte vobis videtur deprehenſa fraus, & comprehenſa vulpes? Si non amovet feminam, non amovet ſcandalum: ſi non amovet ſcandalum cum amovere poſſit, tranſgreſſor tenetur Evangelii. Quid factura Eccleſia eſt, niſi ut amoveat illum qui non vult amovere ſcandalum, ne ſit ſimilis illi inobediens? Nam mandatum habet ex hoc in Evangelio, non parcere proprio oculo ſcandalizanti ſe, non manui, non pedi: ſed eruere illum, abſcindere iſta, & projicere à ſe. *Si, inquit, Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Matt. 18. 6. Ex Evangelio convincuntur hæretici

Matth. 5. 29.

Matt. 18. 17.

8. Fecimuſne aliquid? Puto quia fecimus. Cepimus vulpem, quia fraudem percepimus. Manifeſti ſunt qui latebant falſi Catholici, veri deprædatores Catholicæ. Etenim dum mecum dulces capiebas cibos, (corpus dico & ſanguinem Chriſti) dum in domo Dei ambulavimus cum conſenſu, fuit ſuadendi locus, imo opportunitas ſeducendi, juxta illud Sapientiæ: *Simulator ore decipit amicum ſuum.* Nunc autem facile, ſecundum ſapientiam Pauli, poſt unam * & ſecundam admonitionem hæreticum hominem devitabo, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt; ac proinde cautus providere, ne jam ſit & ſubverſor. Itaque nonnihil eſt, juxta verbum Sapientis, in inſidiis ſuis captos eſſe iniquos, illos præſertim iniquos, qui inſidiis pro armis uti cauti ſunt. Nam conflictus omnino ab his & defenſio periit. Vile nempe hoc genus eſt & ruſticanum, ac ſine litteris, & prorſus imbelle. Denique vulpes ſunt, & puſillæ: ſed neque illa, in quibus male ſentire dicuntur, defenſibilia ſunt; nec tam ſubtilia, quam ſuaſibilia, idque dumtaxat mulierculis ruſticis & idiotis, & quales utique omnes ſunt, quotquot adhuc de ſecta hac eſſe expertus ſum. Nec enim in cunctis aſſertionibus eorum (nam multæ ſunt) novum quid aut inauditum audiſſe me recolo, ſed quod tritum eſt, & diu ventilatum inter antiquos hæreticos, à noſtris autem contritum & eventilatum. Dicendum tamen, & dicam, quænam illæ ineptiæ [a] ſint, partim quas ſciſcitantibus ſe Catholicis minus caute reſpondentes ipſi confeſſi ſunt, partim quas diviſi ab invicem litigantes de invicem prodiderunt, partim quoque quas nonnulli eorum redeuntes ad Eccleſiam detexerunt: non quod ad omnes reſpondeam (nec enim neceſſe eſt,) ſed tantum ut innoteſcant. At iſtud alterius erit opus ſermonis, ad laudem & gloriam nominis Sponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Prov. 11. 9.

*Tit. 3. 10. * al. primam.*

Prov. 11. 6.

Novorum hæreticorum genius & dogmata.

SERMO LXVI.

De erroribus hæreticorum circa nuptias, Baptiſmum parvulorum, Purgatorium, orationes pro defunctis, & invocationem ſanctorum.

1. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Ecce ego ad vulpes iſtas. Ipſæ ſunt quæ prætergrediuntur viam, & vindemiant vineam. Non ſunt contentæ deſerere viam, niſi & deſertare vineam poſſint, addentes prævaricationem. Non ſufficit hæreticos eſſe, niſi & hypocritæ ſint, ut ſit ſupra modum peccans peccatum. Hi ſunt qui veniunt in veſtimentis ovium ad nudandas oves, & ſpoliandos arietes. An non tibi utraque res impleta videtur, ubi & fide plebes, & plebibus ſacerdotes deprædati inveniuntur? Quinam iſti prædones? Hi oves ſunt habitu, aſtu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi ſunt qui boni videri, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali: mali videri timent, ne parum ſint mali. Etenim MINUS ſemper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergo in malum bonorum boni apparere ſtudent; mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neque enim eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia colorare quodam quaſi virtutum minio. Denique ſuperſtitionis impietatem nomine religionis intitulant. Innocentiam diffiniunt, tantum in aperto non lædere, innocentiæ proinde ſolum ſibi vindicantes colorem. In operimentum turpitudinis, continentiæ ſe inſigniere voto. Porro turpitudinem in ſolis exiſtimant reputandam uxoribus: cum vel ſola ſit ea, quæ cum uxore eſt, cauſa, quæ turpitudinem excuſat in coitu. Ruſticani homines ſunt & idiotæ, & prorſus contemptibiles: ſed non eſt (dico vobis) cum eis negligenter agendum. Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.

Cant. 2. 15.

Hæretici hypocritæ.

Vitia colore virtutum obducunt.

2. Denique non neglexit Spiritus-ſanctus, qui de his quondam tam manifeſte vaticinatus eſt, dicente Apoſtolo: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* Iſtos prorſus, iſtos dicebat. Hi nubere prohibent, hi à cibis abſtinent quos Deus creavit, de quibus poſtea videbimus. Nunc autem videte, ſi non proprie dæmonum, & non hominum ludificatio hæc, ſecundum quod prædixerat Spiritus. Quære ab illis ſuæ ſectæ auctorem; neminem dabunt. Quæ hæreſis non ex hominibus habuit proprium hæreſiarcham? Manichæi Manem habuere principem & præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunominiani Eunomium, Neſtoriani Neſtorium. Ita omnes ceteræ hujuſmodi peſtes, ſingulæ ſingulos magiſtros, homines habuiſſe noſcuntur, à quibus originem ſimul duxere & nomen. Quo nomine iſtos titulove cenſebis? Nullo: [b] quoniam non eſt ab homine illorum hæreſis, neque per hominem illam acceperunt. Abſit tamen ut per revelationem Jeſu-Chriſti, ſed magis & abſque dubio (uti Spiritus-Sanctus prædixit) per immiſſionem

1. Tim. 4. 1. Hæreticorum deſcriptio ex Apoſtolo

Hæreſis iſtorum abſque auctore.

1. Tim. 4. 2.

a Eodem modo Bernardus Abælardi errores vocat *ineptias* in epiſtola 370. num. 2. & *ineptias* in ſimili cauſa utitur in ſermone ſequenti num. 4. Eadem voce uſa eſt eccleſia Lugdunenſis, præter alios, in libro edito *adverſus ineptias & errores Johannis Scoti.*

b Neſcio an id dicturus fuiſſet Bernardus, ſi Colonienſes iſti Henricum, à quo Henriciani hæretici, auctorem habuiſſent. Quamquam ſimilia utrorumque dogmata erant, ut patet conferenti epiſtolam 240. Colonienſium duas claſſes notat Evervinus, quas Bernardus non niſi obſcure diſtinguit in fine Sermonis 65.

& fraudem dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere.

Nuptias damnant hæretici.

3. In hypocriſi plane hoc & vulpina doloſitate loquuntur, fingentes ſe amore id dicere caſtitatis, quod magis cauſa turpitudinis fovendæ & multiplicandæ adinvenerunt. Res tamen tam in aperto eſt, ut mirer quomodo umquam homini Chriſtiano perſuaderi potuerit: niſi quod hi adeo aut beſtiales ſunt, ut non advertant, qualiter omni immunditiæ laxat habenas, qui nuptias damnat: aut certe ita pleni nequitia, & diabolica malignitate abſorpti, ut advertentes diſſimulent, & lætentur in perditione hominum. Tolle de Eccleſia honorabile connubium & thorum immaculatum; nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, feminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum? Elige ergo utrumlibet, aut ſalvari univerſa monſtra hæc hominum, aut numerum ſalvandorum ad continentium redigi paucitatem. Quàm parcus in uno, quàm largus in altero? Neutrum horum competit Salvatori. Quid? Coronabitur turpitudo? Nihil minus decet honeſtatis auctorem. Damnabitur univerſitas præter pauculos continentes? Non eſt hoc eſſe Salvatorem. Rara in terris continentia, neque pro tantillo quæſtu ad terras plenitudo illa ſemetipſam exinanivit. Et quomodo de illa omnes accepimus, ſi ſolis indulſit continentibus participium ſui? Non eſt quod ad hoc reſpondeant. Sed neque ad illud, credo. Si honeſtati in cælis eſt locus, non ſit autem honeſto & turpi conſortium, ſicut non eſt ſocietas luci ad tenebras: profecto neminem immundorum locus in loco ſalutis manet. Si quis aliter ſapit, arguet illum apoſtolica vox, abſque omni ambiguo aſſerens: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Qua jam exiet de caverna hæc inſidioſa vulpecula? Puto in fovea deprehenſam, in qua ſibi duo quaſi foramina fecerit, unum quo intret, alterum quo exeat. Nam conſuevit ita. Vide ergo quomodo utrobique illi interclusus ſit exitus. Si ſolos in cæleſtibus collocat continentes, perit ex maxima parte ſalus: ſi omnem ſpurcitiam pariter cum continentibus collocat, perit honeſtum. Sed juſtius perit ipſa, neque hac exitura, neque illac, recluſa perpetuo, & capta in fovea quam fecit.

Conjugium tollere, eſt omnem ſpurcitiam inducere.

Non ſolos continentes ſalvandos.

Gal. 5. 21.

Alius error de matrimonio inter virgines tantum contrahendo.

4 Quidam tamen diſſentientes ab aliis, inter ſolos virgines matrimonium contrahi poſſe fatentur. Verum quid in hac diſtinctione rationis afferre poſſint, non video; niſi quod pro libitu quiſque ſuo ſacramenta Eccleſiæ, tamquam matris viſcera, dente vipereo certatim inter ſe dilacerare contendunt. Nam quod dicuntur prætendere de primis conjugibus, quia virgines erant: quid iſtud quæſo matrimonii præjudicat libertati, quo minus & inter non virgines contrahi liceat? Sed neſcio quid ſe in Evangelio inveniſſe ſuſurrant, quod ſuæ ineptiæ fruſtra exiſtimant ſuffragari. Illud credo, quod Dominus cum præmiſiſſet teſtimonium de Geneſi, *Et creavit hominem Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, maſculum & feminam creavit illos*; poſtea intulit: *Ergo quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hos, inquiunt, conjunxit Deus, quia virgines ambo erant, & jam non licuit ſeparari: non erit autem ex Deo copulatio ſecus præſumpta. Quis tibi dixit propterea à Deo conjunctos, quia virgines erant? Nam Scriptura hoc non loquitur. An non virgines erant, inquit? Erant; ſed non eſt idipſum, copulatos virgines, & copulatos quia virgines. Quamquam ne hoc quidem nominatim dictum reperies, quod virgines eſſent, quamvis eſſent. Sexuum ſane expreſſa diverſitas eſt, non virginitas, cum dictum eſt: *Maſculum & feminam creavit illos.* Merito quidem. Non enim maritalis copula corporum requirit integritatem, ſed ſexuum aptitudinem. Bene proinde ipſam inſtituens Spiritus-ſanctus, ſexum expreſſit, & virginitatem tacuit, nec dedit occaſionem venandi verbum inſidioſis vulpeculis. Quod utique libenter feciſſent; quamvis id quoque fruſtra. Quid enim ſi dixiſſet, Virgines creavit illos? Num propterea continuo obtinuiſſes, ſolos virgines licere conjungi? Et tamen quomodo exſultaſſes ex ſola verbi occaſione? quomodo exſufflaſſes ſecundas & tertias nuptias? quomodo inſultaſſes Catholicæ, ſcorta lenoneſque ad invicem tanto libentius conjungenti, quanto proinde eos de turpi ad honeſtum tranſire non dubitat? Fortaſſis & reprehenderes Deum Prophetæ præcipientem fornicariam ducere: nunc autem & occaſio deeſt, & libet gratis hæreticum eſſe. Nam teſtimonium quod uſurpaſti ad adſtruendum errorem tuum, plus ad deſtruendum valere inventum eſt, pro te facere nihil, contra te plurimum.

Gen. 1. 27.

Marc. 10. 19.

Gen. 1. 27.

Tom. IV.

Oſee 1. 2.

5. Nunc autem audi, quod te ex toto aut confundit, aut corrigit, & hæreſim tuam prorſus conterit & comminuit. *Mulier quanto tempore vir ejus vivit, alligata eſt viro: ſi autem dormierit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri: cui vult nubat, tantum in Domino.* Paulus eſt qui concedit viduæ, ut cui vult nubat: & tu è contra præcipis, Nulla præter virginem nubat, & hoc non niſi virgini: ut non cui vult, nubat vel ipſa. Quid manum Dei abbrevias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? Quid proprium vindicas virgini, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus, niſi liceret. At parum dico, concedit: vult quoque. *Volo*, inquit, *adoleſcentiores nubere:* nec dubium quin viduas dicat. Quid manifeſtius? Ergo quod concedit, quia licet; etiam vult, quia expedit. Quod licet & expedit, hæreticus prohibet? Nihil ex hac prohibitione perſuadebit, niſi quod hæreticus eſt.

1 Cor. 7. 39.

Viduis nuptias repetere licitum.

1 Tim. 5 14.

6. Supereſt ut & de reſiduo apoſtolicæ prophetiæ iſtos aliquantulum exagitemus. Abſtinent namque hi (ut prædixit ille *) à cibis, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione: hinc quoque hæreticos ſe probantes, non ſane quia abſtinent, ſed quia hæretice abſtinent. Nam & ego interdum abſtineo: ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccatis, non ſuperſtitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quod caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit? Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum, modico utar, juxta conſilium Pauli. Abſtinebo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim in ſaturitate. Sed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtenſio ſane ventris uſque ad titillationem pertingat libidinis. Hæreticus aliter. Nempe horret lac, & quicquid ex eo conficitur: poſtremo omne quod ex coitu procreatur. Recte & chriſtiane, ſi non idcirco quia ex coitu, ſed ne ad coitum provocent.

* Id eſt Apoſtolus. 1 Tim. 4. 3.

Diſcrimen abſtinentiæ Catholicorum & hæreticorum.

1 Cor. 9. 27.

Eph. 5 18.

1 Tim. 5. 23.

Ezech. 16. 49.

7. Ceterum quid ſibi vult, quod ita generaliter omne quod ex coitu generatur, vitatur? Suſpicionem generat mihi obſervatio iſta ciborum tam ſignanter expreſſa. Verumtamen ſi de regula medicorum hoc profers nobis; non reprehendimus curam carnis, quam nemo umquam odio habuit, ſi tamen non nimia fuerit. Si de diſciplina abſtinentium, id eſt ſpiritualium medicorum ſchola; etiam virtutem approbamus, qua carnem domas, frenas libidinem. At ſi de inſania Manichæi [a] præſcribis beneficentiæ Dei, ut quod ille creavit & donavit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modo ingratus, ſed & cenſor temerarius immundum decernas, & tamquam à malo abſtineas; non plane abſtinentiam collaudabo, ſed exſecrabor blaſphemiam: te magis immundum dixerim, qui immundum quid putas. *Omnia munda mundis*, ait ille rerum optimus æſtimator; & nihil

Animalia nata ex coitu, an vitanda.

a Manichæorum ſuperſtitioſa abſtinentia à certis creaturis.

Tit. 1. 15.

a Omnes, aut fere omnes illorum temporum hæretici Manichæorum deliriis dementati erant, ut in Præfatione generali dictum eſt. Nec mirum proinde, ſi tantopere veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia averſabantur, qui verum in Chriſto corpus fuiſſe negabant.

immundum, niſi ei qui immundum quid putat. *Immundis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum mens & conſcientia.* Væ qui reſpuitis cibos, quos Deus creavit, judicantes immundos & indignos, quos trajiciatis in corpora veſtra: cum propterea vos corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, tamquam pollutos & immundos exſpuerit.

Hæretici frustra jactant ſe eſſe Apoſtolicos.

8. Non ignoro, quod ſe & ſolos corpus Chriſti eſſe glorientur. ſed ſibi hoc perſuadeant qui illud quoque perſuaſum habent, poteſtatem ſe habere quotidie in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem [a] conſecrandi ad nutriendum ſe in corpus Chriſti & membra. Nempe jactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & apoſtolicos nominant, nullum tamen apoſtolatus ſui ſignum valentes oſtendere. Quouſque lucerna ſub modio? *Vos eſtis lux mundi*, dictum eſt Apoſtolis: & ideo Apoſtoli ſuper candelabrum, ut toto luceant mundo. Pudeat ſucceſſores Apoſtolorum lucem non eſſe mundi, ſed modii, mundi autem tenebras. Dicamus eis, Vos eſtis tenebræ mundi: & tranſeamus ad alia. Se dicunt Eccleſiam. Sed contradicunt ei qui dicit: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem compoſita.* Itane lapidem de monte abſciſſum ſine manibus, montem factum, & implentem mundum, veſtris creditis incluſum antris? Et ne hic quidem immorandum. Ipſa opinio refugit publicari ſuo contenta ſuſurrio. Habet, & ſemper habebit integram Chriſtus hereditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ. Se potius ſubtrahunt huic magnæ hereditati, qui Chriſto illam conantur detrahere.

Matt. 5. 14.

& Eccleſiam. Ibidem.

Alii errores de Baptiſmo parvulorum, Oratione pro defunctis, ſuffragiis SS.

9. Videte detractores, videte canes. Irrident nos, quod baptizamus infantes; quod oramus pro mortuis; quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere hominum atque in utroque ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis & parvulis, in vivis & mortuis; hinc quidem infantibus ex impoſſibilitate naturæ, inde vero adultis ex difficultate continentiæ præſcribentes. Porro mortuos viventium fraudantes auxiliis, viventes nihilo minus Sanctorum, qui deceſſerunt, ſuffragiis ſpoliantes. Abſit. Non relinquet Dominus plebem ſuam, quæ eſt ſicut arena maris, nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui omnes redemit. Neque enim parva, ſed plane copioſa apud eum redemptio. Quantus vero numerus iſtorum ad magnitudinem pretii? Se magis pretio fraudant, qui ipſum evacuare conantur. Quid enim ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui, & talis fratris, clamat ad Deum de terra? Adſtat, & clamat nihilo minus mater Eccleſia. Quid tamen infans? Nonne & ipſe videtur tibi inhiare quodam modo [b] fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, ſuiſque vagitibus clamitare: Domine, vim patior, reſponde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur à natura *. Clamat innocentia miſeri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia, ſanguis fratris, fides matris, deſtitutio miſeri, & miſeria deſtituti: & clamatur ad Patrem. Porro Pater ſeipſum negare non poteſt, pater enim eſt.

Baptiſmus Parvulorum defenditur.

** al. ab origine. al. à peccato.*

Baptizantur in fide matris Eccleſiæ

10. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impertit ſuam, involvens illi in ſacramento, quouſque idoneus fiat proprio, non tantum ſenſu, ſed & aſſenſu, evolutam puramque percipere. Numquid breve pallium eſt, ut non poſſit ambos cooperire? Magna eſt Eccleſiæ fides. Numquid minor fide Chananææ mulieris, quam conſtat & filiæ ſufficere potuiſſe, & ſibi? Ideo audivit: *O mulier, magna eſt fides tua! fiat tibi ſicut petiſti.* Numquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi ſimul & corporis obtinuere ſalutem? Denique habes, *Quorum fidem ut vidit, ait paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Et paulo poſt: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Qui hæc credit, facile huic perſuadebitur merito Eccleſiam præſumere, non ſolum parvulis baptizatis in ſua fide ſalutem, ſed etiam interfectis pro Chriſto infantibus coronam martyrii. Quæ cum ita ſint, nullum præjudicium ſuſtinebunt regenerati de eo quod dictum eſt, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: cum ſine fide non ſint, qui in teſtimonium fidei baptiſmi gratiam perceperunt. Sed neque de eo quod item dictum eſt: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quid enim credere eſt, niſi fidem habere? Itaque & mulier ſalvabitur per generationem filiorum, ſi permanſerit in fide [c] cum ſeritate; & infantibus per lavacri regenerationem ſuccurretur; & adulti qui continere non poterunt, conjugii triceſimo fructu ſe redimenr; viventium quoque preces & hoſtias mortui, qui opus habebunt, & digni erunt, mediantibus percipient Angelis; & eorum qui jam pervenerunt, viventibus adhuc nequaquam ſolatia deerunt per Deum qui ubique eſt, & in Deo nuſquam affectu caritatis abſentium. Nam & Chriſtus propter hoc mortuus eſt & reſurrexit, ut vivorum dominaretur & mortuorum. Propter hoc quoque & infans natus eſt, & per ſingulos ætatum gradus profecit in virum, ut nulli deeſſet ætati.

Matt. 15. 28.

Matt. 9. 2.

Fides aliena placabus prodest.

Heb. 11. 6.

Marc. 16. 16.

1. Tim. 2. 15.

Rom. 14. 9.

Purgatorium male negant Hæretici.

11. Non credunt ignem purgatorium reſtare poſt mortem; ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio purgatiove peccati. Jam vero qui Eccleſiam non agnoſcunt, non eſt mirum ſi Ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi Inſtituta non recipiunt, ſi Sacramenta contemnunt, ſi mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. Numquam duo iſta convenient, epiſcopum eſſe & peccatorem? Falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas: & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat ſententiam? Si negas epiſcopum, arguet te teſtimonium Johannis, qui eum in teſtimonium ſui pontificatus etiam prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Judas: & licet avarus & ſceleratus, electus tamen à Domino. An tu de illius apoſtolatu dubitas, quem Dominus elegit? *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* Audis eumdem electum Apoſtolum, & exſtitiſſe diabolum; & negas poſſe eſſe epiſcopum, qui peccator eſt? Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis tamquam epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem, & dicentem: *Quæ dicunt facite.* Patet ergo, quamvis Scribæ, quamvis Phariſæi, quamvis videlicet maximi peccatores; propter cathedram tamen Moyſi, ad eos quoque nihilo minus pertinere quod item dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Matt. 12. 32.

Alii ipſorum errores [illegible].

Joan. 11. 51.

Johan. 6. 71.

Matt. 23. 3.

Luc 10. 16.

12. Multa quidem & alia huic populo ſtulto & inſipienti à ſpiritibus erroris, in hypocriſi loquentibus mendacium, mala perſuaſa ſunt: ſed non eſt reſpondere ad omnia. Quis enim omnia novit? Deinde labor infinitus eſſet, & minime neceſſarius. Nam quantum ad iſtos, nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt: nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubverſi ſunt. Probatum eſt: mori magis eligunt, quàm converti. Horum finis interitus, horum noviſſima incendium manet. Horum ſiquidem in facto Samſon ex ſuccenſis vulpium caudis figura præceſſit.

Hæreticorum pertinacia.

Judic. 15. 4.

a Nullo modo hoc in loco difficultas reſtat, collata ſuperiori epiſtola Ruervini, qui ait, hos hæreticos in eo fuiſſe errore, *quemlibet* (*ſicut inter eos baptizatum dicunt*) *electum habere poteſtatem corporis Chriſti & ſanguinem conſecrandi*. quod non immerito rejicit Bernardus. Vide ſis tamen priores Notas noſtras in hunc locum.

b Quidam codices cum primis editis, omiſſo *inhiare*, legunt, *tibi quodam modo de fontibus Salvatoribus vociferari, &c.*

c Varia lectio hujus loci. Gemeticenſis codex habet cum Vulgata, *in fide & dilectione cum ſanctificatione & ſobrietate.* Colbertinus, *in fide cum ſobrietate*; S. Germani noſtram præfert cum primis editis.

Plerumque fideles injectis manibus aliquos ex eis ad A medium traxerunt. Quæſiti fidem, cum de quibus ſuſpecti videbantur, omnia prorſus ſuo more negarent: examinati judicio [a] aquæ, mendaces inventi ſunt. Cumque jam negare non poſſent, quippe deprehenſi, aqua eos non recipiente; arrepto, ut dicitur, freno dentibus, tam miſere, quàm libere impietatem non confeſſi, ſed profeſſi ſunt, palam pietatem adſtruentes, & pro ea mortem ſubire parati. Nec minus parati inferre qui adſtabant. Itaque irruens in eos populus, novos hæreticis ſuæ ipſorum perfidiæ martyres dedit. Approbamus zelum, ſed factum non ſuademus: quia FIDES ſuadenda eſt, non imponenda. Quamquam melius proculdubio gladio [b] coercentur, illius videlicet qui non ſine B cauſa gladium portat, quàm in ſuum errorem multos trajicere permittantur. *Dei enim miniſter ille eſt, vindex in iram ei qui male agit.*

Hæretici martyres.

Fides ſuadenda non imponenda. b

13. Mirantur aliqui, quod non modo patienter, ſed & læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem: ſed qui minus advertunt, quanta ſit poteſtas diaboli, non modo in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt ſibimet hominem injicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe diabolum frequenter experti ſumus, qui ſeipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Judas ſuſpendit ſeipſum, diabolo ſine dubio immittente. Ego tamen majus exiſ- C timo, magiſque admiror, quod potuit immiſiſſe in cor ejus ut traderet Dominum, quàm ut ſemetipſum ſuſpenderet. Nihil ergo ſimile habent conſtantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis [c] pietas, in iſtis cordis duritia operatur. Et ideo Propheta Martyris forſitan voce dicebat: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus ſum:* pro eo videlicet quod etſi pœna eadem videretur, longe diverſa eſſet intentio, illo utique durante cor contra Dominum, iſto in lege Domini meditante.

Quid ſentiendum de martyrio hæreticorum.

Matt. 27. 5.

Diſcrimen conſtantiæ in veris & falſis martyribus.

Pſal. 118. 70. c

14. Quæ cum ita ſint, non eſt opus, ut dixi, fruſtra multa adverſus homines ſtultiſſimos atque obſtinatiſ- D ſimos dicere: ſufficit innotuiſſe illos ut vitentur. Quamobrem ut deprehendantur, cogendi ſunt vel abjicere feminas, vel exire de Eccleſia, utpote ſcandalizantes Eccleſiam in convictu & contubernio feminarum. Dolendum valde, quod non ſolum laici principes, ſed & quidam (ut dicitur) de Clero, necnon de ordine Epiſcoporum [d], qui magis eos perſequi debuerant, propter quæſtum ſuſtineant, accipientes ab eis munera. Et quomodo, inquiunt, damnabimus nec convictos, nec confeſſos? Frivola ſatis, non ratio, ſed occaſio. Hoc ſolo, etiamſi aliud non eſſet, facile deprehendis, ſi (ut dixi) viros & feminas, qui ſe continentes dicunt, ab invicem ſepares: & feminas qui- E dem cum aliis ſui & ſexus, & voti degere cogas; viros æque cum ejuſdem propoſiti viris. Per hoc enim conſultum erit utrorumque voto ſimul & famæ, cum continentiæ ſuæ & teſtes habuerint, & cuſtodes. Quod ſi non ſuſtinent, juſtiſſime eliminabuntur de Eccleſia, quam ſcandalizant, non ſolum notabili, ſed etiam illicita cohabitatione. Ergo iſta ſufficiant pro deprehendendis harum vulpium dolis, ad dandam ſcientiam & cautelam dilectæ & glorioſæ ſponſæ Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Hæreticos in Clero & ordine Epiſcoporum invenire fautores nimis indignum. d

Bernardi conſilium.

SERMO LXVII.

De mirabili affectu dilectionis ſponſæ, quem eructat propter amorem Chriſti ſponſi.

1. DIlectus meus mihi, & ego illi. Hactenus verba Sponſi. Adſit ipſe, ut digne ad gloriam ipſius & noſtram ipſorum ſalutem, ſponſæ ejus poſſimus inveſtigare ſermones. Neque enim tales ſunt, qui à nobis conſiderari & diſcuti, prout dignum fuerit, valeant, niſi ipſe fuerit dux verbi. Sunt enim quàm ſuaves ad gratiam, tam fœcundi ad ſenſus, tam etiam profundi ad myſteria. Cui ſimilabo eos? Uni interim alicui epu- B larum, quæ triplici quadam emineat gratia, delicioſa ad ſaporem, ſolida ad nutrimentum, efficax ad medicinam. Sic, inquam, ſic ſingulus quiſque ſponſæ ſermo, & ex eo quod ſuaviter ſonat, affectum mulcet; & de ſenſuum ubertate mentem impinguat & nutrit; & de altitudine myſteriorum, dum intellectum quo plus exercet, plus terret, miro modo tumorem ſanat inflantis ſcientiæ. Etenim ſi unus quiſpiam ex his forte, qui ſibi ſcioli videntur, curioſius ſeſe dederit ſcrutinio horum, cum viderit ingenii ſui ſuccumbere vires, & redigi in captivitatem omnem intellectum perſenſerit, nonne humiliatus ad illam vocem compelletur, ut dicat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata* C *eſt, & non potero ad eam?* Et nunc quidem principium verborum ejus quantæ ſuavitatis inſigne præfert? Nam vide quale principium dederit. *Dilectus*, inquit, *meus mihi, & ego illi.* Simplex vox videtur, quoniam ſuaviter ſonat: ſed de hoc videbitur poſtea.

Cant. 2. 16.

Scripturæ hujus ſuavitas, & ſoliditas, & efficacia.

Pſal. 138. 5.

2. Nunc vero à dilectione incipit, de dilecto proſequitur, nihil aliud ſe ſcire indicans niſi dilectum. Patet de quo ſermo: cum quo non ita. Non enim ut cum ipſo eodem fuerit ſentire permittitur, cum ipſe jam non affuerit. Neque id dubium, nempe mox eum revocare videtur, & quaſi poſt tergum clamare: *Revertere*, inquiens, *dilecte mi.* Unde adducimur non aliud ſane conjicere, niſi quod finitis verbis ſuis ille D iterum ſuo more ſe abſentaverit, & illa remanſerit nihilo minus de eo loquens, qui numquam abſens eſt ſibi. Ita eſt: in ore retinuit, qui non recedebat à corde, nec quando recedebat. Quod de ore exit, de corde venit, & ex abundantia cordis os loquitur. Ergo loquitur de dilecto, ut vere dilecta & vere diligenda, quoniam diligit multum. Quærimus cum quo? nam de quo, novimus. Et non occurrit, niſi forte cum adoleſcentulis, quæ à matre abeſſe non poſſunt, ubi diſceſſerit ſponſus. Sed melius (ut opinor) ſentimus ſecum potius, & non cum altero ſic locutam, præſertim quod trunca & minus continens inveniatur ipſa locutio, inſufficiens plane ad dandam intelligentiam audi- E tori, ob quam vel maxime invicem loquimur. *Dilectus meus mihi*, inquit, *& ego illi.* Non plus? Pendet oratio; immo non pendet, ſed deficit. Suſpenditur auditor, nec eruditur, ſed erigitur.

Luc. 6. 45.

3. Quid eſt hoc quod dicit, *ille mihi. & ego illi*? Neſcimus quid loquitur, quia non ſentimus quod ſentit. O ſancta anima, quid tuus ille tibi, quid tu illi? Quænam, quæſo, hæc inter vos tam familiariter favorabiliterque diſcurrens exhibitio, & redhibitio? Tibi ille, tuque viciſſim illi. Sed quid? Idipſum ei tu, quod tibi ille, an aliud? Si nobis, ſi ad noſtram loqueris intelligentiam, evidenter quod ſentis edicito. Quouſque animas noſtras tollis? An ſecundum Prophetam ſecretum F tuum tibi? Ita eſt: affectus locutus eſt, non intellectus, & ideo non ad intellectum. Ad quid ergo? Ad

Iſa. 24. 16.

a Judicium aquæ adeo non improbant veteres, ut illud ſingulari epiſtola probaverit Hincmarus Remorum antiſtes ad Hildegarium Meldenſem. Probationis hujus formam habes in tomo 1. Analectorum noſtrorum, ubi ab Eugenio ſecundo inſtituta dicitur. Vide tamen Horſtii Notas.

b Nullo modo ſibi contrarius eſt Bernardus in ſuperiori Sermone 64. num. 8 ubi ait hæreticos capiendos eſſe, *non armis, ſed argumentis*, id eſt, ſi ſe contineant, nec alios ſubvertere moliantur. Alias *melius proculdubio gladio coercentur, quàm in ſuum errorem multos trajicere permittantur*, ut hoc loco.

c Similis eſt Auguſtini ſententia in lib 5. operis perfecti contra Julianum, & lib de Patientia cap. 17. & ex eo Concilii Arauſicani 2. can. 17. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas facit, fortitudinem Chriſtianorum Dei caritas facit.*

d Ex eorum numero neſcio an fuerit Henricus Tulli Leucorum epiſcopus, cui Hugo Metellus epiſtolam mediam ſcribens, ait latere in ejus epiſcopatu *peſtilentes homines, qui conjugium deteſtantur, baptiſmum abominantur, ſacramenta Eccleſiæ derident.*

Tom. IV. nihil, niſi quod mirabiliter delectata, & affecta vehementer ad deſideratos affatus, finem illo faciente nec tacere omnino quivit, nec tamen quod ſenſit exprimere. Neque enim ut exprimeret ſic locuta eſt, ſed ne taceret. Ex abundantia cordis os locutum eſt, ſed non pro abundantia. Habent ſuas voces affectus, per quas ſe, etiam cum nolunt, produnt: timor (verbi cauſa) meticuloſas, dolor gemebundas, amor jucundas. Numquid dolentium planctus, mærentiumve ſingultus vel gemitus, percuſſorum, itemque paventium ſubitas & efferatas clamitationes, ſeu etiam ſaturatorum ructus, aut uſus creat, aut ratio excitat, aut deliberatio ordinat, aut præmeditatio format? Ejuſmodi certum eſt, non nutu prodire animi, ſed erumpere motu. Sic flagrans ac vehemens amor, præſertim divinus, cum ſe intra ſe cohibere non valet, non attendit, quo ordine, qua lege, quave ſerie ſeu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum ſui ſentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit, interdum nec voces omnino ullas, ſolis ad hoc contentus ſuſpiriis. Inde eſt, quod ſponſa ſancto amore flagrans, idque incredibili modo, ſane pro captanda quantulacumque evaporatione ardoris quem patitur, non conſiderat quid, qualiter eloquatur: ſed quicquid in buccam venerit, amore urgente non enuntiat, ſed eructat. Quidni eructet ſic refecta, & ſic repleta?

Affectus ſuas habent voces.

Amoris vox ſeu locutio qualis.

4. Revolve textum epithalamii hujus ab ipſo exordio uſque huc, & vide ſi tanta uſpiam illi, quanta hac vice in cunctis viſitationibus & allocutionibus Sponſi copia ejus indulta fuerit; & ſi umquam ex ore ipſius, non modo tam multos, ſed & tam jucundos ſermones acceperit. Quæ ergo repleverat in bonis deſiderium ſuum, quid mirum ſi ructum potius, quàm verbum fecit? Et ſi verbum feciſſe tibi videtur, eructatum puta, & non ſubornatum*, aut præordinatum. Nec enim ſponſa rapinam arbitratur ſibi aptare Prophetæ dictum, *Eructavit cor meum verbum*, quippe eodem repleta ſpiritu. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Nihil conſequentiæ habet, deeſt orationi. Quid inde? Ructus eſt. Quid tu in ructu quæris orationum juncturas, ſollemnia dictionum? Quas tu tuo ructui leges imponis, vel regulas? Non recipit tuam moderationem, non à te compoſitionem exſpectat, non commoditatem, non opportunitatem requirit. Per ſe ex intimis, non modo cum non vis, ſed & cum neſcis, erumpit, evulſus potius quàm emiſſus. Tamen odorem portat ructus, quandoque bonum, quandoque malum, pro vaſorum, è quibus aſcendit, contrariis qualitatibus. Denique bonus homo de bono theſauro ſuo profert bonum, & malus malum. Bonum vas ſponſa Domini mei, & bonus mihi odor ex illa.

* al. male ſubordinatum.

Pſal. 44. 2.

Ructus ſpiritualis.

Matt. 12. 35.

5. Gratias ago tibi, Domine Jeſu, qui me dignatus es admittere ſaltem ad odorandum. Ita Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Mihi, fateor, bene redolet ructus dilectæ tuæ, & de plenitudine ejus, quamvis modicum quid, gratanter accipio. Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructat mihi, & neſcio quid ineffabile tuæ dignationis & amoris odoratus ſum in voce iſta: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ipſa (ut dignum eſt) epuletur & exſultet in conſpectu tuo, & delectetur in lætitia: verumtamen ſic tibi excedat, ut ſobria ſit nobis. Ipſa ergo repleatur in bonis domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potetur: ſed quæſo, perveniat ad me pauperem vel tenuis odor eructante illa, cum ſatiata fuerit. Bene mihi eructavit Moyſes, & bonus odor in ructu ejus, creantis potentiæ: *In principio*, inquit, *creavit Deus cælum & terram*. Bene Iſaias; nam ſuaviſſimum redimentis miſericordiæ odorem dedit, ita eructans: *Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit*, ut non perirent. Quid æque miſericordiam redolet? Bonus quoque ex ore Jeremiæ ructus; bonus ex David, qui ait: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto, & eructantes omnia impleverunt bonitate. Ructum Jeremiæ requiritis? Non ſum oblitus, jam parabam illum. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini*. Ejus eſt, non fallor: admovete naribus: balſamum vincit ſuavitas remunerantis juſtitiæ, quam importat. Patientem pro juſtitia vult me exſpectare mercedem in poſterum, non recipere in præſenti, quod juſtitiæ merces, ſalutare, non ſæculi, ſed Domini ſit. *Si moram fecit*, inquit, *exſpecta eum, & ne murmuraveris, quoniam bonum eſt cum ſilentio exſpectare*. Ergo faciam quod hortatur; exſpectabo Dominum ſalvatorem meum.

Matt. 15. 27.

Gen. 1. 1.

Iſa. 53. 12.

Pſal. 44. 2.

Thren. 3. 26.

Abac. 2. 3.

6. Sed peccator ſum, & adhuc mihi grandis reſtat via, quia longe à peccatoribus ſalus. Non murmurabo tamen: in odore [a] interim conſolabor me. Lætabitur juſtus in Domino, guſtu experiens, quod ego ſentio odoratu. Quem ſpectat juſtus, peccator exſpectat; & exſpectatio odoratio eſt. *Nam exſpectatio*, ait, *creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat*. Porro ſpectare guſtare eſt, & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. An potius juſtus qui exſpectat; & qui jam tenet, beatus? Denique *exſpectatio juſtorum lætitia*. Nam peccator nihil exſpectat. Et inde peccator, quod bonis præſentibus non modo detentus, ſed & contentus, nihil in futurum exſpectat, ſurdus ad vocem illam: *Exſpecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum*. Et ideo juſtus erat Simeon, quia exſpectabat & odorabat jam Chriſtum in ſpiritu, quem necdum in carne adorabat. Et beatus in exſpectatione ſua, quia per odorem exſpectationis pervenit ad guſtum contemplationis. Denique ait, *Et viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Juſtus quoque Abraham, qui & ipſe exſpectavit ut videret diem Domini, & non eſt confuſus ab exſpectatione ſua, nam *vidit & gavisus eſt*. Juſti Apoſtoli cum audiebant: *Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum*.

a Juſtorum ſpectatio, non peccatorum.

Rom. 8. 19.

Prov. 10. 28.

Sophon. 3. 8.

Luc. 2. 25.

Joan. 8. 56.

Luc. 12. 36.

7. Quidni juſtus & David, quando aiebat: *Exſpectans exſpectavi Dominum?* Ipſe eſt quartus de numero prænominatorum ructatorum meorum, quem pæne prætereram. Non expedit quidem. Iſte os ſuum aperuit, & attraxit ſpiritum, & ſaturatus non modo eructavit, ſed & cantavit. Jeſu bone! quantam meis naribus & auribus iſte infudit ſuavitatem in ructu & cantu ſuo de oleo lætitiæ, quo unxit te Deus Deus tuus præ conſortibus tuis, ex myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo! Utinam me digneris occurſu tanti Vatis & amici tui in die ſollemnitatis & lætitiæ, quando egredietur de thalamo tuo, epithalamium ſuum canens in pſalterio jucundo cum cithara, affluens deliciis, reſperſus & reſpergens univerſa iſtiuſmodi pulvere pigmentario. In illa die, vel potius in illa hora (nam hora eſt ſi quando eſt, & fortaſſis ne hora quidem, ſed horæ dimidium, juxta illud ſcripturæ, *Factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora.*) Ergo in illa hora replebitur gaudio os meum, & lingua mea exſultatione, dum ſingulos, non dico pſalmos, ſed verſus ſingulos ſentiam ructus, & quidem odoriferos ſuper omnia aromata. Quid Johannis ructu fragrantius, qui Verbi mihi redolet æternitatem, generationem, divinitatem? Quid de Pauli ructibus loquar, quanta orbem ſuavitate repleverint? Denique Chriſti bonus odor erat in omni loco. Verba certe ineffabilia etſi non profert ut audiam, offert tamen ut cupiam, & libeat odorare quæ audire non licet. Neſcio enim quo pacto quo plus latent, plus placent; & avidius inhiamus negatis. Sed jam adverte apud ſponſam ſimilem rem: quomodo inſtar Pauli, in præſenti capitulo, & ſecretum non aperit, nec prætererit tamen intactum, aliquid quaſi olfactui noſtro indulgens, quod guſtui forte interim non competere judicarit, ſive propter indignitatem noſtram, ſive propter incapacitatem:

Pſal. 39. 2.

Pſal. 118. 131.

Pſal. 44. 8.

Apoc. 8. 1.

2. Cor. 2. 15.

2. Cor. 12. 4.

Scriptura obſcura plus placent.

8. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Quod non eſt dubium, duorum quidem hoc loco amor mutuus flagrat: ſed in amore ſumma unius profecto felicitas, alterius

a Horſtius addit, vel dolore, ſed deeſt mſſ. & primis editis.

mira dignatio. Neque enim inter pares eſt conſenſio ſeu complexio hæc. Ceterum quid iſta ex hac prærogativa amoris glorietur impenſum ſibi, repenſumque viciſſim à ſe, quis ſe liquido noſſe præſumat, niſi qui præcipua puritate mentis, & corporis ſanctitate, in ſemetipſo meruerit tale aliquid experiri? Res eſt in affectibus: nec ratione ad eam pertingitur, ſed conformitate. Quàm pauci vero qui dicant: *Nos autem revelata facie ſpeculantes gloriam Domini, in eamdem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.*

[Sponſæ ſolius novit dignationem Dei. 2. Cor. 3. 18.]

9. Verum ut ſub aliqua qualicumque intelligentiæ forma quod legitur, redigatur: ſalvo quidem ſponſæ ſuo ſingulari ſecreto, ad quod interim non datur accedere, præſertim talibus quales nos ſumus; apponendum ſane aliquid nobis, eo accommodatius ad communem ſenſum, quo uſitatius, quod & verbis conſequentiam, & intellectum det parvulis. Et mihi quidem videtur ſatis eſſe ad noſtram groſſam & quodam modo popularem intelligentiam, ſi dicendo, *Dilectus meus mihi*, ſubaudiamus, *intendit*: ut ſit ſenſus, Dilectus meus intendit mihi, & ego illi. Quamquam tamen nec ſolus ego id ſenſerim, nec primus: cum Propheta ante me dixerit, *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi.* Habes aperte intentionem Domini ad Prophetam: habes & Prophetæ ad Dominum in eo quod ait: *Exſpectans exſpectavi.* Nam qui exſpectat, intendit: & exſpectare intendere eſt. Idem omnino ſenſus, eadem pæne verba apud Prophetam, quæ apud ſponſam: ſed à Propheta tranſpoſita. Prius ſiquidem is, quod illa poſterius poſuit, & è converſo.

[Litteralis ſenſus hujus loci. Pſal. 39. 2.]

10. Ceterum ſponſa rectius locuta eſt, & non prætendens meritum, ſed præmittens beneficium, & ſe præventam dilecti gratia confitens. Recte omnino. Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Denique audi Johannem, quid in epiſtola ſua ſuper hoc ſenſerit. *In hoc eſt caritas*, inquit, *non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed ipſe prior dilexit nos.* Propheta tamen gratiæ præventionem etſi tacuit, non negavit ſubſecutionem: plane non tacuit. Sed accipe & alio loco certiorem de re iſta ipſius confeſſionem. *Et miſericordia tua*, inquit (Domino loquebatur) *ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Audi & de præventione idemtidem ipſius non minus certam manifeſtamve ſcientiam. *Deus meus*, inquit, *miſericordia ejus præveniet me.* item ad Dominum: *Cito*, ait, *anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.* Pulcre Sponſa poſterius (ni fallor) hæc eadem verba non eodem ordine ponit, ſed ſequitur & ipſa Prophetæ ordinem, loquens hoc modo: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Cur ita? Nempe ut tunc magis gratia plenam ſe probet, cum totum gratiæ dederit, & primas ſcilicet illi partes adſcribens, & ultimas. Alioquin quomodo gratia plena, ſi quid habuerit, quod non ſit ex gratia? Non eſt quo gratia intret, ubi jam meritum [a] occupavit. Ergo jam PLENA CONFESSIO GRATIÆ, ipſius gratiæ plenitudinem ſignat in anima confitentis. Nam ſi quid de proprio ineſt, in quantum eſt, gratiam cedere illi neceſſe eſt. Deeſt gratiæ, quicquid meritis deputas. NOLO meritum, quod gratiam excludat. Horreo quicquid de meo eſt, ut ſim meus: niſi quod illud magis forſitan meum eſt, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi juſtificatum gratis, & ſic liberatum à ſervitute peccati. Denique ubi ſpiritus, ibi libertas.

[Rom. 11. 35. 1. Joh. 4. 10. Sponſæ meritum in gratia ſponſi. Pſal. 22. 6. Pſal. 58. 11. Pſal. 78. 8.]

11. O fatuam ſponſam Synagogam, quæ contemnens Dei juſtitiam, id eſt gratiam ſponſi ſui, & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubjecta. Ob hoc miſera repudiata eſt, & jam non eſt ſponſa, ſed Eccleſia, cui dicitur: *Deſponſavi te mihi in fide; deſponſavi te mihi in judicio & juſtitia; deſponſavi te mihi in miſericordia & miſerationibus.* Nec tu me elegiſti, ſed ego elegi te: nec ut te eligerem, tua inveni merita, ſed præveni. Ita ergo in fide deſponſavi te mihi, & non in operibus legis; deſponſavique in juſtitia, ſed juſtitia quæ eſt ex fide, non ex lege. Reſtat ut judices judicium rectum inter me & te, judicium, in quo te deſponſavi, ubi conſtat interveniſſe non tuum meritum, ſed meum placitum. Hoc eſt autem judicium, ut tua merita non extollas, non præferas opera legis, non jactes pondus diei & æſtus, quæ magis in fide & in juſtitia quæ eſt ex fide, necnon in miſericordia & miſerationibus noſceris deſponſata.

[Repudiatur Synagoga, conſtituens ſalutem in operibus legis. Oſee 2. 19.]

12. Quæ vere ſponſa eſt, agnoſcit iſta, & utramque gratiam confitetur: primo quidem eam quæ prima eſt, qua & præventa eſt: poſtea vero & ſubſequentem. Ait itaque nunc, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; principium dilecto tribuens. In conſequentibus, *Ego*, inquit, *dilecto meo, & dilectus meus mihi*; conſummationem illi æque concedens. Nunc jam videamus quid dicat, *Dilectus meus mihi.* Si enim hoc recipitur ut ſubaudiamus, intendit, ſicut jam diximus, & ſicut Propheta ait, *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi*: ego in verbo iſto ſentio neſcio quid non plane exiguum, nec mediocris prærogativæ. Sed non eſt ingerenda fatigatis auribus & mentibus res omni alacritate digna. Si non gravat, differatur, & non in longum: craſtinus inde incipiat ſermo. Tantum orate, ut ab irruentibus occupationibus interim cuſtodiat nos gratia & miſericordia Sponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

[Tom. IV. Omnia duplex, præveniens & ſubſequens. Cant. 2. 16. Pſal. 39. 2.]

SERMO LXVIII.

Quomodo Sponſus Chriſtus intendit ſponſæ Eccleſiæ, & hæc illi: & de cura, quam habet Deus de electis. Item de merito & fiducia Eccleſiæ.

1. AUdite jam quod heri diſtulimus, audite gaudium meum quod ſenſi. Et veſtrum eſt: audite gaudentes. In uno verbo ſponſæ ſenſi hoc, & quaſi odoratus abſcondi, eo vobis hodie feſtivius exhibendum, quo tempeſtivius. Sponſa locuta eſt, & dixit Sponſum intendere ſibi. Quæ eſt Sponſa, & quis eſt Sponſus? Hic Deus noſter eſt: & illa (ſi audeo dicere) nos ſumus, cum reliqua quidem multitudine captivorum, quos ipſe novit. Gaudeamus: gloria noſtra hæc eſt [b]: nos ſumus in quos intendit Deus. Quanta tamen diſparitas. Quid terrigenæ & filii hominum coram illo? Secundum Prophetam, *ſic ſunt, quaſi non ſint, & quaſi nihilum & inane reputati ſunt ei.* Quid ſibi ergo vult iſta inter tam diſpares comparatio? Aut illa in immenſum gloriatur, aut is in immenſum amat. Quàm admirabile eſt, quod illius intentionem iſta ſibi quaſi propriam vindicat, dicens: *Dilectus meus mihi?* Nec eo contenta tamen, pergit amplius gloriari, reſpondere ſe illi quaſi ex æquo, morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim: *Et ego illi.* Inſolens verbum, *& ego illi.* Nec minus inſolens, *dilectus meus mihi*: niſi quod utroque inſolentius utrumque ſimul.

[Iſa. 40. 17. Cant. 2. 16.]

2. O quid audet cor purum, & conſcientia bona, & fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itane huic intenta eſt illa majeſtas, cui gubernatio pariter & adminiſtratio univerſitatis incumbit; & cura ſæculorum ad ſola transfertur negotia, immo otia amoris & deſiderii hujus? Ita plane. Ipſa eſt enim Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus: *Omnia*, inquit, *propter electos.* Et cui dubium, quod gratia & miſericordia Dei ſit in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius? Ergo providentiam ceteris creaturis non negamus: curam ſponſa vindicat ſibi. Numquid de bobus * cura eſt Deo? Nec dubium, quin idem poſſimus dicere de equis, de camelis, de elephantis, & de cunctis beſtiis terræ: ſimiliter & de piſcibus maris, & volatilibus cæli; poſtremo de omni re quæ eſt ſuper terram, ſolis ſane exceptis, quibus dicitur: *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.*

[Auſus animæ Deum amantis, & Dei dignatio. 2. Tim. 2. 10. Sap. 4. 15. 1. Cor. 9. 9. * mſſ. bubus. 1. Pet. 5. 7.]

a Nempe *quod non ſit ex gratia*, ſupra: *quod gratiam excludat*, infra. Confer ſermonem ſequentem, & Horſtii Notas.

b Sic mſſ. Horſtius addit, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, quæ nihil ad hunc locum.

Tom. IV. An non tibi videtur veluti his verbis dictum, Intendite illi, quia ipſe intendit vobis? Et obſerva apoſtolum Petrum (ejus enim verba ſunt) ſi non & ipſe verborum ſponſæ obſervaverit ordinem. Nempe non ait, *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum*, ut ſit ipſi cura de vobis; ſed, *quia ipſi cura eſt de vobis*: aperte proinde monſtrans, Eccleſia Sanctorum non modo quam dilecta, ſed & quod prius dilecta fuerit.

3. Conſtat ad eam non pertinere de verbo, quod
1. Cor. 9. 9.
de bobus dixit Apoſtolus. nam curam illius habet qui dilexit illam, & ſemetipſum dedit pro illa. Nonne hæc eſt ovis illa errans, cujus cura etiam ſupernorum
Matt. 18. 12.
curæ gregum prælata eſt? Denique illis expoſitis, Paſtor deſcendit ad iſtam, quæſivit diligenter, inventam non reduxit, ſed revexit: nova cum illa & de illa intulit cælis feſta gaudiorum, populis Angelorum invitatis ad ſollemnitatem. Quid ergo? Propriis humeris dignatus eſt eam reportare: & curam illius non
Pſal. 39. 18.
habebit? Ideo non confunditur dicere: *Dominus ſollicitus eſt mei*. Nec ſe exiſtimat errare, cum item dicit:
Pſal. 137. 8.
Dominus retribuet pro me; & ſi quid eſt aliud, quod curam Dei circa ipſam ſignificare videatur. Inde eſt quod Dominum ſabaoth dilectum ſuum dicit, & eum qui cum tranquillitate judicat omnia, ſibi intendere gloriatur. Quidni glorietur? Audivit illum dicentem
Sap. 12. 18.
ſibi: *Numquid mater poteſt oblıviſci, ut non miſereatur filio uteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obli-*
Iſa. 49. 15.
Pſal. 33. 16.
viſcar tui. Denique *oculi Domini ſuper juſtos*. Et quid ſponſa, niſi congregatio juſtorum? Quid ipſa, niſi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem ſponſi? Non enim ille intendit huic, & non iſta illi.
Intentio mutua ſponſi & ſponſæ.
Propterea utrumque ponit, dicens: *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi*, quia benignus & miſericors eſt: *ego illi*, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori: ille ſaluti meæ, ego illius voluntati: ille mihi, & non alteri, quoniam una ſum columba ejus: ego illi, & non alteri. nec enim audio vocem
Matt. 24. 23.
alienorum; nec enim acquieſco dicentibus mihi: *Ecce hic eſt Chriſtus*, aut *ecce illic eſt*. Hæc Eccleſia.

4. Quid ſingulus quiſque noſtrum? Putamuſne in
Singulis id competit.
nobis quempiam eſſe, cui aptari queat quod dicitur? Quid dixi, in nobis? Ego autem & de quovis intra Eccleſiam conſtituto ſi quis hoc quærat, non omnino reprehendendum cenſuerim. Nec enim una unius ratio eſt, atque multorum. Denique non propter animam unam, ſed propter multas in unam Eccleſiam colligendas, in unicam adſtringendas ſponſam, Deus tam multa & fecit & pertulit, cum operatus eſt ſalutem
Sponſæ apud ſponſum quanta fiducia.
in medio terræ. Cariſſima illa eſt una uni, non adhærens alteri ſponſo, non cedens alteri ſponſæ. Quid iſta non audeat apud tam ambitioſum amatorem? Quid non ab illo ſperet, qui ſe quæſivit è cælo, vocavit à finibus terræ? Nec modo quæſivit, ſed acquiſivit. Adde & de modo acquiſitionis in ſanguine acquiſitoris. Alias vero (ut aſſolet) propterea magis præſumit, quoniam proſpiciens in futurum non ignorat,
Pſal. 105. 5. Deus ad complementum ſuæ gloriæ nobis quodammodo opus habet.
quod Dominus ſe opus habet. Quæris ad quid? *Ad videndum in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur cum hereditate ſua*. Nec parum hoc opus exiſtimes: nullum, dico tibi, remanebit opus perfectum, ſi hoc nutarit. Nonne de ſtatu & conſummatione Eccleſiæ finis omnium pendet? Tolle hanc, & fruſtra inferior iſta creatura revelationem filiorum Dei exſpectat. Tolle hanc, & neque Patriarchæ, neque Prophetæ aliqui conſummabuntur,
Hebr. 11. 40.
cum Paulus aſſerat, Deum ita providiſſe pro nobis, *ne ſine nobis conſummarentur*. Tolle hanc, & ipſa Sanctorum Angelorum pro imperfectione ſui numeri gloria claudicabit, nec Dei civitas de ſui integritate gaudebit.

5. Unde ergo implebitur propoſitum Dei, & myſterium voluntatis ejus, magnumque illud pietatis ſacramentum? Unde poſtremo dabis mihi infantes & lactentes, quorum ex ore laudem ſuam perficiat Deus? Cælum non habet infantes, habet Eccleſia, quibus & A dicit: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*. Et hi ad lau-
1. Cor. 3. 2.
dem quaſi complendam à Propheta invitantur, dicente: *Laudate pueri Dominum*. Tu putas Deum noſtrum
Pſal. 112. 1.
totam habiturum ſuæ gloriæ laudem, donec veniant qui in conſpectu Angelorum pſallant ſibi: *Lætati ſu-*
Pſal. 89. 15.
mus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala? Hoc genus lætitiæ cæli neſcierunt, niſi per Eccleſiæ filios: hoc nemo umquam lætatur, qui numquam non lætatur. Opportune poſt triſtitiam gaudium
Læta gratiora ſunt expertis miſeria.
ſubit, poſt laborem quies, poſt naufragium portus. Placet cunctis ſecuritas, ſed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux, ſed evadenti de poteſtate tenebrarum jucundior. Tranſiſſe de morte ad vitam, vitæ
B gratiam duplicat. Pars mea hæc in cæleſti convivio,
Creſcit beatitudo Angelorum ex nobis.
& ſeorſum ab ipſis ſpiritibus beatis. Audeo dicere expertem meæ beatitudinis ipſam beatam vitam, niſi ſi dignetur fateri, quod per caritatem ea in me fruitur, & per me. Aliquid ſane videtur etiam perfectioni illi
Luc. 15. 10.
acceſſiſſe ex me, neque hoc parum. Denique gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod ſi deliciæ Angelorum lacrymæ meæ, quid deliciæ? Omne opus ipſorum laudare Deum: ſed deeſt laudi, ſi deſint qui di-
Pſal. 65. 12.
cant: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*.

6. Felix proinde in ſua univerſitate Eccleſia, cujus omnis gloriatio impar eſt cauſæ, non pro his tan-
C tum quæ illi jam facta ſunt, ſed pro his quoque quæ
Qualia fidelium merita.
de illa adhuc oportet fieri. Nam & de meritis quid ſollicita ſit, cui de propoſito Dei firmior ſuppetit ſeeuriorque gloriandi ratio? Non poteſt ſeipſum negare Deus, neque non facere quæ jam fecit, ut ſcriptum
Iſa. 46.
eſt, qui fecit quæ futura ſunt. Faciet, faciet, nec deerit ſuo propoſito Deus. Sic non eſt quod jam quæras, quibus meritis ſperemus bona, præſertim cum audias
Ezech. 36. 22.
apud Prophetam: *Non propter vos, ſed propter me ego faciam, dicit Dominus*. SUFFICIT AD MERITUM ſcire, quod non ſufficiant merita. Sed UT AD MERITUM ſatis eſt, de meritis non præſumere: ſic carere meritis, ſatis ad judicium eſt. Porro infantium
Meritis Chriſti noſtra jungenda.
D renatorum neminem carere meritis, ſed Chriſti habere merita. Quibus ſe tamen indignos reddunt, ſi ſua jungere non nequiverint, ſed neglexerint. quod quidem periculum jam adultæ ætatis eſt. MERITA pro-
Tria pericula meritorum.
inde habere cures; habita, data noveris; fructum ſperaveris, Dei miſericordiam: & omne periculum evaſiſti paupertatis, ingratitudinis, præſumptionis. Perniciosa paupertas, penuria meritorum: præſumptio autem ſpiritus, fallaces divitiæ. Et ideo divitias & paupertates ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Fe-
Prov. 30. 8. Merita noſtra non ſunt præſumptionis materia.
lix Eccleſia, cui nec merita ſine præſumptione, nec præſumptio abſque meritis deeſt. HABET UNDE PRÆSUMAT, ſed non merita: habet merita, ſed ad
E promerendum, non ad præſumendum. Ipſum non præſumere, nonne promereri eſt? Ergo eo præſumit ſecurius, quo non præſumit: & non eſt quod confundatur in verbo gloriæ, cui multa materies gloriandi. Miſericordiæ Domini multæ, & veritas ejus manens in æternum.

7. Quidni glorietur ſecura, in cujus teſtimonium
Pſal. 84. 11.
gloriæ, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi? Sive
Pſal. 39. 1.
igitur dicat, *Dilectus meus mihi*; ſive dicat, *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi*; ſive etiam, *Do-*
Ibidem 18.
minus ſollicitus eſt mei; vel ſi quæ ſunt ejuſmodi voces aliæ atque aliæ, quæ divinum quemdam affectum ac ſingularem favorem erga aliquid ſimiliter exprimere
F videantur: nihil horum à ſe alienum putabit, cui ratio præſumendi Domini conſtitutio eſt, præſertim cum non alteram videat ſponſam, alteramve Eccleſiam, cui poſſint fieri quæ non poſſunt non fieri. Ergo de Eccleſia patet, quod in nullo illa omnia ſibi aptare verebitur. De una anima quæritur etiam, ſi ſit ſpiritualis & ſancta, liceatne illi ullo modo audere in
An quod Eccleſiæ, etiam conveniat animæ ſanctæ.
talibus. Neque enim prærogativas omnes unius illius catholicæ multitudinis, ob quam omnia fiunt, una de multitudine arrogabit ſibi, quantalibet emineat ſanctitate. Et ideo difficilius, ut ſentio ego, invenio-

tur (ſi tamen invenietur) quomodo poſſit licere. Unde neceſſarium reor, alio iſtud ſermone tentari, nec modo ingredi vias ſcrupuloſæ diſputationis, quarum adhuc exitum ignoramus, niſi prius ſuper verbo abſcondito oratum fuerit ad eum, qui aperit, & nemo claudit, Sponſum Eccleſiæ Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXIX.

Qualiter omnis altitudo, ſe extollens adverſus ſcientiam Dei, dejicitur. De adventu & manſione Patris & Verbi apud animam diligentem, & de familiaritate, quæ inde inter Deum & animam contrahitur.

Cant. 2. 16.

Convenire hæc etiam cuilibet animæ piæ.

Pſal. 39. 1.

1. Dilectus meus mihi, & ego illi. Hanc vocem univerſali Eccleſiæ ſermo ſuperior aſſignavit, propter factas ſibi à Deo promiſſiones vitæ ejus, quæ nunc eſt, pariter & futuræ. De anima propoſita quæſtio eſt: quia non poteſt ſibi arrogare una, quod univerſitas audeat, nec aliquo modo ad ſe trahere illam. Si non licet, referamus proinde oportet ita ad Eccleſiam, ut nullatenus ad perſonam; nec modo hanc, ſed & reliquas voces ſimiles huic, loquentes grandia, verbi gratia: *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi;* & ſi quas alias ſermo ſuperior perſtrinxit. Quod ſi quis licere putat, ego non abnuo: ſed intereſt, cui; non enim cuicumque. Prorſus habet Eccleſia Dei ſpirituales ſuos, qui non modo fideliter, ſed & fiducialiter agant in eo, cum Deo quaſi cum amico loquentes, teſtimonium illis perhibente conſcientia gloriæ ejus. Quinam illi ſint, id quidem penes Deum: tu vero audi, qualem te eſſe oporteat, ſi talis vis eſſe. Quod tamen dixerim, non quaſi expertus, ſed quaſi experiri cupiens. DA MIHI ANIMAM nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum eſt; cui vivere Chriſtus non tantum ſit, ſed & diu jam fuerit; cui ſtudii & otii ſit providere Dominum in conſpectu ſuo ſemper; cui ſollicite ambulare cum Domino Deo ſuo, non dico magna, ſed una voluntas ſit, & facultas non deſit: da, inquam, talem animam, & ego non nego dignam Sponſi cura, majeſtatis reſpectu, dominantis favore, ſollicitudine gubernantis: & ſi voluerit gloriari, non erit inſipiens: tantum ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Ita in quo multi audent, audet & unus, ſed alia ratione.

Anima pia & ſpiritualis quæ.

Fiducia animæ ſanctæ duplici ratione nixa.

Deus ita eſt uni intentus, ac multis.

2. Nempe ſanctam multitudinem cauſæ ſupradictæ fidentem faciunt, ſanctam animam duplex quædam ratio. Primo quidem quod habeat in natura ſimpliciſſima Sponſi divinitas quaſi unum reſpicere multos, & quaſi multos unum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus; nec ad diverſitatem diviſus, nec reſtrictus ad unum; nec anxius ad curas, nec perturbatus ſeu turbulentus ad ſollicitudines. Sic ſane uni intentus, ut non detentus; ſic pluribus, ut non diſtentus. Deinde quod ut probare ſuaviſſimum, ita rariſſimum * probaſſe eſt; tanta eſt dignatio Verbi, tanta benevolentia Patris Verbi erga bene affectam & bene compoſitam animam, (quod quidem ipſum Patris munus, & Verbi opus eſt:) ut quam ſua tali benedictione prævenerint & præparaverint ſibi, ſua quoque dignentur præſentia. & ita ut non modo ad eam veniant, ſed etiam manſionem apud eam faciant. Non enim ſufficit exhiberi, niſi & copiam ſui præbeant. Quid eſt venire ad animam Verbum? Erudire in ſapientia. Quid eſt Patrem venire? Afficere ad amorem ſapientiæ, ut dicere poſſit, quia amatrix facta ſum formæ illius. Patris diligere eſt: & ideo Patris adventus ex infuſa dilectione probatur. Quid faceret eruditio abſque dilectione? Inflaret. Quid abſque eruditione dilectio? Erraret. Denique errabant, de quibus dicebatur: *Teſtimonium illis perhibeo, quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Non decet ſponſam Verbi eſſe ſtultam: porro elatam Pater non ſuſtinet. Pater enim

* al' mundiſſimam

Verbum ſcientiam, Pater infundit amorem.

Johan. 14. 23.

Sap. 8. 2.

Dilectionis & eruditionis neceſſaria copula.

Rom. 10. 2.

Tom. IV.

diligit Filium, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Verbi, ſemper in promptu habet dejicere atque deſtruere, ſive immittendo zelum, ſive intendendo: quorum alterum miſericordiæ, alterum judicii eſt. Utinam in me omnem extollentiam comprimat, immo dejiciat, & ad nihilum redigat, non accenſus furor, ſed infuſus amor! Utinam diſcam non ſuperbire, ſed unctione potius, quàm ultione magiſtra! *Domine ne in furore tuo arguas me*, ſicut Angelum extollentem ſe in cælo: *neque in ira tua corripias me*, ſicut hominem in paradiſo. Ambo iniquitatem meditati ſunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, iſte ſcientiæ. Denique credidit inſipiens mulier pollicenti, ſed ſeducenti: *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Jam ſeſe ante ſeduxerat, cui perſuaſerat ſimilem fore Altiſſimo. Nam qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.

Zelus intentus, & a ... immiſſus.

Angeli & hominis ... ca ſuperbia.

Gen. 3. 5.

Iſa. 14. 14.

Gal. 6. 3.

Homo mitius Angelo punitus.

Iræ Dei & furoris diſcrimen.

3. Verum utraque altitudo dejecta eſt, ſed in homine mitius, judicante ita illo, qui omnia facit in pondere & menſura. Nam Angelo in furore punito, immo damnato, homo iram tantum ſenſit, & non furorem. Nempe cum iratus fuit, miſericordiæ recordatus eſt. Propter hoc ſemen ejus filii iræ, & non furoris, uſque in hodiernum diem. Si non naſceretur filius iræ, non opus eſſet renaſci: ſi furoris filius naſceretur; aut non contigiſſet, aut non profuiſſet renaſci. Vis videre furoris filium? Si vidiſti ſatanam tamquam fulgur cadentem de cælo, quod eſt in impetu furoris præcipitatum; & cognoviſti de furore Dei. Denique non eſt recordatus miſericordiæ ſuæ: quia cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur, non cum jam uſque ad furorem exarſerit. Væ filiis diffidentiæ! his quoque qui ex Adam ſunt, qui nati iræ filii, ipſi ſibi iram in furorem, virgam in baculum, immo in malleum diabolica obſtinatione convertunt. Denique *theſaurizant ſibi iram in die iræ.* Ira autem accumulata, quid niſi furor? Peccaverunt peccatum diaboli, & diaboli ſententia percelluntur. Væ etiam, quamvis mitius, quibuſdam filiis iræ, qui nati in ira, non exſpectaverunt renaſci in gratia. Nempe mortui in quo & nati, iræ filii permanebunt. Iræ dixerim, non furoris: quia ut piiſſime creditur, & humaniſſime gemitur, mitiſſimæ ᵃ ſunt pœnæ totum quo addicti ſunt aliunde trahentium.

Rom. 2. 5.

Infantium ſine baptiſmo decedentium pœna qualis.

Peccatum Adæ & dæmonis in Filium

V. ſerm. 1. de Adventu.

4. Ergo in furore diabolus judicatus eſt, quia inventa eſt iniquitas ejus ad odium: hominis autem ad iram, & ideo in ira corripitur. Ita omnis altitudo contrita eſt, & quæ inflat, & quæ præcipitat, Patre nimirum zelante pro Filio. Utrobique ſiquidem injuria Filii eſt, & de uſurpata potentia adverſus virtutem Dei, quæ ipſe eſt; & de præſumpta ſcientia aliunde quam à ſapientia Dei, quæ nihilo minus ipſe eſt. Domine quis ſimilis tibi? Quis niſi ſplendor & figura ſubſtantiæ tuæ? Quis niſi imago tua? Solus in forma tua, ſolus non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem tibi altiſſimus Altiſſimi Filius. Quomodo non æqualis? Etiam unum eſtis ipſe & tu. Sedes illi à dextris tuis, non ſub pedibus. Quo pacto audet quis pervadere locum Unigeniti tui? Præcipitetur. Ponit ſibi ſedem in excelſo: ſubvertatur cathedra peſtilentiæ. Item quis docet hominem ſcientiam? Nonne tu, ô clavis David, aperiens cui vis, & cui vis claudens? Et quomodo ſine clave ad theſauros ſapientiæ & ſcientiæ introitus, immo irruptio tentabatur? Qui non intrat per oſtium, ille fur eſt & latro. Petrus ergo intrabit, qui claves accepit. Non tamen ſolus. nam & me ſi voluerit introducet, aliumque excludet quem forte voluerit, in ſcientia & poteſtate ſibi data deſuper.

Philip. 2. 6.

Scientia non quærenda niſi per Verbum.

Claves Chriſti Petro datæ, quæ.

5. Et hæ claves quæ? Poteſtas aperiendi, & claudendi, atque inter excludendos & admittendos diſcretio. Et non in ſerpente theſauri, ſed in Chriſto. Et ideo non potuit dare ſcientiam ſerpens, quam non habuit: ſed qui habuit, dedit. Nec enim ipſe potuit ha-

a Eadem eſt doctrina Auguſtini in lib. de peccatorum meritis cap. 16. ubi parvulos, *ſine baptiſmo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitiſſima futuros* ſcribit. Idem in lib. 5. contra Julianum cap. 11. Item Fulgentius in lib 1. de veritate prædeſtinationis cap. 14. & de Incarnatione cap. 30. His adde Farci... abbatis Habendonenſis epiſtolam, tomo 3. Spicilegii pag. 157.

Tom IV.

Matt. 16. 19.

Psal. 35. 3.

bere poteſtatem, quam non accepit: ſed qui accepit, habuit. Dedit Chriſtus, accepit Petrus, nec inflatus de ſcientia, nec præcipitandus de potentia. Quare? Quia in neutra extollit ſe adverſus ſcientiam Dei, qui nihil horum præter Dei ſcientiam affectavit: ſicut ille qui doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Quomodo denique præter ſcientiam Dei, qui ſe ſcribit Apoſtolum Jeſu-Chriſti ſecundum præſcientiam Dei Patris? Et hæc dicta ſint pro eo quod incidit de zelo Dei, quem intendit in prævaricantes Angelum hominemque, (nam in ambobus reperit pravitatem:) qualiter videlicet in ira & in furore ſuo deſtruxerit omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.

1. Pet. 1. 2.

Zelus intentus.

Zelus immiſſus.

6. Nunc jam recurrendum ad zelum miſericordiæ, id eſt qui non intenditur, ſed qui immittitur: quoniam qui intenditur (ut jam diximus) judicii eſt, & ſatis nos terruit ex memoratis exemplis tam graviter punitorum. Propterea ibo ego mihi ad locum refugii à facie furoris Domini, ad illum utique pietatis zelum ſuaviter ardentem, efficaciter expiantem. Numquid non expiat caritas? Et potenter. Legi quod operiat multitudinem peccatorum. Sed dico: numquid non idonea eſt ſeu ſufficiens ad dejiciendam, humiliandamque omnem extollentiam oculorum & cordis? Et maxime. nam non extollitur, non inflatur. Si ergo Dominus Jeſus dignetur venire ad me, vel potius in me, non in zelo furoris, & ne in ira quidem, ſed in caritate & ſpiritu manſuetudinis, æmulans me Dei æmulatione (quid enim ita Dei, ut caritas? nempe & Deus eſt.) ſi, inquam, in iſta venerit, in hoc cognoſcam, quod non ſit ſolus, ſed venerit etiam Pater ſuus cum eo. Nam quid æque paternum? Propter hoc nempe, non Pater Verbi tantum, ſed & Pater miſericordiarum eſt appellatus, quod innatum habeat miſereri ſemper & parcere. SI SENSERO aperiri mihi ſenſum, ut intelligam Scripturas; aut ſermonem ſapientiæ quaſi ebullire ex intimis, aut infuſo lumine deſuper revelari myſteria, aut certe expandi mihi quaſi quoddam largiſſimum cæli gremium, & uberiores deſurſum influere animo meditationum imbres; non ambigo ſponſum adeſſe. Verbi ſiquidem hæ copiæ ſunt, & de plenitudine ejus iſta accipimus. QUOD SI ſe pariter infuderit humilis quædam, ſed pinguis intimæ adſperſionis devotio, ut amor agnitæ veritatis neceſſarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, ne forte aut ſcientia inflet, aut frequentia viſitationum extollat me: tunc prorſus paterne ſentio agi mecum, & Patrem adeſſe non dubito. Si autem perſeveravero huic dignationi dignis ſemper (quod in me eſt) affectibus & actibus reſpondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit: etiam manſionem apud me faciet tam Pater enutriens, quam Verbum erudiens.

1. Pet. 4. 8.

2. Cor. 1. 3.

Patris & Verbi præſentia in nobis, unde colligenda.

Amor Dei amati eſt indicium Dei amantis.

7. Quanta putas ex hac manſione inter animam & Verbum familiaritatis gratia oriatur, quanta de familiaritate ſequatur fiducia? Non eſt (ut opinor) quod jam talis anima dicere vereatur, *Dilectus meus mihi*; quæ ex eo quod ſe diligere, & vehementer diligere ſentit, etiam diligi nihilo minus vehementer non ambigit, ac de ſua ſingulari intentione, ſollicitudine, cura, opera, diligentia, ſtudioque, quo inceſſanter & ardenter invigilat, quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipſo indubitanter agnoſcit, recordans promiſſionis ejus: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* niſi quod redhibitionem gratiæ prudens ſponſa ad ſuam magis cauta eſt trahere partem, ſciens ſe potius præventam à dilecto. Inde eſt quod illius operam præfert: *Dilectus*, inquiens, *meus mihi, & ego illi.* Ergo ex propriis quæ ſunt penes Deum agnoſcit: nec dubitat ſe amari quæ amat. Ita eſt. AMOR DEI amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam animam facit, ſollicitudoque ſollicitam. Neſcio enim qua vicinitate naturæ, cum ſemel revelata facie gloriam Dei ſpeculari anima poterit, mox illi ſe conformari neceſſe eſt, atque in eamdem imaginem transformari. Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum ſancto ſanctus erit, & cum viro innocente innocens erit. Quidni æque & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſollicitus cum ſollicito?

Matt. 7. 2.

Pſal. 17. 26.

8. Denique ait: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Vides quomodo non ſolum de amore ſuo certum te reddat, ſi quidem tu ames illum: ſed etiam de ſua ſollicitudine, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſollicitum ſui. Vigilas tu? vigilat & ipſe. Conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantumvis etiam ipſas anticipare vigilias: invenies eum, non prævenies. Temere in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi, vel plus: & magis amat, & ante. Si hæc anima ſcit, immo quia ſcit; miraris quod illam majeſtatem, quaſi cetera non curantem, ſoli ſibi intendere glorietur, cui ſoli ipſa, poſtpoſitis curis omnibus, tota ſe devotione cuſtodit? Sermo finem deſiderat: ſed unum dico ſpiritualibus qui in vobis ſunt, mirum quidem, ſed verum: animam Deum videntem haud ſecus videre, quàm ſi ſola videatur à Deo. Ea ergo fiducia dicit illum intendere ſibi, ſeque illi, nihil præter ſe & ipſum videns. Bonus es, Domine, animæ quærenti te! occurris, amplecteris, ſponſum te exhibes, qui Dominus es, immo qui es ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Prov. 8. 17.

Dei amor prævenit & ſuperat noſtrum.

SERMO LXX.

Unde Sponſus dilectus *dicatur; & de veritate, manſuetudine & juſtitia, ceteriſque virtutibus, quæ ſunt* lilia, *inter quæ paſcitur.*

1. D*ilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Quis huic jam imputet præſumptioni vel inſolentiæ, ſi ſe dicat iniiſſe ſocietatem cum illo, qui paſcitur inter lilia? Etiamſi inter ſidera paſceretur, eo ſolo quod paſceretur, neſcio quid magnum videri poſſit cum ejuſmodi amicitias ſeu familiaritatem habere. Aliquid prorſus ignobile & humile ſonat, paſci. Nunc vero cum & paſci inter lilia perhibetur, dejectionis adjectio longius amovet & propulſat temeritatis notam. Quid enim ſunt lilia? Juxta verbum Domini, fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur. Quantus eſt iſte qui fœno paſcitur, quaſi unus agnorum aut vitulorum? Et agnus plane, & vitulus ſaginatus. Sed tu forte vigilantius advertiſti, non pabulum hoc loco deſignari, ſed locum. nec enim dictum eſt, liliis eum paſci, ſed, *inter lilia*. Eſto. Non fœnum comedit ut bos: in fœno tamen verſari, & ſuper fœnum diſcumbere inſtar unius de turba, quid eminentiæ habere poteſt? Quid vero gloriæ huic, habere dilectum illum qui hoc egerit? Et ſecundum litteram quidem ſponſæ verecundia & cautela prudentiæ ejus in loquendo ſatis apparet, utique diſponentis ſermones ſuos in judicio, & rerum gloriam verborum modeſtia temperantis.

Cant. 2. 16.

Matt. 6. 30.

2. Alias autem non ignorat unum eſſe, & qui paſcitur, & qui paſcit; inter lilia commorantem, & regnantem ſuper ſidera. At libentius humilia dilecti memorat, propter humilitatem quidem, ut dixi: magis autem quod exinde cœpit eſſe dilectus, ex quo & paſci. Nec modo exinde, ſed inde. Nam qui in altiſſimis eſt Dominus, in imis eſt dilectus; ſuper ſidera regnans, & inter lilia amans. Amabat & ſuper ſidera, quia nuſquam & numquam potuit non amare, quia amor eſt: ſed donec ad lilia deſcendit, & paſci inter lilia compertus eſt, nec amatus eſt, nec factus dilectus. Quid? Non eſt amatus à Patriarchis & Prophetis? Eſt: ſed non prius quàm viſus eſt & ab ipſis inter lilia paſci. Neque enim non viderunt, quem præviderunt. niſi ita quis abſque ſpiritu ſit, ut videntem in ſpiritu, putet videre nihil. Unde ergo Videntes (nam ſic Prophetæ appellati ſunt) ſi nihil viderunt? Inde eſt, quod voluerunt videre, quem non viderunt. Nec enim

Chriſtus factus dilectus in humilitate.

1. Reg. 9. 9.

poterant

poterant velle videre in corpore, quem in ſpiritu non vidiſſent. Sed dico: Numquid omnes Prophetæ? Quaſi omnes videre voluerint, aut fuerit omnium fides. Sed enim qui viderunt, aut Prophetæ fuerunt, aut Prophetis acquieſcentes. Et credidiſſe enim, vidiſſe eſt. Non modo namque qui per prophetiæ ſpiritum, ſed & qui per fidem videt, ſi quis ipſum quoque dicat videre in ſpiritu, mihi non videtur errare.

Videre per fidem.

3. Ita ergo quod ad lilia deſcendere, & inter lilia paſci dignatus eſt is qui omnes paſcit, dilectum fecit illum, quia non potuit ante diligi, quàm agnoſci. Ac per hoc cum de dilecto facta eſt mentio, pulcre & illud memoratum eſt, quod dilectionis & agnitionis exſtitit cauſa. Quærenda in ſpiritu refectio hæc inter lilia: nam corpoream cogitare ridiculum eſt. Quin ipſa lilia ſpiritualia (ſi quidem potuerimus) demonſtranda a nobis erunt. Puto hoc quoque dicere nos oportebit, unde inter lilia paſcatur Dilectus, liliiſne ipſis, an aliis inter lilia reconditis herbis vel floribus? Et in his illud mihi difficilius apparet, quod paſci, non paſcere perhibetur. Nam quia paſcat dubium non eſt, nec enim indignum ei: at paſci, indigentiam ſonat, & ne ſpiritualiter quidem ſine injuria majeſtatis facile illi poſſe aſſignari videtur. Nec ego ſanè recordor uſque modo advertiſſe me in hoc Cantico paſtum uſpiam perhiberi, cum paſcentem puto recordemini & vos mecum. Denique poſtulavit ſibi aliquando demonſtrari, ubi in meridie paſceret & cubaret. Et nunc quidem (quod necdum dixerat) perhibet paſci, ſed non ſimiliter poſtulat locum indicari ſibi; ſed ipſa indicat, aſſignans, *inter lilia*. Novit hoc, illud non novit: quia æque præſto eſſe non poteſt quod ſublime & in ſublimi eſt, & quod humile & ſuper terram. Sublime opus, ſublimis & locus: nec acceſſus ad eum uſque adhuc vel ipſi ſponſæ.

Refectio inter lilia quid.

Cant. 1. 6.

4. Et ideo ſemetipſum exinanivit uſque ad hoc, ut paſceretur ipſe omnium paſtor; & inventus eſt inter lilia, & viſus ab Eccleſia, adamatus eſt ab inope pauper, factus dilectus propter ſimilitudinem. Non ſolum autem, ſed & propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: quod per eum ſcilicet promiſſiones adimpletæ ſunt, quod iniquitates remiſſæ ſunt, quod ſuperbi dæmones una cum principe ſuo judicati ſunt. Talis ergo apparuit qui merito amaretur, verax pro ſe, mitis hominibus, juſtus pro hominibus. O vere amandum & totis medullis cordis amplectendum Sponſum! Quid jam cunctetur Eccleſia totam ſe tota devotione committere tam fido redditori, tam pio indultori, tam juſto propugnatori? Porro præmiſerat Propheta, dicens: *Specie tua & pulcritudine tua intende proſpere.* Unde ſpecies hæc & pulcritudo? Puto ex liliis. Quid lilio ſpecioſius? ſic nihil formoſius Sponſo. Quæ ſunt ergo illa lilia, è quibus ſpecies decoris ejus? *Procede*, inquit, *& regna propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam.* Lilia ſunt, lilia, inquam, orta de terra, nitentia ſuper terram, eminentia in floribus terræ, fragrantia ſuper odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia Sponſus, & omnino ex his ſpecioſus & pulcher. Alias enim (quod quidem ad carnis infirma ſpectat) non erat ei ſpecies neque decor.

Pſal. 44. 5.
Sponſus unde tantum ſibi concilia-verit amo-rem.
Ibidem.
Lilia ſponſi quæ?
Iſa. 53. 2.

5. Bonum autem lilium veritas, candore conſpicuum, odore præcipuum; denique candor eſt lucis æternæ, ſplendor & figura ſubſtantiæ Dei. Lilium plane, quod ad novam benedictionem terra noſtra produxit, & paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium. Donec ſub maledicto fuit terra, ſpinas & tribulos germinavit. At nunc Veritas de terra orta eſt Domino benedicente, ſpecioſius omnino quidam flos campi, & lilium convallium. Agnoſce lilium ex candore, qui mox in ipſo exortu floris paſtoribus de nocte emicuit, dicente Evangelio, quia *Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Bene Dei, quia non Angeli, ſed lilii candor. Ille aderat, ſed illud micabat ab uſque Bethleem. Agnoſce lilium & ex odore, quo & longe poſitis innotuit Magis. Et quidem ſtella apparuit: ſed eam minime viri graves ſecuti fuiſſent, niſi intima quadam ſuaveolentia orti lilii traherentur. [illegible] vere lilium veritas, cujus odor animat fidem, ſplendor intellectum illuminat. Leva etiam oculos nunc in ipſam perſonam Domini, qui in Evangelio loquitur: *Ego ſum veritas.* Et vide quàm competenter veritas lilio comparetur. Si non advertiſti, adverte de medio floris hujus quaſi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidiſſimo flore, pulcre ac decenter diſpoſito in coronam: & agnoſce auream in Chriſto divinitatem, humanæ coronatam puritate naturæ, id eſt Chriſtum in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Nam in quo coronavit eum Pater ſuus, lucem habitat inacceſſibilem, nec poſſes in ea illum interim adhuc videre. Sed de hoc alias.

2. Lilium veritas.
Sap. 7. 26.
Luc. 2. 32.
Pſal. 84. 12.
Luc. 2. 9.
Johan. 14. 6.

6. Nunc vero lilium veritas eſt; eſt & manſuetudo. Et bene lilium manſuetudo, habens innocentiæ candorem, & odorem ſpei, *quoniam ſunt reliquiæ*, inquit, *homini pacifico.* Bonæ ſpei vir manſuetus, nec minus etiam in præſenti lucidum quoddam vitæ eſt ſocialis exemplar. An non lilium, quæ lucet officio, redolet ſpe? Adde quod ſicut veritas de terra orta eſt, ita & manſuetudo. Niſi quis dubitet ortum de terra Agnum dominatorem terræ, illum agnum, qui ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Nec tantum manſuetudo ſeu veritas de terra orta eſt, ſed & juſtitia, Propheta dicente: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet ſalvatorem, & juſtitia oriatur ſimul.* Quod autem juſtitia lilium ſit, recordamini de Scriptura, quia juſtus *germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Nequaquam lilium hoc hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, quia in æternum florebit. Et florebit ante Dominum, cujus in memoria æterna erit juſtus, & ab auditione mala non timebit, illa ſcilicet auditione, qua in clibanum ignis peccatores ire jubentur. Porro hujus lilii candor cui non ſplendet, niſi cui non placet? Denique ſol eſt, ſed non ille, qui oritur ſuper bonos & malos. Neque enim qui dicturi ſunt, *Sol juſtitiæ non ortus eſt nobis*, lucem illius quandoque viderunt. Viderunt autem quotquot audierunt: *Vobis qui timetis Deum, orietur Sol juſtitiæ.* Ergo candor hujus lilii apud juſtus; fragrantia etiam uſque ad iniquos diffunditur, etſi non in bonum ipſis. Denique audivimus juſtos dicentes, quia *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco: ſed aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Quis, vel ſceleratiſſimus, juſti non probet opinionem, quamvis non amet opus? Et beatus, ſi ſe non judicat in eo quod probat. Judicat autem, probans bonum, & non amaos: ideoque non beatus plane, ſed miſer, proprio condemnatus judicio. Quid eo miſerius, cui odor vitæ, non vitæ, ſed mortis nuntius eſt? Immo nec nuntius quidem, ſed bajulus.

2. Lilium manſuetudo.
Pſal. 36. 37.
Pſal. 84. 12.
Iſa. 16. 1.
Iſa. 53. 7.
Iſa. 45. 8.
3. Lilium juſtitia.
Oſee 14. 6.
Pſal. 111. 7.
Sap. 5. 6.
Mala. 4. 2.
2. Cor. 2. 15.
Juſtorum opinio multis placet, non opus.

7. Sunt multa apud Sponſum & alia lilia præter hæc, quæ ex Propheta inciderunt nobis, veritatem loquor, & manſuetudinem, & juſtitiam; nec erit difficile jam cuilibet veſtrum ſimilia reperire per ſemetipſum in horto tam delicioſi ſponſi. Abundat & ſuperabundat talibus: quis illa enumeret? Nempe quot virtutes, tot lilia. Quis finis virtutum apud Dominum virtutum? Quod ſi plenitudo virtutum in Chriſto; & liliorum. Et fortaſſis propterea ipſe ſe lilium appellavit, quod totus verſetur in liliis, & omnia quæ ipſius ſunt, lilia ſint: conceptio, ortus, converſatio, eloquia, miracula, ſacramenta, paſſio, mors, reſurrectio, aſcenſio. Quid horum non candidum, & non ſuaviſſime redolens? Tanta denique in conceptione refulſit ſuperni luminis claritas de ſuperveniente abundantia Spiritus, ut ne ipſa quidem Virgo ſancta ſuſtinuiſſet, ſi non ſibi obumbratum foret à virtute Altiſſimi. Porro ortum candidavit incorrupta virginitas Matris, converſationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, ſacramenta pietatis arcanum, paſſionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, reſurrectionem Martyrum fortitudo, aſcenſionem exhibitio promiſſionum. Quam bonus fidei odor in his ſingulis,

Tot lilia ſponſi, quot virtutes & facta.

Tom. IV.

Joan. 20. 29. Odor fidei quid in nobis operetur.

noſtra quidem, qui candorem non vidimus, tempora & viſcera replens. Et *beati qui non viderunt, & crediderunt*. Pars mea in his odor vitæ, qui procedit ex ipſis. Is infuſus naribus meis apto quodam fidei inſtrumento; & quidem copioſius pro multitudine liliorum ſane & exſilium levat, & patriæ deſiderium aſſidue innovat in viſceribus meis.

Johan. 3. 34. Lilia noſtra pauca & rara.

8. Habent lilia & aliqui ſodalium ſponſi, ſed non copiam. Omnes enim ad menſuram Spiritum acceperunt, ad menſuram virtutes & dona; ſolus ille non habet modum, qui habet totum. Aliud eſt lilia habere, aliud nonniſi lilia habere. Quem dabis mihi de filiis captivitatis adeo innocentem & ſanctum, qui totam terram ſuam floribus occupare potuerit, & iſtiuſmodi floribus? B *Job 25. 24.* Nec infans certe unius diei ſine ſorde eſt ſuper terram. Magnus eſt qui tria vel quatuor lilia ædificare potuerit in terra ſua, in tanta denſitate ſpinarum & tribulorum, quæ ſunt germina inveterata maledictionis antiquæ. Mecum vero, qui pauper ſum, bene agitur, ſi umquam ab hac peſſima ſegete, iniquitatum videlicet atque vitiorum, tantillum terræ meæ vindicare exſtirpando & excolendo ſufficiam, unde unum ſaltem producere lilium poſſim, ſi forte & pones me paſci interdum dignetur is, qui paſcitur inter lilia.

Lilia duo nobis neceſſaria.

9. At parum dixi, unum: de penuria cordis mei os meum locutum eſt. Unum prorſus non ſufficit; C duo ad minus neceſſaria ſunt. Dico autem continentiam, & innocentiam: quarum una ſine altera nec ſalvabit. Fruſtra denique ad unam quamlibet harum invitabo ſponſum, qui non ad lilium, ſed *inter lilia* paſci perhibetur. Dabo proinde operam habere lilia, ne de ſingularitate cauſetur lilii, qui non vult niſi inter lilia paſci, & ſic declinet in ira à ſervo ſuo. Pono itaque primam omnium innocentiam: & ſi huic jungere continentiam quivero, divitem me putabo in poſſeſſione liliorum. Rex ſum autem, ſi tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem poſſunt ſufficere illæ: ſed quia & deficere in tentationibus poſſunt, ſiquidem *tentatio eſt vita hominis ſuper terram*: D opus profecto patientia eſt, quæ utriuſque ſit quaſi tutrix * quædam & cuſtos. Puto ſi venerit amator ille liliorum, & ita invenerit, quod non dedignabitur jam paſci apud nos, & apud nos facere paſcha: ubi illi & multa ſuavitas in duabus, & magna erit ſecuritas propter tertiam. Verum quo pacto dicatur paſci qui paſcit omnia, poſtea videbitur. Nunc vero apparet Sponſum non modo apparere inter lilia, ſed minime omnino extra lilia poſſe aliquando inveniri, cum omne quod de eo eſt, & ipſe ſit lilium, Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Quibus addendum & tertium. *Job 7. 1.*

* al. nutrix.

SERMO LXXI.

De liliis ſpiritualibus, id eſt Operibus bonis, quorum odor recta conſcientia, color fama: & quomodo Sponſus & paſcit nos, & paſcitur a nobis. Item de unitate Dei Patris cum Filio, & anima ſancta cum Deo.

1. FInis præcedentis ſermonis, principium hujus. Eſt ergo lilium Sponſus, ſed non lilium inter ſpinas, quoniam non habet ſpinas qui peccatum non fecit. Denique ſponſam proteſtatus eſt *lilium inter ſpinas*: quoniam ſi dixerit vel ipſa, quia ſpinas non habeat, ſeipſam ſeducit, & veritas in ea non eſt. Se vero florem quidem & lilium profeſſus eſt, non tamen F inter ſpinas. Magis autem, *Ego*, inquit, *flos campi & lilium convallium*. Et non eſt ſpinarum mentio, quod ſolus ſit hominum qui opus non habeat dicere: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*. Ergo abſque liliis numquam eſt, qui abſque vitiis ſemper eſt: quia totus & ſemper eſt candidus, ſpecioſus forma præ filiis hominum. Tu ergo qui hæc audis vel legis, cura habere lilia penes te, ſi vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, ſtudium tuum, deſiderium tuum: lilia eſſe proteſtetur

Cant. 2. 1.

Pſal. 31. 4.

Pſal. 44. 3. Lilia ſpiritualia quæ & quomodo [illegible] paranda.

A moralis quidam rerum ipſarum candor, atque odor. Habent & mores colores ſuos, habent & odores. Neque enim in ſpiritibus idipſum eſt color & odor, non magis quàm in corporibus. Ergo de colore conſcientia conſuletur, de odore fama. *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus*, aiunt illi, dicentes de opinione. Porro colorem operi tuo dat cordis intentio, & judicium conſcientiæ. Nigra ſunt vitia, virtus candida eſt. Inter hanc atque illa, conſcientia conſulta diſcernit. Stat ſententia Domini de oculo nequam & lucido, quia inter candidum & nigrum certos fixit limites, & diviſit lucem à tenebris. Quod ergo de corde puro & conſcientia bona egreditur can- B didum eſt, & eſt virtus: ſi autem & bona fama ſecuta fuerit; & lilium eſt, quippe cui nec candor lilii deſit, nec odor.

Exod. 5. 21.

Color operis intentio; odor, fama.

Matt. 6. 22.

2. Porro virtus, etſi non propterea major, pulcrior tamen illuſtriorque efficitur. Quod ſi in conſcientia nævus fuerit, nec quod ex ea prodierit, carebit nævo. Nam ſi radix in vitio; & ramus. Ac per hoc quicquid illud ſit quod radix vitiata non abſque traduce vitii ex ſe producat, verbi gratia, ſermo, actio, oratio, etiamſi fama applaudere videatur, non eſt quod debeat lilium dici: quia etſi odor connivere videtur, ſed non color. Quo pacto enim lilium cum impuritatis nævo? Nec ſane fama valebit vindicare virtuti, C quod eſſe vitium convicerit conſcientia. Erit quidem virtus contenta candore conſcientiæ, ubi ſequi non poterit odor famæ: ceterum odor famæ nec excuſare ſufficiet vitium conſcientiæ decoloris. Providebit tamen ſemper (quod in ſe eſt) homo virtutis bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ut vere ſit lilium.

Bonum opus intentio ex mala conſummatur.

Fama non diluit vitium conſcientiæ. *Rom. 12. 17.*

3. Sed eſt etiam candor animæ indulgentia Dei, ipſo dicente per Prophetam: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. Et eſt candor, quem ſibi induit is qui miſeretur in hilaritate. Etenim ſi intuearis illum, quem Propheta depingit jucundum ho- D minem, qui miſeretur & commodat: nonne is tibi videbitur de ipſa animi jucunditate indidiſſe candorem quemdam pietatis vultui pariter, & operi ſuo? Sicut è regione ſi ex triſtitia & velut ex neceſſitate quis tribuat, non candidum plane, ſed tetrum præfert manu & fronte colorem. Et ideo *hilarem datorem diligit Deus*. Numquid & triſtem? Profecto qui reſpexit ad Abel ob alacritatis candorem; avertit faciem à Cain, quia conciderat vultus * ejus, utique à triſtitia & livore. Adverte qualis color triſtitiæ ſeu invidiæ ſit, qui Dei à ſe avertit aſpectum. Pulcre & eleganter in colorando beneficio candor jucunditatis laudatus eſt voce illa Poetæ: Super omnia vultus acceſſere boni *. Nec mo- E do hilaris dator, ſed & qui tribuit in ſimplicitate, diligitur à Deo. Et ſimplicitas candor eſt. Probamus à contrario; nam nævus duplicitas. Parum dixi: macula eſt. Quid duplicitas niſi dolus? Sed enim qui doloſe egit in conſpectu Dei, inventa eſt iniquitas ejus ad odium. Et ideo *beatus, cui non imputabit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus*. Pulcre Dominus paucis utramque notavit maculam, dolum, triſtitiamque, *Nolite*, inquiens, *fieri, ſicut hypocritæ, triſtes*. Sponſus itaque & cum ſit virtus, in virtutibus complacet ſibi; & cum ſit lilium, libenter inter lilia commoratur; & cum ſit candor, delectatur candidis.

Candorem vitii. *Iſa. 1. 18.*

Pſal. 111. 5.

Hilaritas commendat opera miſericordiæ.

2 Cor. 9. 7.

Gen. 4. 4. * al. facies.

* *Ovid. 8 Metamorph.* *Rom. 12. 8.*

Pſal. 35. 3. *Pſal. 31. 2.*

Matt. 6. 16.

F 4. Et fortaſſis hoc eſt quod dicitur paſci inter lilia, candore & odore virtutum delectari. Et quidem paſcebatur olim corporaliter apud Mariam & Martham, recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant:) nihilo minus ſpiritum refocillabat devotione & virtutibus mulierum. Quod ſi illa hora intraſſet propheta, aut angelus, ſeu alius quivis ſpiritualis, tantum non ignorans quæ majeſtas recumberet; nonne ſtupens dignationem & familiaritatem, quam illi eſſe conſpiceret cum puris animis pudiciſque corporibus, tamen terrenis & ſexus infirmioris;

Paſci inter lilia quid.

Chriſtus in domo Marthæ & Mariæ paſcebatur inter lilia & paſcebat.

merito teſtaretur, quia vidi illum non modo commorantem, ſed & paſcentem inter lilia? Ita ergo ſecundum utrumque, carnem dico & ſpiritum, paſci inter lilia Sponſus inventus eſt. Puto autem quod & ipſe viciſſim paſceret, ſed in ſpiritu. Hoc ipſo quod paſcebatur, quomodo paſcebat? Quomodo, inquam, confortabat timiditatem feminarum, jucundabat humilitatem, impinguabat devotionem? Sed ſi vidiſti, quod paſci illi ſit paſcere; vide etiam nunc, ne forte & è converſo paſcere ſit ei paſci. *Gen. 48. 15.* *Domine, qui paſcis me à juventute mea*, ait ſanctus patriarcha Jacob. Bonus paterfamilias, qui ſuorum domeſticorum curam gerit, maxime in diebus malis, ut alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectus, & ſic nutriens ad vitam æternam. At paſcens, ita puto, nihilo minus paſcitur ipſe, & quidem eſcis quibus libenter veſcitur, profectibus noſtris. Etenim gaudium Domini, fortitudo noſtra.

Sponſi paſtio, profectus noſtri.

5. Ita ergo & cum paſcit paſcitur, & cum paſcitur paſcit, ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de noſtro æque ſpirituali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea, cibus ejus ſalus mea, cibus ejus ego ipſe. An non cinerem tamquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, cinis ſum, ut manducer ab eo. MANDOR cum arguor, glutior cum inſtituor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor, unior cum conformor. Nolite mirari hoc: & manducat nos, & manducatur a nobis, quo arctius illi adſtringamur. Non ſane alias perfecte unimur illi. Nam ſi manduco & non manducor, videbitur in me eſſe ille, ſed nondum in illo ego. Quod ſi manducor quidem, nec manduco; me in ſe habere ille, ſed non etiam in me eſſe videbitur: nec erit perfecta unitio in uno quovis horum. Sed enim manducet me, ut habeat me in ſe; & à me viciſſim manducetur ut ſit in me: quatenus [a] integra firmaque ſit connexio, cum ego in eo, & nihilo minus in me ipſe erit.

Paſtio noſtra, gaudium ſpirituale.

Manducare & manducari neceſſaria ad unionem.

6. Vis tibi per ſimile oſtendam quod dicitur? Attolle oculos nunc in quamdam ſublimiorem quidem convenientiam, ſimilem tamen huic. Si ipſe Sponſus in Patre ita eſſet, ut non tamen in ipſo Pater; aut ita Pater in ipſo eſſet, ut non eſſet ipſe in Patre: audeo dicere, & ipſorum citra perfectum unitas remaneret, ſi tamen jam unitas eſſet. Nunc vero cum & ipſe in Patre, & Pater in ipſo ſit; non eſt qua claudicet unitas, ſed vere perfecteque unum ſunt ipſe & Pater. *Pſal. 72. 28.* Sic igitur anima, cui adhærere Deo bonum eſt, non ante ſe exiſtimet ipſi perfecte unitam, niſi cum & illum in ſe, & ſe in illo manentem perſenſerit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, ſicut unum ſunt Pater & Filius: quamvis *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. *1. Cor. 6. 17.* Legi hoc, ſed illud non legi. Non dico de me, qui nihil ſum, ſed plane nemo, niſi demens, ſive de terra, ſive de cælo uſurpabit ſibi illam Unigeniti vocem: *Ego & Pater unum ſumus*. *Johan. 10. 30.* Et tamen ego, licet pulvis & cinis, fretus quidem Scripturæ auctoritate, minime iſtud dicere verear, quia unus cum Deo ſpiritus ſum: ſi umquam tamen certis fuero perſuaſus experimentis, Deo me adhærere ad inſtar unius illorum, qui in caritate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes [b] Deum, & manducati à Deo. Nam de tali adhæſione puto dictum: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. *1. Cor. 6. 17.* Quid ergo? Dicit Filius, *Ego in Patre, & Pater in me eſt, & unum ſumus*: *Johan. 14. 11.* *Johan. 10. 30.* dicit homo, Ego in Deo, & Deus in me eſt, & unus ſpiritus ſumus.

Simile ex myſterio divinitatis.

7. Sed numquid Pater & Filius ut ſint in invicem, ac proinde unum, invicem ſe manducant, ſicut Deus & homo mutua ſe quadam in ſeſe manducatione trajiciunt, utique per hoc, etſi non unum, unus certe ſpiritus exſiſtentes [a]? Abſit. Nec enim uno modo inſunt ſibi hi atque illi, ſed neque una unitas utrorumque. [[c] Denique innuitur tibi unitatum diverſitas per *unus* & *unum*: quoniam nec Patri & Filio unus, nec homini & Deo *unum* poterit convenire. Tu, ſi ſapis, occaſione accepta eris ſapientior, prudenter advertens, illic quidem per *unum* unitatem ſubſtantiæ vel naturæ: hic vero per *unus* æque unitatem, ſed ideo longe alteram, quia inter ſubſtantias & naturas, homini nempe & Deo, ſua cuique & natura, & ſubſtantia eſt, cum Patris Filiique conſtet penitus eſſe unam. Vides illam nec unitatem eſſe, ſi quidem huic ſingulari ſummæque unitati comparetur. Nam quomodo unitas, ubi numerus naturarum, ſubſtantiarum diverſitas? Et tamen unus ſpiritus dicitur, & eſt cum Deo, anima adhærens Deo; nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confuſio naturarum, ſed voluntatum conſenſio. Propter hanc quoque multa corda unum, & multæ animæ una dicuntur, ſicut ſcriptum eſt: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*. *Act. 4. 32.* Et hæc ergo unitas.

a al. à 11. Inter unitatem hominis cum Deo, & Dei Patris cum Filio, quæ differentia.

8. Ceterum quid ad illam, quæ non unitione conſtat, ſed exſtat æternitate? Non plane illam quædam, inſtar hujus, mutua manducatio facit, quia nec fit. Eſt enim. Sed nec conjunctio, vel quaſi compoſitio, vel tale aliquid, quod unius non eſt. Eſt autem Patri Filioque natura, eſſentia, voluntas non modo una, ſed unum. Hoc nempe eſt illis eſſe, quod naturam eſſe: hoc velle, quod eſſe, vel naturam eſſe. Non eſt itaque quod unitas, qua unum ſunt Pater & Filius, dicatur fieri de naturis vel eſſentiis, vel voluntatibus, quia non ſunt: non eſt quod dicatur vel fieri, quia eſt. Nec enim factitia eſt, ſed nativa.] Sunt in ſeſe Pater & Filius, non ſolum ineffabili, ſed etiam incomprehenſibili modo ſui ipſorum capabiles pariter & capaces: ſed ſane ita capabiles, ut non partibiles; ita capaces, ut non [a] participes. Nam ut in hymno Eccleſia canit: In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Eſt Pater in Filio, in quo ſibi ſemper bene complacuit: & eſt Filius in Patre, à quo ut numquam non natus, ita numquam eſt ſeparatus. Porro per caritatem homo in Deo, & Deus in homine eſt, dicente Johanne: quia *qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. *1. Johan. 4. 16.* [[d] Conſenſio quædam hæc, ut ſint duo in uno ſpiritu, immo unus ſpiritus ſint. Videſne diverſitatem? Non eſt idem profecto conſubſtantiale, & conſentibile. Quamquam, ſi advertiſti, ſatis tibi per *unus* & *unum*, ipſarum quoque innuitur differentia unitatum: quoniam quidem nec Patri & Filio *unus*, nec homini & Deo *unum* poterit convenire. Non poſſunt dici unus Pater & Filius, quia ille Pater, & ille Filius eſt: unum tamen dicuntur & ſunt, quod una omnino illis, & non cuique ſua ſubſtantia eſt. Qui contra homo & Deus, quia unius non ſunt ſubſtantiæ vel naturæ; unum quidem dici non poſſunt, unus tamen ſpiritus certa & abſoluta veritate dicuntur, ſi ſibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem unitatem non tam eſſentiarum cohærentia facit, quam conniventia voluntatum.

a al. participabiles. In Hymno pro ſeria 2. ad matut.

Amoris glutino conſtat unitas inter Deum & hominem.

9. Patet (ni fallor) ſatis non modo diverſitas, ſed & diſparitas unitatum, una in una, altera in diverſis exſiſtente eſſentiis. Quid tam diſtans à ſe, quàm unitas plurium & unius? Ita inter unitates (ut dixi) diſterminant unus & unum, quod per *unum* quidem in Patre & Filio eſſentiæ unitas, per *unus* vero inter Deum & hominem non hæc, ſed conſentanea quædam affectionum pietas deſignatur. Cum adjectione tamen etiam Pater & Filius ſaniſſime dicuntur

Diſparitas unitatum amplius declaratur.

a Ita primi editi cum pluribus mſſ. Quidam habent, *Erit perinde firma connexio & complexio integra*.

b Unus codex addit, *quodam modo*, ſed deeſt aliis, & quidem primis editis.

c Anſulis incluſa deſunt in codicibus Ciſtercienſi, S. Germani, & Gemeticenſi: ſed habentur in aliis, & in primis editis. At ſecunda parentheſis ſeu additio prolixior, quæ eſt à num. 8. ad 11. in illis prioribus codicibus non exſtat: ſic vero in poſterioribus. Et quidem alterutra ſuperflua eſt. Hæc diverſitas ex eo contigit, quod Bernardus hunc locum retractavit, ita ut prima parentheſis prioris editionis, altera poſterioris eſſe videatur. Prior tantum in primis editis reperitur, non poſterior. Lectori judicium relinquimus.

d Hæc altera eſt parentheſis, quam alia poſteriorem, eique præferendam exiſtimare licet.

Tom. IV.

unus, verbi cauſa, unus Deus, unus Dominus, & quicquid aliud eſt, quod ad ſe quiſque, & non ad alterum * dicitur. Si quidem non eſt illis diverſa divinitas ſive majeſtas, non magis quàm ſubſtantia, vel eſſentia, vel natura. Nempe hæc ipſa omnia, ſi pie conſideres, non diverſa ſeu diviſa in illis, ſed unum ſunt. Minus dixi; unum ſunt & cum illis. Quid illa unitas, qua multa corda unum, & multæ animæ una leguntur? Nec cenſenda (ut reor) nomine unitatis, comparata huic, quæ non multa unit, ſed unum ſingulariter ſignat. Ergo ſingularis ac ſumma illa eſt unitas, quæ non unitione conſtat, ſed exſtat æternitate. Nec ſane hanc ſpiritualis illa præfata manducatio facit, quia nec fit. Eſt enim. Multo minus eam facere putanda eſt eſſentiarum qualiſcumque conjunctio, ſeu conſenſio voluntatum, quia non ſunt. Una enim illis (ut dictum eſt) & eſſentia, & voluntas: uni vero non eſt conſenſus, non compoſitio, non copulatio, aut tale aliquid. Duas eſſe oportet ad minus voluntates, ut ſit conſenſus; duas æque eſſentias, ut ſit conjunctio ſive unitio per conſenſum. Horum nihil in Patre & Filio, quippe nec eſſentias duas, nec duas habentibus voluntates. Una eſt utraque res illis: vel potius (ut præfatum me memini) unum duo iſta in illis, unum & cum illis ſunt, ac per hoc ipſi ſicut incomprehenſibiliter, ita incommutabiliter * invicem in ſe manentes, vere & ſingulariter unum ſunt. Si quis tamen inter Patrem & Filium dicat eſſe conſenſum; non contendo, dummodo non voluntatum unionem, ſed unitatem intelligat voluntatis.

al. alterutrum — *Act. 4. 32.* — *al. incomparabiliter.*

10. Atqui Deum & hominem, quia propriis exſtant ac diſtant & voluntatibus & ſubſtantiis, longe aliter in ſe alterutrum manere ſentimus, id eſt non ſubſtantiis confuſos, ſed voluntatibus conſentaneos. Et hæc unio ipſis communio voluntatum, & conſenſus in caritate. Felix unio, ſi experiaris: nulla, ſi comparaveris. Vox experti: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Bonum plane, ſi omni ex parte adhæſeris. Quis eſt qui perfecte adhæret Deo, niſi qui in Deo manens, tamquam dilectus à Deo, Deum nihilo minus in ſe traxit viciſſim diligendo? Ergo cum undique inhærent ſibi homo & Deus, (inhærent autem undique intima mutuaque dilectione inviſcerati alterutrum ſibi:) per hoc Deum in homine, & hominem in Deo eſſe haud dubie dixerim.] Sed homo quidem ab æterno in Deo, tamquam ab æterno dilectus, ſi tamen ex illis ſit qui dicunt, *Quoniam dilexit & gratificavit nos in dilecto Filio ſuo ante mundi conſtitutionem*: Deus vero in homine, ex quo dilectus ab homine eſt. Et ſi ita eſt, homo quidem in Deo eſt & quando in homine Deus non eſt: Deus autem in homine non eſt qui non ſit in Deo. Manere enim in dilectione non poteſt, etſi forſitan ad tempus diligat non dilectus: poteſt autem nondum diligere etiam dilectus. Alioquin quomodo ſtabit, *Quoniam ipſe prior dilexit nos?* Porro cum jam etiam diligit qui ante diligebatur; & homo in Deo, & Deus in homine eſt. Qui autem numquam diligit, conſtat quod numquam dilectus eſt: ac per hoc nec ipſe in Deo, nec Deus in eo eſt. Hæc dicta ſint ad dandam differentiam inter illam connexionem, qua Pater & Filius unum ſunt, & illam qua adhærens Deo anima, unus ſpiritus eſt: ne forte quia legitur de homine manente in caritate, quia in Deo manet, & Deus in eo; & item de Filio, quod nihilo minus in Patre ſit, & Pater in ipſo; par prærogativa adoptati putaretur, & unici.

Unio hominis cum Deo eſt voluntatum conſenſio. — *Pſal. 72. 28.* — *Ephes. 1. 6.* — *Quomodo homo in Deo & Deus in homine.* — *1. Johan. 4. 10.*

11. His ergo abſolutis, recurrendum nobis ad illum qui paſcitur inter lilia, quia inde excurſus hic factus eſt uſque huc: utrumnam non otioſe, vos judicabitis. Et jam quidem loci ipſius duos intellectus poſueram, ſive quod virtutibus paſcitur candidatorum, qui virtus & candor eſt: ſive quod peccatores recipit ad pœnitentiam in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, pro quibus ſibi incorporandis ſeipſum fecit peccatum, qui peccatum non fecit, ut deſtrueretur corpus peccati, cui aliquando complantati fuere peccantes, eſſentque juſtitia in ipſo juſtificati gratis.

12. Tertiam adhuc a pono ſententiam quæ occurrit; & ſatis fore reor non modo pro loci explanatione, ſed & pro fine ſermonis. Sermo Dei veritas eſt, & ipſe ſponſus. Noſtis hoc: audite cetera. Is cum auditur, & minime obeditur illi; vacuus interim & jejunus quodam modo remanet, omnino triſtis & querulus, quod prolatus in vacuum ſit. Si autem obeditum fuerit, nonne tibi verbum videbitur in quamdam excreviſſe corpulentiam, quia verbo opus acceſſit, utpote refectum quibuſdam fructibus obedientiæ, juſtitiæ frugibus? Inde eſt quod in Apocalypſi loquitur, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum.* Videtur approbari hic ſenſus & apud Prophetam ſententiâ Domini, ubi dicit, quod verbum ſuum non revertetur ad ſe vacuum, ſed proſperabitur, & faciet ad quæ miſit illud. *Non revertetur*, inquit, *ad me vacuum* vel jejunum, ſed quaſi proſpere in omnibus agens, ſaturabitur bonis actibus eorum, qui in dilectione acquieſcent illi. Denique uſu loquendi ſermo impletus tunc dicitur, cum fuerit mancipatus effectui: quod videlicet tamdiu inanis & macer, ac quodam modo famelicus ſit, donec opere compleatur.

Tertia expoſitio, de verbo Dei. — *Apoc. 3. 20.* — *Sponſus paſcitur, cum illi obeditur.* — *Iſa. 55. 11.*

13. Sed audi ipſum quo ſe dicat cibo ali. *Meus*, inquit, *cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Verbum Verbi eſt aperte indicantis, eſſe ſuum cibum factum, bonum: ſi tamen invenerit illud inter lilia, hoc eſt inter virtutes. Alioquin ſi extra repererit, etſi bonus (quod in ſe eſt) videtur cibus, non tanget illum is, qui paſcitur inter lilia. Verbi cauſa, non recipit eleemoſynam de manu raptoris ſeu fœneratoris; ſed nec de hypocritæ quidem, qui cum facit eleemoſynam, facit tuba canere ante ſe, ut glorificetur ab hominibus. Sed nec illius orationem aliquo modo exaudiet, qui amat orare in angulis platearum, ut ab hominibus videatur. Nempe oratio peccatoris exſecrabilis erit. Fruſtra quoque offerat munus ſuum ad altare, qui conſcius eſt ſibi, quod frater ſuus habet aliquid adverſum ſe. Denique non reſpexit ad Cain munera, eo quod non recte ambularet cum fratre ſuo. Teſte ſancto Propheta, etiam abominabatur ſabbata, & neomenias, & ſacrificia Judæorum, ita ut manifeſte proteſtaretur odiſſe ea animam ſuam, & dicebat: *Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſivit ea de manibus veſtris?* Credo non redolebant lilia manus illæ, & propterea reſpuebat munus ex illis qui paſci inter lilia conſuevit, & non inter ſpinas. Quidni ſpinoſas habebant manus, quibus aiebat: *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt?* Et manus Eſau piloſæ erant, ſpinoſis ſimiles; ideoque non ſunt admiſſæ, ut miniſtrarent Sancto.

Johan. 4. 34. — *Bonum cibus Verbi, ſi bene factum ſit.* — *Matt. 6. 2.* — *Ibidem 5.* — *Prov. 28. 9.* — *Matt. 5. 23.* — *Gen. 4. 5.* — *Iſa. 1. 13.* — *Ibidem 15.*

14. Vereor ne & inter nos aliqui ſint, quorum non acceptet munera Sponſus, eo quod non redoleant lilia. Etenim ſi in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Sponſus, nec ſapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, ſed vitium propriæ voluntatis ſapit. Ego autem non ſolum de jejunio, ſed de ſilentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremo de omni obſervantia monachi, ubi invenitur voluntas ſua in ea, & non obedientia magiſtri ſui, idipſum ſentio. Minime prorſus obſervantias illas, etſi bonas in ſe, tamen inter lilia, id eſt inter virtutes, cenſuerim deputandas: ſed audiet à Propheta qui ejuſmodi eſt, Numquid tale eſt obſequium quod elegi, dicit Dominus? & addet: In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ. Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua tibi bona non ſint. Oportet proinde lilia fiant quæ hujuſmodi ſunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum ſit voluntate, guſtabit is qui paſcitur inter lilia. Sapientia eſt ubique attingens propter munditiam ſuam, & nil inquinatum in eam incurrit. Ita ergo inter lilia paſci amat ſponſus, id eſt apud munda & nitida corda. Sed quouſque? *Donec adſpiret dies, & inclinentur umbræ.*

Jejunium propria voluntate, ingratum Deo. — *Iſa. 58. 5.* — *Propria voluntas mala.* — *Cant. 2. 17.*

a In aliis, *Tertiam addo quæ occurrit*, ſed hæc levia.

Umbroſus locus eſt hic & condenſus : non intremus ſilvam hanc profundi ſacramenti , niſi clara luce diei. Jam enim diſputante me longius, inclinata eſt dies, dum inviti abſtrahimur ab his liliis. Nec ſum victus * prolixitate , cui faſtidium omne detraheret odor florum. Modicum quid reſtare videtur de præſenti capitulo. At iſtud modicum reconditum nimis , ſicut & cetera univerſa carminis hujus. Sed qui revelat myſteria aderit , ut confido, cum pulſare cœperimus : & non claudet ora loquentium ſe , cui familiare magis eſt reſerare clauſa , Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter , qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula , amen.

*al. veritus prolixitatem

SERMO LXXII.

Dies adſpirans , *& umbra* inclinatæ *quæ ſint. Deinde varie hominum dies exponuntur. Et quod juſtos , utpote in luce viventes, maneat clarior dies , impios vero in operibus tenebrarum verſantes æterna nox.*

Cant. 2. 16 a — 1. D*Ilectus meus mihi , & ego illi , qui paſcitur inter lilia ; donec adſpiret * dies , & inclinentur umbra.* Noviſſima tantum capituli hujus tractanda pars eſt , & dubito in ipſo ingreſſu , cuinam potiſſimum eam jungam duarum præcedentium. nam poſſum indifferenter utrique. Sive enim dicas, *Dilectus meus mihi , & ego illi donec adſpiret dies , & inclinentur umbra* , interpoſito tantum , *qui paſcitur inter lilia ;* ſive pro litteræ ſerie, *qui paſcitur inter lilia , donec adſpiret dies , & inclinentur umbra* : non inconvenienter utrovis aſſignas. Hoc ſane refert , quod *donec* ſi primo junxeris , incluſivum oportet intelligas : ſi medio , excluſivum ſentias neceſſe eſt. Eſto nempe quod deſignat Sponſus paſci jam inter lilia, ubi adſpiraverit dies: numquid ſimiliter ceſſabit etiam ſponſæ intendere , aut ipſa illi ? Abſit. In æternum perſeverabunt ſibi. niſi quod tunc felicius, cum vehementius; tunc vehementius, cum expeditius. Sit ergo tale hoc *donec*, quale eſt illud apud Matthæum, ubi narratur non cognoviſſe Mariam Joſeph , *donec peperit Filium ſuum primogenitum*. Non enim poſt cognovit. Vel certe quale eſt illud in pſalmo : *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*. Non enim avertentur, cum cœperit miſereri. Vel quale item illud Domini ad Apoſtolos : *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Non enim poſt non erit cum illis. Verum hoc ita , ſi *donec* referas ad *Dilectus meus mihi , & ego illi*. Sin autem ad *qui paſcitur inter lilia* reſpicere malis, erit alio ſenſu accipiendum. Porro operoſius oſtendetur, quomodo tunc dilectus paſci deſinat, cum adſpiraverit dies. Etenim ſi dies reſurrectionis is eſt , quidni multo magis paſci ibi inter lilia juvet , ubi horum major admodum copia erit ? Et pro aptanda quidem litteræ conſequentia hæc dicta ſint.

Littera connexio & ſenſus. — Matt. 1. 25. — Pſal. 122. 2. — Matt. 28. 20.

2. Nunc jam adverte mecum , toto licet liliis fulgentibus regno, ſponſoque medio exſultante & deliciante , non tamen eſſe quod dicatur & paſci , juxta id quidem quod ante conſueverat. Ubi namque jam peccatores , quos ſibi incorporet Chriſtus , manſos morſoſque quaſi quibuſdam dentibus diſciplinæ auſterioris, afflictione ſcilicet carnis , & cordis contritione ? Sed neque cibum ſibi jam exiget Verbum ſponſus ex aliquibus factis ſeu operibus obedientiæ , UBI OMNE NEGOTIUM OTIUM; ſoloque in intuitu & affectu res erit. Et quidem cibus ejus, ut faciat voluntatem Patris ſui : ſed hic , non ibi. Quid enim faciat factam ? Et perfectam tunc eſſe conſtat. Denique probare jam tunc eſt omnibus Sanctis, quæ ſit voluntas Dei bona , & beneplacens , & perfecta. Et certe poſt perfectum , faciendum ſupereſt nihil. Frui de cetero reſtat , non fieri ; experiri , non operari ; ea vivere , non exerceri in ea. Nonne ipſa eſt , quam inſtantiſſima prece docti quidem à Domino , ſicut in cælo, ita & in terra perfici poſtulamus , quo ejus jam delectet fructus, actus non fatiget ? Non erit itaque Sponſo Verbo operis cibus , quia ceſſet neceſſe eſt omne opus , ubi plenius

Chriſtus an in gloria paſcatur inter lilia. — Gloriæ negotium, otium. — Matt. 6. 10.

A ab univerſis percipitur ſapientia. Nam *qui minorantur actu , percipiunt eam.* Tom. IV. Eccli. 38. 25.

3. Sed videamus nunc , ſi quod dicimus ſtare poſſit, & ſecundum illam ſententiam , qua paſci inter lilia , candidatu virtutum oblectari , quidam interpretantur. nam & nos ipſam inter ceteras non præterivimus. Dicemuſne , aut non fore, aut ſponſo minime ſapere tunc virtutes ? Et quidem ſentire alterutrum , dementiæ eſt. Sed vide ne forte alias illis delectetur. nam conſtat delectari , ſed forſitan potu magis , quàm paſtu. Sane in tempore & corpore iſto , nulla noſtra virtus ita ad purum defæcata erit, nulla ita ſuavis & mera , ut ſponſo habilis ſit ad potandum. Sed qui B vult omnes homines ſalvos fieri , diſſimulat multa, & quam non poteſt potandi interim facilitate glutire , curat ex ea vel quippiam elicere ſapidum, quaſi arte quadam & quodam labore mandendi. Erit cum erit virtus colabilis , nec premetur dente , nec fatigabitur à mandente , vel potius non fatigabit mandentem , quæ bibentem abſque opera delectabit , tamquam utique potus, non eſca. Denique habes ſpondentem in Evangelio, quia *non bibam de hoc genimine vitis* , inquit , *donec bibam illud novum vobiſcum in regno Patris mei*. Et de cibo nulla mentio eſt. Sed apud Prophetam quoque legitur , *tamquam potens crapulatus à vino* : de cibo autem nihil ibi penitus invenitur. C Sponſa ergo conſcia myſterii hujus , cum dilectum paſci inter lilia comperiſſet ac perhibuiſſet , conſtituit terminum quoad id dignaretur , immo conſtitutum agnovit & perhibuit dicens , *donec adſpiret dies , & inclinentur umbra*. Sciebat enim virtutibus eum poſtea potandum potius , quàm paſcendum. Connivere * videtur & conſuetudo , qua poſt cibum potus ſumi de more ſolet. Ergo qui hic manducat , illic bibet , eo tunc ſuavius , quo ſecurius ; glutiturus & ea ipſa, quæ ſcrupuloſius modo , & quodam modo laborioſius quaſi mandendo liquat.

Virtutes noſtræ in hac vita non penitus defæcatæ. — Matt. 26. 29. — Pſal. 77. 65. — Cant. 2. 17. — *al. convenire.

4. Nunc jam intendamus conſiderare de die illo & illis umbris , qui ille , quæ iſtæ : ille qua ratione adD ſpirans , hæ in qua poteſtate habeant inclinari. Signanter omnino dictum eſt, *donec adſpiret dies*, immo ſingulariter. Solo quippe hoc loco (niſi fallor) diem adſpirantem comperies. Auræ nempe , non tempora ſpirare dicuntur. Spirat homo , ſpirant animalia cetera , quibus indeſinenter reciprocatus aer vitam continuat. Et quid hoc, niſi ventus ? Spirat & Spiritus-ſanctus , & inde ſpiritus. Quo pacto ergo dies ſpirans, qui nec ventus , nec ſpiritus, nec animal eſt ? Quamquam nec ſpirans quidem , ſed , quod ſignantius ſonat , *adſpirans* dictus ſit. Nec minus præter ſolitum dictum , *& inclinentur umbra*. Denique ad exortum hujus corporei viſibiliſque luminis umbræ non inclinantur, ſed annulE lantur. Extra proinde corpora quærendæ hæ res. Et ſiquidem ſpirituales invenerimus diem & umbras , tunc forſitan & inclinatio harum, & illius adſpiratio facilius elucebit. Qui illum diem, de quo Propheta dicit, *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia* , corporeum opinatur, neſcio quid jam non corporeum opinetur. Eſt & in mala ſignificatione dies, cui maledixere Prophetæ. Abſit autem , ut ex viſibilibus his , quos fecit Dominus. Itaque ſpiritualis eſt.

Quis ille dies adſpirans. — Pſal. 83. 11. — Job 3. 3. — Jer. 20. 14.

5. Jam umbram quis ambigat ſpiritualem , qua Mariæ obumbratum eſt concipienti ; & item eam, quæ in Propheta ſic memoratur : *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus . ſub umbra ejus vivemus inter gentes ?* F Ego tamen umbrarum nomine hoc loco magis arbitror deſignatas contrarias poteſtates , quæ non modo umbræ , vel tenebræ , ſed *& principes tenebrarum harum* ab Apoſtolo perhibentur , ſimulque inhærentes illis ex genere noſtro, filios utique noctis , & non lucis, neque diei. Hæ ſiquidem umbræ , non plane cum adſpiraverit dies , in nihilum revertentur , ſicut à facie hujus corporeæ lucis umbras corporeas non diſparere tantum , ſed & penitus deperire videmus. Itaque erunt minime quidem extremius nihilo , miſerius tamen,

Umbrarum inclinatio quid. — Thren. 4. 20. — Eph. 6. 12.

a Occaſione hujus loci Guerricus Bernardum laudat , ut in hujuſce Tomi Præfatione obſervatum eſt num. 11.

Tom. IV Erunt, ſed inclinatæ & ſubditæ. Denique *inclinabit ſe*, A
Pſal. 9. 10. inquit, *& cadet*, (haud dubium quin princeps umbra-
rum) *cum dominatus fuerit pauperum*. Ergo non natura
delebitur, ſed potentia ſubtrahetur: non peribit ſub-
ſtantia, ſed tranſibit hora & poteſtas tenebrarum. Tol-
luntur, ne videant gloriam Dei: non annullantur, ut
ſemper urantur. Quidni inclinabuntur umbræ, cum de-
ponentur potentes de ſede, ponenturque ſcabellum
Rom. 13. 12. pedum? Quod utique oportet fieri cito. Noviſſima ho-
ra eſt: nox præceſſit, dies autem appropinquavit.
Adſpirabit dies, & exſpirabit nox. Nox diabolus eſt,
nox angelus ſatanæ; etſi ſe transfiguret in *Angelum lu-*
2 Theſſ. 2. 8. *cis*. Nox etiam Antichriſtus, *quem Dominus interficiet*
ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui. B
Numquid non Dominus dies eſt? Dies plane illuſtrans
& ſpirans, qui ſpiritu oris ſui fugat umbras, & deſ-
Alia expoſitio. truit larvas illuſtratione adventus ſui. Aut ſi magis
placet verbum *inclinationis* ſimpliciter accipere, nihil-
que aliud inclinari, quàm annihilari eſſe putandum; ne
huic quoque deſimus ſenſui, dicimus umbras figuras
& ænigmata ſcripturarum, necnon & ſophiſticas lo-
cutiones, cavillationeſque verborum & implicita ar-
gumentorum, quæ omnia veritatis interim lumen
obumbrant. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte
1. Cor. 13. 9. prophetamus. Verum adſpirante die, inclinabuntur
umbræ: quia occupante omnia luminis plenitudine,
Ibidem. 10. nulla pars ſupereſſe poterit tenebrarum. Denique *cum* C
venerit quod perfectum eſt, tunc evacuabitur quod ex par-
te eſt.

In Scriptura nihil otioſum. 6. Hactenus de his ſufficere poterat, ſi ſpirans dies
illa, & non *adſpirans* dicta fuiſſet. Nunc vero pro
tantillo licet additamento adhuc aliquid addendum
exiſtimo, nimirum pro inveſtiganda hujus diverſitatis
ratione. Ego enim (ut verum fatear) jam olim mihi
perſuaſi, in ſacri pretioſique eloquii textu nec modi-
cam vacare particulam. Solemus autem hac voce uti,
cum vehementer aliquid deſideramus, ut (verbi gra-
tia) cum dicimus, ille ad illum honorem, vel illam
dignitatem adſpirat. Deſignatur itaque per hoc ver-
bum mira affutura affluentia, vehementiaque ſpiritus D
die illo, cum non ſolum corda, ſed & corpora ſuo
quidem in genere ſpiritualia erunt; & qui digni inve-
nientur, inebriabuntur ab ubertate domus Domini,
& torrente voluptatis illius potabuntur.

Dies ſpirans. 7. Vel aliter. Jam ſanctis Angelis dies ſanctificatus
illuxit, ſpirans illis jugi impetu perpetis meatus melli-
Pſal. 45. 5. flua ſempiternæ divinitatis arcana. Denique *fluminis im-*
petus lætificat civitatem Dei; ſed civitatem, cui dicitur:
Pſal. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*. Cum autem
& nobis qui terram inhabitamus, ſpirare adjecerit,
Dies adſpirans. erit non modo ſpirans, ſed & *adſpirans*, quod dilata-
to ſinu admittat & nos. Vel (ut paulo altius repeta-
mus, & diſſeramus latius) plaſmato homine de limo E
Gen. 2. 7. Dies inſpirans. terræ, plaſmator, ſicut verax narrat hiſtoria, *inſpira-*
vit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, factus proinde illi dies
inſpirans: & ecce invida nox callide impegit in diem
hanc, luce utique ſimulata. Nam dum quaſi ſplendidius
lumen ſcientiæ pollicetur, inopinatas novæ luci offu-
dit pravi tenebras conſilii, & primordiis originis noſ-
træ tetram damnoſæ prævaricationis invexit caliginem.
Væ væ, neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris
ambulant neſcientes, ponentes tenebras lucem, & lu-
cem tenebras. Denique comedit de ligno mulier, quod
ſibi dederat ſerpens, vetuerat Deus: deditque viro
Gen. 3. 7. Dies conſpirans & Dies exſpirans. ſuo, & cœpit illis quaſi de novo dieſcere. Nam ilico
aperti ſunt oculi amborum, & factus eſt dies conſpi- F
rans, inſpirantem extundens, & ſubſtituens exſpiran-
tem. Conſpiraverunt ſiquidem & convenerunt in unum
adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, ſer-
pentis aſtutia, mulieris blanditiæ, viri mollities. Unde
& loquebantur mutuo, Dominus ſcilicet & Chriſtus
Gen. 3. 22. ejus: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*, quod ad
utriuſque injuriam lactantibus ſe peccatoribus acquie-
viſſet.

8. In hac die naſcimur univerſi. Portamus denique
omnes impreſſum nobis cauterium conſpirationis an-
tiquæ, Eva utique vivente in carne noſtra, cujus per
hereditariam concupiſcentiam ſerpens noſtrum ſuæ Dies, cui maledixerunt ſancti, quæ.
factioni ſedula ſatagit ſollicitudine vindicare con- Job 3. 3.
ſenſum. Propterea (ut dixi) huic diei maledixere Jer. 20. 14.
Sancti, brevem optantes, & cito verti in tenebras,
quod ſit contentionis & contradictionis dies, dum non
ceſſet in ea caro concupiſcere adverſus ſpiritum, le-
gique mentis membrorum contraria lex rebellione in-
fatigabili aſſidue contradicat. Itaque dies exſpirans
factus eſt. Extunc enim & deinceps, quis eſt homo Pſal. 88. 49.
qui vivet, & non videbit mortem? Dicat pro ira quis: Mors piis beneficium.
ego non minus pro miſericordia puto, ne electos
ſcilicet, propter quos omnia fiunt, diu defatiget mo-
leſta contradictio, qua captivi ducuntur & ipſi in lege
peccati, quæ eſt in membris ipſorum. Horrent nimi-
rum, ægerrimeque ferunt turpem captivitatem, & triſ-
tem contentionem.

9. Feſtinemus proinde reſpirare à conſpiratione an-
tiqua & iniqua, quoniam breves dies hominis ſunt. Job 14. 5.
Ante ſane excipiat nos dies reſpirans, quam nox ſuſpi-
rans abſorbeat, æternæ caliginis tenebris exterioribus
involvendos. Quæris in quo reſpiratio iſta? In eo, ſi
incipiat ſpiritus viciſſim concupiſcere adverſus car-
nem. Huic ſi repugnas, reſpiras: ſi ſpiritu facta car-
nis mortificas, reſpiraſti: ſi hanc cum vitiis & con-
cupiſcentiis ſuis crucifigis, reſpiraſti. *Caſtigo*, inquit, 1. Cor. 9. 27.
corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis
prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Vox eſt reſpirantis,
immo qui jam reſpirarat. *Vade, & tu fac ſimiliter*, ut te Luc. 10. 37.
reſpiraſſe probes, ut diem denuo inſpirantem tibi no-
veris illuxiſſe. Nec nox mortis prævalebit adverſus re-
divivum hunc diem: magis autem in tenebris lucet,
& tenebræ eum non comprehenderunt. In tantum
non reor nec vita decedente cedere lumen vitæ, ut ne-
mini congruentius, quàm ſic mortuo aſſignandam cen-
ſeam vocem illam: *Et nox illuminatio mea in deliciis* Pſal. 138. 11.
meis. Quidni clarius videat, nube, vel potius fæce cor- Juſtis in morte oritur vera dies.
poris evolutus? Erit ſine dubio vinculis ſolutus cor-
poreis inter mortuos liber, & inter cæcos videns.
Nam quemadmodum olim, omni oculo caligante per
univerſam Ægyptum, ſolus in mediis tenebris clare
videbat populus videns Deum, id eſt populus Iſrael,
dicente Scriptura, quia *ubicumque Iſraël erat, lux erat*: Exod. 10. 23.
ſic inter filios tenebrarum, in tetra mortis caligine
fulgebunt juſti, & videbunt, eo utique clarius, quo exuti
corporum umbris. Nam & hi qui ante non reſpirave- Impiis denſa nox.
runt (nec enim quæſierunt inſpirantis diei lumen, &
Sol juſtitiæ non ortus eſt eis:) hi, inquam, ibunt de te-
nebris in tenebras denſiores, ut qui in tenebris ſunt,
tenebreſcant adhuc; & qui vident, videant magis.

10. Ubi non inconvenienter forſitan adducetur etiam
ſermo Domini, quem dixit, quia *habenti dabitur, &* Luc. 19. 26.
abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habe-
re, auferetur ab eo. Ita eſt: & additur in morte videnti-
bus, & non videntibus demitur. Quo enim hi minus
& minus, eo illi magis magiſque vident, donec & hos
excipiat ſuſpirans nox, & illos adſpirans dies, quæ ſunt
noviſſima utrorumque, extrema videlicet cæcitas, &
ſuprema claritas. Ex hoc jam non eſt quod dematur
omnino vacuis, non eſt quod addatur plenis: niſi quod
hi neſcio quid pleno amplius ſe accepturos præſu-
munt ſecundum promiſſionem ad ſe factam. Et pro-
miſſionis quidem verbum tale eſt: *Menſuram bonam, &* Luc. 6. 38.
confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſi-
num veſtrum. An non plus pleno quodam modo tibi eſſe
videtur quod ſupereffluit? Porro placide audies plenum
& plenius, ſi te legiſſe memineris, *in æternum & ultra*. Exod. 15. 18.
Ergo is cumulus adſpirantis erit diei. Ipſa, inquam, Æternæ et inſuper beatitudinis affluentia.
adjiciet ad menſuram inſpiratæ plenitudinis, ad inſpi-
rantis diei copiam, ſupra modum in ſublime pondus
gloriæ operans, ita ut redundet in corpora ſuperef-
fluens clarificationis adjectio. Hac de cauſa enim non
ſpirans, ſed adſpirans dicta eſt, quod addat ad inſpi-
rantem, hoc ſignificante Spiritu-ſancto per adjectam,
ad, præpoſitionem; quia quos illa intus illuminat, hos
iſta adornat foris, & ſtola gloriæ induit eos.

Tom. I V.

11. Atque id ſatis pro danda ratione vocabuli, quod eſt *adſpirans*. Et ſi vultis ſcire, dies *adſpirans* ipſe eſt Salvator quem exſpectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Nam & inſpirans nihilo minus idem ipſe eſt, ſecundum operationem, qua nos reſpirare prius facit in lumine quod inſpirat, ut ſimus & nos dies reſpirans in ipſo, ſecundum quod interior noſter homo renovatur de die in diem, & renovatur in ſpiritu mentis ſuæ ad imaginem ejus qui ſe creavit, factus proinde dies ex die, & lumen ex lumine. Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inſpirans pro corporis vita, alter vero reſpirans in ſanctificationis gratia, porro tertius ſuperſit *adſpirans* in reſurrectionis gloria: claret profecto aliquando adimpletum iri in corpore quod præceſſit in capite, magnum utique pietatis ſacramentum, & Prophetæ teſtimonium, qui ait: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. & vivemus in conſpectu ejus; ſciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum.* Ipſe eſt in quem Angeli proſpicere concupiſcunt, Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Philipp. 3. 21.
Dies inſpirans, reſpirans, & adſpirans quid.
Oſee 6. 3.

SERMO LXXIII.

Qualiter Chriſtus ad judicandum veniet in forma humana, ut ſuavis appareat electis; & quomodo minor Angelis, iiſdemque ſublimior.

Cant. 2. 17. 1. R*Evertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum.* Quid? Modo it, modo revocas? Quid ſubitum in tam brevi emerſit? Oblitane aliquid? Etiam oblita totum quod non ille eſt, ſe quoque ipſam. Denique cum ſit rationis non expers, non tamen modo, ut videtur, rationis eſt compos. Sed nec in ſenſu illi ullatenus apparet verecundia eſſe, quam forte habet in moribus. Amor intemperans facit hoc. Nempe is eſt qui omnem in ſe triumphans captivanſque pudoris ſenſum, convenientiæ modum, deliberationis conſilium; totius modeſtiæ, & opportunitatis neglectum quemdam & quamdam incuriam parit. Nam vide nunc quomodo illum, pæne adhuc incipientem ire, jam tamen redire flagitat. Etiam accelerare rogat, & quidem currere inſtar unius alicujus feræ ſilvarum velociter currentis, verbi gratia, capreæ, hinnulive cervorum. Hic litteræ tenor, & hæc Judæorum [a] portio.

Amoris efficacia.

2. Ego vero, quemadmodum accepi a Domino, in profundo ſacri eloquii gremio ſpiritum mihi ſcrutabor & vitam; & pars mea hæc, qui in Chriſtum credo. Quidni eruam dulce ac ſalutare epulum ſpiritus de ſterili & inſipida littera, tamquam granum de palea, de teſta nucleum, de oſſe medullam? Nihil mihi & litteræ huic, quæ guſtata carnem ſapit, glutita mortem affert: ſed enim quod in ea tectum eſt, de Spiritu-ſancto eſt. Spiritus autem loquitur myſteria, teſte Apoſtolo: ſed Iſraël pro velato myſterio ipſum myſterii velamen tenet. Quare, niſi quia adhuc velamen eſt poſitum ſuper cor ejus? Ita quod ſonat littera, illius eſt; quod ſignat *, meum eſt; ac per hoc illi miniſtratio mortis in littera, mihi vita in ſpiritu. Nam *ſpiritus eſt qui vivificat*: dat quippe intellectum. An non vita intellectus? *Intellectum da mihi, & vivam*, ait Propheta Domino. Intellectus non remanet extra, non hæret in ſuperficie, non inſtar cæci palpat forinſeca, ſed profunda rimatur, pretioſiſſimas ſolitus exinde veritatis exuvias tota aviditate diripere ac tollere ſibi, & cum Propheta dicere Domino: *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* Nempe ita regnum veritatis vim patitur, & violenti rapiunt illud. Verum ille ſenior frater, qui de agro veniens formam tenuit populi veteris & terreni, qui pro terrena hereditate doctus diligere trituram, attrita fronte gemit anxius ſub gravi jugo legis, portatque pondus diei & æſtus. Is, inquam, quia intellectum non habuit, foris ſtat etiam nunc, & non vult nec invitatus à patre intrare domum convivii, ſemetipſum fraudant uſque adhuc participio ſymphoniæ, & chori, & vituli ſaginati. Miſer qui renuit experiri, quàm bonum ſit & quàm jucundum habitare fratres in unum. Et hæc dicta ſint pro diſtinctione partis Eccleſiæ, partiſque Synagogæ, quo & cæcitas hujus ex illius prudentia manifeſtior fiat, & felicitas illius ex hujus miſeranda fatuitate præemineat.

Senſus ſpiritualis potior litteræ cortice.
1. Cor 14. 2.
* al. deſignat.
Johan. 6. 64.
Pſal. 118. 144.
Ibidem 162.
Matt. 11. 12.
Luc. 15. 25.
Cæcitas & fatuitas ſynagogæ.

3. Nunc jam ſcrutemur verba ſponſæ, & ſic conemur caſtos exprimere ſancti amoris affectus, ut nil in ſacro eloquio ratione carens, nil indecorum importunumve reſediſſe omnino appareat. Et ſi in mentem venerit hora illa, cum Dominus Jeſus (is enim Sponſus eſt) tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, ſimulque quid tunc animi gereret ſua illa domeſtica Eccleſia, nova utique nupta, cum ſe deſeri cerneret quaſi viduam deſolatam unica ſpe ſua (Apoſtolos loquor, qui relictis omnibus ſecuti fuerant eum, atque cum ipſo permanſerant in tentationibus ſuis:) ſi hæc, inquam, cogitaverimus, non immerito neque incongrue, puto, videbitur, quantum de abſceſſu triſtis, tantum ſollicita extitiſſe de reditu, præſertim ſic affecta, & ſic relicta. Itaque diligenti & indigenti hæc ipſa duplex ratio erat commonendi dilectum, ut, quandoquidem perſuaderi non poterat quin iret & aſcenderet ubi erat prius, ſaltem promiſſum denuo maturaret adventum. Quod enim optat & poſtulat ſimilem fore feris, & ejuſmodi feris, quæ curſu agiliores eſſe videntur; cupientis animi indicium eſt, cui nihil ſatis feſtinatur. Nonne hoc quotidie poſtulat, cum dicit in oratione, *Adveniat regnum tuum!*

Senſus myſticus.
Johan. 13. 1.
Secundum Chriſti adventum deſiderat Eccleſia.
Matt. 6. 10.

4. Ego tamen præter agilitatem, exiſtimo non minus ſignanter exprimi etiam infirmitatem, & quidem ſexus in caprea, ætatis in hinnulo. Vult itaque eum (ut mihi videtur) etſi cum poteſtate venire, non tamen in forma Dei in judicio apparere: ſed ſane in ea, qua non modo natus, ſed & parvulus natus eſt nobis, idque ſolo de infirmiori femineo ſexu. Cur hoc? Nempe ut ex utroque admoneatur infirmo miteſcere in die iræ, memineritque in judicio miſericordiam ſuperexaltare judicio. Etenim ſi iniquitates obſervaverit, etiam electorum, quis ſuſtinebit? Aſtra non ſunt munda in conſpectu ejus, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Audi denique Sanctum & electum quid dicat Deo. *Tu*, inquit, *remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Opus itaque habent & Sancti pro peccatis exorare, ut de miſericordia ſalvi fiant, propriæ juſtitiæ non fidentes. Omnes enim peccaverunt, & egent omnes miſericordia *. Ut ergo cum iratus fuerit, miſericordiæ recordetur; rogatur ab iſta apparere in miſericordiæ habitu, illo, de quo Apoſtolus: *Et habitu*, inquit, *inventus ut homo.*

Pſal. 129. 3.
Pſal. 31. 5.
Sanctis quoque pro peccatis orandum.
* al. add Dei.
Philipp. 2. 7.

5. Neceſſarie quidem. Si enim cum hoc quoque temperamento tanta erit in judicio æquitas, in Judice ſeritas, in majeſtate ſublimitas, novitas in facie ipſa rerum, ut ſecundum Prophetam non poſſit cogitari dies adventus ejus: quid putas foret, ſi ignis ille conſumens (Deum loquor omnipotentem) in illa ſuæ divinitatis magnitudine, fortitudine, puritate veniſſet, contra folium quod vento rapitur, oſtenſurus potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſecuturus? Et homo eſt, inquit, & quis videbit eum? *Et qui ſtabit ad videndum eum?* Quanto magis Deum nobis abſque homine exhibentem nemo hominum ferret, utpote claritate inacceſſibilem, celſitudine inattingibilem, incomprehenſibilem majeſtate? Nunc vero cum exarſerit in brevi ira ejus, quàm grata propter filios gratiæ apparebit blanda quædam viſio hominis, ſane firmamentum fidei, ſpei robur, fiduciæ augmentum: quod ſcilicet gratia & miſericordia ſit in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius. Denique ipſe Pater Deus dedit Filio judicii poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia Filius hominis eſt. O vere Patrem miſericor-

Malac. 3. 2.
In judicio non exhibebitur divinitas, ſed humanitas.
Malac. 3. 2.
Pſal. 2. 13.
Sap. 4. 15.
Deus judicii poteſtatem dedit Filio, ut homini, & quare.

a Qui ſcilicet nonniſi litteræ corticem, & craſſum carnalemque ſenſum in Scripturis quærunt. Ita *quod ſonat littera*, eorum eſt: *quod ſignat*, Chriſtianorum, ait Bernardus infra, num. 2.

Tom. IV. *Joan. 5. 27.* diarum! vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo. Prædixerat hoc quondam ſanctus David, orans pariter & prophetans: *Pſal. 71. 2.* *Deus*, inquiens, *judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis*. Sed neque huic diſſonat promiſſio facta per Angelos, qui eo aſſumpto ita ad Apoſtolos loquebantur: *Act. 1. 11.* *Hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*, hoc eſt in hac ipſa corporis forma atque ſubſtantia.

6. Liquet ex his omnibus ſponſam in ſe divinum habere conſilium, & myſterium ſupernæ voluntatis minime ignorare, quæ ſub umbra imbellium imbecilliumque animantium naturam infirmiorem, vel potius inferiorem (quia jam infirma non erit) in judicio exhibendam, & orantis affectu, & ſpiritu prophetantis enuntiat, quatenus qui cælum terramque movebit in virtute ſua, accinctus potentia contra inſenſatos, & ſuavis nihilo minus & mitis, & quaſi omnino inermis appareat propter electos. Ubi hoc quoque addi poteſt, quia ad diſcernendum alterutros à ſe, opus erit quodam modo illi, cum hinnuli quidem ſaltibus, luminibus capreæ, quatenus videre & diſcernere in tanta multitudine & in tanta turbatione poſſit, in quoſnam ſalire & quos tranſſilire oporteat, ne forte contingat juſtum pro impio conculcari, cum in ira populos confringet. Nam quantum ad impios, neceſſe eſt ut impleatur prophetia David, immo ſermo Domini loquentis per os ejus: *Pſal. 17. 43.* quia *comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos*. Et item alius ſermo, quem per alium Prophetam prædixerat, impletus nihilo minus tunc cognoſcetur, cum ad Angelos rediens dicet: *Iſa. 63. 3.* *Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea*.

7. Si cui autem magis ita intelligendum videtur, ut malos potius tranſſilire, atque in bonos ſalire hinnulus noſter debeat, non contendo: tantum cognet ſaltus diſpoſitum iri in diſcriminationem bonorum, malorumque. Nam & à me (ſi bene memini) ita dictum eſt in ſermone altero *, ubi capitulum idem alibi ſupra & ab auctore poſitum, & à me expoſitum nihilo minus reperitur. ** Serm. 54.* Verum ibi ſecundum diſpenſationem quidem gratiæ, quæ in præſenti vita aliis datur, aliis non datur, juſto quidem Dei judicio, ſed occulto, ſalire, & tranſſilire is hinnulus dictus eſt: *Gratia aliis datur, aliis non.* hic autem ſecundum ultimam ac variam retributionem meritorum. Et forte ſenſui huic videatur adſtipulari extremum capituli hujus, quod quidem pæne oblitus fueram. *Cant. 2. 17.* Dicens namque, *Similis eſto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum*, addit, *ſuper montes Bethel*. Nec enim in domo Dei (quod ſonat Bethel) mali montes ſunt. Quamobrem ſaliens in eos hinnulus non conculcat, ſed lætificat, ut Scriptura impleatur quæ dicit: *Iſa. 55. 12.* *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes*. Et quidem ſunt montes, *Matt. 17. 19.* quos ſecundum Evangelium tollit fides comparata ſinapi, ſed non ſunt montes Bethel. Etenim quicumque ſunt Bethel, minime eos tollit fides, ſed colit.

8. *Chriſtus Angelis ſublimior factus.* Quod ſi Principatus & Poteſtates, necnon & cetera nihilo minus beatorum Spirituum agmina, cælorumque Virtutes montes ſunt Bethel, ut de his intelligamus dictum, *Pſal. 86. 1.* *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*; non ſane is hinnulus vilis ac contemnendus, qui ſupra tam excellentes montes viſus eſt apparere, *Heb. 1. 4. 7. al. 6.* *tanto Angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*. *Quomodo minoratus ab Angelis.* Quid enim, ſi in pſalmo legimus minoratum ab Angelis? Neque enim ideo non melior, quia minor; nec contraria ſunt locuti Apoſtolus & Propheta, quippe habentes eumdem Spiritum. Nam ſi dignationis fuit quod minoratus eſt, non neceſſitatis; nihil plane in hoc bonitati præſcribitur, ſed adſcribitur. Denique minoratum Propheta perhibuit, non minorem, attollens gratiam, & propellens injuriam. *Chriſti minoratio ... ... mera miſeratio.* Nam & minoritatem natura recuſat, & minorationem excuſat cauſa. Nempe minoratus eſt, quia ipſe voluit minoratus eſt ſua voluntate, & noſtra neceſſitate. Sic minorari, miſereri fuit. Quænam perditio hæc? Profecto acceſſit pietati, quicquid majeſtati viſum eſt deperiiſſe. Quamquam nec Apoſtolus tacuit hoc magnum magnæ pietatis arcanum: ſed ait: *Heb. 2. 9.* *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus eſt, vidimus Jeſum, propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*.

9. Et hæc dixerimus pro nomine & ſimilitudine hinnuli, quatenus Sponſo eam, juxta ſermonem ſponſæ, abſque majeſtatis injuria aptaremus. Quid dico abſque majeſtatis injuria, quando nec infirmitas inhonorata remanſit? Hinnulus eſt, parvulus eſt; capreæ quoque ſimilis perhibetur, tamquam factus ex muliere; attamen *ſuper montes Bethel*, attamen excelſior cælis factus. Non dicit, excelſior cælis ens [a] vel exſiſtens; ſed *excelſior cælis factus*, *Heb. 7. 26.* ne quis putet de illa natura dictum, in qua eſt qui eſt. Sed & ubi præfertur Angelis, melior nihilo minus perhibetur effectus, & non dicitur manens vel exſiſtens melior. *Heb. 1. 4. Chriſtus ... major Angelis.* Ex quibus apparet, quod non modo in eo quod ab æterno eſt, ſed etiam in eo quod in tempore factus eſt, omnem ſibi eminentiam vindicet ſupra omnem Principatum & Poteſtatem, ſupra omnem denique creaturam, utpote primogenitus omnis creaturæ. Itaque *1. Cor. 1. 25.* *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Hoc quidem Apoſtolus. Mihi autem non videtur errare, ſi quis etiam ſapientiæ & fortitudini Angelorum præferendum dicat identidem ſtultum infirmumque Dei. Ita ergo præſens locus convenienter aptabitur univerſali Eccleſiæ.

10. Jam vero quod ad unam ſingulariter animam ſpectat (nam & una, ſi Deum dulciter, ſapienter, vehementer amat, ſponſa eſt) quiſque ſpiritualis in ſemetipſo advertere poteſt, *Quomodo h... e... anima ſancta.* quid ſibi inde proprium reſpondeat experimentum. Ego vero quicquid illud eſt, quod in me de hujuſmodi experiri donatum eſt, coram eloqui non verebor. Nam etſi vile forſitan cum fuerit auditum, & deſpicabile videatur; non mea refert: quia qui ſpiritualis eſt, non me deſpiciet; qui minus, non me intelliget. Attamen ſi in alium iſtud ſermonem ſervavero, forte non deerunt qui ædificentur in iis, quæ exoratus interim Dominus inſpirabit, Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXIV.

De viſitationibus Verbi Sponſi, quàm occulte fiant ad animam ſanctam, idque Bernardus ſemetipſius exemplo ad ædificationem ſuorum demiſſe ac verecunde declarat.

1. *Cant. 2. 17.* R*Evertere*, inquit. Liquet non adeſſe quem revocat; affuiſſe tamen, idque non longe ante: quippe qui dum adhuc abiret, revocari videtur. Intempeſtiva revocatio, magni unius amoris, magnæ alterius amabilitatis indicium eſt. Qui ſunt iſti caritatis cultores, amatoriique tam indefeſſi ſectatores negotii, quorum alterum proſequitur, alteram urget tam inquietus amor? Et mihi quidem, ut memini meæ promiſſionis, incumbit aſſignare hunc locum Verbo & animæ: *Bernardi de ſeipſo loquentis trepidatio & modeſtia.* ſed ad hoc ut digne vel aliquantiſper fiat, ipſius adjutorio Verbi egere me fateor. Et certe ſermo iſte deceret magis expertum, magiſque conſcium ſancti & arcani amoris: ſed non poſſum officio deeſſe meo, non veſtris omnino votis. Periculum meum video, & non caveo; vos me cogitis. Prorſus cogitis ambulare in magnis & in mirabilibus ſuper me. Heu! quàm vereor ne ſubinde audiam: Quare tu enarras delicias meas, & aſſumis ſacramentum meum per os tuum? Audite me tamen hominem qui loqui trepidat, & tacere non poteſt. Excuſabit forſitan aliium trepidatio ipſa mea; magis autem veſtra, ſi provenerit, ædificatio. Et forte hæ lacrymæ pariter videbuntur. *Sanctus ſponſi ... ignota.* *Revertere*, ait. Bene. Abibat, revocatur. Quis mihi referet hujus mutabilitatis ſacramentum? Quis mihi digne explicet ire, &

a In [illegible] ſcriptis omnibus & editis primis hic legitur *ens*, apud Horſtium & alios, *manens*. Ita *ens* habes ſermone 75. num. 12. || pro quo editi *edens*. Hic tamen paullo poſt etiam in mſſ. legitur, *manens vel exſiſtens*.

redire Verbi? Numquid levitate utitur Sponſus? Unde, quo venire ſeu denuo ire queat, qui totum implet? Quem denique motum habere localem poſſit qui ſpiritus eſt? Aut quem poſtremo vel cujuſcumque generis motum das illi qui Deus eſt? Eſt quippe omnino incommutabilis.

Scriptura de Deo loquitur in figuris.

2. Verum hæc qui poteſt capere, capiat. Nos autem in expoſitione ſacri myſticique eloquii caute & ſimpliciter ambulantes, geramus morem Scripturæ, quæ noſtris verbis ſapientiam in myſterio abſconditam loquitur; noſtris affectibus Deum, dum figurat, inſinuat; notis rerum ſenſibilium ſimilitudinibus, tamquam quibuſdam vilioris materiæ poculis, ea quæ pretioſa ſunt, ignota & inviſibilia Dei, mentibus propinat humanis. Sequamur proinde & nos eloquii caſti conſuetudinem, dicamuſque Verbum Dei Deum ſponſum animæ, prout vult & venire ad animam, & iterum dimittere eam: tantum ut ſenſu animæ, non Verbi motu, iſta fieri ſentiamus. Verbi cauſa, cum ſentit gratiam, agnoſcit præſentiam: cum non, abſentiam queritur, & rurſum præſentiam quærit, dicens cum Propheta: *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.* Quidni requirat? Neque enim, ſubducto ſibi tam dulci ſponſo, interim aliquid aliud non dico deſiderare, ſed nec cogitare libebit. Reſtat igitur ut abſentem ſtudioſe requirat, revocet abeuntem. Ita ergo revocatur Verbum, & revocatur deſiderio animæ, ſed ejus animæ, cui ſemel indulſerit ſuavitatem ſui. Numquid non deſiderium vox? Et valida. Denique *deſiderium pauperum*, inquit, *exaudivit Dominus*. Verbo igitur abeunte, una interim & continua animæ vox, continuum deſiderium ejus, tamquam unum continuumque *Revertere*, donec veniat.

Pſal. 26. 8

Deſiderium per quod anima ſponſum revocat.

Pſal. 9. 17.

Qualis anima.

3. Et nunc DA MIHI ANIMAM, quam frequenter Verbum ſponſus inviſere ſoleat, cui familiaritas auſum, cui guſtus famem, cui contemptus omnium otium dederit; & ego huic incunctanter aſſigno vocem pariter & nomen ſponſæ; nec ab ea penitus locum, qui in manibus eſt, cenſuerim alienum. Talis nempe inducitur hic loquens. Quem enim revocat, ejus abſque dubio probat ſe meruiſſe præſentiam, etſi non copiam. Alioquin non revocaſſet illum, ſed vocaſſet. Porro revocationis verbum *revertere* eſt. Et forte ideo ſubtraxit ſe, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando ſimulabat ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit.* Et rurſum alia vice ſuper mare ambulans, cum Apoſtoli navigarent & laborarent in remigando, quaſi volens præterire eos, nec tunc quidem iſtud volebat, ſed magis probare fidem, & elicere precem. Denique, ſicut ait Evangeliſta, *Turbati ſunt, & clamaverunt, putantes phantaſma eſſe.* Ergo iſtiuſmodi piam ſimulationem, immo ſalutarem diſpenſationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non ceſſat identidem Verbum ſpiritus, modo ſuo ſpirituali, cum devota ſibi anima ſedulo actitare. Præteriens teneri vult, abiens revocari. Neque enim hoc irrevocabile verbum. It, & redit pro beneplacito ſuo, quaſi viſitans diluculo, & ſubito probans. Et ire quidem illi quodam modo diſpenſatorium; redire vero ſemper voluntarium eſt: utrumque autem plenum judicii. At penes ipſum horum ratio.

Luc. 24. 28.

Sponſus fugam ſimulat, ut majus ſui deſiderium excitet.

Marc. 6. 49.

4. Nunc vero conſtat in anima fieri hujuſmodi viciſſitudines euntis & redeuntis Verbi, ſicut ait: *Vado, & venio ad vos.* item, *Modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me.* O modicum & modicum! ô modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quod non videbimus te? Salvum ſit verbum Domini mei: longum eſt, & multum valde nimis. Verumtamen utrumque verum: & modicum meritis, & longum * votis. Habes utrumque in Propheta: *Si moram fecerit*, inquit, *exſpecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quomodo non tardabit, ſi moram fecerit, niſi quia quod ad meritum ſatis eſt, non eſt ſatis ad votum? Porro anima amans votis fertur, trahitur deſideriis, diſſimulat merita, majeſtati oculos claudit, aperit voluptati, ponens in ſalutari, & fiducialiter agens in eo. Intrepida denique & inverecunda revocat Verbum, & cum fiducia repetit delicias ſuas, ſolita libertate vocans, non Dominum, ſed Dilectum. *Revertere, dilecte mi.* & addit: *Similis eſto capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel.* At iſtud poſtea.

Johan. 14. 28.

Johan. 16. 17.

Abſentia ſponſi quomodo modicum & non modicum durat.

** al. non modicum*

Abac. 2. 3.

Tom. IV.

Cant. 2. 17.

Bernardi experimentum de viſitatione Sponſi.

5. Nunc vero ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ. Volo dicere, nam & hoc pactus ſum, quomodo mecum agitur in ejuſmodi. Non expedit quidem. Sed prodar ſane ut proſim: &, ſi profeceritis vos, meam inſipientiam conſolabor: ſi non, meam inſipientiam confitebor. Fateor & mihi adventaſſe Verbum, in inſipientia dico, & pluries. Cumque ſæpius intraverit ad me, non ſenſi aliquoties cum intravit. Adeſſe ſenſi, affuiſſe recordor, interdum & præſentire potui introitum ejus, ſentire numquam, ſed nec exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quove abierit denuo eam dimittens; ſed & qua vel introierit vel exierit; etiam nunc ignorare me fateor, ſecundum illud: *Neſcis unde veniat, aut quo vadat.* Nec mirum tamen, quia ipſe eſt, cui dictum eſt: *Et veſtigia tua non cognoſcentur.* Sane per oculos non intravit, quia non eſt coloratum: ſed neque per aures, quia non ſonuit: ſed neque per nares, quia non aëri miſcetur, ſed menti; nec infecit aërem, ſed fecit; neque vero per fauces, quia non eſt manſum vel hauſtum: nec tactu comperi illud, quia palpabile non eſt. Qua igitur introivit? An forte nec introivit quidem, quia non deforis venit? Neque enim eſt unum aliquid ex iis quæ foris ſunt. Porro nec deintra me venit quoniam bonum eſt, & ſcio quoniam non eſt in me bonum. Aſcendi etiam ſuperius meum: & ecce ſupra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curioſus explorator deſcendi: & nihilo minus infra inventum eſt. Si foras aſpexi, extra omne exterius meum comperi illud eſſe: ſi vero intus, & ipſum interius erat. Et cognovi verum quidem eſſe quod legeram: quia *in ipſo vivimus, movemur & ſumus*: ſed ille beatus eſt, in quo eſt ipſum, qui illi vivit, qui eo movetur.

Viſitationes Sponſi quam occultæ.

Johan. 3. 8.

Pſal. 76. 20.

Act. 17. 28.

Præſentia Dei in anima ſignis ex motu cordis.

6. Quæris igitur, cum ita ſint omnino inveſtigabiles viæ ejus, unde adeſſe norim? Vivum & efficax eſt: moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam; movit, & mollivit, & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, & male ſanum. Cœpit quoque evellere & deſtruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, necnon & mittere prava in directa, & aſpera in vias planas; ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum ſponſus, nullis umquam introitum ſuum indiciis innoteſcere fecit, non voce, non ſpecie, non inceſſu. Nullis denique ſuis motibus compertum eſt mihi, nullis meis ſenſibus illapſum penetralibus meis: tantum ex motu cordis (ſicut præfatus ſum) intellexi præſentiam ejus, & ex fuga vitiorum, carnaliumque compreſſione affectuum adverti potentiam virtutis ejus, & ex diſcuſſione ſive redargutione occultorum meorum admiratus ſum profunditatem ſapientiæ ejus, & ex quantulacumque emendatione morum meorum expertus ſum bonitatem manſuetudinis ejus, & ex renovatione ac reformatione ſpiritus mentis meæ, id eſt interioris hominis mei, percepi utcumque ſpeciem decoris ejus, & ex contuitu horum omnium ſimul expavi multitudinem magnitudinis ejus.

Operationes ejus.

Abeunte Verbo refrigeſcunt omnia.

7. Verum quia hæc omnia, ubi abſceſſerit Verbum, perinde ac ſi ollæ bullienti ſubtraxeris ignem, quodam ilico languore torpentia & frigida jacere incipiunt; atque hoc mihi ſignum abſceſſionis ejus. Triſtis ſit neceſſe eſt anima mea, donec iterum revertatur, & ſolito recaleſcat cor meum intra me; idque ſit reverſionis indicium. Tale ſane experimentum de Verbo

Tom. IV.

habens, quid mirum, ſi & ego uſurpo mihi vocem ſponſæ in revocando illud, cum ſe abſentaverit, qui etſi non pari, ſimili tamen vel ex parte deſiderio feror? Familiare mihi erit, quoad vixero, pro Verbi revocatione revocationis verbum, quod utique *revertere* eſt. Et quoties elabetur, toties repetetur à me, nec ceſſabo clamitare quaſi poſt tergum abeuntis ardenti deſiderio cordis ut redeat; & reddat mihi lætitiam ſalutaris ſui, reddat mihi ſeipſum. Fateor * vobis, filii, nil aliud interim libet, dum non præſto eſt quod ſolum libet. Et hoc oro, ut non vacuum veniat, ſed plenum gratiæ & veritatis: more utique ſuo, ſicut heri & nudius tertius. In quo mihi ſimilitudinem capreæ & hinnuli exhibitum iri poſſe videtur, cum veritas *capreæ* oculos habeat, gratia *hinnuli* hilaritatem.

Revocandum eſt ardenter. — * al. dico — Johan. 1, 14.

8. Utraque res neceſſaria mihi: & veritas quidem, cui abſcondi non poſſim; gratia autem, cui nolim. Alioquin ſine alterutra viſitatio plena non erit, cum & illius ſeveritas abſque hac oneroſa, & hujus hilaritas abſque illa diſſoluta poſſit videri. Amara eſt veritas ſine condimento gratiæ; ſicut abſque veritatis freno levis & neſciens modum, plerumque & inſolens ipſa devotio. Quàm multis non profuit gratiam percepiſſe, pro eo quod temperamentum de veritate pariter non acceperunt? Ex hoc enim plus quàm oportuit complacuere ſibi in ea, dum veriti non ſunt veritatis obtutus, dum non reſpexerunt ad capreæ maturitatem, magis autem ſe totos hinnuli levitati hilaritatique dederunt. Inde factum eſt, ut in qua privatim exſultare voluerant, gratia privarentur, quibus vel ſero dici potuerit: Euntes ergo diſcite quid ſit, *Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore.* Dixerat denique ſancta anima quædam in abundantia ſua, *Non movebor in æternum*: cum ſubito ſenſit averſam à ſe faciem Verbi, ſeque non modo motam, ſed etiam conturbatam; & ſic in triſtitia didicit opus fuiſſe ſibi, cum munere quidem devotionis, etiam pondere veritatis. Ergo non in ſola gratia plenitudo gratiæ eſt, ſed ne in ſola quidem veritate. Quid prodeſt ſcire quid te oporteat facere, ſi non detur & velle facere? Quid ſi velis quidem, ſed minime poſſis? Quantos expertus ſum agnita veritate triſtiores, & ideo magis, quod jam confugere ad ignorantiæ excuſationem non liceret, ſcientes, & non facientes quod Veritas hortaretur?

Veritas & gratia neceſſaria ad plenam viſitationem Verbi. — Pſal. 2. 11. — Pſal. 29. 7.

9. Quæ cum ita ſe habeant, neutrum ſine altero ſufficit. Parum dixi: non expedit quoque. Unde id ſcimus? *Scienti*, inquit, *bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* item, *Servus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens digna, vapulabit multis.* At iſtud pro parte veritatis. Pro gratiæ quid? Scriptum eſt, *Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas.* Judam loquitur, qui accepto munere gratiæ, quia in veritate non ambulabat cum veritatis Magiſtro, vel potius cum magiſtra Veritate, locum in ſe diabolo dedit. Audi adhuc: *Cibavit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturavit eos.* Quos? *Inimici Domini mentiti ſunt ei.* Quos melle cibavit & adipe, hi mentiti ſunt ei & facti inimici: quia veritatem gratiæ non junxerunt. De quibus alibi habes: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* Quidni claudicarent, uno pede gratiæ contenti, & non apponentes veritatem? Erit igitur tempus eorum in ſecula, ſicut & principis ipſorum, qui & ipſe in veritate non ſtetit, ſed fuit mendax ab initio, ideoque audivit: *Perdidiſti in decore tuo ſapientiam.* Nolo decorem, qui mihi ſapientiam tollat.

Jacob 4. 17. — Luc 12. 47. — Johan. 13. 27. — Gratia ſine veritate claudicat. — Pſal. 80. 17. — Pſal. 80. 16. — Pſal. 17. 46. — Johan. 8. 44. — Ezech 28 17.

10. Quæris quis ille tam noxius, tamque pernicioſus decor? Tuus. Adhuc forte ſine intellectu es? Planius audi. Privatus, proprius. Non culpamus donum, ſed uſum. Denique ſi advertiſti, non in decore, ſed *in ſuo decore* dictus eſt ille perdidiſſe ſapientiam. Et (ni fallor) unus Angeli, animæque decor ipſa eſt. Quid enim vel hæc vel ille abſque ſapientia, niſi rudis deformiſque materia eſt? Ea ergo ille non modo formatus, ſed & formoſus fuit. Sed perdidit eam, cum fecit ſuam: ut non ſit aliud in decore ſuo, quam in ſua ſapientia perdidiſſe ſapientiam. Proprietas in cauſa eſt. Quod ſibi ſapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia, quod non ſecundum veritatem ambulavit in ea, ſed ad ſuam eam retorſit voluntatem: iſtud eſt cur eam perdidit, immo iſtud eſt quod eam perdidit. Etenim ſic habere, perdere eſt. *Et ſi Abraham*, inquit, *ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Et ego: Non * ego in tuto, inquam. Perdidi quicquid habeo non apud Deum. Nam quid tam perditum, quàm quod extra Deum exſulat? Quid mors, niſi privatio vitæ? Ita nihil perditio, niſi alienatio à Deo eſt. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes!* De vobis dicitur: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Perdiderunt ſapientiam, quia ſua ſapientia perdidit eos. Quid non perdiderunt, qui & ipſi perditi ſunt? An vero non perditi, quos neſcit Deus?

Gratiam perdit, qui ſibi attribuit. — Cur dæmon amiſit decorem. — Rom. 4. 2. — * al. ergo. — Iſa. 5. 21. — 1. Cor. 1. 19.

11. Porro autem virgines fatuæ, quas quidem non aliunde fatuas puto, niſi quia dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtultæ factæ ſunt; hæ, inquam, à Deo audire habent: *Neſcio vos.* Et item illi, qui gratiam miraculorum ad ſuam uſurpaverunt gloriam, nihilo minus audituri ſunt, quia *non novi vos*: ut liquido ex his clareſcat, gratiam non prodeſſe, ubi veritas non eſt in intentione; ſed obeſſe magis. Et quidem penes Sponſum utraque res. Denique *gratia & veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt*, ait Johannes Baptiſta. Si ergo cum una quavis harum ſine altera pulſaverit ad oſtium meum Dominus Jeſus-Chriſtus (ipſe eſt enim Dei Verbum, animæ ſponſus:) intrabit ſane non tamquam ſponſus, ſed tamquam judex. Abſit, nequaquam fiat hoc. Non intret in judicium cum ſervo ſuo. Intret pacificus, intret jucundus & hilaris: maturus tamen & ſerius intret, qui ſeveriori quodam veritatis vultu in me, dum inſolentiam reprimit, purget lætitiam. Intret quaſi *hinnulus* ſaliens, quaſi *caprea* circumſpectus, qui culpam diſſimulando tranſſiliat, pœnam miſerando reſpiciat. Intret quaſi deſcendens de montibus Bethel, feſtivus & ſplendidus, & quaſi procedens à Patre, ſuavis & mitis, qui non dedignetur dici & fieri ſponſus animæ quærentis ſe, cum ſit ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

Matt. 25. 12. — Matt. 7. 23. — Johan. 1. 17. — Sponſi viſitatio quæ optanda.

SERMO LXXV.

Deus quærendus eſt debito tempore, modo, & loco. Et quod nunc ſit acceptabile tempus, in quo quiſque per bona opera poteſt ſibi invenire Deum, ac ſuam operari ſalutem

1. IN *lectulo meo quæſivi per noctes quem diligit anima mea.* Non eſt reverſus Sponſus ad vocem & votum revocantis. Quare? Ut deſiderium creſcat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium. Sane ergo diſſimulatio eſt, non indignatio. Sed ſupereſt ut quæratur, ſi forte reperiatur quæſitus, qui vocatus non venit, dicente Domino: *Omnis qui quærit, invenit.* Porro verbum revocationis tale eſt: *Revertere, aſſimilare, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum.* Ad quam vocem dum non eſt reverſus, utique ob illas cauſas quæ dictæ ſunt: hinc iſta quæ amat facta cupidior, mox ſeſe ad requirendum tota aviditate dedit. Et primo quidem quærit illum *in lectulo*, ſed minime invenit. Surgit inde, circuit civitatem, it & redit per plateas & vicos: & non occurrit, neque apparet. Interrogantur quique forte occurrerint; nihilque certi reportatur. Neque vicis unius, aut unius noctis quæſitio hæc, & hæc fruſtratio, cum dicat iſta, quia *quæſivi per noctes.* Quid hoc deſiderii eſt & ardoris, ut ſurgens de nocte publicum non erubeſcat, percurrat civitatem, percunctetur palam & paſſim de dilecto, atque à veſtigandis ſemitis ejus nulla valeat ratione averti, nulla præpediri difficultate, non tempeſtivæ retineri amore quietis, non ſponſæ verecundia, non vel timore nocturno? Et tamen in his omnibus

Cant. 3. 1. — Deus ſæpe differt ſuam præſentiam, ut ardentius quæratur. — Matt. 7. 8. — Sponſæ aviditas & conſtantia in quærendo ſponſo.

fruſtrata eſt uſque adhuc à deſiderio ſuo. Quare? Quid ſibi vult pertinax hæc & diuturna fraudatio, tædiorum nutrix, ſuſpicionum fomes, impatientiæ fax, noverca amoris, mater deſperationis? Si adhuc diſſimulatio eſt, nimis eſt moleſta.

2. Eſto quod pie utiliterque interim fuerit diſſimulatum, donec in ſola adhuc vocatione ſeu revocatione res erat. Nunc vero cum requiritur, & ita requiritur, quid jam conferre poterit diſſimulatio? Si de carnalibus ſponſis & pudendis amoribus quæſtio eſt, ſicut litteralis ſuperficies prælusiſſe videtur; & ſi inter illos talia contingere queant, mea non intereſt, ipſi viderint. Quod ſi animarum quærentium Dominum mentibus & affectibus pro quantulocumque poſſe meo B reſpondere & ſatisfacere me oportet, eruendum ſane eſt de Scriptura ſancta, in qua ſe vitam habere confidunt, eo vitale aliquid, quo ſpirituale; ut edant pauperes & ſaturentur, & vivant corda eorum. Et quid tam cordium vita, quàm Dominus meus Jeſus-
Coloſ. 3. 4. Chriſtus, de quo aiebat qui eo vivebat, quia *cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria?* Ipſe ergo ad medium veniat, quo &
Johan. 1. 26. nobis veraciter dici poſſit: *Medius autem veſtrum ſtat, quem vos neſcitis.* Quamquam neſcio quomodo non ſciatur à ſpiritualibus ſponſus Spiritus, qui tamen ita in ſpiritu profecerunt, ut poſſint dicere cum Prophe-
Thren. 4. 20. ta: *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.* & cum C
2. Cor. 5. 16. Apoſtolo: *Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus.* Nonne is eſt, quem ſponſa quærebat? Is vere eſt ſponſus, & amans, & amabilis.
Johan. 6. 56. Is, inquam, vere ſponſus: ſicut caro ejus vere eſt cibus, & ſanguis ejus vere eſt potus: & totum quod de ipſo eſt, vere eſt, quando ipſe eſt non aliud ſane, quàm ipſa Veritas.

3. Verum is Sponſus quid eſt quod non invenitur quæſitus, cum requiratur tam ſtudioſe & impigre, nunc quidem in lectulo, nunc vero in civitate, aut
Matt. 7. 7. etiam in plateis vel vicis, ipſe autem dicat: *Quærite, & invenietis; & qui quærit invenit?* Propheta quoque
Thren. 3. 25. loquatur ad eum, *Bonus es, Domine, animæ quærenti te;* & D
Iſa. 55. 6. item ſanctus Iſaias, *Quærite Dominum, dum inveniri po-*
Johan. 7. 34. *teſt?* Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Neque
Tres cauſæ cur quærentes fruſtrantur. enim quæ hic inducitur quærens, una eſt ex his, quibus ipſe ait: *Quæretis me, & non invenietis.* Sed attendite tres eſſe cauſas, quæ interim occurrunt, & quærentes fruſtrari ſolent: cum aut videlicet non in tempore quærunt, aut non ſicut oportet, aut non ubi
Iſa. 55. 6. oportet. Si enim omne tempus aptum eſt ad quærendum, cur ergo dicit Propheta (quod jam memoravi,)
1 Si opportunum tempus negligant. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt?* Erit abſque dubio cum inveniri non poterit; & ideo addit, ut invocetur dum prope eſt: quia futurum eſt jam non prope
Iſa. 45. 24. futurum. A quo enim tunc non requiretur? *Mihi*, inquit, *curvabitur omne genu*, &c. Nec tamen invenietur E ab impiis, quos ultores Angeli arcebunt profecto, & tollent ne videant gloriam Dei. Fruſtra inclamabunt & fatuæ virgines: minime prorſus jam ad eas exit,
Matt. 25. 10. Johan. 7. 34. clauſa janua. Sibi proinde dictum putent illæ: *Quæretis me, & non invenietis.*

2. Cor. 6. 2. 4. Ceterum nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis ſunt; tempus plane & quærendi, & invocandi, quando plerumque, & antequam invocetur, adeſſe ſentitur. Audi denique quid polliceatur. *Antequam me invo-*
Iſa. 65. 24. *cetis*, inquit, *dicam, Ecce adſum.* Nec latuit benignitas hæc & facilitas temporis quod nunc eſt, illum qui in F
Pſal. 9. 17. pſalmo loquitur: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quod

A ſi per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus Tom. IV.
Gal. 6. 10. habemus operemur bonum ad omnes: præſertim quia
Johan. 9. 4. Dominus aperte prænuntiat venire noctem quando nemo poteſt operari. Tunc aliud ad quærendum Deum, ad operandum quod bonum eſt, reperturus es tibi tempus in ſæculis venturis, præter hoc, quod conſtituit tibi Deus, in quo recordetur tui? Et ideo *dies ſalutis:*
Pſal. 73. 12. quia in his ipſe *Deus, rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

a
Error de ſua redemtione. 5. I ergo tu, & in medio gehennæ ᵃ exſpectato ſalutem, quæ jam facta eſt in medio terræ. Quam tibi ſomnias proventuram inter ardores ſempiternos facultatem veniam promerendi, cum jam tranſiit tempus B miſerendi? Non relinquitur tibi hoſtia pro peccatis,
Rom. 6. 9. mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei: mortuus eſt ſemel, jam non moritur. Non deſcendit ad inferos ſanguis, qui effuſus eſt ſuper terram. Biberunt omnes peccatores terræ: non eſt quod ſibi ex eo vindicent dæmones ad reſtinguendos focos ſuos; ſed neque homines loci dæmoniorum. Semel illò deſcendit, non ſanguis, ſed anima; & hæc portio eorum qui in carcere erant. Una illa viſitatio, quæ tunc facta eſt per præſentiam animæ, cum corpus penderet exanime ſuper terram. Sanguis aridam rigavit, ſanguis infudit terram, & inebriavit eam; ſanguis quæ in terra, & quæ in cælis ſunt pacificavit, non autem & quæ apud in- C feros: niſi quod ſemel illò, ut dixi, anima ejus excurrit, & fecit ex parte redemptionem, ne vel eo momenti vacaret ᵇ opera caritatis; ſed ultra non adjiciet. Ergo nunc tempus acceptabile & aptum ad quærendum, in quo plane qui quærit invenit: ſi tamen ubi, & uti oportet, quærit. Et hæc una cauſa, quæ impedi-
2. Si non ut decet, quærant. re poteſt, ne inveniatur ſponſus à quærentibus ſe, cum non quærunt in tempore opportuno. At non ea impedit ſponſam, nempe invocantem & quærentem in tempore opportuno. Sed ne illa quidem eum tepide aut negligenter ſeu perfunctorie quærit: nam corde ardenti & omnino infatigabiliter quærit, plane ut decet.

D 6. Reſtat ut de tertia videamus, ne videlicet ubi non
Cant. 3. 1.
3. Si non ubi par eſt, quærant. decet quærat. *In lectulo meo quæſivi quem diligit anima mea.* An forte non in lectulo quærendus erat, ſed in lecto: quippe cui orbis anguſtus eſt? Sed non hor-
Iſa. 9. 6. reo lectulum, qui novi parvulum. *Parvulus* denique
Iſa. 12. 6. *nobis natus eſt.* Exſulta tu & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. At idem Dominus in Sion magnus apud nos parvulus, apud nos infirmus
Lectulus ſponſi quis. repertus eſt: ex uno jacere, ex altero & in lectulo jacere habens. An non lectulus tumulus? an non lectulus præſepium? an non lectulus uterus virginis? Neque enim magni Patris uterus lectulus eſt, ſed lectus
Pſal. 109. 3. magnus, de quo ad Filium: *Ex utero*, inquit, *ante luciferum genui te.* Quamquam ne lectus quidem forſitan E digne cenſendus ſit uterus ille, qui regentis potius, quàm jacentis eſt locus. Manens enim in Patre regit cum Patre univerſa. Denique non jacere, ſed ſedere ad dexteram Patris Filium fides indubitata habet; & ipſe cælum ſibi ſedem eſſe, non lectum perhibet: ut
Iſa. 66. 1. ſcias illum in ſuis, id eſt in ſuperis, nequaquam ſolatia habere infirmitatis, ſed poteſtatis inſignia.

Infirmitates Chriſti ex nobis. 7. Merito proinde ſponſa ponens lectulum, dicit ſuum: quia omne quod infirmum eſt Dei, non de proprio ineſſe illi manifeſtum eſt, ſed de noſtro. Ex nobis aſſumſit quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepe- F liri. Mea eſt mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea exſpiratio crucifixi, mea ſepulti dormitio. Quæ priora tranſierunt, & ecce nova ſunt omnia. *In lectulo*

a Origenem hic notare videtur, aut certe errorem ipſi tributum, quemadmodum alios notat in ſermone 34. de diverſis, & ſermone 54 in Cantica num. 3. confer Ambroſium Autpertum libro 10. in Apocalypſin ad hunc verſum, *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum*, ubi hunc errorem confutat.

b Ita ſcripti & primi editi; niſi quod quidam codices habent *pietatis* pro *caritatis*: Horſtius cum aliis, *vacarent opera.* Porro hoc in loco Bernardus non in ea fuit ſententia, (quod Horſtio viſum eſt in fuſioribus Notis) ex damnatis quoſdam ab inferis per Chriſtum liberatos fuiſſe: ſed tantum Patres eductos è limbo, quem in *ipſo inferno* ſanctus Doctor collocat, tum ſermone 1. in die Paſchæ num. 5. ubi *carcerem tabernalem* vocat: tum maxime ſermone 4 in feſto omnium Sanctorum num 1. ubi ſinum Abrahæ explicans ait ante Chriſti adventum nulli omnino *Sanctorum* ad cælum patuiſſe receſſum, ſed Deum eis providiſſe IN INFERNO ipſo *locum quietis & refrigerii*, ita tamen ut magnum chaos eſſet inter illos & animas impiorum. *Quamvis enim*, inquit, *utraque in tenebris eſſent, non utraque erant in pœnis... In hunc ergo locum Salvator deſcendens, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eduxitque vinctos de domo carceris*, &c. quæ mire hunc locum illuſtrant.

Tom. IV. *meo quæſivi per noctes quem diligit anima mea.* Quid? In A tuo quærebas, qui ſe jam in ſua receperat? Non videras Filium hominis aſcendentem ubi erat prius? Jam cælum tumulo commutavit & ſtabulo, & tu illum in tuo adhuc lectulo quæris? Surrexit, non eſt hic. Quid quæris in lectulo fortem, in lectulo magnum, clarificatum in ſtabulo? Introivit in potentias Domini, decorem induit & fortitudinem: & ecce ſedet ſuper Cherubim, qui ſub lapide jacuit. Ex hoc jam non jacet, ſed ſedet: & tu tamquam jacenti ſubſidia paras? Sive, ut abſolutior veritas ſit, aut ſedet judicans, aut ſtat adjuvans.

Sponſus fruſtra quæſitus in lectulo, quid innuat.

8. Sic vos, ô bonæ mulieres, cuinam quæſo excubias exhibetis? cui aromata comparatis, paratis unguenta? B Si ſciretis quantus is ſit, quamque ſit inter mortuos liber mortuus iſte quem ungere pergitis, vos forſitan petiſſetis ab eo potius ungi. Nonne iſte eſt, quem unxit Deus ſuus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis? Beati eritis vos, ſi gloriari potueritis revertentes, & dicere, quia *de plenitudine ejus & nos accepimus.* Enimvero factum eſt ita. Nam revera unctæ remeant, quæ uncturæ venerant. Quidni unctæ tam læto nuntio novæ odoriferæque reſurrectionis? *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Miſſæ ab Angelo opus faciunt Evangeliſtæ: factæque apoſtolæ Apoſtolorum, dum feſtinant ad annuntiandum mane miſericordiam Domini, dicunt: In odore unguentorum tuorum curC rimus. Extunc ergo & deinceps fruſtra in lectulo quæſitus eſt ſponſus: quia etſi cognoverat eum Eccleſia ſecundum carnem, id eſt ſecundum carnis infirmitatem, ſed nunc jam non novit. Denique quæſitus eſt poſtmodum à Petro & Johanne identidem in ſepulcro, ſed minime inventus. Vide tu, utrumne apte & competenter quiſque horum tunc dicere quiverit: *In lectulo meo quæſivi quem diligit anima mea; quæſivi, & non inveni.* Nempe itura ad Patrem caro quæ non erat ex Patre, prius per gloriam reſurrectionis omne infirmum ſe exuit, accinxit potentia, induit lumine ſicut veſtimento: in quali nimirum gloria & ornatu decuit eam paternis aſpectibus præſentari.

Pſal. 44. 8

Johan. 1. 16.

Rom. 10. 15.

Apoſtolæ apoſtolorum mulieres.

Dilectio ſponſæ ſpiritualis, non carnalis

9. Pulcre vero ſponſa, non quem diligo ego, ſed *quem diligit anima mea*, inquit: quod vere & proprie ad ſolam pertineat animam illa dilectio, qua aliquid ſpiritualiter diligit, verbi gratia, Deum, Angelum, animam. Sed & diligere juſtitiam, veritatem, pietatem, ſapientiam, virtuteſque alias, ejuſmodi eſt. Nam eum ſecundum carnem quippiam diligit, vel potius appetit anima, verbi gratia cibum, veſtimentum, dominium, & quæ iſtiuſmodi ſunt corporalia ſive terrena, carnis potius, quàm animæ amor dicendus eſt. Et hoc pro eo quod ſponſa minus uſitate, ſed non minus proprie, animam ſuam ſponſum diligere dicit, monſtrans proinde ſpiritum eſſe ſponſum, & à ſe non carnali, ſed ſpirituali amore E diligi. Et bene *per noctes* ſe quæſiſſe eum ait. Nam ſi juxta Paulum, *qui dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt*: ita non abſurde (ut opinor) dici poteſt, quod qui ignorant, nocte ignorant; ac per hoc qui quærunt, nocte quærunt. Quis enim quærat, quod palam habet? Porro dies palam facit, quod nox abſcondit, ut reperias in die, quod in nocte quæſieras. Nox eſt itaque donec quæritur Sponſus: quoniam ſi dies eſſet, de medio fieret, & minime quæreretur. Et de hoc ſatis: niſi forte numeroſitas hæc noctium aliquid adhuc quærendum ſignet *, quia non noctem, ſed noctes poſuit.

1. Theſſ. 5. 7.

* al. inſinuet

Noctes mundi plurimæ.

10. Et mihi videtur, ſi tu melius non habes, talis poſſe ratio reddi. Habet mundus iſte noctes ſuas, & non F paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cum pæne totus ipſe ſit nox, & totus ſemper verſetur in tenebris? Nox eſt Judaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam catholicorum carnalis, animaliſve converſatio. An non nox, ubi non percipiuntur ea quæ ſunt Spiritus Dei? Sed & apud hæreticos vel ſchiſmaticos quot ſectæ, tot noctes. Fruſtra per has noctes juſtitiæ ſolem & lumen quæritis veritatis, id eſt ſponſum: quia nulla ſocietas luci ad tenebras. Sed dicit aliquis, quod non ſit tam ſtulta, tamve

cæca ſponſa, ut quærat lumen in tenebris, quærat dilectum apud ignorantes, & qui non diligunt eum. Quaſi vero ſe per noctes nunc quærere dicat, & non potius quæſiſſe Non ait, quæro; ſed, *quæſivi per noctes, quem diligit anima mea.* Et eſt ſenſus, quia cum eſſet parvula, ſapiebat ut parvula, cogitabat ut parvula, & quærebat veritatem ubi non erat, errans, & non inveniens, juxta illud in pſalmo: *Erravi ſicut ovis quæ periit.* Pſal. 118. 176.
Denique in lectulo ſe memorat tunc adhuc eſſe, tamquam ætate imbecillem ac parvulam ſenſu.

11. Si tamen ita conſtruas, *In lectulo meo*, ſubaudis, exſiſtens vel jacens, *quæſivi quem diligit anima mea*; non quæſivi in lectulo, ſed ens * in lectulo quæſivi: hoc eſt, * Sic uſ. mo ſedem.
Cum adhuc infirma & invalida forem, & omnino minus idonea ſequi ſponſum quocumque iret, ſequi ad ardua & excelſa ſublimitatis illius; incidi in multos, qui cognoſcentes deſiderium meum, dicebant mihi: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt*: & neque hic, neque Matt. 24. 23.
illic erat. Incidi autem, & non ad inſipientiam mihi. Nam quo propius acceſſi, & exploravi diligentius, eo citius certiuſque cognovi, veritatem apud eos minime eſſe. Quæſivi enim, & non inveni: & deprehendi noctes, qui ſe dies mentiebantur.

12. Et dixi: *Surgam, & circuibo civitatem: per vicos &* Cant. 3. 2.
plateas quæram quem diligit anima mea. Intuere vel nunc, qua jacet quæ dicit, *Surgam* Pulcre omnino. Quidni ſurgeret, cognito de reſurrectione dilecti? Ceterum, ô beata, ſi conſurrexiſti cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapias oportet; neque deorſum, ſed ſurſum quæras Chriſtum neceſſe eſt, ubi ſedet in dextera Patris. Sed *circuibo*, Col. 3. 1.
ais, *civitatem.* Ad quid? In circuitu impii ambulant. Judæis iſtud relinquito, quibus proprius eorum Propheta hoc vaticinatus eſt, quia *famem patientur ut canes, &* Pſal. 58. 7.
circuibunt civitatem. Et ſi introieris in civitatem, ſecundum Prophetam alium, *ecce attenuati fame*: quod uti- Jer. 14. 18.
que non eſſet, ſi in ea fuiſſet panis vitæ. Surrexit de corde terræ, ſed ſuper terram non remanſit. Aſcendit autem ubi erat prius. Nam qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit, panis vivus qui de cælo deſcendit, idem ipſe D Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXVI.

De claritate Sponſi, in qua coæqualis Patri ſedet à dextris gloriæ ejus: & qualiter boni paſtores debent eſſe ſolliciti vigiles & diſcreti circa paſcendas animas ſibi commiſſas.

1. PEr vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Cant. 3. 2.
Adhuc ut parvula ſapit. Puto arbitrata eſt, egreſſum de tumulo publicum mox petiiſſe, ut ſolito doceret populos, ac ſanaret infirmos, & ut manifeſtaret gloriam ſuam in Iſraël, ſi forte reciperent reſurgentem de morte, qui ſe recepturos promittebant deſcendentem de cruce. Verum ille perfecerat opus, quod ſi- Cur Chriſtus aſcendit
bi dederat Pater ut faceret. quod ſane iſta intellexiſſe debuerat vel ex voce pendentis, illa ſcilicet, qua ilico exſpiraturus ait: *Conſummatum eſt.* Non erat jam quod Johan. 19. 30.
ſe denuo crederet turbis, quæ nec ſic forſitan erant in eum crediture. Et feſtinabat ad Patrem, qui ſibi diceret: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum* Pſal. 109. 1
pedum tuorum. Fortius nempe atque divinius, cum exaltatus fuerit à terra, omnia trahet ad ſeipſum. Hæc autem per vicos & plateas quærendum putavit, fruendi avida, ſed ignara myſterii. Iterum ergo fruſtrata repetit dicens, *Quæſivi illum, & non inveni*; ut ſermo Cant. 3. 2.
F impleretur quem dixit: *Quia vado ad Patrem, & jam* Johan. 16. 16.
non videbitis me.

2. Dicat forſitan iſta: Quomodo ergo credent in eum, Viſio an ſaudet meritum fidei.
quem non videbunt? Quaſi fides ex viſu ſit, & non potius ex auditu. Quid magni eſt credere quod videris, & tuis non negare oculis fidem quid laudis meretur? Sed ſi quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus; & patientia meritum eſt. *Beati*, denique Johan. 20. 29.
qui non viderunt, & crediderunt. Proinde ut non evacuetur meritum fidei, ſubducat ſe viſui, dans virtuti locum. Etiam & tempus eſt, ut jam in ſuum ſeſe recipiat,

[Philipp. 2. 6.] [Seſſio Chriſti ad dexteram Patris quid] Quæris, in quem ſinum? In dexteram Patris. Neque enim rapinam arbitrabitur eſſe ſe æqualem Deo, cum ſit in forma Dei. Ergo is ſit Unigeniti locus, in quo omnis ejus injuria propulſata videatur. Sedeat ſane juxta, non infra, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. In hoc apparebit majeſtatis æqualitas, ſi nec inferiorem Patre, nec poſteriorem ſuſpexeris. At illa interim nihil horum advertit: ſed quaſi ebria præ amore hac illacque diſcurrens, quærit oculis, quem jam oculus non contingit, ſed fides. Non enim exiſtimat Chriſtum aliter oportere intrare in gloriam ſuam, niſi prius reſurrectionis gloria palam mundo innoteſcente confutetur impietas, exultent fideles, glorientur diſcipuli, populi convertantur, demumque ab univerſis glorificetur ipſe, cum ex præſentia reſurgentis cunctis claruerit veritas prædicentis. Falleris, ô ſponſa. Oportet quidem hæc fieri, ſed in tempore.

3. Nunc vero interim vide, ne forte id dignum magis & ſupernæ conſentaneum juſtitiæ ſit, ſi non detur ſanctum canibus, & margaritæ porcis: ſi potius, ſecundum Scripturam, tollatur impius, ne videat gloriam Dei; [Iſa. 26. 10.] [Chriſti Aſcenſio non differenda] ſi non fraudetur fides merito, quæ tunc ſane probatior eſſe dignoſcitur, cum creditur quod non videtur: ſi penes ipſam ſervetur dignis, quod occultatur indignis: [Apoc. 22. 11.] ut qui *in ſordibus ſunt ſordeſcant adhuc, & juſti juſtificentur magis*, ſi non dormitent præ tædio. Cæli & cæli cælorum tabeſcant & confundantur ab exſpectatione ſua, ſi non ipſe Pater omnipotens diutius jam fruſtretur à deſiderio cordis ſui: ſi non demum Unigenitus ultra ab introitu gloriæ ſuæ (quod vel ſolum indigniſſimum eſt) aliquatenus retardetur. Quanti putas æſtimanda ſit gloria quantacumque mortalium, ut ab ea, quæ à Patre ſuo ab æterno parata eſt, debeat eum vel ad modicum retinere? Adde quod nulla ratione in longius protrahi decet ipſius Filii petitionem. Quam dicam petitionem quæris? Nempe illam, [Johan. 17. 1.] [Chriſtus rogavit ſe clarificari à Patre, non ut ſupplex.] qua dicit: *Pater, clarifica Filium tuum.* Quod tamen eum petiiſſe ſenſerim, non ut ſupplicem, ſed ut præſcium. Libere petitur, quod in poteſtate petentis accipere eſt. Ergo diſpenſatoria eſt Filii petitio, non neceſſaria: quippe donantis cum Patre, quicquid à Patre acceperit.

4. Ubi & hoc dicendum, quia non ſolum Pater clarificat Filium, ſed & Filius clarificat Patrem: ne quis dicat Filium minorem Patre, quaſi qui à Patre clarificetur, cum & ipſe clarificet Patrem, dicente Filio: [Ibidem.] [Clarificatio mutua inter Patrem & Filium.] *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Sed forte adhuc ſummittendum putes Filium, quod quaſi inglorius videatur à Patre recipere claritatem, quam demum Patri refundat. Audi quia non eſt ita. [Ibidem 5.] *Clarifica me*, inquit, *Pater, claritate quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te.* Si ergo claritas Filii poſterior non eſt, utpote quæ ab æterno eſt: ex æquo ſe clarificant Pater & Filius. Et ſi ita eſt, ubi Patris primatus? Æqualitas profecto eſt, ubi coæternitas eſt. Et uſque adeo æqualitas, ut una ſit claritas amborum, ſicut ipſi unum ſunt. [Johan. 12. 28.] Unde mihi videtur dicendo rurſum, *Pater, clarifica nomen tuum*, non ſane aliud petere, quàm ſe clarificari, in quo, & per quem nomen Patris proculdubio clarificaretur. Et reſponſum accepit à Patre: [Ibidem.] [Chriſti glorificatio ad Jordanem.] *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quæ quidem ipſa Patris reſponſio non parva Filii glorificatio fuit. Ceterum abundantius ad fluenta Jordanis, auguſtiuſque clarificatus dignoſcitur, & Johannis teſtimonio, & columbæ deſignatione, [Matt. 3. 17.] & voce Patris dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus.* [Ibidem 17.] Sed & in monte coram tribus Diſcipulis nihilo minus magnificentiſſime clarificatus eſt, tum voce eadem denuo ad ſe cælitus delapſa, tum mira illa eximiaque transfiguratione corporis ſui, tum etiam Prophetarum atteſtatione duorum, [In monte Thabor] qui ibidem apparuerunt cum eo loquentes.

5. [Suprema in cælis.] Supereſt ergo ut juxta promiſſum Patris ſemel adhuc clarificetur, eaque erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non enim, ut iſta ſuſpicata eſt, in plateis vel vicis, niſi forte in illis, de quibus dicitur: [Tob. 13. 22.] *Plateæ tuæ, Jeruſalem, ſternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur.* In his revera illam recepit a Patre Filius claritatem, cui non poterit ſimilis inveniri, ne in cæleſtibus quidem. Cui enim aliquando Angelorum dictum eſt, *Sede a dextris meis?* [Heb. 1. 13.] Non modo autem de numero Angelorum, ſed nec de ſuperioribus quidem reliquis beatorum ordinibus omnino quis repertus idoneus eſt ad capeſſendam ſuperexcellentem hanc gloriam. Ad neminem prorſus illorum facta eſt vox illa gloriæ ſingularis, [Seſſio ad Patris dexteram ſoli Chriſto propria.] nemini vocis in ſe efficientiam experiri datum. Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, profecto deſiderant in eum proſpicere, non ſe illi comparare præſumunt. Igitur Domino meo ſingulariter à Domino & dictum, & datum eſt, ſedere à dextris gloriæ ipſius, utpote in gloria coæquali, in eſſentia conſubſtantiali, pro generatione conſimili, majeſtate non diſpari, æternitate non poſteriori. Ibi, ibi illum qui quæret inveniet, & videbit gloriam ejus: non gloriam quaſi unius ceterorum, ſed plane *gloriam quaſi Unigeniti a Patre.* [Johan. 1. 14.]

6. [Ubi & quomodo quærendus Dilectus.] Quid facies, ô ſponſa? Putas potes ſequi eum illuc? Aut te ingerere audes vel vales huic tam ſancto arcano, tamque arcano ſanctuario, ut Filium in Patre, & Patrem intuearis in Filio? Non utique. Ubi eſt ille, tu non potes venire modo, venies autem poſtea. Age tamen, ſequere, quære; nec te inacceſſibilis illa claritas vel ſublimitas à quærendo deterreat, ab inveniendo deſperare faciat. [Marc. 9. 22.] *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Prope eſt*, inquit, [Rom. 10. 8.] [Deut. 30. 14.] *verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Crede, & inveniſti. Nam credere inveniſſe eſt. Norunt fideles inhabitare Chriſtum per fidem in cordibus ſuis. Quid propius eſt? Quære ergo ſecura, quære devota. [Thren. 3. 25.] Bonus eſt Dominus animæ quærenti ſe. [Fides vis & efficacia.] Quære votis, ſequere actibus, fide inveni. Quid non inveniat Fides? ATTINGIT inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodam modo circumcludit. Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo; & fide teneo, quam non capio mente.

7. Sed dicit aliquis: Quomodo credet ſine prædicante, cum fides ex auditu ſit, auditus per verbum prædicationis? [Rom. 10. 17.] Deus hoc providebit. Et ecce jam præſto ſunt qui novam ſponſam, cæleſti nupturam ſponſo, de quibus oportet, inſtruant & informent, fidem doceant, formam pietatis ac religionis tradant. Audi namque quid adjiciat. [Cant. 3. 3.] *Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem.* Qui enim vigiles hi? Nempe illi, quos Salvator in Evangelio beatos pronuntiat, [Luc 12. 37.] ſi, cum venerit, invenerit vigilantes. Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipſi pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris! [Vigiles & cuſtodes animarum, Paſtores.] Quàm boni cuſtodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hoſtium inſidias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula diſſipant, machinamenta fruſtrantur! Hi ſunt fratrum amatores & populi Chriſtiani, [Ceteris dormientibus agunt excubias] qui multum orant pro populo & univerſa ſancta civitate. Hi ſunt, qui multum ſolliciti pro ſibi commiſſis dominicis ovibus, cor ſuum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illos, & in conſpectu Altiſſimi deprecantur. Et vigilant, & deprecantur, ſcientes ſuam inſufficientiam in cuſtodienda civitate, & quia niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. [Pſal. 126. 1.]

8. Porro cum Dominus ita præcipiat, [Matt. 26. 41.] *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*; liquet quod abſque duplici hoc exercitio fidelium, ſtudioque cuſtodum, non poteſt eſſe ſecura civitas, non ſponſa, non oves. [Fideles civitas, ſponſa, & oves.] Horum differentiam quæris? Unum ſunt. Civitas propter collectionem, ſponſa propter dilectionem, oves propter manſuetudinem. Vis ſcire hoc ſponſam, quod civitatem eſſe? [Apoc. 21. 2.] *Vidi*, inquit, *civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cælo à Deo, paratam tamquam ſponſam, ornatam viro ſuo.* Identidem tibi hoc & de ovibus liquido apparebit, ſi recorderis, primus ille cuſtos

Tom. IV. Amor à Paſtoribus maxime exigitur.

(Petrum loquor) cum ſibi primo oves committeretur quàm attente ſimul de amore commonitus ſit. Quod utique tanta cura ſapiens creditor non feciſſet, niſi ſe ſentiret ſponſum, id ſibi utique ex intimo reſpondente conſcientia. Audite hæc, amici Sponſi, ſi tamen amici. At parum dixi, amici: amiciſſimi ſint oportet, qui privilegio tantæ familiaritatis donantur. Non otioſe toties repetitum eſt, *Petre amas me*, in commiſſione ovium. Et ego quidem id ſignificatum perinde puto, ac ſi illi dixiſſet Jeſus: Niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia quod me ames, & valde perfectoque ames, hoc eſt plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm etiam te, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus ſanguis utique meus effuſus eſt. Terribilis ſermo, & qui poſſit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere.

Joann. 21. 15.

Aurea Parænesis ad Pastores.

9. Propterea attendite vobis, quicumque opus miniſterii hujus ſortiti eſtis; attendite, inquam, vobis, & pretioſo depoſito, quod vobis creditum eſt. CIVITAS eſt: vigilate ad cuſtodiam, concordiamque. SPONSA eſt: ſtudete ornatui. OVES ſunt: intendite paſtui. Et hæc tria ad illam Domini trinam ſciſcitationem forte non incongrue pertinere dicentur. Porro cuſtodia civitatis ut ſit ſufficiens, trifaria erit, à vi tyrannorum, à fraude hæreticorum, a tentationibus dæmonum. Sponſæ vero ornatus in bonis operibus, & moribus, & ordinibus. At paſtus ovium communiter quidem in paſcuis Scripturarum, tamquam in hereditate Domini: ſed eſt diſtinctio in illis. Nam ſunt mandata, quæ duris atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ & diſciplinæ: & ſunt olera diſpenſationum, quæ infirmis & puſillis corde de reſpectu miſericordiæ apponuntur: & ſunt conſiliorum ſolida fortiaque, quæ ex intimis ſapientiæ proponuntur ſanis, & qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Parvulis namque, tamquam agniculis, adhortationis lac potus datur, non eſca. Ad hæc boni ſollicitique paſtores impinguare pecus non ceſſant bonis lætiſque exemplis, & ſuis magis, quàm alienis. Nam ſi alienis & non ſuis; ignominia eſt illis, & pecus ita non proficit. Si enim, verbi cauſa, ego qui videor inter vos paſtoris gerere curam, vobis appoſuero Moyſi manſuetudinem, patientiam Job, miſericordiam Samuelis, David ſanctitatem, & ſi qua ſunt ejuſmodi exempla bonorum, immitis ipſe & impatiens, atque immiſericors & minime ſanctus: ſermo (ut vereor) minus ſapide eveniet, & vos minus avide capietis. Verum hoc ſupernæ pietati relinquo, ut quod minus vobis ex nobis eſt, ipſa ſuppleat; & quod perperam, ipſa corrigat. Nunc vero bonus paſtor hoc quoque curabit, ut ſecundum Evangelium inveniatur habere ſal in ſemetipſo; ſciens, quia ſermo ſale conditus quantum placuerit ad gratiam, tantum proderit ad ſalutem. Hæc interim de cuſtodia civitatis, atque ornatu ſponſæ, necnon & paſtu ovium dicta ſint.

Custodiam suam debent.

Ornatum, & pastum.

Pastus triplex.

Boni Pastoris est bonis exemplis docere.

Marc. 9. 49.

10. Volo tamen adhuc eadem paulo expreſſius deſignare propter eos, qui dum avide nimis honoribus inhiant, minus provide gravibus ſe ſupponunt oneribus, exponunt periculis: ut ſciant ad quid venerint, ſicut ſcriptum eſt: *Amice, ad quid veniſti?* Ni fallor, ad ſolam civitatis cuſtodiam, ut quantum ſatis eſt procuretur, opus eſt viro forti, ſpirituali, fideli. Forti ad propulſandas injurias, ſpirituali ad deprehendendas inſidias, fideli qui non quæ ſua ſunt quærat. Porro autem ad mores honeſtandos vel corrigendos (quod utique ad decorem pertinet ſponſæ) quis non liquido agnoſcat pernéceſſariam fore cum multa quidem diligentia diſciplinæ cenſuram? Eapropter omnis, cui hoc opus incumbit, oportet ferveat zelo illo, quo accenſus præcipuus ille æmulator ſponſæ Domini aiebat: *Æmulor vos Dei æmulatione; deſpondi enim vos uni viro virgi-*

Pastorum conditiones.

Matt. 26. 50. Custodia tria exigit.

Ornatus quo.

2. Cor. 11. 2.

A *nem caſtam exhibere Chriſto.* Jam quomodo in paſcua divinorum educet eloquiorum greges dominicos paſtor idiota? Sed & ſi doctus quidem fuerit, non ſit autem bonus; verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quàm ſterili vita noceat. Temere itaque & in hac parte hoc onus ſubitur abſque ſcientia pariter, vitaque laudabili. Sed ecce, quod non laudamus, finis indicitur, ubi non erat finis. Evocamur in materiam [a] alteram, & cui hanc cedere indignum. Angor undique, & quod ægrius feram ignoro, avelli ab iſta, an diſtendi in illa: niſi quod utrolibet ſimul utrumque moleſtius. O ſervitutem! ô neceſſitatem! non quod volo hoc ago, ſed quod odi illud facio. Notate tamen ubi definimus, B ut quàm cito in id redire liberum erit, inde mox ordiamur, in nomine Sponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Pabulum quo.

SERMO LXXVII.

De malis Paſtoribus Eccleſiæ; item quomodo Beati in cælo ſimul cum Angelis adjutorio ſunt electis adhuc peregrinantibus.

1. Ela expediti ſumus. Diximus heſterno ſermone, quales in via hac qua ambulamus, vellemus habere duces, non quales habemus. Longe diſſimiles C experimur. Non omnes ſunt amici ſponſi, quos hodie ſponſæ hinc inde aſſiſtere cernis, & qui (ut vulgo aiunt) eam quaſi addextrare videntur. Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærant, ex omnibus caris ejus. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum: quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tamquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Nonne ſi quempiam talium repente eminus procedentem aſpexeris, ſponſam potius putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Unde vero hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum ar- D genteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exſangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare, dicente de illis Domino: *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis.* & *Quia comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt.* & in alio Propheta: *Peccata populi mei comedent.* quaſi dicat: Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpoſitorum, E qui non plus invigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quam vitiis extirpandis? Ubi qui orando flectat iram; qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur: graviora gravius manet judicium.

Prælatorum Ecclesiæ luxum perstringit.

V. Joan. 12. num. 15.

Ecclesiæ desolatio unde.

Psal. 13. 4.

Psal. 78. 7.

Osee 4. 8.

Pastorum avaritia.

2. Sine cauſa tamen vel his, vel illis immoramur, quia non audiunt nos. Sed & ſi litteris forſitan mandentur iſta quæ dicimus, dedignabuntur legere: aut ſi forte legerint, mihi indignabuntur, quamvis rectius ſibi hoc facerent. Propterea relinquamus iſtos, non inventores ſponſæ, ſed venditores; & inquiramus potius illos, à quibus ſponſa ſe inventam loquitur. Et quidem illorum iſti ſortiti ſunt miniſterii lo- F cum, ſed non zelum. Succeſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram! Vigilarent utique, ſollicite ſervantes ab illis inventam, ſibi creditam. Immo vero evigilarent pro ſemetipſis, nec ſinerent de ſe dici: *Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt.* Juſta omnino querimonia, nec ad ullam juſtius, quàm ad

Compescit his ingratis & ubiola.

Psal. 37. 12.

a His verbis innuit Bernardus ſermonem aliqua neceſſitate fuiſſe interruptum; ejuſque finem aliquo ſigno indictum: ſive id fuerit ſignum communis menſæ, ſive aliud quodvis negotium, cui hanc materiam cedere indignum ducit. Negotium potius indicant ſequentis ſermonis prima verba.

Paſtores negligentes ſe & uſque perdunt noſtram referenda ætatem. Parum eſt noſtris vigilibus quod non ſervant nos, niſi & perdant. Alto quippe demerſi oblivionis ſomno, ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, ut vel ſuum ipſorum periculum expaveſcant. Inde eſt, ut non parcant ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes pariter & pereuntes.

Eccleſiæ cuſtodes Apoſtoli & apoſtolici viri 3. Sed enim quinam illi ſunt vigiles, à quibus ſe inventam perhibet ſponſa? Nempe Apoſtoli, atque apoſtolici viri. Vere hi ſunt qui cuſtodiunt civitatem, id eſt eam ipſam quam invenerunt Eccleſiam, eoque vigilantius, quo nunc temporis gravius periclitantem conſpiciunt, à malo utique domeſtico & inteſtino,
Mich. 7. 6. ſicut ſcriptum eſt: *Et inimici hominis domeſtici ejus.*
Neque enim pro qua uſque ad ſanguinem reſtiterunt, ſuo derelinquunt patrocinio deſtitutam, ſed protegunt & cuſtodiunt eam die ac nocte, hoc eſt in vita &
Pſal. 115. 15. in morte ſua. Et ſi *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, non ambigo ego quin etiam tanto in
Pſal. 138. 17. morte potentius id agant, quanto in ipſa amplius confortatus eſt principatus eorum.

4. Sic iſta aſſeris, ait quis, ac ſi oculis tuis videris ea: ſunt autem ab humanis ſecluſa conſpectibus. Cui ego: Si tu tuorum oculorum teſtimonium fidele putas,
Iſa. 62. 6. teſtimonium Dei majus eſt. Ait vero: *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes: tota die & tota nocte, in per-*
Hebr. 1. 14. *petuum non tacebunt.* Sed de Angelis, inquis, id dictum eſt. Non abnuo: omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus. At quis me prohibeat itidem & de iſtis ſentire, qui potentia quidem minime jam ipſis Angelis impares ſunt; affectu autem & miſericordia eo nobis forſitan germaniores exſiſtunt, quo natura conjunctiores? Junge & tolerantiam earumdem paſſionum & miſeriarum, in quibus nos pro tempore adhuc verſamur. Nihilne amplius miſerationis pro nobis vel ſollicitudinis operabitur in mentibus ſanctis, quod & ſe tranſiiſſe per eas proculdubio meminerunt? Nonne illa ip-
Pſal. 65. 12. ſorum vox eſt, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium?* Quid? Ipſi tranſierunt, & nos in mediis ignibus vel fluctibus derelinquent, nec ſaltem manum porrigere dignabuntur periclitantibus filiis? Non eſt ita. Bene tecum agitur, ô mater Eccleſia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo & de terra venit auxilium tibi. Qui cuſtodiunt
Angeli etiā. te, non dormitant, neque dormiunt. Cuſtodes tui Angeli ſancti, vigiles tui ſpiritus & animæ Juſtorum. Non errant qui te ab utriſque inventam ſpiritibus ſenſerint,
Cuſtodiæ illius cauſa. ab utriſque pariter cuſtodiri. Et eſt hujus ſollicitudinis ratio quibuſque ſua: his quidem, quod ſine te non conſummentur: illis vero, quod niſi de te ad ſui plenitudinem minime reſtaurentur. Nam quis neſciat, ſatana cadente de cælo & ejus complicibus, numerum ſupernæ multitudinis parte non modica imminutum? De re itaque omnes conſummationem exſpectant, alii numeri, alii deſiderii ſui. Agnoſce proinde vocem in
Pſal. 141. 8. pſalmo: *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.*

5. Et advertendum, quod non iſta illos, ſed illi iſtam potius inveniſſe referuntur, utque ego ſuſpicor ad hoc ipſum ſtudio deſtinati. Nam quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Denique habes loquentem in
Luc. 10. 3. Evangeliis: *Ite, ecce ego mitto vos.* &c. *Ite, prædicate*
Marc. 16. 15. *Evangelium omni creaturæ.* Ita eſt. Illa quærebat ſponſum, & ſponſum non latebat. Nempe qui in hoc ipſum excitaverat eam ut ſe quæreret, & dederat illi cor ad præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, dummodo eſ-
Miſſio prædicatorum ſet qui inſtrueret & doceret viam prudentiæ. Et miſit in occurſum ejus plantatores & rigatores, qui eam enutrirent, & confirmarent in omni certitudine veritatis, hoc eſt, indicarent illi certamque redderent de
Veritatis amor ſolus ſi- dus & verus dilecto; quia veritas eſt quam quærit, & quam vere diligit anima ejus. Et revera QUIS FIDUS veruſve animæ amor, niſi utique is, quo veritas adamatur? Rationis ſum compos, veritatis ſum capax: ſed utinam non forem, ſi amor veri defuerit. Horum quippe ramorum is fructus eſt, & ego radix. NON SUM SECURUS à ſecuri, ſi abſque eo inveniar. In illo nimirum

A naturæ munere illud divinæ imaginis enitere inſigne *Tom. IV.* haud dubium eſt, ex quo ceteris præſtet animantibus. Inde eſt quod audet anima mea ad dulces caſtoſque aſſurgere veritatis amplexus, & ſic in amore ipſius tota ſecuritate ac ſuavitate quieſcere, ſi tamen inveniat gratiam in oculis tanti Sponſi, ut dignam reputet, quæ ad hanc pertingat gloriam; immo ipſe eam ſibi exhibeat non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi. Quanti putas eſſe diſcriminis, quave dignum pœna, tantum Dei donum otioſum tenere? Verum hoc alias.

6. Nunc vero ſponſa quem quærebat, minime reperit; & quos non quærebat, reperta eſt ab ipſis. Au- *Error qui ſine duce vitam ſpiritualem aggreditur. V. ſerm. 31. num. 1.*
B diant hoc, qui ſine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant; ipſi ſibi in arte ſpirituali exſiſtentes & diſcipuli pariter & magiſtri. Non ſufficit hoc: etiam coacervant diſcipulos ſibi, cæci duces cæcorum. Quàm multi ex hoc à recto tramite periculoſiſſime aberraſſe comperti ſunt! Nimirum ignorantes aſtutias ſatanæ & cogitationes ipſius, factum eſt ut qui ſpiritu cœperant, carne conſummarentur, abducti turpiter, lapſi damnabiliter. Videant proinde qui ejuſmodi ſunt, quomodo caute ambulent, & de ſponſa exemplum ſumant, quæ non prius ad eum, quem deſiderabat, ullo modo valuit pervenire, quàm ſibi occurre-
C rent, quorum magiſterio uteretur ad cognoſcendum de dilecto, certe ad diſcendum timorem Domini. SEDUCTORI dat manum, qui dare diſſimulat præceptori. Et qui dimittit oves in paſcua abſque cuſtode, paſtor eſt non ovium, ſed luporum.

7. Nunc jam videamus de ſponſa, quomodo ſe dicat inventam. Mihi enim inſuete ſatis verbum inventionis poſuiſſe videtur. Nam ita hoc dicit, ac ſi uno de
loco Eccleſia venerit. Venit autem ab Oriente & Oc- *Matt. 8. 11.*
cidente juxta verbum Domini, & à cunctis finibus
terræ. Sed neque aliquando congregata eſt in unum *Sponſa quomodo ſe dicat inventam.* locum, ubi ab Apoſtolis ſeu ab Angelis inveniretur deducenda vel dirigenda ad eum, quem diligit anima ſua. Fueritne prius inventa quàm collecta? Non: quia nec
D erat. Quamobrem ſi collectam, ſi congregatam, ſi certe (quod magis vocabulo Eccleſiæ competit) convocatam à prædicatoribus ſe dixiſſet, tranſiiſſem ſimpliciter, minime in aliquo cunctabundus. Coadjutores
enim Dei ſunt, quem & audiere loquentem: *Qui non* *Matt. 12. 30.*
colligit mecum, diſpergit. Sed neque hoc mihi ab re videbitur, ſi dixerit quis ab eis fundatam ſive ædificatam. Siquidem hoc fecerunt una cum illo, qui in Evan-
geliis loquitur: *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam* *Matt. 16. 18.*
meam. &, *quia fundata eſt ſupra firmam petram.* Nunc *Matt. 7. 25.*
vero nihil horum loquens, ſed præter ſolitum quidem perhibens ſe inventam; cunctari aliquantum nos facit, atque in ſuſpicionem adducit latere loco, quod ſit
E diligentius intuendum.

8. Volebam, fateor, præterire, neque ſubducere huic ſcrutinio, cui ſufficere non ſentirem. Ceterum reminiſcens in quantis æque dubiis & obſcuris, vobis quidem ſurſum corda levantibus, etiam ſupra ſpem meam adjutum me ſenſerim, pudet diffidentiæ: & reprehendens timorem meum, adorior non quidem temere, quod timide refugiebam. Aderit (ut confido) ſolitum adjutorium: quod ſi minus, apud benevolos tamen auditores non erit otioſum quod volui. Verum hoc habebit ſequens ſermo principium, nam præſentem hic claudimus. Ipſe autem det vobis ea quæ dicuntur
F non ſolum tenere memoriter, ſed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere, Sponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXVIII.

Quod ſponſa, id eſt Eccleſia electorum, prædeſtinata eſt à Deo ante ſæcula, & præventa ab eo ut quæreret eum, & converteretur.

1. AD verbum inventionis (ſi bene memini) illic ſtetimus & hæſimus, ſcrupuloſius videlicet

Tom. IV.

audientes, quod ſponſa à prædicatoribus ſuis ſe inven- A tam dixerit. Porro cauſæ noſtræ cunctationis & dubitatioois à nobis expreſſæ ſunt. & viſum eſt aliquid eſſe quærendum: ſed non in calce ſermonis, quo jam arctabamur, quod quæſitum eſt, potuit explicari. Quid reſtat, niſi ut debitum jam ſolvamus? In explicatione ſacramenti magni (illud loquor, quod Doctor gentium interpretatus eſt, in Chriſto & in Eccleſia, ſanctum caſtumque connubium; ipſum eſt opus noſtræ ſalutis:) in eo, inquam, tres ſibi invicem cooperantur, Deus, Angelus, Homo. Et Deus quidem quidni operetur, & curam gerat nuptiarum dilecti Filii ſui? Ipſe vero [a], ac tota voluntate. Et utique per ſe ipſe ſufficeret, & abſque adminiculo horum: hi autem ſine ipſo poſſunt facere nihil. Ergo quod ex illis B adſcivit in opus miniſterii hujos, non ſibi ſolatiom, ſed profectum quæſivit illis. Nam hominibus quidem merita locavit in opere, ſecundum illud: *Dignus eſt operarius mercede ſua*. & quia *unuſquiſque ſecundum proprium laborem accipiet*. ſive qui in fide plantat, ſive qui rigat quod plantatum fuerit. Angelorum autem cum ad ſalutem humani generis miniſterio utitur, nonne facit ut ab hominibus Angeli diligantur? Nam qoia ab Angelis homines diligantur, inde vel maxime adverti poteſt, quod antiqua ſuæ civitatis damna ex hominibus reſarcitum iri Angeli non ignorant. Nec aliis profecto legibus regnum caritatis regi decebat, quàm piis ipſorum, qui pariter regnaturi ſunt, mutuiſque amoribus, & puris affectionibus in invicem, & in C Deum.

Eph. 5. 32 — Salutis noſtræ tres cauſæ. — a — Luc 10. 7. — 1. Cor. 3. 8.

Operationes diverſæ.

2. Eſt autem in modo operandi differentia multa, pro cujuſque nimirum operarii dignitate. Deus nempe facit quod vult ſola ipſa facilitate volendi, ſine æſtu, ſine motu, ſine præjudicio loci vel temporis, vel cauſæ, vel perſonæ. Eſt enim Dominus ſabaoth, qui cum tranquillitate judicat omnia. Eſt & Sapientia diſponens omnia ſuaviter. Porro Angelus non abſque motu operatur, tam locali, quàm [b] temporali, ſine æſtu tamen. Homo autem nec ab æſtu animi, nec à motu corporis animique liber eſt in operando. Denique cum timore & tremore ſuam ipſius jubetur operari ſalutem, atque D in ſudore vultus ſui comedere panem ſuom.

Sap. 12. 5. — b — Philip. 2. 12. — Gen. 3. 19.

Tria in opere ſalutis noſtræ Deo propria. — 1. Prædeſtinatio. — * al. ſane.

3. His ita explicitis, intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere noſtræ ſalutis tria eſſe quædam, quæ ſibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis omnes auxiliatores & cooperatores ſuos, Prædeſtinationem, Creationem, Inſpirationem. Quarum Prædeſtinatio, non dico ab exortu Eccleſiæ, ſed ne à mundi principio quidem principium habuit, non denique * à tempore illo vel illo: ante tempora eſt. Porro Creatio cum tempore; Inſpiratio jam in tempore fit, ubi & quando vult Deus. Sane ſecundum prædeſtinationem numquam Eccleſia Electorum penes Deum non fuit. Si miratur hoc infidelis, audiat quod magis miretur: numquam non E grata exſtitit, numquam non dilecta. Quidni audacter loquar arcanum, quod mihi de corde Dei promptus ille ſupernorum delator conſiliorum aperuit? Paulum dico, qui ut multa alia, ita hoc quoque de divitiis bonitatis ejus non eſt veritus divulgare ſecretum. *Benedixit nos*, inquiens, *in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate*. & addit: *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum-Chriſtum in ipſo, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*. Nec dubium quin F voce omnium electorum iſta dicantur: & ipſi Eccleſia ſunt. In illo igitur tam profundo æternitatis ſinu, antequam in lucem opuſque [c] prodiret hujus creationis, quis illam vel beatorum ſpirituum invenire aliquo modo valuerit, niſi ſi cui ipſa æternitas Deus voluerit revelare?

Ephes. 1. 3. — Ibid. 5. — c

2. Creatio.

A 4. Sed & cum jam ad nutum creantis viſa eſt emerſiſſe in ſpecies formaſque has facticias atque viſibiles, non continuo tamen inventa eſt à quoquam hominum vel Angelorum, eo quod non agnoſceretur, imagine terreſtris hominis adumbrata, & operta mortis caligine. Sine quo profecto generalis velamine confuſionis nemo filiorum hominum intravit hanc vitam, uno ſane excepto, qui ingreditur ſine macula. Emmanuel is eſt, qui tamen & ipſe ex nobis, pro nobis noſtri ſe induit maledicti, noſtrique peccati ſimilitudinem, non veritatem. Sic enim habes, quia *apparuit in ſimilitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne*. De cetero unos omnibus per omnia introitus eſt, electis dico & reprobis. Non enim eſt B diſtinctio. Omnes peccaverunt, & omnes caputium [a] ſuæ verecundiæ portant. Propter hoc itaque, etſi in rebus conditis jam creata exiſtens Eccleſia, nec ſic tamen à creatura ulla inveniri poterat vel agnoſci, miro utroque modo interim latens, & intra gremium beatæ prædeſtinationis, & intra maſſam miſeræ damnationis.

Rom. 8. 3. — * al. pileum.

3. Inſpiratio ſive infuſio gratiæ. — d

5. Ceterum quam celaverat ab æterno prædeſtinans Sapientia, & item [d] creans Potentia minime prodiderat ab initio; viſitans profecto gratia ſoo in tempore revelavit, ſecundum operationem, quam ideo Inſpirationem ſupra nominavi, quod de Sponſi ſpiritu hominis infuſum ſpiritibus quippiam fuerit in præparationem Evangelii pacis, id eſt parare viam Domino, at- C que Evangelio gloriæ ejos ad corda omniom, quotquot erant prædeſtinati ad vitam. Fruſtra vigiles laboraſſent in prædicando, ſi non hæc gratia præceſſiſſet. Nunc vero videntes velociter currere verbum, & populos nationum ad Dominum in omni facilitate converti, concurrere in unitatem fidei tribus & linguas, atque in unam colligi matrem catholicam terminos terræ; cognoverunt de divitiis gratiæ, quæ à ſæculis abſconditæ tenebantur in abdito prædeſtinationis æternæ, & gaviſi ſunt eam ſe inveniſſe, quam ante ſæcula Dominus elegerat in ſponſam ſibi.

Converſio noſtra Deo adſcribenda.

6. Ex quo (ut opinor) clarum fit non otioſum eſſe, quod ſe inventam ab his ſponſa teſtata eſt; ſed prop- D terea quod ſe ab ipſis collectam agnoſceret, non electam; compertam, non converſam. Ei nempe adſcribenda cujuſque converſio eſt, cui dicere neceſſe habent univerſi illud de pſalmo: *Converte nos Deus ſalutaris noſter*. Sed non æque illi fortaſſis inventionis vocem competenter aptarim, ſicut converſionis. Immo vero ſic eſt. Non eſt invenire Domino, ſed prævenire, & inventionem præventio excludit. Denique quid inveniat, qui nihil umquam non novit? *Novit Dominus qui ſunt ejus*, ait quidam. Ipſe vero quid? *Ego ſcio*, ait, *quos elegerim à principio*. Plane quam ab æterno præſcivit, quam elegit, quam dilexit, quam con- E didit; rationis non erat ab eodem perhiberi inventam. Præparatam tamen ab ipſo ut inveniretur, fidenter dixerim. Nam qui vidit, teſtimonium perhibuit: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. *Vidi*, inquit, *civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cælo, à Deo paratam tamquam ſponſam ornatam viro ſuo*: iſque è vigilibus unus, qui cuſtodiunt civitatem. Sed audi ipſum ejus præparatorem, veluti digito eam demonſtrantem vigilibus, ſed ſub tropo altero. *Levate oculos veſtros*, ait, *& videte regiones, quia albæ ſunt jam*, id eſt præparatæ, *ad meſſem*. Ex hoc Paterfamilias operarios invitat ad opus, quando jam ſenſerit ſic om- F nia præparata, ut abſque multo ſuo ipſorum labore gloriari & dicere queant, quoniam *coadjutores Dei ſumus*. Quid enim facturi ſunt? Nempe ſponſam quæſituri, inventæque indicaturi de dilecto. Non enim ſuam quærent, ſed Sponſi gloriam, qooniam Sponſi amici ſunt. Et pro hac non multum apud illam laborabunt: adeſt, jamque illum tota devotione requirit,

Pſal 84. 5. — 2. Tim. 2. 19. — Johan. 13. 18. — Præventio & propoſitio à Deo. — Idem 19. 35. Apoc. 21. 2. — Idem 4. 35. — 1. Cor. 3. 9.

a Supple ex ſuperiori commate, *curam gerit*.

b In codice S. Germani, *quam corporali*. Sed præfero *temporali*, ut in Ciſterciensi, ut reſpondeat ſuperiori periodo, ubi Deus dicitur agere *ſine præjudicio loci vel temporis*.

c In aliis editis *opus prodiret*, in recto at rectius ſcripti, *opuſque* in quinto caſu, ut Eccleſia referatur *ad prodiret*.

d In codice Germanenſi, *nec creans potentia ſatis in manifeſto eduxerat*. Idem ſenſus.

in

in tantum præparata eſt voluntas ejus à Domino.

al. uſq. vig... 7. Denique necdum illis * quicquam loquentibus interrogat de dilecto, & prævenit prædicatores ſuos *Cant. 3. 3.* præventa ipſa, percunctans & dicens: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Bene proinde ſe inventam per- *Deus præmiſſa præparatione adhibet operationi* hibuit ab his qui cuſtodiunt civitatem, quæ à Domino civitatis præcognitam jam ſe noverat & præventam, quatenus illi talem eam invenirent, non facerent. Sic à Petro Cornelius, & Paulus ab Anania inventi ſunt. nam ambo præventi à Domino erant & præparati. Quid Saulo paratius, qui ſupplex jam & mente & vo- *Act. 9. 6.* ce clamaverat: *Domine, quid me vis facere?* Nec minus Cornelius, qui eleemoſynis & orationibus ſuis, Domino quidem eas ſibi inſpirante, promeruit pervenire ad *Act. 10. 4.* fidem. Invenit quoque Philippus Nathanaëlem: ſed *Johan. 1. 44.* prius Dominus illum, cum eſſet ſub ficu, jam viderat. quæ Domini viſio, numquid non præparatio fuit? *Ibidem 42.* Et Andreas Simonem fratrem ſuum nihilo minus inveniſſe refertur, ſed prævisum æque à Domino at- *Ibidem 41.* que præſcitum, ut vocaretur Cephas, quaſi fortis in fide.

8. Legimus de Maria, quod inventa fuerit in utero *Matt. 1. 18* habens de Spiritu-ſancto. Exiſtimo autem ſimile quid habere in hac parte ſponſam Domini Matri ipſius. Niſi enim & ipſa inventa eſſet habens de Spiritu-ſancto, nequaquam ab inventoribus ſuis tam familiariter requiſiſſet de eo, cujus Spiritus eſt ille. Non ſuſtinuit ut illi effarentur ad quid veniſſent: ipſa locuta eſt, & quidem ex abundantia cordis. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Sciebat quia beati oculi qui vidiſſent; & admirans eos qui viderant, aiebat: Num vos eſtis, quibus videre donatum eſt, quem tot reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt? Num vos eſtis qui meruiſtis in carne aſpicere Sapientiam, in corpore Veritatem, in homine Deum? Multi dicunt, Ecce hic eſt, & ecce illic: ſed ego tutius mihi arbitror fidem accommodare vobis, qui manducaſtis & bibiſtis cum eo, poſtquam reſurrexit à mortuis. Et hoc dictum ſit de eo, quod ſponſa ſciſcitata eſt à vigilibus. Si quo minus, ſupplebitur ſermone alio. Nunc autem ex hoc vel maxime liquet præventam fuiſſe à Spiritu-ſancto: ab his vero qui cuſtodiunt civitatem inventam compertamque, quod vere ipſa ſit quam præſcivit & prædeſtinavit ante ſæcula Deus, præparavitque dilecto Filio ſuo delicias ſempiternas in ſæculis æternis, ut ſit ſancta & immaculata in conſpectu ejus, germinans ſicut lilium, & florens in æternum ante Dominum Patrem Domini mei Jeſu-Chriſti, Sponſi Eccleſiæ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXIX.

De amore tenaci & indiſſolubili, quo anima tenet ſponſum: item de reditu ſponſi in fine ſæculi ad ſynagogam Judæorum ſalvandam.

Cant. 3. 3. *Amoris tanta vis & energia* 1. N*Um quem diligit anima mea vidiſtis?* O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cetera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, diſſimulas uſum, modum ignoras; totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod conſilii judiciive eſſe videtur, triumphas in temetipſo, & redigis in captivitatem. En omne quod cogitat iſta, & quod loquitur, te ſonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi ipſius & cor vindicaſti, & linguam. Ait: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quaſi vero hi ſciant quid cogitet ipſa. Quem diligit anima tua, de ipſo ſciſcitaris? Et non habet nomen? Quænam *Amorem ſpirant hoc Canticum.* vero tu, & ille quis? Et hæc ita dixerim propter ſingularitatem eloquii, & inſignem verborum incuriam, qua præſens ſcriptura ceteris diſſimilis ſatis apparet. Unde in epithalamio hoc non verba penſanda ſunt, ſed affectus. Cur ita, niſi quod amor ſanctus, quem totius hujus voluminis unam conſtat eſſe materiam, non verbo ſit æſtimandus, aut lingua, ſed opere & verita-

A te? Amor ubique loquitur: & ſi quis horum quæ leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet. Alioquin fruſtra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim græce loquentem non intelligit qui græcum non novit, nec latine loquentem, qui latinus non eſt, & ita de ceteris: ſic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, eritque ſicut æs ſonans, aut cymbalum *1. Cor. 13. 1.* tinniens. Iſti vero (vigiles loquor) quoniam de Spiritu & ipſi acceperunt ut ament, ſciunt quid loquitur Spiritus, & amoris vocibus optime compertis ſibi in B promptu habent reſpondere in ſimili lingua, id eſt ſtudiis amoris pietatiſque officiis.

2. Denique ita in brevi edoctam emittunt de eo quod quærit, ut dicat: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni* *Cant. 3. 4.* *quem diligit anima mea.* Bene *paululum*, quia verbum abbreviatum fecerunt ei, Symbolum fidei tradentes. Et quod ſequitur, tale eſt. Oportebat quidem ſponſam tranſire per eos, per quos cognoſceret veritatem: ſed tamen & pertranſire. Niſi enim pertranſiſſet & ipſos, non inveniſſet quem quærebat. Atque hoc ipſum ſua- **Ita mſſ.* ſam * ab illis non ambigas. Non enim prædicabant ſemetipſos, ſed Dominum ſuum Jeſum, qui abſque dubio & ſupra ipſos eſt, & ultra. Unde & ait: *Tran-* *Eccli. 24. 26.* C *ſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Nec ſufficiebat tranſire, ſed & pertranſire docetur. Siquidem pertranſierat is quem veſtigabat. Non modo enim de morte ad vitam tranſierat, ſed pertranſierat ad gloriam. Quidni etiam hanc oportuit pariter pertranſire? Alioquin non poterat apprehendere, quem non per eadem veſtigia ſequeretur quocumque ierat.

3. Et ut quod dico clarius fiat, ſi Dominus meus Jeſus *Fides reſurrectionis & aſcenſionis.* ſurrexiſſet quidem à mortuis, ſed ad cælos minime aſcendiſſet, non poterat dici de eo, quod pertranſierit, ſed tantum tranſierit: ac per hoc ſponſam illum quærentem tranſire ſolummodo oporteret, non pertranſire. Nunc vero quoniam jam reſurgendo tranſierat, & D adjecerat pertranſire, utique aſcendendo; merito ſe etiam iſta non tranſiſſe, ſed pertranſiſſe perhibuit, quæ hunc quidem fide & devotione ad cælos uſque ſecuta eſt. Igitur credere reſurrectionem tranſire eſt, credere etiam aſcenſionem pertranſire. Et fortaſſe (quod una dierum dixiſſe me memini cum tractarem) noverat illam, iſtam non noverat. Ergo quod ſibi deerat inſtructa ab illis, quia ſcilicet qui reſurrexerat, etiam aſcendiſſet; aſcendit & ipſa pariter, hoc eſt pertranſiit, & invenit. Quidni invenerit pertingens mente *, ubi ille corpore eſt? *Paululum cum pertranſiſſem eos.* **al. fide.* Et bene *eos*. nam tam ipſos, quàm cetera membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, caput noſtrum punctis præceſ- E ſit duobus, atque tranſcendit, reſurrectione (ut jam diximus) & aſcenſione. Etenim primitiæ Chriſtus. Quod ſi ille præceſſit; & fides noſtra. Ubi enim illa *Fides noſtra Chriſtum ubique ſequitur.* eum non ſequeretur? Si aſcenderit in cælum, ipſa illic eſt; ſi deſcenderit in infernum, adeſt: & ſi ſumpſerit pennas ſuas diluculo, & habitaverit in extremis maris; illuc, ait, manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Nonne denique ſecundum hanc omnipotens & ſumme bonus Pater Sponſi conſuſcitavit, & conſedere nos fecit in dextera ſua *? Atque hoc pro eo **al. add. in cæleſtibus.* quod dixit Eccleſia, quia *pertranſivi eos*: quoniam & ſemet pertranſiit, fide ſtans, quo necdum re ipſa pervenit. Arbitror & illud planum, cur ſe pertranſiſſe F potius, quàm tranſiſſe dicere maluit. Et nos tranſeamus ad ea quæ ſequuntur.

4. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in* *Cant. 3. 4.* *domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Ita eſt, *Eccleſiæ amor in Chriſtum conſtans.* exinde & deinceps non deficit genus Chriſtianum, nec fides de terra, nec caritas de Eccleſia. Venerunt *Matt. 7. 25.* flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quod fundata eſſet ſupra petram. Petra autem eſt Chriſtus. Itaque nec verboſitate Philoſopho- *Rom. 8. 39.* rum; nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis perſecutorum potuit iſta, aut poterit aliquando ſeparari à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu: adeo for-

Tom. IV. titer tenet quem diligit anima ſua, adeo illi adhærere A Deo bonum eſt. Iſa. 41. 7 *Glutinum bonum eſt*, ait Iſaias. Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis diſſolvitur, nec ſcinditur gladiis? Denique aquæ mul- Cant. 8. 7. tæ non poterunt extinguere caritatem. *Tenui eum, nec* Gen. 32. 26. *dimittam*. Et ſanctus Patriarcha: *Non te*, inquit, *dimittam, niſi benedixeris mihi*. Ita iſta non vult eum dimittere, & forte magis quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. ſiquidem ille benedictione accepta dimiſit eum, hæc autem non ſic. Pſal. 72. 25. Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te. *Quid enim mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram.* Non dimittam te, nec ſi benedixeris mihi.

5. *Tenui eum, nec dimittam.* Nec minus forſitan ille B Prov. 8. 31. teneri vult, cum perhibeat dicens: *Deliciæ meæ eſſe cum* Matt. 28. 20. *filiis hominum.* quodque pollicens ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quid hac copula fortius, quæ una duorum tam vehe- Pſal. 72. 24. menti voluntate firmata eſt? *Tenui eum*, inquit. Sed nihilo minus ipſa viciſſim tenetur ab eo quem tenet, cui alibi dicit: *Tenuiſti manum dexteram meam.* Quæ tenetur, & tenet, quomodo jam cadere poteſt? Tenet fidei firmitate, tenet devotionis affectu. At nequaquam diu teneret, ſi non teneretur. Tenetur autem potentia & miſericordia Domini. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Magna Eccleſiæ caritas, quæ ne æmu- C læ quidem Synagogæ ſuas delicias invidet. Quid benignius, quam, ut quem diligit anima ſua, ipſum communicare parata ſit & inimicæ? Nec mirum tamen, Johan. 4. 22. *quia ſalus ex Judæis eſt.* Ad locum unde exierat, rever- Eccleſia caritoſa in Synagogam. tatur Salvator, ut reliquiæ Iſrael ſalvæ fiant. Non rami radici, non matri filii ingrati ſint. Non rami radici invideant quod ex ea ſumpſere: non filii matri, quod de ejus ſuxere uberibus. Teneat itaque Eccleſia firmiter ſalutem, quam Judæa perdidit, ipſa apprehendit, donec plenitudo gentium introeat, & ſic omnis Iſrael ſalvus fiat. Velit in commune communem venire ſalutem, quæ ſic ab omnibus capitur, ut nil ſingulis minuatur. Utique hoc facit, & plus. Quid plus? D Quod & nomen ſponſæ illi optat, & gratiam. Prorſus ſuper ſalutem hoc.

6. Incredibilis caritas, ſi non ſermo quem locuta eſt ipſa, feciſſet fidem. Dixit enim (ſi advertiſti) velle ſe introducere quem tenebat, non modo in domum matris, ſed & in cubiculum quoque, quod eſt prærogativæ indicium. Sufficiebat ad ſalutem, ſi domum intra- Luc. 19 9. ret: at ſecretum cubiculi ſignat gratiam. *Hodie*, ait, *huic domui ſalus facta eſt.* Quidni ſit domeſticis ſalus, Salvatore ingreſſo domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, ſeorſum habet ſecretum ſuum ſibi. Sa- Cant 3. 4. lus domui ſit: thalamo deliciæ reconduntur. *In domum matris meæ introducam eum*, inquit. In quam domum, E Luc. 13. 35. niſi de qua olim prænuntiarat Judæis: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta?* Fecit quod dixit, ſicut ha- Jerem. 12. 7. bes & de hoc teſtimonium ejus in Propheta: *Reliqui*, ait, *domum meam, dimiſi hereditatem meam*; & nunc iſta pollicetur reducere illum, & domui matris ſuæ perditam ſalutem reſtituere. Et ſi hoc parum videtur, audi Chriſtus amore ſponſæ etiam filiæ ſynagogam deſponſare paratus. quid boni adjiciat: *Et in cubiculum genitricis meæ.* Qui ingreditur thalamum, ſponſus eſt. Magna amoris potentia! Salvator indignabundus exierat de domo & hereditate ſua: & nunc ad hujus gratiam mitigatus inflectitur ita, ut redeat non modo Salvator, ſed & Sponſus. Benedicta tu à Domino filia, quæ & indignationem compeſcis, & hereditatem reſtituis. Benedicta tu F matri tuæ, cujus beneficio avertitur ira, revertitur ſa- Pſal. 34. 3. lus, revertitur qui dicat illi: *Salus tua ego ſum.* Non Oſee 2. 19. ſufficit hoc: addat & dicat: *Deſponſabo te mihi in fide, deſponſabo te mihi in judicio & juſtitia, deſponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus.* Sed memento, quia quæ has conciliat amicitias, ſponſa eſt. Quomodo ergo ſponſum, & hunc ſponſum alteri cedit, ne dicam cupit? Non eſt ita. Cupit quidem illum matri filia bona, non tamen ut cedat illi, ſed ut communicet. Sufficit unus duabus, niſi quod jam non erunt duæ, ſed una A in ipſo. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui facit utramque unam, ut ſit una ſponſa, & ſponſus unus Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXX.

De imagine ſive Verbo Dei, & anima quæ ad imaginem eſt, ſubtilis diſputatio: & de errore Gilleberti Pictavenſis epiſcopi.

Habitus poſt Concilium Remenſe anni 1148 in quo damnatus Gillebertus.

1. Quidam veſtrum (ut comperi) minus æquo animo ferunt, quod ecce jam per aliquot dies, dum ſtupori & admirationi ſacramentorum inhærere B delectat, ſermo quem miniſtramus, aut nullo fuerit, aut exiguo admodum moralium ſale conditus. Id quidem præter ſolitum. Sed num quæ dicta ſunt, reviſere licet? Non procedo, niſi prius revolvam omnia. Eia, dicite, ſi recordamini, à quonam ſcripturæ loco cœperit defraudatio hæc, ut rurſum inde adoriar. Meum eſt reſarcire damna, immo Domini, de quo totum præſumimus. Quo itaque repetendum principio? An inde, *In lectulo meo quæſivi per noctes quem diligit anima* Cant 3. 1. *mea?* Ni fallor, inde. Abhinc tantum & deinceps cura una fuit mihi, harum allegoriarum denſa diſcuſſa caligine, ponere in lucem Chriſti & Eccleſiæ ſecretas delicias. Igitur redeamus ad indaganda moralia. Nec C enim mihi poterit eſſe pigrum, quod vobis commodum fuerit. Atque hoc ita congrue fiet, ſi quæ dicta ſunt in Chriſto & in Eccleſia, Verbo animæque eadem nihilo minus aſſignemus.

2. Sed dicit mihi aliquis: Quid tu duo iſta conjun- Verbi & animæ cognatio vel ſimilitudo. gis? Quid enim animæ & Verbo? Multum per omnem modum. Primo quidem quod naturarum tanta cognatio eſt, ut hoc imago, illa ad imaginem ſit. Deinde quod cognationem ſimilitudo teſtetur. Nempe non ad imaginem tantum, ſed ad ſimilitudinem facta eſt. In quo ſimilis ſit quæris? Audi de Imagine prius. Verbum eſt veritas, eſt ſapientia, eſt juſtitia: & hæc imago. Cujus? Juſtitiæ, ſapientiæ, & veri- D tatis. Eſt enim Imago hæc juſtitia de juſtitia, ſapientia de ſapientia, veritas de veritate, quaſi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil eſt anima, quoniam non eſt imago. Eſt tamen earumdem capax, appetenſque: & inde fortaſſis ad imaginem. Celſa creatura, in capacitate quidem majeſtatis, in appetentia autem rectitudinis inſigne præferens. Legimus quia Deus hominem rectum fecit, quod & magnum capacitas (ut dictum eſt) probat. Oportet namque id quod ad imaginem eſt, cum imagine convenire, & non in vacuum participare nomen imaginis, quemadmodum nec imago ipſa ſolo, vel vacuo nomine vocitatur imago. Habes vero de eo qui imago E eſt, quia *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus* Philipp. 2. 6. *eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Ubi tibi utique ejus & in forma Dei innuitur rectitudo, & in æqualitate majeſtas: Imaginis magnitudinem & rectitudinem ſuo modo refert anima. ut dum rectitudini rectitudo, & magnitudo magnitudini comparatur, conſonanter ſibi altrinſecus reſpondere appareat quod ad imaginem eſt, & imagini: ſicut imago quoque nihilo minus in utroque reſpondet illi cujus imago eſt. Nempe ipſe eſt, de quo ſanctum David audiſtis in pſalmis canentem, nunc quidem, *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus*: nunc Pſal. 146. 5. vero, *Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in* Pſal. 91. 16. *eo.* Ab iſto recto & magno Deo habet Imago ejus, ut & ipſa recta, & magna ſit: habet anima quæ ad ima- F ginem eſt.

3. Sed dico: Nihilne ergo amplius habet Imago ab Imaginis & animæ diſcrimen. anima quæ ad imaginem eſt, quia & huic magnum rectumque aſſignamus? Et plurimum. Hæc ad menſuram accepit, illa ad æqualitatem. An non plus hoc? Adverte & aliud. Huic utrumque aut creatio, aut dignatio contulit; illi generatio. Atque id magnificentius eſſe non dubium eſt. Sed ne hoc quidem eminentius eſſe quis abnuat, quod cum à Deo huic, illi & de Deo utrumque ſit, id eſt de Dei ſubſtantia. Eſt enim conſubſtantialis Deo Imago ſua, & omne quod eidem

A ſuæ imagini impertiri videtur, ambobus eſt ſubſtantiale, non accidentale. Adhuc unum attende, in quo imago non parum eminet. Magnum & rectum (iſta duo natura à ſeſe diſcrepare quis neſciat?) in imagine unum ſunt. Neque hoc ſolum; unum ſunt & cum imagine. Imagini enim non modo id rectum eſt eſſe, quod magnum eſſe, ſed etiam id magnum rectumque eſſe, quod eſſe. Animæ non ita. Et magnitudo ejus, & rectitudo ipſius diverſæ ab ea, diverſæ ab invicem ſunt. Si enim (ut ſupra docui) EO ANIMA MAGNA eſt, quo capax æternorum; EO RECTA, quo appetens ſupernorum: quæ non quærit nec ſapit quæ ſurſum ſunt, ſed quæ ſuper terram, non plane eſt recta, ſed curva, cum tamen pro hujuſmodi magna eſſe non B deſinat, manens utique etiam ſic æternitatis capax. Neque enim illius aliquando non capax erit, etiamſi numquam capiens fuerit, ut ſit quomodo ſcriptum eſt, *Verumtamen in imagine pertranſit homo*: ex parte tamen, ut eminentia Verbi appareat de ipſa integritate. Quo enim à magno rectove Verbum cadat, quod ſic ea utique habet, ut ſit quæ habet? Vel ideo ex parte, ne ſi toto privaretur, non ſupereſſet ſpes ſalutis. Nam ſi deſinat magna eſſe; & capax. Quippe de capacitate (ut dixi) æſtimatur animæ magnitudo. Quid vero ſperare poſſet, cujus capax non foret?

Anima magnitudo & rectitudo unde æſtimanda.

Pſal. 38. 7.

4. Itaque per magnitudinem, quam retentat etiam perdita rectitudine, in imagine pertranſit homo, uno C quaſi claudicans pede, & factus filius alienus. De talibus enim reor dictum: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* Pulcre appellati ſunt *filii alieni.* nam *filii* propter retentam magnitudinem, *alieni* propter amiſſam rectitudinem. Nec dixiſſet, *claudicaverunt*, ſed corruerunt, aut quippiam ſimile, ſi ex toto homines * imaginem exuiſſent. Nunc vero ſecundum magnitudinem quidem in imagine pertranſit homo: quantum vero ad rectitudinem, veluti claudicans, conturbatur & deturbatur ab imagine, Scriptura ita dicente: *Verumtamen in imagine pertranſit homo; ſed & fruſtra conturbatur.* Fruſtra omnino. nam ſequitur: *Theſaurizat, & igno-* D *rat cui congregabit ea.* Cur ignorat, niſi quia inclinans ſe ad hæc infima & terrena, theſaurizat ſibi terram? Prorſus ignorat de his quæ terræ committit, cui congregabit ea, tineæne demolienti, an furi effodienti; hoſti diripienti, an igni devoranti. Et inde miſero homini incurvanti ſe, & incubanti his quæ in terra ſunt, flebilis vox illa de pſalmo: *Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.* In ſemetipſo ſiquidem experitur veritatem illius ſententiæ Sapientis: *Deus rectum hominem fecit, ipſe autem ſe immiſcuit doloribus multis.* Et continuo vox ludibrii ad eum: *Incurvare ut tranſeamus.*

Anima rectitudinem amiſit retenta magnitudine.

Pſal. 17. 46.

* *al. hominis.*

Pſal. 38. 7.

Pſal. 37. 7.

Eccli. 7. 30.

Iſa. 51, 23.

5. Sed unde venimus huc? Nempe inde, cum do- E cere vellemus, rectum magnumque (quo gemino bono diffinieramus imaginem) nec in anima eſſe unum, nec cum anima, quemadmodum in Verbo & cum Verbo ea unum eſſe fideli æque aſſertione docuimus. Et de rectitudine quidem ex his quæ dicta ſunt, liquet quod diverſa & ab anima ſit, & ab animæ magnitudine: quandoquidem ea etiam non exſiſtente, & anima manet, & magna. Verum magnitudinis animæque diverſitas unde docebitur? Non enim inde poteſt, unde rectitudinis animæque monſtrata eſt, cum non ſicut rectitudine, ita & magnitudine ſua privari anima poſſit. Non eſt tamen ſua ma- F gnitudo anima. Nam etſi anima non invenitur abſque magnitudine ſua, ipſa tamen & extra animam reperitur. Quæris ubi? In Angelis. Inde quippe magni ſunt Angeli, unde animæ magnitudo comprobatur, ex captu videlicet æternitatis. Quod ſi eo conſtitit animam diſcrepare à rectitudine ſua, quod ea carere poſſit: quidni æque liqueat eſſe diverſam & à ſua magnitudine, quam ſibi propriam vindicare non poſſit? Cum itaque nec illa in omni, nec iſta in ſola ſit ani-

Magnitudinis & animæ diverſitas.

A ma, patet utramque indifferenter differre ab ea. Item, Nulla forma eſt id, cujus eſt forma. Eſt autem magnitudo forma animæ. Nec enim ideo non forma, quia inſeparabilis eſt illi. Hoc ſiquidem ſunt ſubſtantiales differentiæ omnes, hoc non modo propriæ propria, ſed & propria quædam, hoc etiam aliæ innumerabiles formæ. Non igitur ſua magnitudo anima, non magis quam ſua nigredo corvus, quam ſuus candor nix, quam ſua riſibilitas ſeu rationalitas homo: cum tamen nec corvum ſine nigredine, nec ſine candore nivem, nec hominem, qui non & riſibilis ſit & rationalis, umquam reperias. Ita & anima, & animæ magnitudo, etſi inſeparabiles, diverſæ tamen ab invicem ſunt. B Quomodo non diverſæ, cum hæc in ſubjecto, illa ſubjectum & ſubſtantia ſit? Sola ſumma & increata natura, quæ eſt Trinitas Deus, hanc ſibi vindicat meram ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoque & alibi, ſed ne modo quidem, & modo inveniatur in ea. Nempe in ſemet manens, quod habet eſt, & quod eſt, ſemper & uno modo eſt. In ea & multa in unum, & diverſa in idem rediguntur, ut nec de numeroſitate rerum ſumat pluralitatem, nec alterationem de varietate ſentiat. Loca omnia continet, & quæque ſuis ordinat locis, nuſquam contenta locorum. Tempora ſub ea tranſeunt, non ei. Futura non exſpectat, præterita non recogi- C tat, præſentia non experitur.

Deus ſumme ſimplex, unus, & immutabilis.

6. Recedant à nobis, cariſſimi, recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus eſt Deus; & item bonitatem, qua bonus; ſed & ſapientiam, qua ſapiens; & juſtitiam, qua juſtus; poſtremo divinitatem, qua Deus eſt, Deum non eſſe impiiſſime diſputant. Divinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed divinitas non eſt Deus. Forſitan non dignatur Deus eſſe, quæ tanta eſt ut faciat Deum. Sed ſi Deus non eſt, quid eſt? Aut enim Deus eſt, aut aliquid quod non eſt Deus, aut nihil. Equidem non das Deum eſſe, ſed ne nihilum quidem (ut opinor) dabis, quam uſque adeo neceſſariam Deo eſſe fateris, ut non modo abſque ea D Deus eſſe non poſſit, ſed ea ſit. Quod ſi aliquid eſt, quod non eſt Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus eſt? Reſtat ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed ſi major, ipſa eſt ſummum bonum, non Deus: ſi par, duo ſunt ſumma bona, non unum. quod utrumque catholicus refugit ſenſus. Jam de magnitudine, bonitate, juſtitia, ſapientiaque, idem per omnia, quod de divinitate, ſentimus: unum in Deo ſunt, & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus; nec aliunde juſtus aut ſapiens, quàm unde magnus & bonus; nec aliunde denique ſimul hæc omnia eſt, quàm unde Deus, & hoc quoque nonniſi ſe ipſo.

Nec Deus à ſua eſſentia, nec attributa ab ipſa diſtinguuntur. v. S. Th. 1. p. q. 3. a. 3. & 4.

E 7. Sed dicit hæreticus: Quid? Deum divinitate ᵃ eſſe negas? Non, ſed eamdem divinitatem, qua eſt, Deum nihilo minus aſſero, ne Deo excellentius aliquid eſſe aſſentiar. Nam & magnitudine dico magnum, ſed quæ ipſe eſt, ne majus aliquid Deo ponam: & bonitate fateor bonum, ſed non alia, quam ipſe eſt, ne melius ipſo aliquid mihi videar inveniſſe: & de ceteris in hunc modum. Securus & libens pergo inoffenſo (ut aiunt) pede in ejus ſententiam qui dicebat: „Deus nonniſi ea magnitudine magnus eſt, quæ eſt „quod ipſe. Alioquin illa erit major magnitudo, quàm Deus. Auguſtinus hic eſt, validiſſimus malleus hære- F ticorum. Si quid itaque de Deo proprie dici poſſit, rectius congruentiuſque dicetur, Deus eſt magnitudo, bonitas, juſtitia, ſapientia, quàm Deus eſt magnus, bonus, juſtus aut ſapiens.

Auguſtinus malleus hæreticorum.

S. Aug. l. 5. de Trin. cap. 10.

8. Unde non immerito nuper in Concilio, quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipſi, quàm ceteris Epiſcopis perverſa viſa eſt & omnino ſuſpecta expoſitio illa in libro Gilleberti epiſcopi Pictavenſis, quo ſuper verba Boëtii de Trinitate, ſaniſſima quidem atque catholica, commentabatur hoc modo.

ᵃ Hic variant ſcripti codices. Ciſtercienſis habet, *divinitatem*; Germanenſis, *divinitate eſſe non negas*. At ſincera eſt lectio noſtra, cui ſimilis eſt in lib. 5. de Conſideratione num. 15. ubi idem argumentum tractatur.

Tom. IV. Gilberti ſententia in Concilio Remenſi damnata.

Pater eſt veritas, id eſt verus: Filius eſt veritas, id eſt verus: Spiritus-ſanctus eſt veritas, id eſt verus. Et hi tres ſimul non tres veritates, ſed una veritas, id eſt unus verus. O obſcuram perverſamque explanationem! Quàm verius ſaniuſque per contrarium ita dixiſſet: Pater eſt verus, id eſt veritas: Filius eſt verus, id eſt veritas: Spiritus-ſanctus eſt verus, id eſt veritas. Et hi tres unus verus, id eſt una veritas. Quod quidem feciſſet, ſi ſanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait: Una quippe veritas unius Dei, immo una veritas unus Deus non patitur ſervitium atque culturam creatoris creaturæque conjungi. Bonus corrector, qui veraciſſime de veritate loqueretur, qui pie catholiceque ſentiret de vera & mera divinæ ſimplicitate ſubſtantiæ, in qua nihil eſſe poſſit, quod ipſa non ſit, & ipſa Deus. Quamquam manifeſtius in nonnullis locis alus à rectitudine fidei liber ille præfati Epiſcopi viſus eſt diſcrepare, quorum (verbi cauſa) adhuc unum pono. Nam dicente auctore, Cum dicitur, Deus, Deus, Deus, pertinet ad ſubſtantiam: noſter commentator intulit, Non quæ eſt, ſed qua eſt. Quod abſit, ut aſſentiat catholica Eccleſia, eſſe videlicet ſubſtantiam, vel aliquam omnino rem, qua Deus ſit, & quæ non ſit Deus.

2. Fulg. lib. de fide orth. ad Donat. cap. 1.

Reſipuit in eodem Concilio.

9. Sed hæc minime jam contra ipſum loquimur, quippe qui in eodem conventu ſententiæ epiſcoporum humiliter acquieſcens, tam hæc, quàm cetera digna reprehenſione inventa proprio ore damnavit: ſed propter eos, qui adhuc librum illum, contra apoſtolicum utique promulgatum ibidem interdictum, tranſſcribere & lectitare feruntur, contentioſius perſiſtentes ſequi Epiſcopum, in quo ipſe non ſtetit, & erroris quàm correctionis magiſtrum habere malentes. Non ſolum autem, ſed & propter vos, occaſione accepta de differentia imaginis & animæ, quæ ad imaginem facta eſt, operæ pretium credidi excurſum hunc facere: ut ſi qui forte ex aquis furtivis, quæ dulciores videntur, aliquando aliquid biberint; ſumptu antidoto evomant illud, & purgato mentis ſtomacho, ad id, quod ſecundum promiſſionem noſtram dicendum de ſimilitudine ſupereſt, accedentes, puriora jam in gaudio non de noſtris hauriant, ſed de fontibus Salvatoris, ſponſi Eccleſiæ Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Liber ejus auctoritate Apoſt. prohibitus.

SERMO LXXXI.

De convenientia & ſimilitudine animæ cum Verbo ſecundum identitatem eſſentiæ, & vitæ immortalitatem, & arbitrii libertatem.

1. QUæſitum eſt ante de affinitate animæ ad Verbum, atque id quidem neceſſarie. Quæ enim conventio tantæ majeſtati & tantæ paupertati, ut more & amore ſponſorum, veluti ex æquo, ſeſe complecti referantur ſublimitas illa, & illa humilitas? Nam ſi vere id dicimus, valde læta fiducia eſt: ſi falſo, valde punienda audacia. Propterea ergo de convenientia horum quærendum fuit: quæ quidem jam multa inventa eſt, ſed non omnis. Quis enim vel nimis hebes non videat, quàm ſe è vicino reſpiciant imago, & quod ad imaginem eſt? Quorum utique unum uni, & alterum alteri ſermo (ſi recoliris) aſſignavit heſternus. Nec de imagine tantum, ſed etiam de ſimilitudine demonſtrata ibidem propinquitas eſt: niſi quod ipſa ſimilitudo, in quo vel in quibus potiſſimum conſtet, necdum à nobis eſt declaratum. Age jam intendamus declarationi huic, ut quo anima plenius ſuam agnoſcet originem, eo amplius erubeſcat vitam habere degenerem: immo vero quod peccato vitiatum deprehenderit in natura, ſtudeat reformare induſtria: ut digne ſuo genere, Dei quidem munere, ſeſe regens, ad amplexus Verbi fidenter accedat.

Animæ cum Verbo convenientia.

2. Advertat igitur ex hac divinæ ingenuitate ſimilitudinis ineſſe ſibi illam ſuæ ſubſtantiæ naturalem ſimplicitatem, quâ hoc eſt illi eſſe [a] quod vivere, etſi non quod bene, quodve beate vivere: ut ſit ſimilitudo non æqualitas. Gradus propinquus: gradus tamen. Neque enim unius excellentiæ pariſve faſtigii ſunt, hoc habere eſſe quod vivere, & item habere hoc eſſe quod beate vivere. Ergo ſi Verbi eſt illud propter ſublimitatem, hoc animæ propter ſimilitudinem, ſalva quidem eminentia Verbi; palam eſt affinitas naturarum, palam animæ prærogativa. Et ut quod dicitur planius fiat, ſoli Deo id eſt eſſe, quod beatum eſſe: atque hoc primum & puriſſimum ſimplex. Secundum autem ſimile eſt huic, id videlicet habere eſſe quod vivere: atque hoc animæ eſt. Ex hoc, etſi inferiori gradu, aſcendi poteſt, non modo ad bene, ſed etiam ad beate vivendum: non quia vel tunc ſit hoc eſſe, quod beatum eſſe illi qui eo pervenerit: quatenus ita glorietur pro ſimilitudine, ut tamen pro diſparitate habeat ſemper, unde omnia oſſa ejus dicant: Domine, quis ſimilis tibi? Bonus tamen animæ gradus, ex quo, & ſolo, ad beatam aſcenditur vitam.

Prima, quod idem ſit illi eſſe & vivere, non tamen beate.

3. Sunt namque viventia, & horum genera duo, quæ ſentiunt, & quæ non ſentiunt. Porro inſenſibilibus ſenſibilia præferuntur, atque utriſque vita, qua vivitur & ſentitur. Non ſtabunt pariter in gradu uno vita & vivens: multo minus vita, & quæ ſunt ſine vita. Vita anima eſt vivens quidem, ſed non aliunde quam ſeipſa: ac per hoc non tam vivens, quàm vita, ut proprie de ea loquamur. Inde eſt, quod infuſa corpori vivificat illud, ut ſit corpus de vitæ præſentia, non vita, ſed vivens. Unde liquet, ne vivo quidem corpori id vivere eſſe, quod eſſe: cum eſſe, & minime vivere poſſit. Multo minus quæ vitæ expertia ſunt, ad hunc gradum aſſurgent. Sed nec omne quod vita dicitur, vel eſt, continuo valebit pertingere huc. Eſt pecorum, eſt & arborum vita, ſenſu altera vigens, altera carens. At neutri tamen idem eſſe quod vivere eſt: cum (ut quidem multorum * opinio eſt) ante in elementis, quàm vel illa in membris, vel iſta in ramis exſtiterint. At ſecundum hoc cum deſinunt vivificare, ſimul vivere ceſſant, ſed non & eſſe. Solvuntur pariter & diſſolvuntur, tamquam non alligatæ tantum, ſed & colligatæ. Neque enim unum ſimplex eſt quæque harum, ſed ex pluribus conſtans. Et propterea non redigitur in nihilum, ſed diſſilit in partes, ut & ad ſuum quodque recurrat principium, verbi cauſa aer ad aërem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. Nequaquam igitur tali vitæ idem eſſe & vivere eſt, quæ eſt & quando non vivit.

Corpori non idem vivere quod eſſe.

* ſcil. Empedocleorum.

Plantis item & animalibus.

4. Porro nihil horum, quibus non hoc eſſe quod vivere ſit, ad bene beateque vivendum quandoque proficiet vel emerget: quippe quod neque ad hunc inferiorem gradum potuit pervenire. Sola, quæ in ipſo ſtare cognoſcitur anima hominis, in eo dignitatis creata eſt, vita à vita, ſimplex à ſimplici, immortalis ab immortali: ut non ſit longe à ſummo gradu, ubi ſcilicet id eſſe quod beate vivere eſt, in quo ſolus ſtat beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium. Accepit * itaque in ſui conditione anima, etſi non eſſe, poſſe tamen eſſe beata; ſummo proinde gradui, quantum licet, appropians, non pertingens tamen. Neque enim vel ipſi (ut ſupra diximus) hoc erit aliquando eſſe quod beatam eſſe, nec quando beata erit. Fatemur ſimilitudinem, æqualitatem renuimus. Verbi cauſa, vita Deus, vita & anima eſt: ſimilis quidem, ſed diſpar. Porro ſimilis, quod vita, quod ſeipſa vivens, quod non tantum vivens, ſed & vivificans: ſicut & ille hæc omnia eſt. Diſpar vero, quantum à creante creata. Diſpar, quod, ut niſi creata ab illo non eſſet, ſic niſi ab ipſo vivificata non viveret. Non viveret dico, ſed ſpirituali vita, non naturali. Nam naturali quidem, etiam quæ non ſpiritualiter vivit, immortaliter vivat neceſſe eſt. At qualis vita! in qua ſatius foret non naſci, quam non ab ea mori. Mors potius eſt: & ideo gravior, quia peccati, non naturæ. Denique *mors peccatorum peſſima.* Ita ergo quæ ſecundum carnem vivit anima,

Quæ beatitudinis incapacia.

* al. accepit.

Secundo, quod anima ſit immortalis.

Non mors ſpiritualis.

Pſal. 33. 22.

[a] Diſparitatem tamen inſignem aſſert num. 4. nempe quod anima creata ſit.

vivens mortua eſt, quippe cui bonum erat omnino non vivere, quàm ſic vivere. A qua nimirum vitali quadam morte minime umquam reſurget, niſi per verbum vitæ, immo per Verbum vitam, viventem utique & vivificantem.

Sed immortali.

5. Alias autem immortalis eſt anima, & in hoc nihilo minus Verbo ſimilis quidem, ſed non æqualis. Nam in tantum ſuperexcellit immortalitas Deitatis, ut Apoſtolus dicat de Deo: *qui ſolus habet immortalitatem.* (1. Tim. 6. 16.) Quod ego reor pro eo dictum, quod ſolus ſit natura incommutabilis Deus, qui ait: *Ego Dominus, & non mutor.* (Mal. 3. 6.) (Eſt mutabilis affectibus.) Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quàm nec finem, quod omnis mutatio quædam mortis imitatio ſit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud tranſit eſſe, quodam modo neceſſe eſt moriatur quod eſt, ut eſſe incipiat quod non eſt. Quod ſi tot mortes quot mutationes, ubi immortalitas? Et huic vanitati ſubjecta eſt ipſa creatura non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe. (Rom. 8. 20.) Attamen immortalis anima eſt: quoniam cum ipſa ſibi vita ſit; ſicut non eſt quo cadat à ſe, ſic non eſt quo cadat à vita. Verum cum conſtet ſuis affectibus mutari eam; agnoſcat ita ſe Deo in immortalitate ſimilem, ut ſciat ſibi deeſſe non modicam immortalitatis partem, ſoli cedens abſolutam perfectamque immortalitatem, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Non mediocris tamen animæ dignitas præſenti diſputatione comperta eſt, quæ gemina quadam vicinitate naturæ Verbo appropiare videtur, ſimplicitate eſſentiæ, & perpetuitate vitæ.

3. Similitudo ſecundum libertatem arbitrii.

6. Sed enim adhuc unum occurrit, quod minime præteribo: nec enim minus inſignem ſimilemve minus Verbo animam facit, & forte etiam plus. Arbitrii libertas hæc eſt, plane divinum quiddam præfulgens in anima, tamquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum quidem & malum, necnon inter vitam & mortem, ſed & nihilo minus inter lucem & tenebras, & cognitio judicii, & optio eligendi; & ſi qua ſunt alia, quæ ſimiliter circa animi habitum ſeſe è regione reſpicere videantur. Nihilo minus inter ipſa cenſorius quidam arbiter (is animæ oculus) dijudicat & diſcernit, ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. (Liberum arbitrium unde ſic dictum.) Unde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum fuit, merito ad meritum reputatur. Et ut merito laudatur, non is tantum qui potuit facere mala, & non fecit; ſed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala, & fecit; quàm is qui potuit facere bona, & non fecit. (Libertas neceſſaria ad meritum) Ubi autem non eſt libertas, nec meritum. Propterea quæ ſunt carentia ratione animalia, nihil merentur: quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. (Bruta non merentur.) Neque enim judicium habent, quo ſe dijudicent ſive regant: ſed ne inſtrumentum quidem judicii, id eſt rationem. Inde eſt quod non judicantur, quia non judicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?

7. Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato paritur quamdam vim & ipſe, ſed à voluntate, non à natura, ut ne ſic quidem ingenita libertate privetur. (Côcupiſcentia vehemens manet voluntarium.) Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum eſt, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam; ſed amore, non mole. Nam quod ſurgere anima per ſe jam non poteſt quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & jacens, amorem pariter juſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit: ut nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat vo-

A luntatem; nec voluntas cum ſit illecta, excludere neceſſitatem. (Tom. IV. Neceſſitas voluntaria non excuſat à peccato.) Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus: *Domine*, inquit, *vim patior, reſponde pro me.* (Iſa. 38. 14.) Sed rurſus ſciens, quod non juſte cauſaretur adverſus Dominum, cum voluntas ſua ipſius potius in cauſa foret, attende quid ſecutus intulerit: *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim* [a]? (Ibidem.) Premebatur jugo, non alio tamen, quàm voluntariæ cujuſdam ſervitutis; B & erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cum eſſet libera, ſervam fecit peccati, peccato aſſentiendo: voluntas nihilo minus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntarie ſerviendo.

8. Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tune voluntarium dicis, quod jam neceſſarium conſtat eſſe? Verum quidem eſt, quod voluntas ſeipſam addixerit: ſed non ipſa ſe retinet; magis retinetur & nolens. Bene hoc ſaltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem eſſe, quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis eſt, non nolen-C tis. Quod ſi volens retinetur, ipſa ſe retinet. (Voluntas cogi non poteſt.) Quid ergo dicet, aut quid reſpondebit ei, cum ipſa fecerit? Quid fecit? Servam ſe fecit. unde dicitur: *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* (Joan. 8. 34.) Propterea cum peccavit (peccavit autem cum peccato obedire decrevit) ſervam ſe fecit. Sed ſit libera, ſi non adhuc facit. Facit autem, in eadem ſervitute ſe retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim eſt. Ergo quia volens, ſervam ſeipſam non modo fecit, ſed & facit. Merito proinde (quod ſæpe memorandum eſt) quid reſpondebit illi, cum ipſa fecerit, ipſa & faciat?

9. Sed non me, inquis, decredere facies neceſſita-D tem quam patior. quam in me metipſo experior, contra quam & aſſidue luctor. Ubinam quæſo hanc neceſſitatem ſentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod & neceſſario vis. Multum vis quod nolle nequeas, nec multum obluctans. Porro ubi voluntas, & libertas. Quod tamen dico de naturali, non de ſpirituali, qua libertate (ut dicit Apoſtolus) Chriſtus nos liberavit. (Gal. 4. 31.) Nam de illa idem ipſe dicit: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* (2. Cor. 3. 17) (Anima libera quodam modo ſimul & ancilla.) Ita anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam ac male libera neceſſitate, & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, E magiſque miſerum eſt, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. Miſer ego homo, quis me liberabit à calumnia hujus pudendæ ſervitutis? Miſer, ſed liber. Liber, quia homo: miſer, quia ſervus. Liber, quia ſimilis Deo: miſer, quia contrarius Deo. *O cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi?* (Job 7. 20.) Poſuiſti enim, cum non prohibuiſti. Alioquin ipſe me poſui, *& factus ſum mihi metipſi gravis.* Juſtiſſime quidem, ut hoſtis tuus, hoſtis ſit & meus; & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego vero, qui tibi; ego, qui mihimet contrarius factus ſum, atque in membris meis invenio quod contradicat, & menti meæ, & legi tuæ. Quis me libera-F bit de manibus meis? Non enim quod volo, hoc ago, (Rom. 7. 15. Hominis miſeria ob luctam carnis & ſpiritus.) ſed me, non alio prohibente: & quod odi, illud facio, ſed me, non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulſio ita eſſet violenta, ut non eſſet voluntaria; forſitan enim ſic poſſem excuſari: aut certe ita eſſet voluntaria, ut non violenta; profecto enim ſic poſſem corrigi. Nunc vero nuſquam exitus miſero patet, quem & voluntas (ut dixi) inexcuſabilem, & incorrigibilem neceſſitas facit.

a In Vulgata, *fecerit.* Utramque lectionem exhibet Bernardus in ſermone 3. de diverſis num. 6.

Tom. IV. Pſal. 70. 4.

Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui?

Pſal. 36. 31. Eccli. 14. 5.

10. Quærit quis, de quo querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccavi: exlex, quia voluntate perſiſto agere contra legem. Nam mea voluntas ipſa eſt lex in membris meis, legi divinæ recalcitrans. Et quoniam lex Domini lex mentis meæ, ſicut ſcriptum eſt, *Lex Dei ejus in corde ipſius*; per hoc & mihiipſi mea ipſius voluntas contraria invenitur, quæ eſt iniquitas maxima. Cui enim non iniquus, qui mihi ſum? *Qui ſibi nequam, ait, cui bonus?* Fateor non ſum bonus, quia non eſt in me bonum. Conſolabor me tamen, quia & Sanctorum vox iſta eſt: *Scio quia non eſt in me bonum*, inquit. Diſcernit tamen quod dicit, *in ſe*, in carne ſua interpretans, propter contradictoriam legem, quæ in ea eſt. Nam habet legem & in mente, eaque melior. An non lex Dei bona? Quod ſi malus propter legem malam, quomodo non propter bonam bonus? An mala ſua eſt quæ eſt in carne ſua, & ideo de mala malus, & minime bonus de bona? Non eſt ita. Lex Dei ejus in mente ipſius, atque ita in mente, ut ſit & mentis. Teſtis eſt ipſe qui ait: *Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Numquid ſuum quod carnis ſuæ eſt, & non ſuum quod mentis ſuæ eſt? Ego dico & plus. Quidni dicam, quod idem ipſe magiſter dicit? Nam *mente quidem ſerviens legi Dei, carne autem legi peccati*; quid magis ſuum fateatur evidenter oſtendit, cum malum quod in carne eſt, ita à ſe alienum cenſet, ut dicat: *Itaque jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Et ideo fortaſſis ſignanter aliam dixerit legem inventam in membris ſuis, quod alienam hanc, & quaſi adventitiam reputaret. Unde & adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temere quidem: Paulum videlicet non jam malum, propter malum quod in carne habet: magis autem bonum, propter bonum quod in mente habet. An non bonus, qui conſentit legi Dei, quoniam bona eſt? Nam etſi ſe itidem fateatur ſervire legi peccati, carne hoc facit, non mente. Cum autem mente quidem ſerviat legi Dei, carne autem legi peccati; quidnam potiſſimum horum Paulo imputandum putes, tu videris. Nam mihi fateor facile perſuaſum, quod mentis, quàm quod carnis eſt, pluris eſſe, non ſolum mihi, ſed & ipſi Paulo, ut jam dictum eſt, qui ait: *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Rom. 7. 18. Hanc ſancti quoque in ſe agnoſcunt. Rom. 7. 23. Ibid. 20. Motus concupiſcentiæ indeliberati non ſunt peccatum. Ibid. 20.

* Habes hunc tomo 2. * al. probanda.

11. Sed de libertate iſta ſufficiant. In libello *, quem de gratia & libero arbitrio ſcripſi, diverſa fortaſſis de imagine & ſimilitudine diſputata leguntur, ſed (ut arbitror) non adverſa. Legiſtis illa, iſta audiſtis: quænam magis probetis *, veſtro judicio derelinquo; vel ſi quid melius utriſque ſapitis, in hoc gaudeo & gaudebo. At quoquo modo illa ſe habeant, tria quædam inpræſentiarum præcipua commendata tenetis, ſimplicitatem, immortalitatem, libertatem. Et hoc vobis liquido apparere jam arbitror, animam pro ingenita atque ingenua ſimilitudine, quæ in his tam eximie claret, non parvam cum Verbo habere affinitatem, ſponſo Eccleſiæ Jeſu-Chriſto Domino noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXXII.

Qualiter anima ſimilis Deo manens, per peccatum tamen diſſimilis facta eſt in ſimplicitate, immortalitate, & libertate.

Prædicatoris eſt liberaliter, quod Deus dederit, in alios effundere.

1. QUid vobis videtur? Poſſumuſne jam regredi ad exponendi ordinem unde digreſſi ſumus: quia patet propinquitas Verbi & animæ, pro qua utique demonſtranda digreſſio ipſa facta eſt? Poſſemus (ut mihi videtur) niſi parum quid dubietatis in his, quæ dicta ſunt, adhuc reſidere ſentirem. Nil furari volo. Non libenter prætereo quod vobis utile putem. Et quomodo id audeam, de his præſertim quæ vobis accipio? Scio hominem [a] aliquid aliquando inter loquendum ex his quæ ſuggerebat Spiritus, etſi non infideli, minus tamen fidenti animo retentantem & reſervantem ſibi, ut haberet quod diceret denuo tractaturus; & ecce vox ad eum, ut quidem ei viſum eſt: Donec iſtud tenebis, aliud non accipies. Quid ſi retinuiſſet, non providendo ſuæ inopiæ, ſed fraternis profectibus invidendo? nonne merito & hoc ipſum, quod videbatur habere, auferretur ab eo? Quod quidem longe à ſervo veſtro ſemper faciat Deus, ſicut & ſemper fecit. Sic mihi jugiter abundare dignetur fons ille indeficiens ſapientiæ ſalutaris, quomodo ſine invidia vobis communicavi, & refudi quicquid mihi infundere hactenus dignatus eſt ipſe. Si ego vos fraudo, à quo jam non verear ipſe fraudari? Ne à Deo quidem.

a V. ſerm. 18. num. 6.

Dubium de permiſſa ſimilitudine animæ cum Deo.

2. Eſt itaque in his quæ dicta ſunt aliquid, quod (ut vereor ego) offendiculum dare queat, ſi non complanetur. Et, ni fallor, ſunt de hic ſtantibus, quibus jam ſcrupulum movit quod dicere volo. Trina illa Verbi ſimilitudo, quam animæ aſſignavimus, immo qua inſignitam advertimus, recolitiſne quod etiam inſeparabiliter ineſſe illi viſa fuerit nobis? Id quidem videatur aliquibus ſcripturarum teſtimoniis obviare, ut verbi gratia, eſt illud in pſalmis: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; & item illud: *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* ſed & quod aperte dictum eſt in perſona Dei; *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis.* & pleraque alia, quæ ſimilitudinem Dei in homine poſt peccatum deletam concorditer aſſeverare videntur. Quid ergo dicemus ad hæc? Tria illa in Deo minime eſſe, & ſic alia quærenda, in quibus ſimilitudinem aſſignemus? aut eſſe quidem in Deo, ſed non in anima, & ne ſic quidem in his ſimilitudinem inveniri? aut eſſe & in anima, ſed poſſe etiam non ineſſe, ac per hoc non inſeparabilia eſſe? Abſit. Et in Deo, & in anima ſunt, & ſemper inſunt: nec eſt quod nos aliquid horum dixiſſe pœniteat, ita totum ſubnixum eſt indubitata & abſolutiſſima veritate. Sed quod Scriptura loquitur de diſſimilitudine facta, non quia ſimilitudo iſta deleta ſit loquitur, ſed quia alia ſuperducta. Non plane anima nativam ſe exuit formam, ſed ſuperinduit peregrinam. Illa addita, non iſta perdita eſt: & quæ ſupervenit, obſcurare ingenitam potuit, ſed non exterminare. Denique *obſcuratum eſt inſipiens cor illorum*, ait Apoſtolus. & Propheta: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Obſcuratum aurum plangit, ſed aurum tamen; mutatum colorem optimum, ſed non fundamentum coloris evulſum. Manet in fundamento prorſus inconcuſſa ſimplicitas, ſed minime apparet duplicitate operta humanæ doloſitatis, ſimulationis, hypocriſis.

Pſal. 48. 20. Pſal. 105. 20. Pſal. 49. 22. Similitudo hæc peccato non deleta. Sed alia ſuperducta. Rom. 1. 21. Thren. 4. 1. Neque duplicem.

Gen. 3. 7. Hypocriſis virus filiis Adam hereditarium.

3. Quàm incongrue ſimplicitati duplicitas admiſcetur, quàm indigne tali fundamento talis ſtructura committitur. Hujuſmodi ſibi verſutiam Serpens induerat, cum ſe, ut deciperet, conſiliarium exhibebat, ſimulabat amicum. Hujuſmodi quoque ſeducti ab eo paradiſi incolæ induerant ſibi, cum pudendam jam nuditatem tegere conarentur, & umbra frondoſi ligni, & frondium ſuccinctoriis, & verbis excuſatoriis. Quàm late extunc & deinceps omnem poſteritatem hereditarium hypocriſis virus infecit! Quem dabis de filiis Adam qui quod eſt, non dico velit, ſed vel patiatur videri? Sed perſeverat nihilo minus in omni anima cum originali duplicitate generalis ſimplicitas, ut de collatione confuſio augeatur: perſeverat æque immortalitas, ſed fuſca & tetra, irruente tenebroſa corporeæ mortis caligine. Nam etſi non privatur vita, vitæ tamen beneficium ſuo corpori jam non ſufficit vindicare.

Immortalitas homini qualis poſt peccatum.

a Bernardus ſe ipſe intelligit more Pauli Apoſtoli, idque teſtatur Cæſarius Heiſterbacenſis ſermone in Octava Nativitatis *Cum tempore quodam*, inquit, *neſcio quid dictaret, & teſtimonium haberet in promptu, quod præſenti loco congruebat, volenſque reſervare in finem, timens ibi defectum, audivit de cœlo dicentem vocem: Si illud reſervaveris, aliud non dabitur tibi.* Adeo non ipſe erat qui loquebatur, ait Manricus, ſed Deus in eo.

Quid quod ne ſuam quidem ſpiritualem dumtaxat vitam retinet ſibi. [*Ezech. 18. 4.*] Anima nempe quæ peccaverit, ipſa morietur. Nonne morte iſta duplici incurſante, illa qualiſcumque immortalitas, quam retentat, tenebroſa ſatis redditur, & miſella? Adde quod appetentia terrenorum (quæ quidem omnia ad interitum ſunt) denſat tenebras, ita ut in anima ſic vivente nil à parte aliqua niſi pallida facies & imago quædam mortis apparere cernatur. [*Homo mortalibus inhians, mortuus mortalis.*] Cur non enim quæ immortalis eſt, ſimilia ſibi immortalia appetit & æterna, ut quod eſt appareat, & quod facta eſt vivat? Ceterum contraria ſapit & quærit, & mortalibus ſeſe degeneri converſatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ conſuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali ſimilem, immortali diſſimilem faciet? [*Eccl. 13. 1.*] *Qui tangit picem*, ait Sapiens, *inquinabitur ab ea.* Fruendo mortalibus mortalitatem ſe induit, & veſtem immortalitatis incidente mortis ſimilitudine decoloravit, non exuit.

[*Eva lapſus.*] 4. Evam attende, quomodo ejus anima immortalis, immortalitatis ſuæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Ut quid enim, cum immortalis eſſet, mortalia non contempſit & tranſitoria, contenta ſibi ſimilibus, immortalibus & æternis? [*Gen. 3. 6.*] *Vidit*, inquit, *lignum quod eſſet pulcrum oculis, & aſpectu delectabile, ac ſuave ad veſcendum.* Non eſt tua, ô mulier, iſta ſuavitas, iſta delectatio, iſtaque pulcritudo: & ſi tua pro parte tui, non tua ſolius, ſed communis cunctis animantibus terræ. Tua, quæ vere tua eſt, aliunde, & alia eſt: nam æterna eſt de æternitate. Quid tu animæ tuæ aliam formam, immo deformitatem imprimis alienam? Enimvero quod delectat habere, id etiam perdere timet: & timor color eſt. Is libertatem dum tingit, tegit, & eam nihilo minus ſibimet reddit diſſimilem. Quàm dignius ſua origine nihil cuperet, ubi nihil metueret, ac per hoc à ſervili timore iſto ingenitam ſibi defenderet libertatem, manentem in vigore & decore ſuo! Heu non ita eſt! mutatus eſt color optimus. Fugitas, & latitas: audis vocem Domini Dei, & abſcondis te. Cur hoc, niſi quia quem amabas times, & libertatis ſpeciem forma ſervilis excluſit?

[*Qualis libertas homini poſt peccatum.*] 5. Sed & voluntaria illa neceſſitas, & contraria lex inflicta membris (de qua proximo ſermone diſſerui) eidem incubat libertati, & liberam natura creaturam per propriam ipſius voluntatem, dum allicit, ſubjicit ſervituti, implens faciem ejus ignominia, ita ut vel carne ſerviat legi peccati, & non volens. Quia ergo naturæ ingenuitatem morum probitate defenſare neglexit: juſto auctoris judicio factum eſt, non quidem ut libertate propria nudaretur, ſed tamen ſuperinducretur, [*Pſal. 108. 29.*] *ſicut diploide, confuſione ſua.* Et bene ſicut dipluide, ubi veſte veluti duplicata, manente libertate propter voluntatem, ſervilis nihilo minus converſatio neceſſitatem probat. Hoc de ſimplicitate, hoc de immortalitate animæ advertere eſt: & nil tibi in ea, ſi bene conſideres, apparebit, quod non ſit iſtiuſmodi ſimilitudinis pariter & diſſimilitudinis diploide adopertum. [*Pœna ejus peccati.*] An non dipluis, ubi non innata, ſed affixa, & quadam quaſi acu peccati aſſuta eſt ſimplicitati fraus, immortalitati mors, neceſſitas libertati? Neque enim eſſentiæ ſimplicitati præſcribit duplicitas cordis; non naturæ immortalitati mors, aut voluntaria peccati, aut neceſſaria corporis; non arbitrii libertati neceſſitas voluntariæ ſervitutis. Ita bonis naturæ mala adventitia, dum non ſuccedunt, ſed accedunt, turpant utique ea, non exterminant; conturbant non deturbant. Inde anima diſſimilis Deo, inde diſſimilis eſt & ſibi: [*Pſal. 48. 13.*] inde comparata jumentis inſipientibus, & ſimilis facta eſt illis: [*Pſal. 105. 20.*] inde quod legitur commutaſſe gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: inde homines, tamquam vulpes, duplicitatis & fraudis foveas habent: & quia pares vulpibus ſe fecerunt, partes vulpium erunt: inde, juxta Salomonem, [*Eccle. 3. 19.*] *unus exitus homini & jumento.* Quidni ſimiliter exeat, qui ſimiliter vixit? MORS BESTIALIS [*Hom. IV*] incubuit terrenis, morte beſtiali exceant terris. Audi aliud. Quid mirum ſi ſimilem ſortimur exitum, qui & ſimilem habemus introitum? [*Homo [illegible] ſimilitudinem [illegible] jumentum.*] Unde enim hominibus, niſi de ſimilitudine beſtiali, ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu & ortu, in vita & morte comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

6. Quid quod libera creatura ſibi ſubditum appetitum non regit ut domina, ſed ſequitur & obſequitur ut ancilla? Nonne & in hoc ſe aſſimulat & annumerat ceteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocavit, ſed condidit in ſervitutem ſervire ſuo veniri, appetitui obedire? Nonne tali merito confunditur perhiberi vel exiſtimari ſimilis Deus? Ideoque ait: [*Pſal. 49. 21.*] *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis.* & infert: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* [*Quam diſſimilis Deo.*] Non eſt ſeſe videntis animæ, Deum exiſtimare ſimilem ſibi, animæ dumtaxat (qualis mea eſt) peccatricis & iniquæ. Ejuſmodi namque arguitur: *Exiſtimaſti inique*, ait; & non dicit, exiſtimaſti anima, vel exiſtimaſti homo, quod ero tui ſimilis. Sed ſi ſtatuatur iniquus ante faciem ſuam, & contra vultum quemdam morbidum putidumque interioris hominis ſui ſiſtatur, ut diſſimulare aut declinare non queat impuritatem conſcientiæ ſuæ, ſed videat vel invitus ſordes peccatorum ſuorum, vitiorum inſpiciat deformitatem; nequaquam jam poterit exiſtimare Deum fore ſimilem ſibi, ſed quaſi diffidens pro tanta diſſimilitudine quam videbit, puto exclamabit, & dicet: [*Pſal. 34. 10.*] *Domine, quis ſimilis tibi?* quod quidem dictum pro voluntaria illa & novitia diſſimilitudine. Nam manet prima ſimilitudo: & ideo illa plus diſplicet, quod iſta manet. O quantum bonum iſta, quantumque malum illa! Ex mutua tamen collatione utraque res in genere ſuo plus eminet.

[*Poteſt tamen ſimilitudinem reparare cum gratia auxilio.*] 7. Cum ergo anima tantam in ſe una rerum diſtantiam cernit, quidni clamet, inter ſpem & deſperationem utique poſita: Domine, quis ſimilis tui? Trahitur in deſperationem pro tanto malo: ſed revocatur in ſpem à tanto bono. Inde eſt, ut quo ſibi plus diſplicet in malo quod in ſe videt, eo ſe ardentius ad bonum, quod æque in ſe conſpicit, trahat, cupiatque fieri ad quod facta eſt, ſimplex & recta, & timens Deum, ac recedens à malo. Quidni recedere poſſit, ad quod accedere potuit? Quidni accedere, à quo recedere potuit? Quod tamen utrumque dixerim de gratia præſumendum, non de natura, ſed ne de induſtria quidem. Nempe [*Sap. 7. 30.*] *Sapientia vincit malitiam*, non induſtria, vel natura. Nec deeſt occaſio præſumendi: ad Verbum eſt converſio ejus. Non eſt apud Verbum otioſa animæ generoſa cognatio, de qua triduo jam tractamus, & cognationis teſtis ſimilitudo perſeverans. Dignanter admittit in ſocietatem Spiritus ſimilem in natura. Et certe de ratione naturæ, ſimilis ſimilem quærit. Vox requirentis: [*Cant. 6. 12.*] *Revertere Sunamitis, revertere ut intueamur te.* Intuebitur ſimilem, qui diſſimilem non videbat: ſed & ſe intuendum præſtabit. [*1. Johan. 3. 2.*] *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Puta ergo de difficultate magis, quàm de impoſſibilitate venire illam percunctationem: [*Pſal. 34. 10.*] *Domine, quis ſimilis tibi?*

[*Caritas viſio eſt.*] 8. Aut, ſi hoc magis probas, vox eſt admirantis. Admiranda prorſus & ſtupenda illa ſimilitudo, quam Dei viſio comitatur, immo quæ Dei viſio eſt: ego autem dico in caritate. CARITAS illa viſio, illa ſimilitudo eſt. Quis non ſtupeat caritatem Dei ſpreti & revocantis? Merito iniquus arguitur ille, qui ſupra inductus eſt, Dei ſimilitudinem uſurpans ſibi, cum diligendo iniquitatem, neque poſſit ſe diligere, neque Deum. ſic enim habes: [*Pſal. 10. 6.*] *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* [*Summa futura in gloria perfectio.*] Facta igitur de medio iniquitate, quæ eam quæ ex parte eſt diſſimilitudinem facit, erit unio ſpiritus, erit mutua viſio, mutuaque dilectio. [*1. Cor. 13. 10.*] Siquidem veniente quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt; eritque ad alterutrum caſta & conſummata

Tom. IV. dilectio, agnitio plena, viſio manifeſta, conjunctio firma, ſocietas individua, ſimilitudo perfecta. Tunc cognoſcet anima, ſicut cognita eſt; tunc amabit, ſicut amata eſt, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, cognoſcens & cognitus, diligens & dilectus, Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXXIII.

Qualiter anima, quantumcunque vitiis corrupta, adhuc per amorem caſtum & ſanctum poteſt redire ad ſimilitudinem ſponſi, id eſt Chriſti.

* al. biduum.
Anima quantumvis corrupta

1. QUantum quidem regularis hora permiſit, quam nobis conſtituimus ad loquendum, triduum * hoc in demonſtranda Verbi animæque affinitate expenſum eſt. Quæ utilitas in omni labore iſto? Nempe hæc. Docuimus omnem animam, licet oneratam peccatis, vitiis irretitam, captam illecebris, exſilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, diſtentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, ſollicitudinibus anxiam, ſuſpicionibus inquietam, & poſtremo advenam in terra inimicorum, juxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno ſunt; licet, inquam, ſic damnatam, & ſic deſperatam; docuimus tamen hanc in ſeſe poſſe advertere, non modo unde reſpirare in ſpem veniæ, in ſpem miſericordiæ queat; ſed etiam unde audeat adſpirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus ſocietatis non trepidet, ſuave amoris jugum cum Rege ducere Angelorum non vereatur. Quid enim non tute audeat apud eum, cujus ſe inſignem cernit imagine, illuſtrem ſimilitudine novit? Quid, inquam, vereatur de majeſtate, cui de origine fiducia datur? Tantum eſt ut curet naturæ ingenuitatem vitæ honeſtate ſervare, immo cæleſte decus, quod ſibi originaliter ineſt, dignis quibuſdam ſtudeat morum affectuumque venuſtare & decorare coloribus.

Baruc. 3. 11.
Magnæ tamen gratiæ & felicitatis capax.

Inſigne divinæ imaginis quorſum in homine.

2. Utquid enim dormitet induſtria? Grande profecto in nobis donum naturæ ipſa eſt: quæ ſi minus ſuas exſequatur partes, nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum turbabitur, totum quaſi quadam vetuſtatis operietur rubigine? Id quidem injuria auctori. Et utique ad hoc auctor ipſe Deus divinæ inſigne generoſitatis perpetuo voluit in anima conſervari, ut ſemper hæc in ſeſe ex Verbo habeat, quo admoneatur ſemper, aut ſtare cum Verbo, aut redire, ſi mota fuerit. Non mota quaſi locis migrans, aut pedibus gradiens, ſed mota (ſicut ſubſtantiæ utique ſpirituali moveri eſt) cum ſuis affectibus, immo defectibus, à ſe quodam modo in pejus vadit, cum ſe ſibi vitæ & morum pravitate diſſimilem facit, reddit degenerem: quæ tamen diſſimilitudo non naturæ abolitio, ſed vitium eſt, bonum ipſum naturæ quantum ſui comparatione attollens, tantum fœdans conjunctione. Jam vero animæ reditus, converſio ejus ad Verbum, reformandæ per ipſum, conformandæ ipſi. In quo? In caritate. Ait enim: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi; & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos.*

Eph. 5. 1.

Conformitas animam Verbo maritat.

3. TALIS CONFORMITAS maritat animam Verbo, cum cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilo minus ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfecte diligit, nupſit. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius caritate, qua fit, ut humano magiſterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedas ad Verbum, Verbo conſtanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, conſulteſque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax deſiderio? Vere ſpiritualis, ſanctique connubii contractus eſt iſte. Parum dixi, contractus: complexus eſt. Complexus plane, ubi idem velle, & nolle idem, unum facit ſpiritum de duobus. Nec verendum ne diſparitas perſonarum claudicare in ali-

A quo faciat convenientiam * voluntatum, quia amor reverentiam neſcit. Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret ſane qui horret, qui ſtupet, qui metuit, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. Amor ſibi abundat, amor ubi venerit, ceteros in ſe omnes traducit & captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud novit nihil. Ipſe qui honori merito, merito ſtupori & miraculo eſt: amari tamen plus amat. Sponſus, & ſponſa ſunt. Quam quæris aliam inter ſponſos neceſſitudinem vel connexionem, præter amari, & amare? Hic nexus vincit etiam quod natura arctius vinxit, vinculum parentum ad filios. Denique *propter* B *hoc*, ait, *relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit ſponſæ.* Vides iſte affectus quàm ſit in ſponſis, non ceteris tantum affectibus, ſed etiam ſeipſo potentior.

* al. convenientiam
Amor ceteros [illegible] affectus abſorbet.

Maxime conjugalis

Matt. 19. 5.

4. Adde quod iſte ſponſus non modo amans, ſed amor eſt. Numquid honor? Contendat quis eſſe: ego non legi. Legi autem quia *Deus caritas eſt*; & non quia honor eſt, vel dignitas legi. Non quia honorem non vult Deus, qui ait: *Si ego pater, ubi eſt honor meus?* Verum id Pater. Sed ſi ſponſum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet: Si ego ſponſus, ubi eſt amor meus? Nam & ante ita locutus eſt: *Si ego Dominus, ubi eſt timor meus?* Exigit ergo Deus timeri ut C Dominus, honorari ut Pater, & ut Sponſus amari. Quid in his præſtat, quid eminet? Nempe amor. Abſque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Servilis eſt timor, quamdiu ab amore non manu-mittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, ſed adulatio eſt. Et quidem ſoli Deo honor & gloria: ſed horum neutrum acceptabit Deus, ſi melle amoris condita non fuerint. Is per ſe ſufficit, is per ſe placet, & propter ſe. Ipſe meritum, ipſe præmium eſt ſibi. AMOR præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Fructus ejus, uſus ejus. Amo, quia amo; amo, ut amem. MAGNA RES AMOR, ſi tamen ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus D ſuo fonti ſemper ex eo ſumat, unde jugiter fluat. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus atque affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpondere auctori, vel de ſimili mutuam rependere vicem. Verbi gratia, ſi mihi iraſcatur Deus, num illi ego ſimiliter reiraſcar? Non utique, ſed pavebo, ſed contremiſcam, ſed veniam deprecabor. Ita ſi me arguat, non redarguetur à me, ſed ex me potius juſtificabitur. Nec ſi me judicabit, judicabo ego eum, ſed adorabo: & ſalvans me non quærit à me ipſe ſalvari, nec viciſſim eget ab aliquo liberari, qui liberat omnes. Si dominatur, me oportet ſervire: ſi imperat, me oportet parere; & non viciſſim à Domino vel E ſervitium exigere, vel obſequium. Nunc jam videas de amore quam aliter ſit. Nam cum amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe non ad aliud amat niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amaverint.

1 Johan. 4. 16.
Malac. 1. 6.
Ibidem.
Deus mavult amari, quam timeri & honorari.

Amor ſolus ſibi ſufficit.

Solo amore fit ſatis Deo.

5. Magna res amor; ſed ſunt in eo gradus. Sponſa in ſummo ſtat. Amant enim & filii, ſed de hereditate cogitant: quam dum verentur quoquo modo amittere, ipſum à quo exſpectatur hereditas, plus reverentur, minus amant. Suſpectus eſt mihi amor, cui aliud quid adipiſcendi ſpes ſuffragari videtur. Infirmus eſt, qui forte ſpe ſubtracta, aut extinguitur, aut minuitur. Impurus eſt, qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non eſt. F Purus amor de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentiæ damna ſentit. Sponſæ hic eſt, quia hoc ſponſa eſt quæcumque eſt. Sponſæ res & ſpes unus eſt amor. Hoc ſponſa abundat, hoc contentus eſt ſponſus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille ſponſus, & ſponſa illa eſt. Is ſponſis proprius eſt, quem alter nemo attingat, nec filius quidem. Denique ad filios clamat: *Ubi eſt honor meus?* & non, Ubi eſt amor meus dicit, ſervans ſponſæ prærogativam. Sed & jubetur homo honorare patrem ſuum & matrem ſuam, & de amore tacetur. non quia non amandi ſint parentes à filiis,

Purus amor mercenarius non eſt, nec tamen ſine mercede.

Malac. 1. 6.
Deut. 5. 16.

filiis, ſed quia multi filiorum honorare parentes magis, quàm amare affecti ſunt. Eſto quod honor regis judicium diligat: ſed ſponſi amor, immo ſponſus Amor ſolam amoris vicem requirit & fidem. Liceat proinde redamare dilectam. Quidni amet ſponſa, & ſponſa Amoris? Quidni ametur Amor?

Amor noſter amori ſuo comparatus divino.

6. Merito cunctis renuntians affectionibus aliis, ſoli & tota incumbit amori, quæ ipſi reſpondere amori habet in redhibendo amore. Nam & cum ſe totam effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis perenne profluvium? Non plane pari ubertate fluunt amans & Amor, anima & Verbum, ſponſa & Sponſus, Creator & creatura, non magis quam ſitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, deſiderium ſuſpirantis, amantis ardor, præſumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum ſole, caritate cum eo qui caritas eſt?

Non tamen contemnendus.

Non. Nam etſi minus diligit creatura, quoniam minor eſt; tamen ſi ex tota ſe diligit, nihil deeſt ubi totum eſt. Propterea (ut dixi) ſic amare, nupſiſſe eſt: quoniam non poteſt ſic diligere, & parum dilecta eſſe, ut in conſenſu duorum integrum ſtet perfectumque connubium. Niſi quis dubitet, animam à Verbo & prius amari, & plus. Prorſus & prævenitur amando, & vincitur. Felix, quæ meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis! Felix, cui tantæ ſuavitatis complexum experiri donatum eſt! Quod non eſt aliud, quàm amor ſanctus & caſtus, amor ſuavis & dulcis; amor tantæ ſerenitatis, quantæ & ſinceritatis; amor mutuus, intimus, validuſque, qui non in carne una, ſed uno plane in ſpiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, ſed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* Et nunc potius eam ſuper his audiamus, quam facile magiſtram de omnibus fecit & magiſtra unctio, & frequens experientia. Niſi forte id melius ſervamus in aliud ſermonis principium, ne rem bonam coarctemus inter anguſtias hujus jam propemodum finiendi. Et ſi probatis, facio finem etiam ante finem: ut famelici tempeſtive conveniamus cras ad delicias ſanctæ animæ, quibus beata meretur frui cum Verbo, & de Verbo, ſponſo utique ſuo, Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Amor Dei & animæ qualis.

1. Cor. 6. 17.

SERMO LXXXIV.

Quod anima quærens Deum, præventa eſt ab eo: & quid ſit illa quæſitio, in qua jam ab eo præventa eſt.

Cant. 3. 1.

Quærere Deum magnum bonū.

1. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea.* Magnum bonum quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ ſecundum exiſtimo. Primum in donis, ultimum in profectibus eſt. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui cedat, quæ omnium magis conſummatio eſt? Quæ enim virtus adſcribi poſſit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti * Deum? *Quærite*, inquit, *faciem ejus ſemper.* Exiſtimo, quia nec cum inventus fuerit, ceſſabitur à quærendo. Non pedum paſſibus, ſed deſideriis quæritur Deus. Et utique non extundit deſiderium ſanctum felix inventio, ſed extendit. Numquid conſummatio gaudii, deſiderii conſumptio eſt? Oleum magis eſt illi: nam ipſum flamma. Sic eſt. Adimplebitur lætitia: ſed deſiderii non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Tu vero cogita, ſi potes, quæritandi hoc ſtudium ſine indigentia, & deſiderium ſine anxietate. Alterum profecto præſentia, alterum copia excludit.

** al. quærendi.*

Pſal. 104. 4.

Deo invento deſiderio ſancta creſcunt.

Quærens Deum in primis caveat eſſe ingratus.

2. Nunc jam videte cur iſta præmiſerim. Nimirum, ut omnis inter vos anima quærens Deum, ne magnum bonum in magnum ſibi detorqueat malum, noverit ſe præventam in illo, & ante quæſitam quàm quærentem. Sic enim de magnis bonis mala oriri non minima ſolent, cum facti eximii de bonis Domini, utimur donis tamquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profecto qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. Ego autem parco vobis. Uſus ſum modeſtioribus vocibus, maximo, minimoque: ſed quod ſenſi non expreſſi. Diſcrimen involvi, ipſe nudabo: optimum, peſſimumque dixiſſe debueram. Nam vere & abſque dubio, eo quisque peſſimus, quo optimus eſt, ſi hoc ipſum quo eſt optimus, adſcribat ſibi. Nempe peſſimum hoc. Quod ſi dicat quis: Abſit, agnoſco, gratia Dei ſum id quod ſum; ſtudeat autem captare gloriolam pro gratia quam accepit; nonne fur eſt & latro? Audiat qui ejuſmodi eſt: *Ex ore tuo te judico, ſerve nequam.* Quid nequius ſervo uſurpante ſibi gloriam domini ſui?

Tom. 1.

Deo gloriam adſcribe.

Luc. 19. 22.

3. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea.* Quærit anima Verbum, ſed quæ à Verbo prius quæſita ſit. Alioquin ſemel à facie Verbi egreſſa vel ejecta, non revertetur oculus ejus ut videat bona, ſi non requiratur à Verbo. Quaſi vero aliud anima noſtra ſit, quam ſpiritus vadens & non rediens, ſi ſibi fuerit derelicta. Audi profugam & deviam, quid doleat, & quid petat. *Erravi*, ait, *ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum.* O homo, redire vis? Sed ſi in voluntate res eſt, quid opem flagitas? Quid aliunde mendicas, in quo abundas tu tibi? Palam eſt, quia vult, & non poteſt: ſed ſpiritus eſt vadens & non rediens, etſi is ſit longius agens, qui nec vult. Quamquam non omnino illam animam expoſitam dixerim vel relictam, quæ reverti cupit, & requiri petit. Unde enim voluntas hæc illi? Inde (ni fallor) quod a Verbo viſitata jam ſit & quæſita. Nec otioſa quæſitio, quæ operata eſt voluntatem, ſine qua reditus eſſe non poterat. Sed non ſufficit ſemel quæri: tantus eſt animæ languor, tantaque in reditu difficultas. Quid enim ſi vult? Jacet voluntas, ubi facultas non ſuppetit. Nam *velle adjacet mihi*, inquit, *perficere autem bonum non invenio.* Quid ergo ille, quem de pſalmo induximus, quærit? Non plane aliud, quàm quæri: quod non quæreret, niſi quæſitus fuiſſet; & rurſum non quæreret, ſi quæſitus ſatis fuiſſet. Quod & poſtulat, *Quære*, inquiens, *ſervum tuum*, ut qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate.

Utpote prius quæſita.

Pſal. 118. 176.

Voluntas redeundi ad Deum ex gratia.

Rom. 7. 18.

Pſal. 118. 176.

4. Mihi tamen non videtur iſtiuſmodi animæ poſſe competere locus præſens, quæ ſecundam gratiam necdum percepit, volens quidem, ſed non valens adire quem diligit anima ſua. Nam quomodo poteſt illi convenire quod ibi ſequitur, ſurgere & circuire civitatem, ſed & per vicos & plateas quærere dilectum, quæ eget ipſa quæri? Faciat hoc quæ poteſt: tantum ſe meminerit quæſitam prius, ſicut & prius dilectam; atque inde eſſe, & quod quærit, & quod diligit. Oremus & nos, cariſſimi, ut cito anticipent nos miſericordiæ illæ, quia pauperes facti ſumus nimis. quod non de omnibus vobis dico. Scio enim quàm plurimos veſtrum ambulantes in dilectione, qua Chriſtus dilexit nos, & in ſimplicitate cordis quærentes illum. Sed ſunt aliqui (quod triſtis dico) qui nullum nobis adhuc in ſe dedêre indicium hujus tam ſalutaris anticipationis, ac per hoc nec ſuæ ſalutis: homines ſeipſos amantes, non Dominum; & quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Domini.

Cant. 3. 2.

Imperfectos à ſuis arguit Bernardus.

5. *Quæſivi*, ait illa, *quem diligit anima mea.* Nempe huc te provocat anticipantis benignitas illius, qui te & prior quæſivit, & prior dilexit. Minime prorſus niſi prius quæſita quæreres, ſicut nec diligeres niſi dilecta prius. Non in una tantum benedictione, ſed in duabus præventa es, dilectione & quæſitione. Dilectio cauſa quæſitionis: quæſitio fructus dilectionis eſt & certitudo. Dilecta es, ne ad ſupplicium potius quæſitam ſuſpiceris; quæſita es, ne fruſtra dilectam conquereris. Utraque tam amica comperta ſuavitas & auſum dedit, & verecundiam depulit, & reditum perſuaſit, & movit affectum. Hinc zelus, hinc ardor iſte quærendi quem diligit anima tua: quia profecto nec non quæſita quærere poteras, nec non quærere quæſita nunc potes.

Cant. 3. 1.

Dilectio & quæſitio Dei noſtram prævenit.

Tom. IV. *De magna dignatione in ſuſcipiendo peccatore.*

6. Sed noli oblivîſci unde huc veneris. Et ut in me potius transfigurem quæ dicuntur (id enim tutius,) tune es, ô anima mea, quæ relicto viro tuo priore, cum quo tibi bene fuerat, primam fidem irritam feciſti, iens poſt amatores tuos? Et nunc quoad libuit fornicata cum illis, forte & contempta ab illis, audes impudens & frontoſa velle reverti ad illum, quem ſuperba contempſiſti? Quid? Digna latebris quæris lucem, & curris ad ſponſum, dignior plagis, quàm oſculis? Mirum ſi non pro ſponſo judicem offendas. Felix, qui ad hæc animam ſuam reſpondentem audierit: Non timeo, quia amo. quod non amata omnino non facerem. Itaque etiam amor. Nihil dilectæ timendum. Paveant quæ non amant. Quidni aſſidue inimicitias ſuſpicentur? Ego vero amans, amari me dubitare non poſſum, non pluſquam amare. Nec poſſum vereri vultum, cujus ſenſi affectum. In quo? In eo quod talem non modo quæſivit, ſed & affecit, fecitque certam proinde de quæſitu. Quidni reſpondeam in quæſitu, cui in affectu reſpondeo? Numquid iraſcetur quæſitus, qui etiam contemptus diſſimulavit? Quin immo non repellet requirentem, qui & contemnentem requirit. Benignus eſt ſpiritus Verbi, & benigna nuntiat mihi, intimans & ſuadens de Verbi zelo deſiderioque, quod utique ſibi non poteſt eſſe abſconditum. Scrutatur alta Dei, conſcius earum, quas cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis. Quidni animer ad quærendum experta clementiam, & perſuaſa de pace?

Amantis magna ſecuritas.

Novitiis & inexpertis quid agendum.

7. Fratres, hoc ſuaderi, à Verbo quæri eſt; perſuaderi, inveniri eſt. Sed non omnes capiunt hoc verbum. Quid faciemus parvulis noſtris, illos loquor, qui adhuc inter nos incipientes ſunt, non tamen inſipientes, cum teneant initium ſapientiæ, ſubjecti invicem in timore Chriſti? Unde illis, inquam, facimus fidem, quod hæc ita ſe habeant penes ſponſam, cum ipſi talia agi ſecum necdum perſenſerint? Sed mitto eos ego ad talem, cui decredere non debeant. Legant in libro, quod in corde alteru quia non cernunt, non credunt. Eſt ſcriptum in Prophetis: *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & illa recedens duxerit virum alium, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: & tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Verba Domini ſunt: non eſt fas ſuſpendere fidem. Credant quod non experiuntur, ut fructum quandoque experientiæ fidei merito conſequantur. Satis arbitror declaratum, quid ſit quæri à Verbo, & quæ hæc ſit neceſſitas non Verbo, ſed animæ: niſi quod quæ experta eſt, & plenius iſta novit, & felicius. Reſtat, ut ſequenti tractatu doceamus ſitientes animas quærere à quo quæſitæ ſunt, vel potius id diſcamus ab illa, quæ hoc loco inducitur quærens ipſum, quem diligit anima ſua, Sponſum animæ Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

Jer. 3. 1.

SERMO LXXXV.

De ſeptem neceſſitatibus, propter quas anima quærit Verbum: qua tandem reformata accedit ad ejus dulcedinem contemplandam atque perfruendam.

Cant. 3. 1.

1. *IN lectulo meo quæſivi quem diligit anima mea.* Ad quid? Dictum eſt, & iterare ſuperfluum: propter quoſdam tamen, qui non interfuerunt cum tractaretur, dico aliquid breviter, & quod fortaſſe ne hos quidem qui interfuerunt, audire pigebit. Nec enim totum dici tunc potuit. Quærit anima Verbum, cui conſentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem. Propter has omnes cauſas quærit anima Verbum. Non ambigo eſſe quàm plures & alias: ſed hæ interim occurrunt. Poterit autem, ſi cui cordi fuerit, facile alias atque alias advertere in ſemetipſo. Siquidem multæ ſunt averſiones noſtræ, multæ & infinitæ animæ neceſſitates, & anxietatum non eſt numerus. At Verbum ditius pleniuſque ſuperabundat in bonis, utpote Sapientia vincens malitiam, vincens in bonis mala. Et nunc harum, quas poſui, accipite rationem. Et primo quod primum, eſt videre quemadmodum conſentiat ad correptionem. Legimus Verbum in Evangeliis loquens: *Eſto conſentiens*, inquit, *adverſario tuo, dum es cum illo in via, ne forte tradat te judici, & judex tortori.* Quid conſultius? Verbi conſilium eſt (ni fallor) ſe adverſarium proteſtantis, quod adverſetur carnalibus deſideriis noſtris dum dicit: *Semper hi errant corde.* Tu ergo qui hæc audis, ſi pavens cœperis velle fugere à ventura ira, credo ſollicitus eris, quomodo huic conſentias adverſario, qui tibi illam tam terribiliter intentare videtur. At iſtud impoſſibile, niſi diſſentias tecum, niſi tibimet adverſeris, niſi gravi & vigili lucta tu ipſe contra teipſum infatigabiliter prælieris; poſtremo niſi valefacias inveteratæ conſuetudini, innatæque affectioni. Id quidem durum. Si tuis attentaveris viribus, tale erit, ac ſi in uno digitorum tuorum torrentis impetum ſiſtere, aut ipſum denuo coneris Jordanem convertere retrorſum. Quid facies? Quære Verbum cui conſentias, ipſo faciente ut conſentias. Fuge ad illum qui adverſatur, per quem talis fias cui jam non adverſetur, ut blandiatur qui minabatur, & ſit ad immutandum efficacior infuſa gratia, quàm intenſa ira.

Causæ 7. ob quas anima quærit Verbum.

Prima ut corripiatur. *Matt. 5. 25.* *Pſal. 94. 10.*

Sed diſſentias oportet, qui Deo conſentire vult.

2. Hæc prima (ut opinor) neceſſitas, ob quam anima incipit quærere verbum. Sed ſi ignoras quid ille velit cui jam voluntate conſentis, nonne & de te dicetur, quia zelum Dei habes, ſed non ſecundum ſcientiam? Et ne hoc leve exiſtimes, memineris ſcriptum, quia *ignorans ignorabitur.* Scire vis quid conſulam & in hac neceſſitate? Quod in prima. Meo conſilio nunc quoque ibis ad Verbum, & docebit te vias ſuas, ne volendo quidem, ſed ignorando bonum, dum curris, contingat excurrere, & errare in invio, & non in via. Lux eſt enim verbum. *Declaratio* denique *ſermonum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Beatus es, ſi dicas & tu: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Nec parum profecit anima tua, cujus immutata voluntas, cujus illuminata ratio eſt, ut bonum & velit, & noverit. In altero vitam, in altero viſum recepit. Nam & malum volendo mortua erat, & bonum ignorando cæca.

2. Causa ut illuminetur ad cognitionem. *Rom. 10. 2.* *1. Cor. 14. 38.* *Pſal. 118. 130.* *Ibidem 105.*

3. Jam vivit, jam videt, jam ſtat in bono, ſed ope & opere Verbi. Stat manu Verbi levata veluti ſuper pedes duos, devotionem & agnitionem. Stat, inquam, ſed ſibi putet dictum: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Putaſne ſtare per ſe poſſit, quæ ſurgere per ſe non potuit? Non opinor. Quid enim? *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* & terra ſtabit ſine Verbo? Cur ergo ſi ſtare per ſe poterat, orabat homo de terra: *Confirma me*, inquiens, *in verbis tuis?* Denique & probarat. Ejus ipſius, illa vox fuit: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Quæris quis ille impulſor? Non eſt unus. Impulſor diabolus eſt, impulſor mundus, impulſor homo. Quis iſte homo ſit quæris? Quiſque ſui. Noli mirari. Uſque adeo homo impulſor ſibi eſt, & ſuimet præcipitator, ut non ſit quod ab altero impulſore formides, ſi ipſe à te proprias contineas manus. *Quis enim*, inquit, *vobis nocere poterit, ſi boni æmulatores fueritis?* Manus tua, conſenſus tuus. Si diabolo ſuggerente, vel ſæculo ſuadente quod non oportet, aſſenſum tuum tenueris, & non dederis membra tua arma iniquitati, nec permiſeris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probaſti, cui malitia omnino nil nocuit; vide ne magis profuerit. Scriptum eſt enim: *Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Confuſi ſunt qui quærebant animam tuam, tu vero cantabis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Boni plane æmulatoris inſigne dediſti, ſi conſilio Sapientis miſereris animæ tuæ, ſi omni cuſtodia ſervas cor tuum, ſi juxta Apoſtolum teipſum caſtum cuſtodis. Alioquin, etſi univerſum mundum

Tertia ut confirmetur. *1. Cor. 10. 12.* *Pſal. 32. 6.* *Pſal. 118. 28.* *Pſal. 117. 13.* *Impulſores & triplex hominis tentatio.* *1. Pet. 3. 13.* *Primus & præcipuus, homo ſui ipſius.* *Rom. 13. 3.* *Pſal. 18. 14.* *Eccli. 30. 24.* *Prov. 4. 23.* *1. Tim. 5. 22.*

Matt. 16. 26.

lucreris, animæ autem tuæ detrimentum patiaris, non plane bonum te cenſemus æmulatorem, quoniam quidem nec Salvator.

4. Cum igitur tres ſint ſtanti imminentes [a]; horum diabolus livore malitiæ, mundus vento vanitatis, homo ſemetipſum pondere ſuæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, ſed non evertit, ſiquidem tuum auxilium, tuum illi negaveris vel aſſenſum. Denique habes: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Iſte eſt qui ſtantes in paradiſo impulit in vidus & evertit, ſed conſentientes, non reſiſtentes. Iſte eſt qui ſeipſum de cælo ſuperbus nullo impellente præcipitavit: ut ſcias multo magis hominem ſuo ipſius caſui imminere, quem propriæ ſubſtantiæ pondus gravat. Eſt & mundus impulſor, quia in maligno poſitus eſt. Impellit omnes, ſed ſolos evertit amicos ſuos, id eſt conſentaneos ſibi. Nolo eſſe amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult eſſe hujus mundi amicus, inimicus Dei conſtituitur, quo utique nullus gravior caſus. Ex quibus ſatis claret, quàm ſit homo præcipuos impulſor ſui, qui ſuo ſine alieno impulſu cadere poteſt, alieno abſque ſuo cadere non poteſt. Cuinam horum præcipue reſiſtendum? Nempe huic, qui eo moleſtior, quo interior, ſolus dejicere ſufficit, cum ſine ipſo alii poſſint facere nihil. Non ſine cauſa Sapiens expugnatori prætulit urbium virum, qui animo dominatur. Multum hoc ad te: opus virtute habes, & non quacumque, ſed qua induaris ex alto. Ipſa enim, ſi perfecta ſit, facile facit animum victorem ſui, & ſic invictum reddit ad omnia. Eſt quippe vigor animi cedere neſcius pro tuenda ratione. Aut, ſi magis probas, Vigor animi immobiliter ſtantis cum ratione vel pro ratione. Vel ſic: Vigor animi, quod in ſe eſt, omnia ad rationem cogens vel dirigens.

Jacob. 4. 7. Diabolus & mundus non evertunt hominem niſi conſentientem.

Jacob. 4. 4.

Prov. 16. 32.

Gratia & virtute opus ad reſiſtendum.

Virtutis definitio.

5. Quis aſcendet in montem Domini? Hujus ad verticem montis, id eſt ad virtutis perfectionem, quiſque contendere [*] adorietur, ſciet profecto, quam ſit aſcenſus arduus, & caſſus conatus [b] abſque Verbi adjutorio. Felix anima quæ, Angelis ſpectantibus præbuit gaudium pariter & miraculum ſui, ut audiret de ſe loquentes: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Alioquin fruſtra nititur, ſi non innititur. Sane etiam contra ſe innitens invaleſcet, & facta ſeipſa validior coget pro ratione univerſa: iram, metum, cupiditatem, & gaudium, veluti quemdam animi currum, bonus auriga reget; & in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis ſenſum ad nutum rationis in obſequium virtutis. Quidni omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt? Quantæ fiduciæ vox: *Omnia poſſum in eo qui me confortat!* NIL OMNIPOTANTIAM Verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti. An non omnipotens, cui omnia poſſibilia ſunt? Ita animus, ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur à Verbo, poterit utique dominari ſui, ut non dominetur ei omnis injuſtitia. Ita, inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel ſtantem dejicere, vel ſubjicere dominantem.

Conatus ad perfectionem inanes ſine Deo.
* al. conſcendere
b

Cant. 8. 5.

Fiducia in Deum facit hominem quaſi omnipotentem.
Philipp. 4. 13.
Marc. 9. 22.

6. Vis non timere impulſorem? Non veniat tibi pes ſuperbiæ, & manus impellentis non movebit te. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Ibi diabolus & angeli ejus corruerunt, qui licet non impulſi extrinſecus, expulſi ſunt tamen, nec potuerunt ſtare. Denique in veritate non ſtetit, qui non innixus eſt Verbo, qui in ſua virtute confiſus eſt. Et ideo fortaſſis ſedere voluit, quia ſtare non valuit. Dicebat enim: *Sedebo in monte teſtamenti.* Ceterum Deo aliter judicante, nec ſtetit, nec ſedit, ſed cecidit, dicente Domino: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Ergo qui ſtat, ſi non vult cadere, non fidat ſibi, ſed nitatur Verbo. Verbum loquitur: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ita eſt: nec ſurgere ad bonum, nec ſtare in bono poſſumus ſine Verbo. Tu ergo qui ſtas, da gloriam Verbo [*], & dic: *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Cujus manu erigeris, ipſius neceſſe eſt virtute tenearis. Hæc pro eo quod dixi, opus nos habere Verbo, cui innitamur ad virtutem.

Superbia cavenda ut ſis ſecurus à ruina.
Pſal. 35. 13.
Inde caſus diaboli.
Iſa. 14. 13.
Luc 10. 18
Joban. 15. 5.
Tom IV.
* al. Deo.
Pſal 39. 3.

7. Nunc jam videndum eſt de eo quod item memoravi, per Verbum ſcilicet nihilo minus nos reformari ad ſapientiam. Verbum virtus, Verbum ſapientia eſt. Sumat ergo anima de virtute virtutem, ac de ſapientia ſapientiam, & uni Verbo munus utrumque adſcribat. Alioquin ſi aliunde aut utramque, aut alterutram arroget ſibi; neget etiam ſimul vel de fonte rivum, vel de vite vinum, vel lumen oriri de lumine. Fidelis ſermo: *Si quis*, inquit, *indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Hæc ille. Ego vero haud ſecus de virtute ſenſerim. Cognata virtus ſapientiæ eſt. Donum Dei virtus eſt, deputanda in donis [*] optimis, deſcendens & ipſa deſurſum à Patre Verbi. Et ſi quis exiſtimet id per omnia eam quod ſapientiam eſſe, non inficior, ſed in Verbo, non in anima. Quæ enim in Verbo pro ejus ſingulari divinæ naturæ ſimplicitate unum ſunt, unum tamen effectum in anima non habent, ſed ad illius varias & diverſas neceſſitates, veluti diverſa, ſeſe participanda accommodant. Juxta quam rationem profecto aliud eſt animo virtute agi, & aliud ſapientia regi: aliud dominari in virtute, aliud in ſuavitate deliciari. Licet namque & ſapientia potens, & virtus ſuavis exſiſtat; ut tamen proprias quibuſque reddamus vocabulis ſignificantias, vigor virtutem, ſapientiam placiditas animi cum ſpirituali quadam ſuavitate demonſtrat. Hanc puto ab Apoſtolo deſignatam, ubi poſt multa hortamenta pertinentia ad virtutem, adjecit quod ſapientiæ eſt: *In ſuavitate, in Spiritu-ſancto.* Igitur ſtare, reſiſtere, vim vi repellere, quæ utique in partibus virtutis deputantur, honor quidem, ſed labor eſt. Non eſt enim idipſum honorem tuum laborioſe defendere, & quiete poſſidere. Non eſt idem virtute agi, & virtute frui. Quicquid virtus elaborat, ſapientia fruitur: & quod ſapientia ordinat, deliberat, moderatur; virtus exſequitur.

Quarto cauſa ut ad ſapientiam reformemur.
Sapientia à Deo.
Jacob. 1. 5.
* al. datis
Sapientia differenda à virtute.
2. Cor. 6. 6.

8. *Sapientiam ſcribe in otio*, ait Sapiens. Ergo ſapientiæ otia negotia ſunt, & quo otioſior ſapientia, eo exercitatior in genere ſuo. E regione virtus exercitata clarior eſt, eoque probatior, quo officioſior. Et ſi quis ſapientiam virtutis amorem diffinierit, non mihi a vero deviare videtur. Ubi autem amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. Et forte ſapientia à ſapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimentum, ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa quodam modo & aſpera ſentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni diffiniat. Hunc ſaporem perdidimus ab ipſo pæne exortu generis noſtri. Ex quo cordis palatum ſenſu carnis prævalente infecit virus ſerpentis antiqui, cœpit animæ non ſapere bonum, ac ſapor noxius ſubintrare. Denique *proni ſunt ſenſus hominis, & cogitationes in malum ab adoleſcentia.* hoc eſt ab inſipientia primæ mulieris. Ita inſipientia mulieris ſaporem boni excluſit, quia ſerpentis malitia mulieris inſipientiam circumvenit. Sed unde malitia viſa eſt viciſſe ad tempus, inde ſe victam dolet in æternum. Nam ecce denuo Sapientia mulieris cor & corpus implevit, ut qui per feminam deformati in inſipientiam ſumus, per feminam reformemur ad ſapientiam. Et nunc aſſidue ſapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, ſaporem mali, quem illa invexit, ſapore exterminans meliori. Intrans ſapientia, dum ſenſum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum ſanat & reparat. Sano palato ſapit jam bonum, ſapit ipſa ſapientia, qua in bonis nullum melius.

Eccl. 38. 25.
Sapientia quid
Sapientiam ſeu ſaporem boni homo perdidit per Evam.
Gen. 8. 21.
Reſtituit Sapientia æterna per Mariam.
Sapientiæ effectus in anima.

9. Quàm multa fiunt bona, & non ſapiunt facientibus! ſiquidem non ſapore boni ad illa, ſed aut ratione, aut qualicumque occaſione, ſeu neceſſitate impel-

Reformari ad ſapientiam, quid.

a Editi recentiores addunt *ſtratores*, quod deeſt primis, ac pleriſque mſſ. & quidem haud neceſſarium videtur.

b In editis, *caſus concitus*; ut in ſcriptis noſtris, *caſſus conatus*, & rectius ex conſequentibus. *Alioquin fruſtra nititur, ſi non innititur.*

luntur: & è contrario multis, quæ faciunt, non ſa- A piunt mala, ſed ad hæc inducuntur, aut metu, aut cupiditate rei cujuſpiam potius, quàm ſapore mali. Qui autem tranſierunt in affectum cordis, aut ſapientes ſunt, & ipſo delectantur ſapore boni: aut maligni ſunt, & in ipſa complacent ſibi malitia, etiam nulla ſpe alterius commodi blandiente. Malitia vero quid, niſi ſapor
Malitia ſapor mali. eſt mali? BEATA MENS, quam ſibi totam vindicavit ſapor boni, & odium mali. Hoc reformari ad ſapientiam eſt, hoc ſapientiæ victoriam feliciter experiri. Nam in quo evidentius ſapientia vincere malitiam comprobatur, quàm cum excluſo ſapore mali, qui non aliud quàm ipſa malitia eſt, boni quidam intimus ſapor mentis intima occupare tota ſuavitate ſentitur? Itaque ad B virtutem ſpectat tribulationes fortiter ſuſtinere: ad
Virtutis & ſapientiæ indicia in animo. ſapientiam, gaudere in tribulationibus. Confortare cor tuum, & ſuſtinere Dominum, virtutis eſt: guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus, ſapientiæ eſt. Et ut magis ex propriæ bono naturæ bonum utrumque clareſcat: modeſtia animi probat ſapientem, conſtan-
Diſpoſitione ad ſapientiam. tia virum virtutis oſtendit. Et bene poſt virtutem ſapientia: quod virtus ſit quoddam quaſi ſtabile fundamentum, ſuper quod ſapientia ædificet ſibi domum. Oportuit autem præcedere notitiam boni: quia non eſt ſocietas luci ſapientiæ, & tenebris ignorantiæ. Opor-
Sap. 1. 4. tuit & bonam voluntatem: quia *in malevolam animam non introibit ſapientia.* C

Quinta cauſa, ut decor appareat. 10. Jam ſi in voluntatis mutatione reddita innotuit animæ vita, in eruditione ſanitas, in virtute ſtabilitas, in ſapientia poſtremo maturitas: ſupereſt ut decorem illi inveniamus, ſine quo ſpecioſo forma præ filiis ho-
Pſal. 44. 12. minum placere non poteſt. Denique audit, quia *concupiſcet rex decorem tuum.* Quanta enumeravimus animæ bona, dona Verbi, voluntatem bonam, ſcientiam, virtutem, ſapientiam, & nihil horum Verbum rex concupiſcere legitur: ſed tantum, *Concupiſcet*, inquit, *rex deco-*
Pſal. 92. 1. *rem tuum.* Ait Propheta: *Dominus regnavit, decorem induit.*
Animæ decor conſiſtit in honeſto. Quidni imagini ſuæ pariter & ſponſæ ſimile cupiat indumentum? Tanto profecto ſibi carior illa, quanto ſimilior erit ſibi. In quo ergo animæ decor? An forte in D eo quod honeſtum dicitur? Hoc interim ſentiamus, ſi melius non occurrit. De honeſto autem exterior interrogetur converſatio: non quod ex ea honeſtum prodeat, ſed per eam. Nam in conſcientia & habitatio ejus, & origo. Siquidem claritas ejus, teſtimonium conſcientiæ.
Honeſtum illud quale. Nihil hac luce clarius, nihil hoc glorioſius teſtimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, pavidam, circumſpectam, nihil penitus admittentem quod evacuet gloriam conſcientiæ atteſtantis: in nullo conſciam ſibi, quo erubeſcat præſentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem quaſi confuſam & repercuſſam à lumine Dei. Hoc plane, hoc illud decorum eſt, quod ſu- E per omnia bona animæ divinos oblectat aſpectus; & nos nominamus, ac diffinimus honeſtum.

11. Cum autem decoris hujus claritas abundantius intima cordis repleverit, prodeat foras neceſſe eſt, tamquam lucerna latens ſub modio, immo lux in tenebris
Honeſti effectus exteriores. lucens, latere neſcia. Porro effulgentem, & veluti quibuſdam ſuis radiis erumpentem, mentis ſimulacrum corpus excipit, & diffundit per membra & ſenſus, quatenus omnis inde reluceat actio, ſermo, aſpectus, inceſſus, riſus (ſi tamen riſus) mixtus gravitate, & plenus honeſti. Horum & aliorum profecto artuum ſen- F ſuumque motus, geſtus & uſus, cum apparuerit ſerius, purus, modeſtus, totius expers inſolentiæ atque laſciviæ, tum levitatis, tum ignaviæ alienus, æquitati autem accommodus, pietati officioſus; pulcritudo animæ palam erit, ſi tamen non ſit in ſpiritu ejus dolus. Poteſt enim fieri ut ſimulentur omnia hæc, & non ex
Honeſti deſcriptio. abundantia cordis taliter moveantur. Et ut magis eluceat is animæ decor, ipſum, ſi placet, honeſtum, in quo hunc locandum cenſuimus, diffiniatur, Mentis ingenuitas, ſollicita ſervare cum conſcientia bona famæ in-
2. Cor. 8. 21. tegritatem. Vel, juxta Apoſtolum, Providere bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Beata

A mens, quæ hoc ſe induit caſtimoniæ decus, & quemdam veluti cæleſtis innocentiæ candidatum, per quem ſibi vindicet glorioſam conformitatem, non mundi, ſed Verbi, de quo legitur, quod ſit *candor vitæ æternæ; Splen-* *Sap. 7. 26. Hebr. 1. 3.*
dor & figura ſubſtantiæ Dei.

12. Ex hoc jam gradu audet quæ hujuſmodi eſt, co- *6 Cauſa ut fecunda ſit.*
gitare de nuptiis. Quidni audeat, eo ſe nubilem, quo ſimilem cernens? Non terret celſitudo, quam ſociat ſimilitudo, amor conciliat, profeſſio maritat. Profeſſionis forma hæc eſt: *Juravi & ſtatui cuſtodire judicia* *Pſal. 118. 106.*
juſtitiæ tuæ. Hanc ſecuti Apoſtoli aiebant: *Ecce nos re-* *Matt. 19. 27.*
liquimus omnia & ſecuti ſumus te. Simile eſt illud quod in carnali quidem connubio dictum, Chriſti & B Eccleſiæ connubium ſpirituale ſignavit: *Propter hoc re-* *Eph. 5. 31.*
linquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una. & apud Prophetam gloriatio maritatæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt,* *Pſal. 72. 28.*
ponere in Domino Deo ſpem meam. Ergo quam videris *Verbi ſponſa quæ.*
animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo ſe regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo; quæ poſſit dicere, *Mihi vivere* *Philipp. 1. 21.*
Chriſtus eſt, & mori lucrum: puta conjugem, Verboque maritatam. Confidit in ea cor viri ſui, ſciens fidelem, quæ præ ſe omnia ſpreverit, omnia arbitretur ut ſtercora, ut ſibi ipſum lucrifaciat. Talem noverat, de quo dicebat: *Vas electionis eſt mihi iſte.* Prorſus *Act. 9. 15.*
C pia mater & fidelis viro ſuo anima Pauli, cum diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus* *Gal. 4. 19.*
in vobis.

13. Sed attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe ge- *In matrimonio ſpirituali duo partus.*
nera pariendi, & ex hoc etiam diverſas ſoboles, ſed non adverſas: cum ſanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt ſpirituales. In hoc ultimo genere interdum exceditur, & ſeceditur etiam à corporeis ſenſibus, ut ſeſe non ſentiat quæ Verbum ſentit. Hoc fit, cum mens ineffabilis Verbi *Contemplationis ſponſa.*
illecta dulcedine, quodam modo ſe ſibi furatur, immo rapitur atque elabitur à ſeipſa, ut Verbo fruatur. Aliter ſane afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens D Verbo. Illic ſollicitat neceſſitas proximi, hic invitat ſuavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater: ſed in amplexibus ſponſa lætior. Cara pignora filiorum: *7. Cauſa, ut fruatur Verbo.*
ſed oſcula plus delectant. Bonum eſt ſalvare multos: excedere autem & cum Verbo eſſe, multo jucundius. At quando hoc, aut quamdiu hoc? Dulce commercium: ſed breve momentum, & experimentum rarum. Hoc eſt quod ſupra poſt alia memini me dixiſſe, quærere utique animam Verbum, quo fruatur ad jucunditatem.

14. Pergat quis forſitan quærere à me etiam, Verbo *Verbo frui quid ſit.*
frui quid ſit? Reſpondeo: Quærat potius expertum à quo id quærat. Aut ſi & mihi experiri daretur, putas E me poſſe eloqui quod ineffabile eſt? Audi expertum: *Sive*, inquit, *mente excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus,* *2. Cor. 5. 13.*
vobis. Hoc eſt, Aliud mihi cum Deo, ſolo arbitro Deo: aliud vobiſcum mihi. Illud licuit experiri, ſed minime loqui: in hoc ita condeſcendo vobis, ut & ego dicere, & vos capere valeatis. O quiſquis curioſus es ſcire quid ſit hoc, Verbo frui; para illi non aurem, ſed mentem. Non docet hoc lingua, ſed docet gratia. Abſconditur à ſapientibus & prudentibus, & revelatur parvulis. Magna, fratres, magna & ſublimis vir- *Humilibus ſolis datur cognoſci.*
tus humilitas, quæ promeretur quod non docetur, F digna adipiſci quod non valet addiſci, digna à Verbo, & de Verbo concipere, quod ſuis ipſa verbis explicare non poteſt. Cur hoc? non quia ſic meritum, ſed quia ſic placitum coram Patre Verbi ſponſi animæ, Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, amen.

SERMO LXXXVI.

De cautela & verecundia ſponſæ quærentis Verbum; & de commendatione verecundiæ.

1. NOn eſt quod à me jam quæratur, cur quærat anima Verbum: ſatis ſuperque id intimavim

supra. Age, proſequamur reliqua præſentis capituli, dumtaxat quæ ad mores ſpectant. Ubi primam nunc adverte ſponſæ verecundiam, qua neſcio an quicquam gratius adverti in moribus hominum queat. Hanc primo omnium libet quodam modo in manibus ſumere, & quaſi ſpecioſum quemdam florem decerpere loco, noſtriſque apponere adoleſcentibus. Non quia non ſit & in provectiori ætate omni ſtudio retinenda, quæ eſt certe omnium ornatus ætatum: ſed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius, pulcriuſque eniteat. Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quàm pulcra hæc, & quàm ſplendida gemma morum in vita & vultu adoleſcentis! quàm vera & minime dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index! Virga diſciplinæ eſt illi, quæ pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actuſque leves coerceat, comprimat inſolentes. Quid ita turpiloquii, & omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiæ eſt. Nullum æque manifeſtum indicium columbinæ ſimplicitatis: & ideo etiam teſtis innocentiæ. Lampas eſt pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum reſidere attentet, quod non illa illico prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ eſt, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti. Rubor ipſe genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris ſuffuſo afferre vultui ſolet?

Verecundia gratiſſima virtus.

Præſertim in adoleſcentibus.

Verecundiæ præclara encomia.

2. Uſque adeo genuinum animi bonum verecundia eſt, ut & qui male agere non verentur, videri tamen verecundentur, dicente Domino: *Omnis qui male agit, odit lucem.* Sed & *qui dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt*: opera nimirum tenebrarum, & digna latebris, tenebris occultantes. Intereſt tamen, quod occulta dedecoris, quæ verecundia horum non habere, ſed prodere erubeſcit, ſponſæ verecundia omnino non operit, ſed exſpuit, ſed propellit. Idcirco ait Sapiens: *Eſt pudor adducens peccatum, & eſt pudor adducens gloriam.* Quærit Sponſa Verbum verecunde quidem, quia in lectulo, quia per noctes: ſed hæc verecundia habet gloriam, non peccatum. Quærit hoc ad purificationem conſcientiæ, quærit ad teſtimonium, ut poſſit dicere: *Gloria mea hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ meæ. In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea.* Verecundia tibi, ſi advertis, & loco ſignatur, & tempore. Quid tam amicum verecundo animo, quam ſecretum? Porro ſecretum & nox, & lectulus habet. Denique orare volentes jubemur intrare cubiculum, utique ſecreti gratia. Id quidem ad cautelam: ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum. Sed doceris nihilo minus verecundiam ſententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet quod ſignanter & ad verecundiam orantibus petere ſecretum indixerit pudoris filius & magiſter*. Quid tam indecorum, maxime adoleſcenti, quàm oſtentatio ſanctitatis? Cum tamen ab hac potiſſimum ætate aptum profecto capiatur temporaneumque religionis exordium, Jeremia dicente: *Bonum eſt homini, ſi portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Bona commendatio ſecuturæ orationis, ſi præmittas verecundiam, dicens: *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus: juſtificationes tuas non ſum oblitus.*

Verecundiæ ſpecies etiam in peccantibus.

Joan. 3. 20.

1. Theſſ. 5. 7.

Eccli. 4. 25.

2. Cor. 1. 12.

Matt. 6. 6.

Oratio cur ſecretum commendetur.

* *al. miniſter.*

Thren. 3. 27.

Pſal. 118. 141.

3. Nec modo locum, ſed & tempus obſervare oportet eum, qui ſibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiuſque, maxime autem cum profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, tunc plane liberior exit puriorque oratio. *Conſurge in nocte*, inquit, *in principio vigiliarum tuarum, & effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini Dei tui.* Quam ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam! Quàm grata & lucida, verecundo colorata rubore! Quàm ſerena & placida, nullo interturbata clamore vel ſtrepitu! Quàm denique munda atque ſincera, nullo reſperſa pulvere terrenæ ſollicitudinis, nulla aſpicientis laude ſeu adulatione tentata! Propter hoc ergo ſponſa non minus verecunde, quàm caute, & lectuli ſecretum petebat & noctis, orare, hoc eſt Verbum quærere, volens. Unum eſt enim. Alioquin non recte oras, ſi orando præter Verbum aliquid quæras, aut quod propter Verbum non quæras, quoniam in ipſo ſunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi ſubſidia neceſſitatum, ibi reſarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Sine cauſa ergo aliud à Verbo petitur, cum ipſum ſit omnia. Nam & ſi iſta temporalia, cum neceſſe eſt, poſtulare videmur, ſi Verbum in cauſa eſt, ut quidem dignum eſt; non utique illa, ſed hoc potius quærimus, propter quod alia poſtulamus. Norunt hoc, qui omnem uſum harum rerum ad promerendum Verbum dirigere conſueverunt.

Tempus oranti obſervandum.

Thren. 2. 19.

Orando nil quære niſi Deum.

In Verbo omnia.

4. Non pigeat tamen ſcrutari adhuc ſecreta lectuli hujus & temporis, ſi forte in his aliquid lateat ſpirituale, quod venire ad medium proſit. Et ſi placet ſentire lectuli quidem nomine humanam figurari infirmitatem, nocturnis autem tenebris ignorantiam æque humanam; conſequens eſt & congruum ſatis, ut Dei virtus & Dei ſapientia Verbum contra utrumque originale malum inſtantius requiratur. Nempe quid convenientius, quàm ut infirmitati virtus, ignorantiæ ſapientia opponatur? Et ne quid ſimpliciorum cordibus de hac interpretatione reſideat dubium, audiant quid ſuper hoc ſanctus Propheta dicat. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus; univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Atque id quidem de lectulo. Jam de ignorantiæ nocte quid manifeſtius, quàm quod in alio identidem loquitur pſalmo: *Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*? pro certo exprimens ipſam, in qua nati ſunt, totius humani generis ignorantiam. Ipſa eſt (ut opinor) cui ſe beatus Apoſtolus & fatetur natum, & gloriatur ereptum, dicens: *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum.* Unde & dicebat: *Non ſumus filii noctis neque tenebrarum.* item ad omnes electos: *Ut filii*, inquit, *lucis ambulate.*

Lectulus humana infirmitas.

Pſal. 40. 4.

Nox ignorantia.

Pſal. 81. 5.

Coloſſ. 1. 13.

1. Theſſ. 5. 5.

Epheſ. 5. 8.

HUCUSQUE SANCTUS BERNARDUS: *cetera morte præventus abſolvere non potuit, immo ne ultimum quidem hunce ſermonem, utpote ceteris breviorem, nec uſitata clauſula circumſcripſit. Vide continuationem* GILLEBERTI DE HOYLANDIA *initio Tomi V. ſequentis.*

FINIS TOMI QUARTI.

FLORES SEU SENTENTIÆ

Ex S. BERNARDI Operibus depromptæ.

PEriclitatur caſtitas in deliciis, Humilitas in divitiis, Pietas in negotiis, Veritas in multiloquio, Caritas in hoc nequam ſeculo. *De Converſ. ad Cler. num. 37.*

Nihil pretioſius tempore: ſed, heu! nihil hodie vilius æſtimatur. *Tr. de conv. Mun. ad Cler. n. 55.*

Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat: nemo ſibi non reditura momenta periſſe cauſatur. *ibid.*

Nil tam durum, quod duriori non cedat. *4. de Conſid. c. 3. Hinc Conſuetudo conſuetudine vincitur.*

Tibi imputa, quidquid pateris ab eo, qui ſine te poteſt nihil. *4. de conſ. n. 9.*

Scorpioni non eſt in facie quod formides, ſed pungit à cauda, *ibid.*

Quid juvat ſapientem eſſe, ſi tibi non fueris? *2. de conſid. 1.*

Omnia illi deſunt, qui nihil ſibi deeſſe putat. *lib. 2. de conſid. cap. 7.*

Simia in tecto, rex fatuus in ſolio ſedens, *ibid.*

Tene medium, ſi non vis perdere modum. *2. de conſid. cap. 10.*

Proſperitas hoc eſt incautis, quod ignis ad ceram, ſolis radius ad nivem. *2. de conſid. cap. 12.*

Non magnum eſt eſſe humilem in abjectione: rara virtus, humilitas honorata. *Hom. 4. ſup. Miſſ.*

Nulla verior miſeria, quàm falſa lætitia. *de lib. arb. n. 14.*

Velle plane convincimur, quod non fieret ſi nollemus. *ibid.*

Effuſus animus damna interiora non ſentit. *de conv. ad Cler. cap. 4. n. 5.*

Fugere perſecutionem, non eſt culpa fugientis, ſed perſequentis. *Epiſt. 1.*

Voluntas pro facto habetur, ubi factum excludit neceſſitas. *Tract. ad Hugon. n. 9.*

Nemo magis iram meretur, quàm amicum ſimulans inimicus, *De Conv. n. 33.*

Non eſt cur fures timeant, qui ſibi in cælo theſaurizant. *De conv. ad Cler. n. 41.*

Non placat, qui ipſe non placet. *ibid. 33.*

Inſolentiæ Clericorum mater eſt negligentia Epiſcoporum. *Epiſt. 152.*

Amicis oportet gerere morem, ſed non in ſuam mortem. *Epiſt. 215.*

Fluminis aqua ſi ſtare cœperit, computreſcit. *Serm. 1. de Quadrag.*

Omnia quæ in mundo ſunt, finem habent: finis autem eorum, non erit finis. *Serm. 9. in Cant.*

Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi ipſi perſuaſeris. *Serm. 65. in Cant. n. 3.*

Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moveat. *ibid.*

Turturis vox non dulce ſonat, ſed dulcia ſignat. *nempe Amorem comparis. ibid.*

Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, ſed non exterminari. *Serm. 57. in Cant. num. 10.*

Parum eſt ſemel putaſſe: ſæpe putandum eſt, immo ſemper. *Ibid. Nam vitia eademeadem repullulant.*

Non poteſt virtus cum vitiis pariter creſcere: puterur cupiditas, ut virtus roboretur. *ibid.*

Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. *ibid.*

Paſtor doctus, ſed non bonus, non tam uberi doctrina nutrit, quàm ſterili vita nocet. *Serm. 76. in Cant. num. 10.*

Minus *quandoque* nocet potita votis ambitio, quàm fruſtrata. *Epiſt. 126. nam ad violenta media convertitur.*

A Ad audiendum, legendumve amoris carmen fruſtra qui non amat accedit. *Serm. 79. in Cant. n. 1.*

Non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. *ibid. Sicut græce loquentem non intelligit qui græcum non novit.*

Fama non valet vindicare virtuti, quod eſſe vitium convincit conſcientia. *Serm. 71. Cant. n. 2.*

Virtus eſt contenta candore conſcientiæ, etſi non ſequatur odor famæ. *ibid.*

Multa quæ reſpuis otioſus, poſt laborem ſumes cum deſiderio. *Epiſt. 1. n. 11. Nam optimum cibi condimentum fames.*

B Hoſtis audacius inſiſtit à tergo, quàm reſiſtat in faciem. *ibid. n. 12.*

Facere malum, quolibet etiam jubente, non obedientia, ſed inobedientia eſt. *Epiſt. 7. n. 3. nempe erga Deum.*

Quod quiſque præ ceteris colit, id ſibi Deum conſtituiſſe probatur. *Tract. de contemtu. mund. ad Cler. cap. 5. num. 17.*

Multi non tanta alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera. *Tract. de off. Epiſc. cap. 7.*

Utinam relinquant nobis moderni Noë, unde à nobis poſſint operiri. *ibid. n. 29. cap. 8. adeo jam palam & ſine pudore peccatur.*

C In alto poſitum, non altum ſapere, difficile. *ibid.*

Si altiorem quàm meliorem eſſe delectet, non præmium, ſed præcipitium exſpecta. *Epiſt. 27. ad Ardut.*

Stultum, ibi theſaurum recondere, unde non valeas reſumere, cum volueris, *Tract. de off. Epiſc. cap. 5.*

Qualis ſit cujuſque fides, tribulatio probat, *ibid c. 4.*

Qui ad ſui menſuram proximum jubetur diligere, prius ſeipſum diligere norit. *ibid. cap. 4. n. 13.*

Bonam reddunt conſcientiam pœnitere de malis, & abſtinere à malis. *ibid. cap. 4.*

Eodem utuntur medici ferro ſecandis regibus, quo & popularibus hominibus. *ibid. cap. 2.*

D Boni Paſtoris eſt, non quærere quæ ſua ſunt, ſed impendere. *4. de conſid. cap. 2.*

Diſpenſatio ſine neceſſitate & utilitate, non fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. *3 de conſid. c. 4.*

Cum omnes te habeant, eſto etiam tu unus ex habentibus. *lib. 1. de conſid. cap 5. n. 6.*

Amans quandoque videtur amens, ſed ei qui non amat. *Præfat. in lib. de conſid.*

Modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo. *Tract. de dilig. Deo. cap. 1. & 6.*

Non probo multa ſcientem, ſi ſciendi modum neſcierit. *Serm. 36. in Cant. n. 3.*

E Sunt qui ſcire volunt tantum ut ſciant; & curioſitas eſt.

Sunt qui ſcire volunt ut ſciantur ipſi; & vanitas eſt.

Sunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam vendant; & turpis quæſtus eſt.

Sunt qui ſcire volunt, ut ædificentur; & prudentia eſt. *Serm. 36. in Cant. n. 3.*

Sumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei. *ibid. n. 4.*

Sine lumine diſcretionis incurrit qui currit, *Serm. in circumciſ.*

Non poteſt non eſſe bonus, qui placet bonis, vel diſplicet malis. *Epiſt. 148.* F

Non eſt tutum vicino ſerpente ſomnum capere. *Ep. 141.*

Habet vera amicitia nonnumquam objurgationem, adulationem numquam *Epiſt. 242.*

Melius eſt, ut pereat unus, quàm unitas. *Epiſt. 102. Ejiciendus qui turbas concordiam.*

Sola cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. *Epiſt.* 111.

Guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere carnem. *ibid.*

Non plus ſatiatur cor hominis auro, quàm corpus aura. *de conv. ad Cler*

Argumentum ſuperbiæ, privatio eſt gratiæ. *ſerm.* 54. *in Cant.*

Præſto eſt oculus, cui omnia patent, etſi non patet ipſe. *ſerm.* 55. *in Cant.*

Bonus numquam, niſi ſimulatione boni, deceptus eſt. *ſerm.* 66. *in Cant.*

Hæretici capiantur, non armis, ſed argumentis. *ſerm.* 64. *in Cant.* V. NOTAS, *ibid.*

Jucunda homini lux, ſed magis emergenti de tenebris. *ſerm.* 68. *in Cant.*

Eruditio abſque dilectione inflat, dilectio abſque eruditione errat. *ſerm.* 69. *in Cant.*

Dies palam facit, quod nox abſcondit. *ſerm.* 75. *in Cant.*

Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. *Epiſt.* 78.

Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto diſcipulum ſubdit. *Epiſt.* 87.

In ſimilibus factis cauſa diſſimilis ſimile recuſat judicium. *Epiſt.* 84.

Nil tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi. *Epiſt.* 106.

Speranti grandia, modica minus grata venire ſolent. *Epiſt.* 153.

Currentem non apprehendit, qui & ipſe non currit. *Epiſt.* 254. *n.* 4.

Nolle proficere, eſt deficere. *ibid.*

Nemo invitus bene facit, etſi bonum eſt quod facit. *Epiſt.* 258.

Magnus, qui incidens in adverſa, non excidit à ſapientia. 2. *de conſid. cap.* 12.

Canis fœnum, quod non comedit, defendit. *Epiſt.* 311. *num.* 1.

Si ſapis, concham te exhibebis, non canalem. *ſer.* 18. *in Cant. num.* 3. *id eſt, Non prius effundes, quam ipſemet abundes.*

Paſtores à mercenariis perſecutio diſcernit. *De conv. ad Cler. cap.* 22.

Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non eſt. *ſerm.* 25. *Cant. n.* 8.

Cum femina ſemper eſſe, & non peccare cum femina, plus eſt quam mortuum ſuſcitare. *ſerm.* 65. *in Cant. n* 4.

Familiaris dominus fatuum nutrit ſervum. *ſerm. cont. vit. ingrat.*

Divinæ clementiæ eſt denegare ingratis quæ poſtulant. *ibid. Nempe ne majoris ingratitudinis rei fiant.*

Suaviter natat, cujus alter ſuſtinet mentum. *ſerm.* 12. *in Cant. num.* 8.

Onerat nos DEUS, cum exonerat: onerat beneficio, cum exonerat peccato. *ſerm.* 15. *in Pſal. Qui habit. num.* 1.

Contendamus placere omnibus per omnia, ſed ei maxime qui eſt maximus ſuper omnia. *ibid. n.* 4.

Inanis excuſatio de humana obedientia, ubi in Deum convincitur facta tranſgreſſio. *Epiſt.* 7. *n.* 8.

Quis credat parieti, ſi ſe dicat parturire radium, quem ſuſcepit per feneſtram. *ſerm.* 3. *in Cant. n.* 5.

Non eſt laus calami laudabilis pictura, ſive ſcriptura. *ibid. n.* 6. *ſerm* 18. *de div.*

Sapiens eſt, cui quæque res ſapiunt, prout ſunt.

Nullus tam gravis pruritus oculi, quàm invidia eſt. *ſerm.* 5. *de verb. Iſa. n.* 10.

In terra orimur, in terra morimur, revertentes in eam unde ſumus aſſumpti. *ſerm. de S. Mart. n.* 1.

Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. *Tract. de cont. mun. ad Cler. n* 21.

Altiorem ſortitus es locum, ſed non tutiorem. *Ep.* 237.

Sicut non omne quod libet licet, ſic non omne quod licet expedit. *Epiſt.* 25.

Cujus vita deſpicitur reſtat ut & prædicatio contemnatur. *ſerm.* 1. *Paſch. n.* 16.

A Non ſatis occidiſſe piget hominem, qui adhuc manet in lubrico. *ſerm.* 1. *in Paſch. n.* 16.

Indicium veræ compunctionis eſt, ſubtractio occaſionis. *ibid.*

Pernicioſa paupertas, penuria meritorum; præſumptio autem, fallaces divitiæ. *ſerm.* 68. *in Cant. n.* 6.

Ignorantia non poteſt excuſare eum, qui ſe magiſtrum infantium profitetur. *Tract. de cont. mun. ad Cler. cap.* 5. *n.* 15.

Indignus lacte & lana convincitur, qui non paſcit oves. *ibid.* 20.

Væ tibi, clerice! mors in ollis carnium, mors in deliciis. *ibid. n.* 20. *nam peccata populi comedis.*

B Væ, qui viventes in carne Deo placere non poſſunt, & placare præſumunt. *De conv. ad Cler.*

Zelus abſque ſcientia dum prodeſſe feſtinat, invenitur obeſſe. *ibid. n.* 38.

Animam Dei capacem, quidquid Deo minus eſt, non implebit. *de cont. mun. n.* 33.

Salicos antequam videat, caſurus antequam debeat. *ibid* 26.

Æger ſeſe non ſentiens periculoſius laborat, 1 *de conſ. c.* 1.

Homo ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt. *de contem. ad Cler. n.* 29.

Sapientibus contingit, in rebus dubiis plus alieno ſe quàm proprio credere judicio. *Epiſt.* 72. *n.* 1.

C Libenter carebo quantolibet ſpirituali quæſtu, qui non poſſit acquiri niſi cum ſcandalo. *Epiſt.* 82.

Pulcher & ſalubris ordo, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior. *Epiſt.* 221. *n.* 3.

Vocis virtus eſt opus, ſed & operi, & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. *ibid.*

Plus nocet falſus Catholicus, quàm verus hæreticus. *ſerm.* 65. *in Cant. n.* 4.

Non inutilis commutatio, pro eo, qui ſuper omnia eſt, omnia reliquiſſe. *Tract. de cont. mun. ad Cler. c.* 1.

Plus concupiſcentia mundi, quam ſubſtantia nocet. *ibid.*

Fugiendarum cauſa divitiarum eſt, quod aut vix, aut numquam ſine amore valeant poſſideri. *ibid.*

Facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæ-

D ret. *ibid.*

Qui relinquere univerſa diſponit, ſe quoque inter relinquenda numerare meminerit, *ibid. n.* 2.

Verus amor habet præmium, ſed id quod amatur. *Tract. de dilig. Deo. n.* 17.

Si quis de populo deviat, ſolus perit: principis error multos involvit. *Epiſt.* 117.

Verum gaudium eſt, quod non de creatura, ſed Creatore concipitur. *Epiſt.* 114.

Vinoſus conſcientias vitioſorum non refugit. 2. *de conſid. cap.* 10.

Ubi omnes ſordent, unius fœtor non ſentitur. *ibid.*

Meditantibus honores blandiuntur, penſantibus onera

E formidini ſunt. *Tract. de off. & mor. Epiſc. cap.* 7.

Vera caritas vacua mercede non eſt, nec tamen mercenaria eſt. *Tract. de dilig. Deo, n.* 17.

Bonum ſervat caſtellum, qui cuſtodit corpus ſuum. *Serm.* 2. *de Aſſumpt. num.* 2. *Proverb. vulgare.*

Sola miſeria caret invidia. *ſerm.* 5. *de verb. Iſa.*

Maledictus qui partem ſuam facit deteriorem. *lib.* 1. *de conſid. cap.* 5. *& ſerm de* 7. *panib.*

Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori. *ſerm* 77. *in Cant.*

Qui abſque cuſtode dimittit oves in paſcua, paſtor eſt non ovium, ſed luporum. *ibid. num* 6.

Pauperum vita in plateis divitum ſeminatur. 4. *de conſ.*

F *cap.* 2.

Ambitio ambientium crux, omnes torquens omnibus placet. 3. *de conſid. cap.* 1.

Nugæ in ore ſæcularis, nugæ; in ore ſacerdotis blaſphemiæ. *lib.* 2. *de conſid. cap.* 15.

Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. *Apol. ad Guil. cap.* 9.

Mollia indumenta animi mollitiem indicant. *ibid.*

Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget. *Apol. ad Guil. cap.* 12.

De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. *ibid.*

Lupi dentes plus timeo, quam virgam paſtoris. *Tract. de vita & off. Epiſc. n.* 35.

Hippocrates docet animas ſalvas facere in hoc mundo, Chriſtus perdere. *ſerm.* 31. *in Cant.*

Voloptas gutturis, quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum. *de conv. ad Cler. n.* 13.

Divitiarum amor inſatiabilis longe amplius torquet deſiderio, quàm refrigeret uſu. *ibid.* 14.

Divitiarum uſus aliis fere; divitibus ſolum nomen & ſollicitudo cedit. *ibid.*

Dæmon ſoli perſeverantiæ potiſſimum inſidiatur, quam ſolam virtutum novit coronari. *Epiſt.* 24.

Utilis ſemper cuſtodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. 4. *de conſid. cap.* 6. *n.* 23.

Ubique frenanda lingua præceps, maxime autem in convivio. *ibid.*

Ille convenientior habitus, ſi actu quidem ſeverus ſis, vultu ſerenus, verbo ſerius. *ibid.*

Nil ſcalis opus tenenti jam ſolium. 5. *de conſid. n.* 1.

Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim. 2. *de conſid. n.* 22.

Deliberans providentia ſuſpendit judicium. *ſerm. de S. Magdal. n.* 2. *nunc Tomo V.*

Religioſa triſtitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium. *ibid. n.* 2.

Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus eſt, agnoſce. *ſerm.* 3. *de Epiph.*

A Extremæ dementiæ eſt, quod ad obſcena inverecundi ſumus, & pœnitentiam erubeſcimus: male proni in vulnera, in remedia verecundi. *ſerm in Circumc.*

Conſervandæ humilitatis gratia, ſic divina ſolet ordinare pietas, ut quo quis plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe. *ſerm.* 15. *de div. n.* 4.

Placet utrumque Deo, & peccator compunctus, & juſtus devotus; diſplicet vero tam ingratus juſtus, quàm peccator ſecurus. *ſerm. de div.* 4.

Neſcit ſanus, quid ſentiat æger; aut plenus, quid patiatur jejunus. *Tract. de Grad. hum. n.* 6.

Glorioſa res humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat. *ibid. n.* 47. B

Infelix victoria, qua ſuperans hominem, ſuccumbis vitio. *Exhor. ad mil. n* 2.

In circuitu impii ambulant; naturaliter appetentes unde ſiniant appetitum, & inſipienter reſpuentes, unde appropinquent fini. *de dilig. Deo, n.* 19.

Deum amans anima aliud præter Deum ſui amoris præmium non requirit; aut ſi aliud requirit, illud, non Deum diligit. *ibid. n.* 17.

Naturali deſiderio ſummum quivis appetit bonum. Vis pervenire? incipe tranſilire. *Tract. de conv. ad Cler. n.* 33. *Nam ſi implicceris infimis, non pervenies.*

C Anfractuoſa via eſt, & inambulabilis: facilius pervenies ſpretis omnibus, quam adeptis. *ibid.* 33.

Miſera, & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & cum diabolo ſtridorem eligere ſempiternum. *ibid.* 27.

FINIS SENTENTIARUM.

NOMENCLATOR
VOCUM EXOTICARUM IN S. BERNARDO.

ADDEXTRARE Serm. 77. in Cant. num. 1. hinc inde aſſiſtere.

ANGARIARE in epiſt. 258. cogere, adigere ad miniſterium.

BARRICANUS in Apologia ad Guillelmum cap. 9. Mattæ genus. Vide ibi Notas.

CANCELLARIUS in epiſt. 311. &c. & CAPELLANUS in lib. 4. de Conſid num. 22. utraque nota & alibi obvia.

CARENUM lib. 2. vitæ S. Bernardi cap 1. Vini dulcis cocti genus.

CARITATIVUS in ſerm. 37. in Cant.

CASAMENTUM in epiſt. 39 prædium beneficiarium.

CASSARE epiſt. 178. irritare & infirmare.

COLARE Serm. 72 in Cant. num. 3. & Tract. de diligendo Deo cap. 11. num. 33. Hauſire & ſorbere aliquid, ut in Evangelio Matth 23. *excolantes culicem.*

COMPLICES Serm. 77. in Cant num. 4. conſcii & ſocii ſcelerum.

CUCULLA, in Apolog. cap. 1. veſtis monaſticæ genus.

DEPLANCTUS epiſt. 407. querela multa.

DIFFIDARE, epiſt. 228. bellum alicui indicere, hoſtem renunciare.

EPILOGARE lib. 4. de Conſid. cap. 7.

EPISCOPARE epiſt. 271.

EPISCOPIUM epiſt. 231. Epiſcopatus.

FORSFACERE Tract. de errorib. Abaëlardi, crimen committere.

GALABRUNUM in Apolog cap 9. panni genus. Vide ibi Notas.

GARCIONES, ibid. cap. 10. famuli.

GRANGIA epiſt. 252. villa ruſtica prædium.

GRISIA pellicea, epiſt. 2. num. 11. ſuborgta.

GROSSÆ veſtes epiſt. 209. Apolog. cap. 9. *Groſſus intellectus*, Serm. 60. in Cant. num. 3.

D GUERRA, epiſt. 220. & alibi.

GYROVAGI epiſt. 58

HOMAGIUM vel hominium epiſt. 39.

IMBANNIRI epiſt. 255. num 9. proſcribi, interdici, excommunicari

INDUCIARE epiſt. 303. moras nectere.

ISEMBRUNUM in Apolog. cap. 9. panni pretioſioris genus. Nota ibi.

LIGIUS epiſt. 357. Domino ſuo adverſus quemlibet adſtrictus.

MANERIES epiſt. 402. modus agendi.

MATTA epiſt. num. 11. Storeæ genus.

MONACHARI epiſt. 261.

OFFICIALES lib. 4. de Conſid. num 23. & in Cant.

PALEFRIDUS epiſt 104. equi genus.

PASSAGIUM epiſt 219. telonii genus à viatoribus exigi ſolitum.

PAGARE Serm. 18. in Cant.

E RIPATRIARE epiſt. 168. lib 5. de Conſid. num. 2. Serm. de Aſcenſ.

SAPA lib. 2. Vitæ S Bernardi, cap. 1. potus genus.

SCACCORUM ludus in lib. ad milites Templi, cap 4. num. 7.

SUMMARII, lib. 4 de Conſid num. 4. equi oneriferi.

TORNEAMENTUM in lib. 1. Vitæ cap. 11. ludicræ pugnæ genus.

TRANSALPINARE, epiſt. 245. & ſerm. 3. de Adventu. n 10.

TYPHUS epiſt 247. ſuperbia.

VADIUM Serm 2. in vig. Nat. Domini, num. 5 pignus.

VANITARE Tract. de morib. Epiſc. cap. 2. Unde apud Auguſtin. *Vanitas vanitantium*. Non ergo *Vanitare* hic legendum, ut Juretus putat in Notis ad Ivonis epiſt. 66.

CHRONOLOGIA

CHRONOLOGIA BERNARDINA.

ANNO Chriſti MXCI. Urbani Papæ II. 4. A Henrici IV. imper. 35. Philippi I. Gall. regis 31. Natus eſt BERNARDUS in caſtro Fontanis appellato, prope Divionem in Burgundia, patre Teſcelino Soro, domino de Fontanis, matre Aletha Bernardi domini Montisbarrenſis filia. Paternæ ejus ædes recens, beneficio Ludovici XIII. Galliarum regis, RR. Patribus Congregationis Fulienſis conceſſæ, in monaſterium converſæ ſunt. De genere ſancti Bernardi B lege Admonitionem præmiſſam initio Vitæ S. Bernardi, & Johannem Eremitam in Vita quarta, ubi viri ſancti genus paternum ex veteri Burgundiæ Ducum familia originem duxiſſe fertur.

M XCVIII. B. Robertus abbas Moliſmenſis, aſſumtus ſecum ex eodem monaſterio 21. monachis, in eremum Ciſtercii ſecedit, ibique novum monaſterium extruit, in diœceſi ſcilicet Cabilonenſi, quinque circiter leucis à Divione, opitulantibus ſimul & probantibus Gualtero Cabilonenſi & Hugone Lugdunenſi præſulibus; prædia vero largiente Odone Burgundiæ Duce, quo ibi cum ſociis ſtrictius ad amuſſim obſervaret Regulam S. P. BENEDICTI, cujus die ſacro in Domini- C cam Palmarum hoc anno incidente, opus illud tum primum exordium ſumſit. Ex primis B. Roberti ſociis fuere Albericus, Odo, Johannes, Stephanus, Letaldus, & Petrus.

M XCIX. Henrici IV. imp. 43. Philippi Gall. regis 39. Urbano II. decimo nono anno pontificatus, 4. calend. Aug. defuncto ſuccedit Paſchalis II. ex monacho Cluniacenſi.

Beatus Robertus Moliſmenſium interpellationibus in Concilio Romano ac Pontificis juſſu Moliſmum redit, eique Albericus ex Priore ſubſtituitur apud Ciſtercium, eccleſia in honorem beatæ Virginis hoc anno dedicatur.

M C. Hoc anno Johannes, & Ilbodus monachi Romam mittuntur ab Alberico Ciſtercii abbate, cum litteris commendatitiis Johannis & Benedicti Cardinalium, Hugonis archiepiſcopi Lugdunenſis, atque Walteri Præſulis Cabilonenſis, quorum precibus Paſchalis II. inſtitutum Ciſterciense confirmat peculiari privilegio dato Troiæ 14. cal. Maii, Indict. 8. pontificatus anno 2. Exſtat apud Baron. & Manriq.

M CI. Albericus abbas arctiſſimam Regulæ S. BENEDICTI obſervationem inſtituit in novo monaſterio, abjiciens quicquid Regulæ adverſaretur.

Obiit B. Bruno Inſtitutor Ordinis Cartuſienſis, (qui anno 1086. exordium ſumpſit) patria Colonienſis, ſanc- E titate ac ſcientia illuſtris.

M CII. Odo Burgundiæ Dux, Ciſtercii fundator, moritur, & ſepelitur in eccleſia Ciſtercienſi; eodemque anno Henricus ejus filius habitum monaſticum ibidem induit.

M CIII. Ciſtercienſes nigrum habitum in album commutaſſe creduntur, & B. Virginis officium quotidie recitandum ſibi propoſuiſſe.

M CV. Obiiſſe putatur Aletha S. BERNARDI mater, calendis Septembris, ex Necrologio S. Benigni Divionenſis, ubi ſepulta eſt: cujus corpus poſt 145. annos tranſlatum eſt Claram-vallem. Ejus obitum deſcribit Guillelmus lib. 1. vitæ S. Bernardi cap. 5.

M CVI. Paſchalis II. 7. Philippi I. Galliarum regis 46. Henricus IV. infeliciter vitam clauſit anno imperii 49. Huic ſucceſſit Henricus V. hoſtili in Eccleſiam animo patri non degener filius: qui Romam pergens, Paſchali Pontifici manus injecit, ab eoque per vim eccleſiarum inveſtituras extorſit; ſed & coronam imperatoriam anno 1111.

M CVIII. Paſchalis II. 9. Henrici V. 2. 3. cal. Aug. Philippus rex Francorum obiit apud Milidunum: cui Ludovicus ejus filius, cognomento Groſſus, ſucceſſit.

M CIX. B. Albericus, ſecundus Ciſtercii abbas, obiit 7. cal. Februarii, anno regiminis nono & dimidio: cui ſubſtitutus B. Stephanus Hardingus, nobili apud Anglos ſtemmate oriundus, Prioris antea vice functus, qui & ipſe cum aliis, Moliſmo vitæ arctioris deſiderio egreſſus fuerat.

M CX. Hoc anno ad ſuperos migravit 3. cal. Maii B. Robertus abbas Moliſmenſis, Ciſtercii primus inſtitutor, non anno 1098. ut vulgo creditur.

M CXIII. Paſchalis II. 14. Henrici V. 8. Ludovici VI. 6. B. BERNARDI converſione celeberrimus eſt. Qui annos natus circiter viginti tres, Ciſtercienſium familiæ ſub Stephano abbate una cum 30. ſociis nomen dedit. Ex quo tempore Ciſtercienſis Ordo mirifice propagari & florere cœpit.

Eodem anno FIRMITAS, *la Ferté*, prima Ciſtercii filia, fundatur in diœc. Cabilonenſi ad Gronam fluvium, *la Grone*, à dominis Vergiacenſibus, Savarico & Guillelmo ejus filio, Comitibus Cabilonenſibus. Primus abbas Bertrandus.

M CXIV. S. BERNARDUS metendi artem & facultatem, cum per corporis imbecillitatem alias non valeret, divinitus impetravit, Vitæ lib. 1. cap. 4.

Fundatur PONTINIACUM, *Pontigny*, ſecunda Ciſtercii filia, quatuor ab Autiſiodoro leucis diſtans, in allodio Heriberti canonici Autiſiodorenſis, concurrente Herveo Comite Nivernenſi, ſub Humbaldo epiſcopo: cujus cœnobii baſilica à Theobaldo Campaniæ Comite poſtmodum ædificata, fundatoris nomen ipſi obtinuit. Primus abbas Hugo Matiſconenſis, poſtea epiſcopus Autiſiodorenſis, ad quem plures BERNARDI epiſtolæ.

M CXV. Fundantur hoc anno CLARA-VALLIS & MORIMUNDUS, tertia & quarta Ciſtercii filiæ. CLARA-VALLIS quidem, *Clairvaux*, ad fluvium Albam in Comi- D tatu Campaniæ & diœc. Lingonenſi 7. cal. Julii, non à Theobaldo (ut quidam opinantur, cœnobii Claræ-vallenſis tranſlationem, de qua anno 1135. cum fundatione confundentes,) ſed ab Hugone Trecenſi Comite, ut probabitur in Notis ad epiſtol. 31. Claræ-vallenſi monaſterio præficitur BERNARDUS, & à Guillelmo de Campellis Catalaunenſi epiſcopo, abſente ſcilicet Joſceranno epiſcopo Lingonenſi, conſecratur, quatuor & viginti agens annos, Vitæ lib. 1. cap. 7. MORIMUNDUS vero, *Morimond*, in eadem diœc. ab Odolrico de Agri-monte & Adelina ejus uxore, dominis *de Choiſeul*. Primus abbas Arnoldus, ad quem epiſt. 4. Et hæ ſunt quatuor abbatiæ, quaſi totidem Ciſtercii filiæ primigeniæ, ex quibus inde E ceteræ omnes ſunt exortæ.

Eodem anno obiit Ivo Carnotenſis epiſcopus, vir doctiſſimus, qui ſucceſſorem habuit Gaufridum, Legati in Gallia honore perfunctum, S. BERNARDO cariſſimum, de quo Epiſt. 15. 47. & 55. & lib. 4. de Conſid. cap. 5. tum etiam Vitæ S. Bernardi lib. 2. cap. 1. & 6. & lib. 4. cap. 4.

M CXVI. Primum Ciſtercii Capitulum generale à B. Stephano convocatum, quotannis in poſterum frequentandum idibus Septembris, ut habet Johan. à Vitriaco, Hiſtoriæ Occidentalis cap. 14.

M CXVII. B. BERNARDUS gravi infirmitate detentus, medico ruſticano curandus committitur, procurante F Guillelmo epiſcopo Catalaunenſi, Vitæ lib. 1. cap. 7. Quo quidem anno vel circiter accidiſſe fertur converſio Teſcelini S. BERNARDI parentis, qui non multo poſt ſanctitatis fama celebris deceſſit undecima die Aprilis, ut habet Necrologium S. Benigni Divionenſis.

M CXVIII. Henrici V. 12. Ludovici VI. 10. Paſchali II. poſt annos pontificatus octodecim & menſes quinque vita functo, ſucceſſit Gelaſius itidem II. ex monacho itidem Cluniacenſi, cui Henricus imperator Mauricium Burdinum, archiepiſcopum Bracarenſem, Gregorii nomine oppoſuit.

Hoc item anno cœpit Ordo militum Templi, cujus primi auctores Hugo de Paganis & Gaufredus de S. Aldemaro, ut teſtis eſt Tyrius lib. 12. belli ſacri: quo etiam auctore idem Ordo confirmatur in Concilio Trecenſi, anno 1128. ut diſerte habet Michaëlenſis ſcriba Concilii, poſtea exſtinguendus à Clemente V. ſub Philippo IV. Galliarum rege anno Chriſti 1313. in Concilio Viennenſi.

Fundatur monaſterium TRIUM-FONTIUM, *Trois-fontaines*, prima filia Claræ-vallis, in diœc. Catalaunenſi. Primus abbas Rogerius: 2. Guido ad quem epiſt. 69. & 70. Item FONTANETUM, *Fontenay*, ſecunda Claræ-vallis filia, in diœc. Æduenſi. *Autun*. Primus abbas Godefridus, Bernardi conſanguineus, qui fundato loco regulariterque ordinato, refert liber ſepulcrorum Claræ-vallis, ad ſuam Claram-vallem sedit, ubi tertius Prior fuit, demumque epiſcopus Lingonenſis.

M C XIX. Henrici V. 13. Ludovici VI. 11. Gelaſio II. Cluniaci è vivis ſublato ſuffectus eſt Calliſtus II. Viennenſis antea epiſcopus, Guido appellatus, qui hoc anno Remis Concilium celebravit 12. cal. Novemb. & Burdini ſchiſma feliciter compreſſit.

Eodem anno conficitur charta Caritatis vulgo appellata, triginta conſtans articulis ſeu capitulis, agente B. Stephano abbate Ciſtercienſi, aſſentientibuſque ceteris ejus abbatibus, ad providendum paci & tranquillitati Ordinis Ciſtercienſis, quæ à ſummo Pontifice Calliſto II. approbata eſt. Exſtat apud Manriq.

M C X X. Sanctus Norbertus, quem Bernardus *Spiritus ſancti fiſtulam* vocat epiſt. 56. Ordinem Præmonſtratenſem inſtituit in loco territorii Laudunenſis, Præmonſtrato vulgo nuncupato. V. Epiſt. 255. & Notas ad eamdem.

M C XXI. Celebratur Synodus Sueſſionenſis adverſus Petrum Abaelardum, præſidente Conano epiſcopo Prænestino, apoſtolicæ Sedis legato, in quo ipſe Petrus librum ſuum de Trinitate flammis tradere compulſus eſt. Guillelmus Campellenſis epiſcopus Catalaunenſis eodem anno ineunte obiit: de quo vide Notas ad epiſt. 3.

Fundatur FUSNIACUM, *Foigny*, in diœc. Laudunenſi, cujus abbati Rainaldo Bernardus ſcripſit epiſt. 72. 73. & 74.

M C XXII. Petrus Mauricius, natione Arvernus, dictus Venerabilis, cariſſimus BERNARDI amicus, fit abbas Cluniacenſis in Octavis Aſſumptionis. Notæ ad epiſt. 1. S. BERNARDI.

M C XXIII. Hoc circiter anno eligitur epiſcopus Tarentaſienſis, Petrus Firmitatis abbas, primus è familia Ciſtercienſi epiſcopus, ſubſtituto in ejus locum Bartholomæo Bernardi fratre.

Item Adamo S. Dionyſii prope Pariſios abbate defuncto, communibus eligentium votis ſucceſſor renuntiatus eſt Sugerius. Exſtant BERNARDI complures ad eum epiſtolæ.

M C XXIV. Henrici V. imper. 18. Ludovici VI. Galliarum regis 15. Calliſtus Papa obiit pontificatus anno 6. Sedemque apoſtolicam Honorius II. antea dictus Lambertus, epiſcopus Oſtienſis, eodem anno conſcendit.

M C XXV. Henricus V. imperator moritur Trajecti ad Rhenum, cum annos 19. imperaſſet, ac nullis poſt ſe liberis relictis, funeſtum diuturnumque ortum eſt diſcidium, BERNARDI opera aliquando componendum, inter Lutharium Saxonum Ducem & Conradum Henrici deceſſoris ſororium, qui à Friderico fratre & aliis rex proclamatus, conſcenſis Alpibus, à Mediolanenſibus ſuſcipitur, ac ab eorum archiepiſcopo Anſelmo, inquit Otto Friſingenſis, qui iſta narrat Chronic. lib. 7. cap. 17. Modoyci, ſede Italici regni, in regem ungitur. Pro Mediolanenſium reconciliatione cum Innocentio atque Lothario hujus nominis II. (in cujus gratiam electionis jure Imperii ſumma ceſſit) multum fuit Bernardo inſudandum, ut poſtea dicetur.

Eodem anno gravis fames, in Gallia maxime & Burgundia ſæviens, BERNARDUS caritatem exercet, lib. 1. Vitæ cap. 10. quo anno ipſe etiam gravi morbo conflictatus incidit in vitæ diſcrimen, ope tandem B. Virginis & SS. Benedicti atque Laurentii ſanitati reſtitutus, ibidem: ac poſtmodum ſingularis ejus ſanctitatis & doctrinæ cæleſtis fama per urbem & orbem volavit.

M C XXVI. Otto, poſtea Friſingenſis epiſcopus, celebris Hiſtoriographus, monachum induit in cœnobio Morimundi. Is, ut ſcribit familiaris ejus Radevicus, imperatorum Henrici IV. nepos, Henrici V. ſororius, Conradi frater uterinus & Friderici patruus fuit, ex patre clariſſimo & pio Principe Leopoldo Auſtriæ marchione, & matre Agnete, filia Henrici IV.

M C XXVII. Hoc circiter anno Stephanus, ex Cancellario epiſcopus Pariſienſis, à curiæ frequentia ad meliorem frugem BERNARDI monitis revocatus, graviter à Ludovico rege exagitatur, tandemque poſt multas infeſtationes, Ciſtercienſium, maxime vero BERNARDI opera in gratiam reſtituitur. Quod etiam Henricus Senonenſis archipræſul non multo poſt eademque de cauſa expertus, eumdem habuit cauſæ patronum ac defenſorem. Conſule epiſt. 45. & Notas.

Fundatur IGNIACUM, *Igny*, quarta Claræ-vallis filia, diœc. Remenſis, à Raynaldo de Pratis Remorum archiep. Primus abbas Humbertus, ex Caſæ-Dei monacho Claræ-vallenſis factus, qui non multo poſt amore quietis, dimiſſa præfecturâ, Claram-vallem rediit; qua de re à BERNARDO in Italia tunc propter ſchiſma detento acriter correptus epiſt. 141. nihilo minus hoc in ſancto otio perſtitit ad diem uſque mortis, in quo S. BERNARDUS de eximiis ejus virtutibus ſermonem habuit. Abbas ſecundus Guerricus pietate juxta ac ſcriptis percelebris, cujus ſermones hic in tomo VI.

M C XXVIII. Concilium Trecenſe celebratur (non vero 1127. teſte Michaëlenſi ſcriba Concilii) in ſollemnitate S. Hilarii, præſidente Matthæo Albanenſi, apoſtolicæ ſedis legato: eique interfuere Stephanus Ciſtercienſis, BERNARDUS Claræ-vallenſis, aliique ejuſdem Ordinis Abbates. In ipſo Patres Templariis Regulam veſteſque candidas (quibus Eugenius III. poſtea rubeam crucem attexi curavit) præſcripſere.

Fundatur REGNIACUM, *Regny*. in diœc. Autiſſiodorenſi.

M C XXIX. Matthæus Albanenſis (verba ſunt Alberici in Chronico) Legatus ex Ordine Cluniacenſi, Concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione beatæ Mariæ Virginis: ubi de conſilio S. BERNARDI abbatis, Henricus Virdunenſis epiſcopus epiſcopatum dimiſit, & factus eſt epiſcopus per biennium quidam Urſio abbas S. Dionyſii Remenſis.

Fundatur URSI-CAMPUS, *Ours camps*, in diœc. Noviomenſi à Simone epiſcopo.

M C XXX. Lotharii II. imperator. 5. Ludovici VI. Galliar. regis 22. mortuo Honorio Papa 16. cal. Februarii, pontificatus ſui ſexto, graviſſimum ſchiſma in Eccleſia Dei oritur, Innocentio II. canonice electo 15. calend. Martii, qui Gregorius antea vocabatur; ſed Petro Petri Leonis filio, violentia amicorum ſuorum, qui potentiſſimi in Urbe erant, favente ſibi Rogerio Siculo, intruſo. Innocentii cauſam BERNARDUS per octo annos ſtrenue propugnavit. Vide epiſt. 124. & ſeqq. Nam & inter alia hoc ipſo anno à Patribus Concilii, Stampis ea de re habiti, arbiter una voce conſtitutus, Innocentium Anacleto præferendum declaravit, & Henricum Angliæ regem ad eum ſuſcipiendum induxit, Vitæ lib. 2. cap. 1. Vide Præfationem noſtram generalem, articulo IV.

Eodem anno ipſe BERNARDUS ſumma animi demiſſione epiſcopatum Genuenſem, Sigefridi anno ſuperiori ad ſuperos tranſlati morte deſtitutum, recuſavit. Balduinus vero in Concilio apud Clarum-montem in Gallia habito, primus ex Ciſtercienſibus ſacro Cardinalium collegio adſcriptus eſt, cui adjunctus putatur Martinus vir ille integerrimus, cujus meminit Bernardus lib. 4. de Conſid. cap. 5. De Balduino in epiſt. 144. & 244.

M C XXXI. Innocentio Leodii magnifice recepto, cum prius ſub finem anni ſuperioris in Galliam ſe recepiſſet, BERNARDUS repreſſit Lotharium imperatorem, epiſcopales inveſtituras repetentem; cumque ſummus Pontifex ibidem in Germaniæ regem coronavit, Romæ

poſt duos annos imperatorio diademate donandum. Peracta vero Leodii Quadrageſima præſentis anni, Innocentius in Gallias redux, ad Concilium contra Anacletum menſe Octobri Remis indictum profectus, Ludovicum juniorem in locum Philippi fratris, ex equi lapſu infeliciter necati, regem conſecravit. Quo quidem Concilio ſoluto, inquit Sugerius in vita Ludovici Groſſi, dominus Papa Autiſiodori delegit demorari, reliquo nempe tempore labentis anni, cum prius Cluniacum, cujus eccleſiam dedicavit, deinde Claram-vallem aliaſque eccleſias viſitaſſet, comitante ipſum ubique BERNARDO. Leodii conventum poſt Concilium Remenſe narrat Ernaldus in lib. 2. de vita Bernardi cap. 1. contra expreſſam Sugerii auctoritatem.

Hoc etiam anno BERNARDUS, ut habet magnum Chronicum Belgicum, epiſcopatum Catalaunenſem electus recuſavit, & per ipſum Gaufredus abbas ſancti Medardi Sueſſion. fit epiſcopus Catalaunenſis. Idem refert Albericus, qui & addit, Innocentium ſancti Medardi eccleſiam conſecraſſe, idibus nimirum Octobris, ante Concilium Remenſe, ut habet Chronicum ejuſdem monaſterii.

Hoc itidem anno, Thomas prior S. Victoris Pariſienſis, vir integerrimus, pro juſtitia crudeliter perimitur à nepotibus Theobaldi Neoterii archidiaconi Pariſienſis, cui ob exprobratas in eccleſiaſticos exactiones inviſus erat. Nec multo poſt Archembaldus ſubdiaconus Aurelianenſis idem mortis genus eademque de cauſa ſubiit, Johanne auctore eccleſiæ S. Crucis itidem archidiacono. Pro priore S. Victoris ſcripſit Bernardus epiſt. 158. 159. 160. & 162. Et pro ſubdiacono epiſt. 61. Suſcepta autem eſt & agitata utriuſque cauſa in Concilio Jotrenſi, *Joüarre*, diœceſis Meldenſis.

Fundatur MORIROLA, *Moreruela*. In Caſtella & territorio Zamorenſi. Monaſterium S. JOHANNIS DA TAROUCA in Luſitania, diœceſis Lamecenſis. LONGUS-PONS, *Long pont*, in diœceſi Sueſſionenſi. CARUS-LOCUS, *Ch.rlieu*, in diœceſi Biſuntinenſi. BONUS-MONS, *Bonnemont*, in Sabaudia, diœceſis Gebennenſis. RIEVALLIS, *Ridal*, in Anglia, diœceſis Eboracenſis.

M C XXXII. Diſcedentem è Galliis Innocentium BERNARDUS in Italiam proſecutus, Piſanos & Genuenſes reconciliavit, oblatumque denuo Genuenſem pontificatum, Syro vel deſerente, vel in ſedem occdum evecto, modeſte conſtanterque rejecit.

Exorta item eſt Cluniacenſes inter & Ciſtercienſes magna controverſia, occaſione videlicet privilegii, quo iſtos Innocentius à decimarum ſolutione exemit. V. epiſt. 228. & 283.

Fundatur monaſterium VALCELLENSE, *Vaucelles*, in diœc. Camerac. V. epiſt. 186. ac TRIUM-FONTIUM, *Tres-Fonts*, in Anglia, diœceſ. Eborac. V. epiſt. 92. 94. & ſeqq.

M C XXXIII. S. BERNARDUS, in Italiam anno ſuperiori profectus, cum vires Innocentio non ſufficerent ad Romam expugnandam (Lothario quippe armatorum dumtaxat duo millia miniſtrante) Henrico majoris Britanniæ regi ſcripſit epiſtol. 138. ad ferendum ſuppetias. Sed tandem Innocentius urbem ingreſſus, in baſilica Lateranenſi Lotharium coronavit imperatorem. quo abeunte, Anacleto per urbem graſſanti cedere coactus, Piſas ſe contulit. Unde BERNARDUS mittitur in Germaniam, Conradum cum imperatore Lothario reconciliaturus. Qua occaſione captata, Rogerius Siciliæ tyrannus, ab Anacleto regis nomine donatus, Piſanos ab Innocentii obedientia retrahere conatur: quibus in fide conſtanter perſiſtentibus, S. Abbas congratulatoriam hoc anno dedit epiſtolam 130. Porro in illo ejus itinere contigit Malcolini converſio, de qua lib. 4. Vitæ, cap. 3. necnon & Duciſſæ Lotharingiæ, ibid.

M C XXXIV. Concilium Piſanum celebratur, ad quod cum BERNARDUS Innocentii juſſu facta pace cum Lothario & Conrado accedens per Lombardiam iter ageret, Mediolanenſes ſacrorum communione & metropolitana dignitate privati, quod Anſelmum archiepiſcopum ſecuti, Conrado & Anacleto adhæſiſſent, litteris

A illum interpellant de reſtituenda ſibi Pontificis & imperatoris Lotharii gratia, quibus peracto Concilio ad futurum ſe promiſit, datis epiſt. 131. & 133. Nec mora, Concilio ejus potiſſimum prudentia abſoluto, cum Matthæo Albanenſi & Guidone epiſcopo Piſano Cardinalibus, necnon & Gaufrido Carnotenſi, delegatur ad componendam Mediolanenſium pacem: à quibus ingenti plauſu & ſumma veneratione acceptus, archiepiſcopalem honorem ſibi pertinaciter delatum vix effugere potuit. Multis vero ibidem converſis, de quibus epiſtola 135. primam eodem loci Ordinis ſui coloniam, ſcilicet Caram-vallem, aliis mendoſe Claram-vallem, excitavit. Inde juſſu Innocentii, ut habet Sigonius de regno Italiæ, lib. 11. ad pacifican-
B das ipſas inter ſe Lombardiæ civitates profectus, Papiam & Cremonam ſe contulit. Cum autem apud Cremenſes nihil profeciſſet, eorum Innocentio pertinaciam ſignificavit epiſt. 318.

Interim poſt Concilium ad ſuperos migrat Norbertus Ordinis Præmonſtratenſis fundator. Sed & Stephanus abbas Ciſtercienſis 5 cal. Aprilis: cui poſt rejectum Widonem, qui Stephano adhuc ſuperſtite electus, ſex menſes pedum geſſit paſtorale, ſubſtitutus eſt Rainaldus, filius Milonis Comitis Barri ſuper Sequanam, inquit Ordericus lib. 8. monachus Claræ-vallenſis. Is præclara inſtituta 87. capitibus comprehenſa in Capitulo generali ordinavit, quæ videre licet in Annal. Manriq.

C Fundantur præter CARAM-VALLEM Mediolanenſem, HEMMERODIUM, *Hemmerode*, in diœc. Trevirenſi. VALLIS-CLARA, *Vau-Clair*, in diœc. Laudunenſi. Primus abbas Henricus de Murdach, ad quem epiſt. 321.

M C XXXV. Bernardo ex Italia reduce per urbem Mediolanenſem, lib. 2. Vitæ, cap. 4. transfertur Claravallis in commodiorem locum, lib. 2. Vitæ cap. 5. ubi cum vix tantiſper conſediſſes, juſſus eſt in Aquitaniam ſe conferre cum Gaufrido Carnotenſi, ad revocandum Guillelmum Comitem Pictavenſem, alioſque ſchiſmaticos à Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo ſeductos, ibidem cap. 6. Poſtea aliquamdiu ſibi redditus, inſignem illam
D in Cantica explanationem, hortatore altero Bernardo Portarum priore Cartuſiano aggreſſus eſt. V. epiſt. 153. & 154.

Fundantur BUSAIUM, *Buzay*, in diœc. Namnetenſi, ab Ermengarde Britanniæ Comitiſſa, quam in prædicto itinere à ſæculi vanitate revocavit, V. epiſt. 116 & 117. Primus abbas Johannes, ad quem epiſt. 232. ALTACUMBA, *Hautecombe*, in diœc. Gebennenſi. GRATIA DEI, *la Grace-Dieu*, in Santonenſi. EBERBACHUM, *Eberbach*, in Moguntina.

M C XXXVI. Guido, inter BERNARDI fratres natu major, extra Claram-vallem, juxta fratris vaticinium, lib. 2. Vitæ cap. 12. moritur, nimirum Pontiniaci.

E Fundatur BALERNA, *Balerne*, in diœc. Biſuntinenſi. Primus abbas Burchardus, ad quem epiſt. 146. DOMUS-DEI, *la Maiſon-Dieu*, ad Carum fluv. in diœc. Bituricenſi, cujus abbas fuit Robertus BERNARDI conſanguineus, ad quem epiſt. 1. ALBA-RIPA, *Auberive*, in diœc. Lingonenſi. Denique adoptatur Monaſterium ALPENSE, *l'Abbaye des Alpes*, diœc. Gebennenſis, tradente Guarino abbate, poſtea epiſcopo Sedunenſi. V. epiſt. 253.

M C XXXVII. Innocentii II. 8. Lotharii II. imperat. 12. Ludovicus VI. regni ſui anno 29. Pariſiis mortuus eſt cal. Aug. cui ſucceſſit filius Ludovicus VII. Junior appellatus, quod vivente patre regnare cœpiſſet.

F Hoc ipſo anno BERNARDUS ab Innocentio accitus, tertio in Italiam progreditur, ſub Anacleto laborantem vexatione Rogerii Siculi, qui à Rainalfo duce BERNARDI precibus ſuperatus, cum armis prævalere non poſſet, ad verba ſe convertit, atque Anacleti cauſam in ore Petri Piſani viri eloquentiſſimi reponere ſe ſimulans, cum ipſum à BERNARDO convictum & reductum vidiſſet, ne ſic quidem ad meliora potuit emolliri.

Fundantur monaſterium COLUMBA, *di Columba*, in Italia, diœc. Placentinæ; BOCHIA, *Beccon*. in Hungaria, diœc. Veſprimienſis, *Veſprin*, quamvis à nonnullis

ad annum 1155. refertur. Item adoptatur monaſterium A Bellifontis, nunc Valli-Paradisi, *Val-Paraysò* nuncupatum, in Hiſpania, diœc. Zamorenſi, *Zamora*.

MCXXXVIII. Lotharius II. imperii 13. regnare deſiit 3. nonas Decemb. ſuccedente Conrado Franconiæ duce, quondam ejus æmulo. Quo etiam anno miſere interiit Anacletus Pſeudo-pontifex, cui ſuffectus ex Rogerii factione Gregorius cardinalis, Victor vocitatus, qui ſupremæ dignitatis inſignia Bernardo reſignans, ſchiſmati tandem, poſt ſeptem annos S. Doctoris ſtudio ac prudentia compreſſo, finem optatum impoſuit, V. epiſt. 317. Abbas vero ſanctus Romanam curiam nulla mora interpoſita deſerens, nihil inde in Gallias referre voluit pro xeniis, præter dentem S. Cæſarii, aliaſque Sanctorum Re- B liquias, lib. 4. Vitæ cap. 1. Qui de ſtatu electionis Lingonenſis à Lugdunenſi metropolita contra ſponſionem Romæ initam celebratæ certior factus, varias ſcripſit epiſtolas 165. & ſeqq. cui quidem dolori acceſſit alius longe gravior, nempe de Gerardi fratris obitu, cujus inducias in Italia, ubi comitem eum habuerat in extrema ſua peregrinatione, à Deo impetrarat, quem multis lacrymis proſecutus eſt Sermone 26. in Cantica, à quo reſumpſit aureum hoc opus à ſe interruptum.

Ipſo anno Ramaldus Remenſis archiepiſcopus obiit, ut refert Auctarium Gemblacenſe: poſt biennium vero, ſcilicet anno 1140. Samſon Carnotenſis eccleſiæ Præpoſitus Remorum ordinatur archiepiſcopus, cum ipſe Bernardus C hanc dignitatem recuſaſſet.

Fundatur monaſterium Benedictionis-Dei, *Beniſſon Dieu*, in diœc. Lugdun. cui præfectus Albericus, ad quem epiſt. 171. Adoptatur etiam monaſterium Dunensis, *Dunes*, diœc. Brugenſis. Primus abbas Robertus, cui ſcribitur epiſt 324. Bernardo apud Claram-vallem aliquando ſucceſſurus.

MCXXXIX. Convocatum eſt Romæ Concil. Lateran. mille circiter epiſcoporum, in quo iterato damnati Petri Leonis fautores, infirmatæ ab eo factæ ordinationes, torneamenta interdicta, Arnoldus Brixianus, tamquam hæreticus Italia excedere juſſus. A qua quidem ſententia adverſus Anacleti fautores ſeveritate Bernardus vin- D dicare laboravit Petrum Piſanum cardinalem, Innocentio prius à ſe reconciliatum, ut patet ex epiſt. 213. Nec multo poſt Innocentius ipſe à Rogerio Siciliæ duce doloſe captus eſt, quod pacis diu exoptatæ inter utrumque componendæ fuit occaſio.

Hoc item anno Malachias archiepiſcopus, Hiberniæ Primas, Romam iter aggreſſus eſt, non vero, ut vult Baronius anno 1137. cum conſtet ex Bernardo Vitæ S. Malachiæ cap. 10. Malachiam ab hac peregrinatione novem duntaxat annos ſupervixiſſe, itemque ex cap. ult. anno 1148. deceſſiſſe. Malachias vero in hoc itinere Claram-vallem adiens, ibi ſex ſocios reliquit, qui Ciſtercienſe inſtitutum edocti, illud poſtea in Hiberniam E tranſtulerunt.

MCXL. Habetur Concilium Senonenſe adverſus Abaelardum, qui condemnatis errorum capitulis Sedem Romanam appellavit quidem, ſed Petri Venerabilis perſuaſione cedens appellatione, Cluniaci remanſit: ac ejuſdem opera Eccleſiæ reconciliatus, cum per biennium ibi laudabiliter vixiſſet, in monaſterio S. Marcelli Cabilonenſi, quo morbi curandi cauſa ſe contulerat, ceſſit è vita. Vide epiſt. 197. & ſeqq. & ibidem Notas.

Fundantur hoc anno Clarus-mariscus, *Clair-marets*, in diœc. Audomarenſi. Blancka-landa, *Blanckelant* in Wallia Angliæ provincia, diœc. Menevenſi; Urearia, *l'Ourſiere*, in regno Callæciæ diœc. Aurienſi, F *Orenſe*. Aripatorium, aliis Ripatorium, *Larivoir*, in diœc. Trecenſi, cui præfectus Alanus, poſtea epiſcopus Autiſſiodorenſis, Vitæ S. Bernardi compilator. Item Innocentius monaſterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias reparatum Claræ-vallenſibus attribuit, præfecto Bernardo Piſano, S. Bernardi diſcipulo, qui ſubinde Eugenii III. nomine in Sedem Romanam aſſumptus eſt. Denique adoptantur monaſterium Benchorenſe, *Bencher*, à Malachia Hiberniæ Primate Bernardo conceſſum; necnon & Caſemarium, *Caſamario*, in civitate Verulana, *Verulo*, in Italia.

MCXLI. Innocentius Papa, ait Robert. de Monte, interdixit terram Dominicam regis Ludovici, quia nolebat recipere Archiepiſcopum Bituricenſem, quem tamen poſtea recepit, & abſolvit eum de ſacramento quod irrationabiliter fecerat. V. epiſt. 218. & ſeqq.

Quo etiam anno idem rex Franc. Ludovicus, ut habet idem Auctor, afflixit Comitem Theobaldum, & vaſtavit terram ejus, maxime in Campania, ubi combuſſit caſtellum Vitreuvium, ſeu Vitriacum, *Vitry*, ubi multitudo diverſi ſexus hominum & ætatis, nimirum mille trecentæ animæ, teſte Roberto de Monte in Supplem. ad Sigibertum, qui hoc refert ad ann. 1143. cremata eſt. Conſule epiſt. 217. 220. 222. 223.

Hoc tempore contigit obitus Humbelinæ ſororis ſancti Bernardi, de qua lib. 1. Vitæ. 6.

Fundatur cœnobium Mellifontis, *Mellifont*, in Hiberniæ diœc. Armachanæ, *Armach*, Malachia procurante, adſcitis ex Clara-valle Chriſtiano ac ſociis, quos prædictus Epiſcopus inſtruendos ibi reliquerat. V. epiſt. 356. & 357.

MCXLII. Ivo presbyter card. ex canonico regulari S. Victoris apud Pariſios, mittitur in Gallias ad ferendam ſententiam in Radulfum Viromanduorum Comitem, qui repudiata priori uxore Petronilla, Theobaldi comitis ſorore, Guillelmi Aquitaniæ Ducis filiam, Reginæ ſororem, ſuperinduxerat. Quo etiam anathemate involuti Bartholomæus Laudunenſis, Simon Noviomenſis, Petrus Silvanectenſis epiſcopi, divortii auctores. V. epiſt. 216. 217. 220. 221.

Item Alfonſus Luſitaniæ Rex ſe ſuumque regnum Claræ-valli vectigale fecit, aſſignatis 50. marabitinis ſive dipondiis auri probati.

Quo etiam anno, teſte Roberto de Monte, vel proxime evoluto, ut tradit Ortelius in Anſelmo Gemblac. apud Miræum, animam cælo reddidit magnus ille Hugo Victorinus, S. Bernardi amicus & cultor præcipuus, alter ſui ſæculi Auguſtinus. V. epiſt. 70.

Fundantur monaſteria Melonis, *Melon*, in Callæcia diœc. Tudenſis, *Tuy*; & Superadi, *Sobrado*, circa hæc tempora in diœc. Compoſtellana. Item Alta-crista, *Haute creſte*, in Sabaudia, diœc. Lauſanenſi.

MCXLIII. Conradi III. imper. 5. Ludovici VII. Franc. reg. 6. Innocentius Papa moritur 8. cal. Octob. cum ſediſſet annos fere 14. cui ſuccedit Guido de Caſtello, dictus Cæleſtinus II. ad quem epiſt. 234. 235.

Fundantur Alvastrum, *Alvaſtern*, in Suecia diœc. Lincopenſi. Nova-vallis, (aliis poſt quadriennium) *Ni-dal*, ibidem. Bella pertica, *Belle-perche*. in diœc. Montiſalbani; Meyra, *de Meyra*, in Callæcia diœceſ. Lucenſis, *Lugo*.

MCXLIV. Cæleſtinus Papa, ſemeſtri needum exacto, deceſſit: cui ſubrogatur Gerardus Camerarius ex canonico reg. presbyter card. tit. S. Crucis in Jeruſalem, Lucius II. nuncupatus. Quo tempore Bernardus inter Ludovicum regem & Theobaldum Comitem pacem compoſuit. Legendæ epiſt. 220. & ſeqq.

Hoc item anno moritur Bartholomæus Firmitatis abbas, frater S. Bernardi. Item Stephanus Catalaunenſis cardin. epiſcopus Præneſtinus ex Ordine Ciſtercienſi, vir magnæ ſanctitatis, cui Bernardus varias inſcripſit epiſtolas.

Fundatur Bellilocus, *Beaulieu*. in diœc. Rutenenſi, *de Rodez*.

MCXLV. Conradi III. imperat. 7. Ludovici VII. Francor. reg. 8. Lucio Papæ 5. cal. Martii defuncto ſubſtituitur Eugenius III. ex abbate S. Anaſtaſii ad Aquas-Salvias, Bernardus antea vocatus, de quo ſupra ann. 1140. V. epiſt. 237. & ſeqq. Quo tempore S. Bernardus à Ludovico rege de ſacra expeditione conſultus, rem ad ſummi Pontificis ſententiam remittit, ex noſtra Præfatione generali art. VII.

Fundatur Pratea, *la Prée*, in diœc. Bituricenſi.

MCXLVI. In Concilio Carnotenſi pro expeditione ſacra indicto hoc anno, ad quod Petrus Venerabilis invitatus, epiſt. 364. venire non potuit, ut colligitur ex ejus

reſponſione epiſt. 18. lib. 6. S. BERNARDUS in primarium militæ ducem electus, ex mandato Eugenii, Germaniæ populos, Francos Orientales, Bajoarios, Anglos, &c. ad capeſſendam Crucem tum litteris, tum viva voce cohortatus eſt, multis ſuffragantibus miraculis, epiſt. 363. 365. & lib. de mirac. Bern.

Hoc itidem anno Tornacenſis eccleſia, quæ per 500. & amplius annos epiſcopis Noviomenſis eccleſiæ commendata fuerat, proprium epiſcopum, Anſelmum nomine, ex abbate S. Vincentii Lauduncenſis, ab Eugenio Papa III. recepit, Bernardo abbate Claræ-vallenſi inter alios procurante.

Fundantur BOXELONA, *Boxley*, in Anglia, diœc. Cantuarienſ. VILLARIUM, *Villers*, in Brabantia diœc. Namurcenſis. Hujus fundationem Auctarium Gemblacenſe apud Miræum reponit anno ſequenti, his verbis: Monachi duodecim cum Laurentio abbate, & quinque Converſis à B. BERNARDO ex Clara-valle in Brabantiam miſſi, Villarienſe monaſterium ædificarunt.

MCXLVII. Eugenius anno ſuperiori, Romanis Arnaldi factione, de qua epiſt. 242. infeſtantibus, in Galliam confugiens, hoc anno Pariſiis honorifice excipitur à Ludovico rege, qui cum anno præcedenti, ut refert Robertus de Monte in Append. ad Sigibert. apud Vezeliacum, *Vezelay*, die Dominica in Ramis palmarum crucem aſſumpſiſſet, ſimulque Robertus frater ejus, & Gaufridus Comes Mellenti, & alii multi, hoc anno Pariſius receſſerunt, nimirum die 14. Junii, ut habet Chronologia Cluniacenſis, in Syriam contra Saracenos profecturi.

Hoc eodem anno plures variis in locis habitæ Synodi. Prima Stampis, in qua de negotio Jeroſolymitano & regni diſpoſitione, Bernardo præſente, actum eſt, Galliæ adminiſtratione Sugerio S. Dionyſii abbati commiſſa. Vide Chronic. S. Dionyſii Tom. 2. Spicil. & lib. Mirac. S. BERNARDI cap. 16. Secunda Autiſiodori præſidente Eugenio. Tertia Pariſiis, teſte Ottone Friſing. in Frid. lib. 1. cap. 50. in quibus cauſa Gilberti Porretani propoſita, ad Concilium Remenſe anno proximo celebrandum remiſſa eſt. V. Præfationem generalem.

Prætetea BERNARDUS cum Alberico cardinali Oſtienſi & legato, Gaufridoque Carnotenſi, pergit in Aquitaniam contra Henricum hæreticum, de quo in noſtra Præfatione generali & in epiſt. 241. Quo etiam anno Alfonſus Luſitaniæ rex, urbe Scalabi meritis S. Bernardi expugnata, datis litteris monachos petit ad inſtituendum Ordinis Ciſtercienſis in ſuo regno monaſterium.

Fundantur ALCOBATIA, *Alcobaza*, à prædicto Rege in Luſitania diœc. Uliſſiponenſi; VALLIS RICHERII, *Vaurither*, in diœc. Bajocenſi; MORGANIUM, *Morgan*, in Wallia. Monaſterium DE SPINA, in diœc. Palentina in Caſtella à Sancia Alfonſi regis ſorore. Vide epiſt. 301. Item adoptatur GRANDIS-SILVA, *Grandſelve*, Ord. S. Bened. in diœc. Toloſana, Bernardo ejus abbate ſe & domum ſuam tradente. V. epiſt. 242.

MCXLVIII. Inito Concilio Remenſi 14. calend. Aprilis, Eugenio præſidente, carcere damnatur Eon fatuus hæreticus: Gilbertus vero Porretanus Pictavenſis epiſcopus, à BERNARDO convictus, ſuos rettactat errores. Nec multo poſt Eugenius, agente ſancto Abbate, ſcripta Hildegardis approbavit in Concilio Trevirenſi, cum prius Tullenſis eccleſiæ dedicationem, cui & BERNARDUS interfuit, peregiſſet. Quo eodem anno præfatus Eugenius cum Capitulo Ciſtercienſi adfuiſſet, novumque cœmeterium ſacraſſet, fratribus non ſine lacrymis valedicens, in Italiam remeavit.

Poſt Eugenii è Gallia diſceſſum, S. Malachias Hiberniæ Primas, Romam denuo ad ſummum Pontificem Pallii cauſa profecturus, optato die & loco apud Claramvallem diem feliciter clauſit ipſo die ſollemnis Commemorationis omnium defunctorum, cujus memoria ſtatim ab ipſius morte celebris haberi cœpit. Vide epiſtolam 374. conſolatoriam ad Hibernienſes; item Vitam ejus tomo 2. & duos ſermones in ejus depoſitione habitos tomo 3. Porro cum S. Malachias in extremis jam fere ageret, conſummato ædificio novæ Claræ-vallis, oſſa ve-

A nerabilium Patrum, qui in priori Cœnobio obdormierant, è veteri cœmeterio in novum tranſlata ſunt, in feſto omnium Sanctorum, ex Serm. 1. de S. Malach. num. 2. Ejus canonizatio in Chronico Claræ-vall. apud Franc. Chiflet. refertur ad annum 1192.

Eodem anno obiit beatus Humbertus abbas Igniacenſis, non anno 1145. ut putat Manricus. Probationes vide in Notatione ad Sermonem de ejus obitu à Bernardo habitum, qui extſtat in tomo 3.

Fundatur CAMBERONA, *Cambron*, in diœc. Camerac. Primus abbas Faſtradus ex Clara-valle, cui etiam poſt Robertum præfuit. Adoptatur etiam ALNA, *Alne*, prius Benedictinorum, deinde Canonic. regul. in diœceſ.

B Leodienſi. Item in capitulo Ciſtercienſi hoc anno SERLO abbas Saviniacenſis ſe ac 30. monaſteria, quæ à Saviniaco Benedictinorum monaſterio diœceſis Abrincenſis pendebant, Claræ-valli ſubdidit: quatuor vero STEPHANUS, congregationis Obazinenſis in diœceſi Lemovicenſi naſcentis Pater & Inſtitutor.

MCXLIX. Hoc anno cum infelicem exitum habuiſſet tranſmarina expeditio, Ludovicus in Galliam reverſus eſt, V. epiſt. 386. lib. 2. de Conſid. cap. 1. & Vitam S. Bernardi lib. 3. cap. 4. Qui quidem ad novam iterum ſe accingens, à Ciſtercienſibus retardatur, ut tradit Robertus abbas in Chronico ad annum 1150.

Eodem anno Henricus, Ludovici regis Franciæ frater (verba ſunt Chronici Turonenſis) prius Theſaurarius

C beati Martini Turonis, poſt apud Claram-vallem monachi veſte indutus, provehitur ad epiſcopatum Belvagicæ civitatis: quod quidem Chronicon ſancti Petri Vivi Senonenſis anno ſeq. reponit. Lege epiſt. 307. & Notas.

Fundantur FONS-MORINIACUS, *Font-morigny*, in diœceſi Bituricenſi; ALBÆ-PETRÆ, *Aubepierre*, in Lemovic. LONGUM-VADUM, *Longuay*, in Lingonenſi; LAUS B. VIRGINIS, *Lox*, in Tornacenſi. Adoptatur BULLENCURIA, *Boullancour*, canonic. reg. in Trecenſi.

MCL. Eugenio Romæ ad S. Petrum poſt multos

D conflictus reſtituto, BERNARDUS librum 2. de Conſideratione tranſmittens, apologiam de Jeroſolymitanæ expeditionis conſilio prætexit, recipitque epiſtolam conſolatoriam à Johanne Caſæ-marii in civitate Verulana abbate, quæ eſt modo 386. inter Bernardinas.

MCLI. Rainaldo abbati ſub finem anni ſuperioris defuncto, nimirum 17. calend. Januarii, ſuffectus eſt Goſevinus ex abbate Bonæ-vallis Viennenſis. Vide epiſt. 270.

Item moritur Hugo Autiſiodorenſis epiſcopus, vir bonæ memoriæ dictus in Chronico S. Petri Vivi. De ſucceſſoris electione vide epiſtolas 261. 274. & ſequentes. Obiit item Sugerius abbas ſancti Dionyſii, vir integer-

E rimus, cui in extremis poſito BERNARDUS ſcripſit epiſt. 266.

Ludovicus & Alienora, inquit Robertus de Monte, in Quadrageſima apud Balgencetum, dato ſacramento coram archiepiſcopis & epiſcopis quod conſanguinei eſſent, ſeparati ſunt auctoritate Chriſtianitatis.

Fundatur monaſterium ESRUNENSE, *Eſrom*, in Dania diœc. Roskildenſi, *Roſkild*.

MCLII. Eugenii III. 8. Ludovici VII. Franc. reg. 15. Conradus imperii anno 13. purpuram morte reſignat Friderico cognomento Ænobarbæ, Sueviæ duci, Conradi ex fratre nepoti. Sed & Theobaldus Campaniæ Comes, vir inſignis pietatis, 6. id. Januar. defunctus, in

F monaſterio Latiniacenſi, *Lagny*, ad Matronam, cujus fuerat Advocatus, ſepelitur, ad quem non longe ante obitum Bernardus ſcripſit epiſt. 271.

Adoptatur abbatia de MORILIIS, *de Morolles*, in diœc. Malleacenſi, *Mallezés*: fundatur abbatia CLARIMONTIS, *Clermont*, in diœc. Cenomannenſi. Circa hoc tempus adoptatur ARMENTARIA, *Armentera*, in Callæcia diœc. Compoſtellanæ.

MCLIII. Friderici I. Imper. 2. Ludovici VII. Franciæ reg. 16. Eugenius diem clauſit 6. idus Julii, cum ſediſſet annos 8. menſes 4. dies 13. cui ſucceſſit Conra-

dus, ex canonico regulari epiſcopus Sabinenſis, dictus Anaſtaſius IV. Nec longe poſt ſanctiſſimus Doctor Bernardus, multis pro Deo & Eccleſia defunctus laboribus, cum à media hiemis tempeſtate gravi morbo correptus, ut ſcribit epiſt. 288. 307. & 308. pacem nihilo minus inter Metenſes compoſuiſſet, in pace tandem ipſe quievit 13. cal. Septemb. tribus ante meridiem horis, anno ætatis 63. monaſticæ profeſſionis 40. præfecturæ 38. Qua etiam hebdomada Aſcalon, munitiſſima civitas in Palæſtina, juxta Sancti promiſſionem frequentius repertam, à Chriſtianis capta eſt, ut teſtatur Gaufrid. lib. 5. vitæ S. Bern. cap. 4. Bernardus apud Claram-vallem ſucceſſorem habuit Robertum ex abbate Dunenſi.

Fundantur monaſteria Petroſæ, *la Peruſe*, diœceſ. Petragoricenſ. De Moris, *de Mores*, diœc. Lingonenſ. & adoptatur abbatia Montis-rami, de *Monte ramo*, diœc. Aurienſis in Callæcia.

CENSURA STEPHANI ABBATIS CISTERCIENSIS SECUNDI de aliquot locis Bibliorum.

FRATER STEPHANUS, Novi monaſterii abbas, & præſentibus, & futuris ſervis Dei ſalutem. Hanc hiſtoriam ſcribere diſponentes, inter plurimos libros, quos de diverſis eccleſiis congregavimus, ut veraciorem ſequeremur; in quemdam fere ab omnibus multum diſſonantem impegimus. Et quia illum pleniorem ceteris invenimus, fidem ei accommodantes, hanc hiſtoriam, ſecundum quod in eodem libro invenimus, ſcripſimus. Qua digeſta, non modice de diſſonantia hiſtoriarum turbati ſumus: quia hoc plena docet ratio, ut quod ab uno interprete, videlicet beato Hieronymo, quem ceteris interpretibus omiſſis noſtrates jamjamque ſuſceperant, de uno Hebraïcæ veritatis fonte tranſlatum eſt, unum debeat ſonare. Sunt tamen quidam veteris Teſtamenti libri, qui non de Hebraïco, ſed de Chaldaïco ſermone ab eodem noſtro Interprete ſunt tranſlati. quia ſic eos apud Judæos invenit, ſicut ipſemet in prologo ſuper Daniele ſcribit: noſque illos ſicut ceteros libros ſecundum ejus tranſlationem ſuſcepimus. Unde nos multum de diſcordia noſtrorum librorum, quos ab uno interprete ſuſcepimus, admirantes, Judæos quoſdam in ſua Scriptura peritos adivimus, ac diligentiſſime lingua Romana inquiſivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus illæ partes & verſus, quos in prædicto noſtro exemplari inveniebamus, & jam in hoc opere noſtro inſerebamus, quoſque in aliis multis hiſtoriis latinis non inveniebamus. Qui ſuos libros plures coram nobis revolventes, & in locis illis ubi eos rogabamus, Hebraïcam, ſive Chaldaïcam Scripturam Romanis verbis nobis exponentes, partes vel verſus, pro quibus turbabamur, minime repererunt. Quapropter Hebraïcæ atque Chaldaïcæ veritati, & multis libris latinis, qui illa non habebant, ſed per omnia duabus illis linguis concordabant, credentes, omnia illa ſuperflua prorius abraſimus, veluti in multis hujus libri locis apparet, & præcipue in libris Regum, ubi major pars erroris inveniebatur. Nunc vero omnes qui hoc volumen ſunt lecturi rogamus, quatenus nullo modo prædictas partes vel verſus ſuperfluos huic operi amplius adjungant. Satis enim lucet, in quibus locis erant, quia raſura pargameni eadem loca non celat. Interdicimus etiam auctoritate Dei & noſtræ congregationis, ne quis hunc librum, magno labore præparatum, inhoneſte tractare, vel ungula ſua per ſcripturam vel marginem ejus aliquid notare præſumat.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS Ord. Ciſterc. anno MCXCVI.

AD petitionem domini quondam Lugdunenſis Archiepiſcopi, qui petit emendari lectionem evangelicam de Paſſione Domini, quæ juxta Matthæum in Ramis Palmarum legitur, injungitur Abbati de Firmitate, ut in Cluniacenſi & Lugdunenſi eccleſia quid inde ſentiant, diligenter inquirat, & in ſequenti Capitulo ſtudeat nuntiare.

Anno MCC.

Scribatur in textu beati Matthæi Evangeliſtæ ubi deeſt, *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea.*

a Hæc cenſura, quam huic paginæ ſupplendæ hic apponimus, invenitur in codice Bibliorum apud Ciſtercienſe monaſterium, cujus Abbas ſecundus Stephanus prædictum codicem exarari curavit, ut teſtatur hæc clauſula: *Anno MCIX. ab Incarnatione Domini liber iſte finem ſumpſit ſcribendi, gubernante Stephano II. abbate cœnobium Ciſtercienſe.*

HORSTII ET MABILLONII IN OPERA S. BERNARDI NOTÆ FUSIORES.

AD TOMUM I.

IN EPIST. I. Ad Robertum.

1. *Aſteriſcus deſignat Notas Mab.*

* AD ROBERTUM. Hæc epiſtola ſub dio à BERNARDO dictata, *in medio imbre ſine imbre*, ut loquitur Guillelmus S. Theoderici abbas, lib. 1. Vitæ S. Bern. cap. 2. exarata eſt à Guillelmo, primo poſtea Rievallis in Anglia abbate, cui non rectè quidam tribuunt elogia illa, quæ Gilbertus de Hoilandia Serm. 41. in Cant. commemorat de quodam Abbate Rievallenſi, procul dubio de Guillelmi ſucceſſore, nomine Ælredo, qui teſte Piſeo obiit anno 1166. Non enim fieri poteſt, ut Guillelmus ille Rievallenſis anno 1145. ad ſuperos tranſlatus, à Gilberto in eo Sermone celebretur laudatione funebri ut recens mortuus, cum ipſe Gilbertus ſolum à morte S. Bernardi, nimirum poſt annum 1153. explanationem in Cantica proſequendam ſuſceperit; ac Sermone 30. mentionem faciat ſchiſmatis à Friderico Imperatore adverſus Alexandrum III. anno. 1159. excitati.

2. De Roberto, ad quem hæc epiſtola directa eſt, Johannes Eremita illius temporis auctor in vita S. Bernardi ita ſcribit. *Nepos ſiquidem ejuſdem matronæ*, nempe Aleidis S. Bernardi matris, *de qua volumus pertractare; filius autem ſororis ſuæ, ad quem etiam B. Bernardus primam epiſtolarum ſuarum direxit.* Petrus Franc. Chifletius Soc. Jeſu in Append. ad Diatrib. de illuſt. genere S. Bernardi ſuſpicatur, Roberti matrem fuiſſe Dianam, uxorem Othonis de Caſtellione è familia Montisbarri; ac vulgo Bernardi nepotem vocitatum, vel collectoris epiſtolarum hallucinatione, vel eo loquendi genere olim viſitato, quo Nepos dici ſolebat etiam patruelis, aut conſobrinus, aut amitinus, ſi modo patrueli ſuo, conſobrino, aut amitino eſſet inferior ætate, qualem fuiſſe Robertum reſpectu S. Bernardi, tum ex hac epiſtola, tum ex lib. 1. vitæ cap. 8. ſatis intelligitur.

3. Quod attinet ad rationem temporis, hæc epiſtola ſcripta videtur circa annum 1119. Etenim Robertus ſollemnem apud Ciſtercienſes emiſiſſe videtur profeſſionem anno 1116. ut inferius demonſtrabitur: qua audita ſtatim Cluniacenſes eum ſobdole ad ſe revocare tentaverunt. Sic enim refert Exordium Ciſterc. Diſt. 3. cap. 9. *Interea Cluniacenſes fratres audientes quod idem adoleſcens Ordini Ciſtercienſi ſe reddidiſſet, indignati ſunt vehementer.... Cumque auctoritate B. Bernardi prætimerentur ne eum publice repetere præſumerent, ad callidiora ſe ſe argumenta vertere. Miſſus eſt namque Prior quidam, &c.* Interim diu diſſimulavit S. Bernardus, ut ex hujus epiſtolæ exordio conſtat: ſed tandem concepti doloris impatiens, hanc epiſtolam ſcripſit, qua nequidem revocari potuit Robertus, ut ille epiſtola 32. conqueritur, donec à Petro Venerabili reſtitutus eſt.

4. Quod autem Robertus anno 1116. profeſſionem emiſerit, ſic demonſtrari poſſe videtur. Robertum fuiſſe unum ex triginta ſociis, quos Bernardus mundo ſubtractos Ciſtercium ſecum adduxit, ſentiunt ſcriptores pæne omnes, tam domeſtici, quam externi. Quod quidem indicare videtur Bernardus ipſe in hac epiſtola his verbis: *Nam ſi dignaris, & verbo, & exemplo meo in religionem ego te genui.* Sed cum pro ætatis ſtatu tenrior ad biennium remiſſus fuiſſet, ut etiam ibi aſſerit Bernardus, eo tandem elapſo ad converſionem admiſſus eſt. Atqui Bernardus anno 1113. ingreſſus eſt Ciſtercium: cui numero ſi tres annos adjeceris, duos ſcilicet dilationis, probationis alterum; Robertum anno 1116. profeſſum habebis. Hoc argumentum non parum roboratur Exordii jam citati auctoritate, ubi Robertus prius dicitur admiſſus Ciſtercii ad probationem, quam Bernardus Claræ-valli præficeretur: proindeque ante an. 1115. quo Claram-vallem fundatam legimus. Sic enim habet Exordium Ciſterc. *Dominus Robertus, quondam Domus Dei abbas, & B. Bernardi ſecundum carnem propinquus, in adoleſcentia ſua jugum Domini ſuave & onus ejus leve apud Ciſtercium ſuſceperat. Poſtmodum vero reverendiſſimo Viro Dei Bernardo Claræ-vallis abbati conſtituto, ſub ipſo in eodem cœnobio cœleſtibus diſciplinis inſtituebatur.*

5. Ex quibus manifeſtum apparet, Roberti è Clara-valle diſceſſum ſive potius ſeductionem contigiſſe Pontii Abbatis Cluniacenſis conſilio ac impulſu, qui ab anno 1109. ad annum 1122. Cluniaco præfuit; non vero ſub Petri Venerabilis præfectura, qui Pontio poſt Hugonem II. tribus menſibus elapſis ſucceſſit, ut conſtat ex Chronico Cluniacenſi. Et certe quis à Petro Venerabili, pacis ac ſinceritatis amantiſſimo, non exiſtimet alienum, ut Priorem, miſerit Claram-vallem ad decipiendum adoleſcentem: vel etiamſi id feciſſe concedatur, ut inter beneficia & caritatis officia S. Bernardo exhibita computaverit Roberti reſtitutionem? quaſi de injuria beneficium promereri potuiſſet. Ita enim in quadam epiſtola ad Bernardum; *Cur ergo, inquit, mi cariſſime, unus ſaltem mihi per menſem non conceditur, cum Robertum tibi ſanguine proximum, cum Garnerium, cum quoſdam alios, tractus amore tuo, non menſe uno, ſed perpetuo conceſſerim!* Ex quibus obiter obſerves velim, Robertum tandem aliquando Claram-vallem rediiſſe, reſtitutum ſcilicet à Petro Cluniacenſi ſtatim ab initio præfecturæ, ac Domus Dei in diœceſi Biſuntinenſi ab- *Petrus Ven. l. 6. Epiſt 35.*

batem à Bernardo poſtea inſtitutum. Vide Manrique in Annal. anno 1123. & 1127. ex quo nonnulla hæc adduximus.

NEC HONORIS AMBITIO, SICUT JULIANUM APOSTATAM. Theodoretus Hiſtor. eccleſ. lib. 3. cap. 3. teſtatur Julianum imperii cupiditate incenſum, perluſtraſſe Græciam, conquiſiviſſe vates & ariolos, ſciſcitaturum ab illis, Votine compos futurus eſſet. Atque incidit forte in hominem, qui hoc ei prædicere pollicitus ſit. Qui quidem deducto eo in fanum ſimulacrorum, & intra ejus adyta collocato, fraudulentos dæmones invocat. Quibus ſpecie qua ſolent apparentibus, metus coëgit Julianum ſigno Crucis frontem ſuam ſignare. Dæmones igitur, Dominici trophæi conſpicati figuram, & ſuæ ipſorum cladis recordati, confeſtim evanuerunt. Tum præſtigiator, cauſa cur fugerent intellecta, Julianum objurgat: qui cum timorem, quo correptus erat, declaravit, & ſe virtutem Crucis vehementer admirari dixit. Nam dæmones, quoniam ejus figuram ferre non poterant, aufugiſſe. Cui præſtigiator: Ne, inquit, amabo te, ſic exiſtimes. Siquidem non eam ob cauſam formidabant, ſed tuum faſtum deteſtati, ſe ab oculis noſtris removerunt. Ita miſer ab eorum fraudem impulſus, tum impiis initiatum myſteriis, tum pectus ejus ſcelere completur, & infelix propter Imperii cupiditatem pietate omnino ſpoliatur. Ita Theodoretus, cujus verba, etſi prolixiora, recenſeo, quia ad ea Bernardus plane mihi alluſiſſe videtur. 6. HORSTII.

IN EPIST. III.

7. * AD CANONICOS REG. DE ALLOICURTA. Locus erat, ut videtur, in epiſcopatu Catalaunenſi, forſan is qui modo vocatur *Hericour* pro *Audicour*, ubi etiam nunc Prioratus, ad Matronam fluvium prope S. Deſiderii oppidum.

8. VVILLELMI CATALAUN. EPISC. De hoc Guillelmo ita anonymus Auctor apud Cheſnium in Notis ad Abaëlardum. *Eodem tempore*, inquit, *magiſter Vuillelmus de Campellis, qui fuerat archidiac. Pariſienſis, vir admodum litteratus & religioſus, aſſumens habitum Canonici regularis, cum aliquibus diſcipulis extra urbem Pariſius, in loco ubi erat capella quædam S. Victoris martyris, cœpit ædificare monaſterium Clericorum*, quod poſtea Ludovicus Groſſus rex magnifice conſummavit. *Aſſumpto autem illo ad epiſcopatum Catalaunenſem*, (anno ſcilicet 1113. ut habet Albericus in Chronico.) *Venerabilis Gilduinus ejus diſcipulus primus abbas ibi factus eſt.* Is ipſe eſt Guillelmus, qui S. Bernardum Abbatem conſecravit, lib. 1. Vitæ cap. 7. cumque tam impenſe coluit, ut cum Sanctus in gravem infirmitatem incidiſſet, ejus curam ſuſceperit. ibid. ubi plura de eo. Diem feliciter clauſit, non quidem anno 1119 ut multi volunt, ejus ordinationem ad annum 1112. referentes: ſed anno 1121. ut ſcribit idem qui ſupra Albericus, cui ſuffragantur vetera monumenta eccleſiæ Catalaunenſis & acta Epiſcoporum ejuſdem eccleſiæ apud Carolum Rapineum. De eo Robertus de Hoveden, Parte 1. Annal. ad ann. 1121. ita ſcribit. *Vuillelmus de Campellis, Catalaunenſis epiſcopus, octo diebus ante obitum ſuum, ſuſcepto habitu monaſtico* (nempe cum in lecto morti proximus decumberet, pro more illorum temporum) *vitâ deceſſit decimo quinto Cal. Februarii.* Quæ in re variat Necrologium Corbolienſe, in quo teſte Johanne Picardo ſic legitur: *Octavo Cal. Febr. Anniverſarium Vuillelmi Catalaunenſis epiſcopi & noſtri canonici.* Sepultus eſt apud Claram-vallem, teſte Rapineo, in ſacello à ſe exſtructo. Ceterum cum hæc epiſtola eo adhuc vivente ſcripta ſit, ſub annum 1121 reponenda eſt. Varia Guillelmi Theologica ſcripta laudantur in Pancryſis codice mſ. Chemiacenſi, Marduino epitome in Claræ-vallenſi.

IN EPIST. IV.

9. * AD ARNOLDUM. Hic patria Colonienſis, genere nobilis, Friderici tunc præſulis Colonienſis germanus, magnæ ſpei juvenis, à Stephano Ciſtercii abbate primus præficitur Morimundo, fundato anno 1115. in diœceſi Lingonenſi. Cui cum decennio præfuiſſet, tribus monaſteriis excitatis, nempe Bella-valle Biſuntinenſi, Criſta-alba Lingonenſi, & Veteri-Campo Colonienſi, demum ſecularium vicinorum infeſtatione turbatus, & quorundam è ſuis inobedientia, ut teſtatur Bernardus epiſt. 141. ad Humbertum, monaſterium deſeruit, nonnullis monachis ſecum abductis, inter quos quatuor præcipui, Adamus, Everardus, Henricus, Conradusque, cum interim Stephanus Ciſtercienſis in Flandria pro negotiis Ordinis ſui detineretur, quod quidem contigiſſe affirmat Manrique ad ann. 1125. Interim Bernardus fugitivos revocare nititur litteris ad Arnoldum Adamumque ſeorſim datis, quibus alias addit ad Brunonem nobilem Colonienſem, qui poſtea Friderico ſucceſſit, ut eos curaret revocari. Sed fruſtra: nam Arnoldus diem clauſit extremum in Belgio anno 1126. 3. Nonas Januarii. Quo audito, Bernardus ex Capituli generalis judicio errantes alios denuo proſecutus eſt, ſcripta Adamo epiſtola, excommunicationem intentans niſi reſipiſcerent. Quod quidem feli- *Epiſt. 4 5. 6.* *Epiſt. 7.*

citer obtinuit, cumque Adamum ſcriptores Ciſtercienſes eſſe vulgo ſuſpicantur, qui primus monaſterio Ebrbacenſi diœceſis Herbipolenſis in Franconia prælatus fit anno 1127. quique expeditionem ſacram prædicaverit apud principes Germanos, ut refert Otho Friſing. de geſtis Friderici, lib. 1. cap. 40. denique in ſanctitatis exiſtimatione diem ultimum clauſerit. Plura de iſtis vide apud Manriq. tom. 1. & 2. Annal. præcipue ad an. 1115. 1125. 1127.

IN EPIST. VIII.

10. Horstius. AD BRUNONEM COLON. ELECTUM. Bruno II. filius Engelberti Altenæ Comitis, conſecratus anno 1132. à Guillelmo Card. epiſcopo Præneſtino (v. Baron. hoc anno) ſepultus Barri in Apulia in eccleſia B. Nicolai, ut refert Otho Friſing. lib. 17. *Chron. cap.* 22. ubi vocat eum *Virum apprime eruditum*. Porro ejus ſepulcrum uti & Ranulfi Ducis Rogerius Siciliæ Princeps paulo poſt effregit, & cadavera eorum educta per forum traxit, ac demum pluſquam barbara crudelitate dilaceravit. V. Othonem lib. cit. cap. 23, Sigonium de Regno Ital. lib. 11.

IN EPIST. XI.

11. * AD GUIGONEM. Is cognomento de Caſtro, natione Gallus, patria Delphinas, nativitate Valentinenſis, Cartuſiæ majoris à B. Brunone V. Prior Generalis, Bernardo cariſſimus, ut conſtat tum ex hac epiſt. tum ex lib. 3. vitæ S. Bern. cap. 2. vir inſignis modeſtiæ, uti ſuis ſe ipſe coloribus depinxit in quadam epiſtola ad Petrum Cluniac. *Petimus*, inquit, *per eam quæ in nos indignos veſtra fervens viſcera dilectionem; ut quando noſtra exiguitati veſtra ſcribere dignatur Serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem noſtram perniculoſa non inficiatis elatione. Et illud præ omnibus & ſuper omnia quæſumus, & defixis in terram genibus obſecramus, ne vilitatem noſtram* PATRIS *nomine dignam ulterius æſtimetis. Satis & ſuperſatis eſt, ſi frater, ſi amicus, ſi filius appelletur, qui nec ſervi nomine dignus habetur.* Quo quidem exemplo ipſe Venerab. Petrus ad Bernardum ſcribens poſtmodum uſus eſt, ut videre licet hic epiſt. 18. uterque forſitan æmulatus Bernardum epiſt. 72.

Exſtat lib. 1. Epiſt. Petri Ven. ep. 25.

Scripſit vero & ipſe plura, quibus, inquit Trithemius, nomen ſuum immortalitate donatum eſt; nempe *vitam S. Hugonis Gratianopolitani epiſcopi*, quæ Innocentio II. dicata reperitur apud Surium Tomo II. die 1. Aprilis: *Meditationes*, quæ exſtant in Biblioth. P P. *Tractatum de veritate & pace*, MS. in Biblioth. Cartuſiæ Colonienſ. *Inſtitutorum Cartuſ. lib. unum*, item *librum de Contemplatione*, *Epiſtolaſque varias*, ex quibus quatuor hic habes Tomo 6. aliis à me poſt Horſtium inutili diligentia perquiſitis. Cum enim ea de re ſcripſiſſem ad reverendiſſimum P. D. Johannem Pegon Priorem Cartuſiæ majoris atque Ordinis Generalem, hoc ab eo reſponſum habere merui, nimirum, poſt ſæva incendia, quæ ſacra illa domus ab incunabulis paſſa eſt, vix quicquam ſupereſſe inſtructiſſimæ illius MSS. ſupellectilis, quam Majores ſui ſumma cura & diligentia adornaverant. Tribuitur etiam eidem Guigoni *lib. de Scala Clauſtralium*, relatus Tomo 5. Nec omittendum quod de illo refert Trithemius, ſcilicet quod Epiſtolas S. Hieronymi nimio ſcriptorum vitio depravatas diligenti ſtudio ad veritatis lineam emendaverit, & in unum comportaverit. Guigonis hac de re epiſtolam habes hic ex tom. 1. Analectorum. Porro quinquageſimum ætatis agens annum, inquit Surius, lib. 2. Vit. Carth. cap. 5. converſionis vero XXX, Prioratus ſui XXVII. vel circiter, non ſine ſanctitatis opinione ſpiritum Domino reddidit an. Domini M C XXXVII. ab inchoatione vero Ordinis LIII. Ita ille.

IN EPIST XIII.

12. * AD HONORIUM. Illuſtr. Card. Baronius hanc epiſtolam refert ad annum 1129 ſicut & tres ſequentes. Verum (ut optime advertit Manriq. in Annal.) ad annum 1126. pertinere debet. Nam ex ſuppreſſo Bernardi nomine, immo ex ipſo contextu prima ad Honorium ſcripta intelligitur, cui ſe tunc incognitum Bernardus exiſtimabat. At certe exſtant aliæ ad ipſum Honorium datæ, ſcilicet 47. & 49. quas ipſe Baronius reponit ad an. 1127. & 1128. proinde hæc anno ſuperiori nim. 1126. collocanda eſt, quo Ebali Catalaunenſis obitum, in cujus locum electus eſt Albericus, acta ejuſdem eccleſiæ contigiſſe probant.

Rapina in Ebalo.

13. * SI ELECTIONI ILLUST. VIRI. Illuſtris certe fuit Albericus, Remenſis nuncupatus, ſi non genere, ſaltem doctrina & virtute, Abaëlardi quondam ſub Anſelmo Laudunenſi condiſcipulus, demum antagoniſta, quo potiſſimum agente in Synodo Sueſſionenſi, is ſuum librum de Trinitate flammis tradere compulſus eſt. Ipſe vero Albericus ex Remenſi Scholarcha epiſcopus Catalaunenſis eſt electus poſt obitum Ebali, non vero Guillelmi de Campellis, ut volunt Picardus, Horſtius, Cheſnius & alii. Sive enim Guillelmus deceſſerit anno 1119. ut ipſi numerant; ſive anno 1121. quod ſupra probatum eſt in Notis ad Epiſt. 3 veri ſimile non eſt ſedem Catalaunenſem vacaſſe ad promotionem Honorii Papæ, (ad quem Bernardus pro Alberico ſcribit) factam anno 1124. An autem electio & Bernardi commendatio effectum ſortita ſit, affirmat alter Albericus in Chronico ad annum 1126. negant alii fere omnes, quod quidem certiſſimum videtur. Nam in nomenclatura Patrum qui Concilio Trecenſi anno 1127. ſeu 1128. interfuere, recenſitis Patribus ipſoque Catalaunenſi Epiſcopo, ſuppreſſo licet nomine; *Magiſter Albericus Remenſis* inter alios inferioris ordinis exprimitur. Denique conſtat ipſum in ſede Bituricenſi defuncto Ulgrino ſucceſſiſſe, ut recte probat Cheſnius in Notis ad Abaëlardum.

14. Quod ſpectat ad periculum, quod Bernardus in hac epiſtola dicit imminere eccleſiæ Catalaunenſi, niſi confirmetur Alberici electio, non videtur interpretandum de ambitu Henrici Virdunenſis, quem Card. Baronius, Manriq. & Auctor Galliæ purpuratæ aſſerunt voluiſſe invadere ſedem Catalaunenſem: ſed potius de perturbatione conſequenda, ſi vota & unanimis tam Cleri, quam populi poſtulatio fruſtrarentur, ut in conſequentibus Bernardus ſatis inſinuat. Quod autem aſſerunt præfati Auctores pro fundamento ſuæ ſententiæ, fragmentum videlicet epiſtolæ 48. ejuſdem Sancti ad Haimericum, ubi ſic ait: *Quid in me, à boni viri, diſplicuit Paternitati veſtræ? utrumne quod apud Catalaunum amotus eſt à villicatione ſibi credita homo uſquequaque diffamatus, qui in eccleſia Virdunenſi, cui præfuerat, diſſipaſſet bona Domini ſui?* hoc tantum indicat Henrici depoſitionem apud Catalaunum à Matthæo legato factam eſſe, ut refert Albericus ad ann. 1129. dicens Concilium à Matthæo legato *Catalauni celebratum in Purificatione B. Virginis, ubi de conſilio S. Bernardi Henricus Virdunenſis epiſcopatum dimiſerit.* Exſtant apud Vvaſſebourg, lib. 4. Antiq. Belgic. hujuſce rei teſtes Honorii ad Matthæum litteræ, in quibus inter alia ſic habetur: *Tu vero tam prædictum Epiſcopum* (nempe de bonorum eccleſiaſticorum dilapidatione accuſatum) *quam partem adverſariam* (Virdunenſes Canonicos, prout ibi utrumque exprimitur) *ad tuam præſentiam evocans, Catalaunum adeas, ubique adſcitis tibi Trevirenſi Archiepiſcopo & aliis Epiſcopis, ſapientibus etiam & religioſis viris, negotium ſtudioſe audias, & diligenti indagatione perquiras. Quod ſi accuſatores & teſtes idonei apparuerint, communicato fratrum conſilio canonico cauſam diffinias, &c.* Sed de his ſatis.

Baron. & Manriq. ad ann. 1129. Gall. purp. in Matthæo.

IN EPIST. XV.

15. Horstius. AD HAIMERICUM. Is natione Burgundus, ex Caſtra Bituricenſium oppido, quod Caſtreæ familiæ nomen dedit, oriundus, Petri de Caſtra Bituricum archipræſulis conſobrinus, ex Canonico Lateranenſi à Calliſto II. creatus eſt Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ novæ anno 1120. & Cancellarius S. R. E. inſtitutus ante obitum Chryſogoni Piſani, ſui in hoc munere anteceſſoris: quo per aliquot annos præclare functus, deceſſit anno 1141. 5. Calend. Junii, ut fidem facit Calendarium S. Victoris Pariſienſis. Bernardus frequentes & familiares ad eum ſcripſit epiſtolas, necnon *Tractatum De diligendo Deo.*

IN EPIST. XXI.

16. * AD MATTHÆUM LEGATUM. Nobilibus fuit parentibus in Remenſi provincia ortus, deinde Canonicus Remenſis, ſed mox omnibus repudiatis, Ordinem Cluniacenſem Pariſiis in monaſterio S. Martini à Campis profeſſus, demum Epiſcopus Albanenſis & Cardinalis creatur ab Honorio II. anno 1125. & in Franciam legatus Concilio Trecenſi præfuit anno 1128. ejus auctoritate convocato, cui Bernardus repugnans licet intereſſe compulſus eſt. De hac Concilii Trecenſis celebratione ſic loquitur Johannes Michaëlenſis ſcriba Concilii. *In ſolemnitate S. Hilarii anno 1128. ab incarnato Dei filio, ad Trecas, Deo duce in unum convenientes, &c.* De Matthæi vita & virtutibus fuſe agit Petrus Venerab. *lib. 2. Mirac. cap. 3. & ſeqq.*

IN EPIST. XXII.

17. * AD HUMBALDUM. Quem & Humbertum vocat Ordericus. Is ex archidiacono Æduenſi Primas Lugdunenſis creatus, in legationis munere adjunctus eſt Petro Fontanenſi Cardinali, initio pontificatus Honorii II. non vero ſub Calliſto, ut habet Severtius in Hiſt. Epiſc. Lugd. ad coërcendam in primis Pontii Cluniacenſis nuper cœnobiarchæ inſolentiam. quod & præſtitum eſt ab ipſis, Pontio anathemate perculſo, prout hæc omnia diligenter ſcribit, Petrus Venerab. in lib. 2. Mirac. cap. 13. Unde hæc epiſtola ſcripta videtur non longe ab anno 1125. certe ante annum 1129. quo obitus Rainaldi Humbaldi ſucceſſoris (qui paucis diebus ſedem Lugdunenſem occupavit) conſtanter à Severtio reponitur.

18. DOMINUS EPISC. MELDENSIS. nim. Burchardus, non Manaſſes II. ejus ſucceſſor. Hoc enim exigit concurſus temporis cum Humbaldo, defuncto (ut vidimus) ante an. 1129. cum Burchardus ad annum 1133. ſupervixerit, itaque poſt cruentam cædem Thomæ ſancti Victoris Prioris, juxta quem ſepultus commune habere meruit epithaphium, ut videre licet in Gallia Chriſtiana & Severtio. Unde mendum irrepſiſſe liquet in Tabularium S. Martini de Campis relatum a Cheſnio in Notis ad Abaëlardum, ubi Manaſſes II. S. Martino eccleſiam de Chorſiaco legitur conceſſiſſe anno 1125. quem post anno 1135. mendoſe inductum teſtatur Hiſtoria ejuſdem Cœnobii à P. Marrier evulgata. Quæ quidem obſervatio etiam facile perſuadet, Epiſcopum Meldenſem, cujus mentionem Bernardus facit ſtatim ab initio epiſtolæ 42. ad Henricum Senonenſem, non eſſe Manaſſen II. ut multi hactenus opinati ſunt; ſed ipſummet Burchardum. Hæc enim epiſtola ſcripta eſt ad Henricum recens ab aulico vivendi genere converſum, ut clare inſinuat Bernardus tum his, tum aliis verbis: *Nuper autem*, inquit, *nobis à veſtris partibus flare cœpit aura ſecundior. Rumoribus ſi quidem recentioribus nuntiata ſunt de vobis ſolito lætiora*, quod ſcilicet Carnotenſis Epiſcopi conſiliis vitam in melius inſtituiſſet, ut infra declarat. Atqui hanc Præſulis Senonenſis mutationem Honorii II. tempore contigiſſe conſtat tum ex epiſtola 49. ad ipſum Honorium, cui Henricum maxime commendat adverſus Ludovici Groſſi infeſtationes; tum ex ipſarum cauſa infeſtationum, quam non aliam fuiſſe præter Henrici converſionem, diſertis verbis ibidem aſſerit. *Qui ante*, inquit, *in habitu*

aliquo

altaque ſæculari honorati ſunt ſublimes, judicati fideles, habiti familiares; modò inimici facti ſunt digne ſuo ſacerdotio converſantes, & per omnia honorificantes miniſterium ſuum ... Heus & nunc Dominus Senonenſis conſtantiam concutere & labefactare conatur, &c.

IN EPIST. XXIII.

79. * AD ATTONEM EPIS. TREC. Monachum fuiſſe Cluniacenſem affirmant omnes: ſed qui ante adeptum pontificatum, facile revincuntur ex Petri Venerab. epiſt. 50. lib. 2. *Ubi eſt*, inquit, *devotio illa, ubi eſt affectus ille cælo appropians, immo ipſum cælum, ut jam videbatur, contemporans, quo te movo... non dico in fratrem, ſed (ut verbis tuis te familiariter arguam) in filium ac monachum devoviſti? Ubi fides data, ubi tempus conſtitutum, ubi denominata dies, quando te mundum deſerere... humilem & pauperem JESUM ſequi ſublimes adhuc & dives epiſcopus devoviſti?* Idem habet epiſt. 27. lib. 4. *Quod non dedit*, inquit, *amoena juventus, conferat ſaltem ſenectus.* Sed omnem omnino difficultatis umbram abigit epiſtola Petri Prioris... Johannis Evang. Senonenſis ad eumdem Attonem congratulatoria, quam publici juris fecit Severtius in Catalogo epiſcoporum Matiſconenſium in Joceranno Parag. 4. cujus hic aliquot apices repræſentare lubet. *Dilectiſſimo D. & patri ſuo venerando Pontifici Hattoni, capucio B. Benedicti feliciter laureata, P. vaſſallus ſervus Chriſti, obliviſci populum ſuum & domum patris ſui.* Sacramentum unctionis tuæ transfmigratio tua, venerande Pater, non diſſolvit: ſed quò magis accedis ad Dominum, eò gemma tui meriti pulcriùs elucceſcit. Lucerna quippe ne à ventis exſufflerur, à publico ſublata melius in domo lucet; & navis quam tempeſtas in fluctibus agitabat, latibula exoptatum ingreſſa tuta manet; & perſona quæ mundi turbines evadens domum pacis ingreditur, jacturam aliorum reſpiciens de tranquillitate ſua gratulatur. Receſſiſti à mundo, ſicut patrimiam tua novit, acceſſus eſt ad cæleſtem thronum, & cathedra ſponte derelicta majoris eſt dignitatis ſignum. Ea propter domos ſuas plures exierunt, & majori lucis felici commercio lucrati ſunt. Gregorius Nazianzenus ſedi ſuæ renuntians, tunc vitam monachi egit. Juſtus Lugdunenſis ad eremum Ægyptium declinavit. Vulframnus Senonenſis, Friſonum apoſtolus, monaſterio Fontanellæ ad extremum ſe tradidit. Quia hi quidem meritis exigentibus ſacris pulvinaribus corporaliter exhibentur: pontificale verò nomen ſepulcri etiam conſervatur. Poſſem & alios hujuſmodi adducere plures in medium; ſed in omni verbo ſufficere poteſt trium teſtimonium. Ceterum ad te, cariſſime Pater, ſtilum verto, tuaque felicitati totus congaudeo, quem Senonenſis eccleſia ORGANUM & ARCHIDIACONUM habuit, Trecaſſina ſedes pontificem glorioſum obtinuit, Cluniacus civem ſanctorum & domeſticum Dei facit. Idem epiſcopus interfuit Concilio Trecenſi anno 1128. tum etiam Piſano anno 1134. in reditu capite ſauciatus prope Tremulum-pontem Italiæ oppidum, captivuſque abductus cum pleriſque Galliarum præſulibus: de qua quidem injuria Petrus Cluniac. miſſis litteris, nempe 27. lib. 3. apud Innocentium expoſtulavit. Diu tamen ſupervixit, demum Cluniaci mortuus anno 1145. IV. calend. Septemb. ut notatur in calendario cœnobii Arremarenſis. Vide Camuzat. in Promptuario & Severtium in Catalogo epiſcoporum Trecenſium & epiſc. Matiſc.

IN EPIST. XXX.

80. * AD ALBERONEM PRIMIC. METENSEM. Tres adverto hujus nominis in primicerii dignitate ſibi ſuccedentes: primum ex ſtirpe ducis Lovanienſis, poſtea epiſcopum Leodienſem, de quo Ægidius Aureæ-vallis ord. Ciſterc. monachus, de Geſtis pontific. Leod. cap. 23. *Succeſſit domino Friderico, anno ſcilicet 1122. dominus Albero primicerius ex clero ſancti Stephani Metenſis, frater ducis Lovanienſis Godefridi, vir ſummæ auctoritatis & innocentiæ*, &c. *Obiit in Circumciſione anno Domini* 1128. Alterum lego Alberonem ex primicerio Metenſi factum archiepiſcopum Trevirenſem, qui cum Gerardo Sedis apoſtolicæ Legato ſanctum Norbertum ad ſedem Magdeburgenſem promovendum curavit. Sic enim habet Robertus in Supplem. ad Sigibertum ad annum 1127. *Parthenopolitana civitatis archiepiſcopo defuncto, cùm clerici & cives ejuſdem urbis coram imperatore Lothario ad eligendum archiepiſcopum apud Spiram convenirent, nutu domini Gerardi Romanæ Sedis Legati, qui poſtea factus eſt papa Lucius, & ALBERONIS Metenſis Primicerii, qui poſtea factus eſt Treverorum archiepiſcopus*, nimirum anno 1132. *Norbertum Præmonſtratæ eccleſiæ patrem... in Paſtorem eligunt.* Idem legitur in Vita ſancti Norberti apud Surium cap. 40. Ejus nomine Bernardus ſcripſit epiſtolam 176 ad Innocentium papam II. Is in antiquis membranis frequenter ſubſcripſiſſe reperitur, promiſcuè vocatus Albero, Adalbero, cum altero Alberone archidiacono. Sic enim in quadam charta ſancti Arnulfi Metenſis: *Ego* ADELBERO *Primicerius ſubſcripſi*, & collaudavi *Richerus decanus ſubſcripſi*, ADELBERO *archidiaconus*, &c. *anno Dom. incarn.* 1126. In alia verò ſancti Petri de Monte, ſcripta anno 1127. *Hujus vero donationis teſtes ſunt*, ALBERO *Primicerius*, *Richerus decanus*, &c. quas videſis apud Meuriſſium in hiſtoria epiſcoporum Metenſium, qui hunc Alberonem eumdem facit non rectè cum altero Alberone ejuſdem Primicerio, Conradi Comitis Luxemburgenſis filio, qui hac dignitate potiebatur ad annum 1086. ut apparet ex Conradi patris epitaphio ab ipſo auctore prolato, pag. 386 cùm ille, de quo agimus, ab anno dumtaxat 1122. quo Alberoni Lovanienſi ſucceſſit, ad ſummùm hanc dignitatem obtinuerit.

81. Præter Luxemburgenſem itaque tertium habemus Alberonem, qui ex Primicerio factus eſt Leodienſis epiſcopus hujus nominis ſecundus, anno 1135. de quo ita Ægidius ſuperius laudatus. *His diebus*, inquit, *cùm in deriſum & ſubſannationem veniſſet civitas Leodienſis his qui erant in circuitu ſuo per turpem Alexandri depoſitionem, communibus votis, pari aſſenſu clerus & populus ſubrogavit ſedi Leodienſi* ALBERONEM, *hujus nominis ſecundum, Primicerium Metenſis eccleſiæ, juvenem quidem ætate*, &c. *Elegerunt eum ſunt columnæ eccleſiæ; hac ſpe maxime, quòd eſſet de progenie Namurcenſi*, &c. Tres igitur, præter Luxemburgenſem, habemus Primicerios Metenſes ejuſdem nominis ſibi continuè ſuccedentes. Ad quem verò ex his Bernardus hanc ſcribat epiſtolam ſcripſerit, non ita in promptu eſt definire. Verumtamen, quantum ex ſerie litterarum colligere licet, ad ſecundum referenda videtur, eum ſcilicet qui poſtea ad archiepiſcopatum Trevirenſem aſſumtus, ſanctum virum maximè familiarem habuit, ut conſtat ex pluribus epiſtolis *, quas in ejus gratiam ad Innocentium Romanamque curiam direxit. Quin & argumentum epiſtolæ hujus, quæ agit de fundatione cujuſdam monaſterii, procurante Alberone, à Stephano Metenſi epiſcopo concepta, ſuffragari videtur. Quod quidem non eſt intelligendum de illo cœnobio ab ipſo Stephano conſtructo; ſed vel de illa Capetarum domo *, quam ipſo conferente monialibus ſui Ordinis Bernardus attribuit, impoſito nomine Claræ-vallis, circa annum 1130. vel de fundatione Belli-Prati propè Lunævillam, à Folmaro Comite Metenſi conſtructi, quam quidem ipſe Stephanus ratam habuit & confirmavit, ut conſtat ex diplomate, cujus hoc initium. *Ego Stephanus manifeſto generationi quæ nunc eſt & futura, quòd Folmarus Comes Metenſis conſtruxit abbatiam monachorum Ciſtercienſis ordinis in banno Moraſme, quæ vocatur Bellum-pratum*, &c. *Datum anno* 1130. quamvis in alia charta Henrici epiſcopi Tullenſis ad ann. 1135. hæc fundatio referatur, quod fortaſſe de ædificiorum integra perfectione accipiendum eſt.

* Bern. Epiſt. 78. & ſeqq.

* V. Meuriſſium p. 390.

Idem p. 405.

82. Quod ſpectat ad *Primicerii* nomen apud antiquos uſitatiſſimum, non uni officio vel dignitati proprium fuit, ſed iis tribui ſolitum, qui in quocumque ordine primum locum obtinerent. Hinc in Novella Conſtit. 8. ſæpius repetitur, *Notariorum primicerius*, & *primicerius fabricæ*, l. 2. C. de Fabricenſ. l. 13. *Primicerius domeſticorum protectorum equitum*, l. 2. & l. ult. C. de domeſticis & prot. *Primicerius menſorum*. C. 1 de Menſor. l. 12. *Primicerius in officio protectorum*. Præterea apud Veget. l. 2 C. 21. *Primicerius protector*. apud Ammian. Marcell. l. 18. *Primicerius præceptorum*, *Singulariorum*, *Auguſtalium*, *Scriniorum*, *Deputatorum*, *Sacri cubiculi*. L. 1 quæ à præbet. tyro in Cod. Theodoſ. & apud Caſſiod. l. 11. variar. Sic *primicerius Legiones* apud Guill. Tyr. lib. 2. de bello ſacro, c. 19. Sic *primicerius defenſorum & Cardinalis primicerius*, apud Luitprand. lib. 6. de reb. per Europ. Sic ſanctus Auguſtinus vocat ſanctum Stephanum *primicerium Martyrum*. Serm. 81. de Temp. * Hic verò apud Bernard. *Primicerii Metenſis* nomine intelligitur prima Canonicorum eccleſiæ ſancti Stephani Metenſis dignitas, cui quidem inter alias prærogativas crucem ad pectus etiamnum geſtare conceſſum eſt, uti veſte purpurea, primumque locum in choro & Capitulo tenere. HORATII.

IN EPIST. XXXI.

83. * AD HUGONEM CAMP. COMITEM. Is Theobaldi III. Campaniæ Comitis filius, erga eccleſias, maximè Arremarenſem & Moliſmenſem, munificentiſſimus, primò quidem Barrenſis ad Albam Comes, deinde verò Trecenſis poſt deceſſum Odonis fratris. Ipſo auctore factum eſt, ut extincto poſt illam unionem Trecenſis & Barrenſis Comitatuum nomine, ſucceſſores Campaniæ Comites nuncuparentur, cùm antea hoc nomen Barrenſis æque ac Trecenſis ſingulatim uſurparent, ut notavit Franc. Chifflet. in ſua Diatriba de illuſtri genere ſancti Bernardi. Ad eumdem ſpectat Ivonis Carnotenſis epiſtola 245. cujus argumentum ex ipſo limine accipimus his verbis. Audivimus & cognovimus, quòd Jeroſolymam profecturus militiæ Chriſti te ipſum devoviſti, illam evangelicam arrepturus militiam, quâ cum decem millibus ſecurè pugnaturus adverſus eum, qui cum viginti millibus adverſum nos pugnaturus occurrit. Et infrà: Duxiſti uxorem, &c. demumque ita concludit: Oportet ergo ut in hoc propoſito ſic tibi provideas, quatenus ita noviſſima vota impleas, ut ſtatuta naturalia & legitima non frangas. Horſtius ſuſpicatur, Ivonem eo loci revocare Hugonem à militia Templi, propoſita lege vinculi conjugalis. At cum teſte Guillelmo Tyrio, cui adſtipulantur univerſi, Ordo Templariorum anno dumtaxat 1118. ſumſerit exordium; Ivo autem anno 1115 certo calculo defecerit: conſequens eſt eum intelligendum eſſe vel de militia Hoſpitalium, quam Hugo Jeroſolymis profiteri ſtatuiſſet, vel de ſpirituali & evangelica ſeu temporaria quadam continentia, quam in ſecundæ peregrinationis ad loca ſacra intervallo ſervare deberet. Ter ſiquidem ipſum Jeroſolymam iter aggreſſum eſſe conſtat, ut rectè probat idem qui ſupra Chiffletius. Primò quidem anno 1113. iterum circa annum 1121. poſtmodum verò quando Templariorum militiæ ſe ſe addixit, quod anno 1125. diſertè collocat Albericus in Chronico. Eò poſtremum diſceſſurus, (ſi fides habenda Petro Pithœo, inquit Chiffletius) Comitatum ſuum Theobaldo fratris ſui Stephani filio vendidit, Odonem filium exheredavit, & quam (Conſtantiâ Philippi I. Galliarum regis filia ob conſanguinitatem dimiſſâ, anno ſcilicet 1104.) ſecundam conjugem duxerat, gravidam reliquit, obitque in partibus tranſmarinis die menſis Junii 14. quamvis in Necrologio ſancti Claudii obiiſſe dicatur XI. Cal. Julias. Ita fere ille. Porro Hugonem iſtum alium eſſe ab Hugone militiæ Templi Magiſtro, cui Bernardus direxit Exhortationem ad Milites Templi, colligitur ex Guillelmo Tyrio, de Bello Sac. lib. 12. cap. 7. apud quem hic *de Paganis* cognominatur, & ſucceſſorem videtur habuiſſe Robertum, quantum ex eodem auctore lib. 17. cap. 1. conjicere licet.

Lib. 12. de Bello ſac. c. 12.

84. * POSSEMUSNE OBLIVISCI ANTIQUI AMORIS ET BENEFICIORUM, &c. Nimirum ipſe Hugo Bernardo

fratribuſque conceſſerit locum ipſum Claræ-vallis cum ſuis appendicibus, ut meritò Fundatoris * nomine cenſeri debeat. Quod cùm lectoris paucis innotuerit, lubet hic ipſam deſcribere chartam donationis, quam ſæpe laudato P. Chiffletio, qui eam primus in ſua Diatriba evulgavit, ex autographo Claræ-vallenſi acceptam referre debemus.

* Hinc colligit Chifflet. Hugoni pro ſymbolo fuiſſe teſſellatam illam faſciam diagonalem, Claræ-vallenſibus ſtructuris ſigatam quam ſanctum Bernardi ſtemma gentilitium non pauci arbitrantur, ſed perperam. V. hic tomo 6 col. 10.9.

„ IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis incipit charta Comitis Hugonis. Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quòd ego Comes Trecenſis do Deo & beatæ Mariæ & fratribus Claræ-vallis, locum ipſum qui vocatur Clara-vallis, cum pertinentiis, agris, pratis, vineis, ſilvis & aquis, nihil omnino mihi aut heredibus meis retinens. Unde teſtes Acardus Remenſis, & Petrus, & Robertus Aurelianenſis milites mei. Et ſciendum quòd Gaufridus Felonia dat paſturas ſuas in finagio de *Fruvenocurt*, tam in boſco, quàm in plano omni tempore: & ſi aliquod damnum intulerint animalia dictorum fratrum, ſolum capitale reſtituetur ſine emenda. Hæc autem omnia dedi in præſentia ſupradictorum teſtium. Sciendum quoque eſt, quod dominus Joſbertus de Firmitate, cognomine Rufus, & dominus Rainaudus de Perceiis dederunt eiſdem fratribus paſturam & uſuarium per totam terram ſuam, & præcipuè in aquis, ſilvis, pratis, in finagio de *Perrecin*. Hujus rei teſtes ſunt Acardus Remenſis, & Robertus, milites mei. Item ſciendum quoque eſt, quòd ego Hugo Comes Trecenſis laudo & concedo eiſdem fratribus liberè & quietè poſſidere terram & ſilvam de Arrecla. Has donationes confirmamus ego JOSCERANNUS Lingonenſis epiſcopus, & ego HUGO Comes Trecenſis de ſigillo & annulo meo. „

25. Quod ſpectat ad annum fundationis, qui non exprimitur in his tabulis; idem auctoris ſancti Mariani Autiſſiodorenſis Chronographum ſecutus, retuli ad annum Chriſti 1114. menſe Junio. Et quidem de menſe conveniunt omnes: quoad annum verò, cùm tam externa, quàm domeſtica inſtrumenta refragari videantur, inter alia verò Exordium Ciſterc. Diſt. 2. cap. 1. tabella ſancti Bernardi tumulo appenſa, quæ diſertis verbis annum 1115. exprimunt, receptæ jamdudum ſententiæ adhærere ſatius videtur; cùm alioqui vix Bernardus profeſſionem emiſiſſet menſe Junio ann. 1114. & Hugo ipſe, qui locum conceſſit, adhuc in Oriente verſaretur. Clara-vallis itaque primò quidem ab Hugone Campaniæ Comite fundata, poſtea verò anno 1135. in ampliorem locum tranſlata, opitulante Theobaldo ipſius ſucceſſore, novâ fabricâ donata eſt; unde primi Fundatoris nomen obtinuit apud aliquos, tranſlationem cum fundatione confundentes, ut bene monet Manricus in Annalibus ad annum 1115. cap. 2.

IN EPIST. XXXII.

26. * AD ABBATEM SANCTI NICASII REM. Drogo (cujus occaſione ſcripta eſt tum hæc, tum epiſtola 33. & 34) videtur non perſeveraſſe in Ordine Ciſterclenſi, ſed abbatis ſui Joannis (ad quem hæc epiſtola) importunis tandem querelis ante profeſſionem fuiſſe revocatus, iſque idem ipſe videtur, qui expulſis ſanctimonialibus è monaſterio ſancti Johannis Laudunenſis, monachorum cœtum illuc adduxit, quibus ex Priore ſancti Nicaſii Remenſis ut primum abbatem præfectus eſt anno 1128. ut dicetur infra ad epiſtolam 48. Poſtmodum verò cardinalis & epiſcopus Oſtienſis creatus eſt ab Innocentio II. an. 1136. (ut probat noſter Acherius in ſuis ad Guibertum Notis) non verò 1135 ut habet Ciaconius, vel 1134. ut e naſet Ughellus in Italia ſacra. Geſta Drogonis percurrit Hermannus lib. 3. de Mirac. cap. 22. & auctor Appendicis ad Sigibertum ad annum 1128. qui eum e vita migraſſe aſſerit anno 1138. his verbis: *Obiit Drogo bonæ memoriæ Oſtienſis epiſcopus, vir religione ac ſapientia clarus.* Et Necrologium ſancti Johannis Laudunenſis: *Decimo quarto calend. Januarii obiit Drogo Oſtienſis epiſcopus & cardinalis, primus abbas noſtræ congregationis, & Mathildis ſoror ejus.* Scripſit Sermonem de Paſſione Domini, qui exſtat in Bibliotheca Patrum. Soliloquia quoque edidiſſe notatur in Bibliotheca Belgica mſſ.

27. * Porro quod ſpectat ad Joannem abbatem, quantum eo regente aſceterium Nicaſianum floruerit, probant viri inſignes, qui ex eo ad regularem diſciplinam longe lateque propagandam prodiêre. Nam præter Drogonem iſtum, Gaufridus apud ſanctum Theodericum prope Remos, ac poſt eum Guillelmus in abbatem aſſumtus eſt. Simon apud ſanctum Nicolaum de Boſco in diœceſi Laudunenſi, ad quem epiſtolæ 83. & 84. Arnulfus apud Gemblacum, ut teſtatur Auctarium Gemblacenſe. Ipſe verò Joannes ſolitudinis ſtudio accenſus, Ordinem Cartuſianum in cœnobio Montis-Dei amplexus eſt anno 1138. ubi ſe tam præclarè geſſit, ut in cardinalium numerum ab Innocentio II. ſit cooptatus. Ceterum cum hæc epiſtola ſcripta ſit Roberto ſancti Bernardi conſanguineo nondum ſibi reſtituto, ut ſanctus Doctor hic aſſerit, ad annum circiter 1120. referenda eſt.

IN EPIST. XXXV. & XXXVI.

28. * AD HUGONEM FARSITUM. Qualis fuerit Hugo Farſitus, inſigni diſcimus harum epiſtolarum teſtimonio, in quibus eum Bernardus *cariſſimum fratrem & coabbatem, antequam dilectorem & dilectum* appellat, immo & *ſanctum* fama & opinione conteſtante: ſed quis tandem fuerit, non ita liquet. Apud doctos familiare nomen, cetera fere ignota. Poſſevinus in Apparatu affirmat eum fuiſſe monachum ſancti Medardi Sueſſionenſis, ſed merâ, ut puto, conjecturâ. Ex litteris noſtri Hildefonſi *Urayet* olim accepimus, Hugonem Farſitum fuiſſe canonicum regularem ſancti Johannis de Vineis apud Sueſſiones, ut manifeſtè probant ejuſdem abbatiæ Necrologia, publicaque inſtrumenta, quibus ipſe frequens ſubſcripſiſſe reperitur. In Calendario cathedralis eccleſiæ ſancto Gervaſio ſacræ hæc de eo habetur memoria. *Pridie nonas Auguſti obiit Hugo Farſitus canonicus regularis, qui dedit nobis libros ſuos tam divinæ paginæ, quàm ſæcularis.* Cujus loci abbas fuerit, incertum. Alii apud Caſtrum-Theoderici præfuiſſe ſuſpicantur, alii apud Valencenas; fortè potius abbatia ſancti Johannis Carnotenſis, cui anno 1131. abbatem nomine Hugonem præpoſitum lego. Locum utcumque innuit epiſtola 33. abbatiam nempe ditioni ſubjectam Theobaldi Comitis, quem ipſius Hugonis Comitem appellat. Ceterùm quàm non mediocris litteraturæ fuerit, probat in primis illa librorum ſuppellex eccleſiæ cathedrali conceſſa, inſuper *liber Sacramentorum*, cujus meminit Bernardus epiſt. 35. in quo cum aliquid ad fidei apices non ſatis accuratum admiſiſſe reprehendatur, facilè inducor de eo eſſe intelligendum Hugonem Victorinum Bernardum conſulentem de ſententia cujuſdam auctoris, aliter quam par eſſet, de baptiſmo ſentientis, quem ideo ſuppreſſo nomine deſignare, quia ſuum. Denique præ manibus eſt liber mſ. de Miraculis beatæ Mariæ Sueſſionenſis ab eodem in 31. capita diſtinctus, in cujus titulo ſcribitur *Hugo Farſitus venerabilis memoriæ.* Hic liber totus editus eſt in Hiſtoria gallica parthenonis Sueſſionenſis, auctore noſtro Michaële Germano.

IN EPIST. XXXVII.

* LAUDABILI PRINCIPI THEOBALDO. Mira & magna ejus encomia paſſim leguntur apud Scriptores ejus ætatis. Anſelmus Gemblacenſis ad annum 1134. *Theobaldus Comes*, inquit, *Bleſenſis ſive Carnotenſis, præ cunctis principibus Galliæ, magno pondere juſtitiæ eminet in Francia, religioſis monachis & clericis pius ac familiaris, Eccleſiæ defenſor, pauperum adjutor, mærentium conſolator, in commerciis negotiatorum cautus & diſcretus, in reos & à recto devrantibus ultor & vindex.* Iiſdem omnino elogiis celebratur ab Hugone monacho Autiſſiodorenſi ad annum 1136. Quod ſpectat ad juſtitiæ zelum, ob quem præcipuè commendatur ab hoc Anſelmo, illuſtre habes argumentum ex epiſtola 39. & aliis, ex quibus diſcimus quam rigidè in monomachos a principibus fere ubivis toleratos, primus, aut certè inter primos, animadverterit, id quod clericis longe antea interdixerant canones, ut docet Ivo Carnotenſis epiſcopus in epiſtola 247. 29.
Idem Theobaldus ab officiis caritatis & miſericordiæ ab Ernaldo Bonæ-vallis abbate mirificè prædicatur in vita ſancti Bernardi lib. 2. cap. 8. item a Gaufrido lib. 4. cap. 3. quibus adde novam epiſtolam 416. Unde apparet quantum ex ſancti Doctoris familiaritate & documentis profecerit. Obiit 6. idus Januarii anno 1152. ſepultuſque eſt, non in monaſterio Pontiniacenſi, ut vult Jongelinus, & poſt eum Manricus * Vincentium Bellovac. ſecuti; neque in Claræ-vallenſi, ut Brito Luſitanus, ſed in monaſterio Latiniacenſi Ordinis ſancti Benedicti ad Matronam fluvium, cujus fuit Advocatus, teſte Bernardo epiſt. 230. quòd nimirum hæc abbatia ab Heriberto Campaniæ Comite circa annum 990. inſtaurata fuiſſet, ubi tumulus ipſius Theobaldi porphyreticus etiamnum viſitur. Sepulturæ locum ſicut & diem obitus Elinandus monachus in Chronico apertè indicat. *Anno*, inquit, 1152. *moritur Comes Campaniæ Theobaldus 6. id. Januarii, & apud Latiniacum ſepelitur. Habuit autem filias ſex. Prima fuit Maria Burgundiæ Duciſſa; ſecunda Agnes Barri-Ducis Comitiſſa: tertia quædam Duciſſa in partibus remotis. Hanc poſtea duxit Guillelmus Goez in diœceſi Carnotenſi. Quarta Comitiſſa Mathildis Pertici: quinta Monialis Fontis Ebraldi: ſexta fuit Adela Francorum regina.* His omnibus adſtipulatur Albericus in Chronico ad annum 1152. qui & addit Theobaldum quatuor habuiſſe filios hoc ordine: *Henricum Comitem Trecenſem Palatinum, largitate & liberalitate famoſum: Theobaldum Comitem Bleſenſem & Carnoti. Stephanum Comitem de Sancerra, & Guillelmum archiepiſcopum Senonenſem, & poſtea Remenſem.* Theobaldi Epitaphium, auctore magiſtro Simone, cognomento Capra-aurea, ſancti Victoris Pariſienſis canonico, edidit in Diatriba Franc. Chiffletius ex mſ. Codice monaſterii Caritatis Ordin. Ciſterc. dignum certè quod in honorem tanti Principis hic tranſcribatur.

* Manriq. 1114. c. 2. n. 5.

Tranſiit ille Comes Theobaldus, clarus ubique,
Eccleſiæ matris filius, immo pater.
Magnus honore, potens armis, ſpectabilis ortu,
Mente ſagax, verbis lucidus, ore decens.
Exiguis parvus, tumidis ferus, aſper iniquis,
Simplicibus ſimplex, omnibus omnis erat.
Lætus pauperibus, monachis, ægriſque parabat
Inceſſantes opem, munera, templa, domos.
Hujus erat ſervare bonos, punire nocentes:
Hujus erat juſtè vivere, juſta loqui.
Omnes virtutes in eo lucere videres,
Certabantque ſimul mirificare virum.
Gallia noſtra gemens tanto viduata patrono,
Sicut eo ſtabat ſtante, jacendo jacet.
Ergo dies decimus Jani fuit ultimus illi
Cui Deus eſt melior millibus una dies.

Hos verſus prædictus auctor Henrici Comitis precibus compoſuit.

IN EPIST. XXXIX.

* AD THEOBALDUM. Inter cetera de quibus Theobaldum ſollicitat hac epiſtola ſanctus Bernardus, intercedit pro miſero quodam, nomine Humberto, qui duello victus, juſſu principis & loculis, & oculis mulctatus eſt, ut nec ſupereſſet unde miſeram utcumque vitam ſuſtentaret. Gravis quidem pœna, & quæ Bernardi animum caritatis ſpiritu delinitum juſtiſſimè movit: ſed tanto & tam pertinaci morbo talis medicina debebatur. De monomachiæ uſu & ritu teterrimo vide ſi lubet Sirmundum in Notis ad Gaufridum Vindoc. lib. 3. epiſt. 38. Cheſnium ad Bibliothec. Clun. & alios. Confer. Bernardi epiſtolam modo 376. 30.

AD EPIST. XLV. Ad Ludovicum regem.

31. * NON UTIQUE EPISCOPO PARISIENSI. Mira in ſanctis viris dicendi libertas, intrepidus juſtitiæ zelus, quo pro epiſcopi defenſione adverſus regem humiles monachi inſurgere non verentur. Sed qualis fuerit Ludovico Stephani Pariſienſis epiſcopi inſectandi ratio, ex antiquis monumentis non ita facile eſt divinare. Rem utcumque Bernardus inſinuat in ſimili cauſa Henrici archiepiſcopi Senonenſis, epiſt. 49. ad Honor. PP. *Rex*, inquit, *non tam epiſcopos, quàm in epiſcopis juſtitiæ perſequitur zelum.* Quod amplius declarans ait: *Quos antè in habitu utcumque ſæculari honorati ſunt ſublimes, judicant fideles, habet familiares, modo inimici facti ſunt digne ſuo Sacerdotio converſantes & per omnia honorificantes miniſterium ſuum.* Hinc illuſtriſſ. card. Baronius ad annum 1127. totum latiùs explicat his verbis: Profecerant ſiquidem epiſcopi provinciæ Senonenſis Ciſtercienſium monachorum exemplo, atque verbis litteriſque ſancti Bernardi, præcipuè verò quem diximus Pariſienſis epiſcopus, atque Pariſienſis abbas ſancti Dionyſii Sugerius, qui monaſterium illud monaſticâ penitus diſciplinâ ſolutum, fibulâ regularis obſervantiæ arctè conſtrinxerat: quo nomine ipſi ſanctus Bernardus congaudens, gratulatoriam ad eum dedit epiſtolam *. Quòd verò etiam & ipſe metropolitanus Senonenſis archiepiſcopus Henricus æquè admonitus litteris ſancti Bernardi, & quidem prolixioribus, ad meliorem frugem converſus, ea quæ eſſent optimi Paſtoris munera diligenter expleret, eadem ex cauſis ejuſdem Principis indignationem incurrit, &c. Sed quæ iſta reformatio, inquit, fuit, quæ adeo diſplicere potuerit regi Chriſtianiſſimo? Illa ſcilicet, quòd epiſcopi aſſueti priùs, relictâ eccleſiâ, curiæ Regis aſſiſtere, militiam ſectari, jam ſe ſe ad eccleſiam è curia atque militia revocaſſent, atque etiam ſubditos ſibi clericos pariter revocaſſent. Erat horum haud exiguus numerus in palatio Regis militantium, nec in ipſa palatina tantùm, ſed & in caſtrenſi militia merentium. Quod deplorat idem ſanctus Bernardus cùm in pluribus locis, tum præſertim, quod ad rem ſpectat, in epiſtola ad Sugerium abbatem Pariſienſem, &c. Hæc uſque Baronius. Sed ut hiſtoriæ apud auctores illius ætatis alto ſilentio ſepultæ ex veteribus etiam inſtrumentis nonnihil lucis afferamus, lubet cujuſdam familiaris ad ipſum Stephanum Pariſienſem epiſtolam, quam noſter Acherius Spicil. Tomo 3. evulgavit, proferre in medium, cujus hæc verba ſunt.

* vide epiſt. 78.

* Epiſt. 42.

32. QUamvis paternitati veſtræ conſtantiam nihil adhuc mutari nec debilitari perſenſerim, tamen pro vobis more amici ſollicitus vos moneo & remoneo, ne à propoſito veſtro & juſtitiæ rigore declinetis, nec ECCLESIAE VESTRAE LIBERTATEM, quæ temporibus anteceſſorum veſtrorum floruit, annihilari permittatis, illamque Dominicam ſententiam memoriter retineatis: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Sciatis autem me in omnibus & per omnia vobiſcum perſeverare, nec pro damnis, quæ mihi & hoſpitibus meis pro vobis contigerunt, à propoſito meo pedem retrahere. Rex enim & regina meis hoſpitibus XXX. libras dederunt, & hoc totum pro redemptione ſuarum rerum abſtulerunt: & MEI PARENTES ET AMICI regi & reginæ vineas meas extirpari jubentibus, X. libras dederunt, & hoc totum DECANI ET ARCHIDIACONORUM inſtigatione, immo G. ſuccentoris nocturna ſuſurratione peractum eſt. Deo verò vobis & mihi ſubveniente, me omnia, quæcumque amiſerim, recuperaturum non vereor, nec vos ſine me rerumque mearum recuperatione pacem recepturum arbitror. Præterea niſi vos conſilio ſatis abundare ſentirem, parvitas mea paternitati veſtræ conſuleret, ut dominum Senonenſem archiepiſcopum & coepiſcopos veſtros precibus veſtris & amicorum veſtrorum vobis alliciatis, & ad juſtitiæ veſtræ aggravationem, ut in epiſcopatibus ſuis à divinis ceſſent, modis omnibus impetrare non differatis, ut ejuſdem juſtitiæ participes vobis contra omnes ſubveniant, &, ſi neceſſe fuerit, Romam nobiſcum veniant.

Ex hac epiſtola tria colligimus notatu digna. 1. non ſolùm epiſcopum, ſed & familiares iiſque conjunctos, bonis omnibus à rege ſpoliatos: 2. hanc perſecutionis procellam inſtigantibus quibuſdam clericis excitatam: 3. libertatem eccleſiaſticam à rege violatam. Quæ quidem omnia mihi facilè perſuadent, totam hujus mali lernam à quibuſdam clericis repetendam, qui cùm pro regis arbitrio eccleſiaſticis perſonis exactiones imponerent, expetitioniſque Stephanum adverſantem, regis animum adverſus illum peſſimè irritantes, in bonorum omnium diſcrimen adduxerint, immo etiam in ipſius necem conſpirarint, ut patet ex alia epiſtola* ad Stephanum ſcripta. Unde factum eſt, ut etiam ipſo in regis gratiam bonaque omnia reſtituto, Thomas ſancti Victoris Pariſienſis prior pro iſtius cauſæ defenſione poſtmodum occubuerit, ut videre eſt epiſt. 158. & ſeqq. At quodcumque tandem hujus tragœdiæ ſeminarium fuerit, Stephanus armis ſpiritualibus utens, regis terram interdicto ſuppoſuit; ejuſque indignationem declinans, ad Henricum Senonenſem, tum ambo ad capitulum Ciſtercienſe confugientes, fraternitatis jure, quâ tum ipſi, tum etiam rex Ciſtercio ſe ſociaverant, litteras ad flectendum regis animum à Patribus impetrarunt: quas Bernardus cum Hugone Pontiniacenſi, multiſque aliis prælatis, Ludovico ſupplex offerens, repulſam indignè paſſus eſt. *Epiſcopos*, inquit Æmilius, *deprecantes à genibus ſuis repulit Ludovicus: cui impœnitentiæ Bernardus abbas iram cæleſtem vindicem inſtare, denuntiaſſe fertur.* Addidiſſe verò Bernardum Gaufridus, & ex eo Gaguinus memorat: *Hæc*, inquit, *tua rex pertinacia filii interitu multabitur.* Cujus vaticinii veritas in Philippi nece infelici probata eſt. Tantâ dicendi libertate à propoſito princeps aliquanto dimotus, ad Honorii papæ litteras, quibus interdictum ſolvebatur, animum refricans, malè cœpta ardentiùs proſecutus eſt.

* Spicil. to. 3. p. 121. epiſt. 37.

Paul. Æmil. in Ludov.

Gaufrid. lib. 1. vitæ ſancti Bern. cap. 2.

Gaguin lib. 6. Hiſt. Franc.

Quod Bernardus impatienter ferens, tam ſuo, quàm Gaufridi Carnotenſis nomine litteras ad Honorium juſtæ querimoniæ plenas dedit. Tandem verò tam pertinax, tamque concitata diſſenſio finem acceptiſſe videtur in concilio Trecenſi anno 1128. vel certè non multò poſt, ipſius Honorii auctoritate: qua de re Bernardus gratias retulit, ad eum denuo ſcribens, epiſt. 49. *Hinc enim*, inquit, *gravabat contumeliis & injuriis epiſcopi Pariſienſis conſtantia pulſata eſt, ſed non quaſſata: quia Damianus ſuppoſuit manum ſuam, cùm veſtram appoſuit.* Porro hunc Stephanum Pariſienſem, antea cancellarium, diſtinctum eſſe à Stephano de Garlanda dapifero, de quo in Annalibus Teulſ, diſertè probat Cheſnium in Notis ad Abælardum, nec obſcurè intelligitur ex epiſtola quadam * Gaufridi Carnotenſis, in qua ſcribit ſanctum Bernardum fuiſſe electum ad pacem cum Stephano Pariſienſi & Stephano de Garlanda componendam.

Bern. epiſt. 46. & 47.

* Extat to. 3. Spicil. p. 68.

33. * Quod ulterius ad Ludovicum ſpectat, quem ſanctus Bernardus ad Honorium ſcribens, *alterum Herodem* appellat, memoriâ certè dignum eſt, quantâ religione & pœnitentia diem clauſerit extremum, anno ſcilicet 1137. *Qui ut erat in conſilio providus*, inquit Sugerius in ejus vita, *ſibi ipſi conſulens, & univerſam animæ ſua Deo placens, frequenti confeſſionis & orationis ſibi devotione providebat, hoc unum toto animi affectu peroptans, apud ſanctos martyres protectores ſuos, Dionyſium ſociosque ejus, ſe quomodocumque deferri, & ante ſacratiſſima eorum corpora, regno & corona depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus inſignibus & imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, monaſticum ordinem profiteri.* Videant, inquit optimè cardinalis Baronius, qui monaſticæ paupertati derogant; quomodo non ſolùm archiepiſcopi, ſed & ipſi reges tranſitoriæ vitam æternam præferentes, ad ſecuriſſimam monaſtici ordinis tutelam confugiunt. Addit verò Sugerius, regem facta peccatorum confeſſione *inopinatè ſe levaſſe, obviamque corpori Domini exiiſſe, ac devotiſſimè adſtitiſſe. Ubi*, inquit, *videntibus cunctis, tam clericis quàm laicis, regem, exiens regnum deponit, peccando regnum adminiſtraſſe confitetur, filium ſuum annulo inveſtit, eccleſiam Dei, pauperes & orphanos tueri . . fide obligat. Ubi etiam aurum & argentum & eccleſias, & pauperibus & egenis pro amore Dei diſtribuens, nec chlamydibus, nec regiis indumentis uſque ad camiſiam pepercit.* Mirandum laudè in tanto rege exemplum! Ceterum de donis pretioſiſſimis eccleſiæ ſancti Dionyſii ab ipſo attributis videſis apud eumdem auctorem.

Epiſt. 49.

* Laborabat diarrhæa.

* Baron. anno 1136.

34. SI TAMEN PRIUS . . . . RES EI SUAE INJUSTE ABLATAE RESTITUANTUR. Nimirum exſpoliati prius ſunt reſtituendi, quàm ad cauſam vocandi. v. Canones à Gratiano collectos. *Cauſa* 3. q. 1. ubi ait Caius papa epiſcopis ſuis rebus exſpoliatis, vel à propriis ſedibus ejectis, omnia quæ eis ablata ſunt, legibus ſunt redintegranda, quia priuſquam hoc fuerit factum, nullum crimen eis objici poteſt. Ibidem Johannes papa: *Redintegranda ſunt omnia exſpoliatis . . . & in eo loco, unde abſceſſerant, funditus revocanda . . . ante accuſationem, aut regularem ad ſynodum vocationem eorum*, &c. Vide ibidem plura: item capitula in Decretal. Gregor. Tit. de reſtit. ſpol. Unde & Goffridus Vindocin. epiſt. ad Ivonem ita ſcribit: *Cum de re noſtra à nobis diu & juſtè poſſeſſa, & injuſtè ablata, ſecundum ſacros Canones inveſtiti fuerimus, ſi poſtea de nobis conquerantur, quod juſtus judex, quod divina lex faciendum judicaverit, non recuſamus.* Vide eumdem epiſt. ad Ranulfum Sanctonenſ. epiſcop. ubi etiam, cum Bernardo, teſtatur legibus apoſtolicæ eccleſiæ prohibitum, *Ne quilibet exſpoliatus vocetur ad judicium.*

HORSTII.

IN EPIST. XLVIII. Ad Haimericum.

35. * DE PRIMO QUIDEM D. ALBANENSEM. Tribus de rebus apud Haimericum hac in epiſtola purgat ſe Bernardus. Primò quidem de Henrici Virdunenſis epiſcopi depoſitione Catalauni celebrata, auctore Matthæo Albanenſi, ut dictum eſt in Notis ad epiſtolam 13. Secundò de ordinatione Parvini in abbatem ſancti Sepulcri Cameracenſis, ex monacho ſancti Vincentii Laudunenſis, teſte Hermanno monacho, lib. 3. de Mirac. cap. 20. in locum Fulberti expulſi à Rainaldo de Pratis Remorum archiepiſcopo ob malam adminiſtrationem, ut Bernardus hic tradit. Porro cœnobium ſancti Sepulcri ordinis S. Bened. olim extra muros Cameraci, fundatum eſt à Lietberto epiſcopo anno 1064. cujus Vita exſtat in Spicilegii tom. 9. Vide Meyerum & Miræum. Tertiò denique de reformatione monaſterii S. Johannis Laudunenſis, ubi puellis ob vitæ licentiam ejectis, ſubſtituti ſunt monachi: cujus rei hiſtoriam ibid cap. 22 ita deſcribit præfatus Hermannus. In diebus verò præfati domni Bartholomæi epiſcopi, Laudunenſis ſcilicet, antiqua religio non parum in eodem monaſterio refriguerat, exteriores quoque poſſeſſiones paulatim diminutæ erant, ſed & nonnulla ſiniſtræ famæ de eiſdem virginibus dicebantur. Unde multùm contriſtatus idem Pontifex, (videbat enim eas frequenter à ſe commonitas emendationem quidem verbo promittere, ſed facto non implere) conſilio & auctoritate domini papæ Innocentii, dominique Rainaldi Remorum archiepiſcopi, Ludovici quoque regis Francorum, ad quem eadem eccleſia propriè pertinere dicebatur, omnes pariter illas Sanctimoniales ex illa ejecit. Aſſumens quoque virum religioſum domnum Drogonem * cœnobii ſancti Nicaſii Remenſis priorem, eum ibidem primum abbatem ordinavit, & monachos illic ſufficientes ex diverſis monaſteriis poſuit. Ita ille. Quod autem Innocentii auctoritate hoc factum aſſerit, intelligendum eſt de confirmatione, non verò de ipſa reformatione, quæ biennio ante Innocentii creationem agitata eſt, & definita in Comitiis epiſcoporum, præſente Ludovico rege Atrebati habitis 6. idus Maii anno 1128. quibus interfuere RAINALDUS Remenſis, JOSLENUS Sueſſionenſis, BARTHOLOMAEUS Laudunenſis, SIMON Noviomenſis, JOHANNES Morinenſis,

* De eo vide Notas ad epiſt. 135.

Garnerus Ambianenſis, Robertus Atrebatenſis, Clarembaldus Silvanectenſis, & Petrus Belvacenſis, prout hæc omnia conſtant, tum ex diplomate regio, tum ex decreto Matthæi Albanenſis, aliiſque hujus hiſtoriæ monumentis, quæ unà cum Innocentii litteris in lucem edidit noſter Acherius in ſuis ad Guibertum Notis, pag. 828. & ſeq.

IN EPIST. LV.

36. Horstii. Fideliss. ac prudentiss. servo Dei Gaufredo. Virtutum hujus magni præſulis, magnus admirator & præco, uti & teſtis oculatus, Bernardus fuit, utpote qui cum eo ad varia Eccleſiæ negotia conficienda ſæpius auctoritate Pontificis adhibitus fuit. Vide Vitam ſancti Bernardi lib. 2. cap. 1. 2. & 6. & alibi. Sed fuiſſe virum verè apoſtolicum, & Bernardi moribus, affectui & ingenio per omnia parem, vel ex eo patet, quod dulciſſimam illius ſibi fateatur eſſe memoriam. En quibus idipſum verbis oſtendat. *Sed, ô mihi locum ſuavem*, inquit, *ubi incidit occaſio memorandi, & nominandi ſuaviſſimi odoris virum, epiſcopum loquor Gaufridum Carnotenſem, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis ſumptibus adminiſtravit; idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipſe*, &c. lib. 4. de Conſid. cap. 5. ubi legere eſt, quam conſtanter & generosè oblata ſibi munera refutaverit; & quibus exinde præconiis a Bernardo celebretur. Vide etiam Petrum abbatem Cluniac. lib. 4. epiſt. 43. ubi videre eſt, quanti eum faciat: Sariſberienſem Polycratici lib. 5. cap. 15. Henriq. in Menolog. 8. Febr. Idem in Faſcic. lib. 2. diſt. 10. cap. 12. è cœtu Ciſtercienſium aſſumptum ad cathedram Carnotenſ. teſtatur. Vide etiam Baron. Tom. 12. anno 1135. & alios, ubi complura de ipſo refert prorſus illuſtria. Certe in vita Aquit. Guillelmi Ducis dicitur *Vir plenus ſpiritu conſilii & fortitudinis.* Sed unius Bernardi elogium nobis eſt inſtar omnium. Vide loca ſupra cit. Obiit anno 1158. 8. kal. Febr.

AD EPIST. LVI. ad Eumdem.

37. Horstii. Verum de Antichristo cum inquirerem. Non Norberto ſolum, ſed multis antiquiorum Patrum (ut de recentioribus taceam) perſuaſum ſubinde fuit, præ foribus Antichriſtum, & extremum mundi diem adeſſe: uti videre eſt apud Hieron. Leonem Papam, Gregor. M. & ipſum S. Auguſt. Nempe ex temporum iniquitate, & ſignis mundi finem præceſſuris, à Chriſto prædictis, quorum pleraque jam tum apparebant, id ſibi haud vane colligere viſi ſunt. Et ut rem paulo altius repetamus, jam inde ab Apoſtolorum temporibus varia ſemper fuerunt multorum de Antichriſto & fine mundi judicia, conjecturæ, opiniones, vaticinia. Philoſophi pleriqae & Aſtronomi, complures etiam impoſtores, ludiones & nugivenduli, Hæretici item & fanatici quidam hic Vates eſſe, & ultra ceteros mortalium ſapere videri voluerunt, ſed quorum vaticinia pleraque jam eluſit eventus, & vates iſtos vanitatis & falſitatis convicit. Reliqua haud dubie, quæ futurum tempus etiamnum reſpiciunt, ſimiliter ſequens eludet ætas, ut pateat, quam vere dictum ſit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta.* Item: *De die autem illa nemo ſcit.* Non erit injucundum Lectori, ſi ex plurimis paucorum exempla referamus.

38. In primis ipſi Theſſalonicenſes male intellectis Apoſtoli verbis, *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rap. cum illis*; &c. 1. Theſſalon. 4. mox diem mundi ſupremum adfore rati ſunt. His ergo ab hac opinione revocandis alteram ad Theſſalonicenſes Epiſtolam ſcribere neceſſe habuit, teſte Hieron. Epiſt. ad Minerium & Alex. Lactantius arbitratus eſt anno 500. à Chriſto exterminium mundi futurum, lib. 7. c. 25. Div. Inſt. Alii durationi mundi poſt Chriſtum mille annos præfixerunt, Chiliaſtæ dicti: idque ex verbis S. Johan. Apoc. 20. *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo.* Epiſcopus quidam Florentinus aſſerebat, Antichriſtum natum anno 1105. Vide Plat. in Paſchale II. Petrus Johan. Beguinarum & Begardorum princeps affirmabat, anno 1335. Antichriſti regnum finiendum. Joſ. à Coſta de temp. noviſſ. Hiſpanus quidam, nomine Arnoldus, teſte Florimundo, in annum 1345. Antichriſti tempus tulit, cujus ſcilicet anni ipſo die Pentecoſtes Antichriſti diſcipuli eſſent proditurì. Abbas Joachim exiſtimabat Antichriſtum intra 60. annos a ſuo tempore affuturum, vixit autem circa annum 1200. Petrus de Alliaco Card. & Epiſc. Camerac. ex aſtronomicis indiciis & obſervationibus prædixit, Antichriſtum ann. Dom. 1789. exoriturum. Nicolaus Cuſanus non dubitavit aſſerere, Antichriſti adventum futurum an. Chriſti 1700. vel 1734. Johannes Picus Mirandulæ Princeps in aſſertionibus Concl. 9. affuturum conjicit Antichriſtum anno redempti orbis 1994. Hieron. Cardan. l. 2. de variet. c. 8. & Jacob. Naclant. in prælud. Medullæ c. 4. exiſtimabant venturum Antichriſtum an. 1800. Superiori ſæculo, neſcio qua vaticinandi prurigine, plures tum Aſtrologi, tum heterodoxi, tempus interitum mundi prædicentes, fabulam & riſum mundo etiamnum ſtanti præbuerunt. Johannes Regiomontanus, magnus alias Mathematicus, anno à partu Virginis Prognoſticon de anno 1588. tanquam mundo fatali edidit. Similia Johann. Stofflerus, & ipſe inſignis Aſtrologus. Item Henricus Rantovius Nobil-Danus, in ſuo de annis climacter. & imperiorum periodis libro.

39. Sic plures Aſtronomi, dum voluerunt ex ſiderum motu, conjunctionibus, & variis aſpectibus futura prænuntiare, quæ meru Dei ſubſunt arbitrio & gubernationi, toti ſe mundo ridiculos præbuerunt. Evenitque illis, quod S. Thom. in 4. diſtinct. 44. ſcribit: *Omnes*, ait, *qui tempus prædictum numerando voluerunt prænuntiare, falsò loqui inventi ſunt, quorum falſitas jam patet, & ſimiliter patebit falſitas illorum, qui adhuc computare non ceſſant.* Si quem fortè magis lepida & ridicula fanaticorum hominum de fine mundi præſagia, aut poetica ſomnia & deliramenta legere delectat, adeat Tilmanni Bredenbachii, viri piiſſimi, & illuſtris eccleſiæ ſancti Gereonis hic quondam canonici, Collationes ſacras, lib. 7. cap. 52 & 53 Item Cochlæum in Actis Lutheri anno 1535 Fridet. Nauſeam epiſc. Vienn. lib. de conſumm. ſæculi. Vel præ ceteris Florimundum de progreſſ. hæreſ. lib. 8. cap. 4. & lib. de Antichriſto, cap. 7. Denique Harpocratem divin. Remacli de Vaulx.

Hæc occaſione memorati de Antichriſto vaticinii commemorare viſum eſt, non tamen in ſuggillationem Norberti, viri ſanctiſſimi, quem alias *fiſtulam cæleſtem* Bernardus appellat. Nec enim ſolus ipſe, ſed & plures ſanctorum Patrum finem mundi ſuo tempore haud procul abeſſe opinati, aut ominati ſunt: uti inter ceteros Tertull. lib. de fuga in perſec. cap. 12 Cyprian. epiſt. 56. 58. 63. Hieronym. epiſt. ad Ageruch. vel Geront. Leo Serm. 8. de jejun. 10. menſis, Baſil. epiſt. 71. Chryſoſt. Hom. 33. in Johan. Ambroſ. Orat. in Satyrum fratr. Gregor. lib. 4. epiſt. 72. & Homil. 1. & 15. in Evangel. Bern. ſerm. 6. in Pſalm. 90. Vincentius Ferrer. ord. Prædic. epiſt. ad Benedictum papam, & plures alii. Sed adverte longè diverſa ratione viros ſanctos de fine mundi locutos, quàm quos ſuprà meminimus. Illi enim vel ex obſervatione ſiderum & planetarum, (quæ ferè in aliis prædictionibus, ſed in hac maximè, nimis fallax eſt) vel ex quibuſdam Script. ſententiis in falſum ſenſum detortis, vel ſola mentiendi & fallendi libidine, vel ſtudio popularis auræ & venerationis, hujuſmodi commenta ſparſerunt. At ſancti Viri, horrore ſcelerum & malorum, quæ paſſim toto orbe inundabant, vix ultra poſſe mundum conſiſtere putabant, nec aliud ſupereſſe, quàm ut propediem, mole criminum & iniquitatum impellente, ſatisfieret, ita ſcilicet Dei terminum ſibi conſtitutum prævertente. 40.

Et hinc pie ac prudenter monet auctor quidam recentior, ita inquiens. Si plures Patres, quos propter eximiæ ſanctitatis & doctrinæ præſtantiam admiramur, animadvertentes ſuorum temporum, vel improbitatem ac malitiam, vel magnitudinem atrocitatemque perſecutionum, Chriſtianos urgentium, vel horrendas hæreticorum graſſationes, aut denique incendia urbium, bellorum procellas, ingentes terræ motus, cœli, aëriſque atque elementorum terras ac funeſtas immutationes, imperiorum occaſus, humani ſanguinis inhumanas effuſiones, in eam cogitationem metu & trepidatione tot tantorumque malorum adducebantur, ut jam prope affuturum Antichriſtum & finem ſæculi, vel pertimeſcerent, vel fortè crederent; non ſunt aut levitatis aut falſitatis traducendi, vel quoquo modo linguæ virulentiâ contaminandi. Nam ſic opinati aut locuti ſunt, quod præſentia mala ſemper videantur atrociora: quorum intuitu, timore prope conſternebantur, ac aliis timorem, ut nimirum emergerent, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, reciperent, incutere, & animo connebantur, & prædicatione contendebant; arbitrabantur etiam totum hoc tempus quod decurrit, vel breviſſimam moram eſſe æternitati comparatum. Denique Dei judicium in dies ſingulos magis atque magis appropinquare, citra veritatis diſpendium, & dicere poterant, & proclamare. Quod quidem Scripturis familiare eſſe ac proprium, nemini eorum qui illas legerit, poteſt eſſe impervium. Ita auctor Harpocratis divini. 41.

Nec abſimilia fuerunt varia Prophetarum oracula, quibus finem mundi ob impendentia mala, quaſi jam futurum præcinuerunt. Cujuſmodi eſt illud: *Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ*, & hunc ſimilia. Huc referri poteſt viſio illa Redempti Florentiæ civitatis epiſcopi, de qua B. Gregor. lib. 3. Dial. cap 38 Mira ſunt, quæ narrantur apud Baronium, nempe circa annum Domini 419. tot viſa ſigna, & tam horribilia portenta ſuper montem Oliveti, ut multæ vicinarum gentium, tam viſu, quam auditu perterritæ ad Chriſtianorum ſacra convolaverint, omniumque baptizatorum in tunicis crux Chriſti Salvatoris, divinitatis nutu expreſſa fuerit. Hujus rei admirabilis occaſione de tempore adventus Domini, ex divinis prædictionibus cœpei ſuos ubique miſceri ſermones. Et hinc videtur Heſychius ſcripſiſſe ad ſanctum Auguſtinum de ſupremo mundi die inquirendo, cui reſpondet Auguſtinus epiſt. 78 & 80 quam poſteriorem in hac materia omnino expediet legere, quippe quæ plurima Scripturæ loca variè de fine ſæculi loquentia, doctè & prolixè explicat. Sed nunc ad alia tranſeamus. 42.

AD EPIST. LXV.

Alviso abbate Aquiscinctensi. Monaſterium ordinis ſancti Benedicti ad Scarpum fluvium, ſecundo milliari à Duaco. Anno MXXIX. inceptum eſt hoc cœnobium, ſancti Salvatoris dictum, in inſula quæ dicitur Aquiſcinctus, à viris illuſtribus Stehero ac Vvaltero, ſub Gerardo II. Cameracenſi præſule, ad cujus diœceſim tunc locus ille pertinebat. Vide Aub. Miræum in Chron. ord. ſancti Benedict. cap. 68. Porro congregationi Cluniacenſi Aquiſcinctini monachi ſe aggregarunt, ejuſque reformationem ſuſceperunt anno MCX. uti refert Iperius in Chronico ſuo Bertinenſi. Anno Domini milleſimo centeſimo decimo, monaſterium Aquiſcincti ad religionem reparatum eſt & reductum per dominum Lambertum abbatem noſtrum, cum ex monachorum diſſenſionibus nactus eſſet opportunitatem, monachis Aquiſcincti inter ſe tumultuantibus, in tantum, ut ſuum abbatem expellentes deponerent. Hoc itaque dominus Lambertus conſiderans, per ſecretos internuntios illos induxit, ut virum venerabilem, moribus egregium, & prudentiâ facundiaque decoratum, ſibi ſumant in abbatem, quo collapſa eorum eccleſia relevetur. Et eis nominari fecit dominum Alviſum, monachum noſtrum reformatum, eccleſiæ ſancti Vedaſti tunc intendentem. Igitur Aquiſcinctenſes monachi Alviſum inſtinctu Lamberti abbatis noſtri in ſuum abbatem elegerunt, qui conſilio & auxilio ejuſdem Lamberti, eamdem eccleſiam reformavit, & in ſpiritualibus ac temporalibus ſic exaltavit, ut ejus nomen celebre fieret ubique, & idem 43 Horstii.

Alviſus tandem eligeretur in epiſcopum Atrebatenſem. Hactenus Iperius. Porro hujus monaſterii fama ac gloria plurimum toto orbe crevit à Gymnaſio Aquiſcinctino, quod in Duacena academia excitavit Johannes Lentaillerus, hujus loci abbas digniſſ. & PP. Soc. Jesu, raro, ſed præclaro exemplo, tradidit. Vide Jacobum Bonfrer. Soc. Jesu Theolog. & inſignem Script. interpretem Dedicat. in Pentateuchum.

AD EPIST. LXVI.

44. * AD GAUFRIDUM ABBATEM S. THEODERICI. Ita omnes codices mſſ. præter Corbeienſem, in quo legitur, *ſancti Medardi Sueſſionenſis*, hac epigraphe præfixa, *Domno Goffrido abbati ſancti Medardi, Bernardus eccleſiæ Claræ-vallis ordinatur incompoſitus, ſalutem, & non in via.* Sed parum refert utrum legatur, cùm utrique cœnobio ſucceſſivè præfuerit, quamvis ex temporis ſerie poſterior lectio retinenda ſit. Nimirum ipſe Gaufridus ex priore ſancti Nicaſii Remenſis, abbas ſancti Theoderici prope eamdem urbem ordinatus eſt anno 1121. ibique regularem obſervantiam per octo annos ſtudioſè excoluit, *poſtea verò*, ut habet Nomenclatura abbatum dicti monaſterii, *factus eſt abbas de ſancto Medardo Sueſſionenſi, juſſu domini apoſtolici Vvidonis, cognomento Calixti, & prece Ludovici regis*, ſuccedente interim venerabili Guillelmo, Bernardi amiciſſimo. Denique idem Gaufridus, procurante ſancto Bernardo, qui electus acquieſcere noluit, in ſedem Catalaunenſem ſuffectus eſt anno 1131. in locum Heiberti, non poſt dedicationem eccleſiæ ſancti Medardi, ut tradit Albericus in Chronico, Idibus Octobris ejus anni ab Innocentio factam; ſed ante illam, ex Chronico ſancti Medardi, ubi *prædictum Papa ante dedicationem eccleſiæ prædictæ Odonem abbatem eccleſiæ beati Medardi, nolente, ſed contradicente epiſcopo Sueſſionenſi, Aureliani benedixiſſe* perhibetur *prid. kalendas Octobris*. Obiit, teſte Alberico, * anno 1143. & quidem VI. kal. Junii, ut ſancti Theoderici Necrologium teſtatur his verbis. *Sexto, kal. Junii obiit Gaufridus noſter abba., Catalaunenſis epiſcopus.* In ſerie verò anniverſariorum notatur, *ipſum tres prebendas in Refectorio legaſſe in eleemoſynam pro ſe & pro Adalberone Remenſi archiepiſcopo, qui ibidem monachos reſtituit.* Eſtat epiſtola Gaufridi ad Petrum venerabilem in Bibliotheca Cluniacenſi, ipſiuſque Petri ad eumdem reſcriptum, in quo eum vocat *Cluniacenſis, immo divini Ordinis per totam Franciam primum diſſeminatorem, auctorem, provectorem, inveterati draconis de tot monaſteriorum cubilibus expulſorem, diuturni ſomni & monaſtici torporis excitatorem de duobus* * *alterum, quos non ſola caritatis vertice totius Galliæ Belgicæ amicis præponendos non tantum crederet, ſed & publicè prædicaret.* Præclara certè elogia, quæ tandem his verbis ita concludit. *In ultimo fratrem domni Garneri ſubprioris noſtri, cariſſimi mei, ita vobis commendo, ut cum labore veſtro probus, ſapiens, litteratus factus fuerit, nobis eum, ſicut de altero feciſtis, reconſignetis.* Ex quibus colligere eſt, Gaufridum doctrinæ & ſapientiæ laude conſpicuum, inſtituendæ juventutis cum ipſo epiſcopali munere operam ſuſcepiſſe. Interfuit concilio Senonenſi anno 1140. & in epiſtola ſynodali ad Innocentium directa, quæ inter Bernardinas 191. tertius nominatur.

* In actis epiſc. Catal. ſeq. 1131. ſed cum ibi electus dicatur an. 1131 ſediſſeque in annum præſerenda Alberici ſententia. Lib. 2. epiſt. Petri Vener. epiſt. 42 & 43.
* S. Bernardus alter, immo primus erat

IN EPIST. LXVII.

45. * AD MONACHOS FLAVIACENSES. Ita legendum cum potioribus mſſ. non verò *Flaviniacenſes*, ut perperam volunt Horſtius & alii nonnulli, quod ex ipſius contextu epiſtolæ tribus argumentis manifeſtè refellitur. Primò namque ſanctus Bernardus aſſerit, quòd eorum ad quos ſcribit, *non habitationes, non religionis ac converſationis uſque ad hoc tempus vel tenuem notitiam habuerit, ſed nec aliquam aliquando mentionem ſibi de ipſis factam fuiſſe meminerit.* Deinde *multis*, inquit, *terrarum ſpatiis, & diverſis provinciis, & diſſimilibus linguis ab invicem diſtamus.* Poſtremò denique *nec ſolum*, ait, *epiſcopatibus propriis abjungimur, ſed etiam in eodem archiepiſcopatu non degimus.* Quæ omnia Flaviniaco non poſſe competere clarius eſt, quàm ut probatione indigeat. Eſt enim Flaviniacum, vulgo *Flavigny*, oppidum in Burgundiæ Ducatu, Fontanis, unde Bernardus originem traxit, vicinum, nec multum diſtans à Clara-valle, habens monaſterium ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Æduenſis ſub metropoli Lugdunenſi, ſicut & Clara-vallis, pretioſis ſanctæ Reginæ reliquiis illuſtratum. Reſtituendum itaque *Flaviacenſes*, ſumpta denominatione à Flaviaco, gallicè *Flay*, qui vicus eſt diœceſis Bellovacenſis ad Eptam fluvium, in quo a beato Geremaro conditum eſt nobile Benedictinorum cœnobium ſub annum 650. unde nonnumquam *Flaviacum*, paſſim vero *ſancti Geremari de Flaviaco*, vernaculè *ſaint Germer* appellatur.

Quod ſpectat ad nomen abbatis hoc grammate decurtatum, *domno H. Patri Flaviacenſis eccleſiæ*, &c. exprimendum eſſe puto Hildegarium I. qui ab anno 1106. uſque ad 1123. Flaviaco præfuiſſe memoratur in vulgato indice Acheriano ad Gibertum. Verùm eum ad annum ſaltem 1126. perveniſſe colligo ex ſerie harum epiſtolarum. Sunt qui Hugonem hoc loco notent, ſed perperam. Duo equidem leguntur, ejus loci abbates, Hugonis nomine: ſed primus deſiit anno 1108. * ſecundus Hildegario ſecundo ſucceſſit anno dumtaxat 1175. uterque proinde longè extra ſancti Bernardi calculum. Porro ex eodem cœnobio viri doctrina & pietate inſignes prodierunt, ex quibus Radulfus Levitici interpres circa annum 912. multique alii deinceps, maximè perſæpe Hildegarii tempore floruere, quos inter Gibertus, exinde in abbatem Novigenti prope Codiciacum aſſumptus, velut ſidus eminebat: ut non immerito Flaviacenſes in ſua ad Bernardum epiſtola, ut hic ipſe teſtatur, monaſterii ſui famam Romam uſque diffuſam glorientur.

IN EPIST. LXIX.

* AD GUIDONEM ABBATEM DE TRIBUS-FONTIBUS. Nempe ſecundum. nam primum fuiſſe Rogerium legimus, lib. 1. vitæ ſancti Bernardi cap. 13. cui anno 1127. defuncto, manum dedit Guido, qui anno ſequenti cum Bernardo & Hugone Pontiniacenſi, concilio Trecenſi interfuit, poſtea vero Ordinem ſuum quatuor monaſteriorum fundatione, nimirum Caladiæ, & Caſtellionis in diœceſi Virdunenſi, Amœnæ-vallis in Trevirenſi, Altifontis in Catalaunenſi, non parum promovit & ampliavit. Porro Trium-Fontium cœnobium, prima filia Claræ-vallis, agente Guillelmo de Campellis epiſcopo Catalaunenſi, ut teſtatur Guillelmus abbas ſancti Theoderici, lib. 1. vitæ ſancti Bernardi cap. 13. in ſua diœceſi conſtructum eſt anno 1118. cujus quidem primordia nonnihil adhuc obſcura lubet paulìſper illuſtrare. In Actis epiſcoporum Catalaunenſium recitatur Charta Bozonis epiſcopi ſeptimi a Guillelmo, qua partem ſilvæ *Luis* ab Alardo aliiſque, ſancti Salvatoris canonicis regularibus contraditam, condendo monaſterio impendiſſe teſtatur. Sic enim habet: Nihil æque ſecuritatem parit in longinquum, quàm cum ea quæ piis & fidelibus donantur eccleſiis cura diligenti traduntur litteris. Ideoque ego Bozo, Dei gratia Catalaunenſis epiſcopus, notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris, quod Hugo comes Trecenſis illam diviſionem ſilvæ, quæ dicitur *Luis*, quam juſſit fieri per Petrum Vitriaci præpoſitum, & per majores ejuſdem ſilvæ, id eſt Milonem de Sera, Vvalterum, Vierdum & alios, Alardo ſacerdoti, ceteriſque confratribus in Oratorio ſancti Salvatoris, quod in eadem parte ſitum eſt, canonice & regulariter vivere volentibus in manibus Vvillelmi Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopi dereliquit, Alardo præcipiens, ut quod ab eo poſtulabat, à confratribus Compendienſis eccleſiæ exciperet; & quod ipſi concederent, epiſcopus ſibi confirmaret. Hæc autem omnia habitatores loci illius per manus Vvillelmi epiſcopi Catalaunenſis dederunt Bernardo abbati Claræ-vallis, concedente Hugone Comite, ad abbatiam conſtruendam, quod & factum eſt. Ex quo vides non tam Guillelmum, quàm Hugonem Comitem, de quo ſupra actum eſt in Notis ad epiſtolam 31. cenſeri debere Trium-Fontium fundatorem. Quod vero additur de conceſſione confratrum Compendienſium, quid inde actum ſit, diſcimus ex litteris ſequentibus, ex archivio monaſterii Compendienſis primum erutis. 46.

Regine in Guillelmo

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, GAUFRIDUS ſanctæ Compendienſis eccleſiæ decanus, JOHANNES cantor, noſque ſimul ejuſdem loci fraternitas univerſa tam futuris, quam præſentibus cunctis volumus innoteſcat, quia domini regis Ludovici, ejuſque conjugis reginæ Adelaidis, atque comitis Theobaldi, necnon virorum venerabilium Goiſleni Sueſſionenſis, Gaufridi Carnotenſis, Guarini Ambianenſis epiſcoporum, dominique Claræ-vallenſis Abbatis petitionibus, locum quemdam, qui Tres-Fontes vocatur, in ſilva *Luis*, quæ tota de jure noſtræ eſt eccleſiæ, fratri Guidoni abbati & monachis cum eo ibidem Deo ſervientibus inhabitandum conceſſimus. Quod ne longæva temporum vetuſtate à memoria tolleretur, litteris fecimus aſſignari. Placuit itaque nobis, ut terram illam, & nemus, & quidquid de terra eccleſiæ noſtræ, ubicumque jaceat in eadem ſilva, ſalvis aliorum terminis, ulterius eis acceſſerit, dicti monachi poſſiderent . . . . & quicquid in ea noſtri juris erat, liberè & quietè perpetualiter obtinerent. Firmatum eſt igitur hoc præſenti chirographo, firmatum eſt & ſigillo, ſigniſque perſonarum quæ adfuerunt ad poſterorum notitiam roboratum, ſcilicet GOISLENI Sueſſionenſis, ſcilicet GAUFRIDI Carnotenſis, ſcilicet GUARINI Ambianenſis epiſcoporum, ſcilicet BERNARDI Claræ-vallis abbatis, ſcilicet GAUFRIDI decani, ſcilicet JOHANNIS cantoris, ſcilicet ODONIS & HAIMONIS præpoſitorum, ſcilicet RAINARDI abbatis ſancti Bartholomæi, ſcilicet THEODERICI abbatis ſancti Eligii Noviomenſium. Actum Compendii in publico Capitulo, anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo tricesimo. 47

Ex quibus cernitur illorum temporum fides, ut conceſſio ab Hugone facta, ſine litteris in annum 1154. quo Bozo epiſcopus regere cœpit Catalaunenſem eccleſiam, vigerit, ſimulque donatio Compendienſium annos à monaſterii fundatione duodecim.

Ex abbatia Trium-fontium proceſſiſſe perhibetur, ut jam diximus, abbatia Alti-fontis, in eadem diœceſi Catalaunenſi ſita, de cujus incremento has ab illuſtriſſimo hujus loci Abbate de Noaliis accepimus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, B*. Catalaunenſis epiſcopus. Præſentibus & futuris notum fieri volumus, quod THEOBALDUS digne reverendus abbas Dervenſis *, communi totius Capituli ſui aſſenſu, interventu ſummæ religionis viri abbatis BERNARDI Claræ-vallenſis, pro amore Dei conceſſit eccleſiæ de Alto-fonte, exiſtente ibidem GUARINO abbate, omnem partem, quæ ad eccleſiam Dervenſem pertinet, de decimis eorum, quæ propriis aratris operabuntur in parrochia de Alta-valla. Actum eſt hoc in præſentia abbatis Claræ-vallenſis, abbatis THEOBALDI Dervenſis, ARALDI abbatis ſancti Urbani, GUARINI abbatis de Alto-fonte, Amalrici monachi, Johannis converſi ejuſdem loci. Ut autem hoc donum ratum & inconvulſum permaneat: præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione per manum. Manaſſe cancellarii noſtri firmari præcepimus. 48.

* Boſo
* Montier-en-Der.

IN EPIST. LXX. Ad eumdem.

49. * Ex octo quos vidimus hujus epiſtolæ codicibus ſcriptis, quinque ſunt, in quibus ſequens legitur additamentum, nempe duo Ciſtercienſes, unus Vallis-lucenſis, Corbeienſis item unus, & quintus Fulcardimontenſis: at in tribus Colbertinis deſideratur. Additamentum eſt hujuſmodi poſt extrema verba *ſuperexaltetur judicio.*

Rem ſimilem, quam mihi contigiſſe memini, exempli cauſa refero vobis. Olim frater quidam (alius Bartholomæus) *dum adhuc viveret, quadam die, quia me contriſtaverat, furore commotus vultu & voce minaci præcepi ut de clauſtro exiret. qui ſtatim egreſſus eſt, & ad unam de noſtris grangiis pergens, ibi demoratus eſt. Quo cognito, cum eum revocare vellemus, reſpondit ſe non aliter rediturum, niſi in ſuo & non in ultimo ordine, nec ut fugitivum, ſed ut inconſulte & ſine judicio expulſum reciperemus. Dicebat quippe non debere ſe ſubire regulare judicium in revertendo, quod expectatum non fuit in expellendo. De hac ejus reſponſo & meo facto, quia propter carnalem affectum, proprium judicium habui ſuſpectum, fratribus omnibus commiſi judicandum. Itaque me abſente judicatum eſt, ejus receptionem regulari ſententiæ non eſſe obnoxiam, cujus expulſionem conſtabat non fuiſſe regulariter factam. Si ergo in illo tantum ſemel egreſſo tanta habita eſt conſideratio pietatis: quanta putamus debet eſſe in iſta in tanta actione neceſſitatis?*

Hoc totum additamentum à Bernardi genio, moribus, ceteriſque factis prorſus alienum videtur. Impetus ille *furoris*, præceps monachi ejectio è monaſterio numquam occidiſſent in tantum virum, in quo quidem zelus erat, ſed manſuetudine & clementia conditus, ut vel ex ipſa epiſtola patet, ubi tantum lenitatis in transfugam exhiberi ſuadet. Immo etſi in hanc culpam lapſus fuiſſet vir ſanctus, eam potius pœnitentiâ diluere, & ſilentio tegere ſtuduiſſet: neque eo imprudentiæ deveniſſet, ut id Guidoni abbati retuliſſet pro exemplo, quod & ipſius Bernardi ſcopo contrarium, & ſcandali occaſio Guidoni futurum fuiſſet. Omnino id ad marginem cujuſdam codicis, forſan Ciſtercienſis, primo adſcriptum fuiſſe videtur a quodam Abbate, ac deinde è margine translatum in textum, quo ex codice quidam alii id acceperint, nequaquam verò Claræ-vallenſes, qui in hac cauſa majoris momenti ſunt.

IN EPIST. LXXII. Ad Rainaldum Fuſniac.

50. * Ne memoria et terror dignitatis nominetur, nempe *Domini* (nam ita legendum) & *Patris*. Mirum certè modeſtiæ in Bernardo exemplum, terreri videlicet ad dignitatum nomina, quibus alii, immo ipſis amplius dignitatibus laſciviunt. Simile habes (præter ea quæ ſupra retulimus, in Not. ad Epiſt. 11.) in vita B. Mechthildis exemplum, cap. 10. *Soror Mechthildis*, inquit Auctor, *contendit appellari ſine Domna adjectione, aliumque omne contempſit in nomine; ſed uſus exegit domus & monaſterii Regula, ut Domna vocaretur & Abbatiſſa.* Et certè quantum ad primum, Auguſtus, teſte Suetonio, in Aug. c. 53. Domini appellationem ut *maledictum & opprobrium* ſemper exhorruit, & Tiberius *Dominus* aliquando appellatus, contumeliæ loco repoſuit. Unde poſtea à Scriptoribus, ut vocabulo humiliori uteremur, litterâ per ſyncopen contractâ, ſanctos viros, epiſcopos, aliaſque perſonas ad ipſa uſque Bernardi tempora domnos vocitatos legimus. Sic Severus Sulpicius epiſt. 2. *domnum Martinum*, inquit, *obiiſſe nunciant.* Sic Greg. M. lib. 1. epiſt. 6. & lib. 7. epiſt. 127. ſic paſſim in epiſtolis Deſiderii Cadurcenſis, & apud Gregor. Turon. lib. 9. Hiſt. c. 42. ex quibus mos ad Hiſpanos & Italos derivatus invaluit; immo apud ipſos Græcos recentiores pro τὸ κύριος in ſimili caſu κυρὸς uſurpari ſolet, ut doctiſſimè obſervavit è noſtris Hugo Menardus in Notis ad Concord. Regul. c. 70. Hujus autem vocabuli *Domnus* mentio facta eſt à S. P. Benedicto, in Reg. cap. 63 ubi ſic habet: *Abbas autem, quia vices Chriſti agere videtur, Domnus & Abbas vocetur, non ſua aſſumptione ſed honore & amore Chriſti.* Quod quidem nomen etſi ex Regulæ auctoritate ſoli Abbati concedatur, decurrentium tamen temporum lege ad ipſos etiam monachos Sacerdotio initiatos, ſicut & Patris nomen traductum eſt. Qua de re vide Menardum loco cit. Haeften. lib. 3. Diſq. Tract 4. Diſq. 4. & 5. Julium Nigron. in Regul. comm. Soc. Jeſu, Reg. 22.

IN EPIST. LXXV.

51. * Ad Artaudum Prulliacensem. Ita legendum, non *Pultarienſem*, de quo vide Notas ad epiſt. 80. Eſt autem Prulliacum, *Prully*, cœnobium Ord. Ciſterc. in diœceſi Senonenſi, fundatum anno 1118. à Theobaldo Campaniæ Comite & Adela ejus matre, ut refert Guillelmus Nangius in Chronico relatus à Manrico in Annal. ad hunc annum, quo quidem anno nihilo minus Theobaldus Campaniæ Comitatum necdum habebat, ut colliges ex Notis ad epiſt. 31. Hanc epiſtolam dirigi ad Prulliacenſem ſeu Ciſtercienſem, non autem ad Pultarienſem, manifeſtè colligitur ex ipſo contextu. nam Bernardus Artaldum ſibi *cariſſimum* eſſe dicit, non ſolum *ob conſortium propoſiti & profeſſionis*, ſed etiam *ex debito ſua* *veteris pristinæ ſocietatis.*

IN EPIST. LXXVI. Ad eumdem.

52. Honorij. Non nobis videtur tutum, &c.] Quidam poſt diuturnam in domo & habitu Religionis converſationem ad ſeculum reverſus uxorem duxerat. Inde conſuluit Bernardum, non ſatis aperte mentem ſuam, quid de hujuſmodi conjugio ſentiat. *Periculoſum* id ait fuiſſe, & *fortaſſe illicitum*: & quia illud *qualecumque conjugium ſollemniter celebratum* ſit, ſibi non videri tutum, uxorem invitam dimitti. Præterea non ſatis patet, quali voto obſtrictus ille fuerit, niſi quod diuturna geſtatio habitus religioſi videatur juſſe voti ſollemnis argumentum.

Difficultatem motæ quæſtionis auget Auguſtinus epiſt 70. ad Bonifacium, qui concepto priùs voto monachiſmi, poſt ſuſcepit Comitis poteſtatem, duxitque uxorem. Hunc enim hortatur ad vetus propoſitum, ſi per uxorem liceat; ſi non liceat, poteſtate mundana rectè utatur. Idem in lib. de bono viduali, cap. 9 ita habet: *Sed quoniam non omnes capiunt verbum hoc, &c. Quæ poteſt ergo capere, capiat, quæ ſe non continet nubat: quæ non cœpit, deliberet, quæ aggreſſa eſt, perſeveret.* & paulo poſt, *Sed in viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita & electa, & voti debito oblata, jam non capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubantur nubere velle damnabile eſt. Non quia ipſa nuptiæ vel talium damnanda judicantur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non ſuſceptio boni inferioris, ſed ruina ex bono ſuperiore, &c.* Ibid. cap. 10. negat ſibi probari eorum ſententiam, qui dicunt nuptias poſt votum caſtitatis initas, non eſſe veras nuptias, ſed adulteria. Contendit autem verum ac ratum eſſe conjugium, nec debere diſſolvi. Vide Tanner. To. 3. diſp. 5. q. 4 dub. 4.

Similem alibi habet ſententiam Auguſt. ad cujus auctoritatem quid ipſe Bernardus reſpondeat, vide To. II. de Præcep. & diſpenſ. cap 17. ubi ſimul videre & admirari licet ejus erga ſanctos Patres reverentiam, quos non facile lapſus aut erroris arguit.

Ceterùm nunc conſtans Theologorum & totius Eccleſiæ ſententia eſt, Votum ſollemne Religionis non ſolum impedire matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimere contractum. An verò id fiat jure divino & naturali, an ſolum poſitivo & eccleſiaſtico, controverſum eſt. S. Thomas, Bonaventura, Durandus, Soto, Sanchez, aliique permulti contendunt, Votum ſollemne jure naturali ac divino dirimere matrimonium. Ratio eſt, nam votum ſollemne non eſt nuda promiſſio, ſicut votum ſimplex, ſed eſt vera traditio de præſenti & translatio ſui ipſius in jus perpetuum, ſeu in poſſeſſionem & obſequium Dei, eaque per Eccleſiam vice Dei acceptata. Itaque traditione illa ſemel facta, non eſt homo deinceps ſui juris, ut ſe alteri cuipiam in poſſeſſionem tradere poſſit: etenim donatio prior impedit & irritam reddit poſteriorem. Nam jure divino ac naturali, nemo poteſt alteri donare quod ſuum non eſt. Unde fit, ut jure naturali ac divino irritum ſit conjugium poſt votum ſollemne. 18 T. in 4. ſen. diſt 38. q. 1. a. 3. ad 4. queſtiu.

Verùm alii hoc fundamentum, quod hi auctores ſupponunt, non admittunt, & jure ſolum eccleſiaſtico, per votum ſollemne matrimonium irritari aſſerunt. Ita Palud. in 4. diſt. 38 Cajet. 2. 2. q. 88. a. 7. Vaſquez diſp. 165. cap. 6 Azorius lib. 12. c. 6 Leſſ. de Juſt. c. 41. dub. 8. n. 5. & omnes Canoniſtæ, teſte Panormitano in cap. *rurſus, qui Clerici vel voventes.* Porro decretum Eccleſiæ videre licet Concil. Tolet. 1. can. 16 Chalcedon. can. 14. & 15. Triburien. can. 21. ubi nititur auctoritate ſuperioris, & aperte præcipit, ut ſeparentur, qui poſt votum ſollemne matrimonio ſe conjunxerint. Turonen. II. c. 16. Denique Synod. Trident. Seſſ. 24. can. 9. definit ſub anathemate, *invalida eſſe matrimonia ab iis contracta, qui caſtitatem ſollemniter profeſſi fuerint.* Porro hoc non eſt rata matrimonia diſſolvere, aut eſſentiam ſacramenti mutare, ſed perſonas ad contrahendum matrimonium illegitimas & inhabiles reddere, ſive contractum hujuſmodi irritum facere, qui in ſacramento matrimonii prærequiritur.

Jam verè non ſine prægnanti ratione id facit Eccleſia. Nam cùm Religioſus per votum ſollemne ſe Deo in Religione palam conſecret ac tradat, adeòque novum vitæ ſtatum, in ordine ad Deum, profiteatur, conveniens fuit, ut Eccleſia eorum perſeverantiæ omni meliori modo conſuleret, & publicis ſcandalis, quorum magna hic ſeges eſſet, obviam iret. Id autem commodiſſimè factum eſt, dum profeſſionem eorum hujuſmodi circumſtantiâ munivit. Quando itaque in diverſam ſententiam citantur Patrum ac Canonum teſtimonia (nam etſi omnes facilè in hoc conveniant, illicita eſſe poſt votum matrimonia; tamen alii dicunt, vera ac valida eſſe, ſi contrahantur; nec debere diſſolvi: alii dicunt eſſe mera adulteria, vel pejora adulteriis, adeòque diſſolvenda, etiam vi, & implorato, ſi opus ſit, ſeculari judice;) tunc, inquam, ſic accipi debent, ut priores intelligantur loqui de Voto ſimplici, quod impedit contrahendum, ſed contractum non dirimit: poſteriores de Voto ſollemni, quod & impedit contrahendum, & dirimit contractum. Quamvis alii velint, priores indifferenter etiam de voto ſollemni locutos, & ſolum ex decreto Eccleſiæ profeſſionem Religionis matrimonia irritare cœpiſſe. Quando autem id factum, non determinatè conſtare. Sed hic ſubſiſtere monet inſtituti ratio. Vide S. Thom. loco citato, Bellarm. Tom. III. de Matrimon. cap. 25. Eſtium in 4. ſent. diſt. 38. Tanner. To. 3. diſp. 5. q. 4. dub. 4. & Tom. 4. diſp. 8. q. 4. dub. 3. Plat. de bono ſtat. rel. lib. 2. c. 22.

IN EPIST. LXXVIII.

Ad Sugerium Abbat. Abbatia S. Dionyſii Areopagitæ Franciæ apoſtoli, ſecundo à Lutetia Pariſiorum urbe lapide, in vico Catuliaco Ord. S. Bened. inter abbatias Galliæ celeberrima, fundata à Dagoberto rege Francorum, ejus nominis primo. Porrò Sugerius ſucceſſit Adamo; quem falsò ut vitiis infamem Abaelardus accuſat in Hiſtor. Calam. pag. 19. Vide Duchen. ibid. in Not. Succeſſit, inquam, an. 1123. electus abſens. Agebat enim apud Calixtum II. Papam, miſſus à rege Ludovico Craſſo, pro quibuſdam regni Galliarum negotiis. Obiit an. 1152. æt. 70. ſepultus in eccleſia, quam ipſe inſtauravit eo ſchemate, quo etiamnum viſitur perquàm magnifica in formam crucis, longa pedes 390. lata 100. alta à pavimento ad fornicem 80. columnis ſeu pilis 60. ſuffulta. Vixerat ſe- 53. Honorij.

neſtris incomparabilibus, choro vario marmore ſtrato, & 60. ſedibus ſuperioribus ornato, pluribus Regum Procerumque aliorum ſepulcris decorata. Hic ergo, atteſtantibus Annalibus dicti monaſterii, *Per induſtriam ſuam, Ordinem ſanctæ Religionis inſtauravit. Antea namque per Abbatum negligentiam, qui ante ipſum fuerant, & quorumdam aliis monaſterii monachorum regularis inſtitutio ita ab eodem loco abjecta fuerat, ut vix ſpeciem Religionis monachi prætenderent*, uti etiam hic Bern. dicit. V. Notas in epiſt. 166.

54. DIACONUM CONTRA EVANGELIUM. Diaconus ille fuit Stephanus de Garlanda Seneſchallus, ſive Dapifer Regis Galliarum, quem alii malè confundunt cum Stephano Cancellario, qui poſtea factus eſt epiſcopus Pariſienſis, ut rectè probat Ducheſnius in Notis ad Abael. De quo Teulfus in annalibus Moriniacenſis cœnobii, ita ſcribit lib. 2. "Defuncto Vuillelmo, Anſelli Dapiferi germano, Stephanus frater amborum Major regiæ Domus effectus eſt. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, ut homo, qui diaconatus fungebatur officio, militiæ ſimul poſt Regem duceret principatum. Hic vir induſtrius, & ſeculari præditus ſapientia, cùm multis eccleſiaſticorum honorum reditibus, tum familiaritate Regis, quam ſic habebat, ut ei potiùs diceretur à quibuſdam imperare, quàm ſervire; temporali felicitate ſupra ceteros mortales noſtris temporibus efflorebat. Tradita verò nepte ſua in conjugium Almarico de Monte-forti, cum honore de Rope-forti, qui puellæ de matrimonio obvenerat, tumefactus oblitúſque ſui, Adelam reginam frequentiſſimis moleſtiis ſibi reddidit infeſtam; odiiſque creſcentibus, Rege turbato, depoſitus ab honore pulſatur à Curia. Ipſe verò, veluti quadam correptus inſania, regnum turbare tneis viribus enititur; & viri tu tunis ſtrenui, Almarici dico, fretus auxilio, patriam hanc bellis accendit, &c." Idem, niſi fallor, Stephanus (nam & de Garlanda cognominatur) malè audit apud Ivonem Epiſcopum Carnot. epiſt. 87. ubi apud Cardinales arguit Belvacenſes cum ſibi in epiſcopum aſſumentes. "Nempe quod poſtpoſita omni canonica obedientia clericum quemdam illiteratum, aleatorem, & ceteris hujuſmodi lenociniis vacantem, procul etiam à ſacris Ordinibus inventum, quondam quoque propter publicum adulterium à Legato Rom. Eccl. Lugdunenſi archiepiſ. de Eccleſia ejectum pro voluntate Regis, & illius contubernalis ſuæ in epiſcopum aſſumpſerunt. Prædictus autem terminus, Stephanus vocatur de Guarlanda: cui ſi ad epiſcopalem miniſtrationem, aliquando apoſtolica auctoritate patuerit aditus, manifeſtum eſt temporibus noſtris exitiale ſilentium impoſitum eſſe canonicis legibus. Quomodo enim ad foorem ſcicotiæ pertingemus, ſi ab ipſis, qui clavem tenent, intrare non permittimur?" Ita Ivo.

55. *Beneficiorum pluralitas improbata.* CUM HONORES NON PAUCOS, SED QUANTOS NEC CANONES,] Ergo Canonibus vis infertur, ut liceat quod non licet. Ita quidem licet permultis facere: nec ingenium deeſt ambitioni, cupiditati, avaritiæ promovendæ. Multa comminiſcitur & fingit intellectus, ut depravato obſequatur affectui: ſed mentitur iniquitas ſibi, & nunquam efficiet, ut liceat quod illicitum eſt. Erit qui tandem juſtitias judicabit. Eſto ad tempus diſſimulet, interim tamen nunc etiam non rarò, tacito ſcilicet verbere conſcientiam quatiente, *Væ* intentat his qui conjungunt domum ad domum, & agrum agro copulant. SERVENTUR CANONES, ET CESSABUNT HÆRESES, dicebat Adrian. VI. teſte Opmero. Certè ſi ullibi, hic certè ſervari Eccleſiæ intererat. Nam unde, aut quando majus detrimentum capit Eccleſia; vel ubi major divino cultui & ſaluti proximorum irrogatur injuria, quam dum in unam eamdemque perſonam cumulantur beneficia: & quæ ſingula ſingulas requirebant perſonas, Dei & Eccleſiæ ſervitio mancipatas, hæc omnia in unum congeſta ſunt, qui vix unius beneficii debito, ſeu officio par eſt, immo nuſquam eſt, quia ubique eſt? Johan. Gerſon. Cancel. Pariſ. inter "ſigna ruinæ, quæ imminet Eccleſiæ, ponit Pluralitatem. Tertium ſignum eſt, ait, immoderata perſonarum inæqualitas, qua alius & ſæpe dignior eſurit: alius & frequenter indignior ebrius eſt. Nam ſicut in bona muſica requiritur quidem vocum inæqualitas, ſed proportionabilis & moderata (nam ſi nimia fuerit, tollitur harmonia) ita & in Eccleſia, &c." Vide Gerſon. Serm. de Sign. ruin. Eccl. 1. p. mihi pag. 201.

Et certè, qui Pluralitati hæreſum originem adſcripſerit, non errabit, me judice. Nam poſtquam inſanabile illud cumulandi cacoëthes multos tenere cœpit, mox creverunt curæ ſeculi, opera carnis & ventris ſtudia, (quis enim neſcit luxûs adminiſtram eſſe Pluralitatem?) ac cura gregis decrevit, immo neglectus & oblivio paſſim invaluit. Cum ergo a luxu in ſomnum proni ſint ſenſus hominum, nil mirum, ſi dormiente patrefamilias inimicus homo in agrum dominicum ſpargat zizania. Adde, ſi lupus invadat ovile, aut impune in gregem graſſetur, quis id Paſtoris abſentiæ dubitet imputandum? Jam verò dum Præſules & Paſtores Eccleſiæ pluribus implicantur beneficiis, præſertim curatis; an non coguntur à ſuis abeſſe ſæpius eccleſiis, & ad alias aliaſque ſubinde divertere? Quid mirum, ſi lupus interim, in omnem ſemper nocendi rapiendique occaſionem intentus, gregem Paſtoris cura diutius deſtitutum invadat? Sed fortè ubique advigilare ſtudet. Quis verò credat hoc eum poſſe? Quid ſi diverſis, ac longè diſſitis gregibus, plures inſidientur lupi? quomodo unus arcebit omnes? Si quis dixerit, ſatis cuſtodire, qui cuſtodit per alium, is mihi neſcire videtur, quid de mercenario dixerit Dominus. Reſtat ergo hoc unum, niſi fallor, ut quia non ſufficit unus tanto gregi, nedum tot gregibus, ſaltem in unius cuſtodia gregis acquieſcat. Vigilet porrò is, ut par eſt; regat, paſcat, reducat quod ſeductum eſt, ſanet quod morbidum eſt: ſatagat per omnia etiam in uno, etiam quantumvis puſillo grege: inveniet quod agat; immo quod eum angat, quod affligat & vehementius cruciet, præſertim cum tempus aderit, quo Paſtor ſupremus de manu Paſtoris oves ſuas requiret. Hoc probè olim ponderabant ſancti Eccleſiæ Paſtores; & hinc timebant accumulare greges, immo vel unius curam horrebant. Quis non miretur, legens & audiens, quam difficiles ad hæc munia venerint (cogi eos, trahique non rarò neceſſe fuit.) quis, inquam non miretur, ubi videat modò plures ad hæc ipſa tam promptos & faciles, immo cupidos avidóſque properare? O mores diſſimiles! Illi vim paſſi ſunt, ut Præſulatus acciperent; nos vim facimus, ut accipiamus! Quod tamen levius ferri poſſet, ſi vis illa ipſis legibus & ſacris canonibus non incumberet.

Nunc autem (quod & hic Bernardus queritur) plures Eccleſiæ dignitates invitis canonum decretis obtinentur. Si placet, aliqua ex his delibemus: ſimúlque cauſas illicitæ & vetitæ pluralitatis aſſignemus.

1. Textus planus *c. Quia in tantum, de Præbend.* "Quia intantum quorumdam proceſſit ambitio, ut non duas vel tres, ſed plures eccleſias perhibeantur habere, cum nec duabus poſſint debitam proviſionem impendere: per Fratres & Coëpiſcopos noſtros hoc emendari præcipimus, & de præbendarum multitudine canonibus inimica, quæ diſſolutionis materiam & evagationis inducit, certúmque continet periculum animarum, eorum qui eccleſiis deſervire valeant, indigentiam volumus ſublevari.

2. *c. Sanctorum*, 70. *diſt.* Omnino autem in duabus (eccleſiis) aliquem titulari non liceat. Item, Canonicus præbendarius, niſi unius eccleſiæ, in qua conſcriptus eſt, eſſe non debet.

3. Textus elegans, *c. Clericus*, 21. *q.* 1. Clericus ab inſtanti tempore non connumeratur in duabus eccleſiis. Negotiationis enim hoc eſt, & turpis lucri proprium, & ab eccleſiaſtica conſuetudine prorſus alienum. Audivimus enim ex ipſa Domini voce, quod nemo poſſit duobus dominis ſervire, &c.

4. *c. Quia nonnulli*, de Cler. non reſiden. Ex Conc. Later. Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diverſas eccleſiaſticas, & plures eccleſias contra ſacrorum canonum inſtituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vindicent pluriniorum: ne id de cetero fiat, diſtrictiùs inhibemus. Cum igitur eccleſia vel eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere, &c.

5. c. Adhæc, de Præbend. Illud eſt omni rationi contrarium, ut unus clericus in una vel diverſis eccleſiis plures dignitates vel perſonatus obtineat, cum ſingula officia in ſingulis eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum.

6. Alexand. III. ad Archiep. Genuenſ. & refertur *c. Cum non ignores*, de præbend. Cum non ignores, quod una eccleſia unius debeat eſſe ſacerdotis, mirabile gerimus, & indignum, quod uni perſonæ locum in pluribus eccleſiis velis concedere, vel in epiſcopato tuo inducere conſuetudinem eccleſiæ Gallicanæ, quæ cum unum ad plura recipiat beneficia, contra ſanctorum canonum inſtituta, non approbatur à nobis, licet non poſſit præ multitudine delinquentium emendari. Vide cetera.

7. Extrav. *Execrabil.* Johan. 22 tit. de Præb. Exſecrabilis quorumdam ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eò magis fit inſatiabilis, quo ſibi amplius indulgetur; & improbitas importuna petentium à nobis & prædeceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus non tam obtinuiſſe quàm extorſiſſe plerumque noſcuntur, quod unus interdum, etiam ad unum beneficium eccleſiaſticum minus idoneus, in diverſis eccleſiis . . . duas aut tres, aut plures dignitates, perſonatus, officia . . . . . poſſit diſpenſativè (cum aliàs non liceret de jure communi) recipere, & ſimul licitè retinere. Unde inter cetera inconvenientia, ſubſcripta ſequuntur, quod videlicet unus, qui unicum, quamvis modicum, vix officium implere ſufficienter, plurimorum ſibi vindicet ſtipendia. quæ multis litteratis viris vitæ puritate, ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abundè ſufficere, æqua diſtributione collata, habentibus ipſa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur. Et dum non ſunt ſui in unaquaque regione rectores, eccleſiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defenſorum auxilio, in juribus ſuis & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum, & (quod amarius eſt dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculosè præbetur." Ecce quàm verè dicat Bern. invitis Canonibus beneficia cumulari.

Sed ſollemne multis nunc eſt, in temporum difficultates cauſam conjicere. Nimirum aliter modò non poteſt honeſtè, & pro ratione ſtatûs vivi. Bellorum clades, anni ſteriles varia ſecum damna & incommoda trahunt. Omnium rerum in dies creſcunt pretia: in quotidianas impenſas unius beneficii cenſus non ſufficit. Ergo quærenda ex pluribus ſubſidia. Sed quid tempora cauſamur, quorum ipſi fabri ſumus? Tales nempe mores talia merentur tempora. Quis dubitat? *Ut Deum nos colimus, ſic ille nos viſitat.* Sanè ex moribus noſtris fingi nobis anni tempeſtates, fructuum terræ, frumenti, olei viníque proventus; adde belli pacíſque varios caſus, omnis Scriptura teſtatur: quamvis id ſtupor & cæcitas humana minùs agnoſcat: ſed in alias quaſcumque cauſas potiùs iſta rerum detrimenta referat: quaſi his cauſis non præſideret ſumma & prima Cauſa, in certos fines, certo conſilio dirigens omnia, ut nihil ab illis inferioribus cauſis fortuitum aut caſuale provenire cenſendum ſit, quod ſupremæ Cauſæ ſapientiſſima & ſingulari providentia non gubernetur.

Verum, ô mira & juſta Dei conſilia! videmus tales, (& ſæpius vidimus) adeo non obtinere quod intenderant, ut miſeriùs & ſordidiùs vivant, qui pluribus onuſti beneficiis, quàm qui uno contenti vivunt: ſed & minus æris proprii plus alieni relinquere heredibus: vel denique, quæ hoc modo collegerant, tandem velut ſpumam evaneſcere, luxurioſè prodigi, vanè conſumi. Ita quidem, ut malè quæſitis vel ipſi non fruantur, vel iis certè tertius non gaudeat heres.

Sed longius digredior, quàm ferat inſtituti ratio, aut etiam patientia Lectoris: cui videbor fortè quaſi immemor propoſiti, ut qui Annotationes tantum pollicitus eram, digreſſiones cudere. Ignoſce, candide Lector. Nam (ut veterum taceam) jam pridem adverſus pluralitatem, (peſtem, inquam, qua non ulla eccleſiæ nocentior) mihi bilis ferveſ ac bullit. Nimirum illa ſic invaluit, ut jam penè fruſtra antidoton & medicina paretur. Hoc tamen reſtat, ut, quando infecti jam lue, ceu tabe correpti ad interitum ſine ſpe remedii vergunt, ſanos ſaltem & incolumes adhibitâ curâ & neceſſaria cautione muniamus; quo ſcilicet intellecto morbi periculo ac pernicie, tanto magis abhorreant & caveant. Ad hoc ergo Canones adducti ſervient, ac plures etiam adduci poterant, ſi locus hic pateretur.

Unius tamen ſacri concilii Tridentini verba ſanè graviſſima non poſſum præterire. Nam ſeſſ. vij. cap 2. ſic ait: Nemo quacumque etiam dignitate, gradu ac præeminentia præfulgens, plures metropolitanas, ſeu cathedrales eccleſias in titulum ſive commendam, aut alio quovis nomine, contra ſacrorum Canonum inſtituta, recipere, & ſimul retinere præſumat, cum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam eccleſiam bene ac fructuoſe, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit, &c.

Et rurſus ſeſſ. 24. cap. 17. Cum eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officium occupat clericorum: ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, ſeipſos, non Deum decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta ſynodus debitam regendis eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi cardinalatus (nam alias cardinales exceperat Johan. xxij. Extrav. *Execrabilis*) honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandum non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri, &c. Vide ſi lubet Henricum Cuyckium epiſcopum Ruremundenſem, *Paran* 2. *ad cleric.*

76. *Clerici militares impugnantur.*

UT ENIM CLERICALIS CONSTAT NON ESSE DIGNITATIS, &c. Hic Bernardus pariter & clericum regi militantem reprehendit, & regem clerico militaria munia demandantem perſtringit. Et vero uterque reprehenſibilis: ille quod dignitatem ſui ſtatus non agnoſceret, hic quod aulæ militiæque functiones ſine perſonarum delectu ac diſcrimine conferret, clericos adhibens, ubi laicos oportebat. Occurrit ſimile quid in alio quoque Galliarum rege Ludovico XI. Nam cum ab eo cardinalis Balva epiſcopus Ebroicenſis, Præteriam Pariſiorum miſſus ad recenſendos milites, veſte linea ornatus, mula vectus munus illud, indignum pontifice, exſecutus eſſet: id equitum magiſter Chabanius ægerrime tulit; & regem adit, & provinciam viſitandi Ebroicenſe canonicorum collegium, ſeu de initiandis ibi clericis ſcrutinium ſibi demandari cupit. *Mirum*, loquit rex, *qua id fronte petere audeas. an neſcis illud muneris à perſona & conditione tua nimis alienum eſſe?* Tum Chabanius: *Cur minus*, inquit, *mihi conveniat clericos in ordinem cogere, quàm epiſcopo milites recenſere?* Quæ verba regi ſtuporem, ceteris riſum moverunt. Gaguinus lib. 10. Hiſt. Cl. Eſpencæus, vir eruditione ac ſanctitate in Gallia celebris, Digreſſ. lib. 2. cap 6. in epiſtola 1. ad Timoth. Boſquier in Plutarcho Chriſt. Corozetus in Apophteg. Gall.

Hic mihi rurſus exoranda Lectoris venia: nam à clericis pluralibus ad clericos militer venio, eoſque canonibus oppugnandos mihi ſumo, ſi tamen hoc armorum genere terrentur, qui & ipſi aliud armorum genus, ſed omnino non abſimilis, canones tractare norunt. Sed primum cauſam ſeu fundamentum prohibitæ clericis militiæ ex doctrina Doctoris Angelici divi Thomæ proferamus. Ad humanæ, inquit, ſocietatis bonum plura quidem neceſſaria ſunt, alia autem ab aliis melius expediuntur, quàm ab uno. Nam quædam adeo pugnantia ſunt, ut commode ſimul exerceri nequeant. Quibus ergo majora mandantur, minora prohiberi ſolent. Sic humanæ leges negotiationem interdicunt militibus ad exercitia bellica deputatis. Ea vero clericorum & epiſcoporum officiis maxime repugnant, primum quidem generali ratione, quia bella præ nimia inquietudine, quamplurimum impediunt animum à divino cultu, divinorum contemplatione, oratione, doctrina, reliquoque clericali miniſterio. Ut ergo ſecularia negotia, ceu omnis animum implicantia, clericis interdicuntur, 2. Timoth 2. ſic exercitia bellica ratione item ſpeciali, nam ſacri Ordines ad altaris miniſterium ordinantur, in quo Domini paſſio recolitur & annuntiatur, Matth. 26. 1. Cor. 11. Ut igitur quod myſterio gerunt, opere clerici imitentur, magis ad proprium pro Chriſto ſanguinem fundendum, quàm alienum paratos eſſe competit. Nemini autem id licet, per quod officio, cui alligatus eſt, incongruus fiat. Bella itaque clericis, ut ad ſanguinis effuſionem ordinata illicita, quorum militiæ arma ſpiritualia ſunt, non carnalia, 2. Cor. 10. Ita ferè ſanctus Doctor 2. 2. q. 40. a. 2. & q. 63. art. 4. 7. 8. Sed nunc Canones audiamus.

Canon concil. Meldenſ. ita habet: Quicumque ex clero arma militaria ne ſumant, neve armati incedant: ſecus, ut ſacrorum canonum contemptores, & auctoritatis eccleſiaſticæ profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur.

Turonenſ. I. can 5. Si quis clericus relicto officii ſui ordine, militiæ ſe tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

Diſt. 50. q. 3. Eos qui ſemel in clero taxati, aut monaſterio fuerint deputati, decernimus ad militiam non venire.

Lib. 3. de vita & honeſt. Cl. cap 2. Clericos arma portantes concil. Pictavienſe excommunicat. Item, de voto & voti redempt. c. 9. Cum clericos clericatus ad pugnandum inhabiles reddat, Innocentius III. magis expedire reſcripſit, voti eos ulteramarini redemptionem capere, quàm ad votum proſequendum cogi, &c. Idem de pœnis c. 5. Tam ſacerdotes navim ad pugnandum gubernantes, quàm perſonaliter conflictum exercentes, & alios ad pugnandum incitantes, omnes enormiter peccare, & rigore canonico deponendos cenſet.

De ſent. excomm. can. in audientia, Clemens III. Clericos arma militaria relicto habitu clericali geſtare non erubeſcentes, ſi qua eis fuerit corporalis injuria illata, vel ſe à captione redemerint, conſulenti, num debeant clericorum immunitate gaudere, qua temerarii manuum in clericum injectores excommunicati jure notantur? Reſpondet, fruſtra Eccleſiæ auxilium eos implorare, qui in eam committunt.

Bonifacio Germano conſulenti ſuper epiſcopis armatis in exercitu pugnantibus, manuque propria hominum ſanguinem fundentibus Zacharias Rom. Pontif. reſpondit, tales ore proprio falſos convinci ſacerdotes, ſecularibus pejores. Nulla itaque ratione ſacerdotio fungi permittendos, qui non ab humani ſanguinis effuſione manus ſervant innoxias, qui propriis manibus ſeu Chriſtianos, ſeu Paganos necant, & quibus in remiſſionem peccatorum Chriſti ſacramenta, ac in ceterum penitent, impendere debuerant, hos ſacrilegis manibus ipſi perimant: quis eos ſapiens æſtimet ſacerdotes? aut eorum ſacrificiis placatum iri Deum, qui viros ſanguinum abominatur, Pſal. 5. credat?

Sed quid his prolixius immoramur, cum vereat me ſurdis canere? Hoc tantum dico, vel etiam prædico (utinam ſim falſus vates!) Infeliciter bella noſtra procedent, quamdiu per eos gerentur, qui ſanctiori militiæ nomen dedere. At arma militiæ eorum non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Utinam hæc illis magis cordi forent, & illa potius cederent aliis viris generoſis & ſtrenuis. Jam verò, dum unam profeſſi militiam, aliam quoque temere invadunt & uſurpant, nihil proficiunt, niſi quod limites ſtatus ſui ac profeſſionis egreſſi, & in alienam meſſem mittentes falcem, divina & humana temere commiſceant, omnia ſurſum deorſum volvant, nec in ulla functione quidquam egregium dignumque laude gerant: ſed aliorum magnatum odio potius & calumnia, quàm gloria digni habeantur. Quin ergo, ſi ſapiunt, & felices bellorum eventus ad ſalutem ſubditorum & Reipubl. deſiderant, homines Deo dicati, arma in primis corripiant militiæ ſuæ propria. Sanè ſi potius cum Moyſe amarent verſari in tabernaculo Domini, levarentque puras manus ad Deum, non deeſſet in campis Joſue, qui fortiter & feliciter rem gereret, hoſteſque profligaret. Nunc verò, quia ordinem rerum pervertimus, & ſacris ſecularia anteponimus, vel confundimus, nulla ex æquo tractamus, nuſquam rem ſerio & cum fructu gerimus, nullibi triumphamus. Nimirum ſua negligentes, & aliena factitantes, ordiniſque a Deo præſcripti immemores, cura & benedictio divina deſtituit. Sic ſapientia hujus mundi confunditur, & mera apud Deum ſtultitia eſſe probatur.

Non illis, ſed ſpiritualibus armis ſancti Præſules de hoſtibus olim feliciter triumpharunt. Exemplis talium plenæ ſunt eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Hiſſimus Leo I. pontifex repreſſit Attilam: Lupus epiſc. Trecenſ. eumdem, Baſilius Valentem, Chryſoſtomus Eudoxiam, alii alios hoſtes & tyrannos.

Sed illuſtre præ ceteris eſt ſancti Ambroſii ſanctiſſimi Præſulis & Doctoris exemplum. Non pigeat quæſo, benigne Lector, hoc ipſiuſmet verbis audire. Sic enim Orat. in Auxentium de baſilicis non tradendis ſuos ad conſtantiam & tolerantiam exhortatur. Dolere, flere, gemere potero, adverſus milites etiam Gothos; lacrymæ meæ arma ſunt. Talia ſacerdotis ſunt munimenta: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. Et ad orationis finem: Si objiciunt quòd à pauperibus defenſionem requiram, non nego, ambio etiam: habeo, inquam, defenſionem, ſed in orationibus pauperum. Cæci, claudi, debiles, ſenes bellatoribus fortiores ſunt. Pauperum munera Deum obligant velut fœnerando: bellatorum præſidia divinam ſæpe gratiam non merentur. Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Planè non abnuo. Grande carmen, quo nihil potentius, Trinitatis fides, verſibus prædicata: confeſſio populi totius ore celebrata.

Et de ejuſdem cauſæ ſtatu ſcribens ad ſororem, refert ſe cum ſuis ita locutum: Rogamus, Auguſte, non pugnamus, non timemus. *Epiſt. 14*
Hoc Chriſtianos decet, ut & pacis fideique tranquillitas optetur, & nec mortis periculo veritatis conſtantia revocetur. Et poſt pauca: Baſilicam tradere non poſſum, ſed pugnare non debeo. Habeo arma, ſed in Chriſti nomine: corporis mei offerendi poteſtatem. Sed imbellis forſan epiſcopus, dum lingua, non manu; ore, non ferro repugnat, turpiter victus eſt. Immo vero inermis armatos glorioſe vicit. Nos ſummo, inquit, animi dolore legebamus, *Deus venerunt gentes, &c.* nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, & imprudentes aliud opinabamur. Quæ enim revera gentes, & pluſquam etiam gentes ad invadendam Dei hereditatem venerunt, facti ſunt Chriſtiani, coheredes Dei: defenſores habeo & ſocios, quos hoſtes putabam & adverſarios. Completum eſt illud Pſalm. 75. *Factus eſt in pace locus ejus*, confregit cornua arcuum, ſcutum, gladium & bellum. Cujus autem munere & opere, niſi tuo, Domine Jeſu? Videbas armatos ad templum tuum venire, hinc populum frequentem adeſſe & gemere, inde vim militibus, Imperatoris, mortem ante oculos mihi. Ne quid inter hæc furori liceret, medium te inſeruiſti, feciſti utraque unum: armatos compeſcuiſti, velut dicens: Si ad arma concurritur, ſi in templo meo lis movetur, quæ utilitas in ſanguine meo? Tu Domine, ſalvum feciſti populum tuum, & me lætitia præcinxiſti. Hæc dicebam, mirabar Imperatoris animum ſtudio militum, obſecratione Comitum, populi precatu poſſe miteſcere. Sed dum totum biduum mærore, Pſalmis & Prophetis de more legendis & ſermone exigimus, nec mora, nuntiatur Imperatorem juſſiſſe ut recederent milites. Quæ totius plebis lætitia, populi plauſus atque gratia! Die quo ſe Dominus pro nobis

nobis tradidit, & in Eccleſia pœnitentia relaxatur. certatim hunc milites nunciare, altaribus irruere, oſculis pacis inſigne ſignificare. *En inermem epiſcopum, ſed omnibus armatis fortiorem, & ſine cæde ac ſanguine victorem.*

58. HOSTIÆ CAUDAM JUNGE CAPITI. Id eſt, finem junge principio. Hortatur ad perſeverantiam, alludens ad ritum legis, jubentis caudam hoſtiæ ſimul offerri. Exod. 29. Levit. 3. Rationem tropologicam dat Radulfus. Cauda, ait, quæ finis eſt corporis, ſymbolum eſt conſummationis & perſeverantiæ in ſanctis operibus. Unde & S. Gregor. I. Moral. cap. 40. *Cauda*, ait, *jubetur adoleri Deo, ut omne bonum quod incipimus, etiam perſeverantia fine impleamus.* Idem Homil. 25. in Evang. *Præcepto legis*, inquit, *cauda hoſtiæ in ſacrificio jubetur offerri. In cauda quippe finis eſt corporis, & ille bene immolat, qui ſacrificium boni operis uſque ad finem debitæ perducit actionis.*

IN EPIST. LXXIX.

59. * AD LUCAM ABBATEM. Haudquaquam Montis Cornelii apud Leodium (qui nunc Belli-reditus appellatur) quod falsò putavit Picardus, & poſt eum Horſtius: ſed monaſterii Cuiſſiacenſis, ordinis Præmonſtratenſis, in diœceſi Laudunenſi, ut habet Bibliotheca Præmonſtrat. & ſatis ipſe Bernardus indicat, dum mirari ſe profitetur, cur Guillelmum S. Theoderici abbatem, utpote viciniorem, vel aliquem ex Præmonſtrato ſibi proximo, non potius conſuluerit. De Luca ac de monaſterio Cuiſſiacenſi ſic habes apud Hermannum monachum: *Sed & aliud conſtruxit* (Bartholomæus epiſcopus Laudunenſis) *monaſterium clericorum in loco, qui vocatur Cuiſſiacus, abbatemque ibi ordinavit dominum* LUCAM, *virum religioſum.* Ita ille lib. 3. de Mirac. B. Mariæ Laudun. cap. 16.

IN EPIST. LXXXI.

60. * AD GARARDUM ABBATEM PULTARIENSEM. Horſtius *Pruliacenſem* legendum putat, ſed perperam, reclamantibus nimirum mſſ. immo ipſis epiſtolæ verbis, ex quibus ſatis intelligitur, Bernardum non loqui ad aliquem abbatem ordinis Ciſtercienſis, qualis eſt Pruliacenſis. aliàs comitem Nivernenſem ad reformanda iſtius monaſterii vitia neutiquam interpellaſſet. Ex qua obſervatione addendus videtur Gerardus ad ſeriem abbatum Pultarienſium, hactenus omiſſus. Eſt autem Pultarienſe monaſterium, vulgo *Pontieres*, ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Lingonenſis, fundatum à Gerardo comite, non longe à ſuo caſtro, ubi & poſtea cum uxore ſua Berta ſepultus eſt. Vide Acherii noſtri Notas ad Opera Guiberti de Novigento pag. 653. & ſeqq.

IN EPIST. LXXXIV. ad Simonem.

61. HORSTII. IN SIMILIBUS ANIMI FACTIS, &c. At ſimilia non ſunt; nam ſecundum Philoſophos, cauſæ finales & impulſivæ faciunt actionum diſcrimina. Itaque ſimilia tantùm ſunt in genere entis, ut cum iiſdem loquamur, non in genere moris. Sed hoc axioma eleganter enarrantem Auguſtinum audiamus. Cum boni, inquit, & mali eadem faciunt, eademque patiuntur; non factis & pœnis, ſed cauſis utique diſcernendi ſunt. Pharao populum Dei duris laboribus atterebat, Moyſes eumdem populum impie agentem duris coercitionibus affligebat. Similia fecerunt, ſed non ſimiliter prodeſſe voluerunt: ille dominatione inflatus, iſte zelo inflammatus eſt. Jezabel occidit Prophetas, Elias occidit pſeudoprophetas. Puto quod diverſa ſunt merita patientium, & diverſa paſſorum .... Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: & de Juda dicitur, quod introierit in eum ſatanas, ut traderet Chriſtum. Cum ergo & Pater tradiderit Filium ſuum, & Judas Dominum ſuum: cur in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus; niſi quia in una re quam fecerunt, cauſa non una eſt, ob quam fecerunt? Et poſt inducta plura exempla, tandem ſubjungit: Diſcamus in ſimilitudine operum, diſcernere animos operantium. Ita S. Auguſt. epiſt. 48.

IN EPIST. LXXXV.

62. * AD GUILLELMUM ABB. S. THEODERICI. Venerabilis Guillelmus, ſancti Bernardi quondam deliciæ, ex urbe Leodienſi nobili genere ortus, Remos ſtudiorum cauſa miſſus cum alio nobili adoleſcente, nomine Simone, (quem Majoris-monaſterii codex mſ. plures Bernardi complectens epiſtolas, ipſius Guillelmi fratrem fuiſſe teſtatur) ſpretis mundi deliciis in S. Nicaſii Remenſis aſceterium, regularis obſervantiæ tunc temporis fama celebre, cum illo ſe recepit: ubi peracto felicibus auſpiciis tirocinio, cum uterque virtutum laude excelleret, ille abbatiæ ſancti Nicolai de Saltu * diœceſis Laudunenſis, Guillelmus vero in locum Gaufridi, ad S. Medardum Sueſſionenſem tranſlati, monaſterio ſancti Theoderici prope Remos præfectus eſt anno 1120. Cum autem Bernardi fama ſanctitatis ſe ſe undique diffunderet, plurimoſque ad ſui contemplationem & admirationem alliceret; Guillelmus noſter, tum privatus apud ſanctum Nicaſium, audita ægritudine, quâ vir ſanctus non multo poſt a ſua ordinatione correptus eſt, cum quodam Abbate eum inviſit: quocum aliquamdiu converſatus, ſibulam conſtrinxit arctiſſimæ illius neceſſitudinis, quâ ſe ſe poſtea mutuò complexi ſunt. *Tanta enim Guillelmus affectus eſt ſuavitate* circa Bernardum, *tantoque deſiderio in paupertate illa & ſimplicitate cohabitando ei, ut ſi optio illa diu ſibi data fuiſſet, nihil tam optaſſet, quàm ibi ſemper cum eo manere ad ſerviendum ei.* Hinc proficiſcebatur ſenſus ille doloris, quo calumnias Bernardo impactas iniquius ferens, eum ipſum ad ſe ſe purgandum

* V. Ep. 83. & 84.

Lib. 1. vitæ 6, Bern. c. 7.

adverſus Cluniacenſium querelas induxit, eleganti Apologia ad ſe ſcripta, quam vide tomo 2. & ibid. Notas.

63. Verùm nec has etiam Guillelmi in Bernardum amor paſſus eſt anguſtias: immo paſtoralis ſarcinæ pertæſus, & Bernardi conſuetudinis cupidiſſimus, cùm ſæpius à Claræ-vallis ingreſſu repulſus fuiſſet, ut etiam patet ex hac epiſtola, tandem abdicatâ præfecturâ in cœnobium Signiacenſe ord. Ciſterc. diœceſis Remenſis ſe contulit ſub annum 1135. ſiquidem annos quatuordecim & menſes quinque abbatem apud S. Theodericum egiſſe teſtatur ejuſdem monaſterii Abbatum catalogus mſ. cui ſuffragatur charta quædam cœnobii S. Nicaſii Remenſis, in qua Rainaldus Remorum archiepiſcopus res à Joranno abbate acquiſitas confirmat anno 1135. teſte HALINO S. Theoderici abbate, qui ex priore S. Amandi Guillelmo ſuffectus eſt. Guillelmus vero Signiaci ſtabilitatem profeſſus anno circiter 1135. cum aliquot annos in ſumma animi demiſſione ac modeſtia, jugique rerum cœleſtium contemplatione (quam *quotidianum ejus exercitium* vocat Chronicon mſ. Signiacenſe) exegiſſet, ad ſuperos tranſlatus eſt circa annum 1150. certe poſt annum 1144. cum epiſtola ad Fratres de Monte-Dei, cujus eſt auctor, nuncupata ſit Haimoni priori, qui iſto anno Gauſrido primo priori ſucceſſit: at vero ante S. Bernardi obitum, à quo ſtatim Ernaldus librum ejus vitæ ſecundum, mortuo Guillelmo, aggreſſus eſt, ut ex Notis ad epiſt. 310. intelliges. De Guillelmi obitu ita ſcribit Chronicon Signiacenſe: *Curſum vitæ ſuæ ſanctè ſine complens obdormivit in Domino. Corpus ejus in clauſtro juxta introitum Capituli traditum eſt ſepulturæ*: poſtmodum vero, nempe octogeſimo poſt mortem anno, Ægidius Signiaci abbas nonus *Oſſa D. Guillelmi* (pergit idem Chronicon) *abbatis S. Theoderici, Arnulſi abbatis * ſancti Nicaſii, & Gerardi abbatis Florinenſis* (quos Signiaci Guillelmus converſionis ſocios habuerat) *de tumulis, in quibus uſque ad illud tempus jacuerant, levavit, & eadem intra murum Oratorii & juxta introitum eccleſiæ à parte clauſtri in quadam theca cum honore debito collocavit.*

* In Catalogo Abbat. S. Nicaſii dicitur ſimp. inter monachus.

64. Hæc quidem de Guillelmo fuſe, ſed non otioſe fortaſſis. Quem quanti Bernardus fecerit, quamque non impari ſit proſecutus affectu, ex ipſius epiſtolis innoteſcit: maxime ex epiſtola 85. in qua Guillelmo amice expoſtulanti, quod multum diligens, minus a Bernardo amaretur, eleganti & Chriſtiana omnino reſponſione facit ſatis: ſed & ex epiſtola 88. ad Ogerium ſcripta, ubi arrepta, ex improviſo Guillelmi mentione, in hæc verba prorumpit. *Sed heu! in quanta ſermonis anguſtia mentio ſe ingeſſit de tali viro: ne liceat, ut dignum erat, in tam dulciſſima nobis memoria aliquamdiu immorari, quoniam jam jamque deſiderat epiſtola finem.* Porro tantum ejus etiam probavit eruditionem & doctrinam, ut librum *de Gratia & libero arbitrio*, Guillelmo nuncupatum, ipſius cenſuræ ſubjecerit; & Lucæ Cuiſſiacenſi, de quibuſdam difficultatibus ſe conſulenti reſponderit *, miratus ſe, cur Guillelmo prætermiſſo, ſuum expetiiſſet ſuffragium. Certe Viri doctrinam & pietatem ſpirant & loquuntur egregia illius monumenta, in primis vero diſerta illa & plane aurea *ad Fratres de Monte Dei* epiſtola, ultimus (ſi forte librum 1. vitæ ſancti Bernardi excipias) Guillelmi fetus: ubi cum ſuarum lucubrationum catalogum in Præfatione, quam tomo 5. hic integram exhibemus, inſtruat, nihil ſit quod iis amplius immoremur. Plura de eo in Admonitione ad epiſtolam ad Fratres de Monte-Dei tomo 5. & in tomo 3. Bibliothecæ Patrum Ciſterc.

* Epiſt. 70.

IN EPIST. LXXXVII.

65. HORSTII. AD OGERIUM CANON. REGUL. Hujuſmodi titulum plerique calumniantur aut rident, quod verba ſynonyma ſeu idem ſignificantia, etſi diverſo idiomate, fruſtra congeminet: quaſi canonici alii ſint quam regulares: ſive quaſi regulares alii ſint, & alii irregulares. Sed vide Johan. Bapt. Signium lib. de Ord. Canon. cap. 2. & Navarr. Com. 5. de Regul. ad c. *Cum pertio Dem*, XIX. q. 1 ubi docet, non omnem verborum geminationem cenſendam eſſe battologiam. Nam & apud Juriſperitos ejuſdem clauſulæ vel dictionis geminatio plurimum operatur. v. l. Baptiſta, §. ad Senatuſconſ. Trebell. Adde quod & geminatio ejuſdem verbi apud Hebræos ſingularem habet vim, & emphaſim intendendi vel augendi id, quod dicitur: Pſalm. 86. *Homo & homo natus eſt in ea*, id eſt, multi homines. Pſalm. 67. *Rex virt. dilecti, dilecti*, id eſt, dilectiſſimi, & alibi ſæpe. V. Genebr. ll. cit. Porro fuit Ogerius primus præſes S. Nicolai Pratenſis ad Tornacum Nerviorum, ſub annum 1125. teſte Picardo ex ſchedis Dionyſii Villerii canon. & cancell. Tornac.

66. HORSTII. VIDEBIS TU, AI CONSULTA, &c. Suaſerat Bernardus ne renuntiaret curæ paſtorali, etiam amore quietis propriæ. Hinc jam improbat factum Ogerii, huic conſilio non parentis: & quamvis licentiam ab epiſcopo acceperit, eum tamen non eſſe ſecurum, ut quæ extorta ſit, & violentia potius dicenda ſit: additque divinæ eum ordinationi reſiſtere, ut qui promotus a Deo, ſeſe dejiciat, aliaque plura in eamdem ſententiam.

67. An liceat abdicare paſtorale munus. Hinc ergo oritur gravis quæſtio, An non liceat renuntiare curæ paſtorali, & ſeſe ſubducere turbis & negotiis, ad quietius vacandum Deo & ſaluti propriæ? Augent quæſtionis difficultatem tam multa ſanctorum virorum exempla, quos id feciſſe novimus. Inter minores quidem Prælatos plurimi fuerunt, ſed nec pauci Epiſcoporum, Cardinalium, immo & Pontificum nonnulli. Bruno III. Comes de Altena, Colonienſis præſul, abdicato pontificatu, ad monaſterium Veteris-montis ord. Ciſterc. ſeceſſit an. 1119. Eskilus Lundenſis in Dania archiepiſcopus in Claræ-valle vitæ ſe privatæ dedit. Petrus Damiani ex monacho Benedictino card. & epiſcopus Oſtienſis, poſtquam pro ratione officii & dignitatis cauſam Eccleſiæ annis aliquot ſtrenuè, & miraconſtantia geſſiſſet, amore ſolitudinis & quietis in cellam reverſus, vitam cum Fratribus in tranquillitate deinceps exegit: ſed redargutus à ſummo Pontifice, cur publicam curam ſaluti privatæ, vir utilis

& idoneus, poſthaberet. De quo illud memorabile, quod injunctam ob repudiatum epiſcopatum à pontifice centum annorum pœnitentiam (quæ nempe jubebatur in dies ad Pſalmi 50. recitationem diſciplinam facere, idque centum annos, ſi tot viveret) unius anni ſpatio, integram compleverit. Ita alias legiſſe memini. Vide Operum ejus tom. I. epiſt. 10. ſeu, juxta novam editionem, tom. III Opuſc. 20. ad Alexand. pontif. & Hildebrand cardin. qui poſtea factus pontifex nomine Gregor. VII. ubi ſe purgat ob dimiſſum epiſcopatum, & factum ſuum, improbatum à pontifice & cardin. plurimis adductis exemplis tuetur.

68. Sed ſi legibus potius quam exemplis judicandum eſt, uti Juriſconſultus ait, videndum reſtat, quid ratio & canones præcipiant. Doctor Angelicus ita reſpondet: Proximorum ſalutem, ad quam procurandam ſeſe paſtor obligavit, negligere non debet, nec propter divinæ contemplationis quietem: cum Apoſtolus ob ſubditorum neceſſitatem, etiam à futuræ vitæ meditatione differri ſe patienter toleraret. *Quid,*
Philip. 1. inquit, *eligam, ignoro. Coarctor enim è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius*, &c. Adde quod cum epiſcopalis ſtatus perfectior ſit quam monaſticus, ut non licet de hoc ad ſæculum redire, ita neque ab illo ad hunc, ut minus perfectum, tranſire. Hoc enim eſt, manu aratro admota retro reſpicere, quod qui facit, non cenſetur aptus regno Dei, Lucæ 9. Sed tu ipſe S. Doctorem lege 2. 2. q. 85. art. 4. in corp. & reſp.

Nunc porro magnum Eccl. Doct. Auguſtinum audiamus epiſt. ad Eudoxium abbatem, debitæ in hac parte moderationis regulam religioſis viris præſcribentem, & habetur 16. q. 1. c. Vos autem. Fratres, exhortamur, ait, in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque in finem perſeveretis: ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet manſuetos vias ſuas. Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inveniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda eſt via, ut nec exuratur homo, nec demergatur: ſic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcriptum eſt, *Non declinantes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Sunt enim, qui, dum nimis timent, ne quaſi in dexteram rapti extollantur, in ſiniſtram lapſi demerguntur. Et ſunt rurſus, qui, dum nimis ſe auferunt à ſiniſtra, ne torpida vacationis mollitie ſorbeantur, ex altera parte jactantiæ faſtu corrupti atque conſumpti, in favillam fumumque vaneſcunt. Sic ergo, dilectiſſimi, diligite otium, ut vos ab omni terrena delectatione refrenetis, & memineritis nullum locum eſſe, ubi non poſſit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum, & inimicum omnium bonorum, cujus captivi fuimus, vindicemus; nullamque nobis eſſe perfectam requiem cogitemus, donec tranſeat iniquitas, & in judicium juſtitia convertatur. Ita Auguſt. epiſt. 84.

Liberius quoque Papa epiſtola ad omnes epiſc. Non debemus, inquit, populos nobis commiſſos negligere, ut quieſcere amplius quam pro eis elaborare, pro quibus etiam animas ponere debemus, ſtudeamus. Suggeſtum autem nobis eſt, quod pro præteritis laboribus nonnulli plebes à Deo ſibi aſſignatas, quaſque tueri debent eccleſias relinquere volunt, & monaſteriorum ſe quieti tradere feſtinant: vacationem ab epiſcopatûs laboribus eligunt, in otio & ſilentio vitam degere malunt, quàm in his, quæ ſibi commiſſa ſunt, permanere. Unde autem beata perſeverantia, niſi de virtute patientiæ? Ideoque ne vos afflictionum amaritudo a pio mentis propoſito recedere coarctet, ut plebes vobis commiſſas relinquatis, & ob malorum opprobrium, quieti vos contradentes, vos ſolummodo ſervetis, & filios orphanos relinquatis. Liberium ſecutus Leo I. ſic Ruſtico Narbonenſi ſcribit epiſtola 32. Miror dilectionem tuam adeo ſcandalorum quacumque occaſione naſcentium adverſitate turbari; ut vacationem ab epiſcopatu optes, & in ſilentio ac otio vitam degere, quam in his commiſſis immanere malis: cum Dominus non niſi perſeverantes beatos dicat; & quam piis omnibus perſecutionem Paulus prædicat, (2. Tim. 3.) Non in eo tantum comperiatur, quod contra pietatem Chriſtianam aut ferro, aut ignibus agatur, aut quibuſvis ſuppliciis: cum perſecutionum ſævitiam ſuppleant morum diſſimilitudines, inobedientium contumaciæ, malignorum tela: quibus cum omnia ſemper Eccleſiæ membra configant atque pulſentur, & nulla portio ſit a tentatione libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores. Quis inter maris fluctus navem diriget, ſi gubernator abſcedat? Quis a luporum inſidiis oves cuſtodiet, ſi paſtoris cura non vigilet? Quis furibus & latronibus obſiſtet, ſi ſpeculatorem, in proſpectu explorationis locatum, ab intentione ſollicitudinis, amor quietis abducat? Permanendum in opere credito, labore ſuſcepto; comprimendi tumidi, tolerandi infirmi: nec, ſi vehementes tribulatio incubuerit, ita expaveſcamus, quaſi adverſitati propriis ſit viribus reſiſtendum, cum conſilium & fortitudo noſtra Chriſtus ſit, ſine quo nihil, (Johan. 1.) per quem omnia poſſumus, (Phil. 4.) cujus in confirmandis Evangelii prædicatoribus, & ſacramentorum miniſtris, de ſuæ tunc præſentiæ, (Matth. 28.) tum pacis ac victoriæ fiducia (Johan. 16) indubias & manifeſtas pollicitationes, nullis debemus ſcandalis infirmari, ne Dei electioni videamur ingrati, cujus tam potentia ſunt adjutoria, quàm vera promiſſa. Ita perquam eleganter Leo.

Innocentius quoque III. præclarè ſcribens epiſcopo Arelatenſi, deterret eum à dimiſſione epiſcopatus. Scire te debes non eſſe ſanctificato in utero ſanctiorem; ideoque prædicationis jam ſuſceptæ miniſterium non deſerendum: cum is, cujus fieri bajulus recuſabat, prædicandum Dei verbum tandem receperit. Quod ſi humilitatis cauſa de culmine quæris pontificali deſcendere, hoc ipſo humilitatis verticem malè eligere videris, quod tu in reſignandi propoſito nimis exhibes pertinaciam: quia tunc veram in te humilitatem cuſtodies, cum & per eam locum ſublimem ſuſcipis, & per obedientiam non dimittes. Tum enumeratis petendæ & obtinendæ miſſionis cauſis: Si propter alias, ait, cedere affectas, tibi poſtulanti non favendum, cum poſtulatio non eſſe diſcreta videatur: quia, ut omittamus otioſitatem, voluptatemque hoſtis antiqui ad miſeras animas captivandas arma, nec ob laboris quidem anguſtias, nec perſecutionis incurſus ſponſa tibi deſerenda, cui deſigendo manum apud cæteram fide te media copulaſti. Sed dices, *Spiritus, ubi vult, ſpirat: & neſcis unde veniat, aut quò vadat.* (Johan. 3.) & ideo non etiam poſſit vias illius Spiritus perſcrutari, quo qui aguntur, non ſunt ſub lege: *quia ubi Dei Spiritus, ibi libertas.* (2. Cor. 3.) Cedendi itaque libertatia tibi ab homine negata, cedes tamen libertate tibi à Deo data? Certè deſipis, ſi ſic ſapis. Quo enim modo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit? Sanè contra Spiritum agit, qui contra veritatem attentat: *Veritas enim Spiritus eſt.* (Johan. 15. 16.) At ob aliam fortè cauſam latentem cedendi tibi voluptas cælitus inſpiratur. Sed tu, quo ſcis modo talem inſpirationem cæleſtem eſſe? Non recolis glorioſum pontificem beatum Martinum, corporis viribus deſtitutum, Pauli exemplo dixiſſe, *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua?* Quandocumque virtutum flore fulgeas, ſi caritatem non habeas, nihil habes, (1. Cor. 13.) Nulla autem major, quàm animam pro amicis ponere, (Johan. 15.) Cum igitur pro ſubditis animam ponere deceat, quamdiu eis proficere potes, nulla ab eorum regimine occaſio excuſaverit. Laboris cauſam prætendenti ſublevando tibi, & labori non refugiendo exemplum erit Apoſtolus, ſe pro communi ſalute plus cæteris laboraſſe aſſerens, (1. Cor. 15.) quia licet non ſemper ſequatur laborem effectus, labor tamen eſt apud Deum meritorius. Neque vero putes, Martham, quod circa plurima ſatageret, malam partem elegiſſe, Mariam autem optimam, quæ ab ea non auferetur; (Luc. 10.) illa quidem ſuavis & ſecura, hæc autem plus utilis & fructifera, &c. Vide eumdem Pontif. de Regular. c. *Licet.*

Sed ſine cauſa his immoramur, ſi mores hujus ſæculi reſpicimus. 69.
Nunc in prælaturis capiendis freno potius, quam calcaribus egemus: jam magis à quærendis hujuſmodi dignitatibus, quam à dimittendis homines deterrere neceſſe fuerit. Recens tamen exemplum, & quod raritate ſui jam pene commendationem, aut certè admirationem meretur, habemus in illuſtriſſimo principe Henrico à Lotharingia epiſcopo Virdunenſi, qui difficultatem muneris paſtoralis expertus, dimiſſo ante paucos annos epiſcopatu, ad Societatem Jeſu, velut ad locum quietis, è curarum æſtu ſeſe recepit. Verum cum hoc deſiderio prægnans animi ſui ſenſum cardinali Bellarmino aperiret, conſilium ab eo poſtulans; tale ab eo reſponſum accepit, quo moneretur potius divinæ voluntati ad laborem vocanti acquieſcere, quàm propriæ tranquillitati conſultum ire. Epiſtola, quia utriuſque pietatem ſpirat, non ingrata Lectori erit, alias fortè non ita obvia. Sic autem habet.

Quod ad pium deſiderium tuum attinet, adipiſcendi pennas columbarum, & volandi ad locum dulciſſimæ quietis, dicam quod ſubit animum meum. Non puto ſolidiorem quietem, & ſalutis veriorem ſecuritatem in re alia poſſe inveniri, quam in Dei voluntate viribus totis animæ exſequendâ. Illam ego Domini vocem præter omnes amavi ſemper: *Pater, tranſfer à me calicem hunc. verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Empti pretio magno ſumus: proinde tamquam ſervi obedientiam noſtro Hero debemus, dum conſcientia noſtra teſtis eſt, non quæſiviſſe, non optaſſe, non elegiſſe locum nos ſublimiorem, & in præſentia honorem nihil ducere, quo & abdicare nos, ſi liceret, liberet; ſanè eſt quod gaudeamus, & acquieſcamus voluntati Dei, quam Pontifex nobis manifeſtavit. Paſtorale onus eſt ſollicitudinis, atque periculi plenum; neque fortaſſe: (ut exemplum in me ſtatuam) minus grave onus eſt dignitas cardinalitia: ſed ſi opifici, ſi emptori noſtro placuit has in anguſtias, in hæc pericula nos vocare; ecquinam ſumus, ut dicere poſſimus ei: Cur ita feciſti? Qui nos dilexit, & animam ſuam pro nobis poſuit, dicere dignatus eſt Petro, & in eo Paſtoribus omnibus: *Si me amas, paſce oves meas*: ecquis erit, qui reſpondere audeat Domino, Nolo paſcere oves tuas, ne perdam animam meam; niſi ſit aliquis, qui non Deum, ſed ſeipſum amet? Dei amator verus cum Apoſtolo ait: *Malo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, quàm non ſubire ſarcinam, quam mihi amor divinus impoſuit. Quamquam eſſe diſcrimen ſalutis nullum poteſt, caritas ubi regnat. Nam eſto: imprudentes, vel ex imbecillitate in multis labimur: nonne caritas operit multitudinem peccatorum? Illuſtriſſime & amantiſſime Præſul, ſi ſpes affulgeret ulla fore, ut Deo, & Vicario ejus conſentientibus, ad religionis quietem, tu quidem venire, ego redire poſſemus, id omnino eligendum eſſet: ſed ſpes vaneſcit omnis. Quæ mihi frequens dico, eadem & ſcribere volui ſanctæ animæ tuæ, quam ab onere paſtorali ægre admodum angi video. Ita Cardinalis ille ad Epiſcopum.

Hæc etſi paulo prolixius, quam pro inſtituto recenſita, & fortè faſtidioſo inſipida, candidus Lector non reſpuet. Certe ſi alium uſum hoc tempore non habent, oſtendent ſaltem, quanta inter mores noſtri & veteris ævi ſit diſcrepantia. Olim quippe, cum onera penſarent, ſtimulis opus erat ad illud ſuſcipiendum. Nunc, cum honores potius ſpectantur, ambitio frenis coërcenda eſt. Si quis plura velit de propoſita quæſtione, videat S. Gregor. de cur. Paſt. lib. 1. c. 5. & ſeqq. P. Bleſenſem epiſt. 44. & 101. S. Thom. 2. 2. q. 85. Gillebertum de Hoylandia elegantiſſ. epiſt. ad Ogerum (an fortè eumdem, ad quem eſt præſens Bernardi epiſtola? Certe utriuſque epiſtolæ & inſcriptione & argumento conveniunt) quam habes hic tomo 5. Item vide Tubas noſtras diſciplinæ Eccleſ. pag. 321. Claud. Eſpenc. lib. 3. Digreſſ. ad epiſt. 2. Tim.

70. HÆRETICI. Qui se sibi magistrum constituit, &c. Argutum & ſapiens ſancti Bernardi dictum. Nam φιλαυτία ſeu amor ſui ipſius, magnus erroris artifex, in cauſis propriis fere mentem & oculos hominis ſurripit: facitque adeo illum ſtulteſcere, & verum de rebus judicium amittere; ita ut qui aliis non raro recte nonnunquam conſulere, in propriis fœde cæcutiant, immo deſipiant, ſeſeque miſere decipiant. Porro in via vitæ ſpiritualis ſeu religioſæ ſine duce velle procedere, res plena diſcriminis eſt, ut paſſim ſancti Patres & aſcetici Scriptores oſtendunt. Et *quamvis ſint nonnulli* (cum Gregorio Magno loquor) *qui ita per magiſterium ſpiritus intrinſecus docentur, ut etſi eis exterius humani magiſterii diſciplina deſit, magiſteri interni cenſura non deſit: horum tamen libertas vita ab infirmis in exemplum non eſt trahenda, ne dum ſe quiſque ſimiliter ſancto Spiritu repletum præſumit, diſcipulus hominis eſſe deſpiciat, & magiſter erroris fiat.* Ita S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 1. Sed mitior Bernardi ſententia videri poſſit, ſpectata graviori aliorum cenſura. Ille dicit, eum qui ſibi magiſter eſt, ſtulti diſcipulum eſſe. Sed alii dicunt, religioſum ſeu virum ſpiritualis vitæ profeſſorem, qui ſpretis neglectiſque ſeniorum conſiliis, ſuo vivit arbitrio, ſibi ipſi diabolum eſſe. Ita Johannes Gerſon, magnus vitæ ſpiritualis magiſter, mavis teſtimonio Climaci; Qui ſibi, inquit, dux eſſe vult, ſpreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante, quia factus eſt ipſi dæmon. Nempe, qui ſibi fidunt, & ſuæ innituntur prudentiæ, adeoque non ſinunt ſe regi aliorum conſiliis, laborant vitio ſuperbiæ. at diabolus rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, quæ & initium omnis peccati eſt. Hinc nulli magis opportuni inſidiis & tentationibus ſatanæ, quam qui prudentes ſunt in oculis ſuis. Exempla ſunt frequentiſſima.

Unde & ſpiritualis ducis neceſſitatem non obſcure Scriptura commendat. Salomon populi ruinam conſultoris defectui adſcribit: *Ubi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, ubi multa conſilia.* Proverb. 11. Sanctus Dorotheus hanc ſententiam ad præſens inſtitutum integro ſermone tractat & ediſſerit, inter cetera ita ait: Monet ac cavere nos docet, ne noſmetipſos inſtituere & informare velimus: ne ſciolos nos, prudentes atque cordatos exiſtimemus: neve omnino credamus, poſſe noſipſos regere ac gubernare. Ita Doroth. quem vide Serm. 5.

Rurſus idem Salomon: *Væ ſoli*, ait, *quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe*, Eccleſ. 4. Ex quo loco Ludov. de Ponte in Duce ſpir. p. 1. tr. 4. c. 2. magiſtri ſpiritualis neceſſitatem non incongrue deducit. Quamvis & ante ipſum plerique Patrum id feciſſe videantur. Olympiod. in cap. 4. Eccleſ. Nyſſenus lib. de Virg. S. Bern. Ser. 33. in Cant. P. Bleſenſis lib. de amicit. c. 2. Teſtimonia hujuſmodi innumera in rem præſentem afferri poſſent ex Scripturis: nec minus exempla ſuppetunt eorum, quos Deus per homines inſtrui voluit, etſi alias prudentes, immo ipſi Deo familiares. Moyſes inſtruitur per ſocerum ſuum Jethro, Samuel per Heli ſacerdotem, Cornelius Centurio per Petrum, Paulus per Ananiam, Æthiops Eunuchus per Philippum. His fere ſimilibuſque exemplis utuntur Patres ad probandum, in vita ſpirituali & via cæli, non ſine arbitro & duce procedendum: quorum verba adducerem, ſi inſtitutum pateretur. Tu ipſe ſuis locis, ſi libet, require. De Samuele quidem Caſſianum Coll. 2. c. 14. Gregor. lib. 2. in lib. 1 Reg. De Centurione S. Auguſt. Prol. lib. de Doct. Chriſt. De Paulo S. Auguſt. ibid. Caſſian. Coll. 2. c. 15. De Eunucho Auguſt. lib. cit. & alios alibi.

Ceterum cum morbi, itemque medici corporum magnam habeant analogiam & affinitatem cum morbis, medicisque animorum: hinc etiam percommode magiſtri ſpiritualis neceſſitatem elicere poſſumus: quia nemo ſibi ipſi medicus eſt, ſeu jure ratione refragante, ſcilicet in gravibus & periculoſis morbis. Unde Philoſophus in Polit. 3. c. 11. Ægrotantes medici, inquit, alios ad ſe medicos vocant, & magiſtri palæſtræ alios magiſtros, quaſi nequeant verum diſcernere qui de propriis judicant, & in paſſione conſtituti ſunt. Rationem ſupra inſinuavi, quia nempe obnubilat judicium practicum amor ſui, & perturbationes, velut nebulam oculis mentis offundit. Idem ſenſu Baſil. Conſtit. mon. cap. 23. *Illud firmiſſimum*, inquit, *tenendum, rem omnium difficillimam eſſe, ſeipſum cognoſcere, & curare. propterea quod ſeipſum quiſque naturaliter amat, & quilibet propterea, quod in ſeipſos propenſi ſunt, in veritatis judicio falluntur.* Medicus corporis ſui curam ſibi non credit: & homo animæ ſuæ curam ſuo unius arbitrio ſecurus committet? Quid ſi æger ſeipſum non agnoſcat ægrotum, ut multis contingit? quid ſi periculum non æſtimet? quod etiam notavit S. Baſil. qq. Brev. n. 301. quomodo is, inquam, de remedio ſibi adhibendo cogitabit?

Mihi itaque, ut claudam cum Hieron. *placet, ut habeas ſanctorum virorum contubernium, nec ipſe te doceas, & abſque doctore ingrediaris viam, quam numquam ingreſſus es: ſtatimque in alteram partem declinandum ſit & errori pateas: pluſque aut minus ambules quàm neceſſe eſt, ne aut currens laſſeris, aut moram faciens obdormias*, epiſt. 4. ad Ruſticum, cui in monaſterio *ſub unius diſciplina Patris* virtutis diſcendæ gratia victuro neceſſitatem magiſtri præmonſtrandam duxit, ſtatuto hoc velut irrefragabili principio & axiomate: Nulla ars abſque magiſtro diſcitur. quod videtur hauſiſſe ex Plinio Præfat. lib. 7. Hiſt. nat. ubi queritur, velut accuſans naturam nobis novercam, hominem nihil ſcire ſine doctrina. Unde merito Iſidorus Peluſiota ridiculum plane eſſe ait, cum ut vilium ac mechanicarum artium magiſtros nanciſcamur, huc atque illuc oberremus, divinam tamen Philoſophiam (ita vocant ſtudium vitæ religioſæ PP. Græci) tanquam vile aliquid ac deſpicabile nobis ipſis committamus, lib. 1. epiſt. 260. Similia habet Caſſianus Coll. 2. c. 11.

Audiant ergo hoc, inquit Bern. *qui ſine duce ac præceptore viam vitæ ingredi non formidant. Ipſi ſunt in arte ſpirituali exſiſtentes, & diſcipuli pariter & magiſtri . . . Quam multi ex hoc a recto tramite periculoſiſſimè aberraſſe comperti ſunt, nimirum ignorantes aſtutias ſatanæ*, &c.

quæ vide Serm. 77. in Cant. Hæc pauca ex multis nobis hoc delibaſſe ſufficiat. Qui plura volet, adeat Scriptores aſceticos. Vincent. Ferrer. Tr. de vita ſpir. c. 4. Turrecrem. tr. 9. in Reg. S. Bened. S. Bonav. lib. de ſex alis. Alphonſ. Rodrig. 3. p. Exercit. tr. 7. c. 1. 3. 4. Ludov. de Ponte, p. 1. duc. ſpir. tr. 4. c. 2. Et p. 1. de perf. Chr. tr. 2. c. 9. Roſignol. de diſcipl. perf. l. 1. c. 1. Hier. Plat. de bon. ſtat. rel. lib. 1. c. 24. Jacob. Alv. de Paz. de vit. ſpir. to. 1. l. 3. c. 12. 13. Denique Julium Nigron. in tract. aſcet. tract. 1.

IN EPIST. LXXXIX. ad eumdem.

71. HORATII. Dum absens cogito, dicteto, &c. Hac epiſtola gravibus verbis ſignificat Vir ſanctus, quam ſit alienus a litteris ad amicos minus utilibus & neceſſariis ſcribendis, quod id fiat cum jactura temporis & otii, gravioribus magiſque ſanctis negotiis tribuendi; item ſilentii, quod religioſis incumbit, denique quietis & tranquillitatis internæ, cujus diſpendium affert illa ſcribendi cura & occupatio. Audite, prodigi temporis, &, ſi ſapitis, erubeſcite: maximè ubi ſimulem Plinii Senioris ſenſum animumque cognoveritis. Nam de eo ſic ſcribit Plinius Junior, lib. 3. epiſt. ad Marcum: Memini quemdam ex amicis, cum lector quædam perperam pronuntiaſſet, revocaſſet, & repeti coegiſſet; huic avunculum meum dixiſſe: Intellexeras nempe? Cum ille annuiſſet: Cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua revocatione perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis. Hunc vitæ ordinem inter medios labores, urbiſque fremitum obſervabat. In ſeceſſu ſolum balnei tempus ſtudiis eximebatur. At dum ſtrigilibus ad excitandum ſudorem leviter raderetur, dum tergeretur, audiebat aliquid, & legentem attendebat, aut dictabat. In itinere, quaſi ſolutus ceteris curis, huic uni vacabat. Ad latus erat notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hieme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem aſperitas ullum ſtudiis tempus eriperet. Repeto me correptum ab eo cum ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere. Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur. Miranda ac imitanda in homine ethnico temporis parſimonia! cujus unius honeſta avaritia eſt.

Ejuſdem cum Bernardo ſpiritus ſenſuſque fuit Auguſtinus, qui haud mediocriter formidabat, ne otioſa ſeu minus neceſſaria ſcribendo factus eſſet reus illius ſententiæ, *In multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. Lege prologum libris Retract. præmiſſum, & vide quam cauſam ſcribendi eos libros aſſignet. Illud etiam, inquit, quod ſcriptum eſt, *Ex multiloquio non effugies peccatum*, terret me plurimum, non quia multa ſcripſi, vel quia multa etiam quæ dicta non ſunt, tamen à me dicta conſcripta ſunt. Abſit enim ut multiloquium deputem, quando neceſſaria dicuntur, quantâ libet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Sed iſtam ſententiam Scripturæ ſacræ propterea timeo, quia de tam multis diſputationibus meis ſine dubio multa colligi poſſunt, quæ, ſi non falſa, at certè videantur, ſive etiam convincantur non neceſſaria. Quem verò Chriſtus fidelium ſuorum non terruit, ubi ait: *Omne verbum otioſum, quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die judicii?* Matth. 12. Ita S. Auguſt. Vide Julium Nigron. Tract. 211. c. 3. Vide ſeq. S. Bern. epiſt. 90 ad eumdem Ogerium, ubi jubet faceſſere iſtam epiſtolarum frequentiam.

72. HONESTE. Monachis an verbum docere. Monachi officium non est docere, &c. Sanctus Hieronymus ſententiam hic extulit: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*, adv. Vigilant. c. 6. Et habetur *Nequaquam* 7. q. 1. ubi Gloſſa & Turrecrem. exponunt de monacho ſimplici, ſeu non fungente officio curati animarum. Unde & ſynodus Conſtantinop. ſub Photio Patriarcha, tempore Johannis VIII. celebrata, definit monachi vitam habere ſubjectionem & diſcipulatum, non magiſterium vel præſidendi regendique officium. Alexander item II. à populorum prædicatione omnino ceſſare jubet monachos juxta 16. q. 1. Vide etiam c. *Adjicimus*, eod. tit. Hinc & alibi Bern. negat, convenire monacho ut publice prædicet. Serm. 64 in Cant. nimirum vi inſtituti ſui, ſeu ex officio ei non convenit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 187. a. 1 Turrecrem. 16. q. 1. c. *Placuit* c. *Doctos.* ibid. at ex commiſſione Superiorum, i. epiſcopi vel prælati ſui licet.

Pari prorſus ratione intellige Bernardum epiſtola 323.* ad archiepiſc. Mogunt. de Radulfo quodam monacho, qui crebris exhortationibus populum in necem Judæorum concitaverat, ita ſcribentem: Quod ſi ſe monachum aut eremitam jactat, & ex eo ſibi ſumit libertatem vel officium prædicationis, poteſt ſcire & debet, quod monachus non habet docentis, ſed plangentis officium. Ubi ſane non tam prædicationem in monacho, quam audaciam, præſumptionem & ſuperbiam damnat, utpote qui non miſſus à ſuperioribus, vel ab epiſcopo admiſſus; immo ſuperiorum excutiens jugum, & epiſcopi auctoritatem contemnens, prædicationis officium temere uſurpabat. quod expreſſis verbis ibid. Bernardus inſinuat, dicens: Homo ille, neque ab homine, neque per hominem, ſed neque a Deo miſſus venit. Unde idem. S. Doctor ſcribens in Cant. Ser. 64. ut contra vulpes, quæ demoliuntur vineas, id eſt inſidias diaboli, & fraudulentas ſuggeſtiones, præmoneat religioſos; hortatur, ne temere ad prædicandum proſiliant, nec ſe officio ad ſe non pertinenti, nimirum citra auctoritatem ſuperiorum, ſpiritu levitatis & arrogantiæ ſeducti, ingerant. Interdum, inquit, bene proficientis cujuſpiam, cum ſibi prolixius aliquid ſupernæ gratiæ ſenſerit arrotari, ſubit animum deſiderium prædicandi, &c. Et paulo poſt: Et ſcimus monachi officium eſſe non docere, ſed lugere . . . . . Ex his nempe claret, & certum eſt, quod publice prædicare, nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non miſſo licet. Propoſuerat enim dictum Apoſtoli. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Itaque non licet eis, quia non mittuntur; at liceret utique, ſi mitterentur. Ita ſenſiſſe Bernardum, luce clarius eſt. Alioquin ex ore ſuo judicandus venit, & ipſe, & multi ex diſcipulis ejus, qui, cum ita neceſſitas & caritas, vel etiam ſuperiorum auctoritas poſtularet, è clauſtris egreſſi,

* modo 365.

prædicatione verbi divini populum ad Dei cultum & timorem erudierint. Loquitur ergo Bernardus de officio & vocatione monachi ſecundum ſe. Nam monachus, quatenus talis, non vocatur ad prædicandum & docendum, ſed ad vacandum in ſolitudine Deo & ſaluti propriæ, per meditationes & virtutum exercitia. Unde epiſtola 42. (habetur Tom. 2. inter Tract.) ait S. N. P. *Labor & latebra, & voluntaria paupertas, hæc ſunt monachorum inſignia: hæc vitam ſolent nobilitare monaſticam.*

73. An ſtudia eis competant. Quapropter ne fortaſſis temere & imprudenter inertes, ſi qui tales alicubi latitant monachi, auctoritate ſancti Patris abutantur ad fomentum ignaviæ ſuæ, quaſi ſtudia litterarum & ſcientiam improbet in monachis, audiant hi ipſum alibi tales manifeſte redarguentem. *Videor forſitan*, inquit, *nimius in ſuggillatione ſcientiæ, & quaſi reprehendere doctos, ac prohibere ſtudia litterarum. Abſit. Non ignoro, quantum Eccleſiæ profuerint & proſint litterati ſui, ſive ad refellendos eos, qui ex adverſo ſunt, ſive ad ſimplices inſtruendos*, &c. ejuſdem ſermonis, quem legiſſe juvabit Serm. 36. in Cant.

Hæc perpendens congregatio reformationis Hiſpanicæ, maturo conſilio ita ſanxit, lib. Conſtit. c. 31. Experientia, quæ rerum omnium mater eſt, docet nos, quàm parum fructus ſecum adferat ſcientia, quæ non continetur in ſubjecto & vaſe religioſo. Quare convenit, ut in ordine monachali majus & frequentius ſtudium ſit & adhibeatur circa conſcientiam, & ut anima ornetur caritate & ceteris virtutibus, quàm circa ſcientiam, & ut ornetur intellectus multis & variis litteris ac doctrinis... Unde provenit (quod divus Bernardus aſſerit) ut multi multa ſciant, & ſeipſos neſciant. Sed cum ſcientia advenerit animæ religioſæ & Deum timenti, eſt valoris incomparabilis. Quoniam non ſolum qui eam habent, conſequuntur ſibi vitam æternam; ſed etiam alios ducunt ad eam, & dirigunt in viam divini famulatus, qui eſt ultimus finis noſtri inſtituti, & verus terminus, ad quem diriguntur omnes ſanctæ Regulæ ſanctarum Religionum. Quapropter Capitulum ordinat & præcipit, ut monachi, qui deſtinantur ad ſacræ Theologiæ ſtudium, tales ſint, ut ſuis virtutibus & litteris poſſint ſervire, & augere noſtram ſanctam Congregationem, &c. Deprædicat hoc inſtitutum Aubertus Miræus, lib. 5. Orig. monaſt. cap. 4. optatque Galliæ ac Germaniæ abbates idem æmulari. Cœptum quidem vidimus in pleriſque locis; ſed nunc ardor ille langueſcit. Fortè quia temporum difficultates, & bellorum calamitates, uti alia pleraque ſalutaria conſilia, ſic & hoc interturbant. Certe ubi ſtudiis & litteris, præſertim ſacris, inter monachos priſtinus amor honorque poſtliminio reſtitutus fuerit, ipſa religio paulatim movebit lacertos, & quaſi reddita juventute refloreſcet. Et ſicubi id hactenus factum vidimus, reſtitutis litteris ſtudiiſque non abs re tribuamus.

Porro quod nonnulli monachomaſtiges, uti Eraſmus & ſimiles, monachis inertiam ruditatemque obtrudunt; *Pigros ventres* vocant, & *monacho indoctior* proverbio jactitant; mera calumnia eſt, quam infinita & priſci & noſtri ævi exempla ſatis refellunt. Legat, qui volet, unum Trithemii Chronicon Hirſaugienſe, aliuſque ejuſdem de Viris illuſtr. Ord. S. Bened. libros, & aliquot doctiſſimorum unius Ord. Virorum examina reperiet. Adde, quod ne quidem tot tantaque priſcæ eruditionis monumenta nobis eſſent hodie reliqua, ſi non fuiſſent in monaſteriis olim viri omni doctrinarum genere exculti, qui, tamquam fidi cuſtodes, depoſitum religioſe conſervatum tranſmiſiſſent ad poſteros, & indefatigabili labore libris propagandis dediſſent operam. Nimis ingrati ſumus, ſi hos eruditionis traduces minus veneramur. Nec tamen prorſus ſine occaſione natam hujuſmodi fatemur calumniam. Nam, ut ait Adamus Contzen, in Polit. lib. 6. c. 46. *nonnullorum id facit ignavia, & à ſtudiis aliena voluntas, qui magno ſubditorum malo & Ordinis dedecore, immo & Eccleſiæ contumelia, eruditionem ipſi negligunt, & ne alii proficiant, ſunt impedimento.* Additque ibidem, ne forte inanis metus quoſdam abſterreat à ſtudiis: NEC TIMENDA EST INFLANS SCIENTIA DOCTORUM, CUM NEMO MAGIS RELIGIOSÆ OBEDIENTIÆ, ET DISCIPLINÆ RATIONEM PERPENDAT, QUAM IS QUI SOLIDE DOCTUS EST.

AD EPIST. XCII. ad Henricum regem Angliæ.

74. * IN TERRA VESTRA TENETUR PRÆDA DOMINI MEI. Quid Bernardus hoc loquendi genere innuat, prodit hiſtoria originis Fontanenſis monaſterii * in Anglia his verbis: Bernardus abbas Claræ-vallenſis miſſis expeditionis ſuæ militibus jam finitimas occupaverat regiones, claros agens de hoſte antiquo triumphos, eripiens prædam, & reſtituens regi ſuo. Hic inſtinctu divino de nobili ſua Claræ-vallenſi vinea quamdam bonæ ſpei plantationem ad Anglicanas partes direxerat, fructum in illa gente quærens, ſicut ubique terrarum. Exſtat adhuc eadem epiſtola, quam pro eis ad regem ſcripſerat, aſſerens teneri prædam Domini ſui in terra illius, miſiſſe de militia ſua viros ſtrenuos, qui eam requirant, recuperent, & reducant. Suadet regi ut nuntiis aſſiſtat, & in hoc ne deficiat feodum ſuum. quod & factum eſt. Suſcepti cum honore à rege & regno in provincia Eboracenſi jaciunt nova fundamenta, conſtituentes abbatiam, quæ Rievallis nominatur. Et hæc prima plantatio Ordinis Ciſtercienſis in territorio Eboracenſi. Plura de Henrico hujus nominis primo, vide ſi lubet in Notis ad epiſt. 138.

* In Monaſt. Anglic. to. 1. pag. 731.

IN EPIST. XCIII.

75. * AD HENRICUM WINTONIENSEM. Fuit is Henrici I. Anglorum regis ex ſorore nepos, Stephani Angliæ eidem regis frater, atque Stephani comitis Bleſenſis filius: *quem mater* (Adela) inquit Guillelmus Neubrigenſis, *ne ſolo ſæculo liberos genuiſſe videretur, apud Cluniacum tonſoravit*, nempe anno 1126. ubi diſerte refert hiſtoria Glaſtonienſis *, cum inter ſuos abbates connumerans, in qua dicitur *vir, quem abundans litteratura peritia illuſtravit, morumque honeſtas apprime decoravit, cujus induſtria tanta Glaſtonienſi eccleſiæ præſtitit beneficia, quod ejus ibidem memoria æterna vigebit per ſæcula* &c. De Henrico ad ſedem Wintonienſem poſtea evecto ſanctus Bernardus conqueſtus eſt epiſtola 237 ad Eugenium ſcribens: *Quid dicam de domino Wintonienſi? Opera quæ ipſe facit, teſtimonium perhibent de eo*: nimirum quòd præter arces à principibus (ut auctor eſt Harpsfeldius) ad convivium invitatis extortas, Guillelmum Eboracenſem intruſum conſecraſſet, teſte Rogerio in Annalibus ad annum 1140 ubi eum Romanæ ſedis Legatum vocat. Malè itaque à Brito & Henriquez inter Ciſtercienſes recenſetur, nec rectiùs ab iſto fortaſſe inter viros ſanctitate inſignes *, occaſione ſumpta ex Vvionis in Ligno vitæ teſtimonio, qui virum Prophetiæ ſpiritu clarum prædicat, quòd Henrico nepoti ipſum viſitanti moriturus prædixerit caligandum à Deo ob necem ſancti Thomæ Cantuarienſis, quem ipſe conſecraverat. quaſi ea vox non potuerit eſſe timentis potiùs, quàm prophetantis, inquit rectè Manricus in Annalibus. Plures ad eum extant Petri Venerabilis epiſtolæ, inter alias vero epiſtola 14. & 15. libri 4. ipſum interpellat, ut ad ſuum Cluniacenſe monaſterium corpus depoſiturus revertatur, quibus necnon Adriani papæ IV. litteris, Ludovici Francorum regis & Burgundiæ primatum precibus invitatus (ut refert Cheſnius in Notis ad Biblioth. Cluniac.) præmiſſo per Petrum Venerabilem theſauro ſuo, abſque permiſſu regis ab Anglia Cluniacum clam appulit anno 1155 Monaſterium gravi æris alieni pondere oppreſſum exoneravit, factis ad ſeptem millia marcharum argenti ſeu ad quadraginta millia librarum expenſis, monachos 400. & amplius Cluniaci degentes pavit; calices 40. pro Miſſis celebrandis, pannumque ſericeum magni pretii dedit eccleſiæ, manibuſque propriis Petrum Venerabilem Kalend. Januarii anni 1157. defunctum ſepelivit. Tandem reverſus in ſedem ſuam, non ſine magno Cluniacenſium luctu diem clauſit 5. Idus Auguſti anni 1171.

Guill. hiſt. Angl. l. 1. c. 4.

* Monaſt. Angl. tom. 1. pag. 13.

Harpſf. ſæculo 12. in Henrico.

* Menolog. Ciſterc. ad diem 11. Oct.

IN EPIST. XCIV.

* AD RICHARDUM ABBAT. FONTANENS. Ex quo monaſterio tranſierit ad Ciſtercienſes, diſtinctè indicat epiſtola modo 313. nempe ſanctæ Mariæ Eboracenſis Ord. S. Bened. confirmatque Monaſticum Anglicanum, tum in ipſius monaſterii Eboracenſis, tum præcipue Fontanenſis hiſtoria; ex qua hujus, duarumque præcedentium epiſtolarum argumentum compendioſe hic deſcribimus. 76.

Abbatia ſanctæ Mariæ Eboracenſis anno 1088 fundata eſt ab Alano comite, Guidonis comitis Britanniæ filio, in eccleſia ſancto Olavo dedicata, Eboraco proxima, cui rex Guilielmus, cognomento Rufus, ſanctæ Mariæ nomen poſtea dedit. Huc acciti è cœnobio Vvitebienſi abbas Stephanus & monachi Benedictini, ſub quibus regularis diſciplina non ſegni fœnore propagata, circa annum 1132. Galfrido tertio abbate tantiſper langueſcere cœpit. Spargebat ubique famam tunc temporis Ciſtercienſis religio, anno 1128. (Vvaverleienſi monaſterio in agro Surregienſi primitias obtinente) in Angliam primò invecta: cujus pia æmulatione adducti quidam illius cœnobii monachi numero duodecim, cum per abbatem ſuum ad Ciſtercienſes convolare ſibi non liceret, Turſtinum Eboracenſem archiepiſcopum in ſui propoſiti patronum implorant. Eo itaque duce, anno ab incarnatione Domini 1132. pridie Nonas Octobris, reclamante abbate egreſſi ſunt ex ipſo monaſterio ſacerdotes 12. cum uno levita, Richardus ſcilicet prior; alter Richardus ſacriſta, aliique in prædicta hiſtoria recenſiti, de rebus monaſterii præter habitum nihil aſportantes. Qua deſertione turbatus abbas Gaufridus apud regem, viciniſque epiſcopos & abbates, præcipue vero apud ſanctum Bernardum, de communi violatæ religionis injuria litteris expoſtulat: Turſtinus vero pontifex apologeticam * ad Guillelmum metropolitam Cantuarienſem epiſtolam ſcribit, immo ipſe Bernardus * ad prædictum Turſtinum, tum ad tredecim illos monachos congratulatoriam, ad Gaufridum autem abbatem excuſatoriam tranſmittit. Interea prædicti monachi in epiſcopali Turſtini domo concluſi, cùm abbatis ſui cenſuris revocari non potuiſſent, locum ad habitandum ab ipſo epiſcopo accipiunt ad Ripponam, à cunctis retro ſæculis incultum, ſpinis conſitum, & inter convexa montium & ſcopulos hinc inde prominentes, Richardo priori ipſo die Natalis Domini à Turſtino in abbatem ordinato, qui hieme ſub ulmo incredibili vitæ auſteritate tranſacta, ſe ſuumque locum, ab ipſis *Fontes* appellatum, ſancto Bernardo tradidere: quibus ipſe virum religioſum direxit, Gaufridum ſcilicet de Amayo *, à quo Ciſtercienſe inſtitutum incredibili devotione & alacritate ſuſceperunt.

* Extat ibi, tom. 1. ad 735.

Epiſt. 94. 95. 96. & 97.

* de quo lib. 4. Vitæ ſancti Bern. c. 1.

AD EPIST. XCV. ad archiepiſcopum Eborac.

ALIUD EST SANCTAM ZELARE PAUPERTATEM. Eleemoſynam in religioſos commendat, uti digniorem & majoris meriti, quam in vulgi mendicabula collatam. V. Eccli. c. 12. v. 1. & 2. Ibidem Cornel. & Bonartium. Item Matth. cap 10. v. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ*. Et, *qui ſuſcipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*, &c. *Hiſce Chriſti verbis inſinuatur*, inquit Suarez, *quod opus miſericordiæ, ſi fiat homini ſolum, quia homo eſt, ſit ordinis naturalis: ſi vero fiat, quia fidelis eſt, & civis Sanctorum, ac domeſticus Dei, ſit opus miſericordiæ ſuperioris ordinis, ſive ſupernaturalis*. Ita ille, lib. 2. de neceſſ. grat. cap 16. num. 10. Ratio eſt, quia talis cooperatur Prophetæ ſeu Prædicatori Evangelii, religioſo, &c. eoſque ſuis eleemoſynis & ſubſidiis ad opera vocationis ſtatuſque ſui exercenda promovet, juvat, & quaſi 77. Hoſi 1518

enutrit, & proinde particeps ſit, uti laboris & meriti, ſic & mercedis ſeu præmii talibus conſtituti nempe ſecundum proportionem & menſuram cooperationis & caritatis, qua ſuccurrit. Apto ſimili rem declarat ſanctus Gregorius hom. 20. in Evangelia: *Ulmus*, inquit, *fructum non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hac ipſo ſuo efficit, quam bene ſuſtentat aliena*: ſic pariter, qui juſtum ſuſtentat, ſua efficit opera juſtitiæ, quæ juſtus operatur, adeoque per juſtum, juſta cenſetur operari. Porro curam piorum & religioſorum pauperum potiſſimum debere commendatam eſſe fidelibus docet ſanctus Hieronymus adverſus Vigilantium, qui nolebat *Jeroſolymam in uſus Sanctorum aliqua ſumptuum ſolatia dirigi*; ſed quem refutat exemplo & teſtimoniis apoſtoli Pauli: *Nec nos*, inquit, *negamus, cunctis pauperibus, etiam Judæis & Samaritanis, ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas: ſed Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maximè ad domeſticos fidei. De quibus & Salvator in Evang. loquebatur* Facite vobis amicos de mammona iniq. qui recip. *Numquid iſti pauperes, inter quorum pannos & illuviem corporis, flagrans libido dominatur, poſſunt habere æterna tabernacula, qui nec præſentia poſſident, nec futura? Non enim ſimpliciter pauperes, ſed pauperes ſpiritu beati appellantur, de quibus ſcriptum eſt*: Beatus qui intelligit ſuper egenum, *&c. In vulgi pauperibus ſuſtentandis nequaquam intelligentia, ſed eleemoſyna opus eſt. In ſanctis pauperibus beatitudo eſt intelligentiæ, ut ei tribuas, qui erubeſcit accipere, cum acceperit, dolet, metens carnalia, & ſeminans ſpiritalia.* Ita Hieronymus cap. 6.

IN EPIST. XCVI. ad Richard.

78. Horstii. MULTO FACILIUS REPERIAS MULTOS SÆCULARES CONVERTI, &c. Dictum memorabile, & multis forte mirabile, ſed, experientia teſte, nimis verum. Cujus ratio videtur ex hoc Philoſophorum effato ſeu axiomate petenda, *Ab aſſuetis non fit paſſio*. Nimirum homo ſæcularis, dum audit de divini judicii rigore, æternis inferorum ſuppliciis, mortis horrore & inevitabili neceſſitate, &c. terretur, percellitur: dum audit de divinis erga homines beneficiis, de atrocitate paſſionis & mortis Dominicæ, aliiſque redemptionis noſtræ myſteriis, commovetur, afficitur. Novitas quippe admirationem incutit; raritas reverentiam conciliat. At religioſus tepidus, quia quotidiana ac aſſidua hæc ipſa audiendi conſuetudo velut callos quoſdam auribus ejus obduxit; parum in audiendis commovetur. Vide Alfonſum Rodriguez, de exerc. perf. p. 1. Tr. 2. c. 8. Sed notanda in primis ad præſens inſtitutum verba Chryſoſt. ſeu potius Imperf. in Matth. hom. 40. vide locum.

IN EPIST. XCVII.

79. * AD DUCEM CONRADUM. Zeringenſem ſcilicet, quem contra Amedeum comitem Gebennenſem his diebus arma cogitaſſe, Samuël Guichenon auctor eſt, in Hiſt. Gallica ducum Sabaudiæ. Fuit autem Zeringeo (inquit Munſterus Coſmograph. lib. 3.) caſtrum quoddam nunc dirutum, à quo duces Zeringenſes ſuum titulum habuerunt, ſemi-milliario infra Friburgum in Briſgoia. Hi duces à comitibus Habſpurgenſibus progeniti, & circa tempus Henrici III. Imperatoris exorti Gebizone auctore, in ſexto demum herede, Egone nuncupato, ad annum 1357. deſiere.

IN EPIST. CII. ad Abbat. quemd.

80. Horstii. NE TIMEAS SI UNIUS SCANDALUM, MULTORUM RECOMPENSAVERIS PACE. Ita Bernardus conformiter Regulæ ſancti Benedicti, qua præcipit in fratre prævaricatore prius omnia tentari; admonitiones, flagra, excommunicationem, orationem omnium fratrum. Deinque addit, *Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc jam utatur abbas ferro abſciſſionis, ut ait Apoſtolus:* AUFERTE MALUM EX VOBIS, &c. Reg. cap. 28. Ita quoque Poëta.

Ovid. 1. Metam.

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

An religio habeat jus ejiciendi religioſum incorrigibilem.

Sed circa Reg. Benedicti & verba Bernardi poſſet moveri quæſtio, An monaſteria habeant jus abjiciendi religioſum incorrigibilem. Negat Cardin. in Clement. *Ne in agro* §. *Quia verò*, de ſtatu monach. Probat ex c. *Impudicas* 24. q. 2. ubi ex concil. Tribur. decernitur, impudicas moniales ergaſtulis detrudendas eſſe. Et ex c. *Nos religioſi*, de regular. ubi præcipitur fugitivos, vel ejectos inobedientes monachos requirendos eſſe, & in ſuis, vel ſui Ord. monaſteriis recipiendos, ut pœnitentiam agant. Item abbates & priores per cenſuram (ſi opus fuerit) eccleſiaſticam ad illorum receptionem compelli poſſe. Adde, periculo corruptionis aliorum (quod innuit Regula) ſatis caveri incarceratione perpetua. Accedit, quod ſi tales, intra monaſterii limites concluſi, adeo depravatis ſunt moribus, & tam ſcandaloſi, quid fiet, ubi dimiſſi vel ejecti extra monaſterium, ſine omni jugo, penituſque dati in reprobum ſenſum, in omne genus nequitiæ, velut laxatis habenis, ferentur? quæ peccandi licentia potius videtur carcere & vinculis coercenda.

Contrariam tamen ſententiam video placere aliis Canoniſtis & Theologis. Vide D. Thom. quodl. 12. q. ult. Comment. Reg. ſancti Auguſtini. Item ſancti Franciſci, & in primis Regulæ cit. S. P. Bened. Peteſium, Caramuel, &c.

Ad rationem ex concilio Tribur. reſpondent, aliam eſſe rationem monialium, quàm monachorum. Ad illud de incarceratione reſpondent, rem fore monaſteriis nimis gravem & oneroſam, ut ea potius ſit futura pœnalis conventui, quàm ipſi dyſcolo monacho. Quæ quidem reſponſiones an ſufficiant, Lector judicet, & Commentatores Regulæ conſulat, [illegible] enim vacat his diutius immorari.

* Hactenus Horſtius de hac quæſtione, de qua conſulendi Haefte nus in diſquiſitionibus monaſticis, ac noſtri Menardus & Edmundus Martene in ſuis ſuper Regulam Commentariis.

AD EPIST. CIV. ad Galtericum.

ET IMPIUM EST, CONTEMNERE MATREM, &c. 81. Horstii.
Vetus quædam editio hic ad marginem monet, hæc caute eſſe legenda, dicitque, ſententiam hanc indigere ſale diſcretionis. Sed quid aliud voluit Bernardus, quàm quod dixit & docuit Chriſtus? *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus*, Luc. 14. Item: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Matth. 10. Hujuſmodi Chriſti doctrina imbutus Hieronymus, non dubitat ita compellare Heliodorum, ut præpoſterum parentum affectum ab ejus animo evellat: *Quid facis in domo paterna, delicate miles?* Et paulo poſt: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Quæ ultima verba pulcrè verbis Bernardi reſpondent.

Sed præclara præ cæteris ad præſens inſtitutum ſunt verba Auguſtini, (alii putant eſſe Paulini) quibus hortatur Lætum adoleſcentem nobilem & divitem, ne parentum amore & querimoniis à propoſito ſectandæ perfectionis ſe abſtrahi ſinat, ſed hunc pravum affectum in ſe & in illis perimat, & Chriſtum parentibus anteponat. Verba ejus carptim delibabimus: Nec ſuccenſeant, inquit, parentes hoc præcipere Dominum, ut eos oderimus, quando nobis hoc de anima noſtra præcipitur... *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam*. Dicat etiam fidentior, Qui amat parentes ſuos, perdet eos. Sicut autem hoc præceptum, quo perdere jubemur animam noſtram, non ad id valet, ut ſe quiſque interimat, & tamen valet, ut interimat in ſe carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ, præſens vita delectat; (hoc eſt enim, quod dictum eſt, Oderit animam ſuam, ut perdat eam: quod tamen diligendo fit, quandoquidem apertiſſimè fructum ejuſdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens: *Qui perdiderit eam in iſto ſæculo, in vita æterna inveniet eam*:) ita de parentibus rectiſſimè dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpirituali gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo & ſeipſos, & eos quos genuerunt, irritamentis hujus ſæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens & occidens.... Sed quid docet, aut quid allegat? Forte decem illos menſes, quibus viſcera ejus onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis? Hoc, hoc interfice verbo ſalutari, hoc perde matris, ut in vita æterna invenias eam. Hoc memento, ut oderis in ea, ſi diligis eam, ſi tiro Chriſti es... Carnalis enim affectus eſt iſte, & adhuc veterem hominem ſonat. Hunc carnalem affectum, & in nobis, & in noſtris militia Chriſtiana ut perimamus, hortatur. Nec tamen ut ingratus ſit quiſque parentibus, & eadem ipſa beneficia, quibus in hanc vitam editus, ſuſceptus atque nutritus eſt, enumerata derideat: ſervet potius ubique pietatem. Habent hæc locum, ubi majora non vocant. Hæc eſt epiſtola 38. ſancti Auguſtini, prolixius quidem recenſita, ſed quæ ob inſignem elegantiam non licuit ſuccinctius adducere. Id commodo Lectoris hic & alibi ſubinde facimus, cui grandia Auguſtini, & rara aliorum Opera non ſemper ſunt ad manum. Hoc ſemel monuiſſe ſufficiat. Confer Notas ad epiſtolam III.

IN EPIST. CIX.

AD GAUFRIDUM DE PERRONA. Hunc ſanctus Bernardus cum aliis 29. nobilibus ac litteratis juvenibus in Flandria ad religionem convertit: nutantem vero aut procraſtinantem 82. Horstii.
hiſce litteris excitavit. Is poſtea factus prior in Clara-valle, quintus in ordine; demum electus in epiſcopum Tornacenſem, (alii legunt Nannetenſem,) conſentire noluit. Quod ita P. Bleſenſis narrat: Legimus, quod Gaufridus Perronenſis, Claræ-vallis prior, electus in epiſcopum Tornacenſem, electioni nullatenus acquievit. Qui poſtea defunctus & apparens cuidam fratri, inquirenti qualiter ei eſſet, reſpondit: Revelavit mihi Trinitas ſancta, quod ſi ſuſcepiſſem epiſcopatum, fuiſſem de numero reproborum. Ubi & ejus exemplo percellit animos aliorum quorumdam præſulum, ita dicens: Quid ergo facient infelices, qui temporalium ſollicitudinum fluctibus ſe ſponte & gratanter immergunt? qui ſplendidè epulando, dormiendo, bibendo, ſedendo ad telonium, fiſcalem calculum diſpenſando, quærendo quæ ſua ſunt, aut potius quæ ſunt Cæſaris, & non Dei, vitam ſuam in vanitatibus tranſigunt? Ita P. Bleſenſis epiſt. 102. Idem refert Cæſarius lib. 2. cap. 29. Vide de eo Henriquez in Menolog. ad 23. Febr.

IN EPIST. CXI.

HAnc epiſtolam Bernardus nomine Eliæ Novitii ſui ad parentes ejus ſcripſit, ut eos filium à propoſito revocare conantes reprimeret. Acriora quidem, inquit Leſſius, iſta videri poſſent, nisi à tanta ſapientia & ſanctitate eſſent profecta. Quis enim electum illud Spiritus-ſancti organum audeat reprehendere? Noverat ille, quanti 83. Horstii.
hæc res ſit momenti. Neque tamen mens ipſius eſt, ut paſſim tam acriter illis ſcribatur, niſi quis videat, ſe in gravia ſalutis pericula illorum importunitate conjiciendum, aut illi finem ſollicitandi non faciant. Ita ille Tractatu utiliſſ. de ſtatu vitæ deligendo, q. 4. 36. Confer Notas ad epiſtolam 104.

IN EPIST. CXIV. ad Sanctimonialem.

* VVEMPLATÆ MAGIS QUAM VELATÆ. Ita omnes quotquot vidi codices mſſ. nempe regiæ Bibliothecæ, Colbertinæ, Sorbonæ, Collegii regii Navarræ, S. Victoris Pariſienſis, Compendienſis, aliique aliarum bibliothecarum, qui *Vvemplata* habent, cum tamen omnes editiones præter duas (Pariſienſem videlicet an. 1494. & Lugdunenſem 1530.) habeant *una inflata*. Quid enim inquiunt, *Vvemplata*? Certè vox efficta à Vvempla ſeu guimpla, proclivi litteræ G in V de mutatione, gallicè *guimpe*, vel *guimple*, muliebre capitis ornamentum, nobilibus feminis olim ſollemne (uti diſcimus ex antiquis nobilium matronarum ſimulacris) à ſimplicioribus modeſtiæ causâ rejectum. Unde illud Poetæ Galli apud Botellum in Gallico Gloſſario.

Moult fut humiliant & ſimple,
Elle eut un voile en lieu de guimple.

Quod ſic reddi poteſt:

Velum pro Vvempla ſimplex, humiliſque gerebat.

Nunc verò *Guimple* nomen extra monialium clauſtra ferè ignotum.

IN EPIST. CXVI.

81. * AD ERMENGARDEM COMIT. BRITANNIÆ. Fuit hæc Alani comitis conjux, in Claræ-vallenſes maxime benefica, quibus monaſterium juxta urbem Namnetum conſtruxit, teſte Ernaldo in lib. 2. de vita ſancti Bernardi num. 34. Monaſterio vocabulum eſt Buzeium, cui modo præeſt illuſtriſ. abbas Caumartinus, à quo plurimas conditi cœnobii litteras accepimus. His in litteris teſtatur dux Conanus, Alani et Ermengardæ filius, ſe una cum matre ſua abbatiam Buzeium ædificare ſtatuiſſe, ſed quorumdam ſiniſtro deceptos conſilio ab incœpto deſtitiſſe: dum veniens in illas partes Bernardus abbas Claræ-vallis, *ad cujus abbatiam Buzenſe cœnobium ſpectabat*, & locum *pene deſolatum* videns, vehementer doluit: *& me*, inquit Conanus, *quaſi perfidum ac mendacem auſteriſſimis increpationibus redarguens, abbati ac fratribus, qui ibidem morabantur, ut locum relinquerent, & ad Claram-vallem redirent, imperavit.* Interceſſit Alanus, & reſtitutis quas abſtulerat monaſterii rebus, ædificia perfici curavit. Litteris ſubſcribunt epiſcopi ROTALDUS Venetenſis, ALANUS Redonenſis, JOHANNES Maclovienſis, & ITERIUS Namnetenſis, & cum eis PETRUS abbas ejuſdem cœnobii, atque Andreas monachus. Has litteras fortaſſe integras in calce harum Notarum, ſi locus patietur, referemus. Ad Ermengardem ut revertamur, Goffridus abbas Vindocinenſis in lib. 5. epiſt. 23. eam hortatur ad reſumendum vitæ religioſæ propoſitum, à quo deſciviſſe viſa erat.

IN EPIST. CXXVI. ad epiſcopos Aquitaniæ.

86. * CONTRA GERARDUM ENGOLISMENS. Hujus nominis ſecundum, genere Normannum, diœceſis Bajocenſis, quem *virum eruditiſſimum, & magni nominis & poteſtatis in Romano Senatu* Ordericus vocat. Cujus rei argumentum eſt, quòd penè continuus in Aquitania ſedis Apoſtolicæ vices egit ſub Paſchali II. & aliis ad Innocentium uſque legitimis pontificibus. Nec defuit in eo zelus, cùm alias fortiter & generosè Guillelmum Aquitaniæ principem, conjugii jura temerantem, velut alterum Herodem, arguerit, ſi Vvillelmo Malmeſbur. lib. 5. de regib. Angl. fidem adhibemus: hoc enim adverſus Guillelmum comitem calumnioſe dictum contendit Johannes Beſlius Hiſt. comit. Pictav. cap 31. Poſtquam verò ab Innocentio, qui legationem ei denegavit, fœda prævaricatione defecit Gerardus, Anacleto ſub illius nominis mercede adhæſurus, diſpoſitoris non legati officium agens, quos poterat ad ſchiſmatici partes trahebat. Unde Bernardus vicinos Aquitaniæ epiſcopos monet, ut ſeductoris voce contempta, legitimum ſequantur paſtorem Innocentium, ejuſque juris ipſius prærogativas proponit, *Electi* videlicet *integritatem*, *electionis prioritatem*, & *conſecrationis ſollemnitatem*. Non defuere tamen qui jus tuerentur Anacleti, iiſque argumentis adverſa reponerent, ut conſtat ex epiſtola Petri Portuenſis epiſcopi, ordinationis illius auctoris & fautoris, ad Vvillelmum Præneſtinum, Matthæum Albanenſem, Conradum Sabinenſem, & Johannem Oſtienſem Innocentio adhærentes tranſmiſſa, quam refert Vvillelmus Malmeſbur. lib 1 Hiſt. Novellæ. Pars tamen Innocentii prævaluit, principibus omnibus tum eccleſiaſticis præter Gerardum Engoliſmenſem paucoſque alios, tum ſecularibus (ſi Guillelmum comitem Pictavienſem & Rogerium Siciliæ ducem excipias) ipſi faventibus. Gerardus verò in ſchiſmatis defenſione obſtinatus anno 1136. ut notat Ordericus, ex hac vita migravit, eo quidem infelici mortis genere quod deſcribit Ernaldus lib. 2. Vitæ ſancti Bernardi cap. 7. Opinantur tamen nonnulli, hunc auctorem contra Gerardum Engoliſmenſem, ex nimio religionis ardore multa finxiſſe, veluti quòd impœnitens & ſubitò mortuus ſit ſine confeſſione & Viatico, quòd corpus ejus inventum in lectulo exanime & enormiter tumidum, & alia hujuſmodi, inquiunt, viro prudenti indigna: proferuntque ex geſtis epiſcoporum Engoliſmenſium auctoritatem his verbis. Die proxima mortis ſuæ accepimus, quod in confeſſione ſuis ſacerdotibus dixerit, ſe partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorantem manu-tenuiſſe; ſe confiteri & pœnitere. omnia autem illa quæ habebat fere in vita ſua, vel eccleſiæ dedit, vel pauperibus erogavit. Sabbato autem Miſſam celebrans maxima devotione & effuſione lacrymarum, ſequenti die Dominica migravit à ſæculo, milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto anno ab incarnatione Domini. Sedit in epiſcopato annis 33. menſibus.... diebus.... & cum aliquem capellanum geſtis vel hoſpitiis vexaſſet, unicuique capellanorum ſui epiſcopatus in fine ſuo unam minam, obolum dedit, & illud magnificum ſidus, quod claritate ſui partes occiduas illuſtraverat, prò dolor! extra eccleſiam quam ædificavit, ſub vili latet lapide. Ac certe cum præmiſſa narratio incerta duntaxat relatione fulciatur, non eſt quod fidem Ernaldo abjudicemus, maximè cùm Alanus Autiſiodorenſis, qui libros de ſancti Bernardi vita conſcripſit cenſuram adhibuit, ne latum quidem unguem hac in parte ab Ernaldo diſcedat.

Ordéric. lib. 13. ad ann. 1136.

Johann Besly in Hiſt. comit. Pictav.

Quod ſpectat ad Anacletum, & ipſe miſerè interiit anno 1138. ſeptimo die Januarii, teſte Falcone Beneventano, *cum ſediſſet*, inquit, *annis ſeptem, menſibus undecim & diebus* 22. Quod etiam confirmat Guillelmus Malmeſbur. Hiſtoriæ Novellæ lib 1. *Anacleto*, inquit, *octavo præſumpti*, (*ut dicebatur*) *ſui epiſcopatus anno defuncto, dominus Innocentius incomenſa ad hoc tempus pace, apoſtolica fruitur dignitate*. Qua de re Bernardus epiſt. 144. 146 147. & Serm. 24. in Cant. initio. Vide, ſi lubet, Notas ad epiſt. cxlvij. Ex quibus colligas erraſſe Beſlium, cùm dixit, Gerardum anno 1131. ſchiſma vero ante ipſum annum fuiſſe extinctum.

CLUNIACENSES. Non eſt ſilentio prætermittendum quod de eis hac occaſione refert Ordericus lib. 13. anno 1134. Cluniacenſes, inquit, ut Innocentii adventum cognoverunt, lx. equos ſeu mulos cum omni apparatu congruo papæ & cardinalibus clericis deſtinaverunt, & uſque ad ſuam baſilicam favorabiliter deduxerunt. Tunc ibidem undecim diebus papam cum ſuis detinuerunt, eccleſiamque novam in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud occiduos promeruit, quod à Cluniacenſibus Petrus præpoſitus fuerit. Ab eiſdem quippe Petrus (Leonis) in pueritia enutritus coaluit, & eorum habitu ac profeſſione monachus extitit. Ita ille. Ad idem pertinet quod Petrus Venerabilis, qui hujus exceptionis auctor extitit, in laudem Cluniaci promittit. Factum eſt, inquit, à ſui principio, non ſolum externorum hoſpitum, non tantum confugientium aſylum, ſed, ut ſic loquar, publicum reipublicæ Chriſtianæ ærarium lib. 4. epiſt. 27. 87.

CADUMENSES. Cadomus, vulgo *Caen*, civitas eſt ad fluvium Olenam in Neuſtria, haud procul ab Oceano, celebri academia ab anno 1433. inſignita: in cujus ſuburbio extat inſignis Ord. ſancti Benedicti abbatia, à Guillelmo Conquæſtore, provinciæ illius duce atque Anglorum rege, ſub titulo ſancti Stephani conſtructa: cujus primus abbas Lanfrancus, ex priore Beccenſi, poſtmodum archipræſul Cantuarienſis. Plura de eo, deque Cadomenſi ſeu Cadumenſi ſancti Stephani abbatia vide ſis in Notis ad opera ipſius Lanfranci, & in Neuſtria pia. 88.

ET QUI DE MAJORI-MONASTERIO. Inſigne monaſterium prope urbem Turonum à ſancto Martino conditum, cui tunc præerat Odo abbas, ad quem epiſtola 397. Ab hoc monaſterio pendebant, pendentque hactenus plurimi prioratus, qui quamdam veluti congregationem conſtituebant. Nam Bernardus inſigniora tantum monaſteria hic commemorat. 89.

TIRONENSES. Ex eo monaſteriorum inſigniorum numero etiam tunc erat Tironenſe monaſterium diœceſis Carnotenſis, ſic dictum ab amne præterfluente, conditum à piiſſimo abbate primo Bernardo, cujus vita extat cum Notis Souchetl, effectumque quaſi cujuſdam congregationis caput, de quo Ivo Carnotenſis antiſtes in epiſtola 219. Tironenſium monachorum religionem laudat Jacobus à Vitriaco in cap. 10. Hiſtoriæ Occidentalis. Hoc cœnobium, uti & Majus-monaſterium, hactenus floret ſub Benedictina congregatione ſancti Mauri, adoleſcentum ſcholarium ſeminario inſignitum. 90.

SAVINIACENSES. Duplex hoc nomine monaſterium eſt in Gallia, alterum in diœceſi Lugdunenſi, in Abrincenſi alterum, de quo hic intelligendus Bernardus, ſitum in confinio Normanniæ, Armoricæ, & Cenomannorum. Conditum fuit anno 1112 à piiſſimo abbate Vitali: cujus ſucceſſor Gauſridus, ſe ſuaque monaſteria, numero novemdecim (tot enim ipſe conſtruxiſſe perhibetur) Ciſtercienſibus ſubjecit. Hujus monaſterii hiſtoriam vide ſis apud Arturum du *Monſtier* in Neuſtria pia. De altero Saviniaco in epiſtola 175. 91.

IN EPIST. CXXVII.

* AD GUILLELMUM PICT. COMITEM. Hujus nominis nonum *, qui ſuadente Gerardo Engoliſmenſi epiſcopo partes Anacleti tuebatur, & Innocentio adhærentes graviter infeſtabat. Lege Vitam S. Bernardi lib. 2. c. 6. Quod vero Malmeſburienſis lib. 5. de regib. Angl. refert de inceſto, aliiſque criminibus Guillelmi Pictavorum comitis, id de Guillelmo VIII. iſtius patre intelligendum eſſe, rectè notavit Johannes Beſlius. Nam Petrus Pictavorum epiſcopus, qui à Comite in exſilium miſſus ibi memoratur, in ipſo exſilio diem clauſit anno 1117 At vero Guillelmus IX anno duntaxat 1126. patri ſucceſſit, ut probat idem auctor in Hiſtoria Gallica comit. Pictav. quem conſule, ſi cetera Guillelmi geſta, ac præcipue mortem diligentius lubet inveſtigare, necnon Baron. ad ann. 1135. 92.

* alii decimum eſſe volunt.

HABET TAMEN DUCEM APULIÆ. Anacletus pſeudopapa, ut Rogerium præcipuum factionis ſuæ fautorem fortius ſibi devinceret, regis eum Siciliæ titulo donavit, uti videre licet apud Baron. anno 1130. n. 6. Quem tamen ei poſtea Innocentius, infeliciter contra eum in prœlium progreſſus, adeoque captivus, confirmavit, cum aliter eluctari è manibus ejus non poſſet. Quanto melius (de quo ſupra quoque egimus) jus ſuum aliena manu proſecutus fuiſſet Pontifex, ſi omnino armis opus erat, quàm ut ipſe ad bellum procedens, & hoſti cedens, ad iniquas conditiones adigeretur! V. Baron. Tomo XII. ann. 1139. 93. HORSTII.

IN EPIST. CXXIX. Ad Januenſes.

94. * IN ÆTERNUM NON OBLIVISCAR TUI, PLEBS FIDELIS. Non eſt hic prætereundum quod refert Manricus in Annal. ad ann. 1132. c. 6. Hanc nimirum Bernardi promiſſionem adeo ratam firmamque ſemper ſtetiſſe, ut poſt quingentos fere annos, Chriſti ſcilicet 1625. cùm excellentiſſimum Principem Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, quem Januenſes patiebantur hoſtem ſibi infenſiſſimum, ditionis ſuæ oppida vaſtare, & ſibi jam imminere vix quinto ab urbe lapide conſpicerent, humano penitus deſtituti auxilio, fidem S. Bernardi interpellaverint concepto voto, quod ad litteram exſcribere non gravabor.

Poſt hæc inter divos noſtræ reipublicæ tutelares divum BERNARDUM, qui dum in humanis agebat, noſtri in æternum non obliviſcendum ſuis litteris ſpopondit, adſcribere & commemorare promittimus, & vovemus diem ejus feſtum celebrare, & à populis noſtris & a clero, accedente illuſtriſſimi archiepiſcopi & reverendiſſimorum epiſcoporum conſenſu, celebrari curare. In hac eccleſia majori vel in alia arbitrio noſtro capellam eidem dicatam conſtruere. Eadem die divi BERNARDI quotannis in perpetuum ſolemnem proceſſionem fieri, & ſacrum ſollemne ad ejus altare, nobis piè aſſiſtentibus, celebrari facere. Et demum manu Ducis, in dicti ſacri ſollemnia ſingulis annis in perpetuum, & pro hoc anno duodecim puellis, ut vocant, dotes, ſcilicet libras centum, unicuique perſolvere. In cujus rei teſtimonium, &c. Datas in eccleſia cathedrali die Dominica 25. Aprilis anni 1625. Hæc Januenſes ſtitante republicæ ſuæ ruina. Quàm autem ad votum eis ſucceſſerit, probavit eventus. Nam Bernardus in ipſa ſuæ ſollemnitatis vigilia, Hiſpana claſſe advecta, hoſtiles copias oculis fugavit. Ita fere Manricus.

IN EPIST. CXXXI. Ad Mediolanenſes.

95. Horſtii. QUID ENIM CONTULIT TIBI VETUS TUA REBELLIO? Nempe quia ſecuti Anſelmum de Puſterla archiepiſcopum ſuum, partes Conradi contra Lotharium legitimum Imperatorem tuebantur. Rem enarrat Sigon. lib. XI. de regno Ital. ad ann. 1128. Conradus, inquit, Principibus aliquot ſuffragantibus contra Lotharium ſeſe regem aſſeruit; inſolenti inde arridentis fortunæ elatus obſequio, in Italiam cum exercitu maturavit, atque Anſelmum archiepiſcopum & populum Mediolanenſem amicos nactus, Modoetiæ regni coronam accepit, atque inde perluſtrata Lombardia, civitates ad ſe pleraſque omnes traduxit. Ea de cauſa archiepiſcopi Moguntinus, Magdeburgenſis, & Treverenſis, juſſu Lotharii ipſum communione piorum exterminarunt. Honorius autem non eum ſolum, ſed etiam Anſelmum, qui coronam impoſuerat, & populum, qui receperat, perculit. Idem refert Otto Friſing. lib. 7. Chron. cap. 17.

96. * SUFFRAGANEORUM TAMDIU PRIVATA EXTITISTI. Nimirum quòd Mediolanenſes Anſelmum archiepiſcopum ſecuti, Anacleto & Conrado adhæſiſſent, ut ſuperiùs dictum, & ampliùs infra declarabitur. At iis reſipiſcentibus ea dignitas ab Innocentio reſtituta. Et de hac quidem reſtitutione in ſuperioribus eſt intelligendus Bernardus, cùm ait, in gratiam Mediolanenſium *translationem epiſcopi in archiepiſcopatum eſſe factam*. Nam alioqui ſedes metropolica dignitate ab initio præcelluit. Non tamen omittendum quod Sigonius refert lib. II. de Regno Ital. an. 1133. Innocentius, inquit, à Genuenſibus comiter atque honorificè jam bis acceptus, hanc eis gratiam retulit, quòd epiſcopum eorum ab obedientia archiepiſcopi Mediolanenſis exemptum archiepiſcopum fecit, atque ei dimidiam archiepiſcoporum Corſicæ partem ſubjecit.

IN EPIST. CXXXVII. Ad Imperatorem.

97. Horſtii. IN RECONCILIATIONE MEDIOLANENSIUM. Ea de re ita Sigonius de Reg. Ital. lib. II. ad ann. 1134 Mediolanenſes, inquit, cum ſe ſacrorum communione ſpoliatos, & metropolitana dignitate nudatos cernerent, eo quod Anſelmum ſecuti Conrado & Anacleto hæſiſſent, actorum pœnitentia ducti auctore Ribaldo epiſcopo, quem Anſelmo repudiato ſubſtituerant, Innocentii & Lotharii recuperare gratiam ſtuduerunt; atque ea de re litteras item ad Bernardum, cujus maximam norant eſſe auctoritatem, ſcripſerunt. Bernardus verò ad Concilium Piſanum ab Innocentio accerſitus, cum per Lombardiam eò feſtinans tranſiret, litteris ſcriptis gratulatus quòd errorem depoſuiſſent, & ſe votis eorum obſecuturum atque in reditu ad eos acceſſurum, promiſit. Eo Piſas profecto, Concilium eſt inſtitutum, atque ejus potiſſimum ſapientiâ, conſilioque perfectum. Ejus Concilii actiones fuere nullæ. Summa tamen in Anacleto cum fautoribus exſecrando verſata eſt. Mediolanenſibus, qui ad auctoritatem Innocentii Ribaldo auctore redierant, honoris cauſa multa tributa, ut Ribaldus, quem ipſi delegerant, dignitatem teneret, ut ea Sedes metropolitana, ſicut ante eſſet, ac pallio dignaretur, ut legatio ad eos explandos honoratiſſima mitteretur. Miſſi verò ſunt Guido Piſanus, & Matthæus Albanus epiſcopus legati à latere: atque eis ſocius eſt adjunctus ipſe, quem in primis requirebant, Bernardus, ut diſcidium ab Anſelmo archiepiſcopo excitatum extinguerent, ac populum religione contactum ſcelere liberarent.

Mediolanenſes, ubi Bernardum cum legatis adventare ſenſere, extemplo ingenti lætitia urbe effuſi, obviam ad ſeptem millia paſſuum prodiere, tantâ ordinum, ætatum, ſexuumque univerſorum frequentiâ, ut urbem deſerere, atque aliò commigrare ipſos putares velle: interſtinctis verò agminibus eum partitique recipientes, certatim & intueri, & alloqui, & pedes etiam deoſculari geſtiebant: quin & pilos de veſtibus ejus detractos ad opportuna incidentium morborum remedia reſervabant, omnia ſancta judicantes, quæ ille contigiſſet, & ſe ſanctos fieri eorum contactu putantes; atque ita lætis clamoribus in urbem & hoſpitium deduxerunt.

Die inde conſtituto Concilium eſt habitum. Ibi primùm Anacleto rejecto, Innocentium, ut verum & catholicum Pontificem approbarunt. Deinde Conrado repudiato, palam Lotharium regem & dominum acceperunt, & Romanorum imperatorem auguſtum unà cum toto terrarum orbe confeſſi ſunt, & de contumacia adhibita ſe ex conſilio & mandato Innocentii ſatisfacturos eſſe tacto ſacroſancto Evangelio ſpoponderunt, ac mox Bernardi judicio ſubjicientes, piaculum quod ille impoſuit, receperunt. Dum verò Bernardus Mediolani fuit, quam plurimos, qui offerebantur, homines male affectos, divina virtute cum omnium admiratione ſanavit, claudis greſſum, cæcis aſpectum, debilibus priſtinos artuum motus eſt reſtituens, præcipuè verò multi, quos per ſchiſma dæmon invaſerat, liberati.

Inde juſſu Innocentii ad pacificandas ipſas inter ſe Lombardiæ civitates profectus, Papiam & Cremonam ſe contulit. Cum verò apud Cremonenſes nihil profeciſſet, eorum Innocentio pertinaciam ſignificavit his verbis: *Cremonenſes induruerunt, & proſperitas eorum perdit eos. Mediolanenſes contemnunt, & confidentia eorum ſeduxit eos. Iſti in curribus & equis ſpem ſuam ponentes, meam fruſtraverunt, & laborem meum exinanierunt.* Ita ille.

IN EPIST. CXXXVIII. Ad Henric. reg. Angl.

98. Horſtii. QUNN DE DOMINI PAPÆ.... SUSCEPTIONE VISCITIS. Quid fecerit rex Anglorum Henricus, hujus nominis primus, vide Vit. S. Bern. lib. 2. cap. 1. n. 4. Quod & Vvillelmus Malmesb. illius ſæculi ſcriptor, atque Anglus, deſcripſit lib. 1. Hiſtor. Novellæ his omnino verbis. Innocentius Roma excluſus, tranſcenſis Alpibus Galliam contendit. Ibi ab omni citramontana eccleſia ſuſceptus eſt. Quin etiam rex Henricus (qui non leviter à ſententia, quam ſemel poſuiſſet, dejici noſſet) illi apud Carnotum ultro manus dedit, & apud Rotomagum non modò ſuis, ſed & optimatum, & etiam Judæorum muneribus dignatus eſt. Rogerus Hoved. & ipſe 10 Annal. eamdem commemorat receptionem anno 1131.

* Porrò ann. 1132. ut habet Falco, Beneventani Chronici ſcriptor, cùm Lotharius Imperator Innocentii reſtituendi gratiâ Romam obſediſſet, nec ſatis haberet virium ad eam expugnandam, utpote duorum millium dumtaxat præſidio inſtructus; Bernardus qui & ipſe aderat, à rege Anglorum ſuppetias hiſce litteris expetiit. quod tamen ipſe præſtare non potuit. Denique quam religioſè & Chriſtianè ultimum diem clauſerit anno 1135. diſcimus ex Hugonis archiepiſcopi Rotomagenſis epiſtola ad Innocentium Papam ſcripta, digniſſima certè quæ legatur apud Guillelm. Malmesb. lib. 1 Hiſt. Novellæ, & apud Baron. ann. 1135.

IN EPIST. CXXXIX. Ad Lotharium.

99. Horſtii. BENEDICTUS DEUS, QUI VOS ELEGIT Lotharium ſcilicet Saxoniæ Ducem, virum per omnia commendabilem, teſte Guillelmo Tyrio, lib. 12. cap. 16. Ott. Friſing. lib. 7. cap. 17. Sigonio, qui non minùs pietatis, quam virtutis laude hominum memoriæ commendatum ait, Abbate Urſperg. qui ſtrenuum belli ductorem, providum in conſilio, terribilem inimicis Dei & ſanctæ Eccleſiæ, &c. celebrat, Petro Diacono, qui mitis ac magnificis eumdem elogiis deprædicat. Quis tanti, inquit, Imperatoris animum non admiretur? Sederat ad ſedandas fratrum diſſenſiones in Capitulo à prima diei hora uſque ad veſperas, abſque cibo potuque perdurans, dum paci unitatique conſuleret. Nempe ſub Imperii chlamyde cæleſti militabat Regi. Nam, ut ipſe teſtis ſum, in expeditione conſtitutus, ſummo diluculo Miſſam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam poſtremo (fortè pro ſe) dies Miſſam audiebat. Vide cetera omnino digna legi, bonis Principibus exempla futura: ut non immerito Bernardus laudet Deum, qui talem Imperio Principem providerit.

100. ITER SATIS LABORIOSUM, &c. Nempe cum hortatu Bernardi ex Germania in Italiam, & Romam uſque, licet exiguis ſtipatus copiis, contendit, ut Innocentium in Sedem reſtitueret, & ab eo viciſſim ſollemnem Imperii Coronam reciperet. Quod & factum in ipſa Urbe, in Laterano; cum interim antipapa Anacletus baſilicam Vaticanam, & munitiſſima quæque Urbis loca, cum ſuis, tum opibus, tum præſidiis firmata teneret. Vide Baron. Ann 1132. Sigon. lib. 11. eod. ann Vit S. Bern. lib. 2. c. 2.

101. EST CÆSAR E SICULO VINDICARE CORONAM. De Jure regni Siculi magna aliàs fuit diſceptatio, ne quidem hodie penitus ſopita. De hac nihil modò ad nos. Videas ea de re, qui volet, ſcriptum Baronii, ſi tamen exſtet hodie, & qui contra eum ſcripſere. Non immerito *Uſurpatorem Siculum* vocat Bernardus, qui Apuliæ Calabriæque Ducatus jure clienteelari commiſſos Guillelmo ſuo conſobrino uſurpavit, & tenuit à Calixti pontificatu uſque ad ann. 1136 quo Lotharius ſecundò Italiam ingreſſus, (ſecundùm Urſperg.) Apuliam invaſit, Rogeriumque vicit, hoc in primis ſermone ſuos ad pugnam milites accendens, quod contra rebellem Eccleſiæ, ejuſque ſacris emotum, arma ſumerent. Vide Otton. Friſing. lib. 7. cap. 16. & 20. Fazell. lib. 7. poſter. decad. Idem tamen poſteà reſipuit, agentibus B. Bernardo & Petro Cluniacenſi, qui litteris eum reconciliationis admonuit.

202. * Eccleſia S. Gengulfi, al. Gangulfi, de quo ita Sigebertus ad ann. 759. *S. Gengulfus claret in Burgundia, qui etiam martyrii claruit gloriâ.* In ejus honorem Tulli in Lotharingia conſtructa eſt inſignis baſilica à S. Gerardo ejuſdem civitatis epiſcopo, (floruit anno 968.) ut litteris mihi ſignificatum eſt ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo D. Andrea Saussayo epiſcopo ac Comite Tullenſi, non minùs ſcientia & ſcriptis, quàm dignitate conſpicuo. Sic enim in veteri codice quem penes ſe habet. *Sancti quoque Gengulfi abbatiam ad meridianum introitum ejuſdem civitatis primus conſtruxit S. Gerardus, & brachium præfati Sancti in hac urbe aſportavit.* Udo verò, Tullenſis itidem epiſcopus, eamdem eccleſiam reſtituit. Ubi vides S. Gengulfi eccleſiam *Abbatia* nomine inſignitam, quod vocabulum nonnullis etiam eccleſiis collegiatis olim tribuebatur, ut etiam nunc advertere eſt in ſancto Exſuperio Corbolienſi, ubi Præpoſitus ſeu prima dignitas Capituli Abbas appellatur.

IN EPIST. CXLI.

203. * Ad Humbertum abb. Igniac. Qui à ſancto Bernardo primus Igniacenſi diœceſis Remenſis monaſterio anno 1127. præfectus eſt Humbertus, is anno 1138. Bernardo cauſa ſchiſmatis in Italia occupato, amore quietis & otii paſtoralem ſarcinam abjecit, & in Claram-vallem ſe recepit. Quod Bernardus ægerrime tulit, ut ex hac epiſtola manifeſtum eſt, cujus occaſione Horſtius ſequentem Digreſſionem compoſuit.

DIGRESSIO

De Commendis & Commendatariis.

204. Horstii. Graviſſima & notatu digniſſima ſunt verba Bernardi, quibus Humberti, viri quidem ſanctiſſimi, animum horrendum in modum percellit, quæ utinam hodie omnes religioſorum Ordinum antiſtites ſeu monaſteriorum prælati & rectores alta mente reponerent. Sic enim illum alloquitur. *Vide ne & te tangat vox illa Dei:* Quia odio habuerunt me gratis. *Quid enim debuit tibi facere, & non fecit? Vineam tibi plantavit electam & ſpecioſiſſimam: ſepem ei circumdedit votivæ continentiæ, torcular diſtrictiſſimæ diſciplinæ fodit in ea, & ædificavit ſanctæ paupertatis turrim ad cælos uſque pertingentem. Te verò cultorem atque cuſtodem conſtituit. Sed tu, prô nefas! deſtruis maceriam ejus, & racemis opimis plenam exponis omnibus, qui prætergrediuntur viam. Heu! quis prohibebit aprum de ſilva, ut non exterminet, & ſingularem feram, ne depaſcat eam?* Quid? adeone peccavit enormiter vir perquàm religioſus & innocens, qui præfecturam, cui ſe haud parem putabat, deſeruit, ut tam acri & terribili verborum fulmine tibi, ô Bernarde, perſtringendus videretur? Illene tibi viſus eſt maceriam vineæ religioſæ deſtruere, & plenam opimis racemis exponere vaſtantibus, qui ejus curam malebat committi aliis magis idoneis, ut ipſe fortè minus ſollicitè & feliciter cuſtodiſſe videretur! Quid nunc diceres, ô ſancte Pater, ſi cælo demiſſus ab alto, terras viſeres, & tot vineas, tua olim felici plantatas dextera, ſedula cura excultas, & ad decorem totius Eccleſiæ undique gentium propagatas; ſi, loquam, tot monaſteria à te fundata, & ſanctiſſimis inſtitutis exemplíſque inſtructa, videres non Humbertis, ſed hominibus perditis, vanis & profanis commendari? Quibus nulla religioſæ diſciplinæ cura, nulla ſpiritualis ſtudii in monaſteriis fovendi promovendique cogitatio; modò uberes vinea fructus proferat, non cælo, ſed cellario inferendos, modò promptuaria eorum plena, ſatis culturæ datum eſt! Sufficit ipſis paſcere ſemetipſos, comedere medullam tritici, & ſanguinem uvæ bibere meraciſſimum. Quid mirum, ſi interim deſtruatur maceria vineæ, & ſit in direptionem, & vindemient eam omnes qui prætergrediuntur viam; ſi aſcendant ſuper eam vepres & ſpinæ, ſi pro uvis faciat labruſcas?

205. Si quis hæc & ſimilia conſideret, & antiquos mores comparet præſentibus, quomodo non obſtupeat, & ingemiſcat? Quid enim videre homines, quibus ad hujuſmodi ſacras monaſteriorum præfecturas adeò non horret animus, ut ardentiſſimè eas deſiderent; immo per ferra, per ignes, & mille rerum diſcrimina ad eas ſibi aditum patefaciant. Quod mirandum, immo abominandum eſt magis, ſi qui nullum umquam religioſæ vitæ tirocinium poſuerunt, numquam religioſum habitum geſſerunt, nec quidquam monachi intus vel foris habent, monachorum tamen Patres, Abbates, Archimandritæ audire velint. Patres, ſed qui ne noſcant quidem filios, quid dicam, paſcant? Prælati, ſed qui magis obſint, quam præſint ſubditis. Paſtores, ſed qui deglubant pecus potius, quàm tondeant. Porrò dum video hujuſmodi homines adeo non abhorrere à vinea Naboth, in efferatæ Jezabel, ideſt cupiditatis inſtinctu, plures etiam, ſubinde quinque aut ſex, fortè etiam plures ſibi vindicare non timeant, hic prorſus mihi mens hebeſcit, & vox faucibus hæret.

Prô Superi! Quid tibi nunc eſt animi, Benedicte, quid tibi, Bernarde, ô Antiſtites ſanctiſſimi, religioſiſſimi? Nonne vos haſce vineas olim plantaſtis in ſanguine veſtro, & in ſudore vultus veſtri eaſdem coluiſtis? Indefeſſi quidem laboris & diligentis culturæ feliciſſimi proventus teſtes erant, tantum aberat ut luxui & otio dediti viveretis: quin potius inter graviſſimos & aſſiduos labores non manducaſtis niſi panem arctum, panem doloris, & potum veſtrum cum fletu miſcuiſtis. Et ecce verſæ nunc ſunt ad extraneos vineæ veſtræ, & hæreditas veſtra ad alienos, homines inertes & otioſos, qui dominantur & luxuriantur in ſubſtantia veſtra, qui de laboribus manuum, non ſuarum, ſed veſtrarum manducant, impinguantur, incraſſantur, dilatantur: & bibentes vinum optimum in phialis aureis, nihil compatiuntur ſuper contritione Joſeph, ſeu devaſtatione vineæ, cujus curam & præfecturam ſuſceperunt. Videtis hoc, & diſſimulatis!

Nimirum veniet aliquando Dominus vineæ, poſiturus rationem cum operariis vineæ ſuæ: væ ibi otioſis, væ proſtituentibus, væ deſtruentibus! Ibi in medium prodibunt primi illi coloni vineæ, Fundatores, inquam, & Ordinum Patriarchæ: ibi audietur clamor Sanctorum rogantium vindicari ſanguinem ſuum, & juſtam in iniquos uſurpatores ultionem expetentium. O quàm verendum, ne illic, non tantùm otioſos ſteriſſe, ſed & in alienos labores introiſſe damnabile futurum ſit!

Sed vos jam compello, voſque præmonere eſt animus, quibus in Commendis comedendis fallax fortè blanditur ſecuritas, aut quos falſa tenet perſuaſio. Certè peccata populi comeditis, populi, inquam, fidelis, & olim tam in monaſteria & loca ſacra benefici ac liberalis, ut peccata ſua eleemoſynis pauperum redimeret. Cavete ne avido nimium ventre hunc cibum copioſius ingeratis. Durus quippe ad concoquendum eſt, immo noxius & peſtilens, ubi intemperanter, & ultra vires & facultatem ſtomachi ingeſtus fuerit, utpote qui ſtrangulat, & calorem obruit ac ſuffocat, non ſine præſentiſſimo vitæ, id eſt æternæ ſalutis, diſcrimine. 206.

Vos ego occaſione verborum ſancti Patris Bernardi, immo ipſis ejus verbis compello. *Obſecro, inquam, per eum, qui pro vobis crucifixus eſt, ut ſatis afflictos religioſos Ordines amplius cruciare parcatis, & triſtitiam ſuper triſtitiam addere deſiſtatis.* Videtis, in quem ſqualorem & miſeriam florentiſſima olim monaſteria conjecta ſint, maximè poſtquam in manus veſtras venere. Videte, quæſo, & ſeriò (nec enim res ludicra eſt) coram Deo expendite, an ita pergere, uti cœpiſtis, Eccleſiæ, an locis Deo ſacratis, an vobis ipſis, ſeu ſaluti veſtræ expediat. Videte quid pietas, quid religio; quid, inquam, Dei honor & gloria, quid proximorum ſalus, quid veſtra poſtulet.

Quis veſter in me, dum hæc à me ſcripta, aut potius deſcripta legitis, ſit animus, neſcio: ut de meo in vos conſtet, ſic habete. Tam male me erga vos affectum eſſe, ut meum pro vobis ſanguinem dare paratus ſim, ſiquidem ſaluti veſtræ ſcirem profuturum. Sed nolite, quæſo, iraſci vere & ſincere monenti. Periculoſum prorſus eſſe, quod hactenus agitis, non ego, ſed dicunt & docent omnes, quibus curæ eſt vera potius, quam fallacia, & ſalutaria magis, quàm ſuavia loqui; qui Deum potiùs, quàm homines reſpiciunt & timent. At qui loquuntur vobis placentia, & beatos vos dicunt; ipſi vos decipiunt. Quod ergo viri doctiſſimi, Theologiæ & Canonum peritiſſimi, in hac materia palam dicunt, ſcriptiſque docent, id nequaquam vobis de veritate, multo minùs de odio & malignitate ſuſpectum videri poteſt aut debet. Hos deinceps vos audire malim, ne fortè ſolus ego optimæ matris peſſima prole gravet. Et quidem ex doctiſſimis regni Galliæ ſcriptoribus ſelegi paucos, qui de malis ſibi vicinis, & ante oculos obverſantibus (neſcio enim an illa Commendarum vorago alibi vehementius invaluerit) certiùs & ſincerius judicare potuerunt. Ceterum hæc vel ideo his inſerere viſum, quod hoc modo, una cum Bernardo, cujus frequentiſſima lectio eſt, facilius in uſum & bonum publicum derivanda crederem, quæ alias in raris & minus obviis ac uſitatis comprehenſa libris latent incognita & addita, minuſque patent commodo Lectorum. Deinde quid vetat, quæ admodum neceſſaria ac utilia ſunt, in diverſis extare libris, ut facilius eorum utilitas manet ad plures? Et quidem Claudius Rangolius Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula doctiſſimus in Libros Regum Commentarius hanc inſerit Quæſtionem, Tom. 2. Pariſiis edita anno 1624.

DE COMMENDIS ET COMMENDATARIIS,

Quid ſentiendum.

Jam dudum toties de Commendis à pluribus ſententiam rogatus, pro virili mea, quam potero breviſſime, ſatisfaciam. Reſpondeo primum, Commendas triplici genere contineri. Quaſdam enim Vicarias dicimus, quæ præſule mortuo tantiſper obtinent, donec legitimus antiſtes eidem eccleſiæ præficiatur: quæ plerumque ſolent ſemeſtri tempore definiri. Aliæ ſunt Commendæ, quas etiam Præceptorias dicunt, militarium Religionum: quas ex communi præſcripto Ordinis profeſſi Equites, ut etiam emeriti conſequuntur, neque quiſquam dubitat eas ſibi utendas jure vindicare. Denique tertia quædam ſpecies Commendarum eſt, quæ id nominis inde ſortitæ ſunt, quod cum monaſteria legitimis Præfectis careant, ſive Priores illos, ſive Abbates dicere placeat; alienis ita commendantur, ut æquali jure cum legitimis earum gerendarum perpetuam procurationem habeant, & qui ſuperant fructus proprios ſibi adſcribant. De hoc tertio genere nobis ſermo eſt: reliquas, quod ad præſens inſtitutum attinet, valere jubemus. Multi ſiquidem, quos Dei timor, & gehennæ metus de ſua ſalute ſollicitos habet, cum ſceleris conſcientia torquentur, non raro nobis moleſtiam exhibent, quærentes, ſi forte queant utilitati ſuæ noſtro periculo conſulere; cum nec vulgatæ opinioni, nec quorumdam reſponſis ſatis fidem adhibeant, quos vident ſimilium rerum cupiditate teneri. Complures ſcilicet, tamquam in manifeſto ſcelere deprehenſos, lux arguit; cum ne fingere quidem poſſint, quo jure aliena uſurpent, & quæ ad ſe nihil attinent. His ego difficultatibus, quibus eos expediam, cum non invenerim, ſi quid eſt quod diuturna meditatione inveſtigare potui, in medium afferam, neutiquam

207. Commendarum triplex genus.

Quod propriè ſint Commendæ in diſcrepantiam vocentur.

etiam in partem diſſimulans: ut cum diverſarum momenta rationum expenderint, cum mature ſtatuant, poſſintne olim apud ſupremum Judicem ſuum illud factum tueri. Oſtendam autem primum, quibus argumentis Communiarum inſtitutio, quæ lege nunc apud nos ſervatur, oppugnari queat. Deinde, ſi quid eſt, quo defendi & juſta aſſeri poſſit, hoc quoque ſedulo perſcrutabor.

Monachi communiter poſſident. In primis igitur ſic arbitror, tametſi monachi privatim nihil poſſideant, quæcumque tamen aut ſuo ipſi labore atque induſtria pepererint, aut fidelium liberalitate conſecuti fuerint, ea publice communiterque poſſidere. Neque enim communes contractus votorum religio reſcindit: ſed ſi quid ſinguli clanculum ſeparatimve ſibi adſciſcant, hoc paupertas evangelica damnat. Unde ſequitur, ut ſi quis ea ab illis evertat, aut invitis per vim eripiat, nihilo ſecius fur & prædo habendus ſit, quam ſi ſua cuilibet auferat legitime poſſidenti.

109\. *Bona eccleſiaſtica ſunt clericorum ſtipendia, monachorum patrimonia.* Arbitror ſecundo, facultates monaſteriorum non prorſus æquali ſorte cum reliquis eccleſiaſticis bonis, ſed potiori jure à monachis poſſideri, cum profeſſi ſtatum induant, qui nulla lege labefactari poteſt. Nam ſummus Pontifex pro ſua poteſtate, ut non pauci ſcribunt, indicta cauſa jubere poteſt, ut epiſcopus ſe abdicet. Poteſt etiam inutili, rerumque ac litterarum imperito, ne quid in gregem peccet, dignitatem abrogare. At nihil horum poteſt in monachum: ſed ubi primum rite atque ordine profeſſus familiæ adſcriptus eſt, in poſterum non niſi per injuriam communium bonorum poſſeſſione poteſt dejici: non ægrotus, non inutilis, non idiota, non dyſcolus, non perpetuo morbo laborans, ſed ignavus & æger monaſterii patrimonio alendus eſt, quoniam coheres & compoſſeſſor ſit: in officiu immemorem ex Regula animadvertendum. Exturbari autem non magis poteſt, quam filius è paterna domo: niſi forte tali aliquo ſcelere ſe obſtrinxerit, ob quod patri dicere liceat: Filius meus exheres eſto. Quod apud nos maxime fateri neceſſe eſt, apud quos monaſtica profeſſio bonis abdicat paternis, & adeundæ hereditatis jure prohibet.

110\. *Monachis quod redundat, pauperum eſt proprium.* Illud quoque tertio falſum arbitror, quod nonnulli temere aſſerunt, ſupereſſe copioſis monachis quod ea eorum vectigali redundet. Nam quæ ſuperant, Regula pauperibus adſeribet: & ex lege communiter poſſident. Ita ſanxit monachorum Pater S. Benedictus. Fundatorum etiam ſemper hoc tacite, plerumque etiam conceptis verbis ſtipulatio continet. *Volumus etiam*, inquit Vuillelmus Arvernorum Comes & Dux Aquitaniæ, cum ſua traderet Cluniacenſi monaſterio, *ut noſtris ſucceſſorumque noſtrorum temporibus, prout opportunitas atque poſſibilitas ejuſdem loci ſe dederit, quotidie opera miſericordiæ pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus, ſumma intentione exhibeantur.* Quod ſi quis putet id conſuli magis quam præcipi, & tantiſper manere monachorum propria, donec ipſi arbitratu ſuo diſtribuant; quod cum facient, caritatis ſtudio facient, non debito juſtitiæ; ita ut ſi ſervare in animum induxerint, ad reſtituendum cogi non poſſint. Reſpondeo, utcumque ea res ſe habeat, poſtquam earum rerum adminiſtratio ad alienum pervenerit, voluntatis monachorum interpretationem aliunde peti non poſſe, quam ex eorumdem inſtitutis. Quare certiſſimum habeo, quæ ſuperfluunt, ea deberi pauperibus: nec ab ullo mortalium cuiquam donari poſſe, niſi qui jus gentium violet in abroganda fide publica, & legitimis contractibus reſcindendis. Quippe ſollemnis votorum nuncupatio legitimi contractus ſpeciem obtinet. Nam quod voveo præſcriptis ac ſollemnibus formulis, Eccleſia ratum habet; idque ſumma fide debet tueri. His porro formulis, peculii quicquid hactenus eſſe potuit, ſpemque inſuper omnem in poſterum à me abdicans, ab Eccleſia mittor in poſſeſſionem bonorum communium.

111\. *Monaſteriorum bona legitime comparata.* Utique monaſteriorum bona partem maximam monachorum parta labore ſunt: quæ olim donata ſunt, jam dudum videntur perpetuo labore quæſita. Alienos porro labores nemo præterquam inique largitur. De ſudoribus antiquorum monachorum plures olim ſcripſerunt. Laborandi ſtudio ſanctus Bernardus, cum imbecillior haberetur, metendi gratiam precibus impetravit. Nunc quibus artibus Conventus excitemus, perſpicio: qui neſcio an ad ſimilem quandoque opulentiam emerſuri ſint. Nos ſane texendis ſportulis, ut monachos olim, exerceri non contigit: ſerere ac metere, neteve non magis, quam cæli volucres, aut evangelica lilia didicimus: ſed noctu atque interdiu aut libris incumbimus, aut orationi inſtamus. Hic fere atteritur ætas noſtra, niſi cum nos alio proximi caritas avocat. Tum foris aut privatim diſſerimus, aut publice concionamur: pœnitentium confeſſiones audimus, aut ægros denique, & de ſalute periclitantes, ad rerum præſentium tolerantiam, & futurarum ſtudium adhortamur. Ex his nonnihil quandoque temporalia emolumenti ad nos redundat; quod ſumma fide Superiores noſtri diſpenſantes, id maxime ſtudent, juxta Apoſtolum, ne cuiquam graves ſint; ſed abſque cujuſquam moleſtia familiam alant. Quibus vero locis aut corrupti mores incubant, aut hæreſis inſidiatur, eo, ſi poſſint, coloniam deducunt. Aream ſi non invenerint, qui gratis largiantur, pretio comparant, ſeque ære alieno obſtringunt: quod ſenſim ita diſſolvunt, ſtudioſe in eam rem collatis, quæ per ſtata tempora Adventus & Quadrageſimæ concionatoribus offeruntur. Deinde nos jubent palantes per agros, apoſtolico more, concionando, docendo, confeſſiones audiendo, ægros viſendo, famem, ſitim, algoreſque ferendo, victum quærere. Experientia probat, quibus neceſſaria ſuppetant, impetum remittere: mediæ ſtimulo prædicationis ſtudium accendi, labores tædiumque extingui; eoque nos Mendicantes eſſe inſtitutos, quo tot miſeri, qui pleriſque locis donis cæleſtibus orbati ſpirituali fame intereunt, noſtra cura ac ſollicitudine ad vitam revocentur. Deum militibus ſuis ſtipendia non denegaturum. Æquum eſſe, qui populum Dei providentiam doceant, dictis fidem exemplo ſuo concilient. His fere theſauris freti tantas operum moles excitamus: quibus ii potiſſimum offenduntur, qui ad hæc contulerunt ne hilum quidem. Stipes minutas paſſim colligimus: fratri conventus ſuo ſumptu ædificant, cæmenta noſtro ſudore macerantur. Quare, ſi quis olim hæc ad alienos transferat, norit ſe nobis invitis, contra jus faſque, pauperum ſudores alicui propinaturum, nec Deum vindicem defuturum.

112\. *Quæ olim monachis donata ſunt, ea jure ab iiſdem poſſideri.* Veruntamen, inquis, ampliſſimis illis monaſteriis pleraque olim attributa ſunt, quæ quæſiviſſe monachi videri non poſſunt. Quinimmo plures, & quidem ſinguli, minori labore, certe minus diuturno, longe majora conſecuti ſunt: quæ ſi quis tentet transferre ad alios, omnes injuſtum clamitent. Verum eſto: quæ pridem fidelium liberalitate conceſſa ſunt, hactenus dona habeantur. an cenſes ullum eſſe poſſe poſſeſſionis titulum eo juſtiorem? Negavit olim Franciſcus I. Caſtellano & Budæo præſentibus, Regum imperia pari jure poſſe defendi. Quare, quæ donata ſunt, monachi jure poſſident. Quæ autem jure poſſidentur, jure auferri non poſſunt. Secius ergo eſt, monachorum facultates alienis concedere.

Capitul. Caroli & Ludovici, lib. 6. c. 181. *Sollemnes formulæ donationum.* Verum, ut juſte & æqui ex æquo contemperes, & noſtras rationes ſuſque deque feras, attamen majorum noſtrorum exſecrationibus moveri debueras. Non enim illa dumtaxat eccleſiis contulerunt: ſed fures præterea deteſtantur, & eorum capita omni exſecrationi devovent. Francorum ſollemnes formulas ad verſum undecimum capitis quarti deſcripſimus, cum aliis pleriſque quæ huc attinent, è quibus ritum illum tantum repetam, quo Franci in generali populi ſupplicatione res ſuas ſe offerre profitentur. Sunt autem hæc, quæ ad altare verbis conceptis effari ſolebant. *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in charta tenentur inſertæ, pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, (aut pro quocumque illas Deus deliberare voluerit) ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſollemniis, orationibus, luminaribus, pauperum ac clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius eccleſiæ utilitatibus. Si quis autem inde, quod fieri nullatenus credo, abſtulerit, ſub pœna ſacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum eſt. Hæc ibi: quibus aliunde pauca libet attexere. Nam Marculfus certe eadem tradit in lib. de ſollemnibus formulis. In quinta formula, quæ eſt exſtinctionis monaſterii, hæc habet. *Si quis bonæ voluntatis meæ per quaſlibet adinventiones ſeu propoſitiones (ſicut mundus quotidie artibus & ingeniis expoſitur) obvius vel repetitor, convulſor etiam aut tergiverſator exſtiterit, anathema ſit. Et ſicut Dathan & Abiron hiatu terræ abſorpti ſunt viventes, in infernum deſcendat. Et cum Giezi fraudis mercatore, & in præſenti & in futuro ſæculo partem damnationis excipiat: & tum veniam conſequatur, quando conſecuturus eſt diabolus, qui ſeſe ſuperba æthereæ ſede dejectus,* &c. Et in formula donationis, quæ eſt 13. *Si quis vero,* &c. *Vel judicum ſæva cupiditas, vel qualibet perſona, obvius repetitor exſtiterit, à conventu omnium Chriſtianorum vel liminibus eccleſiarum extraneus habeatur, & Judæ traditoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti perfruatur conſortio,* &c. Et ſequenti 15. *Si quis vero, ſi ego ipſe* &c. *iram trinæ majeſtatis incurrat, & cum ſupra ſcripto Sancto* (Patrono baſilicæ ſeu monaſterii) *ante tribunal Chriſti deducat rationes.* Anathematis & Chriſti tribunalis rurſum meminit Form. 16. & 18. Adde hic legem Alamann. cap. 1. §. 2. & legem Bajuvariorum c. item 1 & 2. 5.

113\. His porro formulis eccleſiarum, monaſteriorumque fundatores uſos, cum privatim ſingulorum locorum chartæ teſtantur, tum nonnullas habes in extrema parte Bibl. Floriac. in Antiq. Vienn. Rudolfi, Hugonis, Lotharii, & Caroli Calvi regum, quæ iiſdem verbis præſcriptæ ſunt; complures vero in Biblioth. Cluniac. quarum una, quæ in S. Hugone p. 543. Gaulindo Mauritaniæ comiti adſcribitur, hæc habet. *De quibus omnibus bonis ſi quis ſacrilegus aut inſanus Zabuli inſtinctu aliquid ſubtrahere, vel minuere tentaverit, niſi reſipuerit, & ad ſatisfactionem confugerit, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & ſanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Sanctorum, ſit excommunicatus & anathematizatus, & à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſegregatus, ut non habeat partem cum Deo, neque cum Angelis, neque cum ſanctis ejus: ſed ſit pars ejus cum diabolo & angelis ejus, ſi in ſua malitia perſeverare voluerit, atque in inferno pœnis debitis crucietur cum diabolo, tunc veniam habiturus, quando diabolus & angeli ejus ſunt habituri.*

Sed nihil illuſtrius in hoc genere legi poteſt, quam eſt teſtamentum illud Vuillelmi Comitis Arvernorum & Ducis Aquitaniæ, quod exhibet Andr. Querceranus initio Bibl. Cluniac. Sic enim ſcriptum eſt: *Si quis forte,* &c. *primum quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ: fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis: & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque Judæ Domini proditoris effectus æternis cruciatibus retruſus teneatur: & ne ei in præſenti ſæculo humanis oculis impune tranſire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acribus verberibus coercitus vix ſemivivus evaſit, alter vero nutu ſuperno percuſſus, putreſcentibus membris & ſcatentibus vermibus miſerrime interiit, ceteriſque ſacrilegis, qui ærarium domus Domini temerare præſumpſerunt, particeps exſiſtat; habeatque, niſi reſipuerit, Archiclavum totius monarchiæ eccleſiarum, juncto ſibi Paulo obſtitorem & amœni paradiſi aditus contradictorem,* &c. Prius etiam hanc tibi

legem ſuo teſtamento dixerat, ſtudioſe ac ſingillatim cuncta nominans, quibus caveri vellet, nec ulli parcens perſonæ. *Neque aliquis principum ſecularium, non comes quiſquam, nec epiſcopus qualiſcumque, non pontifex ſupradictæ ſedis Romanæ, per Deum, & in Deum omneſque Sanctos ejus, & tremendi judicii diem conteſtor, deprecor, ne invadat res ipſorum Dei ſervorum. Non diſtrahat, non minuat, non procambiat, non beneficiet alicui perſonæ, non aliquem Prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat, &c.* Hactenus Vuillelmi teſtamentum.

114. *In Bibliotb. Clun. p. 5.* Illud ſingulariter obſervandum eſt, quod ait: *Non Pontifex Romanæ ſedis cuiquam beneficiet: non aliquem prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat.* Eo nimirum ſpectabant fundatores monaſteriorum, cum legitimos heredes abdicarent, & alienos adſciſcerent, ut ab iiſdem monaſticæ Regulæ ſtatuta ſervarentur: idque ſollemni ſtipulatione pacti ſunt. Apoſtolicæ autem Sedi, ut teſtatur Ludovicus Francorum rex, Simplicis filius, Vuillelmus Cluniacenſe Cœnobium, *ad tuendum, non ad dominandum* ſubjugavit. *Duchesnius in Vit. Pont. f.* Idcirco S. Bernardus, Tironii ſubinde monaſterii conditor, cum primum Pictavenſi abbatiæ S. Cypriani præeſſet, & illa decreto Paſchalis II. Cluniacenſibus addicta eſſet, iſque tantiſper abbatis officio prohibitus, donec acquieſceret; loco cedere maluit, ceteriſque petere, quam ut præter fundationis leges cuiquam ſubjiceretur. Illud autem poſtea decretum revocatum eſt. Sed cum denuo innovatum eſſet, Romam profectus, nec auditus, ſummum omnium Judicem Deum appellavit: quo primum irritatus Pontifex, mox communicato cum Cardinalibus conſilio, territus, non modo æquum cenſuit virum priſtinæ libertati reſtituere, ſed & augere cardinalatus dignitate ſtatuit: quam tamen is conſtanter repudiavit. Auctor Duchesnius in Paſchali II. ex Gaufredo in vita S. Bernardi Tironienſis. Nec prorſus injuria. Quippe cum primum ſui juris eſſent, qui monaſticam vitam profiterentur, ſponte jugum ſubierunt: & cum rerum aliarum, tum ipſius pretioſiſſimæ libertatis jactura, optatum ſui Ordinis portum tenuerunt. quibus haud quaquam fraudi eſſe debet quod ſanctis Patribus, quod eccleſiæ, quod publicæ fidei fidem habuerunt: qui nec videntur ſupra modum obligari potuiſſe, quam ex præſcripta Regula intelligere potuerunt. Sed jam unde digreſſi ſumus, eo pedem referamus.

115. Atqui Pontifex, inquiunt, ita ſtatuit, & redundantes fructus Commendatariis adſcribit. Calumnia eſt: cave, lector, aurem accommodes. neque enim Pontifex aliena largitur, quod tyranni ſolent. Aliena porro ducere debet, ſeu mentem fundatorum ſpectet, ſeu præſentem poſſeſſionem. Nam monachi quidem poſſident: quibus utique fieret injuria, ſi in cujuſquam gratiam propria eriperet. Fundatorum autem ea mens & voluntas fuit, ne cuiquam præter monachos conceſſis opibus daretur abuti. Explicat hanc legem fundatorum Vualterus in ſua fundatione de *Bertrées*, quam habes in Bibliotheca Cluniacenſi. *Bona vero*, inquit, *quæ ad ipſam eccleſiam ſunt collata*, &c. *ad uſus fratrum ibi ſervientium proſiciant, nec umquam ad aliorum uſus conferantur, vel in poteſtatem redigantur.* Idque non raro diſertis verbis ipſi Pontifices confirmarunt. *Omnia*, inquit Urbanus II. in confirmatione S. Dionyſii de Nogento, *omnia integra conſerventur, pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione donata ſunt.* Sola vero litteris, quibus paſſim ſummi Pontifices diverſis monaſteria commendant, nequaquam injuſtitiæ patrocinantur. Nam his fere verbis, quid juris tribuant Commendatariis, exprimunt: *Talem N. abbatiam, vel prioratum, vel eccleſiam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, tibi auctoritate apoſtolica commendamus: per te, quamdiu vixeris, & dictam N. abbatiam, vel prioratum, vel eccleſiam obtinebis, tenendam & gubernandam, ita quod durante commenda hujuſmodi de fructibus, reditibus & proventibus ipſius abbatiæ, vel prioratus, vel eccleſiæ N. diſponere & ordinare valeas, ſicut veri priores, & abbates, vel beneficiarii ipſius abbatiæ, vel prioratus, vel beneficii, qui fuerunt pro tempore, ordinare, & diſponere potuerunt, debuerunt, &c.* Quibus verbis, ut arbitror, etſi Pontifex œconomum inſtituat, nullam tamen eidem poſſeſſionem adſerit: nec vero majorem illi diſponendi, ſeu diſpenſandi res monaſterii poteſtatem largitur, quam prius veri ac legitimi Superiores habuerunt. Hi porro numquam tantum juris ſunt conſecuti, ut quæ ſuperefſent, in privata ſua commoda ſuorumve derivare poſſent: ſed pauperibus ex præſcripto Regulæ erogare debuerunt. Quamobrem, ni fallor, pernicioſe ac turpiter perditorum hominum cupiditatibus aſſentamur, cum ſcribimus, Commendatarios ſuperfluos fructus facere ſuos. Conſuetudo tamen, inquis, excuſat, quæ dudum apud omnes inolevit. Reſpondeo, Perinde ut Arabes. An non ſaltem ignorantia? Non dubito: ſiquidem non eſt illa lex relata in tabulas, quæ furtum vetat.

Redundantes fructus in uſus pauperum, aut majus emolumentum monaſteriorum conferandi.

Ibid.

116. Per vim igitur, inquis, & per ſummam injuriam Pontifex Commendatarios monachorum cervicibus impoſuit. Ah! ne ſævi tantopere. Sane quidem quam utiliter, quamque è re noſtra hoc fecit, probat funeſta hæc monaſteriorum ſolitudo, & ſemper in pejus collapſi mores. Sed quandoquidem non utilitatis nobis ratio ineunda eſt, ſed de jure reſpondendum: id potuiſſe juſtis de cauſis negari non poteſt; præſertim cum ſacrilegam rapiendi libidinem ſuis terminis circumſcripſerit. Nam cum univerſam Eccleſiam ſuæ fidei à Chriſto commendatam habeat, eamque ſummo jure tueatur, eumdem decuit ad monachorum choros, quorum maxime, ſecundum Martyres, doctrina & ſanctitate orbis in ſe oculos eccleſiis converterit, partem aliquam derivare curæ ac ſollicitudinis ſuæ. Hi porro cum pluribus locis crapulæ atque otio dediti, à majorum ſuorum inſtitutis defeciviſſent, inſtaurandæ cæleſtis vitæ promptiſſima ea ratio viſa eſt, ſi à terrenarum rerum procuratione ſemoti, quibus animorum acies obtundebatur & hebeſcebat, intermiſſa divinæ contemplationis ſtudia cogerentur repetere. Fuit iſta, quantum conjicio, præcipua cauſa, cur Commendatarii neceſſarii ſint habiti. Quis vero neget, ſummum Pontificem, cujus auctoritas omnem Eccleſiam tamquam ſuo ſinu complectitur, quibus remediis opus ſit, ſingulas partes poſſe inſtruere?

Ratio inſtituendorum Commendatarum.

117. Ceterum ætate minores legibus tutores accipiunt. Dantur etiam mulieribus diruptæ profuſæque libidinis; furioſis denique ac mente captis: neque propterea cauſam ullam habent querelarum: quin etiam ſi ſapiant, gratiam legibus habeant, quæ per imprudentiam ſua ſponte præcipites ære dirum vetant, & bonis everti. Horum nonnullis evaſiſſe quandoque ſimiles monachi ferunt, quo minus nunc ægre remedium toleremus, ſi prodeſſe magis quam nocere probetur. Verum longe ſecus res accidit. Nam Commendatariorum unum hoc ſtudium eſſe apparet, ut pietatem extinguant: & monachos, ſi quo poſſint ſcelere palam obſtringant: quo jure videantur iis expulſis ſuum quæſtum facere. Ceterum raros omnino Commendatarios invenies, cum quibus peſſimus quiſque monachus comparatus, præ illis innocens & juſtus non habeatur. Nam auguſtiſſimis illis Sanctorum ſedibus, è quibus olim ad judicium prodituri ſunt, & tribunalia inſcenſuri; hæretici præſident, & meretriculæ, ſpurii, lenones, quorum ſæpe nulla pars corporis à flagitio vacat. Qui tamen hæreticos ſortiti ſunt, longe clementiores experiuntur. Duriſſima nonnullorum Prælatorum ſervitus: quorum immenſa auctoritate jugum ipſum ingraveſcit. Non ita pridem, ut didici, in celeberrimo quodam hujus regni cœnobio, cui Commendatarius epiſcopus incubabat, Athleta monachum tentare cœpit, atque urinæ ſuppreſſionibus, & veſicæ utrique ventris diſtenſionibus, urinæ ardoribus, tandemque ſummis doloribus urgere; quos ubi jam ferre non ſuſtinet, admonet Prior abbatem, chirurgum neceſſario accerſendum eſſe, & nonnullos ſumptus faciendos. Negat clemens illa anima, præter annuum canonem ſe monacho quicquam debere: efferri jubet, ſi curari velit, in xenodochium. Rogat illum Prior parcat exiſtimationi ſuæ: eventum fore neminem, qui non hoc factum graviter accipiat. Itaque demum ære minuto redemptus imperitus artifex, miſero usque ejulanti per ſummos cruciatus vitam eripuit, tantiſper dum monaſterii opibus immitis prædo ad luxum & pompam abutitur. Nec vero hanc ſolam, ſed alteram quoque abbatiam commendationis jure devorabat. Sed ſatis hactenus: nam mihi dolor vocem eripit. Olim adeunt, apud quem noſtras querelas deponamus: nec Sancti nobis deerunt patroni ac vindices.

Coercenda immanitas Commendatarii.

118. Sed & unum interim volens exemplum commemorabo, quod aliquando legiſſe memini in ſermone quodam de ſancto Medardo cujuſdam Anonymi, quem habes in Biblioth. Floriac. monaſterii, quo vel ſic terreantur aliorum exitio, qui proprio periculo moveri non poſſunt. Anſberto, inquit, abbati Sueſſion. ſancti Medardi ſucceſſit Guarimbertus, qui Drauſione Sueſſion. epiſcopo defuncto, apud Regem pecuniæ magnitudine, & amicorum obtinuit interceſſione, ut & pontificatus dignitatem adminiſtraret, nec tamen aliquo modo priſtinum officium Prioratus amitteret. Erat enim in curia frequens, & plurimum inter Regis domeſticos valens, unde tametſi difficulter, tamen ſuæ cupiditatis effectum obtinuit efficaciter. Utriſque ergo prælatus gregibus, aſtutam rapido ſervabat ſub pectore vulpem, illos diſtrictius æquitatis agens ratione, quibus in ovina prius ſubdole prætulerat veſte. Hæc ille. Narrat autem ſubinde, quo pacto ea quæ monachorum erant, ipſe ſibi vindicaret, & juberet in propriam domum inferri: quæ cum aliquando monachi, eodem abſente, in cœnobium avertiſſent, ut primum reſciit, ita excanduit, exitium omnibus minitans; ita ut illi ad preces, inquit, & triduanum jejunium converſi, conſtitutis horis tacerent tamen, nec pſallerent præ triſtitia. Adveniens aperientem fores æditum tam dure percutit ut ipſo ſacro limine, ut ſtatim ejus facies ex vulnere cruentaretur. Inde ferox & amens tam egregio patrato facinore intro ſe proripit, & ad ſancta ſanctorum accedens, auſus eſt nebulo Dominum, cujus ſervos diriperet, genibus flexis adorare dicam, an illudere? Sed non tulit ultra prædonis inſolentiam divina juſtitia: actutum enim labentibus inteſtinis coram ſuo Judice carnifex exſpiravit. Diſcant igitur, qui rapacibus votis Sanctorum patrimoniis inhiant, iiſdem olim judicibus ſempiternum eos manere exitium.

Verum, demus nonnullos Commendatarios egregie fungi officio ſuo: nullumne hi ſtipendium merebuntur? Quin immo bene merentibus diceres placet, non minus quam olim vicedominis, defenſoribus, & advocatis eccleſiarum: ſed certum illud ac definitum. Nam immenſa illa licentia, qua ſuperfluos fructus ſibi vindicant, nullo jure probari poteſt. Primum, quoniam ea ratione merces laborem ſupra modum vincit ac ſuperat. quod neutiquam decet in adminiſtratione bonorum pupillarium. Secundo, quod eo pacto œconomi prior conditio eſt, quam domini. nam qua nunc lege vivitur, monachi quidem, cum ſint domini, ex aſſe trientem accipiunt, Commendatarii beſſem. Tertio, quia manifeſta hæc injuria eſt, perire domino emolumenta rei ſuæ, ſoli villico rem creſcere. Quarto, quod propterea ſemper ſtudeant monachorum numerum imminuere, quo plura redundent. Poſtremo, quod lucelli odore delectati, plura ſuperflua annumerant, quorum inopia monachi premuntur; qui ut externa ſubſidia ſibi comparent, captare atque aucupari laïcorum benevolentiam coguntur. His ergo rationibus & aliis, quas ante protuli, in eam ſententiam adducor; ut negem Commendatarios ſuperfluos fructus ſuos facere, & aſſeram, perinde ac tutores, mediocri ſtipendio contentos eſſe debere.

Duæ ſunt præterea rationes, ob quas ſummus Pontifex partem aliquam poſſit monachorum delibare ſubſtantiæ: nimirum Eccleſiæ neceſſitas urgens, & cum apparet longe major exerſura utilitas.

Tum enim neque monachis irrogatur injuria, neque fides publica teſtamentorum donat-ionumve violatur. Sed de his alias. Quæ autem hactenus diſputavi, tametſi vera eſſe in animum induco meum, Eccleſiæ tamen judicio permitto.

ALTERA PARS DIGRESSIONIS.

119. GEntianus Hervetus Canonicus Remenſis, vir doctiſſ. cujus ab elegants calamo Chryſoſtomum magna ex parte nobis latine loquentem habemus, inſignem ſcripſit Diſſertationem de reparanda Eccleſiæ diſciplina ad Petrum Danefium Vaurenſem epiſcopum, & quondam Regis Galliæ in Concilio Trid. Oratorem, qua ſextum canonem Concilii Chalcedon. * interpretatur; ubi inter cætera de Abbatum nominatione quid ſentiendum, inquiit. Ac quidem monachos aut jus electionis ſuo ipſorum vitio, juſto Dei judicio amiſiſſe: nominationes vero regias non improbandas, ſi & illæ vitiis & abuſibus vacarent. Atque vero hoc referunt, inquit, quod nonnullis videtur indigniſſimum, vociferantibus nunc omnia ἀνω κάτω, olim neminem fuiſſe Imperatorem, qui non prius militiæ ſtipendium meruiſſet, nullum abbatem, qui non antea fuiſſet monachus: nunc autem ita eſſe moribus comparatum, ut ex monacho nunquam creetur abbas. Nam nec monachis deſunt ſua quibus fruuntur beneficia, nec eis magnopere curandum eſt, ſi non fiant archimandritæ, cum ejuſmodi onera etiam oblata deberent reſpuere, ut quæ a contemplatione & oratione, cui eos ſemper deditos eſſe oportet, avocant. Et certe ſi divinitus quandoque contingeret, ut eis commendentur monaſteria, qui honeſta aliqua fructuum portione contenti, reliqua in alendis & inſtituendis monachis, in pauperibus educandis, in ædificiis reparandis conſumant, nihil poſſet accidere optabilius, nihil magis expetendum. Sin autem ita ſe gerant Commendatarii, quomodo omnes fere ſe videmus gerere, ut qui commendatum monaſterium, eis videantur omnia comedenda propinaſſe: non poterat, ita me Chriſtus amet, ulla major calamitas accidere. Videmus hodie à compluribus teneri monaſteria, qui cum ædificia omnia minentur ruinam, ne uno quidem lapide admoto ea fulciant: cum indoctiſſimi ſint monachi & diſſolutiſſimi, nec eos curant certa continendos diſciplina, nec præceptores adhibent qui eos erudiant; atque utinam non eſſent etiam qui ſuo exemplo eos ad flagitia invitarent! Cum olim ſoleret ſtatis diebus ab abbatibus eleemoſynæ aliquid erogari, id totum in uſus ſuos convertunt, & pauperes, quos alere debebant, ſubtractis alimentis occidunt. His accedit, quod cum nullus ſit canon, qui vetet, quo minus plurima uni poſſint commendari monaſteria, ſintque nonnulli, quorum avaritiam &, ut ſignificantius Græce dicam, πλεονεξίαν ne univerſus quidem orbis terrarum ſatiaverit, frequenter accidit, ut in diſtantiſſimis locis eis commendentur monaſteria, quæ nunquam ne per ſomnium quidem viſant, ſatis habentes, ſi fructus ex eis perceperint: ex quo quidnam eveniat, quis eſt tam cæcus qui non videat? Et poſt pauca. Neque vero ſunt audiendi qui errent, monaſteriorum minorem eſſe habendi rationem, quam beneficiorum, quæ adjunctam habent curam animarum. Quaſi vero non ſint etiam rationis participes animæ prædicti monachi, quorum exitium de manu archimandritarum Deus eſt requiſiturus, ſi eorum culpa id acciderit. Dolendum profecto, dolendum eſt, quod cum olim tot viri pietate & doctrina inſignes prodierint è monaſteriis, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Gregorius Pontifex maximus, Benedictus, & alii innumerabiles, qui ſuis & exemplis, & ſcriptis Dei Eccleſiæ plurimum profuerunt; hodie magna ex parte eſt ſumma monachorum inſcitia cum vitio conjuncta, quæ tota fere eſt adſcribenda Commendatariorum negligentiæ, qui non dant operam, ut bonos & doctos habeant præceptores. Valde etiam dolendum eſt, quod cum calamitoſiſſimis his temporibus pauperum ſit maximus proventus, ablata ſint eis alimenta, quæ, antequam exorirentur iſti Commendatarii, certis diebus publice ſuppeditabantur è monaſteriis. Quin etiam quis non angatur animo, cum videt templa auguſtiſſima, & pulcherrima ædificia, partim minari ruinam, partim jam corruiſſe? cum interim monaſteriorum proventus quomodo conſumantur, quid opus eſt dicere? His certe rebus propediem futurum eſt, ut niſi opportunum afferatur remedium, & monaſteria, & monaſtica diſciplina funditus intereant.

120. Accedat ſuperioribus Gabriel Putherbeus Fonteb[r]aldæus, qui in epiſtola præliminari Operum Thomæ de Kempis Pariſiis impreſſorum, ad Stephanum Poncherium Baionenſem epiſcopum, ita in rem præſentem loquitur, ubi cladem ſuo tempore monaſteriis per Commendatarios illatam deplorat. Epiſcoporum olim erat proſpicere, ut ne monachorum ſeceſſus & quies interturbaretur, quandoquidem monachiſmus puritatem ſuam retinens, non aliud eſt quam ſincerior Chriſtianiſmus: eoque Philo Judæus, juxta D. Hieronymum, habitacula Chriſtianorum monaſteria vocabat. Ex quo apparet, Hieronymo eodem teſte, talem primum Chriſto credentium Eccleſiam fuiſſe, quales nunc monachi eſſe nituntur & cupiunt, ut nihil cujuſquam ſit proprium, nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur & pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ: quales & Lucas refert primum Jeroſolymæ fuiſſe credentes. Inſultant ergo nunc Eccleſiæ Chriſti adoleſcenti, qui monachiſmum ſuggillant, minime intelligentes, ſe, ſi juxta Domini Jeſu conſilium vitam inſtituerint ſuam, non ita multum abiri à monachorum inſtituto. Simul ac igitur epiſcopi, monachorum magiſtri ac patres, Apoſtolos deſierunt imitari, cœperunt & monachi paulatim ſaniſcere, cœpit rigidus ille & olim invictus animi rigor elangueſcere. Inde conſecutum eſt fortaſſis, ut quædam monaſteria poteſtate epiſcoporum exemerentur. Intellexerunt namque, quorum hæ partes erant, multo ab uno quopiam ejuſdem propoſiti tenaciſſimo viro, pio & probo, cœnobia tutius ac rectius gubernatum iri, quam ab epiſcopo, nihil minus quam epiſcopo, quique nihil eſſet aliud quam quod dicitur, ὑπερέχων χρυσῷ. Si quidquam monachus ab epiſcopo detrimenti felici Eccleſiæ impendebat, illud erat omnium graviſſimum, quod nonnunquam epiſcopus, ſi quem monachorum virtute, conſilio, ingenio præpollere animadvertiſſet, illum è monaſterio ſevocatum ſibi adjungebat, auxilio ad ſeria & ardua futurum. Inde erat illud inter Patres (ut ait Johannes Caſſianus) jactatum proverbium, vitari monacho debere mulieres & epiſcopos: quod nec mulier, nec epiſcopus tueretur eum, qui ſemel ſeſe in familiaritatem illi dediſſet, vel quieti cellulæ operam poſtea dare, vel divinæ theoriæ per ſanctarum rerum intuitum purſſimis oculis inhærere. Hodie non temere inferiores hoſtes patitur monachiſmus etiam ſinceriores, quam epiſcopos.

Monachis vitandi episcopi & feminæ quasi sensus.

121. Pro bona felicitatis ſuæ parte ducebant veteres epiſcopi, ſi de ſuo monachis tribuerent, ſi in diœceſi ſua cœnobium quodpiam fuiſſet ædificatum. Precibus etenim illorum, exemplis, ſententiis, ſocietate, ſciebant ſe non parum juvari in ea quam ſuſtinebant perſona. Jam hodie alioſum prorſus cecidit alea. nam peſſime ſecum actum iri pleraque arbitrantur, niſi unum & alterum plus minus cœnobium ſuum quoquo modo fecerint; quoque aliquod unum opimiores cenſus habet, eo majore ſtudio & contentione terra & mari, ſuperorum etiam dicam & inferorum ope, enituntur, depugnant, ut in ſuam illud naſſam attrahant, &, ut vulgato utar vocabulo, aduncent: attractum & aduncatum mox expilant, diripiunt, depeculantur, interdum etiam exinaniunt, vel uſque ad pulviſculum, ſi quando ſinatur animo ſuo gerere morem, ſecuriſſimi interim, quid calamitoſi monachi rerum gerant, quam juſte ac ſedulo penſum reddant, vota ſolvant, quam etiam fortiter eſuriant: quin & amandant ejiciuntque, aliquo ſi pacto queant, quo quicquid ſupereſt, inſumant in nefarias fœdiſſimaſque voluptates. Ita quod malis artibus partum eſt, malis item deperit: neque quicquam penſi habent, an monaſterium quod prædantur, ſanctiorem etiam tum diſciplinam & exculiſſimos mores conſervet, an aureo à veteribus inſtitutis diſceſſerit. Tantum reditus captant, tantum cenſus aucupantur. pecuniarum maximi (ut ait ille) aruſcatores, ſatis habentes, immo ſe etiam pulcre Deo litaſſe arbitrati, ubi per eos ſolitudo maxima ubique inhorruerit: idque quoad fiat, latrones aliquot inibi collocant ſuos, Scythis ac Getis truculentiores, qui die noctuque pergræcentur, nepotentur, ludant aleam, negotium haud quaquam tolerabile non prius deſinant faceſſere miſellis cœnobitis, quam omnes aut minis perterrefacti, aut biliosa fame coacti alio demigrare feſtinent.

122. Verum fortaſſis collocant in pauperes, quod alicubi ſuperfluum corraſerunt. Scilicet is labor eſt illis, ea cura quieros ſollicitat. Sed quid in re manifeſtaria plura queror? In januis cœnobiorum, quæ invexerunt epiſcopi, ab egenorum turba antea obſeſſis, vel ſtipem, vel cibum exſpectantium, ſumma ſolitudo. Abunde ſe muneri ſatis ſuo feciſſe putant, ſi pro ampliſſimis eleemoſynis, pro foribus trium quatuorve monaſteriorum, quæ jam compilant, olim in egenos indigenas erogari ſolitis, aliquot jam nummos ipſi per quempiam forte obvius mendicis dividant. O Deum immortalem! ô admirandam & ſtupendam Creatoris clementiam, qui ad tam flagitioſa tamdiu conniveat! Patres vocari geſtiunt, eo plures epiſcopatus ambiunt. Quid illud malum eſt, niſi error eſt, niſi dementia eſt? Abbatem vocitari, & tyrannum gerere? Paſtores audire, & lupos imitari? Quieſce jam, ô bone Jeſu! ecce quod jam olim ſciſcitabaris, temporibus noſtris triſtiſſimum: Parvuli efflagitant panem, nec eſt quiſquam qui frangat illis. Quid itaque offerunt? lapidem egeſtatis ab immaniſſima cupiditate & ſiti habendi, quæ viſcera claudit miſericordiæ: ſerpentem, certe venenum pernicioſiſſimi exempli: ſcorpionem, meraciſſimam hypocriſim, quæ blanda amplexantium Patrum imagine imponit, & tandem enecat.

Sed omitto cetera, paulo aſperiora, quam ut delicatæ quorumdam, quos hæc tangunt, aures ferre poſſint. Interim bonos & fideles epiſcopos, qui ſe pares muneri ſuo præſtant, cenſura iſta non ferit. Cum enim ipſi qua tales, juſtis ex cauſis non commendentur monaſteria, & monachorum cura, cum ſtatus epiſcoporum ſit ſtatus perfectionis, monaſtico multo excellentior. Sed ubi ſoli ſtatui perfectio tribuitur, in perſona nulla reperitur, quomodo tunc monaſteriis monachiſque præeſſe ambiant, ipſi viderint.

IN EPIST. CXLII.

123. AD MONACHOS ALPENSES. Alpenſe Cœnobium, vulgo *l'Abbaye des Alpes*, diœceſis Genevenſis in Sabaudia, hodie Anicienſis. Fundatum ab Humberto II. Sabaudiæ Comite, ſub primo abbate D. Guarino, qui deinde Sedunenſium factus epiſcopus, occaſionem huic epiſtolæ præbuit, qua Bernardus monachos Alpenſes ſuo abbate deſtitutos conſolatur. Gaſpar Jongelinus in Notitia abbat. Ciſterc. hujus monaſterii fundationem refert ad ann. 1136. Sed ante eum annum fundatum eſſe, nec monachos ab initio habitum & inſtituta Ciſtercienſium fuiſſe amplexos, ſed iis ſe tandem ſubmiſiſſe, facile eſt colligere ex præſenti epiſtola, præſertim verbis illis, *Quam læta ſum collegit vos undulanter Ciſtercienſis?* Et quidem Claræ-valli ſe peculiariter aggregaſſe, conſtat ex ſequentibus Bern. verbis. Vide etiam epiſt. 253. ad dictum Guarinum, & Manricum in Annalib. ad annum 1136. quo factam aſſerit aggregationem. HORATII.

* Ex Βατοπαι Grat. diſt. 70 c. Neminem.

IN EPIST. CXLVII Ad Petrum Cluniac.

124. Horstii. LITTERAS TUAS, ET ILLAS LITTERAS, &c. Literas tam Bernardo jucundas, & tanto celebratas præconio, haud dubie cupiet avidus Lector inſpicere & legere. Eas itaque hic exhibemus, ut videas, quanto amicitiæ fœdere ſibi invicem cohæſerint ſanctæ illæ animæ: de qua re vide Notas ad Epiſt. 228. Epiſtola ſic habet.

VENERABILI ET DILECTISSIMO MIHI Domino Bernardo Claræuallis abbati, frater Petrus humilis Cluniacenſium abbas, valere ſemper in Domino.

QUantum reverentiæ, quantum amoris tibi anima mea in penetralibus ſuis conſervet, novit ille, quem in te veneror & amplector. Feci hoc, etiam dum adhuc abſentia tua, vultum corporis tui mihi invidens, abſcondebat: quia jam fama velocior corpore, beatæ animæ faciem oculis mentis meæ, modo quo poterat, inferebat. At ubi, quod diu negatum fuerat, tandem ſum aſſecutus, & phantaſmata ſomniorum veritate ſuccedente evanuerunt: adhæſit anima mea tuæ, nec ab amore tuo ultra divelli potuit. Ita caritas tua totum me ſibi deinceps vindicavit, ita virtutes tuæ & cogniti mores rapuerunt, ut nihil mihi de me, quod tuum non eſſet, relinquerent; nihil tibi de te non meum eſſe permitterent. Manſit in me conſtanter ex illo tempore, & utinam ſic in te maneat Chriſti cauſâ cœpta, mutua caritas, quæ ſola, quia numquam excidere novit, morem ſuum, quantum ad me pertinet, in me optime conſervavit. Cumque hanc omni auro cariorem, omni gemma clariorem, in ſinu meo repoſuerim, in theſauris abſconderim: miror quod tanto tempore, non qualia vellem indicia, hujus à te mihi cuſtodiæ caritatis acceperim. Ago quidem gratias, quod ſæpe per quoſlibet ſalutationibus miſſis, non penitus te amici oblitum ſignaſti. Sed queror, quod certiora per litteras indicia haƈtenus non dediſti. Certiora dixi, quia neſcit charta impreſſum mutare ſermonem: cum loquentium lingua, addendo, vel demendo, injunctam mutet ſæpius veritatem. Unde, quia ut electus præliator, paratus in diem belli, pro Eccleſiæ Dei periculis, dextra & læva uteris, & per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris contendis; nuntios meos, quos domino Papæ dirigo, ex parte amicitiæ tuæ ſecure committo: quoniam qui alienorum cauſis aſſiſtis, tuorum negotiis deeſſe non poteris. Per quos, ut querela mea ſopiatur, eſſe tuum, ac reditum, & ſtatum domini Papæ non ſolum legatis meis, ſed & litteris tuis committe. Utinam & te à curia laborioſa, & me à cura periculoſa expeditum, ut ſemper optavi, numquam mutandus unus locus retineret, una caritas uniret, unus Chriſtus ſuſciperet.

125. * MONASTERIUM VIZILIACANAE. alias Vezeliacenſe, *Vezelay*, diœceſis Æduenſis, à Gerardo Comite Nivernenſi & Bertha ejus uxore conſtructum circa annum 861. in gratiam monialium, quibus monachi ſubſtituti, uſque demum canonici ſeculares anno 1537. Hujus monaſterii reformationem, agente Henrico Burgundiæ Duce, Guillelmus S. Mayoli abbatis Cluniacenſis diſcipulus, primò quidem inſtituit: deinde verò S. Hugo itidem Cluniacenſis abbas jam collabentem diſciplinam iterum reſtauravit. Ex quo Paſchalis II. auctoritate factum eſt *, ut Cluniacenſi abbati anno 1103. omnino ſubjiceretur. At monachi Vezeliacenſes Cluniacenſium jugum paulatim deteƈtantes, rurſus ab Innocentio II. eiſdem ſubeſſe compelluntur. Qua de re Vezeliacenſis hiſtoricus *, ita loquitur. Hanc ſi quidem libertatem cum per trecentos fere annos ab ipſo ſuæ fundationis principio Vizeliacenſis eccleſia quiete & abſque calumnia obtinuiſſet, tamque de ſuis, quàm de aliorum fratribus monaſteriorum ſibi Patres indifferenter præfeciſſet; Cluniacenſes longe poſt exorti per ſurreptionem ſibi vindicare niſi ſunt; aſſenſum quidem primum, deinde vero jus electionis ſibi arrogantes, mentientes utique à Paſchali traditam ſibi curam Ordinis eccleſiæ Vizeliacenſis. Ob quam prorſus cauſam eadem eccleſia ſub Innocentio II. Papa grave ſcandalum pertulit, reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam ejuſdem Innocentii & Comitis Nivernenſis, intruſo à Cluniacenſibus quodam Alberico, fere omnes ſæpe ſati monaſterii fratres vinculis colligati &c.

* V. Dacherium Notis ad Bibliotb. Cenomanenſ.
* Extat Tomo 3. Spicilegii Acheriani

126. * QUID APUD S. BENEDICTUM. Intellige S. Benedictum ſuper Padum, Padoliruncenſe appellatum, de quo idem conſtitutum à Gregorio VII. & Calixto II. ac de Vizeliacenſi, nempe ut in illo ſine Cluniacenſis abbatis conſilio, proviſione & præcepto, abbas nullatenus eligeretur, aut electus ſine commendatitiis ejus litteris à quoquam epiſcopo benediceretur. Cùm autem ſecus actitari cœptum eſſet, Innocentius petente Petro Venerabili litteris ſuis mandavit (quemadmodum ex Bulla * Clementis III. data anno 1187. colligere eſt) ut Guillelmus abbas Cluniacenſibus inconſultis electus & ordinatus, eiſdem ſeſe repræſentaret, & obedientiam reverentiamque exhiberet.

* In Biblioth. Cluniac. col. 1452.

IN EPIST. CL. Ad Innocent.

127. Horstii et Picardi. SANCTI MEMMII. S. Memmius ex celebri olim apud Romanos Memmiorum familia oriundus, in Galliam à B. Petro Apoſtolo directus eſt, & Catalaunorum primus epiſcopus extitit. In ejus honorem apud eamdem urbem condita eſt inſignis Canonicorum eccleſia, quæ inſtitutum Canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini ſuſcepit auctoritate Innocentii II. ut ex ſequenti diplomate intelligitur.

INNOCENTIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Stephano eccleſiæ S. Memmii abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

OFficii noſtri nos hortatur auctoritas pro eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti, & utilitati ſalubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honeſtati conveniens eſſe dignoſcitur, ut qui ad earum regimen aſſumpti ſumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & B. Petri atque apoſtolicæ Sedis patrocinio muniamus. Proinde, dilecte in Domino fili Stephane abbas, eccleſiam S. Memmii, cui Domino auctore præeſſe dignoſceris, ſub apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina communimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona præfata eccleſia in præſentiarum juſte & legitime, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Sane per hoc apoſtolicæ Sedis privilegium conſtituimus, ut poſt ſecularium Canonicorum deceſſum nullus in prædicta B. Memmii eccleſia, niſi regularem vitam profeſſus, ſubſtituatur canonicus, ac decedentium canonicorum Præbendæ in uſus fratrum regularium redigantur. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, nullus ibi abbas, niſi regularis canonicus, & ſecundum B. Auguſtini Regulam ſubrogetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prænominatam eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, iram Dei & B. Petri & Pauli indignationem incurrat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco ſua ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum Pisis per manum Americi S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii, v. Cal. Martii, Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXI. pontificatus autem domini Innocentii II. Papæ 2.

128. Horstii et Picardi. S. SATYRI. Mathildis uxor Gofredi Bullonienſium, (aut Bolonienſium, civitate Bolonienſi, quæ eſt ſecus mare Anglicum ſita, inquit Guillelm. Tyr. l. IX. c. V.) primique recuperatæ Jeroſolymæ Regis, impetravit à Paſchali ſummo Pontifice corpus B. Satyri martyris, cujus agitur ſollemnitas Nonis Martii, eique poſuit in diœceſi Bituricenſi ſecularium Canonicorum collegium: qui intra paucos annos (tam faciles & proclives ad deteriora ſumus) ad vitam adeo ſecularem & immoderatam degenerarunt, ut Innocentius juſſerit eos exponi, reponique B. Auguſtini Canonicos, quod Memoriale hiſtoriarum ſic inſinuat. Anno MCXXXVIII. clarebat Ordo Canonicus S. Victoris Pariſienſis, celebriſque per orbem fama habebatur propter inſignes perſonas, moribus & ſcientiis ornatas: quas in diverſis mundi eccleſiis ſparſit, velut vitis fœcunda palmites proferens tranſplantandos. Hoc enim tempore fuerunt ibidem accepti Canonici profeſſi prælati in eccleſia Romana duo Cardinales, dominus Hugo epiſcopus Tuſculanenſis, & Magiſter Ivo; abbates quoque novem. In eccleſia S. Satyri Bituricenſis abbas Radulfus, & cetera. His ſubſcribit Necrologium S. Victoris Pariſienſis in quo ad v. Id. Febr. legitur: *Obiit dominus Andreas abbas S. Satyri, & noſter Canonicus.* Stephanus ex abbate S. Genovefæ Pariſienſis epiſcopus Tornacenſis in epiſt. ad Lucium III. Papam (quæ incipit, *Movetur uſque*, &c.) commendat ejuſdem cœnobii gravem conſtantemque diſciplinam. Adde quod in libello taxationis epiſcopatuum & beneficiorum Franciæ iſthæc abbatia ſub Ordine S. Auguſtini recenſita ſit.

SED NEC LEODII IMMINENS MUCRO. Id potiſſime videtur intelligendum de inveſtituris eccleſiarum ab Imperatore Lothario repetitis, & ab Innocentio denegatis. Eo quoque tempore, inquit abbas Urſperg. ipſe Papa adiit Imperatorem Lotharium, petens ab eo favorem contra Petrum Leonis, & ſuos fautores. Sane Imperator uſus conſilio ſuper hujuſmodi reſponſo, cœpit à Papa repetere inveſtituras epiſcopatuum, quas multo tempore Imperatores ante ſe habuerant. Ideoque Apoſtolicus non modicum eſt turbatus, & de adventu ſuo contriſtatus; de reditu quoque anxius effectus. Nam petitionem Principis exaudire non poterat ſuper tali articulo, pro quo Eccleſia tot mala ſuſtinuerat. Interveniente tamen conſilio, & orationibus S. Bernardi ſecurus receſſit ab Imperatore. Otto Friſing. quidem lib. 7. cap. 18. idem, ſed minus denarrat. Hucuſque fere Picardus.

129. * IN TURBATORES ECCLESIÆ AURELIANENSIS. Quinam iſti fuerint diſcimus ex nonnullis epiſtolis, quas noſter Acherius Spicilegii tomo 3. inſeruit. Et primò quidem ex epiſtola Archembaldi eccleſiæ Aurelianenſis ſubdecani ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum, advertimus hujus perturbationis incentorem fuiſſe Johannem quemdam Aurelianenſem *, in archidiaconi dignitatem intruſum, cui cum Archembaldus aliique clerici ſe ſe opponerent, graves injurias, bonorumque fere omnium detrimenta tum ab ipſo Johanne, tum ab ejus fautoribus Bartholomæo Capicerio, Zacharia Pagano archidiacono, Jacobo ſancti Aniani ſubdiacono, &c. paſſi ſunt. Unde in fine ſic rogat, *quatenus de malefactoribus ſuis plenariam ſibi juſtitiam faciat* Henricus archiepiſcopus, (ad quem vacante ſede Aurelianenſi confugerant) *& eccleſiam quæ ſanguinis effuſione & ſacrilegiis multis*

Spicil. Tom. 3. pag. 153. & 158.

* Is poſtea eumdem Archembaldum necari præcepit. 8. Sp. 161.

pollutæ eras, ceſſare ſuo interdici juberet, & hanc injuriam, quæ in dominum Papam redundabat, ulciſci non differret. Extſat ibidem alia ejuſdem argumenti epiſtola à Gaufrido epiſcopo Carnotenſi ad prædictum Henricum tranſmiſſa. Et fortaſſe Johannes ille intruſus ſuam dignitatem Regis auctoritate vindicabat. Sed tandem Innocentius papa arrepta oppreſſorum tutela, nunc dicto Gaufrido Carnotenſi apoſtolicæ ſedis Legato litius cauſæ curam & patrocinium demandat. Quod cum moroſius fieri cognoſceret, hoc reſcriptum dedit ad eumdem.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus GAUFRIDO Carnotenſi apoſtolicæ ſedis Legato, & STEPHANO Pariſienſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PROUT novit veſtra fraternitas, damna & injurias dilectis filiis noſtris ARCHENBALDO Aurelianenſi ſubdecano, magiſtro G. & eorum ſociis irrogatas, & honores ſibi ablatos reſtituendos in veſtro arbitrio & æſtimatione poſuimus. Quod quia minimè impletum eſſe accepimus, dilectioni veſtræ mandamus atque præcipimus, ut quemadmodum bene inchoaſtis, in nomine Domini procedatis, & eamdem cauſam effectui mancipetis. Datum Placentiæ Nonis Novembris, anno ſcilicet MCXXXII.

130. * Quid exinde ſecutum ſit, accipe ex aliis Innocentii litteris, quas ex chartophylacio eccleſiæ Aurelianenſis eruí, in hunc modum.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus GAUFRIDO Carnotenſi apoſtolicæ Sedis Legato, & STEPHANO Pariſienſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOverit veſtra dilectio, quoniam GOFFRIDUS de Vico-novo, nuper ad nos veniens in præſentia Fratrum noſtrorum, jurejurando firmavit, quod ſalva fidelitate cariſſimi filii noſtri LUDOVICI Francorum regis, ligium hominium faciet dilectis filiis noſtris St. ſubdecano, Sy. præpoſito, & aliis cognatis atque nepotibus ARCHEMBALDI bonæ memoriæ Aurelianenſis ſubdecani, qui hoc recipere voluerint: & tam ipſis, quam omnibus aliis qui cum eodem defuncto fuerant exſulati, vitam & membra & bona jurabit, & cum eo meliores de cognatione ipſius eamdem ſecuritatem jurabunt. Hoc etiam addito quod fideliter laborabit, quatinus HENRICUS ſimiliter juret idem & faciat: & uterque Aurelianenſi eccleſiæ, quia graviter læſerunt, ſatisfaciet. Præterea Herveus de Vico-novo, HUGO nepos ejus, & THEOBALDUS Hervei, & cum eo tot milites ut centeſimum numerum compleant, & centum quadraginta de melioribus burgenſibus urbis Aurelianenſis, quos ad hoc poterunt invenire, prædicti Archembaldi ſubdecani parentibus hominia facient. Quod ſi Henricus hoc jurare noluerit, prædictus Goffridus hoc per ſe nihilo minus faciet adimpleri. Deinde vero proxima omnium Sanctorum feſtivitate noſtro ſe conſpectui præſentabunt, pœnitentiam quam eis injungere voluerimus fideliter ſuſcepturi, tunc per nos ab excommunicationis vinculo abſolvendi. Denique præfatus St. ſubdecanus & Sy. præpoſitus mortem jam dicti Archembaldi recolendæ memoriæ eidem Gof. in conſpectu Fratrum noſtrorum pro Dei amore miſericorditer indulſerunt, & hoc ipſum facient aliis militibus ejuſdem ſubdecani interfectoribus, qui Aurelianenſi eccleſiæ & parentibus interfecti ſatisfaciant. Verumtamen ipſi omnes interim extra eccleſiam & in pœnitentia erunt, & ſi quem eorum ad extremum vitæ venire contigerit, ei abſolutio ab excommunicatione & Viaticum non negabitur. Volumus autem ut pro his qui eccleſiæ ſatisfecerint, Aurelianenſis eccleſia ulterius à divinis non ceſſet officiis. Si qui autem de ejuſdem interfectoribus ſe ipſa ſatisfactione ſubtraxerint, donec in terra de ſpeciali dominio glorioſi filii noſtri Lodoici Francorum regis in ipſo Aurelianenſi epiſcopatu manſerint, tota civitas & archidiaconatus St. de Garlanda uſque ad eorum ſatisfactionem à divinis vacet officiis. Ideoque ſollicitudini veſtræ mandamus, ut quia ſtatus terræ notior vobis exſiſtit, de modo ſatisfactionis abſolutione eccleſiæ, quæ ſub interdicto tenetur, vice noſtra providere curetis. Datum Piſis VI. Idus Januarii.

IN EPIST. CLI.

131. * AD PHILIPPUM TURON. ECCL. INVAS. Anno 1137. Hildeberto eccleſiæ Turonenſis pontifice mortuo, canonici ejuſdem eccleſiæ violentia Goffridi comitis propriis ſedibus ſunt expulſi. Cum vero pontificem canonice deberent eligere, in partes diviſi ſunt. Quidam enim illorum, contra ſanctorum ſcita canonum, quemdam Philippum, Gilberti ante Hildebertum in eadem ſede ambitioſi epiſcopi nepotem, aliis reclamantibus elegerunt. Philippus confeſtim Anacletum pſeudopontificem adiit, ut ab eo confirmaretur & ordinaretur; moxque Turonos reverſus eſt. Interim Hugo, vir prudens & nobilis, à ſaniori parte eorumdem clericorum canonice eligitur, & in Cenomannenſi eccleſia à Guidone & comprovincialibus epiſcopis conſecratur. quo Philippus cognito, ſecum ornamenta eccleſiæ deferens, furtim aufugit. Hæc ex Actis epiſcoporum Cenomannenſium editis in tomo 3. Analectorum. Cum hæc agerentur, Bernardus, qui tunc Viterbii morabatur, has litteras ſcripſit ad Philippum: qui aliquanto temiſſior factus, Anacleto mortuo deinceps Turonenſem eccleſiam ambitu ſuo exagitat: contra quem vir ſanctus anno ſequente 1138. ad Innocentium ſcripſit epiſtolam præcedentem.

* Ceterum ſub Hugone archiepiſcopo, qui tandem Philippum evicit, id contigit quod Innocentius III. commemorat in lib. 3. epiſtola 79. *Adjecit etiam pars Dolenſis, quod proceſſu temporis bonæ memoriæ Eugenius Papa, prædeceſſor noſter, felicis recordationis Bernardum Claræ-vallenſem abbatem ad ſopiendam inter eaſdem eccleſias controverſiam deſtinavit, cujus ſtatutum ſervare noluit eccleſia Turonenſis.* Hæc longe poſt initium epiſtolæ ab Innocentio III. ſcriptæ in cauſa Turonenſis eccleſiæ adverſus metropolim Dolenſem.

IN EPIST. CLVIII. Ad Innoc.

OB neſariam cædem Thomæ Prioris S. Victoris Pariſienſis Pontificem ſerio hac epiſtola interpellat, ut in ſacrilegos debitam juſtitiæ cenſuram & ultionem exſerat. Occaſionem cædis Bernardus hic inſinuat. Nempe, quod Thomas zelo diſciplinæ eccleſiaſticæ cupiditati ejus & iniquis exactionibus, quibus Archidiaconus Pariſienſis Clericos premebat, obſiſteret. Hinc odio inflammatus archidiaconus vindictam animo coquebat, donec tandem nepotes ejus, ſeu iræ & odii participes, quod cauſam cognati ſuam putarent, ſeu ab eo ad facinus conducti & inducti, Thomam in itinere, & quidem in comitatu epiſcopi aggreſſi ſunt. Stephanus epiſcopus Pariſienſis auctorem cædis & complices ſeu fautores mox anathemate perculit. Et tanti ſceleris immanitate graviſſime commotus, velut ad levamen doloris, receſſum paulisper in Claravalle petit, indeque Gaufrido S. R. E. Legato & Carnotenſium epiſcopo has tranſmiſit. 132. HORSTIUS ET PICARDI.

Gaufrido Dei gratia venerabili Carnotenſium epiſcopo, & apoſtolicæ Sedis Legato, Stephanus eadem gratia Pariſienſis eccleſiæ miniſter indignus, nunc autem miſeriæ & afflictionis præco infelix, valere in Domino.

CAlamitatis novæ pondus, quam veſtris auribus, immo cordi veſtro illaturus ſum, neſcio ſi verbis aliquibus digne valeat explicari. Nuntium durum & grave auditu, omnibus, quibus Chriſti Jeſu & ſanctæ matris Eccleſiæ opprobria dura & gravia ſunt, præcipue nobis ſub habitu & ſigno religionis conſtitutis, quibus hæc tanto plus omnibus graviora futura ſunt, quanto ſpecialius ad noſtrum gravamen, immo oppreſſionem & ruinam omnium ſpectat noſtrum unius occaſus. Magiſtrum Thomam Priorem cœnobii S. Victoris, virum approbatum, omnibuſque bonis amicum & dilectum, ac in ſanctæ Eccleſiæ defenſione illum coadjutorem & propugnatorem devotiſſimum & ſtrenuiſſimum, impiorum manibus exſtinctum ſciatis, carne quidem mortuum, ſed, ut indubitanter credimus, viventem cum Chriſto. Cui enim Chriſtus vere cauſa moriendi fuit, in gloria omnino deeſſe non poterit: quoniam & ipſe cum ultimum in noſtris manibus exhalaret ſpiritum, libera voce ſe pro juſtitia mori proteſtatus eſt, certiſſimum præteritæ præſentiſque juſtitiæ ſuæ, qua in Eccleſia Chriſti contra impios pugnaverat, teſtimonium relinquens, quoniam in ipſa conſummaretur. Hæc enim prima, hæc & ultima cauſa fuit laboris illius. Nam pro ipſa juſtitia tunc mecum aderat. Ego enim ipſius præcipue admonitione (ſicut et ſemper de his cura eiſe ſolebat) rogatu & aſſenſu Regis, per eum quoque ad ipſum perſuaſi, ad abbatiam Monaſtium, quæ eſt Chelis, emendandam & ordinandam perrexeram, aſſumptis mecum viris religioſis, abbate ſcilicet S. Victoris & S. Maglorii, & ſubpriore S. Martini, aliiſque compluribus monachis, canonicis ac clericis: cumque pro viribus negotio peracto reverterer, juxta domini Stephani caſtrum, quod Gorniacum dicitur, ſubito ab ejus hominibus, ſcilicet nepotibus Theobaldi archidiaconi, inſidias mihi in via præſtruentibus, inſultum paſſus ſum. Cumque nos inermes, tempore die Dominico, & pacem ferentes incederemus: ſubito evaginatis gladiis irruunt ſuper nos, & nec Deo, nec diei ſacræ, nec mihi, nec his, qui mecum erant religioſis viris honorem dantes, inter manus noſtras innocentem trucidaverunt, mihique mortem comminati ſunt, niſi abſcederem à conſpectu eorum celeriter. Nos autem fiducialiter agentes, in medios gladios nos conjecimus; & jam ſemivivum, diraque laniatum à manibus eorum abſtraximus, atque undique circumdantes eum de ſua confeſſione, & de ejus quam paſſus fuerat, inimicorum impietate dimittenda allocuti ſumus. Tunc ille libenti animo omnibus, qui in ſe peccaverant, dimittens, & ſuorum peccatorum intime remiſſionem petens, percepta tandem communione corporis & ſanguinis Chriſti, libera voce ſe coram omnibus pro juſtitia mori conteſtatus eſt, & ſic reddidit ſpiritum.

Hinc ergo, licet noſtræ ſpei fiducia certa, quantum ad ejus ſpectabat ſalutem & gloriam, exſultandum omnino non dubitet, pretioſamque in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus ſciamus; mæror tamen & luctus gravis, qui de amici orbatione & communi omnium noſtrum confuſione oboritur, nulla prorſus conſolatione in noſtro animo temperatur. Me enim in ipſo occiſum video; & multo magis me occiſum quam ipſum: quia me in ejus morte periculis expoſitum cerno, ipſum autem à periculis liberatum. Supereſt igitur, ut quia me nunc tam graviter deſolatum & contriſtatum cernitis, ad me conſolandum ſimul & conſiliandum venire non differatis. Ego enim, quaſi qui ipſam deteſtandam loci faciem ſuſtinere non valeam, Claræ-vallem fugiens receſſi, illic vos exſpectaturus, ut conſilium pariter capiamus, quid nobis pro ſanctæ Eccleſiæ tam intolerabili injuria faciendum ſit. In omnes enim nos impetus iſte caſum minatur, & veniet, niſi præveniat Dominus. Mando ergo vobis, & ſummopere deprecor, ut omni dilatione poſtpoſita Claræ-vallem properetis: quia pericula undique mihi imminent, pro quibus conſilium differri non poteſt.

His Gaufridus acceptis, Claram-vallem advolavit, mandatoque apoſtolico præcepit epiſcopis diœceſeon Remenſis, Rotomagenſis, Turonenſis, Senonenſiſque ad Synodum Jotri indictam fre-

quentes convenire. Illis autem coactis, Hugo Gratianopolitanus epiſcopus, Cartuſienſiumque familia in hunc modum reſcripſere.

Dominis & Patribus in Chriſto reverendiſſimis archiepiſcopis, epiſcopis, & ceteris religioſis perſonis in præſentem locum defendendæ juſtitiæ gratia congregatis, Hugo Gratianopolitanæ eccleſiæ vocatus epiſcopus, & filii ejus, Cartuſienſium pauperum ſervus inutilis GUIGO, & qui ſecum ſunt fratres, agendo cognoſcere, cognita viriliter adimplere per Chriſtum Dominum noſtrum.

QUod homines ſumus, ad naturam: quod juſti, ad meritum: quod epiſcopi, vel presbyteri, vel archidiaconi, vel aliquid hujuſmodi, ad eccleſiaſticum pertinet officium. In primo exſiſtimus, in ſecundo ſalvamur, in tertio, providendi aliis quæ ſubſidiorum ſunt, poteſtatem accepimus. Duo ergo priora, ad nos; tertium refertur ad proximos. Quod ſi manifeſtum fuerit, juxta illud ficulneæ evangelicæ exemplar, quæ tamdiu exſpectata fructum non attulit, officium nos inutiliter habere ſuſceptum: nulla juſta cur in eo relinquamur, remanebit occaſio. Quid ergo, ſi non ſolum inutiles eccleſiæ, ſed etiam perniciosi, vel verbis, vel exemplis exſtitimus? Nonne non ſolum dejici, ſed etiam digni ſumus puniri? Etſi igitur beati Thomæ, & ceterorum, qui recenter loris in ſanguine Agni ſtolis ſuis ad cæleſtia demigrarunt, in conſpectu Domini mors pretioſa, mundana ultione non egeat: tamen ſi eccleſia Dei (ſine qua, nec publicæ res ſalvæ ſunt, nec privatæ) utilitate careat diſciplinæ; rogamus ſupplices & obſecramus, quatenus armatura fidei præcincti, & rectitudinis zelo ſuccenſi, & ſanctorum Moſis, Phinees & Matathiæ, beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli adverſus Simonem, Ananiam & Barjeſu pie deſævientium, maximeque ipſius Domini, venditores de templo cædendo proturbantis, exemplis animati, in ſacrilegos homicidas eccleſiaſtici rigoris gladium producatis: eoſque, ſi fieri poteſt, omnibus ſacrorum officiis privetis & beneficiis: quatenus omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam ultra quiſpiam faciat ſimile. Ipſi enim magis quam homicidæ, in quorum cruentas delicias, vota complenda, & odia ſatianda, Sanctorum ſunt corpora laniata. Qui niſi tantæ nequitiæ non ſolum fructu caruerint, ſed & pœnam ſenſerint, omnibus apud nos juſtitiæ defenſoribus ſimilia ſunt metuenda. Valete. Orate pro nobis, & ſacris elevatis dextris ſuper partem mundi, in qua ſiti ſumus, benedictionem & obſecrationem profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus ſanctorum operum veſtrorum, geſtorum & gerendorum. Valete tertio, cum reverendis Principibus Bleſenſi & Nivernenſi.

234. Porro Innocentius S. Bernardi ſcriptis monitus, Patribus ſuper eorum decreto in hanc reſcripſit ſententiam.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Rainaldo Remenſi, Hugoni Rotomagenſi, Hugoni Turonenſi archiepiſcopis, & eorum ſuffraganeis epiſcopis, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

GRaviora delicta amarioribus gravis pœnitentiæ fletibus purganda ſunt: & quod adverſus ſacros Ordines committitur, expedit ut celeriter dignis animadverſionibus expietur. Quis enim locus tutus, & cui perſonæ ſit præſtanda ſecuritas, ſi Eccleſiæ Dei violentur, clerici cæleſtibus obſequiis mancipati, injuriis vel captionibus, vel cruciatu corporis à perditis hominibus affligantur, aut, quod deteſtabilius eſt, morte & ſacri ſanguinis effuſione mulctentur? Adverſus ergo tam Deo odibile & tam piaculare flagitium, quod in dilectos filios noſtros bonæ memoriæ Thomam Priorem S. Victoris, & Archembaldum ſubdecanum Aurelianenſem commiſſum eſt, tepiditate ſepoſita, aſſumpto vigore juſtitiæ exſurgant canones, armentur jura: &, ſi res poſtulat, novum ſcelus, novæ Synodi librata ſententia conteratur. Quod ergo a veſtra dilectione ſuper hoc apud Jotrum nuper judicatum eſt, apoſtolica auctoritate ſtatuimus eſſe firmatum. Sed quia nimis remiſſa videtur eſſe veſtra ſententia: addendo cenſemus, ut in quibuſcumque locis præfati ſanguinarii præſentes fuerint, divina ibi non celebrentur officia: & ſi quis ſacrilegos illos clericidas, ac cæleſtis collegii turbatores, & effuſores Dominici ſanguinis in ſæculo remanentes, manu-tenere & confovere tentaverit, anathematis ſententia percellatur. Ad hoc addentes ſtatuimus, ut, quia de nefaria parentum nequitia, & horrendo furore, clerici nec adipiſci, nec retinere eccleſiaſticum debent emolumentum: ipſi enim non pretio, non violentia, non terrore, non conſanguineorum truculenta nequitia, ſed ſolis intervenientibus meritis oportet acquirere, & acquiſitum ſervari: tam Thebaldus Noterius, quam alii, qui honores ſub hac peſſima forma acquiſierint, vel retinuerint, ſalva nimirum Sedis apoſtolicæ reverentia, eccleſiaſticis priventur beneficiis. Et quia ſuperabundat iniquitas, ſummopere proſpiciendum eſt, ut clerici de cetero nihil humanum metuant, & ut grata tranquillitate, famulatibus valeant vacare divinis, apoſtolica eis ſuffragia propenſius impertimur.

Et hæ quidem ſunt epiſtolæ in cauſa B. Thomæ Prioris, ultro citroque tranſmiſſæ.

691. * Quod attinet ad rationem temporis quo hæc cædes perpetrata eſt; à Johanne Picardo in Notis ad hanc epiſtolam, aliiſque ſcriptoribus communiter revocatur ad annum 1130. quamvis à Baronio ad annum 1135 rejiciatur. At ſententia quidem illa probari non poteſt. Conſtat enim ex epiſtola 159. Thomam fuiſſe peremptum die Dominica, & quidem XIII. calendas Septembris, ut legitur in Necrologio Victorino his verbis: *Anniverſarium magiſtri Thomæ Prioris hujus eccleſiæ, qui pro defenſione juſtitiæ ab inimicis juſtitiæ crudeliter interfectus, vivens & moriens honeſtatis & patientiæ dignam atque imitabilem ſequacibus ſuis vitæ formulam dereliquit.* Concordat etiam S. Guinaili Corbolienſis Calendarium, teſte Picardo. Proindeque dies ille Thomæ ſanguine conſecratus litteram dominicalem anni 1130. præferre debet. quod contra accidit. nam littera dominicalis illius anni eſt E, littera vero decimo tertio calendas Septembris reſpondens eſt A. Addit Picardus duo argumenta in ſuæ ſententiæ confirmationem. Alterum, quod Thomæ Prioris interitus S. Hugonis Gratianopolitani obitum antevertat, cum hic pro Thomæ vindicatione ad Patres in Jotrenſi concilio coactos una cum Cartuſienſibus ſcripſerit. At vero, inquit, cum Guigo primanæ Cartuſiæ Præſes advertent in vita S. Hugonis, ipſum obiiſſe anno 1132. mors Thomæ referenda eſt, non quidem ad annum 1131. (quo Innocentius in Galliis præſens, comitante ubique Bernardo, tot litteris non fuiſſet interpellandus,) ſed ad annum 1130. quo Innocentius creatus eſt Pontifex. Alterum, quod Innocentius ſub initium anni 1131. Luteciam ingreſſus, & S. Victoris eccleſiam luſtrans, beati Thomæ corpus è clauſtro in templum efferre præceperit VII. Idus Martii. Menſe igitur Auguſto præcedentis anni è medio fuerat ſublatus. At neutrum certè argumentum rem conficit. Non quidem primum. Quid enim obſtat, quominus præmiſſam Hugonis Gratianopolitani epiſtolam, non à S. Hugone, ſed à ſucceſſore ejus cognomine ſcriptam eſſe dicamus? Nec etiam poſterius magis urget. Eſto enim Innocentius beati Viri corpus in decentiorem locum transferri juſſerit: non tamen id præſens aſſerendus eſt præſtitiſſe, immo mandato ex Italia tranſmiſſo, ut manifeſtum eſt ex epiſtola Tomo 5. Spicilegii Acheriani inſerta, in qua archiepiſcopos Remenſem & Senonenſem arguit dilatæ excommunicationis ſententiæ in eos ferendæ, qui Thomam interfeciſſent. Sic enim concludit: *Ad hæc mandamus, ut corpus præfati boni viri, qui verum Judice ſuperno modo de ſua juſtitia & innocentia teſtimonium perhibet, & ſub obedientia vivens, in obſequio proprii interfectus eſt epiſcopi, in ſua eccleſia honorifice tumuletur. Data Piſis XI. Decembris.* Dicendum itaque eſt, hanc Thomæ necem incidiſſe, non in annum 1130. ſed 1133. quo littera Dominicalis E litteræ diei prædicti, nempe XIII. ante calendas Septembris reſpondebat, quo alter Hugo poſt S. Hugonem ſedem Gratianopolitanam occupabat: quo Innocentius Piſis concilii indicti tempus præſtolabatur, quo denique Bernardus ex Italia in Germaniam miſſus ad pacem Lotharium inter & Conradum componendam, in Galliam reverſus illic tantiſper ſubſiſtebat, præſens adfuturus Capitulo Ciſtercienſi, hoc anno Idibus Septembris de more celebrando, ut patet ex inſcriptione cujuſdam epiſtolæ *, à Petro Cluniacenſi hoc anno ad prædictum Capitulum directæ, in qua Bernardus præſens recenſetur. Deo-que huic noſtræ ſententiæ favet Ordericus lib. 13 ad annum 1134 in quo, nonnullis rebus, quæ ad annos ſuperiores pertinebant, ſummatim conglobatis, poſtquam recitavit mortem Johannis Aurelianenſis epiſcopi, & Hugonis decani poſt eum deſignati, quæ anno 1133. * contigere: *Tunc etiam*, inquit, *Thomas S. Victoris Canonicus, vir magnæ auctoritatis, interemptus eſt*, &c. De his iſta ſint dicta.

Spicil. t. 5. p.

* Petr. Venerab. lib. 1. Epiſt. 16.

* Annal. Aurel. Johann.

IN EPIST. CLXIV. & ſeqq.

De Lingonenſi electione.

* LUGDUNENSIS SCIL. ARCHIEPISC. ET CLUNIAC. ABBAS. De hac eccleſiæ Lingonenſis in eligendo epiſcopo controverſia tres lego Petri abbatis Cluniacenſis epiſtolas. Unam, quæ eſt libri 1. epiſtola 29 ad Bernardum ſcripta, in qua monachum quemdam ex ſuis in epiſcopum Lingonenſem electum ab injuſta infamia purgare nititur. Alteram, quæ eſt libri 2. epiſt. 28. ad Innocentium papam, in qua confirmationem abbatis Vizeliacenſis electionis in ejuſdem eccleſiæ epiſcopum factæ denegari poſtulat. Poſtremam, quæ eſt ejuſdem libri epiſt. 36. ad eumdem Innoc. qua eccleſiæ Lingonenſi circa futuri epiſcopi electionem jus integrum juxta canones dimitti efflagitat. Primam ac tertiam epiſtolas pertinere ad eam, de qua hic agit Bernardus, electionem, ex utriuſque collatione manifeſtum eſt. An autem ſecunda itidem ad eamdem pertineat, difficilius dixerim. Perſuaſum mihi eſt de diverſa intelligendam eſſe perſona. In prima enim Petrus Venerab. electum nominat ſimpliciter *monachum Cluniacenſem ac filium ſuum*: in ſecunda *abbatem Vizeliacenſem*. In illa dicit, Lingonenſes Canonicos, ſibi ex agro Pictavienſi revertenti occurrentes, monachi ſui electionem ſignificaſſe: in hac inquit, *rumorem ad ſe perveniſſe*, Abbatem Vizeliacenſem importunis quorumdam apud Innocentium precibus in epiſcopum Lingonenſem depoſci. In illa denique monachi ſui confirmationem promovere ſatagit: in hac abbatis Vizeliacenſis confirmationem impedire nititur. Quocirca non contemnendam puto eorum ſententiam, qui juxta catalogum Stephanienſem & Thuanenum, Vvilienco Lingonenſi epiſcopo ſubjungunt Vvillelmum de Sabrano, forte ex abbate Vizeliacenſi ad ſedem Lingonenſem aſſumptum, hincque Godefridum, ut mox dicetur; qui tandem, rejecto monacho Cluniacenſi, de quo hic agitur, electus eſt ac confirmatus anno 1138. cum nempe Bernardus exſtincto ſchiſmate in Galliam rediiſſet. Ceterum hac in hiſtoria obſerves quæſo, Lector, quod ante adnotavit Baronius ad annum 1138. Petrum Cluniacenſem ſic ſibi partes pro viribus egiſſe, ut neque 136.

vulſus potuerit à S. Bernardo, ejuſque monachis animo divelli, quod teſtatum ipſe reliquit in quadam epiſtola his verbis: *Quando enim extinguere vel obruere poterit fraternus erga vos & igniculus noster pectoris aſſectus quibuſlibet ſiniſtris rumoribus ventilatus, cum nec aqua multa decimarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonenſium fluminum obruere.* Sed de his alias.

AD EPIST. CLXX. Ad Ludovicum.

137. * QUOD LINGONIS DE PRIORE NOSTRO FACTUM EST. Intellige de Godefrido Bernardi conſanguineo, qui poſt multas altercationes unanimi tandem conſenſu ex tertio Claravallis Priore epiſcopus Lingonenſis creatus eſt anno 1138. nimirum ſchiſmate compreſſo. Nam Godefridus adhuc Prior ex Italia Bernardus ſcripſit epiſtolam 317. in Octavis Pentecoſtes eodem anno: quo cum ex Italia rediiſſet, contigit hæc Lingonenſis electionis hiſtoria, nimirum reddita Eccleſiæ pace, ut diſerte habet epiſtola 166. Quanti verò Godefridum fecerit Bernardus, ex hac epiſtola innoteſcit, in qua eum vocat *baculum ſenectutis ſuæ, lumen oculorum, dextrum brachium.* Vide de eo lib. 2. Vitæ S. Bern. cap. 5. & alibi ſæpius, necnon Præfationem ad librum 3. Vitæ ejuſdem.

IN EPIST. CLXXIV. Ad Canonic. Lugdun.

138. * NOVAM INDUCENDO CELEBRITATEM. Dies Conceptionis Deiparæ Virginis necdum in canonem feſtorum relatus erat ſub annum 1140. cùm Bernardus hanc epiſtolam ſcripſit. Ante iſtud tempus *apud aliquos* jam induci cœperat, hic num. 9. idque vir ſanctus diſſimulaverat, *parcens devotioni, quæ de ſimplici corde & amore Virginis veniebat.* Verùm hoc non tulit *in famoſa nobilique eccleſia. Nam ſi ſic videbatur*, inquit, *conſulenda erat prius apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.* In tractatu de Conceptione, qui Anſelmo perperam a nonnullis tribuitur, Conceptio *priſcis temporibus frequentiori uſu celebrata* fuiſſe dicitur. Scriptus eſt tractatus iſte ſtatim poſt hanc Bernardi epiſtolam, cujus verba refert auctor, queriturque, quòd quidam hoc feſtum *ſuâ quâ ſe pollere gloriabantur auctoritatis ratione abolere non timuerunt.* Hos *ſummos viros* vocat; alios *ſimplices*, ut hic Bernardus, *de tanti gaudii amiſſione gementes.*

139. Quod *priſcis temporibus* hanc celebritatem obtinuiſſe dicit, vereor ne pro Conceptione beatæ Mariæ acceperit Conceptionem Verbi ſeu Annuntiationem, quæ *Conceptio beatæ Mariæ* in quibuſdam Calendariis pervetuſtis inſcripta eſt. Sic Abaelardo in ſermone de Aſſumptione vocatur *Conceptus Dominicæ matris.* Quamquam S. Hildefonſus Toletanus epiſcopus *feſtum Conceptionis ſanctæ Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituit*, ſi auctori credamus, qui ejus geſta litteris mandavit ante annos ſeptingentos, Julianus dictus: *& ejus conſtitutione per totam Hiſpaniam*, inquit, *ſolemniter colitur* VI. *Idus Decemb.* Attamen nulla ejus feſti mentio in libello Ziailanis epiſcopi Toletani de vita Hildefonſi: qui auctor fuiſſe ab aliis dicerentur, in feſtum Annuntiationis menſe Decembri coleretur, approbante Concilio Toletano X. in canone 1. Hæc omnia patent ex his, quæ de Hildefonſo retulimus in ſecundo Sæculo Benedictino à pag. 515. Sed tamen quin Conceptio ſæculo X. quo libellus prædictus ſub nomine Juliani de geſtis Hildefonſi ex Hiſpania in urbem Anicium eſt allatus, apud Hiſpanias celebrata ſit, in dubium vix revocari poteſt.

140. Apud Anglos idem cultus, ſaltem in quibuſdam eccleſiis, receptus erat, ex epiſtola Nicolai monachi Anglicani, qui ſtatim a Bernardi obitu contra ejus epiſtolam de Conceptione ſcripſit, aſſerens ex revelatione neſcio qua, maculam beato viro ex hac opinione inuſtam. Feſti hujus inſtitutionem Anſelmo tribuit Synodus Londonienſis anni 1328. haud dubiè ex perſuaſione falſorum ſcriptorum, quæ ſub Anſelmi nomine tum circumferebantur. Nicolaum refellit Petrus Cellenſis libri noni epiſtolâ 10. cui Nicolai epiſtola præmittitur. Certum porro eſt tum ex illa Petri epiſtola, tum ex alia, quæ eſt libri 6. epiſtola 23. hanc feſtivitatem in Gallicana eccleſia necdum tunc fuiſſe receptam, ſed tantùm à quibuſdam: quorum novitatem cum Bernardo & Petro Cellenſi carpit eodem tempore Potho preſbyter & monachus Prumienſis in fine libri 3. de Statu domus Dei, ubi conqueritur, quòd *vita monaſtica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in eccleſiaſticis officiis, ſuperſtitioſis viſa eſt novitatibus acquieſcere*, nempe admittendo feſta Sanctæ Trinitatis, & Transfigurationis Domini, atque (*quod magis abſurdum ipſi videtur*) *feſtum quoque Conceptionis S. Mariæ.* Idem ſæculo ſequenti improbant Johannes Belethus in cap. 146. & Guillelmus Durandus Mimatenſis epiſcopus in lib. 7. de divinis Officiis cap. 7. Unde ſuſpectum redditur Eccleſiæ Gallicanæ decretum, apud Bochellum relatum in tit. 9. cap. 13. quo *Conceptio B. Mariæ de mandato Sedis apoſtolicæ* celebrata dicitur tempore Innocentii III. Sed tandem ubivis recepta eſt Sæculo XV. auctoritate Concilii Baſileenſis & Sixti IV. apud Præmonſtratenſes anno 1305. ex tomo 3. Metropolis Salisburgenſis pag. 45 apud Carthuſienſes ſub Franciſco de Puteo, Sæculo XVI ineunte, ex tertia compilatione ſtatutorum.

141. * Qualis fuerit ſancti Bernardi mens ac ſcopus in hac epiſtola, non una & eadem eſt Doctorum antiquiorum, ac recentiorum ſententia. Hujus diverſitatis cauſa profluxit ex diverſa acceptione *Conceptionis*, quam aliter neoterici, aliter auctores Bernardo ſuppares uſurpavere. Nam hi quidem Conceptionis nomine ſignificabant Conceptionem activam, ſeu conſluxum ſeminis ad formandum embrionem. Unde Alenſis, parte 1. quæſt. 9. art. 2. *Conceptio*, inquit, *dicit commixtionem, quæ eſt in principiis ſeminalibus viri & mulieris, &c.* Neoterici verò Conceptionem ſumunt pro Conceptione paſſiva, id eſt pro inſtanti illo, quo anima corpori jam efformato infunditur.

Superiorem Conceptionis notionem clariùs exprimit Alenſis quæſtionis jam citatæ membro 2. art. 1. in quo diſtinctè quærit, 1. *an B. Virgo fuerit ſanctificata in Conceptione.* 2. *an poſt Conceptionem ante animæ infuſionem*, &c. Quam ſignificationem amplectens S. Thomas in Mag. diſt. 3. q. 1. a. 1. c. *Ad hoc dicendum*, inquit, *quod B. Virgo nec ante Conceptionem, nec in Conceptione ante animæ infuſionem ſanctificata fit.* Ex qua quidem interpretatione contigit, ut quamvis iſti Doctores, immo & Albertus M. & S. Bonaventura, in ea fuerint ſententia, B. Virginem in inſtanti infuſionis animæ fuiſſe peccato originali obnoxiam, numquam tamen S. Bernardum in hac parte adduxerint in ſuæ ſententiæ patrocinium, ut multi allucinantur; ſed tantùm eo uſi ſint ad præſidium & argumentum illius partis, quæ eidem B. Virgini ſanctificationem negant ante animæ infuſionem. Ita enim inter ceteros expreſsè docet Albertus M. in 3. diſt. 3. art. 4. c. *Dicimus*, inquit, *quod B. Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, & qui dicunt oppoſitum, eſt hæreſis condemnata à B. Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & à Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Et S. Bonaventura in 3. diſt. 1. quæſt. 1. quamvis dicat SS. Patres paſſim refragari immaculatæ Conceptioni in ſtatu infuſionis animæ, hoc tamen de S. Bernardo pronuntiat: *Non hunc obviant dicta Bernardi Potiùs enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem ſanctificatam in Conceptione* (ſcilicet animæ infuſionem præcedente, de qua ibi loquitur) *quàm erga Virginem devotionem noſtram minuere*, &c. Inde factum eſt, ut argumenta quibus uſus eſt Bernardus ad deſignandum in B. Virginis Conceptione peccatum, iidem Doctores explicent de peccato in radice, quod eſſet in ſeminis deciſione, non autem de peccato formali, ut vocant. Unde S. Bonaventura loco cit. in arg. *ſed contra*, propoſito ſibi hoc Bernardi contextu: *Quomodo ibi peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* ſic reponit. *Conſtat quod illud non eſt dictum propter peccatum quod eſſet in parentibus, quia potuiſſent eam agere ſine peccato: ergo dicit propter cauſam peccati, quæ erat in carne.* Eodem prorſus modo hunc Bernardi contextum explicat Alexander Alenſis, Parte 3. q. 9. memb. 2. a. 2. in Reſponſ.

Hunc modum interpretandi hanc epiſtolam ſequitur Manricus in Annal. ad ann. 1136. c. 4. & 5. cum quibuſdam auctoribus ibi relatis: à quo longè recedunt ceteri fere recentiores, qui Conceptionis nomen uſurpantes pro inſtanti infuſionis animæ, cenſent, Bernardum impugnaſſe non ſolùm feſtivitatem Conceptionis Deiparæ Virginis inconſulta Sede apoſtolica inſtitutam, verùm etiam ipſam Conceptionis hoc modo ſumptæ ſanctitatem, ſeu immunitatem à peccato originali. 142. quod quidem ad Bernardi mentem propiùs accedere videtur. Nam in illa epiſtola nullum omnino diſcrimen agnoſcit (niſi penes majorem ac minorem gratiæ plenitudinem) inter B. Virginem, ac Jeremiam & S. Johannem Baptiſtam: quos quidem in utero ſanctificatos affirmant omnes, immunes a culpa originali, nullus. Et hanc quidem fuiſſe Bernardi ſententiam colligitur ex Sermone 2. in Aſſumpt. in quo apertè concedere videtur, B. Virginem à parentibus *originalem maculam traxiſſe.* Quod autem nonnulli quoſdam contextus Bernardo tribuunt in gratiam immaculatæ Conceptionis, ex ſuppoſititiis ejus operibus plerumque adducuntur, ut iis diutiùs immorari neceſſe non ſit. Ceterùm hæc dicta ſint ſalva tantorum virorum ſuperius relatorum auctoritate & reverentia, quibus contradicere non eſt animus, ſicut nec recentiorum ſententiam & expoſitionem refutare.

IN EPIST. CLXXVIII. Ad Innocent.

QUERIMONIA DOMINI TREVIRENSIS, &c. 143. Horatii
Gravis querimonia, qua Bernardus intempeſtivas provocationes ad Romanam Curiam, earumque incommoda vehementer perſtringit. Idem facit lib. 3. de Conſid. cap. 2. ubi in abuſum appellationum ad curiam graviter invehitur. Sed ut pateat, quam vere dicat, non ſolius Alberonis, aut ſuam, hanc eſſe querelam, audiamus Hildebertum Turonenſ. archiepiſc. de quo ſupra, ad Honorium II Pontificem, ſimiles plane querelas, parique cum Bernardo ſenſu & dolore deponentem. Abuſus appellationum

Quaſlibet igitur, inquit, appellationes in Romana vigere & ſuſcipi eccleſia, cis Alpes auditum non eſt, nec ea ſacris traditum inſtitutis. Quod ſi forte hujuſmodi emerſit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, pontificalis cenſura peribit, & omnino conteretur eccleſiaſticæ robur diſciplinæ. Quis enim raptor ad ſolam anathematis comminationem non ſtatim appellabit? Quis clericus aut preſbyter, fruſtratoriæ appellationis refugio non putreſcet, aut etiam ſepelietur in ſtercore ſuo? Quis epiſcopus habebit in promptu, non omnem dico, ſed aliquam ulciſci inobedientiam? Ejus virgam quævis appellatio quaſſabit, ſolvet conſtantiam, ſeveritatem emolliet, adducens & illi ſilentium, & reis impunitatem delictorum. Sic fiet, ut ſacrilegia ac rapinæ, fornicationes ac adulteria perniciosâ tumdent incremento, cum præſul ad ſuperfluas appellationes clauſerit ora, & deſierit perſequi priorum perſecutores locorum, cum viduarum injurias deſierit ulciſci, & orphanorum. Dilatione nempe cenſuræ facinora fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis impune delinquentes, ſuper quos evangelicum illud implebitur præceptum: *Exi citò in plateas, & vicos civitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Quis vel cæcum vel claudum intrare compellet, ſi cæcus, cum compelletur, appellet? Denique pro delicto Heli, nullus Pontificum punietur, quoniam appellationis excuſatione ſuam quiſque defenderet offenſam. Exempla quædam cenſuræ ſemper vivent, æmulatores autem ejus quælibet appellatio ſepeliet & vivos. Sane parva eſt materia, & exilis ſcientia, quæ ſi, juxta Job, inter aquilas in prærupta inſtantes cum pullis, earum ſanguinem lambit, ſatis eſt. Non erubeſco meam & attendere & profiteri menſuram. Ita Hildebert archiepiſc. Turon. epiſt. 82, Tom. XII. Biblioth. SS. Patrum, parte 1.

Porrò præſentis negotii meminit quoque Brouverus in Annalib. Trevirenſib. lib. 14. in Alberone. Verba ejus recitabimus, quia palam, quod dolendum, necdum legitur ejus Hiſtoria. *

Jam extat

In his itaque moribus, inquit, cum pars offenſa læſaque ad Archiepiſcopum confugere, Epiſcopi provinciales pars metropolitanum Judicem recuſare, & Romanæ Curiæ judicia periclitari præoptant, illico omnibus patefit, janua juſta æque judicia detrectandi; miſcendi per æqua iniqua, infima ſummis. Unde ad extremum deterrimo cuique licentia incedebat ab Archiepiſcopo provocandi ad apoſtolicæ Sedis tribunal, impune arrepto itinere Romam, *ubi cauſis malo expoſitis* (ut D. Bernardi verbis loquar) *jactitabant geſtiebantque ſe obtinuiſſe tutores, quos magis ultores ſui eſſe debuerant.* Atque ad hunc modum Pontificis indulgentiâ promiſcue Clerus atque populus ad flagitia abutebatur. Ita Brouverus lib. cit. ubi deinceps refert verba præſentis epiſtolæ. Idem notat annum quo ſcriptæ literæ 1139. Baron. verò 1135. & rectiùs quidem, cum ante finem ſchiſmatis, ut conſtat tum ex numero 3. hic, tum ex numero 2. ſuperioris epiſtolæ eodem tempore ſcriptæ.

144. * SUSTINERE S. PAULUS VIOLENTIAM APUD VIRDUNUM CONQ. Monaſterium S. Pauli apud Virdunum Ord. S. Bened. laxatis diſciplinæ regularis habenis, in aliquam morum licentiam defluxerat. Qua occaſione Albero II. Virdunenſis epiſcopus, qui Urſioni anno 1131. ſucceſſerat, illud ad Præmonſtratenſes transferendum curavit, Innocentio Papa approbante, & tertiùm uſque confirmante. Diu reclamavêre & obſtitêre domeſtici illius loci cœnobitæ, immo ipſe Petrus Venerabilis, vir aliàs modeſtiſſimus, ea de re apud Matthæum Albanenſ. in graviter expoſtulavit. *Petr. Clun. l. 2. Epiſt. 12.* Queror ergo, inquit, queruntur fratres noſtri omnes, ad quos hoc pervenire potuit, queritur totus monachicus Ordo, & communem injuriam pari querela deplorat, expulſos a ſedibus ſuis monachos Virdunenſes, clericos pro eis intruſos ſua deſeruiſſe, aliena occupaſſe ſola vi, nullo judicio, in meſſem proximorum falcem miſiſſe, & propriis cultoribus eſurientibus eorum avidiſſimè fruges devoraſſe. Et quod majus oſtentum, quod deteſtabilius monſtrum, quod portentoſius prodigium? Solebant clerici diverſorum Ordinum, canonici diverſarum profeſſionum, & quid de minoribus agam? ipſa Eccleſiæ cacumina, epiſcopi dico, conſueverant pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare ... At nunc neſcio quo judicio præjudicium paſſus, nec ſua retinere jam prævalet, cùm aliena ſua facere in melius commutando ſoleret. Hæc quidem Venerabilis Petrus, quæ latè ibi & nervosè proſequitur. His querelis Innocentius nonnihil motus, cauſam illam in jus & diſcuſſionem revocare parabat. Sed tandem Bernardi commendatione ſuperatus, rem totam confecit his litteris, quas refert Vaſſeburgus lib. 4. Antiq. Belgic.

INNOCENTIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Venerabili fratri Alberoni Virdunenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitatis tuæ ſcripta benignè recepimus, & quæ per ea de ordinatione eccleſiæ S. Pauli nobis ſignificaſti, diligenter attendimus. Verum nemini debet ſcandalum generare, ſi in locum monachorum, qui, ſicut accepimus, nimis remiſsè vivebant, ſunt religioſi canonici ſubrogati. Quod igitur a ſollicitudine tua ſuper eadem cauſa factum eſt, communicato fratrum noſtrorum conſilio confirmavimus, & ut de cetero ejuſdem loci fratres nullus perturbare audeat, prohibemus. Ipſos autem monachos in locis religioſis conſtituas, ubi ſecundùm profeſſionem ſuam omnipotenti Domino deſervire, & quæ ad animæ ſalutem perficere valeant, &c.

145. * VIDETE QUID ILLIS EPISCOPATIBUS FACIATIS. Quæ hic contra epiſcopos Metenſem & Tullenſem à Bernardo intorquentur, intelligenda ſunt de Stephano Metenſi & Henrico Tullenſi, ſiquidem ſæviente adhuc Anacleti ſchiſmate hæc epiſtola ſcripta eſt, ut ſupra dictum eſt, & quidem fere anno 1135. ut infra dicendum erit. De Stephano ſic prior Appendix hiſtoriæ Epiſcoporum Metenſium. *Domno Poppone tam Burgundionum, quàm Lotharingorum excellenti genere clarus, ſed virtute & animi nobilitate clarior dominus Stephanus anno Domini 1120. videlicet anno 2. Calixti Papæ 2. ſucceſſit. Hic Calixti ex ſorore nepos, cùm regalia nondum ab Henrico V. qui tunc temporis arcem tenebat imperii, recepiſſet, ſchiſmate inter regnum & ſacerdotium adhuc durante, in urbe Romana ab eodem Pontifice ſummo conſecratus eſt, & tam pallii dignitate, quam Cardinalis titulo honoratus.* *Spicil. tom 6. pag. 681* Cur autem Bernardus de eo tam acerbè conquestus ſit, non facilè eſt conjicere. Nam præter ſupradicta, de eo ita legitur in prædicta Hiſtoria. *Cujus geſta inclyta & annalibus digna enumerare & litteris explicare ſi vellem, antè quidem membrana deficeret quàm materia.* Immo Bernardus ipſe epiſtola 29. ipſi congratulatur ob pacem eccleſiæ Metenſi reſtitutam, & epiſtola 367. Guidoni cancellario eum commendat. Crediderim certè Bernardo Stephanum diſplicuiſſe ob varios armorum conflictus ab ipſo excitatos, ut eccleſiæ ſuæ prædia à nobilibus intercepta repeteret, obſidiones factas, caſtella diruta, aliáque id genus non pauca, ut in eadem Hiſtoria deſcribuntur, quæ magis *leunculum aliquem*, ut Bernardi verbis utar, *Epiſt. 238.* quàm ovium Paſtorem exprimerent. Ceterùm Alberone Primicerio in epiſcopum Leodienſem aſſumpto anno 1135.* (ut quidem ex temporis ratione conjicere eſt) cùm Canonici electionis ſuffragiis alterum Primicerium ſuffeciſſent, alterum Stephanus propria auctoritate obtrudere voluiſſet; magna exinde nata eſt contentio, quam Innocentius dirimendam aggreſſus eſt, prætermiſſo metropolitani, archiepiſcopi ſcilicet Trevirenſis, judicio: quo de re hac Bernardus apud ipſum conqueritur. *Notas ad Epiſt. 30.*

146. Quod attinet ad Henricum Tullenſem epiſcopum, eadem fortaſſe de cauſa apud S. Virum malè audit, nempe ob belli negotia cum Friderico comite Tullenſi diutiùs agitata, anno tandem 1136. compoſita, ut ex Innocentii litteris, quas Cheſnius ex Tullenſis eccleſiæ chartophylacio evulgavit *, intelligitur. Sic enim inſcribuntur: *Litera Innocentii Papæ II. ad Henricum Leucorum epiſcopum, quibus pacem & concordiam, quæ poſt multas guerras & labores atque expenſas inter ipſum & nobilem virum Fridericum Comitem Tullenſem in præſentia venerabilium fratrum ſuorum Theoini epiſcopi S. Ruffinæ tum apoſtolicæ Sedis Legati, Alberonis Trevirenſis archiepiſcopi & ſuffraganeorum ſuorum, Stephani videlicet Metenſis, Alberonis Virdunenſis epiſcoporum, necnon aliorum nobilium Principum, & Rutila in provincia Trevirenſi facta eſt, confirmat, & futuris temporibus ratam manere decernit. Data Piſis per manum Alverici* * *S. Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii VI. Idus Junii, Indict. 13. Incarnationis Dominica anno 1136. pontificatus domini Innocentii Papæ II. anno ſexto.* De his dicta ſufficiant.

** In probat. Hiſtoria ſuper Barri Duc. pag. 14.*

** Haimerici.*

IN EPIST. CLXXIX. Ad eumdem.

CAPTIVAM ECCLESIAM DE MANU LAICA LIBERAVIT. Archiepiſcopus nimirum Trevirenſis Albero monaſterium S. Maximini juxta Treviros, repugnantibus abbate & monachis, ſibi aſcruit. E contra Henricus comes Luxemburgenſis, jure advocatiæ ſibi temporalem ejus ſubjectionem vindicare conatus eſt. Hæc res utroſque animos disjunxit, & armis commiſit, non ſine magna utrorumque clade. Hoc eſt, quod Bernardus ait, Archiepiſcopum de manu laica captivam liberaſſe eccleſiam. 147. HORST.

Porrò controverſia inter ipſum archiepiſcopum & monachos non minore contentione agitata eſt. Quin & noſtro tempore acrius recrudvit, & inter Juriſperitos utrimque acriter diſceptata, integros tractatus, & juſta volumina peperit. E quibus Nicolaus Zylleſius, ſupremus Abbatiæ S. Maximini officiorum præfectus, ſuſcepto cauſæ patrocinio, pro jure Abbatiæ diſputat, & cauſam prolixe deducens adverſus poſtulata archiepiſcopi, oſtendit, abbatiam quoad juriſdictionem eccleſiaſticam immediate ſubjectam eſſe Sedi apoſtolicæ; quo ad temporalem, imperatori, utpote a quo, juramento præſtito, jura & regalia accipiat. Ac proinde idem auctor S. Bernardo his epiſtolis pro Alberone laboranti ſatisfacere & reſpondere conatur: cujus verba, quia ab hoc loco non aliena videntur, in gratiam Lectoris ſubjiciam. Itaque Sect. VII. §. ubi quærit: *Quid in epiſtolis ſuis intenderit S. Bernardus*, ſic habet.

In defenſ. Abbatiæ Imper. S. Maximini edita Treviri 1638

Poſſem illas epiſtolas præterire tacitus. Quamvis enim à ſanctiſſimo Viro ſcriptæ fuerint, de jure tamen monaſterii noſtri non decernunt. Quinimmo ſatis ex illis colligitur, S. Bernardum magis de ſubjectione eccleſiaſtica, quàm temporali deliberaſſe. Et cum Henricum Comitem præter advocatiam, abbatiæ ſubjectionem ſibi vindicare, Alberonem autem de eadem ſubjectione decertare crederet: egit quantum potuit, ut inter illos concordia iniretur, & abbatia Alberoni cederet, manente ſola apud Henricum advocatia. Quæ quidem concordia, etſi eam concluſam fuiſſe præſupponamus, attamen juribus monaſterii nulla ratione obeſſe potuit: cùm ſit res merè inter alios acta, & eos quidem, ad quos monaſterium non pertinebat, & abſentibus Maximinianis tractata: cum ex ſupradictis conſtet, abbatem & religioſos S. Maximini tempore Alberonis archiepiſcopi, diſperſos diſſipatóſque, extra monaſterium degiſſe. Adlaboravit igitur S. Bernardus, ut monaſterium eccleſiæ Trevirenſi potius ſubeſſet, quam Comiti Luxemburgenſi: ratus laico religioſos ſubjici non debere, & ab Alberone, viro utique acri ac forti, in quibuſvis negotiis, diſciplinæ religioſæ conſervationem & incrementum exſpectandum. Hinc illa Viri ſancti verba epiſtola 180. *Unum eſt reformare religionem in monaſterio, quod ille* (Albero) *intendit.* Quin etiam ſanctæ Sedi abbatem & monaſterium immediate ſubjici, & ab archiepiſcopi eccleſiaſtica juriſdictione exemptum nolebat S. Bernardus: adeòque litteras apoſtolicas, ab Innocentio II. pro libertate & exemptione monaſterii conceſſas, veluti per ſubreptionem obtentas revocari poſtulabat; & ad hoc epiſtolas ejus potiſſimum fuiſſe directas, accuratiùs earum ſenſum conſideranti apparet. Nam epiſtola 179 hæc habet: *Hic quæſo, hic vigilet oculus pietatis, & ſemotus paulisper occupationibus conſideret, quantum ſubreptum ſit ei.* Epiſt. 180 ſequentia: *Hoc ſolet habere præcipuum apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Item in fine ejuſdem epiſtolæ: *Adſit Dominus cordi domini mei* (Innocentii,) *ne iterum poſſit ei ſubripi à monachis, non tam* (*ut ſimulant*) *appetentibus libertatem, quàm fugientibus diſciplinam.* Quis non videt per libertatem illam diſciplinæ regulari oppoſitam, intelligi exemptionem à juriſdictione archiepiſcopi eccleſiaſtica? quid enim temporalis pertinebat ad diſciplinam?

Exemptionem igitur eccleſiaſticam S. Bernardus à ſancta Sede obtentam ſubreptitiè arbitrabatur, & quidem in magnum archiepiſcopi Alberonis præjudicium, idque ex ea, quam ab Alberone, viro opere & ſermone adeo potente, habebat, informatione. Quæ perſuaſio in virum ſancto & religioſo, multo facilius locum habere poterat, quàm apud Cæſarem & Imperii Proceres, quos tamen etiam, ut ſupra narratum eſt, Albero in quamvis partem inclinabat. Accedebant inſuper graves contra Sigerum abbatem delationes: quòd rebellis eſſet, & ſimilia, quæ tantum poterant apud ſanctiſſimum Virum, ut ſi vera fuiſſent, quemadmodum credebantur eſſe, non immeritò eum abbatem, non ſanctum, compellaret acta ejus improbare. Porro exemptionis ab epiſcoporum ordinariorum juriſdictione acerrimum adverſarium fuiſſe S. Bernardum, paſſim in ejus Operibus occurrit, & certiſſime comprobatur. Ut enim omittam quæ de Cluniacenſibus aliiſque queritur, ſufficiet nobis una ejus epiſtola, quæ eſt ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum 42. ubi de ſuis hæc habet: *Miror quoſdam in noſtro Ordine monaſteriorum* 148. 149.

ſteriorum abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili (quod pejus eſt) habitu & tonſura, tam ſuperbe ſapere, ut cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant epiſcopis. Quid hoc eſt præſumptionis, ô Monachi? neque enim quia prælati monachus, ideo non monachi. Poſtea in eadem epiſtola ſubjungit: *Plus timeo dentes lupi, quam virgam Paſtoris. Certus ſum enim, ego monachus, & monachorum qualiſcumque abbas, ſi quandoque Pontificis mei à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod ſatanæ mox tyrannidi meipſum ſubjicio.* Hæc S. Bernardus de ſui Ordinis abbatibus. Haud dubium quin omnibus idem ſuaderet; & hinc illud exemptionis apud ſanctam Sedem impediendæ ſtudium. Quamquam, quoad hanc abbatis Maximiniani libertatem, litteræ ejus commendatitiæ, pro Alberone ad Innocentium II. miſſæ, effectus non magno fuerunt. Neque enim aliud impetravit Albero, niſi confirmatorium Innocentii diploma, ut mox dicetur, quod etiam hanc expreſſam clauſulam continet, ſalva nimirum per omnia juſtitia S. R. Eccleſiæ, ſi quam habet.

250. Quod ſi de veritate rei S. Bernardus ſufficienter informatus & inſtructus fuiſſet, & ab ipſa ſui fundatione monaſterium S. Maximini ad Sedem apoſtolicam pertinuiſſe, ut revera pertenuit, ſciviſſet; nequaquam illius exemptioni obſtitiſſet. Perinde atque de omnibus generatim monaſteriis enuntiat in libris de Conſideratione ad Eugenium III. Papam, ubi hæc invenies, lib. 3. cap. 4. *Nonnulla monaſteria, ſita in diverſis epiſcopatibus, quod ſpecialiter pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem apoſtolicam, quis neſciat? Sed aliud eſt quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis.* Cum autem S. Bernardum informandi, eique reſpondendi facultas olim data non fuerit; reſponſionem, quam S. Petrus abbas Cluniacenſis eidem ſancto Viro ſibi dilectiſſimo ac pluſquam venerabili miſit per epiſtolam, (eſt epiſtola 28. lib. 1.) hic adhibent hodie quoque Abbas & religioſi S. Maximini. Poſtquam enim prædictus S. Petrus abbas retuliſſet accuſationes, quæ contra Cluniacenſes circumferebantur; ad decimam ſeptimam, quæ talis erat, *Contra totius orbis morem, proprium habere epiſcopum refugitis? Nos reſpondemus*, inquit, §. his additis, *iſtud veritati contrarium oppoſita fronte exſiſtere: quoniam patet nos proprium epiſcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano epiſcopo epiſcopus poteſt inveniri?* Paulo poſt ſubjungit: *Hoc ipſius ſanctæ Sedis irrefragabilis ſanxit auctoritas, non unius tantum, ſed multorum decreta, inde apud noſtram matricem eccleſiam conſervantur. Hæc ipſi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacenſem eccleſiam alteri epiſcopo prius eam poſſidenti auferrent, ſed à fundatoribus, qui eam in proprio alodio conſtruxerunt, rogati, in propriam retinuerunt, atque ſoli Romano Pontifici eam in æternum ſubjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmarunt.* Hæc verba Sancti ad Sanctum miſſa, omnino Maximinianis aptiſſime conveniebant, & ſanctiſſimo viro Bernardo æque ſatisfeciſſent olim pro Maximinianis, atque pro Cluniacenſibus. Hæc ille Auctor.

IN EPIST. CLXXXVII. & ſeqq.

251. ª AD EPISCOPOS SENONAS CONVOC. CONTRA P. ABAELARDUM. Is in diœceſi Namnetenſi, patre Berengario, matre Lucia ortus, primum Pariſiis philoſophiam Guillelmo de Campellis, deinde vero Roſſelino præceptore matheſes, demum Anſelmo Laudunenſi magiſtro theologiam non ſine invidia & admiratione didicit. Poſtea ſacrorum librorum interpretationem Pariſiis adorſus, multos ad ſe diſcipulos traxit, inter illos vero Heloïſſam quamdam, Fulberti Canonici Pariſienſis neptem, cujus animum informando, corpus violavit. Quam quidem injuriam impatienter ferens Fulbertus, Abaëlardum, qui eam conjugii honore reſarcire voluerat, in hoſpitio pernoctantem fœde circumcidit. Hinc vero ambo amaſii dedecoris impotentia latebras quærunt, illa Argentolii prope Pariſios monialis, hic apud S. Dionyſium monachus effectus. Sed ubique infeſtus vel infelix, in quamdam Cellam monaſterio vicinam, nempe Diogilum, ſecedit, ibique theologiam publice profitetur. At nimis ingenio ſuo & rationi indulgens, cum multa fidei non ſatis conſona ventilaret, ſiſtitur ad Concilium Sueſſionenſe, Conone Legato circa annum 112[illegible]. celebratum, ut infra dicetur: ibique librum ſuum de Trinitate ſeu Introductionem ad Theologiam, in qua ſuſpecta continebantur capitula, flammis tradere compulſus, ipſe in S. Medardi Sueſſionenſe monaſterium detruſus eſt, quod Vita S. Goſvini abbatis lib. 1. cap. 18. male Innocentio Papa II. auctore factum refert, cum tum ſederet Calliſtus II. Tandem cum Abaëlardo eremum petere conceſſum eſſet, in ſolitudinem quamdam Trecenſis diœceſis ſe recepit, ibique Oratorium conſtruxit, primo quidem ſanctæ Trinitati conſecratum, deinde vero Paracliti nomine inſignitum. Sed neque hic quieto eſſe licuit. Unde poſtulatus abbas à monachis ſancti Gildaſii in Britannia minore diœceſis Venetenſis, *invenit*, ut ipſe refert in Hiſtoria calamitatum ſuarum, *Chriſtianos atque monachos gentilibus longe ſæviores atque pejores.* Inde ergo ad ſuum Paraclitenſe Oratorium ſe iterum recipiens, ibi collocavit Heloïſſam cum ſororibus pulſam è monaſterio Argentolienſi, quod Sugerius abbas ſancti Dionyſii poſtliminio vindicavit anno 112[illegible]. Ibi itaque degens, ac perverſa ſcribens docenſque, iterum hæreticus audit. Interim plures ejus ſcripta diſcutiunt, in primiſque Guillelmus ſancti Theoderici abbas, qui collecta errorum capitula refutavit, refutataque ad Gaufridum Carnotenſem epiſcopum, & Bernardum Claræ-vallenſem abbatem direxit, ut ad ulciſcendam Fidei injuriam eos commoveret. Vide epiſtolas modo 326. & 327. Abaëlardus vero hæretici nomen non ferens, ſanctum Bernardum, quaſi tantæ calumniæ auctorem, provocat ad Concilium Senonenſe anno 1140. convocatum. Bernardus itaque vel invitus ad Synodum accedit. Proferuntur ex Abaëlardi ſcriptis impia dogmata: quæ vel abneget ſi non ſua; ſi ſua, abjuret. At ille turbatus & loqui impotens (ut tradit Gaufridus Autiſſiodorenſis in Apocalypſin) ſive populi ſeditionem timens (ut habet Otho Friſing. loco infra citando) ſive ſecurius eſſe exiſtimans Romæ cauſam agere, (ut ait ſanctus Bernardus in epiſtola 193. quod ibi diſcipulos haberet cardinales & clericos) Romanam curiam appellavit. Nihilo minus Concilii Patres damnant errores, quorum indicem ad Innocentium ſummum Pontificem tranſmittunt, variaſque epiſtolas, quas Bernardus tam ſuo, quam Patrum nomine, ad ipſum Innocentium atque Cardinales ſcripſit, quas inter videnda maxime epiſtola 190. in qua præcipua errorum capitula valide revincit. Exſtant inter Opera ipſius Abaëlardi ſeptem & decem errorum articuli, quos à Synodo ad Innocentium miſſos teſtatur codex mſ. Paraclitenſis illic citatus: ſed cum eos in ipſa Bernardi epiſtola 190. & in epiſtola Guillelmi hic 326. habeamus fere omnes; haud neceſſe viſum eſt hoc in loco illos attexere. Præferenda ſunt capitula, quæ ex codice Vaticano ſuperius retulimus, nempe tomo 2. col. 639. & ſequentibus.

Innocentius acceptis litteris ſynodalibus ſtatim reſcripſit epiſtolam hic ordine 194. ad Patres Concilii, errores condemnantem: aliamque addidit in ipſum Abaëlardum ſententiam proferentem, his verbis. 252.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus fratribus SAMSONI Remenſi, HENRICO Senonenſi archiepiſcopis, & cariſſimo in Chriſto filio BERNARDO Claræ-vallis abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PER præſentia ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenus PETRUM ABAELARDUM ET ARNOLDUM DE BRIXIA, perverſi dogmatis fabricatores & catholicæ Fidei impugnatores, in religioſis locis, ubi vobis melius viſum fuerit, ſeparatim faciatis includi, & libros erroris eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani 18. Cal. Auguſti.

His autem litteris inſcriptum erat: *Tranſcripta iſta nolite oſtendere cuiquam, donec iſtæ litteræ in Pariſienſi colloquio, quod prope eſt, præſentatæ fuerint ipſis Archiepiſcopis.*

Abaëlardus itaque ſe Romæ condemnatum intelligens, ab appellatione deſtitit perſuaſione Petri Cluniacenſis abbatis: à quo benigne exceptus, ejuſdem opera cum S. Bernardo, deinde vero cum Innocentio ſimul & Eccleſia in gratiam rediit, & biennio Cluniaci magna cum animi demiſſione exacto, in monaſterio ſancti Marcelli Cabilonenſis, quo morbi curandi cauſa à Petro abbate miſſus fuerat, exceſſit è vita anno Chriſti 1142. ætatis ſuæ 63. cujus eximias virtutes in extremo illo vitæ ſuæ curſu exhibitas exaggeravit idem Petrus Venerabilis in lib. 4. epiſt. 21. ad Heloïſſam. 253.

Sunt qui Abaëlardo plus æquo faventes euſque delapſi ſunt, ut ipſum ab omni errore immunem profitentes, primo quidem Bernardum contra larvas & umbras pugnaſſe affirment: deinde vero Synodi Senonenſis auctoritatem convellant: demumque ipſius Curiæ Romanæ judicium in Abaëlardum prolatum elevent: de quibus breviter aliquid dicendum.

I. Adverſus Bernardum opponitur primo Othonis Friſingenſis auctoritas, qui *quamvis Abbatem ſuum*, ut aiunt (ſcilicet Ordinis ſui) *in magna haberet veneratione, tamen ſcribit eum ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypum, & ex habituali manſuetudine credulum, ut magiſtros, qui humanis rationibus & ſæculari ſapientia confidenter nimium inhærebant, abhorreret, & de talibus ſiniſtrum quid recitanti facile aurem præberet.* Hæc quidem Otho in lib. 1. de Geſt. Frid. cap. 47. ſed occaſione Gilberti Porretani, quæ tamen etiam in Abaëlardi gratiam inſlectitur. At cum teſtante Radevico in lib. [illegible] de Geſtis Frider. cap. 11. Otho nimium Gilberto addictus, appetente morte petierit, ut ſi quid pro ipſius ſententia dixiſſet quod quempiam poſſet offendere, illud corrigeretur; hoc retractatorum loco habendum eſt. Immo ipſe Otho ſatis expreſſit in conſequentibus, quid de Abaëlardo ſentiret. Ita enim de illo ſcribit. *Is litterarum ſtudiis aliiſque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit; ſed tam arrogans, ſuoque tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos magiſtros ab altitudine mentis ſuæ humiliatus deſcenderet.* Et infra. *Sententiam ergo vocum ſeu nominum in naturali tenens facultate, non caute Theologiæ admiſcuit. Quare de S. Trinitate docens & ſcribens, tres perſonas ..... nimis attenuans, non bonis uſus exemplis, &c.* Adde quod Abaëlardus in Synodo Sueſſionenſi, Ottone ipſo fatente, *Sabellianus hæreticus eſt judicatus.* Hæc pro Othonis adverſus Bernardum auctoritate.

Jam ſecundo loco profertur Petri Venerabilis pro Abaëlardo teſtimonium, qui jam citatam ſcribens epiſtolam ad Heloïſſam, de illo affirmat, quod *nec Germanus re abjectior, nec ipſe Martinus pauperior appareret.* Ita vere Petrus Cluniacenſis extremam vitæ periodum, quam Abaëlardus Cluniaci exegit, deſcribens. At numquid de futuris ejus meritis Bernardus digladiabatur, ut contra larvas dimicaſſe dicendus ſit? Optime Chronicon Cluniacenſe in Petro Venerabili: *Abaelardus*, inquit, *Petrus nomine, ab erroribus fidei per Petrum Venerab. abbatem noſtrum & B. Bernardum abbatem Claræ-vallenſem revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfide* (ſupple *abjurans*) *monachus Cluniacenſis factus eſt. Et deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus ſemper divina fuere .... Et ſicut de Magno Gregorio legitur, momentum aliquod præteriro* Petr. Ven. l. 4. Epiſt. 21.

ſolebat minime, quia ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret, &c. Quare ipſum Petrus Venerabilis ſollicite commendans, &c. Congeruntur denique plura id genus argumenta, vel ingenium viri, vel doctrinam vel optimum mentis genus extollentia, quaſi horum aliquid Bernardus ſit inficiatus.

154. II. Contra Synodum Senonenſem defectus poteſtatis, ſeu juriſdictionis adducitur, quod neque Senonenſis, neque Remenſis archiepiſcopi, qui Concilio interérant, jus haberent in Abaëlardum abbatem S. Gildaſi dicec. Venetenſis; ſed Turonenſis metropolita qui aberat. Verum jam ante 20. annos in Oratorium Paraclitenſe diœceſis Trecenſis reverſus, archiepiſcopo Senonenſi ſuberat. Deinde eos habuit judices quos expetiit, ac teſtatur Bernardus in epiſtola 191. nomine Concilii ad Innocentium ſcripta. *A loco*, inquit, *& judice, quem ſibi elegerat, Sedem apoſtolicam appellavit.* Non enim S. Abbas Bernardus, ut quidam falluntur, hanc in Abaëlardum Synodum excitavit; quin ipſi Bernardum reluctantem & invitum eò accedere coëgit. quod manifeſte aſſerit S. Doctor in epiſtolis 187. & 189. necnon Gaufridus Autiſſiodorenſis, Abaëlardi quondam diſcipulus, qui ſic Commentario in Apocalypſin loquitur: *Expetens denique Senonenſem metropolitanum* (Abaëlardus) *quod in ejus eccleſia celebrandum foret in proximo grande Concilium, Clara-vallenſem cauſatur Abbatem ſuis in occultis detrahere libris. Addit quoque paratum ſe eſſe in publico ſua defendere ſcripta, rogans ut prædictus Abbas, dicturus ſi quid haberet, ad Concilium vocaretur.* Recte igitur damnatus eſt, cum cujuſvis in conſentientes ſit juriſdictio, inquiunt Juriſconſ. l. 2. de Jud.

Secunda quæ adhibetur machina ad labefactandam Synodi auctoritatem, teſtimonium eſt Petri Berengarii Pictavenſis, qui in Apologia pro Abaëlardo ſuo præceptore adverſus Patres Concilii, ipſumque Bernardum à ſe conſcripta, tam putida mendacia evomit, tamque indigna calumniarum monſtra, ut mirum ſit à viro cordato ſuſtineri, vel adduci in medium adeo perditæ frontis & fidei hominem, qui venerabiles epiſcopos, *ebrios, canes, porcos*, aliiſque probris inceſſitos tradit, ſeipſum non tantum ludibrio, ſed juſtæ lectorum indignationi exponens. Sed videamus quid tandem ſanior factus de S. Bernardo ſcripſerit ad Epiſcopum Mimatenſem: *Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, ſecundum, ut ſpoponderas, non texis? Quia proceſſu temporis mecum ſapere crevit, & in ſententiam Abbatis* (Bernardi) *pedibus* (ut dicitur) *ivi. Nolui eſſe patronus capitulorum objectorum Abaëlardo, quia etſi ſanum ſaperent, non ſane ſonabant. Poſtquam igitur, inquiunt, à ſecundo libro manus torpuit, quare primum non taciſti? Feciſſem hoc, inquam, niſi ceſſa eſſet induſtria; remanerent enim exemplaria*, &c.

155. III. Jam vero tertio loco adverſus Romani Pontificis judicium immaturæ ſententiæ celeritas præſumitur, quod cauſa non diſcuſſa Abaëlardum inauditum damnaverit. Verum nonne ſufficiebant acta Concilii Senonenſis ad inſtruendam cauſam, cui Abaëlardus præſens adfuit? Quis Cardinalium vel clericorum in Romana curia ipſius dogmata neſciebat, vel, ſi fas fuiſſet, à cenſura vindicare non tentaſſet Auctorem, quem plurimi ex illis magiſtrum habuerant? Maneat itaque Innocentii ſententia, maneat illibata Concilii Senonenſis & S. Bernardi auctoritas, maneat Abaëlardo non alia tuendi erroris ratio, quam vitæ erroriſque correctio. Quam ſanius certe Heloiſſa illa poſt Abaëlardi ſui mortem à Petro Venerabili expopoſcit ejus abſolutionem ipſius Abaëlardi tumulo apponendam [a]; quam nonnulli texendis Apologiis incumbunt, ad errorum excuſationem, quos ipſe lacrymis & pœnitentia diluere ad ultimum non ceſſavit. Sed de his ſatis.

[a] Exſtat in Biblioth. Cluniac. & inter Opera Abaël.

Apud Senonas in Octavis Pentecostes. Ea de re ita ſcribit Otho Friſing. lib. 1. de Geſt. Frid. cap. 48. *Sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia vero Ludovico, Ludovici Senioris filio, regnante, Petrus Abaëlardus ab epiſcopis, abbateque Bernardo denuo ad audientiam apud Senonas evocatur, præſentibus Ludovico rege, Theobaldoque Palatino Comite, & aliis nobilibus de populo innumeris*, &c.

IN EPIST. CLXXXVIII. Ad Epiſc. & Card.

156. *Legite et alium Sententiarum ejus.* Negat Abaëlardus in Apologia ſua, ullum librum hoc nomine à ſe conſcriptum, ideoque *hoc contra ſe per malitiam vel ignorantiam prolatum* criminatur: quod etiam Cheſnius in Notis aſſerit. *S. Bernardus*, inquit, *ignoranter Abaëlardo ipſi librum Sententiarum attribuit in epiſtola* 188. quaſi libros Sententiarum à Petro Magiſtro ſcriptos Abaëlardo tribuerit. Sed non ita ignotus erat Bernardo Petrus, quem laudat in epiſtola modo 410. ac in hoc errorum laberetur. Immo nec eo tempore, quo hæc epiſtola ſcripta eſt, Petrus Magiſter Sententiarum ſuarum libros ediderat. Eſt penes nos liber ab ipſo Abaëlardo ſine dubio contextus, qui vulgo Sic et Non appellatur, cujus inſcriptionem ſic effert vetus codex mſ. *Incipiunt Sententiæ ex divinis Scripturis collectæ, quæ contrariæ videntur: pro qua quidem contrarietate hæc compilatio Sententiarum*, Sic et Non *appellatur*. Ad quem librum an reſpexerit S. Bernardus cum hoc ſcriberet, mihi eſt incompertum. Porro præter illa Abaëlardi opera, quæ prædictus Cheſnius recenſuit, habemus inſuper librum ipſius in Hexaëmeron, Heloiſſæ ſuæ nuncupatum.

IN EPIST. CXCIII. Ad Ivonem Card.

157. *Damnatus est Suessionis.* De hoc Concilio ita Cheſnius in Notis ad Abaëlardum. Duplex eodem fere tempore Concilium Sueſſionis convocatum eſt. Primum à Rainaldo archiepiſcopo Remenſi contra Roſcelinum anno 1093. de quo mentio ſit ab Ivone epiſt. 7. ab Anſelmo Beccenſi abbate epiſtola ad Fulconem Belvacenſem epiſcopum, & ab Abaëlardo noſtro epiſtola ad Gaufridum epiſcopum Pariſienſem. Alterum hoc anno 1120. præſidente Conone Sedis apoſtolicæ legato, &c. At cum teſte ipſo Abaëlardo hæc Synodus poſt mortem Guillelmi de Campellis fuerit celebrata, ſi Lector eam probet ſententiam, quam ſupra in Notis ad Epiſtolam 3. de morte Guillelmi protuli ad annum. 1121. vel 1122. referenda erit hæc Synodus, certe ante obitum Adami S. Dionyſii abbatis (qui anno 1123. contigit) ut conſtat ex ipſo Abaëlardo in Hiſtoria calamitatum cap. 10. De hoc Concilio Otho Friſingenſis, lib. 1. de Geſt. Frid. cap. 47. *Sueſſione*, inquit, *provinciali contra eum Synodo ſub præſentia Romanæ Sedis Legati congregata, ab egregiis viris & nominatis magiſtris Alberico Remenſi & Leutaldo Novarienſi Sabellianus hæreticus judicatus, libros quos ediderat* (nim. de Trinitate ſeu Introductionem ad Theologiam) *propria manu ab epiſcopis igni dare coactus eſt, nulla ſibi reſpondendi facultate, eo quod diſceptandi in eo peritia ab omnibus ſuſpecta haberetur, conceſſa.* Ita ille. Inde, ut teſtatur ipſe Abaëlardus in Hiſt. calam. cap. 10. *quaſi reus & convictus abbati S. Medardi* (Gaufrido) *qui aderat, traditus, ad clauſtrum ejus, tamquam ad carcerem traditur. Legatus vero*, ut infra ſubdit, *ſtatim pœnitentia ductus, poſt aliquot dies, illum de iſto monaſterio eductum ad proprium remiſit.* De hac Abaëlardi recluſione agitur in vita S. Goſvini tum Prioris. *Mittebantur ibi, illuc indocti ut erudirentur, diſſoluti ut corrigerentur, cervicoſi ut domarentur. Unde contigit, ut quia hæc manente dextera Excelſi circumquaque vulgabatur, ſummum quoque Pontificem Innocentium* (legendum Calliſtum) *non lateret, & magiſtrum Petrum, de doctrina convictum falſitatis, & cenſura ſilentii cauteriatum, illuc tranſmitteret recludendum.* Vide plura ibid. De Ivone vide Notas in epiſt. 144.

Vita S. Goſ. l. 1. c. 18.

IN EPIST. CXCIV.

158. *Sanctissimo Papæ Johanni.* Duplex in hunc locum irrepſiſſe mendum videtur, nempe quoad inſcriptionem, ac nomen Papæ tum exſiſtentis. Exſtat quidem hæc Marciani Imperatoris epiſtola ſive decretum inter acta Concilii Chalcedonenſis, Leone Papa magno celebrati anno 451. ſed ad cives Conſtantinopolitanos directa, non vero ad Leonem ſummum Pontificem, multo minus ad Johannem, qui annis amplius octoginta poſt Marciani Auguſti obitum Romanam ſedem obtinuit. Poteſt itaque locus iſte reſtitui exprimendo nomen Papæ in caſu abſoluto, hoc modo: *Sanctiſſimo Papa Leone prædeceſſore noſtra ſcribens* &c. Porro hoc Marciani decretum repetitum habetur circa finem actionis 6. ejuſdem Concilii, ubi ſic legitur: *Et poſt has voces divinisſimus & piiſſimus dominus noſter imperator ad S. Synodum dixit. Pia & catholica fide à ſancta & univerſali Synodo ſecundum Patrum expoſitionem declarata, juſtam ſimul & expedientem noſtra tranquillitas approbavit, omnem de cetero contentionis occaſionem de ſanctæ fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, ſeu clericus, publice de fide turbam congregans, ſub obtentu diſputationis tumultum fecerit, ſciat quia, ſiquidem idiota ſit, ab urbe regia expelletur: militaris vero & clericus gradus ſui periculum ſuſtinebunt, & permis aliis in jacebunt.* Refertur item lib. 3. C. de ſum. Trinit. & fide cath. Sed & S. Leo eamdem ſæpius retricat ſententiam in epiſt. 43. & 50. ad ipſum Marcianum Imperatorem: maxime vero epiſt. 78. ad Leonem auguſtum.

IN EPIST. CXCV. Ad Epiſc. Conſtantienſem.

159. *Videritis hominem aperte insurgere in Clerum.* De Arnaldo Brixiano hæc prophetice dicta cenſet Baronius ad ann. 1140. Hominem ita depingit Otho Friſing. lib. 2. de Geſt. Frid. cap. 20. Arnaldus iſte ex Italia, civitate Brixia oriundus, ejuſdemque eccleſiæ clericus, ac tantum Lector ordinatus, Petrum Abaëlardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quam ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, novitatis cupidus, cujuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes, ſchiſmatumque perturbationes ſunt prona. Is à ſtudio à Gallis in Italiam revertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac epiſcoporum detogator, monachorum perſecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſalvari poſſe; cuncta hæc principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento altaris, Baptiſmo parvulorum non ſane dicitur ſenſiſſe. Iidem auctor addit, ipſum in Concilio Romano, nimirum anno 1138. ſilentio mulctatum, Italia pulſum, in oppidum Alemanniæ Turegum receſſiſſe, ac prava dogmata effudiſſe: tandemque comperta Innocentii morte, circa principia pontificatus Eugenii urbem ingreſſum, amplius eam in ſeditionem excitaſſe; proponendo antiquorum Romanorum exempla, qui ex ſenatus maturitatis conſilio......., totum orbem ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem ſenatoriam, reformandum equeſtrem ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione urbis ad Romanum ſpectare Pontificem, ſufficere ſibi eccleſiaſticum judicium debere. In tantum vero hujus venenoſæ doctrinæ cœpit invaleſcere malum, ut non ſolum nobilium Romanorum ſeu Cardinalium diruerentur domus & ſplendida palatia, verum etiam de Cardinalibus reverendæ perſonæ, inhoneſte ſauciatis quibuſdam, à furenti plebe tractarentur. (Jordanem, Petri Leonis filium, in Patricium fuiſſe electum idem aiis

* Otho lib. 7. Chron. c. 20. teſtatur. *) Tandem, inquit, in manus quorumdam incidens, in Tuſciæ finibus captus, Principis examini reſervatus eſt, & ad ultimum à Præfecto urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à ſtolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tiberim ſparſus. Hæc quidem latè, ſed pro loco.

IN EPIST. CXCVII. Ad Petrum Biſuntin.

160. *PEREGRINATIONEM ABBATIS CARILOCI. Caruſlocus, *Cher-lieu*, diœceſis Biſuntinenſis, filia Claræ-vallis, fundatur anno 1131. Primus loci abbas Guido, de quo hæc in epiſtola & ſeqq. Is à quodam Petro monacho infeſtatus, ac injuſtè oppreſſus, ſummum Pontificem Innocentium appellavit cum litteris Bernardi commendatitiis *. At cùm veterator ille cauſam ſuam remitti ad Gallicanos judices impetraſſet, commiſſum eſt judicium Johanni ex abbate Bonævallis Ciſtercienſis epiſcopo Valentino, qui ſimul cum Gratianopolitano litem diremerit. Et tunc primùm quidem factum eſt, ut Ciſtercienſibus quæſtiones eorum, quæ ad ſuum Ordinem pertinerent, demandarentur judicandæ, ob probatam fidei integritatem. quod poſtea uſu receptum induxit celebrem illam & honorificam in jure exceptionem: *Quod licet non poſſit quis eſſe judex, non modo in ſua, ſed neque in ſuorum cauſa* l. qui de Juriſdictioni. ff. de Juriſd. omn. Judicum, *tamen ſi perſona judicis eſt ejuſmodi quòd omnis ſuſpicio veri ſimiliter ceſſet, ut ſi ſit monachus Ciſtercienſis, hoc non procederet, neque talis poſſet recuſari*, ut habet Tiraquellus de pœnis temp. aut remitt. 15. n. 60. & alii plures. Pronuntiatâ in gratiam Cariloceſis abbatis ſententiâ, rurſum prædictus ille Petrus interpellat Innocentium, ad quem Bernardus ſcripſit epiſtolam 199. ut juſta epiſcoporum ſententia confirmaretur.

* in Ep. ſt. 198.

IN EPIST. CCV. Ad Epiſcopum Roffenſem.

161. *ROBERTUM PULLUM. Is natione Anglus, Pariſiis primùm literas profeſſus, inde in patriam remeans, Oxonienſem academiam pene collapſam reſtituit. Tum ob ſingulares animi dotes & eximiam doctrinam ab Innocentio II. Romam vocatus, Cardinalis tituli S. Euſebii creatus eſt, & quidem primus ex ſua gente, niſi fortè Ulrinum quemdam ei præpoſueris. Sed quonam anno? nempe 1134. ſi Onuphrio & Ciaconio credimus. Certe liquet omnino hac dignitate needum fuiſſe potitum, cùm ſcriberetur hæc epiſtola, quæ ex ipſa Bernardi litterarum ſerie circa annum 1140. exarata videtur. Deinde hanc eamdem epiſtolam ad Aſcelinum (*alias* Anſelmum) qui anno 1137. cathedram Roffenſem iniit, miſſam affirmat Godwinus De Præſulib. Angliæ. Ad hæc in fine epiſtolæ gratias agit Bernardus Roffenſi Epiſcopo, quod *viſcera ſua*, nimirum filios a ſe in Hiberniam tranſmiſſos, *refovisſet*. Atqui nullos Ciſtercienſis Ordinis monachos Hiberniam incoluiſſe ante annum 1139. quo S. Malachias primùm Claramvallem adiit, conſtat ex eo quòd Bernardus in Vita ipſius cap. 16. ſcribit, aliquot ex ſociis à S. Epiſcopo apud Claramvallem dimiſſos, qui inſtitutum Ciſtercienſe edocti, illud in Hiberniam anno 1142. tranſtulere, conſtructo Mellifontis cœnobio, quod primum Ciſtercienſium fuit in illa provincia, ſi fortè monaſterium B. Mariæ Dublinienſis excipias, quod circa annum 1139. Ciſtercienſe jugum ſubiiſſe quidam auctores tradunt. Præferenda itaque videtur illius Anglo-Benedictini Scriptoris * ſententia, qui cenſet, Robertum Pullum ab Innocentio Romam accerſitum, à Lucio ejus ſucceſſore renuntiatum eſſe cardinalem, poſtea verò cancellarii dignitate, vitaque perfunctum Eugenio III. Pontifice. Eum Theologorum antiquiſſimum vocant, doctiſſimum probant tot clara, quorum Pitſæus indicem texuit, ingenii monumenta, quæ quidem omnia in tenebris etiamnunc deliteſcerent, niſi R. P. D. Hugo Mathoud, è noſtra Congregatione S. Columbæ Senonenſi cœnobio præfectus, octo ſententiarum libros, Notis & obſervationibus doctiſſimis illuſtratos in lucem emiſiſſet. Plura de eo vide ſi lubet in Notis ad epiſtolam 334.

* Refertur inter elogia Pulli Operibus præmiſſa.

IN EPIST. CCVII. Ad Rogerium.

162. Horstii. HONOR DILATATA EST MAGNIFICENTIA VESTRA, &c. Longe nunc aliter Bernardus compellat Rogerium, quàm ſupra cum appellaverit: nempe uti non parcebat peccantibus, ſic benignus & ſuavis erat reſipiſcentibus: & mutatis moribus noverat ſtilum mutare, uti indicat in fine epiſtolæ 224. Apparet ergo hinc, reſipuiſſe tandem Rogerium, gravem ſcilicet quondam Eccleſiæ hoſtem, perturbatorem pacis, fautorem ſchiſmatis, Innocentii Pontificis perſecutorem, Imperatoris æmulum. Cujus tanta ferocitas fuit, ut nec rebus, nec perſonis ſacris, nec hoſtibus parceret defunctis; ut videre eſt apud Otton. Friſing. lib. 7. cap. 23. & Baron. To. 12. Ano. 1136. Unde illa ejus apud Bernardum elogia, *Tyrannus Siculus*, *epiſt.* 130. 136. *invaſor regiæ coronæ*, *Uſurpator Siculus*, epiſt. 139. *Dux Apuliæ, quem ſibi Anacletus Papa uſurpata corona ridicula mercede comparavit* epiſt. 127. Mire eum commendat Petrus abbas Clun. lib. 4. epiſt. 37. Sanè poſtquam Innocentio Pontifici, etſi eum haberet captivum, ſupplex factus, regiæ coronæ confirmationem obtinuit, (v. Baron. Ann. 1139.) religioſos viros, Cluniacenſes & Ciſtercienſes, in ditiones ſuas evocavit. Et ipſius quidem Bernardi videndi deſiderio tenebatur, uti patet ex epiſtola ſequenti.

IN EPIST. CCXIX. Ad tres Epiſc.

163. *NAM ET JURAVIT ILLICITE. Rem ita narrat Vuillelmus Nangius in Chronico. Anno 1142. orta diſſenſione inter Papam Innocentium & regem Francorum Ludovicum, Eccleſia Gallicana turbatur. Nam defuncto Bituricenſi archiepiſcopo Alberico, miſſus eſt Petrus, a Papa ejuſdem eccleſiæ Paſtor conſecratus. Sed a rege Ludovico repudiatus, nec in urbe recipitur, eo quòd ſine ejus aſſenſu fuerat ordinatus. Ipſe verò rex Ludovicus conceſſerat eccleſiæ Bituricenſi libertatem eligendi epiſcopum quem vellent, excepto dicto Petro, publicéque juraverat, quòd ſe vivente non erat futurus archiepiſcopus. Qui tamen electus Romam profectus eſt & conſecratus fuit à Papa Innocentio, dicente, Regem puerum inſtruendum & cohibendum, ne talibus aſſueſcat. & adjecit, Veram non eſſe libertatem, ubi quis excipitur à Principe, niſi fortè docuerit coram eccleſiaſtico Judice, illum non eſſe eligendum. Tunc enim audiatur ut alius. Rex verò, ſicut ſuperius dictum eſt, archiepiſcopum excluſit redeuntem. Eum enim Comes Theobaldus Campaniæ recepit in terra ſua, & ei omnes eccleſiæ obediebant. Indignatus ob hoc rex, convocavit omnes fere proceres ſuos, ut unà cum eo guerram inferrent Comiti Theobaldo. Sic Vuillelmus, ex quo Matthæus Pariſienſis, qui hoc refert ad annum 1146. corrigendus videtur. Hæc autem diſſenſio eò uſque progreſſa eſt, ut non ſolùm rex Ludovicus terras Comitis Theobaldi hoſtiliter vaſtaverit, ſed etiam Vitriacum caſtrum cum magna promiſcui ſexus multitudine igne concremaverit, immo & in eccleſiis ditionis ipſius fieri prohibuerit electiones epiſcoporum, vel ordinationes, eas Roberto fratri ſuo tradens occupandas, ut de Remenſi, Pariſienſi, & Catalaunenſi S. Bernardus graviter conqueſtus eſt tum in epiſtola 221. ad Joſlenum Sueſſionenſem, tum maximè in epiſtola 224. ad Stephanum Prænestinum. Tandem verò calamitoſum hoc divortium Eugenio III. Sedem Romanam ineunte S. Doctoris operâ extinctum eſt.

S. Bern. Oper. Tom. IV. Append.

IN EPIST. CCXXIV. Ad Stephanum Prœneſt.

PUTARAM ME DEFERRE REGI PACIFICO, &c. Quis fuerit rerum tum Eccleſiæ, tum politiæ ſtatus in Gallia ſub hoc rege Ludovico Juniore, ſuperioribus quidem epiſtolis 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. ſatis oſtendit; præſenti verò in primis hiſpidam & luctuoſam Eccleſiæ Gallicanæ faciem depingit. Idem teſtatur Otho Friſing. lib. 7. Chron. cap. 21. ubi ait: Francia Occidentalis Rege ſuo amiſſo, ſub illius filio Ludovico, qui adhuc ſuperſtes eſt, ob ipſius ac Theobaldi Bleſenſis Comitis guerram tot prædiis ac incendiis perpeſſa eſt diſcrimina, quod niſi Religioſorum, qui ibidem morabantur, meritis, orationibus & conſilio nuper pacata fuiſſet, uſque ad internecionem deleta putaretur. Ita Otho. Ecce Religioſorum orationibus & conſilio ſalus Galliæ adſcribitur. Quis enim dubitet, mundum meritis: ut aiebat ille, ſtare Sanctorum? & cui dubium, inter hos agmen duxiſſe Bernardum, communem quaſi non Galliæ ſolius, ſed & Europæ totius, ne dicam Orbis conſiliarium & caduceatorem? ut ex Epiſtolis ejus quaquaverſum ſcriptis colligere licet. 164. Horstii.

Ceterum, ut id obiter moneam, mirum videri poſſit, unde Ludovicus ille Junior tam ſit laudatus Hiſtoricis, quod affirmat Gordonus ad ann. 1180. Certe ſi Bernardum, incorruptum utique judicem conſulas epiſtolis citatis, & præſenti potiſſimum, dixeris non admodum fuiſſe laudabilem. Sed ita ſunt mores hominum: pro affectu ſuo laudant & vituperant. Exempla non eſt cur longè petamus. Nam & hodie Regum, Principúmque quorumdam conſilia, expeditiones, fœdera, aliaque facinora, quàm diſpares habent æſtimatores ac judices! Alii quippe in laudis gloriæque argumentum trahunt, quæ alii graviſſimè inſectantur & damnant. Alii cenſent hujuſmodi bella in Religionis & Eccleſiæ damnum geri, foveri hæreſes, loca Deo dicata profanari, conculcari ſacra, miſeros opprimi, Reipub. ſtatum peſſumdari, Eccleſiæ vigorem dignitatemque labefactari. Alios tamen invenies, qui hæc mala diſſimulent, aut palliare norint, eoſque, quorum opera & auſpiciis hæc geruntur, ſummis in cælum laudibus vehant.

165. Per hæc tamen debitam Ludovico, ſi quam deinceps adultiori ætate laudem meruit, detractum non imus. Fortè enim annis maturior, rebus præclare geſtis prioris ætatis maculas eluit. Nam pluribus annis Bernardo ſuperſtes fuit: mortuus nimirum anno 1180. Quamvis reſipiſcentiæ indicia ipſi quoque Bernardo dediſſe legam. Nam ita de eo Æmilius in Ludovico VII. Rex (Ludovicus) magna & ira, & manu elatus (nempe in Theobaldum Comitem Bleſenſem) Victoriacum, quod oppidum ſub poteſtate Bleſenſis erat, captum diripuit. Profana ſacráque loca ſine diſcrimine incendit, in æde principe ad mille quingentos puberes impuberéſque promiſcue combuſti, qui ſanctitate templi ſalutem tecturi, ad ararum tutelam ſupplices confugerant. Mox ſe colligens rex, ingenti dolore atque inde mœrore correptus, ſe affictabat, neque ſolatiis ullis ſublevari poterat: cum divus Bernardus ad illum venit evocatus, quod in eo multum divinitatis eluceret: ac jam antea Rege Craſſo, queremum (ut prædicabatur) ſeceſſuúmque diſcipulus, & nullo præterea præceptore doctiſſimus, è ſolitudine in celebritatem, ex umbra in ſolem, ſanctitatem eruditionémque importarat. Is tunc intromiſſus, ac reverendiſſimè à rege exceptus, cum ejus fletum conſpiceret, cauſamque didiciſſet: Hæ, inquit, lacrymæ, niſi cito exareſcant, extinguere poſſunt Victoriacenſis incendii memoriam. Tantum adde illis conſtantiam roburque, & ne ſit velut muliebris ploratus, viriles ac vere regios animos gere. Ceterùm quæ de fruſtrata à Ludovico epiſcoporum electione hic dicuntur, manifeſta ſunt ex Notis ad epiſtolam 219.

166. * TERTIO PARE CONSANG. GRADU. Joannes Beſly in Hiſtoria gallica Comitum Pictavienſ. pag. 145. ſic explicat hunc gradum

conſanguinitatis inter Ludovicum VII. & Eleonoram ejus conjugem, Guillelmi Comitis Aquitanici filiam, ut Aldeardis Eleonoræ proavia ſoror fuerit uxoris Humberti II. Comitis Maurianenſis, proindeque matertera Adelæ, quæ fuit Ludovici regis mater.

IN EPIST. CCXXVIII.

167. * AD PETRUM CLUNIACENSEM, &c. Manricus in Annal. ad an. 1135. cap. 3. exiſtimat, hanc epiſtolam ſcriptam eſſe anno 1135. ſed ordo epiſtolarum qualiſcumque repugnare videtur. Et certe ſi conferatur cum epiſtola ſequenti à Petro Venerabili iſtius occaſione reſcripta, manifeſtum fiet hanc fuiſſe ſcriptam poſt Lingonenſis electionis turbas, quæ anno 1138. contigere, ut ſupra ad epiſt. 164. dictum eſt. Sic enim reſpondet Venerabilis Petrus. *Quando extingui vel obrui potuit ſincerus erga vos & ignitus meì pectoris affectus quibuſlibet ſiniſtris rumoris ventis, cum nec aqua multa domeſticarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonenſium fluminum obruere?* Immo in extrema, quam omiſimus, prædictæ epiſtolæ parte idem Petrus meminit tranſlationis Alcorani, poſtea S. Bernardo à ſe nuncupatæ, quæ teſtante Bibliotheca Cluniacenſi facta eſt anno 1143. ad quem hanc epiſtolam referre viſum eſt.

Biblioth. Cluniac. p. 1108.

168. * NULLARUM JAM MEMOR SUM INJURIARUM. Non eſt magnopere laborandum in detegendis injuriis, de quibus hic mentio. Nam iſtud ex ſale & lepore quodam urbano ac familiari dici contextus utriuſque epiſtolæ, hujus nimirum & ſequentis, ſatis ſuperque declarat. Scio quidem nonnullas controverſiarum cauſas inter utrumque ſanctum emerſiſſe, Lingonenſem videlicet electionem, de qua ad epiſtolam 164. exemptionemque decimarum: ſed uſque ad inſignæ nomen deveniſſe numquam conſenſerim. Quod ſpectat ad decimas, Innocentius in Galliis moram faciens anno 1132. cognita Ciſtercienſium inopia, ipſis ab omnibus decimas relaxari præcepit. Hoc privilegium Cluniacenſes inter alios ægre admodum tulere. Hinc locus datus querelis, quas Petrus abbas apud Innocentium primo, deinde apud Haimericum modeſte expoſuit, immo & apud Patres Ciſtercienſes in Capitulo generali congregatos: quos cum nonnihil exinde turbatos comperiſſet, idem anno ſequenti ad eoſdem litteras dedit excuſatorias, quibus caritas ſarta tecta cuſtodiretur. Quid tamen in conſequentibus adverſus Ciſtercienſes à Gigniacenſibus monachis patratum ſit, dicetur in Notis ad epiſtolam 283. Porro cum deſiderari videatur illa Petri Cluniacenſis epiſtola, quæ huic ſcribendæ occaſionem dedit; non ab re fuerit aliam ab ipſo ſubinde reſcriptam, in litterarum S. Bernardi ſerie ſubjicere, quo omnibus veræ & chriſtianæ amicitiæ cultoribus, maxime religioſis, abſolutiſſimum exemplar proponatur, nobile ſcilicet iſtud par amicorum, S. Bernardum dico & venerabilem Petrum, Card. Baronio adeo commendatum, ut *ſanctitate, quæ per dilectionem operatur, Bernardo non imparem eſſe* pronuntiaverit. Alias ejuſdem argumenti vide ſi lubet apud ipſum Petrum lib. 1. epiſt. 28. & lib. 4. epiſt. 46.

Petr. Ven. lib 1. epiſt. 33. & ſeqq.

** Exſtat. lib. 6. Epiſt. 17.*

IN EPIST. CCXXXV. Ad Cæleſtinum.

169. HORSTII. CAUSAM EBORACENSIS ECCLESIÆ. Status cauſæ narratur à Guill. Neubrig. rerum Angl. lib. 1. cap. 17. a Franciſco Goduvino lib. de Epiſcopis Angliæ, ſeu inter Eboracenſ. num. 29. Rog. Hoved poſter. parte Annal. Rem paucis accipe.

Anno MCXL. obiit *Thurſtinus* (alii *Thurſtanum* vocant, * Neubrig. *Traſtinum*) archiepiſcopus Eboracenſis. Electio ſucceſſoris diſcordibus votis agitata eſt, aliis Vvillelmum Stephani regis nepotem, Eboracenſis eccleſiæ Theſaurarium, aliis Henricum Murdach, abbatem Fontanenſem, B. Bernardi quondam in Claravalle diſcipulum, eligentibus. Vvillelmum Henricus Vvintonienſis epiſcopus conſecravit, ſed petentem Roma pallium Papa rejecit. Qua repulſa rex offenſus, Henricum à Pontifice confirmatum, & pallio donatum recipere renuit. Quin regis ad exemplum compoſiti cives & ſubditi, Paſtorem non admiſerunt. Tandem placato rege Henricus à ſuis ſuſceptus præfuit decem annis, mortuus anno 1153. Sherboniæ. Interea Vvillelmus apud Henricum Vvintonienſem degebat. Sed cognita Eugenii Pontificis & Bernardi, nec non Henrici archiepiſcopi morte, Romam mox contendit, & ab Anaſtaſio Eugenii ſucceſſore, ope Gregorii cardinalis, voti tum demum facile factus compos, confirmationem & pallium obtinuit. Sed pauco tempore ſuperſtes, ann. 1154. defunctus eſt, non ſine ſuſpicione veneni propinati. Hunc in Sanctorum numerum relatum meminit Goduvinus, & ad ſepulchrum ejus crebra patrata miracula. Sed addit idem, *quod credere mi durum eſt, meminerit hunc qualemcumque devum, à divo certe Bernardo, aut ejus ſaltem opera exauctoratum, & præſulatu expulſum.*

** Vide Ivon. Carnot. epiſt 274 & ibid. Juret. Notas.*

IN EPIST. CCXXXVII. Ad Curiam Rom.

170. HORSTII. NUM IDCIRCO PISAM DESERUIT, &c. Eugenius quondam *Vicedominus* Piſanæ eccleſiæ, (MS. Dunenſe citatum ab Henriq. vocat. *ſuffraganeum*) deinde Bernardi in Clara-valle diſcipulus, mox abbas monaſterii S. Anaſtaſii, ſeu Trium-fontium ad Aquas-Salvias prope Romam, præter morem, non ex Cardinale, ſed ex Abbate electus eſt à Cardinalibus in ſummum Eccleſiæ Pontificem anno 1145. in locum Lucii, qui eodem anno 4. Kalend. Martii ex hac vita migravit. Hunc ergo miratur Bernardus, qui Vicedominatum unius particularis eccleſiæ non ſuſtinebat, ad dominatum totius univerſalis Eccleſiæ vocatum. Porro quid officii vel dignitatis hoc nomine, *Vice-dominus*, intelligendum veniat, paucis monſtremus. Sunt enim etiamdum eccleſiæ, ſeu epiſcopia, quæ titulum iſtum retinent. Olim quidem tenebatur quilibet Epiſcopus Vice-dominum & Oeconomum habere, diſtinct. 89 c *Volumus*. Qua de re S. Gregorius M. ſic ſcribit ad Anthelmum ſubdiaconum lib. 9. epiſt. 66. *Volumus ut frater noſter Paſchaſius & Vice-dominum ſibi & Majorem ordinet domus, quatenus poſſit vel hoſpitibus ſupervenientibus, vel cauſis quæ eveniunt, idoneus & paratus exſiſtere*, &c. Ubi Gloſſa in alleg. c. *Volumus*, & *Vicedominum*, id eſt Oeconomum rerum epiſcopalium, qui rebus epiſcopalibus, & hoſpitibus ſupervenientibus provideat. *Quia Epiſcopus*, inquit, *non poteſt talia negotia in propria perſona tractare*. V. quæſt. 1. *Quia Epiſcopus*, & refertur quod dicitur de hoſpitibus, ad *Vice-dominum*. Ita Gloſſ. Verum *Fileſacus Theol. Pariſ. ad tit de Offic. ſud. Ordin. libri 1. Decret. ſeu de ſacra Epiſcop. auctorit.* ita potius hæc duo cenſet diſtinguenda, ut Oeconomi munus ſit, hoſpites curare; ut Vice-domini, cauſis & litibus diſceptandis nomine Epiſcopi præeſſe. V. Fileſ. lib. cit. c. 4. §. 5.

IN EPIST. CCXXXVIII. Ad Eugenium.

QUANTORUM IN BREVI ROMAN. PONT. MORTES, &c. Mirum non immerito videri poſſit, quid ſit, cur tam brevis ævi ſint Romani Pontifices, ut ſolus Petrus putetur annum vigeſimum quintum attigiſſe, plurimos paucis annis aut paucis menſibus, immo non multis diebus ſuperſtites, mors præmatura rapuerit, cum videamus imperatorum & regum plurimos multo longioris ævi fuiſſe. Res omnino digna diſquiſitione. Sed quis novit ſenſum Domini? Video tamen eamdem quæſtionem B. Petro Damiani propoſitam ab Alexandro Pontifice, quam ille diligenter tractat, & ediſſerit, ut legi omnino digna ſint quæ ſcribit. Vide inter epiſt. lib. 1. epiſt. 17. alias Opuſculo 23. 171. HORSTII.

Aliquando, inquit, à me ſollicite requiſiſtis, quæ mihi cauſa videretur, cur apoſtolicæ Sedis Antiſtes numquam diutius vivat; ſed intra breve temporis ſpatium diem claudat extremum: adeo ut poſt divum Petrum Apoſtolum, qui per 25. circiter annorum luſtra præſedit, nemo poſtmodum Romanorum Pontificum hoc ſpatium præſulatus æquaverit. Modernis immo temporibus vix quiſquam in prædictæ Sedis culmen evehitur, qui metam quatuor, vel, ut multum, quinque tranſcendat annorum. Quod conſiderantibus nobis, prodigialis, ut ita loquar, ſtupor oboritur: quoniam hæc breviter vivendi neceſſitas in nulla alia totius orbis eccleſia reperitur. Sed in quantum mortalibus divinæ diſpenſationis revelatur arcanum; videtur nobis, quia ideirco hoc judicem cæleſtis ordo diſponit, ut humano generi metum mortis incutiat; & quam deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo gloriæ principatu evidenter oſtendat: quatenus dum præcipuus hominum tam anguſti temporis compendio moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandi ſui obitus cuſtodiam provocetur; & arbor humani generis, dum cacumen ac verticem ſuum tam facile corruiſſe conſiderat, ſtatu concuſſa formidiloſo, in ſuis undique ramuſculis contremiſcat.

Anguſtis quidem limitibus, Pontificum vitas incluſit Damianus, fateor, dum ultra quatuor aut quinque annos non extendit: in breviores tamen mihi viderentur coarctatæ, ſi Pontificum hiſtoriæ conſulantur. Rectiſſime igitur S. Bernardus hac epiſtola hortatur Eugenium, ut ex breviſſimo ſuorum prædeceſſorum dominatu, ſuum quoque ſuſpectum habere diſcat.

IN EPIST. CCXLI.

* AD HILDEFONSUM COMITEM S. ÆGIDII. Adde etiam Toloſæ. Is ex Patre Raymundo Toloſæ Comite, & matre Elvira in Oriente natus, (ut refert Guillelmus Tyrius lib. 10. Belli ſacri, cap. 27. qui eum Antoſſum appellat) in Jordane ipſo ſalutaribus undis intinctus eſt. Idem Auctor ſic de eo ſcribit lib. 16. cap. 28. ejus profectionem in Orientem commemorans. Applicuit etiam iiſdem diebus in portu Acconenſi, vir magnificus & illuſtris, Comes Toloſanus, Antoſſus nomine, domini Raymundi comitis ſenioris filius, qui tantus princeps tanti fuit meriti in prima expeditione, vir ſuis egregius titulis, ſed patris pia clarior memoria, dum inde Jeroſolymam, ut Domino pro peracta feliciter peregrinatione gratias acturus, apud Cæſaream urbem maritimam, paucis poſtquam appulit diebus, porrecto illi (ut dicitur) veneno; ſed auctore tanti ſceleris incerto, vitam finiit, &c. Porro Comitatus S. Ægidii, Galliæ Narbonenſis pars eſt, à S. Ægidio ejus quondam incola ſic nuncupata, cum alias Septimania contineretur. 172.

IN EPIST. CCXLV. Ad Eugenium.

* PRO AURELIANENSI EPISCOPO. Nimirum Helia. Poſt mortem Johannis epiſcopi Aurelianenſis anno 1133. Hugonem decanum in demortui locum fuiſſe electum (quod tamen ab Hiſtoricis eccleſiæ Aurelianenſis video prætermiſſum) auctor eſt Ordericus lib. 13. ad annum. 1134. ſic enim ſcribit. *Poſtquam Johannes ſenex Aurelianenſis epiſcopus epiſcopatum deſeruit, Hugo decanus, qui ad pontificatum electus fuerat, de curia Regis rediit, & à temerariis hominibus in via percuſſus obiit. & epiſcopatus ſine præſule, ſicut navis ſine gubernatore in mari, diu fluctuavit*: ſcilicet ad annum uſque 1136. quo Helias noſter poſt diuturnam cleri populique diſcordiam unanimi omnium conſenſu ex monacho & abbate S. Sulpicii Bituricenſis electus eſt. Hunc *virum religioſum prudentem & litteratum* vocat Petrus Cluniacenſis ſcribens * pro ipſius confirmatione ad Innocentium Papam, à quo menſe Aprili anni 1137. conſecratus eſt. Poſt aliquot annos, nempe anno 1144. gravium criminum reus à clericis Aurelianenſibus apud Lucium II. accuſatus, cum ſe ſe purgare non valuiſſet, nec Petrus Venerabilis *, immo neque ipſe rex Ludovicus ſummum Pontificem ſlecteret in ejus gratiam potuiſſet; 173.

** lib. 1. Epiſt. 1.*

** lib. 5. Epiſt. 19 & 27.*

ipſe S. Bernardi conſilio ſponte epiſcopatu ceſſit anno 1146. Eugenio III ſedente. Unde mirum eſt, Albericum dicere in Chroni- *Alberic. ad ann. 1140*
co, *Attonem epiſcopum Treccenſem, & epiſcopum Aurelianenſem in Concilio Remenſi fuiſſe depoſitos*: cum ambo ſuo motu propter dignitatem abdicaverint, ut de Aurelianenſi conſtat ex hac epiſtola: quod de Attone etiam in Notis ad epiſtolam 23. probatum eſt.

IN EPIST. CCXLVII. Ad eumdem.

174. *REGEM CORONAVIT. Non ſemel Ludovicum Juniorem coronatum lego. Primo quidem vivente patre Remis inauguratus coronam accepit ab Innocentio Papa anno 1131. Deinde Ordericus Vitalis Bituriġis coronatum tradit his verbis. *Anno* 1138. *Orderic. lib. 13 an. 1138.* *Indict. 1. Ludovicus rex Francorum apud Bituricam in Natale Domini coronatus eſt, ibique ingens curia nobilium & mediocrium virorum de omni Gallia & Aquitania, aliiſque circumſitis nationibus aggregata eſt. Illuc metropolitani Præſules, eorumque ſuffraganei convenerunt, illuc conſules, aliique dignitates confluxerunt, omneque famulatum novo regi exhibuerunt.* Ita Ordericus, qui novum Regem appellat, quod Rex Aquitaniæ tunc, mortuo patre, ſit coronatus. Hic iterum coronatum videmus à Samſone Remorum archiepiſcopo ante expeditionem Jeroſolymitanam, forte ut in conventu ſollemni fidelitatis ſacramentum diſceſſurus à ſubditis exciperet. Hujus poſtremæ celebritatis locum Horſtius ſuſpicatur fuiſſe urbem Carnotenſem, ubi de expeditione Jeroſolymitana actum eſt. At hanc coronationem apud Bituriġas factam fuiſſe patet ex epiſtolæ contextu, & ex litteris Eugenii III. in Patriarchio Bituricenſi relatis: ex quibus intelligimus, Eugenium ſenſiſſe, Bituricenſem ecclesiam, in qua Samſon ſacra fecerat, interdicto ſuppoſitam fuiſſe. Patriarchium Bituricenſe editum reperies apud Labbeum in tomo 2. Bibliothecæ novæ. Ex hac porro epiſtola, & ex alia Ivonis mox citanda apparet, archiepiſcopum Remenſem contendiſſe, jus coronandi Reges, ubicumque demum ea coronatio fieret, ſibi competere. quod Petrus Bituricenſis, & ante eum Ivo Carnotenſis negabant.

175. *In hac vero epiſtola S. Bernardus hanc Remenſis archiepiſcopi prærogativam non omnino inficiatur, immo admittere videtur. Hujuſque meminit Silveſter Papa II. in quadam bulla ad Arnulfum Remorum Præſulem, quem ob perfidiæ notam ſuſpenſum, anno 999. in priſtinam dignitatem & jura omnia reſtituit. *Concedimus tibi*, inquit, *per hujus Privilegii ſtatuta, baculo annuloque reddito, archiepiſcopali officio fungi, & omnibus inſignibus, quæcumque ad ſanctam metropolim eccleſiam Remenſis pertinent, ſolito more per vos, pallio ſollemnitatibus aſſuetis uti, benedictione Regum, & ſubjectorum epiſcoporum.* Et certe convenientiſſimum erat, ut cum à B. Remigio Remorum archiepiſcopo ſuſcepiſſent Reges chriſtianiſſimi regalis ſacerdotii dignitatem, cæleſtiſque coronæ pignus per baptiſmum & chriſtianæ religionis profeſſionem; ad ejuſdem etiam ſucceſſores conſecrandorum coronandorumque regum prærogativam refunderent: ut ſimili de cauſa Imperatores tribuerunt Moguntinenſi archiepiſcopo ob S. Bonifacium, reges Hiſpaniarum Toletano propter S. Eleutherium, reges Anglorum Cantuarienſi ob S. Auguſtinum: quamvis pro locorum temporumque neceſſitatibus hoc Remenſis archiepiſcopi Privilegium legitimæ diſpenſationi fuerit obnoxium. Nec aliud exiſtimo intendiſſe Ivonem Carnotenſem in *Ivo Epiſt. 189.* ſua illa celebri epiſtola, qua Ludovici VI. ſollemnem inaugurationem à Daimberto Senonenſium archiepiſcopo Aureliæ peractam propugnat. Alibi enim hanc Remenſis eccleſiæ prærogativam agnoſcit, ad Urbanum Papam ſcribens, eamdem ſedem *diadema regni habere*. *Epiſt. 48.* Immo in alia illa epiſtola *non invidere ſe Remenſi eccleſiæ, non repugnare, non dolere* proteſtatur, *ſi Reges Francorum erga eam habuerint tantam devotionem, ut malint à metropolitano ejus conſecrari, quam ab alio*: ſed tamen legitimam diſpenſationem in Daimberti facto fuiſſe. *Quod ergo fecimus*, inquit, *ſalubri deliberatione & provida diſpenſatione fecimus. Nimirum quia erant quidam regni perturbatores, qui ad hoc omni ſtudio vigilabant, ut aut regnum in aliam perſonam transferretur, aut non mediocriter minueretur.* *Epiſt. 189* Quod ergo privilegium iſtud, nec ratione, nec conſuetudine, nec lege fulcitum eſſe affirmat, non eſt abſolute explicandum, ſed eo dumtaxat tendit nervus inductionis, quam conſuetudini opponit, ut oſtendat, quod *Francorum Reges non omnes in Remenſi eccleſia, vel à Remenſibus archiepiſcopis ſunt conſecrati.* *Ibidem.* quod ultro fatemur. In id vero totus incumbere videtur, ut neget, ſublata qualibet diſpenſatione, Regum conſecrationem ſemper in eccleſia & ab archiepiſcopo Remenſi faciendam ſub pœna anathematis ab eo, qui ſecus quomodocumque tentaret, incurrendi, quod ipſi Remenſes Legati in iſta cauſa urgere videbantur, teſte Aimoini continuatore in lib. 5. de Geſtis Franc. cap. 50. Confer Hugonem in Chronico Autiſſiodorenſi ad annum 1154. Tandem vero ne quis his hac de re in poſterum ſuboriretur, Ludovicus VII. anno 1179. ſollemni ſententia hanc Remenſis archiepiſcopi prærogativam confirmavit, Alexandri & Innocentii itidem III litteris poſtea comprobatam. Plura qui volet, legat librum Gullielmi Marloti, ſancti Nicaſii Remenſis archiprioris, de Inauguratione Reg. Franc. gallice editum anno 1654. in quo doctiſſime ac copioſe hanc materiam pertractavit.

Quod pertinet ad Pallii uſum, quem Pontifex Samſoni interdixerat, mirum eſt quo in pretio fuerit eo potiſſimum ſæculo, ut S. Bernardus tolerabilius duxerit interdici ſibi Miſſarum celebrationem, quam archiepiſcopo Remenſi pallii uſum, pro quo etiam S. Malachias ex Hibernia bis Romam proficiſci non dubitaverit.

IN EPIST. CCXLVIII. Ad eumdem.

SEMEN DEFUNCTI FRATRIS RESCITARE. Atque ſcite que antiquum, jamque antiquatum Dei præceptum (quo præcipiebat, ut fratri abſque liberis defuncto, frater ſuperſtes ſuſcitaret ſemen) Arnulfo Lexoviorum pontifici accommodat: qui D. Auguſtini diſciplinam à Johanne germano ſuo Sagiorum antiſtite traditam ſecularibus canonicis ſuis, & à ſucceſſore graviter labefactatam, ſic ſuſtentavit, tum ſcriptis ad ſummos Pontifices datis, tum peculiari ſtudio, ut præclare dicat hic S. Bernardus, eum fratris ſuſcitaſſe ſemen, quod aliena temeritas licentiaque ferme ſuffocarant. Hocque in negotio eum laboraſſe annos plus minus viginti, eſt ſuſpicari ex ejuſdem ad Alexandrum III. Papam epiſt. quæ incipit, *Eſt quidem, in quo* &c. Vide To. XII. Biblioth. Patr. Mortuus eſt enim Johannes Arnulfi frater anno 1143. cui ſucceſſit Girardus hujus nominis II. antea canonicus ſecularis, quem (ut dicit Arnulfus citata epiſtola) Romana eccleſia epiſcopari non permiſit, donec eumdem Ordinem in propria perſona profeſſus eſt. Verum (ut ibidem ſubditur) epiſcopus iſte deteſtabilem concepiſſe prædicabatur affectum, ſcilicet plantationem hanc penitus evellendi, nempe canonicos regulares. Qua de cauſa hic à Bernardo ſuggillatur. 176. *Horſtius.*

AD EPIST. CCLIII. Ad Abbatem de Præmonſtr.

*LOCUS QUIDEM IPSE PRÆMONSTRATI &c. De origine Præmonſtrati variant auctores. Fabuloſum videtur quod apud Franciſcum Alutem lib. 2. Hiſtoriæ Cuciacenſis familiæ cap. 19. legitur. Gordoolus Soc. Jeſu. in Chronol. ad ann. 1116. dicit hunc Ordinem nomen accepiſſe à ratione inſtituti cæſtrus præmonſtrata. Sed locum ita vocatum fuiſſe ante S. Norbertum, patet tum ex ejus vita cap. 17. ubi dicitur elegiſſe *locum valde deſertum & ſolitarium, qui ab antiquis* PRÆMONSTRATUM *dicebatur*: tum ex Hermanno monacho locis infra citandis. Quod vero hic dicit Bernardus de loco Præmonſtrati à ſe conceſſo, repugnare videtur litteris fundationis Præmonſtrati, Bartholomæi Laudunenſis epiſcopi nomine conſcriptis*, in quibus locus prædictus ad S. Vincentii monachos pertinuiſſe dicitur, & ab ipſo Bartholomæo (cui primum ab Adalberone, S. Vincentii abbate, Sigerido ejus ſucceſſore poſtea confirmante, conceſſus fuerat) S. Norberto traditus. Quod etiam notavit Hermannus monachus lib. 3. de Mirac. beatæ Mariæ Laudun. cap. 4. *Venientes itaque*, inquit, *ad præfatum locum Præmonſtratum, ingredientes orandi gratia quamdam eccleſiam in honore S. Johannis Baptiſtæ ibidem conſtructam. Hæc erat de jure cœnobii S. Vincentii Laudunenſis*, &c. Ex quibus quidam nuperus ſcriptor in Notis ad vitam S. Norberti cap. 19. hærere ſe teſtatur in explicanda Bernardi conceſſione, quam à monachis Vincentianis per manum Bartholomæi epiſcopi factam legit. At quamvis ſexcenta id generis in contrarium argumenta haberent, Bernardi verbum ineluctabilem obtinere debet auctoritatem: & ſiquidem rem paulo diligentius conſideraveris, pugnantia facile conciliabis. Certum enim eſt Præmonſtrati cœnobium, in prima ſui conditione, non eo in loco ſitum fuiſſe, quo primum à S. Norberto fuerat inſtitutum; ſed in altera montis parte, ad quam Hugo Norberti ſucceſſor, cui hæc epiſtola dirigitur, illud tranſtulerat. Cujus rei meminit idem Hermannus tum loco citato, ubi præviſionem S. Norberti de cœnobii tranſlatione refert, tum ibidem cap. 10. ubi Præmonſtrati mutationem ſic deſcribit. *Videns autem Hugo eccleſiam illam parvam* (nimirum S. Johannis Baptiſtæ, quam monachi Vincentiani conceſſerant, uti præmiſerat cap. 4.) *jam non poſſe ſufficere tantæ multitudini quæ convenerat, & per Dei gratiam quotidie augmentabatur; ſciens etiam domnum Norbertum, ut ſuperius dictum eſt, in ſpiritu prævidiſſe, quod in altera montis parte major eccleſia foret ædificanda, juxta cum fratribus ſuis conſilio, D. Bartholomæum epiſcopum, utpote loci fundatorem & Patrem, advenire rogavit, quatenus diſpoſitis omnibus officiis, ipſe primum lapidem in eccleſiæ fundamento poneret.* Fuerit ergo prima illa ſedes ſeu eccleſia à noſtris Vincentianis conceſſa: ſed quid prohibet ſecundam hanc à S. Bernardo, qui eam à Vvidone eremita prius acceperat, Præmonſtratenſibus conceſſam? Legantur epiſtolæ duæ Philippi abbatis Bonæ ſpei, quibus hæc reſpondere videtur. 177. ** Exſtant in Biblioth. Præmonſtrat. & in Notis ad Norbertum.*

IN EPIST. CCLXVI.

*AD SUGERIUM ABBATEM. Quem hortatur ad mortem alacri animo excipiendam, quæ accidit anno 1152. ut teſtatur Chronicon Dionyſianum his verbis. Hic eſt annus ultimus felicis recordationis Sugerii abbatis. Verum quia a conditione moriendi nemo excipitur, cum valetudine qua mortuus eſt, vexari cœpiſſet, fractum manibus ſuſtentatus eſt, & in Capitulum ſe duci popoſcit: ubi poſt verba ædificationis, cum lacrymis & gemitu omnium pedibus provolutus, fratrum ſe judicio expoſuit, lacrymabiliter poſtulans, ut quod in eos deliquerat, vel negligentius egerat, reſpectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes cum maxima devotione & copioſa lacrymarum effuſione gratantiſſime fecerunt. Tranſiit autem idem venerabilis Pater inter verba dominicæ Orationis & Symboli, die Iduum Januarii, LXX. ætatis ſuæ anno, a ſuſceptione monaſtici habitus fere LX. prælationis vero ſuæ XXIX. cujus ſepulturæ & exſequiis interfuerunt ſex epiſcopi cum multis abbatibus, chriſtianiſſimoque rege Francorum Ludovico, ubi & pietatis memor, & immemor regiæ celſitudinis, dum ſepeliretur, amariſſime flevit. Hucuſque Chronicon. Inſcriptum eſt hoc ejus ſepulchro epitaphium, HIC JACET SUGERIUS ABBAS: breve quidem, ſed ſolo Sugerii nomine totum exprimens Sugerium. Elegantiſſimum ſculpſit Franciſcus 178.

Chifletius, à Simone Capra-aurea S. Victoris Pariſienſis Canonico compoſitum.

Decidit Eccleſiæ flos, gemma, corona, columna,
Vexillum, clypeus, galea, lumen, apex,
Abbas Sugerius, ſpecimen virtutis & æqui,
Cum pietate gravis, cum gravitate pius.
Magnanimus, ſapiens, facundus, largus, honeſtus,
Judiciis præſens corpore, mente ſibi.
Rex per eum cautè rexit moderamina regni;
Ille regens regem, rex quaſi regis erat.
Dumque moras ageret rex trans mare pluribus annis,
Præfuit hic regno, regis agendo vices.
Quæ duo vix alius potuit ſibi jungere, junxit,
Et probus ille viris, & bonus ille Deo.
Nobilis eccleſiæ decoravit, reppulit, auxit,
Sedem, damna, chorum, laude, vigore, viris.
Cui rapuit lucem lux ſeptima Theophaniæ,
Verum vera vim Theophania dedit.

Prolixum & elegans ejus elogium a Patribus Congregationis S Mauri litteris aureis laminæ æreæ inſcriptum eſt. Plura de eo in Notis ad epiſt. 78. & 369.

IN EPIST. CCLXX. Ad Eugenium.

179. * Apud Sur. 26. Junii. *CARTUSIENSES TURBATI SUNT. Cauſam aperuit Auctor vitæ Gallicæ S. Bernardi lib. 6. cap. III. ex Vita S. Anthelmi * ſeu Nanthelmi, primo quidem majoris Cartuſiæ Prioris, demum epiſcopi Bellicenſis, repetitam. Cum enim (ut ibi dicitur) daret operam novus Prior Anthelmus, ut ſi quid ſancti Ordinis priſtina religio & obſervantia accepiſſet detrimenti, id ad pridem conſcriptas Conſtitutiones reformaretur; negligentem ſi quem cerneret aut contumacem, admonitionibus blandis, verbis & minis, præceptis quoque & objurgationibus ad meliorem frugem revocare nitebatur. Quod ſi quis nollet reſipiſcere, planeque obſtinatus eſſet, è fratrum ſodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant cum nonnulli, qui ſanas inſtitutiones ejus non ferentes, cum eſſent grandes in oculis ſuis, homines maligna mente & in contentiones proclives, illi ſe ſe opponere non verebantur. At ille non ferens eorum arrogantiam, ne aliorum pacem & quietem interturbarent, è monaſterio eos ejecit. Quidam vero ex illis, ut credere par eſt, ad Eugenium confugientes, abſoluti & nulli pœnitentiæ obnoxii remiſſi ſunt: qua de re hic Bernardus conqueritur, quod *ab ipſa fundatione loci eſſet inauditum, ut quis exiens ſine ſatisfactione reciperetur.* Aliam cauſam aſſignat Manricus in Annal. ad ann. 1151. cap. 2. ex Petri Venerabilis * epiſtolis, nimirum contentionem, quæ Hugone Gratianopolitano epiſcopo in archiepiſcopum Viennenſem aſſumpto novæ electionis occaſione nata eſt anno 1151. inter varia Cartuſianorum cœnobia, Cartuſiam, Excubias, Durbonum, Portas, Majorevum, Silvam, & Alvetium; aliis dicentibus, *electum non debere epiſcopari*, & cauſam illam ad judicia protrahentibus: aliis contra aſſerentibus, *ſuum non eſſe litigare, ſed ſimpliciter quod ſentirent dicere, non autem palatia ad cauſandum intrare.* Verum cum in hac poſteriori cauſa agatur de monaſteriorum altercatione, non vero de monachorum rebellione, quam Bernardus hac in epiſtola inſinuat, ad priorem potius cauſam hæc referenda ſunt. Quæ ad annum 1151. ideo referimus, quod contigerint paulo poſt mortem Rainaldi Ciſtercienſis (ut patet ex hac epiſtola) abbatis, qui obiit XVII. Kal. Januarii anno 1150 ut ex Ciſtercienſi Martyrologio probat Manricus ad an. 1151. cap. 1.

* Petrus Venerab. lib. 6. epiſt. 12.

AD EPIST. CCLXXI. Ad Theobaldum.

180. HONESTII. IN hac epiſtola attende, Lector, & admirare inſignem ſancti Viri virtutem, zelum & conſtantiam, qui in re quam ſenſit Eccleſiæ Dei & ſuæ conſcientiæ contrariam, magni principis Theobaldi, cui, utpote magno Claravallenſium benefactori, plurimum debebat, votis & deſiderio noluit obſequi. Verba ejus aureis notanda litteris: verba cedro digna, quæ utinam omnium Eccleſiæ procerum cordibus inſculpantur. Nimirum noluit pueros, quorum adhuc longinqua & incerta ſpes eſt, & omnis meſſis in herba, præmature ad dignitates Eccleſiæ promoveri. Quid enim hoc eſt aliud, quam prætertitis validis bobus, admovere tenellos vitulos aratro, qui vel arare neſciant, vel obliquos ducant ſulcos, vel labori ſuccumbant?

Pueri non promovendi ad beneficia eccleſiæ.

Et tamen videmus hodie plures principum & magnatum filios eſſe clericos, immo præſules, quam qui ſe eſſe intelligant, utpote quod intelligere ne quidem per ætatem poſſint. Si *væ terra, cujus rex puer eſt*, quid Eccleſiæ futurum, cui presbyteros, id eſt ſenes, maturos, inquam, annis & moribus, prudentes conſilio præſidere oportebat? Quid mirum, ſi periclitetur ſalus publica, ubi deſunt conſilia; ubi crudis necdumque ſubactis juniorum affectibus, & animi potius impetu, quam ratione & prudentia res geruntur? Ecce in Timotheo requirit Apoſtolus, ut nemo adoleſcentiam ejus contemnat, at ille jam adultior annis erat. Verebatur tamen, ne juventus eſſet obnoxia contemptui, niſi ſingularis morum maturitas & prudentia ætati adderet auctoritatem. Quid nunc diceres, ſancte Apoſtole, ſi pueros videres occupare Sedes Patrum, magiſtros & paſtores populi dici, qui necdum ferulam magiſtri evaſerunt; epiſcopos eſſe, qui necdum nuces reliquerunt, & pæne inter ipſa adhuc crepundia verſantur?

181. Longe alia mens Bernardo fuit: cujus quidem zelo & doctrina egregie imbutum video illum ſuperioris ſæculi vere pium Pontificem, PIUM, inquam, V. qui Principis Brunſvvicenſis nepotem, ad epiſcopatum Halberſtadenſem electum, ſed minorennem, approbare non potuit. Cujus verba, ſane graviſſima, & ſinceriorem piſcæ ætatis zelum pro domo Dei referentia, non poſſum quin hic annumerem, cum forte alias non ſint paſſim obvia. Is itaque ſcribens ad Capitulum Halberſtadenſe, ita loquitur. Poſtquam lectis litteris veſtris, & poſtulatione veſtra cognita, nobiſcum de ea re cogitare cœpimus, non potuimus non admirari, his tam calamitoſis temporibus, ad ejuſmodi vos conſilium deſcendiſſe. Attendimus quidem quæ vos rationes impulerint: ſed ea in re videmus, vos plus neceſſitatem Eccleſiæ, quoad temporalia attinet, quam quoad ſpiritualia, reſpexiſſe. Brunſvvicenſem Ducem amamus nos, ut Principem catholicæ religionis ſtudio & erga ſanctam Sedem apoſtolicam obſervantia excellentem. Omni a nobis cum honore dignum eſſe ſcimus. Favemus ejus nepoti, cumque tali avo dignum evadere cupimus: ſed ita eos diligimus, ut conſcientiam noſtram, & exiſtimationem hujus ſanctæ Sedis minime lædendam eſſe putemus.

Nimis abſurdum, nimis alienum ab inſtituto pontificatus noſtri foret, nimis non catholicos modo, ſed etiam Eccleſiæ adverſarios, & hujus ſanctæ Sedis inimicos offenſurum, ſi puero illa ætate eccleſia iſta nobis approbantibus committeretur. Quam Deo rationem in tremendo judicii die facti noſtri reddere poſſemus? Quid non modo catholici, ſed ii etiam qui ab Eccleſia receſſerunt, dicturi eſſent, ſi poteſtate nobis ad ædificationem data a Deo abuteremur? Requiſivimus hac in re ſane prudentiam veſtram. Illud tamen probavimus, quod veſtri officii memores, poſtulationem veſtram, poſtquam ejus rationem reddidiſtis, arbitrio noſtro permiſiſtis: ſed vellemus vos oculos potius ad ſpiritualia, quam ad temporalia intendiſſe. Cum dilectus filius, nobilis puer Henricus Julius, Deo dante, adoleverit, tum quos illi honores apoſtolica Sedes pro dignitate illius familiæ, & pro avi ſui meritis habere poterit, habebit. Numquam hæc ſedes benignitatem ſuam & gratam voluntatem erga benemeritos Principes deſiderari paſſa eſt: hoc autem tempore conſulendum eſt ſummæ iſtius eccleſiæ neceſſitati.

Proinde hortamur vos, & pro noſtro officio auctoritate apoſtolica monemus, ut nihil niſi Dei honorem & eccleſiæ utilitatem reſpicientes, maturo judicio eligatis in demortui epiſcopi locum talem virum, qualem tam calamitoſa tempora efflagitant, qui catholicus ſit, qui & vitæ honeſtate, & litterarum ſcientia tanto muneri aptus ſit atque idoneus. Agitur conſcientia veſtra, agitur ipſius Eccleſiæ ſalus. Quid prodeſt conſulere temporalibus, ſi ſpiritualia negligantur? At vero ſi eccleſiæ in ſpiritualibus præcipue provſum fuerit, ſi vir ad ea tuenda idoneus deligetur, Deo favente, is temporalia quoque conſervabit atque tuebitur. Sed cum à vobis deligi oportet, qui morum, ut diximus, honeſtate commendetur: ejus vita ſit ad imitandum omnibus, quibus præſit, propoſita: cujus ad mores, tamquam ad normam quamdam, clerus mores ſuos corrigat ac reformet. Quam nos certiſſimam rationem eſſe reprimendarum hæreſum judicamus, ſicut eis excitandis & augendis, & bonis eccleſiarum temporalibus amittendis, prælatorum & aliorum eccleſiaſticorum pravos mores præcipuam cauſam dediſſe conſtat. Ita Pius Pontifex, qui nec dubitavit in ſimilem ſenſum ipſi Duci Brunſvvicenſi, avo ipſius Henrici Julii, pio & catholico Principi, reſpondere. Ad quem inter cetera ita ſcribit.

Qua in re nobilitatem tuam rogamus, ut ſecum diligentius conſideret, quid officium noſtrum requirat, quid hæc tempora poſtulent, quid Halberſtadenſis eccleſiæ neceſſitas poſcat, quanto & quam gravi ſcandalo non catholicos modo, ſed etiam Eccleſiæ inimicos offenſuri eſſemus, ſi puero illius ætatis, auctoritate noſtra, eccleſia committeretur. Certe non ſine pudore & rubore poſſemus de hac re verba cum fratribus noſtris facere. Cogitemus, dilecte fili, utrumque noſtrum Deo rationem reddere debere, quamquam tu et multo ſenior, etiam quam nos. Quam, quæſumus, in tremendo illo judicio rationem reddere poſſemus promotionis adeo immaturæ, adeo contra ſacros omnes canones factæ? cum in nepote tuo, præter generis nobilitatem, nulla prorſus earum rerum luceſſe per ætatem poſſit, quæ ab ipſis canonibus requiruntur. 182.

Speramus quidem de eo illa, quæ ſunt ſperanda de puero tali genere nato: ſed exſpectanda eſt maturitas ætatis, aut, ſi diſpenſatione aliqua ſuper ætate opus fuerit, exſpectandum ſaltem eſt tempus dum adoleſcat, ut certius ſuſcipiendi oneris magnitudinem, & quid profeſſurus, quibuſque ſe legibus obſtricturus ſit, intelligere poſſit. Cum ad talem ætatem, Deo dante, pervenerit; tum ſi apparebit, eum majorum ſuorum, utique in primis avi ſui, tam catholici Principis, imitatorem fore: confidere potes, ſanctam hanc Sedem quoſcumque poterit honores, pro veſtræ familiæ dignitate, ac pro tuis erga religionem catholicam meritis, illi largituram eſſe.

Quocirca hortamur & petimus, ut hæc tecum diligenter perpendens, deſiſtas ad a nobis petere, quod nec nos ſine graviſſima Dei & hominum offenſione concedere, nec tu ſine animæ tuæ periculo impetrare poſſes: quodque non modo eccleſiæ illi, ſed ne ipſi quidem nepoti tuo expedit. Illud multo magis pietate erga Deum tua dignum eſt, ut dilectis filiis Capitulo Halberſtadenſis eccleſiæ gratiis actis, pro ſtudio, quod erga te & nepotem tuum declararunt, eos horteris, ut eccleſiæ ſuæ neceſſitati conſulant, aliquo catholico viro, & vitæ honeſtate ac litterarum ſcientia prædito, quæ à ſacris canonibus requiritur, ad eccleſiæ regimen in demortui epiſcopi locum ſufficiendo. Ita Pius Pontifex, pie utique & cordate, prout decebat pium Pontificem.

Porro in hac ipſa S. Bernardi epiſtola alius ſe locus offert contra Plurales, cujus occaſione denuo hic iis aures vellicandæ eſſent, niſi id ſupra factum eſſet. Nam, inquit, nec quicquam vel adulto plures (dignitates) in pluribus eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatorie quidem ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonæ utilita- 183.

Plurales quoque iterum reprobati.

tem. Quæ ſcilicet utilitas non ad perſonam, ſed ad Eccleſiam referenda eſt. In qua Bernardi verba ſubet audire doctiſſimum virum & magni zeli ac ſanctimoniæ epiſcopum Ruræmundanum Henricum Cuickium, Bernardi quoque mire ſtudioſum, cujus Libros de Conſideratione diligenter caſtigatos, diſtinctoſque ſeparatim emiſit.

Is ergo Paræneſi II. ad univerſum ſuæ diœceſis Clerum ita loquitur. Neminem ergo Bernardus in duabus vult conſcribi eccleſiis. Neceſſitati tamen locum facit, & magnæ alicui ac evidenti utilitati: ſed non ſinit privati cujuſque hoc ſententia definiri. Nimis proni ſunt mortales ad capiendam ex omni re utilitatem: nimis ſubtilis ſibi uniuſcujuſque cupiditas eſt, & mentitur iniquitas ſibi, ut ibi utilitatem fingat, aut neceſſitatem, ubi avaritia prædominatur. Adeundus & audiendus eſt ille, qui ex auctoritate indulgere poteſt, ut plura unus occupet ſacerdotia, ſi hoc aut impellat neceſſitas, aut magna ſuadeat utilitas. Quod niſi ſit, non eſſe à lege recedendum, in 3. de Conſid. ad Eugenium, & lib. de Præcepto & Diſpenſat. diſerte & graviter demonſtrat Bernardus. Et infra. Qualem hodie clerum haberemus, ſi ſingulis ſufficientia aſſignaretur, nec ullo jam affectu temporalibus affixi rebus, per temporalia hæc tranſeuntia ſemperque labentia bona, ad immobilem & ſempiternam contenderent hereditatem? Nam Paulo teſte, *quæſtus magnus eſt pietas, cum ſufficientia.* Subjicit vero: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Si ad omnes promiſcue hæc dicta ſunt, nonne multo maxime ad illos pertinere putanda, quibus ſuum patrimonium Chriſtus commune facit, ut cetera omnia, quæ à Deo abducunt, aſpernentur? Nonne hi cum primis timere debent illud, quod ſubjicit Apoſtolus? *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Quicquid enim ad alios omnes dictum eſt, ait Salvian. lib. 2. magis ad eos pertinet, qui exemplo omnibus eſſe debent: & quos utique antiſtare ceteris oportet devotione, quanto antiſtant omnibus dignitate.

Sed quo devenit priſtinus cleri decor? quo clerum avaritia abduxit? quando ſacerdotes ab omni moderatione alieni, quamdiu vivunt, congerunt ſemper atque accumulant opes: & timere inſuper videntur, ne etiam mortui eſuriant. Hæc epiſcopus Eccleſiæ Ruræmund. Vide Notas ad epiſt. 78.

184. Ubi vero emarcuerit, probabo me amicum. Nempe amicus Bernardus, ſed uſque ad aras. Quin & Tullius hanc primam amicitiæ legem ſanciri vult, ut ab amicis honeſta petamus: amicorum cauſa non niſi honeſta faciamus, in Lælio. Unde cum in amicitia, ait idem, quæ honeſta non ſunt, poſtulantur; religio & fides anteponantur amicitiæ, 3. de Off.

185. * Sane Vuillelmuld nostro. Quartus hic Theobaldi filius, ad Albas-manus appellatus, qui primo ad ſedem Carnotenſem evectus, deinde ad Senonenſem, poſtea ad Remenſem, demum S. R. E. Cardinalis & Legatus in Gallia creatus eſt. Is ſacravit Philippum Auguſtum nepotem ſuum, & ut ejus gratiam Alexander III Francorum Reges inaugurandi jus Remenſi archiepiſcopo confirmavit. De eo ſcribit Petrus Cellenſis, epiſt. 5. lib. 2. Petrus Bleſenſ. epiſt. 28. & 285. aliique plures.

IN EPIST. CCLXXIII. Ad Eugenium.

186. * Abbas Trium-fontium. Hugo ſcilicet, ad quem epiſtola ſequens, abbas Trium-fontium in Campania, non vero S. Anaſtaſii ad Tres-fontes prope Romam, quidquid Vvion, Ciaconius, aliique in contrarium ſentiant. Primo quippe *Trium-fontium* appellatio, per ea maxime tempora, abſolute ſoli Campaniæ monaſterio tribuitur, ex vita S. Bernardi, & ex titulo epiſtolæ 69. *ad Abbatem de Tribus-fontibus*: cum Romanum illud *S. Anaſtaſii* nuncupari ſoleat, ut probat in primis inſcriptio epiſtolæ nunc 345. *Fratribus de S. Anaſtaſio* directæ. Deinde Rualenus ex Priore Claræ-vallenſi abbas tunc erat ad S. Anaſtaſium, ex epiſtolis 245. 258. & duabus ſequentibus: quibus accedit Nicolai Claræ-vallenſis epiſtola 43. *Ad Rualenum abbatem S. Anaſtaſii.* Ad hæc ſequens Bernardina epiſtola 274. in mſſ. hunc titulum præfert, *ad Hugonem abbatem Trium-fontium, quando erat Romæ*: quæ verba ſatis innuunt, hoc monaſterium ab urbe Roma longius diſſitum fuiſſe. Præterea Bernardus in hac epiſtola 273. Eugenio ſignificat, ſe ægre ferre, quod Hugo Romam evocatus ſit, nempe ut crearetur cardinalis; additque ſe graviter eo hoc vulneratum iri, niſi ad ſe remittatur. Atque adeo Hugo in Gallus abbas erat. Denique faciendæ electioni ad ſucceſſorem Hugonis ſubrogandum Bernardus ipſe, qui tum in Gallia verſabatur, præſens interfuit, ut patet ex epiſtola 274. Porro Hugo anno 1150. cardinalis epiſcopus Oſtienſis in tertia creatione ab Eugenio facta, ſimulque cum eo creati ſunt cardinales alii duo monachi Claræ-vallenſes, Henricus & Rolandus, teſtante Ciaconio: tuncque accidit, ut eccleſiæ Oſtienſi ob incolarum inopiam conjungeretur Veliterna. De Hugone iterum in epiſtolis 274. 287 290 296 306 & 307.

IN EPIST. CCLXXVI. Ad eumdem.

187. Horstii. Sanctum loquor Episcopum. Id eſt Hugonem, ex primo abbate Pontiniacenſi epiſcopum Autiſſiodorenſem. Obiit anno 1151. 30. Octobris: de cujus viri miraculoſa converſione, virtutibus ac ſanctimonia lege Henriquez in faſc. lib. 2. diſt. 10. cap. 18. & in Menolog. 21 Januarii Vit. S. Bern. lib. 2. cap. 3.

Itaque miratur ac queritur Bernardus, hunc moribundum, & parum ſui compotem, Stephano quodam ſuadente & ſuggerente, pauperibus & eccleſiis prætermiſſis, (quibus nihil pene aſſcribere ſustinuit) totum quod acquiſierat, nepoti ſuo carnali, adoleſcentulo ſæculari, inutili, dimiſiſſe, etſi putet Bernardus Epiſcopo ignorante hæc à Stephano ſic directa eſſe, ut merito adverſus eum tam indignam, zelum & officium Pontificis impleret. Quid enim indignius, quam patrimonium Chriſti, res eccleſiæ, ſubſidia pauperum in carnales amicos & propinquos conferre? quod hac tempeſtate dolendum tam eſſe pervulgatum, languente ſcilicet Eccleſiæ cenſura, quæ ejuſmodi teſtamenta ſubvertere atque irritare deberet, quæ Deo etiam vindice (qui ſic partas hereditates non ſinit proficere, aut ad tertium heredem pervenire) iniqua eſſe comprobantur. Illud porro mirandum æque ac dolendum, quod in condendis teſtamentis major ſæpe ſit laicorum, quam eccleſiaſticorum pietas ac religio. Illi non raro ſua conferunt in eccleſias & pauperes: hi utrique his neglectis malunt in carnem & ſanguinem ſuum eſſe liberales. Quid magis præpoſterum?

Clericorum teſtamenta improbata.

Quos proinde luculenter & graviter monet Tridentina Synodus, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: immo quam maxime poteſt, eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque affectum (unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium exſtat) penitus deponant. Ita Trid. Conc. Seſſ. 25. de Reform. cap. 1.

Exemplis piorum eccleſiaſticorum, cardinalium, epiſcoporum, aliorumque clericorum, tum priſcis, tum recentibus, hæc illuſtrari poſſent, ſi pateretur inſtituti ratio. Ut antiquiora præteream, de Carolo Borromæo card. & archiep. Mediol. qui ampliſſima teſtandi poteſtate accepta, mere pium teſtamentum condidit, nihil conſanguineis legans; vide Vitam ejus elegantiſſime per Carolum à Baſil. Petri conſcriptam. Similia de Cardinalibus Toleto & Bellarmino legimus.

Verum de teſtamentis pie condendis pium & utiliſſimum tractatum edidit Johan. Molanus Theol. Lovan. qui etiam cap. 42. obſervat, Bernardum tribus diverſis locis in epiſtolis (n. 64. 218. & 276.) cauſam teſtamentorum egiſſe, & ex ſingulis tuliſſe monita eruit, nempe, ut valide, ſeu petita licentia, clare, & perſpicue, denique mature, & cum ſenſus vigent, teſtamenta condantur. Et quidem ad præſentis epiſtolæ verba, *Quis credat virum ſanctum, ſpiritualem, ſi ſapuit, ſi compos ſui fuit, teſtamentum tale feciſſe?* &c. adjicit Molanus: Hoc autem poſtremo exemplo monentur viri eccleſiaſtici, ut ſani mente & corpore, ultimæ voluntatis ſuæ arbitrium declarent; ne poſtea per acrimoniam morbi, ſtupidi & turbati teſtentur, non prout volent, ſed prout carnales amici importune extorquebunt. Plura qui volet, adeat & audiat ſeptem noſtras TUBAS Diſcipl. Eccleſ. & in iis Salvianum ad Eccleſ. Cathol.

IN EPIST. CCLXXVII. ad eumdem.

* Pro Abbate Cluniacensi. Petrum Venerabilem, 188. ad Eugenium honoris cauſa procedentem, his litteris Bernardus commendavit. Ille ſui itineris meminit tum lib. 2. Mirac. cap. 25. *In primo*, inquit, *pontificatus domini Papa Eugenii anno ad viſitandum tam ipſum, quam communem matrem Romanam eccleſiam Romam adii*, tum etiam ad Bernardum ſcribens: *Videram eum*, inquit, (ſcilicet Eugenium) *primo anno pontificatus ſui Romæ*. Quo Lib. 6. epiſt. 40. quidem in itinere illud ipſi accidit, quod poſtea Eugenio ſcripſit, Ibid. epiſt. 44. ut à marchione Opizone per Italiam graſſante ſpoliatus, Placentinorum auxilio omnia recuperaverit. Iterum vero Eugenium inviſit circa annum 1151. a quo quam fuerit benigne exceptus, teſtatur in quadam epiſtola ad S. Bernardum, cujus amicitiæ officium hac in Ibid. epiſt. 46. parte agnoſcit.

IN EPIST. CCLXXVIII. Ad eumdem.

Vexationes et tribulationes &c. Simile 189. Horstii. quid de Belvacenſis eccleſiæ ſtatu ſcribit Ivo Epiſc. Carnot. epiſt. 87. Prædicta, inquit, eccleſia (Belvacenſis) tamdiu jam bonos deſuevit habere Paſtores, ut malos habere, videatur ei quaſi legitimum, bonos autem eligere, quaſi nefarium, &c.

Abbatissa de Paraclito Heloiſſa, Petri Abælardi quondam conjunx, deinde ſanctimonialis, denique abbatiſſa parthenonis Argentolienſis, ad Sequanam præterfluentem in diœceſi Pariſienſi. In quem locum anno M. C XXVII. cœnobitæ Dionyſiani, cum ea antiquiſſimis diplomatibus probaſſent, ſuum eſſe dono Hermentrici, Nummæque uxoris, regreſſi ſunt longo poſtliminio. Theodrada enim, Caroli Magni filia, congregaverat ibidem velatas, quæ ejecta diſciplina monaſtica ejectæ ſunt. Paulo ante, ut ſuperius diximus, Petrus Abælardus, cum facultate Abbatis S. Dionyſii abſceſſerat in ſolitudinem agri Trecenſis, ubi oratorium calamorum paluſtrium, ſtipularum, juncorumque ceteribus confectum, dicaverat primo ſanctiſſimæ Trinitati: deinde Paracliti nomen indidit, quod ibi poſt varias calamitates tandem nonnullo ſolatio reſpirale ſibi viſus eſt. Quem locum poſtea Heloiſſæ ceſſit.

IN EPIST. CCLXXX. Ad eumdem.

190. *DEFUNCTUS EPISCOPUS PROMOTIO, &c. Defuncto Hugone epiſcopo Autiſſiodorenſi an. 1151. *volentibus clericis alium epiſcopum, ut moris eſt, eligere*, loquit Bernardus lib. 3. de Conſid. cap 2. *quidam adoleſcentulus intervenit appellans, & vetans ne fieret, quoadusque iſſet, & rediſſet ab Urbe: cui tamen appellationi nec ipſe detulit Nam cùm videret ſe contemni, tanquam qui irrationabiliter appellaſſet, accitis quos potuit ſibi*, *tertia die poſt factam ab aliis electionem, fecit ſuam.* Quibus acceptis Eugenius, tribus (ut hic dicitur) quorum unus erat Bernardus, commiſit electionem. Bernardi & alterius in unum convenere ſuffragia, altero reclamante: unde hic poſtulat ab Eugenio ſuppleri quod minus eſt. Electus hic videtur fuiſſe Alanus, qui tandem Hugoni ſucceſſit. De quo ſic loquitur liber ſepulcrorum Claræ-vallenſium. Ad dexteram domini Godefridi quondam Lingonenſis epiſcopi, verſus chorum, jacet dominus Alanus epiſcopus Autiſſiodorenſis, qui in quadam eccleſia oppidi famoſi in Flandria, quæ Inſula nuncupatur, à puero educatus, ſub B. Bernardo in hac Clara-valle habitum religionis ſuſcepit. Poſtea primus abbas factus eſt monaſterii, quod Ripatorium nominatur. Cui per annos duodecim præſidens, Domino cooperante ſategit, ut perſonis utilibus & poſſeſſionibus neceſſariis .... ditaretur. Anno vero noviſſimo vitæ B. Bernardi, ab eccleſia Altiſſiodorenſi in epiſcopum concorditer eſt electus. Hic multam hoſpitalitatem omnibus religioſis domos ſuas frequentantibus exhibuit ... Peractis demum in epiſcopatu tredecim annis, de licentia Sedis apoſtolicæ ceſſit epiſcopatu, & ad ſuam rediit Claram-vallem. Obiit autem pridie Idus Octobris circa annum Domini MCLXXXI. Ubi dum concorditer electus dicitur, intelligendum eſt in eum tandem eligentium ſuffragia conveniſſe, ut etiam Bernardus epiſt. 282. ad Ludovicum regem diſerte teſtatur.

Vide Epiſt. 275.

191. *COMES NIVERNENSIS VIAS PATRIS NON AMBULAT. Nimirum Guillelmus IV. filius Guillelmi III. viri utique pii admodum & religioſi, de quo ita Hugo monachus Autiſſiodorenſis. *Anno 1147. Guilelmus Nivernenſis Comes, relicto ſeculi principatu & omni honore calcato, Cartuſiam petit, ibique Deum in humillima paupertate converſans, infra annum converſionis ſuæ felicem terminat curſum vitæ.*

192. *REGNIACENSIS REGNARE NULLATENUS PERMITTATUR. Hoc ironice dictum, ſiquidem de Alano (ut videtur) intelligamus, quem hoc nomine S. Bernardus idcirco indigitaverit, forſitan quod ex pago Regniaco, vulgo *Reninghe*, apud Belgas non longe ab Ipra eſſet oriundus. Nam quod paſſim dicitur Inſulenſis, de loco educationis interpretandum inſinuat liber ſepulcrorum Claræ-vallis loco ſupra citato, ubi *in quadam eccleſia oppidi famoſi in Flandria, quæ Inſula nuncupatur, à puero educatus legitur*, non natus. Regniacenſis enim dici non poteſt à monaſterio Regniacenſi, de quo anno 1128. in noſtra Chronologia: cùm ex Clara-valle in Ripatorii abbatem, exinde vero in epiſcopum Autiſſiodorenſem fuerit aſſumptus. Niſi forte quis dicat in ſecunda electione Autiſſiodorenſi monachum Regniacenſem fuiſſe electum, pro quo hic S. Bernardus ſcripſerit; ſed multis diſſentientibus, tertia tandem electum fuiſſe Alanum.

IN EPIST. CCLXXXIII.

193. *PRO GIGNIACENSIBUS. MSſ. Ciſterc. habent, *pro fratribus de Miratorio*. Sed perinde eſt. Hæc enim epiſtola ſcripta eſt contra Gigniacenſes in cauſa fratrum de Miratorio. Cum enim decimarum exemptio ab Innocentio Ciſtercienſibus conceſſa, Cluniacenſium animos multum exaſperaſſet, ut dictum eſt in Notis ad epiſt. 228. in primis vero Gigniacenſes Ord. Cluniacenſis, adverſus vicinos ſibi Ciſtercienſes de Miratorio, utroſque provinciæ Lugdunenſis, eo uſque illorum efferibuit commotio, ut quidam ex Gigniacenſibus Miratorii cœnobium ſuíque deque vertere non dubitaverint. Quod ut reſcivit Eugenius, acres admodum litteras dedit ad Petrum Venerabilem, quo, facta quam primum damnorum compenſatione Ciſtercienſibus fieret ſatis, alias rigide in reos animadvertendum denuntians, commiſſa Lugdunenſi archiepiſcopo facultate eccleſiaſticas adhibendi cenſuras, niſi intra viginti dies de damnis illatis paciſcerentur. Has litteras vulgavit Manricus ex monaſterio Vallis-lucentis, ut videre eſt in Appendice Tomi 2. Annal. Convenere apud Cluniacum viri ſanctiſſimi Bernardus & Petrus Venerab. ejus rei gratia: quatriduo res agitata, damnumque æſtimatum ultra triginta ſolidorum millia. At Gigniacenſibus ſententiæ parere cunctantibus, Bernardus dilationem Eugenio hac epiſtola ſignificavit. Bernardo mortuo, inter utriuſque loci monachos de decimis facta compoſitio eſt anno 1155. qualis refertur apud Guichenonem in Hiſtoria Sebuſiana, pag. 813. Quamvis autem nos lateat compenſatio per Gigniacenſes facta, non latet tamen, ut Manricus notavit, facta per Petrum Venerabilem in Ciſtercienſes munificentia ex depoſito Baronis Romani ſubdiaconi, quod Cluniaci relictum, mortuo Barone Petrus Ciſtercienſibus liberaliter reſignavit, ut conſtat ex epiſtolis modo 388. & 389.

IN EPIST. CCLXXXV. Ad eumdem.

194. *PRO ODONE ABBATE S. DIONYSII. Nempe Pariſienſis, qui ex abbate S. Cornelii Compendienſis Sugerio ſucceſſit ineunte anno 1152. Mirum quomodo tam cito de bonorum S. Dionyſii dilapidatione potuerit accuſari, cum decedente S. Bernardo, vix ſeſquiannum præfuiſſet. Ex anonymo Sigeberti continuatore nondum edito diſcimus cauſam, ob quam Odo abbas male audiit. En anonymi verba ad an. 1150. Defungitur SUGERIUS abbas S. Dionyſii, eccleſiam ſuam in optimo relinquens ſtatu. Succedit ODO primus abbas Compendienſis, qui & S. Dionyſii monachus fuerat. Sed immemor beneficiorum Sigerii, totam cognationem ejus delere conatus eſt, & eccleſiam attenuavit, & læſit in multis. Non erat qui Sigerii cognatos protegeret, Rege diſſimulante & quoſdam eorum perſequente, eo quod Simon, præfati Sigerii nepos, indignationem ejus incurrerat, & ex ſuſpicione nominis odioſi cancellariam Regis amiſerat, & eliminatus a regno confugit ad dominum Eugenium: à quo benigne receptus, ſine exemplo, ſed non ſine admiratione, in litteris protectionis præter formam communem emeruit privilegium, ut non niſi in præſentia ſummi Pontificis cogi poſſet ſuper aliquo crimine reſpondere. Tandem patrocinante Eugenio contra chriſtianiſſimum & amiciſſimum Principem, eidem Simoni pax reformata eſt, epiſcopis graviter ferentibus jam dicti privilegii formam, quæ præſtare videtur audaciam delinquendi, & criminum conſcios ad ſimile privilegium animare.

IN EPIST. CCLXXXVIII. Ad Andream.

195. VÆ PRINCIPIBUS NOSTRIS, &c. De infelici expeditione in Orientem hoc intellige. Nam ambitio, ſimultas, æmulatio inter Chriſtianos Principes ſacræ illius expeditionis vires & conatus infregit. Ita indicat Bernardus lib. 2. de Conſ. cap. 1. Otto Friſing. teſtis oculatus lib. 1. de Geſt. Frid. Imp. cap. 78. ubi, poſt commemoratas ingentes exercitus Chriſtiani clades, ſubjungit: *Nondum tamen ex tot & tantis attritionibus faſtus inter eos regalis decoctus conquieverat.* Vide Æmil. in Ludov. VII. ubi agit de obſidione urbis Damaſcenæ, jam pæne expugnatæ, niſi ambitione Principum ſpes omnis eluſa eſſet. Vide etiam Sigonium de regno Italiæ lib. 12. Plura de cauſis rei infeliciter in expeditione tranſmarina geſtæ, vide in Notis ad lib. 2. de Conſid. cap. 1.

HORSTII.

IN EPIST. CCXCVIII. Ad Eugenium.

196. *NICOLAUS ILLE EXIIT A NOBIS, &c. Hic ille Nicolaus, quem tanti fecit Petrus Abbas Cluniacenſis, ut videre eſt in epiſtolis ejus *, ex monacho Arremarenſi factus Ciſtercienſis, & Bernardi Notarius. Valebat enim ſtilo, & ipſum tantum non Bernardum exprimebat. Epiſtolæ ejus extant in editione Colon. Biblioth. Patrum, edente Johanne Picardo Victorino Pariſ. Sed homo verſipellis, & pelle ſub ovina aliquandiu mentem tegens lupinam, tandem prodidit hypocriſin ſuam. Nam ſigillo Bernardi non ſemel abuſus, & deprehenſus falſarius, fugam arripuit: ut non ſine cauſa alias ad Eugenium ſcripſerit Bernardus, periclitatum ſe in falſis fratribus epiſt. 284. Profugiſſe in Angliam communiter tradunt ex occaſione cujuſdam Nicolai S. Albani in Anglia monachi, qui S. Bernardi jam è vivis erepti ſententiam de Conceptione B. Virginis impugnavit. At cum Petrus Cellenſis, qui S. Doctoris cauſam tuendam ſuſcepit, epiſtola 23. lib. 6. & epiſt. 9. lib. 9. iſtum Anglum vocet, eumque ſibi ex iſtis dumtaxat Scriptorum velitationibus notum & amicum indicet; illum autem Gallum, & Petro Cellenſi familiariter notum & cariſſimum eſſe conſtet ex epiſtolis ultro citroque ad invicem miſſis; alium ab illo eſſe fatendum eſt, ut interim taceam quod ſtilus ejus non ſit tam mordax, ſed urbanior, quam ut in Petrum Cellenſem tam petulanter ſe geſſerit, ut ipſe Petrus conqueritur paſſim de Nicolao Anglo epiſt. 9. lib. 9. & ex ipſius Angli epiſtola, quæ ipſam præcedit, legenti innoteſcit. Ceterum Nicolaus ex monaſterio Arremarenſi ad Claræ-vallenſes tranſiit anno circiter 1146. certe Eugenio in Pontificem aſſumpto, ut patet ex epiſtola 7. quam ad Claræ-vallenſes nondum admiſſus ſcripſit. Fugit vero anno circiter 1151. nimirum poſt electionem Gratianopolitanam, de qua ſupra in Notis ad epiſt. 270. ſiquidem epiſtolæ 389 S. Bernardi ubi de illa agitur, ſubſcripſiſſe reperitur. Plura de eo in Præfatione ad tomum 3.

Vide ſup. Epiſt. 184.

IN EPIST. CCXCIX. Comiti Engoliſmenſi.

197. PRO FRATRIBUS DE BUXIA. Ita legendum, non *Bruxia*. Eſt autem Buxia ſilva in Gallia, diſtans ab Engoliſma urbe tribus millibus: in qua ſilva cum S. Amantius Burſegalenſis, recluſus, duceret vitam ſolitariam, tandem eremus verſa eſt in cœnobium monachorum, qui in hac epiſt. vocantur *Fratres de Buxia*, gallice *de Boixe*, à fundo cœnobii. Ita Picardus ex ſchedis ipſius monaſterii, in quibus patet locum ibi à Claræ-vallenſibus ædificari cœptum, monachis S. Amantii redditum anno 1153. Cum vero ibidem per decem annos commorati ſint, ut patet ex prædictis inſtrumentis, hæc epiſtola ſcripta videtur circa annum 1143. quo ibi ſunt conſtituti.

HORSTII.

198. Sed præſtat integram Joannis Picardi orationem huc referre. Monachi S. Amantii, inquit, ad quos locus ſpectabat, & cum quibus de ipſo litigatum, ut ſupra vidimus, locum prædictum (ſcilicet de Buxia) quadam die adierunt: ibique præſente Hugone Engoliſmenſi epiſcopo, qui eodem die conventum ibi mandaverat, & cœmeterium ſacrare volebat, contradixerunt, ut nullum ibi divinum celebrarent officium. Ob hoc itaque monachi Claræ-vallenſes ſuper monachis S. Amantii querimoniam facientes, apud vicum S. Amantii cum multis viris religioſis, tam abbatibus, quam monachis, & compluribus terræ baronibus convenerunt: ibique monachi Claræ-vallenſes, & monachi S. Amantii, quidquid abbas Claræ-vallenſis ſuper hac re, juſtitia dictante, decerneret, ſe facturos promiſerunt.

PICARDI.

ſaiſ

Tali itaque conventione facta Petrus abbas S. Amantii & monachi Claræ-vallenſes, apud Claram-vallem pervenerunt, [illegible] que abbas Claræ-vallenſis, auditis cauſis utriuſque partis, & præ[illegible] cum eccleſiæ S. Amantii, in manu Petri abbatis ejuſdem e[illegible]iæ præſente domino Hugone Engoliſmenſi epiſcopo, & Junio abbate de Corona & Gaucelino archipreſbytero de S. C[illegible], benigne conceſſit; tali quidem conditione, quod ſexaginta marcis argenti monachis Claræ vallenſibus propter ædificia & cetera ab eiſdem loco acquiſita monachi S. Amantii redderent. Scripſit itaque h[illegible] modo. *In nomine Domini Ego Bernardus Claræ-vallenſis vocatus abbas, notum volo eſſe, quod locum de Buxia, & quidquid in eo habemus, ex dono comitis Engoliſmenſis, & Petri Anſientis, eccleſiæ S. Amantii conceſſimus. Teſtes fuerunt dominus Hugo Engoliſmenſis epiſcopus, dominus Godefridus Lingonenſis epiſcopus, Junius abbas de Corona, Frater quoque Philippus Prior noſter, & Frater Gerardus, & Frater Ganfridus, monachi domus noſtræ. Actum apud Claram-vallem anno ab incarnatione Domini* M. C. LIII. Hactenus ex Picardo.

IN EPIST. CCC.

299. Horstii. COMITISSÆ BLESENSI. Mathildi Flandricæ, uxori Theobaldi Magni Comitis Campaniæ.

CONSIDENDUM MUTATUM IRI IN MELIUS, PATRIS MERITIS, &c. Magnam vim ad imbuendos virtute filios habent paternæ virtutis exempla: quin & parentum mores fere trahunt proles ab origine. Nempe fortes creantur fortibus, ac bonis; eſt quoque in juvencis, & in equis patrum virtus. Contingit tamen etiam non raro, ut heroum filii a parentum virtute degenerent. Jam vero quantus vir Theobaldus Comes Campaniæ fuerit, quantus religioſorum & pauperum fautor, ex Vita S. Bern. conſtat. Vide Notas ad epiſt. 37. &c. Sed non parentalis filium præſens epiſtola ſatis oſtendit, niſi quod melioris frugis ſpe matrem ſolatur, ipſis illi patris meritis ac eleemoſynis fiduciam ſuggerentibus.

De educatione ac liberorum utile monitum. Sed & addit utile monitum, parentibus in educatione prolium, ac præceptoribus in inſtitutione diſcipulorum obſervatu digniſſimum. *Agendum cum eo*, inquit, *in ſpiritu lenitatis, blandiſque obſequiis: quia ſic melius ad bona opera provocabitur, quam ſi irritationibus & increpationibus exaſperetur.* Nempe generoſus eſt animus hominis, ait quidam: potius ducitur, quàm trahitur. nam duci hominum eſt, trahi jumentorum. Audiamus etiam, ſi lubet, Comicum. *Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quàm metu. Errat longè mea quidem ſententia, qui imperium credat gravius eſſe, aut ſtabilius, vi quod fit, quam illud quod amicitia adjungitur*, &c.

Porro non vana ſpe, aut potius vaticinio Bernardus videtur Comitiſſam ſolatus. Nam quatuor eam filios Theobaldo Magno Comiti Campaniæ genuiſſe reperio, Henricum Comitem Bleſenſem, qui patri ſucceſſit anno 1151. Theobaldum Dapiferum Ludovici Junioris, ac poſtea Philippi Aug. regum, quo in munere ſucceſſit Radulfo Comiti Viromanduorum. Stephanum Sacrum-Cæſarem, poſtea Cartuſianum: idemque Guillelmum, de quo ſupra epiſt. 271. cui jam tum puero ad dignitates Eccleſiæ promovendo Bernardus operam ſuam recuſabat. Bernardus hac in epiſtola agere videtur de Henrico primogenito, qui ex Syria redux, & paternæ potentiæ ſucceſſione intumeſcens, in quoſdam exceſſus ætatis fervore abripiebatur.

Epiſt 370. Inter quos à Sancto memoratur, quod *maledictas nundinas cum Roberto Regis fratre poſt feſta paſchalia ſtatuiſſet*, ut monomachia invicem congrederentur. Is tamen Bernardi monitis & piæ matris lacrymis brevi ita reſipuit, ut ab illius ævi Scriptoribus inter illuſtres viros referri meruerit.

IN EPIST. CCCI.

300. * SANCIÆ SORORI IMPERATORIS HISPANIÆ. Scilicet Alfonſi Caſtellæ regis, quem vulgo Imperatorem appellant. Sancia hæc in S. Bernardum mire propenſa, aſceterium Ciſtercienſis Ord. in diœceſi Palentina, S. Petri de Spina appellatum, condidit anno 1147. colonia à Bernardo tranſmiſſa, duce ejus fratre Nivardo. Nec multo poſt monachi origine cœnobii de Toldanos in regno Legionenſi, ab Elvira Infantiſſa recens fundati, Carracetenſium, quibus ſuberant, jugum deponentes, Ciſtercienſibus ſe ſubdiderunt. Statim Carracetenſes reclamavere, implorata Sanciæ apud Bernardum auctoritate. Quid vero inde ſecutum ſit, diſcimus ex veteri inſtrumento, quod profert Manricus in Annal. ad an. 1148. cap. 8. in quo inter cetera ſic legitur. Poſt deceſſum D.
» Florentii abbatis, iſte Ferdinandus abbas de Toldanos Carracetenſem
» eccleſiam gratis odio habuit, & ei rebellis, & contumacia ductus
» ad Claræ-vallenſem eccleſiam ſe contulit. Quod regina domna
» Sancia, quæ Carracetenſe monaſterium affectuoſe dilexit, moleſte
» ferens, Claræ-vallenſi Abbati & conventui litteras direxit, ut prædictum
» abbatem illicenter reciperent. Claræ-vallenſis Abbas Reginæ
» preces exaudivit, abbatem Ferdinandum recipere noluit, niſi à Carracetenſi
» eccleſia, ut reciperetur, licentiam impetraret. Quam cum
» impetrare non poſſet, nec Claræ-vallenſi, nec Carracetenſi eccleſiæ
» aliquamdiu obedivit. Hæc ibi. Iſtud tamen cœnobium poſt plures annos jugum Ciſtercienſium ſubiit.

301. * NAM ET FRATER NIVARDUS. Ex hoc loco Scriptores Ciſtercienſes recte colligunt, Nivardum, Bernardi germanum natu minimum, à ſancto Fratre ſuo in Hiſpaniam miſſum ad deducendam coloniam in prædictum Spinenſe monaſterium. Idem etiam ab eodem antea miſſus fuerat in Neuſtriam ad ordinandum in diœceſi Bajocenſi novum cœnobium in loco Solopera ſeu Soleuvria dicto, qui locus ſitus eſt haud procul ab oppido Viri, vulgo *Les-vaux de Soulevure*. Robertus, Henrici filius, BERNARDO ABBATI *Claræ-vallenſi & eccleſiæ beatæ Mariæ de Soleuvria* tradit habitationem ſuam Fago-pendente vicinam, circiter annum 1146. Algarus vero Conſtantienſis epiſcopus confirmat don[illegible] a quodam Willelmo Silvanect, *Deo, & Beatæ Mariæ de Soleuvria, & fratribus ibidem Deo ſervientibus* factam IN MANU NIVARDI, *fratris domini Bernardi Claræ-vallenſis abbatis*. Quo ex loco inferimus, Nivardum tunc iſtius cœnobii fuiſſe abbatem. Paulo poſt, id eſt anno 1150. idem monaſterium ob loci exiguitatem & incommoda tranſlatum eſt in Vallem-Richerii, quæ *de feudo eccleſiæ Bajocenſis & parochia erat*, Solopera in dominium Bajocenſi epiſcopo, *ſicut antea fuerat*, reſignata, cum conſenſu Bernardi abbatis. Extant in Neuſtria piæ Philippi epiſcopi Bajocenſis litteræ de conventione, *quæ inter eum & abbatem Thomam de Valle-Richerii facta eſt de loco, qui Solopera vocatur, in quo primi ejus abbatia erat*, commutato cum Valle Richerii, quem locum Philippus epiſcopus ei conceſſit, *ſicut abbas de Mortuo-mari antea ab ipſo acceperat*. Hugo Rotomagenſis antiſtes hanc commutationem confirmavit Bajocis anno 1150. Thomæ abbati Vallis-Richerii ſucceſſit Rogerus, qui loci iſtius *ſecundus abbas* in epitaphio ſuo dicitur.

Hactenus apud Vallem-Richerii, quæ ab urbe Lexovio duabus longioribus leucis diſtat, degunt ſedecim monachi ſtri[illegible]ris obſervantiæ Ciſtercienſis, ſub regimine R. P. D. Dominici Georges abbatis emeriti, qui ad conſummandam propagandamque Ordinis ſui accuratiorem diſciplinam plurimum inſudavit.

IN EPIST. CCCII.

* LEGATIS APOSTOLICIS De iſta legatione ita Baronius ad ann. 1153 *Eodem anno* inquit, *decernitur ab Eugenio Papa legatio in Germaniam ad judicandum Epiſcopum Moguntinum. Fuerunt delecti ad hoc munus obeundum Bernardus presbyter & Gregorius diaconus*, &c. Bernardus quidem ex Priore monaſterii Lateranenſis Canonic. regul. ab Eugenio presbyter cardinalis tit. S. Clementis creatus anno 1145. Gregorius vero is eſſe creditur, qui anno 1137. ab Innocentio factus eſt cardinalis tit. S. Angeli. Conradus epiſcopus, qui centum annis poſtea ſcripſit Chronicon Moguntiacum, Henricum depoſitum tradit, omnemque culpam rejicit in Arnoldum quemdam epiſcopi proditorem; Dodechinus in Append. ad Marianum in Canonicos, utrosque in Legatos pecunia corruptos, ſuffecto Arnaldo Cancellario. Otho nihilo minus Friſing lib. 2. de vita Frid. cap. 9. qui præſens aderat, juſte depoſitum aſſerit. *Rex*, inquit, *proximam Pentecoſten Wormatiæ feriavit, Henricum Moguntinæ ſedis archiepiſcopum, virum pro defenſione Eccleſiæ frequenter correptum, nec correctum, per eoſdem cardinales depoſuit*, &c. Videat Lector utri aſſentiendum ſit, ſcriptori ſuppari, an oculato, docto, & ſincero. Certe quod addit Conradus, brevi poſt tempore ambos Cardinales morte pudenda interiiſſe: erroris arguitur, cum Otho ibidem aſſerat eos diu ſupervixiſſe, & Bernardum alia legatione iiſdem in Germania perfunctum eſſe ſub Adriano IV. in comperto ſit. Ut ut ſit, Henricus depoſitus in Saxoniam ſecedens, non multo poſt in cœnobio Ciſtercienſi diem extremum pie & feliciter clauſit. Vide Serarium de reb. Mogunt. lib. 5. & Baron. anno 1153. 302.

IN EPIST. CCCVII. Ad Eugenium.

SUI JAM JURIS EST, &c. Henricus, Ludovici Craſſi filius, & Ludovici Junioris regis Gall. frater, epiſcopus Belvacenſis, male (uti hinc apparet) apud Pontificem audiit. Unde reſpondet Bernardus, ſe de ejus erratis, ſi quæ ſint, dolere poſſe; emendare, prout velit, non valere: malletque Bernardus ipſum potius Pontificem has ejus corrigendi partes ſibi ſumpſiſſe, & fraterne eum monere ſuper his, quæ de eo audiverat. Porro de repentina, ſed à Bernardo prævisa, ejus ad religioſum ſtatum converſione, lege Vitam S. Bern lib. 4. cap. 3. quam nos, ſecuti Baronium, in Chronologia ad ann. 1149. retulimus, cum eo anno factum epiſcopum Belvacenſem videatur certior temporis nota convincere, uti Jacobus Sirmondus ad epiſt. Petrum Cell. ex Supplem. Sigeberti notat, lib. 1. Epiſt. 24. Sed longius à vero recedit notatio initi epiſcopatus Belvacenſis ab Henriquez in Menol. ex Johanne Cheno relata ad ann. 1161. Denique ad Remenſem cathedram evectus eſt anno 1163. Ceterum quam invitus primo epiſcopatum ſuſceperit, oſtendit ſcriptis ad diverſos epiſtolis: immo & ipſi Bernardo præmatura promotio non eſt viſa carere ſcrupulo, ut proinde Petrum abbatem Cluniac. conſulendum putaverit, uti videre eſt apud eumdem lib. 5. epiſt. 8 quam vide. Ipſius Henrici epiſtolam, Sugerio abbati ſancti Dionyſii ſcriptam, vide in Gall. Chriſt. in Epiſcopis Belvacenſib. Alteram ad dictum Abb. Clun. hic tibi exhibendam duximus, vel quod ſuſpicemur ab ipſo Bernardo dictatam, vel certe ad imitationem Bernardi compoſitam. Prius enim non improbabile, cum non fuerit Bernardo inſolens, aliorum, etiam epiſcoporum, nomine dare litteras: quarum plures habemus inter editas. Si id minus, alterum res ipſa convincet. Confer initium cum epiſtola 236. ad Cardinales de electione Eugenii Pontif. Confer ſequentia cum epiſtola 26. ubi eadem verbotenus. 303. Horstii.

Inter Patres reverendiſſimo, & inter amicos cariſſimo domino Petro abbati Cluniacenſium, Frater Henricus, ſive jubente, ſive permittente Deo, Belvacenſis electus, ſeipſum, & ſi quid amplius poteſt.

PAter vobis omnipotens Deus, quid eſt quod feciſtis? ſepultum hominem revocaſtis ad homines, & conſilio veſtro, cui nimium creditum eſt, expoſitus ſum, & repoſitus in terribile curarum pelagus: ut me iterum honoris altitudo reſorbeat. Neſcivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab, quas ſuſcepi regendas: regi, non regere opus habens. Manus meas miſerunt ad fortia, opus eſſet fortitudine. Speculator domui Iſrael factus ſum, opus eſſet prudentia. Sapientibus & inſipientibus debitor factus ſum, opus eſſet juſtitia. Prædicator populo Dei datus ſum, opus eſſet temperantia: ne forte cum aliis prædicavero, reprobus (quod abſit) inveniar. Sed quæ ſunt iſta, & quis ego ſum? vel ubi iſta, & ubi ego? Domine Pater, & Deus vitæ meæ, imperfectum meum viderunt oculi tui: Domine, vim paſſus ſum, reſponde pro me: quia ſola obedientia coegit me, ſine qua, juxta virum ſanctum, infidelis quiſquis eſſe convincitur, etiam ſi fidelis eſſe videatur. Et quia nemo majori fiducia utitur, quam qui ex affectu diligit: nunc vos quaſi portionem animæ meæ convenio, deponens apud vos familiarem & dolentem querelam. Quid vobis viſum eſt, ut litteris veſtris, ad dominum Abbatem miſſis, faceretis ſtultitiam meam elevari ſuper candelabrum? Credidiſti quidem, domine, propter quod locutus es: nec fallere, nec falli voluiſti, ſed non evaſiſti ſecundum. Veruntamen quoquo modo factum ſit, & quaquaverſum vertat exitum rei Dominus Deus noſter: ego veſter ſum, & ad veſtrum ſervitium, ſi dignamini, præparatus. Me accipite in ſervum, in amicum, in filium; & illi ſanctæ multitudini, cui Deo auctore præeſtis, ſpecialem & intimum monachum, ne dicam epiſcopum, ſempiterno fœdere ſociate.

405\. * Exiſtimo ſuperiorem epiſtolam non à Bernardo ſcriptam fuiſſe, ſed potius à Nicolao Claræ-vallenſi ejus notario, qui alias Henrici nomine ſcripſit, nempe tertiam-decimam ad ipſum Petrum Venerabilem, vigeſimam ſextam ad Hugonem de Compendio. Exſtat & alia ejuſdem Nicolai ad eumdem Henricum, nempe 39. ex qua apparet, quanto eum amore ſit proſecutus.

IN EPIST. CCCVIII. Ad Alfonſum.

406\. *PETRUS CELSITUDINIS VESTRÆ FRATER. Hic Petrus, Alfonſi Portugalliæ regis frater, unus fuit ex illis juvenibus, quos torneamentis addictos hauſto cerviſiæ benedictæ S. Bernardus ad converſionem provocavit, qua de re in lib. 1. vitæ S. Bern. cap. 11. num. 55. Porro quid iſte à fratre Alfonſo ad Bernardum in mandatis habuerit, conſtat ex ipſius Regis ad Sanctum epiſtola, quam refert Henriq. in Menol. ad diem 9. Maii. nempe debellatis Mauris regium nomen ſibi à ſubditis delatum aſſumpſerat, ſed Rege Caſtellæ contradicente, niſi certum illi tributum penderet. Itaque Bernardi opera Regis ſibi à Pontifice titulum confirmari rogat, malens tributi perſolvendi reus eſſe B. Petro ſeu Sedi apoſtolicæ, quam vicino & æmulo Regi.

IN EPIST. CCCX.

407\. * AD ARNOLDUM BONÆVALLIS ABBATEM. Scriptores recentiores, nimirum Horſtius, Carolus de Viſch, atque auctor vitæ Gallicæ S. Bernardi, contra Trithemii, Bellarmini, aliorumque ſententiam, Arnoldum hunc diſtinctum volunt ab auctore libri ſecundi vitæ S. Bernardi, quem auctorem vocant Bernardum, eumque abbatem Bonævallis, non Pictavienſis, aut Rutinenſis, ſed Viennenſis Ord. Ciſter. Alterum vero Arnoldum appellant, Bonævallis Carnotenſis (quæ eſt monachorum Benedictinorum) abbatem, ad quem hæc epiſtola ſcripta fuerit. Sed tantorum virorum pace dixerim, unum & eumdem eſſe. Nam quod pertinet ad nominis diverſitatem, auctor libri 2. vitæ S. Bernardi in pervetuſto codice mſ. Corbeienſi ſcribitur Ernaldus, quo nomine noſter Arnoldus abbas Carnotenſis ab Arnulfo epiſcopo Lexovienſi in iis, quas ad eum ſcripſit, epiſtolis indigitatur. Sed miſſa nominis controverſia, certum eſt librum 2. vitæ S. Bernardi ſcriptum eſſe Godefrido adhuc Lingonenſi epiſcopo. Ita enim legitur cap. 5. num. 29. *Godefridus Prior ejuſdem loci, propinquus ejus in carne & ſpiritu ...... quo poſtea in eccleſia Lingonenſi factus epiſcopus .... uſque hodie ingrediens & egrediens laudabiliter perſeverat.* Scriptus eſt igitur ante annum 1161. quo Godefridus dimiſſo epiſcopatu *Claram-vallem reverſus eſt ad amplexum ſuæ Rachelis*, ut refert Chronicon Claræ-vallenſe, ubi mortuus perhibetur anno 1164. VI. Id. Novembris. Atqui à fundatione Bonæ-vallis Viennenſis anno 1117. uſque ad annum 1180. nullus abbas in ea Bernardi nomen ſortitus eſt. Primus enim præfuit S. Johannes ab anno 1118. ad annum 1138. qui in epiſcopum Valentinum aſſumptus, locum ceſſit Gozevino ſecundo abbati. Hic Rainaldo Ciſtercii abbati ſuffectus anno 1151. Petrum habuit in Bona-valle ſucceſſorem: Petrus vero anno 1171. beatum Hugonem, antea Leuncelli abbatem, qui ad annum 1180. quo deceſſiſſe traditur in Menologio Ciſtercienſi, Bonæ-valli Viennenſi præfuit. Ubi ergo Bernardus Bonæ-vallis Viennenſis abbas, qui ante annum 1164. quo denatus eſt Godefridus Lingonenſis, librum 2. vitæ S. Bernardi ſcripſerit? Hæc autem omnia ex Annalibus Manrici inductione conſtant. Accedit, quod vitæ Bernardinæ liber ſecundus ab homine alienus congregationis, quam Ciſtercienſis, conditus eſt, ut ejus Præfationem accurate expendenti perſpicuum ſiet. Unus igitur atque idem eſt auctor prædicti libri, & S. Bernardi amicus ille, ad quem auctor proximus hanc epiſtolam ſcripſit, nimirum noſter Arnoldus ſeu Ernaldus Bonævallis Carnotenſis abbas, de quo hæc monuit vir doctiſſimus R. P. Bertrandus Tiſſier, qui ea qua pollet ſinceritate & judicio, cum noſtri Arnoldi opera penes ſe haberet, ſciretque non poſſe ea Bibliothecæ PP. Ciſtercienſium accenſeri, ad noſtrum Acherium tranſmiſit quam humaniſſime: hæc, inquam, de noſtro Arnoldo monuit. Scripſit hic Auctor librum 2. vitæ S. Bernardi, item *Hexaemeron ſeu Tractatum de opere ſex dierum*, *Librum de Cardinalibus Chriſti operibus*, *Tractatum de verbis Domini in cruce*. Hæc tria opuſcula Claræ-vallenſis nobis Bibliotheca ſuppeditavit. Poſtea autem tertium in Bibliotheca PP. reperi cum alio brevi de B. Virgine eidem ſubjuncto. Porro *liber de Cardinalibus Chriſti operibus* huic in prædicta Bibliotheca Claræ-vallenſi adſcribitur in duobus mſſ. exemplaribus cum hoc titulo: *Prologus Domini Ernaldi abbatis Bonævallis in librum de card. Chriſti operibus, quem ſcripſit ad Adrianum Papam*, ſcilicet III. Ita ille. Eidem in Ciſtercienſi Bibliotheca duo alii Tractatus tribuuntur: 1. de ſeptem Donis Spiritus-ſancti, cujus hoc exordium, *Nemo cum hæc capitula viderit*, &c. 2. de *Corpore & ſanguine Domini*, ut litteris mihi ſignificavit R. P. D. Jacobus Lannoyus, qui priorem manu propria tranſcriptum ad nos direxit. Quanquam an vere ejus ſit prior iſte liber, non facile dixerim: de poſteriori quid ſtatuendum ſit, cum illum non viderim, haud liquet. Hæc interim de noſtro Arnoldo, qui obiiſſe videtur circa annum 1154. quo Gaufridus poſt eum Vitam S. Bernardi proſequendam ſuſcepit. Nam ipſe Gaufridus lib. 4. Vitæ S. Bern. ſeu 2. à ſe conſcripto cap. 4. n. 25. dicit annum tertium elapſum eſſe à prima Eskili Danorum archiepiſcopi profectione in Claram-vallem viſitandi Bernardi gratia, quam paulo ante S. Bernardi obitum contigiſſe, nempe anno 1152. colligitur ex his verbis Exordii Ciſtercienſis diſt. 3. cap. 25. *Haud vero multo poſt hoc elapſo tempore*, (ſcil. poſt Eskili in Daniam reditum) *triſtiſſimus rumor aures ejus perculit de dormitione beati Viri ſpecialis amici ſui*, nempe Bernardi.

Menol. Ciſt. ad 1. diem Aprilis.

IN EPIST. CCCXIV.

AD ROBERTUM ABBATEM DE DUNIS. Hic eſt ille Robertus, qui B. Bernardo in Clara-valle ſucceſſit: immo, quem ipſe Bernardus jam moribundus ſibi ſucceſſorem nominavit. V lib. de Vir. illuſtr. Ordin. Ciſterc. diſt. 2. c. 23. Meyer. lib. Annal. Fland. & Manriq. in Annal. 188. Horſtii.

DE DUNIS. Dunas vocant Belgæ maritimi aggeres colleſtre ſabuli candidi, vel à natura, vel ab æſtuante pelago congeſti. In his olim fuit cœnobium Dunenſe floreutiſſimum, verum nunc arenis excreſcentibus ſepultum, ob neglectam per belli calamitates, obicum lignorum inſtaurationem. Hodie illud magnis ſumptibus alibi (in urbe Brugenſi) reſuſcitavit R. D. Bernardus Campmans abbas, & auctoritate apoſtolica Viſitator Generalis per Belgium.

IN EPIST. CCCXLV. Ad Fratres de S. Anaſt.

MEDICINAS QUÆRERE CORPORALES. Dura ſententia, & hodiernis moribus, praxique, uti apparet, parum congrua! Neſcio enim, an uſpiam hodie diligentior aſſiſtat medicus, quam religioſis: an etiam uſpiam accuratius parentur & adminiſtrentur remedia: nempe ubi utrorumque copia eſt. Quid ergo? an in his culpabimus nimium & præpoſterum ſtudium valetudinis? an Bernardum nimii rigoris arguemus? Quicquid horum dixero, vereor impingere. Bernardus medicinæ uſum diſſuadens ac reſpuens, innumeros habet è ſanctorum hominum numero, ejuſdem ſenſus ac animi, quos medicinæ incurios & valetudinis curandæ parum ſtudioſos fuiſſe conſtat. At qui medicos honorant propter neceſſitatem & morborum remedia, ſeu ſanitatis præſidia, Dei utique beneficio nobis proviſa, cum opus eſt, requirunt, non videntur hoc abſque ratione facere, cum & ſacræ Scripturæ, immo Dei ipſius auctoritate niti. 189. Horſtii

Et quoad primum quidem, ſi hic per hiſtorias ſacras, & Sanctorum Vitas ac Geſta exſpatiari liceret, plurimis oſtenderem exemplis, quam non fuerint ſancti viri de curanda valetudine ſolliciti. Niſi quod ſumma illis medicina fuit victus parſimonia & abſtinentia, ne dicam, non uti medicina.

Sed alibi hoc argumentum tractabitur, & varie illuſtrabitur, ubi, ſi vita comes fuerit, edemus *Paradiſum Voluptatis* (edito alias *Paradiſo Pietatis*) quo titulo Opus, variis, jucundis & utilibus quæſtionibus, cujuſcumque argumenti, ex multiplici lectione, variis hiſtoriis, exemplis, documentis &c. tum ad mores, tum ad honeſtam & piam animi recreationem ac voluptatem jam pridem molior.

Interim ſequentes, ſi lubet, auctores, ſuper hoc problemate non inutiliter leges, S. Baſil. in Reg. fuſ. diſp. cap. 55. Eſtium, Cornel. & Oliv. Bonart. in c. 38. Eccli. Roſignol. lib. 2. c. 12. de vit. relig. Nigron. in Reg. comm. 17. Franciſ. Arias de mortif. cap. . Bloſium ultim. edit. pag. 654 Molan. lib. de ſanctis medicis. Rodriguez 3. p. Tract. 5. c. 17. Platum lib. 3. de bono ſtat. c. 28. Barrad. in Evang. c. 2.

lib. 5. cap. 10. Verum ne nihil, ubi Bernardi cauſa requirit, dixiſſe videamur, pauca hic velut in guſtum dabimus.

Ambroſius in Pſal. 118. octon. 24. ita loquitur. Contraria ſtudioſis divinæ cognitionis ſunt præcepta medicinæ. A jejuniis revocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui ſe medicis dederit, ſeipſum ſibi abnegat. Eadem referuntur de conſec. diſt. 5. c. Contraria. Sufficit nobis in præſens tanti Præſulis teſtimonium, ſi ei confirmando, ab ejuſdem Cathedræ & ſpiritus herede petamus exemplum.

Carolum ſane Borromæum, ſanctiſſimum noſtra ætate Cardinalem & Antiſtitem, inter continua fractæ valetudinis incommoda, graviſſimis pro Eccleſia laboribus perfunctum lego. Quid interim vero medicis, & curæ valetudinis dederit, id libet Auctorem de vita & geſtis ejus eleganter graviterque diſſerentem audire. Nam cum monerent eum amici, curaret tandem aliquando valetudinem, ſeque reſpiceret & ſuos; in ejus ſalute publicum bonum periclitari. Si quid ei accideret, ruitura præclara omnia, quæ inceperat: ejus rei reddendam Domino rationem. Quibus ille reſpondebat: Gratias agere, quod de valetudine corporis ſolliciti eſſent: rogare, ut non minus de ſalute animi eſſe vellent: rerum ſpiritualium fundamenta in Deo ponenda: quæ in mortalium vita ponerentur, brevi omnino concidere oportere, &c. Subdit paulo poſt, quid Romam proficiſcenti contigerit. Purgationibus implicitum pro anni tempore Carolum medici tenebant: quos cum de itinere Romam faciendo conſuluiſſet; metuentes illi, ne agitatione ac labore, eo præſertim, ut ſemper ſolebat, tamque maxime opus erat, properante, morbus ingraveſceret, iter diſſuadebant. Sed ille purgationibus omiſſis, medicorumque conſiliis tunc quidem poſthabitis, Chriſtiani orbis cauſam ſaluti ſuæ ſatius putavit anteferre, Eccleſiæque Dei ſuo tempore, pro virili parte, quæ magni momenti erat, ſubvenire. Cum ita deliberatum ei eſſe viderent, præſcribunt medici vitæ itinerisque rationem: lectica uti jubent, ſexcentis vaſculis, cum variis pharmacis bellariiſque jumentum onerant. Jucunde autem accidit in via, ut ampullæ vaſculaque medicamentorum, cum jumentum iis onuſtum prope Bononiam in fluvio concidiſſet, omnia fere vel confringerentur, vel flumine deveherentur. Quod ille cum accepiſſet, ridens: Fauſtum, inquit, ſignum: non opus fore amplius.

Quamquam autem Carolo melius ex eo itinere fuit, non convaluit integre tamen, quin diu capite pectoreque laboraſſet, Romani medici de ejus ſalute conſulentes, cum aquis Lucenſibus medici conſtituerent, Mediolanenſes vero contra ſentirent, ipſe aliam ex eo fere tempore iniit vitæ rationem. Nam cum toto jam anno medicorum conſilia, præſcriptaque ſatis exquiſite ſecutus eſſet, ciborum delectum, multaſque ejus generis cautiones adhibuiſſet; mutato conſilio, ex ſententia piorum prudentiumque virorum, iis medicarum obſervationum, quaſi vinculis expeditus, liberiorem vitæ modum elegit, cibos omnemque victus rationem ſibi tutiorem conſtituit; idque eo libentius, quo ſanctorum virorum exemplis ea vitæ ratio magis conſentiret. Conſilium ita feliciter evenit, ut poſt hæc bona ſemper valetudine uſus, neque pituita, tuſſi, aut febri fere impeditus, in paſtoralia officia laboreſque tantum incubuerit, quantum poſteritati vix credibile videbitur. Ita Carolus à Baſilica Petri Cong. Cleric. S. Pauli, poſtea epiſc. Novarienſis, lib. 8. Vitæ S. Caroli cap. ult.

Porro refert idem auctor, lib. 6. cap. 6 Carolum poſtremo vitæ tempore, cum quibuſdam familiaribus auſteriorem vitæ rationem, in ſummis aſſiduiſque laboribus tenere, & medicorum juſſis minus obſequens eſſe videretur, ab ipſo ſummo Pontifice, (iiſdem ſcilicet amicis hoc Romæ curantibus) monitum eſſe, corpus eatenus affligeret, quatenus vires æquitate ſervata ferre poſſent: deinde ut in vita moderanda, medicorum conſilia ſequatur. His acceptis, Carolus inter alia reſpondet Pontifici, ſeſe antea, quod Pontifex ipſe recordari poterat, dum medicorum præſcripta ſequeretur, infirma ſemper fuiſſe valetudine, demum etiam ita ſe habuiſſe, ut ad modicum tempus exiſtimaretur vitam poſſe producere. Ante annos circiter duodecim, piorum prudentiumque virorum conſilio mutaſſe vivendi rationem, à præſcriptionibus medicorum diſceſſiſſe, idque adeo feliciter eveniſſe, ut quæ valetudo ſtudioſa obſervatione, curaque ſuſtentari non potuerat, ex vulgari vivendi modo optime confirmaretur, vitæque longioris ſpem afferret. Si tunc demum poſt diuturnam conſuetudinem, cum annum ageret 46. ſeſe ad medicos referre voluiſſet, neque ſine muneris ſui gravi impedimento, & cum manifeſto vitæ diſcrimine id futurum. Attamen autem ſe medicorum nullo modo aſpernari, ne latum quidem unguem ab eorum præſcriptis diſcedere, cum ægrotaret: alias etiam eorum conſilia requirere. at ea ſemper ſequi, eorumque ſe obſervationibus addictum præſtare, id vero neque moribus ejus ſanctiſſimæ, neque vitæ epiſcopali videri conſentaneum, quod vel medicus ipſe fateretur, ab eo proxime conſultus. Veterum Patrum, & S. Ambroſii in primis, hanc eſſe ſententiam, divinæ cognitioni contraria eſſe præcepta medicinæ, à jejunio revocare, à lucubrationibus & ab omni intentione mentis abducere: eum qui ſe medicis daret, ſeipſum ſibi abnegare: omnino curā corporis hujus averti hominem à ſtudio diſciplinæ debere. Pontificis ipſius exemplo ita doceri, qui medicas obſervationes in vitæ ſuæ ratione minime ſervaret. Quod autem futuris temporibus ea vitæ ratio, conjectura quadam, ſibi nocere poſſet incertæ offenſionis metu, certos ſalutarium operum fructus negligendos non videri, neque tam longe cavendos, alioquin corporis afflictionem, pœnitentiæque officia homini Chriſtiano neceſſaria, quis umquam ſuſciperet?

Hæc & ſimilia Carolus Pontifici reſpondit Unde & inter ejus apophtegmata refertur: Nullum Epiſcopum muneri ſuo poſſe ſatisfacere, ſi valetudini parcat, & earum rerum obſervationibus teneatur, quæ nocere corpori prodeſſeve poſſunt, lib. 7. Vitæ c. 5.

Sed hæc verbis noſtri Doctoris obſignemus. Nam idem alibi videtur iniquior in medicos, an dicam in debiles & infirmos, quibus medicorum officia opemque haud videtur permittere. Nam Serm. 30. in Cant. in illa verba: *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam*, ſic loquitur. Quid nunc vos dicitis, obſervatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & ſequaces ejus docent animas ſalvas facere in hoc mundo: Chriſtus & ejus diſcipuli, perdere. Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet, &c. Hæc & ſimilia benignius alii interpretari conantur. Auctores & loca ſupra indicavimus, quæ conſulat Lector, ſi lubet; ſed in primis S. Baſil. ibid. cit.

* Extat hoc de argumento gallica Nicolai Fabri epiſtola, in qua quid de hac Bernardi epiſtola ſentiret exponit Medicinarum ſcilicet uſum pro victus genere temperandum ac moderandum. Indignum eſſe, ut qui paupertatis votum & auſteritates colunt, eaſdem in morbis colere detrectent. Ferendum morbum, qui exercitiorum regularium uſum non interrumpit. Ceterum in his omnibus humanitatis habendam eſſe rationem, uti & religionis.

IN EPIST. CCCLXII.

* AD ROLANDUM CANCELLARIUM. MS. Ciſtercienſe habet, *Robertum Pullum*, & quidem rectius, quantum conjectura aſſequi poſſum. Primo enim Robertum S. Bernardo fuiſſe cariſſimum & maxime familiarem conſtat ex epiſtola 205. ad Epiſcopum Roffenſem, quod etiam de eo, ad quem hic ſcribit, aperte inſinuat. Deinde virum iſtum *eruditioni multorum fideliter & utiliter inſtitiſſe cælo & terra teſtibus* hic aſſerit, quod quidem de nullo alio melius intelligas, quam de Roberto Pullo, qui litteras Pariſiis profeſſus, Oxonienſem Academiam in Anglia inſtauravit. Demum Cancellarius iſte, de quo hic quæſtio, *præmiſſus à Deo* dicitur ante Eugenii pontificatum *ad adjutorium ejus*. At Robertus Pullus, ex Onuphrio, cancellarium egit Lucii II. Pontifice uſque ad annum Eugenii tertium, immo, ſi Ciaconio credimus, ad quintum: Rolandus vero, cognomento Blandinellus ſeu Paparo, patria Senenſis, poſtea Alexander III. cardinalis diaconus SS. Coſmæ & Damiani ab Eugenio creatus, cancellarii dignitatem obtinuit pontificatus Eugenii anno duntaxat octavo. Plura de Roberto Pullo vide ſi lubet in Notis ad epiſt. 205. Interim tamen noto de tempore, quo Robertus Cancellariam adminiſtravit, præferendam eſſe Onuphrii ſententiam, nam Guidonem Cancellarii nomine litteris apoſtolicis ſubſcripſiſſe anno 1146. lego Tomo 1. Monaſtici Angliæ. pag. 108. anno 1147. in Notis ad Guibertum de Novigento pag. 620. 210.

IN EPIST. CCCLXIII.

DOMINIS ET PATRIBUS CARISSIMIS. Inſcriptio hujus epiſtolæ in hactenus editis anguſtior mihi viſa eſt, (ſolius enim Spirenſis Epiſcopi ejuſque Cleri & populi meminerat) quam pateretur ſcopus epiſtolæ. Itaque aliam & ampliorem præfiximus, quam Otho Friſing. lib. 1. de geſt. Frid. cap. 41. exhibuit. Verum poſtea comperi, eamdem epiſt. non eodem tantum argumento, ſed & totidem pæne verbis, mutata tantum epigraphe, ad diverſas nationes, provincias, & urbes datam. Nam in mſ. ex Anglia mihi miſſo, item in alio Confluentino inveni, *Populo Anglorum* inſcriptam *. Immo Baronius eamdem epiſtolam exhibet, pauculis tantum verbis mutatis, cum hac epigraphe, *Mainfredo Brixienſis eccleſiæ epiſcopo, nec non Conſulibus, Militibus, & univerſis populis ſub eo conſtitutis, frater Bernardus Clara-vallis vocatus abbas, ſpiritu fortitudinis abundare*. V. Baron. ann. 1146. n. 15. 211. Horstii.

* Reſſer in mſ. S. Victor. Pariſ. ſub ead. epigraphe.

Habitus eſt autem Spiræ frequens Principum conventus ſacræ expeditionis cauſa, ubi publice recitatas has Bernardi litteras quis dubitet? Hinc illæ ad Spirenſes inſcriptio: *Domino & Patri cariſſ. Epiſcopo Spirenſi, & univerſo Clero & populo, Bern. Clara-vall. vocatus abbas, in ſpiritu fortitudinis abundare.* Uti & paulo poſt in Bavaria in conventu Procerum per Abbatem Ebeacenſem, una cum litteris Eugenii Pontificis lectas teſtatur Sigonius, de Regno Ital. ann. 1147. & Otho. cit. Ceterum extat Bernardi nomine inter epiſtolas Nicolai Clara-vall. Tomo 12. Biblioth. Patrum edit. Colon. alia ejuſdem argumenti ad Comitem & Proceres Britanniæ: quam hic habes in fine, epiſtolarum S. Bernardi.

JUXTA TENOREM APOSTOLICI MANDATI. &c. Literæ Eugenii III. pro expeditione in terram ſanctam recitantur apud Othon. Friſing. lib. 1. de Geſt. Frid. cap. 38. Ubi Pontifex ſacram militiam profeſſos, non tantum ab animæ debitis, ſed & ab uſuris præſtandis abſolvit. *Quicumque vero*, inquit, *ære premuntur alieno, & tam ſanctum iter puro corde inceperint, de præterito uſuras non ſolvant, & ſi ipſi, vel alii pro eis occaſione uſurarum adſtricti ſunt, ſacramento vel fide: apoſtolica eos auctoritate abſolvimus.*

IN EPIST. CCCLXIV. Ad Petrum Cluniac.

MISERABILEM ORIENTALIS ECCLESIÆ GEMITUM &c. Nimirum cum anno 1144. nobilis civitas 212. Horstii.

Meſopotamiæ, trans flumen Euphratem, Ediſſa, à tempore Conſtantini M. Chriſtianæ religionis cultui dedita, & B. Thomæ apoſtoli allatis ex India reliquiis inclyta, tum demum in poteſtatem infidelium redacta eſt, maxima Chriſtiani populi clade. Nam cum à multis retro annis (ut habet Vuilelmus Neubrigens. de rebus Angl.) Saraceni, occulto Dei judicio ſupra modum in Chriſtianos graſſari permiſſi, captis civitatibus clariſſimis, ſcilicet Alexandria, Antiochia, Jeruſalem, Damaſco, Ægyptum, Syriam, aliaſque Orientis provincias, in quibus Chriſtus colebatur, occupaſſent; ſola hæc civitas propugnatrix non tantum murorum, ſed etiam finium ſuorum, in medio hoſtium innumerabilium & ferociſſimorum invicta perſeveravit, uſque ad tempus expeditionis Jeroſolymitanæ prioris: qua Jeruſalem & Antiochiam Chriſtiani expugnatis obtinuere Saracenis. Pergit deinde narrare, qua occaſione Ediſſa ceſſerit infidelibus. Nempe Armenius quidam, civis Ediſſenus, habitans in turri muro contigua, ob filiam ſuam à Principe civitatis corruptam coquens animo vindictam, invitatos pactis clandeſtinis Turcas ipſa nocte Nativit. Dominicæ intromiſit in urbem: qui irruentes in populum ſecurè in eccleſia excubantem, & archiepiſcopum quidem altari aſſiſtentem mactarunt; populum vero non reſiſtentem, ſed ſubiti caſus ſtupore rigentem gladiis trucidarunt. Sic capta & in poteſtatem ſpurciſſimæ gentis redacta eſt Ediſſa, tantis retro temporibus ſemper invicta, & antiqua fidei Chriſtianæ alumna. Latiſſimis quoque finibus ejus pertinaci hoſtium furore pervaſis, & in eorum poſſeſſionem cedentibus, Chriſtianæ religionis cultus trans Euphratem funditus deletus eſt. Tanti mali fama exciti Chriſtiani, &c. Ita Neubrig. lib. 1. de rebus Angl. cap. 18. Ecce hic eſt ille gravis & miſerabilis Orientalis Eccleſiæ gemitus, de quo Bernardus.

IN EPIST. CCCLXV. Ad Henr. Mogunt.

273. Horstii. HOMO ILLE DE QUO AGITUR IN LITTERIS VESTRIS. Radulfus ſeu Rodulfus nomine, deſcribitur apud Othonem Friſing. lib 1. de Frid. cap. 37. cruentæ in Judæos perſecutionis auctor, cujus ſeditioſæ doctrinæ reſtitit Bernardus, ipſumque Radulfum, Moguntiæ in maximo populi favore repertum, monuit, ne contra monachorum regulam per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis aſſumeret. Tandem ad hoc eum, ut ſub promiſſa obedientia in cœnobium ſuum tranſiret, induxit, populo graviter indignante, &, niſi ipſius ſanctitatis conſideratione revocaretur, etiam ſeditionem movere volente. Ita Otho lib. 1. de Frid. cap. 39.

IN EPIST. CCCLXVI.

274. * AD HILDEGARDEM ABBATISSAM. Nempe cœnobii S. Ruperti confeſſoris in oppoſito Bingenſis oppidi, Moguntinæ diœceſis, Ord. S. P Benedicti, inquit Tritthemius lib. de Script. eccleſ. De Hildegarde intelligendus videtur Monachus Autiſiodorenſis ad ann. 1146. his verbis. Per idem tempus in Alemanniæ partibus habebatur admirabilis virgo quædam provectæ ætatis, cui tantam gratiam virtus divina contulerat, ut, cum ipſa laica & illiterata eſſet, mirabiliter tamen ab hoc mundo raperetur frequenter, & in ſummis diſceret, non ſolum quod poſtea in imis diceret, ſed potius (quod ſatis mirabile eſt & inauditum) etiam ſcribendo latine dictaret, & dictando libros catholicæ doctrinæ conficeret. Vide Chronolog. noſtr. ann. 1148.

IN EPIST. CCCLXIX. Ad Sugerium.

275. Horstii. OPERATUS EST SALUTEM IN ECCLES. S. GENOVEFÆ. Quæ ſit ſalus iſta, collige ex Stephano Tornacenſi epiſcopo, quondam abbate S. Genovefæ, in Sermone de reformatione diſciplinæ ibidem facta. Anno, inquit, ab Incarnatione Domini MCXLVII. factum eſt verbum in palatio Regis, & tractatum ſollemniter, & protractum fideliter, & feliciter conſummatum. Venerunt nuntii qui dicerent, eccleſiam ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, in monte Locutitio ſitam, in qua glorioſa virgo Genovefa requieſcit in corpore, multis exponi periculis, & informi ſtatu ſuorum morum potius, quam murorum minari ruinam: filios ejus ſingulariter & ſæculariter viventes quærere quæ ſua ſunt, vagari poſt greges ſodalium ſuorum: eccleſiaſtica ſtipendia, quæ ſunt tributa egentium animarum, pro voluntate ſua conſumere: portiones de communi facere, & non vivere in communi: divina officia minus devote, minus religioſe celebrare. Propter hæc & alia quæ dici non opus eſt, perſonarum ſtatum mutari debere, mundari ſancta, & in melius ordinari. Placuit ſermo in oculis Domini ſabaoth, & Principum ejus, nec ſine lætitia mirati ſunt univerſi. Hæc ibi.

IN EPIST. CCCLXXVI. Ad eundem.

276. Horstii. MALEDICTAS ILLAS NUNDINAS. Quæ iſtæ nundinæ? Id diſcere licet ex Vuilelmo abbate S. Theod. lib. 1. Vitæ S. Bern. cap. 11. ubi ita habet. *Diverterat aliquando nobilium cohors militum ad Claram-vallem . . . Prope autem erat ſacrum Quadrageſima tempus, & illi omnes fere juvenes, deditì militiæ ſæculari, circumibant; quærentes execrabiles illas nundinas, quas vulgo Tornetas vocant.* Alii *Torneamentum* appellant. Math. Pariſ. Hiſtor. Angl. pag. 258. Non in haſtiludio illo, quod vulgariter Torneamentum dicitur, ſed potius in illo ludo militari, qui *Menſa rotunda* dicitur. Res quidem ludicra, & ſpeciem præ ſe ferens tirocinii ſeu potius exercitii militaris, & ad agilitatem ſeu dexteritatem in armis tractandis acquirendam inſtitui ſolita. Ideo Richardus rex Angliæ ad imitationem Gallorum ſuos voluit torneamentis exerceri, ut ex bellorum ſollemni præludio verorum addiſcerent artem, ait Neubrig. lib. 5. cap. 4. Sed frequenter joca fiebant ſeria, & ludi in cædes abibant. unde tribus diverſis Conciliis generalibus, teſte eodem Neubrigenſi, ſub tribus Rom. Pontificibus hujuſmodi armorum exercitia prohibita ſunt. In Concilio Lateranenſi Alexander Papa ſic ait. *Felicis memoriæ Papæ Innocentii & Eugenii prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & audacia temeraria congrediuntur, unde mortes hominum & pericula animarum ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis etiam ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non denegetur, Chriſtiana tamen careat ſepultura.* Hæc ex Vuilelmo Neubrig. Sed nihil minus profeciſſe, & fervorem juvenum, armorum gloriam vaniſſime affectantium, frenum non admiſiſſe, teſtatur idem loco cit. Hinc ergo patet, quales nundinas inſtituerint Henricus Comes*, filius Theobaldi Magni Comitis Campaniæ, & Robertus Regis frater, qui ex itinere Hieroſolymitano redierant.

IN EPIST. CCCXC.

DOMINO ESKILO. Non modo archiepiſcopum Lundenſem in Dania, ſed & primatem Sueciæ ex decreto Hadriani IV. Papæ fuiſſe lego. Venit is ex Dania viſitatum S. Bernardum in Clara-valle. Vide hiſtoriam lectu digniſſimam lib. 4. cap. 4. Vitæ S. Bernardi. 317. Horstii.

DE SECRETO AUTEM VERBO ILLO, &c. Quidnam hoc ſecreti? Id plane mihi ſecretum, niſi quod Saxo Grammaticus idipſum, niſi fallor, aperiat. Is ergo de Eskilo noſtro ſic habet, lib. 14. Hiſt. Dan. Eodem tempore Eskilus, domeſticis ſupra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius conſulit, proficiſcendi licentia à Rege difficulter extorta, nobile Galliarum cœnobium, quod Clara-vallis nuncupatur, petivit. Et rurſus eodem libro. Valdemarum regem Eskilus ſecreta allocutione petitam enixe depoſcit, arcani, quod ei committere velit, inexpeſtivam confeſſionem non arguat. A quo poſtulata ſpectare juſſus, jampridem deponendi pontificatus allatam ſibi cupidinem dicit, quem tanto oneri imparem ætas viribus defuncta conſtituat. Neque enim in faſtigio, ſed privatum, ac procuratione liberum decedere velle; præteritæ converſationis habitum monaſtica mutaturum.

Eskilus Lundenſ. in Dania archiep. depoſito Præſulatu venit Claram-vall. & fit monach.

Mox ſubdit, cum ab Abſalone, quem in pontificatu ſucceſſorem habuit, rogatum, Quid ita plebem mæſtitia afficeret? reſpondiſſe: Tum ſenium ſuum, tum exſilium nepotum? dignitatem ſibi, pariterque faſtidium afferre. Huic accedere voti religionem, quæ ſe dudum Bernardo Clara-vallenſi, pontificatu ultro ceſſurum, privatamque vitam, & honoribus defunctam acturum ſpoponderit. En ſecretum.

Porro Anno 1178. venit Eskilus in Claram-vallem, ubi quadriennio pie religioſeque tranſacto obiit, anno nimirum 1182. Vide Saxon. lib. 14. Lib de Vir. Illuſtr. Ord. Ciſt. diſt. 3. c. 25. Vitam S. Bern. lib. 4. cap. 4. Crantzium lib. 6. Dan. cap. 41. & 42. Henriq. in Menol. 10. April.

* De receſſu Eskili in Claram-vallem legendæ præ aliis epiſtolæ duæ Petri Cellenſis, nempe lib. 7. epiſt. 57. & lib. 8. epiſtola 1. Idem auctor in lib. 1. epiſt. 23. eumdem laudat, quod *nova ſeminaria de omni genere ſacrorum Ordinum* provinciam ſibi commiſſam ſeminare ſtatuiſſet, idque jam magna ex parte perfeciſſet, adductis fratribus ex Ordine non modo Ciſtercienſi, ſed etiam Præmonſtratenſi; & Cartuſienſibus quam primum ibidem inſtituendis.

AD EPIST. CCCXCI. ab abbatiſſam Fabern.

* AD ABBATISSAM FABERNIACENSEM. Faberniacum ſeu Faverneium, vernacule *Faverney*, cœnobium diœceſis Biſuntinenſis, in Comitatu Burgundiæ ſitum, primum quidem in gratiam ſanctimonialium Ord. S. Benedicti conditum eſt, poſtea vero, cum diſſenſionibus & liberiori monialium vitæ pateret locus, in jus & poteſtatem monachorum Caſæ-Dei tranſiit anno 1132. ut conſtat ex ſequenti diplomate, quod ex chartophylacio Caſæ-Dei proferimus. 318.

ANſericus Dei gratia Biſuntinenſis archiepiſcopus, venerabili Stephano Caſæ-Dei abbati, fratribuſque ibidem Deo famulantibus, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Ex commiſſa nobis paſtorali ſollicitudine oportet nos ad eccleſiarum pacem & ad religionis incrementum pervigili cura providere. Quapropter illam nobilem Faverniacenſem eccleſiam, quæ antiquis temporibus religione Sanctimonialium floruerat, viſitavimus, ut ejus deſolationi aliquod ſuffragium præberemus. Convocatis itaque ibidem ejuſdem loci advocatis, videlicet Rainardo conſule, Vvidone de Junci-villa, & Henrico fratre ejus, Tebaldo de Rubro-monte, Humberto de Juſliaco & Ludovico fratre ejus, ab omni religionis cultu alienam, & ab incolis ſuis pro multimoda perturbatione deſertam reperimus. Noſtra igitur ſollicitudine & illuſtrium virorum ammonitione diſſenſio, quæ præfatum locum exterminaverat, Deo auctore, pacificata eſt: pro religione vero præfati loci reformanda, prædicti advocati conſuetudines, quas in villa FAVERNIACENSI & infra ter- 319.

minos parochiæ ejus, ſive juſtas, ſive injuſtas habebant, in manu RAINALDI Comitis omnino depoſuerunt, vuerpiverunt, & ſe nunquam ulterius repetituros abjuraverunt. Illas vero conſuetudines, quas in villis FAVERNIACO appendentibus habere videbantur, ſimiliter in manu ejuſdem Conſulis vuerpiverunt, & præter debitas abjuraverunt. Illas vero eaſdem RICHARDUS de Monte-Falchern præter debitas in villis Faverniacenſi eccleſiæ appendentibus, in manu noſtra depoſuit & vuerpivit: Comes autem Rainaldus conſuetudines a prædictis advocatis in ſua manu depoſitas in noſtra manu donavit, & nos Deo & B. Mariæ ſuper altare obtulimus. Hoc itaque per Dei miſericordiam expleto, SANCTIMONIALES, clerus & populus, caſati, advocati pari voce & conſenſu acclamaverunt, ut eccleſiæ CASÆ-DEI FAVERNIACENSIS ita uniretur eccleſia, ut de Capitulo Caſæ-Dei perpetuis temporibus Abbas aſſumatur, à quo ſecundum Ordinem & conſuetudinem eccleſiæ Caſæ-Dei Faverniacenſis regatur eccleſia. Nos igitur præfatæ plebis voluntatibus inclinati, eccleſiæ Caſæ-Dei Faverniacenſem eccleſiam cum ſuis appendiciis, ſalvo pontificali jure & miniſtrorum ejus, regendam concedimus, & abbatis correctionem abbati Caſæ-Dei, ſuiſque ſucceſſoribus, ſi in Ordine ſuo peccaverint, fore ſtabilimus. Si vero culpa tam gravis extiterit, ut abbas dignus ſit depoſitione, nobis prius oſtenſa culpa vel archiepiſcopis nobis ſuccedentibus, ſi rebellis extiterit & emendare noluerit, poteſtatem deponendi eum prædicto abbati concedimus. Ut autem præſens pagina immobilis perſeveret, ſigilli noſtri impreſſione inſignimus, & ne quis eam ulterius infringere attentet, ſub anathematis vinculo interdicimus. Hujus rei teſtes ſunt VUILLELMUS de Arguel, VUIDO de Mertiniaco archidiaconus, PETRUS de Treva decanus S. Stephani, HUGO Faverniacenſis archidiaconus, VUOLMERTUS archidiaconus, HUGO de Dola, HUGO Luxovienſis abbas, VUIDO abbas de Caro-loco, LAMBERTUS abbas de Claro-fontana, Abbas de Morimonte, VUARINUS Capellanus, RAINALDUS comes, Fridericus comes de Fontimaco, VUIDO de Junci-villa & Henricus frater ejus, TEBALDUS de Rubeo-monte, HUMBERTUS de Viſiaco & LUDOVICUS frater ejus. Data Biſuntii in ode Capituli S. Johannis, anno ab Inc. Domini Jeſu-Chriſti MCXXXII. Indict. XII. XV. calendas Octobris.

IN EPIST. CCCXCVII.

219. *ODoni Abbati Majoris-monaſterii.* Quem à ſecunda profectione ad loca ſancta dehortatur Goffridus Vindocinenſis epiſtola 21. lib. 4. ad eum ſcripta, cujus etiam meminit epiſtola 26. lib. 2. in qua de rapinis & ſeculari violentia ſuo monaſterio, injuriiſque archiepiſcopo Turonenſi illatis apud Gaufridum Carnotenſem adverſus Majoris-monaſterii monachos graviter expoſtulat. Et tamen horum pietatem & religionem eo ipſo tempore maxime commendat Ulgerius Andegavenſis epiſcopus in quadam charta anni 1131. his verbis. *Ego* ULGERIUS *epiſcopus Andegavenſis, eccleſiæ Majoris-monaſterii, & fratribus meis* ODONI *venerabili abbati & monachis illius, quibus ferventiores in divino ſervitio alios me noviſſe non memini, dedi anno Incarnat. 1131. eccleſiam de Beſſiaco & capellam de Belloforti, &c.* Et in alio inſtrumento *Ego Ulgerius Andeg. epiſc. cum cognoviſſem ſanctiſſimam eccleſiam Majoris-monaſterii nullum receptaculum ſuæ proprietatis in Andegavenſi civitate habere, dedi viridarium juris epiſcopalis, quod habebam proprium in parochia S. Stephani, non longe ab eccleſia ipſius, concedente Andegavenſi Capitulo. Non enim decebat, ut tam ſanctum ac religioſum monaſterium, quod hoſpitalitate inſigniſſimam ubique plantationem habet, & præ cæteris prædicatur, in tam populoſa urbe & tam vicina ſibi hoſpitio careret.... Regnante* LUDOVICO *rege Franc.* GAUFRIDO *filio Fulconis regis Jeroſolymitani, &* HUGONE *archiepiſcopo Turonenſi.* Quin & Normannus Ulgerii ſucceſſor in charta donationis eccleſiæ de *Ver*, anno Incarn. 1152. Indict. 15. confecta, non inſigne reddit amoris & honoris teſtimonium de monachis Majoris-monaſterii. *Quos, inquit, ob religionis ſancta privilegium, quo ſpecialiter pollent, & quia boni ædificatores & propagatores ſui Ordinis exſiſtunt, ſingulari amplector caritate.* Immo cauſam abbatis Majoris-monaſterii (Guillelmi videl. non Odonis ejus ſucceſſoris, qui hanc dignitatem iniit anno 1124. ad ann. 1155.) egregie tuetur Ivo Carnotenſis epiſtola 108. ad Paſchalem ſcripta adverſus Rodulfi archiepiſcopi Turonenſis accuſationes, quamvis poſtea epiſtola 234. ad promittendam metropolitano ſuo obedientiam Guillelmum cohortetur. Porro de ſimili decimarum litigatione, de qua hac in epiſtola agitur, vide inter alios Petri Venerabilis epiſtolam 18. lib. 3. ubi hoc argumentum ſolide pertractat.

IN EPIST. CCCXCVIII. Ad Guidonem.

220. Hom. xii. CANTUS IPSE PLENUS SIT GRAVITATE. Perquam eleganter iſta Bernardus, ideoque debite ponderanda. Si locus & propoſitum pateretur, verba Bernardi illuſtranda eſſent, & aliorum ſanctorum Patrum ſententiis munienda, an certe oſtendendum, quæ illorum de cantu Eccleſiæ & divinis officiis idoneo mens fuiſſet. Sed quia ſeverior & rigidior forte diſciplina fuit, quam præſentis ſæculi mores & ingenia ferant; libet audire virum proſſus pium & religioſum, ac de rebus ad pietatis ac virtutis cultum ſpectantibus pridem eleganter floridèque diſſerentem. Hic pace, inquit, veſtra dixerim, ô Muſici, nunc templis cantandi genus dominatur novum, ſed exorbitans, conciſum, ſaltatorium, & parum profecto religioſum, theatro aut choreis convenientius, quam templo. Artificium quærimus, & perdimus priſcum precandi ac cantandi ſtudium: curioſitati conſulimus, ſed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia hæc & tripudiante cantandi ratio, niſi comœdia eſt, in qua cantores velut actores inſunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo ſimul prodeunt omnes, & modulatis vocibus colloquuntur: mox iterum unus triumphat ſolus, ceteris brevi ſecuturis? Et infra: Fuerunt ævo ſuperiore præſtantiſſimi muſici, ſed revera, vel vobis teſtibus, & aliter & (liceat dicere) religioſius concinebant. Sed eorum libros muſicos veſtrum jam faſtidium pridem ſepelivit. Reviviſcat, obſecro, ſaltem aliquid priſcæ religioſitatis in ſacra muſica, quod ſi cordi eſt & curæ divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quæ cantantur verba, ſimul etiam intelligantur. Quid mihi varius in templo ſonus, quid multiplex concentus, ſi deſit ei nucleus, ſi ſenſum & verba, quæ concentu ſunt inſtillanda, percipere nequeam?

Hier. Drexelius in Rhetor. cæleſti l. 1. c. 5

Sed age, libet etiam religioſum recentis memoriæ virum ab invidia, quam illi forte apud muſicos noſtros hujuſmodi cenſura creat: aut ſaltem conſortes illi demus, quibuſcum ini grandioribus, facilius ſuſtineat odium, infauſtum veritatis partum. Et ecce occurrit è Bernardi noſtri ſchola, qui pari cum magiſtro ſuo ſenſu ſpirituque muſicæ abuſum acriter perſtringit, Aelredus, inquam, abbas Rievallis in Anglia, cujus pleraque Tom. V. Operum Bern. habes. Ille ergo lib. 2. Speculi Caritatis cap. 2. ita loquitur.

Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic ſuccinit, ille diſcinit: alter ſupercinit, alter medias quaſdam notas dividit & incidit. Nunc vox ſtringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffuſiori ſonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore depoſito, in femineæ vocis gracilitate acuitur, nonnunquam artificioſa quadam circumvolutione torquetur & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quaſi intercluſo halitu exſpirare, non cantare, ac ridiculoſa quadam vocis interceptione, quaſi minitari ſilentium, nunc agones morientium, vel extaſin patientium imitari. Interim hiſtrionicis quibuſdam geſtibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad ſingulas quaſque notas digitorum flexus reſpondet. Et hæc ridiculoſa diſſolutio vocatur religio, & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius ſerviri clamatur.

Stans interea vulgus ſonitum follium, ſtrepitum cymbalorum, harmoniam fiſtularum tremens attonituſque miratur, ſed laſcivas cantantium geſticulationes, meretricias vocum alternationes & infractiones, non ſine cachinno riſuque intuetur: ut eos non ad oratorium, ſed ad theatrum, nec ad orandum, ſed ad ſpectandum æſtimes conveniſſe. Nec timetur illa tremenda majeſtas, cui aſſiſtitur; nec defertur myſtico illi præſepio, cui miniſtratur: ubi Chriſtus myſtice pannis involvitur, ubi ſacratiſſimus ejus ſanguis calice libatur, ubi aperiuntur cæli, aſſiſtunt Angeli, ubi terrena cæleſtibus junguntur, ac Angelis homines ſociantur. Sic quod ſancti Patres inſtituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in uſum aſſumitur illicitæ voluptatis. Non enim ſenſui præferendus eſt ſonus, ſed ſonus cum ſenſu, ad incitamentum majoris affectus, plerumque admittendus. Ideoque talis debet eſſe ſonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad ſui rapiat oblectationem, ſed ſenſui majorem relinquat portionem. Ait nempe B. Aug. *Movetur animus ad affectum pietatis, cantico audito: ſed ſi magis ſonum, quam ſenſum, libido audiendi deſideret, improbatur.* Et alias: *Cum me,* inquit, *magis cantus, quam verba delectant, pœnaliter me peccaſſe confiteor, & mallem non audire cantantem.* Ita Aelredus.

Verum colophonem imponat ſummus Eccleſiæ præſul. Johannes XXII. & quid de hujuſmodi muſica ſentiat, immo quid ſanciat, audiamus.

Dulcis omnino ſonus in ore pſallentium reſonat, cum Deum corde ſuſcipiunt, dum loquuntur verbis: in ipſum quoque cantibus devotionem accendunt. Inde etenim in eccleſiis Dei pſalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur: in hoc nocturnum diurnumque officium, & Miſſarum celebritates aſſidue clero ac populo ſub maturo tenore, diſtinctaque gradatione cantantur: ut eadem diſtinctione colliberent, & maturitate delectent. Sed nonnulli novellæ ſcholæ diſcipuli, dum temporibus menſurandis invigilant, novis notis intendunt: fingere ſuas, quam antiquas cantare malunt: in ſemibreves & minimas eccleſiaſtica cantantur, notulis percutiuntur. Nam melodias hoquetis interſecant, diſcantibus lubricant, triplis & motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeo ut interdum antiphonarii & gradualis fundamenta deſpiciant, ignorent ſuper quo ædificant; tonos neſciant, quos non diſcernunt, immo confundunt: cum ex earum multitudine notarum aſcenſiones pudicæ, deſcenſioneſque temperatæ, plani cantus, quibus toni ipſi ſecernuntur, ad invicem obfuſcentur. Currunt enim, & non quieſcunt, aures inebriant, & non medentur: geſtibus ſimulant, quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda laſcivia propalatur. Non enim, inquit, fruſtra ipſe Boetius, laſcivus animus, vel laſcivioribus delectatur modis, vel eoſdem ſæpe audiens, emollitur & frangitur. Hæc ideo dudum nos & fratres noſtri correctione indigere percipimus; hæc relegare, immo prorſus abjicere, & ab eadem Eccleſia Dei profligare efficacius properamus, &c. Ita Johan. XXII. Extrav. Com. lib. 3. tit. de vit. & hon. Cleric. cap. un. ubi etiam ſubjungit qualem velit eſſe muſicam & cantum, quæ Eccleſiam Dei deceat.

IN EPIST. CCCCIII. Ad Henricum archid.

INterrogatus Bernardus (ſi tamen ejus eſt hæc epiſtola, nam plerique negant, quod tamen non facile dixerim,) an Baptiſmus ſub 221. Hom. xiii.

hac verborum forma collatus valeret, *Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ Crucis*: reſpondit affirmative, non omnino ſpernenda ductus ratione. Sed hæc ſententia hodie non recipitur à Theologis, & traditione apoſtolica, & aliorum Patrum, ipſiuſque S. Auguſtini auctoritate refellitur; ac docent paſſim omnes, expreſſam invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſive diſtinctam trium perſonarum expreſſionem, eſſe de eſſentia formæ; adeoque Baptiſmum ſine hac collatum eſſe invalidum. Ita habet (canon 49. Apoſtol. qui locum Matth. 28. velut interpretans de forma verborum, rejicit Baptiſmum in morte Domini collatum, ita ſubjiciens: *Non enim dixit nobis Dominus*, IN MORTE MEA BAPTIZATE, ſed, EUNTES DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS-SANCTI. S. Auguſtini ſententia clariſſima eſt lib. 6. contra Donatiſt. cap. 25. certa eſſe verba evangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus. Idem habet epiſt. 23. ad Boniſac. Eſtque ſimilis locus lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. Quæ ſint autem illa verba evangelica, exponit contra Donatiſtas lib. 3. cap. 15. *Si*, inquit, *evangelicis verbis*, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS-SANCTI, *Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum*. Vide eumdem lib. 3. contra Maxim. cap. 17. & epiſt. 20. & ſup. Pſal. 86. Hinc & Cajetani ſententia, ſufficere Baptiſmum in nomine Chriſti collatum, exploditur.

IN EPIST. CCCCX.

221. *GILDOINO ABBATI S. VICTORIS. Is à Ludovico Groſſo abbatiæ S. Victoris fundatore abbas conſtitutus eſt anno 1113. Guillelmo Campellenſi, qui locum ordinare cœperat, ad ſedem Catalaunicaſem evecto, ut dictum eſt ad epiſt. 3. De S. Victore, præter ea quæ Cheſnius refert in notis ad Abaëlardum, ſic loquitur Albericus in Chronico ad ann. 1128. *Domus S. Victoris Pariſienſis, quæ erat Prioria nigrorum monachorum de Maſſilia, ejectis prædictis monachis, adductus eſt conventus Regularium de S. Rufo de Valentia per magiſtrum Hugonem, qui dictus eſt de S. Victore, & de Regis auctoritate: & ita multiplicata religione habet Ordo iſte bene triginta abbatias, & pluſquam octoginta priorias.* Eximia ſunt quæ de iſto S. Victoris Ordine narrat Jacobus à Vitriaco, cap. 24. Hiſt. Occident. de quo inter alia. Hæc ſi quidem, inquit, ſancta & omni acceptione digna militantium in caſtris Domini Congregatio, refugium eſt pauperum, conſolatio lugentium, fulcimentum & quaſi baſis debilium, recreatio laſſorum, relevatio lapſorum, portus tranquilliſſimus ſcholarum. . . . Multis à principio Pariſienſibus magiſtris, viris litteratis & honeſtis, velut ſtellis fulgentibus illuſtrata, & quaſi margaritis pretioſis decorata. Inter quos nominatiſſimus & præcipuus extitit citharista Domini, organum Spiritus-ſancti, magiſter Hugo de S. Victore dictus. Ea propter S. Bernardus ſpeciali ſemper amore domum iſtam complexus eſt, cujus rei evidens nobis ſuppeditat argumentum conceſſio ſequens, ipſo agente facta, ut teſtatur autographum in S. Victoris Chartophylacio etiamnum aſſervatum, cujus exemplum eruditus & amiciſſimus D. Tonnelerius Bibliothecæ præfectus mihi communicavit.

EGo Bernardus, Claræ-vallis vocatus abbas, omnibus Dei fidelibus, tam poſteris, quam præſentibus, notum fieri volo, me quadam vice, cum Pariſius veniſſem, rogaſſe dominum Odonem abbatem S. Genovefæ, omneſque fratres in communi Capitulo, ut fraternæ dilectionis intuitu Geldwino abbati fratribuſque eccleſiæ S. Victoris concederent aquam *Benevim*, de ſubmolendino quod *Capels* appellatur, acceptam uſque ad ſuam eccleſiam deducere, & inde verſus Pariſius in Sequanam, dato idoneo pretio hominibus poſteris S. Genovefæ. . . . aquam ducerent. Et in præfatæ eccleſiæ B. Victoris liceret in eadem aqua infra muros ſuos molendinum facere ad ſuos uſus, ut quantulumcumque utilitatis aquæ-ductu illo infra eoſdem muros & extra propriis expenſis extruere valeant. Quæ Odo abbas omnia communi fratrum ſuorum aſſenſu noſtro interventu benigne conceſſit, ita tamen ut molendinum S. Genovefæ, quod ſuperius eſt nominatum, nulla operis S. Victoris machinatione aut aquæ elevatione impediatur. Quæ conceſſio ut eccleſiæ B. Victoris rata firmaque in perpetuum perſeveret, ſigillo eam commendamus, & ſigilli noſtri impreſſione teſtificandam duximus. Placuit & eorum nomina ſubjungere, qui precibus noſtris tum interfuere. Dominus GODEFRIDUS Lingonenſis epiſcopus, D. JOHANNES S. Maclovii epiſcopus, Magiſter BERNARDUS Pariſienſis archidiaconus, Monachi quoque noſtri GERARDUS ET GAUFRIDUS. Hæc conceſſio facta eſt circa annum 1150.

IN EPIST. CCCCXIX. Ad Alfonſum.

223. Horstii. CORAM DOMINO DECERTANTIBUS MANUS VESTRÆ ROBUR ET FORTITUDINIS PORTOLABAM. Rem geſtam vide prolixe narratam apud Henriquez in Faſc. lib. 1. diſt. 4. cap. 17. & in Menolog. 20. Auguſti pag. 273. ubi videbis Bernardum, etſi in Galliis agentem, velut alterum Moyſen, extentis in cœlum manibus, Alfonſo in Luſitania Scalabim munitiſſimam Saracenorum urbem oppugnanti, tamquam alteri Joſue, ſuppetias & victoriam contuliſſe: idque quia ſola nominis ejus fama permotus Alfonſus opem illius, licet tanto intervallo diſtantis, imploraverat.

IN CUJUS DURATIONE, &c. Memorabile Bernardi vaticinium, quod noſtris annis complevit eventus. Sed id te malo ex ipſis ejus gentis auctoribus plenius cognoſcere. Audi ergo Angelum Manrique Luſitanum Ordinis Ciſtercienſis Theologum.

Quod autem ibi dicit, *in diviſione veniemus, dividetur à vobis corona veſtra*, noſtris temporibus evenit. Sebaſtiano enim in Africa miſere extincto, Henricus Cardinalis regnum obtinuit, qui partem redituum monaſterii Alcobacienſis aulico cuidam aſſignavit, & rex brevi fato ceſſit, nullum heredem relinquens: & rex Hiſpaniarum Philippus II. in hereditatem intravit, extincta antiqua Luſitanorum regum progenie. In dicto autem monaſterio mille monachi ſimul habitabant, qui die ac nocte inceſſanter divinis laudibus inſiſtebant. Qui diviſi erant per decanos tali ordine, ut in choro laus perennis haberetur. Primis enim poſt abſolutas laudes matutinas è choro egredientibus, alii ſuccedebant; quibus etiam abeuntibus, alii intrantes eaſdem decantabant, ita ut numquam chorus ſine monachis videretur. Sic prophetiam hanc explicat R. P. Angelus Manrique in Laurea Evangelica, & in Annal. & ex eo Henriquez in Faſcic. lib. 1. diſt. 4. cap. 27. & rurſus in Menol. 20. Auguſt.

Hic occurrit opportune non minus memorabile conſilium, ſeu potius vaticinium de eodem Henrico rege Luſitaniæ, ſed jam tum cardinale & archiepiſcopo Eborenſi, quod in vita S. Caroli Borromæi legiſſe memini; nec abs re futurum puto, ſi hic in gratiam Lectoris addidero. Sebaſtiano Luſitaniæ rege abſque filiis mortuo, creatus eſt rex Henricus S. R. E. Cardinalis ejus patruus, quem vehementer rogatum, regni optimates, præſules, populuſque exoraverunt, ut uxorem vellet ducere: ſpectabant enim ex eo, quamvis ætate confecta, procreandum in imperio qui ſuccederet. Præter univerſi regni ſolatium, pietati religionique valde conſentaneum eſſe, diſcordiis, bellis calamitatibus occurrere, quæ Henrico mortuo, nullo regiæ domus relicto ſucceſſore, propemodum neceſſe erat exiſtere. Henricus, ut epiſcopus, religione ſolvi, uxoriſque ducendæ facultatem à Gregorio Pontifice ſibi concedi poſtulat. Eodem tempore Mediolanum ad Carolum dat litteras: adductum ſe a Luſitanis ſuis, ut conjugio conſentiret: quo tamquam unico remedio tranquillitati provinciæ poſſet conſuli: grave admodum ſibi eſſe, ducereque id cujuſdam loco ſacrificii, in quo ſeipſum pro ſuorum ſalute immolaret: ſed publicæ quieti cedendum judicaſſe. Vehementer igitur rogare, ut, quantum eniti poſſet, ad eam conceſſionem Pontificem perducere conaretur. Idem viri principes alii majorem in modum à Carolo poſtulant, negotiumque ejus auctoritati commendant.

Carolus amiciſſimi optimique Regis poſtulationi, non quod is velle videtur, ſed quæ ſanctæ Eccleſiæ putaret conducere, reſpondet: Magni quidem intereſſe videri, quærere Luſitanis, qui ei ſine controverſia legitime poſſet in regno ſuccedere: ſed tali antiſtiti poteſtatem facere conjugii, rem omnium videri graviſſimam, neque ullo umquam tempore conceſſam. Perſonæ Deo dicatæ, in alio genere, factam quandoque dici poteſtatem nuptiarum: quod nullo tamen ſatis certi probatique auctoris teſtimonio fere confirmatur: omnino exoptatos ejuſmodi nuptiarum, vel publicæ quietis, vel ſucceſſionis eventus minime contigiſſe: maxima etiam inde publice ac privatim extitiſſe incommoda, unde magnæ utilitates exſpectarentur: probandam magis atque imitandam quorumdam regum continentiam, qui matrimonio conjuncti, cum recte ac legitime filios poſſent ſuſcipere, nulla tamen heredis ſucceſſoriſve habita ratione, ſingulari caſtimoniæ ſtudio, tali matrimonii uſu abſtinuerunt. quanto magis qui cœlibem vitam profeſſi ſine ſingulari quadam venia ſeſe ad connubium referre non poterant? Quæ dixerat, allatis exemplis confirmavit. Poſtremo in re tanta tamque difficili, nihil ſe aliud probare poſſe dixit, quam ut quibus de cauſis ea facultas poſtulanda videretur, eæ cauſæ ſummo Pontifici candide, nulloque ſtudio referrentur: quod is pro ſumma auctoritate, divinoque afflatu judicaſſet, æquo animo voluntateque acciperetur. De re graviter ad Pontificem ſcripſit, quid ſibi maxime probaretur, indicavit: eventus qualis fuerit, ignorat nemo. Ita graviſſimus Scriptor Vitæ ſancti Caroli Borromæi Carolus à Baſilica epiſcopus Novarienſis.

* Extat in Spicilegii tomo 8. Diploma Johannis regis Portugallenſis, qui Menendo Alchobaziæ abbati monaſterium Ceicenſe tradit æra MCCXXXIII.

IN EPIST. CCCCXX. Ad Johannem Ciritam.

DUM NOBIS APERUIT EXAUDIRE DEPRECATIONES TUAS. Henriquez in vita Johannis Ciritæ modum exauditionis explicat. Nimirum B. Bernardo anno 1119. vigeſima quarta Junii, poſt Vigiliarum laudes orationi in choro inſiſtenti, S. Johannem Baptiſtam apparuiſſe, jubentem, ut in remotiores Hiſpaniæ oras coloniam monachorum dirigeret, locum à Deo monſtrandum monaſterio congruum. Hinc Bernardum octo ex ſuis delegiſſe, nempe Boemundum, Aldebertum, Johannem, Bernardum, Ciſinandum, Rolandum, & Alanum, eoſque de divina voluntate commonitos in Hiſpaniam miſiſſe; qui Johannem Ciritam, dato per S. Bernardum indicio, invenientes, ejus ductu & auſpiciis Principis, monaſterium ſancti Johannis de Tarouca conſtruxerunt. Vide Henrique in Faſc. lib. 2. diſt. 19. & Manriq. in annal. anno 1119. cap. 3. 224. Horstii.

FINIS ANNOTATIONUM IN TOMUM I.

NOTÆ IN TOMUM II.

IN LIB. I. De Conſiderat. cap. 1. num. 2.

225. Horstii. INuiter a tuæ Rachelis amplexibus. Uſitatum Patribus & Theologiæ myſticæ Scriptoribus, nomine Rachelis & Liæ, Contemplativam & Activam vitam deſignare. Ambæ quidem uxores Jacob, ſed ... ſua fœcunditas, alteram venuſtas commendabat: quæ duæ dotes diſparibus utriuſque vitæ officiis applicari ſolent. Eodem ſenſu Marthæ & Mariæ nomina non raro uſurpari videas. Itaque inſinuat Eugenium hactenus vitæ contemplativæ ſtudiis deditum, ægre ad activæ vitæ negotia deſcendere, utpote quæ variè diſtrahunt mentem, & pæne obruunt, ut vix ſubinde ad ſuperna ac divina valeat aſſurgere.

Sane, quam moleſtum ſit viris piis & religioſis, avelli à ſanctæ contemplationis otio, ad negotia ſæculi, ad dignitates & honores tot tantiſque occupationibus obnoxios pertrahi, ex ſanctorum Patrum ſcriptis rebuſque geſtis conſtat. Unum libet adducere è ſummo illo culmine, uti probe conſcium doloris & moleſtiæ, quam adferre ſolet iſtud quietis & tranquillitatis religioſæ diſpendium, Gregorius M. ſanctiſſ. Pontifex, evectus ad illud ſummi in Eccleſia honoris faſtigium, mirum quàm deploret ſortem & conditionem ſuam, priſtinam cum præſenti conferens. Verba ejus perquam elegantia ſunt, & perutilia, meritoque inculcanda his, quibus adeo non horret animus ad tot curas, & contemplationis remoras, ut potius inſtar Ephraim, quaſi vitula docta diligere trituram, avidi ad iſta feratur, & eſſe ſub ſenſibus delicias computent. Sed audiant iſti Gregorium gementem & querentem ſe ſub colore pontificatus, ad ſæculum reductum, & jam tantis terræ curis inſervire, quantis ſe in vita laica nequaquam deſerviſſe meminerit. Alta enim, inquit, quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, aſcendiſſe exterius videor. Unde me à Conditoris mei facie longe expulſum deploro, &c. Et paulo poſt: Undique cauſarum fluctibus quatior, ac tempeſtatibus deprimor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Redire poſt cauſas ad cor deſidero, ſed vanis ab eo cogitationum tumultibus excluſus redire non poſſum. Ex hoc ergo mihi longe factum eſt, quod intra me eſt, ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: *Redite prævaricatores ad cor:* ſed ſtultis preſſus cogitationibus, ſolummodo exclamare compellor: *Cor meum dereliquit me.* Contemplativæ vitæ pulcritudinem velut Rachelem dilexi ſterilem, ſed videntem ac pulcram, quæ etſi per quietem ſuam minus generat, lucem tamen ſubtilius videt. Sed quo judicio, neſcio, lux mihi in nocte conjuncta eſt, activa videlicet vita, fœcunda, ſed lippa, minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria feſtinavi, verba oris ejus percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus miniſtrare, atque erga multa ſatagere. Ita Pontifex vere ſanctiſſimus, in Regiſt. lib. 1 epiſt. 5. Similia habet ibid. epiſt. 6. 7. & præſertim 24 item 25 & 26.

Sed placet & alium ejuſdem nominis & culminis Pontificem, eadem quoque mente, & ſimili animi æſtu loquentem audire. Gregorius enim IX. ubi, ſcribens ad Camaldulenſes monachos, angorem animi ſui in pontificatu exponit, & orationum ab eis ſuffragia poſtulat, ita loquitur: Quia vero importuna lippientis Liæ inſtantia nos frequenter à ſuavibus perſpicacis Rachelis amplexibus avellente, ipſi Deo precibus inſiſtere non poſſumus, ut oportet, vos qui ad pedes ejus ſedetis, jugiter cum Maria, & quibus ab olim nos junximus vinculo caritatis, ſollicitandos duximus, &c.

IN LIB. I. CAP IV. n. 5.

226. Horstii. LEges Justiniani, non Domini. Legum abuſus fecit, ut ſancti viri & zelo juſtitiæ ferventes acriorem ſubinde in leges cenſuram ferant. Verum non tam leges ipſas, quam abuſum, & ipſos abutentes ferunt. Horum ſane vitio fit, ut leges ſæpe non niſi lites ſint, aut ſerant. Nempe & vinum abit in vitium, non ſua, ſed abutentium culpa: nec eapropter vinum recte culpaveris. Quid enim abuſu non poſſit depravari? Legum porro uſum maxime corrumpunt ambitio, & lucri cupiditas. Hinc nulli ſere cauſæ, qualiſcumque ea ſit, patrocinium deeſt: hinc illæ litium ambages, antequam ad cauſæ metam, id eſt ſententiam, pervenias. Sed hac de re cap. x. redibit ſermo.

Studium legum Clericis non decet.

Hoc loco Bern. revocat Pontificem ab immodica legum Juſtiniani & litium occupatione. Quid autem vetat, idem ad ceteros quoque Eccleſiæ Prælatos, immo & omnes eccleſiaſticos extendere? quorum plures videmus ad legum & jurium ſtudia ferri propenſius, eo quod magis ad ſplendorem, quæſtumque & vitæ commoda ſpectare putentur.

227. At quæ iſta præpoſtera vitæ & ſtudiorum ratio, ut toti hodie ſint in legibus Juſtiniani, quorum tota voluntas & voluptas eſſe debebat in lege Domini? Nonne hoc ipſo vitæ genere & inſtituto (utpote clerici, id eſt, in ſortem Domini cooptati) profitentur? Nonne hujuſce rei ſeipſos quotidie commonefaciunt, cum præeunte Propheta beatos illos pronuntiant, quorum *voluntas eſt in lege Domini, & in lege ejus meditantur die ac nocte?* Jam vero illi in Scripturis divinis hoſpites ac peregrini, à libris piis & ſpiritualibus alieni, ac faſtidioſi, in Codice & Digeſtis, Novellis ac Libellis, legibus ac litibus majori guſtu & voluptate verſantur. Cum codices Evangeliorum, ac geſtis Sanctorum nihil illis commercii, niſi quod verba Pſalmorum raptim curſimque demurmurant, & Chori penſum feſtinanter abſolvunt. Hinc ad profana, nedum vana ſtudia ſeſe convertunt. Quæ hic meditatio divinæ legis? quæ ſacrarum rerum & ſtatui eccleſiaſtico congruentium tractatio? Et tamen clamant quotidie: *Quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea eſt!* &c. Mirum ſi non vereantur teſtem cordis ſui Deum, aut certe propriam conſcientiam, ne forte arguantur ... [illegible], qui utriuſque teſtimonio convincentur, nihil minus di[illegible]re, quam quod ore profitentur. Quorſum enim quotidie recitamus Pſalmos? nonne ut congruentes verbis ſenſibuſque Pſalmorum affectus induamus, & mores monitis divinis conformemus? Quis autem credat eos ſentire quod aſſerunt, aut certe per os divini Vatis aſſertum repetunt quotidie, beatum dicentes illum, qui in lege Domini ſcrutatur & meditatur die ac nocte? Quid mirum, ſi tales videamus ſucco veræ pietatis paulatim deſtitui, nullo divinarum rerum vegetari influxu, ſenſim ſine ſenſu exareſcere, tandemque penitus emori.

228. Hinc Petrus Bleſenſis, vir doctiſſimus, & ipſe Legum peritiſſimus: Res, inquit, plena diſcriminis eſt in clericis uſus legum. Totum enim hominem adeo ſibi vindicat, ut cum ſuſpendat à ſpiritualibus, à divinis avellat, epiſt. 26. Et alibi: Hæc (Legum tractatio) vix unquam pacifica eſt, quia ſemper litigat de contractibus, vel quaſi de maleficiis, vel quaſi de variis figuris cauſarum, de actionibus & obligationibus, de judiciis, de ſententiis & appellationibus, & aliis, quæ cum ſopire lites debeant, ſemper cineres litium excitant jam ſopitos. Ita ille epiſtola qua clericum Regis Angliæ à ſtudio Juriſprudentiæ, ad ſacrarum litterarum ſtudia, veluti ſtatui eccleſiaſtico magis congrua, provocat, in Tubis noſtris Diſcipl. eccleſ. Tub 6. pag. 555. Sic & apud Baron. Tom. XII. an. 1165. n. 8. Johan. Sariſberien. Thomam archiepiſcopum Cantuarienſem, qui demum pro Eccleſia glorioſus Martyr occubuit, à ſtudio legum dehortatur, utpote quæ magis curioſitati, quam utilitati ſerviant. Mallem, inquit, vos ruminare Pſalmos, & B. Gregorii Morales Libros evolvere. Quis à lectione Legum & Canonum compunctus ſurgit?

229. Similem Carolo Borromæo ſanctiſſimo Præſuli mentem fuiſſe lego. Uſitatam enim, inquit Scriptor, Vitæ, Juriſconſultorum ſcientiam, qua fuerat occupatus adoleſcens, minime jam in paſtorali cura ad ſe pertinere arbitratus eſt. Theologica & canonica tantum novit, quantum Cardinali magnam eccleſiam regenti efficere poſſe conceſſum eſt. Ex Theologia Scripturas divinas potiſſimum ſequebatur, tum veteres Patres, Interpreteſque illos, qui ſolidiorem ſenſum amplectuntur. Canonum ea ſcientia perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta repræſentans, Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem eos communi conſuetudine tantummodo canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites judiciaque valent, conſtituit ipſe qui eſt declarandis præeſſet, unde ſacra majorum inſtituta, & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur. Lib. 7. cap. 21.

230. Porro ſuperiora omnia cum grano ſalis accipe. Sobriam enim legum ſcientiam & uſum, non quæſtui, ſed juſtitiæ & veritatis patrocinio utilem, nemo ſapiens damnat. Id ſolum monentur ſacri ordinis homines, ut noverint præcipuas ſui ſtatus partes, & officia, ament digna & debita vocationi ſuæ ſtudia: & præpoſtere occupari caveant: ne negligant ſcire in primis, quæ perfectionem ſui ſtatus magis magiſque promoveant: ne minorem præcipuis, majorem vilioribus, & alienis curam ac induſtriam impendant. V. Lindanum epiſc. Ruremund. lib. de Impœnit. ſug. ubi quærit, cur multi clericorum hodie pluris faciant Juriſprudentiæ ſtudia, quam Theologiæ.

IN LIB. I. CAP. IX.

231. Horstii. NUmquid istud terruit B. Papam Gregorium? S. Gregorius inter ipſos armorum ſtrepitus ſacris ſtudiis intentus, velut alter Archimedes. Et quidem Præfat. lib. 2. Homil. in Ezech. teſtatur duobus ſe incommodis turbari in propoſito, nimia obſcuritate viſionum, & terrore imminentium malorum. Nam *Agilulfum*, inquit, *Longobardorum regem ad obſidionem noſtram ſummopere feſtinantem Padum tranſiſſe cognovimus. Unde penſate, Fratres, in caliginoſis ac myſticis ſenſibus penetrare quid valeat mens miſera, timoris ſui perturbationibus occupata, &c.* tamen obſcuriſſimam & extremam partem Ezechielis eo temporis tam diligenter quam eleganter expoſuit, uti inquit S. Bernardus. Videant nunc Prælati Eccleſiæ, ceterique viri eccleſiaſtici, quomodo in pace & tranquillitate viventes, utantur otio conceſſo: an ad ſacra ſtudia, an ad vana & ſæcularia negotia. Quam multos heu! videre eſt alienis, otioſis, & indignis occupari! Quid autem intereſt, an otioſus ſis, an male occupatus? Olim certe ſancti Præſules, etiam in graviſſimis negotiis, inveniebant otium vacandi Deo: & nunc inveniunt, quibus cura & parſimonia temporis erit.

IN LIB. I. CAP. X.

CAusas breviter decidere, &c. Perſtringit artes fraudeſque advocatorum, quibus adeo curæ non eſt, controverſias ſopiendas admovere manum, ut potius oleum affundant. Cauſa & li- 232. Horstii.

tes breviter decidendæ. Nimirum ſeruntur lites ex litibus, controverſiæ controverſias excipiunt, nullaque ratione ſiſti vel inhiberi tramum ille curſus poteſt. Sed & ſumptibus atteruntur litigantium facultates, cautiuſque pleriſque eſſet, de jure ſuo decedere, quam jure experiundo, ſortis nonnunquam minus idoneæ damnum, impendiorum jactura cumulare. Cauſas itaque Bernardus vult breviter decidi, omnes litium ambages recidi: cum nihil ita abſque labore manifeſtum faciat veritatem, ut brevis & pura narratio.

In quam ſententiam multa variis Conciliorum decretis ſtatuta legimus; ſed utinam praxim in curiis & tribunalibus videremus! Concil. Trident Seſſ. 24. cap. 20. de Reform. & Seſſ. 25. cap. 10. de Reform. ubi inter alia ſic habet. Admonet ſancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoſcunque Judices, ut terminandis cauſis, quanta fieri poterit brevitate ſtudeant: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant, &c. Vide Concil. Lateran. ult. Seſſ. 10. & in Cle. Sæpe de verb. ſig. c. Finem litibus, &c. fin. de do & cont. cap. 2. de re jud. &c. conſtitutus, de procur. cap. Nonnulli, de reſcr. Cle. Diſpendiuſam, de judiciis, & alibi ſæpius.

Horum Canonum obſervantiam magnus eccleſiaſticæ diſciplinæ zelator Car. Borromæus ſtudioſe promovit, de quo memorabile eſt, Notariis Scribiſque fore ejus tempore accidiſſe, ut peritiam earum litium, quæ de beneficiis alibi tam frequenter inter clericos eſſe ſolent, pæne dediſcerent, lib 7. vitæ cap. 36. Thomam quoque Morum Angliæ martyrem à protrahendis in foro cauſis alieniſſimum fuiſſe Stapletonus in vita ejus teſtatur. Nam cauſis omnibus & litibus adeo expedivit & liberavit tribunal ſuum, ut quadam vice expedita cauſa, dum ſequentem proferri juberet, reſponſum acciperet, nullam illic amplius ſupereſſe. Ita in Vita ejus, mihi pag. 39.

IN LIB II. de Conſid. Cap. 1. num. 3.

233. Horstii. INCIDIMUS IN TEMPUS GRAVE. Expeditio in Orientem, hortatore S. Bernardo ſuſcepta, infeliciter ceſſit. Hinc nata contra Virum ſanctum murmura & calumniæ. His hoc capite antidoton ſive apologeticum opponit. Idem quoque faciunt alii Scriptores, ne putes ipſum Bernardum ſolum ſuæ cauſæ & innocentiæ aſſertorem. Vide Gaufrid. lib. 3. Vitæ cap. 4. Otho Friſing. de Geſt. Frid. lib. 1. cap. 60. ubi multis hac de re philoſophatus tandem concludit: Expeditionem illam, etſi cum tanta Chriſtianorum ſtrage conjunctam, fuiſſe bonam & ſalutarem, ſi non pro dilatatione terminorum, vel pro commoditate corporum, attamen ad multorum ſalutem animarum. Additque; Quamvis ſi dicamus ſanctum illum Abbatem (Bernardum) ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam laſciviamque noſtram ſalubria monita non obſervantes, merito rerum perſonarumque diſpendium deportaſſe, non ſit à rationibus vel antiquis exemplis diſſonum. Ita Otho, qui præſens interfuit, & quæ oculis ſuis vidit, ſincerius enarrare potuit. Vide epiſt. Johan. Abb. Caſæ-Marii inter epiſt. Bern 333 * & Vvill. Tyrium apud Baron. anu. 1148. ubi de cauſis fruſtratæ expeditionis. Sed libet unum præ ceteris iſtius ætatis audire, bonæ notæ & fidei Scriptorem, cauſas infelicis belli diligentius ediſſerentem. Is eſt Guillelmus Neubrigenſis lib. 1 de Reb. Angl. cap. 20. Legimus, inquit, olim numeroſiſſimum Domini exercitum unius hominis etiam occulte peccantis ſcelere ita inquinatum, & favore divino nudatum, ut enervus & languidus appareret. Conſultus Dominus, reſpondit populum anathemate pollutum eſſe, & adjecit: *Anathema in medio tui eſt, Iſrael; non poteris ſtare adverſus hoſtes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere.* Porro in noſtro illo exercitu tanta tam contra Chriſtianam, quam contra caſtrenſem etiam diſciplinam, mala inceverant, ut mirum non ſit, quod eis tamquam pollutis & immundis favor nequaquam divinus arriſerit. Caſtra enim caſtratione dicuntur luxuriæ. At caſtra illa noſtra, caſta non erant, in quibus utique infelici quadam licentia multorum ſpirabant libidines. Præſumentes quoque de multitudine & inſtructu copiarum, atque ita carnem brachium ſuum ſuperbe ponentes, in Domini, pro quo æmulari videbantur, miſericordia atque potentia minus confidebant, declaratumque in eis eſt, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Præterea in terra Chriſtiani Imperatoris, cum quo fœdus percuſſeram, & quo jubente, venalia vel afferebantur, vel abundabant, manus à rapinis temperabant. Immiſit ergo eis infenſus Imperator, hinc famem, inde hoſtem: tanti ſanguinis Chriſtiani periculum Chriſtianos minime perhorreſcens. Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter hoſtium inſidias noſtri non valerent excurrere, primo exercitus fame contabuit: deinde hoſtium exceptus inſidiis, vel Turcarum gladios inebriavit, vel Chriſtianæ ſtatum libertatis ignominioſiſſimæ atque infeliciſſimæ ſervitutis ſorte mutavit. Nec ſuperbis atque immundis caſtigandis iræ defuere cæleſtes, & plerumque (ut dicitur) effuſa deſuper intempeſtivarum nubium inundatio de exercitu noſtro plus minuit, quam hoſtilis gladius. Itaque duorum exercituum maximorum parte longe majore diverſis caſibus & cladibus profligata, cum parte reſidua duo illi magni Principes, ægre exitium evadentes, Jeroſolymam venerunt: & nulla re memorabili facta, ingloriè receſſerunt. Ita Neubrigenſis.

Cauſa infelicis expeditionis Catholicorum adverſus infideles.

IN LIB. II. De Conſid. Cap. 5.

234. Horstii. QUALE EST HOC DE PAUPERE AC ABJECTO LEVARI, &c. Monet ut veteris fortunæ memoria contineat ſe intra limites modeſtiæ. Idoneum ſane frenum ad arrogantiam & tumorem animi comprimendum ac ſiſtendum. Exemplum hujus rei præclarum ac celebre dedit Agathocles Siculus, qui figulo patre natus & ignobilis, tandem regno Siciliæ potitus eſt. At ne honoris ſpecies abriperet extra metas honeſtatis, immemorem unde eſſet, & quam in lubrico eum fortuna collocaſſet; ortus ſui memoriam conſervavit, utens vaſis fictilibus, quorum intuitu figuli ſe filium eſſe recordaretur. Id quod Auſonius eleganti expreſſit epigrammate. Quod præter alios etiam affert Nicolaus Serarius in Hiſt Moguntina, ubi agit de Vvillegiſo archiepiſcopo ejuſdem eccleſiæ, qui itidem obſcuro loco natus, ſed demum factus archiepiſcopus, quanto major fuit, tanto ſe ſubmiſſius geſſit: ideoque ſtudebat identidem priſtinæ conditionis ſuæ recolere memoriam. Et quia patre carpentario natus erat, paſſim in ædificiis & parietibus rotas, tabulæ ſcilicet paternis opus, pinxit, addito hoc elogio: *Vvillegiſe, Vvillegiſe, quis fueris ne obliviſcere.* Et hoc velut inſigne ſibi perpetuum ſumpſit, cujus intuitu ſemper originis ſuæ memoriam aleret, idque in hodiernum uſque diem civitas Moguntina reſervat. Vide Serarium loco citato, mihi pag. 723. ubi alia quædam ſymbolica de rota affert, & de vitæ brevitate ac fortunæ volubilitate non abs re philoſophatur.

IN LIB. II. CAP. XIII.

INTER SÆCULARES NUGÆ, &c. Nugas & otioſas fabulas faceſſere jubet ab ore ſacerdotis. quidni Pontificis Sertis tantum & utilibus id patere vult, nempe Evangelio conſecratum, nec vano ſermone (quamvis alii eum urbani nomine colorent) profanandum. Simile prorſus priſcæ & rigidæ virtutis exemplum reliquit B Petrus Damiani, qui tædium vitæ publicæ, & deſiderium quietis ac ſolitudinis, vel hinc accepiſſe, vel certe auxiſſe videtur, quod illi cum moribus, facetiis, jocis, vel (ut verbo Bernardi utar) *nugis* curialium minus conveniret. Audiamus ipſum in epiſtola qua ſe apud Pontificem & Cardinales ob dimiſſum epiſcopatum Oſtienſem excuſat. Fuit, fuit olim, inquit, ſed jam elapſum eſt tempus, ut modeſtiæ pudor, mortificationis inſigne, digna ſeveritas & ſacerdotalis gravis valeat cenſura ſervari. Nam ut me ſolum digne coarguam, videtis ipſi, quia protinus ut ad vos venio, ecce ſales, ecce facetiæ, ecce lepores, urbanitates, dicacitates, volumina quæſtionum, omneſque verborum inanium peſtes inſolenter erumpunt, quæ nos non jam Sacerdotes, ſed potius oratores ac rhetores, ſive, quod inhoneſtum eſt, ſcurras oſtendunt. Nos enim, ut verba conſerimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alternæ ſurrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, & ſeveritatis robur in excuſſum riſum, & turpia joca diſſolvant. Hinc eſt, quod mens extra ſe ſparſa confunditur, acies cordis obtunditur, lux divini amoris extinguitur, terror in alios & reverentia ſacerdotalis amittitur, &, quod periculoſius eſt, recte vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod ſi nos, vel pudore, vel metu, in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, & quos Hyrcanæ genuerint tigres, ſævi judicamur. Reprimo calamum, nam ut turpiores attexantur ineptiæ, pudore ſuffundor. Videlicet venatus, aucupium, alearum inſuper furiæ, vel ſcaccorum, &c. Ita ille: ubi vides quam belle Bernardo conſentiat, & quales in ſacerdotibus nugas deteſtetur: quas hodie multi eccleſiaſticorum, nedum prælatorum, adeo, non cenſeor cum Bernardo *blaſphemias*, ut ne quidem veniales culpas exiſtiment.

235. Horstii. Eccleſiaſticis nugæ cavendæ.

Quam hic Bernardus Eugenio cavendam monet vaniloquii culpam, eam alius olim ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, propoſito ſui exemplo, velut ipſe reus, graviter & pathetice reprehendit. Nam dum exponens verba Ezech. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael*, onus vocationis ſuæ ponderat, in hæc verba prorumpit, quæ merito etiam corda noſtra percellant. Pauca nos excerpemus, tu integra ſuo loco lege Homil. 11. in Ezech. O quam dura mihi ſunt iſta, quæ loquor! quia memet ipſum loquendo ferio, qui otioſis verbis ſæpe implicor, & ab exhortatione atque ædificatione proximorum torpeo & negligens ceſſo! Qui in conſpectu Dei factus ſum mutus & verboſus: mutus in neceſſariis, verboſus in otioſis, &c. . . . Et quidem in monaſterio poſitus, valebam & ab otioſis linguam reſtringere, & in intentione orationis pæne continue mentem tenere. At poſtquam cordis humerum ſarcinæ paſtoralis ſuppoſui, colligere ſe ad ſemetipſum aſſidue non poteſt animus, quia ad multa partitur. . . . Quia autem neceſſitate loci ſæpe viris ſæcularibus jungor, nonnumquam mihi linguæ diſciplinam relaxo. Nam ſi in aſſiduo cenſuræ meæ rigore me teneo, ſcio quia ab infirmioribus fugior, eoſque ad hoc quod appeto, numquam traho. Unde fit, ut eorum ſæpe & otioſa patienter audiam. Sed quia ipſe quoque infirmus ſum, in otioſis ſermonibus pauliſper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam invitus. Et ubi tædebat cadere, libet jacere, &c. S. Ambroſius ubi de officiis agit, jocandi diſciplinam à ſæcularibus viris tradi ſolitam, ſibi prætereundam arbitratur. *Nam licet interdum*, inquit, *honeſta joca ac ſuavia ſint, tamen ab eccleſiaſtica abhorrent regula*, lib. 1. cap. 23.

236.

Sacros ſane Oratores, qui, ut verbis Bernardi utar, *conſecraverunt os ſuum Evangelio*, hic cautos eſſe par eſt, ne ad nugas & ludicra, tum privatim, tum publice defluant. Iraſcor concionatoribus, qui pro ſuggeſtu jocos ſubinde ſeu facetias & lepidas fabellas proferunt, quales etiam in quibuſdam recens editis cujuſdam Religioſi concionibus extare video. Legant illi Chryſoſtomum in cap. 5. epiſt. ad Ephes. ubi oſtendit, quam ſit Chriſtianæ gravitati conveniens, ridiculis abſtinere, quæ qui legerit, inquit Carolus Regius Soc Jeſu in Oratore Chriſtiano, non poterit non mirari, quantum pleriqne Chriſtiani populi Oratores ab ea gravitate diſtent, quam ille vir ſapientiſſimus jure ab ipſo populo exigebat, ubi deinde præſentem Bernardi locum iis inculcat. Qui proinde prudenter monet, concionatori fugiendum modum agendi, magis aulicis, quam religioſis viris convenientem, & eorum, qui magis ſpiritu hujus mundi, quam ſpiritu Dei vivunt, propterea:

237. Et Concionatoribus.

proprium, magiſque ſapit mores quoſdam, quos hodie politicos vocamus, quam ſimplicitatem evangelicam. Ex hoc genere eſt, inquit, levis & juvenilis in familiari uſu libertas, ſub prætextu hilaris & lætioris cujuſdam converſationis, ridicula dicta & facta, & lepidas hiſtorias intermiſcendi, ut hoc modo amicos & viros nobiles familiaribus colloquiis detineant. Ita Scriptor ille, ad formandum ſacrum Oratorem perquam idoneus, dignuſque qui verſetur in omnium Concionatorum manibus, lib. 2. cap. 16.

IN LIB. III. De Conſid. cap. II. num. 7.

538. Horstii. INIQUA OMNIS APPELLATIO. &c. Qua de re prudentiſſime Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 1. de Refor. Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio, judicis proceſſum impediant, ne remedio, ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati & tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit, &c.

IN LIB. III. Cap. III.

539. Horstii. UNUS MOGONTINUS, COLONIENSIS ALTER. Henricus I. Archiepiſcopus Moguntinus gravatus ſuorum Canonicorum calumniis, & implorans Sedem apoſtolicam abſolutus eſt. Scribit pro eo Bernardus epiſtolam 302. ad quam V. NOTAS. Colonienſis alter, id eſt, Arnaldus, qui ex præpoſito S. Andreæ in Archiepiſcopum electus anno 1138. poſt annos aliquot de ſimonia accuſatus eſt. De hoc Arnaldo Auctor Magni Chronici Belgici Canonicus Reg. S. Auguſt. prope Nuſſiam, teſtatur, eum in Concilio Remenſi præſente Eugenio de ſimonia accuſatum, una cum Archiepiſcopo Moguntino ſententiam depoſitionis accepiſſe. Dictis vero Archiepiſcopis pro ſua reconciliatione Romam accedentibus, & Henrico Moguntino gratiam obtinente, Arnoldum Colonienſem reconciliationem impetrare non potuiſſe, cum tamen pro ea obtinenda plurima obtuliſſet.

IN LIB. III. Cap. IV. num. 18.

540. Horstii. UBI NECESSITAS URGET &c. Notanda Bernardi in materia diſpenſationum ſententia: nempe ut non niſi neceſſitate urgente, & communi utilitate ſuadente diſpenſetur. Jam vereor ſæpius diſpenſari, ubi neceſſitas & utilitas vel non eſt, vel tantum privata eſt. Quid autem hic eſt diſpenſare ſenſu Bernardi, niſi diſſipare? Et his merito illa ejuſdem S. Patris verba ingerimus. *Quid tibi fruſtra quiſpiam blanditur de abſolutione apoſtolica cujus conſcientiam divina ligatam tenet ſententia?* epiſtola 1. ad Robertum Item illa: *Apoſtolicam, inquiunt, licentiam quæſivimus & impetravimus. O frivolum ſatis remedium! quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non medicamentum. Utinam non licentiam quæſiſſetis, ſed conſilium, id eſt, non ut liceret, &c.* Ita Bern. epiſt. 7. ubi notatu digniſſima circa diſpenſationes, à num. 7 uſque ad 10.

IN LIB. III. Cap. V. num. 20.

541. Horstii. LUXUS VESTIUM INTROIECTUS, &c. Ævo Bernardi luxum & mollitiem veſtium inter clericos eo magis, & pæne impune graſſatam cenſent plerique, quod è prima nobilitate tunc plures in clerum adlecti, & jam pridem elegantiæ aſſueti, ægre ſe ad modeſtiam & frugalitatem ſacro ſtatu dignam componerent: quin & hoc modo priſtinum ſplendorem & ſtemmatis excellentiam peculiari veſtium cultu tueri vellent, ne forte è plebe inſtar ceterorum viderentur aſſumpti. Sed quis prudens hoc in iis ſtudium probet? Nam una cum ſtatu & vitæ genere mores habitumque mutari par erat; vel certe ita ſtatuere ſecum, præcipuum hominis Deo ſacrati decus & ornamentum eſſe virtutem, modeſtiam, pietatem. Sed quia hic fere depravata plurimorum errabat opinio, ſanctis & religioſis Viris ſemper curæ fuit, vomicam illam in communem petulciem in dies magis magiſque tumeſcentem acriori ſtilo pungere. Acceſſerunt & diverſorum Eccleſiæ Præſulum, nec non Conciliorum decreta, ad reprimendum luxum veſtium edita, quæ tamen S. Bernardus non obſervari dolet ac queritur. Vide infra Tract. de morib. & off. Epiſc. contra luxum veſtium in Cler. &c. cap. 8.

Veſtium luxus in Clericis damnatur.

542. Ibidem. SI NON UT PRIUS FISSURA ENORMIS &c. Sacris decretis ſevere cavetur, ne clerici veſtes ferant virgatas, partitas, ſcacatas. Majores noſtri vocabant *fractilatas* veſtes & pompoſas. Vide Chron. Vuindesheimenſe lib. 2 cap. 47. quæ videntur conciſæ fuiſſe veſtes, latiſſimis rimis & hiantibus, quales videmus in Gallorum thoracibus æſtivo tempore: quibus fiebat, ut ſeminudi eſſe viderentur: &, ut cum Petro Chryſologo loquar, *artificioſa nuditate veſtiti*, Serm. 122. Id S. Bernardus *fiſſuram enormem* appellat, *quæ pæne inguina nudet*: eo quod olim non thoraces modo haberent ea ratione feneſtratos & hiantes, verum etiam & femoralia late fiſſa, ut ex antiquis picturis conſtat. Quare cum clerici extra chorum longiorem veſtem poſuiſſent, in omnium oculos incurrebat illa amictus turpitudo, quæ modeſtorum oculos animoſque offenderet. Ita fere Creſoll. in Myſtag. lib. 4. cap. 13. ſect. 5. Ubi etiam addit, morbum illum diu in Germania graſſatum: ſed & à Præſulibus magna vigilantia laboratum, ne licentius latiuſque ſerperet. Et quidem deinceps diverſos Colonienſes Præſules adducit: qui paſtorali cura & cenſura invaleſcentem abuſum reprimere ſtuduerunt. Tales fuerunt Conradus anno 1260. Vualramus anno 1337. Vuillelmus anno 1351. & 1360. qui inter alia ſic ait: *Monemus univerſos & ſingulos clericos, ne de cetero veſtes partitas, virgatas, taliatas, ſcacatas, &c. aut omnino rubeas, aut omnino virides, aut glaucas, aut hermanas, vel nodatas, &c. deferant.* Omitto ceteros.

IN LIB. IV. De Conſid. Cap. II. num. 5.

ABSIT, INQUIUNT, NON DABIT &c. Vide unde corruptela Principum ac Prælatorum: nempe à malis conſiliariis & familiaribus. Utpote qui tantùm norunt blanda ſuggerere, ac non niſi placentia loqui. Hinc eleganter Seneca: Monſtrabo tibi, inquit, cujus rei inopia laborent magna faſtigia; quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet ille qui verum dicat..... Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandiſſime fallat? lib. 6. de Benef. cap. 30. 543. Horstii.

Hinc S. Ambroſius, quamvis Theodoſii Imperatoris acre ingenium, & vehementem impetum noſſet, minus tamen hinc quam à familiarium ſuorum conſiliis metuebat. Ideo Imperatori ſcribens epiſtolam 28. id ab ipſo enixius poſtulat, ut animi ſui motus, quamvis acres & vividos, ſibimet potius, quam aliis regendos committat. *Utinam*, inquit, *ſi nemo inſtigat, nullus accendat: Libenter enim naturæ impetum committo tibi: ipſe te revocas, & pietatis ſtudio vincis impetum naturæ.* Et recte quidem: quod quamvis à vehementi Principis ingenio non poſſet non timeri, plus tamen ab improbis familiaribus metuendum eſſet. Ambroſii voto fidem faciunt, quæ de Theodoſii imperio olim florentiſſimo leguntur apud Baronium, Tom. 6. An Chriſti 446. *Ita plane Theodoſii imperium pro arbitrio aulicorum, non pro ratione conſilii adminiſtratum interiit, tantaque moles corruit.* Hoc ergo reſtat, ut Principes accurate diſpiciant, quos in numerum familiarium adlegant. Audiant, immo ſpectent & ſequantur Davidis exemplum. Ecce, dictum & factum ejus egregium & vere regium. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum*, Pſal. 100.

IN LIB. IV. Cap. III. num. 7.

QUID TU DENUO USURPARE GLADIUM TENTES, &c. Ubi docet utrumque gladium competere Eccleſiæ, & ſpiritualem ſcilicet & materialem. Sed illum ab Eccleſia, hunc pro Eccleſia exſerendum: illum Sacerdotis manu, hunc ejus nutu, ſed manu militis, & ad juſſum Imperatoris. His verbis utuntur longa ſerie Politici, (ut Sectarios ſileam) immo Theologi plures & Canoniſtæ, qui olim (forte etiam hodie) Imperatoribus & Principibus contra Pontificem armatis navarunt operam: & cùm alibi ferro decertarent, illi non minus calamo rem egerunt. Contendunt illi non competere Pontifici gladium materialem, ſed ut ſupremum caput Eccleſiæ, poſſe Imperatorem, utpote dignius & potentius Eccleſiæ membrum, ſimili ratione alios Principes, ad hoc requirere, ut arma commodet Eccleſiæ, eamque contra hoſtes defendat, non vero propria auctoritate poſſe movere bellum. Et ad hoc nituntur præſenti loco Bernardi, ut qui velit non manu, ſed nutu tantum Pontificis, juſſuque Imperatoris temporalem gladium exſeri. Similia proferunt ejuſdem verba ex epiſtola 256. ad eumdem Eugenium: *Exſerendus*, inquit, *nunc uterque gladius, Chriſto denuo patiente, ubi & altera vice paſſus eſt. Per quem autem niſi per vos? Petri uterque eſt, alter ſuo nutu, alter ſua manu, quoties neceſſe eſt evaginandus. De quo enim minus videbatur, ad Petrum dictum eſt*: RECONDE GLADIUM TUUM. *Suus ergo erat, ſed non ſua utique manu educendus*, &c. Sed vide Gloſſ. in cap. *Unam ſanctam*, ubi præſens Bernardi locus commode explicatur. Vide etiam epiſtolam Gregorii IX. ex editione Voſſii de duplici gladio Pontificis, & uſu utriuſque ex profeſſo tractantem. Item Petrum Damiani lib. 4. epiſt. 6. ubi gladium materialem non videtur permittere Eccleſiæ: ſed annotatione ſat prolixa, antidotum auctor neſcio quis (fortè ipſe qui edidit, Conſtantinus Caietanus) adhibet. Item lege Baron. An 1053 Sed videat omnino Lector Sixtum Senenſ. virum doctiſſ. ex Ord. Prædic. lib. 6. Biblioth. ſanctæ Annot. 72. ubi prolixe Bernardi verba explicat; eaque à ſiniſtris interpretationibus Calvini, Fetialiorumque vindicat. Sufficiet Lectori hæc indicaſſe: nec enim vacat iſta nunc prolixius diſcutere, cum has Notas videam præter mentem excreſcere. 544. Horstii.

IN LIB. IV. Cap. IV. num. 9.

AN NON ELIGENDI DE TOTO ORBE, &c. De electione Cardinalium utiliſſime hic monet & inſtruit Pontificem, & vult illos, non ex una gente vel natione, ſed de toto mundo eligi. Idem ſtatuit Concil. Baſil. Seſſ. 23. & poſtremo iiſdem verbis Tridens. Seſſ 24. cap 1. de Reform. *Quos* (Cardinales) inquit, *Sanctiſſ. Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos reperit aſſumet.* Ratio in primis eſt, quia id cognoſcendis cauſis, & rebus per omnem Eccleſiam emergentibus, ſtatuque omnium gentium explorando neceſſarium eſt. Neque enim graviores in gubernatione committuntur errores quam ignoratione ſtatus Reip. At vix fieri poteſt, ut exteri omnia perſpecta habeant, aut ita, ut par eſt, cordi illis ſint, quæ ad alias gentes inſtruendas, conciliandas, regendaſque pertinent. Deinde, quia cum omnium gentium Principibus, Rebuſpub. Regibus agendum eſt, expedit in conſilio eſſe omnium gentium optimates, quorum opera res & negotia felicius tractentur. Denique, ne in conſiſtorio & judicio Eccleſiæ, quod par eſt omnium eſſe ſinceriſſimum, ſtudia & æmulationes nationum ſentiantur, dum natio aliqua ſe contemptam arbitratur, adeoque ſibi deeſſe fautores & patronos queritur. 545. Horstii.

146. Clericum curiam frequentantem. Clericos in curiis frequentes merito de ambitu ſuſpectos, adeoque honoribus, quos ambiunt, indignos, alii quoque Principes cenſuerunt. Ita Philippus II. rex Hiſp. clericum quemdam deſignatat epiſcopum; ſed mox ut intellexit eum adeſſe in curia, revocavit collationem laceratis quæ jam deſuper confectæ erant litteris. Vide Petrum Damiani & Petrum Bleſenſ. adverſus clericos curiales. Item Cl. Eſpencæum digreſſ. in Epiſt. ad Tim. lib. 2. cap. 10. Sed hoc magis indignum, & minus ferendum, ſi qui Præſules & Prælati neglecta reſidentia, & poſthabitis ovibus, hæreant in curiis, præbeant ſe aſſeclas Regum ac Procerum: & qui tales detinent ſine cauſa, vel non remittunt ad ſuos, forte non erunt minus culpabiles. Hujus rei indignitatem conſiderans Gentianus Hervetus, ſcribens in Canon. Concil. Chalcedon. ita loquitur: Miſerabile certe, miſerabile boni omnes illud Romæ judicant ſpectaculum, cum catervæ cernantur epiſcoporum, qui malunt aſſectando Cardinales, ſe eorum ſervitio mancipare, quam in ſua paræcia ſuum obeundo munus Chriſto ſervire. Quos certe (durior ſententia) ſi ſummus Pontifex flagellis, non ex Eccleſia, ſed ab urbe Roma ad eccleſiam ſuam expelleret, is mihi Vicarii Chriſti officio rite fungi videretur. Ita ille.

IBID. num. 12.

147. Itaque non volentes, neque currentes, &c. Non niſi dignos aſſumi jubet: at digni ſolum qui fugiunt. Nam cur plurimi tam avide honores deſiderant? nempe quia onera non conſiderant. Meditantibus quidem honores blandiuntur: at penſantibus onera, horrori ſunt atque formidini. Jam quis credat illos rite functuros obtentis honoribus, qui ne quidem eorum onera vel officia norunt, aut curant? At in ſanctis viris ſemper obſervatum, invitos & coactos ad honores & dignitates perveniſſe. Et tamen quo ægrius ſuſceperunt impoſitas dignitates, eo dignius fideliuſque geſſerunt. Nimirum qui honorem fugiunt, non blandientem foris ſpeciem, ſed latentem intus aculeum reſpiciunt, hunc territi abſtinent, & fugiunt. Cum vero, etſi reluctantes, fugere nequeunt, quin ſe divinæ providentiæ & ſuperiorum obedientiæ ſubjiciant, & humeros ſarcinæ ſubmittant: neceſſitas illis virtutis, laboriſque fit calcar & ſtimulus: dum hoc ſibi incumbere ſentiunt, ut omnibus modis conentur ſe ſuſcepto muneri præſtare pares. Ii mox mittunt manum ad fortia, ad laborem ſe vocatos agnoſcunt: ideoque non libet otiari aut deliciari, ſed curant ſic præeſſe ut proſint, & de commiſſo ſibi talento quandoque reſpondere poſſint. Talis erat Heliodorus, quem Hieronymus ſacerdotium recuſantem commendat. *Merebatur*, inquit, *negando, quod eſſe nolebat; eoque dignior erat, quo ſe clamabat indignum.* Talis quoque Papa Cornelius, quem laudat Cyprianus, *non, ut quidam, vim feciſſe, ut epiſcopus fieret; ſed vim paſſum, ut epiſcopatum acceperit.* Epiſt. 52. Saluberrime ergo ſanxit Leo imperator ſub annum Dom. 469. l. 31. C. de Epiſc. & Cler. *Non pretio, ſed precibus ordinetur antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* De ceteris qualitatibus eligendorum Cardinalium vide Concil. Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 9 de Reform. Cur... Item c. *Bona*, de poſtulat. Prælat. c. *Execrabilis*, extr. de præb. Anton. Flor. 3. p.
148. ſumm. Tit. 21 cap. 2. §. 2. Hieron. Platum lib. ſingulari de ſtatu Cardin. cujus doctrina ceteris quoque Prælatis & eccleſiaſticis viris facile accommodari poteſt.

Qui non de dote viduæ, &c. Vide NOTAS ad epiſt. 271. Concil. Trident. Seſſ. 25. cap. 1 de Reformat. ubi verba Bernardi pulcre confirmat. Canones Apoſt. can. 39. & can. 75. Concil. Antioch. c. 25. & Carthag. IV. cap. 15. & 31. Matiſcon. cap. 13. Hiſpal. I. cap. 1. Videas, ſi cui libeat, Cornel. in Ezech. 44. ubi occaſione præcepti divini, quo Pontifex prohibetur lugere ſuper mortuo, ne quidem patre & matre, hæc habet. Hæc ſacerdotes veteris Teſtamenti, conjugia, filiis familiæ illigati: quid jam faciant ſacerdotes & epiſcopi novi Teſtamenti, quos Deus cælibes & illiberes eſſe voluit, ut à curis terrenis ad cæleſtia mentem transferrent, eamque totam in Deo, boniſque æternis defigerent? Quare ſapienter monet S. Baſil. in Conſtit. monaſt. cap 23. *Sentientes itaque intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tamquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam.* Sed ecce, inquit Doctor ſapiens, hiſce ſatan invidens inſidias ex latere ponit, dum cognatos pro filiis ſubſtituit, eoſque curandos, & ex imo ſenſim ad ſummos opum & dignitatum gradus provehendos eſſe ſuggerit; in illis extollendam & perpetuandam eſſe familiam, in illis conſervandum & celebrandum apud poſteros nomen: ita nimirum,

Cum Paſtor rerum privaret ſemine clerum,
Ad ſatana votum ſucceſſit turba nepotum.

Hæc eſt fraus, hic laqueus diaboli, hæc petra ſcandali, in quam non pauci alias boni impingunt, ut ab hoc cognatorum affectu ſe vinci & vinciri ſinant, iiſque opes & ſtatus jugi cura & ſtudio ſine fine accumulent, etiam è bonis Eccleſiæ, cum animæ & ſalutis ſuæ ſuorumque gravi periculo. Gliſcit enim, ſerpit & creſcit hæc cupiditas inſtar ignis latentis, quo magis illi indulgetur, tandemque fit inſaturabilis, & in immane evadit incendium. Ita ſacerdotes, qui cæleſtes eſſe debebant, ſunt terreni, & ſummi ſunt imi: ita quos animo excelſo omnia humana deſpicere, illiſque altiores eſſe, aliosque idipſum docere oportebat, ad ea converſi prolabuntur, menteſque ſublimem ad infima hæc deprimunt.

O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes!

Quam hi à Chriſti & priſcorum Patrum virtute degenerant! Vide hæc, & in ſimilem ſententiam plura apud Cornel. à Lapide in cap. 44. Ezech. v. 25.

IN LIB. V. De Conſid. Cap. V. 149. Hortus.

Gradualis distinctio hæc? Novem eſſe Angelorum Ordines, nec plures, nec pauciores, gradu ac dignitate inter ſe diſtinctos, ſententia eſt multorum Patrum conſenſu tradita. Nam ita ſentit Ignatius Epiſt. ad Trallian. Dionyſius de cæleſt. Hierarch. cap. 6. ubi ex inſtituto eam rem tractans, tres conſtituit Angelorum hierarchias, & ſingulas in tres ordines ſubdividit. Hos ſequuntur Gregor. hom. 34. ſuper Evang. Hieron. lib. 1. Apolog. adverſ. Ruff. Chryſ. hom. 4 ſuper Gen. Rupert. lib. 3. de proceſſ. Sp. S. cap. 6. & Bernard. noſter præter locum præſentem, Serm. de S. Martino, & hom. 8. in Cantic. In ordine tamen horum Ordinum conſtituendo Patres variant, nec certæ collocationis rationem habuiſſe videntur. Qua de re v. S. Thom. 1. p. q. 108. a. 6.

Porro obſerva Bernardum de hac materia ſobrie admodum & opinando potius, quam affirmando locutum. Nam quot ſint Angelorum Ordines, & quibus inter ſe proprietatibus diſcreti, res eſt à ſenſibus, atque experientia mortalium longe remotiſſima. Proindeque in loco obſcuro & caliginoſo non temere figendus greſſus, neque ex humanis rationibus definiendum, ſed procedendum caute, quouſque Scripturæ ſacræ & Eccleſiæ nobis auctoritas præluxerit. Unde & ſancti Patres hanc rem parce & ſobrie ſibi tractandam putarunt, uti videre eſt apud Hilarium Enarr. Pſal. 129. Aug. in Enchir. cap. 58. ubi fatetur ingenue, ſe ignorare, quomodo ſe habeat beatiſſima illa & ſuprema ſocietas; & quæ ibi ſint differentiæ perſonarum. Idem Lib. ad Oroſium cont. Priſcill. & Orig. profitetur, ſed nec in ea ignorantia ullum eſſe periculum ait. Quin & ipſe Dyonyſ. de cæleſt. Hierarch. cap. 6. ubi tractationem de Angelorum Ordinibus aggreditur, præfatur ſolum Deum & Angelos ſcire, quot ſint, & qui cæleſtium naturarum Ordines. Sed vide S. Thom. loc. cit. art. 5. & 6. & ibid. Comment.

IN OPUSCUL. II. SEU TRACTATUM
de vita & moribus Prælatorum. In cap. II. num. 4.

Honorificabitis autem non cultu veſtium, &c. Ita Concil. Carthagin. IV, cui S. Auguſtinus interfuit, can. 15. *Epiſcopus*, inquit, *vilem ſupellectilem, menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat.* Quæ verba Concilium Tridentinum repetit, & novæ auctoritatis pondere corroborat, hortaturque epiſcopos, ut in primis mores ſuos ita componant, ut reliqui ab iis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, & ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Et poſt adducta verba Concilii Carthag. vult, *ut etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ſua domo caveant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat*, Seſſ. 25. cap 1. de reform. 150. Hortus.

Perverſa multorum animos occupavit opinio, externum illum ſplendorem, faſtum, & magnificum apparatum, proceribus quoque eccleſiaſticis competere, immo neceſſarium eſſe, ut ſtatus ſui dignitatem tueri poſſint. Sed hanc perſuaſionem Canonum ac Conciliorum auctoritas, unanimis Patrum doctrina, ſanctorum Præſulum exempla, & ratio ipſa convellunt. Oſtendere id facile eſſet per ſingula, ſi ferret præſentis inſtituti ratio. Fiet alias prolixe, cum edetur in lucem ZELUS DOMUS DEI, liber hoc titulo de eccleſiaſticæ vitæ diſciplina jam affectus. Interim hos Auctores lege, Bartholom. de Martyrib. ex Ord. Dominicanorum archiepiſc. Bracarenſem lib. utiliſſimo, qui *Stimulus Paſtorum* inſcribitur, parte 2. cap. 6. Ibidem adjunctum habes Tractatum elegantiſſ. De Mort. Prælat. P. Ludov. Granat. ex eodem Ord. concionatoris celeberrimi, ubi idem argumentum docte ac eleganter proſequitur cap. 21. Antonium Molinam in Inſtruct. Sacerd. Tract. 2 cap. 13. qui liber utinam omnium eccleſiaſticorum manibus teratur! Lindanum Epiſc. Ruremund. Tract. ad omnes Eccleſiaſt. de fugienda impœnit. lib. 2. pag. 115. Henricum Cuickium itidem Ruremund. epiſcopum epiſt. 2. Parænet. ad Cler. ſuæ diœceſ. Gerſonem. Cancell. Pariſ. Tom 2. Tract. de Temperant. Prælat. mihi pag. 543 & ſeq. & Tom. 1. pag. 208. de ſignis ruinæ Eccleſ. Quibus merito addendi Bellarm. de officio Princip. Chriſt. lib. 1. cap. 5. Platus de Cardin. cap. 16 *Rodriguez.* 2. p. Exerc. Tract. 3. cap. 19. ubi teſtimonio S. Franciſci Xaverii docet, quomodo paretur & conſervetur auctoritas, & cur ea in Prælatis hodie adeo viluerit.

Hi omnes una voce docent, idque graviſſimis rationibus & exemplis convincunt, veris ſolidiſque virtutibus potius, quam externo ſplendore honorem & reverentiam acquiri: nimis infirma eſſe honoris fulcra, quibus plerique nituntur: potius illa auctoritati officere, & tandem in contemptum vergere. Et hoc maxime in Prælato eccleſiaſtico locum habere: ſanctorum Præſulum exemplis facile id comprobari. Quanta enim, ut alios infinitos prætercam, ſanctorum Baſilii, Martini, Auguſtini, Chryſoſtomi fuit auctoritas, quæ dignitas & gloria! at quibus illa rebus conſtitit? Certe ſi illa tuendæ auctoritatis adminicula quæſiſſent, quæ ſolis nunc multis curæ ſunt, jam dudum periiſſet memoria eorum cum ſonitu, & nomina eorum tenebris & oblivione perpetua ſepulta laterent, qui nunc honorificati ſunt nimis per omnem Eccleſiam, eruntque ſemper in benedictione: quia nimirum ipſi honorificarunt miniſterium ſuum in diebus carnis ſuæ, non argento vel auro, non pretioſis veſtibus, boniſque hujus ſeculi: ſed talium rerum contemptu, ſedula officii ac vocationis cura, ſenoque humilitatis, modeſtiæ, caritatis, ceterarumque virtutum ſtudio. Sed hæc uberius, elegantiuſque 151. Dignitas & auctoritas quibus modis Eccleſiæ Prælatis tuenda.

tractata leges apud citatos auctores, quorum verbis in hujuſmodi materia libenter utimur, ut veritas, tantis nixa auctoribus, plus habeat ponderis, & minus timeat invidiam.

252. Sed quia diverſitatem temporum obtendere ſolent, qui in imo jacentes, & languidi circa ſublimioris vitæ ſtudia, virtutibus honorem & auctoritatem ſe conſequi ac tueri poſſe deſperant, adeoque ad infima iſthæc & infirma præſidia converſi, alia tempora, alios mores requirere dictitant: his libet ſanctiſſimum noſtræ ætatis Præſulem proponere, cujus quo tanior vitæ modeſtia, majorque frugalitas, & omnis ſplendoris abdicatio, eo major fuit auctoritas & reverentia. De quo ita Hieron. Platus lib. de offic. Cardin. cap. 16. Hæc eſt via certiſſima & optima venerationis acquirendæ inter homines, ſi virtus emicet, ſi integritas, ſi gravitas, religio ac pietas emineat, ut ab omnibus conſpiciatur. Confirmat exemplo S. Nicolai Myrenſ. epiſcopi, deinde ſubdit: Sed quid antiqua repetimus? Cardinalis Borromæus, ne quis tempora cauſetur, notum eſt, quam omnem ſupellectilem alicujus pretii, conopea, aulæa, aliaque ejus generis abs ſe removerit. Veſtibus utebatur, exterius quidem, ut Cardinalis; interioribus vero ex ſimplici panno & tela: quia etiam cubicularis amictus ex panno erat cinereo, rudi & craſſo, quam ipſam veſtem quatuordecim totis annis nunquam mutavit, multaque alia ejuſmodi, quæ non eſt neceſſe referri, quoniam nota ſunt & recentia, conſtanter uſque ad mortem ſervavit. Quid honoris igitur de ejus celebritate imminuit? Potius multum addidit. Nam qui hæc ſpecioſa habeant, multi ſunt: neque id virtutis eſt, ſed opulentiæ, quæ etiam in inſipientem cadere poteſt, & ſæpe cadit. At vero illa ſpernere ſapientiæ eſt, ideoque admirationem potius & commendationem parit. Ita Platus. Cui ſuffragatur Carolus a Baſilica Petri epiſcopus Novarienſis, diſertiſſimus Vitæ S. Caroli Borromæi Scriptor, lib. 7. cap. 6. ubi ait fuiſſe, qui exiguum comitatum & alia quædam in Carolo ad Chriſtianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & ſummam dignitatem aliquo modo ita minui quererentur. Res etiam ad ipſum Pontif. Pium V. aliquando relata eſt. Cui Carolus ita facti ſui rationem reddidit, ut nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei miniſtri eſſent, dignitatem ac exiſtimationem dicebat, non in humanis ornamentis, ſed in religioſis virtutibus conſiſtere. Res ipſa declaravit, & ſuperius narrata demonſtrant. Caroli abjectionem, morum gravitate, ſanctitateque conjunctam, ſummis atque infimis tanto ſemper in honore fuiſſe, quantum nulla externi ſplendoris ornamenta conſequi potuiſſent.

253. * QUAS GULAS VOCANT. Hujus vocis duplicem poſſumus reddere rationem. Primo enim non incongrue littera immutata videtur uſurpari pro guna, a Græco γοῦνα, quod veſtem villoſam ſignificat ex pellibus confectam. Unde illud Guitberti in epiſtola ad Lullum epiſcopum: *Gunnam de pellibus lutrarum factam tuæ fraternitati miſi.* Nec enim novum literam N in L demutari. Sic apud Varronem *Vallus* pro *Vannus*; *Evaliere* pro *Evannere* apud Plinium lib. 18. cap. 10. ut notavit Daurquius in Orthographia. Secundo pro pellibus animalium ſanguineo colore tinctis, eo loquendi modo, quo nomen gallicum, *Gueule*, ad rubeum colorem deſignandum in artem ſymbolicam invectum eſſe quidam opinantur, ſumpta videlicet metaphora à cruentis pellibus ſeu gulis eorum animalium, quæ in amphitheatris mutuis morſibus digladiando ſe ſe ſtrangulabant. Fuerint igitur pelles iſtæ, de quibus hic agit Bernardus, vel murium Ponticorum, vel aliorum ſimilium, quibus color rubicatus ſive pilus villoſus *Gularum* nomen indiderit. Quod ſpectat ad earum uſum hic ab ipſo aſſignatum, non parum illuſtratur ex moralia quadam Parabola in quibuſdam editionibus Bernardi Operibus inſerta, ſed ſtyli ejus & genii gravitatem non aſſequente, ex qua huic loco exponendo pauca delibare ſufficiat. Sed numquid talis ac tantus ſponſus ad ſponſam ſuam vacua manu venit? Nequaquam ſed donativa dotalia, delata erogavit. Et quia hiemis tempore venit, hiemales veſtes primum ſponſæ dedit, *agninam* videlicet *pelliceam*, & *cappam*, quod utrumque fit de agno: ſed alterum ſine dolore agni, ſcilicet lana, de qua fit cappa, ſumitur: alterum, videlicet pellis, unde pellicea, abſque dolore gravi ab agno non accipitur. Sponſus iſte agnus eſt . . . . De lana ſua ſponſæ ſuæ *cappam* fecit, cum humilitatem verbis docuit. *Pelliceam* dedit, cum vigiliis, jejuniis, & aliis carnis ſuæ afflictionibus, ultimum paſſionem crucis, mortificationem carnis ſponſæ oſtendit. *Pelliceam*, quæ de mortuis animalibus fit, mortificationem inſinuat. Hæc autem hiemis tempore. Paſchali vero tempore *armeniam* * pelliceam dedit *circa collum*, & *circa manum rubeis gulis præparatam*. Igitur *pellicia* ſponſæ de *armenio* fit, quod candidum eſt, in ſignificationem lætitiæ ſpiritualis ob ſpem futuræ reſurrectionis: *circa collum* & uſque *ſupra pectus* & circa *manum rubeis gulis* ornata eſt: quia paſſionem Chriſti, quam ore prædicat, corde ſentit, & operibus atteſtatur. Dedit etiam Chriſtus Paſchali tempore ſponſæ ſuæ *cordubanos* duos, &c. Vide Declamationes n. 10. epiſt. x. n. 11. Porro quam fuerit familiaris Bernardi ſæculo pelliccarum uſus, tam clericis quam monachis, immo etiam laicis, ipſiſque feminis, vide Cheſutum in Notis ad Petri Venerabilis epiſt. 28. lib. 1. De Gulis loqui videtur Benedictus XII. in Bulla *Ad decorem*, his verbis: *Prohibemus etiam ne dicti Canonici de cetero ferant furraturas de ventribus variorum aut ſquirolorum cum dorſis permixtis, ſed ſint de cuniculis ſimplicibus vel albis, vel nigris, vel griſeis, &c.*

* d'Ermine.

IN OPUSCUL. V. ſeu APOLOGIAM ad Guillelmum.

254. * QUantum Cluniacenſis Ordinis diſciplina regente S. Hugone floruerit, clarius eſt quam ut probari neceſſe ſit. Petrus Damiani, ſeverus ille morum cenſor, epiſtola 4. lib. 6. Cluniacum vocat *Paradiſum, quatuor Evangeliorum fluentis irriguum, hortum deliciarum, ſpiritualem campum, ubi cælum ac terra congreditur, ac velut arenam certaminis, ubi ſpirituali more palæſtra, caro fragilis adverſus poteſtates aereas colluctatur.* Et epiſt. 5. in Cluniacenſium *converſatione & Ordine non adinventionis humanæ ſtudium, ſed Spiritus ſancti magiſterium inſſe aſſerit.* At S. Hugoni ad ſuperos rapto anno 1109. ſucceſſit Pontius, qui referente Petro Venerabili lib. 2. Mirac. cap. 12. cum *ſatis modeſte ac ſobrie converſatus eſſet primis aſſumptionis ſuæ annis, procedente tempore mores mutavit*, nec dubium quin ad ejus exemplum, ſubditorum etiam ſervor intepuerit. Neque tamen Petrus Venerabilis cap. 11 ejuſdem libri omnem hujus relaxationis cauſam in eum rejicit; ſed etiam *quorumdam, quos*, inquit, *nominare nolo, culpa vel deſidia, reſecanda vel potius evellenda ſuccreverunt.* Pontio abdicata præfectura Jeroſolymam profecto ſubſtituitur ann. 1122. Hugo 2. cui poſt quinque circiter menſes Petrus Venerabilis ſucceſſit.

S. Bern. Oper. Tom. IV. Append.

Dum hæc ita ſe haberent, orta eſt gravis Cluniacenſes inter & Ciſtercienſes contentio ob regulam S. P. Benedicti, diſpari habitu ac religione ſervatam. Cum enim eam ob cauſam S. Bernardus in culpam vocaretur, velut horum diſſidiorum ſive auctor ſive fautor: Guillelmus S. Theoderici abbas, pro ſua erga virum ſanctiſſimum reverentia & amore, (de quo in Notis ad epiſt. 86.) eum ad ſe ſe purgandum, ſimulque ad ea quæ correptione digna in Cluniacenſibus judicaret, animadvertenda induxit. Ideoque hæc Apologia duas complectitur partes. In prima, diluta ſui accuſatione, perſtringit ſuos Ciſtercienſes, quod Cluniacenſibus obtrectarent: in altera Cluniacenſium arguit ſuperfluitates. Non parum autem ſcire intereſt, quo circiter anno hæc Apologia à ſancto Doctore ſcripta ſit: quod Petro Mauricio abbate contigiſſe, omnibus, præter unum Mauricum, hactenus fuit perſuaſum.

Et primo quidem ſcripta videtur poſt annum 1120. quo Guillelmum S. Theoderici abbatem creatum fuiſſe probant Notæ in Epiſt. 85. Quamvis enim inſcriptio epiſtolæ huic Operi præfixæ eum *Venerabilis Patris* nomine dumtaxat indigitet, eo tamen vocabulo Abbatis dignitatem expectaſſam non dubitem, cum ante 13. ſæculum vix ullus Religioſus præter *Abbates Patris* nomine cenſeretur. unde venerabilis Guigo *Patris* appellationem modeſte recuſavit, ut dictum eſt ad epiſt. 11. & S. Bernardus Godefrido Priori Claræ-vallis ſic epiſtolam 317. inſcribit, *Fratri Godefrido*, quo etiam modo epiſt. 87. ſalutat Ogerium Canonicum regularem, licet abbatis antea dignitate perfunctum. Verumtamen hoc Opuſculum ante Petri Venerabilis præfecturam exaratum exiſtimo, quamvis extinguendis hujuſce contentionis ſcintillis ſubinde poſtea excitatis ipſe dederit operam, ut infra videbimus. Nam S. Bernardus epiſtola 277. ad Eugenium teſtatur, Petrum Cluniacenſem *pene ab initio ſuo in multis Ordinem illum melioraſſe, v. g. in obſervantia jejuniorum, ſilentii, & indumentorum pretioſorum & curioſorum*: quod etiam patet ex ipſo Petro lib. 2. de Mirac. cap. 11. ubi ſcribit, ſtatim ab ipſo ſuæ aſſumptionis initio, Matthæum, S. Martini a Campis Priorem, à ſe accitum, quo regularis diſciplinæ reſarciendæ ambo ſimul providerent. Meminit & alterius reformationis Ordericus Vitalis ad annum 1132. ubi ait, ad Petri Cluniacenſis mandatum *Priores CC. Fratres vero MCC. & XII. Cluniacum Dominica tertia Quadrageſima conveniſſe; quo in conventu Petrus Ciſtercienſes æmulatus auxerit jejunia, abſtulerit colloquia, & infirmi corporis quædam ſubſidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiſerat reverendorum clementia.* Quis itaque dicat Bernardum, harum rerum, quas Petrus ab ineunte præfectura cœpiſſet, optime conſcium, voluiſſe illum de ſuorum exceſſibus exagitare? Nam neque ipſius Petri epiſtolam * (quam primam ad S. Bernardum ſcripſit) in qua nonnullis Ciſtercienſium objectis facit ſatis, huic Apologiæ (ut vulgo putatur) reſpondere, ex mutuis utriuſque capitulis perſpicuum eſſe videtur. Quatuor enim fere Bernardus hoc Opuſculo in Cluniacenſibus carpit. 1. exceſſus in cibo & potu, maxime vero in faciliori carnium uſu. 2. in pompa veſtium. 3. in ſuperfluo templorum ornatu. 4. in luxu abbatum. At Petrus Venerabilis objectis reſpondet viginti capitulis, quorum nullum fere tangit quidquam eorum, quæ hic a Bernardo fuerant objecta. Nihil enim ibi attexit de vino & doliis pigmentariis, de monſtroſis piſcibus, ovorum frixuris, variiſque condimentis; nihil de ceteris; & ſi quid de veſtibus delibat, de ſolis pelliceis, quarum vix hic quidem meminit Bernardus, quæſtionem inſtituit. Non igitur huic Bernardi Apologiæ reſpondet illa Petri epiſtola, ſed Ciſtercienſium querimoniis, ut etiam ex ipſius epiſtolæ exordio & concluſione manifeſte colligitur. Verum ſive Pontio (quod contendimus) ſive Petro abbate ſcripta ſit hæc Apologia, in mentem revocandum illud, quod de S. Bernardo Guillelmus ſcripſit lib. 1. de vita S. Bern. cap. 8. *Si nimietas in eo reprehenditur ſancti ferveris, habet certe apud pias mentes exceſſus iſte reverentiam ſuam, quam quicumque Spiritu Dei aguntur, multum verentur in ſervo Dei reprehendere nimietatem iſtam. Habet & facile apud homines excuſationem, cum vix audeat quiſquam eum condemnare, quem Deus juſtificat, tam multa, tam ſublimia cum eo & per eum operando. Felix, cui ſolum reputatur ad culpam, quod ceteri præſumere ſibi ſolent ad gloriam.* 255.

* In Biblioth. Clun. lib. 1. epiſt. 28.

Ibid. Cap. XI.

FULGET ECCLESIA IN PARIETIBUS &c. Hic locus Bernardi, ubi nimium cultum templorum perſtringit, facile hoc tempore parebit calumniæ, quo multorum liberalitas pronior in templorum donaria, quam in egenorum ſubſidia fertur. Nempe quod pauperibus impenditur, in vacuos & obſcuros abit ventres: quod templis affertur, omnium oculis conſpicuum exponitur. Nam hoc 256. HORSTIUS.

multorum motivum indicat Chryſoſtomus. Vide infra. Hinc fit, quod ait Bernardus, ipſo viſu ſumptuoſarum, ſed miſtandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad adorandum. Sic opes hauriuntur opibus, pecunia pecuniam trahit: quia neſcio quo pacto, ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis ſaginantur oculi, & loculi aperiuntur. Ut in his & ſimilibus mens Bernardi pateſiat, & verba ejus à calumnia vindicentur, conſona ſanctorum Patrum, & recentiorum quoque Scriptorum verba ὁμόλογα apponemus.

In primis jus Canon. 14. q. 2. Aurum habet eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adjuvat? .... Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum. His non potes reſponſum referre. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deeſſet? reſponderet: Aurum ſacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur, &c. Vide apud S. Ambr. lib. 2. de Off. cap. 28. nam inde petita ſunt. Et rurſus ibid. c. 12. c. Gloria Ex S. Hieron. Multi ædificant parietes, & columnas eccleſiæ ſubſtruunt: marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur: & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Neque vero mihi aliquis opponat dives in Judæa templum: menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cetera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Quamquam hæc omnia præceſſerunt in figura: ſcripta ſunt autem propter nos, in quos fines ſæculorum devenerunt. Nunc vero cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicavit; cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus. . . Quid ſuſpicimus & amamus, quod Petrus ſe non habere glorioſe teſtatur? Alioquin ſi tantum literam ſequimur, & in auro atque divitiis ſimplex nos delectat hiſtoria, cum auro obſervemus & cetera. Ducant Pontifices Chriſti uxores virgines. Quamvis bonæ mentis ſit; qui cicatricem habuerit, & deformis eſt, privetur ſacerdotio; lepra corporis animæ vitiis præferatur. Creſcamus & multiplicemur, & repleamus terram. Nec immolemus agnum, nec myſticum paſcha celebremus; quia hæc abſque templo fieri lege prohibentur, &c. Ex Hieron. epiſt. 2. ad Nepot. cap. 221. Qui & alibi ſic alloquitur Demetriadem. Alii ædificent eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis, columnarum moles advehant; earumque deaurent capita, pretioſum ornatum non ſentientia; ebore argentoque valvas, & gemmis aurata diſtinguant altaria. Non reprehendo, non abnuo. Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet: meliuſque eſt hoc facere, quam repoſitis opibus incubare. Sed tibi aliud propoſitum eſt: Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus, &c.

158. S. Chryſoſt. Homil. 51. in Matt. diſertiſſime. Et certe non erat ex argento illa menſa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis ſanguinem præbuit ſuum. Pretioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant. Vis corpus Chriſti honorare? Non deſpicias ipſum nudum. Neque hic quidem in eccleſia ſericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit, *Hoc eſt corpus meum*, & rem ſimul confecit; idem dixit, *Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis; & in quantum non feciſtis uni eorum minimorum, nec mihi feciſtis*. Hoc certe corpus Chriſti, non amictu, ſed anima munda indiget: illud autem multa cura & diligentia eget.

Perdiſcamus igitur philoſophari, & ipſum Chriſtum ex voluntate ſua honorare. nam qui honoratur, eo maxime honore lætatur, quem ipſe vult, non quem optamus. Sic & Petrus honorare Chriſtum credebat, ſi eum à lotione pedum prohibuiſſet. quod certe contrarium erat. Pariter tu etiam ita eum honora, ut ipſe vult. Expone divitias tuas pauperibus. Non eſt opus vaſis, ſed animis aureis. Hæc dico, non quia vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quia dignum putem, ante omnia miſericordiæ ac benignitati eſſe incumbendum. nam & vaſa Deus ſuſcipit, ſed illa multo magis ſibi gratioſa ſunt. Et vaſa quidem danti ſolum profuerunt, benignitas vero etiam accipienti. Et hic quidem oſtentatio nonnumquam poteſt accuſari; ibi vero totum miſericordi animo attribuitur.

Reſponde, quæſo, quænam utilitas eſt, ſi cum menſa ejus multis calicibus aureis ornatur, ipſe inedia pereat? Prius igitur ipſum eſurientem ſatura: deinde ex quadam ſuperabundantia menſam[a] etiam ejus ornabis. Calicem aureum facis, & aquæ frigidæ calicem ei non præbes. Et quod hinc emolumentum conſequitur? Coopertoria menſæ auro nitentia, & ipſi neceſſaria vel legumina negas! Quid igitur ipſi præbes? Dic, oro, ſi quem fame pereuntem videres, nec cibo ſolvere ipſius famem curares, ſed multo argento ac auro menſam ſolummodo exornares; quas putas illum gratias tibi habiturum? an non potius indignaturum? Quid porro ſi veſtibus detritis ac pertuſis veſtitum & frigore congelatum hominem aſpiceres, nec veſtem aliquam ei præparares; aureas ſtatuas ad laudem ejus erigeres; nonne contemnere atque irridere ipſum videreris? Ita te oportet in Chriſtu etiam cogitare, cum errabundus & peregrinus circumvagetur, tecto indigens, tunc tu ipſum quidem non ſuſcipis. Vermiculato emblemate pavimenta ornas, magnificos muros conſtruis, columnarum capita erigis, lychnos ab argenteis catenis dependere facis: ipſum vero nec viſitare quidem curas in carceribus vinctum? Nec prohibeo magnifica templa condere; ſed hæc cum illis, immo vero hæc ante illa facere moneo. Nemo enim, quia templa magnifica non condiderit, unquam accuſatus eſt: at vero gehenna, ignis inextinguibilis, ſupplicia dæmonum imminent, niſi quis diligenter iſta peragere velit.

[a] Menſam vocat Altare, in qua ſacra myſteria peraguntur.

Cum ergo ædes exornes, noli afflictum fratrem deſpicere. Hoc enim templum illo eſt multo præſtantius. Nam & illud infideles reges, & tyranni, & latrones capere poſſunt: quæcquid autem benigne in fratrem feceris, nec diabolus ipſe poterit unquam eripere, ſed manet theſauris æternis reconditum.

Quare igitur, inquies, ipſe dixit, *Pauperes vobiſcum ſemper habetis, me autem ſemper non habetis*? Quin propterea cenſeo, miſericordia liberaliter eſſe utendum, quia non ſemper, ſed in præſenti tantummodo vita ipſum eſurientem habemus. Quod ſi ſenſum cupis illius textus univerſum perdiſcere, ſcias illud non eſſe adverſus diſcipulos dictum, quamvis ita videatur, ſed imbecillitati mulieris accommodatum. Nam cum adhuc imperfectior eſſet, ne verbis diſcipulorum quaſi perperam faciens turbaretur, ad confirmandam ipſam hæc dicta ſunt. Unde pro ea reſpondens Dominus intulit: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Nam quia ipſum nobiſcum ſemper habemus, alibi manifeſtavit, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Ex quibus omnibus patet, non alia de cauſa Chriſtum ita dixiſſe, niſi ut tenera mulieris fides, tunc pullulans, dura diſcipulorum increpatione non emarceſceret. Non contingamus ergo ad ea, quæ tunc aliqua de cauſa dicta, tempori accommodata fuerunt; ſed omnia, quæ in Scriptura, ſive nova, ſive veteri, de miſericordia & benignitate ſcripta ſunt, diligenter lectitantes, magno ſtudio huic rei incumbamus. Eadem habet Chryſoſt. Hom. 60. ad pop. Antioc. Hæc verba Chryſoſt. allegans Cornel. à Lapide in Prov. 16. v. 5. ita concludit: Ex quibus conſtat, Deum tantum pauperibus deferre, vel potius ſibi ipſi in illis, ut, quod attinet ad externa, honeſtius, liberalius & decentius ſecum in his agi velit, quam in Euchariſtiæ Sacramento.

Porro notandum, his verbis Chryſoſtomum non tantum commendare cauſam pauperum præ donis templorum; ſed & præmunire ſeſe, alioſque ſanctos Patres idem ſentientes, adverſus calumniam, qua forte ex facto Judæ & diſcipulorum Magdalenam ſuggillantium notari poſſent.

Qua in re Chryſoſtomi veſtigia legit S. Iſidorus Peluſiota, ut pote magiſtri diſcipulus, lib. 2. epiſt. 88. quam recitat Johannes *de la Haye*, in Apparatu Evang. cap. 144. Is ergo reſpondet cuidam mirant, cur Chriſtus repreſſerit Diſcipulos, incuſantes de effuſo unguento Magdalenam; præſertim cum eorum ſermo videretur conſulere commodis pauperum, qui & ipſi Chriſto tantopere curæ erant. Digna quæſtio. Cui ita reſpondet Peluſiota. 159.

Hoc aio, inquit, eum, qui de eleemoſynis tot ac tantos ſermones habebat, eamque ſacrificiis anteponebat, nunc eamdem, quod tu exiſtimas, minime repuliſſe. Nam qui dixit, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*; & *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*; & *Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis*; haud quaquam in contrarium recidiſſet. Verum quoniam mulier ea, quæ acceſſerat, oleum effundere antevertit, abſurdiſſimum eſſe divina Sapientia judicavit, ipſius fidem obterere, atque ipſius patrocinium ſuſcepit, iiſque verbis uſus eſt: *Bonum opus fecit*. Ac vide ſapientiam omni orationis facultate præſtantiorem. Non enim ipſe dixit, Bonum opus factum eſt, ſed fecit. Neque enim ipſum facinus privatim expendit, verum una cum mulieris perſona: perinde ac ſi diceret: Quandoquidem ſemel hoc fecit, laude atque commendatione digna eſt. Quamobrem perfectam quamdam, ac numeris omnibus abſolutam virtutem ab ea ne requiramus: verum, qua fieri poteſt, coronam ei texamus.

Nam ſi non hoc ſenſu mulierem comprobaſſet, omnibus profecto, ut ejus exemplum ſequerentur, lege lata indicere oportebat. Porro cum nihil ejuſmodi dixerit, ſatis argumenti dedit, ſe ob indulgentem quamdam demiſſionem eam comprobaſſe. Nam ſi, cum dixiſſet, *fecit*, id ſane pro lege habeatur: ſi autem eam, cum id feciſſet, in animi anxietatem minime conjecit; non eſt cur quiſquam indulgentiam hujuſmodi in legem trahat. Nam cum ſacrificia in veteri Teſtamento permiſſa poſtea everterit; quonam pacto quæ hic ne permiſit quidem, lege lata ſanxiſſet? Quemadmodum enim, ſi ante effuſum unguentum interrogatus fuiſſet, haud dubie illud vendi, & pauperibus dari juſſiſſet: ſic poſteaquam effuſum fuerat, mulieris fidem per objurgationem extinguere abſurdum erat.

Atque ad eumdem quoque modum nunc faciunt probatiſſimi quique ſacerdotes. Nam ſi quis dicat, Conſecrare atque appendere aliquid volo; id eum pauperibus dare jubent. Sin autem id jam ipſe fecerit, non modo eum non increpant, verum etiam blande ac leniter admittunt. non quod hoc illo melius ac præſtantius eſſe ducant (non enim propterea Chriſtus venit, ut eccleſias auro & argento impleat:) ſed ne eum, qui hoc donarium obtulit, animi anxietate afficiant.

Verum ne cui videatur hæc priſcorum Patrum ſententia noſtri ævi Scriptorum calculo aut ſuffragio deſtitui; ecce tibi recentis memoriæ, ſed antiquæ ſapientiæ & virtutis virum, Hieremiam inquam Drexelium, qui, ubi pauperum, præſertim ſtudioſorum, curam & ſubſidia commendaſſet, ita proponit ſibi objicientem hominem erga templa liberalem. Ego templis do. Non reprehendimus. Sed templa viva potius ac prius curanda ſunt, quam ea, quibus nihil eſt vitæ. Sunt qui ſacerdotia augeant, cœnobia condant, templa aut ſacella erigant; parentes aut cognatos ſumme pauperes deſtituant. O munificentiam magnam, ſed male ordinatam! Aureæ linguæ Orator, quid hac in re ſentiat, apertiſſima facundia in medium ponens: Ecce enim, inquit, qui martyria ædificant, eccleſias ornant, bonum opus facere videntur: ſed ſi quidem & alias juſtitiam Dei cuſtodiant, ſi de bonis eorum pauperes gaudent, ſi aliorum bona per violentiam non faciunt ſua, ſciunt, quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem alias juſtitiam Dei non ſervant, ſi de bonis eorum pauperes nunquam gaudent, ſi aliorum bona faciunt ſua, aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam inſenſatus eſt ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, ſed propter æſtimationem humanam? Et juſte ædificant martyria, ut pauperes violentiam, paſſi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant. 160.

Drexel. Gazoph. 2. cap. 2.

Chryſoſt. Hom. 81. in Matt.

Qualis eſt virtus illa juſtitiæ, munerare mortuos, & exſpoliare

vivos, de ſanguine miſerorum tollere, & Deo afferre? Illud non eſt Deo offerre, ſed velle violentiæ ſuæ ſocium facere Deum: ut cum ſi oblatam ſibi pecuniam de peccato libenter acceperit, conſentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificaſti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant. Deus autem in hominibus ſanctis. Quales ergo illi ſunt, qui homines exſpoliant, & ædificia Martyrum faciunt? Habitationes hominum componunt, & habitationem Dei deſtruunt? Jam ergo ex antiquis temporibus morbus iſte in hominibus habebatur. Dicebant enim apud ſe: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? etſi viderint, pro tempore vident. Tranſit enim tempus, & tranſit cum tempore benefacti memoria. Nonne ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aſpiciunt, non ſolum hoc tempore, ſed etiam in poſterum? Nam quamdiu ædificium permanet, tamdiu ædificantis memoria nominatur. O inſipiens homo! quid tibi prodeſt poſt mortem illa memoria, ſi ubi es, torqueris, & ubi non es, laudaris?

261. Munditiem templis debetur. Primum ac potiſſimum, quod templis debetur, eſt mundities. Non tantum adſint, quæ in uſus ſacros neceſſaria, ſed etiam, quantum fieri poteſt, mundiſſima ſint. Viderunt illi, qui ſacras ædes ſqualore ac ſitu obduci, omnia in eis peſſum ire ſuaviter cernunt: nec ruinoſa reſtaurant, nec collapſa erigunt, immo domeſticis uſibus profanant, qui legumina, rapas, lac, olera, ſacellis velut penori cuſtodienda tradunt. Hic cum Chriſto vociferandum: *Feciſtis domum Patris mei ſpeluncam*, ſi non latronum, certe aranearum, veſpertilionum, noctuarum.

Hæc de re vide in noſtris Aphoriſmis Euchariſtic. Sunt etiam qui domos habent inſtructiſſimas ac ornatiſſimas: in eorum templis aut ſacellis ſqualent omnia & ſordent. Aræ à frontalibus nudæ vix laceris ac ſordidis pannis inſternuntur: in ceteris omnibus confuſio & ſqualor. His divini honoris contemptoribus flagellum Chriſti proximum eſt. Et certe totas familias male periiſſe videmus, quæ ſacras ædes tutelæ ſuæ commiſſas negligi, ruere, ac collabi non verentur. Da igitur quod debes ædibus ſacris, quæ ad ſacros uſus neceſſaria ſunt aſſigna; munditiem eis præſta, & cave domibus ſacris ſpatium vel minimum, cave quidquam reditiuum, aut donaria ulla ſubtrahas. Ita pius ille Auctor. Hæc prolixius allata, ut videas, non damnari dona collata eccleſiis, ſed ceterus probari, ſi potior & prior ſit cura pauperum.

IN OPUSC. IV. ſeu TRACT. De Præcepto, cap. II. num. 5.

262. Horstius. QUAMDIU CARITATI MILITANT. &c. Nempe quæ pro caritate inſtituta ſunt, non reſcindenda aut mutanda, niſi cauſa caritatis poſtulet. Ita & Aëlredus abbas Rie-vall. Hoc ſane providendum, ut ipſa mutatio, vel variatio, diſpenſatio fit, non omnimoda deſtructio: cum cuſtodia caritatis, vitiorum emendatio, ut ipſe B. Benedictus inſinuat, ipſius inſtitutionis cauſa ſit. Sic profecto ipſa diſpenſatio rationabilis erit, ſi cauſæ huic ipſa diſpenſatio profecerit. Si autem diſpenſatione magis quam inſtitutione nutriuntur vitia, caritas violatur: certe periculoſa ipſa diſpenſatio comprobatur. Ita ille, Compend. Speculi Carit. cap. 45.

Diſpenſatio quando licita & utilis.

IBID. Cap. 3. num. 6.

263. DE SCRIPTURA HOC NON HABEMUS. Quod S. Doctor ait non haberi ex Scriptura Samſonis factum divino conſilio fuiſſe patratum; verum quidem eſt nullo in loco diſerte haberi, tametſi ex cap. 11. epiſtolæ ad Hebr. v. 32. non obſcure colligitur. Qua de re ſic agit Eſtius in Comment. Ad Samſonem venio, pro quo reſpondet Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. & 26. dicens quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, id eum feciſſe Spiritu latenter hoc jubente, qui per eum miracula faciebat. Nec fas eſt nobis aliter credere. nam ad id faciendum divinitus ei reddita fuit amiſſa fortitudo. Sic enim ait: *Domine Deus memento mei, & redde mihi fortitudinem priſtinam, ut ulciſcar me de hoſtibus meis.* Hanc reſponſionem plerique alii ſequuntur, & recte. Nec obſtat quod dicit, *ut ulciſcar me de hoſtibus meis*, quaſi privatam injuriam ulciſcendi cupidus. Nam injuria Samſonis injuria publica erat, ut qui Judex eſſet populi, & pro ejus ſalute pugnaret. Irriſio quoque ejus, irriſio Dei Iſraël erat, in cujus contumeliam Philiſthæi pro capto Samſone diis ſuis ſollemnes in templo gratias agebant. Sed quamvis citra Dei conſilium factum Samſonis perpetratum concedatur, non tamen propterea peccatum fuiſſe (uti S. Bernardus hic ſentit) Franciſcus à Victoria contendit in Relectione de homicidio ſub finem. Non enim, inquit, interfecit ſe Samſon ex intentione, ſed voluit hoſtes opprimere & interficere, ad quod ſecuta eſt mors ipſius, cum alioquin optaſſet illos perdere ſe ſalvo, ſi fieri potuiſſet. Hoc autem ſine nova revelatione habetur licitum. Quod quidem confirmat Eleazari exemplo, quod legitur 1. Macchab. 6. ubi Scriptura eum laudare videtur, magnifice vero Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 40. Denique eumdem Samſonem inter Sanctos referendum cenſet Eſtius citato loco.

Ibid. cap. xvij. num. 53.

264. Horstius. UT SECUNDUM BAPTISMA NUNCUPETUR. B. Petrus Damiani Opuſc. 16. in epiſcopum monachos ad ſæculum revocantem, Dic, inquit, obſecro, legiſti aliquando vitæ monaſticæ propoſitum ſecundum eſſe Baptiſma? Sed quia hoc invenitur in dictis Patrum perſpicuum eſt, negare licitum jam non eſt, &c. Vide loco citato, cap. 8. Vide & Hieronymum epiſt. 25. ubi Paulam de Blæſillæ obitu conſolatur. Revera, inquit, ſi ſæculare deſiderium, & (quod Deus à ſuis avertat) delicias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuiſſet, plangenda erat. Nunc vero cum propitio Chriſto, ante quatuor ferme menſes, ſecundo quodam modo propoſiti ſe baptiſmo laverit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo ſemper monaſterium cogitarit, &c. Idem ad Demetriadem. Nunc, inquit, quia ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt Baptiſmum gradu inivi pactum cum adverſario tuo, dicens ei, Renuntio tibi, diabole, & ſæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, ſerva fœdus quod pepigiſti.

Ratio ergo, cur vitæ religioſæ profeſſio quaſi quidam Baptiſmus cenſeatur, iſta eſt. Nam ſicut in Baptiſmo hoc agitur, ut omnino moriamur vitæ veteri, & renaſcamur novæ, v. *Rom* 6. *Coloſſ.* 3. *Epheſ.* 2. *& alibi.* (unde non idem homo è baptiſmo emergit, qui in eum ingreſſus erat, ſed plane alius:) ſequitur etiam, ut priori illius hominis peccata, non magis huic homini recens nato tribuenda ſint, quam mea alteri, vel alterius mihi. Ita prorſus in profeſſione Religionis ſeſe res habet. Moritur enim religioſus mundo, ejuſque operibus, ac ſibi inſuper ipſi voluntatique ſuæ: & ita moritur, ut non magis liceat ei mundo, ejuſque deliciis vel voluntate ſua uti, quam ſi plane mortuus ac ſepultus eſſet. Cum ergo Religioſi quoque, ſicut in baptiſmo, deſinant eſſe quod antea fuerunt, & novi quidam homines eſſe incipiant, novis ſtudiis, novæ vitæ, aliiſque omnino delectationibus & cogitationibus dediti; nil mirum ſi culpa & pœnæ, quas vetus ille homo debebat, una cum ipſo homine moriantur, nec jam ad ſecundum hunc hominem pertineant. Ita fere Hieron. Platus lib. 1. de bono ſtatus relig. cap. 15. Hinc, ut etiam obſervavit Renatus Choppinus lib. 1. Monaſticon tit. 2. n. 17. ſicut in baptiſmo renatis, ſic profeſſis in religione ceu novis hominibus nova induuntur nomina: Italis præſertim ac Belgis, ut ait ille, Franciſcis etiam Fulienſibus & Capuccinis.

Religioſa profeſſio cur ſecundus Baptiſmus appellatur.

IN OPUSC. VIII. ſeu librum de diligendo Deo, n. 29.

IMPOSSIBILE NAMQUE AIT &c. De præcepto dilectionis, quo jubemur Deum ex toto corde diligere, agit, aitque non poſſe ab homine mortali, ſeu in ſtatu vitæ præſentis impleri, ſcilicet perfecte. Idem aſſerit Serm. 50. in Cant. Similia habet S. Auguſtinus variis locis lib. 1. De Doct. Chriſt. cap. 22. lib. de Perfect. juſtit. cap. 8. ubi in plenitudine caritatis vitæ futuræ hoc præceptum implendum ait. *Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, vel quod continendo frenatur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Et iterum: *Cur ergo homini non præciperetur iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, ſi quo currendum eſt, neſcitur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?* Item lib. de Spir. & litt. cap. ult. commemorans præceptum dilectionis Dei & proximi: *Hoc*, inquit, *in illa vita complebimus, cum videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur, quid fide expoſcere, quo ſpem præmittere, & obliviſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debemus*, &c. Sed cave putes hæc favere Sectariis, docentibus, Neminem poſſe in præſenti vitæ ſtatu legem Dei implere, etiam regeneratum. Contra quem errorem vide Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 11. & can. 18. 265. Horstius.

Ut hic punctum difficultatis paucis expediamus, notandum totalitatem illam lege præſcriptam, cum dicitur, *Ex toto corde*, &c. tribus modis intelligi poſſe. Primo, ut totum cor noſtrum in ſolidum uni Deo diligendo tribuatur, nec amor in aliud feratur objectum, quam in ſolum Deum. Hoc ſenſu non præcipitur Dei dilectio, alioquin non liceret diligere proximum. Secundo, ut ſignificetur tantum conatu cor noſtrum in Dei dilectionem ferri debere, quanto fieri poteſt, ſeu ut tantum diligat, quantum ab ipſo diligibilis eſt. Tertio, ut toto corde id fieri dicatur, in quo quis præcipuum ſtudium & curam ponit: quomodo dicimus, aliquem totum eſſe in litteris.

Quomodo Deus ex toto corde diligendus.

Dicendum itaque, totalitatem præcepto dilectionis incluſam, non primo modo intelligendam; ſic enim non poſſet amari proximus: nec ſecundo, quamvis ſi ſic præciperetur, ſervari poſſet: ſed tertio, quod fit, quando in amore nihil Deo præfertur, cum nullius creaturæ amore vel timore à nobis offenditur. Hunc ſenſum expreſſit Apoſtolus Roman. 8. *Nulla creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei*. & Chriſtus ipſe Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem*, &c. id eſt, qui amorem parentum præfert amori Dei, non diligit Deum ſuper omnia. Hoc ſenſu laudatur Abraham, quod unici filii amorem poſtpoſuerit amori Dei. 266.

Itaque SS. Auguſtinus & Bernardus intelligunt quidem totalitatem primi & ſecundi modi, & hoc ſenſu aſſerunt, dilectionis mandatum in hac vita impleri non poſſe; ſed ſimul inſinuant, mandatum ſic acceptum non eſſe homini infirmo ſub pœna peccati præceptum, ſed tantum propoſitum ut ſcopum & finem, ad quem conari, tendere, & pervenire aliquando debeat, id eſt, eam juſtitiæ perfectionem, quæ ſperatur in futuro ſæculo. Unde loco cit. de Spir. & lit. *Neque enim*, inquit, *ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plena perfectaque debetur, jam culpa deputandum eſt. Aliud enim eſt, totam nondum aſſequi caritatem: aliud, nullam ſequi cupiditatem.* V. S. Thom. 2. 2. quæſt. 44. art. 6. & 8.

IN OPUSC. X. ſeu TRACT. de Baptiſmo ad Hug. Vict. cap. 1. n. 4.

PARVULIS SOLAM PROPOSUISSE. &c. Huic Bernardi ſententiæ ſuffragatur Gregorius M. ſic enim ait lib. 4. Moral. cap. 3. *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his qui ex ſtirpe Abrahæ prodierant, myſterium Circumciſionis.* Ab hac tamen ſententia Auguſtinus recedere videtur. Ita enim ſcribit lib. 5. contra Jul. cap. 11. *Nec ideo credendum eſt, & ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit.* Idem ſentit Auctor Sermonis de ratione Circumciſionis, his verbis. *Sane originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis humani ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari.* Quam quidem Auguſtini ſententiam ſequuntur Scotus, Durandus, Paludanus; ſed & S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. 267.

probabile eſſe dicit, quod parentes fideles pro parvulis natis, & mortis periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam ſignaculum fidei) ſicut adulti pro ſe preces & ſacrificia offerebant.

Eodem Tract. cap. 2. num. 6.

168. Horstii. Baptiſmi præceptum quando cœperit obligare.

SED EX EO TEMPORE TANTUM CUIQUE COEPIT ANTIQUA OBSERVATIO NON VALERE, &c. Nam cum ea ſit ratio legis poſitivæ, ut non niſi promulgata obliget, ſatiſque conſtet, baptiſmum non naturali, ſed poſitiva tantum lege divina præceptum eſſe; conſequens eſt ad eum ſuſcipiendum non fuiſſe homines obligatos, priuſquam in hominum notitiam perduceretur: quod quidem promulgatione fieri ſolet. Quamvis enim renaſci ex Spiritu-ſancto ſemper & omnino fuerit neceſſarium ad ſalutem; modus tamen renaſcendi, qui eſt per aquam, non ſemper fuit neceſſarius: ſed poſt factam ipſius inſtitutionem, vim neceſſitatis accepit, partim ex abolitione modi alterius, videlicet Circumciſionis, partim ex manifeſtatione præcepti. Non igitur continuo poſtquam dictum eſt, *Niſi quis renatus*, &c. putandum eſt omnes homines, vel certe omnes Judæos, multoque minus etiam infantes non potuiſſe in regnum Dei ingredi, quoniam non eſſent ex aqua regenerati. Deerat enim adhuc legi publicatio; quæ etſi fieri fortaſſe cœpit paulatim Apoſtolis ante paſſionem in Domino baptizantibus, ideoque & baptiſmum ejus prædicantibus; non tamen ſtatim ſufficiens fuit ad hoc ut lex jam promulgata cenſeretur. Quare nec tunc quidem, quando a Petro multitudini Judæorum dictum eſt, Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum*, &c. credendum eſt hanc baptiſmi legem fuiſſe ſufficienter promulgatam, ne apud Judæos quidem. Nam quod ibi dixit Petrus, innumerabiles alii Judæi per orbem ſparſi ſcire nondum adhuc poterant. Dicendum igitur eſt, tunc primum generaliter baptiſmum obligare cœpiſſe, poſtquam ſufficiens facta fuit Evangelii promulgatio. quod ex natura legis poſitivæ facile poteſt oſtendi. Simul enim cum Evangelio prædicabatur lex baptiſmi, velut ipſius Evangelii pars. Et in hunc modum reſpondet Bernardus Hugoni Victorino, qui ejus ſententiam libenter amplexus eſt, uti videre eſt apud eumdem lib. 2. de Sacram. Vide S. Thom. 3. p. q. 86. art. 2 Comment. ibid. Mag. ſent. lib. 4. diſt. 3. ibid. Eſtium, Soto, &c. vide etiam S. Auguſt. epiſt. 108.

Ibid. num. 9.

169. Horstii. Voluntas quando pro facto reputetur.

VOLUNTAS PRO FACTO REPUTETUR, &c. Quod non ita accipiendum, quaſi voluntas illa, ſeu votum ſuſcipiendi Sacramentum vim Sacramenti in ſe includat, id eſt, ita operetur effectum Sacramenti, quomodo ipſum Sacramentum, ſi adhibitum eſſet, ſuum effectum operaretur. Non enim *ex opere operato*, ſed *operantis* valet deſiderium illud Sacramenti, tamquam deſiderium operis operati, perinde ut fides & oratio. Quod ergo ibi voluntas baptiſmi pro baptiſmo habeatur, non provenit ex natura rei, ſed ex Dei miſericordia, qui propter fidem & deſiderium quærentis ſalutem, complet in neceſſitate, quod deeſt ex parte Sacramenti. In iis autem operibus, in quibus non opus operatum ſpectatur, ſed meritum operantis; voluntas, dummodo ſit magna ſatis & efficax, pro facto propterea reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate poſita ſit, quæ tanta eſſe poteſt abſque opere, quanta operi conjuncta, atque interdum etiam major. In hoc igitur operum genere proprie locum ſibi vindicat illud, *Voluntatem pro facto reputari*. Non autem in his quæ tantum ex opere valent operato, niſi in quantum miſericordia Dei ſupplet inviſibiliter, quod viſibili opere ſacramenti præſtari non potuit. Hoc autem miſericordiæ divinæ ſupplementum, ubi adeſt voluntas ſeu deſiderium viſibilis ſacramenti, in neceſſitate præſto eſſe ſemper Patres intellexerunt. Vide Cyprian. epiſt. ad Jubaianum; Ambroſ. Orat. funeb. in obitum Valentiniani; qui baptiſmum expetens ab Ambroſio, mortuus eſt in itinere, antequam ad eum perveniret; Auguſt. lib. 4. cont. Donat. cap. 22. & 25. & in Levit. q. 84.

Ibid. eodem num.

170. Horstii. Fides male [illegible] baptiſmo ſufficere ad ſalutem.

DIVINUM MUNUS SIT UT QUIBUS DIVINA ÆTAS DENEGAT, SUPPLEAT, &c. Ita Auguſt. lib. 4. cont. Donat. cap. 23. Sicut in adultis fidelibus, quibus per aliquam neceſſitatem corporaliter baptiſmus deeſt, perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritualiter adeſt: ſic cum ipſe baptiſmus præſto eſt, ſi per neceſſitatem deeſt fides, perficitur ſalus. Quod traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum poſſunt corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Et capite 24. Sicut in adultis quod in ſacramento deeſt, complet Omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, vel contemtu, ſed neceſſitate deeſt, ſic in infantibus baptizatis eadem gratia Omnipotentis implere credenda eſt, quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad juſtitiam poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem. Ideo cum alii pro eis reſpondent, ut impleatur erga eos celebratio ſacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. Et rurſus epiſt. 23. ad Bonif. Offeruntur, inquit, parvuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis quorum geſtantur manibus, (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt,) quam ab univerſa ſocietate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum ſancta & individua caritate, ad communicationem ſancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit.

Porro cur hominem adultum fides propria etiam ſine ſacramento ſalvet in neceſſitate, infanti vero non idem præſtet fides aliena, ſine baptiſmo: ratio eſt, quia fides propria etiam ſine ſacramento adultum Deo viciniorem, & per ſe commendabilem facit, dum ex fide Deum invocat, de peccatis dolet, ſalutem quærit: quale nihil in parvulis operatur fides aliena, ſed eum relinquit averſum, uſque ad ipſius ſacramenti perceptionem. Atqui magis congruit divinæ bonitati, ut ſalvetur homo jam converſus, & quærens Dominum, quam qui totus adhuc averſus eſt à Deo, nullum vitæ ſpiritualis in ſe principium habens. Adde quod Eccleſia, cujus materna caritas Chriſto filios parit, non intendit fidem ſuam infantibus accommodare, niſi per medium ad eam rem à Chriſto inſtitutum, id eſt per Baptiſmum.

IN OPUSC. XI. ſeu TRACT. de Errorib. Abælardi.

171. Horstii.

OPORTET AD VESTRUM REFERRI APOSTOLATUM... UBI NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTUM, &c. Nota, ſectane, & quicumque Romanæ matris eccleſiæ, nota inquam, prærogativam Romanæ & apoſtolicæ Sedis, & quis ſit legitimus controverſiarum fidei judex. Et ne putes forte, Bernardum blandiri Pontifici, vel ejus auctoritatem reſpuas, quaſi qui poſteriori ævo vixerit, quo priſca Chriſtianæ fidei ſinceritas jam adulterinis hominum commentis (quæ veſtra calumniandi libido eſt) vel invaleſcente jam Pontificum potentia corrupta ſit, age repetamus ab ætate longe vetuſtiore Patrum teſtimonia. Aut potius tu ipſe lege epiſtolas S. Auguſtini 90. 91. 92. 93. & 106 ubi videbis controverſas fidei quæſtiones referri ad Sedem apoſtolicam, & ſimilia paſſim cum Bernardo ejuſdem Sedis recenſeri elogia. Vide etiam Hieron. epiſt. 57. ad Damaſum. Alia ejuſdem, & innumera Cypriani ad Cornelium, & aliorum loca prætereo. De Abælardi erroribus, vide ad epiſt. 187.

IBID. Cap 1. n. 1.

172.

*NIMIS PRÆTER SOLUM Neſcio NESCIRE DIGNATUR. Ita reſtituunt codices mſſ. cum priores editiones haberent, *Neſcio quid*. Huc referendum quod ait Gloſſa l de quinque pedum præſcriptione, his verbis. *Sed Petrus Bailardus, qui ſe jactavit quod ex quolibet, quantumcumque difficili littera, traheret ſanum intellectum, hic dixit,* Neſcio. Hærendo quippe in hac lege explicanda, cum alias abſtruſiſſimam Ezechielis prophetiam, præmiſſo unius dumtaxat breviſſimæ noctis ſtudio, diſcipulis eſſet interpretatus, ut narrat in Hiſtoria calamit. ſuarum, cap. 3.

FINIS ANNOTATIONUM IN TOMUM II.

NOTÆ IN TOMUM III.

IN HOMIL. II. ſuper *Miſſus eſt*, num. 13.

173. Horstii. Cur Chriſtus de Virgine deſponſata naſci voluerit.

OPORTEBAT AUTEM A PRINCIPE MUNDI, &c. Dei Filius naſciturus ex Virgine, cur eam deſponſari voluerit, ſacri Doctores varias proferunt cauſas. Inter ceteras hæc una præcipua eſt, ut myſterium nati Dei diabolo celaretur. Ut enim Baſilius homilia de humana Chriſti generatione, & Damaſcenus lib. 4 de fid. cap. 5. aſſerunt, dæmon ex illo Iſa. 7. teſtimonio, *Ecce Virgo concipiet*; noverat Chriſtum de virgine naſciturum. Eapropter diligentiſſime virgines obſervabat, ut ejus adventum agnoſceret. Ut ergo Dominus illum eluderet, & in ſua aſtutia comprehenderet, elegit virginem viro deſponſatam, ut partum non virginitati, ſed matrimonio adſcriberet. Hanc cauſam reddit Ignatius epiſt. ad Epheſ. Origenes hom. 16. in Luc. & hom. 2. in div. locos. Baſilius lib. cit. Ambroſius in Luc. 2. & Hieronymus in Matth. 1. Sed *hanc rationem*, (dicit Maldonatus) *malo ingenue fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo diabolus Mariæ virginitatem, ſi modo advertiſſet, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamvis nupta, videre poſſit.* Itaque ob Doctorum auctoritatem cauſa hæc declaranda eſt. Nec enim diffiteor, prima facie parum videri efficacem, cum dæmon cognoſcere facile poſſit virginitatem fœminæ, & quid agant inter conjuges. Et quidem certum eſt, Dominum voluiſſe adventum ſuum celare dæmones, ne, ut dicit Ambroſius, impediret mortem ejus, qua erat redempturus mundum, 1. Corinth. 2. *Nemo Principum cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Deinde certum eſt, etiam illud dæmonem ſubtilitate intellectus ſui & acumine naturali potuiſſe cognoſcere, beatam Virginem poſt partum manſiſſe virginem & incorruptam. Nam ſi homini nota & manifeſta eſſe poteſt fœmina

„ virginitas, multo magis dæmoni. Deo tamen permittente & vo-
„ lente, dæmon non advertit. Cernens enim illam eſſe conjugatam,
„ cætera ſpeculari contempſit, matrimonio omnem illi ſuſpicionem
„ ſuſpicionem, credidique partum eſſe ex viro, cui ſciebat feminam
„ eſſe deſponſatam. ſicque deceptus per deſponſationem, non quod
„ non poſſet virtute naturæ ſuæ dæmon agnoſcere virginitatem, ſed
„ quod inveſtigare in conjugata non curaverit: eaque de cauſa non
„ prius Conceptio Chriſti annuntiatur, quam Virgo eſſet viro deſ-
„ ponſata. Dæmon enim iis quæ recte & juſte fiunt, parum intendit.
„ Cauſa igitur a tot tantiſque Doctoribus tradita hac via & modo in-
„ telligenda eſt. Ita fere Cardinalis Toletus in Luc. cap. 1. Sed an hæc
ratio mendi illam Patrum ſententiam, Lectori ſingula diſcutienti ſa-
tisfaciat, neſcio. Mihi quidem videtur non vacare ſcrupulo. Quis
non ſtatim replicet, juſtorum actiones multo ſtudioſius obſervare
diabolum, vel ut calumnietur, juxta nomen ſuum, vel ut labem
aſpergat? Exemplum habemus in Job. Et quidem B. Virginis vitam
& actiones diligentius obſervaſſe quis dubitet, eo quod illam deſ-
ponſatam videret, quam ex voto perpetuæ caſtitatis, virum non de-
bere cognoſcere ſciebat. num forte contra votum ageret? Itaque
malim uſurpare verba Maldonati, paulo ante recitata.

IN SERM. I. De Septuageſima.

274. *Tantumdem est ac si non peccet, &c. Hic locus, & ſi qui ſunt apud Bernardum alii ſimiles, ne-utiquam favent ſtupidi hæreticorum errori. Primo Joviniani ac Pelagii, qui juſtos ſine ullis peccatis vitam agere contendebant. Secundo Calvini & ſequacium, qui juſtificatum negant poſſe à caritate excidere. Tertio eorumdem, qui fideles juſtificari aſſerunt per meram non imputationem peccatorum.

Quod ſpectat ad primum, S. Doctor mentem ſuam aperit Sermone 23. in Cant. n. 15. Sed manifeſtius lib. de Gratia & lib. Arb. cap. 9. explicans illud Johannis 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo*, &c. *Hoc*, inquit, *dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam: non quod omnino non peccent, ſed quod peccatum ipſis non imputetur, quia vel punitur condigna pœnitentia, vel in caritate abſconditur.*

De ſecundo vero, ſcilicet quod caritas ſemel habita poſſit amitti, in epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem cap. 4. de fide ficta agens, ita pronuntiat. *Recedunt ergo quidam à fide, quia Veritas aſſerit: conſequenter & à ſalute, quia Salvator redarguit: unde nos colligimus quod & à caritate, ſine qua ſalus eſſe non poterit*, &c. V. Melchiorem Canum lib. 4. de Loc. Theolog. c. ultimo in reſponſ. ad 8. argum. ac Guillelmum Eſtium in prædictum locum Johannis, ubi S. Bernardi ſententiam expendunt.

Quod ad tertium attinet, Juſtificationem non conſiſtere in ſola Dei non imputatione, ſed in quadam ſupernaturali qualitate, manifeſte docet S. Doctor variis in locis, diſerte vero epiſt. 11. ad Cartuſienſes, & ex ea in Tract. de diligendo Deo cap. ult. ſic ſcribens: *Itaque Caritas dat caritatem, ſubſtantiva accidentalem. Ubi dantem ſignificat, nomen eſt ſubſtantiæ; ubi donum, qualitatis.* Vide Sermonem 27. in Cant.

IN SERM. I. in Cœna Domini.

275. Horstii. De tribus itaque Sacramentis, &c. n. 1. Hoc Sermone Bernardus pedum ablutionem Sacramentis annumerat, uti & facit Auctor Sermonum de operibus Chriſti cardinalibus apud Cyprianum. Sed nota, generalius ab iis uſurpatum nomen Sacramenti, ut quæcumque rerum ſacrarum ſigna complectatur.

IN SERM. II. Pentecoſt. num. 6.

276. Horstii. Certissima signa prædestinationis. Ad damnata Sectatorum hujus ſæculi dogmata pertinet, unicuique Chriſtiano pio certo perſuaſum eſſe debere, ſe eſſe prædeſtinatum, atque in numero ſalvandorum, ſcilicet ea certitudine, cui falſum ſubeſſe nequeat. Itaque cave putes verba Bernardi horum errori favere. Nam certiſſima ſigna prædeſtinationis Bernardo dicuntur, non quæ falſa eſſe nullo modo queant, ſed quæ certiſſima ſunt in genere ſignorum, ſeu conjecturarum probabilium. Hæc autem eo certiora cordibus fidelium imprimuntur, quo magis quiſque in vita Chriſtiana profecerit.

IN SERM. II. de Omnibus Sanctis, num. 4.

277. Horstii. In ferrm sub altare eos esse, &c. Plura ejuſmodi loca occurrent in Bernardo, quibus eorum videtur accedere ſententiæ, qui docent animas juſtorum poſt hanc vitam, ante generalem corporum reſurrectionem, & extremum judicium, non admitti ad illam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit: ſed interim verſari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium præſtaret, nondum tamen earum deſiderium expleret. Hoc docuiſſe ferunt Johannem XXII. Pontificem, & Pariſienſibus Theologis idem mandaſſe docendum. Huic, inquam, opinioni videtur favere Bernardus compluribus locis, quibus hic ſimul & ſemel antidotum adhibere non abs re fuerit. Nam præter verba citata, rurſus Serm 3. de Omnibus Sanctis, tres facit animarum ſanctarum ſtatus, primum in corpore corruptibili, ſecundum ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata: primum in tabernaculis, ſecundum in atriis, tertium in domo Dei, in quam domum negat eas ſine corporibus intraturas. Et ſerm. 4. dicit animas Martyrum eſſe ſub Altari, quia ſolum vident Chriſti humanitatem; poſt corporum autem reſurrectionem exaltandas eſſe ſuper Altare ad videndum ejus divinitatem. Similis locus eſt Serm. 4. in Dedicat. eccleſiæ, & alibi.

Porro communis ſanctorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum ſententia eſt, animas piorum corporibus ſolutas non modo jam cælo receptas eſſe, & cum Chriſto regnare, ſed ſimpliciter beatas eſſe, & Dei conſpectu frui. De Auguſtini circa hanc quæſtionem ſententia variæ cenſent. Sunt qui putent, illum de loco animarum juſtarum hæſiſſe ancipitem, utrum jam in cælo ſint, an alibi. Lib. de cura pro mort. cap. 3. Ench. cap. 108 Lib. 12. de Civ. cap. 9. & alibi, animas juſtorum collocat in occultis ſedibus, in ſecretis & abditis receptaculis. Tract. 49. in Johan. inter ea quæ promiſſa illis, & nondum præſtita, numerat vitam æternam cum Angelis, & Lib. 1. Retract. cap. 14. dicit merito quæri de ſanctis hominibus jam defunctis, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, in qua ſanctos Angelos eſſe non dubitatur. Vide ſimilia apud eumdem lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 35. Item in Pſal. 36. *Poſt hanc vitam*, inquit, *nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicetur*: Venite benedicti, &c. Vide epiſt. 111. ad Fortun. Tract. 53. & 125. in Johan. Expoſ. Pſal. 85 & Com. c. ſup. Pſal. 48. Lib. de ſpir. & litt. cap. 21. Quibus locis ſignificat pios non admittendos ad viſionem beatificam ante extremum judicium.

Verum non de loco, ſed potius de ſtatu animarum ambigere Auguſtinum, ſtudioſus ejus Lector advertet. Senſit quippe, animas Sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, ſed non ita perfecte, quomodo videbunt poſt reſurrectionem; idque propterea, quod naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rurſum uniantur, ipſumque adminiſtrent, remoretur eas, quo minus tota intenſione ferantur in Deum; & proinde nondum pervenerint ad æqualitatem Angelorum, qui nullo impedimento retardantur, quominus toti ferantur in Deum. Hoc ipſum tamen non ita ſenſit Auguſtinus, ut id pro certo haberet. Nam licet lib. 12. de Gen. ad litt. id affirmare videatur, attamen poſtea lib. 1. Retract. cap. 14. ſignificat ſe adhuc dubitare. Quæ quidem quæſtio, an videlicet animæ Beatorum ita perfecte Deum nunc videant, ac poſt reſurrectionem, necdum quidem omnino determinata eſt, niſi quod Concilium Florentinum, cum dicit Sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum ſuis corporibus, poſtquam reſurrexerint; videri cuiquam poſſit, ad Auguſtini ſententiam deflectere. Quamvis hoc alii rectius non de intenſiori, ſed extenſiori beatitudine putent eſſe intelligendum, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animæ beatitudinem accedet.

278.

Eodem modo verba S. Bernardi intelligenda ſunt. Tantum enim negat animas Sanctorum tam perfecte nunc videre Deum, quam viſuræ ſint receptis corporibus. Nam hoc eum ſentire probant iſta verba Serm. 3. de Omnibus Sanctis, quibus ſic carnem alloquitur. *Anima ſancta te deſiderans: ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt. Adeo ſiquidem viget in iis deſiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libero pergat in Deum, ſed contrahatur quodam modo, & rugam faciat, dum inclinatur deſiderio tui.* Et ſerm. 87. de diverſ. *A perfecta*, inquit, *contemplatione divinitatis quodam modo retardantur, dum adhuc reſurrectionem ſui corporis in fine ſæculi præſtolantur.*

Sic Bernardus Auguſtini ſententiam ea in re ſecutus, quam & ſequitur S. Thom. Bonavent. Richard. & Marſil. ſcribentes in diſt. 49. 4. ſent. Tametſi S. Thomas ſententiam poſtea mutarit. Nam 1. 2. q. 4. art. 5. aperte docet, quod reſumpto corpore beatitudo animæ creſcet non intenſive, ſed extenſive.

Ceterum de ſtatu animarum ſanctarum poſt hanc vitam, cenſet primo Bernardus eas eſſe in cælo, ut clare teſtatur variis in locis, maxime ſerm. 4. de omnibus SS. ubi diſtinguens inter ſinum Abrahæ, & animarum Beatarum, dicit *illum fuiſſe in tenebris, hunc in luce media, in inferno illum, iſtum in cælo.* Secundo *recepiſſe jam ſtolas ſingulas, ſed nondum duplices*, ſerm. 3. de omn. SS. ubi explicans ſtolam utramque, *Stola*, inquit, *prima, ipſa eſt quam diximus, felicitas & requies animarum: ſecunda vero immortalitas & gloria corporum.* Tertio denique quod etiam fruantur viſione divina, ſatis aperte ſuam promit ſententiam variis in locis. Nam lib. de diligendo Deo, circa finem dicit: Martyres immerſos eſſe immenſo pelago „ æterni luminis, & luminoſæ æternitatis. Et epiſtola ad Fratres de „ Hibernia dicit, animam Malachiæ non jam in fide ambulare, ſed „ in ſpecie regnare. Et ſermone de eodem, dicit eum pari gloria & „ felicitate regnare cum Angelis, Serm. 3. in die Palmarum num. 3. „ Serm. 1. Pentecoſt. Serm. 2. de Aſcenſ. Item Serm. 6. in Cant. dicit quoſdam jam meruiſſe introduci in Sancta ſanctorum, ubi videant faciem ſtantis, id eſt claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de Sanctorum animabus teſtatur Serm. 4. & 5. de Omn. SS. & de Obitu Humberti, epiſt. 98. n. 8. rurſus epiſt. 266. & alibi ſæpius. Et hæc quidem ſententia definita eſt in Conc. Florentino, in quo Patres definiere, *animas purgatas in cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum & unum ſicuti eſt.* Cui acceſſit decretum Conc. Trid. Seſſ. 25. aſſerentis, *Sanctos cum Chriſto regnare, & æterna felicitate in cælo frui.* Vide Bened. Juſtin. in epiſt. ad Philip. cap. 1. v. 21. in illa verba, *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, ubi obſervat ex Chryſoſtomo, Theophylacto & aliis, non vere pro lucro habendam eſſe mortem, niſi ſtatim juſtorum animæ ad Dei conſpectum eveherentur.

279.

IN SERM. IV. De Dedicatione.

De atriis, quæ animas juſtorum hinc exeuntes excipiunt, minus commodam videtur habere ſententiam. Sed de hac re paulo ante ſatis egimus. Vid. Cornel. 6. Apoc. v. 9. Ibidemque Pererium, Diſputat. Bellarm. lib. 1. de Beatit. SS. cap. 3. 280. Horstii.

IN SERM. XLVI. De Diverſis.

281. Horstii. PERIIT VIRTUS ILLA A ME. Nempe virginitas. His verbis movetur Bellarminus, ut Sermonem non putet eſſe Bernardi, quem ſatis conſtat, virginitatis lauream ad extremum uſque ſpiritum ſervaſſe illibatam. Et certe alterutrum ſequi videri, ut aut Sermo non ſit Bernardi, aut Bernardus non ſit virgo. Sed quid vetat utrumque, & Sermonem, & virginitatem Bernardo aſſerere, verbis his ne quicquam obſtantibus? Nec enim inuſitatum Sanctis, & Prædicatoribus verbi divini, ſubinde loqui ex perſona auditorum, & in ſeipſos quaſi derivare ac transferre peccatum, quod caſtigare ſtatuerunt. Itaque, ut ad Bernardum revertar, dico eum ex perſona auditorum loqui, velut inquirentem, quid illis teſtes apud Virginem Deiparam, quibus non liceat cum ipſa de ſalva virginitate gloriari. Porro in tanto Religioſorum numero, quis dubitet fuiſſe, qui poſt factum virginitatis pridem in ſeculo naufragium, tabulam pœnitentiæ in monaſterio apprehenderint?

* Simili fere modo de ſe ipſe loquitur Bernardus in Sermone XXI. ſuper Cantica num. 7. ubi ait, fidem ſuam in ſeculari vita mortuam fuiſſe, utpote ſine operibus: poſt converſionem vero ſuam, etſi melanſculæ habuerit, tamen ſæpe hortos bonorum operum præfocaſſe iram, tuliſſe jactantiam, fœdaſſe inanem gloriam; nec gulæ etiam peccata ſibi defuiſſe: cum tamen nemo Bernardo lenior, humilior, aut temperantior fuerit. Confer ea quæ de ſe itidem ſentit Sermone 54. in Cant. num. 8.

IN SERM. L. De Diverſis.

NON DICIT ECCLESIASTEN AUT IDIDAM. 282. Horstii. Salomon divine per Nathan Prophetam vocatus eſt *Amabilis Domino*, Hebraice, *Jedidjah*. Ex quo facilioris pronuntiationis gratia formatum, *Idida*. Itaque fuit binomius, licet hoc nomen extet tantum 2. Reg. 12. v. 25. Imino trinomius, ſi addas nomen *Eccleſiaſtæ*.

FINIS ANNOTATIONUM IN TOMUM III.

NOTÆ IN TOMUM IV.

IN SERM. V. In Cant. num. 9.

283 Horstii. ANGELICA CORPORA, &c. Apud Patres & præcipuos Eccleſiæ Doctores, res fuit admodum ambigua, aliis affirmantibus, Angelos incorporeos eſſe, aliis nec paucioribus negantibus, adeo ut Magiſter Sentent. lib. 2. diſtinct. 8. conſiderans hanc varietatem opinionum, non auſus ſit quidquam definire. S. Auguſtinum dubie hac de re locutum video, attamen in eam partem, quæ Angelis corpora tribuit, proniorem. Nam ut erat Platonica diſciplina imbutus, Platonicorum opinionem de corporibus Angelorum ſic alicubi commemorat, ut approbare videatur, uti lib. 8. de Civ. Dei, cap. 14. 15. 16. Quin alibi frequenter Angelos animalia vocat, & corpora eis tribuit. Enchirid. cap. 59. difficillimam eſſe dicit quæſtionem de corporibus Angelorum. Non vacat loca ſingula indicare: plurima annotavit Eſtius in lib. 2. Sent. diſt. 8.

Hodie porro certa, & omnibus probata ſententia eſt, Angelos eſſe incorporeos, nec habere corpora ſibi naturaliter unita. Vide S. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. & q. 51. art. 1. & 2. An vero id ſit de fide, necne, non inter omnes convenit. V. Eſtium loco cit. Modeſtiam S. Bernardi non audentis in hac quæſtione proferre ſententiam, immo profitentis ignorantiam, laudat Sixtus Senenſ. lib. 5. Biblioth. ſanctæ Annot. 8.

In eumd. Serm. num. 10.

284. Horstii. SEQUESTRATUR PROINDE PRÆROGATIVA HÆC, &c. Nimirum quod mentibus hominum per ſe applicetur, quod alii aliis verbis exprimunt, puta Deum ſolum animabus ſive mentibus hominum poſſe ſubſtantialiter illabi, eaſque complere. Quod quidem diſerte docent Didymus lib. de Spiritu-ſancto, Gennadius lib. de eccleſiaſt. dogmat. cap. 82. Beda Comment. in Act. 5. Magiſter in 2. diſt. 8. Hujus vero doctrinæ plures expoſitiones profert Eſtius in 2. diſt. 8. parag. 12. Ac primo, inquit, confitendum eſt ſolum Deum implere mentem hominis ſecundum ſubſtantiam, id eſt ſolum Deum præſentia ſuæ naturæ intimum eſſe toti animæ intrinſecus eam continendo, conſervando, gubernando & in ea operando. II. quoad deſiderii ejus capacitatem. III. per cognitionem, quia omnia cordis penetralia & receſſus ſcrutatur & cognoſcit. IV. peculiari quadam ratione Deus illabitur mentibus hominum, quando eas gratiæ ſuæ præſentia ſanctificat, & domicilium ac templum ſuum efficit. Porro dæmonum ſuggeſtioni qui conſentiunt, in eos jam intrare, eoſque interdum etiam implere diabolus dicitur, non ſecundum ſubſtantiam eo modo quo ſupra explicatum eſt; ſed ſecundum effectum ſuggeſtionis extrinſecus adhibitæ & ſecundum poteſtatem dominationis. Quod etiam de bonis Angelis conformiter intelligendum eſt, qui & ipſi ſecundum effectus ſanctarum ſuggeſtionum ingredi in cor hominis, atque in eo operari recte dicuntur, juxta illud Zachar. 1. *Angelus loquebatur in me*: qua ſcriptura ad hanc rem utitur Bernardus lib. 5. de Conſiderat. cap. 5. ubi hoc ipſum bonis Angelis diſerte tradit, & quomodo hoc aliter Angelis, aliter Deo competat, dilucide exponit. Ita ille latius quidem eo loco. Hoc idem graviter ac ſolide docet Caſſianus Collat. 7. cap. 13.

IN SERM. VII. In Cant. num. 6.

285. Horstii. CUM INDIGNATIONE RECEDANT. Sixtus Senenſis lib. 5. Biblioth. S. Annot. 116. in iſtum locum ſic animadvertit. Bernardi verba ex homilia in Cant. cant. ſeptima uti ſolent Scholaſtici, cum diſceptandi gratia contendunt, Angelos cuſtodes aliquando deſerere cuſtodiam eorum, quos cuſtodiendos accepere. Albertus Magnus in primo Summæ volumine quæſt. 8. hunc locum expendens, ait: Homines ab Angelis cuſtodibus deſeri non ſecundum locum, ſeu localem cuſtodiam, ſed ſecundum virtutem & efficaciam: & hoc non ex Angeli deſidia, ſed ex hominis culpa eo modo quo Sancti dicere ſolent, Peccatorem diſcedere à Deo in regione diſſimilitudinis, non diſtantia loci, ſed meriti. Ita ille.

IN SERM. XXIII. In Cant. num. 9.

*SI TAMEN ALTERA. An una vel multiplex Maria fuerit, 286. illa videlicet quæ Dominum non ſemel unxiſſe legitur, & quæ Marthæ ſoror erat, apud veteres magna fuit controverſia, de qua inter alios videndus Janſenius Gandavenſis Concordiæ Evang. cap. 48. ubi id argumenti ſolide ſuo more pertractavit. Quidam enim, Græci maxime, inter quos Origenes & Theophylactus, putant fuiſſe tres diverſas mulieres, unam ſcilicet peccatricem innominatam, de qua Lucæ 7. Alteram quoque innominatam, de qua Matthæi 26. & Marci 14. Tertiam, quæ dicta eſt ſoror Marthæ, de qua Johannis 12. Chryſoſtomus vero Homilia 81. putat duas tantum fuiſſe, nempe unam eamdem, quæ ſemel & iterum unctionis officium Chriſto legitur impendiſſe, alteram quæ fuerat ſoror Marthæ. S. Hieronymus è contrario in Matthæi cap. 26. vult eamdem quidem eſſe eam, quæ ſuper Chriſti caput effudit, cum ſorore Marthæ; diverſam vero ab ea, quæ pedes unxit in domo Phariſæi: cui ſententiæ S. Ambroſius ſuper Lucam favere videtur. Unam ubique admittit Gregorius M. cui plerique ſuffragantur. Ambroſius in Lucam, ubi non repugnat quo minus diverſæ cenſeantur, ſcribit interea poſſe eamdem videri, quæ diverſa fuerit tantum pro temporis & meriti diverſitate, *ut adhuc illa peccatrix ſit, jam ista perfectior. Etſi enim*, inquit, *perſonam non mutat Eccleſia vel anima, tamen mutat profectum.* Quicquid ſit, Bernardus idem dubium movet Sermone 12. in Cantica: at Sermone 2. in Aſſumtione num. 2. diſerte aſſerit, eamdem eſſe, de qua agitur Lucæ 7. cum ea de qua Matthæi cap. 26. & Marci 14. atque Johannis 12. Ita enim habet. *Vide prærogativam Mariæ, quem in omni cauſa habeat advocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus* (nim. Lucæ 7.) *conqueritur ſoror* (Johannis 11.) *etiam diſcipuli murmurant* (Matthæi 26. & Marci 14.) *ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Chriſtus.* Lege Voſſium Harmoniæ Evangelicæ lib. 1. cap. 3. & alios Interpretes.

IN SERM. XXVI. In Cant.

IN hoc Sermone mira prorſus affectus expreſſione, & verborum 287. Horstii. energia, funus dilectiſſimi fratris ſui Gerardi proſequitur. Lacrymas nihilo minus, vi quadam ſibi illata, tantiſper in ſe cohibuit: ita tamen, ut tunc auditoribus, immo etiam nunc lectoribus vel invitis exprimeret. Simili plane modo ante ipſum S. Ambroſius fratri ſuo Satyro exſequias funebri Oratione perſolvit, adeo utrumque patheticè, ut ſi amor ipſe loqueretur, non poſſet affectum & dolorem animorum, quem ipſi ex obitu cariſſimorum fratrum ſenſerunt, animis audientium potentius inſerere. Similem quoque Sermonem ſuper obitu Amici, ſane perquam elegantem & plenum affectibus, nempe à Bernardi diſcipulo Aëlredo abbate Rievallenſi habitum lib. 1. Spec. Charit. cap. 34. Lector inveniet, quo quidem non obſcure videtur auctor ſecutus Magiſtri veſtigia. Lege & confer, non pigebit. Porro obſerva hinc, quam ſint viri ſancti ſtoicæ apathiæ, ſeu indolentiæ & inſenſibilitatis expertes, quod tamen in illis nonnulli requirere viſi ſunt. Id de ſeipſo hoc Sermone ingenue fatetur Bern. *Non ſum, fateor, inſenſibilis ad pœnas*, &c. num. 13.

Eodem Sermone videtur dubitare Bernardus de ſalute Jonathæ. Sed alii Patres & Interpretes eum cælo aſſerunt. Vide apud Rangolium in cap. 31. lib. 1. Reg. v. 2. Salianum ad annum Mundi 2979. num. 135. Abulenſ. in cap. cit. Mors autem ejus infelix cum parente Saüle non debet quemquam movere. Impii quocumque modo diſcedant, male moriuntur. Pii bene & feliciter occumbunt, quocumque mortis genere defungantur.

IN SERM. XXVII. in Cant. num. 8.

188. *UNDE DUCIT ORIGINEM. Berengarius Abaëlardi diſcipulus in Apologetico, quod pro ſuo præceptore edidit contra Senonenſe Concilium ipſumque Bernardum, ita in hæc verba cavillatur, quaſi S. Doctor ſenſerit, animas creari in cælo, & poſtea in corpora infundi. Sic enim Viro ſanctiſſimo impudenter inſultat. Errâſti vere, inquit, dum originem animarum è cælo aſſeruiſti eſſe. Quod qualiter in libro aſſtruas, quoniam utile & facile eſt cognitu, ſagaci lectori ab altiori cardine retexam. Eſt liber quem Hebræi *Beraſirim* *, Latinus nominat *Canticum canticorum* cujus littera vigilantibus animis divinæ cujuſdam intelligentiæ ſudat arcanum. Et infra. Hæc verba tua ſubtiliter explorata Chriſtianæ mentis palato hæreſim ſapiunt. Si enim ideirco animæ originem de cælis aſſtruis, quia quandoque beata futura eſt in cælis; eadem ratione corporis origo erit in cælis, quia quandoque beatum futurum eſt in cælis. Aut ſi ideo animæ originem cæleſtem adſcribes, quia illinc orta, id eſt facta, ſit in cælis (quod quidem verborum talium reſultat intentio) pravitatem Origenis incurris. Ita temerarius ille Apologiſta. Verum quidni anima dicatur cæleſtis, cum Patrem habeat cæleſtem, cujus converſatio in cælis eſſe debeat, cujus patria in cælo ſit, quemadmodum ejus ſubſtantia omnia terrena tranſcendit? Unde S. Auguſtinus lib. 2 contra Julianum: *Cum corpus è terra, & ſpiritum poſſideamus è cælo, ipſi terra & cælum ſumus.* Sed apage putidum illum calumniatorem Berengarium.

Lege Schir haſ-chirim.

IBID. num. 8.

189. Horstius. ANIMA JUSTI SEDES EST SAPIENTIÆ. Hæc ſententia frequens eſt apud Bernardum & alios quoque SS. Patres, velut Auguſtinum, Gregorium, &c. Hactenus tamen in Bibliis juxta tranſlationem Vulgatam non inveni, quamvis paſſim a dictis Patribus nomine Scripturæ citetur. S. quidem Auguſtinus enarration. in Pſal. 46. ad verſum 9 & Serm. 2. de Epiph. ſeu 30 de Temp. *Cur enim*, inquit, *non agnoſcamus nos cælos, qui facti ſumus ſedes Dei, ſicut ſcriptum eſt*, ANIMA JUSTI SEDES SAPIENTIÆ. S. Gregorius 29. Moral. cap. 23. *Quid hic aliud cælum, niſi ſublimis debet intelligi mens Sanctorum? . . De hoc cælo Dominus, ait*: CÆLUM MIHI SEDES EST. *De quo ſcilo alias ſcriptum eſt*: ANIMA JUSTI SEDES SAPIENTIÆ EST. Et rurſus idem Hom. 38. in Evang. in princ. *Congregatio quippe juſtorum, regnum cælorum dicitur. Quia enim per Prophetam Dominus dicit*, CÆLUM MIHI SEDES EST; *& Salomon ait.* ANIMA JUSTI SEDES SAPIENTIÆ &c. Ecce Salomoni ſententia tribuitur: & quidem ad marginem notatur, *Sapientiæ 7.* Nempe Liber Sapientiæ à multis veterum Patrum Salomoni attributus eſt. Ibi vero verſu 7. ita lego: *Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Ex quibus verbis citata & celebris apud Patres ſententia formata videri poſſit. Conjecturam probabit Lector, donec invenerit meliorem. Porro obſervet idem, multas Scripturæ ſententias apud Patres citari, juxta tranſlationem LXX. Interpr. quarum plures paſſim in Operibus Bernardi notavimus. Verum id de præſenti loco non accipiendum, cum græce primum ſcriptus ſit Liber Sapientiæ, aut certe Hebraicus ejus textus non extet.

IN SERM. XXXII. in Cant. num. 8.

190. *PUSILLA FIDES, SED DE MAGNITUDINE ANIMI DESCENDENS. Quomodo ex animi magnitudine, ſi ex fidei puſillitate? Verum in hac apoſtoli Thomæ ſententia S. Bernardus duo diſtinguit: unum, quod credere detrectavit, in quo fides defectus eſt: alterum, conditio ſine qua credere recuſavit, nimirum niſi videret cicatrices vulnerum: quod cum magnum quiddam ſit, ad animi refertur magnitudinem, cujus eſt magna audere. Huic Bernardi interpretationi maxime favet Sermo 161. de tempore inter Opera Auguſtini, in quo ſic legitur: *Quamvis igitur modicæ fidei homo, quamvis imbecillis ingenii Chriſtianus, numquam ſollicitudinem ſuam inquiſitioni Thomæ æquiparare potuiſſet. Numquam enim poſt agnitionem ac converſationem loquela auſus eſſet petere, ut etiam tactu Chriſtum perſcrutaretur in Chriſto, & in ipſo homine quem cerneret, hominis corpus inquireret, & reſurrectionem ejus non tam mirabilium gloria crederet, quam paſſionis injuria comprobaret, &c.* Ita ibi. Vide eamdem ſententiam apud Guilel. S. Theoderici abbatem in libro de contemplando Deo c. 1. n. 3. hoc tomo 5. col. 235.

IN SERM. LXIV. in Canc. n. 8.

191. Horstius. CAPIANTUR, DICO, NON ARMIS, &c. Ita & Auguſtinus epiſt. 127. ad Donat. *Corrigi eos (Donatiſtas) cupimus, non necari: nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos peccaſſe pæniteat, &c.* Idem epiſt. 158. 159. & 160 hortatus Marcellinum & Apringium Præfectos, ut hæreticos puniant, citra ſupplicium capitis, memores Chriſtianæ manſuetudinis. Verum epiſt. 48. ad Vincentium, multis oſtendit, terrore & legum rigore ſalubriter hæreticos conſtringi ad fidem catholicam. Sic quidem ejus aliquando ſententiæ fuiſſe, nulla vi cum hæreticis, ſed ſola prædicatione agendum: nunc aliorum ſententiis & exemplis inductum mutaſſe ſententiam, atque arbitrari, leges & arma Principum recte implorari adverſus hæreticos, modo id fiat animo corrigendi. Utitur ad hoc perdoneo ſimili, de phrenetico in præceps currente, cui manus & vincula injicere beneficium cenſeri debet. Confirmat exemplo Circumcellionum, quorum multos jam habeat Eccleſia catholicos: *Qui tamen*, inquit, *ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum, quæ tibi* (Vincentio Rogatiano) *diſplicent, vinculis tamquam phrenetici ligarentur.* Unde poſt multa ſubdit: *Hæc ergo exempla à collegis meis propoſita cessi. Nam mea primitus ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota ſit in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum Imperialium converſa eſt: quam nunc videmus ita hujus veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea numquam fuiſſe credatur, &c.* Rationem, cur præter doctrinam, vim & terrorem adhibere oporteat, eadem epiſtola pluribus indicat. *Nam ſi docerentur*, inquit, *& non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurati, ad capeſſendam viam ſalutis pigrius moverentur.* Ita Auguſtinus, à cujus veſtigiis non ſolet diſcedere Bernardus. Unde & Serm. 66. in Cant. num. 12. ita ait: *Fides ſuadenda eſt, non imponenda. Quamquam procul dubio melius gladio coercerentur, illius videlicet, qui non ſine cauſa gladium portat, quam in ſuum errorem multos trajicere permittantur.* Hinc patet facilis modus conciliandi diverſas in hac quæſtione ſententias: nempe, de quorum facili converſione ſpes eſt, tradentur mitius, & doceantur potius, quam cogantur. At qui virus perfidiæ in plures diffundere moliuntur, legum ſeveritate premantur.

IN SERM. LXV. in Cant. num. 3.

GLORIA REGUM CELARE VERBUM, &c. In ſimilem ſenſum hæc verba Scripturæ accepit S. Gregorius M. lib. 2. in Ezech. Hom. 6. init. Cum tamen hodie ſenſu plane contrario legantur in editione Vulgata, hoc modo: *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inveſtigare ſermonem.* Unde monet Cornelius à Lapide in hunc locum, craſſum mendum eſſe in Gregorio: & non tantum verba Scripturæ corrigit, ſed & Gregorii verba, contra ejus mentem & inſtitutum, niſi fallor, immutat. Nam mens Gregorii eſt eo loco: Prophetica quidem myſteria obſcura eſſe, attamen quia ad Dei gloriam ſpectat, myſteria ſermonis ejus aperire; in hoc nobis incumbendum, &c. Eodem plane ſenſu his verbis utitur Bernardus hoc Sermone. Hæc non ad culpandam genuinam lectionem, ſed ad oſtendendum, quomodo Patres legerint, prout eorum lectio paſſim pluribus in locis à noſtra Vulgata diſſidet. Quis autem patres ſingulis locis ad normam Vulgatæ corrigendos? Illud hic obiter monemus, ſententiæ Salomonis, juxta lectionem Patrum, apprime congruere illam Angeli Raphaëlis ad utrumque Tobiam: *Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare, honorificum.* Tob. 12. v. 7. Alioquin de conciliatione hujus ſententiæ cum genuina Salomonis videant Interpretes: nobis ad alia pergendum. 192. Horstius. Prov. 25.

IN SERM. LXVI. in Cant. num. 8.

*CORPUS CHRISTI ET SANGUINEM CONSECRANDI. Bernardus hoc in loco quibuſdam fortaſſe videbitur hæreticis denegare poteſtatem conſecrandi: quod quidem ad eam accedit heterodoxorum ſententiam, quorum patroni fuere Donatiſtæ, qui à malis polluta Sacramenta, eorumque effectum impediri dicebant, ut quicquid ab iis, præſertim hæreticis, attentatum eſſet, tamquam infectum, atque iterandum eſſe docerent. Hunc errorem valide retundit S. Auguſtinus variis in locis, prolata contra eos antiqua Eccleſiæ conſuetudine baptiſmi hæreticorum non iterandi, adhibitiſque perſpicuis tum rationibus, tum etiam Scripturæ ſacræ teſtimoniis. Quare merito contra eum errorem conditus eſt hic canon 12. Seſſ. 7. in Tridentino Concilio. *Si quis dixerit miniſtrum, in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Qui canonis doctrina (inquit Eſtius in lib. 4. Sent. Dist. 1. par. 15.) cum ſit generalis, generaliter accipienda eſt de miniſtro quocumque, in quocumque mortali exiſtente, ſive ſit occulte malus, ſive manifeſte; & ſive adhuc catholicus ſit, ſive hæreticus, aut quacumque ratione. Unde paragrapho ſeq. ad hanc ex Bernardo objectionem ſic reſpondet. Bernardus, inquit, de iis loquitur, qui cum ſe Apoſtolicos nominarent, & Apoſtolorum ſucceſſores dicerent, non tamen à veris Apoſtolorum ſucceſſoribus miſſi vel ordinati erant, ideoque nec veri ſacerdotes. Et certe quam ſanctus Doctor ab hoc errore longe receſſerit, manifeſtum eſt ex conſequentibus, ubi hæreticos exagitat, quod peccatores nec dandis, nec recipiendis idoneos Sacramentis eſſe aſſererent. 193.

In eumdem Sermonem num. 12.

EXAMINATI JUDICIO AQUÆ, &c. Variæ olim purgationes in uſu fuerunt in teſtimonium innocentiæ, vel ad diluendum objecta crimina, velut per ſacram Euchariſtiam, ignem, ferrum candens, aquam frigidam, aquam ferventem, monomachiam, &c. Sed omnes Canonibus, Conciliis, & Pontificum decretis prohibitæ ac damnatæ. Non defuerunt tamen, qui hanc, cujus hic Bernardus meminit, nempe purgationem aquæ, probandam contenderent; immo qui in hanc ſententiam Bernardi quoque auctoritatem obtenderent, idque ex loco præſenti. Verum male illos interpretari verba Bernardi, oſtendit Delrio lib. 4. Diſq. Mag. cap. 4. q. 5. Sect. 2. Nimirum non probat Bernardus, quaſi rite legitimeque factum ſit, ſed quod vulgo geſtum eſt, narrat; quando adhuc in cauſis hæreſis vigebat hic modus examinis ſeu probationis, diſſimulantibus magiſtratibus, nec ad Canonum obſervantiam ſatis propenſis. 194. Horstius.

IN SERM. LXVII. in Cant. num. 10.

295. Horſtii. NON EST QUO GRATIA INTRET, UBI JAM MERITUM OCCUP. Ut intelligas quomodo meritum non repugnet gratiæ; ſciendum eſt, omnem meriti noſtri originem eſſe ex gratia Dei per Chriſtum. Qui enim noſtra bona in Adam perdidimus, eadem in Chriſto, & per Chriſtum reparata fateri debemus, dicente Apoſtolo Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Hinc ergo facile eſt tollere apparentem repugnantiam inter gratiam & merita. Non enim merita noſtra, ex quibus & pro quibus æternam vitam ſperare jubemur, ſtatuuntur tamquam noſtra; id eſt, propriis viribus comparata, ſed tamquam ex Dei gratia per Chriſtum nobis collata. Quare dum omne meritum noſtrum gratiæ Dei adſcribimus, id quod ex meritis exſpectamus, conſequenter etiam ex Dei gratia, quæ fons eſt omnis meriti, nos exſpectare fatemur. Unde vita æterna ſimul & gratia eſt, & merces: gratia peccatori & Adæ filio, quales omnes huic ſæculo naſcimur: merces bene operanti; quales in Chriſto renati per ejus gratiam efficimur. Qua de re Auguſtinus in epiſt. 105. *Ipſa*, inquit, *vita æterna, quæ utique in fine & ſine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupantur: non ob aliud, niſi quia gratis datur. Nec ideo quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.*

Et infra: Cum dixiſſet Apoſtolus: *Stipendium peccati mors*: quis non congruentiſſime & conſequenter addere judicaret: *Stipendium autem juſtitiæ vita æterna?* Et verum eſt: quia ſicut merito peccati tamquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tamquam ſtipendium vita æterna. Sed beatus Apoſtolus adverſum elationem vigilantiſſime militans, *Stipendium*, inquit; *peccati mors*. Deinde ne juſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanum meritum malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario retulit, dicens: Stipendium juſtitiæ vita æterna, ſed, *Gratia*, inquit, *Dei vita æterna*. Et paulo poſt: O homo ſi accepturus es vitam æternam, juſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt ipſa juſtitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet juſtitia, cui debetur. Item libro de gratia & libero arbitrio, cap. 8. Si, inquit, vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſſime dicit Scriptura, quando Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua: quomodo gratia eſt vita æterna? cum gratia non pro operibus reddatur, ſed gratis detur. Et mox ſubjungit: Iſta quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi; niſi intelligatur, & ipſa opera bona, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. Rurſum in libro de corrept. & grat. cap. 13. Quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur; cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur; ſine ulla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari: quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Hæc Auguſtinus. Apud quem & alia ſæpe ſimilia leguntur, ut de gratia & libero arbitrio cap 6. & 7. ubi oſtendit, omnia bona merita eſſe Dei dona. Item lib. 9. Confeſſ. c. 13. Ench. c. 107. In Pſal. 68. & 118. con. 2. & in Pſal. 144. Denique, ut etiam majori auctoritate res concludatur, ſic habet Arauſicani Concilii, cujus Romanus Pontifex non tam confirmator quam auctor fuit, canon 18. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant*. Et ante Leonem Cæleſtinus in epiſtola ad Epiſcopos Gall. cap 12. *Tanta eſt*, inquit, *erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna ſit donaturus.* Cujus ſententiæ priora verba repetita ſunt a Patribus Concilii Tridentini ſeſſ 6. cap. 16. Quo loco diligenter & meriti ratio explicata eſt, & quomodo vita æterna gratia ſimul & merces vere dicatur, expoſitum.

Sed claram & elegantem de merito Chriſtiano ſententiam Bernardus habet ſeq. Serm. 68. in Cantic. num. 6. quam omnino legiſſe proderit. Et mirum tam clare expoſita per SS. Auguſtinum & Bernardum catholica ſententia, heterodoxos adhuc cæcutire & aberrare. Itaque merita noſtra non derogant quidquam meritis Chriſti, tum quia etiam ipſa dona Chriſti, à cujus meritis omnem merendi vim accipiunt, ſicut palmites à vite ſuccum & fructum: tum quia fundantur in mera promiſſione, non in juſtitia dati & accepti: quia opera noſtra Deo multis aliis titulis debita, immo ipſius dona ſunt, nec ipſi ad quidquam utilia. Quid? quod Chriſti merita potius illuſtrantur per merita noſtra, quando illa tam potentia aſſerimus, ut operibus etiam noſtris vim merendi dare queant.

IN SERM. LXXV. in Cant. n. 5.

SEMEL ALIO, ANIMA EJUS EXCUABIT, &c. Quibus verbis ſentire videtur Chriſtum ſemel in ſuo ad inferos deſcenſu aliquem ex damnatis eruiſſe. Idem inſinuat Cyprianus * Serm. de Aſcenſ. Domini, ubi ſic habet. *Non miſerebitur ultra Deus*, (nempe ſemel damnatis ad inferos) *neque tunc audiet pœnitentes. Sera erit illa confeſſio: & cum clauſa fuerit janua, fruſtra carentes oleo acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Chriſtus deſcendit ad inferos: ulterius non deſcendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris ſigillati: irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile judicium*, &c. Videtur & huic ſententiæ favere Gregorius Nazianz. Orat. 42. & abſolute affirmat Clemens Alex. lib. 6. Stromat. 296. Horſtii.

* Immo Arnoldus abbas Bonævallis.

Sciendum vero, etſi certum ſit de fide pœnas damnatorum æternas eſſe, ut Theologi in 4. Sent. diſt. 44. latius docent: tamen non eſſe de fide certum, utrum in hac lege Dei ordinaria diſpenſetur, necne. Patres illi itaque non loquuntur de lege, ſed de privilegio: immo ne de hoc quidem abſolute, ſed hypothetice, in hunc ſenſum: Si quando quis fuerit ab inferis liberatus, tunc id factum oportuiſſe, quando Chriſtus ipſe ad inferos deſcendit. Quæ propoſitio rationi videtur ſatis conſentanea: cum qua tamen ſtat, neminem ab inferis erutum fuiſſe, quod neminem umquam erui oportuerit. Clementem Alexand. ab errore Marcionis non liberamus.

De anima Trajani precibus S. Gregorii M. ab inferis liberata variant ſcriptores. Alii commentitiam aiunt eſſe narrationem: alii quoquo modo interpretantur. Vide Baron. Tomo 8. an. 604 Bellarm. de Purgat. lib. 2. cap. 8. Suarez tomo 2. in 3. Parte Diſp. 43. Sect. 3. Mendoz. in lib. 2. Reg. 6. cap. 2. num. 6.

FINIS ANNOTATIONUM IN TOMUM IV.

NOTÆ IN TOM. V. & VI.

IN TRACT. De natura & dign. amoris. n. 14. col. 249.

297. PETRUS CUM PECCAVIT, CARITATEM NON AMISIT. Quod hic dicit Auctor de peccato Petri, jamdudum ſibi objecit S. Thomas 2. 2. q. 24. art 12. ad. 2. citando hunc locum quaſi ex S. Bernardo depromptum (unde videas non hodie primum hunc Tractatum S. Doctori adſcribi.) Reſpondetque caritatem amitti dupliciter, uno modo directe per actualem contemptum: & hoc modo Petrum non amiſiſſe caritatem: alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium caritati propter aliquam paſſionem concupiſcentiæ vel timoris: & hoc modo Petrum contra caritatem facientem, amiſiſſe caritatem, ſed cito recuperaſſe. Verum hæc reſponſio Duvallio non omnino arridet, qui aliam in hunc locum adfert, in 2. 2. q. 2. de Caritate art 7. ſcilicet auctorem hic non agere de caritate ſupernaturali & theologica, quæ per quodlibet peccatum mortale amittitur; ſed de quadam caritate acquiſita & benevolentia humana, qua Petrus erga Chriſtum ducebatur, quam certum eſt non fuiſſe penitus extinctam per peccatum, ſed tantum aliquo pacto ſopitam, quod etiam de Davide dicendum eſt. Fatendum eſt tamen ſolutionem S. Thomæ ſatis eſſe ad mentem Auctoris, qui ea ratione innuit Petrum peccando non amiſiſſe caritatem, quia, inquit, *peccavit potius in veritatem, quam in caritatem*. Quamvis etiam dici poſſit, contextum hunc efferri oratorio more, quo dicimus ea non amitti quæ cito recuperantur. Et ſicut idem iſte Auctor ait, *eum qui natus eſt ex Deo non peccare, quod non perſeveret in peccato*: ſic dicere potuit, Petrum & Davidem peccando *non amiſiſſe caritatem*, nempe in illa privatione ad finem uſque permanendo. Appoſite Gillebertus abbas Serm. 40. in Cantica num. 3 *Non imputatur* (macula peccati) *quia non immoratur* … *Quaſi exceſſus non eſt, ubi citus regreſſus eſt.*

IBID. Cap. 7. n. 20. col. 252.

298. Horſtii. FIDELIS VIRI TOTUS MUNDUS DIVITIARUM EST. Hanc ſententiam efferunt LXX. Interpretes Proverb. 17. poſt verſum 4. cum deſit in Hebræo, Chaldæo & Latino; hoc modo: Ejus qui fidelis eſt, totus mundus divitiarum eſt: illius autem qui infidelis, neque obolus. Eadem legitur frequentius apud SS. Patres. Hieron. epiſt. 103 ad Paulinum: *Credentis totus mundus divitiarum eſt: infidelis etiam obulo indiget*. S. Auguſt. lib. 5. Confeſſ. cap. 4. Et Epiſt. 54. ad Macedon. in fine: *Jam vero*, inquit, *ſi prudenter intueamur quod ſcriptum eſt, Fidelis hominis totus mundus divitiarum eſt*, &c. Eamdem ſententiam explicat Caſſianus, col. 24. cap. 26. Utitur eadem Bernardus in vita S. Malachiæ, cui etſi pauperi pecunia, attamen fiducia in Deum diviti non deerant ſumptus ad exſtruenda ampla monaſteria. V. cap. 28. num. 65.

IN LIB. DECLAMAT. num. 30. col. 296.

VIDI ALIQUANDO QUINQUE VIROS. His verborum involucris, ſeu potius ſermone parabolico, varia peccatorum genera fame tabeſcentium deſignat. Mundum enim vult eſſe eſurientium hominum congregationem, inſatiabili fame temporalia & peritura bona appetentium, & ſimul cæleſtium bonorum nauſea laborantium. Nihil enim comedunt quod ſatiare eos poſſit, ac proinde omnes fame cruciantur, ac pereunt. Ergo primus ille avaros, alter luxurioſos, tertius iracundos, quartus ſuperbos, & ambitioſos, quintus denique proprias carnes ſugentes, vel invidos, vel homines ſibi ipſis placentes & de ſe præſumentes repræſentat. 299. Horſtii.

IN TRACTAT. de Vite ſeu Paſſione, n. 4. col. 429.

SALVATA POST ECCLESIA IN IPSA SOLA, Eccleſiam in mortis Chriſti triduo permanſiſſe in ſola B. Virgine æque tenent Alenſis, Durandus in Rationali div. Offic. & alii, quos citat & ſequitur Turrecremata lib. 1. de Eccleſia cap. 31. Sed iſta opinio paſſim rejicitur. Cum enim Eccleſiæ nomen collectivum ſit, inquit Melchior Canus lib 4. de loc. Theol. cap. ult. ſi unus tantum crederet, non crederet Eccleſia, cum congregatio ad minus trium eſſe debeat. Quod vero præfati Auctores aſſerunt pro fundamento ſuæ ſen- 300. Horſtii.

centiæ, nimirum hujus rei ſignum eſſe candelam illam, quæ in officio hebdomadæ ſanctæ, ceteris extinctis, ſola remanet accenſa, quaſi per cereos extinctos extincta fides Apoſtolorum, per accenſum fides B. Virginis integra ſignificetur, ſi quid probat, id ſolum obtinet, Apoſtolos à fidei confeſſione defeciſſe, non etiam in fide viva, quæ per dilectionem operatur, inquit Canus ibid. cap. 5. Quamquam Rupertus lib. 5. de div. Offic. cap. 26. aſſerit, extinctos cereos, priores denotare Prophetas à Judæis occiſos, accenſum vero ipſum Chriſtum. V. Duvallium in 2. 2. Tract. de Fide q. 1. a. 2.

IN SERM. PANEGYRIC. DE B. VIRO. num. 2. col. 687.

301. Moritis. PER TE REPARATAS GRATIÆ THEOPHILUS. Sub Juſtiniano imperatore Theophilus in oppido Ciliciæ Adana œconomus, ſive, ut alii volunt, archidiaconus eccleſiæ fuit: multis quidem gratus, & epiſcopali munere (quod tamen conſtanter detrectavit) dignus habitus. Qui ab æmulis per injuriam accuſatus, & de officio dejectus, in eam animi impotentiam, adeoque impietatem devenit, ut ſeductori Judæo, itemque mago obſecutus, Chriſtum Dei filium, ac matrem ejus Mariam, data ſyngrapha turpiſſime abnegaret, ſeque totum poteſtati ſatanæ, qui ſe conſpicuum obtulerat, traderet ac manciparet. Sed totus deinde animo perturbatus, ut nuſquam poſſet conſiſtere, neque enim eſt pax aut quies impiis; tandem ad ſanctiſſimam Dei Matrem confugit, ac templum ei ſacrum petiit. In quo precibus ac jejuniis deditus, quadraginta dies permanſit, nullumque orandi ac plorandi finem fecit, quouſque demum opitulata Virgine Deipara, ſcriptam & conſignatam diabolo ſyngrapham recepit, in Dei gratiam rediit, & publice per epiſcopum eccleſiæ reconciliatus eſt. Vide Metaphraſt. 4. Febr. Honor. Serm. 1. de Aſſumpt. Mar. Antonin. 4. parte Summæ Tit. 15. Sed illuſtre eſt de eodem teſtimonium B. Petri Damiani. *Quid tibi, ait, negabitur Maria, cui negatum non eſt Theophilum de ipſis perditionis faucibus revocare? infelicem animulam, totum illud quod in te factum eſt, proprio charactere denegantem, de luto faces & miſeria ſublevaſti. Nil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis relevare.* Ita ille Serm. 1. de Nat. beatæ Virginis.

SERM. XI. In ult. Cœna, col. 634.

302. Horstii. NON TEGEBAT VULTUS CORTICE MYRRHA TUOS. Myrrha, Cyniræ Cypriorum regis filia, quæ ob infandum cum patre commercium fugiens, in arborem ſui nominis eſt converſa. Fabulam habet Ovid. lib. 10. Metamorph.

AD SERM. I. in *Salve Regina*, n. 1. col. 741.

303. * QUATER IN ANNO ORDO NOSTER DEVOTIUS CONCINIT. Nimirum in quatuor ſollemnitatibus in honorem B. Virginis tunc temporis inſtitutis, Purificatione, Annuntiatione, Aſſumptione, & Nativitate. nam aliæ poſtmodum inductæ ſunt. Sed de quo tandem Ordine intelligendus hic locus? Hujus uſum Antiphonæ auctore Petro Venerabili apud Cluniacenſes fuiſſe receptum in feſtis præcipuis, ſtatutum ejus ultimum fidem facit, quod etiam de Ordine Ciſtercienſi mox dicetur.

* A SANCTIS COMPOSITUM, À SANCTIS INSTITUTUM. Hujus Antiphonæ auctorem fuiſſe Hermannum Contractum monachum Benedictinum, pluribus probat Vuion Ligni Vitæ, lib. 5. cap. 105. variis recentiorum adductis teſtimoniis, quibus hic contextus nonnihil adverſari videtur. nam Hermannum ſancti nomine inſignitum nullibi lego. Præterea Johannes Eremita lib. 2. Vitæ S. Bern. num. 7. refert. S. Bernardum *voce angelica audiviſſe decantari antiphonam* Salve Regina, *ex integro uſque ad finem: quam corde tenus & poſtea ſcripſiſſe, atque D. Papa Eugenio tranſmiſiſſe refertur*, inquit, *ut ex præcepto auctoritatis apoſtolicæ per eccleſias ſollemnis haberetur... Quod & factum eſt, &c.* Quo certa loco Angeli illam Orationis auctores dicendi eſſent; ad quod alludere videntur alia hujus Sermonis verba ſuperius relatis proxima, *A ſummis laicis Canticum iſtud effuſum venit.* Paulo aliter hanc hiſtoriam refert Albericus in Chronico ad ann. 1130. ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hoſpitio exceptum, *quam*, inquit, *abbatiam ſemper dilexit, eo quod mater ſua ibi ſit ſepulta, audiviſſe ante horologium circa altare ab Angelis antiphonam* Salve Regina *dulci modulamine decantari; primoque credidiſſe fuiſſe conventum, ac dixiſſe Abbati die ſequenti*: OPTIME DECANTASTIS ANTIPHONAM DE PODIO HAC NOCTE CIRCA ALTARE B. VIRG. *Dicebatur autem* Antiphona de Podio, *eo quod Haimerus epiſcopus Podienſis eam fecerit... Unde in quodam Capitulo generali Ciſterc. veniam ſuam accepit, qualiter hæc antiphona ab omni Ordine reciperetur, quod & factum eſt.* Haimerus ſeu Aimarus, Ademaruſve, hic epiſcopus Anicienſis, beatæ Virginis in primis cultor, tempore Urbani papæ II. Verum à Guillelmo Durando in Rationali lib. 4. cap. 22. *Petrus Compoſtellanæ epiſcopus* hanc antiphonam compoſuiſſe perhibetur. quod etiam aſſerit Claudius à Rota in Notis ad pſeudo Liutprandum.

Idem auctor ibidem etiam aſſerit, quatuor hoſce Sermones à Bernardo archiepiſcopo Toletano editos fuiſſe. At cum quædam ex S. Bernardi Sermone 16. in Cantica de verbo referantur in Sermone 3. non poſſunt hi Sermones adſcribi Bernardo Toletano, qui ante S. Bernardum, id eſt Gregorii VII. pontificatu, ad finem ſæculi XI. floruit.

IN GUERRIC. SERM. V. de Purif. n. 16. col. 963.

* NON SOLUS SACRIFICAT, NON SOLUS CONSECRAT. Solum ſacerdotem eſſe proprium & ſufficientem miniſtrum Euchariſtiæ conſecrandæ de fide eſt, ut patet ex Can. 4. Concilii Nicæni, ubi Patres dum diaconos reprehendunt, quod quibuſdam in locis adminiſtrarent euchariſtiam presbyteris, idque de cetero fieri prohibent, hanc ejuſce decreti reddunt rationem: *Hoc*, inquiunt, *neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, hi qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Idem ſtatuit Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. & refertur cap. *Firmiter* extra. de ſum. Trin. Nam veritate Sacramenti explicata, ita ſubjungit. *Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, ſecundum claves Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.* Ita fere Lambertus in 3. q. 82. art. 1. Quamquam dici poteſt, adſtantes etiam ſuo modo ſacrificium offerre & conficere per ſacerdotem & cum ſacerdote, qui populi mediator eſt & miniſter. Unde in canone Miſſæ olim ita legebatur, *& omnium circumſtantium, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis.* quibus verbis hæc inſerta ſunt *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.*

FINIS ANNOTATIONUM TOM. V. ET VI.

INDEX NOTARUM FUSIORUM.

Notæ arithmeticæ referuntur ad numeros marginales.

ABBATIÆ titulus eccleſiis collegiatis datus, 102.
Abbates ſoli dicebantur Patres, 255. Abbates Commendatarii, V. Commendatarii.
Ablutio pedum, an ſacramentum, 275.
Abſalon archiepiſc. Lundenſis, 217
Acardus Remenſis, Miles, 14
Adalbero archiepiſc. Remenſis, 44
Adalbero abbas ſancti Vincentii Laudun. 177
Adalbero V. Albero,
Adam abbas S. Dionyſii in Francia, 13. 157
Adam monachus Morimundi, an primus abbas monaſterii Eberbacenſis, 9
Adana Ciliciæ oppidum, 301
Adela, regina Galliæ, 29. 54. Adelais item dicta, 47. Ludovici VII. mater, 166
Adela, mater Theobaldi comitis Campaniæ, 58. & Stephani comitis, 75
Aleis S. Bernardi mater. 2. Ejus ſepultura, 303
Advocati cauſas & lites protrahentes perſtringuntur, 212
Ægidius abbas Signiaci, 63
S. Ægidii Comitatus, 172
Ælredus abbas Rievallis, 8
Agathocles ex figuli filio Siciliæ rex, fictilibus vaſibus utebatur, ne tumeſceret, 234
Agilulfus rex Longobardorum, 231
Agnes comitiſſa Barri-ducis, 29
Aimarus ſeu Ademarus epiſc. Anicienſis, 303
Alanus comes Britanniæ, 76. 85
Alanus epiſc. Autiſſiodorenſis ex abbate Ripatorii, dimiſſo epiſc. monaſterium repetit, 190
Alanus epiſc. Redonenſis, 85
Alanus monachus Claræ-vallenſis, 214
Alardus canonicus regularis, 46
Albanenſis epiſc. card. Matthæus, 14. 16. 35. 86. 97
Albericus Remenſis ſcholarcha, electus epiſc. Catalaunenſis, tum Bituricenſis, 12. & ſeqq. 157. 165
Albericus Vizeliaco præficitur, 225
Albero II. epiſc. Virdunenſis, 144. 146
Albero archidiaconus Mettenſis, 22
Albero ex primicerio Mettenſi epiſc. Leodienſis, 20. 21. 145
Albero alter item ex primicerio Mettenſi archiepiſc. Trevirenſis, 20. 143. 146. 147. & ſeqq.
Alberones quatuor primicerii Mettenſes, 20. 21
Alcobacienſe monaſterium, 223. Ibi laus perennis, ibid.
Alcoranum à Petro Cluniac. tranſlatum, 167
Alcardis, proavia Eleonoræ reginæ, 166
Albertus monachus Claræ vallenſis, 224
Aldicurtis locus in diœceſi Catalaunenſi, 7
Alexander epiſc. Leodienſis, 21
Alfonſus Caſtellæ rex ſeu imperator, 80
Alfonſus rex Luſitaniæ, 204. 223
Algarus epiſc. Conſtantienſis, 208
Almaricus de Monte-forti, 54
Alpenſe monaſt. Ord. Ciſterc. 123. Abbas Guarinus, ibid.
Alta-villa vicus, 48
Altus-fons monaſt. Ord. Ciſterc. 46. & ſeqq. Abbas Guarinus, 48
Alvernum cartuſia, 279
Alvericus ſeu Haimericus Card. Cancellarius, 146
Alviſus abbas Aquiſcincti, tum epiſc. Atrebatenſis, 41
Amalunchus monachus, 48
S. Amantii monaſt. 197. Abbas Petrus, 198
Ambianenſ. epiſc. Garinus 35. ſeu Guarinus, 47
Ambitio legum uſum corrumpit, 226
S. Ambroſius fratris Satyri funus luget, 287. Ejus fortitudo in baſilicis tuendis, 56. Sententia de medicinis adhibendis, 209
Amedeus comes Gebennenſis, 72
Amicitia honeſtati non præferenda, 184.
Amor proprius errorum artifex, 70
Anacletus antipapa, 86. 91. 96. 97. 100
S. Anaſtaſii ad Aquas-Salvias monaſt. Ord. Ciſterc. Romæ, 170. 180, abbates Bernardus, 170 Rualenus, 186.
Andegavenſes epiſc. Ulgerius, 219. Normannus, ibid.

INDEX NOTARUM.

Andreas monachus Buzeii, 85
Anfoſſus ſeu Hildefonſus comes Toloſæ, 172
Angeli an corporei, 283. Quomodo hominum mentibus illabantur, 284. Eorum novem gradus, 249. Angeli custodes quomodo ſibi commiſſos deſerant, 285
Aniciensis epiſc. Haimerus, ſeu Aimarus, ſeu Ademarus, 303
Animæ an & quomodo è cælo, 288
Animæ ſanctorum an videant Deum ante generalem reſurrectionem, 277 & ſeqq.
Anima justi ſedes eſt ſapientiæ, an è ſcriptura ſit hæc ſententia, 289
Annuntiatio dominica dicta conceptio B. Mariæ, 159
Anſbertus abbas S. Medardi Sueſſion. 118
Anſellus dapifer, 34
Anſelmus Laudunenſis magiſter, 13. 151
Anſelmus de Pulteria archiepiſc. Mediolanenſis, 95
Anſelmus ſeu Aſcellinus epiſc. Roffenſis, 161.
Anſericus archiepiſc. Biſuntinus, 228
S. Anthelmus ex priore Cartuſiæ epiſc. Bellicenſis, 179
Antichriſti adventus, de eo veterum ſententiæ, 37. & ſeqq.
Antiphona de Podio, id eſt *Salve Regina*, 303
Apathia an ſanctis viris competat, 287
Appellationes ad curiam Romanam, 143. Sæpe ſunt effugia, 238
Apringius præfectus, 291
Aquiſcinctum, monaſt. Ord. S. Bened. 143. Ejus abbates Alviſus, Johannes Lenealliertus, *ibid.*
Araldus abbas S. Urbani, 48
Archembaldus ſubdecanus Aurelianenſis, 129 134
Arrouaſia, ſilva, 24
Argenteolienſe monaſterium, 152. Abbatiſſa Heloiſſa, 189
Armachanus archiep. S. Malachias, 165. 173
Arminia pellicea, 253
Arnaldus archiep. Colonienſis, 239
Arnaldus cancellarius, archiepiſ. Moguntinus, 202
Arnoldus ſeu Arnaldus de Brixia, 152. 159
Arnoldus, 202
Arnoldus primus abbas Morimundi, 9
Arnoldus ſeu Ernaldus abbas Bonæ-vallis, 207
Arnulfus archiepiſc. Remenſis, 175
Arnulfus epiſc. Lexovienſis, 178
Arnulfus abbas S. Nicaſii Remenſis, 63
Arnulfus abbas Gemblacenſis, 27
Atrematenſe monaſterium, 25
Artaudus abbas Pruliacenſis, non Pultarienſis, 32
Aſcelinus ſeu Anſelmus epiſc. Roffenſis, 163
Atrebati comitia epiſcoporum anno 1128. 33
Atrebatenſes epiſc. Robertus, 35. Alviſus, 43
Atto epiſc. Trecenſis, 29. 173
Audicourt prioratus in diœceſi Catalaunenſi, 7
S. Auguſtini ſententia de animabus ſeparatis circa Dei viſionem, 277 & ſeqq. De matrimonio poſt vota monaſtica inito, 32
S. Auguſtinus archiepiſc. Cantuarienſis, 173
Aurea-vallis monaſt. Ord. Ciſterc. 46
Aurelianenſis epiſc. Johannes, 133. 173. Hugo deſignatus, *ibid.* Helias, 173
Aurelianenſis eccleſiæ turbæ, 129. & ſeqq. 173
Autiſiodorenſis epiſc. Hugo, 187. 190

B

Balua card. epiſc. Ebroicenſis, 36
Baptiſmi lex quandonam obligare cœpit, 268. Parvulis neceſſarius eſt, adultis fides propria in neceſſitate ſufficit, 270. Sub Dei & S. Crucis nomine collatus an validus, 222
Baro Romanus ſubdiaconus, 193
S. Bartholomæi monaſt. Novioni, 47
Bartholomæus epiſc. Laudunenſis, 35. 39. 177
Bartholomæus capicerius Aurelianenſis, 129
Bartholomæus monachus, 49
Bellarmini card. epiſtola, an epiſcopo expediat ſedem dimittere quietis cauſa, 69
Bella-vallis monaſt. ord. Ciſtercienſis, 9
Bellicenſis epiſc. S. Antelmus ſeu Nanthelmus, 179
Bellifortis capella, 219.
Belli-reditus monaſt. Leodii, 59
Bellum-pratum monaſt. Ord. Ciſterc. 21
Belvacenſis eccleſia, malos paſtores habere ſolita, 189. Belvacenſes epiſc. Petrus, 35. Stephanus de Garlanda, 34. Fulco, 137. Henricus, 203. 204.
Beneficia eccleſiaſtica pueris non danda, 180. & ſeqq. Quibuſnam conferenda, 247. Eorum pluralitas impugnatur, 55. 183.
Benovium aqua Pariſiis, 222
S. Benigni Divionenſis monaſt. S. Bernardo carum, 303. Ibi ejus mater ſepulta, *ibid.*
Berengarius pater P. Abælardi, 131
S. Bernardus orbis conſiliarius & caduceator, 164. Domini & Patris nomen reſpuit, 50. Acriter parentes reprehendit, novitium revocare tentantes, 83. Philippi principis necem prædicit, 32. Ejus libertas pro tuenda eccleſia adverſus Ludovicum regem, 32. 33. Mediolanenſes eccleſiæ R. reconciliat, 97. Alfonſo in Luſitania agenti ex Gallia opem fert, 221. Futura prædicit. *ibid.* Ei S. Johannes Bapt. apparet, 204. Januenſium eſt patronus, qui ejus feſtum ſollemniter celebrandum vovent, 94. Non favet iis qui juſtos ſine peccato eſſe, vivere, aut juſtificatos fieri per non imputationem volunt, aut juſtificatos à caritate poſſe excidere negant, 274. Signa prædeſtinationis qui admittit certa, 276. Contra Abælardi & Gilberti Porretani fautores vindicatur, 153. Ejus ſententia de animabus ſeparatis de viſione Dei, 277. & ſeqq. de corpore angelorum, 283. De animarum creatione, 288. De ſacerdotibus peccatoribus valide ſacra conficientibus, 293. De medicinarum uſu apud monachos, 209.
Bernardus archiepiſc. Toletanus, 303.
Bernardus Presb. card. 202.
Bernardus abbas Tironenſis, 90. Antea S. Cypriani Pictavenſis, 114. A judicio Papæ ad Deum appellat, *ibid.*
Bernardus an qui abbas Bonæ-vallis Vienenſis, auctor lib. 2. vitæ S. Bernardi, 207
Bernardus *Campanus* abbas Dunenſis, 208
Bernardus Pariſienſis archidiaconus, 222.
Bernardus monachus Claræ-vallenſis, 224
Berta uxor Gerardi comitis, 60
Bertha comitiſſa Nivernenſis, 123.
S. Bertini monaſt. Ord. S. Bened. abbas Lambertus, 43
Bertrées monaſt. Ord. Cluniacenſis, 115
Beſſiaci eccleſia, 219.
Biſuntinus archiepiſc. Anſericus, 228.
Bituricenſis eccleſiæ turbæ, 163. Bituricenſes Archiepiſc. Albericus, 13. 163 Ulgrinus, *ibid.* Petrus de Caſtra, 15. Petrus, 163
Boëmundus monachus Claræ-vallenſis, 224
Bona-vallis monaſt. Ord. S. Bened. in diœceſi Carnotenſi abbas Arnoldus ſeu Ernaldus, 207.
Bonæ-vallis monaſt. in diœc. Rutinenſi, aliud in diœceſi Pictavienſi, 207
Bonæ-vallis monaſt. Ord. Ciſterc. in diœceſi Vienenſi, Abbates. S. Johannes, tum epiſc. Valentinus, 207. Gozevinus, tum abbas Ciſtercii, *ibid.* Petrus, *ibid.* B. Hugo ex abbate Leuncelli, *ibid.* an Bernardus, *ibid.*
S. Bonifacius archiepiſc. Moguntinus, 175.
Bonifacius comes poſt vota monachiſmi concepta uxorem duxit, 52
Bozo epiſc. Catalaunenſis, 46. & ſeqq.
Brixia urbs Italiæ, 197. Epiſc. Mainfredus, 211
Bruno III. Comes de Altena epiſc. Coloniæ, 10. 67
Brunſvicenſis ducis elogium, 181. 183
Burchardus epiſc. Meldenſis, 18
Buzeium monaſt. Ord. Ciſter. 83. Abbas Petrus, *ibid.*
Buxia monaſterium, 197. 198.

C

Cadomus, urbs Neuſtriæ, 88. Cadomenſis abbatiæ S. Stephani Ord. S. Bened. abbas Lanfrancus, 88.
Cala ſeu *Chelæ* abbatia monialium, 132.
Caladia monaſt. Ordinis Ciſterc. 46.
Calliſtus II. Papa, 143.
Cameracenſis epiſc. Gerardus II. 43.
Campaniæ comites à quo ſic dicti, 23
Canones ſervantur, & hæreſes ceſſabunt, 55.
Canonicus regularis, an recte ſic dictus, 63 Canonici regulares in eccleſia Sagienſi, 176
Cantuarienſes archiep. S. Thomas martyr, 71. 228. 232. Guillelmus, 76. S. Lanfrancus, 88. S. Auguſtinus, 175. Cantuarienſis archiepiſc. prærogativa, 173
Cantus in eccleſia qualis deceat, 220. ubi magis cantus quam verba delectant, ibi peccatum, 220
Capctarum domus monialibus Ciſtercienſibus attributa, Claræ-vallis dicta, 21
Cardinales ex toto orbe aſſumendi, 245
Caritatis cauſa quandoque mutanda ſunt aut reſcindenda, quæ pro caritate ſunt inſtituta, 262
Carnotenſis epiſc. Gaufridus, 33. 47. 129. & ſeqq 132. & ſeqq. 152
S. Caroli Borromæi ſententia de medicinarum uſu, 209. De diſpenſatione epiſcopi ad contrahendum matrimonium, 223. Qualia ejus ſtudia, 229 Brevi finiendas lites curat, 232. Ejus modeſtia, 252 & ſeqq.
Carolus Emmanuel, dux Sabaudiæ, 94
Carracetenſes monachi Ord. S. Bened. 200.
Cartuſia major, Guigo V. Prior, 12
Cartuſiæ prior S. Anthelmus ſeu Nanthelmus, 179.
Cartuſienſium turbæ, 179
Carus-locus monaſt. Ord. Ciſterc. abbas Guido, 160. ſeu Vvido, 218.
Caſæ-Dei monaſt. Ord. S. Bened. abbas Stephanus, 218. Huic ſubjicitur monaſterium Faverniaci, *ibid.*
Caſtellio monaſt. Ord. Ciſterc. 46.
Caſtra oppidum, 15.
Caſtrea familia nobilis, 15
Catalaunenſe concilium, 14
Catalaunenſes epiſc. Guillelmus de Campellis 8. 13. 46. Ebalus, 12. Albericus, 12. & ſeqq. Gaufridus, 44. Herbertus, *ibid.* Bozo, 46. S. Memmius, 127
Cauda in ſacrificio perſeverantiam ſignat, 58.
Cauſæ brevi finiendæ, 232
Cauſis, non factis res diſcernendæ ſunt, 61
Ceroenſe monaſterium, 223
Cenomannenſis epiſc. Guido, 192
Cerei ſtillandi in triduo ante Paſcha, cur, 300
Chabanius equitum Magiſter, 56
Chartæ variæ, Anſerici archiepiſc. Biſuntini de monaſterio Faverniacenſi, 218. Conventionis inter S. Bernardum & eccleſiam S. Amantii de loco *Buxia*, 198. Bozonis epiſc. Catalaunenſis pro monaſterio Altrifontis, 48. Chartæ ejuſdem fragmentum pro fundatione monaſterii Trium-fontium, 46. Gaufridi Decani &c. eccleſiæ Compendienſis pro monaſterio Trium-fontium, 47. Hugonis Campaniæ Comitis pro monaſterio Claræ-vallenſi, 24 Abbatis S. Genovefæ pro abbatia S. Victoris, 222.
Choiſiaci eccleſia, 18
Chryſogonus Piſanus S.R.E. Cancellarius, 13
Cicinandus monachus Claræ-vallenſis, 224
Ciſtercii abbates Raynaldus, 179. 207. Gozevinus, 207. Ciſtercienſium auctoritas, 31. & ſeqq. Eorum ſocietas etiam à Regibus cupita, 32. Privilegium in judicandis ſuis cauſis, 160. Eorum turbæ ob decimas. 168. 293. Eorum cum Cluniacenſibus diſſidia, 234. Quando primum ja

Hiberniam admiſſi, 161
Claræ-fontanæ monaſt. abbas Lambertus, 238
Claræ-vallenſis monaſt. prima fundatio, ejuſque tranſlatio, 23 Abbas Robertus S. Bernardi ſucceſſor, 208
Clara-vallis domus Capetarum apud Metentas monialibus Ciſtercienſibus attributa, 23
Clarembaldus epiſc. Silvanectenſis, 35
Clericis legum Juſtiniani & litium occupationes non congruunt, 236. & ſeqq. Quænam eis ſtudia competant, 236. & ſeqq. Curias ne frequentent, 246. Nec de parentibus promovendis aut ditandis cogitent, 248. Luxus veſtium fugiant, 242. Militiæ addicti arguuntur, 56. Hi privilegiis excidunt, ibid. Eorum hereditas pauperibus debetur, 127
Colonienſes archiepiſc. Bruno, 10. 67. Arnaldus, 239 Conradus 242. Vvaltramus, ibid. Vvilhelmus, ibid.
Cluniaci abbates, Pontius, 17. 254 Hugo II. 3. 254. Petrus Venerabilis 5 87 124. 204. 254 S. Hugo 123. 254 Cluniaci laudes, 87. 113. 116, 254. Ejus eccleſia ab Innocentio II. Papa dedicata, 87. Exemtio ab epiſcopis, 150. Cluniacenſium auctoritas, 87. Eorum cum Ciſtercienſibus diſcidia, 254
Cognoſcere & curare ſe ipſum, res difficillima, 70
Colloquium Pariſienſe, 252
Comitia epiſcoporum Atrebati anno 1128. 35
Commendæ & Commendatarii an & quatenus probandi, diſſertatio Horſtii, 104. & ſeqq. Commendæ tradendæ formula, 115
Compendienſis eccleſiæ confratres, 46. & ſeqq.
Compoſtellanus epiſc. Petrus, 303
Conanus Britanniæ dux, 85
Conceptio B. Mariæ 138. Hoc nomine etiam dicta Annuntiatio, 139
Concilium Catalaunenſe, 14. Jotrenſe, 132. 134. Piſanum, 97. Romanum anno 1138. 157. Senonenſe an. 1140. 44. 152. 154. 155. Sueſſionenſe an. 1120. 131. 137. anno 1093. 157. Trecenſe, 13. 16.
Concionatores facetias & jocos horreant, 237
Conon Legatus Sedis apoſtolicæ, 132
Conradus archiepiſc. Colonienſis, 242.
Conradus epiſc. Sabinenſis, 86
Conradus imperator, 95. 96. 97
Conradus dux Zeringenſis, 79
Conradus comes Luxemburgenſis, 20
Conſtantia Philippi I. regis filia, uxor Hugonis Campaniæ comitis, 24
Conſtantienſes in Neuſtria epiſc. Algarus, 101. Philippus, ibid.
Conventus Spirenſis, &c. pro ſacra expeditione, 211
Cordubani, 253
Coronæ monaſt. abbas Junius, 198
S Cornelii Compend. monaſt. abbas Odo. 194
Cremonienſium pertinacia, 97
Criſta-alba monaſt. Ord. Ciſterc. 9
Crucis ſigno dæmones fugati, 6
Cruces viſæ in baptizatorum veſtibus, Dei nutu expreſſæ, 42
Cuiſſiaci monaſt. Ord. Præmonſtrat. abbas Lucas, 59
Cupels molendinum Pariſiis, 212
Cupiditas juris uſum legum corrumpit, 226
Cyrita Cypriorum rex, 303
S. Cypriani Pictavenſis monaſt. Ord. S. Bened. abbas Bernardus, 141
Κύριοι nomen hominibus à græcis tributum, 50

D

DÆmones crucis ſigno fugati, 6
Dambertus archiepiſc. Senonenſis, 175
Damaſci obſidio, 195
Damnati an aliqui fuerint liberati, 196
Dominarum exemtio Ciſtercienſibus conceſſa, 168. 193. Hinc turbæ, ibid.
Dervenſis monaſt. abbas Theobaldus, 48
Diana, uxor Odonis de Caſtellione, 2
Dilectio Dei ex toto corde &c. quid, 161. & ſeqq.
Diogilum, cella monaſterii S. Dionyſii, 131
S. Dionyſii in Francia monaſt. 33 Ejus baſilicæ dimenſiones, ibid. Abbates Sugerius, 31. 33. 194. Adam, 33. Odo, 194
S. Dionyſii de Nogento monaſt. Ord. Cluniac. 123
Diſpenſationes quando legitimæ, 240. 262
Dolenſis eccleſiæ cum Turonenſi controverſia, 131
Domini nomen etiam ab ethnicis repudiatum, 50
Domni & patris nomen reſpuit S. Bernardus, 31. Sic & dominæ nomen S. Mechtildis, ibid.
Domni, non domini nomen etiam ſanctis & epiſcopis tributum, 50. Primo abbati, tum etiam monachis ſacerdotibus conceſſum, ibid.
Domus-Dei monaſt. Ord. Ciſtercienſis 5. Robertus S. Bernardi nepos ibi abbas, ibid.
Drauſio epiſc. Sueſſionenſ. 118
Drogo ex priore S. Nicaſii Remis, primus abbas S. Johannis Laudun. 26. 35. tum Card. epiſc. Oſtienſis, 36. Ejus opera, ibid.
Duella acrius punita, 50
Dunæ, quid, 208
Dunenſe monaſt. Ord. Ciſterc. ibid abbates, Robertus & Bernardus Campmans, ibid
Durbonum cartuſia, 179

E

EBalus epiſc. Catalaunenſis, 18
Eberacenſis abbas, 313
Eberbacum monaſt. Ord. Ciſterc. 9
Eboracenſis archiepiſcopi Guillelmus, 75. 169. Turſtinus, 76. 169. Henricus, 169
Eborenſis in Portugallia epiſc. Henricus, 223
Ebroicenſis epiſc. Balua Card. 56
Eccleſia an in ſola B. Maria Paſſionis tempore fuerit ſalvata, 300
Eccleſiæ quomodo competat uterque gladius, 244
Eccleſiaſtica libertas tuenda, 32.
Eccleſiaſticis nugæ cavendæ, 235
Edeſſa urbs Meſopotamiæ ab infidelibus capta, 211
Educatio liberorum ut curanda, 199
Egon ultimus familiæ Zeringenſis, 79
Eleemoſyna religioſis facta melior, 77
Eleonora Ludovici VII. regis uxor, 166
Elias novitius Claræ-vallis, 81
S. Eligii monaſt. apud Noviomum abbas Theodericus, 47
Elvira Comitiſſa Toloſæ, 172
Elvira Infantiſſa Hiſpaniæ, 200
Engelbertus comes Altenæ, 20
Engoliſmenſes epiſc. Gerardus, 86. Hugo, 198
Epiſcopatum ſi accepiſſet Gaufridus prior Claræ-vallis, damnatus fuiſſet, 82
Epiſcopi modeſtia, non faſtu auctoritatem ſibi conciliant, 230. & ſeqq. Curias non frequentent, 246. Si valetudini parcant, munus ſuum implere non poſſunt, 209. Ipſis litium & legum ſtudia non competunt, 236. & ſeqq. Epiſcopi, dimiſſis eccleſiis monachi facti, 19. 62. An id liceat, 62
Epiſtolæ inutiles non ſcribendæ, 271
Epiſtolæ variæ, Bellarmini ad Henricum epiſc. Virdunenſem, an expediat quietis deſiderio epiſcopatum dimittere, 62. Henrici electi epiſcopi Belvacenſis ad Petrum Venerabilem, 204 Hugonis epiſc. Gratianopolis, Guigonis prioris & fratrum Cartuſiæ de cæde ſeq. 13. Innocentii II. ad Gaufridum Carnotenſem epiſc. & Stephanum Pariſienſem de cæde Archembaldi archidiaconi Aurelianenſis, 129. Ejuſdem epiſtola ad eoſdem de eodem, 130. Alia item ejuſdem ad Rainaldum Remenſem, Hugonem Rotomagenſem, Hugonem Turonenſem, & eorum ſuffraganeos de eadem re, 134. Item alia ejuſdem ad Alberonem epiſc. Virdunenſem pro eccleſia S. Pauli, 144. Item alia ad Samſonem Remenſem & Henricum Senonenſem archiepiſcopos & ad S. Bernardum contra P. Abailardum, 152. Item alia ad Stephanum abbatem S Memmii 127 Petri Venerab. abbatis Cluniacenſis ad S. Bernardum, 124. Stephani epiſc. Pariſienſis de cæde B. Thomæ prioris S. Victoris, 132. Fragmentum epiſtolæ Petri prioris eccleſiæ S. Johannis Evang. Senonenſis ad Attonem epiſcopum Trecenſem tunc monachum Cluniacenſem, 19 Epiſtola ad Stephanum epiſc. Pariſienſem de tuenda eccleſiaſtica libertate, 32
Epitaphium Sugerii abbatis S. Dionyſii, 178. Theobaldi comitis Campaniæ, 29.
Ermengardis Comitiſſa Britanniæ, 85
Ernaldus ſeu Arnoldus abbas Bonæ-vallis, 207
Eskilus archiepiſc. Lundenſis, 67 207. Sueciæ primas, 207 fit monachus, ibid.
Eugenius ex Vicedomino Piſano abbas S. Anaſtaſii, dein papa, 170. Electus eſt licet non fuerit Cardinalis, ibid.
Excubiæ, cartuſia, 179
Exempla quantum proſint, 122
Exemptiones monaſteriorum expenduntur, 149. 150
S. Exuperii Corbolienſis collegiatæ præpoſitus, abbas dictus, 102

F

FAverniacum monaſt. Ord. S. Bened. 286
Ferdinandus abbas de *Toldanos*, 280
Fidelis viri totus mundus divitiarum eſt, unde hæc ſententia, 298
Fideles omnes ſacrificio adſtantes quomodo conſecrent & offerant, 104
Fides propria ſine baptiſmo ſalvat, ſed non aliena, 270
Flaviacum vicus, & monaſt. Ord. S. Bened. 45 abbates, Hildegarius, duo Hugones, ibid.
Flaviniacum oppidum & monaſt. Ord. S. Bened. 45
Florentius abbas Carracetenſis, 200
Florinenſe monaſterium, 63
Folmarus comes Mettenſis, 25
Fontanella monaſterium, 39
Fontes, ſeu Fontanenſe monaſt. 76. Abbates Richardus, ibid. Henricus Murdach. 169
Fortunæ prioris memoria modeſtiam fovet, 234
Fractilatæ veſtes, 242
Fridericus epiſc. Leodienſis, 20
Fridericus comes de Fourmiaco, 213
Fridericus comes Tullenſis, 146
Fulbertus, abbas S. Sepulcri Cameraci, 35
Fulbertus canonicus Pariſienſis, 152
Fulco epiſc. Belvacenſis, 157
Fulco rex Jeroſolymæ, 219

G

G Succentor Pariſienſis, 32
Gallicanæ eccleſiæ conſuetudo de pluralitate beneficiorum à Pontifice improbata, 33
S. Gangulfi eccleſia Tulli, 102.
Garnerius Subprior Cluniaci, 44
Garnerius ex monacho Cluniacenſi, Claræ-vallenſis, 3
Gaucelinus archipresbyter de S. Cyrico, 198
Gaufridus epiſc. Carnotenſis, 36. 47. 129. & ſeqq. 132. & ſeqq 151
Gaufridus epiſc. Pariſienſis, 157
Gaufridus, ſeu Galfridus abbas S. Mariæ Eboraci, 75
Gaufridus abbas Saviniaci, 91.
Gaufridus abbas S. Theoderici prope Remos, 27. 44. 61. Tum S. Medardi Sueſſionenſis, 44. 157. tandem epiſc. Catalaunenſis, 44
Gaufridus auctor libri 3. Vitæ S. Bernardi, 207
Gaufridus monachus Claræ-vallenſis, 198. 222.

Gaufridus eccleſiæ Compendienſis decanus, 47
Gaufridus de Perrona, quintus prior Claræ-vallis, electus epiſcopus, 82
Gaufridus filius Fulconis regis Jeroſol. 229
Gebizo auctor ſtirpis ducum Zeringenſium, 72
Gemblacenſis abbas Arnulfus, 27
S. Genovefæ Parif. abbates, Stephanus, tum Tornacenſis epiſc. 215. Odo, 242
Gerardus ſedis apoſt. legatus, dein Papa dictus Lucius II. 20
Gerardus II. epiſc. Cameracenſis, 43
Gerardus epiſc. Engoliſmenſis, 86
Gerardus epiſc. Tullenſis, 102
Gerardus abbas Florinenſis, 63.
Gerardus abbas Pultarienſis, 60
Gerardus monachus Claræ-vallis, 198. 242
Gerardus comes, 60
Gerardus comes Nivernenſis, 223
S. Geremari monaſterium, 45
Gigniacenſes monachi Ord. Cluniac. 293
Gilbertus archiepiſc. Turonenſis, 132
Gilbertus Porretanus epiſc. Pictavenſis, 133
Gilbertus abbas quo tempore in Cantica ſcripſerit, 2
S. Gildaſii monaſt. in Britannia abbas Petrus Abaelardus, 153
Gilduinus primus abbas S. Victoris Pariſienſis, 1. 8. 222
Girardus II. epiſc. Sagienſis, 176.
Glaſtoniæ, abbas Henricus epiſc. Vvintonienſis, 75
Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inveſtigare ſermonem, Vulgatæ contrario ſenſu apud Greg. & Bernard. 292
Godefridus dux Lovanii, 20
Goffredus de Vico-novo, 130
Godefridus epiſc. Lingonenſis, 136. 137. 196. 198. 207. 222
Gotridus comes, 231
Gofridus Bullionenſis I. rex Jeroſolymæ, 128
Gofridus Felonia, 24
Goſlenus ſeu Joſlenus epiſc. Sueſſionenſis, 35. 47
Gorniacum caſtrum, 132
S. Goſvinus prior S. Medardi, 157
Gozevinus abbas Bonæ-vallis in diœceſ. Vienn. tum Ciſtercii, 207
Gratia & merita inter ſe non pugnant, 295
Gratianopolitani epiſc. Hugo, 132. 135. Hugo alter, 135. 179
S. Gregorii M. ſolitudinis & quietis deſiderium, 245. Inter armorum ſtrepitus ſacris ſtudiis vacat, 231. Ejus ſedulitas contra otium, 153
Gregorius Cardinalis, 269. 202
Guarimberti ex abbate S. Medardi epiſc. Sueſſion. infelix exitus, 138.
Guarinus epiſc. Ambianenſis, 35. 47
Guarinus abbas Alpenſis, 223
Guarinus abbas Alti-fontis, 48
Gueule in arte ſymbolica quid, 253
Guibertus abbas Novigenti, 45
Guido epiſc. Cenomannenſis, 232
Guido cancellarius S. R. E. 145 210
Guido abbas Cariloci, 160. ſeu Vvido, 218
Guido abbas Trium-fontium, 46. & ſeqq. 49
Guido V. Vvido.
Guido comes Britanniæ, 78
Guido Piſanus, 97
Guido V. prior Cartuſiæ majoris, 12. 132. Ejus opera, 33
Guillelmus archiepiſc. Cantuarienſis, 76
Guillelmus archiepiſc. Senonenſis, tum Remenſis, 29. Card. Sedis apoſt. Legatus, 283.
Guillelmus card. epiſc. Præneſtinus, 10
Guillelmus de Campellis epiſc. Catalaunenſis, 8. 23. 46. 158. 212. Moritur monachus, 8
Guillelmus Eboracenſis intruſus, 75
Guillelmus abbas Majoris-monaſterii, 239
Guillelmus abbas Padoliroenſis, 256
Guillelmus I. abbas Rievallis, 2
Guillelmus abbas S. Theoderici prope Remos, 27. 62. 63. 64. 151. 254 & ſeq.
Guillelmus S. Maioli diſcipulus, 125
Guillelmus Conqueſtor dux Normanniæ & rex Angliæ, 88
Guillelmus Rufus rex Angliæ, 76
Guillelmus Calabriæ & Apuliæ dux, 101.
Guillelmus I. Aquitaniæ dux, comes Pictavienſis 86. 92
Guillelmus comes Aquitaniæ, 166
Guillelmus VIII. Pictavorum comes, 92
Guillelmus III comes Nivernenſis moritur Cartuſianus, 191
Guillelmus IV. comes Nivernenſis, 191
Guillelmus filius Theobaldi Magni, 199
Guillelmus Goez, 29.
Guillelmus V. Vvillelmus.
Guimpla muliebre capitis ornamentum, 82
Gula vel Guna quid, 253

H

HÆreſum origo, beneficiorum pluralitas, 53
Hæreſes ceſſabunt, ſi ſerventur canones, 55
Heretici, an & quomodo puniendi, 291.
Haimericus card. S. R. E. Cancellarius, 15. 127
Haimerus epiſc. Anicienſis, 301
Haimo præpoſitus eccleſiæ Compendienſis, 47
Harſburgenſes comites, 72
Hato V. Atto.
Helias epiſc. Aurelianenſis ex abbate S. Sulpicii Bituricenſis, 273
Helinus abbas S. Theoderici, 63.
Heloiſſa P. Abaelardi conjux, 153. Abbatiſſa Paracliti, 189
Henricus card. archiepiſc. Eboræ, rex Luſitaniæ, 223
Henricus archiepiſc. Moguntinus, 202. 239
Henricus epiſc. Belvacenſis, tum archiepiſc. Remenſis, 203. 204.
Henricus archiepiſc. Senonenſis, 28. 31. 149. 158
Henricus epiſc. Tullenſis, 22. 145. 146
Henricus epiſc Virdunenſis, 24. 35
Henricus epiſc. Vvintonienſis, 75. 169
Henricus monachus Claræ-vallenſis cardinalis, 286
Henricus dux Burgundiæ, 285
Henricus comes Bleſenſis & Campaniæ, filius Theobaldi Magni, 199. 216
Henricus comes Luxemburgenſis, 247. & ſeqq.
Henricus comes Trecenſis Palatinus, 29
Henricus Murdach archiepiſc. Eboracenſis ex abbate Fontanenſi, 169
Henricus à Lotharingia epiſc. Virdunenſis ſedem dimittit, 69
Henricus I. rex Angliæ, 74. 75. 98. Ejus pia mors, *ibid.*
Henricus II. Angliæ rex, 75
Henricus Julius Brunſvicenſis ad epiſc. Halberſtadenſem electus, 281
Henricus Aurelianenſis, 132
Henricus frater Vvidonis de Junci-villa, 218
Herbertus epiſc Catalaunenſis, 44
Herbertus Campaniæ comes, 22
Hermannus Contractus an auctor *Salve Regina*, 303
Herveus de Vico-novo, 130
Hieronymi epiſtolæ emendatæ, 12.
Hildebertus archiepiſc. Turonenſis, 131
Hildebrandus poſtea Gregorius VII. papa, 67
Hildefonſus comes S. Ægidii & Toloſæ, 172
S. Hildegardis abbatiſſa S. Ruperti, 214
Hildegarius abbas Flaviacenſis, 45. Alter ejuſdem nominis, *ibid.*
Hugo archiepiſc. Rotomagenſis, 134. 201
Hugo archiepiſc. Turonenſis, 132. 134. 135. 239
Hugo epiſc Gratianopolis, 132. 135
Hugo Gratianopolitanus epiſc. 135. Dein archiepiſc. Viennenſis, 179
Hugo card. epiſc Tuſculanenſis, 128
Hugo ex abbate Pontiniaci epiſc. Autiſſiodorenſis, 32. 46. 187. 290
Hugo ex abbate Trium-fontium Card. epiſc. Oſtienſis, 286
Hugo Engoliſmenſis epiſc. 198
Hugo decanus Aurelianenſis, epiſc. deſignatus, 33. 173
S. Hugo abbas Cluniacenſis, 225. 254
Hugo II. abbas Cluniaci, 5. 17
Hugo abbas Flaviacenſis, 45. Alter ejuſdem nominis, *ibid.*
B. Hugo Lincelli abbas, tum Bonæ-vallis in diœceſ. Vienn. 207
Hugo abbas Luxovienſis, 218
Hugo Farſitus, quis, 28. An & cujus loci fuerit abbas, *ibid.* Ejus opera, *ibid.*
Hugo archidiaconus Favernіacenſis, 218
Hugo de S. Victore, 222
Hugo Aurelianenſis, 132
Hugo comes Campaniæ, 23. 46
Hugo de Dola, 228
Hugo de Paganis, magiſter Militiæ Templi, 23
Humbertus ſeu Humbaldus archiepiſc. Lugdunenſis, 17
Humbertus abbas Igniacenſis, 103
Humbertus II. comes Maurianenſis, 166
Humbertus II. comes Sabaudiæ, 113.
Humbertus ob duellum punitus, 10
Humbertus de Juliaco ſeu Villiaco, 218
Humilitatis eſt locum ſublimem fugere, & per obedientiam non dimittere, 62

I

JAcobus S. Anniani ſubdiaconus, 139
Janua metropolis erigitur, 96. Januenſes S. Bernardum patronum agnoſcunt, ejuſque feſtum inſtituunt, 94
Igniacenſis abbas Humbertus, 103
Illapſus Dei & angelorum in mentes hominum quomodo fiat, 284
Imperatoris titulum fert Alfonſus rex Caſtellæ, 200
Incorrigibiles an è monaſteriis pellendi 80
Innocentius II. Papa, 86. 93. 96. 97. 98. 99 & ſeqq.
Inſula, oppidum famoſum Flandriæ, 120
Inveſtituræ repetitæ à Lothario, 128
Johannes epiſc. Aurelianenſis, 135. 173
Johannes epiſc Maclovienſis, 83. 228
Johannes epiſc. Morinenſis, 35
Johannes epiſc. Oſtienſis, 86
Johannes epiſc. Sagienſis, 176
Johannes ex abbate Bonæ-vallis Ciſterc. epiſc. Valentinus, 160. 207
Johannes Lentaillerus abbas Aquiſcincti, 43
Johannes archidiaconus Aurelianenſis, 139
Johannes Michaelenſis ſcriba concilii Trecenſis, 16
Johannes eccleſiæ Compendienſis cantor, 47
Johannes monachus Claræ-vallenſis, 224
Johannes Cirita, 224
Johannes rex Portugalliæ, 233
S. Johannis Carnotenſis abbas Hugo, 28
S. Johannis Lauduni monaſt. 26. 33. Ejus primus abbas Drogo, 26
S. Johannes de Tarouca monaſt. Ord. Ciſterc 234
Joci ab eccleſiaſtica abhorrent regula, 236
Joranus abbas S. Nicaſii Remenſis, 36. 63, tum Cardinalis, 27
Jordanes Petri Leonis filius, 159
Joſbertus de Firmitate, cognomento Rufus, 24
Joſceranus epiſc. Lingonenſis, 24
Joſlenus epiſc. Sueſſionenſis, 35. 47
Jotrenſis Synodus, 132. 134
Iterius epiſc Namnetenſis, 85
Judicii dies extremus à variis prædictus, 37 & ſeqq.
Junius abbas de Corona, 198
Ivo canonicus regularis, 128
Juriſprudentiæ an ſtudere debeant clerici, 230
Juſtus epiſc Lugdunenſis, in eremum ſeceſſit, 19

L

LAbor &c. monachorum inſignia, 72
Lambertus abbas S. Bertini, 43
Lambertus abbas de Clara-Fontana, 218
Latiniacum monaſt. Ord. S. Bened. 29
Laudunenſis epiſc. Bartholomæus, 35. 59. 177
Laus perennis in Alcobacienſi monaſt. 223
Leodienſes epiſc. Fridericus, 20. Albero, 20. 21. 145 Alexander, 21
Leutaldus Novarienſis magiſter, 157
Lexovienſis epiſc. Arnulfus, 175
Lingonenſes epiſc. Joſceranus, 24. Vvil-

lencus, 136. Vvillelmus, *ibid.* Gaudefridus *ibid.* & *ſeqq.* 190. 198. 207. 222
Lites brevi finiendæ, 252. Litium & legum Juſtiniani ſtudia epiſcopis non competunt, 226. & *ſeqq.*
Liuncelli monaſt. Ord. Ciſterc. abbas S. Hugo, 207
Lotharius imp. 95. 96. 97. 98. 99 & *ſeqq.* Ejus pietas, 99. 118. Licutherius etiam dictus, 20.
Lucas abbas Cuſſiaci, 59
Lucius papa, antea dictus Gerardus, 20
Ludovicus VI. Groſſus Francorum rex, ac monaſterii S. Victoris Parif. conditor, 8. Quoſdam epiſcopos perſequitur, 32. Ciſtercienſibus ſociatus, 32. Ejus pia mors, 35. Monaſticum ordinem profitetur, *ibid.*
Ludovicus VII. Junior, rex Francorum, 164. Sub eo turbata eccleſia Gallicana, 163. 164. Ejus mores, 165. Variæ ejus coronationes, 174
Ludovicus frater Humberti de Juliaco, 218
Lugdunenſes archiepiſc. Humbaldus, ſeu Humbertus 17. Rainaldus, *ibid.* Juſtus, 19. Lugdunenſes arguuntur ob receptum Conceptionis S. Mariæ feſtum, 338
Lundenſes archiepiſc. Eskilus, 67. 207. 217. Abſalon, 217
Luxovienſis abbas Hugo, 218

M

MAtlovienſis epiſc. Johannes, 85. 252
Magdeburgum, Parthenopolis dicta, 20
Magdeburgenſis epiſc. S. Norbertus, 20. 37. 40. 177
Magiſtri ſpiritualis neceſſitas, 70
Mainfredus epiſc. Brixienſis, 251
Majorevum cartuſia, 179
Majoris-monaſterii abbates Odo, 89. 219. Guillelmus, 219
S. Malachias archiepiſc. Armachanus, 162. 175
Manaſſes II. epiſc. Meldenſis, 18
Mandatum de diligendo Deo ex toto corde, 81. Quomodo intelligendum, 263. & *ſeqq.*
Mannus Cancellarius Catalaunenſis epiſcopi, 48
Marcellinus præfectus, 291
S. Marcelli Cabilonenſis monaſt. 153
Marciani Imp. decretum contra turbatores, 158
B. Mariæ Conceptio, 338. Ejus feſtivitas, 339. Ejus interceſſio quanti, 301. Feſtivitates quando inſtitutæ, 303. Cur fuerit deſponſata, 273
Maria quotuplex in Evangeliis, 286
Maria duciſſa Burgundiæ, 29
S. Mariæ monaſt. Ord. S. Bened. Eboraci, 76. Abbates Stephanus, Galfridus, vide *ſuis locis*.
S. Mariæ Dubliniensis monaſt. Ord. Ciſterc. 161
Mathildis comitiſſa Pertici, 29
Mathildis uxor Gofredi Bullionenſis, 228
Mathildis uxor Theobaldi comitis Campaniæ, 199
Mathildis ſoror Drogonis Card. 26
Matrimonium poſt monachiſmi vota an validum, 52. An cum diſpenſatione poſſit ab epiſcopo contrahi, 323
Matthæus card. epiſc. Albanenſis, 14. 16. 35. 86. 97. 144. 255
S. Maximini Trevirenſe monaſt. 147. & *ſeq.* Abbas Sigerus, 149. Ejus exemptio, *ibid.*
S. Mechtildis ſoror, non domna cupiebat appellari, 30
S. Medardi Sueſſionenſis abbates Gaufridus, 44. 62. Odo, *ibid.* Anſbertus, 318. Guarimbertus, *ibid.* Ejus eccleſia ab Innocentio II. conſecrata, 44
Medicinæ an monachis adhibendæ, 209
Mediolanenſes archiep. Anſelmus, 95. Ribaldus, 97. S. Carolus, 187. 209. 213. 229. 258. S. Ambroſius, 287. Mediolanenſes adverſus Lotharium imp. rebelles, 95. Honorificentiſſime S. Bernardum recipiunt, 97. Mediolanum archiepiſcopali dignitate privatur aliquanto tempore, 96. 97. Exinde metropolis minuta, *ibid.*
Meldenſes epiſc. Burchardus, 18. Manaſſes II. *ibid.*
Mellifons monaſt. Ord. Ciſterc. 161
S. Memmius epiſc. Catalaunenſis, 127
S. Memmii abbatia Ord. S. Auguſtini, 127. Abbas Stephanus, *ibid.*
Menſa rotunda, ludus militaris, 216
Merita & gratia inter ſe non pugnant, 295
Metenſes epiſc. Stephanus, 21. 145. 146. Poppo, 145
Militia clericos dedecet, 16. 145. 146.
Milo de Sera, 46
Miratorium monaſt. Ord. Ciſterc. 191.
Modeſtia epiſcopos commendet, 250. & *ſeqq.*
Moguntinenſis archiepiſcopi prærogativa, 171. Moguntini archiep. S. Bonifacius, 171. Vvillegiſus, 234. Henricus 202. 239. Arnaldus, 202
Moliſmenſe monaſt. 23
Monachi Apoſtolorum ſequaces, 120. quo ſenſu epiſcopos & mulieres fugere debeant, 120. Primi ſunt poſt Martyrum choros, 116. Bona potiori jure poſſident quam beneficiarii, 109. & *ſeqq.* Eorum precibus & meritis Gallia pacificata, 184. Quænam ipſorum inſignia, 72. An iis docere competat, & prædicare, 72. An ſcientiis & ſtudiis incumbere, 71. Cum operam eorum eccleſia requirit, nec elatione avida ſuſcipiant, nec blandiente deſidia reſpuant, 68. An medicinas adhibere debeant aut poſſint, 209. Parentum curam debent cavere, 248. Incorrigibiles an è monaſteriis pellendi, 80. V. Moniales Fugitivi requirendi, 80. Monachus Cartuſianus exiens numquam ſine ſatisfactione receptus, 179
Monaſteriorum exemptiones, 120. 149
Monaſtica profeſſio eſt ſecundum baptiſma, 264. Sacramentum unctionis in epiſcopo non diſſolvit, 19. An matrimonium dirimat, 52
Moniales impudicæ ergaſtulis includendæ, 80
Monomachia ſevere punita, 50
Mons-Cornelii monaſt. Leodii, 59
Mons-Dei cartuſia in diœceſ. Remenſi, 63 Priores Hamo, Gaufridus, *ibid.*
Mons-locutitius Pariſiis, 215
Moraſtino, bannum, 38
Morbus qui exercitia regularia non interrumpit, à monacho ferendus, 209
Morimondis abbas, 218
Morimundi primus abbas Arnaldus, 9
Morinorum epiſc. Johannes, 35
Mortui-mari abbas, 201
Multiloquium quomodo non eſt abſque peccato, 73
Mundus, de ejus duratione variæ ſententiæ, 57. & *ſeqq.*
Muſica an in eccleſiis admittenda, 220

N

NIn L. ſæpius veteres mutabant, 253
Namnetenſes epiſc. Gaufridus electus, 82. Iterius, 85
S. Nanthelmus ex Cartuſiæ priore epiſcop. Bellicenſis, 179
S. Nicaſii Remenſis monaſt. viris illuſtribus floret, 57. 62. Joannes abbas, 56. & 57. Arnulfus, 85.
Nicolaus S. Albani monachus, 196
Nicolaus S. Bernardi notarius quis fuerit, 196
S. Nicolai de Boſco monaſt. in diœceſ. Laudunenſi, 27. 62. Abbas Simon, *ibid.*
S. Nicolai Pratenſis ad Tornacum præſes Ogerius, 65.
Nivardus frater S. Bernardi. 200. 201
Norbertus archiepiſc. Magdeburgenſis, 20. 37. 40. 177
Normannus epiſc. Andegavenſis, 219
Notarii & ſcribæ ſub S. Carolo litium proceſſus fere dedidicerant, 231
Novigenti, monaſt. Ord. S. Bened. abbas Guibertus, 45
Noviomenſis epiſc. Simon, 33
Nundinæ ſeu torneamenta, 216

O

OEconomus an idem qui Vicedominus, 170
Odo ex abbate S. Cornelii Compend. abbas S. Dionyſii, 194
Odo abbas S. Genovefæ Pariſ. 222
Odo abbas Majoris-monaſterii, 89. 219
Odo præpoſitus eccleſiæ Compendienſis, 47
Odo comes Trecenſis, 23
Odo alter, Hugonis comitis Campaniæ filius, 23.
Odo de Caſtellione, 2
Ogerius canonicus regularis, præſes S. Nicolai Pratenſis ad Tornacum, 65
S. Olavi eccleſia prope Eboracum, 76
Opera bona meritoria non pugnant cum gratia, 295
Opizo marchio in Italia, 188
Ordinandi ad ſacerdotium inviti, nolentes, 247
Orientalis expeditionis infelix exitus, 195 Quomodo profuerit, 233. Cauſæ referuntur, *ibid.*
Originale peccatum quomodo apud veteres deletum, 267
Oſtienſes epiſc. card. Drogo, 26. Petrus Damiani, 57. 235. Johannes, 86. Hugo, 186. Oſtienſis eccleſiæ unita Velitrena, 186
Otho Friſingenſis revocat dicta in S. Bernardum, 193
Otioſum aut male occupatum eſſe, idem, 231. Otioſorum verborum effectus, 236.
Oxonienſis academia, 148. 230

P

PAdoliroenſe monaſt. 226. Ejus abbas Guillelmus, *ibid.*
Pallium archiepiſcopale, 175
Parentibus ſua legare non debent clerici, 187. Parentes novitium retrahere conantes acriter à S. Bernardo reprehenſi, 83. Ob vitam religioſam contemnendi, 81. Eorum cura monachis fugienda, 248
Paracliti monaſterium, 151. Abbatiſſa Heloiſſa, 189
Pariſienſe colloquium, 152. Pariſienſes epiſc. Stephanus, 31. & *ſeqq.* 129. 130. 132. Gauſridus, 157.
Parthenopolitana civitas, Magdeburgum, 20
Parvinus abbas S. Sepulcri Cameraci, 35
Paſtoralem curam an liceat dimittere, 66
Patres facile non ſunt erroris arguendi, 58. Eorum de extremo die ſententia expenditur, 57. & *ſeqq.*
Patris nomen ante ſæculum XIII. abbatibus proprium, 255. Deinde monachis ſacerdotibus datum, 50
Patrum exempla filiis proſunt, 199
S. Pauli Virdun. monaſt. Præmonſtratenſibus datum, 144
Pauperes templis præferendi, 256 & *ſeqq.* Iis debetur quod ex monaſteriorum reditibus redundat, 120 Item clericorum hereditas, 187. Paupertas voluntaria, labor &c. inſignia monachorum 72. Bona propria, non communia excludit, 208
Peccatores eſurientibus comparati, 299
Perſeverantia, de virtute patientiæ, 68
S. Petrus, archiclavus totius monarchiæ eccleſiarum, 113. An peccando caritatem amiſerit, 297. Ejus ætatem nullus Papa attigit, 173
Petrus archiep. Biturienſis, 13. 163
Petrus epiſc. Belvacenſis, 35
Petrus epiſc. Compoſtellanus, 303
Petrus Damiani card. epiſc. Oſtienſis, 67. Epiſcopatum dimittit, 133
Petrus epiſc. Pictavienſis, 92
Petrus epiſc. Portuenſis, 86
Petrus Fontanenſis card. 17
Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis, 3. 87. 124. 144. 188. 204. 234. Ejus epiſtola de ſua cum S. Bernardo amicitia, 124
Petrus abbas S. Amantii, 198.
Petrus abbas Bonæ-vallis in diœc. Vienn. 207
Petrus abbas Barzeli, 85

Petrus Abaëlardus, 23. 189. 251. & ſeq. Pie moritur, 253
Petrus prior eccleſiæ S. Johannis Evangel. Senonenſis, 19
Petrus de Trecis decanus S. Stephani Biſuntini, 218
Petrus monachus, 160
Petrus frater Alfonſi regis Portugalliæ, 206
Petrus Auſſentanus, 198
Petrus Miles, 34
Petrus Vriſiaci præpoſitus, 46
Petrus Berengarius Abaëlardi Apologiſta, 159
Petrus Leonis, *V.* Anacletus
S. Petri de Spina monaſt. Ord. Ciſterc. 200
Philippus archiepiſc. Turonenſis, 131
Philippus epiſc. Conſtantienſis, 208
Philippus prior Claræ-vallis, 198
Philippus II. rex Hiſp. collationem beneficii clerico curias frequentanti factam revocavit, 246 Luſitaniam occupat, 223.
Philippi principis Franciæ obitus, 32
Pictavienſes epiſc. Petrus, 92. Gilbertus Porretanus, 155.
Piſanum concilium, 92
Pii V. Papæ fortitudo, 181
Pluralitas Beneficiorum improbata, 183
Pontiniaci abbas Hugo, 32. 46. tum epiſc. Autiſſiodor. 157.
Pontius abbas Cluniaci, 5. 114.
Poppo epiſc. Metenſis, 145
Portæ Cartuſia, 179
Portuenſis epiſc. Card. Petrus, 86
Portugalliæ titulus regni datus, 196
Præceptum *V.* Mandatum.
Prædeſtinationis ſigna qualiter certa admittit Bernardus, 216
Prædicare quatenus monachis liceat, 72
Prælaturas an liceat dimittere, 67. & ſeq.
Præmonſtratum monaſt. & Ordo, 77 Abbates, S. Norbertus, 177. Hugo, *ibid.*
Præneſtinus epiſc. Card. Guillelmus, 10. 86.
Primicerii nomen & dignitas, 22
Principes & prælati quantum à malis conſiliariis cavere debeant, 141
Probationes per aquam, ignem, euchariſtiam &c. vetitæ, 294
Propoſiti (id eſt vitæ monaſticæ) baptiſmus, 264
Prulliaci abbas Artaudus, 51. An Gerardus, 60.
Pueri ad beneficia eccleſ. non promovendi, 180 & ſeq.
Pultarienſe monaſt. 51. Abbas Gerardus, 60. an etiam Artaudus, 51.

R

RAdulfus comes Viromanduorum, Dapifer, 199
Radulfi monachi temeritas, 78. 213.
Rainaldus archiep. Lugdunenſis, 87
Rainaldus abbas Ciſtercii, 179. 207.
Rainaldus comes, conſul, advocatus Faverniaci, 218
Rainardus abbas S. Bartholomæi Novioml, 47
Rainaudus de Perceïs, 24
Ranulfus dux, 10
Raymundus comes Toloſæ, 178
Raynaldus de Pratis archiep. Remenſis, 35. 63. 134.
Redonenſis epiſc. Alanus, 85
S. Reginæ reliquiæ Flaviniaci, 45
Regniacum monaſt. Ord. Ciſter. 192
Regniacum, vulgo *Reninghe*, Flandriæ oppidum, 192
Religioſus tepidus difficilius emendatur quam ſæculares, 78 Religioſis eleemoſyna facta eſt melior, 76
Remenſis archiepiſcopi prærogativa in coronandis Regibus, 174. 175. 185.
Remenſes archiepiſc. Guillelmus, 29. 185. Raynaldus de Pratis. 35. 63. 134. Adalbero, 44 Samſon, 152. 174. Arnulfus, 175 S. Remigius, *ibid.* Henricus, 203.
Remenſis eccleſia diadema regni habet, 175.
Ribaldus archiep. Mediolanenſis, 97
Richardus prior S. Mariæ Eboraci, tum abbas Fontanenſis, 76
Richardus ſacriſta S. Mariæ Eboraci, 76
Richardus rex Angliæ tornamenta in Angliam inducit, 186
Richardus de Monte-Falcherii, 228
Richerus decanus Metenſis, 20
Ricvallis in Anglia, 2. 74 Guillelmus abbas, 2. Ælredus, *ibid.*
Ripatorii abbas Alanus, 190. 192.
Robertus epiſc. Atrebatenſis, 35
Robertus abbas de Dunis, tum Claræ-vallis, 208
Robertus nepos S. Bernardi, 1. & ſeqq. Domus-Dei abbas, 4. 5
Robertus frater Ludovici Francorum regis, 163 216
Robertus militiæ Templi magiſter, 23
Robertus Aurelianenſis, Miles, 24
Robertus Henrici filius, 201
Robertus Pullus card. 161. 210
Rodulfus archiepiſc. Turonenſis, 219
Rodulfus monachus, 213
Rogerius abbas Vallis-Richerii, 201
Rogerius princeps Siciliæ, 10. 86. 101. Mortuorum ſepulcra violat, 10. Rex, 93 162.
Rolandus Blandinellus ſeu Paparo cancellarius card. tum Papa Alexander III. 210
Rolandus monachus Claræ-vall. Cardinalis, 186
Rolandus monachus Claræ-vallenſis, 124
Roffenſis epiſc. Anſelmus, ſeu Aſcelinus, 161
Romani Pontifices Lucius, 20. Calliſtus II. 145. Gregorius VII. 67. Innocentius II. 86. &c. S. Gregorius M. 253. Pius V. 181. Eugenius III. 170. Alexander III. 210.
Romanus Pont. legitimus controverſiarum fidei judex, 271. Cur diu non vivat, 271. Nullus Petri ætatem attigit, *ibid.* Romanæ eccleſiæ tributarius, Rex Portugalliæ, 206. Romanum Concilium an. 1138. 159.
Rotaudus epiſc. Venetenſis, 85
Rotomagenſis archiepiſc. Hugo, 201
Rualenus abbas S. Anaſtaſii Romæ, 186
S. Rufi de Valentia Canonici regulares, 222
S. Rufinæ epiſc. card. Tecuinus, 146
S. Ruperti Bingenſis abbatiſſa S. Hildegardis, 214
Rupe-fortis, 54.
Rutila oppidum in provincia Trevirenſi, 146

S

SAbinenſis epiſc. Conradus, 86
Sacerdotum arma, lacrymæ preces, &c. 36. Nugas & tabulas vita redebent, 231. Sacerdotes, quantumlibet peccatores, valide ſacra conficiunt, 293. Soli proprie conſecrant & offerunt, ceteri fideles tantum improprie, 304
Sæculares facilius emendantur quam Religioſi tepidi, 78
Sagienſes epiſc. Johannes, 176. Girardus, *ibid.*
S. Salvatoris Oratorium in ſilva *Luis* Canonicorum Regularium, 46
Salve Regina antiphonæ quis auctor, 303. dicta antiphona de Podio, *ibid.*
Salutis ſecuritas & quies ſolidior eſt in Dei voluntate exſequenda, 69
Samſon an Dei inſtinctu ſeſe cum hoſtibus obtulerit, 263
Samſon archiepiſc. Remenſis, 152. 174.
Sancia ſoror Alfonſi regis Caſtellæ, 200
Satyrus martyr, 138. Ejus abbatia apud Bituriges, *ibid.* Abbas Andreas, *ibid.*
Saviniacum monaſt. in diœceſi Abrincenſi, 91. Ejus abbas primus, Vitalis; ſecundus ſub quo Ciſtercienſibus aggregatus, Gaufridus, 91
Saviniacum monaſt. Ord. S. Benedicti in diœceſi Lugdunenſi, 91
Scacatæ veſtes, 142
Scalabis urbs Luſitaniæ, 223
Scientiæ quatenus monachis competant, 73
Scripturarum lectio quandoque variat in Patribus, 292
Sebaſtianus rex Luſitaniæ, 223
Seifridus abbas S. Vincentii Laudun. 177
Senonenſes archiepiſc. Henricus 18. 31 152. Vulfrannus, 19. Guillelmus, 29 Daimbertus, 175. Senonenſe Concilium, 44. 151. 154. 155.
S. Sepulcri monaſt. Cameraci, abbates Parvinus, 33. Fulbertus, *ibid.*
Serenitatis titulus Petro Venerabili datus, 11.
Sherbonia in Anglia, 169
Sicherus vir illuſtris, 43
Sicilia regni nomine donata, 93
Sigerus abbas S. Maximini Trevir 142
Signiacum monaſt. Ord. Ciſterc. 63 abbas Ægidius, *ibid.*
Silva Cartuſia, 179
Silvanectenſis epiſc. Clarembaldus, 35
Simon epiſc. Novioenſis, 55
Simon abbas S. Nicolai de Boſco in diœceſi Laudunenſi, 27. 62.
Simon, Sugerii nepos, cancellarius, 194
Simon Capra-aurea canonicus S. Victoris Pariſ. 29
Solopeta, ſeu Solemvria monaſt. Ord. Ciſterc. 202
Spina monaſt. Ord. Ciſterc. 200
Spinenſis conventus, 211
Spiritualis vitæ ſectatores duce & magiſtro indigent, 70
Stephanus de Garlanda archidiaconus, 150
Stephanus ſubdecanus Aurelianenſis, 150
Stephanus epiſc. Metenſis, 52. 143 146.
Stephanus epiſc. Pariſienſis, 31. & ſeqq. Antea Cancellarius, alius à Stephano de Garlanda, 34. De eodem, 129. 130. 131.
Stephanus abbas Caſæ-Dei, 218.
Stephanus abbas S. Mariæ Eboraci, 76
Stephanus abbas S. Memmii Catalaunenſis, 187.
Stephanus Angliæ rex, 75. 169.
Stephanus de Garlanda, 31. 34 An Stephanus de Guarlanda in epiſc. Belvacenſem petitus, 54
Stephanus comes Bleſenſis, 75
Stephanus comes de Sancerra, 29 199.
S. Stephani parochia Andegavi, 119
Studia an monachis competant, 73
Sueſſionenſes epiſc. Joſlenus, 35 ſeu Goiſlenus, 47. Guarimbertus, 118. Drauſio, *ibid.*
Sueſſionenſe concilium, 251. 157. Aliud, 157.
Sugerius abbas S. Dionyſii, 31. 33. 158. 194. Ejus pia mors & epitaphium, 178.
S. Sulpicii Bituricenſis monaſt. abbas Helias, 173
Sy. præpoſitus Aurelianenſis, 150

T

TEbaldus de Rubeo-monte, 218
Tecuinus epiſc. Card. S. Rufinæ, 146
Templariorum Ordo, 23 Magiſtri, Hugo de Paganis, & Robertus, *ibid.*
Templorum ornatus & divitiæ an probandæ, 256. & ſeqq. Munditia in eis maximopere curanda, 262.
Temporis jactura vitanda, 71
Tentationis nemo hic expers, 63
Teſtamenta mature condenda, 187. Clericorum in favorem parentum improbata, 187
Thebaldus Notarius, 194
Thebaldus Hervei, 130
Theobaldus abbas Dervenſis, 48
Theobaldus archidiac. Pariſienſis, 138
Theobaldus comes Bleſenſis & Carnoti, 29
Theobaldus M. Campaniæ comes, 29. 52. 185. Ejus filii, filiæ, laudes, epitaphium, 29. 199
Theobaldus comes Campaniæ, 52
Theobaldus comes Campaniæ, 180
Theobaldus comes Campaniæ, 163. Comes Bleſenſis, 164
Theobaldus III. comes Campaniæ, 25
Theobaldus Stephani filius, comes Campaniæ, 23. 25.
Theobaldus Comes, 47
S. Theoderici prope Remos abbates Gaufridus, Guillelmus, 27. 62. & ſeqq. Helinus, 63
Theodericus abbas S. Eligii Noviomi, 47
Theodoſii M. imperatoris genius, 243
Theophili pœnitentis hiſtoria, 301
S. Thomæ Apoſt. fides quomodo puſilla ex magnitudine animi, 290. Ejus reliquiæ Edeſſæ, 212
Thomas archiepiſc. Cantuariæ M. 75. 228. Lites brevi ſopiendas curabat, 136
Thomas abbas Vallis-Richerii, 201
Thomas prior S. Victoris Pariſienſis, 18. 38. 132. & ſeqq.
Tironienſe monaſterium 90. 114. abbas primus

primus & fundator Bernardus, 90. *ibid.*
Toldanes monaſt. in regno Legionenſi, 200 Abbas Ferdinandus, 200
Toletanus archiepiſc. Bernardus, 503
Tornacenſes epiſc. Gaufridus electus, 83. Stephanus, 115
Torneia ſeu Torneamenta, 216
Trajani anima an ab inferis revocata, 196
Trecenſis epiſc. Atto, 19. 173. Trecenſe concilium, 15. 16. 33. 46
Tremulus-Pons Italiæ oppidum, 19.
Tres-fontes, monaſt. Ord. Ciſterc. 46. & *ſeqq.* Primus abbas Rogerius, ſecundus Guido, *ibid.* Hugo, 186
Trium-fontium monaſt. Romæ, *vide* S. Anaſtaſii,
Trevirenſis archiepiſc. Albero 20. 143. 146. 147 & ſeqq.
Tullenſes epiſc. Henricus, 21. 145. 146 S. Gerardus, 102. Udo, *ibid.*
Turonenſes archiepiſc. S. Martinus, 82. Hildebertus 151. Philippus *ibid.* Gilbertus *ibid.* Hugo 151 151. 219 Rodulfus. 219
Turſtinus ſeu Truſtinus archiepiſc. Eboracenſis, 76. 169
Tuſculanus Card. epiſc. Hugo, 128

V

VAldemarus rex Daniæ, 217
Valentinus epiſc. Johannes, 260. 297
Vallis-Richerii monaſt. Ord. Ciſterc. 201. Abbates, Thomas, Rogerius, Dominicus Gorges, *ibid.*
Udo epiſc. Tullenſis, 102
Veliterna eccleſia juncta Oſtienſi, 115
Venetenſis epiſc. Rotandus, 85
Veſtes fractulatæ, ſcacatæ, &c. 242
Veſtium luxus maxime clericis interdict. 242
Vetus-campus monaſt. Ord. Ciſterc 9
Vetus-mons monaſt. Ord. Ciſterc. 67
Vezeliacenſe monaſterium, 225
Vicedomini dignitas, 270
S. Victoris Pariſ. monaſterii initia, 8. Incrementa 222. Ordo canonicus 128. Primus abbas Gilduinus, *ibid.* 222
Viennenſis archiepiſc. Hugo, 179
S. Vincentii Laudunenſ. monaſt. 177. Abbates, Adalbero & Scitidus, *ibid*
Virdunenſes epiſc. Henricus, 14. 85 Henricus Lotharingus Princeps, 62. Albero, 144. 146. Urſio, 144
Viſio Dei an concedatur animabus ſanctorum ante generalem reſurrectionem, 277. & *ſeqq.*
Vitalis abbas Saviniaci, 91
Vitriacum ſeu Victoriacum oppidum Campaniæ, 263. 165
Ulgerius epiſc. Andegavenſis, 219
Ulgrinus epiſc Bituricenſis, 13
Ulricus Cardinalis, 162
Votum ſollemne an matrimonium irritet, & quo jure, 52. Vota monaſtica an matrimonium poſtea contractum dirimant, 52
S. Urbani monaſt. abbas Araldus, 42
Urſio epiſc. Virdunenſis, 144
Uſuræ immunes milites pro ſacra expeditione, 21
Vvalterus ... [illegible] Ord. Cluniac. 115
Vval[illegible] is Inſtru, 41
Vvalramus archiep. Colonienſis, 243
Vvaltinus capellanus, 218
Vvav[illegible]enſe monaſt. Ord. Ciſterc. 76.
Vv[illegible] de Iune-villa, 213
Vv[illegible]o de Meriniaco archidiaconus, 218
Vv[illegible] eremita, 1[illegible] *Vide* Guido.
Vvilegiſi archiepiſc. Moguntini modeſtia, 234
Vvillelmus archiep. Colonienſis, 243
Vvillelmus archiepiſc. Eboracenſis, 169
Vvillelmus Sabiano epiſc. Lingonenſis, 136
Vvillelmus epiſc Præneſtinus, 82
Vvillelmus comes Alverniæ & dux Aquitaniæ, 180 183.
Vvillelmus de Arguel, 213
Vvillelmus frater Stephani de Garlanda, 34
Vvillelmus Silvanus, 201 *Vide* Guilelmus
Vvillencus epiſc. Lingonenſis 136
Vvimpla ſeu Guimpla, 84
Vvormatienſis epiſc Henricus 75. 169
Vvittebienſe monaſterium, 76
Vvl[illegible]annus epiſc. Senonenſis 16
Vvolbertus archidiaconus, 218

Z

ZAcharias Paganus archidiac. Aurelianenſis, 129
Zeli exceſſus excuſabilis, 233
Zeringenſes Duces unde orti, 79

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

VOLUMINIS PRIMI S. BERNARDI.

GEN. 2. 21. Immiſit Dominus ſoporem in Adam 813. b & ſeqq.
3. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum, 738. a
15. Ipſa conteret caput tuum. 1007. f
27. 27. Statimque ut ſenſit veſtimentorum fragrantiam, &c. 350. f
EXOD. 24. 14 Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad ipſos 181. c
134. 26. Non coques hœdum in lacte matris, 1344. b
NUM 19. 15. Vas quod non habuerit operculum, immundum erit. 335. a
DEUT. 1. 36. Quemcumque locum calcaverit pes veſter, veſter erit. 1386 d
6. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota virtute tua, 1327. d
31. 29 Utinam ſaperes, & intelligeres, ac noviſſima provideres. 280 d
32. 29. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent, 983. f 993. e
1 REG. 2. 25. Si peccaverit vir in virum, propitius ei poterit eſſe Deus. 308 c
15. 23. Quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. 511. b
2. 1. 21. Omnes montes qui in circuitu ejus ſunt viſitet Dominus; a Gelboë autem tranſeat. 1452. d
3. 19. 3 Timuit Elias Jeſabel, &c. 1326. c & ſeqq.
4. 4. 35. Et oſcitavit puer ſepties, 1313 d.
40. Erat fames in terra. 1317. d & ſeqq.
JOB 6. 7. Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. 409. a
7. 4. Si dormiero, dico: Quando ſurgam? & ruſum exſpectabo veſperam. 1052. c 1462. e
20 Quare poſuiſti me contrarium tibi? & factus ſum mihi metipſi gravis? 30. e
10. 3. Indica mihi cur me ita judices 1387. d
14. 1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſeriis. 886. e
40. 18 Habet fiduciam ut Jordanis influat in os ejus. 1393. e
41. 13. Faciem ejus præcedet egeſtas. 657 d
PSAL. 1. 1. Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, 1198. f & ſeq.
4. 10. In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, 1012. e
9. 13 Dixit enim in corde ſuo, Non requiret. 1314. e
15. 10. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 1397 a
17. 13 Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt. 807. e
45. Populus quem non cognovi ſervivit mihi 1201. b
18. 8. Lex Domini immaculata convertens animas. 29. e 30. a 539. b
13. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. 1233. a b
23. 3. Quis aſcendet in montem Domini, &c. 1151. a & ſeqq 1193. c & ſeqq.
24. 4. Vias tuas Domine demonſtra mihi. 1387. d
29. 12 Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. 800 a
32. 17 Fallax equus ad ſalutem. 316 b
33. 10. Timete Dominum omnes ſancti ejus. 1039 c
22. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur 1098. b & ſeqq.
36. 4. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. 823. d & ſeqq.
39. 18 Dominus ſollicitus eſt mei. 932 e
40. 2 Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, 195. f
44. 15. Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi. 1307 d. e
48. 13 Homo cum in honore eſſet, non intellexit. 254. c 1397 c
15. Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. 1125. b
50. 9. Aſperges me hyſſopo, & mundabor. 1423. a
56. 8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 1008. c
57. 11. Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris 848. f
58. 12. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos, nequando obliviſcantur populi mei, &c. 328. b 330. d
61. 12. Semel locutus eſt Deus. 1096. d
63. 7. Accedet homo ad cor altum. 1333 c d
67. 28. Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali. 1284. b
68. 3. Infixus ſum in limo profundi. 767 d
71. 6. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, &c. 738. f
72. 5. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia. 1087. f
28. Adhærere Deo bonum eſt 1095. a
84. 9. Loquetur pacem in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor. 1105. b & ſeqq.
90. 5. Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. 1391. d & ſeqq.
7. Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis. 880. d 1045. e
102. 17. Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. 112. f
103. 30. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. 97. c
105. 23 Dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione, &c. 145. f
106. 2. Qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici. 651. b c
4. Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo, &c. 1083. c & ſeqq.
107. 1. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum 818. c
111. 1. In mandatis ejus volet nimis. 365. f
3. Gloria & divitiæ in domo ejus. 292 b
Ibid. Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, 254. a
115. 1. Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis. 363. d & ſeq.
2. Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax. 366. a b
15. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. 1194. c
118. 91. Ordinatione tua perſeverat dies. 1436. d
99. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua exquiſivi. 954 c
111. Hereditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum. 1410. d
126. 2. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. 1294. f
131. 17. Paravi lucernam Chriſto meo. 947 d
132. 1. Ecce quam bonum & quam jucun-

dum habitare fratres in unum, &c. 1293. a
238. ibid. Et in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur & nemo in eis, 1457. d
141. 8. Me exſpectant juſti donec retribuas mihi, 758. d, e
Prov. 1. 26. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo vos, 849 a
9 1 Sapientia ædificavit ſibi domum, &c. 1185. d. & ſeqq.
17. 28. Stultus dum non loquitur, ſapiens putatur. 93. e
28. 14. Beatus vir qui ſemper eſt pavidus, 1454. b
30. 8. Divitias & paupertatem ne dederis mihi, 880. d
31. 10 Mulierem fortem quis inveniet? 738. a
Eccl. 10. 1. Muſcæ morientes extermiuant ſuavitatem unguenti, 1413. d
Cant. 1. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, 1209. b. & ſeqq. 1239. e
2. 6. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, 589. c 726. e 765. e
8. Ecce venit is ſaliens in montibus, tranſſiliens colles, 721. b
9. Ecce ſtat poſt parietem, 769. a
10. Surge, propera amica mea, formoſa mea, columba mea, & veni, 1012. b
16. Qui paſcitur inter lilia, 1018. d
3. 11. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua, 200. a & ſeqq.
3. 11. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem, &c. 1183 f & ſeqq
3. 19. Media caritate conſtravit propter filias Jeruſalem, 561. b
4. 2. Sicut grex tonſarum, quæ aſcendunt de lavacro, 1216. c. d
4. 11. Mel & lac ſub lingua ejus, 12. b
5. 1. Comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi, 597. c. 598 b
6. 8. Una eſt perfecta mea, 1361. d
9. Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, 1212 d
12 Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te, 982. f 1239. f
Sap. 3.1. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, 66. b
7. 30. Sapientia vincit malitiam, attingit à fine uſque in finem, &c. 1211. d
8. 1. Sapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, 616. b. 742. c
9. 15. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, 522. f. 914.
10 10 Juſtum deduxit Dominus per vias rectas &c. 1126. d & ſeqq.
Eccli. 7. 40. Memorare noviſſima tua, &c. 1109. f & ſeqq.
19. 4. Qui credit cito, levis eſt corde, 645. a
22. 2. De ſtercore boum lapidatus eſt piger, 1259. e
Isaiæ. 1. 23. Principes tui infideles, ſocii furum, 718. c
4. 2. Erit in die illa germen Domini in magnificentia & gloria &c. 930. c & ſeq.
6. 1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum 943 c & ſeqq 951. b & ſeqq.
2 Seraphin duo ſtabant ſuper illud, 947. a
Ibid. Sex alæ uni, & ſex alæ alteri, &c. 948. e & ſeqq. 1236. d
3. Plena erat majeſtate ejus omnis terra, &c. 945. a & ſeqq.
7. 11. Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni &c. 712. f & ſeqq.
8. 4. Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi aſcendiſti, 756. f
9. 6. Parvulus natus eſt nobis, 748. e
11. 1. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, 434. f 738. c. e 9-8. e
12. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, 1318. b
14. 13. Ponam ſedem meam ad aquilonem, 574 a
26. 1. Urbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale, 1074. b. e
38. 7. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima, 1393. b
10. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi, &c 1091. b. & ſeq.
40. 1. Conſolamini, conſolamini, dicit Dominus Deus veſter, 786. c
6. Omnis caro fœnum &, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni, 1396. f
48. 9. Ego infrenabo os tuum laude mea, 1395. c
49. 6. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ, 1374. c
62. 6. Super muros tuos, Jeruſalem, conſtitui cuſtodes, 1076. b 1319. e
Jer. 1. 5. Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, 169. f
4. 19. Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, 1400. d
6. 16. State in viis Domini, & interrogate ſemitas ejus, 1234. e
15. 19. Si ſeparaveris pretioſum à vili, tamquam os meum eris, 854. c
31. 22. Novum creavit Dominus ſuper terram; femina circumdabit virum, 719. b & ſeqq
Thren. 1. 12. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. 371. a
3. 25. Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te, 853. c
4. 2. Filii Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, 1113. f
20. In umbra ejus vivemus inter gentes, 1414. a. e
Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii, 18. d
Osee 10. 12. Seminate vobis ad juſtitiam, metite ſpem vitæ, illuminate vobis lumen ſcientiæ, 1401. b
14. 6. Juſtus germinabit ſicut lilium, 1431. b
Joel 2. 12. Convertimini ad me in toto corde veſtro, 816. f 817. d
15. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, 811. b
Mich 7. 6. Inimici hominis domeſtici ejus, 22. f
Abac. 3. 6. Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus, 859. d. f
Math. 1. 19. Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam, 741. e & ſeqq.
2 2. Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum, &c. 202. a & ſeqq.
2. 11. Obtulerunt magi Domino aurum, thus & myrrham, 1240. e
2. 23. Quoniam Nazaræus vocabitur, 614. d
3. 15. Sic decet nos implere omnem juſtitiam 804. e
5. 1. Videns Jeſus turbas aſcendit in montem, &c. 1024 d & ſeqq.
5. 3. Beati pauperes ſpiritu, 483. c. 1195. f & ſeqq.
5. 25. Eſto conſentiens adverſario tuo, 1237. a. 1373. e
6. 9. Pater noſter, qui es in cælis, 1013. a
10. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, 1088 b
16. Nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes, 815. f & ſeqq.
17. Tu autem cum jejunaveris, unge caput tuum, 815. c & ſeqq
22. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, 71. a
11. 6. Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me, 104. a
28. Venite ad me omnes qui onerati eſtis, & ego reficiam vos, 160. d
29. Tollite jugum meum ſuper vos, 32 b
Ibid Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, 468. c. d. 727. e
13. 33. In farinæ ſatis tribus, &c. 454. c. 780. e
44 Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, 1195. b
50. Ibi erit fletus & ſtridor dentium, 843 d
16. 13. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis, 364 a
18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, 186. d
18. 3 Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum 958. e
9. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, 1022, e & ſeqq.
21. 7. Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, &c. 1361. e
22. 2. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, 1258. b & ſeqq.
23. Ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores 615. b
24. 36. De die autem illa vel hora nemo ſcit, 563 d
26. 39. Si fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, &c. 905 a
Marc. 8 2. Miſereor ſuper turbam, quia jam triduo ſuſtinent me, &c. 938. c & ſeqq.
14. 21. Melius ei fuerat, ſi natus non fuiſſet homo ille, 1397. f
16. 1. Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, &c. 1190. f. & ſeqq. 1211. d
14. Recumbentibus undecim diſcipulis, &c. 911. a & ſeq
16. Qui vero non crediderit, condemnabitur, 629. b
Luc. 1. 15. Spiritu ſancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ 170. a
34. Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco, 1009. e
2. 52. Jeſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines, 740. a
6. 23. Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis, 523. d & ſeqq.
7. 8. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, 150. c
9. 23. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, 1194 e
10. 16. Qui vos ſpernit, me ſpernit, 10. b
38. Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, &c. 1000. d & ſeq. 1183
11. 5. Quis veſtrum habebit amicum, &c. 910. b & ſeq. 1191 d. e
14. 11. Omnis qui ſe humiliat exaltabitur, 1394. f
23. Compelle intrare, 617 b
15. 2 Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, &c. 1201. e & ſeq.
8. Quæ mulier habens drachmas, &c. 615. f
13. Omnia bona ſua diſſipavit vivendo luxurioſe cum meretricibus, 1421. d
16. 25. Memento, fili, quia recepiſti bona in vita tua, 12 f
17. 10. Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite quia ſervi inutiles ſumus, 1118. c
18. 14. Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, 1125. a & ſeq.
41. Quid vis ut faciam tibi? 957. d
22 38. Ecce gladii duo hic, 438 b
Joh 2. 6. Erant ibi poſitæ lapideæ ſex hydriæ, &c 1187. f & ſeq. 1129 c & ſeq.
3. 13. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis qui in cælo eſt, 1191. f & ſeq.
6. 44. Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum, 617. b
47. Et erit omnia in omnibus Deus, 1296. b & ſeq.
55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, 388. e
61. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. 832. b
64. Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui vivificat, 114 d
8. 6. Jeſus autem inclinans ſe digito ſcribebat in terra, 977. d
11. 39. Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim, &c. 1003. f & ſeq.
12. 25. Qui amat animam ſuam, perdet eam, 1379. a
13. 10. Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, 892. a
14. 6. Ego ſum via, veritas, & vita, 359. d. e 914. d
23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, 729. b

28. Si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad Patrem, 1587. f
15. 3. Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis, 806. d
17. 3 Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum, 1283. f
20. 17. Noli me tangere, &c, 1368. f & ſeq.
21 7. Miſit ſe in mare, 422. d
15. Diligis me plus his, &c. 1147. a
Ibid. Si me amas Petre, paſce oves meas, 422. b
ACT. 1 93. Videntibus illis elevatus eſt &c. 569. b
2. 15. Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt 1435. d
9. 4. Saule, Saule, quid me perſequeris, &c. 935. c & ſeq.
20 14. Nec facio animam meam pretioſiorem quam me, 1378. b
ROM. 1 17. Juſtus ex fide vivit, 112. e
8. 15 Et nos ipſi primitias Spiritus habentes, 620. b
28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, 830. c 1086 b 1165. b & ſeq.
32. Quomodo non omnia etiam cum illo nobis donavit, 1085. f
11. d Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, 430. f
12. 3 Non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem, 1599. e
17 Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, 970. b 1149 b
19. Mihi vindictam, & ego retribuam, 979. b
20. Carbones ignis congeres ſuper caput ejus, 1235. e
14. Carnis curam ne perfeceritis in deſideriis, 413. b
1. COR. 2 8. Quia ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, 818 d
3. 11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, &c. 1147. c & ſeq.
23. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, ſicut Chriſtus Dei, 370. d
7. 7. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem, 91 b
9. 19. Cum eſſem liber ex omnibus, omnium ſervum me feci, 410. e
10. 20. Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, 12 c
15. 10 Non autem ego, ſed gratia Dei mecum, 680. e
2. COR. 1. 12 Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, 1031. b, c
3. 17. Ubi Spiritus Dei, ibi libertas 616. a
5 6. Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino 322. d 325. c
10. 17. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat 1100. e
11. Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes? 429. f
12. 9. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti, 570. b.
GAL. 2. 20. Vivo ego, jam non ego, 1578. c
EPHES. 3. 18. Comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum 437 b & ſeq
PHILIP. 2 7. In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, 838. c
3. 13 Unum autem, quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea quæ ante ſunt me extendo, 1437. c.
15. Quotquot perfecti ſumus, hoc ipſum ſentiamus, 154. a
20. Converſatio noſtra in cælis eſt, 522. d 523. a
4. 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, 1122. b
1. TIM. 1. 9. Juſtis non eſt lex poſita, 38 d, b 600. b
2. 1. Volo primum fieri obſecrationes: deinde orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, 1134. c & ſeq
3. 13. Qui bene miniſtraverit, gradum bonum ſibi acquirit, 1001 e
5 23. Modico utere vino propter ſtomachum, &c 379. d
TIT. 2 12. Sobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, 993. a
HEBR. 2 16. Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, &c. 562. a
5. 8 Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam, 562. b & ſeq.
11. 1. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, 649. e
13. 8. Jeſus-Chriſtus heri, & hodie, & in æternum, 1052. d
1. JOH. 4. 18. Perfecta caritas foras mittit timorem, 31. c
5 4. Omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum, &c. 905. f & ſeq.
5. 7. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus, 908 c, d
5. 8. Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, 907. c 909. d 910. a
5. 18. Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio cæleſtis conſervat illum, 614. d 811. a 1095 f 1344. f
APOC. 5. 1 Vidi in dextra ſedentis ſuper thronum librum ſignatum ſigillis ſeptem, &c. 896 b & ſeq.
5. 5. Vicit Leo de tribu Juda, 892. d
5. Ecce vicit Leo de Tribu Juda, 1290. b & ſeq
6. 10 Vindica, Domine, ſanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt, 1033 f
12. 1. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, &c. 1007. b & ſeq.

I N D E X
R E R U M E T V E R B O R U M
VOLUMINIS PRIMI S. BERNARDI.

Littera N. deſignat Notas marginis inferioris; cetera litteras columnis interjectas.

ABAELARDUS Guillelmi de Campellis diſcipulus dein adverſarius, 14. e. Ejus temeritas, ſcripta, & errores, 18, d, e Libri ejus, &c. V. Petrus Abaelardus.
ABBAS beatitudinis titulo compellatus, a 68. e Item ſanctitatis, 211. e 212. d 340. b 346. c Reverentiæ 292 c Serenitatis, 346. c Magnitudinis, 210. d Coronæ, 213. b.
Abbas electus profeſſiones monachorum accipiebat, 298. a Abbatis promotio eſt filii emancipatio, 92. c. Is tamen non deſinit eſſe monachus, 475 e Et Regulæ ſubjectus, 24. c 503 d 504. a Debet eſſe tamquam unus è monachis, 475. c. Profeſſionis ſuæ non ſit immemor, 1256. b. Non tam propter bonos, quam propter vitioſos inſtitutus, 75. d Sit mandatorum cultor, & ultor vitiorum, 503. c Abbatem monachis virtute inferiorem eſſe turpe eſt, 392. a Doctrina ei neceſſaria, 287. c. Humilitatem & obedientiam exemplo docere debet, 475 e In Regulæ diſpenſatione quid ipſi liceat, 503. d & ſeq
Abbatum luxus & ſuperfluitates notantur, 538 b & ſeq. Item exemtionibus præpoſitere ſtudentes, 475. b & ſeq Item qui pontificalia inſignia ambiunt, 476 d.
Abbas an cum hoſpitibus cibum ſumere debeat, 218. f Id in Ciſtercienſi abbate improbatur 398. d. Abbas auditis in Capitulo fratrum ſententiis, eorum conſenſum non tenetur exſpectare, 356. d, e. In Deum ſit prævaricatio, quoties abbatis juſſio prætentur, 312. a.
Abbas Ciſtercii ex omnibus abbatibus & monachis Ordinis eligi poteſt, 319. f Abbates Ord. Ciſterc. peregrinationes aggredi non poſſunt extra permiſſum abbatis Ciſtercii, & ſui epiſcopi, 19. e 20 b. Abbatis officium ſibi impoſitum fugit abbas de Spina 335. d Abbati dignitate ſua exonerato pium conſilium, 98. e. Vide Paſtor, Prælatus.
Abjectionem anxie ferre nævus in pulcro corpore, 247. c
ABRAHÆ prima de Incarnatione verbi promiſſio facta, 1055. f Abrahæ ſinus ſeu limbus Patrum in inferno, 1013. e. Abrahæ ſinus an poſſit dici præſens ſanctorum requies, 1016. a
Abrenuntiatio in baptiſmo, 1107. e
ABSALON archiepiſcopus Lundenſis, 149. n.
Abſcondere magis utile eſt, quam oſtendere quid boni habemus, 727. a Abſentes ab invicem pro locorum diſtantia non cenſentur boni, 148. c Secus mali etiam cohabitantes, 149. a
Abſentia amici ut ferenda, 74. e Abſentiæ & præſentiæ Sponſi viciſſitudo, 1384. b Abſentia Sponſi quomodo modicum & non modicum duret, 1527. f
Abſtinentia ſuperſtitioſa & indiſcreta damnatur, 1483. d Novitii cujuſdam rigida & mirabilis abſtinentia, 392. b Abſtinentiæ catholicorum & hæreticorum diſcrimen, 1496. c, d Abſtinentia ſuperſtitioſa Manichæorum à certis cibis, 1496. f
Abuſus paſſim ſic invaleſcunt, ut pro ordine teneantur, 535 a Triplici motivo ſervantur. ibid. Abuſus in potu apud monachos præſtringuntur, 536. a, b Abuſus rerum Eccleſiæ quantum peccatum, 395. a Abuſus honorum & bonorum Eccleſiæ notatur, 1255. e, f. Abuſibus & vitiis fruſtra obtenditur conſuetudo, 436 c
ACADEMICI dubitant de omnibus, 650. e
Acceptio perſonarum Pontifici vitanda, 426. b Acceptio divitum præſtringitur, 437. b
Accidentia in Euchariſtia, 637.
ACTIO contemplationi præmittenda, 1527. b & ſeq. Ab actione ſalutis initium, 1000. d Actionis & contemplationis viciſſitudo, 1441. f 1462. d 1464. a Actioni totum non dandum, 421 a Actiones & paſſiones noſtræ ut ordinandæ 819 c Actiones variant cauſæ impulſivæ, 505. f
Activa vita magis neceſſaria contemplatione, 1290 d Activæ vitæ cultoribus utile monitum, 1001. a Alii activæ, alii contemplativæ vitæ magis idonei, 1410. d
ADALBERO epiſcopus Metenſis, 43 n.
ADALBERTO epiſc. Virdunenſis, 65. n. 175. n.
ADAMI ſtatus ante peccatum, 813. e Adæ conditio in ſtatu naturæ integræ, 089 b Sopor, raptus ecſtaticus, 813. b, c Adam in paradiſo an triplici libertate præditus, 611 a & ſeq. Plus debebat Conditori, quam uxori. 1295. b
Adæ caſus per quos gradus, 1224. a Ei defuit vera juſtitiæ cuſtos, 1057. c Adæ & dæmonis peccatum in Filium, 1308 d

Adami inobedientia unde tam culpabilis, 511. d Adæ inhumanitas erga uxorem, 1028. c Adami hereditas labor & dolor, 888. d Adæ & Evæ ſolatium per Mariam, 717. c V. Eva. Adæ imitatores quinam, 1037. e, f

Adam Abbas S. Dionyſii 78. a

Adam monachus Canacenſis ad Claravallenſes tranſit, 280. c, a

Adam monachus Celſienſis, 714.

Adam monachus Morimundi, 14. a 35. b 72. a, b Converſationis initia in Majori-monaſterio, dein Fuſniaci confectæ, 56. b

Adamarus novitius Fuſniacenſis ejectus à Priore, 363. b, c Pro ejus receptione intercedit Bernardus, 364. f 365. b & ſeqq.

Adela Guillelmi Conquiſitoris filia, mater Theobaldi comitis, 52. a

Adela Ludovici junioris mater, 209. a

Adelaïs ducifſa Lotharingiæ à Bernardo converſa, ſanctimonialis in parthenone Tartenſi, 125. a Erga Bernardum benefica, 126. c 127. b

Ademarus epiſcopus Rutenenſis, 303. a

Adhærendo ei qui ſemper & beate eſt, ſemper eſſe & beate eſſe poteramus, 36. b Adhærendum Chriſto capiti, 814. c & ſeqq.

Adjutorii divini expers triplex hominum genus, 828. c & ſeqq. Quinam habitent in adjutorio Altiſſimi, 839. d

Adoleſcentes decet verecundia, 1567. a Adoleſcentibus eccleſiæ dignitates non concedendæ, 433. d

Adoptio Chriſtianorum, 905. f

Adrianus IV. Papa, 398. a 399. c

Adventus nomen toti mundo notum, ſed ratio nominis non ita, 717. a Adventus Chriſti neceſſarius, 721. f & ſeqq. Ejus circumſtantiæ, 717. c 723. c Venit ad homines, venit propter homines, venit homo, 723. c Adventus Chriſti triplex, in carne & infirmitate, in ſpiritu & virtute, in gloria & majeſtate, 728. f Item triplex, ad homines, in homines, contra homines, 734. c Duplex, 736. d Primi & ſecundi diſcrimen, 913. d Secundus ſeverus, 805. d, c Hunc Eccleſia deſiderat, 1524. c Et glorioſior, 731. c Primus ad animam, ſecundus ſpectat ad corpus, 730. a Chriſtus venit ut adjuvaret & doceret nos, 1187. c Non ſolum inſtructionis, ſed & liberationis cauſa, 656. b & ſeqq. Ut nos cæleſtes faceret, 1363. e Ut nos doceret aſcendere, 918. f Adventus Dei ad nos ſpiritalis, 730. f

Adverſarius bonus, correptor, 1373. c

Adverſitas in ſcripturis nocte deſignata, 816. b In proſperitate & adverſitate tota hominum vita verſatur, 888. c Vita præſens verſatur inter ſpinas & eculeos, 1432. c Adverſitatis & proſperitatis viciſſitudo utilis, 143. c Adverſis non lædi difficile niſi Deo protegente, 1451. b, c Magnus qui incidens in adverſis non excidit vel parum à ſapientia, 435. a Proſperitas plures dejicit quam adverſitas, 1045. c In adverſis propriis & alienis ut ſe gerendum, 414. f Nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, 496. a 843. a 866. c

Advocatorum abuſus præſtringuntur, 414. f & ſeqq.

Adulatores cavendi, 179. f Vulpes ſunt demolientes vineas, 1482. f Eorum oleum venenoſum, 80. f Hi ab eccleſiæ dignitatibus excludendi, 439. c Non omnis laus adulatio, 81. a

Ægeas Proconſul, 1059. d

Ægyptus interpretatur tenebræ, 1043. c Ægyptus per filiam Pharaonis deſignata, 907. b

Ægyptii monachi diu abſtinuere à piſcibus, 6. c

Æmulatio pia virtutis alienæ, 1453. f

Æquali debemus conſilium & auxilium, & quomodo utrumque exhibendum à monachis, 725. b, c

Æqualitas animi ut ſervanda, 1332. b Æqualitas perfecta in perſonis Trinitatis, 648. e

Aër, dæmonum ſedes, 573. d

Æſtas caritas, hiems timor ſervilis, 1467. e

Æterna meretur faſtidiens terrena, 877. d

Æternitatis imago perſeverantia, 458. e Operà hominis ſemina æternitatis, 485. b

Æternæ retributionis affluentia, 1526. f

Affabilitas in epiſcopo, 444. b

Affectiones animæ per pedes deſignatæ, 898. a Affectionum diverſitas, 1881. d Totum cor eſt in quatuor affectionibus, amore & timore, gaudio & triſtitia, 817. f Monſtra quatuor affectionibus quatuor incubantia, 879. a Affectio triplex, carnis, rationis, ſapientiæ 1439. b Affectiones quomodo purgandæ, & ordinandæ, 817. f 1184. c Affectionum ordo ſapientia, 1440. a Affectiones ordinatæ ſunt virtutes; inordinatæ, perturbationes, 1184. a Affectiones quatuor in Chriſto ordinatæ ab utero, 1184. c Affectiones Verbi & animæ ſponſi & ſponſæ nomina aptiſſime exprimunt, 1181. d Affectiones humanæ in patria in divinas commutantur, 611. a

Affectus habent voces ſuas, 1501. a Affectui nec leges nec principes dominantur, 178. e Affectus carnalis vino ſimilis, 1491. e Affectus animi in Deum, 438. c Affectus patris in filium, 65. c Affectus boni prælati erga filios, 1291. e, f Affectus perfectiorum erga imperfectos, 1339. b Affectus Spiritus-ſancti in nobis, 929. c Affectus & intellectus noſter purgandus, 915. a Affectus per Chriſtum in Apoſtolis ſenſim purgatus, 926. a & ſeqq. Affectus quatuor quibus orandum eſt, 1288. b & ſeqq.

Afflictorum eſt proprium, ut moleſtiis eximi ſummam reputent felicitatem, 854. b Vide Adverſitas, Tribulatio.

Agriculturæ ſpiritualis elegans tropologia, 991. a

Aildicurtis monaſterium Canonicorum regularium, 85. c

Alæ duæ animæ, cognitio & devotio, 949. a Item natura & gratia, 951. f Item ſpes & timor, 1236. c Quæ competant diabolis, 954. d Alæ quibus Seraphim velant Dei caput, admiratio & veneratio, 954. a Alæ quibus pedes velant, prudentia & fidelitas, ibid. c Alarum multiplicitas in Seraphim quid ſibi velit, 949. a 951. d

Alacritas laudantium Deum cæleſtis habitationis ſtatum repræſentat, 1294. f

Alanus ex abbate Ripatorii epiſcopus Autiſſiodorenſis, 269. a 272. a 399. c Ejus controverſia cum Vvillelmo comite Nivernenſi, 377. a Hanc controverſiam dirimit Godefridus epiſcopus quondam Lingonenſis, ibid.

Alardi monachi Fuſniacenſis in expellendo novitio audacia & obſtinatio, 363. b & ſeqq.

S. Albani monaſterium apud Anglos Mercios, 191. a

Albericus abbas Benedictionis-Dei, 168. a 169. a

Albericus epiſcopus Oſtienſis, 201. a 202. b 215. c 228. a Elogium ejus, 238. d Et legationes, ibid. a

Albericus archiepiſcopus Bituricenſis, 200. a

Albericus Remenſis de Porta-Veneris, 33. a Albericus Remenſis Magiſter in Francia dictus, 33. a Petri Abælardi condiſcipulus & adverſarius, 33. a Catalaunenſis epiſcopus electus, 33. c a Archiepiſcopus Bituricenſis creatus 33. a Ejus obitus 33. a Bernardi de eo ſuffragium, 34. c

Albero primicerius Mettenſis, 44. c Quatuor ejuſdem nominis Metenſes primicerii, 44. a

Albero archiepiſcopus Trevirenſis, 44. a 172. d, a 174. c Ejus labores pro eccleſia, 171. d De ſuffraganeis ſuis queritur, 173. c A terminandis diœceſis ſuæ negotiis excluſus, 175. d Monaſterium S. Maximini de manu laica liberat 176. b, c a Et reformare meditatur, 176 c Virdunenſe S. Pauli monaſterium, expulſis monachis, concedit canonicis Præmonſtratenſibus, 175. a, a

Albero epiſcopus Virdunenſis, 63. 173. a

Albertus incluſus, 360. e

S. Albini monaſterium apud Andegavos, 194. a

Alciacum monaſterium ord. S. Bened. 361. a Pro eo terram incultam ab Rorgone de Abbatis-villa petit S. Bernardus, 362. b

Aldebaldus pronia Alienoræ reginæ, 209. a

Aldo abbas Caſtellionenſis, 272. a

Alexander III. Papa, 398. a

Alexander epiſcopus Lincolnienſis, 64. c. a

Alexander abbas Fontanenſis in diœceſi Turonenſi, 298. a

Alexander abbas primus Kirkſtallenſis, 298. a

Alexander Prior de Fontibus, 297. d a

Alfonſus epiſcopus Papienſis, 41. a Alfonſus Bonus rex Caſtellæ & Legionenſis, 321. a

Alfonſus Portugalliæ rex, 289. b Saracenos vincit, monaſteriumque fundaturum ſe vovet, 371. d, a

Algrinus archidiaconus Aurelianenſis, 210. a Concordia ejus cum Ludovico Juniore, 210. a

Alienora Francorum regina, 199. a Ludovici Junioris conjux, 209. a

Alleluia in Septuageſima reticetur, 813. f, a

Alpenſes monachi ad Ciſtercienſem ordinem transferunt, 147. d, e Laudantur, 147. c & ſeqq.

Altum, profundum, longum & latum cavendum, 433. f

Alta-cumba monaſterium Ord. Ciſterc. 41. c 59. a

Altare pro eccleſia parochiali cum decimis, 353. e d, o Altare de quo Johannes in Apoc. Chriſti eſt humanitas, 1036. b Clerici præ monachis vivere debent de altari, 353. e Reliquiæ ſub altari, 687. b

Alturnie civitas à Piſanis expugnata, 146. b

Alvisus abbas Aquiſcinti, 61. a Ejus carmas, ibid. Dein Epiſcopus Atrebatenſis, 86. a 274. a S. Bernardi amicus, 353. d A monachis Marchianenſibus accuſatori 311. d

Amalfia civitas à Piſanis expugnata, 146. b

S. Amantii monaſterium ord. S. Bened. in villa Buxia, 282.

Ambitio eſt adoratio diaboli, 817. c Draconi comparatur, 869. a Videri refugit, 833. b Sobria, 833. d Cæca & frontoſa, 833. d Confuſioni & contemtui obnoxia, 833. c Crux ambientium, 427. e Pacis inimica, 434. c Plus terit limina Apoſtolorum quam devotio, 427. c Præclara ejus deſcriptio, 877. Ambitio in clericis præſtringitur, 478. d Item in monachis, 476. d Item in clericis & monachis, 733. e & ſeqq. Ambitionis ſuſpectus eſt clericus curiam frequentans, 439. c Ambitionis fomes, mentis alienatio, oblivio veritatis, 837. d. Ambitionis antidotum, 837. d

Ambitioſi ſatanæ ſectatores, 919. a Arguuntur, 924. b Ambitioſus non ſapit ea quæ Dei ſunt, 736. a Ambitus poteſtatis & ſcientiæ quantis malis obnoxius, 919. c, f Ambientes eccleſiæ miniſteria præſtringuntur, 492. a & ſeqq. Ambientes rejiciendi, fugientes aſſumendi ad dignitates, 439. f Ambientium ſubdola humilitas, 439 c Ambitioſis plena eccleſia, 435. b

S. Ambroſius cæleſtis fiſtula, 13. Columna Eccleſiæ, 629. a A tribunalibus ad epiſcopatum raptus, 17. a 43. c S. Monicam Africano more offerentem prohibet, 215. f Romæ exiſtens ſabbati jejunium ſervat, Mediolani ſolvit, A puero mundus, 87. a 215. e

F. Ambroſius Mediolanenſis, 143. a

Amedeus abbas Altæ-cumbæ, 59. a

Amedeus Comes Gebennenſis, 102. d

Amedeus epiſcopus Lauſanenſis, 713.

Amicitia ignotos & abſentes notos facit & præſentes, 119. c Habet vera amicitia nonnumquam objurgationem, adulationem numquam, 148. a Corpora pro Dei cauſa ſeparat, non animos, 312. b Clauſum nihil tenuit mente, 213. d Amicitia ſpiritualis ſemper & ubique ſibi conſtans, 66. b Tunc vera erunt amicitiæ, ſi veritatis factum ſocietatæ conſorto, 92. f Amore indignus qui amico ſervit contra Deum, 215. c

Amicus alter ego, 59. b Amici veri regula, 263. d Inter amicos contra veritatem nulla debet eſſe meticuloſa palpatio, 48. d Amici officium, terrere ſalubriter, 87. c Amici abſentia ut ferenda, 74. e

Nemo ſe amari diffidat qui jam amat, 1143 a
AMOR cæteros affectus abſorbet, 1558. a Maxime conjugalis, ibid. Dominum neſcit, 1468. c Agnoſcit filium vel in infulis, 408. Amori cedit majeſtas, 1467. d Amor & odium judicium corrumpunt, 505. c Ordinate amandis inhæret, qui timenda non negligit, 1184. c Amantis vis & energia, 408. 1545. c Amanti nihil difficile, 829. a Dolores ex amore naſcentis vis & vehementia, 2. b Amoris ardor impatiens, 1288. d Vox ejus & locutio qualis, 1581. b Cum præſto eſt quod amatur, viget amor; languet cum abeſt, 1442. a Ubi amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor, 1564. d Amor ſolus ſibi ſufficit, 1558. c, d Amoris vera regula, 82. e
Amor res magna, ſed ſunt in ea gradus, 1558. c Quatuor ejus gradus, 31. e Exponuntur, 601. a Quartus in hac vita impoſſibilis, 31. c, 602. b Amoris primus gradus, amor ſui, 595. c Præcepto non indicitur, ſed naturæ inſeritur, ibid. f Temperatus præceptis amoris proximi efficiturque ſocialis, 594. a, b Amoris gradus ſecundus amare Deum propter ſe, 594. f Tertius amare Deum propter ipſum, 595. a Quartus non ſe amare niſi propter Deum, 595. d Felicitas illius ſtatus, ſed in hac vita brevis, 595. e, f Eo affici, deificari eſt, 596. b Amor triplex, dulcis, prudens, fortis, 1145 d Amor triplex, carnalis, rationalis, ſpiritualis, 1329. c Amor quintuplex ſecundum quinque corporis ſenſus, 1106. d & ſeqq. Amor boni apparentis, 38. a Amor dulcis excludit concupiſcentiam carnis, amor prudens curioſitatem, amor fortis ambitionem, 1146. d & ſeqq. Amor ſpiritualis à carne incipit, 32. d Amor caſtus & juſtus quis, 595 b Amor verus præmium non requirit, ſed meretur, 591. c Amor verus ſeipſo contentus eſt: præmium habet, ſed id quod amatur, 591. d Amor animæ verus & fidus, quo veritas amatur, 1339. f Amoris & ſcientiæ neceſſaria copula, 1107. c, f
Amoris vis in Deo, 1487. b Amor Dei erga hominem fortis & conſtans, 1018 b Eſt nota prædeſtinationis, 113. e Amor Dei noſtrum prævenit, 1510. a Eumdem libenter ſubſequitur, 114. a Amor noſter nihil, divino comparatus, 1359. a & ſeqq. Amor Dei erga homines contra dæmones, 1319. c Amoris Dei erga nos duplex argumentum, 114. b Amoris Dei origo ex donis & tribulationibus, 594. d, e Flagella amoris Dei indicia, 39. e Amoris divini nullum certius teſtimonium ejus correptione, 1100. f Amabilis Deus, qui eſt amor quo amas, & quo amaris, 458. b
Amor Dei a Deo eſt, 127. b Amor Dei amorem animæ parit, 1509. f Eſt indicium Dei amantis, 15 9. e Solo amore fit ſatis Deo, 1558. d Fructus & præmium ejus, uſus ejus, ibid. Deus mavult amari, quam timeri & honorari, 1558. b, e Totus ei reddatur amor & honor, à quo nobis eſt totum, unde honorare poſſumus, vel amare; unde amari, honorarive meremur, 861. b Deo moleſtus eſt, quiſquis nec majeſtatem ejus cogitat in timore, nec caritatem cum amore meditatur, 721 f Amoris debitum Chriſtianis quantum incumbat, 590. a & ſeqq. Amoris præceptum fortius obligat fideles novæ legis, quam antiquæ, 590 c Sine amore Dei cæteri amores caduci, 1107. d Amor Dei verus quis 1328. c Amantis Deum auſus, & Dei dignatio, 1304. e Amantis magna ſecuritas, 1561. a, b Purus amor mercenarius non eſt, 1558. e Non tamen ſine mercede ibid. Amoris glutino conſtat unitas inter Deum & hominem, 1516. e Amor Dei an præcedat dilectionem proximi, 1241. d, e Timore vocamur, amore juſtificamur, 112. Amare in Deo, caritatem habere eſt: ſtudere vero propter Deum amari, caritati ſervire eſt, 97. a
Amor ſponſæ caſtus, ſanctus & ardens, 128. a Amanti Deum animæ omnia cum Deo communia, 1437. a Amandus Deus non ſolum dulciter, ſed etiam fortiter, 1325. f Amandus Deus dulciter, prudenter, fortiter, 1327. c & ſeqq. Amor tunc erit temperans & juſtus, ſi quod voluptati ſubtrahitur, fratrum neceſſitati non negetur, 594. b Amoris noſtri fructus menſura ſine menſura, 1296. a Amans Deum anima & ſoror, & ſponſa, & filia vocatur, 1287. f Amans Deum anima indeſinenter inquirit viam in qua ambulet, cautelam qua ambulet, & ad quam ambulet manſionem, 1587. d
Amor Chriſti pro nobis 215. b Chriſtus pro ſua in animam dignatione quantum amandus, 108. d Sponſus unde ſibi tantum conciliavit amorem, 1521. e, d Amoris incentivum meditatio Incarnationis & Paſſionis Chriſti, 1195. e & ſeq. Amoris Dei magnum incentivum Chriſti paſſio, 586. f Amandus amplius Chriſtus de opere redemtionis quam creationis, 1326. d, c Amor carnalis erga Chriſtum deſcribitur, 326 c Amans Jeſum ejus injurias ferre non poteſt, 422 b Amor diſcipulorum ante Aſcenſionem Chriſti dulcis, non prudens, nec fortis, 1327. f Eccleſiæ amor in Chriſtum conſtans, 1544. f Amori Chriſti potius cedendum quam morti, 107. f Amor noſter in Chriſtum, qualis eſſe debeat, 1327. e Amatorum Chriſti diſparitas, 1329 c
Amor mutuus fratrum, 1154. c Amor à parentibus maxime cavendus, 1337. a Amor propriæ ſententiæ cavendus, 216. d Amor parentum in ordinandis, 109 a, b Amor parentum amori Crucifixi cedere debet, 299. d V. Caritas, Dilectio. Qui me amat, amat, & canem meum, 1080. b
ANACLETUS, V. Petrus Leonis.
S. ANASTASIUS, ad Aquas-Salvias monaſterium Ord. Ciſt. 178. a
S. ANDREÆ apoſtoli elogium, 1117. b Non terretur animus ejus ſuppliciis, 1059 e Andreæ ad crucem anhelitus, 1059. b, e, 1064. b & ſeqq. Acta ejus ante annos nongentos extara, 1059. a S. Andreæ fides inſtar grani ſinapis, 1059. d Jejunium in vigilia S. Andreæ, 1059. 6
ANDREAS avunculus S. Bernardi, 178. c a Terræ ſanctæ peregrinator & miles templi, 2. 7. a
ANDREAS miles templi, 1. 2. a
ANDREAS frater S. Bernardi, monachus Claræ-vallenſis, 1. 2. a 178. c a
ANDREAS de Baldemento, 172. a 178. c a 209 a 210. c 495. Presbyter, 377. b
ANDREAS Comes de Ramerugo, 61. a
ANGELUS epiſcopus Ebroicenſis, 29. a
ANGELORUM diverſi ordines, 1361. e In ſingulis ordinibus quid conſiderandum, 449. a & ſeqq. Angeli an ſint corporei, 447. e 1378. e f Eorum eminentia & dignitas, 1019. d Sunt ſolium Dei, 951. e Creaturas norunt in Creatore, 1104. c Eorum virtutes à Deo, 449. d & ſeq. De nominibus, officiis & diſtinctionibus angelorum, 447. d f & ſeqq. Eorum ordines & eorum nomina myſteriis plena, 1051. a
Angelorum opera, 1412. f Eorum ſubtilitati omnia pervia, 744. b Angeli beati & hominis viatoris diſpar conditio, 1188 e Angelici intellectus perfectio præ humano, 1378. a Angelicæ naturæ cognata eſt anima humana, 1020. d Angelorum & hominum cibi diſcrimen, 1449 a Angeli quomodo oves & montes, 1449. a & ſeqq. Per capreas cervoſque camporum deſignati, 1446. d Angeli aſcendentes & deſcendentes è ſcala Jacob proficientes & deficientes deſignant, 98. b Angeli aſcendunt per Dei contemplationem, deſcendunt per noſtri compaſſionem, 859. a Eorum aſcenſus & deſcenſus quomodo imitandus, 860. e Angelorum mors, contemplatio, 1446. 6
Angelis quomodo ignotum Dei conſilium de Incarnatione verbi, 634. a Eis incognitum tempus adventus Chriſti, 634. b Iiſdem Chriſtus ſublimior, 1525. c Ab iis quomodo minoratus, 1525 f Angelus vincit Chriſtus alacritate miniſtrandi, 1451. b Angelis etiam Chriſtus factus eſt redemtio, & quomodo, 1336. a Cui homo redemtus, non Angelus, 718. a, b Angeli quanto amore in Chriſtum ferantur, 1581. d Sponſæ cum Angelis familiaritas, 1584. e Sponſa una ex angelis & hominibus, 1512. d Angelis aſſimilari cupit eccleſia, 1363 a
Angeli Eccleſiæ cuſtodes, 1519. d Angelorum cuſtodia munit eccleſias, 1026 c Eccleſiæ maceria, 1478, a Dei bonitas in cuſtodia Angelorum, 862. a & ſeqq. Angelorum cuſtodum duæ manus, 864. c Angelorum cuſtodia ſemper præſto eſt animæ piæ, 1407. c Angelorum nobis præſentiam non deeſſe probat fides, 864. a Angelorum protectio quam nobis neceſſaria, 863 e Angelorum erga nos dignatio & caritas, 1019. d, e 1361. f Angelorum erga pias animas officia, 1381. d, e Angelorum erga homines officium quod, 862 d Angeli quam noſtræ ſalutis cupidi & ſtudioſi 759 e Quam ſolliciti, 1020. b Angeli ſancti nos conſolantur, viſitant, & adjuvant propter Deum propter nos, & propter ſeipſos, 1020. e Eorum beatitudo creſcit ex noſtra, 1506. Fiducia erga eos maxima habenda eſt, 1050 c Ab eis quærendum auxilium, 1116. c In tribulationibus & tentationibus invocandi, 864. a Angelo duce opus eſt moribundis, 159. c Angelorum manibus deferuntur in cælum animæ defunctorum, 864. e Angelis debemus reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia, 862. f & ſeqq. Angelus quomodo inſit homini, quomodo Deus, 450. a
Angelis grata exercitia & virtutes, 1 21. a b Concordia & unitate delectantur, diſcordiis & diſſenſionibus ad indignationem provocantur, 1021 b & ſeqq. Adſtant orantibus, 744. a 1283. b & ſeqq. Orationes noſtras Deo per eos innoteſcunt, 1284. d Se miſcent pſallentibus, 50. b Eos recreat pſallentium devotio, 1284 a Quare honorandi, 1058. e Eorum offenſa quam ſollicite cavenda, 1020. f Angelicæ erga nos dilectionis & ſollicitudinis obſtacula, 1022. c d Angelo Gabrieli Maria cuſtodienda ab initio tradita, 636. a Angeli admirabundi in aſſumtione B. Mariæ, 1003 c
Angelorum ſuperborum lapſus, 945 d Singularitas, 909 Teſtimonium in cælo ad diſcernendos angelos beatos à reprobis, 908. e Angelorum principem in diabolum commutavit ſuperbia, 718 b Angeli & hominis caſus ex ſuperbia, 1308 a Angelo minus punitus homo, 1508. b
ANGUILLARUS comes, 182. a
Angli magis fornicatores quam Galli, 711.
ANIMA hominis angelicæ naturæ cognata, 1020. d Animæ dignitas in duobus conſiſtit, 583. c Animam è cælo ducere originem quibus indiciis cognoſcatur, 1362. b Anima tota nihil eſt aliud quam ratio, memoria, & voluntas, 483. a 929. d 1296. b Anima non poteſt aliquando vivere ſine memoria, 456. b Animæ tria beneficia, dignitas, ſcientia, virtus, 585. b Non eſt in corpore velut in loco, 1202. b In omnibus membris, ſed ſingulariter in capite, 750. a Quoddam habet Trinitatis veſtigium, 1180 a Verbi & animæ cognatio vel ſimilitudo, 1546. c 1549 e 1550 a & ſeqq. 1551 1553. 1554. 1555. 1556 1557. Imaginis ſeu Verbi magnitudinem & rectitudinem anima refert, ibid. d Unde hæc aſtruenda, 1547. 6 Magnitudinis & animæ diverſitas, 1547. c Imaginis & animæ diſcrimen, 1546 f Rectitudinem amiſit retenta magnitudine, 1547. e Animæ idem eſſe ac vivere, non tamen bene ac beate, 1550. a Anima immortalis, non morte ſpirituali, 1550. e, f Sed naturali, 1551. a Etſi mutabilis affectibus, ibid. Animæ & Verbi conjunctio ſpiritualis, 1381. f & ſeqq Animæ & Verbi colloquium ſpirituale, 1465. a Anima libera quodam modo & ancilla, 1513. d, e Vide Libertas & Liberum arbitrium. Anima, etſi corrupta, magnæ gratiæ & felicitatis capax, 1357 b, e Conformitas animam Verbo maritat, 1557. 6, f 1566 b c Fornica-

ditas ejus ſpiritualis, *ibid. & ſeqq.*

Animæ cum corpore conjunctio, 779. d Animæ quantum conſtat corpus, 397. b Quantum debeat, 750. f Anima quantum præſtet corpori, 779. f Anima in corpore pacis & concordiæ ſymbolum, 1121. c Animæ tria erga corpus officia, 1505. c Animæ immortalitas & fides reſurrectionis, 846. a, b

Animæ vita, cognitio, ſenſus, caritas, 1254. a Animæ vita, veritas; ſenſus, caritas, 1106 c Animæ cutis, caro, & oſſa, 1098. c Sanguis, voluntas ejus, 1232. b Animæ pulcritudo duplex, humilitas & innocentia, 1423. a Ejus decor in honeſto, 1565. c *& ſeqq.* Animæ lingua, fervor devotionis, 1425. b Vox quid, 1478. f Nempe deſiderium, 1527. b Animæ alæ, ſpes & timor, 1216. c Animæ tres arces, 1254. d Animæ caſtrum, 1204. c Quam multiplicites impugnetur, *ibid.*

Anima ampla & anguſta, 1564. d Ejus quantitas pro menſura caritatis, *ibid.* c Ejus latitudo, dilectio ejus, *ibid.* b Quomodo creſcat & decreſcat, *ibid* c Eo magna, quo capax æternorum; eo recta, quo appetens ſupernorum, 1547. a Animæ cibus naturalis juſtitia, 393. b Verus animæ cibus ſpiritualium rerum intellectus, 978. b Item miſericordia, juſtitia, & gratia, 979. b Animæ panis cum faſtidio ſumptus non ſcientiæ nutrimentum, ſed conſcientiæ tormentum importabit, 1398. d Animæ cibus triplex juxta tres ſtatus, 561. b, c Animæ potius carnalis, ejus affectus & vita quam adminiſtrat corpori, 1578. d Animæ languor & aviditas ex ſuperbia, 1453. e Animæ doctrina & moribus apoſtolorum non indutæ Chriſtus inſidere non poteſt, 1361 c Animæ rationalis duo loca: inferior quem regit, caro, ſuperior in quo requieſcit, Deus, 1215. b Præſentior ubi amat, quam ubi animat, 523. a Ejus lectus, 1034. d

Anima animæ Deus, 1107. d Animæ vera vita Deus, 312. f 835. c 1107. d Animæ triplex potentia Deo quomodo implenda, 1037. c Animæ affectus in Deum, 458 c Dei dignatio in animam, 1445. b Ejuſdem illapſus in animam, 1382. b Soli Deo competit, 1279 a

Animam quantum dignetur Chriſtus, & quantum inde amandus, 808. c, d Anima regnum Chriſti, 750. b Quæ tyrannis ei infeſta, *ibid.* Chriſti nuptiæ cum anima, 808. c

Anima ſancta equitatui cur aſſimiletur, 1407. b Eſt quaſi cælum, 1363. b In ea velut in cælo Deus inhabitat, 1363. e Rationes ſeptem cur anima Verbum quærat, 1561. *& ſeqq.* *V.* Verbum. Sapientiæ effectus in anima, 1564. b *V.* Sapientia. Anima pia vocatur amica, 1409. b Anima pia & ſpiritualis quæ, 1507. c Cui animæ competat nomen ſponſæ, 1527. c 1566. b Anima amans recte ſponſa vocatur, 1282. e Anima ſancta & ſoror, & ſponſa, & filia vocatur, 1257. f Animæ ſanctæ an id conveniat quod Eccleſiæ, 1506. f Anima ſpiritualis quatenus pulcra, 1423. d Ejus pulcritudinem nihil in hoc mundo æquare poteſt, 1560 c Anima Deum ſitiens libenter moratur in horto, cellario, cubiculo, 1340. a Oris oſculum petit, 1282. d Animæ devotæ deſiderium ad meridiem lucis æternæ, 1389. d

Animæ malum, peccatum, 853. d Ejuſdem mors peccatum, vita, juſtitia, 114. d Animæ cum Deo ſimilitudo per peccatum non deleta, ſed alia ei ſuperinducta, 1354. c d Duo ejus mala: vanus amor mundi, amor ſuperfluus ſui, 1267. c Triplex hoſtis, caro, ſæculum, & principes tenebrarum, 758. c Corruptio triplex, 1201. e Animæ miſeriæ, 1079. c Triplex ejus miſeria, 1180. b Quadruplici vitiorum morbo laborat, 1234. b Corpus quod corrumpitur, quantum aggravet animam, 1050. a, b Eam enervat præſentium conſolatio, 343. d Anima talem inveniet carnem ſuam, qualem ſe exhibuerit erga Deum, 1026. d Deo rebellis carnem merito ſentit rebellem, 552. f Aridæ animæ, in diſcipulis præſertim s. Bernardi, querimonia, 1288. c *& ſeqq.* Animæ carnales mulierum nomine deſignatæ, 1405. c Tenellæ prægnantibus ſimiles, 467. d

Animæ vita corporis vitæ præferenda, 468. a Prius & potius curanda quam corpus, 729. f Animarum noſtrarum negotium nunquam obliviſcamur, 763. a Animæ ſalus corporis damno procuranda, 980. f Cura ſanctorum præcipua circa animam, 1332. f Animæ per vineas ſignificatæ, 1464. d Anima illi non credenda, qui ſuam perdidit, 164. c Animas ſuæ dignitatis immemores merito mundus deludit, 484. d, c Animam in recto corpore curvam gerere indignum, 1348. b c Animæ curvitas, quærere & ſapere quæ ſunt ſuper terram, rectitudo, meditari quæ ſurſum, 1348. c Animam à Deo ad creantas remitti pœna graviſſima, 1393. c *& ſeqq.* Animæ corpus collaborare debet, 750. d *& ſeqq.* Corpus pro anima exponendum, 843. b c Animæ propriæ cura alienæ præferenda, 1321. b *& ſeqq.* Anima quomodo cognoſcat ſeipſam, 1098. c Anima quomodo perdenda exemplo Pauli, 1578. d Paulus cur diſtinguat inter animam & ſe, 1578. b Anima cogitatione & aviditate in cælis commoretur, 1478. d Animam in vano accipit, qui nihil immortalitate dignum agit, 1118. c

Anima appetit quietem, ſed Chriſtus incitat ad laborem, 1430. c Animarum ſalutem impedire ſacrilegium majus eſt peccato Judæorum, 955. f

Ab animarum cura Ciſtercienſes diſſuadet Eugenius III. 267. b Vocatio ad curam animarum quibus indiciis agnoſcatur, 1464. d Ad cuſtodiam animarum quis idoneus, 1377. f Earum curam ambientes notantur, 1377. c Animarum rationem non habentes epiſcopi notantur, 443. d, c, o Animarum cuſtodes paſtores, 1556. e

Animæ tres ſtatus, 397. c 1033. c Anima in mortali corpore Deum nequit videre, 1403. f Anima pia qualem requirat Dei viſionem, 1382. a Animæ defunctorum deferuntur in cælum angelorum manibus, 864. c Animæ beatitudo in tribus, 1037. e Animabus beatis deeſt aliquid de gloria, ſed nihil prorſus ineſt de miſeria, 637. a Animæ ſanctorum corporibus exutæ non plene beatæ niſi poſt reſurrectionem, 1174. f Animarum amor in corpora, 596. f Animæ non perfecte beatæ ante reſurrectionem, 1203. a 1207. f Sine corporibus nec volunt, nec valent conſummari, 597. a A corpore ſeparatæ minus perfecte feruntur in Deum, 1033. f Degunt in atriis, 1077. c Animæ mortuorum pro diverſis meritis tria ſortiuntur loca, 1177. b Animæ in cælis beatæ elogia, 965. c Animæ ſanctæ orant pro ſui conſummatione, 1034. f Bernardi ſententia de animarum ſtatu, 710. Animæ reſumto corpore plene feruntur in Deum, 597. c *V.* Animus, Mens.

Anima bruti non vivit, niſi quamdiu vivificat, 108. c

Animalium vita, 1550. c

Animantia omnia, etiam quæ noxia videntur, homini utilia, 1478. d Etiam quæ ex coitu edenda, 1498. c

Animi affectiones & paſſiones ut ordinandæ, 817. f Animi æqualitas ut ſervanda, 1332. b In eo quomodo fiat habitatio Dei, 1364 b Animus de ſe non præſumens, omnia poteſt, 1563. d, c *V.* Anima.

Annuntiationis Domini circumſtantiæ expenduntur, 981. c *& ſeqq*

Ansellus clericus, 193. b

Anselmus ex abbate S. Vincentii Laudunenſis epiſcopus Tornacenſis, 475. n

Anselmus archiepiſcopus Mediolanenſis electus, depoſitus, 141. n

Anselmus epiſcopus Laudunenſis, 14 n

Anselmus canonicus Laudunenſis, 302. n 377. b

Anselmus epiſcopus Roffenſis, 194. n

Ansaricus archiepiſcopus Biſuntinus, 189. n Fabemiacenſes reformat, 310. n

Artelmus ſeu Nantelmus ex priore Portarum epiſc. Bellicen. 247 n 263. n

Antichriſti adventus à S. Norberto prædictus, 60. c

Antiphonarium Metenſe Gregorianum, 693. d Antiphonarium Ciſtercienſium à Bernardo & aliis emendatum, 692.

Apes Chriſtus comparatus, 782. d

Apostasia religioſis quam cavenda, 833. b Apoſtaſia cordis, 833. b Apoſtaſia deſcendere à majori bono, quod promiſſum eſt, ad minus, 140. c Tranſitus ad laxiora apoſtaſia cenſetur, 2. d 5. 6. n 293. c *& ſeq.*

Apoſtatæ novitii ab Ordine deficientes, item monachi ad laxiora reflectentes, 353. n

Apparitiones Chriſti, 901. c d In his deſignata ſeptem dona Spiritus-ſancti, *ibid.*

Appetitus hominis in ſummum bonum, 591. f *& ſeqq.* Appetitus eſt vis in animante, movendis avide ſenſibus attributa, 604. d Voluntarium ab appetitu diverſum, 604. a

Apoſtolicos fruſtra ſe jactant hæretici, 1497. a

Apostoli quatuor nobis præſtant, 995. a A judiciis & terrenis rebus alieni, 412. f Affectus in eis ſenſim per Chriſtum purgatus, 926. a *& ſeqq.* Diverſimode acceperunt Spiritum ſanctum, 927. c Eis duplex Spiritus-ſancti manifeſtatio facta, 928. e Cur præſente Chriſto Spiritum-ſanctum recipere non potuerunt, 925. c 958. c Nempe præſentiæ corporali Chriſti affixi, incapaces erant Spiritus-ſancti, 369. f Eorum ebrietas poſt acceptum Spiritum-ſanctum, qualis, 1411. d Mutatio item qualis, 958. c, f Artes liberales ignoraverunt, 1399. a Cur diſceſſum Chriſti ægre ferrent, 912. f *& ſeqq.* 915. d Cur viri miſericordiæ dicti, 993. d 994. f Docuerunt nos bene vivere, 929. d Apoſtolorum apoſtolæ mulieres, 1333. b Apoſtoli & apoſtolici viri Eccleſiæ cuſtodes, 1539. a Apoſtolorum ſemen ſumus, 995. c Apoſtolorum juſtitia permaneat, 995. b Apoſtolorum limina plus terit ambitio quam devotio, 427. c Eliæ Spiritus duplex apoſtolorum typus, 927. c, d

Apostolica ſedes non debet eſſe refugium ſceleratis, 358. d Sed oppreſſis refugium, 37. f Ibi fides non poteſt ſentire defectum, 643. e

Appellare ab electis judicibus non licet, 583. e

Appellatio non ſuffugium, ſed refugium, 418. c Appellationum neceſſitas & utilitas, 429. c Quando licitæ, 353. b 418. e Non temere uſurpandæ, 419. d Appellatio omnis iniqua, ad quam non cogit inopia juſtitiæ, 428. d Illicite uſurpata nec proſit appellanti, nec obſit appellato, *ibid.* Appellatio de toto mundo ad Papam teſtimonium primatus illius, *ibid.* b Appellationes injuſtæ ut corrigendæ, 428. c Appellationum abuſus, 174. d n Exemplis demonſtratus, 429. f *& ſeqq.* Appellationum iniquarum materia, 418. e, *& ſeqq.* Ante ſententiam improbe omnino præſumitur appellatio, niſi ob manifeſtum gravamen, 418. d

Appetere quæ non ſatiant nec temperant appetitum, extremæ dementiæ eſt, 592. a

Approbatio bonorum nobis ſufficere debet, 1346. d

Apulia à Rogerio capta, 173. b

Aqua ſapientiæ ſermo divinus, 1534. f Aqua remiſſionis ex fonte miſericordiæ, diſcretionis ex fonte ſapientiæ, devotionis ex fonte gratiæ, fervoris ex fonte caritatis, 778. c Aqua Salvatoris triplex, triplex item hominis, 1057. f Aquæ timor comparatur, 1135. c 1455. a Judicium aquæ, 1499. a, n

Aquiſcinctum monaſterium, 65. d 66. n 67. a

Aquilo reprobandos homines ſignificat, 574. a

Arbitrium, *V.* Libertas.

Arbor ſæpius tranſplantata raro firmas radices agit, 268. a Arborum vita, 1550. c Arbor myſtica Chriſtus, 969. f Arbores fructuoſæ, & infructuoſæ, 968. d, c Arborum ſpiritualium diſcrimen, 968. c

Archangeli divinæ ſapientiæ conſiliis familiarius admittuntur, 132. d

Archembaldus archidiaconus Aurelianenſis necatus, 154 n 160. c n

Archambaldus de S. Aniano miles Templi, 541.

Archidiaconi ſint ordinati dia-

coni, 334. d

Archiepiſcopo titulum ſanctitatis datus, 191. d 191. a, e Item ſublimitatis, 125. b 148. f Subjectio etiam in archiepiſcopo commendatur, 474. a

Arctior vita ſuadenda, non exigenda ab eis qui eam non ſunt profeſſi, 87. a V. Apoſtaſia.

Ardere melius quam lucere, 948. a, b Tantum lucere, vanum; tantum ardere parum; ardere & lucere, perfectum, 981 e

Arditio Gebennenſis electus, 42. d Epiſcopus, 43. b

Arducius de Foucigny, 42. d

Argentum & aurum terra alba & rubra, quam ſolus hominum error facit pretioſam, 726. c

Argrimus archidiaconus Aurelianenſis, 20. n.

Ariditas animæ ex ſuperbia, 1451. e Aridi in oratione perſeverantes fervefcunt, 1290. c

Ariparorium monaſterium ord. Ciſt. 712.

Arma ſpiritualia quibus diabolus debellatur, 1074. d Eorum neceſſitas, 1065. d Arma contra hoſtem capienda, 1065. c Arma quibus animæ caſtrum defenditur, 1204. d Arma Bernardi preces pauperum, 258. c

Armacha ſeu Ardmacha civitas, 660 d 664 d

Armachani antiſtites ante pallii uſum ab dicti aliquando archiepiſcopi, & metropolitani poteſtate uſi, 331. e

Arnaldus abbas Bonæ-vallis Bernardi quam amicus, 290. b c

Arnaldus de Brixia, 182. f n 182. d Hæreticus, 187. e 188 a, b, d Abailardo adhæret, 187 f Ab Italia & regno Franc. exturbatus, ibid. 188. d 189. a Romæ ſeditionis incentor, 417. n

Arnaldiſtæ hæretici, 140. n Sacramenta per malos miniſtros irrita eſſe aſſerunt, 140. n

Arnaldus Colonienſis ſimoniacus, 431 n

Arnoldus abbas Morimundi, 14 c n. Abſque permiſſu Patris Ciſtercienſis monaſterium deſerit, 16. f Finis ejus extremus, 146. d

Arnulfus abbas Latiniacenſis, 285. n

Arnulfus Comes Chiſniacenſis, 171. n

Arnulfus epiſcop. Lexovienſis a Bernardo laudatus, 246. f 715. Ejus electionem contra vim Comitis Andegavenſis commendat S. Bernardus, 317. e & ſeq.

Arnulfus Prior S. Stephani Divion. 62. n.

Arnulfus de Maiola, vir doloſus & iniquus, 264. a 271. a

Aromata tria mentis, compaſſio fraterna, juſtitiæ zelus, & diſcretio ſpirituum, 900. b A quo emenda, 900. f Aromata tria, manus continentia in carne, miſericordia in fratres, patientia in pietate, 902. b Emenda nummo ſubjectionis, 903. d Item linguæ tria, modeſtia in increpando, copia in exhortando, efficacia in perſuadendo, 901. e

Arrogantes non facit magnanimitas, nec humilitas puſillanimes, 101. f

Arrogantia plus quam ignorantia cavenda, 985. f Eſt ſextus ſuperbiæ gradus, 177. a Hanc emendat ſui ipſius conſideratio, 1454. a Arrogantiæ & humilitatis effectus, 91. d V. Superbia.

Artemarenſe monaſterium ord. S. Ben. 357. n. 712

Artoldus ſeu Artaudus abbas Pruliacenſis, 76. c Monaſterium Vallis-lucentis conſtruit, 76. n

Artes liberales ignoraverunt apoſtoli, 1392. a

Ascelinus epiſcopus Roffenſis, 194. n

Ascensio Chriſti aliarum ſollemnitatum conſummationem habet, fructum declarat, & auget gratiam, 918. e Non erat differenda, 1535. b Ejus fides, 1544. c Aſcenſioni Chriſti tribuitur noſtra glorificatio, 972. c Ejus præconia, 912. b Aſcenſiones Chriſti variæ, 920. d & ſeq. Spes noſtra de aſcenſione Chriſti, 918. a b V. Chriſtus. Aſcenſio duplex ab Apoſtolo commendata, 924. a Aſcenſionis quatuor gradus, 923. d Item ſeptem gradus, 1214. f Quomodo ad Chriſtum aſcendendum, 1191. a Aſcenſus ſalutaris exemplo Chriſti deſcendentis, 920. a

Aſpidi ſimiles obſtinati & pertinaces, 865. d Aſpidi comparatur tentatio de rebus vitæ neceſſariis, 868 f Aſpides quomodo aures ſuas obturent, 865. c

Aſpera verba non placent, 180. b Aſperum verbum quid, 832. b

Aſperitas vitæ religioſæ delicatis non timenda, 118 Aſperitates omnes emollit inferni conſideratio, 832. e V. Auſteritas.

Aſſumptionis B. Mariæ feſtum receptum, 149. e Sacerdotes omnes celebrant in hoc feſto, 1214. e V. Maria.

Atinulfus abbas Fartenſis, 314. n. 315. n. Ejus erga Ciſtercienſes affectus, 314. d 315. d

Athanacenſis monaſter. 352. n. Athanacenſis abbas injuſte depoſitus, 352. f 353. a

Atria animarum carne ſolutarum, 1077

Atto epiſcopus Trecenſis, 19. c 155 c 194. a 711. Is bona pauperibus erogans à morris periculo liberatur, 40 d

Avaritia Prælatorum acriter perſtringitur, 1492. a, b 1533. d, eliam clericorum, 472 d Avaritiæ currus, equi, & auriga 1408. e Avaritia a domeſticis reſecanda. 444 e

Avarus ſervus & cuſtos divitiarum, 1332 f Hydropico ſimilis, 769. f Terrena eſurie [illegible] mendicus, fideles contemnit ut dominus. 1332 c

Auctoris eccleſiaſtici doctes, 117 e

Auctoritas in œconomo qualis eſſe debeat, 443. a

Audire Sermones otioſos, quam noxium, 1120. e

Auditores duo in omni colloquio cogitandi, [illegible] c

Auditus qualis debet eſſe ad meritum, 1368. b Auditus ad meritum, viſus ad præmium, 1367. e Auditum & viſui nemo perire fidem eſſe negandam, 470. e V. Aures

Averti à propoſito, & ſubverti in propoſito quid, 167. d, e

Archigaudus Prior S. Eugendi, Bernardo pro ſua religione dilectus, 279. d

Aufridus capellanus Turſtini epiſcopi Eboracenſis, 18. d

S. Augustinus maximus poſt apoſtolos doctor, 217. d Auguſtinus columna Eccleſiæ, 619. a Malleus hæreticorum, 1548. e

Augustinus Anglorum apoſtolus, 427. e

Avium plumis jugum Chriſti comparatur, 343. e

Aurium prærogativa in negotio fidei, 1367. e V. Auditus.

Aurora deſignat humilitatem, 1212 d

Aurum Hiſpaniæ, 427. d Aurum & argentum terra rubra & alba, quam ſolus hominum error facit pretioſam, 726. e

Auſterioris vitæ diſciplina terret novitios, 1391. e

Auſteritates Regulæ, jubente caritate, poſſunt mitigari, 219. a, b Auſteritates vitam monaſticam ſequunt, 299 e Ob auſteritates poriores vitæ monaſteria non refugienda, 297. V. Aſperitas, Mortificatio.

Autiſſiodorenſis epiſcopi jura in miniſtros Comitis Nivernenſis, 376. d Is Autiſſiodorenſis epiſcopi ut propria, res cuſtodire debet, 376. f Autiſſiodorenſis epiſcopi poſt defunctum Hugonem tumultuoſa electio, 268. e & ſeqq. 270. a 272. a & ſeqq. Ut ei non obſiſtat Ludovicus Junior rogat Bernardus, 273. d Autiſſiodorenſis eccleſiæ ſigillum, 269. b n.

Autrecurt ſeu Avrulficurtis abbatia Canonic. Regul. 275. a, n.

Auxentius Arianus Mediolani, 1054 e

Auxilium Dei duplex, correptio & conſolatio, 1233. d Auxilium fratribus noſtris quodnam ferre debeamus in clauſtris, 725. e

Azymo utuntur Latini in ſacrificio, Græci fermentato, 226. a

B

Baculus Jeſu dictus, Armachæ ſervatus, 669. e Baculum deferebant infirmi apud Cluniacenſes, 536. e

Balduinus monachus, 243. c, f

Balduinus Bernardi ſcriba, cardinalis, & archiepiſcopus Piſanus, 149. n. 150. d. 192. n. Arvorenſem judicem excommunicat 241. f.

Balduinus abbas Caſtel[illegible] poſtea epiſc. No[illegible], 331. n. 119. b [illegible] Et puerum tacere commendat [illegible] nardus, 33 d Romam profectus [illegible] Bernardo commendat, [illegible] b 377 b

Balduinus abbas Reatini monaſterii Bernardo quam dilectus 192 d

Balduinus rex Jeroſolymorum 17[illegible]. n. 322. A 340. Apud Jeroſ[illegible] S. Samuelis cum nulle [illegible] Ciſtercienſibus, 340. c [illegible] n.

Balduinus de Vraſia oblationes eccleſiæ Trunchinienſi concedit 368. b B[illegible] cum Goſeino abbat. Trunchinienſi [illegible] S. Bernardus, 368 A

Balerna monaſterium Ord. Ciſterc. 331 n.

Balmenſis abbatia in Prioratum ab Eugenio III redacta, 248 n.

Balſami arbuſculæ creſcunt in Engaddi, 1429. c

Bannum Comitis Nivernenſis apud Autiſſiodorum, 376. d

Baptismus initium omnium Sacramentorum, 810. f Ejus figuræ, 1406. e Baptiſmi gratia, 811. b Præceptum de[illegible] poſitivum, non naturale 624. b Ejus obligatio quando incœperit, 625. d & ſeqq. 628. a & ſeqq. Forma non mutanda, 350 b Baptiſmus in nomine Chriſti ab Apoſtolis collatus, 360. b In nomine Dei & ſanctæ & veræ Crucis an [illegible], 33. f & ſeqq. Baptiſmi vicem ſupplet fides, 628. c 629 d Item martyrium, 628 d, e 630. b & ſeq. Baptiſmum votum ſufficit fides recta, ſpes p[illegible] cari[illegible] ſincera, 628. e Abrenuntiatio in baptiſmo, 1107. e Trina merſio, 820. f 1143. b

Baptiſmus parvulorum, 929 b Ipſis prodeſt cum fide aliena, 630. a Baptizantur in fide Eccleſiæ, 1497 c, d. Infantium ſine baptiſmo decedentium qualis pœna, 1508. c n. Hæreticorum error de baptiſmo parvulorum, 1497. c, d Ipſis denegabant Henriciani, 137 c Aliorum error de baptiſmo, 1489. e, f Humilitas Chriſti in baptiſmo, 768 c 804. c & ſeqq. Eodem die baptizatus, quo a Magis adoratus, 120. c 798 e

Baptiſmus alter religioſa profeſſio, 848. 180. e 1108. c n. 1160 d

Baronis Romani ſubdiaconi teſtamentum, 347. d 348. c

Bartholomæus Laudunenſis epiſc. 73. n. 299. n. 299. n. Et Calixtus II. S. Norbertum commendat, 385. c Fuſniacum monaſt. Ord. Ciſterc. fundat, 73 n. Sub eo novem monaſteria in diœc. Laudun. fundata, alia bonis & religione aucta. 381. c Fit monachus Fuſniaci, 266. n. Ejus Apologia ad Samſonem archiep. Remenſem, 385. a & ſeqq.

Bartholomæus Sueſſionenſis epiſc. 86 n.

Baſiliſcus venenum gerit in oculo, 865. c 869 b Invidiæ ſymbolum, 865. c Item vanæ gloriæ, 869. b

Basilius Carthuſiæ Prior, 27 n.

Baſſi-fontis domus Præmonſtratenſium, 157. c 965 c

Beatitudo in quo conſiſtat, 1016. e & ſeq. Dotes & ſtatus, 877 d Lux eſt, pax & fons, 768. d Tria ejus bona, 1078 a Eſt meridies neſciens veſperam, 1388. e In ea Dei triplex fruitio, 103 . e Ejus bona quoad animam, 1037. e 1856 b & ſeq. Quoad corpus, 1037. f Non erit perfecta niſi poſt judicium, 759. d 1038 d & ſeq. 1033. d & ſeqq. 1174. f

Beatitudinis recuperandæ tria media à Chriſto præſcripta, 1294. d Tota eſt timere Deum, 1039 d, e Summa eumdem cognoſcere, 1385. f Sola juſtitia beatificat, 1017. d

Beatitudo Angelorum creſcit ex noſtra, 1506, b V Cœlum.

Beatitudines octo totidem peccatis oppoſitæ, 1391. c & ſeqq.

Beatitudinis titulus abbati datus, 161. e Item monachis, 147. d

Beatricis nobilis matronæ ſollicitudo erga Bernardum, 126. a & ſeqq.

Beatorum in cœlis felicitas, 966 b 178 b, d Triplex gaudium 1032. b & ſeqq.

Angelorum choris admixti ſunt, 1355. c Pro nobis ſolliciti, 1355. d Miſericordes ſunt ſed a paſſionibus liberi, 1155. b & ſeqq.
Beatæ animæ deſiderant corpus reſumere, 597. f Iis ante reſurrectionem deeſt aliquid de gloria, ſed nihil habent de miſeria 607. e Nec potiuntur perfectione contemplationis, 1204. f. Beatæ animæ elogia, 965. c
Bedæ Hiſtoria Saxonice reddita, 602.
Belfort locus ad Vigoram amnem, 271. n.
Belinus civis Barrenſis a Theobaldo punitus, 51. c
Bella-vallis monaſterium Ord. Ciſterc. 190. n.
Bellum à hoſtibus, & amicis, ſed maxime ſubditis damnoſum, 210. b Bellorum cauſa ſæpius levis, 545. c Cauſa ſit juſta, & pugnandi intentio recta, 545. a, b Ejus fructus, 101. d
Belli inter Babylonem & Jeruſalem deſcriptio allegorica, 1448. a & ſeqq.
Bellus-locus monaſterium Præmonſtratenſe, 250. c n. 561. b
Belvacenſis eccleſia, vexationibus & tribulationibus agitari ſolita, 272. a
Benchorensis cœnobium multorum monaſteriorum caput, 664. c 684. A ſancto Malachia reſtitutum, 664. f Etiam deſtructio præfecti abbates qui poſſeſſiones illius retinerent, 664. f Benchorenſe monaſterium duplex, in Vuallia & in Hibernia, 664. n. 675. d 679 d
Benchorenſes monachi, 900. A Pyratis occiſi, 664. f
Benedictio triplex neceſſaria: præveniens, adjuvans, & conſummans, 1201. f
Benedictio-Dei monaſterium Ord. Ciſterc. 168 a. 178 d, n.
S. Benedictus tribus annis latuit, 969 a Arbori frugiferæ comparatur, 968 a Tres ejus fructus, 969. b Gregem Domini paſcit vita, doctrina, interceſſione, 969. c Ejus ſanctitas, juſtitia, & pietas nos reficere debet, 967. c An viderit Deum intuitive in hoc mundo, 1103. a. 1104. f
S. Benedicti Regulæ elogium, 387. b Sancta dicta, 391. b A Spiritu-ſancto dictata, 287. c Caritati ſubjicitur, 289. d & ſeqq. A monachis neglecta, 190. d
S. Benedicti ad Padum monaſt. ab Innocentio II. reformatum, 153. c
Benedictus abbas primus Caſæ-Mariæ, 344.
Benedictus Flaviacenſis monachus à S. Bernardo ſuſceptus, 67. c 70. a
Benefactoris manum claudit ingratitudo, 1242. b.
Beneficentia debet eſſe gratuita, 277. b
Beneficium plus prodeſt danti, quam accipienti, 105 c
Beneficia Dei quatuor, 834. b & ſeqq. Beneficium creationis expenditur, 867. a, b 1128. c & ſeqq. Conſervationis, ibid. c, d. Redemptionis, ibid c Remunerationis, ib. f Item creationis, redemptionis, & vocationis, 1124. b Beneficia ſua malis Deus præſtare ſolet, 257. c Eorum onus, 939. f Beatus qui angitur, ne obruatur tam beneficiis quam peccatis, 870. f. Noſtrum Deo amorem conciliare debent, 585 b
Beneficia pro dignitatibus eccleſiæ, 355 c Parvulis dari improbatur, 265. c n. Quibus debeantur, 265. c Pluralitas quando licita, 265. c Præſtringitur, 478. c Beneficiis eccleſiaſticis quomodo utendum, 22. f Quidquid præter neceſſaria ex iis retinet Clericus, rapina eſt & ſacrilegium, 22. f Eorum reditu immerito gaudet, qui ei non ſervit, 155. f
Beneficia eccleſiaſtica à ſæcularibus ad religioſos tranſire duplex bonum, 295. d Non licet abſque conſenſu epiſcopi, 295. d
Beneplacitum Dei in omnibus inquirendum & tenendum, 44. d
Beneventum capit Rogerius, 173. b
S. Benigni Divionenſis eccleſia orbis primaria 34. n. Parentum S. Bernardi ſepultura ornata, 34. n. Ei ob antiquam religionem cara, 11. n. 14. c. Summo Pontifici adverſus Luxovienſes ab eo commendata, 14. b
Berengarius ex Alfonſi Cancellario Salamanticenſis eccleſiæ epiſcopus, 198 n.
S. Bernardi facta & dicta. Adventus ad Januenſes, prædicatio, & fructus, 138. f 139. a, b Concilio Piſano intereſt, 142. b, d, n. 143. b Triplex ejus iter Italicum, 149. c. n. 1346 a Iter in Apuliam, 150. c Viterbii commoratio duplex, 151. b, n. Sexto die poſt extinctum ſchiſma Roma ad ſuos revertitur, 156. b. Miſſus in Germaniam ad Lotharium imp. 155 n.
S. Bernardi prædicationes, 608. Earum fructus, 251. b Ipſi loquenti publice verba ſuggerebat Spiritus-ſanctus, 1554. a, n. Verbo & exemplo ſufficit ad eruditionem virtutis, 122. c Prædicationis fructus apud Toloſanos, 238. f Item miracula, 239. a Prædicatio pro ſacra expeditione, 326. n. Dux expeditionis ſacræ Carnoti electus, 258. a, b 329. n. Ejus ſucceſſus, 346 a Infelicem ejus exitum luget, 277. a
S. Bernardus erroribus obviat, 42. d 180. f 182. c & ſeqq Invitatus à Guillelmo abbate S. Theoderici ad reſiſtendum Petro Abaelardo, 301. f & ſeqq Ejus in illius errores librum probat, 303. c Petro Abaelardo formidini eſt, 302. d Ejus libros examinat, 309. b 310. d Ab eodem provocatur ad concilium Senonenſe, 309. c Ad quod venire ſe excuſat, ſed tamen acceſſit, 309. d Et in eo illum hæreſeos convincit. 310. a, b Invitus accedit, 182. f n. 181. b 309. d
S. Bernardi occupationes aſſiduæ, 94. c 97. d 102. d 148 b 712, 822 a Vigiliæ, 712. c A ſcriptitatione litterarum dehortatur, 95. c 96. e Litterarum frequentia, 148. b Litteræ ejus falſatæ, 275. b Ejus ſigillum quale, 275. b 359. d Laborum ejus fructus, 150. b 151. c 164. d Negotiis abſolvi poſtulat, 56. c, d 58. c 33 c
Bernardi favor apud Papam, 168. b 201. c 235. c 272. a 300. a 318. d Fit vicarius ejus in reconciliatione Petri Piſani, 198. c Excidit ab Innocentii papæ amicitia, 201. c 227. c Item Eugenii III. 287. c 28 2. a Eugenio III. timet pro adepto ſummo Pontificatu, 232. b & ſeqq. 234. b & ſeqq. Ei tamen inde gratulatur, 235. c & ſeqq. Ejus ad illum monita, 235. b, c Romanos Eugenio reconciliare tentat, 240. a & ſeq. Conradum regem Roman. in ejus auxilium pertrahere tentat, 242 c & ſeq. Favor apud Principes, 195. c 196. b 291. b Comnenum Imperatorem participem ſuffragiorum domus ſuæ facit, 374 c Fidelitas in regem, 257. a 275. d Tributa dare non refugit, 327. a 283. a Ejus conſilio utitur Ludovicus junior rex, 331. c Matrimonium inter Mariam ejuſdem Regis filiam & Comitis Andegavenſis filium diſſuadet ob conſanguinitatem, 333. c Litteras accipit a Patriarcha Jeroſolymitano, 172. b A Theobaldo Comite multa beneficia accipit, 49. d Ei Sancia regina Spinam abbatiam concedit, 334. n. 335. n. Monita ejus ad Reginam Jeroſolymorum, 278. d Cum ea familiaritas, 278 f Frequentes Reginæ Jeroſolymitanæ litteras optat, 195. d Eligitur ad conſilium ſalutis Ermengardis Britanniæ Comitiſſæ, 125. c Beatricis nobilis matronæ erga eum caritas, 326. a & ſeqq. Favor apud Mediolanenſes, 841. c Amor & beneficia erga Præmonſtratenſes, 250. b & ſeqq. 252. n. Ejus orationibus quantum confiſus Haimo archidiaconus Catalaunenſis, 382. a, b.
S. Bernardus Principes dehortatur a bello, 202. d & ſeqq. 127. d 239. d, n. 205. c Ad pacem hortatur, 239. d 209. c 210. b & ſeqq. Pacem componit inter Mediolanenſes & eorum vicinos, 142. d Controverſias dirimit, 62. n. Lites dirimit, 368. a 375. d & ſeqq. 377. d Lites per arbitros dirimi cupit, 284. a, b. Ejus conſilius regna & eccleſiæ Galliarum innituntur, 15. n. Pro reconciliatione Petri Piſani ſcribit ad Innocentium, 198. d Epiſcoporum cauſam commendat & ſuſcipit apud Summos Pontifices, 54. b & ſeqq. 57. a & ſeqq. 174. c 176. a, d 197. c & ſeqq. 198. d 199. b & ſeqq. 245. c & ſeqq. 281. c 285. c 293. c & ſeqq. 300. a & ſeqq 311. d 312. a, b 317. c & ſeqq. Balernenſes monachos in gratiam Eugenii III. recipi poſtulat, 249. a, b Intercedit pro monachis apud ſummos Pontifices, 250. d 261. a 270. c 275. c & ſeqq. 276 a 279 d 281. c 289. d Pauperes eoſdem commendat, 319 a, b Propinquum ſuum muniri benedictione ſummi Pontificis rogat, 318. c Eccleſiam Divionenſem Papæ commendat, 14 b Petro Cardinali, 33 a Haimerico Cancellario, 14. c Piſanos ſummi Pontificis ſtudioſos apud Lotharium iis infenſum commendat, 145. c & ſeqq. Item S. Gengulfi eccleſiam, 143. d Epiſcopos ad Concilium congregatos Theobaldo Comiti commendat, 51. c Pro Humberto ſupplex ab eodem Theobaldo paſſus repulſam, 49 d 60. d Epiſcoporum cauſam ſuſcipit apud Principes, 53 c & ſeqq. 54. c Apud eoſdem ſupplex pro Religioſis, 52. a, b, c, 272. b 337. c Pro Canonicis Regularibus, 50. b Pro miſeris, 46 b 49. c & ſeqq. 50. c & ſeqq. 51 c, d 60. d 327. c 271. b Moliſmenſis eccleſiæ libertatem commendat Henrico Senon. archiepiſc. 52. d, e 53. a Pro ea ſupplicat apud epiſcopum Lingonenſem, 62. d Pauperes monachos commendat Sugerio abbati & protegi, 339. a, c Ducisſæ Burgundiæ aſſenſum in conjugium filii Hugonis de Berſua expoſcit, 127. c Epiſcoporum cauſas ſuſcipit, 39 b 58. b, c 284. d 285. b, c 913. b & ſeqq Et pauperum, 361.
S. Bernardus ſummum Pontificem officii ſui monet, 181. d 198. d & ſeqq. 235 a & ſeqq 294. f & ſeqq 318. b Epiſcopos, 42. d 43. b & ſeqq. 44 b 174. f & ſeq. Superiores, 75. b & ſeqq. 97. d & ſeq. 106. d 193. c & ſeqq
S. Bernardus Apoſtoli doctrinæ inhæret, 618. a SS. Patribus addictus, 102. c Ejus erga eoſdem reverentia, 520. d 625. b 929. a 743 c 1272. f Sedis apoſtolicæ reverentiam commendat, 178. b Quid de Papatus honore ſentiat, 232. f Ejus reverentia erga epiſc. 207. b 226. b 461. a Epiſcopo ſubjectus, 56. d Pœnitentiam dare pro criminalibus dare recuſat, niſi ſuis tantum, 63. b In rebus dubiis conſulit epiſcopos, 63. b Conſilium dando ut ſe gerit, 90. d 99. c & ſeqq 520. b In dubiis & periculoſis ſententiam ſuſpendit, 27. b Revelationibus quantum tribuat, 870. f De accipiendis eccleſiæ dignitatibus quale ejus conſilium, 26. a & ſeqq. Beneficia eccleſiaſtica pueris dari improbat, 265. c Paſtoralis curæ abdicationem diſſuadet, 85. b & ſeqq 89. c 90. d 146. d & ſeqq. 297. b Bellum adverſus Eccleſiæ hoſtes ſuadet, 140. a
Bernardo familiaritas Sanctorum virorum quam grata, 29. b Ejus amicitia cum S. Malachia, 322. d, e Ad eum monachos mittit, 322. b Moriens benedictionem accipit, 658 d, e Amicitia cum Petro Venerabili, 152. b, f 213. c 215 c 225. d 263. c 262. b 270. c 329. c 345. b, c 346. a, d, e 348. b Mutuus amor à juventute cum eodem, 347 a Litteras ejus avide legit & exoſculatus Petrus Venerabilis, 212. f 346 e, f Bernardi amicitia cum Guillelmo abbate S. Theoderici, ejuſque de eo exiſtimatio, 95. a Cum Bernardo de Portis Cartuſiano, 156. d 157. a Amicitia cum Sugerio, 262. b 263. a, b Bernardi ſcriba Balduinus cardinalis, 350. d Ejuſdem loquentis verba ſtilo excipit Gebvinus Trecenſis Præcentor archidiaconus, 33. d Bernardum inter & fratrem ſuum Girardum mutuus amor, 1357. e Studia ejus per eumdem Gerardum libera, 1314. a Quorum incitator eſt, adjutor, & examinator, 1355. a Eidem Gerardo de vita periclitanti inducias obtinet, 1359. c Ejus funus ſiccis oculis proſequitur, 1354. b Cartuſienſes viſere deſiderat, 157 a Eorum litteris exardeſcit, 28. c Timet ne ſuis eorum quietem turbet, 28. d Cluniacenſium orationibus ſe commendat, 322. b Ciſtercienſem ordinem cur prætulerit aliis, 350. d Ciſtercienſes pauperes appellat, 43. c Pauperes Chriſti, 54. a 59. c 220. d 210. a 168. f 281. a 387. b, c 338. d 319. b 142. d
Bernardus vitæ religioſæ propoſitum ſuadet, 828. b. & ſeq. 109. c & ſeq. 110. b & ſeqq. 111 b

121. b & ſeq. 111. b & ſeq. 115 c & ſeq. 117. c & ſeq. 120 c & ſeq. 363 b & ſeq. 364. b & ſeq. 365 b, f Clericis ſamoſis perſuadet, 117. a Nobiles viros convertit ad Chriſtum, 118. b Item aulicos, 82. n. Converſiones ab eo factæ 77. n. 82. n. 117. n. 185. n. 137. n. 142. n. 189. n. Peccatoribus pœnitentibus perſuadet mundum relinquere, 82. c Clericum delicatum & laboris expertem admittere renuit, 361. c Non renuit ſuos majoris perfectionis gratia alibi ſuſcipi, 70. f Tranſitum ad aliud monaſterium improbat, 41. d 46. b, f 251. b 367. a 318 c. 328. e, f 340. d Item ad eremum, 124. e & ſeqq. Quare aliorum ordinum monachos in ſuo receperit, 24. f Qualiter eos receperit, 66 d 68. c 69. b 106 a, b 252. b & ſeq. 280. e 354. c Eos ſine licentia ſui abbatis non recipit, 106. a, b 282. e Bernardus Religioſos ad ſæculum reverſos ad clauſtrum revocat, & pro iis intercedit, 1. a & ſeqq. 2. a & ſeqq. 60. a 72 b & ſeqq. 133. a 359 a Novitium ejectum iterum recipi poſtulat, 364. f 365. b & ſeq. Qualis erga incorrigibiles, 106 f & ſeq 282. c Vitæ religioſæ propoſitum impedientes increpat, 150. a & ſeq. Pro monaſteriorum reformatione laborat, 55 c 77. c & ſeqq. Monaſteria in longinquis regnis ædificari non probat, 76. e 250. n. Quid de monachorum obligatione ſentiret, 92. c Obſervantias aliorum minus ſtrictas non damnat, 25. c 328 d Diſſidendis inter monachos controverſiis allaborat, 274. c

S. Bernardi amor purus, 105 c 188 c 151 a 192. d Amoris deſiderium, 1574. d Apathiæ Stoicæ expers, 1557. f Ejus arma, orationes & lacrymæ, 218. a Preces pauperum, 158. c Ejus caritas, 8. c 5. & 58. b 116. c 117. b 158 c 155. a, b 192. d 228 c 233. d 259. c 365. f Cupiditatis quam expers, 366 c Amor tener in ſuos, 76. a 148. c & ſeq 249. c & ſeq 155. c 193 b 196. b 249. d 259 b 220. b 315. f 342. b 408. 580. f 1160. a 1346. b, 1447. b, c Erga Robertum nepotem ſuum caritas & pietas, 1. c 5. c Humilitas, 2. d Lenitas, 2. c Ejus compaſſio & clementia, 75. b 244. b & ſeq 249. a 258. d 294. f 365. d, c Afflictos conſolatur, 84. b 86. c & ſeq Conſolationem in afflictione exſpectat, 1357. b In laboribus, 150. b 152. c 271 c 294. d 324. d

Bernardus contemplativæ & activæ vitæ officiis clarus, 128. c Suſpiria ejus pro cæleſti patria 812. f & ſeq. 1388. a Experimentum de viſitatione ſponſi, 1588. a Sterilitatem animæ in ſeipſo deplorat, 1577. d Ejus devotio, 1500. c 1507. f & ſeq. Devotio in Chriſti paſſionem, 888. f 1418. f & ſeq Amor pro eruce, 1069. c 1428 d Devotio in Deiparam, 89 e 732. f 755. b Diſcretionem habet rerum divinarum, 60. c Gratitudo ejus 199 b 340 e, f 342 a & ſeq.

Bernardi humilitas, 8. d 2. a, b 13 c, f 24 c, f 29. c 32. c, f 35. f 47. c, d 56. a & ſeq. 59. b 66. c 68 d 73 b, d 74. a & ſeq. 90. c, d 95. a 210. c, 248. d 271. c 290. c 333. b 345. c 350. a 357. b 461. d 476. b 530. d 582. a 743. f 967. d 1173. d 1341 f 1398. f 1433 c & ſeq. 1456 c Humiliationem deſiderat, 93. c, d, c Laudes exhorret, 13. c, f 73. b, d 74. a & ſeq. 90. c 262. b Nec laudibus movetur, nec vituperationibus, 15. c Epiſcopatum refugit, 867. 2. n. Honores detrectat, 243. e Dignitates eccleſiaſticas ut periculoſas ſuſpicit 17. d 167. a Ranæ ſe comparat, 56. d Fratrum ſuorum conſervum ſe dicit, 1024. c Se peccatorem profitetur, 33. d 58 a 245. a 280. b 292. b 323. a 350. a 461. a 1127. f Peccatorem & imperitum ſe dicit, 63. a, b 39. b 42. c 90. a Arborem infructuoſam, 97. b Libros ſuos examinari rogat, 95. a Tranſferibi non vult, 94. f Aliorum cenſuræ ſubjacis, 603. b Probra ut conſcientiæ ſuæ modelam ſuſcepit, 271. c Mavult ſe peti maledictis quam Deum, 417. c Quid de ſeipſo ſenſerit, 1377. a, b Parvitatem ſe appellat, 102 c 229. b 250. c 153. a 175. b Ruſticitatem, 35. c 37. c De prælatura ſibi impoſita queritur, 1376. f A gloria præſenti alieniſſimus fuit, 871. e Subjectionem

prædicat, 92 b, c Docendi officium renuit, 96 a Nemini eſſe onericupit, 44 c 127. c Adulationem odit, 81. c Ejus integritas, 253. d 271 d Joci, 95 b 359. d Zelus pro labore manuum, 851. c Lenitas, 2. c 66. c & ſeq. 116. a 128. a, d, c 189. a Modeſtia, 42. c, f 35. f 37 c, d 38. c 42. a 46. c & ſeq 35. f 71 c 88. c 90 c, d 93. a 94 b 92. a 99. b 124. c 129 b & ſeq. 143. c 130. c 156. a & ſeq. 57. a 229. a 240. b 262. b 263. b, 271. c 287. d 330 a 338 a, 1277 f Silentii amor, 38 c 83 b 96 b 212. b 1101 c 1507 f & ſeq 1517 f 1516. c Pacis amor, 66. c 68. d 69 a 87 a 151. b 153. b 244 b 251. c, f 233. b & ſeq. Pacis ſtudio ſua cedit, 282. n. Detractiones patitur, 55. b & ſeq. 286. c & ſeq. Sinceritas, 199. d 346. d, c, f Solitudinis amor, 35 c 35. c 58 c 56. a & ſeq. 155 c 212. a Invitus foras prodit ad negotia, 55 b 56. a & ſeq. c 155. c Numquam exire clauſtro, præter Ordinis ſui cauſas, proponit, niſi vocante apoſtolicæ Sedis Legato aut proprio epiſcopo, 35. c 56. d 141. c Ob urgentes neceſſitates in publicum egreditur, 54 b 56 a & ſeq. 212. a Peregrinationes damnat in monachis, 24 d & ſeq 16 b & ſeq. 60 c 336 c, d

Bernardi ſollicitudo pro ſuis, 822. a 1447. b, c 1528. a Erga imperfectos, 206. d 228. a & ſeq. Erga tentatos fratres, 4. c De ſuorum profectu gaudet, 872. a 1442. b & ſeq. Correptio non proficiens ipſum quantum angebat, 1414 c Ejus animus in correptione, 1573. f Quam miſericors in delinquentes 142. b & ſeq. 106. b, c, e Quam longanimis in perverſum monachum, 212. c

Bernardi zelus, 437. d & ſeq. Zelus pro juſtitia, 158 d & ſeq. 160. d 162. c, d & ſeq. 164. b 169. a & ſeq. 174 d & ſeq. 198. d 203. d & ſeq 204 c & ſeq. 207. d, e 264. a 271. d 316. f 333. a & ſeq. Nihil ſibi præter æquum vult concedi, 272. d Reges & principes monet & arguit, 157. f & ſeq. 138. d 167. b & ſeq. 201. d & ſeq. 204. b & ſeq 205. c 210. b & ſeq. 321. c 331. c & ſeq. Epiſcopos arguit, 177. d 205. d & ſeq. 202. b & ſeq. 227. b Invehit in clericos aulicos & regios miniſteriis implicatos, 82. f & ſeq. Simoniacos epiſcopos perſequitur, 219 c & ſeq. 230. d & ſeq. 235 a, b 256. b & ſeq 249 c & ſeq. 36. c & ſeq. Hæreticos inſequitur, 180. f & ſeq. 181 c & ſeq 18 b & ſeq 184. c & ſeq. 185. c & ſeq 187. d & ſeq. 188. d & ſeq. 237 f 238. c 239. a 305. a & ſeq. 306. a & ſeq. 307. a & ſeq. 308 b & ſeq. 309. b & ſeq. Zelus ad tollendum ſcandalum, 67. b 162. d & ſeq. 263. d & ſeq. 165. a & ſeq In promovendis bonis prælatis & amovendis malis, 11. c 55 c 161. d & ſeq. 183. d 164. b 165. a & ſeq. 166. c & ſeq. 191. d 247 b 263. d 268. f & ſeq. 272. a & ſeq. 296. d 303. c & ſeq. 314 c 316. c & ſeq Quales Eccleſiæ paſtores requirat, 248 b Ejus amor & affectus in Eccleſiam, 147. b 152. c 164. d 165. c 167. c 173. a 207. d, c 231. a 235. a, b 256. c & ſeq 257. d & ſeq. 263. d 296. a 305. c 306. d 329. a & ſeq. 359. c Labores pro Eccleſia, 164. d, c 165. d, c 198. c 261. c 272 a 296. b Innocentii aſſerendo pontificatui allaborat 129. & ſeq. 130. c & ſeq. 131. c & ſeq. 137. f & ſeq. 139. d 140. f & ſeq. 144. c 145 b 319. d Zelus ejus pro diſciplina, 492 b Pro obſervantia regulari 97. c & ſeq. 287. b, d 254. b & ſeq. Extortam ſeu coactam licentiam, non licentiam, ſed violentiam dicit, 90. c

Bernardi fama 128. c 162. a 918 Suſpiciones ſiniſtras a ſe removet, 46. f 47. a 103. b, c 273. b, c 366. c & ſeq Purgat ſe adverſus iniquas criminationes, 84. c 206. b, c 207. c 250 b & ſeq. 286. c & ſeq. Item de executione teſtamenti Ivonis Cardinalis, 201 c. Et de frequentia ſcriptionis ad Innocentium, 202. a S. Bernardi elogium, 285. b, c 361. d 316 n. 345 c 378. f & ſeq. 382. c, c 383. f 710. 1487. f Sanctæ memoriæ dictus eſt adhuc vivens, 55. n. Et ſanctus, 161 a 1347. a 1487. f 1488. a Sanctitatis titulum ei tribuis Petrus Venerabilis, 146. c Hamo archidiaconus Catalaunenſis, 382. b, c Frater cariſſimus ab Hildeberto Toronenſi archiepiſcopo vocatus, 118 c Sanctæ frater à Petro Venerabili, 262. a Interpres Spiritus ſancti dictus, 1861 Ejus lingua, calamus ſcribæ velociter ſcribentis, 143. c Ejuſdem loquentis verba ſtilo excepta, 17. c Ei curiam intranti aſſurgit Gregorius Tarquinius cardinalis, 307 b Ejus miracula agnoſcit Berengarius ejus adverſarius, 219 n.

Bernardi ſcripta, 49 c 97 c Officium & duo ſerm. de S. Victore ſcribit, 118. a Ejus liber de gratia & libero arbitrio, 1553. d Sermones ejus quo pretio fuerint apud peritos, 703. Quibus diebus habiti ibid. qua hora, 706. 1163 c 1264. An gallice, aut latine pronuntiati fuerint, 706. & ſeqq. Cur quidam breves, alii prolixi ſint, 845. d Ob infirmitates aliquando breves faciebat, 845 Sermones præter Ordinis conſuetudinem habebat, 811 c 856. c Sermonum ejus cenſura, 710. & ſeqq. Sermones ſuper Cantica, 116 d In ore & ſinu omnium, 381. d Sententiæ ex ejus ſcriptis ſelectæ, 1569 & ſeqq. Quidam ejus vice ſcribentes aliquando ſtilum acutius acuerunt, 345 d 347. c Bernardi ad Gertrudem, & Gertrudis ad Bernardum epiſtolæ ſuppoſititiæ, 126. n.

S. Bernardi infirmitates, 130. c, c 180 c 196. c 212. a 237. 1265 b 297. a 358. d 190. b, c 732. c 1418. a 1421 d Qualis tunc ejus cibus, 192. d Febre laborat, 38. d 91. b 92. b 126. c Rex de ejus valetudine ſollicitus 283. c A Roberto Ludovici Junioris germano in infirmitate viſitatus, 285. c E morbo convaleſcit, 97 b 126. c Mortem optat, 290. c Apud ſuos in Claravalle, 150 a 151. a Bernardi obitus ab aliis prænuntiatus, 364. f Sibi imminentem præſagit, 277. c Mortem ſuam & ſuorum horret, 1317. f Suorum animas fratrum ad cælum evolaſſe cognoſcit, 1127 f Ejus parentes in eccleſia Divionenſi ſepulti, inde Claram-vallem tranſlati, 34. n. Cuculla ipſius apud S. Victorem Pariſienſem, 362. n.

BERNARDUS abbas S. Anaſtaſii prope Romanam, 307. n. Ejus patientia & ſollicitudo erga monachum indiſciplinatum, 308. a, b Fit ſummus Pontifex Eugenius III 178. n. 215. n. 232 a 314 n. 316 a De prælatura ſibi impoſita queritur, 314. f & ſeq.

BERNARDUS abbas Grandis-ſilvæ, 238. a 2 9. n.

BERNARDUS abbas Tironienſis, 836. n.

BERNARDUS Legatus, 284 n.

BERNARDUS epiſcopus Papienſis, 835 b

BERNARDUS Parmenſis epiſcopus, 185 b

BERNARDUS ex epiſcopo Bellicenſi Portarum Prior, 155. n. 147. n. Epiſcopus Papienſis electus, 150. n. Homo Dei, 157 a Dilectus Deo & hominibus, 157. c Frequentes ejus ad S. Bernardum epiſtolæ, 156. b Amicitia mutua, 156. d 157. a

BERNARDUS Portarum Prior, poſtea epiſcopus Dienſis, 156.

BERNARDUS Portarum monachus, cardinalis, 155. n.

BERNARDUS monachus Ambroniacenſis, primus Prior Cartuſiæ Portarum, 155. n.

BERNARDUS poſt Nantelmum Prior Portarum, 156. n.

BERNARDUS presbyter, 177. b

BERNERIUS abbas Bonæ-vallis, 190. n.

S. Bertini monaſterium S. Hugoni Cluniacenſi commiſſum, 133 n. Florens ejus ſtatus ſub ipſo, ibid. Cluniacenſium jugum excutit, ibid. Monachos S. Bertini ad perfectionem excitat S. Bernardus, 342. c & ſeq.

Beſuenſe monaſterium Ord. S. Benedicti, 127. n.

Bethania, id eſt domus obedientiæ, 557. a

Bethleem locus nativitati Chriſti prædictus à Prophetis, 614. c Hujus felicitas & gloria, 716. c Bethleem moralis expoſitio, 774. c 775. b Idem ſonat ac domus panis, 757. c

Bethphage, domus buccæ appellatur, 556. c

Betunenſis decanus à Bernardo ſummo Pontifici commendatus, 273. a

Biblia Ciſtercienſium emendata, 692.

Blaſphemia eſt in Spiritum-ſanctum irremiſſibilis, nolle corrigere levia peccata, 957. b
Bonæ vallis monaſterium in agro Carnutenſi, 299. Arnoldus abbas, *ib.d*
BONITAS Dei in reparatione hominis, 930. c & *ſeq.* In quærenda hominis ſalute, 283. d In cuſtodia angelorum, 362. a & *ſeq* Deus ſolus ſeipſo melior eſſe non vult, quia non poteſt, 98 a
Hominis appetitus in ſummum bonum, 591. f & *ſeq*
BONUM noſſe & velle, perfecta religio, 8. & religioſa perfectio, 925. f Boni guſtus eſt irritamentum deſiderii & incentivum amoris, 1017. c Malum argumentum boni ex multitudine eruitur 916. e Gratia ad volendum bonum neceſſaria, eaque duplex, 611. a Piis omnia cooperantur in bonum. 108. b Bona bene facienda, 486. b Bonum facientes impedire non ſecurum, 141. a Bonum melius appetentes non ſunt impediendi, 100. a Bonum melius ſemel propoſitum relinqui non debet, 99. c Nemo nimis bonus, 97. e, f. Bonus non eſt qui melior eſſe non vult, 98. c A bono majori, quod promiſſum eſt, ad minus deſcendi non poteſt ſine apoſtaſia 540. c Bonum opus vitiatur ex mala conſcientia, 1514. b
Bonorum omnium auctor Deus, 1301. f Bonæ cogitationes Deo adſcribendæ, 1386 a Bonorum operum gloria Deo adſcribenda, 143. c 152. d 195. e 481. d 130 c & *ſeq* 1429. c 1454. d 1560. a Bona noſtra, ſive naturæ, ſive gratiæ, Dei ſunt, 103. c
Bonum abſcondere magis utile eſt, quam oſtendere, 737. a Bona providenda coram Deo & hominibus, tribus modis, 1149. b, c
Bonorum abundantia in cælo, 1117. d Bona naturalia, ſpiritualia, æterna, 1115 b Bona pura & media, 28. f 30. d Bona temporalia ſi amantur, illicita, ſi non amantur, licita; ſed quovis modo periculoſa, 370. e Bona vitæ hujus omnia comparatione futurorum vana, 1056. b Bona mundi & corporis vana & caduca, 111. d Boni apparentis amor, 36. a
Bono alieno plus aliquando gaudendum quam ſuo, 1417 a
Bonum eſſe inter malos, virtus eximia, 1412. d Bonis mali ſemper permixti, 380. d In omni negotio validiſſimum argumentum ad faciendam fidem rei dubiæ, id ſemper melius eſſe, quod placet bonis, diſplicet malis, 318. a Boni argumentum eſt placere bonis, non malis, 247. b Boni malorum odiis obnoxii, 191. a
BONUS-AMICUS canonicus Lingonenſis, 165. b 166. e
Bonus-mont abbatia Ord. Ciſterc. 43. e
Brachia quibus Chriſtus nos eſt amplexatus, & quibus eum amplexamur, 890. a
Braina oppidum ad Axonam, 851. n.
BRICCIUS ſancti Martini ſucceſſor, 1054. a
S. BRIOIDÆ nativitatis locus *Fochart* villa, 683. a
Britannia virorum fortium fœcunda, 371. d
Brueria-epiſcopi, ſilva. 375. d
BRUNO Colonienſis archiep. electus vitæ ſuæ deformitatem litteris S. Bernardo aperit, 26. b Archiepiſcopus, 26. n. 27. c 28. a 101. n. Moritur an. 1136. Baris in Italia ſepelitur. 85. n.
BRUNO abbas Caræ-vallis, 273. b
BRUNO monachus Claræ-vallenſis, 163. b S. Bernardi in Italia ſocius, 151. d Mulſorum in Sicilia diſcipulorum pater, 150. n Bernardi comes individuus, multarum pater animarum, 197 a
Brutis ſpiritus non vivit niſi quamdiu vivificat, 108. c Bruta non merentur 1551. e
Bulencuria abbatia canonicos converſos & mulieres habens, deficiente diſciplina, Ciſterc. Ordini tradita, 383. e & *ſeqq.*
BURCHARDUS Meldenſis epiſcopus, 460. 461. e
BURCHARDUS abbas Balernenſis, 152 b.n.
BURDINI temeritas, 228. c
Burgundia a Francia diſtincta, 168. n.
Buſaium monaſterium Ord. Ciſterc. ab Ermengarde fundatum, 185. n. 227. e

C

CÆcitatis cauſa, veritatis contemtus, 16. c Ejus effectus, 36. c Eſt pœna cognoſcentium Deum, nec amantium, 16. b
Cadomenſes monachi Innocentium agnoſcunt Papam, 136. a
CÆLESTINUS Papa, 229. c 333 c, d
Cælum dictum à celando, 1051. a Ejus decor, 1360 f Monti comparatum, 1150. c, d Ejus aſcenſum nobis promeruit Chriſtus, 1151. e Hoc aſcenſu quis dignus, *ibid.* a Per medios hoſtium cuneos eundum, 841. b Solis patet immaculatis, & quomodo, 1142. f Cælum poſſident quatuor hominum genera, 1222. e Compendioſa via ad cælum, vita monaſtica, 1127. e
Cælum cæli, & cæli cælorum quid, 1362. a Cæli in Eccleſia, quinam, 1363. a Cælum eſt anima ſancta, 1363. b Pax & gaudium in cælo, 1153. d, e Ibi nullus triſtitiæ aut culpæ locus, 1153. e Sancti in cælis exſpectant nos, 760 a Anima cogitatione & aviditate in cælis commoratur, 1478. d
Cæleſtia ſapienti terrena deſipiunt, 110. b Contemtis terrenis quærenda cæleſtia, 758 e
Cæleſtis patriæ deſiderium novæ legi potiſſimum convenit, 1469. b & *ſeq* Cæleſtis gloriæ deſcriptio, 1150. a Cæleſtis patriæ quanta felicitas, 812 a & *ſeq.* 1178 b & *ſeq.* Ejus recordatione expellendæ affectiones vitioſæ, 1150. a Cæleſtis gaudii memoria orantes quam ſuaviter afficiat, 1124. d Adſpiratio ad cæleſtem patriam, 811. f & *ſeq.* 1124. e *V.* Beatitudo. Bonorum abundantia in cælo, 117. d
CAIN oblatio cur reprobata, 1149 a
Caligo ſeu tenebræ ex ira & molliori affectu, 424. e
Caladia monaſterium Ciſterc. quando conſtructum, 63. n. Ibi degunt trecenti fere monachi, *ibid.* Datur Guidoni abbati de Tribus-fontibus, 64 n.
Calta dæmoniorum, 12. e
CALISTUS Papa II. 173. c. S. Norbertum Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo commendat, 385. e
Camalduleoſes ſeu Camaudulenſes Innocentio adhærent, 136 a
CANCELLARII unde dicti, 1459. b Cancellarius bonus Papæ neceſſarius, 373. a Excellentiæ titulo compellatus, 292. a Ejus in curia Romana auctoritas, 393. e Cancellarii ex officio ſemper pietatis poſſunt incumbere lucris, 291. c, e
Cancelli, anguſtiores feneſtræ, 1459. b
Candelabra in templis ad inſtar arborum, 539. c
Candor ſapientiæ ſedes, 1358. d Candores varii, 1514. e
Canones ſervandi, 434. b & *ſeq.* Quatenus diſpenſatio licita, *V.* Diſpenſatio.
CANONICI regulares *fratres* ab externis dicti, 259. a Canonici regulares Spamaci conſilio Bernardi & Guidonis ejus fratris inſtituti, 102. n. Canonici regulares de Aldicurte, 15. e Canonici regulares de Lazicurte, 51. b Canonici regulares licite tranſire poſſunt ad monachos, 14. a, b Canonici regulares incorrigibiles incarcerati, 106. n.
CANTICA ſcripturæ varia, 1268. e Cantica canticorum panis ſplendidus & ſapidus, 1267. b Cantici canticorum dignitas & ſuavitas, 1270. a Item ſoliditas & efficacia, 1500. a, b Nil niſi amorem ſpirat, 1543. f Scopus, 1269. b Hic liber non niſi ſobriis mentibus & auribus credendus, 1267. d 1475. c Illum explicare ſolius Dei eſt, 1268. d Utpote non humano ingenio, ſed Spiritus arte compoſitus eſt, 1268. d Ad hunc intelligendum phantaſmata deponenda, 1448. d Canticæ graduum unde vocentur, 1269. f Cantica ſua religioſis conveniunt, 1269. c & *ſeq.*
Cantus eccleſiaſticus qualis eſſe debeat, 357. d, e Non eſt levis jactura gratiæ ſpiritualis, lenitate cantus abduci ab utilitate ſenſus, 357. e Zelus Ciſtercienſium pro cantu, 693. a & *ſeq.*
Capella monaſt. Ord. S. Bened. 395 c
Capellanis Papæ honor habendus, 444. c
Capitula generalia apud nigros monachos ab Innocentio II. inſtituta, 97. n. 397 n. 398 d Primum Sueſſione celebratum, 97. n. In iis quæ tractanda, 97. e Capitulum generale Ciſtercienſium, 1156. n. Capitulum Præmonſtratenſium, 852. b, c
Capitæ, cervique camporum angelos deſignant, 1446. d
Captivitas Iſraelitarum ſub Pharaone, typus captivitatis noſtræ ſub diabolo, 1151. b
Capua capta à Rogerio, 173 b
Caput ſurſum habere, cor deorſum, turpe eſt homini, 1109. b
Cara-vallis monaſterium Ord. Ciſt. prope Mediolanum, 143. n. 271. n.
Carcer dorus, monaſterium, 111. a Carceri mancipandæ ſanctimoniales incorrigibiles, 106. n.
CARDINALES excellentiæ titulo compellati, 35. d. n. Et ſanctitatis, 35. n. 232. a Sunt Romæ oculi, 245. b Ex toto orbe eligendi, & quales, 439. b, c Rogans excludendus, *ibid.* b, f Probatos eligere oportet, non probandos, *ibid.* e Quales eſſe debeant, 440. a Aote epiſcopos nominati, 232. a *Fratres* appellati, 55. b. n. 187. b Eorum eſt conſilio & auxilio aſſiſtere ſummo Pontifici, 434. a Cardinalium defunctorum res ad eccleſiam pertinent, 101. d
Cari-locus monaſterium Ord. Ciſt. 190. n. 692.
CARITAS per ſolis ſplendorem deſignata, 1311. f Item per riſum, 1316 b Vino comparata, 1235. c 1455 e Caritatis elogium, 560. e Eſt optimum chariſma, 1370. a c, d Caritas perfecta, deſiderii fructus, 16. e Viſio eſt, 1556. f Eſt Deus, & Dei donum, 30. b 599. c In Deo non eſt qualitas, ſed ſubſtantia, ſecus in creatura, 599. b Caritas eſt vita fidei, 899. d Sola caritas lex eſt convertens animas, 29. e 599 b Et immaculata, 30. a Quomodo lex Domini dicitur, *ibid.* Ipſa ſibi lex, 30. e Caritatis lex quam ſit ſuavis, 600. d Timorem ſervorum temperat, cupiditatem mercenariorum ordinat, 600. d, e Ejus jugum ſuave, 30. e, f
Veræ caritatis indoles & officium, 8. c d Vis & natura, 76. b 149. b 1063. b Cur fortis ut mors, 466. b Caritas perfecta ſolum ſitit quod ſummum eſt, 853. b Veræ caritatis effectus, 17. d, e Caritas non quieſcit, niſi effectus ſequatur, 228. f Omnia reddit levia, 58 b Omnia condit amara, 1217. e Caritatis negotium vera requies, 97 a Non eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi totum occupat caritas, 1312. e Caritas unitatem in Trinitate conſervat, 30. b Eſt amicitiarum mater, 29. a Caritate fratres dicimur, 213. f Eadem meritis alienis participamus, 550. f Caritatis lacrymæ, 1467. f Caritas ad lacrymas & litteras inops non eſt, 191 e Caritatem habe, & fac quicquid vis, 217. c Caritatis virtute indutus hoſtibus terribilis, 1311. f
Caritas, oculus ſimplex, 119 d Animæ ſenſus, 1234. a Vitis fructus, 1474. d Caritas æſtas, timor hiems, 1467. c
Caritas duplex in actu & in affectu, 1438. c Caritas triplex, 1181. b Quadruplex, 1345. f Vera & ſincera quæ, 29. d Caritas ampla, 1364. e Caritatis præceptum in Lege de actuali debet intelligi, 1438 e Non excludendo tamen omnem affectum, 1437 a Caritatis affectualis præceptum in hac vita nequit impleri, 1438 d Caritatis perfectio homini non competit in hac vita, ne quidem martyribus, 596. d, e Caritatis ſtatus in patria, 35. a & *ſeqq.*
Caritati ſubjicitur S. Benedicti regula, 519. d & *ſeqq* Et omnes regulæ, 502. b Ejus cauſa pietatis opera aliquando intermittenda, 1452. e Caritatis negotia non ſunt interturbanda, 94. f Caritas omni ſollicitudine ſervanda, 224. e f
Caritas cum infidelitate eſſe non poteſt, 467. c Semel habita poteſt amitti, 467. b c Dæmon in oppugnanda fide fruſtratus, caritatem aggreditur, 220. e d Caritate nos allicit Deus, 738. f Sine caritate nis

hil proſunt reliquæ virtutes, 465. b c Caritas à ſeipſo incipit, 421. c Semper habet quæ ſua ſunt, & ideo non quærit, 1328. c Hic nunquam ſine timore & cupiditate, 31. c In prælato quomodo recte ordinanda, 1436. f Caritas Eccleſiæ in Synagogam, 1565. c Miræ erga proximum caritatis exempla, 78. c d Caritas proximi tripliciter exercetur, 1220. f Caritas imperfectorum præpoſtera in alios, 1351. b Caritati contrarium eſt, ſubtrahere aliis utilia, 1438 b Antitheſis eorum, qui caritate, & qui cupiditate trahuntur, 379. d, e V. Amor, Dilectio.

Carnotenſis conventus pro ſacra expeditione 258. a, b 319. e Carnotenſis conventus ad conferendum auxilium eccleſiæ orientali, 329. e

Caro eſt tabernaculum, 814. c Carnis deliciæ, ſpiritus corruptelæ, 6. b Caro quatenus diligenda, 856. f Carnis cura pœnitentiæ contraria, 567. e Studiis ſpiritualibus relictis ad carnalia converti indignum, 1396. b & ſeqq. Carnis cura monacho indigna, 1379. c Caro ſervire debet ſpiritui, non ſpiritus carni, 1131. a, b Caro domeſticus hoſtis valde timendus, 942. d, e Nullus vicinior hoſtis, 18. c Caro noſtra, Eva noſtra, 1027. c Laqueos & hoſtis, 822. b c Carnem merito ſentit rebellem anima Deo rebellis, 552. f Carni quod moleſtum, id melius & utilius eligendum, 782. b Carnis mortificatio non minus proficit ipſi carni, quam ſpiritui, 945. c Eſt genus martyrii, 1379. a V. Mortificatio. Carnem vere amant qui eam mortificant, 855. a, b Carnis maceratio occulte, licentioſe, & diſcrete fieri debet, 1168. e & ſeqq. Carnis voluptas malum eſt, bonum vero afflictio, 782. d Carnis infirmitas robur ſpiritus auget, & è contra, 1374. a Carnis deliciis renuntiare initio grave, poſtea ſuave, 917. b & ſeqq. Carnis fragilitas religioſis non curanda, 170. b Carni dediti præſtringuntur, 854. d V. Corpus.

Carnium eſus in grangiis Ciſtercienſium prohibitus, 205. n.

Carnales qui 934. b Carnales animæ mulierum nomine deſignatæ, 1405. e Ordine præpoſtero gaudium quærunt, 1183. e Iis non ſapit Chriſtus, 18 b Carni non percipiunt ea quæ Dei ſunt, 812. f & ſeqq. Carnales ſpem futurorum rident, 1211. d Carnales, & ſpirituales, Eccleſiæ duo latera, 841. d Carnalibus conſolationibus ſpirituales, ſociari nequeunt, 12. c 369. b Carnalis homo ſemper in pœna, 857. a Carnaliter viventes mortui ſunt, 899. e & ſeqq. Carnalis affectus vino ſimilis, 1243. a Carnalis erga Chriſtum amor deſcribitur, 1328. e

Carolus Emmanuel Sabaudiæ dux, 132. n.

Carraceetenſibus monachis monaſterium Tholdanos ab Elvira infante ſubditum. 281. n.

Carthuſiani *Sancti* appellati, 28. b e 247. d Eorum quies ſancta, 28. d Juge ſilentium, 28 d Carthuſienſes ut ſanctos ſuſpicit S. Bernardus, 247. d Carthuſienſes in Daniam dirigit Petrus Cellenſis, 148. n. Carthuſienſes opponunt ſe Gratianopolitanæ electioni, 347. e Nullus apoſtata ſine ſatisfactione ab iis receptus, 264. e d Carthuſienſium epiſtolis proficit Bernardus, 28. c Eorum quietem litteris ſuis interrumpere timet, 28. d

Caſæ-Dei monachis fraternitate conjungitur Ludovicus Junior rex, 54. n. Eiſdem Fabernacenſe cœnobium reformandum committitur, 330. n.

Caſæ-Mariæ monaſterium Ord. S. Benedicti Ciſtercienſi adunatum, 344. n. 384. f

Caſamentum quid, 52. e, n.

Caſelenſis urbs in Hibernia, 679. b

Castitas virtus angelica, 1362. c Caſtitas ſine caritate, lampas ſine oleo, 465. c Caſtitas quintuplex, 1343. f Caſtitas per lunæ plenitudinem deſignata, 1212. e Caſtitatis cuſtodia difficilis, 1747. a In deliciis periclitatur, 493. f Caſtitatis prædicatio eſt vox turturis, 1478. d Caſtitatis commendatio, 464. f & ſeqq.

Caſtrum ſpirituale triplici apparatu ad ſui cuſtodiam indiget, 1074. b Caſtrum animæ quam multipliciter impugnetur, & quibus armis propugnetur, 1304. c & ſeq. Caſtri ſpiritualis proditio cavenda, 1074. f Quomodo, 1075. d Proditores quinam, 1075 a Caſtelli myſtica explicatio, 997 c Caſtrum Chriſti Clara-vallis, 1075. b

Caſus piorum & impiorum quid differant, 830. d

Catalaunenſi eccleſiæ paſtorem præfici non ſinit Ludovicus junior, 205. b

Cathedræ peſtilentiæ quatuor pedes, & quis in ea ſedeat, 1399. e

Catholicus falſus plus nocet, quam verus hæreticus, 1492. d Catholica, V. Eccleſia.

Catholicus diſcipulus S. Malachiæ, 688 a

Catinenſis electi cauſa epiſcopo Lemovicenſi commiſſa, 124. c An Catinenſis, ibid. n.

Cauda hoſtiæ perſeverantiam deſignat, 164. a

Cauſæ breves decidendæ, præſertim pauperum & viduarum, 415. a V. Lites.

Caziacenſe monaſt. Ord. S. Benedicti, 262. n.

Cedar, tenebræ, 1353. b

Cedrus lignum imputribile, odoriferum, altæque proceritatis, 1426. d

Cella triplex, diſciplinæ, naturæ, & gratiæ 1314. e & ſeq. 1340. f Cella vinaria, aromatica, unguentaria, 1360. c Earum differentia, 1341. e Introductio in cellam vinariam, 1435. c 1436. b

Cellæ parvulæ extra cœnobium, aliquando Synagogæ ſatanæ, 211. b Cella Claræmontis, 34. n.

Cellarium tropologice quid, 1340. a

Celſitudinis titulus regibus attributus, 203. e 257. a 289. b 371. f Non eſt quod blandiatur celſitudo, ubi ſollicitudo major, 418. e V. Dignitas.

Celsus Hiberniæ epiſcopus, 661. e Archiepiſcopus, 667. e f 672. d Moriens baculum ſuum Malachiæ ſucceſſori mittit, 668. e

Centuplum monachorum quale, 807 a n.

Centuplum paupertati promiſſum, 170. c Centuplum in hac vita promiſſum quid, 481. d

Centurionis evangelici humilitas, 330. c Commendatur, 474 c Ejus fides ea audito, 1367. b

Certantibus ſe nobis Chriſtus proponit exemplum & præmium, 1430. f

Cherubin plenitudo ſcientiæ dicuntur, 132 a. f Ut ſcribendum hoc nomen, 946. n.

Christianus à Chriſto ſeparatus, fit monſtrum, 815. a Ejus gloria Crucifixo conformari, 1352. c Chriſtiani gloria in cruce Domini, 133. b Chriſtianorum adoptio, 905 f Chriſtianorum in hebdomada ſancta religio & pietas, 884 d 890. c Eorum abuſus in feſtis paſchalibus, 891. b

Chriſtiano, ipſique Chriſto perſecutio nunquam deeſt, 915. f Chriſtianis quantum incumbat amoris debitum, 390. a & ſeq. V. Amor.

Christianus abbas Melliſontis, 318 n. 664 d 674. d 680. c Miſſus ad S. Malachiam à S. Bernardo, 123 a

Christianus epiſcopus, frater S. Malachiæ, 672. e

Christus & Maria varie figurati, 738. e Scripturarum in præſignandis Chriſti myſteriis conſonantia, 740. c Chriſtum diverſis rebus diverſis ex cauſis figurari non eſt inconveniens, 738. d Chriſti typus Moyſes, 907 a Elias, 916. a Eliſæus mortuum reſuſcitans, 1513. b Chriſtus Salomon verus, 1360. d Salomon, Eccleſiaſtes, & Idithun, 800. c 1184. a Chriſtus liber ſignatus ſigillis ſeptem, 896. b & ſeq. Columbæ teſtimonium de Chriſto, 799. a Chriſtus ab Angelo cur ſimpliciter Sanctum dicatur, 731. d

Chriſti varia nomina, 1186. & ſeq. Horum nominum expoſitio, 793. f & ſeq. Jeſu nomen per excellentiam ei competit, 747. c Chriſti nomen effuſum in omnes gentes, 1318. d Gabriel fortitudo Dei dicitur nuncupative, Chriſtus ſubſtantive, 713. e Chriſtus radix David, 896 a Flos campi, 1429. f Cur non horti, 725 f Flos horti, campi, & talami, 1430. d Fructus benedictus, 745. c & ſeq. Arbor myſtica, 969. f Mons aliegenæ, 1152. c Mons coagulatus & pinguis, 1152. c, f Murus & antemurale, 1076. c Ovi & api comparatus, 722 e d Chriſtus æternitas, caritas, virtus, & ſapientia eſt, 37 a Factus nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemtio 1335. e 1336 c Venit ut Deus, ut ſponſus, ut agnus, 926 c. f Virgo, Virginis filius, virginumque ſponſus, 1169. d Chriſtus ſponſus quomodo tranſiliens montes & colles, 1449. f Chriſtus via, 620. c Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio, 914. d Rex ubique, 1184. a Seductor pius, 897. a Fons omnis ſanctitatis, 787. b Noſtræ ſalutis auctor, 986 d Salvator & medicus, 771. f & ſeq.

In Chriſto Salvatore tria conſideranda, 772. d Chriſtus ſalvator à fidelibus undequaque reverendus, 783. e, f Chriſtum eſſe mediatorem omnia teſtantur, 781 d Chriſtus prophetiæ ſenſus 110 b Chriſti humanitas in argento, divinitas in auro intelligitur, 727. d Chriſtus quomodo niger & formoſus, 1312. d, e Chriſtus foris deformis, intus formoſus, 1167 a Factus niger ut nos candidos faciat, 1316. c & ſeq.

Chriſtus incarnatus, ut nos liberaret, 650. c In ejus Incarnatione tria conſideranda, 636. f Chriſtus carnem ſuſcepit, in qua pati poſſet, 1133. e, f Novatianorum error de ejus carne, 436. f Ejus carnem in virgine ex nihilo creatam fuiſſe opinati ſunt nonnulli, 978. e In eo ſubſtantia triplex, perſona unica, 453 e 764. a Chriſtus Patri coæqualis, 717 d Chriſtus ex Patre, in Patre, cum Patre, à Patre, pro Patre, ſub Patre, 250. b & ſeq. Chriſti divinitatem probant ejus miracula, Prophetarum oracula, & vox paterna, 555. c Chriſtus loquens de ſe ſecundum divinitatem, non *Filius*, vel *Filium hominis*; ſed *ego*, vel *me* ponere conſuevit, 563. f Chriſti caput Deitas, pedes humanitas, 1230. b Læva humanitas, dextera divinitas, 1036 d Patrum antiquorum deſideria erga Chriſtum naſciturum, 775. a Tempus Chriſti adventus angelis incognitum, 634. b V. Adventus. Ejus conceptio noſtram reformat, 931. c Ei ſoli reſervata ſanctitas conceptionis, 171. d Hujus conceptionis modus Deo tantum notus & Deiparæ, 751. b Chriſti generatio & Mariæ aſſumtio inenarrabilis, 996 f Chriſti de cælo deſcenſus Mariæ aſſumtione mirabilior, 1003. d

Chriſti nativitas miranda, 755. e, f In Chriſti nativitate videre eſt majeſtatem in humilitate, virtutem in infirmitate, & in homine Deum, 774. a Chriſti nativitas dies redemtionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ, 758. e Nativitatis locus expenditur, 774. b Nocte natus docet oſtentationem fugiendam, 782. b Hieme natus docet eligenda quæ carni ſunt moleſta, 782 a Nativitate ſua paupertatem fecit pretioſam, 757. b Chriſtus in ſua nativitate divitias negligit, 783. d Humilitas in nativitate, 767. a Remedia ex Chriſti nativitate allata, 765 c & ſeq. A Chriſto nato quæ nobis utilitas percipienda, 748. e, f Fiducia quanta homini in Chriſto naſcente concipienda, 772. a & ſeq. Chriſti nativitatis fructus triplex, 756 b In quibus naſcatur, 775 c, f Sicut quotidie immolatur, ſic quotidie naſcitur, 775. f Ejus nativitas debet ſemper nova videri, 773. f Chriſtus parvulus factus facile placari poſſe indicat, 797. c Chriſti vagitus & lacrymæ quam diſſimiles à lacrymis aliorum infantium, 782 a Voluptatum fugam docent, ibid. Item pudorem, dolorem, timorem incutiunt, 783. a & ſeq. Chriſtus in præſepio hominibus tanquam fœnum jumentis appoſitus, 1396 c Stabulum vanitatem mundi damnat, 782. e

Chriſtus cur circumcidi voluerit 804. b & ſeq. Circumciſus propter quod natus & paſſus, 791. c Ut caput circumciſionem pro membris ſuſcepit, 793 a, b Chriſti circumciſio veritatem humanitatis

aſſumtæ probat, 789. d Chriſti humilitas in circumciſione, 788. f Quid nos doceat, 585. a In ea aliquid amandum, aliquid admirandum, aliquid imitandum, 792. c Chriſtus circumciſus cur Salvator appellatus, 791. c

Chriſti in templo oblati & in cruce collatio, 962. c, f Chriſtus Magis apparuit paucis poſt nativitatem diebus, 801 c Chriſti triplex apparitio una die, 799 f 801. c In prima verus homo, in ſecunda Filius Dei, in tertia verus Deus innotuit, 803. b c 799 d Chriſtus eodem die baptizatus, quo à Magis adoratus, 798. c Chriſtus baptizatus cum annos ferme triginta egiſſet in carne, 801. c Chriſti baptizari volentis humilitas, 798. c Ejus humilitas in baptiſmo, 804. c & ſeq. In baptiſmo aquas lavandis hominibus abluit, 798 f

Chriſtus quibus virtutibus nos redemit, 978. b Humilitas virtus Chriſti, 1570. b 1110. c Chriſtus perfecte humilis, 1416. c Factus dilectus in humilitate, 1310. c Ejus gloriatio in ſola humilitate, 458 c Hæc humilitas noſtram confundit vanitatem, 799. c Imitanda, 970. a Chriſti exinanitio uſque ad carnem, ad crucem, ad mortem, 1396. b Chriſti minoratio fuit mera miſeratio, 1525. f Chriſti mira obedientia, 1325 c Chriſtus parentibus ſubditus, 794. c Chriſti paupertas, 903 b Manſuetudo, 1356. f Ab ipſo miſeriis teſtimonium habet miſericordiæ, 981. b Chriſti benignitas & miſericordia quanta, 796 c & ſeq. Familiari parabola commendata, 793. b & ſeq. Chriſti miſericordia, & potentia ſemper meditanda, 587. f Chriſtus nunc promot ad miſericordiam, quam ad judicium, 781. d Chriſti miſericordia & juſtitia, 913. a Chriſti juſtitia noſtra eſt, 613. b Chriſtus ſolus innocens, 1131. a Chriſtus abſque peccato, 1370. b Chriſti amor pro nobis, 915. b Summa Chriſti dignatio, & Mariæ dignitas, 735. d Chriſtus in majori ætate manifeſta virtutum dedit exempla, in infantia vero figuris velata, 792. c

Chriſtus fecit & docuit, 1024. f Facta ejus omnia non ſine myſterio, 882. c 918. c d Ejus actiones nobis ſunt obedientiæ documenta, 562. c Chriſti & operum ejus duplex pulcritudo, interior & exterior, 807. c & ſeq. Ejus opera exterius conſiderata minus capaces animos paſcunt, 807. b Chriſti vita noſtram inſtruit, 951. Converſatio in terris eſt quaſi amoris, 1389. b Chriſtus in domo Marthæ & Mariæ paſcebatur inter lilia, 1514. f Chriſti umbra deſiderabilis, 1433. c Chriſti umbra, caro ejus, 1338. f Chriſti umbra, caro ejus & fides, 1433. f Chriſti verba aliis dulcia, aliis dura ſunt, 1096. c Chriſtus diverſimode omnibus præſens & manifeſtus, 1058. d Communicatio idiomatum in Chriſto, 454 a

Chriſti ſcientia experimentalis, 363. b 1437. c Fiduciam in nobis augere debet, 363. b Diem judicii neſcivit ſcientia experimentali, 363. d Quomodo didicit miſericordiam, 362. b Ejus libertas in moderandis actionibus corporis ſui, 88. d Triplici libertate præditus, 606. f Chriſtus ſuum deſeruit conſilium, ut ex bono fieret melius, 904. f Septiformis Spiritus in Chriſto, 977. f Chriſti unctio, 813. c d Chriſtus rogavit ſe clarificari à Patre, non ut ſupplex, 55.5. c

Humanæ affectiones & ſenſus corporei in Chriſto, 1457. c Affectiones quatuor in Chriſto ordinatæ ab utero, 1184. c Chriſtus fleviſſe legitur, riſiſſe numquam, 781. d Chriſti infirmitates ex nobis, 1338. c Chriſti tentationes quatuor, 568. b, c Tribus tentationibus diabolus Chriſtum aggreſſus eſt, 837. c

Chriſti oratio & ſudor in horto, 885. f Cur ab Angelo confortari voluerit, 1023. b Chriſti mors non ex juſtitia, ſed ex miſericordia non tamen contra juſtitiam 353 f ex mero amore, 551. c Spontanea, 781. a 883. c, f 1134. a Chriſti caritas in paſſione, 885. c, f 887. d & ſeq. Chriſti in paſſione miſericordiæ, 887. d & ſeq. Humilitas 885. c, d 888 b, c Patientia 885. a, b 887. d & ſeq In vita paſſivam habuit actionem, in morte activam paſſionem ſuſtinuit, 888. c Quanta pro nobis paſſus, 1297. b Cur tam laborioſum nos liberandi modum ſuſceperit, cum ſola ejus voluntas ſufficeret, 354. d & ſeq. 1296. f & ſeq. Chriſti paſſio noſtrum meretur amorem, 814 a, b. Magnum amoris incentivum, 586. f Chriſtus ſpeculum patiendi, & præmium patientis, 1430. f. Chriſti infirmitas non minus nobis profuit, quam majeſtas, 355. b Ejus vita & mors nobis neceſſaria, 832. d Chriſti ſolius paſſio nobis ſufficit, 883. c Etiam peccato offendentium delendo ſufficiens fuit, 555. f. Mors Chriſti una cur profuerit pluribus, 153. c 314. a & ſeq. Chriſti paſſionis vis & efficacia, 884. f Una ſua morte duplici noſtræ medelam attulit, 313. b Hæc mors hoſtes noſtros debellat, 932. a Triplex peccati genus expugnat, originale, perſonale, & ſingulare, 886 c Expugnat concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, 886 b Chriſti paſſioni tribuitur remiſſio peccatorum, reſurrectioni juſtificatio, aſcenſioni glorificatio, 972. c Chriſti mors à morte, vita ab errore, gratia à peccato nos liberavit, 313. c Mors Chriſti inutilis ſine Spiritus-ſancti effuſione, 314. c Quomodo placuerit Deo Patri, 655. c, d Chriſto deſcendere de cruce non fuit magis difficile, quam è clauſo exire monumento, 894. c Chriſti perſeverantia in Cruce, 893. a Ei diabolus fruſtra inſidiatur, ibid. f Chriſti mors dilata, ut nos vita inſtrueret, 554. f Lateris dextri in Chriſto aperti myſterium, 844. c f Chriſti vulnera, victoriæ ſigna, 1016. d Sunt petræ foramina, 1475. c Habitatio ſecura, 1473. c

Chriſtus paſſionem & reſurrectionem ſuam meditantibus ſedulus adeſt & libens, 587. c Tria in Chriſti paſſione conſideranda, opus, modus, & cauſa, 884. b Chriſti mortis magis quam vitæ recordatio ad pietatem nos movet, 552. c Qui non poſſunt timari arcana Dei, Sanctorum gloriam & Chriſti paſſionem conſiderent, 1480. d, c Chriſti crux in quatuor conſiſtit, 884. a Chriſti triduum moraliter, 593. c Verbum in triduo mortis Chriſti à corpore & anima non ſeparatum, 454. c Chriſtus deſcendens in inferos quid egerit, 1036. a Chriſtus in ſepulcro quomodo myſtice ungendus, 1300. a Chriſtus cur noluerit ſuum corpus mortuum ungi, 1212. d 1300. a, b

Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam impaſſibilis, 1154 c Ejus reſurrectio a nobis exigit tranſitum ad meliorem vitam, 897. d, c Ante paſſionem ſuam ſeptem nobis dedit purgationes, poſt reſurrectionem ſeptem refectiones, 903. a Spiritus-ſancti ſeptem dona, ſeptem Chriſti apparitionibus applicata, 905. c, d 1342. d Chriſti aſcenſio non differenda erat, 1533. b Chriſti variæ aſcenſiones, 930. d & ſeq. Chriſti deſcenſus & aſcenſus triplex, 1192. b, c A nobis quo modo imitandus ibid. c Chriſti diſceſſum cur ægre ferrent Apoſtoli, 915. d V. Aſcenſio. Chriſto præſente cur Apoſtoli recipere non potuerint Spiritum-ſanctum, 915. c 926. c

Chriſtus & Beati non amplius paſſionibus obnoxii, non tamen miſericordiæ expertes, 1155. b & ſeq. Chriſti majeſtas in gloria, 767. c Chriſtus in gloria an paſcatur inter lilia, 1319. c Seſſio ad dexteram Patris quid, 1535. a Ei propria, 1536. a Chriſtus in exilio manſuetus & amabilis, in judicio juſtus & terribilis, in regno glorioſus & admirabilis, 800. c Deus judicandi poteſtatem dedit Filio ut homini, & quare, 1384. f Chriſtus ut filius hominis hereditat terram, ut dominus ſubjicit, ut conditor adminiſtrat, ut ſponſus communicat, 1468. c Orbis univerſus Chriſti dominium jure creationis, merito redemptionis, & dono Patris, 926. d Hinc ab omnibus creaturis agnitum, 932. c & ſeq Glorificatio ad Jordanem in monte Thabor, & in cælis 1551. c, f Chriſtus excellentiori filius per gratiam, 1435 d Chriſtus ut homo major Angelis, 1526 b V. Angelus. Prius in humilitate videndus quam in gloria, 944. b Ejus gloriam plures quam crucem deſiderant, 1330. f & ſeq. Cur mundanam gloriam admiſerit, 882. c

Chriſti viſio apud Iſaiam diverſa, 931 b, c Chriſtum peperit Synagoga matris officio, ſed abjecit non matris affectu, 776 a Chriſtus quomodo regnat in domo Jacob in æternum, 749. c Chriſto quomodo data ſedes David, cum in Jeruſalem non regnaverit, 749. b & ſeq Chriſti proceſſio duplex, 919. c, d De Chriſti humanitate quam de divinitate loqui promptius, 1335 b

Chriſtus diligit nos dulciter, ſapienter, fortiter, 1326. f Chriſti dignatio in reparatione hominum, 1175. d Chriſti dignatio in animam quanta, & quantum inde amandus, 808. c, d Chriſtus quanto pro nobis vilior, tanto nobis ſit carior, 776. c Chriſtus fons vitæ ad nos, 1013. c Omnis ſanctitatis fons, 787 b Chriſtus totus homini datus, totus in uſus ejus expenſus, 793. b Chriſtus pro hominibus Deo ſatisfecit, 653. b Chriſti tota diſpenſatio, quam exhibuit in carne, eſt medicina ſalutis, 903. a Chriſti virtus & ſapientia in opere redemptionis abſcondita, 1190. d Chriſtus duos hominis hoſtes, peccatum & mortem profligavit, 777. c, d Chriſti juſtitia hominibus profuit, ſicut Adæ injuſtitia obfuit, 632. d Innovatio triplex nobis per Chriſtum præſtita, 729. d A peccatis nos lavit, non ut aqua diluens & retinens ſordes, ſed ut ſol deſiccans & retinens puritatem, 351. b Vinum & oleum infudit vulneribus noſtris, 1317. a Similitudinem Dei in homine reformavit, 615. f Idque ei congruebat, 616. a Chriſti humana miſericordia quomodo nobis neceſſaria, 564. d Humanitas fidem inſtruit, ſpem roborat, accendit caritatem, 796. f Chriſti pro nobis labores fruſtrati quam Deo moleſtiam, 783. c, f Terris intulit magiſterium diſciplinæ cæleſtis, 1362 c Se nobis certantibus exemplum proponit & præmium, 1430. f Cauſa, virtus, fructus, & forma martyrii, 1369. d Chriſti inſignes victoriæ, 892. c Chriſtus nobis promeruit cæli aſcenſum, 1111. c Habet poteſtatem & voluntatem dimittendi peccata, 555. c, d 555. a Homo ſecure ſe credit Chriſto, qui ſalvare eum velit, noverit, & poſſit, 1327. a Chriſtus plus amandus ob opus redemptionis, quam creationis, 1326. d, c Scientiæ deſiderium à protoplaſtis uſurpatum quomodo expiavit, 564 b Ipſe in omnes effuſus, 1310. c

Chriſtus imitandus, 728. c 889. a Chriſtum quidam non ſequuntur, ſed fugiunt; quidam non ſequuntur, ſed præeunt; quidam ſequuntur, ſed non aſſequuntur; quidam ſequuntur & conſequuntur, 1194. a & ſeq. Chriſti ſuavitas attrahit omnes, 1024. d 1381. d Quam indignum non currere poſt Chriſtum, & quibus monitis ad hunc curſum excitemur, 1316. c & ſeq. Chriſto vivendum, 349. a Dignus morte qui Chriſto recuſat vivere, 1326. b Chriſtus paraclitus, 1062. c Chriſti onus quam leve, 73. d & ſeq Quamvis premere videatur, portandum, 830. c & ſeq. Chriſtum geſtare, non onerati, ſed honorati eſt, 840. x Chriſtus apprehenditur, non legendo, ſed ipſum ſequendo, 330. b Chriſto quomodo ſedes paranda, 724. f Non amat contubernia, ſed ſtabile, 775. c Nihil ſitit niſi noſtram ſalutem, 370. c Noſtros profectus amat ut ſuos, 1484. c Cor petit à nobis, 815. c Chriſtus quibuſdam nondum natus, quibuſdam nondum paſſus, quibuſdam nondum reſurrexit, quibuſdam nondum aſcendit, quibuſdam nondum miſit Spiritum-ſanctum, 1179. c & ſeq. Tamdiu vivit in nobis, quamdiu fides vivit, 879. c Chriſ-

ti regnum, anima, 750. b Chriſtus animæ doctrinâ & moribus apoſtolorum non indutæ inſidere non poteſt, 1361. c Chriſtum ſequenti nihil timendum, 130. c Chriſtus qualis erga ſe ſequentes, 1381. f Eum ubique ſequitur fides noſtra, 1344. c Digne tangit fides jam glorificatum, 1369 c

Chriſto uniuntur omnia unione ſubſtantiali, perſonali, ſpirituali, ſacramentali, 1132. c Myſticum corpus pluſquam verum diligit, 1215. c 1300. a Chriſto capiti cohærendum, 814. c & ſeq. Homo à Chriſto ſeparatus fit monſtrum, 815. a Chriſtus deſponſat ſibi Eccleſiam, 1258. c Chriſtus amore ſponſæ etiam Synagogam ſibi deſponſare paratus, 1545. c Chriſtus ſponſæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ, vindex futurus, 1314. b Eccleſiæ amor conſtans in Chriſtum, 1544. f Chriſtus quibuſdam longe, quibuſdam prope, 1438 b Chriſti nuptiæ cum anima, 808. a, b Chriſto protectore nihil timendum, 841. f & ſeq. Chriſto ſecure ſe credit homo, qui ſalvare cum vult, novetit, & poſſe, 387. a Chriſtus perſecutiones patitur à falſis Chriſtianis, præſertim à Sacerdotibus, & detractoribus, 936. b & ſeq. V. Verbum.

Chryſogonus cardinalis, 850. d, c

Cibi Angelorum & hominum diſcrimen, 1449. a Cibus animæ triplex juxta tres ſtatus, 36. b, c Cibi ſpiritualis condimentum, ſapientia, 1088. d

Ciborum obſervatores monachi notantur, 1378. a 1379. b, c & ſeq. Ciborum condimenta nimia in monachis præſtringuntur, 535. d Cibi viles exercitio & labore redduntur ſuaves, 6. d, 7. a Satis eſt monacho ad omne ciborum condimentum ſal cum fame, 6. c Cibi Ciſtercienſium quales, 6. d. Olus, 8. d

Circuitus impiorum in res creatas, 391. c

Circumciſio quid nos doceat, 793. c Superfluitatis & peccati indicium, 798. f. Cur octava die fieret, 791. b In ea ſit parte, ubi plus viget concupiſcentia, 791. b Circumciſionis culcellus originalis culpæ rubiginem eradebat, 891. a Circumciſionis antiquæ præceptum, 791. a Circumciſio noſtra moralis quæ, 790. b Circumcidi non membro unico, ſed toto corpore indigemus, 789. f Circumciſio Chriſti. V. Chriſtus.

Circumſpectio triplex neceſſaria, erga homines, angelos, & Deum, 871. f & ſeq.

Ciſtercienses Ciſtellenſes dicti, 135. n. Eorum primigenius fervor, 256. c, f Vita 3. c, d 387. f & ſeq. 391. a, b 395. f & ſeq. Eos imitari utilius, quam evangelium recitare, 387. f Sanctos vocat Petrus Venerabilis, 221. b Quales locus elegerint, 312. a Valles humidas & male ſanas, 392. c Eorum obedientia, 397. c Victus qualis, 391. f Cibi, 2. d 6. d. 397. b A piſcibus, ovis, & abdomine præterquam in itinere abſtinebant, 6. n. Eorum potus, 397. b Vinum raro bibebant, 6. n. 1068. b Medicamentibus uſi, 360 c Diſciplinarum uſus apud eos, 192. a Vigiliæ nocturnæ quam prolixæ, 1401. d Zelus pro cantu, 693. a & ſeq. Biblia emendata, 698. Tempore meſſis Miſſam intermittebant, 1439. f. n. Eorum ſilentium, 1373. a An contioinum, 220. a Sermo rarior, 1485. a Colloquia, 1188. f. n. 1180. b

Ciſtercienſium vilis habitus, 1127. a n. Veſtes ruſticanæ, 3. d Interulas non gerebant, 6. n. Semicinctiis, & tunicis, non togis utebantur, 754. Tunicæ eorum pelliciis Cluniacenſium oppoſitæ, 1. d Floccarias cucullas rejiciunt, 3. n. Floccorum odium habent ignarum, 6. n. Eorum cuculla & tunica albæ, 221. c Album colorem cur prætulerint nigro, 221. c 222. c Urbanus II. Roberto abbate Moliſmum remiſſo, ſocios ejus in Ciſtercienſi eremo manere permittit, 391. b

Ciſtercienſem Ordinem aliis cur prætulerit S. Bernardus, 33. d Ciſtercienſis Ordo creſcit in Dania, 348. n. Alpenſes monachi ipſi adjunguntur, 147. d, e Item Saviniacum monaſterium cum aliis triginta, 136 n. Item duodecim monachi B. M. Eboracenſis, 99 n. Ante Bernardi Mediolanum adventum nulli Ciſtercienſes tunc ibi erant, 148 n.

Ciſtercienſes militem templi in monachum recipere renuunt, 260. a Eorum monaſteria omnia B. Mariæ dicata, 89. n.

Ciſtercienſium capitulum generale, 1156. n. Se ajus precibus commendat Petrus Venerabilis, 347. f. Specialis de eo & de iiis in eo ſit memoria, 348. d

Ciſtercienſes abbates niſi pro fide ad concilium vocari non poſſunt, 319. c Unde eligi non debeant, 320. a Innocentio adhærent, 136. a Ciſtercienſes ab animarum cura diſſuadet Eugenius III. 367. d b Ad ſocietatem ſuffragiorum Ludovicum Craſſum admittunt, 33. c d Item epiſcopum Parisienſem, 33. c A decimis exemti, 211. n. 310. b Cum Præmonſtratenſibus paciſcuntur de non ædificandis prope ſe invicem monaſteriis & grangiis, 150. n.

Civitatis cuſtodia tutiana, 1337. b

Clamor & virtus ſanguinis Chriſti, 82. a, b

Clamor in auribus Dei eſt deſiderium vehemens, 871. b

Claræ-fontanenſe monaſterium Ord. Præmonſt. 385. n.

Claræ-vallis elogium, 380. b 393. d & ſeq. Caſtrum eſt Chriſti, 1075. b Locus voluptatis, 353. d Claræ-vallis & Jeruſalem comparatio, 64. c

Claræ-vallis ſeu Cara-vallis prope Mediolanum, 148. n.

Claræ-vallenſium elogium, 783. 914. 1158. f & ſeq. Eorum vita ex omni parte primæ Salvatoris ſcholæ reſpondens, 1128. d Admirabilis, 387. f & ſeq. 391. f & ſeq. Amor pro cruce, 1963. b Quales in choro, 395. f & ſeq. In labore manuum, 398. b Ad menſam, 397. a, b Eorum obedientia, 397. c 873. a Irreprehenſibilis converſatio, 873. a Unanimitas, 1372. c Eorum panis ea avena 6. n. Aluns ſuo labore pauperes, 831. a Eos imitari utilius, quam Evangelium recitare, 387. f Claræ-vallenſium animas ad cælum evolaſſa cognoſcis S. Bernardos, 1187. f

Claræ-vallenſium multi imperfecti, 916 d Quidam indiſciplinati, 1487 c n.

Clarificari ſe à Patre rogavit Chriſtus non ut ſupplex, 1135. c Clarificatio mutua locat Patrem & Filium, 1535. d

Claromariſcus monaſterium Ord. Ciſt. 178. d n. 341. n

Claves Chriſti Petro datæ quæ, 1508. f

Clauſtrum monachorum, Dei templum, 1241. c Paradiſus, 1177. b Quomodo in eo ſit converſandum, 98. a

Clauſtra vanis ornata picturis improbantur, 539. c & ſeq.

S. Clemens genere nobilis, optimus ſui temporis philoſophus, 1056 b

Clementia zelus temperandus, 258 d In ea obſervanda modus, locus & tempus, 484. d

Clericus dignitates eccleſiaſticas rogans excludendus, 439 b f Graviter delinquens habitis & habendis privandus, 160. e Clerici debent vivere de altari præ monachis, 355. e

Clericorum vitia notantur, 1593. a Ambitio, 733. c Simul cum avaritia, 472. d Incontinentia, 495. b Luxus, 838 c Superfluitas & luxus, 434. c, e & ſeq. 1343. c

Eorum inſolentia ex epiſcoporum negligentia, 835. c d

Clerici aulici præſtringuntur, 83. f & ſeq. Curiam frequentantes ambitionis ſuſpecti, 439. c Clericis indignum principum obſequiis inſervire, 88 c, d, e

Clerico pugnare non licet, 594. b Nec ad pugnam hortari, 445. c

Cleri diſciplina & officia, laquearia expreſſiva, 1416. c, e Quales in clerum eligendi, 1486. e Cleri corruptela in moribus, 657. c, f Ex clero Romano in omnem Eccleſiam cleri forma proceſſit, 435. c

Clericalis coronæ inſignia, 82. d Iniqua clericalis dignitatis exiſtimatio, 82. b, c

V. Beneficia, Eccleſia, Epiſcopus, Dignitates, Papa, 8.

Cluniacensis Ordinis elogium, 318. d Ordo glorioſiſſimus & mundi lumen, 1376. c

Cluniacenſes Abbates aureos ad opus eleemoſynæ ferre ſolebant, 212. f

Cluniacenſium ſancta multitudo, 345. c Eorum orationibus ſe commendat S. Bernardus, 318. b Innocentio adhærent, 316. e Quomodo eum exceperint, 331. n Qui eorum eccleſiam conſecrat, 133. n Eorum veſtes, 5 n. b, c Cluniacenſium pelliciis oppoſitæ Ciſtercienſium tunicæ, 3. d

Cluniacenſes inter & Ciſtercienſes diſſidiorum cauſæ, 215. a Conſuetudinum diverſitas, 217. c Veſtium color diverſus, 220. a & ſeq. Invidia & ſuperbia, 223. e & ſeq.

Coactio duplex, activa & paſſiva, 619. a Cogi non poteſt voluntas, 1358 Niſi ſeipſa, 618. c

Cœlebs religioſorum vita cæleſtis & angelica, 1161. c Cœlibatus profeſſio in eccleſiæ miniſtris 493. c Subdiaconorum, 593. n. 594. b

Cœmeterii benedictio, 675. b

Cœmeterium S. Patricii, 687. a

Cœnobiticæ vitæ utilitas, 184 c 957. f Securior eſt quam eremitica, 794 b

Cogitationes bonæ Deo adſcribendæ, 1386. a Mens peregrinatur divina non cogitans, 445. c Deus ut inſpector noſter ſemper cogitandus, 931. a Cogitationes hominum oculis auribuſque divinis ſunt apertæ, 470 b, d Cogitandum nihil præter ſalutem, 488 a Cogitare de ſanctis, illos videre eſt, 1040. c Cogitationes quomodo diſcernendæ, 1385. b Malarum originem diſcernere difficile, 1385. d & ſeq. Cogitationes ſanctas procul petere non eſt neceſſe 1106. a, b Bonæ à Deo ſunt, malæ à nobis vel à diabolo, 1383 c Cogitationum malarum tria genera 1347. f & ſeq. Quomodo ſuperandæ, ibid. Iis ſedulo reſiſtendum, 1098 c A malis cogitationibus quam alienos eſſe oportet religioſos, 1115. a & ſeq.

Cognitio perfecta Trinitatis, vita æterna eſt, 928. b Cognoſcere de Deo quid poſſimus, 928. b Pater perfecte non cognoſcitur, niſi cum perfecte diligitur, 1317. c Cognoſcentium Deum & non cognoſcentium quatuor differentiæ, 1222. b Cognitio in cælis dilectionis eſt nutrimentum, hic poteſt eſſe detrimentum, 1073. f Cognitio & devotio alæ duæ, 949. a Cognitio Dei & ſui neceſſaria, 1087. d 1401. c f Cognitio & cura ſui quam neceſſaria, 487. f 1400. c In tribus conſiſtit, 1166. c Ejus effectus, 366. d Timor Dei & humilitas, 1400. c 1401. f Gradus eſt ad cognitionem Dei, 1408 b Cognitio, animæ vita, 1334. a

Collaterales Pontificis quales eſſe debeant, 438. c

Colli nomine deſignatur intellectus, 1418. c

Colloquia piorum requirere eſſi laudabile, non tamen perfectum, 362. b In colloquio duo auditores cogitandi, 1180. a Colloquia ſecularium religioſo, præſertim tiront vitanda, 199. e Colloquia Ciſtercienſium qualia, 1188. f n. 1180 b Colloquium Verbi & animæ ſpirituale, 1485. a

Colloquium inter Ludovicum Juniorem & Bernardum apud Corbolium, 220. c

Color albus gloriæ & gaudii indicium, 222. b & ſeq. Colorem album nigro cur prætulerint Ciſtercienſes, 221. c 222. a Inde natum inter eos & Cluniacenſes diſſidium, 220. d & ſeq.

Columba ſymbolum humilitatis & Spiritus-ſancti, 1484. a Columbæ teſtimonium de Chriſto, 799. a

S. Columbanus abbas Luxovienſis, 664. c

Columnæ ſeptem in domo ſpirituali erigendæ, 726 a

Comedere homini labor eſt, ſed fame minor, 1109. c

Comminationes, promiſſiones, & commonitiones divinæ cur tam parum nos moveant, 1530. f

Commoda monachis non quærenda, 398. d & ſeq.

Communio paſchalis, 898 c In feſto ...

nium ſanctorum, 1024. d
Communis vitæ prærogativa, 927. a
Communia omnia cum Deo amanti Deum animæ, 1427. a
Comparare ſe alteri nullus debet, 1404. b
Compaſſio fraterna commendatur, 900. b c 1158. d, e Compaſſionis affectum tollunt carnales concupiſcentiæ, 1421. d Compaſſionis effectus, 1166. b Nigredo, 1170. c Homo ad indignationem pronior, quam ad compaſſionem, 1411. c
Comprehenditur Deus ſanctitate, non diſputatione, 437. f
Compunctio cordis primum opus fidei per dilectionem operantis, 911. c Ejus indicium ſubtractio occaſionum, 898. c Compunctionis duo genera, 1459. b Placet uterque Deo, & peccator compunctus, & juſtus devotus, 1094. b
Conceptio Chriſti noſtram reformat, 931. c Ei ſoli ſanctitas reſervata, 171. d Commendatur, 765. a & ſeq.
Conceptionis B. Mariæ feſtum improbatum, 169. c n. 170. c & ſeq. De hac re Eccleſiæ ſuam opinionem ſubjicit S. Bernardus, 178. a
Concha ſit prædicator, non canalis, 1321. a
CONCILIUM Piſanum, 156. c, n. Remenſe ſub Eugenio III. 1548. f Ejus decreta neglecta, 434. b Sueſſionenſe adverſus P. Abaelardum, 640. Senonenſe contra eumdem, 180. f 183. b 309. c 460. Ægre ad illud venit S. Bernardus, 309. d Qui ibi Abaelardum hæreſeos convincit, 310. a, b
Conciliorum decreta in diſputationem non trahenda, 187. a
Concordia & unitas maxime placet angelis, 1021. b Concordiæ & communis vitæ prærogativa, 927. a Concordia ſui ipſius qualiter conſtat, 1073. d
Concupiſcentia omnium vitiorum & malorum origo, 1143. c & ſeq. Libertati non officit, 617. d Vehemens minuit voluntarium, 1551. f Reprimi poteſt, extingui non poteſt, niſi in morte, 710. c Non nocet ſine conſenſu, 470. c 1144. b Ejus motus indeliberati non ſunt peccata, 1553. c Quæ invitos tenet, non voluntas eſt, ſed voluntatis corruptio, 904. a Cur ejus fomes remaneat poſt Baptiſma, 898. b c 895. c Ejus remedia, Euchariſtia, 891. d Oratio, 1028. f Concupiſcentiæ carnales tollunt compaſſionis affectum, 1421. d
Condimenta ciborum, 6. c
Condolere quid, 407. a
Confabulationes longæ, orationis inimicæ, 1120. a
CONFESSIO peccatoris eſt vita, juſti gloria, 122. b Ubi eſt, ibi pulcritudo, 122. a Eſt ſolum poſt peccatum remedium, 551. d Scopa eſt qua mundamur, 928. d In qua lavantur omnia, 902. f Confeſſione & oratione purgatur oculus mentis, 1059. a Confeſſio debet eſſe humilis, pura, & fidelis, 1315. c f & ſeq. Ejus ſeptem gradus, 1166. b & ſeq. Comites habeat mortificationem & orationem, 1212. b Ejus efficacia, 681. c 1161. a Utilitas, 1165. f Humilis ſui ipſius diſcuſſio & confeſſio Deo accepta, 726. b Confeſſio duplex, 122. b 556. c 758. a 1165. f 1459. c Confeſſio oris triplex: vera, nuda, propria, 1268. a & ſeq. Confeſſio paſchalis, 898. b Confeſſio & Viaticum moribundi, 678. b Confeſſio privata, 1288. f n. Ejus formula, 1256. b & ſeq. Confeſſionis quatuor impedimenta, 1226. e & ſeq. 1242. a Sacerdotum in excipiendis confeſſionibus qualis cautio eſſe debeat, 556. f Confeſſio ſimulata, nonus ſuperbiæ gradus, 577. f Ejus technæ, 578. a
Confitentium Deo differentia, 598. f Alii ſervi, alii mercenarii, alii filii, 29. e Confiteri Domino in gratiarum actione & in operum exhibitione, 369. d
Conformitas voluntatum maritat animam Verbo, 1557. c 1566. a
Confuſio adducens gloriam quæ, 1109. c
CONGANUS abbas in Hibernia, 557. c 558. a Nempe Surienſis monaſterii, 652. d
CONGELLUS primus abbas Benchorenſis, 664. c
Congregatio felix, ubi de Maria Martha conqueritur, 1000. f Congregationis tres parietes, 1542. c In congregatione plurimorum impoſſibile eſt omnes unius eſſe fortitudinis, 1158. d In ea vivendum ordinabiliter ſibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo, 989. e
Conjugium ſtatus periculoſior, 1156. b Ipſum tollere, eſt omnem ſpurcitiam inducere, 1495. e
Connereth civitas Hiberniæ, 666. a Ejus epiſcopatus diviſus, 672. a
CONON ex canonico regulari cardinalis, 640. Legatus, 33. n. 185. c
CONRADUS archiep. Salzburgenſis, 135. b
CONRADUS dux Zeringenſis, 102. d
CONRADUS epiſcopus Papienſis, 143. n.
CONRADUS monachus Morimundi, 17. b
CONRADUS rex Romanorum, 178. a 245. c A Mediolanenſibus abnegatus, 144. c
CONSCIENTIA individuus homini comes, 469. c Bonis referta operibus, lectulus floridus, 1439. c Conſcientia felix quæ, 762. d Conſcientiam bonam duo reddunt, 466. d 1181. c Ejus quanta felicitas & divitiæ, 565. e, f Ex ſecuritas, 466. f Conſcientia, locus ſecurus, 469. d Ejus teſtimonium quale, 1031. b c In tribus, 973. f In eo perfecta & abſoluta excuſatio, 437. c Ex conſcientiæ teſtimonio quis poſſit gloriari, 469. a Ex eo gloria & humiliatio, 431. c Conſcientiæ expurgandæ quanta monachorum cura, 1216. a Conſcientiæ vermis hic non ſuffocandus, 481. b Conſcientiarum notitia difficilis, 785. f Conſcientia quadruplex, 1232. c Rea, animæ carcer eſt & infernus, 1004. d
Conſcientiæ falſæ periculum, 514. c Mala bonum opus viciat, 1584. b Ejus tormentum, 455. f Miſeris, 479. f Conſcientiæ vitium fama non diluit, 1514. c V. Anima.
CONSENSUS voluntarius eſt habitus animi liber ſui, 604. b d Beatos facit aut miſeros, 605. b f Non eſt, ubi voluntas non eſt, 604. b Conſenſum dans crimini, par eſt perpetranti, 158. c Conſenſus ſolus nocet, 619. c 1568. a Non ſenſus, 1437. c Sollicite eſt cavendus, 1459. a
Conſenſus pravorum qualis, 158. c
Conſenſus regis in electione epiſcopi, 179. c
Conſervationis beneficium expenditur, 867. c d
CONSIDERATIO quid, 417. c Maxime ad divina ſpectat, 445. b Conſideratio exterior operum Chriſti minus capaces animos paſcit, 807. b Conſideratio vulnerum Chriſti conſcientiæ vulnera ſanat, 1480. f Conſideratio ſui ipſius arrogantiam tollit, 1454. a Tripertita eſt, quid, quis, qualis ſis, 418. b Unde ſis, ubi ſis, & quo iturus ſis, 1208. f Conſiderationi aliquid ſui cordis & temporis dandum, 412. d Nullam ei in vita operam dare, vitam perdere eſt, 414. b Ejus effectus & utilitates, 418. e, f Tres ſpecies, 446. c
CONSILIUM nullum melius, quam exemplum, 725. b Conſilium & auxilium fratribus noſtris debemus, 725. b Cum conſilio omnia facienda, 439. c Epiſcopis neceſſarium eſt, 462. c d Ad conſilium eligendi prudentes & benevoli, 462. a Conſilii teſtes, dilectio & ſapientia, 313. b Conſilium dans crimini, par eſt perpetranti, 158. c Conſilium ſuum deſeruit Chriſtus, ut ex bono fieret melius, 904. e, f Conſilium proprium, lepra, 904. e Humanum ſequentes, amittunt divinum, 801. c Conſilium juſtorum & peccatorum, ſicut & finis, 314. f Conſilium impiorum, cujus auctor & ſuggeſtor eſt dæmon, 1199. a Ad ipſum quatuor ſunt vitia, quibus totidem ſunt oppoſitæ virtutes, 1199. b V. Pertinacia
Conſiliarii mali apud principes & reges quid moliantur, 104. c
Conſilegres non ſincere merito anguntur, 492. a
CONSOLATIO in affectione, 1557. b Conſolatio bona, quæ, 1090. a Conſolatio & correptio, Dei duplex auxilium, 1555. d Conſolationes Dei quibus dentur, 832. e Divinæ & angelicæ, 834. a Conſolationes Chriſti ad quos pertineant, 786. f Sponſi, 1584. c Conſolatio cæleſtis carnalibus illecebris renuntiantibus neceſſaria, 1043. b Recentibus converſis et carentibus quid agendum, 958. a, b Ejus capaces qui caducam reſpuunt, 588. d Conſolatio terrena divinæ obex, 936. f & ſeq. 985. c 936. f Reſpuenda ob divinas, 711. d Mundana vera & ſalubris conſolationis eſt impedimentum, 765. c Animam enervat præſentium conſolatio, roborat exſpectatio futurorum, 343. d Conſolationem quiſquis ignorat neceſſariam, ſupereſt ut non habeat Dei gratiam, 796. e Quiſquis deſolationem non novit, nec conſolationem agnoſcere poteſt, 796. a In conſolatione & tentatione quomodo ſe gerendum, 1555. a, b Conſolatio in afflictione, 1557. b Conſolationis de morte propinquorum motiva, 1554. c
CONSUETUDINIS vis, 408. b Per eam molleſcunt omnia, 7. d Fruſtra abuſibus & vitiis obtenditur, 436. c Conſuetudo prava conſilio ſuperanda, 1182. d Conſuetudo peccati quam gravis, 1108. f In profundum malorum demergit, 579. c Conſuetudinum diverſitas caritati obeſſe non debet, 415. c & ſeq.
CONTEMPLATIO quid, 417. c Ejus vis & natura, 1461. d Fit ex condeſcenſione Verbi Dei ad humanam naturam, 1282. c Spirituales in anima contemplantis ſimilitudines, & ex his formatæ imaginatoriæ ſpecies angelorum opera, 1412. c & ſeq. Contemplationis guſtus quibus debeatur, 1457. c Ejus quies, 1345. b Quibus competat, ibid. c Ejus delectatio & inquietudo, 1343. b Objectum, 1183. b Raptus, 182. e 1566. c Duplex exceſſus: unus in lumine, alter in fervore, 1436. b Contemplatio gloriæ commendatur, 950. d & ſeq. Præparatio ad contemplationem quæ neceſſaria, 1428. b Contemplationis avidis prædicationis officium injungitur, 1413. b Non appetenda ante bona opera, 1427. b & ſeq. Aliorum profectus eſt ipſi anteponendus, 1441. d Contemplatio, mors angelorum 1446. a
Contemplationis duo genera, 1207. a 1479. d Quatuor ſpecies, 458. d Duo gradus, 1297. c, f Tribus modis diſtinguitur, 1507. e Contemplationis impedimenta, quæ, & quomodo removenda, 566. f Contemplatione magis neceſſaria actio, 1290. d Utriuſque viciſſitudo, 1441. f 1465. d 1464. a
Contemplantium varii ſtatus, 1344. c Eorum quies temere non eſt interpellanda, 1446. f
Contemplativi in hac vita frui poſſunt libertate complaciti, 609. d, c Iis utile monitum, 1002. c & ſeq. Contemplativæ vitæ alii magis idonei, alii activæ, 1210. d
CONTEMTUS omnium pro Chriſto, divinæ virtutis opus, 157. c Contemtus mundi, 938. d 1577. b Contemtis terrenis quærenda cæleſtia, 277. c 758. c
Contemtus Regulæ, 524. a Etiam in minimis quale crimen, 522. a Contemtus ſuperiorum in Deum ipſum cadit, 124. d Contemtus & neglectus quid differant, 527. e Contemtu legum gravius peccari quam neglectu, 507. b & ſeq.
CONTINENTES non ſoli ſalvandi, 1495. b Continentia murus a patientia antemurale, 1074. b Continentiæ hoſtes, caro, mundus, & diabolus, 942. d & ſeq. Ejus prædicandæ tempus legis inopportunum, 1470. c Eam profeſſæ veterum feminarum contubernium, 1493. a, b Continentia triplex, 1391. c
Contritionis unguentum unde conficitur, 1295. d, e Ejus vis & fragrantia, ibid. f & ſeq. Vicem ſupplet reſtitutionis ubi deeſt facultas, 659. e V. Dol
Contritum cor proximum cordi orando, 1151. d

Contumaces & obſtinati poſt lapſum abominabiles, 994. d Durius ſunt corripiendi, 1420. f
Contumeliæ & probra ſunt conſcientiæ medela, 371. e
Converſatio ſpiritualis in duobus, 1098. a Cujus converſatio omnibus grata, nulli eſt oneroſa, huic de ſalute univerſa fratrum congregatio atteſtatur, 790. c
Conversio hominis, 910. b Converſionis modus, 479. c Via redeundi ad Deum 368. c Per humilitatem, 817. a Hominis quatuor ſtatus ante converſionem, 1101. e Sola caritas lex eſt convertens animas, 89. e Sola Dei dilectio convertit animas, 591. f Converſionis difficultas, 482. b & ſeq. Magnum eſt miraculum, 1070. e Opus eſt divinæ vocis, non humanæ, 478. c Res divinæ virtutis eſt, 902. d Ex gratia Dei, 1560. e Deo adſcribenda, 1542. d Quibus gradibus fiat, 1324. b Deo ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus eſt ad exemplum, 145. a Peccatori ipſi quantum ſit bonum, 123. e Vera vita non niſi in converſione eſt, 477. c Converſio etiam corporalis non negligenda, 883. a Si abſque initiatione fuerit, nulla erit, 317. d
Converſionis progreſſus, 483. f Converſionis perfectæ forma, 917. c 919. b Converſio noſtra ad parvuli exemplum, 958. e Dei benignitas erga recens converſos, 431. c Graves patiuntur tentationes, 1004. a Eis ſpiritualia peccata non bene nota, 481. d Converſio poſt lapſum rara, 7. b Converſionem nolle, Deum eſt ignorare, 1484. e Eam ad mortem uſque differre periculoſum, 1202. d Converti nolentium vanæ rationes, 1404. f Converſi ſemel, iterumque perverſi, raro reſipiſcunt, 994. b
Converſio à ſeculari vita ad religioſam, gaudium Angelorum, 209. b Multo facilius reperias multos ſeculares converti ad bonum, quam unum quempiam de religioſis tranſire ad melius, 101. b Converſis recenter & carentibus conſolatione cœleſti quid agendum, 958. a, b.
Conversi dicti ex adultis ad religionem converſi, 147. n.
Converſi dicti fratres laici, 147. n. 626. e A monachis diſtincti, 148. n. 350. Poſt profeſſionem à nullo epiſcopo vel abbate, invito abbate proprio, ſuſcipi debent, 1480. Nec ab archiepiſcopis aut epiſcopis retineri, 350. a Locum habeant in electione abbatis, 886. c Stantes in agro, ſegetes cuſtodientes, 352. c Fit eis ſermo in privato capitulo diebus dominicis, 608. Molendinum, in quo feminæ converſantur, non eſt eis committendum, 83. a
Convivium ſapientiæ triplex pro triplici animæ ſtatu, 328. a In conviviis potiſſimum lingua frenanda, 444. c
Coopertorium monachorum, 6. n. Quale eſſe debeat, ibid.
Corbolienſe colloquium, 210. c
Corcagia, civitas Hiberniæ, 678. c
Cor totum in quatuor affectionibus, amore & timore, gaudio & triſtitia, 817. e 0. Ejus membra, intellectus & affectus, hic ſæpe diviſa, 984. e Oculus quadruplex, 535. c A peccatis mundandus, 490. e Cordis pax plena futuræ vitæ reſervata, 924. b Corda ſurſum levanda, 923. b & ſeq. 923. d Cor levare quid ſit, 923. d Cor deorſum, caput ſurſum habere, turpe eſt homini, 1109. b Alii ſurſum, alii deorſum habent, 1158. d Exoneratum & leve levatur magis, ut quærat & diligat veritatem, 860. f Cordi prius quam corpori mederi moris eſt divinæ virtutis, 1319. f Ipſi debemus puritatem 1135. e In quo ea conſiſtat, 465. c Ex corde puro procedit regularis obſervantiæ propoſitum, 816. a Cordis cuſtodia in affectionum & cogitationum cura ſita, 1220. f Sine cuſtodia manus & linguæ conſtare nequit, 1111. a Cor contritum proximum cordi mundo, 1151. d Quomodo ſcindendum, 118. d Duobus modis ex corde vita procedit, 1404. a Cordis petitiones in tribus, 824. a Cor triplex, 1333. c Cor in ſiniſtro latere locatum, quod ejus affectio prona ſit in terram, 844. f Cor titubans non amat Chriſtus, ſed ſtabile, 775. c Ejus vanitatem arguit vanitas veſtis, 558. a
Cordis duritia deſcribitur 409. c Gradus ad eam, 482. a Cordis induratio ex propria voluntate, & quod non meditetur legem Domini, 818. e
Cordium unitas commendatur, 814. c Error facilis de corde alterius, 57. c
Cormancus rex Mumoniæ, 662. f Ejus elogium, 663. a & ſeq. 667. a
Corona, monaſt. Ord. S. Benedicti, 263. e n.
Coronæ elogio epiſcopi, & reges compellati, 195. n. Etiam abbates, 818. b
Coronæ clericalis inſignia, 82. d
Coronæ ad eccleſiarum ornatum, 512. e
Coronare Franciæ regem privilegium Remenſis archiepiſcopi, 845. e
Corpus hominis ex quatuor elementis conſtat, 1037. f Ei non idem vivere quod eſſe, 1150. c Tres ejus ſtatus, 597. c Grabatum eſt, in quo languidi jacemus, 882. c Tenebroſum tabernaculum, 1353. e Onus noſtrum, & carcer noſter, 847. e Eſt hereditas vermium, 368. e Non tam noſtrum, quam Dei, 847. e, f Infirmum animæ proficit ad pœnitentiæ fructum, mortuum ad requiem, reſuſcitatum ad conſummationem, 597. b Corpus humiliet ratio, rationem corpus confirmet, 418. c
Corpori quid debeamus in vita ſpirituali, 1316. c Cuſtodia & diſciplina ei eſt adhibenda, 725. d Cuſtodia quæ probanda, 997. f Cura ejus præpoſtera, 731. a Ei debemus ſanitatem, non voluptatem, 1125. d In robuſto corpore animus ſemper tepidior jacet, ruſum in debili fortior viget ſpiritus, 855. f Circa corpus occupatio nihil aliud eſt, quam à Deo quædam abſentatio, 383. c Corpus quod corrumpitur, quantum aggravet animam, 1050. a, b Ejus corruptio quadruplex, 1201. a Anima potius & prius curanda, quam corpus, 729. f Animæ erga corpus tria officia, 1585. c Corpori quantum præſtet anima, 779. f Corpus animæ collaborare debet, 738. d & ſeq. Quantum animæ debeat, 730. f Et conſerat, 597. b Pro anima expendendum, 841. b, e
Corpus quantum ametur ab anima, 596. f Ejus reſumendi deſiderium in anima beata, 597. f Animæ beatorum ſine corporibus nec volunt, nec valent conſummari, 597. a Corporis glorioſi quatuor dotes, 1038. a
Corporalia bona vana & caduca, 111. d
Corporalibus obſervantiis præferenda ſpiritualia, 553. c
Correctio fraterna per inſontem facienda, 978. c A caritate procedens non attendit perſonam, 191. d
Correptio ad probationem, 1423. e Correptio & conſolatio, Dei duplex auxilium, 1333. d Certum eſt ejus amoris teſtimonium, 1200. f Quid in nobis operetur, 1100. f
Correptionis utilitas, 1175. a 1461. d Correptionis aſperitas manſuetudine lenienda, 1420. c 1423. c. Moderata ſit, 901. d Correptionem etiam peccantes ægre ferimus, 1423. d Correptio monachi ut inſtituenda, 206. e Paſtori pro ſua non ſufficit correptio, ſi ad huc periclitetur inferior, 1415. d Bernardi animus in corripiendo, 1373. f Non proficiens eum angebat, 1414. c & ſeqq. Duri & contumaces durius corripiendi, 1420. f Malis ingrata eſt & odioſa correptio, 1318. c Eam impatienter ferentes quam injuſti, 1414. e
Correptor, bonus adverſarius, 1373. c
Correptis vitia familiaria, 1414. d & ſeqq.
Corruptela ſeculi, 201. d, e 226. c Qualis tempore S. Bernardi, 200. d, c Etiam in Clero, 414. c 657. d & ſeqq.
Corruptio naturæ, 824. c Ex peccato, 712. c
Corruptio animæ triplex, corporis quadruplex, 1201. a
Cras futuram, *Hodie* præſentem vitam deſignat, 770. c
Creationis beneficium expenditur, 867. a, b Homo in ea quatuor virtutibus inſtructus, 971. d Dei potentia, ſapientia, & benignitas in mundi creatione, 214. a
Creaturæ ſcala ad Deum, non tamen in Beatis, 441. d In iis Deus laudandus, 54. d Cur iis ad ſuas actiones utatur Deus, 1279. b & ſeqq. Ipſis utitur ad noſtra merita, 610. c Salutem electorum operatur per eas tribus modis, 610. d 611. a Quid creatura quæque mereatur ſuo miniſterio, 610. a Animam à Deo ad creaturas revertiti pœna graviſſima, 1195. c & ſeq.
Creaturæ rationalis prærogativa, 617. a Nihil eſt in rebus quod implere poſſit creaturam, niſi caritas Deus, qui ſolus major eſt illa, 1382. f Creaturæ triplex finis, 616. c
Creati efficimur noſtri, Dei per bonam voluntatem, diaboli per malam, ſed utrobique noſtri, 610. d
Credentes cur tam pauci victores, 906. d Credentium ſigna in Evangelio deſcripta quomodo ſingulis fidelibus conveniant, 911. f & ſeq.
Credere, videre eſt, 1511. a Immo & majus 723. d Credere in Deum, Deo, Deum, quid, 1181. b
Credendum non eſt omnibus, nec omnibus decredendum, 146. e
Credulitas velox in rebus fidei non eſt temeritas, 320. f
Credulitatis facilitas, vitium familiare magnatibus, 426. b
Cremonenſium duritia, 294. c
Crimini dans conſilium aut conſenſum, par eſt perpetranti, 158. e
Criminoſi ſunt ab ingreſſu monaſterii arcendi, 363. d
Criſta monaſterium Ord. Ciſt. 360. c
Crugeidum villa, 675. a
Crux Chriſti in quatuor conſiſtit, 884. a Quatuor virtutes in ea reſplendentes, 893. d Quatuor ejus cornua quatuor tentationibus opponenda, 1066. a & ſeq. Triplex peccati genus expugnat, originale, perſonale, & ſingulare, 886. c Nihil proficiet inimicus in eo, quem ipſa delectat, 2060. f Gloria eſt Chriſtiani, 133. b Chriſti gloriam plures, quam crucem deſiderant, 1330. f & ſeq. Pretioſum depoſitum, fructum crucis ſuæ, nobis commiſit Deus, 862. c Crux Chriſti homo, 767. c
Crux eſt pretioſa, amabilis & jucunda, 1060. c Lignum vitæ eſt apprehendentibus eam, 2060. d Grata eſt ejus ignominia ei, qui Crucifixo ingratus non eſt, 1352. c Crucem ferentium tres gradus, 2061. e & ſeq. Eorum diſcrimen, 2063. b Crux & labores, prælati hereditas, 420. a Eſt cuique tollenda, 1065. b Hujus necatio, 1071. f Via eſt ad gloriam, 808. f In ipſa moriendum eſt, 1066. d Latroni fuit pons brevis ad tranſeundum de luto fecis ad paradiſum voluptatis, 26. d
Crucis dominicæ lignum Bernardo miſſum à Patriarcha Jeroſolymitano, 172. b
Crucis ſignum, vitæ ſignum, 327. d
Crucifixus mundo quis, 836. e
Cruce-ſignatis indulgentiæ datæ, 328. a
Cubicula varia ſponſi, 1342. d Cubiculum tropologicæ arcanum contemplationis, 1340. a
Cuculla Ciſtercienſium alba, 222. c Floccatas rejiciunt Ciſterc. 5. n. Cuculla & floccus quid differant, ibid.
Cuiſſiacenſe monaſterium Ord. Præmonſtratenſis, 83. n. 385. n. Culpæ & pœna diſpar eſt in ſimilibus factis, 87. d
Cultarias civitas, 677. b
Cultus Dei in tribus conſiſtit, 1598. f Negligentia circa eum notatur, 274. a
Cultus virginum perperam, 222. f Filiorum hujus ſeculi inanis & caducus, 222. c V. Ornatus.
Cupiditas ex cordis inedia, neceſſitas ex carnis infirmitate procedit, 817. f Tolerabilior eſt neceſſitas, 857. e Quomodo ordinetur à caritate, 600. e
Cupiditas in monachis damnatur, 355. e Utilitati accedit quidquid cupiditati demis. 1467. d
Cupiditas Romanorum, 436. e
Cura Sanctorum præcipua circa animam, 1351. f
Cura animæ propriæ alienæ præferenda,

1151. b & ſeq. Cura aliorum non gerenda cum ſui ipſius neglectu, 411. a & ſeq. Curam animarum ambientes notantur, 1173. e Quis ad hanc idoneus, 466. e 1377. f Vocatio ad eam quibus indiciis innoteſcat, 1464. d Invitis eſt tradenda, 1247. b Cura, non curatio à paſtoribus exigitur, 415. f

Curis ſecularibus dediti monachi præſtringuntur, 754. a

Cura pro beneficio eccleſiaſtico, 472. d

Curationis ſpiritualis ſigna & indicia, 1136. a

Curia probos recipit non efficit, 419. e Eam frequentans clericus ambitionis ſuſpectus, 439. c

Curialium mores & perverſæ opiniones, 437. e

Curioſitas primus ſuperbiæ gradus, 571. b Parit experientiam mali, 1112. a Ejus radices, 571. b Dinæ curioſitas, ibid. e Curioſitas oculorum culpæ commiſſæ indicium, cauſa committendæ, 572. a Deo dicata membra non ſine gravi ſacrilegio in uſum curioſitatis aſſumuntur, 847. b

Currentium poſt Chriſtum diſcrimen, 1337. d & ſeq. Quam indignum poſt ipſum non currere, 1336. e & ſeq. Motiva exponuntur, ibid. Currunt præ aliis ferventes animæ, 1339. a In via vitæ quo citius, eo facilius curritur, 1341. c Curſus noſter ex gratia pendet, 1334. a Curſus pro modo gratiæ, 1311. d

Curvitas animæ quæ, 1348. e

Cuſtodia cordis in quo conſiſtat, 1120. f Sine cuſtodia manus & linguæ conſtare nequit, 1122. a

Cuſtodis noſtri quanta in Dei providentia, 836. c

Cuſtodia civitatis trifaria, 1537. b

Cypreſſus imputribilis eſt & boni odoris, 1416. c

Cyprus inſula ferax optimi vini, 1420. f

D

DAcia terra auri & argenti, 445. b

Dæmon, V. Diabolus.

Dæmonium meridianum, 1390. e

DAIMBERTUS Senonenſis archiepiſcopus, 460.

DALSINUS Innocentio ſatisfacit, 144. a

Damna interiora cur pleríque non ſentiant, 480. e Damnum alienum noſtra ſit cautela, 1453. b

DAMNATIS nulla redemtio, 1581. b Culpa in eis inexpiabilis, & pœna interminabilis, 681. a Pœna cui æterna, 614. f & ſeq. Nempe quia perſeverat in malo firmata voluntas, 455. d 615. e Eorum vermis immortalis, 436. a Damnatis qualis lux, 455. f Nulla ſancti erga impios & damnatos commiſeratio, 92. c. 849. c Sola ſufficit ad damnationem inutilitas, 109. a

Dania Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis Ordinum monaſteriis abundans, 348. a.

DAVID dicitur viſu deſiderabilis, vel manu fortis, 895. f Magnus contemplator, 1343. f Ejus pietas, 1299. b Patientia in maledicum, 1394. a, b Chriſtus radix David, 896. a

DAVID rex Scotiæ, 674. e 678. d

Decani ſuis presbyteri, 434. d

Decimæ Ciſtercienſibus relaxatæ, 311. a. 310. b Decimæ monaſteriorum in quos debeant expendi, 388. c, d

Decoloratio à ſole varie exponitur, 1179. e & ſeq.

Decor in confeſſione, 122. a Decor animæ conſiſtit in honeſto, 1565. c Decor virginum quantus, 121. f Decor veſtium veſtitam non decorat, 122. c

Dedicatio eccleſiæ propter animas, 1070. c, d 1082. c Dedicationis feſtum quale, 1078. d Dedicationis ritus quinque ad mores aptati, 1071. c & ſeq.

Defenſio peccatorum octavus ſuperbiæ gradus, 577. c Quot modis fieri ſoleat, 577. e

Defuncti, V. Mortui.

Delectatio in Domino quæ, 833. d Delectationis & moleſtiæ viciſſitudo, 1343. c Præoccupatum ſecularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat, 985. c

Delicatis non timenda vitæ religioſæ aſperitas, 318. c Delicati Religioſi arguuntur, 984. c Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum, 1043. a

DELICIÆ exemplo Chriſti fugiendæ, 368. d, c Carnales & ſpirituales in eodem ſe non patiuntur, 12 c Deliciæ carnis, ſpiritus corruptelæ, 6. b Deliciæ vitæ ſpiritualis, 983. b & ſeq. A religioſæ vitæ deliciis abduci grave & dolendum, 487. b Deliciæ Mariæ Virginis, 1005 c Deliciis carnis renuntiare initio grave, poſtea ſuave, 417. b & ſeq. Vita in deliciis mors eſt, & umbra mortis, 1434 b Deliciæ hominum reprobantur, 1123. a & ſeq. Error hominum in veris & falſis deliciis diſcernendis, 1233. e Mens aſſueta deliciis, nec exculta diſciplinæ ſæculo, multas contrahit ſordes, 135 d

Deliquiſſe ſemel, virtus poſſet reputari, 845. d

Dentium proprietates vitæ religioſæ tropologice attributæ, 1215 e & ſeq.

Depoſitio Epiſcoporum ſolius eſt Papæ, 435. f

Depoſitum quovis diſpendio reddendum, 361. c

Deplangere, multum plangere, 361. c

Deſcenſus noſtri tres gradus, 1191. e

DESIDERIA piorum non ſemper perficiuntur, 86. d Deſideria ſecularia, 1187. c Humana in tribus ſita, quod decet, quod expedit, quod delectat, 771. d Deſideria Patrum ad Chriſti Incarnationem noſtrum arguunt torporem, 1170. c & ſeq.

Deſideria ſancta invento Deo creſcunt, 1559. f Deſideriis quæritur Deus, non pedum paſſibus, 1559. e Salvabuntur qui ſunt in deſiderio proficiendi, 1437. d Deſiderium vehemens, magnus clamor in auribus Dei, 873. b Deſiderium vox eſt animæ ſponſum revocantis, 1527. b Et tractio, 1464. a Deſiderium ducit ad perfectam caritatem, 36 c Deſiderium cæleſtis patriæ legi novæ conveniit, 1469. b & ſeq. Deſiderium reſumendi corporis in animabus beatis, 597. f V. Appetitus. Deſiderium vehemens aperiri ſolâ linguâ non ſufficit, 111. b Deſiderium animæ devotæ ad meridiem lucis æternæ, 1389. d

Deſidia noſtra in negotio ſalutis præſtringitur, 1198 a, b

Deſperationis cauſa & effectus, 1404. Hanc parit ignorantia Dei, 1403. c 1404. c

DETRAHERE aut detrahentem audire, æque damnabile, 486. a

DETRACTORIS lingua lancea, ſpinis, & clavis Chriſti crudelior, 1119. e Detractores Deo odibiles, 1347. b Chriſtum perſequuntur, 916. e Vulpes ſunt vineas demolientes, 1481. f Quomodo capiendæ, ibid. Detractorum ingenium & mores notantur, 1346. c & ſeq.

DETRACTIO quantum malum, 1119. b & ſeq. Ingentia ejus nocumenta, 1347. c Caritatem impugnat & perimit, 1347. b Tres uno ictu perimit, 1119. d Eſt calix dæmoniorum, 12. Detractionis variæ ſpecies & modi, 1347. d Religioſos vitæ ſeverioris de aliis detrahere indignum, 517. c

DEVOTIO eſt concepta de ſpe indulgentiæ exſultatio, 1312 c vino comparatur, aquæ timor, 810. e Timorem caſtificat, 31. c Devotio & cognitio, animæ alæ duæ, 949 a Devotionis gratia per Mariam petenda, 808. e Devotionis unguentum unde conficiatur, & quibus competat, 1293. c & ſeq. Ejus fervore bona opera condienda, 778. b Devotionis aqua ſine moleſtia, 1058. a Devotione monachorum, præſertim in Quadrageſima, dæmon torquetur, 841. e Devotio novitiis præſtita, non data, 795. b Devotionis obex, ſcriptitationes, 387. a Devotionem exterminant vanitas, curioſitas, voluptas, 1241. f

DEI nomina olim terribilia, nunc delectabilia, 1509 e De nomen noſſe quid, 875. e Quomodo ſanctificari dicatur, 835. d Deus non diſputatione, ſed ſanctitate comprehenditur, 457. f De Deo loquitur ſcriptura in figuris, 1527. a

Deus quid, 455 b Ejus præclara notio, 646. d De Deo ſemper optimum ſentiendum, 452. b Eſt id quo nihil melius cogitari poteſt, 451. c Eſt ſuum eſſe, 450 d Eſt eſſe omnium, 450 d Quomodo, 1326. d Perfectiones omnium rerum eminenter in Deo, non diviſim. 451 1024. c Deus ſumma utilitas, ſumma gloria, ſumma voluptas, 771. e Deus ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia, 450. f Nec ab eſſentia ſua, nec attributa ab ipſa diſtinguuntur, 1348 c

Deus Trinitas eſt, 452. d Quomodo trinus & unus, 452. c Unus ſibi, & in ſe, 452. e Multa in Deo unum, 451. d Deus ſimplex, 451. e Eo ſimplex, quo unus, 452. e Cur tamen diverſa ſortiatur nomina 1101. c Eſt ſumme ſimplex, unus, & immutabilis, 548. b Dei immutabilitas, 1380. a Deus æternus, 450 f

Deus immenſus, 452. a Dei locus, ipſe Deus, 1405 b Deus ubique, homo nuſquam, 1024. f Eſt ubique, ſed diverſimode, 1022 f In creaturis diverſimode, 745. a Eſt in ſanctis non ſolum per ſubſtantiam, ſed etiam cum illis propter voluntatis concordiam, 741. a Deus in ſanctis glorioſus, 39 d Quomodo inſit homini, quomodo angelis, 430. a Quomodo in homine, & homo in Deo, 1517. d Cur peculiariter dicatur eſſe in cælo, 829. f Deum nihil latere poteſt, 485 d Solus uniuſcujuſque capacitatem novit, 1310. c Dei voluntas fit de omnibus, & per omnes, ſed non in omnibus, 951. f Deus amat, & eſt amor ipſe, 1468. d Deus ſolus ſeipſo melior eſſe non vult, quia non poteſt, 98 a Quod malus eſſe non poſſit, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas, 616. f

Dei providentia in diſpoſitione rerum, 860. f 1343. a In moderandis tentationibus, 836. Ad noſtri cuſtodiam, 856. c Deus ita intentus uni, ut nullis, 1507. d Dei reſpectus varius, aliis metum, aliis conſolationem affert, 1460. b

Dei bonitas in cuſtodia angelorum, 863. a & ſeq. Ejus dignatio in animam, 1445. b Erga homines, 584. b, c Quantum dilexeris hominem, 384. b Ejus in hominem amor fortis & conſtans, 1018. b Dei dilectio noſtram prævenit, 1360. f Immo & ſuperat, 1510. a Dei erga homines amor contra dæmones, 1319. c

Dei miſericordiæ multæ, 786. c Is pater miſericordiarum, ibid. a Ejus miſericordia omnibus oblata, 959. c, f Septem ejus miſericordiæ erga pios, 940. d & ſeq. Larga bonitas in procuranda hominis ſalute, 788. d Tribus modis à peccatis nos præſervat, 941. d Suſceptor eſt piorum cum cadunt, 830. e Bonitas ejus mixta cum juſtitia, 373. b Ejus indulgentia erga peccatores in tribus, 942. a, b Longanimitas & benignitas in eoſdem, 178. f 943. a 954. f 1004. b 1289 e, f 1561. a Hominem à peccato ut revocet, 1541. d & ſeq. Ejuſdem dignatio in ſuſcipiendo peccatore, 1561. a Benignitas erga recens converſos, 481. c Dei dilectio convertit animas, 528. f Ultionem peccati tardat, ut commendet patientiam, impleat electionem, & confirmet caritatem, 943. c, f Ejus longanimitas culpam obſtinati accumulat, 1120. f

Dei protectio, 836. e Deum in tentationibus ſuis tamquam proprium habent ſinguli electorum, 810. f Deus tentat ad probandum, non ad reprobandum, 1018. e Dei correptio, certum ejus amoris teſtimonium, 1101. f Ejus indignatio ex miſericordia procedit, 1097 b Hoc quippe intendit cum terret aut percutit, ut faciat voluntarios, non ſalvet invitos, 617. b Ira Dei graviſſima, cum ſinit impune peccare, 1415. a & ſeq. Si te zelus deſeruit, & amor, ibid. S. Bernardus vult Deum ſibi iraſci, ibid. Dei iræ & furoris diſcrimen, 1508 b

Deo quomodo tribuantur membra corporea, 1226 b & ſeq. In eo nihil corporeum fingendum, 951. b Corpore non eget ad ſuas operationes, 1176. c 1179. e, f Dei longitudo æternitas, latitudo caritas ſublimitas

ſublimitas potentia, profundum ſapientia, 417. b & ſeq. Dextrum & ſiniſtrum in Deo quid 1443 c Facies ejus & poſteriora, 1471. c Dei caput, divinitas; pedes, judicia, 955. b c Ejus vox inſpiratio ejus, & juſti timoris incuſſio, 1447. f Dei vox omnibus ſe offert, 479 a Dei manus, latitudo & fortitudo, 1282. c Pedes duo, miſericordia & veritas, 1206. c 1309 f Seu miſericordia & judicium, 1581. b Horum in anima indicia, ibid. c Uterque oſculandus, ibid. f Dei ſolium, angeli, 951. e

Dei regnum ubique, 1088. b Deus quomodo alicubi peculiariter eſſe dicatur, 1082. c Quomodo dicatur veniſſe in hunc mundum, V. Chriſtus, Incarnatio.

Dei ars mira ad ſalvandos homines, 927. c d Bonitas in reparatione hominis, 910. c & ſeq. Sapientia in redemtione hominis 941. b & ſeq. Deus ſalutem electorum operatur per creaturas tribus modis, 620. d 621. a Deo in opere ſalutis tria propria, prædeſtinatio, creatio, & inſpiratio, 1541 d Potentia in creatione, ſapientia in rerum gubernatione, benignitas in Incarnatione apparuit. 776. e Quomodo pœnitentiam operetur in nobis, 941. f Salutis initium à Deo, 611. d Deus ſolus ſpei noſtræ ſolidum præſidium, 871. b & ſeq. Creari, ſanari, ſalvari, & reliqua omnia ex Deo habemus, 622. b Deus bonorum omnium auctor, 1501. f Bonorum operum cauſa effectiva & finalis, 850. e Item bonorum operum auctor, renumerator, & remuneratio tota, 850 d Dona ſua diviſit in merita & præmia, 610. b Dei dona ſunt merita noſtra, 972. b Dei ſunt quæcumque nos nobilitant bona, 108. c Deo adſcribendæ cogitationes bonæ, 1386. a Et noſtra converſio, 1542. d Adeoque Deo ſoli reddenda bonorum gloria, 1503. c & ſeq. 1560. a

Deus ſolus principium, 450, c Materia non eget, 452. a Deo ſoli idem facere & dicere, 752. c Ejus potentia, ſapientia, & benignitas in mundi creatione, 919. a Dei imago & ſimilitudo in homine, quid, 614. b Dei ſimilitudinem in homine Filius Dei reformavit, idque ei competebat, 651. f & ſeq. Gradus divinæ ſimilitudinis in primo homine, angelis, & nobis, 614. c Similitudo hæc periit in damnatis, ſed remanet imago, 974. Dei quanta dignatio, patrem hominum eſſe, 1358. c Dei dignationem ſolus novit expertus, 1503. a Dei filii qui, 369. c

Dei ad nos ſpiritalis adventus, 720. f Ejus illapſus in animam V. Anima. Dei habitatio quomodo evadat anima, 1584. b V. Anima. Dei domus, homo ſpiritualis, 1488. c Deo dignum habitaculum, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perverſa, nec memoria fuerit inquinata, 1073. e Deo templum in nobis ædificandum & quomodo, 1072. f & ſeq.

Deus ut inſpector noſter ſemper cogitandus, 831. a Hujus præſentiæ cogitatio quam utilis, 831. a Unde colligenda, 1509. c d Dei in anima præſentiæ ſigna, 1528. d Nullum omnino præſentiæ Dei certius teſtimonium eſt, quam deſiderium gratiæ amplioris, 1064. f Deo præſens qui Deum amat, 583. c

Deus vera animæ vita, 855. c Deo diſplicere non poteſt, cui placet Deus, 1349. d Deo ſolo ſatiatur homo, 593. c Tria vincula quibus Deo aſtringimur, 1093. b & ſeq. Quomodo naſcatur, creſcat, & ſervetur in nobis, 1235. d, c

Deo inhærere nihil aliud quam Deum videre, 1284. c Puritas ad videndum Deum neceſſaria, 1380. c Ad videndum Deum oculus mentis triplici eſt inquinamento purgandus, 1022. Deus in hac vita ſicuti eſt videri non poteſt, 1374. c 1180 c 1405. f Deum quomodo viderit Moyſes, 882. a Dei viſio in cælis quam beata & ſuavis, 1380. b V. Viſio. Dei fruitio triplex in perfecta beatitudine, 1036. c Sanctis aliter quam nobis exhibetur, 1041. c

Dei majeſtatem quomodo ſcrutari liceat, 1479. c Quomodo videndus in creaturis, 1037. b Creaturæ ſunt ſcala ad Deum, non tamen in beſtiis, 445. d

Dei cognitio quam neceſſaria, 1401. c Quid de eo cognoſcere poſſumus, 918 b Ejus cognitio ſequitur cognitionem ſui, 1401. b Deus perfecte non cognoſcitur, niſi cum perfecte diligitur, 1187. e Deum cognoſcentium & non cognoſcentium quatuor differentiæ, 1202. b Hunc perfecte non cognoverunt Philoſophi, 1186. c Deum quare non ſentiebant gentiles, 1280. a Deum ignorans homo nihil eſt, 53. d Deum ignorare non poſſunt religioſi, 754. d

Dei ſecretum filiis & amicis panditur, 162. d Deus ſæpe revelat parvo, quod magno multiſque donis non repleto concedit, 544. d

Dei viſitatio V. Viſitatio.

Deo quomodo implenda triplex animæ potentia, 1017. c Deus pro affectuum diverſitate, nobis diverſimode ſapit, 1200. c Et pro diverſis meritis, 1334. d Non ſapit carnalibus, 82. b

Deus exigit timeri ut Dominus, honorari ut pater, ut ſponſus amari, 1558 c Animi affectus in Deum, 458. c Ipſi debemus amorem & ſubjectionem, 122. c 1116. b Dei erga nos dilectio conſiderata quam efficax, 589. d, c 721. f Deus non ſolum dulciter, ſed & ſapienter amandus, 1325 f Amandus dulciter, prudenter, fortiter, 1327. c & ſeq. Deus diligendus etiam ab infideli, 585 b Deum non diligens infidelis inexcuſabilis, 586. d Deus efficiens & finalis cauſa diligendi Deum, 593 d Deus non diligitur ſine præmio, etſi diligendus ſine præmii intuitu, 591. d Deum amans anima indeſinenter inquirit, qua via, qua cautela, & ad quam ambolet manſionem, 1387. d

Deum cognoſcentium, nec amantium pœna, cæcitas, 56. b Deo ſoli debitus honor & amor non excludit honorem amoremve ſanctorum, 863. c *Propter Deum* dicere nihil juvat, niſi Deus ſit in corde, 850 e, f V. Amor Dei.

Deo quadrifariam debemus gratiarum actionem, 866. f Ipſi nullius umquam reddit quod debet, 1154. b Is in omni ſtatu laudandus, 1092. a Ejus beneplacitum in omnibus inquirendum & tenendum, 962 d Dei laus & grata memoria frequentanda, dum differtur præſentia, 1017. b Deo confitentium differentia, 598. a Deus timendus, cui nec reſiſtere poſſumus, nec abſcondi, 458. b Tanto amplius timendus, quanto majora ejus munera percipimus, 728. c Quomodo hominem commendet, 1200. c Eſt tam pœna peccatorum, quam gloria humilium, 455 c & ſeq. Placet uterque Deo, & peccator compunctus, & juſtus devotus, 1098. b

Deus prævenit preces piorum, 1289. c Temporalium ſufficientiam ſuis tribuit, 835. c Magna promittit in hoc ſæculo & in futuro, 833. c Cur parcius ſubinde det quod homo deſiderat, 835. a Vult à ſe requiri etiam quod pollicetur, 754. d Mederi ſolet prius cordi quam corpori, 1219. f A Deo trahi libertati non officit, 617. b V. Gratia, Trahi. Deum quærere quanti, 1094. d V. Deſideria, Quærere.

Deo nos ipſos offerre debemus, 963. a Et ut auctori totos nos debemus, 1130 c, d Deo dicata membra non ſine gravi ſacrilegio in uſus vanitatis & curioſitatis aſſumuntur, 847. b Deo & ſæculo ſervire impoſſibile, 135. c; d Item Deo & divitiis, 589. a Non poteſt eſſe Deo contrarium eſſe quid, & ſibi cohærere, 458 c Secum diſſentire oportet qui Deo conſentire velit, 1562. b Deo nos ſubjicit ejus gratia, diabolo noſtra voluntas, 610. c, f Deo ſervire non onus, ſed honor, 364. b Nihil eſt in rebus quod implere poſſit creaturam, niſi caritas Deus, qui ſolus major eſt illa; 1525. f Æquum eſt ut qui à Deo noluit ſuaviter regi, pœnaliter à ſe ipſo regeretur, 30. e A Deo ad creaturas animam remitti pœna graviſſima, 1395. c & ſeq. Deo recedente frigeſcunt omnia, 1128. f Dei ſermo durus quibuſdam, 388. c V. Durus, & Sermo.

Dei duplex auxilium, correptio & conſolatio 1333 d Beneficia ſua prævenire ſolet malis, 157. c Ad complementum ſuæ gloriæ nobis quodam modo opus habet, 1505. c Cur ad ſuas actiones opera creaturæ utatur, 1279 b & ſeq. Nempe ad noſtra merita, 820. c Non dat nobis hic gloriam, ſed pacem, 1183. c & ſeq. Hominum quoque ſtatus ſub Deo, 1101. 6 1102 b & ſeq. Edocti à Deo alios docere debent, 1387. a

Dextera & ſiniſtra in Scriptura quid, 842. a & ſeq. Dextrum ac ſiniſtrum in Deo, 1443 c

DIABOLUS ſuperborum princeps, 1319 c Scandalorum auctor, 825 c Hominis hoſtis, 826. c Dæmonum ex diverſis maleficiis diverſa nomina, 865 a Leo piis non timendus, 866 d Malleus cæleſtis opificis, 1044. d Diaboli quæ alæ competant, quæ manus, 954. d Diabolus in paradiſo an prævideret ruinam ſuam, 574. b Diabolo viam miſericordiæ intercluſit obſtinatio, 859 c Diabolus quod in bonum reſpirare nequeat, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, & voluntaria obſtinatio, 616. f Diabolus quo ſenſu ſedem ſuam poſuit ad Aquilonem, 574. a Ejus ruina hominum ſit cautela, 1453. b Pœna cur æterna, 614. f & ſeq. Dæmonum pœna de angelorum & hominum felicitate, 1412 d V. Diabolus. Per montes Gelboe deſignati, 1452. d Utpote gratiæ incapaces, ibid. f Item tolles ob ſuperbiam derelicti, 1451. d Eorum fides, 487. c Habitatio in aere, 573 d 1458 b Non vi, ſed arte primos vicit parentes, 1128. a, b

Diabolus habuit poteſtatem in hominem, 651. b Poteſtas illa juſta fuit, 651. f Diaboli voluntas ſemper mala, poteſtas juſta & à Deo limitata, 1205. c Diabolo abſconditum fuit Incarnationis Sacramentum, 888 c Diabolus tribus tentationibus Chriſtum aggreſſus eſt, 837. c Diaboli & Pharaonis devicti analogia, 1407. c

Diabolus ſervit electorum ſaluti inſcius & invitus, 914. c Diabolus etſi nolens homini prodeſt, 1178 c Cur homini tam infeſtus, 823. c Spirituales acrius impugnat, 845 d, c In oppugnanda fide fruſtratus, caritatem aggreditur, 210. c, d Dei verba eſſe dura ſuadet, 1221. e Dæmonum viæ, circuitio & circumventio, 861. c Aſcenſio & deſcenſio, ibid Eorum fortitudo non timenda, ſed cavenda aſtutia, 1128. a Dei protectio contra eos 841 c Diabolus humilibus neſciens fabricat coronas, 1319 c Jejunio inſidiatur, 839 d Quadrageſimali monachorum devotione torquetur, 841. c Diabolus quibus laqueis capiat homines, 1060. c Diabolus baculo noſtro nos cædit, 823. d Diabolus neminem allicit niſi conſentientem, 1563. Inſidiatur maxime perſeverantiæ, 1066. c Cur aliquando permittatur pios terrere, 842. d Multos decipit ſub boni ſpecie, 1328. a Meridies optanda ad deprehendendas diaboli fraudes, 1390. d Diabolo ſubjicimur noſtra voluntate, Deo ejus gratia, 610. c, f Hominis ſtatus triplex ſub diabolo, 1102. c Diabolicum perſeverare in malo, 719. c

Diaconi ante annum vigeſimum quintum non ordinandi, 661. c, n. Eos menſis Principum miniſtrare indignum, 81. f & ſeq. Diaconus illuſionem nocturnam paſſus miniſtrare ea die non debet, 686. c

DIARMITIUS comes in Hibernia, 679. a

Dictare pro ſcribere, 183. d. n.

DIDO abbas Senonenſis, medicus, 68. n.

Dies myſtici duo, unus hujus ſæculi, alter futuri, 761. b Verus dies qui non novit occaſum, æterna veritas & vera æternitas, 875 f Dies tres unus ſub Adam, alter in Chriſto, tertius cum Chriſto, 758 d Dies ſpirans, dies adſpirans, dies inſpirans, dies exſpirans, dies conſpirans, dies cui maledicunt ſancti, 1521. d & ſeq 1523. a Dierum longitudo hic promiſſa vita eſt æterna, 875. b

Difficultas viri fortis animum auget, 157. c

Diffidare, recedere à promiſſa fide, 205. n.

Dignationis titulus Papæ attributus, 417. b

DIANSTATII nomina refugit S. Bernardus, 1.

73. b 74. d Dignitatis nomen Ducibus attributum, 102. a Dignitatem hominis demonſtrant & prærogativa naturæ, & potentia dominatus, 585. c Dignitatis propriæ ignarus homo, beſtiis ſimilis, 585. c
Dignitas periculoſa, 834. c, d Non tam elationis quam timoris cauſa, 350. d Monſtruoſa res, gradus ſummus, & animus infimus, 421 c Dignitates eccleſiaſticæ homines multorum meritorum volunt, 43. b Prælatus ante dignitatem debuit metiri vires, 420. d Dignitas ſine ſcientia nihil prodeſt, 585. d Dignitates eccleſiæ rogans excludendus, 419. b Dignitates eccleſiaſticæ quibus debeantur, 261 c Ad eccleſiæ dignitates non promovendi peccatores, niſi prævia pœnitentia, 26. c Dignitatibus eccleſiaſticis pueros præfici indignum, 434. d 472. f Dignitates ab indignis poſſideri quam indignum, 432. b & ſeq. Dignitatis cura major quam ſanctitatis præſtringitur, 437. c Dignitatum eccleſiæ abuſus, 916 c, d. V. Beneficia.
Dilectio Dei erga nos, V. Amor Dei, Caritas, Deus. Dilectio Dei noſtram prævenit, 1560. f Dilectio erga Deum tribus affectionibus excitatur & provehitur, 1220. d Diligendi quatuor modi, 1223. d Diligendi Dei cauſa, Deus eſt; modus, ſine modo diligere, 583. c, n. Diligendi Dei cauſa efficiens & finalis Deus, 593 d. Diligere toto corde quid, 1319. a, b Item ex tota anima, & ex tota virtute, ibid. c, f Diligendus Deus etiam ab infideli, 585. b Diligendi Dei cauſa duplex; ejus meritum, & noſtrum commodum, 584. a Non diligitur ſine præmio Deus, quamvis ſine præmii intuitu diligendus, 592. d Dilectum votis quære, actibus ſequere, fide inveni, 1536. c Pater perfecte non cognoſcitur, niſi cum perfecte diligitur, 1287. c Dilectio ſponſæ ſpiritualis, non carnalis, 1333 d Dilectio paſtoris neceſſaria, 1147. a Dilectio proximi vera, 598. c Veritas dilectionis in exhibitione operis, 180 d
Dilectio fraterna unde oriatur, 1432. b Non vivit, qui non diligit eos inter quos vivit, 1106. c Dilectio proximi ut juſta ſit, Deus in cauſa eſſe debet, 594. d Dilectio proximi tripliciter exercetur, 1250. f Plus juſto velle diligi, minus à juſto eſt, 261. c Inimicus quomodo & quare diligendus, 1440. c, d V. Amor, Caritas.
DINÆ curioſitas perniciosa, 572. c
S. Dionyſii monaſterium prope Pariſios plurima SS. Martyrum turba nobilitatum, 79. f Ad Papam pertinet, 275. c, d Petri patrimonium, 275. d Hujus monaſterii laxior ſtatus, 79 b 80. n. Reformatio per Sugerium abbatem, 77. n. Regularis obſervantia poſt reformationem, 79. c & ſeq Abbates Sugerius, Odo, Vide ſuis locis. Indicta celebritas apud S. Dionyſium, 809. c, n.
S. Dionyſii Remenſis Canonici regulares, 583. c Morenſem eccleſiam ad condendum monaſterium Ordinis Claræ-vallenſis concedunt, ibid.
Diœceſis pro provincia, 54. c Diœceſis viſitatio, 676. c, e
Dilatio reſipiſcentiæ periculoſa, 187. b Uti & voti, 116. d In via vitæ quo citius, eo facilius curritur, 343. c
DISCIPLINA cuſtos ſanctitatis, modeſtiæ, & honeſtatis, 444. e Ejus neceſſitas, 1340. f In familia Pontificis non negligenda, 444. a Diſciplinam & cuſtodiam inferiori debet ſuperior, 725. d
Diſciplinæ corporalis uſus, 78. b, c Etiam apud Ciſtercienſes, 323. a
Diſcipuli, V. Apoſtoli.
Diſcentium varii fines, 1341. d
Diſcidia inter monachos eſſe quam indignum, 214. d & ſeq. V. Lites.
Diſcordiæ & ſcandala angelis quantum diſpliceant, 1021. b & ſeq. Diſcordia locus fit diabolo, ſicut in pace Deo, 1075. a Diſcors Deum non conciliat, 1349. a Diſcordiæ inter Ludovicum Juniorem & Theobaldum Comitem cauſæ, 305. e 325. a & ſeq. 308. c
DISCRETIO commendatur, 900. c 1436. d Eſt ordinatio caritatis, 1346. c Mater virtutum & conſummatio perfectionis, 795. d Sine fervore jacet, fervor ſine diſcretione præcipitat, 1348. b Zelum & clementiam moderatur, 434. a
Diſcretionis neceſſitas, 1436. c Ut adhibenda in corporis maceratione, 725. d Hanc ſupplens virtus obedientiæ, 795. c
DISPENSATIONI obnoxiæ Regulæ, 502. a Diſpenſandi auctoritas quibus competat, 502. d Quid abbati liceat circa diſpenſationem Regulæ, 503. d & ſeq. Diſpenſandum ubi inſtat neceſſitas, 502. c Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas, laudabilis: alias non diſpenſatio ſed crudelis eſt diſſipatio, 433. e Voti remiſſio ſine neceſſitate, non diſpenſatio, ſed prævaricatio eſt, 503. a
Diſputatione non comprehenditur Deus, ſed ſanctitate, 459 f
Diſſenſio monachorum pœnitentiam irritam reddit, 828. b Diſſenſione nihil in congregatione horribilius, 1216. e Diſſentire ſecum oportet, qui Deo conſentire velit, 1562. b
Diſſimulatio proprium delicatorum, 1408. d
Diſtractionibus ſubjacens anima, Dei viſitationibus impleri non poteſt, 916. f
Diverſitas rituum in Eccleſia, 825. d Diverſitas conſuetudinum caritati non debet obeſſe, 823. c & ſeq
Divinis de rebus quomodo loquendum, 1443. d Res divinas filii hujus ſæculi non percipiunt, 181. f & ſeq. Negligentia circa cultum divinum notatur, 784. a V. Officium divinum.
Divionenſes S. Benigni monachi Bernardo ob antiquam religionem cari, 33. n. 34. c 35. a Ab eo Summo Pontifici commendantur, 34. b Haimerico item cancellario, 34 c Petro presbytero cardinali, 35. a Divionenſes inter & Luxovienſes monachos controverſia, 34 c. n.
DIVITIÆ laqueus, 831. f Homine indignæ, 726. c Pro eis quanta faciant ſeculares, 1176. c Vere magna abuſio, ut dives eſſe velit vermiculus vilis, propter quem dominus majeſtatis factus eſt pauper, 903. c Divitiis & Deo ſtudere impoſſibile, 589. a Divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, cum dolore amittuntur, 484. c 1176. d Eas eſurit avarus ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus, 1332. c Earum contemptus in epiſcopo commendatur, 42. b Divitiæ juſtorum, quæ, 892. b Divitiæ veræ, virtutes, 786. f Divitiæ noſtræ ſunt panni Chriſti, 767. b Item ſanguis & crux ejus, ibid. c
Divites in ſua nativitate Chriſtus negligit, 783. d Divitum acceptio præ pauperibus perſtringitur, 427. b Divites mercantur cælum à pauperibus, 1222. f
Doctor bonus non eſt qui non fuerit diſcipulus, 660. d Docendum exemplo potius quam verbo, 1469. a Silva & ſolitudo plus docent quam libri, 110. d Doctoribus attributus Magiſtri titulus, 107. n. 108. a
Doctrina Spiritus non curioſitatem acuit, ſed caritatem accendit, 1286. d
DODO monachus de Trunco-Berengarii, 166. f & ſeq.
Dogmata, V. Judicium.
DOLOR de peccatis triplex, 1287. c & ſeq. Doloris ex amore naſcentis vis & vehementia, 3. b Dolorem & pudorem timet humana fragilitas, 766. c Quod non videt oculus, cor non dolet, 1040. b, c V. Contritio
Doloſi viri proprium eſt humilitatem prætendere, cum aliquid vult obtinere, 419. c
Domare lupos, paſtoris eſt, non dominari ovibus, 420. c
Domeſtici hoſtes periculoſiores, 303. a, b Domeſticis rebus incumbere epiſcopo indignum, 443. c Mala à domeſticis illata acriora, 1371. f
Dominandi libido Pontifici maxime vitanda, 426. c Miniſtrare glorioſius quam dominari, 419. f V. Domare, Dominatus Apoſtolis interdictus, 419. e
Domus Dei, homo ſpiritualis, 1428. c Ex angelis & hominibus conſtituitur, 1078. a Ejus præparatio, 959 d Lapides ejus vivi glutino cognitionis & dilectionis cohærent, 1072. c
Domus-Dei monaſterium Ord. Ciſt. 339. e Annonæ ſubſidium pro eo petit S. Bernardus à Sugerio, 339. a
DONA tria Spiritus-ſancti: Pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen, 912. b, c Dona ſua Deus dividit in merita & præmia, 620. b Dona ſeptem Spiritus-ſancti in ſeptem Chriſti apparitionibus, 905. c d Dona Dei ſunt merita noſtra, 972. b Homini quomodo donata omnia, 1085. f In donis Dei quid cavendum, 1320. c
Dormitio quadruplex, 1334. c
Draconi comparata iracundia, 866. a Item ambitio, 869. a
DROGO de Clachiaco, 288. n.
DROGO Lugdunenſis electus, 330 n.
DROGO monachus S. Nicaſii Remenſis, 43 d 46. c 47. b Ejus elogium, 47. c Abbas S. Johannis Laudunenſis, 56. n.
DROGONIS & Milis inceſtuoſus concubitus, 174. c
Dubietas & falſitas, duæ filiæ ignorantiæ, 1318. c In dubiis ut ſe gerendum, 127. b In dubiis rebus alieno potius, quam ſuo judicio credunt ſapientes, 83. b De dubiis nihil temere pronuntiandum, 1511. c
Duella reperit ſtrigilas S. Bernardus, 337. e Arguuntur, 127. c Duelli inſaniæ, non virtuti adſcribenda, 127 c Duelli pœna excæcatio, 53. d Nundinæ ſolemnes ad duella, 337. c, n.
Duevania civitas in Hibernia, 672. c
Dulcedo virtus non eſt ſine juſtitia, 573. b
Dunenſe monaſterium Ord. Ciſt. 178. d n. Arenis maris abſorptum, 301. n.
Duni epiſcopalem ſedem reſtituit S. Malachias, 672. a
DURA à multis videntur verba Dei, 588. a Ejus ſermo durus in cortice, ſuavis in medulla, 1321. c Dæmonis impoſtura eſt, Dei verba & mandata reputare dura, 1321. c
Duri & indevoti religioſi, jumento comparati, 881. c Duri & contumaces durius corripiendi, 1480. f Durus ut ſe paſtor debet exhibere, 438. d
Duritiæ cordis deſcriptio, 409. c Inde cordis duritia, quia meditatur quis non legem Domini, ſed propriam voluntatem, 818 c Gradus ad duritiam cordis, 409. e
Dux appellatus princeps illuſtris, 101. d Vir nobilis, 102. a Excellentiæ nomen Ducibus adtributum, 101. d Item dignitatis, 102. a Ducis ſtrenui munus, 78. a, b Errat qui ſine duce in via ſpirituali progreditur, 1540. b

E

EBALUS epiſcopus Catalaunenſis, 53. n. 61. b n.
Eboracenſes B M. duodecim monachi ad Ciſtercienſes tranſeunt, 199. n. 101. a, n.
EBRARDUS magiſter militum Templi, 141.
Ebrietas ſancta apoſtolorum poſt acceptum Spiritum-ſanctum, 1045. d Ebrietas, calix dæmoniorum, 32. e
S. EBRULFI reliquiæ Reſbaci, 460.
EBROINUS epiſcopus, 673 e
Eden voluptas interpretatur, 1041. c
ECCLESIA vinea Domini, 1464. 1490. c Tracta eſt odore incarnati Verbi, 1313. d Hanc ſibi Chriſtus deſponſat, 1252. c Eccleſiæ connubium, & Synagogæ repudium, 1307 b, c Eccleſiæ dotes à Chriſto conceſſæ, 143. a Eccleſiæ & Synagogæ diſcrimen, 1376. d Eccleſiæ caritas in Synagogam, 1345. e Eccleſiæ oratio pro Judæis, 330. c Ejuſdem vota pro gratiæ evangelicæ diffuſione, 1306. d & ſeq. Ejus prærogativa, dilatatio in mundum univerſum, 1376. c Tunicæ Joſeph polymitæ comparata, 589. c Una eſt, etſi alia peregrinans, alia regnans, 1449. c Eccleſiæ unitas tunicæ inconſutili comparata, 307. d Nigredo ejus unde, 1353. d Quando ſine macula & ruga, 1034. e Eccleſiæ duo latera, ſpirituales

& carnales, 1843. d Eccleſiæ tres ordines, conjugatorum, continentium, & prælatorum, 1156 a Ejus filii ſunt etiam mali, & quomodo, 1350. c Eccleſiæ judicium infallibile in uſu & applicatione ſcripturæ, 768 b Eccleſiæ lucra Deus reputat ſua, 1487. a Ejus cuſtodes apoſtoli, & apoſtolici viri, atque etiam angeli, 1539. a & ſeq. Eccleſias munit angelorum cuſtodia, 1076. c 1478. a Eccleſiæ orationibus privari quanti ſit periculi, 381. b Eccleſiam duæ res conſolantur: de præterito paſſio Chriſti, de futuro, quod ſe in ſortem ſanctorum confidit recipiendam, 1478. a & ſeq. Eccleſiæ amor conſtans in Chriſtum, 1144. f Dei voluntatem potius quam majeſtatem ſcrutatur, 1479. f Angelis aſſimilari cupit, 1363. a

Eccleſia perſecutione aucta, 1375. c Eccleſiæ hoſtes proſunt etiam nolentes, 1375. b Hæc perſecutionibus premitur à tyrannis, hæreticis, & malis chriſtianis, 1353. a & ſeq. Tentationes quatuor, à tyrannis, ab hæreticis, à falſis fratribus, & ab Antichriſto, 1398. d & ſeq. Graviſſima perſecutio à domeſticis, 1399. b Cur perſecutores ſuos vocet filios matris ſuæ, non patris, 1371. c, d Generalem perſecutionem prædicit S. Norbertus, 60. d Eccleſias diripuit Petrus Leonis, 241. d Eccleſiæ triumphus de Schiſmate Petri Leonis, 152. c 327. d, e Eccleſiis pacem procurare ſedis eſt apoſtolicæ, 353. d Eccleſiam defendere officium eſt imperatoris, 243. b Nec libertas eccleſiæ nocet imperio, nec eccleſiis proſperitas imperii, a 48. n Chriſtus Sponſæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ, vindex futurus, 814. a

Quales Deus vocet ad eccleſiæ miniſteria, 492. a Digni ad eccleſiæ curam trahendi, 842. b Eccleſiæ miniſteriis indigne ſe ingerentes præſtringuntur, 492. a & ſeq. Eccleſiæ dignitates rogans excludendus, 438. b, f Item adulator. ibid. c Eccleſiæ miniſtri indigni deſcribuntur, 492. d Dignitatum abuſus, 956. c, d V. Eccleſiaſticus. Eccleſiæ dignitates adoleſcentibus non tribuendæ, 414. d V. Beneficia, Dignitates.

Duæ in eccleſia deteſtabiles præſumptiones, 82. d & ſeq. Eccleſia ambitioſis plena, 41. b Eccleſiæ virus eſt quærere quæ ſua ſunt, 427. d, e Eccleſiæ deſolatio unde, 1538. c, d Eccleſiæ neglectæ facies, 666 a, b Felix ejus ſtatus in quibus conſiſtat, 1416. f Eccleſiæ ſtatus non armis æſtimatur, ſed meritis, 175. b Eccleſiæ orientalis infelix ſtatus, 373. b 374. c Orientalis eccleſiæ ſtatus miſerabilis, 159 a Eccleſiarum dignitas unde colligenda, 1088. d Earum ſanctitas, 1077. a Eccleſiarum alienarum invaſores arguuntur, 473. a & ſeq. Permutationes inter eccleſias ſine ſimonia, 316 f Eccleſiarum ornatus ſuperfluus reprehenditur, 518. c & ſeq. 784. b In his tamen plus licet epiſcopis, quam monachis, 539. a Eccleſiarum diverſi ritus, 835. d

Eccleſia pro monaſterio, 34. b n. 180. d 179. c 353. c 368. a 715. Monaſterium pro eccleſia, 251. b Eccleſiarum ingreſſus apud monachos feminis interdictus, 253 n. Apud Ciſtercienſes etiam monachis alienis, 253 n. Apud Cartuſienſes hoſpitibus religioſis permiſſus, 553 n.

Eccleſia S. Michaelis, villa, 675. a

Eccleſiaſtes quam utilis, 1567. b

Eccleſiaſticarum rerum abuſus quantum peccatum, 391. a Eccleſiaſtici honores angelicis humeris formidandi, 914. b Eccleſiaſticus zelus major pro tuenda dignitate, quam pro acquirenda ſanctitate, 437. c

Ecſtaſis Sponſæ eſt mors, quæ non vita, ſed vitæ laqueis eripit, 1443. c

Effuſio nominum Dei in invicem, 1309. d

Elatio, vel minima, periculoſa; non vero vel profunda humilitas, 1403. c, f Elatum cor durum & expers eſt pietatis, ignarum compunctionis, ſiccum ab omni rore gratiæ ſpiritualis, 1084. c Homo plus ſibi tribuit aut arrogando quod non habet, aut adſcribendo ſibi quod habet, 424. b V. Superbia.

Elbertus abbas S. Michaelis in Teraſcia, 73. n. 357. o.

Elbertus epiſcopus Catalaunenſis, 62. n.

Electio epiſcopi res grandis, 193 d Faciendа præmiſſo jejunio, ibid. Regis conſenſus requiſitus, 275. e Electiones epiſcoporum impedit Ludovicus VII. rex Francorum, 206. c 302. c Electio ſecunda fieri non debet, niſi conſtet primam eſſe invalidam, 134. c & ſeq. In electione Hugonis Rotomag. epiſcopi quæritur conſenſus Regis Angliæ & epiſcopi Saleſberienſis, 430. n. Abbatis electioni epiſcopi interſunt, 147 n. V. Epiſcopus.

Electi liberati per Chriſtum à diabolo, 653 f Electorum tres ordines in Maria, Joſeph, & Simeone ordinati, 1185. b Electorum ſalutem operatur Deus per creaturas tribus modis, 630. d 631. a Electorum profectus quatuor gradibus diſtinguitur, 1334. e Electorum ſaluti ſervit diabolus inſcius & invitus, 954. c

Eleemosyna et præſertim tribuenda, qui invitus petit, verecunde accipit, accipiens glorificat Deum, 105 f Epiſcopum maxime decet, 105 f Laudabilior in vita, quam poſt mortem, 49. b Abbates Cluniacenſes aureos ſecum ad opus eleemoſynæ ferre ſolent, 212. f

Elementa in quatuor corporis partibus vigentia, 1802. b

Elias, idem ſonat ac dominus fortis, 1816. e Chriſti typus, 916. a Eliæ ſpiritus duplex, apoſtolorum typus, 927. c, d

Elias monachus Claræ-vallenſis, 1192. a

Elias epiſcopus Aurelian. V. Helias

Elizabeth ſterilis concepens Mariæ cur ab angelo propoſitus, 751. c & ſeq.

Elizabeth uxor Rorgonis de Abbatis-villa, 361. n.

Elizæus, idem ac ſalus Domini, 1817. d Mortuum ſuſcitans eſt typus Chriſti, 1313. b

Eloquentiæ ſtudentes cavendi, 419. d

Elsenus abbat Anglus, 170. o.

Emiſſiones tres, pœnitentium, continentium & prælatorum, 1811. f & ſeq.

Engaddi idem ſonat ac fons hœdi, 1420. b Baptiſma gentium lacrymaſque peccantium ſignificat, ibid. Balſami arbuſculæ ibi creſcunt, ibid. c

Endelbraeus Comes, 282. n.

Engelbertus Marchio Forojulienſis, & Dux Carinthiæ, 140. d, n. 261. n. In auxilium Innocentii II. miſſus, 140. d

Ephraim fructificationem ſonat, 775. a

Episcopus nomen eſt officii, non dominii, 459. c Epiſcopalis cathedra oneris eſt, non honoris; operis, non nominis; virtutum, non divitiarum, 574. f Epiſcopi & rectores tigna domorum cedrina, 1426. c, d Gloriam Dei, & lucrum populi, non ſuum quærere debent, 465. e, f Eis non tam competit judiciaria poteſtas, quam principibus, 411. e & ſeq. Epiſcopis Illuſtris nomen attributum, 99. a Item Excellentiæ, 99. b Sanctitatis, 238. a 312. e 313. a, d, e 354. c Serenitatis, 207. c, n. Atque Paternitatis, 354. c Epiſcopi corona clergio compellati, 195. a, n. Epiſcopi electio ut facienda, V. Electio. Epiſcopi in Hibernia olim ſeſe mutuo conſecrabant, 279. n.

Epiſcopalis officii ornamenta & familiares, 43. d, e Epiſcoporum quæ deceant virtutes, 371. a Zelum in eis qualem requirat Bernardus, 207. e Epiſcopis humilitas commendatur, 473. e & eleemoſynæ, 105. f Conſilia aliorum ſciſcitari, ipſis utile, 462. c, d Eorum eſt verbum Dei prædicare, 312. e De dogmatibus judicare, 183. b Tollere ſcandala de regno Dei, 181. b Eos in dubiis conſulit S. Bernardus, 63. b Epiſcopo duplex pugnandi cauſa, 350. b Epiſcopo quam neceſſarium & utile conſilium, 462. c, d Epiſcopi poſt Cardinales nominati, 238. a Honor epiſcopi honor eſt eccleſiæ, 444. o. Eorum contemptus auctoritati Sedis apoſtolicæ derogat, 174. e Eis non obloquendum, 1500. e Monacho non convenit cenſura in Epiſcopus, 453. e Epiſcoporum ambire gloriam, aut excelſus judicare, tentatio apud monachos, 1301 a Epiſcoporum lucra & negotia, ſunt Dei, 290. f

Epiſcopo triplex timendi cauſa, 27. d Quæ pericula, 461. c & ſeq. Epiſcopum non decent judicia præcipitata, 353. b Nec lites & controverſiæ, 377. e Rationes temporalium rationibus ſpiritualium præferentes notantur 441. d, e, n. Epiſcopo nihil turpius, quam incumbere ſupellectili & ſubſtantiolæ, 443. c Epiſcopi ad manus habent, quibus animas non inveniunt, quibus ſaculentes committant, 441. d Veſtium luxus in eis notatur, 463. a & ſeq. 464. a & ſeq. Epiſcopi negligentes cum S. Malachia comparati, 676. c & ſeq. Ex epiſcoporum negligentia naſcitur clericorum inſolentia, 855. c, d Epiſcopi uxorati & ſine ordine, 667. e

Epiſcoporum princeps Petrus, 670. e Epiſcopatus novos Papa creare poteſt, 141. c Item ex epiſcopis archiepiſcopos & è converſo creare, 141 e Epiſcopi in archiepiſcopatum translatio contra canones non debet fieri ſine magna neceſſitate, 141. a Epiſcoporum depoſitio ſolius eſt Romani Pontificis, 235 f

Epiſcopus curam paſtoralem quando relinquere poteſt, 197. b, n. Monachis epiſcopis factis habitum vitamque priorem deſerere illicitum, 297 n. Epiſcopi in monaſteriis retruſi an veſtibus uſi religioſis, 350. e

Epiſtolarum ſcriptio animum turbat, 95. e 96 n. Prolixæ amicis inutiles, 96. d Ab epiſtolis ſcribendis dehortatur S. Bernardus, 96. e Ab his ſcribendis vacat in feſtis B. Virginis, 89. c V. S. Bernardus. Epiſtolas ad diverſos cera claudere ei conſuetudine non eſt, 208. a

Equitatui cur aſſimiletur anima ſancta, 1407. b

Equipratus epiſcopus Monaſterienſis, 135. b

Equo albo Papa vectus, 437. c, n. Equorum nimius apparatus in abbate reprehenditur, 538. c

Eremi deſiderium ſuſpectum in cœnobitis, 124. f S. Bernardus ab eremo petendo ſanctimonialem dehortatur, 124. f & ſeq.

Eremiticæ vitæ præpoſterus amor vulpecula eſt, 1485. c Eremitica vita ſemper non arripienda, 794. c Cœnobitica periculoſior, 794. b Eremiticæ vitæ incommoda, 124. d, f

Ermengardis Britanniæ Comitiſſa, dein Sanctimonialis, 125 b, n. Ejus elogium, 125. e Bernardi erga eam affectus, 125. g

Ernaldus abbas Bonæ-vallis, 280. n. Bernardi quam amicus, 290. b, c

Ernaldus de Brixia. V. Arnaldus.

Errat qui ſine doctore in via ſpirituali progreditur, 1540. b Error factus de corde alterius, 87. c V. Hæreſis

Ervæus præpoſitus epiſcopi Autiſſiodorenſis, 377. e

Eskilus archiepiſcopus Lundenſis, 347. a 348. d Mutuus illius cum Bernardo & ſuis amor, 348. e & ſeq. Litteras & nuntium mittit ad S. Bernardum, 349. a Qui ejus negotia Papæ commendat, 349. b

Eſſe pro ſtatu rei, 98. c 195. d 281. c 973 b 674. b Eſt notat immutabilitatem, 1330. a

Ethnicis nullæ veræ virtutes, 1318 b V. Pagani.

Evæ lapſus, 1151. b Ejus curioſitas ut punita, 571 f & ſeq. Peccatum triplex; curioſitatis, voluptatis, vanitatis, 974. d Præpoſtere beatitudinem ambiens amiſit, 1026. e Perverſa ejus poſt lapſum conſolatio, 1017. e Excuſatur per Mariam, 1014. c Evæ & Mariæ antitheſis, 10 6. e Eva noſtra, caro noſtra, 1027. a

Evangelium, veritatis ſpeculum, nulli blanditur, nullum ſeducit, 938. c Cur legatur, 938. c Evangelicæ doctrinæ meditatio 938. f Evangeliorum textus S. Patricii, 699. e

Eucharistia, ſponſæ ſolatium, 340 b 757. c Veritas in euchariſtia, 388 c Vera carnis Chriſti ſubſtantia in Sacramento,

1051. f Veritatem corporis Chriſti in euchariſtia propugnat S. Malachias, 432. e & ſeq. Accidentia in euchariſtia, 437. Euchariſtiæ vis ad frangendos concupiſcentiæ motus, 191. d Vinum ſanctificatur per contactum corporis Chriſti, 71. c

Everhardus abbas Steinfeldenſis, 1487. c

S. Eugenii monaſterium divitiis & religione famoſum, 279. d

Eugenius Papa III. ante monachatum Vicedominus eccleſiæ Piſanæ, 232. e, n. ante pontificatum abbas S. Anaſtaſii, 238. n. 384. f Ejus electio in Pontificem, 232. a Ei Bernardus de pontificatu gratulatur, 232. c & ſeq. Timetur tamen pro adepto Pontificatu, 238. b & ſeq. Ab eo recedunt Romani, 240. a 241. b Ipſi condolet S. Bernardus, 407. a Eum Romanis reconciliare tentat, 240. a & ſeq. Conradum regem in ejus auxilium pertrahit, 242. c & ſeq. Eugenius Hugonem abbatem Trium-fontium Romam vocat, 267. n. 268. a Pallii uſum Samſoni Remenſi archiepiſcopo interdicit, 245. e, n. Guillelmum Eboracenſem ſtatutum amovet, 249. a Rutinenſi eccleſiæ providet, 256. c Bernardus eum conſolatur ob amiſſam Edeſſam, 257. b & ſeq. Epiſtolæ ejus ad Bernardum 351. n. Ad Capitulum Ciſterecienſe, 266. a Balmenſem abbatiam in prioratum redigit, 248. a. Ejus pontificatus laudatur, 444. c Ejus zelus, 236. b & ſeq. 267. d 272. c Votum pro bonis Eccleſiæ miniſtris, 441. d Ab avaritia quam fuerit alienus, 426. a 430. f & ſeq. Ejus elogium, 384. c Obitus, exſequiæ, cultus, ibid. d Plura de eo, 243. d 244. a 245. b 246. b 247. a 248. c 258. c 259. a, c 260. d 261. a 263. c & ſeq. 264. a, b 266. a 268. c 269. b 270. b, c 274. b, c 275. b 276. a 279. c 281. b 282. d 285. e 289. c

S. Evodii monaſterium Ord. Præmonſt. apud Brenas, 253. n.

Evrardus monachus Morimundi, 97. a, b

Eustachius occupator Valentinæ ſedis, 178. d

Exaltationis & humiliationis mira connexio, 1125. a V. Humilitas.

Examen ſui ipſius, 1468. a

Excellentiæ titulus Papæ, epiſcopis, cardinalibus, regibus attributus, 35. n. Excellentiæ titulus Papæ, 310. f Epiſcopo cardinali, 187. a Cancellario, 292. a Epiſcopis, 99. b Regi, 256. c, Reginis, 196. c Ducibus, 101. d

Excommunicati, niſi reſipiſcant, non audiendi, 284. c

Excommunicatio per Abbates, 25. c

Exercitio cibi viles cuique ſuaves redduntur, 6. d 7. a

Exceſſus juvenum patienter ferendi, 283. b Exceſſus in ipſa etiam juſtitia & ſapientia cavendus, 1229. c

Excæcatio duelli pœna, 52. d

Excusatio perfecta, teſtimonium conſcientiæ, 417. c Excuſare te velle, quando corriperis, infructuoſum & pernicioſum, 1316. c Excuſationis genus eſt, cum argueris tu, alium incuſare, 1316. b

Exemplum ſermo vivus & efficax, 908. a 969. d 1067. b Exemplo potius docendum, quam verbo, 1469. a Maxime Prælatis, 1123. c 1537. d Mandata duo Prælati, verbum & exemplum, 193. b Exemplum regis in ſubditos redundat, 802. b Exempla contraria ut ferenda, 414. e Exemplo malo pervertens alios, Chriſti perſecutor, 955. f 956. e

Exemtiones quæ probandæ, 433. e Exemtionibus præpoſtere ſtudentes abbates arguuntur, 475. b & ſeq. Exemtiones multæ improbantur, 431. f & ſeq. Earum mali effectus, 432. d & ſeq.

Expeditio ſacra, opus ſupra vires hominis, 313. c Una totius mundi cauſa eſt, 333. d Ejus fructus, 337. a 344. f Expeditionis ſacræ fructus viſo manifeſtatus, 344. f Expeditionis ſacræ infelix exitus, 346. a Ei peccata principum rejiciendus, 277. b 344. c 415. d 418. c

Exterior regularum obſervatio ſine interiori nulla, 817. c 1141. c Exterior cultus ſine interiori religioſo nihil prodeſt, 998. c 999. a & ſeqq. Exteriora officia à religioſis non expetenda, 1001. a f

Extrema unctio ſacramentum, ejus effectus, 681. b Viatico præmiſſa, 629. c

F

Fabemiacenſe ſeu Favemiacenſe Virginum monaſterium per monachos Caſæ-Dei reformatum, 190. a 350. a Sub Fabemiacenſi abbatiſſa monachi deſerviunt hoſpitali, 349. d Presbyterum in eo habitans, aut proprium deſerere, aut domum cogi debere ſuadet Bernardus, 349. c

Falco decanus, dein archiepiſcopus Lugdunenſis, 163. b, d 164. a. Ejus electio a Deo, 168. b, d Elogium, 168. b, d, e

Fallax ſenſus, non fides, 1368. f

Fallere & falli, malum, 246. b

Falſitas in obſcuro, non facile à vero diſcernitur, 1390. c Falſitas & dubietas, duo filiæ ignorantiæ, 1518. c Falſum dicens, putans dicere verum non judicandus, 400. c

Fama bona merces quædam virtutis, 118 d Eſt odor operis, 1314. a Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ, 352. f Famæ & conſcientiæ conſulere debet Pontifex, 431. d Fama religionis temporalibus lucris præferenda, 355. c Fama non diluit conſcientiæ vitium, 1524. c Famæ incertæ non temere credendum, 37. c

Familia Pontifici non negligenda, 444. a

Familiaris dominus ſaruum mutat ſervum, 1141. b Familiari gravitas miſcenda, & quomodo, 444. b

Familiaritas inter Verbum & animam, 1455. f Familiaritas ſponſi & ſponſæ, 1424. d Familiaritas ſanctorum virorum Bernardo quam grata, 29. f

Fandeda uxor Hildefonſi Comitis S. Ægidii, 137. a.

Farſenſes monachi in Italia, 313. n.

Fastredi abbatis Claræ-vallenſis epiſtola, 391.

Fastredus abbas Villaris, 451. n.

Faſtus cedit, ubi invaleſcit affectus, 1483. e

Felicitas malorum, infelicitas, 857. f Felix cui præſens felicitas ſi arriſit, non arriſit, 485. a

Feminarum colloquia vitanda continentiam profeſſis, 1493. a, b Incluſo, 360. d Cum femina ſemper eſſe, & feminam non cognoſcere, plus eſt quam mortuum ſuſcitare, 1492. b Feminis interdictus eccleſiarum monachorum ingreſſus, 153. n. Feminis acceſſus in monaſterium S. Dionyſii, 79. b, f

Ferculi Salomonici myſtica deſcriptio, 361. a

Fermentato Græci utuntur in ſacrificio, Latini azymo, 126. a

Ferventes currunt præ aliis, 1339. a Ferventium & tepidorum monachorum diſcrimen, 984. c, f Fervere melius quam lucere, 948. a, b 983. f Fervore devotionis condienda bona opera, 778. b

Fervor ſine diſcretione præcipitat, diſcretio ſine fervore cataratis jacet, 1342. b Spiritus-ſanctus paucis datur ad fervorem, 935. f Fervor triplex in S. Johanne Baptiſta, 984. d Fervor in Quadrageſima ſit major, 820. b

Festivitates ſanctorum triplex in nobis excitant deſiderium, 1040. c & ſeq. Tria in feſtivitatibus ſanctorum conſideranda; auxilium ſancti, exemplum ejus, & confuſio noſtra, 987. c & ſeq. Feſtivis diebus quales ſermones conveniant, 802. c Feſtivis diebus convivia ſibi parant ſeculares; cordo delicias religioſi, 1023. d, c

Feſta Sanctorum triplici fructu celebrantur, 1030. d Feſta nova non temere & inconſulta ſede apoſtolica inſtituenda, 171. e Feſtorum vigiliæ quomodo celebrandæ, 987. c, d Feſtis Sanctorum præcipuis cur præmiſſa jejunia, 1058. c Martyribus veteris Teſtamenti cur dies feſtos Eccleſia non decernat, 109. c Feſta in vanitatem & delicias verti indignum, 784. b Abuſus in feſtis ſanctorum, 1045. a Chriſtianorum abuſus in feſtis Paſchalibus, 898. b

Ficus deſignat populum, præſertim Judaicum, 1471. f & ſeq. Item religioſos moribus ſuaves, 1474. b Ficuum groſſi quid, 1471. e

Fideles ſunt cimani propter collectionem, ſponſa propter dilectionem, & oves propter manſuetudinem, 1536. f Primi fideles comparantur vineis florentibus, 1473. b Fideles male viventes Chriſtum ut mendacem & fallacem faciunt, 1231. b Fideli homini magis inter flagella fidendum, 257. c

Fidere in ſe perfidia eſt, 771. a

Fides comparatur umbræ, 1383. b Eſt veluti hydria ad hauriendam gratiam, 335. a Per tunicam inconſutilem deſignata, 136. d Non eſt æſtimatio, 649. c Sed eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, ibid. e Eſt voluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis, 447. b Vita eſt & umbra vitæ, 1434. b

Fides ab intellectu quid differat, 447. c Fidei & cordis humani unio admirabilis, 764. c Fides lucem non extinguit, ſed cuſtodit, 1383. b Vox & ſignum paſſim ad introducendam fidem concurrunt, 1471. b Fidem præcedere debet auditus, 626. c Fides ex auditu, ex viſu confirmatio eſt, 1470. f Suadenda, non imponenda, 1499. a Fides Magorum, Latronis, & Centurionis, 800. c, f 801. a Fides Centurionis ex auditu, 1367. b Fides rara in veteri Teſtamento, & ſpes tenuis, 1271. c & ſeq. Fides veterum Patrum qualis, 651. d

Fides baptiſmi vicem ſupplet, 628. c 629. d Fides aliena profuit multis, 1498. a Fides parentum in parvulis delebat peccatum originale ante Chriſtum, 627. b Patres ante Chriſtum in fide futuri Meſſiæ ſalvati, 654. b Infantibus poſt Chriſtum aliena fides cum baptiſmo prodeſt ad ſalutem, non tamen ſine baptiſmo, 630. a

Fides dæmonum, 467. c

Fides rationem humanis ratiunculis committere agitandam indignum, 183. b Fides credit, non temere diſcutit, 310. e Velox credulitas non eſt, 310. f Fidei myſteria credibilia reddit credentium multitudo, 764. d Fides lynceos habet oculos, 801. a Ejus meritum an ſtaudet viſio, 1334. f

Fidei vita caritas eſt, 899. d Ejus anima, devotio & actio, 1349. a Sine fide impoſſibile placere Deo, ſine levitate hominibus, 770. e Fidei odor quid in nobis operetur, 1513. a Fides vis & efficacia, 764. d 1336. c Fide vincimus hoſtes, 906. c

Fidei noſtræ duæ partes, 853. f Fides triplex: præceptorum, ſignorum, & promiſſorum, 1181. b Vivida & victorioſa quæ, 906. c Mortua & ficta quæ, 1181. d Mortua, ficta, & probata 467. a & ſeq. Fidei veræ, & fictæ probatio, 467. c Fides otioſa inutilis, 154. c Fides ab operibus bonis non dividenda, 1348. f & ſeq. Operibus comprobanda, 1349. b Sine operibus mortua, 899. d 1434. c Opera ſine fide non faciunt hominem rectum, 1349. d Fides ſine operibus mortua eſt, & opera ipſa ſine fide, 1448. c Fides ſine operibus, nec opera ſine fide ſalvant adultos, 1143. d Fides vera nihil negligit, 629. f Fide deſtitutum martyrium non eſt niſi pœna, 629. b Fidei ſpeique germana cognatio eſt, 853. f & ſeq.

Peccata ex fidei defectu, 1231. b Fidei languor cauſa noſtræ in curanda ſalute cepedinatis, 1130. d

Fides digne tangit Chriſtum jam glorificatum, 1361. c Fides noſtra Chriſtum ubique ſequitur, 1544. c Chriſtus per fidem vivit in nobis, 899. c Fides magna meretur magna, 1386. d Mundat & præparat oculum mentis ad videndum Deum, 1412. b Præparat animam ad viſionem Dei, 1448. a Fides reſurrectionis & aſcenſionis, 1544. c

Fidei non poſſe ſentire defectum, ſedis eſt Romanæ prærogativa, 643. e

Fiducia in Deum, 771. f Hominem facit quaſi omnipotentem, 1568. d Fiduciam in Deo & ſui diffidentiam ſola parit humilitas cordis, 771. a Fiduciæ in Chriſto motiva, 803. d Fiducia quanta hominis in Chriſto naſcente concipienda, 771. a & ſeq. Fiducia erga angelos maxima habenda, 1010. c Fiducia ſponſæ apud ſponſum quanta, 1505. d Fiducia animæ

ſanctæ duplici ratione uita, 1507. d
Filius Dei cur potius incarnatus, quam Pater & Spiritus-ſanctus, 717. d & ſeq. 972. d V. Chriſtus, Incarnatio.
Filii Dei qui, 969. c Filii, mercenarii, & ſervi differentia, 1094. a & ſeq. Filios majores quidam intelligunt dæmones, quidam ſpirituales, 1275. d
Filium non eſſe, quicumque eſt ex ſubſtantia alterius, 645. d, e Filiorum profectus non ſunt impediendi, 1533. a
Filios religioſos non amittunt parentes, 1282. d
Finis creaturæ triplex, 616. c Finem in rebus cunctis ſpectare, ad ſapientem pertinet, 954. e
Flagella Dei, amoris indicia, 59. c Flagellis erudiri, non uri, petunt juſti, 1387. d
Flaviacenſe monaſterium, 58. a, n. Diverſum à Flaviniacenſi, ibid. Flaviacenſes monachi, 69. a
Fleviſſe Chriſtus legitur, nunquam riſiſſe, 718. d
Floccus unde dictus, 5. n. Floccus & cuculla quid differant, 5. n. Floccorum uſum innuerunt Ciſtercienſibus, 6. n.
Flos campi Chriſtus, 1429. f Flos horti virginitas, flos campi martyrium, flos thalami bona actio, 1430. b & ſeq. Flores myſtici qui, 1466. e Flores incipientes, fructus perfectos deſignant, 1441. d Item flores ſidem, fructus opera, ibid. c Florum triplex ordo, 1429. d Florum campi & horti differentia, 1429. f Flores tria commendant: pulcritudo, ſuaveolentia, & ſpes fructus, 981. c
Fochart-villa, locus nativitat. S. Brigidæ, 482. a
Fœneratores non chriſtiani, ſed Judæi ſunt baptizati, 318. c
S. Foillani monaſterium, Ord. Præmonſt. interdictum, 258. d
Fontanenſe monaſterium Ord. Ciſt. in Anglia, 181, a, n. A VVillelmi Eboracenſis archiep. fautoribus direptum, 541. n. 549. d, n. Fontanenſes monachi Guillelmo intruſo Eboracenſi adverſi, 314. c 317. b, n.
Fons vitæ, caritas, nec anima vivit quæ de illo non hauſit, 523. c Fontes Salvatoris quatuor, eorumque aquæ, 1118. b & ſeq. Fontes Salvatoris quinque, 777. c & ſeq. Fontes ſpirituales paradiſi quatuor, 1154. b
Fontis-Ebraldi monaſt. ſanctimonialium, 191. n.
Foramina Petræ, Chriſti vulnera, 1475. e
Formicæ homines ſimiles, 277. b
Fornicationis ſpiritus injuriis ſuperatus, 1112. d
Fortitudo ſine prudentia temeritas eſt, 433. a Juſtitiæ & temperantiæ neceſſaria, 415. e Media inter voluptatem & neceſſitatem, iſti præbens quod ſatis; illi demens quod nimis eſt, 413. a Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus ex difficultate, 257. e
Foſſa-nova monaſterium, Ord. Ciſt. 384. f
Francia à Burgundia diſtincta, 508. n. Francia orientalis virorum fortium ferax, 327. e
Francorum rex, primus regum, 156. c Francorum virtus per totum orbem diſſeminata, 327. e Francorum abuſus in juramentis, 803. a
Fulcherus monachus, 188. a
Fratrum mutuus amor, 1354. e Fratribus conſilium & auxilium debemus, 785. b Cariſſimi fratres dicimur, 813. f
Fratres epiſcopos & cardinales ſummus Pontifex appellat, 187. b Fratres vocabantur laici ad ſocietatem ſuffragiorum à monachis admiſſi, 54. n. Fratres laici illiterati, 707. Fratres novellos exponi non vult S. Bernardus, 312. d
Fraternitates apud monachos Ciſtercienſes, 53. c, d, e Fraternitates apud Caſæ-Dei monachos, 54. n.
Fridericus archiepiſcopus Colonienſis, 25. n.
Fridericus Imperator. 102. n. 1157. d
Frumundus monachus Præmonſtratenſis tranſit ad Ciſtercienſes, 351. d
Fromundus monachus Claræ-vallenſis, 712.
Fructus Spiritus-ſancti profectus noſtri, 1418. c
Fructificandum in tempore opportuno, 968. f
Fruitio Dei triplex in perfecta beatitudine, 1036. c Frui Verbo quid, 1566. d Id ſolis humilibus datur, ibid. c, f
Fucata pulcritudo damnatur, 122. c
Fugitivi è monaſterio tertio recepti, 818 a
Fulbertus abbas Camerocenſis depoſitus, 55. c 56. n.
Fulcherius Patriarcha Jeroſolymorum, 874. n.
Fulco rex Jeroſolymorum, 278. n. 819. n. 321. n Comes Andegavenſis, 1354. n.
Fulco abbas Sparnacenſis primus, 102. c n.
Fulco Canonicus regularis, ad ſæculum reverſus, 8. a, n. Dein archidiaconus Lingonenſis, ibid. Fulconem non ſinum cur præ ceteris Bernardus reprehenderit, 11. f
Funda longanimitatem deſignat, 917. c
Fundus qualis quærendus Prælatis eccleſiæ, 420. f
Funus Hiſpanorum, 122. d In eo veſtes nigræ, ibid.
Fuſniacum monaſterium, 165. 385. n. A Bartholomæo epiſcopo Laudunenſi fundatum, 73. n. 317. n.

G

G. De S. Audomaro monachus Claræ-vallenſis, 596. d
Gabriel, fortitudo Dei, 733. d Sic dicitur nuncupative, Chriſtus autem ſubſtantive, ibid. c Ei tradita ab initio fuit virgo Maria cuſtodienda, 636. a Cur electus præ ceteris ad annuntiandum Verbi Incarnationem, 733. c Ei fuit ignotus Incarnationis modus, 635. a Creditur miſſus fuiſſe ad confortandum Joſeph de Mariæ conceptu anxium, 733. f
Galcherus ex Cluniacenſi, monachus Ciſtercienſis, 861. c
Galfridus ſeu Godefridus abbas Latiniaci, 326. n. 398 b, c 399 b Ejus depoſitio à Summo Pontifice petita, 398. c, d 399. c & ſeq.
Galfridus abbas B. Mariæ Eboracenſis, 388 b
Galfridus de Amayo, multorum monaſteriorum inſtitutor, 181. c n.
Galilæa tranſmigratio interpretatur, 714. c 897. d
Gallia Schiſmatum curatrix, 802. e Angli magis ſomniatores quam Galli, 715.
Gallicana eccleſia fortis in fide, pacifica in unitate, 173. a
Galo Prior S. Stephani Divionen. 62. n.
Galterius archiepiſcopus Ravennas, 235. b
Galterius epiſcopus Cabilonenſis, 62. n.
Galterus abbas S. Vedaſti, 511. e
Galterus de S. Mauricio, ex abbate S. Martini epiſc. Laudunenſis, 265 c 266. n.
Garnerius archidiaconus, abbas S. Stephani Divionenſis, 61. n. 62. b
Gaucherius monachus Claræ-vallenſis, 712. 715.
Gaudii ſpiritualis origo, 1222. b Ejus deſcriptio, ibid. c Gaudium ſpirituale paſtio noſtra, 1525. b Gaudium in tribulatione nos liberat à laqueis diaboli, 1060. f Gaudium piorum ſtabile & perpetuum, 1087. a Illud verum & ſolum eſt, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur; & quantum illud ſit, 123. b Gaudium duplex in hac vita: de memoria futurorum bonorum, & malorum præſentium tolerantia, 1222. b Gaudium & pax in cælo, 1215. d, e
Gaudium mundanorum breve, 1086. f Gaudium ordine præpoſtero quærunt carnales, 1123. c Nec cæleſti, nec terreno fruitur gaudio religioſus negligens & tepidus, 115 d, n.
Gaudendum quandoque plus de alieno bono, quam de proprio, 1457. a
Gaudium in feſto S. Johannis Baptiſtæ, 985. b Illius materia duplex, ibid. d
Gaufridus de S. Aldemaro, miles Templi, 541.
Gaufridus epiſcopus Carnotenſis, 54. d 58. d 59. & ſeq. 301. f 377. d 460. 461, e De Leugis dictus, 495. Sedis apoſtolicæ ſtatus, 108. e n. Et Legatus, 50. n. 159. n. 441. b n. Hugonem epiſcopum Autiſiodorenſem conſecrat, 141. n. Arbiter in lite monachorum Majoris-monaſterii, 156. a Miſſus ad reconciliandos Innocentio II. Mediolanenſes, 141. n.
Gaufridus abbas Latiniaci, 325. n. V. Galfridus.
Gaufridus abbas B. Mariæ Eboracenſis, 99 n. 391. d
Gaufridus abbas de Rupibus, 377 b
Gaufridus ex abbate S. Theoderici, tum S. Medardi, epiſcopus Catalaunenſis, 61. n. 67. a 97. n. 208. n. Ordinis monaſtici diſſeminator, 97. n.
Gaufridus Autiſiodorenſis electus à tumultuantibus, 169 a, n.
Gaufridus cantor Autiſiodorenſis, 377 b
Gaufridus Cellarius, 377. b
Gaufridus monachus Claræ-vallenſis, 128. c 359. d
Gaufridi duo, monachi, 181. a
Gaufridus notarius S. Bernardi, 865 b 164. n.
Gaufridus Prior Claræ-vallenſis, 117. n.
Gaufridus Biſol, miles Templi 541.
Gaufridus Lexovienſis, 120. b
Gaufridus de Loratorio, archiepiſcopus Burdegalenſis, 129. n. 133. n. Eum apud regem purgari poſtulat S. Bernardus, 53. d Ejus elogium, 130. e
Gaufridus de Perrona, 117. e n. 118. c, e 596. d Parentes ejus conſolatur Bernardus de ejus converſione, 118. d
Gaufridus, cognomento Planta-geneſtus, comes Andegavenſis, 318. n. Malleus bonorum, oppreſſor pacis & libertatis eccleſiæ, 317. c 318. a Electionem Arnulfi Lexovienſis epiſc. perturbat, 317. c & ſeq.
Gelboë montes, dæmones, 1452 d
Geburnus Trecenſis Præcentor & Archidiaconus, 35. n. Ejus Sermones in Bibliotheca Victorina, 36. n. Bernardi verba loquentis ſtilo excipit, 35. d Moribus & litteratura conſpicuus, 128. c
Gehennæ recordatio adverſus malam intentionem, 1130. a
Gelaſius archiepiſcopus Ardmachanus, 873. a
Gemere dicitur Spiritus-ſanctus, quia gementes facit, 1470. a Gemendum, non orandum pro deſperatis, 579. f
Generatio cæleſtis, æterna prædeſtinatio eſt, 1144. f
Generatio hominum triplex, 1160. b & ſeq.
S. Gengulfi eccleſia Tullenſis à S. Gerardo condita, 145. n. Ejus deſolatio, 174. f Eam Lothario imperatori commendat S. Bernardus, 145. d
S. Genovefæ eccleſiam canonicis regularibus concedit Sugerius, 351. e 353 a
Gentiles Deum unde non ſentiebant, 1180. a Eorum votum, 1310 a Ipſis miſericordia, Judæis juſtitia obtigit, 1106. a
Girardus abbas Pulianenſis, 84. d
Gerardus Cancellarius, poſtea Lucius II. 201. n. 802.
Gerardus Comes, Pultarienſis monaſterii fundator, 84. n.
Gerardus Engoliſmenſis ab Innocentio II. deficit, 132 c & ſeq. Diotrephes dictus, 132. d Beſtia ferox, 130. f Semel comparatus, 130. a Ejus ambitio, 131. e & ſeq. Legatus ab Anacleto creatus per totam Franciam & Burgundiam, 138 d Novos cudit Epiſcopos, 132. c 133. n. 134. c Et abbates. ibid. Ejus mors, & poteſtas in Romano Senatu tempore Paſchalis, Gelaſii, Caliſti, & Honorii, 132 n. V. Girardus.
Germanus epiſcopus Capuanus, 854. n.
Germundus Patriarcha Jeroſolymitanus, 85. n. 171. n.
Gertrudis ad Bernardum, & Bernardi ad Gertrudem epiſtolæ ſuppoſititiæ, 116. n.
Gervaſii Prioris de Monte-Dei neceſſitudo cum Bernardo, 279. c n.
Gervaſius Subprior S. Mariæ Eboracenſis, 387. a
Gervaſius & Radulfus monachi Fontanenſes à vita ſtrictiori, ad quam tranſierant, redeunt ad laxiorem, 193. c Gervaſii pœnitentia, ibid. a.

Gigniacenſes monachi Miratorium monaſter. Ordin. Ciſt. ſubvertunt, 874. c, d

Gilbertus archiepiſcopus Turonenſis, 154. b n.

Gilduinus abbas S. Victoris Pariſienſis, 312. c

Gillebertus abbas S. Dionyſii Remenſis, 85. n.

Gillebertus abbas S. Nicolai de Silva-Vedogii, 84. n.

Gillebertus epiſcopus Pariſienſis, 188. n.

Gillebertus primus legatus apoſtolicæ Sedis in Hibernia, 668. b 674. b

Gilleberti Porretani epiſcopi Pictavenſis ſententia in concilio Remenſi damnata, 6548. f & ſeq. Ei acquieſcit, 1349. b Ejus liber auctoritate apoſtolica prohibitus, 1349. c Quaternitas refutata, 451. c

Gillebertus Univerſalis, epiſcopus Londonienſis, 41. a, b Unde ſic dictus, 41. n. De contemptu divitiarum laudatur, 41. a, b Autiſiodorenſis Canonicus fuerat, & utriuſque Teſtamenti gloſſator, 41. n.

Girardus epiſcopus, 1277. f Forte Bethlecmitanus, ibid. n.

Girardus epiſcopus Sagienſis, 146. c Canonicos regulares ab eccleſia ſua expellere cogitat, ibid. n.

Girardus, Bernardi dilectus filius, 364. d

Girardi fratris S. Bernardi elogium, 1354. d & ſeq. Fuit interiorum & ſpiritualium peritus, etſi abſque litteris, 1356. d, e Item rerum œconomicarum, ibid. e Ejus prudentia & induſtria in negotiis, ibid. a Ab officio petit abſolvi, ibid. b S. Bernardi in Domino ſtudia libera faciebat, 1354. a Eorum incitator, adjutor, examinator, 1355. a b Bernardus profectus ſuos adſcribit, 1356. e, f Eidem de vita periclitanti Bernardus inducias obtinet, 1359. e Inter cantica lætus moritur, 1358. c Ejus extrema verba, 1358. c Obitus, 1353. n. Ejus funus ſiccis oculis proſequitur S. Bernardus, 1354. b

Girardus monachus, Bernardi in Italia ſocius, 150. d, n.

Girardus de Perona monachus Claravallenſis, 714. Sub Nicolao, S. Bernardi notarius, 711.

Giſburnenſis eccleſia canonicorum regularium, 688 c

Giſlebertus abbas S. Michaelis ex monacho S. Nicolai, alter ſui ſæculi Plato, 157. n.

Giſlebertus archiepiſcopus Turonenſis, 154 b, n.

Gladius Petri duplex, 157. c Item & Pontificis duplex, 458. b

Gloria, Dei, Pax, hominum portio, 214. d Gloria propria eſt Creatoris, non creaturæ, 1099. d Gloriam mundanam cur admiſerit Chriſtus, 882. c Ejus majeſtas in gloria, 767. c Ejus gloriam plures quam crucem deſiderant, 330. f & ſeq.

Gloria nobis repromiſſa, 1086. f Gloria vera quæ, 736. f Vera & inhabitans unde homini contingat, 973. a Sola eſt ſecura quæ in cælis exſpectatur, 1078. b Gloria futura vere magna, præſens fallax & inanis, 875. c Gloria juſtorum, 193. b Gloria & laus ſanctorum unde, 10 9 f & ſeq. Gloria ſanctorum interior & exterior, 1352. a Gloria apoſtolorum crux & labores, 422. a Gloria Chriſtiani in cruce Domini, 131. b Crucifixo conformari, 1352. c Gloria ſumma, cedere Deo & eccleſiæ, 179. b Vera & ſumma, placere Deo, 1356. a Gloriæ via tribulatio præſens, 878. f Gloriæ cæleſti adipiſcendæ tota vita impendenda, 1130. a Ejus contemplatio commendatur, 930. d & ſeq. Gloriæ ſtatus poſt reſurrectionem, 1089. d Perfectio eſt, 1358. f Gloriæ gradus non idem omnibus, 852. f Gloriæ negotium, otium, 1519. c Glorioſi corporis quatuor dotes, 1058. a

Gloria ſanctorum Deo debetur, 6304. a Gloria bonorum actuum Deo adſcribenda, 143. c 131. d 195. c, f 426. d 1303. e & ſeq. 6304. f 1429. c 1454 d 1560. a Gloriæ innatum deſiderium homini, 1099. d Securus gloriatur qui in Domino gloriatur, 89. d Gloriandum ſolius Dei teſtimonio, 6100. a Gloriandum in ſolo Deo, non in ore hominum, 1304. c, d Gloriari in ſe & non in Domino, iniquitas maxima & negatio in Deum, 1376. a Gloriam hic nobis non dat Deus, ſed pacem, 1303. c Gloriam uſurpare beneficii, ſuperbia eſt, 586. a Glorioſius nihil nobis, quam quod tanti nos Deus æſtimavit, 792. d

Gloria vana quæ ab homine, 736. f Gloriam ſuam hominum labiis committere non tutum, ſed ſtultum, 469. c Gloria & humiliatio ex teſtimonio conſcientiæ, 481. c Gloriari teſtimonio conſcientiæ non ſuperbo licet, ſed humili, 469. c Perverſi eſt animi, ante quærere gloriam, quam exercere virtutem, 963. d Gloriari hac in vita quatenus liceat, 1100. d Gloria ſine virtute inanis, 963. d Gloriæ cupidum eſſe ingloriu m, 233. b Gloriam ſectari membra pudeat, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur, 1242. a

Gloria inanis ſeu vana nihil aliud quam animum inflatio vana, 1177. a Ejus inanitas, 484. c Invidiæ ſubjacet, 1177. a Fugienda, 124. b Baſiliſco ſimilis, non videntes necat, 869. b Spirituale bonum diſſipat, 124. a Virus eſt virtutum, 659. d 816. d Quanta pariat mala, 484. c Contra eam ut ſe præmoniat humilis, 469. a Ejus tentatio quomodo extinguenda, 869. c Gloriæ hujus mundi vanitas, 108. d 121. a 381. b 331. c Inconſtantia, 878. d Eſt opprobrium, 143. a

Gloria principis ex eleemoſyna, 195. c Glorificatio Chriſti ad Jordanem, in monte Thabor, & in cælis, 1535. e f

Gocelannus epiſcopus Lingonenſis, 62. n.

Godefridus Prior Claræ-vallenſis, 848. b 196 a, n. Invito Bernardo electus epiſcopus, 167. a Jam epiſcopus Lingonenſis, 162 n. 166. f n. 168. c Apud Claram-vallem redux, privatus, controverſiam dirimit inter Alanum epiſcopum Autiſiodorenſem & Vvillelmum Comitem Nivernenſem, 377. n.

Godefridus abbas Latiniacenſis pravæ & infamis vitæ, 398. b c 399. b

Godefridus miles templi, 548

Godeſcalcus abbas Montis-ſancti Martini, deinde epiſcopus Atrebatenſis, 129. c n. 231. c Ejus elogium, 274. f

Godwinus monachus Aquiſcincti, 65. d

Golias ſuperbiæ typus, 936. c Quomodo ſuo ipſius gladio perimendus, 938. a

Goslenus Carnotenſis, homo Dei, 373. c

Goslenus de Leugis, frater Gaufridi epiſcopi Carnutenſis. 421

Goslenus ejuſdem nepos, ibid.

Gozvinus abbas Bonæ-vallis, deinde Ciſtercii, 165. a, n. 166. a 384. b

Gosvini abbatis Trunchinienſis, & Balduini de Vvaſia controverſiam dirimit S. Bernardus, 368. a

Grabatum noſtrum, corpus eſt, 889. c

Græci fermentato, Latini azymo utuntur in ſacrificio, 116. a Eorum ſchiſma, 427

Grandis-ſilva monaſterium Ord. S. Bened. poſtea Ciſterc. 639. d n.

Gratia Spiritus-ſancti duplex, 1310. c d Oratio perſeverans ad eam neceſſaria, 917. b Gratiæ plenitudo in Maria ab aliis ſanctis diverſa, 744. c

Gratiæ neceſſitas, 976. b 1030. c 1332. d 1386. a Ad volendum bonum, eaque duplex, 611. a Ad bonum inchoandum & conſummandum, 1301. f Ad reſiſtendum 1563. b Voluntas ad Deum redeundi ex gratia, 1560. c Et merita, 603. c Item omnia ſalutis opera, 621. f Sola eſt qua ſalvamur, 2013. a Ejus auxilio ſimilitudinem cum Deo poteſt homo reparare, 1556. d Ipſi ſoli adſcribendum prædeſtinationis initium & finis; opus vero gratiæ & nobis, 949. c Hæc nos prævenit, provehit, perficit, 603. c Curſus pro modo gratiæ, 1338. d Gratiam ſub panis nomine in oratione Dominica poſtulamus, 778. f Gratia promerendi fita in tribus, odio præteritorum malorum, contemtu præſentium bonorum, deſiderio futurorum, 941. b Gratiæ inveſtitura, 820. c

Gratia Dei omnibus ablata, 939. f Non tam nobis deeſt, quam nos gratiæ, 1118. a Aliis datur, aliis non, 1525. d Jus noſtrum ad eam, voluntas eſt Dei, 1506. f Gratis datur: etiam cum emitur, gratis emitur, quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur, 902. a Gratia apud Deum per Mariam quærenda, 1065. a, b

Gratia Dei humilibus datur, in fide ſuſcipitur, in timore cuſtoditur, 335. a Privatio, ſuperbiæ argumentum, 1454. c Subtractæ cauſa ſuperbia, quæ jam eſt, vel quæ futura eſt, 1434. c Ejus ob ſuperbiam incapaces ſunt dæmones, 1452. f Capaces ejus nos reddit humilitas, 982. a Promerendæ, retinendæ & recuperandæ nihil efficacius quam non altum ſapere, 1454. b Efficacior ſit Prælatorum increpatione, 1890. a Gratiæ indicia ſunt opera, 312. c Ei cooperandum, 1586. b Gratiæ cooperatur liberum arbitrium conſentiendo, 624. a Gratiæ triplex operatio circa liberum arbitrium, 622. d Gratiæ & liberi arbitrii individua operatio, 620. a Gratia liberum arbitrium excitat, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum, 621. f

Gratia cum aufertur timendum, item cum abiens, & cum revertitur, 1454 b & ſeq. De præſenti gratia nunquam eſto ſecurus, 1331. f Nullum præſentiæ Dei certius teſtimonium, quam deſiderium gratiæ amplioris, 1064. f Gratiæ propinquantis ſignum, humiliatio à Deo, 1393. f Gratia ſine veritate claudicat, 1529. c & ſeq. Veritas ſine condimento gratiæ amara, 6529. b

Gratia ut gratia habenda, 331. b Non intrat ubi jam meritum occupavit, 1503. e Ejus impedimenta quatuor, 982. b Eam perdis qui ſibi attribuit, 1529. f Eam Deus ſubtrahit ingratis & de ſe præſumentibus, 46. b Neglecta in contemtum donantis redundat, 1404. c Gratias Dei in ſe nolle ſcire ex humilitate, duplex eſt incurrere periculum, 354 c

Gratiæ Deo pro beneficiis ſemper agendæ, 1302. a 1443. b Quadrifaria ei debetur, 866. f Gratiæ fluenta origini ſuæ reddantur, ut uberius fluant, 1017. a Gratiam pro gratia non referre, periculoſum, 1530. a, b Gratiarum ceſſat decurſus, ſi non fuerit recurſus, 813. c Gratiarum actio paucorum eſt, 1136. e Non omnis eſt Deo grata, 1302. b & ſeq. Quænam ſit Deo grata, ibid. e, f Impiorum perverſa eſt, ibid. d Gratiæ ſtatus varii 1331. e

Gratia quadruplex, 1248. e Præveniens & ſubſequens, 1503. c d 1504. a

Gratiæ gratis datæ, raræ, 1428. e

Gratianopolitanæ electioni poſt aſſumtum Hugonem in archiepiſcopum Viennenſem ſe opponunt Cartuſienſes, 347. c

Gratitudo vera unde æſtimanda, 177 a b Nova meretur beneficia, 833. d 1142. b Accumulat beneficia, 835. c Gratitudo in Deum paucorum eſt, 1141 d Ad eam omnes tenentur, ſed maxime religioſi, 940. c d Gratitudo noſtra in Angelos, 863. b 1141. d

Grandimontenſes Innocentio II. adhærent, 136 n.

Gravitas familiaritati miſcenda, & quomodo, 444. b

S. Gregorius Magnus, à S. Bernardo citatus, 99. c S. Auguſtinum in Angliam mittit, 427 c Ejus ſcripta in Ezechielem prophetam quando, 414. d Paſtorale Saxonice tranſlatum, 608

Gregorius VII. Papa, 101. n.

Gregorius diaconus S. Angeli, poſtea Innocentius II. 133. n 233. c

Gregorius diaconus cardinalis, 32 n b

Gregorius epiſcopus Lucenſis, 574 f

Gregorius Legatus, 184 n.

Gregorius Tarquinius Cardinalis, 307 a, o. Bernardo curiam intranti aſſurgere ſolitus, ibid. b

Grimoardus ex abbate B. Mariæ de Allodiis epiſcopus Pictavienſis, 313. d n. Ejus electio per Ludovicum VII ſuſpenſa, 313 n. Ejus elogium, 313 e

Groſſi ſenſum quis, 1472. a Scientiam deſi

goant, 1474. c
Goaltarios abbas S. Martini Laudunenſis 510. a, ei ſubjectum monaſterium Vicoaicole, ibid. Poſtea epiſcopus Laudunenſis, 33. a, 386. a.
Gualterius de Mauritania, ex decano epiſcopus Laudunenſis, literis Bartholomæo ſuo deceſſori & Præmonſtratenſibus movet, 386. a.
Gualterius prior S. Martini de Valle, 493
Gualterus de Calvomonte, 108. a
Guarinus abbas Alpenſis, 233. a Ejus zelum laudat S. Bernardus, 233. b & ſeq. Tum epiſcopus Sedunenſis, 147. a, 148. b
Guerricus abbas Igniacenſis, 96. a Ejus elogium, 96. c 97. b
Guerricus abbas S. Vedaſti, 274. a, 311. a.
Guibertus ex epiſcopo Ravennenſi antipapa, 202. a. Ejus perſecutio, 202. c
Guido abbas Arremarenſis, 582. a 337 b 711. Ejus rogatu officium S. Victoris componit S. Bernardus, 338. a
Guido abbas Carilocenſis, 189. c 190. a. 377. b 692.
Guido abbas Claræ-vallenſis Remenſem epiſcopatum recuſat, 197. a.
Guido abbas Moliſmenſis, 83. a. 84. b
Guido abbas de Tribus-fontibus, 64. b a. 75. d 78. 1127. c a.
Guido de Bichiaco, canonicus Autiſiodorenſis, 377 c
Guido de Caſtello cardinalis, 183. b a.
Guido Comes Matiſconenſis, 148. a.
Guido Diaconus cardinalis, 331. c. Erga Claræ-vallenſes beneficus, 335. a
Guido epiſcopus Catalaunenſis, 208. a. 181. a. 381. a.
Guido epiſcopus Lauſanenſis, 42. d
Guido frater S. Bernardi, 101
Guido Legatus, 188. d
Guido Moricatus de Vico, cancellarius, 331. c a. Piſanus cardinalis, amicus S. Bernardi, 327. d Miſſus ad reconciliandos Innocentio II. Mediolanenſes, 141. a.
Guido theſaurarius Lugdunenſis, 161. d
Guido Viconienſis fundator, 150. a.
Guigo V. Carthuſiæ Prior, religionis flos præclariſſimus, Petro venerabili amiciſſimus, 27. a 348. b. A quo frequentes recipit epiſtolas, 346 b Honoris titulos renuit, 346. c
Guilenci epiſcopi Lingonenſis obitus, 62. a 161. a.
Guillelmus abbas S. Theoderici, 87. d, e 89. b 603. a Quantum à S. Bernardo amatus & in pretio habitus, 87. e 88. a & ſeq. 95. a Frequenter ſcribit ad S. Bernardum, 88. b Ejus zelus pro fide, 303. b Gaufridum Carnotenſem & S. Bernardum excitat adverſus P. Abælardum, 301. f & ſeq. Cujus capitula ad S. Bernardum mittit, 302. c Scribit adverſus P. Abælardum, & ejus librum approbat S. Bernardus, 303. c
Guillelmus archiepiſcopus Eboracenſis intruſus, 229. c a. 231. a, c 214. f 316. c 316. c 431. a. A Vvillelmo decano intruſus declaratur, 236. c Ei non favet Innocentius II. 237. 6 Ipſi reſiſtunt monachi Fontanenſes, 234. a. Monaſterium Fontanenſe diripiunt ejus fautores, 249. d a. Ejus depoſitionem urget S. Bernardus, 235. e Ab Eugenio III. deponitur, 234. a. Antea fuerat theſaurarius Eboracenſis, 210. a 289. c
Guillelmus archiepiſc. Remenſis, 597. a. 715. Pro eo adhuc parvulo dignitates eccleſiaſticas petere recuſat S. Bernardus, 264. c & ſeq.
Guillelmus à S. Barbara decanus Eboracenſis, epiſcopus Dunelmenſis, 229. d 230. c a. 231 a 325 a a.
Guillelmus de Campellis, 14. a Abdicato docendi munere ad monaſterium S. Victoris ſecedit, 13. a. Epiſcopus Catalaunenſis, 29. a. 302. o. Vir doctus & ſanctus, 49. b Cononis legati adjutor, 13. a. Ex Cluniacenſi & Divionenſi monaſteriis monachos præficit abbatiis S Petri & S. Urbani, 61. d, e Quo anno mortuus, 13. a.
Guillelmus comes Aquitaniæ, 209. a.
Guillelmus comes Nivernenſis, 317 d a.
Guillelmus comitis Nivernen. filius, 397. c
Guillelmus Comes Pictavienſis, 131. b Et dux Aquitaniæ, 137. Clericos eccleſiæ S. Hilarii expellit de civitate, 138. d Ejus converſio per S. Bernardum, 137. a. Peregrinatio & obitus ad S. Jacobum. 137. a.
Guillelmus de Conchis, 6. a.
Guillelmus Conqueſtor Cadumenſe monaſterium fundat, 136. a.
Guillelmus epiſcopus Bellicenſis, 167. a.
Guillelmus Flandrenſis ex eremita Turonenſi Patriarcha Jeroſolymitanus, 172. a. Singulariter à Deo electus, 351. d 352. d.
Guillelmus Giffardus epiſcopus Vvintonienſis, 99. a.
Guillelmus monachus S. Albini Andegavenſis tranſit ad S. Bernardum, 294. a.
Guillelmus monachus Claræ-vallenſis, 107. b
Guillelmus monachus in Dania, 349. a, b
Guillelmi de Paſſavant epiſcopi Cenomanenſis elogium, 181. c Bernardo quam carus, 181. c, d, e 182. a
Guillelmi de Sabrano epiſcopi Lingonenſis obitus, 161. a.
Guillelmus V. Vvillelmus.
Guirricus, Fulconis cognatus, obſiſtenti avunculo fortiter reſiſtit, 9. b
Gulæ voluptas quam exigua, 483. f Ejus damna, 390. b Bonum jejunium, quo redimuntur jejunia ſempiterna & ſupplicia, 820. c
Gulæ, pellex rubricatæ, 463. b a.
Gundarius Turritanus judex, poſtea monachus Claræ-vallenſis, 343. a. a.
Guntbaus abbas Caladienſis, ſanctæ memoriæ dictus adhuc vivens, 63. a.
Guntbaus abbas Leſcienſis, 358. a.
Guſtus divinæ præſentiæ pro variis animi affectibus, 1382. c Guſtus ſapientiæ eſt irritamentum deſiderii, & incentivum amoris, 1027. c

H

Habitaculum Deo dignum, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perverſa, nec memoria fuerit inquinata, 1073. c
Habitus clericorum ſit modeſtus, 434. c, e Monaſticus humilitatis inſigne, 317. d
Habet nihil qui ſe omnia habere putat, 421 d
Hædi peccatum ſignificant, 371. e Item petulantes corporis ſenſus ſignificant, 1396. a
Hæmorrhoiſſæ allegoria, 1131 b
Hæreſes ineptiæ dictæ, 509. a, a. Hæreſes certum aliquem agnoſcunt auctorem, 1494. c Hæreſes variæ in Mariam, 1007. e Hæreſes naſcentes extinguere ſummi Pontificis eſt, 184 a
Hæretici, vulpes, 1486 d 1490. f Hæreticorum genius ſuperbia, 1491. a Deſcriptio, 1494. d Hæretici verſipelles & hypocritæ 1492. e 1494. b Patrum contemptores, 883. a Student non virtutes colere, ſed vitia colorare, 1494. c Eorum verſutia in colorandis erroribus, 1482. a Hæreticorum error de Scripturis, 1491. e Eorum pertinacia, 1498. f Quid ſentiendum de hæreticorum martyrio, 1499. a, b Hæreticos in clero & ordine epiſcoporum invenire fautores indignum, 1499. d Qualis intentio habenda diſputando contra hæreticos, 1486. e 1487. a Expugnandi, non armis, ſed argumentis, 1486. d In vincula conjiciendi, ne alios erroribus ſuis inficiant, 188. c Obſtinati religandi, 1486. f Gladio coercendi; ſed à principibus, 1499. b Hæretici in ſynodis damnati, 186. e Hæreticorum mala paſcua, 1398. c d Eorum converſatio fugienda, 188. f
Hæretici Colonienſes, 1488. d A populo igne concremati, 1488. e Eorum prava dogmata de Eccleſia, 1488. f De ſacramentis, 1489. b Aliorum item hæreticorum ejuſdem temporis & regionis impia dogmata, 1489. c & ſeq. Eorum ſuſpectum ſtudium in occultandis myſteriis ſuis, 1491. d & ſeq. Error de juramento & perjurio, 1491. b, c Fruſtra ſe jactant Apoſtolicos & Eccleſiam, 1497. a, b Quam alieni à moribus apoſtolorum, 1498 a Eorum error de Eccleſiæ Ordinibus, 1498. c Catholicus falſus plus nocet, quam verus hæreticus, 1495. d
Haimericus diaconus cardinalis cancellarius 34. d, a. 38. a, b 55. b 58. a 59. a, e 150. d 160. b 161. a, 177. a 295. e 320. e 350. b 351. d Bernardi amicus, 150. d 158. b 592. a
Haimo archidiaconus, poſtea epiſcopus Catalaunenſis, 381. a. Febricitans, S. Bernardi precibus ſe commendat, 382. a, b Sermones ſuper Cantica ab eo petit, 382. c & ſeq.
Hatto epiſcopus Trecenſis, 308. e V. Atto.
Hatto monachus, 305 b
Hebdomada ſancta, 884. d Chriſtianorum in ea pietas & religio, 884. d 890. c
Hebetari cordis indicium, propriam non ſentire vexationem, 410. a
Hegmorus ex monacho Latiniacenſi abbas Leicienſis, 358. a.
Helias ex abbate ſancti Sulpicii apud Bituriges epiſcopus Aurelianenſis, 308. c Epiſcopatu cedit, 243. a conſilio ſancti Bernardi, 244. c Qui pro eo depoſito intercedit apud Eugenium, 244. b & ſeq.
Heloiſſa abbatiſſa Paracliti, alias Helvvidis, à S. Bernardo viſitata, & ſummo Pontifici commendata, 272. a. a.
Henricus archiepiſcopus Moguntinus, 329. e A Bernardo & Gregorio Legatis depoſitus, 384. a. Violatæ caſtitatis accuſatus, 438. a.
Henricus de Murdach, abbas Vallis-claræ, 298. a Dein Fontanenſis in Anglia, ibid. d 234. a. Archiepiſcopus demum Eboracenſis, 250. a. 249. a 237. a. 298 a. Turoldum abbatem Fontanenſem dejicit, 287. b, a. De eo item 109. a. 210 b, a.
Henricus archiepiſcopus Senonenſis, 52. c, d, e 277. c, a. 86. c 295. e. 295 c 308. e Cognomento Aper, alias Gilbertus, 460. 461. a A Ludovico rege vexatus, 53. a.
Henricus ex monacho Claræ-vallenſi cardinalis, 281. d, a.
Henricus, Ludovici Junioris frater, 713. 714. Pontiſaræ præbendarius, & abbas Stampenſis, 585. c, a. An archidiaconus Aurelianenſis, 359. e 360. a. Belvacenſis electus, 348. d Ex monacho Claræ-vallenſi, 585. c, a. Ejus zelus, 572. a Siniſtros rumores patitur, 289. b, c
Henricus canonicus Tornacenſis, 640.
Henricus comes Campaniæ 187. a. 272. b 314. a 715 Filius Comitis Theobaldi, 206. a. Bonæ indolis adoleſcens, 374. d Manueli Comneno à S. Bernardo miſſus, ut novus fieret miles, 374. b, d Is & Robertus frater regis Ludovici ad duellum diem præfigunt, 337 e
Henricus Comes Lucilburgenſis, monaſterii S. Maximini advocatus, 176. a.
Henricus Bleſenſis ex abbate Claſtonienſi epiſc. Vvintonienſis, 99. a, a. 159. a 233. a 235. a
Henricus epiſcopus cardinalis, 711.
Henricus epiſcopus Trecenſis, 383. c Abbatiam de Bulencuria canonicorum regularium Ciſtercienſi Ordini donat, ibid. a.
Henricus epiſcop. Tullenſis, 173. a 350 a. a.
Henricus epiſcopus Virdunenſis, 63. d, a. 64. a Poſtea Catalaunenſis, 55. c 56 a. Conſilio Bernardi dignitate ceſſit, ibid. Ab excommunicatione abſolutus, 163. a.
Henricus IV. imperator, 202. a.
Henricus V. imperator, 502. a 395. a.
Henricus monachus Morimundi, 23. d
Henricus rex Anglorum, 98. e 591. a Innocentium agnoſcit in conventu Carnotenſi, 145. a, a. Theobaldi Comitis avunculus, 51 a. Ab eo Bernardus ſuppetias petit pro Innocentio, 144. e
Henricus II. rex Angliæ, 295 c a. 318. a.
Henricus, filius Davidis regis Scotiæ, 674. f
Henricus hæreticus de tota Francia effugatus, 238 a, b, c A multis auditur, 237. d, e Impia ejus dogmata, 237. c, d Ejus deſcriptio, 232. a & ſeq.
Henriciani parvulos à baptiſmo excludebant, 427. a. 879. a. Uti & Colonienſes, 437. a.
Herbertus primus abbas S. Stephani Divionenſis, 63. b, a. 166. c, 242. a
Herbertus canonicus regularis, 381 d
Herchenradus epiſcopus Catalaunenſis, 260, a.

Heribertus II. Campaniæ comes, 215. n.
Hermannus de Arbona epiſcopus Conſtantienſis, 188. n.
Herodis & Pharaonis comparatio, 907. a
Hervæus vir nobilis, 64. n.
Heſcelinus canonicus Inſulanus, 102. c, o.
Hibernia in plura regna diviſa, 663. c monaſteriorum ferax, 664. c, d 674. d Hiberniæ primum oratorium ex lapide, 684. f Hibernienſium monachorum mores minus diſciplinati, 323. a
Hiems, timor; æſtas, caritas, 1467. c
Hiemale tempus myſtice, 1465. b
Hierarchiæ ſubordinatio, 433. d
S. Hieronymus eloquentiæ & ſapientiæ dotibus approbatus, 1182. f Interpres noſter, 949. c
Hilaritas commendat opera miſericordiæ, 1514. c Hilaritas duplex, 1061. d
S. Hilarius epiſcopus Pictavienſis, 153. f Clericos eccleſiæ S. Hilarii de civitate expellit Guillelmus dux Aquitaniæ, 138. d
Hildebertus epiſcopus Cenomanneniis, 13. n. Archiepiſcopus dein Turonenſis, 127. n. 154. n. Quamdiu utrobique ſederit, 127. n. Eccleſiæ columna, 150. d Ejus propoſitum ſecedendi Cluniacum, 158. n. Epiſtolæ ejus laudatæ, ibid. Bernardi familiaritatem expetit, 128. c, & ſeq. Ejus elogium, 329. b & ſeq. Eum hortatur Bernardus, ut Innocentium agnoſcat, 130. c
Hildebrandus epiſcopus Piſtorienſis, 133. b
Hildefonsus ſive Illefonſus comes S. Ægidii & Toloſæ, 237. b, n.
S. Hildegardis divinis revelationibus celebris, 331. b, o. Eas petit Johannes Sareſberienſis, 331. o. Ejus ad Bernardum epiſtolæ, 331. n. Eugenio Papæ eſt acceptiſſima, 331. n.
Hildegarius abbas Flaviacenſis, 68. n.
Hildegarius archiepiſcopus Tarraconenſis, 135. b
Hilduinus Comes, 62. n.
Hippocrates docet animam ſalvam facere, Chriſtus perdere, 1378. c
Hiſpaniæ reges imperatoris titulum ſibi attribuunt, 283. o. Hiſpani in funere ut ſe gerunt, 218. d Hiſpani nigris uſi in funere, 222. d
Hiſtoria ſacra creationem, reconciliationem & reparationem continet, 1340. c Hiſtoriæ ſanctorum ad quid utiles, 657. c
Hodie vitam præſentem, cras futuram deſignat, 720. c
Homicidium in ſui defenſionem illicitum, 545. b, n. Pagani an occidendi, 546. e
Homo animal rationale, mortale, 418. c Ejus dignitas in creatione, 108. c 1245. a Inter creaturas quæ ſub cælo, Deo propinquior, 1105. a Hominis dignitatem demonſtrant & prærogativa naturæ, & potentia dominatus, 585. c Recto corpore cur creatus, 1030. c 1548. b In eo vis vitalis, ſenſibilis & rationalis, 763. c Imago & ſimilitudo Dei in homine quid, 614. b Inſigne divinæ imaginis quorſum in homine, 1557. d Homo natus, ſed non creatus ad laborem, 1164. b Ejus appetitus in ſummum bonum, 591. f & ſeq.
Hominis in gratiæ ſtatu felix conditio, 1109. c Ei cur datum eſt poſſe peccare, 612. c Homo in hoc mundo tamquam puer natus & nutritus in carcere, 1109. e Homini utilia animantia, etiam quæ videntur noxia, 1578. d Homo duplex, ex corpore & anima, 262. f
Hominum quatuor ſtatus, 1125. a Hominum quinque ſtatus ſub Deo, 1101. c 1103. b & ſeq. Triplex ſub diabolo, 1102. c Hominum quatuor genera, ex quibus unum duntaxat bonum, 1201. c Hominis quatuor ſtatus ante converſionem, 1101. c
Homo ſibi ipſi relictus tendit in nihilum, 978. b Homo in inſtanti ipſo ſuæ creationis quatuor virtutibus inſtructus, 973. d His per peccatum ſpoliatus, & quomodo, 974. a & ſeq. Suo ſine alieno impulſu cadere poteſt, alieno abſque ſuo non poteſt, 1563. b Ejus caſus ex ſuperbia, 1508. a Lapſus iſte deſcribitur, 1245. b Hominis per peccatum triſtis mutatio, 1397. b & ſeq. Homo à Deo miſericorditer punitus, 1049. d, e Angelo mitius, 1508. b
Hominis poſt lapſum miſeria, 425. c 814. a 816. c, 1041. c 1176. b, c 1400. f 1552. f Miſeria duplex, 786. c Triplex, 752. a 960. c Homo totus miſer & nihil, 1079. d Si Deum ignorat, 56. d Ejus degeneratio à nobilitate ſua in vilitatem jumentorum, 1109. a, b 1396. d Ex ignoratione ſuæ dignitatis, 585. c Homo ratione vigens, & non utens, beſtiis beſtialior, 1128. b Deo quam diſſimilis, 1556. b Sibi ipſi legem poſuit gravem nimis & onerosam, 322. f Poſt lapſum ex voluntate reſurgere non poteſt, 612. c Homines formicæ ſimiles, 277. b Homo mortalibus inhians merito mortalis, 1535. a In ortu, vita & morte beſtiis ſimilis, 1556. a Homo beſtia venationi obnoxia, 831. c Ejus hoſtes, V Hoſtis. Hominum varii affectus, 1080. f & ſeq.
Homo a Deo quanti æſtimatus, 791. c Hominis redempti à Deo dignitas, 780. a Homo quid à peccato, quid habeat à gratia, 364. b Homo tunc naſcitur, quando ad amorem pœnitentiæ & odium peccati animus excitatur, 723. f Miſeriam ſuam non agnoſcens, divinæ expers miſerationis, 1081. c Hominis lapſus & reparatio, 909. d Reformatio quomodo perficitur, 56. d Cur per Filium, 615. f & ſeq. Homo eadem die redemtus, qua creatus, 895. b Cur redemtus, non angelus, 719. a, b Quomodo in Deo, & Deus in homine, 1527. d
Homo crux Chriſti, 767. d Sit jumento ſimilis in ferendo Chriſti onere, 839. d
Homo ſolo Deo ſatiatur, 595. c Homines ſunt angeli, 947. b Quanta hominum gloria filios Dei eſſe & heredes, 1358. e Hominis beatitudo quoad corpus in quatuor, 1037. f V. Anima, Beatitudo. Homini quomodo donata omnia, 1085. f Homo quomodo trahat omnia ad ſeipſum, 1532. d Homo poſt Chriſti mortem cur non ſtatim immortalis & ſine peccato, 535. d, e
Honeſtum, animæ decor, 1563. c, d Ejus definitio, 1565. f Effectus exteriores, 1565. e
Honor ſoli Deo debitus, non excludit honorem ſanctorum, 863. c Honor epiſcopi eſt honor Eccleſiæ, 444. a Honorem & quietem metent, qui laborem & vilicatem ſeminaverunt, 970. f Honoris cupidi, & laboris inimici ſimiles diabolo, 971. b
Honores ſunt onera, 471. e 476. c Quibus obnoxii laboribus, 1176. f Eis proximum periculum, 134. c, d Aliis blandiuntur, aliis ſunt formidini, 471. e V. Dignitates.
Honorius II. Papa 52. a, b Fidus Eccleſiæ cuſtos, 57. b Ejus æquitas, 53. d 54. c Solvit interdictum in Francia, 54. f 56. b
Hortus tropologice ſenſus hiſtoricus, 1340. b Horti hiſtorici ſatio ſeu plantatio, creatio; germinatio, reconciliatio; fructus, reparatio, 1340. c
Hoſpitum ſuſceptio, 1275. b Eorum frequentia apud Claræ-vallenſes, 348. b 1447. b An omnibus pedes lavandi, 218. c Abbas cum hoſpitibus an cum fratribus reficere debeat, 218. f Menſa abbatis in domo hoſpitum improbatur in quodam abbate Ord. Ciſterc. 391. d
Hoſpitali ſub Fabernacenſi abbatiſſa deſerviunt monachi, 549. d
Hoſpitalitas commendatur, 239. b, c
Hoſtes hominis tres, diabolus, mundus, & homo, 1562. c Item caro, mundus, & diabolus, 943. a Homo ſui ipſius præcipuus hoſtis, 1562. c Hos divina virtute vincimus, 941. a Hoſtium duo genera nobis adverſa; peccatum & pœna, 1263. c Hoſtes domeſtici, perculoſiores, 305. a, b Hoſtes eccleſiæ proſtuus nolentes, 1575. b
Hubaudus archiepiſc. Lugdunenſis. V. Humbaldus.
Hugo abbas Bonæ-vallis Vienenſis, 299. a
S. Hugo abbas Cluniacenſis, 136. f Diſciplinam reſtituit in monaſterio S. Bertini, 151. n.
Hugo abbas S. Johannis in Valleia Carnotenſis, 495
Hugo abbas Pontiniacenſis, 46. c 54. a 57. a 555. a Epiſcopus dein Antiſſiodorenſis, 299. d 306. c 243. f 244. c 268. c 308. c 430. b Apud Ferrarias conſecratus, 177. n. 462. Concordia ejus cum Vuillelmo comite, 375. d & ſeq. Sanctus à Bernardo dictus, 269. c n. Irreligioſum ejus teſtamentum, ibid.
Hugo abbas Præmonſtratenſis, 47. n. S. Norberti ſucceſſor, 249. n.
Hugo abbas Trium-fontium, Bernardi intimus amicus, 268. a Ab Eugenio creatus Cardinalis, 267. n. Ejus abſentiam ægre fert Bernardus, 268. a
Hugo archidiaconus Eboracenſis, 389. c
Hugo archidiaconus Favernacenſis, 189. n.
Hugo archidiaconus Tullenſis, 171. c Ejus elogium, 175. c, f
Hugo archiepiſcopus Colonienſis, 26. n.
Hugo archiepiſcopus Lugdunenſis Ciſtercienſe inſtitutum approbat, 391. b
Hugo archiepiſc. Rotomagenſis ex abbate Radingenſi, 41. c 42. n. Ad ejus electionem petitus regis Angliæ & epiſcopi Sareſberienſis conſenſus, 42. o. Elogium ejus, 636.
Hugo archiepiſcopus Senonenſis ex abbate Pontiniacenſi, 177. n. 193. n. Alius præcentor, 460.
Hugo archiepiſc. Turonenſis, 154. n. 914.
Hugo de Beſua, 127. c, n.
Hugo Carnucenſis magiſter, 48. n.
Hugo de Caſtroceſarii preſbyter, 577. b
Hugo camerarius Cluniacenſis, 152. e
Hugo comes Campaniæ, miles Templi, 43. a 341. Monaſterii Claræ-vallenſis benefactor, 45. b Ejus abſentiam graviter fert S. Bernardus, 45. a
Hugo decanus Aurelianenſis, electus epiſcopus, trucidatus, 157. n.
Hugo decanus Eboracenſis, 389. c
Hugo decanus Meldenſis, 577. b
Hugo I. dux Burgundiæ, 137. n. 182. n. Guillelmi Aquitaniæ ducis propinquus, 137. f
Hugo epiſc. Gratianopolitanus, 135. b 108. n.
Hugo epiſcopus Oſtienſis, 276. c 278. a 282. c 286. c 288. a Epiſtola ejus ad Capitulum Ciſterc. de obitu Eugenii papæ 384. b
Hugo Farſitus abbas, 48. b, c 624.
Hugo Farſitus Canonicus regularis S. Johannis de vineis, 47. n.
Hugo Farſitus monachus Belvacenſis, 47. n.
Hugo Farſitus monachus Latuniacenſis, ibid.
Hugo de Lauſanna, 46. b Eum dehortatur S. Bernardus à tranſitu ad aliud monaſterium, ibid.
Hugo de Leugis Præpoſitus eccleſiæ Carnotenſis, 421.
Hugo Metellus canonicus regul. S. Leonis Tullenſis, 14. n. 48. n. Epiſtolæ ejuſdem, 380. c & ſeq.
Hugo de Mercono 182. n.
Hugo militiæ Templi Magiſter, 41. n.
Hugo monachus Divionenſis, abbas S. Petri Catalaunenſis, 62. c
Hugo de Paganis magiſter militiæ Templi, 341. 543. a Hugo frater Gaufridi, preſbyter, 262.
Hugo de Tilio miles, 577. c
Hugo de Tociaco, preſbyter, 577. b Hugo à S. Victore, 201. a Duo ejuſdem nominis, 616.
Humanitas Dei fidem inſtruit, ſpem roborat, accendit caritatem, 796. f
Humbaldus archiepiſcopus Lugdunenſis & Legatus, 39. b Alius Hubaudus, 62. n.
Humbaudus piſtor, 577. c
Humbannus Tortus miles, 377. c
Humbertus abbas Igniacenſis, 252. n. 1065. o. Elogium ejus, 1066. c & ſeq. Obitus, 146. n. 1069. n.
Humbertus archiepiſc. Biſuntinus, 248. n.
Humbertus II. comes Maurianenſis, 309. n.
Humbertus de S. Germano, miles, 577. c
Humbertus monachus Claræ-vallenſis, 1065. n.
Humbertus præpoſitus, 326. c
Humbertus ob duellum excæcatus, 51. d Ex divite pauper, 50. c Injuſte damnatus, 47. c Pro eo Bernardus ſcribit, 47. 48. 49.

Humiliatio

HUMILIATIO à Deo ſignum gratiæ propinquantis, 1193. f Eſt via ad humilitatem, 95. c Humiliatio & humilitas quid differant, 1394. c Multi humiliati, ſed pauci humiles, 1125. e Humiliatio veritatis, quæ, 1125. d Ea teſtimonio conſcientiæ, 428. c Nihil facilius volenti, quam humiliare ſeipſum, 817. c Id fit adhærendo humilianti ſe veritati, 1128. a Seu humiliationi ſubjiciendo ſuam voluntatem, 1128. a Humilis vere eſt, qui humiliationem convertit in humilitatem, 1394. d Humiliationis & exaltationis mira connexio, 1125. a Humiliantur alii cum rancore, alii patienter, alii libenter, 1394. c

Humiles exaltandi, ſuperbi humiliandi, 134. d Humiles viſitat Dominus, præterit ſuperbos, 1453. b Humilibus ſolis datur frui Verbo, 1566. c, f Humiliatio ab homine ut accipienda, 1394. a Humilibus neſciens diabolus fabricat coronas, 1319. c Humilibus quid in ſe conſiderandum, quid in aliis, 1259. d, e

Humiles ſingularia Dei beneficia celare ſtudent, 1461. b Humilis verus vilis vult reputari, non humilis prædicari, 1313. f Et oculos campi, & aures ſilvarum ſuſpectas habet, 469. c Ama neſciri; laudes te os alienum, non tuum, 782. c Hæc eſt magna virtus & ſumma ſecuritas, quando & pie vivis, & tamen plus attendis quæ deſunt tibi, quam quæ obtinuiſſe videris, 834. d In alto non altum ſentire, ſed humilibus conſentire, nihil Deo carius, nihil apud homines rarius, 129. b Humilis ſecurus aſcendere poteſt, quia non habet unde cadat; contra ſuperbus, 452. b Humiliter ſentire de ſe oportet nitentem ad altiora, 1393. c Contra vanam gloriam ſe præmuniat humilis, 468. a

HUMILITAS deſignata per auroram, 1218. Per nardum, 1005. c 1413. f Per hyſſopum, 1483. a Ejus ſymbolum columba, 1424. a Pulcra ejus idea, 1403. d Ejuſdem ſumma, 1138. a Humilitas eſt contemtus propriæ excellentiæ, 468. c Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit, 560. a Ejus excellentia, 375. b Commendatio, 147. c, 1567. b 961. e, f Humilitas virtutum ſtabile fundamentum, 458. d Cuſtoſque, 776. b Aliarum virtutum propugnaculum, 468. b Alias virtutes accipit, acceptas ſervat, ſervatas conſummat, 468. a, b Inſipiens eſt qui in aliis meritis, quam in ſola humilitate confidit, 1137. c Juſtitiæ virtus ſpecialiter in ea conſiſtit, 820. c Humilitas juſtitiæ conſummatio, 1394. b Securior à ruina, 968. b & ſeq. Via ad veritatem, 559. c & ſeq. Via ſola ad ſublimitatem, 984. a Via ad Deum, 817. a Humilitas Deo quam grata, 1417. c Humilitati familiarius appropinquare ſolet divinitas, 478. d Magna humilitatis virtus, cui deitatis majeſtas tam facile ſe inclinat, 1418. b Humilium gloria Deus, 455. c

Humilitate nihil efficacius ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, 1454. b Humilitate quid ditius, quid pretioſius, qua regnum cælorum emitur, & divina gratia acquiritur, 767. b Bona via humilitatis, qua veritas inquiritur, caritas acquiritur, generationes ſapientiæ participantur, 561. c Humilitas gratiæ nos reddit, 981. a Divinæ gratiæ ſolet eſſe familiaris, 755. d Converſio noſtra ad Deum per humilitatem, 817. a Humilitas gratiam invenit in judicio coram Deo, 471. c Eſt propria virtus divinæ exhibenda majeſtati, 784. a

Humilitatis neceſſitas, 945. f 1125. c 1403. d Eſt ſcutum vanæ gloriæ opponendum, 837. a Nec puſillanimes facit, uti nec magnanimitas arrogantes, 1011. f

Humilitas innocentiæ conjuncta, duplex animæ decor, 1423. a Humilitatis & virginitatis pulcra connexio, 734. f Virginitas laudabilis ſed magis neceſſaria humilitas, 734. f 1182. b Illa ſupplenda per humilitatem, 736. a Ut caſtitas & caritas dedit, humilitas meretur, 468. a Humilitas & manſuetudo cognatæ virtutes, 1011. b, c Sola virtus humilitatis eſt læſæ reparatio caritatis, 781. c Humiles tantum martyrio idonei, 1431. a Humilitas ſi non habet unde pœniteat, habet ut pœniteat, 1423. c Quod minus habet imperfectio converſationis, ſuppleat humilitas confeſſionis, 759. b Humilitatis plenitudo, in quo, 1159. b

Humilitas Prælatis magis neceſſaria, 471. c Humilitatis in prælatis & magnatibus commendatio, 428. a Epiſcopis commendatur, 473. c Humiles prælati pauci, 1342. a Humilitas in peccatore amabilis, ſed non admirabilis, 1431. a

Humilitas duplex, cognitionis, & affectionis 787. c 1415. f & ſeq. Humilitas cognitionis ſola imperfecta, 1417. b Humilitas triplex, ſufficiens, abundans, & ſuperabundans, 804. e, f 1243. f In ore, in corde, in actu, 135. a Duodecim gradus humilitatis, 359. & ſeq. Duo primi gradus in ſæculo debent aſcendi, 378. c Humilitas cordis ſola parit ſui diffidentiam, & in Deo fiduciam, 771. a

Humilitas etiam in pares & inferiores exercenda, 1417. a Rara avis in terris, aut ſanctitatem non perdere, aut humilitatem ſanctimonia non excludi, 1425. d Item humilitas cum ſublimitate, 554. b Seu humilitas honorata, 753. d In alto poſito non altum ſapere quanto inuſitatius, tanto glorioſius, 474. a Recta facere, & inutilem ſe reputare, apud paucos invenitur, 147. c Magna & rara virtus, manifeſtam omnibus tuam, te ſolum latere ſanctitatem, 1303. a

Humilitatis præmio quis dignus, 1394. c Humilitas exaltanda quæ, 1394. f Quæ præter veritatem non laudabilis, 192. c Humilitas ambientium ſubdola, 439. c 378. b Humilitas falſa inducens ſuperbiam, 91. c

Humilitatis motiva, 1402. f Omne humile inter palatinos probro ducitur: ut facilius qui eſſe, quam qui apparere velit humilis, invenias, 437. c Chriſti exemplum ad hoc longe efficax, 735. f 776. c, d 789. a 798. f 799. c, d 805. a 885. d 920. a Humilitatis duo pedes, conſideratio divinæ potentiæ, & propriæ infirmitatis, 352. c Humilitas vera non tam à veritate, quam à caritate naſcitur, 1426. d Humilitas proficientium alitur ſenſu & experientia imperfectionum, 1135. e, f Humilitatis cauſa cognitio ſui, 1400. e 1401. f Humilitas ex conſideratione perfectionis & virtutis aliorum nutrienda 1259. b Humilitas, quantumvis profunda, non nocet; elatio, vel minima, noxia eſt, 1403. e, f

Humilitatis & arrogantiæ effectus, 91. d Humilitatis ſubverſio eſt, de humilitate laudem appetere, 1315. f Qui quaſi ex humilitate gratiam Dei in ſe nolunt ſcire, duplex incurrunt periculum, 334. c Humilitas in divitiis periclitatur, 493. f Humilitatis epulæ, panis doloris, vinum compunctionis, 561. a

Humilitas virtus Chriſti, 799. b V. Chriſtus.

Humilitas Mariæ commendatur, 735. b V. Maria. Humilitatem fratribus inculcare ſolet S. Bernardus, 768. a

Hydriæ in Cana vino impletæ tropologice explicatæ, 806. d 809. f 1187. f 1453. b 1487. f & ſeq.

Hypocriſis ea ambitione deſcendit, 1392. a Eſt virus Adami filiis hereditarium, 1334. e

Hypocrita non poteſt gloriari conſcientiæ teſtimonio, 469. e Hypocritæ Religioſæ deſcriptio, 123. e Hypocritæ arboribus fructum non ſuum ferentibus comparati, 968. e Arguuntur, 815. f & ſeq.

Hyſſopus herba humilis pectoris purgativa, 1071. d Humilitatem ſignificans, 1483. a

I.

JACINCTUS Bobo cardinalis, 183. a. Iacob myſtice quis, 750. a

Jacobus Ieroſolymorum epiſcopus ut Chriſti fratris ſui defuncti ſemen ſuſcitaret, 422. c

Jactantia lepra, 903. d Quartus ſuperbiæ gradus, 376. a Ejus proprietates & indicia, 376. b

Januenſis civitatis elogium, 139. a Januenſium erga Bernardum affectus, illiuſque audiendi aviditas, 139. a

Ibracenſe monaſterium Hiberniæ, 667. a

Ida comitiſſa Nivernenſis, 517. c

IDRAINS novitius dyſcolus, 503. d

Idiomatum communicatio in Chriſto, 414. a

Idiotiſmi diverſi in Galliarum provinciis, 707.

JEJUNIUM, à Chriſtianis exigitur exemplo Chriſti, 814. d, e Ejus utilitas, 1188. b Eſt refectio cordis, 816. e Medetur vulneribus, exaſperatas conſcientias lenit, ibid. Orationi devotionem & fiduciam donat, 820. f Impinguat, 816. d Duæ ejus alæ, oratio & juſtitia, 822. a Item pax & ſanctimonia, ibid. b

Jejunii fructus & modus, 820. c Jejunium ſingulis membris indicendum, 820. c Jejunandum à vitiis, 818. b Jejunii & orationis copula, 820. f Jejunii tempore lacrymis anima reficienda, 818. b Jejunia majoribus ſanctorum feſtis cur præmiſſa, 1058. c Jejunium in vigilia S. Andreæ, 1059. a Jejunium ſabbati Romæ obſervatum, non Mediolani, 35. e Jejunium quadrageſimale, V. Quadrageſima.

Jejunia regularia uſque ad Nonam, 819. c In authenticis feſtis remiſſa apud omnes pene religioſos, 218. b Octo diebus Natalis Domini, Epiphaniæ, & Purificatione improbata, 218. b

Jejunii & abſtinentiæ variæ exempla, 391. b Jejunium electioni epiſcopi præmittendum, 193. d

Jejuniis dæmon inſidiatur, 819. d Jejunantium duplex vitium, vana gloria & impatientia, 816. d 1833. f Jejunium propriæ voluntatis Deo ingratum, 1518. c

JEREMIÆ ſanctificatio in utero, 169. f & ſeq.

Jeruſalem viſio pacis, 758. a 802. a Elogium ejus, 349. d & ſeq. Terra ſancta 351. e, f 352. a Quanta ei reverentia debeatur, 351. f Eſt locus Paſſionis Chriſti à Prophetis prædictus, 634. c Jeruſalem duplex, 749. d

JESU nomen ſuper omne nomen, 791. c Chriſto per excellentiam competit, 747. e 789. b 1312. a & ſeq. Nomen amabile & conſolatorium, 797. a & ſeq. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, lenit invocatum 1311. a Eſt ſalus, unctio, & gloria, 756. a Animæ medicina, 1311. c & ſeq. Mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, 1311. c Vita cordium, 1311. b Olei proprietates nomini Jeſu aptatæ, 1310. f Jeſus longe à patria & parentibus quærendus, 364. c V. Chriſtus.

Jeſu baculus, 669. a

IGMARUS ex monacho Cluniacenſi S. Martini a Campis, Prior Caritatis, dein abbas monaſterii novi apud Pictavos, ac tandem Cardinalis Tuſculanus epiſcopus, 191. n. 202. b 235. c 238. n.

IGNATII martyris reliquiæ apud Claramvallem, 839. f Epiſtolæ ejus ad quamdam Mariam, 839. f n.

IGNAVIA religioſorum imperfectorum notatur, 1057. a & ſeq. V. Pigritia, Tepiditas.

Igniacenſe monaſterium Ord. Ciſt., 151. n.

Ignis Dei duplex, 1461. f

Ignis qui Deus eſt, ſic exercet vim ignis in vitia, ut in anima vicem exhibeat unctionis, 1461. a Ignis benedictus, ignis malignus, quis, 961. d, e

Ignis novi benedictio in feſto Purificationis, 961. b

IGNORANTIA nox, 1568. d Quam damnoſa, 1397. c & ſeq. Reddit hominem beſtiis inferiorem, 1397. e Hæc cavenda, ſed magis arrogantia, 385. f Ignorantiæ duæ filiæ, falſitas & dubietas, 1318. c

Ignorantiæ peccata aliqua eſſe, 632. f & ſeq. Non omnis tamen damnabilis, 1399. a Triplex culpabilis, 626. d Ignorantia baptiſmi excuſabilis ante prædicationem, 626. e Ignorantia affectata non excuſat, 567. a Ignorantia duplex, Dei & ſui; utraque damnabilis, 1398. c, f Quam fugienda, 1403. b Ignorantia ſui ſuperbiam; Dei deſperationem parit, 1403. e Ignorantes Deum nihil eſt, 36. d Ignorare Deum non poſſunt religioſi, 784. d Converſio-

m

nem nolle, Deum eſt ignorare, 1402. e
Ignorare prioriem de moribus Scripturæ doctrinam pæne hæreticum, 293. c
Illapſus in animam, 1582. b Soli Deo competit, 1179. a
Illuſionis nocturnæ cauſa an veſtes lavandæ, 582. b Eam paſſus diaconus miniſtrare non debet, 686. a
Illuſtris nomen epiſcopo tributum, 99. a
Illuſtriſſimi titulus Regibus, 144. e
Imago & ſimilitudo Dei in homine quid, 614. b Remanet in damnatis, 974. b Imaginis & animæ diſcrimen, 1546. f Imaginis ſeu Verbi magnitudinem & rectitudinem ſuo modo refert anima, 1546. c
Imarus S. Malachiæ magiſter, 661. a 662. e 665. a, c
Imbres boni & temporanei, plantis ſpiritualibus utiles, 1466. a Imbres noxii plantis ſpiritualibus, 1465. f 1466. b, c
Imitanda quædam in ſanctis, quædam miranda, 963. f 1053. b Imitandi ſancti in moribus, non in miraculis, 964. b
Imitatio Chriſti neceſſaria, 723. c 889. a Hanc etiam ſanctis debemus, 1116. a
Immortalis anima ſpiritaliter poteſt mori, 1550. e, f V. Anima.
Immortalitas animæ & fides reſurrectionis, 846. a, b Immortalitas vera quæ, 1558. a Immortalitas hominis qualis poſt peccatum, 1354. f
Immutabilitas Dei, 1380. a V. Deus. Hanc denotat ſtatio Seraphim, 948. c
Imperitenia animæ perditio eſt, 1089 a
Imperatoris officium eſt eccleſiam defendere, 143. b Ei ſublimitatis titulus tributus, 324. a
Imperfectio converſationis quod minus habet, ſuppleat humilitas confeſſionis, 759. b Cum imperfectis ut ſe gerendum, 87. a Humilitas proficientium alitur ſenſu & experientia imperfectionum, 1135. e. f
Imperio nec libertas eccleſiæ, nec eccleſiæ nocet imperii proſperitas, 142. c
Impietas quid, 1187. e
Impiis etiam deſideratus pietatis fructus, 840. d Eorum circuitus in tres ætatas, 591. c
Impœnitentia ſola damnabilis, 588. d
Impoſitio pſalmorum & antiphonarum monacho indiſciplinato prohibita, 378. c
Impunitas quot malorum mater, 434 e Auſum parit, 444. a
Incarnatio Verbi, oſculum oris Dei, 1271. b Prima de Incarnatione promiſſio Abrahæ facta, 1035. f Trinitatis operatio in Incarnatione, 1190. b Incarnationis ſumma, 977. a Oeconomia, 974. & ſeq. Et cauſa, 750. a Ejuſdem paradoxa, 759. d In Incarnatione tres mixturæ ſeu uniones admirabiles, 763. d In Incarnatione unio Verbi & hominis expenditur & commendatur, 763. f & ſeq In hoc myſterio novum, antiquum, æternum, 454. d
Incarnationem quænam virtutes promoverint, 375. b In eo triplex divinæ potentiæ effectus, 454. e 780. d Etſi in eo non tam potentiam, & ſapientiam manifeſtavit Deus, quam benignitatem, 1146. b, e & miſericordiam, 776. c In Incarnatione tria conſideranda, 656. f 1435 a
Incarnationis finis præcipuus, 1328. d Cur Deus viſibilis apparere voluerit, 1580. c & ſeq Deus incomprehenſibilis per Incarnationem voluit comprehendi, 1016. e Filius cur potius incarnatus quam Pater & Spiritus-ſanctus, 717. d & ſeq. 977. d Incarnati Verbi odore & ſuavitate tracta demum eccleſia, 1335. d
Incarnationis myſterium inſcrutabile, 977. b Dæmoni occultum, 748 a 888 c Angelis quomodo ignotum, 634. a Ejus modus etiam Gabrieli archangelo ignotus, 635. a Incarnationis myſteria omnia antiquis Patribus omnibus nota non fuiſſe, 630. d & ſeq.
Incarnationis & Paſſionis Chriſti meditatio incentivum dulcis amoris, 1145. e & ſeq. Patrum deſideria ad Chriſti Incarnationem noſtrum arguunt torporem, 1370. c & ſeq.
Incluſi leges & conditiones, 360. c
Inconſtantia vitanda, 939. b, c
Incontinentes clerici notantur, 495. b
Incorrigibiles monachi & Sanctimoniales an ejiciendi, an incarcerandi, 105. e Non reſcindendi, non ejiciendi, 105. f
Increpationes æquo animo ferendæ, 911. b 991. c Earum utilitas, 1461. d Eis efficacior gratia, 1390. a Increpationibus tenerius ſibi fratres aſtringit S. Bernardus, 1373. f V. Correptio, Indignatio, Ira.
Indulgentia Dei erga peccatores in tribus, 942. a, b
Indulgentiæ pro cruce ſignatis, 318. a 375 e
Indutiæ ad Dei beneficia notantur, 932. e f V. Cor durum.
Ineptiæ dictæ graves hæreſes, 309. a, n.
Infantes quomodo cohæreant Chriſto per fidem, 1143. b Infantium ſine baptiſmo decedentium qualis pœna, 1508. c e. V. Baptiſmus
Infernus, lacus & mors quibus competant, 10 93. e Inferni deſcriptio, 1177. f & ſeq. Verbum aſperum, 832. b Ejus timor, 1313. a, b Conſideratio laborem omnem emollit, 858. e In inferno locus quietis & refrigerii ad requiem ſanctorum ante Chriſti adventum, 108. d 109. 1104. e, e 1035. e Eo deſcendens Chriſtus quid egerit, 1036. a In inferis exſulat libertas utraque conſilii & complaciti, 615. a & ſeq.
Infidelis Deum diligere debet, 585. b 586. c Non diligens eſt inexcuſabilis, 586. d
Infidelitas cum caritate eſſe non poteſt, 467. e
Infirmi majoris meriti materia, 75. e Infirmi apud Cluniacenſes baculum deferebant, 536. e Infirmis de communi Regulæ rigore aliquid relaxandum, 1138. f Eis in refectorio præter communes cibos aliquid procuratum, 1068. b e.
Infirmitas humana lectulus, 1568. c Infirmitas carnis ſpiritui vires ſubminiſtrat, & contra, 1374. a Infirmitati alienæ compatiendum, 1158. d, e Infirmitas proſſus utilis, quæ medici manum requirit, 483. c
Inſulæ quid, 407. e.
Ingorannus pater Eliæ monachi Claravallenſis, 119. a
Ingrati Deo prælati admonentur, 862. c Ingratis miſericordiam negare, miſericordiæ res eſt, 1141. d Ingratus beneficio redemtionis non dormit, ſed mortuus eſt, 867. c
Ingratitudo, grave peccatum, 940. Ingratitudo erga Dei beneficia, vitanda, 334. e f Maxime Deum quærenti, 1559 f Et religioſis, 1141. f Claudit manum benefactoris, 1142. b Perverſi cordis eſt occaſiones ingratitudinis veſtigare, 867. d Ingratitudinis vitium diſſipare debet modus redemtionis noſtræ, 1247. a Quanta confuſio Dei Filium ingratis oculis cernere morientem, 114.
Inimicus quomodo aut quare diligendus, 1440. e d V. Amor, Caritas.
Injuriæ quomodo vincendæ, 45. f In acceptis injuriis ut ſe gerendum, 1371. c Injuria proximi nulla levis, 1372. f 1373. c Injuria ſervorum ut ulciſcenda, 84. c
Injuſtam voluntatem duo comprobant, vel cum peccare, vel cum impune peccaſſe libet, 683. c
Inobedientia primorum parentum unde tam culpabilis 512. d Eſt cauſa mortis, 1089. a Inobedientiæ indicium, 794. c
Innocentes in fide Eccleſiæ martyrii coronam perceperunt, 1498. a Veros eſſe martyres, 787. c Idque apud Deum, 788. a Eorum feſtivitas, 103. f
Innocentia & humilitas, duplex animæ decor, 1423 a Innocentia portio eſt juſtitiæ, 1394. c Innocentiam ſervare facilius, quam congruam agere pœnitentiam, 1129 e
Innocentius Papa II. 158. c 159. c 164. e 165. a 166. c 168 a, c 172. d 174. c 178. b 182. a 184. b 186. c 189. d 190. c 197. b, c 198. d 199. a, c 200. a, d 229. c 230. a 294 c 296. c, d 300. a 304. c 308. c 311. c 312. a 314. c 316. d 317. b d 318. c, c 319 a, c 643. c 674. a 687. c Ejus electio & promotione purior, & ratione probabilior, & tempore prior, 137 a Item innocens vita, fama integra, electio canonica, 138. b Hunc confirmant electio meliorum, approbatio plurium, & atteſtatio morum, 130. c 131. a Ejus vita & fama æmulum non timet, 137. a Virilis ejus animus, 128. a Ejus fuga eum probat virum apoſtolicum, 129. f Poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum, ibid. e Oppreſſorum ſolatium, præſumtorum vindex, 132. c Ab univerſo orbe ſuſcipitur, 130. a 132. a 135. b & ſeq. A Regibus agnoſcitur ſingularis epiſcopus animarum ſuarum, 130 b 136 b Reges ei adhærentes, 130 b 132 a 136. b Agnoſcitur ab Henrico Anglorum rege, 145. a, e Suppetias ab eo petit Bernardus pro Innocentio, 144. e Quomodo a Cluniacenſibus exceptus Innocentius, 135 n. Eccleſiam Cluniacenſem conſecrat, ibid Inveſtituras negat imperatori Lothario, 154. a, e Veillelmo Eboracenſi intruſo reſiſtit, 157. a Ludovicum Juniorem iningit, 256. n. Alia ejuſdem Pontificis præclara facta, 154. a Privilegium S. Bernardo conceſſum, 319. e Bernardi abbatis Itali querela ad eum, 324. a & ſeq.
Innovatio V. Renovatio.
Inobedientia V. Obedientia.
Inquietos ſæpe compeſcit vitæ diſtrictio, 872. c
Inſipiens quis, 1000 f Nullum genus inſipientiæ infidelitate inſipientius, 416 f
Inſpirationes divinæ quam ſollicite obſervandæ, 1130. d V. Gratia.
Intellectus oculi nomine deſignatus, 1421. e Intellectus & affectus noſter purgandus, 935. a Rati, quibus utrumque competat, 936. a, b
Intellectus noſter in viſione beata totus in Deum fertur ſine diſcurſu, 416 f Intellectus eſt rei cujuſcumque inviſibilis certa & manifeſta notitia, 447. b
Intentio mentis eſt facies animæ, 1409. d Color operis, 1314. a Diſcernit culpas & meritum, 70 f 621. c Valet etiam in opere non bono, 516. d Intentionis puritas, 763. d Duo requirit, rem & cauſam, 1409. f Intentio recta & vitioſa exemplo declarata, 1410. a Intendere in Deum non propter Deum, hypocriſis eſt, ibid e Propter Deum dicere nihil juvat, niſi ex pura mentis intentione, 850. e, f
Intentio mutua ſponſi & ſponſæ, 1505. c
Intercellio ſanctorum, 1069. c 1134. f 1135. a 1157 f 1160. a V. Sancti.
Interdictum in terram Regis pro infeſtatione epiſcoporum, 54. n. e, e Hoc ſolvit Honorius II. 54. f 56. b
Intertulas non gerunt Ciſtercienſes, 6. n.
Inveſtitura gratiæ, 890. e Inveſtitura regalium, 154. b n. Inveſtituræ diverſæ, 890. f Inveſtituras eccleſiarum repoſcenti Lothario imperatori obſtitit Innocentius II. 854. a, n.
Invidia, oculus venenatus, 865. e Baſiliſco ſimilis, 865. c Mors animæ, 85 a Calix dæmoniorum, 12. e Invidiæ obnoxii juſti, 291 b Invidiam ne quidem miſeria declinare poteſt, 55. b
Invidere nihil niſi malum videre eſt, 865. c Rara virtus de aliena virtute gaudere, & non invidere, 1457. c Invidi tormentum gloria aliena, 914 c
Invitus nemo bene facit, 159. c
Invocatio Sanctorum, V. Interceſſio.
Inutilitas ſola ad damnationem ſufficit, 109. a
Jobi pietas, 1298. b
Jocandi quis modus etiam inter pios, 411. f V. Riſus, Scurrilitas.
Jocerannus epiſcopus Lingonenſis, 62. n.
Johannes Bapt. lucerna ardens & lucens, 947. d Fervor in eo triplex, 984. d Johannes Baptiſta vere ardens fuit, 984. b Chriſti non uſurpavit gloriam, 947. c, f Ejus feſtivitas, 103. Nativitas etiam apud infideles ſollemnis, 985. b Cur celebrior morte, 103. d 992. a
Johannis Bapt. prærogativæ, 984. a Sanctificatio in utero, 169. f & ſeq. Zelus in corripiendis impiis, 986. a Devotio erga Dominum, 986 c Ejus pœnitentia nos ad eam excitare debet, 985 c Johanni Baptiſtæ Chriſtus mortem ſuam ſignificavit, 104. a Abuſus in celebrando natali S. Johannis Baptiſtæ, 984. f
S. Johannis Bapt. Laudunenſe monialium monaſterium, 385 n. Agente Bernardo

ad monachos tranſit, 55. c 56. a.
S. Johannes Evang. Martyr apud angelos, 788 a
Johannes abbas S. Bertini, 155. n.
Johannes abbas de Buſaio, 857. c
Johannes abbas Caſæ-Mariæ monaſterium ſuum Ciſtercienſibus adunat, 344. n. S. Bernardum de infelici ſucceſſu ſacræ expeditionis conſolatur, 344. c & ſeq. Divinis revelationibus illuſtratur, 344 c
Johannes archidiaconus Aurelianenſis intruſus, 159. n
Johannes archiepiſc. Hiſpalenſis, 624.
Johannes canonicus reg. S. Stephani Divionenſis, 229. a, n.
Johannes Cornubienſis, ibid. n.
Johannes Cremenſis card. 161. b n.
Johannes decanus Aurelianenſis, 160. n. Ejus cædes, ibid.
Johannes auctor necis Archembaldi ſubdiaconi Aurelianenſis, 160. d n.
Johannes epiſc. Aletenſis, 285. n.
Johannes epiſc. Aurelianenſis, 157. n
Johannes epiſc. Roffenſis, 194. n.
Johannes epiſc. Sagienſis, 246. n.
Johannes Saleſberienſis, epiſc. Carnutenſis, 325 b c n.
Johannes epiſc. Valentinus, 647. n.
Johannes Papiro, legatus in Hiberniam, 279 n Ejus elogium, 679 c
Johannes presbyter cardinalis, 540. b
Johannes Zirita ſeu Citita abbas in Hiſpania, 372. a, b
Jonathæ ſalus dubia, 1519. a
Joannus abbas S. Nicaſii Remenſis, 45. c Bernardo familiaris, 46. d
Jordanis, id eſt deſcenſus, 903. a Jordane nihil eminentius in fluminibus, 551 f
Jordanis de Urſinis legati ſcelera, 679. a, b
Joseph augmentum ſignificat, 742. d Joſeph patriarchæ lacrymæ, 1298. d Præſcius fuit exaltationis ſuæ, non humiliationis, 374. c
Joseph vir B. Virg. cur voluerit relinquere Mariam, 741. c & ſeq. An dubitaverit de ejus integritate, 742. b Ejus elogium, ibid. Ab Angelo confortatus, 753. f David filius, 742 f Pietas ejus, 1298. d Joſeph integritatis Mariæ teſtis & cuſtos, 764 c S. Joſephi cum Joſepho filio Jacob comparatio & elogia, 742. d & ſeq.
Joslenus epiſcopus Sueſſionenſis, 82. n. 205. c 207. c 262 n. 313. b, c 209 d 210. e Cognomento Rufus, 205 n.
Iporia civitas Italiæ, 673. f
Ira facit ut propriæ ſalutis non advertatur periculum, 856. c Ira excæcat hominem, 424. c Ira bona & mala quæ, 70 c Ira affectio naturalis hominum eſt, ſed abutentibus bono naturæ gravis perditio eſt, 866. a Ira accumulata fit furor, 1508. c Ira ut uſus ſit S. Malachias, 1047. c Iraſcendum ſolis peccatis, 866. c Si peccato iraſceris, non peccas; ſed quod peccaveras exterminas, 1414. f
Iræ Dei & furoris diſcrimen, 1508. b Graviſſima ira Dei, cum ſinit impune peccare, 1415. a & ſeq.
Iracundia draconi comparata, 866. a
Isaiæ Prophetia in Adventu lecta ad nocturnas vigilias, 718. c
Ismael idem ac Videns Deum, 1048. c
Israelitæ cauſa famis in Ægyptum profecti, quid tropologice, 1198. d Iſraelitarum captivitas ſub Pharaone typus captivitatis noſtræ ſub diabolo, 1152. b
Isarius abbas Saviniacenſis, 568. n.
Jucundum quid & quotuplex, 1303. d
Juda, id eſt confeſſio, 757. c Seu laudans, vel confitens, 1284 b
Judæi per univerſum orbem diſperſi, ut Chriſti paſſionis ſint teſtes, 328 b Oleum habent in codicibus, ſed non in cordibus, 1308. c Non ſunt è medio tollendi, 328 b 330. c Solo Chriſti odore contenti, nos odore ipſo ad guſtum allecti, 330. d Unde in tantum prolapſi, 1475. f Eorum ruditas, 1475. b Durities, 818. c Stupiditas, 1475. c Conſummata malitia in Chriſti morte, 1478. d Judæorum ſervitute nulla gravior aut turpior, 410 b Judæis juſtitia, gentibus miſericordia obtigit, 1306. a

Judicis conditiones, 804. d Judex etiam in apertam culpam tremens ſe vindicem exhibeat, 49 f Judices datos declinare an liceat, 246. c Appellare ab electis judicibus non licet, 183. c
Judiciaria poteſtas non tam epiſcopis competit, quam principibus, 411. c & ſeq.
Judicia præcipitata non decent epiſcopum, 353. b Judicare de dogmatibus ad epiſcopos pertinet, 181. b Ad judicia non admittendi amici, 561. c
Judicia tria; hominum, proprium, & divinum, 159. a Judicare nos quomodo debeamus, 1450. d Non uſurpandum de ſe ipſo judicium, quod Deo ſoli reſervatur, 471. b Judicium de proximo vitandum privatis, non prælatis, 1455. c Qui ex hominum judicio pendent, ſunt inſtabiles, 983. f Judicium corrumpunt amor & odium, 561. c Pertinaces in proprio judicio præſtringuntur, 904. c & ſeq. Judicii proprii ſequaces præſtringuntur, 1191. b
Judicii timore temperanda conſideratio miſericordiæ, 531. b Judicium Dei, non hominum Paulus æſtimat, 1154. c Judicium Dei quam terribile futurum 849. f Maxime timendum, 872. b Præſertim peccatoribus, 1026. c Judicis ſupremi oculi quam timendi, 1456. c
Judicium extremum, 4. b 81. a Quomodo illud ſecuri exſpectare poſſimus, 727. b Proprio judicio præveniendum, 840. a Judicii & gehennæ timor, 1315. a, b In judicio quantus pudor maneat negligentes, 1145. a Judicium futurum non ſine miſericordia erit, 819. c In judicio merita, non ſigna quærentur, 915. d, e In judicio non exhibebitur divinitas, ſed humanitas, 1184. e Deus judicandi poteſtatem dedit Filio ut homini, & quare, 1154. f Judicium Chriſti quam timendum, 1456. b Judicii diem Chriſtus ignoravit ſcientia experimentali, 563. d Judicii extremi ſcientia eſt paucorum, 782. a Nobis eſt neceſſaria, 763. f Tres illius gradus, dolor de peccatis, correctio, & ſollicitudo, 763. b, c In primo gradu accenditur, in ſecundo ardet, in tertio lucet, 762. c
Judicium ſeu probatio aquæ, 1446. a, n.
Iveta mater Eliæ monachi Claræ-vallenſis, 159. a
Ivata ſanctimonialis, 1. 8 n.
Jugum Chriſti ſuave, 1087. b 1339. b Quibus, 369. b Nempe amantibus, 511. c 1418 c, d Levat, non gravat, 1343. c Importabile niſi Chriſti ſpiritu, 509 f Jugum caritatis ſuave, 10. c, f Jugi & oneris commutatio, 870. d
Julianus Auguſtus, 1014. e
Jumento fit homo ſimilis in ferendo Chriſti onere, 839. d Jumentis comparantur duri & indevoti religioſi, 881. c
Ivo cardinalis, 185. c, n. Legatus, 201. a Ivonis cardinalis teſtamentum, ibid. c
Ivo canonicus S. Victoris, cardinalis, 150. d, n.
Ivo Henrici Murdach diſcipulus, 109. n. 110. c
Ivo frater VVillelmi Claræ-vallenſis monachi, 107. n.
Ivo Thomæ Beverlacenſis Præpoſiti familiaris, 365. b
Juramenta illicita non eſſe tenenda, 813. a Hæreticorum error de juramento & perjurio, 1491. d Francorum abuſus in juramentis, 203. a
Jurgia qui ſeminat, diaboli vices gerit, 159. c
Juſtificatio præparatio ad futuram gloriam, 114. f Reſurrectioni Chriſti tribuitur, 972. c Juſtificati cupientes à tribus abſtinere, & tribus inſiſtere debent, 1227. b Prædeſtinatio, præparatio ad juſtificationem, 154. a
Justitia, lilium, 1512. a, c Virtus generalis cui ceteræ ſubſerviunt, 1199. d Animæ vita, 114. d Naturalis animæ cibus, 593. b Panis, 757. d Melior quam pecunia, 40 c Ejus ſemina, lacrymæ, 1405 b Juſtitia virtus eſt quod ſuum eſt unicuique tribuens, 714. f 821. a 1124. a Quid debeat ſuperiori, quid inferiori, quid æquali, 715. a Deo, prælatis, & fratribus reddenda, 821. a Juſtitiam Deo, pacem proximo debemus, 1124. a
Juſtitiæ zelus commendatur, 900. d Aliud eſt tenere, aliud diligere juſtitiam, 459. c Juſtitiam clauſtrales accipiunt ultra deſiderium, 1027. c
Juſtitiæ duo neceſſaria, 1122. c Conſiſtit in duobus, 1187. d Duæ ejus partes, non peccare, & peccatum per pœnitentiam damnare, 974. c Juſtitia duplex, lata & ſtricta, 844. c Ordinata quæ, 1199. d Juſtitia præcipue in humilitate conſiſtit, 870. c Ejus perfectio in quo, 413. c 1184 1431 b Abſoluta ejus perfectio tantum in patria, 611. c Nihil præter juſtitiam beatificare animam poteſt, 1017. d Juſtitiæ laus & fructus, 805. a, b Juſtitiæ cum aliis virtutibus connexio, 413. d Juſtitia temperantiæ neceſſaria, 413 c
Juſtitiæ periculum triplex, 99. b Juſtitiæ noſtræ judicandæ, 1456. c Omnis juſtitia tepida, omnis tranſitoria, omnis vendita erit in oblivione coram Deo, 995 b
Juſtitiæ divinæ, humanæ, & angelicæ diſferentia, 955 b Juſtitia hominis, indulgentia Dei eſt, 1140 f Juſtitia Chriſti noſtra eſt, 655. b Juſtitia Judæis, miſericordia gentibus obtigit, 1306 a Ex miſericordiæ præſentis magnitudine colligenda eſt ſeveritas futuræ juſtitiæ, 797. c Dei bonitas mixta cum juſtitia, 575. b
Justus quis, 1138. d Is quo modo vincat, 1481. c Juſtus non eſt niſi qui amanti ſe Deo vicem rependit amoris, 514. d Juſtorum gloria & divitiæ, 295. b Juſto quomodo non ſit lex poſita, 38. a, b 609. b Juſtus duo per juſtitiam habet: agere, & pati quod debet, 1125. c Juſti invidiæ obnoxii, 291. b Juſtorum tres gradus, 1126. c Juſtorum mors bona propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem, 110 a Juſto nunquam ſatis eſt, 853 e Juſtorum opinio malis placet non opus, 1118 d
Juſta cauſa à Deo deſeri non poteſt, 129 b
Juventus ad meliorem frugem leniter flectenda, 183. c
Juvenum exceſſus patienter portandi, 281. b In juvene quæ Bernardo probentur, 363. c V. Adoleſcens.

L

Labor. Ad eum homo natus, 1087. c Sed non ad ipſum creatus, 1104 b Nemo hic ſine labore & dolore, 1087. f Anima appetit quietem, ſed Chriſtus incitat ad laborem, 1430. e Laborioſum nihil, quod propter Deum fit & per ipſum, 850. d Labores noſtri cum præmio collati, 1086. d & ſeq. Quomodo honeſtentur, 1127. a Laboris remedium, alterius laboris eſt initium, 1109. e Qui in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum erunt, 1 44 a Ejus detractio pia, miſeratio crudelis, 827 d
Labores pro eccleſia, non ſine fructu etſi abſque effectu, 324 d
Laboris materia prælato nunquam deerit, 419. b Labores & crux, prælati hereditas, 410. a Exhortatio ad ſollicitudinem & laborem, 420. b
Labor manuum commendatur teſtimonio & exemplo Apoſtoli, 1188. d An dimitti poſſit, 238. c Ex eo vivat incluſus, 169. d Labores Ciſtercienſium, 396. d Ex labore ſuo pauperes alunt Claræ-vallenſes, 81. a Labore manuum vivunt ſanctimoniales Ciſtercienſes Monſterioli, 85. n.
Laborante corpore mens intenta ſit ad cauſam laboris, 1564 c
Lacrymæ, ſemina juſtitiæ, 1402. b Lacrymæ pœnitentium, vinum Angelorum, 1376. a Lacrymæ caritatis, 46 f Lacrymæ & orationes, arma S. Bernardi, 238. a
Lacrymæ Chriſti quam diſſimiles lacrymis aliorum infantium, 782. f
Lacus, infernus & mors quibus competant, 1093. e
Læta gratiora ſunt expertis triſtia, 1306. a Lætis hic permixta triſtia, 840. a
Lætitia vera unde naſcatur, 1402 d
Lætitia inepta, tertius ſuperbiæ gradus, 575. c Ejus indicia ibid. d
Lætitiæ falſæ origo & effectus, 575. d Nulla verior miſeria, quam falſa lætitia, 695. b V. Gaudium, Voluptas.

Laici fratres illiterati, 707.
Lambertus abbas S. Bertini monaſterium ſuum Cluniacenſibus ſubjicit, 153. n.
Lambertus epiſcopus Engoliſmenſis a S. Bernardo laudatus, 283. c
Lambertus eremita, 171. n.
Lambertus monachus, 1064. a
Landricus presbyter, 377. b
Landulfus epiſcopus Aſtenſis, 131. b
Languor animæ & ariditas ex ſuperbia, 1453. c Languor ad ſpiritualia in nobis unde, 1064. d
Languor amoris ex abſentia dilecti, 1442. a
Lantelmus abbas Caſæ-Dei, 476. n.
Laperaſpeti portus, 625. d
Lapides quinque jaciendi in ſuperbiæ vitium, 957. c
Lapſus hominis & reparatio, 929. d Lapſus primorum parentum ex inſtabilitate & defectu caritatis, 1043. a
Laqueatura domus ſpiritualis, gratiæ gratis data, 1458. d
Laqueus divitiarum, 831. f
Laranciutis Prioratus Canonicorum Regul. S. Auguſt. ceſſit Patribus S. J. 51. n.
Latebræ monachorum felices, 814. d
Latiniacenſe monaſterium ſanctitate & religione florens, 255. n. 226. d 399. b Ejus eccleſia celebris & famoſa, 398. c
Latro uno die pœnitens & beatus, 56. d Ejus in cruce fides, 800. f Crux ei fuit pons brevis ad tranſeundum de luto fæcis ad paradiſum voluptatis, 56. d
Latum, longum, altum & profundum cavendum, 433. f
Lateris dextri in Chriſto aperti myſterium, 341. c, f
Laudatores veri ac ficti qui, 82. f
Laus omnis recte factorum Deo referenda, 1304. f Laudandus eſt Creator in creatura, 334. d
Laus & gloria ſanctorum unde, 1030. f & ſeq. Laudantur ſecure ſancti in cælis, 1039. c, f Supernis addere velle laudibus, detrahere eſt, 357. c
Laudes humanæ quatenus admittendæ, 1104. f Contemnendæ ſunt, 469. a Earum vanitas, 37. b Iis credere ſecurum non eſt, 14. a Non ambiendæ, 1304 c Eas captare exſecranda perverſitas, 1017. d Laudatio nulla ſecura, ubi nec ipſa vita ſecura eſt. 1030. b Laus a bonis & teſtis ſufficere debet, 1346. d Non omnis laus eſt adulatio, 81. a An quis laudandus in vita ſua, 40. a Laudet te os alienum, non tuum: amare neſcis, 788. c V. Gloria.
Laus perennis in Luxovienſi monaſterio, 664. c Laudantium Deum alacritas cæleſtis habitationis ſtatum repræſentat, 1324. f
Laudunenſe S. Johannis monaſterium tranſit ad monachos, 35. c 56. n.
Laxiorem vitam repetere illicitum, 193. c & ſeq. Apoſtaſia cenſetur, 193. f
Lazari & pœnitentis comparatio, 1003. f Ejuſdem ſepulti tropologica conſideratio, 1003. c Eum repræſentant novitii, 1463. c
Lectio non ſapit, ſi Jeſus in libro deſit, 1311. c. n. Lectio ſancta ab impuris mentibus indigne præſumitur, 1367. d 1368. d V. Libri.
Lectio apud monachos in clauſtro, 539. c
Lectulus humana infirmitas, 1368. c
Lectulus ſponſi quis, 1532. d Lectulus floridus ſponſæ, clauſtra & monaſteria, 1456. b Item conſcientia bonis referta operibus, 1429. c
Lectum durum vigiliæ mollem efficiunt, 7. a
Lectus animæ, 1032. d
Legalitas pro bona fide in exſequendis promiſſis, 118. a
Legatio archiepiſcopi Remenſis, 38. a, b
Legati apoſtolici quales eſſe debeant, 440. b & ſeq.
Lelbertus abbas S. Michaelis, 358. c
Lenitas. Sine ea non plus hominibus placere poſſibile, quam Deo ſine fide, 770. a V. Manſuetudo.
Leo abbas S. Michaelis, 357. n.
S. Leo Papa, 186. n.
S. Leonis monaſterium Tulli, 101. n.
Leonis ad rugitum nulla beſtia ſtare poteſt, 826. e
Leonius abbas S. Bertini, vir religioſus & doctus, 340. d, e. S. Bernardi amicus, 341. f
Lepra ſeptuplex moraliter expenditur, 901. b
Leſcienſe ſeu Laetienſe monaſterium celebre, 358. n. Hujus nonnulli abbates, ibid.
Leſmor civitas Mummoniæ, 665. c 677. e, f 682. c
Levitas animi, ſecundus ſuperbiæ gradus, 575. a Deſcribitur, ibid. b
Lex quomodo juſtis non ſit poſita, 31. a, b 600. b Lex Domini caritas, 30. a Lex ſervi & mercenarii qualis, 30. c
Leges Dei prælatis plus curandæ, quam Juſtiniani, 400. d
Libertas ſoli competit voluntati, quæ ea privari non poteſt, 605. d Neceſſaria eſt ad meritum, 1551. d Ei non officit trahi à Deo, ſed neque tentari, 617. b & ſeq. An ipſi præjudicet velle habere bonam voluntatem, & non poſſe, 607. c Hanc non tollit metus mortis, 218. a Libertatem & meritum tollit neceſſitas, 605. e Libertate arbitrii non abutendum, 233. f
Libertate triplici an præditus Adam in paradiſo, 612. f & ſeq. Libertas qualis hominis poſt peccatum, 1555. d Homo opus habet Chriſto reparatore duplicis libertatis, 613. d Libertas noſtra per Chriſtum qualis, 606. d
Libertas perfectiſſima erit in patria, 608. b Libertas triplex ſecundum perfectionem, non eſt hujus vitæ, 611. e Libertas triplex, à peccato, a miſeria, à neceſſitate, 602. a, b Earum dotes, ibid. c. Chriſtus illas habuit, ſed ſecundum potentiam tantum, non actu, ibid. e, f Libertas à peccato eſt liberum conſilium, 607. e Libertas a miſeria, liberum complacitum, ibid. Neutram hic habemus, 608. a Libertas à neceſſitate Deo & creaturis omnibus æqualis, ſed cum aliquo diſcrimine, 607. a & ſeq. Libertas conſilii & complaciti duplex, 615. b Utramque amiſit primus homo abutendo libertate arbitrii, 612. b, c Qualis utraque hic ſpectanda, 613. e Ab inferis utraque exſulat, 615. a & ſeq. Sine utraque libertas arbitrii eſt quaſi captiva, 609. f Libertas conſilii ineſt ex parte in viris ſpiritualibus & mortificatis in hoc ſæculo, 608. c An etiam libertas complaciti, 608. f & ſeq. Ea utcumque fruuntur contemplativi, 609. d, e Non vero improbi, 609. b
Libertas peccandi, undecimus ſuperbiæ gradus, 579. a Mala libertas, quæ excutit obedientiæ jugum, 476. a Libertatis privilegium contumaci monacho datum improbatur, 557. b, d
Libertas Chriſti in moderandis actionibus corporis ſui, 889. d
Liberum eſt quod voluntarium, 1551. f Libera ſimul & ancilla anima, 1552. d
Liberum arbitrium quid, 604. c 606. a Unde dictum, 605. b 616. e 1552. d Ex quo genere libertatis dicatur, 607. c Medium eſt inter divinam voluntatem & carnis appetitum, 619. d Non æqua inter bonum & malum poteſtate & facilitate verſatur, 616. c Sic præſit corpori, ut ſapientia orbi, 616. c Peccato non eſt amiſſum, 612. f Sed remanet miſerum, 613. a & ſeq. Cur ſui defectum non patitur, 614. b In eo æternæ divinitatis ſubſtantiva quædam imago eſt expreſſa, ibid. Per ſe cadere poteſt, reſurgere non poteſt, 613. c, d 616. e Nec reſpirare de malo in bonum, ſed nec proficere de bono in melius, 615. c, d
Liberi arbitrii & gratiæ individua operatio, 622. a Gratiæ triplex operatio circa liberum arbitrium, 622. d Ipſum excitat, ſanat, roborat, & ſervat, 621. f Liberum arbitrium cooperatur gratiæ, conſentiendo, 604. a Non liberi arbitrii, ſed Domini eſt ſalus, 620. c
Libri. Pietas non ſolum in iis habenda, ſed in moribus, 1308. c Silva & ſolitudo plus docent quam libri, 1310. d V. Lectio.
Libros ſuos tranſcribi non vult S. Bernardus, 94. f
Ligecurtis, 180. d
Lilia tria nobis neceſſaria, continentia, innocentia, patientia, 1518. e, d Lilia ſpiritualia quæ, & quomodo unicuique curanda, 1513. f Lilia noſtra pauca & rara, 1515. a Lilia ſponſi quæ, 1511. d & ſeq. Refectio inter lilia quid, 1511 b Paſci inter lilia quid, 1514. f Chriſtus in gloria ut paſcatur inter lilia, 1519. a
Lingonenſis eccleſiæ actio, 161. d & ſeq.
Lingonenſi epiſcopo hominium debet Theobaldus comes pro caſamento, 98. c
Lingua ubique frenanda, maxime in convivio, 444. c Ejus multiplex peccatum, 1118. c Quanta mala, 1119. c, f Linguæ bonæ utilitas, 1120. c Tria ejus aromata, 905. d V. Loquacitas.
Lingua Verbi, favor dignationis ejus; lingua animæ, fervor devotionis, 1415. b
Linguæ diſſimiles in eodem regno, 68. a
Lingua Romana pro vulgari, 706. 707.
Lites improbatæ, 55. d 754. b Brevi decidendæ, 415. a Per arbitros dirimendæ, 874. b Litium ſtrepitus Pontifici vitandus, 409. c
Lis inter Luxovienſes & Divionenſes monachos, 34. c, e.
Litteratura abbati neceſſaria, 287. c, e. V. Abbas.
Litteræ ſine abbatis juſſu nec ſcribendæ, nec recipiendæ, 499. b Litteris Carthuſienſium exardeſcit Bernardus, 58. c Suis Carthuſienſium quietem turbare timet, 58. d Litteris Petri Venerabilis gloriatur apud extraneos, 152. b Litteras Guidonis cardinalis fratribus ſuis legit, 331. a
Litteræ falſatæ ſub falſo ſigillo Bernardi, 675. b V. Epiſtolæ.
Locorum ſanctorum dignitas & periculum, 326. a Locus non ſanctificat homines, ſed homines locum, 1547 b
Lombardi de inſolentia notati, 157. d
Longanimitas per ſondam deſignata, 957. c Longanimitas Dei culpam obſtinati accumulat, 1110. f
Longi-pontis monaſterium Ord. Ciſt. 131. n.
Longitudo dierum hic promiſſa vita eſt æterna, 873. b
Longum, latum, altum & profundum cavendum, 433. f
Loquacitatis octo ſpecies, 1127. f
Loquendi optima regula, 128. c, d Loquentibus de ſe libens adeſt Deus, 1282. c B. Maria non niſi quater locuta reperitur in toto evangeliorum textu, 1010. c V. Lingua, Sermo.
Loratorium, prioratus Majoris monaſterio ſubjectus, 1192. n.
Lotharius imperator exercitum parat ad Eccleſiæ liberationem, 173. d Ejus hac de cauſa Romanum iter, 145. b Immerito Piſanis infenſus, 146. b Hunc recipiunt Mediolanenſes, 144. c Innocentii electionem tuetur, 138. c Cui ille inveſtituras eccleſiarum repoſcenti reſiſtit, 154. a. n.
Lotio pedum peccata venialia delet, 891. c & ſeq.
Luanus Benchorenſis monachus, centum monaſteriorum fundator, 664. d
Lucas abbas Cuſſiacenſis, 83. a
Lucas cardinalis, 130. d, n.
Lucere tantum, vanum; tantum ardere parum, ardere & lucere, perfectum, 983. c Fervere melius, quam lucere, 948. a, b
Lucifer lucem habuit, ſed non ardorem, 947. b, c In diabolum mutatus propter affectatam Dei ſimilitudinem, 718. b Una tantum ala volare tentans cecidit, 951. a An in paradiſo generi humano inviderit, 1318. f & ſeq. Merito æterno addictus ſupplicio, 573. a, b Ei poſt caſum abſcondita Dei gloria, 912. d Ejus ſuperbia, 908. f Curioſitas & temeritas, 572. c & ſeq.
Lucius II. Papa, 601. n. Ejus obitus, 158. n.
Lucius III. Papa, 476. n.
Luctus, remedium tentationum, 487. c Moderandus, 1360. a
Ludovicus Groſſus Francorum rex, 165. n. a 56. d Ciſtercienſibus fraternitate conjunctus, 53. c, d Præſules Galliæ ad concilium Piſanum accedere prohibet, 156. c n. Epiſcopum Pariſienſem infeſtat, 53. c & ſeq. 54. c 57. c Item Senonenſem archiepiſcopum, 53. a. 57. c f Pius ejus obitum, 58. a

Ludovicus Junior Francorum rex, 166. c 201. a 203. c 275. c 275. d 285. c, d 584. a Ludovicus-Florus dictus, 165. a Ei ſucceſſionem regni adimere cogitant Proceres & Epiſcopi, 53. a Ab Innocentio II. Remis inunctus, 256. a Ejus fauſta principia, 167. c Princeps bonæ opinionis, melioris ſpei, 167. c Tetbaldi Comitis Palatini & Radulfi de Parrona turelæ commiſſus, 166. a Ejus elogium, 558. c. d De S. Bernardi valetudine ſollicitus, 285. c Ejus utitur conſilio, 333. c Concilio Senonenſi intereſt, 309. c Caſæ-Dei monachis fraternitate eſt conjunctus, 54. a Ejus male facta plurima, 691. b, c 207. c 208. c & ſeq. Eccleſiis eſt infeſtus, 206. c 208. c Epiſcoporum electiones & promotiones prohibet, 206. c 202. c Ejus odium in Theobaldum comitem Campaniæ, 167. a Pax inter utrumque, 203. f 204. d 208. a Factum de civitate Catalaunenſi, 206. a Concordia inter eumdem Ludovicum & Algrinum Aurelianenſem archidiaconum, 210. a Idem Ludovicus cruce ſignatur in conventu Verſeliacenſi, 373. d Eum in terram ſanctam tranſmittentem Imperatori CP. commendat S. Bernardus, 374. d De hac expeditione laudatur, 558. c, d

Lugdunenſis eccleſiæ encomium, 169. b 171. a Lugdunenſis epiſcopi caſus inopinatus, 288. c

Lugendi copioſa materia, 1047. a

Lumen divinum nobis neceſſarium, 761. c

Luna defectum corruptionis, ibi etiam mentis, aliquando etiam eccleſiam ſolet deſignare, 1007. c Lunæ plenitudo caſtitatem deſignat, 1212. c

Luxovienſis monaſterii laus perennis, 664. c

Luxovienſes pro Leaſvienſes, 120. a

Luxuriæ voluptas quam cargua, 484. a Ejus currus, equi & aurigæ, 1201. d

Luxurioſorum prodigalitas, 1408. c

Luxus & deliciæ hominum arguuntur, 1125. a & ſeq. Maxime Prælatorum, 1538. c Item & clericorum, 738. c Luxus veſtium in monachis damnatur, 754. b, c In clericis, 454. c & ſeq. In Epiſcopis, 463. a & ſeq. 464. a & ſeq.

M

Macchabæi martyrum gloria digni, 101. d Cur ſoli ex antiqua lege colantur, 102. d & ſeq. Eorum reliquiæ Mediolano Coloniam tranſlatæ, 102. a.

Maceratio carnis occulte, licentioſe & diſcrete facienda, 1168. c & ſeq. V. Mortificatio.

Maceria eccleſiæ, angelorum cuſtodia, 1478. a

Magis apparuit Chriſtus paucis poſt nativitatem diebus, 801. c Eorum pietas & fides, 798. a, b 802. a, d Eorumdem fides excellit fidem latronis & Centurionis 800. c, f Dona eorum moraliter explicata, 802. c Chriſtum, thure Deum, auro Regem, myrrha hominem agnoſcunt, 799. f Hæc munera quomodo offerre Chriſto poſſimus, 1240. c

Magiſtri nomen quibus attributum, 107. a 108. a 110. b Illud renuit S. Bernard. 74. d

Magiſterio pauci idonei, 1142. f

Magnanimitas nec arrogantes facit, nec humilitas puſillanimes, 102. f

Magnanimi zelo & fide magna audent & obtinent, 1134. c & ſeq.

Magnatibus neceſſaria ſuæ miſeriæ cogitatio, 423. d Eis facilitas credulitatis vitium familiare, 426. b

Magnitudinis titulus viris illuſtribus datus, 178. c Abbati, 212. d Sugerio, 331. c

Majestas Domini replenda terra, cælo ſatana, 945. a, b Et etiam caro noſtra, ibid. c Eam quomodo ſcrutari liceat, 1479. c Scrutatio voluntaria tutior quam majeſtatis, 1480 a & ſeq.

Majeſtas regia, 167. c

Majeſtatis titulus Papæ tributus, 144. a, n. 249. a, b 260. c Et Sugerio, 335 n.

Mailros monaſterium ord. Ciſterc. 678. c

Malcolmus III. Scotiæ rex, 29. a

Mathfridus Brixienſis epiſcopus, 326 a

S. Maiolus abbas Cluniacenſis, 556. f

Majus-monaſterium, 16. b Ejus religionis fama, 555 b Ejuſdem monachi Innocentio adhærent, 116 a Quod arbitrorum ſententiæ non acquieſcerent præſtringuntur, 556. a & ſeq.

S. Malachiæ elogium, 1046. f & ſeq. 1048. c, f S. Malachias, id eſt Angelus, 1047. f S. Malachias archiepiſcopus Hiberniæ & Sedis apoſtolicæ legatus, 318. c 325. a, c Fratres, litteras, & baculum mittit ad S. Bernardum, 322. c Ad eum monachos mittit Bernardus, 322. b Quos ei commendat, 362. c & ſeq. Malachiam ſanctum duo fecerunt, fides & lenitas, 1045. d Gallinæ evangelicæ comparatur, 1047. b Lucerna fuit ardens & lucens, 658. c Bernardo amicus, 658. d, c Bernardi cum S. Malachia amicitia, 315. d, e S. Malachiæ præſentia ad perfectionem excitatur S. Bernardus, 337. b S. Malachias quanta fecerit pro eccleſia ſua, 1041. b c 1046. d Sibi & aliis quomodo intentus, 1047. c d In imbris & in otio qualis, ibid. d Sine proprio vivit cum ſuis, 1045 c Erga ſuos caritas, 326. c Venit Claram-vallem, 1043. b c Mortis ſuæ præſcius, 1045. b c Apud Claram-vallem defunctus, 336. f Et ibidem ſepultus, 337. a Sepultus in commemoratione fidelium defunctorum, 1043. c Ejus obitum ſcribit in Hibernia nuntiat Bernardus, 316 a & ſeq. Eoſque ad ejus imitandas virtutes hortatur, 337. b Eidem defuncto congratulatur Bernardus, 336. c Et de ejus patrocinio lætatur, 336. d Ejus miracula, 1047. a Feſtivitas & invocatio, 1048 c d

Malchus frater Chriſtiani abbatis, 680. c Idem monachus Benchorenſis, 665. d

Malchias ex monacho Vintonienſi epiſcopus Leſmor civitatis Mummoniæ, 662. c, 156. b

Maledictis non referendam vicem, 1149. f

Malitia ſapor mali, 1565. a Ejus currus, equi, aurigæ, & calcaria, 406 a & ſeq. Malitia palam minus ſemper nocuit, 1494. c

Malo cur ſponſus comparetur, 1432. c

Malis Deus ſolet prævenire ſua beneficia, 257. c A domeſticis illata, acerbiora, 1121. f

Malum quod fit etiam per vim, non eſt ſine culpa voluntaria, 619. b In male actis ut ſe gerendum, 911. f Fruſtra deplorantur, ſi non emendantur, 409. c Perſeverare in malo diabolicum, 719. c Mala Deus uti novit in bonum, 92. c Non ſunt facienda ut eveniant bona, 203. d

Mala puta & media, 19. a, b

Malum ſemper pœna comitatur, 617. b Malum fieri bonum nulla poteſtas vel auctoritas facit, 20. d

Mali homines & maligni dæmones diverſimode nobis noxii, 843. d, c Malis hominibus tamquam virgis in ignem poſtea projicienda utitur Deus ad ſalutem ſuorum, 621. b Mali bonis ſemper permixti, 380 d Mali etiam eccleſiæ filii, & quomodo, 1350. c Malorum odiis boni obnoxii, 591. a Bonum eſſe inter malos eximia virtus, 1435. d Malorum privatio, bonior, 854. b

Manasses epiſcopus Meldenſis, 308. c 460. 461. a

Mandata Dei cur tam ſevere nobis impoſita, 759 b Eorum impedimenta, 815. d

Mandata præpoſitorum a ſubditis non dijudicanda, 22. d Mandata duo prælati, verbum & exemplum, 193. b

Manducare & manducari neceſſaria ad unionem, 1323. b

Maneries locutionis pro modo locutionis, 159. d

Manicæ longæ Cluniacenſium notantur, 6. c

Manichæus hæreticus in ſynodo Conſtantinopolitana damnatus, 186. c

Manichæorum deliriis dementari ſunt omnes fere hæretici tempore S. Bernardi. 1495. a Eorum ſuperſtitioſa abſtinentia à certis creaturis, 1496. f

Manipuli tres, 1402. f

Manſuetudo eſt lilium, 1513. b Triplici arcte pulſatur, 919. a Neceſſaria eſt ad perfectam ſanctitatem, 772. b Ex ſui conſideratione naſcitur, 1411. a Manſuetudo & humilitas cognatæ virtutes, 1011. b c

Manſuetudo Chriſti, 1136. f S. Pauli, 959. b

Manuel Comnenus CP. imperator, 373. f Henricum comitis Theobaldi filium novum militem facit, 374. b Eumdem ſuffragiorum domus ſuæ participem reddit Bernardus, 374. c

Marchianenſe monaſterium ord. S. Bened. 301. a Marchianenſium monachorum calumniæ in Alviſum epiſcopum Atrebatenſem, 301. d

Marcianus imperator Chriſtianiſſimus, 186. c

Maria, maris ſtella, 743. b 1014. c Variæ ejus figuræ in veteri teſtamento, 1009. b Varia de eadem teſtimonia & figuræ, 737. f & ſeq. Chriſtus & Maria varie figurati, 738. c Maria eſt vellus Gedeonis, 738. f Rubus incombuſtus & virga florida, 738. c 1008 b Virga ex qua Jeſus flos prodiit, 712. f Campo comparata, 722. f Soli, 1007. b Luna ſub pedibus ejus, & quomodo, 1007. b Eſt medium terræ, 911. d Aquæ-ductus, 1015. f

Mariæ elogium, 743. b Ejus laudum materia ampliſſima, 169. d De iis loqui quam arduum, 1001. b 1004. f Eſt mulier fortis, 938. b Domus divinæ Sapientiæ, 1185. c Theſaurus Dei, 981. c Inventrix gratiæ, 796 c Negotium ſæculorum, 918. d Secretorum Dei conſcia, 1519. f Ejus ſuper omnes Angelos eminentia, 1016. c Domina noſtra ſimpliciter dicta, 89. c a

Maria quantam apud Deum gratiam invenerit, 747. c Plenitudo gratiæ in Maria ab aliis ſanctis diverſa, 744. c Gratia ejus ſingularis & generalis, 981. c In ea prærogativæ duodecim gratiarum, 1006. a & ſeq.

Mariæ generatio ex regibus & ſanctis, 1009 a Nativitas ejus ſancta, 169. c 170 d Sanctificatio potior aliis, 999. a Ab initio angelo Gabrieli fuit commendata, 616. a Sola ex omni mulierum peccati actualis expers, 170. d Proprium delictum non habuit, 949. f Fuit angelicæ vitæ forma, 1012. c Mater caritatis, 1574. a Tota vulnerata amoris ſagitta, 1574. c, d

Maria virginitatis primiceria, 1008. f Virginitatis votum & propoſitum in Maria quotorum, 717 a, f 746 b 750 d 1005. c 1009. d Maria virginitate placuit, humilitate concepit, 735. b

Mariæ humilitas commendatur, 785. b 1005. d 1011, f 1025. c Deo quam grata, 753. d Mariæ gloriatio in ſola humilitate, 468. b Laudes a ſe transfert in Deum, 1012. d

Maria ſtudioſa ſilentii cultrix, 1010. d Ad reſpondendum non præceps, 750. a Non niſi quater locuta reperitur in Evangelio, 1010. c

Mariæ manſuetudo pudoris, 1010. c Clementia, 805. f Miſericordia, 1005. c & ſeq. Magnanimitas credulitatis, 1011. c Fervor & ſplendor ſtabilis, 1007. c

Mariæ fides, fermentum, 454. d Cælorum regnum Mariæ fidei comparatur, qua & reparatur, 780. c Virtutes cardinales in ipſa, 1186. a & ſeq. Mariæ virtutes omnes ſingulares, 1005. c & ſeq. In Maria Deipara & Marthæ negotium, & Mariæ otium invenitur, 1000. a Mariæ deliciæ, 1005. c

Mariæ dignitas, gratia, & prærogativa, 752. f & ſeq. Quid magis in ea mirandum, 1005. b Omnia in ea eximia & admiranda, 736. b c Quæ in ea imitanda, 1010. b & ſeq. Humanæ redemtionis pretium in eam collatum, 1014 c Deus ſingulariter eſt in ea, & cum ea, 745. b Ejus mentem ante implevit Deus, quam ventrem, 805. f Ad vocem Angeli turbata, ſed non perturbata, ab eo confirmatur, 747. b Cur deſponſata viro, 74. d & ſeq. Ejus deſponſatio cum Thomæ dubitatione comparata, 740. f Cur eam occulte

vus dimittere voluerit Joſeph, 748. c & ſeq. An de ejus integritate dubitaverit, 742. b Ejus integritatis cuſtos & teſtis S. Joſeph. 784. c

Mariæ virtutes præparatoriæ ad conceptionem Verbi, 744. c Mariæ obumbratio, 1328. f 1583. c Spiritus-ſanctus ut ſupervenerit in Mariam, 750. c Mariæ novus conceptionis modus, 1009. c Deo tantum & Mariæ notus, 751. b Mariæ conceptus ſine ſemine commendatur, 765. c & ſeq. Maria fide concepit & peperit, 780. c Ejus graviditas ſine gravamine, 1009. f Partus ſingularis, 746. e Fuit ſine dolore, 766. b 1009. f Mariæ virginitas cum fœcunditate mirabilis, 755. c 764. b 766. d Ejus fœcunditas ſine corruptione, 1009. e

Mariæ maternitas omnem tranſcendit dignitatem, 755. d Ejus prærogativa, cum Patre æterno eumdem Filium habere communem, 977. d Privilegium, eſſe virginem matrem, 1005. b Nec virgo niſi Deum parere, nec Deus niſi de virgine naſci debuit, 1003. c Summa Chriſti dignatio & Mariæ dignitas, 755. d Maria purificationis legi non obnoxia, 982. b & ſeq. Quid hæc purificatio nos doceat, 1185. a

Mariæ martyrium cordis, 1012. a Dolor ejus & afflictio in morte filii, 1012. b c

Mariæ aſſumtionis gloria, 996. c & ſeq. In ea cælitum gaudia, 995. c Angeli admirabundi, 1003. c Maria quantum gratiæ in terris, tantum in cælis obtinet gloriæ ſingularis, 998. f Chriſti generatio & Mariæ aſſumtio inenarrabilis, 996. f Cæli cum terra commercium in aſſumtione B. Mariæ, 996. a Aſſumtionis & nativitatis B. Mariæ feſta recepta, 169. c

B. Mariæ invocatio, 1006. a In tentationibus invocanda, 743. c d Quanto affectu veneranda & invocanda, 1014. d, e Maria inter Chriſtum & eccleſiam media, 1008. a Ad Mediatorem mediatrix, 1006. c Advocata noſtra in cælis 996. a Advocata noſtra apud Filium, 1014. f Ad quem per eam accedendum, 783. b Per eam habemus quidquid in nobis eſt boni & gratiæ, 1014. d, e Gratia apud Deum per eamdem quærenda, 1015. a, b Maximæ devotionis gratia, 808. c Non ſibi tantum plena fuit, ſed etiam nobis, 1014. b Super plena gratia, ut in nos redundet, 997. d Fiducia in Mariam virginem commendatur, 1006. f 1008. a Ei commenda, quidquid offers Deo, 1019. b Per eam accipimus quidquid habemus, 764. f In ea angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam inveniunt, 931. e Ad eam reſpiciunt omnes creaturæ, 931. d, e Quam ſuavis & benefica omnibus, 1006. f

Supplicatio ad B. Mariam, 1012. d Adſpiratio ad eamdem devotiſſima, 783. c S. Bernardi devotio in B. Mariam, 89. c Omnia Ciſtercienſium monaſteria ei dicata, 89. n. Mariæ falſis & dubiis non eget honoribus, 169. d Ad ejus cultum exhortatio, 743. c Hæreſes variæ in Mariam, 1007. c

Mariæ & Evæ antitheſis, 1.06. c Adæ & Evæ ſolatium per Mariam, 757. c Maria ſerpentis caput contrivit, 758. a Per eam Sapientia æterna ſaporem boni in homine reſtituit, 1364. c

S. Mariæ Trecenſe monaſterium, 124. b n.

Mariæ quædam à B. Ignatio dicta Chriſtifera, 839. f Eſt Maria Caſſabolita, *ibid.* n.

Maria ſoror Marthæ Chriſtum habet advocatum, 1001. a Mariæ, Marthæ & Lazari officia, 999. d Mariam, Martham & Lazarum quinam repræſentent, 1463. c Felix congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur, 1000. f Mariæ exercitia, quæ ad nos ſpectat, eligenda: Marthæ, ſi iojungantur, patienter toleranda, 1105. d *V.* Martha.

Mariæ Magdalenæ prohibetur Chriſtum tangere, 1361. c An eadem cum ſorore Lazari & Peccatrice, 945. c n. 1001. a 1292. n 1592. f 1599. c 1317 c

Maria, Ludovici Junioris filia, Henrici Comitis Campaniæ uxor, 314. n.

Maria filia Theobaldi Comitis Campaniæ, uxor Odonis Burgundiæ Ducis, 361. n.

Marthæ modeſtia & fides expenditur, 380. a Chriſtus in domo Marthæ & Mariæ paſcebatur inter lilia, 1514. f

Marthæ, Mariæ & Lazari officia, 999. d

Marthæ occupatio vix ſine pulvere, 1410. c d Ejus officio funguntur paſtores, 1002. d

S. Martinus Pictavis, Mediolani, & Turonis monaſteria ædificavit, 121. c Nigris uſus veſtibus, 121. c Ejus manſuetudo, 1034. a Paupertas & humilitas, 1033. f Obedientia & reſignatio, 1035. a & ſeq. Patientia in perſecutionibus, 1034. c Miracula, 1035. c Zelus pro delenda idololatria, 1054. c Caritas & miſericordia in proximos, 1054. c d Martini mundities & ſtudium concordiæ, 1034. d

S. Martini monaſteria 121. c Laudunenſe, 385. n. Sparnacenſe, 102. n.

Martini cardinalis legatio in Dacia memorabile exemplum, 440 f & ſeq.

Martyrum forma & corona Chriſtus, 1430. d Unde eis tanta in ſuppliciis conſtantia, 1477. c Paſſio Chriſti, eorum confortatio, 1477. b Martyres reputantur qui pugnando pro fide moriuntur, 344. c Martyribus in hac vita caritatis perfectio non competit, 596. c Martyrum veteris & novi Teſtamenti diſcrimen, 103. a & ſeq. 104. f Illis cur dies feſtos non decernat eccleſia, 103. c Martyribus & pauperibus eadem promiſſio facta, 1039. f

Martyres hæretici, 1499. a Quid ſentiendum de eorum martyrio, 1499. b Diſcrimen in veris & falſis martyribus, 1499. c

Martyrium, vitæ fructus, 1473. d Flos campi, 1430. c Martyrium facit cauſa, tempus genuſque diſcernunt, 104. f Martyrium ſine fide non eſt niſi pœna, 629 b Baptiſmi vicem ſupplet, 628. d, c 629. b & ſeq. Martyrii cauſa, virtus, fructus, & forma Chriſtus, 1369. d

Martyrii tria genera, 787. c Martyrium ſpirituale, 907. c Martyrium cordis Mariæ, 1012. a Quale nobis curandum, 1037. d Martyrio impares ſumus qui minima vix patimur, 1056. f Ei tantum idonei humiles, 1431. a Martyrii genus, ſpiritu facta carnis mortificare, 1379. a *V.* Mortificatio.

Mathildis Anglorum regina, 325. b, n. Bernardo Boloniam venienti pedes obviam venit, 295. n.

Mathildis Guillelmi fratris Henrici I. Anglorum regis deſponſa, poſtea Fontis-Ebraldi abbatiſſa, 192. n 295. n.

Mathildis duciſſa Burgundiæ, 127. d, n.

Mathildis comitiſſa Bleſenſis, 583. a

Mathildis comitiſſa filia Engelberti marchionis, 265. n. Theobaldi comitis uxor, 140. n.

Matrem pro Chriſto contemnere piiſſimum, 109. b

Matrimonium contrahi poteſt inter non virgines, 1495. d & ſeq. Matrimonium monachi an validum, 550. An licitum ei qui religioſum habitum diu portavit, 72. b, c Matrimonium filii Hugonis de Beſua à duciſſa Burgundiæ probari poſtulat S. Bernardus, 157. c Matrimonium inter filium comitis Andegavenſis & filiam regis Franciæ ob gradum conſanguinitatis diſſuadet, 333. c

Matrimonii ſpiritualis partus duo, 1566. c

Matthæus cardinalis, Albanenſis epiſcopus, 38. n. Summi Pontificis Legatus, 38. c 51. n. 55 n. 150. b Miſſus ad reconciliandos Innocentio II. Mediolanenſes, 141. n.

Matthæus dux Lotharingiæ, 156. n.

Mauricius Burdinus antipapa, in Cavenſe monaſterium retruſus, 402. n.

Mauricius invaſor ſedis S. Malachiæ, 668. a

Mauricius abbas Fontanenſis, 187. n.

S. Maurus multa de Regula mutavit, 219. c

S. Maximini Trevirenſ. abbas notatus, 300. d Libertatem ſuam tuetur contra archiepiſcopum, 176. c Hoc monaſterium de manu laica eripit Adalbero archiepiſc. Trevirenſis, 176. b, c, n 300. c

Mederi cordi prius quam corpori Deus ſolet, 1019. f Deum medicum requirant, qui ad ſponſi amplexus ſunt inhabiles, 1584. d

Medicina clericis & monachis interdicta, 68. n. Monachis eam exercere indecorum & periculoſum, 68. c 70. a Eam tamen olim exercebant clerici & monachi, 68. n. Medicinarum uſus in religioſis improbatus, 316 c, n. 392. d

Medicinis tamen aliquando utebantur Ciſtercienſes, 360. c Medicinæ portio, ordo in ſumendis cibis, 399 c *V.* Hippocrates.

Mediatorem noſtrum eſſe Deum & hominem oportebat, 1275. b Mediatorem eſſe Chriſtum omnia teſtantur, 785. d *V.* Chriſtus.

Mediolanenſis eccleſia ſuis ornamentis & privilegiis privata ab Innocentio, 142. c, d Mediolanenſis cleri opera civitas Innocentio reconciliata, 142. b Quæ Eccleſiæ in eos beneficia, 141. a Mediolanenſes vinculis Placentinorum ab eccleſia Romana liberat, *ibid.* Non ante recepit in gratiam, quam Lotharium Imperatorem reciperent, 144. c Eos Imperatori commendat Bernardus, 144. c Mediolanenſium erga Bernardum devotio, 148. c Ejuſdem apud eos favor, 142. d

Meditatio doctrinæ evangelicæ commendatur, 981. f Meditatio Dei erga nos amoris quam efficax, 389. d, e

Meditatione & oratione aſcendimus, 1063. b Meditari cæleſtia quam jucundum, 448. c Meditanda ſemper Chriſti miſericordia & potentia, 357. f Meditandum præcipuæ redemtionis opus, maxime modus ejus & fructus, 1295. c, f Meditatio myſteriorum Chriſti, 1016 d Meditatio paſſionis Chriſti quam utilis, 1419. c Eſt amoris incentivum, 1145. c & ſeq.

Medium ubique tenendum, 425. c Medium qui competat virtutibus cardinalibus, 413. f & ſeq.

Mellifontis monaſterium in Hibernia, 312. n.

S. Memmii Catalaunenſe monaſterium reformatum, 135. c

Memoriæ triplex caſus, 1180. c Memoria ægre purgatur, 419 c Memoria mea, oculus meus, 1040. c Memoria perfectorum Bernardus recreatus, 1307. f & ſeq.

S. Memoriæ dictus Bernardus adhuc vivens, 55. n. Item Gunterus abbas, 61. n.

Mendax quis, 1318 d

Mendici ſumus ante januam ſummi Regis, 1024. a

Menſa abbatis in domo hoſpitum improbatur in quodam abbate Ord. Ciſterc. 391 d Suſpenſio regularis à menſa, 178. d

Mercenarii, filii, & ſervi differentia, 1094. a & ſeq. Mercenarios à paſtoribus diſcernit perſecutio, 494. f Mercenarii & ſervi lex qualis, 30. c

Meridies, viſio beata, 1389 d Hæc optanda ad deprehendendas diaboli fraudes, 1590. d Paſtio & cubatio in meridie quid, 1387. f & ſeq.

Merita noſtra quid, 624. b Qualia, 1506. c Sunt ex gratia, 603. e Et Dei dona, 921. b Conſtant ex Dei gratuita promiſſione, 614. a Meritum hominis, miſeratio Domini, 1476. b

Meriti cauſa ſola eſt conſenſus voluntatis, conſenſus vero ex gratia, 622. c, d Meritum & libertatem tollit neceſſitas, 603. c Libertas neceſſaria ad meritum, 1551. d

Merendi gratia in tribus ſita: odio præteritorum malorum, contemtu præſentium bonorum, deſiderio futurorum, 943. b Meritorum tria pericula, paupertatis, ingratitudinis, & præſumtionis, 1506. d Hoc totum hominis meritum, ſi ſperat in eo qui totum hominem ſalvum fecit, 823. c Sufficit ad meritum ſcire quod non ſufficiant merita, 1308. c Stulta & ruinoſa habitatio eorum, qui confidunt in propriis meritis, 829. b, c Meritis Chriſti noſtra jungenda, 1506. d Meritis carere ſatis eſt

ad judicium, 1506. c Merita, non ſigna, quæruntur in judicio, 918. d, c Deus ad noſtra merita eorum creaturis, 620. c Bruta non merentur, 1351. e

Melisendis ſeu Miliſendis Jeroſolymorum regina, 156 n. 177 c. 181. a, c Ejus erga Bernardum devotio, 178. b Elogium, 178. b Familiaritas cum Bernardo, 178. f Bernardi ad eam monita, 181. c, d

Messiæ dilatio, ac de ea veterum Patrum querimoniæ, 1271. d & ſeq. V. Chriſtus.

Metropolitanus ſuffraganeorum cauſas judicat, 171. b

Metenſis eccleſiæ periculum ex epiſcopi & clericorum contentione, 175 b Hanc Bernardus Oſtienſi, Tuſculano & Præneſtino epiſcopis commendat, 1 48. a

Michael interpretatur Quis ut Deus, 946. S. Michaelis plura in Galliis monaſteria, 157. n. Unum in Teraſcia, 385. n.

Michael clericus, poſtea abbas in Scotiâ, 665. c

Militum Templi origo, 541. Elogium, 544. a & ſeq. Quæ diſciplina, 547. d & ſeq. Quales ab eis admiſſi, 549. b Hos Patriarchæ Antiocheno commendat S. Bernardus, 551. a Militem Templi in monachum recipere renuunt Ciſtercienſes, 160. c

Militum pericula, 545. a Militum Chriſti ſecuritas, ſive occidant, ſive occidantur, 546. a, b Milites pro fide pugnando morientes martyres reputantur, 544. c Militi prœlianti tria neceſſaria, 545. d

Milia & Drogonis inceſtuoſus concubitus, 174.

Militia Chriſtianis licita, 546. c Militia Dei & ſæculi quid differant, 547. c In Chriſti militia ſola fuga perditur victoria, 7. c

Minimis occupari pontificem non decet 442. c, d Minimorum contemtus quale crimen, 53. a Minima non ſpernit verus obediens, 306. f

Miniſtrare glorioſius quam dominari, 419. f 420. a

Miniſtri eccleſiæ indigni deſcribuntur, 492. d Eugenii Papæ votum pro bonis Eccleſiæ miniſtris, 441. d Miniſtros Papæ compresbyteris ſuis anteferri nec antiquitas habuit, nec ratio perſuadet, 442. a

Miniſteria eccleſiæ ambientes perſtringuntur, 491. a & ſeq. Quales Deus vocet ad eccleſiæ miniſteria, 492. a Miniſterium miniſtrorum Chriſti triplex, ſervitutis, caritatis, dignitatis, 1213. b

Miracula in mundo quotidiana, 766. b Miracula ſanctorum quorſum nobis propoſita, 969. c Miracula ſanctorum, gloriæ divinæ teſtimonia, 1035. c Miracula non faciunt ſanctos, ſed virtutes, 1054 f Miracula piorum in hac vita qualia, 1072. c & ſeq. Converſio peccatoris, magnum miraculum, 1070. c Miracula in Chriſti nativitate abſcondita, 767. a

Miratorium monaſterium Ord. Ciſterc. à Gigniacenſibus everſum, 174. c, d

Miſeratio crudelis eſt pœnitentiæ detractio, 887. d Item corpori ſervire præ anima, 534. b & ſeq. Miſeratio Dei crudelis, 1415. a, b

Miseriæ mundi hujus & pericula, 609. c 874. c 923. c 1105. d & ſeq. Miſeria hominis, 886. c 1041. c 1176 b, c 1400 f 1512. f Ejus icon, 1079 c Miſeria hæc duplex, corporis & animæ, 786. c, d Triplex animæ, ignorantia, ignavia, captivitas, 960. c Item infirmitas, cæcitas, immunditia, 1180. b Item triplex, quod facilis ſit ad ſeducendum, debilis ad operandum, fragilis ad reſiſtendum, 712. a Miſeriam ſuam homo non agnoſcens, divinæ expers miſerationis, 1081. c Nulla verior miſeria quam falſa lætitia, 609. b Miſeriæ noſtræ remedium, 105. b

Misericordia & veritas, viæ Domini, 859. a Miſericordia & judicium, pedes, 1179. b Per capreas hinnuloſque cervorum ſignificatur, 1456. a Miſerendi materiam ſumit Deus ea ſeipſo, puniendi ex nobis, 786. a Miſericordia Dei omnes indigent, 778. c Hæc omnibus oblata, 959. c, f Miſericordia Dei parva, mediocris, & magna, 1110. d & ſeq. Miſericordia Dei major quam quævis iniquitas, 1295. d Miſericordia Dei in peccatores, 178. f Miſericordia Dei non abutendum, 722. c Miſericordiæ divinæ quatuor 1181. c Ingens homini ſolatium ex miſericordia Domini, 1476. a, b Dei indignatio ex miſericordia procedit, 1097, b V. Dei miſericordia.

Miſericordia Dei in myſterio Incarnationis apparuit, 776. c Miſericordia Dei quæ ante Chriſtum erat, ſed latebat, in ipſo tandem apparuit, 796. b Miſericordiæ plenitudo in Chriſto, 796. c & ſeq. Miſericordiam in ſe qui didicit Chriſtus, 962. b Miſericordia Chriſti familiari parabola commendata, 793. b & ſeq. Miſericordiæ teſtimonium ab inimicis habet Chriſtus, 983. b Miſericordia Chriſti humana quomodo nobis neceſſaria, 964. d Miſericordia ejus triplex contra noſtram triplicem miſeriam, 960. c Miſericordiæ Chriſti in paſſione, 830. d & ſeq. Chriſtus nunc pronior ad miſericordiam, quam ad judicium, 782. d Miſericordiæ conſideratio judicii timore temperanda, 558. b Ex magnitudine præſentis miſericordiæ colligenda ſeveritas futuræ juſtitiæ, 727. c Judicium futurum non ſine miſericordia erit, 859. c Homini a Deo miſericorditer punitus, 1049. d, c Miſericordiæ viam diabolo intercluſit obſtinatio, 859. c

Miſericordia eſt affectio, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi ſubjicitur, 72. a Miſericordia in proximum commendatur, 564. a, f Quibus modis & mediis in nobis excitetur, ibid. & 565. a Miſericordiæ capaces nos reddit ſpes vera, 979. f Miſericordiæ primus gradus pœnitentia, 490. b Miſericordiæ veræ officia, 33. b Miſericordia divina obtinetur miſerendo ſibi ipſi & proximo, 490. b, c Miſereri non novit mali ignarus, 162. a Mitis ſis priuſquam miſericors, 565. a Miſericordiæ res eſt ingratis negare miſericordiam, 1 41. d Miſericordia crudelitate plena, qua ita corpori ſervitur ut anima jugulerur, 534 b & ſeq. Miſericordiæ viri qui dicti Apoſtoli, 993. d 994. f

Missa non celebranda cum animo in alium commoto, 512. c Miſſæ defectus quam ſevere olim expiati, 71. c In Miſſa calicem non conſecranti ex negligentia, quid agendum, 71. d An conſecratio unius ſpeciei ſine altera valida ſit, 71. d, e

Miſſam tempore meſſis intermittebant Ciſtercienſes, 1419. f, n.

Mitis ſis priuſquam miſericors, 565. a

Mitræ uſus, anuli & ſandaliorum in abbatibus improbatus, 476. d Sacerdoti, diacono, & ſubdiacono in eccleſia Veſontionenſi conceſſus, 476. n.

Mitti aut deſcendere de cælo non convenit Patri, ſed Filio, aut Spiritui-ſancto, 569 a

Moderatio in corripiendo, 921. d

Modeſtia quid, 1182. b Commendatur, 768. c Egregia ejus deſcriptio, 122. d Monachum decet, 1211. b Mira in S. Malachia, 476. b, c

Modica non ſpernenda, 166. c Qui in modico fidelis non eſt, nec in maximo, 193. a

Moliſmenſis eccleſia Ciſtercienſis Ordinis mater, 52. n. Ejus libertatem S. Bernardus tuetur, 52. d Eamdem commendat Lingonenſi epiſcopo, 62. d Item Theobaldus comes, ibid.

Mollior affectus excæcat hominem, 424. c

Monachi etymon, 591. c Eſt pium Chriſti jumentum, 967. f Monachi apoſtolicæ vitæ ſectatores, 1127. d, e Pauperes Chriſti, 110. d Domeſtici Dei, 64. c Deus eos aſſumpſit in proprios, 1071. b Ad fundandum cœnobium miſſi, ut nuntii Dei ſuſcipiendi ſunt, 98. f Monachi ſancti dicti, 135. d Ipſis ſanctitatis nomen tributum, 102. b 106. b Item beatitudinis, 147. d

Monachi dotes, 316. a Vera inſignia quæ, 476. c Quales & quanta eorum obligatio ſecundum S. Bernardum, 562 d, e Cura conſcientiæ expurgandæ eis quanta, 1216. a In eis minimus etiam nævus graviter offendit, 1118 b Ipſis in congregatione vivendum ordinabiliter ſibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo, 989. e Perfectorum felicitas, imperfectorum miſeria, 916. c, d Initio converſionis nulla magis neceſſaria virtus, quam ſimplicitas humilis, & gravitas verecunda, 805. c Monachorum tres ſtatus, 1 67. c, a 1105. d

Monachorum felices latebræ, 834. d Eos maxime decet modeſtia, 1211. b Ipſorum officium non eſt docere, 96. a Sed lugere, 1485. b Sedere & tacere, 535. c Silentio addicti quomodo conſilium & auxilium fratribus exhibere debeant, 721. b, c Eorum eſt vivere de manuum labore, 555. c Quam periculoſum eis eſt prædicandi deſiderium, 1485. a & ſeq. Sine miſſione prædicationis officium aſſumere non debent, 558. a Non obloquantur epiſcopis, 1300. c An conveniat eis cenſura in epiſcopos, 465. c Eorum frequens tentatio, epiſcoporum ambire gloriam, aut exceſſum judicare, 1101. a Ad epiſcoporum aſſumpti abbatis poteſtati ſubtracti ſunt, 18 2. b Epiſcopis factis habitum & vitam priorem deſerere haud licitum, 197. n.

Monachorum vita in labore, 543. e Eorum quadrageſimali devotione torquetur dæmon, 841. e Immerito queruntur de vitæ præſentis laboribus, 1130. c Eos tentat diabolus aliquando auſteriora, aliquando remiſſiora ſuadendo, 1125. c & ſeq. Eis non quærenda commoda, 592. d & ſeq. Segnes & languidi notantur, 1073. c Neglectis regulis, tribus ſubſtantialibus votis contenti, extra viam ſunt ſalutis, 354. a Monachi ſenſuales omnibus hominibus miſerabiliores, 141. c Eorum abuſus in cibo & potu, &c. perſtringuntur, 535. d & ſeq. Ciborum obſervatores notantur, 1378. c 1379. b & ſeq. Item valetudinis nimis ſtudioſi, 1378. c & ſeq. Eis non convenit agere medicos, 70. a Indecorum id ac periculoſum, 68. c

Monachi parentum ſolliciti notantur, 809. b, c Quam iis periculoſus amor parentum præpoſterus, 1484. f Sæcularibus dediti perſtringuntur, 844. a & ſeq. Item curis ſæcularibus dediti, 754 a Monacho, præſertim tironi, vitanda ſæcularium converſatio, 499. c Quidam peccata in ſæculo facta jactitantes notantur, 1315. d Monachorum viſitationes antiquis quam diſſimiles, 595. b & ſeq. Peregrinationes in monachis improbat S. Bernardus, 358. c, d Monachus in monaſterio potius agat pœnitentiam, quam in peregrinatione, 358. d Per urbes diſcurrente nihil turpius, 1016. b Monachi ſingularitatis amantes notantur, 1323. d

Monachos quales deceant veſtes, 591. c Luxus in religioſis veſtibus notatur, 754. b, c Eorum habitus humilitatis inſigne, 537. d Cupiditas in monachis damnatur, 533. c Quorumdam ſuperbia perſtringitur, 753. f & ſeq. Monachi ambitioſi redarguuntur, 476. d Eorum vanitates & ſuperfluitates perſtringuntur, 539. b & ſeq. Deo dicata membra non ſine gravi ſacrilegio in uſus vanitatis & curioſitatis aſſumuntur, 847. b

Monachi correctio ut inſtituenda, 106. c Cum perfectis & imperfectis monachis ut agendum, 17. a Diſcidia inter monachos eſſe quam indignum, 214. d & ſeq. Monacho contumaci libertatis privilegium dari improbatur, 127. b, d Monachi incorrigibiles, ejecti, 105. n. Monachus relicto monaſterio moderate vivens pejor eſt diſſoluto in illo remanente, 12. a

Monachus extraneus an & ubi admittendus, 67. c De alio monaſterio abſque ſui Superioris permiſſu non ſuſcipiendus, 306. a 519. d, c Monachus an poſſit ad aliud tranſire monaſterium prætextu voti, quod ante profeſſionem aut monaſterii ingreſſum fecerat, 367. a Monachi in alienum regnum miſſi non acquieſcentes, non cogendi, 581. a

Monachus, dictus *Religioſus*, 54 n.

Monachi matrimonium an validum, 540. c, d, n.

Monachi ſub Fabernìacenſi abbatiſſa hoſpitali deſervientes, 349. d
Monachi D C C C C. a piratis occiſi, 654. f
Monachi indiſciplinati in Claræ-valle, 1417. c, n.
Monachi cujuſdam Claræ-vallenſis laici perfectio, 1139. a
Monachi cujuſdam indiſciplinati audacia & obſtinatio, 378 a & ſeq.
Monasterium, paradiſus, 1484. b Jeruſalem, Civitas ſancta 64. e Dei tabernaculum, 33. c Pœnitentiæ locus, 371. b Lectulus floridus ſponſæ, 1436 b Carcer, 143. f 1070. f Et quidem durus, 211. a Monaſteria ſtagnis comparata, 1161. b Eccleſiarum gloriam augent, 186 a In monaſterio ut converſandum, 92. c Duo in monaſteriis obſervanda, ſubjectio & ſtabilitas, 23. c
Monaſterium mutare cui liceat, cui non expediat, 318 b & ſeq. Non deſertores, ſed proviſores cenſendi, qui à laxiori ad ſtrictius tranſeunt monaſterium, 320 e, e Cum malo abbate an manere melius quam monaſterium mutare, 318. d & ſeq. Ut licitum eſt in monaſterio minus ſtricto manere, 25. d Mutato monaſterio ad primum non revertendum, 31v. d 320. a Tranſitum ad aliud monaſterium improbat S. Bernardus, 45. d 46. b, f Criminoſos ab ingreſſu monaſterii non prohibet, 363. d Monaſteria in regno alieno ædificari dehortatur, 76. e Monaſterium notum in Regula quid ſit, 69. d
Monaſterium pro eccleſia, 34. n.
Monaſticus Ordo primus in eccleſia fuit, à quo cœpit eccleſia, 517. a Angelicis ordinibus ſimilis, ibid. In quo conſiſtat, 147. d Monaſticæ profeſſionis elogium, 1215. f & ſeq. Eſt alter baptiſmus, 1008 e, n. Cur, 520. c Vita eſt apoſtolica, 161. f & ſeq. Item vita angelica, & quodam modo prophetica, 116. c & ſeq. Eſt præparatio ad mortem, 840. f Monaſtica vita via ad cælum compendioſa, 1127. c Sæcularibus ludus, 93. Ob auſteritatem purioris vitæ monaſteria non refugienda, 197. c Monaſticam vitam leniunt auſteritates, 199. c Monaſticæ vitæ præclara deſcriptio, 1177. c
S. Monica juxta eccleſiæ Africanæ morem oblationes Mediolani offerre volens ab Ambroſio prohibetur, 215. f
Monilia veritas, puritas, ſimplicitas, 1412. a
Monſteriolum ad radices montis Laudunenſis Sanctimonialium Ordinis Ciſterc. 381. n. Harum mira obſervantia, ibid.
Mora periculoſa, ubi de ſalute agitur, 109. c
Moralitas perfecta in evitandis vitiis & appetendis virtutibus, 1198. c
Morbos cur Deus immittit. 40. c
Morenſem eccleſiam ad condendum monaſterium Ord. Claræ-vallenſis concedunt Canonici regulares S. Dionyſii Remenſis, 381. c
Moribundi confeſſio & viaticum, 678. h Moribundos dæmon terret, 839. a Iis Angelo duce opus eſt, ibid. c Morientibus Sacramenta negabant Henriciani, 137. c V. Mors, Mortui.
Morimundus quarta Ciſtercii filia, quo anno fundatur, 84. n. Adam abbas inde temere diſcedit, 14. & ſeq. Hunc Raynaldus abbas relicto monaſterio Jeroſolymam petit, 324. a
Mors vanitatis & brevitatis arguit omnia, 484. f Vita qua vivimus magis mors eſt, nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis, 871. d Mors adoleſcentiæ non parcit, 164. c Senibus in januis, adoleſcentibus in inſidiis, 434. f Juſta peccati pœna, 513. a Opus diaboli, peccati pœna à Chriſto ſuperata, 1044. e, d Mortem & peccatum, duos hominis hoſtes, Chriſtus profligavit, 777. c, d V. Chriſti mors.
Morte nihil certius, & incertius, 109. c Ex quo incipimus vivere, incipimus mori, 871. d Mors poteſtatem non habet in animam, ſed tantum in corpus, 1066. f Mortis memoria commendata, 133. c Quatenus hæc timenda, 212. c 1144. e Morte duos ſeparatus, 1355. a.
Mortem intentat Deus ne inferat, 40. c Mors ſanctis novæ legis cur optabilis, antiquis causa, 104. b & ſeq. Mortis qualitas quo indicio colligenda, 1285. f Quibus ſit in deſiderio, 758. b Cur eam optent pii, 1331. e Quippe mors piis beneficium, 1522. a His non damnum affert, ſed lucrum, 844. e 1351. c
Mors ſanctorum pretioſa, 992. e 1044. f Mortem pretioſam duo faciunt, vita & cauſa, 105. a Item tria, quies à labore, gaudium de novitate, ſecuritas de æternitate, 1195. a Bona mors juſtorum propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem, 120. a Mors Sanctorum tripliciter pretioſa, 1194. c Morte ipſa de diabolo ſancti triumphant, 1056. a Juſtis in morte oritur vera dies, 1522. c Mors piorum an & quomodo lugenda, 336. b De morte & vita piorum æqualiter luget & gaudet Bernardus, 359. a, b Mors præveniendo laudabili vita, 1232. a Vita monaſtica præparatio ad mortem, 840. f Mors impiis denſa nox, 1522. d
Mors peccatorum peſſima, 1458 d Quomodo, 1239. d Mala mors peccatorum in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis ignisque duplici contritione, 120. a Mors, infernus, & lacus quibus competant, 1093. e Mors mala immutabilis, 1205. c Mortui ſunt qui ſecundum carnem vivunt, 899. e & ſeq. Mors eſt vita ſtulti, 1482 c
Mors animæ per peccatum, 1550. f
Mors & reſurrectio duplex, animæ, & corporis, 1433. c Mors bona, qua morimur peccato, ut juſtitiæ vivamus, 109. d Amori Chriſti potius cedendum quam morti, 807. f
Mors noſtra non ex mero amore, 851. c Mors Angelorum contemplatio, 1446. a V. Moribundi, Mortuus.
Mortalibus inhians homo merito mortalis, 1515. a
Mortificatio à monaſtica profeſſione requiritur, 775. a Mortificatio carnis, martyrii genus, 1379. a Non minus ipſi carni proficit, quam ſpiritui, 941. c Carnem vere amant qui eam mortificant, 855. a, b Mortificatio carnis exercenda cum diſcretione, 795. d Mortificatio concupiſcentiæ, 922. c, d V. Maceratio.
Mulierum nomine deſignantur carnales animæ, 1405. c Mulierum cohabitatio noxia, 83. b 84. a V. Femina.
Mortuus mundo quis, 826. c Mortuorum animæ pro diverſis meritis tria ſortiuntur loca, 1177. d Mortuorum variæ reſurrectiones, quas præcellit Chriſti reſurrectio, 894. f Mortuos temere lugentes plorandi ſunt, 1357. c, d Pie mortui non ablati, ſed tranſlati, 72. c Quis eo magis mortuus, qui fovet ignem in ſinu ſuo, in conſcientia peccatum, nec ſentit, nec expaveſcit, nec excutit, 900. a Mortuis debemus compaſſionem & orationem, 1116. b Suffragia pro mortuis, 689. c V. Mors.
Morum corruptio in clero, 657. e, f
Moſomenſe monaſterium Ord. S. Bened. 261. n. Moſomenſes monachos Pontifici commendat S. Bernardus, 261. a
Moyses Chriſti typus, 907. a Quomodo Deum viderit, 821. a Ejus pietas, 1298. c
Multiloquium fugiendum, 421. f In eo veritas periclitatur, ibid. V. Loquacitas.
Multitudo peccantium non facit impunitatem ſcelerum, 190. c Ex multitudine ſolidum non cruitur argumentum boni, 316. c
Mummonia, Hiberniæ pars auſtralis, 652. f.
Mundandus oculus cordis à peccato, 490. c V. Animus, Cor.
Mundanæ gloriæ vanitas, 121. a Exhortatio ad contemptum mundanæ gloriæ, 121. c Mundana conſolatio, divinæ impedimentum, 765. c
Munditiæ à peccatis alienis quomodo obtineri poſſit, 1831. b Munditiæ carnis neceſſitas, 1181. f
Mundus liber, in quo Dei ſapientia legitur, 1104. e Dei potentia, ſapientia, & benignitas in ejus creatione, 934. a Mundus lacrymarum vallis, 445. f Plenus ſpinis, 1432. b Mundi noctes plurimæ, 1533. l Nulla quies in hoc mundo, 1831. a Mundi bona vana & caduca, 821. d Eo an liceat uti puſſimque, 168 e
Mundi hujus miſeriæ & pericula, 794. a 923. c 1157. a Mundus animas ſuæ dignitatis immemores moritio deludit, 484. d, e Mundi contemptus, 923. d 1177 b Mundi compedes quantumvis aurei relinquendi, 1181. d Stimulus vehemens ad mundi fugam, 108. b & ſeq. Mundo & Deo ſervire impoſſibile, 113. c, d Mundum qui plus amat quam Deum, impius eſt & idololatra, 115. a Mundo mortuus quis, 826. c Mundo crucifixus quis, 826. c Mundi triumphati teſtimonium, 908. a Filiorum hujus mundi infelicitas, 122. c
Murænulæ quid. 1412. b Murænulæ aureæ vermiculatæ argento quid, 1412. d 1413. d
Murmur Deum inhonorat, 940. b Murmuratio lepra, 905. d Murmuratores in Chriſtum offenduntur, 864. b
Mutabilitas voluntatis, 92. c V. Inconſtantia. Mutabilitas in monachis improbata, 318. d V. Monaſterium.
Mutatio mortis eſt imitatio, 1351. a Mutatio de malo in bonum jucunda, 42. c
Myrrha, res amara, duras tribulationum ſignificat, 1418. c
Myſteriorum notitia in Prophetis inæqualis, 631. f

N

Nannetum, urbs Galliæ, 1360 a
Nanthelmus prior Portarum, 136. n. Carruſiæ majoris, 261. n. Demum epiſc. Bellicenſis, 347 o.
Nardus humilitatem deſignat, 1005. e 1413. f
Narratio brevis & pura manifeſtam facit abſque labore veritatem, 415. a
Natalis monachus Carruſienſis, 147. c electus epiſcopus à Papa non confirmatur, 148. a
Natalis Domini pompa & celebritas, 784 b Nativitas Chriſti debet ſemper nova videri, 773. f Fructus ejus triplex, 756. b Nativitatis Chriſti circumſtantiæ ad motes, 781. f & ſeq. Proſtratio ad lectionem martyrologii nativitatem Chriſti annuntiantem, 773. e V. Chriſtus.
Nativitatis B. Mariæ feſtum receptum, 169. e V. Maria.
Naturæ integræ ſtatus, 1088 b Item corruptæ, ibid. c Quanta corruptela ex peccato, 759. e Naturæ triplicem lapſum reparavit ſumma Trinitas, 180. f V. Homo.
Nazareth, flos, 722. d 734. a 981. d Locus conceptioni Chriſti à Prophetis prædictus, 654 c
Neapolis ab obſidione Rogerii tyranni liberata per Piſanos, 146. a
Neceſſarium, ſtabile, inviolabile, incommutabile, 301. f
Neceſſitas tollit libertatem & meritum, 605. c Neceſſitas voluntaria non excuſat à peccato, 1552. a V. Libertas.
Neceſſitas eſt quædam carnis loquela, 595. b Ex carnis infirmitate procedit, cupiditate ex cordis media, 857. f Eſt cupiditate tolerabilior, 857. c Neceſſitates hominis multæ, 817 d
Neceſſitas felix quæ cogit in melius, 501. c
Nehemias epiſcopus Ducranæ in Hibernia, 678. c
Negligentia & contemptus quo differant, 507. c Legum contemptu plus peccari, quam negligentia, 507. b & ſeq. Neglecto vulneri callus obducitur, 408. b
Negligentes triplex manet malum: horror in exitu, dolor in tranſitu, pudor in conſpectu gloriæ magni Dei, 1144. d Negligentes monachi notantur, 1075. c
Negligentia in gravi periculo non tam ſecuritatis eſt, quam deſperationis, 855. d Negligentiæ damna, 1111. f Negligentia circa cultum divinum notatur, 723. a
Negotium animarum noſtrarum numquam obliviſcamur, 763. a Negotium caritatis, vera

vera requies, 97. a Negotium gloriæ, otium, 1519. c
Negotiis ſæcularibus dediti monachi præſtinguntur, 754. a Tranquilla mens in medio negotiorum, rara avis in terris, 554. b
Nephtalim, cervus emiſſus, 1384. b
Nestorius in concilio Epheſino & Chalcedonenſi damnatus, 186. e
S. Nicaſii monaſterium Remenſe à regiis miniſtris expilatum, 208. c, n.
Nicolaus epiſcopus Cameracenſis, 199. b, n.
Nicolaus monachus, deſignatus abbas Trium-fontium, 286. d
S. Nicolai in Boſco monaſterium, 385. n. 528. c Alias in ſilva Vedogi monaſterium, 85. n. Ejus religio & multimoda poſſeſſio, 86. n.
Nicolaos monachus S. Nicolai de Boſco, 587. n 87. b 528. c
S. Nicolai de Prato monaſterium Canonicorum regularium, 90. n. 385. n.
Nicolaus Claræ-vallenſis, S. Bernardi notarius, 183. n. 184. b Petro Venerabili carus, 562. a 545. c 547. c 548. b, c d Ejus fraudes & impoſturæ, 282. c, d, n. Varia ejus fortuna, libri, ſcripta, 712. & ſeq.
Nigellus invaſor ſedis S. Malachiæ, 668. f 669. c
Nigredo non omnis deformis, 1350. d Etiam in ſanctis locum habet, 1351. a & ſeq. Eccleſiæ nigredo unde, 1353 d Nigredo pœnitentiæ, compaſſionis, & perſecutionis, 1370. c, d Nigredo ſœda, quæ mentis parit candorem, lumen ſcientiæ, conſcientiæ puritatem, 1352. c
Nigredo mentis, non veſtis exſecranda, 220. d.
Nigræ veſtes monachos magis decent, 220. b & ſeq. Nigris veſtibus uſi antiqui Patres, 221. c Item Hiſpani in funere, 222. d
Nimis quid, 1385. c *Nimis* pro *perfecte* aut *valde*, 565. f
Nivernenſis comes de feodo Epiſcopi habet quidquid in civitate Autiſiodorenſi poſſidet, 376. c Res epiſcopi Autiſiodorenſis ut ſuas cuſtodire debet, 376. f
Nivardus S. Bernardi frater in Hiſpaniam miſſus, 335. n. Sanciæ regis Hiſpaniæ ſorori carus, 282. a Abbas monaſterii de Spina, 254. n. Ac etiam Vallis-Richetii. *Vide Notas.*
Nobilitas qualis quærenda prælatis eccleſiæ, 420. f Nobilium virtus rara 122. a, b Clarior & illuſtrior, 122. b Nobilium virorum converſio non infrequens, 127. c Illuſtrior virtus quam nobilis proſapies, 121. b
Nomen Dei noſſe quid, 873. c Nomen Chriſti effuſum in omnes gentes, 1310. d Nomina Sponſi alia majeſtatis, alia pietatis, 1309. b, c Nomina Dei olim terribilia, nunc delectabilia, 1309. c Effuſio eorum in invicem, 1309. d Nominum Chriſti expoſitio, 791. f & ſeq.
Nonna Sanctimonialis, 123. c
S. Norbertus Ordin. Præmonſtratenſis inſtitutor, 83. c 226. n. Magdeburgenſis antiſtes, 133. b S. Bernardo prælatus, 249. n. Elogium ejus, 60. c Divinis aperiendis myſteriis tanto promptior, quanto Deo propior a7. c Eccleſiæ generalem perſecutionem prædicit, 60. d Ejus de Antichriſto ſententia, *ibid.* c Cæleſtis fiſtula, 1129. n. Norbertus ſupplex ad Theobaldum comitem pro Humberto, 30. f Norbertum Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo commendat Calixtus Papa, 385. c
Normandus epiſcopus Andegavenſis, 281. c
Norpasnus abbas Vallis-lucentis, 76. n.
Notarius archidiaconus Pariſienſis, an auctor necis Thomæ Prioris S. Victoris, 159. n. 350. a, b, d
Novatianorum error de Chriſti carne, 435. f
Novigenti monaſterium B. Mariæ, 385. n.
Noviſſima quomodo prævidenda, 993. a Noviſſimorum recordatio, 1110. a Quam utilis, 1029. a Auſteritatem vitæ religioſæ mitigat, 7. a
Novitii in religione vineæ florentes 1481. d Præda Domini, 98. c Lazarum repræſentant, 1463. c Novitiorum indoles, 1303. c & ſeq. Bona inſtitutio, 299. c, f Virtutes, 1483. Eis neceſſarius eſt pædagogus, 1103. c
Novitii ex Regula habitum ſæcularem olim retinebant Ciſtercii, 3. n. 4. c Novitiorum habitus apud Ciſtercienſes & Cluniacenſes, 4. n. Novitiorum probatio annua. 4. c Profeſſio dilata, 301. d Aliquando contracta, 217. f
Novitiorum tentatio de rigore Ordinis, 1218. a Novitii cujuſdam rigida & mirabilis abſtinentia, 392. a, b Novitiorum primitias ferre nequeunt dæmones, 1473. b Novitiis devotio præſtita, non data, 795. b c
Novitiorum pericula, 1483. c & ſeq. Eorum prima tentatio, puſillanimitas, 836. b & ſeq. Neceſſaria eis cautela in tentationibus, 831. c
Novitiorum defectio & ruina deſcribitur, 1483. f & ſeq. Incorrigibiles ejiciendi, 301. d, e Ad ſæculum revertentes quam lugendi, 1484. a, b Quaſi apoſtatæ, 353. n. Novitius à Priore ejectus abſente Abbate, 365. c Novitium ejectum, ſed poſtea in propoſito confirmatum benigne recipi poſtulat S. Bernardus, 354. f 365. b & ſeq. Novitiorum magiſtrum à ſe diſcedere dolet Abbas de Spina, 335. c
Novellos fratres non vult exponi S. Bernardus, 315. d
Nox adverſa ſignificare ſolet, 1391. c Nox ignorantia, 1568. d Nox eſt ſæculi vita 769. c d Noctes mundi plurimæ, 153. f
Nugæ fugiendæ, 425. b Nugæ aliquando ferendæ, referendæ numquam, 425. b Nugæ in ore Sacerdotis blaſphemiæ, 423. b
Nundinæ ſollemnes ad duella, 337. c, n.
Nundinæ libertatis Calendarum Maiarum, 377. a
Nuptiæ ab hæreticis damnatæ, 1489. d 1494. d 1495. a Secundæ & tertiæ licitæ, 1496. a & ſeq.
Nuptiæ Chriſti cum anima, 808. a Nuptiale convivium prandium eſt, non cœna, *ibid.* c

O

Obedientia quid, 359. n. victimis præſtat, 1391. c Obedientiæ nominus, 1063. d Obedientia commendatur, 794. d, e Et quidem ab exemplis cælorum, angelorum, Abrahami, &c. 1051. d & ſeq. Item in apoſtolis, in Chriſto, in Abraham, 1170. c & ſeq.
Obedientiæ neceſſitas, 1340. f Et utilitas, 908. d Non niſi obedientiæ mandatorum contemplationis guſtus debetur, 1427. c Obedientiæ voluntariæ formæ, 1567. f
Obedientia triplex, 1171. b Obedientiæ gradus varii, 1171. f & ſeq. Obedientiæ gradus optimus, cum eo animo injunctum opus recipitur, quo & præcipitur, 506. e Superiorum in obediendo mandata diſcernentes præſtinguntur, 957. c Obedientiæ virtus diſcretionem ſupplet, 795. e Obedientia quibus difficilis aut impoſſibilis videatur, 513. b & ſeq. Obedientiam gravem non eſſe niſi imperfectis & carnalibus, 509. e Obedientia mandatum præveniens ampliorem gratiam meretur, 855. c Obedientiæ lex in quibus valeat, 18. f
Obedientiæ ordo, 306. a Obediendum Deo potius quam homini, 18. c Obedientia quæ voti terminis cohibetur, eſt imperfecta, 306. b c Perfecta quæ ſit, *ibid.* Obedientiæ terminus qui & vitæ, 305. d 521. b c Obediendum Præpoſitis ſicut obedientiam exigimus à ſubditis, 350. c Obedientia cum reverentia ſuperiori etiam indigno exhibenda, 725. a Prælatis in quibus obediendum, 1178. d & ſeq. Obediendum prælato tamquam Deo, ubi tamen Deo contraria non præcipit, 307. f & ſeq. 509. a Obedientia abbati non debetur in his quæ ſunt ultra, citra, aut contra Regulam, 304. c & ſeq. Abbati in malo non obediendum, 18. d 22. d & ſeq. 24. d Obedientiæ errata rectis eſſe venialia, 510. b Majorum imperiis non præponenda minorum, 20. b
Obedientia falſa, 1374. b Obedientia vitioſa quæ, 1053. c Non omnis inobedientia letalis, 510. c Verus obediens minima non ſperat, 506. f Obediendum ita ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum eſt, fiat, 795. c Fruſtra de obedientia ſibi blanditur, qui occulte ſatagit, ut id ſibi imperetur quod vult, 1357. b In difficilioribus agendis obeditio gratior, quam prævaricatio gravior; in facilioribus contemtus damnabilior, quam actus laudabilior judicatur, 317. c Obedientiæ jugum excutiens mala eſt libertas, 476. a Obedientiæ curioſius, 1357. c
Obedientia exemplo Chriſti ſectanda, 368. d, c 1355. c Chriſti actiones ſunt obedientiæ documenta, 1553. c Chriſtus vitam dedit ne perderet obedientiam, 475. b Obedientiæ perfectæ exemplum in Petro & Andrea, 1063. f Obedientia qualis apud Claravallenſes, 397. c
Obedientiæ ſeu parvæ cellæ extra cœnobium aliquando ſynagogæ ſatanæ, 233. b
Oblatio Cain cur reprobata, 1349. a Oblatio Chriſti in templo & in cruce, 903. c, 8
Oblatio filiorum in monaſterio quo ritu facienda, 4. d Parvulos ligabat, 3. n. Oblatio parentum an voto filiorum præferenda, 4. c f Oblatio filii à parentibus facta non præjudicat voto proprio, 341. c, d
Oblationis noſtræ tres conditiones, 963. c Nos ipſos Deo offerre debemus, *ibid.* a S. Monica juxta eccleſiæ africanæ morem oblationes offerre volens Mediolani, ab Ambroſio prohibetur, 215. f
Oblivio quædam bona, quædam mala, 774. d Oblivio bona, ſi & teipſum neſcias, ut proſis proximo, 466. a
Obſecratio conſcientiis infirmis convenit, 1134. c
Obſervantiæ regularis propoſitum ex corde procedit, 216. a Obſervantiæ corporales boni propoſiti, viæ Domini, 1834. c
Obſtinati aſpidi ſimiles, 855. d Poſt lapſum abominabiles, 944. d
Obſtinatio ſumma religionis ſubverſio eſt, 865. c Maxime vitanda, 959. c Obſtinatio viam miſericordiæ diabolo interclusit, 859. a
Obumbratio Mariæ, 1383. c
Occaſionis ſubtractio, veræ compunctionis indicium, 898. c
Occulta tria, 153. a
Occupationes exteriores quam periculoſæ, 409. b d
Oculi & aures per hædos ſignificantur, 571. c Oculorum curioſitas culpæ commiſſæ indicium, cauſa committendæ, 575. a Oculos inculpabiliter levas, ut petas, vel ut impendas auxilium, 571. d Oculi erunt noſtri poſt reſurrectionem, 846. c & ſeq. 847. f *V.* Curioſitas.
Oculus meus, memoria mea, 1040. c Oculus cordis quadruplex, 515. c Oculus mentis oratione & confeſſione mundatur, 1019. a Oculus mentis à triplici inquinamento purgandus ad videndum Deum, 1028. c Oculus cordis à peccatis mundandus, 490. c Oculum ſimplicem duo faciunt, amor boni, & cognitio veri: oculum nequam cæcitas & perverſitas, 515. a, b
Odalricus Tarracenſis archiepiſcopus, 135. n.
S. Odilo abbas Cluniacenſis, 536. f
Odium & amor corrumpunt judicium, 365. c
Odo abbas Belli-loci Ord. Præmonſtrat. 250. n. S. Bernardi amicus, 361. b c
S. Odo abbas Cluniacenſis, 536. f
Odo ex abbate S. Cornelii, abbas S. Dionyſii in Francia, 175. c Ejus elogium, 275. c & ſeq. 275. n. Ejus defenſionem adverſus iniquas comminationes ſuſcipit S. Bernardus, 575. c 576. a & ſeq.
Odo abbas S. Genovefæ, 333. b
Odo abbas Majoris-monaſterii, 353. a, n. Vir optimus, 336. f
Odo abbas Pultarienſis, 714.
Odo abbas S. Remigii Remenſis Carthuſiæ de Monte-Dei fundator, 279. n.
Odo comes Sparnacenſe monaſterium fundat, 362. n.
Odo dux Burgundiæ, 562. n.
Odo de Tociaco miles, 377. c n.

Odolricus canonicus Lingonenſis, 161. d 162. n.
Oeconomus debet eſſe fidelis, & prudens, & auctoritate pollens, 442. e, f Qualis ejus debeat eſſe auctoritas, 443. a Oeconomus fidelis prudenti an præferendus, 443. b
Offerhass civitas in Hibernia, 678. b
Officium divinum Opus Dei dictum, 1431. e Officio divino ut aſſiſtendum, 1431. e & ſeq. In divinis officiis qualia legi vel cantari debeant, 337. c, d, n
Officia exteriora a religioſis non expetenda, 1002. a Religioſis ab officiis exterioribus, vacantibus quid incumbat, 1002. f & ſeq.
Ogerius Canonicus, regul. 90. a 340. b n. abbas honeſtate, ſcientia, & religione commendabilis, 99. b
Olannus cellarius, 377. b
Oleum & vinum vulneribus noſtris Chriſtus infudit, 317. a Olei tres proprietates, lucet, paſcit, ungit, 1310. f Olei proprietates nomini Jeſu aptatæ, 1310. f Oleum adulatorum venenoſum, 50. f
Olricus canonicus Lingonenſis, 161. d
Onus Chriſti leve, 73. d & ſeq. 1307. a Etſi premere videatur, portandum, 839. c & ſeq. Onus Chriſti pennis avium & quadrigæ comparatum, 73. e, f Onus Chriſti non gravat, ſed levat, 73. d Onus Chriſti onus beneficiorum, 870. e 939. f Onerat nos cum exonerat Deus, onerat beneficio cum exonerat à peccato, 870. e
Onus grave iniquitas, 870. e Oneris & jugi commutatio, 870. d
Opus Dei dicitur officium divinum, 1432. e
Opera Domini magna, maxime Creationis, redemtionis, & glorificationis, 779. e Opera Chriſti exterius conſiderata, minus capaces animos paſcunt, 807. d
Opera hominis, ſemina æternitatis, 485. b Opera diſcernunt inter filios Dei & filios diffidentiæ, 1012. c Opus omne triplici conſideratione præveniendum, an liceat, an deceat, an expediat, 43. a Operum bonorum Deus eſt cauſa finalis & effectiva, 850. e Bonorum operum Deus auctor eſt, remunerator & remuneratio tota, 850. d Vitiantur ex mala conſcientia, 1314. b Opera Deus judicat ex intentione, 1046. e Opera verbis concinant, & verba operibus, 193. a Opera cum fide jungenda, 1348. f & ſeq. Operibus fides comprobanda, 1349. b Opera ſine fide non faciunt hominem rectum, ſed neque ſine amore Dei & Eccleſiæ, 1349. d Fervore devotionis condienda, 728. b Opera pietatis caritatis cauſa aliquando intermittenda, 1439. c, f V. Fides.
Opus & voluntas quando rata, 788. b & ſeq. Multoties minus juſtitiæ habent qui magis operantur, 531. c Operandum in hoc mundo ſed non de hoc mundo, 1113. e Opera tenebrarum ſunt peccata, 789. f V. Actio.
Opes quatenus habeat prælatus. 439. d V. Divitiæ.
Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid quod falſum eſſe neſcias, 447. b Si habet aſſertionem, temeraria eſt, 447. a Opiniones quando licitæ, 614. b
Optima pars quæ, 1001. b c
Oratio quaſi oris ratio, 1133. d Oratione & meditatione aſcendimus, 1063. b Oratione dignius quæritur & facilius invenitur Deus, quam diſputatione, 458. f Oratio eſt remedium contra pravos concupiſcentiæ motus, 1018. f Orationi inſtandum, 922. a Quanta reverentia, 1137. a & ſeq.
Orationum varia genera, 1136. e, f Omnis oratio tepida, quam non prævenerit inſpiratio, 593. d Orationis optima regula, 824. c Modus recte orandi, 1136. b & ſeq.
Orationis tres conditiones, 822. f Item ſeptem, 1344. f Oranti neceſſaria puritas intentionis & continentia, 1284. e Item ſeceſſus & ſecretum, 922. b 1411. a 1567. Oratio præcipue vigilantiam exigit, 1137. c Orationis & jejunii copula, 810. f In oratione andi perſeverantes ferveſcunt, 1390. c Oratio perſeverans ad gratiam Spiritus-ſancti neceſſaria, 927. b Affectus quatuor quibus orandum eſt, 1258. b & ſeq.
Orationis tempore Deus tamquam in cælo cogitandus, 1137. c d Oratione incumbentibus libenter adſtat Chriſtus, 911. a Orantibus adſtant angeli, 744. a 1182. b & ſeq. Orationes noſtræ Deo per angelos innoteſcunt, 284. d
Orari vult Deus pro his etiam quæ dare diſpoſuit, 754. d Dulcis lex quæ meritum exauditionis in clamore conſtituit poſtulationis, 873. b In oratione quid petendum, 1228. c Temporalia & gratiæ gratis datæ ſub conditione petenda; gratia gratum faciens & gloria abſolute, 1356. c d Orationi plus fidendum quam propriæ induſtriæ, 440. e Oratio nulla infructuoſa, 823. b & ſeq. Orationes noſtras cur aliquando Deus non exaudiat, 823. f 1060. a 1065. a 1140. d & ſeq. Deus cur parcius ſubinde det quod homo deſiderat, 815. a Orationum efficacia ex vita laudabili, 262. c Orationem ſupplet verecundia, 580. b Orans tria conſiderare debet, & quid petit, & ipſum quem petit, & ſeipſum qui petit, 1228. d & ſeq. Orantes quam ſuaviter afficiat cæleſtis gaudii memoria, 1124. d Orationes & lacrymæ arma Bernardi, 288. a Orationibus eccleſiæ privari quanti ſit periculi, 581. b Oranti tempus obſervandum, 1568. n.
Orationis tria vitia, timiditas, temeritas, tepiditas, 821. c & ſeq. Hæc duobus modis impeditur, 1228. a Orationi inimicæ longæ confabulationes, 1120. a Pro deſperatis non orandum, ſed gemendum, 579. f
Oratio peccatoris exſecrabilis, 1318. c V. Contemplatio.
Oratorium ex virgis in ſæpem textis, 675. a Oratorium ex lapide primum in Hibernia, 684. f Oratorium ex ligno, 665. b
Oratorium monaſteriorum ord. Ciſt. 130. n.
Ordo & diſciplina ſynonyma, 3. n. Ordo viget in monaſteriis, 1316. c Ordo monaſticus primus in eccleſia fuit, immo cœpit ab eo eccleſia, 337. a Angelicis ordinibus ſimilis, ibid. In quo conſiſtat, 147. d
Ordo Ciſtercienſis idem dicitur cum Cluniacenſi, &c. 3. n. Diſtinguitur, ibid. Ordo Claræ-vallenſis, 383. e Ordinis ſui nigros monachos, appellat Bernardus, 83. c Ordinem Ciſtercienſem cur aliis prætulerit S. Bernardus 530. d Ordo Cluniacenſis glorioſiſſimus, & mundi lumen, 327. c Ejus elogium, 328. d
Ordines tres eccleſiæ, conjugatorum, continentium, & Prælatorum, 1150. a Ordines quatuor in domo Dei, 1243. d
Ordines minores ab abbatibus collati, 477. n. Ordinum indigni ſuſceptores notantur, 493. a Errores de Ordinibus, 1408. c
Ordinationes illegitimi epiſcopi an tenendæ, 320. e
Ordinare amandis inhæret qui timenda non negligit, 1184. e
Orientalis eccleſiæ ſtatus periculoſus, 339. e Infelix ſtatus, 873. b 374. c
Originale peccatum, maximum, 886. d Ejus remedium olim durum, nunc facile, 804. a, b Quæ remedia ante Chriſtum, 627. b
Origenes caute legendus, 1153. d Quædam ejus dicta minus congrua, 1155. a 1452. a 1552. n. 1532. a, b, n.
Orildertus ſeu Oribertus ex priore Caſæ-Dei epiſcopus Valentinus à Bernardo laudatus, 347. b 265. a, n.
Ornatus virginum verecundia & diſciplina, 322. d Ornatus filiarum hujus ſæculi manus & caducus, 322. e Ornatus ex mutuum pellibus improbatur, 943. e
Oscula tria denotant tres animæ ſtatus, 1275. c Oſculum reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium, 1339. e 1243. a Oſculum de ore, Oſculum de oſculo: utriuſque diſcrimen, 1287. c d Oſculum manuum provectis congruit, 1274. a Oſculum oris perfectis ibid. e Oſculum manuum Deo gloriam dare, 1274. a Oſculum oris petit anima Deum ſitiens, 1282. d Oſculum triplex pedum, manuum, oris, 1206. e Oſculum pedum indicium pacis, 1273. f Oſculum pedum congruit pœnitentibus, 1273. a Oſculum oris norunt ſoli experti, 1273. c
Oſculum Patris & Filii Spiritus-ſanctus, 1285. d 1286. b Oſculum Patris & Filii & Spiritus-ſancti, 1309. b 1286. b Oſculo Spiritum-ſanctum ſibi infundi ſponſa poſtulat, 1285. d Oſculum in divinis quid, 1285. b Oſculum eſt Incarnatio Verbi, 1278. b Item Spiritus-ſancti donum, 1235. c
Oſſa Claræ-vallenſium ex priori cœmeterio in aliud tranſlatum, 1043. e
Oſtentatio cavenda, 782. b, c Adoleſcentibus, 1567. c Utile eſt abſcondere magis quam oſtendere ſi quid boni habemus, 787. a
Oſtienſis epiſcopi eſt conſecrare ſummum Pontificem, 337. b
Othertus S. Benedicti monachus, 11. e
Otiosi ſermones damnati, 1170. a Temporis jactura in verbis otioſis quantopere cavenda, 1128. f & ſeq. Otioſum verbum quod nullam habet rationabilem cauſam, 1118. f Otioſitas fugienda, 425. b Otium non eſt quod non omnino ratione vacuum eſt, 507. c
Otto monachus Mediolanenſis, 143. a
Ovis, nomen innocentiæ, 122. f Ovi & api Chriſtus comparatur, 722. c, d
Ova quam multis modis poſſint & ſoleant præparari, 135. e Eorum abſtinentia apud primos Ciſtercienſes, b, n.

P

Pacatus quis, 493. c
Pacificus quis, 491. c
Pacta, ab iis non reſiliendum ob ſuſpiciones, 406. a
Paganus de Monte-Deſiderii, miles Templi, 543.
Pagani an occidendi, 546. c
Palatium, humilitas in eo rara, 417. a
Palefridus quid, 108. n.
Pallium plenitudo honoris archiepiſcopalis, 141. b 674. d Ejus uſus ante S. Malachiam archiepiſcopis Hiberniæ deſuit, 675. d Quanti ejus dignitatem fecerit, 68. e & ſeq. Ante ejus uſum an archiepiſcopi Armachani antiſtites, metropolitani uſi poteſtate, 311. n.
Palliata iniquitas perfectorum tentatio, 839. b & ſeq.
Panis Ciſtercienſium ex avena 6. n. 391. f
Panis animæ multiplex, 1074. e Panes ſeptem myſtici, 919. d, e Panes tres amico miniſtrandi; veritatis, caritatis & fortitudinis, 920. d Panes ſeptem ex quibus quatuor hominum millia ſatiavit Dominus myſtice, 1038. e Panibus quinque apoſtoli refecti, 883. d
Panni Chriſti noſtræ ſunt divitiæ, 667. b
Papa Vicarius Chriſti, 249. a 474. e Vicarius Petri, 172. b 317. a Vicarius Petri & Pauli, 177. n. 343. a Apoſtolorum heres, 425. e Orbis epiſcopus, 236. c Speculator eſt ſuper omnia conſtitutus, 419. e Parem non habet ſuper terram, 417. b Ipſi datum eſt judicare de univerſis, 198. e Gladius ejus duplex 418. b Claves ejus, 270. b Plenitudo poteſtatis ſuper univerſas orbis eccleſias ei donata, 141. b Solus plenitudinem habet poteſtatis, 236. a Orbi excundum ei, qui volet explorare quæ non pertineant ad ejus curam, 425. d Et reverentia omnimode exhibenda, 141. c Poteſt omnem ulciſci inobedientiam, 241. e
Papæ primatum teſtatur appellatio de toto mundo ad ipſum, 428. b Non modo ovium ſed etiam paſtorum omnium unus paſtor, 432. b Reverentia ab archiepiſcopo ei exhibenda, 474. e De Epiſcopis creare poteſt Archiepiſcopos & e converſo: & creare poteſt novos epiſcopatus, 141. c Epiſcopos ipſos deponere & excommunicare poteſt, 422. d Solius eſt ejus Epiſcoporum depoſitio, 235. f A finibus terræ quaſcumque perſonas eccleſiaſticas quoties viderit expedire cogere poteſt ad præſentiam ſuam, 142. c Præſidet Principibus, imperat epiſcopis, regna & imperia diſponit, 232. d Ejus læſio omnes catholicos tangit, 340. c Papæ conſenſu pro Roberti tranſitu ad Cluniacenſes, 3. f
Papæ poteſtas non ſola à Deo inſtituta, nec alias ſpoliare debet, 433. a & ſeq. non dominus eſt epiſcoporum, ſed quaſi

unum ex ipſis, 444. d Summus Pontifex eſt dictus non conſummatione ſed comparatione, 421. c Papæ cura qualis eſſe debeat, 434. a maxime circa hæreticos, ſchiſmaticos, & infideles, 437. a, b & ſeq. Ejus eſt nalcentes hæreſes extinguere, 184. a Ejus culpa eſt, ſi culpa non ferietur, 316. a Ejus cenſura à concilio Senonenſi petita adverſus errores & perſonam Petri Abaelardi, 310. b, c Hæreticorum error de papa, 1490. c

Papæ dotes, 444. c Ejus animus qualis eſſe debeat, 442. d Qualis eſſe debeat erga Eccleſiam, 411. f Sic præſit ut proſit, 416. c Subditorum commodum, non proprium quærere debet, 430. d, e Ut ſe gerat in judiciis, 416. b Et cavenda perſonarum acceptio, 426. b Indecens ex poteſtate non ex ratione agere, 432. b Quid de ſubreptitia aut injuſta licentia ſit ſentiendum, 30. f Ejus onus angelicis humeris formidabile, 252. f Et maxime vitanda dominandi libido, 426. c Orbis diſpenſatio ipſi credita eſt, non data poſſeſſio, 425. f Ejus poteſtas in crimina non in poſſeſſiones, 418. b Pontifice ſervitus indigna quæ, 410. c, d Ipſi vitandus litium ſtrepitus, 409. e Minimis occupari non decet, 448. e, d Nundinatoribus non factis ſit ſed terribilis. 416 b

Papa ſit inflexibilis adverſus carnem & ſanguinem, 269. c Non ſolum decet eum vitæ ſanitas, ſed & famæ decor, 138. b Ei non negligenda familiæ diſciplina, 444. a Famæ & conſcientiæ conſulat, 438. d Bonum eſſe ei non ſufficit, niſi tales etiam habeat adjutores, 439. a Familiares ejus clerici quales eſſe oporteat, 435. c Et collaterales, 438. c Neceſſarius ei bonus Cancellarius, 273. a Miniſtros compreſbyteris ſuis anteferri nec antiquitas habuit, nec perſuadet ratio, 448. a Quales olim paſtores eccleſia Romana habuerit, 436. d

Papæ elogia, 428. a Sanctus pater appellatus, 264. c Ei datus ſanctitatis titulus, 271. e 398. a 646 d Sublimitatis, 399. a Majeſtatis, 249. b 260. c Serenitatis, 207. n. 309. a Excellentiæ, 308. f Dignationis, 417 b

Papa equo albo vectus, 437. c, n. Indutus cappa rubea, 418. c, n. 437. n. 418. a Papæ brevis vita, 433. c V. Sedes apoſtolica, Vicarius.

Parabolæ Salomonis quam utiles, 1267. b

Paraclitus eſt Chriſtus, 1062. c V. Spiritus-ſanctus.

Paradiſi felicitas, 1388. b Ejus fontes ſpirituales quatuor, 1534. b V. Beatitudo.

Parentum primorum lapſus ex inſtabilitate & defectu caritatis, 1863. a Eos non vi, ſed arte vicit diabolus, 110. b 1128. a, b

Parentum amor ut ordinandus, 109 a, b Crucifixi amori cedere debet, 299. d Parentes in rebus ſalutis filiorum inimici, 119. b & ſeq. 120. c Parentum fuga commendatur, 113. d Hos ſpernere pro Chriſto, piiſſimum, 109. b Eorum amor non conſulendus, ubi de fuga ſæculi agitur, 109. b Parentes qui ſuos à religionis ingreſſu avertunt arguuntur, 9. c & ſeq. Parentes religioſos filios non amittunt, 118. d

Parentum præpoſterus amor monachis quam periculoſus, 1484. f Eorum cura a monachis abjicienda, 809. b, c Jeſus longe à patria & parentibus quærendus, 369. c

Pariſius nobilis Galliarum civitas regia, 430. a Pariſienſis eccleſia paſtore deſtituta, 208. c

Parrochia pro diœceſi, 174. d, o. 152 c

Pars optima quæ, 1001. b, c

Partus duo in matrimonio ſpirituali, 1566. c

Parvinus ex monacho S. Vincentii Laudunenſis abbas Cameracenſis, 55. c 56. n.

Parvitas duplex, humilitas & manſuetudo; utraque tamen non parva virtus, 958. c

Paſcha, tranſitus, 897. d Non eodem tempore apud omnes celebratum, 216. a Paſchalis confeſſio, 898. b Item Communio, 898 c

Paſci a ſponſo quam dulce, 1388. a, b Paſci inter lilia quid, 1524. f Paſcitur ſponſus, cum illi obeditur, 1518. b V. Paſtio, Gaudium ſpirituale.

Paſcus ſponſæ, 1590. b Paſcua mala quorumdam paſtorum, præſertim philoſophorum & hæreticorum, 1590. c, d

Paſſagium Ciſtercienſibus monachis a Lotharingiæ Duce conceſſum, 116. c

Passio Chriſti noſtrum meretur amorem, 114. a, b Magnum amoris incentivum, 586. f 1143 c & ſeq. Martyrum confortatio, 1477. b Remedium tentatorum, 899. c Quam efficax ad ſpem chriſtianam, 1476. a Sola nobis ſufficit, 883. c Paſſionis Chriſti memoria optimum inter aſpera & proſpera præſidium, 1418. c Paſſionis Chriſti vis & efficacia, 884. f Fructus, 587. d Ejus meditatio quam utilis, 299. c 1419. c Ubi paſſionis ſuæ gratiam recogitari videt Chriſtus, ibi ſedulus adeſt & libens, 587. c Bernardi devotio in Chriſti paſſionem, 883. f 1418. f & ſeq. Paſſionis Chriſti in nobis fructificantis indicium, 883. b Ei tribuitur remiſſio peccatorum, 972. c

Paſſionum noſtrarum cauſæ ab humoribus inordinatis procedunt, 1038. a Hæ quomodo ordinandæ, 817. f 889. c

Paſſiones hujus temporis non ſunt condignæ ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præſentem gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur, 494. a

Paſtio & cubatio in meridie quid, 387. f & ſeq. Paſtio ſponſi, profectus noſtri, 1515. b Paſtus ovium triplex, 1537. c

Paſtores ſponſi amiciſſimi, 1537. a Sunt quaſi cuſtodes & cultores vineæ, 998. b Marthæ funguntur officio, 1001. d Propter imperfectos inſtituti, 1447. a Paſtore bono nihil pretioſius in Eccleſia, 147. b Paſtoris boni eſt infirmorum potius ſaluti, quam propriæ ultioni conſulere, 1350 b

Paſtoris boni conditiones 1348. b 1537 c & ſeq. 1522. b & ſeq. Ovibus debet eſſe diſſimilis. 463. d Ejus triplex officium, 900. b Tres dotes, 989. b Paſtori in primis neceſſarius amor, 1147. a 1157. a Item vigilantia, 1240. a Sollicitudo, 1134 c Exemplo potius quam verbo docendum, 1813. c 1137. d Paſtores oves ſuas paſcere debent verbo, exemplo, & oratione, 493. b Paſtores eccleſiæ litteratos & ſanctos requirit Bernardus, 248. b Fac opus evangeliſtæ, & paſtoris opus impleſti, 438. a A paſtoribus cura non curatio exigitur, 435. f Paſtori pro non ſufficit ſua correptio, ſi adhuc p. eluctur inferior, 1415. d Paſtor cum duris & refractariis ut agere debeat, 438 d Paſtorum eſt domare lupos, non dominari ovibus, 410. c

Paſtores negligentes ſe & ſuos perdunt, 1338. a Bonos à mercenariis diſcernit perſecutio, 424. f Paſtor ſic ſciat diſponere negotia rerum externorum, ut norit præponere curam animarum, 61. d Paſtores capaces quanta pro temporalibus patiantur, 495. a Paſtorum bonorum quæ deliciæ 1813. b, c Digni ad paſtoralem curam trahendi, 147. c Paſtores veri quibus paſcuis ſolicant animas paſcere, 1196. a Paſtorum quorumdam mala paſcua, 1390. c Periculoſum eſt agere gregem ſeorſum a Paſtore, 1387. b V. Prælatos.

Paſtoralem curam amore quietis abjici non probat Bernardus, 91. a Paſtoralis cura apud Ciſtercienſes olim non grandis honor, ſed grande onus, 314. a

Pater Deus perfecte non cognoſcitur niſi cum perfecte diligitur, 1587. c Patri non convenit mitti, aut deſcendere de cælo, ſed Filio aut Spiritui-ſancto 369. a Jus eſt miſereri, 1314. a Patris & Verbi præſentia in nobis unde colligenda. 1309. c, d

Patris affectus in filium, 65. c Patris nomen renuit S. Bernardus, 74. d

Patres ante Chriſtum in fide futuri Meſſiæ ſalvati, 654. b Patrum antiquorum deſideria erga Chriſtum naſciturum, 773. a Hæc deſideria noſtrum arguunt torporem, 1370. c & ſeq. Patrum veterum facta quædam ſignificatione decora, etſi opere ipſo fœda, 807. c

Patrum contemtores hæretici, 283. a Bernardi reverentia erga Patres, 108. c V. Bernardus.

Paternitatis titulus epiſcopo, 354. c S. Patricius Hibernenſium Apoſtolus 1041. b Ejus cultus, 667. d commeret n. 187. a

Patiens quis, 491. c Triplici providentia eget 989. f Patienter tolerans alios, omni laude dignus, 1029. d Pati & paſci ſimul moleſta jucunditas, 1390. a Homo ſit jumento ſimilis in ferendo Chriſti onere, 839. d

Patientia pie viventibus neceſſaria, 983. b In duris & aſperis amplectenda, 724. f Non tamen omnis patientia probanda 409. f Patiendi ſpeculum Chriſtus, & præmium patientis, 1430. f Patientia commendatur exemplo Chriſti, 944. c V. Chriſtus. Patientia Davidis in maledicum expenditur, 1394. a, b Patientiæ cumulus, 1837 c

S. Paulinus ſanctis Martino, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo familiaris, multiſque ab ipſis, & à S. Gregorio laudibus prædicatus, 281, f

Paulus apoſtolus converſus multos olim prædicatione, nunc etiam exemplo, oratione, doctrina convertit, 955. b In verbis brevis, ſed in ſententiis copioſus, 1122. f Non hominum ſed Dei judicium æſtimat, 1154. c Cæleſtis ſitula, 379. f Os ejus, ſitula Dei, 1335. c Fons magnus & indeficiens, 1291 c Tot verba, tot tonitrua, 1123. a Magiſter ſimpliciter appellatus, 1414. c Item Sapientiſſimus dictus, 1421. b Vas aromaticum, 1298. a

Pauli merita unde, 623. b Pauli nigredo & formoſitas, 1351. b & ſeq. Pauli pietas, 1298 b Servitus qualis, 410. c Ejus raptus exponitur, 368 f Pauli humilitas, 1394. c Obedientia & propriæ voluntatis abdicatio commendatur, 917. c Manſuetudo, 959. b Ejus elogium, 988. c Mira in Paulum Dei miſericordia, 993. c Anima quomodo perdenda exemplo Pauli, 1378. d Quomodo diſtinguat inter ſe & animam ſuam, 1378. b Converſionis S. Pauli memoria quam utilis, 955. c

S. Pauli Virdunenſe monaſterium, expulſis monachis conceſſum canonicis, 175. a, n. Bernardi opera cedit Præmonſt. 310 d

Pauperes beati, 1025. c Non tamen quilibet, etiam voluntarii, 1023. f ſed pauperes ſpiritu, 483. c 1026. a Eorum dignitas, 107. c, d Reges ſunt, ibid. 196 d Et quidem reges cæli, 727. c Sunt quaſi incogniti & derelicti à Deo, 1202. d Pauperibus & martyribus eadem repromiſſio facta, 1029. f Pauperes in futuro judicio ſecuri, 850. a

Pauperes, ſed pii & religioſi, in prioris fovendi, 100. c Non ſunt relinquendi, qui ipſi ſe reliquerunt, 262. c, f Pauperum preces arma Bernardi, 258. e Pauperes de ſuis laboribus alunt monachi Claravallenſis, 833. a A pauperibus cælum mercantur divites 1222. f Pauperes divitum manus oſculantur cum aliquid ab eis accipiunt, 1276 b Pauperum amor & imitatio quæri, 107. c Pauperum cauſæ præ aliis curandæ, 415. a Pauperum querelæ in luxum prælatorum, 464. b & ſeq. Prætermgitur acceptio divitum præ pauperibus, 437. b

Paupertatis elogium, 39. f Paupertas voluntaria, Chriſti caſtellum, 1183. a Via ſecura, 270. b Paupertatem nativitate ſua pretioſam fecit Chriſtus, 757. b Paupertas ſancta, 100. d Martyrium, 1030. f Paupertas religioſa felix & ſecura, 852. f Paupertas evangelica & cæleſtia poſſidet & terrena, 1331. c Vitatur affectu rerum etiam minimarum, 1157. b Huic promiſſum centuplum, 370. c Item regnum cælorum, 1026. b Non ſatis promittitur, quam datur, 727. c

Paupertas vacat invidia propria & aliena, 1183. a Non paupertas, ſed paupertatis amor virtus reputatur, 105. f Opportunius contentum eſſe inopia, quam importuna copia abundare, 305. c Paupertas voluntaria univerſa ſuperflua reſecat, 720. b Paupertatis cumulus, 1157. c Paupertas Chriſti, 903. b V. Chriſti paupertas, Paupertatis amor in epiſcopo commendatur, 41 b Paupertas S. Malachiæ epiſc. 676. c

PAX & unitas formam cæleſtis civitatis nobis repræſentant, 1081. b Pacis & concordiæ ſymbolum anima in corpore, 1081. c Pax & concordia angelis maxime placent, 1081. b Pax & caritas commendatur 1378. c Pax cum Deo, cum proximo, & in ſeipſo homini quærenda, non gloria, 1041. e Gloria, Dei; pax, hominum portio, 134. d Pacem Deus tribus hominum generibus loquitur, 1105. c & ſeq. Pax in mundo, Chriſto adveniente, 720. c

Pax nulla, timore prævalente, 1444. a Pax perfecta hic haberi non poteſt, 758. b Pax plena & perfecta alteri vitæ reſervatur, 767. f Pax & gaudium in cælo, 1123. d, e Pax plena cordis futuræ vitæ reſervata, 984. b

Paci duo neceſſaria, 1126 c Pax quam proximo debemus caritate & humilitate tuenda, 1114. c

Pax multiplex, 1233. b Pax quadruplex, 1242. c Pax ficta, inordinata, & Chriſtiana, 1126. b

Pacis ſtudium lites reprimit, 1336. b Pacis inimica ambitio, 134. c Pax perditur, cum Dei gloria ſpernitur, 134. d Ubi pax non eſt, nec Deus, 369. c Utiliora ſunt pauca cum pace, quam multa cum ſcandalo, 340. b, n. Pacem eccleſiis procurare Sedis eſt apoſtolicæ, 303. d

PECCATOR unus cum dæmone efficitur, 968. d Etiam carnem ſuam odit, 480. c Peccantem hominem cur ſtatim non deleverit Deus, 1030. d Peccans latere non poteſt, 483. c & ſeq. Peccatoris carcer, tortores, & infernus, 998. b Peccatorum & juſtorum conſilium & finis, 114. f Peccator nihil exſpectat, ſed præſentibus detentus & contentus eſt, 1508. b

Peccatores eccleſiæ filii eſſe non deſinunt, 1350. c Dei miſericordia in peccatores, 178, f 1004 b Longanimitas, 914. f 1289. c, f Ejus dignatio in ſuſcipiendo peccatore 856. a Indulgentia Dei erga peccatores in tribus, 942. a, b Peccati ultionem tardat Deus, ut commendet patientiam, impleat electionem, & confirmet caritatem, 941. e, f Audiat in ſui vocatione peccator quod timeat, & ſic accedens ad Solem juſtitiæ, videat illuminatus quid diligat, 182. f V. Dei miſericordia & Miſericordia. Peccatores excitat ad pœnitentiam Petri pœnitentis exemplum, 994. c

Peccatoris vocatio & illuminatio quomodo fiat, 183. b & ſeq. Peccati jugum ſemel ſuſceptum excutere, divinæ virtutis eſt non humanæ, 941. a Peccatoris converſio res divinæ virtutis, 902. d Magnum miraculum, 1070 c Crucis pretioſus fructus, 117. e Peccatoris converſio quantum ſit illi bonum, 183. c Peccatoris jam ſuſcitati ſtatus, 1004. d Placet uterque Deo & peccator compunctus & juſtus devotus, 1098. b Peccatoris converſio Deo ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus eſt ad exemplum, 145. a V. Converſio.

Peccatores pœnitentes Bernardus remittit ad epiſcopos, 63. d, e Peccatoribus pœnitentibus religionem ingredi perſuadet S. Bernardus, 63. c Peccatores abſque prævia pœnitentia non promovendi ad Eccleſiæ dignitates, 86. c, f Peccantium multitudo non facit impunitatem ſcelerum, 390. c Pro deſperatis non orandum, ſed gemendum, 579. f

PECCATUM grave onus, 870. a Eſt animæ malum, 853. d Peccatum magis cavendum, quam ejus ſupplicium, 855. d Peccata ſunt opera tenebrarum, 769. f Peccati regreſſio intus eſt, 1370. b Peccata ſunt parietes, quibus à Chriſto ſejungimur, 1458. a

Peccare poſſe homini cur datum, 612. c, d Peccatum Adæ & dæmonis in Filium, 1308. d Primi parentes non coacti, ſed decepti peccaverunt, 1108. b Peccatum triplex Evæ, curioſitatis, voluptatis, vanitatis, 974. d Per peccatum homo ſpoliatus, 974. a Peccati clades in corpore & in anima, 998. b Peccata ex fidei defectu, 1151. b

Peccatum non eſt niſi voluntarium, 71. a Hoc non excuſat voluntaria neceſſitas, 1331. a Peccati cogitatio decolorat animam, affectio vulnerat, conſenſus necat, 1098. d Peccati voluptas brevis, memoria amara, 479. f Ejus voluptas tranſit, fœditas manet, 456. b Corruptela naturæ ex peccato, 759. c Homo non poteſt non peccare, 611. b, f Nec tamen amiſit liberum arbitrium, 611. f Non peccare, Dei juſtitia eſt, 1344. f Pro peccatis orandum, etiam ſanctis, 1584. d Peccatum facit conſenſus, non ſenſus, 1437. c Conſenſus in peccatum ſollicite cavendus, 1439. a Peccati gravitas non ex eventu, ſed ex intentione, 70. f

Peccata piis cooperantur in bonum, 1086. b Peccatum & pœna quomodo nobis cooperantur in bonum, 1163. f Natus ex Deo quomodo non peccet, 811. a 1095. f

Peccata non omnia eſſe paria, 310. d 318. a Peccatorum duæ ſpecies, flagitia & facinora, 1193. e Peccant alii in ſpe, alii in deſperatione, 1029. a Peccatum manens & regnans quid, 815. c, f Peccati gradus pulcra ſimilitudine declarati, 1142. c & ſeq.

Peccatum originale maximum, 886. d Peccatum originale non deeſt ubi libido non deeſt, 178. b Peccati originalis remedia ante Chriſtum, 617. b Ejus remedium olim durum, nunc facile, 804. a Peccato originali delendo in parvulis ante Chriſtum ſufficiebat fides parentum, 617. b

Peccati actualis expers ſola ex natis mulierum Maria Virgo, 170. d

Peccatis venialibus cur maneamus obnoxii, 892. c Peccata quædam eſſe venialia etiam in tranſgreſſione mandatorum Dei, 310. f Hæc delet pedum lotio, 891. c & ſeq. Peccata venialia non negligenda; in his tamen cavenda anxietas nimia, 892. b Peccata levia nolle corrigere, blaſphemia in Spiritum-ſanctum irremiſſibilis, 957. b Impoſſibile eſt ſalvari cum peccatis venialibus, niſi per Chriſtum, 891. b

Peccatum ex deliberatione animam perdit, 1099 a

Peccata aliqua ignorantiæ dari, 632. f & ſeq.

Peccati alieni immunes, ſi non conſentimus, & redarguimus, 310. d Mundities à peccatis alienis quomodo obtineri poſſit, 1235 b Si otioſi puniendi quanto magis peccantes, 486. b Verecundiæ ſpecies etiam in peccatoribus, 1567. Peccata ſpiritualia recens converſis non bene nota, 481. d

Peccatis ſolis iraſcendum, 866. c Homo ex voluntate à peccato reſurgere non poteſt, 612. c Peccatoris redemptio per Chriſtum, 998. c Peccatum & mortem, duos hominis hoſtes Chriſtus profligavit, 777. c, d Peccatum originale in aliquem à Chriſto expiatum, 806. b, c Peccati triplex genus Chriſti morte expugnatum, originale, perſonale, ſingulare, 886. c Pro quibusvis peccatis numquam deſperandum de miſericordia Dei, 570. c & ſeq. Peccata dimittendi poteſtatem & voluntatem habet Chriſtus, 533 c, d 537. a Peccatorum remiſſio paſſioni Chriſti tribuitur, 978. a Peccatorum venialium & mortalium remiſſioni quid neceſſarium, 1110. b

Peccati odium, 1178. b A peccato quomodo revocetur homo, 1145. d & ſeq. Peccato nihil reſiſtit efficacius, quam pudor aut dolor, 1110. c Peccatoris reſipiſcentis quatriduum, 1004. Peccatum non regnat in animo contrito, 1076. f Peccatorum recordatio anxia leniori divinæ benignitatis recordatione interpolanda, 1195. b & ſeq.

Peccati damnatur emendanda, 1093. a Peccati juſta pœna non avertenda ob malos eventus, 205. d Peccatum cur puniatur pœna æterna, 255. a Peccatorum pœna Deus, humilium gloria, 435. c & ſeq.

Peccata radicitus evellenda, 998. f Peccatis novis prius obſtruendus aditus quam expurgentur vetera, 481. c Peccatis expiandis tota vita impendenda, 1189. c, f Peccati ſenſus tollit aut minuit ſenſum pœnæ, 1161. a

Peccatorum mors mala in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis ignisque duplici contritione, 110. a Peccati defenſio quam periculoſa, 1415. a Quot modis fieri ſoleat, 577 c Peccandi conſuetudine homo in profundum malorum ruit, 579. c Graviſſima ira Dei, cum ſinit impune peccare, 1415. a & ſeq Perſeverare in peccato diabolicum, 719. c Peccata ſua jactantes notantur, 1315. d, c Peccati conſuetudo quam gravis, 1106. f Peccatum obſtinaci accumulat Dei longanimitas, 1110. f Quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius, ſi corruerit, colliditur quando ruit, 1095. e Amans Jeſum ejus injurias ferre non poteſt, 842. b

Pecudis ſpiritus qui egeat corpore, 1277. b & ſeq. Pecora etiam ſerviunt homini ad profectum æternitatis, 1277. f

Pelles Salomonis quæ, 1561 f

Pellium uſus, 218. a Etiam apud monachos, 531. c Improbatur. 781. a 945. c In Cluniacenſibus culpatur, 6 c Pelliciis eorum oppoſitæ Ciſtercienſium tunicæ, 8. d Pellibus involuta ſuperbia melior eſt, quam tunicata ſuperbia, 332. d

Pentecoſtes feſti dignitas, 918. b Commercium cæli & terræ in Pentecoſte, 933. c, f

Peregrinationes in monachis improbat S. Bernardus, 338 c, d

Peregrini moralis deſcriptio, 826. b Peregrinorum ad Chriſti ſepulcrum accedentium gaudium, 536 a

PERFECTIO quam rara, 1218. d Perfectio hominis in quo, 1093. c Perfectio apoſtolica, victu & veſtitu eſſe contentum, 984. c Perfectio quædam imperfecta, 834. b Perfectio eſt, cognoſcere ſe imperfectum, 380. f Perfectionis via non ſit planior, 543. c Ejus ſtudium neſcit finem, 253. c In perfectionis ſemita ſemper currendum, 855. c & ſeq. Viæ ad perfectionem diverſæ, 390. f Conatus ad perfectionem inanes ſine Deo, 1543. c In perfectionis propoſito apparere imperfectum nævus eſt, 847. c Perfectiones omnium rerum eminentius in Deo, 1014. e

PERFECTUS quis, 1083. c 1463. b Perfectus non eſt qui non cupit eſſe perfectior, 47 d 411. c Nemo tam perfectus qui non egeat remiſſione, 775. d Perfectorum eſt gloriari in tribulatione, 45. d Quid agendum cum perfectis monachis, 87. a Perfectorum unio cum ſponſo, 1507. d Perfectorum tentatio palliata iniquitas, 1592. b & ſeq Perfectorum memoria Bernardus recreatus, 1507. f & ſeq. Perfectioni inſiſtendo moriens, perfectus cenſetur, 253. d

Pericula vitæ præſentis, 874. c Periculis hic omnia plena, 815. b

Perniculoſa inter media pericula ſecuritas, 7. c

Permutationes inter eccleſias ſine ſimonia, 336 f

PERSECUTIO Chriſtiano ipſique Chriſto numquam deeſt, 955. f Perſecutionem pauci pati volunt, 1029. c Perſecutionis ingredo, 1370. d Perſecutio mercenarios, à Paſtoribus diſcernit, 494. f Eccleſia perſecutione aucta, 1375. c Perſecutio fidelium, ipſius Chriſti cenſetur, 955. c Perſecutio tentationum ultima, 869. e Perſecutionem majorem à falſis fratribus patitur Chriſtus quam à Judæis, 953. f & ſeq.

Perſecutionem Eccleſiæ generalem prædicit S. Norbertus, 60. d

Perſecutores ſuos cur filios matris, ſuæ & non patris vocet Eccleſia, 1391. c, d

PERSEVERANTIA commendatur, 1875. f Ejus elogia, 139. b, c. Eſt imago divinæ æternitatis, 1838. d Æternitatis imago, 438. c Bonis operibus eſt neceſſaria, 1489. e Sola coronatur, 118. a Ipſius defectu multi pereunt, 139. c Per caudam hoſtiæ ſignificata, 48 d, n. 864. a 893. b Dæmon ipſi inſidiatur, 1066. e Exhortatio ad perſeverantiam, 82. f Perſeverantiam faciunt imitatio Sanctorum,

brevitas temporum, fragilitas corporum, 1169. c & ſeq. Perſeverantia in cruce & pœnitentia, 895. c
Perſeverantia Chriſti in cruce, 893. a
Perſeverantes in oratione ex aridis fiunt ferventes, 1290. c Perſeverare in malo diabolicum, 719. c 858. f
Perſuadendi efficacia, 902. c Nummo confeſſionis menda, ibid. c
Pertinacia in proprio ſenſu notatur, 284. c & ſeq. V. Conſilium.
Pedum lotio peccata venialia delet, 891. e & ſeq.
Pedes Dei, miſericordia & judicium, 1281. b Horum in anima indicia, timor & ſpes 1281. c Uterque oſculandus, ibid. f
Peſtilentiæ cathedræ quatuor pedes, & quis in ea ſedeat, 1199. e
Petitiones cordis in tribus, 824. a
Chriſtus cur petit à nobis, 815. e
Petræ foramina, Chriſti vulnera, 1475. c
Petronilla abbatiſſa Fontis-Ebraldi, 591. n.
Petronilla Alienoræ Francorum reginæ germana, 200. n.
SS. Petri et Pauli elogium, 988. c Duo ſunt luminaria, magiſtri & mediatores, 986. c
Petrus apoſtolis aliis ſuperior, 412. e Epiſcoporum princeps, 670. c Ejus amor 1528. a, b Claves Chriſti ei datæ, 1508. f Ejus gladius duplex, 257. c Timore vacillans mergi cœpit, 957. a Zelus ejus intempeſtivus, 1465. c Servi amputavit aurem, ut viam faceret veritati, 1367. c
Petri frigus, 1465. e Negatio diſcutitur, 618. a & ſeq. Peccavit non Chriſtum odiendo, ſed ſe nimis amando, 819. e Reſpectus à Chriſto quare fleverit, 1460. b Ingens in eum Dei miſericordia, 994. a Petri pœnitentis exemplum animat peccatores, 994. e Petrus pompam & ſplendorem neſcivit, 457. c
S. Petri Carnotenſis monaſterium magnæ nobilitatis, 497.
S. Petri Catalaunenſis monaſterium, 61. d
S. Petri de Monte monaſterium Canonicorum regularium, S. Auguſt. 77. a, n.
Petrus abbas Cellenſis, 260. d, n. 713. 714. De reformato monaſterio laudatus 280. n. Bernardi alumnus, ejus de conceptione B. Mariæ ſententiam vindicat, 280. n. Carthuſianos diligit in Daniam, 347 n.
Petrus abbas monaſt. omnium Sanctorum Canon. Reg. S. Auguſt. 61. n.
Petrus Abaelardus, 180. e 181. b 304 e Ejus morum deſcriptio, 183. c & ſeq. Et deformis pictura, 306. a, c 310 d & ſeq. Dictus antichriſti præcurſor, 308. c Draco, 182. d 305. e, 306. e Siles in Britannia, in Francia concipit iniquitatem, 306. a Novatum vocum & ſenſuum auctor, 302. c Ejus libri nominis monſtruoſi & dogmatis, 303. b Errores, 303. b, d 306. b, c, f 307. b 308 a, c, d 321. a 650. a De Trinitate, 637. 640. 645. a & ſeq. De Dei potentia, 642. d De Patris omnipotentia, 644. c De Incarnatione, 637. 641. a & ſeq. 653. c 654. d & ſeq. 656. b De Euchariſtia, 642. f De gratia, 637. 642. f & ſeq. De peccato originali, 642. e De peccato delectationis, 644. b De peccato Judæorum qui Chriſtum crucifixerunt, 643. e De poteſtate ligandi & ſolvendi, 644. a De bonis aut malis operibus, 643. b De fide, 185. 6, d 645. a 185. c, d Ejus ſcripta, 185 c Dum ſudat quomodo Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat Ethnicum, 650 a Sententiam ſuam præfert omnibus ſanctis Patribus, 650 c Ejus dogmata per Gallias paſſim diſſeminata, 309. a Libri lecti in curia Romana, 302. b 303. d 306. c 308. d 321. a Ubique diſſeminati, 302. b Eos cum animi indignatione legit Guillelmus abbas S. Theoderici, 302. c Sueſſione coram Legato damnatus, 186. a 106. b Eumdem & ſectatores ſecreto, dein coram teſtibus monet Bernardus ut reſipiſcant, 109 c Ipſe Bernardum provocat ad ſingulare certamen, 185. a Ad concilium Senonenſe, 309. c Ei tamen poſtea reſpondere denegat, 310. a Eumque formidat, 312. c Petri Abaelardi errores, perſona ejus ſalva, in concilio Senonenſi damnati, 312. b Appellatio ad Papam, 310. a Capitula ejus errorum, 302. e A ſanctis Patribus damnata, 185 a Et ad Papam tranſmiſſa, 310. c Ejus libros Romam mittit Bernardus, 306. f Ipſe ad curiam Romanam proficiſcitur, 307. c 988. a Ejus dogmata ab Innocentio damnata, 187. b, c Scripta igne addicta, 640. Præſertim liber de Trinitate à Legato Romanæ eccleſiæ, 184. d Illi adhæret Arnoldus de Brixia, 187. f Cui dicitur ſimilis, 905. b Alberici Remenſis condiſcipulus & adverſarius fuit, 33. n.
Petri, Alfonſi regis Portugalliæ fratris, in Gallia & Lotharingia militantis converſio, 629. c, n.
Petrus archiepiſcopus Bituricenſis, 200. n. 203. b, n. 245. n.
Petrus archiepiſcopus Lugdunenſis, 162. n. Illius apoſtolicæ Sedis legati elogium, 352. c Dictus vir piæ memoriæ, 168. d Ejus in conſtituendo epiſcopo Lingonenſi præſumptio, 164. b 165. b, c
Petrus decanus Trecenſis, 718.
Petrus diaconus cardinalis Legatus, 33. b
Petri epiſcopi Palentini elogium, 334. a & ſeq.
Petrus epiſcopus Papienſis, 143. b, n. 157. n.
Petrus alter Papienſis epiſcopus, 143. n.
Petrus epiſcopus Salmanticenſis, 197. f n. Ejus humilitas, 197. f 196. a & ſeq.
Petrus epiſcopus Silvanectenſis, 199. n.
Petrus eremita Prior Montis S. Quintini prope Peronam, 318. n. Sacræ expeditionis prædicator, 318. c
Petrus de Fontanis Cardinalis, 35. n.
Petrus Leonis, 303. c 308. c Beſtia de Apocalypſi, 132. f Ex Judaiſmo originem duxit, 143. c, n. Monachus fuit Cluniacenſis, 135. n. Cardinalis, legatus, 35. n. Ejus invaſio, 134. e Eccleſiarum ornatus diripuit, 241. d Ejus ſchiſma per octo annos, 1346. a Mors ſubita, 352. n.
Petrum Lombardum Bernardo commendat Lucanus epiſcopus, 173. n. Eumdem victus neceſſaria patientem commendat S. Bernardus Canonicis S. Victoris Pariſienſis, 362. d
Petrus monachus Claræ-vallenſis, 280. a
Petri Piſani reconciliatio per S. Bernardum, 198. e
Petrus Preſbyter cardinalis, 35. a
Petri de Roya novitii Claræ-vallenſis vita in ſæculo, 393. d & ſeq.
Petrus de Treva decanus Biſuntinus S. Stephani, 189. n. Abbati Cariloci infeſtus, 189. c
Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis, 71 389. a 714. Ejus elogium, 862. c 270. d 329. d Vir magnus magnis occupatus, 352 b Continuæ ejus occupationes, 213. a Ordinem meliorat, 270. c Ejus lenitas, 213. d Humilitas, 343. e, f Titulos magnificos non admittit, 246 a Caritatis & concordiæ amor, 613. f & ſeq. Placabilitas, 347. c Quam expers cupiditatis, 347. d Suo jure in Betrinenſe monaſterium cedit, 353. n. In Ord. Ciſtercienſem beneficus, 270. d Eorum precibus ſe commendat, 347. f Qui illius & ſuorum tamquam patris & amici faciunt memoriam in capitulo Ciſtercienſi, 348. d Amicitia cum inter & Bernardum, 351. b, f 211. e 212. c 345. d 346. a, d, e A juventute, 347. a Librum de præcepto & diſpenſatione à S. Bernardo petit, 497. Ad S. Bernardum dimiſſo regulatur ſe recipere cogitat, 270. a Bernardi litteras avide legit & exoſculatur, 212. f Qui ejus item litteris gloriatur apud cæteras regiones, 352. b Petrus Venerabilis excuſat ſe de tarditate ſcriptionis ad S. Bernardum, 213. b & ſeq. Petrus Venerabilis Gorgonis & Baſilii Carthuſiæ Priorum familiaris, 27. o Ejus iter in Hiſpaniam 211. d A S. Bernardo invitatur ad converſionem Carnotenſem, 319. d & ſeq.
Phantaſmata deponenda ad intelligendum Canticum canticorum, 1448. d
Pharaonis & Herodis comparatio, 907. a Pharaonis devicti & diaboli analogia, 1407. c Pharaonis principes myſtici, malitia, luxuria, & avaritia, 1407. f Item alii, 1406 f Pharaonis filia Ægyptum deſignat, 907. b
Phariſæi ſuperbia, 366. c Arrogantia & elatio vacua, 981. d
Philippus epiſcopus Tarentinus degradatus, poſtea Prior Claræ-vallis, 258. a Pro ipſo intercedit Bern. apud Eugenium III. 258. c & ſeq.
Philippus in Turonenſem eccleſiam intruſus, 134 n. A primæva indole quam degener, 135. a Gilberti nepos & heres ambitionis, 154. b, n.
Philippus Ludovici Craſſi filius, 53 n.
Philippus monachus Claræ-vallenſis, 64. d
Philippus præpoſitus Colonienſis, Imperatoris cancellarius, 721.
Philosophia veritati propinquior quæ, 1099. f
Philoſophorum imber ſterilis, 1466 b Et mala paſcua, 1390. c, d Fuerunt gloriæ laudiſque cupidi, 1099. c Vani & curioſi, 934. c Noluerunt abundare cenſu terreno ut abundarent in ſenſu ſuo, 1026. a Deum perfecte non cognoverunt, 1316. c
Phrenetici, qui lugent adoleſcentes vitæ religioſæ propoſitum amplectentes, 199. d
Picturæ vanæ à clauſtris rejiciendæ, 539. e & ſeq.
Pietas quid, 4 6. d Conſiſtit in duobus, 1167. c Ejus unguentum ex multis miſeriis confectum, 1197. c Non in libris, ſed in moribus habenda, 1308. c In negotiis periclitatur, 493. f Ejus fructus etiam impiis deſideratus, 840. d
Pietatis exempla varia, 1298. b & ſeq.
Piis omnia cooperantur in bonum etiam peccata, 1086. b Eorum deſideria non ſemper perficiuntur, 86. d
Pigro faſtidium non de ſatietate, ſed de media generatur, 343. a V. Deſidia.
Pigmentata vina apud monachos improbata, 536. b
Pinguedinis uſus quotidie ad condienda legumina apud Cluniacenſes, 531. n.
Piſa in locum Romæ ab Innocentio ſecundo electa. 140. c
Piſani ſummum Pontificem recipiunt exſulem, 146. b Innocentio fideles minis & muneribus Rogerii ducis Apuliæ reſiſtunt, 140. c Rogerium tyrannum ab obſidione Neapolis fugant, & urbes quatuor munitiſſimas expugnant, 146. a, b Pro eis intercedit Bernardus apud Lotharium Imperatorem, 145. c & ſeq.
Piſanum concilium, 141. b, d, o. 143. b 144. n.
Piſces myſtici triplicis generis, 1061. a, b Piſcium ſquammæ patientiam, pinnæ hilaritatem ſignificant, 1061. c A piſcibus abſtinuere primi Ciſtercienſes, niſi in itinere, 6. n.
Placere illi non poteſt Deus, qui non placet Deo, 1349. d Quibus in malis placuimus, æque & in bonis placere non poſſumus, 81. c
Placitare pro litigare, 51. b
Plorandi qui temere mortuos plorant, 13, 7. c, d
Plumis avium Chriſti jugum comparatur, 343. c
Pluralitas beneficiorum arguitur, 474. e
Pœna nulla eſſet in terra, ſi non præceſſiſſet iniquitas, 1153. e Nunc guttatim bibitur, in remuneratione torrens eſt voluptatis, 1086. c Pœnas, quas pro peccatis aliorum voluntarie ſuſcipimus, à nobis exigit Deus, 1134. b Pœna juſta peccati non avertenda ob malos eventus, 213. d Pœnæ ſenſum tollit aut minuit peccati ſenſus, 1164. a Malum ſemper pœna comitatur, 837. b Homo carnalis ſemper in pœna, 837 a In ſimilibus factis diſpar culpa & pœna, 87. d
Pœnitentia initium revertendi ad Deum, 929. a Pro innocentia reputatur, 1151. d

Primus eſt miſericordiæ gradus, 492. b Pœnitentium lacrymæ vinum angelorum, 1376. a

Pœnitentiam habere, dolere eſt, pœnitentiam agere remedium doloris eſt, 480. a Pœnitentia etſi quid minimum, ea tamen Deo reconciliari poſſumus, 727. c

Pœnitentia non refugienda, 494 a Cohortatio ad eam ſæcularibus dura, 832. c Sed durior Judicis ſententia, 1097. a Pœnitentiam qui non amplectitur, aut ea ſe non indigere credit, aut de divina bonitate diffidit, 758. a Humilitas ſi non habet unde pœniteat, habet tamen ut pœniteat, 1423. c Pœnitentiæ detractio crudelis miſeratio, 827. d Infructuoſa eſt poſt mortem, 480. f Innocentiam ſervare facilius, quam congruam agere pœnitentiam, 1329. c Hæc difficultas quomodo ſuperanda, 494 b Præpoſterus hominum pudor de pœnitentia, 789. b Pœnitentiam quomodo Deus operatur in nobis, 941. c, f Homo tunc naſcitur cum ad amorem pœnitentiæ, & odium peccati animus excitatur, 993 f

Pœnitentia triplex: ob amiſſam innocentiam, perditam non requiſitam, & neglectam Dei patientiam, 1166. c & ſeq. Veræ indicia, 578. c Falſæ indicium, non fugere occaſiones, 808 d Pœnitentia falſa, ejuſque pœna, 808 d Pœnitentiæ perſeverantia, 825. c Pœnitenti ad Deum accedenti neceſſaria verecundia, 1374. d Pœnitentiæ nigredo, 1370. c Pœnitentibus congruit oſculum pedum, 1371. e

Pœnitentiæ tota vita impendenda, 820 a Pœnitentiæ tria neceſſaria: tempus, corpus, locus, 1227. c & ſeq. Pœnitentiæ præſentis tempus eſt vigilia æterni ſabbatiſmi, 1038. f Pœnitentiæ locus monaſterium, 573. b Rectius in eo pœnitentiam agit monachus, quam in peregrinatione, 338. d Periculoſum eſt inter ſæculi turbines agere pœnitentiam, 794. a Pœnitentiam pro criminalibus, niſi ſibi commiſſis, dare recuſat S. Bernardus, 63. b Adulti non niſi propria pœnitentia expiantur, 1143. f

Pœnitentis & Lazari comparatio, 1003. f Pœnitentis animæ ad Deum adſpiratio, 1386. c Mulier non amplius peccatrix quando pœnitens, 1076. f Pœnitentia S. Johannis Baptiſtæ nos ad eam excitare debet, 983. c

Polygamia culpa fortaſſe venialis, ſed turpis incontinentia, 1470. c Eam turtur redarguit, 1470. c

Pompæ & dignitatis præ ſanctitatis cura perſtringitur, 437. b Pompam & ſplendorem Petrus neſcivit, 437. c

Pontificis etymon & officium, 465. d & ſeq. Vide Papa, Epiſcopus. Prælatus.

Pontificalia inſignia in abbatibus improbantur, 476. d

Pontiniacum cœnobium Ord. Ciſt. 46. c

Pontius abbas Cluniacenſis, & Pontiani, 35. n.

Pontius abbas Vizeliacenſis, 337. c

Pontius archidiaconus Lingonenſis, 162. n. 263. b 163. c

Pontius epiſcopus Bellicenſis, 247. n.

Populus Jeſu quis, 776. f

Porci cur in ſacrificiis offerri prohibiti, 968. d

Portarum Cartuſia, 156. n.

Portans Chriſtum non oneratur, ſed honoratur, 842. a Satis æquanimiter portanda ſunt cetera, cum nos non arguit propria conſcientia, 320. d

Potentia ubi malitiæ juncta eſt, aliquid ſupra hominem præſumendum, 444. f Potentiæ triplex genus in myſterio Incarnationis: quod non erat, creatum, quod perierat, reparatum; quod ſuper omnia erat, paulo minus ab angelis minoratum, 780. d

Poteſtas apoſtolica non ſola à Deo inſtituta, nec alias ſpoliare debet, 433. a & ſeq. Poteſtatis & ſcientiæ ambitus quantis malis obnoxius, 919 c, f Poteſtate accepta malle in malo quam in bono uti, abuti eſt, 245. a

Potrio presbyter Prumienſis feſtum Conceptionis improbat, 262. n.

Præcepta legis alia moralia, alia figurativa, 1896. f Alia majora, alia minora; idque ex intentione Legiſlatoris, ex utilitate mandati, & auctoritate præcipientis, 306. a & ſeq. Præcepta moleſte aut cum murmure adimplere, non eſt virtus obedientiæ, ſed velamen malitiæ, 724. c

Præceptori qui dare manum diſſimulat, dat ſeductori, 1340. c

Præda Domini dicuntur vitæ religioſæ candidati, 98 c

Prædestinatio quid, 1341. d Ejus Oeconomia, 312. f & ſeq. Eſt præparatio ad juſtificationem, 114. a Prædeſtinati quomodo non peccent, 1344. f Prædeſtinationis initium & finis ſoli gratiæ, opus etiam nobis tribuendum, 942. c Prædeſtinationis media, 841. a Signa, 929. c, f Præcipuum, debite audire verbum Dei, 811. c Item amor Dei, 113. e Prædeſtinatio incerta, 913. f Prædeſtinatorum felix ſtatus, 1344. c Generatio cæleſtis æterna prædeſtinatio eſt, 1344. f

Preces piorum prævenit Deus, 1189. c Preces pauperum, arma Bernardi, 217. c

Prædicatores prophetæ appellati, 1217. d Chriſtum in utero portant 1183. b Prædicatorum miſſio, 1339. f Prædicare verbum Dei eſt Epiſcoporum, 312. c Prædicatores extranei, a proprio vel ſummo Pontifice non miſſi, haud recipiendi, 239. c Prædicandi deſiderium monachis quam periculoſum, 1485. a Hoc ſuſcipere non debet monachus abſque miſſione, 330. a Publice prædicare nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non miſſo licet, 1485. c Prædicationis officium contemplationis avidis injungitur, 1413. b Prædicatio etiam rebellibus perſeveranter adhibenda, 435. c

Prædicatoribus utile monitum, 1469. a Prædicator concha ſit, non canalis, 1321. a Prædicantium funiculus triplex: recte ſentire, digne proloqui, vita confirmare, 1313. c Converſatio ad ſublimia tendere debet, 1021. b Eis neceſſaria puritas mentis, 1481. b Compaſſio & congratulatio, 1291. d Prædicatoris eſt liberaliter quod Deus dedit, in alios effundere, 1553. f Bernardo ſecus facere volenti quid acciderit, 1354. a Lex Chriſti, lex ignea, linguis igneis prædicanda, 928. d Pro diſpoſitione auditorum afficitur lingua prædicatorum, 811 d Prædicatori fugienda vanitas & quæſtus, 1413. d

Prædicandi labor non exiguus, 1334. f Sed inanis ſine Dei gratia, 1213 d Eorum omnis profectus Deo tribuendus, 1213. d Prædicatorum merces, 143. d Prædicatorum imperfectorum indicia, 1, 21. d Impuri qui, 1481. c

Prædones epiſcopos ex concilio Piſano revertentes ſpoliant, 144. a. n.

Præferre ſe alteri nullus debet, 1404. a Grandis ſuperbia æquali ſe præferre, 804. f V. Humilitas.

Prælati non tam propter bonos, quam propter malos & infirmos inſtituti, 75. d Eorum conditio & officium, 1157. d Eis zelus neceſſarius, 1341. d Diſcretionis & fervoris copula, 1342. a Caritas, puritas intentionis, & ſanctitas converſionis, 1157 c, f Caritas in eis quomodo recte ordinanda, 1456. f Eis cura ovium non fugienda, 1290. f Prælati ſolliciti vix vacant ſibi, ne ſe ſubtrahant ſubditis, 1447. c Prælati boni erga filios affectus, 1291. e, f Prælati prodeſſe laborent, 331. b Improbe ſatis præeſſe affectas, quibus præeſſe non curas, 1341. d Prælati eſt miniſterium, non dominium, 418. f & ſeq. Prælato glorioſius miniſtrare quam dominari, 419 f Prælati ſubditorum matres ſe reputent, non dominos, 1339. c Prælato laboris materia numquam deeſt, 419 b Prælatis utraque vita neceſſaria, Mariæ ſcilicet & Marthæ, 1105. c

Prælatus ſit irreprehenſibilis, 1158. a Subditis inferiorem eſſe virtute, turpe eſt, 391. a Malus perverſo exemplo ſubditos necat, 15. a Pulcherrimus ordo eſt, ut onus quod prælatus aliis imponit, prior ipſe portet, 193. a Pauci qui utiliter, pauciores qui humiliter præſint, 1548. a Humilitatis in prælatis commendatio, 481 a Eis magis neceſſaria quam ceteris, 472. a Subjectionis dedignatio prælationis reddit indignum, 4 4 a Prælatorum luxus perſtringitur, 1338. c & ſeq. Item avaritia, 1292. a, b 1338. d Prælatis eccleſiæ qualis nobilitas quærenda, qualis fundus, 420. f Quatenus opes habeant, 419. d Eorum hereditas, crux & labores, 410 a

Prælati Deo ingrati admonentur, 868. e Eis plus curandæ leges Dei, quam Juſtiniani, 410. d Quales in converſatione, tales ſint in occulta cogitatione 1158. a Eorum pudor noxius, 492. c Ante dignitatem debuerant vires metiri, 419. d Multi privati boni, qui Prælati mali, 1341. f Prælatos progredi e monaſterio quam noxium, 15. c & ſeq. Præeſſe ſibi ipſi periculoſum, 92. c

Prælatis in quibus obediendum, 1171. d & ſeq. Eorum mandata à ſubditis an diſcutienda, 22. d De prælatura ſibi impoſita quæritur S. Bernardus, 1576. f & ſeq Item abbas de Spina, 335. c

Præmium necdum amanti proponitur, amanti debetur, perſeveranti redditur, 391. c Ubi major pœna, ibi majus præmium, 75. c

Præmonſtratum monaſterium, 83. c 385. n.

Præmonſtrati primus incola frater VVido locum Ciſtercienſibus ceſſerat, 250. c Præmonſtratenſibus an à Ciſtercienſibus aut à Bartholomæo Laudunenſi epiſcopo conceſſum, 249. n. Præmonſtratenſibus locum ceſſit, S. Bernardus, 171. n. Ejus amor & beneficia erga Præmonſtratenſes, 250. b & ſeq. 252. n. Præmonſtratenſium elogium, 321. c Pactum cum Ciſtercienſibus, 250. n. Præmonſtratenſis Ordo per viginti annos in abbatiam pæne xxx adoleſcit, 60. n. Creſcit in Dania, 348. n. Præmonſtratenſis Ordinis ſanctimonialium decem millia, 249. n.

Præparatio triplex ad recipiendum Spiritumſanctum, 1379. a

Præſentiæ divinæ guſtus pro variis animi affectibus, 1381. c Præſentia Dei in nobis unde colligenda, 1509. c, d 1518. d Præſentiæ ſponſi in nobis indicia, 1383. a Quibus conceſſa, 1384 a Præſentiæ & abſentiæ ſponſi viciſſitudo, 1384. b Præſentia corporalis non magni pendenda, 362. b

Præſervatio a peccato tribus modis fit: ſubtractione occaſionis, reſiſtendi data virtute, & affectionis ſanitate, 941. d

Præſumptio & obſtinatio via dæmonum, 858. a Præſumtionis effecta, 577. c Eſt ſeptimus ſuperbiæ gradus, 577. e Gradus quatuor ad eam, 858. c, d Præſumtiones duæ in eccleſia deteſtabiles, 81. d & ſeq.

Pravorum conſortia quantopere vitanda, 23. b Pravorum conſenſus qualis, 132. c

Presbyteri ante annum trigeſimum non ordinandi, 661. c, n. Presbyteri litterarum ignari, 706.

Primatus ſummi Pontificis teſtimonium eſt appellatio de toto mundo ad ipſum, 428. b

Primatus archiepiſcopi Senonenſis, 471. c

Primitiæ ſpiritus, 1086. c Quid, 620. b Scilicet ſanctitas in converſatione, pietas in intentione, virtus in colluctatione, 1077. d

Principis officium, 137. f 271 c Principes Dei Vaſſalli, 98. f, n. Eorum gloria ex eleemoſyna, 195. e, f Eorum menſis diaconos miniſtrare indignum, 82. f & ſeq. Principis error tantis obeſt quantis præeſt ipſe, 137. f Quid conſiliarii mali apud Principes moliantur, 204 c

Principium ſibi eſſe nihil poteſt, 458. a

Privilegium libertatis contumaci monacho dari improbatur, 227. b

Probatio biennii ad religionis ingreſſum, 4 c

Probra & contumeliæ, conſcientiæ medela, 271. c

Proceſſio duplex Spiritus-ſancti, 928. d

Proceſſiones raræ apud Ciſtercienſes, 961. b, n. Proceſſionis feſti Purificationis tropologica explicatio, 961 b & ſeq. Proceſ-

ſionis & paſſionis in dominica Palmarum conjunctio quid ſignificet, 878. c 879. f Proceſſio cæleſtem repræſentat, 879. a In ea triplex obſequium Chriſto exhibitum, 879. c Quatuor in ea ordines, 883. a
Prodigalitas luxurioſorum, 1408. e
Prodigi filii parabola tropologice explicata, 8101. e & ſeq.
Proficiendum ſemper, 98. a, b 1257. e Exēplo Chriſti, 342. f In Chriſti ſchola qui non proficit, ejus indignus eſt magiſterio, 342. e Unum neceſſe eſt è duobus, aut proficere, aut deficere, 98. b 1156. d Proficere nolle, deficere eſt, 255. b, c 348. e In via vitæ non progredi, regredi eſt, 963. f Profectum inter & defectum nullum medium, 255. c Non proficientem à mortis tenebris comprehendi periculum eſt, 1457. d Salvabuntur qui ſunt in deſiderio proficiendi, 1437. d
Proficiendi indefeſſum ſtudium perfectio reputatur, 255. b Profectus noſter in eo conſiſtit, ut numquam arbitremur nos apprehendiſſe, 965. a Profectus electorum quatuor gradibus diſtinguitur, 1224. e Profectus quomodo diſcernendus, 454. c Profectus noſtros Chriſtus amat ut ſuos, 1481. c Profectus noſtri, fructus Spiritus-ſancti, 1483. c Reſpectus Dei profectus noſtri, 1459. b Profectus noſtri paſtio ſponſi, 1511. b Profectus de bono ad melius ratus apud religioſos, 101 b Profectus filiorum non ſunt invidendi, ſed promovendi, 193. a Proficientes & deficientes per angelos aſcendentes & deſcendentes deſignati, 98 b
Professio monaſtica cur ſecundus baptiſmus, 520. e Non includit promiſſionem non peccandi contra Regulam, 513. d Non fit de Regula, ſed ſecundum Regulam, 504. c 58. f Profeſſio fit in abbatis præſentia, non ad ejus nutum: illius teſtis eſt, non dictator, 24. d Profeſſio ſubditus ligat etiam ſuperiorem, 504. b De ſubjectione abbati exhibenda nulla in profeſſione mentio, 23. f Profeſſis ſanctam Regulam citra puritatem ejus ſiſtere gradum non tutum, 501. c Propriæ profeſſionis recordatione muniendа memoria contra cogitationes malas, 1149. f Profeſſio novitii dilata, 502. d Accelerata, 117. f Profeſſio eadem diverſos admittit vivendi mores, 519. a
Profundum, altum, longum, & latum, cavendum, 423. f
Promiſſiones & comminationes divinæ cur tam parum nos moveant, 1210. f A promiſſo bono diſcedere non licet, 517. f Promiſſio ſeu propoſitum religionem intrandi à Bernardo Votum appellatur, 216. n.
In prophetis myſteriorum notitia inæqualis, 631. f Prophetiæ ſenſus Chriſtus, 10. b Prophetiæ quoddam genus, ambulare in ſpiritu & ex fide vivere, 1168. e
Propinqua & vicina quam caute regenda, 435 c
Propoſitum bonum tenendum, 368. d, e Averti à propoſito & ſubverti in propoſito quid, ibid.
Proprietarius monachus, aut propriam, aut domum quam habitat deſerere cogendus, 549. c
Proſperitas nimia, etiam ſpiritualis, noxia, 880. e Proſperitas plures dejicit quam adverſitas, 1045. e Licet multos frangat adverſitas, multo plures extollit proſperitas, 829. d Proſperitatis & adverſitatis viciſſitudo utilis, 841. c Inter omnis hominum vita verſatur, 882. c
Proſtratio ad lectionem Martyrologii Chriſti nativitatem annuntiantem, 775. c
Protectio Dei, 834. e Scuto comparata, 835. d Nobis ſecuritatem præſtat adverſus dæmones, 842. c Protectore Chriſto nihil timendum, 841. f & ſeq.
Providentia Dei, 1543. a In rerum diſpoſitione, 860. f Ad noſtri cuſtodiam, 856. e In moderandis tentationibus, 836 a
Proximum quomodo diligere debeamus, 1541. f Proximi vera dilectio, 598. c Unde oriatur, 1481. b Ut juſta ſit, Deus in cauſa eſſe debet, 594. d Proximo quid debeamus, 1152. a & ſeq. Scilicet pacem, Deo vero juſtitiam, 1284. a An res proximi & temporalia Dei rebus præferri poſſint, 1459. d, & ſeq. Proximi pietati præferendus timor Domini, 978. a Quærendum à Deo unde detur proximo, 594. c Judicium de proximo privatis vitandum, non prælatis, 1411. c Proximus læſio nulla levis, 1370. f & ſeq 1373 c
Prudentia fortitudinis mater, 423. a
Pruliacenſe monaſterium Ord. Ciſtercienſis, 73. a
Pſalmodiæ utilitas, 1188. a, b Pſalmis unde ſapor & ſuavitas concilietur, 1283. f Pſallentibus miſcent ſe angelici ſpiritus, 80. b Qui eorum devotione recreantur, 1284. a Pſallentes ſomnolenti increpantur, 1183. e Pſalmorum & antiphonarum impoſitio monacho indiſciplinato prohibita, 978. c
Publicanus oculos ad cælum levare timens cælum ipſum ad ſe inclinavit, 8135. a
Pudor de offenſo Deo, patre & benefactore noſtro, 1314. b & ſeq. Præpoſterus hominum pudor de pænitentia, 789. b Pudorem & dolorem timet humana fragilitas, 766. c Pudor bonus & noxius, 556. d, e Pudor Pilati noxius, 191. c
Pudicos aſpectus quærit viſio cæleſtis, 1157. e Pudicæ aures neceſſariæ ad canticum amoris audiendum, 1475. e
Puer dictus rex conjugatus, 107. c, n. Pueros ob natales ad eccleſiæ dignitates promoveri indignum, 471. f Pueri boni ſenibus præferendi, 475. b
Pugna ſpiritualis, 550. e 1258. e Tuta cum Chriſto, & pro Chriſto pugna, 7. e Clerico non licet bonum ad pugnam, 145. c
Pulcritudo fucata damnatur, 182. c Internæ nulla comparabilis, 1560. c Pulcritudo duplex animæ, humilitas & innocentia, 1483. a, Pulcritudo ſponſæ cur turturi comparetur, 1410. e Pulmentaria tria vel quatuor una die prohibet Regula S. Benedicti, 512. c
Pultariæ monaſterium Ord. S. Benedicti, 84. n.
Purgationes ſeptem dedit nobis Chriſtus, 905. a
Purgatorium, 1070. a 1116. b 1117. a 1177. d Qualis in eo cruciatus, 1144. f Ab hæreticis impugnatum, 1490. b 1498. c
Purificationis ratio & inſtitutio, 962. b Turtur cur oblata in Purificatione, 1470. b Purificationis legi Maria non obnoxia, 963. b & ſeq. Purificatio illius quid nos doceat, 1185. a
Purificationis tempus hæc vita, 809. d
Puritas cordis in quo conſiſtat, 463 c Ad videndum Deum neceſſaria, 1580. e Eam ſequitur prædicatio, 1481. b V. Cor, Munditia.
Puſillanimitas, prima novitiorum tentatio, 836. b & ſeq Duæ illius cauſæ, novitas converſionis, tepor converſationis, 1894. a Puſillanimes non facit humilitas, nec magnanimitas arrogantes, 1018. f Puſillanimium cruciatus & miſeria, 829. c Puſillanimitatis omnis dejectio, deſperata quædam abſorptio eſt, 424. a Ejus remedia, 836. b & ſeq Puſillanimes ornantur, 866 e
Putare vineas quid, 1467. b Putationi tempus idoneum obſervandum, 1464. c Quodnam illud ſit, 1466. d

Q

Quadragesima & Quinquageſima præſentem & futuram vitam ſignificant, 930 a Quadrageſima, ſilentii tempus, 95. d Quadrageſimæ dies breves ſerio tranſigendi, 827. a Quadrageſimæ religio, 505. d 581. c Quadrageſimæ fervor major, 820. b,
Quadrageſimale jejunium ad veſperam, 819. e Ejus duces Moyſes, Elias, Chriſtus, ibid. c Quadrageſimali tempore tota ſimul Eccleſia pugnat in diabolum, 817. b Quadrageſimali monachorum devotione torquetur dæmon, 841 e
Querelæ monachorum de vitæ præſentis laboribus injuſtæ ſunt, 1530. e
Quærere Deum quanti, 1094. d Magnum bonum, 1559. c Quomodo quærendus Deus, 446. f 1161. d Ad quærendum Deum excitare nos debet & timor mortis & dignitas rationis, 364. b Oratione quam diſputatione dignius quæritur & facilius invenitur, 458. f Non pedum paſſibus ſed deſideriis quæritur, 1559. e Ad Deum accedendum non locis, ſed claritatibus, 1380. f
Quærere Deum quinam cenſendi ſunt, 1094. e Nemo quærit qui ante non invenerit, 593. d Deum quærentes jam ipſum habent, 1160. e & ſeq. Anima Deum quærit prius ab eo quæſita, 1560. b, f Deus numquam fruſtra quæritur, nec cum inveniri non poteſt, 455. a Quæritur fruſtra tribus ex cauſis, 1531. d Deum quærentes cavenda ingratitudo, 1159. f Subtrahit ſe ut avidius quæratur, & teneatur fortius, 1527. d 1530. c Cauſæ ſeptem ob quas quærit anima Verbum, 1563. f
Quærere quæ ſua ſunt virus eſt Eccleſiæ, 437. d, e
Quies nulla in hac vita, 1098. a Negotium caritatis vera quies, 97. a Quietis amore curam paſtoralem deponi improbat Bernardus, 98. a
Quotiniacum villa, 62. n.

R

Radulfus abbas Latiniacenſis, 236. d, n. Ejus elogium, ibid. Illius defenſionem ſuſcipit S. Bernardus, ibid. e & ſeq.
Radulfus abbas de Valcellis, 110. c
Radulfus abbas S. Urbani ex monacho Cluniacenſi, 61. c
Radulfus comes Vetomandenſis, 305. f 338. a Ejus divortium, 199. n 300. b Ob id excommunicatus, 186 201. a 203. e 209. a
Radulfus monachus Fontanenſis ad laxiorem vitam redit, 293. c, n.
Radulfus monachus quidam, ſive eremita notatus, 330. a & ſeq. Tria loco redarguit S. Bernardus, 332. b
Radulfus de Perrona tutor Ludovici Junioris, 165. n. 166. n.
Radulfus patriarcha Antiochenus, 350. a
Radulfus patriarcha Jeroſolymæ a Papebrochio omiſſus, 172. n.
Radulfus Viridis archiepiſcopus Remenſis, 46. d
Rancor Deum inhonorat, 940. b Ejus damnum, 1373. b
Raimundus comes Barcinonenſis, 237. n.
Raimundus epiſcopus Caturcenſis, 304 n.
Raimundus epiſcopus Nivernenſis, 168. n.
Raimundus Odonis abbatis S. Dionyſii adverſarius, à Bernardo male notatus, 175. f 176. c
Rainaldus abbatis Ciſtercienſis obitus, 261. a, n.
Rainaldus abbas Fuſniacenſis, 73. a 74. n. 75. a Ejus elogium, 74. c Humilitas & caritas, 364. f
Rainaldus abbas Morimundi monaſterio relicto Jeroſolymam petit, 134. a
Rainaldus archiepiſcopus Remenſis, 167. Ejus litteræ ad Bernardum, 192. b Ejus obitus, 392. n.
Rainaldus de Martiniaco ex epiſcopo Andegavenſi Remenſis archiepiſcopus, 37. n. 281. n.
Rainaldus archidiaconus Antiſiodorenſis, 377. b
Rainaldus Morinenſis monachus Claravallenſis, 396. d
Ramnulfus Doratenſis abbas in ſedem Lemovicenſem intruſus, 218. n.
Ratio pediſſequa voluntatis, 604. d Voluntati neceſſitatem non imponit, 604. e Ratio corpus humiliet, corpus rationem confortet, 418. c Rationis triplex caſus, 1180. d
Rationes temporalium rationibus ſpiritualium præferentes epiſcopi notantur, 438. d, e, n.
Reatinenſe monaſterium 400. b Duplex Ord. Ciſterc. 192. n.
Rebellio decimus ſuperbiæ gradus, 576. e
Rebellio cauſa apoſtaſiæ, 578. c Rebellibus etiam prædicare non deſiſtendum, 438. c
Rebellis, civitas à Piſanis expugnata, 146 b
Reconciliatio cum Deo nunc facilis, poſtea difficilis, 797. d Reconciliatio multiplex quomodo fiat, 1019. e Reconciliari debemus hominibus, angelis, & Deo, 1541. a
Recluſis cella egredi illicitum, V. Incluſus.
Rectitudo hominis in quo, 1347. f & ſeq.

Rectus quis, 1348. c
Rectum corpore cur Deus hominem creaverit, 1348. b
REDEMTIONIS beneficium expenditur, 867. c, f 1128. c & ſeq. Non ſolum ex miſericordia, ſed etiam ex juſtitia 652. b Chriſti virtus & ſapientia in opere redemtionis abſcondita, 1390 d Chriſtus plus amandus ob opus redemtionis, quam creationis, 1326. d, e Redemtio quam fuit ardua, 829. b Cur tam laborioſe Chriſtus nos redemit, 1296. f & ſeq. Redemtionis opus præcipue meditandum: modus ejus præſertim & fructus, 1295. f Redemtionis beneficio ingratus non dormit, ſed mortuus eſt, 867. e Redemtionis humanæ pretium in Mariam collatum, 1014 c Redemtionis humanæ effectus, noſtra reconciliatio, 655. a
Redemtio etiam angelis factus eſt Chriſtus, & quomodo 13 6. a, b Homo cur redemtus, non angelus, 759 a, b Homo eadem die redemtus, qua creatus, 895. b
Redeundi ad Deum voluntas ex gratia, 1560. e
Refectio unica in die Incluſis præſcripta, 360. d
Refectio inter lilia quid, 1512. b Reformari ad ſapientiam, quid, 1564.
Reformatio hominis quomodo perficitur, 36. d Sola nobis reputatur ad meritum, 612. e Hæc conſiſtit in tribus, 623. f Ejus idea, 253. b
Refugium noſtrum ad Deum, 835. f
Regalium inveſtitura, 163. b, n.
Reginæ viduæ quæ neceſſaria, 355. c, d Reginis excellentiæ titulus attributus, 196. e
RAINALDUS Remenſis archiepiſcopus, V. Rainaldus.
Regiones myſticæ hominis quinque, 1176. b
Regniacenſe monaſterium Ord. Ciſterc. 272. n.
Regnum Dei ubique, 1088. b Regnum Dei voluntas ſana, 369. e
Regnum Chriſti anima, et quæ tyrannis infeſta, 750 b
Regnum & ſacerdotium in Chriſto & in Eccleſia noſtra, 842. d
RAOUL de S. Benedicti elogium, 387 b Dicta Regula ſancta, 101. e 391 b Ejus dictator Spiritus-ſanctus, 217. e Caritati ſubjacet, 2 6. d & ſeq. In ea ſunt inſtituta duplicis generis, 501. e Ex ea reliquæ omnes, aut pæne omnes oriuntur, 500. e Apud monachos valde neglecta, 180. d
Regulæ auſteritates, jubente caritate, poſſunt mitigari, 219. a, b Erga infirmos, 1068. b, n. 1158 f Regulæ diſpenſationi obnoxiæ & caritati ſubjectæ, 302. a, b Regulæ ſunt præcepta profeſſis, 501. e
Regulam ſanctam profeſſis citra puritatem ejus ſiſtere gradum non tutum, 301. e Ad purum non ſervantes an ſalvari queant, 518 f Ipſi ſubjectus abbas, 503. d 504. a Regulæ tranſgreſſiones ſunt inæquales, 511. f Regularum obſervantia exterior ſine interiori nulla, 827 e Contemni nequeunt illibato profeſſionis voto, 354. n. Regula una & eadem diverſimode poteſt obſervari, 217. e
Regula militum Templi, 548.
Regularis obſervatio dividitur in præcepta & remedia, 511. e
Regulares obſervantiæ Prælatorum prudentiæ & fidei creditæ, non ſubditæ voluntati, 503. e
RAINERUS abbas Leſcienſis, 358 0.
REINOLDUS epiſcopus Colonienſis, 102. n.
RELIGIO, vinea, 546 c Proditores increpantur, 1075 b Item corruptores, 844. a Naſcentem perſequi herodianum eſt, 802. b
Religio, & ad eam vocatio quanti facienda, 1139. c & ſeq. Opus eſt dexteræ Excelſi, 847 a Ei non acquieſcentes de ſalute periclitantur, 9. n.
Religioſæ domus varii ſtatus, 1001. e
Religioſa profeſſio alter baptiſmus, 248. c 1160. d Divinæ virtutis opus, 117 c, f
RELIGIOSA VITA, via compendioſa ad cælum, 5127. c Ejus unctio, 1 0 c, d Vitam apoſtolicam repræſentat, 1127. d, e Ejus aſperitas delicatis non timenda, 118. c Ejus propoſitum ſuadet Bernardus, 108. b & ſeq. 109. c & ſeq. 110. b & ſeq. 111. b & ſeq. 115. c & ſeq. 120. c & ſeq. Laudatur, 190. b Ipſum retardare non debet litterarum ſtudium, 364. e Ipſum deſerere quam Deo injurioſum, 120 e
Ad religioſam vitam vocatio quanti facienda, 1139. e & ſeq. Ex Deo eſt, 714. d Opus eſt dexteræ Excelſi, 847. a Ei non acquieſcentes de ſalute periclitantur 19 n. Iis conſulendus non eſt parentum amor, 109 b Immo parentes ſunt contemnendi, 199 A eis objurgatio parentum filios a religione abſtrahentium, 119 b ſeq. Item in eos qui adoleſcentes a religionis ingreſſu avertunt, 9. c & ſeq. 280. a & ſeq. Probatio biennii ad religionis ingreſſum, 4. c
Religioſæ vitæ exercitia, 1288. d Ab ejus deliciis ab duci grave & dolendum, 487. b Ei attribuuntur dentium proprietates, 1215. c & ſeq. An liceat degere in laxa, facto voto de ſtrictiori, 353. f
RELIGIOSI vitæ apoſtolicæ ſectatores, 1140. e Eorum vocatio & varatio, 1087. c, d Status omnium ſecuriſſimus, non tamen omnino ſecurus, 1156. b Status ſublimis, ſed periculoſa ruina, 1162. b, c Religioſi cur fovendi, 267. c Non ſunt relinquendi, qui ipſi ſe reliquerunt, 267. c Sunt jumentum Chriſti, 879 d Sunt velut inter duas menſas mundanorum & cælitum poſiti jejuni, 1161. c Quomodo non ſit iis hiems, ſed æſtas, 1467. e Eorum eſt ultra promiſſum & debitum conari, 505. d Non curent carnis fragilitatem, 370. b Iis inculcatus diſciplinæ zelus, 986. b Sua eis conveniunt cantica, 1269. e & ſeq.
Religioſorum labor honeſtatur, 1527. a Eorum labores quam præcellant laboribus ſæcularium, 1339. f Ipſis ab officiis catenionibus vacantibus quid faciendum incumbat, 1001. f & ſeq. Religioſi pauperes reges ſunt, 196. d Suaves moribus ficubus comparantur, ſpiritu ferventiores vineis, 1474. b, c Religioſorum triplex præſidium, auſteritas, paupertas, & obedientiæ humilitas, 1156. e Gloria unitas & unanimitas, 1022. b Deum ignorare non poſſunt, 754. d Alium ducem ſequuntur, 918. c Quid ſentiant de ſua vocatione, 1015. b Pleriſque illuminati ſunt, pauci purgati, 916. a 924. Nihil iis prodeſt cultus exterior ſine interiori, 998. c 999. a & ſeq. Exteriora parum eos juvant ſine ceteris, 1141. e Conſolatoria verba ad religioſos, 924. c
Religioſos filios non amittunt parentes, 118. d Omnium dicuntur parentes monachorum, quibuſcum habitant filii eorum, 118. c
Religioſorum varii ſtatus, 916. c, d In unoquoque ordine religioſo tria hominum genera, ferventium, minus ferventium, & minime ferventium, 262. c, n. Boni & mali religioſi notæ, 143. c Religioſi a malis cogitationibus quam debeant eſſe alieni, 1185 a & ſeq. Religioſis quam cavenda apoſtaſia, 531. b Etiam apoſtaſia cordis, ibid.
Religioſi triplici vitio obnoxii. 1100 f Eorum triplex periculum, 1156. b Aliorum Ordinum æmulis præſtringuntur, 531. d & ſeq. Religioſos vitæ ſeverioris aliis detrahere indignum, 527. c Ferventium & tepidorum diſcrimen, 924. c, f Tepidorum notæ & indicia, 1141. a, b Tepiditas unde, 916, c, f Imperfectorum ignavia notatur 1057. a & ſeq. Imperfecti triplici generis; & quid illis ſit ad ſalutem neceſſarium, 1147. b & ſeq. Negligens nec cæleſti, nec terrena fruitur conſolatione, 125. d, n. Languidi arguuntur, 1140. f & ſeq. Item delicati, 984 c Infructuoſos Deus gravius fert quam ſæculares, 990. f Multo facilius reperias multos ſæculares converti ad bonum, quam unum quempiam de religioſis tranſire ad melius, 101. b Religioſis quam noxia ingratitudo, 1141 f Terrenis & ſæcularibus dediti præſtringuntur, 843. f & ſeq. Iis pudori eſſe debent ſæcularium ſtudia, 1159. e Propriæ voluntatis ſtudioſi præſtringuntur, 957 d, e Superbis nihil miſerabilius, 527. e Duri & indevoti jumento comparati, 881 e In monaſteriis ſcandala ſuſcitantes, quam ſint damnabiles, 1025 a Lapſi ad aliud monaſterium pœnitentiæ agendæ gratia mittendi, 83 e Religioſos alterius Ordinis qualiter recipit S. Bernardus, 66 d
Religioſi multi imperfecti in Clara-valle, 267. c n. 914. d
Religioſus, pro monachus, 34. c, n. 911. d 1341. e 1301. a
Religioſus Ordo in quo conſiſtat, 147. d
Relinquentes omnia Deo relicti ſunt, 1071 b Iis prima ſolet eſſe tentatio de moleſtiis carnis, 1056. c Non ſunt relinquendi, qui ſe ipſi reliquerunt, 127. c
Reliquiæ ſub altari 687. b Earum ornatus reprehenditur, 539. c Reliquiæ martyris Ignatii apud Claram-vallem, 139. f Reliquiarum revelatio in concilio Senonenſi, 309 c
Remedia ex Chriſti nativitate allata, 765. c & ſeq. Remedia quoque adverſus ſuperbiam, 1 32. e Remedium malorum ubi quærendum, 874. d
REMORUM civitas glorioſa, 226. d
Remenſe concilium ſub Eugenio, III. 1548. f
Remenſis eccleſia Paſtore viduata, 167. c Ejus pericula ex ſede vacante, 296. d Ejuſdem eccleſiæ privilegia, 141. c
Remenſis eccleſiæ S. Mariæ, S. Remigii, S. Nicaſii, & S. Theoderici direptæ a regis miniſtris, 208. c, n.
S. REMIGII monaſterium a regiis miniſtris expilatum, 208. c, n.
Renovatio triplex, 1167. e Innovatio triplex per Chriſtum nobis præſtita, 789. d Renovatio interior in quo conſiſtat, 621. a
Reparationi noſtræ cooperatur ſexus uterque, 100 d Dei bonitas in reparatione hominis, 930. c & ſeq. Hominis lapſus & reparatio, 929. d
Reprehendit nemo fidenter alium de eo, in quo ſe reprehenſibilem eſſe non confidit, 538. b V. Correctio, Increpatio.
Reprobatio, 1343. d
Reproborum cruciatus ex amiſſione beatitudinis, 848 b
Reſipiſcentiæ dilatæ pericula, 127. b V. Pœnitentia.
Reſpectus Dei varius; aliis metum, aliis conſolationem affert, 1460 b
Reſponſoria brevia ad Laudes & Veſperas, 318. b
Reſtitutionis vicem ſupplet contritio, ubi reſtituendi facultas deeſt, 629. c
RESURRECTIO Chriſti aliis in quo præcellat, 894 f & ſeq Poſt eam fuit impaſſibilis, 1154. e A nobis exigit tranſitum ad meliorem vitam, 978. c Ei tribuitur juſtificatio, 978. c
Reſurrectionis fides, 1541. e Et animæ immortalitas, 846. a, b Reſurrectionis flores, 587. d
Reſurrectionis ſpiritualis indicia, 829. a
Reſurrectionis veræ ſeptem indicia, 1313 f
Revelatio de futura ſalute quid ſit, 114. Revelationibus quantum tribuat S. Bernardus, 170. f Revelationes tentationibus miſcet Deus ad cuſtodiam humilitatis, 574. c
Reverentia cum quanta oporteat intereſſe divinis officiis, 983, b
Reverentia Regi debita, 366. f
Reverentiæ titulus abbati conceſſus, 292. e
REGES & principes Dei vaſſalli, 98. f, n. Eccleſiæ defenſores, 53 d Tunc eorum jura perſiſtunt illæſa, cum divinis ordinationibus non reſiſtunt, 256. d Eorum gloria opus Dei, 345. b Regis negotia de ſina ipſius cum imperio non prorumpant, 5.3 b Ejus exemplum in ſubditos redundat, 803. b Conſenſus ipſius in electione epiſcoporum requiſitus 273. e Bene non regit qui bene non regitur, 278. d Regi datus titulus Celſitudinis, 203. c 257 a a 89 b 371. f Coronæ, 295. n. Excellentiæ, 256. c Majeſtatis, 167. c Serenitatis, 167. f 307. n. Sublimitatis, 256, d 373. a Rex conjugatus poet dictus, 207 c, n.
REX Francorum, primus regum, 256 c 18.

In præcipuis feſtis coronari ſolitus, 243. n. Eum coronare privilegium Remenſis archiepiſcopi, 245. c
Rioudnus Tullenſis epiſcopus, 63. a, n. Sanctus vivens appellatus, 354. c
Ribaldus Mediolanenſis archiepiſcopus, 142. n. Ejus anguſtiæ, 294. c
Richardus Prior B. Mariæ Eboracenſis, 386 d 387. a 388. b Ejus in reformando monaſterio conſtantia, 387. a & ſeq. Abbas Fontanenſis, 106. a, n. Romæ obiit, 106. n.
Richardus II. abbas Fontanenſis, 297. d 298 a Ex ſacriſta B. Mariæ Eboracenſis, obiit in Clara-valle, 101. n.
Richeza Imperatrix, 144. b
Rievallenſe monaſterium Ord. Ciſterc. 98 n.
Rievallenſes monachi Guillelmo Eboracenſi intruſo adverſi, 317. n.
Riſiſſe nunquam Chriſtus legitur, bene autem flevisſe, 728. d
Riſus S. Malachiæ qualis, 1047. c
Ritus eccleſiarum diverſi, 215. d
Robertus abbas de Dunis, 301. b, d Bernardo quam amicus, 301. b, n.
Robertus abbas Novi-Monaſterii, 146. f
Robertus abbas Vindocinenſis, 281. n.
Robertus Burgundio, magiſter militum Templi, 342.
Robertus decanus Lingonenſis, 166. d 562 n.
Robertus epiſcopus Londinenſis, 197. c
Robertus frater Henrici Belvacenſis epiſcopi, 288. c Et Ludovici Junioris, 205. b, n. 208. d Carnes comedit in grangiis Ciſtercienſium contra ſtatuta Ordinis, 205. n. Cum Henrico Theobaldi Comitis filio ad duellum diem præfigit, 137 e
Robertus inſtitutor Ordinis Fontis-Ebraldi, 191 n.
Robertus monachus à S. Bernardo miſſus ad S. Malachiam, 325. b
Robertus monachus Leſcienſis fugitivus, 332. c
Robertus monachus Præmonſtratenſis ad Ciſtercienſes tranſit, 231. a
Robertus monachus S. Vitoni & eremita ad eccleſiam Bellilocenſem aſſumptus, 94. n.
Robertus monachus VVitebienſis, 323. n.
Robertus nepos S. Bernardi à Ciſtercienſibus tranſit ad Cluniacenſes, 1. d, n. 46. a Bernardi erga eum caritas & pietas, 1. c Humilitas, 1. d Levitas, 2. c Epiſtola ejuſdem ad eum in medio imbre ſine imbre ſcripta, 2. d, n. Robertus biennio probatus fuerat, antequam admitteretur à Ciſtercienſibus, 4. n Poſt reditum ad Ciſtercienſes xxvii. annis ſub diſciplinæ jugo vixit, 6 d, n.
Robertus Præpoſitus comitis Nivernenſis, 377. c
Robertus Pullus cardinalis, 194. n. Et cancellarius, Bernardi amicus, 325. d Eugenii III. conſolator & conſiliarius, 326. a Ejus zelus, 356. a Scripta quanti faciat Bernardus, 325. d Ejus doctrina ſana, 194. c 195. a
Robertus ſacerdos de hoſpitali Eboracenſi, 369. d
Rogerius abbas Columbenſis, 495.
Rogerius abbas Trium-Fontium 69. n. 72. c
Rogerius Apuliæ Dux, ſolus ex principibus Petro Leonis favet, 138. a Dictus tyrannus Siculus, 173. b 174. b Sub potenti manu Dei humiliatus, 317. c Munera mittit ad Januenſes, 139. d Beneventum, Capuam, Romamque capit, 173. b Imperii invaſor, 146. a Ejus minis & muneribus reſiſtunt Piſani, 140. c Rex Siciliæ, 196. b Ejus magnificentia & eleemoſynæ, 195. c 196. f
Rolandus cancellarius, 325. n.
Rolandus monachus, 289. c
Roma capta, 173.
Romana Eccleſia mater eccleſiarum, non domina, 444. d Romana curia domina mundi univerſitatis conſtituta, vindex ad iram, judex ad miſericordiam, 166. a Ejus judex curia cæleſtis, 231. c V. Papa, Sedes apoſtolica.
Romana lingua pro vulgari, 706. 707.
Romanas leges inducit in Hiberniam S. Malachias, 666. c Item & ritus Romanos, 662 a
Romani diligunt munera, 473. c Eorum cupiditas, pravique mores, 435. c 436. c, f & ſeq. Ab Eugenio III. recedunt, 240. a 241. b Romani Pontifices, V. Papa.
Romanæ Sedis prærogativa, fidei non poſſe ſentire defectum, 645. c Ex Romano cleto in omnem eccleſiam cleri forma proceſſit, 435. c
S. Romanus tribus annis S. Benedicto miniſtravit in ſpecu, 856. b
Romanus diaconus cardinalis, 320. b
Romanus Romanæ curiæ ſubdiaconus, 100. 6 b
Rorgo de Abbatis-villa, Prioratus S. Petri fundator, 361. n 362. a
Rovallus miles Templi, 341.
Rualenus abbas ſancti Anaſtaſii, 243. c, n. Antea Prior Claræ-vallis, 712. Nicolaum apud Claram-vallem admittit, 259. n. Ejus elogium, 260 b
Rutila, monaſterium diœceſis Trevirenſis, 304. n.
Rutenenſis electus infamis, 304. a, d Ab Eugenio III. abjectus, 236. c
Rubus incombuſtus, Mariæ typus, 1008. b
Ructus ſpiritualis, 1501. d

S

Sabalinum monaſterium, 686. c
Sabbati jejunium Romæ obſervatum, non Mediolani, 815. c
Sacerdos pro Epiſcopo, 197. d
Sacerdotes ante annum trigeſimum non ordinandi, 661. c, n. Mali Chriſtum perſequuntur, 956. b, c
Sacerdotali cathedræ deferendum, 354. b
Sacerdotium & regnum in Chriſto & in eccleſia unita, 242. d
Sacramentum ſignum ſacrum dicitur, ſive ſacrum ſecretum, 890. c Sacramenta à peccatoribus poſſunt adminiſtrari, 1498. c Monetibus negabant Henriciani, 837. c Eorum uſum reſtituit S. Malachias, 668. b
Sacramenti altaris myſtica ſignificatio, 812. d Sacramenta ſui ſanguinis ex vino condidit Chriſtus, 538. f V. Euchariſtia.
Sacramenta pro Sacramentalia, 689. n.
Sacrificii efficacia, 663 f Ut ſit, acceptum, debet eſſe integrum, 333. f Sacrificium non poſſe confici ſine aqua, vino, & pane quidam cenſuerunt, 71. d Latini in azymo, græci in fermentato offerunt, 216. a
Sacris locis quanta habenda reverentia, 1084. a
Sæculum torrens, 957. c Ejus vita nox, 769. c, d Ejus corruptela, 802. d, e 826. c Fuga commendatur, 115. d Ei conformari indignum, 1332. c Sæculi actus monachis quam periculoſi, 343. d Sæcula duo futura poſt hoc ſæculum valde diviſa & diverſa, 880. b
Sæculares non ſunt cenſendi beati, 1164. f Sæcularibus curis dediti monachi perſtringuntur, 754. a 843. f & ſeq. Sæcularium colloquia religioſo præſertim tironi vitanda, 899. c Iis monaſterii S. Dionyſii aditus præcluſus, 79.
Sæcularium ad malum ſtudia pudori eſſe debent religioſis, 1159. c
Salamanticenſis eccleſiæ ſchiſma ſub triplici capite, 197. n.
Saleghen jure parochiali ab eccleſia Truncinienſi poſſeſſum, 368. a
Salomon pacificus interpretatur, 1042. a 1360. d Eccleſiaſtes & Idida dictus, 1183. f Salomonis pelles quæ, 1361. f
Saltus ſponſi qui, 1449 e
Salvatoris fontes quatuor, eorumque aquæ, 1218. b & ſeq.
S. Salvatoris monaſterium in Italia à Farfenſi dependens, 313. n. 314 b
Salutis noſtræ initium, 791. f A Deo, 621. d Ab actione, 1060. d Salutis noſtræ initium, juſtificatio; perfectio, glorificatio, 1226. f Tria Deo propria in opere noſtræ ſalutis: prædeſtinatio, creatio, inſpiratio, 1541. d Salutis noſtræ tres cauſæ: Deus, angelus, homo, 1541. a Ad ſalutem tribus aſcenditur gradibus, 335. a Salutis tria media, 993. c Salutem electorum Deus operatur per creaturas tribus modis, 620. d 621. a Salutis opera omnia gratiæ tribuenda, 621. f Non liberi arbitrii, ſed Domini eſt ſalus, 620. c Hoc Deus intendit cum percutit aut terret, ut faciat voluntarios, non ſalvet invitos, 617. b Voluntas ad ſalutem homini non ſufficit, quamvis ſine ea ſalvari nequeat, 617. b Dei ars mira ad ſalvandos homines, 387. c, d Larga Dei bonitas in quærenda hominis ſalute, 788. d Chriſtus nil ſitit præter noſtram ſalutem, 370. c
Salutis maturanda conſilia, 109. c Propria prius quam aliena curanda, 26. c Nihil cogitandum quod ſit non ſolum contra, ſed etiam præter ſalutem, 418. a Illius incuria ex fidei languore, 1230. d Eadem incuria perſtringitur, 1198. a, b Salutem animarum impedire ſacrilegium majus eſt peccato Judæorum, 755. f Saluti electorum ſervit diabolus inſciens & invitus, 934. c
Salutis triplex teſtimonium à conſcientia, ab eccleſia, à prælato, 790. b Item geminum indicium, 214. b, c Certitudinem non habemus, ſed fiduciam, 811. b Revelatio de ſalute futura quid ſit, 214 d
Samson Remenſis archiepiſcopus, 86. n. 168. n. 686. c 861. n. 384 a Ejus elogium, 197. c 245. c 247. c Eccleſiam apud Moras S. Bernardo confirmat, 353. c Regem apud Bituriges coronat, 245. n. Pallii uſum ei interdicit Eugenius III, 243. c, n. Sede expellitur quod Theobaldo faveret, 208. n. Crimina ei objecta depellit S. Bernardus, 245. c
Samuelis pietas, 1898 d
S. Samuelis locum cum mille aureis apud Jeroſolymam Ciſtercienſibus cedit rex Balduinus, Ciſtercienſes Præmonſtratenſibus, 230. c
Sancia ſoror Alfonſi Boni regis Hiſpaniæ, 283. d, n. Ejus erga Ciſtercienſes devotio, 284. a Abbatiam Spinam Bernardo concedit, 334 n. 335. n.
Sanctificatio in Scripturis pro continentia & munditia, 2538. c Sanctificatio legalis, carnalis: nunc ſpiritalis & interna neceſſaria, 769 b, c
Sanctificari nomen Dei quomodo dicatur, 855 d
Sanctimoniales incorrigibiles ſuccarceratæ, 106 n.
Sanctimonialis hypocritæ deſcriptio, 225 c
Sanctitatis titulus Papæ datus, 572. c 316. d 398. a 646. d Cardinalibus, 181. b 882 a 287. a Archiepiſcopis, 295. d 391. a, c Epiſcopis, 318. c 352. a, d, e 354. c Abbatibus, 48. c 97. d 211. e 212. d 340. b 346. c 372. b, c 373. e, d Monachis, 101. b 106. b
Sanctitatis tria genera, 787. c Sanctitate comprehenditur Deus, non diſputatione, 457. f Sanctitatis via tendendum ad viſionem majeſtatis, 770 b Honori totum datur, ſanctitati nihil, aut parum, 437. c Zelus eccleſiaſticus pro acquirenda ſanctitate minor, quam pro tuenda dignitate, 457. c Sanctitas ſimulata, duplex iniquitas, 328. b
Sancti in cælis ſecure laudantur, 1039. c, f Deus eſt in eis glorioſus, 39. d Noſtri non obliviſcuntur, 1857. c Eis inſpirat Deus ut de nobis cogitent, 1260. d In cælis quid nobis præſtent, 1048. b Nobis compatiuntur, 966. b De ſe ſecuri ſunt, pro nobis ſolliciti, 966. a In terris nos informant ad vitam, in cælis invitant ad gloriam, 965. c Protegunt nos meritis, informant exemplis, confirmant miraculis, 1048 b Eorum ſuffragia deſideranda & ſperanda quatuor ex cauſis, 1042. c & ſeq. Sanctorum interceſſio, 1069. c 1134 f 1260. a Invocatio, 1857. c & ſeq. Pro defunctis, 1497. c Sanctorum honorem & amorem non excludit debitus ſoli Deo honor vel amor, 863. c

Eorum laus exigit imitationem, 1065. c Eorum ſocietas optanda, 1040. d, e Item felicitas, 1041. a In iis quædam imitanda, quædam admiranda, 963. f 1053. b Sancti potius in moribus, quam in mirabilibus imitandi, 964. b Eorum vita quaſi menſa plena ferculis, 964. d Sanctorum vita deſideranda, ſed mors vel maxime, 992. d Sanctorum triplex congratulatio, 1045. a

Sancti hinc migrant pleni dierum, 877. b Ipſa morte de diabolo triumphant, 1056. a Mors eorum eſt pretioſa, 992. c Idque tripliciter, 1394. c Eorum perfecta requies & delectatio in omnibus, 1034. c In cælis damnatos non lugebunt, 32. c Nulla eis erga impios & damnatos eſt commiſeratio, 849. c Gaudent viſis malorum ſuppliciis, 848. b & ſeq.

Sancti an plene beati ante generalem reſurrectionem, 1031. d & ſeq. 1033. d & ſeq. Non conſummabuntur ſine nobis, 759. c In cælis exſpectant nos, 760. a Statim à morte in conſortium admittuntur angelorum, 1047. f An iis competat nunc una laudis, 1035. a Omnia impendunt pro Deo, 1036. c

Sancti antiquæ legis pro tempore ad inferni tenebras deſcenderunt, 103. d 103. f 104. e, e Cur iis mors fuerit exoſa, ſanctis novæ legis optabilis, 104. b & ſeq.

Sanctorum ſollemnitates & recordatio triplex in nobis excitant deſiderium, 1040. e & ſeq. Sanctorum mortem cur celebret Eccleſia, 992. c

Sanctorum omnium feſtivitas etiam ſanctos de terra comprehendit, 1038. c Commemoratio in feſto omnium Sanctorum, 1024. d

Sanctus quis hic dici mereatur, 1168. c Sanctum faciunt ſanctus timor & amor, 458. a Item victus ſobrius, actus juſtus, ſenſus pius, 1294. f Sanctos non faciunt miracula, ſed virtutes, 1054. f Sanctis quoque orandum pro peccatis, 1524. d Sanctis hac in vita ſemper timendum, 1049. b, c Sancti vanitate cur pulſentur, 574. c Sanctorum laus & gloria unde, 1019. f & ſeq. Deo debetur, 1314. a Sancti alii triumphantes, alii militantes, 1038. f

Sancti nomen monachis attributum, 133. d

Sanctorum locorum dignitas & periculum, 126. e

Sanguinis Chriſti clamor & virtus, 222. a, b

Sanguinis minuendi duplex cauſa, qualitas & quantitas, 1289. b

Sanguis animæ voluntas ejus, 1129. b

Sapit Deus varie pro diverſis meritis, 1334. d Tunc primum animæ ſapit, cum eam afficit ad timendum, 1344. c Multi quærunt, ſed pauci ſapiunt quæ ſurſum ſunt, 925. b

Sapere malum ſapere non eſt, ſed deſipere, 572. f

Sapiens quis vere dicendus, 1440. e Cui res ſapiunt prout ſunt, 1121. d Sapientis eſt in rebus creatis ſpectare finem, 934. c Biſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris, 417. f Sapientes in rebus dubiis alieno potius credunt judicio, quam ſuo, 85. b

SAPIENTIA quid, 1564. d A ſapore dicta, 1364. d Ejus variæ acceptiones, 1183. d A Deo eſt, 1364. a Quæ à Deo eſt, unde diſcernenda, 1133. e Sapientia cibi ſpiritualis condimentum, 1082. d Per quam quæque ſapiunt prout ſunt, 1440. a Ubi invenienda eſt, 1113. f Candor ejus ſedes 1312. d Sapientia cui ſapit prout eſt, is beatus eſt, 1121. d Sapientiam ſeu ſaporem boni homo per Evam perdidit, per Mariam recepit, 1364. e, f Sapientia cum eloquentia murænulæ aureæ vermiculatæ argento, 1413. d Sapientiæ cognata virtus, 1364. b Utriuſque differentia, 1364. b, c Sapientiæ ſatietas cavenda, 1114. b Reformari ad ſapientiam quid, 1564. f

Sapientiæ triplex convivium pro triplici animæ ſtatu, 598. a & ſeq. Sapientia triplex, 1083. e Sapientia ſobria conſiſtit in tribus: in pœnitudine præteritorum peccatorum, in contemptu præſentium commodorum, in deſiderio futurorum præmiorum, 1124. e Sapientia in ore confeſſio propriæ iniquitatis, gratiarum actio, & ſermo ædificationis, 1114. c Sapientia in opere in aſſuis, qui continenter, patienter, & obedienter converſatur, 1114. f Sapientia carnis voluptuoſa eſt, ſapientia mundi tumultuoſa, ſapientia quæ ex Deo eſt, pudica & pacifica, 777. f Sapientiæ effectus in anima, 1564. f Sapientiæ tirvium, 1180. d

Sapientiæ divinæ domus, B. Maria, 1185. e

Sapor & ſuavitas unde pſalmis conciliatur, 1283. f Sapor in palato, ſapientia in corde, 1368. d

Saraceni devicti, 572. d, e Victoria de ipſis Bernardo ante revelata, 372. e

Satanæ ſectatores ambitioſi, 919. a

Satiari cupiens eſuriat juſtitiam, 489. c Satietatem terrenorum copia non parit, ſed contemtus, 489. b Satietas ſapientiæ cavenda, 1114. b

S. SATYRI apud Bituriges monaſterium Canon. regul. reformatum, 153. e 154. a.

Saviniacenſe monaſterium Ord. S. Benedicti, 168. f, n.

Saviniacenſe monaſterium ex Ordine Tironienſi, 136. n. Multorum monaſteriorum caput, Ciſtercienſibus à Serlone adjungitur, 136. Saviniacenſes Innocentio adhærent, 136. a

Scala civitas à Piſanis expugnata, 146. b

Scalæ Jacob myſtica expoſitio, 98. b 560. c

SCANDALORUM auctor diabolus, 85. e Scandali auctores Chriſtum perſequuntur, 935. f 936. c Scandalum pejus inobedientia, 23. d Lucrum cum ſcandalo, merum diſpendium, 85. c Quo grandius nomen, eo gravius ſcandalum, 192. d Scandala in monaſteriis ſuſcitantes quam damnabiles, 1012. a Scandali pœna, 63. c Scandalum, qui poteſt, tollere tenetur, 192. e Non licitum, ubi veritas, & veritas neceſſaria in cauſa non eſt, 22. b Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur, 47. c 82. c 534. a Quæ ſcandala contemnenda, 20. c 98. c Scandalum unius non timendum, quod multorum recompenſatur pace, 107. a

Scandalum duplex, internum & externum, 1022. c Internum triplici modo fieri poteſt, 1012. c Scandalum aliud puſillorum, aliud Phariſæorum, 508. d

SCHISMA quantum malum, 202. c, a 1372. b & ſeq. Schiſmata coërcere debent regis conſiliarii, 207. d Schiſmatum curatrix Gallia, 202. c Schiſma Petri Leonis per octo ferme annos, 1146. a Sopitum, 152. c In octavis Pentecoſtes, a 95. a Oratio Bernardi pro Schiſmaticis, 237. d

Scholæ Theologicæ, ſcholæ ſublimes, 23. n.

Scholaris puer, id eſt adoleſcens, 8. n.

SCIENTIA litterarum non damnanda 1399. c 1402. a Sine ea zelus corruit, 949. b Dignitas ſine ſcientia non prodeſt, ſine virtute obeſt, 385. d 586. b Scientiam deſignant grana ficuum, 1474. c Non quærenda eſt niſi per Verbum, 1508. e Non inflat quæ geminam ſui & Dei cognitionem præſupponit, 1403. a Ejus utilitas in modo conſiſtit, 1399. f Scientiæ & amoris neceſſaria copula, 1507. c, f Scientiam ſequitur tumor, ſi non reprimat timor, 1344. d

Scientia, alia inflans, alia contriſtans, 1399. c Scientia inflans non procedit à Spiritu-ſancto, ſed ſcientia cum devotione, 1386. c Scientia inflans Adamo & poſteris ejus ruinæ cauſa, 919. b & ſeq. Scientiæ deſiderium à protoplaſtis male uſurpatum quomodo expiavit Chriſtus, 564. Scientiæ & poteſtatis ambitus quantis malis obnoxius, 919. c, f Scientia otioſa & infructuoſa cibus crudus & indigeſtus, 1400. b, c Scientia ſæcularis inebriat curioſitate, non caritate, 1400. d

Scientia judicii paucorum eſt, 762. a Nobis eſt neceſſaria, 761. f Tres illius gradus, dolor de peccatis, correctio, & ſollicitudo, 763. b, c In primo accenditur, in ſecundo ardet, in tertio lucet, 763. c

Scientia ſanctorum, mundi, & carnis quæ, 1326. c Scientia ſaluberrima, Jeſum ſcire crucifixum, & quinam illius capaces, 326. c Scientia bene vivendi potiſſima, 989. d Scientia ſalutis omnibus præferenda, 1399. c 1402. b

Scientia Chriſti experimentalis, 563. b 1457. c

Sciendi modus in tribus: in ordine, in affectu, in fine, 1399. f Sciendi ordo, 1399. d

Scire volunt alii ut ſciant, alii ut ſciantur, alii ut ſcientiam vendant, alii ut ædificent, alii ut ædificentur, 1400. a Scire ſeipſum, axioma Græcorum, 1342. c

Scotus, pro Hibernus, 683. n.

Scriptiones ſunt devotionis obex, 527. a

SCRIPTURARUM in præſignandis Chriſti myſteriis conſonantia, 740. c Scriptura de Deo loquitur in figuris, 1527. a Scripturæ obſcura plus placent, 1302. f In ea nihil otioſum, 1322. c Non ad carnis, ſed ad ſpiritus commodum interpretanda, 1482. a Eccleſiæ judicium infallibile in uſu & applicatione Scripturæ, 765. b Ea abuti diabolicum, 328. b Hæreticorum error de Scripturis, 1492. c Potiorem de moribus Scripturæ doctrinam ignorare pæne hæreticum, 291. a

Scripturæ ſenſus triplex, 1414. b Scripturæ ejuſdem plures ſenſus an & quomodo admittendi, 1442. c

Scrutari Dei majeſtatem quomodo liceat, 1479. c Scrutator voluntatis tutior, quam majeſtatis, 1480. a & ſeq.

Scurrilitates vitandæ, 1070. a Scurrile verbum non ſolum ab ore, ſed ab aure etiam relegandum, 425. c

Scuto comparatur Dei protectio, 835. d

Secuſſus oranti neceſſarius, 922. b

Secretum Dei filiis & amicis panditur, 1322.

Securitas hic nulla, 762. a 1147. b Perniecioſa, 7. c 1065. d, a De præſenti gratia numquam eſto ſecurus, 1338. f

Sedere ſuper ſolium præſidentis eſt, dominantis, regnantis, 958. c

SEDES APOSTOLICA divinis & regalibus privilegiis ſublimata, 142. a Ejus ſumma auctoritas, plenaria poteſtas, 190. b Plenitudinem poteſtatis habet ſuper univerſas orbis eccleſias, 142. b Illi proprium decreta ſubreptitia revocare, 176. d Refugium eſt oppreſſo, 51. f Non ſceleratis, 158. d Eam nihil magis decet, quam ſubvenire oppreſſis, 190. b Illius eſt pacem eccleſiis procurare, 323. d Ejus auctoritati derogat contemptus Epiſcoporum, 174. c Ea inconſulta feſta non ſunt inſtituenda, 172. e Ei ſuam de Conceptione B. M. opinionem ſubjicit Bernardus, 172. a V. Papa.

Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori, 1540. c Chriſtus ſeductor pius, 897. a

Semen apoſtolorum ſumus, 995. 8.

Seminatores myſtici, 970. c, & ſeq.

Seminare quid debeamus, 970. b

Semicinctia quid, 734. Iis utebantur primi Ciſtercienſes, ibid.

Semitæ ſponſi quam ignotæ, 1526. f

Senonia eccleſia, Procatus diœceſis Senonenſis, 52. n. 53. a

Senonenſis archiepiſcopi primatus, 478. a Senonenſis eccleſia nobilis, 193. d Senonenſis metropolis ſub nomine Franciæ deſignata, 308. d, n. Senonenſe concilium, 460.

Senſualium dicta de tabis, 1379. b Senſuales monachi omnibus hominibus miſerabiliores, 343. a

Senſus eſt vitalis in corpore motus vigens intrinſecus, 604. d Senſus quintuplex quintuplici amori aptatus, 1106. d & ſeq. V. Amor. Ordo dignitatis inter corporis ſenſus, 1107. b Singulis ſenſibus indicendum jejunium, 820. e Senſus fallax, non fides, 1368. f

Senſus hiſtoricus per hortum, moralis per cubiculum deſignatur, 1140. a Spiritualis potior litteræ cortice, 1323. d

Sententia intempeſtive lata revocanda 353. c

Sententiæ propriæ amor cavendus, 216. d

Separatio amicorum morte durior, 1353. a

Septem-fontium monaſterium Præmonſtra-

tenſis Ord. 250. d
Septiformis ſpiritus in Chriſto, 927. f
Septuageſima ex numero denario, & ſeptenario conſtat propter decem mandata & ſeptem eorum impedimenta, 811. p
Sepulturæ ritus, 1554. b
Sequenti Chriſtum nihil timendum, 1181. c Qualis Chriſtus erga ſequentes ſe, 2181. f Chriſtus apprehenditur non legendo, ſed ipſum ſequendo, 1112. b
SERAPHIM idem atque ardens vel accendens, 947. b 1514. f Seraphim duo ab Iſaia viſi creaturam angelicam & humanam ſignificant, 947. a Alarum multiplicitas in ipſis quid ſibi velit, 949. a 951. d Item capitis & pedum velatio, 949. c Seraphim in ſingulari, Seraphin in plurali, 946. n.
Serenitatis titulus Papæ attributus, 164. d 107. n. 389. a Epiſcopo, 802. n. Abbati, 346. c Regi, 207. n.
SERLO abbas Saviniacenſe monaſterium cum aliis triginta Ciſtercienſibus adjungit, 136. n.
SERLO canonicus Eboracenſis, 389. d
SERMO Dei, panis vivus, cibus mentis, 729. b Duo operari debet, 1257. a Non in ſola memoria ſervandus, ſed in moribus, 719. b, c Durus eſt in cortice, ſuavis in medulla, 1251. c Sermo vivus & efficax, exemplum, 193. b 982. a 769. d Triplex illius uſus, 1534. f Sermonum de gloria Sanctorum triplex utilitas, 1030. c Sermo bonus & utilis triplex, 1017. f Otioſum audire quam noxium, 1120. a
Sermones S. Bernardi quanto apud peritos fuerint in pretio, 701. Quibus diebus habiti, 703. Quibus horis, 706. 1163. c Gallice, an latine pronuntiati, 726. & ſeq. Eorum cenſura, 7 0. & ſeq. Cur aliquando breves aliquando prolixi, 843. d Sermones qui feſtis diebus conveniant, 801. c Ante Miſſarum ſollemnia apud Ciſtercienſes, 1011 c 1033 b Sermo in vigilia nativitatis Domini, 765. b Sermones coram externis apud Claræ-vallenſes, 1049. a Sermo ſeu locutio rarior apud Ciſtercienſes, 1483 c
Serpentes fugant vineæ florentes, 1475. a
SERVIRE Deo non onus, ſed honor, 164. b Servitus Dei ſuavior omni ſervitute, 1.39 b Voluntarius ſuavis eſt, 850. c Servire Deo & mundo impoſſibile, 183. c, d
Servitus Pauli qualis, 410. c Servitus indigna pontifice quæ, 410. c, d Servitute Judæorum nulla turpior, aut gravior, 412. b
Servorum conditio deſcribitur, 599. d Servus fidelis quiſnam, 1034 d Servi & mercenarii lex qualis 30. c Servi, mercenarii, & filii differentia, 1094. a & ſeq. Servorum injuria ne ulciſcenda, 84. c Servi apud Romanos dominum ſuum præcedunt, 442. n.
Seſſio Chriſti ad dexteram Patris quid, 1515. a Soli Chriſto propria, 1516. a
Severitas paterna ſit, non tyrannica, 1319. c
Sexus uterque noſtræ reparationi cooperatur 1008. d
SIBRANDUS abbas S. Leonis, 181. b
Sigilla ſeptem Chriſti quæ, 896. d
Sigillum abbatum Ord. Ciſt. quale, 271. n. Antiſiodorenſis eccleſiæ, 169. b n. S. Bernardi, 859. d Ejus nomen & effigies ei impreſſa, 207. n. 275. n. Librum dextra, pedum ſiniſtra tenens, 275. n. Imago Petri archiepiſcopi Lugdunenſis ſigillo cereo impreſſa, 162. c, n.
Signum quid, 890 c Signa credentium in evangelio deſcripta, quomodo ſingulis fidelibus conveniant, 911. f & ſeq.
Signa in judicio non quærentur, ſed merita. 911. d, e
SIGUINUS de Tornella miles, 377. c
SILENTII laus, 96. b Eſt animæ robur, 143. d Religionis cuſtos, 143 d, n. 810. a Silentium juge cogit cæleſtia meditari, 79. c Caritatis cauſa intermittendum eſt, 1439. c Silentii cultrix ſtudioſa Maria, 1010. d Silentium triplex bonum & laudabile; à jactantia, à blaſphemia, à murmure & detractione, 1017. d, e
Silentium Ciſtercienſium, 1373. a Non continuum, 112. a Silentium juge in monaſterio S. Dionyſii, 79. c
Silva & ſolitudo plus docent quam libri, 110. d
SIMEONIS feſtivitas, 103. f Simeon cum ſecura jucunditate & jocunda ſecuritate moritur, 104. c
Similitudinis divinæ gradus in primo homine, angelis, & nobis, 614. c Summum gradum tenent angeli, nos infimum, Adam medium, dæmones nullum, 614 c Similitudinem Dei in homine Filius Dei reformavit, 615. f Idque ei competebat, 616. a
SIMON abbas S. Bertini, 153. n.
SIMON abbas Cariacenſis, 147. n. Vir religioſus & S. Bernardi amicus, 26. c Ejus deſiderium tranſeundi ad Claræ-vallenſes, 222. b, n. Mortuo Bernardo impletum, 281. o
SIMON abbas S. Nicolai in Silva-Vedogii, monachus S. Nicaſii Remenſis, 85. n. 86. b S. Bernardi amicus, 461. a Perſecutionem a ſuis patitur, 86. n. Recedit, & à ſuis revocatur, ibid.
SIMON dux Lotharingiæ, erga Bernardum beneficus, 128 c
SIMON epiſcopus Noviomenſis, 118. n. Et Tornacenſis, 90. n. 199. n. 368. b
SIMON de Oiſiaco, 379. n.
SIMON filius Caſtellani Cameracenſis, 180. c
Simonia malum tempore vetus, cupiditati ſemper novum, 462. c Permutationes inter eccleſias ſine ſimonia, 956. f
Simplicitate humili nulla magis neceſſaria virtus initio converſionis, 803 c
Simulata ſanctitas duplex iniquitas, 128. b Simulatæ confeſſionis notæ, 578. c
SINGULARITAS notatur, 961. c Et monachi ſingularitatis amantes, 1385. d 1191. b Singularitas quintus ſuperbiæ gradus, 576. d Chriſto exoſa, 1018. f Ejus notæ & indicia, 576 c Eſt vitanda, 9 9 b, c Singularitas angelorum reproborum, 909. a
Sobrietas duplex, 1187. d
Sodomitarum flagitia, 493. b
Sol caritatem deſignat, 1232. f Solis decoloratio varie expoſita, 1470. c & ſeq.
Solitarii boni conditiones, 920. b, c
Solitudo commendatur præſertim mentis, 1410. f Hæc in quo ſita, 1411. b Solitudinis pericula, 784. b
Solium Dei, angeli, 911. c
Somnolenti notantur, 1408. d Somnolenti ad vigilias increpantur, 1381. c
Somnus Sponſæ qualis, 1443. c & ſeq.
SOPHIA virgo nobilis, 120 f
Sopor duplex, priori Adam & ſecundi, 313 b Chriſti ex caritate, Adami raptus eccſtaticus, ibid.
Spectaculorum vanitas, 484. b Spectacula theatri provocant ad libidinem, 23 f
SPEI vera quæ, 890 a Quam certa, 818. f Spes omnibus terrenis præponderat, 1403. b Ejus bona incxcogitabilia, 854 a Capaces nos reddit miſericordiæ, 979. f Hominem reddit omnipotentem, 1561. d Eſt ſpes in Deum hominis pii theſaurus, 851. a, b Vitæ meſſis, 1408. c In ea anima requieſcit, 1444 b Spes ex Dei cognitione & ſui naſcitur, 1403. b Ejus materia timor Domini, 873. c Ejus tria momenta, 941. c Spes veniæ, gratiæ, & gloriæ, 1181. b
Speramus non ſolum in Deo, ſed ipſum Deum, 853 b Sperandum in eum cui nihil impoſſibile, nihil difficile, nec benefaciendi voluntas deſit, 853 d Solus Deus ſpei noſtræ ſolidum præſidium, 853. b & ſeq. Spes noſtra de Aſcenſione Chriſti, 918. a, b Spei fideique germana cognatio eſt, 153 f & ſeq. Spem futurorum bonorum rident carnales, 1231. d Tentatio contra ſpem omnium graviſſima, 848. c
Spes falſa, 979. f & ſeq. Stulta & ruinoſa habitatio in propriis ſperare meritis, 882. b, c
Spinæ quæ, 1438. b
Spina monaſterium Ord. Ciſterc. in Hiſpania, 335. n. 385. n. S. Bernardo conceditur à regina Sancia, 334. n. 335 n. Nivardo abbate illuc a Bernardo miſſo, 384. n.
SPIRITALES quinam, 914. d Unde noſcendi, 1071. a Eorum quatuor ordines, 821. c Eos acrius impugnat diabolus, 842. d, e Spiritales & carnales, Eccleſiæ duo latera, 842. d
Spiritalis vitæ ſumma, 942. f Errat qui in ea ſine duce procedit, 1540. b Deliciæ ejus, 488. b & ſeq.
Spiritales & carnales deliciæ in eodem ſe non patiuntur, 12. c 369. b Spiritalium rerum intellectus, verus animæ cibus, 978. b Spiritalis lucri non negligendæ occaſiones, 191. c Spiritalibus ſtudiis relictis ad carnalia convertī indignum, 1396 b & ſeq. Temporalia ſine detrimento ſpiritualium tractari nequeunt, 443 c Spiritualia ſine corporalibus vix haberi poſſunt. 339. c Spiritualia corporalibus obſervantiis præferenda, 551. c Spiritualis proſperitas poteſt eſſe noxia, 882. c
SPIRITUS-SANCTI ſymbolum, columba, 1464 a Spiritus-ſanctus Patris & Filii oſculum, 1215. d 1286. b Spiritus-ſancti proceſſio duplex, 928 d Ut ſupervenerit in Mariam, 750 c Sine Spiritus-ſancti effuſione mors Chriſti inutilis, 114 c Eum cur recipere non potuerint apoſtoli Chriſto præſente, 915 c 926. c Spiritus-ſancti incapaces erant apoſtoli corporali Chriſti præſentiæ affixi, 369. f Spiritum-ſanctum diverſimode acceperunt apoſtoli, 927. c Spiritus-ſancti manifeſtatio duplex facta Diſcipulis, 920. c Cur in igne apparuerit, 925. d Apoſtolorum mutatio poſt acceptum Spiritum-ſanctum, 928. c, f
Spiritus-Sancti effectus in nobis, 929 c Ejus in nobis inhabitantis indicia, 925. c Fructus, 1482, c Noſtri ſcilicet profectus, 1483. c Ejus opera, 925 c Alia operatur propter nos, alia propter proximos, 928. c Tria operatur in nobis ad declinandum à malo: pœnitentiam, ſupplicationem, & remiſſionem, 928. a & ſeq. Item tria ad faciendum bonum: monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem, 929. d & ſeq Illuminat & accendit, 1286 b Tria ejus dona: pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen, 922 b, c Quomodo arguit mundum de peccato, & juſtitia, & judicio, 1319. b Gemere dicitur, quia gementes facit, 1470. a Paucis datur ad fervorem, 935 f Spiritus-ſancti donum, Eccleſiæ oſculum, 1285. c Gratia duplex, 1120. c, d Dona ſeptem, 1041 c Septem Chriſti apparitionibus applicata, 905. c, d 1842. d In donis Spiritus-ſancti cavendum duplex periculum, 1268. f Spiritus ſeptiformis adverſus ſept m peccati vitia, 1111. c Spiritus-ſanctus datur hominibus multipliciter, 921. c
Spiritus-ſanctus dux nobis neceſſarius, 1327. a Idcirco recedit, ut avidius quæratur, 1317. c Illius acceſſus & receſſus, 1174. d Non ſine ſalutis periculo ignoratur, 1317. c Præparatio ad Spiritum-ſanctum, 927. f Nitorum oratio perſeverans, 987. b Spiritus primitiæ quid, 610. b Spiritum extinguere quantum malum, 184. a
Spirituum diverſa genera, 1131. c Spirituum quatuor genera 1277. a Eliæ ſpiritus duplex, 916 a, b 917 c Spiritus triplex 914 c Spiritus ſanctus quis, 914. f Rectus, 9.5. a Principalis, 915. b Spiritus carnis ſuadet mollia, ſpiritus mundi vana, ſpiritus maligni amara, 1131. c & ſeq 1133. a Spiritus noſter quandoque tentationes ex ſe ſuggerit, 1132 b Spiritus Dei unde cognoſcatur, 1132. c Caro ſervire debet ſpiritui, non ſpiritus carni, 1135 a, b
Spiritus noſter præſentior non eſt ubi animat, quam ubi amat, 123 a
Spiritus pecoris, hominis, & angeli qui egeant corpore, 1277 b & ſeq.
Splendori fervor præferendus, 981. f Splendor triplex in S. Johanne Baptiſta, 984. d

Splendor inanis virtutum cavendus, 1229. c

Sponsa myſtice quæ, 1527. c 1366. b Deum amans anima, 1082. a & ſeq. 1283. c Sponſa una ex angelis & hominibus, 1362. d Sponſam Domini decet eſſe pulcram, eruditam, & caſtam, 1387. e Ejus decor ſpiritualis virtutum ornatus, iſque æternus, 1361. Item in bonis operibus, & moribus, & ordinibus, 1337. b Sponſa partim formoſa & nigra, humilis & ſublimis, 1365. d Unde nigra & formoſa, 1350. f Ejus pulcritudo cui tantum comparetur, 1410. e Ejus caput intentio, 589. e Ubera meliora vino, 1311. b Hæc ſunt congratulatio & compaſſio, 1438. f 1391. d 1418. e Sponſæ amor caſtus, ſanctus, & ardens, 1283. a Dilectio ſpiritualis, non carnalis, 1333. d Ejus aviditas in quærendo ſponſo, 1530. f Devotio ac ſollertia in obſervando ejus adventu, 1459. e Sponſa ſponſum ſub infirmitate carnis agnoſcit, 1369. f Quanta apud eum fiducia, 1505. d Cum angelis familiaritas, 1284. c Sponſæ Chriſti duæ ſortes, 588. b Sponſæ dotes à ſponſo, 1406. f Sponſæ de ſponſo varius loquendi modus, 1435. b Sponſæ ſomnus qualis, 1445. c & ſeq. Paſcua, 1590. b

Sponſæ apud Judæos ſponſis cuſtodiendæ tradebantur à die deſponſationis ad tempus nuptiarum, 740. c

Sponsus & ſponſa myſtice qui, 1504. d Sponſi & ſponſæ nomina Verbi & animæ affectiones aptiſſime exprimunt, 1282. d Sponſi nomina, alia majeſtatis, alia pietatis, 1308. b, e Sponſus cur capreæ hinnuloque cervorum ſimilis, 1455. d Cur malo, 1432. e Sponſi lilia quæ, 1511. d & ſeq. Sponſi quatuor unguenta, 1338. a Varia cubicula, 1348. d Lectulus quis, 1532. d

Sponſus fruſtra quæſitus in lectulo quid innuat, 1533. b Sponſi præſentia quibus conceſſa, 1284. a Illius in nobis indicia, 1385. a Qui ad ſponſi amplexus ſunt inhabiles, eum ut medicum requirant, 1384. d Deſponſari Domino angelorum ſupra hominem, 1410. e Sponſi conſolatio quibus conceſſa, 1384. c Paſci à ſponſo quam dulce, 1:88 a, b Sponſus paſcitur cum illi obeditur, 1318. b Sponſi & ſponſæ intentio mutua, 1305. c Sponſi læva, merita; dextera, præmia, 565. e Sponſi ubera, longanimitas & benignitas, 1289. e Sponſus unde tantum ſibi conciliavit amorem, 1521. e, d Sponſi ſaltus qui, 1449. c Sponſus ſalit in angelis bonis, non in malis, 1459. b Sponſi ſemitæ quam ignotæ, 1526. f

Stabilitatis obligatio qualis, 518. n Stabilitatis voto non adverſatur miſſio ſuperiorum, ſed obſervantiarum diverſitas, 24. a, b Sine morum converſione monacho inutilis, 70. d

Stabulum Chriſti mundi vanitatem damnat, 782. c

Statio Chriſti, angeli, & hominis diverſa, 952. a, b Statio Seraphim incommutabilitatem denotat, 948. c

Status quatuor hominum, 1155. a Status quinque hominum ſub Deo, 1101. e 1103. b & ſeq Status hominis triplex ſub diabolo, 1102. n Status quatuor hominis ante converſionem, 1101. e Status naturæ integræ, 1089. b Naturæ corruptæ, 1089. c Gloriæ poſt reſurrectionem, 1089 d

Stellis comparantur virtutes, 1363. c

S. Stephanus martyr apud homines, 787. f

Stephanus abbas Ciſtercienſis, 14. n. 53. b, 57. a Biblia emendat, 652.

Stephanus abbas S. Johannis Carnotenſis Patriarcha Jeroſolymorum, 48. n. 85. n. 172. n.

Stephanus abbas Regniacenſis, 377. b

Stephanus epiſcopus Æduenſis, 62. n.

Stephanus epiſcopus Metenſis, 173. n. 331. d Quo anno electus & mortuus, 43. n. Pacem eccleſiæ reddit, 44. a

Stephanus epiſcopus Pariſienſis 158. c 160. b 460. 477. A rege Francor um vexatus, 51. c & ſeq. 54. e Ejus controverſia cum Stephano de Garlanda, 577. d Obitus, 202. n.

Stephanus epiſc. Præneſtinus cardinalis, 201. b 207. n. 208. a 245. c 258. n. 905.

Stephanus de Garlanda dapifer Ludovici VI. Regis, 55. n. A Bernardo converſus ad Chriſtum, 81. n. Controverſia inter ipſum & Stephanum epiſcopum Pariſienſem, 577. d

Stephanus de S. Germano canonicus Autiſſiodorenſis, 577. c

Stephanus diaconus Autiſſiodorenſis, 269. a Auctor irreligioſi teſtamenti Hugonis epiſcopi, 269. c

Stephanus de Mercorio abbas Caſæ-Dei, 180. n.

Stephanus rex Anglorum, 219. n.

Stephanus Rorici filius, 210. n.

S. Stephani Cadumenſis monaſt. 136 n.

S. Stephani Divionenſis monaſt. 61. b A Canonicis Regularibus quando habitatum, 61. n. Illius eccleſia a Godefrido Lingonenſi epiſcopo conſecrata, 166. n. Controverſia inter canonicos S. Stephani & monachos S. Sequani ſopita, 62. n.

Sterilitas ſola ad damnationem ſufficit, 109. a Sterilitatem animæ in ſeipſo deplorat S. Bernardus, 1377. d

Studium litterarum non debet retardare vitæ religioſæ propoſitum, 56. c Studia litterarum approbat S. Bernardus, 1399. c 1402. a Studia Bernardi per Gerardum fratrem libera, 1354. a Eorum incitator, adjutor, examinator, 1355. a

Studentium varo fines, 1400. a Studia ſpiritualia quæ, 1442. d

Suavitas Chriſti attrahit omnes, 1024. d

Subdiaconatum conferunt quinque primi abbates Ord. Ciſterc. 478. n.

Subdiaconorum cælibatus, 193. n. 394. b

Subditorum commodum non proprium quærere debent Prælati, 450. d, n

Subjectionis utilitas, 908. d Eam prædicat S. Bernardus, 92. b, c Subjectionis dedignatio prælationis reddit indignum, 474. a Subjectio etiam in archiepiſcopo commendatur, 474. a Subjectionis abbati exhibendæ nulla in profeſſione mentio, 25. f Subjectio voluntatis noſtræ humilitatis ſumma, 1158. a Subjectio triplex, 1138. a V. Humilitas.

Sublimitatis titulus ſummo Pontifici, 389 a Archiepiſcopo, 325. b 548. f Imperatori, 374. a Regi, 256. d 573. a Sugerio abbati & Protegi, 558. b

Subprior apud Cluniacenſes, 2. c

Subreptitie obtenta reſcindenda, 263. d 264. d, e

Subtractio rei quam amas, augmentatio deſiderii eſt, & quod ardentius deſideras, ægrius cares, 1441. d Subtrahit ſe Deus ut avidius quæratur, teneatur fortius, 1527. d 1530. c

Subverti in propoſito & averti à propoſito quid, 587. d, e

Sudor Chriſti in horto, 883 f

Sueſſionenſe concilium adverſus Abaëlardum, 640. In Sueſſionenſis epiſcopi electione non conveniunt Clerici, 273. f

Suffraganeorum cauſæ per metropolitanum decidendæ, 175. b

Suffragia Sanctorum nobis imploranda & ſperanda quatuor ex cauſis, 1042. c & ſeq. Suffragia pro defunctis, 683. c Suffragiis bonorum indignus qui eorum non acquieſcit conſiliis, 366. b Suffragiorum ſuæ domus Comnenum imperatorem participem facit S. Bernardus, 374. c

Sugerius abbas S. Dionyſii, 205. e 338. a, b, d 558. n. Bernardi amicus, 209. c 162. c Ejus ordinatio, 78. n. Exceſſus ante converſionem, 78. c 79 a Converſio, 77. c 78. e Elogium, a 62. a, b a 89. d & ſeq. 340. c *Magnitudinis* titulus illi datus, 532. e Item *majeſtatis*, 533. n. *Sublimitatis*, 338. b *Sanctitatis*, 340. b A Ludovico Rege Romam miſſus, 78. n. Regis vices gerit in regno Franciæ, 339. n, n. 338. a, e Comitia regni indicit, 338. c Eum hortatur Bernardus ad cauſam reipublicæ fortiter agendam, 338. c & ſeq. Ejus zelus & ſtudium pro bono communi, 338. e Mala regni immerito ipſi imputata, 340. b Omnium eccleſiarum cuſtodia et commiſſa, 332. e Canonicos regulares in Pariſienſi S. Genovefæ eccleſia pro monachis, quos Eugenius III. induci præceperat, inſtituit, 332. c, n. Ejus obitus, 262. n.

Suggeſtiones malæ quam ſollicite repellendæ, 1142. c, d

Superbiæ typus, Goliath, 936. e Grandis eſt & groſſa trabes, 553. a Genius hæreticorum, 1491. c Eſt appetitus propriæ excellentiæ, 468. d 565. b Caſus dæmoniorum, 13. c Superbia hoc eſt, cum major es in oculis tuis, quam apud Deum & in veritate, 1403. d Item ſuperbia eſt & delictum maximum, uti datis tamquam innatis, & in acceptis beneficiis gloriam uſurpare beneficii, 586. a Impatiens eſt conſortis, 1083 e Obex ad veritatem cognoſcendam, 565. b Primum in cælo peccatum, 1195. e Quam aliena & inimica cælo, 946. a Principem angelorum commutavit in diabolum, 718. b Dæmones ob ſuperbiam derelicti, 1451. d Angeli & hominis caſus ex ſuperbia, 1508 a Dæmones ob ſuperbiam gratiæ incapaces, 1452. f

Superbia quæ eſt, vel quæ futura eſt, gratiæ ſubtractæ cauſa, 1454. e Superbiæ argumentum, privatio gratiæ, 1454. c Superbos prætenit Dominus, humiles viſitat, 1453. b Superbi humiliandi, humiles exaltandi, 236 d

Superbia deteſtabilis, 728 a 768. b 946. c Intolerabilis impudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat, 776. d Superbiæ damna in ſe repræſentat S. Bernardus, 1453. d Superbus peccat in Deum, 784. f Extollitur ſupra ipſum, 768. b

Superbiam parit ignorantia ſui, 1400. c Eam impœnitentia comitatur, 1084. c Superbia cavenda, ut ſis ſecurus à ruina, 1066. b 1368. e Exemplo Chriſti retundenda, 735. f Lapides quinque faciendi in ſuperbiæ vitium, 957. c Superbiæ tentatio ea occaſione patientiæ, 795. a

Superbia triplex, 1243. Item quadruplex, cordis, oris, operis, habitus, 1181. d Ejus lepra ſeptuplex, 923. b Superbia cæca & vana, 468. d Superbiæ primus gradus curioſitas, 571. b Secundus levitas animi, 573. a Tertius inepta lætitia, 575. e Quartus jactantia, 576. a Quintus ſingularitas, 576 d Sextus arrogantia, 577. a Septimus præſumptio, 577. e Octavus defenſio peccatorum, 577 c Nonus ſimulata confeſſio, 577. f Decimus rebellio, 578. c Undecimus libertas peccandi, 579. a Duodecimus conſuetudo, 578. c Superbiæ duodecim gradus in tres poſſunt colligi, 578 e

Superbia Luciferi, 908. f Phariſæi, 566. e Superbia monachorum quorumdam præſtringitur, 753. f Superbo monacho nihil miſerabilius, 527. c Superborum princeps diabolus, 1319. c Superbiæ pes unicus, 352. b

Superfluitates monachorum præſtringuntur, 534. b & ſeq.

Superiores, Apoſtolorum vicarii, 938. f Etiam indignis reverentia & obedientia exhibenda, 785. a Eorum contemtus in Deum ipſum cadit, 1414. d Eorum in obediendo præcepta dijudicantes præſtringuntur, 957. c Inferiori cuſtodiam debent & diſciplinam, 725. d Non tam propter bonos quam propter malos & infirmos inſtituti, 75. d Eorum pericula, 785. c Vide Abbas, Paſtor, Prælatus.

Surienſe monaſterium, 686. e

Suſpenſio a menſa, 578. d

Suſpiciones. A pactis non reſiliendum ob inanes ſuſpiciones, 306 a

Suſurria vel leviſſima cavenda, 1371 f

Svcanus ſacerdos Eboracenſis, 673. a & ſeq

Synagogæ cæcitas & firmitas, 1523 f præſumptio, 1307. a Chriſtum procuſit, ſed abjecit, 776 a Repudiatur conſtituens ſalutem in operibus legis, 1503 f Synagogæ repudium & Eccleſiæ connubium, 1507 b, c Synagogæ & Eccleſiæ diſſimilitudo, 1376. d Cæcitas Eccleſiæ in

ſynagogam, 1543. e Chriſtus amore ſponſæ etiam ſynagogam ſibi deſponſare petiit, 1545. e

T

TAbernacula laborantium ſunt & militantium, 1202. f Tabernaculum tenebroſum, corpus hominis, 1353. c
Taleneo tenendum, 192. e
Tejoſetum civitatis Antiſiodorenſis, 576. b
Temperantia nec neceſſitatem excedit, nec præcidit, 425. a, d Temperantiæ neceſſaria juſtitia, 413. c
Templorum ſanctitas cur honoranda, 1077. a
Templum Deo in nobis ædificandum quomodo, 1072. f & ſeq. Templum Dei quomodo firmus, 1081. d
Templi militem in monachum recipere renuunt Ciſtercienſes, 260. c
Temporalia quanto ſtrictius habentur, tanto melius, 893. c, f Sine defectu ſpiritualium tractari nequeunt, 441. c Temporalium ſufficientiam ſuis tribuit Deus, 635. c Eorum diſcurſus conſcientiam reddit, 443. e Item eorum abundantia æternorum parit inopiam, 720. c Temporalibus incumbere ſe Epiſcopo indignum, 443. e & ſeq. V. Terrena.
Temporis jactura in verbis otioſis quantopere cavenda, 1218. b & ſeq. Ex præterito, præſenti, & futuro quomodo proficiendum, 991. f 993. a 1029. c Horum nullum perdit quiſquis pœnitentiam agit, 1557. c d V. Pœnitentia
Tenebrarum opera ſunt peccata, 769. f
Tenolienſe monaſterium Ord. Præmonſtratenſis, 385. n.
TANTATIO eſt tota hominis vita, 833. c 836. a Tentationes, vulpes, 1484. d Patienter ferendæ, 461. d Eorum neceſſitas 1484. d Deus tentat ad probandum, non ad reprobandum, 1018. c Tentationis & conſolationis viciſſitudo piis utilis, 1020. f Tentationibus Deus miſcet revelationes ad cuſtodiam humilitatis, 574. c Tentatio libertati non officit, 617. d Diaboli fraus in tentatione ex Scriptura, 869. c Tentationis motum excitare poteſt inimicus, ſed in nobis eſt dare, aut negare conſenſum, 822. c Tentationibus vel adverſis non cedendum, 1018. c Dei providentia in moderandis tentationibus, 836. a
Tentatio triplex, earumque remedium 907. f Tentationes quatuor, 835. f 836. a & ſeq. 1065. d 1391. d Quatuor tentationibus quatuor virtutes oppoſitæ, 870. b Tentatio contra ſpem occulta, ſed graviſſima, 868. c Tentatio ſanæ gloriæ quomodo extinguenda, 869. c
Tentationes Chriſti quatuor, 868. b, c Tribus tentationibus diabolus Chriſtum aggreſſus eſt, 857. c
Tentationes Eccleſiæ quatuor, tyrannorum, hæreticorum, malorum Clericorum, & Antichriſti, 838. b & ſeq. Tentationum ultima perſecutio, 869. c
Tentationes incipientium apertæ, proficientium occultæ, 1484. d & ſeq. Varia earum genera, ibid. Perfectos tentat diabolus, ſub ſpecie boni malum perſuadens, 837. f 1390. f Tentatio perfectorum palliata iniquitas, 1391. b & ſeq. Alia piorum de vitæ longiturnitate, 1085. c Tentat monachos diabolus, aliquando auſteriora, aliquando remiſſiora ſuadendo, 1128. c & ſeq. 1133. b Tentationes converſorum, 487. a
Tentationes acres initio converſionis inſurgunt, 1024. a Tentatio de rebus vitæ neceſſariis, 828. d Aſpidi comparatur, ibid. f Relinquentibus omnia prima ſolet eſſe tentatio de moleſtiis carnis, 1026. c
Tentatio prima novitiorum puſillanimitas, 836. b Ex rigore religionis, 1218. a Non ipſa afflictio, ſed ipſius timor tentatio eſt, 836. c
Tentationum antidotum, 830. n In conſolatione & tentatione quomodo ſe gerendum, 1332. a, b Novitiorum cautela in tentationibus, 831. c Tentationi initio reſiſtendum, 822. f Recurrendum ad orationem, 822, f Deum in tentationibus ſuis tamquam proprium habent ſinguli electorum, 830. f Tentationum remedium, Chriſti paſſionis meditatio, 299. c Ad Mariam confugiendum, 743. c, d Angeli invocandi, 864. a Tentationis victoria, roſtimonium cæleſtis generationis, 906. b
TAPIDITAS abjicienda, 925. a In monachis damnatur, 98. a, b Unde oriatur, 916. c, f Ejus cauſa fidei languor, 1130. d Quam perniciofius religioſis hic tepor, 101. c
Tepidus religioſos nec cæleſti, nec terrena fruitur conſolatione, 193. d, n. Tepidorum religioſorum indicia, 1141. a, b Tepidorum & ferventium religioſorum diſcrimen, 914. e, f Tepidos religioſos arguit ſecularium in terrenis fervor, 343. b Tepidis & languidis quomodo ſubinde ſuccurrat Dominus, 1384. f
Terra majeſtate Domini replenda excluſo ſatana, 945. a, b Terræ & cæli diſcrimen, 1050. f In terra oritur, moramur, & morimur, 1049. c Terræ hærere homine indignum, 1348. b, c
Terræ ſanctæ infelix ſtatus, 973. b
Terræ nomine corpus deſignatur, 1026. d
TERRENA non ſatiant, 489. a, b Poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant, 107. c Deſipiunt ſapienti cæleſtia, 810. b Terrenorum amor cæleſtem impedit felicitatem, 107. e Terrenorum ſatietatem non parit copia, ſed contemptus, 489. b Sæcularium in terrenis fervor religioſos tepidos arguit, 343. b Terrenis contemptis quærenda cæleſtia, 277. c Terrena faſtidiens meretur æterna, 877. d Terrenis hærentes ſimiles ſubmerſis & pereuntibus in aquis, 717. b Exhortatio ad contemptum terrenorum, 107. e
TESCELINUS abbas Leſcienſis, 358. n.
Terrere pios cur dæmon aliquando permittatur, 842. d Amici officium terrere ſalubriter, 27. c
Teſtimonia ſex divinis attributis perhibenda, 1232. b & ſeq. Teſtimonium in cælo ad diſcernendos Angelos beatos à reprobis, 908. c Teſtimonium in terra ad diſcernendos juſtos ab impiis, 909. c Teſtimonium Trinitatis, 908. b Teſtimonium aquæ, ſanguinis, & ſpiritus, 907. c, d Teſtimonium conſcientiæ in tribus, 972. f
THEOBALDUS archiepiſcopus Cantuarienſis vir boni teſtimonii, 197. d 233. n. 235 a 315. b, c, n.
THEOBALDUS epiſcopus Pariſienſis, 208. n. 209. c
THEOBALDUS M. Campaniæ comes, 167. n. 203. f 205. e 206. b & ſeq. 209. c 210. n. 265. b 388. a Elogium ejus, 374. c Juſtitia ejuſdem & legalitas, 31. b Mathildem deſponſatam habuit, 199. n. Tutor Ludovici Junioris, 165. n. 166. n. Pacis amator, 323. c Conſtans pro veritate, 50. d Pax inter eum & Ludovicum Juniorem reformata, 203. e 204. d 208. e Pactum ejuſdem Regis cum eo de civitate Catalaunenſi, 209. a & ſeq. Epiſcopo Lingonenſi hominium facit, 31. e Rixa ejus cum Radulfo comite Vuomandenſi, 200. e, e 201. a Concilio Sueſſionenſi intereſt, 310. n. In S. Bernardum beneficus, 42. d Sollicitus de ejus infirmitate, 42. c Ab eodem rogatus pro Humberto, 47. b Rejicitur, 49. d Arbiter cum Gaufrido Carnotenſi, 190. n. Eleemoſynas ejus non vult diſtribuere S. Bernardus, 564. d Pro admiſſo Petro Bituricenſi archiepiſcopo male à rege habitus, 200. n. Rogat pro eccleſia Moliſmenſi, 621. c Latiniacenſis monaſterii advocatus, 227. a, n. Ibidem ſepultus, 127. n.
THEOBALDUS notarius archidiaconus Pariſienſis an auctor necis Thomæ Prioris S. Victoris, 159. n. 160. a, b, d
THEOBALDUS princeps Burgundionum, 200. n.
THEOBALDUS prior Arremarenſis, 713.
S. Theoderici monaſterium a regiis miniſtris expilatum, 208. c, n.
THEODERICUS abbas S. Eligii Noviomenſis, tum epiſcopus Ambianenſis, 382. n. Socius peregrinationis in terram ſanctam à Rege poſtulatus 383. a Ejus elogium, 383. a
THEODERICUS de Avesnis, Leſcienſis monaſterii reſtaurator, 358. n.
THEODERICUS dux Lotharingiæ, 473. n.
THEODORICUS comes Flandrorum, 256. n.
S. Theofredi abbatis horrenda blaſphemia, 127. c
Tholdanos monaſterium ab Elvira Infante fundatum Ciſtercienſibus ſe ſubjicit, 283. e, n. Illud repetunt Caracetenſes, 283. e
Thuribulum ad uſum canonicorum S. Stephani Autiſiodorenſis, 576. c
THOMÆ apoſtoli dubitatio cum Mariæ deſponſatione comparata, 740. f
THOMAS de S. Audomaro, 113. c
THOMÆ monachi S. Bertini propoſitum tranſeundi ad Ciſtercienſes, 153. c 341. b, c
THOMAS præpoſitus de Beverla, 111. b Ejus procraſtinatio de ſua converſione, 114. Egregiæ ejus dotes, 363. b
THOMAS prior S. Victoris, dimidium animæ epiſcopi Pariſienſis, 160. b Spreto epiſcopali honore omnibus poſtabat, 159. c Vir religioſus & beatus, 159. c, e Ejus cædes, ibid. & 160. a, b, d Annus ejus obitus, 158. n.
THOMAS Stampenſis, magiſter Cadumenſis, 107. n.
TIMORIS juſtior cauſa & copioſior materia diligendi, 1310. c
Tigna domus ſpiritualis timor Domini, patientia, longanimitas, caritas, 1428. c
TIMOR ſupor eſt, 1344. c Gratiæ cuſtos, 135. a Aquæ comparatus, 1235. c, 1435. a Devotio vini, 810. c Timor Domini fons vitæ, 806. c Salutis initium, 812. c Quomodo initium ſapientiæ, 1344. b Spei materia, 872. c Timore minuitur ſpes proficit, 1444. b Timor & cupiditas animas non convertunt, 89. f Caritas numquam ſine timore & cupiditate, 15. c Timore ordinatus juſtitia eſt, 1184. c Timor ſervilis, bienis; caritas, æſtas, 1467. c Timore prævalente nulla pax, 1444. a Timor ſine caritate pœnalis eſt, 1453. e Timor tandem convertitur in amorem, 1189. f Timoris perſona devotio ipſum non annullet, ſed caſtificat, 1600. e Timorem devotio caſtificat, 91. c
Timoris effectus, 1115. e Timore vocamur, amore juſtificamur, 118. c Timoris militat contra peccati concupiſcentiam, 810. d Timor Domini excludit omnia vitia, 1455. b Efficacius peccato reſiſtit, quam pudor aut dolor, 119. c Timet duo humana fragilitas, pudorem & dolorem, 766. c Timoris tres gradus, 1193. d
Timor duplex, pius, & inutilis, utriuſque effectus, 91. c Timor Domini triplex, 806. f Tertius monachorum proprius, 807. a Timor triplex, 810. d 1129. c Timor perverſus eſt, quo metuis aliquid præter Deum, aut non propter ipſum, 817. f
Timere Deum, tota noſtra beatitudo eſt, 1019. d, e Timendi Dei cauſa ex occulto Dei judicio, 471. a Timendus Deus cui nec reſiſtere, nec abſcondi poſſumus, 438. b Timor Domini præterendus pietati proximi, 978. a Deus tanto magis timendus, quanto majora ejus munera percepimus, 328. c Timendum ſemper ſanctis in hac vita, 768. f 1039. b, c Timendum cum aufertur gratia, cum abit, cum revertitur, 1414. b & ſeq. Quam juſta timendi cauſa ex illicitis animi motibus, 470. c Timet nihil qui Deum protectorem habet, 829. c Protectore Chriſto nihil timendum, 843. f & ſeq.
Timor judicii & gehennæ, 1313. a, b Diabolus leo piis non timendus, 866. d Timendi cauſa triplex Epiſcopo, 27. d
Tirones minus idonei Cantici canticorum auditores, 1370. b
Timnenſes Innocentio adhærent, 136. a, n.
Toga & tunica quid differant, 754.
Toloſanorum devotio in S. Bernardum & zelus in hæreticos, 218. c
Tonſura militum templi, 547. f
Tornacenſes Clerici famoſi à Bernardo converſi, 117. n.
Traditiones hominum pro indulgentiis & relaxationibus vitæ regularis, 972. c

Trahi quid & quibus competat, 1350. b & ſeq. Trahi à Deo libertati non officit, 617. b Chriſtus ſuavitate ſua cunctos trahit, 1382. d Trahit Deus quodammodo invitos, ut faciat voluntarios, 1333. c Trahit nos Deus, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, 1333. b, c Tractio à Sponſo, 1464. a

Tranquilla mens in medio negotiorum rara avis in terris 334. b Tranquillus Deus tranquillat omnia, 1143. b

Tranſitus ad aliud monaſterium quando licet, quando non expedit, 518. b & ſeq. 519. c Ad alium Ordinem quando licitus, 24. f Tranſitus ad aliud monaſterium majoris perfectionis gratia permiſſus, 69. f Tranſitum ad aliud monaſterium aliquando improbat S. Bernardus, 45. d 46. b 540. d Tranſitus ad monachos Canonicis regularibus licitus, 14. a, b Tranſeuntes ad aliud monaſterium ſtrictius, ad primum redire non debent, 100. a Tranſitus ad laxiora apoſtaſia cenſetur, 5. d 5. b n.

Trecenſe concilium an MCXXVIII. 31. c, n.

Tribulatio præſens via gloriæ, 878. f V. Afflictio.

Trevirenſis epiſcopi fidelitas erga ſedem apoſtolicam, 300. b Eccleſiam S. Maximini de manu laica eripit, 300. c Trevirenſis populus duræ cervicis, diſcordiæ amans, 173. c, Trevirenſis provinciæ corruptio, 173. f, 175. c

Tribulatio pius eſt conſolatio, 857. c Tribulatio utilis & neceſſaria, 876. a, e Tribulari bonum, dummodo ſit Deus nobiſcum, 876. f Deum nobiſcum eſſe in tribulatione probat ipſa tribulationis tolerantia, 874. a Tribulatos Deus portat, 857. c Tribulationis in bonis & malis diſpar effectus, 45. c In tribulatione futura cogitanda, 876. b In tribulatione ſpes gloriæ veluti meſſis in ſemine, 876. c Perfectorum eſt gloriari in tribulatione, 45. d

Triduum Chriſti moraliter, 895. c Triduum myſticum quo ſuſtinendus eſt Salvator, 918. c Tridui ante Paſcha ſanctitas, 890. c

Trinitatis unitas ſuper omnes unitates, 453. Trinitatis ſingulis perſonis æque conveniunt nomina eſſentialia, non notionalia, 647. d Æqualitas perfecta in perſonis Trinitatis, 644. e 848. a Trinitatem ſcrutari temeritas, credere pietas, noſſe vita æterna eſt, 453. b Trinitatis perfecta cognitio vita æterna eſt, 918. b Trinitatis myſterium ſola fide comprehenditur, 453. a Trinitatis veſtigium in anima rationali, 1180. a Trinitatis operationes in nobis, 567. d & ſeq. Trinitatis triplex operatio, 1314. b Trinitatis operatio in Incarnatione, 1390. b

Trinitas varia, 1281. d, e Trinitates octo, 1242. b

Triſtis hic lætis permixta, 880. a

Triſtitia non omnis interdicta, 813. f & ſeq. Triſtitia Deum inhonorat, 940. b

Trium-fontium monaſterium Ord. Ciſt. in diœceſi Catalaunenſi, 69. n.

Triumphati mundi teſtimonium, 908 a

Trunchinenſe monaſterium prope Gandavum, 366. f 367. n. 368. a

Tunica inconſutilis fidem deſignat, 186. Item Eccleſiæ unitatem, 307. d Tunica monachorum olim apud pleroſque alba, 714. Tunica & toga quid differant, 714. Tunicæ Ciſtercienſium pelliceis Cluniacenſium oppoſitæ, 2. d

Turoldus abbas Trium-fontium, 72. n. 286. b Fama ejus ſiniſtra, 287 a Reſignato officio Rievallem ſecedit, 287. b. n

Turpibus nihil deerit ad confuſionem, 456. d

Turstinus archiepiſcopus Eboracenſis, 300. b, c, d, n. 229. n 293. c Cupit dimittere curam paſtoralem, 297. b Ejus labores in reformando monaſterio B. Mariæ Eboracenſis, 389. a & ſeq.

Turtur avis pudica, 1410. d Polygamiam redarguit, 1470. c Cur oblata in purificatione, 1470. b Turturis vox prædicatio eſt caſtitatis, 1470 d Turturi cur comparetur ſponſæ pulcritudo, 1410. c

Tutum hic nihil, 1390. a

Typus pro typhus, 246. n.

V

Vagitus Chriſti quam diſſimilis à vagitu aliorum infantium, 782. f

Valcellarum monaſterium Ord. Ciſterc. 179. n. 180. d

Valclarenſe monaſterium Ord. Ciſterc. 385. n.

Valentiniani imperatoris non baptizati ſalutem de ſola fide præſumit S. Ambroſius, 628. c

Valetudinis nimis ſtudioſi monachi præſtringuntur, 1378. c & ſeq. V. Monachi.

Vallambroſani ſeu Vallumbroſani Innocentio adhærent, 136. a

Vallis monaſterium Ord. Ciſterc. 260. c, n.

Vallis-lucenſis monaſterium, 76. n.

Vangionis-rivi cella, 84. n.

Vana gloria quid, 585. d Nempe quæ ab homine, 726. f Ejus inanitas, 57. b 484. c Baſiliſco ſimilis, 869. b Quanta pariat mala, 484. c Spirituale bonum diſſipat, 224. a Eſt virus virtutum, 619. d Vana gloria & impatientia, duplex jejunantium virus, 816. d

Vana gloria fugienda, 234. b Ejus tentatio quomodo extinguenda, 869. b c Illi humilitatis ſcutum opponendum, 837. a

Vanitates monachorum præſtringuntur, 534. b & ſeq. Vanitatis appetitus contemptus eſt veritatis; contemptus veritatis, cauſa cæcitatis, 56. c Vanitas veſtitus vanitatem arguit cordis, 558. a Vanitatem noſtram confundit humilitas Chriſti, 799. c 782. c Non eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi totum occupat caritas, 1322. c Vanitate cur ſancti pulſentur, 574. c

Ubera ſponſæ meliora vino, 1291. b Sunt congratulatio & compaſſio, 1239. f 1243. a, 1291. d Ubera duo Sponſi, longanimitas & benignitas, 1289. c

Ubaldus epiſcopus Lucenſis, 374. n.

Udo abbas S. Petri Carnotenſis, 493.

Verbum ſerotο ſimplex & unus, 1443. d In Verbo omnia, 1568. b Verbi & animæ convenientia, 1549. c Similitudo, 1544. c Colloquium ſpirituale, 1425. a Conjunctio ſpiritualis, 1381. f & ſeq. Verbo frui quid, 1566. d Cauſæ ſeptem ob quas quærit anima Verbum, 1561. f Verbi lingua, favor dignationis ejus; animæ lingua, fervor devotionis, 1425. b Verbum Dei jam non latet in Prophetis, ſed in carne præſto eſt oculis, 310. b

Verbum triplex: indicatum, inſpiratum, eructatum, 1183. d Verbum Dei quanti faciendum, 990. c 991. c Quanta cum reverentia audiendum, 967. c Illud debite audire, præcipuum prædeſtinationis ſignum, 811. c Nocet ſi cum faſtidio audiatur, 1398. d Eſt panis hominum, 550. a

Verbi Dei mira vis & multiplex utilitas, 752. b, 1133. d Triplex illius uſus, 1334. f Mandata duo prælati, verbum & exemplum, 193. b Opera verbis concinant, & verba operibus, 193. a

Verbum aſperum quid, 831. b Verba aſpera non placent, 180 b Verbera verborum in abbate amicabilem curam paternamque ſonant ſollicitudinem, 273. b Verba Jeſu aliis dulcia, aliis dura ſunt, 1096 c

Verborum neceſſitas, 1230. a, b Verbum otioſum, quod nullam habet rationabilem cauſam, 1118. f Temporis jactura in verbis otioſis quantopere cavenda, 1118. f & ſeq. Verbum ſcurrile non ſolum ab ore, ſed etiam ab aure relegandum, 425. c

Verboſulus pro juſtitiæ hoſte reputandus, 459. d

Verecundiæ præclara encomia, 1567. b Verecundiæ pudor in facie, gemma gratiſſima, 1010. b Virtus gratiſſima præſertim in adoleſcente, 1567. a Orationem ſupplet, 580. b Pœnitenti ad Deum accedenti neceſſaria, 1274. d Illi proprium vitare laudes & jactantiam, 1567. c Verecundiæ ſpecies etiam in peccatoribus, 1567. c Verecundia mala quæ, 116. b 179. b

Veritas Filium, 1912. c & ſeq. Animæ vita, 1106. c Illius amor ſolus & fidus & verus, 1339. f Quibus innoteſcit, det caritatem, 581. c Illius cognitio eſt fructus humilitatis, 559. c & ſeq. Pigritia non tam contraria veritatis cognitioni, quam ſuperbia, 569. f Ad eam cognoſcendam quænam removenda, 585 d Illius agnitio in tribus gradibus conſiſtit, 541. c Eos quomodo aſcendere debeamus, 587 Veritatis judicium neſcit amor, nec odium. 565. c Veritas odium parit 55. b Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur, 47. c 81. c 554. a Veritas primo ardua, dein facilis, 908. d Sine condimento gratiæ eſt amara, 1529. b Veritas & miſericordia viæ Domini, 859. a Veritas dies qui non novit occaſum, æterna veritas, & vera æternitas, 875. f

Vermis immortalis damnatorum, 436. a Conſcientiæ hic non ſuffocandus, 481. b

Veſeliacenſis conventus pro negotio crucis, 873. d

Veſtium vanitas, lepra ſuperbiæ, 923. c Veſtium luxus in epiſcopis notatur, 465. a & ſeq. 464. a & ſeq. Item in clericis, 454. c & ſeq. In monachis, 537. a & ſeq. 754. b, c Veſtium decor veſtitum non decorat, 122. c Pullæ & candidæ ex æquo vitandæ, 221. f Nigra utebantur Hiſpani in funere, 222. d

Veſtes monachorum quales eſſe debeant, 592. c Cujus coloris, 714 Nigræ magis eos decent, 221. b & ſeq. Antiquis Patribus uſitatæ, 221. c Veſtibus à Regula conceſſis aliquæ poſſunt addi, 217. f Veſtes Cluniacenſium, 5. n. Veſtium diverſitas in colore diſcidii cauſa Cluniacenſes inter & Ciſtercienſes, 220. a, b De veſtium colore inanis diſputatio, 220. d & ſeq. Albas olim ferebant ſæculares, 221. f 221. c, d

Vetuſtas triplex, 1197. c

Vexationem non ſentire, hebetati cordis indicium, 412. a

Viæ multæ & diverſæ, 857. c Viæ hominum, neceſſitas & cupiditas, ibid. d Viæ dæmonum, præſumptio & obſtinatio, 858. a Viæ angelorum, aſcenſio & deſcenſio, 858. f Viæ Domini quæ & quales, 1126. d Nempe miſericordia & veritas, 859. a Item confeſſio & obedientia, 1165. f Eas imitatur homo per compunctionem & confeſſionem, 162. a

Viam Domini incedunt tria hominum millia, 1200. b Viæ angelorum quomodo tendant ad imitandas vias Domini, 860. c Vias dæmonum quomodo incurramus, 862. d Via bona & mala; utraque quomodo una, 570. d & ſeq. Via lata, via non eſt, 1084. d Via redeundi ad Deum, 568. c Illius compendium, 593. a Chriſtus via, 620. c In via vitæ quo citius, eo facilius curritur, 543. c

Viaticum & confeſſio moribund, 678. b Viatico præmiſſa Unctio-extrema, 689. c

Vicarius Chriſti S. Petrus, 422. c Papa, Chriſti Vicarius ſimpliciter dictus, 249 a 444. f 474. c, n. Item B. Petri Vicarius, 178. b, n. Et Vicarius SS. Petri & Pauli, 242. a Epiſcopus item dictus Vicarius Chriſti, 479. c Immo & abbas, 61. c

Viciſſitudo ſola placet in creaturis, 1109. c Viciſſitudo præſentiæ & abſentiæ ſponſi, 1384. b Viciſſitudo tentationis & conſolationis ſatis utilis, 1290. f

Viconienſe monaſterium à VVidone fundatum, 250. n. Laudunenſi S. Martini ſubjectum, ibid.

S. Victor angelis familiaris, 966. d Reficit nos exemplis, protegit meritis, lætificat ſignis, 964. c Quædam ejus mirabilia, 965. f & ſeq. Ejus corpus in monaſterio Artemarenſi, 337. b 963. Oratio ad eum, 966. f De eo Bernardi officium & ſermones duo, 335. a

Victor antipapa, 196. b, n. Anacleto ſubrogatur, 151. n.

S. Victoris monaſterium Pariſienſe Ord. S. Auguſtini, 561. Illud Sugerio commendat S. Bernardus, 318 c

Victoria in agone Chriſtiano cur tam pauci, 906. c, d Victorioſa fides quæ, ibid. e Victoria à Deo ſperanda, non à propriis viribus, 548 b Aliquando ſola perditur fuga,

7. c Summum victoriæ genus, divinæ cedere majeſtati, 179. b Fide vincimus hoſtes, 906. b Triumphati mundi teſtimonium, 908. a Tentationis victoria, teſtimonium cæleſtis generationis, 906. b Chriſti victoriæ inſignes, 892. c

Videre gloriam Dei, & videri, eſt perfectorum, 1481. a Credere, videre eſt, 1531. a V. Viſio.

Vidua unde bona æſtimetur, 578. c Eſt qualiter vivendum, 278. d Nupturæ ei repetere licitum, 1496. b Licet viduitas ſit glorioſa, 278. c Viduarum cauſas præ aliis curare debet judex, 423. a

Vigilantia paſtoribus neceſſaria, 1840. a

Vigilandum nobis ſtudioſe, 856. f

Vigilia æterni ſabbatiſmi eſt præſentis temporis pœnitentiæ, 1058. f

Vigiliæ feſtorum quomodo celebrandæ, 927. c, d

Vigiliarum utilitas, 1188 b Vigiliæ nocturnæ Ciſtercienſium quam prolixæ, 396. a 1401. d

Vigiliæ tres noctis tropologice expoſitæ, 763. b, c

Villare monaſterium Ord. Ciſt. 258. n.

Vincentii martyris fortitudo in tormentis, 1120 b

S. Vincentii monaſt. Lauduni, 385. n

Vindocinenſis eccleſia proxime ſub poteſtate ſummi Pontificis, 281. c, n.

Vinea Domini Eccleſia, 1490. c Seu Fideles populi, 1373. d Ad ejus cuſtodiam quis idoneus, 1377. f

Vineæ proprietates Eccleſiæ applicatæ, 1375. f & ſeq. Vineæ Engaddi allegorice plebes Eccleſiæ, 1420. d

Vinea ſtulto non eſt, 1482. b Sapienti eſt vita ſua, 1482. b Juſtus quomodo vinea, 1482. c Vineæ ſunt animæ, quarum flos opus, odor opinio, fructus martyrium, 1475. d Vineis comparantur ſpiritu ferventes, 1474 c, d Vinea quæ floruit, provectiores, 1484. b Florens novitii in religione, 1481. d Item primi fideles, 1473. b Vineæ fructus, caritas, 1474. d Vineæ florentes ſerpentes fugant, 1473. a

Vinum ſanctificatur per corporis Chriſti contactum, 72. c, n. Vinum raro bibunt Ciſtercienſes, 6. n. 1068 b Timotheo quomodo ab Apoſtolo permiſſum, 1379. d, e Pigmentatum apud monachos improbatum, 536. b

Vinum myſticum, 953. d Vino caritas comparatur, 1335. c Vinum bonum ſanctæ voluptatis, 1128. c Vinum angelorum, pœnitentium lacrymæ, 1376. a

Vino ſimilis carnalis affectus, 1291. a Vinum carnalis illecebræ, 112. c

Vinum & oleum noſtris vulneribus Chriſtus infudit, 1317. a

Virginitas flos horti, 1430. b Virtus angelica, 1013. c Ejus prærogativæ in præſenti & futuro, 128. d, c, 1128. c Virginitas laudabilis, ſed magis neceſſaria humilitas, 714 f Utriuſque pulcra connexio, 734. f Virginitas non omnium eſt, ſed multo pauciorum cum virginitate humilitas, 733. c Sine humilitate laudem apud Deum non habet, 1182. b

Virginitatis primiceria Maria, 1008. f Virginitatis votum in Maria, 737. a 746. b & ſeq. 750. d 1003. c, 1009. d Virginitas cum fœcunditate in Maria mirabilis, 735. c Virginem non decebat parere niſi Deum, nec Deum naſci niſi de Virgine, 736. f Chriſtus virgo, virginis filius, virginumque ſponſus, 1369. d

Virginum decor quantus, 121. f Virginum ornatus perpetuus, 122 f Virginum ornatus, verecundia & diſciplina, 122. d Virginum eſt ſemper eſſe pavidas & nunquam ſecuras, 747. a Virginem non eſſe magis expedit, quam de virginitate inſoleſcere, 735. c

Vinde-ſtagnum monaſterium in Scotia, 688. d

Virtus dies, 1436. d Stellis comparatur, 1563 c Eſt cognata ſapientiæ, 1564. b Utriuſque diſcrimen, 1564. b, c Virtutis definitio, 1563. c Virtutes ſunt ordinatæ affectiones, 610 b

Virtus gradus ad gloriam, 963. d Illius merces, fama bona, 128. d Ob ſe ipſam ſectanda, 823. c Illuſtrior eſt quam nobilis proſapia, 121. b Illuſtrior in nobili claret, 121 b Virtutum ornatus ſpiritualis, ſponſæ decor, uſque æternus, 1361. a Virtutes & exercitia angelis grata, 1021. a Virtutes angelicæ cur ſic dictæ, 1123. c Virtutes, non prodigia à nobis exiguntur, 964. f & ſeq. Virtus in pace acquiritur, in preſſura probatur, in victoria approbatur, 181. c Exercitata clarior, 1364 d Virtutum ſtabile fundamentum humilitas, 458. d Veræ divitiæ non opes, ſed virtutes, 726. f Virtus cum opibus diu vigere non poteſt, 326. c Sine Chriſto nulla vera virtus, 1338 d Cum vitiis creſcere neſcit, 1467. d Vitiis ejus vanagloria, 659. d

Virtutum falſarum notæ & indicia, 727. c & ſeq. Veræ virtutes nullæ in Ethnicis, 1338 b Noſtræ in hac vita non prorſus deſæcatæ, 1520. a Earum ſplendor inanis cavendus, 1229. c Virtutis alienæ pia æmulatio, 1433. f Virtutum inter ſe connexio, 433. a & ſeq.

Virtutum cardinalium neceſſitas, 424. b 426 d Ipſis medium qui competat, 423. f & ſeq. Virtutes cardinales in Maria, 1186 a & ſeq. Virtutes quatuor tentationibus quatuor appoſitæ, 870. b Virtutum concertatio poſt Adæ peccatum, 974. f & ſeq.

Virtute divina hoſtes noſtros vincimus, 943. a

Visio beata, meridies, 1389. d In cælis quam beata & ſuavis, 1380. b In ea Intellectus noſter totus in Deum feretur ſine diſcurſu, 456. f In hac vita impoſſibilis, 1174 c 1380. c 1405. f Viſio Dei quæ competat beatis, viatoribus, antiquis patribus, & piis viris, 1380. f & ſeq.

Viſio Dei duplex, in majeſtate & in humilitate, 943 c, f Qualem requirat anima pia, 1382. a Sanctitatis via tendendum ad viſionem majeſtatis, 770. b Requirit ardens deſiderium, 1381 c Pudicos aſpectus, 1257. c 1380. e Ad videndum Deum oculus mentis triplici eſt inquinamento purgandus, 1028. c Fides mundat & præparat oculum mentis ad videndum Deum, 1415 b

Viſio eſt caritas, 1550. f Deus quomodo videndus in creaturis, 1037. b Viſio an fraudet meritum fidei, 1334. f Viſio Chriſti apud Iſaiam diverſa, 931. b, c

Viſitatio diœceſis per S. Malachiam, 676. c, e Hanc obit pedes, ibid. Viſitationes monachorum ab antiquis quam diſſimiles, 533. b & ſeq.

Viſitationes ſponſi quam occultæ, 1525. b Quid facto opus, ut viſitemur a Deo 1460. f Viſitationis divinæ tempus ſollicite obſervandum, 1460. c Illius teſtimonia quænam, 1460. c 1461. c & ſeq. Viſitatio ſponſi quæ timenda, 1330. c

Viſui & auditui nemo putat fidem eſſe negandam, 470 c V. Oculi.

Vita eſt internus ac naturalis motus, vigens tantum intrinſecus, 604. d Vita qua vivimus, magis mors eſt, nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis, 875. d Ex quo incipimus vivere, incipimus mori, 875. d

Vita præſens quam incerta, 1086. d Quam fallax, 1083. c Verſatur inter ſpinas & aculeos, 1432. a Ejus miſeriæ & pericula, 660. b 874. c 925 c Eſt exſilium, 149. d Et velut Septuageſima captivitatis, 812. c De vita & morte piorum æqualiter luget & gaudet S. Bernardus, 359. a, b

Vitæ tædium quale in ſanctis, 182 b Piorum tentatio de vitæ longiturnitate, 1083. c Hæc malis non expedit, 1081 d Nec ſibi promittenda, 424. a Vitam brevem ad voluptatem, longam ad pœnitentiam ſibi fingunt carnales, 1085. a Vitæ prioris damna ut emendanda, 1095 a Vita animæ corporis vitæ præferenda, 468, a

Vita bona in quo, 989. c Non niſi in converſione eſt, 477. c Vera vita, vita æterna, 873. d Quanta ejus præmia, 778. c Quoad animam, 1296. b & ſeq.

Vitæ ſpiritualis indicia, 899. d, c Vita animæ vita, Deus, 855. c Vita cordium, Jeſus, 1538. b Vivendum Chriſto, 149 a Dignus morte, qui ei recuſat vivere & eſſe, 1526. b Vitam Chriſto debemus multis rationibus, 1168. c & ſeq. Vitam noſtram ſibi totam vindicat, qui pro ea poſuit ſuam, 149. a 150. b Non vivit qui non diligit eos inter quos vivit, 1106 c Vitæ mixtæ commendatio, 1001 b

Vita ſanctorum quaſi menſa plena ferculis, 964. d Vitæ ſanctorum ad quid nobis utiles, 657. c Vita ſua ſapienti eſt vinca, 1482. b, d Vita ſtulti mors eſt, 1482. c Vita ſæculi non, 769. c, d Vita monaſtica ſæcularibus ludus, 93. f

Vita arborum & animalium, 1550. c Duobus modis vita ex corde procedit, 1204. a

Vivere in umbra, & ſedere quid differant, 1434. c

Viterbium, urbs Italiæ, 1359. c

Vitis, V. Vinea.

Vitia in nobis pullulare non ceſſant, 1467. b & ſeq. Vitiorum quadruplici morbo laborat anima, 1254. b Continue amputanda, 1067. b & ſeq. Initio extinguenda, 1486. c Virtutum nominibus non pallianda, 21. d Quæ nos fallunt ſub ſpecie virtutis, vulpes ſunt, 1485. c & ſeq.

Vivianus abbas Altæ-cumbæ, 39. d, n.

Vizelienſes monachi à clericis Nivernenſi. Comitiſſæ infeſtati, 557. c In manu valida reformati, 153. d

Ulgerius epiſcopus Andegavenſis, 191. b, n Vita & ſcientia venerabilis, 182. b Ut officio ſuo reſtituatur, intercedit Bernardus apud Innocentium Papam, ibid.

Ultionem peccati tardat Deus, ut commendet patientiam, impleat electionem, & confirmet caritatem, 941. c, f Servorum injuria in ulciſcenda, 84. c

Ulydiæ comes, 678. d

Umbræ comparatur fides, 1383. b Umbra Chriſti, caro ejus, 1328. f Caro ejus & fides, 1433. f Deſiderabilis. 1433. c Umbratum declinatio quid, 1320 f

Unctio crucis, 1072. f Unctio vitæ religioſæ quanta, 110. c, d

Unctio Chriſti, 815. c, d Chriſtus cur noluerit corpus ſuum ungi in ſepulcro, 1111 1300. a, b

Unctio-extrema ſacramentum, ejuſque effectus, 681. b

Unguenta quatuor ſponſi, 1338. a Unguentum triplex, compunctionis, devotionis, & pietatis, 1208. a & ſeq. 1210 a & ſeq. 1292. d 1301. a, b Unguentum contritionis unde conficiatur, 1298. d, c Ejus vis & fragrantia, 1292. f Item devotionis unde conficiatur, & quibus competat, 1293 c & ſeq.

Unio perfectorum cum ſponſo, 1507. d Hominis cum Deo eſt voluntatum conſenſio, 1517. c Manducare & manducari neceſſaria ad unionem, 1313 b

Unitas multiplex, 1203. c, c Unitas Trinitatis & Chriſti ſuper omnes unitates, 433. c, d Inter unitatem hominis cum Deo, & Dei Patris cum Filio quæ differentia, 1516. a Amoris glutino conſtat unitas inter Deum & hominem, 1516. c Chriſto uniuntur omnia unitate ſubſtantiali, perſonali, ſpiritualis, ſacramentali, 1158. c Unitatis novem modi, 433 b Unitatum diſparitas, 1316 t

Unitas eccleſiæ ſchiſmam ignorat, 307. d

Unitas cordium commendatur, 814. c Ubi unitas, ibi perfectio, 422. c Unitas & concordia angelis maxime placet, 1021. b Eſt religioſorum gloria, 1022 b

Unitatis cuſtodia, 763. b Servanda in Ordinum varietate, 529. a Patientia, humilitate, & caritate ſervatur, 1243 b Melius eſt ut pereat unus, quam unitas, 107. b

Vocationi divinæ non reſiſtendum, 141. a, b Vocatio ad curam animarum quibus indiciis agnoſcatur, 1464 d Quales Deus vocet ad eccleſiæ miniſteria, 492. a

Vocatio religioſa ex Deo, 724 d quanti facienda, 1015 b 1139. c & ſeq. Vocati ad religionem, & non acquieſcentes, de ſalute periclitantur, 9 n.

Vocatio peccatoris & illuminatio quomodo

fiat, 113. b & ſeq. A timore incipit, 121. a

VOLUNTAS eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens, & appoſitus, 604. d Illa propie dicitur cui aſſentimus, & cui ſe liberum inclinat arbitrium, 903. f Ei ſoli competit libertas; qua non poteſt privari, 605. d Nec cogi, 1558. c Niſi ſeipſa, 618. e Voluntarium tamen minuit vehemens concupiſcentia, 1351. f Voluntas & opus quando rata, 788 b & ſeq. Voluntas ad ſalutem homini non ſufficit, quamvis ſine ea ſalvari nequeat, 6.7. b Velle ex libero arbitrio, velle bonum ex gratia, 610. a An libertati præjudicet velle habere voluntatem bonam, & non poſſe, 607. c Voluntas redeundi ad Deum ex gratia, 1560. c Voluntatum ab appetitu diverſum, 604. a Velle, mente ire eſt. 1200. b

Voluntas ſola miſeriæ vel beatitudinis capax eſt, 605 a Ejus mutabilitas, 98. e Duplex infirmitas, 619. d Morbus triplex, 482. d Ruina triplex, 1180. c Voluntatis converſio & ordinatio quid, 611. b Injuſtam non comprobant, vel cum peccare, vel cum impune peccaſſe libet, 615. c Triplex illius bonum, 611. b Voluntas ſana, regnum Dei, 369 c Voluntas bona quæ, 1068. e Eam habet qui vult habere, 607. d Ejus quatuor gradus, 1237. e Impedimenta, 1137. d

Voluntas hominis media inter divinam, & carnis appetitum, 619. d Unio hominis cum Deo eſt voluntatum conſenſio, 1517. e Hæc voluntatum conformitas maritat animam Verbo, 1557. e Voluntas Dei fit de omnibus, & per omnes, ſed non in omnibus, 931. f Varia ejus in nobis impedimenta, 824. d & ſeq. Cum certo non innoteſcit, quid agendum, 1138. c, d An ei committere debeamus æternam damnationem, 139. e. 370. d Voluntatis ſcrutatio tutior quam majeſtatis, 1480. a & ſeq.

Voluntatem propriam Chriſtus deſeruit, ut ex bona fieret melior, 904. f Voluntatis propriæ abdicatio, 763. b 957. e 1018 f & ſeq. Deo reddenda pro ſummis ejus beneficiis, 1129. d Ejus damna 902. b, c 903. e & ſeq. 1138. c 1518. f In Deum quam crudelis & iniqua, 904. a, b Nos ſola à Deo poteſt avellere, 1107. f Hominem ſubjicit diabolo, 1108. e Vipera eſt peſſima, quæ ſola damnare poteſt animas noſtras, 1108. c Ceſſet, & infernus non erit, 903. f Duæ ejus filiæ inſatiabiles, 1126. f Voluntatis propriæ jejunium Deo ingratum, 1518 c Voluntas propria homini jugum importabile, 30. d & ſeq. 599. c, f Juſtum eſt, ut qui à Deo noluit ſuaviter regi, pœnaliter à ſeipſo regeretur, 30. e Voluntatem propriam ſequens anima eſt ſub ſe ipſa, 11 1. d Illius amatores notantur, 1325. d Dimittentes eam nihil, amittimus, 902. a Eam relinquere, quam difficile, 1103. b Voluntatis plena ſubjectio impoſſibilis in hoc mortali corpore, 1138. f Eſt humilitatis ſumma, 1138. a Voluntas propria eſt, quæ nec Deo, nec hominibus communis eſt, ſed tantum noſtra, 901. e Voluntas communis caritas eſt, 908. b

Voluntas damnatorum Deo oppoſita, 435. d Voluntas mala ea damnatis perſeverat, 615. e

VOLUPTATUM fugam docent Chriſti vagitus & lacrymæ, 782. f Voluptas corporis malum eſt, bonum vero afflictio, 782. d Voluptas in bonis corporis nulla ſincera, 609. b Voluptatum hujus mundi vanitas, 394. b, c Quam ſunt exiguæ, 493. f & ſeq Voluptas modica pietatis non modica jactura, 345. e Voluptas peccati brevis, memoria amara, 479. f Voluptas peccati tranſit, fœditas permanet, 436. b

VOVERE voluntatis, vota reddere neceſſitatis, 301. b Juſte cogitur ad ſolvendum, qui non cogitur ad vovendum, 10. e Voti dilatio periculoſa, 116. d Voti dilati aut fruſtrati reus, Deo injurius, non homini, 117. a Votum Bernardus appellat propoſitum intrandi religionem, 116. n. Monachus an poſſit ad aliud tranſire monaſterium prætextu voti, quod ante profeſſionem fecerat, 567. a Vota minora non debent impedire majora, 60. e Voto dimittendi epiſcopatus non tenetur Epiſcopus, 297. b Votum virginitatis in Maria, 737. a 746. b & ſeq. 730. d 1009. d

VOX Dei, inſpiratio ejus, & juſti timoris incuſſio, 1447. f Non ſonat in foro, non auditur in publico, 115. c Omnibus ſe offert, 479. a

Vox animæ, deſiderium, 1527. b Voces ſuas habent affectus, 1301. a

Vox & ſignum paſſim ad introducendam fidem concurrunt, 1471. b Vultus & vivæ vocis vis, 67. b

URBANUS II Roberto abbate Moliſmum remiſſo, ſocios Ciſtercii remanere permittit, 391. b

S. Urbani monaſterium Ord. S. Benedicti ab Herchenrao Catalaunenſi epiſcopo fundatum, 260. n.

URSUS, ſeu URSIO abbas S. Dionyſii apud Remos, dein epiſc. Virdunenſis, 85. c, n.

Uſura damnatur, 328. c

Utilitati accedit quidquid cupiditati demitur, 1467.

VVALCHERUS magiſter, 108. n.

VVALLENUS ex clerico regulari monachus & abbas monaſterii Mailros Ord. Ciſterc. 673. c

VVALTERUS de Inſula monachus Claravallenſis, 396 d

VVALTERUS vir nobilis, 64. n. V. GALTERIUS.

VVangionum civitas, 1054. e

VVEDRICUS abbas Leſcienſis, Bibliothecam & viros pios & doctos ex Hannonia conquiſiit, 358 n.

VVERBBAROAIUM jure parrochiali ab eccleſia Trunchinienſi poſſeſſum, 368. a

VVIDO, primus Præmonſtrati incola, locum Ciſtercienſibus ceſſerat, 230. c V. Guido.

VVISFRIDUS, Trevirenſis archiepiſcopus, clericis monachos ſubſtituit Virduni apud S. Paulum, 175. n.

VVILLELMUS abbas, 381. b

VVILLELMUS abbas S. Martini Trecenſis, S. Bernardi amicus, 361. d

VVILLELMUS abbas Rievallenſis, 324. c Ejus zelus in VVillelmum Eboracenſem intruſum, 320. d Eo utitur Bernardus ad ſcribendam epiſtolam ad Robertum nepotem, 380. n.

VVILLELMUS archiepiſc. Cantuarienſis, 386. b

VVILLELMUS comes Matiſconſis, 248 n.

VVILLELMUS comes Nivernus, 309. e In Carthuſiam ſeceſſit, 269. n.

VVILLELMUS IV. comes Nivernenſis, 269. n. 270, a A Bernardo male notatus, 272. d Licet plura pluribus monaſteriis bona dederit, 272. n Sepultus in capitulo S. Germani Autiſſiodorenſis, 272. n. Ejus cum Hugone epiſcopo Autiſſiodorenſi controverſiam dirimit S. Bernardus, 373. d & ſeq. Cum Alano epiſcopo ſecundæ ſententiam componit Godefridus epiſcopus antea Lingonenſis, tunc privatus apud Claram-vallem, 377. n.

VVILLELMUS decanus Eboracenſis VVillelmum epiſc. Eborac. intruſum declarat, 236. c

VVILLELMUS Henrici Murdach diſcipulus, 109 n. 110. c

VVILLELMUS Maudunenſis, 158 b

VVILLELMUS monachus, 298. a

VVILLELMUS monachus Claræ-vallenſis, 105. b, n.

VVILLELMUS monachus Tullenſis, 354 c, n

VVILLELMUS prior clericorum regularium de Cixborne. 389. e V. Guillelmus.

Vulnera Chriſti victoriæ ſigna, 1016. d Vulnera Chriſti, petræ foramina, 1473. c In eis habitatio ſecura, 1473. e Eorum conſideratio ſanat animæ vulnera, 1480. f

Vulpes triplices, adulatores, detractores, & ſeductorii ſpiritus, 1490. e Vulpes demolientes vineas, adulatores & detractores, 1482. b Vulpes in Eccleſia, hæretici, 1486. d, 1490. f Vulpes, vitia quæ ſub ſpecie virtutis nos fallunt 1485. e & ſeq. Tentationes, 1484 d

Vultus & vivæ vocis vis, 67. b

Y

YMARUS ex monacho S. Martini à Campis Prior Caritatis, tum abbas Monaſterii-novi apud Pictavos, poſtea cardinalis epiſcopus Tuſculanus, 201. n. 208. b 288. n. Legatus in Angliam, 324. f, n.

Z

ZAbulon interpretatur habitaculum fortitudinis, 1284 b

ZACCHÆI juſtitia & miſericordia, 1018 b Zacchæi multi in clauſtro, 1028. b

ZELUS prælatis neceſſarius, 1348. d Qualem in epiſcopis requirat Bernardus, 1307. c Zelus eccleſiaſticus major pro tuenda dignitate, quam pro acquirenda ſanctitate, 437. e Zelum inflammet caritas, informet ſcientia, firmet conſtantia, 1327. c Zeli juſtitiæ commendatio, 900. d Zelus abſque ſcientia minus efficax & importabilis, 14, 6. c Errori eſt obnoxius, 1315. f Corruit, 949 b Zelus cæcus non procedit ex Spiritu-ſancto, 1280. e Zelus clementia temperandus, 838. d In zelo exercendo obſerva locum, modum, & tempus, 424. d Zeli effectus, 1366. b Magnanimi zelo & fide magna audent & obtinent, 1386 c & ſeq.

Zelus diſciplinæ religioſis inculcatur, 986. b Injurius eſt Deo, qui zelum arctioris vitæ in aliis impedit, 23. b Quam longe abſumus à zelo & fervore martyrum, 1056. e Zelo pleni vineæ ſunt, 1474. d Zelus incenſus & immiſſus, 1508. a. 1509. a, b

ERRATA SIC CORRIGENDA.

IN PRÆFATIONE num IV lin. 2. Prima, lege Vox, & quidem præcipua eſt. num XIV. lin. 19 Apoſtolus, l. Petrus Apoſtolus

IN TEXTU col. 14. linea 1, in Nota c, tertia, lege quarta. col. 26 in marg iſteo l. Iſtro col 41. ad lit 6 lin. 2. Tom. IV l Tom II. col. 170 in marg. 13 l. 19. col. 216 lin 2. temporre l. tempore. col. 287 f. CC XXII l CC XXXIII col. 303 in marg M C LXIII. l M C XLIII. col. 373. 6, lin. 1 iſte l iſta col 387. in marg 4' l 4 col 390 e, in marg. 16 l 61 col 393. 6, lin. 6 16 me l. in me col 438 a lin 7. triſtitiam l triſtitiam. col 465. c, lin 10 omnes l omnes col 564 a, lin. 6 ſi ergo l. ſi ergo. col 493. in marg culiatus l. calibatus col 524 lin 19. Sapientiæ l ſapientiæ. col. 632. f, lin 4 laborandam l laborandum. col. 780 in marg Matth 19. l Matth 18 21 col. 808. in Nota lin 2 ſermonem 3 l ſermonem 1. col. 897. b, lin. 3 quid ego l quid ergo col 1201. a, lin 3. in operis l id operis. col. 1085. a, lin 6. tabernacul. l. tabernaculi col 1086. in marg. omnium l omnia. col. 1138. f, lin 4. ſuat l ſua col 1134 in marg. dat l. reddit col 1170. a, lin 3. imitate l. virtute. col. 1179. c, lin 11 ſarmam l. formam col 1169 in Nota Addi l Addit. Poſt col 1274. corrige illo ſequentes numeros columnarum col 1301. a, lin. 7. pereſſimamus l pereſſimamus col. 1366. in verbo iudice, etiam l. meam col 1440. a, lin. 6 capis l. carnis. col 1464 d, in marg. iudicio l iudicio col 1515 in marg alis l aliis

IN NOVIS NOTIONIBUS num 14. lin 23. ubique l. ibique num 49 lin 3. præcepi l. præcepi. num 85 lin 15 Alanus l. Conanus num. 98. lin 2 lib II l XI ibid lin ult archiepiſcoporum l. epiſcoporum num 130. lin 29 Gos l Goſ. num 165. lin 12. aſſiſtabat l aſſiſtabit num 197 lin 3 Burlegalenſis. Burdegalenſis num 203. lin 11. Petrum l Petri num. 207. lin 19 eccleſia l. eccleſia. num. 215 lin 27 deſerviſſe l. deſerviſſe. num 28 . lin 14 ſuper l. unguentum ſuper.

E Typographia Vid. JOHANNIS BAPTISTÆ COIGNARD, Regis Typographi ordinarii, 1690.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

4-3-12

Digitized by Google